BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
8
43 - G
5

R. P. FRANCISCI PELLIZZARII PLACENTINI,

E SOCIETATE IESV,
Theologiæ Moralis Professoris

MANVALE REGVLARIVM.

TOMI POSTERIORIS, PARS PRIMA.

Constans ex IV. postremis Tractationibus; in quarum VII. agitur de pœnis Regularium; in VIII. de ipsorum Priuilegiis: in IX. de illorum Gubernatione: in X. de Monialibus.

Et quidem ita, vt in vnaquaque Tractatione de occurrenti materia breuiter, clarè, ac solidè, non solùm resoluantur omnes ferè quæstiones, quæ à Doctoribus in simili materia tractari solent, sed etiam plures aliæ, eæq; grauissimæ ab alijs Authoribus non tractatæ.

Accesserunt Decreta S. Congr. & Bullæ Pontif. quæ à Regularib. publicè quotannis legi debent sub certis pœnis.

Cum Indicibus Tractationum, Capitum, Sectionum, Subsectionum, ac Rerum notabilium copiosissimis.

Editio secunda ab ipsomet Authore recognita, nouis additamentis in proprio loco positis aucta, ac expurgata ab erroribus in priori editione Veneta commissis.

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.
M. DC. LIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX

Tractationum, Capitum, Sectionum, ac Subsectionum, quæ in hoc posteriori Tomo continentur.

TRACTATIO VII.
De pœnis latis contra Regulares.

TRACTATIO VIII.
De priuilegiis Regularium.

4 De

TRACTATIO IX.
De Gubernatione Regularium.

TRACTATIO X.
De Monialibus.

TRACTA

TRACTATIO VII.

De pœnis latis contra Regulares.

QVAM sit necessarius pœnarum vsus ad bonum regimen cuiuscumque Communitatis, vel hinc patet, quod iuxta vulgare effatum viam delictis aperire præsumitur, qui delicta relinquit impunita. Hinc mirum non est, etiam inter Religiosos admissum fuisse vsum pœnarum, & quidem multiplicem; cùm earum aliquæ statutæ sint in decretis Summorum Pontificum; aliæ taxentur in Constitutionibus ipsarum Religionum; aliæ relinquantur prudenti Superiorum iudicio hîc, & nunc infligendæ subditis delinquentibus, siue inuitis, siue eas vltrò deposcentibus. De his ergo pœnis in præsenti Tractatione disseremus, eam In 6. capita diuidentes: In quorum 1. agemus de pœnis in genere: In 2. de excommunicationibus in specie latis contra Regulares in iure communi: In 3. de Suspensionibus contra eosdem impositis: In 4 de Interdictis contra eos ipsos statutis: In 5 de Irregularitatibus, quibus iidem subiacent: In 6 de variis aliis pœnis, tum spiritualibus, tum temporalibus, ac etiam corporalibus, quæ ex occurrentibus delictis iisdem Religiosis inferri solent. Quin etiam, cum singularum Excommunicationum, Suspensionum, Interdictorum, ac Irregularitatum, quas in hac Tractatione exponemus, sufficiens cognitio haberi non possit, nisi de ipsa Excommunicatione, Suspensione, Interdicto, ac Irregularitate aliqua priùs in genere explicentur: ideò & de his in suis propriis capitibus respectiuè aliqua magis necessaria attingemus, omissis iis, quæ minùs faciunt nostro instituto.

CAPVT I.

De pœnis in communi, latis contra Regulares.

IN hoc Capite agemus de pœnis in communi, & quidem maximè de Censuris in genere: cùm pœnæ, quæ inferri solent Regularibus, plerumque sint de genere Censurarum; sicque caput diuidemus In 2 Sectiones: In quorum 1. differemus de pœnis in vniuersali: In 2. de Censuris in genere: idque ne postea in progressu Tractationis eadem cogamur sæpiùs repetere cum non leui dispendio breuitatis.

SECTIO I.

De pœnis in genere spectatis in ordine ad Regulares.

1 *Explicatur in quo consistat ratio pœnæ.*
2 *Pœna est multiplex, & varia.*
3 *Vsus pœnarum necessarius ad bonum regimen Regularium.*
4 *At non semper expedit eas taxari in Religionibus.*
5 *Et imponi possunt Religiosis solum à Prælatis regularibus, aut alio legitimo Superiore.*
6 *Et quidem etiam à Prælatis localibus.*
7 *Desumuntur ex variis iuribus.*
8 *Causæ grauiores Regularium non decidendæ absque consilio peritorum.*
9 *Eorum delicta grauius puniuntur, quàm delicta hominum laicorum.*
10 *Etsi non sine admixtione misericordiæ.*
11 *Omnes Religiosi subditi puniri possunt à Prælatis regularibus.*
12 *Puniri possunt & Nouitij.*
13 *Item Moniales exemptæ ab Ordinario.*
14 *Non item Religiosus probatus reus, si à Prælato sit agnitus verè innocens; quod non procedit de Iudice laico respectu suorum subditorum.*
15 *Regulariter condemnari non debet reus ex scientia priuata, & inaudiitus.*
16 *Ad formam iudicialem plura, & varia petuntur.*
17 *In iudicijs Regularium item plura requiruntur.*
18 *Illi interdum possunt puniri, quamuis innocentes; & maximè in Societate Iesu.*
19 *Et tunc pœna non subeunda sub peccato, nisi adsit præceptum Superioris.*
20 *Religiosus hospes punitur extra suum Conuentum, si delinquat contra ius commune, aut contra sui totius Ordinis.*
21 *Sic enim fit subditus ratione delicti.*

22 *Punitur à proprio Prælato etsi delinquat extra eius territorium.*
23 *Inchoans delictum in proprio territorio, & consummans in alieno punitur à duplici Prælato.*
24 *Imò puniri potest a Prælato loci, in quo inchoat delictum alibi consumandum, etsi domicilium mutauerit, quod tamen non est ita certum.*
25 *Delinquens in vno loco, & ibi non punitus, potest puniri alibi, si mutet domicilium.*
26 *Idque procedit etiam in casu, quo in loco delicti minus digne puniatur.*
27 *Si plures Religiosi simul delinquant, non omnes puniendi.*
28 *Prælati supremi commutant, minuunt, &c. pœnas taxatas in Ordine.*
23 *Non item pœnas taxatas in iure communi.*
30 *Afferuntur causæ, ob quas pœna potest temperari.*
31 *Iudex inferior interdum auget pœnam taxatam.*
32 *Item illam minuit, si non sit taxata.*
33 *Religiosi obligari possunt ad pœnas taxatas, etiam ante sententiam.*
34 *Si id in regula præcipiatur, aut alia ratione legitima: & quidem pœna taxata in regula subeunda sub peccato licèt Regula non obliget ad culpam.*
35 *Pœna imposita delicto non extenditur ad præterita, nisi imponatur pro delicto non punito.*
36 *Peccat violans legem obligantem ad certam pœnam post certum tempus, si eo nondum elapso illam violet, etsi sit immunis à pœna.*
37 *Pœnæ latæ contra Ecclesiasticos iure communi non extenduntur ad Regulares, si hi non exprimantur in specie.*
38 *Regula obligans ad pœnam, regulariter non obligat in conscientia: & in dubio lex debet præsumi purè pœnalis.*
39 *Regularium defectus occulti possunt puniri, si sint leues.*
40 *Regulares non præscribunt contra pœnas.*
41 *Appellatio legitima excusat ab executione pœnæ.*
42 *Ex decreto Pauli V. nequeunt Prælati regulares suis subditis pœnas remittere ad instantiam personarum laicarum.*
43 *Ignorantia pœnæ excusat ab ipsa pœna.*
44 *Limita, nisi pœna sit leuis, & omnino proportionata delicto.*
45 *Ignorantia autem pœnæ probatur iuramento ipsius ignorantis, quoad forum externum.*
46 *In pœnis mitior facienda est interpretatio: & pœna legis nouæ diuersa tollit pœnam antiquam pro eodem delicto, si hoc nondum sit commissum.*

QVÆRES I. Quid intelligatur hîc nomine Pœnæ.

1. Respond. intelligi passionem, quæ infligitur, aut contrahitur ob peccatum iam præteritum, & infert nocumentum ei, qui illam sustinet, aut certè apta est ad illud inferendum, nisi aliunde impediatur: dicitur autem passio, & non actio, quia, licèt multi in operando sentiant pœnam (v. g. in scribendo) non tamen sentiunt pœnam, quatenus agunt, sed quatenus patiuntur, i. fatigantur iuxta illud: *omne agens in agendo repatitur* (quamquam interdum nomine pœnæ veniat & simplex priuatio alicuius boni, quæ nullam importat actionem, & potiùs dicit defectum actionis; vt priuatio vocis actiuæ:) dicitur *inflicta, aut contracta ob peccatum*, pœna enim & culpa dicuntur correlatiuè; vnde afflictiones, quas aliquando viri iusti patiuntur absque culpa præcedente, propriè non sunt pœnæ, sed pœnalitates; dicitur *ob peccatum iam præteritum*, quia culpa semper debet præcedere pœnam, sin minùs tempore, saltem natura; dicitur *inferens nocumentum ei, qui illam sustinet, aut certè est apta ad inferendum*, &c. quia non omnes pœnæ de facto nocent eas toleranti, at aptæ sunt nocere, quin potiùs illi interdũ prosunt ex varia habitudine subiecti eas tolerantis, vel certè ex vsu, & assuefactione, iuxta illud: *Ab assuetis* [illegible] *non fit passio*: cum tamen explicans rerum essentias, ea spectare debeat secundùm ea, quæ ipsis competunt per se, & ex natura sua, non autem, quæ per accidens, & contingenter. Ita Castrus *de leg. pœnali, l. 1. c. 3.* ex dictis inferens legem pœnalem posse definiri, quòd sit lex, quæ statuit pœnam alicui infligi propter culpam commissam.

QVÆRES II. quotuplicis generis sint pœnæ, quæ inferri possunt Regularibus.

Respond esse multiplicis generis: aliæ quippe sunt spirituales (quales sunt censuræ, imò & priuatio officiorum, vocis actiuæ, & passiuæ, inhabilitatio ad gradus, dignitates, ac beneficia Ecclesiastica, aliæque id genus:) & aliæ corporales (qualis est flagellatio, pœna triremium, ieiunium, &c) aliæ sunt iuris communis, quæ latæ sunt in iure cõtra omnes Religiosos & aliæ iuris particularis, quæ sunt propriæ cuiusque Ordinis; aliæ sunt priuatiuæ, idest cõsistentes in priuatione (vt censuræ inhabilitates, annullationes, & irritationes actuum:) aliæ positiuæ, quæ ad sui executionem petunt aliquam actionem, siue faciendam ab ipsomet delinquente, siue ab alio tertio, (qualis est exilium, flagellatio, & similia:) aliæ sunt ipso iure latæ, quæ ad delicti positionem consequũtur, & aliæ ferendæ, posito delicto, ferendæ sunt à Iudice: aliæ sunt perpetuæ, & aliæ ad tempus, siue determinatum, siue indeterminatũ; aliæ sũt à iure & aliæ ab homine. 2.

QVÆRES III. An vsus pœnarũ sit conueniens, imò & necessarius ad bonum regimen Regularium.

Respond. esse; & probatur, tum quia, vt benè aduertit Suar. *tom. 4. de Rel. tract. 8. c. 9. n. 2.* *sine timore, ac disciplina non potest communitas humana in officio continere, quantumuis bona videatur in hac vita mortali*: vnde potestas directiua sine aliqua coërcitione, infirma, ac ferè inutilis est; tum quia in hoc differunt laudabiles Religiones, inquit S. Bonau. *de sex alys Seraphim, c. 3.* & iam dilapsæ, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impunè peccare sinatur, & peccãdi aditus studiosè præcludatur, & incorrigibiles, & alios inficientes eliminentur, & boni adiuuentur, & diligantur, vt perseuerent, & in melius semper proficiant: tum quia certa constat experientia nulla alia via citiùs, & faciliùs disciplinam regularem relaxari, quàm per impunitatem defectuum, qui circa illam in dies committũtur; cùm è contra pœnæ etiam leues, quæ oblata opportunitate infligũtur transgressoribus Regulariũ, summoperè coërceant nimiam eas transgrediendi facilitatem; vt proinde dicat Petr. Dam. ep. 11. ad Gotifred. *l. 7. Illud etiam mihi non mediocriter displicet, quia in plectendis flagitijs, & temerarijs iniquorum hominum ausibus coercendis remissior cerneris esse, quàm debeas, vt, dum peccatoribus parcis, augere peccata conuinceris: eneruatam quippe rigore iustitia status euertitur disciplina, & dum vltoria seueritatis censura reprimitur, temeraria delinquendi licentia relaxatur; inordinata sanè pietas nutrit impietatẽ, & timida manus medici vulnus auget ægroti.* Quæ omnia sedulò debent perpendi à Prælatis regularibus; vt hinc cognoscant, quàm solliciti debeant punire excessus, ac defectus suorum subditorum; memores grauioris illius comminationis, quæ contra ipsos statuitur 3. Reg. 20. in hæc verba: *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima eius*, meminerint etiam sæpè, quod pœna 3.

vnius

vnius est multorum metus, *Instit. de exceptionib. §. hodie autem, C. ad legem Iul. repet. l. 1.* sicque discretè, ac opportunè puniant subditorum defectus iuxta monitum Concil. Trid. *sess. 13. cap. 1. de reform.* sic dicentis: *Illud primum admonendos eos censet, vt se pastores, non percussores esse meminerint, atque ita praesse sibi subditis oportere, vt non in eis dominentur, sed tanquam filios, & fratres diligant, elaborentq; vt hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint debitis eos pœnis coercere cogantur: quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostolica est ab eis seruanda praeceptio, vt illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia: cùm sæpè plus erga corrigendos agat beneuolẽtia, quàm austeritas, plus exhortatio, quam commnatio, plus charitas, quàm potestas. Sin autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit: tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum benignitate seueritas adhibenda est.*

QVÆRES IV. Vtrùm conferat ad melius regimen Regularium, quod in Constitutionibus singulorum Ordinum Religiosorum pro certis delictis etiã certæ taxentur pœnæ, an verò quod hîc & nunc pro ratione excessus commissi imponatur pœna, quæ prudenti Superioris iudicio videbitur opportunior.

4 Respond. quòd, licèt in vtramque partem adduci possint rationes non paucæ, nec leues: simpliciter tamen loquendo, si ponamus, & Prælatos regulares esse discretos, prudentes, rectos, ac zelantes; & subditos esse timoratos, ac studiosos propriæ perfectionis, & salutis: non videtur expedire, vt in Religionibus pro certis delictis certæ statuantur pœnæ; idque ob rationes sequentes. Probatur ergò hæc responsio, 1. ex eo, quòd taxatio pœnarum supponit Religiosos duci, non amore filiali, sed timore seruili: qui tamen est minùs commendabilis in viris Religiosis, ad perfectionem charitatis tendentibus: 2. quia ab assuetis non fit passio; ac proinde hoc ipso, quòd certis excessibus certæ assignatæ sunt pœnæ, subditi eas minoris faciunt, illas minùs timent, minúsque ex earum timore deterrentur à dictis excessibus patrandis, quàm fortè deterrerentur, si ipsis certò non constaret de qualitate pœnæ imminentis, adeóque possent eam expectare, etiam grauiorem illa, quæ de facto est assignata: 3. quia excessus, ac defectus, qui in dies committuntur, solent coniungi variis combinationibus circumstantiarum desumptis ex qualitate temporis, loci, personæ, ætatis, aliorúmque similium, quæ non parum augere possunt delictum, aut diminuere; in praxi difficile est, quod in abstracto pro certo delicto certa pœna proportionata assignetur, quæ vel non excedat, vel non deficiat: 4. quia, posita supradicta taxatione pœnarum, Superior difficiliùs potest euitare querimonias subditorum casu, quo ex iusta causa pœnam taxatam alicui, aut remittat, aut saltem ex parte diminuat (cùm tamen iustæ occurrere possint causæ id præstandi) quippe si subditis constat de qualitate pœnæ infligendæ, iíque sunt, (vt ita dicam) in mala fide, quod non ita facilè eueniret, si pœnæ taxatio relicta esset arbitrio Superioris.

Rationes verò, quæ probant expedire, vt certæ taxentur pœnæ, desumuntur 1. ex praxi, tum iuris communis canonici, ac ciuilis, tum particularis multorum Ordinum, qui præfatam pœnarum taxationem statuerunt: 2. ex eo, quod homines, attentà conditione naturæ corruptæ, plerumque deterrentur à vitiis, non tam amore virtutis, quàm timore pœnæ, iuxta illud; *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*, & quidem maximè, si certiùs videant sibi pœnam debitam imminere: sicut contingit in præsenti casu: [illegible] quia subditi non ita irritantur contra Superiores infligentes pœnas in iure præscriptas, ac si eæ essent ipsorum arbitrio commissæ, sicque suauior redditur regularis gubernatio: 4. quia stante præfata taxatione pœnarum subditi magis arcentur ab excessibus, vtpote videntes se hac ratione difficiliùs posse effugere pœnam, reclamante contra ipsum Superiorem lege illam præscribente; qui propterea strictiùs vrgetur ad eam infligendam, quàm si id eius arbitrio fuisset commissum. Quæ rationes suadent quidem, attenta humanæ naturæ corruptela, ac refrigescẽtis charitatis diminutione, expedire, vt in Religiosis Ordinib. supradicta pœnarũ taxatio statuatur, non tamen conuincunt id absolutè esse necessarium. quod tãtùm nos asseruimus in hac nostra respõsione.

QVÆRES V. An Regulares puniri possint non solùm à propriis Prælatis, sed etiam ab Ordinariis locorum, & à Iudicibus laicis.

Respond. non posse puniri, nisi à propriis Prælatis; cùm hi solùm habeant in eos iurisdictionem, quæ requiritur ad potestatem coërcendi, vt bene ostendit 5.
Suar. *supr. n. 3.* non item à Iudicibus laicis, vtpote nullam habentibus iurisdictionem in personas religiosas, sicut ostendimus *in tract. de priuileg. cap. 6. sect. 2.* imò nec ab Ordinariis, nisi in iis casibus, in quibus tanquam Sedis Apostolicæ delegati possunt se immiscere, eo modo, quo diximus supr. *in ead. tract. eod. cap. sect. 1.* & indicat Rodriq. *tom. 2. q. 2. art. 6.*

Vtrùm verò potestas coërcitiua competat omnibus Prælatis regularibus, etiam localibus respectiuè, quoad proprios subditos.

Respond. competere, nisi fortè ex vsu Ordinis, 6.
præcepto Prælati superioris, aut peculiari aliquo statuto sit restricta ad certos casus, ac limitatas pœnas: quod sine dubio non potest colligi, nisi ex vsu, ac Cõstitutionibus vniuscuiusque Religionis, quæ proinde in casu occurrenti debent attendi, & seruari; sicut notat Suar. *sup. cap. 9. n. 4.* Ratio responsionis est, quod Prælati regulares, etiam locales in Religiosos subditos habent iurisdictionem quasi Episcopalem ex indulto bullato per Pium V. concesso Dominicanis, & relato à Rodriq. *in bullar. bulla. Pij V. in ord. 13.* Constat autem Episcopos quoad suos subditos puniendos iuxta sacros Canones habere potestatem illimitatam; vt quotidiana testatur experientia.

QVÆRES VI. Ex quo iure debeant desumi pœnæ Regularibus infligendæ.

Respond. debere desumi ex peculiaribus statutis 7.
cuiusque Ordinis, si extent; sin minùs, ex Pontificiis Constitutionib. aut etiam (his deficientibus) ex Iure canonico, imò & ciuili, si desit canonicũ; &, si adhuc hoc minùs sufficiat, ex Iure municipali, ac legitimis consuetudinib. Et quidem quod in punitione Regularium procedi debeat iuxta peculiaria statuta vniuscuiusque Ordinis, non autem secundùm Ius commune: patet, tum ex concessione bullata ad id facta à Bonif. VIII. Ordini Minorum. & relata à Casarubio *in comp. v. correctio Fratrũ, n. 6.* his verbis. *Bonif. VIII. concessit, vt, Prælati Ordinis Minorum ad correctiones, & punitiones Fratrum eiusdem Ordinis delinquentium infligendas, ad quos eadem spectare noscuntur, rimulis, & apicibus Iuris postpositis, liberè procedere valeant secundum consuetudines approbatas, & generalia statuta ipsius Ordinis facta, & fienda* (quæ concessio, teste Casarub *supr. num. 8* à Bonif. IX. fuit facta, etiam per Bullam Ordini Prædicatorum, & per participationem est communis Religiosis aliorum Ordinum;) tum ex Clem. 1. *de priuileg. cap. 1.* quæ sic habet: *Si qui verò præmissa, vel aliquod de præmissis attentare præsumpserint* (loquitur de Religiosis) *per duos menses subiaceant pœnis illis, quæ secundum eorum regulam, vel*

statuta pro grauibus criminibus, seu culpis eis consueuerunt imponi: tum *ex cap.fin. de statu Monach.* § *porrò*, vbi dicitur Monachos S.Benedicti delinquentes puniri debere, iuxta B.Benedicti regulam,& Apostolica instituta. Ex quibus vltimis verbis colligit Peyr. *in formulario lit.S.cap.3.n.5.* deficientibus statutis regularibus, pœnarum qualitatem taxantibus, Regulares puniendos esse iuxta Apostolica instituta; &, si hæc item desint in casu aliquo, recurrendum esse etiam ad ius ciuile eo modo, quo supra diximus, & non obscurè innuitur *d.12.cap.7.* iis verbis: *Si in adiutorium vestrum etiam terreni imperij leges assumendas putatis, non reprehendimus.* ita Peyr. *supr.* cum Thom. à Iesu, Rodriq, Manso, Aldret. & aliis addens cum Ghisl *cap.13.de Iudice regul. n.14.* Protectores, & alios, ad quos Regulares de iure possunt recurrere, teneri iudicare in causis eorum iuxta regularia statuta,& non aliter; cùm iura allegata indefinitè loquantur, & vt pontificia adstringant quoscumque Iudices Regularium iuxta regulam: *lex generaliter loquens generaliter debet intelligi.*

8. Notat autem Rodriq. *tom.2.q.21.art.7.* quod, cùm Bonifac.IX. in priuilegio superiùs citato concesserit Ministro generali Ordinis Prædicatorum, *vt ipse, & alij Præsidentes dicti Ordinis in correctionibus Fratrum eiusdem Ordinis Iuris ordine postposito, secundum consuetudines approbatas, & instituta Ordinis antedicti procedere libere, & licitè possint, & valeant*; & hæc ipsa concessio, vt fauorabilis statui Religioso, etiam aliis Ordinibus per viam communicationis competat: non debent Regulares Prælati grauiores causas Religiosorum subditorum definire absque consilio ad minus eorum, qui in causis Regularium sunt versati; si quidem hæc est consuetudo communiter approbata in Religionibus: & meritò, cùm vnicuique credendum sit in sua arte; quod etiam confirmatur ex quodam decreto Pij V. relato *in Comp.S.Hieronymi, v.condemnare* in quo statuitur posse quidem Priorem generalem Fratrum (intellige *S.Hieronymi*, & aliorum Ordinum communicantium de ipsorum priuilegiis) non expectato Capitulo, se solo damnare ad triremes, siue ad tempus, siue perpetuò, non tamen posse id facere, nisi de consilio Seniorum, quod est dicere, ipsum teneri petere consilium Seniorum (Patrum scilicet ad tale munus deputatorum, qui in aliquibus Ordinibus vocantur *Discreti*, in aliis *Vocales*, in aliis *Consultores*, &c.) non tamen teneri illud sequi, vt rectè aduertit Rodriq. *loc. supr. cit.* sicque puto in Religionibus obseruari, cùm & prudentia, & æquitas id requirat: vnde Prouerb.11. dicitur: *Salus, vbi multa consilia*: & cap.12. *Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia.*

QVÆRES VII. An, & quomodo Regularium delicta grauiùs puniri debeant, quàm delicta hominum sæcularium.

9. Respondeo debere; quamuis semper aliquis locus misericordiæ relinqui debeat. ita Peyr. *supr. lit.P.c.16. n.5.* & probatur, tum quia pœna debet proportionari delicto: delictum autem Regularium cæteris paribus est grauius delicto sæcularium, non solùm ratione votorum, *cap.qui bona 17. q.1.* sed etiam quia Religiosi maiorem habent de Deo cognitionem; cùm tamen, cui plus datum est, plus requiratur ab eo: tum quia in sacris Canonibus puniuntur aliqua delicta Ecclesiasticorum, quæ tolerantur in sæcularibus (vt frequentatio domus fœminarum, *cap.Clericus d.81.* ludus alearum, *cap.Episcopus d.35.* negotiatio, *cap.negotiatorem d.88.* & similia,) quod est signum delicta Ecclesiasticorum, & consequenter à fortiori hominũ Religiosorum grauiùs esse punienda, quàm puniantur delicta sæcularium; tum quia peccata Regularium sunt magis perniciosa bono communi, vtpote alios ducentia ad interitum, *cap.qualis 8.q.1.* vnde, & sunt grauiora, adeòque maiorem merentur pœnam.

Dixi, *quamquam semper aliquis locus misericordiæ* 10.
relinqui debeat, vt indicarem in puniendo admiscendam semper esse misericordiam rigori; *vt non sit amor, sed non emolliens*, ait S.Gregor. *lib.20.mor.cap.6.* *sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè sæuiens; sit pietas, sed non plus, quàm expediat, parcens*: quò spectat, quod ait Concil. Trid. *sess.13. de reform. cap.1.* *Sin autem ob delicti grauitatem virgâ opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est.* Imò inquit S.August. *serm.26. ad fratres in eremo*: *Melius est, vt redarguamur de misericordia, quàm de crudelitate in die nouissimo: superexaltat enim misericordia iudicium*, (quod tamen non facit, quin etiam leuiores culpæ Religiosorum corrigi debeant à Prælatis; non enim charitas est, sed languor malos humores non corrigere, *cap.non putes 23.q.5.* vbi additur hinc manere totalem subditorum ruinam,) quæ omnia confirmat S.Gregor. *lib.8.reg.ep.16.ind.3.* dicens: *Plerumque plus virium habet discreta in correctione remissio, quàm in exequenda vltione districtio: adeo vt nonnunquam hæc fideliorem, atque subiectum: illa vero obstinatum faciat, & amulum.*

QVÆRES VIII. An potestas coërcitiua Prælatorum regularium extendatur ad omnes Religiosos sui Ordinis, etiam eiectos, imò & promotos ad dignitatem (v.g. Episcopalem, aut aliam similem.)

Respond. extendi ad omnes, non tamen ad Reli- 11.
giosos legitimè eiectos ab Ordine, vtpote qui ex decreto Vrbani VIII relato supr. *in tract. de priuil. cap.8. sect.2.q.4.* immediatè subiiciuntur Ordinario, & consequenter eximuntur à iurisdictione Prælati regularis (quæ tamen necessariò supponitur ad potestatem coërcitiuam:) imò neque ad Religiosos, qui consecrati sunt in Episcopos, aut alio titulo plenè exempti sunt ab ordinaria Prælatorum regularium potestate: idque ob rationem modò allatam. ita Peyr. *supr. lit.G. cap.6.n.2.* addens oppositum dicendum esse de iis, qui nominati sunt in Episcopos, sed nondum sunt consecrati; hi quippe, cùm non sint exempti à Prælati regularis iurisdictione, nisi post consecrationem, vt expressè dicitur in Bulla Pauli IV. à Rodriq. adducta *in Bullar. Const.4. Pauli IV.* si interim delinquant, puniri possunt à suis Prælatis regularibus: quippe qui adhuc subduntur eorum potestati, & gaudent priuilegiis Ordinis; adeóque par est, vt sentiant, & onera; quod idem proportionaliter dicendum est de Religiosis solùm nominatis ad aliquod beneficium, & illud nondum pacificè possidentibus; secùs, si illud pacificè possideant: nam tunc, sicut eximuntur ab ordinis iurisdictione, ita & sunt immunes à potestate coërcitiua Prælati regularis, vtpote, quæ ad illam necessariò præsupponitur, vt iam non semel diximus.

QVÆRES IX. An Prælati regulares possint punire Nouitios sui Ordinis.

Respondeo posse, & quidem non solùm in casu, 12.
quo delinquant contra regulam, aut statutum religionis; sed etiam si committant alia delicta capitali pœna digna, (v.g homicidium,) & velint manere in religione. ita Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap.10. num.12. & 14.* Peyr. *de Rel. Pr. quæst.3. cap.1.§.7.n.192.* aliique plures apud ipsum, patetque ex dictis suprà *in tract. de gubernat. cap.3. num 48. si monuero*, quod si delictum commissum exigat, & reus torqueatur ad veritatem eruendam, potest Prælatus regularis Nouitium modo dicto delinquentem torquere, æquè

ac

ac si esset professus, cum id consequatur officium Iudicis, iuxta *cap. cum in contemplatione, de regul. iur.* potest inquam torquere, & quidem etiam per sæcularem, vt notat Suar. *de censur. D.* 22. *sect.* 1. *num.* 44. Coninch. *de cens. D.* 14. *num.* 191. & alij contra Peyt. *supr. num.* 195. oppositum asserentem cum Nauarro, Rodrig. qui Peyr. ait *num. praced.* quod si Nuuitius committeret aliquod delictum, quod mortem non mereretur (furtum, v.g. aut adulterium) posset puniri à Prælato regulari, etiamsi vellet egredi è religione; cùm ex vna parte talia delicta minùs sufficienter puniantur per solam dimissionem à religione; ex alia parte multum intersit Reipubl. ne delicta maneant impunita, & alioqui probabile sit Nouitium ob tale delictum non punitum iri post egressum ab ordine. Nec obstat, quòd sic videtur impediri libertas Nouitij ad exeundum contra *cap. statuimus, de regul. & cap. non solum, eod. tit. in* 6. siquidem hi textus non loquuntur in casu, quo Nouitius ratione delicti fiat subditus suo Prælato regulari, iuxta *l.* 1. *C. vbi de crim. agi oport.* t. iuncta Gloss. *de Rapt.*

QVÆRAS X. An Prælati regulares possint punire Moniales sui Ordinis.

13. Respondeo posse, si ipsorum iurisdictioni reuera subsint; non item, si Ordinariis loci subiaceant plenè, & per consequens sint exemptæ ab iurisdictione Ordinis. patet ex dictis supr. *in tract. de gubern. cap.* 3. *n.* 47. & Portel. *de dub. Regul. v. Prælatus, n.* 7.

QVÆRES XI. An Prælati regulares possint punire Religiosum subditum iuxta allegata probatum nocentem, si ipsi ex scientia priuata sciant illum esse innocentem.

14. Respondeo, quòd cùm Less. P. Nauarr. Sylo. Maldet & alij apud Dianam *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 22. probabile putent etiam Iudicem sæcularem in proposito casu non posse punire reum, quem ex priuata scientia nouit esse innocentem; & Prælati regulares iuxta dicta *q.* 6. non teneantur in iudicandis causis suorum subditorum seruare apices Iuris; probabile videtur eos non posse punire tanquam reum, quem certò sciunt esse innocentem, imò teneri non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia (nimirum ratione officij quod exercent) adhibere media opportuna ad manifestandam illius innocentiam, eúmque liberare: & hoc etiam recurrendo ad Prælatum Superiorem, qui cognita rei innocentia eum ex suprema sua potestate liberet, relaxata pœna, quæ ipsi secundùm allegata, & probata deberetur, idque siue agatur de inferenda morte, aut mutilatione, siue de infligenda alia minori pœna (qualis esset priuatio officij, gradus, vocis actiuæ, & passiuæ, &c.) licèt enim Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 84. & alij putent supradictam doctrinam non habere locum, nisi in causis grauioribus mortis, aut mutilationis: loquendo tamen de causis Regularium, quæ inter ipsos tractentur, censeo illam militare etiam in causis minùs grauibus: idque mihi suadeo ex eo quòd Prælati regulares in suis iudiciis non tenentur seruare apices Iuris; cum aliàs potissima ratio asserendi Iudicem teneri condemnare eum, qui secundùm allegata probatus est nocens, esto ipsi constet ex scientia priuata illum esse innocentem, sit ad seruandum Iuris ordinem: quæ ratio cum cesset respectu Prælati regularis ob causam modò allegatam, vtique eum non astringit ad reum in præsenti casu puniendum, saltem in causis minùs grauibus, ita docti recentiores à me consulti, & meo iudicio satis probabiliter; patétque tum ex dictis; tum quia eatenus ratio naturalis dictat Iudicem debere sequi notitiam publicè receptam per allegata, & probata, quatenus adest periculum, ne

facilè aberret in iudicando, & deflectat à veritate, & iustitia: hoc autem periculum non adest in præsenti casu; cùm potiùs Iudex videat eius iudicium fore omninò iniustum, si procedat secundùm allegata, & probata: quo modo constat cessare rationem procedendi secundùm allegata; cùm obligatio legis cesset, quandocumque ex eius obseruatione sequitur id, quod est contrarium fini per ipsam legem intento; alioqui detorqueretur ad iniuriam, quod pro seruanda iustitia introductum est.

QVÆRES XII. An Prælati regulares possint Religiosum subditum condemnare ex priuata scientia, aut certè non citatum, nec auditum.

Respondeo regulariter non posse; & probatur ex eo, quod licèt in iudicandis causis Regularium non sit opus seruare apices Iuris, vt diximus *quæst. præced.* id tamen intelligi debet, de iis, quæ spectant ad formam iudicij accidentaliter, non autem de iis, quæ spectant essentialiter, & sunt solemnitates substantiales: cuiusmodi est, quod non condemnatur reus, nisi citatus, & auditus: quæ solemnitas ita est de ratione formæ iudicialis, vt non solùm iure gentium recepta sit, sed videatur esse iuris naturalis, iuxta *Clem. Pastoralis*, in qua versùs finem dicitur: *De crimine graui delato facultas defensionis, quæ à iure naturali peruenit, adimi non valet, cum illa tollere Imperatori non licuerit, quæ iuris naturalis existunt*: quamquam in iure, tum canonico, tum ciuili id, quod propriè est iuris gentium, dicatur Iuris naturalis, (vt ostendit Lessius *supr. cap.* 5. *num.* 18. vnde fit, vt Prælatus regularis modo supradicto condemnans reum non auditum, nec citatum, ferat iudicium, & illicitum, & inualidum: vtpote carens debita solemnitate substantiali. Dixi *regulariter*, quia potest dari casus, in quo Prælatus regularis potest condemnare subditum non citatum, nec auditum: vt si delictum verè sit, aut certò constet de eo, & aliàs iuridicè procedi non possit in eo sine periculo grauis turbationis, aut graui præiudicio boni communis, vel etiam personæ alicuius particularis: vt in simili notat Lessius *supr. cap.* 29. *n.* 100. monens *num.* 102. hanc doctrinam non procedere solùm in condemnatione ad mortem, aut mutilationem, sed etiam in priuatione officiorum perpetuorum, carcere, ac exilio: eamque adstringere tam Prælatos supremos, quàm inferiores; quod dicit *num.* 93. 15.

Addit autem Peyt. *supr. lit. P. cap.* 16. *num.* 1. quod, cum ad formam iudicialem alia requirantur de iure diuino (videlicet accusatio delicti, seu denuntiatio, rei citatio, æqualitas Iudicis erga partes, testium pluralitas, & partis auditio) alia de iure naturali (nimirùm recusatio Iudicis inimici, appellatio, defensiones legitimæ, iuramentum de veritate dicenda, quod datur testibus, testium secreta interrogatio, quod constet de delicto facti permanentis, & quod inimici repellantur ab accusando, aut testificando) & alia de iure positiuo, v.g. quod libellus accusationis, seu denuntiationis offeratur in scriptis; quod reorum citatio realis, seu verbalis fiat tali, vel tali modo; quod fiat debita litis contestatio; quod partibus tale, vel tale tempus præscribatur ad respondendum, seu probandum: quod adsit sufficiens numerus testium in delicto probando; quod non admittantur dolosæ protelationes; quod citetur reus ad videndum iurare testes; quod sententia non feratur, nisi tali loco, tali die, & tali modo, nempe sedendo: quod citationes non fiant, nisi per interualla, aliaque id genus, quæ prosequuntur Miranda *de ord. iud. q.* 14. *art.* 2. *concl.* 2. & Ghisler. *de iudic. Regul. cap.* 11. 16.

Addit, inquam Peyt. in iudiciis personarum regularium

larium non solùm seruanda esse, quæ pertinent ad formam iudicialem de iure diuino, & naturali, sed etiam quæ sunt de iure positiuo, & non spectant præcisè ad apices iuris, nec sunt puræ solemnitates, quæ faciunt ad iuuandam essentiam iudicij, ac conditiones, quæ de iure diuino, & naturali requiruntur: qualia sunt dilationes congruæ, exceptiones legitimæ, traditiones nominum, ac dictorum testium, citatio partium ad sententiam, &c. hæc enim debent obseruari, non obstante, quod in iudiciis Regularium non sit opus seruare apices iuris: si quidem per apices iuris, qui possunt omitti in præfatis iudiciis Regularium, non veniunt nisi ea, quæ habent rationem puræ solemnitatis; nempe citatio die non feriata, libelli porrectio in scriptis, litis contestatio, testium pluralitas, longæ dilationes, receptio testium post publicatas attestationes, prolatio sententiæ sedendo, &c.

QVÆRES XIII. An Prælati regulares possint punire suos subditos nullo modo delinquentes, & quo pacto.

18. Respondeo posse; quamuis talis punitio non tam dicenda sit pœna, quæ supponit culpam, quàm pœnalitas, quæ non requirit culpam, sed causam: vt apertè colligitur ex *regul.* 23. *de regulis iuris in 6. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*: causa autem in præsenti casu esse potest, tum bonum spirituale Religiosi modo supra dicto puniti, cuius profectus multùm confert exerceri in actibus mortificationis: tum bonum spirituale totius Ordinis, ad cuius augmentum iuxta dicta *q.* 3. summopere conducit, quod corrigantur, & puniantur quæcumque errata, quantumuis leuia, imò & materialia, quæ scilicet facta sunt inuoluntariè, & sine debita aduertentia; quod in terminis habetur *p.* 3. *Constit. Soc. Iesu, cap.* 1. *num.* 15. his verbis: *Pœnitentias verò huiusmodi prompta voluntate quisque admittere deberet cum verò emendationis, & spiritualis profectus desiderio, etiamsi propter defectum non inculpabilem iniungerentur.* ita Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap* 4. *num.* 11. Peyr. *de R. S. quæst.* 1. *cap.* 5. & alij ex S. Thom. 2. 2. *quæst.* 108 *art.* 4. patétque tum ex dictis; tum quia errata supradicta, etsi sint inculpata coram Deo, & quoad forum internum, sunt tamen culpabilia, quoad forum externum, adeóque sicut in hoc foro præsumuntur esse delicta, ita & in eo possunt puniri; & hoc, etiamsi defectus, qui punitur, sit commissus contra regulam non obligantem ad vllam culpam.

Difficultas hic solùm esse posset, an Religiosus in præsenti casu sub aliqua culpa teneatur implere pœnas, siue taxatas à regula, siue impositas à proprio Prælato; & ratio difficultatis est, quod cum Institutor regulæ generaliter tradat se nolle obligare ad regulas sub vlla culpa, (vt suppono) si postea intenderet obligare sub culpa ad subeundam pœnam ibi taxatam, manifestè sibi contradiceret: cùm ista pœna debeatur ex regula, & consequenter iam detur regula obligans sub culpa.

19. Respondet Sanch *sup. num.* 13. ex Caiet. Armil. Val. & Viguet. Religiosum non teneri in casu proposito implere pœnam sub vlla culpa, nisi interueniat peculiare Superioris præceptum obligans ad dictam pœnam; & hoc ob rationem modò allatam; oppositum sustinent S Antoninus, Azor, & Castr. relati ab ipso Sanch. asserentes esse culpam non subire pœnam regulis taxatam, aut à Superiore impositam; probantque ex eo, quod conditor regulæ expressè dicit se obligare transgressores ad pœnam, etsi non ad culpam; cùm tamen, vbi adest obligatio, ibi & præceptum adesse oporteat: & vbi adest transgressio obligationis; ac præcepti, adsit culpa. Verùm opinio Sanchez est valde probabilis; patetque sufficienter, si solùm explicetur, quoad eam partem, *nisi interueniat peculiare Superioris præceptum obligans*; explicatur autem sic: duobus modis potest Religiosus obligari ad subeundam pœnam impositam ob trásgressionem regulæ: 1. ex ipsa regula taxante talem pœnam: 2. ex præcepto Superioris ipsi mandantis, vt dictam subeat pœnam; quod sine dubio potest Superior præcipere ratione voti obedientiæ, quo Religiosus voluntariè se adstrinxit in ipsa professione, modò Religiosus in præsenti casu committit culpam non implendo pœnam iniunctam ob violationem regulæ, non quidem quatenùs imponitur à regula, quo pacto nulla est culpa omittere pœnam taxatam in regula, sed quatenus præcipitur à Superiore potente, & volente obligare ad culpam, siue mortalem, siue venialem iuxta formam præcipiendi, qua dictus Superior vtitur; præterquàm quod Religiosus; etiam secluso voto obedientiæ, in ijs, quæ spectant ad ciuilem, & politicam monasterij gubernationem (inter quæ sine dubio recensetur punitio defectuum, qui dictim committuntur à Religiosis) tenentur obedire Prælato regulari, non secùs ac filiifamilias teneantur obedire patrifamilias: vnde fit, vt sicut hi peccant detrectando pœnas ipsi iniunctas à patresfamilias in pœnam defectuum moralium, quos committunt; ita & peccabunt Religiosi renuentes sustinere pœnam iis à Superiore iniunctam ob transgressionem regularum, aut alios tales defectus.

QVÆRES XIV. An Prælatus regularis possit punire Religiosum sui Ordinis peregrinantem, qui fortè delinquat in monasterio, cui dictus Prælatus præest, idque, etsi breui illic commoraturus sit, ad alia loca diuertens.

Respondeo cum distinctione; vel Religiosus iste 20. peccat contra ius commune, aut etiam proprium totius sui Ordinis; & sic potest puniri à Prælato Monasterij, in quo delinquit? cum hoc pacto, sin minùs ratione domicilij, saltem ratione delicti ibi commissi fiat subditus illi Prælato iuxta *cap.* 1. *de Rapt.* vel peccat contra ius proprium, & (vt ita dicam) municipale monasterij, per quod transit; & sic non potest puniri à Prælato dicti monasterij; cùm nullo modo ei subiiciatur, neque ratione domicilij (vt patet) neque ratione delicti, vt constat ex eo, quod non potest dici delinquere contra legem, quia non tenetur eam seruare: cùm tamen probabile sit peregrinum de iure communi non teneri seruare leges proprias loci, per quem obiter transit; vt pluribus probat Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 12. *num.* 4. cum Palud. Sylu. Rusel. Sanch. Conine. Sayr. Angl. Auil. & alij. dixi, *de iure communi*; si enim in aliquo Ordine oppositum statutum sit (nimirùm Religiosos hospites fieri veros subditos Superioris monasterij, per quod transeunt: quo modo verè statutum est in Soc. Iesu *regula* 48. *ex communibus*; in hæc verba: *Cùm quis iter faciens transit per locum, vbi domus, aut collegium Societatis sit, ad aliud hospitium ne diuertat, eiusque qui illic præest, obedientia subsit in omnibus, sicut & reliqui qui in eadem domo, vel collegio commorantur:*) tunc vtique Religiosi hospites tenebuntur seruare ius proprium monasterij per quod transeunt; &, si cont. illud delinquant, iustè poterunt puniri, cùm sic iuxta dicta verè fiant subditi ratione delicti, vt patet.

Quod si quæras, cur Religiosus hospes dicatur fieri subditus ratione delicti, si in monasterio, per quod transit, peccet cont. ius commune, aut proprium totius Ordinis, non autem in casu, quo peccet cont. ius municipale dicti monasterij.

Respon

21. Respondeo, rationem disparitatis in eo esse, quod Religiosus hospes vbique tenetur seruare, tum Ius commune, tum proprium totius sui Ordinis; adeóque si non seruet dicitur delinquere, & consequenter sit subditus ratione delicti (vt superius diximus) è contra verò non tenetur seruare ius municipale monasterij, per quod transit (excepto casu, quo declaretur subditus vbique vt item diximus supra) & sic, si contra præfatum ius delinquat, non ideò potest dici, quòd fiat subditus ratione delicti, cum illud non teneatur seruare.

Quæres XV. An, & quomodo Prælati regulares possint punire Religiosum subditum delinquentem extra suum territorium.

22. Respondeo posse, si pœna infligenda delinquenti sit ex iis, quæ ipso facto contrahuntur, Iudicisque executionem non requirunt (quales sunt censuræ ipso Iure latæ): secùs, si sit ex iis, quæ Iudicis executionem requirunt, & quidem per actus iurisdictionis contentiosæ. Colligitur ex Castro Pal. *tom. 3. D. 1. p. 24. §. 5. num. 23. 24.* patétque ex eo, quod punitio in priori casu est actus iurisdictionis voluntariæ, quæ, fiat absque strepitu iudicij, exerceri potest etiam extra proprium territorium: in posteriori autem casu est actus iurisdictionis contentiosæ, quæ non solùm fiat in inuitum (quo modo item exercetur iurisdictio voluntaria) sed indigeat testibus, citatione, aut alia solennitate iuris; non potest exerceri in alieno territorio absque iniuria Iudicis, qui præest tali territorio; cum talis punitio verè sit actus iurisdictionis contentiosæ.

Difficultas maior est, à quo Prælato debeat puniri Religiosus, qui in proprio territorio inchoat delictum, sed consummat in alieno, num à Prælato loci, in quo delictum inchoatum est, an à Prælato loci, in quo consummatum est.

23. Respondeo posse puniri, tum à Prælato monasterij, in quo Religiosus delinquens habet domicilium, & quidem non solùm pœna debita delicto attentato, sed etiam consummato: cum ratione domicilij persona Religiosi delinquentis sit subdita Iudici domiciliario; tum à Prælato regulari loci, in quo delictum consummatum est: cum re vera delictum ibi dicatur commissum, adeoque delinquens ratione delicti factus sit subditus Prælato illius loci iuxta dicta supr. *quæst. præced.* vnde & dictus Prælatus ius habet vindicandi iniuriam sibi factam per læsionem à delinquente illatam eius territorio. ita Castr. Pal. *sup. num. 26.* ex communi DD. sententia, Nald. *v. delictum num. 5.* Ex Claro, & Gutier. aliisque.

Vtrum verò Prælatus regularis loci, in quo modo super dicto Religiosus inchoat delictum in alio loco consummandum, possit punire delinquentem, si is non sit subditus illius, ratione domicilij, & quidem pœna debita præfato delicto consummato.

24. Respondeo probabile esse quod possit; & probatur, tum quia Religiosus delinquens iuxta dicta fit subditus Prælato loci, in quo delinquit, adeoque potest puniri ab illo: attentato verò, & consummatio delicti vnum delictum censeri debet commissum in vtroque loco, & consequenter in vtroque loco est æquè punibile, cum inchoatio delicti sit coniuncta consummationi, sicque delictum reputetur consummatum in illo eodem loco, in quo fuit inchoatum; tum quia talis est consuetudo iure gentium inducta, vt scilicet delictũ subiiciatur Iudici tam loci, in quo inchoatur, quàm loci, in quo consummatur; idque ne alias delicta maneant impunita, & quidem suffragante *lib. cap. vbi de Criminibus agi oportet*; tum denique, quia in casu proposito consummatio delicti censetur moraliter fieri in illo eodem territorio, in quo inchoatur, esto physicè fiat in alio; cùm inchoatione delicti pateat via etiam illius cõsummationi. ita Castr. Pal. *supr. n. 27.* ex Suar. Fariuac. Marsil. Abb. Felin. Bald. aliisque communiter, quamuis ingenuè fateatur hanc communem doctrinam non leuem pati difficultatem; cùm re vera, & in rigore iuris aliud sit inchoare delictum, & aliud, illud consummare; sicque possit occurrere ratio dubitandi, an Iudex loci, in quo delictum inchoatur, alibi cõsummandum, possit illud punire, etiam vt consummatum; vtpotè qui non potest illud punire, nisi ob iniuriam sibi factam; cum tamen Iudici loci, in quo delictum inchoatum est, non sit facta iniuria, nisi prout est attentatum, non autem prout consummatum est, vt patet.

Quæri hic etiam posset, an Religiosus, qui delinquit in vno monasterio, ibique nullo modo fuit punitus, si postea mutet domicilium, possit puniri à Superiore Monasterij, in quo de nouo incipit habitare.

Respondeo videri posse; & probatur, tum quia Card. Anton. Abb. Io: Caldet. relati à Diaz *in pract. crimin. cap. 9.* concludunt *in cap. cum contingat de foro compet.* Iudicem domicilij posse cognoscere de delictis suorum Clericorum, etiam alibi commissis, & consequenter idem asserent de Prælatis regularibus, quoad Religiosos subditos; cum sit par ratio de his, ac de illis; præsertim stante, quòd iuxta superius dicta Prælati Religionum habent in proprios subditos iurisdictionem quasi Episcopalem; tum quia Portel. *de dub. Regul. v. pœna num. 4.* docet, quod si Religiosus delinquens fuit absolutus ob defectum probationis, & ille non resipiscit à delicto commisso, potest iterùm accusari de eodem delicto: quod si hoc detur, & simul admittatur doctrina paulo antè relata ex Diaz, vtique & debet concedi Religiosum, qui deliquit in aliquo monasterio, ibique à Prælato regulari nõ fuit punitus, si alio transferat domicilium, posse ibi puniri à Prælato illius alterius monasterij: ne alias Regularium delicta maneant impunita cum magno Religionis præiudicio; vt in casu simili aduertit Portel. *sup. v. præscribere n. 3.* ex Rodriq. *tom. 3. addit. ad Sum. c. p. 104. concl. 7.* 25.

Dices, quid si Religiosus delinquens in loco delicti minus dignè punitus sit, si posteà aliò transferat domicilium, potest ne iterùm puniri à Prælato regulari loci, in quo incipit de nouo habitare, vtsic digna factis recipiat?

Respondeo posse; idque ob rationes adductas *q. præced* iuncta illa regula; *vt se habet simpliciter, ad simpliciter, ita secundum quid, ad secundum quid*; quæ regula sine dubio probat, quòd, sicut Religiosus delinquens potest simpliciter puniri à proprio Prælato, etiam de delicto commisso in alio territorio, si ibi non sit punitus, ita & poterit puniri, si minùs dignè in loco delicti fuit punitus, quamquàm necesse sit, vt hac in re magna, cum circumspectione procedatur, cum euenire possit, vt Prælatus loci, in quo Religiosus deliquit, iustis de causis hic, & nunc iudicauerit moderati pœnam debitam illi Religioso, adeòque falsum sit hunc non fuisse dignè punitum, & consequenter posse iterùm puniri, vt digna factis recipiat; si quidem, ad hoc vt dicatur dignè punitus, sufficit, vt ei à legitimo Superiore inflicta si pœna, qualis, spectatis omnibus circumstantiis, iudicio boni viri censetur proportionata delicto commisso. 26.

Quæres XVI. An Prælatus Regularis inueniens multos ex suis subditis commisisse aliquem excessum, debeat punire omnes, & sin-

27. Respondet Nald. *ver. delictum, num.* 1. ex Abb. *in cap.Clericus de cohabit. Cler.& Mul. num.*4. non debere, sed sufficere, vt incipiat à principalioribus; nimitum ab iis, qui ex circumstantiis concurrentibus in eo genere excessus censentur plus deliquisse: idque, vt alij eorum exemplo perterriti magis retrahantur à similibus excessibus. Ita Nald. sed non probat: probari tamen potest, quod sic ex vna parte delicta non manent impunita; ex alia meliùs consulitur paci, ac tranquillitati monasterij, quæ multum læderetur, si punirentur omnes, & singuli Religiosi, qui præfatum excessum patrarunt; verùm tamen est, quod superior in hoc casu debet esse valdè circumspectus, ne, dum quærit monasterij quietem, existimetur acceptator personarum, sicque vitans scillam incidat in charybdim.

Qværas XVII. An, & in quibus casibus Prælati regulares possint commutare, augere, minuere, aut remittere pœnam in iure, siue communi, siue proprio Ordinis pro hoc, aut illo delicto taxatam.

28. Respondeo posse, si sint Prælati supremi (nempe Generalis) & taxatio pœnæ facta sit in iure proprio Ordinis: hi enim possunt dispensare in taxatione pœnæ, modis sup. dictis, cum eorum potestas ad hoc extendatur; non item, si sint Prælati inferiores; hi namque debent seruare taxationem pœnæ iuxta *cap. licet de pœnis*: & hoc multò magis post sententiam latam *cap. si quem* 1. *quæst.* 3. excipe, si pœna legis sit posita in arbitrio Iudicis, aut in causa processum sit via accusationis, & pars consentiat, vt post sententiam pœna relaxetur: aut moderetur: in quibus casibus etiam Prælati non supremi possent commutare, augere, minuere, aut remittere pœnam. ita Portel. *de dub. Regul. v. correctio fratrum num.*54. ex Vmberto *in pract. Inquisit. v. Iudex* addens quod, quando crimina sunt extraordinaria, aut affecta particularibus circumstantiis aggrauantibus, vel minuentibus; potest Iudex (intellige, siue supremus, siue inferior) augere, aut minuere pœnam ordinariam *l. hodie, ff. de pœnis*; quod etiam benè animaduertit Sà *v. Iudex, num.*8. monens hanc doctrinam non habere locum, nisi ante sententiam, non autem post: quamuis aliàs concedat Iudicem inferiorem ex magna causa posse facere contra legem Superioris, & omittere punitionem, si agnoscat inde secutura esse grauiora mala; quæ sunt valde notanda. Quin etiam addit Sà *loco citato* in casu, quo pars læsa petat punitionem, ne supremum quidem Principem posse remittere pœnam debitam lædenti; idque ne faciat contra ius personæ læsæ, cui nec Princeps supremus potest præiudicare. nisi ex causa graui concernente bonum commune; vt passim tradunt DD. & in terminis Sanch. *lib.6.conf.c.*1.*d.*21.*n.*6. cum Sylu. Nau. Armil. & aliis.

29. Dixi, *& taxatio pœna facta sit in iure proprio Ordinis* ad indicandum, quod si taxatio facta sit in iure communi; tunc neque supremus Prælatus potest pœnam taxatam commutare, augere, minuere, aut remittere, cùm inferior non possit dispensare in iure Superioris, quale sine dubio est ius commune, etiam respectu Prælati regularis supremi: Quod tamen Sanch *super. num.* 10. cum multis aliis DD. putat esse limitandum, nisi occurrat iusta causa aliter faciendi, docens, hac interueniente, posse Iudicem, etiam inferiorem temperare pœnam per legem taxatam: & hoc ex *l. quid ergò §. pœna grauior. ff. de iis, qui notant. infam. l. etsi seuerior, & l. si Possidonium C. ex quibus causis infamia irroget.*

30. Causæ autem, ob quas potest temperari pœna præfixa delicto, sunt ætas, (vt si delinquens sit puer, aut senex) doli defectus (vt si ex subita animi passione delictum commissum sit) consuetudo, quæ non sit mala, ac legitimè præscripta; conditio Iudicis (vt si Iudex, qui debet punire, non habeat potestatem infligendi pœnam legis: aut si reus fecit delictum dignum morte, & Iudex sit in sacris constitutus (qui modo sunt Prælati regulares communiter) adeòque prohibentur morte damnare ita Sanch. *sup. num.*11. qui non modò variis iuribus probat causas allatas, sed præterea addit iudicem inferiorem eodem modo posse temperare pœnam lege taxatam, etiam in aliis casibus: 1. si meritò sperent ex diminutione pœnæ emendatio delinquentis, præsertim si puniendus esset pœna mortis: 2. si post delictum commissum transiit magnum aliquod interuallum; vel tempus (intellige, nisi delinquẽs fuisset accusatus, & ob eius absentiam non potuit puniri:) 3. si accusatus statim sponte fatetur crimen, & non metu probationum (tunc enim minui debet pœna, nisi alioqui periculum aliquod immineat animæ, aut Ecclesiæ:) 4. si concurrat aliqua circumstantia ex qua delictum reddatur leuius; si quidem par est, vt, sicut pœna incurritur ob delictum, ita & decrescat, hoc decrescente: quod rectè aduertit Sanch. subdens *num.*52. has causas tunc demùm esse iustas ad minuendam pœnam legis, quando lex ipsa non exprimit, nullam aliam pœnam debere imponi, aut manifestè, non prohibeat pœnam mutari; prout dicitur *cap. super eo de Rapt.* tunc enim non liceret pœnam mutare. 31.

Addit Sanch. *n.*12. ex Sylu. Lopez. Nau. Turrecr. Arm. Couar. & aliis Iudicem inferiorem non solùm posse minuere pœnam lege taxatam in casibus allatis, sed etiam posse illam augere si interueniat iusta causa; vt si adessent multi publici latrones, aut plura perpetrarẽtur homicidia, & opus esset in exemplum aliorum exhibere singulare aliquod specimen vindictæ contra eiusmodi delinquentes, vt sic alij tantò efficaciùs à similibus facinoribus retraherentur. 32.

Præterea quando pœna non est præscripta per legem, sed commissa arbitrio Iudicis multò magis potest Iudex inferior pœnam temperare, prout qualitas, & circumstantia delicti patitur, & quidem potiùs propendendo in misericordiam iuxta *l. recipiendum. ff. de pœnis.* S. Thom. 2.2. *quæst.*67.*a.*4.*ad* 1. Sylu. Turrecrem. & Castrus relatos à Sanch. *supr. n.*14. qui cum *Castro*, aliisque doctis recentioribus Magistris notat, quod, licèt Iudex in præsenti casu possit pœnam minuere, non tamen potest eam omnino remittere; cùm ius Iudicis arbitrio solùm committat pœnæ qualitatem, & quantitatem, non autem totalem pœnæ remissionem.

Qværas XVIII. An Regulares ante iudicis sententiam teneantur subire pœnas taxatas, siue in regula, siue in alio iure. 33.

Respond. quod, licèt Theologi communiter asserant cum S. Thom. 2.2.*q.*62.*ar.*3.*in corp. & ad* 3. absolutè pœnam non esse subeundam ante sententiã, idq; verum sit regulariter, nisi aliter constet de rationabili voluntate Legislatoris, nihilominus hoc non facit, quin Regulares possint obligari ad pœnas in regula præscriptas, etiam ante sententiam, si eæ sint moderatæ, nullum periculum grauis infamiæ inde proueniat, & id ipsum in regula, aut alias legitimè præscribatur: quo modo de facto, teste Caietano 2.2. *quæst.*186.*art.*9.*ad* 2.*dub.* inter regulas Dominicanorum præcipitur, vt qui septies silentium fregerit inter duo capitula, sedeat in vno prandio in terra. Colligitur ex Baldel *lib.* 5. *D.*42.*num.*7. pro se referente Suar. *lib.* 5. *de leg. cap.* 5. *num.*15.16. Salas *D.*15. *de leg. sect.* 2. *num.*32. Cordub. Couar. Nau. & alios; patetque, tum quia licèt sit contra iustitiam, vt quis

non

non accusatus, neque conuictus de crimine cogatur ad pœnam; qui tamen est sibi conscius de delicto, satis est accusatus, & conuictus in foro conscientiæ, ac proinde in tali foro iustè potest obligari ad pœnam (quidquid sit de foro externo;) tum quia de facto id obseruatur in Ecclesia, vt constat ex Extrauag. *ambitiosæ de rebus Eccl. non alien.* præcipiente Episcopis, vt si quod munus in visitatione acceperint, intra mensem illud restituant in duplum, ex Const. Pij V. præcipiente restitutionem fructuum beneficiariis omittentibus horas canonicas, aliisque similibus: tum quia, vt diximus ex Caiet. inter regulas Religiosorum interdum est, vt per se ipsi certas pœnas propter certa delicta exequantur, etiamsi nullus Prælatus eas imponat (quod sine dubio non fieret, si non esset licitum.)

34 Dixi, *si id ipsum in regula, aut aliàs legitimè præscribatur*; si enim in aliquo Ordine per regulam quidem taxatæ sint pœnæ, non tamen per eam præcipitur, vt Religiosi illas per se ipsos exequantur; tunc non tenentur illas exequi ante sententiam: cùm nulla lex obliget vltra intentionem Legislatoris sufficienter expressam, & in nostro casu Legislator per taxationem pœnarum solùm intendat statuere, quibus pœnis debeant Prælati punire defectus, ac excessus Religiosorum subditorum, ne aliàs in puniendo, vel nimis excedant, vel nimis deficiant: quod tamen non probat Religiosos delinquentes teneri dictas pœnas per se ipsos pati; talis est vsus in religionibus, & laudabiliter; cùm id sufficiat ad rectam gubernationem, sicque ipsa gubernatio reddatur suauior, vt patet. Ita Peregr. *in proœm. Constit. lit. A.* §. 5. cum Sylu. *v. religio* 1. §. 12. aliique docti Recentiores; qui tamen iuxta dicta *in tract. de obligat. cap. 2. quæst.* 11. § *dubium*, benè sustinent Religiosos delinquentes teneri subire pœnas siue taxatas in regula, siue in casu occurrenti iniunctas à Superiore; idque etiamsi Regula non obliget ad vllam culpam, nullámque faciat mentionem de obligatione ad pœnam; cùm hoc sequatur ad votum obedientiæ, & sit summè necessarium ad regularis disciplinæ conseruationem: si quidem, vt benè aduertit S. Leo Epist. 1. *Inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides, negligentésque Rectores, qui sæpe multam nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.* Vnde fit, vt, si Religiosus non exequatur pœnas ipsi ob occurrentes defectus iniunctas modo supradicto, peccet iuxta grauitatem maiorem, aut minorem pœnæ impositæ: etiamsi aliàs regula, quam profitetur ad nullam omnino culpam obliget. colligitur ex Suar. *l. 5. de leg. cap. 4. num. 6.*

Qværes XIX. An statutum pœnam ponens delicto extendatur ad delicta commissa ante tale statutum.

35. Respondeo, non extendi, si delictum, vel iam punitum est (cum non deceat puniri bis in idipsum,) vel pœna ipso iure per constitutionem imponitur; cùm pœna trahatur à delicto, & delictum iam commissum eam trahere non possit, vt ex aliis benè notauit Felin. *cap. quoniam de Constit. num.* 14. secùs, si pœna imponenda sit à iudice pro delicto non punito; tunc enim si pœna per legem nouam imposita sit conuenientior delicto commisso (quod semper debet præsumi) secundùm illam iudicandus est delinquens: quia ad imponendam pœnam regulariter attenditur tempus sententiæ ex *l. penult. ff. si ex noxali causa agatur*, vbi seruus delinquens in seruitute, & constitutus in libertate punitur, non vt seruus, sed vt liber: non item, si pœna antiquæ legis erat conueniens delicto; tunc enim secundùm illam debet puniri ex *l. 1. ff. de pœnis, & cap. fin. de sent. excommunic.* Ita Castr. Pal. *tract. 3. D. 5. p. 3. §. 5. num.* 11. ex Bartolo, Farinac. & aliis

Qværes XX. An Regularis violans legem obligantem ad certam pœnam post certum tempus, peccet, si eam violet, priusquam dictum tempus elabatur.

Respondeo peccare, esto sit immunis à pœna. Ita Sorbus *in comp. ver. de largit. mun. in declarat. sub finem*, cum Castro *de leg. pœn. l. 1. cap.* 1. aliique communiter contra Nau. *cons. 1. de Constit. n.* 14. & probatur, tum, quia frustrà expectatur exitus, cuius euentus est nullus: tum, quia tempus illud apponitur ad hoc, vt transgressores non possint se excusare allegando causam ignorantiæ, & sic effugere pœnam, non autem ad suspendendam obligationem ipsius legis. 36.

Qværes XXI An Regulares subiaceant pœnis iure communi latis contra Clerum, concurrente eadem ratione in vtrisque.

Respondeo quòd, quamuis plures DD. apud Sanchez *l. 3. de matrim. D. 42. num.* 4. dicant legem, quantumuis pœnalem, extendendam esse ad casum, in quo militat eadem ratio, præsertim si ratio exprimatur in ipsa lege; nihilominus idem Sanch. *l. 10. de matr. D 4. n. 3. & l. 2. in Decalog. cap. 2. n. 13 l. 6. c. 16. num.* 78. Diana *p. 1. tract.* 10. *resol.* 26. *& p. 5. tract.* 10. *resol.* 81. aliique apud ipsos probabiliter sustinent oppositum, adeóque, si velint consequenter philosophari, tenentur negare Regulares subiacere pœnis iure communi latis con. Clerum; idque, etiamsi eadem ratio militet in vtrisque: probant tum, quia Religiosi in odiosis non veniunt nomine Cleri, vt notant Coninc. Layın. Vgol. Alter. & Porrell. penes Dianam *p 5. resol. cit.* tum, quia lex pœnalis non pendet, quoad pœnam omnino à ratione (quomodo pendent aliæ leges, vnde ratio legis dicitur eius mens, & anima) sed etiam ex voluntate Legislatoris talem pœnam indicentis; & sic recta ratio dictat quidem crimina puniri, non tamen cogit ad hanc, vel illam pœnam statuendam: imò id pendet ex sola voluntate legislatoris, quæ etsi aliquam petat congruentem rationem, non tamen ea necessariò cogit ad illam potiùs pœnam statuendam, quàm aliam (ex quo inferunt DD. in pœnis non valere argumentum à simili) tum denique, quia, loquendo etiam de lege non pœnali, probabile est Religiosos non venire nomine Cleri; vt constat ex eo, quod DD. communiter notant in decreto Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de reform.* statuentis nullum, etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nisi præhabita approbatione Ordinarij, non comprehendi Regulares, adeóque ad audiendas confessiones pœnitentium Regularium non requiri præfatam approbationem: quod est signum in eiusmodi legibus nomen Cleri non extendi ad Regulares. 37.

Qværes XXII. An Regulares obligentur in conscientia ad obseruantiam Regulæ obligantis ad pœnam, (seu quod idem est) legis pœnalis.

Respondeo, quòd, licèt certum sit posse dari regulas simul obligantes ad culpam, & pœnam; vt colligitur ex Suar. *de leg. l. 5. cap. 3. num.* 2. id probante de lege pœnali: absolutè tamen, & regulariter regula obligans ad pœnam non hoc ipso obligat ad culpam: probatur, tum quia, vbi agitur de obligatione imponenda, stricta semper debet fieri interpretatio, ac proinde, cùm in præsenti casu exprimatur solùm obligatio ad pœnam, ea non debet extendi 38.

tendi

tendi etiam culpam: tum, quia potest dari lex obligans tantùm ad pœnam, & non ad culpam, idque pendet ex voluntate Legislatoris, imò etiam expedit ad bonum regimen ipsorum Regularium; ergo, cùm non constet legislatorem voluisse obligare ad legem pœnalem in conscientia, nullo modo debet id præsumi: quin potiùs oppositum sustinendum est iuxta *regul. 57. de reg. iur. in 6. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.* ita Suar. *sup. cap. 4. num. 7.* in terminis addens *num. 9.* quoties per verba legis pœnalis non declaratur sufficienter proprium præceptum obligans ad actum, aut omissionem illius, præsumendum esse legem esse purè pœnalem, cum in dubio benignior pars semper eligi debeat; legem verò censeri non satis explicare priorem obligationem cõscientiæ, si nec lata sit per verbum expressè præceptiuum cadens in actum prohibitum, aut imperatum, nec ex circumstantiis, aut materia, vel pœna legis colligatur virtuale præceptum, seu intentio sufficiens præcipientis.

Qværea XXIII. An, & quo modo possint puniri delicta occulta Regularium.

39. Respondeo quod, sicut in *tract. de gubernat. cap. 8. num. 135.* diximus Superiores posse publicè increpare Religiosos subditos de defectibus leuioribus, & qui non sint infamatorij, non item de grauioribus, ac infamatorijs; ita proportionaliter dicendum eosdem Superiores posse punire publicè defectus leues, non infamatorios: secùs graues, & infamatorios. sic Peyr. in *formul. lit. D. cap. 2. num. 5.* S. Bonauentura & S. Anton. patetque tum ex praxi communi Religionum; tum, quia aliàs fama Proximi iniustè periclitaretur; quæ tamen tanti æstimatur apud homines; & meritò, cum meliùs sit nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.

40. Respondeo non posse ob dicenda in *tract. de gubern. cap. 3. num. 91.*

Qværes XXV. An Regulares per appellationem liberentur ab exequendis pœnis iniunctis, & quo modo.

41. Respondeo Liberari, non absolutè, sed solùm ab iis tunc exequendis; si quidem regulariter appellatio suspendit executionem sententiæ: exceptis tamen Censuris ecclesiasticis, Excommunicatione, Suspensione, ac Interdicto, quæ suos operantur effectus, etiam interposita appellatione, si hæc interponatur post dictas sententias. ita Peyr. de *R. S. quæst. 1. cap. 20. §. vn.* cum Rodriq. *tom. 1. q. 29. art. 5.* Nauarr. *lib. 2 cons. de appellat. cons. 3. num. 2.* aliique & probatur, tum ex *cap. vendentes de usur.* vbi dicitur per modum exprobrantis. *Vos sententias appellatione suspensas executioni mandatis*; &c. *pastoralis §. præterea de offic. iudic. deleg.* quod ita habet: *Cum appellationis causam ex certa scientia Iudicibus aliis committimus cognoscendam, appellationem videmur recipere, ac iurisdictionem priorum Iudicum reuocare; vt interim executio sententiæ suspendatur, donec appellationis merita plenius sint discussa*; tum ex dictis in *tract. de prohibit. c. 7. quæst. 10. §. vtrum vero*, vbi fusiùs ostendimus, an, & quando per appellationem suspendantur & impediantur effectus censurarum ecclesiasticarum.

Qværes XXVI. An Prælatus regularis ad instantiam personarum extra Ordinem possit Religiosis subditis remittere pœnas ipsis debitas.

42. Respondeo non posse, attenta Constit. Pauli V. facta in fauorem Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia, & relata à Portel. *de dub. Regul. v. officia Ordinis num. 6* in qua disertis verbis id prohibetur, directè quidem, & per se Prælatis sup. dicti Ordinis, per communicationem verò etiam Superioribus aliorum Ordinum: cum enim hæc Const. sit fauorabilis Religionibus (vt ostendimus in *tract. de prohibit. cap. 13. quæst 45.*) puto per viam communicationis eam posse suffragari etiam aliis Ordinibus, & consequenter Prælatos Ordinum habentium talem communionẽ in rigore iuris teneri istam Constit. obseruare; si tamen ea est in vsu; de quo non parum dubito, cum passim in Ordinibus religiosis & conferantur dignitates, honores, gradus &c. & remittantur pœnæ ad instantiam personarum extraneatum, tum ecclesiasticarum, tum sæcularium: quod sine dubio est contra dictam Constitutionem.

Qværes XXVII. An, & quo modo Ignorantia pœnæ excuset Regulares à pœna statuta per legem.

Respondeo excusare, & quidem non solùm, si pœ- 43.
na sit censura aliqua propriè dicta aut etiam irregularitas ex delicto (quas *sect. seq.* ostendemus euitari per ipsarum ignorantiam) sed etiam si sit alia pœna à censuris, & irregularitate: nisi fortè pœna sit adeò leuis, & delicto proportionata, vt nulla ratione videatur excedere. Colligitur ex Sa *v. ignorantia. num. vnic.* Suar. *de censur. D. 4. sect. 9. num. 22.* Sanch. *lib. 9 de matr. D. 32. num. 21.* Bonac. *de censur. in comm. D. 1. quæst. 2. p. 1. num. 13.* Nau. *cap. 23. num. 47. & c. 27. num. 274.* & probatur, tum, quia delinquens non potest obligari ad pœnam, nisi aliquo modo in eam consentiat; at ex ipso delicto censetur delinquens solùm consentire in pœnam iudicio prudentis delicto proportionatam, non autem in extraordinariam, exorbitantem, & auctam ob concurrentes circumstantias; ergo non censetur obligatus ad pœnam extraordinariam; tum quia peccas cum ignorantia pœnæ reuera minùs peccat, quoad forum externum; ergo saltem puniendus est mitiori pœna; cum pœna semper debeat proportionari culpæ.

Dixi, *nisi fortè pœna sit adeo leuis &c.* vt indicarem 44.
eiusmodi doctrinam non extendi ad pœnas mediocres, & ordinarias: cum delinquens, vel nouerit pœnam mediocrem, vel saltem scire debuerit, & potuerit, dictante lumine naturali, quodlibet delictum mediocriter puniendum esse *l. ita vulneratus ff. ad leg. Aquil.* pręterquam quod non est vniuersaliter verum ignorantiam pœnæ excusare ab ipsa pœna incurrẽda; constat ex eo, quod scienter peccans contra legem naturæ adhuc punitur pœnis inferni, esto inuincibiliter ignoret dictas pœnas; cum obligatio ad pœnam solùm perueniat ex potestate, & voluntate Superioris punientis, nec necessariò requirat consensum delinquentis explicitum: dico explicitum, quia eo ipso, quod quis scienter, & spontè legem violat, spontè se subiicit, & implicitè consentit omnibus pœnis contra legis violatores statutis, licèt explicitè, & distinctè illas ignoret. Quamquam hæc ratio, attentis iis, quæ diximus *§. præced* non videatur habere locum in pœnis, quæ per potestatem humanam infliguntur, nisi in casu, quo eæ sunt leuiores, ac delictis proportionatæ; ex quo patet per hanc rationem non destrui probabilitatem nostræ huius principalis responsionis; cùm præsens ratio loquatur de pœnis diuina potestate inflictis, nostra verò responsio de pœnis, quæ humana potestate infliguntur, quæ sine dubio res diuersæ: à diuersis autem nõ fit illatio.

Difficultas est, quo modo in foro externo probari possit ignorantia pœnæ ad effectum illam euitandi modo supradicto.

Respondeo posse probari iuramento ipsius 45.
ignorantis: dummodo non sint contra illum coniecturæ adeò vehementes, & indicia tam violenta, vt non relinquatur locus iuramento; quamquam, si

talis

talis ignorantia probari possit alia via, qoam per ioramentum, iuramentum ad id reputetor insufficiens *cap. præsentium de testibus, & cap. literas de præsumpt.* si quidem iuramentum sobrogator in defectum alterius probationis; quippe quod est probatio priuilegiata, cui est locus tantùm, cùm deficiunt aliæ probationes; prout tradit Menoch. *de arbitr. Iudic. l. 2. cent. 2. casu 186. num. 7. ex l. 2. §. Diuus eljz. de iure fisci.* Ratio responsionis desumitur, tum *ex cap. præsumitur de regul. iur. in 6.* vbi dicitur. *Ignorantia præsumitur, dum scientia non probatur*: quæ verba explicans Glossa air probari ignorantiam per iuramentum, vel probando aliqoid, quod necessariò consequatur ignorantiam; tum ex eo, quòd cum ignoran-
45 tia consistat in mente, solo testimonio ignorantis videtur posse probari, idest iuramento. Ita Glossa *in cap. proposuisti* 82. *d.* Abbas, Couar. Menoch. Mascard. Lopez. & alij apud Castr. Pal. *tract. 2. D. 1. p. 19. num. 4.* Portel. *de dub. Regul. ver. pœna in addit.* Nauar. *l. 1. cons. de Constit. cons. 2. n. 6. & 7.* aliique inter quos Portellus benè aduertit ignorantiam pœnæ frequentius posse euenire in homine idiota, & circa legem particularem, quæ oon sit omnibus nota, aut facilis. qua de re Diana *p. 5. tract. 14. resol. 24.*

QVÆRES XXVIII. Qualis ioterpretatio facienda sit in pœnis.

46 Respond. faciendam esse mitiorem ex *reg. 49. de reg. iur. in 6. in pœnis benignior est interpretatio facienda*; idque etsi lex pœnalis feratur in fauorem animæ: quo modo non odiosa sed faoorabilis reputatur, adeóque non videtur restringenda, sed amplianda; si quidem, vt optimè aduertit Sanch. *l. in Decalog. cap. 16. num. 78.* quamuis esse in fauorem animæ sit ratio aliqualis extensionis decretorum pœnalium: non tamen est sufficiens, vt ad casum omnino diuersum protrahatur; quæ doctrina est benè adnotanda, deseruiet eoim ad multa, Eam certè approbat Naldus *ver. pœna, mon.* 33. dicens non fieri extensionem in lege positiua, oeque ob fauorem animæ: &, si qoi contrarium assetuor, eos debere intelligi, noo de extensione vera, sed de inclusione casus, non expressi quidem, sed ob tacitum sensum comprehensi per legem: etsi demum addat interdom fieri extensionem in censuris: imò & io obligatione pœnali, si aliàs ipsa redderetur inutilis, ac frustratoria; quomodo in *l. si stipalatus fuero, de verb. obligat.* promittens sub pœna non impedire Titio vsum domus suæ, incurrit pœnam, etiamsi solùm eo pacto impediat vxorem Tirij.

Addo ex Suarez *D. 12. de censur. sect. 4. num. 13.* & Sayr. *l. 3. de censur. cap. 13. n. 10.* pœnam legis nouæ diuersam, etiam latæ sententiæ, tollere pœnam antiquam pro eodem delicto, si nondom erat commissum.

SECTIO II.

De Censuris in genere latis contra Regulares.

47 *Declaratur, quid sit Censura ecclesiastica.*
48 *Diuiditur in 3. species propriè dictas.*
49 *Fertur tum à iure, tum ab homine: explicatur quæ sit lata ab homine.*
50 *Ea est alia latæ sententiæ, alia ferenda: & hæc censetur esse ab homine; secus, si à iure infligatur sed denuncianda à Iudice.*
51 *ferri potest à quouis habente iurisdictionem ecclesiasticam pro foro externo.*
52 *Contra Regulares ferri potest à proprio protectore, aut Conseruatore, non item à Legato de latere, aut Nuncio, regulariter loquendo.*
53 *Potestas ferendi censuras potest delegari.*
54 *Totus Conuentus potest suspendi, aut interdici, non item excommunicari; & si excommunicetur, excommunicatio non ligat innocentes degentes in Conuentu.*
55 *Prælati regulares non censurant Nouitios, Religiosos eiectos, Tertiarios nec Moniales exemptas.*
56 *Regulares non subsunt censuris generaliter latis contra Ecclesiasticos.*
57 *Excommunicatio non fertur ob peccatum alienum.*
58 *At requirit peccatum mortale externum, consummatum in suo genere, & non alienum.*
59 *Etsi censura leuis ferri possit ob peccatum veniale: censura grauis non fertur pro culpa præterita.*
60 *Religiosi incurrunt censuras latas à Superiore etsi sint extra eius territorium.*
61 *Item, etsi delictum inchoatum in proprio territorio consumment in alieno.*
62 *Item, si censura lata sit sub conditione, & mortuo Superiore ferente impleatur conditio & censura inflicta sit per statutum.*
63 *Incurritur interdum censura quo tempore Author illius non est amplius Superior.*
64 *Non item lata à Superiore, priusquam incurrens ei subesset.*
65 *Censuræ latæ sententiæ ligant ante Iudicis sententiam.*
66 *Non item priuatio officiorum, & aliæ similes pœnæ.*
67 *Affectus vna censura incurrere potest aliam, etiam similem.*
68 *Nec talis incursus est frustraneus, ac inutilis.*
69 *Religiosus hospes non subest censuris monasterij, per quod transit.*
70 *Religiosus incurrit censuras latas à suo Prælato, etsi delinquat in loco exempto.*
71 *Censura à Regularibus Prælatis ferenda iuxta formam vsitatam in Ecclesia.*
72 *Censura lata sub forma disiunctiua iuxta aliquos non tenet.*
73 *Ea ferri non potest, nisi à Papa.*
74 *Censura potest ferri sub conditione peccati futuri.*
75 *Potest ferri sine scriptura ex indulto Leonis X.*
76 *Indicatur solemnitas seruanda in excommunicando.*
77 *Censura non est inualida ex eo præcisè, quod fertur sine scriptura: etsi aliàs promulgari debeat ex scripto, & subscribi à ferente.*
78 *Monitio non petitur in censuris latis à iure, aut per sententiam generalem, & quidem monitio ipsa facienda nomine Iudicis, eáque trina, etsi non necessariò in scriptis: imò, si contumacia sit notoria, monitio non petitur, huiusque omissio censuram facit solùm illicitam: etsi excommunicans absque illa per mensem interdicatur ab ingressu Ecclesiæ.*
79 *Prælati regulares iuxta aliquos censurant Religiosos subditos sine monitione.*
80 *Censura lata in pœnam purè vindicatiuam non petit monitionem.*
81 *Faciens delictum sub censura vetitum, si conuincatur de eo, statim potest censurari: quod alij negant; & censurandus debet citari.*
82 *Si censura ferri debeat contra aliquam communitatem, monitio facienda ei, qui est in causa, quòd ea feratur.*
83 *Monitio facienda ante censuram, quæ fertur per modum iustæ defensionis.*
84 *Ordo aliquis seruandus in ferendis censuris.*
85 *Prælati regulares ferunt censuras etiam extra proprium territorium.*

86 Eas

86 *Eas ferunt etiam in die festo.*

87 *At ferre non possunt contra Religiosum innocentem, qui probetur nocens.*

88 *Etsi censura in tali casu lata pro foro externo seruari debeat.*

89 *In dubio, an censura incursa sit, seruari non debet.*

90 *Ea ferri nequit in puram pœnam delicti iam facti.*

91 *Censuratus, si resipiscat, statim debet absolui.*

92 *Faciens actum a pluribus Superioribus sub censura vetitum multiplicari subest censura.*

93 *Censura lata a duobus Prælatis æqualibus est vna, etsi vnus eam referuet, alius non.*

94 *Vnicam incurrit censuram qui facit actum vetitum sub censura terminantem ad plura obiecta.*

95 *Prælati regulares etiam in præsentia liberè sibi reseruant censuras.*

96 *Subpriores, & similes ferunt censuras, si sint Superiores in capite.*

97 *Ignorantia censuræ excusat ab ea incurrenda.*

98 *Excusat metus cadens in constantem virum, & impotentia.*

99 *Appellatio suspendit censuras.*

100 *Prælato censuras auferente ad reincidentiam, si interim fiat appellatio, censura non amplius contrahitur.*

101 *Duratio censuræ est varia iuxta variam formam, qua fertur.*

102 *Censura non duplicatur.*

103 *Non tollitur, nisi per absolutionem.*

104 *Absolutio illius fertur interdum sub conditione.*

105 *Absolutio censuræ fit pluribus modis. & , si detur in articulo mortis, sufficit absolutum se postea præsentare Superiori per alium.*

106 *Regulares à censuris reseruatis absoluuntur per suos Prælatos, & interdum per Confessarios.*

107 *Absolutio censurarum ab homine datur Religiosis à suis Prælatis, sed non semper.*

108 *Et quidem à Prælatis localibus, nisi censuræ reseruentur à Superioribus Prælatis.*

109 *Reseruatio enim restringit vsum facultatis aliàs competentis localibus Prælatis.*

110 *Censura lata per sententiam particularem aufertur solum ab eius Authore; quod alij negant.*

111 *Ablatio censuræ facienda ex indultis Regularium supponit præmitti debitam satisfactionem partis offensæ, ac Ecclesiæ; non tamen ad validè absoluendum: idque etsi in commissione dicatur satisfacta parte.*

112 *Absolutio censuræ facienda verbis, aut ex scripto præterquam a Papa.*

113 *At in ea non necessariò exprimi debet censura.*

114 *Sicut nec causa censuræ.*

115 *Absoluendus à censura in foro externo iurat parere Ecclesiæ, & satisfacit.*

116 *Proponitur forma seruanda in absolutione solemni censurarum.*

117 *Si censura sit publica, eius absolutio debet publicari: solemnitas tamen absolutionis non est de valore illius.*

118 *Absolutio censurarum datur etiam extra Sacramentum.*

119 *Datur item absenti.*

120 *Et quidem etiam vigore Iubilæi, ac Bullæ cruciatæ, nisi aliter statuatur.*

121 *Item datur inuito, ac ignaro (idque etiam vi priuilegiorum,) sed non semper.*

122 *Fallit assertio, si absolutio conferenda sit intra Sacramentum.*

123 *Imò etsi debeat conferri extra, & absoluendus persistat in contumacia: licèt absolutè loquendo is possit absolui seruatis seruandis.*

124 *Ligatus pluribus censuris absolui potest ab vna, & non ab alia.*

125 *Absolutio data pro foro conscientiæ iuuat, quoad forum externum, sed non absolute: sicque Religiosi rarè absoluant a censura deducta ad forum contentiosum: absolutus in foro conscientiæ, potest adhuc declarari excommunicatus: Episcopus non semper absoluit pro foro externo: quod si absoluat ratione impedimenti perpetui, sic absolutus non se præsentat, si liberetur eo impedimento, censetur absolutus etiam pro foro externo.*

126 *Absolutus à censuris, & peccatis simul non eget iterum absolui a censura tunc oblita.*

127 *Generalis absolutio censurarum data in collatione beneficij non semper iuuat, neque quoad validam collationem beneficij.*

128 *Absolutio censurarum extorta per vim, aut errorem, aut metum non est valida.*

129 *Censuræ interpretatio debet esse stricta: sicque mandans parato facere delictum eadem alacritate, & consulens minus malum parato facere maius non incurrunt censuram latam contra mandantes, & consulentes.*

QVÆRIS I. Quid sit Censura ecclesiastica.
Respond. esse pœnam ecclesiasticam latam 47.
à potestate Ecclesiastica priuantem hominem bapti-
zatum vsu aliquorum spiritualium in ordine ad sa-
lutarem. est communis DD. & patet, si solùm mo-
nuero in ista definitione poni illam particulam *in
ordine ad salutem*, vt manifestetur finis censuræ, qui
est non perditio spiritualis delinquentis, contra
quem fertur censura, sed eius emendatio, ac resipi-
scentia; vt patet ex ipso vsu Ecclesiæ, nec non ex eo,
quod DD. communiter dicunt cum Suar. *D. 4. censur.
sect. 5. num.* 6. pro peccato præterito ferri non posse
censuram; id inde probantes, quòd aliqui censura
non ferretur, tanquàm medicina ad auertendum à
peccato, vtpote quæ supponeret peccatum iam com-
missum ante inflictionem ipsius, & consequenter
haberet rationem, non medicinæ, sed puræ vindi-
ctæ. Vnde fit, quod, si peccatum semel commissum
sit tale, vt omninò transeat, nec relinquat vllam
obligationem satisfaciendi, aut quasi continuatio-
nem moralem ipsius peccati (qualis est in cõcubina-
tu, aut furto non restituto, &c.) Ecclesia numquàm
ratione illius fert censuram; cùm sic peccatum per
solam pœnitentiam curetur, quam ipsa Ecclesia non
aliter exigit per censuras, quàm præcipiendo suo tẽ-
pore debitam confessionem peccatorum. Quòd ta-
men non facit, quin pro peccato præterito imponi
aliquando possit pœna aliqua; v.g. priuatio commu-
nionis eucharisticæ, officij, aut beneficij ad certum
tempus: quamuis talis pœna non sit propriè censu-
ra; vt notat Suar. *sup. num.* 32. hinc inferens absolutè
negandum esse, quod censura feratur in puram pœ-
nam delicti commissi.

QVÆRIS II. Quot sint species Censurarum
propriè dictarum.

Respondeo esse tres, & non plures, nimirum ex- 48.
communicationem, Suspensionem, & Interdictum.
dixi propriè dictarum, vt innuerem non deesse DD.
qui sustinent cum *Soto in 4. disp.* 22. *quæst.* 3. *art.* 1. §. 1.
etiam Cessationem à diuinis esse censuram, adduntque
que cum Ban 2. 2. *quæst* 64. *art.* 8. inter censuras com-
prehendi etiam Irregularitatem ex delicto, quos ta-
men refutat Suar. *sup. D.* 1. *sect.* 3. *num.* 3.

QVÆRIS III. Quot modis ferri possint cen-
suræ contra Regulares.

Respon

49. Respond. ferri posse duobos modis, videlicet à iure, & ab homine. Censora lata à iure est illa, quæ fertur ab habente potestatem coodendi ius perpetuum Ecclesiasticum per statutum perpetuum: siue postea feratur à iure communi, idest obligante totam Ecclesiam (quales sunt censuræ positæ in corpore iuris canonici, bullis Pontificiis, & Coneiliis generalibus) siue feratur iure particulari; (quales sunt censuræ, quæ feruntur in Capitulis generalibus, ac Prouincialibus vniuscuiusque Ordinis:) quamquam censutæ latæ in Capitulis generalibus respectiuè ad Religiosos Ordinis, in quo feruntur, dicendæ sint de iure communi obligante totum Ordinem; sicutè contra, quæ feruntur in Capitulis prouincialibus habentibus facultatem condendi leges perpetuas (quam tamen non habent Congregationes prouinciales in Soc. Iesu, vt monet Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 10. l. 8. c. 5. n. 4. ex can. 15.* Congreg. 5.) dicuntur latæ iure particulari, obligante scilicet totam illam prouinciam. Cæterùm censura lata ab homine dicitur ea, quæ fertur à Superiore, qui vel non habet potestatem ferendi leges perpetuas (cuiusmodi sunt non solùm Prælati regulares, locales, sed etiam Prouinciales, & Generales, qui vt plurimum sine Capitulo generali, aut Prouinciali non possunt edere Constitutiones perpetuas,) vel, si habent talem potestatem (quo modo habet Præpositus generalis Societatis, teste Suar. *supr. l. 10. cap. 14. num. 14*) non intendit ferre censuram perpetuam, sed tantùm ad tempus, ideóque, eo mortuo, aut amoto ab officio, cessat, nisi à successore confirmetur, aut certè, viuente Auctore censuræ, ea fuerit confirmata à Superiore; quod non euenit, quando censura lata est per Constitutionem perpetuam: tunc enim ea durat etiam mortuo Auctore ipsius, vt tradunt communiter DD. Præterea censura ab homine, alia est generalis, quæ fertur generaliter contra omnes species delinquentium, vel contra plures delinquentes vnius speciei, alia specialis, quæ fertur contra aliquam determinatam personam.

Adde Censuras, alias esse latæ sententiæ, quæ ipso facto incurruntur ante Iudicis sententiam, alias ferendas, quæ non incurruntur ante sententiam, & propriè sunt comminatoriæ. Ita DD. communiter, inter quos Salas *de leg. D. 15. sect. 3. num. 41. & sect. 6. num. 77. & 79.* rectè mouent quòd si verba legis, aut sententiæ nihil contineant, quod positiuè ostendat censuram esse latæ sententiæ censeri debet potiùs esse sententiæ ferendæ: cùm pœnæ, & odia restringi debeant; idque, siue censuræ ferantur à iure, siue ab homine; vt notat Baldel. *l. 5. D. 43. n. 10.* contra aliquos apud Glossam *in cap. Salonitana dist. 63.* contendentes, quod si excommunicatio feratur à Canone sub his verbis: *Præcipio tibi hoc, vel illud sub pœna excommunicationis*, sit excommunicatio ferendæ sententiæ: si verò sub iisdem verbis feratur ab homine, sit latæ sententiæ: siquidem canon magis agit, quàm homo.

50. Moneo hîc obiter censuram de iure communi ferendam, hoc ipso, quod fertur à Iudice competente, censeri esse ab homine, ac proinde illius absolutionem ipsi reseruari: cùm ea verè lata sit a Iudice, etsi de mandato iuris. Dubitabile esset, si censura inflicta esset à iure, & denuntiatio sola esset facta a Iudice, (vt in incendiariis Ecclesiæ ex *c. tua de sent. excommunicat.*) tunc enim censura esset à iure, & eius absolutio Papæ reseruaretur: sicut Doctores asserunt incendiarios denunciatos excommunicatos ab Episcopo esse mittendos pro absolutione ad Sedem Apostolicam; etsi alij Doctores tacito nomine relati à Bonac. *D. 2. de censur. in partic. q. 3. p. 43. n. 5.* sustineant illos posse absolui ab Episcopo, qui eos excommunicatos denuntiat: nobiscum sentit Toletus *l. 1. cap. 17. §. tertius casus*, qui ait incendiarium posse excommunicari ab Ordinario, non tamen posse ab eo absolui post denuntiationem, sed solùm à Papa; cùm alioqui ante publicationem possit absolui ab Ordinario, siue sit incendiarius Ecclesiæ, vel loci religiosi, siue alius.

QVÆRES IV. Quinam possint ferre Censuras contra Regulares.

Respond. posse omnes illos, qui habent iurisdictionem spiritualem in eos non solùm, quoad forum conscientiæ, sed etiam quoad forum externum, eamque non limitatam; quales sunt, extra Ordinem quidem Papa; Concilia generalia, Congregatio Cardinalium præfecta Regularibus: intra Ordinem verò omnes Prælati regulares, siue Locales, siue Prouinciales, siue Generales. Ratio responsionis est, quòd, cùm Superiores Ecclesiastici debeant continere in officio proprios subditos, & ad id non solùm summopere expediat, sed etiam necessarium sit vti censuris Ecclesiasticis, facultas hæc concedi debet omnibus supradictis personis, vtpotè habentibus in Regulares iurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo, quæ sine dubio requiritur, vt quis ferre possit censuras in subditum iuxta *cap. cum in Ecclesijs de maior. & obed.* est communis DD. & patet ex dictis; si addidero talem facultatem competere etiam Subprioribus, Vicariis, &c. quotiescumque Superior localis principalis absuturus est tempore, iudicio prudentis, notabili iuxta dicenda infrà *q. 24*. 51.

Vtrùm verò Legatus de Latere, aut Nuncius Apostolicus in propria Prouincia, Episcopus in iis, in quibus procedit, vt delegatus Sedis Apostolicæ, Protector Ordinis, & Conseruator monasterij possint ferre cēsuras in Religiosos sibi subditos respectiuè.

Respond. protectores quidem, & Conseruatores videri posse; vt de Protectore constat ex dictis *in tr. de priuil. c. 8. sect. 5. q. 6.* & de Conseruatore *loc. sup. cit. sect. 4. q. 17.* Episcopos verò non posse, neque in casu, quo procedant, vt delegati Apostolicæ Sedis, idque, tum ob dicta *in eod. tract. de priuil. c. 6. sect. 1. q. 17.* tum quia, vt bene aduertit Sanch. *l. 7. de matr. D. 33. n. 23.* quoties Tridentinum voluit concedere Episcopis, vt contra Religiosos ferre possint censuras, id expressit; vt *in sess. 25. c. 16. de Regular. & c. 5.* necnon *in sess. 22. in decreto de obseru. in celebrat. Missar.* Legatos denique de latere, & Nuncios, neque ipsos videri posse ferre censuras contra Regulares, nisi id in specie ipsis cōcedatur in literis suæ legationis (& hoc ob dicta *in tr. de priuil. c. & sect. citatis, q. 2. §. verum vero*) vel certè, si possunt ex vi supradictarum literarum non censeri Religiosos Mendicantes comprehendi in censuris ab ipsis Legatis, & Nunciis generaliter latis, nisi de ipsis fiat expressa mentio: idque ob priuilegium (quod non puto comprehendi inter viuæ vocis oracula, cùm habeatur in Ceremoniali, seu Pontificali in bibliotheca Vaticana) à Nicolao IV. concessū Minoribus; quod ij non ligarentur aliqua sentētia excommunicationis, suspēsionis, & interdicti vel hominis, nisi nominatim fieret mētio; nec sufficeret, si diceret in sentētia generali, vt perinde valeāt, ac si essent nominati expressè, ita habetur *in Comp. Soc. v. excom §. 3.* 52.

Adde quod, cùm supradicti Superiores Regularium habeant in ipsos iurisdictionem ordinariam aut saltem delegatam a Papa: consequenter facultatem, quam diximus ipsos habere, quoad ferendas censuras, possunt etiam aliis delegare; non tamen personis, quæ non sunt Ecclesiasticæ, idest initiatæ 53.

saltem prima tonsura; vnde notat Bonac. *de cens. in comm. D.1. quæst.1. p.2. num.6.* talem facultatem non posse delegari, neque ipsis Religiosis professis, si noodum sint initiari prima tonsura; quod idem dicit Ledesm. *in 4.2. p.q.20.art.4.* ex communi DD. sententia: licèt Glossa *in cap. mulier dist.23.* contrarium sentire videatur.

QVÆRES V. An, & quæ censuræ ferri possiot non solùm contra particulares Religiosos, sed etiam cootra totum aliquod mooasterium.

54. Respond. posse fieri non quidem excommunicationem, sed suspensionem, & ioterdictum, Ratio disparitatis est, quod, cum excommunicatio sit pœna grauissima, non est æquum, vt illi subiiciantur innocentes: quod tamen sæpiùs contingeret, si ea ferretur contra ioregram Commuoitatem (v.g. contra torom aliquod monasterium; vtpote in quo semper adest aliquis innocens, qui proinde non debet affici excom:nooicatiooe lata contra delinquentes: aliàs ea contineret errorem intolerabilem, sicque esset iniusta, & prohibita in *cap. Romana de sent. excom. in 6.* suspensio verò, & interdictum non suot pœnæ adeò grauet, vt ex iusta caosa ferri noo possint etiam contra aliquem Inoocentem, & consequenter contra Communitatem aliquam (v.gr. monasterium) cessante, quoad ipsa, periculo spirituali animarum, ob quod in iure probibetor, ne excommunicatio feratur contra communitatem. ita Suar. *de censur. D.28. sect.3. n.1.* aliique penes Bonac. *sup. p.4. n.8.* qui benè monet ex Suar. Couar. & aliis, quod, quando excommunicatio fertur contra aliquam Communitatem (quod interdùm fit) non fertur contra Communitatem absolutè, sed contra singulos delinquentes talis Communitatis, & contra particulares personas, quæ sufficienter determinátur per delictum ab ipsis commissum; itaut excommunicatio non cadat vagè, & absolutè supra illos omnes, qui sunt de dicta Commoniiate, sed solùm super illos, qui tale delictum commiserunt; quod est excommunicationem cadere super personas determinatas, vt patet.

QVÆRES VI. An Prælati regulares ferre possint ceosuras contra Religiosos sui Ordinis, etiam Nouitios, etlam Terriarios, etiam Electos, etiam Moniales.

55. Respood. quod, cùm potestas ferendi censuras pertinear ad iurisdictionem coercitiuam, quæ exerceri non potest, nisi in inferiores, & subditos, vt notaot communiter DD. apud *Bonac. supr. num.8.* Prælati Regulares non possunt ferre censuras in Nouitios, Tertiarios, Electos, ac Moniales proprij Ordinis, nisi in casu, qoo bi eorum subsunt potestati, idque iuxta ea, quæ diximus de Nooitiis *tract. 9. cap.3. quæst.5.* de Tertiariis *tract.9. cap.3. quæst.3. de Electis tract.9. c.3. quæst.3.* & de Monialibus *quæst.* 14. ex qoibus colligi potest, quandonam possint Prælati regulares ferre censuras in præfatas personas, & quando oon; vode non est, cur in præsentia illa eadem repetamus.

QVÆRES VII. An Regulares subiaceant censuris generaliter latis in iure communi, Constitotionibus Pontificiis, & Statutis Legarorum de latere, aut etiam Nuociorum Summi Pontificis; saltem io casu, quo eæ generaliter ferantur contra Ecclesiasticos.

56. Respond quod licèt alicui videri possit probabile eos minimè comprehendi, eo quod, quando Summi Pontifices, Legati, & Nuncij volunt comprehendere in suis decretis, & statutis etiam Regulares, eos in specie exprimant, dicendo *Ecclesiasticos tam sæculares, quam regulares)* vt videre est in plurimis Coostitutionibus Pontificiis; & sic, quando illos hoc modo non exprimant, signum sit eos nolle tunc ipsos compreheodere iuxta regulam Suarez à nobis sæpiùs decantatam: *si voluisset, expressisset*; noo expressit, ergò noluit. oppositum tamen sustinendum est cum Diana *part.5. tract.10. resol.81.* dicente ex Præposito, & Portello, si censura feratur sub nomine persooarum Ecclesiasticarum, ea ligari Religiosos, etiam laicos, ac moniales; cum hi oones verè siot, & dici possint personæ Ecclesiasticæ, & si interdum exprimuntur cum addito illo Ecclesiastici regularis, id fit ad abundantiorem cautelam, sed non necessariam: vt euenit etiam in aliis similibus casibus.

QVÆRES VIII. An Censuræ ferri possint contra Regulares, si ipsi nullo modo delinquant, seu (quod idem est) ob peccatum alienum.

Respood. non posse, loquendo de excommunica- 57.
tione, quæ cùm iuxta *cap. si abes 24. quæst.3.* non incurratur, nisi ob peccatum proprium, contrahi non potest ab eo, qui nullo modo delinquit. Secus, si loquamur de suspensione, & Interdicto: hæc enim cùm incurrantur etiam ob peccatom alienum iuxta *cap. si de sententia de sent. excommunic. in 6.* vbique possuot contrahi etiam ab eo, qui nullo modo delinquit, quamquàm hæ censuræ propriè noo ferantur in pœnam illius, qui non delinquit, sed delinquentis, qui in alio punitur. ita Sayr. *lib.1. de censur. cap.9. num.19.* aliiqne commoniter.

Addo, quòd, sicut ad incurrendam censuram 58.
requiritur peccatum. si censura sit grauis (idque ne alioqui pœna excedat culpam, cùm tamen inter eas seruari debeat proportio:) ita peccatum debet esse externum (cum Ecclesia non iudicet de internis, nisi indirectè *cap. erubescat 32. dist*) imò & consummatum, in suo genere (nisi aliud exprimatur:) & hoc ex *cap. perpetuo sanctionis de elect. in 6.* vbi dicitur scienter indignum eligentes, non incurrere iuris pœnas, nisi adeò in eo perstiterint, quod ex votis eorum communis electio subsequatur: paterque ex eo quod, cùm odia restringi oporteat, lex imponens pœnam strictè debet interpretari. Ex quo fit, vt, qui iorendit grauiter percutere Clericum, si solùm leuiter de facto percutiat (itaut talis percussio iudicio prudentis secundum suum esse externum noo censeatur grauis, & mortalis,) is noo incurrat excommonicationem latam in canone *si quis:* cùm talis percussio sit quidem mortalis secundùm suum esse internum ratione praui affectus: non item secundùm esse externum, vt benè notauit Suar. *D.4. de Censur. sect.4. num.* 2. Dixi *nisi aliud exprimatur,* quia iuxta commuoem sententiam Religiosus ex Ordine Mendicantium, qui in concionibus aliqua dicit ad auocandum populum à solutione decimarum, est excommunicatus, etsi effectus non sequatur Clem. *de pœnis cap.1.* vbi expressè fertur excommunicatio io talia dicentem sine respectu ad effectum: & meritò, cùm communiter sciri ooo possit, an effectus sequatur, necne.

Dixi in responsione, *si censura sit grauis*; vt innue- 59.
rem ex Bonac. *supr. part.3. num.6.* quòd, sicut inualida esset maior excommunicatio, maior suspensio, & graue interdictum, si ferrentur pro culpa v. cùm actus venialis videatur incapax tantæ pœnæ; ita valida esset suspensio ad breue tempus imposita pro peccato, v. sicut & validum esset interdictum impositum ad ad breue tempus, & ad aliquem vsum particularem; cùm eiusmodi censuræ censeantur leues, adeóque sint proportionatæ culpæ, ob quam ferantur.

Nec obstat dictis, qood Romæ Papa certa die excommunieat Dominos Columnenses, eósqoe statim absoluit singulis annis, etsi io præsentia non peccent, nec sint contumaces: hæc enim excómmunicatio propriè non est censura, quæ supponit peccatú

modo

modo dicto, & ordinatur ad resipiscentiam; sed est pura pœna vindicatiua, ad quam ferendam sufficit peccatum præteritum. Colligo ex Suarez *D.4. de Censur. sect. 5. à num. 25. vsque ad talem finem sect.* distinctionem proponente, ac negante excommunicationem posse purè ferri in pœnam prioris delicti, id est aliàs commissi; quod vtrique procedit in præsenti casu.

Addo quod, licèt Sanchez *lib. 1. mor. cap. 16. n. 47.* ex Vasquez & Azorio dicat in omni sententia asserendum esse peccata ante ebrietatem, aut somnum præuisa inducere irregularitatem, ac excommunicationem; 57 perinde ac si fierent in vigilia: idque etsi voluntas illa prior per pœnitentiam interrumpatur, nec iis actus vitari possit: cum ad ea incurrenda sufficiat liberam iis dedisse causam, ac effectum esse subsecuturum: nihilominus puto, quòd, si quis in ebrietate Clericum percutiat, etsi præuiderit percussionem, non ideò incurrit excommunicationem; cùm percussio hæc non sit externè peccatum mortale in se, nec esse consummatum externum habeat, & aliàs probabilis sit doctrina Suarez *tom. 2. de relig. lib. 3. de iuram. cap. 8. n. 6.* sustinentis ob peccata in ebrietate facta non incurri excommunicationem, & quidem non se restringentis ad peccata oris (vt putat Sanchez 58 *supr.*) etsi expressè de periurio loquatur; vnde ea doctrina facit ad præsentem casum.

Quæres IX. An Regulares afficiantur censuris latis à proprio Superiore, si interim ij existant extra territorium illius.

60\. Respond. affici ob rationem allatam *in tract. de gubern. cap. 3. sect. 3. q. 16. § nec obstat*; qua de re Diana *p. 5. tract. 9. resol. 36.* Bonac *supr. q. 1. p. 11. num. 5.* & Io. Præpositus *q. 1. de censuris d. 5. n. 27.*

An verò Regularis incurrat censuram latam per statutum à proprio Superiore Ordinis, si delictum inchoet quidem in proprio territorio, sed illud consummet in alieno.

61\. Respond. quod, cùm iuxta modò dicta, Regularis incurrat censuras proprij Superioris, etiam in casu, quo extra illius territorium: & inchoat, & consummat delictum: à fortiori eas incurret in casu, quo intra territorium inchoet delictum, illud postea consummaturus extra: vnde, quoad Regulares, non currit doctrina, quam tradunt Suarez *supr. D. 5. sect. 4. num. 7.* Gordon. *tom. 2. summ. lib. 7. q. 2. cap. 3. § 3. n. 34.* Diana *p. 5. tract. 9. resol. 33.* quòd scilicet subditus inchoans delictum in proprio territorio, & illud consummans extra, non incurrit censuras per statutum generale latas à proprio Superiore; si quidem non est eadem ratio de Regularibus, ac de aliis, etiam Ecclesiasticis, vt patet ex dictis *in cit. tract. de gubern. supr.* Quamquam hoc debet intelligi de Regularibus in ordine ad Prælatos proprios Religionis (inter quos videtur comprehendendus etiam Protector Ordinis,) non item in ordine ad alios Prælatos extra 59 Ordinem (v.g. Legatos de latere, qui fortè ex vi Breuis suæ legationis ferre possint censuras in Regulares,) ij enim non possunt id facere extra prouinciam legationi sibi commissæ: vtpote, quibus Regulares non subiiunt ea subiectione, qua subsunt Prælatis propriis Regularibus. idque ex voto Obedientiæ, per quod se omnimodè subiiciunt Prælatis Ordinis.

Quæres X. An Regulares incurrant censuras latas sub conditione, si pendente adhuc conditione, Superior, qui dictas censuras tulit, mortuus sit, aut amotus ab officio, tuncque purificetur conditio, vt si lata sit excommunicatio, nisi Religiosus hanc, vel illam rem fecerit intra mensem.

Respond. incurrere, si excommunicatio lata sit per modum statuti, quod, cùm naturâ sua sit perpetuum, non expirat: secùs, si per modum sententiæ: excommunicatio quippe lata ab homine expirat, authore mortuo, aut amoto ab officio, vt tradunt DD. in materia de excommunicat. ita Sanch. *l. 3. consil. c. vn. d. 32. n. 283.* cum Sylu. Ang. Rosel. Panorm & aliis. 62

Quæres XI. An Regularis incurrat censuram à proprio Superiore Monasterij latam sub conditione (v.g. nisi intra mensem hoc, vel illud fecerit) si interim Regularis mutet domicilium, & consequenter, adueniente præfata conditione, iam ille effectus sit subditus alterius Superioris.

Respond. Sanchez *supr. num. 280.* distinguendo: vel enim delictum, contra quod est lata censura, originem habuit in priori domicilio, in quo lata est censura (vt si Superior excommunicet, nisi recuperentur libri commodati externis ex bibliotheca monasterij infra mensem) & sic, si Religiosus, iis non recuperatis, mutet domicilium, nihilominus incurrit, cùm delictum & contumacia iam cœperint in eo domicilio: vel delictum non habuit originem in loco domicilij, sed omnino extra (vt si Superior excommunicet facientes furtum) & sic, si Religiosus subditus talis Superioris postea mutet domicilium, & furetur, non incurrit; idque ex *cap. 2. de constit. in 6.* vbi dicitur: *Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum extra ipsius diœcesim committentes, minime ligari noscuntur: cum extra territorium ius dicenti non pareatur impunè*: quod tamen negant Baldus, Imola, Præpos. & Næuola (quos refert, & non reiicit ipsemet Sanchez) asserentes etiam in hoc casu incurri censuram; cum quoad iurisdictionem, inspiciatur principium iudicii, *l. cum quedam, ff. de iurisdict. omn. iudic.* sicque sufficiat, quod quis fuerit de iurisdictione, quando excommunicatio lata est sub conditione, si furtum fecerit. 63

Vtrùm verò Regularis ligetur censura contra non reuelantes certum delictum lata à Prælato monasterij, cuius ipse de nouo fit subditus, & quidem, antequam dictus Religiosus fieret subditus talis monasterij.

Respond. Diana *p. 5. tract. 9. resol. 36.* quòd, quamuis Præpositus, Hurtad. Suar. & Coninch partem sustineant affirmantem in casu non dissimili, ea ratione ducti, quòd post publicationem edicti durat eius obligatio, ac impositio pœnæ, adeóque non apparet, cur supradictus subditus non debeat ligari: probabilis tamen est item pars negans, quam sustinent Auila, Corneius, & Sayr. cum sententia referri debeat ad tempus, in quo pronunciatur, vtpote, quæ tunc incontinenti sumit vires aduersus eos, contra quos fertur, & consequenter vim habet solùm contra eos, qui tunc erant subditi. Vnde fit, quod, licèt tempore, quo profertur talis sententia, ille Religiosus esset in eo monasterio tanquam peregrinus, si tamen nondum factus erat subditus ratione personæ, non ligetur præfata censura, quippe qui tempore prolationis sententiæ non erat subditus, neque ratione delicti, neque ratione personæ; ita Diana, & satis probabiliter ad casum hic à nobis propositum, vt facilè consideranti patebit. 64

Quæres XII. An Regulares teneantur subire censuras latas contra ipsos, etiam ante Iudicis sententiam, imò & alias pœnas contentas in Bullis Pontificiis.

Resp. teneri loquendo de censuris latæ sententiæ, idque etiamsi detur pœnas non trahentes secum executionem (qualis est confiscatio bonorum 65

respectu hæretici) non esse subeundas ante sententiam declaratiuam delicti (quantumuis aliàs ferantur *ipso iure*, aut *ipso facto*,) sed expectandam esse dictam sententiam; ita vt eæ particulæ *ipso iure*, *ipso facto* solùm importent, quod talis pœna ferri non debet à Iudice per sententiam condemnatoriam, & faciunt, vt, quando posteà sequitur declaratio criminis, retrotrahatur pœna vsque ad diem commissi criminis, quasi ex tunc fuisset incursa, & executioni mandata. Ita Nald. *ver. pœna*, *n.* 27. aliíque; & colligitur, tum ex vsu communi Ecclesiæ, tum ex iis, quæ habet Suar. *supr. D.* 3. *sect.* 1. *n.* 7. 8. 9.

66. Dixi sub initium responsionis, loquendo de censuris; vt innuerem: secùs dicendum de aliis pœnis similibus Ecclesiasticis: quales sunt priuatio officiorum; & inhabilitas ad ea in posterum obtinenda, priuatio vocis actiuæ, & passiuæ, & aliæ; hæ enim probabile est, quod non incurrantur, nisi post Iudicis sententiam, etiamsi ferantur sub his clausulis *ipso iure*: *ipso facto*: *nulla Iudicis expectata sententia*: *ante omnem declarationem*. Ita Sanchez *l.* 6. *mor. cap.* 17. *num.* 59. Molin. *tract.* 2. *D.* 95. *num.* 14. aliíque quos citat, & sequitur Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 67. contra plures alios ab ipso allegatos; patéique tum, quia leges humanæ debent esse accommodatæ fragilitati humanæ; non essent autem, si reus cogeretur se ipso exequi in se durissimam pœnam, se ipsum prodendo; tum quia vsus, qui est optimus legum interpres, declarauit tales pœnas non incurri, nisi facta declaratione delicti: ita vt ly *ante omnem sententiam* intelligi debeat de sententia declaratoria pœnæ, non item delicti.

QVÆRES XIII. An Regulares affecti vna censura possint incurrere aliam, siue eiusdem rationis, siue diuersæ.

67. Respond. posse, & quidem quoad censuras diuersæ rationis, constat, tum ex vsu Ecclesiæ, quæ crescente contumacia, solet aggrauare, seu multiplicare censuras, imò & interdum simul eas ferre ob atrocitatem delicti; tum ex eo, quod, cùm censuræ sint pœnæ diuersarum rationum, nihil impedit, quo minùs suo modo insint in eodē subiecto, ac eidem personæ imponantur; quoad censuras eiusdem rationis, patet ex eo, quod, cùm potestas, ac iurisdictio Superioris ferentis censuram non extinguatur per vnum actum, sed integra maneat, & nulla assignari possit repugnantia, quòd semel excommunicatus non possit iterum excommunicari, siue in eadem re sit inobediens, & contumax, siue in re diuersa; non apparet, cur in eodem subiecto multiplicari non possit eadem censura in specie, tam in eadem causa, & ab eodem Iudice, quàm in causa diuersa, & ab alio Iudice.

Dices repugnantiam in eo consistere, quòd, cùm semel excommunicatus priuetur omnibus bonis, quibus priuari potest per Ecclesiam, frustra inducitur noua excommunicatio, quippe quæ non habet quid operetur circa subiectum, cui aduenit, vtpote quod iam est priuatum illis bonis, quibus ea ex natura sua apta est priuare.

68. Verùm hæc ratio non facit contra nos; & quidem ex vna parte, moraliter loquendo, censura non se habet, vt pura priuatio, sed velut quædam causa positiua, & vinculum inducens, & cogens ad dictam priuationem: ex alia parte iura loquuntur de censuris; vt de quibusdam vinculis, quibus homines ligantur; vt colligitur ex *cap. a nobis* 2. *de sent. excommunic.* nihil autem vetat, quo minus plures causæ, & vincula adiici possint ad eamdem priuationem inducendam; vt videre est in habente conscientiam plurium peccatorum mortalium, qui ita per prius peccatum priuatur gratia Dei, vt etiam per secundum, ac tertium eadem, quantum est ea ipsis, priuetur; vnde excommunicatio posteriùs adueniens non priuat quidem actu bonis, quia subiectum inuenit iam priuatum vi prioris excommunicationis, habet tamen vim priuandi & de se est priuatiua iisdem, si subiectum iam non esset priuatum. Vnde & indiget diuersis absolutionibus, per se loquendo, vel vna, quæ per sufficientem potestatem, & earum expressionem ad omnes illas se extendat. Ita Filliuc. *tract.* 11. *n.* 141. ex Soto. Nauar. Glossa Suar. & aliis.

QVÆRES XIV. An Regulares peregrini subiaceant censuris, quibus subsunt alij Religiosi sui Ordinis in prouincia, aut monasterio, per quæ ipsi transeunt, & in quibus breui commorantur tanquam hospites.

Respond. non subiacere, siue eæ latæ sint per sententiam generalem, siue per statutum. Ita Laym. *l.* 1. 69.
tract. 5. *p.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. aliíque, & probatur, tum ex *cap. nobis* 1. *de sent. excommunic.* vbi, cum quæsitum fuisset, vtrum, si quis ita pronunciauerit: quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit: hæc generalia clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur, *an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de iurisdictione illius*; responsum fuit *quod hæc sententia non nisi subditi obligantur*; tum quia ista responsio ea ratione nititur, quod potestas iurisdictionis se extendit tantùm ad subditos; ergo, cùm non minùs statutum, quam generalis sententia procedat à potestate iurisdictionis, comprehendet solùm subditos (quales sine dubio non sunt in casu præsenti Regulares peregrini, vt patet.) Quòd autem dicunt aliqui cum Vgol. *tab.* 1. *cap.* 9. § 2. *num.* 4. peregrinos delinquentes contra statutum alieni loci subiacere censuris ibi latis, eo quòd fiant subditi ratione delicti; minùs subsistit, si quidem hoc est assumere, quod erat probandum: nimirum peregrinos delinquere contra statutum proprium diœcesis, in qua ad tempus commorantur; cum enim priùs sit, vt aliquis fiat, & sit subditus; quàm vt obligetur statuto, & contra illud delinquat: peregrini non possunt dici delinquere contra statutum alienæ diœcesis, cùm verè non sint subditi statuentis: quod notat Suar. *de censur. D.* 5. *sect.* 5. *num.* 10.

QVÆRES XV. An Regulares incurrant censuras suorum Superiorum, si delinquant in loco exempto (v. gr. in monasterio alterius Ordinis.)

Respond. incurrere; & probatur ex eo quòd in 70.
præsenti casu Regulares non possunt dici eximi à censuris proprij Ordinis, nisi quatenus locus exemptus æquiparatur loco sito extra territorium, & extra territorium ius dicenti non paretur impunè: ergo, cum Regulares iuxta dicta *q.* 9. temissiuè possint ligari censuris suorum Superiorum, etiam extra territorium illorum, possunt à fortiori iis ligari, etiam in loco exempto: cùm esse in loco exempto sit esse extra territorium fictione iuris; quod est quid minùs, quàm reuera esse extra territorium.

QVÆRES XVI. Quam formam seruare debeant Prælati regulares in ferendis Censuris.

Respond. debere seruare illam, quæ communi- 71.
ter vsitatur in Ecclesia; nimirum quòd eæ ferantur signo aliquo externo, ac sensibili, idest per verba, aut etiam per scripturam; imò & per nutus, quibus sufficienter exprimatur voluntas Superioris ferentis censuram: quod est contra Vgolinum *cap.* 2. §. 20. *&* *cap.* 10. putantem censuras non posse ferri, nisi per verba clara, & in omni proprietate sumpta; sed minùs benè, cum nullo iure cautum sit, quod

quod censura ore proferatur: est communis DD. apud Bonac. *supr. part. 7. n. 1.* qui bene addunt quòd, licèt ad ferendam censuram non requirantur certa, & determinata verba; ea tamen debet ferri per verba, quæ sint determinata non solùm ad aliquam censuram particularem (quo modo inualidè, ac inutiliter ferretur censura his verbis: *Qui hoc vel illud fecerit, vinculo censuræ sit obstrictus*, cùm sic nulla determinetur censura, & non possit fieri effectus in genere,) sed etiam ad aliquam personam certam siue eam nominandu, si cognoscatur, siue eam describendo, vel eam designando per ordinem ad delictum; verba quippe in censuris faciunt, quod significant, adeóque si nullam personam significent, & nullam afficiunt.

Illud magis controuersum est, an valeat censura lata sub forma disiunctiua (v. g. *Præcipio hoc tibi sub pœna excommunicationis, aut suspensionis.*)

72. Respond. quòd quamuis Nauarr. Sayr. Henriq. Vgol. Vasq & Gordonus apud Dianam *p. 5. tract. 9. resolut.* 63. negent valere, ea ducti ratione, quòd, cum ex vna parte verba non plus efficiant, quàm significent; & ex alia parte censura lata sub forma disiunctiua nihil determinatè significet, nec quidquam determinatè efficiat, vtpote quæ nec vtrumque efficere potest, cùm sit sub forma disiunctiua; nec alterum tantùm, cùm non sit maior ratio, quod contrahatur vna ex dictis censuris, quàm alia: nihilominùs dicendum est cum Suar. *supr. D. 3. sect. 2. num.* 12. Alter. *de censur. tom. 1. lib. 3. D. 9. cap.* 3. Bonac. *supr. num.* 4. Diana *resol. cit.* Filiuc. *supr. num.* 58. aliisque censuram latam sub forma disiunctiua esse validam: & probatur ex eo quod, licèt talis censura non sit definita determinatè ad vnam partem, est tamen confusè determinata, videlicet ad vnam censurarum, quæ in tali forma disiunctiua continentur, & quam ipse reus eliget; siquidem intentio Iudicis ferentis talem censuram esse potest, vt altera illarum incurratur: idque arbitrio rei, qui liberè eligat, & acceptet, quam maluerit ex illis; vnde fit, vt si is neutram eligat; tunc maneat ligatus vtraque, & hoc ex intentione Iudicis modo dicto indicata: imò aliqui apud Turrian. *de censur. lib. 1. D. 4. d.* 1. censent intentionem Iudicis ferentis censuram sub forma disiunctiua, esse, vt hoc ipso, quod subditus vult violare præceptum latum sub ea censura, ligetur minori censura earum, quæ sub ea forma disiunctiua latæ sunt: & hoc non sine consensu ipsiusmet subditi, qui hoc ipso, quod vult violare præceptum factum sub dictis censuris, virtualiter censetur eligere alteram ex illis: ne alioqui maneat omnino impunitus; quod tamen ais Diana non probari vllo firmo argumento, addens ex Corneio in præsenti casu non requiri, quod Iudex determinatè intendat speciem censuræ, sed sufficere, vt electionem illius committat reo, vt ipse eligat, quam maluerit; non secùs ac interdùm in foro conscientiæ pœnitentiali proponitur pœnitentia sub forma disiunctiua ab ipso pœnitente determinanda, & quidem licitè, ac validè; vt tradunt communiter DD. & patet ex praxi.

73. Monet autem Diana *supr.* quòd, cùm non sit in vsu Ecclesiæ ferre censuras sub forma disiunctiua, non possunt Prælati inferiores Papa id facere siue peccato: quod tamen non habet locum in Papa: quippe qui est supra ius commune non approbans talem modum ferendi censuras, adeóque non tenetur illud seruare. Vnde illud de facto Pontifices aliquando non seruarunt; vt videre est *in cap. à crapula, de vita, & honest. Cler.* vbi dicitur: *Si quis autem se culpabilem exhibuerit, & à Superiore commonitus non satisfecerit, ab Officio, vel beneficio suspendatur*; & in Constit. Pij V. à nobis relata *in tract. de priuileg. cap. 8. sect. 4. q.* 31. Quamquam, teste Suar. *supr. n.* 14 præfata disiunctiua posset habere hunc alium sensum, vt singulæ partes illius ad diuersas personas accommodarentur secundùm diuersas earum conditiones: vt si aliqua prohibitio spectet ad laicos, & clericos, & dicatur *sub pœna excommunicationis, aut suspensionis*; vel certè spectet solùm ad Clericos, &, quia eorum alij habent solùm officium, alij etiam beneficium, dicatur *sub pœna suspensionis ab officio, aut beneficio*, &c.

QVÆRES XVII. An contra Regulares ferri possint censuræ sub conditione peccati committendi in futurum, & quomodo.

Respond. posse, & quidem non solùm à iure (vt 74.
constat ex eo, quod in iure vix fertur censura alio modo) sed etiam ab homine: cùm id non sit contra ius, neque naturale, neque diuinum, neque canonicum; vt probat Filiuc. *supr. n.* 67. monens *in cap. Romana, §. caueant, de sent. excom. in* 6. (vbi id videtur prohiberi) eiusmodi prohibitionem non esse absolutam, sed cum limitatione, nisi vbi adsit rationabilis causa exprimenda in ipsa sententia: prætérquam quòd talis prohibitio, vt continet ius positiuum, contraria consuetudine abrogata est, & ius canonicum antiquius *in cap. à nobis, de sent. excomm.* approbans talem modum censurandi retentum est; quod notat Suar. *supr. sect. 4. n.* 7. notans expressionem causæ, quam diximus faciendam esse in sententiam censuræ latæ sub conditione, non esse adeò necessariam, vt pertineat ad substantiam talis actionis: imò nec ita grauem, vt obliget sub peccato mortali.

QVÆRES XVIII. An Prælati regulares teneantur ferre censuras in scriptis, tum ad validè, tum ad licitè.

Respondeo quòd, licèt ferens censuram solo ver- 75.
bo sine scriptura peccet mortaliter, & incurrat suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem ex *cap. 1. cum medicinalis, de sentent. excommunicationis in* 6. (vbi talis suspensio extenditur etiam ad ferentem censuras sine expressione causæ, necnon ad eum, qui parti petenti non concedit exemplar scripturæ intra mensem;) non desunt tamen Doctores, qui putant id non esse in vsu apud Regulares, nimirum Rodriq. Liam. Tamb. & Auila apud Peyr. *in formul. lit. C. cap. 5. num.* 9. Bonac. *supr. part. 8. num.* 2. ex Henriq. & Sayro, probántque ex quodam priuilegio Leonis X. concesso Minoribus, & relato in Compend priuileg. ipsorum Minorum, *ver. excommunic. num.* 7. his verbis: *Leo X. concessit, quod Prælati Ordinis Minorum regularis Obseruantiæ, cum aliquem Fratrem propter apostasiam, vel aliam causam excommunicant in Capitulo Fratrum, aut in communitate, non teneantur proferre sententiam in scriptis, prout in iure, sub pœna suspensionis præcipitur proferentibus*; quamquam, cum eiusmodi priuilegium fuerit concessum viuæ vocis oraculo (vt notatur in dicto Compend.) posita generali reuocatione viuæ vocis oraculorum facta ab Vrbano VIII. & Gregor. XV. iam ampliùs non subsistat, & consequenter nec subsistat ista responsio, quoad hanc partem, nisi aliunde probetur. Videtur autem posse probari ex eo, quod iuxta dicta *in tract. de pœnis, cap. 1. quæst. 6. § notat.* Prælati regulares ex indulto bullato Bonifacij VIII. facto Dominicanis possunt contra Religiosos subditos procedere, Iuris apicibus postpositis: cuiusmodi sunt ij actus, qui potiùs respiciunt subtilitatem, quàm facti veritatem, & merita causæ; inter hos autem puto comprehendi etiam, quòd censura feratur in scriptis; idque colligo ex Toleto *lib. 1. cap. 9. § altera*

circumstantia in fine, vbi de præsenti materia loquens hæc habet: *In istis Prælatis* (i. Regularibus) *non seruatur iuris ordo, sicut in sæcularibus; durum enim esset, vt ipsi dicunt, & incommodum Prælato regulari, qui sæpè in die modo pro ista re, modò pro illa habet increpare, monere, & præcipere suis subditis claustralibus, habere pennam, & folium, & antè scribere, quàm sub pœna excommunicationis mandare*; hæc ille ex Lapo, & Felino: quæ tamen non minùs habent locum in suspensione, ac in interdicto, quàm in excommunicatione; cum *cap. 1. de sent. excommunic.* superiùs allegatum loquens in principio textus in particulari de excommunicatione, posteà expressè subdat; *Et hæc eadem in suspensionis, & interdicti sententijs volumus obseruari.* Ex quibus constat Prælatos regulares eximi à communi obligatione ferendi censuras in scriptis, non tam ex vi priuilegij Leonis X. (quod ampliùs non subsistit) quàm ex vi huius alterius indulti Bonifacij VIII; quod etiam concedit Diana *p. 5. tract. 9. resolut. 73.* ex Portello, non tamen absolutè, sed solùm in casu, quo censura feratur per modum sententiæ particularis contra aliquam particularem personam: non item, si feratur per modum statuti, seu ordinationis: qualis esset ea, quæ ferretur à Prouinciali in totam aliquam prouinciam, & permanenter,

76. Notat autem Peyr. *supr. num. 12.* in excommunicatione solenni, quæ à solis superioribus Prælatis iuxta *c. debet 11. quæst. 3.* & Trid. *sess. 25. de reform. cap. 3.* ferri potest pro delicto enormissimo, 12. Sacerdotes debere circumstare Prælatum indutum amictu, stola, & pluuiali violacei coloris, quæ manibus vnà cum ipso Prælato habentes candelas ardentes, quas in conclusione excommunicationis debent proiicere in terram, pedibus conculcare, & iuxta Glossam *in disp. cap. debent v. conculcare*, posteà proiicere extra Ecclesiam: quod tamen negat Triem. sustinens eas posse redigi ad vsum communem; qua de re Sayr. *lib. 1. de censur. cap. 15.*

77. Addo ex Suar. *supr. D. 3. sect. 13. num.* 8. censuram non esse nullam ex eo præcisè, quòd non feratur per scripturam, idque esto detur illam ferendam esse per scripturam, ratio est, quod ius non præscribit eiusmodi formam, vt essentialem, sed solùm vt necessariam ex præcepto: vt hinc patet, quod in *cap. 1. cum medicinalis* dicitur: *Superior verò, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans:* cum tamen relaxare propriè sit soluere, quod ligatum erat, adeóque supponatur censuram latam absque præfata forma verè ligare: quamuis alioqui talis defectus sit sufficiens causa, vt statim conferatur sine difficultate absolutio dictæ censuræ, idest sine vllo grauamine Rei. ita Suar. addens *num.* 2 quod, sicut censura debet promulgari ex scripto, ac proinde esse descripta, antequàm illa proferatur; sic debet esse subscripta à Iudice ferente, vel certè opus est, vt sufficientibus testimoniis probari possit, eam per scripturam fuisse promulgatam; siue Iudex id per se præstiterit, siue per alium; hoc enim nihil refert; sicut nec refert, vt ea scriptura sit authentica, idest munita fide publici Notarij, aut etiam testibus.

QVÆRES XIX. An, & quo modo Prælati regulares teneantur præmittere admonitionem in ferendis censuris contra Religiosos subditos.

78. Pro responsione suppono primò hanc quæstionem propriè, non habere locum in censuris, quæ feruntur à iure, aut per sententiam generalem pro peccatis futuris: hæ siquidem nullam aliam monitionem, aut solemnitatem exigunt, quàm necessariam promulgationem, qualem omnes aliæ leges requirunt: talia enim statuta se ipsis continuò omnes monent, vt metu pœnæ caueant peccata sic prohibita; vnde quæstio est solùm de censura per sententiam particularem ferenda in certas personas ob peccatum iam commissum.

Suppono secundò monitionem faciendam esse nomine Iudicis: coram idoneis testibus, per quos probari possit: & immediatè ipsi reo, aut certè, si id fieri nequit, in eius domo: aut, si hoc fieri non potest, in loco publico, vnde præsumatur ad eius notitiam facilimè deferenda (v. g. in præcipuo templo vrbis, in qua habitat, aut simili loco maximè vicino ipsius habitationis).

Suppono tertiò canonicam monitionem debere esse trinam, qua reos nominatim exprimatur, fierique aut tribus diuersis vocibus, aut vna vice pro tribus cum interuallo competenti: v. g. dicendo, *Moneo te semel pro tribus vicibus, vt intra 3. hebdomadas, aut dies hoc, vel illud facias concedendo tibi singulos dies pro singulis monitionibus, aut totum illud tempus pro 3. monitionibus*: interuallum verò, quod debet deputari singulis monitionibus, aut simul omnibus tribus, ex concurrentibus circumstantiis iudicio prudentis statuendum est.

Suppono quartò non esse necesse, quod ista monitio fiat in scriptis, cum id nullo iure præcipiatur; debere tamen fieri sub comminatione censuræ, qua feriendus est, qui sic monetur: reus quippe non potest iudicari contumax, nisi, facta tali monitione, adhuc renuat obedire; cum sæpè audita tali comminatione moueatur, qui simplici monitione non mouebatur: ita Coninch. *inf. num.* 80.

Suppono quintò quod, quando contumacia est notoria, tunc non est necessaria monitio iuxta *Gloss. in cap. manifesta 2. quæst. 1.* secùs, si solùm notorium sit peccatum, non item contumacia; tunc enim præmitti debet monitio; vt notant Henriq. *lib. 13. cap. 17. §. 3.* & Couar. *in cap. alma mater pr. sel. 1. § 9. num. 6.*

Suppono sextò quòd, quamuis ad incurrendas censuras prærequiratur monitio, vt pote quæ ex vsu Ecclesiæ non solent ferri, nisi contra cōtumaces (qualis tamen non potest quis præsumi, nisi præsupponatur admonitio, vt dictum est *suppono* 4.); talis tamen monitio non est adeò necessaria, vt, si ea omittatur, censura sit nulla: idque *cap. Romana de sent. excommunic. in 6.* vbi excommunicatio lata sine monitione dicitur iniusta, non item inualida, excipe censuram, quam fert Episcopus contra eos, qui communicant cum eo, quem ipse excommunicauit: hæc enim censura sine tali monitione præmissa inualida est ex *cap. constitutionem &c. statutum de sent. excommunic. in 6.* est cōmunis DD. apud Coninch. *de censu. D. 13. n. 81.*

Suppono septimò, Iudici qui non præmissa canonica monitione fert excommunicationem, per mensem interdici ingressum Ecclesiæ ex *cap. sacro de sent. excommunic.* quamquàm hæc pœna non extendatur ad Episcopos iuxta *cap. quia periculosum, de sent. excomm. in 6.* imò neque ad eos, qui sine ea monitione suspendunt, aut interdicunt: cum enim textus loquatur solùm de excommunicantibus sine debita monitione, non debet ampliari ad suspendentes, seu interdicentes sine monitione contra regulam iuris. *Odia restringi oportet.*

Respond. quod, licèt DD. cōmuniter ex *cap. reprehensibilis de appellat.* tradant ad censuras licitè ferendas necessario præmittendam esse canonicam monitionem eo modo, quo diximus in suppositis, 79.
si quidem censuræ ferantur per modum censuræ, non autem pœnæ vindicatiuæ; nihilominus non desunt DD. qui ab hac regula generali excipiunt Prælatos regulares in casu, quo ferant censuras in

Reli

Religiosos subditos, adeóque sustinent dictos Prælatos posse ferre censuras, etiam non præmissa præfata monitione: alij quidem absolutè; vt Gabr. & Liamas, quos refert, & non reiicit Peyt. *supr. num.7.* asserantes hanc trinam monitionem apud Regulares non esse in vsu; alij verò cum limitatione; vt Gorneius, & Sayr. penes Dianam *part.5. tract.9. resol.* 20. dicentes Prælatos regulares teneri præmittere dictam monitionem in casu, quo sub censura præcipiant aliquid, quod non contineatur in regula Ordinis, aut in regularibus obseruantiis: secùs, si præcipiant, quod in iis contineretur, tunc enim (inquiunt isti) possent excommunicare, præmissa vna, vel altera tantùm monitione; alij denique, vt Diana *resol. cit.* aiunt hac in re attendendam esse consuetudinem vniuscuiusque Ordinis, &, si legitimè fuerit præscripta, eam seruandam; cùm legitima consuetudo præualeat contra ius; ita Diana; sicque in praxi puto faciendum esse, maximè ad vitandas rixas, quæ alioqui inter Prælatos regulares, & Religiosos subditos in tali euentu possent suboriri.

80. Dixi sub initium responsionis; *si quidem censuræ ferantur per modum censuræ*: vt indicarem, quod si ferantur per modum puræ pœnæ vindicatiuæ, (quo pacto possunt ferri suspensio, & interdictum, non autem excommunicatio, vt aduertit Suarez *supr. sect. 10. num. 2.*) tunc non est necesse, quod præmittatur canonica monitio; quippe quæ non est de re facta, sed facienda; fitque ad hoc, vt expectetur contumacia; cum tamen in præsenti casu censura non feratur ad expectandam contumaciam nouam, sed imponatur pro delicto iam facto; quam proinde reus non effugit, quantumuis corrigatur.

Dubium maius est, an casu, quo à iure statuta sit excommunicatio, aliave censura, non latæ, sed ferendæ sententiæ (v.g. qui tale delictum commiserit, excommunicetur) an, inquam, iudex statim contra reum de crimine conuictum procedere possit ad censuram ei inferendam sine alia monitione.

81. Respond. probabile esse, quod possit; & probatur, tum quia sic adest sufficiens admonitio ex parte Iudicis, & sufficiens contumacia ex parte Rei, qui nouit prohibitionem factam sub pœna censuræ ferendæ; tum quia non est maior ratio, cur requiratur admonitio distincta à prohibitione ad ferendam censuram ipso facto anteà comminatoriè latam, & non requiratur, dum prohibitio edita est sub pœna censuræ ipso facto: ergo, cum ad hanc ferendam non requiratur noua monitio, neque requiretur ad illam ferendam. Ita Panormit. Sanch. & Auila apud Laym. *l.1. tract.5. part.1. cap.5. num.6.* & Dianam *supr. resol.* 18. qui tamen cum Suar. *supr. sect.* 10. *num.* 19. putant contrarium esse, & probabilius, & benignius; id colligentes ex *cap. reprehensibilis* superiùs relato; quod cum dicat: *Nec Prælati, nisi canonica commonitione præmissa, suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos, nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso suo genere* (idest ex se, seu ipso facto ait Glossa ibi) *suspensionis, vel excommunicationis pœnam inducat*: sequitur ad omnem omnino censuram, quæ non incurritur ipso facto, sed à Iudice actualiter infligenda est, canonicam monitionem, eamque trinam, per se loquendo, necessariò præmittendam esse; exceptio namque firmat regulam in aliis; præterquam ob crimen præteritum, aut emendatum, neque excommunicatio, neque alia propriè dicta censura infligi potest, (vt iam dictum est) & tamen, si Iudex excommunicationem, aliamve censuram sententiæ ferendæ exequi posset contra criminosum, nulla præmissa monitione; sæpè eueniret censuram infligi ob crimen merè præteritum, atque emendatum: cùm possit contingere reum commisso delicto resipuisse, esséque animo paratum ad satisfaciendum Ecclesiæ: quo casu sine dubio non potest excommunicari; cùm potiùs deberet absolui, si antea incurrisset excommunicationem iuxta *cap. qua fronte de appellat.* Quod inter alios notauit Diana *resol. cit.* addens ex Soto, quod, etiam stando in prima sententia Panormitani, non potest Iudex talem reum excommunicare sine citatione, dato ei termino ad allegandum pro se; & hoc etiam in casu, quo lex excommunicat ipso facto: si quidem etiam tunc non potest Iudex declarare reum excommunicatum sine citatione (nisi fortè delictum esset notorium) &, si declaret sine citatione, declaratio est nulla, vt notat Nauar. *l.5. consil. de sent. excommunic. cons.20.n.4.*

Cæterùm, si suspensio, aut interdictum ferantur 82. contra aliquam Communitatem; tunc non debet fieri admonitio omnibus iis, qui sunt de illa Communitate, sed illi tantùm, ob cuius culpam censura fertur: is enim solùm est contumax, & inobediens, non autem tota Communitas, adeóque illi soli fieri debet monitio, nisi fortè delinquens aliter moneri non possit, ac retrahi à peccato; quod notauit Bonac. *D.1. de censur. in comm. q.1. p.9. n.11.*

Quòd si quis quærat, an monitio supradicta fieri debeat etiam in casu, quo censura feratur per modum propriæ defensionis: (vt si excommunicandus sit Parochus, qui Episcopum visitantem suam diœcesim renuat admittere ad visitandum, eo quod se asserat esse exemptum.)

Respond. Videri probabilius in tali casu moni- 83. tionem esse faciendam; & probatur: tum quia iura absolutè prohibent, ne ferantur censuræ sine debita monitione, non distinguendo, vtrum ferantur per modum iudicij, an per modum defensionis: ergo nec nos distinguere debemus iuxta regulam, *Vbi lex non distinguit, &c.* tum quia etiam in casu, quo Episcopus visitans suam diœcesim excommunicet Parochum modo supr. dicto, debet ferre præceptum sub aliquo termino peremptorio, intra quem Parochus non implens, quod debet, ipso iure incurrat excommunicationem; hoc autem est præmittere monitionem, saltem illam, quæ includitur in præcepto facto sub comminatione excommunicationis ipso facto incurrendæ. Ita Filliuc. *tract.11. num.96.* & ante illum Suar. *supr. sect.8. num.10.* aliique penes ipsos; qui tamen oppositam sententiam admittunt esse probabilem hoc ipso, quod dicunt solùm suam esse probabiliorem.

QVÆRES XX. Quo ordine loco, & tempore Prælati regulares ferre debeant censuras contra Religiosos subditos.

Respond. ad 1. quod, licèt in ferendis censuris re- 84. gulariter debeat seruari is ordo, vt scilicet priùs feratur censura leuior, & deinde grauior, abstinendo à grauiori, quandocumque præsumitur profutura leuior, ad continendos subditos in officio; iudicio tamen prudentis Iudicis relinquitur, vt habita ratione loci, temporis, & personæ, ferat censuram leuiorem, omissa grauiori, & è contra, imò, & ferat omnes censuras simul, si iudicet id expedire. Ita Sayr. *supr. cap.14. n.3.* aliique communiter.

Respond. ad 2. quod, cum Prælati regulares iuxta 85. dicta *supr. quæst.9.* possint ferre censuras etiam extra proprium territorium; vtpote qui habent iurisdictionem sine territorio, eximuntur à communi lege, quod censura debeat ferri in territorio ferentis, sicque possunt vbique ferre censuras contra Religiosos subditos. Ita Sayr. *supr. n.6.* cum Panorm. *in cap. cum*

contingat, num. 31. *de foro compet.* monens tamen melius esse, quod in suis locis, monasteriis, & Eeelcsiia id faciant. à Sayto non dissentiunt Rodriq. *tom.* 2. *q.* 59. *art.* 1. & alij apud Bonac. *supr. p.* 11. *n.* 5. inter quos Sylu. *ver. excommunicatio* 2. *num.* 15. loquens de Religiosis ait, quod, cùm secundùm Laurentium totus mundus sit eis pro territorio, vbicumque sunt, illuc se extendit potestas Prælatorum.

86. Respond. ad 3. quòd, cùm iuxta dicta hîc *q.* 18. Prælati regulares in causis Religiosorum subditorum nou teneantur seruare apices iuris; non videntur adstringendi ad regulam iuris communis, quod censuræ non ferantur in die feriato (qui scilicet ex institutione Papæ, aut Episcopi, vel etiam ex vsu Ecclesiæ est Deo dicatus,) sicque possunt ferre censuras, & validè, & licitè in quocumque die, etiam festo: & quidem non solùm interdiu, sed & noctu: cum tameo iodicia interdio agantur iuxta *cap. consuluit de offic. deleg.* & *ibi* Glossa *ver. tenebras*, & Panorm. *num.* 14. *de offic. deleg.*

Qværes XXI. An Prælati regulares ferre possint censuras in Religiosum innocentem, qui secundum allegata iuridicè probetur nocens.

87. Respond. videri valdè probabile, quòd non possit; & probatur, tum quia, vt ostendit Less. *l.* 2. *c.* 29. *d.* 10. satis probabile est, etiam loquendo de Iudice sæculari, eum non posse punire graui supplicio sæcularem virum iuridicè probatum nocentem, si ipse ex priuata scientia illum nouit esse inoocentem; ergo multò minùs id poterit præstare Iudex regularis, erga Religiosum subditum: præsertim cùm Iudices regulares in suis iudiciis non teneantur iuris apices seruare, vt iam non semel diximus: tum quia ratio potissima, ob quam DD. cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2. sostineot Iudicem posse damnare virum innocentem probatum nocentem, est ad seruandum ordinem iudiciarium; hæc autem ratio cessat, qooad Religiosos hoc ipso quod illi iuxta supradicta non tenentur seruare apices iuris. Ita docti viri à me de hoc consulti.

Vtrùm verò in præsenti casu seruari debeat censura sic lata.

88. Respond. debere, adeóque sic censuratum ex vi censuræ teneri publicè in locis, in quibus ea est nota, imò, & priuatim coram iis, quibus nota est censura, & ignora innocentia, abstinere ab iis rebus, quæ per talem censuram prohibentur, quamuis alioqui einsmodi censura coram Deo non obliget, cùm sit iniusta, & consequenter carens vi obligandi. Ita Coninc. *de censur. D.* 13. *num.* 117. aliique communiter; & patet ex eo quòd, licèt Iudex non possit præcipere dictam abstinentiam, nisi quatenus ea est necessaria ad vitandum apparentem contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ; posita tamen hac necessitate, eam verè, ac validè præcipit, adeóque debet seruari, quo sensu *cap.* 1. 11. *q.* 3. ex S. Gregor. *hom.* 26. *in Euang.* dicitur *Sententia Pastoris, siue iusta, siue iniusta timenda est*, vtpotè ligans in foro externo, quando publicè creditur iusta. Præterquàm quod iuxta aliquos verba hæc S. Gregorij faciunt hunc sensum; qood scilicet censura, si ioiusta est, timeri debet à proferente, si verò iusta, ab eo, contra quem profertur.

89. Quod si quis dubiter, an incurrerit aliquam censuram, necne: adbuc probabile est ipsum non teneri seruare censuram (quod spectat ad forum conscientiæ:) & hoc, siue dobium sit facti, siue iuris; in vtroque enim casu melior est cooditio possidentis; vt notauit Sanch. *l.* 1. *in Decal. cap.* 10. *num.* 55. & cum eo Diana *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 35. monens ex Filliuc. *tract.* 13. *num.* 129. quod dubitans de alterius excommunicatione, ac denunciatione non debet illum vitare, quia faceret illi iniuriam, priuans eum solita communione, cum tamen in dubio sit melior conditio possidentis; oppositum sentiunt Molin. Azor. Sayr. Vasq. Turrian. apud Dianam *resol. cit.* asserentes dubium, an incurrerit excommunicationem censendum esse excommunicatum, si dubium sit facti; secùs, si sit dubium iuris.

Qværes XXII. An Prælati regulares ferre possint censuras io Religiosos subditos in puram pœnam delicti iam commissi.

90. Respond. nou posse; cum iuxta dicta hic *quæst.* 1. censura sit pœna medicinalis instituta ad correctionem delinquentium, adeóque non infligenda, si iam secuta sit correctio, hoc tamen non obstare, quin censura possit ferri sub ratione pœnæ vindicatiuæ, etiam sine noua contumacia, si ea consideretur, vt priuans bonis aliquibus temporalibus, v. g. humana cooonersatione qood præstat excommunicatio:) secùs, si spectetur vt priuans bonis spiritualibus, v. g. communibus Ecclesiæ suffragiis, vsu communi sacrorum sacrarum, & officiorum (quod item facit excommunicatio.) Ratio huius est, quod, cum Ecclesia sit piissima mater fidelium, & in spirituali suo regimioe intendat principaliter bonum spirituale ipsorum, non potest præsumi, quod, cum detrimento bonorum spiritualium velit imponere pœnam homini ea non indigenti ad resipiscendum, ac vitandum maius incommodum; quod ita est verum, vt si quando fertur censura priuans aliquo ex bonis spiritualibus, ea vel non feratur, vt censura, aut certè non secundum omnes effectus censuræ, sed solùm secundùm aliquos; sicut obseruat Filliuc. *tract.* 11. *num.* 184. ex Suar. *supr. D.* 4. *sect.* 5. *n.* 6. addens, quod si interdum censura priuat aliquo bono spirituali (v. gr. participatione Eucharistiæ ad tempus) non ideò affert per se damnum spirituale, quod non possit compensari humilitate, & contritione.

91. Ex quo infert Suar. *num.* 11. quod, cùm censura, tanquam pœna medicinalis non intendat solùm præcauere peccata futura (quod est commune omnibus pœnis,) sed etiam per se primò curare peccatorem à peccato commisso; eumque liberare à malo statu, in quo ipse constitutus est per peccatum; si delinquens, qui iam incurrit censuram ratione delicti commissi, resipiscat, debitámque exhibeat satisfactionem, ac emendationem, statim, ac necessariò recipi debet ab Ecclesia, & absolui à censura incursa; nec sub prætextu debitæ vindictæ differenda est ei absolutio; præsertim, cùm hinc non sequatur delicta manere impunita; cùm Regulares, & alij possint aliis modis puniri, & aliò genere pœnarum; quarum timor fortè magis retrahet à delinquendo, quam retrahant censuræ; vtpotè quæ sunt magis sensibiles, & regulariter magis timentur à viris laxioris conscientiæ, ac parum timoratis.

Qværes XXIII. An Regulares multiplicem censuram incurrant, si faciant actum sub censura prohibitum à pluribus Superioribus Ordinis.

92. Respond. incurrere, si ille actus sit prohibitus à pluribus Superioribus habentibus diuersam potestatem (v. g. à Prouinciali, ac Superiore locali) & ferentibus censuram tanquam suam; secùs, si actus sit prohibitus à pluribus Superioribus eandem potestatem habentibus (v. g. à duobus Prælatis localibus sibi successiuè in officio succedentibus.) Colligitur ex Sayto *l.* 1. *de censur. cap.* 50. *n.* 11. quem sequitur Bonac. *supr. p.* 5. *n.* 11. citans pro se Suar. Coninch. Vgol. Panorm. & Nauar. patétque ex eo, quòd in priori casu committitur multiplex contumacia, formaliter loquendo,

loquendo;quamuis sit vna materialiter; vtpotè quæ violat prohibitionem factam à pluribus Superioribus, etiam formaliter distinctis(cum tamen censuræ incurrantur ob contumaciam)in posteriori verò casu vnica committitur contumacia; cùm conditores censuræ non sint tunc plures, nisi materialiter,& re vera in potestate formaliter sint vnus,adeóque non censeantur velle ferre plura præcepta , seu prohibitiones distinctas formaliter, sed vnicam tantùm; cui proinde respondeat vnica contumacia casu , quo violetur,sicque incurritur vnica censura. Dixi in re-
9a. sponsione, *à pluribus Superioribus,& ferentibus censuram tamquam suam:* vt indicarem, quod si ex duobus Superioribus habentibus diuersam potestatem , inferior ferret censuram iam latam ab alio Superiore solùm per modum innouationis , ac publicationis; tunc talis censura iudicanda esset vna, ac eadem , & consequenter violans prohibitionem factam sub dicta censura à dublici illo Superiore vnicam incurreret censuram.

93. Addo cum Sayr. *sup.* quod si plures Superiores eandem potestatem habentes ferant eandem censuram , vnus tamen illorum eam reseruet , & alius non;ea non multiplex,sed vnica tantùm censura reputari debet ; cùm reseruatio sit qualitas accidentalis censuræ,quæ eam non variat,quoad substantiam ita Sayrus, aliique docti neoterici à me consulti,

94. Ait Suar.*D.5.sect.3.n.8.*quòd si actio prohibita sub censura sit ex iis,quæ fiunt totæ simul,& terminantur ad plures personas,seu obiecta;probabile est tunc incurri vnicam censuram;vt si Iudex simul duos homines duabus manibus teneret,& extraheret ab Ecclesia ; vel alius simul conuersaretur , cum duobus excommunicatis ,aut etiam vnico ictu plures occideret Clericos.Ratio est quòd,licèt eiusmodi actiones æquiualeant multis,verè tamen sunt vna,& consequenter vnum peccatum, quamuis grauius : quod verum est etiam in casu homicidij,in quo adest vni-
91. ca transgressio consistens in vna actione,tametsi ex ea resultent plures passiones, aut plura damna, quæ, potiùs sunt plures effectus vnius peccati,quam plura peccata.

Qværes XXIV. An Prælati regulares possint ferre censuras ad detegendum auctorem alicuius delicti , easque reseruare , non obstante decreto Clementis VIII. à nobis relato,& explicato in *tract. de prohibit cap.1. à quæst.2.*

95. Respond.posse,patétque,tum ex dictis in hac *sect. quæst* 4 tum ex dictis in citat. *tract. de prohibit.cap.1. quæst.5.* si solùm hic obiter moneo neminem in tali casu teneri denunciare se ipsum , quoad forum externum:cum nemo teneatur prodere se ipsum *cap. quis aliquando de pœnit.dist.1.* imò nec socium complicem , cum periculo probabili manifestandi se ipsum. ita Diana *p.1. tract de denunt. resol.* 8. plurimos alios pro se citans,& est communis Doctorum:quáuis aliqui eorum,teste ipsomet Diana,ab hac doctrina generali excipiant casum , in quo ita ageretur de bono communi, vt quis teneretur pro eo,etiam vi-
92. tam ponere.

Quòd si quis hac occasione quærat , an Suppriores, Vicarij,Ministri,& similes possint ferre censuras in Religiosos subditos , quo tempore abest Prior, Guardianus, Rector, &c.

96. Respond.posse,si Prælatus localis,qui est in capite,est absuturus tempore iudicio prudentis notabili; non enim puto doctrinam Naldi *v.abesse n.11.*traditam in *tract.de priuil.cap.2.sect.1. subs.2. quæst.* 8. hîc locum habere , quòd scilicet absentia Prælati monasterij per vnum diem naturalem transferat in Vicarium illius,aut Suppriorem facultatem absoluendi à reseruatis, quoad Religiosos subditos : ducorque ex eo, quòd actus ferendi censuras, quoad subditos est res grauissima, multam petit discussionem, ideóque non præsumitur ita facilè concedi Superiori subordinato,nisi in casu,quo, attentis concurrentibus circumstantiis , esset periculum in mora : quod tamen non videtur posse ita frequenter euenire,vt patet,& innuit Peyr.*de R.P.quæst.3.cap.4.num.6.*

Qværes XXV. An, & quæ Ignorantia excuset Regulares ab incurrendis censuris contra ipsos latis.

Respond.excusare eo modo,quo diximus in *tract. de priuil.c.6.sect.3.q.23.* vbi fusiùs hac de re egimus. 97.

Qværes XXVI. An , & quo modo metus,& Impotentia excusent Regulares à contrahendis censuris contra ipsos latis.

Respondeo excusare , si quidem metus sit grauis,cadens in constantem virum , & non incutiatur in contemptum potestatis Ecclesiasticæ , religionis, aut fidei , & impotentia sit saltem moraliter grauis, qua scilicet impletio præcepti reddatur valde difficilis. Ratio responsionis est , quòd impotentia, etiam moralis faciendi rem præceptam sub censura,& metus grauis excusant à peccato : cùm ad impossibile nemo teneatur *l.impossibilium,ff.de reg.iur.*& Ecclesia per sua præcepta nunquam intendat obligare , cum tanto incommodo ; ergo & excusant ab incurrenda censura ; quippe quæ non incurritur sine contumacia,quæ tamen in nostro casu non adest,vt suppono. ita Bonac.*de censur.in com.D.1.quæst.2.p.3. n.* 2. *&* 2. aliique plures apud ipsum,qui benè addit *num.6.*cùm Soto Nauar.Sayro , Henriq. & aliis, metum grauem non excusare solùm ab incurrendis censuris , sed etiam ab incurrendis earum effectibus mediatis , ac proinde excommunicatum non trahere irregularitatem celebrando cum metu grauis incommodi,aut etiam cum ignorantia propriæ excommunicationis,dummodò tamen(vt dixi) metus non incutiatur in contemptum religionis,aut fidei &c.quo casu sine dubio non currit præsens doctrina , cùm vnusquisque ad seruandum bonum commune religionis teneatur pari grauia quæque. 98.

Dixi *ab incurrendis effectibus mediatis censurarum:* quia , si loquamur de effectibus immediatis (qualis v. g. est priuatio communium suffragiorum Ecclesiæ) ab his non excusat metus ; cum censura secum trahat executionem,eáque manente, maneant etiam illius effectus immediati , qui sunt quasi de intrinseca ratione ipsius censuræ; quod tamen non facit, quin interdùm censuratus,accedente vi,aut metu facere possit aliquid , quod alioqui per censuram vetitum est , v. g. absoluere à peccatis ad vitandam propriam infamiam, & quidem sine periculo irregularitatis, cuius rei ea est ratio , quod , quando simul concurrunt duo præcepta incompatibilia , seruandum illud, quod maius est : in nostro autem casu maius est præceptum consulendi propriæ famæ, quàm seruandi censuram , vt constat.

Qværes XXVII. An,& qualiter censuræ latæ contra Regulares suspendantur per appellationem ab ipsis legitimè interpositam.

Respond.Suspendi eo modo,quo diximus in *tract. de prohibit.cap.7.quæst.10* & *in hoc ipso cap.sect.praced. quæst.15.* vt proinde non sit opus in præsentia quidquam addere.Vnum hîc moneo ex Diana *p.5.tract.9. resol.30.*plures alios pro se allegante,quod si declaratus per cedulones incurrisse aliquam censuram(v.g. excommunicationem)iuxta terminum appellet à tali declaratione , talis appellatio non solùm deuoluit 99.

aausam

causam ad Superiorem, sed etiam suspendit ipsam sententiam declaratoriam, vtpote, quæ non trahit secum executionem; siue posteà appellans alleget se non fecisse id, ob quod imposita erat excommunicatio, siue asserat factum esse dubium; quod idem aduertit Sanchez *lib. 3. consil. cap. vnic. d. 32. numer.* 243.

Difficilior dubitatio est, vtrum in casu, quo Superior legitimè tollat censuras ad reincidentiam, si interim appellatio interponatur, ita suspendatur sententia, vt ampliùs non contrahantur censuræ modo dicto sublatæ.

100. Respond. suspendi, sicque censuras modo dicto sublatas posteà non incurri. ita Diana *p. 5. tract. 10. resol.* 17. ex Abb. Bonac. & Alter. (etsi hic in specie loquatur solùm de suspensione, non de aliis censuris). probatur responsio, tum, quia Superior nequit tollere suam censuram, nisi eam penitus tollat: vnde; si appelletur, & appellatio sit iusta, censura manet suspensa: tum, quia censuræ trahunt secum executionem, adeóque in sententiis illarum non potest separari actus primus, qui est substantia sententiæ, à secundo, qui est effectus sententiæ: sicque non potest auferri effectus sententiæ, nisi etiam tollatur substantia ipsius sententiæ; eo autem ipso; quod tollitur censura secundùm substantiam, nihil repugnat per legitimam appellationem modo supradicto interpositam suspendi censuras; cùm sic appellatio interponatur, antequam censura feratur, non autem postquàm lata est, stante quod, quæ lata erat, omninò desiit, etiam secundùm substantiam hoc ipso, quod fuit sublata ad reincidentiam, vt dictum est.

QVÆRES XXVIII. Quamdiu durent censuræ latæ contra Regulares.

101. Respond. distinguendo: vel censura lata est absolutè, & si duret, vsque dum tollatur per absolutionem (vt ostendemus quæst. sequenti) vel lata est sub aliqua conditione, v.g. *donec satisfeceris*; & sic durat vsque dum impleta est illa conditio; ea autem impleta statim tollitur; non tamen sine absolutione, vt ingeniosè aduertit Soar. *de censur. D. 7. sect. 1. n.* 13. si quidem in tali modo ferendi censuras vno, ac eodem contextu fertur censura, & confertur absolutio, quæ tamen non operatur suum effectum nisi expleta dicta conditione; ita vt sensus præsentis excommunicationis: *Excommunico te, donec satisfeceris*, sit iste, *Excommunico te, & simul absoluo ab excommunicatione, statim ac satisfeceris*; quo pacto absolutio, quæ antea erat conditionalis, posita conditione, transit in absolutam. Quamquàm, teste eodem Suar *D. 7. sect. 8. num.* 11. hic modus absoluendi ordinariè non debeat vsurpari ab inferioribus Papa; vtpote qui non est vsitatus, neque in iure, neque in vsu Prælatorum Ecclesiæ; esto per se non sit malus, nec iure prohibitus, & consequenter possit adhiberi licitè in casu, quo probabilis necessitas, aut vtilitas personæ absoluendæ occurrat.

102. Addit Nald. *v. pœna num.* 31. quòd si quis incurrat pœnam suspensionis vnius mensis v. g. & ante hoc tempus elapsum eandem suspensionem, vel aliam pœnam incurrat ob nouum delictum, non est opus expectare, quòd prius tempus impleatur, sed statim incipit currere pœnæ debitum; sicque non fit duplicatio totius pœnæ. ita Nald. *v. pœna num.* 31. ex Gloss. *in Clement. 2. de magistr.* patétque ex eo, quod censura purè, & simpliciter lata non potest esse in pendenti, adeóque censura posteriùs lata statim incipit currere cum alia præcedenti: idque ex natura rei, & non contradicente vllo iure; sicut notat idem Nald. *v. Suspensio num.* 12. ex Vgolino.

QVÆRES XXIX. Qua ratione tolli possint Censuræ.

Respond. quod, cùm non possit tolli, neque ex eo, quod censuratus desinat esse sub potestate eius, 103.
qui tulit censuram (quocumque demùm ex capite id procedat) neque præcisè per emendationem censurati, aut satisfactionem parti exhibitam, neque per mortem Superioris, qui tulit censuram (vt fusiùs ostēdunt DD. maximè Suar. *sup. D. 7. sect. 2. n.* 3.) superest, vt possint tolli, & de de facto tollantur per absolutionem; quod colligunt DD. ex illis verbis. *Matth. 16. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*: ex iis etenim non minùs colligenda est potestas ligandi censuris, quæ existit in Ecclesia, quàm potestas absoluendi: aliàs iurisdictio Ecclesiæ non esset in ædificationem, sed potiùs in destructionem; præsertim cùm censura per se spectata inferat damnum, etiam spirituale.

Quod autem diximus *quæst.* 17. præcedenti posse 104.
conferri censurarum absolutionem sub conditione, non obstat doctrinæ traditæ in hac responsione, si intelligatur eo modo, quo ibi diximus. Solùm hic aduerto ex Suar. *sup. n.* 13. quod, quando fertur censura modo supradicto secum annexam deferens facultatem absoluendi sub conditione, attentiùs considerandum est, quo sensu censura illa proferatur; si quidem aliquando potest contingere æquiuocatio; vt in casu, quo censura feratur sub hac forma, *A qua non liberetur, nec absoluatur, donec satisfecerit*; cùm sub tali modo loquendi neutiquam concedatur absolutio in futurum, sed prohibeatur Iudicibus, ne anteà censuras relaxent; quod idem putat Suar. dicendum in casu, quo lex, aut sententia vtatur verbis, quasi promissoriis, aut imperatiuis (*v.g. si satisfecerit, absoluatur*, vel, *absoluetur*, & similibus) hæc enim non continent absolutionem ipso facto; sicut nec continet censuram ipso facto lex, quæ dicit, *Excommunicetur*, vel, *excommunicabitur*. Quare vt lex, aut sententia contineat absolutionem ipso facto, opus est, vt dicat: *Ex quo satisfecerit, absolutus sit*, vel aliquid æquiualens.

Porrò absolutio censurarum fieri potest pluribus 105.
modis: idest 1. absolutè: 2. conditionatè, & quidem sub conditione, tam de præsenti, & de præterito quàm de futuro: 3. simpliciter: 4. ad cautelam (quo pacto præmitti solet absolutioni sacramentali peccatorum (vt paret ex vsu) 5. ad reincidentiam, per quam censura ita tollitur, vt post certum tempus, aut effectum redeat; 6. pro solo foro conscientiæ: 7. etiam pro foro externo: 8. à iure: qualis est absolutio lata sub hac forma, *Si quis egerit hoc, vel illud, ex tunc sit absolutus*: 9. ab homine. ita Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 10. per totum, vbi fusiùs agit de omnibus his modis absoluendi.

Quod autem spectat ad absolutionem censuræ reseruatæ datam cum onere se præsentandi posteà Superiori, siue in articulo mortis, siue in alio casu: moneo sufficere, quòd taliter absolutus per alium se præsentet. moueor, tum, quia *l. si per alium ff. ne quis enim qui in ius vo. est vi exi.* & *l. si quis id §. pe. ff. de iur. omn. iud.* qui per alium facit, per se ipsum facere videtur: tum, quia teste Diana *p. 5. tract. 14. resol.* 59. pro se citante Bonacinam, Sà, Nauarrum, & Cælestinum sic absolutos sufficit, si pareat absens: quippe qui, vt pareat, & non vt absoluatur, iubetur præsentari; ad quod vtique sufficit, vt se præsentet per alium.

QVÆRES XXX. Per quos possint Regulares absolui à censuris, siue reseruatis, siue non reseruatis, siue iuris, siue ab homine.

Respond.

106. Respond. Posse absolui, à censuris quidem iuria
103. non reseruatis per suos Confessarios; idque ex vi iuris communis, & ex mente conditoris Canonis, qui hoc ipso, quod non reseruauit censuram à se latam, eo ipso censetur concessisse aliis facultatem eam relaxandi, etiam secluso quocumque priuilegio; à censuris verò reseruatis, posse absolui, siue à propriis Confessariis, siue à suis Superioribus, eo modo, quo diximus *in tract. de priuil. c. 2. sect. 1. subs. 2. q. 1. & seqq.* & hoc ex vi priuilegiorum ipsis ad talem effectum concessorum: quæ proinde accuratiùs perpendenda sunt, vt constet, quàm facultatem habeant Regulares, quoad absolutionem censurarum reseruatarum ipsismet impertiendam.

107. Quòd autem spectat ad absolutionem censurarum ab homine; benè distinguunt DD. apud Suar. *supr. sect. 2. n. 29.* posse Religiosos per suos Prælatos ab illis absolui, si ante ingressum Religionis eas incurrerint per sententiam generalem; non item, si per
104. sententiam specialem, & propriam: idque stando in iure communi; dico *in iure communi*, quia, si attendantur priuilegia concessa Regularibus, possunt Prælati regulares absoluere Religiosos subditos à censuris, quæ contra ipsos latæ sint, siue per sententiam generalem, siue specialem: & hoc ex indulto Pauli III. facto per bullam Societati Iesu à nobis relato, & explicato in *tract. de guberuat. c. 3. sect. 5. q. 8.* quod indultum, cum non limitetur ad censuras ab homine, quas Religiosi contraxerunt ante ingressum Religionis: vtique se extendit & ad has, & ad illas, quas ij contrahunt post ipsum ingressum; qui vult, consulat Suar. *tom. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 25.* Nobiscum sentit Diana *p. 7. tr. 11. resol. 46.* ex Baunio, & Candido, monens hæc non procedere de eo, qui communicat cum excommunicato in crimine criminoso, idest præbendo ei fauorem, auxilium, &c. seu in crimine, ob quod Reus censuram incurrit: is enim solùm ab Authore Canonis potest absolui *cap. nuper 29. de sent. excom.* suámque sententiam confirmans ex doctrina tradẽda inferiùs *n. 110.* quàm ipse approbat ex Baunio.

Nec obstat, quòd, stante tali priuilegio possit Re-
105. ligiosus absolui per suum Superiorem localem à censura contra ipsum lata à Generali, vel Prouinciali, Ordinis, imò & proprio Episcopo in casu ipsi permisso; quod videtur esse magnum inconueniens, vtpotè redundans in præiudicium debiti ordinis, ac regiminis, & in iniuriam Iudicis ferentis sententiam.

108. Respond. enim Suar. *supr. n. 7.* concedendo sequelam, quoad vtramque partem: præterquàm in casu, quo Prælati superiores Ordinis censuras à se latas reseruent restringendo Prælatis inferioribus iurisdictionem, iisque denegando vsum supradicti indulti Pauli III. (quod vtique ipsi facere possunt, vt ostẽdimus *in tract. de priuil. c. 1. sect. 4. q. 5.*) Ratio responsionis est quòd, cùm Paulus III in dicto indulto det facultatem absoluendi à quibusuis censuris, & pœnis à iure, vel ab homine; addit *quomodolibet latis, & promulgatis*, ad indicandum præfatum indultum non extendi solùm ad censuras ab homine latas per sententiam generalem (quod eueniret, si solùm dixisset *ab homine*, non addita clausula *quomodolibet*) sed etiam ad censuras ab homine latas per sententiam specialem; quæ sine dubio importantur per dictam clausulam *quomodolibet*, vt benè notat Suar. *supr. n. 5.* monens hanc doctrinam procedere, etiamsi quis nominatim sit denuntiatus; si quidem Paulus III. non dicit solùm *quomodolibet latis*, sed addit, *& promulgatis*; cùm tamen denuntiatio excommunicationis nihil aliud sit, quàm promulgatio talis sententiæ; vnde, sicut per facultatem dicti indulti potest remitti sententia quomodolibet promulgata, ita & idem fieri poterit, etiamsi absoluendus sit nominatim denuntiatus.

Dixi in responsione, *præterquàm in casu, quo Prælati regulares*, &c. vt innuerem, quòd, cùm Prælati 109.
superiores Religionum possint sibi reseruare casus, ac sententias, restringendo facultatem Prælatorum inferiorum, non obstantibus quibuscumque priuilegiis, si Prælatus superior ferat aliquam censuram ab homine, & ex propriis Constitutionibus, aut consuetudine Ordinis, constet eam esse reseruatam: tunc vtique non procedit doctrina hîc tradita; idque, quia per talem reseruationem restringitur vsus supradicti indulti aliàs concedentis amplissimam potestatem absoluendi à quacumque censura ab homine etiam lata per sententiam specialem, etiam nominatim denunciata.

Vtrùm verò Regularis, qui per particularem sententiam fuit à proprio Superiore monasterij excommunicatus, v. g. & quidem excommunicatione reseruata; si interim mutet domicilium, possit absolui à Prælato monasterij, cui de nouo subiicitur, non obstante illa reseruatione

Respond. Suar. *de Censur. D. 7. sect. 2. n. 26* in casu 110.
simili non posse absolui, nisi à Prælato, qui excommunicauit: probátque, quia ex vna parte causa iam cœpta est coram illo, adeóque ipsi acquisita est, quasi permanens iurisdictio in tali causa, necnon in iis, quæ ad illam spectant (qualia vtique sunt censura, & absolutio ab illa;) ex alia parte iurisdictio sic confirmata non aufertur ob translationem domicilij; vt constat ex *cap. proposuisti de foro compet.* secùs, si illa excommunicatio lata sit per sententiam generalem; hæc enim potest auferri etiam ab alio Superiore, cui de nouo per translationem domicilij subiiciatur Religiosus excommunicatus; cùm sic Prælatus posterior censeatur quasi succedere priori Prælato in iurisdictione. Verùm Vasq. & Turrian. (quos refert, & non reiicit Diana *p. 5. tr. 9. resol. 8.*) videntur sentire Prælatum posteriorem posse absoluere præfatum Religiosum, etiam in casu, quo excommunicatio lata esset per sententiam particularem (quamuis non loquantur in specie de Religioso) horum autem opinio videtur probabilis, attento priuilegio Pauli III. superiùs allegato; vt hinc patet, quòd, cùm Prælatus regularis vi talis priuilegij possit absoluere Religiosũ subditum à quacumque censura lata per sententiam particularẽ, etiam à Prælato superiore (dummodo is eam sibi non reseruet; sequitur, quòd item in præsẽti casu potest Prælatus localis absoluere Religiosũ qui de nouo ei subiicitur à censura, quam per sententiam particularẽ alterius Prælati localis incurrit: siquidẽ, dato eo priuilegio, nihil videtur posse obstare, nisi reseruatio censuræ facta à ferente, quæ tamen non obstat, cùm extra territoriũ ius dicenti non pareatur impunè, & reseruatio nõ obliget, nisi intra territoriũ iurisdictionis Prælati reseruantis; vnde cum in casu nostro Prælatus posterior sit extra territoriũ Prælati prioris reseruantis; non subiacebit tali reseruationi; hoc autẽ si detur, non video, cur Prælatus posterior, stante dicto indulto absoluere non possit Religiosũ à censura lata per sententiam particularem, & reseruata à Prælato, cui priùs suberat talis Religiosus, maximè attenta doctrina quàm tradidimus *in tr. de prohibit. c. 2. sect. 2. q. 19.* Confessariũ videlicet approbatum Ferrariæ, v. g. posse absoluere incolas aliarum diœcesum à reseruatis in ipsorum diœcesibus, dummodo ea non sint itẽ reseruata in diœcesi Ferrariẽsi, quæ doctrina ad casũ hîc propositũ adaptari potest proportionaliter, vt facilè consideranti constabit.

Monet

111. Monet porrò Suar. *tom. 4. de Rel. tract. 8. l. 2. cap. 25. num. 7.* quod, cum priuilegia ita suum debeant sortiri effectum, vt in reliquis omnibus aliena iura, quam minimum lædant, & præcipuè ea, quæ spectant ad conuenientem gubernationem; ad hoc, vt Prælati regulares debitè vtantur priuilegio Pauli III. hîc fusiùs explicato: non solum Religiosus absoluendus debet recedere à contumacia, sed præterea tenetur exhibere, aut offerre, aut promittere conuenientem satisfactionem, tum parti læsæ si qua fuerit, tum Ecclesiæ, id est Iudici, à quo fuerat censuratus; idque prout potuerit: quin etiam idemmet Iudex reddi debet certior de obedientia sibi, & Ecclesiæ reddita, necnon de absolutione data: sic enim vitantur incommoda, quæ aliàs ex supradicto priuilegio Pauli III. sequi posse videbantur. Ita Suar. & benè, si loquantur de vsu licito, ac conuenienti talis priuilegij: secùs, si de valido: cùm enim in concessione illius non apponantur tales limitationes, nulláque fiat in eo mentio de præmittenda debita satisfactione (quomodo fit in concessione alterius priuilegij Benedictinis concesso, & relato *in Comp. Soc. v. absolutio, §. 10.* constat, quantum est ex vi priuilegij Pauli III posse Prælatos regulares modo supradicto absoluere suos subditos, etiamsi nullam præmiserint satisfactionem; quod in specie notant Nauar. Suar. Sà, Auila, & alij apud Bonac. *supr. D. 1. q. 3. p. 9. n. 2.* contra Graff. *p. 1. decis. l. 4. cap. 15. n. 6.* & alios asserentes in priuilegiis concessis ad absoluendum semper subintelligi hanc conditionem, *satisfacta parte*, quamuis in iis nulla fiat illius mentio. Imò (quod maius est) etiamsi in præfatis priuilegiis apponatur dicta conditio, *satisfacta parte*, non statim sequitur absolutionem vi illorum datam non præmissa sufficienti satisfactione, esse inualidam; si quidem, vt notat Sanch. *l. 3. de matr. D. 33. n. 3.* in dictis priuilegiis non requiritur satisfactio, tanquam conditio necessaria limitans iurisdictionem, aut nouam formam inducens, sed solùm, vt priuilegiatus certior fiat iuxta formam iuris communis non esse absoluendum pœnitentem, nisi præmittatur debita satisfactio, aut certè exhibeatur sufficiens cautio, quocirca, nisi in concessione priuilegij addatur clausula expressè irritans absolutionem, aut præscribens nouam formam, valida est absolutio collata ante satisfactionem datam, esto priuilegium concessum sit sub hac forma, *satisfacta parte, vel de consensu partis*: quod tamen negant Suar. Caiet. & Sayr penes Bonac. *n. 3.*

QVÆRES XXXI. Quæ forma seruari debeat in absolutione Censuratum.

112. Respond. quòd, licèt in iure non sit præscripta certa forma, quæ necessariò seruari debeat in absolutione censuratum, ea tamen, loquendo de Prælatis inferioribus Papa, debet fieri per verba, aut scripturam, non autem per solos nutus, aut actiones exercitas cum censurato (v. g. communicando cum excommunicato;) alioqui absolutio est nulla, teste Glossa *Clem. vlt. ver. velle de sent. excommunic.* Prælati enim inferiores nòn possunt variare formam iuris communis; cum tamen in iure communi præscribatur, vt absolutio detur per verba, aut scripturam; vnde fit, vt cùm Papa sit supra ius commune, possit absoluere à censura, etiam solo facto, aut nutu iuxta *Clem. citatam*; quod est signum verba non esse de essentia absolutionis censurarum. Ita Fillluc. *tract. 11. num. 330.* aliique communiter; qui tamen rectè monent einsmodi absolutionem fieri debere signo aliquo sensibili sufficienter significante liberationem eius, qui ligatus erat censura: quippe quæ fit inter homines, ac proinde humano modo fieri debet, idest per signa externa, & sensibilia.

Addo quòd, quamuis absolutio censurarum, quæ est in vsu, fieri soleat his verbis: *Ego te absoluo a vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti in quod ob hanc, vel illam causam incurristi*, &c. simpliciter tamen sufficit dicere *Absoluo te* cum intentione absoluendi à censuris: maximè in absolutione, quæ dari solet in foro pœnitentiali; vt proinde absolutio censurarum dari possit iisdem verbis, quibus datur absolutio peccatorum, si Confessarius dicendo *Ego te absoluo*, intendat simul absoluere à peccatis, & à censuris: quo casu, quamuis vtraque absolutio sit simul tempore, absolutio tamen censurarum est prior natura; vt notat Bonac. *supr. part. 5. num. 3.* ex hac doctrina inferens *num. 4.* non posse contingere, quod excommunicatus absolui possit priùs à peccatis, quam ab excommunicatione (qui casus videtur aliquibus habere locum, quando quis est ita propinquus morti, vt non vacet tempus ad impendendam vtramque absolutionem:) siquidem cum quis possit simul absolui à censuris, & à peccatis, in eo casu non erit necesse priùs absoluere à peccatis, quàm à censuris; cum vtrumque simul præstari possit. 113.

Præterea in absolutione censurarum, per se loquendo, non est necesse exprimere causam censuræ, dicendo, *Ego te absoluo à suspensione, quam contraxisti ob tale delictum*; cum nullo iure præscribatur talis expressio, & intentio absoluentis ferri possit in aliquam certam censuram, etiam non expressa causa censuræ. Dixi, *per se loquendo*, quia potest euenire vt aliquando talis causa necessariò exprimi debeat; vt si quis pluribus censuris sit irretitus, & Superior intendat absoluere ab vna earum; tunc enim exprimi debet causa censuræ, vt constet, quænam auferatur. 114.

QVÆRES XXXII. Qua solemnitate, & ritu absolui debeant Regulares a censuris per proprios Prælatos, aut Confessarios.

Respond. Si quidem absolui debent in foro exteriori, teneri iurare se parituros mandatis Ecclesiæ (intellige, non de omnibus mandatis, sed de eo, ob cuius violationem contracta est censura, à qua quis absoluitur, vt obseruat Diana *part. 5. tract. 9. resol. 23.* ex Suar. addens cum Caiet. tale iuramentum non esse exigendum, nisi in magnis criminibus) necnon præmittere debitam satisfactionem, si censura contracta sit ob manifestam offensam: aut certè, si offensio fuit dubia, dare sufficientem cautionem de satisfaciendo (& hanc interdum etiam iuratoriam, vt aduertit Diana *resol. cit.* ex Turriano.) Si verò absolui debent in foro interno per priuilegia Religiosis Mendicantibus concessa; tunc ad licitè absoluendum non requiritur, nisi vt recesserint à contumacia, & modo supradicto præmiserint debitam satisfactionem partis læsæ, aut certè præstent conuenientem cautionem (non quidem pignoratitiam, aut fideiussoriam, quas non puto exigendas esse à Religiosis ratione status, quem profitentur) sed iuratoriam; vt communiter tradunt DD. apud Dianam *p. 2. tract. 16. resol. 44.* qui tamen docet ex Nauar. Henriq. Gloss. & Valero excommunicatum in foro conscientiæ posse absolui, etiam non præstita tali cautione iuratoria, adeóque si absoluendus sit impotens ad satisfaciendum, quoad absoluendum in foro pœnitentiali, tantùm valere firmum propositum satisfaciendi, quantum valet in foro exteriori datio pignorum, aut fideiussorum; itavt processus satisfactionis, cautionis pignoratitiæ, aut iuratoriæ, qui in 115.

iura

113. iure præscribitur iis, qui debent absolui à censuris, non videatur intelligendus, nisi pro foro externo: sicut ait idem Diana *resol.cit.* subdens *p.5.tract.9.resol.23.* ex Suar. Tannero, Turriano, & Villal. eum, qui in absolutione excommunicationis omittit ceremonias in iure præscriptas, secluso scandalo, ac contemptu, non peccare, nisi venialiter, monénsque, *resol.39.* processum illum pignoratitiæ cautionis, aut fideiussoriæ, aut iuratoriæ, qui iuxta dicta exigitur in iure, intelligendum esse disiunctiuè, adeóque si absoluendus possit dare cautionem pignoratitiam, non teneri eam dare, sed sufficere, quod det fideiussorem, aut etiam iuratoriam; quamuis id neget Caietan. *ver. absolut. cap.4.*

116. Præterea, si absolutio sumsa est solemnis, & publica, vltra supradicta requiritur, vt absolutus sit indutus, saltem superpelliceo cum stola violacea, recitet Psalmum 50. aut alium super absoluendum (qui interim coram eo debet esse genoflexus, & nudatis scapulis) nisi fortè sit mulier, adolescens, aut vir nobilis: (quo casu omittitur nudatio scapularum) eúmque virga inter recitandum percutias: post recitationem Psalmi dicendo orationem Dominicam, aliósque versiculos, & orationem, prout habetur in Rituali Romano Pauli V. quibus factis excommu-
114 nicatus introducitur in Ecclesiam, ibique pro foribus genuflexus absolutus est. ita Filliuc. *tractat. 12. num. 246.*

117. Illud autem bene notat Suar. *de Censur. D.7. sect.5. n.35.* quod, cum absolutio censurarum, quoad alios non possit habere effectum intentum, nisi de illa constet, æquè ac priùs constitit de censura; si censura, à qua quis absoluitur, fuit publica, etiam absolutio fieri debet publica: si verò fuit occulta, non est, cur eius absolutio publicetur.

Addo ex Suarez *D.19. de censur. sect.3. num 13.* ceremonias præfatas non esse de substantia absolutionis; etsi Sacerdos absoluens in conscientia teneatur illas adhibere, non solùm in absolutione publica, sed etiam in occulta quantum ad eas, quæ commodè adhiberi possunt: nec sine colpa possunt
115. omitti, seclusa necessitate vigenti: quod verùm erit, prudenter consideratis circumstantiis, & consuetudine, quæ in hoc vim magnam habere potest: quamuis, secluso contemptu, & scandalo Suarez putet non posse in hoc interuenire culpam mortalem ob aliquam omissionem; quia res non est adeò grauis, nisi fortè, quando publica, & solemnis absolutio danda esset ad Ecclesiæ satisfactionem.

QVÆSITVM XXXIII. An Regulares vi suorum priuilegiorum possint absolui à censuris, etiam extra Pœnitentiæ sacramentum.

118. Respond. posse eo modo quo diximus *in tract. de priuil. cap 2. sect.1. subs.2. q.13.* vbi de hac re fusiusculè egimus.

QVÆSITVM XXXIV. An Regulares vi suorum priuilegiorum absolui possint à censuris, etiam absentes localiter.

119. Respond. posse; & probatur, tum ex eo, quod iuxta dicta *quæst. præcedenti*, absolutio censurarum conferri potest extra sacramentum Pœnitentiæ, & consequenter etiam pœnitenti localiter absenti: tum, quia censuræ possunt ferri in absentes: ergo & auferri; cùm potestas absoluendi sit amplior potestate ligandi, vel saltem promptior debeat esse ad vsum: tum, quia talis est vsus Ecclesiæ fundatus *in cap. quanto 2. quæst. 5.* & communiter obseruatus in rescriptis Pontificiis, & literis collatiuis beneficiorum. est communis Doctorum apud Filliucium *tractat. 11. num. 324.* qui notat non esse absoluendum absentem à censuris, nisi quando aliter fieri non potest; ac proinde curandum esse, vt absoluendus accedat ad locum absoluentis, aut, si id fieri nequeat, mittendam esse facultatem, vt quis præsens illum absoluat (intellige, si mittens talem facultatem possit delegare:) &, si nullum ex his præstari possit; tunc absolui posse etiam absentem, si alioqui sit dignus: quo casu tunc esset regulariter absolutus, quando recipit literas continentes absolutionem, nisi aliter constet de mente absoluentis.

Hæc autem doctrina procedit non solùm de potestate absoluendi à censuris competente ex priuilegiis (dummodo vsus horum in ipsa concessione non sit restrictus ad forum sacramentale: quo modo re vera restrictus est Religiosis Societatis Iesu ex præscripto Præposito generali, vt diximus *in tractat. de priuileg. loco cit.*) sed etiam de potestate concessa in Iubilæis, per Bullam Cruciatæ, aliúdque simile indultum: nisi fortè in iis apponatur clausula modo dicto restringens talem potestatem ad forum sacramentale; vnde vi talium concessionum poterunt Regulares absolui à censuris, quantumuis sint localiter absentes (idque ob rationes allatas) & quidem etiam à Religiosis Societ. cùm restrictio ipsis facta de non absoluendo à censuris, nisi intra sacramentum Pœnitentiæ solùm afficiat potestatem, quam ipsi habent ex vi priuilegiorum Societati concessorum, non autem eam, quam habent ex vi Iubilæi, Bullæ Cruciatæ, &c. ex quibus infert Bonacina *supr. p.4. num.4.* Confessarium, qui absoluit pœnitentem à peccatis habentibus annexam censuram reseruatam; à qua ipse non poterat absoluere, posse, obtenta facultate absoluendi aliquo ex modis supradictis illum absoluere à censura, licèt localiter absentem; quod etiam docet Nauarr. *cap.26. n.14.* putans idem dicendum de peccato reseruato, sed improbabiliter; cùm absolutio peccatorum conferri nequeat absenti. 120.

QVÆSITVM XXXV. An Regulares possint absolui à censuris, etiam inuiti positiuè, aut ignari.

Respond. quòd, cùm ex vna parte censura, spectata eius natura vt sic, auferri possit in inuito, aut ignaro ab habente potestatem absoluendi à censuris non restrictam ad forum sacramentale, (vt communiter tradunt Doctores cum Suar. *suprà sect.7. num.5.* id colligentes ex propria natura pœnæ; quæ sicut potest inferri inuito, ita & potest tolli ab inuito) ex alia parte priuilegia Regularibus concessa, quoad absoluendum à censuris, sint quidem restricta ad forum conscientiæ, non tamen ad forum sacramentale; vt constat ex ipsorum tenore, & præsertim ex priuilegio concessu à Pio V. Prioribus Dominicanis, vt erga suos subditos habeant in foro conscientiæ omnem authoritatem absoluendi, & dispensandi, quem habent Episcopi erga suos subditos (vti videre est in Bullar. Rodriq. Bulla 13. Pij V.) poterunt Regulares, etiam inuiti, & ignari absolui à censuris latis, tam ab homine, quàm à iure (modo tamen infra explicando:) idque non solùm per proprios Prælatos regulares, sed etiam per Confessarios Religionis habentes facultatem absoluendi à reseruatis in foro conscientiæ. Quicunque, vt id licitè fiat, si quidem tollenda sit censura ab homine; videndum est, ne id vertat in cuiusquam præiudicium, ne sequatur scandalum, vel contemptus ecclesiæ, & quod constet sufficienter non esse sperandum fructum ex tali censura: si verò tollenda sit censura à iure, tunc in primis attendendum est, an in tali iure præscriptus sit aliquis ordo progrediendi 121.

ab vna censura ad aliam, & ad alias pœnas, pertinadurante, infligendas, & id ipsum saluandum est; cum ius obliget declarans in tali casu non tam habendam esse rationem particularis commodi, vel correctionis priuatæ personæ, quàm publicæ punitionis delicti, & tantæ contumaciæ; quòd si iure nihil tale circa hoc præscriptum est, tunc procedit doctrina tradita de censura ab homine, sicque poterunt Regulares absolui à censura iuris, seruatis tamen iis, quæ diximus seruari debere in tollenda censura ab homine; sicut notat Suar. *num.* 12. benè monens ex eo, quod in aliquibus specialibus delictis, aut censuris ius statuit certum ordinem aggrauandi pœnas, & cætera, non ideò tale ius extendi debere ad omnes censuras iure latas, cùm illud sit odiosum, adeòque potiùs debeat restringi. Colligitur ex Auila *de Censur. p.* 3. *D.* 6. *d.* 2. *&* 3. Diana *p.* 5. *tract.* 10. *resolut* 53. qui in terminis docent per priuilegia concessa Societati Iesu posse quem absolui ab omni suspensione, & quidem etiam inuitum, aut absentem; cùm tamen (quod spectat ad absoluendum inuictum) eadem ratio sit de aliis censuris, ac proinde, si id conceditur de Suspensione, concedi debeat etiam de Excommunicatione, ac Interdicto iuxta regulam. *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio.*

122. Dixi in responsione, *ab habente potestatem absoluendi à censuris non restrictam ad forum sacramentale*; vt innuerem ex Suar. *supr. n.* 5. Filliuc. *tract.* 11. *num.* 325. *&* Bonac. *sup. D.* 1. *quæst.* 3. *part.* 4. *num.* 3. censuras non posse auferri in inuito per eum, qui solùm habeat potestatem absoluendi à censuris delegatam in ordine ad forum sacramentale: per eam enim non potest quis absolui à censura, nisi voluntariè se subdat in tali foro, & consequenter ab eo velit absolui: quod vtique est inuitum, aut ignarum non posse absolui, vt patet.

Quòd si quæras, quo modo quis possit absolui inuitus à censura, cùm sic possit persistere in contumacia, & per consequens reddere se incapacem talis absolutionis.

123. Respond. distinguendo: vel censuratus persistit in contumacia perseuerando in eo delicto, ratione cuius contraxit censuram; vel persistit solùm quatenus rennit absolui, eo, quòd nolit se subiicere huic personæ, vel aliunde, cùm tamen aliàs resipuerit, quoad delictum: si secundum, vtique potest censuratus absolui, etiam inuitus; cùm hoc ipso quod cessat delictum, ius, quo lata est illa censura, cesset influere in ipsam censuram, & potestas absoluendi ab ea non sit alligata, aut pendens ex voluntate illius, qui eam contraxit; si primum, adhoc distinguendum est; vel enim delictum, ob quod contracta est censura, est ex illis, quæ habent tractum successiuum (cuiusmodi est heresis) & sic censuratus non potest absolui inuitus ab eo, qui non habet potestatem auferendi, aut suspendendi ius, quo fertur ea censura; cum sic duret contumacia, & consequenter censura sit quasi in quadam continua conseruatione ex vi iuris illius: vel delictum est ex iis, quæ vbi commissa sunt, omninò transeunt, quoad actum, & manent, quoad reatum, ac obligationem faciendi pœnitentiam (quale est percussio Clerici) & sic censuratus potest absolui, etiam si persistat in contumacia, nolitque debitam exhibere satisfactionem, quæ iam non exigitur sub noua censura, si quidem ex parte absoluentis est potestas sufficiens (vt suppono) & actus ipse absoluendi per se non pendet ex voluntate, ac dispositione alterius: præterquàm quod ius in tali casu non infert continuò censuram, vt propterea non possit tolli, ita Suar. *n.* 6. *&* 7. pateteque ex dictis, si solùm aduertero, quod, licèt iuxta doctrinam hic traditam possit quis in aliquo casu absolui à censura, etiam durante contumacia: (& quidem non solùm validè, vt iam probatum est) sed etiam licitè, si seruentur ea, quæ in responsione principali diximus seruanda esse;) regulariter tamen nemo debet absolui à censura adhuc persistens in contumacia, nisi periculum sit, vt fiat peior, ac deterior; quod notauit Bonac. *loco sup. citat.*

QVÆRES XXXVI. An Regulares, si fortè irretiti sint pluribus censuris, possint absolui ab vna illarum, & non ab illa.

Respond. posse; cùm nulla inter eas sit connexio 114.
necessaria, eæque se habeant, tanquàm pœnæ, quarum vnam certum est auferri posse, alia remanente. ita Filliuc. *sup. num.* 327. & Glos. Nau. Couar. Vgol addens ligatum pluribus censuris, aut excommunicationibus, vel sententiis eiusdem excommunicationis absolui posse ab vno, ac eodem Iudice ab iis omnibus, & quidem vnica absolutione, si ipse velit, ac possit, & pœnitens id petat: imò etiamsi is non petat, Iudex tamen sic velit. E contra verò qui ligatus est pluribus censuris à diuersis, debet ab omnibus absolui, aut certè ab vno, in quem alij consentiant. Adde ligatum vna excommunicatione, sed pluribus ex causis, omnes debere exprimere, &, si vnam malitiosè reticeat, non esse simpliciter absolutum; maximè, si causa erat, per se sufficiens, & æquè principalis; nisi fortè absoluens generalem intentionem habuisset absoluendi ab ea, quibuscumque ex causis id contigisset.

QVÆRAS XXXVII. An, & quo modo absolutio Censurarum collata Regularibus vi suorum priuilegiorum, possit eis suffragari, quoad forum externum, & consequenter vi eorumdem priuilegiorum possint absolui, quoad forum externum, ita vt non egeant alia absolutione.

Respond. non suffragari, nisi eo modo, quo dixi- 115.
mus in *tract. de priuil. cap.* 3. *subs.* 2. *q.* 7. & consequenter Regulares non posse vi suorum priuilegiorum simpliciter absolui à censuris, quoad forum externum, loquendo de censuris, quas ipsi incurrant à iure, aut etiam quæ latæ sunt ab homine per Prælatum superiorem siue extra Ordinem, siue intra. probatur hæc responsio, tum ex dictis ea *quæst.* 7. tum ex eo, quod priuilegia concessa Regularibus circa absolutionem censurarum, omnia sunt restricta ad forum conscientiæ, aut etiam sacramentale, constat autem, quod habens potestatem absoluendi solùm in foro conscientiæ, aut sacramentali non potest absoluere in foro externo, vnde Regulares, qui volunt absolui à censuris incursis etiam pro foro externo, nisi habeant aliquod priuilegium (de quo mihi non constat) debent adire Papam, vel alium habentem potestatem absoluendi à censuris etiam pro foro externo: alioqui forum externum agere poterit contra ipsos, quantumuis fuerint absoluti, quoad forum conscientiæ: vt notat Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 1. *cap.* 7. *num.* 7. addens ex Henrique *lib.* 13. *cap.* 28. *n.* 2. & Conincho. *D.* 14. *de censur. num.* 207. Regulares priuilegiatos sine consensu Ordinarij facilè non debere absoluere à censuris ad forum contentiosum deductis, aut probabiliter deducendis: cùm absolutio dari non debeat, priusquam satisfiat parti læsæ, & consequenter, si Ecclesia, aut status clericalis (v. g. notoria clerici percussione) fuit læsus, antequàm satisfiat Ecclesiæ; & aliàs post absolutionem datam reus non ita efficaciter vrgeri possit ad debite satisfaciendum.

Addo

Addo obiter, quod si reo in foro conscientiæ absoluto ab excommunicatione, eius delictum deducatur ad forum contentiosum, Iudex ecclesiasticus, sicut potest modo dicto non admittere absolutionem illam pro foro externo; sic & potest reum declarare excommunicatum pro dicto foro; cùm respectu illius reus perinde se habeat, ac si non fuisset absolutus: quo modo Layman *supra* ait reum si celebrauit post absolutionem impertitam modo dicto, posse declarari, tanquàm irregularem: si enim potest illum Iudex declarare irregularem, illum & poterit denunciare excommunicatum.

114 An autem Episcopus possit absoluere suos subditos à censuris Papæ reseruatis, etiam pro foro externo.

Respond. non posse, si loquamur de facultate ei competente ex Tridentino *sess.* 23. *c. liceat*; ibi enim facultas ad forum conscientiæ limitatur iis verbis *in foro conscientiæ*; secùs, si loquamur de facultate Episcopo competente ratione legitimi impedimenti, paupertatis v.g senectutis, inimicitiarum, ac similium: in tali enim casu Episcopus absoluit etiam pro foro externo.

Addo absolutum ab Episcopo à censura Papali ratione impedimenti perpetui esse absolutum, etiam pro foro externo: cum *c. quamuis de sent. excom.* nullam ponat restrictionem ad forum conscientiæ, sed simpliciter, ac indistinctè loquatur, adeóque cùm ius non distinguat, nec ratio cogat distinguere, nec nos distinguere debeamus; vide Suar. *D.* 22. *de censur. sect.* 1. *n.* 60. *&* 63 ait *& ibi non additur restrictio.*

Quod si taliter absolutus posteà liberetur impedimento illo perpetuo (v.g ex miraculo,) possitque adire Superiorem; non puto teneri: & ratio est, quia in *citato cap quamuis* est expresè sermo de laborantibus impedimento temporali, ideóque ex eo non debet colligi etiam absolutum ratione impedimenti perpetui teneri, si eo posteà liberetur, se præsentare.
115 Ita Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 13. *num.* 30 Bonac. *de censur. in comm. D.* 1. *quæst.* 3. *part.* 3. *num.* 11. Nald. *v. absolutio à censuris num.* 18.

QVÆRES XXXVIII. An Regulares per absolutionem generalem censurarum, quæ præmitti solet absolutioni Sacramentali peccatorum, ita maneant absoluti à censuris oblitis; vt si cuius posteà recordentur, nõ egeant ampliùs directè absolui ab illa.

116. Respond. Manere; cùm tamen contrarium eueniat in absolutione peccatorum oblitorum, quæ si posteà in memoriam reuocentur, debent tolli directè per nouam absolutionem. Ratio disparitatis est, quòd iudicium Sacramentale, in quo datur absolutio peccatorum, per se requirit integram causæ cognitionem, eo quòd ad internam salutem, & curationem animæ, & ad satisfactionem diuinæ offensionis ordinetur, ideóque per se iure diuino est institutum, vt omnia peccata mortalia clauibus subiiciantur; non est autem tale præceptum Ecclesiasticum impositum de censuris, quia absolutio à censura per se non habet alium effectum, neque ad alium finem intrinsecum ordinatur, nisi ad tollendum illud Ecclesiasticum impedimentum; ac proinde, quacumque ratione tollatur ab habente sufficientem potestatem, non manet alia obligatio. ita Suar. *sect.* 5. *num.* 17. ex Couar. Palud. Gabr. Adriann, Ang. Sylu. Nau. aliísque communiter, concedens, quod si quis absque oblitione peteret absolutionem à censura, non declarando se illam habere in particulari; sed vel in generali, vel etiam hoc dissimulando, & solùm petendo, vt absoluatur, si fortè indiget; & absoluens sit Iudex ordinarius, velitque ita absoluere, valida erit absolutio (quamuis aliàs minùs prudenter diceretur vti sua potestate;) sicut & valida erit, si absoluens habeat potestatem delegatam, non restrictam ad forum sacramentale; secùs, si habeat tali modo restrictam.

Addo ex Naldo *v. excommunic. num.* 40. generalem absolutionem censurarum, quæ in collatione beneficiorum Ecclesiasticorum ex stylo Curiæ Romanæ præmitti solet ad cautelam, non suffragari quibusdam excommunicatis; nimirùm *non parentibus rei iudicatæ, incendiariis, violatoribus Ecclesiasticæ libertatis, falsificantibus, & falsificari procurantibus literas, & supplicationes Apostolicas, & illis vtentibus, receptatoribus, & fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus via facti, ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus: & Nuntios, vel Executores Apostolicæ Sedis, & eius Officialium eis commissa exequentes impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à iure, vel ab homine per* 4. *menses scienter excommunicationis sententiam huiusmodi sustinuerint, & generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias, quàm vt præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorduerint*; idque ex regula Cancell. in ordine 65. Vbi notandum, quod supradicta absolutio generalis censurarum excommunicatis hîc in specie recensitis, non solùm non suffragatur ad effectum, vt ii simpliciter, & absolutè maneant liberi ab ipsis censuris (quem effectum talis absolutio numquam operatur, vtpote quæ datur præcisè ad hoc, vt collatio beneficii sit valida, sicut expresè dicitur in rescripto Pontificio;) sed neque suffragatur ad hoc; vt ipsa collatio beneficii sit valida; vnde, quoad dictos excommunicatos, ea absolutio est omninò inutilis; nihilque operatur, & perinde se habet, ac si reuera non conferretur. 117.

QVÆRES XXXIX. An absolutio censurarum extorta à Regularibus per dolum, aut errorem, aut per vim, & metum sit valida.

Respond non esse, & probatur, quia ex vna parte Superior non intendit absoluere, nisi iuxta causam sibi propositam, adeòque irrita est absolutio extorta per dolum versantem circa causam finalem, vtpote inuoluntaria; ex alia parte absolutio censurarum extorta per metum iniuriosum cadentem in constantem virum est inualida, non quidem iure naturali, sed positiuo, quod habetur in *cap. vn. de iis, quæ vi in* 6. vbi talis absolutio irritatur his verbis, *omninò viribus vacuamus* inflicta noua excommunicatione ei, qui per vim, aut metum eo pacto absolutionem extorsit. ita Suar *supr. D.* 7. *sect.* 6. *n.* 11. *&* 13. aliique penes Bonacinam *sup. quæst.* 3. *part.* 8. *num.* 2. *&* 4. 118.

QVÆRES XL. Qualis debeat esse interpretatio censurarum strictáne; an ampla, & lata.

Respond. debere esse strictam; ideóque censuram latam contra facientes, non afficere mandantes, aut consulentes, nisi id ipsum exprimatur in sententia censuræ. ita Nau. *cap.* 27. *num.* 51. aliique plures apud Bonacinam *sup. quæst.* 1. *p.* 6. *num.* 1. & probatur, tum quia ad incurrendam censuram requiritur actus perfectus, quantùm lex requirit; consilium autem, vel mandatum non est actus perfectus, quantùm lex requirit, nisi id exprimatur: tum quia censura est pœna & consequenter odiosa, quæ strictam exigit interpretationem. Dixi, *nisi id ipsum in sententia censuræ exprimatur*; quia aliquãdo in iure vltra facientes exprimuntur, etiam mandantes, & consulentes; vt in casu percussionis Clerici videre est apud Coninch. de Censur. D. 14. d. 15. à n. 171. & Laym. *lib.* 1. *tract.* 8. *p.* 2. *cap.* 5. *n.* 6. qui ad id probandum afferunt *cap. mulieres* 6. *vlt.* & *cap. quanta de sent. excommunic.* 119.

Addo ex Diana *part. 5. tract. 9. resol. 57.* quòd, sicut excommunicatio, quæ extenditur ad mandantes, non comprehendit eum, qui mandauit delictum fieri, si mandatarius erat alias facturus delictum eadem promptitudine, & eodem conatu, ac si ei non fuisset mandatum: sic non ligatur excommunicatione, qui paratum occidere Clericum consulit solùm percutere: cùm is non dicatur culpabiliter influere in effectum vetitum sub censura: siquidem ad eam incurrendam requiritur peccatum, quod in isto casu non interuenit; cum consulens minùs malum parato facere maius non peccet.

Capvt II.

De Excommunicationibus in specie latis contra Regulares.

PRÆMISSIS iis, quæ cap. præcedenti diximus de Regularium pœnis, ac censuris in communi: superest modò, vt in sequentibus capitibus agamus in particulari de eorumdem Regularium pœnis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, & quidem primò de singulis excommunicationibus in specie latis contra Religiosos, tum reseruatis, tum non reseruatis (quod præstabimus in sequenti cap.) si priùs de excommunicatione in genere dixerimus, quæ sunt magis propria Regularium, & minus sufficienter colligi possunt ex dictis de censuris in communi. Caput præsens diuidemus in tres sectiones, in quarum prima agemus de excommunicatione in communi, omissis tamen iis, quæ facilè peti possunt ex dictis de censuris in genere: in secunda, de excommunicationibus latis contra Regulares reseruatis: in tertia, de non reseruatis.

Sectio I.

De excommunicatione in communi.

1 *Explicatur quid sit excommunicatio.*
2 *Diuiditur in maiorem, & minorem.*
3 *Maior plures operatur effectus, qui recensentur.*
4 *In præsentia non omnes excommunicati sunt vitandi.*
5 *Idq; ex Concilio Constantiensi, quod debet seruari.*
6 *Hinc tamen directè non fauetur excommunicatis.*
7 *Nec inde tenemur communicare cum illis.*
8 *Hodie vitandus est solùm excommunicatus nominatim denuntiatus, aut notorius Clerici percussor.*
9 *Vt Concilij Constantiensis licita est communicatio, etiam in diuinis.*
10 *Percussio Clerici non est semper notoria, etsi possit probari in iudicio.*
11 *Vi dicti Concilij nequit excommunicatus se ingerere ad communicandum.*
12 *Excommunicatus priuatur communibus Ecclesiæ suffragijs.*
13 *Si sit vitandus: secus, si toleratus.*
14 *Et hæc priuatio durat, vsque dum excommunicatus re ipsa absoluatur, quod alij negant.*
15 *Idq; etsi per contritionem redeat in gratiam, sicq; gaudeat communione Sanctorum.*
16 *Excommunicatus, etiam toleratus priuatur vsu Sacramentorum.*
17 *Et quidem etiam ad validè, loquendo de Sacramento Pœnitentiæ mala fide suscepto.*
18 *Excommunicatus vitandus priuatur administratione Sacramentorum.*
19 *Et quidem etiam ad validè, loquendo de Sacramento Pœnitentiæ.*
20 *Et hoc, etiam quoad venialia; quod alij negant probabilius.*
21 *Excommunicatus toleratus licitè ministrat Sacramenta, si exponatur à Prælato.*
22 *Ab eo liberè petuntur Sacramenta: etsi alij communiter id negent.*
23 *Nomine diuinorum Officiorum plura veniunt.*
24 *Excommunicatus etiam toleratus priuatur diuinis Officijs.*
25 *Non tamen absolutè.*
26 *Excommunicatus vitandus absolutè priuatur celebratione, & auditione Missæ, secus, si sit toleratus.*
27 *Omnino abstinendum a Missa celebranda coram excommunicato vitando.*
28 *Is nequit Horas canonicas recitare publicè, ac solemniter.*
29 *Non peccat mortaliter vitandus, si cum alio priuatim Horas recitet.*
30 *Excommunicatus, etiam vitandus concionatur, legitq; Theologiam, aut Scripturam.*
31 *Item audit concionem, sed non lectionem Theologiæ, aut Scripturæ.*
32 *Non potest interesse Processionibus.*
33 *Neque vti Aqua benedicta ad lucrandas satisfactiones, &c. at intrat Ecclesiam extra tempus diuinorum Officiorum.*
34 *Excommunicatus vitandus priuatur Ecclesiastica sepultura non item toleratus.*
35 *Explicatur quid veniat nomine Ecclesiasticæ sepulturæ.*
36 *Sepeliens in loco sacro excommunicatum vitandum, incurrit excommunicationem reseruatam, si proprijs manibus sepeliat.*
37 *Ostenditur excommunicatum toleratum non carere Ecclesiastica sepultura.*
38 *Excommunicatus vitandus non sepelitur in loco sacro, licet contritus, si non absoluatur.*
39 *At sepelitur, si ante mortem, si absoluatur à laico; quod alij negant.*
40 *Caret vsu iurisdictionis Ecclesiasticæ, & ad licitè, & ad validè: ad licitè verò solùm si excommunicatus sit toleratus.*
41 *Excipi potest contra actus excommunicati tolerati sponte se ingerentis.*
42 *Prælatus regularis, qui est excommunicatus toleratus, non repellendus à subditis.*
43 *Si tamen est vitandus, non exercet actus iurisdictionis, at facit actus superioritatis: etsi approbet ad confessiones.*
44 *Imò & actus iurisdictionis, si sit toleratus, & requiratur à subditis.*
45 *Iurisdictio delegata suspenditur, si delegans sit excommunicatus, etsi non semper.*
46 *Et hoc etiam, quoad Vicarium subordinatum Prælato.*
47 *Excommunicatus vitandus priuatus voce actiua, & passiua.*
48 *Probatur assertio.*
49 *Electio non est semper irrita ex suffragio excommunicati vitandi.*
50 *Excommunicatus non est inelegibilis ad quamcumque dignitatem.*
51 *Idq; etsi probabiliter ignoret suam excommunicationem, quod alij reijciunt.*

52 Electus

52 *Electus ante excommunicationem acceptat dignitatem postea excommunicatus.*
53 *Religiosus toleratus interdum validè eligitur ad prælaturam Ordinis.*
54 *Eligens vitandum ad dignitates ecclesiasticas, subest varijs pœnis.*
55 *Excommunicatus occultus, si eligatur ad dignitatem ecclesiasticam debet se prodere, sed non semper.*
56 *Excommunicatus est incapax cuiusuis beneficij ecclesiastici.*
57 *At acquirit fructus beneficij anteà obtenti, si eius onera implet.*
58 *Declaratur, in quo consistat Communicatio ciuilis vetita excommunicato, quoad omnes baptizatos, etiam hæreticos: quæ prohibitio afficit etiam non excommunicatos, quoad excommunicatos, & suspenditur in aliquibus casibus, etiam respectu excommunicati vitandi.*
59 *Excommunicatus priuatur qualibet ciuili communicatione.*
60 *Regulares non communicant ciuiliter cum suo Prælato vitando, prout Prælatus eorum est.*
61 *At cum eo communicant, prout cum eo habitant, idque etsi sint hospites.*
62 *Communicant & Oblati, ac Tertiarij, si habitent in eodem Conuentu.*
63 *Non item Moniales respectu Prælati, cui immediatè subsunt*
64 *Communicant & Nouitij, quantum petit cohabitatio.*
65 *Prælatus tamen, si sit vitandus, regulariter non communicat cum Religiosis subditis.*
66 *Limita, nisi ab his in casibus permissis requiratur.*
67 *Religiosus, & eius Prælatus, si sint vitandi, communicant in ciuilibus, sed non absolutè*
68 *Religiosi vitandi in aliquibus communicant cum suis Correligiosis.*
69 *Idque etiam in ordine ad Correligiosum, qui item sit vitandus.*
70 *Religiosi vitandi arcentur à communi Refectorio.*
71 *Limita, nisi Refectorium sit amplum, & ij comedant in mensa distincta.*
72 *At non arcentur à communi Dormitorio.*
73 *Coambulant, itinerant, & laborant cum suis Religiosis, sed cum limitatione.*
74 *Peregrinantes excipi possunt in alia Monasteria vt hospites.*
75 *Non debent salutari, imò nec resalutari.*
76 *Ad eos non scribuntur literæ, etsi iuxta aliquot ad eos possit rescribi.*
77 *Cum ijs non licet confabulari, neque per nuntium, aut interpretem.*
78 *Illis dari non potest osculum pacis.*
79 *Non ijs transmitti possunt munera.*
80 *Pro excommunicato tolerato, licet absolutè orare, ac celebrare Missam; non item pro vitando, si loquamur de oratione facta in persona Ecclesiæ.*
81 *Offeruntur Missæ pro Hæreticorum conuersione.*
82 *Excommunicatus quicumque si pro se celebret, Missa ipsi non prodest.*
83 *Missa oblata pro vitando in persona Christi, quoad aliquid prodest.*
84 *Si adsit necessitas, audiri possunt lectiones Philosophiæ à vitando habitæ.*
85 *Nec eæ intermittendæ, ex eo quod ijs assistat aliquis vitandus.*
86 *Officiales monasterij non amouentur, etsi sint excommunicati vitandi.*
87 *Idque ratione famulatus.*
88 *Religiosi communicant in aliquibus cum Parentibus vitandis, imò absolutè iuxta aliquos.*

89 *Contractus à Religioso vitando factus ex officio est illicitus, ac inualidus.*
90 *Secùs, si fiat tanquàm à persona priuata.*
91 *Communicans cum vitando peccat, sed non semper.*
92 *Excommunicatus prohibetur communicare in actibus forensibus, sed non in omnibus eodem modo.*
93 *At vt reus conuenitur in iudicio, etsi sit vitandus; Notarius, si sit vitandus, interdum exercet suum munus inualidè.*
94 *Rescripta Apostolica non prosunt excommunicato.*
95 *Perseuerans in excommunicatione per annum est suspectus de hæresi.*
96 *Communicans cum vitando afficitur excommunicatione minori.*
97 *Hæc plures effectus operatur: fertur etiam pro peccato veniali; ac non incurritur à resalutante vitandum: ab ea excusat ignorantia: eam non incurret Religiosus associans alium Religiosum agentem cum vitando, si huac verbaliter salutet, aut breui alloquatur: non peccat m. qui se exponit periculo contrahendi minorem excommunicationem: hæc non admittit paruitatem materiæ; non facit iuxta aliquot irritabilem electionem ad beneficium: non vetat communicationem cum fidelibus: excommunicatio hæc non incurritur à sepeliente vitandum: ea dicitur minor comparatione maioris: non fertur ab homine, etsi posset ferri: ligat præsentantes, aut conferentes beneficium affecto hac excommunicatione: at sic eligentes non incurrunt vllam pœnam: ab ea absoluit quilibet Confessarius, si illa sit à iure: at ab ea non absoluit simplex Sacerdos.*

QVÆRES I. Quid sit excommunicatio.

Respond. esse censuram Ecclesiasticam, quæ priuat directè communione fidelium, vel absolutè; (vt maior) vel sola passiua, quæ consistit in perceptione Sacramentorum (vt minor excommunicatio). ita Coninh. de Censur *D. 14. num. 1* ex Soto, Suar. Auil. Nau. & aliis monens sic excommunicationem differre à reliquis pœnis, quæ vel non sunt censuræ, vel certè non nisi indirectè priuant cōmunione fidelium; vt patet in suspensione, quæ priuat quidem vsu beneficij, & exercitio officij, quatenus talia sunt; non tamen directè iis priuant, quatenus habent rationem communicationis fidelium, sed tantùm consequenter. 1.

QVÆRES II. quotuplex sit excommunicatio.

Respond. esse duplicem, maiorem scilicet, & minorem; vt expressè habetur *cap. penul. de sent. excommunic.* vbi maior dicitur esse illa, quæ à communione fidelium separat, scilicet absolutè, quatenùs sic excommunicatis interdicitur omnis communicatio cum fidelibus; minor verò; quæ à perceptione Sacramentorum separat. In iure autem nomine excommunicationis simpliciter intelligitur maior, nisi fortè in materia subiecta, aut ex adiunctis contrarium aliquando colligatur; quod notant DD. communiter apud *Filliuc. tract. 12. num. 8.* 2.

QVÆRES III. Quot sint effectus excommunicationis maioris, & qui.

Respond. esse 9. Primus est priuatio communium suffragiorum Ecclesiæ: secundus est priuatio participationis Sacramentorum actiuæ, & passiuæ: 3. est priuatio diuinorum Officiorum, & rerum sacrarum: 4. est priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ: 5. est priuatio iurisdictionis Ecclesiasticæ, ac vocis actiuæ, & passiuæ: 6. est priuatio, & inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica: 7. est priuatio communicationis ciuilis, cum aliis fidelibus: 8. est priuatio communicationis forensis, ac iudicialis: 9. est an- 3.

G 3 nullatio

nullario impetrationis gratiarum. Hi autem effectus continentur eo carmine, quod Doctores afferre solent, *Os, orare, vale, communio, mensa negantur*; & sumuntur ex ipsa natura excommunicationis: quippe, quæ præcipuè consistit in hoc, quod neque excommunicati possunt cŭmunicare cù aliis fidelibus, neque alij fideles, cum ipsis in suis actionibus; vnde fit; vt ad maiorem explicationem horum effectuum opus sit prius exponere, qua ratione eiusmodi negatio communionis obliget; pro qua re

4. Aduerto primò, quod, licèt olim omnes omnino excommunicati essent vitandi, ita vt qui publicè noscerentur esse excommunicati, publicè vitarentur; priuatim verò, qui priuatim noscerentur excommunicati: Concil. tamen Constantiense *in Extrauag. Insuper ad euitanda*, relata ex S. Antonin. à Soto *in 4. d. 22. q. 1. a. 4.* (quæ dicitur confirmata à Martinu V. & Concil. Basileensi *in Extrauag. Ad euitanda,*) & Leo X. in Concil. Lateranens. *in concordatis Gallorum*, quoad hoc, aliquam moderationem adhibuerunt: cum aliqua tamen differentia: quod Concil. Constantiense statuit, ne quis in posterum in perceptione, vel administratione Sacramentorum, aut in diuinis Officiis, aut etiam extra ea teneatur vitare ligatus excommunicatione, aut alia censura, nisi censora sit nominatim contra eoa à Iudice publicata, vel denuntiata, exceptis tamen Clericorum percussoribus ita notoriis, vt factum nulla tergiuersatione possit celare, ant excusari: Concilium verò Basileense excipit ab hac moderatione omnes omoinò planè notoriè excommunicatos.

5. Aduerto 2. ex communi DD. sententia apud Coninch. *n. 9.* in præsentia seruandum esse statutum, non Concilij Basileensis, sed Constantiensis; vtpote, quod approbat praxis totius Ecclesiæ, dum per totam Germaniam, Galliam, ac Belgium Catholici sine scrupulo, aut Prælatorum reprehensione conuersantur, cum notoriis hæreticis, quod vtique nun fieret, si statutum Concilij Basileensis vigeret.

6. Aduerto 3. per supradicta statuta nihil fauoris propriè concedi excommunicatis (vt expresśè habetur in Concil. Basileens. quoad hoc, communiter recepto) ac proinde excommunicatos etiam toleratos (qui scilicet non sunt vitiandi, cùm non sint nominatim denuntiati, aut notorij percussores Clerici) eodem modu teneri vitare alios, atque tenebantur ante dicta statuta: quamuis per accidens, & consequenter aliquid commodi inde recipiant, quatenus legitimè ab aliis prouocati possunt, cum iis communicare, tam in rebus sacris, quàm in prophanis, aliàque facere, quæ alioqui facere non possent sine peccato, si se ipsis ad ea se ingerent.

7. Aduerto 4. quod, quamuis vi supradictorum statutorum possint fidelea communicare, cum excommunicatis toleratis, modo dicto: ad id tamen non tenentur, imò possunt sine ipsorum iniuria abstinere à tali communicatione tam publicè, quàm priuatim: dummodo illorum excommunicatio sit, vel publicè nota, vel possit sufficienter probari; quo pacto potest Iudex, aut pars litigans exceptione repellere actorem, aduocatum, & testem excommunicatum (nisi fortè consuetudo, aut specialia fœdera alicuius regionis aliter perant, aut aliud suadeat lex charitatis, pietatis, ac obseruantiæ.) ita Laym. *lib. 3. tract. 5. p. 2. cap. 4. n. 4.* addens, quòd, licet fideles communicando cum excommunicatis toleratis nunquam peccent contra censuram Ecclesiasticam, adeòque nunquam contrahant minorem excommunicationem vi talis communicationis; interdum tamen peccare possunt contra legem naturalem charitatis, si absque necessitate, cum iis communicent: vt si videant eos ex tali communicatione magis in sua contumacia confirmatum iri, qui aliàs, si vitarentur, faciliùs, ac citiùs resipiscerent.

8. Aduerto 5. nominatim excommunicatum non præsumi vitandum, nisi priùs denuntietur, siue per schedulas loco publico affixas, siue per denuntiationem publicè factam, vt notat *Auila p. 2. de Censur. c. 6. D. 2. dub. 3.* notorium verò Clerici percussorem ad hunc effectum dici illum, cuius percussio in ratione delicti ita est nota plurimis, vt nulla ratione negari possit, aut excusari; vnde Fagund. *p. 1. lib. 2. cap. 5. n. 12.* rarò contingere percussionem Clerici esse notoriam facto, vt non possit aliquo iuris remedio, aut probabilitate aliqua excusari; quod etiam docet Diana *p. 5. tract. 9. resol. 61.* ex *Calest.* his verbis: *Cum possit percussor Clerici notorius dicere fuisse se ebrium, aut in suam defensionem fecisse, vel ignorasse excommunicationem percussioni esse annexam, & alia tergiuersatione celore crimen, allegando in iudicio rumoris falsitatem: ideò quandiu non constat per Iudicis sententiam illum iuris remedio non posse excusari, nunquam dicetur notorius Clerici percussor, & ideo non est vitandus ante sententiam Iudicis, qui illum debet citare ad allegandum pro se.* ita Diana addens *resol. 134.* cum *Præpos. Auila, & Layman.* nominatim denuntiatum, aut publicum Clerici percussorem in vno loco neque priuatim vitandum esse in alio loco, in quo delictum sit occultum: quidquid aliqui contradicant Bonac. *de Censur. in comm. D. 1. quæst. 2. p. 6. § 2. num. 48.* Laym. *supr. num. 3.* Sanchez *lib. in Decalog. cap. 11. num. 51.*

9. Aduerto 6. vt sup. dictorum statutorum concedi fidelibus, vt possint communicare, cum excommunicato tolerato, non solùm in actibus prophanis, ac ciuilibus, sed etiam in sacris, dummodo concurrant hæ circumstantiæ; nimirum quod excommunicati nullo modo se ingerant, aut sacras actiones obeant, nisi quatenus hic, & nunc opus est, vt satisfaciant non excommunicato: quódque sacramenta collaturi prius conterantur: &, si fieri possit, priùs absoluantur; sic enim isti non peccant communicando, mù, etsi peccent ob defectum contritionis, non fiunt irregulares exercendo actum ordinis, modò per eos non stet, quo minùs priùs absoluantur; ita Coninch. *supr. n. 18. & 29.*

10. Aduerto 7. quod spectat ad notorietatem facti, de qua *in § aduerto 5.* tunc percussionem Clerici dici notoriam, quando in Ciuitate plurimis nota est, ita vt negari nequeat, aut vlla ratione probabiliter defendi iure facta: quo casu percussor debet vitari per totam Ciuitatem, & quidem publicè; respectiuè verò dici percussionem publicam, quando nota est maiori parti Collegij, in quo habitat (modo ibi saltem inhabitent decem); quo casu percussor debet vitari in eo Collegio, non tamen publicè, donec factum publicè innotescat; ita Coninc. *num. 11.* à quo non dissentit Diana *p. 3. tract. 16. resol. 24.* qui ex Nau. Soto, & Auila ait percussionem Clerici non dici notoriam in magna Ciuitate, etiamsi facta sit coram 12. personis: secùs, si in paruo oppido, vicinia, aut Collegio.

11. Aduerto 8. ex Coninco *num. 14. & seqq.* vi sup dictorum statutorum licere fidelibus communicare, cum excommunicatis toleratis eodem modo, ac si non essent, excommunicati: idque non solùm in rebus ciuilibus, sed etiam in sacris, si fideles iis se vltrò offerant ad aliquid sacrum peragendum, non item, si ij hoc modo non se offerant: tunc enim non possunt, sine causa rationabili ad id induci, siue sint

Pastores,

Pastores, siue non. Quæ omnia sunt benè aduertenda; facient namque ad solutionem plurium difficultatum, quæ modò proponentur.

8. QVÆRES IV. An, & quo modo Regulares vi excommunicationis priuentur suffragiis communibus Ecclesiæ, imò & proprij Ordinis, ex quibus vnaquæque Religio suum quasi thesaurum constituit.

12. Respond. priuari; nomine communium suffragiorum intelligendo spiritualia quædam subsidia, quibus Ecclesia suffragatur suis membris, siue in ordine ad satisfactionem pro pœna temporali, siue in ordine ad meritum de congruo, siue in ordine ad impetranda aliqua bona, præsertim spiritualia, vel quæ ad illa iuuerint; eáque reuocando ad tria, nimirum ad sacrificium Missæ, ad orationes, aliásque actiones sacras, quæ fiunt ab Ecclesiæ Ministris in persona totius Ecclesiæ, necnon ad Indulgentias, quæ conceduntur à Papa, vel aliis Prælatis. Ratio responsionis est, quod Ecclesia, cùm sit domina, aut saltem dispensatrix supradictorum spiritualium bobonorum, potest ea denegare indignis, & contumacibus obbonum, tum publicum, tum ipsorummet promouendum, voluntaríemque coniunxit, cum potestate excludendo excommunicatum à participatione talium bonorum, vt expressit *in cap. à nobis* 2. *cap. sacris*, cùm aliis *de sent. excommunic.* in quibus ideò excommunicati dicuntur expelli ab Ecclesia, quia à communibus Ecclesiæ suffragiis expelluntur. Quæ ratio sine dubio non minùs probat Religiosum excommunicatum priuari communibus suffra-
9. giis proprij Ordinis, quam communibus Ecclesiæ suffragiis: cùm etiam illa comprehendantur inter communia suffragia Ecclesiæ, & ipsa Ecclesia sit eorum domina, aut dispensatrix, æquè ac est aliorum suffragiorum, adeóque de illis possit disponere, prout voluerit, ea denegando indignis, & contumacibus; vnde, cùm iure Ecclesiastico excommunicationi maiori sit annexa priuatio suffragiorum, & nomine horum veniant sacrificia, indulgentiæ, orationes publicæ, aliáque ad genus: hoc ipso, quod Regulares sunt excommunicati, ea omnia ipsis subtrahuntur, siue sint communia toti Ecclesiæ, siue proprio eorum Ordini; est enim par ratio de vtrisque, vt patet; ita viri docti à me de hoc consulti, & satis probabiliter.

10. Difficultas est, an talis priuatio suffragiorum afficiat Regulares, excommunicatos, si sint tolerati, non autem vitandi iuxta supradicta.

14. Respond. probabile esse non afficere; & probatur, quia Conc. Constantiense absolutè concedit, vt possimus, cum dictis excommunicatis communicare in omnibus diuinis Officiis; cùm tamen sub hac communicatione comprehendatur, etiam applicatio suffragiorum: & hinc patet, quòd talis concessio, vt fauorabilis extendi debet, quatenus verba patiuntur: hanc autem extensionem communi modo loquendi patiuntur, stante quod ratione huius applicationis, & participationis dicitur in Ecclesia esse communio Sanctorum: vt proinde Ecclesia semper hæc duo pro eodem accepit *nos cum aliquo communicare; & orationes publicas pro eo facere*; vt patet ex *cap. sacris* 38 *& cap. à nobis* 28. *de sent. excommunic.*
11. Ita Coninch. *supr. num.* 40. cum Nauar. *cap.* 17. *n.* 36. Henriq. *l.* 13. *cap.* 11. *n.* 1. & aliis contra Sotum *in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *art.* 4. Suar. *D.* 9. *de censur. sect.* 2. *n.* 16. Filliuc. *tract.* 12. *num.* 40. aliósque apud Bonac. *de Censur. in commun. D.* 2. *q.* 2. *p.* 1. §. 1. *num.* 1. absolutè docentes quoslibet excommunicatos, quantumuis toleratos priuari communibus Ecclesiæ suffragiis: quippe qui iure antiquo ex communi sententia erant dictis suffragiis priuati, & aliàs iure nouo in illo releuati sunt; vt colligitur ex Concil. Constantiensis vltimis verbis: *Per hæc autem non intendimus ipsos excommunicatos, suspensos, & interdictos in aliquo subleuare*, &c. quamquam dici possit cum eodem Coninco *num.* 19. eiusmodi verba intelligenda esse de subleuatione directa, non item de indirecta, & ex consequenti; siquidem hoc ipso, quòd Concilium concedit non excommunicatis, vt possint communicare cum excommunicatis toleratis, consequenter debet concedere dictis excommunicatis, vt possint sic communicare cum aliis; aliàs talis concessio esset inutilis, vt patet.

Grauior difficultas est, an Regulares, qui sunt excommunicati non tolerati, gaudeant participatione communium suffragiorum, & satisfactionum, cum primùm recedunt à culpa, & contumacia, & per contritionem, aut confessionem iustificantur, esto nondum absoluti sint ab excommunicatione, cùm tamen per ipsos non stet, quo minùs absoluantur.

Respond. quòd, quamuis S. Anton. Rich. Couarr. Nauarr. & Auila relati à Laym. *supr. cap.* 2. *num.* 3. aliique apud Bonac. *supr.* §. 2. *n.* 1. putent eos gaudere, illa ducti ratione, quòd videtur esse alienum à pietate Ecclesiæ velle eum priuare spiritualibus communibus auxiliis, & Sathanæ insidiis obiicere, qui à culpa, & inobedientia (cuius causa tanta pœna ipsis illata est) penitus recessit: præterquàm quòd excommunicatus modo dicto emendatus sit viuum membrum Christi, ac Ecclesiæ, ideóque vegetari debet communi spiritu, & influxu, non minùs, quàm alia membra; nihilominus communior, & probabilior est sententia negans, quam sequuntur Suar. Conine. Sot. & Alan. quos refert, & sequitur Laym. *num.* 4. Filliuc. *num.* 45. Bonac. *num.* 2. aliique penes ipsos; & probatur, tum quia excommunicatus contritus adhuc est excommunicatus, donec absoluatur; excommunicatio autem, quamdiu non aufertur, suos effectus operatur, inter quos est etiam hic, quod priuat communibus Ecclesiæ suffragiis; tum quia alioqui excommunicatus contritus nondum absolutus posset eodem modo accedere occultè ad recipienda Sacramenta, vel ad occultè celebrandum; quod tamen non admittunt Aduersarij: qui proinde, sicut non existimant Ecclesiam minùs piam ex eo quòd excludat excommunicatum contritum à Sacramentis, ità nec debent dicere illam esse minùs piam ex eo quòd illum excludat à communibus suffragiis; tum denique, quia excommunicatio est pœna externa, quæ etiamsi lata sit ob culpam, durat tamen, ea sublata coram Deo, donec auferatur etiam coram Ecclesia.

Nec obstat, quòd excommunicatus contritus, cùm sit in gratia, gaudet communione fidelium in bonis operibus, de qua dicitur in symbolo, ergo etiam participabit de communibus suffragiis, de quibus participant alij fideles.

Respond. enim negando paritatem: si quidem communio de qua in symbolo, non pendet ex intentione operantis, sed sequitur ex natura charitatis ob solam bonorum societatem: quatenus scilicet, quò singula membra Ecclesiæ sunt meliora, eò etiam fit gratius totum corpus Deo, adeóque maiorem habet prouidentiam singulorum ob cæterorum societatem; at communio suffragiorum consistit in hoc, vt aliquis sit vnus ex iis, pro quibus Ecclesia orat, & applicat suas satisfactiones, indulgentias, & merita de congruo: qualis certè non est excommunicatus, quem Ecclesia positiuè excludit ab ista communio- 16.

ne,

ne, & participatione; vt constat ex *cap. à nobis de sent. excommunic.* quòd, cùm excludat excommunicatum à communibus suffragiis, nullam facit distinctionem inter excommunicatum contritum, & non contritum: lex autem generaliter loquens generaliter debet intelligi.

Qværes V. An, & qualiter Regulares vi excommunicationis priuentur susceptione Sacramentorum.

16. Respond. priuati, siue sint excommunicati vitandi, siue tolerati: & probatur, tum quia ante Concilium Constantiense excommunicati, etiam tolerati prohibeantur recipere Sacramenta: in præsentia autem nullus fauor ipsis concessus est, nec in vllo fuerunt releuati, vt patet ex dictis; tum quia si participatio Sacramentorum non esset ipsis prohibita, nec esset quæcumque alia, vt in diuinis Officiis, &c. cum sit par ratio omnium: sicque via vllum esset discrimen inter excommunicatum toleratum, & non excommunicatum; quod non est admittendum. Ita Sayr. *l. 1. de Censur. cap. 3. n. 27.* Filliuc. *tract. 12. n. 55.* aliique communiter apud Couar. *in cap. Alma mater 1. p. §. 2. num. 11.* qui tamen concedunt, cùm præceptum Ecclesiæ cedat præcepto naturali, quod quia habet vitandi infamiam, scandalum, aut periculum mortis, posse excommunicatum, etiam vitandum in tali casu recipere Sacramenta, & quidem non solùm validè, sed etiam licitè.

17. Dico *non solùm validè, sed etiam licitè*, ad indicandum esse quæstionem inter DD. an Sacramenta recepta ab excommunicato sint valida: quamquam difficultas esse possit solùm de Sacramento Pœnitentiæ; si quidem loquendo de aliis, certum est ea validè recipi ab excommunicato: cùm ex vna parte excommunicatio non reddat personam incapacem illorum, & ex alia non impediat quidquam eorum, quæ pertinent ad substantiam Sacramenti. Quòd ergo spectat ad Sacramentum Pœnitentiæ, tunc demum excommunicatus, inualidè recipit hoc Sacramentum, quando in eius susceptione peccat mort. (vt si sciens se non posse confiteri, nisi priùs absoluatur ab excommunicatione, nihilominus velit confiteri, &c.) secùs, si in eius susceptione nullum mort. peccatum committat. Ratio disparitatis est, quod in priori casu apponitur peccatum mort. quòd cùm sit contra substantiam Sacramenti Pœnitentiæ, illud reddit irritum; vt tradunt DD. in materia de confessione; in posteriori verò casu non apponitur quidquam, quòd sit contra substantiam Sacramenti; cùm excommunicatio sit tantùm vinculum, quòd habet adiunctum præceptum non recipiendi Sacramenta, adeóque eorum receptionem solùm facit illicitam, non autem inualidam; imò nec illicitam, si extet causa aliqua excusans recipientem à peccato; vt si excommunicatus inuincibiliter ignoret se esse irretitum excommunicatione, aut bona fide credat se posse confiteri, non obstante excommunicatione; est communior DD. apud Filliuc. *supr. num. 59.* contra Maiorem, Syluest. Gabr. S. Anton. Sot. & Ledesmam apud eumdem Filliuc. oppositum sustinentes, quorum rationes affert, & soluit ipsemet Filliuc. *num. 60.*

Qværes VI. An, & quomodo Regulares vi excommunicationis prohibeantur ministrare Sacramenta.

18. Respond. prohiberi, si sint vitandi: & quidem sub pœna irregularitatis, quàm incurrunt, quoties cumque illicitè ministrant aliquod Sacramentum, vt manifestè colligitur ex *cap. si celebrat. de Cler. excommunic. ministr.* secùs, si sint tolerati, dummodo non se ingerant, & inuitent ad Sacramentum. Ratio responsionis est, quod excommunicatio maior ex sua propria ratione aufert facultatem ministrandi Sacramenta, vt constat ex dictis *q. 3.* ius autem, quoad hoc, nihil concedit excommunicatis vitandis, sed solùm toleratis, vt ostendimus; hi enim hoc ipso quòd fideles non excommunicati possunt licitè communicare cum illis, etiam in Sacramentis, (vt habetur *in Extrauag. ad euitanda*) vtique & illi poterunt licitè ea ministrare; cùm recipere, & ministrare sint correlatiua, & consequenter vno eorum concesso, & aliud necesse sit concedi; est communis DD. & certa penes Filliuc. *num. 68. & 69.* quamuis (quod spectat ad vitandos) concedendum sit eos in casu necessitatis posse ministrare Sacramenta, & quidem non solùm Baptismi, ac Pœnitentiæ (si non adsit alius, qui in extrema necessitate ministret,) sed etiam Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis iis, qui morituri aliud Sacramentum suscipere nequeunt; quod inter alios notat Laym. *supr. num. 5.* ex Nauar. Suar. & Auila.

An verò excommunicatus vitandus validè ministret Sacramenta, si id faciat extra casum necessitatis temerè, & mala fide.

Respond. validè ministrare, excepto tamen Sacramento Pœnitentiæ. Ita Bonac. *part. 1. §. 4. num. 1.* ex Vgol. Suar. Sayr. Henriq. Vasq. & aliis, Laym. *supr.* Filliuc. *num. 77.* aliique, & probatur, quia ex vna parte Sacramenta sunt valida, quoties adest materia, forma, & intentio Ministri, quæ omnia concurrunt, dum excommunicatus vitandus confert Sacramenta, si excipiatur Sacramentum Pœnitentiæ; ex alia parte excommunicatus vitandus caret iurisdictione (vt diximus *q. 3.* & infrà probabimus) Sacramentum autem Pœnitentiæ non potest validè administrari absque iurisdictione: quippe quòd vltra potestatem Ordinis requirit etiam potestatem iurisdictionis (intellige, nisi iuxta alibi dicta error communis, & titulus coloratus suppleant iurisdictionem ex *l. Barbarius, ff. de offic. Prætoris*;) idque siue adsit bona fides pœnitentis, siue non; bona quippe fides excusat à peccato, sed non præbet valorem actui, vt omnes concedunt. 19.

Grauior dubitatio est, an excommunicatus vitandus validè absoluat saltem à peccatis venialibus.

Respond. Diana *p. 5. tract. 9. resol. 84.* ex Vasq. probabile esse, quòd possit; probátque ex eo, quod Sacerdos iure diuino, quoad venialia, habet iurisdictionem, & materiam sufficienter applicatam; itavt Ecclesia non possit per censuras impedire talem potestatem: oppositum docent Præpositus, Raynaud. & Auila penes ipsum Dianam, & sine dubio probabiliùs; cùm probabilius sit iurisdictionem, ac potestatem absoluendi à venialibus competere Sacerdoti, non iure diuino, sed Ecclesiastico, adeóque posse & tolli, & suspendi ab Ecclesia; sicuti de facto eam suspendit, quoad excommunicatos vitandos. 20.

Illud etiam hîc quæri potest, an Religiosus excommunicatus toleratus licitè ministret Sacramenta, si id faciat, non petitus ab iis, quibus ea administrat, sed expositus à proprio Superiore Monasterij, eo quod v. g. adsit penuria Confessariorum, & aliorum Sacerdotum.

Respond. quòd, licèt DD. communiter asserant excommunicatum toleratum, tunc demum posse ministrare Sacramenta licitè, & validè, quando petitur à fidelibus, nullámque mentionem faciant de præsenti casu; nihilominus puto beneficium Extrauagantis *ad euitanda* suffragari etiam in casu hîc proposito. Ducor, quòd, vbi militat eadem ratio, militat 20.

eadem

eadem iuris dispositio; ratio autem, quæ militat adhoc, vt Religiusus excommunicatus toleratus licitè possit ministrare Sacramenta, quando petitur à fidelibus, militat item in casu, quo ille à Superiore regulari motu proprio ad talem effectum exponitur; siquidem etiam in hoc casu saluatur, quòd excommunicatus non se ingerit, neque in vlla re releuatur: cum potiùs releuetur Superior, qui sic consulit necessitati occurrenti propriæ Ecclesiæ, & promoueatur bonum spirituale fidelium; qui proinde in tali casu dici possunt interpretatiuè petere; ita docti Neoterici à me consulti, & satis probabiliter.

Illud prætereà inter DD. controuertitur, an fideles licitè possint petere Sacramenta ab excommunicatis toleratis, etiam secluso casu necessitatis, aut maioris vtilitatis; eo quod v. g. desit alius, qui æque vtiliter ministret.

22. Respond. Diana *supr. resol* 133. ex Soto *in 4. d.* 22. *q.* 1. *art* 4. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 9. *n.* 8. & Laym. *supr. cap.* 4. *n.* 5. posse; probátque ex eo eo, quòd Conc. Constantiense fidelibus absolutè concedit facultatem communicandi, cum excommunicatis toleratis tam in sacris, quàm in politicis: vbi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus: imò lex generaliter loquens generaliter debet intelligi, præsertim, si sit fauorabilis (qualis sine dubio est ea, de qua hîc.) Oppositam sententiam communiter sustinent DD. apud eumdem Dianam, eo nixi fundamento, quòd, sicut excommunicatus toleratus peccat ministrando Sacramenta extra casum necessitatis, cùm per se indecens videatur, vt præcisus ab Ecclesia sine necessitate obeat publica ministeria: ita & peccabit, qui id ipsum petit ab illis sine necessitate: verùm hoc fundamentum esse falsum constat ex modò dictis, idcóque non facit contra nos, cùm nitatur falsa hypothesi.

Qværes VII. An Regulares priuentur diuinis Officiis hoc ipso, quòd sunt excommunicati, & quo modo.

23. Pro responsione suppono ex *cap. si quis Episcopus* 4. 11. *q.* 3. *& cap. is cui de sentent. excommunic. in* 6. ex communi interpretatione Doctorum, ac consuetudine, & communi vsu Ecclesiæ, hîc nomine diuinorum Officiorum venire officium Missæ: 2. Officium canonicum: 7. horarum canonicarum: 3. publicas Processiones: 4 omnem publicam orationem, aut benedictionem, quæ ex Ecclesiæ, aut Christi institutione fit solemniter, & est annexa alicui Ordini, siue sacro, siue ex minoribus: 5. solemnem benedictionem Aquæ, Palmarum, Candelarum, & multò magis consecrationem chrismatis, & similia his suppositis.

24. Repond Regulares vi excommunicationis priuari diuinis Officiis, siue sint excommunicati vitandi, siue etiam tolerati: non tamen omnibus eodem modo; cùm Missa quidem prohibeatur absolutè, ita vt eam nec dicere, nec audire, nec ei interesse possint; horis verò canonicis solùm publicè, ne scilicet eas recitent in publico, & solemniter, aliàs obligati ad eas priuatim recitandas. est communis DD. apud Sayr. *supr. cap.* 3. *num* 18. & probatur, tum ex *cap. sicut Apostoli, cum tribus seqq.* 11. *q.* 3. *cap. nuper de sent. excommunic. & cap. alma eod. in* 6. tum quia excommunicatis prohibita est communio fidelium simpliciter; exercendo autem munera ad diuina Officia spectantia communicatur cum fidelibus, vt patet, idque etsi excommunicati sint tolerati; cum enim ex Conc. Constant. nullus fauor ipsis conferatur, & alioqui in ipsorum fauorem cedat vsus diuinorum Officiorum, sequitur talem vsum ipsis non concedi, quantumuis sint tolerati.

Vnde infero iuxta dicta *q. præced. §. vnum hîc quæri potest*; quod si Regularis sit excommunicatus toleratus, & Superior monasterij ei præcipiat, vt, non non obstante excommunicatione, obeat aliquod ex diuinis Officiis (v g. vt canat horas in Choro, vt accedat ad publicam processionem, &c.) poterit hæc omnia licitè præstare; cùm id non redundet in fauorem personæ excommunicatæ, sed aliorum; quod intendit Conc. Constantiense Indulgens fidelibus, quòd possint modo supradicto communicare, cum excommunicatis toleratis. 25.

Qværes VIII. Quo modo Regulares vi excommunicationis priuentur diuino Officio Missæ.

Respond. cùm distinctione: vel enim sunt excommunicati vitandi, & sic absolutè non possunt dicere Missam, neque ei interesse, præterquam in casu necessitatis, ad cauendam infamiam, vitandum scandalum, &c. vel sunt tolerati, & sic non possunt quidem se ingerere ad celebrandum, aut audiendam Missam, possunt tamen vtrumque præstare, si ab aliis petantur in morali necessitate petentiū; vt benè aduertit Suar. *supr. D.* 11. *sect* 4. *num.* 14. id inde colligens, quod in Extrauag. *ad euitanda* dicitur fideles participare posse, cùm excommunicato tolerato non modò in Sacramentis, verùm etiam in quibuscumque aliis diuinis; cùm tamen Missa sit præcipuum inter diuina. Ratio responsionis est, quod quilibet excommunicatus generaliter priuatur communione, & participatione in diuinis; qualis vtique supponitur in celebratione, & auditione Missæ; vnde fit, quòd si aliunde ipsi non indulgeatur, vt possit modò supradicto participare, talis participatio ei omnino denegetur; constat autem ex dictis talem participationem, non indulgeri, nisi quoad excommunicatos toleratos, non item, quoad vitandos; adeóque illi solùm, non hi poterunt Missam, & audire, & celebrare. Quamquam neque illi possint se ipsis ad hæc se ingerere, cum Ecclesia per eam indulgentiam non intendat fauere ipsis, sed fidelibus non excommunicatis, vt sæpiùs dictum est; est communis DD. apud Bonacinam *supr. p.* 3. §. 1. *n.* 1. patétque tum ex dictis; tum ex *cap. vlt. de sent. excommunic. in* 6. si solùm aduertero excommunicatum multis aliis modis priuari sacrificio Missæ; primò enim non potest pro ipso offerri Missa, vt constat ex *q.* 4. non potest 2. cooperari ad illam, dando Sacerdoti Eleemosynam ad hunc finem, aut eam mandando: 3. ea non potest celebrari coram excommunicato vitando, cùm id importet communionem in diuinis probibitam *cap. is qui de sent. excommunic. in* 6. deniquè non licet assistere Missæ, cui coassistit excommunicatus vitandus; cùm assistentes vni, ac eidem Missæ communicent inuicem, sicut & cum Sacerdote; quod est prohibitum. 26.

Dices, quid ergo agendum, si excommunicatus vitandus velit interesse officio Missæ, non obstante, quòd sit monitus exire, &c.

Respond. primò, non esse inchoandam Missam, nisi monitus exeat: 2. si nolit exire, vi potest expelli, esto sit Clericus, aut Religiosus (idque absque periculo, quòd incurratur excommunicatio ob eius expulsionem: 3. si Missa est inchoata, non debet absolui, sed prætermitti, si nondum cœptus sit Canon: 4. si cœptus sit Canon, sed non Consecratio ab iis verbis, *qui pridie quam pateretur*, deberet omitti Missa, teste Sayro *l.* 2. *de cens. cap.* 11. *num.* 4. 5. si Consecratio cœpta sit modo dicto, perfici debet Missa vsque ad sumptionem inclusiuè, & consumptionem: 6. omitti 27.

6. omitti debent postcommunin, & aliæ preces, complendæ posteà in Sacristia: 7. quicumque assistebant Missæ, debent egredi ab Ecclesia, excepto vno Celebrante, ac Ministro, ita vt ex assistentibus remaneat solus excommunicatus (quamquàm, si hic assisteret vni Missæ, possent alij in eadem Ecclesia assistere alij Missæ, quæ eodem tempore diceretur in alio Altari, cùm sic non adsit vera communicatio inter illos, & excommunicatum, vt patet:) ita Filliuc. *tract. 12. num 90.* aliique communiter addentes: secùs dicendum de excommunicato tolerato, qui sine dubio assistere potest, cum aliis etiam eidem Missæ: dummodo ipse ad id non se ingerat, & ab aliis petatur, vt iam non semel dictum est; quin etiam talis excommunicatus potest inseruire Missæ, si ab aliis requiratur: & hoc etsi adsit alius, qui æquè bene inseruire possit: idque ob rationem modò allegatam, & ob dicta *q. 6. §. illud præterea.*

Qværes IX. An & quo pacto Regulares vi excommunicationis prohibeatur recitare diuinum Officium horarum Canonicarum.

28. Respond. quòd, cùm DD. apud Filliuc *sup. num. 92.* communiter asserant excommunicatum, si sit Clericus, Beneficiatus, aut Religiosus professus teneri recitare priuatim horas canonicas (quod etiam nos probamus *in tract. de obligat. cap. 7. sect. 2. q. 7.* quoad Religiosos professos:) sequitur Religiosum excommunicatum prohiberi solùm recitare diuinum Officium publicè, & solemniter in Choro; absolutè quidem, si sit vitandus; si verò sit toleratus, non se ingerendo tali recitationi; quod dico ad ostendendum excommunicatũ toleratum ex beneficio Concilij Constantiensis, si ab illis petatur, posse licitè horas recitare in publico Choro; cùm id non cadat in fauorem personæ excommunicatæ, cui Concilium nullatenus vult fauere, sed aliorum, vt patet; ita Layman. *supr. num. 6.* ex communi DD. sententia notans excommunicatum recitantem horas canonicas non posse dicere *Dominus vobiscum*; cùm hæc verba significent communicationem publicæ personæ, id est, Sacerdotis, aut Diaconi, cum populo, quæ est interdicta excommunicato, adeóque loco illorum verborum teneri dicere *Domine exaudi orationem meam*; quamquam, si excommunicatus in priuata recitatione dicat *Dominus vobiscum*, non ideò censendus sit peccare mortaliter; si quidem Diana *supr. resol. 93.* cum Corneio, Mercero, & Laym. docet eum peccare venialiter; quibus adde Auilam, & Hurtadum sustinentes eum ne venialiter quidem peccare: quod est contra communem aliorum DD. sententiam; vt aduertit Diana *ibi*, reprobans Nauarrum, & Maiorem docentes excommunicatum dicentem etiam in priuata recitatione *Dominus vobiscum*, incurrere irregularitatem; quod nullo modo admittendum est. Imò si excommunicatus toleratus ab aliis petitus recitet publicè in Choro; puto quod neque venialiter peccat, etiam si dicat *Dominus vobiscum*; sic quippe potest communicare cum aliis, & consequenter cessat ratio præsentis prohibitionis.

An verò excommunicatus vitandus peccet mortaliter, si recitet diuinum Officium priuatim simul, cum aliis.

29. Respond. non peccare mortaliter, cum talis communicatio non sit illa communicatio in diuinis, quæ per se primò prohibetur per excommunicationem maiorem, sed alia longè inferiòr, qualis est alia, quæcomque communicatio in humanis, quæ generatim interdicitur excommunicatis; vt proinde, secluso contemptu, & scandalo hac in re non videatur subesse materia grauis sufficiens ad peccatum mortalé quamuis enim actio recitandi diuinum Officium sit grauis, in ea tamen iuuari ab alio, vel alium iuuare priuatim in ratione communicationis leue esse videtur, adeóque insufficiens ad peccandum mort. dico mortaliter, in tali enim casu concedunt DD peccari venialiter, cùm in tali recitatione interueniat ad minus communicatio in humanis, quæ iuxta infrà dicenda prohibetur saltem sub culpa veniali. Ita Suar. *D. 12. sect. 2. num. 18.* Filliuc. *num. 93.* aliique penes ipsos: quorum doctrinam censeo non habere locum in excommunicato tolerato; quem, si petatur, & non se ingerat, constat ex dictis posse Officium absque vllo peccato recitare cum alio, non solùm priuatim, sed etiam publicè, & solemniter in Choro.

Qværes X. An, & quomodo Regulares excommunicari possint concionari, vel legere Theologiam, aut Scripturam sacram.

30. Respond. quòd, cum sacra concio, & lectio Theologiæ, vel diuinæ Scripturæ non comprehendantur sub nomine diuini Officij; vt tradunt DD. communiter ex *cap. responso de sent. excommunic.* vbi excommunicatis permittitur concionari, dummodo ab eis nullum diuinum Officium celebretur (quòd est contra distinguere diuinum Officium à concione;) sequitur Regulares excommunicatos posse concionari, & legere Theologiam, seu Sacram Scripturam absque eo, quod violent intra prohibentia excommunicatis excommunicationem in diuinis Officiis: siue sint tolerati, siue etiam vitandi; quamquam ex alio capite peccare possint, quatenus habentes concionem, aut lectionem Theologiæ, vel Sacræ Scripturæ communicant cum astantibus in sermone: quod est prohibitum excommunicatis (non tamen sub peccato m. sed tantùm sub veniali, vt iam dictum est) vitandis quidem simpliciter, & absolutè; toleratis verò, si ad hæc spontaneè se ingerant: secùs, si id faciant in aliorum fauorem, exigentibus his ius suum, vel id postulet aliorum necessitas. Ita Filliuc. *supr. num. 86.* aliique communiter, qui benè monent excommunicatum concionantem non fieri irregularem, eo quòd actus concionandi non sit actus ordinis. (Quantumuis fiat solemniter, & quasi ex Officio) vt falsò existimat Nauar. *cap. 27. num. 163.* sed tantùm iurisdictionis, iuréque solùm humano olim statutum fuerit, vt soli Sacerdotes concionentur *in cap. adycimus 16. q. 1.* vnde in præsentia & Diaconis generaliter, & aliis ex priuilegio tantùm Clericis, aut etiam Laicis conceditur, vt docet experientia.

31. Vnum hîc moneo quòd, licèt excommunicatus vitandus sine peccato, etiam veniali possit interesse concioni ratione vtilitatis spiritualis, quæ inde ipsi prouenit, non ideò tamen potest interesse lectioni Theologiæ, aut Sacræ Scripturæ, &, si intersit; peccat venialiter, cùm sic cesset ratio excusans à peccato hoc ipso, quòd talis lectio non ordinatur ad permouendum affectum (vt concio) sed intellectum: quamquam non idcirco lector teneatur omittere eiusmodi lectionem, sicut nec alij audientes non excommunicati tenentur recedere, cùm ex sola coassistentia excommunicati vitandi, cùm non excommunicatis non consurgat ea communicatio humana, quæ iure prohibetur excommunicatis.

Qværes XI. An Regulares excommunicati possint interesse publicis Processionibus tam propriis, quàm communibus.

32. Respond. non posse, nisi eo modo, quo diximus *in tract. de obligat. cap. 11. quæst. 13.*

Qværes XII. An, & quo modo Regulares

excommu

excommunicati possint vti Sacramentalibus, (v. g. aquæ benedicta.)

33. Respond. posse, si ea adhibeant, non tanquam media ad lucrandas satisfactiones, aut indulgentias (his enim iam diximus priuari excommunicatos) sed tanquam circumstantias ad pios, ac religiosos actus priuatim exercendos, quorum vsus vtique non interdicitur excommunicatis; vt constat vsu ipso, ac consuetudine recitandi Psalmos Pœnitentiales, adorandi sacras imagines, aliáque id genus obeundi, quæ passim fieri solent ab excommunicatis. Ita Filliuc. *n.* 101. & alij communiter asserentes apud Suar. *supr. sect.* 3. *num.* 5. vi excommunicationis non prohiberi excommunicatos, quin ingredi possint Ecclesiam, dummodo tunc in ea non celebrentur diuina Officia; siquidem neque in vniuersali prohibitione communicandi, cum aliis, neque in vlla speciali continetur talis prohibitio: *& cap. Episcopus* 2. *de Consecrat. d.* 1. quòd alioqui videtur obstare, præcipit Ostiariis solùm, vt eiiciant ab Ecclesia excommunicatos eo tempore, quo diuina celebrantur: quod est dicere eos posse aliis temporibus relinqui in Ecclesia, nec inde esse excludendos: cum *exceptio firmet regulam in contrarium.*

QVÆRES XIII. An Regulares vt excommunicationis priuentur Ecclesiastica sepultura, & quando.

34. Respond. priuari, si sint excommunicati vitandi: secùs, si sint tolerati. Ita Vgol. *de Censur. tab.* 2. *cap.* 9. §. 5. *&* 6. Sayr. *l.* 2. *de Censur. cap.* 4. *num.* 13. Vict. *in summ. de Euchar. quæst.* 90. aliique penes Bonac *supr.* §. 3. *num.* 1. & probatur, quia ex vna parte excommunicatus priuatur omni communicatione in spiritualibus, talis autem communicatio interuenit in Ecclesiastica sepultura, vt patet; ex alia parte post Concilium Constant. illi soli excommunicati arcentur à communione fidelium, qui sunt vitandi, ac proinde cùm tolerati non excludantur à consortio fidelium, hoc ipso, quòd hi possunt cùm illis communicare in vita etiam, quoad diuina, poterunt, & iisdem communicare post mortem eos tradendo sepulturæ Ecclesiasticæ.

Quòd si quæras, quid intelligatur per locum sacrum, in quo excommunicatus vitandus prohibetur sepeliri.

35. Respond. intelligi non solùm Ecclesiam, & cæmeterium ritè consecrata, aut benedicta (idque etsi cæmeterium sit seiunctum ab Ecclesia) sed etiam quemlibet alium locum auctoritate Episcopi, aut ex consuetudine destinatum ad peragenda diuina Officia, aut sepelienda corpora defunctorum: idque esto talis locus non sit benedictus. Ita Suarez *supr. sect.* 4. *num* 6 Bonac. *in* 3. aliique communiter; qui item rectè aduertunt excommunicatos vitandos esse priuatos eo honore funebri, qui est proprius fidelium, vtpote, qui ordinatur ad Ecclesiasticam sepulturam, & consequenter cessat hoc ipso, quòd cessat ius obtinendi dictam sepulturam; præterquam quod honor funebris importat quamdam communionem cùm fidelibus, adeóque etiam ex hoc capite interdicitur excommunicatis iuxta *cap. placuit* 23. *quæst.* 5.

36. Pœna autem, quam incurrunt ij, qui in loco Sacro sepeliunt excommunicatum vitandum, est excommunicatio, à qua non possunt absolui, antequam parti ex arbitrio Episcopi satisfecerint Clem. 1. *de sepult.* imò etiam excommunicatio minor ex *cap. Sacris de sepult.* vbi dicitur *non communicamus defunctis*, quod tamen negat Bonac. *num.* 9. cum Suar. dicens minorem excommunicationem mutatam esse in maiorem; præterea locus tali sepultura polluitur, & debet reconciliari, cadauere inde extracto, & in locum prophanum proiecto; nisi fortè illius ossa ita fuerint permixta reliquiis fidelium, vt discerni nequeant: quo casu debent ibi relinqui *cap. Sacris* modò *cit.* Ita Coninch. *supr. num.* 60. Filliuc. *n.* 110. Bonac. *num.* 8. aliique communiter benè addentes ad contrahendam supradictam excommunicationem maiorem (quæ item incurritur à sepelientibus in loco sacro interdictus, & manifestos vsurarios) temerariam audaciam requiri: & quod propriis manibus sepeliant excommunicatum, inquit Bonac. *vbi supr.* ex Henriq. Auila, & aliis, Caiet. *ver. excommunic. cap.* 46. Nauar. *cap.* 27. *n.* 137. & multi alij viri doctissimi, ob quorum auctoritatem dicit Coninch. *num.* 67. istam sententiam videri non esse improbabilem; præsertim attenta doctrina illa generali, quòd verba pœnam importantia debent accipi in sensu rigoroso, & quod verba istius legis verè possunt in rigore ita accipi. Quomodo talem excommunicationem non incurrerent comitantes cadauer, cantantes, Crucem portantes, foueam extruentes, mandantes, consulentes, & alij similes; quod tamen negant Suar. *supr. num.* 10. Filliuc. *num.* 151. Coninch. *num.* 68. & alij sustinentes eum hîc dici sepelire, qui mandat sepulturam, aut eam procurat; non item comitantes cadauer, & alios supra nominatos, sicut neque cooperantes remotè, aut negatiuè, eo quòd scilicet non impediant, cùm possint; nisi fortè fauor tantus esset, vt iure, dicerentur auctores: quod notat Filliuc. monens *num.* 152. Clericos exhibentes excommunicato funebrem honorem non incurrere irregularitatem; cùm talis irregularitas non extet in iure, & irregularitates non contrahantur, nisi in casibus expressis.

Porrò, quamuis Caietan. *supr.* & alij putent hac prohibitione comprehendi omnes excommunicatos siue vitandos, siue toleratos; probabile tamen censet Layman *supr. num.* 9. §. *dico* 2. cum Nauar. & Henriq. non comprehendi toleratos; probátque, tum quia eadem est ratio sepulturæ, quæ diuinorum Officiorum, ac suffragiorum; quandoquidem ob hanc causam fideles in loco Sacro sepeliuntur, vt participes sint suffragiorum (sicut notat Suar. *supr. num.* 2.) probabile autem est licitum esse publicas orationes, & sacrificia offerre pro excommunicatis non vitandis, vt diximus *supr. q.* 4. tum quia causa, cur negatur excommunicatis Ecclesiastica sepultura, est ea, quæ affertur *cap. Sacris de sepult. Vt quibus viuis non communicamus, neque mortuis communicemus;* ergo à sensu contrario, quibus viuis potuimus communicare, & communicare poterimus mortuis per Ecclesiasticam sepulturam. à Layman. non dissentit in totum Coninch. *num.* 61. qui viam secutus mediam cum Auila *part.* 2. *de Censur. cap.* 6. *D.* 9. *d.* 6. docet non licere quidem sepelire in loco Sacro excommunicatos toleratos, quia hoc directè cederet in fauorem eorum; non ideò tamen sepelientes incurrere præfatam excommunicationem, eo quòd iam licitum sit cùm ipsis communicare; nisi fortè sepeliantur hæretici, quos absolutè sine respectu ad excommunicationem *cap. quicumque de hæret. in* 6. prohibemur sepelire in loco Sacro; dico *sine respectu ad excommunicationem*, vt indicem, quòd, cùm hoc cap. satis apertè loquatur de hæreticis per sententiâ damnatis, consequenter qui sepelit modo dicto hæreticum non denunciatum, non incurrit excommunicationem hîc latam, esto aliàs peccet: cùm fideles prohibeantur, quidem hæreticos præcisè, vt tales, etiam abstrahendo à quacumque censura, non

item 37.

item eos ſepelire in loco Sacro, niſi ſint denuntiati, & conſequenter vitandi.

38. Accedit quòd, quantumuis excommunicatus vitandus moriens det ſigna contritionis, ſi non obtineat abſolutionem, adhuc non debet ſepeliri in loco Sacro; cum re vera adhuc ſit excommunicatus, adeóque ſubiaceant effectibus excommunicationis; inter quos eſt priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ; vnde curandum eſt, vt abſoluatur, ſicque gaudeat Eccleſiaſtica ſepultura: quòd ſi ante mortem fuit abſolutus, ſaltem in foro conſcientiæ, tunc vtique poteſt ſepeliri in loco Sacro, minimè poſita atteſtatione abſoluentis, quod illum verè abſoluit, &c. ita Suar. *ſupr. ſect. 4. num. 3.*

39. Quòd ſi quæras, an abſolutio collata excommunicato vitando morienti à perſona laica ſufficiat adhoc, vt ille poſſit ſepeliri in loco ſacro.

Reſpond. quòd, licèt Suar. Layman. Sot. Coninch. Villal. Couar. Garc. aliique communiter apud Dianam *part. 3. tract. 4. reſol.* 135. doceant non ſufficere ex eo, quod laicus non ſit capax iuriſdictionis Eccleſiaſticæ peritæ ad abſoluendum ab excommunicatione; nihilominus ipſe Diana cum Auila, Valero, Sanchez, Ledeſm. Rague. putat eſſe probabilem etiam oppoſitam ſententiam; probatque *part. 5. tract. 9. reſol* 7. ex eo quod vir baptizatus eſt capax iuriſdictionis Eccleſiaſticæ neceſſariæ ad abſoluendum ab excommunicatione (intellige, etiamſi ſit Laicus, de poteſtate tamen abſoluta Papæ, vt notat Bonac. *de cenſur. in comm. D. 1. quæſt. 1. part. 2. num. 4.*): ergo piè credendum eſt, quod, ſicut in articulo mortis quilibet Sacerdos poteſt abſoluere à quibuſcumque etiam reſeruatis, ita & quilibet Laicus pro eo articulo recipiat ab Eccleſia facultatem abſoluendi à quacumque excommunicatione: idque ad effectum, vt publicè oretur pro ſic abſoluto, eique tradatur Eccleſiaſtica ſepultura; quod non poſſet fieri, ſubdit Diana, à quouis poſt mortem, ſi cenſura eſſet reſeruata: ſi quidem quando aliquis non abſoluitur in vita à cenſura reſeruata, poſt mortem is non poteſt abſolui à quolibet Sacerdote, ſed ſolùm ab eo, cui reſeruatur, aut ab eius delegato.

QVÆRES XIV. An, & quo modo Regulares vi excommunicationis priuentur vſu iuriſdictionis Eccleſiaſticæ.

40. Reſpond. priuari, ſi quidem ſint excommunicati vitandi, vſu iuriſdictionis, & licito, & valido; ſi verò ſint tolerati, vſu tantùm licitò, quoad ſe, & in fauorem proprium; non item in fauorem aliorum, vnde fit, vt ſi ab his requirantur, licitè poſſit vti ſua iuriſdictione. Et certè quod vitandi priuentur vſu iuriſdictionis tam licito, quàm valido, conſtat ex eo, quod iuriſdictio non exercetur ſine hominum communione, quæ excommunicatis eſt interdicta; & in *cap. ad probandum de ſent. & re iudic.* dicitur ſententia à Iudice Excommunicato vitando eſſe caſſanda, id eſt declaranda irrita, & caſſa; & tamen, ſi ea fuiſſet valida, non eſſet cur irritaretur ob ſolam culpam iudicantis in re non eſſentiali deficientis. quod verò tolerati priuentur vſu iuriſdictionis ſolùm licito modo ſup. dicto, patet, quia, cùm alij poſſint agere cum excommunicato, & petere ea, quæ ſpectant ad eius officium, debent & licitè poſſunt petere: quod enim non poteſt fieri ſine peccato, abſolutè, & moraliter dicitur non poſſe fieri; ſi autem ipſi licitè petunt, vtique concedi debet, quod & Superiores licitè poſſint ad eorum fauorem ſuam exercere iuriſdictionem: alioqui poſſet iis ſubditis negari exercitium iuriſdictionis à Superioribus præfatis, ſicque ij fruſtrarentur ſuo fauore. ita Filliuc. *ſupr. à n.* 142. ex Suar. Bonac. *D. 2. q. 2. p. 5.* Coninch. *ſupr. à num.* 87. aliique communiter. Dixi *excommunicatos toleratos priuari vſu iuriſdictionis ſolum licito*; vt innuerem horum acta, etiam in caſu, quo illicitè fiant eſſe valida ex interpretatione, ac conceſſione Eccleſiæ; quæ vt non minori prouidentia conſulat vtilitati fidelium, quàm conſulat Reſpub. ciuilis vtilitati ſuorum iuxta *l. Barbari. ff. de offic. Prær.* ſupplet defectum iuriſdictionis: idque ..., quoad actus, qui fiunt in aliorum grauamen; quippe qui ferè ſemper, ſi vni ſunt in grauamen, alteri cedunt in fauorem, & conferunt ad bonum publicum, quod in tali iure principaliter intenditur; vt notauit Suar. *ſupr. D. 14. ſect. 1. num.* 10. Quin etiam ſup. dictus defectus iuriſdictionis ex præfata *l. Barbarius* ſuppletur in caſu, quo actus iuriſdictionis exerceatur ab excommunicato vitando in loco, vbi eius excommunicatio ſit occulta: quod concedunt DD. communiter.

41. Aduertit tamen Coninch. *num.* 89 ex communi DD. ſenſu, quod ſicut excommunicati tolerati peccant, ſpontaneè exercendo actus iuriſdictionis iuxta ſup. dicta: ita eorum actus in vtroque foro ſunt validi ſolùm pro tempore, quo contra ipſos non excipitur, & quamdiu ipſi non repelluntur; Eccleſia quippe non cogit ad communicandum cum excommunicatis toleratis, ſed tantùm permitit, & ſic citatus coram Iudice taliter excommunicato poſſit contra illum excipere: ita tamen, vt ſpeciem, & auctorem excommunicationis exprimat, & intra 8 dies eam euidenter probet; ſicut habetur *cap. 1. de except. in 6.*

Quamquam non ſine ratione hic dubitari poſſit, vtrùm Regulares ſubditi poſſint repellere proprium Superiorem monaſterij, qui ſit excommunicatus toleratus; & ratio dubitandi eſt, quòd Concilium Conſtant. non ipſis excommunicatis, ſed ſolùm aliis fidelibus fauorem, & gratiam conferre voluit: quod autem ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum *reg. 61. in 6.* Nemo beneficio inuitus vti cogitur *reg.* 70. vt proinde Laym. *ſupr. cap. 4. num.* 4 in terminis dicat licitum eſſe Regularibus, etiam in præſentia recuſare imperium, ſeu iuriſdictionem Abbatis excommunicati.

42. Verùm, cùm ipſemet Laym. dicat hanc doctrinam variis modis limitandam eſſe, & aliàs, quod Superior regularis non poſſit repelli in caſu propoſito cedat, non tam in fauorem Superioris excommunicati, quàm Religionis, quatenus ſic meliùs ſeruatur in ea debita ſubordinatio maximè conducens ad regularis diſciplinæ conſeruationem: non videtur improbabile præfatam doctrinam admittere hanc etiam limitationem; nimirùm, quod ea non habeat locum inter Regulares, ſaltem quando Superior eſt excommunicatus, non vt Superior, ſed tanquàm vir priuatus, & hoc ex probabili interpretatione iuris, quod, ſicut in ſimilibus caſibus ſummè fauet Religioni, eximendo Prælatos regulares ab obligatione ſeruandi apices iuris in cauſis ſuorum ſubditorum, ita & credibile eſt eos non comprehendi in iure concedente ſubditis, vt excipere poſſint contra proprium Superiorem excommunicatum toleratum. Certè Diana *part. 5. tractat. 9. reſolut.* 127. ex Megala aſſerit nullo modo poſſe Regulares (imò nec ſubditos alios, quicumque illi ſint) ab obedientia ſui Superioris ſe eximere, quamuis notorium ſit excommunicationis cenſuram illum incurriſſe, niſi priùs per ſententiam Iudicis declaretur Superiorem illum in illud crimen incidiſſe, & hoc ex eo probatur, quod, ſicut, quando aliquis ex legum diſpoſitione eſt ipſo facto, bonis, & iuribus ſuis ob excommuni-

municationem priuatus, & fisco bona, & iura illius sunt applicata; execurio de facto fieri non debet, nisi priùs super crimine fuerit declaratum, vt probatur ex *cap. cùm secundum leg. de heret. in 6.* ita quando Superior est suo officio ob excommunicationem priuatus, non debent subdito de facto, suo iure illum priuare, nisi priùs super crimine declaratum fuerit, idest, nisi priùs declaratum fuerit à Iudice auctoritatem habente illum Superiorem incurrisse excommunicationem, quæ ratio vtique facit in probationem huius responsionis, quam admiserunt alij docti viri consulti.

43. Hinc sequitur primò Prælatum regularem, qui est excommunicatus vitandus, neque licitè, neque validè posse exercere actus iurisdictionis Ecclesiasticæ suo muneri competentes; cuiusmodi sunt præcipere in virtute Sanctæ Obedientiæ: ferre leges, & statura; dare facultatem absoluendi à reseruatis; concedere Indulgentias, vel dimissorias: dispensare in votis, aut ea commutare; dare licentiam ministrandi Eucharistiam, aut extremam Vnctionem propriis subditis (quod tamen alij negant, sed minùs probabiliter iudicio Coninchi *sup. n. 100.*) excommunicare, aut ferre alias censuras: impertiri facultatem concionandi; & similia, quæ necessariò important exercitium iurisdictionis; non item admittere ad processionem religiosam, aut alteri eam admittendam committere; irritare vota Religiosorum subditorum: percipere, quantum patitur domestica, & ciuilis potestas, quæ competit cuicumque patrisfamilias, inferre pœnas non Ecclesiasticas: inire contractus ciuiles nomine monasterij, & daro alteri potestatem eos celebrandi; admittere Nouitios ad Ordinem: dare licentiam donandi, aut recipiendi, concedere facultatem exeundi è monasterio, aliáque id genus: quæ cùm sint actus non iurisdictionis, sed cuiusdam superioritatis, vt ingeniosè aduertit Sanchez *l. 5. in Decal. cap. 4. num. 78.* & talis superioritas non cesset in excommunicato, quamuis vitando, ij possunt exerceri à taliter excommunicato, vtpotè qui per excommunicationem solùm priuatur vsu iurisdictionis, quoad actum secundùm; qua de re Filliuc *num. 146.* Coninch. *num. 98. 99. 100.* Laym. *supr. cap. 2. num. 13.*

Dubium est an Prælatus regularis possit subditos approbare ad confessiones, si sit excommunicatus vitandus.

Respond. Cespedes *tract. de exempt. d. 140.* posse, cùm sustineat Episcopum excommunicatum vitandum posse licitè, & validè approbare Regulares ad audiendas confessiones, eo ductus fundamento, quòd talis approbatio non est actus iurisdictionis (cùm per eam Regularibus non conferatur iurisdictio ab Episcopo, vtporè eam habentibus à Papa) sicque potest exerceri ab excommunicato vitando; eadem autem ratio videtur militare in casu præsenti; cùm Regulares habeant iurisdictionem à Papa, etiam in ordine ad excipiendas Regularium confessiones; vnde non apparet, cur Episcopus vitandus possit approbare Regulares ad confessiones sæcularium, & non possit Prælatus regularis eos approbare ad audiendas confessiones eiusdem Ordinis; cùm Regulares in vtroque casu habeant iurisdictionem à Papa; præterquam quod in præsenti casu Prælatus approbans communicat cum subditis in re necessaria, ideóque, etsi sit vitandus, potest communicare iuxta dicta hìc *num. 58.* cum Cespede à fortiori sentiunt Bossius, Rodriq. Henriquez Facundez, Pontius Palud. & Syluester relati ad ipso Cespede generaliter docentes approbare ad confessiones non esse actum iurisdictionis: sicut nec est approbatio ad prædicandum, aut assistendum matrimonio: à quibus mordicus dissentit Bordonus *resolut. 36. num. 24.* cum Fabro, Bonac. Barbosa, & Henriquez, & quidem ex eo fundamento, quòd approbatio est actus iurisdictionis, quæ exerceri nequit ab excommunicato vitando. Nec mihi displicet opinio hæc Cespedes, sicut nec displicuit P. Zanetto viro doctissimo, mihíque amicissimo: qui benè aduertit in isto casu iurisdictionem conferri Religioso approbato, siue à iure, siue à Papa, facta deputatione à Superiore ad audiendas confessiones: Confessariis verò Societatis nostræ à P. Generali per communicationes subscriptas singulis paragraphis Compendij nostrorum priuilegiorum; vt constat ex præfatione dicti Compendij.

Sequitur secundò Prælatum regularem, qui est excommunicatus toleratus, posse non solùm validè, sed etiam licitè exercere actus iurisdictionis supradictos proprio muneri competentes, si vel requiratur à subditis in fauorem ipsorum, vel etiam exigat munus ipsius, & bonum spirituale subditorum, aut certè Religionis: & hoc ob rationes adductas *supr. §. verum*, &c. Ita Filliuc. *supr. num. 146.* Laym. *loco supr. cit.* & alij. 44.

Difficultas modò est, an manente suspensa iurisdictione Prælati regularis ob excommunicationem, ea itidem maneat suspensa in Religiosis, quibus ab eo fuerat delegata.

Respond. manere, si iurisdictio delegata sit in ordine ad forum contentiosum: secùs, si in ordine ad forum pœnitentiæ: Ita Suarez *supr. D. 2. sect. 3. num. 15.* & probatur, quia iurisdictio in priori casu est quodammodo dependens in conseruari à delegante, quamdiu per illam non cœpit operari, ideóque necesse est, vt iurisdictio principalis duret in ipso delegante; itavt, si hæc cesset in illo, siue per mortem, siue per excommunicationem, siue aliter, ea itidem cesset in delegato iuxta *cap. licèt, & cap. gratum, & cap. relatum de offic. deleg.* in posteriori autem casu iurisdictio delegata non pendet in conseruari à delegante; vt hinc patet, quòd neque per mortem concedentis spirat, vt fusiùs probat Sanchez *l. 8. de matrim. D. 28. num. 72.* & ostendit communis praxis Confessariorum, qui, mortuo Episcopo approbante, adhuc audiunt confessiones in vim approbationis obtentæ donec licentia reuocetur ab Episcopo successore, aut à Capitulo. 45.

Addo quod, cum Vicarius, & Prior; Minister, & Rector: aliique Superiores subordinati faciant vnum, ac idem tribunal (eo modo, quo illud faciunt Episcopus, & Vicarius;) si contingat Priorem, aut Rectorem fieri excommunicatos vitandos, eo ipso, etiam Vicarius, & Minister manent priuati iurisdictione, non minùs quàm Prior ipse, & Rector: siquidem detur dictis Superioribus subordinatis competere aliquam iurisdictionem: qualis certè non competit omnibus talibus Superioribus; vt constat de Ministro in Societate Iesu, qui nullam omnino habet iurisdictionem. Ita docti viri à me consulti; patétque ex iis, quæ DD. dicunt de Episcopo, & Vicario generali in simili quæstione. 46.

QVÆRES XV. An Regulares vi excommunicationis priuentur voce actiua, & passiua, & maximè ad eligendum.

Respond. priuari, si sint vitandi; non item, si tolerati: tunc enim priuantur quidem voce passiua, 47.

passiua, quatenus hæc cedit in commodum personæ excommunicatæ, cui neque Concilium Constantiens. intendit vllo modo fauere; non autem voce actiua, cùm hæc sit in commodum aliorum, quibus dictum Concilium intendit suffragari, vt patet ex dictis. Ita Filliuc. *num.* 217. aliique, & constat sufficienter, si solùm probetur excommunicatos vitandos priuari voce actiua, & passiua; adeóque (vt in simili notat Portel. *de dub. Regul. ver. vox actiua, & passiua, num.* 1. ex Nauar. *l.* 1. *consil. de elect. consil.* 6.) non posse in Capitulo collegialiter collecto dare vocem ad vllum actum ibi tractatum (v.g. suffragiorum pro admissione Nouitij) imò nec ad aliquid minoris negotij, neque posse in Capitulo passiuè eligi, aut nominari: probabitur autem infrà, dum ostenderimus Regulares excommunicatos vitandos esse incapaces prælatiarum regularium, & consequenter non posse ad illas validè eligi, cum implicet electionem fieri validè, & eam esse inualidam.

48. Ratio autem, cur excommunicati vitandi priuentur voce actiua, ac proinde non possint validè eligere, desumitur, tum ex *cap. cum inter* 1. *de elect. & cap. cum dilectus de consuetud. & cap. constitutus* 1. *de appellat.* tum quia excommunicatus est omnino suspensus ab Officio, ac beneficio; ideóque nihil eorum, quæ ratione Officij, aut beneficij ipsi conueniunt, agere potest: quorum tamen vnum est electio; tum quia electio computatur inter actus iurisdictionis, quatenus est actus cuiusdam publicæ potestatis, & ad commune bonum; ac regimen suo modo ordinatur; ergo, sicut alij actus iurisdictionis ioata dicta sunt inualidi, ita & erit electio facta ab excommunicato vitando. Ita Suar. *de Censur. D.* 14. *sect.* 2. *num.* 6. ex Gloss. Innoc. Abb. Couar. Syluest. & aliis, quos sequitur Filliuc. *num.* 150. docens ex Innoc. Abb. & aliis electionem factam cum admissione voluntaria excommunicatorum ad eligendum iuxta communem Canonistarum sensum esse irritam; ique in odium excommunicationis, & facere *cap. vlt. de procur.*

49. Porrò, licèt, quando ad electionem requiritur certus numerus electorum, existente aliquo ex iis excommunicato, electio sit nulla; vt constat ex *cap. ad probend. de re iudicata*, vbi est casus expressus: quando tamen requiritur omnium concordia, ex præsentia vnius excommunicati non redditur electio nulla; si quidem, cùm excommunicatus non sit habilis, eius concordia omnino est impertinens; cum sufficiat omnes habiles concordare; excipe, nisi requiratur certus numerus eligentium & iste non expleatur, nisi per excommunicatum. Ita Filliuc. *num.* 152. qui addit quod, quando ad electionem requiritur maior pars, vel duæ partes, tunc, si, exclusis excommunicatis, adhuc superest maior pars, vel duæ habilium, electio valida est, siue fiat publicè, siue secretò, dummodo constet adfuisse debita suffragia: si verò non supersit; tunc, si quidem electio sit publica, apparebit, an eligentes fauerint excommunicato electo, nec ne; &, si fauerint, electio est nulla; valida verò, si non fauerint ei, qui est affectus excommunicatione, sed non excommunicatis; cùm sic adsit sufficiens numerus; si autem electio sit secreta, tota est inualida ob incertitudinem. Vbi obiter notandum in computando numero suffragiorum habendum esse respectum solùm ad habiles, & exclusis excommunicatis: ita vt, si 10. conueniant, & 2. sint excommunicati, sex censeantur esse maior pars. Quòd si denique requiratur ad electionem consensus omnium eligentium, & vnus, aut plures eorum dissentiant; tunc, si electio est publica, vtique cognoscetur, an ij, aut illi; qui dissentiunt, sint idem, ac qui est excommunicatus, necne; si sunt, electio non vitiatur, cum sic omnes habiles consentiant, si non sunt, vitiatur, cum sic non verificetur, quod omnes habiles consentiant; si verò electio sit secreta, tunc electio est nulla propter incertitudinem, an is, qui dissentit, fuerit ex veris electoribus, necne, & quod moraliter præsumitur esse ex illis, eo quod plures sint. Ita Suar. *num.* 10. & cum eo Filliuc. *loco supr. cit.*

QVÆRES XVI. An, & quomodo Regulares vi excommunicationis prohibeantur eligi ad dignitates Ecclesiasticas intra Ordinem, aut extra.

Respond. prohiberi, &, si eligantur, electionem esse ipso iure nullam: siue illa excommunicatio sit 50.
à iure, siue ab homine; siue per sententiam generalem, siue per specialem; siue sit publica, siue occulta; siue sit nota excommunicato, ac electoribus, siue vtrisque ignota; siue excommunicatus sit denuntiatus, siue non: siquidem *cap. constitutus de appellat. cap. nos in hominem 9. q. 1 cap. postulastis de Cleric. excommunic. & cap.* 1. *de rescript. in* 6. in quibus fertur præsens prohibitio, loquuntur vniuersaliter, & vniuersaliter inhabilitant excommunicatum ad dignitates Ecclesiasticas; & quidem non solùm habentes curam animarum (qualis est Generalatus, Prouincialatus, Prioratus) sed etiam non habentes curam animarum (qualis est Definitoriatus, Discretatus, & similes:) siquidem ex *cap. postulastis* citato paulò ante excommunicatus est extra omnem Ecclesiasticam communionem, assumptio autem ad quamlibet Ecclesiasticam dignitatem magna est communicatio Ecclesiastica, vt notauit Panormitan. *in dict. cap. postulastis, num.* 1. & alij cum illo, ac proinde est prohibita excommunicato, ita Suarez *supr. Disp.* 13. *sect.* 1. *num.* 10. aliique apud Peytin. de R. P. *quæst.* 2. *cap.* 5. *num.* 2. patétque, tum ex iuribus modo allegatis, tum quia beneficium datur propter officium *cap. cum secundùm de præben.* ac proinde cum excommunicatus ipso iure sit suspensus ab officij executione, *cap. si, cui de sent. excommunic. in* 6. non potest ei conferri beneficium.

Quod autem dicunt Nau. Ricc. & Sà apud Peyr. 51.
n. 4. & quod Less. *l.* 2. *cap.* 34. *n.* 116. censet esse probabile, electionem factam in persona excommunicati ignorantis probabiliter suam excommunicationem, esse validam, adeóque post absolutionem retineri posse dignitatem eo modo obtentam; non videtur admittendum; cùm ignorantia inuincibilis excuset quidem à culpa, & interdum etiam à pœna, non tamen validet actum aliàs ab Ecclesia irritatum, nec inhabilem reddat habilem; vt benè aduertit Suar. *num.* 3. & Couar. Rebuff. & Abb. concedens tamen eum, qui in excommunicatione modo dicto beneficium obtinuit, si ratione beneficij aliquod officium, aut ministerium bona fide exercuit, posse ex fructibus beneficij iustè recipere congruam sustentationem pro ratione sui operis, &, si fortè etiam præter congruum stipendium plures fructus recepit; eósque bona fide consumpsit, non teneri aliquid restituere, nisi inde factus sit ditior: quæ sunt valdè notanda.

Accedit, quòd Regularis electus ad aliquam dignitatem Ecclesiasticam sæcularem, aut regularem, 52.
quo tempore non erat excommunicatus, potest eam & validè, & licitè acceptare, postquam incurrit excommunicationem; validè quidem, eo quod

quòd talis acceptatio nullo iore sit vetita (cùm tamen iura loquentia de collatione, & electione, tanquam pœnalia extendi non debeant ad acceptationem) licitè verò, co quòd non adsit ratio, cur dicatur hac in re peccare, cùm non acceptet pro co statu, in quo est excommunicatus, sed pro eo, quo erit absolutus, & (vt suppono) non intendat exercere officium donee absoluatur. ita Azor. *p.2.lib.6.cap.7. q.9.* Filliuc. *supr. n.*121. Garc. *de benefic.p.7.cap.*13.*à num.*35. aliique penes Peyr. *n.*8. qui bene monet excommunicatum, qui modo supradicto acceptat dignitatem, non posse acquirere possessionem dignitatis sibi collatæ, nisi priùs absoluatur: stante quòd
50 possessio fieri oequit sine excommunicatione, quæ ei est prohibita, *cap. cum excommunicato* 11. *q.*3. (intellige, nisi necessitetur ne perdas, & alioqui per ipsum non stet, qnin absoluatur:) quamquàm, vt ootat Azor *q.*10. talis acquisitio possessionis esset valida, vipote, qnæ consistit in facto, non autem in iure.

Vtrùm verò Regularis, qui est excommonicatus toleratus, validè & licitè eligi possit ad prælatias regulares, aliasque dignitates.

53 Respond quòd, licèt DD. communiter dicant non posse, & nos ipsi id diximos in responsione principali præsentis quæstioois ex co, quòd Extrauag. *Ad euitanda* (quæ sola potest præbere rationem dubitandi, quoad istam difficultatem) nullum fauorem intendat impertiri exeommunicatis; cùm tamen eligi ad dignitates redundet solùm in fauorem personæ excommuoicatæ; nihilominus, si detur idipsum cedere in fauorem Religionis (eo qoòd, v.g. maximè expediat ad bonum illius, quòd hic, aut ille Religiosus excommonicatus toleratus eligatur ad aliquam dignitatem) non videtur improbabile, quòd electio in tali casu esset & licita, & valida: cùm sic non faueatur Religioso excommunicato, nisi indirectè (quo pacto DD. communiter concedunt excommunicatum toleratum participare de fauore Extrauagantis *Ad euitanda*) & fauor principaliter cedat in bonum Religionis: vnde, sicut Peyrinus *supr. n.* 13. & alij dicunt excommunicatum toleratum posse eligere, eo quòd eligere sit in fauorem non eligentis, sed electi, & Ecclesiæ, ad quam eligitur, sicque saluetur finis præfatæ Extrauag. ita & noa dicere possumoa excommunicatum toleratum in
51 casu propusito posse eligi, eo quòd se eligi, sit in fauorem, non tam personæ electæ, quàm eligentis, ac Religionis; videtur enim esse par ratio, quoad vtrumque, adeóqoe probabiliter extendi potest ad vtrumque concessio supradictæ Extrauag. quæ cùm in tali casu sit fauorabilis Religioni, latam patitur interpretationem, esto alioqni deberet restringi, quatenus est correctiua iuris communia.

54 Monet autem Peyr. *n.*20. ex Gloss. aliisque DD. quòd, licèt eligens excommunicatum ad dignitates Ecclesiasticas, peccat mort. vtpore violans prohibitionem Ecclesiæ in re graui; & iuxta *cap. postulastis, de Cleric. excommun* tamdiu debeat priuari voce actiua, quamdiu veniam cousequatur à suo Superiore, iuxta verò *cap. cum in cunctis, §. fin. de elect.* sit ipso facto priuatus pro ea vice potestate eligendi, ac per triennium suspensus ab Officiis; quod tamen spectat ad electionem Superiorum regularium, pœna ista suspensionis de facto nou habet locum io præsentia: & hoe ex *cap. si compromissarius, §. huiusmodi, de elect.*
52 *in 6.* vbi Glossa hæc habet: *Illa pœna suspensionis à perceptione fructuum beneficiorum per triennium non habet locum, nisi cum peccatur in electione Episcopi, vel Superioris, & non intelligitur de electione Abbatum, vel aliorum inferiorum.*

Hìc dubitant DD vtrùm in casu, quo excommunicatus occultus eligatur ad aliquam dignitatem Ecclesiasticam, teneatur se prodere, si aliàs nequeat se subtrahere ab ea acceptanda.

Respond. Suarez *de censuris, D.*13.*sect.*1.*num.*31. 55
teneri, si excommunicatio sit talis, vt eius manifestatione non creetur scandalum, aut infamia; secus, si non possit manifestare absque propria infamia; tunc quippe potest acceptare dignitatem, & postea quàm primùm procurare dispensationem ab eo Prælato, qui habet potestatem conferendi talem dignitatem absque electione (v.g. à Generali, si excommunicatus sit electus io Prouincialem, & aliàs Generalis possit per se solus conferre prouincialatum, vt in Societ. Iesu) siquidem talis dispensatio est virtualis collatio dignitatis, adeóque ea secuta, oulla alia requiritur electio. Dixi, *& aliàs Generalis possit per se solus conferre prouincialatum*; quia, si non potest, (vt euenit in aliquibus Ordinibus) tunc solus Papa potest dispensare super præfata electione. Quamquam, cum *in cit. cap. postulastis*, ea dispensatio non reseruetur Papæ, in casu, quo electio fiat in persona excommunicata; probabile putent Couarr. Garc. Sayr. & Regin. apud Peyr. *supr.* quòd, vbi electua per legitimum Superiorem fuit absolutus ab excommunicatione, potest dispensare per proprium Episcopum super retentione beneficij eo modo obtenti: idque ex generali regula, quam tradunt DD. cum Innocent. *in cap. dilectus, de temp. ord.* omnem dispensationem, quæ oon reseruatur Papæ, esse eo ipso concessam Episeopis, & consequenter Prælatis regularibus, etiam localibus respectiuè, quoad Religiosos subditos (vtpote, qui iuxta dicta alibi in eos habent potestatem quasi Episcopalem:) esse, inquam, concessam saltem in casu, quo electio Religiosi excommunicati nulla deuoluitur ad Prælatum regularem per se ipsum tantùm tunc facienda. Sic namque istam doctrinam limitat Peyr. ex Couarr. Ricciol. Garc. Sayr. ac Reginald. *supr.* quoad electiones Regularium: sed minùs sufficienti fundamento, quod ipse afferat; vode puto, quidquid hac in re conceditur Episcopo in ordine ad suos subditos, totum etiam concedendum esse Prælato regulari in ordine ad Religiosoa sibi subditos: idque ex concessione Pij V. relata *sup. cap.*1. *sect.*1. *quæst.*5.

An verò Regulares excommunicati excommunicatione minori validè, & licitè possint eligere, ac eligi ad dignitates Ecclesiasticas, tam sæculares, quàm regularea: colligetur ex diccndis *infr. q.*41.

QVÆRES XVII. An, & qualiter Regulares ratiooe excommunicationis fiant iohabiles ad beneficia Ecclesiastica, tam sæcularia, quàm regularia.

Respond. fieri ex *cap. postulasti, de Cleric. excommunic. ministr.* vbi, cùm dicatur simpliciter, & ab- 52
solutè excommunicatum esse inhabilem ad beneficia Ecclesiastica, & propositio absoluta, ac iodefinita æquiualeat vniuersali; signum est illum esse inhabilem ad omoia omnino beneficia propriè dicta, tam sæcularia, quàm regularia; tam simplicia, quàm duplicia; tam curata, quàm non curata; tam minora, quàm maiora; excepto tamen Papatu, ad quem excommunicatio non reddit inhabilem ob maximè necessariam Ecclesiæ illius electionem; siue postea beneficium acquiratur: per collationem (sub qua comprehenditur electio, præsentatio, confirmatio, ac institutio;) siue per resignationem, siue per permutationem, siue per commendam, & quamlibet aliam interpretationem; siquidem per omnes hos modos peruenitur

ð beneficium, quod est excommunicato prohibitum; cùm tamen prohibito principali prohibeantur etiam viæ perueniendi ad illud. Ita Filliuc. *tr. 12. num. 117. & seqq.* Suar. *supr. D. 23. sect. 1. n. 2.* Bonac. *supr. D. 2. q. 2. part. 4. §. 1. per totum*, aliique apud quos fusiùs explicata, & probata hæc videri possunt: non enim vacat hîc diutius in his immorari, præsertim cum *q. præcedenti* multa dixerimus, quæ facere possunt etiam ad præsentis quæstionis explicationem.

57. Solùm moneo (quòd spectat ad acquisitionem fructuum beneficialium) beneficiarium, qui post beneficij consecutionem lapsus est in excommunicationem, non priuari fructibus, redditibus, ac distributionibus beneficij, dummodo exequatur onera, & officia beneficij; idque siue beneficium sit simplex, siue curatum. Ita P. Nauar. *l. 2. de restit. c. 2. num. 228.* aliique penes Bonac. *supr. §. 2. num. 2.* & probatur, tum quia nullo iure constat beneficiarium in præsenti casu remanere priuatum fructibus beneficij obtenti ante excommunicationem, itavt ante sententiam teneatur illis se priuare: tum quia versamur in materia odiosa, quæ mitiùs debet interpretari: tum quia beneficiarius excommunicatus, qui implet onera beneficij, quoad Ecclesiam facit, quidquid ipsa requirit ad percipiendos fructus beneficij, esto, quoad Deum, non rectè præstet suum officium vtpotè peccans dicta munera exequendo contra Ecclesiæ prohibitionem: qua de re plura Filliuc. *tract. 12. à num. 129.*

Verum autem Regulares vi excommunicationis priuentur iure eligendi ad beneficia Ecclesiastica, quod forte ipsis competat; constat ex dictis *supr. quæst. 15.* & ex iis, quæ fusiùs tradit Filliuc. *vbi supr. num. 150. & seqq.*

QVÆRES XVIII. An, & quomodo vi excommunicationis interdicatur Regularibus omnis ciuilis, seu politica communicatio fidelium.

58. Pro responsione suppono primò, nomine communicationis ciuilis hîc intelligi quamcumque humanam societatem per verba, nutus, literas, nuncium, munera, contractus, & commercia, cohabitationem, communem mensam, itinerationem (si quidem, quoad ista, conueniat, vt socij formaliter, & non incidant, præter intentionem, in eandem viam, domum Balneum, ac hospitium,) oscula, amplexus, salutationes, & aliud, quoduis amicitiæ signum, necnon quamcumque cooperationem in eodem exercitio, aut negotio.

Suppono 2. nomine fidelium hîc venire omnes baptizatos, etiam excommunicatos, etiam hæreticos; vtpotè qui quantum ad obligationem, ac subiectionem non minùs, quàm alij pertinent ad Ecclesiam, licèt aliàs non sint vera, & simpliciter dicta membra Ecclesiæ, quatenus fidem, quam in baptismo professi sunt, turpiter abiecerint.

Suppono 3. prohibitionem istam non communicandi esse reciprocam, adeóque afficere non solùm excommunicatum, ne in aliorum fidelium societatem se ingerat, sed etiam ipsos fideles non excommunicatos, ne admittant societatem hominis excommunicati; nisi fortè occurrat iusta causa excusans, qualis est probabilis ignorantia, & causa pietatis, necessitatis, aut vtilitatis, quæ hoc versu comprehenduntur: *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.*

Suppono 4. hîc per *Vtile* intelligi vtilitatem tam corporalem, quàm spiritualem; tam nostram, quàm ipsius excommunicati (dummodo, inquit Suar. *supr. D. 15. sect. 3. num. 10.* talis vtilitas sit moralis quædam necessitas ad melius esse, in qua agatur non tam de lucro temporali augendo, quàm de damno vitando, & vita, & statu sustentandis:) per *lex* intelligi legem matrimonialem, qua coniuges excommunicati possunt non modò petere, ac reddere debitum coniugij, sed etiam communicare inter se in aliis omnibus rebus; nimirum in domus gubernatione, mensa, colloquio, &c. per *humile* intelligi humilitatem subiectionis, quam habent filij erga parentes: serui, famuli, villici erga Dominum, Religiosi erga proprium Prælatum: Clerici erga Episcopum: per *res ignorata* intelligi ignorantiam, seu inconsiderationem tam iuris, quàm facti eo modo, quo diximus *c. præced. sect. 2. q. 25.* remissiuè; per *necesse* denique intelligi necessitatem tam temporalem, quàm spiritualem, tam nostram, quàm ipsius excommunicati, imò, & aliorum (in fauorem quorum puto esse ampliari iura concedentia, vt in tali casu communicari possit cum excommunicatis vitandis; sicut & iura, quæ in casu vtilitatis eamdem permittunt communicationem; vtpote quæ sunt fauorabilia, & consequenter latam admittunt interpretationem: maximè, cùm hic concurrat lex charitatis, quam non est probabile, quod Ecclesia velit impedire; vt innuit Bonac. *supr. part. 6. num. 61.* & Reginald. *l. 32. tract. 1. num. 98.*

Suppono 5. concessionem communicandi cum excommunicato in casibus propositis non extendi solùm ad excommunicatos toleratos (nam, quoad hos, extat concessio Concilij Constant. de qua supr.) etiam ad vitandos; & quidem non solùm ad communicandum ciuilibus, sed etiam in diuinis; si quidem ius, in quo conceditur talis communicatio, generaliter loquitur, adeóque debet generaliter intelligi; excepta tamen communicatione in scelere, ob quod quis contraxit excommunicationem: talis quippe societas omnibus personis prohibita est, sicut colligitur ex *cap. inter alia de sent. excommunic. in 6.* & notant communiter DD. his suppositis,

Respond. Regulares vi excommunicationis esse priuatos quacumque ciuili, & politica aliorum fidelium communione, per se loquendo, exceptis tamen casibus in iure expressis, & à nobis modò propositis; est communis Theologorum apud Suar. *supr. sect. 1. num. 1.* & patet tum ex *cap. nuper, & cap. si aliquando de sent. excommunic.* tum ex natura ipsius excommunicationis, cuius proprius effectus est priuare excommunicatum ciuili communicatione; & hoc, siue excommunicatus sit vitandus, siue toleratus; quamquam, si sit toleratus, ex vi Concilij Constantiensis possint fideles cum eo conuersari, vt diximus *supr. q. 3.* quæ clariora fient ex solutione quæstionum modo proponendarum 59.

QVÆRES XIX. An, & quomodo Regulares possint communicare cum proprio Prælato, qui sit excommunicatus vitandus.

Respond. si quidem spectentur vt subditi formaliter, eos non posse communicare cum Prælato, vt Prælatus est: hoc enim ipso quod is est excommunicatus vitandus, nullum actum Prælati exercere potest, vt constat ex dictis *q. 14.* si verò spectentur, quatenus cohabitant cum proprio Prælato, vtique cum eo possunt cõmunicare; non aliter tamen, quàm possint communicare cum quocũque alio Religioso eiusdem domus, qui esset excõmunicatus, non enim alter eorum cogendus est deserere propriã domum, vt per se patet. Vnde fit, vt non possint cum eo liberè communicare in omnibus (cum nullum habeãt priuilegium ad talem effectum) sed in his tantùm, quæ morali modo, & iuxta communem vsum talis cohabitationis vitari non possunt; nullus quippe 60.

exiat

extat titulus, aut priuilegium, quo plus Prælato excommunicato hac in re tribuendum sit, quàm alteri Religioso excommunicato: maximè cum hoc ipso, quod est excommunicatus, iam non possit amplius se gerere vt Prælatum. Ita Suar. *supr. D.15. sect.7.n.2.* qui tamen ab hac doctrina generali excipit casum, in quo Prælatus haberet aliquem, vel aliquos Religiosos specialiter deputatos ad suum corporale obsequium: non enim iis priuandus est ob excommunicationem, sed poterit cum iis familiariter communicare, non tamen titulo prælationis, sed quasi seruitutis, aut necessitatis; quod conceditur cuicumque Religioso habenti similes familiares, aut socios.

61. Quod autem diximus de Religiosis habentibus domicilium in Monasterio, cuius Prælatus est excommunicatus vitandus; proportionaliter dicẽdum est etiam de Religiosis Ordinis ad tale Monasterium interim accedentibus per modum hospitij, eos scilicet posse communicare cum supradicto Prælato eodem modo, ac possunt alij Religiosi eiusdem Monasterij: nimirum quantum exigit ratio cohabitationis, & non aliter, cùm enim Religiosi peregrinantes siue ex regula, siue ex consuetudine, soleant, & debeant hospitij causa diuertere ad proprium Monasteriũ, vtique eamdem habent necessitatem communicandi cum Prælato Monasterij ac habent alij Religiosi, qui ibi degunt permanenter: adeóque par est, vt habeant eamdem facultatem communicandi cum illo, quam habent isti alij Religiosi, eam videlicet, quæ procedit ex titulo cohabitationis.

62. Vnde fit, vt Oblati, Tertiarij, & Donati tunc demum possint communicare cum Prælato monasterij vitando, quando ij habitant in eodem monasterio: secùs si degant extra monasterium; tunc namque cùm nullus alius subesse possit titulus communicandi nisi subiectio, per quam isti subduntur dicto Prælato, & ea necessariò connotet iurisdictionem in illu, hoc ipso, quod ista suspenditur ratione excommunicationis, suspenditur & subiectio, sicque cessat titulus, quem aliàs haberent communicandi cum proprio Prælato, & consequenter non possunt cum eo communicare, nisi ratione necessitatis, aut vtilitatis; quæ sunt rationes communes omnibus fidelibus, non autem propriæ ipsorum; vt patet ex dictis *supr. quest.* 18.

63. De Monialibus, quæ sunt subiectæ Regularibus, idem omnino dicendum est; eas scilicet non posse communicare cum proprio Prælato regulari, qui fortè sit vitandus; idque ob rationem allatam de Tertiariis, quæ omnino militat etiam in Monialibus, vt consideranti facilè constabit.

64. Secùs dicendum de Nouitiis, qui cùm habitent in eodem monasterio cum Prælato regulari vitando, poterunt modo supradicto communicare cum eo, quantum exiget ratio cohabitationis, iuxta tamen ipsorum statum; siquidem, cum Nouitij ex vsu Religionum non soleant communicare cum professis, & vitam magis solitariam degant, abstinentes à familiari cõuersatione ipsiusmet Prælati monasterij, non puto illos posse communicare cum proprio Prælato vitando tam extensiuè, quàm possunt Religiosi professi eiusdem monasterij: alioqui magis communicarent cum excommunicato vitando, quàm exigat ratio cohabitationis ipsis respectiuè competens.

Qværes XX. An Prælatus regularis possit communicare in ciuilibus cum Religioso subdito, qui sit excommunicatus vitandus, & quomodo.

65. Respond. non posse, nisi interueniat titulus necessitatis, seruitij, aut alius similis (vti diximus *q.14. supp.4*) quamquam non ideò censeri debet priuatus iure, quod habet ad regendos subditos præcipiendo, monendo, &c. adeóque quo ad tales actus possit, imò & debeat cum iis communicare; sicut è conuerso ipsi subditi possunt, & debent cum eo, quoad illos eosdẽ actus communicare. Ita Suar. *supr. n.4.* & patet, quia *in cap. quoniam multos* 11. *q.3.* non excipitur Superior, nec in eis reperitur peculiaris ratio, ac necessitas; quod adeò verum est, vt neque Episcopus possit communicare cum subdito à se excommunicato; vt constat ex *cap. cum desideres de sent. excomm.* vbi habetur Episcopum modo dicto communicantem cum subdito à se excommunicato incurrere minorem excommunicationem: quod est signum illi interdictam esse talem communicationem.

Illud certè concedendum est, quod, sicut excommunicatus toleratus licitè communicat cum aliis non excommunicatis, quotiescumque ab ipsis requiritur; ita & in casu nostro Superior regularis poterit communicare cum subditis, non obstante, quod sit excommunicatus vitandus, quoties illi iuxta facultatem sibi concessam in iure ipsum requirunt, & cum eo communicant; hæc siquidem est natura correlatiuorum, vt quod disponitur de vno illorum, intelligatur item dispositum & de alio: in eo tamen, in quo sunt correlatiua; vt benè explicat Peyr. *tom.3. priuil. cap.1. num.6.* & quando est eadem ratio vtriusque vt aduertit Laym. *l.1. tract.4. p.2. cap.1. num.16.* 66.

Qværes XXI. An, & quomodo Prælatus regularis, & Religiosus subditus possint inuicem communicare in ciuilibus, si vterque sit vitandus.

Respond. posse in iis omnibus, in quibus diximus eos posse simul communicare in casu, quo Prælatus regularis sit vitandus, non item Religiosus subditus: vel è contra in casu, quo Religiosus subditus sit vitandus, non item Prælatus. Colligitur ex doctrina, quam in simili tradit Diana *part.5. tract.9. resol.123.* cum Laym. & Auila; videlicet coniuges posse inuicem communicare, etiamsi ambo sint excommunicati vitandi; id colligens ex eo, quòd hæ duæ excommunicationes non faciunt maius impedimentum, nec auferunt concessionem communicandi, aliàs coniugibus competentem ex *cap. quoniam multos supr. cit.* quæ ratio si valet in coniugibus (vt re vera valet) valebit & in casu nostro: cum sit paritas in vtroque casu, ac proinde illa vel admitti debeat vtrobique, vel vtrobique negari. Ita docti Recentiores consulti. 67.

Qværes XXII. An, & in quibus possint Regulares vitandi communicare cum Religiosis eiusdem Monasterij non vitandis.

Respond. posse in iis, in quibus possunt, aut tenentur communicare cum proprio Superiore: vix enim possunt cum eo communicare modo dicto, quin etiam communicent inter se: sicut aduertunt Gordon. Corn. Mercer. Turrian. & Villal. apud Dianam *supr. resol.125.* in simili de seruis respectu domini, & de filiis respectu eiusdẽ patris; cum tamen militet eadem ratio in Religiosis eiusdem Monasterij respectu Superioris, vt facilè constabit consideranti. Dixi *in iis, in quibus possunt*, &c. vt indicarem, quòd, cùm ratio concedendi Religiosis facultatem communicandi inuicem, non obstante excommunicatione, sit respectus ad Superiorem, talia concessio non extenditur nisi ad ea, in quibus interuenit talis respectus, & consequenter in iis tantùm, quæ dicunt ordinem ad Superiorem, vt Superior est. 68.

Ad verò, si contingat in eodem Monasterio simul esse plures Religiosos vitandos, hic itidem possint modo supradicto simul communicare.

69. Respond. posse eo pacto, quo diximus *q. praeced.* posse Prælatum vitandum, & Religiosum subditum, qui item sit vitandus, inuicem communicare: cùm sit par ratio in vtroque casu, vt patet.

QVÆRES XXIII. An Regulares vitandi possint admitti ad comedendum cùm aliis in communi refectorio.

70. Respond. non posse. Ita Suar. *supr. sect.* 1. *n.* 6. Reginald *supr. n.* 86. Sayro *l.* 2. *de Censur. cap.* 13. *num.* 13. Filliuc. *tract.* 13. *n.* 88. Bonac. *supr. p.* 6. §. 2. *n.* 6. Diana *supr. resol.* 121. aliique penes ipsos: & probatur, quia, quando *in cap. excommunicatos, & cap. nuper de sent. excommunic. & cap. ad mensam* 11. *q.* 3 prohibetur excommunicato participatio cibi, & potus, non prohibetur solùm, vt in eadem mensa materialiter eodem tempore, & ex iisdem cibis comedamus, sed prætetea prohibetur, ne comedamus, & bibamus cùm excommunicato vitando in diuersis mensis spectantibus ad idem conuiuium, vtpote quæ solùm materialiter sunt distinctæ, & quatenus sunt in eodem loco (v. g. in refectorio) artificialiter componunt vnam mensam, ita vt qui ibi comedunt, moraliter reputentur edere ad vnam, ac eamdem mensam; quod vtique est prohibitum. Quòd autem aiunt aliqui DD. cum Auila *de Censur. p.* 2 *cap.* 6. *D.* 9. *d.* 11. præsumi communicationem in mensa, quando plures inuitati comedunt in diuersis mensis intra idem cubiculum, imò & in diuersis cubiculis; non obstat, quo minùs Regulares vitandi possint comedere intra Monasterium in proprio cubiculo; cùm sic; neque physicè communicent in eadem mensa (vt patet) neque moraliter, cùm ad hoc non sufficiat edere eodem tempore, ex iisdem cibis, & expensis eiusdem personæ (vt notat Suar. *supr. n.* 7.) sed requiratur, vt conuiuæ intendant facere societatē in ratione mensæ, ac inuicem communicare; quod vtique non euenit in præsenti casu: quæ doctrina redditur probabilior ex eo, quod docent Reginald. *supr.* cum Henriq. *l.* 13 *cap.* 7. §. 3. & Diana *resol. cit.* cum Auila, si in aliquo hospitio sit mensa mediocris longitudinis, & in vna parte illius comedat vitandus, in alia alius non excommunicatus, & quidem eodem tempore nullam inuicem facientes societatem, non censeri communicare in mensa, adeóque non esse transgressores præsentis prohibitionis; quippe qui hoc pacto communicant in mensa solùm materialiter; cùm tamen solùm prohibeatur formalis communicatio in mensa.

71. Quòd si hæc doctrina admittatur (vti videtur posse admitti in rigore iuris: maximè cùm Diana *resolut. cit.* censeat eam esse probabilem etiam in casu, quo mensa sit parua; non video, cur in rigore iuris non possit concedi Regularem vitandum admitti posse ad comedendum cum aliis in communi refectorio, saltem in casu, quo refectorium esset valdè amplum, numerus Religiosorum Monasterij mediocris, & vitandus comederet in mensa distincta, posita sub ingressum ipsius refectorij; ita omnino videtur in rigore iuris; quamuis, vt in simili monet Reginald. *n.* 120. ex Vgol. in praxi excommunicati non tolerati debeant, quàm maximè vitari, vt sic rubore persusi, & faciliùs, & citiùs resipiscant.

QVÆRES XXIV. An Regulares vitandi possint admitti ad dormiendum in communi dormitorio.

72. Respond. posse; siue dormitorium sit distinctum in plura cubicula numero diuersa (quòd est solùm dormire in eadem domo, sed in diuersis lectis, ac cubiculis, & secundùm communem DD. sententiam non est prohibitum excommunicatis vitandis:) siue sit vnus, ac idem locus communis, in quo dispositi sint lecti singulorum Religiosorum Monasterij: si quidem adhuc dormiunt in lectis distinctis, & per consequens non violant censuram, cùm iuxta sensum communem Summistarum, teste Suar. *supr. n.* 8. excommunicatus vitandus solùm prohibeatur dormire cùm aliis fidelibus in eodem lecto; quod non accidit in præsenti casu. Nec obstat, quòd Religiosi hoc posteriori modo dormientes in eodem dormitorio, per modum societatis vtuntur eodem loco communi, sicque censeatur communicare in dormitione, esto cubent in diuersis lectis (quod est interdictum excommunicatis vitādis) talis namque communicatio est materialis, non autem formalis, & humana, quæ solùm cadit sub prohibitionem Ecclesiæ: adeóque non possunt Religiosi dici transgressores illius; quippe qui non intendunt eo pacto communicare cum Religioso vitando; quod tamen requiritur ad communionem humanam: vt hinc constat, quod Suar. *supr.* sustinet nullam propriam communionem intercedere in casu, quo cōtingat duos absque vlla inter se coniunctione, aut societate in eodem hospitio pernoctare, ac dormire in vno, ac eodem lecto, eo, quòd vnicus illis tribuatur; siquidem hoc est condormire materialiter, non autem formaliter per modum humanæ societatis; quæ doctrina valdè confirmat posteriorem partem huius responsionis, vt patet.

QVÆRES XXV. An Regulares possint cum Religiosis proprij Monasterij vitandis consedere, coambulare, itinerari, collaborare.

Respond. quòd, cùm hæc spectari possint, tum materialiter, tum formaliter: non possunt quidem 73.
in supradictis communicare formaliter, idest per modum societatis humanæ, quæ denegatur excommunicatis, vt diximus *quæst.* 18. *supp.* 1. possunt tamen communicare materialiter (vt si contingat Religiosum non excommunicatum coambulare cum Religioso vitando, non ex communi consilio, sed casu.) Ratio est, quia excommunicatis non interdicitur, nisi communicatio formalis, seu moralis, non autem quæ est merè materialis, vt iam dictum est. Ita Suar. *sup. num.* 9. addens (quod attinet ad rem præsentem) tunc vitandum dici cooperari cum excommunicatis, quando mutuam operam, aut ministerium sibi præbent in eodem opere faciendo: idque esto ad tale opus conducti sint; secùs, si conducerentur ad laborandum in diuersis partibus eiusdem domus, etsi ab eodem, eodem tempore, & pro eadem domo consummanda conducti essent, & laborarent; vnde concludit Suar. *Itaque hæc omnia moraliter pensanda sunt, vt si communicationem includant, intelligantur prohibita, & non aliàs.*

QVÆRAS XXVI. An Regulares vitandi peregrinantes excipi possint intra Monasterium per modum hospitij.

Respond. quòd, cùm S. Antonin. & Syluest. apud 74.
Filliuc. *tract.* 13. *n.* 88. & alij concedant excommunicatum vitandum posse recipi in hospitio, si occurrat casus necessitatis (quod non sit aliud diuersorium, in quo excipiatur) vel causa hospitalitatis, eo, quod excommunicatus sit pauper, & agnoscatur indigere alimento, ac hospitio; vtique dicendum est, attento iure communi, Religiósum vitandum posse admitti, tanquam hospitem intra Monasterium; cùm in tali casu militet & casus necessitatis, quatenus non decet, vt Religiosus qui possit hospitari in Monasterio, extra illud hospitetur; & causa hospitalitatis, quatenus Religiosus quilibet est pauper, & vt talis censetur indigere hospitio, ac alimento. Quæ

tationes

rationes probant Religiosum vitandum excipi posse per modum hospitij, non solùm intra Monasteria proprij Ordinis, sed etiam aliorum Ordinum.

Qværas XXVII. An, & quomodo liceat salutare Regulares excommunicatos.

74 Respond. non licere, siue salutatio fiat præsenti, siue absenti per epistolam, aut nuncium, siue etiam per modum resalutandi, idque, etsi nullum dicatur verbum (v.g assurgendo ipsis, nutu eis reuerentiam exhibendo, aperiendo caput honoris ergò, se ad eos inclinando, dando locum in sedili, vel similia signa præbendo in signum vrbanitatis) quod tamen negant Auila, Graff. & alij apud Bonac. *supr. part.* 6. §. 2. *num.* 4. putantes (& quidem probabiliter iudicio ipsius Bonacinæ, quamuis oppositum dicat esse probabilius) licitum esse salutare, aut resalutare excommunicatum vitandum, dummodò id fiat sine verbis, aut literis, &c. cum nomine salutationis propriè veniant verba, literæ &c. ita Regin. *supr. num.* 82. Vgol. Vasq. Suar. Henriq. aliique penes Bonac. *vbi supr.* inter quos Suar. dicit, quod, cum prohibitio ista sit humana, potuit per consuetudinem derogari, adeóque modum salutandi assurgendo, caput aperiendo &c. posse excusari per consuetudinem, si constet eam esse inductam. Ratio responsionis est, quod in iuribus citatis *quæst.* 18. prohibetur quæcumque communicatio cum excommunicato vitando: honorifica autem salutatio cùm sit quædam allocutio, est species communicationis, & consequenter est prohibita; quod tamen non facit, quin possit exhiberi salutatio verbis deprecatoriis, aut ordinatis ad
73 emendationem excommunicati, vt ostendit idem Suar. *num.* 4.

Qværas XXVIII. An liceat communicare per literas cum Regularibus excommunicatis vitandis.

76. Respond. licere, non quidem absolutè, sed rescribendo, id est, respondendo ipsorum literis. ita Reginald. *num.* 81. cum Henriq. *lib.* 13. *cap.* 7. §. 3. Bonac. *loco supr. cit.* Diana *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 56 & alij: probantque ex eo quod rescribere, & resalutare est quædam solutio debiti, quæ præstanda est, etiam inimicis, ideóque non præsumi debet comprehensa sub generali prohibitione non communicandi cum excommunicatis: maximè cum Couar. Less. Auila, & alij apud Bonac *supr. num.* 15. valdè probabiliter doceant excommunicatum vitandum posse petere suum creditum pecuniarium, & debitorem teneri illud soluere: quidquid dicant aliqui cum Sayro *supr. cap.* 9. *num.* 20. & 21. posse differri talem solutionem, vsque dum excommunicatus Ecclesiæ recôciliatur. Contra Reginaldum sentit Bonac. *supr.* dicens ex Auila *de Censur. part.* 2. *cap.* 6. *D.* 9. *disp.* 9 (& meo iudicio probabilius) neque licitum esse rescribere excommunicato vitando: & probatur, tum, quia generaliter prohibitum est communicare cum vitando, vt constat ex dictis; rescribere autem est quædam communica-
74 tio (hac enim de causa concedunt DD. communiter non esse licitum scribere literas excommunicato vitando, eum præueniendo;) tum, quia, si licet rescribere, eo quod ista sit solutio debiti, licebit etiam verbis respondere excommunicato vitando, cùm id ipsum sit item solutio debiti; vt patet: sicque licebit alloqui excommunicatum, etiam extra casus in iure permissos; quod non videtur vllo modo admittendum. Monet autem Regin. in casu, quo licitè scribatur excommunicato eum non esse salutandum, sed loco salutationis hæc verba iuxta Paludanum *in* 4. *disp.* 18. *quæst.* 6. *art.* 2. vsurpari posse *Spiritus consilij sanioris &c.*

Qværes XXIX. An liceat confabulari cum Regularibus vitandis, saltem per nuntium, aut interpretem.

Respond. non licere; cùm teste Suar *supr. n.* 2. per particulam *Os* (de qua *q.* 15. *supp.* 1.) prohibeatur omnis sermo cum excommunicato, siue secretè fiat, siue palàm; siue mutuo colloquio: siue loquendo tantùm, aut aures præbendo: sic enim ab omnibus exponitur hic effectus, inquit Suar. addens hanc prohibitionem extendi etiam ad locutionem per literas, nuncium, aut nutus (adde tu, & per interpretem;) si quidem in his omnibus casibus saluatur humana collocutio, & communicatio; quæ licèt per *Os*, significetur, eo quod vox sit præcipuum instrumentum talis communicationis: sub ea tamen comprehenditur omne instrumentum, quod loco vocis solet vsurpari. 77.

Qværes XXX. An liceat amplexari, aut præbere osculum pacis Regularibus vitandis in signum religiosæ beneuolentiæ: vt in aliquibus Ordinibus solet fieri cum Religiosis hospitibus aliunde aduenientibus.

Respond. Regin. *num.* 69. non licere; probatque, tum ex *cap. excommunicatos* 11. *quæst.* 3. vbi prohibitum est communicare excommunicato in cibo, aut pôtu, aut ôsculo, aut aue ei dicere; tum quia sub particula *Os* iuxta S. Thomam *in* 4. *disp.* 18 *quæst.* 2. *art.* 1. & Adrian. *in* 4. *de clauibus quæst.* 3. prohibetur etiam osculum pacis: & secundùm Sotum *in* 4. *disp.* 22. *q.* 2. *art.* 4. prohibentur etiam amplexus, aliaque signa pacis, ac beneuolentiæ; & meritò cum hæc omnia important communicationem quandam ciuilem. 78.

Qværes XXXI. An liceat mittere munera Regularibus vitandis, aut etiam ea ab ipsis recipere.

Respond. non licere, siue Regulares ea mittant nomine proprio, siue nomine alterius, siue etiam nomine ipsorum ab aliis mittantur, inquit Palud. *loco supr. cit.* concedens tamen, si quid ab alio detur nomine excommunicati, quod non sit ipsius, posse recipi, sed non nomine excommunicati. ita Regin. *supr.* ex S. Anton, & Ang. patetque, quia missio munerum est quædam communicatio ciuilis, adeóque venit sub generali prohibitione non communicandi cum excommunicatis, & iuxta citatos DD. interdicitur sub præfata particula, *Os*. 79.

Qværes XXXII. An liceat orare, aut etiam celebrare pro Regularibus excommunicatis, siue vitandis, siue etiam toleratis.

Respond. distinguendo; vel loquimur de excommunicatis vitandis: & pro his licet orare, etiam in Missa, dummodò Sacerdos id faciat, non in persona Christi, aut Ecclesiæ, sed vt priuata persona, & quidem occultè, ac secretò (non item si publicè, & in persona Christi, vel Ecclesiæ id faciat) id namque prohibet Ecclesia hoc ipso, quod iuxta dicta *quæst.* 4. priuat excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis: illud verò non, cùm Sacerdos in celebratione Missæ non desinat esse persona priuata, & vt talis orare possit, non obstante dicta prohibitione Ecclesiæ. Vel loquimur de excommunicatis toleratis, & quoad hos putat Regin. *supr. num.* 79. cum Nau. *c.* 27. *num.* 36. licere pro ipsis orare, etiam publicè, imò & celebrare Missam; idque ex beneficio Concil. Constant. quod cùm indulgeat fidelibus, vt possint communicare cum excommunicatis toleratis, tam in diuinis, quàm in humanis; consequenter etiam indulget, vt pro iis possint orare, ac celebrare, etiam vt Ministri Christi, ac Ecclesiæ, & publicè; quod tamen negant aliqui apud Bonacinam *supr. p.* 1. §. 1. *n.* 6. qui bene notat cum pluribus aliis DD. Sacerdotem 80.

in publicis orationibus, & *in Memento Missæ*, tanquam personam priuatam posse mentaliter, & secretè orare pro excommunicato, etiam denuntiato, eiusque orationes illi prodesse, quoad opus operantis ipsius offerentis, velut priuatæ personæ: quod etiam concedit Filliucius *tractat. 12. num. 88.* dicens cum Nauarr. & Suar. licitum esse Sacerdoti totum pium opus dicendi Missam, aut Officium diuinum, quatenus est proprium, per quod habet suum meritum, & satisfactionem, vel impetrationem ex opere operantis, offerre pro excommunicato priuata intentione: sic quippe tale opus, quod de se est publicum, fit priuatum, & aliàs non extat vlla prohibitio, quod non possit offerri pro excommunicato etiam vitando; quod bene est aduertendum.

81. Quod autem multi viri pij, ac docti (vt in Societ. Iesu) solent certis temporibus offerre Missas pro Conuersione hæreticorum, non pugnat cum Ecclesiæ canonibus, quibus id videtur prohiberi; illi namque, vt aduertit Layman *lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 4. n. 8.* per extrauagantem Concil. Constant. aut saltem per consuetudinem hanc, moderationem receperunt, vt solùm prohibeatur offerri sacrificium Missæ pro hæreticis vitandis: quales vtique non sunt omnes hæretici (quamuis aliàs sint excommunicati;) sed ij tantùm, qui sunt nominatim denonciati; vt proinde minùs necessaria sit illa interpretatio. Auilæ *suprà d. 3.* qua dicit, si qua in Religione præcipitur, vt pro conuersione hæreticorum Missæ legantur, non esse sensum, quod pro ipsis hæreticis directè offerendum sit, sed potiùs pro augmento, ac pace Catholicorum, qui inter hæreticos degunt, & vacant eorum conuersioni: quod notauit Laym. monens tamen interim cauendum esse, ne hæretici in Missa exprimantur contra Ecclesiæ vsum: quod habet locum respectu cuiuscumque excommunicati vitandi, sicut expresse obseruauit Bonacina *supr. num. 7.* dicens, quòd si fortè contingeret Imperatorem, aut Episcopum incurrere excommunicationem, non esse exprimendos in Canone, aut aliis orationibus; cùm quæ exprimuntur, censeantur fieri nomine Ecclesiæ.

Vtrùm verò sacrificium Missæ à Sacerdote excommunicato oblatum pro se ipso, ei suffragetur.

82. Respond. Bonac. *supr. p. 1. n. 5.* ex Suar. Tolet. & aliis non suffragari; & bene, siue sit vitandus, siue toleratus; ratio est, quod Sacerdos in isto casu mortaliter peccat, & consequenter ponit obicem ad fructum sacrificij.

Grauior difficultas est, an sacrificium Missæ oblatum à Sacerdote in persona Christi pro excommunicato vitando ei suffragetur, & quo modo.

83. Respond. Suffragari; tam, quoad impetrationem, quàm quoad satisfactionem. Probatur, tum, quia malitia ministri operantis nomine alterius non impedit valorem, & effectum actionis (vt constat de Sacramentis à malo Sacerdote administratis;) ergo etiam malitia Sacerdotis, qui prohibetur ab Ecclesia offerre sacrificium pro excommunicato vitando, non tollit effectum sacrificij, quatenus offertur in persona Christi, stante quod Ecclesia per istam suam prohibitionem non aufert potestatem offerendi in persona Christi, & applicandi effectum sacrificij; tum, quia sacrificium operatur, quoties adest capacitas in subiecto; & non extat impedimentum ex parte illius, pro quo applicatur; ergò, si applicetur excommunicato vitando, ei proderit, si per contritionem redit in gratiam, & per consequens abstulit impedimentum, quo aliàs sacrificium frustraretur suo effectu. ita Suar. *D. 9. de cens. sect. 4.* Auila, & alij, quos refert, & sequitur Bonacina *supr. §. 3. num. 4.* docens secus sentiendum in casu, quo Missa offerretur pro excommunicato vitando nomine Ecclesiæ: sic enim excommunicatus, qui est vitandus, non est capax, vt pro eo offeratur Missa: sicut etiam est incapax aliorum communium suffragiorum, inter quæ sine dubio venit Missa, si spectetur quatenus offertur nomine Ecclesiæ: cùm iuxta dicta Ecclesia priuet excommunicatum omnibus communibus suffragiis.

QVÆRES XXXIII. An liceat Regularibus audire lectiones Philosophiæ, Theologiæ, aut alterius similis facultatis à Regulari excommunicato vitando.

Respond. licere, si non habeant alium Doctorem, à quo æquè bene, ac commodè supradictas facultates percipiant. est communis DD. & probatur, tum ex eo, quod in iure ratio vtilitatis excusat à prohibitione non communicandi cum excommunicatis vitandis (vt dictum est *q. 18. supp. 4*) & consequenter, cùm in præsenti casu interueniat magna vtilitas, quoad hoc, cessat supradicta prohibitio: tum, quia excommunicatio non est lata in nocumentum fidelium non excommunicatorum; adeòque per eam non prohibentur ea, quæ necessitatibus huius vitæ humano modo sunt necessaria: inter quæ sine dubio respectu Religiosorum computanda est acquisitio scientiarum, vt patet. Dixi, *si non habeant alium Doctorem*, &c. Auila enim *supr. D. 11. d. 3.* Coninch. *de Censur. D. 14. num. 121.* Suar. *supr. D. 15. sect. 3. num. 9.* aliique communiter supponunt, ad hoc vt ratio vtilitatis excuset ab obseruantia supradictæ prohibitionis, requiri quod persona non excommunicata nequeat æquè bene sibi aliàs consulere. 84.

Vtrùm verò Regularis legens lectionem coram suis Discipulis, possit eam prosequi, si inter illos reperiatur aliquis excommunicatus vitandus.

Respond. videri probabile, quod possit: patetque ex eo quod re vera sic Præceptor, & Discipuli, humano modo loquendo, non videntur communicare cum condiscipulo vitando: neque in hoc æquiparari debet talis actio cum coassistentia in Missa, aut alio officio sacro: siquidem non ita audiuntur Auditores per modum vnius corporis politici ad cooperandum in vna actione, sicut in alia. ita Suarez *D. 12. sect. 2. n. 5.* addens ex Soto, Doctorem posse respondere Discipulo vitando interroganti super lectione. quod tamen absolutè non admittit Suarez, sed solùm in casu, quo responsio inseruiret saluti animæ Discipuli, ac eius conuersioni. 85.

QVÆRES XXXIV. An casu, quo Officialis Monasterij (v. g. Coquus) fiat excommunicatus vitandus, possint Regulares dicti Monasterij communicare cum eo, vel certè is pro tunc debeat amoueri à tali officio, si adsit alius Religiosus: qui illud æquè bene exerceat.

Respond. stando in rigore iuris non debere amoueri, in praxi tamen consultum esse talem officialem amoueri, vt sic rubore perfusus videns se eo modo vitari, tantò citiùs resipiscat, curetque reconciliari Ecclesiæ. Et quidem quòd talis Officialis non necessariò debeat amoueri, stando in rigore iuris, constat ex eo, quòd in Monasteriis Regularium similes Officiales æquiparantur seruis, vtpote qui admittuntur ad Religionem, principaliter vt inseruiant Monasterio in huiusmodi officijs: serui autem, qui alterius seruitio se subiiciunt (siue id faciant gratis, siue ex mercede) si contingat, quod sint excommunicati vitandi, possunt nihilominus eorum Domini communicare cum iis, in rebus debitum 86.

seruitium

seruitium concernentibus : nec tenentur loco serui vitandi substituere alium non vitandum, & si commodè possint; siquidem in *c. quoniam multos* 11.*q*.3. ius concedit Dominis, vt possint communicare cum proprijs seruis, etiam vitandis: & quidem absolutè, non autem cum limitatione, si aliàs non habeant alium seruum, qui æque benè illud munus impleat; concedit, inquam, non formaliter, ac expresse, sed implicitè, & consequenter: quatenus videlicet id expresse concedit loco citato, quoad seruos, qui per modum correlatiui correspondent dominis; quo modo procedit regula Iuristarum, quod dispositum de vno correlatiuo censetur dispositum & de alio, nisi in aliquo illorum extet specialis aliqua ratio, quæ non sit in alio; quod vtique non euenit in præsentia.

87. Nec obstat, quod diximus *quæst. præced.* non posse Regulares à Doctore vitando audire philosophiam, aut alias facultates, si habeant alium, qui eas illis æque benè tradat: est quippe grandis dipatitas inter hunc, & casum propositum io hac quæst. siquidem quòd Regulares possint audire scientias etiam à vitando, prouenit ex titulo vtilitatis, adeóque cum is cesset, hoc ipso, quod possent æquè commodè eas audire à Doctore non vitando, non possunt eas audire à vitando iuxta regul. *Cessante causa, cessat effectus*; quòd verò Regulares possint communicare cum Officialibus Monasterij, etiam vitandis prouenit ex ipsa ratione famulatus, ideóque sicut domini sæculares ex tali titulo possunt communicare cum proprijs seruis vitandis, esto commodè possent loco ipsorum alios substituere ad implendum seruitium, quod ij præstant: ita & poterunt Regulares vti opera suorum Religiosorum laicorum, qui sint vitandi, nec tenebantur eos amouere ab officio, durante illorum excommunicatione; cum æquiparatorum sit eadem ratio.

Qværes XXXV. An Regulares casu, quo contingat eorum parentes fieri excommunicatos vitandos, possint nihilominùs cum iis communicare, & in quibus rebus.

88. Respood. quod cùm Regulares respectu suorum parentum æquiualeant filiis emancipatis, vt pote qui ratione professionis religiosæ re vera emancipantur, id est, patria potestate liberantur (vt ostendit Sanch. *l. 5. in decal. cap.* 5. *num.* 29.) consequenter, quod spectat ad præsentem difficultatem, non aliter philosophandum est de illis, ac de filiis emancipatis; cùm similis ratio militet in vtrisq; Hinc. cùm Suar. *D.* 15. *sect.* 5. *num.* 4. ex Palud. existimet esse probabile filium emancipatum posse communoicare cum parentibus vitandis, eo quod in iure excipiantur filij; & aliàs simus in materia fauorabili, quæ non debet restringit, sed ampliari (præsertim cum filius, quantumuis emaneipatus retineat oaturale debitum obsequendi parentibus:) & idem dicere possumus de Religiosis respectu suorum parentum, eos videlicet posse coram parentibus vitaodis assurgere, caput aperire, eos amplexari, aliaque similia amoris signa exhibere, eorum iussa exequi (si tamen hæc non cedant in præiudiciom status Religiosi, aut Superiorum) aliaque id genus obsequia parentibus debita præstare, quorum obligatio iosepatabilis est à filiis; Quamquàm Suar. alioqui dicat filium emancipatum teneri vitare patrem excommunieatum in iis, quæ sunt propria filij, non pro vt filius est, sed pro vt est sub patria potestate; sicque limitet communem sententiam Doctorum cum S. Tom. *in* 4. *disp.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. negantium filios emancipatos posse communicare cum parentibus vitandis ex eo præcisè quod sint filij: quippe qui sunt quasi extranei, nullaque egent communicatione cum propriis parentibus, & per consequens non comprehenduntur nomine filiorum in *cap. quoniam multos.* sup. cit. quod proinde dicere possumus loqui solùm de filiis actu subiectis, quales non sunt emancipati. ita limitat Suar. suam sententiam priùs absolutè approbatam vt probabilem, & benè: sicque etiam ego puto iuxta dicta proportionaliter eam esse limitandam quoad Regulares respectu propriorum parentum: eos scilicet posse cum istis communicare in iis, quæ sunt propria filiorum, pro vt filij sunt, non autem pro vt sunt sub patria potestate.

Qværes XXXVI. An, & quo modo Regules, si sint excommunicati vitandi, possint inire contractus ratione officij, quod exercent; eo quod v.g. sint Prælati, aut Procuratores Monasterij.

Respond. quod, licèr DD. communiter apud Bonac. *sup. part.* 6. §. 2. *n.* 5. dicant contractus initos cum excommunicato vitando esse quidem illicitos, sed tamen validos; cùm multa prohibeantur, quæ facta tenent; vbi scilicet interuenit simplex prohibitio, non autem facti irritatio (vt re vera euenit in casu nostro;) nihilominùs in præsenti casu censeo contractus à Religioso vitando esse & illicitos, & inualidos; si vt rectè aduertit Diana *p.* 5. *tract.* 9 *resol.* 118. quotiescumque contractus initur ab excommunicato vitando, tanquàm à persona publica, & per potestatem, quam habet ex vi sui muneris, tunc contractus & est illicitus, & inualidus ex defectu iurisdictionis ad contrahendum, quæ sine dubio in excommunicato vitando suspenditur: id autem euenit in casu nostro, vt patet. Dixi *ab excommunicato vitando*, quia secùs dicendum foret, si Prælatus, aut Procurator Monasterij esset excommunicatus toleratus: hi enim tunc possent contrahere tam licitè, quàm validè, cum sic iis concedatur communicare aliis, in ciuilibus; stante quod talis communicatio cedit, non in fauorem excommunicati, cui Concil. Constant. nullatenus intendit fauere, sed Monasterij, ac Religionis, quorum bonum principaliter intenditur à dicto Concilio. 89.

Quod si Religiosus vitandus, tanquã persona priuata aliquem contractum ineat cum debita licentia; tunc contractus est & licitus, & validus; vt patet, tum ex dictis paulò antè; tum ex eo, quod Ecclesia, per excommunicationem non tollit, quæ sunt valida iure gentium (cuiusmodi sunt contractus) sed ad summum quæ pertinent ad ius positiuum humanum. Est communis Canonistarum sententia, & quidem non dissentientibus Theologis, inter quos Suar. *supr. sect.* 8. *num.* 12. benè notat eiusmodi contractum in foro externo non esse omoinò firmum, ac validum, idcóque ex parte excommunicati vitandi non dari actionem petendi debitum in iudicio; cum tamen aliàs, quoad forum conscientiæ, sit talis contractus ex vtraque parte firmus; quidquid aliqui dicant in contrarium penes Filliuc. *n.* 204. asserentes dictum contractum esse firmum ex parte excommunicati, non item ex parte non excommunicati, idque in odium excommunicati. 90.

Qværes XXXVII. An, & qualiter peccent, qui cum Regularibus excommunicatis vitandis communicant in ciuilibus, aut etiam in diuinis.

Respond. Cum distinctione: vel enim communicant in casibus iure permissis, & contentis eo versu: *Vtile: lex: humile: res ignorata: necesse*; & sic nullo modo peccant, siue communicent in diuinis, siue in humanis: cum talis communicatio iam non sit prohibita, sed iure concessa, vt constat ex dictis in *qq. præced.* 91.

vel

vel communicant extra casus iure permissos;& tunc adhuc distinguendum est:vel communicant in diuinis:& sic, per se loquendo,peccant mort.nisi paruitas materiæ excuset, aut certè communicatio sit priuata (vt si priuatim recitent Officium cum illis) vel communicant in humanis,& sic regulariter peccant solùm venialiter,præterquàm in casu,quo communicatio fiat in actibus forensibus publicis, vnde sententia irrita,vel graue damnum sequatur, in collatione, electione, aut præsentatione ad beneficia ecclesiastica, tam actiua, quàm passiua(quod tamen negant Caiet. & Nau.apud. Laym.*lib.*1.*tr.*5.*p.*2.*c.*3.*num.*2) nec non in crimine criminoso. ita Layman *supr.*Coninch.*de Censur.D.*14 *n.*146. & 149. aliique, qui benè addunt,posse contingere,vt communicatio in humanis, quæ de se non est mortalis sit talis per accidens(v. g.ratione scandali inde imminentis) eo, quod constet excommunicatum sic tardiùs emendatum iri in contemptum clauium,eo,quod talis communicatio fit contra speciale præceptum Superioris eum prohibentis sub peccato mortali. patet autem responsio, quoad priorem quidem partem ex dictis; quoad posteriorem verò ex eo quod communicatio, quæ fit in diuinis, ex genere suo est grauis, & consequenter ex grauitate materiæ grauis censetur violatio prohibitionis eam interdicentis:è contra communicatio,quæ fit in humanis, ex genere suo est leuis ratione materiæ,adeóque violatio prohibitionis factæ,quoad illam,regulariter est leuis;præter quam quod,sicut aduertit Regin *supr.num.*89.ex S. Thom. communicans in humanis cum excommunicato non facit contra propriam rationem præfatæ prohibitionis,quæ principaliter,ac directè respicit diuina,quæ sunt propria fidelium, quatenus fideles sunt: vnde, qui in his violat dictam prohibitionem ex genere suo mort.peccat,vt pote faciens directè contra prohibitionem factam de re graui,& contra potissimam illius rationem.

QVÆRES XXXVIII. An,& quomodo Regulares ratione excommunicationis prohibeantur communicare in actibus forensibus, seu iudicialibus.

92. Respond. quod, cum Regularis in foro iudiciali sustinere possit multiplicem personam,nimirum Iudicis,Actoris, Rei,Notarij,Testis,Aduocati, & Procuratoris; non nisi cum distinctione respondendum est ad præsentem quæstionem: vel enim Regularis est excommunicatus vitandus; & sic etiam in casu, quo iuxta dicta in *tract.de prohibit c.*12. *quæst.*1. potest esse Iudex,neque licitè,neque validè exercet officium Iudicis: quippe qui facit contra prohibitionem Ecclesiæ latam *cap.vn.de except.in* 6.*& cap.tanta de excess.Prælat.*caretque iurisdictione, sine qua vtique actus Iudicis sunt nulli: vel est excommunicatus toleratus; & sic valida sunt gesta, quæ facit, tanquàm Iudex Ecclesia supplente iurisdictionem, (vt diximus *supr. quæst.* 14.) imò & licita, si requisitus agat,non autem se ingerendo.Quod verò spectat ad munus Actoris,Rei, Notarij, Testis, Aduocati, & Procuratoris, illud validè exercet Regularis excommunicatus vitandus,sed illicitè; validè autem, & licitè, si sit toleratus, & id faciat requisitus; sicut è contra validè,sed illicitè,si ad tale munus se ingerat. ita Bonac. *supr. part.* 7. per totum, aliique plurimi apud ipsum: patetque ex dictis, si solùm probetur sup dictum munus Actoris, Rei &c.validè exerceri ab excommunicato vitando, quamuis illicitè. ratio autem est, quod ius prohibet quidem excommunicatú vitandum exercere munus Actoris,Testis, &c. non tamen irritat ipso facto illius gesta; nisi forrè à Iudice ex officio,aut per Aduersarij exceptionem repellatur: quo modo impeditur executio sententiæ iuxta *cap vn.de except. in* 6. non tamen redditur inualida, vt aduertit Suarez *supr. D.*16.*sect.*3. *num.* 7. monens istam doctrinam locum habere in causis, etiam Ecclesiasticis; cùm neque quoad has,extet ius vllum in contrarium.

Adde quod, quamuis excommunicatus vitandus 93.
non possit agere in iudicio: siue conueniendo, siue reconueniendo, vt patet ex *cap. decernimus de sent. excommunicat.* ipse tamen conueniri potest in iudicio, tanquàm Reus in casu, tum ciuili, tum criminali, ne aliàs reportet commodum ex sua malitia; nec prohibetur per se ipsum respondere,ac tueri propriam causam: quidquid alij in contrarium colligant ex *cap. intelleximus de iudic.* vbi de Reo dicitur, *debet per alium in iudicio respondere*: cum tamen teste Suar.*supr.*4.*num.* 7. dici possit verbum *debet* solùm cadere super *respondere*: si quidem Papa solùm erat interrogatus, an talis in iudicio deberet respondere, responditque debere: quod si addit *per alium,* id facit, non vt præcipiat hunc modum, sed solùm vt iudicet eum esse conuenientissimum; quo modo re vera est;vt sic quàm minima communicatio habeatur cum excommunicato.

De Notario docent similiter Canonistæ in *cap.ad probandum de sent. & re iudic.*quòd, si sit excommunicatus vitandus, publica illius acta ratione publici muneris ipso iure sunt irrita: quod tunc saltem videtur habere verum, si actus (v.g. authenticum instrumentum)ad substantiam, & valorem testamenti, aut alicuius contractus ex dispositione Iuris requiratur; instrumentum quippe confectum ab excommunicato vitando non censetur authenticum, cum is à publicis actibus tum iure ipso, tum Iudicis officio repellatur, imò, esto fiat à tolerato, in foro externo potest infirmari, si opponens excommunicationem sufficienter probare queat. ita Laym.*lib.*1. *tract.*4.*part.*2.*cap* 2.*num.* 15.

QVÆRES XXXIX. An Rescripta Apostolica obtenta à Regularibus excommunicatis, ipsis suffragentur.

Respond.non suffragari;cum ea in *cap.de rescript.* 94.
in 6. declarentur ipso iure irrita: quamquàm hoc tempore nihil obsit talis irritatio: cum sup. dictis rescriptis inseri soleat absolutio ad cautelam, dumtaxat ad effectum rescripti consequendum; sicut notat Laym.*supr.num.*12.addens ex hoc capite non infirmari ipso iure gratias, & concessiones aliorum inferiorum Prælatorum, quantumuis fiant excommunicato; si quidem nomen *Rescripti*, præcipuè in materia pœnali strictè sumendum est. Quibus autem non posit absolutio illa ad cautelam inseri solita in rescriptis pontificiis, diximus *c.præc.sect.*2. *quæst.*38. *§.addo ex Naldo.*

QVÆRES XL. An Regulares contumaciter perseuerantes in excommunicatione per annum, censentur suspecti de hæresi.

Respond. Censeri,ac proinde contra ipsos proce- 95.
di posse,tanquàm de hæresi suspectos,est communis Doctorum sententia apud Suarez *D.* 18. *de censur. sect.*1.*num.*6.addentem, etsi hæc suspicio sit leuis, id tamen operari, vt sic suspectus teneatur se purgare canonicè,&, si id non faciat,habeatur pro conuicto. patet responsio ex Conc. Trid.*sess.*25.*cap.*3. (quam tamen Barbosa,& alij relati à Diana *p* 4.*tract.*7. *resolut.*18 limitāt ad excommunicatos ob delictum,sicque putant illam non procedere de excommunicatis pro causa ciuili. pro se allegantes decisionem Rotæ Romanæ in vna Segobiensi 5. Iunij 1598. coram

Seta

Seraphino.) Imò Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 27. num. 6.* ait perseuerantem per annum in excommunicatione non ex causa fidei, non reputari hæreticum, sed solùm leuiter suspectum, & ex consuetudine Romana non procedere Inquisitores contra eiusmodi excommunicatos: quod docent etiam alij plures citati à Diana *supr.*

93. 96. QVÆRES XLI. Quas pœnas incurrant qui communicant cum Regularibus excommunicatis.

Respond. incurrere excommunicationem minorem, siue communicatio fiat in diuinis, siue in humanis, modò id non faciant ex iusta causa: patet ex *cap. statutum, de sent. excommun. in 6.* & est communis DD. sententia.

Placet autem pro maiori cognitione minoris excommunicationis aliqua hîc breuiter aduertere, quæ ad praxim quotidianam Regularium in præsenti materia non parum deseruient.

97. Aduerte ergo primò, quòd, licèt minor excommunicatio proximè, per se, & directè solùm priuet vsu passiuo Sacramentorum; remotè tamen, indirectè, & per consequentiam alia duo operatur; nimirum, quod ea affectus peccat saltem venialiter, si absque necessitate Sacramenta ministret: & quod eligi non debet ad beneficium ecclesiasticum: &, si eligitur, electio infirmari debet, *cap. vlt. de Clerico excommun. ministr.* ita Laym. *supr. cap. 3. num. 4. & 5.* aliique penes ipsum.

Aduerto secundò, excommunicationem minorem ferri pro peccato veniali: illam enim incurrunt communicantes cum excommunicato excommunicatione maiori in rebus humanis, salutando, v. g. excommunicatum, aut disserendo cum illo de rebus politicis, quæ vtique non excedunt culpam venialem. Quamquam Diana *p. 5. tract. 9. resol. 47.* ex Hurtado putet, & bene, doctrinam hanc procedere solùm de excommunicatione minori, prout nunc de facto fertur; quæ scilicet fertur à iure, aut etiam ferretur ab homine generaliter, & potest auferri à quolibet Confessario: non autem de ea, quæ feratur ab homine specialiter, & auferri solùm possit à Iudice in foro externo: hæc enim censeretur pœna
94. grauis, tum ex obiecto, tum ratione difficilioris absolutionis, ideóque non incurreretur ob peccatum solùm veniale.

Aduerto tertiò, non incurri minorem excommunicationem resalutando excommunicatum vitandum, aut exhibendo ei signa reuerentiæ, ex communi hominum more solita fieri vrbanitatis causa (vt aperiendo caput, assurgendo, &c.) sic enim docent plures Doctores citati à Diana *supr. resol. 116.* contra alios ab eodem relatos.

Aduerto quartò, quòd, sicut ignorantia, & inaduertentia excusant ab incurrenda excommunicatione maiori (vt tradunt plures DD. apud Dianam *p. 3. tract. 5. resol. 13.*) sic excusant ab incurrenda minori excommunicatione iuxta regulam iuris in 6. *Cui conceditur, quod plus est, conceditur,* & quod *minus est.* Imò idem dicendum videtur de bona fide; sicque
95. existimantem bona fide non incurri minorem excommunicationem in hoc vel illo casu (in quo re vera incurritur) nequaquam affici dicta excommunicatione: cùm ad illam incurrendam requiratur contumacia, quam excludit bona fides, vt tradunt communiter Doctores.

Aduerto quintò, quòd si Religiosus assignatus in socium alterius Religiosi habentis iustam causam agendi cum excommunicato vitando hunc salutet verbaliter, aut breui illum alloquatur vrbanitatis causa, non incurrit excommunicationem minorem: hæc enim associatio debet esse ciuilis, & vrbano modo facta: aliàs posset obesse negotio, quod tractatur; & non esset moraliter facta; prout scilicet fieri solet tales associationes.

Aduerto sextò, Religiosum habentem animum se exponendi periculo incurrendi minorem excommunicationem, non peccare mortaliter; cùm hæc censura non sit pœna adeò grauis, & incurratur ob peccatum veniale: intellige, nisi actio, per quam se exponit dicto periculo, aliàs sit vetita sub mortali, vt communicare notabiliter in diuinis cum excommunicato vitando: tunc namque esset mortale exponere se tali periculo.

Aduerto septimò, semel salutantem verbaliter excommunicatum vitandum affici excommunicatione minori; ita vt hîc materiæ paruitas non excuset: siquidem salutatio verbalis est expressè prohibita sub pœna minoris excommunicationis, & aliàs vnica salutatio importat totam malitiam hîc prohibitam.

Aduerto octauò, quòd quamuis Canonistæ communiter apud Couarruuiam *in cap. alma mater, p. 1. §. 8. n. 3.* & aliqui Theologi cum Suarez *D. 24. de censur. sect. 1. num. 18.* asserant electionem ad beneficium personæ excommunicatæ excommunicatione minori factam ab electoribus ignorantibus talem censuram, debere irritari; quippe quæ est reprobata non ob culpam eligentium, sed ob personæ electæ incapacitatem: Auila tamen *part. 2. de censur. cap. 6. D. 12. d. 4. concl. 4.* & Diana *p. 5. tract. 7. resol. 122.* negant præfatam electionem debere irritari: ea ducti ratione, quod *in cap. vlt. de cler. excomm.* habetur talem electionem esse irritandam, si scienter facta sit, & particula *scienter*, ad incurrendam pœnam præfatam supponat scientiam ex parte electorum, quæ tamen non adest in casu nostro.

Aduerto nonò, excommunicatum excommunicatione minori conuersari posse cum aliis fidelibus absque eo, quòd hi incurrant excommunicationem minorem: nam excommunicatio minor non priuat participatione fidelium, sed tantùm passiua administratione Sacramentorum, & electione passiua ad beneficia.

Aduerto decimò ex dictis *num. 36.* sepelientem in loco sacro excommunicatum vitandum non affici excommunicatione minori ob participationem cum excommunicato vitando: cum minor excommunicatio in maiorem commutata sit ob grauitatem delicti: sicut commutatur ob participationem cum excommunicato in crimine criminoso. ita Castrus Palaus *D. 2. de censur. p. 6. n. 16.* ex Suarez *D. 12. de censur. sect. 2. num. 15.*

Aduerto vndecimò, hanc excommunicationem dici minorem comparatione maioris excommunicationis; tum, quia ob minorem causam incurritur; tum, quia minorem priuationem inducit. ita Sayr. *lib. 2. de censur. cap. 21. n. 3.* Henriq. *lib. 13. cap. 3. n. 1.*

Aduerto duodecimò ex Nauarr. *cap. 27. n. 25.* Henriq. *supr. n. 4.* & Sayr. *cap. 23. n. 1.* quòd, quamuis excommunicatio minor ferri possit ab habente iurisdictionem in foro externo, teste Gloss. *in cap. si inimicus 11. q. 1.* vsu tamen receptum est, vt nunquam ab homine feratur, sed solùm à iure ob communicationem cum excommunicato vitando.

Aduerto decimotertiò, quòd licèt *in cap. si celebrat, de Clerico excomm. ministr.* solùm fiat mentio de electione ad beneficia ecclesiastica: tamen Doctores communiter decisionem extendunt ad præsentationem, ac collectionem: quippe quæ dici possunt electiones, & ratio decisionis in iis æquè procedit, ac

in

in electione. ita Castrus Palaus *num.* 12. ex Richardo, Decio, Couar. Henriq. Suar. Conincho, Laym. & Auila, hinc inferens *num* 13. eligentem, præsentantem, aut conferentem beneficium existenti in minori excommuicatione, & ipsum recipientem tale beneficium grauiter peccare; cum violent legem ecclesiasticam in re graui; vt tradunt Abbas *in d. cap. si celebrat n.* 3. Sayr. *supr. cap.* 22. Suar. *D.* 24. *de censur. sect.* 2. *num.* & alij.

Aduerto decimoquartò, electores In isto casu eligentes, etiam scienter nullam pœnam incurrere; cum nullibi statuta sit & *cap. scriptum in fide de elect.* (quæ in contrarium possent adduci) loquantur de elegentibus indignum ob defectum scientiæ, honestatis morum, ac ætatis, ac proinde extendi non debeant ad eligentes indignum ob minorem excommunicationem: hæc enim indignitas facilè tolli potest, & beneficij collationem non facit ipso iure nullam; vt notant Suar. & Auila apud Castrum Palaum *supr. num.* 20.

Aduerto decimoquartò, quòd, sicut ab excommunicatione minori lata ab homine (quæ tamen non est in vsu) possunt absoluere solùm Actor illius, eius Superior, aut Successor: sic, si ea lata sit à iure per consuetudinem, qua acquiritur iurisdictio, videtur receptum, vt quilibet Sacerdos approbatus ad confessiones, possit ab ea absoluere pro foro conscientiæ; imò & quilibet Sacerdos simplex respectu pœnitentis non habentis peccatum mort. ita Bonacina *supr. quæst.* 3. *num.* 11. citant pro se Toletum, & Nauarrum; addensque de rigore iuris ab excommunicatione minori lata à iure solùm posse absolui fideles per proprium Sacerdotem, Papam scilicet, proprium Episcopum, & proprium Parochum. Dixi *pro foro conscientia*, quia à minori excommunicatione, quoad forum externom, non potest absoluere inferior proprio Ordinario, vt notauit Layman *suprà num.* 6.

Aduerto decimosextò ex Castro Palao *num.* 23. quod, quamuis plures Doctores relati ab ipso Castro Palao *num.* 22 putent simplicem Sacerdotem, qui solùm potest absoluere à venialibus posse absoluere à minore excommunicatione: oppositum tamen est longè probabilius. probatur, tum, quia in *in cap. nuper de sent. excommunic.* rogatus Papa, an simplex Sacerdos absoluere possit ab hac censura, respondet posse absoluere Episcopum proprium, aut Sacerdotem proprium; sic indicans simplicem Sacerdotem non posse, vt patet: tum, quia hæc absolutio alia est ab absolutione peccatorum, & per se spectat ad iurisdictionem contentiosam, ideóque nemini potest competere, nisi à iure, vel ab homine habente iurisdictionem: simplici autem Sacerdoti nullibi in iure conceditur talis facultas; & ex facultate absoluendi à venialibus in iure concessa simplici Sacerdoti inferri non potest concedi facultatem absoluendi ab hac excommunicatione; cùm hæ facultates sint diuersæ.

Sectio II.

In qua proponuntur, ac explicantur Excommunicationes, quæ in specie latæ sunt contra Regulares, & reseruantur Papæ.

98 *Referuntur excommunicationes contra Regulares latæ ac Reseruatæ.*

99 *Excommunicantur Regulares inducentes alium ad promittendum de sepultura.*

100 *Secùs, si solùm inducant ad eligendam sepulturam apud ipsos; maximè, si de iure apud ipsos eligens debeat sepeliri, etsi alij id negent.*

101 *Excommunicatur, si indebitè ministrent Sacramenta.*

102 *Et quidem etiam Religiosi laici, imò & Moniales, sed non Nouitij.*

103 *In pluribus tamen casibus euitatur ista excommunicatio.*

104 *Ea supponit præsumptionem, nec incurritur à ministrante Sacramenta Religiosis alterius Ordinis.*

105 *Incurritur à Religioso absoluente ab excommunicationibus latis à canone, aut Concilijs.*

106 *Faciens aliquem sub censura vetitum à pluribus Prælatis non semper incurrit multiplicem censuram.*

107 *Præfatæ excommunicationi non subest absoluens à Suspensionibus, aut Interdictis.*

108 *Nomine absolutionis à pœna, & culpa hic venit concessio Indulgentiæ plenariæ.*

109 *Hanc excommunicationem incurrit ministrans Sacramenta fictè.*

110 *Excommunicantur Religiosi transeuntes ad partes vltramarinas.*

111 *Non tamen in casu, quo ibi sit maior pars fidelium.*

112 *Huic excommunicationi interdum subest Prælatus concedens talem transitum.*

113 *Ea extenditur ad Religiosos laicos.*

114 *Excommunicantur Religiosi dantes, aut accipientes pro ingressu Religionis.*

115 *Si quidem dans manifestet priuatam suam mentem.*

116 *Secùs, si quid accipiatur pro sustentatione dantis.*

117 *Hic vetatur datio cuiusque rei temporalis.*

118 *Huic excommunicationi non subest paciscens, vt admissus ad Religionem concionetur &c.*

119 *Subest verò, qui pro ingressu Religionis petit mutuum pecuniarium, commodatum, aut depositum.*

120 *Non subest, qui ad effectum ingredientis aliquid temporale exigit à Monasterio.*

121 *Prohibetur autem hic solùm datio, & acceptio ex pacto.*

122 *Capitulum pro ingressu aliquid accipiens suspenditur.*

123 *Huic excommunicationi subest dans, aut accipiens ad habendum suffragium pro ingressu.*

124 *Excommunicantur Religiosi Mendicantes si transeant ad non Mendicantes.*

125 *Declaratur: quæ licentia petatur ad hunc transitum.*

126 *Generalis Societatis Iesu concedit suis subditis transitum ad quemlibet Ordinem.*

127 *Illi semel tantùm transeunt ad Carthusiam.*

128 *Hæc excommunicatio afficit Religiosos posteà declaratos Mendicantes.*

129 *Ei non subest Religiosus Mendicans perpetuò eiectus si transeat ad non Mendicantes.*

130 *Admissio Religiosi Mendicantis ad Ordinem non Mendicantem est nulla.*

131 *Ad hunc transitum petitur specialis licentia Papæ, non obstantibus priuilegijs.*

132 *Hæc excommunicatio incurritur etiam ob solam receptionem ad nouitiatum.*

133 *Et quidem etiam à Religioso indebitè transeunte ad Ordinem non Mendicantem: Clerici ministrantes infirmis non transeunt ad Carthusiam sine licentia Papæ.*

134 *Excommunicantur Religiosi detinentes Dominicanum apostatam.*

135 *Et hoc procedit etiam de detinentibus Religiosum apostatam cuiusuis alterius Ordinis.*

136 *Excom*

136 *Excommunicantur Regulares indebitè admittentes Religiosos Societatis Iesu.*
137 *Et hoc, etsi hi transeant ad Carthusiam.*
138 *Si quidem verè sequatur admissio.*
139 *Excommunicantur Fratres Minores, ac Eremitani recipientes Fratrem Dominicanum.*
140 *Non item Dominicani admittentes Religiosum alterius Ordinis.*
141 *Excommunicantur Fratres Humiliati admittentes ad professionem, aut habitum sui Ordinis.*
142 *Excommunicantur Minores admittentes tempore Interdicti ad diuina Officia Tertiarios.*
143 *Non tamen in præsentia; cum talis admissio ipsis aliunde concedatur.*
144 *Excommunicantur Religiosi non denunciantes Religiosum subditum hæreticum, aut suspectum de hæresi, si ij sint Prælati.*
145 *Secus, si ipsi sint subditi.*
146 *Hæc excommunicatio afficit Prælatos regulares solùm respectu Religiosorum subditorum.*
147 *Religiosi subditi ex hac excommunicatione tenentur denunciare quoscunque hæreticos, aut suspectos, & quidem iuxta aliquos, etiam sæculares.*
148 *Sufficit tamen, quod Prælatus denunciet per alium.*
149 *Ante denunciationem præmittenda Correctio, si speretur fructus.*
150 *Denunciandus hæreticus, aut suspectus iuxta aliquos, etsi sit ēemdatus.*
151 *Prælati regulares se in talibus causis non immisceant nec cum suis Religiosis.*
152 *Excommunicantur Religiosi, si dicant hæreticum esse, aut peccatum credere Christi sanguinem in triduo mortis fuisse diuisum à diuinitate.*
153 *Item si indebitè absoluant à reseruatis.*
154 *Item, si commutent Vota reseruata Papæ.*
155 *Item, si indebitè disserant de Conceptione Virginis.*
156 *Item, si deprauent Verbum Dei, aut sacram Scripturam.*
157 *Item, si subornent in electionibus Regularium.*
158 *Item, si rebellent à Visitatore Ordinis.*
159 *Item, si paciscantur dare, aut accipiant pro gratia, aut iustitia obtinenda à Sede Apostolica.*
160 *Item, si prædicent absque licentia proprij Prælati regularis.*
161 *Item, si recipiant bannitos; etsi excommunicatio hæc non afficiat omnes Religiosos vbique degentes*
162 *Plura adnotantur pro intelligentia huius excommunicationis.*
163 *Excommunicantur Religiosi indebitè intrātes septa Monialium, aut ingressum permittentes, si sint Prælati.*
164 *Item, si procurent abortum fœminæ prægnantis; sed non semper.*

98. QVÆRES I. Quot, & quæ sint excommunicationes latæ contra Regulares, quæ reseruantur Papæ.

Respond. esse 23. & 1. est contra Regulares inducentes aliquem ad promittendū de sepoltura: 2. contra ministrantes Extremam Vnctionem, aut Eucharistiam, aut matrimonium absque licentia Parochi. 3. contra euntes vltra mare sine facultate Superioris. 4. contra simoniacè recipientes aliquid pro ingressu Monasterij. 5. contra Mendicantes transeuntes ad non Mendicantes. 6. contra detinentes Apostatas Fratrum Prædicatorum. 7. contra recipientes in suam Religionem Iesuitas. 8. contra Minores, ac Eremitanos recipientes in suum ordinem Dominicanos. 9. contra Humiliatos dantes alicui habitum. 10. contra Minores tempore Interdicti admittentes ad diuina Tertiarios. 11. contra Superiores non denuntiantes proprios subditos suspectos de hæresi: aut etiam hæreticos. 12 contra asserentes hæreticum esse, aut peccatum credere Christi sanguinem in triduo passionis fuisse diuisum, vel non diuisum à diuinitate. 13. contra illos, qui absoluunt à reseruatis Sedi Apostolicæ, aut Ordinarijs locorum, & quidem ex præsumptione & sub prætextu priuilegiorum ad id obtentorum. 14. contra indebitè differentes in sermonibus ad populum de Concept. B. V. 15. contra Prædicatores indebitè sacram Scripturam interpretantes. 16. contra subornātes in electionibus proprij Ordinis, necnon contra procurantes fauorem extra Ordinem ad officium obtinendum. 17. contra rebellantes in Visitatores, aut eis contradicentes. 18 contra dantes, aut accipientes pro gratia, aut iustitia obtinenda apud Sedem Apostolicam. 19. contra prædicantes sine licentia proprij Prælati. 20. contra receptantes bannitos. 21. contra violantes clausuram Monialium. 22. contra procurantes abortum fœminæ prægnantis. 23. contra indebitè extrahentes Sanctorum Reliquias.

QVÆRES II. Quid requiratur ad hoc, vt Regulares subsint excommunicationi latæ contra inducentes ad promittendum de sepultura.

Resp. ex tenore Clem. *cupientes, de pœn.* (vbi fertur ista excommunicatio ad efficaciorem obseruantiam Constit. Bonif. VIII. relatæ *in cap. 1. de sepult. in 6.*) requiri, 1. temeritatem ob ea verba, *temerarios violatores*, adeóque posse quàm ab ea excusari ob ignorantiam, aut bonam fidem. 2. quòd Religiosus alium inducit, non solùm ad eligendam sepulturam, sed etiam ad vouendum, aut iurandum, aut promittendum se electurum sepulturam in Ecclesia spectante ad inducentem, vel certè non mutaturum electionem sepulturæ iam factam. 3. quòd de facto sequatur electio sepulturæ ex vi talis inductionis. 4 quod alter inducatur ad eligendam sepulturam in Ecclesia pertinente ad eum, qui sic inducit. ita Sayr. *lib. 3. de censur. cap. 29. n. 40.* Suar. *D. 22. de censur. sect. 4. n. 25. 26.* aliique penes ipsos, & patet ex dictis *in tract. de priuileg. cap. 5. sect. 4 subs. 2. q. 21.* si hic moneo ex Suar. etiam Religiosos laicos comprehendi hac excommunicatione, imò & Moniales, vtpote quæ secundùm omnem proprietatem loquendi veniunt nomine Religiosorū, de quibus expressè loquitur Clem. *supr.* relata: non item Nouitios, quippe qui in odiosis non comprehenduntur nomine Religiosorum. 99.

Ex quibus sequitur, quòd, cùm sub hac excommunicatione non prohibeatur inductio ad actum, sed ad obligationem actus: vt notat S. Antonin. *3. p. tit. 24. c. 51.* & Ang. *v. sepultura, n. 35.* consequenter non subiaceant huic excommunicationi Religiosi, qui hortantur, suadent, & consulunt, vt alter modo dicto eligat sepulturam: qui consulti ab alio, num debeat vouere electionem sepulturæ, annuunt, vt eligat, & consilium approbant; qui proponunt rationes in vtramque partem, ex quibus possit quis statuere, num expediat vouere, aut promittere, aut iurare electionem sepulturæ; in his quippe casibus non verificantur verba præsentis prohibitionis secundùm effectū consummatum, vt patet. Secus, si qui Religiosi minis, cogant ad promittendam electionem sepulturæ (hoc enim vtique est maximè inducere;) qui per alium inducunt ad promittendam electionem sepulturæ, cùm hoc verè sit inducere, vt constat; quamquam (vt diximus *in tract. de priuileg. loco sup. cit.*) ad incurrendam istam excommunicationem non sufficiat, quòd vnus tantùm Religiosus inducat ad vouendum electionem sepulturæ, sed requiratur, vt in- 100.

ductio fiat saltem à maiori parte Religiosorum spectantium ad Ecclesiam, in qua eligi debet sepultura; quod negat Pasqualigus *decis* 280. *n*. 2.

Addit Pasqualigus *decis*. 375. quòd quamuis Rodrig. *tom*. 4. *sum*. *c*. 130. *n*. 3. & alter Rodrig. *resol*. 128. *n*. 6. sustineant non incurri hanc excommunicationem à Religiosu inducente modo dicto ad promittendam electionem sepulturæ in loco, vbi eligens debet sepeliri de iure; cùm sic inducens non violet decretum Bonifacij VIII. factum in fauorem Ecclesiæ, in qua defunctus de iure sepeliri debet, sed illi faueat: probabilius tamen est in tali casu incurri excommunicationem; vt docet Portel. *de dub. reg. ver. sepult. n*. 4. probátque ea eo quod, quando actus de se prohibetur vt malus, etsi conducat ad finem prohibitionis, adhuc censetur probibitus; vt si quis in die ieiunij intemperantiùs edat ad opprimendam naturam, &c.

QVÆRES III. In quibus casibus Regulares incurrant excommunicationem latam in Clem. 1. *Religiosi de priuil. & excessib. priuileg.* contra Religiosos ministrantes sine speciali licentia Parochi Sacramenta extremæ Vnctionis, aut Eucharistiæ, vel solemnizantes Matrimonium, vel absoluentes ab excommunicationibus reseruatis, vel concedentes indulgentiam plenariam.

101. Respond. quod, cùm in citata Clem. dicatur: *Religiosi, qui Clericis, aut laicis Sacramentum Vnctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniave solemnizare, non habita super his parochialis Presbyteri licentia speciali, aut qui excommunicatos à Canone, præterquam in casibus à iure expressis, vel per priuilegia Sedis Apostolicæ concessis eosdem, vel à sententijs per statuta prouincialia, aut synodalia promulgatis, seu (vt verbis eorum vtamur) à pœna, & culpa absoluere quemquam præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto per Sedem Apostolicam duntaxat absoluendi*, cùm, inquam, citata Clem. sic dicatur, Regulares hanc excommunicationem tunc demum incurrent, quando sine speciali licentia, quæ saltem habeatur per ratihabitionem, proprij Parochi ministrant Clericis, vel laicis extremam Vnctionem, aut Eucharistiam (siue id fiat per modum Viatici, siue aliàs) aut solemnizant matrimonium, idest solemniter benedicunt nuptiis, siue primis, siue secundis (quamuis secundæ non debeant benedici;) hoc enim est solemnizare matrimonium; vnde fit, vt Religiosus assistens præcisè alieni matrimonio sine speciali licentia Parochi, non autem benedicens effugiat istam excommunicationem, incurrens tamen suspensionem, de qua in Conc. Trid. *sess*. 24. *c*. 1. ita Suar. *supr. sect*. 4. Filliuc. *tract*. 15. *n*. 184. *& seqq*. Bonac. *de Censur. in partic. D*. 2. *q*. 9. *p*. 5. *per totum c*. 29 *à n*. 26. Lezana *tom*. 1. *cap*. 21. *n*. 8. 9. 10. & aliis patétque ex *tract. de priuil. cap*. 3. *sect*. 4. *q*. 1. quoad ministrationem quidem Extremæ vnctionis *sect*. 4. *q*. 1. quoad Eucharistiæ verò *sect*. 3. *q*. 4. quoad matrimonij denique solemnizationem *sect*. 5. *q*. 1. quare hîc solùm aliqua breuiter aduertenda sunt.

102. Aduerto ergo primò, ista excommunicatione comprehendi tantùm Religiosos, siue professos, siue etiam per vota simplicia solùm tales: & quidem etiam non exemptos (quamuis enim Clementina relata sit sub tit. *de priuileg.* sensus tamen illius principaliter sumi debet ex verbis, non ex rubricis:) imò & Moniales, ac Religiosos non ordinatos, loquendo de actionibus, quæ ab his exerceri possunt: cuiusmodi est ministrare Eucharistiam, aut concedere indulgentiam plenariam, cuius concessio innuitur in allegata Clementina sub illis verbis, *à pœna, & culpa*, vt notat Filliuc. *supr. num*. 189. ex Syluestro, etsi Bonac. *supr. n*. 27. ex Anchar. & Cardin. putet valde probabile Moniales & Religiosos laicos non comprehendi sub hac excommunicatione: cùm textus, in quo ea fertur, videatur dirigi ad Religiosos, qui solent Sacramenta ministrare: cuiusmodi vtique non sunt neque moniales, neque Religiosi laici. Quæ doctrina à fortiori procedit de Nouitiis: maximè cùm hi in materia odiosa non veniant nomine Religiosorum, vt notant DD. communiter.

103. Aduerto secundò, quòd, cùm sub præsenti excommunicatione prohibeatur non vsus legitimæ potestatis, sed abusus vsurpatæ potestatis: non desunt plures modi, quibus Religiosi absque censura huius Canonis ministrare possunt dicta Sacramenta: primus est ex speciali licentia eius, qui potest illam concedere (vt est Parochus, etiam nondum Sacerdos, Episcopus, eiusque Vicarius generalis:) ex speciali, inquam, per quam exprimatur actus Sacramenti; & si ex parte personæ sit solùm generalis, quomodo in responsione diximus sufficere ratihabitionem: vtpote quæ supplet vicem specialis licentiæ, quoties de mente rationabili concedentis constat; siquidem hîc non requiritur licentia expressa, sed specialis, quæ sine dubio inter se habent diuersitatem. 2. modus est ex concessione iuris, aut per priuilegia Religionis; quo pacto Religiosi modò regulariter ministrant fidelibus Eucharistiam, præterquam in Paschate, imò & extremam Vnctionem in certis casibus: idque non obstante quod in fine citati Canonis dicatur: *Nullo priuilegio suffragante*: quod, teste Glossa, additum est, vt Religiosi contra illum Canonem delinquentes incurrant hanc excommunicationem, ac denuncientur, non obstante quocumque priuilegio: non autem ad reuocanda priuilegia, quæ fortè iis concessa sint, quoad dictorum Sacramentorum administrationem. 3. modus est ex vi officij, aut beneficij; vt si Religiosus sit Parochus; quo casu Nauarra Felin, & aliis apud Suar. *n*. 10. putat Religiosum non affici ista excommunicatione, quantumuis alienis ouibus sine debita licentia ministret præfata Sacramenta; quod tamen reiicit Suar. & bene. 4. modus est ex consuetudine recepta, & probata; quæ in similibus rebus vtique confert iurisdictionem. 5. modus est ex necessitate extrema, quæ tamen non habet locum, nisi in Eucharistia, ac extrema Vnctione, non item in solemnizatione Matrimonij; quamuis Sayr. *sup. n*. 29. Sylu. *v. excomm*. 7. *n*. 32. & alij arbitrentur non habere locum, neque in Eucharistia, quæ ministretur per modum Viatici: quod DD. communiter reiiciunt.

104. Aduerto tertiò, quòd, sicut ad contrahendam istam excommunicationem requiritur præsumptio (vt colligitur ex verbo *præsumpserint*, quòd extat in Canone citato) adeóque ab ea excusatur Religiosus, qui dictum Canonem violat ex ignorantia, aut probabiliter credens Parochum ratihabiturum.

Aduerto quartò, non subiacere isti censuræ Religiosum, qui Eucharistiam, aut Vnctionem extremam ministrat sine debita facultate Religiosis alterius Ordinis; cùm in Canone citato dicatur: *Religiosi qui Clericis, vel laicis*; & nomine horum, maximè in pœnalibus, non comprehendantur Regulares; vt notat Bonac. *n*. 12. ex Caiet. Nauar. & aliis.

105. Quod autem spectat ad Regulares absoluentes ab excommunicationibus latis à Canone, aut impositis in Conciliis Prouincialibus, vel Synodalibus, ideóque incurrentes istam excommunicationem; rectè monet Bonac. *n*. 16. quòd licèt Regulares absoluentes à casibus Bullæ Cœnæ sine licentia speciali Sedis Apostolicæ

Apostolicæ incurrant excommunicationem latam in ipsa bulla, sed non reseruatam (vt probatum est in *tract. de prohibit. c. 2. sect. 1. q. 9.*) nec non excommunicationem Papæ reseruatam in decreto S. Congreg. à Clemente VIII. edito anno 1602. & à nobis relato *in tract. de prohibit. supr. quæst. 3.* si ex prætextu priuilegiorum absoluat à casibus in præfato decreto contentis, & ab iis, quos reseruant Ordinarij locorum; istæ tamen excommunicationes non afficiunt solos Religiosos, sed generaliter omnes, & singulos, qui indebitè absoluunt à præfatis casibus: cùm aliàs excommunicatio, quæ præfertur in præsenti Canone, & à nobis hic explicatur, sit propria ipsorum Religiosorum, non autem generalis contra omnes; vnde (inquit Bonac. *num. 17.*) Religiosus absoluens ab excommunicatione contracta ob duellum v.g. afficitur excommunicatione istius Clementinæ, cùm sic dicatur absoluere excommunicatum à Canone: secus, si absoluat excommunicatum ab homine per sententiam generalem, aut particularem: hæc enim excommunicatio non dicitur lata à iure, seu per Canonem, adeóque non comprehenditur sub præsenti prohibitione: cùm in materia pœnali non sit facienda extensio vltra propriam verborum significationem.

Quod si dicas hinc sequi Religiosum absoluentem ab aliquo casu contento in Bulla Cœnæ, aut supra citato decreto Clementis incurrere duplicem excommunicationem, eam scilicet, quæ fertur in ista Clementina, & illam, quæ extat in Bulla Cœnæ, aut præfato decreto: cum tamen DD. communiter dicant facientes aliquem actum prohibitum sub censura à pluribus Superioribus habentibus eandem potestatem incurrere vnicam censuram, eo quod illi plures Superiores moraliter reputentur tantùm vnus (vt diximus *c. præcedent. sect. 2. q. 23.*) & id ipsum in casu nostro euenire videatur, stante quod Sacra Congreg. Concilij, quoad decreta, quæ edit de speciali mandato Papæ, facit cum illo idem tribunal, & consequenter censetur esse cum eo vnus, ac idem Superior.

106. Respondeo. Negando sequelam; adhuc enim Regularis absoluens à reseruatis in casu non concesso, vnicam incurrit excommunicationem: nimirum eam, quæ respectiuè posteriùs lata est. videtur eam, quæ lata est in Bull. Cœnæ, si absoluat à casu contento in ipsa Bulla: vel eam, quæ continetur in decreto Clem. absoluens à casu comprehenso in dicto decreto; non secus, ac Sayr. *l. 1. de Censur. c. 10. n. 11.* docet deferentem arma Saracenis vnam tantùm incurrere excommunicationem, quamuis diuersi Pontifices in diuersis iuribus talem delationem prohibuerint sub pœna excommunicationis, hancque aliqui reseruauerint, alij non; posterior quippe voluntas, supposita potestate, reuocat, & vincit priorem; vt notat Suarez *l. 6. de leg. c. 27. n. 3.* vnde & Superior prohibens aliquid de nouo sub censura (v.g. sub excommunicatione) quod aliàs item sub excommunicatione ab ipso fuerat prohibitum, vel ab alio eadem potestate fungente, hoc ipso quod imponit nouam excommunicationem censetur reuocare priorem, sicque transgrediens prohibitionem vnicam, contrahit censuram: quod omninò euenit in casu nostro; ita Neoterici satis docti, & bene, quamuis dissentiat Bonac. supr. dicens Religiosum absoluentē ab excommunicationibus latis, & reseruatis in Conciliis prouincialibus, aut synodalibus incurrere excommunicationem istius Clementinæ, imò & eam, quæ fertur in decreto Clementis, si absoluat prætextu priuilegiorum, cùm hoc sit absoluere à casibus reseruatis locorum Ordinariis, quod ibi prohibetur.

Addit Bonac. *n. 18.* ex Syluest. Ang. Tab. & aliis quos sequitur Suarez *D. 22. de censur. sect. 4. num. 16* hanc prohibitionem non extendi ad suspensiones, & interdicta edita in Conciliis prouincialibus, aut synodalibus, adeóque Religiosum absoluentem à suspensionibus, ac interdictis latis in supradictis Conciliis non affici excommunicatione præsentis Clementinæ: cum Canon loquatur de Religiosis absoluentibus excommunicatos à Canone, vel à sententiis latis in supradictis Conciliis, & alioqui absoluens excommunicatum non dicatur absoluere à suspensione, ac interdicto: verba autem textus formaliter accipienda sunt. Nec obstat, quod Canon absoluiè loquitur de sententiis, & nomine sententiæ veniunt suspensiones, & interdicta; si quidem verbum illud *à sententiis* restringitur per illud aliud verbum *excommunicatos*, ad quod refertur. ita Bonac. *sup.* addens *num. 22.* Religiosum absoluentem ab excommunicationibus non reseruatis nullatenus subiacere dispositioni istius Clementinæ: cùm in ea non prohibeatur vsus legitimæ facultatis (qualis est, quod quilibet Confessarius approbatus, & consequenter etiam Regularis, possit absoluere à censuris non reseruatis, concedente id iure, & consuetudine iuxta *cap. nuper de sent. excommunic.*) sed vsurpatæ iurisdictionis abusus, vt patet.

Cæterùm, quod spectat ad absolutionem à pœna & culpa (de qua in ista Clementina, & quæ in ea specialiter prohibetur item sub pœna excommunicationis) nomine talis absolutionis significatur [illegible] absolutio culpæ, & pœnæ, (id est excommunicationis,) sed concessio Indulgentiæ plenariæ: na vi [illegible] istorum verborum præsens prohibitio solùm dirigitur contra Religiosum malè vsurpantem potestatem concedendi Indulgentiam plenariam; non item contra ministrantem Sacramentum Pœnitentiæ, etiamsi quamuis indebitè: ex quo infert Suar. *num. 20.* & bene, quòd si Religiosus absoluat, non à tota pœna, sed à parte illius per modum Indulgentiæ vnius anni v.g. non incurret hanc censuram; cùm sic non concedat Indulgentiam plenariam; quod solùm hic prohibetur, vt constat ex textu.

Maius dubium est, an Regulares subiaceant dispositioni istius Clementinæ in casu, quo fictè conferant Extremam-Vnctionem, vel præbeant hostiam non consecratam, fingant dare Indulgentiam plenariam, &c. aut absoluere à peccatis

Respondeo Bonac. subiacere; probátque ex eo, quod concedens Indulgentiam absoluens à peccatis in casu non concesso, non potest validè hæc obire: sicque non potest dici, quòd Papa in ista Clem. intendat prohibere, vt ea validè non præstet; cum sit certum ea ab ipso validè præstari non posse: vnde Papa intendit prohibere actionem illam externam, qua quis exteriùs fingit absoluere, aut concedere plenariam indulgentiam; fingens verò ministrare Extremam-Vnctionem, aut Eucharistiam modo dicto verè exteriùs exercet illas actiones, quæ prohibentur in ista Clementina, Parochorumque iurisdictionem vsurpat cum deceptione fidelium, ac periculo scandalorum ad quæ cauenda facta est talis prohibitio. ita Bonac. *n. 25.* & alij, à quibus dissentit Suar. *n. 25.* quoad hanc posteriorem partem, sustinens ministrantem fictè Extremam-vnctionem, & Eucharistiam, fictéque solemnizantes matrimonium non subiici præsenti excommunicationi, licèt aliàs peccent; cùm ista excommunicatio lata sit contra Religiosum ministrantem Eucharistiam, Extremam-vnctionem, &c. & alioqui fingens ea ministrare verè non possit dici ministrare, nisi fortè in casu, quo hostiam re vera

consecratam præberet: quo casu etiam Suar. concedit illum incursurum esse excommunicationem.

QVÆRES IV. Quandónam Regulares incurrant excommunicationem latam in Extrauágan. *Ad nostrum de Regular.* contra euntes vltra mare, seu (vt loquitur textus) se transferentes ad partes vltramarinas.

117. Respond. incurrere, quando ad dictas partes se transferunt sine licentia Superioris, & quidem non solùm tacita (quæ alioqui in similibus solet sufficere iuxta regulam: *Taciti, & expressi eadem est conditio*) sed expressa, & concessa in scriptis; cùm in textu expresse dicatur. *Per ipsius literas patentes concessa* (quamquam aliquis posset dicere id requiri solùm pro foro externo; vt in simili diximus *in tract. de prohibit. cap. 6. q. 22.*) siue postea concedens talem licentiam sit Superior localis, siue Prouincialis, siue Generalis: cùm enim textus dicat solùm *absque Superioris Ordinis sui licentia*, non distinguendo inter localem, aut alium, videri posset sufficere etiam licentia Superioris localis: siquidem, vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus; quod tamen negat Bonac. *supr. p. 8. num. 8.* & meliùs, asserens per Superiorem Ordinis intelligi antonomasticè Generalem, aut alium ab ipso ad id delegatum addénsque Superiorem ipsum Ordinis non subiacere isti excommunicationi, si fortè se transferat sine licentia ad partes transmarinas; siquidem textus loquitur, non de Superiore, sed de Religiosis subditis, vt constabit legenti textum.

Difficultas esse potest, an Religiosus afficiatur ista excommunicatione, si absque licentia Superioris transeat ad partes transmarinas, vbi adest multitudo fidelium.

118. Respond. Bonac. *n. 4.* non affici, si ibi extet maior pars fidelium, quàm infidelium; nam in Extrauag. citata sermo est de transferentibus se ad partes transmarinas, in quibus degant pauci fideles respectu infidelium, ideóque non debet extendi prohibitio ad casum diuersum; cùm à diuersis non fiat illatio, maximè in odiosis, quæ decet restringi.

Porrò hanc eamdem excommunicationem incurrit Prælatus regularis, si Religioso subdito inexperto, ac illiterato præfatam licentiam eundi ad partes transmarinas concedat; imò etiam in casu, quo illam concedat Religioso literato quidem, ac docto, sed non prouido, ac experto: textus namque triplicem conditionem requirit in eo, cui talis licentia concedi debet; vt scilicet sit literatus prouidus, & expertus, idest habens experientiam: idque copulatiuè; cùm vtatur particula coniunctiua *&*; vt aduertit Bonac. *supr. n. 5.* addens *num. 9.* hac eadem excommunicatione affici Religiosum subditum, qui sine licentia proprij Superioris ad dictas partes transeat sine animo inducendi quemquam in errorem, & absque periculo scandali; idque ob rationes allatas à Bonac. *supr. num. 9.*

Addo quòd, licèt finis huius Extrauagántis videatur esse, vt impediat disseminationem errorum, & falsæ doctrinæ in partibus transmarinis (dicit enim *per doctrinas suas reprobas, & erroneas fidelium mentes quantum in eis est, corrumpere satagant*, &c. adeóque non videatur comprehendere Religiosos Laicos, quippe qui non vacant eiusmodi exercitiis, nihilominus puto etiam illos comprehendi: idque colligo ex verbis dictæ Extrauagantis, quæ ita habet: *Vniuersis & singulis Religiosis, cuiuscumque conditionis, religionis, ordinis, vel status existant*: hæc enim verba cum generalia sint, generalitèr debent intelligi, ita vt extendatur etiam ad Religiosos laicos, vtpote qui reuera sunt Religiosi, sicque veniunt sub generali nuncupatione Religiosorum; prætetquam quod potest euenire hos esse ita temerarios, vt audeant etiam ipsi de rebus fidei disserere cum spirituali periculo fidelium commorantium in partibus transmarinis, & consequenter etiam, quoad ipsos militet finis dictæ Extrauágantis.

QVÆRES V. In quibus casibus incurrant Regulares excommunicationem latam in Extrauag. Sanè de Simonia contra Religiosos dantes, aut recipientes aliquid ex pacto pro ingressu Religionis.

Respond. incurrere, quando, non sponte, ac purè liberaliter, sed ex pacto tacito, aut expresso dant, 119.
aut recipiunt aliquid temporale pro ingressu Religionis, idest, pro admissione ad professionem religiosam; hîc siquidem per ingressum Religionis non intelligitur receptio ad habitum, sed ad ipsam professionem religiosam, ad quam ordinatur ipsa habitus susceptio; vnde fit, vt si quid temporale detur ob receptionem ad habitum, præcisè, committatur quidem simonia, non tamen incurratur excommunicatio, donec re ipsa emittatur professio; imò nec incurretur, si interim factum retractetur, & pecunia, vel non recipiatur, vel reddatur; censura quippe non incurritur, nisi adsit effectus completus sub ea prohibitus, qualis certè non adesset in præsenti casu. Ita Bonac. *supr. q. 3 p. 29. n. 11. & 12.* Suar. *de Censur. supr. sect. 5. n. 5. & seqq.* Filliuc. *tract. 45. num. 11.* (quamquam dicat probabilius esse hanc excommunicationem contrahi tam in receptione ad habitum: quàm in emissione professionis, si per simoniam vtraque actio fiat) aliique, qui benè notant, quòd, cum in citata Extrauag. dicatur, *qui præsumunt*, ad contrahendam istam excommunicationem requiritur præsumptio, quæ non interuenit, vbi adest ignorantia, bona fides, &c.

Dubitant hîc DD. an subiaceat huic excommunicationi, qui dat aliquid temporale animo ingrediendi Religionem: non tamen manifestat hunc suum animum superiori, aut alij recipienti; & ratio dubitandi est, quòd sic non videtur dare purè spontè, ac plenè liberaliter, vti requiritur in Extrauag. citata his verbis: *Illa dumtaxat, quæ personæ ingredientes purè, spontè, & plenè liberaliter, omnique pactione cessante dare, vel offerre cum gratiarum actione licitè recepturi*, &c.

Respond. non subiacere; patétque ex eo, quod, 120.
quoties punitur actus externus malus, non censetur puniri is, qui solùm est malus per habitudinem ad actum internum, nisi fortè id exprimatur, aut ex verbis dispositionis sic colligatur: quod tamen non euenit in casu nostro, quo Papa mentionem facit de pactione, vt constat ex textu; vnde, cùm in præsentia actus externus non sit coniunctus cum pactione, hoc ipso censetur purus, spontaneus, ac liberalis, & per consequens non potest esse materia istius excommunicationis; vt aduertit Bonac. *n. 3.* ex Suar. *& Alterio.*

An verò afficiantur ista excommunicatione, qui aliquid recipiunt, aut dant pro sustentatione ingredientis Religionem, & quidem etiam ex pactione.

Respond. quòd, quamuis DD. ferè communiter 121.
cum S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.* sustineant non affici, si monasterium sit inops, aut certè hîc, & nunc indigeat, vel quia habet expletū numerum illorum, quos potest commodè alere, vel quia adsunt alij, quos expedit admittere, & nequeunt aliquid dare in sustentationem, vel aliis de causis: secus, si monasterium sit diues, & non indigeat; nihilominus probabile videtur, quod docent Syluest. Sot. & Miranda

apud

apud Bonac. *num* 4. Filliuc. *tract.* 15. *num.* 84. Suarez *supr. num.* 12. & alij : nimirum in casu præsenti non incurri excommunicationem, etiamsi monasterium sit diues. Pars prima probat, quia bona Regularium subiacent dispositioni Papæ, ac proinde cum Papa disposuerit, vt ipsorum bona liberaliter, & gratis insumantur in alendis Religiosis, *cap. quam pio* 1. *q.* 2. *& cap. quoniam, de Simonia*, consequenter abstulit Religiosis omne ius petendi aliquid ab ingredientibus, etiam titulo sustentationis, quoties monasterij facultates ad id suppetunt. Pars secunda probatur maximè ex eo, quòd in isto casu non interuenit simonia, cum temporale non recipiatur pro spirituali, (id est, pro ingressu Religionis) sed pro temporali, (id est, pro sustentatione ingredientis) quod vtique verum habet, siue monasterium sit pauper, siue sit diues; cùm tamen ista excommunicatio non incurratur, nisi ob Simoniam; vt colligitur ex titulo istius Extrauagantis, qui inscribitur, *de Simonia.*

Quòd si quæras, quænam hoc loco prohibeantur dari ob ingressum Religionis.

117. Respond. prohiberi quodcumque temporale, siue detur ante ingressum, siue post, imò & in ipso ingressu; siue exigatur directè, siue indirectè; patet ex ista Extrauag. quæ ait : *Districtius inhibemus, ne tam à maribus, quàm a mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem, Ecclesias, monasteria, &c. in earumdem personarum receptione, aut ante, vel post illam, quoscumque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, iocalia, aut res alias, etiam ad vsum Ecclesiasticum, seu quemuis pium vsum alium deputata directè, vel indirectè petere, vel exigere quoquo modo præsumant, &c.* Quamquam Suarez & alij communiter apud Bonac. *n.* 6. censeant Moniales non affici ista excommunicatione, quantumuis exigant ab ingredientibus pastus, & prandia tradi solita : vtpote, quæ traduntur non pro professione, sed pro sustentatione ingredientis, & aliarum Monialium, necnon pro solemnitate professionis, videntur permissa ex consuetudine, & non recipiuntur pro re spirituali; præterquam quod dici posset istam Extrauagantem, quoad hanc partem esse abolitam (vt de facto ait Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 131.) quod tamen non approbat Bonac. *loco supr. citato.*

Dices, quid si Regulares nolint admittere ad professionem Nouitium, nisi cum pactione, vt per tot annos legat Philosophiam, aut Theologiam, vel concionetur, vel regat monasteria Ordinis, &c. incurreturne in isto casu excommunicatio?

118. Respond. quòd, cùm simus in odiosis, quæ debent restringi, & in præsenti Extrauag. modo supradicto non prohibeantur dari, aut recipi ob ingressum Religionis actus hominis (cuiusmodi sunt ij, qui hîc recensentur) sed res ipsæ, vt constat ex verbis illis, *aut res alias*, quæ ex ipsa Extrauagant. retulimus §. *præced.* in præsenti casu puto, quod non incurretur excommunicatio, cùm sic verè non concurrat actus perfectus, & consummatus, qui ad talem censuram incurrendam in lege requiritur.

119. Secus puto dicendum in casu, quo ob ingressum Religionis ex pacto exigeretur, & daretur monasterio mutuum pecuniarium, aliquod commodatum, aut depositum: sic enim dantes, & recipientes incurrent istam excommunicationem. Ducor ex eo, quòd interpretatio legis sæpè sumitur ex fine ipsius legis, & iuxta hunc debet restringi, aut ampliari : cùm lex à voluntate legislatoris recipiat vires; finis autem istius Extrauagantis prohibentis, ne quidquam temporale detur, aut recipiatur ob ingressum Religionis, est, ne alioqui fideles expensarum onere à sacræ Religionis proposito retrahantur, vt apertè colligitur ex ipsa Extrauag. qui finis vtique militat etiam in casu nostro, quoad dationem mutui, commodati, aut depositi : cum non omnibus iis, qui aliàs ingressuri sunt Religionem, suppetat copia mutuandi, aut commodandi monasterio, in quod petunt admitti, sicque ex tali defectu à sacræ Religionis proposito retrahi possint; vnde, cùm huic malo intendat consulere ista Extrauagant. sequitur eam habere locum etiam in præsenti casu, quo ex pacto detur mutuum, aut commodatum, aut depositum ob ingressum Religionis, quod erat probandum.

Ingrediens certè Religionem non incurrit istam excommunicationem, etsi ex pacto petat, aut recipiat aliquid à monasterio ad effectum ingrediendi, 120.
licèt alias committat simoniam. ita Filliuc. *tract.* 45. *cap.* 13. *num.* 11. & probatur, quia ista Extrauag. imponit excommunicationem solùm in casu, quo pecunia exigatur, aut detur à volentibus ingredi; non item, quando datur ingredienti, seu volenti ingredi: siquidem dicitur in præfata Extrauag. *Districtius inhibemus, ne tam à maribus, quàm à mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem* : à diuersis autem non fit illatio.

Præterea non incurritur ista excommunicatio, 121.
neque in casu, quo datur aliquid temporale verè pro ingressu Religionis, sed ab alio recipitur bona fide, & absque tali intentione : neque in casu, quo & datur, & recipitur temporale pro ingressu Religionis, sed nullo interueniente pacto : siquidem hîc prohibentur solùm datio, & receptio facta ex pacto, (vt aduertit Suarez *supr. num* 7. ex Caiet. & Armilla,) qualis datio, & acceptio non intercedit in præsenti casu.

Illud denique aduertendum est, quòd, sicut per- 122.
sonæ recipientes pro ingressu Religionis aliquid temporale, incurrunt excommunicationem latam in ista Extrauag. & reseruatam Papæ, sicut sunt Superiores monasterij, siue inferiores : de his enim omnibus generaliter intelligi debet ista Extrauag. cùm generaliter loquatur, vt constat ex textu;) ita si recipientes fuerint, non singulares personæ, sed Capitulum, aut Conuentus, contrahunt suspensionem ipso facto & reseruatam Papæ; siue ista sit suspensio ab officio, ac beneficio simul, vt vult Bonac. *n.* 9. id colligens ex eo quòd suspẽsio generaliter (qualis est suspensio ista) est totalis, adeóque suspendit, tum ab officio, tum à beneficio (vt cap. seq. dicemus) siue sit suspensio solùm ab omni actu, seu officio capitulari, & communi requirente iurisdictionem, aut administrationem Ecclesiasticam; vt sentiunt Suar. Alter. & Filliuc. penes eumdem Bonac. *loco supr. cit.* & meo iudicio probabiliùs; stante quod Capitulum in communi non est capax alterius suspensionis, & alioqui talis suspensio comprehenditur sub absoluta sententia suspensionis.

Dices, quid si quis det temporale, aut accipiat, non pro ingressu Religionis, sed vt obtineat, aut ferat suffragium pro ipso ingressu, incurritne is excommunicationem ipsius Extrauagantis.

Respond. incurrere; cùm in dicta Extrauag. prohi- 123.
beatur datio, hîc receptio pro ingressu Religionis, etiam indirecta; qualis interuenit in præsenti casu, vt patet : Idémque proportionaliter dicendum videtur in casu, quo admittentes ad ingressum Religionis aliquid ex pacto recipiant ab aliquo tertio, (v. g. à consanguineis illius, qui admittitur:) hoc enim est recipere ab ingrediente, sin minùs directè, saltem indirectè (quod etiam prohibetur in cit. Extrauag.) præterquam quod respectu talis receptionis verè militat finis dictæ Extrauagantis: cùm sic contingere

tingere possit, vt non pauci retrahantur à proposito Sacræ Religionis, eo quod non habeant, qui pro ipsorum ingressu det monasterio: vbi autem militat eadem ratio, militat, & eadem iuris dispositio.

QVÆRES VI. quid requiratur ad hoc, vt Regulares incurrant excommunicationem latam in *Extrauag. viam ambitiosæ de Regular.* contra Religiosos Mendicantes transeuntes ad Ordines non Mendicantes.

124. Respond. requiri, vt ab Ordine Mendicanti ad Ordinem non mendicantem transeant absque speciali licentia Sedis Apostolicæ, & quidem prætextu priuilegij; vnde fit, vt Religiosus Ordinis Mendicantis non incurrat istam excommunicationem, si sine dicta licentia prætextu priuilegij transeat ad alium Ordinem Mendicantem; nisi fortè in illo Ordine extet priuilegium prohibens etiam talem transitum; quale de facto habent nonnulli Ordines, vt videre est apud Bonac. *de Clausura q. 2 p. 9. §. 5. diffic. 2.* & inter eos etiam Soc. Iesu ex concessione Pij V. in bulla, quæ incipit *æquum reputauimus*; patet responsio ex cit. *cap. viam ambitiosæ*, quod ita habet: *Nullus Religiosus ordinum Mendicantium quorumcumque, cuiuscunque gradus, status conditionis, vel religionis existat, quàmcumque, & qualitercumque possit, & debeat virtute cuiuscũque licentia, etiam indulti Apostolici, &c. admitti, aut recipi per aliquos etiam Superiores Ordinis, seu Monasterij, aut loci Monastici, seu aliàs in Monachum, vel in Fratrem alicuius ex Ordinibus Monasticis supradictis* (idest S. Benedicti Cistereiensis, Camaldulensis, Vallis vmbrosæ, Canonicorum Regularium S. Augustini, vel aliorum Monasticorum Ordinum) *vel alijs expressis, Ordine Carthusiensium duntaxat excepto, sub pœna excommunicationis, quam tam recipientes, quàm recepti ipso facto incurrant.*

125. Quòd autem additur in eadem Extrauag. *In futuris nullus ex professoribus alicuius ex Ordinibus, Mendicantium huiusmodi in aliquem Ordinum Carthusiensium dumtaxat excepto, possit, aut debeat per quemcumque recipi, vel admitti virtute alicuius licentia, vel indulti absque Sedis huiusmodi* (idest Apostolicæ) *licentia speciali sub dictis pœnis*; ita interpretatur Suarez *supr. D. 22. sect. 5. num. 18.* vt licentia supradicta non possit dici specialis, nisi in eius concessione nominetur persona, cui illa conceditur, imò & Religio, à qua faciendus est transitus: quod tamen improbat Bonac. *supr. n. 15* & non improbabiliter, sustinens licentiam in re præsenti dici posse specialem, etiamsi non nominetur in particulari persona, cui conceditur: dummodo nominetur sub ratione communi Mendicantium, expressa Religione non Mendicanti, ad quam conceditur transitus, si minùs in specie, saltem sub ratione communi non Mendicantium modo supradicto; sic quippe videtur subsistere specialitas licentiæ, qualis requiritur in ista Extrauag. vt vel hinc patet, quod Papa posset concedere licentiam toti alicui Ordini Mendicanti transeundi ad Ordinem S. Benedicti, aut alium Monasticum, nullo Religioso illius in particulari expresso, & tamen illa concessio esset valida; cùm aliud sit licentia specialis, & aliud expressio personæ particularis.

126. Illud verò, quòd diximus absque speciali Sedis Apostolicæ licẽtia non posse Religiosum Mendicantem transire ad Ordinem non Mendicantem; quoad Religiosos Societ. Iesu non habet locum: cùm, teste Sanch. *l. 6. in Decal. cap. 7. n. 71.* Præpositus generalis illius possit se solo concedere licentiam Religiosis Societ. siue professis, siue non professis, vt transeant ad alium etiam Ordinem, præterquam Carthusiensium, vt concessere Paulus III. Pius IV. Pius V. & Greg. XIII. in suis literis Apostolicis, & habetur *in compendio Soc. ver. Apostata, n. 9.* Quin etiam per priuilegium à Paulo V. concessum Carmelitis Discalceatis 3. April. 1610. (quo gaudet Societas Iesu iuxta concessionem illi factam à Pio V.) nullus è Societate transire potest ad Carthusiam sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, nisi petita, & obtenta licentia à Superioribus; quam licentiam sibi Generalis reseruauit, sicut & facultatem dandi licentiam suis subditis transeundi ad quemcumque alium Ordinem, etiam non Mendicantem; quæ facultas verè magna est, & ampla, sed non communia aliis Ordinibus, quantumuis communicantibus de priuilegiis Societatis: siquidem Greg. XIII. in Constitutione *Cum aliàs* declarauit alias Religiones, neque per viam communicationis posse illa vti; vt notant Suar. *vbi supr.* & Sanch. *num. 31.*

127. Addo quòd, quamuis alij Religiosi licitè possint transire ad Carthusiam non semel, sed iterum, & iterum, cum nullo id iure interdicatur, aut indulto ipsis concesso: in Societate tamen non nisi semel talis transitus est licitus: idque ex concessione Pij V. viuæ vocis oraculo facta, & relata *in Comp. Soc. supr. n. 11.* videlicet, quod si quis è Soc. ad Carthusiam transire vellet, tres ei menses ad transitum præscribantur, intra quos, si non ingrediatur, aut non admittatur, aut non perseueret, teneatur redire, nec ei amplius liceat transire ad Carthusiam absque Generalis consensu sub pœna excommunicationis latæ, & censurarum, ac pœnarum, quas Apostatæ incurrunt, quarum absolutio reseruatur Papæ, vel Generali Societatis: quod postea Greg. XIII. confirmauit, ac denuò concessit per Breue, quod incipit *Exponi nobis*, interdicens vsum talis concessionis omnibus aliis Mendicantibus, qui sua priuilegia cum ipsa Societate participant.

128. Monet porrò Suar. *num. 16.* dispositionem istius Extrauagantis extendi ad Religiosos etiam illorum Ordinum, qui post editionem illius Apostolica auctoritate adscripti sunt in numerum Mendicantium; vt est Soc. Iesu iuxta declarationem Pij V. anni 1571. necnon ad omnes veros Religiosos, siue professos, siue non professos (cuiusmodi sunt in Societate, qui post biennium vota simplicia emiserunt.) Ratio est, quòd lex semper loquitur, & omnes successores afficit; &, si loquitur generaliter de Religiosis (quo modo loquitur præsens Extrauagans) ligat omnes Religiosos, adeóque etiam illos, qui sunt tales per vota simplicia, cùm & hi verè, ac simpliciter sint Religiosi,

Dubium modò est, an Religiosus Ordinis Mendicantis legitimè eiectus ab Ordine, & habitu priuatus, absque speciali Sedis Apostolicæ facultate possit transire ad quemcumque Ordinem Monasticum.

129. Respond. quòd, cùm hac in re dissentiant DD. & eorum alij partem sustineant negantem cum Suar. *n. 20.* & Filliuc. *tract. 15. n. 191.* ea ducti ratione, quòd Religiosus eiectus manet subditus sui Ordinis, adeóque si reuocetur, tenetur ad eum redire: alij verò partem affirmantem sequantur cum S. Anton. 3. *p. tit. 16. c. 4. §. 4* in fine, & aliis, eo quod Religiosus eiectus non debeat cogi manere in sæculo; mihi probabilius videtur distinguẽdum esse cum Bonac. *n. 9.* vel Religiosus est eiectus in perpetuum; & sic sustinẽda est pars affirmans, tum ob rationem allatam à S. Antonino; tũ quia sic saluatur finis præsentis Extrauag. qui est consulere conseruationi Ordinum Mendicantium: siquidem, cùm Ordo, à quo eiicitur Religiosus in perpetuum, non sit eum ampliùs repetiturus, nullum inde Ordo Mendicans patitur detrimentum;

rum;

tum; vel est eiectus solùm ad tempus; & sic amplectenda est pars negans ob rationem adductam ex Suarez,

130. Dubitari præterea posset, num receptio, & admissio Religiosi Mendicantis ad Ordinem non Mendicantem, seu Monasticum, si non licita, saltem sit valida; verùm tollit dubitationem ipsemet textus istius Extrauag. qui cum dicat: *Nihilominus secus facta non teneant ipso iure*: apertè indicat talem admissionem esse illicitam, & inualidam.

131. Porrò istam excommunicationem non incurrunt solùm Religiosi, qui ab Ordine Mendicanti transeunt ad non Mendicantem sine speciali licentia Sedis Apostolicæ modo supradicto: sed etiam ij, qui prætextu priuilegiorum sine præfata licentia eos admittunt, ac recipiunt; siue sint Prælati, siue inferiores (vt si capitulariter fiat receptio: quo casu afficerentur ista excommunicatione non omnes è Capitulo, sed ij solùm, qui per suum suffragium consensissent in eam admissionem:) siue ad id habeant potestatem ordinariam, siue delegatam: hi enim omnes incurrunt istam excommunicationem, vtpote qui re vera admittunt Religiosum Mendicantem ad Ordinem non mendicantem sine licentia Papæ: quod in ista Extrauag. est prohibitum sub pœna excommunicationis reseruatæ ipsimet Papæ; quamquàm, vt notauit Suar. *num.* 21. ex concessione bullata Pij IV. & Pij V relata *in bullar. Societ.* possint Superiores eiusdem Societatis, etiam locales à tali excommunicatione absoluere, & quidem non solùm Religiosum indebitè transeuntem ad alium Ordinem non Mendicantem, sed etiam illum recipientes; quæ concessio vtique videtur communis aliis Ordinibus participantibus de priuilegiis Societatis.

Grauior dubitatio est, vtrum sufficiat ad contrahendam istam excommunicationem, quod Religiosus Ordinis Mendicantis admittatur ad nouitiatum in Ordine non mendicanti, an verò requiratur, quod admittatur ad professionem, in quo videtur consistere vera, & simpliciter dicta admissio.

132. Respond. videri sufficere, quod admittatur ad Nouitiatum: & probatur, tum quia etiam per hoc verificatur Religiosum mendicantem transire ad Ordinem non mendicantem (quod prohibetur in ista Extrauag.) tum quia aliàs minùs consultum fuisset bono Ordinum mendicantium, cui in primis intendit Papa hîc prospicere; tum quia in ista Extrauag. inferiùs dicitur *Si quis hactenus virtute cuiusuis licentiæ, seu mandati huiusmodi fuisset receptus ad aliquem Monasticum Ordinem (loquitur de Mendicantibus,) & habitum consuetum gestare per Monachos talis Ordinis suscepisse siue professionem emiserit, siue non, sub dicta pœna teneatur &c.* quod est signum in ista Extrauag. sumi pro eodem, recipi ad monasticum Ordinem, ac admitti ad Nouitiatum: alias enim si recipi ad monasticum Ordinem sumeretur hîc, prout sonat recipi ad professionem, non adderet textus *siue professionem emiserit, siue non*; vnde in probationem huius assertionis sic arguo: Ista excommunicatio afficit, tam eos, qui indebitè recipiuntur ab Ordine mendicanti in Ordinem non mendicantem: quàm eos, qui recipiunt, sed recipi in ordinem non mendicantem idem est, ac admitti ad Nouitiatum in Ordine non mendicanti peragendum; ergo hoc ipso, quod Religiosus Ordinis mendicantis admittitur, seu recipitur in Ordinem non mendicantem sine debita licentia, eo ipso incurritur ista excommunicatio, tum à recepto, tum à recipiente; quod erat probandum.

133. Neque ex eo, quod in ista Extrauag dicitur: *Nullus ex professoribus alicuius ex Ordinibus Mendicantibus huiusmodi in aliquem Monasticum Ordinem, Carthusiensium dumtaxat excepto, possit, aut debeat per quemcumque recipi, vel admitti &c.* (quo modo videtur prohiberi solùm receptio, seu admissio in monasticum Ordinem, non autem transitus) sequitur Religiosum indebitè transeuntem ab Ordine mendicanti ad non mendicantem immunem esse ab hac excommunicatione; si quidem vna pars dispositionis aliam explicat, adeóque cum verba modò allegata relationem habeant ad præcedentia, & in præcedentibus sit sermo non solùm de recipientibus, sed etiam de receptis: (vt constat ex illis verbis, quæ in hac ipsa Extrauag. habentur. *Sub pœna excommunicationis, quam tam recipientes, quàm recepti ipso facto incurrant*:) consequens est, quod istam excommunicationem incurrant non solùm recipientes, sed etiam recepti. ita Bonac. *supr. num.* 11. addens *num.* 10. ex Less. & Santarel. istam Extrauagantem vsu receptam non fuisse, quoad licentiam Sedis Apostolicæ, aut saltem intelligendam esse solùm, dum quis transit ad Religionem laxiorem absque iusta causa.

Denique, quod diximus iure communi concessum esse Religiosis mendicantibus transire ad Carthusianos absque speciali licentia Sedis Apostolicæ fallit, quoad Clericos Regulares Congreg. ministrantium infirmis: Idque ex decreto Pauli V. qui per Bullam specialem relatam *in Bullar. tom.* 3. *bulla* 20. *Pauli V.* id ipsis in specie prohibuit; vt constabit legenti bullam. Et quidem cum ista prohibitio sit fauorabilis Religionibus, quamuis odiosa Religiosis in particulari iuxta alibi dicta, puto probabile esse, quod ea sit communis etiam aliis Ordinibus, qui participant de priuilegiis præfatæ Congregationis.

QVÆRES VII. Quid requiratur ad hoc, vt Religiosi incurrant excommunicationem, teste S. Anton. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 70. latam contra detinentes in suis monasteriis Apostatas Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Resp. quod, cum detinere iuxta Suar. *supr. D.* 23, *sect.* 4. *num.* 41. & Filliuc. *tract.* 14. *num.* 63. in rigore significet concursum aliquem positiuum, aut influxum, siue rogando, siue consulendo, siue defendendo sua auctoritate, & fauore, & multo magis aliqua violentia; Religiosi non incurrent istam excommunicationem ex eo præcisè, quod dictos Apostatas non expellant à monasterio (nisi fortè ex officio adhuc teneantur, & ob ipsorum negligentiam præfati Apostatæ in monasterio detineantur) neque ex eo, quod ipsos in monasterio commorantes alloquantur, iis inseruiant, cum iis agant; sed requiritur, vt ex eorum auctoritate illi in monasterio detineantur; vnde fit, vt hac excommunicatione non videantur affici, nisi Superiores monasterij, aut alius ratione muneris, ac officij habens aliquam auctoritatem in monasterio: quales essent Consultores, aut Vocales, aut Discreti monasterij, imò & singuli Religiosi Capitulares in casu, quo vi Capituli statuerent dictos Apostatas detinendos esse in monasterio. Colligitur magna ex parte ex Bonac. *de censur. in part. D.* 2. *q.* 9. *p.* 3. quamuis *quæst.* 2. *part.* 32. *n.* 6. in eo dissentiat, quod putat in casu non dissimili eum dici retinere, qui alium præcisè permittit alicubi commorari, quod est concurrere solùm negatiuè. 134.

Monet autem Premulus *in suo memoriali cap.* 3. *de excommun. num* 6. istam excommunicationem incurri à Religiosis etiam in casu, quo modo supradicto detineant Apostatas aliorum Ordinum habentium communicationem priuilegiorum cum FF. Dominicanis; cùm hoc sit fauorabile Religionibus, adeóque veniat sub generali communicatione priuilegiorum, 135.

tum, licèt aliàs sit odiosum, quoad Religiosos, in particulari.

QVÆRES VIII. Quo casu Regulares incurrant excommunicationem à Pio V. *in Constitut. Aequum reputamus relata in bullar.* Soc. pag. 90. latam contra Religiosos cuiuscumque Ordinis recipientes Iesuitas sine licentia proprij Superioris (id est Iesuitarum) exceptis tamen Carthusianis.

136. Respond. incurrere hoc ipso, quod eos admittunt sine debita licentia ad habitum proprij Ordinis, ac Nouitiatum ibi peragendum: idque ob dicta *quæst.* 6. §. *grauior dubitatio* imò etiamsi solùm, quoad hoc eis præstent auxilium, consilium, fauorem; id enim in terminis prohibetur sub eadem pœna à Pio V. in bulla citata; vt notauit etiam Bonac. *supr. part.* 2. *n.* 2. monens ex ipsa bulla absolutionem istius excommunicationis ita reseruari Papæ, vt tamen Superior Societatis (intellige, etiam localis) ab ea possit absoluere.

137. Addo ego, quod, cum iuxta dicta *quæst.* 6. §. *illud verò* per viam communicationis Religiosi Societ. modò, non possint, nisi obtenta à Superioribus licentia transire ad Carthusiam; si forte PP. Carthusiani in præsentia recipiant aliquem è Societate, siue Professum, siue Scholarem, siue Coadiutorem absque præfata licentia, istam contrahent excommunicationem; cum sic re vera recipiant Religiosum Societatis ad suum Ordinem sine debita licentia; quod est interdictum à Pio V. Religiosis cuiuscumque Ordinis sub pœna excommunicationis (quam item incurrunt ipsi Iesuitæ, qui modò dictum alium Ordinem ingrediuntur, vt constat ex tenore ipsiusmet bullæ;) certum est autem sub Religiosis cuiuscumque Ordinis comprehedi Carthusianos, cum ea nota sit vniuersalis, & consequenter includat omnes veros Religiosos.

Dices, quid si Religiosus alterius Ordinis Religioso Societatis det consilium, auxilium, aut fauorē ad ingrediendum proprium Ordinē, is tamen re vera non ingrediatur, incurritne ille præsentem excommunicationem?

138. Respond. non incurrere; & probatur, quia iuxta communem DD. sententiam (vt videre est apud Bonac. *supr. D.* 1. *quæst.* 17. *part.* 1. *num.* 38.) hoc est proprium actionis accessoriæ (quales sunt, quæ hîc adducuntur (vt ad censuram incurrēdā illa se sola non sufficiat, nisi adsit actio principalis, cuius intuitu prohibetur actio accessoria, & in casu nostro ingressus alieni Ordinis factus sine debita licentia.

QVÆRES IX. Quando incurratur excommunicatio lata teste S. Antonino *supr.* contra Minores, ac Eremitanos recipientes ad suum Ordinem Fratres Ordinis Prædicatorum.

139. Respond. incurrere hoc ipso, quod sine licentia Papæ, aut Superiorum illius, qui recipiendus est, admittitur ad Ordinem, videlicet ad nouitiatum in eo peragendum: patet ex dictis *quæst.* 6. §. *grauior dubitatio*, si hîc monuero quòd, cum ista concessio non sit fauorabilis, sed odiosa aliis Religionis, quoad incurrendam illam censuram; ea non communicatur illis per participationē priuilegiorū; licèt alioqui iis communicetur, quatenus continet fauorem, id est quatenus bonum est Religionibus, vt earum subditi non admittantur absque debita licentia in alienum Ordinem; vnde fit, vt si Religiosi Carmelitæ v. g. modo dicto recipiant in suum Ordinem Fratrem aliquem Ordinis Prædicatorum, non subiaceant isti excommunicationi: & tamen, si Fratres Minores, aut Eremitani Fratrem Carmelitam indebitè recipiant, istam incurrent excommunicationem, sub generali etenim communicatione priuilegiorum, quo inuicem gaudent Ordines Religiosi, non veniunt odia, sed fauores; vt dictum est in *tract. de priuileg. cap.* 1. *sect.* 3. *quæst.* 12.

Notat autem Suar. *num.* 17. huic excommunicatio- 140.
ni subiacere Religiosos non transeuntes, sed recipientes (de his enim tantùm in ea fit mentio) additque in indulto Clementis V. qui eam tulit, nullam fieri mentionem reseruationis; cùm tamen Filluc. *tract.* 15. *num.* 197. Premul *supr. num.* 7. Bonac. *D.* 2. *q.* 9. *part.* 3. illam recenseant inter excommunicationes reseruatas; vnde, si quis in hoc vellet sustinere opinionem Suarez, simpliciter non esset condemnādus: cùm in dubio non præsumatur reseruatio, & quoad reseruationem huius excommunicationis DD. non consentiant, adeóque dubia dici possit.

QVÆRES X. Quid requireretur, ad hoc vt Religiosi Ordinis Humiliatorum incurrerent excommunicationem à Pio V. latam in bullam *Quemadmodum*, quæ est in ordine 119. contra dictos Religiosos admittentes aliquem ad habitum, aut professionem.

Respond. requiri, & sufficere, vt admiterent, vel ad 141.
habitum, vel ad professionem; disiunctiuè siquidem loquitur Papa; ac proinde puto, quod si vnum ac eumdem Religiosum admisissent ad habitum, & postea debito tempore ad professionem, bis contraxissent istam excommunicationem: quippe quibus sub eadem censura prohibebatur vtraque admissio, & quidem disiunctiuè, non copulatiuè. Quamquàm, cum Bulla loquatur de admissione ad habitum, non autem de admissione ad Ordinem, vt sic; probabile videtur ad contrahendam istam excommunicationem non sufficisse, quod aliquem simpliciter admitterent ad Ordinem (quod Itali vocant *acettare per la Religione*,) sed prætereà opus fuisse, vt illum reciperent ad habitum, aut certè ad professionem, & hæc de ista excommunicatione, quæ cum esset propria illius Ordinis, & ille iam extinctus sit; etiam præsens excommunicatio abolita est defectu materiæ, & personarum, vt notauit Filliuc. *supr.* sicque non est opus, vt in eius expositione diutius immoremur.

QVÆRES XI. Quomodo Fratres Minores incurrant excommunicationem à Clemente V. *cap. cum ex eo Clem. de sentent. excommunic.* latam contra ipsos casu, quo, tempore Interdicti admittent Fratres, aut Sorores tertij Ordinis ad audienda diuina Officia.

Respond. ex vi istius Clementinæ incurrere, quo- 142.
tiescumque tempore Interdicti in propriis Ecclesiis Tertiarios, & Tertiarias admitterent (quoquo modo id facerent) ad diuina Officia, nempè ad Missam, horas canonicas, quæ recitantur in Choro, orationem publicam, benedictionem solemnem palmarum, aliasque similes ceremonias, quæ solemniter fiunt ex institutione Christi, aut Ecclesiæ, vel quæ sunt propriæ alicuius ordinis clericalis, cuiusmodi est cantus solemnis Epistolæ, aut Euangelij; hæc enim omnia veniunt nomine diuinorum Officiorum. ita *Bonac. sup. p.* 6. monens *nu.* 7. quod, cum dispositio istius Clementinę non sit fauor, & priuilegium, sed odium, & pœna; istam excommunicationem non contrahunt Religiosi aliorum Ordinum participantes de priuilegiis Minorum, si tempore Interdicti in propriis Ecclesiis ad diuina Officia suos Tertiarios, ac Tertiarias admittant; cum odia, & pœnæ non veniant sub generali communicatione priuilegiorum, vt alibi non semel diximus.

Dixi sub initium responsionis, *ex vi istius Clementinæ*

tione, vt indicarē etiam Fratres Minores in præsentia posse admittere ad Officia diuina suos Tertiarios, ac Tertiarias ex indulto bullaro, quod, teste Caſarub. *in Comp. v. interdictum 3. n. 7.* concessit illis Sixtus IV. ad talem effectum, & nos ipsi retulimus in *tract. de priuil. c. 5 sect. 2. quæst. 25. §. quod si quæras*; vt proinde præsens excommunicatio iam sit abolita, etiam quoad ipsos Fratres Minores.

QVÆRES XII. In quibus casibus Regulares contrahant excommunicationem à Paulo V. in bulla *Romanus Pontifex* edita 1606. latam contra Superiores Ordinum religiosorum, non denunciantes suos Religiosos hæreticos, aut de hæresi suspectos.

144. Respond. incurrere, si sint prælati Religionis habentes iurisdictionem (siue sint locales, siue Generales, siue Prouinciales) & non denuncient Religiosos subditos professos hæreticos, aut de hæresi suspectos (quales essent, qui pœnitentem ad turpia solicitarent in confessione) Inquisitoribus, aut Ordinariis locorum viciniotibus. Colligitur ex citata Constitut. Pauli V. circa cuius intelligentiam aduertit Bonacin. *in supr. D. 2. quæst. 9. part. 7.* quod, quamuis Prælatus regularis non afficiatur ista excommunicatione ex eo præcisè quod non denunciet Nouitium sibi subditum hæreticum, aut de hæresi suspectum; cum bulla loquatur solùm de Professis, qualis non est Nouitius; nihilominus in tali casu dictam excommunicationem incurret ex alio capite, si videlicet quoquo modo impedire, vel retardare audeat, vel præsumat aliom Religiosum volentem denunciare dictum Nouitium; cuius rei ea est ratio, quod in hac Constitut. excommunicantur Generales, & alij Prælati non obedientes ipsi Constitutioni: in ea quippe dicitur, *quod si Generales, aliique prædicti præsentibus literis non paruerint, eos omnes &c.* Prælatus autem non censetur parere præsentibus literis hoc ipso, quod præsumit impedire denunciationem, quam alter Religiosus est facturus: nam in his literis præscribitur in specie, vt Religiosi denuncient huiusmodi delinquentes, nempe omnes etiam Ordinum in huiusmodi professus de hæresi suspectos, & à Superioribus non impediantur: ergo hoc ipso quod Prælatus regularis impedit, ne ab alio Religioso Nouitius modo dicto denuncietur, subiacebit præsenti excommunicationi: quod erat probandum.

145. Vbi noto quod, licèt in ista Constitut. expressè præcipiatur non solùm Prælatis regularibus, vt denuntient Religiosos professos sibi subditos de hæresi suspectos, sed etiam aliis Regularibus eiusdem Ordinis, aut monasterij respectiuè (vt videre est in §. 3. dictæ Constitut.) ij tamen non eodem modo obligantur; nam Prælati tenentur denuntiare sub pœna præsentis excommunicationis; non item subditi; vt hinc patet, quod vbi præcipitur Religiosis inferioribus talis denuntiatio, nulla fit mentio censuræ: vbi verò hæc eadem præcipitur Prælatis regularibus, hæc verba adduntur. *Quod si generales aliique prædicti præsentibus literis non paruerint, eos omnes priuationis quarumcumque dignitatum, seu prælaturarum, vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, perpetuæque inhabilitatis ad eosdem, nec non contra fautores hæreticorum, & impeditores officij statutas, & inflictis pœnas, aliasque censuras Ecclesiasticas, etiam excommunicationis maioris latæ sententiæ &c.* quod est signum istam excommunicationem extendi solùm ad Prælatos (& quidem respectu propriorum subditorum) non autem ad Religiosos inferiores, vt in terminis notat Bonac. *num. 6.*

146. Dixi, *& quidem respectu propriorum subditorum*, quia non puto Prælatum vnius Monasterij teneri sub pœna istius excommunicationis denunciare Religiosum professum alterius Monasterij; si quidem, cum ij obligentur ad faciendam huiusmodi denunciationem, quatenus sunt Prælati, (vt colligitur ex ipso sextu) & quoad subditos alieni Monasterij se habeāt, tanquàm inferiores, non tanquàm Prælati; sequitur eos non teneri denuntiare sub pœna istius censuræ, nisi proprios subditos; idque ex regule generali, quod *pœnæ non debent ampliari, neque extendi ad casus non expressos.* Quæ doctrina proportionaliter applicanda est Generalibus, & Prouincialibus; eos scilicet teneri sub pœna dictæ censuræ denunciare proprios subditos respectiuè, nimitùm Generales, quoscumque Professos ex Ordine, coi præsunt, & Prouinciales, omnes Professos, qui sunt ex prouincia ipsis commendata; isti enim verè sunt Prælati, quoad proprios subditos respectiuè; Generales, quoad omnes, & singulos Religiosos Ordinis, & Prouinciales, quoad omnes Religiosos suæ prouinciæ Quin etiam Prælati locales, imò & Prouinciales tenentur denuntiare Religiosos professos Ordinis suspectos de hæresi, etsi sint alterius Monasterij, aut Prouinciæ, non quidem, vt Prælati, sed vt inferiores, quos §. *præcedenti* diximus, item obligari ad denunciandum, quamuis non sub pœna excōmunicationis.

Adde quod, cum in §. 3. *huius Constitut.* dicitur 147.
Volentes, & mandantes, vt ipsi Religiosi possint, & debeant omnes etiam Ordinum huiusmodi professores de hæresi suspectos Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum viciniori bus liberè denunciare: vi huius bullæ iuxta aliquos tenentur Regolares non solùm denunciare Religiosos proprij Ordinis, sed etiam quoscumque alios Religiosus aliorum Ordinum, imò & omnes laicos; id colligentes ex clausula *etiam*, quæ cùm sit ampliatiua, & particula *Omnes* sit vniuersalis, facit hunc sensum: quod Religiosi debent denuntiare omnos hæreticos, aut de hæresi sospectos, siue Laicos, siue Regulares, imò etiā Religiosos proprij Ordinis; Quod tamen negant alij Recentiores doctissimi sustinentes vi huius Constitutionis Regulares teneri solùm denuntiare Religiosos sui Ordinis, etiam professores (idest Magistros, ac Lectores, qui veniunt nomine Professorum;) ita vt clausula *etiam*, quæ est ampliatiua, comprehendat non solùm professores, idest magistros (qui maiori aliqua ratione exprimendi erant, vt nossent Religiosi etiam illos debere denunciari, non obstante reuerentia debita gradui magisterij ipsis competente) sed etiam non professores, idest Religiosus magisterij gradu carentes: quo modo corruit ratio allata pro opposita sententia, vt consideranti facilè constabit.

Dixi *vi huius Constitutionis*, vt indicarem adhuc videndum esse, an ad id aliunde teneantur; nimirum ex generali subiectione, quam Regulares habeant Inquisitoribus; sed de hoc in *tract. de priuilegijs.*

Quærit hic Bonac. *num. 7.* an Prælatus regularis euitet istam excommunicationem, si Religiosum subditum modò dicto denonciet per eum, à quo audiuit illum Religiosum esse hæreticum, seu suspectum de hæresi.

Respond. euitare; cùm sic satisfaciat fini, ac in- 148.
tentioni legis, & aliàs denuntiatio Superioris non sit paritura maiorem notitiam; vt suppono:

Difficilior quæstio est, an Prælatus, antequam denunciet Religiosum hæreticum, aut suspectum de hæresi, teneatur præmittere correptionem fraternam.

Respond. *regin. lib. 24 num. 52.* in simili, quòd, licèt 149.
non sint damnandi Inquisitores fidei præcipientes,

vt

vt statim, nulla correptione præmissa, denuntietur is, quem constat esse hæreticum, eo quòd in crimine hæresis ordinariè nulla est spes emendationis; non est tamen negandum, quod si firmiter existimet quis per secretam admonitionem se conuersurum hæreticum, ac impediturum omnia mala, quæ ab eo timeri possunt, ipse debeat vti præmonitione. ita Reginald. in terminis terminantibus, à quo non dissentiunt Ioan. de la Cruz Dominicanus *in direct. part. 1. prec. 5. q. 2. d. 5.* & Fagund. *part. 1. lib. 4. cap. 3. num. 31.* Ioan. quidem de la Cruz, dum ait: *Mulier solicitata in confessione non absoluatur, dum non denuntiat Inquisitoribus solicitantem: nisi esset spes, quod iste secretè correctus emendabitur, quæ spes potest colligi ex qualitate corrigentis, & ex conditione corrigendi*, &c. Fagund. verò dum ait: *Antequam fiat denuntiatio à muliere solicitata in confessione, præmittenda est fraterna correctio, si detur spes emenda, quia præceptum correctionis est de iure naturali, & diuino; præceptum verò huius denuntiationis est humanum, vnde non potest præualere aduersus præceptum iuris naturalis; vt autem correctio fraterna iudicetur non profutura, non satis est semel fieri, & non prodesse; sed oportet iterum, atque iterum adhiberi, quamdiu iudicio prudentis speretur emenda*; cum his DD. sentiunt alij apud Dianam *part. 1. tract. 4. resol. 2.* quam probabiliter viderint ipsi, & qui libros eorum examinarunt, atque approbarunt. Diana certè citat in contrarium plures DD. dicitque se cum istis sentire monens in sententia illorum DD. qui asserunt præmittendam esse correctionem fraternam, secundùm aliquos DD. (quorum opinionem Delrius *in Disquisit. magic. tom. 3. lib. 5. sect. 4. num. 6.* ait esse valde æquam) eam esse faciendam, etiam in dubio, vtrùm illa sit profutura, necne.

Grauior adhuc difficultas est, an Prælatus regularis ex vi illius Constitut. teneatur denuntiare Religiosum subditum, si alias ipsi constet illum esse emendatum.

150. Respond. Diana *supr. resol. 3.* ex Suar. Azor. Salon. Bonac. Sanch. & aliis teneri, eo quòd ista denuntiatio non ordinatur solùm ad correctionem personæ denuntiatæ, sed ad punitionem. Oppositum sustinent Sotus Molfes. Genuens. Nald. Victorel. Acuña, Porrel. Peyr. & alij penes ipsum Dianam, inter quos Portel. *de dub. regul. v. solicitare, in addit. num. 18.* sic habet: *Si fœmina solicitata certò sciat Confessorem esse pœnitentem, & moraliter intelligat pœnitentiam illius de præterito esse veram, non tenebitur denuntiare, quia finis denuntiationis est emendatio proximi: cum verò fœmina intelligat moraliter Confessorem esse emendatum, cessabit obligatio denuntiationis, quia cessaret finis illius, qui erat emendatio proximi*; sic Portel. & cum eo Peyrinus *tom. 2. priuil. Constit. 4. Gregor. XV. §. 9. num. 31.* an probabiliter; non est huius loci examinare. Certè, si detur huiusmodi denuntiationem esse ordinatam principaliter ad punitionem; constat, etiam secuta emendatione personæ denuntiandæ, non cessare finem denuntiandi, qui est punitio delinquentis, & non sequitur, nisi facta denuntiatione; quod puto maximè habere locum in hæretico formali: cùm semper dubitari possit, an re vera sit emendatus, aut solùm fictè; stante quod hæretici sunt valde subdoli, & conceptam hæresim retinere nequeunt, quin eam disseminent; vt aduertit Fagundez *lib. 6. cap. 4. num. 12.* hinc inferens hæreticos, quantumuis speretur emenda, denuntiandus esse absque absque vlla correctione: quod item docent plures alij DD. apud ipsum Fagundez, & Bonacinam *Disp. de denuntiat. p. 1. §. 8. num. 5.*

151. Illud demum hoc loco aduertendum est in ista Constitut. Pauli V. districtiùs inhiberi Generalibus, Superioribus, & Prælatis Religionum, vt de cætero quouis quæsito colore, vel prætextu præuentionis, vel consuetudinis, & præscriptionis immemorabilis seu cognoscendi, an delationes huiusmodi calumniosæ sint, necne, in eisdem causis tam motis, quàm mouendis, quoquo modo se intromittere, seu immiscere, denuntiationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere definite, vel terminare minimè audeant, seu præsumant. habetur expressè *in §. 2. dictæ Constitutionis.*

QVÆRES XIII. In quibus casibus incurrant Regulares excommunicationem latam à Pio II. contra asserentes hæreticum, aut peccatum esse credere Christi sanguinem in triduo passionis fuisse diuisum, vel non diuisum à diuinitate.

152. Respond. incurrere, si prædicent, aut disputent, aut suadeant esse hæreticum, aut peccatum credere Iesu Christi sanguinem in triduo passionis diuisum fuisse, aut non diuisum à diuinitate. patet ex Bulla Pij II. in ordine 11. quæ cùm loquatur de Religiosis solùm sub nomine *Fratrum* (vt constat ex ipso textu) & nomine Fratrum, propriè loquendo, non veniant neque Monachi, neque Canonici, neque Clerici regulares; probabile videri posset alicui eiusmodi Religiosos non subiacere præfatæ excommunicationi, sed solùm illos Religiosos, qui propriè vocantur Fratres: nisi fortè obsitet doctrina, quam tradit Bonac. *D. 3. de censur. in partic. q. 8. p. 11. num. 6.* & quam nos afferemus *cap. seq. sect. 1. q. 10.*

QVÆRES XIV. Quid requiratur ad hoc, vt Regulares incurrant excommunicationem latam in decreto derogatorio Clement. VIII. lato 26 Nouembris 1602. contra indebitè absoluentes a reseruatis Papæ, aut Ordinariis.

153. Respond. quòd, cùm in citato decreto Regulares prohibeantur, ne sub prætextu priuilegiorum præsumant absoluere à dictis reseruatis: consequenter ad incurrendam istam excommunicationem requiritur præsumptio, & quod absolutio reseruatorum impertiatur prætextu priuilegiorum; sicut notat Diana *p. 3. tractat. 4. resol. 73.* ex Gambata; sed de hoc plura *in tract. de prohibit. cap. 2. sect. 3. q. 5. & 20. & sect. 2. quæst. 4.* Moneo hìc absoluentes à casibus contentis in Bulla Cœnæ subiici item excommunicationi latæ in eadem Bulla, si id temerè faciant; quamuis non sit reseruata, vt aduertit Nauarr. *c. 27. num. 74.* & cum eo Sorbus *v. excommunic. in annotat. asserens* (sed sine sufficienti fundamento) absoluentem à casibus Bullæ Cœnæ esse priuatum omni Officio legendi, prædicandi, & Sacramenta administrandi.

QVÆRES XV. Quo casu Regulares incurrant excommunicationem latam à Sixto IV. contra commutantes vota reseruata Papæ.

154. Resp. incurrere in casu, quo præfata vota commutent vigore facultatum ab ipsomet Sixto IV. concessarum; non item, si vi alterius, aut nullius priuilegij. constat ex tenore Constitutionis ipsius Sixti IV. quæ incipit, *Etsi dominici*, & à nobis relata, declaratur *in tract. de priuil. cap. 3. sect. 2. subsect. 2. q. 6.*

QVÆRES XVI. Quo casu Regulares afficiantur excommunicatione lata contra indebitè dissentientes de Conceptione B. V. Mariæ.

155. Respond. Affici in iis omnibus casibus, in quibus diximus eam incurri, *tract. præced. cap. 4. q. 26.* vbi hac de re latè egimus.

QVÆRES XVII. In quibus casibus Regulares

res incurrant excommunicationem latam à Leone X. in Constitut.sua 21.contra Prædicatores verbum Dei,& sacram scripturam deprauantes.

156. Respond. incurrere, si vel Euangelicam veritatem, & sacram scripturam aliter declarent,ac interpretentur, quàm declarent communiter SS. Doctores,ac vsus Ecclesiæ diuturnus approbauit: vel tempus præfixum futurorum malorum, Antichristi aduentum,certum diem iudicij prædicare, aut asserere præsumant,siue ea ex diuinis literis constanter prædicando,siue ea à Spiritu S.vel diuina reuelatione se habuisse affirmando, & alienas inanes diuinationes asseuerando. Qua de re Bonac. *D.* 2. *de Censur. in particul.quæst.*5.*part.*2.monens *num.*10.non esse ita facilè concedendum, quod aliqui dicunt sub hac eadem excommunicatione prohibitum esse prædicare miracula incerta, aut ficta; cum verba dispositiua citatæ Constitutionis non complectantur dicta miracula, (esto in eius narratione fiat mentio de prædicantibus illa,) & aliàs simus in materia pœnali,quæ non debet ampliari vltra verba dispositionis:quod etiam aduertit Suarez *D.* 22. *de censur. sect.*6.*num.*8.

Qværes XVIII. Qualiter incurratur excommunicatio lata à Pio V. in Constit. 128. contra Religiosos subornantes in electionibus Regularium, au fauorem procurantes extra Religionem ad officium obtinendum.

157. Respond.incurrere eo modo, quo dicemus inferiùs *cap.*6.*sect.* 2. *quæst.* 4. vbi plura dicemus ad rem præsentem.

Qværes XIX. In quibus casibus incurrant Regulares excommunicationem latam à Gregorio XIII. in fauorem Fratrum Minorum, per bullam allegatam à Rodriq.*tom.*1.*quæst.*54.*art.*4.

158. Respond. incurrere, si rebellent à Visitatoribus Ordinis, aut eis contradicant; & quidem vnà cum cum priuatione officiorum,quæ acta habeant, & inhabilitate ad futura habenda, nec non cum priuatione vocis actiuæ. Vbi notandum est ex Lezana *tom.*2. *cap.*13. *num.*32. huiusmodi concessione posse vti etiam Religiosos aliorum Ordinum aliàs communicantium de priuilegiis Fratrum Minorum: Quippe, quæ est fauorabilis toti Ordini,licèt odiosa Religiosis particularibus. Puto autem ibi per *rebellare* intelligi idem,ac nolle agnoscere pro Visitatore eum,qui à legitimo Superiore destinatur ad tale munus: quo modo subditus dicitur rebellare suo Principi, qui renuit illum agnoscere pro Principe; quamuis alioqui hæc censura non extendatur ad Religiosos rebellantes contra Prouinciales,aut Visitatores Apostolicos accedentes ad legitimam eorum visitationem.

Qværes XX. Qualiter Regulares incurrant excommunicationem latam in Extrauagant. *excommunicamus de senten. excommunic. cap.* 1. & innouatam, imò & ampliatam à Gregor. XIII. in sua Constitur.24.

159. Respond.incurrere, si pro gratia, aut iustitia obtinenda apud Sedem Apostolicam, siue pro se, siue pro alio promittant, seu paciscantur dare aliquid siue magnum, siue paruum, aut talem promissionem acceptent, aut de facto dent ex pacto, seu promissione occulta, vel manifesta facta sub verbis generalibus, ac plenariè, non expressis, siue sub specialibus, & apertè expressis, aut aliquid recipiant ex dicto pacto, seu promissione, aut faciant promissionem alicuius, quod licèt deuenturum non sit ad manus promissarij, est tamen cessurum in vtilitatem illius (cuiusmodi esset facere aliquod iter intuitu illius) aut acceptent hanc talem promissionem, aut denique dent, vel recipiant aliquid sine pacto, seu promissione. habetur expressè in citata Extrauagant.in qua hæ omnes actiones sub excommunicatione reseruata prohibentur, sicut & aliquæ aliæ, quæ exprimuntur in allegata Constitut. Gregorij XIII.nimirum nundinari conquirendo expeditiones negotiorum, innitendo suffragationibus potentiorum, ambire donis, aut pollicitationibus eos, quos gratia præstare arbitrantur,vt scilicet pro se, aut pro aliis gratiam aliquam, aut iustitiam obtineant apud Sedem Apostolicam, & fingere, seu mentiri dicendo se dedisse pretium,aut munera præfatis gratia pollentibus ad dictam gratiam, aut iustitiam consequendam;quæ tres actiones principaliter sunt prohibitæ, istis aliis tribus accessoriè tantum probibitis,videlicet dare præfatis gratia pollentibus auxilium, dare consilium,dare fauorem.Quod benè aduertendum est, inquit Lezana *v.dare num.*43.cum excommunicatio ista vi actionum principaliter prohibitarum incurratur etiam effectu nō secuto,(idest, gratia, aut iustitia non obtenta) non item vi actionum accessoriè prohibitarum, vt notant Doctores. De hac autem excommunicatione plura dicta sunt *tract.*6.*cap.*9.*sect.*2. *per totum.*

Qværas XXI. Quam excommunicationem contrahant Regulares, si prædicent sine licentia proprij Prælati

160. Respond. contrahere illam, quæ continetur in bulla Leonis X.relata à Quaranta *in bullario v. prædicator*; & quidem ipso facto, ac Papæ reseruatam; vt apertè constat ex verbis illis bullæ, *Si quis autem contra præmissorum aliquod committere quidquam ausi fuerint, vltra pœnas contra tales à iure statutas,excommunicationis sententiam,à qua non, nisi à Rom.Pontifice, præterquàm in mortis articulo constituti, absolui possint, eos incurrere volumus:* quæ verba vtique referuntur ad omnia præcèdentia contenta in bulla, vtpotè non habentia determinatas suas clausalas, & ad idem pertinentia,& consequenter ad eam partem Bullæ,in qua prohibentur Regulares prædicare sine licentia proprij Superioris: & hoc ob ea,quæ habet Abb.*in cap.cum dilecti de donationibus, num.* 7. & in *cap.secundo requiris,de appellat num.*10.*&* 11.Qua de re Peyr. *de R.S.quæst.*1.*cap.*22.§.*circa primum.* Zerola *in praxi part.*1.*v.prædicatio,num.*2.

Qværes XXII. An,& quilibet Religiosi incurrant excommunicationem, si receptent bannitos &c.

161. Respond.incurrere excommunicationem ipso facto,& Papæ reseruatam,si sint in Regno Neapolitano,ac in prouincia Aprutij: idque ex Breui Sixti V. die 20.Martij 1589.decreto ad Proregem dicti regni Neapol. his verbis: *Dilecte fili, nobilis vir salutem, & Apostol.bened. Exponi nobis nuper fecisti in Regno Neapolitano, ac præsertim in prouincia Aprutij nonnullos bannitos viarum grassatores existere, contra quos pro tui Officij debito omni studio procedere intendis, & ad id necessaria omnia remedia præparasti. Ne autem dicti banniti, & viarum grassatores condignas delicto suo pœnas euadant,prouidere volentes, omnibus, & singulis quibusuis personis Ecclesiasticis sæcularibus, & quorumuis Ordinum; & Militiarum Regularibus Regni,& Prouinciæ huiusmodi sub excommunicationis latæ senten.pœna, à qua, nisi à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente præterquàm in mortis articulo absolui nequeant,districtè prohibemus, ne dictos bannitos, & viarum grassatores in monasteria,domus,vel alia loca recipere,seu in eis occultare, aut illis auxilium,consilium,fauorem, seu victum, aut vestitum, vel alia eis necessa*

necessaria directè, seu quomodolibet præstare audeant, seu præsumant : non obstant. &c. Vnde quis benè inferat, quòd, cùm Sixtus loquatur solùm de Regularibus existentibus in Regno Neapolitano, ac in Prouincia Aprutij, & Leges pœnales non debeant extendi, sed restringi; ista excommunicatio non afficit Religiosos alibi existentes. Imò puto quòd, cùm Sixtus V. ediderit hoc Breue post bullam Gregorij XIII. *Tanta*, & post bullam, *Hoc nostri* editam, 1585. ab ipsomet contra bannitos; signum est Religiosos non fuisse comprehensos in relatis bullis; aliàs frustrà, ac sine necessitate contra ipsos in specie edidisset hoc Breue; & quidem adiuncta ei excommunicatione reseruata, quam in sua bulla, *Hoc nostri*, abstulerat ex bulla, *Tanta* Gregorij, eam alioqui ex certa scientia approbans, ac innouans. Quare de iure communi positiuo Regulares nõ prohibentur receptare bannitos intra sua monasteria, ac domos: etsi aliàs consultum sit, vt regulariter abstineant ab iis receptandis; cùm id cedere possit in graue præiudicium communis boni, quod ipsi pro viribus tenentur procurare.

Loquendo autem de Regularibus existentibus in Regno Neapolitano, aut in prouincia Aprutij, aliqua pro maiori declaratione huius prohibitionis summariè notanda sunt.

Noto igitur primò, in huius prohibitionis violatione dari paruitatem materiæ excusantem à præfata censura, ideóque illam non incurri, si bannitus intra monasterium excipiatur, aut detineatur ad paucas horas (verbi gratia ad prandium.)

Noto secundò, vrgentem necessitatem banniti excusare à dicta censura, sicque eum non contrahi ab excipiente bannitum grauiter ægrotantem: cùm per epicheiam casus iste excipiatur; ne aliàs contraueniatur legi naturali, ac diuinæ, cui omnis lex humana cedit.

Noto tertiò, non obligare hanc prohibitionem in casu, quo bannitus ad monasterium recurrat, vt consulat suæ vitæ: cùm sic cesset finis prohibitionis, quatenus bannitus non recurrit, vt bannitus, (idest ad malè agendum, & grassandum) sed vt Proximus in extrema necessitate constitutus, erga quem viget præceptum Charitatis Proximi strictiùs obligans, quàm obliget hæc prohibitio, ideóque huic præualet.

Noto quartò, hanc prohibitionem non obligare, si Religioso bannitum excipienti, ac detinenti certò constet illum iniustè fuisse bannitum: tunc enim præsumptio, cui illa nititur dispositio, est falsa in eo casu particulari, sicque in quantum ad forum conscientiæ suspenditur dispositio.

Noto quintò, idem procedere in casu, quo pater filium bannitum excipiat, aut è contra filius excipiat patrem bannitum: cùm oppositum valdè repugnet pietati, & aliàs hîc non agatur de causa fidei, ac religionis, in qua non parcitur neque parentibus, neque filiis: etsi dissentiat Nald. *v. bannitus, num.* 10. stante pro nobis sententia Azorij *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. *quæst.* 3.

Noto sextò, huic prohibitioni non subiici Religiosum peregrinum, qui transiens Neapoli fortè bannitum excipiat intra suum monasterium. moueor, quod in allegato Breui Sixti V. dicitur *Regularibus Regni, & Prouinciæ huiusmodi*, & hæc verba important ea sua significatione domicilium ibi constitutum; quod vtique non verificatur de Religioso peregrino.

QVÆRES XXIII. In quibus casibus incurrant Regulares excommunicationem à Greg. XIII. latam contra ingredientes septa monialium in casu non permisso, aut facientes, vel permittentes alios ingredi.

Respond. incurrere (& quidem, cum aliis pœnis inferiùs proponendis) si vel faciant, aut (cum sint Superiores) permittant alios ingredi prætextu licentiarum, & facultatum, quæ omnes fuerunt abrogatæ; vel ipsi sub prætextu licentiarum ab Episcopis, aut Superioribus Monialium earum monasteria ingrediantur in casibus non permissis. habetur expressè in citata Constitutione, quæ est in ordine 28. 161.

QVÆRES XXIV. Quam excommunicationem incurrant Regulares, si procurent abortum fœminæ prægnantis.

Respond. incurrere excommunicationem latam à Sixtò V. in Constitut. *effrænatam* contrà *omnes, & singulos cuiuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis existentes tam laicos, quam Clericos sæculares, & cuiuscumque Ordinis Regulares, necnon mulieres sæculares, vel quemcunque Ordinem professas; qui, vel quæ, vel vti principales, vel vt sociæ consciæ ad tale facinus committendum (intellige, abortum) opem, consilium, fauorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta* scienter dederint, ac *etiam scribendo literas priuatas, vel apochas, vel alias verbis, aut signis iuuerint, aut consulerint.* Vbi noto, quòd, cùm hic sub excommunicatione prohibeatur generaliter abortus, ea incurretur, siue procuretur abortus fœtus animati, siue inanimis: cùm lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi: etsi excommunicatio Ordinario solùm reseruetur, quando abortus est fœtus animati (idq; tantùm pro foro conscientiæ ex Gregor. XIV. bulla) & non incurratur à fœmina procurante proprium abortum, vt docui in *tract. de monial. c.* 8. *q.* 8. 163.

Puto item non incursurum hanc excommunicationem Religiosum, qui fœminæ prægnanti consuleret abortum fœtus inanimia, certò sciens illam ad consulendum propriæ vitæ, ac famæ posteà procuraturam abortum fœtus animati: & hoc ob doctrinam Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 21. *num.* 15. nimirùm, quòd licet consulere minus malum ad vitandum maius; Imò censeo hoc idem dicendum in casu, quo Religiosus consulat abortum fœtus inanimis ad consulendum vitæ, aut famæ mulieris prægnantis aliàs non procuraturæ abortum: idque admissa doctrina, quam plures DD sustinent apud Dian. *part.* 6. *tract.* 8. *resol.* 37. videlicet licere in casu proposito procurare abortum: si enim mulier licitè potest procurare abortum, potest & Religiosus ipsi illum consulere iuxta doctrinam in euentu simili traditam à Lessio *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 40. quòd scilicet reo, cui fas est fugere è carcere, licet consulere fugam, ac diruptionem vinculorum, modò consulens non sit Minister publicæ potestatis.

QVÆRES XXV. Quam excommunicationem incurrant Regulares, si indebitè extrahant Reliquias Sanctorum, aut aliàs concurrant ad talem extractionem.

Respond. incurrere excommmunicationem latæ sententiæ, eamque Papæ reseruatam, si contra Edictum Vicarij vrbis Romæ iussu Pauli V. edictum 24. August. 1613. audeant, aut præsumãt ingredi aliquam ex cryptis, catacumbis, vel cemeteriis intra; vel extra Vrbem Romam; & ab iis extrahere Reliquias, etiam in minima particula, aut ad id præstare auxilium, aut fauorem: & hoc etiam sub pœna triremium, & aliis arbitrio ipsius Vicarij incurrendis. Quin etiam in eo Edicto reuocantur omnes licentiæ in scriptis concessæ, eæque si in futurum concedantur, declarantur irritæ; præterea præfatæ pœnæ, 164.

&

& censura extenditntur ad omnes, ad quorum instantiam fiat extràctio, aut atteotata fuerit, necnon
161 ad complices, & ad recipientes scienter Reliquias illicitè extractas: item absolutio dictarum pœnarum reseruatur Papæ. Denique Regulares vltra pœnas adductas in propositis casibus ipso facto incurrunt priuationem vocis actiuæ, & passiuæ, ac inhabilitatem ad dignitates, & gubernationes suæ Religionis; dispensatione, ac rehabilitatione Papæ reseruata. qua de re Thesaurus *part. 2. paxis cap.* 1. & Bonac. *de censur. in part. D. 2. quæst. 3. part.* 14. §. *incid.* monens præfatum edictum, cum sit editum per modum statuti, esse perpetuum, & sub eo comprehendi
163 peregrinos Romam petentes, & breui recessuros, vtpotè delinquentes in rem existentem in territorio Legislatoris; quod putat sufficere ad eos subiiciendos Edicto superiùs allegato.

Addo item ex Breui Pauli V. edito 16. Maij 1614. excommunicari ipso facto extrahentes Reliquias de Ecclesiis, monasteriis, locis piis, cæmeteriis, aut cryptis, intra vel extra Vrbem vigore licentiarum à Papa concessatum ante duos proximos menses viuæ vocis oraculo; ipsámque excommunicationem Papæ reseruari, & incurri ab iis, qui curam habentes, seu gubernationem dictarum Ecclesiarum, aut locorum permittunt, seu consentiunt extractioni. In eodem Breui prohibetur, ne quis sæcularis, aut regularis fidem vllam, aut instrumentum, seu scripturam publicam, aut priuatam faciat extractionis, donationis, consignationis, translationis, aut alterius contractus, aut Scripturæ, vbi fiat mentio Reliquiarum, nisi cum licentia Vicarij vrbis; non suffragante quacumque licentia Sedis Apostolicæ in scriptis aliter emanata; & transgressoribus imponuntur pœnæ, Religiosis quidem priuationis vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, ac exilij ab omni statu Ecclesiæ Romanæ: quamuis hæ pœnæ sint ferendæ, vt aduertit Thesaurus *supr.*

SECTIO III.
De Excommunicationibus in specie latis contra Regulares, quæ nemini reseruantur.

165 *Referuntur Excommunicationes contra Regulares lata, & non reseruata.*
166 *Excommunicantur Prælati regulares ingredientes septa monialium subditarum in casu vetito.*
167 *Secus, si in casu necessario intreat sine comitatu præscripto de iure.*
168 *Et hæc excommunicatio simul cum aliis pœnis incurritur ante sententiam.*
169 *Excommunicantur Religiosi dimittentes proprium habitum, si 4. concurrant conditiones.*
170 *Item si indebitè eant ad studia.*
171 *Secus, si ad hunc effectum Prælatus localis det licentiam, non conuocato toto Conuentu.*
172 *Hac autem licentia non est opus quod sit expressa.*
164 173 *Excommunicantur Religiosi euntes ad audiendas Leges, aut medicinam.*
174 *Non item, si his scientiis dent operam extra Conuentum in loco sui domicilij; imò neque si egressi ad ea studia redeant ad monasterium intra bimestre.*
175 *Neque si ad alium finem egressi posteà vacent dictis studijs.*
176 *At incurrunt hanc excommunicationem, si egressi ad vacandum dictis studijs non vacent de facto, & intra bimestre non redeant.*
177 *Idque etsi posteà mutent voluntatem; quod alij negant probabiliter.*
178 *Non incurrunt verò, si egrediantur ad docendas dictas facultates.*
179 *Sicut nec in casu, quo egressi ob alios fines principales vacent præfatis studijs.*
180 *Excommunicantur Religiosi violantes Interdicta, & Cessationem à diuinis.*
181 *Nec in hoc excusat Ignorantia crassa, aut supina.*
182 *Ostenditur hanc eamdem censuram incurri ex Violatione Cessationis à diuinis.*
183 *Idq; non obstantibus indultis anteà concessis in contrarium.*
184 *Regulares debent seruare Interdictum non seruatum à propria Ecclesia Parochiali, si seruetur à Cathedrali, vel è contra.*
185 *Secus, si alicubi non adsit Cathedralis; & ex pluribus Parochialibus ibi existentibus aliquæ solum obseruent Interdictum: quod non procederet, si omnes ea parochiales obseruarent.*
186 *Interdictum debent seruare Religiosi quamuis nullum, si Ecclesia Matrix illud seruet; & si non seruent, subsunt huic excommunicationi non item alijs pœnis.*
187 *Excommunicantur Religiosi vsurpantes, impedientes, aut non permittentes Decimas solui, at non statim, ac delinquunt modis dictis.*
188 *Declarantur clausula sub quibus fertur ista excommunicatio.*
189 *Ei subsunt etiam Religiosi Ordinum Militarium, imò & Moniales.*
190 *Ea per se non est reseruata, sed solùm ex consequēti.*
191 *Illam non incurrunt Religiosi ex eo præcisè, quod nō soluant Decimas ab ipsis debitas.*
192 *Ab ea excusat Ignorantia.*
193 *Benedictini, & Canonici Regulares excommunicantur, si adeant Principum Curias ad nocendum.*
194 *Huic censuræ non subsunt omnes Monachi; quod alij negant.*
195 *Afferuntur varij casus in quibus ea non incurritur.*
196 *Afferuntur alij casus, in quibus incurritur.*
197 *Illam incurrit accedens bono animo ad Curias Principum si mutata voluntate posteà noceat; etsi alij id negent.*
198 *Licentia Prælati habita ad accedendū non prodest.*
199 *Non excommunicatur, qui accedit habens administrationem.*
200 *Excommunicantur Religiosi, si retrahant à solutione Decimarum.*
201 *Et quidem Religiosi cuiusuis Ordinis (non tamen Moniales.)*
202 *Idem dicendum est de Religiosis, qui negligit suadere pœnitenti solutionem decimarū, & posteà prædicare.*
203 *Excommunicantur Religiosi contrahentes de facto matrimonium, etiam Religiosi Soc. Iesu.*
204 *Item excommunicantur Religiosi, si foueant statum Beguinarum.*
205 *Item si sint Mendicantes, & indebitè nouas domos recipiant, aut receptas alienent.*
206 *Item, si indebitè transeant ad alios Ordines.*
207 *Item, si sint Benedictini, & intra monasterium arma retineant.*
208 *Idq; procedit de omnibus Religiosis in statu Mediolanensi degentibus.*
209 *Item, si sint Sacerdotes, & moniti non abdicent Officium Vicecomitis, & similia iam admissa.*
210 *Ostenditur, quod sit officium Vicecomitis.*
211 *Item, si alienent indebitè bona Ecclesiastica.*
212 *Item, si intersint agitationi Taurorum, ac ferarum.*
213 *At huic censuræ non subsunt Nouitij.*

214 *Ea est lata sententia, quod alij negant probabiliter.*
215 *Excommunicantur Regulares, si fauore sacularum officia Ordinis obtineant.*
216 *Item, si non seruent pacem factam cum Parochis.*
217 *Et hac censura non est per se reseruata, sed solum ex consequenti.*
218 *Item, si deferant habitum Capuccinorum.*
219 *Item, si impediant accessum aliorum Religiosorum ad missiones Iaponicas.*
220 *Aut in ijs exerceant mercaturam.*
221 *Item, si omittant facere solemnem Professionem.*
222 *Item, si sint Pralati, & non notificent subditis reuocationem viua vocis oraculorum.*
223 *Item, si Religiosos sui Ordinis vexent in materia electionis.*
224 *Item, si noua Monasteria recipiant, aut perficiant.*
225 *Item, si recipiant de bonis Nouitij ante Professionē.*
226 *Item, si puellam cogant ad Religionem, vel ab ea retrahant.*
227 *Item, si sint Mendicantes, & impediant pracedentiam Dominicanis.*
228 *Item, si indebite alienent loca, aut bona iurisdictionalia Conuentus.*
229 *Item, si missi ad Indias in itinere immorentur. aut declinent loca ipsis designata.*
230 *Item, si ex communi Bibliotheca extrahant libros: vtiq; ex speciali Breui Papa comprehendente quoscumque extrahentes, imò & permittentes extrahi, cum ex officio teneantur impedire: at libri debent esse incorporati Bibliotheca, ac extrahi è monasterio, vt incurratur ab ijs censura: Breue non vetat extrahi libros deputatos vsui Religiosorum particularium: at vetat Superiori, ne libros incorporatos deputet vsui Religiosi particularis, vt impunè eum extrahat: violat hanc prohibitionem, qui librum ab alio extractum è Bibliotheca extra Conuentum defert: secus, si e Bibliotheca extrahat librum, eo vsurus intra Conuentum, idq; de Religioso Conuentus item procedit. non violat, qui libros incorporatos permutat in viliores, & hos Bibliotheca incorporat, illis extractis: violat, qui extrahit solum ad 2. dies: secus qui extrahit, salua paruitate materia, qua in subiecta materia assignatur: violat, qui libros successiue extrahit in quantitate notabili, salua paruitate materia in singulis vicibus: secus, si in hoc casu librum posteriorem non extrahit, nisi restituto priori: non violat, qui extrahit ad reficiendam libri compaginationem. violat Religiosus monasterij, si extra concionaturus libros extrahat, & finita pradicatione non referat: secus, si Religiosus in casu proposito statuat vti libro, sicq; illum extrahat intendens eum commodare amico saculari: item non violat, qui librum extractum solum post pradicationem, eum ante finem pradicationis eo amplius non egeat per multum tempus.*

165. QVÆRAS I. Quot & quæ sint excōmunicationes latæ contra Regulares, quæ nulli reseruantur.

Respond. esse 31. Prima est contra Superiores regulares in casibus non concessis ingredientes Monasteria Monialium, quibus præsunt. 2. contra dimittentes habitum religiosum. 3. contra accedentes ad studia sine debita licentia. 4. contra exeuntes è Monasteriis pro studio Medicinæ, aut Legū. 5. contra non seruantes Interdictum seruatum ab Ecclesia matrice. 6. contra appropriantes sibi decimas. 7. contra proficiscentes ad aulam Principum malo animo aduersus suos. 8. contra auertentes à solutione decimarum. 9. contra ineuntes matrimonium de facto. 10. contra fauentes Beguinis, & sequentes ritum Fraticellorum. 11. contra Mendicantes non recipientes, aut desinentes noua loca sine licentia Papæ. 12. contra quosdam Mendicantes, qui recipiunt aliquem ad suum Ordinem. 13. contra Monachos habentes arma intra Monasterium. 14. contra Sacerdotes habentes officium Præpositi sæcolaris. 15. contra alienantes bona Monasteriorum. 16. contra intercessentes agitationi taurorum, & ferarum. 17. contra procurantes ope Principum honores, gradus, ac dignitates. 18 contra Religiosos Mendicantes, & Parochos pacem inter se factam non seruantes. 19. contra deferentes habitum Capuccinorum. 20. contra impedientes accessum ad insulas, prouincias, & regna Iaponica, ac aliarum Indiarum. 21. contra Religiosos non facientes professionem solemnē. 22. contra Prælatos non notificantes suis subditis reuocationem viuæ vocis oraculorum. 23. contra vexantes electores in electionibus regularibus. 24. contra recipientes noua Monasteria, non seruata debita forma. 25. contra accipientes de bonis Nouitij ante professionem. 26. contra cogentes puellam ad ingressum religionis, aut illam ab eo retrahentes. 27. contra impedientes debitam præcedentiam Dominicanis. 28. contra alienantes bona iurisdictionalia Conuentuum. 29. contra destinatos ad Indias recta non tendentes ad illas. 30. contra imprimentes libros sine debita licentia. 31. contra indebitè extrahentes libros de communi Bibliotheca.

QVÆRES II. Quomodo Prælati regulares incurrant excommunicationem latam à Gregor. XIII. 1581. contra Superiores religiosos ingredientes Monasteria Monialium quibus præsunt,

Respond. incurrere, si ingrediantur citra casus necessitatis; idque etiam prima, & secunda vice, qua ingrediuntur, non autem solùm tertia vice (quo modo ex dispositione d. Constit. Prælati sæculares Monasteria Monialium sibi subditarum ingredientes prima vice, qua ingrediuntur extra casum necessitatis, manent solùm interdicti ab ingressu Ecclesiæ: secunda suspensi à munere Pontificali, & à diuinis, ac deinceps ipso facto excommunicati absque alia declaratione; ratio diuersitatis est, quòd Papa in ista Constitut. non meminit primi, & secundi ingressus Regularium; sicuti meminit loquens de Episcopis, sed absolutè imposuit pœnam excommunicationis, imò & priuationis officij, ac ministerij Prælatis regularibus ingredientibus sine necessitate claustra Monialium sibi subditarum. Quamquam Bonac. *de Claus. q. 4. p. 5. n. 11*, ex Llamas censeat probabile esse, præfatos Prælatos regulares dictas pœnas non contrahere nisi tertia vice, quo modo dicto ingrediantur, adeóque prima vice, qua ingrediuntur, manere interdictos ab ingressu Ecclesiæ, secunda suspensos à diuinis, tertia, & deinceps affici excommunicatione, aliisque pœnis: siquidem præsens Constit. Gregor. XIII. loquens de Episcopis statuit pro prima, & secunda vice diuersas pœnas, & pro vlterioribus excommunicationem: statímque subdit pœnas pro Prælatis regularibus, ac proinde ex adiunctis intelliguntur eæ pœnæ pro Prælatis regularibus, quando tertio, & vlteriùs ingrediuntur; quod tamen non admittit Sanchez *lib. 6. in decal. cap. 16. n. 102.* 166.

Dixi, *si ingrediatur citra casus necessitatis*; vt innuerem Prælatos regulares non subiacere dictis pœnis, si ingrediantur in casibus necessariis, esto id faciant sine comitatu personarum habentium conditiones petitas in præfata Constit. (paucarum, scil. seniorum, ac religiosarum, id est, piarum: (quando enim Constit. statuit pœnas transgressoribus, meminit tantùm Prælatorū ingredientium citra casus necessitatis, vt obseruat Sanch. *n. 100.* pœnæ autem non 167.

debent

debent extendi vltra casus expressos. quod idem puto dicendum esse de Prælato ingrediente in casu necessitatis, & postea se detinente in Monasterio diutiùs, quàm exigat præsens necessitas, ob quam ingressus est (v.g. vagando per Monasterium, inuisendo officinas, &c.) imò & de Prælato ingrediente ob malum finem, in casu tamen veræ necessitatis; nimirum illum in his doobus casibus non incurrere supradictas pœnas: (quamuis in hoc posteriori subiiciatur excommunicationi contentæ in decreto derogatorio Clementis VIII. de qua *in tract. de priuileg. cap. 3. sect. 1. subsect. 2. quæst. 1. suppos. 2.*) & ratio est quod in his casibus verè Prælatus non ingreditur extra casum necessitatis: quod solùm prohibetur sub præsentibus pœnis; vt apertè constat ex ipso texto.

168. Illud porrò hîc bene monet Sanchez *n. 98.* pœnas contentas in ista Constitut. Gregor. XIII. omnes incurri ante Iudicis sententiam, excepta priuatione officiorum, ac ministeriorum, quam diximus incurrere Prælatos regulares indebitè ingredientes: hæc namque non incurritur, nisi post sententiam; vt probat Sanchez *cap. præced. num. 77. & 78.* nósque ostendemus infrà *cap. 6. sect. 1. quæst. 9.* tamen excommunicatio, suspensio, ac interdictum iuxta communem DD. sententiam, teste eodem Sanchez incurruntur ante omnem Iudicis sententiam; vt ipsemet Sanchez probat *lib. 9 de matrim. D. 30. num. 1.*

QVÆRES III. Quid requiratur, & sufficiat ad hoc vt Regulares incurrant excommunicatiooem latam *in cap. vt periculosa, ne Clerici vel monachi in 6.* contra dimittentes habitum religiosum.

169. Respond. requiri, vt dimittant habitum religiosum concurrentibus quatuor conditionibus à nobis recensitis *in tract. de obligat. cap. 7. sect. 1. q. 4.* vbi de re fusius agimus; prima est, vt dimissio habitus fiat à Religioso professo in scholis, aut alibi: secunda vt habitus, qui dimittitur sit habitus propriæ Religionis: tertia vt talis dimissio sit temeraria, id est, facta sine rationabili causa: quarta est, vt ipsa dimissio sit talis, quod attentis præsentibus circumstantiis, iudicio prudentis censeatur aperta ad vagandum. ita Sanch. *l. 6 in decal. c. 8. n. 38.* aliique, inter quos Suar. *de censur. D. 23. sect. 4. n. 16.* notat ad incurrendam istam excommunicationem non requiri, vt Religiosus modo dicto habitum dimittens simul adeat auditum Physicam, aut leges absque licentia Superioris cum consilio Conuentus, aut maioris partis: siquidem, dum in cit cap. dicitur: *Si quis horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam:* particula *horum*, explicari debet disiunctiuè, (vt exponit Glossa ibi) non autem collectiue; vt primo aspectu posset aliquis existimare, inde colligens, quòd, cùm textus loquatur in plurali, *violator horum*, nec dici possit violator horum, qui alterum ex iis violat, requiri videtur violatio vtriusque videlicet, vt temerariè dimittatur habitus, & quod Religiosus dimittens adeat auditum Physicam, aut Leges: particula, inquam, *horum*, explicari debet disiunctiuè, ac proinde non pauci DD. relati à Sanch. excommunicationem latam contra dimittentes habitum, & eam, quæ lata est contra adeuntes auditum Physicam, aut Leges, sine debita facultate, tanquam duas excommunicationes distinctas afferunt, & explicant: quod nos etiam aduertimus *in cit. tract. de oblig. vbi supr. q. 7 §. quid si hic obiter.*

QVÆRES IV. Quo casu Regulares incurrant excommunicatiooem latam *in cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6.* contra euntes ad studia sine debita licentia.

Respond. quòd, cùm in cap. citato, excommunicentur Religiosi professi accedentes *ad quæuis studia literarum, nisi à suo Prælato cum consilio sui Conuentus, vel maioris partis eiusdem sibi eundi ad studium licentia primitus sit concessa*; sequitur Religiosum professum (qualis est etiam Religiosus Societ. Iesu post emissa biennij vota) tunc demum incurrere istam excommunicationem, quando absque licentia proprij Prælati immediati cum consilio Conuentus, aut maioris partis (qualis est etiam locum ipsius tenens, qui verè sit Prælatus Monasterij, habens sc. iurisdictionem, vt notat Sayr. *l. 3. de Censur. c. 33. n. 23.* ex Tabiena) proficiscitur aliò ad effectum studendi extra proprium Conuentum, siue intendat vacare studiis aliàs vetitis (v.g Physicæ, aut Legibus) siue aliàs permissis (vt Philosophiæ, Theologiæ, &c.) generaliter enim loquitur textus, dum ait *ad quæuis studia*; vt aduertetunt plures DD. apud Bonac *supr. q. 2. p. 6. n. 3.* qui benè monet *n. 8.* ex Nau. Caiet. Azor. Sayr. Sanch. Suar. & aliis communiter nomine proprij Prælati hîc venire etiam Generalem, ac Prouincialem, adeóque hos posse dare præfatam licentiam eundi aliò ad studia modò supradicto; idque absque consilio Conuentus: cùm hi propriè non habeant Conuentum, & textus in re præsenti petens consilium Conuentus loquatur de Prælato proximo, ac immediato, qui habet Conuentum; vt nos etiam notauimus *in tract. de priuileg. cap. 4. sect. 2. q. 27.* vbi attulimus plures casus, in quibus Religiosus proficiscens ad studia sine dicta licentia effugit istam excommunicationem. 170.

Vtrum verò necesse sit conuocare totum Conuentum ad consilium petendum in casu, quo Prælatus immediatus daturus sit illam licentiam.

Respond. secluso peculiari statuto Religionis, non esse, sed sufficere, quòd conuocetur maior pars Conuentus: siquidem, cùm in textu dicatur, *cum consilio Conuentus, vel maioris partis*, frustrà conuocaretur totus Conuentus, cum totius Conuentus consilium non requiratur. Ita Suar *supr. D. 23. sect. 4. n. 37.* Sanch. *supr. num. 80.* quos refert, & sequitur Bonac. *num. 21.* addens in re præsenti non sufficere petere consilium à maiori parte Religiosorum seorsim, sed necessariò conuocandum esse Conuentum: quia alioqui eiusmodi consilium non posset dici consilium Conuentus, sed singulorum Religiosorum Conuentus: quamquam alioqui Prælatus non teneatur sequi tale consilium, vt diximus *in tract. de priuil. loco supr. citato.* 171.

Dubitari posset hîc, vtrum licentia, quam diximus requiri ad euitandam istam excommunicationem, debeat esse expressa, an sufficiat, quòd sit tacita.

Respond. sufficere, quòd sit tacita, ex ratihabitione tamen de præsenti; idque, siue præfata licentia detur à Generali, aut Prouinciali Ordinis, siue à Superiore immediato Monasterij. Ducor, quòd taciti, & expressi eadem est virtus; &, vbi requiritur licentia in actu, sufficit tacita, ac præsumpta ex ratihabitione de præsenti, vt multis probant Lapus, & Corset. apud Sanch. *l. 3. de matr. D. 35. n. 20.* quæ ratio probat intentum tum de licentia, quæ detur à Generali, aut Prouinciali, tum de ea, quæ detur à Superiore locali; dummodo iste præmiserit iuxta dicta debitam consultationem cum Conuentu, siue motu proprio, siue etiam requisitus à Religioso subdito, qui postea cum præfata licentia tacita proficiscitur ad studia: in hoc enim posteriori casu non sufficeret licentia tacita, si non esset præmissa sufficiens consultatio cum Conuentu; vtpotè quæ requiritur ad valorem dictæ licentiæ; sicut supra ostendimus *in vtrum vero.* 172.

QVÆRES V. Quid requiratur ad hoc, vt Regulares incurrant excommunicationem *in cap. non magnopere, ne Clerici, vel Monachi*, latam contra Religiosos è Monasterio exeuntes ad audiendas Leges, aut Medicinam.

173. Respond. requiri, vt exeant è monasterio non emissam professionem religiosam ad audiendas supradictas facultates animo eas discendi, non autem honorandi Lectorem; & quod intra 2. menses non redeant ad Monasterium; patet ex citato *cap. non magnopere*, vbi dicitur. *Statuimus, vt nulli omnino post votum Religionis, & post factam in aliquo loco religioso professionem ad Physicam* (idest ad Medicinam) *Legesve mundanas legendas permittantur exire: si verò exierint, & ad claustrum suum intra duorum mensium spatium non redierint, sicut excommunicati ab omnibus euitentur.* Vbi notandum per leges mundanas intelligi leges ciuiles.

Sed modò dublum est, an Religiosus dicatur exire de claustro ad audiendas Leges, aut Medicinam, si in loco sui Monasterij dictas scientias audiat (extra tamen Monasterium) redeundo singulis diebus ad monasterium finita lectione.

174 Respond. non dici exire, adeóque Religiosum studentem Legibus, aut Medicinæ extra Monasterium in ciuitate sui domicilij, & quotidie ad ipsum monasterium redeuntem non incurrere eiusmodi excommunicationem. Ita Bonac. *de clausq. 2. p. 7. n. 4.* ex Caiet. Tolet. Sayr. Nau. & Sanctarel. contra Suar. *D. 23. de censur sect. 3. n. 11.* & Filliuc. *tract. 14. n. 128.* putantes ad contrahendam istam excommunicationem sufficere exire è Monasterio, & in eodem oppido vacare præfatis scientiis redeundo ad monasterium quotidie Ratio nostræ responsionis est, quod ista excommunicatio lata est contra Religiosos exeuntes ad supradictas scientias audiendas, nisi intra 2. menses redeant ad monasterium; hoc autem non verificaretur, si ad contrahendam istam excommunicationem non esset opus, vt Religiosus exiret ad habitandum extra monasterium: siquidem Religiosus, qui habitat in monasterio; & accedit ad scholas publicas, solet quotidie redire ad monasterium, aut saltem ad illud redit intra 2. menses. Quod si Religiosus in loco sui domicilij exeat è monasterio ad vacandum prædictis scientiis, & vltra 2. menses non redeat ad monasterium; tunc vtique concedo eum affici ista excommunicatione; cùm sic verè exeat è claustro ad audiendas Leges, aut Medicinam; quòd solùm requiritur, & sufficit ad incurrendam dictam excommunicationem: vt constat ex *cap. non magnopere*, iam citato.

Putat autem Bonac. *n. 12.* cum Suar. Sayr. Filliuc. Sylu. Tab. & aliis spatium duorum mensium, intra quod diximus Religiosos egressos ad studia Legum, & Medicinæ regredi ad euitandam istam excommunicationem, computandum esse à die, qua Religiosus egreditur; probátque, tum, quia spatium inchoari debet à tempore transgressionis; hæc autem incipit ab ipsomet egressu è monasterio: tum, quia *in c. non magnopere*, dicitur: *Si exierint, & infra duorum mensium spatium non redierint*; quod est dicere initium illius spatij desumendum esse ab exitu è monasterio. Alij tamen cum S. Antonin. *3. p. tract. 24. c. 52.* existimant supradictum spatium enumerandum esse à die, qua Religiosus incipit audire Leges, aut Medicinam; probántque ex eo, quod cum egressus è monasterio hic non interdicatur, nisi per ordiné ad audiédas præfatas facultates, propterea metiendũ videtur tépus à die, qua Religiosus incipit audire dictas facultates: quę opinio, teste ipso Bonac. est probabilis

Granior difficultas est, an Religiosus, qui non exiuit animo audiendi præfatas facultates, sed postea voluntate mutata, manet extra monasterium principaliter animo eas audiendi, & quidem vltra 2. menses, an, inquam, incurrat istam excommunicationem.

175. Respond. quòd, quamuis Suar. Sayr. Filliuc & alij communiter apud Bonac. *num. 6.* dicant incurrere ea moti ratione, quòd, licèt prior exitus è monasterio non fuerit ordinatus ad audiendas præfatas facultates, permanentia tamen extra monasterium ad hoc ordinatur: & hoc est, quod principaliter prohibetur *in cap. non magnopere*, esto, minùs sufficienter verbis fuerit expressum; probabile nihilominus dicit Bonac. esse oppositum; probátque quia dispositio pœnalis non debet extendi vltra mentem disponentis verbis expressam; mens autem disponentis verbis expressa in præsenti casu non admittit istam extensionem: cùm ius non loquatur simpliciter de commorantibus extra monasterium animo vacandi præfatis scientiis, sed de egredientibus tali animo, & eodem animo extra monasterium persistentibus spatio duorum mensium; quod non euenit in casu nostro, quo Religiosus non est egressus animo vacandi dictis scientiis, vt suppono.

175. Addo quod, cùm ista excommunicatio lata sit contra Religiosos egredientes ad studendum illis facultatibus, &c. non autem contra actu studentes (vt apertè colligitur ex *cap. non magnopere*,) consequenter eam incurret Religiosus, qui exiuit animo audiendi præfatas facultates, sed re ipsa non audiuit, dummodo intra 2. menses non reuertatur ad monasterium: sic enim adest effectus completus sub censura prohibitus, vt patet. Ita Suar. *n. 14* Sanctarel. *de apostasia, cap. 2. n. 17.* & Bonac. *n. 7.* contra Caiet. *ver. excommunic. cap. 51* qui censet ad incurrendam istam excommunicationem requiri, vt Religiosus actu audiat dictas facultates.

Dices, quid si Religiosus exeat animo audiendi dictas facultates, sed posteà mutet voluntatem, non tamen regrediatur intra duos menses, incurritne istam excommunicationem?

176. Respond. Bonac. *n. 8.* ex Panorm. incurrere: enim mutatio voluntatis in isto casu non tollat materiam excommunicationis, in eo consistentem, quòd Religiosus egrediatur animo audiendi præfatas facultates, & non reuertatur intra 2. menses: siquidem in textu dicitur. *Si exierint, & non redierint*; non autem dicitur, *si animum non mutauerint*. Ita Bonac. contra Suar. Sayr. Tolet. Sanctarel. & alios oppositum sustinentes, & quidem probabiliter iudicio ipsiusmet Bonac. qui benè monet *n. 15. in cap. non magnopere*, verba illa, *post votum Religionis, & post factam in aliquo loco religioso professionem*, sumi tanquam synonima, & sequentia apponi ad maiorem declarationem præcedentium, ita vt ibi votum, & professio non significent res diuersas, sed vnam, ac eamdem.

177. Dubitant hîc etiam DD. vtrum incurrat hanc excommunicationem Religiosus, qui exit è monasterio, non ad audiendas Leges, aut Medicinam, sed ad eas docendas: & ratio dubitandi est, quòd *in cap. non magnopere*, disertis verbis excommunicantur Religiosi exeuntes ad legendam Medinam, aut Leges: ibi enim dicitur. *Statuimus, vt nulli omnino post votum Religionis, & post factam in aliquo loco religioso professionem ad Physicam, Legesve mundanas legendas permittantur exire*; verbum autem, *legere*, significat potiùs docere, quàm audire.

178. Respond. videri non incurrere; ratio est, quia Honor. III. *in cap. super specula, ne Clerici, vel monachi*, confirmans

confirmans istam excommunicationem, eámque extendens ad Clericos vacantes Legibus, & Medicinæ, loquitur solùm de exeontibus ad audiendas Leges, aut Physicam, refértque præsentem excommunicationem Alexaodri III. tanquam latam in audientes, non autem in docentes, his verbis: *Contra Religiosas personas de claustris exeuntes ad audiendas Leges, vel Physicam Alexander prædecessor noster statuit in Concilio Turonensi, vt nisi infra 2. mensium spatium ad claustrum redierint, sicut excommunicati ab omnibus euitentur*; vt proinde dicendum videatur verbum, *legere, in cap. non magnopere*, sumi pro, *studere*: cùm sic interdum vulgo accipiatur, & Honorius modo dicto illud interpretatus sit. Ita Suar. *n.* 17. Filliuc. *num.* 129. Sanctar. *n.* 18. Nauar. *c.* 27. *n.* 116. & alij contra alios, & maximè contra S. Antonin. Ostiens. Archidiac. & Syluest. relatos à Suarez; qui benè addit *n.* 18. Religiosum dictis facultatibus studentem post exitum è claustro affici hac excommunicatione, etiamsi priuatim studeat; non quidem, quòd det se vacet eiusmodi doctrinis, sed quia exiuit animo audiendi illas, & in eo persistit post tempus duorum mensium.

179. Addit Sanctarel. *num.* 17. Religiosum exeuntem è claustro ob alios fines principales (v.g. ad peragenda aliqua negotia) non incurrere istam excommunicationem, etiamsi hac occasione simul studeat Legibus, aut Medicinæ: sic enim non dicitur exiisse animo vacandi dictis facultatibus; quod requiritur ad contrahendum istam excommunicationem; intellige, nisi fortè Religiosus in isto casu, mutato animo, postea principaliter maneat extra claustrum vltra 2. menses ad effectum studendi præfatis disciplinis: Ita Sanctarel. quod tamen negat Bonac. vt constat ex dictis *sup.* § *grauior difficultas*, & non improbabiliter.

QVÆRES VI. Quandonam Regulares incurrant excommunicationem latam in Clem. 1. *de sent. excommunic.* contra Religiosos non seruantes interdictum, aut cessationem à diuinis.

180. Respond. incurrere, si interueniant 4. conditiones: prima est, vt Interdictum sit generale, quo scilicet interdicatur regnum, prouincia, diœcesis, ciuitas, villa, aut castrum: secunda quod sit latum auctoritate Sedis Apostolicæ, siue ab Ordinariis locorum, siue à Concilio prouinciali (Episcopi enim non possunt propria auctoritate imponere Interdictum speciale in Ecclesiis Regularium, vt ostendemus infrà suo loco) tertia, quòd Interdictum generale seruetur ab Ecclesia Cathedrali, vel (sicubi non adest Cathedralis) ab Ecclesia Matrice, seu Parochiali, quæ etiam dicitur baptismalis: quarta est, quòd Regulares sciant Interdictum teneri seruari à Cathedrali, aut Matrice Ecclesia; patet responsio ex Clem. 1. citata, quæ sic habet. *Circa Interdictorum obseruationem auctoritate Sedis Apostolicæ, vel à locorum Ordinarijs positorum de Fratrum nostrorum consilio districtè præcipiendo mandamus, quatenus Religiosi quicumque, tam exempti, quàm non exempti cuiuscumque Ordinis, & conditionis existant, cum Cathedralem, vel Matricem, seu Parochialem loci Ecclesiam illa viderint, aut sciuerint obseruantes.* Et quidem, quòd ibi sit sermo solùm de Interdictis generalibus, colligitur ex verbis illis, quæ ibidem immediatè ante præmittuntur, *ciuitatum, terrarum, & aliorum locorum generalia Interdicta præsumptione damnabili violare præsumunt.*

Quòd si dicas hinc sequi, ignorantiam crassam, aut supinam posse excusare ab incurrenda ista excommunicatione; cùm præsumptio, quæ hîc videtur prærequiri per verbum *præsumunt*, supponat scientiam, aut saltem ingentem temeritatem, quæ scientiæ comparatur,

Respond. negando sequelam; & ratio negandi est, quòd Papa *in cap. non magnopere*, absolutè excommunicat Religiosos non seruantes Interdictum generale, nec requirit præsumptionem, tanquam materiam istius excommunicationis, sed solùm eam fere occasione præsumptionis, quàm aliàs Religiosi hac in re committebant, & pro materia talis excommunicationis exigit violationem Interdicti moraliter culpabilem; vt benè aduertit Bonac. *D. 2. de censur. in partic. q. 8. p. 14. n. 8.* ex Cardin. & aliis. 181.

Cæterùm, quod diximus de Religiosis non seruantibus Interdictum, proportionaliter etiam dicendum est de Religiosis non seruantibus cessationem generalem à diuinis impositã auctoritate Concilij prouincialis, siue à Capitolo, Collegio, aut Conuentu sæcularium, vel regularium Ecclesiarum habente facultatem ferendi huiusmodi cessationem ex consuetudine, aut alia ratione; id quippe expresſè habetur in citata Clem. his verbis: *Quod etiam in Interdictis, & cessationibus à diuinis indictis per Conciliorum prouincialium statuta, vel ipsorum auctoritate volumus obseruari: in cessationibus verò generalibus à diuinis ciuitatum, terrarum, & aliorum locorum, quas aliquando ex consuetudine, vel aliàs capitula, collegia, vel conuentus sæcularium, vel regularium Ecclesiarum sibi vendicant, idem intelligimus obseruandum.* Vbi notat Bonac. *n* 8. quòd, licèt in his verbis non repetatur expresſè excommunicatio, ea tamen apertè subintelligitur ex connexione verborum, quæ in fine apponuntur *idem intelligimus obseruandum*; quamquam, cùm textus loquatur de cessatione lata à Concilio prouinciali, capitulo, collegio, aut conuentu, præsens excommunicatio non incurritur à Religiosis non seruantibus cessationem à diuinis latam à particulari persona; vt aduertit idem Bonac. & rectè; cùm odia non debeant ampliari, sed restringi. 182.

Vtrùm verò attenta Clementina hîc citata, prosint Regularibus priuilegia ipsis concessa, quoad celebrandum, & admittendum laicos ad diuina tempore Interdicti.

Respond. non prodesse, si eiusmodi priuilegia concessa erant ante Clement. *ex frequentibus de sent. excommunic.* editam à Clemente V. qui anno 1305. die 6 Iulij creatus fuit Papa, & obiit 20. April. 1314. siquidem in dicta Clem. omnia illa priuilegia reuocata sunt his verbis, *non obstantibus priuilegijs, conuentionibus, statutis, & consuetudinibus quibuslibet* Ita Bonac. *n.* 21. addens probabile videri, quòd priuilegia Regularibus concessa pro tempore Interdicti post præfatam Clementinam non fuerint reuocata in Conc. Trid. idque ob rationes à nobis adductas *in tract. de priuileg. cap. 5. sect. 2 q. 24.* § *probatur.* 183.

Dubitant hîc etiam DD. an Regulares sub ista excommunicatione teneantur seruare Interdictum, si videant illud seruari quidem ab Ecclesia Matrice, non item à parochiali, intra cuius ambitum extat eorum Monasterium.

Respond. teneri, cùm textus loquatur alternatiuè, ac disiunctiuè per clausulam *vel*, dicens, *cùm Cathedralem, vel Matricem, seu parochialem loci Ecclesiam illa viderint, aut sciuerint obseruare*; vnde sufficit Interdictum seruari ab alterutra illarum, videlicet à Cathedrali, aut à Matrice Ecclesia. 184.

Quòd si contingat interdici oppidum, in quo non extet Cathedralis, & multæ parochiales æquè principales, in quarum singulis Sacramenta administrantur suis parochianis, & in aliquibus earum seruetur Interdictum, in aliis non; tunc Regulares non seruantes Interdictum haud incurrunt istam excommunicationem: idque esto parochialis, intra cuius ambitum 185.

ambitum extat eorum monasterium, seruet Interdictum; ratio est, qua sic non est verum dicere parochialem illios oppidi seruare Interdictum, sed aliquam seruare, aliam non: cum tamen ad contrahendam istam excommunicationem simpliciter, & absolutè requiratur, quod Ecclesia parochialis seruet Interdictum, & alioqui in materia pœnali non sit facienda extensio. Secùs dicendum esset, si omnes illæ parochiales seruarent Interdictum: sic enim verum esset dicere Ecclesiam parochialem seruare Interdictum, vt patet. ita Tol. *lib. cap.* 139. in fine aliique communiter teste Sayro *lib.* 3. *de censur. cap.* 33. *num.* 46. qui benè monet *num.* 48 quòd, licèt Religiosi violantes Interdictum nõ seruatum ab Ecclesia Matrice effugiant istam excommunicationem; incurrunt tamen alias pœnas latas in *cap fin. de excess. Prælat. &c. episcoporum de priuil. in* 6. vbi habetur, quòd Clerici sæculares, & Religiosi sunt suspensi ab officio, & beneficio, & omni iurisdictione, & eis interdictus est ingressus Ecclesiæ, & sunt irregulares, & inelegibiles actiuè, & passiuè, sed de hoc infra.

186. Addit Sayr. quod si sententia Interdicti verè non ligat, impediente appellatione, aut alia nullitate, & Ecclesia Matrix eam seruet; Regulares non seruantes contrahunt istam excommunicationem, non item alias pœnas; quando autem Matrix seruat Interdictum, & illud tenet; tunc Religiosi afficiuntur vtrisque pœnis: quando denique Interdictum non tenet, nec seruatur à Matrice, tunc neutris pœnis ligantur Religiosi; quæ sunt valde aduertenda.

Qværes VII. In quibus casibus Regulares incurrant excommunicationem in Clement. 1. *de decimis* latam contra Religiosos sibi vsurpantes decimas, aut illarum solutionem impedientes, vel non permittentes,

187. Respond. incurrere, si noualia, aut decimas Ecclesiis debitas sibi approprient, aut vsurpent, aut prohibeant, aut non permittant eas solui: & aliàs nullam habeant administrationem, aut beneficium ecclesiasticum; secùs, si habeant administrationem, aut beneficium; tunc enim si quam prædictarum actionum exerceant; non incurrunt istam excommunicationem, sed suspensionem à præfata administratione, aut beneficio. Constat ex citata Clementina, quæ ita habet: *Religiosi quicumque qui noualium, aut alias decimas Ecclesiis debitas ad eos ex aliqua causa legitima non spectantes appropriare sibi præsumpserint, aut exquisitis fraudibus, siue coloribus vsurpare: seu qui de terris, quas tradunt alijs excolendas, decimam solui Ecclesiis non permiserint, aut prohibuerint, nisi post requisitionem per eos, quorum intererit, super hoc eis factam à præmissis destiterint intra mensem, aut de ijs, quæ contra præmissa vsurpare vel retinere præsumpserint, intra 2. menses damnificatis Ecclesiis emendam non fecerint competentem, sint, & tandiu maneant ab officijs, administrationibus, & beneficijs suis suspensi, donec destiterint, & satisfecerint, quod si Religiosi huiusmodi administrationes, vel beneficia non habeant, eo casu, quo alij supradictis suspensionis, ipsi sententiam excommunicationis incurrant, ante satisfactionem condignam nullatenus absoluendi priuilegijs non obstantibus quibuscumque.* Vbi notandum istam excommunicationem non incurri à Religiosis, statim ac fecerunt aliquam ex actionibus supradictis hîc prohibitis, sed solùm post certum tempus elapsum; nimirum post duos menses, si decimas vsurparunt, & intra tale spatium debitam satisfactionem non præstiterunt; post vnum verò mensem, si decimas prohibuerunt, aut non permiserunt solui, & intra tale tempus non satisfecerunt; quamquam isti non contrahant istã censurã, nisi ominant satisfacere post admonitionem iis hac de re factam: quæ tamen admonitio, cum non sit canonica, & textus loquatur in singulari, *nisi post requisitionem*, sufficit, quod sit vnica; nec opus est, vt fiat Religiosis vsurpantibus decimas; cum textus eam præcipiens quoad Religiosos prohibentes, aut non permittentes solutionem decimarum sit alius à textu, qui loquitur de eas vsurpantibus: vnde mirum non est, quod clausula, posita in vno textu ad alium non extendatur; quod negant Suar. *D.* 31. *de censur. sect.* 6. *num* 9. & alij penes Bonac. *supr. part.* 12. *num.* 5. qui notat spatium duorum mensium supradictorum incipere à die, qua Religiosi præsumpserunt vsurpare decimas (in hoc enim casu requiritur præsumptio, vt patet ex textu) mensem verò assignatum prohibentibus, & non permittentibus solutionem decimarum à die admonitionis inchoari.

Superest modò, vt explicemus, quid hic intelligatur per *noualia*; *decimas*; *appropriare*; *vsurpare*; *non permittere, & prohibere*: sic quippe magis declarabitur præsens excommunicatio.

188. Respond. ergo nomine *Noualium*, intelligi agros, qui ab hominum memoria antea culti non fuerant, & Ecclesia nullum, aut modicum fructum inde percipiebat, modò autem ad culturam redacti sunt: nomine *Decima* intelligitur quota bonorum, id est pars certa debita Ecclesiæ Ministris in ipsorum subsidium: *appropriare*, seu *vsurpare* est rem alienam sibi vendicare tanquam propriam, seu tanquam sibi debitam; estò constet ad alium pertinere: *non permittere* est impedire, non negatiuè se habendo, sed aliquo facto (v. g. metu) ne decimæ soluantur: denique *prohibere* est verbis obstare, ne decimæ soluantur.

189. Hanc porrò excommunicationẽ contrahunt omnes Religiosi aliquã ex præfatis actionibus prohibitis exercentes, etiam Ordinũ Militarium, qui sint viri Religiosi, etiam fœminæ, nempe Moniales; siquidem textus loquitur generaliter *Religiosi quicumque*; & nomen *Religiosi* generaliter prolatum extenditur ad fœminas religiosas; cùm masculinum concipiat etiam fœmininum; vt notant hîc communiter DD. ex Gloss. inter quos Suar. *supr.* cum Sylu. & Nau. aduertit quòd, cùm hîc nomen *Religiosi*, sumi debeat formaliter de Religiosis in suo statu viuentibus, isti excommunicationi non subijciuntur Regulares translati ad Ecclesiam sæcularem, vt eius bona, & fructus administrent: quod est contra Rosellam *v. excommunic. casu.* 59.

190. Adde quòd, quamuis ista excommunicatio de se non sit reseruata; in eo tamen sensu est reseruata Papæ quatenus Religiosus delinquens contra illam non potest ab vllo absolui ante satisfactionem præstitam, vt constat ex iis verbis, quæ habentur in textu, *ante satisfactionem condignam nullatenus absoluendi.* quod ingeniosè aduertit Bonac. *supr. num.* 10. monens *num.* 11. Religiosum, qui incurrit istam censuram, statim ac præstitit debitam satisfactionem, non manere eo ipso absolutum absque alia absolutione, sed indigere absolui; sicuti innuitur per verba modò allegata *ante satisfactionem condignam nullatenus absoluendi*, quæ indicant Religiosum, qui contraxit istam censuram, non esse absoluendum ante præstitam satisfactionem, absoluendum tamen statim ac debitè satisfecerit.

191. Dices, incurrentne Regulares istam excommunicationem ex eo præcise, quòd ipsi non soluunt decimas, ad quas alioqui tenentur,

Respond. non incurrere; cùm textus non loquatur de non soluente decimas, sed de vsurpante, vel prohibente, seu non permittente eas solui; & aliàs

in

in pœnis non debeat fieri extensio à casu expresso ad non experessum.

192. Ignorantia denique excusat ab incurrenda ista excommunicatione, non quidem in casu, quo Religiosus prohibeat solui decimas, sed in casu, quo eas sibi approprier, aut vsurpet. Ratio disparitatis est, quòd in priori casu ad incurrendam istam censuram prærequiritur admonitio, post quam dari non potest ignorantia; nisi fortè delinquens, posita tali admonitione, obliuiscatur illius, aut certè ex rationabili motiuo dobium practicè deponat; in posteriori autem casu, cùm textus requirat præsumptionem, consequenter requirit & scienriam, quæ vtique non adest, vbi adest ignorantia.

QVÆRES VIII. Quinam Regulares incurrant excommunicationem in Clement. 1. *de statu monach.* latam contra monachos, & Canonicos regulares adeuntes Curias Principum ad nocendum suis Prælatis, aut Monasteriis, quidque requiratur ad incurrendam istam excommunicationem.

193. Respond. non incurrere, nisi Monachos nigros (id est Benedictinos) & Canonicos Regulares, non habentes vllam administrationem, siue temporalem, siue spiritualem; requiri verò ad incurrendam istam excommunicationem, quòd supradicti accedant ad Curias Principum animo nocendi suis Prælatis, siue immediatis, siue mediatis, aut suis monasteriis; patet ex Clementina citata, quæ ita habet: *Nos eorum in hac parte reprobis ausibus obuiare volentes hoc edicto perpetuo prohibemus, ne Monachi, aut Canonici Regulares administrationem aliquam non habentes ad Curias Principum absque speciali Prælatorum suorum licentia se conferre præsumant: quod si, vt suis Prælatis, aut Monasterijs aliquod damnum inferant, ad dictas Curias se conferre præsumpserint, excommunicationis sententiam eos incurrere volumus ipso facto.*

194. Dixi non incurrere, nisi Monachos nigros; sic enim docent Suar. *D.23. de censur. sect.5. n.4.* Filliuc. *tract.14. n.139.* Angel. *ver. excommunicatio 7. casu 38.* & alij: quamquam Bonac *supr. D.2. q.8. p.9. n.12.* cum Tolet. Panorm. & Syluest. dicat probabilius esse ista excommunicatione comprehendi omnes Monachos: siquidem textus absolutè loquitur, & sine limitatione; esto Papa ab euagatione Monachorum nigrorum occasionem sumpserit edendi istam Constitutionem; vnde, quando excommunicationem imposuit, eam indistinctè posuit contra Monachos, & contra Canonicos Regulares, de quibus antea mentionem non fecerat; illud quidem pro certo habendum est, hac excommunicatione non ligari quoslibet Religiosos, sed tantum Monachos, & Canonicos Regulares: cùm textus solùm meminerit istorum; & verba in materia pœnali, ac odiosa ampliari non debeant; sed restringi: præterquam quod, aliàs frustra exprimerentur Canonici regulares, si in ista excommunicatione comprehenderentur omnes Religiosi: cùm perspicuum sit omnibus Canonicos Regulares esse Religiosos.

195. Ex eo autem, quod diximus ad incurrendam istam excommunicationem requiri accessum ad Curias Principum, ac intentionem nocendi suis Prælatis, aut Monasteriis; sequitur non affici ista excommunicatione illum Religiosum, qui vel habens animum nocendi suis Prælatis, aut Monasteriis mittit tertium ad Curias Principum; vel inchoat iter ad præfatas Curias, sed pœnitentia ductus mutat voluntatem, Curiásque ingreditur alio animo; vel prauo illo animo egreditur è monasterio, sed detentus morbo, aut alio impedimento non potest ingredi Curias.

E contra subiacet huic excommunicationi Religiosus, qui causa negotiorum Monasterij inchoat iter ad Curias Principum sæcularium, sed in progressu itineris statuit damnum inferre suis Prælatis, aut Monasteriis, talique animo Curias ingreditur; qui ad dictas Curias accedit prauo illo animo, nullum tamen reuera damnum infert suis Prælatis, aut Monasteriis (non enim sub ista censura prohibetur actualis damnificatio, sed accessus ad Curias cum animo damnificandi;) qui ad Curias accedit animo nocendi toti suæ Religioni: sic quippe intendit etiam nocere suo Monasterio; cùm damnum totius Religionis cedat in damnum sui Monasterij, secùs, si accedat animo nocendi alij Religioni, aut etiam alij Monasterio sui Ordinis; si quidem, cùm textus loquatur de nocentibus suis Prælatis, aut Monasteriis, & ly, *suis*, propriè, ac strictè sumi debeat, prout habet relationem ad ipsummet Religiosum delinquentem, non potest extendi ad nocentem alteri Monasterio eiusdem Ordinis, quippe quod nequit dici suum, id est Religiosi nocentis. 196.

Maior difficultas est, an incurrat hanc excommunicationem Religiosus, qui bono animo Curiam ingressus est, sed postea, mutata voluntate, ibi commoratur animo nocendi suo Prælato, aut monasterio.

Respond. quòd, quamuis Suar. *supr. n.6.* & Filliuc. *n.141.* valdè probabiliter putent in hoc casu incurri excommunicationem, eo, quòd in textu non tam probibeatur accessus ratione itineris, quàm ratione existentiæ, seu assistentiæ in Curia ad nocendum; probabile tamen videtur etiam oppositum, quod docet Bonac. *num.4.* ea ductus ratione, quod in materia pœnali non est facienda extensio vltra propriam significationem verborum, & alioqui non est idem conferre se ad Curias, ac in Curiis existere, vnde censura lata contra se conferentes ad Curias animo nocendi non debet extendi ad eos, qui existunt in Curia tali prauo animo, à diuersis enim non fit illatio. 197.

Illud hic benè monent DD. Religiosum, qui ad Curias Principum accedit supradicto animo nocendi, subiacere huic censuræ quantumuis accedat cum licentia proprij Prælati; probáturque ex eo quod, licèt in præsenti textu præscribatur, aut nullus Monachus, vel Canonicus Regularis ad Curias Principum se conferre præsumat absque speciali licentia, nihilominus, dum imponitur excommunicatio accedentibus animo nocendi, nulla fit mentio de licentia, adeóque siue fiat accessus de licentia, siue absque licentia, incurritur censura, modò accessus fiat eo prauo animo. 198.

Quod autem diximus istam excommunicationem non incurri à Religiosis ad Curias Principum accedentibus animo nocendi, si administrationem habeant: intelligendum est de administratione tam temporali, quàm spirituali; nam textus absolutè loquitur *administrationem aliquam non habentes*; sæpéque contingit, vt habens administrationem spiritualem necesse habeat accedere ad curias Principum, vt docet experientia, & aduertit Suar. *n.5.* quod est contra Sayr. docentem per administrationem hîc intelligi perceptionem fructuum temporalium, non spiritualium, & Religiosum habentem administrationem affici ista excommunicatione, si ad curias Principum accedat præfato animo nocendi: quod tamen alij communiter negant, & benè. 199.

QVÆRES IX. Quid requiratur ad hoc vt Regulares incurrant excommunicationem in Clement. *Cupientes de pœnis*, latam contra Religio-

sos retrahentes auditores à solutione decimarum.

200. Respond. requiri, quòd in concionibus, aut etiam in priuatis locutionibus aliqua proferant intentione retrahendi auditores à solutione decimarum, quæ sint debitæ Ecclesiis, eiusue Ministris ecclesiasticis non ex voto, gratitudine, aliòque simili titulo, sed ex iustitia; siue postea sequatur effectus (quòd scilicet auditores retrahantur à decimis soluendis) siue non; Quamquàm Filliuc. *supr. num.* 147. videatur inclinare non incurri istam excommunicationem, nisi re ipsa sequatur effectus: quod negant alij cum Suar. *n.* 37. & meritò: cum ista censura non imponatur pro ipsa retractione (alioqui Papa dixisset *retrahunt*, non, *vt retrahant*) sed persuasione. Patet responsio ex Clem. citata *Cupientes*, vbi hæc habentur. *Illos etiam Religiosos, qui aliqua, vt audientes à decimarum Ecclesiis debitarum solutione retrahant, in sermonibus suis, vel alibi proferre præsumunt, excommunicationis sententiæ subiacere decernimus ipso facto.*

Quòd si quæras, vtrum ista excommunicatio extendatur ad omnes Regulares, etiam fœminas.

201. Respond. extendi quidem ad omnes viros Religiosos; cùm textus in hac dispositione indistinctè loquatur de Religiosis, esto in præcedentibus loquutus fuerit solùm de Mendicantibus, contra quos alia de causa tulerat excommunicationem; non extendi tamen ad fœminas religiosas; cùm textus loqui videatur solùm de viris Religiosis; quippe quorum proprium est sermonem habere, & fidelibus aliqua suadere. ita Bonac. *supr. part.* 13. *n.* 10. cum Gloss. & Nauar. contra Tol. *supr. excom.* 10. putantem etiam fœminas religiosas subiacere isti censuræ, si istam Constitutionem transgrediantur.

202. Aduertit autem Filliuc, *tract.* 14. *num.* 147. istam excommunicationem extendi ad illos Religiosos, qui neglexerunt suadere confitentibus solutionem decimarum, &, negligentia non purgata, præsumpserunt prædicare; ad hoc tamen vt iis imputetur talis negligentia, requiri, vt admoneantur hac de re à Prælatis Ecclesiarum, & quod prædicent; vnde fit, vt, si præfatam negligentiam commiserint, sed non prædicent, nullatenus istam incurrant censuram. Imò addit Bonac. *n.* 12. cum Tab. Ledes. & Sayr. Religiosum in proposito casu prædicantem, non purgata contumacia, non incurrere istam excommunicationem, nisi habita commoditate eam purgandi omiserit purgare: aliàs minùs recta expositio desumitur ex textu: cum impossibilium non sit obligatio.

Qværes X. Quo casu Regulares incurrant excommunicationem in Clem. 1. *de consang. & affinit.* latam contra Religiosos matrimonium de facto contrahentes.

203. Respond. incurrere, si approbatam Religionem tacitè, aut expressè professi sint (quo modo etiam comprehenduntur Religiosi Soc. Iesu, qui vota biennij simplicia emiserunt) & matrimonium de facto contrahant: siue illud consumment, siue non, ius enim absolutè, & simpliciter sub ista censura prohibet contrahere matrimonium, quale sine dubio est etiam matrimonium non consummatum, vt patet. Et quidem quod Religiosi Soc. Iesu supradicti comprehendantur ista censura, constat ex eo quod licèt ij tunc non emittant solemnem professionem, per ea tamen vota simplicia fiunt veri Religiosi; vt constat ex bulla Greg. XIII. quæ habetur in Bullario Soc. *pag.* 219. & incipit. *Quantò fructuosius.* ita Bonac. *supr. quæst.* 2. *part.* 7. & alij, quos refert, & sequitur Filliuc. *num.* 144. qui tamen, cùm dicat solùm hanc sententiam esse veriorem, consequenter admittit etiam oppositam esse probabilem. Dixi, *& matrimonium de facto contrahant*: de iure enim non possunt contrahere; cùm matrimonium per professionem religiosam, imò & per vota simplicia Soc. Iesu fiat nullum; quamquam, cùm matrimonium ratum sit quid diuersum à sponsalibus: si contingeret Religiosum professum inire sponsalia cum aliqua fœmina, non ideo contraheret istam censuram; quippe quæ lata est contra contrahentes matrimonium, non autem contra contrahentes sponsalia: cùm tamen à diuersis non fiat illatio, præsertim in materia pœnali.

Qværes XI. In quibus casibus Regulares incurrant excommunicationem latam in Clem. 1. *de relig. domib.* contra Religiosos fouentes statum Beguinarum.

204. Respond. incurrere, siue eas admittant ad eum statum, siue eis dent auxilium, consilium, aut fauorem ad prædictum statum assumendum, vel certè ad persistendum in eo. ita Bonac. *supr. quæst.* 26. *num.* 1. patetque ex citata Clem. si solùm aduertero, quod, licèt ista censura extendatur ad omnes mulieres statum Beguinarum assumentes, aut assumptum sectantes: sub iis tamen non comprehenduntur Tertiariæ, Vrsulinæ, aliæque similes fœminæ, quæ viuunt sub regula tolerata; idque etiamsi fortè habitus illarum sit similis habitui, quo Beguinæ vtebantur; cuius verò conditionis fuerint Beguinæ, colligi potest abundè ex citata Clement.

Quod autem spectat ad excommunicationem in Extrauag. *Sancta Romana* Ioan. XXII. sub titulo *de relig. domibus*, latam contra profitentes fictam Religionem Fraticellorum, non est cur diutius in eius explicatione immoremur; cùm hodie falsi illi Religiosi non extent, & talis excommunicatio non extendatur vltra illos.

Qværes XII. Qui Regulares incurrant excommunicationem in *cap. vn. de excess. Prælat. in* 6. latam contra Religiosos recipientes nouas domos, vel iam receptas alienantes absque licentia Papæ, & quibus in casibus illam incurrant.

205. Respond. non incurrere, nisi Religiosos Mendicantes (de his quippe solùm loquitur textus, & quidem generaliter) requiri autem, & sufficere ad incurrendam istam excommunicationem, quòd præfati Religiosi vel recipiant noua loca ad habitandum (cum quo stat, vt possint ea acquirere causa recreationis, aut hospitij) vel mutent loca iam recepta, vel certè ea alienent absque licentia Papæ: & hoc, quantum est ex vi istius iuris: si enim attendantur priuilegia Regularium posteriora hoc iure, ij possunt sine licentia Papæ recipere noua loca; eò maximè quòd circa monasteria constructa post supradictam Clementinam non habent locum duæ vltimæ actiones hîc probibitæ; nimirùm transferendi, & alienandi; cum id statutum fuerit tantùm de domibus constructis vsque ad tempus Clementis V. aut Bonifacij VIII. non autem de posterioribus. ita Filliuc. *num.* 145. aliique penes Bonac. *supr. quæst.* 8. *p.* 2. qui benè notant vi istius prohibitionis non interdici Mendicantibus, quin possint domos antiquas reficere, imò & augere, nouasque loca acquirere causa recreationis, vel hospitij, vt iam dictum est.

Qværes XIII. Qui Regulares incurrant excommunicationem latam contra Religiosos sine debita licentia se transferentes ad alios Ordines, nec non contra eos admittentes.

206. Respond. in terminis quidem Leonis X. in bulla vnionis incurrere Fratres Reformatos transeuntes ad Fratres Conuentuales, aut recedentes ab obedientia suorum Superiorum, præterquam in casu, quo Capitulum prouinciale iudicaret esse minus

malum

malum aliquem Reformatum ad nondum Reformatos dimittere, quàm ipsum retinere inter Reformatos (hîc autem est sermo de Reformatis, & Conuentualibus S. Francisci:) in terminis verò Pauli III. Iulij III. & Sixti V. qui similes Constitutiones ediderunt, incurrere, tum Capucinos recipientes Fratres Minores de Obseru. siue Facultate Papæ, aut licentia in scriptis eorum Prouincialium Ministrorum: tum ipsosmet Fratres de Obseru. præsumentes transire absque præfata licentia ad Capucinos; in terminis denique Iulij II. in Bulla, quæ incipit, *Ex-ponis*, incurrere Fratres Minimos, qui sine licentia Papæ recipiunt, aut retinent Fratres Ordinis Minorum de Obseru. ita Bonac. *supr. q. 8. p. 3.* Filliuc. *n.* 150. & per se patet, præsertim attentis iis, quæ diximus *sect. praced.*

QVÆRES XIV. Qui Regulares incurrant excommunicationem in Clem. *ne in agro, de statu Monach.* latam contra Religiosos detinentes arma intra monasterium absque licentia Abbatis, quidquid requiratur ad eam incurrendam.

187. Respond. non incurrere, nisi Monachos nigros (de his enim solùm loquitur textus) ad eam verò incurrendam requiri, vt dicti Monachi sine Abbatis licentia, saltem tacita, præsumant detinere arma, siue offensiua, siue defensiua, quæ scilicet sint instrumenta per se instituta ad vsum bellicum, siue publicum, siue priuatum, (cuiusmodi sine dubio non sunt cultelli ad vsum domesticum seruientes, lapides, ligna, &c.) præsumant, inquam, detinere intra septa Monasterij, siue in cella, siue extra illam, dummodo sint intra totum illud spatium, extra quod non licet exire sine licentia Abbatis: patet responsio ex citata Clem. quæ ita habet: *Præfata quoque sententia* (id est, excommunicationis latæ sententiæ) *Monachos intra septa Monasteriorum sine licentia Abbatum suorum arma tenentes decernimus subiacere*; vbi notat Suar. *supr. sect. 5. num. 8.* istam censuram non extendi ad Monachos arma detinentes modo dicto, si id faciant in iustam defensionem, quod est verissimum. Dixi *præsumant detinere*, vt indicarem ad incurrendam istam censuram requiri præsumptionem: cùm enim hîc dicatur *præfata sententia*, subintelligitur verbum *præsumpserint*, in eodem textu superiùs positum, vnde fit, vt detinens arma in Monasterio bona fide, vera, aut saltem putata nullo modo incurrat istam censuram. Et quidem quod hæc excommunicatio liget solùm Monachos nigros, docent Suar. *supr. n. 8.* & Filliuc. *tr. 14. n. 142.* at dissentiunt Sylu. Tolet. & Sayr. quos citat, & sequitur Bonac. *supr. p. 16. n. 6.* dicens hanc excommunicationem afficere omnes Monachos: cùm textus generaliter loquatur de Monachis, & lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi.

188. Addit Nald. *v. Relig. n. 50.* ex decr. S. Congreg. edito 1614. omnes Religiosos in statu Mediolanensi degentes prohiberi habere in Ecclesiis, aut Monasteriis arma cuiusuis generis prohibita; præsertim sclopos rotatos, tam longiores, quàm breuiores: idque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam S. Congreg. sibi reseruauit, ac insuper priuationis officiorum, & dignitatum, ac beneficiorum, ac inhabilitatis ad quæcumque officia imposterum obtinenda ipso facto absque vlla declaratione incurrenda: sic quippe habet Decret. S. Congreg. quod refert ipse Nald. *loc. cit.* ad cuius intelligentiam solùm aduerto in eo haberi verbum, *audeat, vel præsumat*, ac proinde ad incurrendas istas pœnas requiri præsumptionem; ipsumque non obligare extra statum Mediolanensem.

QVÆRES XV. Qualiter Regulares incurrant excommunicationem latam *in cap. Cler. ne cler. vel monachi*, contra Sacerdotes habentes officium Vicecomitis, aut alterius Præpositi sæcularis.

189. Respond. tunc demùm incurrere, quando Sacerdotio initiati assumunt huiusmodi officia sæcularia, & commoniti (intellige à proprio Prælato regulari) ea à se non abdicant. Colligitur ex *citato cap. Cler.* & inter excommunicationes latas contra Religiosos refertur à Premulo *in catalogo excomm. cap. 3. n. 15.* Dixi, *& commoniti*: in textu siquidem ad incurrendam istam excommunicationem requiritur & præsumptio, & præuia commonitio; vt patet ex illis verbis: *Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi subiaceat*, vt aduertit Suar. *supr. sect. 3. n. 21.* addens, quòd, licèt in priori parte textus sit sermo tantùm de Clericis constitutis in sacris, in posteriori tamen restringitur ad Sacerdotes his verbis: *Iubemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos officium habeat Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis*, vnde cùm ius loquatur generaliter de quocumque Sacerdote, & sub ista vniuersalitate veniant etiam religiosi Sacerdotes, mirum non est illos comprehendi sub ista excommunicatione.

190. Is autem dicitur suscipere officium Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis, qui vices Regis, aut alterius Principis sæcularis iurisdictione temporali sustinet: ex quo fit, vt non subiaceat isti censuræ Religiosus, qui nomine proprio, aut principis Ecclesiastici suscipit eiusmodi officium, eo quòd, v.g. temporalis iurisdictio ipsi competat ratione patrimonij, aut beneficij, aut alio simili titulo. ita Bonac. *supr. D. 2. q. 5. p. 5. n. 2.* addens *n. 4.* sub præsenti censura nequaquam prohiberi Religioso suscipere munus Consiliarij apud Principem sæcularem, dummodo tale munus non exerceat in causa sanguinis proximè, & in particulari: sic enim incurreret irregularitatem, vt infrà.

QVÆRES XVI. In quibus casibus Regulares incurrant excommunicationem latam in Extrauag. *Ambitiosæ, de reb. eccl. non alien.* contra alienantes bona ecclesiastica.

191. Respond. incurrere in iis omnibus casibus, in quibus interuenit vera alienatio bonorum ecclesiasticorum: & hoc iuxta dicta in *tract. de prohibitionibus cap. 8. quæst. 3.*

QVÆRES XVII. Quid requiratur ad hoc vt Regulares incurrant excommunicationem latam à Pio V. in Constit. 48. quæ incipit *de salute gregis*, contra interessentes agitationi taurorum, & ferarum.

212. Respond. requiri, vt tanquàm spectatores ex proposito intersint eiusmodi agitationi, & quod agitatio sit talis conditionis, vt inde mors, vulnera, & alia damna id genus frequenter oriri soleant. Vnde sequitur, quod si agitatio fiat cum ea circumspectione, vt probabiliter credatur grauia damna personalia inde non secutura, aut certè Religiosus intersit agitationi modo dicto periculosæ, sed obiter (v. g. occasione itineris, aut è loco ita distanti, vt, moraliter loquendo, non censeatur interesse) non incurrit istam excommunicationem. ita Auila. *part. 2. de censur. cap. 5. D. 1. disp. 4.* quod tamen negat Bonac. *supr. quæst. 5. part. 7. num. 5.* (& probabilius) quoad hunc vltimum casum. patet autem responsio ex verbis citatæ Constit. Pij V. quæ ita habent: *Clericis quoque tam regularibus, quam sæcularibus ecclesiastica beneficia obtinentibus, vel in sacris Ordinibus constitutis sub excommunicationis pœna, ne eisdem spectaculis intersint, similiter prohibemus.* Circa quæ verba notet Bonac.

Bonac, *num.*7. Religiosos professos, etiam nondum initiatos prima tonsura, aut ordinibus minoribus subiacere isti censuræ; non obstante, quod Pius V. in citata Constitut.loquatur de Clericis, tam regularibus, quàm sæcularibus habentibus beneficia, vel constitutis in sacris: si quidem, vt notat Petr.Nau. *lib.*2.*de restitut. cap.*3.*n.*307. conditio beneficij, aut Ordinis sacri refertur solùm ad Clericos sæculares, vt patet ex ipso verborum contextu *Cler.quoque*,&c.

213. Nouitij certè non comprehenduntur sub huiusmodi prohibitione; quippe qui in odiosis non veniunt nomine Religiosorum: quin etiam aliqui putant sub ea nec comprehendi Moniales; cum eæ non sint Clerici sæculares, aut regulares, de quibus illa loquitur: sed de hoc alibi. putat item Bonac.*num.*8. & 9.sub ea non includi laicos Religiosos Ordinum Militarium; quippe qui à Gregorio XIII.in bulla moderatoria allegatæ Constitut. Pij V.excepti sunt, modò in sacris non existant: quod non habet locum in Religiosis Clericis Conuentualibus eorumdem Ordinum Militarium; vt pote qui sunt verè Religiosi,& modo dicto non excipiuntur à Gregor.XIII.

214. Controuersia est inter DD. vtrum excommunicatio, de qua hîc agimus, sit latæ sententiæ, an ferenda: Filliuc.enim *tract.*14.*num.*123. & alij putant esse latæ sententiæ, ea ducti ratione, quòd, cùm Pius V.istam excommunicationem ipso facto tulisset contra principes, magistratus, ac gubernatores agitationem taurorum permittentes, eamdem excommunicationem extendit ad Clericos interessentes &c.Bonac.verò *num.*3.cum Auila,Gutier.Rodriq.& aliis censet illam excommunicationem esse solùm ferendam; probatque,tum, quia versamur in materia pœnali, quæ debet restringi iuxta propriam verborum significationem; cum tamen verba Extrauagantis Pij V. non videantur importare censuram latæ sententiæ, sed ferendam; vt patet ex ea clausula *sub pœna excommunicationis*,quæ iuxta DD.importat censuram ferendam. vtraque opinio videtur probabilis: posterior tamen est magis pia, magisque accommodata humanæ fragilitati, eamque puto posse in praxi sustineri, tanquam tutam.

QVÆRES XVIII. Quomodo Regulares incurrant excommunicationem istam contra Religiosos dantes, aut impetrantes officia Ordinis per fauorem,ac intercessionem personarum sæcularium.

215. Respond. incurrere eo modo, quo dicimus in *tract.præced.cap.*13. *quæst.*45. vbi præsentem excommunicationem paulo latiùs exposuimus.

QVÆRES XIX. Qui Regulares incurrant excommunicationem in Extrauag. *de treug.& pace*, latam contra Religiosos, & Parochos non seruantes pacem inter se factam.

216. Respond.non incurrere, nisi Religiosos Mendicantes in Germania degentes, & maximè in oppido Eslingensi, tam Dominicanos,Minores, & Carmelitas (quorum occasione edita est præfata Extrauagans) quàm alios omnes Mendicantes, qui tales posteà declarati sunt auctoritate Apostolica, & degunt in Germaniæ partibus; dicta enim Extrauag. loquitur generaliter de Mendicantibus, ideóque extenditur ad omnes Mendicantes, siue tunc præsentes,siue posteà futuros; cùm lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi. Cæterùm materia istius communicationis respectu Mendicantium comprehendit sex actiones ipsis prohibitas, ac expressas in relata Constitut. respectu verò Parochorum alias 4. actiones ipsis item prohibitas ac expressas in eadem Constitut.quæ cum sint ex se satis claræ, non egent fusiori explicatione.

Moneo solùm, quod quamuis ista excommunicatio recenseatur inter non reseruatas; verè tamen dici potest reseruata,quatenus ante præstitam satisfactionem, ac consensum partis læsæ ea non potest auferri ab inferiore Papa; sic quippe statuitur in relata Extrauag,his verbis, *à qua absolui nequeant, nisi de consensu expresso partis læsæ, & debita satisfactione præuia.* ita Bonac *supr.quæst.*9. *part.*15. *n.*4. qui tamen iuxta doctrinam à se traditam *D.*1. *de censur. in gen. quæst.*3.*part.*9.*num.*3.ex Auila,Sanchez, & aliis diceret, absolutionem istius excommunicationis collatam ab inferiori, non præmissa debita satisfactione, & non habito consensu partis læsæ, fore illicitam, non tamen nullam, ac inualidam. 217.

QVÆRES XX. Quo iure Regulares incurrant excommunicationem deferendo habitum proprium Fratrum Capuccinorum.

Respond. incurrere ex Constitut. Gregorij XV. quæ est 15.in ordine, & fuit confirmatio, ac innouatio Constitutionum Gregor.XIII.& Gregor.XIV. de hac eadem re editarum,vt constat ex eius tenore. Vnum hîc moneo ad incurrendam istam excommunicationem requiri præsumptionem;cum in allegata Constitutione adhibeatur verbum,*præsumeret*, adeóque bonam fidem, ignorantiam, ac inaduertentiam excusare ab illa incurrenda. 218.

QVÆRES XXI. Quo iure incurrant Regulares excommunicationem impediendo alios Religiosos accedentes ad missiones Iaponicas, & aliarumindiarum Orientalium, aut etiam ibi mercaturam exercendo.

Respond.incurrere ex Const. Vrb.VIII.in ordine 126. siue impediant Religiosos eiusdem Ordinis, siue alterius: siquidem Constitutio loquitur generaliter ac indefinitè de Religiosis destinandis ad dictas Missiones: lex autem generaliter loquens generaliter debet intelligi. Quamquam, cum *impedire* significet actionem, qua quis alteri obstat, ne aliquid faciat, ad incurrendam istam excommunicationem videtur requiri aliqua actio positiua, per quam impediatur accessus; siue id fiat per vim, siue per metum, siue aliter iniustè; ad quod tamen non videtur sufficere, quod quis mandet, aut consulat: Idque ob doctrinam Bonac.*D.*1.*de censur.in part.quæst.*9.*part.*1.*n.*21. 219.

Quod verò spectat ad Religiosos mercaturam in dictis missionibus exercentes; ex eadem Constitut. Vrbani VIII eamdem incurrunt excommunicationem vnà cum priuatione vocis actiuæ,& passiuæ, nec non officiorum, graduum, ac dignitatum quarumcumque, etiam inhabilitatis ad ea, & insuper amissionis mercium, ac lucrorum ex eis factorum: quamcumque mercaturam,seu negotiationem exerceant, siue per se, siue per alios, siue proprio, siue communitatis nomine, siue directè, siue indirectè, aut alio quouis prætextu, causa,aut colore; & quidē meritò, cùm maxima turpitudo sit proficiscentes ad lucra animarum adeò temporalibus lucris inhiare; cum potiùs illud Genes 14 vsurpare deberent, *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* 220.

QVÆRES XXII. Quomodo Regulares incurrant excommunicationem non faciendo professionem solemnem trium votorum religiosorum post absolutum nouitiatum, & quo iure.

Respond. incurrere ex Pij V. Constitut.76. in ordine, & quidem eo modo,quo dicemus infra *cap.*6. *sect.*2.*quæst.*18. 221.

QVÆRES XXIII. Quo iure Regulares incurrant excommunicationem non notificando suis subditis reuocationem viuæ vocis oraculorum factam ab Vrbano VIII.

Respond.

222. Respond. incurrere, si sint Prælati: & hoc ex Constit. Vrb. VIII. in ordine 119. de qua inferiùs *cap. 6. sect. 2. quæst. 6.*

Qværes XXIV. Quid requiratur ab hoc vt Regulares incurrant excommunicationem latam in *cap. sciant cuncti de elect. in 6.*

223. Respond. Requiri, vt per se, aut per alios præsumat vexare alios Religiosos Ordinis, eo quod rogati, aut inducti eum, pro quo rogabantur, vel inducebantur, eligere noluerunt; sic enim apertè colligitur ex iure citato, in quo puto sermonem esse, non de quacumque electione, sed solùm de electione Prælati regularis: idque colligo ex Glossa ibi, quatenus ait *nota 1. ex hoc quod vota debentium eligere Prælatum, debent esse libera*; quod est signum textum loqui de electione Prælatorum, siue Generalis, siue Prouincialis, siue etiam Localis: cùm isti omnes sint Prælati Ordinis, adeóque procedat iuris regula. *Vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus.* non puto tamen istam excommunicationem extendi ad illos Religiosos, qui vexarent modo dicto Religiosos alterius Ordinis occasione eligendi proprium Prælatum; nam textus prohibens vexationem passiuam Electorum loquitur de iis, ad quos in aliquibus ecclesiis, monasteriis, aut aliis locis piis spectat electio: cuiusmodi vtique non sunt Religiosi, de quibus hîc.

Qværes XXV. In quibus casibus incurrant Regulares excommunicationem latam in 25. Constitut. Vrbani VIII. contra recipientes, erigentes, fundantes, seu incœpta finientes noua monasteria.

224. Respond. incurrere, & quidem cum aliis pœnis referendis infra *cap. 6. sect. 2. num.* 43. si audeant, seu præsumant prætextu licentiarum, ac facultatum reuocatarum, non seruata debita forma, fondare, recipere, erigere, seu aliàs quomodolibet instituere, seu incœpta finire, & absoluere noua monasteria, domos, & alia loca regularia.

Qværes XXVI. Quam excommunicationem Regulares incurrant recipiendo de bonis Nouitij ante ipsius professionem.

225. Respond. incurrere excommunicationem latam in Conc. Trid. *sect. 25. de Regul. cap.* 16. & à nobis explicatam in *tract. de nouitiatu cap. 6. quæst. 7.*

Qværes XXVII. Quam excommunicationem contrahant Regulares, si puellam cogant ad ingressum Religionis, aut certè illam ab ea auertant.

226. Respond. Contrahere excommunicationem latam item in Conc. Trid. *supr. cap.* 18. his verbis, *Anathemati S. Synodus subijcit omnes, & singulas personas cuiuscumque qualitatis, &c. si quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint: quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actus, vel præsentiam, vel authoritatem interposuerint.* Simili quoq; anathemati subiicie eos, qui sanctam virginum, aut mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo, siue iusta causa impedierint, sed de hoc plura in nostro *tract. de Monialib. cap. 2. sect. 1. quæst.* 18. *&* 19. *& cap. 5. sect. 4. q.* 12. interim qui vult, videat Bonac. *de censur. in part. D. 2. quæst. 2. part.* & Dianam *part. 3. tract. 15. res. 56.*

Qværes XXVIII. In quibus casibus Regulares subiaceant excommunicationi latæ a Pio V. in sua Constit. 71. contra impedientes præcedentiam Fratribus Dominicanis.

Respond. Subiacere, si sint ex Ordine Mendican- 227.
tium, & audeant, vel præsumant molestare, inquietare, perturbare, aut quoquo modo impedire, quo minùs præcedentiam habeant inter Religiosos quorumcumque aliorum Ordinum Mendicantium, tam in sessionibus, & congregationibus quorumcumque generalium, prouincialium, synodalium Conciliorum, quàm processionibus, ministeriis, & aliis actibus publicis, vel priuatis, in quibuscunque ciuitatibus, oppidis, terris, castris, & aliis locis: idque, etsi ibi ecclesias, domos, aut conuentus nuo habuerint, seu habeant, aut aliorum Ordinum mendicantium Fratres, & Religiosi in eisdem ciuitatibus, & locis antiquiores pro tempore, eorumque ecclesiæ, capellæ, domus, & loca regularia ibi primò instituta, & fundata fuerint, eosdemue Fratres Prædicatores adhuc etiam per 100. annorum, aut diuturniùs, vel aliàs quantumuis longè magis immomotabile tempus præcedere consueuerint, habetur expresse in citata Constitut. nec indiget vlteriori explicatione.

Qværes XXIX. Quo iure incurrant excommunicationem indebitè alienãdo loca, aut bona iurisdictionalia pertinentia ad ipsorum monasteria.

Respond. incurrere ex Constitut. Vrbani VIII. à 228.
nobis relata in *tract. de prohibit. cap. 8. quæst. 8 §. porro,* quæ incipit *humanæ salutis*: & quidem cum aliis pœnis proponendis *infra cap. 6. num.* 48.

Qværes XXX. Quo iure Regulares incurrant excommunicationem, si missi ad Indias in itinere immorentur, vel ad loca eis non destinata declinent.

Respond. incurrere ex Constitut. 56. Pauli V. id- 229.
que quouis prætextu id faciant sine licentia Superioris, & cessante legitimo impedimento. Quamquàm, si aliquantulum diuertant, probabile sit eos non affici hac excommunicatione ob doctrinam datam in *tract. de Monial. cap. 5. num.* 55. ex Sanch. *lib. 6. cap. 15. num. 61.*

Qværes XXX. Quam excommunicationem incurrant, si libros edant non recognitos à suis Superioribus, & non obtenta eorum licentia.

Respond. incurrere excommunicationem latam 230.
in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 10. & à nobis explicatam in *tract. 6. cap. 4. num.* 4 non tamen reseruatam. pro cuius intelligentia suppositis iis, quæ diximus *citato cap.* 4. hîc solùm aliqua breuiter aduertenda sunt.

Aduerto ergò 1. ex Cast. Palao *D. 3. de censur. p. 36. num.* 1. nomine libri venire tantùm scripturam tantæ magnitudinis, qua secundùm communem, ac frequentem vsum liber vocetur. Vnde fit, si post approbationem addas aliquas annotationes, & glossas insufficientes ad librum constituendum, non incurri hanc excommunicationem, imò nec peccari mortaliter, seclusa malitia; vt colligitur ex Suarez *D.* 23. *de censur. sect. 7. num.* 3. Filliuc. *tract. 14. cap. 6. quæst.* 2. Bonac. *de censur. in part. D. 2. quæst. 2. part.* 16.

Aduerto secundò quòd, cùm principio libri apponi debeant nomen Authoris, & licentia Superioris, seu Ordinarij; si Author, seu compositor libri sub nomine alterius imprimi faciat librum: probabile est satisfieri decreto Concilij Lateranensis: licet enim ipse non fuerit libri author, & compositor; eo ipso tamen, quo sub eius nomine imprimitur, & euulgatur, constituitur Author illius; ve aduertit Bonac. *sup. n. 9.* intellige, si nomen sit verum, non fictitium (inquit Castr. Pal.) veramque personã repræsentet, cui liber possit aptari: aliàs, si sub nomine ficto liber ederetur, liquet sine nomine Authoris edi: nomen enim Authoris, quod in præsenti

ei exigitur, est nomen Authoris, qui requisitus rationem reddere possit de contentis in libro: quod persona ficta nequit præstare. Ita Castrus Palaus, & ante illum Bonac. *supr.* qui tamen concedit (quod nos etiam admisimus in citato *cap. 4. num. 26.*) non videri improbabile apponi posse nomen alterius in ius compositoris succedentis: vt si quis titulo donationis librum alicuius acquirat, eumque suo nomine imprimi faciat: nam hic succedit in ius Compositoris, sicque vti potest iure illius: prætetquam quod, esto hic, strictè loquendo, non sit Author compositionis, est tamen Author impressionis; & alioqui Concilium non distinguit de Authore compositionis, aut impressionis, ideóque videtur mens illius impleri, si ponatur nomen illius, qui eum librum imprimi curauit: at hæc ratio eludi potest facile ex dictis à Castro Palao; sicque ipse Bonacina cautè subiungit hoc intelligendum esse, præcisis aliis circumstantiis: nam aliunde fieri potest incurri culpam: vt si liber aliqua contineat contra bonos mores, & is, cui liber inscribitur, in iis sit locis, in quibus ad reddendam prauitatis rationem cogi nequeat; tunc enim mens Concilij videtur violari. Vnde opinio Bonacinæ probaretur meliùs; tum ex praxi, ac consuetudine non ignorata à Superioribus, & tolerata, quòd libri edantur sub nomine alieno, imò interdum sub nomine ficto: tum, quia in isto casu potest militare doctrina, quòd cessante fine legis in particulari, cessat lex: tum, quia decretum Concilij, quoad hanc partem, vel non fuit admissum, vel est abrogatum.

Aduerto tertiò, ex Castro Palao decretum Concilij Lateranensis in Vrbe obseruari, extra Vrbem verò videri solùm vigere dispositionem Concilij Tridentini factam de hoc *sess. 4. decreto de reformat.* quod etiam docent Tolet. *l. 1. cap. 41. n. 1.* Nauar. *c. 27. n. 148.* cùm rarò, vel nunquam ab Inquisitoribus approbatio requiratur librorum: hoc tamen in Italia non videtur subsistere; vt constat ex praxi quotidiana, de qua certè potuit constare Toleto, & Nauarro: quare non video, quo fundamento id dicant; nisi quis dicat, ipsis viuentibus, id non fuisse in vsu; quod tamen spectat ad quæstionem facti.

Quòd si hac occasione obiter quæras, an habens priuilegium retinendi libros prohibitos, eosque legendi possit mittere ad alium, quoad hoc pariter priuilegiatum librum prohibitum per hominem carentem tali priuilegio ad alium locum distantem.

Respond. non posse, nisi excuset paruitas materiæ respectu temporis (vt si infra vnam, aut alteram diem deferens librum sit peruenturus ad illum alium locum, ibique traditurus librum ei, ad quem mittitur) idque ex doctrina Sanch. *l. 2. mor. cap. 10. n. 55.* Sayr. *l. 3. de censur. cap. 5. n. 16.* & Castri Palai pro se citantis *D. 2. tract. 4 p. 10. §. 2. n. 11.* Duardum, Reginaldum, Bonacinam, & Farinacium: qui putant absque periculo censuræ posse retineri librum prohibitum ad vnam, vel alteram diem, etsi illa possit tradi Inquisitori: alioqui incurreretur censura, cùm sic verè retineretur liber prohibitus: posset etiam facere pro responsione doctrina illa, quòd cessante fine legis in particulari cessat lex; ita doctissimus magister consultus.

QVÆRES XXXII. An, & quam excommunicationem incurrant Regulares, si è communi bibliotheca Libros extrahant, aut extrahi permittant.

231. Respond. incurrere illam, quæ in Breui pontificio, quod ipsi Regulares procurauerint ad conseruationem propriæ bibliothecæ fertur: cuius Breuis tenor esse solet similis: *Conseruationi, & manutentioni bibliothecæ domus Fratrum Ordinis N. Ciuitatis N. quantum cum Domino possumus consulere volentes, &c. ne de cætero quisquam cuiusuis authoritate fungens quosuis Libros, quinterna, folia, siue manuscripta, siue impressa dictæ Bibliothecæ hactenus quomodolibet donata, & assignata, seu in futurum donanda & assignanda è dicta domo extrahere, seu vt extrahantur permittere sub quouis quæsito prætextu, colore, vel ingenio audeat, seu præsumat sub excommunicationis, ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis Apostolica authoritate, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus: permittimus tamen fratribus dicti Ordinis Prædicatoribus, vt ipsi libros, quinterna, & folia huiusmodi è dicta domo cum prædicare debebunt, extrahere possint, dummodo cum illis vsi fuerint, illos ad dictam bibliothecam sub pœnis prædictis referant.* Pro cuius excommunicationis intelligentia in gratiam illorum Religiosorum, qui similia Breuia procurant, aliqua placet notare..

Noto ergo primò, sub hac excommunicatione comprehendi quoscumque tam sæculares, quàm Regulares siue Ordinis, in cuius fauorem obtinetur Breue, siue alterius, qui extrahant libros, aut extrahi permittant è bibliotheca: vt colligitur ex verbo illo, *quisquam*, quod cùm sit vniuersale, comprehendit quascumque personas modo dicto.

Noto secundò, nomine *permittentium extrahi* venire solum permittentes, cum ex officio teneantur, & possint impedire sine notabili incommodo: quo pacto etiam Sanch. *l. 6. mor. cap. 16 n. 87.* in simili interpretatur verbum *permittere*, dicens, cum hi ex officio teneantur prohibere, & commodè possint, vt supponitur, censeri non prohibendo indirectè cooperari, ideóque talem permissionem iure optimo puniri. Quod si roges, qui teneantur impedire extractionem dictam librorum; dico ex eodem Sanch. *num. 93.* hos esse Prælatos Monasteriorum, & præfectos bibliothecæ.

Noto tertiò, non affici hac excommunicatione illum, qui extrahit è monasterio libros communi bibliothecæ nondum incorporatos: cum verba illa Breuis *è dicta domo extrahere*, sumi debeant, non de monasterio, vt sic, sed de monasterio, prout continente bibliothecam, adeóque de ipsa bibliotheca, formaliter loquendo: ad quod vtique requiritur librorum incorporatio: quæ in hoc consistit, quòd libri authoritate Superioris deputentur ad vsum, non huius, aut illius particularis Religiosi, sed ad vsum communem monasterij.

Noto quartò, extrahentem è monasterio libros deputatos ad vsum particularium Religiosorum non affici ista excommunicatione; etsi alias videantur verificari verba illa Breuis *e dicta domo extrahere:* nam, vt modò diximus, per *domum* intelligitur bibliotheca, & ad incurrendam hanc censuram requiritur, vt liber, qui extrahitur, sit ipsi bibliothecæ incorporatus, & liber extractus deferatur extra monasterium: quæ non verificantur in præsenti casu, ideóque negamus in eo censuram incurri.

Noto quintò, non effugi istam excommunicationem, si Superior monasterij libros Bibliothecæ incorporatos posteà deputet ad vsum alicuius Religiosi particularis, vt sic eos possit dare amico extra monasterium pro aliquo tempore legendos: alioqui frustratorium esset hoc Breue; cùm, occurrente casu, posset Superior facere dictam deputationem, & posteà libros commodare extra monasterium; cum quo stat, quod Superior ad annos possit Fratribus libros Bibliothecæ concedere: ita tamen, vt è monasterio extrahi non possint, durante

adhuc

adhuc antiqua applicatione librorum facta Bibiliothecæ.

Noto sextò, subiici huic excommunicationi illum, qui librum ab alio extractum è bibliotheca defert extra Conuentum (etsi primo aspectu oppositum dicendum videatur ex eo, quod deferens librum extra monasterium verè non extrahit è bibliotheca in præsenti casu; qood tamen requiritur ad incurrẽdam istam excommunicationem: & ratio est, quod iuxta dicta superiùs, nomine domus, seu monasterij hîc intelligitur monasterium, prout continens bibliothecam, sicque deferens librum ab alio extractum è bibliotheca, cùm ipsi esset incorporatus, verè extrahit librum è domo continente bibliothecam; &, cùm de eo verificentur verba Breuis, incurrit censuram. E contra illam non incurret, qui librum extrahit è bibliotheca, sed non defert extra monasterium (quippe quo intendit vti intra monasterium:) sic enim non verificatur, quod librum bibliothecæ incorporatum deferat extra domum: quod in Breui requiritur ad incurrendam censuram. Vnde vlteriùs infero non affici hac censura Religiosum monasterij, qui extrahit libros è bibliotheca, sed iis vritur intra monasterium: & hoc tum ob rationem modò allatam: tum quia, cui conceditur, quod est plus, conceditur, & quod minus est: ac proinde, cum Breue Religiosis Monasterij concedat, vt prædicaturi extra Conuentum extrahant libros è domo: à fortiori concedit, vt ad similem finem illos extrahant è bibliotheca illis vsuri intra Conuentum: quod est minus, vt patet.

Noto septimò, quòd, si extrahantur è bibliotheca libri iam incorporati, facta eorum permutatione in alios libros vtiliores (vt si libri Medicinæ, aut iuris ciuilis permutentur cum concionatoriis, aut Theologicis) quod putat Diana *part. 1. tract. 8. resolut. 77.* aliis citatis, esse licitum) & posteriores libri incorporentur bibliothecæ: probabile videtur ex librorum priorum, qui permutati sunt, extractione, non incurri hanc excommunicationem: cum subrogatum sapiat naturam eius, cui subrogatur, & fictione iuris censeatur non facta extractio hoc ipso, quod loco librorum extractorum bibliothecæ incorporati sunt totidem alij libri longè vtiliores, vt supponimus. Oppositum tamen dicent ij, qui ex Praxi Neapolitana *cap. 60. n. 3.* dicunt bibliothecam, cum sit mobile pretiosum, quod seruando seruari potest, alienari non posse neque via permutationis, siue in totum, siue in partem: etsi Praxis in specie loquatur de alienatione modicæ partis magni prædij Ecclesiæ.

Noto octauò, hanc excommunicationem incurri, si liber extrahatur solùm ad duos dies: cùm ea imposita sit propter extractionem à monasterio, & extractio sit res, quæ constitit in indiuisibili (non secùs ac ingressus in monasterium, ac egressus ex illo) non autem ob retentionem libri extra monasterium: que vtique est res admittens latitudinem, & consequenter paruitatem materiæ excusantem à censura: quod non procedit de extractione, vt consideranti patebit.

Noto nonò, quoad libros, qui extrahantur à bibliotheca, dari paruitatem materiæ excusantem à censura. Vnde Cherubinus *in Comp. bullarij tom. 2. bulla 803. Clementis VIII.* ponens bullam similem Breui hic allato in *scholio 1.* ait illam ligare, nisi illa modica res allatura sit maximum preiudicium, quæréntsq; in *schol. 2.* modica res, quæ dicatur, respondet id iudicandum arbitrio boni viri, qui personarum, ac rerum qualitate pensata, id arbitretur; adducitque pro se Glossam, & quinque Doctores. Cùm autem Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 3. de reform.* statuat huiusmodi excommunicationes debere ferri solùm ob rem non vulgarem; & Lessius *lib. 2. cap. 12. num. 31.* hinc dicat: *Non facilè excusauerim eos, qui pro 3. aut 4. florenis excommunicant*, constat iudicio Lessij paruitatem materiæ in nostro casu dari in libris non excedentibus valorem 3. aut 4. florenorum, & quidem grandiorum.

Noto decimò, subesse huic excommunicationi illum, qui successiuè extrahit alios, & alios libros, salua tamen singulis vicibus paruitate materiæ, si perueniat ad materiam notabilem: idque etsi singulis vicibus non habeat intentionem continuandi illas extractiones. Ducor, quod ad incurrendam hanc censuram non requiritur talis intentio, sed sufficit præuisio notabilis damni; cùm sic obiectum ex continuatione materiæ euadat mortale, & de tali obiecto constet Ecclesiæ, dabitur sufficiens materia ad incurrendam hanc censuram; vt colligitur ex Lessio *supr. d. 8.* Secus dicendum, si successiuè extrahat libros, salua singulis vicibus paruitate materiæ, sed pluries id faciat; ita tamen vt non extrahat librum posteriorem, nisi priorem antea extractum bibliothecæ restituat: idque etsi intentionem habeat continuandi talem extractionem. Moueor, quòd sic adest semper materiæ paruitas excusans à censura; & & alioqui intentio continuandi modo dicto extractionem impertinenter se habeat ad illam censuram incurrendam, vt iam ostensum est.

Noto vndecimò, non incurri censuram hanc, si librorum extractio fiat, siue ad excutiendum puluerem, siue ad eorum compaginationem reficiendam: hæc enim non est extractio, quæ prohibetur in Breui, vt colligitur ex fine, qui in eo intenditur, & est conseruatio bibliothecæ, & innuitur iis verbis: *Conseruationi, & manutentioni bibliothecæ:* ad quem finem multum confert librorum extractio facta in casibus his propositis, aliísque similibus, qui proinde non censentur prohibiti ex *regula 61. de regulis iuris in 6.*

Noto duodecimò, Religiosum Ordinis, qui extra monasterium prædicaturus est, posse libros communis bibliothecæ secum deferre, vt iis vtatur: si autem rediens ad monasterium non referat, subesse huic censuræ: cum in Breui concedatur delatio librorum cum hac conditione: *Dummodo, cum illis vsi fuerint illa ad dictam bibliothecam sub pœnis prædictis referant:* quamuis retentio librorum extra bibliothecam, cum sit res diuisibilis, patiatur paruitatem materiæ, quæ saluatur in spatio 2. dierum, teste Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 55.* quoad retentionem libri prohibiti.

Noto decimotertiò, Religiosum concionantem extra Conuentum, si ad gratificandum amico cupienti videre aliquos libros, statuat illis vti ad breue tempus, principaliter intendens eos commodare amico ad totum illud tempus, quo ipse concionabitur, effugere censuram istam: cum verè extrahat ad vsum proprium, subordinando tamen hunc finem alteri fini; sicque vtens iure suo non possit dici contrauenire præsenti prohibitioni.

Noto decimoquartò, Religiosum in casibus proximè propositis extrahentem libros nõ subiici huic censuræ, si libros extractos non remittat ad bibliothecam statim ac iis vsus est, sed posse differre eorum delationem ad Conuentum, vsque dum ipse finitis concionibus redit ad ipsum Conuentum: dum enim durant conciones, censetur durare vsus librorum commodatorum Concionatori: præterquam

quod in Breui hoc ipſum indicatur, *dummodo cum illis vſi fuerint, illa ad dictam bibliothecam ſub pœnis prædictis referant*: vbi verbum *referant*, innuit ipſum Religioſum debere referre; adeóque cum non ſedeat ad Conuentum, niſi finitis concionibus, poſſe differre vſque dum, abſoluta prædicatione, redeat: aliàs Breue diceret, *ſub pœnis prædictis remittat*: quod præſtari poſſet per alium.

Capvt III.

De Suſpenſionibus latis contra Regulares.

Explicabimvs in hoc cap. Suſpenſiones latas contra Regulares, præmiſſis tamen iis, quæ magis neceſſaria ſunt ad cognoſcendam naturam, & qualitates ſuſpenſionis in communi: ſicque caput diuidemus in 4. ſectiones, in quarum 1. agemus de Suſpenſione in genere: in 2. de Suſpenſionibus latis contra Regulares, ac reſeruatis: in 3. de Suſpenſionibus non reſeruatis: in 4. de Depoſitione, ac Degradatione valde affini cum ſuſpenſione.

Sectio I.

De Suſpenſione in communi.

1 *Declaratur, quid ſit ſuſpenſio Eccleſiaſtica.*
2 *Ea eſt varia, ac multiplex.*
3 *Ferri poteſt à Papa, Concilio generali, & à Prælato regulari contra Religioſos, & non ab alijs, regulariter loquendo.*
4 *Ferri poteſt à Prælato regulari contra omnes Religioſos reſpectiuè ſubditos.*
5 *Epiſcopi ſiue Regulares, ſiue ſæculares non ſubſunt ſuſpenſionibus generaliter latis à Papa.*
6 *Suſpendi poteſt totus Conuentus, etiam vt talis.*
7 *Suſpenſionem præcedere debet monitio, ſed nõ ſemper.*
8 *Suſpenſio ferri poteſt abſque ſcriptura, at non ſine verbis.*
9 *Si ſub forma diſiunctiua feratur, tenet: quod negat Caſtrus Palaus.*
10 *Item tenet, ſi feratur his verbis,* Sis ſuſpenſus.
11 *Suſpenſus denunciari debet, vt vitetur.*
12 *Vitandus verò quilibet, in quo eſt ſuſpenſus, non tamen de iure naturali.*
13 *Suſpenſio grauis ſupponit culpam mortalem.*
14 *Non incurritur ex culpa aliena, propriè loquendo: quod alij negant.*
15 *Excipe, niſi feratur contra totam aliquam Communitatem.*
16 *Incurritur ob culpam præteritam, & quidem varijs modis.*
17 *Si feratur in medicinam, ſupponit culpam futuram.*
18 *Varij ſunt effectus ſuſpenſionis iuxta eius varietatem.*
19 *Suſpenſus ab ordine inferiori non ſuſpenditur etiam ab ordine ſuperiori.*
20 *Suſpenſio ab officio varios gignit effectus: at non priuat voce in capitulo.*
21 *Suſpenſio ab Ordine varios item parit effectus.*
22 *Suſpenſus ab Ordine non eo ipſo ſuſpenditur à iuriſdictione, nec ab Horis in Choro, nec ab ordine ſuperiori, ſi ſit ſuſpenſus ab inferiori.*
23 *Sicut nec ſuſpenditur à iure eligendi.*
24 *Suſpenſio à iuriſdictione varios producit effectus.*
25 *Suſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ tria operatur.*
26 *Suſpenſio à diuinis plures cauſat effectus.*
27 *Suſpenſio ab adminiſtratione plura operatur.*
28 *Suſpenſio à perceptione Sacramentorum obſtat ſolum, ne recipiantur Sacramenta,*
29 *Suſpenſio à beneficio varios habet effectus.*
30 *Ea iuxta aliquos non omnino priuat fructibus.*
31 *Priuat diſtributionibus, etſi alij id negent.*
32 *Extenditur ad beneficium futurum: alij tamen hoc non admittunt.*
33 *Afficit illum qui tunc nullum habet beneficium.*
34 *Geſta à ſuſpenſo tenent, ſed non omnia.*
35 *Suſpenſus ab Ordine, & à iuriſdictione eſt ineligibilis ad prælaturas, quoad licitè.*
36 *Suſpenſio addita excommunicationi non eſt inutilis.*
37 *Suſpenſio ligat vbique & ſub peccato mortali.*
38 *Si quidem ſit latæ ſententiæ.*
39 *Duratio ſuſpenſionis eſt varia iuxta eius varietatẽ.*
40 *Eius duratio incipit à die, qua fertur.*
41 *Suſpenſus ad menſem die 3. Iunij, v.g. manet ſuſpenſus vſque ad diem tertium menſis ſequentis, ſiue menſis præcedens ſit 30. dierum, ſiue 31. ſiue 28. (quod alij negant) nec debet computari dies biſſextilis, præterquam in certo caſu.*
42 *Tempus ſuſpenſionis ſuperuenientis alij ſuſpenſioni ſimul ſtatim incipit currere.*
43 *Suſpenſionis tempus non interrumpitur ex violatione ipſius ſuſpenſionis.*
44 *Violans ſuſpenſionem ab ordine fit irregularis.*
45 *Idq; licèt ſuſpenſus non ſit denuntiatus.*
46 *Limita, ſi actus Ordinum minorum ſiue ſolemniter: non eſt irregularis qui audit confeſſiones, cum ſit ſuſpenſus ab iis audiendis.*
47 *Non fit irregularis, qui violat ſuſpenſionem alterius ſpeciei.*
48 *At fit, qui violat ſuſpenſionem latam in puram pœnam.*
49 *Fit item, qui ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ ibi celebrat.*
50 *Suſpenſio iuxta eius varietatem varijs modis aufertur: & interdum tollitur ſolum à Papa.*
51 *Item varijs modis aufertur, quæ eſt lata in puram pœnam.*
52 *Suſpenſio ab officio, aut ab ingreſſu Eccleſiæ, non impeditur per ſubſequentem appellationem; ſecus ſuſpenſio à beneficio.*
53 *Regulares abſoluuntur à ſuſpenſione per ſuos Prælatos, imo per ſuos Confeſſarios.*

Qværes I. Quid ſit Suſpenſio propriè ſumpta.

Reſpond. eſſe cenſuram Eccleſiaſticam, qua perſona Eccleſiaſtica impeditur: ne exerceat functiones ſui beneficij, aut officij, aut ordinis: in totum, aut in partem; in perpetuum, vel ad tempus. eſt communis DD. patetque ex ipſis terminis, ſi tantùm aduertero dici cenſuram Eccleſiaſticam, vt contradiſtinguatur à prohibitionibus ciuilibus, & vt indicetur cauſa efficiens ſuſpenſionis; hæc enim ferri non poteſt, niſi à perſona Eccleſiaſtica habente iuriſdictionem in foro externo; vnde fit, vt Confeſſarius prohibens pœnitenti, ne tanto temporis ſpatio ſumat Communionem, propriè non dicatur ſuſpendere, vtpotè carens iuriſdictione, quoad forum externum. 1.

Qværes II. Quotuplex ſit Suſpenſio.

Reſpond. eſſe multiplicem; alia enim eſt ab officio tantùm (ſiue officium ſit ordinis, ſiue iuriſdictionis:) alia eſt à beneficio tantùm (ſiue beneficium ſit Canonicatus, ſiue dignitas, ſiue aliud;) alia eſt ab officio, & beneficio ſimul; alia eſt pœnalis, quæ fertur 2.

in

in pœnam delicti præteriti; alia medicinalis, qua intenditur emendatio delinquentis, & hæc propriè est censura; alia est temporalis, quæ fertur cum limitatione temporis: alia perpetua, quæ fertur simpliciter absque vlla temporis limitatione; alia denique est à iure, siue communi, siue proprio (v. g. Religionis:) alia est ab homine, quæ scilicet fertur à Superiore habente iurisdictionem in foro externo sine intentione condendi legem perpetuam. Quòd si suspensio feratur sine limitatione expressa, vel tacita, ea suspendit absolutè ab omnibus, id est ab officio, ac beneficio: verba enim debent accipi, prout sonant, & cùm sint generalia, generaliter debent accipi. Ita Bonac. *de censur. in comm. D. 3. q. 6. p. 2. num.* 1. ex Syluestro, Toleto, Auila, Sayro.

Qværes III. Quinam possint ferre suspensiones contra Regulares.

3. Respond. posse non solùm Papam, & Concilium generale (de quibus nulla est difficultas) sed etiam Prælatos proprios regulares, (vt diximus, & probauimus *in tract. de gubernat. cap. 3. sect. 3. q. 8.*) non item Ordinarios, aut alios inferiores Papa, (& quidem neque in casu, quo aliàs constituuntur Superiores ipsorummet Regularium, si isti habent speciale priuilegium, ne possint excommunicari, suspendi, aut interdici: quale habent Mendicantes, vt constat ex eorum Comp. *ver. exemptio, n. 9. 23. & 24.* & Religiosi Soc. Iesu; vt constat ex bulla Pauli III. ipsis concessa anno 1549. & hoc, inquit Sanch. *l. 7. de matr. D. 33. num.* 23. nisi expressè concedatur Episcopis, vt in iis casibus possint censuris latis contra exemptos procedere: quod optimè probat Sanchez variis rationibus, quæ apud ipsum commodè videri poterunt.)

Qværes IV. Contra quos Regulares ferri possint suspensiones.

4. Respond. ferri posse contra illos omnes, qui respectiuè sunt subditi Prælati ferentis suspensionem; patétque ex dictis *cap. 1. sect. 2. quæst.* 4.

5. Placet hîc vnum aduertere, quod tradunt communiter DD. *in cap. quia periculosum de sent. excommunic. in 6.* Episcopos, siue Regulares, siue sæculares non ligari suspensionibus, ac interdictis generaliter latis à Papa, siue per generalem sententiam, siue per statutum: idque ex iure positiuo, quod extat in citato *cap. quia periculosum*, & est inductum potiùs in fauorem subditorum, quàm ipsorum Episcoporum; quatenus scilicet, (ait Glossa ibi) officium Episcoporum, & Superiorum communius, & generalius est, & plures grauarentur, si illud impediri contingeret; siquidem Episcoporum officium consistit in chrismatis confectione, in frontis chrismatione, ordinum collatione, Ecclesiarum, & altarium consecratione, & sic multum periculum esset in suspensione ipsorum; hinc ergo Episcopi non incurrunt suspensiones generaliter latas, ne sic eorum subditi vi suspensionis destituantur iis beneficiis, quæ à proprio Pastore ipsis debent conferri, & aliàs per suspensionem impediuntur; quod cùm non eueniat respectu excommunicationum casu, quo Episcopus non sit vitandus; ideò ius non exemit Episcopos ab excommunicationibus generaliter latis, quas proinde incurrunt, nisi specialiter excipiantur, exemit tamen à suspensionibus latis generaliter.

Difficultas est, an, & quo modo ferri possit suspensio in totum aliquod Monasterium, quatenus est vnum corpus politicum, non autem solùm, prout est quædam multitudo constans ex pluribus Religiosis ibi degentibus.

6. Respond. Posse; & probatur quia, quando totum Monasterium ita delinquit, vt sit dignum suspensione, delictum illud ita est totius corporis, vt tamen per singulares personas exerceatur; potest autem delictum esse, & omnium, & singulorum, & adeò graue, vt per solam suspensionem ab officiis, aut beneficiis communibus minùs sufficienter puniatur; ergo poterit talis suspensio ferri, quæ non solùm afficiat totum monasterium vt sic, sed etiam singulos Religiosos suspendat à beneficiis, aut officiis personalibus. Ita Suar. *D. 28. de Censur. sect. 3. n. 4.* patétque ex dictis, si solùm aduertero Monasterium posse habere aliqua beneficia vnita, eique competere aliquam iurisdictionem, adeóque mirum non esse, quod in ipsum ferri possit suspensio, tum à beneficio, tum ab officio; quamuis aliàs suspensio ab officio quantum ad vsum Ordinis propriè non possit cadere in monasterium, vt sic; cùm illi actus non fiant per totam Communitatem, sed per singularem personam.

Qværes V. An præmitti debeat admonitio, antequam feratur suspensio contra Regulares.

Respond. cum distinctione: vel suspensio ferenda est pro contumacia, & hanc præcedere debet admonitio; aliàs enim non potest sequi contumacia, & consequenter neque suspensio pro contumacia; vel suspensio ferenda est purè in pœnam ob delictum commissum; & hanc non est necesse, quod præcedat admonitio; vt patet, vt ex *cap. tam literis de testibus*, vbi Papa suspendit quosdam propter quoddam delictum, etsi nec ab homine præcessisset admonitio, nec iure per legem aliquam tale delictum sub tali pœna prohibentem: tum quia, quando pœna imponitur ob delictum commissum præcisè, ea debet sustineri, quantumuis homo resipiscat, adeóque monitio, quæ ordinatur ad resipiscentiam, non est necessaria; communis est Doctorum, & Summistarum apud Suar. *supr. sect. 5. n. 2.* 7.

Qværes VI. An suspensio ferri possit contra Regulares solis verbis, aut certè requiratur etiam scriptura.

Respond. requiri quidem verba, quæ sufficienter significent modum, speciem, seu effectum suspensionis; vt notat Nauar. *cap. 27. n. 161.* & communiter tradunt DD. cùm de censuris in communi; non videri tamen necessarium, quod adhibeatur scriptura; cùm hæc non sit de substantia suspensionis, sed tantùm de præcepto iuxta *cap. 1. de sent. excommunic. in 6.* & alioqui ex indulto Bonifacij VIII. facto Dominicanis possint Prælati regulares procedere contra Religiosos subditos, iuris apicibus postpositis, respicientibus potiùs subtilitatem, quàm facti veritatem, & merita causæ; vt aduertit Lezana *tom 1. cap. 18. n. 16.* ex Cherubino; puto tamen expedire, vt in ferendis eiusmodi censuris, etiam inter Regulares, adhibeatur scriptura; & hoc ad vitandas rixas. 8.

Qværes VII. An sit valida suspensio lata sub forma disiunctiua (nimirum ab officio, aut beneficio, verbi gratia.)

Respond. videri validam ob ea, quæ diximus *cap. 1. sect. 2. q. 16* Ita Diana *p. 5. tract. 10. resol. 13.* ex Hurtado, & Bizuzero dicens, quòd licèt DD. communiter dicant suspensum ab officio, vel à beneficio sub disiunctione, à neutro manere suspensum, quia non ab vtroque patet; nec ab altero, quia non est maior ratio, cur vno potiùs, quàm altero maneat; nihilominus (vt docent nonnulli) credimus manere suspensum ab vno, vel ab altero determinatè pro electione suspensi, quam ipse tenetur facere: sicut qui condemnatur, vt exulat, vel vt soluat certam quantitatem pecuniæ, verè manet obnoxius vni, aut alteri, & 9.

& obligatur vnum, aut alterum eligere: quia sine fundamento negarur Iudicem habere auctoritatem ad sic ferendam sententiam pœnæ, & ad obligandum reum, vt eligat, quam maluerir. Ita Diana ex Hurtado.

QVÆRES VIII. An Suspensio lata sub hac forma, *sic suspensus*, liget, & ad quid.

10. Respond. ligare, & suspendere ab officio simul, ac beneficio; non secùs ac nomine excommunicationis simpliciter prolatæ intelligitur maior excommunicatio, quæ includir minorem; aliàs non est maior ratio, cur talis suspensio censeatur potiùs importare priuationem officij, quàm beneficij. Ita Sylu. *ver. suspensio*, & cum eo Diana *resol.* 14. adducens pro se Mercerum, & Gordonum; monénsque similem suspensionem extare, tum in Extrauag. *diuina de priuil.* tum in Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 14.

QVÆRES IX. An, & quorsum denunciari debeant Regulares, qui aliquam incurrerunt suspensionem.

11. Respond. debere denunciari, non quidem, vt suspensio possit operari suos effectus in ipso suspenso, sed vt alij eum teneantur euitare; ad quod, inquit Suar. *n.* 4. non sufficit, quod suspensio sit publica, & notoria; cùm iuxta veram, ac germanam Lectionem Extrauagantis, *Ad euitanda*, exceptio de publica censura solùm habeat locum in manifesto Clerici percussore, qui tamen non suspensionem, sed excommunicationem incurrit; vnde fit, vt, loquendo de suspensionibus, generaliter verum sit suspensum non esse vitandum, nisi postquam in particulari, & proprio nomine pro tali denuntietur.

Quòd si hac occasione quæras, an, & quo iure vitari debeant suspensi in iis rebus, in quibus sunt suspensi.

12. Respond. debere vitari, non iure Ecclesiastico (quod nullibi reperitur:) sed iure naturali ac diuino: quatenus scilicet communicans modo dicto cum suspenso, ei cooperatur in delicto, ac malo vsu ministerij; quod sine dubio est intrinsecè malum, si extra casum extremæ necessitatis suspensus non toleratus inducatur ad vsum actus prohibiti, aut certè, si est toleratus, inducatur absque vlla prorsus necessitate, aut vtilitate, vel etiam ei in exercitio actus prohibiti inseruiatur. Ita Diana *resol.* 20. ex Corneio inferens in præsenti materià per solam assistentiam, quæ sit puta communicatio, non peccati, adeóque si suspensus ab ingressu Ecclesiæ illam ingrediatur ad audienda diuina Officia, non propterea teneri alios exire: sicur nec tenentur exire in casu, quo suspensus ab ordine, & quidem denuntiatus, Missam in Ecclesia celebraret, dummodo eum non inducant ad celebrandum, aut ei non ministrent ad altare.

QVÆRES X. An necessariò supponatur culpa mort. ad incurrendam suspensionem, vel certè sufficiat etiam peccatum veniale.

13. Respond. supponi, si suspensio sit grauis: cuiusmodi est suspensio ab officio, ac beneficio simul, vel etiam ab altero tantùm; secùs, si suspensio sit leuis: qualis esset suspensio ab vno actu eligendi, à distributionibus vnius horæ, aut vnius diei. Ita Henriq. *l.* 13. *cap.* 34. *n.* 1. Sà *ver. suspensus ab officio.* Diana *p.* 3. *tract.* 6. *resol.* 51. aliique contra Caiet. Nauar. & Auilam citans à Diana *p.* 5. *tract.* 10. *resol.* 19. sustinentes suspensionem, absolutè loquendo, incurri posse ob peccatum, veniale cùm excommunicatio minor, quæ priuat maiori bono, id est, participatione passiua Sacramentorum, de facto incurratur ob culpam solùm venialem. probatur autem nostra responsio, tum, quia pœna debet commensurari culpæ, suspensio autem ab Officio, à beneficio, ab ordine, à iure eligendi, beneficia conferendi est grauis pœna, adeóque supponit culpam grauem, seu mortalem; tum, quia suspēsio est pœna longè acerbior, quàm minor excommunicatio. quippe quæ etsi ex genere suo priuet minoribus bonis, quam priuet minor excommunicatio, difficiliùs tamen tollitur, aliqualem secum affert infamiam, ac proinde mirum non est ad eam incurrendam requiri culpam mort. cùm aliàs minor excommunicatio incurratur ad peccatum veniale.

QVÆRES XI. An Suspensio incurri possit etiam ob culpam alienam.

14. Respond. non posse, loquendo de suspensione propriè dicta, & in casu, quo quis specialiter, & seorsim suspendatur; nemo enim puniri debet ob alterius peccatum, & præsertim pœna spirituali, vt patet, tum ex *cap.* 2. *de Constit.* quod ita habet: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocare non conuenit*: tum ex *c.* 2. *de his, quæ à maiori parte*, vbi dicitur. *Nec pœna est vlterius extendenda, quam delictum fuerit in excedente repertum.* Ita Suar. *supr. n.* 22. Coninch. *D.* 15. *de censur. n.* 21. Caiet. *ver. suspensio*, & alij. Dixi, *loquendo de suspensione propriè dicta*; quia si loquamur de suspensione latè sumpta, hæc potest contrahi etiam ob culpam alienam; vt patet, tum ex *c.* 1. *de ordin. ab Episc. qui renunc. Episcop.* vbi qui ignoranter, & sine culpa ordinatur à tali Episcopo, ob culpam Episcopi suspenditur: tum ex *cap. vel non est compos de temp. ordin.* vbi puer ordinatus in ætate 13. annorum suspenditur ab executione Officij Diaconi vsque ad ætatem legitimam; idque in iniuriam ordinantis, vt ibi dicitur. Dissentiunt alij cum S. Thom. 4. *in d.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 2. & Syluest. *ver. suspensio*, *n.* 4 quorum sententiam refert Diana *p.* 5. *tract.* 10. *resol.* 22. nec refutat notans ex Corneio id, quod dicitur neminem puniri debere ob alterius peccatum, quo ipse caret, procedere solùm, quando quis specialiter, & seorsum suspenditur: tunc enim non potest quis suspendi ob culpam alterius: secùs, quando simul suspenditur collegium; nam tunc sufficit culpa plurium, vel Superioris, nec requiritur culpa in singulis: & quamuis suspensio sit pœna spiritualis, quia tamen non priuat bonis pertinentibus ad propriam animam, infligi potest pro peccato alterius.

15. Dixi præterea, *& in casu, quo quis specialiter, & seorsim suspendatur*; vt innuerem, quòd, quando simul suspenditur tota aliqua communitas (v. g. monasterium) tunc & Superior potest suspendi in inferioribus, & communitas in suis membris iuxta ea, quæ habentur *in cap. si sententia de sent. excommunic. in* 6. sic quippe non requiritur culpa in singulis, sed sufficit culpa plurium, aut Superioris: præsertim, cùm suspensio non priuet bonis spectantibus ad propriam animam, etsi aliàs sit pœna spiritualis.

QVÆRES XII. An Suspensio incurri possit ob culpam merè præteritam.

16. Respond. posse, & quidem variis modis: primò in perpetuum, & sine spe relaxationis; (quo casu si suspensio totalis est ab officio, beneficio, aut ordine, habet vim depositionis, irregularitatis, aut priuationis beneficij:) secundò ad certum tempus (v. g. ad triennium) quo elapso suspensio per se ipsam expirat: tertiò, donec reus satisfecerit, restituerit, &c. & tunc, exhibita satisfactione, suspensio ipso iure absque alia sententia tollitur: quartò, ad beneplacitum Superioris, cuius proinde declarata voluntate remittendi, seu reuocandi suspensionem hæc sine alia absolutione expirat; quamquam hi omnes modi suspensionis non sint propriè dictæ censuræ, sed merè spirituales pœnæ, vt notauit Abb. *in c. sæpè contingit*, *num.* 16.

n.16. de appellat. Ita Laym. *l.1. tract.5.p.3. cap.3.n.3.* patétque ex eo, quod suspensio ferri potest in puram pœnam, vt ostendit Suar. *supr. D.25. sect.1. num.2. ex cap tam literis de testibus*, aliisque pluribus iuribus allegatis: non potest autem ferri in pœnam, nisi ob culpam præteritam, cùm culpa præsupponatur ad pœnam, vt patet.

17. Quod si suspensio ferenda sit in medicioam (quo modo diximus *supr. quæst.* 2. ferri posse) tunc non supponit peccatum præteritum, sed futurum, & per se ordinatur ad auertendum à peccato; vnde & propriè dicitur habere rationem censuræ, requiritque monitionem, vt notat Filliuc. *tract.17.n.65.*

QVÆRAS XIII. Quid operetur Suspensio erga personam suspensam.

18. Respond. distinguendo: vel suspensio fertur absolutè absque limitatione expressa, aut tacita; & sic suspendit tam ab officio, quàm à beneficio; cùm verba accipi debeant, prout sonant, &, cùm sint generalia, generaliter accipienda sint; vel suspensio fertur cum expressione alicuius effectus particularis (v.g. ab Officio) & sic extenditur solùm ad hunc effectum, & ad ea, quæ sunt illi annexa; siquidem censura efficit, quod significat, nec aliter operatur, quàm significet; & sic, si effectum aliquem particularem significat, ad eum tantùm extenditur, & non ad alios, qui non sint illi annexi. Ita Suar. *supr. sect.1.* aliique communiter; & patet ex dictis, si mouuero ex ista responsione posse solui plurimas difficultates in præsenti materia moueri solitas, quæ cum apud Bonac. *D 3. de Censur. in comm. p.2. per tot.* Dianam *supr. resolut.1. & seqq.* aliósque facile videri possint, nolo in iis diutiùs immorari.

19. Dixi, *& ad ea, quæ sunt illi annexa*; vt indicarem suspensum ab ordine inferiori censeri suspensum etiam à superiori, etsi id non exprimatur; idque ratione annexionis, quam habet ordo superior cum inferiori; vtporè, qui in inferiori fundatur, velut in suo fundamento; vnde currit regula, quæ habetur *in cap. cum illorum de sent. excommunic.* maiora intelliguntur prohibita, quibus vetita sunt minora; quæ regula habet locum, quandocumque malus connexionem habet cum minori, vt in casu nostro. Qoamquam aliqui apud Suar. *supr. D.26. sect.4. n.8.* putent (& quidem probabiliter teste ipsomet Suarez) hanc doctrinam tunc demum esse veram, quando actus ordinis superioris exerceri nequit absque eo, quod exerceatur actus ordinis inferioris; adeóque inferunt Sacerdotem suspensum ab exercitio Diaconatus posse audire confessiones, solemniter baptizare, &c. non item celebrare, cum tunc deberet legere Euangelium, quod spectat ad Diaconatum. Sed, quidquid sit de hoc, inquit Diana *resol.5.* certum est exercendo talem actum Ordinis superioris, non incurri irregularitatem, modò nullatenus exerceatur actus Ordinis, à quo quis suspensus est; sic quippe non fit aliquid directè prohibitum per censuram, sed solùm per quandam consecutionem ob indecentiam. Ita Diana, & cum eo Cornelius, Laym. Coninch. & Præpos. relati ab ipso Diana.

QVÆRES XIV. Quos effectus habeat Suspensio ab Officio.

20. Respond. priuare (siquidem simpliciter feratur) omni vsu ordinis, iurisdictionis, ac muneris Ecclesiastici, quantum capax est persona, quæ sic suspenditur; si verò feratur ex parte (id est, cum aliqua determinatione, quæ denotet impediri, quoad vsum non totum officium, sed solùm eius partem) priuare tantùm ea parte, quæ per illam determinationem significatur, nec non omni superiore functione, quæ eam partem intrinsecè supponit, non item ab inferiori, neque à qualibet alia omnino disparata; idque iuxta ea, quæ diximus *quæst. præced.* Ita Suar *supr. sect.1. n.3. & sect.4. n.1.* alique communiter; & probatur, tum ex dictis *quæst. præced.* tum quia sicut suspensio ab officio simpliciter prolata ex vi verborum non restringitur ad aliquam partem officij Ecclesiastici, cum verbum illud *ab officio*, sit indifferens, ac proinde extenditur, ad totum officium, cum prohibens totum, prohibeat omnes illius partes; sic suspensio lata cum aliqua determinatione non potest præstare, nisi illos effectus, quos determinatè significat; cum effectus legis, seu sententiæ non possit excedere voluntatem Legislatoris, seu Iudicis, quatenus per verba exprimitur; & alioqui verba, quibus fertur talis suspensio, non significent, nisi partem determinatam Ecclesiasticæ functionis, vt patet.

Notat autem Castr. Palaus *D.4. de censur. p.5. §.2. num. 9.* taliter suspensum adhuc habere vocem in Capitulo: cùm ferre suffragium in Capitulo per se non sit exercitium ordinis, vtpotè competens laicis conuersis iuxta Glossam *in cap. ex eo ver. electionibus de elect. in 6.* imò & Monialibus ex eadem Glossa in Clem. *vt iy de ætat. & qualit. ver. mancipati*; nec sit vsus alicuius iurisdictionis Ecclesiasticæ; siquidem laici, & fœminæ habent vocem, etsi aliàs sint incapaces iurisdictionis Ecclesiasticæ.

QVÆRES XV. Quem effectum habeat suspensio ab Ordine.

Respood. quòd si suspensio ab ordine feratur sine vlla limitatione, suspensus priuatur omni vsu ordinis, siue maioris, siue minoris: non item iurisdictione, vel quacumque Ecclesiastica functione, quæ per se ab ordine non pendeat: in moralibus enim propositio indefinita non minùs æquiualet vniuersali, quàm in doctrinalibus: præsertim cùm talis suspensio non possit habere alium legitimum sensum, vtpotè, quæ de nullo ordine particulari rationabiliter intelligi potest; ita vt idem sit suspendere ab Ordine, ac suspendere ab ordinibus, vel ab omnibus ordinibus; vt à simili sumitur ex Glossa *in cap. eos de temp. ordinat. in 6.* 21.

Dixi in responsione, *non item à iurisdictione*, &c. nam, sicut suspensio ab officio abstrahit à beneficio, ita intra latitudinem Officij suspensio ab ordine abstrahit à iurisdictione; ideóque suspensus ab ordine non hoc ipso censeri debet suspensus à iurisdictione; vt inter alios notat Suar. *sect. 4. n.3.* addens *n.4.* quòd si oppositum videtur contingere, quoad iurisdictionem requisitam in foro pœnitentiæ; id in eo est speciale, quatenus vsus præfatæ iurisdictionis pendet ab Ordine: vnde mirum non est suspensum ab Ordine esse eo ipso suspensum etiam à iurisdictione fori pœnitentialis; idque ex vi connexionis, quàm habet Ordo Sacerdotalis, cùm ipso actu absoluendi; quæ connexio, cùm cesset respectu aliorum actuum; ideò absolutè negamus suspensum ab ordine, hoc ipso esse etiam suspensum à iurisdictione. Sic etiam notat Filliuc. *tract.17.n.26.* suspensum ab ordine non prohiberi recitare horas in Choro; cùm hoc munus ad summum sit ordinis clericalis, aut psalmistatus, qui propriè non sunt ordo: non posse tamen officiare in Choro dicendo collectas, aut legendo Lectiones; si hæ soleant legi solùm ab habentibus ordinem: quod notauit etiam Sayr. *l.4. de censur. cap.4. num.10.* 22.

Addo ex suspensione ordinis inferioris non esse, quem prohibitum exercere ordinem Superiorem, non annexum ordini illi inferiori; adeóque suspensum à Diaconatu posse ministrare Extremam Vnctionem,

Vnctionem, v.g. in pœnis enim stricta fieri debet interpretatio: nec est inconueniens, quod priuatus minori honore retineat maiorem: cùm hoc probet solùm delictum, ob quod lata est talis suspensio, non fuisse adeò graue, vt priuationem maioris, ac minoris honoris mereretur. Ita Castrus Palans *supr. n.*15. ex Suar. Conich. Filliuc. Laym. Hurtado monens *n.*18. cum Sayro, & Conincho suspensum ab exercitio ordinis inferioris non fore irregularem, si ordinem Superiorem exerceat: quippe qui non facit aliquid sibi per censuram directè vetitum, sed solùm consecutiuè, & ex quadam decentia.

Quòd si hîc obiter quæras, an suspensus ab ordine sit item suspensus à iure eligendi.

23. Respond. non esse: cùm eligere sit quædam administratio, & functio competens, non ratione ordinis, sed beneficij, aut dignitatis, aut alterius similis conditionis; vnde Moniales, cum sint incapaces ordinis, possunt tamen habere ius eligendi, *cap. indemnitatibus de elect. in* 6. ex quo infert Suar. *n.*5. quod, quando Glossa *in cap. presbyterum, ver. habere d.*28. ait suspensum ab officio non esse suspensum à iure eligendi, interpretari debet loqui de officio ordinis, non autem de officio absolutè: si enim esset suspensio ab officio absolutè, priuaret etiam iure eligendi, cum tale ius comprehendatur sub nomine officij.

QVÆRES XVI. Quem effectum habeat Suspensio à Iurisdictione.

24. Respond. siquidem suspensio sit à iurisdictione simpliciter, suspendere à tota spirituali iurisdictione: ita vt sic suspensus non possit, neque iudicare, neque excommunicare, neque corrigere, neque iuramenta recipere à vasallis, neque confirmare, neque inuestire, neque beneficia conferre, &c. (hi enim omnes actus, & alij similes spectant ad iurisdictionem, vt notat Glossa *in cap. transmissam, de elect.*) si verò suspensio sit à determinato actu iurisdictionis (v. g. à collatione beneficiorum) suspendere solùm ab eo actu, qui significatur per verba determinantia suspensionem; nisi fortè, cum alio actu necessariam habeat connexionem, ita vt sine eo fieri nequeat: quo casu etiam alius actus in eiusmodi suspensione comprehenderetur. patet hæc responsio ex dictis *supr. quæst.*13.

QVÆRES XVII. Quid operetur Suspensio ab ingressu Ecclesiæ.

25. Respond hæc tria operari; nimirum primò, quod sic suspensus non potest intra Ecclesiam exercere actum solemnem cuiuscumque ordinis, & ex officio: secundò, non potest audire diuina Officia intra Ecclesiam, aut ea ibidem recitare: tertiò, priuat Ecclesiastica sepultura, dummodo suspensus impœnitens decedat (quamquam, si sic sepeliretur, non ideò tamen Ecclesia pollueretur.) Ita Filliuc. *tract.*17. *n.*32. & alij, probántque, quia hoc ipso, quod interdicitur ingressus Ecclesiæ, tanquam rei principalis, censentur interdicta omnia diuina, tanquam consequentia. Dixi, *in Ecclesiâ*, quia suspensus ab ingressu Ecclesiæ, si celebret extra illam, (v. g. in Oratorio) non peccat, neque est irregularis; intellige, modò facellum, in quo celebrat, non sit erectum auctoritate Episcopi, inquit Filliuc. ex Nauarro, aut certè Oratorium ab Episcopo non sit designatum in perpetuum pro celebratione, aiunt S. Anton. Henriq. & Suarez apud Filliucium.

QVÆRES XVIII. Quid operetur suspensio à diuinis.

26. Respond. id operari, quod Clerici, ac Religiosi sic suspensi non possunt recitare Psalmos in Choro, neque iis interesse, aut etiam diuina Officia audire, tanquam Clerici: & quidem, si contra faciant, interessendo supradictis, tanquam Clerici, & Ministri ex officio, fiunt irregulares; secùs, si id faciant tanquam laici; tunc enim non fiunt irregulares, imò nec peccant; ait Filliuc. *supr. n.*33. ex Nauar. & Lop. addens suspensum à diuinis non posse celebrare; cùm Missa sit præcipuum officium diuinum; posse tamen eam audire vt laicum; non item facere coram se celebrari, esto sit Episcopus: quod est audire Missam auctoritatiuè. Ita Nald. *v. suspensio, n.*11. ex Glossa.

QVÆRES XIX. Quid operetur suspensio ab administratione Ecclesiæ.

Respond. quod, cùm eiusmodi administratio spectari possit, tum quoad spiritualia, tum quoad temporalia; & respectu spiritualium dicatur potestas disponendi de rebus spiritualibus (siue sint ordinis, quæ positæ sint in eorum administratione, siue iurisdictionis) respectu verò temporalium dicatur potestas agendi in iudicio super iuribus, & possessionibus rei, quam quis administrat, necnon respondendi, & aliter disponendi, etiam extra iudicium; hoc ipso, quod quis est suspensus ab administratione Ecclesiæ, non potest, neque Sacramenta ministrare, neque beneficia conferre, neque exercere vllam actionem ex iis, quæ fundantur in administratione temporalium. Ita Filliuc. *num.*32. 27.

QVÆRES XX. Quid operetur suspensio à perceptione Sacramentorum.

Respond. operari, vt sic suspensus non possit sine graui peccato recipere Sacramenta; cùm faciat contra prohibitionem in re graui; quamquam non ideò fiat irregularis; cùm irregularitas incurratur solùm per exercitium ordinis prohibitum per censuram; quod vtique non euenit in casu nostro. Ita Bonac. *de censur. in communi D.*3. *p.*2. *n.*19. ex Nau. Sayr. & aliis. 28.

QVÆRES XXI. Quid operetur suspensio à beneficio.

Respond. priuare suspensum omni administratione temporali sui beneficij, eiusque fructibus percipiendis; non tamen actibus iurisdictionis, ordinis, aut Officij clericalis, ideóque non obstante tali suspensione posse, & conferre beneficia, & ad ea eligere, si ratione beneficij ei competat ius conferendi, aut eligendi, si quidem collatio beneficij, aut electio ad illud propriè est actus iurisdictionis, ac Officij clericalis, à quo is non est suspensus, & nonnisi impropriè dici potest fructus beneficij. Ita Coninch. *D.*15. *de Censur. n.*11. Laym. *supr. c.*1. *n* 4. Filliuc. *tr.*17. *c.*3. *q.*4. aliique communiter; qui benè monent suspẽsum à beneficio non solùm posse, sed teneri præstare officium, ad quod aliàs obligatur ratione beneficij; suspensio quippe illum pœna afficit, non autem vlla obligatione liberat; &, si suspensus non fruitur fructibus beneficij, id sibi imputare debet. 29.

Quamquam Auila *p.*3. *de Censur. D.*2. *d.*1. *concl.*6. Petr. Nauar. *l.*2. *de restit. cap.*2. *n.*237. Bonac. *supr. n.*10. & alij putent sic suspensum posse recipere fructus sui beneficij correspondentes labori, quem inseruiendo impendit; siue quantum arbitrio boni viri daretur in sustentationem ei, qui pro alio eos labores subiret; imò P. Nauar. videtur ei concedere omnes fructus, donec iis per Iudicem priuetur (non loquitur tamen particularim de suspenso à beneficio, sed generatim de suspenso, aut excommunicato.) Et hanc sententiam dicit Coninch. *n.*14. esse æquitati admodum consentaneam in iis, qui in puram pœnam peccati perpetratum, ac notabile tempus suspensi sunt: cùm durum sit aliquem cogere per aliquot annos ministrare ad altare, & non viuere de altari; secùs de suspenso ob contumaciam: is enim non meretur 30.

miseri

misericordiam, cùm in eius potestate sit euitare omnem pœnam, si voluerit.

Dubium est, an nomine fructuum, quibus diximus priuari suspensum à beneficio, veniant & distributiones quotidianæ tribui solitæ iis, qui intersunt Officiis.

31. Respond. Suarex *D.17.sect.1.num.29.* venire: cùm eæ dentur ratione beneficij, & sint veluti pars quædam beneficij, estò immediatè tribuantur ob assistentiam, aut ministerium ad aliquod diuinum Officium. Saytus tamen *lib.4.de censur.cap.6.num.11.* oppositam sequens sententiam ait sibi videri certum, quod si suspensus à beneficio, proprio officio satisfaciat in Ecclesia, potest recipere omnes illas distributiones, quæ dantur non intuitu beneficij, sed officij iis, qui intersunt diuinis Officiis. Dixi, *non intuitu beneficij:* si enim dictæ distributiones darentur solis beneficiatis, aut certè his darentur in maiori quantitate, tunc suspensus à beneficio non posset eas recipere; cum suspensio à beneficio priuet omnibus fructibus competentibus ratione beneficij: non posset, inquam, eas recipere siue simpliciter, siue quoad eam maiorem portionem, quæ daretur præcisè ratione beneficij. ita Sayr. & meo iudicio probabiliter, præsertim stante regula 49. iuris in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Quod autem diximus distributionibus quotidianis, à fortiori dicendum est item de aliis distributionibus, quæ voluntariè à fidelibus offeruntur ob opera personalia: qualia sunt anniuersaria, stipendia Missarum, & alia id genus; si quidem hæc non proueniunt ex titulo beneficij, ac operibus propriis ipsius, nec ei ordinariè annexa sunt, adeóque non comprebenduntur sub fructibus beneficij, vt concedit, & Suar. *num.* 30. aliàs à nobis dissentiens; nobiscum tamen sentit Bonac. *supr.num.17.*

Vtrum verò suspensio à beneficio cadat in beneficium, etiam futurum, impediendo illius acquisitionem.

32. Respond. cadere, si suspensio non sit solùm ab vno, aut determinato beneficio, neque in loco determinato, sed simpliciter à beneficio, idest ab omni beneficio, & vbique. Ducor, quòd simpliciter prohibitus ab aliquo opere, aut vsu, consequenter est prohibitus, ne possit ei conferri id, quod est principium talis actus, seu quod ad eum ordinatur, vt colligitur ex *cap.fin.de Cleric.excomm.ministr.* ergo, cùm in præsenti casu beneficiarius in istius suspensionis tenore prohibeatur absolutè, ne fructus beneficij suos faciat, consequenter prohibetur ne beneficium acquirat: hoc enim ad illud ordinatur, & est quasi principium eius. est communis DD. apud Suar. *n.25.* qui tamen addit *num.* 26. collationem beneficij factam ei, qui simpliciter est suspensus ab omni beneficio, non esse ipso iure nullam, sed solùm irritandam esse à legitimo Iudice, seu Superiore: & hoc ex *cap. si celebrat de Clerico excommunic.*

33. Oppositum tamen sustinent Coninch, Gordon. Corneius, Laym. Mercer. Faber. & Præpositus apud Dianam *part.5.tract.10.resol.7.* cum ipsis sentientem, qui ex Præposito sic ait: Si quis solùm suspendatur à certo beneficio, non potest priuari fructibus aliorum beneficiorum: potest etiam alia beneficia recipere: imò, quamuis sit simpliciter suspensus à beneficio, videtur posse aliquod beneficium recipere, quantum est ex parte censuræ; quia optimè potest consistere, quod aliquis possit acquirere titulum, quamuis deberet priuari fructibus inde prouenientibus; sicque esse verum esset simpliciter suspensum à beneficio priuari eo ipso fructibus omnium beneficiorum, posse nihilominus quantum est ex parte censuræ, nouum beneficium, recipere: ita ille, & ideo ante Iudicis sententiam talis potest percipere fructus beneficij, vt docet Tannerus *tom.4.D.6.q.10. d.1. num.137.*

Addit Suar. *num.* 25. verisimilius concedi posse, Clericum nullum habentem beneficium si committat crimen, pro quo lata ipsos iure sit absoluta suspensio à beneficio, modo supradicto impediri, nè acquirere possit beneficium: non obstante quod dicitur neminem suspendi ab eo, quod non habet. Ratio est, quia suspensio non est talis priuatio, quæ necessariò supponat id, quod aufert, sed quæ impediat, etiam ne habeatur, seu acquiratur id, quod aliàs acquiri posset.

Illud autem hîc obiter moneo, quòd quando contra Regulares fertur suspensio à beneficio, ea debet intelligi de beneficio siue sæculari, siue regulari, quod Religiosus habeat; vnde si nullum habeat, in tali casu suspensio suspenditur ex defectu materiæ.

QVÆRES XXII. An, & quando acta à suspenso sint valida.

Respond. distinguendo: vel loquimur de actibus 34.
ordinis; & hi, excepta absolutione sacramentali, quæ pendet à iurisdictione, sunt validi: cum Ecclesia non possit impedire valorem horum actuum; quotiescumque debita materia, & forma à Ministro habente potestatem ordinis vero intentione applicantur; vel loquimur de actibus iurisdictionem requirentibus, hi per se sunt inualidi, cùm suspensus sit priuatus actuali iurisdictione (vt suppono) & iura id statuant non minus de suspensione, quàm de excommunicatione; quamquam, si suspensus sit occultus & ab Ecclesia toleratus, acta eius sint valida, Ecclesia ipsa interim supplente iurisdictionem iuxta extrauagantem *Ad euitanda:* quæ sine dubio locum habet etiam in suspensis, vt notauit Suar. *D.26.sect.2. num.2.* subdens, quod si suspensus non sit specialiter denuntiatus, quoad alios, non est priuatus iurisdictione, estò peccet, si ex se, & per se eam exerceat; proportionaliter vt diximus de excommunicato.

QVÆRES XXIII. An Regularis suspensus eligi possit ad prælaturas tam Ordinis, quàm extra Ordinem.

Respond. non posse, si sit suspensus, siue ab ordine 35.
tantùm, siue à sola iurisdictione tam temporali, quàm spirituali, siue ab vtrisque, & si eligatur, electionem esse ipso iure nullam: & hoc siue suspensio sit à iure, siue ab homine. ita Peyrin. *de R.P. quæst. 2.c.5.§.1.num.29.* ex Filliuc. *tract.17.num.16.* & aliis; probatque, tum ex variis iuribus, quæ adducit; tum ex eo, quòd suspensus modis supradictis non potest exercere vllam dignitatem, seu prælatiam regularem; cùm hæ requirant exercitium ordinum, iurisdictionisque temporalis, ac spiritualis; constat autem dignitates dari propter officium, vt dicitur in *cap. cum secundum de præb.* sic Peyr. sed meo iudicio minùs benè, quoad eam partem, qua dicit electionem esse ipso iure nullam: puto enim eam solùm esse irritandam ea ratione, qua diximus de beneficio *q.21. §.vtrum verò.*

QVÆRES XXIV. Quid operetur suspensio superaddita excommunicationi in casu, quo quis ob aliquod delictum simul excommunicetur, ac suspendatur.

Respond. Nàld. *v.pœna; num.17.* quod licèt effe- 36.
ctus suspensionis contineatur in excommunicatione; non ideò tamen inutilis, ac frustranea est suspensio addita excommunicationi; si quidem id operatur, quod difficiliorem reddit illius absolutionem,

cùm neceſſe ſit abſoluere ab vtraque, & vna per alteram non tollatur; ſicut notat Nald. ex Nauarro.

QVÆRES XXV. An ſuſpenſio obliget vbique, & quidem ſub peccato mortali.

37. Reſpond. Obligare ſub mortali ex genere ſuo, & vbique, ſi lata ſit abſque loci determinatione. Prima pars, quæ eſt communis apud Bonac. *part.4.n.1.* patet, quia violans legem Eccleſiaſticam in re graui, mortaliter peccat: id autem euenit in caſu noſtro, niſi fortè excuſet paruitas materiæ: vt ſi ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ breui tempore in ea commoretur, dum recitantur diuina officia. Pars ſecunda, quam expreſsè ponit Filliucius *num.17.* probatur ex eo, quòd Prælatus ſuperior poteſt ſuſpendere proprium ſubditum, ne alicubi celebret, aut confeſſiones audiat, &, ſi abſolutè, ac ſine limitatione loci ſuſpendit, ſuſpendit pro omni loco, vt contingit in excommunicatione: quamuis enim Prælatus non poſſit obligare extra territorium per ſtatutum, ac legem, vt patet ex *cap. 2. de conſtit. in 6.* per præcepta tamen particularia quæ imponuntur perſonis, ac immediatè eas reſpiciunt, poteſt eas obligare; quæ doctrina maximè habet locum in Regularibus, qui iuxta dicta *cap.1. ſect.2.q....* ſubiiciuntur cenſuris per ſtatutum latis à propriis Prælatis, etſi ſint extra ipſorum territorium.

38. Quod autem dixi ſuſpenſionem obligare ſub culpa mort. intelligendum eſt de ſuſpenſione latæ ſententiæ, non de ferenda; hanc enim Vaſq. Sanch. Suar. Azor. & alij penes Caſtrum Palaum *tract. 3. D.1.p.15.num.5.* docent non eſſe ſignum grauis obligationis, quippe quæ interdum infertur etiam extra culpam, vt aduertit Diana *part.3.tract.6.reſol.76.* quamuis re vera Sanch. & Suar. ſolùm loquantur de ſuſpenſione leui.

QVÆRES XXVI. Quamdiu duret ſuſpenſio.

39. Reſpond. cum diſtinctione, vel ſuſpenſio lata eſt indeterminatè abſque vlla temporis limitatione; & durat ad beneplacitum ferentis, aut certè donec auferatur ab habente poteſtatem (idque ſiue ſuſpenſio ſit à iure, ſiue ab homine;) vel lata eſt ad certum tempus (v.g. ad menſem, ad annum, &c.) & ſic, finito tempore deſignato, per ſe deſinit. ita Suarez *ſupr. D.26.ſect.1 num.13.* Portel *de dub. regul. v. ſuſpenſio, num.11.* Bonac. *ſupr p.3. num.1.* aliique communiter; & probatur ex eo, quòd ſuſpenſio in priori caſu non habet terminum ex verbis legis, neque ex cauſa, quæ ſupponitur digna perpetua ſuſpenſione, nec poteſt aſſignari, cur hunc potiùs terminum habeat, quàm alium; cùm tamen lex, aut præceptum abſolutè latum duret, donec reuocetur, & Iudex, ac lex præſumantur imponere condignam pœnam; in poſteriori autem caſu, cum deſignetur certus terminus, quo debet durare ſuſpenſio iuxta intentionem, ac voluntatem imponentis, hoc ipſo, quod finitus eſt talis terminus, neceſſariò debet deſinere; aliàs duraret diutiùs, quàm velit Superior, qui eam tulit; cùm tamen pœna non excedat voluntatem imponentis.

40. Ex quibus infert Bonacina, ſuſpenſum ab officio per menſem non poſſe intra ſpatium menſis exercere officium, incipiendo ab eo die, quo lata eſt ſuſpenſio: nam ſuſpenſio eſt cenſura Eccleſiaſtica, quæ ſecum trahit executionem, & afficit incontinenti, *cap. paſtoralis, §. verum, de appellat.* idque non obſtante, quòd dies termini dicantur, non computari in termino *cap.4. de reſtit. ſpoliat. in 6.* hic enim textus intelligitur de iis, quæ non trahunt ſecum executionem.

Difficultas grauior eſt, quot diebus ſeruari debeat ſuſpenſio in iure lata per menſem, quàm quis incurrit inchoato iam menſe.

41. Reſpond. quòd, licèt communior Doctorum ſententia, teſte Sayro *lib.4. de cenſur. cap.8. num.4.* ſit, menſem inchoandum eſſe ab eo die, quo eſt contracta ſuſpenſio vſque ad eumdem diem ſequentis menſis, adeóque eum, qui ſuſpenſionem incurrit die 3. menſis, manere ſuſpenſum vſque ad diem 3. menſis ſequentis; ſiue menſis, in quo ſuſpenſionem incurrit, conſtet 30 diebus, ſiue 31. ſiue 28. ita vt quota die menſis cœpit ſuſpenſio, tota die menſis ſequentis finiatur: qui tamen vltimus dies debet eſſe completus, nec ſufficit, quod ſit incboatus; quod etiam docet Portellus *num. 12.* monens ex Suar. tempus ſuſpenſionis, quoad durationem ita debere eſſe completum, vt numeretur ab hora, qua publicatur ſententia, ſi ea eſt ab homine; ſi verò ſit à iure, ab hora commiſſi delicti vſque ad horam proportionalem, in qua finitur menſis, aut annus præfixus in ſententia: aut in iure. Licèt, inquam, hæc ſit communior Doctorum ſententia, non videtur tamen poſſe redargui falſitatis, qui diceret in propoſito caſu menſem ſumi poſſe, prout conſtat 28. diebus; ex vna enim parte ſumus in materia pœnali, quæ eſt odioſa, & conſequenter debet coarctari, ex alia parte menſis 28. dierum verè eſt menſis, cùm inter menſes extet Februarius, qui non conſtat, niſi 28 diebus; quod ita eſt verum, vt Henriq. Sylu. & alij apud Bonac. *num. 5.* dicant eum, qui ſuſpenſus eſt per menſem Februarij, elapſis 28. diebus, eſſe liberum á ſuſpenſione, eſto adhuc ſuperſit dies biſſextilis: is namque in materia odioſa reiicitur, *l. cùm heres, § Stichus ſi heredi, ff. de ſtatu liberis*, quare non puto omnino improbabile ſuſpenſum per menſem indefinitè non teneri ſeruare ſuſpenſionem, niſi 28. diebus: is enim diceretur ſeruare ſuſpenſionem per menſem; ſecùs ſi ſententia ſuſpenſionis diceret per menſem Iulij: nam tunc deberet eam ſeruare 31. diebus; cùm ſic Superior ſufficienter declaret hanc eſſe ſuam voluntatem; quòd non faceret, ſi loqueretur indefinitè dicens, *ad menſem.* ita Docti recentiores à me conſulti, & alij quos refert Bald. *in l. eos, §. ſi autem, n.9, de appell.* & Francus *in cap. quam ſit, §. electus, de elect. in 6.*

Quòd autem diximus de die biſſextili, putat Caſtrus Palaus *D.4. de cenſur. p.5. num.3.* non procedere in caſu, quo ſuſpenſio lata ſit per quadriennium: cùm dies biſſextilis omnino pertineat ad illius complementum; ſiquidem Sol, & Luna curſum, quolibet anno conficiunt ſpatio 365. dierum, & 6. horarum, quæ 6. horæ continuatæ vnum diem quolibet quadriennio neceſſariò conſtituunt; ſicut aliis relatis, aduertit Sanch. *lib.4. moral. cap.35. n.3.* & Bonac. *de cenſur. in comm. D.3. p.5. num.6.*

42. Addit Sayr. *num.6.* quòd ſi quis per 2. aut 3. menſes ſit ſuſpenſus, & iis nondum elapſis incurrat aliam ſuſpenſionem eiuſdem rationis item 2. aut 3. menſium, tempus poſterioris ſuſpenſionis incipit currere ſtatim poſt commiſſum delictum; intellige, niſi ferens cenſuram explicet ſe nolle, quod tempus poſterioris ſuſpenſionis currat, durante tempore prioris ſuſpenſionis: quo caſu certum eſt tempus poſterioris non currere, niſi finito tempore prioris, cùm hoc à voluntate ſuſpendentis pendeat; patet autem reſponſio ex dictis *cap.1, ſect.2. quæſt.28.* ſi addidero poſteriorem ſuſpenſionem priori ſuperuenientem id efficere, vt, quamuis ſuſpenſus abſoluatur à priori, adhuc maneat ligatus poſteriori; vt colligitur ex *cap. cùm pro cauſa, de ſent. excommunic.*

An

An verò interrumpatur tempus suspensionis ex eo, quòd illa violetur.

43. Respond. Suar. *supr. D. 29. sect. 1. num. 11.* non interrumpi: probátque quia proximus, & immediatus effectus suspensionis non est realis priuatio actionum, aut rerum, à quibus quis suspenditur, sed obligatio ad se abstinendum ab illis, seu incapacitas earum: hæc autem toto tempore præscripto manet in suspenso, etsi violet suspensionem, eoque finito finitur, vt benè probat Suar. *ibi.*

QVÆRES XXVII. Quam pœnam incurrat, qui Suspensionem violat.

44. Respond. incurrere irregularitatem, si suspensio sit ab ordine, & suspensus exerceat actus alicuius ordinis, siue maioris, siue minoris: idque, etsi non sit denuntiatus modo infra explicando. Secùs, si suspensio sit à iurisdictione, & suspensus nihilominùs exerceat actus proprios iurisdictionis, ita Filliuc. *tract. 17. cap. 10. quæst. 4. & 6.* Suar. *supr. D. 26. sect. 2. n. 3. & 6.* Bonac. *part. 4. num. 5.* aliíque penes ipsos; & probatur, quoad priorem partem ex *cap. is qui de sent. excommunic. in 6.* & ex *c. 1. de sent. & re iudic. in 6.* (qui tamen textus loquuntur solùm de exercitio solemni Ordinum, vt notat Bonac. *num. 5.*), quoad posteriorem verò partem, constat ex eo, quod iure non reperitur expressa vlla irregularitas contra suspensum à iurisdictione violantem eiusmodi suspensionem, nec potest afferri vllus textus ad id probandum: præterquàm quod irregularitas per se non impedit actum iurisdictionis, sed ordinis, ideóque nec incurritur ob actum iurisdictionis vsurpatum.

45. Dixi, idque *etsi non denuntiatus*, vt innuerem suspensum ab ordine, si solemniter exerceat actum ordinis, fieri irregularem, licèt non sit denuntiatus: si quidem ad id spontè, & ex se ad talem actum se ingerat: non item, si id faciat requisitus ab aliis, aut certè ad vitandam infamiam, vel scandalum; tunc enim non fieret irregularis, cum talis irregularitas sit ex delicto, ac proinde non contrahatur, nisi præcedente delicto. ita Filliuc. *num. 181.* monens *num. 183.* eiusmodi irregularitatem incurri etiam ab eo, qui cum sit suspensus ab ordine, exercet actus ordinis iure solùm humano ipsi ordini competentes (quales sunt benedicere nuptiis, aut aquæ, capitulare in Choro, absoluere solemniter &c.) probat Filliuc. tum ex eo, quod ita sentiunt communiter DD. Nau. Maiol. Ang. tum quia isti actus sunt actus Ordinis, nec solet distingui de actibus competentibus iure diuino, aut humano.

46. Quod verò diximus per exercitium ordinum minorum incurri irregularitatem, si id fiat ab eo, quo est suspensus ab ordine; limitandum est, nimirùm, si actus ordinum minorum à suspenso fiant solemniter, aliàs, si exerceantur, vti solent fieri etiam à Laicis, tunc per tale exercitium non incurritur irregularitas: quo sensu Bonac *supr.* cum Sayr. Tabiena S. Anton. & aliis negat per exercitium ordinum minorum incurri irregularitatem; quod nos vltrò concedimus.

Quòd si quæras, An Regularis ex iusta causa ab Episcopo suspensus à confessionibus fiat irregularis, si audiat confessiones.

Respond. Duardus *lib. 1. in bull. in Cæna q. 3. n. 124.* non fieri; & probat, tum quia hæc suspensio non est censura strictè dicta, sed solum latè (prout censura importat quodcumque impedimentum, aut prohibitionem vsus officij, aut facultatis Ecclesiasticæ) & respectu Regularium solùm est reuocatio approbationis, non autem ablatio iurisdictionis, quam ij habent à Papa: tum quia Regulares ex speciali priuilegio, quod refert Sanch *lib. 7. de matr. D. 33. n. 25.* non possunt ab Episcopo ligari censuris, adeóque cum nulla sit suspensio, de qua hic, eius violatio non inducit irregularitatem. At contra Duardum insurgit Cespedes *disp. 110. de exempt. num. 6.* ex eo, quod per bullam Greg. XV. *Inscrutabili*, Episcopi possunt censurare Regulares in Sacramentorum administratione delinquentes; sicque corruit principalis ratio Duardi iuxta dicta in nostro *tract. de Monial. cap. 8. num. 6.* sic Cespedes alioqui concedens *num. 7.* quod si suspensio ista non æstimetur pœna, sed solùm ablatio facultatis excipiendi confessiones, sine causa facta, Regularis violans talem suspensionem non est irregularis; sed non vacat omnia latiùs examinare.

Cæterùm, quod spectat ad alias species suspensionis, vniuersaliter docet Suar. *num. 4.* eum, qui illas violat, non incurrere irregularitatem: cum non omnis violatio suspensionis inducat irregularitatem, sed ea solùm, quæ est in vsu ordinum: non enim loquuntur iura de vllo alio actu) aut certè in vsu iurisdictionis includentis actum ordinis eo modo, quo diximus, *quæst. 15.* 47.

De violante Suspensionem latam in puram pœnam dubium iam est, vtrum incurrant irregularitatem: & ratio dubitandi est, quod talis suspensio non est propriè censura; cùm tamen in *cap. is qui de sent. excommunic. in 6.* constituatur generalis regula de celebrante diuina, cum sit censura ligatus.

Respond. tamen etiam in hoc casu incurri irregularitatem; & probatur, tum quia suspensio lata in puram pœnam, quamdiu durat, efficaciter priuat sacro ministerio, æquè ac priuat suspensio, quæ est propriè censura; ergo, sicut per violationem illius incurritur irregularitas, ita & incurretur per violationem illius; tum quia suspensio lata ad tempus certum non est propriè censura, sed pœna; & nihilominùs ratione illius incurritur irregularitas, vt clarè colligitur ex *cap. 1. de sent. & re iudic.* ita Suar. *num. 4.* & cum eo Bonac. *num. 6.* aliíque contra quosdam Canonistas, qui dicunt in casu, quo suspensio à iure feratur his verbis, *qui hoc fecerit, suspensus est ab officio, donec satisfaciat*, non fieri irregularem illum, qui, vbi incurrit suspensionem ob tale crimen, ministrat in officio: quæ sententia, sicut nititur falso fundamento (vt benè ostendit Suar. *num. 5.*) ita & ipsa est falsa, adeóque reiicienda. 48.

Addu cum Filliuc. *num. 189* suspensum ab ingressu Ecclesiæ, si celebret in Ecclesia, fieri irregularem, etsi demus eiusmodi suspensionem non esse propriè speciem suspensionis, sed interdicti: cum sit violet Interdictum; quod sufficit ad incurrendam irregularitatem. 49.

QVÆRES XXVIII. Quis possit absoluere à Suspensione.

Respond. cùm distinctione: vel loquimur de suspensione lata in puram pœnam; & sic tollitur, tum per temporis lapsum (vt constat ex dictis *q. 26.*) idque absque vlla absolutione; tum per dispensationem Superioris, & quidem etiam nondum elapso termino, qui fortè pro eius duratione fuerit designatus; tum per absolutionem ab habente potestatem siue ordinariam, siue delegatam, vt infrà. Vel loquimur de suspensione lata ob contumaciam; & hæc, quamdiu durat contumacia, auferri non potest, nisi ab eo, qui tulit suspensionem, vel ab eius Superiore, aut successore in officio; qui, regulariter loquendo, neque ipse debet absoluere, ob seruandum rigorem Ecclesiasticæ disciplinæ: vbi verò deposita est contumacia, ad eam tollendam necessaria est absolutio, danda, si quidem sit suspensio ab homine, 50.

per

per eum, qui illam tulit, eius Superiorem, aut ſucceſſorem in officio: ſi verò ſit à iure, & reſeruata, per auctorem illius, Superiorem, & ſucceſſorem modo dicto; ſi autem non ſit reſeruata, per quemcumque Confeſſarium. ita Filliuc *tract.* 17. *cap.* 4. *quæſt.* 6. & 7. aliique apud ipſum; qui benè notat, quod, quando ſuſpenſio fertur ſub conditione, *donec ſatisfaciat, aut reſtituat*, probabile eſt eam tolli ipſo iure ſtatim ac ſecuta eſt ſatisfactio; cum talis conditio videatur præſcribere terminum, pro quo duratura eſt ſuſpenſio; quamquàm oppoſita ſententia ſuſtinens in tali caſu requiri abſolutionem, ſit tutior, quandocumque ſuſpenſio lata eſt, tanquàm cenſura, & non in puram pœnam; ſi quidem cenſura propriè dicta non tollitur, niſi per abſolutionem, & ſenſus illius conditionalis eſt, non eſſe talem abſoluendum ante datam ſatisfactionem, hac autem data nihil obſtare, quo minùs abſolui poſſit: qua de re Diana *part.* 5. *tract.* 10. *reſol.* 25.

Addit Caſtr. Palaus *de cenſur. D.* 4. *part.* 9. *num.* 2. ſuſpenſionem latam in iure communi ad certum tempus, attento iure antiquo, poſſe relaxari ante tempus finitum à ſolo Papa, vt tradit Gloſſa *in cap. cupientes §. cæterum v. ſuſpenſos de elect. in* 6. & oſtendit Sanch. *lib.* 3. *de matr. D.* 55. ſiquidem Papa ſuſpendens pro eo determinato tempore intendit ſuſpenſionem toto eo tempore durare, ſicque cenſetur relaxationem inferioribus impedire; aliàs intentio Papæ, & effectus huius ſuſpenſionis fruſtraretur, ſi ab Epiſcopo poſſet remitti. Et hoc eſt ita verum, vt ſi à iure ſtatuta ſit ſuſpenſio annalis, aut triennalis pro aliquo delicto ab Epiſcopo imponenda, nequeat Epiſcopus eam imponendo minuere, aut impoſitam relaxare; cum ei ſolùm conceſſa ſit impoſitio ſuſpenſionis, non eius duratio, quæ ab Authore iuris determinata eſt *lib.* 1. *ff. ad Senatuſconſult. Turpilian.* Quod non procederet, ſi ius non præſcriberet tempus ſuſpenſionis, ſed ſolùm ſtatueret imponi ſuſpenſionem pro delicto: tunc enim Epiſcopus impoſita ſuſpenſione pro aliquo tempore certo ante illud finitum poſſet relaxare, cum à proprio potuerit eam ſuſpenſionem non ita extendere; vt tradunt Suarez, Laym. & Hurtadus relati ab ipſo Caſtro Palao.

Quod ſi quæras, quis poſſit tollere ſuſpenſionem latam in puram pœnam.

51. Reſpond. cum diſtinctione: vel loquimur de poteſtate delegata; & hæc deſumi debet ex priuilegiis, quæ habet vnuſquiſque Confeſſarius: (quamquàm, ſi ſuſpenſio ſit ab homine, ea tolli non poſſit, niſi ab eo, qui eam tulit, eius Superiore, aut Succeſſore;) vel loquimur de poteſtate ordinaria; & ſic ſuſpenſio à iure lata, ſiue perpetua, ſiue ad certum tempus, ſolùm ab auctore canonis tolli poteſt ante tempus elapſum; & probatur ex eo quod, quando ſuſpenſio fertur in perpetuum, ius illam inferens, & declarans eſſe perpetuam, vult eam eſſe immutabilem, ſicut ipſum ius, adeóque virtualiter eam reſeruat, vt tolli non poſſit, niſi ab eo, qui poteſt auferre tale ius (quæ ratio probat intentum etiam in caſu, quo ſuſpenſio fertur ob peccatum præteritum indefinitè, & ſine vlla temporis determinatiòne, & quidem in puram pœnam;) è contra, quando ſuſpenſio fertur ad certum tempus, per talam deſignationem temporis, ius declarat eam ante illum terminum non debere auferri, ſicque eam virtualiter reſeruat, ne pro eo tempore ab vllo inferiori auferatur: cum tamen, Auctore canonis ſibi reſeruante abſolutionem alicuius cenſuræ, ſiue tacitè, ſiue expreſsè, nullus inferior poſſit abſoluere vota *cap. nuper, de ſent. excommunic.* ita Suarez *D.* 29. *ſect.* 1. *num.* 15. qui benè notat *num.* 16. ex eo, quod inferior poteſt abſoluere ab excommunicatione, non reſeruata ab Auctore canonis, non benè inferri, idem dicendum eſſe etiam de eiuſmodi ſuſpenſione ſi quidem excommunicatio non fertur in puram pœnam (vti fertur iſta ſuſpenſio) ſed in medicinam, & non abſolutè imponitur ad certum tempus, ſed donec quis reſipiſcat; vnde fit, quod excommunicatio tollitur per abſolutionem, iſta verò ſuſpenſio, non niſi per diſpenſationem; ſicque non valet argumentum ab abſolutione ad diſpenſationem, vt ſicut in abſolutioe intelligitur conceſſum, quod non reſeruatur, idem de diſpenſatione cenſeri debeat: à diuerſis enim non fit illatio.

Qværes XXIX. An, & qua ratione impediri poſſit ſuſpenſio.

52. Reſpond. ſi quidem ſuſpenſio ſit ab officio, aut ingreſſus Eccleſiæ, non poſſit impediri per appellationem ſubſequentem, cum talis ſuſpenſio trahat ſecum executionem; ſecùs, ſi ſit ſuſpenſio à beneficio. ita Coninh. *D.* 15. *de Cenſur. n.* 29. cum Sylu. Ang. Nau. Auil. & Henriq. patetque ex *cap.* 15. *qui de ſentent excommunic. in* 6. vbi id expreſsè deciditur, quoad priorem partem; indirectè verò, & conſequenter, quoad poſteriorem; quatenus ſingulariter dicit ſuſpenſionem ab officio, ac ingreſſu Eccleſiæ non ſuſpendi per appellationem ſubſequentem; quod eſt innuere contrarium de aliis ſuſpenſionibus, vt aduertit Gloſſa *in cap. is, qui citato*; qua de re Diana *p.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 16. & nos in *tr. de prohib. t.* 7: *q.* 10. *n.* 27.

Qværes XXX. An, & per quos poſſint Regulares abſolui à ſuſpenſionibus.

53. Reſpond. poſſe non ſolùm per proprios Prælatos etiam locales, vt docet Sayr. *lib.* 4. *de Cenſur. cap.* 17. *num.* 28. ſed etiam per Confeſſarios Ordinis, vt aduertit Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 3. *cap.* 4. *num.* 3. idque ex priuilegio bullato Pauli III. conceſſo Religioſis Soc. Ieſu, & à nobis explicato in *tract. de priuil. cap.* 3. *ſect.* 1. *ſubſ.* 2. *quæſt.* 1. *ſuppoſ.* 1. & *quæſt.* 5. §. *an vero*, & quidem iuxta Layman etiam in caſu, quo ſuſpenſio incurſa ſit in iure lata, tanquàm pura pœna; ad hanc enim putat iſte Doctor extendi præfatum priuilegium, vtpotè loquens indiſtinctè de cenſuris: idque ea ductus doctrina, quod, licèt ſuſpenſiones, quæ vt puræ pœnæ feruntur, per diſpenſationem potius tolli debeant, quàm per abſolutionem (vt diximus *quæſt.* 28.) Sylu. tamen *v. abſol.* 6. *diſp.* 2. Nauar. *cap.* 27. *n.* 161. Auila *part.* 3. *de Cenſur. D.* 6. *diſp.* 2. aliique putant indiſcriminatim omnem ſuſpenſionem propter delictum, ſiue in perpetuum, ſiue ad certum tempus impoſitam auferri per abſolutionem; vt vel hinc patet, quod in ipſa ſuſpenſionis relaxatione adhibetur verbum, *abſoluo*. ita Laym. docens priuilegium in Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de refor.* conceſſum Epiſcopis quoad abſoluẽdum ab omnibus irregularitatibus, ac ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, extendi ad quamcumque ſuſpenſionem, etiam Papæ reſeruatam, quamuis vt pura pœna ſiue in perpetuũ, ſiue ad certum tempus decreta ſit, dummodò proueniat ex delicto occulto, non deducto ad forum contẽtioſum. quæ doctrina ſi admittatur, quoad Eſpiſcopos, vtique & debet admitti, quoad Prælatos regulares reſpectu ſuorum ſubditorum: quippe qui (vt alibi non ſemel diximus) ex conceſſione bullata Pij V. facta Dominicanis, & relata à Rodriq. *in Bullar. bulla* 13. *Pij V.* omnem illam auctoritatem abſoluendi, & diſpenſandi, quam Epiſcopi habent, erga ſuos ſubditos, habent etiam ipſi in foro conſcientiæ erga Religioſos ſibi reſpectiuè ſubditos: quæ eſt maxima conceſſio, & communis etiam aliis Ordinibus participantibus de priuilegiis Dominicanorum.

Sectio

Sectio II.

In qua proponuntur, & explicantur suspensiones iure communi latæ contra Regulares, & reseruatæ, siue Papæ, siue Ordinario.

54 *Referuntur suspensiones Iure communi lata contra Regulares, ac reseruata.*
55 *Suspenduntur Regulares à fructuum administratione, si promoti à Papa sine eius literis accipiant administrationem: Conuentus verò in hoc casu suspenduntur à beneficio.*
56 *Prælati suspenduntur ab officio, ac beneficio, si dent Dimissorias non subditis.*
57 *At conferunt ordines in alieno Conuentu de licentia Prælati ipsius Conuentus.*
58 *Imò & dant Dimissorias Nouitijs Ordinis.*
59 *Non suspenduntur à collatione ordinum per annum, si ordines conferant Nouitijs.*
60 *Suspenduntur ab officio, & beneficio, si pecuniam accipiant in visitatione.*
61 *Limita, si iure ordinario visitent.*
62 *Aut aliquid accipiant vltra laudabilem consuetudinem.*
63 *Aufertur hæc suspensio, data debita satisfactione.*
64 *Et ista satisfactio non repugnat Prælato regulari.*
65 *Hæc suspensio erit solum ab officio, si suspensus careat beneficio Ecclesiastico.*
66 *Regulares suspenduntur à diuinis, si indebitè disserant de Conceptione V. Mariæ.*
67 *Sic suspenduntur, & Prælati non promouentes studium linguarum.*
68 *Regulares suspenduntur ab officijs &c. si iniquè vsurpent decimas Ecclesiarum.*
69 *Secus, si sint translati ad Ecclesiam sæcularem.*
70 *At hæc suspensio non incurritur, nisi Regulares moniti intra mensem omittant restituere decimas.*
71 *Suspenduntur à prædicatione, si non moneant pœnitentes de soluendis decimis.*
72 *Intellige, si omittant monere in ipsa confessione.*
73 *Si quidem possint commodè id facere.*
74 *Et pœnitentes in confessione faciant de hoc mentionem.*
75 *Solus Papa absoluit ab hac suspensione.*
76 *Suspenduntur ab officio, & beneficio Prælati, si non reddant accepta ob excessus subditorum.*
77 *Recensentur excessus, de quibus hic est sermo.*
78 *Ab hac suspensione absoluit solus Papa.*
79 *Suspenduntur ab vsu Ordinis Regulares eum recipientes in Apostasia: nec ad ordinem superiorem ab ea recedentes promouentur sine dispensatione, at Apostata recipiens ordines minores in Apostasia non est irregularis, nec vlli subest pœna.*
80 *Et ab hac suspensione absoluuntur per solum Papam.*
81 *Suspenduntur ab vsu omnium ordinum, si eijciantur à Religione.*
82 *At id non procedit de dimissis à Societate Iesu post vota biennij, aut Coadiutorum formationem.*
83 *Benedictini suspenduntur, si habitum præscriptum non deferant.*
84 *Limitatur assertio,*
85 *Suspenduntur Regulares ex proposito vacantes venationi, aut aucupationi.*
86 *Suspenduntur ab vsu ordinum Sacrorum Dominicani, & Minores, si in Inquisitione se inuicem perturbent.*
87 *A pontificalibus suspenduntur Dominicani, si electi ad sæcularem prælaturam Ordini debitè non tradant suos libros &c.*
88 *Suspenduntur Capitula pro ingressu Religionis aliquid petentia, vel accipientia.*
89 *Suspenduntur Regulares ab officio sacerdotali, si matrimonijs indebitè assistant.*
90 *At non incurrunt excommunicationem relatam cap. præced. sect. 2. quæst. 3.*
91 *Imò nec incurrunt hanc suspensionem, si assistant matrimonio clandestino.*
92 *Suspensio ista est solùm ab officio sacerdotali, & reseruatur Ordinario illius Parochi, cuius interest, etsi tollatur etiam per priuilegia Regularium.*
93 *Suspenduntur Regulares ab vsu ordinum &c. si contra Clementis VIII. bullam in ordine 40. malè promoueantur ad ordines.*
94 *Suspenduntur ab officio, ac beneficio, si, vacante regulari Ecclesia, occupent bona à Prælato dimissa, aut tempore vacationis obuenientia.*

QVÆRES I. Quot, & quæ sint Suspensiones iure communi latæ contra Regulares, & reseruatæ modo supradicto.

Respond. esse 18. quarum 1. est contra Abbates, aliosque Prælatos à Sede Apostolica promotos, qui sine eiusdem Sedis literis authenticis recipiunt administrationem suarum Ecclesiarum: 2. contra Abbates, & alios quoscumque concedentes literas dimissorias aliis, quàm Religiosis sibi subditis: 3. contra recipientes pecuniam, aut munera in visitatione: 4. contra tractantes indebitè de Conceptione B.V. aduersus decreta Summorum Pontificum: 5. contra Prælatos non promouentes studium linguæ Hebraicæ, Græcæ &c. 6. contra iniquè vsurpantes decimas Ecclesiarum: 7. contra non monentes Pœnitentes de onere soluendi decimas, postquàm de hoc requisiti sunt à Rectoribus Ecclesiarũ: 8. contra Prælatos non satisfaciẽtes intra mẽsem parti læsæ, quoties ad ipsos Prælatos prouenit aliquid occasione excessuum commissorum à Religiosis subditis, & requisiti intra mensem non satisfaciunt: 9 contra Apostatas à religione recipientes ordines sacros: 10. contra Religiosos à religione eiectos: 11. contra Monachos nigros non vtentes proprio habitu: 12. contra eosdem Monachos vacantes venationi, aut aucupationi: 13. contra Fratres Prædicatores perturbantes officium S. Inquisitionis exercitum à Fratribus Minoribus, & è contra: 14. contra eosdem Fratres Prædicatores promotos ad prælaturam sæcularem, & ante consecrationem non restituentes Ordini, quæ tunc habent: 15. contra recipientes, aut petentes aliquid ob alicuius receptionem in religionem, aut etiam post illam: 16. contra coniungentes matrimonio, aut benedicentes Sponsos sine licentia proprij Parochi: 17. cõtra indebitè ordinatos: 18. contra occupantes bona Prælati tempore monasterij vacantis. 54.

QVÆRES II. Quam suspensionem incurrant Abbates, Priores &c. si à Sede Apostolica promoti, vel ab ea confirmati sine literis authenticis illius recipiant administrationem monasterij commissi, quamque suspensionem incurrant Capitula, & Conuentus dictos Prælatos admittentes, ac recipientes sine præfatis literis.

Respond. Prælatos, quidem suspendi ab administratione fructuum Ecclesiarum, quos modo dicto recipiunt; Conuentus autem, & Capitula suspendi à beneficiis, donec à Sede Apostolica gratiam recipiant; à beneficiis, inquam, siue quæ dicti Conuentus capitulariter, seu communiter possident, (vt pu- 55.

tat Suar. *D.31.de cenſur.ſect.9.num.*23.remiſſioè:)ſiue
quæ ſinguli è Conuentu obtinent, vt ait Bonae. de
*cenſur.in part.D,3.quaſt.4.part.*10.*num.* 4. ea ratione
ductus, quod in Extrauag. 1. *de elect.* (vbi ferunturr
hæ duæ ſuſpenſiones)non ſolùm ſuſpenduntur Ca-
pitulum, & Conuentus, ſed etiam ſingulares per-
ſonæ;vt colligitur ex illis verbis:*Capitula verò, Con-
uentus Eccleſiarum, & monaſteriorum ipſorum, & alij
quicumque ipſos abſque huiuſmodi dictæ Sedis literis re-
cipientes,vel obedientes,tamdiu ſint à beneficiorum ſuo-
rum perceptione ſuſpenſi, donec ſuper hoc eiuſdem Sedis
gratiam meruerint obtinere;*quod eſt talem ſuſpenſio-
nem reſeruari, quoad Conuentus, non item,quoad
Abbates,alioſque Prælatos regulares.

QVÆRES III. Quam ſuſpenſionem incur-
rant Abbates, aliíque Prælati regulares, qui dant
literas dimiſſorias aliis,qoàm Religioſis ſubditis.

56. Reſpond. incurrere ipſo facto ſuſpenſionem per
annum ab officio,& beneficio; hancque reſeruatam
ad arbitrium proprij Ordinarij, vt conſtat ex Conc.
Tridentini *ſeſſ.*23.*cap.*10.vbi dicitur,*quamdiu proprio
Ordinario videbitur*; quamquàm iſta ſuſpenſio non
extendatur ad Prælatos regulares, qui conferunt
Tonſuram, aut ordines Clerico ſæculari, vel Reli-
gioſo non ſubdito:vt exiſtimant Sayr.*lib.4.de cenſur.
cap.*13. *num.* 5. & alij;ſed minùs bene, cùm præſens
ſuſpenſio non imponatur conferentibus literas di-
miſſorias (vt clarè conſtat ex textu) & aliàs pœnæ
non debeant ampliari, ſed reſtringi. ita Bonac. *ſupr.
quaſt.8.part.*3. *num.* 2. concedens tamen in caſu pro-
poſito Prælatos regulares remanere ſuſpenſos à col-
latione ordinum per annum; ſic ſtatuente Concilio
Trident.*ſeſſ.*23.*cap.*8. ſi quidem id faciant ſine licen-
tia Epiſcopi eorum, quos ordinant (ſi ſint Clerici
ſæculares)aut Prælati regularis,ſi ſint Religioſi non
ſubditi; ſecùs, ſi id faciant de eorum licentia reſpe-
ctiuè: Concilium enim citato cap prohibet ordines
conferri,ab alio,quàm à proprio Epiſcopo,niſi con-
ferantur de licentia Epiſcopi teſtimonium perhi-
bẽtis de probitate,& moribus, non autem prohibet
ſimpliciter, vt patebit legenti textum; vnde fit, vt,
concurrente licentia proprij Epiſcopi poſſit Cleri-
cos ſæcularis licitè ordinari à Prælato regulari abſ-
que eo, quod iſte incurrat ſuſpenſionem,

57. Imò docent Gemin.Maiol Alter.& alij apud Bo-
nac.*num.*4. Abbatem Regularem inuitatum a Præla-
to alterius Monaſterij, ac Ordinis ad conferendos
ordines aliquibus Religioſis ipſius Prælati ſubditis
intra eorum monaſterium,poſſe eum id facere,etiam
ſine licentia Epiſcopi diæceſani; ratio eſt,quia ſic nõ
violatur poteſtas Diæceſani, cum non conferantur
ordines Clericis ſæcularibus, ſed Regularibus, &
quidem de licentia ſuorum Prælatorum,vt ſuppono.

Difficilior quæſtio eſt, an Prælatus regularis in-
currat ſuſpenſionem, ſi concedat literas dimiſſorias
Nouitio ſubdito, aut etiam conferat ordines.

58. Reſpond. non incurrere,ſiue literæ dimiſſoriæ ei
dentur ad recipiendam Tonſuram (quod concedit
etiam Bonac.*num.* 5.) ſiue etiam ad ſuſcipiendos or-
dine minores ab alieno Epiſcopo; quod negat Bo-
nac. eo motus fundamento, quod ſuſpenſio relata
in Trid.Conc.*loco cit.* afficit Abbates, & alios Præ-
latos regulares concedentes dimiſſorias Clerico ſæ-
culari: Nouitius autem initiatus Tonſura non eſt
Clericus regularis, ſed ſæcularis; ergò. Verùm, cum
Nouitius in fauorabilibos veniat nomine Religioſi,
& beneficium Principis latè interpretari debeat;non
video, cur Nouitius non poſſit venirè nomine Cle-
rici regularis, præſertim cum ſit ſubditus Prælati
monaſterij,quamdiù manet in Ordine; quod ſi de-
tur venire nomine Clerici regularis, tunc vtique
corruit fundamentum Bonac. cum ſic Prælatus reli-
gioſus non det literas dimiſſorias Clerico ſæcula-
ri(quod requiritur ad incurrendam iſtam ſuſpenſio-
nem,)ſed Clerico regulari,vt patet.

Quæ doctrina meo iudicio oſtendit Abbatem,vel
aliom Prælatum Regularem, qui poteſt conferre 59.
ordines minores, non ſuſpendi à collatione ordi-
num per annum, ſi eos Nouitio ſubdito conferat;
nam iſta ſuſpenſio,vt iam diximus, afficit ſolùm eos
Prælatos,qui ordinant Regulares ſibi non ſubditos:
quod non euenit in caſu noſtro;cum inta dicta No-
uitius comprehendatur nomine Regularis in fauo-
rabilibus, & quamdiù commoratur in Religione, ſi
ſubditus Prælati regularis, in cuius degit monaſte-
rio.ita docti Recentiores à me conſulti contra Bonac.

QVÆRES IV. Quam ſuſpenſionem incur-
rant Regulares recipiendo pecuniam, aut munera in
Viſitatione,quidq; requiratur ad eã contrahendam.

Reſpond. incurrere ſuſpenſionem ab officio, & à
beneficio, niſi intra menſem reſtituant duplum il-
lius, qood acceperunt: ídque ex *cap.exigit de cenſib.
in 6.* vbi id expreſsè deciditur;quamquàm in *cap.ro-
mana eod. tit.* in cuius confirmationem editum eſt 60.
cap.exigit,ab iſta cenſura eximantur regulares Præla-
ti,qoi iure ordinario viſitantes Religioſos ſibi ſub-
ditos aliquid recipiunt ex laudabili conſuetudine,
aut inſtituto Religionis; vt colligitur ex iis verbis,
quæ habentur *in dicto cap.romana,Saluis ſuper hoc ra-
tionabilibus, & approbatis Religioſorum conſuetudini-
bus,& regularibus inſtitutis*,ita Bonac.*ſupr.q.5.p.4.n* 7.
cum Palud.& Sayro,qui hinc benè inferunt non eſſe
verum, quod aliqui dicunt Regulares ſimpliciter
eximi ab iſta ſuſpenſione: ſi quidem eximuntur ſo-
lùm, quoad hoc, quod poſſunt recipere, quæ iis
competunt ex laudabili Religionis conſuetudine:
vnde fit, vt, ſi quid aliud præter hæc accipiant, affi-
ciantur iſta ſuſpenſione.

Suſpenſio ergò iſta non afficit,niſi regulares Præ-
latos iure ordinario viſitantes Religioſos ſibi ſubdi-
tos(cuiuſmodi ſunt Generales Prouinciales, aut Vi- 61.
ſitatores, aliiue ſimiles;)non item Prælatos locales,
qui fortè à propriis ſubditis recipiant pecunias, &
munera; non enim iſtis competit munus viſitandi
propriè loquendo,etſi aliquo modo, occurrente oc-
caſione, dici poſſint viſitare ſuos ſubditos; imò nec
eos,qui iure delegato viſitant: nam textus loquitur
de iis,qui viſitant iure ordinario,idcóque non debet
ampliari ad eos,qoi viſitant iore delegato:cum pœ-
næ non ampliari, ſed reſtringi debeant, ſalua verbo-
rum proprietate; illi autem dicerentur viſitare iure
delegato, qui nomine Viſitatoris, aut Prouincialis,
aut alterius ſimilis aliquod monaſterium viſitarent,
vt pote habentes iuriſdictionem delegatam à Viſi-
tatore, aut Prouincialibus habentibus iuriſdictio-
nem ordinariam.

Quod ſi quæras, quænam recipi poſſint à Præla-
tis regularibus ex cauſa viſitationis iuxta laudabi-
lem Religioſorum conſuetudinem.

Reſpond.id colligendum eſſe ex conſuetudinibus
ſingulorum Ordinum,quas puto eſſe admodum va-
rias; vt proinde hac in re aſſignari nequeat certa, & 62.
generalis regula.Illud certò conſtat in multis Ordi-
nibus Prælatos in viſitatione recipere non ſolùm vi-
ctualia,ſed pecunias,imò & munera,aliqoando etiam
pretioſa, & quidem ſine ſcrupolo; vt proinde iura
tales receptiones prohibentia vel dici debeant mo-
dò non eſſe in vſu, vel laudabilem Religioſorum
conſuetudinem quoad hoc valde ampliatam fuiſſe,
magnámque habere latitudinem.

Cæterùm

63. Cæterùm, cùm *in cap. exigit*, citato de Prælatis regularibus ex causa visitationis aliquid indebitum recipientibus dicatur. *Ab officio, & beneficio nouerint se suspensos, quousque de duplo huiusmodi grauatis Ecclesiis plenariam impendāt satisfactionem, nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratia valitura*; sequitur, hoc ipso, quod monasterio damnificato restituitur duplum eius, quod indebitè receptum est, istam suspensionem statim cessare absque alia absolutione; idque ex doctrina generali, quod suspensio lata sub conditione, seu ad certum tempus cessare statim ac apponitur conditio, aut elabitur tempus præfixum: quod est eiusmodi suspēsionem virtualiter reseruari.

64. Quomodo autem Prælatus possit facere illam restitutionem, cùm non habeat quidquam proprij, constat ex dictis *de paupertate, tract. 4. c. 2. n. 321.* vbi diximus ex communi DD. sensu restitutionem rei alienæ ablatæ à Religioso faciendam esse ex peculio, quod ei conceditur cum facultate disponendi, prout ipsi placuerit.

65. Quid verò intelligatur nomine suspensionis ab officiu, & beneficio, iam diximus supra: vnde hîc solùm moneo istam suspensionem dici suspendere ab officio, & beneficio ex suppositione, quod Prælatus, in quem cadit dicta suspensio, habeat & officium, & beneficium: ideóque, si nullum habeat beneficiū, talis suspensio non erit à beneficio, sed solùm ab officio.

QVÆRES V. in quibus casibus Regulares incurrant suspensionem à diuinis latam contra tractantes indebitè de Conceptione B. Virginis.

66. Respond. incurrere, & quidem ipso facto absque alia declaratione vnà cum aliis pœnis à Paulo V. relatis in sua Const. *Regis pacifici*, edita 6. iulij 1616. si in popularibus concionibus, vel vbicumque promiscuè virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ alterutra parte disputare rationibus, vel Doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, vel impugnando, aut de hac ipsa quæstione cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumant, &c. in his, inquam, omnibus casibus incurrunt Regulares suspensionem à diuinis, eamque Papæ reseruatam; dummodo tamen in tali transgressione interueniat præsumptio, & alioqui transgressor sit constitutus in sacris: hæc enim omnia requiruntur ad incurrendam istam suspensionem, vt constat ex citata Constit. Pauli V. & ex motu proprio Pij V. hac de re edito, & cōfirmato, innouato ex certa scientia ac matura deliberatione in ea sua Const. qua de re fusiùs egimus *in tract. de prohibit. c. 4. q. 26. & in tract. de priuileg. c. 6. sect. 1. q. 8.*

QVÆRES VI. Quàm suspensionem incurrant Prælati regulares non promouendo studium linguæ Hebraicæ, Græcæ literalis, Latinæ, Arabicæ, Chaldaicæ, & Illyricæ; prout præcipitur in decreto Sacræ Congregat. *de propaganda fide iussu.* Vrbani VIII. edito 16. Octobr. 1623.

67. Respond. incurrere suspensionem à diuinis, & quidem reseruatam; vt colligitur ex tenore ipsiusmet Decreti; quamquam tale decretum non videatur esse in vsu, vt dicam *infra cap. 6. sect. 2. n. 69.* Quod si demus illud esse in vsu, tunc demum incurreretur præsens suspensio, quando Prælati regulares in celebrioribus gymnasiis non instituunt, institutum non conseruent, & , si fieri possit, etiam maius non efficiant studium dictarum linguarum; non item, si sine desides in curando, vt scholares dicto studio sedulò, ac diligenter vacent, in eóque proficiant: id enim non exprimitur in præfato Decreto.

QVÆRES VII. Quandonam Regulares incurrant suspensionem latam in Clem. 1. *de decimis* contra Religiosos iniquè vsurpantes decimas Ecclesiarum, & qualis sit ista suspensio.

68. Respond. incurrere, quando solutionem decimarum impediunt, aut eas sine causa rationabili, aut priuilegio vsurpare præsumunt, & requisiti ab illis, quorum interest, intra mensem non desistunt, aut de vsurpatis, vel retentis intra 2. menses non satisfaciunt; suspensionem verò esse ab officiis, administrationibus, ac beneficiis, quæ fortè habeant. patet ex Clem. 1. *de decimis* relata *cap. præced. sect. 3. q. 7.* vbi ostēdimus Religiosos modo dicto decimas sibi vsurpantes, si non habeant officia, administrationes, nec beneficia, non incurrere præsentem suspensionem, sed excommunicationem, à qua nequeunt absolui, donec satisfaciant: sicut nec possunt absolui ab ista suspensione, donec satisfecerint: quod est eam virtualiter reseruari.

69. Vnum hîc notant Nauar. *c. 27. n. 138.* Suar. *D. 31. sect. 6. n. 9.* contra Roselam *v. excommunicatio casu 59.* non comprehendi sub ista suspensione Religiosos translatos ad Ecclesiam sæcularem, ideóque si sic translati bona, & fructus dictæ Ecclesiæ modo dicto dispensent, non affici tali suspensione: cùm nomen Religiosi hîc formaliter intelligi debeat de Religiosis in suo statu viuentibus: quin etiam addunt præfati DD. quòd, cùm in textu dicatur, *Religiosi quicumque*, ista censura extenditur ad Religiosos vtriusque sexus, imò & ad Religiosos Militares: siquidem ius, quo fertur ista censura, quoad hanc partem, est fauorabile Ecclesiæ, ideóque extendendum, quantum patitur proprietas verborum.

70. Notat autem Bonac. *supr. q. 8. p. 8. n. 1.* quod, sicut ad contrahendam istam suspensionem non sufficit vsurpasse decimas, aut earum solutionem impedinisse; sed requiritur, vt, postquam de debita restitutione moniti fuerint (& quidem à Rectoribus Ecclesiarum) adhuc intra mensem non restituant; sic, cum in citata Clem. adhibeantur hæc verba, *appropriare, vsurpare, prohibere, retinere*, &c. quæ iuxta propriam significationem non cadunt in quamcumque negationem solutionis; ad incurrendam istam censuram non sufficit, quod Religiosi quoquo modo non soluant decimas, sed opus est, vt prohibeant, vel approprient, dicendo eas non esse debitas, illásque sub ea ratione retinendo, vel, esto eæ sint debitæ, prohibendo illas non solui: præterquam, quod etiam requiritur præsumptio; vti diximus *cap. præced. sect. 3. quæst. 7. §. ignorantia.*

QVÆRES VIII. Quid requiratur ad hoc vt Regulares incurrant suspensionem latam in Clem. *Cupientes de pœnis*, contra Religiosos, qui non admonent pœnitentes de onere soluendi decimas: & quæ sit ista suspensio.

71. Respond. requiri, vt in audiendis confessionibus scienter postponant confitentibus conscientiam facere de soluendis decimis; suspensionem verò esse ab officio prædicandi, & quidem ipso facto: quamquam ea non incurrant, nisi priùs Religiosi requisiti fuerint ab Ecclesiarum Rectoribus, Vicariis, aut loca tenentibus earumdem, vt illud minus præstent, & nihilominus id facere omittant. Vbi notat Suar. *n. 12.* quod, cum delictum hoc sit ex negligentia in confessione, suspensio tamen non est à munere audiendi confessiones, sed concionādi: vt hinc colligatur non semper necessarium esse reum puniri in ea materia, in qua deliquit, sed hoc pendere ex voluntate Legislatoris. *Et fortasse*, subdit Suar. *hic occasio fuit, vt possint Religiosi in eodem confessionis officio supplere, quod negligenter omiserant*: ipsis enim hoc onus

imponitur, vt constat ex textu, & tamen implere illud non possent, si suspenderentur à cōfessionibus.

Dixi sub initium responsionis, *vt in audiendis confessionibus*, &c. vt indicarem Religiosos Concionatores, qui modo dicto requisiti omittunt hortari po-
72. pulum ad solutionem decimarum, neutiquam incurrere istam suspensionem, puniendos tamen esse à proprijs Prælatis, vt habetur in citata Clementina in qua cum dicatur: *Religiosi omnibus iniungimus*, certum est in ea comprehendi omnes Religiosos, exceptis tamen Rectoribus Ecclesiarum, & Religiosis monasteriorum percipientium decimas, qui in specie excluduntur à dicta Clementina, ne alioqui, tanquàm in re propria delinquentes puniantur.

73. Verum tamen est Religiosos non incurrere istam suspensionem, nisi prædictam admonitionem omittant, dum commodè id præstare possunt: præcepta namque humana sunt suauia, nec obligant cum graui incommodo. ita Bonac. *part. 9. n.* 1. qui *D. 2. quæst.* 8. *part.* 13. *num.* 14. rectè monet iudicio prudentis relinquendum esse, quandonam Religiosi commodè possint facere illam admonitionem: cum, quoad hoc assignari non possit certa regula respectu omnium Religiosorum; quippe quibus non adest omnibus eadem commoditas, & opportunitas occasionis, attenta status religiosi decentia, ac honestate.

74. Quod autem dicitur in præfata Clemen. Religiosos teneri facere conscientiam confitentibus de solutione decimarum, quas ipsimet confitentes debent (de his enim loquitur textus) dicit Suar. posse probabiliter exponi formaliter de confitentibus, vt confitentes sunt, idest quatenus in ipsa confessione aliquam præbent notitiam huius obligationis, aut occasionem talis admonitionis: ac proinde, si pœnitentes nullam huius rei mentionem faciant, Confessarios non teneri facere dictam admonitionem; quamquàm, cum textus videatur loqui absolutè, & simpliciter, addendum censet Suar. præter eum casum Confessarios tenere facere eam admonitionem, quotiescumque requiruntur ab Ecclesiæ Rectore; nisi aliàs ipsis certò constaret hunc, aut illum pœnitentem nulla tali obligatione teneri.

75. Absolutio denique istius suspensionis reseruata est Papæ, vt potè quæ lata est ad certum tempus, & quasi sub conditione, donec Religiosus modo dicto conscientiam fecerit pœnitentibus; vnde & manet ab ea liber statim ac conscientiam fecit, adeòque nō incurrit excommunicationem à nobis expositam *c. præced. sect.* 3. *quæst.* 7. etsi posteà concionetur. Colligitur ex Suarez *supr. num.* 13.

Qværes IX. Quinam Regulares incurrant suspensionem latam in Clem. 1. §. *quibus de priuil.* contra Religiosos non satisfacientes intra mensem parti læsæ de eo, quod peruenit ad ipsos occasione excessuum commissorum à suis Religiosis: & quæ sit ista suspensio.

76. Respond. non incurrere, nisi Prælatos Religiosorum, qui aliquid accipiunt occasione excessuum à Religiosis sibi subditis commissorum, & intra mensem, postquàm requisiti sunt ab iis, quorum interest (vt ait Glossa ibi) integram restitutionem non faciunt; suspensionem autem esse ab officio, & beneficio, non tollendam, vsque dum plenè fuerit satisfactum, patet ex Clem. *citata*, quæ ita habet: *Cæterum Prælati eorum, nisi de his, quæ occasione præmissorum excessuum ad eos quoquo modo peruenerint, Ecclesiis, aut personis ecclesiasticis damnificatis, vel læsis satisfactionem plenariam exhibuerint intra mensem, postquam super hoc requisiti fuerint, suspensionis sententiam vsque ad satisfactionem debitam eo ipso incurrant.* Vbi notandum, quod, cum textus absolutè dicat suspensionis sententiam, & suspensio absolutè prolata suspendat tam ab officio, quàm a beneficio; consequenter hîc nomine suspensionis venit ea, quæ suspendit ab officio, & beneficio; sicut iam diximus; quamuis Sayr. *supr. cap.* 13. *num.* 11. doceat istam suspensionem non suspendere, nisi ab officio.

Excessus autem, de quibus est sermo in citata Clementina sunt sequentes; nimirùm retrahere testatorem à legatis faciēdis Ecclesiis matricibus: detrahere inter concionandum Prælatis Ecclesiarum: retrahere laicos, ne accedant ad parochias: pronunciare indulgentias indiscretas (idest non concessas) procurare, vt legata debita, aut malè ablata incerta ipsis Religiosis relinquantur, aut certè Fratribus, vel Conuentibus in præiudicium alterius; absoluere à reseruatis Papæ, aut locorum Ordinariis: præsumere iniustè vexare personas ecclesiasticas, præsertim coram Iudicibus delegatis, aut eas conuenire ad plura loca, præcipuè valdè remota. Hi, inquam, sunt excessus, de quibus loquitur Clem. *cit.* &, si horum occasione Prælati regulares aliquid receperint, siue pro se, siue pro monasterio, siue pro aliis personis priuatis, & requisiti modo dicto non satisfecerint intra mensem, in istam incidunt suspensionem: quamquàm, si quid prælata occasione receperint à laicis, & moniti illud non restituant, non ideò contrahant istam censuram; siquidem textus loquitur tantùm de restitutione facienda ecclesiis, aut personis ecclesiasticis, ideòque vt aduertit Glossa ibi non prouidet laicis. 77.

Quod spectat ad absolutionem istius suspensionis, ea videtur Papæ reseruata: cum talis censura lata sit ad tempus, & sub conditione satisfactionis præstandæ; vnde fit, vt, præstita plena satisfactione, hoc ipso tollatur suspensio absque alia absolutione. 78.

Qværes X. Quam suspensionem incurrant Regulares, qui tempore Apostasiæ recipiunt Ordinem sacrum.

Respond. Incurrere suspensionem ab executione ordinis sic suscepti; quamuis, vt notat Bonac. *supr. D.* 79.
3. *quæst.* 8. *part.* 11 *num.* 1. ista suspensio dicenda sit potius irregularitas, quàm suspensio; cum impedimentū à iure inductum, ne quis ad Clericatum promoueatur, propriè loquēdo, sit irregularitas, & *in c. hi qui* 69. *dist.* 50. extet prohibitio, ac impedimentum, ne Apostata admittatur ad clericalem statum, & officium: quod proinde non deberet vocari suspensio (vt vocant non pauci DD.) sed irregularitas. Verùm, quidquid sit de modo loquendi, subiectum istius censuræ (quocumque demum nomine vocetur) non sunt soli Monachi (etsi *cap. consultationi de Apostatis*, in quo fertur ista suspensio, loquatur solùm de Monachis) sed omnes Religiosi etiam Ordinum non Monachalium: cum ista dispositio facta sit intuitu Status religiosi, vt sic, adeòque comprehendat omnes Religiosos, qui proinde in allegato iure dicendi sunt vocari Monachi, quasi materialiter, vt in simili adnotauit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 1. num.* 29. ex Panormit. & Nauar. Patet autem responsio, tum ex dictis hîc, tum ex iis, quæ diximus *in tract. de priuil. c. vlt. sect.* 3. *q.* 7. per totum; si tantum aduertero dictis non obstare bullam Pauli V. quæ incipit, *Postquam diuina bonitas*, & quæ suspendit Apostatas ab omni cuiusuis Ordinis executione, & omni gradu, priuatque omnibus officiis, beneficiis &c. ea si quidē ad terminos iuris cōmunis fuit redacta à Pio V. in bulla 3. quæ incipit *Sedis Apostolicæ*, & consequēter, ea nō obstante, sustinendū est præsentem suspensionē non suspendere ab vsu omniū Ordinū, sed solùm ab exercitio ordinis in apostasia suscepti, vt iā dictū est.

Aduertit

Aduertit autem Castr. Palaus *D.4.de censur. p.10. §.6.n.1.* ex Suarez, Sanch. Filliuc. & Bonac. stante hac suspensione, etsi Religiosus recedat ab apostasia, non posse ascendere ad ordinem superiorem; cum, interdicta executione inferioris ordinis, interdicta censeatur & superioris receptio. Quare obtenta dispensatione huius suspẽsionis, qui fuit Apostata, promoueri potest ad ordines superiores: cùm solùm accessoriè ab vsu illorum impediretur, vt benè aduertit Sanch. *l.6 mor. c.8. n.23.* addens *n.16.* ob receptionem Ordinum minorum in apostasia nullam irregularitatem, nec aliam pœnam ipso iure impositam esse: cùm *cap. penult. 50. dist.* loquatur, non de Apostatis, sed de agentibus publicam pœnitentiam; textus verò *in cap. fin.* contineat pœnam non ipso iure latam, sed ferendam; siquidem non Apostatis, sed Prælatis præcipitur, ne ad clericale officium Apostatas admittãt: sicque corruunt fundamenta contrariæ opinionis.

80. Quis verò possit absoluere, seu dispensare in hac suspensione, seu irregularitate, patet ex dictis *cap. 1. sect. 2. q. 30.* certè Bonac. *supr. p. 12.* dicit eiusmodi absolutionem pertinere ad Papam; cùm *in cap. consultationi*, citatum habeatur eum, qui sacrum Ordinem suscipit in Apostasia (ad ordines enim minores non extenditur ista suspensio) non posse in eo ministrare absque dispensatione Papæ, etsi Religiosus reconciliatus fuerit suo Abbati, & receperit pœnitentiam.

QVÆRES XI. Quàm suspensionem incurrant Regulares legitimè eiecti è Religione ex decreto Sacræ Congreg. de mandato Vrbani VIII. edito 21. Septembr. 1624.

81. Respond. incurrere suspensionem ab executione Ordinum, tam maiorum, quàm minorum: cum Sacra Congreg. absolutè loquatur dicens: *Eiecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio ordinum*; eam verò esse reseruatam Papæ; cum in præfato decreto addatur, *sublata Ordinario locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi*; quod tamen non facit, quin, si Religiosus eiectus iterum recipiatur in Ordinem, aut transeat ad aliam Religionem, licèt laxiorem, hoc ipso maneat liber à tali suspensione: vtpotè, quæ non afficit, nisi Religiosos extra Religionem degentes, vt constat ex verbis supradicti decreti modò allegatis; qua de re *in tract. de priuil. cap. vlt. sect. 2. q. 11.* vbi fusiusculè egimus de ista suspensione.

82. Non puto tamen istam suspensionem extendi ad eos, qui post vota biennij, aut etiam Coadiutorum formatorum eiiciuntur è Societate: & ratio est, quod quamuis ibi verè sint Religiosi (vt constat ex dictis *in tract. de profess. cap.4. quæst. 4.*) in hoc tamen non veniunt nomine Religiosorum, eo quod præsens decretum loquatur solùm de eiectis iuxta tenorem ipsius, non autem de iis, qui eiiciuntur à religione ex facultate aliunde concessa (vt in Soc. Iesu) constat autem pœnas non debere extendi ad casus non expressos; cùm debeant restringi, non ampliari.

QVÆRES XII. Quinam Regulares incurrant suspensionem latam in Clem. 1. §. *si quis autem de statu monach.* contra Religiosos non portantes habitum, & vestitum iuxta formam ibi præscriptam; & quæ sit ista suspensio.

83. Respond. non incurrere, nisi Monachos nigros, idest Benedictinos: de his enim tantum loquitur textus; suspensionem verò, quæ hîc fertur, id efficere, vt, si delinquens sit Abbas, aut Prior non habens proprium Abbatem, per annum suspendatur à collatione beneficiorum; si verò sit inferior habens aliquam administrationem, per annum maneat priuatus tali administratione: quod si denique nullam habeat administrationem, eo ipso per annum inhabilis reddatur ad administrationem, & ecclesiasticum beneficium obtinendum. habetur expressè in Clem. 1. *loco citato*; patetque ex ipsomet contextu: si addatur Abbatem, aut Priorem carentem proprio Abbate in casu proposito manere suspensum à collatione beneficiorum (si quæ tamen cadunt sub eius potestatem) non item à percipiendis fructibus beneficiorũ; suspensum verò ab administratione prohiberi solùm exercere potestatem circa temporalia, adeóque posse eam exercere circa spiritualia: ista autem suspensio cum sit lata ad tempus determinatum, est virtualiter reseruata.

Dixi, *si quæ tamen cadunt sub eius potestatem*, vt innuerem, quod si contingat Abbatem, aut Priorem carentem proprio Abbate non habere ius conferendi vlla beneficia, & nihilominus violet præsentem prohibitionem; tunc vtique nullam incurret suspensionem; cùm ex defectu materiæ non possit incurrere eam, de qua hîc agimus, & aliàs non extet in iure vlla alia pœna pro tali casu: constat autem non debere effingi nouas suspensiones, ac pœnas absque sufficienti fundamento. 84.

QVÆRES XIII. Qui Regulares incurrant suspensionem latam in Clem. 1. §. *si quis de statu monach.* contra Religiosos interessentes ex proposito venationi, aut aucupationi clamorosæ, aut aliàs cum canibus, & auibus: qualisque sit ista suspensio.

Respond. quod, cum in citato iure sermo sit tantùm de monachis nigris, hi solùm subiacent isti suspensioni; non autem alij Religiosi, quamuis vitam monachalem profitentes: quidquid contradicant Nauar. & Alter. apud Bonac. *supr. part. 15. num. 3.* suspensio autem est eadem, ac superior explicata *quæst. præced.* nisi quod illa ligat solùm ad annum, hæc verò ad 2. annos; vt proinde quæ ibi sunt dicta, proportionaliter debeant etiam hîc applicari. patet responsio, tum ex dictis hoc loco, tum ex iis, quæ diximus *in tract. de prohibit. cap. vlt. quæst. 27.* vnde solùm aduerto absolutionem huius duplicis suspensionis iure communi reseruari Papæ, vt pote quæ lata est ad tempus, & se ipsa cessat, vbi primum elabitur tempus præfixum; dixi *iure communi*, nam ex alibi dictis constat, an & quo modo Regulares vi suorum priuilegiorum absoluere possint à similibus suspensionibus. 85.

QVÆRES XIV. Quid requiratur ad hoc vt Fratres Prædicatores, ac Minores incurrant suspensionem latam à Clemen. IV. contra inuicem perturbantes officium Inquisitionis contra hæreticos, & quæ sit ista suspensio.

Respond. requiri, vt Fratres Prædicatores præsumant perturbare, id est impedire, seu quouis modo obstare Fratribus Minoribus officium Inquisitionis exercentibus, quò minùs illud debitè administrent; & è contra Fratres minores impediant, quò minùs Fratres Prædicatores item possint administrare officium Inquisitionis ipsis commissum, & quod impediant cum præsumptione; suspensionem verò esse ab exercitio ordinum sacrorum, donec absolutionem illius obtineant à Sede Apostolica, aut certè ab eo, cuius officium perturbarunt: quod est eum reseruari Papæ, aut certè illi, de cuius interesse agitur. ita Sayr. *lib. 4. de Censur. cap. 15. num. 13.* aliíque. 86.

QVÆRES XV. Quam suspensionem incurrant Fratres Prædicatores, qui promoti ad prælaturam sæcularem suscipiunt consecrationem, antequàm Ordini restituant libros, & alia, quæ habent tempore promotionis.

87. Reſpond. incurrere ſuſpenſionem à pontificalibus,& hanc reſeruatam Papæ, teſte S.Antonino 3.*p. tit.*27. *de ſuſpenſ.cap.*4.vbi aſſerit iſtam ſuſpenſionem latam fuiſſe à Clem.I V. & quidem per bullam ſpecialem,quam refert Confeſt.in ſuo Comp.*fol.*15. In hac autem non puto comprehendi Cardinales; cum Cardinalatus non ſit propriè Prælatura,ſed dignitas, & alioqui iſta bulla loquatur ſolùm de promotis ad prælaturam: vnde & exprimit hanc ſuſpenſionem incurri, ſi ante conſecrationem non reddant monaſterio, quæ habent: quæ verba non verificantur de Cardinalibus, qui vt ſic nullam habent conſecrationem. Cæterùm praxis huius Bullæ eſt, vt Religioſi promoti faciant compoſitionem cum Conuentu,ſicque eximantur à tali obligatione:quod audiui à viris grauiſſimis Ordinis Dominicani.

QVÆRES XVI. Quid requiratur ad hoc, vt Regulares incurrant ſuſpenſionem latam in Extrauag. *Sanè de Simonia*,contra Capitula,& Conuentus aliquid recipientes, aut petentes ob receptionem alicuius in religionem,aut etiam poſt illam, & quæ ſit iſta ſuſpenſio.

88. Reſpond. requiri, & ſufficere,quod directè, aut indirectè recipiant, aut petant aliquid pro ingreſſu Religionis,ad effectum videlicet admittendi ad profeſſionem,quæ propriè, & principaliter ſignificatur nomine ingreſſus; vnde ſi quid recipiatur,aut petatur pro receptione ad habitum religioſum, non incurritur iſta ſuſpenſio: cum cenſura non incurratur, niſi adſit effectus completus ſub cenſura prohibitus, cuiuſmodi in caſu noſtro non adeſt, niſi dum adeſt receptio, aut petitio rei temporalis vnà cum ipſa Profeſſione; præterquam, quod pœnæ reſtringi debent, ideóque iſta ſuſpenſio non debet interpretari, niſi de ingreſſu ſimpliciter dicto, qui eſt,non receptio ad habitum,ſed profeſſio, hæc autem ſuſpenſio (quam ex textu conſtat reſeruari Papæ) eſt ſuſpenſio ab omni actu,ſeu officio capitulari requirente iuriſdictionem, & adminiſtrationem eccleſiaſticam: vt docent Suar.Alter.& Filliuc.apud Bonac.*D.*1.*de cenſur.in partic.q.*3.*p.*19 *n.*10. id inde colligentes,quod ex vna parte Capitulum, ſeu Conuentus non ſunt capacia alterius ſuſpenſionis; ex alia parte ſuſpenſio allata ſignificatur nomine ſuſpenſionis abſolutè prolatæ,habita ratione ſubiecti, in quo, vt conſtat ex dictis: qui plura vult de hac ſuſpenſione, conſulat,quæ diximus *cap. præced.ſect.*2.*q.*26.

QVÆRES XVII. Quàm ſuſpenſionem incurrant Regulares, ſi abſque licentia proprij Parochi ſponſus coniungant matrimonio, aut benedicant.

89. Reſpond incurrere ſuſpenſionem ab officio ſacerdotali & quidem ipſo facto,eamque reſeruatam Ordinario; vt apertè colligitur ex Conc. Trid. *ſeſſ.*24. *cap.*1.*de reform.matrim.* quod ita habet: *Quod ſi quis Parochus,vel alius Sacerdos,ſiue regularis, ſiue ſæcularis ſit, etiamſi id ſibi ex priuilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat alterius parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere,aut benedicere auſus fuerit, ipſo iure tamdiu ſuſpenſus maneat,quamdiu ab Ordinario eius Parochi,qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat,abſoluatur.* Vbi notandum, quod,cum Cõcilium ad incurrendam iſtam ſuſpenſionem requirat audaciam(vt conſtat ex verbo *auſus fuerit*) & alioqui audacia ſupponat dolum,& ſcientiam,aut ſaltem ingẽtẽ temeritatẽ,quæ cum ignorantia ſtare nequit,à tali ſuſpenſione excuſabit ignorantia craſſa, & ſupina, imò & inaduertentia, quæ æquiparatur ignorantiæ.

Difficultas modò eſt, an Regularis Sacerdos modo dicto aſſiſtens matrimonio, aut benedicens nuptias incurrat non ſolùm iſtam ſuſpenſionem, ſed etiam excommunicationem latam in Clem. 1 *de priuil.*& à nobis explicatam *cap. præced.ſect.*2.*q.*3.

Reſpond. videri probabile, quod incurrat ſolùm iſtam ſuſpenſionem, adeóque prædictam excommunicationem commutatam fuiſſe in iſtam ſuſpenſionem, ſicut declarauit Sacra Congregatio; teſte Bonac.*ſupr.q.*3.*p.*5.*n.*6. qui nobiſcum ſentit pro ſe referẽs Sayr.Rebell.Henriq. Suar.& alios,ſuamque probat ſentẽtiam,tum, quia alioqui pro vno delicto duplex pœna inferretur,quod non eſt iuxta benignitatem Eccleſiæ: tum,quia quando fertur leuior pœna in noua lege pro eodem delicto, quod acriùs puniebatur in lege antiqua, hoc ipſo ceſſat pœna grauior. 90.

Dices, quid ſi Regularis Sacerdos aſſiſtat matrimonio clandeſtino, aut benedicat ſecundas nuptias ſine licentia Parochi,incurritne in iſtis caſibus præſentem ſuſpenſionem?

Reſpond. non incurrere; quamuis in priori caſu contrahat ſuſpenſionem ferendæ ſententiæ latam *in cap.cum inhibitio de clandeſt. deſponſ.* contra Parochos negligentes prohibere matrimonia clandeſtina,& contra Clericos,etiam Regulares præſumentes illis intereſſe: & eſt ſuſpenſio ab officio per triennium; quam puto ligare Clericos regulares, etiam non Sacerdotes;cum lex loquatur ſolùm de Clericis regularibus, & non requirat, quod ſint Sacerdotes, ſicuti requiritur in Conc. Trid.*citato cap.* iis verbis, *ſi quis Parochus,vel alius Sacerdos.* Ducor,quod Concilium non loquitur niſi de matrimonio,quod fit in facie Eccleſiæ,& de benedictione præſcripta ab Eccleſia: tale autem non eſt matrimonium clandeſtinum,neque benedictio, qua benedicantur ſecundæ nuptiæ:idque iuxta regulam iuris 48 *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.*colligitur ex Bonac.*n.*9. *&* 10.qui addit *n.*5. aſſiſtentem matrimonio cum licentia Parochi extorta per dolum non euadere iſtam ſuſpenſionem, ſi dolus verſabatur circa cauſam finalem: iſta enim licentia eſt irrita,adeóque perinde ſe habet aſſiſtere cum tali licentia, ac aſſiſtere ſimpliciter abſque licentia. 91.

Maior difficultas eſt,quid operetur iſta ſuſpenſio, vtrum ſcilicet ſuſpendat ſolùm ab officio,an tantùm à beneficio, vel ab vtroque ſimul.

Reſpond.Suar. *D.*31.*de cenſur.ſect* 3.*n.*18. ſuſpendere ſolùm ab officio Sacerdotali, vel ad ſummum à munere ſacerdotali: probátque ex eo, quod non eſt veriſimile eam ſuſpendere ab omni officio, ac beneficio,vt verbum *ſuſpenſus maneat* abſolutè prolatum indicare videtur: ſi quidem peccatum, contra quod fertur iſta ſuſpenſio,non videtur mereri tantam pœnam tum, quia hæc ſuſpenſio fertur indifferenter in Parochos, & Sacerdotes ſimplices, tam ſæculares, quàm regulares, adeóque debet eſſe de re communi omnibus illis;tum,quia iuxta communem canonum intelligentiam ex ſubiecta materia determinatur pœna, vt, in quo quis deliquit, in eo & puniatur: tum denique,quia quando Sacerdos ob abuſum muneris ſacerdotalis ſuſpenditur, rectè intelligitur ſuſpendi formaliter, quatenus Sacerdos, & conſequenter à munere ſacerdotali. ita Suarez & ſatis probabiliter: quamuis Bonac.*ſupr. num.*7. ſuſtineat per eiuſmodi ſuſpenſionem Regulares ſuſpendi,tam ab officio ordinis,& iuriſdictionis,quam à beneficio;idque ex eo quod Concilium in ferenda iſta ſuſpenſione loquitur abſolutè; ſuſpenſio autem abſolutè lata, intelligi debet generaliter, vt ſit totalis. 92.

Quod verò diximus abſolutionem iſtius ſuſpenſionis reſeruari Ordinario illius loci,cuius Parochus aſſiſtere debebat matrimonio, aut benedicere nuptias:

ptias: non obstat, quo minus Regulares vi suorum priuilegiorum possint ab ea absoluere; & hoc ob doctrinam, quam innuit Diana *tract. de absol. ab heresi, resolut.* 8 & nos tradidimus *in tract. de priuileg. cap. 3.*
92 *sect. 2. subs. 2. q. 1. suppos. 4. & 9 5.*

QVÆRES XVIII. Quam suspensionem incurrant Regulares, qui contra bullam Clementis VIII. in ordine 40. malè promouentur ad Ordines.

Respond. Perpetuò manere suspensos ab executione,
93 ministerio, ac exercitio ordinum susceptorum, & ab omni spe, ac facultate ascendendi ad alios ordines superiores: &, si in eis ministrare præsumpserint, illos sic irregulares effectos omnibus, & quibuscumq; per eos in titulum, commendam, aut aliàs obtentis dignitatibus, officiis, & beneficiis ecclesiasticis cum cura, & sine cura, quomodocumque qualificatis sæcularibus, vel cuiusuis Ordinis, aut Militiæ Regularibus, ac etiamsi ipsi sint Clerici regulares, esse voce actiua, ac passiua ipso facto priuatos, atque ad illa, & alia similia, vel dissimilia in posterum obtinenda perpetuò inhabiles ac incapaces; dignitatum, officiorum, ac beneficiorum huiusmodi sic pro tempore vacantium dispositione Sedi Apostolicæ perpetuò reseruata. Habetur expressè in citata Clem. VIII. bulla; in qua item declaratur, quinam ad rem præsentem dicantur malè promoti ad ordines: videlicet si sint ex aliquo crimine, vitio, aut defectu, seu aliàs inhabiles, vel irregulares; si extra tempora à iure statuta, vel absque veris dimissoriis sui Ordinarij literis, aut per saltum, vel furtiuè, vel ante ætatem per Sacri generalis Concilij Tridentini decreta primæ tonsuræ, aut cuicumque ordini præscriptam, aut non seruatis temporum interstitiis ordinentur; ita vt aliquis vnico die, seu continuatis diebus ad plures Ordines sacros, vel post vnum Ordinem susceptum sine causa rationabili, antequam tempus ab eodem Concil. Trident. præfixum elabatur, ad alium Ordinem promoueatur sine dispensatione, aut indulto Apostolico.

Pro cuius bullæ intelligentia consulantur, quæ habent Cherubinus *in Compend. bullar. Constitut.* 40. *Clem. VIII.* Bonac. *D. 3. de censur. in partic. q. 1. p. 1. 2. 3.* 4. aliique relati ab ipso Bonacina: nihil enim occurrit, quod à nobis hîc peculiariter circa præfatæ bullæ intellectum obseruetur.

QVÆRAS XIX. Quam suspensionem incurrant Regulares, si, vacante regulari Ecclesia occupent bona à Prælato dimissa, vel tempore vacationis obuenientia.

94. Respond. incurrere suspensionem ab officio, ac beneficio latam *in cap. quia sæpe, de elect. in 6.* cùmque duraturam, donec plenè restituant (quod est tacitè reseruari Papæ:) quòd si ab ea absoluantur per priuilegiatos, in illam reincidunt, si restituere negligant, cum commodè possint, cum per talem retentionem æquè noceatur monasterio, ac per primam acceptionem.

SECTIO III.

In qua proponuntur, & explicantur suspensiones iure communi latæ contra Regulares, nulli reseruatæ.

95 *Referuntur suspensiones iure communi lata contra Regulares, & non reseruata.*
96 *Regulares suspenduntur à diuinis, si eiiciant à Religione contra formam decretorum Clementis VIII.*
97 *Suspenduntur ab vsu ordinis sic suscepti, qui nondum professi recipiunt Ordinem sacrum sine titulo.*
98 *Idq; procedit etiam de nulliter professo, etiam ordines minores recipiente.*
99 *Imò & de recipiente Diaconatum, cum antea ex causa modo dicto receperit Subdiaconatum.*
100 *Hac suspensio iuxta aliquos non reseruatur; quod alij negant.*
101 *Reseruationem colligentes ex quadam Bulla Pij V.*
102 *Suspenduntur ab officio accipientes ad vitam, aut dantes ad tempus de bonis monasterij.*
103 *Limita, nisi id sit necessarium, aut vtile Conuentui.*
104 *Ampliatur assertio ad quamlibet speciem alienationis: neque per bullam* Ambitiosæ, *sublata est hac suspensio.*
105 *Ab actu admittendi suspenduntur recipientes ad professionem religiosam ante finem nouitiatus.*
106 *Hac suspensio restringitur ad Religiosos Mendicantes.*
107 *At extenditur ad Religiosos Societatis Iesu, sed non quoad vota simplicia.*
108 *Item extenditur ad Moniales Ordinis Mendicantis.*
109 *Afficit totum Capitulum, & singulos de Capitulo.*
110 *Afficit concurrentes ad receptionem supra necessarium numerum suffragantium: quod tamen potest negari probabiliter.*
111 *Si detur eam immediatè afficere Capitulum, ea cessat in Religioso mutante domicilium.*
112 *Incurritur, si ad professionem recipiatur Nouitius, qui probationis annum notabiliter discontinuauit.*
113 *Secus, si recipiatur Nouitius, qui finito anno nouitiatus, exit, & postea redit.*
114 *Hac suspensio non reseruatur Ordinario respectu Regularium.*
115 *Suspenduntur à diuinis Regulares indebitè admittentes fœminam intra monasterij clausuram, nisi sit consuetudo vt intra illud ferant pondera.*
116 *Suspenduntur ab officio, beneficio, ac dignitate ecclesiastica exercentes sodomiam.*
117 *Intellige, post sententiam.*
118 *Iuxta aliquos suspenduntur ab ingressu Ecclesia excommunicantes sine scriptura, imo & sic suspendentes, aut interdicentes.*
119 *Suspenduntur à diuinis indebitè exponentes imaginem viri non beatificati, &c.*
120 *Item Missam celebrantes tempore vespertino.*

QVÆRES I. Quot, & quæ sint suspensiones latæ in iure communi contra Regulares, nullique reseruatæ.

Respond. esse 9. quorum 1. est contra Prælatos indebitè eiicientes ab Ordine Religiosos subditos receptos ad habitum, vel professionem contra Clement. VIII. decreta: 2. contra recipientes Ordines sacros ante professionem: 3. contra recipientes aut dantes ad vitam, vel ad aliud certum tempus concedentes alteri iura, redditus, aut possessiones monasterij, cui præsunt: 4. contra admittentes ad professionem ante expletum probationis annum: 5. contra intromittentes fœminas intra monasteria: 6. contra exercentes sodomiam. 7. contra ferentes censuras sine scriptura: 8. contra indebitè exponentes imagines hominum cum fama sanctitatis morientium cum laureolis, radiis, &c. 9. contra celebrantes Missam tempore vespertino. 95.

QVÆRES II. Quam suspensionem incurrant Regulares, si propria potestate eiiciant ab Ordine Religiosos subditos receptos ad habitum religiosum aut professionem cont. formam decretorum Clemen. VIII. de nouitiis ad habitum regularem, &

& professionem non admittendis, nisi in Conuentibus designatis.

96. Respond. incurrere suspensionem à diuinis vna cum aliis pœnis inferiùs exponendis, & quidem ipso facto, & absque vlla declaratione; si audeant eiicere dictos Religiosos, non deductis priùs iuribus, quæ sibi fauere videntur, coram sacra Congreg. Conc. ad quam solam imposterum spectat iudicare de similibus causis, vt expressè statuit eadem sacra Congr. in Decreto hac de re edito iussu Vrbani VIII. anno 1636.

QVÆRES III. Quàm suspensionem incurrant Regulares suscipiendo Ordines sacros, antequam faciant solemnem professionem.

97. Respond. incurrere suspensionem ab executione ordinis sic suscepti; idque ex Constit. Pij V. in ordine 75. qui suspensionem latam *in cap. neminem d. 70. & cap. sanctorum ead. dist.* contra culpabiliter recipientes ordines sacros absque vllo titulo, & innouatam in Conc. Trid. *sess. 21. cap. de reform.* extendit ad Religiosos, qui ante professionem promouentur ad Ordines sacros absque titulo; reddens inhabiles ad ordinem sic susceptum exercendum, &, si exerceant, efficiens irregulares: quippe qui non habent iustum titulum, quo ordinentur, nec obtinent literas dimissorias à legitimo Prælato; quamquam ista suspensio non afficiat Religiosos Societ. Iesu, qui ex Constit. Greg. XIII. quæ extat in Bullar. ipsius Soc. *pag.* 130. & incipit, *Ex Sedis Apostolica*, post emissa vota biennij de licentia Præpositi generalis promoueri possunt ad sacros, etiam Presbyteratus ordines, etiam ante solemnem professionem emissam.

98. Quod autem diximus de Religioso recipiente ordines sacros ante professionem, procedit etiam in eo qui emisit professionem, sed nullam, ac irritam, hunc scilicet subiacere præfatæ suspensioni; quippe qui verè promouetur ante professionem, cùm perinde sit nulliter esse professum, ac non esse simpliciter professum. Secùs dicendum de Religioso non professo, qui promoueretur ad ordines sacros titulo beneficij ipsi collati, aut titulo patrimonij: is enim non incurreret prædictam suspensionem: cum respectu illius cessat finis Constitutionis Pij V. qui (vt colligitur ex tenore ipsiusmet Constitutionis) fuit consulere decori status ecclesiastici, ne adscripti diuino ministerio cum dedecore ordinis suscepti cogantur emendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere.

Imò addit Bordinus *cap. 6. de profess. quæst. 5. § secundò*, ex Cherubino *in comp. bullary bulla* 7. Pij II. inualidè professum, si recipiat ordines minores, manere item suspensum ab executione illorum: idque ex Conc. Trid *sess. 14. de reform. cap.* 2. quod cum inducat dictam suspensionem contra promotos ad ordines minores absque dimissoriis sui Prælati, comprehendit etiam nulliter professos ordinatos in minoribus cum dimissoriis proprij Prælati regularis: cum is verè non sit eorum Prælatus, & sic ij sint ordinati absque dimissoriis sui Prælati, ideóque subsint dictæ suspensioni.

Dubitari hîc posset, an incurrat hanc suspensionem Religiosus, qui nulliter professus suscepit ordinem Subdiaconatus ad vitandam propriam infamiam, aliàs ineuitabilem, & postea, cessante periculo talis infamiæ, accedit ad Ordinem Diaconatus.

99. Respond. incurrere, esto eam non incurrerit in susceptione Subdiaconatus, vt benè probat Sanchez *l. 7. de matr. D. 37. n. 43.* Ducor, quod Bonac. *D. 3. de cens. partic. q. 1. part. 8. num. 4* cum Suar. Alter. Quar. Henriq. & aliis docet eum, qui sine sufficienti titulo suscepit Subdiaconatum, & postea, obtenta absolutione suspensionis inde contractæ, recipit Diaconatum, aut Presbyteratum item sine titulo, iterum affici ista suspensione; cùm is verè dicatur suscipere ordines sacros sine vero titulo, & iura simpliciter suspendant suscipientem sacros ordines sine titulo; quæ doctrina vtique militat in casu nostro, & consequenter probat intentum: maximè cum Sacra Congreg. teste Fornario *de ordine cap.* 8. speciali declaratione illam approbauerit.

Quamuis autem Bonac. *supr. n.* 30. innuat istam 100.
suspensionem non esse reseruatam Papæ, cum dicat eius absolutionem impendi posse ab Episcopo, & hoc idem confirmet *num.* 32. asserens Confessarios habentes generalem facultatem absoluendi à censuris posse ab illa absoluere, aliique videantur idem sentire, nihilominus id non est ita certum, si benè perpendantur verba citatæ Constitutionis Pij V. si quidem ex vna parte, postquam ibi § 4. declarauit Religiosos promotos ad ordines sacros ante professionem in altaris ministerio ministrare non posse, immediatè post subdit, *quin imò ministrantes priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, & alijs gratijs concessis omnino priuari, & irregularitatis, aliásque in dicto decreto contentas pœnas, eo ipso incurrere, a quibus, nisi a Romano Pontifice, vel in mortis articulo minimè absolui possint*: sicque sub iis verbis, *à quibus* videtur includere sub reseruatione etiam suspensionem superiùs propositam; ex alia parte, cùm reseruatio sit odiosa, idcóque restringi debeat; & aliàs rationabiliter dubitari possit, an ly *a quibus* referatur ad dictam suspensionem, vtpote relatam in §. distincto, (vt constat ex interpunctione) vel potiùs solùm ad pœnas recensitas in illo eodem §. in quo apponitur dicta clausula *à quibus*, & statuitur reseruatio; non improbabiliter posset quis dicere reseruationem nequaquam cadere in suspensionem, cum in §. in quo ipsa refertur, nulla fiat mentio reseruationis, sed solùm in §. sequenti, in quo enumerantur aliæ pœnæ, quæ proinde indubitanter censeri debent reseruatæ. Certè, quod dicta suspensio sit reseruata, necne, saltem est controuersum; reseruatio autem non extenditur ad casus dubios, & controuersos, vt notat Sanchez *lib. 1. moral. cap.* 10. *num.* 74. 76. & 33.

Addo, quòd, quùm in citata Constit. Pij V. dica- 102.
tur *aliásque in dicto decreto contentas pœnas in ipso incurrere*, & istud decretum sit innouatum in Concilio Trident. vbi supra his verbis, *antiquorum canonum pœnas super his innouando*: hoc ipso, quod in nullo istorum canonum (qui ibi citantur in margine) fit sermo de vlla alia pœna, quam de suspensione, dicendum est verba illa, *à quibus, nisi à Rom. Pontif. vel in mortis articulo minimè absolui possint*, vel esse pro forma tantùm, nihilque operari, vel cadere super suspensionem; quamuis alioqui Ecclesia non soleat concedere facultatem absoluendi à suspensionibus reseruatis existentes in articulo mortis, vtpote quæ ex natura sua non obstant bonæ morti. Ita docti, ac ingeniosi viri à me consulti.

QVÆRES IV. Quàm suspensionem incurrant Regulares, si recipiant ad vitam, aut dent, seu etiam alteri concedant ad certum tempus iura, redditus, aut possessiones monasterij, cui præsident.

Respond. incurrere suspensionem ab officio latam 103.
in Clem. 1. *de reb. Eccl. non alien.* nomine officij intelligendo officium tam Ordinis, quàm iurisdictionis; imò & administrationis secundùm Lezanam *ver. alienare, n.* 25.) ab his enim suspendit hæc suspensio, cum sit lata absolutè, sicque generaliter debet intelligi;

intelligi: quamuis Cardin. *hic n.*8. sentiat eam suspendere solùm ab officio. Ita Bonac. *supr. q.*8. *p.*7. *n.*9. addens *n.*6. quod cum verba præfatæ Clementinæ sint generalia, & materia, de qua ibi agitur, sit communis omnibus Religiosis: ista suspensio extenditur ad Religiosos vtriusque sexus; imò & ad Religiosos Ordinum Militarium; non item ad Regulares, qui præsidentes sæculari Ecclesiæ modo dicto concedant bona illius ad longum tempus; de his enim non luquitur textus, sed de Religiosis præsidentibus monasterij.

103. Portò, cum in textu dicatur, *nisi vtilitas, aut necessitas monasterij*, &c. *hoc exposcat, conuentus sui, aut, si conuentum non habeat, Prælati proprij assensu ad hoc nihilominus accedente*; constat dari casum, in quo Prælatus regularis bona sui monasterij modo dicto concedens alteri non incurrat istam suspensionem; si scilicet talis concessio sit necessaria, ac vtilis monasterio; idque fiat de consensu Conuentus, aut proprij Prælati (qualis esset Prouincialis, aut alius plenum ius habens in iis bonis;) quamquam, occurrente iusta causa in hoc dari possit locus epieheiæ, si tunc temporis adiri nequeat Superior. Ita Bonac. *supr. n.*3. monens, quod, cum hîc petatur consensus Prælati solùm in defectum Conuentus, ad vitandam istam suspensionem sufficit, quod concessio, quæ fit ratione vtilitatis, aut necessitatis monasterij, fiat de consensu etiam solius Conuentus.

104. Notat Suar. *supr. D.*31. *sect.*6. *n.*8. quod, licèt præsens prohibitio non concedendi bona Ecclesiæ modo hic explicato, comprehendat quamcumque speciem alienationis, vt constat ex iis verbis textus, *quouis modo concedat*; non extenditur tamen ad locationem, aut venditionem reddituum, aut fructuum, quæ fiat ad modicum tempus, idest ad triennium.

Notat item Lezana *supr.* ex Rodriq. *tom.*1. *q.*27. *art.*13. & aliis hanc suspensionem non censeri sublatam per bullam *Ambitiosa*: cum lex posterior generaliter loquens non deroget legi antiquæ loquenti in casu particulari; & Clementina citata loquatur in casu particulari Regularium, bulla loquente generaliter. Præterquam quod, etsi esset abrogata per dictam bullam, quia tamen in decreto S. Congreg. (quod nos referimus *in tract.*6. *cap.*8. *q.*2.) dicitur *pœnis nihilominus Apostolicarum Constitutionum in suo robore permansuris*, ideò innouata censetur.

QVÆRES V. Quàm suspensionem incurrant Regulares admittendo ad professionem ante expletum probationis annum.

105. Respond. incurrere suspensionem à recipiendis ampliùs Religiosis in eodem Ordine: & hoc, non obstante, quod in præsentia ex decreto Conc. Trid. *sess.*25. *c.*15. *de Regul.* professio facta ante expletum annum probationis sit irrita. Probatur autem responsio, quoad priorem partem ex *cap. non solum de regul. in* 6. vbi refertur præsens suspensio disertissimis verbis: quoad posteriorem verò, tum, quia in citato *cap non solum*, spectatur factum, non autem valor actus: tum, quia factum contra legem habetur pro infecto in vtilitatem facientis, non item, quoad damnum, seu pœnam, iuxta Bart. *in l. non dubium*, *n.*10. *C. de leg.* Ita Bonac. *supr. q.*8. *p.*5. *n.*20. cum Suar. Alter & aliis ab ipso tacito nomine allegatis: à quibus dissentit Sanch, *l.*5. *moral. c.*4. *n.*10. docens istam suspensionem post Concilium Tridentinum fuisse sublatum, eo quod pœnæ, quæ statuuntur alicui actui, non habent locum, quando is actus irrite fit: quam doctrinam admittit etiam Bonac. vt probabilem hoc ipso quod dicit suam esse Probabiliorem. Cum Sanch. sentit Castrus Pal. *de censur. disp.* *p. art.* 10. §. 6. *num.* 2. & probat, quia pœna suspensionis *in c. non solum* & *c. constitutionem de Regul. in* 6. inducta est, ne ad professionem, quæ inducebat obligationem Religioni saltem in genere admitterentur, qui nondum expleuerant annum probationis; quia hoc fragilitati humanæ, in cuius fauorem annus probationis statutus est, contradicebat: at hæc ratio cessat posito, quod ea professio nullam vim hebeat obligandi; si quidem ex ea non læditur fragilitas humana, & reputatur, ac si non fuisset facta: sicque *cap. non solum* non spectauit quodcumque factum, sed factum inducens obligationem in professo, quàm obligationem Papa intendebat impedire: vnde, cùm Tridentinum hanc obligationem penitus impediat, cessat pœna apposita in citato *cap. non solum*.

Non omnes tamen Regulares subiacent isti suspensioni, sed soli mendicantes: ad hos enim tantùm illam extendit Bonifacio VIII. *in cap. constitutionem de Regul. in* 6. cùm in *cap. non solum*, citato sit tantùm sermo de Fratribus Dominicanis, ac Minoribus; vt benè aduertit Suarez *supr. sect.*6. *num.*6. addens prædictam extensionem comprehendere omnes Ordines Mendicantes, etiam illos, qui postea instituti sunt: nam lex, quæ perpetua est, non obligat tantùm eos, qui nati erant eo tempore, quo ipsa fertur, sed etiam eos, qui nascuntur toto tempore, quo ea durat: quod vtique locum habet in casu nostro. 105.

Quin etiam dicit Bonac. *n.*3. quòd si in Soc. Iesu Præpositus generalis aliquem admittat ad professionem solemnem, aut etiam ad vota simplicia biennij ante completum probationis annum, istam incurreret suspensionem; cum dicta Societas sit Ordo Mendicantium, & etiam per præfata vota simplicia Religiosi illius fiant reuera Religiosi non minùs, quàm fiant per solemnem professionem Religiosi aliorum Ordinum. Quamquam, quod spectat ad prædicta vota simplicia, asserat Bonac. oppositam sententiam non carere probabilitate: & quidem meritò, cùm emissio 3. votorum simplicium non sit professio solemnis, & alioqui in pœnis non valeat argumentari à paritate rationis, imò nec à maioritate. Dixi, *ante completum probationis annum*; puto enim esse verissimum, quod docet Suar. *n.*7. videlicet Generalem Societatis non incursurum istam suspensionem, si completo probationis anno ante expletum biennium aliquem admitteret ad solemnem professionem (& multo minùs, si admitteret ad 3. vota simplicia) quippe qui sic violaret, non ius commune, sed proprium; cùm tamen ista suspensio lata sit contra violantes ius commune; & aliàs ob similitudinem, aut proportionem extendi non debeant pœnæ, vt modò dictum est. 107.

Adde ista suspensione comprehendi etiam Moniales Ordinum Mendicantium: cum materia, & effectus illius sit iuris communis, etiam fœminis Religiosis; & masculinum alioqui concipiat fœmininum; quamuis aliqui oppositum sentiant apud Syluest. *ver Religio* 3. *q.*3. Ita Bonac *n.*13. monens *n.*3. secùs dicendum de Equitibus S. Iacobi, S. Ioan. Alcantaræ, & Calatrauæ; isti enim elapso 13. ætatis anno statim faciunt professionem, non repugnante Concilio Trid. vt sacra Cardinalium Congreg. declarauit, teste Azorio *p.*1. *l.*13 *cap.*4. *q.*2. 108.

Et quidem quod Moniales non comprehendantur, probat Castr. Palao *supr. num.*2. tum, quia in pœnalibus masculinum sub se non continet fœmininum: tum, quia Moniales non sunt capaces suspensionis; etsi iis possit interdici receptio Monia-

llum ob immaturam, ac indebitam alicuius receptionem.

Cùm autem potestas recipiendi ad professionem regulariter resideat penes Capitulum, & Conuentum, vt pluribus ostendit Sanch *supr. num. 65.* dubitari potest, vtrum ista suspensio feratur immediatè in Capitulum, vel etiam in singulas personas constituentes ipsum Capitulum.

109. Respond. Soar. *num. 6.* quod, licèt probabiliter sustineri possit istam suspensionem afficere Capitulum vt Capitulum: cum ea proximè feratur in illum, qui habet potestatem recipiendi ad professionem, & talis potestas verè sit penes Capitulum, esto in manibus solius Prælati fiat professio; probabilius tamen est dictam suspensionem afficere etiam Prælatum, & singulos Religiosos, qui in tali receptione habuere suffragium: si quidem verba textus non diriguntur solùm ad Capitulum, sed ad singulas personas; vt constat ex illis verbis *vsque à receptione:* prætere quàm, quod in textu imponitur ista suspensio illis iisdem, quibus priùs in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis mandatum fuerat, ne id facerent: ergo cum excommunicatio non habeat locum erga Capitulum, dicendum est totum sermonem immediatè dirigi ad singulas personas, ad Capitulum verò, quatenus ex illis constat. ita Suar. & cum eo Bonacina.

110. Addit Bonac. *num.* 14. id esse verum, tam de iis, qui primo loco incurrunt ad aliquem recipiendum, quàm de iis, qui præstant suum suffragium post præstitum sufficientem numerum suffragiorum: hæc enim suspensio est contra recipientes, & etiam isti verè dicuntur recipere. Verùm, cum in pœnis benignior interpretatio fieri debeat, puto sustineri posse probabiliter non incurrere istam suspensionem eos, qui, præstito sufficienti numero suffragiorũ ad recipiendum, suum præstant suffragium ad eumdem effectum. Moueor ex eo quod in materia non omnino dissimili dicit Lessius *lib. 2. cap. 13. num. 23.* cum Nauarro & Caier. nimirum, quod, quando plures ferunt suffragia, aut subscribunt in causam iniquam, si quis consentiat, postquam sufficiens numerus suffragatus est, non tenetur ad restitutionem damni inde secuturi; cum sic illius suffragium accedens non sit vllo modo causa talis damni; quippe quod etiam sine eius suffragio eodem modo erat secuturum; quæ doctrina proportionaliter videtur militare in præsenti casu; stante, quod etiam sine suffragio eorum, qui post numerum sufficientem præstitum ad recipiendum, suum præstant suffragium, adhuc receptio verè erat secutura eodem modo: ita vt suffragia, quæ postea aduenitunt, nulla ratione influant in receptionem, adeóque ij, qui illa præstant, materialiter tantùm dici possint recipere: quod non videtur sufficere ad incurrendas pœnas.

111. Refert autem multum, quod præsens suspensio dicatur immediatè afficere Capitulum, non verò singulares personas, nisi quatenus sunt membra Capituli; sic quippe Religiosus, qui vt membrum Capituli modo dicto est suspensus à recipiendo, si postea mutet domicilium, poterit illic habere suffragium in Capitulo ad recipiendum: cum is non esset suspensus, nisi vt pars illius Capituli, & mutato domicilio non sit ampliùs pars illius, vt notat Suarez *num. 6.* quod est contra Bonac. *n.* 15. qui tamen concedit, etiam dato, quod ista suspensio proximè afficiat singulares personas, Religiosum tali suspensione affectum, si ad alium Ordinem transeat, posse ibi recipere ad professionem; cum talis suspensio obstet solùm, ne recipiat in eodem Ordine; vt aperè colligitur ex ipso textu dicente *ad professionem eiusdem Ordinis.*

Dices, quid si annus probationis sit completus, non tamen continuus, eo, quod Nouitius, peractis 3 aut 4 mensibus nouitiatus, aufugerit, aut reiectus fuerit, & postea iterùm admissus; incurritne istam suspensionem is, qui talem Nouitium modo dicto recipit?

Respond. incurrere, nisi fortè recessus Nouitij fuerit ad breue tempus animo redeundi (v. g. causa conuiuij, repræsentationis &c.) ratio est, quod, quando in lege præscribitur aliquod tempus, illud debet esse continuum, vt docent plures DD. apud Sanch. *in fine*, & interruptio temporis facit, quo minus experiatur Nouitius onera Religionis, ac difficultates regularis obseruantiæ; cum tamen nouitiatus ad hunc finem fuerit institutus. Dixi, *nisi fortè recessus Nouitij fuerit ad breue tempus*, sic enim moraliter non censetur interrumpi nouitiatus; cum modicum pro nihilo reputetur: & hoc licèt interim Nouitius exuerit habitum religiosum, ne dignosceretur; quod non eueniret, si intercederet mora duorum, aut trium dierum: sic enim non diceretur annus continuus, cum res illa non dicatur continua, intra quam intercedunt qualitates contrariæ: cuiusmodi sunt in præsenti casu dimissio nouitiatus, ac regularis obseruantiæ. ita Sanch. *n. 31. & seqq* alijque penes, ipsum. 112.

Addo, quod si Nouitius, expleto anno probationis deserat Religionem, & postea redeat ad eamdem, non eget nouo nouitiatu ad profitendum, & consequenter potest recipi ad professionem absque eo quod incurratur ista suspensio, intellige, nisi conditio personæ, aut Religionis adeò sit mutata, vt Nouitius censeatur moraliter eius difficultates non explorasse. Idem docet Bonac. *num. 9.* asserens *num. 11.* non incurri præsentem suspensionem, neque in casu, quo Nouitius recipiendus nouitiatum peregerit extra Monasterium de licentia Superioris; non item, si nouitiatus factus sit ætate non legitima, videlicet tempore impubertatis; nam in tali ætate non potest experiri Nouitius asperitates Religionis, & onus Castitatis, vt patet, & aduertit Bonac. *num. 6.* qui benè notat *num. 4.* incurri istam suspensionem, si Nouitius recipiatur ad professionem, non computato die bissexti cadente in annum, quo Nouitius ad professionem recipitur: si quidem tempus debet esse completum de momento in momentum, & duplex dies in anno bissextili pro vna reputatur; vt constat ex dictis in *tract. de* Nouitiatu *cap. 2. quæst. 25.* 113.

Quod denique ait Bonac. *num.* 18. posse Episcopum absoluere ab hac suspensione Religiosos sibi subditos, eo quod in *cap. non solum* citato ea non reseruetur; non puto hodie posse esse vsui, stante, quod omnes Religiosi communiter sint exempti ab Ordinario, & aliàs vi suorum priuilegiorũ possunt absoluere etiam personas sæculares ab omnibus censuris, etiam reseruatis Papæ; cum limitatione tamen, quam apponimus *in tract. de priu cap. 3. sect. 2. subs. 2. quæst. 1. supp. 1. & quæst. 3. §. An vero regulares.* 114.

QVÆRES VI. Quam suspensionem incurrant Regulares intromittendo, aut admittendo fœminas intra monasterium absque debita licentia.

Respond. incurrere absque alia declaratione suspensionem à diuinis latam a Pio V. in Constit. quæ est in ordine 20. vnà cum aliis pœnis à nobis propositis, ac declaratis, in *tract. de obligat. cap. 6. sect. 2. quæst. 19. 20. 21* & in hac ipsa *tract. cap. vlt. sect. 2.* 115.

Quæri posset hîc, an Regulares afficiantur his pœnis, si intra monasterium admittant fœminas munus baiuli exercentes, adeóque onera deferentes intra

intra monasterium (quod in aliquibos locis esse solet vsitatum)

Respond. videri non affici, si eum Cespedes *de exempt.disp.*40r. admittamus fœminas licitè ingredi ratione necessitatis, quæ, posita consuetudine locorum illorum, esset vrgens; & aliàs in similibus casibus licitum reddit ingressum mulierum intra monasteria Regularium: vt ostendunt Lezana *tom.*1. *cap.*10. Rodriq. *tom.*1.*quæst.*46.*art.*7. & Sanch.*lib.*6. *mor. cap.*17.*num.*30. nosque ostendimus *in tract. de obligat.cap.*6.*sect.*2.*quæst.*17.

Qværes VII. Quam suspensionem contrahant Regulares exercendo nefandum, actum Sodomiæ.

116. Respond. incurrere suspensionem ab officio, beneficio, ac dignitate ecclesiastica quæ fortè habeant, imò & priuilegio clericali (idest Caoonis;) si tamen tale delictum sit publicum, aut certè per sententiam publicatum, & aliàs actus sodomiæ sit consummatus, patet ex Constitut. Pij V. in ordine 72. vbi fertur ista suspensio: quam tamen rectius appellaueris priuationem (vt notauit Portel.*de dub. regul.v.suspensio n.*16. addens ex Suar. quod, cum Pius V. vtatur verbo *exercere* dicens, *tam dirum nefas exercentes* & hoc verbum importet exercitium multorum actuum, ad istam suspensionem incurrendam non sufficit semel tantùm hoc vitium commisisse, sed requiritur continuatum illius exercitium; quamquàm, teste eodem Portello *v.pœna,n.*7. grauissimi DD. sustineant sufficere, quòd semel hoc vitium exerceatur; quod tamen est contra communem DD. sensum, ac regulam. *In pœnis benignior facienda est interpretatio:* vnde ait Suarez *D.*31.*de censur.sect.*4.*num.* 21. ad contrahendam ipso facto talem suspensionem (quam ipse *num.* 20. ait esse potiùs vocandam irregularitatem, aut depositionem verbalem ipso iure latam) non satis esse semel, aut iterùm vitium illud committere, sed oportere habere frequentem vsum, seu consuetudinem illius.

117. Concedit tamen Suar.*num.* 22. hoc ius non obligare in conscientia reos occultos præcipuè ad exequendum in seipso has pœnas, antequam per sententiam declarentur, idque, tum ex generalibus principiis de pœnis: tum quia præfatum ius non videtur receptum, nisi cum hac moderatione; vnde fit ad incurrendam istam suspensionem requiri sententiam declaratoriam.

Qværes VIII. An Prælati regulares incurrant suspensionem latam *in cap. cum medicinalis de sent.excommun.in* 6. si fortè ferant censuras absque scriptura, & quæ sit ista suspensio.

118. Respond. videri non incurrere; & probatur, tum, quia durum nimis esset illos obligare ad seruandum hunc ordinem iuris: tum, quia iuxta dicta superiùs in causis Religiosorum subditorum non tenentur seruare apices iuris ex priuilegio peculiari ipsis ad hoc concesso; cum tamen inter apices iuris recenseri possit, quod censura non feratur absque scriptura. Vnde Bonac.*D.*1.*de censur.in comm.q.*1.*p.*8.*n.*2. alioqui nobiscum sentiens, minùs benè dicit, quod, cum *c.medicinalis* absolutè loquatur, & nõ adsit ratio sufficiens excipiendi Religiosos; dicendum est eos præfato capite comprehendi, nisi peculiare habeant priuilegium à Papa; ad id enim habent priuilegium, non quidẽ expressũ, sed implicitũ, quatenus modò supradicto non tenẽtur seruare apices iuris: quod tamẽ nõ videtur aduertisse Bonac. ideóque probabiliorem censet esse sententiam Nauarri, & Vgolini sustinentium Religiosos Prælatos subiacere huic suspensioni: quæ est suspensio ab ingressu Ecclesiæ per mensem & à diuinis; qua de re Diana *part.* 5. *tract.*9.*resol.*73. & Portel.*de dub.regul.v.excommunic.n.*1. nobiscum sentiunt Henriq. Sayr. & alij penes Bonac.

Vnum hîc ergo aduertò, quod, licèt *in c. cum medecinalis* citato fiat solùm mentio de excommunicatione, præsens tamen dispositio communiter extenditur cum Glossa ibi etiam ad suspensiones, ac interdicta: & quidem meritò, cum finis istius dispositionis, qui est, ne aliàs Prælati temerè ferant censuras contra subditos, æquè militet in suspensione, & interdicto, ac excommunicatione, vt patet.

Qværes IX. Qualem suspensionem incurrant Regulares, qui vel exponunt imagines virorum cum fama sanctitatis decedentium cum laureolis, radiis, vel splendoribus, qui diuulgant libros continentes miracula, reuelationes, ac beneficia tanquàm eorum intercessionibus obtenta, aut denique ad eorum sepulcra accendunt lumina, & appendunt tabellas, seu imagines in attestationem gratiæ obtentæ.

Respond. incurrere suspensionem à diuinis vnà cum priuatione officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ; non tamen latæ sententiæ, sed ferendæ, patet ex decreto Sacræ Congreg. de mandato Vrb. VIII. edito die 4. April. 1625. & à nobis explicato *in tract. de prohibit.cap.*4.*quæst.*55. 119.

Moneo hîc tantùm sub tali decreto non comprehendi viros, qui coluntur communi Ecclesiæ consensu, aut Patrum, & Sanctorum virorum scriptis, aut scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, aut Ordinarij; modò scientia, & tolerantia sit longissimi temporis (quale est spatium 30. vel 40. annorum, aut certè 100. secundùm alios, aut tempore immemorabili, quale ait Naldus *v.tempus n.*10. esse spatium 100. annorum.

Qværes X. Quam suspensionem incurrant Regulares, si Missas tempore vespertino celebrent.

Respond. incurrere suspensionem à diuinis latam à Pio V. in bulla edita 1560. quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater*, & §.2. sic habet *Hac perpetuò valitura Constitutione quibusuis Prælatis, Capitulis, Clericis, Fratribus aliisque Superioribus, & personis earumdem Ecclesiarum, monasteriorum, conuentuum, domorum, & aliorum piorum locorum in virtute S. Obedientiæ, & sub indignationis suæ* (id est Papæ) *ac perpetuæ suspensionis à diuinis pœna districtius inhibent, ac deinceps Missas vespertino tempore huiusmodi licentiarum, & facultatum, aut alio quouis prætextu celebrare, vel celebrari facere præsumant: ac mandans locorum Ordinariys, vt eamdem præsentem Constitutionem sub prædictis, & aliys sibi benè visis pœnis per quoscunque Prælatos, Capitula, Clericos, Fratres, Superiores, & personas huiusmodi inuiolabiliter obseruari faciant.* Vbi notandum, quod, cum ad incurrendam hanc suspensionem supponatur aliquis prætextus, siue licentiæ, aut facultatis, siue alius, & nomine prætextus teste Azor. *tom.*1.*lib.*5.*cap.*2.*quæst.*1.*v.vnum est*, intelligitur velamen, quo moueri se aliquis simulat ad aliquid faciendum; cum tamen alia causa moueatur: idque ex Suetonio in vita Cæsaris, & in vita Tiberij. 120.

Sectio IV.

De Depositione, & Degradatione.

121 *Explicatur quid sit Degradatio verbalis.*
122 *Item quid sit Degradatio realis.*
123 *Vtraque Degradatio ista cadit in Regulares.*
124 *Ea*

124 *Ea infligitur ob varia delicta.*
125 *Et quidem a proprio Ordinario.*
126 *Solus Papa dispensat super degradatione verbali: realis verò est moraliter irremissibilis.*

CVm Depositio,& Degradatio, quæ sunt pœnæ Ecclesiasticæ solemnes, magnam habeant cum censuris affinitatem, & præsertim cum suspensione: de iis hoc loco agendum esset ad præsentis materiæ complementum. Verùm, quia earum cognitio non est admodum difficilis,faciléque haberi potest, tum ex dictis de suspensione, tum ex iis, quæ tradunt Suarez *D.30.de censur.* Coninch *D.16.item de censur.*Bonac.*D.4.de censur.in communi.* & alij;ideò eam paucis perstringemus.

121. Respond. ergo 1.Degradationem verbalem(quæ etiam vocatur Depositio) esse sententiam Ecclesiasticam,qua persona Ecclesiastica priuatur omni officio,ac beneficio in perpetuum absque spe illud ampliùs consequendi, retento tamen priuilegio clericali(id est,priuilegio fori,& canonis)vnde & appellatur Depositio,vt notat Bonac.*supr.num.2.*

122. Respond. 2.Degradationem actualem(quæ etiam dicitur realis) esse pœnam Ecclesiasticam, qua persona Ecclesiastica priuatur omni beneficio, officio, & priuilegio clericali: idque in perpetuum sine spe ea iterum consequendi, & quidem cum aliqua solemnitate,ablatis etiam vestibus clericalibus.

123. Respond. 3. Quòd,cùm istæ pœnæ sint Ecclesiasticæ,vtique possint cadere in Regulares,vtpote qui sunt personæ Ecclesiasticæ; si quidem committant delictum dignum tali pœna:idque etiam loquendo de Religiosis laicis. imò & de Monialibus, vt bene aduertit Martinus Delrio *lib.5. disquisit. sect.16.§.de his vltimis.*

124. Respond. 4. Crimina, quæ merentur verbalem Degradationem, esse adulterium, concubinatum perseuerantem post monitionem, simoniam notoriam,stuprum,incestum,furtum,periurium,homicidium, etiam patratum solo consilio, delictum quo quis permittit culpabiliter suum parochianum mori sine baptismo,& alia crimina maxima,atque atrocia,quæ inferunt irregularitatem:idque iuxta canones antiquos, qui tamen cùm essent faciliores in imponenda Depositione, non videntur in rigore seruandi,vt innuit Bonac.*num.6.* Crimina verò,quæ merentur realem Degradationem, esse homicidium qualificatum, crimen hæresis, sodomiam sæpiùs exercitam, & similia. ita Bonac.addens,quòd quando in iure habetur Depositio,intelligi debet Depositio verbalis, vtpote mitior,non autem realis; cum pœnæ debeant restringi.

125. Respond. 5. Depositionem ac degradationem ita spectare ad proprium Episcopum, eiusve Vicarium generalem,vt non possint fieri ab illo inferiore,vt colligitur ex Concil.Trident.*sess.t.cap.4.de reform* quare Prælati regulares non possunt deponere, aut degradare Religiosos subditos, nisi id ipsis in specie competat siue ex peculiari aliquo priuilegio, siue ex legitima consuetudine, vt notat Bonac.*n.8.* quamuis Auila *p.4.de censur. D.vn.d.2.conclus.2.* dicat, quòd, cùm *in Compend.priuilegiorum Societatis, v. Prælatus*, §.3. concedatur Prælatis regularibus Mendicantium totum, quod potest Episcopus in proprios subditos; sicut Episcopi possunt degradare verbaliter suos subditos; sic etiam Prælati regulares degradare poterunt suos.

126. Respond. 6. Degradationem,si sit verbalis, non posse auferri, nisi per Papæ dispensationem, vt notat Abb.*cap.cum in te,de re iudic.*si verò sit realis,videri moraliter irremissibilem; quatenus vsus Ecclesiæ modò fert, vt sic degradatus tradatur brachio sæculari morte puniendus in pœnam excessus commissi,quod tamen non facit,quin de absoluta Papæ potentia id fieri possit, vt notat Suarez *supr.sect.1. num.22.*monens posse in aliquo casu rarò contingere, vt id etiam expediat: nimirum si constaret degradationem fuisse factam iniustè. quo casu restitutio fieri deberet non solùm verbalis, sed etiam realis per exteriorem traditionem rerum ablatarum, iuxta *cap.Episcopus 11.q.3.*

CAPVT IV. 11

De Interdictis iure communi latis contra Regulares.

EXPLICATIS Suspensionibus iure communi latis contra Regulares, occurrunt modò explicanda Interdicta eodem iure lata contra eosdem Regulares: quod præstabimus in præsenti capite, præmissis tamen iis, quæ magis necessaria sunt ad cognoscendam naturam Interdicti in communi. Vnde caput diuidemus in 3.sectiones, in quarum 1. agemus de Interdicto in communi,in 2. de Interdictis in specie latis contra Regulares,in 3.de Cessatione à diuinis,vtpote habente maximam affinitatem cum Interdicto.

SECTIO I.

De Interdicto in communi.

1 *Explicatur quid sit Interdictum.*
2 *Illud est multiplex, & varium: &, vt liget,debet sufficienter promulgari.*
3 *Contra Regulares fertur à Papa, & à Prælato regulari.*
4 *Non item ab Episcopo,vel à Legato, nisi sit Legatus de Latere.*
5 *Interdictum locale ferri nequit à Prælato regulari.*
6 *Interdictum locale generale extenditur ad Ecclesias Regularium.*
7 *Interdicto Clero, non interdicuntur Regulares.*
8 *Interdici potest totus aliquis Conuentus.*
9 *Interdicto Conuentu,interdicuntur Nouitij,non item Religiosi hospites.*
10 *Interdictum latum contra Conuentum, ligat Religiosos ibi de nouo habitantes: è contra desinit respectu Religiosi postea mutantis domicilium.*
11 *Interdictum latum contra Conuentum, ligat Religiosum illius tunc absentem.*
12 *Latum contra aliquam Vniuersitatem, ligat Religiosum eius membrum.*
13 *Latum à regulari Prælato, afficit ipsum Prælatum.*
14 *Interdictum personale generale afficit innocentes.*
15 *Regulares non subsunt interdictis personalibus generalibus.*
16 *Moniales subsunt interdictis personalibus generalibus latis contra Regulares.*
17 *Religiosi hospites seruant interdictum locale generale.*
18 *Interdictus interdicto personali generali, si fiat Religiosus, vi professionis desinit esse interdictus.*
19 *Non fertur interdictum sine præuia monitione.*
20 *At contra Regulares fertur absque scriptura.*
21 *Interdictum graue supponit peccatum mortale.*

22 *Pæna*

22 *Pœna enim proportionari debet culpæ.*
23 *Interdictum gignit varios effectus.*
24 *Interdictus accipit, & ministrat Sacramentum pœnitentiæ.*
25 *Specialiter tamen interdictus illicitè illud ministrat, etsi validè.*
26 *Interdictus generaliter sumit Eucharistiam, si sit Religiosus, eamq; dat morientibus, nisi causam culpabilem dederit interdicto.*
27 *Extra mortis articulum Religiosus generaliter interdictus non ministrat Eucharistiam.*
28 *Et tunc solum per modum Viatici.*
29 *Religiosus interdictus in Paschate tenetur communicare.*
30 *Tempore interdicti localis, aut personalis non ministratur Extrema Vnctio, nisi ex priuilegio concesso quoad hoc.*
31 *Limita, nisi quis alioqui moriturus esset sine vllo Sacramento.*
31 *Regulares nequeunt ordinari tempore interdicti localis, aut personalis.*
33 *Et quidem nec in die Sabbati sancti, etsi localiter interdictus alibi possit ordinari.*
34 *Tempore interdicti confertur Baptismus, Confirmatio, & Matrimonium.*
35 *Tempore interdicti vetita diuinorum Officiorum celebratio cum limitatione tamen, si interdictum sit generale; idq; in fauorem omnium Ecclesiasticorũ, non autem laicorum, nisi in aliquibus casibus, qui referantur, & præcipuè in certis solemnitatibus.*
36 *Regulares tempore interdicti generalis modò iure communi celebrant diuina Officia, imò & ex varijs indultis ad hoc concessis.*
37 *Quid si Religiosi diuersorum Ordinum vtantur eadem Ecclesia, & Religiosi alterius Ordinis localiter interdicantur, alij Religiosi ibi celebrant diuina Officia.*
38 *Indulta pro tempore interdicti facta Regularibus, ijs non prosunt in aliena Ecclesia.*
39 *Diuina Officia tempore interdicti voce submissiori celebranda.*
40 *Tunc custodiendæ fores Ecclesiæ.*
41 *Campanarum vsus permissus solùm quoad aliqua: qui potest assistere Missæ potest communicare, idq; etiam ex cap.* Alma mater: *non item potest inungi Extrema Vnctione vt dicti cap.*
42 *Regulares in quibus casibus ex suis priuilegijs suspendant interdictum.*
43 *Hæc tamen prosunt solum pro tempore interdicti localis generalis.*
44 *Regularibus tempore interdicti datur sepultura Ecclesiastica.*
45 *Idq; siue interdictum sit locale generale, siue locale speciale.*
46 *Secus, si Regulares sint nominatim interdicti, quod tamen debet limitari.*
47 *Referuntur indulta Regularibus facta, quoad sepulturam pro tempore interdicti.*
48 *Interdicto denuntiato conceditur Ecclesiastica sepultura, si moriens dedit contritionis signa.*
49 *In templis Regularium tempore interdicti sepeliuntur aliqui sæculares.*
50 *Hiq; etiam non priuilegiati, si moriantur in solemnitate excepta* in cap. Alma, *aut aliàs ex priuilegio possint assistere diuinis Officijs.*
51 *Possunt item Regulares in suis templis interdicti tempore detinere cadauera ligneis capsis inclusa, ablato interdicto sepelienda.*
52 *Tempore interdicti sepeliri debent laici in loco non benedicto, designato ab Ordinario.*
53 *Interdictum non priuat iurisdictione.*
54 *Interdictus denuntiatus non eligitur, nec eligit ad dignitates Ecclesiasticas.*
55 *Declaratur, quid sit interdictum ab ingressu Ecclesiæ: quod est semper personale, & cadit sub quodlibet templum Episcopi authoritate publicè deputatum ad sacra.*
56 *Assignantur effectus, quos parit interdictum ab ingressu Ecclesiæ.*
57 *Tempore interdicti à diuinis Officijs excluduntur omnes laici.*
58 *Si quidem possint excludi.*
59 *Non interdictus potest audire Missam Sacerdotis interdicti.*
60 *Ostenditur, quæ interdicta seruari debent à Regularibus.*
61 *Violatio interdicti ex genere suo est mortalis.*
62 *Indicatur, quæ violatio debeat censeri grauis.*
63 *Interdictum ferendum non arguit obligationem grauem.*
64 *Violatio interdicti vetita sub varijs pœnis.*
65 *Et in aliquo casu sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ.*
66 *Personaliter interdictus fit irregularis, si canat in choro Horas solemniter.*
67 *Secus, si canat coram personaliter interdicto, & ipse non sit interdictus.*
68 *Interdictum tollitur quatuor modis.*
69 *Tollitur per relaxationem.*
70 *Absoluens à censuris pro foro conscientiæ, non absoluit ab interdicto locali, aut personali Communitatis.*
71 *Regulares absoluunt ab interdicto per sententiam particularem lato ab homine.*
72 *Interdictum latum sub conditione ipso facto, hac impleta cessat.*
73 *Interdictum suspenditur per appellationem, sed non semper.*
74 *Tollitur per destructionem subiecti, sed non semper.*
75 *Dissoluta Communitate interdicta, tollitur quoad innocentes, imò & quoad alios excepto eo, ex cuius culpa latum est.*
76 *Interdictum de ambulatorium tollitur per loci mutationem.*
77 *Interdictum suspenditur ad arbitrium ferentis.*
78 *Non item excommunicatio.*
79 *Licitum est absoluere ad cautelam ab interdicto; sed non à locali generali.*

QVÆRES I. Quid sit Interdictum.
Respond. esse censuram Ecclesiasticam, 1.
quæ priuat vsu quarundam rerum diuinarum, quatenus fidelibus communis est, & quatenus est vsus talium rerum. Colligitur ex *cap. non est vobis, de sponsal.* & *cap. quod in te, de pœnit. & remiss.* patetque si tantùm exposuero vltimas duas particulas; dicitur ergo, *quatenus fidelibus communis est*: vt sic interdictum distinguatur à suspensione, quæ priuat quidem aliquo vsu rei diuinæ, sed tamen quatenus est proprius alicuius potestatis Ecclesiasticæ, id est, eorum, qui ordinati sunt; vnde fit, vt suspensio priuet vsu tantùm actiuo; interdictum verò etiã passiuo; dicitur præterea, *quatenus est vsus talium rerum*, ad indicandum per hoc differre excommunicationem ab interdicto, quod illa priuat vsu rerum diuinarum, quatenus talis vsus est communicatio, quædam cum fidelibus; hoc autem priuat dicto vsu, quatenus est vsus talium rerum sacrarum, nempe diuinarum independenter à communione cum aliis; præterquam quod excommunicatio priuat etiam communione in

in humanis; interdictum verò solùm in diuinis, ex quibus sufficienter constat, per quid differat interdictum ab aliis speciebus censurarum.

QVÆRES II. Quotuplex sit interdictum.

2. Respond. esse multiplex: aliud enim est locale, aliud personale, & aliud mixtum: aliud est generale, & aliud speciale: aliud totale, & aliud partiale: aliud à iure, & aliud ab homine: aliud denique fertur per modum censuræ, & aliud tanquam pura pœna.

Interdictum locale est, quòd directè fertur ad locum (v.g ad regnum, ciuitatem, vel Ecclesiam) & indirectè deriuat in personas; quatenus his interdicitur facere, aut audire in eo loco diuina Officia. Personale est, quod immediatè dirigitur ad personas, eisque interdicit vsum certarum rerum diuinarum respectu cuiuscumque loci, si interdictum latum sit simpliciter: non item, si tantùm interdicatur ingressus Ecclesiæ; sic enim licitum erit celebrare extra Ecclesiam, &c. interdictum denique mixtum est illud, quod interdicit tam locum, quàm personas, dicique solet deambulatorium, vtpote sequens personam interdictam, quocumque ea pergat.

Præterea interdictum locale aliud est generale, quod fertur in locum complectentem plura alia loca particularia; idque cum aliqua latitudine, cum vnus locus possit esse alio generalior, & vniuersalior (vt regnum, prouincia, ciuitas, & parochia sumpta non pro Ecclesia parochiali, quo modo est solùm capax interdicti specialis, sed pro districtu parochiæ) aliud est speciale, quo interdicitur locus specialis (v g. hæc Ecclesia:) siue sit vna, siue multæ vnius ciuitatis, aut plurium: dummodò tamen alij loci remaneant, vt Oratoria, & sacella priuata, in quibus fieri possent diuina: quo pacto interdictum semper diceretur speciale.

Interdictum item personale, aliud est generale, quod respicit corpus aliquod collectiuum, vt communitatem, & singulos, tantùm, vt sunt partes illius; aliud est speciale, quod fertur in determinatas personas, siue sit vna, siue plures, modò ad singulos per se pertineat.

Interdictum totale est, quod fertur simpliciter quoad omnes effectus interdicti: partiale verò, quod solùm fertur, quoad vnum, aut alium effectum, (vt si dicatur ab ingressu Ecclesiæ, ab Ecclesiastica sepultura.)

Quæ autem differentia sit inter interdictum, quod fertur per modum medicinæ, & illud, quod fertur in puram pœnam: constat ex dictis *cap. 1. sect. 2. quæst. 19. & cap. 3. sect. 1. q. 5.* Addo nomine interdicti strictissimi, (de quo interdum fit mentio in Regularium priuilegiis) intelligi illud interdictum, quod continet omnes omnino effectus de iure annexos interdicto: idque colligo ex Armilla *v. interdictum, n* 4, vbi ait, quando prohibentur omnia spiritualia, tunc interdictum dici strictum.

Interdictum verò Saluianum, quod fuit adinuentum à Saluiano Iuliano, est illud, quod inducitur propriè pro fundo locato ad fauorem Domini contra conductorem pro conductis, ac illatis, necnon pro obligatis pro pensione soluenda, vt colligitur ex Menochio *de adipisc. remed. 3. in princ.* & Tuschus *lit. S. concl. 18. & lit. I. concl. 292.* qua de re Ognates *de contract. lib. tom. 1. D. 10.*

Ad hoc autem, vt interdictum liget, sufficit publica promulgatio, nec opus est eam singulorum auribus inculcari: imò sufficit scire Ecclesiam Metropolitanam acceptasse sententiam, & seruare interdictum publicè: non oportet tamen, quod quia quis sit multùm curiosus in sciendo an latum sit interdictum, modò non sit nimis studiosus: nec oportet omnibus credere, vni, vel paucis, nisi isti, aut ille faciant dubium probabile: qui enim citò credit, leuis est corde.

Addo quod, si contingat per vim impediri, ne interdictum publicetur in loco, contra quem fertur (quod potest contingere) tunc sufficit illud publicari in alio loco vicino, vnde eius notitia possit peruenire ad locum interdicendum. Colligo ex communi doctrina, quam tradunt Doctores apud Bonacinã *de censur. in comm. D. 1. q. 1. p. 9 n. 9. v. primus casus*, (nimirum, si impediens, ne interdictum publicetur, si non habeat domicilium, sufficere, si monitio fiat in Ecclesia cathedrali, aut principali illius loci; modò prius probetur illum per vim impedire, ne interdictum publicetur) & talis est praxis.

QVÆRES III. Quinam possint ferre interdicta contra Regulares.

3. Respond. posse Papam, & Prælatos ipsorum Regulares (loquendo de interdicto personali) non item Episcopos, imò nec legatos, nisi de latere, & nisi literæ Legati de hoc ipso mentionem faciant expressam: idque ex concessione Clementis IV. quam Rodriq. *tom. 2. quæst. 108. art. 3.* refert his verbis: *Clem. IV. concessit Fratribus Minoribus, ne ab aliquo Legato, nisi de latere Sedis Apostolicæ misso, vel delegato, aut subdelegato authoritate literarum Sedis Apostolicæ possint excommunicari, suspendi, vel interdici, nisi literæ ipsæ plenam, & expressam de Ordine præfato, & huiusmodi indulto fecerent mentionem*; quod priuilegium vtique est commune etiam aliis Religiosis communicantibus de priuilegiis Minorum, & adhuc durat, cum sit bullatum; quamquam non suffragetur Religiosis habentibus beneficium Ecclesiasticum in diœcesi alicuius Episcopi; sic enim possunt interdici ab Episcopo, non prout exempti, sed quatenus sunt beneficiarij, vt aduertit Rodriq. *supr.* referens *art.* 2. indultum bullatum Gregor. IX. quo vniuersis Ecclesiarum Prælatis præcipitur, ne Fratres S. Ioan. hospitalis Hierosolymitani excommunicare, aut eorum Ecclesias interdicere præsumant; intellige interdicto speciali, prout intelligit Rodriq. *vbi supr.* sic concludens, *ex quibus patet, quod loca Fratrum non possunt ab Ordinario specialiter interdici: vnde generale interdictum Episcopi non extenditur ad Ecclesias vrbis, aut suburbij exemptas Religiosorum*; sic ille, à quo non dissentit Portel. *de dub. regul. v. interdictum, num. 3.* vbi referens simile priuilegium bullatum Leonis X. concessum Minoribus, & relatum *in Compend. Mendicantium, v. interdictum 1. num. 15.* hæc habet: *Ecclesiæ Fratrum non possunt specialiter interdici, nisi Religiosi dederint causam interdicto, aut ille, ad cuius instantiam interdicuntur, prouideat Religiosis de victu*: additque tunc solùm interdici specialiter Ecclesias Regularium, quando hæ solæ interdicuntur, aut certè in literis specialiter, & principaliter nominantur.

4. Probatur autem responsio, quoad primam quidem partem (quod scilicet Episcopi, & Legati præfati non possint regulariter interdicere Religiosos) ex priuilegiis *§. præcedenti*, allatis, quæ sine dubio probant intentum; quoad secundam verò partem (quod scilicet Religiosi possunt interdici à Papa, & à propriis Prælatis respectiuè) probatur ex eo, quòd quicumque potest excommunicare, potest & interdicere: cum longè plus sit excommunicare, quàm interdicere; & cui conceditur, quod est plus, concedi debeat etiam, quod est minus; certum est autem Papam, & Prælatos Regulares posse excommunicare

care Religiosos subditos, eùm sint illorum Superiores, & in eos habeant iurisdictionem Ecclesiasticam exteriorem: quæ sola requiruntur, & sufficiunt ad interdicendum.

5 Verùm tamen est, quòd inter alios benè aduertit Filliuc. *tract.* 18. *n.* 21. Prælatorum regularium potestatem non extendi ad ferendum interdictum locale: quippe quorum iurisdictio magis est in personas, quàm in loca; & hoc locum habet tam in interdicto generali, quàm speciali: cuius rei ea est ratio, quod, quamuis eorum Ecclesiæ sint ipsis subiectæ; non est tamen vsu receptum, vt eæ ab illis interdicantur: tum quia non est id medium proportionatum ad finem religiosi regiminis: tum quia gigneret scandalum in populo, ac offensionem in Episcopis, aliisque Prælatis; vnde vel contraria consuetudine talis potestas amissa est, aut certè non est vnquam data, vt pluribus docet Suar. *D.* 32. *de censur. sect.* 1. *n.* 3.

An verò interdicta aliqua ciuitate per interdictum locale generale, hoc ipso censeantur interdictæ etiam Ecclesiæ Regularium, quantumuis aliàs sint exemptæ.

6. Respond. censeri interdictas, adeóque Religiosos censeri seruare tale interdictum; sic quippe statutum est in Conc. Trident. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 12. & constat ex eo, quod, licèt Episcopus per se immediatè non possit interdicere Ecclesias Regularium, vtpotè exemptas; potest tamen id facere concomitanter; quatenus alioqui interdictum facilè illuderetur; accurrentibus incolis interdictis ad audienda diuina Officia in Ecclesiis Regularium, necnon ad sacramenta ibidem suscipienda. Quod tamen non habet locum in casu, quo interdictum sit speciale locale; vnde, si Episcopus interdicat singulas Ecclesias ciuitatis, non ideò censetur interdicere Ecclesias Regularium: cum non habeat directam iurisdictionem in illas, & alioqui id non statuatur in iure; quomodo statuitur, quoad interdictum generale in Conc. Trid. *loco cit.* iuxta communem Doctorum intelligentiam. Ita Bonac. *de censur. in comm. D.* 5. *part.* 1. *num.* 21. Coninch. *D.* 16. *de censur. n.* 19. aliique communiter.

QVÆRES IV. An interdictum latum à Papa in Clerum adstringat etiam Religiosos in eodem loco commorantes.

7. Respond. non adstringere; & probatur, tum quia Religiosi in fauorabilibus quidem veniunt nomine Cleri, non item in odiosis; cuiusmodi est interdictum: tum quia, interdictis Religiosis, non censentur interdicti Clerici, etsi lato modo dicantur Religiosi; ergo à pari, interdictis Clericis, non debent censeri interdicti Religiosi. Ita Laym. *l.* 1. *tract.* 5. *p.* 4. *cap.* 4. *num.* 3. Coninchus *D.* 17. *de censur. num.* 8. Filliuc. *supr. num.* 14 Bonac. *num.* 11. aliique apud ipsos contra Couarruuiam, Nauar. & alios oppositum sustinentes.

QVÆRES V. An, & quomodo ferri possint interdicta personalia contra communitatem religiosam (v. g. contra aliquod monasterium) & quidem ita vt adstringantur omnes, & singuli Religiosi in eo habitantes.

8. Respond. Filliuc. *tract.* 18. *n* 23. posse iuxta *cap. si sententia de sent. excommunic. in* 6. & tunc quantum ad effectus interdicti, qui exerceri non possunt, nisi per particulares personas, ligare singulos, quatenus sunt pars communitatis.

QVÆRES VI. An, quando legitimè interdicitur aliquod Monasterium Regularium, tali interdicto subiiciantur etiam Nouitij, etiam Religiosi peregrini.

9. Respond. Nouitios, quidem ibi commorantes subiici, non autem Religiosos peregrinos; patétque ex eo, quod iuxta supradicta quandocumque fertur interdictum in aliquam communitatem, ij soli eo afficiuntur, qui sunt membra, & partes talis communitatis; & Nouitij sunt pars Monasterij, in quo degunt, non item Religiosi peregrini, qui ibi solùm obiter commorantur; ergo Nouitij subiacebunt interdicto, non verò Religiosi peregrini. Colligitur ex Henriq. *l.* 13. *cap.* 42. *n.* 3. Sayro *l.* 5. *de censur. cap.* 4. *n.* 19. Nauarro *cap.* 27. *num.* 167. aliisque teste Bonac. *n.* 17. communiter docentibus, interdicto populo, non censeri interdictos exteros aliarum Ciuitatum, eò quod hi non sint pars illius populi, aut communitatis; eùm tamen interdictum generale personale (de hoc enim in præsentia loquimur, non autem de locali, cui sine dubio subiiciuntur omnes, etiam peregrini; cùm sic interdictum sit qualitas inhærens ipsi loco omnino independenter à personis) cadat solùm super illos, qui sunt pars illius communitatis, quæ generaliter interdicitur.

QVÆRES VII. An Regulares, qui de nouo incipiunt habitare in Monasterio antea interdicto, hoc ipso etiam illi subiiciantur interdicto; aut certè desinant esse sub interdicto iam incurso, si mutent domicilium.

Respond. quòd, sicut in priori casu incipiunt esse interdicti, cùm fiant membra Communitatis interdictæ, & interdictum iuxta dicta liget omnia membra communitatis, quam afficit (idque ex vi prioris sententiæ, quæ donec tollatur, adstringit omnia membra illius communitatis) ita in posteriori casu desinunt esse interdicti; quippe qui eatenus sunt interdicti, quatenus membra sunt talis communitatis; vnde hoc ipso, quòd desinunt esse pars illius communitatis, cessat in ipsis ratio formalis interdicti, & consequenter ipsum interdictum. Ita Coninc. *num.* 12. in casu non dissimili, addens tamen eos, qui dederunt causam interdicti, interdictos manere, quantumcumque desinant esse pars illius communitatis; nec non eum, qui per mortem desinit esse pars communitatis interdictæ, subiacere effectibus interdicti, nisi absoluatur; cùm rerum spiritualium participatio negari debeat mortuo, cui viuo non fuerat concessa. 10.

Vtrum verò Regulares subditi alicuius Monasterij subiaceant interdicto personali, quod fertur contra Monasterium, dum ipsi absunt.

Respond. Bonac. ex Sayro, Auila, & aliis subiacere; si verè adhuc ibi retinent domicilium: & ratio est, quia isti reuera sunt pars illius Communitatis, quæ interdicitur, & moraliter sunt præsentes hoc ipso, quod non mutarunt domicilium; idque puto esse verum, etiamsi Regulares diutiùs commoraturi sint extra dictum Monasterium (ad tractanda, v. g. negotia.) Colligo ex doctrina, quam tradit Suarez *supr. Disp.* 32. *sect.* 2. *n.* 15. eum scilicet, qui alicubi habitat vt hospes, etiamsi longo tempore habitet (v. g. ad peragenda studia) non ligari interdicto generali lato in populum, eò quòd non sit pars communitatis, quæ per se primò ligatur tali interdicto. Ex qua doctrina sic arguo; qui diutiùs habitat in ciuitate aliqua, vt hospes, non subiacet interdicto generali personali lato contra illam ciuitatem, eò quod verè non sit membrum illius, ergo, cùm in nostro casu Religiosus, licèt habitans extra monasterium longo tempore, adhuc sit membrum dicti monasterij, & pars illius, subiacebit interdicto, quòd forè fertur contra ipsum Vnde vlterius infero doctrinam traditam q. 6. de Religioso peregrino habere locú in casu 11.

quo ille longiori tempore extra monasterium proprium sit habitaturus.

QVÆRES VIII. An Regulares subiaceant interdicto, quod fertur contra vniuersitatem, cuius ipsi sunt partes, & membra.

12. Respond. subiacere: cùm sic constituant vnum corpus politicum, & consequenter, vt eius membra debeant subiici oneribus illius; quæ ratio vtique probat Religiosum beneficiarium affici interdicto lato contra Clerum; cùm sic efficiat vnum corpus morale, cùm ipso Clero. Ita Coninch. *num.* 10.

QVÆRES IX An Prælati regulares subiaceant interdicto personali, quòd ipsi ferunt in Monasterium sibi subditum.

13. Respond. Laym. *num.* 5. ex communi non subiacere: cùm tamen oppositum dicendum esset in casu, quo possent ponere interdictum locale; ratio disparitatis est, quod nemo à seipso, per se, ac directè obligari potest vinculo censuræ; quippe quod pœnale est, quamuis per accidens possit: interdictum autem personale per se, ac directè afficit personas, locale verò ipsum locum, ex quo per accidens redundat in personas.

QVÆRES X. An Regulares, etiam innocentes subiiciantur interdicto generali personali legitima potestate lato contra ipsorum Monasterium.

14. Respond. subiici, si interdictum feratur in contumaciam: est enim medium efficax ad eam reprimendam, & ad tuendam Ecclesiasticam auctoritatem: nec obstat, quòd, vt eo iustè afficiantur etiam innocentes, sufficit eos esse partes communitatis, cui delictum aliquo modo tribuatur; nam bonum publicum præferendum est priuato. Ita Filliuc. *n.* 29. Diai, *si interdictum feratur in contumaciam*: quia secùs dicendum esset, si ferretur in puram pœnam: etsi Suarez *D.* 36. *sect.* 2. *num.* 14. pluribus doceat interdictum generale siue locale, siue personale non ferri in puram pœnam: quidquid sit de personali speciali, quod tamen nec redundat in damnum innocentium, nec est tanti, vt obseruantia disciplinæ Ecclesiasticæ, imò & salus priuata personæ sic interdictæ, non debeat præferri aliquali damno spirituali inde procedenti.

QVÆRES XI. An Regulares subiaceant interdictis personalibus generaliter latis.

15. Respond. quòd, cùm iuxta dicta *quæst.* 4 non subiiciantur Religiosi interdictis personalibus latis contra Clerum, multò minùs subiiciantur interdictis personalibus generaliter latis contra populum, quibus neque ipsemet Clerus subiicitur, teste Bonac. *num.* 16. pro se referente alios DD. & quidem meritò; cùm populus absolutè prolatus communiter distingui soleat à Clero: vnde & Superior interdicens populum non censetur velle comprehendere Clerum sub lege interdicti, etiamsi aliàs habeat potestatem, eum etiam interdicendi, iusta occurrente causa.

QVÆRES XII. An Moniales subdantur interdictis personalibus generaliter latis contra Religiosos.

16. Respond. subdi, nisi fortè interdictum ferretur in specie contra viros religiosos: quo casu Superior interdicens sufficienter declararet se sub interdicto nolle comprehendere Moniales; vtpotè, quæ non sunt viri religiosi (de quibus ipse loquitur) sed mulieres, adeóque non includuntur sub lege interdicti; quæ cùm sit pœnalis, vtique non debet ampliari vltra propriam verborum significationem. Ratio responsionis est, quòd masculinum comprehendit fœmininum; & moniales cum omni proprietate loquendi, sunt, & dicuntur Religiosæ; ideóque non est ratio eas excludendi à dispositione communi Religiosis, & in materia ipsis adaptabili. Ita viri docti à me consulti, & satis probabiliter.

QVÆRES XIII. An Regulares transeuntes per loca interdicta teneantur ibi seruare interdictum, quamdiu ibi commorantur.

Respond. tenoeri, si interdictum latum sit generale 17.
locale: secùs, si sit generale personale; & hoc ob rationes allatas *supr. quæst.* 6.

QVÆRES XIV. An casu, quo existens de populo generaliter interdicto ingrediatur Religionem, hoc ipso desinat esse interdictus, si interdictum sit personale.

Respond. Sayr. *l.* 5. *de censur. cap.* 4. *n.* 7. non desi- 18.
nere, nisi post professionem solemnem emissam: probátque quia tunc vi professionis desinit esse de populo, ideóque non est ratio, cur dicatur manere interdictus, attenta doctrina, quàm tradidimus *q.* 7. quod ita verum est, vt Sayr. subdat supradictum Religiosum post emissam professionem posse promoueri ad omnes ordines, esto præfatus populus adhuc maneat interdictus. Ita Sayr. & satis probabiliter; quamquam puto hanc eius doctrinam posse habere locum in Religioso Nouitio etiam ante emissionem professionis: quippe qui hoc ipso, quod ingreditur Religionem ad nouitiatum peragendum, eo ipso videtur desinere esse de populo; vt vel hinc patet, quod eximitur à potestate Iudicis sæcularis, imò etiam ab Ordinarij iurisdictione, & in fauorabilibus generaliter venit nomine Religiosi, vt, teste Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *l.* 9. *cap.* 1. *n.* 18. tradunt communiter DD. *in cap. religioso, de sent. excommunic. in* 6. *& cap beneficium de Regul.* item *in* 6. quòd si detur Religiosum Nouitium desinere esse de populo, quamdiu manet in Religione; ergo & iuxta Saytum desinet esse interdictus; sic ego sentio, aliique viri docti à me consulti.

QVÆRES XV. An, & quando præmittenda sit admonitio, antequam Regulares interdicantur.

Respond. præmittendam esse eo modo, & iis ca- 19.
sibus, quibus diximus *cap. præced. sect.* 1. *quæst.* 5. eam esse præmittendam, antequam contra eosdem Regulares feratur suspensio: siquidem est par ratio in vtroque casu, vt notauit Sanchez *l.* 3. *consil. cap. vnic. d.* 32. *num.* 255.

QVÆRES XVI. An Regulares possint interdici absque Scriptura.

Respond. posse eo modo, quo *cap. præced. sect.* 1. *q.* 6. 20.
diximus eos posse suspendi sine Scriptura: idque ob rationem ibi allatam.

QVÆRES XVII. An, & quale peccatum requiratur ad ferendum ioterdictum.

Respond. requiri, & quidem mortale; si interdi- 21.
ctum, quod fertur, sit graue (quale est interdictum totale latum in certam personam delinquentem:) veniale verò, si interdictum sit leue, cuiusmodi est interdictum partiale (v. g. ab ingressu Ecclesiæ, à sacra communione ad tempus breue;) idque loquendo de interdicto, quod alicui imponitur ob propriam culpam: si enim imponendum sit ob culpam alienam, tunc vtique requiritur peccatum mort. cum non sit æquum, vt sine grauissima causa multi, etiam innocentes, affligantur per subtractionem rerum spiritualium; quod tamen euenit in casu, quo feratur interdictum locale generale in aliquam communitatem: vnde asserunt DD. ad eiusmodi interdictum requiri non solùm culpam grauiorem, sed etiam aliquo modo publicam contumaciter commissam, siue à capite, siue à pluribus, aut præcipuis membris

membris Communitatis interdictæ. ita Laym. *supr. num.* 4. Filliuc. *num.* 25. *& seqq.* Coninch. *n.* 24. aliique penes ipsos, & est communior Doctorum contra Sà, Henriquez, & Auilam, contrarium sustinentes apud Laym. *supr.* & Dianam *p.* 8. *tract.* 10. *resolut.* 79. & quidem ipsorum iudicio probabiliter.

22. Ratio autem nostræ responsionis est, quòd, cùm interdictum sit pœna, quæ supponit culpam, & pœna semper debeat proportionari culpæ; sequitur pro culpa leui (qualis est venialis) non posse imponi interdictum totale, quod est pœna grauis; posse tamen pro dicta culpa veniali imponi interdictum partiale; cùm hoc sit pœna leuis, ideóque non excedat culpam leuem, vt patet.

QVÆRES XVIII. Quot, & quos effectus causet interdictum.

23. Respond. Effectus prouenientes ex interdicto reuocari ad tria capita; nimirum ad priuationem Sacramentorum actiue, & passiuè sumptam: ad priuationem diuinorum Officiorum tam actiuam, quàm passiuam: & ad priuationem Ecclesiasticæ sepulturæ acceptam, tum actiuè, tum passiuè: quamquam isti effectus non sint adeò inter se connexi, vt non possint ab interdicente separari: quomodo re vera interdum separantur: vnde fit, vt, quando fertur aliquod interdictum, studiosè attendendum sit, qualiter feratur; num scilicet absolutè, ac illimitatè (quo pacto intelligitur, quoad omnes illius effectus) an cum limitatione (quomodo prohibet illam tantùm actionem, quæ in sententia interdicti exprimitur, necnon omnem illam, quæ in ea includitur, & sine qua ea non potest fieri. ita Bonac. *supr. p.* 2.

QVÆRE XIX. An Rgulares interdicti possint ministrare Sacramentum pœnitentiæ, & illud recipere.

24. Respond. posse, non quidem iure antiquo, quo solis morientibus, ac peregrinis concedebatur vsus talis Sacramenti, *cap. quod in te de pœnit. & remiss.* sed iure nouo, quo *in cap. Alma mater, de sentent. excommunic. in 6.* hoc Sacramentum conceditur, quibuscumque etiam sanis ob magnam illius necessitatem: cum duplici tamen limitatione: nimirum ne persona interdicta sit etiam excommunicata (quo casu non nisi in articulo mortis admitti potest ad Sacramentum pœnitentiæ) aut specialiter interdicta, vel certè culpabilem causam dederit interdicto, & aliàs nondum conuenientem præstiterit satisfactionem, data saltem cautione iuratoria, si aliam non possit; in his quippe casibus non possunt interdicti administrare hoc Sacramentum, nisi in probabili periculo mortis, qualecumque demum illud sit. ita Laym *supr. cap.* 2. *num.* 1. cum Syluest. & Suar. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 2. *q.* 3. Bonac. *supr. p.* 2. §. 3. *num.* 1. & 2. aliique, & patet ex *cit. cap. Alma mater*; si solùm aduertatur hanc doctrinam locum habere tempore interdicti tam localis generalis, & localis specialis, quàm tempore personalis generalis: non item tempore personalis specialis: quod in specie aduertit Laym. *vbi supr.*

Quòd si obiter quæras, an Confessarius specialiter interdictus Sacramentum pœnitentiæ administret, sin minùs licitè, saltem validè.

25. Respond. Diana *p.* 5. *tract.* 10. *resol.* 62. cum Cornejo administrare validè; cùm interdictum non priuet potestate ordinis, ac iurisdictionis, sed solùm impediat vsum illius licitum, nec aliter colligatur ex iure; dissentit Suar. *de censur. D.* 33. *sect.* 1. *n.* 20. vnde & ait: *Res profectò mihi dubia est, & ideò moneo, vt talis absolutio omninò caueatur*: imò Faber apud ipsum Dianam absolutè sustinet oppositum.

QVÆRES XX. Quomodo Regulares interdicti possint administrare Eucharistiam, eámque recipere.

Respond. posse, tum eam administrare infirmis in articulo mortis per modum viatici, etiam cum solita solemnitate; dummodò illi non dederint causam culpabilem interdicto, aut certè non sint specialiter interdicti: (hi enim ante absolutionem non possunt administrare, cùm per interdictum arceantur à tali ministerio; intellige, secluso casu necessitatis, quo scilicet non adesset alius competens minister;) tum illam recipere; & quidem non solùm in articulo mortis (dummodò non dederint causam culpabilem interdicto, aut non sint specialiter interdicti: quo casu debent priùs exhibere debitam satisfactionem ea ratione, qua diximus *quæst. præcedenti*,) sed etiam extra articulum mortis; quippe qui sicut ex priuilegio concesso *in cap. Alma mater*, possunt Missas celebrare, & alia dicere diuina Officia, sicut priùs, (cum moderatione tamen ibi apposita, & infra explicanda) ita ex eodem priuilegio videtur concedendum, quod consequenter communicare possint communione Laica, siue sint Sacerdotes, siue non; siquidem, vt ingeniosè obseruauit Suarez *supr. num.* 35. dum in citato cap. dicitur, *Alia dicantur diuina Officia, sicut priùs*. sensus est, quòd sicut ante interdictum iuxta morem antiquum Ecclesiæ ita possunt celebrare diuina, vt simul possint de iis participare communicando communione laica, si velint; ita & post interdictum idem facere possunt vi istius priuilegij. Cum Suarez sentiunt Sà, Sylu. Angel. Sayr. Coninch. Menet. Faber, & Filliuc. quos citat, & sequitur Diana *supr. resolut.* 83. plures alios referens contrarium sustinentes; quamquam Filliuc. *num.* 41. tandem dicat in praxi, quoad hoc seruandam esse loci consuetudinem. 26.

Ex qua doctrina licet inferre, quòd, quamuis sub initium responsionis dixerimus Regulares interdictos non posse ministrare Eucharistiam fidelibus, nisi in probabili mortis periculo existentibus, non autem extra tale periculum; cùm interdictum ex sua institutione tollat vsum Sacramentorum actiuum, & passiuum. præterquam in casibus iure exceptis (qualis tamen de facto non est, nisi in articulo mortis, vt habetur *in cap. permittimus, de sentent. excommunic.*) nihilominus sub hac regula generali, quæ extat *in cap. quod in te, de pœnit. & remiss. cap. si sententia, & cap. vlt. de sent. excomm. in 6.* non puto comprehendi casum, in quo Eucharistia administranda sit ipsismet Regularibus: cùm enim isti, etiam sani possint iuxta supradicta communicare tempore interdicti, poterunt & iidem Eucharistiam inter se inuicem administrare eodem tempore interdicti, nisi aliunde impediantur: siquidem hæc duo sunt correlatiua, ac proinde vno eorum admisso, admittendum est & aliud. 27.

Difficultas esse posset; an, sicut Regulares de iure communi possunt tempore interdicti ministrare Eucharistiam existentibus in articulo mortis per modum Viatici; ita & eam ministrare possint in eodem articulo per modum ordinariæ communionis: v. g. ei, qui modò moriturus est, & tribus ab hinc diebus communicauit per modum Viatici, cupit tamen iterum communicare, antequam moriatur (quo casu vtique non potest communicare per modum Viatici, iuxta ea, quæ diximus *in tract. de priuil. cap.* 2. *sect.* 2. *q.* 26.)

Respond. non posse; & ratio est, quod concessio fauorabilis non debet extendi vltra proprietatem verborum, quibus ea exprimitur à concedente: 28.

in nostro autem casu concedens facultatem ministrandi infirmis existentibus in articulo mortis pro tempore interdicti, non concedit hoc absolutè, sed cùm limitatione; nimirum quod ministretur communio per modum Viatici; ergo talis concessio non debet extendi, ita vt vi illius dictis infirmis existentibus in articulo mortis præbeatur Eucharistia, etiam per modum simplicis communionis modo supradicto: siquidem hoc non cadit sub concessionem, vt pro tempore interdicti existentibus in articulo mortis dati possit communio per modum Viatici: cum sint res diuersæ, vt patet; concedo quidem quòd, cùm sit probabile iterari posse communionem per modum Viatici in eodem morbo, ex vi præfatæ concessionis, id etiam fieri potest tempore interdicti.

Maior difficultas est, vtrum dato, quod Regulares modo supradicto possint communicare tempore interdicti, de facto teneantur communicare ad implendum præceptum annuæ communionis.

29. Respond. teneri; & probatur non solùm ex eo, quòd concesso Regularibus priuilegio tempore interdicti, eo ipso cessat prohibitio communicandi, quàm aliàs importat lex interdicti, adeóque reuiuiscit obligatio de communicando in Paschate: sed maximè ex eo, (quod sicut aduerti *in tract. de obligat. cap. 4. q. 14.*) *in cap. Alma mater*, non tam conceditur priuilegium cõmunicandi tempore interdicti, quàm imponitur præceptum id faciendi; vt constat ex iis verbis: *Adijcimus praterea, quod singulis diebus in Ecclesiis, & monasterijs Missa celebrentur, & alia diuina Officia sicut prius*; vnde cessat ratio, quæ alioqui adduci posset in contrarium, quod nemo cogendus est vti proprio priuilegio; præterquam quod non est inconueniens, vt ex vno fauore aliunde pullulet noua obligatio, si id contingat per accidens, & solùm quasi remouendo prohibens, vt euenit in casu nostro; maximè cùm talis obligatio, non debeat reputari odiosa, sed fauorabilis, vt aduertit Suar. *supr.*

QVÆRES XXI. An, & quomodo liceat ministrare extremam Vnctionem Regularibus interdictis.

30. Respond. non licere, siue interdictum sit locale, siue personale; excepto tamen casu, quo Religiosus aliàs esset moriturus absque vllo Sacramento. Ita Laym. *supr. n.* 1. Suar. *n.* 38. Bonac. *n.* 4. aliique communiter; qui tamen intelligendi sunt de iure communi *in cap. quod in te de pœnit. & remiss.* generaliter prohibente omnibus fidelibus, etiam Clericis, ac Religiosis vsum extremæ Vnctionis tam actiuum, quàm passiuum: idque etsi non sint specialiter interdicti; quod est contra Palud. *d.* 18. *q.* 8. *n.* 28. sustinentem Clericis, & Religiosis dari posse extremam Vnctionem tempore interdicti ex vi capitis *quod in te*, iam citati: quatenus hoc ipso, quod ibi Clericis, ac Religiosis cõceditur Ecclesiastica sepultura, etiam tempore interdicti, consequenter præsumitur concedi item extrema Vnctio, quæ est præparatio quædam ad Ecclesiasticam sepulturam; cùm tamen potiùs oppositum inde colligatur, vt ingeniosè ostendit Suar. *n.* 41. monens per hæc non excludi specialia priuilegia, quæ aliquæ Religiones pro suis Religiosis, aut familiaribus à Papa habere possint: imò & habent de facto, inquit Filliuc. *n.* 45. idque ex priuilegio bullato Nicolai IV. concesso Minoribus, teste Casarub. *v. interdictũ* 1. *n.* 4. Inde sequitur Regulares ex propriis priuilegiis posse sibi inuicem ministrare extremam Vnctionem, eamque recipere tempore interdicti; cùm tamen neutrum horum præstare possint, stando præcisè in iure communi; vt constat ex iam dictis, & ex iis, quæ diximus *in tract. de priuileg. cap. 3. sect. 4. quæst. 7.* vbi de re præsenti.

31. Dixi, *excepto tamen casu, quo aliàs Religiosus esset moriturus absque vllo Sacramento*: in tali enim casu non solùm Laym. *vbi supr.* sed etiam Diana *part. 5. tract. 10. resol. 78.* cum Coninch. Auila, & Trullenco concedunt posse morituro ministrari extremam Vnctionem etiam tempore interdicti, vtpote succedentem in locum Sacramenti Pœnitentiæ, quod iuxta dicta *q.* 19. vtique potest ministrari tali tempore.

QVÆRES XXII. An Regulares tempore interdicti possint ordinari.

32. Respond. non posse, siue interdictum sit personale, siue etiam locale; nisi fortè occurrat casus necessitatis, ac penuriæ Sacerdotum, qui tempore interdicti conferrent Sacramenta: tunc enim licitum esset conferre ordines, etiam in loco interdicto, præsertim iis, qui ante in Clerum adscripti essent; siquidem eo ipso, quo aliquid conceditur, censetur concessum etiam id, sine quo illud non potest executioni mandari; aliàs inutilis esset concessio; ergo, cùm ius concedat tempore interdicti vsum diuinorum Officiorum (etsi cum aliqua moderatione) & aliquorum Sacramentorum, censetur item concedere ordinationem Sacerdotum, qui ad ea sunt necessarij. Ita Layman *supr.* Bonac. *num.* 3. aliique penes ipsos; & quoad priorem partem, probatur ex eo, quòd, cùm sit regula generalis *cap. si sententia de sent. excommunic. in* 6. in interdicto non esse licitum percipere Sacramenta, nisi in casibus iure exceptis, & aliàs sacra ordinatio nullibi excipiatur; sequitur eam simpliciter, ac vniuersim censendam esse interdictam: nam vbi aliquid generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum iuxta Clement. *exiui porrò de verbor. significat.* Quare minùs rectè sensit Innocent. *cap. non est vobis de sponsal.* dicens Clericos ante ordinatos, tempore interdicti posse ascendere ad Superiorem ordinem; cuius sententiam puto admittendam esse solùm in casu necessitatis iam allato.

Quòd si quæras, vtrum in Sabbato sancto possint conferri Ordines etiam tempore interdicti.

33. Respond. non posse, esto solemnitas paschalis inchoëtur à Missa Sabbati Sancti, & in tali solemnitate sint licita diuina Officia; ratio est, quod ordinatio non venit appellatione diuini Officij, adeóque ad eam non extenditur concessio facta *in cap. Alma mater*; cùm à diuersis non fiat illatio, & diuersorum ac separatorum diuersa sit ratio, & natura. Ita Filliuc. *n.* 50. monens *n.* 49. Interdictum locale non obstare, quia taliter interdicti possunt alibi ordinari; nisi fortè sint culpabiles; quomodo sunt specialiter interdicti, & consequenter nullibi possunt ordinari.

34. Quod autem attinet ad Baptismi, Confirmationis, ac Matrimonij vsum, tam actiuum, quàm passiuum tempore interdicti exercendum, non est, cur diutiùs in eo explicando immoremur; cùm ista Sacramenta parum, aut nihil spectent ad Religiosos, vt tales: quippe quæ, vel nullo modo suscepturi sunt (vt Matrimonium,) vel susceperunt ante ingressum Religionis (vt Baptismum, & Confirmationem,) & vel nulla ratione administrant, aut certè non ordinariè; qui vult, consulat Suarez *supr. sect. 1. à num. 2. vsque ad* 12. *& à num.* 46. vsque ad finem Laym. *supr. n.* 1. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 2. *à num.* 30. *vsque ad* 35. *& à num.* 51. *ad* 53. & alios.

Aduerto solùm Baptismum tempore interdicti concedi, tam adultis, quàm paruulis, sicut & Catechismum (quamuis securiùs sit hunc facere extra Ecclesiam, si honestè fieri possit) concedi item Sacramentum

31 mentum Confirmationis, tum adultis, tum paruulis; imò & matrimonium, sed sine solemnizatione: quamquam si vxor sit de populo interdicto, & non dedit causam, & vir sit de populo non interdicto, sitque extra locum interdictum, possint ambo recipere solitas benedictiones Ita Bonacina *D. 5. de censur. in comm. p. 2. §. 1. num. 1.* quoad Baptismum, & Confirmationem, quoad matrimonium verò Castrus Palaus *D. 5. de censur. p. 4. §. 1. num. 15.* citans pro se plures alios, à quibus plures alij dissentiunt relati ab

32 eodem Castro Palao.

Qværes XXIII. An, quo in loco, & modo Regulares tempore interdicti possint celebrare diuina Officia.

35 Pro responsione suppono 1. prohibitionem diuinorum Officiorum esse per se, & maximè proprium effectum interdicti, (vt constat, tum ex eius definitione, tum ex variis iuribus, quæ de ipso interdicto loquuntor,) & quidem communem omnibus interdictis, cum proportione; si enim sit interdictum generale loci, habet hunc effectum non solùm in templis, aut Oratoriis, sed etiam in domibus, viis, suburbiis, ac denique in tota illa terra, quæ generaliter interdicitur: idque respectu omnium hominum cuiuscumque loci, in diœcesis; si verò interdictum loci sit speciale, eumdem habet effectum, cùm proportione in eo loco definito; si denique sit personale generale, & speciale, in persona, vel personis, idem cum proportione operator respectu locorum omnium.

Suppono 2. nomine diuinorum Officiorum intelligi ea, quæ fiunt in Ecclesia à Ministris Ecclesiastici, idest à personis ad talem effectum consecratis, aut deputatis: qualia sunt Missæ sacrificium, recitatio publica horarum canonicarum (idque, vt notat Layman *num. 2.* etsi fiat à Monialibus, aut aliis personis laicis) omnia sacramentalia, seu benedictiones, quæ nomine Ecclesiæ fiunt à Sacerdotibus; non item ea, quæ ex sua ratione non requirunt personam Ecclesiasticam, ad ea specialiter deputatam.

Suppono 3. eiusmodi prohibitionem diuinorum Officiorum adeò amplam, fuisse postea non parum limitatam *in cap. Alma mater de sent. excommunic.*
33 *in 6.* vt scilicet tempore interdicti, *singulis diebus in Ecclesiis, ac Monasteriis Missæ celebrentur, & alia officia diuina, sicuti prius: submissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis*; quamquam hæc limitatio intelligi debet tantùm de interdicto locali generali: vnde, si Ecclesia sit specialiter interdicta, non possunt Clerici, ac Religiosi diuina officia celebrare in ea modo dicto; sicut ex communi docet Couar. *cap. Alma, part. 2. §. 4. num. 1.*

34 Suppono 4. nomen Clerici, in quorum gratiam facta est talis limitatio, latè sumendum esse, vt comprehendat omnes personas Ecclesiasticas, incolas, alienigenas, Religiosas, & quidem vtriusque sexus, Nouitios, Clericos prima consura initiatos (si habeant beneficium, aut de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inseruiant, aut in literarum studio, tamquam ad maiores ordines accipiendos versentur, iuxta Trident. *sess. 23. cap. 6. de reform.*) Clericos denique coniugatos, cum virgine vnica, si & ipsi de Episcopi mandato alicui Ecclesiæ inseruiant.

Suppono 5. nomen Ecclesiæ hîc, tamquam in materia fauorabili amplè accipiendum esse, vt comprehendat omnia loca sacra, etiam hospitalia, imò & priuata Oratoria, quæ vel Episcopi auctoritate deputata sunt, vel etiam (addetu) ex Pontificia potestate Prælatorum Regularium iuxta propria priuilegia; cùm enim mens Papæ hoc ius statuentis fuerit, vt diuina officia tempore generalis interdicti peragerentur, æquè ac si non esset interdictum: sequitur ea posse exerceri, vbicumque poterant ante interdictum exerceri, adeóque sicut tunc poterant exerceri etiam in Oratoriis priuatis Episcopi auctoritate deputatis, aut per Prælatos regulares approbatis modo supradicto; sic & poterunt exerceri ipso tempore interdicti, sicut apertè colligitur ex Suar. *supr. D. 34. sect. 1. num. 9.*

Suppono 6. supradictam limitationem nullo pacto suffragari laicis, ac proinde istos etiam in præsentia prohiberi interesse diuinis Officiis, ac priùs, nisi fortè aliunde id eis indulgeatur, vt in sequenti supposito.

Suppono 7. dari aliquos casus, in quibus etiam laici tempore interdicti generalis possunt interesse diuinis officiis, & quidem 1. si sint incapaces supradictæ prohibitionis, (vt infantes, & amentes:) 2. si aliud exposcat necessitas, (vt si non adsit nisi laicus, qui inseruiat Missæ:) 3. si qui ad talem effectum habeant peculiare priuilegium, vt infra: 4. si occurrat aliqua ex solemnitatibus exceptis *in cap. Alma mater*, videlicet Nat. Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. Virg. & festi Corporis Christi in concessione Martini V. in his enim solemnitatibus omnes laici possunt interesse diuinis Officiis (imò & communicare secundùm Suar *sup sect. 3. n. 29.* & Laym. *loc. cit.*) & quidem absque vlla ex limitationibus allatis suppos. 3. dummodo ij, non sint specialiter interdicti, aut non dederint culpabilem causam ipsi interdicto.

Suppono 8. præfatas solemnitates iuxta morem Ecclesiasticum incoandas esse à primis vesperis vsque ad secundas, adiuncto etiam completorio: festum autem Nat. Paschæ, & Pentecostes secundùm Sotum, Auilam, & Coninchum citatos à Bonac. *p. 3. n. 14.* comprehendere non solùm primum diem, sed etiam 2. dies sequentes: ipsam denique festiuitatem Paschæ, & Pentecostes iuxta Palud. relatum à Laym. incipere à Missa vigiliæ, quæ per anticipationem cantatur in Sabbato, quod approbat Castrus Palaus *D. 5. de censur. part. 4. §. 2. n. 10.* addens ex Soar. Auila, Sayro, & aliis, etsi in Cathedrali dictum sit Completorium, & pulsatum ad interdictum, posse Completorium in aliis Ecclesiis diei solita hora cum solemnitate; modò id non fiat in fraudem interdicti; his suppositis.

Respond. regulares, etiam stando præcisè in iure communi, posse tempore interdicti localis generalis ex concessione facta *in cap. Alma*, celebrare diuina 36
Officia, iisque interesse in propriis Ecclesiis, imò, & in Oratoriis ipsorum priuatis per proprios Prælatos legitimè approbatis, (quæ fortè significatur in citato *cap. Alma*, nomine Monasteriorum,) cum limitationibus tamen allatis *suppos. 3.* imò & sine illis in solemnitatibus recensitis *suppos. 7.* dummodo tamen dicti Religiosi non sint specialiter interdicti, aut causam culpabilem interdicto non dederint iuxta dicta eadem *suppos. 7.* Responsio est communis DD. & patet ex dictis.

Dixi, *etiam stando præcisè in iure communi*, vt innuerem Regulares habere multa priuilegia, eaque bullata, & non reuocata, quibus eximuntur ab obligatione seruandi interdictum, quoad multa: hæc autem, cùm à nobis fusiùs relata, & explicata sint *in tract. de priuileg. cap. 5. sect. 2. quæst. 23. per totum*, non est opus ea hîc iterum repetere: qui vult, consulat Casarub. *in comp. ver. interdictum, idest per totum*, benè tamen memoria recolens, quòd

moner Sorbus ibi *num.* 3. quod qnando imponitur interdictum non anctoritate alicuius inferioris, sed Papæ, priuilegia solùm valent, quando tale Interdictum ponitur abqne sufficientibus derogationibus, idque accuratiùs aduertendum esse.

An autem in casu, quo, Religiosis diuersorum Ordinum vtentibus eadem Ecclesia in diuinis Officiis, (vt faciunt Papiæ Canonici Regulares, & Fratres Eremitani) interdicatur Ecclesia Interdicto locali ob delictum patratum à Religiosis vnius dictorum Ordinum, tota Ecclesia censeatur interdicta, ita vt Religiosi nocentes celebrare non possint in parte Ecclesiæ Religiosorum innocentium.

37. Respond. posse, si vna pars Ecclesiæ sit deputata Religiosis innocentibus, & alia Religiosis, qui deliquerunt: sic enim Ecclesia in materia odiosa fictione iuris censetur quasi duplex; ideóque supponi potest ex mente interdicentis interdicta solùm pars Ecclesiæ deputata vsibus Religiosorum delinquentium; sicque in hac celebrare poterunt, tam Religiosi innocentes, quàm delinquentes, æquè ac possent in Ecclesia omninò extranea, ac distincta. Secùs, si Ecclesia tota promiscuè deseruit vsibus Religiosorum vtriusque Ordinis: nam sic tota est interdicta; & cùm interdictum locale possit afficere etiam innocentes, etiam Religiosi innocentes prohibentur celebrare in dicta Ecclesia, nedum nocentes. sic ego respondi in facti contingentia, & responsionem approbarunt viri valde docti, & maximè P. Bordonus, qui dubium proposuit.

Illud habet maiorem difficultatem, an Regulares eo tempore, quo per sua priuilegia possunt suspendere Interdictum, id item facere possint in aliena Ecclesia, si contingat eos tunc temporis esse extra Monasterium sui Ordinis.

38. Respond. Portel. *de dub. Regul. v. Interdictum n. 77. in fine* non posse, eo quod priuilegia ad talem effectum ipsis concessa sint non personalia, sed realia, idest, affixa eorum Ecclesiis, ac Monasteriis, adeóque non transire, cum ipsa persona; vt possint ea vsurpare etiam extra proprias Ecclesias, & monasteria. Quod tamen non facit; quia iis etiam in alienis Ecclesiis, ac Oratoriis possunt celebrare diuina Officia, ac recipere Sacramenta, cum moderationibus tamen appositis *in cap. Alma*; id quippe iis expresè concessum est per bullam à Clem. IV. vt notat Casarub. *supr. num.* a. quamquàm ad id minùs necessarium videatur esse tale priuilegium; cum hoc idem concessum iure communi videatur in citato *cap. Alm*, quod cum non distinguat inter Ecclesias, & monasteria propria, vel aliena, sed loquatur absolutè dicens *in Ecclesiis, & Monasteriis*, indicat concessionem non restringi ad proprias Ecclesias, ac Monasteria, sed extendi etiam ad aliena iuxta regulam iuris, *lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi*: &, *Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*.

39. Porrò, quod spectat ad intelligentiam moderationis factæ *in cap. Alma*, quoad diuina Officia tempore Interdicti peragenda, moneo primò, ea voce recitanda esse diuina Officia, vt exaudiantur ab aliis recitantibus, & ab iis, qui intersunt officio, non item ab existentibus extra Ecclesiam, nisi fortè ab aliquo curioso obseruatore; quod tamen non argueret violationem Interdicti.

40. Moneo 2. portas Ecclesiæ, in qua diuina Officia modo dicto peraguntur, debere esse ita clausas, vt impediant visum, auditum, & transitum; & quidem omnes, siue aditus ad eas pateat ex viis publicis, siue ex claustro monasterij; non esse tamen necessarium, quod sint ita obseratæ, vt resistant volenti ingredi, vel quod ab aliquo Ianitore ad talem effectum custodiantur.

Moneo 3. vsum campanarum non prohiberi, quoad Conciones, 41. Salutationem angelicam, horas diei significandas, & similia: sed solùm, quoad conuocandos fideles ad Officia diuina, aut etiam secundùm aliquos DD. quoad sacram eleuationem, vt aduertit Laym. *vbi supr.* Imò Bonac. *D. 3. de censur. in comm. part. 4 num.* 8. putat posse pulsari campanas ad designandas horas, Primam, Tertiam, Nonam, Vesperas, sed reiicitur à Castr. Palao *infr. num.* 14. eo quod pulsatio non sit destinata solùm ad designandas horas, sed etiam ad conuocandos Clericos ad eas recitandas, & populum ad eas audiendas; ideóque tempore Interdicti sileat.

Moneo 4. in præfatis festiuitatibus posse Sacerdotes ministrare Eucharistiam, & laicos illam recipere: hinc enim fortè textus non fuit vsus verbo *assistere*, sed *participare*, vt inde colligeretur fideles posse participare ex sacrificio Missæ, ac diuinis Officiis, tum assistendo, tum sumendo Eucharistiam: præterquàm quod *in cap. Alma.* specialiter interdictis, seu iis, qui causam dederunt Interdicto, prohibetur sumptio Eucharistiæ, ideóque aliis tacitè conceditur; cum exceptio vnius firmet regulam in casibus non exceptis: aliàs frustrà esset hæc exceptio, si omnes tam interdicti, quam non interdicti, & tam interdicti specialiter, quam generaliter, essent exclusi à communione. ita Suar. *D. 33. de censur sect. 1. num.* 37. Coninch. *D. 17. de censur. num.* 36. *Filliuc. tract.* 18. *n.* 32. contra communem DD. sententiam.

Moneo 5. ex Syluestro *v. Interdictum* 5. *quæst.* 7. Suar. *supr. num.* 35 Filliuc. *num.* 42. probabile esse omnes, qui ex priuilegio assistere possunt Missæ sacrificio tempore Interdicti, posse consequenter communicare: cùm à tempore nascentis Ecclesiæ ea assistentia secum habeat annexam sacram communionem, ideóque concesso primo, accessorium censeatur concessum: quod tamen negant graues Doctores relati à Castro Palao *D. 5. de censur. part.* 4. §. 1. *n.* 14. nobiscum sentiente, hincque inferente Religiosos siue viros, siue fœminas, ac nouitios, qui possunt assistere Missæ, ac diuinis Officiis, posse & communicare: præterquàm quod ad hoc habent ferè omnes speciale indultum.

Moneo 6. quod, licèt primo aspectu videri possit concessum ministrare, aut recipere Extremam vnctionem iis, qui tempore Interdicti possunt assistere diuinis Officiis; eò quod cui maiora conceduntur, & minora intelligi debeant concessa, & maius sit celebrare Missam, quàm recipere extremam Vnctionem: oppositum tamen omninò debet sustineri *ex cap. quod in te de pœnit. & remiss.* vbi postquam Papa dixerat omnibus tempore Interdicti prohibitam esse extremam Vnctionem, & Ecclesiasticam sepulturam, subdit sepulturam Ecclesiasticam Clericis seruantibus Interdictum concedendam esse: quod est prohibitionem extremæ Vnctionis in suo vigore reliquisse arg. *cap. non ne de præsumpt.* ita Castrus Palaus *supr. num.* 17. ex Abbate Sylu. Couar. Sayro Bonacina. hinc inferens in præfatis festiuitatibus non posse fidelibus ministrari extremam Vnctionem: cum huius prohibitio pro tempore Interdicti sit absoluta, & *in cap. Alma* non inueniatur temperata pro dictis festiuitatibus: nam ibi non conceditur participatio quorumcumque diuinorum, sed sacrificij, & Officiorum diuinorum, sub quibus non venit extrema Vnctio.

In quibus autem aliis solemnitatibus vltra con- 42.
cessas *in cap. Alma.* possint Regulares suspendere Interdictum

terdictum in propriis Ecclesiis, & Monasteriis patet ex dictis in citato *tract. de priuileg. cap. 2. sect. 2. q. 6.* Addo hîc solùm ex Portel. *de dub. regul. ver. Interdictum, num. 76.* quòd, si contingat non fieri Officium de aliqua dictarum solemnitatum in die propria, eò quod v.g. transferatur in alium diem; nihilominus eo ipso die suspenditur Interdictum; sicut & suspenditur, si in aliquo die infra octauas talium solemnitatum de iis non fiat Officium, sed tantùm commemoratio; quod item notauit Miranda *part. 2. quæst. 38. art. 12. concl. 4.*

43. Addo hîc vnum, priuilegia peculiariter concessa Regularibus pro tempore Interdicti iis non suffragari, nisi pro Interdicto locali generali, non autem pro tempore Interdicti specialis, aut personalis; ea proportionaliter ratione, qua diximus priuilegia concessa Clericis *in cap. Alma,* iis non suffragari, nisi pro tempore Interdicti localis generalis; est enim par ratio de vtrisque, ne scilicet alioqui nimis vilescant censuræ Ecclesiasticæ, & consequenter à fidelibus negligantur. Quamquam Sorb. *in comp. fol. 389.* dicat Iulium II. concessisse Regularibus, vt quæ possunt pro tempore Interdicti generalis, possint etiam pro tempore Interdicti specialis: vt videndum est, ne talis concessio facta fuerit viuæ vocis oraculo.

QVÆRES XXIV. An, & quomodo Regulares tempore Interdicti possint sepeliri sepultura Ecclesiastica.

44. Respond. quod, quamuis *in cap. quod in te de pœnit. & remiss.* generaliter prohibeatur ne fideles tempore Interdicti sepeliantur in loco sacro, & ista prohibitio sit adeò vniuersalis, vt comprehendat etiam corpora defunctorum infantium, & amentium; nihilominus in eodem *cap. quod in te,* indulgetur, vt in locali Interdicto corpora Clericorum, aliarúmque Ecclesiasticarum personarum, (& consequẽter etiam Regularium) in locis sacris etiam interdictis sepeliri possint, in silentio tamen, absque pulsu campanarum, &c. idque dummodo tales personæ non sint specialiter interdictæ, ac illicita diuini Officij celebratione ipsum Interdictum non violauerint. Ita Laym. *supr. num. 3.* Coninchus *supr. num. 51. & 52.* Filliuc. *tract. 18. num. 91.* aliique communiter, qui benè notant, quod si contingat Clericum (dictum & Regularem) sepeliri in iis festiuitatibus, quibus possunt solemniter celebrari diuina Officia, tunc is poterit sepeliri cum omni solemnitate; quamquam, (vt notat Laym. cum Syluest & Suar.) Clerici, & Regulares non debeant sepeliri in loco specialiter interdicto, si commodè deferri possint ad aliam Ecclesiam non interdictam.

45. Et hæc de sepultura in Interdicto locali generali; imò & in locali speciali iuxta Syluest. Panormit. Couar. & multos alios, quorum opinionem dicit Coninch. *num. 53.* ob Doctorum auctoritatem non esse improbabilem, licèt aliàs nullum habeat in iure fundamentum: additque faciliùs eam posse admitti in casu, quo in ciuitate adesset vnicus locus sacer, isque specialiter interdictus: itavt Clericus non posset sepeliri in alio loco sacro; tunc quippe faciliùs permitteretur sepeliri in eo loco, ne aliàs sepeliri deberet in loco prophano: qua de re Suarez *D. 35. sect. 2. num. 4.*

46. Addit Coninch. *num. 46.* quòd, sicut certum est personas nominatim interdictas, etsi sint Clerici, non posse sepeliri in loco sacro, (vt constat ex Clement. 1. *de sepult.*) ita concedit Suarez *supr. D. 35. sect. 3. num. 2.* personas generaliter solùm interdictas posse sepeliri in loco sacro non interdicto, si ea interdicto non dederint, & communitas, cuius ipsæ sunt partes, non sit denunciata. Ratio est, quod quibus viuis communicamus, etiam mortuis communicare possumus *cap. sanè 24. quæst. 2.* interdictos autem personaliter non tenemur repellere à sacris Officiis, quæ celebrantur in loco non interdicto, nisi priùs denuntientur, (& hoc post Extrauag. Concilij Constant. *Ad euitanda,*) ergo nec tenemur eorum corpora ab eiusmodi loco sacro excludere. Dixi, *& communitas, cuius ipsa sunt partes, non sit denunciata,* vt teneamur euitare personas generaliter interdictas, sufficere, quod constet eas esse membra communitatis, quæ denunciata est interdicta, & quod dicta communitas denuncietur interdicta: alioqui, cum moraliter impossibile sit singula eius membra nominatim denuntiare, ex hac parte omne Interdictum generale personale frustraretur omni suo effectu. Dixi, *nisi priùs denuntientur,* quia post citatam Extrauagantem, *Ad euitanda,* nemini debet negari Ecclesiastica sepultura vi alicuius censuræ, aut sententiæ, nisi priùs fuerit ea censura, vel sententia denuntiata: quod notant Suar. *D. 33. sect. 3. num. 2. de censur.* Coninch. *D. 17. de cens. num. 62.* Laym. *l. 1. tract. 5. part. 4. cap. 2. num. 4.*

Accedit quod, sicut notat Portel. *num. 80.* & ante illum Rodriq. *tom. 2. quæst. 112. part. 5.* ex priuilegio bullato Leonis X. concesso Monachis S. Benedicti Hispaniæ possunt dicti Religiosi, aliique per viam communicationis suspendere Interdictum, & cessationem à diuinis in propria Ecclesia; & quidem ita, vt, si Monachus moriatur hodie, & sepeliatur ad vesperam, fiátque pro eo Officium sequenti mane, Interdictum suspendatur, tum pro vespere, dum sepelitur, tum mane sequente, dum pro eo fit Officium, & Missa. Ita Portel addens ex eodem Rodriq. quod si Nouitius moriatur, non suspenditur Interdictum: cum supradictum priuilegium concessum Religiosis seruandum sit ita, vt minùs noceat Ecclesiæ, quàm fieri possit: quod non fit, si extendatur etiam ad Nouitios; qui tamen alioqui possunt sepeliri sepultura Ecclesiastica vi aliorum priuilegiorum, & quidem saltem, vt familiares. Sic Portel. & cum eo Rodriq. quàm probabiliter, iudicent alij: Ego certè non video, cur præsens priuilegium Leonis X. non possit extendi etiam ad Nouitios; cùm iuxta dicta *quæst. 23. suppos. 4.* Doctores communiter extendant ad Nouitios concessionem factam Clericis, *in cap. Alma:* siquidem & de ea dici posset illam debere seruari, itavt noceat Ecclesiæ minùs, quàm fieri possit; quòd si talis regula non admittitur, quoad istam concessionem, nec debet admitti, quoad præfatum priuilegium Leonis X. cùm in vtroque casu militet par ratio; præterquam quod priuilegia concessa Regularibus, licet sint contraria iuri communi, latam admittunt interpretationem; vti ostendimus *in tract. de priuil. cap. 1. sect. 6. quæst. 6.* quo modo dissoluitur ratio Portelli. 47.

QVÆRES XXV. An Religiosus interdictus denuntiatus possit sepeliri in loco sacro, si moriens dedit signa contritionis, sed tamen non fuit absolutus, neque in foro conscientiæ, neque in foro exteriori.

Respond. videri posse; dummodo priùs absoluatur ab Interdicto: & probatur quia Doctores hoc idem tradunt de excommunicato apud Bonac. *supr. D. 2. q. 2. p. 3. §. 3. num. 7.* & Dianam *part. 5. tract. 9. resol. 14.* cum tamen excommunicatio non minùs tollat excommunicato ius sepulturæ Ecclesiasticæ, quàm tollat Interdictum personæ interdictæ; vnde, si admittitur excommunicatum modo supradicto posse 48.

ſepeliri in loco ſacto, idem etiam admittendum de interdicto. Certè Bonac. *ſupr. D. 5. part. 4. num. 11.* concedit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ poſſe ſepeliri in Eccleſia, ſi dedit ſigna Contritionis, & poſt mortem abſoluitur: quin etiam Diana *ſupr. tract. 10. reſol. 75.* cum Corneio docet Interdictum in caſu propoſito non indigere vlla abſolutione; cum exhibitis ſignis ſufficientibus Contritionis, ipſo iure maneat abſolutus, vt colligitur ex *cap. is. qui de ſent. excommunic. in 6.* vbi dicitur. *Talis quoque ſi hoc Interdicto durante decedat, non debet in Eccleſia, vel Cæmeterio Eccleſiaſtico niſi pœnituerit, ſepeliri*; vnde inferunt DD. quod, cùm tale Interdictum poſitum fuerit, quoad hunc effectum ſub conditione, niſi pœnituerit, hoc ipſo quod impletur conditio, Interdictum manet ſublatum.

QVÆRES XXVI. An Regulares tempore Interdicti poſſint ſepelire in propriis Eccleſiis aliquas perſonas ſæculares, & quas.

49. Reſpond. poſſe, & quidem eas omnes, quas recenſemus *in tract. de priuileg. cap. 5. ſect. 4. ſubſ. 2. quæſt. 11.* idque ex variis indultis, etiam bullatis, quæ ibi retulimus, & adducuntur maximè à Caſarub. *in Comp. v. Interdictum 3.*

An autem Regulares poſſint in propriis Eccleſiis ſepelire perſonas ſæculares interdictas ad hoc nullam habentes priuilegium, ſi contingat eas ſepeliri in aliqua earum ſolemnitatum, in quibus diximus fideles poſſe aſſiſtere diuinis Officiis ex concesſione *cap. Alma mater.*

50. Reſpond. videri probabile, quod poſſint; & probatur ex eo quod priuilegium aſſiſtendi diuinis Officiis extenditur ad ſepulturam: ſi quidem, vt notant Sylu. *v. Interdictum 5. quæſt. 2.* & Tab. *ibidem* §. 11. tempore interdicti ſepultura negatur, tum ratione diuini Officij annexi, tum ratione dependentiæ ad ordinem ſacrum propter conſecrationem Eccleſiæ: vnde nec in loco ſacro ſine diuino Officio, nec extra locum ſacrum cum Officio diuino fieri poteſt; ergò hoc ipſo quod hæc duo licent ex priuilegio, licita erit & ſepultura; aliàs cui communicamus viuo, non poſſemus communicare mortuo contra communem regulam. ita Sot. Henriq. Sà, Nau. Auil. Ang. Sylu. Tab. Megala. Ioan de la Cruz Moſer, & Panner, quos citat, & ſequitur, Diana *part. 5. tract. 10. reſol. 68.* contra Corneium Præpoſ. Gord. Hurtad, Suar. Coninc. Filliuc. & Alter. ab eodem Diana relatos oppoſitum ſuſtinentes, & non improbabiliter: cum quibus ſentit Caſtrus Palaus *ſupr. §. 3. n. 5.* ex hac ſua doctrina inferens laicum habentem priuilegium aſſiſtendi diuinis Officiis tempore Interdicti, ac recipiendi Sacramenta; vi huius priuilegij præcisè non poſſe ſepeliri in loco ſacro interdicto: quod tamen negamus nos conſequenter, vt de facto negat Auila. *de cenſur. part. 5. D. 4. ſect. 3. diſſ. 4.* & conſequenter ad noſtram ſententiam teſte ipſo Caſtro Palao: qui tamen concedit ſi priuilegium alicui fiat ſub hac generalitate, vt admittatur ad diuina, poſſe vi illius ſepeliri in loco ſacro interdicto: cùm ex ea generali conceſſione ſuſpendi videantur omnes effectus Interdicti arg. *cap. ſi ſententia de ſent. excommunic. in 6.*

Dubium grauius eſt, an Regulares tempore Interdicti poſſint retinere quaſi per modum depoſiti cadauera perſonarum interdictarum in propriis Eccleſiis recondita intra capſas ligneas craſſiori pice imbutas, & optimè obturatas, vſque dum, ſublato per legitimam poteſtatem Interdicto, donari poſſint ſepultura Eccleſiſtica.

51. Reſpond. quod, quamuis id videatur fieri in fraudem Interdicti, nihilominùs, ſtando in rigore iuris, concedendum eſt poſſe fieri; dummodò non adſit periculum ſcandali, aut grauioris offenſionis; illius, qui poſuit Interdictum. Ducor; tum quia ius quidem prohibet perſonas interdictas ſepeliri in loco ſacro; non tamen, quod non poſſint reponi in loco ſacro modo ſupradicto; quæ ſunt res valde diuerſæ, ideóque ab vna earum non fit illatio ad aliam: cùm à diuerſis non fiat illatio, præſertim in pœnis, in quibus benignior interpretatio facienda eſt; tum quia perſona interdicta, vt ſic non prohibetur manere in loco ſacro; dummodò non interſit diuinis Officiis, (vt tradunt Suarez, Coninc. Nauar. Auil. Couat. & alij penes Bonac. *ſupr. part. 4. num. 11.*) ergò ſi viuens ibi poteſt manere, cur etiam ibi non poterit detineri mortuo modo ſupradicto? ita ſentiunt viri docti à me conſulti, imò re ipſa id alicubi practicatum eſt, dum hæc ſcriberem.

Dices, vbi ergo ſepeliendi ſunt laici tempore Interdicti?

Reſpond. Filliuc. *tract. 18. num 97.* ſepeliendos eſſe 52.
in cœmeterio per Epiſcopum deputato, non tamen benedicto, aut in aliquo campo; vt ceſſante interdicto, inde poſſint transferri ad Eccleſiam Eccleſiaſtica ſepultura donandi, modò pœnitentes deceſſerint. (Quamquàm, vt aduertit Laym. *vbi ſupr.* ſi contingat corpora defunctorum non perſonaliter interdictorum, nec denunciatorum illegitimè ſepeliri in loco ſacro, non ideò exhumanda ſint; cum id nullibi requiratur ſtatutum.) Quin etiam addit Portel. *num 43.* tempore Interdicti non poſſe ſepeliri in Eccleſia generaliter interdicta oſſa defuncti ante interdictum demortui, quæ fortè tunc temporis aliunde transferantur, hoc enim verè eſt donari Eccleſiaſtica ſepultura; quod tempore Interdicti eſt prohibitum.

QVÆRES XXVII. An Regulares interdicti priuentur vſu iuridictionis exterioris, ſaltem ſi ſint perſonaliter interdicti.

Reſpond. non priuari; & probatur, quia effectus 53.
Interdicti non ſunt niſi illi tres, quos recenſuimus *q. 18.* actus autem iuriſdictionis exterioris ad nullum iſtorum effectuum reuocatur, vt patet; adeóque non debet poni inter effectus Interdicti. ita Bonac. *part. 5. num. 1.* cum Nau. Auila. Vgol. Henriq. Sayro, & aliis hinc inferens interdictum etiam nominatim denuntiatum poſſe excommunicare, abſoluere, & quidem etiam non ſolemnitate, aliaque id genus præſtare.

QVÆRES XXVIII. An Regulares interdicti poſſint eligi ad dignitates Ordinis, imò & eligere.

Reſpond. non poſſe neque eligi, neque eligere, ſi 54.
ſint denuntiati, &, ſi eligant, aut eligantur, electionem eſſe ipſo iure nullam. ita Peyr. *de R. P. quæſt. 2. cap. 5. §. 2. num. 38. & 39.* aliique plures apud ipſum, & probatur ex *cap. 1. de poſtulat. Prælat. & cap. cum dilectus de conſuetud.* quamquàm *in cap. 1. de poſtul. Prælat.* non dicatur inhabilis ad beneficia. qui eſt interdictum, ſed qui Interdictum violauit, quod notauit Leſſ. *lib. 3. cap. 34. num. 116.* dicens tamen videri conſonum Canonibus, vt etiam ij, qui ſua culpa incurrerunt perſonale Interdictum, inhabiles ſint: quatenùs par eſt, vt qui publicè nequit præſtare officium, ſicuti ſolet fieri in Eccleſia, inhabilis ſit ad beneficium; quæ ratio vtique locum habet, quoad electionem, tum actiuam, tum paſſiuam dignitatum regularium, vt patet.

QVÆRES XXIX. Quos effectus operatur Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ.

Pro reſponſione ſuppono primò, Interdictum 55.
ab ingreſſu Eccleſiæ eſſe peculiare quoddam genus

interdicti

interdicti priuans fideles aliqua participatione diuinorum, non quidem absolutè, sed in Ecclesia: idque per se, & non solùm prout talis participatio importat quamdam communicationem cum aliis.

Suppono secundò, eiusmodi interdictum semper esse quid personale addictum vni personæ, non autem loco; vnde fit, quod interdictum sit solùm generale, aut speciale, quoad locum, vt illius non prohibeatur ingressus Ecclesiæ, nisi pro tempore, quo peraguntur diuina Officia: quod idem locum habet etiam in interdicto personali generali, aut speciali in forma communi, sicut notauit Suarez *supr. D.35. sect.4. num.2.*

Suppono tertiò, nomine Ecclesiæ hîc intelligi, quodlibet templum auctoritate Episcopi publicè deputatum ad sacra facienda; non item Oratorium priuatum, imò nec cœmeterium secundùm Filliucium *num.* 103. & aliquos alios; qui proinde hinc inferunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ posse celebrare, aut audire Missam in Oratorio priuato, vel cœmeterio; nuo item audire diuina extra Ecclesiam, dum ea fiunt in Ecclesia: cum ex vi talis interdicti id principaliter prohibeatur, vt scilicet interdictus ab ingressu Ecclesiæ non sit particeps eorum, quæ fiunt in Ecclesia, vt ex Syluest. aduertit Filliucius *num.* 104. & Bonac. *supr. p.4. num.* 11. ex Suarez, quòd tamen si quis neget, non ita facilè poterit conuinci falsitatis: vnde Suarez, proponens suam sententiam *num.* 7. non eam absolutè proponit, sed cautè dicit: *Nihilominus dicendum videtur.* His ita propositis

56. Respond. interdictum ab ingressu Ecclesiæ id solùm operari, vt sic interdictus nequeat participare in Ecclesia, neque Sacramenta, neque Officia diuina, neque sepulturam, non autem, quod non possit ingredi Ecclesiam, non solùm ad audiendam concionem, & ad actus iurisdictionis exterioris faciendos, (vt concedunt communiter DD. contra plures alios, quos refert, sed non sequitur Diana *supr. resolut.* 73. imò etiam ad orandum priuatim, si tunc temporis non recitentur diuina Officia, quod docent Nauarr. Coninch Reginald. Villalob. & Hurtad. penes eumdem Dianam, qui addit ex Nauarr. & Auila, interdictum ab ingressu Ecclesiæ posse transire per Ecclesiam, etiam quo tempore celebrantur diuina Officia. Quin etiam Bonacina *num.* 12. cum Sayro, Auila, & Henriq. censet interdictum ab ingressu Ecclesiæ non prohibere recipere Sacramenta in ipsa Ecclesia, si id faciat extra tempus diuinorum Officiorum; probátque, quia taliter interdictus non est priuatus vsu Sacramentorum, sed diuinorum Officiorum, ac sepulturæ; quod tamen negant Suarez, Coninch. Angel. & alij apud ipsum Bonacinam, cuius opinionem puto esse probabilem; sicque limitandum esse, quod diximus interdictum ab ingressu Ecclesiæ prohiberi recipere Sacramenta in Ecclesia, quod autem spectat ad prohibitionem sepulturæ Ecclesiasticæ, eam extendunt Doctores non solùm ad Ecclesiam, sed etiam ad cœmeterium, siue contiguum, siue non contiguum: cum quoad vsum sepulturæ Ecclesiasticæ hæc omnia loca perinde se habeant, sicque quodcumque cœmeterium, quantum ad hunc effectum reputetur Ecclesia, vt obseruat Suarez *num.* 15.

QVÆRES XXX. An Regulares tempore interdicti teneantur excludere ab Officiis diuinis sæculares non excommunicatos, neque specialiter interdictos.

57. Respond. teneri, si possint: quòd si non possint, videri probabile, quod adhuc celebrari possint diui-

na Officia. Prima pars, quæ est communis Doctorum; probatur, tum quia alioqui non essent necessaria priuilegia ad interessendum diuinis Officiis pro tempore interdicti; quæ tamen, & petuntur, & conceduntur: tum quia ex eo, quòd *in cap. alma*, solùm excipiuntur excommunicati, & specialiter interdicti non sequitur alios omnes posse admitti ad diuina Officia, quæ fiunt tempore interdicti; si quidem regula illa, quæ adducitur ab Aduersariis in confirmationem: *Exceptio firmat regulam in contrarium,* tunc habet verum, quando aliud ex iure non colligitur: in præsenti autem casu ex alio iure colligitur laicos omnes esse excludendos, si aliàs quoad hoc peculiare non habeant priuilegium: vnde verba illa, quæ extant *in citato cap. alma (excommunicatis & interdictis exclusis)* ponuntur propriè propter Clericos, & alios priuilegiatos, quibus nec ordo, nec priuilegium suffragatur, vt possint interesse diuinis Officiis tempore Interdicti, si ipsi specialiter interdicti sint, quod ingeniosè aduertit Suarez *D. 34. sect. 1. num.* 30.

Secunda pars, quam sustinent Suarez, Mercer. & Turrian. apud Dianam *resolut.* 65. probatur ex eo, quòd in casu proposito non debent omitti diuina Officia, neque iure naturali, neque positiuo: non naturali, cùm in tali celebratione nulla concurrat moralis cooperatio cum persona interdicta, quæ possit imputari ad peccatum, stante quod assistentia personæ interdictæ est potiùs contra voluntatem celebrantis, vt suppono; non iure positiuo; cùm iura, quæ decernunt interdictos excludendos esse à diuinis Officiis, loquantur de locali interdicto, non autem de personali, de quo nos in præsentia loquimur. 58.

QVÆRES XXXI. An Regulares non interdicti possint audire Missam Sacerdotis interdicti.

Respond. Diana *resol.* 64. cum Turriano Mercero, & Filliucio, quòd, licèt in peccatum inducere talem Sacerdotem ad celebrandum, aut ei aliter cooperari; cùm non liceat inducere ad peccatum; non est tamen peccatum eius Missam audire, seclusa quacumque morali cooperatione: idque ob rationem adductam *quæst. præced.* oppositum tamen sentit Faber apud Dianam. 59.

QVÆRES XXXII. An, & quando Regulares teneantur seruare interdicta lata in loco, in quo commorantur.

Respond. cum distinctione, vel constat interdictum esse legitimum; & sic seruandum est à Regularibus, quamuis non seruetur à Matrice; &, si non seruent, incurrunt pœnas latas *cap. fin. de excess. Prælat. cap. authorit. cap. Episc. de priuil. in* 6. non autem excommunicationem latam in Clement. 1. *de sentent. excommunic.* Vel constat interdictum esse nullum; & tunc, si seruetur à matrice, debent Regulares illud obseruare sub pœna excommunicationis latæ in Clem. modò citata, & à nobis explicata *supr. cap. 2. sect. 3. q. 6.* ita Auila *p. 5. de censur. D. 8. d. 3.* ex Nauarr. & Henriq. addens tamen Regulares posse excusari, si probabiliter putent tale interdictum non esse legitimum, eo quòd videant illud non obseruari ab aliquibus Ecclesiis parochialibus. 60.

Quòd si aliqui Religiosi contra doctrinam hanc Auilæ dictitant Regulares non teneri seruare interdictum, quod videnr non seruari ab Ecclesia matrice; id dicunt, siue quia inhærent sententiæ oppositæ, tanquam sibi fauorabili (quam sustinent aliqui, quorum tacito nomine mentionem facit Suarez *D. 34. de censur. sect. 1. num. 10.*) siue quia non cognitur stare sententiæ Auilæ, cùm ipse non sit Author

cano

canonicus, nec legislator; nec tenentur sequi interpretationem, seu intelligentiam textuum supra relatorum ab eo factam; imò illius authoritati opponūt authoritatem Suarez dissentiētis, quoad pœnas, etsi quoad culpæ obligationem cum eo conueniat: siue quia fortè illud dictitant in speciem; re vera excusationem in foro conscientiæ prætendentes ex aliqua alia causa iis fortasse ignota, sed præsumpta ex publica actione Ecclesiæ Matricis, cuius se remittūt iudicio, ac sequuntur: v.g. ex aliquo defectu substantiali, saltem in foro conscientiæ, eò quod scilicèt ob aliquam ignorantiam non interuenerit culpa mortalis in facto ob quod latum fuit Interdictum; vel estò interuenerit culpa mort. excusatos se putant ab obseruantia Interdicti ob iustum timorem, & nō inanem grauis alicuius mali ab experientia iam anteà demonstrati: quem metum excusare à dicta obligatione ostendit Sanch *lib. 1. mor. cap.* 18. *num.* 8. iuncto *n.* 6.

Quæres XXXII. Qualiter peccent Regulares violantes Interdictum.

61. Respond. peccare mort. nisi fortè excuset leuitas materiæ: & hoc, siue Interdictum sit locale, siue personale, siue generale, siue speciale. est communis Summistarū apud Suar. *sect.* 4. *n.* 4. & patet, quia materia per se est grauis, & directè prohibita ex iure, per verba rigorosa, sub grauibus pœnis *q. sequenti* referendis: hæc verò omnia indicant obligationem peccati mort. vt constat ex regulis generalibus; quamquàm ipsemet Suar. *num.* 8. dicat sæpè in particulari difficile esse iudicare, num violatio Interdicti sit mortalis, aut venialis: quod tamen discernere est necessarium, tum propter conscientias, tum etiam propter iudicium ferendum de pœna ecclesiastica.

Dixi, *nisi fortè leuitas materiæ excuset*, vt innuerem in hac materia dari paruitatem materiæ excusantem à peccato mort. vt si quis in choro cum aliis Religiosis canat vnū versum, aut etiam vnum Psalmum; is enim iuxta Suarez *num.* 10. non peccaret mort. secluso scandalo; quod tamen negat idem Suar. habere locum in casu, quo quis publicè in Choro recitaret orationem diuini Officij, præmisso *Dominus vobiscum*: in hoc enim interueniret grauis materia; cum talis recitatio sit actus proprius Ordinis sacri, & qualitate reputetur valdè grauis, estò quantitate, vt sic dicam, magnus non sit.

Vtrum verò censenda sit violatio grauis ea, qua quis tempore Interdicti Missam celebraret, omissa aliqua ex circumstantiis requisitis *in cap. alma*, v. g. faciendo sacrum apertis ianuis Ecclesiæ,

62. Respond. Censendam esse, si totum officium, aut magna pars eius dicatur cum defectu illius circumstantiæ. ita Suar. *supr. n.* 12. & 13. aliique penes Dianam *resolut.* 66. & suadetur, tum quia materia istius violationis non est sola illa circumstantia, sed totum Officium dictum sine ea circumstantia; quod sine dubio importat grauitatem materiæ; tum, quia in Clem. 1. *de sent. excommunic.* transgressio Interdicti videtur iudicari grauis ex eo præcisè, quod diuina Officia celebrantur ianuis quidem clausis, sed perforatis, ac fenestris in eis factis; tum, quia forma Interdicti in præsentia ita ex illis conditionibus constituitur, vt, qualibet earum ablata, destruatur tota forma, & quasi substantia Interdicti. cum Suar. sentit Portel. *de dub. regul. v. interdictum n.* 27. Regin. *lib.* 33. *tract.* 3. *num.* 49. Sayrus *l.* 5. *de Censur. cap.* 14. *à num.* 30. Filliuc. *tract.* 18. *n.* 84. aliique communiter; quamuis Turrian. apud Dianam *supr.* videatur propendere in partem oppositā, & ipsemet Diana eum non reiiciat.

63. Addo ex Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 76. pro se citante plures alios, quod si interdictum non sit latæ sententiæ, sed solùm ferendæ, non arguit obligationem sub peccato mort, sicut nec arguit, si Interdictum sit leue, vt alicuius specialis actus ad breue tempus; quod notat Sanch. *lib.* 6. *decal. cap.* 4. *num.* 55.

Quæres XXXIII. Quam pœnam incurrant Regulares violando Interdictum.

Respond. incurrere varias, & primò quidem priuationem sepulturæ Ecclesiasticæ, ad quam alioqui ius haberent iuxta dicta q. 25. (idque ex *cap. quod in te de pœnit. & remiss. cap. is qui de sent. excommunic. in* 6. 64.
secundò ineligibilitatem tam actiuam, quàm passiuam, si violent interdictum personale, aut locale exercendo actum sacri Ordinis (non item, si Ordinis minoris) vel celebrando Officia diuina, & hoc ex *cap.* 1. *de postulat. Prælat. cap. is qui.* § *is vero de sent. excommunic. in* 6. tertiò suspensionem ab officio, & consequenter à iurisdictione, iuxta *cap. vlt. de excess. Prælat.* (de quo tamen non parum dubitat Coninch. *de Censur. D.* 17. *n.* 71.) quartò excommunicationem latam in Clem. 1. *de sent. excommunic.* contra Religiosos non seruantes Interdictum, quod viderit seruari ab Ecclesia Matrice, aut Parochiali loci, & à nobis explicatam *cap.* 2. *sect.* 3. *quæst.* 6. quintò irregularitatem, si Interdictum locale, aut personale violent exercendo actum proprium sui Ordinis eo modo, quo nequit exerceri à laicis; idque ex *cap. is qui* 18. § *is vero, & cap. is cui* 20. *de sent. excommunic. in* 6. ita Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. Filliuc. *tract.* 18 *num.* 86. & *seqq.* Portel. *supr. num.* 37. 38. 39. Bonac. *supr. part.* 6. *à num.* 4. Suarez *supr. à num.* 14. aliique communiter: inter quos Filliuc. *num.* 88. benè aduertit præter has pœnas, quæ ipso facto incurruntur, extare alias per sententiam Iudicis incurrendas: qualis est, quæ habetur *in cap. auctoritate de priuil. in* 6. vbi dicitur hos transgressores esse per locorum Ordinarios compescendos: & *in cap. postulasti, de Cler. excom. ministr.* in quo habetur Monachos, & Moniales detrudendos in arctiora monasteria ad agendam pœnitentiam, si excommunicati ob transgressionem Interdicti non resipiscant. Aduertit prætereà Laym ex Clem. 1. *de sepult.* eum qui scienter præsumpserit sepelire in loco sacro excommunicatum, aut interdictum denuntiatum, aut alios contra iuris permissionem, incurrere excommunicationem ipso iure. His, inquam, pœnis afficiuntur Regulares, & quidem etiam suo modo Moniales, teste Port. *num.* 37. si Interdictum violent in casibus non permissis.

Quin etiam notat Coninch *num.* 73. Clericum siue sæcularem, siue regularem, si præsumat illicitè celebrare diuina in locis interdictis, aut coram excommunicatis, vel interdictis non toleratis, suspendi ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfecerit ei, cuius sententiam violauit. habetur *in cap. Episcoporum de priuil. in* 6 quamquàm, vt notat Filliuc. *num.* 86. ad talem pœnam incurrendam requiratur, vt locus interdictus sit denuntiatus. 65.

Quod si quæras, an Regulares personaliter interdicti incurrant irregularitatem, si in Choro diuinum Officium canant cum solemnitate propria Ordinis Ecclesiastici. 66.

Respond. incurrere: secùs, si canant quidem in Choro, sed nullum habeant ordinem: hi namque irregularitatem numquam incurrunt ob quodcumque ministerium ab ipsis exhibitum in celebratione diuinorum Officiorum; quod notauit Nau. *c.* 27. *n.* 187. & cum eo Suar. *num.* 27. dicens *num.* 26. ad contrahendam irregularitatem in præsenti casu tria requiri; nimirū, vt is, qui ministrat, sit ordinatus; vt actus, quem exercet, requirat ordinem, & quod talis actus comprehendatur sub Interdicto. 67.

An

An autem Regularis celebrans coram personaliter interdicto fiat irregularis, si interim ipse non sit interdictus.

67. Respond.non fieri;& probatur,tum, quia talis irregularitas non est in iure expressa:tum,quia ex *cap. si quis,de sent.excommun.in 6.* non fit irregularis, qui celebrat coram excommunicato;ergo à fortiori nec erit,qui celebrat coram interdicto, ita Filliuc. *n.* 89. aliique apud Bonac. *supr.part. 6. num.* 15. qui notat *n.* 19. eos dici nominatim interdictos denunciatos, qui exprimuntur nomine proprio, aut nomine officij, vel alio signo manifestante talem personam in particulari.

QVÆRES XXXIV. Quot, & quibus modis tollatur Interdictum.

68. Respond.tolli 4.modis,nimitũ per relaxationem, absolutionem, appellationem, ac dissolutionem subiecti interdicti modo infra exponendo.

QVÆRES XXXV. Quinam possint tollere Interdictum per Relaxationem.

69. Respond.distinguendo; vel Interdictum est locale,& personale generale, iure communi impositum, & non reseruatum; & potest tolli auctoritate Episcopi, aut alterius habentis iurisdictionem in communitatem interdictam (qualis est etiam Prælatus regularis respectu Monasterij, cui præest; vel Interdictum est personale alicuius Communitatis, & hoc, si sit latum ad certum tempus, aut sub certa conditione,nõ potest tolli à supradictis, nisi expleto tempore, aut impleta conditione; præter quam in casu, quo Interdictum prouenit ex delicto occulto non deducto ad forum contentiosum; tunc enim posset tolli ab Episcopis,& Prælatis regularibus ex concessione Concil.Trid *sess.24.cap.6. de reform.* ita Laym. *supr.cap.5.num.2.*monens de facto in iure nullum reperiri Interdictum,quod Papa sibi reseruauerit.

QVÆRES XXXVI. An Regulares,& alij, qui ex priuilegio possunt absoluere pro foro conscientiæ à censuris iuris, possint per absolutionem tollere Interdictum locale, aut personale Communitatis.

70. Respond.non posse,cum eorum priuilegia restricta sint ad forum conscientiæ,(vt suppono)& alioquin locus, & Communitas foro conscientiæ non subiiciantur,vt per se notum est.Secùs dicendum de Interdictis iuris personalibus, ac specialibus:ab his enim possint absoluere quicumque habent facultatem absoluendi ab omnibus censuris iuris. ita ex communi Henriq. & Auila, quos citat, & sequitur Laym.*num.2.*addens cum Suar & Coninbco ab eiusmodi Interdicto personali particulari absolutè,& sine reseruatione lato posse absoluere quemcumque simplicem Confessarium, non secùs ac potest ab excommunicatione non reseruata,quod tamen negant Auila,& Henriq apud ipsum Layman.

Dices,quid si Interdictum sit ab homine,possint ne tunc Regulares ab eo absoluere vi suorum priuilegiorum?

71. Respond.quod, quamuis DD. communiter apud Filliuc. *num.* 122. dicant Interdictum ab homine per sententiam particularem non posse auferri, nisi ab eo, qui illud tulit, vel ab eius Superiore, vel à Successore,vel ab alio ex delegatione:idque ex *cap.si sententia,& cap.si ciuitas, de sent.excommunic.in 6.* nihilominus puto Regulares vi suorum priuilegiorum posse absoluere à tali interdicto;non quidem pro foro externo(quo modo vera est doctrina Filliuc.) sed pro foro conscientiæ;& hoc ob rationes à nobis adductas *in tract.de priuileg.cap.3.sect.2.subs.3. quæst.*

quas non vacat hic iterum repetere.

Dubitant DD.vtrum, sicut Interdictum absolutè non potest tolli, nisi per absolutionem(in quo omnes conueniunt, cum respectu talis Interdicti non possit assignari,quo modo cesset,nisi interueniat absolutio) ita etiam Interdictum latum sub conditione tacita, aut expressa(v.g.donec satisfaciat)necessariò requirat absolutionem, ita vt aliter non possit tolli,vel certè,conditione impleta, cesset ipso facto.

Respond.probabile esse,quod Interdictum in tali casu cesset ipso facto:quamuis vt probabile admitti possit etiam oppositũ, vti diximus *cap.præced.sect.1. quæst.*18.& in terminis docet Filliuc. *tract.*18.*n.*115. & ante ipsum Suar.*D.*38.*de censur.sect.*1.*num.*5. 72.

QVÆRES XXXVII. Quandónam suspendatur Interdictum per appellationem.

Respond.suspendi,si appellatio interponatur ante latam Interdicti sententiam: non item:si post; sic enim expresse cauetur *in cap. si cui,de sentent. excommunic. in 6.* patetque ex dictis *in tract. de prohibit. cap.7.quæst.*10. 73.

QVÆRES XXXVIII. Quo modo Interdictum tollatur per dissolutionem subiecti interdicti.

Respond. cùm distinctione: vel loquimur de Interdicto locali,vel de personali:si de locali;hoc non tollitur ad destructionem subiecti, siue Interdictum sit generale(v.g Ciuitatis) siue speciale(v.g. alicuius Ecclesiæ particularis:)in his namque casibus semper remanet solum,quod etiam est interdictum.Si autem interdictum sit personale,& quidem generale,latum contra aliquam Communitatem,Collegium,aut populum; tunc vtique illud tollitur per destructionem subiecti;cum destructo subiecto,etiam illius affectio (qualis est Interdictum)destruatur:secùs,si sit Interdictum personale speciale; sic enim non tollitur per mortem interdicti, cum censura non tollatur per mortem censurati,sed per absolutioné; quamuis alij non improbabiliter oppositum sustineant ex *cap. si cui,*sæpiùs cit.vt notat Filliuc.*supr.n.*121. qui tamen ostendit ex allegato capite non conuinci intentum; cum dici possit quod, quando ibi dicitur interdictum,qui moritur pœnitens,sepeliendum in loco sacro: sensus est id vtique faciendum esse, sed seruato debito ordine,id est relaxato Interdicto. 74.

Quod autem diximus, dissoluta Communitate, tolli interdictum latum contra ipsam;non debet intelligi absolutè, sed tantùm respectu innocentium, qui eo non ligantur, nisi quamdiu sunt pars talis Communitatis, aliàs ij, qui causam culpabilem dederunt Interdicto,pergunt ligari,vt pote qui censentur particulatim interdicti,& nomine suo,non autem solùm vt sunt pars Communitatis, ita Coninch. *n.*78.à quo non dissentit Cast. Pal. *D.5.de censur.p.7. §.2. num.*3. dicens,destructa communitate,si quis ex ea subsistat,non ligari interdicto: cum interdictum communitatis non liget singulas personas,nisi quatenus sunt partes communitatis, & destructa communitate partes illius esse non possint: quod negant Alterius,& Bonac. apud ipsum Castrum Palaum, ex eo, quod iura communitatis perseuerent in eo, qui superest ex communitate destructa arg. *l. sicut municipij.ff.quod vniuscuiusque vniuersitatis.*sed hæc lex ad summum probat iura fauorabilia communitatis singulos illius communitatis retinere, non item pœnalia.Addit Castr.Pal.ex Suar.Conincho,Filliuc.& Bonac.certum esse destructa communitate manere interdictam illam personam, cuius causa latum est Interdictum:nam eius interdictum non solùm est commune,sed speciale personale, vt bene aduertunt citati Doctores. 75.

Monet

76. Monet hîc Suarez *num.* 14. quòd, licet interdictum locale absque relaxatione non tollatur, nec minuatur vnquam ipso facto ob aliquam loci mutationem: id tamen non habet locum in interdicto deambulatorio: cùm enim per illud interdicatur locus, in quo persona existit, hoc ipso, quòd illa transfertur ab eo loco, tollitur interdictum loci absque alia relaxatione; sicut è conuerso alius locus, in quem persona transit, incipit esse interdictus absque nuua sententia; siquidem prior sententia extenditur, & quasi transfert interdictum ab vno loco in alium: idque ex intentione ferentis iuxta communem vsum, & sensum talis interdicti, quæ non est, vt tale interdictum ita perambulet illa omnia loca, vt simul maneat in omnibus, sed solùm vt maneat in eo loco, in quo est persona interdicta.

QVÆRES XXXIX, An, & quomodo, & à quo suspendi possit interdictum.

77. Respond. posse, siue interdictum sit generale, tam locale, quàm personale, siue locale particulare, siue etiam personale particulare: & quidem ab eo, qui illud tulit. Et ratio est, quia nullo iure id prohibetur, & alioquî velut ex natura rei, effectus sententiæ pendet ex voluntate ferentis; præterquam, quòd nulla ad hoc requiritur iuris dispensatio, quæ sit Papæ reseruata: cùm hic non agatur de priuilegio perpetuo celebrandi, ac participandi diuina tempore interdicti (quod solus Papa concedit) sed de suspensione alicuius effectus pendentis à voluntate ferentis. ita Suarez *supr. D.* 28. *sect.* 3. *n.* 5. & 8. hinc inferens interdictũ personale particulare non posse solum suspendi, postquam quis à contumacia recessit (cùm potiùs tunc debeat tolli) sed etiam ea durante; cùm sæpè occurrere possint iustæ causæ faciendi talem suspensionem (v.g. ob incidens festum, ob Principis aduentum, &c.) vt notauit Laym. *n.* 3. monens, siquidem interdictum totaliter suspendatur, eius executionem interposita appellatione, impediri; secus, si interdictum suspendatur solùm ex parte: sic enim colligunt DD. *ex cap. dilecti, de appel.*

78. Nec obstat, quod excommunicatio non potest suspendi: nam illa est pœna acerbior, & quoad hanc partem magis odiosa, quàm interdictum: vnde mirum non est iura voluisse, vt illa vel omnino auferatur, vel omnino habeat suum effectum: nihil tale statuendo de interdicto; quod etiam obseruauit Laym. *vbi supr.* notans quibus casibus potest Episcopus absolutè tollere, aut relaxare interdictum, iisdem etiam posse, & suspendere: quod puto habere locum in Prælatis regularibus, quoad interdicta ipsorum iurisdictioni subiecta: cùm militet par ratio, vt patet.

QVÆRES XL. An liceat absoluere ab interdicto, ad cautelam.

79. Respond. licere, non quidem ab interdicto generali loci, cùm id expressè prohibeatur *in cap. præsenti, de sent. excomm. in* 6. sed à speciali locali; imò & à generali personali; vt bene probat Suar. *n.* 3. & 4.

SECTIO II.

De interdictis in iure latis contra Regulares.

80 *Referuntur interdicta lata contra Regulares.*
81 *Ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur, si excommunicent, omissa monitione.*
82 *Et hæc debet esse trina.*
83 *Stando præcisè in iure communi.*
84 *Item interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, si violent interdictum locale generale.*
85 *Secus, si violent interdictum locale particulare.*
86 *Ostenditur quid sit admittere ad diuina Officia.*
87 *Interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, si excommunicatum admittant ad diuina Officia*
88 *Item, si violent decreta Vrbani VIII.* de celebrat. Missarum.
89 *Et hoc interdictum de se est perpetuum.*
90 *Item, si de manu laici accipiant Episcopatum,* &c.
91 *Secus, si de manu laici accipiant dignitates Religionis.*
92 *Hoc autem interdictum cessat, abdicata dignitate sic accepta.*

QVÆRES I. Quot & quæ interdicta in iure lata sint contra Regulares.

80. Respond. Extare quinque, quorum 1. est contra ferentes censuras absque debita solemnitate: 2. contra violantes interdictum generale locale: 3. contra admittentes excommunicatos ad diuina Officia: 4. contra transgredientes decretum sacræ Congregationis iussu Vrbani VIII. edito *de celebrat. Miss.* 5. est contra recipientes Episcopatum, Abbatiam, aut aliam dignitatem de manu laici. Hæc sunt interdicta, quæ possunt cadere in Regulares, & sunt magis propria ipsorum; non enim hic explicare intendimus omnia interdicta, quæ quoquo modo possunt in ipsos cadere, sed quæ propria sunt illorum, & proximius ipsos tangunt.

QVÆRES II. Quale interdictum incurrant Regulares, si ferant excommunicationem in alium sine competenti admonitione præmissa, & assistentia personarum idonearum, per quas probari possit admonitio.

81. Respond. incurrere interdictum ab ingressu Ecclesiæ per mensem latum *in cap. sacro, de sent. excom.* si tamen hac in re interueniat præsumptio, quæ itique præsupponitur in textu per verbum *præsumat.* Notat autem Suarez *D.* 37. *de censur sect.* 1. *n.* 3. huiusmodi interdictum non extendi ad ferentes quascumque censuras, sed solùm ad ferentes excommunicationem: de hac enim solùm loquitur textus, & sic non debet extendi: hoc autem interdictum est virtualiter reseruatum, cùm latum sit ad tempus determinatum.

Quòd si quæras, quæ dicatur monitio competens, quæ requiritur hoc loco.

82. Respond. Bonac. *de cens. in partic. D.* 4. *q.* 5. *p.* 1. §. 1. *n.* 3. cum Glossa debere esse trinam, iuxta *cap. contingit* 2. *de sent. excomm.* non tamen opus esse, vt fiat in scriptis, cùm id *in cap. sacro. iam cit.* non requiratur, sed solùm vt fiat coram idoneis personis, ita vt per eas probari possit: quales sunt ij omnes, qui in iudicio admitterentur in testes. ita Bonac. addens, quòd, cùm hoc interdictum sit latum ad certum tempus, eius absolutio reseruatur Papæ, iuxta dicta *cap. præced. sect.* 1. *q.* 28. *n.* 51.

83. Et hæc de iure communi; si enim attendantur priuilegia Regularium, censeo quod, cum *cap.* 1. *sect.* 2. *q* 19. dixerimus Prælatos regulares posse excommunicare Religiosos subditos absque præuia admonitione: consequenter ij non subiacebunt præsenti interdicto; & hoc in terminis docent Felin. Angel. & Alter. apud Bonac. *n.* 8. qui tamen contrarium sustinet cum Vgol. Maiol. & Sayro.

QVÆRES III. Quale interdictum incurrant Regulares, si violent interdictum generale locale, quidque requiratur ad illud contrahendum.

84. Respond. incurrere interdictum ab ingressu Ecclesiæ,

clesiæ donec satisfecerint ad arbitrium illius, cuius sententiam neglexerunt: latam *in cap. Episcoporum de priuileg. in 6.* idque, siue celebrent in loco interdicto scienter, siue faciant ibi celebrare, siue ad diuina officia, aut Sacramenta, aut sepulturam ecclesiasticam admittant excommunicatos publicè, aut interdictos: si tamen isti, & locus ipse interdictus sint nominatim denuntiati, vt aduertit Bonac. *supr. D. 4. q. 2. p. 6. n. 6.* ex Suar. & Filliuc. patet ex textu, qui cum generaliter loquator dicens, *ne aliqui sæculares, aut Regulares quantumcumque exemptionis, seu libertatis Sedis Apostolicæ priuilegijs communiti*, certū est eum extendi etiam ad Regulares, quantumuis exemptos, & à fortiori ad non exemptos, cum verba illa, *quantumcumque exemptionis*, non sint apposita limitatiuè, sed ampliatiuè: quod est contra Suar. Couar. Nauar. Filliuc. Auilam, Alter. Sà, Henriq. & alios apud Bonac. *n. 9.* arbitrantes præfato textu comprehendi tantùm Religiosos exemptos à iurisdictione ordinaria Episcoporum, & non improbabiliter. Cæterùm istud interdictum est virtualiter reseruatum, vtpote quod est latum vsque dum interdictus satisfecerit.

Dubium modò est, vtrum huc interdictum incurratur ex violatione interdicti, tam localis particularis, quàm generalis.

85. Respond. videri probabile, quod incurratur solùm ex violatione interdicti localis generalis: patétque, tum quia verba textus optimè accommodantur interdicto locali generali, &, cum simus in materia pœnali benignior interpretatio fieri debet: tum quia hoc interdictum latum est ob abusum exemptorum non seruantium interdicta, vt habetur in ipso textu; hoc autem non habet locum nisi in interdictis generalibus: vt constat ex Clem. 1. *de sent. excommunic.* Ita Suar. *supr. num. 5.* & cum eo Filliuc. *tract. 18. n. 148.* à quibus non omnino dissentit Bonac. *num. 3.* cum dicat solùm sibi non displicere oppositam sententiam.

86. Notant autem Filliuc. *n. 147.* Suar. *n. 6.* & alij eum in hoc loco dici propriè admittere ad diuina officia, qui interdictum recipit, ministrando ei Sacramentum, aut non excludit, dum celebrat, vel certè non prohibet, cum possit, & teneatur ex officio: quæ sunt valdè aduertenda.

QVÆRES IV. Quale interdictum incurrant Regulares, si admittant excommunicatos ad diuina officia & quid requiratur ad illud contrahendum.

87. Respond. incurrere interdictum ab ingressu Ecclesiæ latum *in cap. Episcoporum de priuil. in 6.* & à nobis explicatum *quæst. præcedenti*: à quo non liberantur, donec præstent competentem satisfactionem ad arbitrium illius, cuius sententiam contempserunt, patet ex dictis *quæst. praced.* vbi diximus ea, quæ hîc dicenda essent, adeóque non est necesse ea iterum hoc loco repetere, si solùm addatur hîc tale interdictum esse reseruatum virtualiter.

QVÆRES V. In quibus casibus Regulares incurrant interdictum ab ingressu Ecclesiæ latum in decreto Sacræ Congreg. *de celebrat. Missar.*

88. Respond. quòd, quamuis Bonac. *supr. p. 11.* in titulo innuat eos illud incurrere tum in casu, quo non auferant ab Ecclesiis propriis capsulas cum inscriptione *Eleemosyna pro Missis*: tum in casu, quo pecuniam receptam cum onere perpetuo Missarum celebrandarum statim à die realis acquisitionis non deponant penes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, seu illorum pretium (sub hac enim lege comprehenduntur etiam bona mobilia ad eumdem effectum relicta) quam primum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: & quidem ita, vt si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienare contigerit, eorumdem pretium sub eadem pœna vt supra deponant, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis, cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuertant; quamuis, inquam Bonacina in his duobus casibus innuat Regulares incurrere præsens interdictum, ego puto eos illud non incurrere, nisi in casu posteriori; ducor, quòd ly *sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis*, quod habetur in § præfati decreti, quo præcipitur Regularibus, vt auferant à propriis Ecclesiis capsulas cum inscriptione *Eleemosyna pro Missis*, non potest respicere, nisi pœnas recensitas in eo §. in eo autem nulla fit mentio de Interdicto, vt constat ex tenore illius; in §. quidem præcedenti, quo enumerantur pœnæ incurrendæ à Regularibus non deponentibus pecuniam relictam cum onere perpetuo Missarum celebrandarum penes ædem sacram, &c. comprehenditur interdictum ab ingressu Ecclesiæ; at non regitur § sequens ab hoc præcedenti, & consequenter pœnæ, quæ feruntur in illo, non possunt esse eædem, quæ feruntur in hoc; pœnæ autem non sunt extendendæ vltra propriam verborum significationem, imò in iis mitior semper fieri debet interpretatio. Confirmatur quod in paragrapho, in quo præcipitur supradicta ablatio capsularum, non est sermo de particularibus personis, sed de Ecclesiis, Capitulis, Societatibus, Monasteriis, Conuentibus, aliisque Communitatibus, adeóque cum eæ non sint capaces priuationis omnium officiorum, vocis actiuæ, & passiuæ, & similium pœnarum, meritò in eas pro pœna fertur interdictum, quod vtique potest cadere in Communitates; in paragrapho autem, vbi agitur de deponenda pecunia penes ædem sacram, &c. sermo est de Prælatis regularibus, aliisque singularibus personis, quæ cum sint capaces priuationis officiorum, vocis actiuæ, & passiuæ, &c. propterea in eas non interdictum, sed hæ aliæ pœnæ feruntur; patet responsio, tum ex ipso tenore Decreti, tum ex dictis *in tract. de prohibit. cap. 3. q. 30.* vbi ex professo eiusmodi decretum explicauimus.

Solùm hic addo, quod, cum eiusmodi interdictum feratur absque limitatione temporis sub his verbis; *sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda*; consequenter interdictum ex modo, quo fertur, est perpetuum, nisi legitima potestate tollatur; vt in specie notat Bonac. *de censur. in comm. D. 5. p. vlt. n. 1.* 89. Porro autem quod, cum hoc interdictum non reseruetur in præfato decreto, ab eo possunt absoluere etiam ipsimet confessarij Regularium; idque ex vi suorum priuilegiorum, vt constat ex alibi dictis: pro foro tamen conscientiæ tantùm.

QVÆRES VI. Quale interdictum incurrant Regulares recipiendo de manu laici Episcopatum, Abbatiam, aliamve dignitatem ecclesiasticam.

Respond. incurrere interdictum ab ingressu Ecclesiæ, quousque resipuerint, latum *in cap. si quis deinceps 16. q. 7.* vbi notat Suar. *D. 37. de censur. sect. 1. n. 9.* 90. istud interdictum non ferri simpliciter, sed sub ea conditione, *quousque locum resipiscendo non deseruerit*, (nimirum relinquendo dignitatem eo modo receptam;) tuncque primùm incurri, quando obtinuit possessionem dignitatis acceptæ, & locum incipit occupare; si quidem tunc, & non priùs veluti consummat inobedientiam, & contumaciam, ob quam tale interdictum fertur: & cùm duret, vsque dum interdictus resipiscat, constat illud esse virtualiter reseruatum.

Dubitari potest, an illud Interdictum extendatur ad Regularem de manu laici recipientem dignitates regulares.

91. Respond. probabile videri non extendi; cum dignitas ecclesiastica sit ratio generica, quæ distribuitur adæquatè in dignitates sæculares, ac regulares, adcóque simpliciter prolata secundum communem modum loquendi intelligatur de dignitate sæculari: quod maximè videtur locum habere in præsenti casu, quo textus pro exemplo affert Episcopatum, & Abbatiam, quæ sunt dignitates ecclesiasticæ sæculares: prætetquam quod vix potest contingere, vt laicus audeat se immiscere in conferendis dignitatibus regularibus, aut ad id præsumat ius aliquod prætendere: cum aliàs quoad dignitates ecclesistaicas faciliùs euenire possit, vt quis tale ius aliquod prætendat.

92. Addit Bonac. *de censur. in part. D.4. quæst.2. part.2. num.6.* quod, sicot istud interdictum durat, donec recipiens dignitatem ecclesiasticam modo dicto eam deserat: ita probabile est, dimissa præfata dignitate, hoc ipso sine alia absolutione tolli: quippe quod videtur latum sub ea conditione, & vsque ad illud tempus; sicuti constat ex ipso textu; quod est illud esse reseruatum virtualiter.

SECTIO III.

De Cessatione à Diuinis.

93 *Explicatur, quid sit Cessatio à diuinis.*
94 *In multis ea differt ab Interdicto.*
95 *Cessatio à diuinis alia est generalis, alia particularis.*
96 *Ferri potest contra Regulares ab ijs, qui possunt illos interdicere*
97 *Secundum se non afficit personas; &, si feratur ab Ordinario loci, non ligat Regulares.*
98 *Supponit peccatum graue.*
99 *In ea ferenda plures seruari debent conditiones.*
100 *Varios gignit effectus.*
101 *Priuat diuinis Officijs publicis, ac solemnibus.*
102 *Item priuat Sacramentis, non tamen Sacramento pœnitentiæ; quod alij negant.*
103 *Priuat funerali Officio sepulturæ, sed non sepultura.*
104 *Intellige de Officio publico, ac solemni.*
105 *Tempore Interdicti sepeliendus iuxta cap. Alma, per vias associatur sine publica psalmorum recitatione.*
106 *Indulta pro tempore Interdicti facta Regularibus non prosunt in Cessatione.*
107 *Concessio facta in cap Alma, ex parte prodest pro tempore Cessationis.*
108 *Idque etiam in ijs casibus, in quibus Regulares ex priuilegio suspendunt Interdictum.*
109 *Violans Cessationem à diuinis peccat mortaliter.*
110 *At non fit irregularis.*
111 *Cessatio tollitur per relaxationem ab Authore illius, Successore, aut Superiore.*

QVÆRES I. Quid sit Cessatio à diuinis.

93. Respond. esse ecclesiasticam prohibitionem, per quam ecclesiastici, tam sæculares, quàm Regulares in certo aliquo loco cessare debent à diuinis Officiis, ac Sacramentorũ administratione, nisi quatenus eam necessitas exigit: vnde & dicitur suspensio organorum iuxta *Psal.136. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Colligitur ex Laym. *lib.1. tract.5 part.4 cap.6 num.1.* & est communis DD. qui benè notant Cessationem à diuinis imponi in signum afflictionis, quam Ecclesia patitur, aut passa est ob iniuriam grauissimam sibi aut diuino honori irrogatam: vt sic iniuriosus cogatur desistere, debitamque satisfactionem Ecclesiæ exhibeat.

QVÆRES II. In quibus differant Cessatio à diuinis, & Interdictum.

94. Respond. Quod, licèt magna similitudo adsit inter Cessationem à diuinis, & Interdictum locale; vt hinc patet, quod in vtroque ferè similia prohibentur: nihilominus Cessatio à diuinis & Interdictum locale in multis differunt, & 1. quidem, quod illa non inducit irregularitatem, hoc verò, inducit, si violetur: 2. illa non est censura, imò nec propriè habet rationem pœnæ, nec directè fertur ad aliquod delictum puniendum; hoc autem est propriè pœna, & censura, & directè fertur ad delictum aliquod puniendum; 3. illa nullas vnquam personas secundùm se afficit, sed solùm prohibet in certo loco diuina celebrari; hoc verò, etiam secundùm se aliquando afficit personas: 4. illa numquam incurritur ex iure, ipso facto, sed solum fertur comminatoriè, hoc verò interdum incurritur ipso facto: 5. denique priuilegium audiendi Missam tempore Interdicti non extenditur ad eam audiendam pro tempore Cessationis, & è contra, modo tamen infra explicando.

QVÆRES III. Quotuplex sit Cessatio à diuinis.

95. Respond. esse duplicem, generalem scilicet. & particulatem: generalis est, quæ fertur in totam aliquam Ciuitatem, aut Prouinciam, de qua Clem.1 *de verb. signific.* particularis est, quæ fertur in aliqua ecclesia, de qua *in cap. dilectus de appellat.*

QVÆRES IV. Quinam possint ferre Cessationem à diuinis in Regulares.

96. Respond. posse omnes illos, qui in eos item ferre possunt interdictum iuxta ea, quæ diximus *sect. præced. quæst.3.*

QVÆRES V. An, & quo modo ferri possit Cessatio à diuinis contra Regulares.

97. Respond. posse, in loca quidem ipsorum directè, & per ordinem ad locum in ipsos; non enim Cessatio à diuinis secundùm se afficit personas vt iam dixi. moneo hîc tantùm præceptum, quo in Conc. Trid. *sess.25. cap.12. de Regul.* mandatur Religiosis, vt in propriis Ecclesiis seruent, & publicari faciant censuras, & Interdicta, etiam ab ordinariis Prælatis promulgata, id ipsis præcipientibus; non extendi ad Cessationem; cum iuxta dicta Cessatio non sit censura, nec Interdictum; & alioqui verba interpretanda sint strictissimè, quandocumque agitur de pœna.

QVÆRES VI. Quam ob causam ferri debeat Cessatio à diuinis.

98. Respond. non debere ferri, nisi, ob delictum grauissimum: quamquam non sit opus, vt illud reperiatur in iis omnibus, qui ligantur tali pœna; debere autem esse publicum, & contrarium communi bono Ecclesiæ, seu ecclesiasticæ potestatis; ea ratione proportionaliter, qua diximus de interdicto, ita Suarez *D. 39. de Censur. sect. 3. num. 4.* aliique communiter.

QVÆRES VII. Quot, & quæ conditiones seruari debeant in ferenda Cessatione à diuinis.

99. Respond. vltra eas, quas DD. communiter dicunt seruandas esse in ferendis sententiis, tanquam de substantia, seruari debere etiam alias 10. conditiones spectantes ad solemnitatem accidentalem Cessationis, quæ recensentur à Suar *supr. num.5.* Filliuc. *tract. 18. cap.7. quæst.4.* & aliis, ideóque à nobis breuitatis causa omittuntur.

QVÆRES

QVÆRES VIII. Quos effectus operetur cessatio à diuinis.

100. Respond. operari illos eosdem, quos operatur interdictum; nisi quod non priuat laicos sepultura ecclesiasticæ simpliciter, sed solùm qooad diuina Officia; idque etiam respectu eorum, qui aliàs habent priuilegium sepulturæ pro tempore interdicti; cuiusmodi sunt Clerici, & Regulares.

QVÆRES IX. Quomodo cessario priuet diuinis officiis.

101. Respoud priuare officiis publicis, ac solemnibus, & quidem itavt non solùm Ecclesiastici prohibeantur ea celebrare, sed etiam laici ea audire; itavt prohibitio directè fiat Ecclesiasticis, consequenter verò deriuetur ad laicos: siquidem prohibita celebratione dioinorum Officiorum, per consequens prohibetur & eius participatio; vnde fit, quòd si Ecclesiastici nollent desistere à dicta celebratione, nihilominus laici tenetentor eos vitare: idque etsi aliquis eorom ex peculiari priuilegio posset, v.g. Missam celebrare. Ita Filliuc *quæst.* 5. aliiqne communiter; qui tamen in eo minùs conueniunt, vtrum moderatio, quæ *in cap. Alma*, adhibita est ioterdicto, quoad celebrationem diuinorum Officiorum, habeat etiam locum in cessatione: sed de hoc infra.

QVÆRES X. An, & quomodo cessatio priuet Sacramentis.

102. Respond. quòd, licèt interdum sumatur officium diuinum strictè pro officio publicè orandi, vel sacrificandi; & cessatio communiter definiator, quod sit cessatio à diuinis officiis: nihilominos nomen diuini officij in omni proprietate comprehendit etiam ministerium Sacramentotum, vtpote, quod reuera est aliquod officium sacrum, & diuinum: vnde mirum non est sub priuatione diuinorum officiorum quam importat cessatio, venire etiam priuationem Sacramentotum; qualem diximus sequi ex sententia interdicti, imò & maiorem; cùm *in cap. non est nobis de sponsalibus*, pro tempore cessatioois concedatur solùm baptismus, & pœnitentia morientium his verbis: *Nulla diuina officia præter baptismum paruulorum, & pœnitentiam morientium celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari*; & alioqui exceptio firmet regulam in contrarium: maximè cum nullo alio iure absolutè concedatur pœnitentia pro tempore cessationis: & concessio, qua ea pro tempore interdicti generaliter conceditur, non debeat extendi ad cessationem, quæ (vt diximus) est quid diuersum ab interdicto: nam à diuersis non fit illatio; quamquam Filliuc. *supr. n.* 177. ex sententia Couar. & Doctorum Salmanticensium, & benigna interpretatione iuris fundata in maxima necessitate Pœnitentiæ probabile putet illam posse administrari tempore cessationis, etiam benè valentibus: præsertim si accedat consuetudo à Pastoribus tolerata. Quare cessatio priuat Sacramento Ordinis, Extremæ Vnctionis, Eucharistiæ, (quæ tamen per modum Viatici conceditur sub concessione Pœnitentiæ) Matrimonij, imò & Pœnitentiæ modo supradicto; non item Baptismo, Confirmatione, & Pœnitentia (loquendo de morientibus) sicut nec Matrimonio, quoad substantiam: hoc enim tempore cessationis prohibetur solùm quoad solemnitatem, vt rectè aduertit Suar. *supr. num.* 17.

QVÆRES XI. An, & qualiter cessatio priuet ecclesiastica sepultura.

103. Respond. non priuare, nisi eo modo, quo diximus *quæst.* 8 pateique, quia nullo iure ostendi potest quod sacra sepultura (si fiat sine funebri officio) tempore cessationis putæ, seu seiunctæ ab interdicto sit probibita: siquidem quoad effectus cessationis, habemus tantùm capur *non est vobis de sponsal.* vt diuina officia non celebrentur: cùm tamen sepultura sacra non sit, nec dici soleat diuinum officium; extensionem autem facere ab interdicto ad cessationem ob similitudinem rationis non est concessum, præsertim in materia pœnali, cùm interdictum, & cessatio sint res diuersæ. Ita Laym. *supr. n.* 4. Coninch. *D.* 17. *de censur. num.* 84. Filliuc. *num.* 179. Bonac. *de censur. in comm. D.* 6. *p.* 3. *n.* 8. aliique quamuis Bonac. non ita absolutè loquatur.

Vnum hic moneo (quod iam innui) munus sepulturæ Ecclesiasticæ, qood dicimus permitti pro tempore cessationis, debere impleri absque vllo sacro officio (intellige, publico, & solemni,) vnde existimo, quod, si quis priuatim, & submissa voce recitet solitas preces, antequam cadauer delatum in Ecclesiam recondatut sepulchro, non ideò violaret cessationem: dummodo id faceret sine superpelliceo, & stola; secus, si Parochus, aut alius Sacerdos cum dictis ornamentis solitas preces super cadauer delatum, quamuis submissa voce, recitaret: is enim violaret cessationem; cum recitatio talium precum facta cum talibus circumstantiis iodicio prudentis censeatur publica, ac solemnis, & consequenter qualis prohibetur in cessatione; quod puto dicendum esse etiam in casu, quo Parochus, aut alius Sacerdos cum superpelliceo, & stola comitaretur cadauer ad Ecclesiam, & locum sepulturæ, etiamsi nullas preces funderet; id quippe videtur habere rationem diuini officij tempore cessationis prohibiti, sin minus verbalis, saltem realis, vt sic dicam; quod tamen videtur cadere sub præsentem prohibitionem, & fortè innuit Suar. *num.* 19. vbi autem dixit: *Aliud est ecclesiasticum officium, quod iuxta Ecclesiæ consuetudinem fieri solet, dum corpus hominis fidelis sepulturæ traditur*: vbi noto, quod Suar. si voluisset loqui tantùm de recitatione diuini officij, non debebat dicere, *fieri solet*, sed *dici solet*; vnde dicendus est nomine diuini officij voluisse comprehendere oon solùm recitationem precum, sed assistentiam Parochi, & aliorum Clericorum, incensationem, aspersionem aquæ benedictæ, & alios huiusmodi actus, qui in officio funebri solent interuenire, & suot quid facti. Ita docti Neoterici à me consulti, ex Suarez *supr. D.* 35. *sect.* 1. *num.* 10. 104.

Quod si hac occasione quæras, an, quando tempore interdicti localis generalis Ecclesiastici iuxta *cap. Alma*, possunt sepeliri in loco sacro etiam cum officio (facto tamen cum moderatione ibi præscripta) possint item more ecclesiastico recitari psalmi per vias deferendo corpus defuncti.

Respond. Suar. *loco supr. cit.* non posse; probátque ex eo quod per *cap. quod in te de pœnit. & remiss.* hoc prohibetur, & aliàs per *cap. Alma*, non conceditur; cum in casoproposito seruari non possint conditiones ibi requisitæ ad diuina officia facienda, præcipuè illa, quod fiant ianuis clausis; quæ ratio vtique probat, quod, si sepultura danda sit in Cœmeterio, non licet sepulturam benedicere, aliáque id genus præstare, si Cœmeterium sit apertum, & publicum, itavt ianois claudi non possit. Ita Suar. nec ab eo dissentit Filliuc. *n.* 92. dicens, quod si Cœmeterium, in quo quis tempore interdicti sepeliendus est ex priuilegio, sit extra Ecclesiam in loco aperto, tunc in Ecclesia posset celebrari dioinū officium, & postea deferri cadauer cum silentio in Cœmeterium. 105.

QVÆRES XII. An priuilegia Regularibus concessa, quoad obseruantiam interdicti, locum habeant etiam in cessatione.

106. Respond. olim quidem habuisse ex indulto Leonis X. relato à Casarubio *ver. interdictum* 1. *num.* 17. bis verbis: Leo X. *declarauit, & concessit Fratribus Minoribus, quod in forma obseruationis nulla sit differentia inter cessationem à diuinis, & interdictum quodcumque*, quod est dicere, priuilegia Regularibus concessa, quoad obseruationem interdicti, ipsis eodem modo suffragari etiam quoad obseruationem cessationis à diuinis: in præsentia tamen non habere locum; cùm talis extensio priuilegiorum nullo alio iure nitatur, præterquam supradicto indulto Leonis X. quod tamen hodie non subsistit, cùm fuerit viuæ vocis oraculum, adeóque in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum facta à Gregorio XV. & Vrbano VIII. abrogatum; intellige, nisi quis iuxta dicta *in tract. de priuil. cap.* 1. *sect.* 5. *q.* 20. malit sustinere præfata viuæ vocis oracula reuixisse eo modo, quo ibi diximus ex Peyr. *tom.* 3. *priuil. cap.* 12. *ad Constit.* 18. Vrbani VIII. *num.* 1.

Maior difficultas est, vtrum in cessatione à diuinis locum habeat concessio facta *in cap. Alma mater*, saltem quantum ad eam partem, in qua præcipitur, vt *in* 4. festiuitatibus solemnia officia celebrentur.

107. Responsio communis Doctorum est negatiua, Suarez *supr. D.* 39. *sect.* 2. *num.* 13. Filliuc. *n.* 170. Coninchi *num.* 85. Bonacinæ *part.* 3. *num.* 1. & aliorum, qui suam probant sententiam ex eo, quod præfata concessio fuit facta pro tempore interdicti, ac proinde, cum interdictum, & cessatio sint res diuersæ, non debet extendi ad ipsam cessationem contra regulam, *A diuersis non fit illatio.* Oppositum tamen sustinent aliqui DD. apud Laym. *n.* 4 qui sic ait: *Quamuis inspecto iuris rigore, neque in quatuor festiuitatibus exceptis in cap. Alma, licitum esse videatur Officia diuina celebrare tempore cessationis*; cùm dicta exceptio solùm sit de interdicto, *sicut latè disputat Couarr. tamen secundum æquitatem, & Doctorum quorundam, præsertim Salmanticensium auctoritatem apud Henriq. Auil. Suar. & Sanch. probabiliter dicitur in quatuor illis præcipuis anni festiuitatibus, ac octaua Corporis Christi, diuina Officia solemniter celebrari posse, non obstante quacumque generali prohibitione, quia talis facultas absolutè videtur concessa ob reuerentiam dictarum festiuitatum*, quam doctrinam asserit Suar. *n.* 13. posse probabiliter sustineri, si talis consuetudo alicubi reperta fuerit: Sayrus verò *lib.* 5. *de censur. c.* 19. *n.* 6. absolutè approbat, dicens ex Couarr. & Henriq. in festis illis, in quibus suspenditur interdictum generale, suspendi etiam cessationem generalem, non tam ex concessione *cap. Alma*, (quòd nihil concedit pro tempore cessationis) quàm ex consuetudine, & sapientum, & Doctorum auctoritate, qui hoc amplè interpretantur.

108. Hinc patet, quid dicendum sit quærenti, vtrum, admisso, quod concessio facta *in cap. Alma*, pro quatuor festiuitatibus dictis extendatur etiam ad tempus cessationis, possit item extendi ad alias solemnitates, in quibus Regulares habent priuilegium suspendendi interdictum; ita vt, sicut in iis suspendunt interdictum, sic & in his possint suspendere cessationem.

Respond. enim id colligendum esse tum ex communi existimatione Doctorum, tum ex consuetudine; non secus ac §. *præced.* diximus inde colligendum, an concessio *capitis Alma*, facta pro tempore interdicti, extendatur ad cessationem; siquidem par ratio militare videtur in vtroque casu, quamquam in similibus rebus cautè procedendum sit, ne alioqui incurratur offensio eorum, qui legitima potestate imponunt interdicta, & cessationes, sicque pœnæ Ecclesiasticæ viris laicis nimis vilescant, & consequenter negligantur; maximè cùm non sit ita certum, quod concessio dicta *cap. Alma*, facta pro tempore interdicti extendatur ad cessationem à didiuinis, vt iam dictum est.

QVÆRES XIII. Qualiter peccent Regulares violantes cessationem, & quas pœnas incurrant ex tali violatione.

Respond. peccare mort. cum transgrediantur prohibitionem Superioris in re graui; incurrere verò excommunicationem latam in Clem. 1. *de sent. excomm.* & à nobis explicatam *supr. cap.* 2. *sect.* 2. *q.* 6. si cessatio imposita sit generalis: secùs, si sit specialis; nam textus loquitur de cessatione generali, sicut aduertit Portel. *de dub. Regul. v. interdictum, num.* 58. ex Sylu. *v. cessatio, n.* 5. addens ad rem præsentem parum referre, quod cessatio sit lata à Papa, vel ab Episcopo, vel à Conciliis prouincialibus, per sententias, aut per statuta; vel etiam à Capitulo, Collegio, aut Conuentu sæcularium, seu Regularium Ecclesiarum, quæ per consuetudinem legitimam habeant ponere eiusmodi cessationem: hæc enim omnia exprimuntur in citata Clem. quæ cum non ferat istam excommunicationem absolutè, sed sub ea conditione, vt Ecclesia Matrix, aut parochialis seruet cessationem impositam; eam tunc demum Regulares incurrent ex violatione cessationis, quando videntes, aut scientes illam ab Ecclesia Matrice, aut parochiali seruari, ipsi nihilominus eam non seruabunt: quod in specie notauit Suarez *num.* 36. 109.

Addit Portel. *num.* 59. per violationem cessationis non incurri irregularitatem, dummodo cessatio imposita sit absque interdicto; probátque, quia nullibi in iure reperitur talis irregularitas: cùm tamen irregularitates non debeant multiplicari, nisi in iure sint expressæ. Dixi, *dummodo cessatio imposita sit absque interdicto*, vt indicarem, quòd si cessationi adiungatur interdictum (vti aliquando fit) tunc vtique incurritur irregularitas, non quidem ex vi cessationis, sed interdicti violati. 110.

QVÆRES XIV. A quo, & qualiter tollatur cessatio à diuinis.

Respond. Non tolli, nisi ab eo, qui eam tulit à successore eius, aut Superiore, vel etiam ab alio habente facultatem delegatam, siue ex particulari commissione supradictorum, siue generalem ex priuilegio (qualem fortè habent etiam Regulares ex suis priuilegiis iuxta dicta *sect.* 1. *q.* 36 § *dices*,) tolli verò non ex se, tempore elapso, aut impleta conditione, sed per propriam relaxationem. Ratio est, quia cessatio, cum feratur ad reprimendam contumaciam, non fertur pro determinato tempore, ideóque non potest ex se tolli eo elapso: conditione verò impleta, nempe exhibita debita satisfactione, ex communi vsu Ecclesiæ non solet auferri censura absque absolutione, & consequenter nec cessatio in hoc sequens naturam censuræ cessatio quippe, licèt feratur in finem satisfactionis; prohibitio tamen, quæ in ea continetur, non est conditionalis, sed absoluta, ac proinde debet tolli à iudice, siue post peractam satisfactionem, siue etiam ante, si iusta causa occurrat id faciendi. ita Filliucius *tract.* 18. *cap.* 7. *q.* 10. monens *n.* 187. posse cessationem aliquando suspendi ex voluntate eius, qui illam tulit; idque tum in totum (quomodo est veluti quædam absolutio ad reincidentiam:) tum ex parte quoad aliquos effectus; quod sine dubio non repugnat, neque ex natura rei, neque ex vllo iure positiuo. Certè, quando dicitur *in cap. non est vobis, de spons.* nulla diuina Officia esse permittenda tempore 111.

cessa

cessationis : ibi non est sermo generaliter de quacumque cessatione, sed de aliqua particulari, in qua hic, & nunc Papa habere potuit iustam causam faciendi dictam prohibitionem.

Capvt V.

109 De Irregularitatibus, quibus subiaceant Regulares.

De Irregularitatibus in hoc capite agendum nobis est : non quod Irregularitas, propriè loquendo, sit species censuræ, sed quod habeat non exiguam similitudinem cum censura, & cadere possit etiam in Regulares, in quorum vtilitatem maximè institutus est præsens Tractatus. Caput diuidemus in quatuor sectiones, in quarum prima agemus de Irregularitate in genere : in secunda explicabimus Irregularitates, quæ sunt ex defectu, seu indecentia : in tertia eas, quæ sunt ex delicto : in quarta exponemus Irregularitatem quæ est ex homicidio.

Sectio I.

De Irregularitate in generali.

110 1 *Explicatur, quid sit irregularitas Ecclesiastica, & vnde dicatur.*
2 *Ea differt à Censuris ecclesiasticis propriè dictis.*
3 *Est multiplex, & varia.*
4 *Inducitur solum ex iure positiuo, & communi.*
5 *Debet esse expressa in iure, sicque induci nequit sola consuetudine, aut Doctorum authoritate, (quod alij negant)*
6 *Et quidem exprimi in specie propria talis causa, aut delicti.*
7 *Cadere potest in Regulares,*
8 *Non incurritur sine culpa mortali, externa, & consummata exterius.*
111 9 *Sicque de facto nulla extat Irregularitas, quæ non proueniat ex actu consummato.*
10 *Incurritur ex delicto occulto: quod negat Bonius, sed cum limitatione.*
11 *Incurritur etiam ante pubertatem.*
12 *Non multiplicatur, repetito actu sub ea vetito.*
13 *Incurritur ante sententiam.*
14 *Impedit susceptionem, ac vsum Ordinum.*
15 *Si tamen quoad hoc violetur, nulla incurritur pœna.*
16 *Non impedit susceptionem Sacramentorum, nec exercitium actuum sacrorum, qui fiant à laicis personis.*
17 *Priuat beneficio obtento solùm post sententiam.*
18 *Non priuat fructibus beneficij.*
19 *Non priuat iurisdictione.*
20 *Et quidem, nec quoad forum Pœnitentiæ.*
21 *Non priuat administratione beneficij.*
22 *Non facit incapacem Prælaturæ regularis; etsi id negent.*
23 *In dubio non incurritur.*
24 *Limita præterquàm in dubio homicidij: quamquam hoc ipsum aliqui non admittant.*
25 *Non est irregularis, qui facit abortum, si animatio fœtus sit dubia.*
26 *In dubio Irregularitatis sedulò indagari debet veritas.*
27 *Excusant ab irregularitate ex delicto, quæ excusant à Censura.*
28 *Super Irregularitatibus dispensant Prælati regulares cum Religiosis subditis.*
29 *Et interdum etiam super Irregularitate ex Homicidio.*
30 *Excipiendæ tamen aliquæ Irregularitates, quæ reseruantur: quæ exceptio strictè explicanda.*
31 *Hæc dispensatio est solùm pro foro conscientiæ.*
32 *Ea frui possunt ipsimet Prælati, & varijs modis.*
33 *Exercetur cum absente, & per Delegatum.*
34 *Per religiosam Professionem tolluntur aliquæ Irregularitates.*
35 *Imo & per Vota biennij facta in Societate Iesu.*
36 *Religiosi professi faciliùs dispensantur in Irregularitatibus.*
37 *Si sint illegitimi, dispensantur ad Prælaturas Regulares.*
38 *Religiosus eiectus nō reincidit Irregularitates ablatas per Professionem religiosam; at limitant aliqui, quoad Religiosos Societatis adstrictos Votis biennij.*

Qværes I. Quid sit Irregularitas, & vnde dicatur.

Respond. Dici à regula, seu regulare, & præposi- 1
tione *in*, quæ vim habet significandi priuationem; ita vt irregularis dicatur is, qui est sine regula; esse verò irregularitatem iure canonico inductam, quæ, quantum est ex se, directè impedit susceptionem Ordinum, & quidem etiam primæ Tonsuræ, indirectè verò vsum Ordinum iam susceptorum, est communis ferè Doctorum, quoad rem ipsam, esto verbis differant; patetque ex ipsis terminis, si solùm moneto non deesse DD. qui putant irregularitatem non impedire susceptionem primæ Tonsuræ, ea ducti ratione, quod canones statuunt irregularem esse incapacem Ordinum, nulla mentione facta de prima Tonsura : prima autem Tonsura iuxta probabiliorem, & communiorem DD. sententiam non est ordo, ideóque dispositio odiosa facta de Ordine non debet extendi ad primam Tonsuram; qua de re Diana *part.4.tract.2.resol.*88. & Bonac. *de Censur. in comm.D.7.quæst.1.part.1.num.*4.

Qværes II. Quomodo distinguatur Irregularitas ab aliis pœnis,

Respond. A Censuris quidem distingui, eò, quòd 2
illæ sunt pœnæ, & regulariter medicinales: irregularitas autem vel non est pœna(vt patet in irregularitibus ex defectu) vel, si est pœna(qualis est irregularitas ex delicto) non est medicinalis, sed pœna quædam ex se perpetua; distingui verò à Depositione, & Degradatione, quod Depositio solùm respicit actus Ordinum, eorumque vsum prohibet, irregularitas autem etiam ipsam ordinum capacitatem: Degradatio demum eiicit Clericum à gradu, ad quem erat admissus, at irregularitas non admittit.

Qværes III. Quotuplex sit Irregularitas.

Respond. esse multiplicem; primò enim alia est 3
ex defectu, seu indecentia, quæ prouenit absque culpa: alia, quæ ex delicto, & supponit culpam: 2. alia est, quæ contrahitur ob proprium actum (v.g. homicidij) alia, quæ sine proprio actu; qualis est, quæ ex defectu natalium. 3. alia incurritur per proprium actum licitum (vt bigamia) alia per proprium actum illicitum (vt homicidium) 4. alia est totalis, quæ priuat omnibus ordinibus simul(vt bigamia) alia quæ priuat solùm aliquo ordine, aut tantùm pro aliquo tempore (qualis est defectus ætatis requisitæ ad vnumquemque Ordinem.

Qværes IV. Quo iure induci possit Irregularitas.

4. Respond. non posse induci, nisi iure pontificio, & communi, non autem iure episcopali, aut prouinciali, & consequenter nec iure particulari Religionum, Ratio est, quia vel irregularitas ferretur per modum medicinæ; & hoc non, cum irregularitas sit inhabilitas quædam ex se perpetua: vel per modum pœnæ; & sic spectata quidem natura irregularitatis, non repugnat irregularitates ferri etiam iure episcopali non communi; de facto tamen id non est in vsu, nec ius commune id permittit; & quidem merito, cum irregularitas sit quasi quoddam impedimentum, & per modum conditionis necessariæ ad decentiam ministrandi sacros ordines: quod vtique spectat ad vniuersam Ecclesiam, ideóque Papa illud sibi reseruauit ita Filliuc. *tract.* 19. *num.* 33. aliique communiter.

5. Vnde inferunt DD. cum Suar. *D.* 40. *de Censur, sect.* 4 *num.* 13. quod, cum *in cap. is qui, de sent. excommunic. in* 6. dicatur nullam esse irregularitatem, quæ non sit iure expressa; nulla irregularitas ob solam consuetudinem allegatam, quorumcumque Auctorum opinione confirmatam admitti debet, nisi exhibeatur Ius Canonicum scriptum, in quo contineatur; siue tale ius extet in corpore iuris, siue in bullis Pontificiis, siue in Conciliis generalibus approbatis. Sicque Diana *part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 28. ex Machado sustinet esse probabile consuetudine diuturna Ecclesiæ, aut authoritate Doctorum nullam irregularitatem induci posse: quod reiiciunt Layman, & Baunius relati ab ipso Diana asserente eorum opinionem esse probabilem; cum Doctorum consensus, & Ecclesiæ consuetudo sit optima sacrorum Canonum, & antiquæ obseruationis interpres, & consuetudo sit constitutiua iuris, etsi lex scripta desideretur: & quidem non solùm quo ad irregularitates, sed etiam, quoad quasdam censuras; vt patet in Suspensione ob susceptionem ordinis per saltum: quæ suspensio nullo iure satis expressa censetur, sed per consuetudinem stabilita obiter approbatur per Trident. *sess.* 23. *cap.* 14 *de reform.* vt notat Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 6.

6. Quin etiam addit Suar. *num.* 15. ad incurrendam Irregularitatem non sufficere, quod ea posita sit in casu simili, aut minori, sed requiri, vt lata sit propria specie talis causæ, aut delicti, quod enim elicitur per argumentum à simili, non potest dici expressum in iure; cum tamen iuxta modò dicta non incurratur irregularitas, quæ non sit in iure expressa; quod est commune cuicumque pœnæ; vt DD. communiter tradunt.

QVÆRES V. An Regulares sint capaces irregularitatis.

7. Respond. esse, paterque ex eo, quod ij omnes, & soli sunt capaces Irregularitatis, qui sunt capaces Ordinum, & habent Superiorem; Regulares autem sunt capaces ordinum, & habent Superiorem, vt patet, vnde fit, vt, sicut Moniales sunt incapaces ordinum ita & sint irregularitatis.

QVÆRES VI. An & qualis culpa requiratur ad contrahendam Irregularitatem, quæ dicitur ex delicto.

8. Respond. requiri culpam mort. & quidem externam, & consummatam exteriùs. ita Layman *l.* 1. *tra.* 5. *part.* 5. *cap.* 1 *num.* 4. ex Soto, Nauar. Suar. & aliis, quos refert, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resolut.* 51 contra Caiet. Armil. & alios putantes ad id sufficere culpam 1. Ratio nostræ responsionis est, quod ex vna parte irregularitas est grauissimum incommodum; adeóque non nisi ob grauem culpam imponi debet; ex alia parte Ecclesia non iudicat de internis *c. erubescant dist.* 32. sicque de facto nulla adest lex canonica, quæ imponat irregularitatem ob actum merè internum; quod est signum illam non posse imponere eiusmodi irregularitatem: si enim potuisset, vtique tam longo tempore id fecisset de facto, cum iustissimæ causæ id faciendi sine dubio occurrerint, quod si intendum per priuilegia conceditur facultas dispensandi super irregularitate purè mentali, nomine Irregularitatis purè mentalis tunc intelligitur ea, quæ orta est ex delicto occulto, aut ad summum ex delicto externo pendere ex aliqua conditione mentali, & quod fiat ex certa scientia contemptu, præsumptione, aut pertinacia; sicut notat Filliuc. *num.* 15.

Dixi in responsione, *& consummatam exterius*, vt innueré, quod, licèt Ecclesia posset pro actu externo 9. non consummato inducere irregularitatem; cum talis actus, quatenus externus, sit intra forum Ecclesiæ, & alioqui extare possit in eo sic imperfecto indecentia sufficiens ad imponendam irregularitatem; de facto tamen nulla hactenus imposita est irregularitas, nisi per actum consummatum, vt patebit ex dicendis de singulis irregularitatibus, in quibus semper supponitur actus consummatus, & quidem exteriùs, vt iam dictum est, quocumque tandem modo actus dicatur exteriùs consumatus absque interiori: qua de re Filliuc. *num.* 19.

QVÆRES VII. An irregularitas incurratur ex delicto, etiam occulto.

Respond. incurri; & probatur, quia irregularitas 10. quoad hoc æquiparatur Censuræ, quæ incurritur, etiam per actus occultos, & qui probari non possunt; si quidem ad hoc vt puniri possint lege humana, satis est, quod sint externi, nec opus est, quod possint probari. est communis DD. apud Suar. *supr. sect.* 3. *num.* 51. paterque tum ex dictis; tum, quia de facto Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* concedens Episcopis facultatem dispensandi super omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, apertè supponit dari irregularitates ex delicto occulto; quod non supponeret, si ex hoc modo non possent dari. A nobis non dissentit Diana *part.* 7. *tract.* 11. *resolut.* 48. contra Baunium *p.* 3. *tract.* 11. *quæst* 3. *assert.* 4. asserentem non esse improbabile contrarium ex *vltima decretali de temp. ordinat.* vbi Gregorius IX. interrogatus, an adulteri, & similes viti ab vsu suorum ordinum cohibendi essent, respondit, si proposita crimina ordine iudiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint, non debere hos (præter reos homicidij) post pœnitentiam in iam susceptis, aut suscipiendis ordinibus impediri. præterquam quod natura abhorret se ipsum Iudici puniendum dedere, suique deditione infamiam, tam suo nomini, quam alieno facere: quod eueniret in opposita sententia. ita Baunius, qui tandem concedit, etsi peccatum occultum communiter non pariat irregularitatem lege canonum, ab ea tamen lege excipi homicidium argum. *c. quæsitum* 17. *de temp. ordinat.* (idque ob sceleris deformitatem, ac defectum lenitatis) imò & peccata, quibus censura est annexa: si enim in ea celebrarut, incurritur irregularitas, etsi celebretur occultè.

QVÆRES VIII. An Irregularitas incurratur 11. ante annos pubertatis.

Respond. Incurri: siue sit ex delicto, siue ex defectu. ita Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resolut.* 67. cum Gauanto, Auila, & Henriq. contra Sancium *in selectis D.* 26. *nu.* 18. ex Auila, & Henriq. sustinentem pueros occidentes ante pubertatem non fieri irregulares, eo quod odia restringi debeant. Ratio nostra est, quòd impuberes vsu rationis fruentes verè subiiciuntur

legibus

legibus Ecclesiæ, & possunt facere actum externum, consummatum exteriùs, & mortalem, qualem diximus requiri, & sufficere ad incurrendam irregularitatem: quo ergo titulo possunt ab ea excusari? non certè regula iuris, quàm adducit Sancius, *Odia sunt restringenda*; siquidem restrictio non est facienda, nisi quantum fert proprietas verborum, quibus lex edicitur: cùm tamen in nostro casu verba legis secundùm propriam significationem comprehendant etiam pueros, vt constabit legenti iura, quibus singulæ feruntur irregularitates: nobiscum sentiunt Sanch. & Granado relati à Sancio.

QVÆRAS IX. An multiplicentur irregularitates in eadem specie in repetitione actus sub irregularitate prohibiti, ita vt committens plura homicidia, plures etiam incurrat irregularitates.

12. Respond. Castr. Pal. *tract.* 3. *D* 6. *p.* 16. §. 4. *num.* 16. ex Henriq. Sanch. & Auila, non carere probabilitate in proposito casu vnicam incurri irregularitatem: probátque, tum quia irregularitas est inhabilitas, quædam per modum habitus, adeóque qui ea afficitur, non potest ex eadem causa ampliùs inhabilitari: tum quia hoc idem docent de excommunicato pluries celebrante in excommunicatione, Nauar. Zerola, & Garc. penes ipsum Castr. Pal. tum, quia ex copula cum consanguinea repetita non inducitur nouum impedimentum iuxta Sanch. *l.* 8. *de matrim.* *D* 24. *n.* 7. & vnica compaternitas oritur ex eo, quòd quis plures filios alterius suscipit in Baptismo, teste Garc. *de benefic. p.* 8. *cap.* 3. *num.* 78. Ita Castrus Palaus & non improbabiliter, nisi fortè obstet stylus Curiæ, quem multi adducunt in contrarium apud Dianam *supr. resolut.* 86. qui tamen, cùm non nominet vllum ex dictis Doctoribus, & aliàs vnius Doctoris de stylo attestantis dicto standum non sit, teste Menoch. *cons.* 464. *num.* 27. *vol.* 5. posset hinc aliquis inferre non esse necessariò recedendum à doctrina Castri Palai; consulatur ergo stylus Curiæ, &c. vbi certò constiterit de eo, seruetur; cum tenera faciat ius *cap. ex litteris de constit.*

QVÆRAS X. An irregularitas incurratur ante Iudicis sententiam criminis declaratoriam.

13. Respond. incurri hoc ipso, quod commissum est crimen, contra quod ea iure est imposita. Ita Porrel. *de dub. Regul. verb. irregularitas, num.* 28. ex communi Doctor. sensu & probatur, tum ex dictis *supr. cap.* 1. *sect.* 2. *quæst.* 12. tum ex praxi Ecclesiæ, in qua quotidie petuntur, & obtinentur multæ dispensationes pro irregularibus omnino occultis; cùm tamen nullus irregularis occultus expectet Iudicis sententiam declaratoriam criminis; tum, quia non repugnat posse quem cogi ad exequendam pœnam contra se, quando pœna consistit, non in agendo, sed solùm in abstinendo, vt in casu nostro.

QVÆRES XI. An, & quomodo irregularitas impediat susceptionem Ordinum, nec non vsum iam receptorum.

14. Respond. impedire, ita tamen, vt collatio Ordinum sit valida, vtpote quæ prohibetur quidem, adeóque non potest fieri absque culpa mort. non tamen irritatur iuxta illud *multa prohibentur, quæ facta tenent*: imò nec potest ab Ecclesia irritari. Ita Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 3. *quæst.* 1, aliíque communiter penes Bonac. *supr. part.* 3. *n.* 1 qui benè notant irregularem peccare mort. siue suscipiat ordines maiores, siue minores: secùs, si recipiat primam Tonsuram, saltem secundùm aliquos DD. vti diximus *q.* 1. in vtrisque enim militat par ratio, cum vtrisque sint res sacræ, vt patet.

15. Verumtamen est ex præfata susceptione, aut vsu Ordinum nullam aliam pœnam ipso facto, neque vllam irregularitatem incurri cùm talis pœna non sit in iure lata, & alioqui irregularitas non incurratur, nisi iure expressa; quod tamen non facit, quin iudex possit, si velit, imponere aliam pœnam, vt benè animaduertit Filliuc. *num.* 61. monens in ipsa irregularitate includi suspensionem quandam impropriam, per quàm irregularis recipiens ordines illis non potest vti; sicut iam dictum est.

QVÆRAS XII. An irregularitas impediat, quominus irregularis percipiat Sacramenta, & exerceat quoslibet actus sacros.

Respond. non impedire, neque perceptionem Sacramentorum (si vnum excipias Ordinem) neque exercitium actuum sacrorum, loquendo de actibus, qui possunt, & solent exerceri à laicis. Ita Porrel. *num.* 12. ex communi, & probatur, quia irregularitas non priuat participatione vllius Sacramenti, præter quàm Ordinis (modo tamen infra dicendo,) cuíque ordinum actus solùm prohibet, qui sunt proprij ordinatorum, & conueniunt illis ex officio: actus autem, qui possunt, & solent exerceri etiam à laicis, non sunt proprij ordinatorum, vt constat. Dixi, *modo tamen infra dicendo*, vt indicarem vi irregularitatis prohiberi etiam perceptionem Sacramenti, quæ est coniuncta cum ministratione aliqua propria ordinati; vnde Sacerdos irregularis potest quidem communicare, communione laica, non item in Missa consecrando, imò nec ex præconsecrata seipsum communicando; cùm talis communio includat ministerium proprium Sacerdotis. 16.

QVÆRES XIII. An, & qualiter irregularitas priuet beneficio iam obtento, reddátque inhabilem ad nouum beneficium obtinendum.

Respond. neque priuare beneficio iam obtento, nisi post iudicis sententiam, neque reddere inhabilem ad nouum obtinendum. Pars 1. quæ est communis ex Suarez *sect.* 1. *num.* 13. probatur, tum quia *cap. ex litteris de excess. Prælat. cap. fraternitati, de Cleric. excommunicat.* & alibi præcipitur, vt priuetur beneficio irregularis factus ex aliquo delicto: (quod est signum eiusmodi priuationem non esse ipso iure:) tum quia priuatio propriorum bonorum numquam ipso iure incurritur per delictum, nisi exprimatur: aliàs in dubio lex pœnalis semper intelligitur de ferenda: id autem nullo iure est expressum, quod mihi constet. Pars 2. quæ est Syluestri, & aliorum apud Suar. *num.* 19. Coninch. *D.* 18. *de Censur. num.* 6. Layman *supr. num.* 2. & aliorum constat ex eo, quod collatio beneficij non debet vnquam censeri irrita absque iure expresso, *cap. si soli concess. præb. in* 6. hîc verò nullum ius expressum afferri potest, vt fusiùs probat Suar. *vbi supr.* addens tamen eiusmodi collationem beneficij irritandam esse à iudice, qui potest iustè non solùm auferre beneficium, sed etiam fructus eius in pœnam saltem criminis commissi in receptione beneficij; quin etiam dicit Suarez opinionem sustinentem irregulares fieri inhabiles ipso iure ad nouum beneficium obtinendum, esse communiorem, securiorem, & practicè probabiliorem, idque probat multis rationibus, quæ videri possunt penes ipsum. 17.

Vtrùm verò irregularitas priuet ipso iure saltem fructibus beneficij obtenti, tum ante irregularitatem, tum post.

Respond. quod quidem spectat ad fructus beneficij ante obtenti, non priuare, dummodo beneficiarius officium administret saltem per Vicarium; irregularem tamen priuandum esse beneficio iuxta *cap. ex litteris de excess. Prælat.* imò ipsum teneri sponte 18.

illud resignare, si beneficium requirat officium, cui beneficiatus per seipsum satisfacere debeat, & dispensationem non sit breui obtenturus. Ita Layman *supr.* cum Innocent. Nauar. Suar. Auila, Henriq. & aliis; patétque ex eo, quod nulla lex extat, quæ ipso facto imponat irregulari priuationem fructuum beneficij ratione irregularitatis. Quod verò spectat ad fructus beneficij obtenti post irregularitatem, siquidem dicamus collationem beneficij factam irregulari esse validam, irregularitas non priuat fructibus illius, vtpotè prouenientibus ex beneficio validè obtento: secùs, si dicatur ea collatio esse inualida; sic enim hoc ipso quod non acquiritur ius ad beneficium, neque acquiritur ad fructus illius.

QVÆRES XIV. An, & quomodo irregularitas priuet iurisdictione.

19. Respond. non priuare, siue ea sit fori contentiosi proueniens ex beneficio, siue sit fori externi delegata, & ratio est, quia irregularitas priuat solùm Ordine, & eius vsu: potestas autem iurisdictionis, siue sit fori contentiosi, siue externi non contentiosi, est distincta ab ordine, & vsu eius, vt patet.

Difficultas est de iurisdictione pro foro Pœnitentiæ, num scilicet habens talem iurisdictionem, siue ordinariam, siue delegatam, eam amittat per irregularitatem superuenientem.

20. Respond. non amittere, cùm non amittat officium, nec beneficium, nec ab iis suspendatur, & his positis consequatur iurisdictio necessaria ad forum pœnitentiæ; quamquàm non ideò possit irregularis licitè ea vti per ipsum, cùm sit priuatus exercitio sui ordinis; quippe qui non potest vti iurisdictione, nisi etiam vtatur ordine; ex quo fit, vt vsu talis iurisdictionis sit quidem validus (nisi ex parte pœnitentis adsit obex) non tamen sit licitus. ita Filliuc *supr. n.* 78. qui addit *num.* 81. dato etiam quod irregularis non possit de nouo acquirere iurisdictionem pro foro pœnitentiæ, saltem ordinariam (quod tenentur dicere, qui asserunt collationem beneficij factam irregulari esse inualidam) nihilominus potest eam recipere delegatam; cum nullum extet ius irritans talem delegationem, & aliàs cesset ratio, quæ reddit incapacem iurisdictionis ordinariæ, & consistit in eo, quod iurisdictio ordinaria est annexa beneficio, ac officio, adeóque, posita incapacitate beneficij, sequitur etiam in capàcitas iurisdictionis.

QVÆRES XV. An Irregularitas priuet administratione beneficij obtenti, tum ante ipsam irregularitatem, tum post.

21. Respond. non priuare, quoad ea omnia, in quibus non est annexum exercitium Ordinis; idque, siue beneficium obtentum sit ante irregularitatem (quod omnes concedunt) siue post (quod negant qui dicunt irregularem esse ipso iure incapacem beneficij) Ratio responsionis est, quod, cum irregularis remaneat dominus beneficij obtenti ante irregularitatem, & iuxta probabilem sententiam verum acquirat dominium beneficij, quod post irregularitatem ipsi confertur: poterit & illud administrare, loquendo de iis, in quibus non est annexus vsus Ordinis (ad hæc quippe extendi non potest eius administratio, cum ratione irregularitatis sit priuatus exercitio Ordinis. (colligitur ex Filliuc. *num.* 73.

QVÆRES XVI. An Irregularitas faciat incapacem prælaturæ regularis, ita vt non possit validè eligi in Prælatum regularem Religiosus, qui iam incurrit aliquam irregularitatem.

22. Respond. Suar. *supr. num.* 42. & cum eo Portel. *num.* 25. facere, probántque ex eo quod quamuis prælatura regularis non habeat beneficium annexum, habet tamen officium, & titulum spiritualem, quo maximè priuatur irregularis; verum, cùm *q.* 13. sustinuerimus non improbabiliter collationem beneficij ecclesiastici factam irregulari esse validam, non videò, cur item non possit dici valida collatio prælaturæ regularis, quæ minorem habet repugnantiam cum irregularitate, quàm habeat beneficium; nam rationes allatæ pro validitate collationis beneficij à fortiori militant pro validitate collationis prælaturæ regularis. Vnde consequenter ad dicta citata *quæst.* 13. puto collationem prælaturæ regularis esse validam, eamque posse administrari, quoad ea omnia, quæ non concernunt vsum Ordinis. Quo modo corruit ratio, quam adducit Suar. *tom* 4. *de Rel. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 3. *num.* 24. ad probandum irregularem non posse valide eligi in Prælatum regularem; nimirum, quod, cum prælatura regularis supponat aliquem ordinem, & quidem iure ordinario Sacerdotium, hoc ipso quod irregularitas impedit susceptionem Ordinum, & per consequens eorum vsum, impedit etiam quidquid requirit Ordines, ac vsum eorum; si quidem inhabilis ad aliquid consequenter est inhabilis ad ea, quæ sunt ei connexa, vt dicit Glossa *in cap. studeat dist.* 50. *v.* & *tale beneficium*; hæc, inquam, ratio corruit, si dicas hinc sequi solùm irregularem sic electum in Prælatum tunc non habiturum plenam administrationem suæ prælaturæ, sed tantùm, quoàd ea, quæ non concernunt vsum Ordinis: quod tamen non facit, quin possit eam administrare, quoad multa alia (v.g. excommunicando, eligendo &c.) & consequenter esse capax beneficij ecclesiastici. Præter quam, quod, si detur rationem Suarez probare intentum, quoad collationem prælaturæ regularis, concedendum est etiam probare, quoad collationem beneficij Ecclesiastici; cum tamen iuxta dicta *quæst.* 13. non desint DD. & quidem graues, qui non improbabiliter admittunt collationem beneficij irregularis esse validam, & consequẽter reiiciunt præfatam rationem Suarez; quamuis alioqui concedant grauiter peccare, & eum, qui irregulari confert beneficium, aut etiam prælaturam regularem, & ipsum irregularem, qui ea recipit, vt pote violantes iura id in multis locis apertè prohibentia.

QVÆRES XVII. An Irregularitas incurratur in dubio, siue iuris, siue facti, & quo casu.

Respond. non incurri, nisi in dubio homicidij vo- 23.
luntarij, & quidem iniusti: idque ex *cap. ad audientiam, & cap. significasti* de homic. quibus expresse habetur in casu facti dubij de homicidio debere aliquem se reputare irregularem; & hoc in vtroque foro; si quidem, vbi non proceditur ex præsumptione, forum externum non distinguitur à foro interiori. ita Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 19. Coninc. *supr. n.* 21. & *seqq.* Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 72. cum Henriq. Auila, Salas, Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 2. *quæst.* 7. Bonac. *supr. part.* 4. *num.* 2. & 3. aliique contra plures alios relatos à Diana: & probatur, tum quia nemo bona fide possidens suam libertatem, aliamue quamcumque rem; tenetur se ea spoliare, nisi sufficienter constet ipsum eam perdidisse, siue illam esse alienam; atqui dubitans, an incurrerit irregularitatem, bona fide possidet libertatem ab irregularitate, nec quamdiu dubitat, ei constat sufficienter se illam perdidisse; ergo tamdiu non tenetur se ex spoliare tum, quia *cap. si quis, de sent. excommunic. in* 6. dicitur pro nullo facto incurri irregularitatem, nisi sit expressum iure, idest clarè contentum in iure; non potest autem dici clarè contineri in iure, quod post diligentem inquisitionem non potest certè colligi ex eo.

Dixi, *nisi in dubio homicidij voluntarij, & quidem* 24.
iniusti;

iniusti; vt innuerem istam exceptionem non extendi, neque ad homicidium casuale, neque ad homicidium iostum, quod, verbi gratia, fit in bello iusto (si quidem iura loquuntur de casu homicidij prohibiti, & aliàs pœnæ, & odia potiùs restringi debent, quàm ampliari; vt aduertit Laym. ex Henriq.) imò, neque ad quodcumque homicidium dubium, sed solùm quando homicidium est ita dubium, vt verosimilius sit illud fuisse perpetratum: quod videtur declaratum *in cap. significasti* supra citato, prout aduertit Diana ex Henriq. & Suar. monens dictum cap. *significasti*, non esse extendendum ad dubium mutilationis, quidquid contradicant aliqui DD.

Imò *Escobar tract. de vtroque foro art. 1. num. 74.* & alius *Escobar in theol. p. 5. tract. 4. exam. 6. cap. 5. n. 72.* putant, manente dubio, an homicidium sit secutum, nullam adesse irregularitatem, generaliter loquendo: & probant ex eo, quòd, sicut dubitans, an damnum fecerit, aut homicidium patrarit, nō tenetur restituere, etsi restitutio sit de iure naturali, ac diuino: sic in dubio homicidij; multò minùs incurretur irregularitas, quæ est iuris positiui, (quod procedit etiam de aliis causis irregularitatis:) sic illi, & non improbabiliter, nisi obstaret stylus Curiæ Datariæ, & Pœnitentiariæ, teste Diana *part. 8. tract. 7. resol. 6.*

Grauior difficultas est, an faciens abortum sit irregularis, si dubitetur de animatione fœtus.

25. Respond. Diana *part. 4. tract. 2. resol. 16.* ex Præposito probabile esse in tali casu non incurri irregularitatem, si adhibita debita diligentia, (quæ in similibus casibus semper debet præmitti) verè adhuc dubitetur, num fœtus esset animatus, necne: ratio est, quia in hoc euentu non est quis censendus irregularis, neque ex eo, quod irregularitas apposita sit homicidio; cum dubitetur, num hîc, & nunc commissum sit homicidium; neque ex eo, quod in dubio homicidij debet, quis reputari irregularis: nam iura id statuentia non comprehendunt præsentem casum, quippe quæ supponunt subiectum, de quo dubitatur, an fuerit occisum, esse capax mortis (agunt enim de casu, quo constat de morte alicui illata, & dubitatur à quo ex pluribus concurrentibus sit illata:) in nostro autem casu dubium est de subiecto, an viueret. nec on; adeóque dispositio iuris non videtur extendenda ad talem casum. ita Præpositus, & satis ingeniosè, neque omnino improbabiliter, vt puto.

26. Dixi, *quæ in similibus casibus semper debet præmitti*; vt indicarem, quod quotiescumque oritur dubium de irregularitate, siue dubium sit iuris (an scilicet in iure tali facto statuta sit irregularitas) siue sit facti (videlicet, an quis fecerit id, ob quod constat latam esse irregularitatem, semper tenemur diligenter inquirere de veritate, quantùm pro loco, & tempore inquiri commodè potest: idque antequàm agatur, quod est prohibitum irregulari; & hoc tradunt communiter DD. apud Coninch, *n. 50.* id colligentes ex *cap. illud Dominus 5. de Clerico excommunic.* vbi grauiter reprehenditur Episcopus, qui dubitans de sua excommunicatione sine vlla inquisitione celebrarat.

QVÆRES XVIII. Quænam excusent ab incurrenda Irregularitate.

27. Respond. excusare ea omnia, quæ iuxta dicta *c. 1. sect. 2.* excusant ab incurrendis censuris: loquendo de irregularitatibus ex delicto, non item de iis, quæ sunt ex defectu, ratio est, quia irregularitas ex delicto est pœna, & quidem grauis; pœna autem non imponitur, nisi delinquenti; vnde fit, vt, si operans ex aliqua iusta causa excusetur à peccato (v. g. ex ignorantia, vi, impotentia &c.) item excusetur ab incurrenda irregularitate imposita illi peccato; quod est adeò verùm, vt *in cap. propo suisti 85.* concedatur venia Clericis ignorantibus Constitutionibus Syricij Papæ, quæ deponebat Clericos incontinentes. ita Castr. Pal. *tract. 5. D. 1. p. 17. n. 6.* ex Sanch. Suar. Coninch. & Bonac. addens contra Azor. *part. 1. lib. 1. 15. quæst. 7.* quod quando *in cap. dum illorum, de sent. excommunic.* dicitur percutientes Clericum, si posteà ignorantes processerint ad Ordines, eo quod non recordentur se in excommunicationem incidisse, vel prorsus ignorasse: impeditos esse Ordines sic suscipere, posse cum eis dispensari (quod videtur supponere eos incurrisse impedimentum, non obstante ignorantia:) in tali textu non est sermo de ignorantia inuincibili (de qua nos hic loquimur) sed de vincibili, & crassa, & quidem in ordine ad forum externum.

QVÆRES XIX. Per quos possint Regulares dispensari super irregularitatibus.

Respond. posse per proprios Prælatos regulares, etiam locales. & quidem ex vi iuris communis in iis omnibus casibus, in quibus possunt Episcopi dispensare cum suis subditis (nam Prælati regulares, quoad Religiosos subditus habent potestatem, quasi Episcopalem, vt ostendit Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 5.* ex Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 5. c. 5. n. 9.*;) ex iure verò speciali, nempe ex priuilegio Sixti IV. concesso per bullam Carmelitarum Generali, & aliis ab eo depotatis, in omnibus irregularitatibus, etiam reseruatis Papæ, excepta bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione membrorum; ex concessione denique bullata Pij V. facta Dominicanis, & relata à Lezana *num. 51.* vt superiores Religionum possint per se ipsos facere, cum propriis subditis, quidquid possunt Episcopi cum suis iuxta Concil. Trid. decretum: possunt Prælati regulares, etiam locales per se ipsos dispensare cum suis subditis in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, prout Episcopis conceditur in Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* qua de re plura Lezana *supr. à num. 40.* vsque ad 43. inclusiuè, & nos *in tract. de gubernat. cap. 3. sect. 4. quæst. 13. per tot.* vbi non pauca ad rem præsentem adnotamus. 28.

Dixi, *excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario.* vbi notandum, quod tradit Lezana *num 44.* ex Auila, & Miranda; nimirùm quod, quando homicidium voluntarium, ac illicitum est ita occultum, vt nullo modo sciri, aut probari possit, nonnulli putant esse probabile Prælatos regulares posse in tali casu dispensare super irregularitate vi illius contracta, cum suis subditis, vtpotè, qui in eos habent iurisdictionem, quasi Episcopalem, illi enim DD. censent in tali casu etiam Episcopos posse cum propriis subditis dispensare super tali irregularitate, quòd Concilium Trid *loco supr. citato* Episcopis deneget facultatem dispensandi in homicidio voluntario, etiam occulto; exponentes Concilium loqui, non de quocumque homicidio voluntario occulto, sed de eo, quod aliquo modo probari potest, aut certè, quod est factum proditoriè & per insidias: iuxta *c. 7. sess 41. de reform.* eiusdem Concilij; quæ doctrina inde fit probabilior, quod Pius V. concessit Congregationi Cassinensi, vt eius prælati possint dispensare cum suis subditis in omnibus casibus, & ob quemuis excessum, & delictum, publicum, vel occultum, casu, seu data opera; quomodolibet ab eis, & singulis, etiamsi sit homicidium voluntarium, & membri mutilatio; idque per bullam, quæ extat *tom. 2. Bullaru bulla* 129. Pij V. Quamquàm, vt notat Lezana, ista concessio prosit tantùm pro foro conscientiæ, & dummodò tale homicidium non fuerit factum post ingressum Religionis 29.

Gioois

gionis, semperque sint in ea victuri, quamdiu vixeriut: hæc enim omnia expresſè habentur in bulla citata.

30. Et hæc de dispensatione, quoad forum conscientiæ: de hac quippe loquuntor priuilegia allegata,& alia his similia; in quibus notat Lezana *n.* 42.quod, licèt interdùm videatur concedi facultas dispensandi super omni irregulatitate;nihilominùs in iis semper intelligi debent exceptæ bigamia, occiſio voluntaria, & mutilatio membrorum, & eæ irregularitates, quæ procedunt ex aliquo vitio enormi corporis, aut animæ, quod posset causare scandalum; si quidem cùm isti casus iudicio communi DD. sint specialissimi, existimandum non est Pontifices noluisse eos comprehendere in generalibus concessionibus, nisi de iis specificam faciant expressionem. Cùm Castr.Palaus *infra part.*12.§.3.*num.*4. absolutè dicat Prælatis Ordinum Mendicantium comparatione suorum subditorum concessam, esse facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus in foro conscientiæ:modò procedant ex delicto, quod non sit notorium; vt constat ex *comp priuil.Soc.Iesu v. dispensatio* §. 3. *&* 6. vbi potestas hæc in Societate reseruatur Generali,& quibus ipse commiserit.

Addit Castrus Palaus *de censur. D.6.p.7.n.*17. ex Laym.exceptionem à potestate seu priuilegio dispēsandi super irregularitatibus facto Religiosis, & à fortiori Episcopis,strictè explicari debere; ideóque si in priuilegio excipiatur bigamia, debere intelligi non de similitudinaria, sed de propria:si excipiatur homicidium voluntarium,intelligi de iniusto,& directèvolito; non tamen de facto in sui defensionem excedendo moderamen iustæ tutelæ,aut quod ex ita subita commissum est: hæc enim homicidia censeri debent casualia.

31. Cùm ergò priuilegia de facto concessa Regularibus quoad dispensationem irregularitatum non excedant forum conscientiæ, & neque Episcopi iure communi possint dispensare super vlla irregulatitate, quoad forum externum; sequitur Regulares in casu, quo egeant dispensari super aliqua irregularitate, quoad forum externom, non posse talem dispensationem obtinere,nisi à Papa;si quidem nullus inferior potest dispensare super lege Superioris, nisi id ei concedatur; omnis autem irregularitas imposita est lege pontificia,cui vtique subiiciuntur,& Episcopi,& quicumque alij,tanquàm latæ à Superiore; qua de re Suar.*D.*41.*de Censur sect.*2.*num.*3.

Quis verò possit dispensare cum ipsimet Prælatis regularibus, si contingat eos incurrere aliquam irregularitatem, illis ex priuilegio concessam.

32. Respond. posse, tum Prælatum ipsis Superiorem(v.g.Prouincialem, si Prælatus dispensandus sit localis,)tum eum, cui ipsemet Prælatus indigens dispensari committet suas vices;tum ipsummet Prælatum per se ipsum. ita Filliuc. *tract.*19.*cap.*5. *quæst.*6. qui,licèt loquatur io specie de Episcopis,eius tamen rationes probant idem dicendum esse,& de Prælatis regularibus.Et quidem,quod Prælatus Superior possit in casu proposito dispensare cum Prælato inferiore,constat ex eo, quod iste re vera est subditus illius, adeóque sicut Prælatus inferior potest dispensare cum suis subditis, ita & ipse poterit dispensare à Prælato Superiore, cui est subditus: quod verò in tali casu possit delegari facultas, probatur ex responso Sacræ Congreg.declarantis Episcopum posse eligere Confessarium,qui ipsum absoluat,cum eadem potestate concessa Episcopis, quæ declaratio vtique extenderur ad potestatem dispensandi; cum vtraque sit delegabilis, & aliàs non debeat Episcopus esse deterioris conditionis(hæc autem doctrina locum habet etiam in Prælatis regularibus, vt patet;)quod denique Prælatus regularis possit secum ipso dispensare,euincitur hinc,quod talis modus dispensandi non repugnat iuri, neque naturali, neque diuino,neque Ecclesiastico,vt ostendit Filliuc.*tract.* 10 *num.*295.& nos probamus *in tract.de priuil.cap.*3. *sect.*2.*subs.*3.*quæst.*24.

QVÆRES XX. An Prælati regulares possint dispensare super irregularitatibus, cùm Religiosis subditis,etiam absentibus.

33. Respond.posse; siue delegando facultatem alicui Confessario,siue eam per se ipsos exercendo.ita Suarez *supr.num*10.aliique in simili apud Dianam *part.*4. *tract.*2.*resol.*103. patétque ex dictis *in citata tract. de priuil.loco cit.quæst.*29.

QVÆRES XXI. An irregularitates tollantur per professionem religiosam.

34. Respond. tolli, non tamen omnes, sed eam tantùm, quæ prouenit ex infamia contracta ob delicta parentum, aut ex defectu natalium:quamquàm hæc tollatur solùm, quoad Ordines, non item, quoad prælaturas Ecclesiasticas,siue extra Religionem,siue intra:Idque de iure communi.ita Laym.*lib.*44.*tract.* 5 *cap.*10.*num.* 1. ex Rodriq. Suar. & Sanch. Bonac. *supr.D.*7.*quæst.*3.*p.*7.*num.*2. aliique communiter; inter quos Laym.cum Sanch. docet,quod si quis illegitimus absque dispensatione suscepit Ordines in sæculo, & posteà in Religione professus est, videtur tolli irregularitas; ita vt licitè ministrare possit in susceptis:quod negat Sayrus *de Censuris l.6.c.*11.*n.*3.

35. Quod autem facit Professio religiosa in aliis Ordinibus,facit in Soc.Iesu emissio 3. votorum simplicium post biennium.ita Sanch.*lib.* 5. *in decal. cap.* 3. *num.*13.& probat, quia *cap.* 1. *de filiis presbyt.* ad delendam irregularitatem ex defectu natalium solùm petit illegitimum fieri Religiosum;Religiosus autem Societatis per supradicta 3.vota simplicia verè fit Religiosus,sicut definiuit Greg. XIII. *in sua Const. Ascendente*; vnde Suar.*supr.D.*50.*sect.*5.*num.*12.cautè dicit non deleri eiusmodi irregularitatem,donec illegitimus professionem, aut vota emittat, per quæ verus Religiosus efficiatur,quod si DD. ad talem effectum requirunt professionem,eam exigunt solùm, vt illegitimus ita ligetur votis Religionis,vt desinat esse Nouitius,& fiat verus Religiosus:quod, vt dixi, efficitur per 3. vota simplicia Soc.Iesu.

36. Notat Laym.*supr.* ex Soto Rebuf. Nau. Suarez & Sanch.quod, licèt per professionem religiosam modò supradicto non tollantur omnes irregularitates: nihilominùs facilior dispensatio super irregularitate dari solet professis in Religione:& hoc ex *cap.*2.*qui Clerici,vel vouentes.*

37. Addo egò,quod,quamuis vi Professionis Religiosæ non tollatur defectus natalium, quoad prælaturas,etiam intra Ordinem; stando in iure communi: ex peculiari tamen priuilegio possunt Regulares etiam,quoad hoc,dispensari,videlicèt ex concessione bullata Greg.XIV. facta Clericis Regularibus Ministrantibus infirmis,& à nobis allata *in tract.de gubernat.cap.*3.*sect.*4.*quæst.*16.

Maior difficultas est, an Regulares eiecti à Religione, & in specie Religiosi Soc. Iesu dimissi à Societate reincidant in irregularitatem ex defectu natalium modo dicto ablatam,ita vt non possint exercere ordines susceptos,& promoueri ad vlteriores.

38. Respond. Videri satis probabile, quòd non reincidant. ita Sanchez *supr.num.*14.& probat,quia iura statuunt huiusmodi irregularitatem deleri per ingressum Religionis efficientem verum Religiosum,

nec

nec decidunt in eam reincidi deserta Religione: vt quid ergo effingitur dispensatio irregularitatis ad reincidentiam, quę nullum babet in iure fundamentum? certè cum talis fauor concedatur intuitu status semel assumpti, & quasi in præmium actus heroici, quo ingrediens Religionem renunciat sæculo, eóque expulso, ac dimisso à Religione talis causa non cesset, non est, cur reincidatur dicta irregularitas; cùm sic actus suum sortitus sit effectum, & ius non petat permanentiam status assumpti, nec declaret eo derelicto reincidi in irregularitatem. ita Sanchez, & cum eo Barbos. Suar. & Sanctarel. relatis à Diana *part. 4. tract. 2. resol. 66.* qui tamen ait sibi magis placere opinionem Turriani asserentis probabilius esse reincidi in casu proposito in irregularitatem; loquendo de Religiosis Soc. Iesu: quippe qui statim ac sunt dimissi à Soc. desinunt esse Religiosi, ac proinde, sicut non amplius subiacent oneribus status Religiosi, ita nec debent frui priuilegiis dicti status: quòd non habet locum in Religiosis aliorum Ordinum eiectis: qui cum etiam post eiectionem maneant veri Religiosi, & consequenter subiiciantur multis oneribus Religionis: ita & par est, vt sentiant, & aliquod commodum ipsius Religionis: tale autem est immunitas à supradicta irregularitate: verùm hæc ratio, quamuis faciat probabilem opinionem Turriani, non omnino conuincit, faciléque potest dissolui ex doctrina, quam Sanchez adducit pro sua sententia.

SECTIO II.

De Irregularitatibus, quas incurrunt Regulares ex defectu.

39 *Irregularitates ex defectu sunt sex, & referuntur.*
40 *Irregularis est, qui caret vsu rationis.*
41 *Semel amens est semper irregularis, quoad Ordines recipiendos, non item quoad exercitium Ordinis recepti.*
42 *At hoc non procedit de Lunaticis, Epilepticis, ac similibus.*
43 *Irregularis est, qui est omninò illitteratus.*
44 *Item irregularis est Neophytus.*
45 *Non item filius Neophyti.*

QVÆRES I. Quot, & quæ sint irregularitates, quas Regulares incurrere possunt ex defectu.

39. Respond. esse sex: 1. est ex defectu animæ: 2. ex defectu libertatis: 3. ex defectu corporis: 4 ex defectu natalium: 5. ex defectu ætatis: 6. ex defectu Sacramenti, & dicitur bigamia.

De Irregularitate ex defectu animæ.

QVÆRAS II. An, & quomodo sint irregulares, qui carent vsu rationis.

40. Respond. esse; siue sint pueri expertes vsus rationis, siue perpetuò amentes, (sub quibus comprehenduntur, tam furiosi, quàm stolidi) siue Lunatici, & similes; vt Epileptici, siue Arreptitij, ac Energumeni; quamquam laborantes tali defectu dicendi sint potiùs inhabiles ex natura rei ad exercendos ordines, quàm irregulares, vtpote inepti ad functiones ordinum; sicut aduertit Filliucius *tractat. 19. num. 186.* monens tamen eos posse dici irregulares, quatenus talis ipsorum inhabilitas lege humana specialiter arcetur à susceptione, ac vsu ordinum.

Ratio responsionis est, quod quicumque non potest exercere ordines, inhabilis est ad eos suscipiendos, & consequenter irregularis: tales autem sunt, qui modis supradictis carent vsu rationis, quamuis cum aliqua differentia modò explicanda.

Notandum ergo, quòd vbi quis semel incidit in amentiam, semper manet irregularis, quoad receptionem ordinum ex *cap. maritum, d. 33.* adeóque non potest ordinari absque approbatione Papæ, vt sic constet de sanitate integrè recuperata (intellige, si amentia sit habitualis procedens ex læsione organorum, aut praua humorum dispositione:) quo verò ad vsum Ordinum susceptorum iuxta ius quidem commune, expectandum est tempus vnius anni, iuxta *cap. communiter 33. dist.* (quòd tamen, inquit Suarez *D. 51. sect. 1. num. 5.*) opinor non esse in vsu vel certè idipsum arbitrio viri prudentis relinquendum obtento consensu Episcopi, aut Prælati regularis, si is, de quo agitur sit Religiosus. 41

Quod verò spectat ad Lunaticos, Epilepticos, & similes, distinguendum est: vel isti nondum sunt promoti ad Ordines; & sic non debent admitti ad ipsos ordines, cùm sit periculum, ne iterum incidant in pristinum morbum; vel iam sunt promoti; & tunc, siquidem frequenter eo morbo laborent, debent arceri ab exercitio Ordinum: secùs, si rarò, & aliàs in ipso morbo nihil faciant, quod afferat indecentiam, & horrorem, & alioqui coram alio Sacerdote, & secluso scandalo celebrent. ita Filliucius *num. 187.* addens, quòd si præfatus morbus omninò tollatur, sublatum erit omne impedimentum vtendi Ordinibus susceptis; quæ omnia proportionaliter locum habent etiam in Arreptitiis, ac Energumenis, vt aduertit idem Filliucius. 42

QVÆRES III. An, & qualis defectus scientiæ faciat irregularem.

Respond. facere, si talis defectus importet carentiam scientiæ necessariæ iuxta Canones: qualis est quæ in Concil. Trident. *sess. 23. cap. 4. de reform.* præscribitur respectu singulorum Ordinum; quamquam, vt diximus *in tract. de priuileg. cap. 2. sect. 3. q. 2.* non pauci DD. sustineant Regulares posse promoueri ad Ordines etiam sacros, estò non polleant tanta literatura; dummodò sciant bene legere, & canere. Hæc autem irregularitas, qua ratione impedit ordinem suscipiendum, eadem impedit, & susceptum; vnde, si quis illiteratus bona, aut mala fide ordinetur, manet suspensus suspensione inclusa in ipsa irregularitate, vsque dum necessariam acquisierit scientiam; tunc enim sicut tollitur præsens irregularitas, sic & tollitur præfata suspensio: quæ tamen non est tam lata iure ecclesiastico, quàm naturali, aut diuino dictante vnumquemque teneri scire necessaria ad proprium officium debitè præstandum. ita Filliucius *num. 188. & seq.* monens ex Suar. quòd, cùm sufficiens literatura ad receptionem, ac vsum ordinum requiratur non solùm iure positiuo, sed etiam naturali, ac diuino (vt iam dictum) irregularitas ista contrahitur solùm ex defectu scientiæ, quam requirit ius positiuum obligans ad habendam scientiam ante receptionem ordinum, & interdum etiam maiorem, quàm sit necessaria ex natura rei: cùm aliàs stricto præcisè iure naturali, ac diuino ea tantùm petatur scientia, quæ absolutè est necessaria ad legitimum vsum ordinis suscepti: nec sit opus, vt ea præhabeatur ante susceptionem Ordinis: cùm possit quis recipere Ordines, & non statim teneri eos exercere: quare ad effugiendam istam irregularitatem non sufficit habere illam literaturam, quæ satis est stando præcisè in iure naturali, ac diuino, sed 43

sed præterea requiritur, vt ordinandus polleat ea scientia, quam petit ius positiuum: alioqui, si hanc non habeat, erit propriè irregularis ista irregularitate.

QVÆRES IV. An, & quo modo Neophyti sint irregulares.

44. Respond. esse: & colligitur ex *d.48. cap.1. & 2.* necnon ex 1. Timoth. 3. vbi dicitur, *Non Neophytum, ne in superbiam elatus*, &c. qui textus, etsi loquatur solùm de Episcopo, in Concil. tamen Nicæno *cap.2.* fit etiam sermo de Presbytero, & in Arelatensi *cap.2.* de Diacono: vnde & idem proportionaliter dicendum de aliis; cùm etiam respectu illorũ habeat locum ratio S. Pauli, nempe periculum elationis.

45. Neophyti autem hîc dicuntur ij, qui in adulta ætate baptizati sunt, & noui sunt in Baptismo; non item filij Neophytorum, qui baptizantur ante vsum rationis, ideóque non possunt dici irregulares; quippe qui non sunt verè Neophyti, cùm non sint baptizati in adulta ætate; quod requiritur ad hoc vt aliquis propriè dicatur Neophytus. ita Suarez *supr. D.43. sect.2. num. 6.* aliique communiter, qui bene monent ad iudicandum quanto tempore aliquis pro Neophyto habendus sit, non posse assignari certum tempus, sed id pertinere respectu quidem Clericorum inferiorum ad Episcopos (adde tu, respectu Religiosorum subditorum ad Prælatos regulares) respectu verò Episcoporum ad Papam.

De Irregularitate ex defectu Libertatis.

46 *Irregularis est seruus propriè dictus.*
47 *Sieq; non admittitur ad Religionem sine consensu Domini.*
48 *Coniugatus est irregularis, quoad Ordines, non autem quoad Religionem.*
49 *Damnatus ad triremes, vt sic, non est irregularis.*

QVÆRES V. An, & quomodo serui, qui dicuntur Mancipia, sint irregulares, tam quoad Ordines, quàm quoad Religionem.

46. Respond. esse: cum non sint sui iuris, sed constituti in potestate sui domini: vnde non possunt assumi in Clerum, & admitti in Religionem sine expresso, aut tacito consensu proprij domini; vt colligitur ex *tota dist.54. & tit.18 decret. de seruis non ordinandis*: quòd si domino nesciente, aot contradicente ordinantur, fiunt quidem liberi, sed Episcopus ordinans, si fraudis sit conscius, aut alius ipsum præsentans, tenentur domino duplum restituere, iuxta *cap. si seruus absente, d.54.* secus, si Episcopus bona fide ordinauit, & seruus à nollo fuit inductus: tunc enim is oblato pretio ex proprio peculio, aut simili seruo cogendus est se ipsum redimere, *cap. ex antiquis, ead. dist.* & si id præstare nequeat, intra annum vendicari potest à domino in seruitutem, nisi fortè factus sit Sacerdos: quamuis etiam in hoc casu teneretur ei inseruire, quoad spiritualia officia, si id ab ipso exigeretur. ita Coninch. *D.18. de censur. n.108.* Laym. *lib.1. tract.5. p.5. cap.8. n.1.* & alij communiter addentes, quòd si dominus, postquam intellexit seruum esse ordinatum, integro anno dissimulet, censetur ei omnem libertatem dedisse *cap. si seruus sciente, dist. supr. cit.*

47. Quòd verò serui non possint admitti ad statum religiosum absque dominorum consensu, habetur *cap. si quis 17. q.2.* & constat ex eo quòd, cùm seruus totus sit domini, quoad actiones vtiles, furtum sui faceret, si se illi subtraheret: vnde, etsi professionem fecisset, restituendus esset domino petenti: si tamen illum quæsiuit intra triennium computandum, non à tempore, quo dominus cognouit, vbi seruus existeret, vt vult Sylu. *v. religio 2. q.3.* cum aliis ab eo citatis, sed ab inchoato anno probationis, vt vult Gloss. *cap. si quis, cit.* & ex hoc ipso cap. colligitur. ita Less. *lib.2. cap.41. n.31.* Azor *tom.1. lib.12. cap 1. q.3.* Laym *supr.* & alij, inter quos Azor. bene aduertit iura in fauorem Religionis statuisse, quòd dominus intra triennium modo dicto repetere possit seruum admissum ad Religionem, non autem vltra, quamquam in casu, quo non possit repeti seruus, iusta compensatio fieri debeat domino, ne is alioqui damnum capiat, vt notauit Gloss. *cit. cap. si quis*: & hoc ex bonis monasterij, cum Monachus nihil habeat proprij, vt patet. Quæ autem dicta sunt de mancipiis, fermè habet locum etiam in originariis, seu adscriptitiis, necnon in aliis colonis, qui dominis obligantur ratione possessionis, aut administrationis, vt videre est apud Filliuc. *tract.19. cap.7. q.5. & 6.*

QVÆRES VI. An, & quomodo coniugati sint irregulares, non solùm quoad ordines, sed etiam quoad Religionem,

Respond. esse, quoad Ordines, non item quoad 48.
Religionem, si matrimonium sit ratum tantùm, & non consummatum. Colligitur ex doctrina, quam tradit Bonacina *quæst.3. de matrim. part.4. num.6.* ex Sanch. aliisque plurimis DD. nimirum, quod matrimonium ratum, non consummatum dissoluitur per professionem religiosam subsequentem, non autem per subsequentem susceptionem ordinum, etiam sacrorum: idque ex priuilegio diuino concesso in fauorem Religionis; vt fusiùs dicimus *in tract. de prof. relig.*

QVÆRES VII. An damnati ad triremes sint irregulares, tum quoad Ordines, tum quoad professionem religiosam.

Respond. non esse; cùm talis irregularitas non 49.
sit expressa in iure, & aliàs non incurratur irregularitas, nisi expressa in iure. ita Diana *p.4. tr.2. resol.83.* cum Riccio.

De Irregularitate ex defectu Corporis.

50 *Defectus corporis impediens vsum Ordinis, aut faciens notabilem deformitatem facit irregularem.*
51 *At maior deformitas petitur ad arcendum ab vsu Ordinis iam suscepti.*
52 *Irregularis est Hermaphrodita, sed non omnis*
53 *Inclinans magis in sexum virilem potest ordinari.*
54 *Notabiliter monstrosus est irregularis.*
55 *Æthiops non est irregularis.*
56 *Qui patitur defectum in aliquo ex sensibus, irregularis est, quoad ordines, non item quoad religiosam Professionem.*
57 *Cæcus irreguralris est, quoad Ordines.*
58 *Non item carens vno oculo, absolutè loquendo.*
59 *Surdus irregularis est, quoad Ordines, imò & surdaster notabiliter: at surdus iuxta aliquos finitur celebrare, si post ordinationem fiat surdus.*
60 *Etsi surdus aliquando possit ministrare Sacramentum poenitentiæ.*
61 *Mutus est irregularis, quoad Ordines.*
62 *Mutus simul, & surdus, & cæcus est incapax Prælaturæ Ecclesiasticæ.*

63 Sur

63 *Surdus, & cæcus simpliciter non priuantur iure eligendi.*

64 *Afferuntur varij casus, in quibus inducitur irregularitas ex defectu corporis, quoad Ordines; at inter hos iuxta Castrum Palaum non est, si quis faciat se castrari ob vocem, & vt amputatio membri faciat irregularem, non requiritur notorietas culpæ, & amputationis: carentia item membri inculpabilis non facit irregularem.*

65 *Irregularis est, qui laborat morbo valdè debilitante, aut notabiliter deformante.*

66 *An quis conualuerit ex morbo caduco, prudentis viri iudicio relinquitur.*

67 *Notabiliter valetudinarius est irregularis, quoad Prælaturas regulares.*

68 *Et si antea sit electus, debet renunciare.*

QVÆRES VIII. Quinam defectus corporis inducant istam ieregularitatem.

50. Respond. inducere eos omnes, qui aut impediunt executionem ordinum, aut notabilem pariunt deformitatem; est communis DD. apud Filliuc. *n.* 157. & colligitur ex *cap. vlt. de corp. vitiatis.* Notant tamen DD. eiusmodi irregularitatem non incurri, si defectus sit occultus, itavt non appateat: cùm sic non afferat vllam deformitatem, aut scandalum; quod non esset, si talia defectus contigisset ex propria culpa; tunc enim defectus, quantumuis occultus induceret irregularitatem; cùm iuxta communem DD. sententiam ex *cap. si quis abscidit d.* 55. & *cap. significauit, de corp. vitiatis*, & alibi quælibet abscissio membri proueniens ex propria culpa inducat irregularitatem, vt videre est apud Toler. *l.* 1. *cap.* 57. Sayr. *de censur. l.* 6. *cap.* 9. *num.* 11. & Henriq. *lib.* 14. *cap.* 8. §. 4.

51. Illud certè omnino videtur concedendum, quod notant Laym. *supr. cap.* 9. *n.* 3. & Filliuc. *num.* 158. citans alios, longè maiorem deformitatem requiri, ob quam aliquis postquam ordinatus est, repelli debeat à sacro ministerio, quàm non admitti ad ordinationem; vnde qui ordinem suscipere debet, hoc ipso, quod est inhabilis ad eos exercendos, est item inhabilis ad eos recipiendos: qui verò iam ordinatus est, si illi superueniat defectus corporis non faciens notabilem deformitatem, adhuc potest exercere officia, à quibus per talem defectum non impeditur; sic si Sacerdos fiat cæcus, prohibetur quidem celebrare, non item audire confessiones, &c.

QVÆRES IX. An Hermaphroditi sint irregulares, itavt non possint admitti, neque ad ordines, neque in Religionem.

52. Respond. esse, si æquè participent de vtroque sexu, aut magis inclinent in fœmineum. Ita Suar. *supr. sect.* 2. *num.* 1. Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 106. *n.* 10. Nauar. *cons.* 47. *de irregularibus*, aliique & quidem, quoad ordines patet ex *cap. si testes* 4. *q.* 2. & ex eo, quod supradictæ personæ non sunt absolutè, & simpliciter vir, cum, vel magis vergant in fœminam, vel saltem neutram denominationem recipiant; quoad Religionem verò probatur, quia vt notat Bonac. *D.* 7. *de censur. in comm. q.* 2. *p.* 2. *n.* 12. & 13. ex Nau. Vgol. Henriq. & Sanch. credendum est Ecclesiam aliàs irritantē professionem religiosam factam apud personas diuersi sexus, irritasse etiam professionem illius, qui est æquè particeps vtriusque sexus: idque ob grauissima pericula, & scandala, quæ inde possent suboriri.

53. Dixi, *aut magis inclinent in fœmineum*, ad significandum, quod si hermaphroditus magis inclinet in sexum virilem, tunc quidem potest validè ordinari, cùm simpliciter sit vir iuxta *l. quæritur* ff. *de statu hominum*, & consequenter sit capax characteris: non debet tamen ordinari, vtpote qui ob indecentiam ac monstrositatem reputatur irregularis ex communi DD. sententia, quæ fundari potest, *cap.* 1. *dist.* 36. vbi generatim corpore vitiati declarantur irregulares: quod tamen non facit, quin, si contingat fœminam erumpente natura in virum mutari totaliter, (quod Plinius *lib.* 7. *cap.* 4. testatur aliquando accidere, & Filliuc. *num.* 162. refert de facto euenisse anno 1619.) non facit, inquam, quin tunc talis possit ordinari, & licitè, & validè: cùm iam sit tantùm in sexu masculino, & quamuis monstroso modo talem sexum acquisierit, non tamen tali in termino constitutus monstrosus dici potest, ac irregularis. Quæ omnia locum habent proportionaliter etiam in professione religiosa: adeóque dicendum est Hermaphroditum magis inclinantem in sexum virilem posse validè profiteri in Religione virorum, nullo tamen modò in eam admittendum ob rationem modò allegatam: nisi fortè totaliter mutaretur in virum: quo casu vtique posset admitti ad profitendum in Religione virorum: & hoc ob rationem paulò antè allegatam, quoad ordines. ita ego sentio, sicque mecum senserunt alij viri docti à me consulti ex Sanch. *lib.* 5. *moral. cap.* 4. *num* 41.

QVÆRES X. An, & quomodo monstrosi sint irregulares.

Respond. esse, siue sint monstrosi, eo quòd habeant multiplicata corporis membra (v.g. duo capita;) idque ex *cap. qui in aliquo, d.* 51. & ex eo, quòd tales sunt notabiliter deformes, siue sint monstrosi ex eo, quòd quamuis habeant debita membra, quoad numerum, est tamen inter ea maxima disparitas notabilem inducens deformitatem (vt si quis habeat manum altera notabiliter ampliorem:) & hoc ratione indecentiæ, quam parit notabilis deformitas procedens ex tali monstrositate; siue denique sint monstrosi, ob excessum debitæ quantitatis, (vt gigantes,) aut defectum, (vt pigmæi) quod locum habet etiam in casu, quo excessus esset in aliqua parte, vt gibbosi, & alioqui ex tali excessu, aut defectu consurgeret tanta deformitas, vt futuri viderentur occasio ludibrij, & risus, si susciperent ordines, aut admitterentur ad religiosam professionem; quod vtique iudicio Episcopi respectu Clericorum, & Prælati regularis respectu Religiosorum respectiuè relinquendum est; quamquam, si gibbus non sit valde notabilis, & gigantes, aut pygmæi apud similes statutâ degant, non videtur ex talibus defectibus oriri tanta deformitas, vt qui eos patiuntur, reputari debeant irregulares modò supradicto. ita Sayr. *supr. cap.* 8. *num.* 1. Filliuc. *n.* 163. 164. 165. 166. aliique penes ipsos. 54.

An verò Æthiopes sint irregulares, quoad Ordines, ac Religionem.

Respond. videri non esse, siue viuant inter alios Æthiopes, siue etiam inter nos; hi quippe non solent causare tantum horrorem, vt reputari debeant irregulares. ita Diana *p.* 4. *tract.* 2. *resol.* 84. cum Maiolo, & Gao. Bonacina *supr. n.* 11. & alij contra Vgollinum oppositum sustinentem apud Dianam. 55.

QVÆRES XI. An patientes defectum in aliquo ex quinque sensibus sint irregulares, tum quoad Ordines, tum quoad religiosam Professionem.

Respond. esse, quoad Ordines, non item quoad religiosam Professionem, saltem absolutè loquendo; & quidem, quod spectat ad ordines, patet ex eo, quòd ille reputatur irregularis, quoad omnes, qui eos non potest exercere absolutè, aut certè non sine magno periculo, aut scãdalo, aut occasione ludibrij, & risus: tales autem sunt, qui patiuntur defectum in 56.

in aliquo ex quinque sensibus, vt constabit ex infra dicendis, quod autem spectat ad religiosam Professionem, probatur ex eo, quod, absolute loquendo, qui simul est mutus, & Surdus, potest profiteri, cũ professio expressa non indigeat verbis, sed fieri possit nutibus, aut scriptis: ad quod tamen requiritur, vt talis surdus sit ingenij adeò perspicacis, vt possit signis edoceri naturam status religiosi, suum que consensum signis exprimere: quod est quidem difficillimum, non tamen simpliciter impossibile, vt notat Sanch. l. 5. in decal. cap. 3. num. 2. qui benè docet, quod si quis à natura esset simul mutus, surdus, & cæcus, aut certè simul cæcus, & omninò surdus à natiuitate, quamuis non mutus; is non posset profiteri, cum muto solis signis declarari possit natura professionis, & dicta signa à muto percipi nequeant, si sit simul cæcus; cæcus verò solis verbis illud ipsum edoceri possit, quæ tamen ab eo percipi nequeunt, si simul sit surdus: qua de re fusius in tract. de prin. relig. interim consulatur Diana part. 5. tract. 6. resol. 34.

Quæres XII. An, & quo modo Cæci sint irregulares, quoad ordines.

57. Respond. esse, siue habeant oculos erutos, siue tantùm orbati sint visu: idque ex cap. fin. d. 55. vbi id expressè statuitur, & ex eo, quod isti aut non possint absolutè celebrare, aut non sine periculo, & scandalo; quamquàm Diana supr. resol. 17. cum Soto Conincho, & Præposito dicat Sacerdotem cæcum posse validè celebrare, si dispensetur à Papa, immò de facto Episcopum cæcum Tridenti celebrasse ex dispensatione Papæ: cuius rei ea est ratio, quod, vt quis validè consecret, nonest opus, vt videat, aut tangat hostiam, sed sufficit, eum ex relatione alterius nosse panem esse sibi præsentem, & quod possit, eum facilè tangere; vnde ait Ochagauia tract. 1. de Euchar. quæst. 6 num. 11. dum dicimus rem debere esse præsentem secundùm cognitionem, nomine cognitionis venire non solam notitiam oculorum, sed etiam notitiam tactus.

Quod si quæras, an sit irregularis: qui vno tantùm oculo est cæcus.

58. Respond. non esse, absolutè loquendo, vt colligitur ex cap. si euangelica d. 55. adeòque talem cæcum, si careat solùm oculo dextero, posse admitti ad ordines, multoque magis, si nulla appareat macula, aut causa cæcitatis; secus, si careat sinistro, qui ex stylo Curiæ dicitur oculus Canonis; sic enim eget dispensatione: quamuis Filliucius num. 168. ex Sayro Nau. Henriq. & Val. Laym. num. 2. Suar. D. 51. sect. 3. n. 15. aliique penes ipsos sentiant non esse opus dispensatione in tali casu, si cæcus, cum oculo dextero sine deformi conuersione faciei commodè possit legere Canonem Missali ita aptato, vt absque otis contorsione oculo dextero facilè possit legere, aut etiam apposito coram se peculiari Canone extra ipsum Missale.

Quæres XIII. An, & qualiter Surdi sint irregulares, quoad Ordines.

59. Respond. esse, si vel nullo modo audiant, aut habeant vitium insigne surdastritatis; & probatur, quia hi non possunt celebrare absque occasione risus, aut ludibrij: quippe qui cogerentur eleuare vocem solito altiorem, aut certè recitarent Psalmum Iudica me Deus non expectato fine Ministri; aut diu post quam ille absolui. ita Filliuc. num. 169. ex Maiolo, Comitolo, & aliis Recentioribus, qui bene notant aliter dicendum de surdastro; eum is facilè possit vitare omnem occasionem ludibrij, ac risus. Imò Castrus Palaus D. 6. de censur. part. 11. num. 3. ex Nau. Bonac. & Laym. putat quod si surditas adueniat ordinato, permitti poterit celebrare: cum audite Ministrum respondentem non ita necessarium videatur, cum de responsione Sacerdoti moraliter constet.

Vitium autem Sacerdos surdus possit in aliquo casu administrare Pœnitentiæ Sacramentum.

60. Respond. Diana supr. resol. 19. cum Hurtado posse; si contingat aliquem vrgeri præcepto annuæ confessionis, & non habeat copiam alterius Confessarij approbati: probatque, quia adest obligatio præcepti, quod potest pœnitens implere; ergo & tenetur; siue ei confiteatur nutibus, siue etiam ostendat singrapham, in qua descripta sint omnia eius peccata; quamquam teste Fagund. præc. 2 Eccl. lib. 2. cap. 6. n. 9. probabiliter sustineri possit pœnitentem in tali casu non teneri scribere sua peccata, eaque scripta ostendere modo dicto. Verùm egonon puto pœnitentem in casu proposito teneri confiteri supradicto Sacerdoti, si quidem Ecclesiæ præcepta non obligant cum tanto incommodo, & sic in tali euentu posset differri confessio: quod existimat esse probabile etiam Fagund. loco supr. citato.

Quæres XIV. An muti sint irregulares quoad Ordines.

61. Respond esse, siue careant lingua, siue nullo modo loqui possint: non item, si solùm sint blæsi, aut balbi; ita Sayr. supr. lib. 6. cap. 8. num. 21. cum S. Thom. aliisque plurimis DD. patetque ex iuribus, ac rationibus sup. citatis. Gratianus tamen, quem refert, & non reiicit Diana resol. 18. putat, stante necessitate, absentia, aut impedimento Sacerdotis idonei posse Sacerdotem mutum administrare Eucharistiam ab alio præconsecratam; quod etsi non sit in vsu, & in præsentia vix possit aduenire casus talis necessitatis, attenta magna Sacerdotum copia: nihilominus, si daretur casus, non puto esse improbabilem sententiam Gratiani, cum in hac re solùm obstare possit, quod in tali euentu non potest Sacerdos recitato preces, quæ de more Ecclesiæ in communione Laicorum soler dici; qui defectus vtique non est talis, quod, occurrẽte casu iustæ necessitatis Sacerdoti muto denegari debeat facultas ministrandi Eucharistiam modo dicto.

Quæres XV. An mutus, surdus, & cæcus eligi possint ad prælaturas Ecclesiasticas, siue sæculares, siue regulares.

62. Respond. non posse, patetque, de cæco quidem ex cap. hinc etenim § cæcus d. 49. de surdo ex cap. constitutionem, de verb. significat. in 6. & de muto docent plures Doctores apud Laurentium Peyrinum de R. P. quæst. 2. c. 4. num. 21. ex eo quod, cum Prælati ratione officij teneantur monere, corrigere, & docere proprios subditos; hoc ipso quod mutus non potest ista præstare, censetur ineptus ad prælaturam: quod est esse irregularem. ita Diana resol. 20. cum aliis addens ex Megala Religiosum electum in Visitatorem Ordinis, si postea fiat cæcus, non posse prosequi visitationem cum alio Visitatore socio non cæco.

63. Addit Diana resol. 23. cum Sigism. à Bononia Surdos, & cæcos non priuari quidem iure eligendi; enim libere possint consentire in electionem faciendam: tutiore tamen conscientia agere, si tali iuri renuncient, quippe qui facillimè possunt decipi, vt pater.

64. Quæres XVI. Quandonam defectus, aut carentia membri corporei inducat Irregularitatem quo ad Ordines.

Respond. ex dictis quæst. 6. tunc demùm inducere, quando inde impeditur executio ordinis, aut gignitur notabilis deformitas; idque iudicio, siue Episcopi

Episcopi quo ad Clericos sæculares, siue Prælati regularis, quood Religiosos subditos. sic irregularis est, qui caret altera, aut vtraque manu; quia nullo modo hostiam cõtrectare, aut tenere potest, manusve habet adeò tremulas, vt periculum sit Calicis ef-
60 fundendi, vel etiam caret vno, aut pluribus digitis, iis præsertim, quibus Eucharistia contrectatur, qui claudus est, ita vt nullo pacto accedere possit ad altare, aut ibi stare baculo, aut pede ligneo. (secùs, si solùm habet crura distorta:) qui caret auriculis, & quidē ita vt capillis talem defectum decenter tegere non possit: qui non habet nasum, aut habet ex parte mutilatum, nisi fortè ex carne, vel alia materia coloris carnei loco illius alter reficiatur: qui habet os deformiter distortum, aut cicatrices in facie notabilem gignentes deformitatem. ita Laym. *supr. num.* 1. Filliuc. *num.* 171. 172. & 173. Bonac. *supr. part.* 2. *num.* 2. & *seqq.* Sayr. *lib.* 6. *de Censur. cap.* 8. *per totum.*

Quod autem dicunt DD. cõmuniter esse irregularem illum, qui sibi fecit abscidi testiculos ad retinendam vocem, non admittit absolutè Castrus Palaus *D.* 6. *de Censur. part.* 12. *num.* 4. imò ait oppositum
61 videri improbabile: & probat, tum quia talis abscissio non fit ex indignatione aut iusto, vel iniusto timore castitatis; vt requiritur *in cap. maritum cap. qui partem cap. si quis absciderit dist.* 55. tum quia nullus reatus hanc irregularitatem inducens loquitur de eo; qui sibi testiculos abscidit, sed de eo, qui sibi virilia abscindi fecerit; quod est quid diuersum: à diuersis autem non fit illatio, maximè in materia pœnalis.

Addit Castrus Palaus *num.* 2. quod licèt Henriq. Nauar. Auila, & Valentia putent ad incurrendam hanc irregularitatem debere esse notoriam, tum culpam, tùm abscissionem partis: contrarium tamen videtur probabilius: cùm hæc irregularitas nitatur non tam notorietate culpæ, quàm excessu, & sæuitia, quam quis secum exercuit: vt tradit Molina *tract.* 3. *D.* 70. *num.* 16. docens fore irregularem illum, qui causam dat culpabilem, vt sibi virilia, aut aliud membrum amputetur à Iudice, vel à marito ob adulterium factum: quod reiicit ipse Castrus Palaus ex Toleto, Garcia, Conincho, & Hurtado, dicens nullo textu id probari: cùm alioqui irregularitas non incurratur, nisi in iure sit expressa: omnes enim textus
62 inducentes hanc irregularitatem expresè loquuntur de eo, qui sibi ex indignatione, aut zelo indiscreto castitatis membrum amputauerit per se, aut per alium: nullus autem textus loquitur de eo, qui causam dedit amputationi.

Prætereà notat Castrus Palaus *num.* 5. ex Couarruuia Nau. Suar. Henriq. Auila, & Bonac. imbecillitatem membri, aut eius carentiam absque propria culpa contingentem, si non impedit celebrationem, nec causat deformitatem, non inducere irregularitem: vt si natus es absque pudendis, aut per vim à Patre castratus, aut consilio Medici ob sanitatem, aut ab infidelibus in odium fidei. Porrò membrum abscissum,
63 seu eius cineres non teneris (vt vulgus falsò putat) tecum deferre; cum id nullo iure caueatur: vt notant Molina *supr. n.* 15. Toletus *cap.* 57. *lib.* 1. Nau. *cap.* 27. *num.* 200.

64 QVÆRES XVII. An, & quo modo sint irregulares, quoad Ordines, ac Religionem ij, qui patiuntur defectum ex morbo corporis.

65 Respond. esse, si morbus magnam inferat debilitatem virium, aut grauem deformitatem, perpetuam, moraliter incurabilem in exercitio Ordinis, & hæc, inquit Suarez *D.* 51. *de censur. sect.* 3. *num.* 17. est regula communis Doctorum, sumiturque ex variis iuribus à Suarez, maximè in titulis *de corpore vitiatis* & de Cleric. ægrot. quæ iura cùm loquantur solùm de Ordinibus, non debent extendi ad Religionem; adeòque dicendum est præsentem Irregularitatem obstare quidem, quo minus quis promoueatur ad ordines, seque in iis exerceat, non autem quod non possit admitti ad Religionem: quamquam regulariter non expedit admittere ad professionem religiosam tales personas, immò nec liceat; vt probat Peyr. *de R.* 5. *quæst.* 1 *cap* 25. §. 5.

Quod si præfata regula bene applicetur ad morbos in particulari, constat censendos esse irregulares, paralyticus. idque ex *cap. vltimo de Cleric. ægrotant.* 2. laborantes apoplexia (eo tamen modo, quo diximus *quæst.* 2.) 3: dæmoniacos, ac energumenos, & hoc iuxta *cap. maritum, cap. communiter, & cap. Clerici d.* 33. (quamquam si iudicio medici constet eos esse perfectè liberos, dispensari poterunt à proprio Prælato, vt in susceptis ordinibus exerceri possint:) 4. abstemios, qui scilicet vinum sumere, aut retinere non possunt: 5. leprosos iuxta *cap. cum percussio cap. de rectoribus cap. tua nos de Cler. ægrot.* (quod tamen non facit, quin ij, si iam ordinati sint Sacerdotes possint priuatim celebrare, & præsertim coram aliis leprosis:) 6. laborantes morbo gallico, aut alio cõtagioso notabilem causante deformitatem, idque ex *c.* 2. *de Cler. ægrot.* 7. patientes dolorem capitis, articulorum manuum, pedum, & similes, si sint moraliter incurabiles: 8. laborantes febri continua mentis alienationem inducente. ita Sayr *supr. c.* 9. per totum Filliuc. *num.* 181. Bonac. *loco supr. citato.* & alij, patétque ex communi regula superiùs adducta. 66

Notat autem Auila *part.* 7. *de Censur. D.* 3. *d.* 4. *concl.* 1. quòd licèt *cap. communiter d.* 33. dicatur ad cognoscendum, num quis conualuerit à morbo caduco (qui vtique facit Irregularem) peti vnum annum: meliùs tamen id relinquitur arbitrio iudicis, vel viri prudentis, attentis circumstantiis, & fauet textus.

QVÆRES XVIII. An Valetudinarij, id est frequentiùs ægrotantes, & praua corporis dispositione affecti sint irregulares quoad prælaturas regulares.

Respond. esse; & probatur, tum quia iure naturali ea habilitas corporis requiritur in eligendo ad prælaturas regulares, quæ est necessaria ad decenter exercendam Prælaturam: vnde in Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 4. *de reformat*, dicitur: *Nec alijs in posterum fiat prouisio, nisi ijs, qui iam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur, aliter irrita sit prouisio*, (loquitur autem Concilium, teste Comitolo *lib.* 6. *quæst. moral. quæst.* 64. *num.* 2. etiam de dignitatibus, & personatibus Regularium:) id autem præstare non possunt valetudinarij, vt patet: tum quia in decretis Clementis VIII. editis pro reformatione Regularium, & nouissimè confirmatis ab Vrbano VIII. hæc habentur: *Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint regulas, & Constitutiones obseruare*: at tales non sunt valetudinarij: ergo, &c. (quamquam hæc ratio non probet electionem in proposito casu factam esse nullam: vnde & cautè dicitur in decreto, *præcipuè eligantur*; quod est dicere interdum posse eligi in Prælatos regulares, etiam Religiosos minùs valentes, ac robustos, dummodo sint aliàs valde apti ad gubernandum.) sic Peyrinus *de R. P. quæst.* 2. *cap.* 4. *num.* 2. & 3. ex Lessio, Garcia, Panormitano & aliis: probátque electionem in tali casu esse nullam, tum ex priori ratione 67

à nobis allata: tum ex *cap fin. de rescript. in 6.* vnde id ipsum colligitur.

68. Addit Peyr. eiusmodi electos teneri renunciare Prælaturas concessas: nisi fortè sint tales, vt iudicio prudentis sint compatibiles cum infirmitate etiam perpetua: quo casu nec inualida, nec illicita esset electio: cùm Canones solùm prohibeant eos infirmos assumi ad Prælaturas, qui ex morbo sunt impotentes ad proprium munus obeundum, vt docet Glossa *in cap. nisi cum pridem, de renunciat. v. impotens.*

Notat autem Castrus Palaus *supr. part. 11. num. 6.* quòd, cùm solus Papa dispenset in hac irregularitate ex defectu corporis: tamen ex priuilegiis concessis ferè omnibus Religionibus, possunt Prælati regulares dispensare cum suis subditis in hoc defectu: maximè si defectus subsequatur ordinationem, vt notauit Laym. *lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 7. n. 3. circa finem.*

De Irregularitate ex defectu Natalium.

69 *Illegitimus est irregularis, quoad Ordines, non quoad religiosam Professionem.*

70 *Expositus non est irregularis iuxta aliquos.*

71 *Irregularis est illegitimus, qui creditur legitimus.*

72 *Si quidem certò constet de illegitimitate.*

73 *Potest Ordinarius dispensare super illegitimitate occulta.*

74 *Irregularis est, qui nascitur ex vero coniugio in aliquo casu, qui affertur.*

75 *Secus qui nascitur ex coniugatis, sed coniugio re vera inualido.*

76 *Non est irregularis illegitimus per subsequens matrimonium legitimatus.*

77 *Canonicè legitimatus est capax Ordinis, ac Prælaturarum Ecclesiasticarum.*

78 *Per religiosam Professionem illegitimus fit habilis ad Ordinum susceptionem.*

79 *Defectus ætatis facit irregularem, quoad Ordines, & quoad Religionem.*

80 *Ordinatus ante debitam ætatem fit irregularis, si exerceat Ordinem sacrum sic susceptum.*

81 *Ex nimia senectute, vt sic, non inducitur Irregularitas.*

Quæres XIX. An omnes filij illegitimi sint irregulares, tum quoad Ordines, tum quoad Religionem.

69. Respond. esse, quoad Ordines, in quocumque gradu, aut specie illegitimorum existant: idque ex iuris Canonici constitutione *cap. 1. & 2. filijs presbyt.* lata, tum in detestationem paterni sceleris, tum ob turpitudinis notam, quam filius ex tali natiuitate moraliter contrahere censetur; non tamen esse irregulares quoad Religionem, nisi in casu, quo illegitimus velit admitti in Ordinem, in quo eius pater, siue ante, siue post ipsius natiuitatem professus fuerit, & adhuc viuat: in tali quippe casu prohibuit Gregor. XIV. illegitimum admitti ad Religionem, non quidem simpliciter, sed in eam, in qua pater illius modo dicto professus fuerit; vt videre est in Constit. Gregor. XIV. moderatoria illius, quam Sixtus V. ediderat de illegitimis. Et quidem quod omnes illegitimi sint irregulares, quoad Ordines, constat tum ex iuribus citatis; tum ex eo, quòd quicumque non est ortus ex matrimonio vero, aut saltem probabiliter existimato, est irregularis; tales autem sunt omnes illegitimi: ergo, &c. quod verò non sint simpliciter irregulares, quoad Religionem, patet tum quia non incurritur irregularitas, nisi sit expressa in iure; in iure autem non adest talis irregularitas: tum, quia per professionem factam in Religione approbata iuxta communissimam Doctorum sententiam quilibet illegitimus legitimatur, quoad ordines recipiendos: ergo signum est illegitimos posse admitti ad Religionem, & per consequens, quoad eam nun esse irregulares: quod erat probandum.

Quæres XX. An expositi sint irregulares, quoad Ordines, ac Religionem. 70.

Respond. non esse; & probatur, tum quia quilibet præsumendus est legitimus, dum non probetur contrarium: tum, quia in dubiis præferri semper debet pars benignior: tum, quia expositi nullo iure decernuntur illegitimi, & quod aliquis exponatur, non est sufficiens indicium, quod sit susceptus extra matrimonium: cum possit contingere, quòd parentes ratione paupertatis illum sic exposuerint; quòd interdum euenit: tum denique, quia Gregor. XIV. teste Turriano *lib. 9. de Censur. D. 71. dist. 1.* in quadam Bulla edita in gratiam Confraternitatis pro expositis statuit, vt hi habeantur pro legitimis: vnde iure nouo nostra sententia omnino amplectenda est, non obstante quòd plures Doctores apud Dianam *part. 2. tract. 15. resolut. 22.* contrarium sustineant: & alij, qui alioqui nobiscum sentiunt, dicant apud eumdem Dianam ad tollendos scrupulos tutius esse, quod expositi saltem petant dispensationem ab Episcopo: quòd tamen non admittit Garc. *tom. 2. de benefic. part. 7. cap. 2. num. 10.* & bene: præsertim cum Episcopus non possit dispensare super tali irregularitate. Nobiscum sentiunt plurimi Doctores apud Dianam, tum *loco supr. cit.* tum *part. 4. tractat. 2. resol. 58.* & satis probabiliter, non solùm quoad Ordines, sed etiam quoad Religionem, licèt ij expressè solùm loquantur de Ordinibus: siquidem rationes adductæ pro Ordinibus, à fortiori probant intentum etiam de Religione, stante quod iura, quæ aliàs valde abundant in multiplicandis irregularitatibus, quoad Ordines, de facto non declarant expositos esse irregulares, quoad Ordines; quin potiùs iuxta modo dicta oppositum statuunt; &, si id statuunt, quoad Ordines, multò magis dicendum est idem statuisse, quoad Religionem, iuxta regulam, *vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio*; quæ regula maximè habet locum, vbi agitur de extenuandis pœnis, attenta illa alia regula: *In pœnis benignior interpretatio semper facienda est.* Ita docti Neoterici consulti.

Quæres XXI. An sint irregulares, qui habentur pro legitimis, sed reuera concepti sunt ex adulterio.

Respond. esse, si non ex sola attestatione matris, (cui quoad hoc non tenentur credere, neque in fine vitæ:) sed ex violentis coniecturis sibi persuadeant, se verè esse illegitimos; siquidem iura absolutè significant illegitimos esse irregulares, nihil distinguendo inter occultum, & notorium: vbi autem ius non distinguit, nec nos distinguere debemus, quòd tamen non facit, quin tales illegitimi, causa graui vrgente, possint promoueri ad sacros Ordines, etiam sine vlla dispensatione: si hæc peti, ac obtineri nequeat siue propria infamia, aut parentum, ita Laym. *cap. 5. num. 1.* & ante ipsum Alph. à Castro *de leg. pœn. lib. 2. cap. vlt. concl. 3.* & Vincentius apud Angel. *v. homicid. 5. n. 3.* qui vniuersaliter 71.

asse

afferunt eum, qui occultè se esse illegitimum nouit, ita tamen vt id probari non possit, nec ea de re fama vulgata sit, posse Ordines sacros recipere absque dispensatione: quod tamen sic vniuersaliter dictum non approbat Laym. sed limitat ad casum grauis necessitatis, vti iam diximus.

72. Vnum hîc moneo ex Filliucius *tractat.* 19. *cap.* 5. *q.* 5. quod, sicut filius non tenetur credere matri attestanti ipsum esse illegitimum, nisi sufficienter probetur eam tempore conceptionis non fuisse cognitam ab alio, iuxta *l. filium, ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris*; ita secluso testimonio vtriusque parentis ob solam infamiam, ac rumorem non tenetur quis se reputare illegitimũ: cum præualeat iusta possessio legitimitatis iuncta titulo matrimonij; vt notauit Couar *reg. peccatum* 1 *part. num.* 3. *&* 6.

Grauior dubitatio est, an Episcopus dispensare possit super eiusmodi irregularitate orta ex occulto natalium defectu.

73. Respond. Probabile esse, quod possit: cum talis irregularitas proueniat ex crimine parentum occulto, & alioqui concessum sit Episcopis, vt possint dispensare super quacumque irregularitate ex delicto, præterquàm ex homicidio: & hoc (ait Regin. *lib.* 30. *tract.* 2. *num.* 29.) siue delictum sit proprium, siue sit alienum: facultas quippe dispensandi cum sit gratia, & beneficium principis latè debet interpretari *cap. vlt. de Simonia.* ita Regin. *loco cit.* Laym. *num.* 2. & Auila *par.* 7. *de Censur. D.* 3. *disp.* 7. quamuis Laym. dicat contrariam sententiam, quam docent Nauar. Suar. Vgol. esse de iure probabiliorem, eo quod ista irregularitas proximè, ac formaliter non sit ex crimine, sed ex morali macula, & nota ipsius personæ.

QVÆRES XXII. An sint irregulares, qui nascuntur ex vero coniugio, sed parentibus illegitimè coeuntibus, nempè post editum Castitatis votum simplex vtriusque parentis, aut post illegitimam alterius parentis professionem.

74. Respond. non esse, si ij suscipiantur contra votum simplex Castitatis vtriusque parentis, aut post illegitimam alteriùs parentis ordinationem, aut professionem; secùs, si suscipiantur post legitimam ordinationem, aut professionem. ita Coninch. *D.* 18. *de Censur. num.* 104. ex Suar. Laym. *num.* 3. aliíque, patétque ex eo, quod in priori casu nullo iure probatur prolem susceptam esse illegitimam, quin potiùs euincitur oppositum hoc ipso; quod constat & professionem emissam in illis circunstantiis esse irritam, & per illam ordinationem alterum coniugem non priuari suo iure, sicut nec per emissionem voti simplicis, etiam mutuo consensu ipsorum coniugum factam (loquendo quoad validè: intellige, nisi fortè fiat per modum pacti: in posteriori autem casu expressè colligitur ex *cap. literas, de filijs presbyt.* natum ex coniugato post legitimam eius in sacris ordinationem, aut in religione professionem, ad sacros ordines sine Papæ dispensatione admitti non debere; cum quo tamen stat, inquit Sanch. *l.* 9. *de matr. D.* 38. *n.* 7. quod talis proles sit, & habeatur pro legitima, quoad successionem, hæreditatem, & dignitates Ecclesiasticas, siue sæculares, siue regulares: licèt id in specie non explicet Sanch.): cuius rei ea esse potest ratio, quod textus inducens eiusmodi inhabilitatem non loquitur, nisi de ordinibus, ac beneficiis, non autem de prælaturis regularibus: odia autem, qualis est eiusmodi inhabilitas, non debent ampliari, sed restringi.

QVÆRES XXIII. An sint irregulares, qui nascuntur ex coniugatis in foro externo, sed habentibus impedimentum irritans.

75. Respond. non esse; si non constet de mala fide parentum, cum qua contraxerint; patétque ex *cap. per venerit, qui filij sint legitimi*, ex quo DD. communiter colligunt cum Couar. *part.* 2. *de matr. cap.* 8. §. 3. *n.* 1. vt qui habeatur illegitimus, non satis esse, vt probetur matrimonium inter parentes fuisse inualidum, nisi item probetur parentes mala fide contraxisse, aut conuenisse; præterquàm quod nemo debet in dubio præsumere culpam in propriis parentibus; præsumeret autem, qui se reputaret illegitimum in casu proposito, ac irregularem. ita Suar. *D.* 50. *de Censur. sect.* 4. *num.* 11. Filliuc. *supr. q.* 6. Bonac. *D.* 7. *de Censur. in comm. quæst.* 2. *part.* 3. *n.* 3. Sayr. *lib.* 6. *de Censur. cap.* 10. *num.* 31. aliíque apud ipsos; inter quos notat Filliuc. ex Soarez, quod si vterque parens in casu proposito affirmaret se mala fide contraxisse, & nihilominùs persisterent in matrimonio absque dispensatione; tunc filij ex iis suscepti habendi essent pro illegitimis, & consequenter pro irregularibus; saltem quoad forum conscientiæ; siquidem assertio vtriusque parentis violentam faceret probationem, & sufficientem in conscientia: qualem tamen non faceret sola attestatio matris, vt iam dictum est.

QVÆRES XXIV. An sint irregulares, qui cum nati sint illegitimi, per subsequens matrimonium validè inter parentes contractum legitimantur.

76. Respond. non esse, nisi fortè dum suscipiebantur, extiterit inter parentes impedimentum dirimens (idque ex *cap. tanta est, qui filij sint legitimi*: vbi id expressè deciditur;) ac proinde liberari ab irregularitate per matrimonium subsequens; etiamsi istud sequatur, postquam dicti illegitimi iam susceperunt sacros Ordines: ita vt postea exercere possint ordines susceptos, & ascendere ad superiores, cum sic cessante causa Irregularitatis, cessauerit etiam ipsa irregularitas. Immò Sanchez *lib.* 8. *de matrim. D.* 7. *n.* 19. cum multis aliis censet etiam in casu, quo extet impedimentum dirimens inter parentes tempore conceptionis, quod postea auferatur ante natiuitatem: censet, inquam, prolem legitimari per subsequens matrimonium adeóque non esse irregularem; quod idem putat Coninch. *num.* 105. esse probabile, non omninò dissentiente Suarez *supr. sect.* 1. *n.* 3. qui bene addunt, quòd si tempore conceptionis nullum aderat tale impedimentum, inueniatur tamen tempore natiuitatis, tunc etiam, sublato per dispensationem tali impedimento, proles legitimatur per subsequens matrimonium, & consequenter non est irregularis; cum sic prior copula fuerit tantùm simplex, & matrimonium posteà subsecutum sit validum; qua de re Sayr. *supr. num.* 31. Bonac. *num.* 8. & alij.

QVÆRES XXV. An irregularis ex defectu natalium per canonicam legitimationem tollatur, tam quoad Ordinem, ac Religionem, quàm quoad Ecclesiasticas dignitates, tum sæculares, tum regulares.

77. Respond. tolli: cùm canonica legitimatio (quæ scilicet fit à potestate Ecclesiastica) sit quædam dispensatio totalis facta ab habente potestatem, & aliàs per dispensationem tollatur illegitimatio; vt communiter concedunt DD. & quidem, quoad omnes effectus, si sit totalis, qualis de facto est, quæ fit per canonicam legitimationem: non item quæ fit per potestatem laicam, quantumuis regiam, vt bene ostendit Filliuc. *num.* 149.

QVÆRES XXVI. An, & quo modo tollatur prætens irregularitas per professionem factam in Religione approbata.

78. Respond. tolli eo modo, quo diximus *sect. pre- praced. quaest.* 21.

De Irregularitate ex defectu Ætatis.

QVÆRES XXVII. An, & qualiter defectus ætatis faciat irregularem, tum quoad Ordines, tum quoad Religionem.

79. Respond. facere; cùm talis defectus sit impedimetum canonicum obstans susceptioni, ac vsui ordinis, imò & ingressui Religionis iuxta mox dicenda; & alioqui de ratione irregularitatis nō sit, vt absolutè sit perpetua, sed solùm vt, durante eius causa, semper insit: vnde non repugnat eiusmodi causam per alia media, aut etiam solo temporis tractu auferri. ita Suarez *supr. D.* 51. *sect.* 2. *num.* 3. aliique communiter, & quoad ordines, colligitur ex Clemen. *vlt. de ætat. & qual.* & *tota distinct.* 77. nec non ex Conc. Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 12. præscribente singulis ordinibus sacris certam ætatem. quod verò spectat ad ingressum Religionis, constat ex dictis *in tract. de Nouitiatu*, vbi ostendimus ad inchoandum verè, & propriè nouitiatum requiri ætatem 14. annorum completorum in viris, & 12. in fæminis, & ex Conc. Trid. præcipiente *sess.* 25. *cap.* 15. vt in nulla Religione tam virorum, quàm mulierum professio fiat ante 16. annum expletum, aliàs professio sit nulla, nullamque inducat obligationem. qua de re plura *in tract. de Profess. religiosa.*

80. Noto hîc vnum ex Suarez *num.* 4. & Filliuc. *n.* 175. ordinatum ante legitimam ætatem, si exerceat ordines, post. Const. Pij II. *Cum ex Sacramentorum*, & ordines sint maiores, incurrere nouam irregularitatem: quippe qui per dictam Constit. ipso iure est suspensus, & consequenter exercendo ordinem ante legitimam ætatem nouam contrahunt irregularitatem; quod non eueniebat in iure antiquo. Vnde fit, vt ministrans in ordinibus maioribus susceptis ante legitimam ætatem, egeat dispensari super irregularitate contracta ob violationē suspensionis: quamuis aliàs non indigeat dispensatione, super irregularitate ex defectu debitæ ætatis; cum ea per legitimam ætatem superuenientem ex se sufficienter tollatur.

QVÆRES XXVIII. An, & qualiter contrahi possit irregularitas per nimiam, & decrepitam ætatem, tum quoad Ordines, tum quoad ingressum Religionis, ac prælaturas regulares.

81. Respond. non posse, si præcisè, ac formaliter sistamus in ratione ætatis: siquidem circa hoc nullus terminus per Canones præfixus est, & meritò, cum ætas senilis ex variis capitibus sit aptior ad supradicta; secùs, si tanta sit senectus, vt declinet in morbum, seu ipsi æquiualeat, quoad impedienda organa, aut impediendas vires necessarias ad ministerium ordinum, vitæ religiosæ obseruantiam, ac Prælati munus explendum, ex quo sequitur talem irregularitatem inductam esse, non tam ex prohibitione Ecclesiæ, quàm ex natura rei; quatenùs non decet, quem assumi ad id, ad quod est prorsus ineptus. ita Suar. *num.* 5. Filliuc. *num.* 176. Peyr. *supr. num.* 5.

De Irregularitate ex defectu Sacramenti, id est ex bigamia.

82 *Explicatur, quid sit Bigamia, & diuiditur, in suas species.*
83 *Bigamus est irregularis.*
84 *Si vtrumque matrimonium sit validum, & consummatum per seminationem vtriusque coniugis.*
85 *Contrahens secundas nuptias, superstite priori coniuge, irregularis est ex bigamia.*
86 *In 4. casibus incurritur irregularitas ex bigamia interpretatiua.*
87 *Et hac iuxta aliquos afficit contrahentem inualidè duo matrimonia, aut vnum cum vidua.*
88 *Irregularitas ex bigamia similitudinaria incurritur in duobus casibus.*
89 *Etsi aliqui vnum ex his casibus negent.*
90 *Irregularis est, qui bigamiam contraxit ante Baptismum.*
91 *Irregularitas ex bigamia non tollitur per Professionem religiosam, aut Prælati regularis dispensationem.*
92 *Bigamus est irregularis ad quamcumque prælaturam.*
93 *Irregulares subsunt varijs pœnis.*

QVÆRES XXIX. Quid, & quotuplex sit Bigamia.

Respond. bigamum propriè dici eum, qui contraxit secundas nuptias post mortem prioris coniugis, & vtrasq; consummauit; bigamiam verò esse triplicem, veram, interpretatiuam, & similitudinariam: vera est, quando quis validè contraxit cum duabus, & consummauit: interpretatiua est, cùm iuris interpretatione sit duplex matrimonium (vt sit quis contrahat cum vidua, aut corrupta:) similitudinaria est, cùm ex eadem iuris interpretatione duplex matrimonium reputatur (vt cum quis post votum solemne Castitatis contrahit cum virgine, eamque cognoscit.) ita communiter DD. Filliuc. *supr. c.* 4. Coninch. *n.* 99. Laym. *cap.* 6. *n.* 1. Sayr. *c.* 3. Suar. *D.* 49. *sect.* 1. *n.* 1. Bonac. *part.* 5. qui bene monent hanc irregularitatem dici ex defectu, non quia ad eam semper præsupponatur culpa, sed quod iterata matrimonij receptio minùs aptè repræsentat coniunctionem Christi vnius cum vna Ecclesia. 82.

QVÆRES XXX. An, & quo modo ex vera, & propria bigamia incurratur præsens irregularitas.

Respond. incurri, si vtrumque matrimonium sit validum, & verum, immò & secundùm aliquos consummatum per seminationem vtriusque coniugis, est communis DD. ex Suar *sect.* 2. *num* 1. & patet, tum ex *cap.* 1. *&* 2. *de bigamia*, tum quia si Sacramentum est nullum, tunc verè non iteratur Sacramentum, adeòque cessat ratio incurrendi talem irregularitatem, cum de tali contrahente dici non possit, quod vnquàm habuerit duas vxores. 83.

Dixi, *& secundum aliquos consummatum* &c. si enim detur ad contrahendam istam irregularitatem non sufficere quamcumque copulam, sed requiri copulam cum seminatione, vt docent Sanch. aliique plures apud Dianam *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 42. contra Auilam, Henriq. & alios relatos ab eodem Diana: probabile puto, quod docent Sanchez, Præposit. Hurtad. relati à Diana *resol.* 43. nempe requiri seminationem tam viri, quæ fiat in matricem fœminæ, quam ipsius fœminæ cum probabile sit matrimonium non dici propriè consummatum, nisi secuta vtriusque coniugis seminatione, modo supradicto, vt ostendit Sanchez *supr. lib.* 7. *D.* 81. *num.* 6. 84.

QVÆRES XXXI. An sit irregularis ex bigamia, qui contrahit secundas nuptias, viuente priori vxore.

Resp. esse, si cum vtraque consummet. ita Filliuc. ex communi *num.* 104. & probatur, tum ex *cap. nuper. de bigamia*. quod quamuis exemplum ponat de Sacerdote, loquitur tamen absolutè, etiam de Laicis: 85.

tum

tum quia indecens est eum, qui bis in facie Ecclesiæ contraxis secundùm publicam æstimationem, esse Clericum. quæ irregularitas cùm non fundetur in duplici matrimonio vero, sed in aliqua participatione dici debet, & potest bigamia interpretatiua, vt notat Filliuc. ex Abb. & Io. Andr. addens *n.* 105. eiusmodi irregularitatem incurri, etsi alterum ex dictis matrimoniis nullum sit ex quocumque defectu: cum semper adsit eadem indecentia, vt patet. Quin etiam Rich. Hostien. & Abb. apud Suar. *sect.* 2. *num.* 11. putant incurri talem irregularitatem, etiam in casu, quo vtrumque matrimonium sit nullum, dummodò adsit idem affectus contrahendi exteriùs opere, idest ipso contractu, & consummatione illius subsecuta.

QVÆRES XXXII. An, & quibus in casibus incurratur irregularitas ex bigamia interpretatiua.

86. Respond. incurri in 4. casibus, & 1. quidem si contrahatur, cum vidua; cùm vir hoc modo fiat vna caro cum fœmina, ac proinde participet eius conditionem, ac defectum significationis: 2. si eum corrupta ab alio (secùs si ab ipsomet) eum sic non posset dici carnem suam diuisisse: 3. si cum repudiata ab alio: & hoc, licèt matrimonium initum cum corrupta fuerit inualidum, aut contrahatur cum ea, quæ separata fuit à marito ob matrimonium inoalidum: 4. si quis cognoscat propriam vxorem post adulterium ab ea commissum: idque estò vir ignorarit adulterium, & mulier per vim fuerit cognita ab adultero. ita Filliuc. *supr. cap.* 4. *quæst.* 6. *per totum* aliique penes ipsum; patétque ex variis iuribus ab ipso allegatis; quamquàm Præpositus apud Dianam *resolut.* 40. non contradicentem putet non incurri irregularitatem in casu, quo vir cognoscat propriam vxorem ab alio per vim cognitam; & quidem non omninò improbabiliter, vt constabit perpendenti rationes ab ipso allatas: qui item ad incurrendam istam irregularitatem videtur requirere, vt adulterium vxoris sit notorium; id colligens ex *cap. si laici distinct.* 34. quod non admittit Diana *resolut.* 41. vbi etiam reiicit Sà *v. irregularitas ex bigamia num.* 3. & P. Ledesmam *quæst.* 66. *de matrim. art.* 3. aliósque asserentes virum non incurrere istam irregularitatem, si cognoscat propriam vxorem post adulterium ab ea factum, & ab ipso ignoratum.

QVÆRAS XXXIII. An sit irregularis ex bigamia interpretatiua laicus, qui contrahit duo matrimonia, aut vnum cum vidua inualidè.

87. Respond. Suar. *sect.* 3. *num.* 3. ex communi esse: probátque ex *cap. vlt. de bigam.* vbi Subdiaconus, qui viduam duxit, irregularis declaratur, etiamsi matrimonium cum illa nullum fuerit, propter affectum intentionis cum opere subsecuto. Verùm Coninch. *supr. num.* 101. ex Auila sustinet oppositum: & probat, tum quia *cap. nuper de bigamis*, tanquam absurdum infertur, quòd dicatur bigamus, qui nullum verè contrahit matrimonium: quod tamen sequitur ex sententia Suarez; tum quia nulla debet admitti irregularitas, quæ non sit in iure expressa; nullum autem ius affertur, in quo talis irregularitas exprimatur; si quidem *cap. nuper. & cap. vlt. de bigamis*, quæ communiter afferuntur, loquuntur expressè de constitutis in sacris, in quibus adest specialis turpitudo, quique ex alio titulo irrigularitatem contrahunt, non autem de Laicis: cùm tamen odia extendi non debeant, sed restringi. præterea *canon* 18. *Apostolorum* dicens non posse ordinari eum, qui eiectam, seu, (vt alij legunt) dimissam duxerit: & *canon* 19. idem asserens de eo, qui duas sorores duxerit (in quibus casibus matrimonia sine dubio non possunt esse vali-da) non conuincunt: cum dici possit ciuitatis iuribus statui irregularitatem, siue in pœnam illorum criminum, siue ob infamiam inde prouenientem: quæ rationes, cum non eodem modo interueniat in casu nostro, non est cur extendamus præfata iura ad præsentem casum, qua de re Layman. *num.* 5. addens *n.* 6. quod, eum per generalem Ecclesiæ consuetudinem consensu Doctorum inductam possint introduci censuræ, ac irregularitates alioqui in iure minùs expressę: talis censeri potest irregularitas, quam Doctores dicunt contrahi à laico contrahente, cum vidua, vel corrupta inualidè, & matrimonium consummante (quod semper debet subintelligi in hac materia.)

QVÆRES XXXIV. Quo casu contrahatur
irregularitas ex bigamia similitudinaria. 88.

Respond. contrahi in casu, quo quis post professionem emissam in religione approbata matrimonium cum virgine contrahat, & consummet: immò, & in casu, quo initiatus ordine sacro item contrahat cum virgine, & consummet; quod tamen negant non improbabiliter Abbas, Arebidiac. Host. & apud Filliuc. *num.* 120. Conineb. *num.* 102. substinens tamen oppositum esse probabilius, & alij. patet responsio ex *cap. quotquot* 27. *quæst.* 1. vbi dicitur, *quotquot post virginitatem pollicitam præuaricati sunt, professione contempta, inter bigamos haberi debebunt*, vbi notat Filliuc. ex Glossa, & Rota per profiteri Castitatem intelligi omnem modum solemnem assumendi aliqam obligationem: qualis vtique interuenit in susceptione Ordinis sacri; quoad obligationem seruandæ castitatis; ita Filliuc. *num.* 120. monens *num.* 119. quòd si Religiosus Societatis Iesu post emissa vota simplicia biennij matrimonium de facto contrahat cum virgine, statim incurrit irregularitatem, cùm ius hanc inducens extendatur ad professionem Religionis per quæcumque vota constituentia personam inhabilem ad matrimonium, & hoc ipsum præstent præfata vota Societatis ex Bullis pontificiis, vt alibi dictum est: cum Filliucio sentit Io. Præpositus *quæst.* 5. *de irregularit. num.* 136.

Quod autem supradicti DD. non improbabiliter 89.
asserant initiatum ordine sacro contrahentem de facto, & consummantem cum virgine non subiacere præsenti irregularitati, suadetur, tum ex eo, quòd nullum adest ius de facto inducens talem irregularitatem, saltem expressè: tum quia in professione religiosa concurrit ratio specialis inducendi talem irregularitatem ob speciale vinculum, quod contrahitur cum Christo.

QVÆRES XXXV. An sit irregularis, qui bigamiam contraxit ante Baptismum, & postea baptizatur.

Respond. esse; & probatur, quia in matrimonio 90.
cum duabus, etiam ante Baptismum deest significatio Sacramenti, cùm sic contrahens suam carnem diuidat in plures, adeóque sit inhabilis ad significandam coniunctionem vnius Christi cum vna Ecclesia; quod requiritur, & sufficit ad contrahendam irregularitatem ex bigamia. ita Coninch. *supr. num.* 102. Filliucius *num* 101. Summistæ *v. bigamia*, præsertim Ang. *num.* 6. & Sylu. *num.* 5. aliique communiter.

QVÆRAS XXXVI. An irregularitas bigamiæ tollatur per professionem religiosam, aut certè tolli possit per dispensationem Prælati regularis.

Respond. Filliuc. *num.* 130. neque tolli per pro- 91.
fessionem, cum teste Suar. *supr sect.* 6. *num.* 16. Docto-

tes solùm dicant posse Episcopum dispensare cum bigamo, si religionem ingrediatur, neque per dispensationem Prælati regularis; cùm Prælati Religionum non possint dispensare suos subditos in bigamia, nec etiam, quoad ordines: & hoc de iure communi, & loquendo de bigamia vera, aut interpretatiua; non item de similitudinaria, in qua, sicut possunt Episcopi iure communi dispensare, ita & possunt Prælati regulares. Dixi, *& hoc de iure communi*, quod enim possint, quoad hoc Prælati regulares ratione suorum priuilegiorum, constat ex dictis *supr. quæst.* 19.

QVÆRES XXXVII. An bigami sint irregulares quoad prælaturas ecclesiasticas, siue sæculares, siue regulares.

92. Respond. esse; patétque ex dictis *sect. præced. q.* 13. Ita Sanch. *l.* 5. *in Decalog. cap.* 5. *num.* 23. hoc idem asserens de Moniali, eam scilicet non posse eligi in Abbatissam, si sit bigama.

QVÆRES XXXVIII. Quibus pœnis subiiciantur irregulares ex bigamia.

93. Respond. eos non solùm ipso facto priuari priuilegio clericali & subiici foro sæculari ex *cap. vnic. de big. in* 6. sed prohiberi ferre tonsuram, & exercere ordines, etiam minores: idque ex decreto Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 17. *de reform.* concedentis ordines minores exerceri posse per Clericos coniugatos, dummodo non sint bigami. Ita Filliuc. *num.* 123. addens hanc pœnam extendi etiam ad bigamiam interpretatiuam, & bigamum initiatum ordinibus solùm minoribus amittere priuilegium Canonis, ideóque prohiberi ferre tonsuram, & habitum.

SECTIO III.

De Irregularitatibus, quas incurrunt Regulares ex delicto.

94 *Octo sunt species irregularitatis ex delicto.*
95 *Irregularitas ex delicto hæresis supponit hæresim externam.*
96 *Hæc iure canonico inducta est.*
97 *Facit inhabilem ad Ordines, & ad Religionem.*
98 *Imò & ad regulares Prælaturas.*
99 *Transfunditur in filios.*
100 *Si hi nascuntur post hæresim paternam; quod alij negant.*
101 *Transfunditur in filios, etiam quoad ordines.*
102 *Irregularis est Apostata à fide, aut à Religione.*
103 *Et quidem etiam quoad Ordines.*
104 *Imò & quoad Prælaturas, ac dignitates.*
105 *Si apostasia sit simul interna, ac externa.*
106 *Hæc irregularitas extenditur ad Schismaticos, Hæreticorum fautores, &c.*
107 *Extenditur item ad eos, qui pactum inierunt cum Dæmone.*
108 *Item ad Neophytos.*
109 *Non tamen transfunditur in filios in quibusdam locis Septemtrionis.*

QVÆRES I. Quot, & quæ sint irregularitates, quæ incurri possunt à Regularibus ex delicto.

94 Respond. esse 8. quarum 1. prouenit ex delicto hæresis. 2. ex iterata baptismi receptione, aut ministratione. 3. ex indebita Ordinum susceptione. 4. ex vsu Ordinis, quem quis non habet. 5. ex exercitio Ordinum tempore censuræ. 6. ex infamia siue iuris, siue facti. 7. ex pœnitentia publica. 8. ex homicidio: quamuis de hac vltima specie irregularitatis, vtpote indigentis fusiori explicatione agendum nobis sit in distincta sectione ad maiorem claritatem, ac distinctionem.

De Irregularitate ex delicto Hæresis.

95. QVÆRES II. Quid requiratur ad incurrendam irregularitatem ex delicto Hæresis, & quo iure inducta sit talis irregularitas.

Respond. requiri vt hæresis sit externa: siquidem, cum Ecclesia non iudicet de internis, neque puniat actus merè internos; non esse tamen necessarium, vt hæresis sit notoria; cùm talis irregularitas ipso iure incurratur ante omnem sententiam declaratoriam, & alioqui, quando incurritur pœna ipso iure, non sit opus, quod factum sit notorium, dummodo sit exterius commissum. Ita Filliuc. *tract.* 19. *num.* 228. ex Syluest. S. Anton. Nauar. Maiolo, & Suarez, quod non improbabiliter negat Laym. *l.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 4. *num.* 12. cum Sayro *l.* 7. *de censur. cap.* 12. *n.* 16. Auila, & Philarco.

96. Hæc autem irregularitas lata est *in cap. saluberrimum* 1. *quæst.* 6. vbi Clerici reuertentes ab hæresi dicuntur posse recipi in suis ordinibus (intellige, cum legitima dispensatione, vt aduertit Suar. *D.* 43. *de censur. sect.* 1. *n.* 2.) non tamen vlterius promoueri; qui textus licèt expressè loquatur solùm de Clericis, extenditur nihilominus etiam ad laicos; cùm talis prohibitio fiat Clericis, non quatenus Clericis, sed simpliciter ratione talis criminis; quæ ratio cùm æquè afficiat laicos, & Clericos, mirum non est ad vtrosque extendi præsentem iuris dispositionem.

QVÆRES III. An ista irregularitas faciat inhabilem non solùm, quoad ordines modo supradicto, sed etiam quoad ingressum Religionis.

97. Respond. facere quoad vtrumque, patétque (quod spectat ad ingressum Religionis) ex dictis *in tract. de Nouitiatu*, vbi ostendimus hæreticos, etiam pœnitentes sine Papæ dispensatione non posse intrare Religionem: & hoc, inquit Conc. Narbon. *cap.* 18. ne per tales Religionis simplicitas corrumpatur: quæ ratio à fortiori probat hæreticos non esse admittendos ad professionem.

Vtrum verò vi præsentis irregularitatis Religiosi fiant inhabiles etiam ad prælaturas regulares.

98. Respond. fieri; & probatur, tum ex decreto Sacræ Congreg. edito iussu Vrban. quo cauetur Regulares à S. Inquisitionis Officio pœnitentiatos inhabiles esse ad dignitates, etiamsi pœnitentias compleuerint, & quidem ita, vt rehabilitatio reseruetur ipsimet Papæ, aut Congregationi coram eo habendæ, &, si promoueátur ad gradus, & officia Religionis (de his enim tantùm loquitur hoc decretum) promotio sit nulla; quamquam hoc decreto non comprehendantur Regulares modo dicto puniti salutaribus pœnitentiis; tum, quia hæretici, etiam occulti, & iam emendati sunt ipso facto priuati dignitatibus, quas possident, quocumque tempore obtentis; vt constat ex *c. vt commissi, ver. priuandi de hæret. in* 6. ergo multò magis obtinendis: tum, quia hæretici sunt infames *cap. infames* 6. *q.* 1. infames autem non possunt eligi ad prælaturas ecclesiasticas, vt infra. Ita Peyr. *de R. P. quæst.* 2. *cap.* 5. *num.* 72. aliique penes ipsum, qui *num.* 74. concludit eum, qui formaliter lapsus est in hæresim, siue occultè, siue manifestè, etiam post absolutionem remanere irregularem, non solùm, quoad recipiendas dignitates, sed etiam ad recipiendos ordines, necnon ad exercendos eos ipsos, quos habet.

99. Quin etiam addit Peyr. *num.* 75. ex Farinac. Azor. Suar. Sanch. Garcia, & plurimis aliis, etiam filios hæreticorum, fautorum, receptatorum, & defensorum vsque ad secundam generationem per lineam paternam, & vsque ad primam per lineam maternam non posse eligi ad prælaturas regulares, &, si eligantur, electionem esse ipso iure nullam: idque ex *cap. quicumque, §. heretici, cap. statutum el 2. & cap. vt cum ipsi de heret. in 6.* vbi hoc expresse deciditur; quamquam his iuribus non comprehendantur filij eorum hæreticorum, qui reconciliati Ecclesiæ obierunt iuxta *cap. statutum el* 2. modò citatum; quales tamen non censentur, qui moriuntur catholici, sed traduntur brachio sæculari comburendi, eo quod relapsi sint: quippe qui in foro externo præsumuntur decedere in eadem hæresi, fictéque ei abiurasse, ne viui aliàs comburerentur; quod notauit Sanch. *l.* 2. *in Decal. cap.* 27. *n.* 24. monens *n.* 28. ad hoc vt filij hæreticorum subiaceant isti irregularitati, opus esse, quod eorum parentes fuerint conuicti de hæresi, vel quod confessi fuerint, vel saltem quod res sit publica, & omnibus probata.

Maius dubium est, an, sicut præsenti irregularitati subiacent filij hæreticorum, tam legitimi, quam illegitimi, cùm iura non distinguant, & vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus, ita eidem irregularitati subiiciantur etiam filij nati ante paternam hæresim.

100. Respond. Sanch. *n.* 14. quod, licèt sententia affirmans sit probabilis, vt constat ex rationibus ab ipso allegatis *à num.* 9. negans tamen videtur probabilior ob multas, & graues rationes, quas ipse affert *n.* 14. & non expedit hoc loco adducere, cùm facilè videri possint apud ipsum, illam vnam hîc sufficiat attigisse; nimirum, quod timor imitationis parentum ex infecto sanguine consurgens, qui est potissima ratio talium pœnarum (vt expressè habetur *l. quisquis, §. filij, C. ad leg. Iul. maiestat.*) non habet locum in filiis conceptis ante delictum parentum: quippe sunt concepti ante eam sanguinis infectionem, ideóque procliuitas naturalis inde deriuata ad eadem vitia non reperitur in his, saltem eo modo, quo extat in natis post delictum, siquidem hi duplicem habent causam peruersionis, ac imitationis, nempe procliuitatem naturalem ex infecto sanguine prodeuntem, ac educationem cùm parentibus peruersis ab ineunte ætate: cùm aliàs in natis ante delictum sola reperiatur educatio, & quidem sæpè non ab ineunte ætate. Oppositum sustinet Peyr. *n.* 79. cum pluribus DD. & quidem, vt dixi probabiliter ob rationes allatas, tum ab ipso, tum à Sanch.

101. Addo vnum ex eodem Peyr. *num.* 81. filios hæreticorum esse irregulares non solùm, quoad dignitates ecclesiasticas, sed etiam, quoad ordines, ideóque sine Papæ dispensatione ordinari non posse; cùm ordines sint instituti ad dignitates ecclesiasticas. Constat ex *cap. quicumque, de heret. in 6. §. heretici*, & ex Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 7. *de reform.* vbi innouato *cap. quando, d.* 24. præcipitur, vt Episcopi genus promouendorum ad ordines inquirant; idest an promouendus sit ex filiis, aut nepotibus hæreticorum, fautorum, &c. quos ius excludit à susceptione ordinum vsque ad 2. gradum via mascolina, aut vsque ad primum via fœminina.

Qværas IV. An ista irregularitas extendatur ad Apostatas, tam à fide, quàm à Religione.

102. Respond. extendi; & quidem, quod spectat ad Apostatas à fide, tradit Suar. *D.* 43. *de censur. sect.* 2. *num.* 1. ex communi; patétque ex eo, quod isti incurrunt omnes pœnas hæreticorum, nimirum excommunicationem, confiscationem bonorum, &c. iuxta *cap. non potest* 2. *quæst.* 7. constat autem ex dictis *q.* 2. hæreticos esse irregulares. Quòd verò spectat ad Apostatas à Religione, docent in terminis Bonac. *D.* 7. *de censur. in commu. quæst.* 3. *part.* 7. *n.* 8. cum Vgolino *cap.* 36. *de irregul. §* 4. Graff. *l.* 3. *de cas. reseru. c.* 1. *num.* 19. & Lezana *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 12. & probatur, tum, quia isti, quamdiu perseuerant in apostasia, sunt ipso iure infames, & vt tales non admittuntur in testes, sicut notauit Graff. *num.* 20. ex Archidiac. infames autem sunt irregulares, vt iam diximus: tum, quia Apostatæ vt plurimum exercent aliquos ordines sacros non obstante, quod sint irretiti aliqua censura; quod sine dubio inducit irregularitatem. Verùm, vt rectè obseruat Lezana, hinc non sequitur Apostatas à Religione esse irregulares præcisè ex vi apostasiæ, ac de iure communi (siquidem in iure nullus adest textus inducens talem irregularitatem) sed indirectè, consequenter, & (vt sic loquar) transitiuè: quod est bene notandum.

103. Quod si Religiosus apostata à Religione est modo dicto irregularis: sequitur eum nec posse recipere ordines in ipsa apostasia (imò neque post illam, nisi fuerit dispensatus super tali irregularitate) nec ministrare in receptis ante apostasiam, postquam receptus fuerit iterum in Religionem, & absolutus ab excommunicatione contracta ratione apostasiæ, nisi prius modo supradicto fuerit dispensatus super ea irregularitate, siue à Papa, siue etiam à proprio Prælato regulari per priuilegia Religiosis ad talem effectum concessa, teste Peyr. *de R. S. quæst.* 1. *cap.* 16. & quidem non solùm ad ministrandum in ordinibus susceptis, sed etiam vt possit ad alios promoueri.

104. Accedit, quod Apostata à Religione est irregularis non solùm, quoad ordines, tam minores, quam maiores, vt tradunt plures DD. apud Sanch. *l.* 6. *in Decal. cap.* 8. *num.* 25. sed etiam quoad prælaturas, ac dignitates, ad quas non potest eligi, durante Apostasia; vt ex Syluest. & Diaz docet Peyr. *supr. ex cap. Legi* 16. *quæst.* 1. addens, quod si Apostata de facto eligatur ad aliquam dignitatem, ea priuari debet, vbi ad meliorem frugem redierit; siquidem electio non est licita, & electus tenetur in conscientia renunciare: quod tamen reiicit Sanch. *num.* 31. & satis probabiliter.

Verum verò sit irregularis Apostata à fide, qui solùm exterius est talis, non autem interius.

105. Respond. Filliuc. *num.* 230. probabile videri, quod non; probátque ex eo quod, sicut hæreticus tantùm exterior non est excommunicatus, ita nec debet esse Apostata tantùm exterior, & consequenter neuter illorum debet esse irregularis, cùm non sit maior ratio de vna pœna, quàm de alia.

Qværas V. An hæc irregularitas extendatur ad Schismaticos, fautores hæreticorum, receptatores, consilium, & auxilium dantes, necnon ad suspectos de hæresi.

106. Respond. extendi ad fautores hæreticorum, receptatores, consilium, & auxilium dantes; vt constat ex *cap.* 2. *§. heretici, de heretic. in* 6. vbi tales dicuntur inhabiles ad omne ecclesiasticum beneficium, & officium, intelligendo nomine officij ordinem, sicut intelligunt communiter DD. item ad suspectos de hæresi ex *cap. vlt. d.* 50. *& cap. infames* 6. *q.* 1. quamuis, quoad hos, irregularitas non tam sit pœna hæresis, quàm infamiæ, vi cuius illa oritur per modum cuiusdam indecentiæ: denique ad Schismaticos, si simul sint hæretici; secùs si sint præcisè Schismatici. Ita Filliuc. *tract.* 20. *cap.* 9. *quæst.* 3.

Qværas

QVAERES VI. An ista irregularitas extendatur ad eos, qui pactum cum Dæmone inierant.

107. Respond. extendi, sed irregularitatem horum coincidere cùm ea, quam diximus incurrere suspectos de hæresi: cùm ex eo delicto quis afficiatur suspectus de hæresi; vt notauit Sanchez *lib.2. moral. cap.25. num.11.*

QVAERES VII. An ista irregularitas extendatur ad Neophytos.

108. Respond. extendi iuxta dicta *sect. preced. q.4.*

109. Moneo hic vnum ex Laym. *num.* 12. & Henriq. *l.14. cap.5. num.4.* quod quamuis *quæst.2.* diximus filios hæreticorum esse irregulares: id tamen fallit in iis regionibus, in quibus nulla ipsis infamia ob crimen paternum aspersa est: quo pacto probabiliter defenditur vsus Septemtrionalium quarumdam regionum, in quibus Episcopi solent ordinare ex hæresi ad fidem catholicam conuersos, & absolutos: eo quòd hi, neque in ciuili foro repellantur à publicis dignitatibus, ac officiis.

De Irregularitate ex iterato Baptismo.

110 *Irregularitas ex iterato Baptismo vetat ascensum ad Ordinem superiorem.*
111 *At ad hoc petitur vera rebaptizatio.*
112 *Eam non incurrit rebaptizans sub conditione.*
113 *Non incurrit rebaptizans ex metu sine intentione baptizandi.*
114 *Ab ea excusat ignorantia.*
115 *Ea non incurritur, si rebaptizatio maneat occulta.*
116 *Afficit rebaptizantem, rebaptizatum, & ei ministrantem.*
117 *Et quidem etiam ex* cap. literatum de apostatis, *etsi in eo non exprimatur rebaptizans.*
118 *Hæc irregularitas afficit baptizatum ab hæretico, aut in morbo ob periculum mortis.*

QVAERES VIII. Quid operetur ista Irregularitas.

110. Respond. Id operari, vt qui est ea affectus, non possit ascendere ad ordines superiores, & non aliud. Probatur tum, quia in *cap. 2. de Apost.* id exprimitur, nec ibi fit mentio alterius irregularitatis: cùm tamen in materia odiosa, ac pœnali semper facienda sit restrictio ad proprietatem verborum; tum quia, sicut aduertit *Nau. cap. 27. num. 191.* dantur aliæ irregularitates, quæ non impediunt vsum ordinum receptorum, sed tantùm prohibent ascensum ad superiores ordines. ita Filliuc. *tractat.* 20. *num.* 177. & alij.

QVAERES IX. Qualis iteratio Baptismi requiratur ad incurrendam istam Irregularitatem.

111. Respond. Requiri, quod sit vera rebaptizatio, id est facta animo rebaptizandi, & cum debita scientia tam iuris, quàm facti. Ratio est, quia ex vna parte Ecclesia per hanc irregularitatem intendit punire delictum in suo genere perfectum, & quidem in odium hæreticorum rebaptizantium; at qui reiterat solum externam applicationem materiæ, & formæ sine intentione baptizandi non committit illud delictum perfectum, nec imitatur hæreticos; ergo nec incurret istam irregularitatem; sicut nec incurrit excommunicationem, qui profert actum externum hæreseos sine animo hæretico; ex alia parte, cum ista irregularitas sit pœna, ad eam incurrendam supponitur delictum, quod tamen non potest adesse, nisi interueniat sufficiens cognitio tum iuris, tum facti. Ita Coninch. *D.18. de censur. n.37.* Bonac. *de censur. in comm. D.7. quæst.3. part.3.* Filliuc. *num.* 179. & 183. Sayr. *l.7. de censur. cap.8.* Laym. *l.1. tract.5. part.5. cap.2. n.1.* vnde.

112. Sequitur 1. non subiacere huic irregularitati eum, qui rebaptizat sub conditione *si non es baptizatus:* idque licèt alioqui sciat illum esse iam baptizatum: immo probabile putat Coninch. *n.39.* non fieri irregularem eum, qui verè habens animum rebaptizandi ad hunc dissimulandum exteriùs adiiceret conditionem *si non es baptizatus:* dummodo tamen praua illius intentio nulla ratione ex actu externo, eiusque circumstantiis coniici posset: qualis esset (si constaret eum scire hunc esse baptizatum: sic quippe dicunt DD. non esse excommunicatum eum, qui animo hæretico facit actum externum, ex quo tamen nullatenus colligi potest eius hæresis; & hæc quoad forum internum, in foro siquidem externo posset rebaptizans puniri, tanquam rebaptizator, si constaret eum sciuisse hunc esse baptizatum.

113. Sequitur 2. dicendum non fieri irregularem eum, qui rebaptizat alium metu coactus, si reuera non habeat intentionem baptizandi: cùm sic verè non rebaptizet, quod requiritur ad contrahendam istam irregularitatem: secus, si dictam habeat intentionem; cùm hic actus sit intrinsecè malus, nec vllus metus, quantumuis cadens in constantem virum à graui sacrilegio excusare valeat: præsertim cùm sponte habeat illam intentionem, nec ad illam possit vllo modo cogi.

114. Sequitur 3. non videri improbabile (quod concedunt Filliuc. *n.148.* aliique docti Recentiores ignorantiam, siue Iuris, siue facti, etiam culpabilem excusare ab hac irregularitate: cùm sic baptizans non videatur habere intentionem rebaptizandi, sed tantùm baptizandi hominem, quem putat non esse baptizatum: & alioqui pœnæ non sint ampliandæ.

Vtrum verò ad incurrendam istam irregularitatem requiratur, quod delictum sit publicum ex parte, tum rebaptizantis, tum illius, qui ei ministrat.

115. Respond. requiri tum ex parte illius, qui ministrat rebaptizanti (quod docent Sylu. & Suar. apud Coninch. *num.36.* aliique, & patet ex *cap. 2. de Apost.* vbi id expresse deciditur:) tum ex parte ipsius rebaptizantis (quod docet Panorm. non omnino repugnantibus Conincho, Filliuc. *num.* 174. Laym. *num.* 1. & aliis) quamuis tandem concludant in re morali non esse satis tutum recedere à communi sententia, à qua lex suam videtur recipere interpretationem, vt dicit Coninchus.

QVAERAS X. Quæ personæ incurrant istam irregularitatem.

116. Respond. incurrere, tum eum, qui voluntariè rebaptizatur iuxta *cap. qui in qualibet 1. quæst.7.* tum eum, qui voluntariè rebaptizat; idque ex *cap. ex literarum, de Apostatis*; tum denique eum, qui voluntariè ministrat baptizanti; & hoc ex *cap. ex literarum.* est communis DD. apud Coninchum *n.34.* qui benè notat quod, quamuis *c. qui in qualibet,* iam relatum, loquatur solùm de rebaptizatis ab hæreticis; ex vsu tamen sic interpretante illum textum, & ex mente Pontificum expressa *in cap. eos quos de consecrat. d.4.* imponentem generaliter eiusmodi irregularitatem omnibus rebaptizatis extendendum & ad omnes illos, qui hac in re imitantur hæreticos, rebaptizando: cùm par ratio militet, quoad vtrosque.

117. Addit Coninch. *num.35.* quod, licèt *in d. cap. ex literarum*, dicatur irregularis Acolytus ministrans rebaptizanti, non autem rebaptizans, & alioqui non incurratur irregularitas, nisi in casibus iure expressis; nihilominus, cùm vsus communis optimus legum

gum interpres intelligat præfatum Canonem etiam de rebaptizante; & in præsenti casu non sumatur argumentum à minori ad maius in diuersis casibus; sed in eodem omnino ab eo, qui imperfectè operatus est rem nefandam ad eum, qui perfectè (quo pacto iste casus videtur esse iure expressus) non videtur recedendum à communi sententia; ideoque dicendum est in dicto cap. comprehendi etiam rebaptizantem: quamuis alioqui in iis, quæ pendent ex iure positiuo, non valeat argumentum à simili, vel à fortiori, præsertim in materia irregularitatis.

QVÆRES XI. An ista irregularitas incurratur & ab iis, qui sinunt se baptizari ab hæretico, aut baptizantur in ægritudine, ob mortis periculum imminens.

118 Respond. incurri; patetque, quoad eos, qui sinunt se baptizari ab hæretico, ex *cap. qui in qualibet* 1.*q*.7. (quamquam in tali casu excusari possit ignorantia, ac necessitas:) quo verò ad baptizatos in ægritudine, ex *cap*. 3.*d*. 17. vbi dicitur, quòd si quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet: non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est (intellige quoad præsumptionem fori externi.) Verùm tamen est, quòd si postea ipsius studium, & fides probabilis reddatur, & aliàs sit raritas Sacerdotum; tunc taliter baptizatus posset ordinari Sacerdos, præhabita tamen dispensatione Episcopi, vt publico indicio constet de dignitate ordinandi. ita Laym. *num*. 4. ex Suar. sentiente istam irregularitatem probabiliter ob identitatem rationis extendi posse ad eos, qui ob vim, metum, aut similem necessitatem baptizantur.

De Irregularitate ex indebita Ordinum Receptione.

119 *Irregularitas ex indebita Ordinum susceptione incurritur in varijs casibus.*

120 *Fit Irregularis, qui post incursam excommunicationem recipit Ordinem sacrum; quod aliqui negant: is certè suspenditur ab vsu Ordinis sic recepti.*

121 *Idque etsi in casu proposito recipiatur Ordo minor.*

122 *Irregularis, si recipiat Ordines, non incurrit nouam Irregularitatem.*

123 *Fit autem Irregularis, qui recipit Ordines furtiuè.*

124 *Is tamen ab Episcopo potest dispensari, si non sit denunciatus.*

125 *Hac Irregularitas solùm vetat ascensum ad Ordinem superiorem.*

126 *Iterans Ordinem receptum fit Irregularis: quod alij negant.*

127 *Non fit Irregularis, qui recipit Ordines in publico peccato.*

128 *Non fit, qui ordinatur à Pseudo-episcopo.*

129 *Nec qui ordinatur ab Episcopo censurato, vel Irregulari.*

130 *Nec qui ordinatur ab Episcopo illiterato, aut diuersi idiomatis.*

131 *Nec qui simul ordinatur à duobus Episcopis.*

QVÆRES XII. Quibus in casibus incurratur ista irregularitas.

119 Respond. apud DD. enumerari solere 17. casus, quorum 1. est, quando quis recipit ordines ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui, quoad locum, & dignitatem: 2. de eo, qui ordinatur ante legitimam ætatem: 3. de ordinato ab Episcopo alieno absque licentia propria: 4. de recipiente ordines extra tempora sine dispensatione: 5. de ordinato non seruatis Interstitiis: 6. de ordinato per saltum: 7. de eo, qui cum sit ligatus aliqua censura, recipit ordines: 8. de eo, qui affectus irregularitate suscipit ordines sine dispensatione: 9. de eo, qui furtiuè suscipit ordines: 10. de eo, qui ordinem semel acceptum iterum recipit: 11. de eo, qui suscipit ordines in peccato publico: 12. de ordinato ab Episcopo censurato, aut irregulari: 13. de ordinato ab Episcopo non baptizato, aut non consecrato: 14. de ordinato ab Episcopo omnino illiterato: 15. de ordinato ab Episcopo diuersi idiomatis (v g. Græco à Latino, vel è contra;) 16. de ordinato à duobus Episcopis, vno proferente formam, & alio præbente materiam: 17. de eo, qui non confirmatus ordines suscipit. ita Suarez *supr. D* 42. *sect*. 2. *per totam*, & cum eo Filliucius *tract*. 20. *num*. 190. monens *num*. 91. sex primos casus pertinere potiùs ad suspensionem, quàm ad irregularitatem, posse tamen comprehendi sub irregularitate; quatenùs in suspensione includitur quædam generalis irregularitas, quæ efficit, vt qui est suspensus ab exercitio Ordinum, non debeat recipere illos, quorum vsum non habet: quod etiam notauit Portel. *de dub. regul. v. irregularitas in addit. num*. 3. asserens *num*. 4 Religiosum ordinatum absque licentia sui Prælati manere, non irregularem, sed suspensum; idque ex bulla Pij II. quam refert Rodriq. *in bullar. bulla* Pij II. *in ordine* 8.

QVÆRAS XIII. An maneat irregularis, qui, cum sit affectus excommunicatione, suspensione, aut interdicto, recipit ordines.

Respond. Bonac. *de censur. in comm. D*. 7. *q*. 3. *part*. 4. *num*. 1. *&* 2. manere, si sit affectus excommunicatione maiori, & recipiat ordines sacros; non item, si solùm sit suspensus, aut interdictus, etiamsi recipiat ordines sacros; probàtque ex *cap. cum illorum, de sent. excommunic.* vbi statuitur excommunicatum ob violentam percussionem Clerici (est autem eadem ratio de quocumque excommunicato excommunicatione maiori, vt aduertit Suar. *supr. D*. 31. *sect*. 1. *num*. 57.) si recipiat ordines, manere suspẽsum ab executione ordinis sic suscepti. Verùm dissentiunt Suar. *D*. 42 *sect*. 3. *num*. 2. Filliuc. *tract*. 20. *num*. 191. & alij sustinentes, neque excommunicatos, neque suspensos, neque interdictos in casu proposito manere irregulares, sed suspensos solùm ab vsu ordinis taliter suscepti; sicut apertè meo iudicio colligitur ex *cap. cum illorum*, citato, vbi, cum nulla fiat mensio de irregularitate, sed tantùm de suspensione, non video, quo fundamento dispositiu illius textus extendatur ad irregularitatem, quæ propriè loquendo, non venit nomine suspensionis; cum alioqui in pœnis mitior debeat fieri interpretatio; vt non semel diximus. 120

Præterea, cum in citato *cap. cum illorum*, absolutè, ac generaliter dicatur, *si recipiat ordines*, non distinguendo inter maiores, & minores: quo pacto Bonac. sup. cum aliis ab ipso relatis dicit excommunicatum excommunicatione maiori non incurrere irregularitatem, recipiendo ordines minores etiam in ipsius sententia, quam nos reiicimus? certè vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, & lex generaliter loquens generaliter debet intelligi; bene ergo asserit Filliuc. *tract*. 17. *num* 94. eiusmodi suspensione comprehendi etiam ordines minores, non tamen primam Tonsuram; cum illa verè non sit ordo, & aliàs pœnæ restringi debeant. 121

QVÆRES XIV. An incurrat nouam irregularitatem, qui absque dispensatione recipit Ordines existens in irregularitate.

Respond. non incurrere; cum talis noua irregularitas 122

ritas non sit iure expressa; & non sint inducendæ nouæ irregularitates sine iure expresso. ita Suar. *supr. num.* 2. monens, quod, licet ordinandus eo ipso, quod promouetur ad ordinem superiorem, videatur ministrare in ordine inferiori; quatenus ordo superior non potest recipi, nisi cum habitu, & ministerio inferioris: non ideò tamen incurritur noua aliqua irregularitas; cum præfatus vsus ordinis sit potius passiuus, quàm actiuus; vt pote qui est dispositio ad ordinem superiorem; præterquam, quod irregularis ministrans in ordine, quem habet, non incurrit nouam irregularitatem, aut suspensionem: cum talis irregularitas non extet in iure; nec contineatur in ea generali regula, quod administrans ordinem ligatus censura sit irregularis: si quidem irregularitas non est propriè censura.

QVÆRES XV. An fiat irregularis, quia furtiuè ordines recipit.

123. Respond. fieri, saltem, quo minus promoueri possit ad ordinem superiorem, siue dicatur furtiuè recipere, eo, quod non admissus se ingerat cum aliis ordinandis, siue quod vsurpato nomine alterius personæ approbatæ eius locum occupet; siue quod sub nomine suo faciat alium examinari, & postea ipse proprio nomine vocatus accedat ad ordines, est communis DD ex Suar. *supr. num.* 5. pateteque ex *c.* 1. *& vlt. de eo, qui furtiue ordin. suscep.* quamquam, cum *in cap.* illo 1. expresse dicatur eum, qui furtiuè Diaconatum accepit, non posse ascendere ad Sacerdotium absque dispensatione (quod est esse irregularem:) *in cap.* autem *vlt.* solùm dicatur sic ordinatos de rigoris iure in susceptis ordinibus ministrare non posse (quod videtur importare suspensionem,) dicendum est, quod, cum in casu istius vltimi capitis duo delicta fuerint commissa, quorum vnum fuit furtiuè ordines recipere, aliud duos ordines sacros eodem die recipere; ob primum delictum incurritur irregularitas, ob secundùm verò propria suspensio. Vnde Bonac. *supr. num.* 6. merito cum formidine docet non effici irregularem, nisi eum, qui furtiuè recipit Diaconatum, eos vero, qui alios ordines furtiuè suscipiunt, non incurrere irregularitatem, sed suspensionem, attenta si quidem explicatione modo adducta ex Suar. non videtur admittenda: cum potiùs generaliter sustinendum sit eum, qui furtiuè ordines recipit, quicumque demum is sit, incurrere irregularitatem, sicuti de facto communiter asserunt DD. Filliuc. *tract.* 10. *n.* 195. Laym. *cap.* 3. *num.* 1. Suar. *vbi supr.* aliique penes Dianam *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 55.

124. Istius autem Irregularitatis dispensatio committitur Episcopo *cap.* 1. *& vlt.* citato, cum hac tamen conditione, vt taliter ordinatus non fuerit denuntiatus ab Episcopo, Archidiacono, aut alio ministro mandante, vt nullus se furtiuè ingerat sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, quo casu non potest Episcopus dispensare, nisi ordinatus Religionem ingrediatur, ibique aliquádiu vitam laudabiliter transegerit. Quod si forte taliter ordinatus sit Regularis; tunc puto eum posse dispensari à proprio Prælato, nec teneri recurrere pro tali dispensatione ad Episcopum: idque ob doctrinam à nobis traditam in hoc *cap. sect.* 1. *quæst.* 19. quod non obscurè innuit Sayr. *lib.* 7. *de censur. cap.* 10. *num.* 38. his verbis: *Si verò Episcopus simpliciter dispensare poterit, & idem de Abbate dicendum est*, manetque in præsenti casu valere concessionem factam Episcopis in Conc. Trid. *cap.* 6 *sess.* 24. *de reform.* si delictum sit occultum.

125. Dixi sub initium responsionis, *saltem quo minus promoueri possit ad ordinem superiorem*: quia non desunt DD, qui putant furtiuè ordinatum vi istius irregularitatis non solùm prohiberi ascendere ad ordinem superiorem, sed prætereà non posse vti ordinibus prius susceptis, aut ordine taliter recepto, vti videre est apud Sayr. *supr.* nostra tamen opinio videtur probabilis; & colligitur ex eo, quod *in cap.* 1. *de eo qui furt. ord. susc.* dicitur solùm eum, qui furtiuè Diaconatum accepit, non posse ascendere ad Sacerdotium: & hoc, nulla mentione facta, quod talis ordinatus non possit vti ordinibus prius susceptis, aut ordine taliter recepto; cum tamen pœnæ non debeant extendi vltra propriam verborum significationem, vt sæpius dictum est.

QVÆRES XVI. An sit irregularis, qui iterum recipit ordinem semel susceptum.

Respond. quod, licèt Maiol. *lib.* 3. *de irregul. cap.* 15. *num.* 9. Nau. *cap.* 27. *num.* 247. aliique probabiliter sustineant hanc esse irregularitatem; id colligentes ex *cap.* 1. *d.* 68. vbi fit paritas inter baptismum, & ordinem; ita vt, sicut semel baptizatus non potest iterum baptizari, ita nec semel consecratus possit iterum consecrari; cum hæc duo Sacramenta æquè imprimant characterem: hincque inferentes, quod, quemadmodum fit irregularis, qui cum sit baptizatus, facit se baptizari, sic & fit irregularis, qui iterum recipit ordinem semel susceptum; probabilior tamen, & communior DD. sententia apud Suar. *sect.* 4. *num.* 6. asserit taliter ordinatum non effici irregularem; probátque, tum quia argumentum à simili in hac materia est valdè infirmum: tum, quia, cum talis irregularitas non sit expressa in iure, non debet admitti, sicut iam dictum est. 126.

QVÆRES XVII. An fiat irregularis, qui suscipit Ordines in publico peccato.

Respond. non fieri ex eo, quod suscipiat ordines, sed præsupponi antecedenter ad ordinationem ex eo, quod est in publico peccato vnde prouenit defectus bonæ famæ; quo facit *cap.* 1. *d.* 48. in quo dicitur sic ordinatum debere abstinere à Clero, seu (vt Gratianus legit) cessare à Clero; vbi Glossa exponit, i. *non ordinabitur*: quæ verba indicant irregularitatem, vt aduertit Suar. *supr. D.* 42. *sect.* 3. *num.* 7. 127.

QVÆRES XVIII. An sit irregularis, qui ordinatur ab Episcopo non baptizato, aut non Sacerdote, aut vniuersè non consecrato in Episcopum.

Respond. non esse, & probatur ex eo, quod iste vel esset irregularis, quoad vsum ordinis suscepti; & hoc non, cum talis collatio ordinum sit irrita, vt patet: cum vel esset irregularis, quoad vsum ordinum antea susceptorum, aut suscipiendorum, & neque hoc, cum talis irregularitas non sit iure expressa, & Maiolus *lib.* 4. *cap.* 27. 28. *&* 29. à nobis dissentiens pro se nullum adducat Canonem, sed tantum aliquot DD. quorum auctoritas non sufficit ad inducendas irregularitates iure non expressas, vt notat Suar. *n.* 9. 128.

QVÆRES XIX. An sit irregularis, qui recipit ordines ab Episcopo censurato, aut irregulari.

Respond. non esse, propriè loquendo, sed tantum impediri ab executione ordinis sic recepti. ita Filliuc. *n.* 199. ex Suar. & probatur, quia ex vna parte in iure non est expressa talis irregularitas; ex alia parte iura generaliter disponunt eum, qui non habet executionem ordinum, non posse eam alteri conferre iuxta illud. *Nemo dat, quod non habet*: quæ regula æquè habet locum in Episcopo irregulari, ac in Episcopo censurato, cum censura & irregularitas æque prohibeant vsum ordinum. 129.

QVÆRES XX. An sit irregularis, qui ordinatur ab Episcopo omnino illiterato, aut qui sit diuersi idiomatis.

Respond. non esse, cum talis irregularis in neutro 130.
horum

horum casuum sit iure expressa, & alioqui noo sint inducendæ irregularitates absque iure expresso: præter quàm, quod non expediebat imponi irregularitatem, aut censuram ipso facto contra Episcopum illiteratum, cum incertum sit, quæ ignorantis sufficiat ad eum taliter censurandum, & alias oriri possent innumeri scrupuli; vnde sicut rectè aduertit Suar. *n.* 10. Episcopus illiteratus non est suspensus ab executione officij pontificalis ex *cap. vlt. de ætat. & qualit.*

QVÆRES XXI. An sit irregularis, qoi ordinatur à duobus Episcopis, vno proferente formam, & altero præbente materiam, aut certè ordinatur nondum recepto confirmationis Sacramento.

131. Respond. non esse, neque in priori casu (cum talis ordinatio sit nulla, adeóque non possit inducere irregularitatem, quoad vsum ordinis recepti) neque in casu posteriori; cum talis irregularitas non sit expressa in iure. Ita Filliuc. *num.* 204. *&* 205. ex Suar. *num.* 12. 13. 14. aliique communiter.

De Irregularitate, ex vsu Ordinis, quem quis non habet.

132 *Irregularis fit, qui exercet Ordinem non susceptum: non item iuxta aliquos, si exercens sit laicus.*

133 *Hæc irregularitas, quoad Clericos annexam habet suspensionem ab vsu Ordinum.*

134 *Ad incurrendam hanc irregularitatem tria requiruntur.*

135 *Suspensus ab ordine suscepto non fit irregularis, si ascendat ad Ordinem superiorem.*

136 *Ordinatus per saltum fit irregularis ministrando in Ordine omisso, & est suspensus.*

137 *Dispensatio huius irregularitatis reseruatur Papæ: quod negat Acugna.*

138 *Duo petuntur ad incurrendā hanc irregularitatem.*

139 *Nulliter professus, si recipiat Ordines fit irregularis.*

QVÆRES XXII. An, & quomodo fiat irregularis, qui exercet ordinem, quem non habet.

132. Respond. fieri, vt habetur *in cap.* 1. *&* 2. *de Cler. non ordin. ministr.* vbi vltra pœnam excommunicationis ferendæ contentam illis verbis *abijciatur de Ecclesia*, fertur & irregularitas contra vtentes ordine, quem non habent: idque iis verbis *nunquam ordinetur:* istam verò irregularitatem, respectu quidem Clerici impedire solùm receptionem ordinum, quos non habet, imposita, quoad vsum susceptorum suspensione temporali biennij, aut triennij, arbitrio Episcopi; vt colligitur ex ipsomet textu; vnde ista irregularitas non est totalis, sed tantùm respectu ordiuum nondum susceptorum: respectu verò susceptorum est tantùm suspensio ab vsu ordinis superioris, qui scilicet postremo receptus est; siquidem in textu citato dicitur, *Diaconum, qui ministrauit in sacrificio, & Sacerdotio, quod non habet, manere suspensum à Diaconatu:* quamquam Sylu. & Nauar. apud Filliuc. *n.* 207. probabiliter sentiant talem manere irregularem absolutè, ideóque non posse vti vllo ex ordiuibus susceptis,) respectu verò laici ministrantis in ordine, quem non habet, incurri præsentem irregularitatem, quoad omnes ordines, ac proinde eum prohiberi recipere, non solùm ordiné, quem vsurpauit, sed etiam alios omnes tam superiores, quam inferiores: stante, quod in citato textu dicitur *non ordinetur:* quæ locutio cum sit negatiua, ac indefinita, æquiualet vniuersali. Ita Filliuc. & ante illum S. Anton. Syluest. Sotus, Nauar. Suar. Auila, & Val. quos refert Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 3. *num.* 2. qui cum Couar. Sà, Ang. Sayro, Rosel. & Armil. sustinet laicum in casu proposito nullam incurrere irregularitatem, ea ductus ratione, quod talis irregularitas non est expressa de laico ministrante, si sequamur probabilem intellectum *cap.* 1. quem rubrica, & titulus indicat, & tradunt ibi citati DD. quod nimirum ministrans solemniter in ordine, quem non habet, sit deponendus, & nunquam ordinandus: cum tamen depositio propria sit Clericorum, adeóque non cadat in laicos.

Moneo hîc vnum, quod, cum suspensio biennij, aut triennij ab vsu ordinum susceptorum in præsenti casu committatur arbitrio Episcopi, vt patet ex dictis; consequenter ea non est latæ sententiæ, sed ferendæ, adeóque præsupponit sententiam iudicis, idest Episcopi, cuius arbitrio illa committitur, aliàs, quomodo posset committi arbitrio illius, si de ea nec ei constaret: quod tamen plerúmque eueniret, si illa esset latæ sententiæ, & ipso facto incurreretur. 133.

QVÆRES XXIII. Quot, & quæ conditiones requirantur ad incurrendam istam irregularitatem.

Respond. requiri tres; nimirum, vt in tali abusu ordinis peccetur mort. vt solemniter, & tanquam ex officio exerceatur actus ordinis, quem iuxta Ecclesiæ iostitutionem, aut consuetudinem non liceat exercere iis, qui carent tali ordine: denique vt seriò, & ex animo, non autem per ludum, & iocum id fiat. Ita communiter DD. apud Layman. 134.

QVÆRES XXIV. An Clericus suspensus à suo ordine fiat irregularis, si ascendat ad superiorem ordinem.

Respond. non fieri, patétque tum, quia talis irregularitas non est iure expressa: tum, quia ascensus ad ordinem superiorem non est exercitium ordinis ioferioris, nisi impropriè, & abusiuè; sicqoe irregularitas statura ob illicitum vsum ordinis non debet extendi ad illicitam susceptionem ordinis superioris: cum pœnæ non debeant ampliari, sed restringi. Ita Suar. *supr. sect.* 3. *num.* 2. Sayr. *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 12. Laym. *num.* 5. contra alios relatos ab ipso Laym. 135.

QVÆRES XXV. An sit irregularis, qui per saltum promotus ministrat in ordine prætermisso.

Respond. esse; ac proinde eum, qui per saltum ascendit ad Diaconatum, prætermisso Subdiaconatu, manere irregularem 1. quoad Subdiaconatum ex *cap.* 1. *de cler. non ord. min.* 2. quod ordines superiores, 3. ab exercitio Diaconatus: quin etiam taliter ordinatus manet suspensus à maiore ex ordinibus susceptis, non quidem absolutè, sed ad tempus, vti diximus *q.* 22. & consequenter, si durante tali suspensione ministret in dicto ordine, incurret irregularitatem ex violatione censuræ. Ita Filliuc. *n.* 209. monés, obtenta dispensatione ad Subdiaconatum, eoque recepto, auferri omne impedimétum circa exercitium ordinum superiorum: dummodo in dispensatione fuerit expressum præfatum impedimentum contractum fuisse per administrationem factam in ordinem prætermisso io alia ordinatione per saltum. 136.

Quod si quæras, an dispensatio, quæ in tali casu requiritur, possit impertiri ab Episcopo, aut etiam à Prælato regulari si dispensandus sit Religiosus.

Respońsio DD. communis est in tali caso recurrendum esse ad Papam; idque non solùm, quoad ordines maiores, sed etiam quoad minores: & quidem ex declaratione Sacræ Congreg. hac de re facta, & relata à Riccio *part.* 4. *decis.* 108. *n.* 4. vnus Acugna (quem refert Diana *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 29 & non reiicit) oppositam sequens sententiam docet Episcopum posse dispensare cum ministrante publicè, & scienter 137.

ante dispensationem in malè suscepto ordine, vt & suscipiat ordinē prætermissum, & ministret io malè suscepto: probátque ex eo, quod Conc. Trid. *sess.* 23. *c.* 14. *de reform.* prohibet solùm Episcopis, ne dispēsent cum malè promoto ministrante in ordine taliter recepto ad effectum, vt possit promoueri ad ordines superiores: in nostro autem casu non agitur de promouendo ad ordines soperiores, sed inferiores: cùm ordinatus per saltum dicatur is, qui prætermisso ordine inferiori, ascendit ad soperiorem. Ita Acugna, & non improbabiliter, si probaret Concilium Trident. prohibere Episcopis sulùm, ne in casu proposito dispensent, qnoad ordines superiores, qood tamen ipse non probat, sed supponit, cum deberet probari.

QVÆRES XXVI. Quæ carentia ordinis requiratur ad incurrendam istam irregularitatem.

138. Respond. requiri, vt ordo non sit receptus, & vt de facto in eo ministretur: siue ordo non sit receptus, etiam exteriùs, siue sit receptus cum defectu substantiali: dummodo tamen ministerium, quod exercetur, sit tale, vt à laicis non possit exhiberi, fiátque cum graui peccato, & seriò. Ita Filliuc. *n.* 212. & 213. Suar. *D.* 42 *sect.* 4. *n.* 13. 18. & *seqq.*

QVÆRES XXVII. An Regularis nulliter professus incurrat suspensionem, si ordines recipiat, & præterea irregularitatem, si celebret.

139. Respond. incurrere; patérque ex dictis *cap.* 4. *sect.* 2. *cap.* 2.

De Irregularitate ex vsu Ordinis rempore Censuræ.

140 *Non fit irregularis, qui exercet ordinem sibi vetitum sub excommunicatione lata sententia sicut nec suspensus ab ordine inferiori, si vtatur ordine superiori: idem procedit de Episcopo celebrante in suspensione incursa ex indebita ordinatione; imò & de Religioso suspenso à celebrando in certo loco, ibique celebrante.*

141 *Nec qui debet suspendi ex delicto, & celebrat contra simplicem prohibitionem Prælati.*

142 *Duplici afficitur irregularitate, qui irretitus duplici censura exercet Ordines.*

QVÆRES XXVIII. An fiat irregularis, qui exercet ordinem cootra prohibitionem Superioris factam sub pœna excummunicationis ipso facto incurrendæ.

140. Respond. non fieri, patétqoe ex eo, quod, si qoa est ratio asserendi illum fieri irregularem, maximè est, quod talis violat censutam, dum facit actum prohibitum sub censura: hoc autem est falsum: siquidem pro prima vice incurrit censuram, sed eam non violat, nisi postea manens io censura exerceat aliquem actum ordinis; in quo deceptus est Maiolus reputans violari censoram per illum ipsom actum malum, per quem contrahitur. Ita Filliuc. *n.* 217.

Notat autem Nald. *in annotat. pract. pag. mihi* 43. suspensom ab vso ordinis inferioris non fieri irregularem exercendo ordinem superiorem: cùm in iure non extet talis irregularitas; etsi aliàs magna sit indecentia, quod suspensus ab ordine inferiori audeat ministrare in superiori.

Quod si hac occasione quæras, an Episcopus ordinans Clericum ante debitam ætatem, & postea celebrans, antequam dispensetur super suspensione à collatione ordinum hinc contracta ex *cap. vel non est compos sui de tempor. ordinat.* fiat irregularis.

Respond. Nald. *supr.* non fieri probátque, tum ex aothoritate Doctorum, qnos refert Franchus *cap.* 1. *de sent. & re iudic. in* 6. tum qoia Doctores communiter dicunt Episcopum suspensum à pontificalibus non peccare celebrando missam prioatam, adeóque non affici irregularitate, qoæ ex delicto oriens dicitur pœna temeritatis: tum quia alia est potestas conferendi ordines, & alia potestas celebrandi Missam; sicqoe inferri noo debet à suspensione vnius suspensio alterius; vt in simili arguit Saytus *l.* 4. *de censur. cap.* 4. *num.* 18. cum ergo Episcopos in præsenti casu non sit sospensus à celebrando Missam, hanc celebrando dici nequit incurrere irregularitatem. Nec obstat quod in bulla Sixt. V. *Sanctum, & salutare*, edita contra malè promotos, & promouentes, malè ordinans interdicitur ab ingressu Ecclesiæ: adeóquo si postea celebret, fiet irregularis iuxta Glossam & alios DD. *in cap. is cui, de sent. excommunic. in* 6. nam Clemens VIII. Sixtinam illam postea restrinxit ad terminos iuris communis, & Concilij Trid. vt patet ex eius Bulla *Romanum Pontificem*, excepto tamen vitio Simoniæ.

Dubitant aliqui an Regolaris validè prohibitus, ne Missam celebret in certis locis, fiat irregularis, si ibi celebret.

Respond. Cespedes *de exemp. c.* 5. *d.* 98. *n.* 3. ex Alphonso de Leone *de censur. recollect.* 2. *n.* 757. non fieri: & probat quia talis suspensio est partialis (vt patet) adeóque insufficiens ad indocēdam irregularitatem, cum non habeat rationem veræ censuræ: proportionaliter vt dicunt Doctores communiter, teste Diana *p.* 3. *tract.* 3 *resol.* 93. Confessarium approbatum solùm pro viris validè audire confessiones fœminarum: cùm prohibitio aodiendi confessiones isto casu sit partialis, non autem totalis; qood tamen mihi non probatur; cùm approbatio ad confessiones sit de essentia; & approbatio limitata ad viros non extendatur ad fœminas; sicque approbatus respectu fœminarum periode se habeat, ac si non esset approbatus, limitata enim causa producit effectum limitum; quod non procederet si ea prohibitio esset solòm ad licitè aodiendas confessiones: tunc enim concedo validam fore auditionem earum non obstante ea prohibitione. Ita Cespedes, cuios opinio videtur probabilis, dissentit Chartarius *decis.* 34.

QVÆRES XXIX. An fiat irregularis, qui commisso delicto, ob quod iuxta iura debet suspendi, celebrat cootra simplex præceptum proprij Superioris prohibens celebrationem.

Respond. non fieri; & patet, quia is nollam censuram violat, cum ob delictum commissum suspendendus quidem sit, adhuc tamen verè non sit suspensus; & aliàs per vsom ordinis contra simplicem prohibitionem Superioris non contrahatur irregularitas. Ita Filliuc. *num.* 218. addens *num.* 219. ex Suarez *sect.* 5. *n.* 4. huic responsioni non obstare, quod eiusmodi simplex prohibitio sopposito delicto, ob quod delinquens suspendi debeat, æquiualet prohibitioni sub suspensione; siquidem, etiam hoc dato, videlicet quod æquioaleat prohibitioni sub suspensione incurrendam, iam, si fiat delictum, contrahetur quidem sospensio, sed non violabitur, & conseqoenter non incurretor irregularitas; quod si intelligatur æquiualere prohibitioni sub suspensione, quæ tunc declaretur iocursa, vel quæ tunc infligatur: sic incurretur quidem irregularitas per vsum Ordinum; at talis intellectus est valdè remotus à communi intelligentia, & verba non faciunt hunc sensum. 141.

QVÆRES XXX. An duplicem incurrat irregularitatem, qui, cum sit irretitus duplici censora (v.g.

(v. g. excommunicatione, ac interdicto) vtitur ordinibus.

142. Respond. Incurrere duplicem; cum duplicem violet censuram, & alioqui non repugnet per vnum, ac eundem actum incurri plures pœnas, etiam eiusdem rationis, si talis actus proueniat ex multiplici contumacia; vt euenit in casu nostro. Ita Bonac. *de censur. in comm. D.7.q.3.part.5. num.*10. patétque ex dictis *supr. cap.*1 *sect.*2. *quæst.*13.

De Irregularitate ex infamia iuris, aut facti.

QVÆRES XXXI. Quid intelligatur hîc nomine infamiæ.

143. Respond. intelligi priuationem bonæ famæ, ac publicam opinionem prauam de vita, ac moribus alicuius: sicut enim fama est bona opinio alicuius oriens ex publica notitia bonorum operum; ita & infamia oritur ex publica notitia delicti, & est mala opinio oriena ex publica notitia malorum operum. est communis DD.

QVÆRES XXXII. Quotuplex sit infamia.

144. Respond. esse duplicem, aliam iuris, & aliam facti infamia iuris contingit 1. quando committitur delictum habens annexam infamiam iure canonico, aut ciuili: quale est apostasia à fide, raptus mulierum, periurium in iudicio, & alia, quæ recenset Laym. *l.*1. *tract.*5. *p.*5. *cap.*4. *num.*2. tum per sententiam definitiuam iudicis, quando scilicet, quis à iudice damnatus est de graui delicto inferente infamiam: tum per confessionem ipsiusmet delinquentis factam in iudicio de tali delicto; infamia facti ex delicto contingit, quando committitur delictum, quod iudicio virorum grauium, ac honestorum censetur infame, & est publicum, seu notum maiori parti viciniæ: siquidem crimen, quod est occultum, non parit infamiam.

QVÆRES XXXIII. An, & quomodo infamia faciat irregularem quoad ordines tum suscipiendos, tum exercendos iam susceptos.

145. Respond. facere, cùm hac tamen differentia, quod si infamia sit iuris, facit irregularem, quoad ordines, tum suscipiendos, tum exercendo susceptos: idque tum ex *cap. qui in aliquo, d.*51. & ex *reg. penult. de regul. iur. in* 6. *Infamibus portæ dignitatum patere non debent*, cùm tamen ordo ecclesiasticus sit honor, & dignitas *cap.*1 *de oblig. ad ratioc. & c. admittuntur, d.*54. si verò sit infamia facti prouenientis ex delicto, facit irregularem, quoad recipiendos ordines (& hoc solùm, quamdiu non fuerit emendatus) non item ad exercendos ordines susceptos: nam infamia, vt sic non impedit vsum ordinum susceptorum, nisi fortè delictum sit tale, vt impediat etiam exercitium susceptorum, inducendo peculiarem irregularitatem.

Ita Bonac. *supr. part.*1. *n.*4. & 5. ex communi: quamuis Coninch. *supr. num.*56. ex parte dissentire videatur docens crimina, quæ non habent annexam infamiam iuris, non inducere irregularitatem, esto delinquens ob criminis publicitatem factus sit infamis; patet autem responsio, si solùm probetur infamiam facti facere irregularem, quoad ordines recipiendos; quod patet ex iuribus citatis supra. Dixi, *quamdiu non fuerit emendatus*, vt indicarem infamiam facti, & irregularitatem inde consurgentem auferri per emendationem: res enim per quas causas nascitur, per eas & dissoluitur.

QVÆRES XXXIV. An, & qualiter infamia faciat irregularem, quoad beneficia, ac dignitates ecclesiasticas, tam sæculares, quam regulares.

Respond. facere, & quidem itavt infamia iuris non solùm repellat à beneficiis, ac dignitatibus acquirendis (quod etiam facit infamia facti) sed etiam priuet acquisitis; sicut colligitur ex *l. vnic. C. de infamib.* & ex communi docet Laym. *supr. num.*5. cum Couar. Syluest. Molin. Armil. addens tamen id intelligi de dignitatibus, non de minoribus beneficiis, quorum priuatio non incurritur ipso iure ex admissione criminis infamis, sed post iudicis sententiam; quæ sentētia item requiritur ad executionem, etiam loquendo de dignitatibus: cum nemo debeat se spoliare dignitate obtenta ante iudicis sententiam; maximè, si subsit periculum infamiæ; patet responsio tum ex dictis *q. præced.* tum ex *cap. inter dilectos, de excess. Prælat.* vbi dicitur. *Cùm personis vilibus, & indignis portæ dignitatis patere non debeant iuxta legitimas sanctiones*; quæ verba docent Abb *in cap. querelam, de iureiur.* & Couar. *l.*3. *var. cap.*3. *num.*3. intelligenda esse de quibusuis Ecclesiasticis beneficiis. Et quidem, quod iura citata extendantur etiam ad prælaturas regulares, docet in terminis Peyt. *de R.P. quæst.*2. *cap.*5. §.4. *num.*54. asserens infamem tam infamia iuris, quàm facti esse ineligibilem ad prælaturas regulares, &, si eligatur electionem esse ipso iure nullam. 146.

Quin etiam addit Peyt. *num.*55. cum Suar. *D.*48. *sect.*3. *num.*2. infames tum iuris, tum facti, non posse eligere: probátque, quia infamibus sunt interdicti actus legitimi *cap. sciscitatus, de rescript.* eligere autem est actus legitimus *cap. solet, de sent. excommunicat. in* 6. 147.

QVÆRES XXXV. An infamia iuris, & irregularitas inde proueniens contrahatur ob solam criminis commissionem, etiam occulti, & non deuenientis in publicam notitiam.

Respond. Laym. *n.*9. contrahi fundamentaliter, & in radice, accedente verò publicatione delicti siue intra, siue extra iudicium effici infamiam formaliter; patet, quia ex vna parte hæc est vis latæ sententiæ ipso iure, quod per illam damnatur ipsum factum; ex alia parte, cum infamia essentialiter consistat in diminutione famæ, pœna infamiæ cum suis effectibus completè incurri non potest, nisi posita criminis publicatione: publicato autem crimine statim absque vlla iudicis sententia contrahitur infamia, ac irregularitas. Dissentit Suar. *supr. sect.*1. *n.*16. dicens eum, qui commisit occultè crimen habens annexam ipso iure infamiam teneri abstinere ab ordinibus tanquam irregularem: dissentiunt & Couar. Nau. Coninch. Henriq. & Auila apud Layman generaliter asserentes ex *cap. vlt. de temp. ordin.* per nullum crimen occultum irregularitatem contrahi excepto homicidio (*adde tu*, subdit Laym. & per violationem censuræ Ecclesiasticæ; mihi tamen plus placet opinio Layman. 148.

M 2 QVÆRES

QVÆRES XXXVI. An infamia criminis; & irregularitas ex ea consequens tollantur per pœnitentiam ipsius delinqnentis.

149. Respond. distinguendo: vel loquimur de infamia iuris; & hæc, si crimen, per quod contracta est, sit occultum, & non credatur publicandum, tollitur per pœnitentiam delinquentis (idque iuxta dicta *quæst. præced.*) secùs, si crimen sit notorium: tunc enim infamia non tollitur per pœnitentiam delinquentis, sed per dispensationem Principis, cuius auctoritate infamia iure statuta est; cuius rei ea est ratio, quòd talis infamia habet rationem pœnæ sententialis, quæ à legitimo magistratu lata est in perpetuum, ideóque non potest tolli, nisi ab eodem magistratu; cùm eiusdem iurisdictionis sit ligare, & absoluere, pœnam imponere, & in integrum restituere. Vel loquimur de infamia facti; & hæc, quantumuis orta sit ex crimine enormi, ac digno depositione, penitus tollitur per factum contrarium, id est, per pœnitentiam, & publicam, ac constantem vitæ emendationem; siquidem, vt habetur *cap. ferrum, d.50. Non debet despici in eo quod fuit, qui iam incipit esse, quod non fuit*: & *cap. nunquam, d.56. ad meliora conuersum nequaquam prior vita commaculat*; ita Layman *num.9. & 10.* hinc inferens cum Garcia *p.7. de benefic. cap.8 num.19.* ex infamia facti non oriri propriè, & simpliciter dictam irregularitatem; cùm irregularitas sit perpetua inhabilitas ad ordines accipiendos, donec tollatur per dispensationem: & irregularitas proueniens ex infamia facti tollatur per pœnitentiam.

QVÆRES XXXVII. An per ingressum Religionis tollatur irregularitas proueniens ex infamia.

150. Respond. iuxta distinctionem datam *cap. præced.* tolli tum illam, quæ incurritur ex infamia facti, tum eam, quæ incurritur ea infamia iuris, sed ob crimen occultum, & quod probabiliter creditur non esse publicandum: idque ob rationes adductas dicto *quæst. præced.* quæ facilè ad præsentem casum possunt applicari: non tamen tolli eam, quæ incurritur ex infamia iuris contracta ob delictum notorium, & publicum.

QVÆRES XXXVIII. An, & quomodo supradicta irregularitas tollatur per Baptismum.

151. Respond. tolli, si infamia, ex qua consurgit talis irregularitas, sumatur, prout dicitur meri facti: si quidem Baptismus omnia aufert peccata, & consequenter tollit, quidquid ortum est ex peccatis, vt peccata sunt: secùs, si infamia sumatur pro infamia ciuili contracta ex legibus Christianis ante Baptismum: hæc enim non tollitur per ipsum Baptismum; cùm Baptismus per se non respiciat talem effectum, nec extet vllum ius, quod tribuat Baptismo tale priuilegium. Dixi; *pro infamia ciuili*, vt innuerem quod, cùm ante Baptismum non incurratur infamia canonica, vtpote quæ non potest afficere, nisi baptizatos, neque incurretur in ipso Baptismo, cum Ecclesia non puniat delicta commissa ante Baptismum, & consequenter non potest dici, quod ea tollatur per Baptismum. ita Filliuc. *tract. 19. cap. 8. q. 11.*

De Irregularitate ex Pœnitentia publica.

152 *Incurritur Irregularitas ex pœnitentia publica, & solemni.*
153 *Sed non quoad Prælaturas regulares.*

QVÆRES XXXIX. An, & quomodo incurratur irregularitas per pœnitentiam publicam.

Respond. incurri, si pœnitentia sit publica, & solemnis, id est facta cum certa quadam forma, ac solemnitate verborum ob peccatum publicum, & scandalosum; de qua *in cap. pœnitentes, d.50.* ita Tol. *lib.1. cap.54. §. vlt.* Sayr. *lib.7. cap.11. n.19.* & cum illis Bonac. *supr. p.2. n.3.* ab iis tamen dissentiens in eo, quòd dicunt eos esse irregulares, quibus imponitur pœnitentia publica & solemnis manendi in foribus Ecclesiæ cum diademate in capite, ac cereis in manibus accensis, dum persoluuntur diuina Officia: quod reiicit Suar. *D.42. sect.2. n.4.* & bene, cùm Canones loquantur solùm de ea pœnitentia publica, & solemni, quæ olim semel in vita imponebatur cum certis ceremoniis, & quæ modò non est in vsu; vnde non est, cur eam extendamus ad pœnitẽtiam publicam, quæ fit etiam in præsentia. Et quidem, quòd sint irregulares quoad ordines, tum suscipiendos, tum susceptos iJ, qui publicam & solemnem pœnitentiam egerunt ob propria delicta modo dicto, patet ex *cap. pœnitentibus, d.50.* & ex eo, quòd non sunt digni suscipere vasa Sacramentorum, qui dudum fuerunt vasa vitiorum, *cap. illud, ead. dist.* quæ ratio probat eos esse irregulares, non solùm pro tempore, quo pœnitentiam peragunt, sed etiam post peractam pœnitentiam. 152.

An autem Regulares censendi sint irregulares, saltem quoad prælaturas Religionis, dum peragunt pœnitentiam impositam à propriis Prælatis, aut etiam post,

Respond. non esse; cùm talis irregularitas non sit iure expressa; quamuis aliàs non deceat, nec expediat tales Religiosos promouere, saltem pro tempore, quo durat spatium pœnitentiæ, imò nec posteà, nisi post constantem vitæ emendationem. 153.

SECTIO IV.

De Irregularitate, quam Regulares incurrere possunt ex Homicidio.

154 *Irregularitas ex Homicidio incurritur octo modis.*
155 *Ad eam incurrendam requiritur occisio actualis hominis, aut mutilatio membri.*
156 *At sufficit occisio cuiuscumque hominis imò & fœtus animati.*
157 *Sufficit item abscissio partis notabilis digiti, & voluntaria sui castratio.*
158 *Non incurritur ante baptismum.*
159 *Ea est de iure canonico.*

QVÆRAS I. Quot, & quibus modis incurri possit irregularitas ex homicidio.

Respond. posse incurri 8. modis: 1. ex defectu lenitatis: 2. ex accusatione facta in causa criminali: 3. exercendo munus Aduocati, aut Procuratoris, & testimonium ferendo in causa sanguinis: 4. ratione belli: 5. exercendo Medicinam, vel Chirurgiam: 6. ex homicidio facto ad iustam defensionem sui, rerum suarum, & proximi: 7. ex homicidio casuali: 8. ex homicidio voluntario. 154.

QVÆRES II. Quid requiratur ad incurrendam hanc irregularitatem.

Respond. requiri actualem hominis occisionem, aut certè actualem membri mutilationem, quæ æquiparatur homicidio, iuxta Clem. *vn. de homic.* & quidem meritò, cum in membro domatur pars vitæ, & 155.

& consequenter abscissio membri sit quasi partiale homicidium, est communis DD. apud Filliucium *tract.* 19. *num.* 135. patetque ex iuribus infra allegandis, si hîc tantùm aduertero nomine mutilationis in iure intelligi non solam debilitationem, sed amputationem membri propriè dicti: cuiusmodi est solùm illa pars humani corporis, quæ est integrum instrumentum, & proximum alicuius actionis: vt manus, &c. quamquam ad incurrendam hanc irregularitatem non sit opus mutilare membrum integrum, sed sufficiat mutilatio partis notabilis illius (vt si dimidia manus abscindatur,) siquidem grauis diminutio membri principalis æquiparatur totali abscissioni: cum perinde sit, ac si non haberet tale membrum; quod notauit Suarez *D.* 44. *de censur. sect.* 2. *num.* 2. quin etiam Filliucius *n.* 536. tradit praxim habere, vt etiam ex amputatione vnius digiti, saltem si sit ex maioribus (v.g. pollex, index, aut medius) petatur dispensatio.

Qværes III. Cuius hominis debeat esse occisio ad incurrendam istam irregularitatem.

156. Respond. sufficere, quod sit occisio cuiuscumque hominis, etiam pagani, banniti, hæretici, imò & fœtus animati. patet ex *cap. Clericum, d.* 50. *& cap. petitio, de homicid.* & probatur, quia semper in tali homicidio adest defectus repræsentationis lenitatis Christi, eo ipso, quod voluntariè homo occiditur, aut mutatur. Dixi, *imò & fœtus animati*, quia istius occisio est vera occisio, adeóque subiacet irregularitati, quæ contrahitur ex occisione.

147. Quin etiam addunt DD. cum Suar. *n.* 10. Coninch. *D.* 18. *de censur. num.* 64. & alij, eum esse irregularem, qui sibi spontè notabilem digiti partem abscindit, se ipsum castrat, aut etiam castrari permittit; secus, si ex necessitate vim patiens aut ad morbum depellendum ista patiatur: habetur expressè *cap.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. *d.* 55. vnde infert Coninch. posse quem facilius fieri irregularem, se ipsum lædendo, quam si alium lædat.

Qværes IV. An incurratur ista irregularitas ex homicidio, aut mutilatione facta ante susceptionem Baptismi.

158. Respond. non incurri; cum iura imponentia eiusmodi irregularitatem iis, qui mutilant, aut occidunt, apertè loquantur de iis, qui id faciunt post Baptismum; vt videre est *in cap. si quis viduam, d.* 50. *& cap. si quis post Baptismum, d.* 51. ita Sayr. *lib.* 6. *c.* 15. *n.* 10. ex communi DD. sensu.

Qværes V. Quo iure inducta sit ista irregularitas.

159. Respond. inductam esse iure canonico: idque in variis locis, vt sigillatim ostendemus agentes de singulis modis, quibus contrahitur ista irregularitas.

De Irregularitate ex defectu Lenitatis.

160 *Irregularitas ex defectu lenitatis est de iure canonico.*
161 *Non incurritur, nisi effectu secuto.*
162 *Non incurritur in commissione iudicaturæ in causa mortis.*
163 *Inquisitores brachio sæculari Reum tradentes non fiunt irregulares.*
164 *Sicut nec Officiales Sanctæ Inquisitionis.*
265 *Imò nec Prælati regulares Religiosum subditum tradentes brachio sæculari: etsi ij se ipsis non degradent suum Religiosum ordinibus insignitum.*
266 *Degradant tamen suo modo Religiosos laicos ipsis subiectos.*
167 *Affertur ratio, cur in casu proposito non incurratur Irregularitas.*
168 *Reiiciuntur Authores contrariæ sententiæ.*
169 *Idq; ex indulto Pij V. facto minoribus de Obseruantia, & communi aliis Religiosis.*
370 *Non est irregularis, qui consulit reum debere occidi: quod alij negant.*
371 *Non est, qui negat absolutionem iudici nolenti punire reum dignum morte.*
372 *Non est, qui suadet ferri leges, quibus puniantur delinquentes.*
373 *Non est, qui comitans reum ad mortem aliqualiter influit in accelerationem eius mortis.*
374 *Non est infirmiens moriens, qui et inculpabiliter mortem accelerat: sicut nec suadens actionem mortis acceleratiuam.*
175 *Idq; etsi acceleratio sit culpabilis, sed non externè.*
176 *Non est irregularis, qui clamat* ad latrones, *vt sic fur capiatur, & occidatur.*
277 *Non est, qui assistit suspensioni reorum in patibulo.*

Qværes VI. Quo iure inducta sit irregularitas ex defectu lenitatis, & vnde dicta sit.

Respond. inductam esse iure canonico, videlicet 160.
in cap. Clericus, cap. sententiam, cap. sanguinis, ne Cleric. vel Monach. Clem. *si furiosus*, & alibi: dici verò ex defectu lenitatis, seu mansuetudinis Christi, eo, quòd recipiens ordines eligatur ad Altaris ministerium, in quo repræsentatur passio Christi, de quo dictum est, quod tanquam ouis ductus est ad occisionem, & quod, cum pateretur, non comminabatur.

Qværes VII. An, & quomodo iudex fiat irregularis, si ferat sententiam sanguinis, id est, mortis, aut mutilationis.

Respond. fieri, effectu secuto; patétque, tum ex 161.
cap. sentent. ne Cler. vel Monach. tum ex *cap.* 1. *d.* 51. & alibi, si addidero hanc irregularitatem contrahi, etiam in casu, quo quis occidatur absque sanguinis effusione (suspendendo, v.g. suffocando, alimentum necessarium subtrahendo, carceríque rigore ita affligendo, vt inde moraliter mors sequatur,) est communis DD. apud Suarez *supr. D.* 47. *sect.* 1. *num.* 1. qui bene monent nomine iudicis hîc comprehendi assessores, consultores, exhortatores, & alios quoscumque proximè concurrentes ad sententiam mortis, quod tamen infra *quæst.* 11. negabimus de Consultore.

Qværes VIII. An Regulares, & aliæ perso- 162.
næ Ecclesiasticæ afficiantur ista irregularitate, si alteri committant munus iudicandi in causa mortis.

Respond. non affici, si debito modo id fiat, id est, indifferenter ad inquirendam, & examinandam causam, & ad agendam iustitiam; idque siue commissio sit in generali, quoad omnia delicta, siue in particulari, quoad hoc, vel illud delictum. Colligitur ex *cap. vlt. ne Cler. vel Monach.* vbi dicitur Clericos habentes temporalem iurisdictionem posse, & debere illam delegare sine vllo metu irregularitatis: patétque ex praxi, præsertim in Germania, Gallia, Polonia, vbi Episcopi, aliique Ecclesiastici, tam sæculares, quàm regulares habentes iurisdictionem temporalem, siue ex patrimonio, siue ex beneficio, illam aliis committunt absque vllo scrupulo irregularitatis. ita Filliucius *tract.* 19. *cap.* 9. *q.* 7.

Qværes IX. An Inquisitores fiant irregulares, si reos mortis tradant brachio sæculari; quidque dicendum sit de Officialibus S. Officij.

Respond. non fieri: idque etsi nullam præmittant 163.
protestationem. ita Sayr. *lib.* 6. *de censur. cap.* 18. *n.* 15.

cum Henriq. aliisque pluribus Filline. *n.* 244. Bonac. *de censur. in comm. D.* 7. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 24. & alij, patétque, tum quia Paulus IV. in quadam Constit. edita 29. Aprilis 1557. ad omnem dubitationem, ac scrupulum tollendum decreuit, quod quicumque Clericus, aut Regularis, Episcopus, aut Cardinalis, aut quiuis alius, qui interesse solet Congregationibus S. Officij inquisitionis, vbi agitur de causa sanguinis, absque scrupulo irregularitatis liberam habeant facultatem dicendi sententiam. Immò Henriq. Tab. & Maiol. apud Sayr. *num.* 60. dicunt iudicem laicum in proposito casu differentem executionem sententiæ, posse sine irregularitatis periculo admoneri ab inquisitoribus, vt delinquentem puniat; siquidem Inquisitores ex peculiari priuilegio prohibentur solùm per se ipsos exequi sententiam sanguinis; quod etiam adnorauit Bonac.

164. Quod verò spectat ad officiales S. Inquisitionis docent Molin. *tract.* 3. *D.* 8. *num.* 7. Sayr *supr. num.* 14. aliique communiter teste Bonac. *loco cit.* eos excusari ab irregularitate, siue denuncient, siue accusent, siue testimonium ferant, siue consulant, &c. & hoc, quamuis nullam præmittant protestationem. Ratio est, quia inquisitores & reliqui iudices Ecclesiastici non imponunt pœnam sanguinis, nec procedunt ad occidendum, aut mutilandum, adeóque eorum officiales non fiunt irregulares, etsi nullam præferant protestationem: Quippe qui non videntur concurrere ad mortem, aut mutilationem: vnde inferunt citati DD. denunciatores, & accusatores tunc solùm teneri facere protestationem, quando aliquem deferunt, aut accusant in causa sanguinis apud iudicem sæcularem, secus si apud iudicem Ecclesiasticum, licèt præuideant, fore vt reus postea tradatur Curiæ sæculari, & occidatur.

QVÆRES X. An Prælati regulares contrahant istam irregularitatem, si Religiosum subditum brachio sæculari tradant occidendum ob delicta commissa, idque non præmissa supradicta protestatione.

165. Respond. videri probabile, quod, sicut Episcopi, aliique iudices Ecclesiastici sine periculo irregularitatis possint tradere brachio sæculari personas etiam Ecclesiasticas morte puniendas, eo quod per talem traditionem non dent iudici laico iurisdictionem in personas modo dicto traditas, nec dictent sententiam sanguinis, nec ad illam inducant, sed solùm declarent delictum, reumque ecclesiasticis pœnis afficiant eum degradando (si sit persona ecclesiastica) & per degradationem, ipsum priuando priuilegio clericali: ad quod indirectè sequitur, quod iudex laicus acquirat iurisdictionem in personam aliàs ab eius potestate exemptam, sicque possit eum capere, iudicare, & punire; quod est concurrere ad mortem, non per se, & directè (quomodo incurreretur irregularitas ex defectu lenitatis) sed per accidens, & indirectè, permittendo reum capi, iudicari, & occidi à iudice laico; sicut, inquam, Episcopi, aliique iudices Ecclesiastici possunt tradere brachio sæculari personas Ecclesiasticas occidendas absque periculo irregularitatis; ita & hoc ipsum poterunt præstare Prælati regulares, quoad Religiosos subditos: cum hac tamen differentia, quod Episcopi se ipsis possunt Ecclesiasticos delinquentes, degradare realiter eos priuando priuilegio clericali, non autem id possunt facere Prælati regulares, quoad Religiosos subditos, etiam dato quod possint eos tradere brachio sæculari occidendos (vt dicimus *in tract. de gubernat. cap.* 3. *sect.* 3. *q.* 30.) vnde Portel. *de dub. Regul. ver. Prælatus, num.* 10. loquens de potestate externa Prælatorum regularium in puniendis criminibus suorum subditorum: cautè dixi: *Possunt etiam illum tradere brachio sæculari, prius tamen degradatum realiter per Episcopum*: quod etiam tanquam certum supponit Suarez *tom.* 4. *de Rel. tract.* 8. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 1. vbi agens de Religioso, qui sit Clericus ordinatus, ait eum non posse à Prælato Religioso degradari, nec priuari priuilegio Clericali, ac tradi brachio sæculari, quantomuis illum priuet statu, seu habitu religionis.

Vbi noto, quod, cum Suar. id neget in specie de Religioso Clerico ordinato, oppositum debet sentire de Religioso laico non ordinato: immò de facto id innuit, dum *loco cit.* ait: *Dicendum videtur ex vi solius professionis religiosæ non repugnare* (nimirum quod Prælatus regularis possit remittere Religiosum subditum brachio sæculari occidendum) *quia possunt Prælati regulares Religiosum incorrigibilem propter enormia crimina habitu, & omnibus priuilegijs Religionis priuare: ergo consequenter possunt, si delicta id mereantur, talem personam tradere brachio sæculari*, &c. Ita Suarez. 166.

Ex quibus ego infero Prælatum regularem sine scrupulo irregularitatis posse tradere brachio sæculari occidendos Religiosos sibi subditos: laicos quidem seipso eos degradando, idest priuando priuilegio clericali (quod puto ipsum præstare posse, præsertim attenta bulla Pij V. in ordine 63. in qua Generali Minorum dat plenum ius in spiritualibus, & temporalibus circa Tertiarios sibi subditos, veros Religiosos, & consequenter etiam in alios Religiosos;) Religiosos verò Clericos ordinatos, eos committere Episcopo realiter degradandos, vt sic priuentur priuilegio Clericali, sicque cõsecutione quadam fiant iuris iudici laico competentis. In hoc autem non videtur subesse vlla ratio contrahendi irregularitatem: cum priuatio priuilegij clericalis per se, non spectet ad sententiam sanguinis, adeóque per sententiam iudicis ecclesiastici fieri possit sine periculo irregularitatis: & alioqui Prælatus regularis eatenus dicatur tradere brachio sæculari, quatenus modo supradicto delinquentem priuat priuilegio clericali. Ita viri sanè docti à me consulti; & colligitur, tum ex Portello *vbi supr.* tum ex Suar. *loco supr. cit.* quamuis hi tandem cõcludant se existimare Prælatos Religionum nunquam habere potestatem tradendi Religiosum subditum brachio sæculari absque licentia Papæ; quod etiam ego admitto, non quidem de rigore iuris, sed pro praxi: multa enim licent, quæ non expediunt. Sic benè aduertit Suar. *D.* 47. *de censur. sect.* 1. *n.* 13. quod quamuis iuxta dicta probabile sit iudicem Ecclesiasticum posse tradere reum brachio sæculari absque intercessione illa, quæ præscribitur *cap. nouimus, de verb. significat*: nihilominus non est omittenda, tum quia præ se fert pietatem, tum propter ius commune, quod illam præscribit, & consuetudinem, quæ quoad hoc obseruatur; tum ob maiorem securitatem ex tali intercessione prouenientem. 167.

Quod autem dicunt Suar. & Portel. *locis citatis*, nunquam Prælatis regularibus concessam fuisse potestatem tradendi brachio sæculari Religiosos subditos, non video, quomodo subsistat, attenta Const. Pij V. §. *præced.* allegata; cum enim ibi concedatur Generali, ac Prouincialibus Minorum de Obseruantia, vt ille in vniuerso Ordine, & hi in suis quisque Prouinciis circa Tertiarios veros Religiosos *plenum ius, liberámque auctoritatem, ac in spiritualibus, & temporalibus iurisdictionem omnimodam habeant*; vtique & videtur concedi, quod, occurrente iusta causa, possint eos tradere brachio sæculari: alioqui non haberent in eos omnimodam iurisdictionem, vt patet. 168.

Difficultas

Difficultas esse posset, an concessio talis facultatis extendatur non solùm ad præsatos Tertiarios, sed etiam ad alios Religiosos Ordinis Minorum, immo & per viam communicationis competat Prælatis regularibus etiam aliorum Ordinum, quoad Religiosos subiectos respectiuè.

169. Respond. extendi, & competere etiam Prælatis aliorum Ordinum. Ducor, quod ex vna parte ista concessio fauorabilis est Religioni, licèt, quoad Religiosa in particulari sit odiosa, idóque cadit sub generalem communicationem priuilegiorum: ex alia parte si probabile est concessionem factam vni monasterio communicari etiam aliis monasteriis eiusdem Ordinis, immo & aliis Ordinibus (vti ostendimus in *tract. de priuileg. cap. 1. sect. 3. q. 4.*) multo magis communicabitur concessio facta vni integræ Congregationi Religiosorum, qualis est ea, de qua hîc loquimur, vnde mirum non est, quod, quamuis illa fuerit in specie concessa solùm, quoad Fratres, & Sorores tertij Ordinis de pœnitentia S. Francisci, vt constat ex tenore Constitut. ea, nihilominùs extendatur per viam communicationis, tum ad omnes alias Congregationes Fratrum Minorum, tum ad Religiones alias quascumque habentes communionem priuilegiorum.

Qværes XI. An incurrat istam irregularitatem Religiosus, qui, cum sit Confessarius, aut responsor casuum conscientiæ, interrogatus à Iudice, num teneatur infligere pœnam mortis huic, aut illi reo, respondet teneri.

170. Respond. quod, licèt Mol. *tract. 3. D. 74. num. 6.* aliíque communiter apud Bonac. *supr. D. 7. quæst. 4. part. 1. num. 6.* dicant in casu proposito incurri irregularitatem, si in casu particulari determinatè dicat hunc, aut illum occidendum esse (cum potiùs haberet solùm dicere in communi, quid sentiant leges, Diana tamen *part. 3. tract. 4. resol.* 80. cum Vasque docet, & quidem satis probabiliter meo iudicio, in isto casu nullam incurri irregularitatem, etsi in particulari respondeatur hunc, aut illum occidendum esse, moueor tum quia, (vt infra dicemus) tunc solùm incurritur irregularitas ex defectu lenitatis, quando quis concurrit ad occisionem, aut mutilationem alterius, tanquàm minister necessarius ad causæ iudicialis probationem, aut pœnæ executionem: talis autem non est Confessarius, etsi in particulari dicat hunc, vel illum occidendum esse, vt patet; tum quia, si sine periculo irregularitatis in casu proposito licitum est dicere in communi seruandas esse leges (quod concedunt etiam Aduersarij) vtique, & licebit dicere in particulari hunc, aut illum occidendum esse: cùm, attentis rerum circumstantiis, interrogans ex ea inuoluta responsione de obligatione legis in communi plane intelligat sibi dari consilium de iusta occisione in particulari; vnde non apparet, ex quo capite incurratur irregularitas in isto posteriori casu, & non in priori.

Qværes XII. An subiaceat præsenti irregularitati Religiosus, qui Iudici uolenti punire reum dignum morte negat absolutionem Sacramentalem, nisi firmiter statuat eum punire iuxta iura.

171. Respond. non subiacere; cùm talis casus per epicheiam videatur exceptus, & non sit credibile, quod Ecclesia velit notam irregularitatis imponere Sacerdoti ex eo præcisè, quod dicit pœnitenti, quæ ratione sui officij, ac muneris non potest reticere. ita Bonac. *supr. n.* 29 ex Henriq. Sayro Mol. Auila, Conincho, & aliis addens cum iisdem DD. eadem ratione excusari Confessarium ab irregularitate; si pœnitentem iudicè interrogatum hortetur ad confitendam veritatem in iudicio, ei ve suadeat, ne iniustam interponat appellationem: idque, etiamsi inde secutura sit mors Rei; si quidem Confessarius in his casibus nō intendit mortem Rei, sed spiritualem ipsius salutem, ideóque non est de bono opere lapidandus.

Qværes XIII. An afficiatur hac irregularitate Religiosus, qui suadet Principi, vt ferat leges, quibus puniantur fures, aliíque delinquentes, aut certè acriter suadet, vt malos malè perdat.

172. Respond. non affici; & probatur ex eo, quod, sicut Princeps sine periculo irregularitatis potest ferre eiusmodi leges, in communi; cum hæ sint causa mortis solùm remota, vt constat ex *cap. delator. 5. quæst. 6.* ita & alter sine periculo irregularitatis poterit suadere, vt fiant tales leges: præterea si non incurrit irregularitatem, qui dat consilium Iudici, vt occidat delinquentes, (sicut ostendimus *quæst.* 11.) ita nec incurret, qui ad hoc ipsum hortatur; cum rationes adductæ pro illo casu faciant pro præsenti. ita Bonac. *supr. num.* 18. aliíque penes ipsum.

Qværes XIV. An efficiatur irregularis Religiosus, qui ducens reum ad supplicium mortis notabiliter ei accelerat mortem; siue ipsum hortando, vt celeriùs ascendat scalas, siue suadendo Ministris iustitiæ, vt ita breuiori eum ducant, siue curando, vt valdè anticipetur executio sententiæ, siue aliter eius mortem præoccupando.

173. Respond. quòd, licèt DD. antiqui communiter asserant in dictis casibus incurri irregularitatem ex defectu lenitatis, nisi fortè excuset defectus sufficientis deliberationis, aut paruitas materiæ (quod inter alios notarunt Henriq. Auila, Mol. Regin. & Villal. apud Dianam *part. 3. tract. 5. resol. 79.*) mihi tamen semper visa est probabilis opposita sententia, quam sustinent ipse Diana ex Vasq. & Turriano, Hurtado *D. 2. de irregul. difficult.* 11. *num.* 39. Cœlestino *in Comp. theol. mor. tract. 4. cap. 5. §.* 1. aliíque docti Recentiores à me non semel consulti; nimirùm in propositis casibus, aliisq; similibus non incurri irregularitatem. Ratio responsionis est, quod Religiosus in propositis casibus non potest contrahere irregularitatem, nisi ex duobus capitibus; videlicet ex homicidio iniusto, aut ex defectu lenitatis; at ex neutro horum capitum contrahit; ergo nullo modo contrahit: Et quidem quod non contrahat ex homicidio iniusto, constat ex eo quod in tali acceleratione mortis non peccat (vt hîc suppono;) quod verò non contrahat ex defectu lenitatis, suadetur ex eo quod iura, quibus inducta est talis irregularitas, non loquuntur nisi de ministris iustitiæ, & de iis, qui in iudicio ad causæ criminalis probationem concurrunt necessariò (qualis est Aduocatus, Accusator, Testis &c.) aut certè proximè cooperantur executioni sententiæ: at Religiosus in casibus propositis non concurrit, neque vt persona necessaria ad cognitionem iudicialem causæ criminalis, neque vt proximus executor sententiæ: ergò non est, cur dicatur incurrere istam irregularitatem, præsertim cum versemur in materia pœnali, ac odiosa, quæ non debet ampliari, sed restringi, ita vt non extendatur nisi ad illas personas, de quibus loquuntur iura, quibus ea indicitur. Nobiscum sentiunt Baunius, Machadus, relati à Diana *part. 8. tract. 7. resol.* 61. dicente hanc opinionem solida ratione, & authoritate doctorum virorum fulcitam esse: sentit nobiscum Castrus Palaus *de Censur. D. 6. part. 14. §. 4 num.* 2.

Qværes XV. An subiciatur irregularitati Religiosus, qui ministrans infirmo eum vertit de latere ad latus, transfert ex vno ad alium lectum,

cibum, aut potum præbet, vel aliquid aliud agit, ex quo notabiliter acceleratur mors infirmi.

174. Respond. non subiici; & probatur tum ex ratione allata *quæst. præced.* quæ meo iudicio euidenter conuincit: tum ex eo quod in istis casibus non interuenit defectus lenitatis (qui præsupponitur ad contrahendam irregularitatem ex defectu lenitatis) sed effectus maximæ charitatis, vt suppono. ita Diana *p. 3. tract. 5. resol.* 79. Filliuc. *tract. 9. num.* 278. aliíque penes ipsum contra Comitolum *lib. 6. resp. mor. q. 51 num.* 2.

Quod si quæras, an consulens alteri actionem, ex qua accelererur mors infirmi, fiat irregularis ex defectu lenitatis, si sequatur mors.

Respond. non fieri, nisi sit ex delicto: quod tamen hîc non supponitur. & ratio est, quia irregularitas ex defectu lenitatis incurritur solùm à personis concurrentibus ad iudicium in causa sanguinis, vt constat ex dictis: id autem non procedit in præsenti casu: patet quam quod exercens actionem illam consultam verè non sit irregularis; ergo nec incurrit qui consulit dictam actionem.

Difficultas hîc esse posset, an Religiosus fiat irregularis, si in aliquo ex propositis casibus acceleret mortem infirmi exercendo actum, qui exteriùs non videtur contrarius charitati, interiùs tamen est talis ratione praui affectus; vt si ex odio vertat infirmum de latere ad latus eo animo, vt citius moriatur quo modo talis actus non est peccaminosus in foro exteriori, sed tantum in interiori, & corâm Deo.

175. Respond. videri probabile, quod Religiosus in tali casu non fiat irregularis. Ducor, quod si Religiosus in tali casu efficitur irregularis, vtique efficitur non ex defectu lenitatis (cum iuxta dicta actio ab ipso præstita sit impertinens ad contrahendam irregularitatem ex defectu lenitatis) sed ex delicto: ad incurrendam autem irregularitatem ex delicto probabile est requiri, quod actus vi cuius ea incurritur, sit peccaminosus non solum interiùs ratione prauæ intentionis (sicut euenit in præsenti casu) sed etiam exteriùs; quomodo *supr. cap. 1. sect. 2.* diximus ad incurrendas censuras requiri peccatum, quod habeat malitiam non solùm interiorem; sed etiam exteriorem; cuius rei ea est ratio, inquit Coninch. *D. 13. de Censur. num. 71.* quod in euentu proposito non interuenit vllus actus in se malus, nisi internus, qui tamen ab Ecclesia non potest puniri; vt concedunt communiter DD. quæ doctrina sit multo probabilior in sententia eorum, qui sustinent irregularitatem ex delicto venire nomine censuræ; qua de re Diana *p. 1. tract. 11. resol. 27.*

Qværes XVI. An, & quando Religiosus incurrat istam irregularitatem, si deregat malefactorem, clamet adesse latrones, vel aliud simile faciat, vnde delinquens capiatur, & puniatur, pœna mortis.

176. Respond. non incurrere, nisi sit simul accusator, aut testis necessarius ad cognitionem causæ, aut id faciat tanquam minister iustitiæ. ita Diana *part. 3. tract. 5. resol.* 80. cum Turriano aliíque Recentiores: qui consequenter dicunt non fore irregularem illum, qui satellitibus directè, aut indirectè indicet reum morte plectendum idque ob doctrinam datam *quæst.* 14. quam apertè negat Bonacina ex communi DD. sententia *loco supr. citato num.* 19.

Qværes XVII. An Regulares, & Clerici incurrant irregularitatem, si assistant quando reus in patibulo suspenditur.

177. Respond. non incurrere, immo nec peccato venialiter non obstante quod *in cap. sententiam sang. ne Cler. vel Mon.* prohibeantur se se immiscere in causa sanguinis. ita Diana *p. 4. tract. 2. resol.* 35. aliíque & probatur tum quia Canones id prohibentes per contrariam consuetudinem abrogati sunt: tum quia, teste Vgol. *de irregul. cap. 5. §. 3. num.* 3. dicti Canones loquuntur de Clericis fauorem sua præsentia præstantibus, dissentiunt tamen alij DD. quorum aliqui cum Sayro *lib. 6. de censur. cap.* 18. *num.* 20. putant in isto casu peccari mortaliter ob violationem citati Canonis: alij verò cum Suar. *supr. D. 47. sect. 4. num.* 10. existimant peccari solùm venialiter ratione leuitatis materiæ.

De Irregularitate ex Accusatione.

178 *Accusans in causa sanguinis non est semper Irregularis.*

179 *Si quidem præmittat debitam protestationem, siue serio, siue fictè.*

180 *Etsi hæc non requiratur, si fiat accusatio coram Iudice Ecclesiastico.*

181 *Idque procedit de accusante modo dicto in fauorem consanguinei; quod alij negant.*

182 *Imò & in casu, quo fiat in fauorem proprij subditi, aut cuiusuis innocentis.*

183 *Item in casu, quo malum imminẽs aliter auerti nequeat; sed non semper.*

184 *Item in alijs 4. casibus accusans non fit irregularis.*

185 *Non fit irregularis, qui capit furantem sua, & tradit Iudici facta protestatione.*

186 *Secus, si omittat protestationem, etsi inculpabiliter.*

187 *In casu aliquo Irregularitas vnius Religiosi afficit totum Conuentum.*

188 *Assignatur forma seruanda in Protestatione, quæ fieri debet ab Accusante.*

Qværes XVIII. An, & quo casu Regulares, aliíque fiant irregulares accusando in causa criminali.

Respond. non fieri, si petant sibi fieri emendam, id est satisfactionem, & prouideri, ne contra ipsos talia de cætero præsumantur, nec non expressè protestentur se non intendere vindictam, aut pœnam sanguinis. ita Filliuc. *tract. 19. c. 9. quæst. 9.* Coninch. *supr. 92.* Bonac. *supr. part. 2. num. 2.* Nald. *v. irregularis num.* 11. aliíque, & probatur ex Prælatis *cap. de homic. in 6.* vbi id expressè deciditur, & quidem congruè, ne aliàs prauis hominibus nimia præberetur licẽtia inferendi iniurias Ecclesiasticis, quippe qui ob periculum irregularitatis deterrerẽtur ab iis accusandis. 178.

Quod si quæras, an supradicta protestatio debeat fieri ex animo, & seriò, non autem fictè, ad euitandam irregularitatem.

Respond. Filliuc. *num.* 248. quod, quamuis optimum sit consilium, vt fiat ex animo: absolutè tamen id non est necessarium; cum *cap.* Prælatis allegatum solùm requirat protestationem externam, & desiderium illud vindictæ, quod forte inest protestationi, quamdiu exteriùs non ostenditur, sit impertinens ad contrahẽdam irregularitatem, vtpote quod sic nulla ratione influit in mortem Rei; præterquàm quod ad effectum intentum apud Iudicem ignarum fictionis, tantùm valet protestatio ficta, quantùm valeret, si ex animo fieret; quæ omnia confirmari possunt ex eo, quod Ecclesia non imponit irregularitatem ob intentionem, & actum internum, sed solùm ex omissione protestationis: vnde, quomodocumque hæc fiat, sufficit ad effugiendam irregularitatem. cum Filliucio sentiunt Suar. Henriq. Auil. Coninch. Hurtad. Turrian. Præpol. & Corn. quos citat, & sequitur 179.

quitur Diana *resol. 75.* addens eiusmodi protestationem podesse etiam laicis, ne contrahant irregularitatem; & ad talem effectum nihil referre, quod protestatio fiat cum ipsa accusatione, aut post illam, dummodo fiat coram iudice ante prolationem sententiæ; oppositum tradunt Tolet. Vega Nauar. Syluest. & Bizozerus apud Dianam, sed minùs probabiliter.

180. Addit Filliuc. protestationem (quam tamen Nald. ex Diaz dicit non esse necessariam in casu, quo accusatio fiat coram iudice Ecclesiastico, & delictum sit enormissimum, ac puniendum pœna realis degradationis) non solum modo supradicto prodesse laicis sed etiam ipsis esse necessariam, si velint vitare irregularitatem incurrendam ex accusatione facta in causa sanguinis; posséque Sacerdotem Theologum dare consilium alteri constituto in periculo vitæ, aut bonorum, vt accuset, & denunciet iudici laico personas sibi insidiantes, præmittendo tamen protestationem, de qua hic. Ratio autem, cur non sit necessaria protestatio, quando accusatio fit coram iudice ecclesiastico, patet ex dictis *supr. q. 9. §. quod verò.*

QVÆRES XIX. An Regulares euitent irregularitatem in casu, quo cùm debita protestatione accusent in causa criminali de iniuria illata non ipsis, sed aliis personis extraneis (consanguineis, v. g.)

181. Respond. quòd, quamuis communior, & probabilior DD. sententia sit in tali casu non euitari irregularitatem; vt videre est apud Nald. *supr.* & colligitur ex *cap. citato de homicid. in 6.* vbi conceditur Clericis, & consequenter Regularibus, immò & ipsis laicis, vt possint coram iudice laico conqueri ad emendam tantùm damni sibi illati, non autem alieni; nihilominus probabile est euitari irregularitatem etiam in casu, quo cùm debita protestatione modo supradicto fiat accusatio ob læsionem factam his, qui nobis sunt commissi, aut certè adeò sunt propinqui, vt eorum iniuria moraliter reputetur iniuria ipsius accusantis; quales sunt parentes, filij, fratres, &c. Ita Hurtad. Coninch. Auila, Præpos. Villalob. & alij, quos adducit, & sequitur Diana *resol.* 53. Nald. *supr.* Bonac. *part.* 2. *num.* 4. aliique penes ipsos; & patet, tum ex variis decisionibus collectis à Riccio *collect.* 618. *part.* 3. quæ edictæ sunt in fauorem huius sententiæ, & teste Naldo locum habent etiam in euentu, quo accusans certò sciret iudicem laicum processurum esse ad sanguinem; tum quia malum nostrorum propinquorum moraliter æstimatur nostrum, idcóque Canon concedens, vt quis possit, coram iudice laico conqueri de malefactoribus propriis, benigna interpretatione extendi potest etiam ad præsentem casum; maximè cum simus in materia fauorabili, quæ amplam admittit interpretationem. Nobiscum sentit Castrus Palaus *D. 6. de censur. p.* 14. *§. 2. num. 6.* dicens censendum esse te prosequi causam propriam, si causam tui consanguinei, aut cognati intra quartum gradum prosequaris; quia consanguinei, & cognati ita inter se coniunguntur, vt bonum, vel damnum alicuius, omnium esse censeatur; addénsque causam famulorum, ac domesticorum, & subditorum propriam reputari: quod idem docent Henriq. Couar. Suar. Auila, & Bonac. adducti ab ipso Castro Palao.

182. Quin etiam dicit Diana cum Auila, Mol. & Præpos. doctrinam istam suffragari etiam in casu, quo quis accuset de damno illato propriæ Ecclesiæ, ac suis subditis, necnon, quando agitur de auertendo graui damno innocentis, aut Reipub. alioqui ineuitabili: idque ob rationes superiùs allegatas: quibus addo solùm citatos DD. putare in casu, quo agatur de cauendo graui damno innocentis, aut Reipublicæ, non esse opus præmittere protestationem, de qua supra, cuius rei ea assignari potest ratio, quod in tali casu accusatio est mera defensio innocentis cum moderamine iustæ tutelæ, adeóque non subiacet irregularitati; quandoquidem opus suapte natura est exemptum ab irregularitate.

QVÆRES XX. An Regulares, & alij incurrant irregularitatem, si modo supradicto accusent coram iudice laico; cùm reuera subsit de præsenti aliud remedium ad recuperandum damnum illatum.

Respond. distinguendo, vel accusant in propria causa; & sic facta protestatione, possunt liberè accusare: siue alia via possint res suas recuperare, aut damnum impedire, siue non: in tali enim causa id non solùm licèt iure naturali defensionis, sed speciali iure positiuo, sicut iam diximus: vel accusant in causa aliena; & in ordine ad effugiendam irregularitatem id non possunt facere, nisi quando aliter præueniri non potest damnum, aut periculum imminens; cùm in tali casu accusatio solùm concedatur iure naturali defensioni innocentis; quæ tamen non habet locum, vbi alia via auerti potest malum imminens. Ita Suar. *supr. D. 47. sect. 2. num. 16.* Filliuc. *tract. 19. num. 149.* aliique & valdè probabiliter, vt constat ex dictis. 183.

QVÆRES XXI. An dentur alij casus, in quibus Regulares, & alij Ecclesiastici possint accusare in causa sanguinis absque periculo irregularitatis.

Respond. dari 4. quorum 1. est, quando crimen adeò leue, vt non videatur dignum morte, aut mutilatione: idque licèt iudex ex sua malitia illum postea occidat, aut mutilet, & accusans omiserit protestationem; sic enim non accusator censetur efficax causa mortis, sed iudex ex sua malitia. 2. est, quando quis accusauit reum de leui crimine, sed vbi ille coniectus est in carcerem, alij ipsum accusarunt de grauioribus delictis, ob quæ iustè adiudicatur morti; in tali quippe causa, priori accusatori mors non est imputanda, quantumuis omiserit protestationem. 3. est, quando quis petit non vindictam, sed iustam satisfactionem, vt iam diximus. 4. casus est, quando quis accusat, non de iniuria illata extraneis, sed inferenda, quæ aliter caueri nequit, nisi accusando, ac denunciando: siquidem non est æquum, vt persona ecclesiastica damnum patiatur, eo quod præstet id, ad quod tenetur iure naturæ; quod sine dubio esset magnum inconueniens; ad quod euitandum dicendum est istum casum non comprehendi in citato *cap. 2. de homicid. in 6.* Ita Bonac. *num. 7.* aliique penes ipsum. 184.

QVÆRES XXII. An Religiosus fiat irregularis, si furem ingressum ad res monasterij furandas capiat, liget, & tradat iudici laico, qui illum postea occidat, aut mutilet.

Respond. non fieri, si debitam præmittat protestationem; & probatur, tum quia sic, quantum est ex parte Religiosi, captura non ordinatur tantùm ad criminalem executionem (quo pacto non effugeretur irregularitas) sed ad ciuilem executionem, id est ad restitutionem damni illati: tum quia supposito iure *cap. 2. de homicid. in 6.* non est necesse, quod medium sumptum ad recuperandum damnum illatum sit necessarium simpliciter, sed sufficit, quod sit vtile, adeóque cum possit contingere, vt ad dictum effectum sit vtilis captio, detentio, ac traditio furis facta à Religioso modo supradicto (eò quod v. g. alioqui fugisset cum notabili damno monasterij) non 185.

non est negaodum, quod ea licitè fieri possint à gioso absque periculo irregulatitatis: stante quod præfarum *cap. 1.* sub iis verbis, *petunt emendam*, prætet accusarionem coocedir omnes alias actiones, quæ pet se coniunctæ sunt cum ipsa accusatione: cuiusmodi sunt querelam prosequi præsentando testes, & alia efficieodo, quæ ad causam vincendam sunt necessaria: inter quæ recenseri potest detentio fugientis furis, exhibitio signorum facta iudici ad eum capiendum. ita Suat. *supr. D. 47. sect. 2. num. 19. & 20.* cum Couarr. Tab. Maiolo, Speculat. Francho, & Ancbarano.

QVÆRAS XXIII. An Religiosus in casibus propositis incurrat irregularitatem, si ex obliuione omittat protestationem.

186. Respond. incurrere, esto excusetur à peccato. ita Bonac. *num. 8. ex* Sayro *supr. l. 6. cap. 18. num. 3.* & alij; patétque, quia ista irregularitas non est ex delicto, vt necessario debeat supponere peccatum, sed ex defectu lenitatis, quæ coottrahitur etiam sine culpa cootrahentis.

QVÆRAS XXIV. Vtrum in casu, quo aliquod monasterium Regularium constituat Procuratorem, seu Syndicum ad aliquem accusandum, hoc ipso quod ex tali accusarione sequitur mors, aut mutilatio Rei accusati, totum monasterium maneat irretitum irregularitate.

187. Respond. manere, si accusatio facta sit absque debita protestatione, & singuli Religiosi talis monasterij consenserint in constituendo præfato Procuratore: secùs, si non omnes consenserint: tunc quippe incurrent irregularitatem ij tantùm, qui modo dicto consenserunt: si quidem monasterium, vt tale, cum non sit persona realis, sed ficta, non est capax ordinis, & consequenter neque irregularitatis, sicut bene aduertit Bonac. *num. 13.*

QVÆRAS XXV. Quo modo fieri debeat protestatio, de qua hìc loquimur, & quæ requiritur ad fugiendam irregularitatem.

188. Respond. debere fieri coram Iudice, apud quem deponitur querela, his, aut similibus verbis: *Domine, peto mihi satisfactionem, aut restitutionem exhiberi à Titio, qui mihi damnum intulit: protestor tamen me nulla ratione intendere pœnam sanguinis, mutilationem, aut mortem*; ita Bonac. *num. 9.* addens quod, quamuis non sit necesse, vt talis protestatio fiat scriptis; cum id nullo iure probetur: ex tameo debet esse expressa; vt colligitur ex *citato cap. 2. de homic. in 6.*

De Irregularitate, quam incurrunt Aduocati & Testes in causa sanguinis.

189 *Aduocatus in causa sanguinis est irregularis, si agat contra reum, & sequatur effectus.*
190 *Secùs, si agat pro Reo contra Accusatorem, & accusatio sit iniusta.*
191 *Irregularis est quicunque concurrit in causa sanguinis, & alias in iure non excipitur.*
192 *Item qui voluntariè testificatur in causa sanguinis, secuto effectu.*
193 *Etsi hoc fallat in aliquibus casibus, qui afferuntur.*
194 *Protestatio in quibus casibus iuuat Accusatorem, iuuat & Aduocatum, ac Testem: quod alij negant.*
195 *Irregularis est Aduocatus, ex cuius imperitia damnatur reus alioquin liberandus.*
196 *Ecclesiastici cogi non possunt ad testificandum in causa sanguinis.*
197 *Limita, nisi sint Religiosi, & sit opus testificari in causa Religiosorum Ordinis.*

QVÆRES XXVI. An, & quando Aduocatus incurrat irregularitatem aduocando in causa sanguinis.

189. Respond. incurrere, si pro Accusatore agat contra reum, & inde sequatur mors, aut mutilatio ipsius Rei; secùs, si agat pro Reo contra Accusatorem; tunc enim si accusatio sit iusta, etiamsi reus damnetur, non obtinente Aduocato id, quod intendit, nihilominùs Aduocatus per se non est irregularis. Ratio responsionis est, quod Aduocatus in priori casu censetur valdè influere in sententiam sanguinis, mouendo practicè ad opus: quod sufficit ad incurrendam irregularitatem ex defectu lenitatis; in posteriori autem casu cum intendat defendere reum, contingenter si habet, quod is occidatur, nec potest dici eius occisio esse voluntaria Aduocato; quippe qui in eam non influit, neque physicè, neque moraliter. ita Filliuc. *num. 257* & alij.

190. Dixi, *si accusatio sit iusta*: si enim sit iniusta, & reus absoluatur, Accusator verò mutiletur, erit irregularis Aduocatus, quia dabat operam rei illicitæ, ex qua probabiliter secuturum erat tale nocumentum, quod proinde potest dici ei voluntarium, saltem indirectè; quod si in progressu causæ contingat Accusatorem succumbere, & mutilari, non ideò Aduocatus sit irregularis, si tantum egit ea, quæ spectabant ad defensionem Rei, non autem ad punitionem Accusatoris: cum sic Aduocatus verè non concurrat ad eius punitionem ita Filliuc. addens, quod si Aduocatus in simili causa defendens reum simul agat contra Accusatorem iniustum, manet irregularis, secuta morte, aut mutilatione; cum sic sit causa moralis talis nocumenti; excipe, nisi fortè innocens esset in extrema necessitate, & non posset aliter defendi; tunc quippe, facta sufficienti protestatione, excusaretur ab irregularitate. ex quo fit neque reum effici irregularem, si aduersus Accusatorem ita se defendat, vt ob id Accusator in pœnam talionis deformetur.

QVÆRES XXVII. An Tabelliones, Procuratores, Solicitatores, aliique Ministri inferiores, qui vel denunciant, vel scribunt sententiam sanguinis, vel tale quid agunt in causa criminali, fiant irregulares, secuta morte, aut mutilatione, etiamsi præmittant protestationem.

191. Respond. incurrere; & probatur ex eo, quod quicumque in Curia sæculari cooperantur in causa sanguinis, incurrunt irregularitatem, nisi excipiantur in iure; at supradicti cooperantur in causa sanguinis, nec excipiuntur in iure ob protestationem; vt constat ex *cap. 2. de homic. in 6.* vbi excusantur solùm Accusatores, seu Denunciatores; ergo. ita Bonac. *supr. D. 7. q. 4. p. 3. n. 8.* ex Couar. Henriq. Suar. Auila, Vgol.

QVÆRSS XXVIII. An fiat irregularis, qui dicit testimonium in causa sanguinis, & quibus in casibus.

192. Respond. fieri, si accedat voluntariè, & sequatur mors, aut mutilatio, idque siue vltrò se offerat, siue rogatus ab Accusatore, siue vocatus à Iudice simplici mandato absque obligatione in conscientia. est communis ex Suar. *supr. D. 47. sect. 3. num. 2.* patétque quia Testis maximè cooperatur sententiæ sanguinis, & quidem magis, quam Accusator; cum Testis magis moueat Iudicem ad ferendam sententiam, quam moueat Accusator; constat autem ex dictis, quod quicumque cooperatur causæ sanguinis, afficitur irregularitate.

193. Hoc tamen non facit, quin possint dari aliqui casus,

sus, in quibus aliquis potest testari absque periculo Irregularitatis; primus est, quando quis testatur ex metu graui: tunc enim sicut metus excusat à peccato, ita & videtur posse excusare ab irregularitate, saltem in casu, quo non agatur directè de causa sanguinis, sed de alterius interesse, secundus casus est, quando quis iure naturæ tenetur se offerre ad testificandum: alioqui priuilegium concessum Accusatori, vt possit accusare pro suo interesse, esset inutile: stante quod non inueniret, qui vellet pro eo testificari (idque ad euitandam irregularitatem) sicque Accusator nihil posset probare. ita Bonac. *n.* 8. aliique apud ipsum, & Dianam *p.4. tract. 2. resol.* 31. quorum aliqui bene notant idem dicendum esse etiam in casu, quo quis non voluntariè, sed ex præcepto iudicis fert testimonium; ea præsertim ratione ducti, quòd si qua in tali euentu incurritur irregularitas, ea non potest esse, nisi ex defectu lenitatis; cùm tamen hîc nullus interueniat defectus lenitatis, qui non reperitur, nisi in eo, qui voluntariè occidit (quales sunt Ministri iustitiæ, qui sponte suscipientes Officia, per quæ interdum obligantur ad occidendum, consequenter voluntariè dici possunt occidere;) quod non habet locum in eo, qui coactus præcepto iudicis, aut ex metu graui contra alium testificatur; is enim sicut inuoluntariè testificatur, ita & inuoluntariè concurrit ad occisionem; quæ doctrina, licèt à pluribus reiiciatur, mihi videtur satis probabilis, eámque sequuntur Coninch. Auila, Præpos. Mercer. & Corneius, quos refert, & sequitur Diana *supr.* dicens eam esse satis probabilem.

QVÆRES XXIX. An Aduocatus, & testes in causa sanguinis incurrant irregularitatem, si præmittant protestationem eo modo, quo facit accusator.

194. Respond. quòd, licèt DD. communiter sustineant eos incurrere irregularitatem, eo quòd *in cap. 2. de homicid. in 6.* facultas protestationis concedatur tantùm accusatori, adeóque non debeat extendi ad Aduocatos, & testes in iure non expressos, vt etiam innui *quæst.* 27. nihilominus non videtur omnino improbabilis opposita sententia, quam sustinent Coninch. Præpos. & Ioan. de la Cruz apud Dianam *resolut.* 32. & non reiicit ipse Diana, videlicet in eo casu, quo accusator vi protestationis effugit irregularitatem, eam & posse effugere Aduocatum, ac testes. Ratio est, quia vbi conceditur aliquid, censentur concedi ea omnia, sine quibus illud haberi non potest, ne alioqui concessio sit inutilis: ergo cum accusatori concessum sit priuilegium accusandi in aliquibus casibus sine periculo irregularitatis, præcedente protestatione, par est, vt etiam ad Aduocatum, ac testes extendatur talis concessio; aliàs priuilegium esset inutile, si quidem non ita facilè inuenirentur, qui vellent pro ipso testificari, retracti ex metu irregularitatis: sicque accusator nihil probare posset, nihilque obtineret; quod est contra mentem concedentis præfatum priuilegium.

QVÆRES XXX. An Aduocatus efficiatur irregularis, si reus, quem defendit, ob imperitiam illius adiudicatur morti, quam aliàs euasisset, si Aduocatus munus suum ritè obiisset.

195. Respond. effici; cùm sic mors rei imputetur culpæ Aduocati, eo modo, quo moriente infirmo ex imperitia, aut negligentia Medici, dicunt DD. ipsum Medicum fieri irregularem.. ita Bonac. *num.* 6. quòd tamen ego non puto admittendum esse absolutè, sed solùm in casu, quo ea imperitia sit culpabilis moraliter, ita vt dici possit Aduocatus hîc, & nunc mortaliter peccare. ducor, quòd in præsenti casu non incurritur irregularitas ex defectu lenitatis, (vt constat ex dictis *quæst.* 26. vbi diximus non subiacere irregularitati Aduocatum, qui agit pro reo contra accusatorem, idque etsi reus damnetur:) ergo si qua contrahitur irregularitas, ea erit ex delicto; non incurritur autem irregularitas ex delicto, nisi vbi interuenit culpa mort. vt in simili ostendit Diana *p.4. tract. 2. resol.* 21.

QVÆRES XXXI. An Regulares, & alij Ecclesiastici cogi possint ad ferendum testimonium in causa sanguinis.

Respond. non posse; patétque, quia testis in causa sanguinis valde cooperatur ad mortem alterius in iudicio, vt iam dictum est *quæst.* 28. at non possunt Ecclesiastici cooperari in iudicio ad mortem alterius, vt constat ex *cap. his, à quibus* 23. *quæst.* 28. ergo non possunt cogi ad ferendum testimonium contra reum in causa sanguinis, sicut nec spontè possunt illud ferre. Dixi, *contra reum*, quia in fauorē rei, Regulares, aliique Ecclesiastici testari possunt; ij quidem de licentia proprij Prælati regularis; hi verò de consensu Episcopi, aut eius Vicarij: si quidem hoc nullo iure reperitur prohibitum, vt aduertit Bonac. *num.* 3. & patet ex dictis *quæst.* 26. quæ intentum videntur probare non minus de teste, quàm de Aduocato, adeóque si quoad Aduocatum, admitti debeat etiam quoad testes. 196.

Maius dubium est, an Regulares à proprio Prælato compelli possint ad testificandum in causa criminali spectante ad aliquem alium Regularem.

Respond. quòd cum iuxta dicta *quæst.* 9. §. *quod verò*, Prælati regulares in causis, etiam criminalibus Religiosorum subditorum non procedant ad pœnam sanguinis (vnde consequitur irregularitas;) consequenter poterunt cogere alios Religiosos subditos, vt ferant testimonium contra Religiosum contumacem, iique tenebuntur obedire: cùm id possint facere, & sine peccato, & absque periculo incurrendi irregularitatem; si quidem, quemadmodum Prælatus regularis modo dicto procedens in causa criminali Religiosi sibi subditi, non incurrit irregularitatem, ita nec incurrent Religiosi in eadem causa contra reum testificantes, neque alij Officiales ad eam concurrentes: cum ratio, quæ eximit Prælatum ab irregularitate, æquè militet etiā in testibus, aliisque Officialibus, & consequenter operetur eundem effectum. ita ego sentio, aliique Docti recentiores à me consulti, & vt puto probabiliter. 197.

De Irregularitate ex Bello.

198 *Ecclesiastici ex causa pia bello interessentes non fiunt irregulares.*

199 *Imo nec fiunt, si pugnent in bello iusto, siue defensiuo, siue offensiuo, sed cum differentia.*

200 *Irregularis est pugnans in bello iniusto, etsi manu propria non occidat.*

201 *Si quidem in tali bello alij occidant, vel mutilent.*

202 *Limitatur principalis assertio.*

203 *Religiosi etiam laici, aliiq; etiam perpetuò electi prohibentur interesse bello; non item Nouitij, stando in rigore iuris.*

204 *Religiosi à Papa dispensati ad bellandum pugnant sine periculo irregularitatis.*

205 *Irregularis est occidens, aut mutilans in bello iniusto, quod putat iustum.*

206 *Episcopus dispensat in irregularitate ex defectu, imo & Prælatus religiosus.*

207 Non

207 *Non est irregularis suadens ad moriendum pro Fide, etsi mors sequatur.*

208 *Non est, qui vendit arma offensiua ad bellum iustum faciendum.*

QVÆRES XXXII. An Regulares, aliíve Ecclesiastici possint interesse bello sine periculo irregularitatis, & quo casu.

198. Respond. posse ex pia causa (v.g. ad audiēdas millitum confessiones) & cum licentia proprij Superioris: idque etsi animent ad pugnandum; dum modò id faciant solùm in communi, non autem in ordine ad occidendum aliquem in particulari. est communis DD. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. & probatur, quia talis interessentia non est in se mala, nec vllo iure vetita, vt patet: animare verò ad pugnandum modo dicto (siue id fiat ante conflictum, siue in ipso conflictu,) præter quam quod non habet vllam malitiam; valdè remotè concurrit ad homicidia, quæ ex pugna sunt secutura, ideóque non subiacet irregularitati: quidquid dicat Sylu. Host. & Innoc. apud Filliuc. *tract.* 19. *num.* 274. qui addit *num.* 275. probabile esse Religiosos interessentes bello sine licentia Superioris nulla affici irregularitate, quantumuis exhortentur modo dicto ad strenue pugnandum: peccare tamen vt pote violantes prohibitiunem ipsis factam de non assistendo bello, & non seruantes debitum ordinem, ac decentiam Status religiosi.

QVÆRES XXXIII. An Regulares, incurrant irregularitatem, si pugnent in bello iusto, siue defensiuo, siue offensiuo.

199. Respond. non incurrere: cum hac tamen differentia, quod in bello defensiuo nō incurrunt, etiamsi propria manu occidant) idque ob rationes afferendas *quæst.* 40. & 48. quæ etiam possunt facere ad præsentem casum;) ad hoc autem vt non incurrant in bello offensiuo, necesse est, vt propria manu non occidant, nec mutilent, imò nec sint causa, vt alij id faciant; patet ex *cap. petitio de homic.* & probatur tum quia licèt supradicti indebitè pugnantes in bello delinquant contra prohibitiunem, id tamē est valdè extrinsecum ad irregularitatem, adeóque non sufficit ad eam contrahendam: cum prohibitio illa facta sit Ecclesiasticis ob periculum homicidij, non cuiuscumque sed quod sequatur ab ipsis Ecclesiasticis præliantibus, ac proinde ea in præsenti casu cesset, quo supponimus homicidium fieri non ab Ecclesiasticis, sed ab aliis. Quod si supradicti propriis manibus mutilent, aut occidant in bello aggressiuo, etiam iusto, tunc vtique fiunt irregulares ex defectu lenitatis: idque ex *cap. si quis, & c. aliquando d.* 51. cum bellum sit iustum (vt supponitur) etiam homicidium erit iustum: quia tamen est voluntarium, & non necessarium, vt pote aggressiuū: eiusdem rationis est, ac homicidiū factum publica auctoritate, ideóque inducit irregularitatem ex defectu lenitatis. ita Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 10. *quæst.* 5. aliique communiter; patétque, si moueto quod dicitur *in cap. quod in dubijs de pœnis* deponendos esse Clericos, qui gubernant naues ad pugnam, vel per se militant, vel incitant alios ad pugnandum, intelligi debere de bello iniusto, vel certè de bello iusto cum incitatione ad homicidium in particulari: quod vtique sufficit ad contrahendam hanc irregularitatem. irregularitas autem, quæ incurritur ea bello iusto, aut etiam bona fide reputato iusto, est ex defectu lenitatis: vt habet Bonac. *D.* 7. *de censur. in comm. quæst* 4. *part.* 4 *num.* 2.

QVÆRES XXXIV. An Regulares, aliíque, siue Ecclesiastici, siue sæculares pugnantes in bello iniusto efficiantur irregulares.

200. Respond. effici, si in tali bello contingant homicidia, aut mutilationes: idque, etiamsi ipsi Regulares propriis manibus non occidant, vel mutilent, sed solùm commilitent occidentibus, aut mutilantibus, vel etiam aliqua parte cooperentur, præbendo arma, adhortando, & alia id genus faciendo. est communis DD. ex Suar. *supr. D.* 47. *sect.* 5. *n.* 1. patétque ex eo, quod sic omnes cooperantur ad homicidia integrantes vnam causam moralem, cui dicta homicidia imputentur: & hoc, etiamsi solùm custodiant sarcinas militantium, etiamsi solùm animent ad pugnandum (quod non euenit in casu, quo hæc fiant in bello iusto; tunc enim excusantur ab irregularitate per *cap. petitio tua*, superiùs relatum, dummodo ipsi non occiderint, aut non mutilauerint, nec hortati sint ad occidendum aliquem in particulari.)

201. Dixi *si in bello contingant homicidia* &c. vt innuerem, quod si in eo ex neutra parte contingant homicidia, aut mutilationes, nulla incurritur irregularitas: cum ad hanc requiratur effectus subsecutus; quamquàm Clerici hoc ipso, quod arma ceperunt in tali bello, incurrunt suspensionem ferendam à Iudice ex *cap. Clerici* 23. *quæst.* 8. vt pluribus docet Suar. *supr. num.* 4. *&* 5. contra Maiolum id negantem, cum is aliàs sit adeó faciliùs in multiplicandis censuris, etiam sine iure sufficienti.

202. Conueniunt autem DD. quod, si in casu proposito homicidia, aut mutilationes contingant in ea parte, ex qua est iustum bellum, & contra quam alij pugnant iniustè; tunc militantes ex parte iniusta afficiuntur irregularitate: si verò contingat homicidia fieri ex parte militantium iniustè, tunc dubium esse potest, an militantes ex dicta parte iniusta dicendi sint ipsis cooperati, & consequenter contrahere irregularitatem; si quidem ij non intendunt talia homicidia, sed bene, vt eueniant in parte opposita; verùm, cum illi sint causa belli iniusti, & moraliter non solum contingant homicidia in parte, contra quam pugnatur, sed etiam in ea, pro qua arma suscipiuntur; propterea etiam talia homicidia tribuuntur militantibus in bello iniusto, quoad culpam: vnde hæc irregularitas non est ex delicto, vt aduertit Filliuc. *num.* 263.

QVÆRES XXXV. An Regulares, etiam eiecti à Religione in perpetuum, etiam laici (quos vocant Conuersos) etiam Nouitij eodem modo prohibeantur interesse bello, ac prohibentur Religiosi professi.

203. Respond. Regulares quidem eiectos, & laicos prohiberi (cum hi verè sint Religiosi, ac personæ Ecclesiasticæ, & illi quantumuis in perpetuum èiecti à Religione, non ideò desinant esse Religiosi: & alioqui ex *cap.* 1. *ne Cler. vel Mon.* & *cap. ex multa de voto* generaliter prohibeantur Ecclesiastici pugnare in bello aggressiuo, quamuis iusto, eò quod talis actio sit valde aliena à ministerio sacerdotali, & statu Ecclesiastico;) non item Nouitios, stando in rigore iuris, quippe qui in odiosis non veniunt nomine Religiosorum, nec censentur personæ Ecclesiasticæ, adeóque non subiiciuntur prohibitionibus latis contra Regulares, ac Ecclesiasticos, cùm odia non debeat ampliari, sed restringi. Dixi, *stando in rigore iuris:* cùm enim sit valdè indecens, vt Nouitius, qui in ordinariis experimentis Religionis probari debet tempore nouitiatus, militet ueguriis sæcularibus, & regularis vitæ statum intermittat, etiam ad tempus; vtique censendus est comprehendi sub præfata prohibitione, saltem ex epicheia; quamquàm aliàs non subiaceat suspensioni, de qua *quæst præced.* cum ipse reuera non sit persona Ecclesiastica, & pœnæ semper debebeant strictè interpretari.

QVÆRES

QVÆRES XXXVI. An Regolares hoc ipso, quod pugnant in bello ex dispensatione Papæ liberè possint pugnare absque periculo irregularitatis.

204. Respond. posse, & consequenter non effici irregulares, quamuis propria manu interficiant, aut mutilent. ita Sayr. *lib. 6. de censur. cap. 19. num. 14.* cum Panorm. Tab Con. Philiarc. Henriq. & aliis; patétque, quia cù Papa si supra humanas Constitutiones (qualis est inductio irregularitatis) potest in iis dispensare, imò & censetur dispensare hoc ipso, quod dat facultatem faciendi actum contrarium humanæ Constitutioni; quo modo, inquit B Medin *lib. 1. instruct. cap. 11. §. 11.* si Papa venderet alicui beneficium Ecclesiasticum, censeretur eum dispẽsare, quoad incurrendas pœnas latas contra Simoniacos: oppositum tamen sustinent alij, apud ipsum Sayrum eo moti fundamento, quod Papa in concessione pugnandi præsumitur dispensare solùm, vt quis aliàs prohibitus, vti possit armis ad se defendendum, non autem ad alios offendendos.

QVÆRES XXXVII. An Religiosi incurrant irregularitatem, si occidant, aut mutilent in bello iniusto, cum tamen putent illud esse iustum.

205. Respond. incurrere, non tamen eam. quæ dicitur ex delicto, & iuxta dicta supponit peccatum. mort. sed eam, quæ dicitur ex defectu lenitatis, & contrahitur ab occidente, aut mutilante in bello iusto; sicut diximus *q. 33.* Cuius responsionis ex est ratio, quod respectu Religiosi non agnoscentis iniustitiam belli, bellum non est iniustum, nisi materialiter, ac proinde ex bona fide, quam suppono interuenire in præsenti casu, excusatur dictus Religiosus ab incurrenda irregularitate, quæ est ex delicto, &, vt dixi, necessario prærequirit delictum.

206. Vbi notandum, multùm referre ad effectum obtinendæ dispensationis, quod irregularitas contracta sit ex defectu lenitatis, & non ex delicto, si quidem quæ incurritur ex defectu lenitatis, probabile putant Couar. Sà, Barb. aliique *7.* DD. apud Dianam *part. 4. tract. 2. resol. 69.* quod potest dispensari ab Episcopo, & Prælato regulari, si dispensandus sit Religiosus; quod etiam docet Filliuc. *tract. 19. num. 282.* generaliter asserens habentes priuilegium dispensandi in irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, posse dispensare etiam in iregularitate, quæ incurritur ex defectu lenitatis: si quidem sub homicidio voluntario non comprehenditur illud, qood fit iustè, sed tantũ quod fit iniustè, vt docet Nau. Caiet. Viuald. Henriq. Sayr. & alij relati ab ipso Filliuc. addente in facti cõtingentia sic Romæ resolutũ fuisse.

207. QVÆRES XXXVIII. An Regularis afficiatur irregularitate, si alium hortetur ad bellandum, ad moriendũ, pro Christi fide, aliaque idgenus præstet. ex quibus sequatur mors, aut mutilatio alterius.

Respond. non affici; cùm sic non possit dici cooperari morti, aut mutilationi alterius, sed potius ardori charitatis, & actui virtutis ex parte illius, qui moritur, aut mutilatur. ita Sayr. *lib. 6. c. 19. n. 9.* Henriq. *lib. 14. cap. 16. num. 4.* aliique penes Bonac. *part. 4. num. 6.* qui ait secùs dicendum de eo, qui alium hortatur ad opus illicitum periculosum, ad quod de facto sequitur mors: hac enim secuta, siue dubio fit irregularis exhortator.

208. Addit Bonac. *num. 9.* præbentem, seo vendentem arma in bello iusto non esse irregularem, etiamsi arma sint offensiua: idque *ex cap. petitio tua*, superiùs allegato, secùs, si præbeat arma in bello iniusto: tunc enim fit irregularis, cum ei imputentur homicidia in tali bello commissa, & alioqui nulo iure, quod exter, excusentur ab incurrenda irregularitate.

De Irregularitate, quæ incurritur medendo, aut Chirurgiam exercendo.

209 *Irregularis est, qui exercet Chirurgiam, aut Medicinam contra regulam Artis, & quidem secando, aut vrendo.*

210 *Limita, nisi debitè præcaueat periculum mortis, aut mutilationis.*

211 *Et hoc etiam iuxta* cap. tua nos, de homcidio.

212 *Hanc Irregularitatem non incurrunt Religiosi laici nec Clerici in minoribus.*

213 *Non est irregularis, qui ex necessitate Chirurgiam exercet, etiam secando.*

214 *Regulares in 5. casibus Chirurgiam exercentes extra necessitatem non fiunt irregulares.*

215 *Irregularis est, qui infirmo dat medicinam dubiam, si inde moriatur infirmus.*

216 *Secus, si detur medicina regulariter non periculosa.*

217 *Non fit irregularis, qui iuuat Chirurgum ad secandum membrum in casu permisso.*

218 *Item non fit, qui venam secat ad minuendum sanguinem.*

QVÆRES XXXIX. An & quo casu Regulares contrahant irregularitatem exercendo officium Medici, aut Chirurgi.

Respond. quod, quamuis Molin. *tr. 3. D. 75.* Sayr. *lib. 7. de cens. cap. 6. n. 9.* aliique communiter apud Bonac. *supr. p. 5. n. 4.* in hac quæstione distinguant asserentes exercentem officium Medici, aut Chirurgi non incurrere irregularitatem, si exerceant iuxta regulam artis citra abscissionem. seu adustionem (cum sic nullibi reperiatur sub irregularitate prohibitus vsus Medicinæ, ac Chirurgiæ, neque laicis, neque Ecclesiasticis, siue sæcularibus, siue regularibus:) incurrere verò, si exerceant contra Regulam artis, & medeantur abscindendo, aut adurendo: cum in *cap. sententiam sanguinis, ne Cler. vel Monach. & cap. tua nos, de homicid.* Monachis. & quibuscumque Clericis in sacro Ordine constitutis specialiter prohibeatur vsus artis Chirurgicæ per incisionem, seu adustionem: idque ob periculum mortis, quod inde solet prouenire: ex quo fit, vt, si illi, non obstante hac prohibitione dictam artem exerceant, & inde sequatur mors, fiant irregulares, estò in casu particulari non habeant culpam; & hoc ob exercitium actionis periculosæ à iure prohibitæ ratione talis periculi. 209.

Quamuis inquam, DD. modo dicto distinguant, & bene, loquendo de iis, qui Medicinam, & Chirurgiam exercent secando, & adurendo, non præmissa debita diligentia ad vitandum periculum mortis, aut mutilationis; ista tamen doctrina magnam habet difficultatem in casu, quo supradicti vtantur sufficienti diligentia ad præfatum periculum cauendum. idque ob eam doctrinam. quam tradunt Coninchus, Hurtad. Præpos Filliuc. Tanner Henriq. & Sà penes Dianam *p. 4. tract. 2. reso. 20.* quod scilicet non incurratur irregularitas ex opere illicito, etiam periculoso, & de se tendente ad homicidium, si adhibeatur debita diligentia ad cauendum periculum (quod probabimus *infra quæst. 56.* hæc eum doctrina videtur habere locum etiam in præsenti casu, non obstante quòd per sacros Canones. Regulares modo supradicto prohibeãtur exercere Chirurgiam; siquidem talis prohibitio non facit, vt vsus Chirurgiæ habeat maiorem cõnexionem cum periculo mortis, & magis ineuitabilem, quam haberet seclusa dicta 210.

prohibitione: vt pote quæ est planè extrinseca vsui Chirurgiæ: vnde, si citra prohibitionem vsus Chirurgiæ non habet talem connexionem, neque habebit, posita prohibitione, præter quam quod minùs sufficienter probari potest, quod positis aliis paribus vnus debeat censeri homicida, ac incurrere irregularitatem, eò quod vacet operi periculoso sibi prohibito: alius verò, cui tale opus non est prohibitum, nō sit homicida, nec subiiciatur irregularitati. Quod si hæc doctrina admittenda est in aliis casibus (quo modo re vera admittunt citati DD.) cur etiam non est admittenda in præsenti casu, quo Regularis exercens Chirurgiam Religiosis prohibitam ob periculum mortis ex eius vsu imminens potest vti debita diligentia ad cauendum tale periculum.

211. Certè non obstat *cap. tua nos de homic:* quin potius facit pro nobis, cum vbi Papa dicat monachum, illum, de quo agitur posse celebrare, si peritus omnem diligentiam adhibuit, & culpa mulieris illius mors accidit: alioquin, si imperitus, aut negligens fuerit, ab altari amouendum esse: quod est dicere Monachum illum fore irregularem, si qua ratione sua temeritate fuerit causa, quod mulier illa ab ipso curata moreretur: aliàs non. Vnde Coninch *D.18 de censur.n.*87. Sotus *lib.5.de iust.quæst.*1.*art.*9. §.3.& Præpos.*in 3.part.quæst.*5. *de irregul.d.* 10.*n.* 86. censens Monachum supradictum verè non fuisse irregularem, & consequenter non indiguisse dispensatione; idque non obstante quod *in cap. tua nos* allegato dicatur *post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi* posse (quæ verba indicare videntur dispensationem;) nam, vt obseruat Præpos. similia sæpè adduntur in iure ad significandum salutare esse præmittere aliquam satisfactionem ob aliqualem culpam, quæ fortè interuenerit, non autem quod hoc sit omninò necessarium: quæ expositio inde fit probabilior, quod misericordia non necessariò supponit irregularitatem, sed delictum, ob quod præfato Monacho prohiberi poterat vsus Ordinis, qui tamen ex misericordia eius fuit prohibitus.

212. Addo ex Molin.*num.*2.quod, sicut hanc Irregularitatem non incurrunt laici exercentes Chirurgiam incidendo, aut adurendo, etiamsi sint initiati minoribus Ordinibus; ita nec eam incurrent Regulares laici, aut etiam Clerici nondum in sacris constituti; quippe qui non comprehenduntur sub prohibitione *cap. sententiam ne Cler. vel Mon.* quod solùm loquitur de Sacerdotibus Diaconis, aut Subdiaconis: constat autem irregularitates non debere extendi ad personas iure non expressas.

Qværes XL. An Regularis exercens Chirurgiam secando, & adurendo, secuta morte infirmi, fiat irregularis, si id fecit vrgente necessitate, siue extrema, siue etiam graui.

213. Respond non fieri; & probatur, quia hæc Irregularitas non incurritur sine culpa mortali, aut veniali homicidij, vel mutilationis contra quintum præceptum decalogi, aut certè nisi mors, vel mutilatio sequantur dante aliquo operam rei illicitæ, ex qua natæ sint sequi, vt apertè colligitur ex *cap. ad aures de at. & qual.ord.* & fusiùs probat Molina *supr. num.* 1. at in nostro casu nollum horum interuenit, vt bene ostendit idem Molin. *num.* 3. & vel hinc constat, quod prohibitio facta in iure Regularibus, aliisque constitutis in ordinibus sacris, ne ij Chirurgiam modo supradicto exerceant, per epicheiam legum, ac dispensationum interpretem non debet præsumi, quod extendatur ad casus, in quibus charitas omnino petit, vt non sint prohibiti: semper enim per epicheiam censendi sunt excepti à legibus illi omnes euentus, qui, si legislatori occurrissent, quando legem condidit, aut ei fuissent propositi, aut de illis fuisset interrogatus, verisimiliter eos excepisset, aut respondisset se non intendere illos sua lege comprehendere iuxta regulam iuris: *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus:* quæ regula locum habet in quacumque alia dispositione; quo fit, vt, cum in casu proposito Regularis exercendo Chirurgiam nullo modo peccet, nec det operam rei illicitæ, (vt iam probatum est) nullatenus dici debet incurrisse irregularitatem. ita Bonac. *num.* 4. cum Mol. & aliis monens *in cap. tua nos* Monachum illum denunciatum fuisse irregularem, eo quod sine necessitate aperuerit apostema illius mulieris, vtpote quæ facilè potuit adire alium Chirurgum.

Qværes XLI. An dentur aliqui casus, in quibus Regulares citra necessitatem exercentes Chirurgiam, eximantur ab incurrẽda irregularitate.

Respond. dari quinque casus: quorum 1. est, si Regularis iuxta Artis regulam secet, aut adurat, & mors infirmi sequatur non ex vi sectionis, vel adustionis sed ex morbi grauitate: Diana *supr.* ex Auila contra Suar. *supr. D.*47 *sect.*7.*num.*4.& alios; 2. est, si Regularis solum iubeat incisionem, aut adustionem secundùm Artem; pœna quippe lata contra facientes non ligat mandantes. Bonac.*n.*5.cum Mol. Rodriq. & aliis: 3. est, si Regularis solùm applicet emplastrum iuxta præcepta Artis, & apostema se se aperiat mortem causans sine culpa infirmi, is namque non exercet Chirurgiam adurendo, aut secando, Molin *supr. num*,4. aliique: 4. est, si Regularis secundùm leges Artis exerceat officium Medici, & Chirurgi absque adustione, & abscissione: aut certè, si id faciat incidendo, mors, quæ fortè inde sequitur, non procedit ex culpa Chirurgi, sed potiùs ob defectum infirmi, eo quod v.g. non habeat eam membrorum qualitatem, quam habent alij, aut certè repentino correptus sit timore: quo modo mors est casualis, Bonac. *supr.* ex Vgol. 5. casus est, si Regularis inscius, aut immemor prohibitionis superius explicatæ medeatur secando, aut vrendo, bona fide putans se posse id licitè facere: sicut enim tunc non peccat, ita nec incurrit irregularitatem ob doctrinam præced. quæst. adductam Mol. *num.*3.§. *quamuis.* 214.

Qværes XLII. An Regularis afficiatur irregularitate si infirmo præbeat medicinam, quam nescit, & dubitat ipsi profuturam esse.

Respond. distinguendo: vel in tali casu occurrit medicina certa, vel non occurrit, sed solùm dubia; 215. si primum, Regularis vtique peccat, & secuta morte infirmi fit irregularis, vtpote agens imprudenter, & contra charitatem in re tam graui; si secundum, tunc adhuc distinguendum est; vel salus infirmi nondum est desperata; & sic Regularis peccat, & afficitur irregularitate, si moriatur infirmus; si quidem euenire potest, vt æger vi talis medicinæ moriatur, cum omnia medicamenta venena sint *lib. qui venenum ff. de verbor. significat.* vel salus infirmi est desperata; & tunc Regularis præbendo medicinam dubiam neque peccat, neque incurrit irregularitatem, esto sequatur mors infirmi: cum in tali casu prudentius agatur applicando remedium dubium cum aliquali spe salutis, quam relinquendo infirmum in statu desperatæ salutis. ita Sanch. *lib.* 1. *in decal. cap.* 9. *num.* 39. aliique penes ipsum (quamuis ibi nullam mentionem faciat de irregularitate) Diana *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 132. &

& Bonac. *supr. num.* 3. monens idem proportionaliter dicendum & de Chirurgo in dubio, membrum aliquod secandum, aut comburendum sit, nec ne.

Quod si hac occasione quæras, an incurrat irregularitatem Religiosus, qui sine consilio Medici præbet alteri medicamentum aliquod periculosum, (v. g. Antimonium) si iudicio peritorum contingat illum alterum mori vi talis medicamenti: quod sine dubio potest euenire, & de facto euenit.

216. Respond. Sayr. *lib. 7. de censur. cap. 6. num.* 12. ea Innoc. Couarr. Henriq. & aliis incurrere, si tale medicamentum dedit non solùm absque consilio Medici, sed contra eius prohibitionem: probátque, quia sic operam dat rei sibi prohibitæ, ac periculosæ, ex qua probabiliter subsequi poterat mors, & de facto subsecuta est. Verùm non puto hac in re ita facilè ingerendum esse scrupulum, nisi medicamentum sit adeò periculosum, vt ferè semper inferat mortem: (quod certè non habet locum in Antimonio, quod modò sumitur ita contemperatum, vt plerumque prosit sumentibus, non obsit.) Mouet, quod, sicut notat Sayr. *num.* 9. ars Medicinæ non est prohibita Religiosis, dummodò in eius vsu non interueniat incisio, aut adustio, nec vllum probabile periculum mortis; at in casu proposito potest euenire quod nullum horum interueniat; ergo in tali casu non incurretur irregularitas; quæ iuxta dicta non incurritur, nisi ab exercente actum prohibitum, ac periculosum: præterquam quod in isto casu potest suffragari bona fides, quæ, vt diximus *quæst. præced.* excusat ab incurrenda irregularitate.

QVÆRES XLIII. An Religiosus efficiatur irregularis, si adiuuet Chirurgum ad secandum in casu permisso membrum.

217. Respond. non effici; & probatur, quia irregularitas, sicut non incurritur, nisi sit expressa in iure; ita nec extenditur ad personas in ipso iure non expressas; in nostro autem casu irregularitas lata est contra Clericos per se ipsos secantes, non item contra adiuuantes (vt in casu nostro;) quæ ratio item probat non fieri irregularem Religiosum, qui iuxta regulam artis consulit, vt membrum cancro infectum abscindatur: siquidem hoc non est abscindere (quod prohibetur Clericis,) sed quid diuersum, vt patet. ita Mol. *supr. num.* 1. & cum eo Bonac. *num.* 5. & 6. citans alios.

QVÆRES XLIV. An Regularis contrahat irregularitatem latam *in cap. tua nos* superiùs allato, si alteri secet venam minuendo sanguinem.

218. Respond. videri probabile, quod non; & probatur, quia venæ sectio non est actus Chirurgiæ (cum plerumque fiat à Tonsoribus, teste quotidiana experientia) adeóque in iure non est prohibitus Religiosis, & Clericis in sacris constitutis: cum ibi non prohibeatur nisi exercitium Chirurgiæ, quod fiat secando, & adurendo: in pœnalibus autem, ac odiosis non admittitur extensio à paritate rationis eorum quæ reperiuntur disposita in iure. ita Mol. *supr.* & Diana *p. 4. tract. 2. resol.* 24. contra Auilam, & Bonac. apud ipsum Dianam oppositum sustinentes.

De Irregularitate ex Homicidio facto in defensionem, siue propriam, siue aliorum.

219 *Non est irregularis, qui occidit in iustam sui defensionem.*
220 *Si id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ.*

221 *Idque etsi aliquantulum excedat.*
222 *Imo & in casu, quo inuasus, & occidens dat causam inuasioni iniustam.*
223 *Limitant aliqui, sed limitatio non est necessaria.*
224 *Non est irregularis, qui occidit in defensionem rerum suarum temporalium.*
225 *Nec obstant aliqua iura, quæ in contrarium afferuntur, & explicantur.*
226 *Non est irregularis, qui occidit in defensionem sui honoris, ac pudicitiæ.*
227 *Non est, qui occidit in defensionem sui proximi.*
228 *Siue id fiat in defensionem honoris, aut pudicitiæ, siue bonorum temporalium.*
229 *Item non est, qui occidit ad cauendum in se ipso vulnus graue.*
230 *Irregularis est Religiosus, qui cum possit fuga sibi consulere absque infamiæ nota, occidit in sui defensionem.*
231 *Limitant aliqui, sed reijciuntur à Filliucio.*
232 *Non est irregularis, qui in sui defensionem est in causa, vt alter occidat.*
233 *Irregularitas ex homicidio facto in sui defensionem, dici potest ex homicidio casuali.*
234 *Sicq; in ea dispensat Episcopus.*

QVÆRES XLV. An, quo iure, & quando incurratur irregularitas ex homicidio facto in defensionem propriæ personæ.

Respond. quod, licèt olim iuxta ius antiquum id fuerit valdè controuersum, ita vt S. Thom. 2. 2. *q.* 64. *num.* 7. *ad* 3. dicat Clericum, qui se defendendo interfecit alium, fieri irregularem propter *cap. de his Cleric.* 1. *d.* 50. sicque senserint aliqui Iuristæ; iure tamen nouo in proposito casu non incurritur irregularitas, quandocumque defensio fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, est communis DD. apud Suar. *supr. D.* 46. *sect.* 1. *num.* 2. patétque, tum ex Clem. *vn. de homicid.* vbi id expressè resoluitur: tum quia tale homicidium humano modo non est voluntarium, sed necessarium, & alioqui est inculpabile (vt suppono) ideóque non debet puniri irregularitate, neque in pœnam, cùm non sit culpa, neque ob defectum lenitatis, cum hîc non interueniat, vbi adest necessitas defensionis: tum quia, si quæ iura videntur obstare, ea debent interpretari de homicidio facto cum defensione immoderata, & culpabili: quo casu vtique incurritur irregularitas, cum sic cesset ratio, & dispositio iuris. 219.

Tunc autem dicitur fieri defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando concurrunt hæ 4. conditiones; videlicèt vt fiat, quando vis ab altero infertur iniustè; vt occisio fiat in ipso actu aggressionis, quando, scilicet alter actum aggressionis censetur moraliter inchoasse, néc aliter euitari potest proprium damnum, quàm occidendo; aut mutilando: vt inuasus probabiliter credat se occidendum, aut mutilandum; vt denique adhibeatur ille modus læsionis, qui simpliciter est necessarius ad defensionem; vnde, si possis te defendere solùm mutilando, aut vulnerando, aut etiam clamando, vel fugiendo absque nota dedecoris, & occidas, defensio est immoderata, & incurris irregularitatem. ita Filliuc. *tract.* 20. *num.* 137. aliíque communiter, inter quos Sot. P. Nau. Couar. & Henriq. apud Filliuc. bene aduertunt, quod si periculum imminens ex alterius insidiis sit tale, vt nisi præueniatur insidiator occisurus sit eum, cui parantur insidiæ, probabile est posse præueniri: cum talis præuentio sit moralis quædam defensio. 220.

Dices, quid si aliquantulum excedatur modera-

men inculpatæ tutelæ, incurriturne tunc irregularitas?

221. Respond. non incurri, si excessus sit leuis, & per culpam tantùm venialem: cum enim irregularitas sit pœna grauis, & pœna debeat proportionari culpæ, non est æquum, vt pro culpa leui imponatur pœna grauis; præter quam quod talis irregularitas esset moraliter ineuitabilis, aut certè semper esset timenda, & seruanda, saltem ob dubium probabile facti, cum nemo sit, qui in ea occasione non possit meritò timere aliquem excessum venialem. Ita Suar. *num.* 9. aliique communiter penes Bonac. *D* 7. *de cens. in com. q.* 4 *p.* 6. *n.* 5. qui benè addit ex Mul. *tract.* 3. *D.* 72. *n.* 8. P. Nauar. *l.* 2. *de restit. cap.* 3. *n.* 337. & aliis in casu iustæ defensionis factæ cum debito moderamine non incurri irregularitatem, etiamsi inuasor occidatur ex odio, & animo sumendi vindictam, siquidem in tali euentu actus externus homicidij non est iniustus, adeóque non subiacet irregularitati, quantumuis adsit praua illa voluntas, cùm irregularitas non incurratur ratione actus interni, sed externi, vt patet.

Grauior difficultas est, an licita sit defensio modo dicto etiam in casu, quo inuasus dederit causam inuasioni: vt si quis adulterium faciat cum aliena vxore, & postea inuasus ab illius marito ipsum occidat.

222. Respond. etiam in tali casu esse licitam defensionem, & consequenter non incurri irregularitatem, si occisio fiat cum supradicto moderamine. Probatur tum ex Clem. superiùs citata, vbi expressè id definitur, tum quia inuasus dando causam inuasioni, etiam iniustam, non ideò amisit ius se defendendi; qui autem habet ius se defendendi, non afficitur irregularitate, si occidat inuasorem cum debito moderamine; & quidem quod inuasus in casu proposito non amittat ius se defendendi, ex eo constat, quod inuasor peccat mort. eum occidendo, estò quoad forum externum occidat impunè: ergo signum est inuasum adhuc retinere ius seipsum defendendi: aliàs inuasor non peccaret eum occidendo. Ita Less. *l.* 2. *cap.* 9. *n.* 106. aliique apud Suar. *num.* 10. & Dianam *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 2. contra Molin. Nauar. Vgol. Maiol. & alios apud eundem Dianam, quorum opinionem dicit Suar. *num.* 11. esse etiam probabilem; nobiscum sentiunt Portel. *de dub. Regul. ver. homicid. num.* 32. & Diana *supr.* absolutè asserentes nostram sententiam esse probabilem, modò homicidium fiat cum moderamine, & sine peccato.

223. Dixi, *absolutè.* Laym. enim *l.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. Coninch. *D.* 18. *de censur. n.* 74. & Suar. *supr. num.* 11. conciliantes has inter se pugnantes sententias asserunt in præsenti casu tunc inuasum incurrere irregularitatem, quando potuit ante præuidere ex tali occasione se deuenturum in periculum, aut occidendi, aut moriendi: cum sic homicidium fuerit voluntarium in causa, secus, si sibi persuadebat nullum tale periculum hîc, & nunc interuenturum esse; cum sic homicidium neque in se, neque in causa fuerit voluntarium; quæ distinctio sine dubio non est absque fundamento, quamuis non adstringamur eam sequi, vt constat ex dictis.

Qværes XLVI. An incurrat irregularitatem, qui in defensionem rerum suarum temporalium alterum occidit.

224. Respond. non incurrere, si nocumentum temporale sit graue, & actu iniustè inferatur; si non sit reparabile, aut certè nonnisi cum magna difficultate, ita vt censeatur damnum nimis graue; si defensio sit moderata, & non transcendat rationem defensionis; si denique aliter fieri non possit defensio, nisi per mortem aggressoris. Ita Coninch. *supr. n.* 89. Filliuc. *n.* 151. Portel. *num.* 34. aliique plures, quos refert, & sequitur Diana *resol.* 4. contra Auilam, Regin. Salon. aliosque plures ab eodem Diana adductos: & probatur, quia irregularitas non incurritur ex homicidio priuato, nisi, quando homicidium est peccaminosum (quod si iudex incurrit irregularitatem occidendo, licèt occisio sit inculpata, id prouenit, quia homicidium illi est voluntarium, quatenus spontè sese ingerit illi ministerio: quod non euenit in casu nostro, quo occidens moraliter cogitur occidere, vt notauit Suar. *supr. sect.* 2. *num.* 4.) homicidium autem in præsenti casu non est peccaminosum, vt patet; præterea non incurritur irregularitas, nisi sit expressa in iure; at in iure non est expressa irregularitas contra eum, cui alterum occidit in defensionem suarum rerum temporalium (cum debito tamen moderamine ergo.

Nec obstat *cap. suscepimus, de homicid.* vbi quidam Religiosi denuntiantur irregulares, eò quod occidissent fures ad res suas seruandas; siquidem id fit, non quod sua moderatè seruauerit, sed quod dederint occasionem homicidio eos vi ligando, ac occidendo, dum vellent se soluere; cum tamen aliàs potuissent se, & sua seruare. Non obstat item Clem. *si furiosus,* quæ excipiens ab irregularitate, solùm occidentem ad sui defensioné, innuit occidentes alium ad defensionem rerum suarum manere irregulares: nam in materia pœnali, ac odiosa non valet argumentum à contrario sensu; cuiusmodi tamen est, quod adducitur in præsentia, qua de re plura Suar. *vbi supr. à num.* 5. 225.

Qværas XLVII. An sine periculo irregularitatis liceat alium occidere in iustam defensionem proprij honoris, ac pudicitiæ.

Respond licere, & patet, quia honor, & pudicitia pluris æstimantur, quam multæ opes; ergo si iuxta dicta *q. praeced.* licitum est occidere absque periculo irregularitatis in defensionem bonorum temporalium, & id licebit in defensionem honoris, ac pudicitiæ. Ita Less. *num.* 76. 77. ex communi. 226.

Qværes XLVIII. An subiiciatur irregularitati, qui in defensionem licitam proximi alterum occidit.

Respond. Non subiici, siue defensio fiat solùm ex charitate, siue etiam ex obligatione iustitiæ. Ita Diana *resolut.* 5. cum Couar. Maior. Suar. Tannero, Hurtado, Coninch. Mercero, Villalob. Filliuc. & aliis contra Layman, Nauar. Auil. Syluest. & alios ab eodem Diana allegatos: patétque, tum, quia ista irregularitas non est expressa in iure; non incurritur autem irregularitas, nisi sit expressa in iure, vt sæpiùs dictum est: tum, quia ad incurrendam irregularitatem ob priuatum homicidium requiritur culpa homicidij (vt probaui *q.* 46. & vel hinc constat, quòd licet vim vi repellere in defensionem, tum propriam, tum proximi; sicut concedunt communiter DD. apud Bonac. *supr. num.* 11.) nullum verò interuenit peccatum in præsenti casu; siue defensio fiat ex sola charitate, siue etiam ex obligatione iustitiæ; tum quia percutiens, aut occidens Clericum in defensionem proximi non incurrit excommunicationem, vt tradunt DD. communiter cum Innoc. *in cap. si vero, de sent. excommunic.* ergo nec incurret irregularitatem, qui in eiusdem proximi defensionem alium occidit; cùm peccatum non minus requiratur ad contrahendam irregularitatem præsentem, quàm ad incurrendam excommunicationem datam *in cap. si quis suadente Diabolo.* 227.

Qværes XLIX. An, fiat irregularis, qui alterum

alterum occidit in instam defensionem bonorum temporalium, honoris, ac pudicitiæ proximi.

228. Respond. non fieri, si defensio sit probabilis, & seruetur debitum moderamen. ita in terminis Portel. *n.* 34. patétque tum ex dictis, *q. praced. & q.* 46. tum quia, sicut licitum est, imò aliquando obligatorium, defendere innocentem vsque ad mortem inuasoris; ita & eodem modo licet defendere eius bona temporalia, vtpote quæ sunt valde necessaria, saltem ad conseruationem proprij status: alioqui, si ea non possent impunè defendi, præberetur prauis hominibus licentia inferendi iniurias, & qui eas paterentur, constituerentur in graui necessitate.

QVÆRES L. An sit irregularis, qui ad euitandum in se ipso vulnus graue, inuasorem occidit.

229. Resp. non esse; & probatur, tum quia qui sic se defendit, censetur vitam suam tueri, cùm id spectet ad vitæ consistentiam, adeóque non peccat, & si non peccat, nec subiiciendus est irregularitati: tum quia inter homines ingenuos tanti æstimatur grauis deformatio vultus, quanti grauis diuitiarum iactura; ergo; sicut iuxta dicta *quæst.* 46. licitum est occidere proximum ad conseruanda bona temporalia, ita & id licebit ad vitandum grauem vultus deformitatem: ex opere autem licito constat non incurri irregularitatem, de qua hic agimus. ita Bonac. *num.* 8. cum Sayro, Henriq. & aliis, Diana *resolut.* 6. aliíque apud ipsum.

QVÆRES LI. An afficiatur irregularitate Religiosus, aliusve Clericus, qui, cum possit fugiendo, aut clamando mortem euadere, inuadit aggressorem, cúmque occidit, aut mutilat.

230. Respond. affici, & probatur, tum quia *in Clement. vn. de homicid.* solùm excipitur casus, in quo quis aliter non possit vitare mortem; hoc autem non euenit in præsenti euentu: cum Religiosus, & Clericus regulariter sine nota ignominiæ per fugam possint sibi consulere: tum quia in tali casu Religiosus peccat coram Deo proximum occidendo sine morali necessitate: ergo & meretur puniri ea pœna, qua punitur homicidium culpabile, videlicet irregularitate. ita Suar. *supr. sect.* 1. *n.* 5. Filliuc. *n.* 133. Coninch. *num.* 90. aliíque plures apud Dianam *resol.* 3. contra Auil. Maiol. Regin. Laym. & alios à Diana citatos; inter quos notat Filliuc. si detur in aliquo casu fugam esse ignominiosam Clerico, posse tunc Clericum sine periculo irregularitatis occidere inuasorem, iuxta Felin. *in cap. suscepimus, de homicid.* quod enim fieri non potest sine dedecore, aut propria infamia, moraliter reputatur ineuitabile; & perinde est, ac si aliter fieri non possit. Quæ doctrina sine dubio haberet locum etiam in Religioso, si daretur ea hypothesis; verùm vix puto posse contingere, quod ea detur: ideóque generaliter dici potest Religiosos in casu proposito subiici irregularitati, si potentes sibi consulere fuga inuasorem occidant: quamquam iuristæ apud Filliucium *sup.* absolutè tradant, etiamsi quis possit sine infamia fugere, non teneri; & si occidat, non incurrere irregularitatem: quod etiam sustinet Diana *p.* 2. *tract.* 15. *resol.* 16. ex Suar. Coninck, & Bonacina.

231. Quod autem dicunt aliqui cum Suar. *sup. n.* 6. doctrinam in præsenti responsione generaliter traditam limitandam esse, nisi is, qui fugere cogitur prior intulerit iniuriam (v.g. dando alapam) hunc quippe censent teneri fugere, etiam cum proprio dedecore, & si occidat, manere irregularem: quippe qui debet sibimet imputare ignominiam ex tali fuga prouenientem: hoc, inquam, non admittit Filliuc. *n.* 133. nisi in casu, quo id totum præuisum fuit, aut potuit præuideri ab inferente iniuriam: secùs, si illud omnino per accidens consequatur; tunc enim videtur retinere ius, quod aliàs habebat, permanendi, & si opus sit, etiam occidendi inuasorem; sic Filliucius, quam probabiliter, tu cogita, inquit Diana *supr.*

QVÆRES LII. An efficiatur irregularis, qui inuasus ab alio, vt occidatur, alium vocat ad sui defensionem, eique arma præbet, vt se defendat, & ... a caneta occidat inuasorem.

Respond. non effici, & patet, quia quicumque potest se tueri per se ipsum, potest & per alium: sicque eximitur ab irregularitate tam defensus, quàm ipse defensor. Imò, si contingat defensorem occidi ab inuasore, non ideo fiet irregularis ille, qui eum aduocauit in suum patrocinium: cum id licitè fecerit, & occisio defensoris per accidens consecuta sit. ita Suarez *supr. sect.* 3. *n.* 6. & cum eo Bonacina *num.* 9. addens *num.* 6. non fieri irregularem eum, qui captus ab hostibus volentibus eum occidere, interficit custodem, vel alium cuius custodiæ commissus est, si aliàs non potest euadere, & moraliter certus sit se ab iis occidendum: hoc enim est vim vi repellere. 232.

QVÆRES LIII. Qualis sit irregularitas, quæ incurritur ex homicidio facto in sui defensionem.

Respond. eam non debere dici ex homicidio voluntario, cum non fiat ex proposito, siue ex industria, quod requiritur in homicidio simpliciter voluntario: sed potiùs ex homicidio casuali; cum homicidium factum in defensionem multis modis dici possit casuale, vt ostendit Filliuc. *num.* 144. qui tandem dicit eiusmodi irregularitatem dici posse ex homicidio necessario, vtpote quod fit in defensionem sui, aut aliorum. 233.

Vbi noto multùm referre, quod ista irregularitas dicatur incurri ex homicidio voluntario, aut ex necessario, vel casuali si enim dicatur incurri ex homicidio necessario, aut casuali occulto, docent Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resolut.* 70. & alij penes Laym. *cap.* 12. *num.* 2. Episcopum posse in eo dispensare, eo quòd non censetur simpliciter voluntarium, ideóque comprehenditur sub decreto Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. quamuis aliàs tale homicidium dicatur ex delicto, quatenus in eo ferè semper interuenit aliquis excessus saltem venialis, vt aduertit Filliuc. *num.* 145. 234.

De Irregularitate ex Homicidio casuali.

235 *Explicatur, quid sit Homicidium casuale, & indicatur esse varium.*
236 *Ex homicidio casuali voluntario, saltem indirectè oritur Irregularitas.*
237 *Idque etsi homicidium fiat à dante operam rei licitæ, sed non semper.*
238 *Ab hac Irregularitate excusat Inaduertentia.*
239 *Hac Irregularitas supponit culpam mortalem.*
240 *Quod fallit, quoad homicidium, factum ex publica potestate cum defectu lenitatis.*
241 *Hac Irregularitas non incurritur, si occidens det operam rei illicitæ, debitè tamen præcaueat homicidium; quod alij negant,*
242 *Occisio non est semper voluntaria facienti id, ad quod ea sequitur.*
243 *Explicantur iura, quæ afferuntur in contrarium.*
244 *Occidens Titium, cum intendat occidere Caium, non est semper irregularis.*

245 *Non est irregularis, qui percutit morientem ex imperitia medici.*

246 *Non est, qui lethale infligit vulnus moriens postea ex alia causa.*

247 *Est vero, qui immoderatè saltans cum fœmina prægnante facit eam abortiri.*

248 *Non est irregularis, qui mulieris adulterium aperit illam inde occidens.*

249 *Est verò, qui ex ioco terrens alium, est in causa vt se præcipitet.*

250 *Non est, qui in iustam pœnam tetro carceri adiudicat reum ibi morientem ex tristitia.*

251 *Est irregularis, qui ex sua graui negligentia est in causa, vt infirmus moriatur.*

252 *Non item Prælatus concedens subdito pœnitentias indiscretas, ex quibus moritur.*

253 *Quod procedit etiam in casu, quo subditum seruitio alicuius peste infectis exponit, & is ex tali seruitio moritur.*

254 *Si plures cum vno rixentur, qui ex rixa occidatur, omnes fiunt irregulares.*

255 *Secus, si pluribus alium prouocantibus ad rixam, vnus illorum inde moriatur.*

256 *Irregularis est executor homicidij casualis.*

257 *Est, qui causam mortis apponit alteri de facto vi illius morientis.*

258 *Mandans percussionem alterius iniustam, ac periculosam, si mandatarius de facto occidat, est irregularis ex homicidio casuali.*

259 *Et hoc procedit de consulente percussionem in casu proposito.*

260 *Irregularis est ex homicidio casuali, qui cooperatur homicidio ignorans intentionem principalis operantis, & aliequi non animans illum, nec vulnerans occisum.*

261 *Intellige, si aliàs proximè cooperetur homicidio.*

262 *Explicatur, qualiter in materia præsenti differant causa proxima, & causa remota.*

263 *Non obstans homicidio, cum teneatur ex charitate, interdum fit irregularis.*

264 *Irregularitas ex homicidio casuali facto à dante operam rei illicita non est ex delicto.*

QVÆRES LIV. Quid sit homicidium casuale, & quot modis dicatur.

235. Respond. esse illud, quod ex aliquo facto sequitur præter intentionem operantis: vt si iaculans in feram casu occidat hominem, aliud verò dici simpliciter tale, quòd scilicet non est volitum, neque directè, neque indirectè, id est, nec in se, nec in causa (vt si quis in ebrietate faciat homicidium à se nullo modo præuisum ante ebrietatem:) aliud non simpliciciter casuale, quod scilicet non est volitum in se, est tamen volitum in causa, quatenus fuit præuisum, & non est adhibita sufficiens diligentia ad illud cauendum, vt si quis ante ebrietatem præuidit se in ipsa ebrietate facturum homicidium, & non præmisit debitam diligentiam ad illud vitandum, (v.g. curando, vt tempore ebrietatis sibi assistant alij ad effectum impediendi dictum homicidium, &c.) quòd si talis diligentia fuerit præmissa, tunc homicidium factum in ebrietate, quantumuis præuisum, non censetur voluntarium, sed casuale.

QVÆRES LV. An incurratur irregularitas ex homicidio casuali, & quando, & quo iure.

236. Respond. incurri, si sit voluntarium, saltem indirectè, est communis Theologorum Summistarum, & Canonistarum apud Filliuc. *tract.* 20. *n.* 52. patétque tum ex *cap. significasti* 1. *& cap. dilectus, de homicid.* vbi id deciditur; tum quia homicidium eo modo indirectè voluntarium est verum homicidium, & peccatum eo modo commissum est in eadem specie cum voluntario directè; at Canones ad irregularitatem contrahendam non exigunt homicidium directa voluntate commissum, sed puniunt omnem culpam talis operis; cum quælibet dedeceat ministros Christi; ergo secus, si homicidium nullo modo sit voluntarium: tunc enim non incurritur irregularitas; vt constat tum *ex cap. lator, & cap. dilectus, de homic.* tum quia ex homicidio, quod nullo modo est peccaminosum, aut voluntarium, non inducitur irregularitas (vt superiùs probatum est:) tale autem est homicidium omnino casuale.

QVÆRES LVI. An incurratur irregularitas ex homicidio commisso à dante operam rei licitæ.

Respond. cum distinctione: vel tunc adhibetur sufficiens diligentia ad cauendum homicidium: & 237. sic non incurritur irregularitas: cum tale homicidium non sit voluntarium, neque directè (vt patet) neque indirectè: cum tale soleat esse ex interuentu alicuius negligentiæ, quæ hîc nulla adfuit, vt suppono; vel non fuit adhibita sufficiens diligentia: & sic incurritur irregularitas; cum hoc pacto homicidium sit voluntarium indirectè ob negligentiam vitandi periculum. ita Suarez *D.* 45. *de censur. sect.* 5. *num.* 1. *&* 2. asserens esse communem Theologorum, Canonistarum, & Summistarum.

Respond. Illud hîc benè notat Filliuc. *n.* 57. quòd 238. si in similibus casibus verè coram Deo non aduertatur periculum, ideóque non adhibeatur sufficiens diligentia ad illud cauendum, non incurritur irregularitas in conscientia: quamuis aliter iudicetur in foro externo: quippe quod nititur præsumptionibus; patet id manifestè *in cap. presbyterum, & cap. continebatur, de homicid.* & approbat Laym. *supr. c.* 10. *num.* 4.

Difficultas maior est, qualis negligentia in præsenti casu requiratur, & sufficiat ad incurrendam irregularitatem; num scilicet ea debeat esse mortalis, an sufficiat, quod sit venalis.

Respond. quòd, sicut ad contrahendam istam ir- 239. regularitatem in foro conscientiæ requiritur aliqua vera culpa (id est, verum peccatum) non politicum tantùm, sed theologicum (aliàs enim homicidium non posset imputari operanti, nec esset opus illius, adeóque nec faceret illum irregularem;) ita & requiritur, quòd culpa sit mortalis. ita Sot. *lib.* 5. *de iust. q.* 1. *a.* 9. Salon. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. Filliuc *n.* 61. Couinch. *D.* 18. *de censur. n.* 68. & Diana *p.* 4. *tract.* 2. *resol.* 21. cum Sylnio, & Baun. aliique; & probatur, tum quia irregularitas est pœna grauissima, loquendo de ea, quæ contrahitur ex delicto: ergo non est æquum, quod imponatur pro culpa leui, cum pœna debeat proportionari culpæ: tum quia in præsenti materia nō potest culpa dici leuis ex parte materiæ: cùm hîc agatur de occisione hominis; quæ est grauissima, adeóque non potest dici leuis, nisi ex parte deliberationis, ac voluntarij liberi; non est autem probabile ex actu indeliberato, & ex subreptione (vt loquuntur Theologi) imponi pœnam adeò grauem, id est irregularitatem: tum quia ad contrahendā istam irregularitatem requiritur homicidiū voluntariū simpliciter, quale nō est sine dubio homicidium sequens ex negligētia veniali, quod est voluntarium solùm secūdum quid.

Nec obstat, quod interdum contrahatur irregu- 240. laritas ex homicidio absque culpa (vt constat ex supradictis) id quippe est verum de homicidio facto ex publica auctoritate cum defectu lenitatis: non item de eo, quod fit priuata auctoritate, & dicitur ex delicto.

QVÆRES

QVÆRES LVII. An incurratur irregularitas ex homicidio facto à dante operam rei illicitæ, etsi adhibeatur debita diligentia ad illud cauendum.

241. Respond. quod, licèt non sit improbabilis pars affirmans ob auctoritatem DD. qui eam sustinent S. Thom. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. Caiet. Nau. Couar. & aliorum apud Bonac. *supr. D.* 7. *quæst.* 4. *par.* 7. *num.* 9. probabilior tamen videtur pars negans, quam sequuntur Sà Cauo Penna, Henriq. & Auila quos refert, ac sequitur Coninch. *supr. n.* 80. Bonac. *n. cit.* Filliuc. *num.* 66. Less. *lib.* 2. *cap* 9. *d.* 15. aliique viri doctissimi, qui vniuerse docent in præsenti casu numquam incurri irregularitatem, nisi actio, ex qua prouenit homicidium, hîc & nunc sit adeò periculosa, vt operans peccet contra ius naturæ præcisè ratione periculi occidendi, cui ille hîc, & nunc sic operando se exponit. Probatur responsio, tum quia nullo iure probatur iura voluisse punire homicidium ob solam malitiam actionis, etsi specialis negligentia non intercesserit: tum quia dans operam rei illicitæ, adhibita sufficienti diligentia, ne alius effectus inde sequatur, omninò excusatur à culpa homicidij secuti ex opere illicito, cum sit omninò inuoluntarium; ergo & excusabitur à pœna irregularitatis, quæ est imposita ob culpam: tum quia canones non statuunt hanc irregularitatem, nisi ob homicidium aliquo modo voluntarium (aliàs enim nulla esse ratio, cur furiosi, dormientes, dantes operam rei licitæ, & casu aliquem occidentes, non sint irregulares, quàm quia hoc ipsis non voluntarium:) at in præsenti casu homicidium non potest dici voluntarium, cum sic adhibita sufficiens diligentia ad illud vitandum, & alioqui ad hoc vt effectus secutus dicatur voluntarius, non sufficiat, quod sequatur ex opere illicito; vt bene aduertit Filliuc super monens hanc nostram responsionem præsertim habere locum in foro conscientiæ; quidquid sit de foro exteriori: quod etiam notauit Auila *part.* 7. *de Censur. D.* 6. *sect.* 1. *d.* 1. §. *hinc sequitur.*

Quod si dicas in præsenti casu homicidium esse voluntarium hoc ipso quod fit actio, ad quam sæpè mors alterius sequi potest.

242. Respond. negando id sufficere; quin potiùs requiritur, quod hîc & tunc spectatis omnibus circumstantiis, quæ humanitus spectari possunt mors nata sit sequi; vnde fit vt si his omnibus spectatis, actio hîc & nunc nõ appareat periculosa, mors casu secuta nullo modo imputari possit operanti tamquam voluntaria, Quod idem proportionaliter dicendum in casu, quo subest quidem periculum mortis, sed non iniuriosæ: vt si aliàs necessariò morituro à perito medico detur medicina periculosa cum probabili spe salutis, cum tamen potius mors de facto ei nonnihil vi illius acceleretur.

Obiiciunt Aduersarij *cap. vlt. de homic. in* 6. vbi dicitur eum, qui aliquem mandat verberari, expressè prohibens, ne occidatur, aut mutiletur, effici irregularem, si mandatarius occidat, aut mutilet: & *cap. tua nos de homic.* in quo denuntiatur irregularis monachus, qui omni vsus diligentia secuerat tumorem in gutture mulieris ad eam sanandam, quæ tamen sua culpa posteà est mortua; obiiciunt, inquam, hæc duo iura, inde probantes dantem operam rei illicitæ, periculosæ, affici irregularitate, si inde sequatur mors, quamuis debitam præmiserit diligentiam.

243. Verùm non probat intentum; si quidem *in cap. vlt.* ille declaratur irregularis, non quod daret operam rei illicitæ, sed quod in culpa fuerit, non aduertendo in actu verberandi subesse mortale periculum occidendi, & quidem proximum: *in cap.* verò *tua nos* potiùs confirmatur nostra responsio; cum Papa ibi dicat Monachum illum posse celebrare, si omnem adhibuit diligentiam, & culpa ipsius mulieris mors contigit; clarè indicans eum fore irregularem, si qua ratione fuerit culpabilis causa mortis illius: vt obseruat Coninch. *num.* 87. qua de re super *q.* 39.

QVÆRES LVIII. An proiiciens sagittam ad effectum occidendi Titium, fiat irregularis, si loco Titij occidat Caium, præmissa tamen diligentia, ne id sequatur.

Respond. Filliuc. *num.* 81. fieri, si certò putet se iacere sagittam in hominem, quamuis ex intentione solùm velit occidere Titium; cum sic non adhibuerit diligentiam ad cauendum homicidium, vt sic, sed tantum cauerit, vt occisus non sit alius, quàm Titius: quo modo homicidium est casuale ex indirecta voluntate ob negligentiam: secùs, si non putet ibi adesse alium, quàm Titium: sic enim si alius occidatur, id euenit præter eius intentionem, ac existimationem; ideóque occidens videtur immunis ab irregularitate, cum non intenderit homicidium absolutè, sed tantùm homicidium Titij & consequenter quodcumque aliud homicidium contingat, ipsi censeatur inuoluntarium. ita Filliuc. quamquàm dicat ad maiorem securitatem in tali casu petendam esse dispensationem ob dubium, & malitiam homicidij exterius secuti cum effectu. 244.

QVÆRES LIX. An maneat irregularis, qui alium percutit vulnere non lethali, si contingat percussum mori ex propria incuria, aut etiam Medici.

Respond. non manere: cum vulnus inflictum verè non fuerit causa mortis proxima, sed tantùm remota, & occasio, & alioqui non sit subiiciendus irregularitati, nisi is, qui verè influit in mortem, ita vt dici possit causa mortis. ita Less. *supr. num.* 102. Sayr. *lib.* 7. *de censur. cap.* 4 *num.* 16. Suar. *supr. sect.* 6. *num.* 29. aliique non pauci apud Bonac. *num.* 16. & Diana. *resol.* 10. Laym. Mol. Henriq. Nau. & alios apud eumdum Bonac. qui bene addit ad cognoscendum, cum vulneratus obierit ex vulnere, an ex alia causa extrinseca, standum esse iudicio medici, aut alterius viri periti. 245.

Addit Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 10. *num.* 5. ex Mol. *tract.* 3. *D.* 23. *membro.* 7. *num.* 3. si quis recepto vulnere lethali ab inuasore, postea moriatur alia de causa (v. g. explosione bombardæ) & quidem ita vt vulnus priùs acceptum nihil ad mortem contulerit; probabile esse inuasorem in tali casu non manere irregularem; cuius rei ea est ratio, quod inuasor verè non fuit causa mortis. 246.

QVÆRES LX. An fiat irregularis qui saltans cum muliere prægnante, aut copulam habens cum ea, est in causa, vt illa faciat abortum.

Respond. fieri, si saltatio illa sit immoderata, & in copula habenda non adhibita sufficiens diligentia ad cauendum abortum; secùs, si saltatio fuit moderata, & in copula fuit adhibita sufficiens diligentia. ita Laym. *num.* 4. Bonac. *part.* 7. *num.* 22 aliique penes ipsos; patétque quia in priori casu datur opera rei periculosæ, & non præmittitur debita diligentia ad vitandum periculum, adeóque secuto abortu incurritur irregularitas ex homicidio casuali; in posteriori autem casu actio non est de se periculosa, ac proinde cessat ratio incurrendi irregularitatem *cap. sicut ex literarum. de homic.* 247.

QVÆRES LXI. An efficiatur irregularis, qui bona fide in conuentu hominum deregit adulterium cuiusdam mulieris, quod cum ab vno astantium audiat vir adulteræ, illam occidit.

Respond. probabile esse non effici; cum manife- 248.

statio illa adulterij in iis circumstantiis non censeatur periculosa homicidij, & consequenter mors adulteræ non debeat imputari primo manifestanti, sed ei, qui adulterium retulit marito adulteræ, & debuit præuidere mortem adulteræ inde secuturam esse. Ita Bonac. *supr. num.* 25. secus dicendum de eo, qui alteri retulit iniurias ab alio ei illatas; tum enim si læsus occidat iniuriantem, & referens non præmisit sufficientem diligentiam ad præcauendam illius occisionem, etiam referens censetur incurrere irregularitatem; intellige iuxta dicta *quæst.* 56. saltem in foro externo.

QVÆRES LXII. An sit irregularis, qui terrorem incurit alteri ex ioco, si ille alter eo terrore permotus se det præcipitem.

249. Respond. esse, si id præuidit; cum sic reuera influxerit in mortem: secus, si non præuidit, aut vsus est debita diligentia ad cauendum præcipitium; idque saltem quoad forum conscientiæ iuxta supradicta. colligitur ex Bonac. *n.* 26. qui citat alios.

QVÆRAS LXIII. An Prælatus regularis contrahat irregularitatem, si in iustam pœnam delicti commissi addicat Religiosum subditum teterrimo carceri, & is ex tristitia, ac ærumnis ibi toleratis moriatur.

250. Respond. non contrahere: cum pœna inflicta sit iusta in ordine ad correctionem, nulláque culpa in hoc interuerniat (vt suppono) & talis mors non possit vllo modo dici voluntaria Prælato; quippe qui nec directè illam voluit, (vt patet) nec indirectè; cum pœnam illam ordinauerit ad correctionem; non incurritur autem irregularitas ex homicidio casuali, quod non sit aliquo modo voluntarium; vt constat ex dictis; colligitur ex Suar. *supr. D.* 45. *sect.* 5. *num.* 4.

QVÆRES LXIV. An fiat irregularis Religiosus, qui, cum sit infirmarius in monasterio, adeò negligenter se gerit erga aliquem infirmum, vt is ob illius incuriam moriatur.

251. Respond. fieri, siquidem negligentia notabilis sit, & periculum mortis fuerit præuisum, aut certè præuideri potuerit, & ex notabili negligentia prætermissum fuerit, idque culpabiliter. Ita Portel. *ver. homicid. n.* 25. & ante illum Suar. *D.* 47. *sect.* 7. *n.* 3. probátque ex *cap. ad aures, de ætat. & qual.* monens eiusmodi irregularitatem non esse ex defectu lenitatis, sed ex delicto; pertinere tamen potiùs ad homicidium casuale, quàm ad voluntarium.

QVÆRES LXV. An Prælatus regularis sit obnoxius irregularitati, si contingat aliquem ex Religiosis subditis mori ob excedentes corporis afflictiones ab ipso de illius licentia perlatas.

252. Respond. Regulariter non esse; siquidem (vt benè notat Suar. *D.* 45. *sect.* 4. *n.* 8.) ad hoc vt incurratur irregularitas ex homicidio casuali ob omissionem (quomodo incurreretur in præsenti casu à Prælato non impediente excessum afflictionum corporalium in Religioso subdito) talis omissio debet esse culpabilis, adeóque debuit Prælatus præuidere periculum mortis imminens ex vsu dictarum afflictionum; vnde, si non præuidit (quomodo regulariter præsumi potest non præuidisse) non debet subiici irregularitati; cum eius omissio fuerit inculpabilis, & consequenter mors Religiosi subditi inde proueniens fuerit omnino inuoluntaria: cum tamen irregularitas non incurratur ex homicidio casuali, quod non sit aliquo modo voluntarium, saltem indirectè, vt iam non semel dictum est.

253. Hinc patet posse contingere, quod Prælatus regularis contrahat irregularitatem exponendo proprios subditos seruitio infirmorum morbo contagioso laborantium: si qui eorum absque sufficienti causa, ac necessitate modo dicto exponantur, & inde moriantur; nisi fortè bona fides, ac defectus inculpabilis debitæ aduertentiæ dictos Prælatos excuset; quo pacto probabile est ipsos regulariter excusari: cum hi communiter moueantur ex bono zelo (licèt fortè non semper secundùm sententiam) excusanto tamen eos bona fide, vt iam dixi; colligitur ex Bonac. *supr. p.* 4. *n.* 6. & probatur, quia Prælatus in casu proposito saltem indirectè vult mortem Religiosorum subditorum, quos exponit sine iusta necessitate: hoc autem sufficit ad incurrendam irregularitatem ex homicidio casuali.

QVÆRES LXVI. An casu, quo plures rixentur cùm vno, si is occidatur, omnes maneant irregulares.

Respond. absolutè loquendo, omnes videri irregulares; & patet, quia omnes cooperantur ad mortem illius, siue directè, propriis manibus vulnerando, aut dando auxilium, & fauorem animo occidendi; siue indirectè, quatenus non intendunt quidem mortem illius (se solùm, & suos tuentes) non tamen sine eorum culpa per accidens sequitur mors illius. Ita Filliuc. *tract.* 20. *n.* 109. monens *n.* 111. dictis non obstare *cap. significasti* 2. *de homicid.* cum in eo non agatur de pluribus rixantibus, sed de casu, in quo vnus alium percussit, & postea alij superuenientes, non vocati illum interficiunt: quo pacto primus non censetur cooperator cum aliis, ideóque si constet eum non inflixisse vulnus lethale, non erit irregularis, in nostro autem casu omnes cooperantur homicidio, ac proinde mirum non est omnes subiacere irregularitati. 254.

QVÆRES LXVII. Vtrum, si pluribus aliquem prouocantibus ad rixam, vnus eorum interim moriatur, omnes illi maneant irregulares.

Respond. probabile esse, quod non maneant; & probatur, tum quia, si in isto casu incurritur irregularitas, ea est ex delicto homicidij; adeóque supponitur homicidium esse aliquo modo volitum, siue in se (quod hîc non adest) siue in causa, idest in prouocatione iniusta: at adhibita fuit sufficiens diligentia ad hoc vt non temerè, neque incautè prouocarent, sed bene parati, & armati (vt suppono) sicque per talem diligentiam abstersum est omne periculum; vnde, si contingat aliquem dictorum prouocantium occidi, id euenit extra omnem cogitationem, ac voluntatem, & consequenter tale homicidium erit omnino casuale; cum tamen ex homicidio casuali omnino irregularitas non incurratur, nisi in casibus iure expressis; vt ostendit Filliuc. *n.* 73. tum, quia prouocatio ad rixam ex natura sua non est causa occisionis prouocantium, sed eius, qui prouocatur, siquidem aggrediens alium se benè parat, vt possit resistere, &, cum agatur de propria salute, non reputatur aliquis indiligens in ea procuranda. Ita Filliucius *n.* 123. *&* 124. ex Suar. Henriq. & aliis. 255.

QVÆRES LXVIII. An, & quomodo executor homicidij casualis sit irregularis.

Respond. esse, si homicidium sit ei aliquo modo voluntarium, & reuera sit casuale; Itavt mors alterius non sit per se intenta, & actio, quæ exercetur, non sit causa ex se proxima mortis: quo pacto perinde esset, ac si mors per se fuisset intenta. Ita Filliuc. *n.* 87. *& seqq.* patétque quia executor maximè concurrit, & est causa effectus occisionis, vtpotè qui immediatè in eam influit; vnde, sicut in homicidio voluntario executor eius est irregularis, ita & erit in casuali. 256.

QVÆRES

QVÆRES LXIX. An apponens causam, vnde mors alterius sequitur, sit irregularis; & quid requiratur ad incurrendam in hoc casu irregularitatem.

257. Respond. esse, si causa apponatur à cognoscente, quod ea futura sit causa proxima mortis, aut mutilationis, eritque irregularitas ex homicidio voluntario: ex homicidio verò casuali, si dicta causa apponatur à non cognoscente efficaciam ipsius, aut certè cum proposito impediendi effectum, aliàs ex ea secuturum. ratio responsionis est, quod respectu talis apponentis, homicidium in priori casu est directè volitum, in posteriori verò solùm indirectè; quod vtique sufficit ad incurrendam irregularitatem.

QVÆRES LXX. An, & quando Mandans sit irregularis ex homicidio casuali.

258. Respond. esse, si mandatum sit iniustum, & imprudens ratione periculi mortis: idque etsi mandans expresserit tantùm percuti; sic quippe homicidium est volitum indirectè (idest in causa) & cum sit iniustum, ac imprudens ob defectum diligentiæ debitæ adhiberi, non habet, vnde excusetur ab irregularitate: secùs si mandatum sit iustum (vt diximus *quæst.* 63.) & debita adhibeatur diligentia ad cauendum homicidium; tunc si quidem non incurretur irregularitas; cum sic homicidium nullo modo sit volitum, vt patet.

QVÆRES LXXI. An Consulens efficiatur irregularis ex homicidio casuali.

259. Respond. effici, etiamsi consulendo actionem iniuriosam, ac vindicatiuam expresse moneat, vt non procedatur ad homicidium; intellige, iuxta supradicta, dummodò non promiserit sufficientem diligentiam ad cauendum homicidium: nam si hanc præmisit, irregularis non manet consulens ob dicta *quæst* 47. ratio responsionis est, quod, seclusa talis diligentia, homicidium est volitum consulenti, saltem indirectè, & in causa de se periculosa, quod sufficit ad incurrendam irregularitatem ex homicidio casuali.

QVÆRES LXXII. An, & quando afficiantur irregularitate, qui positiuè cooperantur homicidio casuali.

260. Respond. affici, quando cooperans ignorat intentionem principalis operantis (vt si quis vocetur ad comitandum eum, qui commissurus est homicidium, inscius omnino talis propositi.) & alioqui nullo modo cooperetur ad homicidium neque vulnerando, neque animando principalem; ratio est, quia cum tali ignorantia potest stare voluntas cooperandi ad aliquam actionem, cui sit moraliter annexum periculum homicidij: quo modo homicidium respectu huius est solùm casuale; sicut inter alios aduertit Filliuc. *num.* 99.

QVÆRES LXXIII. An sint irregulares quicumque cooperantur ad homicidium casuale, siue id faciant remotè, siue proximè.

261. Respond. non esse, nisi eos, qui proximè cooperantur. est communis DD. apud Sayr. *lib.* 7. *de censur. cap.* 4. *num.* 9. & probatur, quia cooperatores remoti parum, aut nihil influunt in effectum, & quodammodo per accidens, sicque abstrahendo ab intentione directa cooperandi homicidio (qualis intentio numquam reperitur in homicidio casuali) talis eorum operatio non censetur sufficiens ad culpam, & consequenter, neque ad pœnam irregularitatis.

262. Monet autem Mol. *tract.* 3. *D.* 76. *num.* 5. quod, sicut nomine causæ remotæ, seu (quod idem est) remote cooperantis hic intelligitur ea, quæ ita remotè, & per accidens se habet ad effectum, vt prudentum arbitrio, moraliter loquendo censenda non sit influere in effectum; ita nomine cooperantis proximè intelligitur qui iudicio viri prudentis ita per se, ac proximè concurrit ad effectum, vt moraliter censeatur influere in ipsum; quamquam, vt bene aduertit Molin. hæc prudentis arbitrio sint potius committenda, vt definiantur, quàm quod de iis statui possit certa regula.

QVÆRES LXXIV. An, & quando fiant irregulares, qui homicidio casuali cooperantur per omissionem, quæ sit solùm contra charitatem.

Resp. distinguendo: vel talis omissio influit in 263.
homicidium, siue physicè (v.g. occultando arma, quibus occisus potuisset se tueri) siue moraliter (v.g. permittendo homicidam vti propriis armis ad aliũ occidendum:) & sic incurritur irregularitas; cùm talis omissio moraliter reputetur cooperatio sufficiens ad inferendam irregularitatem, siue ex homicido voluntario, si sit intentum: siue ex casuali, si non intendatur, neglecto tamen periculo aliàs præuiso, ac interueniente aliqua ignorantia culpabili, aut inaduertentia item culpabili. Vel talis omissio nullo modo influit in homicidium, sed est merè priuatiua (vt si quis videat alium occidi, & non impediat, cum possit, & debeat:) & tunc, si quidem omittens solùm peccat contra charitatem, non incurritur irregularitas; cum talis irregularitas non sit expressa in iure, & sic peccans non possit dici cooperari homicidio: si verò peccet contra iustitiam (quatenus omittens defendere, tenetur id facere siue ex publico munere (vt Iudex) siue ex priuato stipendio (vt famulus ad id in specie conductus) siue ex iure naturali (vt pater respectu filij, dominus respectu serui &c.) tunc vtique incurritur irregularitas: cum sic omittens defendere sit causa moralis homicidij, & contra iustitiam, adeóque committat peccatum homicidij propriè accepti. ita Filliuc. *supr. cap.* 4. *quæst.* 9. & 10. *per tot.* quod tamen non admittunt Vasq. Hurtad. & Turrian. apud Dianam *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 7. negantes esse irregularem eum, qui homicidium non impedit, cum teneatur ex iustitia.

Addit Cast. Pal. *D.* 6. *de censur. part.* 15. §. 7. *num.* 5. quod, si volenti ex charitate defendere innocentem ab occisione, persuadeas, ne defendat, non ideo es irregularis: cum sic non pecces contra iustitiam, sed contra charitatem. Secùs, si per iustitiam, violentiam aut fraudem illum retrahas à defensione præstanda; cum sic homicidium tibi imputetur, recte Auila *de censur. part.* 7. *D.* 6 *sect.* 2. *d.* 7. *v. sequitur primò*, quem sequitur Castrus Palaus.

Porrò, si ex odio in personam non impedis homicidium, es irregularis ex homicidio voluntario, cum ex omissione velis mortem illius euenire: si verò non ex odio in personam, sed ex humano timore, aut negligentia non impedis, es irregularis ex homicidio casuali, cum præter tuam voluntatem illud eueniat. ita Suar. *D.* 44. *de censur. sect.* 3 *fine, & cum eo* Cast. Pal. *num.* 6. mouens *num.* 3. *ex cap. quæsitum de pœnit. & remiss.* eiusmodi omissionem, quæ faciat irregularem, debere esse directè voluntariam mortis periculo præuiso.

Vnum hic aduerto, irregularitatem, quæ contra- 264.
hitur ex homicidio casuali à dante operam rei illicitæ, eo modo quo diximus *quæst.* 47. non posse dici propriè ex delicto, quamuis aliàs occasione istius irregularitatis contrahendæ delinquatur, si quidem non delinquitur circa ipsum homicidium (quod requiritur ad incurrendam irregularitatem ex delicto) sed circa aliud obiectum, ex quo sequitur præfatum homicidium: quod tamen non sufficit ad incurrendam

currendam irregularitatem ex delicto, cum sic delinquens non peccet formaliter, &(vt ita dicam)reduplicatiuè quoad homicidium, sed solùm materialiter, idcóque tale eius peccatum sit insufficiens ad inducendam irregularitatem ex delicto: ita docti viri à me consulti.

De Irregularitate ex Homicidio voluntario.

265 *Ad incurrendam irregularitatem ex homicidio voluntario aliqua requiruntur.*
266 *Hac incurritur à procurante abortum fœtus animati.*
267 *Sed non in dubio, an fœtus sit animatus: quod alij negant.*
268 *Idque etiam post Sixti V. bullam contra procurantes abortum, quæ à* Gregorio XIV. *reuocata est.*
269 *Non incurritur ab occidente bona fide ad finem bonum.*
270 *Sicut nec in tali casu incurritur irregularitas ex defectu lenitatis.*
271 *Incurritur verò ab executore homicidij.*
272 *Item incurritur ab apponente causam mortis.*
273 *Item à Mandante homicidium, ni si opportunè intimet reuocationem mandati.*
274 *Et, si intimata reuocatione adhuc fiat occisio, Mandans est irregularis ex homicidio casuali: quod fortè negaret* Filliuc.
275 *Item incurritur à Mandante, si homicidium fiat ex eius mandato anteà non acceptato.*
276 *Item incurritur à Mandante aliquem percuti circa mortem, si percussus moriatur inde: quod tamen alij reijciunt.*
277 *Non incurritur verò ab approbante homicidium eius nomine factum; quod alij negant.*
278 *Idque procedit de approbante homicidium à se inuoluntariè factum.*
279 *Irregularis est, qui consentit in homicidium, imò & non impediens, si teneatur ex officio.*
280 *Est & consulens homicidium, si ex consilio illud fiat.*
281 *Limitatur tamen assertio varijs modis.*
282 *Consulens homicidium, si efficaciter nequeat reuocare consilium, non monet occidendum.*
283 *Ad incurrendam hanc Irregularitatem sufficit consilium indirectum.*
284 *Irregularis est ex homicidio casuali Mandans, aut Consulens, si fortè mandatarius occidatur.*
285 *Irregularis est quicunque homicidio cooperatur siue directè, siue indirectè.*
286 *Irregularitas ex homicidio extenditur ad mutilationem.*
287 *Afferuntur aliqua notabilia de mutilatione.*

QVÆRES LXXV. Quid hîc intelligatur nomine homicidij voluntarij.

265. Respond. intelligi illud, quod est iniustum, & fit ex proposito, siue per industriã, siue per insidias, siue animo occidendi: posse autem dici voluntarium duobus modis; nimirum directè; quale est illud, in quod voluntas fertur immediatè, siue in se (vt cum quis intendit occidere Petrum) siue in sua causa proxima, ac immediata (vt cum quis alium vult occidere dando venenum &c.) Voluntarium verò indirectè dicitur, quod non est volitum, neque in se ipso, neque in aliqua actione cum est eo proximè coniuncta, sed sequitur præter intentionem, & est solùm intentum in causa per accidens, vnde & dicitur casuale: vt si quis intendens occidere feram interficiat hominem. vnde fit ad homicidium voluntarium requiri voluntatem expressam, directam, ac spontaneam occidendi; idque siue expressè volendo mortem, siue expressè volendo causam, aut actionem, quæ moraliter per se influit in mortem.

Ex quo infert Castrus Palaus *D.6. de censur.p.15.* §.1.*num.* 2. si in rixa inopinata occidas aduersarium, regulariter te non esse iudicandum homicidam voluntarium: cum subitò iratus occidens non ex proposito, & per industriam, sed casu reputandus sit occidisse: quod tamen debet intelligi quoad forum externum, imò & quoad internum, si occidenti non constet expressam voluntatem occidendi habuisse: si enim constet ei de hac voluntate, iam ex proposito occidit, sicque cessat omnis dubitatio: cum Castro Palao sentiunt Salzedo, Perez, Henriq. Rodriq. & Auila relati ab ipso Castro Palao.

QVÆRES LXXVI. An procurans abortum incurrat irregularitatem ex homicidio voluntario.

Respond. incurrere, si fœtus sit animatus: cum 266.
sic re vera committatur homicidium, & quidem voluntariè: secùs, si fœtus non sit animatus: sic enim non potest dici committi homicidium, cum tunc non verificetur hominem priuari vita, vt pote fœtu nondum informato anima rationali. est communis DD inter quos notat Less. *lib.2. cap.9.num.65.* quod, licet Conat. ex communi putet mares animari die 40. & fœminas die 80. nihilominus non apparet, qua ratione esse possit tanta discrepantia inter marem & fœminam: idcóque asserit verius esse vtrumque fœtum animari statim ac est formatus: quod tamen potest contingere celeriùs, aut tardiùs iuxta maiorem, aut minorem virtutem parentum generantium, & maximè matris.

Dubium maius est, an procurans abortum reputari debeat irregularis ex homicidio voluntario, si dubitetur de animatione fœtus.

Respond. quod, quamuis Sanch. *lib.* 1. *in decal.* 267.
cap. 10. *num.* 43. aliique communiter apud Dianam ipsta sustineant procurantem abortum in tali casu reputandum esse irregularem; cum in dubio facti iura præsumant homicidam esse irregularem; mihi tamen non displicet opinio, quàm Diana *part.4.tract.* 2.*resol.*16. amplectitur ex Maura, Præpos. Gomez. Boiardo dicitque esse probabilem; nimirum in isto casu non esse præsumendum, quod sit incursa irregularitas. Ducor, quod iura, quæ statuunt in dubio homicidij præsumendam esse contractam irregularitatem, re vera non comprehendunt istum casum; vt pote quæ semper supponunt subiectum capax mortis (si quidem loquuntur de casu, quo constet de morte alicui illata, & dubitatur, à quo ex variis concurrentibus sit illata:) cum tamen in nostro casu dubium versetur circa conditionem subiecti, num scilicet viueret, nec ne, quando procuratus est abortus: quo modo vtique non supponitur subiectum capax mortis; constat autem iura pœnalia non debere extendi vltra casus in ipsis expressos.

Quod si Sixtus V. in sua Constit. contra procu- 268.
rantes abortum extendit irregularitatem, etiam ad procurantes abortum fœtus inanimis: Ista fuit extensio noua, quæ ex vi iuris antiqui præcisè non extabat; quamquam, cum Gregorius XIV. præfatam bullam reuocauerit, & reduxerit ad terminos iuris communis, sequitur in præsentia talem non incurri irregularitatem, nisi ex abortu fœtus animati; vt rectè aduertit Filliuc. *tract.20.num.*21.

QVÆRES LXXVII. An reputandus esset

tre

irregularis ex homicidin voluntario, qui ex zelo Dei aliquem occidit, sut mutilat (v. g. in vindictam alicuius grauis delicti contra Deum commissi) & quidem priuata auctoritate.

269. Respood. non esse reputandum, si id faciat ex ignorantia inuincibili sibi persuadens se in tali casu posse licitè occidere, aut mutilare Moueor, quia irregularitas ex homicidio voluntario est ex delicto, & consequenter supponit delictum, hîc autem occidens non delinquit, saltem formaliter, vt suppono; quod tamen requiritur ad incurrendam irregularitatem, quæ est ex delicto. Quæ doctrina multo magis haberet locum in casu, quo quis ex peculiari instinctu Dei occideret (vt si olim Abraham occidisset Isaac filium suum vnigenitum, id ei præcipiente ipso Deo) in tali siquidem euentu Deus, qui est supra omne ius positiuum Ecclesiæ, censeretur dispensare in iure inducente irregularitatem: præterquam quod in tali euentu nullum committeretur peccatum, quod tamen, vt dixi, præsupponitur ad contrahendam irregularitatem, quæ est ex delicto, qualis est irregularitas ex homicidio voluntario.

Vtrùm autem in allegatis casibus saltem incurreretur irregularitas, quæ dicitur ex defectu lenitatis.

270. Respond. quod non; & probatur, quia irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur, nisi in casibus iure expressis, vt supradictum est sæpiùs: ergo cum iura, quibus inducitur talis irregularitas, eam non extendant, nisi ad homicidium publica potestate factum iuxta dicta *quæst.* 4. necnon ad mortem prouenientem ex vsu Chirurgiæ, aut Medicinæ, vel occasione belli aggressiui (eo tamen modo, quo diximus de vsu Chirurgiæ, ac Medicinæ *q.* 39. de bello verò *quæst.* 33.) ea non debet extendi ad præsentem casum, qui in nullo supradictorum trium casuum comprehenditur. Ita docti Recentiores à me consulti.

QVÆRES LXXVIII. An executor homicidij voluntarij sit irregularis.

271. Respond. esse; cum inter personas concurrentes ad tale homicidium primum locum habeat ipse executor, & percutiens cum effectu mortis secutæ, aut mutilationis.

QVÆRES LXXIX. An sit irregularis, qui apponit causam mortis.

272. Respond. esse: ideóque propinantem alteri venenum animo occidendi, secuta morte, manere irregularem, & quidem ex homicidio voluntario. Probatur, tum, quia is est verè homicida, & vt talis incurreret excommunicationem, si Clerico venenum propinaret: ergo & incurret irregularitatem; tum, quia qui dat causam damni, damnum dedisse videtur: dat autem causam mortis, qui dat venenum. Dixi, *& quidem ex homicidio voluntario*; ad indicandum, quod, licèt in hoc casu mors secuta non sit voluntaria in se, sed in sua causa tantùm; nihilominus homicidium inde secutum dicetur voluntarium; cum dans causam, ex qua scienter sequitur mors, verè committat homicidium voluntarium, si ex tali causa per se sequatur effectus mortis, vt notat Filliuc. *n.* 25. & constat ex effato. Quod est causa causæ est etiam causa causati.

QVÆRES LXXX. An, & quomodo Mandans homicidium fiat irregularis, secuto ipso homicidio.

273. Respond. Fieri, nisi reuocet mandatum intimando reuocationem ipsi mandatario: quæ tamen fieri potest non solùm verbis, sed etiam factis: vt si mandans redeat in amicitiam cum eo, cuius mortem mandauerat. Probatur, quia ex vna parte mandans censetur causa efficax damni, & homicidij, quippe quod, secluso eius mandato, non fuisset secutum, vt suppono: ex alia parte, cum mandatum habeat totam suam vim à mandante, hoc ipso, quod mutata est voluntas mandantis, & sufficienter intimata mandatario, moraliter cessat ipsum mandatum; ita vt, si mandatarius occidit, id propria voluntate censeatur facere, non autem voluntate mandantis; quamquam in tali casu aliqui cum Suar. *supr. D.* 44. *sect.* 3. *num.* 8. putent mandantem teneri non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia monere occidendum, vt sibi caueat: idque prout mandans commodè potuerit: quod negant Auila, Henriq. & alij apud Dianam *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 14. & quidem probabilius iudicio Dianæ.

Addit Diana ex Corneio, quod si in præsenti casu mandatarius occidatur mandans manet irregularis, non quidem irregularitate homicidij voluntarij, sed casualis, siue voluntarij indirectè: quatenus mandans non intendit mortem mandatarij, neque ad eam directè operatur, sed solùm indirectè mandando actionem de se periculosam: quod fortè negaret Filliuc. iuxta ea, quæ ex ipso diximus *quæst.* 67. 274.

Quod si quis dedit alicui mandatum ad alium occidendum, & ille tunc temporis noluit acceptare mandatum, postea verò illud exequatur, antequam mandans reuocet mandatum: certum est mandantem in tali casu fieri irregularem: cuius rei ea est ratio, quod licèt mandatarius non acceptauerit mandatum ab initio, mandatum tamen, quousque non reuocetur, durat, ac retinet vim mouendi, & inducendi mandatarium ad effectum commissum adeóque ex vi prioris mandati, potest mandatarius illud acceptare: vnde mandanti imputandum erit quidquid postea fiet vi prioris mandati. Ita Bonac. *de censur. in comm. D.* 7 *q.* 4. *p.* 8. *n.* 17. cum Suar. Vgol. Regin. & Maiolo, quos sequitur Filliuc. *n.* 29. 275.

QVÆRES LXXXI. An mandans aliquem verberari modo cauto ac prudenti fiat irregularis, si contingat mori eum, qui verberatur ex vi talis mandati.

Respond. Suar. *supr. D.* 45. *sect.* 2. *n.* 3. fieri; probárque ex eo, quod *in cap. vltim. de homicid. in* 6. irregularis declaratur mandans, solùm quia fuit in culpa, & hoc euenire posse debuit cogitare; videlicet ad mandatum verberandi alium quamuis cautè & prudenter, vt non occidatur, posse sequi, quod verberatus etiam occidatur: illa autem duo concurrunt etiam in præsenti casu, non obstante illa diligentia adhibita; vnde ait Suar. nullam humanam diligentiam esse sufficientem ad vitandam irregularitatem, si effectus homicidij de facto sequatur. Verùm Diana *resol.* 19. cum Præposito sustinet esse probabile etiam oppositum; cùm mandans in isto casu verè non sit reus homicidij, vtpote ab ipso nullo modo præuisi: cum alioqui decisio *cap. vltimi, supr.* adducta agat de eo, qui est reus homicidij, quatenus culpabiliter omisit præuidere illud posse sequi ex verberatione ab ipso demandata; quod non euenit in casu nostro, vt suppono. 276.

QVÆRES LXXXII. An sit irregularis, qui approbat homicidium nomine ipsius perpetratum. 277.

Respond. Diana *resol.* 13. cum Vasq. Suar. Henriq. Auil. Laym. aliisque pluribus, & grauibus DD. quod, quamuis Molin. *tract.* 3. *D.* 33. *membr.* 4. *n.* 5. Syluest. *verb. homicid.* 1. *q.* 7. & plures alij sustineant illum esse irregularem, ea muti ratione, quod iuxta regulam iuris *Ratihabitio comparatur mandato*; sententia tamen contraria est omnino amplectenda, & probatur,

tur, tum, quia sic tatum habens homicidium nullo modo dici potest fuisse causa illius voluntaria, vt patet: tum, quia nemo ratificare potest, quod suo nomine gestum non est, *cap. cum quis, de sentent. excommunic. in* 6. tum, quia rat habitio non dicitur retrotrahi, & æquiparari mandato, nisi in iis, quæ pendent à voluntate retrotrahentis (vt in contractibus, gratiis, concessionibus, & similibus.) aut saltem non nisi in iis casibus, in quibus ius hoc expressit, vt in ratihabitione percussionis Clerici nomine suo facta, *cap. cum quis, supr. cit.* cum tamen in præsenti casu neutrum horum contingat; sicut bene ostendit Coninch *supr. D.* 18. *num.* 72.

278. Imò, si quis omnino inuoluntariè aliquem occidat, & posteà ratum habeat homicidium, non ideò fit irregularis; patet, tum, quia irregularitas non est imposita ob complacentiam, sed ob reale homicidium: tum, quia aliàs contraheretur irregularitas ob homicidium purè mentale: quod omnino negandum est. ita Filliucius *tract.* 20. *num.* 41. hinc inferens eum, qui post factum homicidium, cui ipse nullo modo cooperatus est, recepter homicidam, aut ei aliquid donet propter homicidium, non ideò effici irregularem quoad forum conscientiæ; cùm per hos actus verè non cooperetur priuti homicidio.

Vtrum verò fiat irregularis, qui consentit in homicidium, dum actu fit nomine ipsius consentientis (v.g. ad sumendam vindictam pro eo) vel quod existimatur ei placere.

279. Respond. fieri: & ratio est, quia talis consensus est moralis quædam cooperatio ipsius homicidij facta à sic consentiente, quatenus sciens illud fieri nomine illius teneretur repugnare, séque ostendere alienum à tali opere, quantum potest. ita Filliucius *num.* 38. addens, quòd si is exteriùs modo dicto repugnet, estò interiùs, cupiat homicidium, non esset irregularis: cùm hoc modo sit homicida solùm mentalis: quidquid dicat Hostiens. *in cap. ad audientiam de homicid.*

Sic fit irregularis, qui non impedit homicidium, si teneatur impedire ea officio, & consequenter ex iustitia: vnde iudex, si agnoscit homicidam sibi beneuolum, hinc reddi animosiorem ad occidendum, & de facto occidere, iudice non impediente, cum debeat ex officio vti diligentiis ordinariis ad impedienda delicta in Republica, fit irregularis, teste Tolet. *lib.* 1. *cap.* 83. *n.* 6. Quod non eueniret, si iudex in proposito casu non aduertat homicidam inde reddi animosiorem ad occidendum, & reuera occidere; sicut verè redditur ea eo, quòd habet iudicem sibi beneuolum, adeóque sibi promittit impunitatem: & ratio est, quod in hoc posteriori casu irregularitas deberet incurri ex delicto; non delinquit autem Iudex, si non præuidet subditum sibi beneuolum effici animosiorem ad occidendum: idque ob doctrinam Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 6. *num.* 5. quæ apud ipsum videri potest, & supponit influxum in homicidium ad incurrendam irregularitatem; qui influxus adest in priori casu, non autem in posteriori.

QVÆRES LXXXIII. An, & quando consulens homicidium fiat irregularis, eo secuto.

280. Respond. fieri, si homicidium sequatur ex vi talis consilij, non autem aliunde, (v.g. ex odio priuato;) idque siue consulens sit causa principalis homicidij (quod tunc euenit, quando per consilium induxit aliàs nolentem) siue tantùm suo consilio confirmauerit, & auxerit animum, ac voluntatem recipientis consilium; vtrouis enim modo id faciat, sufficienter cooperatur homicidio; vt colligitur ex *cap. sicut dignum, §. vlt. de homicid.* Probatur autem hæc responsio, quæ est communis ea Suar. *supr. D.* 44. *sect.* 3. *num.* 10 tum ex *cap. perniciosè de pœnis, d.* 1. & ea *cap. si quis viduam, d.* 50. tum, quia consulens in casu proposito verè est causa efficax homicidij; quicumque autem est causa efficax homicidij iniusti, est irregularis ex delicto.

Quamquam hæc responsio non habeat locum, 281.
neque in casu, quo consulens non augeat voluntatem occidentis, sed solùm exiguè moueat, aut parata facere maius malum suadet minus (quod notant Auila, Coninch. Nauar. Rodriq. Henriq. & alij apud Bonac. *supr. quæst.* 4. *p.* 8. *num.* 20.) neque in casu, quo consulens iam reuocauit consilium, alteri suadendo omnibus rationibus, ac mediis moraliter possibilibus suum consilium fuisse falsum (quod aduerterunt Coninch. *D.* 14. *n.* 180. Filliuc. *n.* 34. & alij.) Ratio horum est, quod consulens exiguè mouendo ad homicidium, aut suadens minus malum parato facere maius, vel non peccat, vel solùm leuiter (vt ostendunt DD. suo loco) ac proinde non est ipsis imponenda irregularitas, quæ iuxta dicta supponit delictum graue: quando verò consulens modò dicto reuocauit consilium, & adhuc committitur homicidium, iam ampliùs non potest consulens dici causa illius, sed totum debet imputari malitiæ exequentis; siquidem, cum consilium non sit causa physica, cuius effectus impediri non possit (cuiusmodi est venenum, quod semel datum etsi postea curetur extingui, secuto effectu, dantem afficit irregularitate) sed causa moralis, quæ per rationes potest tolli, ac per liberam voluntatem impediri: hoc ipso, quod consulens fecit quod moraliter potuit ad effectum reuocandi consilium, non censetur amplius influere in effectum antea consultum, & consequenter non debet damnari irregularitatis; sicut pluribus docet Suar. *supr. num.* 13.

Quod autem dicunt DD. ferè communiter in casu, quo consulens non possit omni sua diligentia 282.
reuocare consilium alteri datum, cumque videat perseuerare in proposito illud exequendi, tunc ad cauendam irregularitatem eum teneri monere illum, de cuius interesse agitur, vt sibi caueat: hoc, inquam non admittunt P. Nauar. Præpos. Less. & Coninch. apud Dianam *p.* 4. *tract.* 2. *resol.* 14. Oppositum sustinentes ex eo, quod in tali casu actio iniusta non procedit ea consilio dato, sed ex malitia executoris, vt iam dictum est: quæ opinio non est improbabilis tum ob auctoritatem Doctorum, tum ob rationem allatam.

Monet hîc vnum Suar. *supr. num.* 14. ex communi 283.
ad incurrendam irregularitatem ea consilio non requiri, quod consilium sit directum (quale esset, si quis alteri rationibus suadeat hunc, aut illum occidendum esse) sed sufficere, quod sit indirectum (cuiusmodi esset, si quis dicat amico passo iniuriam, ne redeat domum, nisi quid noui fecerit cum eo, qui ipsi iniuriam intulit) Ratio est, quia ad moralem influxum, & motionem eamdem vim habet consilium indirectum, ac directum, vt expressè colligitur ex *cap. ex literis de excess. Prælat.* ac proinde de vtroque pariter philosophandum est.

QVÆRES LXXXIV. An incurrat irregularitatem, qui consulendo, aut mandando illicita ponit alium periculo mortis, si contingat hunc occidi.

Respond. incurrere non quidem irregularitatem 284.
homicidij voluntarij, sed casualis. est communis DD. apud Suar. *supr. num.* 17. & probatur, quia ex vna parte

parte actio exponendi periculo mortis, etiam non temeraria, est contra iustitiam, si fiat ad finem illicitum, adeóque sicut exponenti imputatur mors, quæ inde sequitur, ita & poterit damnari irregularitatis, tanquam homicida; ex alia parte, cum in tali casu occisio alterius non sit directè intenta à consulente (vt suppono) ac proinde occisio, quæ ex dato consilio sequitur, sit casualis: consequens est, vt & occisio, quæ incurritur, sit ex homicidio casuali: quod bene aduertit Filliucius *supr. n. 36.*

Imò Vasquez 2. 2. *D.* 100. *num.* 45. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 16. Hurtad. *D.* 2. *de irregul. difficult.* 6. *num.* 12. putant nullam irregularitatem incurri in isto casu, etsi consulens probabiliter suspicetur graui periculo occisionis sui exponi illum, cui consulitur, vt alium occidat: probant, quia consilium non dirigitur ad occisionem illius, qui de facto occiditur, sed alterius, neque tu consulis, vt is, qui verè occiditur, se occidat, aut ab alio occidatur: sicque irregularitas statuta à iure contra consulentem non potest ligare. At dissentiunt Nauarr. Suar. Coninch. Auila, aliique apud Castrum Palaum *D. 6. de censur. p.* 15. §. 2. *num.* 5. ea ducti ratione, quod negari non possit consulentem in isto casu fuisse causam voluntariam suo consilio, vt consultus illi periculo exponeretur, & ab alio occideretur: sicque consulens est irregularis, non quatenus formaliter consulit homicidium, sed quatenus suo consilio causa fuit homicidij.

QVÆRES LXXXV. An, & quomodo fiant irregulares quicumque cooperantur homicidio, siue directè, siue indirectè.

285. Respond. fieri, si de facto sequatur homicidium: cum hac tamen differentia, quòd si cooperans directè intendat homicidium, incurrit irregularitatem ex homicidio voluntario: ex homicidio verò casuali, si directè non intendat homicidium. ita Filliucius *tract.* 26. *cap.* 2. *q.* 8. patétque tum ex dictis, tum ex *cap. sicut dignum*, §. *illi, de homicid.* vbi dicitur: *Constat ab homicidij reatu immunes non esse, qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt*; & ex *cap. significasti* 2. *eod. tit.*

QVÆRES LXXXVI. An, & quomodo irregularitas, quæ contrahitur ex homicidio, extendatur etiam ad mutilationem.

286. Respond. extendi; vt colligitur ex *cap. in Archiepiscopatu, de raptor.* & Clem. *vn. de homic.* non omnia tamen, quæ in iure disponuntur circa irregularitatem homicidij voluntarij, extendi ad mutilationem voluntariam, vt vel hinc patet, quòd Episcopi possunt dispensare in irregularitate contracta ex mutilatione, non item in ea, quæ incurritur ex homicidio voluntario, sicut, teste Suarez *supr. sect.* 2. *num.* 4. declarauit sacra Congregatio.

287. Quæ autem hoc loco dicenda essent de mutilatione, facilè colligi possunt ex dictis hac ipsa *sect.* *q.* 5. si addidero ex Filliuc. *supr. cap.* 1. *q.* 7. quòd, sicut abscissio membri aridi, ac emortui non inducit irregularitatem, cum non sit abscissio membri humani hoc ipso quod est informatum vita, sic è contra, si abscindatur membrum viuum, & verum, quamuis inutile ad ministerium, incurritur irregularitas; cum in iure ad contrahendam irregularitatem solùm requiratur, vt fiat mutilatio membri humani, id est, viuentis (quale est etiam membrum ex aliquo accidenti inutile ad propriú ministerium:) & alioqui ex tali abscissione grauis inducatur deformitas, vt patet. Secus dicendum putat Filliuc. *n.* 18. in casu, quo quis membrum ita lædat, vt sit physicè causa defectionis animæ in eo, & quòd consequenter arescat: si quidem quoad præsentem casum non extat expressa in iure irregularitas; cùm tamen non incurratur irregularitas, nisi in iure expressa: quæ ratio meo iudicio probat, quod non incurreretur irregularitas, neque in casu, quo abscinderetur membrum superfluum (vt si quis habeat tres manus, & vna earum ipsi abscindatur:) præsertim cùm in tali euentu non inducatur vlla deformitas, ratione cuius iura inducunt irregularitatem, sed potiùs augeatur formositas, ac venustas corporis, vt patet.

CAPVT VI.

De Pœnis priuatiuis latis contra Regulares.

CVM inter pœnas Ecclesiasticas latas contra Regulares aliæ sint positiuæ, (quæ in præcedentibus capitibus hactenus explicatæ sunt) & aliæ priuatiuæ: de his in præsenti cap. nobis agendum est. Caput diuidemus in duas sectiones, in quarum prima agemus de pœnis priuatiuis in genere: in secunda breuiter explicabimus singulas huiusmodi pœnas.

SECTIO I.

De Pœnis priuatiuis in genere.

1 *Differunt inter se pœna priuatiua, & pœna positiua.*
2 *Pœna priuatiuæ quinque species cadunt in Regulares.*
3 *Explicantur, in quo consistat priuatio vocis actiuæ, & passiuæ.*
4 *Item declaratur, quid importet priuatio vocis actiuæ vt sic.*
5 *Indicatur, quid significet priuatio officiorum, dignitatum, graduum, &c.*
6 *Ostenditur, quid sit priuatio Genituræ.*
7 *Item, quid sit priuatio fructuum beneficialium.*
8 *Item, quid sit inhabilitas ad dignitates, gradus, & officia.*
9 *Item, quid sit priuari actibus legitimis.*
10 *Hæ pœnæ non incurruntur ante sententiam.*
11 *Hæc autem ferri debet ab Authore pœnæ.*
12 *Inhabilis ad dignitatem, illam interdum licitè admittit.*
13 *Et tunc validè agit, etsi electio sit nulla.*
14 *Hæ pœnæ supponunt culpam mortalem.*
15 *Arguunt grauitatem in obligatione, quæ sub ijs imponitur.*
16 *Idq; etsi quis non curet de dignitatibus, ac officijs, quibus dicta pœna priuant.*
17 *Bona fides, ignorantia, ac inaduertentia excusant à dictis pœnis.*
18 *Et quidem etiam quoad forum externum.*
19 *Hæ pœnæ suspenduntur per Appellationem.*
20 *Super ijs dispensat Prælatus regularis quoad forum internum, & conscientiæ, non item quoad forum externum, etsi alij id negent.*
21 *Super ijs, quoad forum internum, dispensat cum Regularibus Confessarij Ordinis.*
22 *Quoad forum externum cum ijs dispensat Author ipsius pœnæ.*
23 *Hæ pœnæ ante sententiam non ligant, nec quoad forum externum.*
24 *Et hoc procedit de omni pœna priuatiua.*

25 *Gesta post priuationem Officij incursa manent valida, etiam post sententiam.*

QVÆRAS I. Qualiter differant inter se pœna priuatina, & positiua.

1. Respond. differre, tum in eo quòd priuatiua aufert bonum iam obtentum, aut obtinendum, siue spirituale, siue temporale: positiua verò infert malum aliquod, siue spirituale, siue temporale, quod non habetur: tum in eo, quòd pœna priuatiua ad sui executionem nullam actionem desiderat; positiua autem indiget aliqua actione, ad sui executionem; vt tradunt communiter DD. cum Caitano 2.2.*q.62.art.3 fine.*

QVÆRES II. Ad quod, & quas species reuocentur pœnæ priuatiuæ, quæ solent inferri Regularibus.

2. Respond. reuocari ad 5. quarum 1. species est priuatio vocis actiuæ, & passiuæ: 2. priuatio officiorum, dignitatum, graduum, administrationum, &c. 3. priuatio geniture: 4. priuatio fructuum beneficialium: 5. est inhabilitas ad supradicta.

QVÆRES III. Quid importet priuatio vocis actiuæ, & passiuæ.

3. Respond. importare, quòd Religiosus tali pœna affectus non potest in Capitulo collegialiter coacto, siue Generali, siue Prouinciali, siue locali, dare proprium suffragium ad vllum actum ibi tractatum, quicumque demum is sit: neque in eodem Capitulo eligi, aut nominari ad aliquid, quòd sit honoris, aut præeminentiæ; cùm tamen alioqui possit eligi, aut deputari ad ea, quæ sunt oneris ac pœnæ. ita Portel. *de dub. regul. v. non actiua & passiua*, ex Nauar. *lib. 1. consil. de elect. consil. 6.* citante Cardinalem.

Quod si quæras, quid significet priuatio vocis indefinitè sumpta.

4. Respond. Diana *p. 5. tract. 13. resol. 91.* ex Garcia, & Castro Palao, significare priuationem vocis solùm actiuæ; siquidem pœnæ non debent extendi; ideóque, cùm vox actiua propriè, & absolutè dicatur vox, per priuationem vocis absolutè sumptæ intelligi debet tantùm priuatio vocis actiuæ; cum verba absolutè prolata accipienda sint pro famosiori significatione; oppositum sentiunt alij cum Lessio *lib. 2. cap. 34. num. 105.* ea fortè ducti ratione, quòd, vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus; sed pace tanti viri minùs probabiliter, vt constat ex nostra probatione.

QVÆRES IV. Quid intelligatur per priuationem officiorum, dignitatum, graduum, & administrationum.

5. Respond. intelligi priuationem earum dignitatum, officiorum, ac administrationum, quæ habent coniunctam aliquam superioritatem (vt esse Generalem, Prouincialem, aut Superiorem localem;) non item aliorum officiorum (qualia sunt esse Concionatorem, Lectorem Theologiæ, Confessarium, & Monialium, &c. ita Sanchez *lib. 6. in decalog. cap. 16. n. 66.* cum Rodriq. Sousa, & Sorbo. Filliuc. *tract. 34. p. 1. n. 77.* Bonac. *de Claus. q. 1. p. 4. n. 6.* Diana *p. 4. tract. 4. resol. 224.* & alij contra Lezanam *tom. 1. cap. 10. num. 32.* mordicus sustinentem nomine officiorum venire etiam munus Concionatoris, Lectoris, & similium; vtpote, quæ iuxta communem vsum loquendi, ac æstimationem veniunt nomine officiorum: cùm tamen verba legis debeant interpretari secundùm communem vsum, ac significationem. Probatur responsio 1. quia in pœnis semper benignior interpretatio facienda, ita vt eæ non amplientur, sed restringantur quantum restringi possunt, salua proprietate verborum; in Religionibus autem communi modo loquendi non venit nomine officiorum munus Concionatoris, Lectoris, &c. vt colligitur ex posteriori motu proprio Sixti V. edito in declarationem alterius proprij motus emissi priùs contra Regulares illegitimè natos, in quo hi priuantur omnibus dignitatibus, Gradibus, & Officiis: & tamen in illo alio posteriori motu proprio, declaratur nomine officiorum non intelligi munus Lectoris, Confessarij, studiorum, & sacræ Theologiæ Magistri, Regentis, Prædicatoris verbi Dei, aut aliud simile officium onerosum; quod est signum nomine officiorum simpliciter dictorum non significari vniuersaliter ea, quæ modò recensita sunt: probatur 2. quia hæ pœnæ interdum feruntur contra excessus non adeò graues, ideóque non ita ampliandæ, ne aliàs reputentur indiscretæ, irrationabiles, ac iniustæ; cùm omnia iura clament seruandam esse proportionem inter culpam, & pœnam: quod maximè videtur seruandum in Ecclesia, cuius iugum suaue est, & onus leue: probatur 3. quia ratio, quam potissimum allegat Lezana, contra nos desumptam ex citato posteriori motu Sixti V. (nimirum quòd Papa ibi dicit: *Declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, honorum,* &c. quod est dicere se non loqui in casibus aliarum Constitutionum pontificiarum, sed solùm in casu præsenti) non videtur omnino conuincere; cùm dici possit Papam ad superabundantiorem cautelam id dixisse, eò quòd in specie de isto casu fuisset interrogatus (vt constat ex iis verbis: *Quoniam vero à multis quæsitum est.*) vnde quoad alios casus se habuit negatiuè, remittens eorum interpretationem iudicio Doctorum, qui proinde in iis interpretandis debent seruare communem sensum, ac æstimationem virorum prudentum, memores in pœnis benigniorem interpretationem faciendam esse, quantum patitur verborum proprietas.

QVÆRES V. Quid significet priuatio genituræ.

Respond. quòd, cum genitura inter Regulares significet ius Prælationis vnicuique Religioso competens ratione antiquitatis professionis (quod Itali vocant, *Antianità, ò Precedenza,*) priuatio genituræ nihil est aliud, quàm amissio talis iuris, siue in totum, siue in partem. Putat autem Peyrinus *de R. P. q. 3. cap. 1. §. 5. n. 152.* eiusmodi pœnam in suo Ordine esse grauissimam, eò quòd in illo genitura ferat secum aliquot insignia priuilegia, quæ ibi recenset; cùm tamen Sanchez *lib. 7. de matrim. D. 37. num. 68.* dicat, quòd si competentia ratione præfati iuris sint modica (vt priorem locum occupare, priùs ferre suffragium, & alia id genus) talis priuatio non videtur adeò grauis; hinc indicans secùs dicendum, si competentia ratione talis iuris sint magni momenti; vnde non puto Sanchez discrepare à Peyrino. 6.

QVÆRES VI. Quid importet priuatio fructuum beneficialium.

Respond. importare amissionem fructuum aliàs debitorum ratione beneficij legitimè obtenti, hoc est, annuorum redditum prouenientium ex beneficiis Ecclesiasticis, quicumque demùm ij sint; vnde fit, vt talis priuatio, & pœna non cadat in Regulares, nisi sint beneficiarij. 7.

QVÆRES VII. In quo consistat inhabilitas ad dignitates, gradus, officia, administrationes, & similia.

Respond. consistere in eo, quòd vi illius non potest quis eligi ad dignitates, & alia supradicta, neque licitè, neque validè; ita vt, si eligatur, electio eò ipso sit irrita, & nulla; idque absque alia iudicia 8.

declata

declaratione (saltem secundùm multos DD.) sed de hoc infrà *quæst. 9.* vbi ex professo tractabimus hanc difficultatem. In eo autem differt pœna inhabilitatis ad officia ab ea, quæ dicitur priuatio officiorum: quod hæc priuat officiis iam obtentis, illa verò impedit, quo minus acceptentur imposterum officia quantumuis spontè oblata; & hoc sub pœna peccati, & quod acceptatio sit nulla modo supra dicto.

QVÆRES VIII. Quid intelligatur per pœnam, qua quis dicitur priuari actibus legitimis.

9. Respond. Portel. *de dub. regul. v. vox actiua, & passiua, num. 1.* intelligi pœnam, qua quis inhabilitatur ad omnia officia Ordinis, ita vt is non possit esse Diffinitor, Discretus ad Capitulum generale, Lector, Confessor, Magister Nouitiorum; non eligere, neque eligi, sicque ait fuisse declaratum in statutis Toleranis generalibus Minorum. Verùm, cum hæc interpretatio sit facta in specie pro Ordine Minorum, non videtur generaliter admittenda in aliis Ordinibus, cum sit nimis rigida: quare ego puto priuari actibus legitimis nequaquam importare, quod quis non possit esse Confessor, aut etiam Lector (dato quod vt Lector non habeat peculiare ius ferendi suffragium de propriis Scholaribus.) Ducor quòd, cum priuatio actuum legitimorum sit pœna concernens forum externum, non videtur extendenda ad actus proprios fori interni (qualis est auditio confessionum:) quo modo reuocatio licentiarum obtentarum à propriis Superioribus, quantumuis generaliter facta, non censetur comprehendere licentias concessas quoad forum conscientiæ, sed solùm eas, quæ concernunt externam gubernationem: idque ex benigna interpretatione mentis ipsius reuocantis, & conditione rei, quæ non videtur venire sub generali reuocatione, vtpote digna speciali mentione; præsertim, cum iuxta dicta in pœnis benignior interpretatio fieri debeat. Præterea cum Lectori vt sic non competant actus legitimi, quibus dicatur priuari, non apparet, quo modo priuatio actuum legitimorum cadere possit in Lectores; seclusa facultate ferendi suffragium modo dicto; cum actus legendi, vt sic communi modo loquendi non dicatur actus legitimus, vt patet. Si ergo feratur ista pœna priuationis actuum legitimorum absque alia explicatione, credo eam non respicere, nisi actus spectantes ad forum externum, quique sunt tales, vt & validè, & inualidè exerceri possint; qualis tamen non est actus legendi vt sic. ita Docti recentiores à me consulti.

QVÆRES IX. An eiusmodi pœnæ priuatiuæ incurrantur ante iudicis sententiam, saltem in foro externo.

10. Respond. non incurri, etsi feratur incurrenda ipso facto, seu ipso iure. ita Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 39. n. 32.* ex Nauarr. Molin. Soto, & Ledesma, quos sequuntur Portel. *sup. v. inhabilitas, n. 32.* aliique plures apud Dianam *p. 2. tract. 17. resolut. 67.* contra plures alios citatos à Sanch. *supr.* patétque ex dictis *supr. cap. 1. sect. 1. q. 18.* & infrà *q. 16.*

Difficultas est, cuius iudicis sit ferre sententiam in casu, quo Regulares commiserint delictum sub præfatis pœnis prohibitum.

11. Respond. id spectare ad illum ipsum, qui tulit pœnam, adeóque si ea lata est in aliqua Constitutione pontificia, spectare ad Papam; si in aliquo decreto sacræ Congreg. ad ipsam sacram Congregationem; si in Constitutionibus Ordinis, ad Prælatos regulares, & quidem etiam locales saltem de iure communi. Ratio responsionis est, quòd illius est declarare pœnã fuisse incursam, cuius est eam imponere; alioqui facultas imponendi pœnam esset frustranea, ac inutilis; præsertim attenta probabilitate sententiæ, *quæst. præced.* relatæ; quòd hæ pœnæ Ecclesiasticæ non incurrantur, nisi post iudicis sententiam; sic enim non rarò euitatur pœna incursa, si alius ab eo, qui illam tulit, deberet declarare ipsam fuisse incursam, eo parum curante eiusmodi declarationem; cùm aliàs iudex, qui eam pœnam tulit, præsumi possit futurus diligentior in facienda ea declaratione tanquam de re concernente ipsius iurisdictionem.

QVÆRES X. An casu, quo quis legitimè incurrerit aliquam ex eiusmodi pœnis (v.g. inhabilitatem ad dignitates, & officia Ordinis) ad vitandum periculum propriæ infamiæ, possit acceptare dignitatem, aut officium oblatum, qualitérque debeat in hoc se gerere.

Respond. posse; dummodo tamen vtatur omni diligentia ad declinandam talem electionem; tum dicendo in communi se non esse idoneum; tum manifestando proprio Prælato impedimentum (si quidem non sit valde infamatorium) ne electionem confirmet; &, si nihil horum sufficiat, petat quamprimùm dispensationem præfati impedimenti, & nouam confirmationem in officio: idque in secreto. ita Suar. *D. 13. de censur. sect. 1. n. 31.* & cum eo Portel. *supr. v. Officia Ordinis, n. 7.* aliique communiter; & patet, quia ius naturale conseruandi propriam famam præualet iuri positiuo; quo statutum est illud impedimentum, & suspendit illius obligationem; cum leges humanæ non obligent cum tanto dispendio. 12.

Interim tamen omnes actus exerciti à taliter electo sunt validi, non obstante, quòd electio fuerit inualida; & hoc ex *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor. & cap. infames 3. q. 7.* ita Portel. *num. 6.* ex communi, addens *num. 7.* quòd si officium conferendum non possit conferri, nisi per electionem, & ad illud eligatur inhabilis modo dicto; tunc posset Prælatus sic electum constituere suum Commissarium, aut delegatum: vt nomine suo gubernet tanquam Clericus gubernans Ecclesiam sibi commendatam. 13.

QVÆRES XI. Vtrum ad incurrendas tales pœnas requiratur culpa mortalis.

Respond. quòd, cum istæ pœnæ sint graues, & pœna, vt sit iusta, non debeat excedere culpam: consequenter tales pœnæ nõ poterunt infligi, nisi præsupposita culpa mort. & quidem, quòd istæ pœnæ sint graues, vel hinc colligitur, quòd si suspensio ab officio, & à iurisdictione censetur grauis, (vt bene aduertit Baldell. *lib. 5. D. 21. num. 11.* ex Suarez) multò grauior censeri debet priuatio omnium officiorum, quæ de facto habentur, & adhuc grauior inhabilitas ad ea imposterum obtinenda, quæ est quædam irregularitas; prætérquam, quod ad priuationem officij reducitur priuatio iurisdictionis, quæ est annexa officio, & priuatio vocis actiuæ; quæ est quædam iurisdictio ad eligendum (vt habet idem Baldell.) sicut & ad inhabilitatem officiorum reducitur priuatio vocis passiuæ, vt patet. 14.

QVÆRES XII. An istæ pœnæ arguant obligationem grauem legis, quæ sub iis fertur, ita vt transgressio legis censeri debeat mortalis.

Respond. arguere; & probatur ex eo, quòd aliàs eiusmodi leges essent iniustæ, ac imprudentes; cum non sit æquum, vt pro culpa leui imponatur pœna grauis; sicut notauit Baldellus *supr. num. 9.* ex Suarez *lib. 3. de leg. cap. 26. num. 4.* & Castro *lib. 1. de leg. pœn. cap. 5. docum. 4.* 15.

Dices, quid si quis nihili faciat habere prælaturas, ac officia io Religione præferens propriam quietem priuatam cuicumque publicæ administrationi; poterit ne respectu huius dici, quod pœna inhabilitatis ad dignitates, & officia ordinis sit grauis, adeóque indicet obligationem grauem. Ratio dubitandi est, quod ista sunt bona relatiua; quod autem est bonum vni potest non esse bonum alteri, vt patet.

16. Respoud. eiusmodi pœnas etiam in isto casu censeri graues, ac indicare obligationem grauem. Ducor, quod, cum grauitas obligationis legis pendeat ex intentione legislatoris sufficienter declarata, & hæc satis supérque declaretur hoc ipso quod transgressoribus imponitur pœna communi æstimatione grauis: sequitur obligationem legis censendam esse grauem eo ipso quod ei apponitur pœna, quæ communiter æstimatur grauis (qoidquid sit de æstimatione huius, aut illius in particulari) sic enim sufficienter constat de voluntate legislatoris, à qua, vt dixi, potissimum pendet obligatio legis.

QVÆRES XIII. An istæ pœnæ præsumi debeant incursæ casu, quo quis violet legem sub illis impositam bona fide, aut ex ignorantia, ac inaduertentia, maximè loquendo, quoad forum externum.

17. Respond. non præsumi, si in foro externo probetur bona fides, aut ignorantia: idque præsertim per iuramentum parti exhibitum, quod secundum Afflictum, & Lucam de Penna relatos à Diana *part. 5. tract. 14. resol. 24.* excludit etiam præsumptionem iuris in contrarium, qua scilicet quilibet præsumitur scire quæcumque spectant ad suum officium; siquidem etiam præsumptio iuris eliditur per iuramentum in contrarium; vt habetur *in cap. cum in tua qui matrim. accus. poss.* & Glossa ibi. Ita Porsel. *p. 1. resp. mor. casu* 27. *n.* 3. ex Nauar. *l. 1. de conf. de constit. conf.* 1. *q.* 2. *n.* 6. *& 7.* Afflict. & Lucas *supr.* relati, aliique docti Recentiores à me consulti, & quidem meo iudicio probabiliter; cum etiam in foro externo non debeat imponi pœna, vbi non conuincitur culpa, vt patet.

18. Dixi, *etiam in foro externo*, quia, quod spectat ad forum internum, certum est non incurri pœnam, quandocumque transgressio legis prouenit ex bona fide, aut ex ignorantia: cum omnis pœna præsupponat culpam: & hoc, esto ignorantia sit vincibilis, siue iuris, siue facti. Ita Diana *supr.* addens, quod si agatur de foro conscientiæ tantùm, credendum est omnino asserenti se fecisse bona fide, ne cogitasse ibi interuenisse culpam, aut pœnam: eique persuadendum esse, vt omnino quietus sit, nec se credat incurrisse.

QVÆRES XIV. An eiusmodi pœnæ suspendantur per appellationem legitimam subsequentem.

19. Respond. suspendi, & probatur, tum quia omnis appellatio suspendit sententiam, & eius effectum, etiamsi trahat secum executionem iuxta *l. furti A. de ys, qui notant infamia:* tum quia quod dicitur appellationem à suspensione non retardare effectum, intelligitur solùm de suspensione à diuinis officiis, aut ab ingressu Ecclesiæ, vt habet Panorm. *in cap. ad hæc el 5. de appell. n.* 1. Vnde infert Peyr. *de R. S. q.* 1. c. 50. §. *vnic.* ex Rodriq. *tom.* 1. *q.* 29. *art.* 5. & Sparbar. *p. 4. tract.* 10. *cap. vlt.* quod, si qui Religiosi in Capitulis generalibus, prouincialibus, aut etiam localibus suspendantur à voce actiua, & passiua, si post appellationem eligantur, & eligant, valida est electio.

QVÆRAS XV. Quinam possint dispensare cum Regularibus super istis pœnis.

20. Respond. distinguendo, vel loquimur de foro interno; & sic possunt dispensari à propriis Prælatis Ordinis, siue eæ non sint reseruatæ, siue etiam sint reseruatæ, & hoc ex priuilegio bullato Pij V. quo concessum est Priori Conuentuali Ordinis S. Dominici, & superioribus Prælatis, *vt ipsi per seipsos idem omnino possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possint Episcopi in Clericos, & laicos sibi subditos, tam quo ad absoluendum, & dispensandum huiusmodi, quam alias quascumque facultates:* vnde, cum Episcopi ex vi Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 6. possint dispensare cum suis Clericis super istis pœnis contractis ex delicto occulto, vtpote quæ veniunt nomine suspensionum, ac irregularitatum ibi in specie concessarũ, vt notat Sorb *in comp. ver. ingredi monast. Monial.* sub finem; ita & super iisdem poterunt Prælati regulares dispensare cum Religiosis subditis; vel loquimur de foro externo; & qooad hoc dicit Peyr. *tom.* 1. *priuil. constit.* 6. *Iul. n.* 25. quod, qoamuis Rodriq. *tom.* 1. *q.* 54. *art.* 17. & Cruz *l.* 1. *de stat. relig. c.* 6. *d.* 15. (à quibus non omnino dissentit Lezana *tom.* 1. *c.* 10. *n.* 36. dicens solùm oppositum esse tutius) sustineant Prælatos regulares posse super dictis pœnis dispensare cum suis subditis, si sint Prouinciales (adde tu & Generales, aut visitatores iuxta dicta *tract. de gubern. c.* 3. *sect.* 1. *q.* 4.) nihilominus pars negans videtur amplectenda; cum praxis sit in contrarium, nullóque firmum fundamentum, aut certum priuilegium afferatur pro parte affirmante; & alioqui regula communiter recepta in scholis sit Prælatos inferiores non posse tollere pœnas inflictas à Prælato superiore, maximè à Papa. Ita Peyr. & Lezana *vbi sup.* Sanch. *l.* 6. *in Decal. c.* 15. *n.* 78. aliique docti Recentiores à me consulti; patérque ex dictis: si moueto quoad facultatem dispensandi pro foro interno, vltra priuilegium Pij V. superiùs relatum, extare etiam alia priuilegia bullata, quibus hoc idem Prælatis regularibus conceditur; ea nimirum, quæ iis concedunt facultatem dispensandi cum propriis subditis in omnibus pœnis: siquidem priuatio officiorum, vocis actiuæ, & passiuæ, inhabilitationes, aliæque eiusmodi pœnæ sunt quædam pœnæ, teste Sanch. *supr.* adeóque sub generali nomine pœnarum comprehenduntur. Tale priuilegium est, quod concessit Sixtus IV. Carmelitis, & Greg. XIV. Religiosis ministrantiũ infirmis, quæ refert Lezana c. 18. *n.* 33. *&* 35. quæque ita conceduntur Generali, vt eorum vsum possit aliis delegare, etiam nullã prælaturã regularem habentibus, vt constat ex ipsorum tenore.

Quod si quæras, an facultas à Pio V. cõcessa Prælato regulari (de qua §. *præcedenti*) possit delegari.

Respond. quod, licèt pars negans videatur suaderi ex verbis illis, quæ sunt in indulto Pij V. *per se ipsos:* tamen pars affirmans reddatur probabilis ex doctrina, quam tradit Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 11. *num.* 23. dicens quod, qoamuis Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* dicat Episcopum posse ab hæresi occulta absoluere per *se, & non* per *Vicarium*; nihilominus potest Episcopus delegare alteri talem absolutionem, non quidem generaliter alicui committendo vices suas ad absoluendum ab hæresi, sed solùm specialiter deputando ad specialem casum hæresis oblatum: sic enim saluatur mens Concilij, & aliàs restrictio facta ab illo accipitur ita, vt quam minimum corrigat ius commune; vi cuius alioqui posset Episcopus absolutionem hæresis delegare tum generaliter, tum specialiter. Quæ doctrina proportionaliter in casu præsenti procedit, adeóque suadet Prælatum regularem posse subdelegare facultatem illam à Pio V. concessam non obstante clausula illa *per se ipsos*; non tamen generaliter, & absolutè (cum hoc excludat clausula *per se ipsos*) sed solùm in casu speciali, idest occurrente: & hoc ob rationem adductam supra ex Sanchez. 21.

Imò

21. Imò ego puto Religiosos posse super eiusmodi pœnis dispensari etiam à propriis Confessariis Ordinis: idque etsi aliàs sint reseruatæ Papæ (pro foro tamen conscientiæ tantùm.) Moueor, quod Regulares approbati ad confessiones possunt absoluere ab omnibus pœnis etiam reseruatis Papæ, ex variis priuilegiis ad talem effectum concessis, & maximè ex concessione bullata Pauli III facta Societati Iesu, & à nobis explicata *in tract. de priuileg. cap. 3. sect. 2. subsect. 2. q. 1.* constat autem ex modò dictis, nomine pœnarum venire etiam eiusmodi priuationes, ac inhabilitationes, nec refert quod in eo priuilegio nulla fit mentio dispensandi, sed solùm absoluendi: nam, teste Bonac. *de censur, in comm. D. 7. q. 5. p. vlt. n.* 8. verbum, *absoluo*, interdum vsurpatur loco verbi *dispenso*, idémque operatur.

Quòd si quæras, à quo debeant Regulares dispensari super istis pœnis, quoad forum externum.

22. Respond. quod, cum illius sit dissoluere vinculũ, cuius est adstringere; & hæ pœnæ sint quædam vincula spiritualia; ij solùm poterunt super iis dispensare; qui possũt eas imponere, id est, Papa, sacra Congreg Prælati regulares, &c. idque seclusis priuilegiis.

QVÆRES XVI. An, vbi Religiosus commisit delictum prohibitum sub aliqua eiusmodi pœnarum (v.g. sub priuatione officij incurrenda ipso facto absque alia declaratione;) ita in foro externo censeatur incurrisse pœnam, vt, si sit Prælatus Monasterij possit repelli à subditis, & actus, quos facit ratione officij, sint nulli, etiamsi per iudicis sententiam nondum declaratus sit reus talis pœnæ.

23. Respond. non videri incurrere pœnam, & consequenter non posse repelli à subditis, stante probabilitate doctrinæ à nobis traditæ *q. 9.* quòd istæ pœnæ priuatiuæ non incurrantur ante iudicis sententiam, neque etiam in foro externo. Moueor ex eo, quòd, sicut, quando aliquis ex iuris dispositione est ipso facto bonis, ac iuribus suis priuatus ratione excommunicationis, adeóque bona, & iura illius applicata sunt fisco: nihilominùs executio non debet fieri, nisi priùs super crimine fuerit declaratum: vt patet ex *cap. cùm secundùm leges, de hæret. in 6.* (quo modo dominium prædictorum bonorum manet apud delinquentem, vsque dum fiat præfata declaratio, solúmque amittitur secundùm quid, videlicet in debito, & sub conditione, si proferatur sententia, sicut notat Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 22. n. 4.*) ita & in casu nostro, quantumuis Prælatus regularis præfato modo dicatur priuatus officio, ratione pœnæ incursæ: non ideò tamen subditi debent illum de facto priuare iure suo, nisi priùs super crimine declaratum fuerit, id est, nisi priùs declaretur à legitimo Superiore illum commisisse tale delictum: vt notat Sanchez *lib. 2. moral. cap. 22. n. 20.* & in simili casu aduertit Diana *p. 5. tract. 9. resol.* 127.

24. Quòd autem dicimus de priuatione officiorum, proportionaliter dicendum est de priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, aliisque pœnis priuatiuis; cum sit eadem ratio de his, ac de illa; vbi autem militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio.

Vtrum verò in foro externo censendi sint validi actus, qui ratione officij fiunt à Prælato post contractam priuationem officij, etiam vbi facta fuerit legitima declaratio illum incurrisse talem pœnam; an ex tunc incipiant esse irriti, ita vt sententia retrotrahatur ad diem delicti commissi: sicut de facto retrotrahitur, quoad bona, quæ ipso iure addicuntur fisco ob aliquod delictum, rescissis per ipsum fiscum omnibus contractibus à delinquente initis à die delicti, siue titulo oneroso, siue alio.

Respond. insistendo doctrinæ traditæ *q. 9.* videri probabile, quòd actus prædicti à Prælato facti post incursam priuationem officij manent validi, etiam secuta illa iudicis declaratione. Ducor, quòd, cum Prælatus ante præfatam declarationem adhuc retineat iurisdictionem proprio officio competentem, actus ab eo exerciti etiam tunc temporis verè sunt validi, nec apparet, quo pacto vi talis declarationis amittant validitatem: si qua enim est ratio, maximè est, quod sententia lata contra Prælatum retrotrahitur à die commissi delicti (vti diximus contingere, quoad bona iure ipso addicta fisco ob aliquod delictum) at posito quòd iurisdictio non amittatur nisi post sententiam declaratoriam, magna adest disparitas inter priuationem bonorum, & priuationem iurisdictionis, adeóque non eodem modo philosophandum est de vtraque. Magna, inquam, est disparitas, si quidem eatenus sententia lata contra delinquentem, quoad bonorum confiscationem retrotrahitur ad diem delicti commissi, quatenus hoc ipso quod iure imponitur confiscatio bonorum alicui delicto, fiscus eo ipso à die delicti commissi acquirit ius, & hypothecam ad omnia bona delinquentis; quæ proinde cum tali onere transeunt ad quemcumque, quouis titulo ea possidentem: vnde & tali iuri ex tunc per fiscum acquisito nullus contractus postea initus obstare potest. Secus in casu nostro, in quo nulla occurrit ratio, cur dicatur sententia retrotrahi ad diem commissi delicti, ita vt secuta declaratione pœnæ incursæ nulli incipiant esse illi actus, qui interim facti sunt, & quidem validè, vtpote facti ab habente tunc necessariam iurisdictionem: vel certè, si qua occurrit, ea debet assignari, sicut de facto assignata est de confiscatione bonorum; non video autem, quænam ratio assignari possit cum sufficienti fundamento; ideóque nego actus semel legitimè factos in casu proposito, desinere esse validos, secuta sententia declaratoria, de qua suprà dictum est. 25.

SECTIO II.

De pœnis priuatiuis iure Pontificio latis contra Regulares.

EXplicaturus in hac Sectione singulas species pœnarum priuatiuarum, quæ iure Pontificio latæ sunt contra Regulares, & quidem cum aliquo ordine, vt promptiorem ad vsum deseruire possint; eas omnes proponam, quæ aliquo studio adhibito, mihi occurrunt; quòd si aliqua excidit, suppleat studiosus Lector, memor, quòd non omnia possumus omnes; eas, inquam proponam, & quam breuissimè exponam: quæque illarum sint reseruatæ, vel non, indicabo.

De priuatione vocis actiuæ, ac passiuæ.

26 *Regulares priuantur voce actiua, & passiua, si Romam indebitè petant, & vrbem ingrediantur.*
27 *Si quidem id fiat cum præsumptione.*
28 *Licentia eundi Romam concedi potest Regularibus etiam à Visitatoribus, Definitoribus, &c.*
29 *Eidem pœnæ subsunt facientes certa delicta contra religiosam paupertatem.*
30 *Item subsunt, si violent interdictum.*
31 *Item si subornent in electionibus.*
32 *Et quidem etiam in casu quo non fiat electio.*

 33 *Intell*

33 *Intellige, ſi ſubornatio ſit mala.*
34 *Hac tamen priuatio non eſt reſeruata.*
35 *Per communicationem priuilegiorum eadit in Religioſos aliorum Ordinum.*
36 *Eidem pœna ſubſunt Regulares indebitè eligentes conſeruatorem.*

QVÆRES I. Qualiter incurrant Regulares huiuſmodi priuationem eundo Romam abſque debita facultate.

26. Reſpond. incurrere, ſi eant abſque licentia Generalis, aut Protectoris Ordinis in ſcriptis obtenta (quæ tamen modò concedi poteſt etiam à Prouinciali ex cauſa communi totius Prouinciæ ex decreto Sacræ Congregationis, quod refert Nald. *ver. religioſus, n.*41. talem verò priuationem durare ad biennium vnà cum aliis pœnis arbitrio Prælati infligendis, & eſſe reſeruatam, interdicta omnino Superioribus ſingulis, etiam Generali, ac Prouinciali facultate illam moderandi, ac relaxandi: habetur *in decretis Clementis VIII. pro Regularium reform.* editis 20. Martij 1601. §.39. 40. & 60. patétque ex ipſo tenore textus, ſi monuero in §.40. addi præfata omnia procedere ſine nulla exceptione aduerſus eos, qui dictos Religioſos admiſerint, aut exceperint.

27. Illud porrò hîc benè notat Peyrin. *tom.3. priuil. cap.4. n.17.* quod, cum ad incurrendam iſtam priuationem requiratur præſumptio (vt conſtat ex verbis illis textus. *Si quis autem ſine huiuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit*) eam non incurret, qui iniuſtè grauatus ſine licentia Prælati recurrit Romam ad Sedem Apoſtolicam; cum in tali caſu adſit legitima cauſa recurrendi excuſans à temeritate, quæ alioqui ſupponitur ad præſumptionem.

28. Addo quod, cum ſimus in materia fauorabili, & eadem ratio militet in viſitatoribus, definitoribus, aut aliis ſimilibus Prælatis, vtpotè habentibus æqualem poteſtatem, ac æquippollentibus Prouinciali: probabile eſt etiam illos poſſe modo dicto dare facultatem eundi Romam; idque ob extenſionem illam factam ad Prouinciales. Ita docti viri à me conſulti.

QVÆRES II. Quo pacto Regulares incurrant talem priuationem violando decretum Concilij Trid. *ſeſſ.25. de regul. cap.2.*

29. Reſpond. incurrere, & quidem per biennium vna cum aliis pœnis iuxta conſtitutiones propriæ Regulæ, ac Ordinis: ſi bona immobilia, vel mobilia, cuiuſcumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus poſſideant, vel teneant; cum potiùs ea ſtatim tradenda ſint Superiori, ac Conuentui incorporanda: ſi Superiores bona ſtabilia alicui Regulari concedant etiam ad vſufructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam: ſi permittantur à Superioribus, & retineantur à Religioſis ſuperflua, ac ſuppellex ſtatui religioſo minùs conueniens. habetur expreſsè in citato decreto Concilij, & conſtat ex dictis *in tract. de votis, cap.2. ſect.4. ſubſ.1. q.5.* ſi hîc tantùm aduertero huiuſmodi priuationem non incurri ante iudicis ſententiam, & non eſſe reſeruatam.

QVÆRES III. In quo caſu incurrant iſtam priuationem violando intedictum iuxta *cap. ſi qui, de ſent. excommunic. in 6.*

30. Reſpond. incurrere, ſi violent in materia diuinorum officiorum: non eſſe tamen reſeruatam: cum in relato textu nulla fiat mentio reſeruationis.

QVÆRES IV. Qualiter Regulares incurrant huiuſmodi priuationem ex occaſione ſubornationis factæ in electionibus.

31. Reſpond. incurrere, ſi is, qui ſubornatus eſt, aut ille, pro quo facta eſt ſubornatio, ſubornantem non deferant, cum alioqui ſubornans incurrat excommunicationem *ſect. præced.* relatam, habetur in Conſtit. Pij V. quæ eſt 128. in ordine, & ait: *Qui verò in electionibus omnibus, vel ante eas per 6. menſes pro ſe, vel pro alio ſubornauerint, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant, à qua, niſi à Rom. Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam mortis articulo, abſolui non poſſint; ac voce actiua, & paſſiua perpetuo careat ſubornatus, vel alius etiam, pro quo ſubornatio fiet, qui ſubornantem non detulerit, eamdem pœnam incurrere cenſeatur: qui autem ad officium obtinendum quorumuis fauorem extra religionem procurauerit, vltra prædictas pœnas per menſem carceri mancipetur.* Vbi notandum per *ſubornare* non intelligi conferre adinuicem, quis ſit dignior, vt eligatur, idque allegando rationes adinuicem pro vtriuſque meritis: imò, nec ſimpliciter petere ab alio, vt det ſuffragium pro tali indigno, aut minùs digno, nullis minis, precibus importunis, aut muneribus adiunctis, nullâque adhibita perſuaſione; cum enim ſubornare ſit perſuadere aliquid verum, vel falſum in bonum, aut malum finem, vt definit Cardin. apud Rodriq. *tom.2. quæſt.56. art.1.* & alioqui ſimpliciter petere modo dicto non ſit perſuadere; conſtat in propoſitis caſibus non interuenire ſubornationem, adeóque nec incurri pœnas hîc relatas.

An autem tales pœnæ incurrantur in caſu, quo de facto non ſequatur electio, pro qua eſt facta ſubornatio.

32. Reſpond. Portel. *de dub. regul. ver. ſubornatio, n.5.* ex Suar. & Rodriq. incurri; ſed non probat; probari tamen poteſt ex eo, quod, quamuis ad incurrendas pœnas Eccleſiaſticas requiratur effectus completus, quem legiſlator intendit punire; id tamen fallit in caſu, quo ſub cenſura, aut alia pœna principaliter prohibetur ipſa actio, aut conatus; ſicut aduertit Bonac. *q.1. de cenſur. in comm. p.1. num.12.* ex Vgol. & Nauar. quod vtique euenit in præſenti caſu, vt facilè conſtabit conſideranti.

33. Adde quod, licèt Conſtitutio Pij V. loquatur generaliter de ſubornantibus; non ideò tamen extendi debet ad ſubornationem bonam, qua quis ſuaderet veras, ac bonas dotes perſonæ eligendæ in bonum communitatis; ſiquidem finis Papæ eſt, vt per ſubornationem non eligatur indignus, aut minùs dignus; quod communiter ſupponit ſubornationem malam.

34. Cæterùm iſta priuatio non eſt reſeruata, vt colligitur ex textu: quin etiam Gregorius XIII. anno 1573. quo adhuc moderatus eſt Conſtitutionem Pij V. concedendo tam Miniſtro, quàm Commiſſario generali Ordinis Minorum de Obſeru. (pro quo in ſpecie edita fuit præfata Conſtitutio Pij V.) vt poſſint abſoluere ab excommunicatione, quæ vigore dictæ Conſtitutionis incurritur à ſubornante, & eſt reſeruata; dummodò de ipſis non agatur; quod notauit Bonac. *de cenſur. in partic. D.2. quæſt 9 par.4. num.4.*

35. Quamuis autem iſta Conſtitutio Pij V non ſit edita generaliter pro omnibus Religioſis (vt paulo ante indicaui) nihilominùs ſuffragari poteſt etiam Regularibus aliorum Ordinum per viam communicationis priuilegiorum: cum ſit fauorabilis toti Communitati; non videtur tamen eſſe in vſu, ſaltem, apud plures Religiones, ideóque videtur abrogata.

QVÆRES V. Quo iure incurrant talem priuationem Regulares indebitè eligentes Conſeruatorem.

36. Reſpond. incurrere ex Conſtitut. Gregorij XV. die

die 20. Sept. 1621. quæ præscripta Regularibus formæ eligendi Conseruatorem, §. 5. sic habet: *Qui secùs, quàm iuxta formam superius præscriptam Conseruatores cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electos nominatos, seu deputatos vti ausi fuerint; Regulares quidem voce actiua, & passiua sint ipso iure priuati, adeò vt habilitationem à nemine, præterquam à Rom. Pontifice consequi valeant; reliqui verò alijs pœnis arbitrio Sanctitatis suæ coerceantur, & prædictorum omnium Conuentus, monasteria, ac loca huiusmodi, eorumq; personæ, ac bona careant Conseruatore ad annum, ita vt illorum causæ interea coram locorum Ordinarijs dumtaxat cognosci, ac definiri debeant.* Quæ omnia sunt satis clara, si aduertero istam priuationem reseruari Papæ; vt constat ex illis verbis, *adeò vt habitationem à nemine, præterquàm à Rom. Pontifice consequi valeant*: sub illis verò alijs verbis, *reliqui verò alijs pœnis arbitrio Sanctit. suæ coerceantur* comprehendi Capitula, hospitalia, aliáque loca pia, quæ habent etiam ipsa ius eligendi Conseruatorem; vt clarè colligitur ex §. 1. relatæ Constitutionis.

De priuatione vocis actiuæ ac passiuæ, iurisque eligendi.

37 *Regulares priuantur Voce, ac Iure eligendi, si Religiosum Ordinis, abdicato Episcopatu ipsi collato, redeuntem ad Ordinem eligant ad eius dignitates, officia, superioritates.*

38 *Eandem priuationem incurrunt: si omittant Religiosis subditis publicare Decretum Vrbani VIII. legendum feria 6. post Octauam Assumpt. B. V. Mariæ in publico aliquo loco: etsi hoc Decretum non sit opus legere in extensum, sed sufficiat monere de obseruantia illius, de cuius intelligentia plura aduertuntur.*

39 *Eandem priuationem incurrunt cum alijs pœnis extrahentes Reliquias Sanctorum e locis prohibitis sine licentia.*

40 *Priuantur voce, officijs &c. si non notificent Religiosis subditis reuocationem viuæ vocis oraculorum.*

QVÆRES VI. In quo casu Regulares incurrant talem pœnam.

37. Respond. incurrere, si contra Pauli IV. Constitutionem relatam à Rodriq. *in bullario* (& est 4. in ordine) ad dignitates, seu officia, aut superioritates Ordinis eligant Religiosum eiusdem Ordinis promotum in Episcopum, & post sui consecrationem redeuntem ad Religionem. habetur in citata Constitut. his verbis, *Et si quis eum de cætero ad dignitates, seu officia, aut Superioritates huiusmodi scienter elegerit, iure eligendi perpetuo careat, ac voce actiua, & passiua eo ipso priuatus existat*; non est autem reseruata hæc pœna, vt constat ex textu.

De priuatione vocis actiuæ & passiuæ, ac officij.

QVÆRES VII. In quo casu Regulares afficiantur ista pœna contrauenienndo decreto Sacræ Congreg. iussu Vrbani VIII. edito die 7. Iunij 1633. circa publicationem decretorum spectantium ad S. Officium, & relat. *tom. 4. Bullar. Constitut.* 117. Vrbani VIII.

38. Respond. affici, si sint Superiores, & semel in anno fer. 6. post Oct. Assumpt. B. V. in publica mensa, aut Capitulo ad hoc specialiter conuocato, & insuper in quocumque Generali, ac Prouinciali Capitulo, Conuentu, dieta, vel alio quouis nomine nuncupato capitulari congressu suos subditos, ac Religiosus non commoneant de iniuncta omnibus obseruantia, ac executione Constitutionum Apostolicarum ad S. Officium Inquisitionis contra hæreticam prauitatem pertinentium, habetur expressè in citato decreto, quod sic concludit; *Et insuper ijdem Superiores teneantur curare, & efficere, vt huius decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conseruentur, ita vt ab ijsdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant: deq; huiusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Vrbe: & ita mandat, ac præcipit Sanctitas sua*; nulla tamen apposita pœna, vt patet ex textu.

Circa cuius decreti intelligentiam noto 1. cum talis decreti non teneri Prælatos curare, vt in locis præscriptis legatur in extensum, sed sufficere, quod proprios subditos commoneant de illius obseruantia: siue id faciant verbis, siue per schedam publicè lectam: id quippe importat verbum *commonere*, quod extat ipso decreto; quamquam ferè communiter soleat legi in extensum, fortè ad vitandos rumores.

Noto 2. quod, cum in hoc decreto nullo mentio fiat reseruationis; pœna in eo contenta censeri non debet reseruata; cum reseruatio sit odiosa, ideóque non debeat induci absque sufficienti fundamento.

Noto 3. quod, quamuis in hoc decreto indefinitè dicatur, *Vt omnes Superiores cuiusuis Ordinis* &c. sicque videre possit comprehendere etiam Generales, ac prouinciales, & non solùm Prælatos locales; nihilominùs si contingat die præscripta non fieri præscriptam commonitionem in aliquo monasterio, in quo causa visitationis adsit Generalis, aut Prouincialis, non censeo istos in tali casu subiacere præfatæ pœnæ, sed solum Prælatum localem: cum piè possit interpretari decretum hoc in isto casu solum extendi ad Prælatum localem, vtpotè specialem, ac immediatam administrationem Monasterij habentem, Generali, aut Prouinciali curam illius habentibus solùm mediatam, ac generalem; vnde fit, vt lectio huius decreti spectans ad specialem Monasterij administrationem pertineat ad Prælatum localem: præterquàm quod lex respicit communiter contingentia; omissio autem lectionis præfatæ communiter accidit ex defectu Prælati localis, qui in suo Monasterio semper degit, Generali, ac Prouinciali, modò ad hoc, modò ad illud monasterium abeuntibus. Et hoc puto procedere in casu, quo Prior, aut Rector, quo tempore fieri debet ea commonitio, sint extra, & Subprior, aut Minister respectiuè dictam commonitionem omittant facere: cum enim hi tunc temporis succedant in iurisdictionem Prioris, ac Rectoris respectiuè, fiantque Superiores in capite, immediatam habentes gubernationem Monasterij, aut collegij, ad eos spectat facere talem commonitionem, & si omittant facere, incurrent præfatas pœnas: & ex hoc est verum; licet in Monasterio, aut Collegio tunc adsit Generalis, aut Prouincialis: idque ob rationem superiùs in hoc ipso §. allatam; quæ hîc item procedit. Si verò quo tempore fieri debet illa commonitio in monasterio existant Prior, & Subprior; pœnas dictas puto incurri solùm à Priore, cum onus præfatæ commonitionis spectet Superiorem, & in materia odiosa nomine Superioris veniat solùm Superior in capite.

Noto 4. per ea verba *in Capitulo ad hoc specialiter*

congregato non tolli, quo minùs in Capitulo ad talem effectum ſpecialem coacto tractari poſſint etiam alia negotia; cum hic ſolùm præcipiatot Capitulum ſpecialiter cogi ad talem effectum: quod omninò obſeruaretur io iſto caſu.

Noto 5. occurrente iuſta cauſa poſſe anticipari præfatam commonitionem cum præfixio temporis appoſita in præſenti decreto non ſit in coltum ipſius temporis, & plus ſoluat qui ſoluit ante tempus.

Noto 6. ad petitionem Canonicorum Regularium S. Auguſtini declaraſſe Sacram Congregationem 11. Febr. 1638. tempus facieodi dictam commonitionem extendi per totum menſem Auguſtum, & hanc extenſionem ſuffragari omnibus Religioſis.

Noto 7. qood ſi tempore præſcripto ad faciendam præfatam commonitionem maior pars Religioſorum Monaſterij eſſet ruri (verbi gratia cauſa maiorum vacationum:) tunc non eſſet facienda talis commonitio etiam ruri, ſed ſufficeret illam fieri in Monaſterio, quia & ibi deberet fieri, non autem ruri, cum ſic abundè ſatisfiat menti decreti, & habeatur finis in eo, intentus; maximè cum Religioſi grauiores, ad qnos in primis tale decretum ſpectat, ſoleant tunc temporis commorari in Monaſterio.

Noto 8. qood dicitur in iſto decreto dictam commonitionem ſignificandam eſſe Sacræ Coogregationi per publicum documentum; ex declaratione eiuſdem Sacræ Coogregat. facta 3. Maij 1638. ſufficienter obſeruari, ſi per Superiores Conuentuum vnà cum ſubſcriptione Religioſorum ſubditorum fiat de ea re fides, & conſignetur Inquiſitori, cui ſubſunt.

Noto 9. quod, cum P. N. Generalis viſis, & conſideratis dictis declaratiooibus ſupplicaſſet ſacræ Congregationi, vt dignaretur declarare ioſraſcripta dubia pro Societate noſtra; nimirum, primum vbi non ſunt Inquiſitores (prout in Germania &c.) vel, ſi ſunt, non ſunt deputati à Sede Apoſtolica, cui præſentari debeat pręfata fides: ſecundum an ſufficiat, quod dictæ fides ſubſcribuntur à Superiore locorum, & à ſuis Conſultoribus, oon autem ab omnibus Religioſis ei ſubiectis ad euitandam confuſionem in illis locis, in quibus commorantur 50. 100. & 200. Religioſi; die 21. 1638. reſpoodit Sacra Congregat. ad 1. quod præſentent fidem publicationis decreti Nuntio Apoſtolico, aut mittaot P. Generali, qui eam præſentat ſancto Officio Vrbis: ad 2. ſufficere ſubſcriptionem Superioris, & 2. Conſultorum. Quæ duæ declarationes videntur poſſe ſoffragari etiam Religioſis aliorum Ordinum, (& præſertim prior) ita tamen, vt loco duorum Conſultorum ſubſcribant duo diſcreti, aut vocales, aut ſeniores iuxta vſum Ordinis.

39. Addo ex dictis *ſupr. cap. 2. num.* 164. Regulares indebite extrahentes Reliquias Sanctorom incurrere priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ, nec non inhabilitatem ad dignitates, & gubernatiooes ſuæ Religionis; taliſque inhabilitatis diſpenſationem reſeruari Papæ ex Decreto Paoli V. qoi poſteà per Breue ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & in perpetuum, ac exilij ab omni ſtatu Eccleſiæ Romanæ (quæ tamen pœnæ ſuntæ ferendæ) prohibuit Regularibus, ne fidem vllam, aut inſtrumentum, ſeu ſcripturam publicam, vel priuatam faciant extractionis, donationis, conſignationis, traoſlationis, aut alterius contractus, vel ſcripturæ, vbi fiat mentio Reliquiarum, niſi cum licentia Vicarij Vrbis; non ſuffragante quacumqoe Sedis Apoſtolicæ licentia in ſcriptis aliter emanata. Intellige; niſi in conceſſione talis licentiæ ſofficienter derogetur huic clauſulæ: aliàs enim Papa prædeceſſor noo poteſt ligare manus ſui Succeſſoris; cum par in parem ooo habeat imperium, vt patet.

De priuatione vocis actiuæ ac paſſiuæ, ac Officiorum, & dignitatum.

QVÆRAS VIII. Qualiter incurrant Regulares iſtam pœnam non notificando propriis ſubditis reuocationem viuæ vocis oraculorum factam ab Vrbano VIII. die. 2. Iulij 1622. & relatam *tom. 4. bullar. Conſtitut.* 119. *Vrb. VIII.*

40. Reſpond. incurrere, ſi ſint Prælati, & ootificationem prædictam quæ fortè fuit omiſſa à ſuis prædeceſſoribus, non faciant; quamuis enim io Conſtitutione Vrbaoi VIII. hac de re edita dicatur illam faciendam eſſe infra 3. menſes proximos à die publicationis præfatæ Conſtitutionis computandos: nihilominos, cum determinatio illa temporis non ſit ad finiendam, ſed ad ſolicitandam obligationem; puto obligationem prædictam in caſu propoſito etiam modò ſubſiſtere, & ſi non impleatur, incurri pœnam hîc relatam: quod item ſentiunt alij viri docti à me conſulti, & meo iudicio bene; qoamuis talis pœna oon ſit reſeruata, vt patet ex textu.

De priuatione vocis actiuæ, ac paſſiuæ, & officiorum, ac inhabilitate ad illa.

41 *Priuationem vocis ac officiorum, & inhabilitatem ad illa incurrunt Religioſi indebitè eycientes ab Ordine.*

42 *Illam incurrunt, ſi extra loca deſignata recipiant ad religioſum habitum.*

43 *Item ſi noua monaſteria indebitè erigant.*

44 *Item, ſi Vrbani VIII. decretum,* de Religioſis apoſtatis, & eiectis *violent.*

45 *Item, ſi omittant punire ſubditum delinquentem extra clauſtra.*

46 *Item, ſi contraueniat Decretis Vrbani VIII.* de celebrat. miſſarum.

47 *Item, ſi in caſu vetito appellent à proprio Superiore.*

48 *Item, ſi alienent bona monaſtery.*

49 *Religioſi priuatur voce, officijs, ac dignitatibus, ſeu adminiſtrationibus, ſi indebitè dent ſuis ſubditis Dimiſſorias ad Ordines: ſecus ſi Diæceſanus ſit præſens, & per alium habeas ordinationes.*

QVÆRES IX. Quo modo Regulares incurrant iſtam pœnam, ſi contra decretum Vrbani VIII. editum 5. Ianu. 1636. eiiciant ab Ordioe Religioſos admiſſos ad habitum, ac profeſſionem in loco non deſignato, loribus ſois minimè deductis cocoram Sacra Congregat. & ſine liceotia illius, vt in dicto decreto ſtatuitur.

41. Reſpond. incurrere, ſi ſint Sopetiores, & quidem vnà cum ſuſpenſione à diuinis: quamquam hæ pœnæ non ſint reſeruatæ.

QVÆRES X. An hanc eamdem pœnam incurrant Religioſi, ſi Nouitios ad habitom regularem recipiant in locis non deſignatis iuxta decretum Clementis VIII.

42. Reſpond. incurrere; ſi ſint Prælati: non eſſe tamen reſeruatam, vt conſtat ex citato decreto, quod irritans receptiones, aut profeſſiones taliter receptorum ſic habet, *Superiorem autem, qui huius decreti tranſgreſſor,*

transgressor extiterit, ipso facto priuationem omnium officiorum, quæ tūc obtinebit, vocis actiuæ, & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda eo ipso incurrere voluit, & decreuit, & alijs etiam pœnis arbitrio Sanct. suæ imponendis subiacere: receptiones verò. & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcumque effectum ex nunc decernit.

QVÆRES XI. An, & qualiter Regulares incurrant huiusmodi pœnam erigendo noua monasteria absque licentia Ordinarij, & non seruata forma quoad hoc præscripta.

43. Respond. incurrere, si sint Superiores, aut aliàs ad ipsos spectet, & prætextu licentiarum, seu facultatum ab Vrbano VIII. reuocatarum, aliòve quouis prætextu, aut causa, etiam quatumuis priuilegiata absque licentia Ordinarij, & non seruata debita forma à nobis relata *in tract. de priuileg. cap. 7. sect. 2. q. 2.* noua monasteria, seu loca recipiant, erigant, fundent, seu aliàs quomodolibet instituta, seu incœpta finiant, & absoluere audeant, seu præsumant; ista tamen pœna non est reseruata; vt constat ex ipso textu. habetur in Const. 25. Vrbani VIII. §. 2. & patet, si moneto per ea verba *seu incœpta finire & absoluere audeant.* intelligi finitionem monasterij materialem, adeóq; sub dicta Constitutione comprehendi etiam monasteria cœpta ante emanationem cum ea loquatur indistinctè; quamuis fortè, quoad hanc partem non videatur esse in vsu multis in locis.

QVÆRAS XII. In quo casu Regulares afficiantur hac pœna violando decretum sacræ Congregat. editum iussu Vrbani VIII. die 21. Sept. 1624. *de eiectis, & apostatis.*

44. Respond. affici, si quoquo modo facere, aut moliri præsumunt aduersus aliquid eorum, quæ præcepta sunt in dicto decreto; idque siue operentur, tanquam Superiores in rebus concernentibus proprium officium, siue tanquam subditi in ordine ad propriam apostasiam, aut eiectionem; patet ex tenore ipsius decreti, quod refertur *in bullar. tom. 4. Constit. 25. Vrbani* 8. & clarè indicat talem esse reseruatam; qua de re plura *in tract. de priuil. cap. 8. sect. 3.*

QVÆRES XIII. An, & in quo casu Regulares afficiantur tali pœna, si constituti Prælati post Episcopi admonitionem non puniant Religiosum subditum extra claustra delinquentem.

45. Respond. affici ex decreto Clem. VIII. edito *in Constitut. sua* 39. si instante Episcopo, vt puniant Religiosum subditum extra claustra scandalosè delinquentem, eum non puniant intra terminum ab ipso Episcopo præfixum, sed de hoc plura *in tract. de priuil. cap. 6. sect. 1. quæst. 5.* moneo hic solùm tunc dici posse Religiosum delinquere cum scandalo populi, quando sic peccat, vt publicè, aut priuatim præbeat Proximo occasionem ruinæ spiritualis; idque puto procedere, licèt non intendat dictam ruinam: si quidem Ecclesiæ imponenti talem pœnam constare nequit de dicta intentione; ista autem pœna reseruatur Papæ.

QVÆRES XIV. An, & quibus in casibus Regulares subiiciantur isti pœnæ, contrauenienedo decretis iussu Vrbani VIII. editis, *de celebrat. Missarum.*

46. Respond. subiici in 4. casibus, & quidem 1. si recipiant onera perpetua Missarum celebrendarum absque Generalis, aut Prouincialis consensu, ac licentia in scriptis: 2. si eleemosynas manuales acceptent pro Missis dicendis, nondum impletis similibus oneribus anteà susceptis: 3. si non auferant proprijs Ecclesiis capsulas cum inscriptione *Eleemosyna promissis.* 4. si in termino præfixo nō præstiterint alia in præfato decreto præscripta, quoad cognoscendam quātitatem redditruum annuorum, aut Eleemosynarum ad sua Monasteria pertinentium: 5. si numerum Religiosorum in Monasteriis quoquo modo augere præsumant contra formam eiusdem decreti, ac Constitut. editæ à Paulo V. die Decemb. 1605. vbi hoc idem sub iisdem pœnis prohibetur. In his, inquam, casibus incurri potest pœna ista: quæ tamen non est reseruata. vt constat ex tenore decreti.

QVÆRES XV. Quo iure hanc eamdem pœnam incurrant Religiosi appellando à correctione suorum Superiorum.

Respond. incurrere, si vel appellent à correctione proprij Superioris ad tribunalia sæcularia, vel certè Religiosis taliter appellantibus in Ordine sint fautores, ac consultores; dummodò tamen appellatio fiat in casu non permisso. Constat *ex Constitut.* 110. *Clementis VIII.* quæ licèt in specie edita sit pro Carmelitis, per communicationem tamen priuilegiorum, potest esse communis etiam aliis ordinibus, vtpotè fauorabilis toti communitati; non est tamen reseruata hæc pœna, nec incurritur à Religiosis in euentu, quo consulant, aut faueant Religiosis alterius Ordinis appellantibus, vt colligitur ex verbis illis bullæ, *ne dum dicti Ordinis regulares personæ* &c. quæ videntur referri tam ad consulentes, ac fauentes, quam ad contra facientes, adeóque sicut bulla loquitur solùm de Religiosis contra facientibus Ordinis Carmelitarum, sic & loquitur solum de Religiosis consulentibus, ac fauentibus eiusdem Ordinis. 47.

QVÆRES XVI. In quibus casibus hæc eadem pœna incurratur à Regularibus alienando bona Monasterij.

Respond. incurri, si absque licentia Sacræ Congregat. Concilij extra casus iure permissos alienent de bonis Monasterij immobilibus, aut mobilibus pretiosis faciendo census perpetuos, seu vitalios, hypotecam, locationem, & conductionem vltra triennium, concessionem in fundum, vel emphyteusim, aut quodcumque aliud pactum, per quod dictorum bonorum dominium transferatur; idque ex decreto Sacræ Congregat. edito 7. Sept. anno 1624. & relato à *Peyrino tom. 2. priuil. Constit. 8. Vrban. VIII.* in quo disertis verbis reseruatur talis pœna. Quin etiam eadem pœna incurritur in casu, quo Religiosi siue præfata licentia recipiant pecunias ad cambium, aut mutuo cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis; & hoc ex alio decreto eiusdem Sacræ Congregat. à nobis relato *in tract. de prohibit. cap. 4. quæst.* 23. in quo tamen cum nulla fiat mentio reseruationis, vi illius dicendum est pœnam hanc non reseruati: si quidem reseruatio pœnæ non supponitur, nisi apertè exprimatur, vt pote odiosa, adeóque non amplianda, sed restringenda. 48.

De priuatione vocis actiuæ ac passiuæ, officiorum & dignitatum, seu administrationum.

QVÆRES XVII. Quo iure Regulares afficiantur ista pœna dando indebitè propriis subditis dimissorias ad suscipiendos Ordines.

Respond. affici, si sint Prælati, & Religiosis subditis dent dimissorias pro suscipiendis ordinibus ad Episcopum non diœcesanum causa absentiæ proprij Episcopi, aut ordinationis ab eo non habendæ minimè expressa contra decretum Sacræ Congregationis 49.

nis relatum à *Quaranta v.Ordo* §. *quantum verò ad Regulares attinet*: in quo reſeruatur hæc pœna: de qua conſulantur dicta *in tract. de prohibit. cap. vlt quæſt.*46.

Putat tamen *Ceſpedes de exempt.cap.*24.*d.*372.*n.*a. quod ſi Diœceſanus non habeat ipſe ordinationes, ſed alium Epiſcopum eligat, qui vice ipſius habeat ordinationes, poſſunt Regulares accedere ad quemcumque Epiſcopum, vt ab eo ordinentur. probatur ex citato Decreto Sacræ Congregationis, quod ait; *Etſi Diœceſanus abſuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes* &c.*ad quemcumque alium Epiſcopum*: in præſenti autem Diœceſanus non eſt habiturus ordinationes; ſicque non obligat Decretum: præſertim cùm regula iuris, *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*, fallat in caſu, quo eligatur induſtria perſonæ, vt iſto caſu: tum quia Clemen. *Dudum* prohibens Regularibus, ne prædicent, Epiſcopo concionante, aut alio pro eo ſolemniter prædicante, id exprimit dicens; *hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe ſolemniter facere prædicare*; ergo.Sacra Congregatio, ſi hoc idem intendiſſet in iſto caſu, id expreſſiſſet; adeóque ſi non expreſſit, ſignum eſt quod non intendit. ita *Ceſpedes* contra Peyrinum, & Tamburinium, addens Epiſcopos, ad quos Regulares mittuntur ordinandi, poſſe ſtare atteſtationi Prælati regularis de abſentia proprij Diœceſani, nimiſque ſcrupuloſos videri illos Epiſcopos, qui præter dicti Prelati atteſtationem volunt atteſtationem Ordinarij Diœceſani, gratis grauantes Religioſos, vt loquitur ipſe Peyr.*de R.P.quæſt.*3.*cap.*7.*num.*5. *ex* Bariola.

De priuatione vocis actiuæ, ac paſſiuæ, officiorum, dignitatum, & inhabilitate ad ipſa.

50 *Regulares priuantur voce, officijs, dignitatibus, & ad ea inhabilitantur, ſi Religioſorum ſubditorum cauſas pertinentes ad S.Officium cognoſcant.*
51 *Item, ſi largitiones prohibitas faciant.*
52 *Si recipiant ad Religionem inhabiles.*
53 *Idq; ſiue recipiant ad Nouitiatum, ſiue ad Profeſſionem; & quidem bis, ſi ad vtrumque.*
54 *Hanc incurrunt pœnam, ſi excipiant Religioſos Ordinis indebitè peregrinantes.*
55 *Item, ſi mercaturam exerceant in Miſſionibus Iaponicis &c.*
56 *Item, ſi exerceant Aſtrologiam iudiciariam contra Decretum Vrbani V I I I.*
57 *Item, ſi poſt Nouitiatum non profiteantur.*
58 *Item, ſi indebitè abſoluant à reſeruatis.*
59 *Si permittant fœminas ingredi ipſorum monaſteria.*
60 *Si alienent bona aut loca iuriſdictionalia Conuentus contra Vrbani V I I I. Decretum.*

QVÆRAS XVIII. Quo iure Regulares ſubijciantur huic pœnæ cognoſcendo cauſas Regularium ſubditorum quomodolibet pertinentes ad Officium S.Inquiſitionis.

50. Reſp. ſubiici ex Conſtitut. Pauli V.in ordine 26. ſi ſint Prælati, & in cauſis ſpectantibus ad Officium S.Inquiſitionis, quoad ſuos ſubditos ſe intromittant denuntiationes recipiendo, teſtes examinando, proceſſus conficiendo, cauſas ipſas cognoſcendo, definiendo, aut terminando; ſi perſonas in talibus cauſis denunciandas, & cauſas ipſas perquirant, aut quoquo modo id impedire, vel retardare præſumant; ſi omnes proceſſus, & acta cauſarum huiuſmodi Inquiſitoribus, ſeu Ordinariis vicinioribus reſpectiuè non remittant, ac conſignent; ſi Religioſos ſubditos, quos hæreſis labe infectos, aut ſuſpectos etiam in viſitatione eſſe nouerint, abſque alia conſultatione cum propriis Superioribus facienda eiſdem Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum viciniorum reſpectiuè non denuncient. in his, inquam, caſibus incurritur iſta pœna (quæ tamen non eſt reſeruata) & quidem vnà cum excommunicatione reſeruata Papæ; vt conſtat ex dictis *ſupr. cap.*2. *ſect.*2. *quæſt.*12.vbi fusè de præſenti quæſt, agitur.

QVÆRES XIX. Quo iure Regulares ſubiaceant iſti pœnæ faciendo indebitas munerum largitiones.

Reſpond. Subiacere ex decreto Clement. V I I I. *de largit.mun.* poſteà confirmato, ac innouato ab Vrbano V I I I. quod nos latè explicauimus *in tract.de prohibit.cap.*9.iſta tamen pœna non eſt reſeruata. 51.

QVÆRES XX. Quo iure Regulares hanc eamdem pœnam incurrant perſonas inhabiles recipiendo ad religionem contra formam Conſtitutionis Sixti V. editam 6.Cal.Decemb.1587.

Reſpond. incurrere ex citata Conſtitutione Sixti V ſi admittant ad nouitiatum, aut profeſſionem 52.
perſonas affectas aliquo ex impedimentis expreſſis in dicta Conſtitut. (quamquàm, quod ſpectat ad illegitimitatem, ea fuerit moderata à Gregorio XIV. *Conſtitut. eius* 3.& à Clemente V I I I.*Conſtit.eius* 83. quoad eam partem, qua profeſſio taliter recepti declaratur irrita;) idque ſiue recipientes ſint ſubditi, ſiue Prælati, dummodo re vera influant in receptionem: nam in §.6. Conſtitutionis Sixti dicitur; *Et inſuper quoſcumque Religioſos, eorumque Superiores, qui aliquas perſonas, vt dictum eſt, inhabiles poſt hanc Conſtitut. publicatam receperint* &c. quod eſt contradiſtinguere Religioſos ſubditos à Religioſis Prælatis, vt patet; hæc tamen pœna non reſeruatur; cum in Conſtitutione citata nulla mentio fiat reſeruationis.

Dixi, *ſi admittant ad nouitiatum, aut profeſſionem*, 53.
vt indicarem, quod ſi contingat Religioſum aliquem incurriſſe pœnam iſtam ex eo, quod inhabilem modo dicto receperit ad nouitiatum, & obtenta diſpenſatione ſuper dicta pœna eundem inhabilem temerè, & culpabiliter recipiat ad profeſſionem; tunc iterùm incurret eandem pœnam: cum Doctores communiter verbum *receperint*, quod extat in Conſtitut.Sixti V. interpretentur de receptione tam ad habitum, quam ad profeſſionem.

QVÆRAS XXI. Quo iure hanc eandem pœnam incurrant Regulares excipiendo Religioſos proprij Ordinis itinerantes contra Conſtitutionem Sixti V. allegatam *quæſt.præcedenti.*

Reſpond. incurrere ex citata Conſtitutione, ſi 54.
Religioſos ſui Ordinis ſed alterius prouinciæ ignotos, aut, ſine licentia proprij Superioris, aut literis eius commendatitiis (quas vocant literas obedientiæ) itinerantes hoſpitio recipiant: & hoc licèt id faciant ex pietate, ac virtute hoſpitalitatis; qua de re *in tract.de priuileg cap.*6.*ſect.*2.*quæſt.*15.Hæc tamen pœna non eſt reſeruata, vt colligitur ex ipſo textu; nec videtur incurri, niſi ab iis Religioſis, qui auctoritatiuè itinerantes modo dicto recipiant (cuiuſmodi ſunt Superiores, & alij, qui iuſſu Prælati exercent tale munus) moueor ad hoc, quod, cum ſimus in materia pœnali, ea non debet ampliari; ex alia parte lex generalis non reſpicit ea, quæ de raro, & contingenter fiunt: vnde, cum Religioſi hoſpites communiter excipiantur à Prælato monaſterij, aut

aot alio de eius mandato, probabile est illos solos io præfata bulla comprehendi, & non alios. Ita docti viri consulti. Putat tamen Rodriq. *tom. 1. quæst. 6. art. 10. & q. 30. art. 7.* ad vitandas dictas pœnas sufficere, quod Religiosus excipiendus sit præcognitus per interrogationes, ac informationes ab eo captas.

Qværes XXII. Qualiter, & quo iure incurrant hanc pœnam Regulares exercendo mercaturam in Missionibus Iaponicis, & Indiarum Orientalium.

55. Respond. contrahere ex Vrbani VIII. Const. 126. si quoquo modo in dictis Missionibus existentes per se, aut per alium, proprio, siue Communitatis nomine, directè, aut indirectè, aut quouis alio prætextu, causa, vel colore ibi exerceant mercaturam, seu negotiationem; hæc tamen pœna non est reseruata; vt constat ex tenore citatæ constitutionis. Adde quod, licèt stando in rigore textus speculatiuè videatur posse sustineri Religiosum modo dicto nomine alterius negotiantem non affici ista pœna; cum in citata Constitutione nulla extet clausula, vnde id colligatur, & aliàs pœnæ debeant restringi: practicè tamen oppositum videtur sustinendum; videlicet in tali casu incurri præsentem pœnam, cum *l. non dubium, C. de leg.* fraudem faciat legi, qui saluis verbis legis, mentem eius circumuenit, quamquam, si quis oppositum mallet sustinere, non ita facilè conuinci posset falsitatis.

De Priuatione vocis Actiuæ, ac Passiuæ, beneficiorum, & Officiorum, & inhabilitate ad alia obtinenda.

Qværes XXIII. In quibus casibus, & quo iure subiaceant Regulares isti pœnæ exercendo Astrologiam iudiciariam contra Constitutionem Vrbani VIII. in ordine 113.

56. Respond. subiacere ex citata Const. Vrbani VIII. si de statu Reipub. Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, siue de vita, & morte Papæ pro tempore existentis, eiusque vsque ad 3. gradum inclusiuè consanguineorum Mathematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatores nuncupatos, vel alios Astrologiam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes consulant, siue desuper eorum iudicia, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones, etiam sibi oblatas recipiant, illisve quomodolibet vtantur, vel illas penes se scienter retineant, aut alicui ostendant: item si tanquam Mathematici, Arioli, Aruspices, seu Vaticinatores, siue alij Astrologiam iudiciariam, seu quamlibet Artem diuinatoriam quomodolibet profitentes iudicia, prognostica seu præcognitiones, & prædictiones super præmissis, etiamsi id non certò se affirmare protestentur, faciant, siue à se, vel ab aliis iam facta penes se retineãt, vel alteri dent, seu ostendant, aut de eis quouis modo, etiam improbando scripto, vel verbis tractent. In his, inquam, casibus incurrunt Regulares istam pœnam vnà cum excommunicatione maiori latæ sententiæ, aliisque pœnis temporalibus, etiam capitalibus; vt constat ex relata Constit. Vrbani VIII. in qua tamen nulla fit mentio reseruationis ad indicandum præfatam pœnam non esse reseruatam.

Qværes XXIV. Quo iure Regulares subiiciantur huic eidem pœnæ omittendo profiteri sub vna ex Regulis approbatis post finitum Nouitiatum.

57. Respond. subiici ex 76. Constitut. Pij V. si id faciant sine speciali priuilegio: quale habet Soc. Iesu ex indulto Gregorij XIII. facto in bulla, quæ incipit *Ascendente Domino*, & fuit edita in confirmationem instituti ipsius Societ. & consequenter priuilegiorum ei concessorum; inter quæ illud maximè extabat, quod Religiosi illius, absoluto nouitiatu, non tenerentur statim profiteri, sed possent differre professionem ad plures annos, imò & plurimi illorum eam numquam facere (sicuti de facto numquam faciunt Coadiutores formati, tam spirituales, quàm temporales;) idque ex indulto Pauli III. ac Iulij II. quod licèt Pius V. abstulerit in citata Constitut. postea tamen fuit de nouo concessum à Gregorio XIII. vt iam dictum est, sicque modò est in vsu pacifico maximo cum bono Societatis: hæc tamen pœna non est reseruata.

Qværes XXV. Qualiter Regulares hanc ipsam pœnam contrahant absoluendo à reseruatis contra decretum Clem. VIII. editum 9. Ian. 1602. confirmatum, imò & ampliatum à Paulo V. ac nouissimè confirmatum ab Vrbano VIII. die 17. Nouembris 1628.

Respond. contrahere, si absque speciali priuilegio absoluant à casibus in bulla Cœnæ contentis, ab illis quinque, quæ specialiter reseruata sunt in præfato decreto Clement. VIII. nec ab iis, quæ Ordinarij locorum sibi in specie reseruant, siue sint casus, siue excommunicationes; idque vi decreti supra allegati: in quo expressè hæc pœna reseruatur. 58.

Qværes XXVI. An Regulares subiiciantur huic pœnæ, faciendo, aut permittendo fœminas ingredi sua monasteria.

Respond. subiici ex Constit. 28. Gregorij XIII. si id faciant ex prætextu facultatum à Papa, aut aliis concessarum, ac reuocatarum; hanc tamen pœnam non esse reseruatam, vt constat ex citata Constitut. aliàs reseruante excommunicationem, quæ item incurritur in præsenti casu; qua de re plura *in tract. de obligat. cap. 6. sect. 2. quæst. 19.* 59.

Qværes XXVII. Quo iure incurrant hanc eamdem pœnam indebitè alienando loca, aut bona iurisdictionalia pertinentia ad ipsorum monasteria.

Respond. incurrere ex decreto Vrbani VIII. vt constat ex eius Constitut edita Cal. Nouembr. 1625. quæ incipit *Humana salutis*, & à nobis relata est *in tract. de prohibit. cap. 8. quæst. 8. §. porrò:* in ea tamen nulla fit mentio reseruationis, sicque pœna ista non est reseruata. 60.

De Priuatione vocis actiuæ ac passiuæ, dignitatum, & officiorum necnon facultatis concionandi, publicè docendi, ac legendi, & interpretandi.

61 *Regulares priuantur voce, dignitatibus, officijs, ac facultate concionandi, publicè docendi, &c. si edant libros de diuinis auxilijs.*

62 *Priuantur voce, dignitatibus, &c. & inhabilitantur ad ea, sicut & ad concionandum, publicè legendum &c. si indebitè disserãt de Conceptione B. Virginis.*

63 *Priuantur voce, loco in Capitulo, & inhabilitantur ad prioratus, officia, & curam animarum, si transeant de Ordine Mendicanti ad non Mendicantem.*

64 *Explicatur hæc pœna.*

65 *Ea cessat, si post transitum obtineatur Administratio in Ecclesia saeculari.*

66 Transiens

66 *Tranſiens à Mendicantibus ad non Mendicantes poteſt promoueri ad dignitates extra Ordinem.*

67 *Priuantur voce, ac officijs, & inhabilitantur, ne promoueant ad gradus, ac officia Ordinis, ſi puniti ſint in tribunali S. Inquiſitionis.*

68 *At ſemel rehabilitatus ad gradus, ac officia Ordinis ſemper eſt habilis.*

69 *Priuantur voce, & inhabilitantur ad gradus, ac dignitates Ordinis, etiam ad validè, ſi ſint Prælati, & non promoueant ſtudium linguarum.*

70 *Priuãtur dignitatibus, ac iure per electionem acquiſito ad regimen Conuentuum, &c. ſi indebitè eligant ad regimen monaſteriorum.*

71 *Priuantur officijs Ordinis, & ad ea inhabilitantur, ſi inducant fœminas intra clauſtra.*

72 *Huic pœnæ item ſubſunt, ſi procurent ſuffragia ad obtinenda officia Ordinis.*

73 *Subſunt item, ſi intra ſuas Conſtitutiones nõ redigant Clementis VIII. decreta,* de formatione Regularium: *aut indebitè erigant Confraternitates.*

74 *Priuantur officijs, ſi in Conuentu retineant bannitos: aut falliios.*

75 *Item ſi edant libros continentes miracula viri non canonizati.*

76 *Priuantur actibus legitimis, ſi de Chriſti ſanguine contra bullam 12. Pij II. diſſonant.*

77 *Priuantur iure eligendi, ſi eligant indignum.*

78 *Priuantur facultate prædicandi, ſi inter prædicandum errores diſſeminent.*

79 *Priuatur iure audiendi confeſſiones, & ſuſpenduntur ad tempus a Miſſa celebranda, ſi non approbati audiant confeſſiones.*

80 *Priuantur priuilegio clericali, officijs, dignitatibus, ac beneficijs, ſi exerceant ſodomiam.*

81 *Priuantur gradu literario ſuſcepto, ſi promoti in Lectores &c. omittant Profeſſionem fidei.*

82 *Priuantur eccleſiaſtica ſepultura, ſi ſint Proprietarij.*

83 *Priuantur exemptione ab Ordinario, ſi non faciant prædicare in ſuis Eccleſiis parochialibus, aut indebitè eligant Conſeruatorem.*

84 *Item, ſi in locis impoſterum recipiendis non degant ad minus 12. Religioſi.*

85 *Item, ſi legitimè eyciantur ab Ordine.*

86 *Item, ſi à ſuis Eccleſiis non excludant pauperes inter diuina Officia emendicantes.*

87 *Item, ſi recipiant de bonis Nouitij ante eius profeſſionem.*

88 *Item, ſi ſint Hoſpitalarij, & violent Clementinam* de relig domib. cap. 2.

89 *Item, ſi moniti ab Ordinario non corrigant Religioſos ſubditos.*

90 *Item, ſi inter Religioſos diuerſorum Ordinum oriatur lis de præcedentia aut indebitè pingant, aut pingere faciant &c. imagines Chriſti, & Sanctorum.*

QVÆRES XXVIII. Quomodo, & quo iure Regulares ſubiaceant iſti pœnæ imprimendo libros de materia diuinorum auxiliorum.

61. Reſpond. ſubiacere, & quidem ipſo facto, ſi audeant imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compoſitiones ex profeſſo, vel incidenter, ac prætextu commentandi D. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quauis occaſione, prætextu, vel modo de materia auxiliorum diuinorum tractantes ſine expreſſa, & ſpeciali licentia à Papa in Congregat. S. Officij obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apoſtolica fuerit ordinatum. conſtat ex decreto Sacræ Congregat. iuſſu Vrbani VIII. hac de re edito 22. Maij 1625. quod refert Peyriu. *tom. 1. priuil. Conſtitut. 2. Iul. II. num.* 20. & nos adduximus *in tract. de prohibit. cap. 4. queſt.* 23. ſolùm hîc moneo in præſenti decreto ſumi *in lucem edere*, non quatenùs importat idem ac imprimere, ſed pro vt ſignificat idem ac *publicare*, ſiue tractatus qui publicatur, ſit typis impreſſus, ſiue manuſcriptus.

De priuatione vocis actiuæ ac paſſiuæ, graduum, officiorum, & adminiſtrationum: inhabilitate ad ea, priuatione facultatis concionandi, publicè legendi, ac interpretãdi vnà cum inhabilitate ad hæc ipſa præſtanda.

QVÆRES XXIX. In quibus caſibus Regulares incurrant iſtam pœnam indebitè tractando de materia Conceptionis B. V. Mariæ.

Reſpond. incurrere, & quidem ipſo facto vnà 62.
cum maiori excommunicatione ſi contra formam Conſtitutionum de hac re editarum à Sixto IV Pio V. & Paulo V. de Concept. B. V. in publicis prædicationibus, aut alio frequenti hominum conuentu diſſerere præſumant, aut etiam ſcribere abſque moderatione præſcripta in dictis Conſtitutionibus, & à nobis explicata *in tract. de priuil. c. 6. ſect. 1. queſt.* 8. patet ex 97. Conſtitut. Pauli V. in qua diſertis verbis pœna hæc reſeruatur.

De priuatione vocis, loci in capitulo, ac inhabilitate ad prioratus, aliáque officia, & curam animarum.

QVÆRES XXX. Quo pacto, & quo iure Regulares incurrant iſtam pœnam tranſeundo ab Ordine Mendicanti ad non Mendicantem.

Reſpond. incurrere, ſi tranſeant ab Ordine Mendicanti ad non Mendicantem: idque eſtò tranſitus 63.
fiat cum debita licentia, & in caſu permiſſo. habetur in Clement. 1. *de regul.* & magna ex parte conſtat ex dictis *in tractat. de profeſſ. cap. 5. ſect. 3. queſt. 35. 36. & 37.* hæc tamen pœna non eſt reſeruata.

Illud hîc quæri poteſt, quo modo in Clement. *citata* interdicatur vox in Capitulo Religioſis Mendicantibus, qui tranſeuntes ad Ordinem non Mendicantem, ibi haberent Prioratum, & officia; cum enim in Monaſteriis plura expediri non poſſint abſque Prælati conſenſu, & maioris partis Capituli, minùs prouiſum eſſet bono Monaſterij, ac negotiorum expeditioni, ſi regeretur à Prælato non habente vocem in Capitulo.

Reſpond. Sanchez *lib. 6. moral. cap. 7. num.* 121. ex 64.
Gloſſa, Ancharan. Imola, Bonifac. & Cardinal. negando ſequi tale incommodum, ſi bene intelligatur textus imponens talem priuationem vocis; vel enim loquitur ſolum de voce in Capitulo Generali, aut Prouinciali: vel non comprehendit principales Prælatos Monaſterij, ſed tantùm alios his ſubiectos habentes in ipſo Monaſterio aliquam adminiſtrationem, qui vtique carebunt voce in Capitulo etiam peculiaris Monaſterij; quocumque autem ex his duobus modis intelligatur textus, conſtat non ſequi incommodum adductum.

An autem caſu, quo Religioſus mendicans tranſiens ad Ordinem non Mendicantem modo dicto obtineat in Eccleſia ſæculari collegiali aliquam adminiſtrationem, poſſit vocem habere in Capitulo talis Eccleſiæ.

Reſpond.

65. Respond. videri posse; & ratio est quod, quando in allato iure dicitur, *quamuis nunc prioratus, administrationes, vel officia, aut curam animarum, vel regimen quodcumque obtineant inibi, vocem, aut locum in Capitulo non habere*: virgula non debet adiici verbo *obtineant*, (vt aliqui putant) sed verbo *inibi*, sicut verè additur in nouioribus decretalibus: itavt sensus sit, quod si inibi, (idest in Religione, ad quam transeunt) habeant administrationem, careant voce in Capitulo: non item, si administrationem habeant extra Religionem. Ita Sanch. *num.* 121. cum Glossa, aliisque non paucis Canonistis.

66. Quod autem spectat ad intelligentiam alterius pœnæ latæ in citata Clement. contra Religiosos transeuntes ab Ordine Mendicanti ad non Mendicantem, ne scilicet ij admittantur ad Prioratus, administrationes, aut quæcumque officia, etiam tanquam Vicarij; non censeo improbabile, quod docet Federic. *consil.* 161. hîc nempe prohiberi solùm prioratus, & administrationes intra Religionem, non autem quæ fortè obtineantur extra illam. Moueor, tum quia in pœnis benignior interpretatio facienda est; tum quia textus in priori parte non loquitur, nisi de habentibus administrationem intra Religionem, hisque interdicit vocem, & locum in Capitulo; vbi verò descendit ad posteriorem pœnam, vtitur clausula *quoque*, cuius est continuare præcedentia, sicque videtur prohibere tantùm officia, & administrationes intra Religionem; dissentit tamen Sanchez *num.* 126. cum Lapo, Cardin. & Ancharanno *num.* 27. addens nomine officiorum hoc loco venire omnia munia fieri solita per Religiosos; nimirum etiam munus Oeconomi, Castaldi, ac Cellarij, imò & Concionatoris, ac Lectoris; quod mihi minùs probatur; cum sic pœnæ nimis amplientur, & obstet dicta *sect. præcedentis quæst.* 4.

De priuatione vocis actiuæ ac passiuæ, & Officiorum vnà cum inhabilitate ad promouendum ad gradus ac officia Religionis.

QVÆRES XXXI. Quo iure, & quo pacto Regulares afficiantur ista pœna hoc ipso, quod pro delictis ad Officium S. Inquisitionis pertinentibus, quoquo modo puniti sunt, exceptis tamen salutaribus pœnitentiis.

67. Respond. afficere ex decreto authenticæ Sacræ Congreg. iussu Vrbani VIII. edito 1. Octobr. 1626. idque etsi Religiosus pœnitentiæ tempus expleuerit, aut gratiam receperit; is enim vi præfati decreti non potest promoueri ad gradus, ac officia Ordinis, nisi priùs obtenta speciali, ac expressa rehabilitationis gratia à Papa, vel à Sacra Congregatione coram ipso Papa habita: &, si promoueatur, nulla est promotio, & promouentes ipso facto incurrunt priuationem suorum Officiorum, ac præterea vocis actiuæ, & passiuæ: ad quæ restitui non possunt, nisi à Papa, vel à Sacra Congregat. coram ipso habita, quod est pœnam istam esse reseruatam. Quamquam inhabilitas hæc ad promouendum ad gradus, & officia Religionis in præsenti casu dicatur incurri, non quod promouentes absolutè, & simpliciter fiant inhabiles, sed quod promotio ab ipsis hîc, & nunc facta sit irrita, ac nulla; cum quo stat, vt illi validè, ac licitè promouere possint alios Religiosos prædicto decreto non comprehensos ad officia, & gradus Religionis. Ita docti viri à me consulti, & benè.

Quod si quæras, an Religiosus semel modo dicto rehabilitatus deinceps possit validè, ac licitè promoueri iterum atque iterum sine noua rehabilitatione obtenta.

68. Respond. videri posse; & patet, quia textus generaliter, ac indefinitè dicit, *nisi prius obtenta speciali, & expressa rehabilitationis gratia*; nec exprimit, quod talis rehabilitatio finiatur vnico actu; sicut ergo illegitimus dispensatus ad beneficium potest absque noua dispensatione plura beneficia successiuè obtinere (vt docet Sanchez *lib.* 8. *de matrim. D.* 31. *num.* 11. ex Ioanne Andr. Angel. Syluest. Armil. & Tabiena, ea ductus ratione, quod dispensatio in tali casu non respicit beneficium, sed personam) sic & idem poterit dici in præsenti casu; cum par ratio militet, &, vbi militat eadem ratio, militet eadem iuris dispositio.

De priuatione vocis actiuæ, ac passiuæ vnà cum inhabilitate ad maiores gradus, ac dignitates Ordinis, & nullitate collationis.

QVÆRES XXXII. Qualiter incurrant Regulares eiusmodi pœnam non instituendo studium linguarum Hebrææ, Græcæ literalis communis, Latinæ, Arabicæ, Chaldaicæ, ac Illyricæ.

69. Respond. incurrere, si tale studium linguarum non instituant, institutum non conseruent, ac non amplient pro viribus in gymnasiis, ac vniuersitatibus celebrioribus; cum hac tamen differentia, quod Prælati hac in re delinquentes vltra suspensionem à diuinis reseruatam: siquidem sint Generales, ipso facto maneant priuati officio interim exercendo per Procuratorem generalem Ordinis ad beneplacitum Sedis Apostolicæ; si verò sint Prælati inferiores, incurrant pœnam inhabilitatis ad maiores gradus, ac dignitates religionis, à qua non possint absolui, nisi à Papa. E contra Religiosi vacantes studiis, nisi vni ex dictis linguis per biennium vacent, eamque sufficienter calleant, non debent admitti ad magisteria, aliosque gradus Religionis; &, si admittantur, collatio est nulla, & Superiores taliter admittentes perpetuò priuantur voce actiua, ac passiua. Ita statuit Sacra Congregat. de mandato Vrbani VIII. die 16. Octobr. 1623. vt videre est apud Peyr. *tom.* 3. *priuil. cap.* 3. *num.* 11. quamquam hoc decretum non sit in vso, saltem in totum: siue id contingat ex defectu Magistrorum, qui linguas illas edoceant, siue ex parte Discipulorum, qui seriò animum applicent tali studio: idque scientibus, ac non dissentientibus ipsis summis Pontificibus; quæ autem ex istis pœnis reseruentur, & quæ non, constat ex ipso textu.

De priuatione dignitatum obtentarum, ac iuris per electionem acquisiti ad regimina monasteriorum, administrationes, & alias dignitates conuentuales.

QVÆRES XXXIII. Quo casu Regulares incurrant hanc pœnam occasione electionum ad

regimina monasteriorum, aliarúmque dignitatum Conuentus.

70. Respond. incurrere, si tales electiones fiant sine approbatione Sedis Apostolicæ; cùm hoc tamen discrimine, quod Superiores, qui confirmare præsumunt tales electiones, eo ipso manent priuati suis dignitatibus; subditi verò (qui eo modo electi præsumunt per se, aut per alium, in totu, vel in parte, quouis quæsito colore se immiscere in regimine, & administratione monasterij, vel alterius dignitatis conuentualis, ad quæ eos eligi contingat, siue in spiritualibus, siue in temporalibus, aut ad ea se recipi facere, vel aliàs pro eius Prælato se gerere, antequam eorum electio à Sede Apostolica fuerit confirmata, & literæ Apostolicæ desuper expeditæ fuerint) ipso facto priuantur iure, si quod iis ad monasteria, aut eorum regimina, &c. per huiusmodi electionem fuit acquisitum, manéntque ibi deinceps ineligibiles. Habetur expressè in Const. 86. Pij IV. quæ tamen videtur contrario vsu abrogata, siquidem fuit vnquam acceptata: in ea certè non reseruantur istæ pœnæ.

De Priuatione Officiorum, & inhabilitate in posterum ad illa, & alia omnia.

QVÆRES XXXIV. Quo iure Regulares afficiantur ista pœna introducendo fœminas intra proprium monasterium, aut etiam alienum.

71. Respond. afficere vnà cum suspensione à diuinis, si fœminas intra proprium, aut alienum monasterium audeant introducere, aut admittere: idque, siue sint Prælati, siue inferiores, vt expressè habetur in Constitut. 20. Pij V. in qua fertur ista pœna, non tamen reseruatur. Dixi *proprium, aut alienum*, vt indicarem, quod, cum Regulares indefinitè vi præfatæ Constitutionis probibeantur introducere, aut admittere fœminas intra monasteria Regularium, pœnam istam incurreret Religiosus etiam in casu, quo fœminam auderet introducere, aut admittere etiam in alienum monasterium.

QVÆRES XXXV. Quo iure Regulares hanc eamdem pœnam incurrant procurando voces, seu suffragia pro obtinendis officiis Ordinis.

72. Respond. incurrere ex decreto Clement. VIII. *de reformat. regul.* edito 25. Maij 1599. siue voces, seu suffragia procurent directè, siue indirectè, siue pro seipsis, siue pro aliis, siue in Capitulis localibus, siue in cæteris, præsertim generalibus, siue alibi; & quidem ita, vt super tali pœna dispensari non possint, nisi à Papa: quod est illam esse reseruatam. Quamquam, vt notat Nald. *ver. religiosus, num.* 41. per hoc prohibita non censeatur procuratio suffragiorum iusta, ac debita pro meritis vniuscuiusque eligendi, sed solùm vitiosa, & ambitiosa: aliàs præcluderetur via canonicæ, ac legitimæ electionis, vt patet. Decretum autem Clementis VIII. confirmatum fuit à Paulo V. & strictiùs innouatum, ac roboratum ab Vrbano VIII. cum reuocatione quarumcumque concessionum præteritarum sub quauis exquisitissima forma concessarum, ac extensum ad complices & simpliciter scientes, & non reuelantes dictam procurationem suffragiorum, vt aduertit Samuellius *de elect. tract.* 10. *D.* 1. *controuers.* 1. *num.* 12. Quin etiam in Concilio Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 6. decernitur non licere Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere. Si verò contra huius decreti Constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, & is, qui ad hunc effectum se in Prouincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat: quo verbum *existat*, teste Sayro *lib.* 1. *de censur. cap.* 11. *num.* 9. indicat pœnam hanc ipso facto induci: non tamen pro foro conscientiæ, si aliàs in electione seruentur quæcumque ad illam iure naturali requiruntur; vt notant Sà *ver. electio, num.* 5. Miranda *part.* 1. *manual. quæst.* 23. *art.* 30. & Thesaurus *part.* 2. *praxis, ver. electio, cap.* 11. Sic *cap. si religiosus, de elect. in* 6. *& in extrauag. si religiosus, de elect.* statuitur, quòd si Religiosus sine debita licentia consentiat in sui electionem, electio eo ipso est irrita, & nulla.

QVÆRES XXXVI. Quomodo hanc ipsam pœnam incurrant, si relata decreta Clementis VIII. non curent, ac faciant redigi intra suas Constitutiones, aut ea declarent, vel etiam aduersùs ea dispensent; aut etiam indebitè erigant Confraternitates.

Respond. incurrere, si sint Superiores, & in aliquo ex dictis delinquant; quamquam (quod spectat ad redigenda talia decreta inter proprias Constitutiones) talis obligatio non videatur afficere omnes omnino Prælatos, sed tantùm eos, ad quos spectat qualem puto esse Generalem; idque colligo ex verbis illis, *quibuscumque Superioribus, ad quos hoc spectat*; quæ immediatè præmittuntur illis aliis, *vt curent, & efficiant ea omnia inter alias eorumdem Ordinum constitutiones perpetuò valituras redigi*; prætereà puto istam pœnam (quæ sine dubio non est reseruata) minimè incurri à Religioso, qui præfata decreta non auctoritatiuè, sed obiter, cum debita reuerentia interpretetur, ac declaret, occurrente casu dubio: idque ob doctrinam Sayr. *lib.* 3. *de censur. cap.* 35. *n.* 21. & aliorum asserentium modo dicto licitum esse interpretari etiam decreta Concilij Trid. non obstante Pij IV. extrauagante generaliter prohibente quodcumque genus interpretationis super Conc. Trid. decreta. 73.

Addo Regulares hanc eamdem pœnam incurrere, & quidem reseruatam, si contra formam Clementis VIII. præscriptam in bulla eius 115. relata à Quaranta *in bullario, ver. Confraternitas*, erigant Confraternitates in propriis, aut alienis Ecclesiis: vt constat ex allegata bulla Clementis.

QVÆRES XXXVII. An, & quando Regulares incurrant priuationem officiorum, si intra monasteria retineant bannitos, & fallitos.

Respond. incurrere ex decreto Clementis VIII. edito 17. April. 1605. & relato à Lezana *tom.* 1. *c.* 10. *n.* 21. addente ex Peyrino *tom.* 2. *priuil. Const.* 4. *Clementis VIII. à num.* 5. quod si Regularis recipiat, aut retineat in suo Conuentu bannitum ob homicidium sine dolo commissum, seu non facinorosum; non incurrit hanc pœnam; quippe quæ solùm lata est contra receptantem viros facinorosos. Qua de re consulantur, quæ diximus *supr. cap.* 2. *sect.* 2. *quæst.* 20. Addo hîc solùm videndum esse, an decretum illud Clementis in præsentia vigeat, vel fuerit per contrarium vsum abrogatum: fortè enim non est in vsu, saltem in omnibus locis. 74.

QVÆRES XXXVIII. Qualiter Regulares incurrant hanc pœnam, si edant libros continentes miracula, &c. Viri non canonizati nec beatificati.

Respond. incurrere vnà cum aliis pœnis relatis *cap.* 3. *num.* 120. vt constat ex decreto Vrbani VIII. à nobis adducto *tract.* 6. *cap.* 4. *quæst.* 25. 75.

De

De priuatione omnium Actuum legitimorum.

QVÆRES XXXIX Qualiter Regulares incurrant istam pœnam prædicando, disputando, aut suadendo hæreticum, vel peccatum esse credere Iesu Christi sanguinem in triduo suæ Passionis ab ipsa diuinitate diuisum fuisse, vel non.

76. Resp. incurrere, & quidem vnà cum excommunicatione maiori reseruata Papæ, si quid prædictorum faciant, & sint Ordinis Prædicatorum, aut Minorum; non item, si sint aliorum Ordinum: hi enim incurrunt præfatam excommunicationem reseruatam, si delinquant in aliquo ex prædictis, non autem pœnam, de qua hic agimus: idque ex 51. Constitut. Pij II. in qua tamen additur tales Religiosos vltra dictam excommunicationem debere puniri arbitrio Prælati, etiam aliis pœnis, etiam diro carcere: priuatio tamen ista non est reseruata.

De priuatione iuris eligendi.

QVÆRES XL. In quo casu Regulares incurrant hanc pœnam.

77. Respond. incurrere, si eligant in electione regulari indignum: idque ex *cap. cum Vintoniens, de elect.* vbi tamen non fit mentio de reseruatione: incurrere, inquam non absolutè, sed pro ea vice tantùm.

De priuatione Prædicandi.

QVÆRES XLI. An, & qualiter Regulares incurrant hanc pœnam.

78. Respond. incurrere, si prædicantes in populum disseminent errores, aut scandala: idque ex Concil. Trident. *seß. 5. cap. 2. de reform.)* non tamen latæ sententiæ; qualis est ea, quam tulit Leo X. in sua Constit. 21. vt constat ex iis verbis: *Eis prædicationis officium interdictum esse* perpetuò *decernimus.*

Notat autem Fragosus *part. 1. regiminis, lib. 5, D. 11. num. 261.* quòd si Concionator inter conciones cum dicat *cap.* 2. pro 12. aut Hieronymum pro Augustino, Isaiam pro Ieremia, peccat solùm venialiter: cum sic non mentiatur contra veritatem doctrinæ, sed præter veritatem: falli enim in his non est falli in doctrina, sed in eius accidentibus. idem docent Caietanus 2. 2. *quæst.* 110 *art.* 4. Sylu. *v. mendacium, quæst.* 4. aliique.

De priuatione iuris audiendi confessiones, & temporali suspensione, à celebranda Missa.

QVÆRES XLII. In quo casu, & quo iure Regulares incurrant eiusmodi pœnam.

79. Respond. incurrere ex *cap. fin. de pœnit. in* 6. si audiant confessiones absque debita approbatione; non tamen esse latæ sententiæ, sed ferendæ: cum *in citato cap.* dicatur Sacerdotem non Confessarium attentantem suscipere ad pœnitentiam subiacere periculo gradus sui: quod est dicere illum in pœnam tanti delicti debere suspendi à celebranda Missa, nec vnquam admittendum ad munus audiendi confessiones: sic Bordonus *resol. 9. num.* 4. ex Rodriq. & Portel. monens talem pœnam item debere infligi illi Religioso, qui sine legitima approbatione audiret confessiones Religiosorum sui Ordinis; hæc tamen pœna non est reseruata, cum nullibi reseruetur.

De priuatione priuilegiorum Clericalium, officiorum, dignitatum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum.

QVÆRES XLIII. In quo casu, & quo iure Regulares subiiciantur isti pœnæ.

80. Respond. subiici ex 72. Constitut. Pij V. si vitium nefandum exerceant: & quidem ita vt per iudicem Ecclesiasticum degradati potestati sæculari statim tradantur puniendi eo supplicio, quod in laicos hoc in exitio deuolutos legitimis reperitur sanctionibus constitutum: quamquam ad incurrendam talem pœnam (quæ non est reseruata, nec incurritur ante sententiam iudicis) non sufficiat, quod Religiosus vna, aut altera vice nefandum vitium commiserit, sed requiratur frequentia actuum importata per verbum *exerceant:* proportionaliter, vt dicunt DD. de Ecclesiastico negotiationem exercente.

De priuatione Gradus Literarij suscepti.

QVÆRES XLIV. In quo casu Regulares afficiantur hæc pœna.

81. Respond. affici, si instituti in Lectores, Regentes, Magistros, aut Doctores omittant facere professionem fidei præscriptam à Pio IV. in sua Constitut. 88. & faciendam eo modo, quo diximus *in tract. de obligat. cap. 10. quæst 7.* intellige, nisi aliter legitima consuetudine præscriptum sit: quo pacto tenera videtur præscriptum in aliquibus Religionibus; pœna autem hæc in eo consistit, vt institutio, seu promotio ipso facto sit nulla, inualida, nullius roboris, ac momenti, sicque non suffragetur, neque in iudicio, neque extra.

De priuatione sepulturæ Ecclesiasticæ.

QVÆRES XLV. In quo casu incurrant Regulares istam pœnam.

82. Respond. incurrere, si committant vitium proprietatis: idque eo modo, quo diximus *in tract. de votis, cap. 2. sect. 3. subsect. 1. q. 6.*

De priuatione Exemptionis ab Ordinario.

QVÆRES XLVI. Quo iure incurrant Regulares hanc pœnam, si negligant facere prædicare in suis Ecclesiis habentibus adnexam curam animarum.

83. Respond. incurrere ex Concil. Trid. *seß. 5. cap. 2. de reform.* quod sic habet: *Itaque vbi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu aliàs ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur;* quin etiam ibi additur hoc idem præstandum esse à Metropolitano in casu, quo parochialis Ecclesia sit annexa monasterio in nulla diœcesi.

QVÆRES XLVII. Qualiter Regulares incurrant hanc pœnam non eligendo Conseruatorem iuxta formam Constitut. Gregor. XV. hac de re editæ, & à nobis explicatæ *in tract. de priuileg. cap. 8. sect. 4.*

Respond. incurrere, ita vt interim causæ illorum ciuiles coram locorum Ordinariis dumtaxat cognosci, ac definiri debeant, prout expressè statutum est in præfata Constit. Gregorij XV. §. 3.

QVÆREX XLVIII. Quo iure afficiantur hac ipſa pœna, ſi in Monaſteriis recipiendis poſt edita decreta Vrbani VIII. *de celebr. Miſſ.* actu non inhabitent ſaltem 12. Religioſi, adeóque redditus annui, aut Eleemoſynæ ordinariæ ad eorum ſuſtentationem non ſufficiant.

84. Reſpond. affici ex citatis decretis Vrbani VIII. quæ §. 14 ſic habent: *Deinceps verò Monaſterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita in ſingulis eiuſmodi locis 12. ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis Eleemoſynis detractis omnibus, vt ſuprà detrahendis, competenter ſuſtentari valeant: alioquin Monaſteria & loca huiuſmodi poſthac recipienda, in quibus 12. Religioſi vt ſuprà ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur*; ſed de hoc plura commodiùs *in tract. de priuil. c. 7. ſect. 2. q. 6.* Moneo hîc, quòd ſi ad aliquod tempus ex aliquo accidenti in tali aliquo Monaſterio actu non inhabitent 12. Religioſi: non ideò videtur Ordinarius vi præſentium decretorum acquirere ius viſitandi, ac corrigendi alios Religioſos ibi habitantes: cùm verba illa, *& actu non inhabitauerint*, moraliter ſumi debeant; ita vt faciant hunc ſenſum, ſi regolariter, & (vt ſic loquar) per modum habitus 12. actu oon inhabitauerint; quod vtique non procederet in acto noſtro, vt patet.

Notat tamen Ceſpedes *d. 324. de exempt. num. 3.* Religioſos B. Ioannis de Deo non comprehendi ſub hac Conſtitutione, quatenus ſub hac pœna præcipit ne admittantur monaſteria, io quibus ſaltem 12. Religioſi commodè habitare noo poſſunt: idqoe ex priuilegio ipſis conceſſo.

QVÆRES XLIX. Quo pacto Regulares ſubiaceant huic pœnæ eo ipſo, quòd legitimè eiiciantur ab Ordine iuxta decretum Vrbani VIII.

85. Reſpond. ſubiacere eo pacto, quo dicemus *in tract. de priuil. cap. 8. ſect. 2. q. 27.*

QVÆRES L. Qualiter hanc ipſam pœnam contrahant, ſi iuxta Pij V. Conſtitutionem 5. in ordine non eiiciant à propriis Eccleſiis paoperes ibi tempore diuinorum Officiorum, ac prædicationum emendicantes.

86. Reſpond. contrahere, ſi in Eccleſiis ſuis non deputent aliquem, qui dictos pauperes eiiciat, idque ex citata Pij V. Conſtitutione, quæ §. 5. ait: *Religioſis etiam clauſtralibus præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, vt in Eccleſiis ſuis deputent aliquem qui tales eijciat, & ſi negligentes fuerint, grauiſſimè ab Ordinario corripiantur*, &c. quamquam modò talis Conſtitutio non videatur eſſe in vſo, ſaltem in multis locis.

QVÆRES LI. Quo iure, & quomodo Regulares incurrant iſtam pœnam recipiendo aliquid de bonis Nouitij ante eius profeſſionem.

87. Reſpood. incurrere ex Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de regul. cap. 16* & quidem eo modo, quo diximus *ſupr. ſect. .. q. ..*

QVÆRES LII. Qualiter Regulares ſubſint huic pœnæ, ſi profitentes Inſtitutum hoſpitalarium, & munus Prælati exercentes delinquant contra Clement. *de relig. domib. cap. 2.*

88. Reſpond. ſubeſſe ita, vt vigore præfatæ Clementinæ ab Ordinario auctoritate Apoſtolica cogi poſſint implere ea, quæ ibi præſcribuntur: qua de re Lezana *tom. 2. cap. 6. num. 7.*

QVÆRES LIII. Quo iure Regulares incurrant hanc pœnam, ſi moniti ab Ordinario non viſitent, vel corrigant intra ſex menſes proprios ſubditos debitam viuendi rationem non obſeruantes.

Reſpond. incurrere ex decreto Concil. Trident. *ſeſſ. 21. de reform. cap. 8.* & eo modo, quo dicimus *in tract. de priuileg. cap. 6. ſect. 1. q. 18.* 89.

QVÆRES LIV. Qualiter Regulares incurrant hanc pœnam, ſi in proceſſionibus contingat inter illos lis aliqua de præcedentia; aut certè pingant, vel ſculpant, vel faciant pingi, aut ſculpi imagines Chriſti, B. V. Mariæ, Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum inſolitas, & in alio habitu, & forma ac ſoleant pingi.

Reſpood. incurrere in caſu quidem, quo contingat lis præcedentiæ in proceſſionibus, eo modo, quo 90.
diximus *in tract. de oblig. cap. 11. q. 3.* in caſu verò, quo imagines Chriſti, aut Sanctorum indebitè pingantur, &c. eo modo, quo diximus *in tract. de prohibit. cap. 14. q. 23. § hac occaſione* idque ex Bulla Vrb. VIII. pro cuius intelligentia hîc moneo Religioſos dici in hoc caſu ſubiici Ordinario, non abſolutè, ac ſimpliciter, ſed ſolùm quoad hanc cauſam in ſpecie; & vt ſubditos poſſe ab eo puniri, ſi in hoc delinquant; vt conſtat ex tenore citatæ Bullæ Vrbani VIII.

De priuatione bonorum temporalium.

91 *Religioſi priuantur bonis acquiſitis ex illicita negotiatione.*

92 *Explicatur quæ negotiatio illicita Regularibus ſit.*

93 *Ea autem bona Cameræ Apoſtolicæ adiudicantur ſolum in duobus caſibus.*

94 *Recipiens a Religioſo de dictis bonis, ea poteſt retinere.*

95 *Imò, etſi de dictis bonis iniuſtè retineat, non ideò ſubeſt vlli cenſuræ.*

96 *Quod ſi ea acquirantur ex negotiatione vetita ſolùm iure ſpeciali huius, aut illius Ordinis, non ſpectant ad Cameram Apoſtolicam.*

97 *Quæ verè ſpectant ad illam, retinere nequeunt tuta conſcientia.*

98 *Bona à Religioſo Apoſtata acquiſita pertinent ad Cameram Apoſtolicam.*

99 *Non repugnat Religioſum Apoſtatam licitè acquirere.*

100 *Et reſtituenda, quæ Religioſus acquirit in apoſtaſia, & dat Religioni.*

101 *Ad Cameram Apoſtolicam pertinent quæcumque Religioſus acquirit illicitè.*

102 *Recipiens à Religioſo Apoſtata ex contractu oneroſo iuſtè retinet.*

103 *Acquiſita à Religioſo ante Apoſtaſiam, non ſpectat ad Cameram Apoſtolicam.*

104 *Religioſi perpetuò eiecti, acquirunt eidem Cameræ.*

105 *Ad eam pertinent, quæ acquirit Religioſus Beneficiarius.*

106 *Idq; procedit de fructibus non perceptis tempore mortis Beneficiarij, ſed non ſemper.*

107 *Donatum à Religioſo Beneficiario ante mortem in ægritudine, interdum licitè retinetur.*

108 *Bona Religioſi Beneficiarij non reſidentis, cedunt Cameræ Apoſtolicæ.*

109 *Fructus beneficij à Religioſo malè percepti, debentur Eccleſiæ beneficij, aut collegio, aut pauperibus.*

110 *Beneficiarius intra tempus præſcriptum non faciens Profeſſionem fidei, amittit fructus.*

111 *Religioſus mercaturam exercẽtes in miſſionibus Iaponicis, &c. priuantur mercib. ac lucro inde parto.*

112 *Bona Religioſi degentis extra clauſtra, & ibi decedentis, ſunt Cameræ Apoſtolicæ.*

113 *Et hoc ad quemcumque finem Religiosus ibi degat: etsi hoc egeat limitatione, cum absens interdum reputetur præsens*
114 *Assertio principalis fallit, si Religiosi degant extra claustra titulo conualescentiæ.*
115 *Bona debita Cameræ Apostolicæ nequeunt occultari.*
116 *Restituenda ante sententiam.*
117 *At ex iis possunt creditores Religiosi extra claustra morientis sibi satis facere.*
118 *Restituenda in duplum, quæ recipiuntur in Visitatione ultra victualia.*
119 *Restituunt, qui pro vna missa multiplex stipendium accipiunt.*
120 *Non retinentur accepta pro ingressu Religionis.*
121 *Donatio à Religioso facta contra decreta Clementis VIII. est nulla.*
122 *Non tenet Renunciatio bonorum facta à Nouitio ante tempus statutum.*
123 *Alienatio bonorum monasterij indebitè facta est in vtroque foro irrita.*
124 *Donata contra decreta Clementis VIII. restituenda, non Religioso danti, sed Conuentui.*
125 *Ecclesia constructa intra spatium iure prohibitum diruenda.*
126 *Religiosi indebitè campanas pulsantes in Sabbato Sancto soluunt 100. ducatos.*
127 *Liber indebitè impressus à degente intra statum ecclesiasticum est prohibitus eo ipso.*

QVÆRES LV. Quo iure bona Regularium acquisita ex negotiatione illicita, aut aliàs contra sacros Canones quomodolibet comparata, spectent per modum spolij ad Cameram Apostolicam.

91. Respond. spectare ex 19. Constit. Pij IV. quæ sic habet, *Decernimus, & declaramus omnia, & singula, res, & bona cuiuscumq; qualitatis, & quantitatis existentia, ac in quibusuis regionibus, & regnis, ac dominijs tam citra, quam vltra montes, & maria consistentia, per quosuis Clericos tam seculares, quam quorumuis, etiam mendicantium Ordinum, ac militarium Regulares etiam in sacris ordinibus constitutos, cuiuscumq; status, ordinis, & constitutionis fuerint, & archiepiscopali, episcopali, vel alia maiori dignitate præfulgeant, ex negotiatione illicita, aut alias contra sacros Canones quomodolibet acquisita, quæ pro tempore post obitum eorum, qui etiam ex facultate, quam habuerint testandi condito testamento vbiuis locorum decesserint, & decedant, aut quibus illos etiam eis viuentibus priuari, & eis destitui contigerit &c. spectasse, & spectare, ac sub nomine spoliorum venire, illaq; vt spolia ad Cameram ipsam pertinentia perpetuo* colligi, *& recuperari potuisse, posse, ac debere.*

92. Vbi notandum, quod, sicut nomine negotiationis illicitæ venit ea quæ exercetur viliùs emendo, quod immutatum charius postea vendatur, vt habetur tota *dist.* 88. & *c. canonum* 14. *quæst.* 4. & quidem ex cupiditate lucri consistente in studio ditescendi; sic negotia à sacris Canonibus interdicta Ecclesiasticis sunt ea, quæ eorum statum dehonestant, aut contra eos inuidiam excitant, aut in irregularitatem inducant.

93. Illud item hic notat Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 1. num.* 16. quod cum idem Pius IV. in bulla Romanos Pontifex posita post 19. Constitutionem ipsius Pij confirmauerit dictam bonorum applicationem factam in citata Constitut. 19. in fauorem Cameræ Apostolicæ cum hac sola limitatione, vt ea locum non habeat in Cardinalibus, nec in eis, qui ex legitima facultate Papæ condunt testamentum, vel licentiam habent, quod iis succedatur ab intestato; bona Regularium, ac Ecclesiasticorum parte ex illicita negotiatione, aut alias contra sacros Canones, non adiudicantur simpliciter Cameræ Apostolicæ, solum in duobus casibus: vnus est per successionem quasi hæreditariam post mortem, quando scilicet Religiosus habens talia bona vel facit testamentum sine licentia legitima, vel si habet facultatem testandi, decedit intestatus (nisi fortè in concessione facultatis esset expressum, vt ei etiam ab intestato succederetur;) alter casus est, quoties talis Religiosus dictis bonis fuerit priuatus in vita. Vnde infert Suar. *num.* 16. quod licèt verum sit talia bona non recenseri inter spolia, neque occupari à Collectore vsque ad obitum illius, ad quem pertinent; tunc tamen non solùm inter ea bona videntur computanda illa, quæ apud eum tempore mortis extant, sed etiam quæcumque alia, quibus viuens priuatus est: id quippe innui videtur per verba illa, *Et eis destitui contigerit.*

Vtrum verò Religioso dante in vita alteri aliquid ex dictis bonis post mortem Religiosi dantis possit ille alter iis priuari.

94. Respond. non posse; cum recipiens eo iusto titulo acquirat, vt pote data legitimè, & aliàs nondum adiudicata Cameræ Apostolicæ, præfata enim bona non possunt dici confiscata, vt postea veluti retrotrahantur sententia: cum in bullis citatis nullum adsit verbum importans confiscationem, nec assignari possit quidquam aliud, ex quo id colligatur, & simus in materia odiosa, quæ debet restringi; præter quam quod verba illa *& eis contigerit*, cum sint passiua, idem significant, ac *priuari*, beneque explicantur per modum pœnæ, ad quam solùm tenetur post sententiam. colligitur ex Suar. *supr. num.* 17. qui licet in specie loquatur de Religioso apostata, idem diceret & in isto casu; cum in vtroque euentu similiter par ratio, vt facilè constabit consideranti; intellige (sicut notat idem Suar. *num.* 18.) nisi consuetudo aliter interpretata fuerit huiusmodi ius: cum possit contingere quod Camera Apostolica ius, & vsum habeat exigendi præfata bona, vbicumque illa reperta fuerint post mortem Religiosi dantis; quamquam (subdit Suar.) qui ea acceperunt ab illo adhuc viuente, non teneantur in conscientia ea reddere Cameræ, donec exigantur quod non admittit Filliuc. *tract. 43. cap. 4. num.* 38. putans talia bona deberi Cameræ ante Iudicis sententiam, ea ductus ratione, quod spolia instituta sint, non in pœnam Clerici, aut Religiosi defuncti, sed in subsidium ipsius Cameræ.

Vtrum verò incurrat aliquam censuram is, qui iniustè detinet talia bona, cum re vera teneatur ea restituere.

95. Respond. quod, cum de facto nulla extet censura directè imposita contra taliter delinquentes eo ipso incurrenda, nulla talis pœna de facto incurritur directè à sic detinente bona illa; quamuis, cum pœnæ in genere impositæ contra detinentes bona Cameræ Apostolicæ afficiant eos, qui spolia detinent, vt pote pertinentia ad ipsam Cameram modo supradicto, & contra tales detentores inflicta sit excommunicatio maior ipso facto incurrenda ex Constit. Pauli V. vt notat Redoan. *de spolijs quæst.* 17. *num.* 32. per consequens ij, qui detinent præfata bona, & non restituunt incurrent dictam excommunicationem, nec non illas alias censuras, quæ forte à Collectoribus spoliorum promulgentur contra quoscumque spolia iniustè detinentes, vti aduertit Filliuc. *vbi supr. num.* 39.

96. Addo ex Suarez *num.* 25. quod, cum Conſtitutio Pij IV. loquatur ſolùm de bonis acquiſitis per negotiationem illicitam ſecundùm ius commune, vel aliàs contra ſacros Canones; ſi contingat Religioſum acquirere per negotiationem illicitam ratione ſui ſtatus peculiaris (v.g. ex regula, aut Conſtitutionibus ſui Ordinis) non autem ratione Clericatus, aut propter prohibitionem Sacrorum Canonum; talis acquiſitio non comprehendetur ſub dicta Conſtitutione, & conſequenter bona per eam parta non ſpectabunt ad Cameram Apoſtolicam; alioqui diſpoſitio pœnalis (qualis eſt, quæ habetur in præfata Conſtitutione) nimis ampliaretur contra regulam generalem, *Odia reſtringi* oportet.

Difficultas eſſe poſſet, an cadant ſub Conſtitutionem Pij IV. bona à Religioſo acquiſita per negotiationem iure communi illicitam, ſi ea in vita ipſius furto ſublata ſint; ita vt qui ea abſtulit, teneatur ea reſtituere Cameræ Apoſtolicæ tanquam bona ſpectantia ad illum Religioſum.

97. Reſpond. cadere, ideóque illa debere reſtitui. Ratio eſt, quod in bulla Pij IV. ſtatuitur ea comprehendi ſub ſpolio, quæ modis ſupradictis acquiſita à Clerico, aut Religioſo ſuperſunt poſt mortem ipſorum, aut quibus ij priuati fuerunt in vita: at loquendo de bonis, quæ furto ſublata ſunt Religioſo, verificatur quod iis priuatus fuit in vita, ergo comprehendentur in illa, & per conſequens reſtitui debent Cameræ. Colligitur ex Suarez *n.* 26.

QVÆRES XXXIII. Ad quem, pertineant bona parta à Regularibus in Apoſtaſia, quoad ius, & dominium.

98. Reſpond. pertinere ad ſpolia Cameræ Apoſtolicæ, ſi Religioſus Apoſtata extra clauſtrum ea lucretur, & ibi cum illis moriatur: idque ex Conſtitut. Gregorij XIII in ordine 45. quæ incipit *Officij noſtri partes*, &c. cum abſolutè loquatur de omnibus acquiſitis extra clauſtra in apoſtaſia, non comprehendit ſolùm parta per negotiationem iure communi illicitam, aut aliàs contra Sacros Canones (quæ ſola comprehenduntur in bulla Pij IV. *quæſt. præcedenti*, allegata) ſed omnia, & ſingula quocumque modo, etiam licito ab iis acquiſita tempore apoſtaſiæ, vti oſtendimus *in tract. de prohibit. cap.* 10. *q.* 20. & apertè colligitur ex ipſamet Conſtitutione Gregor. XIII. in ea enumerantis ferè omnes modos acquirendi, etiam licitos, & aliàs per ſe non prohibitos. Secus, ſi Religioſus Apoſtata ante mortem redeat ad Monaſterium; tunc enim non habet locum in eo præſens Conſtit. Gregorij XIII. ideóque, quoad bona, modo licito per eum acquiſita poteſt, & debet ea ſecum deferre, vtpotè ſpectantia ad monaſterium, non autem ad Cameram Apoſtolicam: cui tamen debebuntur alia bona, quæ fortè à tali Religioſo in apoſtaſia parta erunt per negotiationem illicitam, aut aliàs contra Sacros Canones; quippe quæ comprehenduntur in bulla Pij IV. vt patet.

Quod ſi hac occaſione quæras, quo pacto contingere poſſit, quod Religioſus Apoſtata licitè acquirat, cum eo ipſo peccet contra votum paupertatis acquirendo iure quaſi proprio abſque facultate Superioris.

99. Reſpond. poſſe id contingere; tum, quia actio, per quam acquirit, poteſt eſſe ei non prohibita, neque indecens ipſius ſtatui; vt ſi ſic acquirat petendo eleemoſynam, recipiendo iuſtum ſtipendium pro Miſſa, &c. tum quia eſto Religioſus vi voti paupertatis non poſſit quidquam recipere ſine licentia Superioris: hoc ipſo tamen quod eſt in ſtatu Apoſtaſiæ, in quo ipſi moraliter eſt impoſſibilis talis licentia, excuſatur ab ea obtinenda, ſicque non peccat, eam non petendo, licèt ea impoſſibilitas antecedenter prouenerit ex peccato, ſicut obſeruauit Suarez *num.* 21. addens quod ſi Religioſus in præſenti caſu ex diſſoluto animo peccet intendendo accipere aliquid, vt proprium, aut contemnendo licentiam Prælati, iſtæ ſunt circumſtantiæ magis internæ, quàm externæ, adeóque iis non obſtantibus ea bona reputantur licitè acquiſita, nimirum ex ſe, & ex modo acquiſitionis.

Sed difficultas eſt, vtrum in caſu, quo Religioſus manens in apoſtaſia donet ſuæ Religioni aliqua ab ipſo acquiſita tempore Apoſtaſiæ, Religio poſſit poſt mortem Religioſi Apoſtatæ ea retinere, ſi adhuc extent in indiuiduo, & non cenſeantur conſumpta in ſuſtentationem illius, vel certè teneatur ea reſtituere Cameræ Apoſtolicæ.

100. Reſpond. talia bona videri reſtituenda Cameræ; & probatur, tum quia Gregor. XIII. in bulla hic adducta dicit Cameram Apoſtolicam habere vices, & nomen veri hæredis in bona acquiſita à Religioſo Apoſtata, & in eam dominium, ac poſſeſſionem dictorum bonorum tranſire, nulla præcedente traditione: quod eſt ſignum ea pertinere ad Cameram, tanquam propria illius, ideóque reſtituenda eſſe illi, ſi ab alio habeantur; tum quia Pius IV. in illa ſua bulla relata *quæſt. præcedenti*, non loquitur ſolùm de Apoſtatis, ſed de omnibus Clericis per illicitam negotiationem, vel contra Sacros Canones aliqua bona lucrantibus; ſicut ergo in caſu, quo Clericus aliqua bona taliter acquiſita conuertat in vtilitatem ſuæ Eccleſiæ ceſſans à tali negotiatione, ea bona poſt mortem illius pertinent ad Cameram Apoſtolicam; ita & Religio poſt mortem Religioſi Apoſtatæ tenebitur reſtituere eidem Cameræ bona à dicto Religioſo acquiſita in Apoſtaſia, & in vita ipſius tradita Religioni; quod tamen non haberet verum, ſi Religioſus ille ante mortem reſipiſcens rediret ad religionem; tunc quippe Religio etiam poſt mortem illius retinere poſſet bona ei tradita ab illo, adhuc durante Apoſtaſia: quippe quæ reuera ad ipſam pertinent, ſicut & pertinent omnia bona Religioſi Apoſtatæ reuertentis ad Religionem: quem proinde diximus in reſponſione principali huius quæſtionis teneri ea ſecum deferre, tanquam bona propria Religionis, & innuimus in citata *tract. de prohibit. loco ſuperius allato*, vbi plura alia dicuntur, quæ faciunt ad præſentem materiam.

101. Dixi non ſemel *per negotiationem iure communi illicitam, aut aliàs contra Sacros Canones*; vt aduerterem ſub Conſtitut. Pij IV. comprehendi bona acquiſita non ſolùm per negotiationem modo dicto prohibitam, ſed etiam ea, quæ fortè Religioſi comparent aliis modis ſtatui ipſorum interdictis; nimirum ex beneficiis contra iura poſſeſſis, ex officiis ciuilibus, aut regularibus contra Canones adminiſtratis, exercitatione Medicinæ, Chirurgiæ, aliarumve Artium ad corporis curam pertinentium, quæ ſine ſanguinis effuſione non exercentur, & ex multis aliis obſequiis, quæ Clerici Regibus, Principibus, aliiſque primariis viris contra Eccleſiæ Canones exhibere ſolent.

Illud etiam hîc controuerti poteſt, an ij, qui à Religioſo Apoſtata receperunt aliquid ex contracto oneroſo (v.g. meretrix ſtipendium vſus ſui corporis, & mutuator redditionem mutui) poſſint illud tuta conſcientia retinere, etiam poſt mortem Religioſi, à quo acceperunt.

102. Reſpond. videri poſſe retinere; & probatur, tum quia ſic benignè poſſumus interpretari iura adiudicantia

eantia Cameræ Apostolicæ bona Religiosorum decedentium in Apostasia, vt nolint inferre præiudicium tertio, maximè in iis, quæ debentur ex iustitia: siquidem cum damno alterius non debet aliquis locupletari, *l nam hoc natura, ff. de cond. ind* tum quia, vt notat Azor. *part.1.8.cap.2.q.7.* ex Redoano in bonis clerici cadentibus sub spolium non computantur ea, quæ debent restitui: cum iura, licèt generatim loquentia non debeant præsumi velle tollere ius quæsitum alteri: quæ doctrina sine dubio locum habet in casibus hîc propositis, vt patet. Ita docti viri consului.

103. Adde non venire sub spolium bona acquisita à Religioso Apostata ante Apostasiam, sed solùm ea, quæ acquirit in ipsa Apostasia; id enim apertè colligitur ex Constit. Gregorij XIII citata *quæ* §.3. ita habet: *Declaramus res, & bona quæcumque per dictos Regulares extra claustra Ecclesiarum, monasteriorum, domorum, & quorumcumque regularium locorum degentes quocumque iure, & actione siue ex causa testamenti siue intestati acquisita, & imposterum acquirenda*, &c. *ad eam Cameram* (idest Apostolicam) *pertinere, pertinuisse, & spectare.* Vnde fit, vt bona, quæ Religiosus apostata acquisiuit ante apostasiam, nullo modo debeant computari in spolio, & consequenter ea retineri posse à Religione, quantumuis ille Religiosus extra illam decedat in apostasia: dispositiones quippe pœnales (vti est lex spoliorum) non debent ampliari ad casus non expressos in ipsis iuribus.

Qværes XXXIV. Cui acquirantur bona, quæ comparant Regulares perpetuò eiecti.

104. Respond. acquiri Cameræ Apostolicæ, si contingat Religiosum sic eiectum mori extra Religionem: & hoc ex Constit. Gregorij XIII. *quæst. præced.* adducta, vt ostendimus *in tractat. de priuileg. cap. vlt. sect.1. quæst.14. §. quod si.* vbi etiam explicamus, ad quem pertineant bona talis Religiosi casu, quo redeat ad Religionem priorem, aut transeat ad aliam, & ibi profiteatur.

Qværes XXXV. Ad quem pertineant bona Religiosi beneficiarij.

105. Respond. spectare ad Cameram Apostolicam ex Constit. Pij IV. relata *quæst.55.* & quidem etiam in casu, quo Religiosus decedat in Curia; siquidem concessio facta à Iulio III. ne ex bonis beneficiarij morientis in Curia spolia fiant, non suffragatur beneficiariis Regularibus, non obstante quod in ea dicatur *omnes cuiuscumque dignitatis*, &c. *ex fructibus*, &c. *beneficiorum*, &c. *quorumcumque Ordinum regularium*, &c *possint liberè testari*, nam verba illa, *quorumcumque Ordinum regularium*, non indicant beneficiarios Regulares ea concessione gaudere, sed beneficiarios cuiuscumque beneficij, etiam regularis, vel Ordinum Regularium ea posse frui; vt aduertit Filliuc. *supr. cap.4. num.17.* id totum confirmans ex vsu Curiæ, in qua Regulares beneficiarij decedentes faciunt spolia, nisi habeant speciale indultum testandi.

De fructibus beneficij, tempore mortis beneficiarij nondum perceptis, sed ei debitis maior est difficultas, cui ea debeantur, num scilicet Cameræ Apostolicæ, an hæredibus, an successori.

106. Respond. in terris quidem, vbi reperitur, & solet esse Collector Apostolicus, deberi Cameræ Apostolicæ ex Constit. Iulij III. quam latè explicat Redoanus *quæst.5.* siquidem, cum tales fructus antea iure communi deberentur Ecclesiæ successori in beneficio, & fiscus Apostolicus quod ad ea successerit loco Ecclesiæ; constat eos deberi illi, & non alij. Secùs in terris, in quibus non est, nec solet esse Collector Apostolicus; ibi enim fructus supradicti debentur successori per modum spolij, nullo autem modo hæredibus prioris beneficiarij: sic quippe statuit idem Iulius III. in alia Constitutione præcedentis declaratiua; vt aduertit Filliuc. *supr. cap.5. quæst.4.* ex Redoano, & Azorio, aliisque monens fructus beneficiorum à die vacationis vsque ad legitimam prouisionem, & actualem possessionem in præsentia omnes pertinere ad eamdem Cameram Apostolicam ex Constit. Pij IV. relata à Nauarro §.6. *num 6 de spol. Cleric.* & ex alia eiusdem Pij quæ incipit *In suprema*; & alia Gregorij XIII. cuius initium est, *Cum sicut accepimus*, quæ sine dubio æquè locum habent in Regularibus beneficiariis, ac in sæcularibus; cùm sit par ratio de vtrisque.

107. Quod si Religiosus beneficiarius in vltima infirmitate aliquid donet, & dubitetur, an donatio illa fuerit facta causa mortis; probabile est donatarium esse tutum in conscientia, si donans infra 20. dies non moriatur: nam in dubio melior est conditio possidentis, nec debet præsumi delictum in donante, nempe quod voluerit donare solùm causa mortis (quod non poterat facere) nisi apertè constet in contrarium; si verò intra 20. dies mortuus sit Religiosus donans, tenetur donatarius restituere rem donatam Cameræ, vtpote prohibitam dari eo tempore. Ita Filliuc. *cap.8. quæst.14.* ex Vasq. Nauar. & Redoano addens *quæst.15.* beneficiario sub mortem donanti, & asserenti se posse illud donare, etiam ex redditibus ecclesiasticis credendum esse: cum in illo articulo constitutus non possit præsumi mentiri: cum nullus immemor existimetur salutis æternæ; sicuti aduertit Alciat. *reg.3. de præsumpt.*

Qværes XXXVI. Cui cedant bona Religiosorum beneficiariorum non residentium.

108. Respond. cedere item Cameræ Apostolicæ, & quidem omnia, cuiuscumque qualitatis, & quomodocumque acquisita fuerint; modò apud ipsos reperiantur extra residentiam, dum decedunt. Vnde in non residentibus nec vlla facultas testandi suffragatur, nec prodest exceptio, quod bona non sint acquisita ex redditibus ecclesiasticis cum pariter omnia, etiam patrimoniala apud ipsos sic decedentes reperta Cameræ Apostolicæ vt spolia assignentur ex Constit. Pij IV. allegata à Filliuc. *supr. q.20.*

109. Qværes XXXVII. Cui debeantur fructus beneficij à Religioso beneficiario malè percepti ex omissione horarum Canonicarum, ex malo titulo beneficij, ex incursa censuræ, & Simonia commissa.

Respond. deberi vel Ecclesiæ beneficij, vel toti Collegio, si sint distributiones, vel, si nulla sit Ecclesia, aut Collegium, pauperibus; quamuis quoad tales fructus possit summus Pœnitentiarius componere. Ita Filliuc. *quæst. 17.* hinc bene inferens tales fructus non computari inter spolia debita Cameræ Apostolicæ: vtpote qui numquam fuerunt sub dominio beneficiarij, fructus sui beneficij in casibus propositis non facientis suos: cum tamen spolia fiant ex bonis Clerici, quæ apud ipsum tempore mortis reperiuntur, vel quibus non contigit eum ante mortem destitui.

Qværes XXXVIII. Quibus bonis priuentur Regulares beneficiarij, si intra bimestre à Concilio Trid. *sess.24. cap.12 de reform.* à die adeptæ possessionis non faciant possessionem fidei in manibus Episcopi.

110. Respond. priuari fructibus beneficij, ita vt eos non faciant suos &, si recipiant, teneantur illos restituere, vti diximus *in tract. de obligationibus, cap.10.*

quæst. 5. Quamquam, si beneficiarius dictam fidei professionem omittat ignarus decreti Tridentini, aut illius immemor, nullo modo in conscientia obligandus sit ad restitutionem; cum sic omnes fructus faciat suos, ac si professionem verè emisisset; & aliàs priuatio fructuum sit pœna, quæ arctare non potest, vbi non præcedit culpa; ita Sanch. *l.2. mor. cap.5. num.13.* Garc. 3. *part. de benefic. cap.3. num.68.* Vgolin. *de offic. Episcop. cap.* 50. §.16. *num.5.* Azot. *tom.2. lib.7. cap.2. quæst.1.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg* 61. *num.*19. Castr. Pal. *tract.4. D.1. part.* 19. *n.*17. addens ex Azorio, & Sanch. idem dicendum in casu, quo beneficiarius procuratori suo dedit mandatum faciendi professionem fidei pro ipso, & ille non fecit, inscio, absque culpa, beneficiario.

QVÆRES XXXIX. Quibos bonis priuentur Regulares, si existentes in Missionibus Iaponicis, aut aliis Indiarum Orientalium mercaturam, seu negotiationem exerceant.

111. Respond. priuari mercibus, & lucris inde factis, quocumque demum modo mercaturam, seu negotiationem exerceant, siue per se, siue per alios, siue proprio, siue communitatis nomine, directè, seu indirectè, aut quouis alio prætexto, causa, aut colore; idque ex Constit. Vrbani VIII. *in ordine* 126. in qua item præcipit merces, & lucra supradicta à Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes existent, reseruanda esse ad vsum Missionum, quas eædem Religiones habent, & habituræ sunt in futurum in prædictis Indiis, & non in alios vsos: sublata præfatis Superioribus facultate huiusmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus, & lucris, quantumuis minimum, remittendi, aut condonandi.

QVÆRES XL. Ad quem pertineant bona Religiosorum extra claustra de licentia suorum Superiorum, aut aliter viuentium, ac decedentium.

112. Respond. pertinere ad Cameram Apostolicam ex Constit. Gregorij XIII. allegata *quæst.* 33. quæ loquitur generaliter, & quoad Religiosos degentes extra claustra, etiam de licentia suorum Superiorum; vt colligitur ex §.1. dictæ Constitut. & quoad bona, quocumque demum titulo parta sint pro tempore, quo degunt extra claustra; vt item colligitur ex citato §.1. per ea verba, *tempore, quo extra claustra huiusmodi fuissent acquisita*; & ex §.3. per illa alia verba, *res & bona quæcumque per dictos Regulares extra claustra Ecclesiarum, monasteriorum, domorum, & quorumcumque regularium locorum degentes, &c. acquisita:* quo modo loquendi videntur excludi bona à Religiosis illis acquisita dum degerent intra claustra; quæ proinde de rigore iuris non cadunt sub spolium; cùm de iis non verificetur, quod ea sint acquisita à Religiosis degentibus extra claustra, sicuti supponitur in Constitut. Gregorij XIII. & alioqui sumus in materia pœnali, quæ non debet ampliari, sed restringi, quantum patitur propria verborum significatio. Ita docti viri à me consulti; quamquam Filliuc. *supr. cap.6. num.8.* duplicem apponat limitationem, videlicet, nisi decedant in Curia, & excepto instrumento sacro pro sacello, quod ipse putat semper deberi Religioni, aut monasterio: sic innuens Religiosos decedentes in Curia Romana, etsi degant extra claustra, non subiacere præfatæ Constitutioni Gregorij XIII. idque ex concessione bullata Sixti IV. & aliorum Pontificum, quas indicat Nanat. *lib.3. consil. de regular. consil.* 15. *num.*5. & 9.

113. Ex quo fit Religiosos degentes extra claustra de licentia suorum Superiorum comprehendi sub dicta Constitutione Gregorij XIII. siue degant extra claustra, vt vacent studiis, siue vt negotia Monasterij pertractent, siue vt consulant necessitatibus parentum, siue vt Lectoris munus exerceant in aliqua Academia, aut etiam monasterio alterius Ordinis, siue vt inseruiant alicui Principi, aut Episcopo pro Confessario, Theologo, aut Consiliario, siue vt sanitatis causa mutent cælum, ibi diutiùs commoraturi, siue vt obeant officium Parochi, siue ad alium similem effectum: dummodo extra claustra commorentur ad longum tempus, non autem ad breue iuxta modò dicenda; in iis enim omnibus casibus verificatur Religosos degere extra claustra: quod solùm requiritur, & sufficit ad hoc, vt subiaceant dictæ Constitutioni. Secùs, si longam suscipiant peregrinationem, aut assistant ædificationi alicuius noui monasterij, aut versentur in Missionibus inter fideles, vel infideles, aut morentur rori, tanquam œconomi monasterij, aut habitent in aliquo collegio, vel seminario iuuenum sæcularium vnà cum aliquibus aliis Religiosis eiusdem Ordinis (vti faciunt Religiosi Societ. Iesu in aliquibus locis, & præsertim in Vrbe;) in his quippe omnibus casibus, & aliis similibus censeo Religiosos, quantumuis degentes extra claustra monasterij, non includi sub ea Constitutione Gregorij XIII. cum de iis non possit moraliter dici, quod degant extra claustra; siue quia fictione iuris habentur pro præsentibus: quomodo Sacra Congregatio teste Naldo *ver. abesse, num.7.* declarauit Canonicos animarum curam exercentes illi Ecclesiæ annexam absentes à Choro reputari præsentes, si tunc temporis exerceant parochialia; siue quia abesse non dicitur, qui breui est reuersurus, *l. postliminy, §. captiuus, & l. nihil ff. de captiuis*; siue quia absentia eius, qui reipublicæ causa abest, neque ei, neque alij nocere debet, *l. absentia ff. de reg. iur.* siue quia vsus, qui est optimus legis interpres ita benignè interpretatur Constitutionem illam Greg. XIII. ne alioqui dicatur infligi pœna, vbi nulla omnino adest culpa, vt in casibus propositis; siue quia degere extra claustra non dicit quamcumque commorationem extra claustra, sed commorationem per modum habitus, vt sic loquar; quæ tamen non apparet in omnibus casibus modò propositis, vt facilè patebit consideranti.

Vnde patet, quid dicendum sit ad casum, de quo olim in facti contingentia fui interrogatus; quidam Religiosus senior de licentia Superiorum se transtulit ad rusticam quandam domum sui fratris, vt ibi vires ex longo morbo deperditas commodiùs recuperaret; interim ibi mortuus est, quasi ex improuiso; vbi id resciuit Collector spoliorum, misit ad consuetum spolium certò credens bona talis Religiosi, vtpotè degentis, ac demortui extra claustra subiici spolio iuxta Constitut. Gregorij XIII. superiùs citatam: proinde quæsitum est, an talis Religiosus re vera comprehenderetur sub ea Constitutione, eiusque bona subiacerent spolio, necne.

Respond. probabile videri non comprehendi, & consequenter eius bona esse immunia à spolio: idque etsi licentia data illi Religioso non esset alligata ad certum tempus. Ita tunc consului, & modò iterum consulo; moueórque, quia de tali Religioso non potest dici in rigore, quod degeret extra claustra eo modo, quo videtur intendere Constitutio Greg. XIII. nempe quasi per modum habitus; cum ibi maneret titulo conualescentiæ, quæ communiter non solet durare tempore ita longo. Vnde, cum breue tempus interdum dicatur spatium intra 3. dies ex *l. fin. §. illicò, de iudic.* interdum intra 10. dies ex 114.

l. quid

l. quod dicimus, *ff. de solut.* interdum intra mensem vnum, vt docet Aleand. *in lib. diuortium num.* 10. *ff. solut. matrim.* & interdum etiam intra 2. menses ex *lib. auferetur* §. 1. *ff. de iure fisci*, iuxta naturam, & qualitatem materiæ subiectæ, vt aduertit Nald. *v. tempus num.* 12. ex Glossa *in cap. præterea, de ætat. & qual. ordin.* & talis Religiosus solùm per mensem circiter mansefit extra claustra, de eo dici non potest, quod degeret extra claustra modo supradicto quasi per modum habitus; idque arbitror dicendum, etiamsi ibi commoratus fuisset per duos menses: adhuc enim ea qualitate subiectæ materiæ tale tempus diceretur breue iuxta dicta paulò ante; sicque procederet regula, quod abesse non dicitur, qui breui est reuersurus. Dixi, *etsi licentia data illi Religioso non esset alligata ad certum tempus*: si quidem ex subiecta materia tacitè erat alligata certo tempori; nimirum illi spatio temporis, quod solet regulariter exigi in tali casu, solétque communiter non esse longum.

Addo bona Religiosi morientis in monasterio alterius Ordinis videri non pertinere ad Cameram Apostolicam: cum in bullis Gregorij XIV. dicatur, *& bona quæcumque*, per dictos Regulares extra claustra Ecclesiarum monasteriorum, domorum, & quorumcumque Regularium locorum degentes; & hæc verba in præsenti casu non verificentur, Religioso decedente in loco regulari; nempè in monasterio alterius Ordinis, constat autem in materia odiosa non debere fieri extensionem vltra propriam verborum significationem, & materiam, de qua agitur hîc esse odiosam, ac debere restringi ad Religiosos morientes absolutè extra locum regularem.

Vtrùm autem in casu, quo bona Religiosi degentis, ac decedentis extra claustra debeantur Cameræ Apostolicæ, possit Superior dicti Religiosi aliqua occultare Collectori spoliorum, eaque retinere ad vsum monasterij.

115. Respond. non posse; & constat, quia Gregor. XIII. *in citata Constitutione*, declarat Cameram Apostolicam habere ius, & nomen veri hæredis in dicta bona, illiúsque naturam sortiri, ac veri hæredis priuilegiis, & iuribus gaudere; sicut ergo vero hæredi non potest iustè occultari, quidquam ex bonis hæreditatis; ita nec poterit ex præfatis bonis titulo spolij debitis Cameræ Apostolicæ, quidquam ei occultari; &, si quid fuerit occultatum, aut ablatum, ipsi omninò restituendum est.

116. Addit Filliuc. *tract. 43. cap. 4. num.* 83. quod, sicut quilibet tenetur rem, quam scit esse alienam, restituere proprio domino ante quamcumque Iudicis sententiam: ita, mortuo Ecclesiastico debentur spolia Cameræ Apostolicæ ante omnem sententiam Iudicis, quippe quæ eo eo ipso, quod Ecclesiasticus decedit, illi iure proprio debentur; verùm hanc doctrinam minus approbant alij, ea moti ratione, quod pœna non obligat ante sententiam; cum tamen spolia videantur imposita in pœnam, quare ego puto hac in re consulendum esse vsum Curiæ, eúmque seruandum.

117. Dices, quid si Religiosus modo dicto decedens extra claustra contraxit multa debita, tum occasione vltimæ infirmitatis, tum etiam ante; possúntne creditores in tali casu sibi satisfacere ex bonis dicti Religiosi alias debitis Cameræ Apostolicæ?

Respond. videri posse, & colligitur ex eo, quod docet Nauar. *de spolijs* §. 19. *num.* 10. filium illegitimum posse ex bonis patris Ecclesiastici tuta conscientia recipere id, quod sibi necessarium est ad alimenta: quippe cui etiam Camera ipsa teneretur prouidere ex spolio, quod fortè faceret de bonis dicti patris; est autem eadem ratio de creditoribus Religiosi decedentis extra claustra, ideóque de illis eodem modo differendum est iuxta regulam, *vbi militat eadem ratio; militat & eadem iuris dispositio.*

Qværes XLI. Ad quam restitutionem teneantur Religiosi, qui occasione visitationis aliquid recipiunt vltra victualia.

Respond. teneri infra mensem ad restitutionem 118.
dupli: &, si vltra prædictum tempus restituere differant culpabiliter, manere eo ipso suspensos ab Officio, beneficio, quo vsque de duplo huiusmodi impendant plenam satisfactionem Ecclesiæ, aut monasterio grauato: idque nulla eius in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratia valitura. habetur *in cap. exigit, de censib.* patétque ex dictis.

Qværes XLII. Ad quid teneantur Religiosi, qui contra decreta Sacræ Congregat. *de celebrat. Missar.* non celebrant tot Missas, quot ad rationem attributæ Eleemosynæ præscribuntur.

Respond. teneri restituere id, quod acceperunt, 119.
sic quippe statuitur expresè in præfatis decretis §. 2. his verbis: *Alioquin ij, ad quos pertinet, sua obligationi non satisfaciant, quinimò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.*

Qværes XLIII. Ad quid teneantur Prælati regulares, quo pro Religionis ingressu pecunias, iocalia, aut alia exigunt.

Respond. teneri ea referre in massam commu- 120.
nem totius monasterij, si fortè ea ad vsum siue propriæ personæ, siue alterius singularis retineant; idque ex Extrauag. *sanè, de Simonia*, vbi id expresè statuitur.

Qværes XLIV. An subsistat donatio facta à Regularibus contra formam decretorum Clementis VIII. *de largit. mun.* si aliàs fiat de legitima licentia proprij Superioris.

Respond. non subsistere, ideóque donatarium 121.
teneri ad restitutionem; adeò vt restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolui possint; & hoc ante omnem Iudicis sententiam; vt bene aduertit Bonac. *de largit. mun. part.* 4. *num.* 2. id colligens ex verbis illis, quæ habentur in supradictis decretis; *Quod si vel ab aliquo particulari Religioso, vel à Superiore quopiam Generali, Prouinciali, aut alio quocumque officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione, siue ab vniuerso Ordine, & Religione quicquam receperint, suum non faciant: verùm ipso facto absq; aliqua monitione, Iudicis decreto, sententia, aut declaratione ad illius restitutionem omninò in vtroque foro teneantur.* patet autem responsio ex dictis *in tract. de prohibit. cap.* 9. *quæst.* 5.

Qværes XLV. An teneat renuntiatio facta à Religioso Nouitio, si fiat ante tempus præscriptum in Concilio Trid *sess.* 25. *de regul. cap.* 16. & absque solemnitate ibi statuta.

Respond. non tenere, idque ex decreto ipsiusmet 122.
Concilij, quod loquens de præfata renunciatione sic habet: *Aliter verò facta, etiamsi cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.* est communis DD. & constat ex dictis *in tract. de nouitiatu cap.* 9. *quæst.* 15. vbi fusius hac de re agimus.

Qværes XLVI. An alienatio sine præscripta solemnitate facta à Religiosis de bonis monasterij, sit valida.

Respond. probabile esse, illum contractum non 123.
esse validum, neque in foro externo (quod omnes concedunt) neque in foro conscientiæ: idque, fine

cuftera

contractus celebratos sit io fauorem recipientis, siue in vtilitatem, ac bonum ipsorum Religiosorum. ratio est, quod sine forma substantiali nihil subsistit in rerum natura; prædicta autem solemnitas à iore præscripta est tamquàm forma substantiali contractus, ideóque coutractus ea carens non tenet. ita Bonac. *de alienat. part.* 4. *num.* 14. aliique ab ipso citati contra plures alios ab eodem relatos existimantes huiusmodi contractum esse validum in foro conscientiæ, si sit celebratus in fauorem monasterij, adeóque alterum contrahentem non posse proprio arbitrio recedere à contractu supradicto, nisi interueniat consensus Sedis Apostolicæ; vt moltis decisionibus, & Doctoribus ostendit Praxis Neapolit. *cap.* 18. *num.* 2. quamquàm Bonac. ex Molin. Filliuc. & aliis putet nullitatem contractus in foro externo non posse allegari ab Ecclesia, seo monasterio: quippe quæ consenserunt in illum, & aliàs rem vtiliter gesserunt; quo modò contractus dicitur claudicare io fauorem Ecclesiæ, eo quod ipsa alterum allegantem contractus nullitatem potest cogere ad illum rescindendum, ipsa verò non potest cogi, sed ad summum tenetur supplere solemnitatē omissam.

QVÆRES XLVII. Coi facienda sit restitutio rei donatæ à Religioso contra decreta Sacræ Congregat. *de largit. munerum.*

124 Respond. ex iisdem decretis debere fieri non priuatim ei Religioso, qui donauit, sed ei monasterio, domui, aut alteri loco, de cuius bonis facta est largitio: vel si non de eius bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans professionem emisit, vel si nomine totius Capituli, Conuentus, aut Congregationis, vel vniuersi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensæ, aut mastæ, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur: ita vt nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterùm condonare, aut recipientem ab obligatione restitutionis eximere, vel vt io pauperes eroget, concedere quoquo modo possit. habetur his ipsis verbis io citatis decretis.

QVÆRES XLVIII. Quo iure diruenda sint monasterium, Ecclesia, aut oratorium, quæ à Regularibus construantur infra spatium 300. cannarum ab Ecclesiis Fratrum Minorom.

Respond. diruenda esse ex decreto Clementis IV. 125
bullato, quod refert Casarub. *in comp. v. ædificare n.* 1.

QVÆRES XLIX. Quam pœnam incurrant Regulares, si proprias Campanas die Sabbati Sancti pulsent, antequàm pulsetur Campana Cathedralis, aut Ecclesiæ maioris.

Respond. incurrere pœnam 100. ducatorum sol- 126
uendorum: idque ex Leonis X. Constitutione; vt notauit Barbosa *de offic. Episc. allegat.* 105. *num.* 70.

QVÆRES L. Quam pœnam incurrant Regulares, si degentes intra statum Ecclesiasticum libros à se conscriptos extra illum edant sine approbatione Ordinarij, ac Inquisitoris loci, in quo degunt.

Respond. ex decreto Vrbani VIII. edito 18. 127
Sept. 1625. incurrere hanc pœnam, vt præter alias pœnas arbitrio Papæ infligendas absque alia declaratione liber taliter editus sit prohibitus. constat ex dictis *in tract. de prohibit. cap.* 4. *quæst.* 18.

TRACTA

TRACTATIO VIII.

DE PRIVILEGIIS REGVLARIVM.

CVM in præsenti Tractatione acturi simus de priuilegiis, quæ singulari Summorum Pontificum munificentia Regularibus concessa sunt, & eorum alia concessa fuerint circa ipsamet priuilegia, alia circa vsum Sacramentorum ab iis suscipiendorum: alia circa eorumdem administrationem: alia circa spiritualia Regularium ministeria: alia circa eorum Ecclesias: alia circa ipsorum personas: alia circa bona eorum temporalia: & alia circa bonam ipsorum gubernationem: Tractationem diuidemus in 8. capita: in quorum 1. agemus de priuilegiis, quæ concessa sunt Regularibus circa ipsamet priuilegia: in 2. de iis, quæ deseruiunt ad vsum Sacramentorum: in 3. de iis, quæ concernunt administrationem Sacramentorum: in 4 de iis, quæ spectant ad spiritualia ministeria: in 5. de iis, quæ collata sunt illorum Ecclesiis: in 6. de iis, quæ pertinent ad eorum personas: in 7 de iis, quibus illi fruuntur, quoad bona temporalia: in 8. de iis, quæ conducunt ad bonam Regularium administrationem. Nec mirum, quòd Summi Pontifices adeò liberales se ostenderint erga Religiosos in conferendis priuilegiis; cum de religiosis Ordinibus dici possit, quod in specie de Societate Iesu habet Diaz *in pract. cap* 80. his verbis: *Est quidem Christiana Republica vtilissimum imò summe necessarium præfatam Societatem* (loquitur de Societate Iesu) *à Summis Pontificibus maximis fauoribus, & amplissimis priuilegijs ampliari; cùm propugnaculum sit fidei, lumen Ecclesiæ, Religionis amplificatrix, peccatorum medela, plerúmque virorum tutissimum asylum.*

CAPVT I.

De Priuilegiis in communi.

ACTVRI de principalioribus priuilegiis concessis Regularibus, ordo doctrinæ petit, vt aliqua breuiter attingamus de ipsis priuilegiis in communi; quod præstabimus in præsenti cap. illud diuidentes in 6. sectiones, in quarum 1. agemus de Natura, & conditionibus priuilegiorum: in 2. de illorum concessione: in 3. de eorum communicatione: in 4. de Vsu eorumdem: in 5 de ipsorum amissione: in 6. de eorum interpretatione.

SECTIO I.

De Natura, & Conditionibus Priuilegiorum.

1 *Explicatur, quid sit priuilegium.*
2 *Diuiditur in scriptum, & non scriptum: in personale, & reale: in gratuitum, ac onerosum: in conuentionale, ac purum: in fauorabile, & odiosum: in perpetuum, & temporale, in concessum pro foro interno, & concessum pro foro externo: in affirmatiuum, & negatiuum: in factum ad alterius intercessionem, & factum motu proprio: in insertum in corpore iuris, & in insertum extra: in factum ob bonum commune, & in factum ob bonum priuatum alicuius particularis.*
3 *Assignatur eius materia.*
4 *Assignatur & eius forma.*
5 *Tres sunt partes illius.*
6 *Scriptura non est de eius essentia.*
7 *Vt licite concedatur priuilegium, requiritur causa, non item, vt valide.*
8 *Vt sit efficax, non semper debet promulgari.*
9 *At aliqua eius notitia petitur respectu eorum, qui debent illud seruare.*
10 *Regulariter vt prosit, debet esse acceptatum.*
11 *De eius concessione debet constare priuilegiato; etsi interdum prosit ignoranti.*
12 *Non item de eo constare debet ei, in cuius damnum cedit: acceptatur à Religioso particulari.*
13 *Non est opus, vt per verba formalia in eius concessione derogetur iuri communi.*
14 *Priuilegium potest conferre quicumque potest ferre legem.*
15 *Datur inferiori, etiam non subdito.*
16 *Generaliter tria operatur.*

QVÆRES I. Quid sit Priuilegium. 1
Respond. posse definiri, vt sit lex priuata aliquod speciale beneficium concedens: dicitur *lex*, non quod priuilegium propriè sit lex, sed quia, quam

quamdiu durat, instar legis seruari debet, aliisqoe necessitatem importat, ne priuilegiato vsum priuilegij impediant; quamuis talis necessitas oriatur etiam ex ipso iure naturali dictante priuilegiatum non esse priuandum iure, & facultate sibi à Superiore concessa; dicitur *priuata*; tum quia regulariter conceditur priuatæ personæ, &, si conceditor alicui Communitati, conceditus tanquam parti Communitatis superioris, quæ erat communi lege obligata; tum quia priuatum aliquod beneficium priuilegiato concedit: aliàs enim si nihil speciale concederet, qood iure communi non esset concessum, priuilegium esset inutile, ac frustraneum, vt dicitur *in cap. in his, de priuil.* dicitur, *aliquod beneficium speciale concedens*, vt excludantur à ratione priuilegij leges omnes pœnales, quæ licèt ferantur in defensionem aliquarum personarum, aut Immunitatis ecclesiasticæ; priuilegij tamen naturam non obtinent, eò quod per se non concedant beneficium; esto ex impositione pœnæ, ac punitione delinquentis aliquo modo resultet; sicut notat Suar. *lib. 8. de leg. cap. 6 num. 6.*

Qværes II. Quotuplex sit priuilegimn.

2. Respond. esse multiplex: 1. enim aliud dicitus Scriptum (quod scilicet exprimitur scriptura) aliud non scriptum; quod conceditur sine scriptura: siue id fiat immediatè à Superiore (quod vocant *viuæ vocis Oraculum*,) siue per consuetudinem, de quo infra.

2. Aliud dicitur personale, quod conceditur immediatè personæ ratione sui; aliud Reale, quod directè conceditur rei (v. g. loco, dignitati, prædio &c.)

3. Aliod dicitur gratuitum, seu gratiosum, quod conceditur gratis, idest non habita ratione meritorum, siue illius, cui conceditur priuilegium, siue aliorum: aliud remuneratorium, quod conceditur ratione meritorum, siue ipsius priuilegiati, siue aliorum: quamuis, vt notat Castr Pal. *tract. 3. D. 4. p. 21. §. 1. num. 6.* ad hoc cognuscendum non sufficiat mentio generalis meritorum, sed sequiratur specialis; ita vt expresè dicatur *Ob hæc, & illa merita concedimus tibi præsens priuilegium.*

4. Aliud dicitur Conuentionale, quod conceditur interueniente pacto, seu conuentione: aliud purum, quod absolutè conceditur absque onerere alicuius operis faciendi.

5. Aliud dicitur Fauorabile, quod ita confert fauorem priuilegiato, vt nulli alij inferat præiudicium (cuiosmodi est facultas audiendi confessiones): aliud Odiosum, quod ita confert vni commodum vt inferat alteri præiudicium (quale est priuilegium, quo quis eximitor à solutione vectigalium.)

6 Aliud dicitur perpetuum, quod conceditur sine limitatione temporis, aut certè conceditur rei, quæ ex se est perpetua (quale est, quod conceditus Dignitati, Ordini, Religiosu Munasterio &c.) aliud temporale, quod conceditur siue cum limitatione temporis, siue alicui personæ particulari, siue cum aliqua conditione, vt ea impleta priuilegium cesset (v g *ad meum beneplacitum, donec voluero* &c.)

7. Aliod conceditur pro foso interno, quod non operatur quidquam in foro externo: alind, quod conceditur pro foro externo, & suffragator tam in foro interno, quam externo: nisi forte aliud cunstet ex qualitate materiæ, vsu aliisque circumstantiis.

8. Aliud dicitur Affirmatiuum, quod concedit facultatem agendi: aliud Negatiuum, quod dat licent iam omittendi.

9. Aliud conceditur ad petitionem, & instantiam alterius: aliod ex ex motu proprio, idest ex Principis arbitrio, seu liberalitate.

10. Aliud est insertum in corpore Iuris: aliud extra, videlicet in bullis priuatis, vt aliis similibus instrumentis, aut codicibus.

11. Aliud conceditur ob bonum commune, quod immediatè, proximè respicit bonum Communitatis (quale est priuilegium Canonis *si quis suadente*, quòad personas ecclesiasticas) aliud conceditur immediate, ac proximè ad bonum priuatum, quod proximè, & immediatè respicit bonum personæ priuatæ, estò vltimate referatur ad bonum commune; quatenus bono communi expedit priuilegia concedi indigentibus, ac personis dignis.

Qværes III. Quæ, & qualis debeat esse materia priuilegij.

3. Respond. debere esse non solùm honestam, ac rationabilem (qood est commune omni legi, de cuius natura participat etiam priuilegium) sed etiam fauorabilem (quod exigit ratio propria priuilegij;) imò & consistentem in speciali aliqua facultate ad aliquid agendum, vel non agendum, recipiendum, vel non recipiendum; cum priuilegium sit lex aliquid speciale concedens. ita Bunac. *de leg. D. 1. quæst. 3. part. 4. §. 1. num. 1.* aliique communiter.

Qværes IV. Quæ sit commuois, & ordinaria forma priuilegij.

4. Respond. distinguendo: vel loqnimur de forma interna; & est voluntas concedentis priuilegium, aut ipsa ratio, seu causa finalis concedendi priuilegium: vel loquimur de forma externa; & est signum sensibile, ac externum, per quod innotescit voluntas concedentis. ita Sanchex *supr. c. 12. n. 1.* qui in huiusmodi forma externa duo distinguit, rem scilicet sensibilem, quæ est signum, & debet esse sufficienter declaratiua consensus Principis priuilegium concedentis (cuiuscumque demum conditionis, aut materiæ sit tale signum:) & ipsam rationem formalem signi, seu (vt alij loquuntur) significationem, quæ maximè est de substantia huius formæ, quatenus, quippe quæ in se continet suo modu voluntatem Principis veluti vnicum morale instrumentum illius, siue virtutis, siue operationis: voluntas enim hominis nõ operatur, nisi vt manifestata hominibus, cum tamen nõ manifestetur, nisi per verba, & scripta. Vnde fit, vt in priuilegiis maximè attendi debeat propria verborum significatio, ac vsus, siue communis, siue iuridicus; cum forma externa priuilegij, quoad substantiam præcipuè consistat in verbis sufficienter significantibus concessionem alicuius gratiæ, aut iuris alicui factæ.

Qværes VI Quot, & quibus partibus constet priuilegium.

5. Respond. constare tribos, prima est exordium priuilegij, quod solet indicare, vel petitionem ipsius priuilegij, si precessit, vel certè rationem, causam, aut necessitatem priuilegij: 2. est ipsa concessio priuilegij, per quam voluntas concedentis explicatur: 3. est, quæ sequitur post formam concessionis, & est clausola reuocatoria *Non obstantibus* &c.

Qværes VI. An Scriptura sit de essentia priuilegij.

6. Respond. non esse, esse tamen necessariam, tum ad probationem illius; cum alioqui priuilegium difficillimè probari possit in iudicio; tum ad illius stabilitatem, ac durationem; tum ad eius intelligentiam; quippe quæ in primis pendet ex tenore verborum, quæ si sint scripta, multo magis ad id deseruiont, cum ex eorum proprietate, consecutione, ac collatione antecedentium cum consequentibus

vera

vera mens concedentis coniiciatur. ita Rodriq. *tom. 1. quæst. 7. art. 5.* & alij.

Qværes VII. An requiratur causa ad licitam, & validam concessionem priuilegij.

7. Respond. requiri ad hoc, vt sit licita, non autem vt sit valida. ita Castrus Pal. *supr. part. 5.* & quoad 1. partem probatur, quia vel priuilegium est dispensatiuum iuris communis; & tunc omnes concedunt requiri causam, vt licitè Legislator procedat; aliàs non seruaret iustitiam distributiuam, si pro sua voluntate absque causa aliquem eximeret à communi lege; vel est purum beneficium Principis non derogans, neque alicui tertio, neque iurie communi; & sic etiam requiritur iusta causa; alioqui argueretur prodigalitatis, & acceptionis personarum, dabitque occasionem inuidiæ, ac perturbationis reliquis non priuilegiatis. Quoad 2. verò partem probatur ex eo, quod priulegium superest de re, quæ solùm pendet à voluntate Legislatoris: siue priuilegium sit purum beneficium, quo modo est de bonis illi subiectis, & quorum ipse est dominus; siue sit dispensatiuum suæ legis; sicut enim potest legem totam abrogare, ita & potest illius obligationem limitare, sicque ratione talis limitationis aliquas personas eximere.

Qværes VIII. Vtrum ad effectum priuilegij consequendum requiratur, vt ipsum priuilegium solemniter promulgetur.

8. Respond. cum distinctione: vel priuilegia feruntur per leges vniuersales (cuiusmodi est, quod habetur *in cap. si quis suadente*) vel conceduntur priuatim per indulta particularia, aut rescripta concessa particularibus personis, Communitatibus, Religionibus, Vniuersitatibus: si primum, priuilegium debet promulgari, vt patet, tum ex *l. penul. C. de Decurion. lib.* 10. tum quia leges communes tribuentes priuilegia ante promulgationem non habent vim legis, adeòque nec vim obligandi siue ad effectum priuilegij, siue ad quemlibet alium effectum; si secundum, ad effectum priuilegij non est necessaria promulgatio propriè dicta, sed sufficit, vt suo tempore publicetur per authentica instrumenta, aut æquiualentem probationem; sic quippe praxis obtinuit, vt eiusmodi priuilegia non promulgentur solemniter, &, si authenticè, ac iuridicè exhibeantur, statim ligent, si fortè contineant aliquam censuram contra eorum trãsgressores (talia si quidem rescripta continent priùs concessionem, & postcà prohibitionem sub censura, vt nemo impediat illorum vsum. Ita Portel. *de dub. Regul. v. priuil. n. 9.* ex Suar & alij.

Quòd si quæras, quæ notitia aut probatio priuilegij requiratur, vt Prælati inferiores, iudices, aut alij teneantur illud seruare, aut ei non contrauenire.

9. Respond. in foro quidem conscientiæ sufficere notitiam priuilegij moraliter ita certam, vt de ea probabiliter dubitari nequeat (ad quod tamen non sufficit assertio dicentis se habere priuilegium, licèt aliàs sit bonæ famæ, & fide dignus; sed requiritur ostensio priuilegij, aut alia probatio, quæ iudicio prudentis, bona fide procedendo, putetur sufficient;) in foro autem externo requiri ostensionem indulti per instrumentum authenticum, siue in se demonstratum, siue per testes probatum; intellige, nisi priuilegium sit publicè notorium, non quidem per solam famam, sed etiam per vsum ipsiusmet priuilegij communem, ac notum. ita Suar. *supr. cap. 24. num. 9. & 10.* qua de re *infra cap. 3. num.* 119.

Qværas IX. An priuilegium habeat vim, antequàm acceptetur à priuilegiato, vel certè ab ipsius nuncio, aut procuratore ad id missio.

Respond. quod, quamuis supremus Princeps videatur posse concedere priuilegium cum tanta amplitudine, ac efficacia, vt statim suum operetur effe- 10.
ctum in priuilegiato nondum habente notitiam priuilegij concessi: id enim non repugnat, neque ex parte priuilegij, neque ex parte Principis concedentis, de facto tamen regulariter priuilegia non conceduntur hoc pacto, adeòque ad effectum priuilegij obtinendum requiritur aliqua notitia, & acceptatio, saltem per procuratorem, aut epistolam: præsertim si loquimur de priuilegiis concessis per modum legis, ac statuti, vel etiam in præmium operis præstiti. ita Suar. *supr. cap. 25. num. 11. & 14.* patetque ex eo, quod nulla apparet ratio asserendi priuilegia de facto concedi priori modo; cum id non colligatur, nec ex verbis ipsorum priuilegiorum (vt constabit attendenti tenorem illorum) nec ex mente concedentis rationabiliter præsumpta, cum talis modus concedendi priuilegia communiter non expediat, vt ostendit Suar. *suprà.*

Et quidem, quod aliqua notitia priuilegij requi- 11.
ratur in priuilegiato ad effectum illius obtinendum probatur, tum à simili *ex c. si tibi absenti de præbend. in 6.* vbi statuitur ius in beneficio, quod confertur absenti, non acquiri, donec absens ratam habuerit collationem: tum quia priuilegium est quædam donatio; donatio autem non acquiritur absenti ante acceptationem; cum obligatio non oriatur, nisi ex mutuo duorum consensu; quod tamen non puto habere locum in priuilegiis concessis toti Religioni: quippe quæ censentur acceptata, à tota Religione, cui primò concessa sunt, eique bene nota sunt; qua de re aliquid infra dicemus *cap. 3. sect. 2. subsect. 2. quæst.* 8.

Notat autem Mandosius *quæst. 10. de priu. ad instar,* Glossa 7. *num.* 50. priuilegium datum alicui personæ priuatæ ratione officij, ei competere etiam illud ignoranti: si quidem acceptando officium censetur illud acceptare cum omnibus oneribus, & honoribus in genere.

An verò ad vsum priuilegij requiratur notitia priuilegij etiam respectu illius, in cuius damnum cedit ipsum priuilegium.

Respond. non requiri; idque etiam, si priuile- 12.
gium sit concessum per modum constitutionis, ac insertum in corpore iuris. ita Menoch. *lib. 2. de arbitr. cent. 2. casu 185. num. 28.* aliique apud Sanch. *lib. 3. de matr. D. 36. n. 1.* & probatur tum *ex cap. 1. de concess. præb.* vbi dicitur, *Si alicui à Sede Apostolica concedatur quod excõmunicari non possit, licèt id forsitan ignoret suus Episcopus, non tamen propter hoc eius ligari sententia*; tum quia priuilegium directè conceditur in fauorem priuilegiati, ac proinde sufficit, vt ei intimetur, ab eóque acceptetur.

Addit Bordonus *tom. 2. resol. 52. num.* 57. quemlibet Religiosum particularem posse acceptare priuilegium fauorabile Religioni; nisi fortè obstet statutum Religionis, aut oppositum statuatur in tenore ipsius priuilegij: & probat, quia per talem acceptationem nullum infertur præiudicium Religionis.

Qværes X. An sit de ratione priuilegij, vt in eius concessione per formalia verba derogetur Iuri communi.

Respond. distinguendo: vel priuilegium potest 13.
esse vtile absque dicta derogatione; & sic non habet vim ad derogandum iuri communi, nisi formaliter, ac expressè habeat hanc extensionem; vel esse inutile nõ derogando in aliqua re iuri communi simpliciter disponenti: & sic illud derogat; idque licèt illius

mentionem non faciat, neque in specie (quod est certius) neque in genere; dicendo, v.g. *Non obstante quacumque lege*, &c *primum patet ex c. in his de priuil.* vbi reiicitur quædam restricta interpretatio cuiusdam priuilegij, per quam illud inutile reddebatur, deinde verò additur ita esse interpretandum, vt priuilegiati inde aliquam consequantur gratiam; & tandem adiungitur, *dummodo ab alijs, quæ iure parochiali proueniunt, prorsus abstineant*: Vnde infertur priuilegium, quod vni iuri derogat, non esse extendendum contra alterum, si citra læsionem alterius vtile esse potest. Secundum probatur, quia concedens tale priuilegium derogat iuri communi in actu exercito, & hoc cum sufficienti voluntate præsumitur præstare, cum Princeps non ignoret ius commune; & sic non est opus, vt ei deroget in actu signato, declarando hanc esse suam mentem. Ita Castr. Pal. *supr. p.* 10. *n.* 9. Suar. *c.* 14. *num.* 4. 5. & alij, inter quos Suar. *num.* 6. benè notat, quod si ius commune sit qualificatum per specialem clausulam resistentem priuilegiis, idest derogantem illis, necesse est vt in forma priuilegij mentio fiat talis iuris, siue in specie, siue sub clausula generali, quæ sufficiat ad derogandum dicto iuri sic fortificato; alias priuilegium non valebit contra illud ius: & hoc, quamuis reddatur frustraneum, ac inutile. Ratio huius est, quia ex vna parte plus requiritur ad derogandum legi firmius stabilitæ, quàm aliis legibus cōmuni modo latis; ex alia parte clausula derogatoria addita priori legi debet aliquid operari, sicque id saltem operabitur, vt tali legi non ita facilè derogetur per priuilegiū simpliciter concesſū.

QVÆRAS XI. Quis possit concedere priuilegia.

14. Respond. posse omnem, & solum illum, qui potest legem condere. Ita ex communi S. Anton. *p.* 1. *tit.* 19. *c.* 1. & probatur, quia priuilegium dicitur beneficium Principis quod alicui publica potestate confertur ad aliquid faciendum, aut omittendum; hoc autem dat ille solus, qui potest condere legem; ex quo rectè infert Layin. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 1. publicas potestates tum ciuiles, tum Ecclesiasticas in iis tantùm rebus posse dare priuilegia, de quibus habent ius disponendi.

QVÆRES XII. Quibus conferri possint priuilegia.

15. Respond. posse conferri non solùm iis, qui sunt propriè subditi, sed etiam aliis, si sint inferiores, aut inæquales respectu rei, in qua priuilegium confertur: quo pacto Imperator concedit extraneis priuilegium aduehendi merces in terras imperij, vectigal non soluendi, &c. est communis DD. apud Bonac. *supr. q.* 3. *p.* 2. *n.* 5. & probatur, quia priuilegium, vt sic, non petit vim coactiuam ac directiuam in priuilegiatum; cum illud non obliget priuilegiatum, neque ad culpam, neque ad pœnam, vt patet.

QVÆRES XIII. Quot, & quos effectus in communi habere possit priuilegium secundùm suam rationem vniuersalem.

16. Respond. producere tres; nimirum ius, seu facultatem aliquid agendi, vel non agendi; obligationem ad dictum ius seruandum, aut non impediendum; & derogationem alicuius iuris, quod repugnet priuilegio concesſo. Patet, ex eo, quod priuilegium est lex, & vt sic debet habere effectum obligandi: præterea est lex priuata; & vt sic debet tribuere speciale ius, seu facultatem: denique cum iura specialia soleant derogare communibus, priuilegium debet derogare alicui iuri. Ita Bonac. *supr. p.* 4. §. 1. *n.* 2. ex communi, qui benè notat etiam priuilegia, quæ interdum conceduntur ad tollendos scrupulos, conferre facultatem aliquid faciendi, aut omitendi, saltem nouo titulo; ideóque priuilegium concedens id, quod iure communi est concesſum, non esse superfluum; maximè cum priuilegium sic concesſum ad id per se conferat, vt si forte postea statuatur ius commune in contrarium, actus sit nihilominus licitus ratione priuilegij; cum priuilegium per ius commune subsequens non reuocetur, nisi exprimatur. Præterquam quod, vt notat Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 12. *n.* 26. per priuilegium concedi potest aliqua circumstantia, ad quam non extendebatur ordinaria potestas (v. g. ad dispensandum faciliùs, vel cum minori necessitate) quod colligendum est ex materia, verbis, aliisque circumstantiis ipsius priuilegij.

SECTIO II.

De Concessione Priuilegiorum.

17 *Priuilegium conceditur variis modis, qui recensentur.*
18 *Differt concessum motu proprio, & concessum in gratiam petentis.*
19 *Eius concessio sufficienter intimanda priuilegiato,*
20 *Differt factum sub conditione ab eo, quod fit sub modo.*
21 *Modus vtendi priuilegio præscriptus interdum est substantialis, interdum accidentalis.*
22 *Declarantur clausulæ, sub quibus priuilegia interdum fiunt.*
23 *Explicatur natura priuilegij ad instar.*
24 *Priuilegium ad instar non augetur aucto exemplari.*
25 *Non abrogatur, nec admittitur, abrogato, aut amisso exemplari.*
26 *Priuilegium confirmatum in forma communi non confert ius nouum; secus, si ex certa scientia.*
27 *Confirmatis ex certa scientia priuilegijs vnius Ordinis non ideo ex certa scientia confirmantur priuilegia alterius Ordinis participantis.*
28 *Declaratur clausula soluta interdum vsers in priuilegijs*, Quatenus sunt in vsu.
29 *Confirmatio priuilegij prodest ijs, qui de eo communicant, sed non semper.*
30 *Ea semper debet intelligi in terminis habilibus, sicq; non extenditur ad illicita.*
31 *Priuilegium innouatum in forma communi non validatur, si aliàs est nullum; quod non procedit, si innouetur ex certa scientia.*
32 *Innouatio priuilegiorum in forma communi est parum vsitata.*
33 *Communicatio priuilegij ipsum quasi multiplicat.*
34 *Concessio priuilegij ad instar, & communicatio differunt, sed non semper.*
35 *Priuilegium consuetudine acquiritur.*
36 *Idq; ex tacita Principis voluntate.*
37 *At ad hoc requiritur certum tempus.*
38 *Concessio priuilegij iniusta non est semper inualida.*
39 *Non conceditur priuilegium aduersus æquè priuilegiatum.*

QVÆRAS I. Quot, & quibus modis concedi soleant priuilegia.

Respond. solere concedi pluribus modis, & quidem 1. ad instantiam alicuius: 2. ex mera liberalitate, seu (quod idem est) ex motu proprio concedentis: 3. absolutè, & purè nullam conditionem exigendo à priuilegiato ad effectum priuilegij obtinendum: 4. sub conditione aliqua, aut modo necessario ad fructum priuilegij consequendum: 5. ad instar, id est, ad imitationem alterius tanquam exemplaris, quod alteri 17.

teri iam concessum est: 6. per confirmationem, qua priuilegia priùs concessa confirmantur: 7. per innouationem, qua priuilegium aliàs collatum dicitur renouari modo infra explicando: 8. per communicationem, quæ in eo consistit, vt ius vni concessum per aliquod priuilegium, alteri item concedatur per quamdam extensionem, aut multiplicationem priuilegij: 9 ex certa scientia; quomodo priuilegium, si sit amissum, innouatur, ac de nouo conceditur juxta dicenda *q.5.*

QVÆRES II. Quomodo differat concessio priuilegij facta motu proprio Principis ab ea, qua priuilegium conceditur in gratiam alterius aut etiam ad instantiam ipsiusmet petentis.

18. Respond. differre in hoc, quod priuilegium motu proprio concessum primò solet esse magis fauorabile: 2. excludit præsumptionem subreptionis: 3. ordinariè non operatur antequam innotescat priuilegiato: 4 non est subreptitium, etsi in petitione non exprimantur quæ ius, ac stylus Curiæ iubent exprimi (interdum namque concessio priuilegij *motu proprio*, potest esse coniuncta cum petitione priuilegiati, estò non sit ex ea principaliter.) Priuilegium verò concessum ad instantiam petentis primò est magis odiosum, præcipuè si sit de gratia ambitiosa, ac insolita: secundò, non excludit præsumptionem subreptionis: tertiò, statim ac conceditur suum sortitur effectum, etiam ignorante eo, qui per alium illud petiit: quartò est subreptitium, si in eo non exprimantur quæ de iure, ac stylo Curiæ exponenda sunt, ita Laym *lib 1. tract. 4. cap. 23. n. 8. & 9.* aliique penes ipsum; qui bene notat *n. 10.* expressionem falsi, si videatur fuisse causa principalis, & sine qua non concederetur priuilegium, perinde vitiare rescriptum *motu proprio*, ac illud, quod est concessum ad instantiam petentis.

19. Addo cum Sanch *lib. 3. de matr. D. 36. n. 7.* ad vsum licitum, & validum priuilegij concessi, siue motu proprio, siue ad instantiam alterius requiri, vt vel ille, qui priuilegium impetrauit, vel saltem nuntius illius, aut etiam concedentis illud ei intimet: non autem sufficere, vt aliquis tertius id præstet. Ratio est, quia concessio priuilegij est quædam donatio, donatio autem, vt sit efficax, ac irreuocabilis, debet per nuntium ad id destinatum intimari; cum acceptatio requiratur ad perficiendum quemlibet contractum, & perfectio contractus consistat in vnione voluntatum: quæ voluntates vtique non coniunguntur, nisi voluntas vnius alteri per epistolam, aut nuntium ad id ab eo missum intimetur.

QVÆRES III. Quid operentur verba, quibus præscribitur modus vtendi priuilegio, quod conceditur sub conditione, aut modo.

20. Respond. id operari, quòd si per dicta verba constituatur; velut substantialis forma vtendi priuilegio, ea non seruata, non obtinetur fructus priuilegij: secùs, si solùm per ea addatur aliqua solemnitas accidentalis, seu onus concomitans fructum priuilegij: sic enim violatio formæ non impedit effectum priuilegij, licèt alioqui possit esse peccaminosa, & sufficiens causa, vt quis priuetur priuilegio aliàs duraturo. est communis DD. & probatur, quia priuilegium ita pendet ex voluntate concedentis, sicut mandatum ex voluntate mandantis: idcóque sicut forma mandati non seruata, si sit substantialis, nihil fit, cum sic desit voluntas mandantis; si verò accidentalis, actio facta tenet; ita & accidit in priuilegio, si in eius vsu non seruetur forma substantialis præscripta, cum sit par ratio in vtroque casu, vt facilè constabit consideranti.

Porrò si quis hîc quærat vnde colligatur an forma sit substantialis, necne.

Respond. colligi ex duobus: primò, considerando vtrum onus impositum ad consequendum fructum priuilegij sit conditio propriè dicta, non solùm modus (quod ex verbis ipsis colligendum est, vti fit in testamentis & aliis similibus actibus:) si enim sit conditio propriè dicta, ponitur per modum formæ substantialis, & sic ad habendum effectum priuilegij debet omnino seruari, cum sic voluntas concedentis sit conditionata, adeóque nulla, si non impleatur conditio; secus, si tantùm sit modus: sic quippe voluntas concedentis est absoluta, & statim operatur, estò imponat tale onus in futurum. Secundò, illud potest colligi considerando, an opus requisitum in concessione priuilegij ad obtinendum illius effectum præscribatur ante effectum priuilegij, vel post: si enim exigatur ante, regulariter spectat ad formam substantialem, & est rigorosa conditio, nisi ex verbis priuilegij expressè constet oppositum: si autem exigatur post effectum priuilegij, est solùm modus, & spectat ad formam accidentalem, nisi verba priuilegij manifestè obstent. Constat id in Iubileo, in quo cum concedatur absolutio à reseruatis, & indulgentia plenaria iniunctis orationibus, aliisque piis operibus: absolutio quidem à reseruatis est valida; etsi, ea obtenta, non impleatur aliquod ex dictis operibus, cum supradicta opera non sint conditiones necessariæ ad absolutionem consequendam, & quoad hanc non spectent ad formam substantialem concessionis: Indulgentia verò non obtinetur, nisi omnia & singula opera supradicta impleantur, quippe quæ quoad hunc effectum continent conditionem necessariam, & important formam substantialem. ita Suar. *lib. 8. de leg. c. 13. n. 3. 4. 5.* 21.

Hinc patet, qualiter debeant intelligi quædam clausulæ, quæ aliquando apponi solent in concessione facultatis, v.g. dispensandi, absoluendi, &c. videlicet, *Cum consilio: De consilio: Ex consilio* (quæ sunt quasi synonima) & *Iuxta*; aut, *Secundum consilium*, *Prout visum fuerit Petro* (quæ item sunt synonima;) si namque dicatur, *cum consilio de*, vel *ex consilio*, petitio consilij pertinet ad formam substantialem; cum consilium sit conditio necessariò antecedens actum; non tamen opus est sequi consilium, cum id per verba non exigatur. si verò dicatur *Secundum consilium*, tunc imponitur onus & petendi, & sequendi consilium. quod item locum habet in casu, quo dicatur, *De consensu*, vel, *Cum consensu alterius*, consensus enim ad alterum relatus dicit conformitatem cum eo in effectu, ac iudicio. ita Bonac. *de leg. D. 1. q. 3. p. 4. 5. 2. n. 4.* & alij. 22.

QVÆRES IV. Quid operetur concessio priuilegij *ad instar*.

Respond. concedere omnem fauorem, & gratiam formaliter contentam in suo exemplari, & quidem in eodem sensu, quo continetur in exemplari, nec non cum eadem extensione, aut restrictione, non maiori, vel minori: hoc enim totum spectat ad propriam & adæquatam imitationem. ita Nauarr. *de Iubil. not. 26. num. 2.* cum Bald *in l. omnia priuilegia, C. de Episc. & Cleric.* 23.

Quòd si quæras, an aucto exemplari per nouas concessiones, priuilegium *ad instar* augeatur, & è contra, v.g. si Ordini Minorum concessa sint priuilegia ad instar Ordinis Dominicanorum, an, si augeantur priuilegia Ordinis Dominicanorum, augeantur etiam priuilegia Minorum. 24.

Respond. non augeri ad augmentum exemplaris stando præcisè in vi priuilegij *ad instar*, quatenus

enim est tale, dicit respectum imitantis ad aliud: dicitur autem aliquid fieri ad imitationem eius, quod existit, seu quod iam priùs factum est; non item eius, quod futurum est; præter quam quod concedens priuilegium *ad instar*, moraliter loquendo, de eo tantùm cogitat, quod iam concessum est alteri, non verò de futuris. Quod autem aucto priuilegio, *ad instar*, non augeatur exemplar, probatur, quia ex vna parte exemplarum, & exemplar sunt simpliciter diuersa; ex alia parte in priuilegiis non habet locum extensio per æquiparationem, aut similitudinem rationis. Ita Bald. *in l. omnia*, modò citata cum quodam Guilielmo, quos sequitur Suar. *cap. 15. num. 3.* addens *num. 4.* priuilegium *ad instar*, licèt aliquando contingat extendi, eo quod in illo exprimatur, id non habere locum in exemplari, nisi noua concessio illi fiat, aut declaretur, vt illa æqualis concessio sit semper reciproca.

Vtrum vero abrogato, aut quomodolibet amissu, vel destructo priuilegio exemplari, censeatur abrogatum, amissum, aut destructum ipsum priuilegium *ad instar*.

Respond. non censeri, vt probauimus infra *sect. 5. quæst. 16.*

QVÆRES V. Quid operetur concessio priuilegij per modum confirmatunis.

25. Pro responsione suppono priuilegia posse confirmari, tum in forma communi (idest, cum sola cognitione confusa priuilegij, quod simpliciter proponitur, vt antea concessum sine alio examinare, ac distinctiori notitia illius;) tum ex certa scientia, idest, cum perfecta notitia priuilegij, tenoris illius, nec non omnium circumstantiarum ipsius: quod præstat Princeps, si, antequam confirmet, ponat tenorem priuilegij, aut in confirmatione dicat se confirmare, *ex certa scientia; ex plenitudine potestatis: non obstante lege in contrarium*; his suppositis.

26. Respond. distinguendo, vel priuilegium confirmatur in forma communi & sic confirmatio nullum ius nouum confert, nec validum facit priuilegium, quod antea erat inualidum; cum talis confirmatio non sit concessio priuilegij, sed pura roboratio pro statu, in quo erat; vel confirmatur ex certa scientia; & sic confirmatio est noua concessio talis priuilegij (si tamen ab initio fuit validum) confirmatio siquidem ex certa scientia habet vim confirmandi actum, seu priuilegium aliàs nullum, reddendo ipsum de inualido validum: quod est prioilegium de nouo concedere (intellige, modò princeps confirmans ex certa scientia non apponat aliquam clausulam, qua dicat se nolle confirmare priuilegium aliàs nullum: vt si dicat: *Quatenus sunt in vsu: Dummodo Concilio Tridentino non sunt contraria: Prout in libris Ordinum reperiuntur: Dummodo sub vllis reuocationibus non comprehendantur*;) tunc enim non confirmantur priuilegia ex certa scientia. Ita Portel. *de dub. Regul. ver. priuilegia, n. 26. 27. 28.* aliique communiter. Dixi, *si ab initio fuit validum*, vt innuerem priuilegium, si ab initio fuit nullum, falsum, subreptitium, per confirmationem ex certa scientia non confirmari; cum sic Princeps non intendat concedere, nisi quod antea verè fuit concessum.

27. Addit Purrel. *sup. n. 35.* Papam, si confirmet ex certa scientia priuilegia alicuius Ordinis, non ideò censeri confirmare ex certa sciétia etiam priuilegia propria alterius Ordinis participantis priuilegia illius primi Ordinis; nam Papa non intendit confirmare ex certa scientia, nisi tantùm specialia priuilegia Minorum, v. g. adeóque non cōfirmat ex certa scientia priuilegia Dominicanorum participantium de priuilegiis Minorum: alioqui plura confirmaret, quàm intenderet. Ita Portel. *supr.* contra Mandos *de priuil. ad instar, q. 8.* oppositum sustinentem: quamuis Suar. *supr. cap. 19. num. 12.* dicat huius opinionem fortè probabilem esse, licèt opposita in rigore videatur verior.

28. Cæterùm sensus illius clausulæ, quæ aliquando apponitur in confirmatione priuilegiorum. *Quatenus sunt in vsu*, est iste, si sunt adhuc in vsu, idest, si contra ea non est sufficienter præscriptum; si enim fuisset præscriptum, tunc confirmatio nihil efficeret, siquidem non confirmatur, quod non subsistit: nisi malis dicere sensum præfatæ clausulæ esse hunc aliū; nempe eo modo, quo sunt in vsu: & tunc si non totum priuilegium, sed tantùm aliqua eius pars esset in vsu, hæc pars solùm confirmaretur. Ita Portel. *supr. n. 61.* addens *n. 63.* clausulam supradictam habere posse & hunc alium sensum; nimirum quòd si contra priuilegia, quæ modò sunt in vsu, transacti sunt aliquot anni inchoantes præscriptionem, ea denuò incipiant à tali confirmatione, ac si iterum confirmarentur.

Dubitant hîc DD. an confirmatis priuilegiis respectu vnius Ordinis, cui primò concessa fuerunt, eo ipso illa eadem censeantur confirmari pro aliis Ordinibus, quibus ea communicata sunt ante confirmationem, & post concessionem.

29. Respond. confirmari, si communicatio priuilegiorum fuit, tum de concessis, tum de concedendis (vt hodie habent ferè omnes Ordines, tam Mendicantium, quam non Mendicantium;) cum enim confirmatio ex certa scientia sit quasi nouum priuilegium primi Ordinis, etiam de ea communicabunt alij Ordines; secùs, si communicatio sit solùm de prioilegiis concessis: idque, siue confirmatio fiat ex certa scientia, siue in forma communi; nam aucto principali, ad cuius instar aliud concessum est, non augetur ipsum priuilegium ad instar, ideóque confirmato vno, non confirmatur aliud: quæ ratio procedit: siue communicatio fiat in forma communi, siue ex certa scientia. Ita Suar. *supr. n. 8. q. 10.*

Addo, quod, cum confirmatio generalis debeat semper intelligi, & accipi in terminis habilibus, ita vt per eam censeatur solùm confirmatum id, quod est habile confirmari: consequenter sub generali confirmatione præsumitur cadere solùm, id quod est iustum, licitum, & non contrarium iuri communi. Bartol. *in l. 1. n. 1. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris.*

QVÆRES VI. Quid operetur priuilegium concessum per modum innouationis.

30. Respond. iuxta distinctionem datam *q. praeced.* vel innouatio fit in forma communi: & sic non reualidat priuilegium antea reuocatum: vel fit ex certa scientia; & sic habet vim reualidandi priuilegium etiam reuocatum (intellige, si à principio fuit validum:) 1. pars constat ex eo, quod proprietas verbi *Innouare* non importat, quod vi illius fiat noua concessio priuilegij, etiam priùs inualidi, aut reuocati: cum sæpè dicatur reuocari, quod adhuc durat (v. g. domus in artefactis, emphyteusis in moralibus, &c.) adeóque innouatio priuilegij pura, & cōmunis non extenditur ad nouam concessionem, sed solùm ad conseruationem priuilegij iam cōcessi, & adhuc durantis; cum tamen renouatio, vtpote non facta ex certa scientia potiùs debeat restringi, quantum patitur proprietas verborum, quippe quæ aliàs est periculosa, ac odiosa. Pars 2. probatur, quia licèt verbum, *innouare*, cum proprietate dici possit de re præexistente: cum proprietate tamen item dici potest de re, quæ iam periit, ac iterum excitatur, sicque resurrectio mortuorum dici potest quædam renouatio: vnde

vnde & priuilegium, quod iam est nullum, dici potest renouari. ita Potiel. *supr. num.* 36. cum Corduba *ad Comp. v. absolutio quoad sacul.* 2. *num.* 15.

32. Aduertit autem Suarez *supr. cap.* 20. *num.* 5. innouationem priuilegiorum factam in communi forma non videri multùm vsitatam: cùm in Bullis pontificiis Religionum nunquam (quod ipse viderit) fiat innouatio priuilegiorum absque confirmatione ex certa scientia: cùm solum verbum *innouare*, imò, quod maius est verbum *concedere de nouo*, non sufficiat ad restituendum priuilegium iam reuocatum, aut amissum: maximè, quando innouatio priuilegij fit in forma communi. ita Suar. addens *num.* 10. clausulam solitam apponi in confirmatione priuilegiorum: *Supplentes omnes iuris, & facti defectus, si qui interuenerint*, addi ad maiorem rei euidentiam, & ad tollendos omnes scrupulos, & occasiones mouendi lites fundatas in solo iure positiuo: non item ad supplendos defectus ex iure naturali repugnantes illi actui, neque defectus subreptionis.

Qværes VII. Quid operetur concessio priuilegiorum per modum Communicationis.

33. Respond. operari, quod ius vni concessum per aliquod priuilegium alteri concedatur per quamdam extensionem, seu multiplicationem eiusdem priuilegij: quæ quidem communicatio quanta, & qualis sit, ex verbis ipsius indulti colligi debet; vt infrè dicemus cum de interpretatione priuilegij.

Vtrum verò concessio priuilegiorum per communicationem eadem sit, ac concessio priuilegij *ad instar*, & solo nomine differant.

34. Respond. distinguendo: vel loquimur de priuilegio, quod vni tantùm per se, & propter se conceditur, & ab eo postea deriuatur ad alios ob connexionem, quam habent cum illo primo (quale est priuilegium, quod conceditur Religioni, & postea communicatur familiaribus illius, non intuitu ipsorum, sed Religionis, à qua omnino pendent in eius vsu, ac fructu:) vel loquimur de priuilegio, quod vni corpori, aut personæ concessum alteri postea communicatur propriè, & æqualiter, ita vt ex propria persona eo vti possit non minùs, quàm possit is, cui priùs concessum est (quo pacto ordinariè fit communicatio priuilegiorum inter Religiones per Bullas Pontificum) si primum, priuilegium concessum per communicationem non est idem, ac priuilegium *ad instar*; cum hic non detur concessio vnius priuilegij ad instar alterius, sed potiùs fiat quædam extensio eiusdem priuilegij: si secundum, priuilegium per communicationem simpliciter, & in re non differt à priuilegio ad instar propriè sumpto: siquidem dum dicitur priuilegium communicari, innititur priuilegium vt receptum in eo, cui communicatur, esse eiusdem rationis cum eo, quod communicatur: hoc autem nihil est aliud, quam esse concessum ad instar, ad similitudinem illius. ita Suarez *supr. c.* 16. ex Mandos. Cordub. & Rodriq.

Qværes VIII. An sine expressa Principis concessione sola consuetudine acquiri possit priuilegium.

35. Respond. posse; siue nomine priuilegij intelligatur aliquid speciale contrarium iuri communi (& est propriè priuilegium) siue intelligatur illud, quod solùm concedit aliquid speciale vltra ius commune, nō autem contra (& est priuilegium latè sumptum.) est communis Iuristarum cum Glossa *in cap. nouit, de iudic. v. consuetudinem*: & quidem quoad primam partem probatur, quia consuetudo potest derogare legi, eamque abrogare in totum; ergo multò magis potest præualere contra eam, tribuendo specialem licentiam ad agendum contra ius (intellige, si consuetudo sit alicuius Communitatis: nam in priuata persona hic modus consuetudinis non habet locum: Pars secunda probatur ex eo, quòd, cum per consuetudinem acquirantur ius ad tributa, iurisdictio, & alia iura, etiam grauiora: multò magis per eam comparari poterit priuilegium latè sumptum.

Hinc tamen non sequitur subditos propria auctoritate se eximere à legibus (quod sine dubio esset magnum inconueniens;) quamuis enim consuetudo 36.
per actus priuatorum paulatim inducatur, non ideò priuilegium pendet ex virtute dictorum actuum per se sumptorum: cum potiùs pendeat ex tacita voluntate Principis, aut certè ex vi iuris communis tribuentis hanc vim consuetudini, vt innuit Laym. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 24. *num.* 2.

Dices, quantùm temporis requiritur ad acquirendum priuilegium per consuetudinem.

Resp. siquidem priuilegium sit contra ius com- 37.
mune, requiri tantum temporis, quantum requiritur ad abrogandam legem per consuetudinem, id est, decennium (si priuilegium sit contra ius ciuile: & 40. anni, si contra ius canonicum: quamuis aliter de hac re sentiant, vt videre est apud Bonac. *de leg. D.* 1. *q.* 1. *p. vlt.* § 3. *n.* 32.) si verò priuilegium sit vltra, aut præter ius commune, tantum temporis requiri, quātum DD. dicunt requiri ad præscribendum; maius scilicet, aut minus iuxta exigentiam materiæ, quæ præscribitur; vt proinde hic applicari debeant regulæ communes præscriptionum, quas in præsentia prosequi non vacat; maximè, cum eæ facilè videri possint penes Lessium *l.* 2. *de iustit. cap.* 6. *d.* 8. *per tot.*

Qværes IX. An, & quando iniusta concessio priuilegij sit inualida.

Respond. esse inualidam, quando est iniusta con- 38.
tra iustitiam commutatiuam; quatenus concedit aliquid faciendum cum iniuria tertij; Princeps quippe non potest dare alteri facultatem, seu ius ad iniuriam alteri faciendam, nisi ex grauissima causa pertinente ad bonum commune (quamquam non repugnat dari priuilegium contra iustitiam commutatiuam, & quidem validum: vt si Princeps paciscatur cum conductore suorum vectigalium sub conditione, ac obligatione non concedendi vlli exemptionem à tributis, & nihilominus postea illam alicui concedat: sic enim priuilegium esset validum, eiusque vsus iustus, esto Princeps peccaret, & teneretur ad debitam restitutionem:) secùs, si concessio priuilegij sit iniusta, siue contra iustitiam distributiuam ob acceptionem personarum; siue quia fit sine iusta causa, aut cum scandalo, siue alia de causa: tunc enim concessio facta tenet, & consequenter si actus concessus non sit intrinsecè malus, vi priuilegij validi potest fieri non malus, sicque vsus priuilegij potest esse licitus. ita Suarez *supr. cap.* 28. *n.* 5. & 6.

Qværes X. An soleat concedi priuilegium contra æquè priuilegiatum.

Respond. non solere, adeóque filiumfamilias non 39.
vti priuilegio SC Macedoniani cōtra alium filiumfamilias. ita Nald. *v. priuilegium*, *n.* 21. ex *l. non solum l. sed & milites, ff. de excus. tut. cum similibus.*

Sectio III.

De Communicatione Priuilegiorum.

42 *Communicatio priuilegiorum non semper extenditur ad concedenda.*

43 *De priuilegio facto vni Monasterio communicanto alia monasteria eiusdem Ordinis.*

44 *Priuilegium factum Religioso particulari non prodest alijs Religiosis eiusdem Ordinis.*

45 *Non communicatur priuilegium repugnans obseruantiæ Ordinis communicantis.*

46 *Restrictio adiuncta priuilegio non comitatur semper communicationem priuilegiorum: Religiosi vtuntur priuilegijs vt amplis vi communicationis, etsi ijs sint restricta: reuocata, & denuò concessa non subsunt clausulæ*, dummodo non sint reuocata.

47 *Iuxta aliquos communicantur priuilegia facta cum nota incommunicabilitatis.*

48 *Communicatio priuilegiorum extenditur ad pœnas, si hæ fauorabiles sint Ordini (& maximè lata contra sæculares.)*

49 *Et ad hoc sufficit eas non repudiari ab Ordine.*

50 *Religiosi Societatis Iesu solum communicant de priuilegijs iuxta Generalis arbitrium.*

51 *Sub priuilegiorum communicationem cadunt viuæ vocis oracula.*

52 *Non item cadunt indulgentiæ.*

53 *Communicans de priuilegio non vtitur priuilegio contra primo priuilegiatum.*

54 *Communicatio priuilegiorum dat solùm ius vtendi.*

55 *Priuilegium concessum vni ob rationem in eo existentem non extenditur ad communicta & quidem priuilegia concessa Ordini censentur concessa singularibus personis Ordinis, sed non semper: Collegia Societatis Iesu, & Scholares approbati in ijs degentes gaudent priuilegijs mendicantium: idque etiam ex Decisione S. Rotæ Romanæ, quæ affertur in extensum.*

QVÆRES I. Quid efficiat communicatio priuilegiorum.

40. Respond. efficere, vt quando vna Religio communicat in priuilegio priùs concesso alteri Religioni, tale priuilegium æquè fiat proprium Religionis communicantis, ac si ei primò fuisset concessum; ita vt, si Religio, cui primù priuilegium fuit concessum, illud amittat, aut mutet per specialem reuocationem vetantem ipsi vsum illius, non ideò illud amittat, aut mutet Religio, quæ in eo communicat; sicut è contra, si priuilegium immutetur, reuocetur, aut restringatur respectu Religionis communicantis in eo, non ideò talis mutatio, aut alteratio cadit in priuilegium concessum priori Religioni. Ita Portel. *de dub. Regul. ver. priuilegia, num.* 22. ex communi; & patet ex dictis *sect. praeed. quæst.* 4. & 5. Solùm hîc addo secùs dicendum, si priuilegium reuocetur, quoad omnes illud habentes per communicationem, extensionem, &c. tunc enim etiam Religio communicans in priuilegio illud amitteret.

Docet autem Bordonus *tom.* 2. *resol.* 52. *num.* 88. vbi priuilegium concessum est alicui Religioni, posse alias Religiones de eius priuilegiis communicantes eo vti: siue Religio, cui per se conceditur; illud acceptet, siue non; siue adsit statutum in ea, quod priuilegium capitulariter prius acciperetur: hæc enim sunt extrinseca priuilegiis, ideóque non debent præiudicare aliis Religionibus; excipe, nisi Religio communicans simile statutum habeat acceptandi priuilegia capitulariter, v. g. tunc enim seruari deberet. Nobiscum sentit Nald. *ver. priuilegium, n.* 15.

QVÆRES II. Quæ Religiones de facto habeant inter se communicationem priuilegiorum.

41. Respond. habere tum Ordines Mendicantes omnes, qui item participant de priuilegiis aliorum Ordinum non mendicantium, Hospitalium, Congregationum, Confraternitatum, &c. tum Ordines non mendicantes; idque ob varias concessiones ipsis factas, vt videre est apud Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 55. per totum, & præsertim ex bulla Pij V. quæ est in bullario *tom.* 2. & est in ordine 41. ex quo quis inferat Regulares frui priuilegiis concessis Congregationi S. Philippi Nerij: vt in specie notat Cespedes *tract. de exempt. cap.* 6. *d.* 111. *num.* 2. ex Peregrino in Comp. contra Nouarium ab ipsomet Cespedes citatum *num.* 5. qui tamen id non probat: probari tamen potest, quia Regulares gaudent priuilegiis Congregationum; Congregatio autem S. Philippi vtique est Congregatio, vt patet.

QVÆRES III. Ad quæ priuilegia se extendat communicatio priuilegiorum.

Respond. se extendere non solùm ad priuilegia concessa Ordini in communi, ac ipsis Religiosis item in communi; sed etiam domibus, ac monasteriis (non tamen quæ concessa sunt alicui Religioso in particulari:) adeóque priuilegia concessa vni monasterio alicuius Ordinis, concedi vniuerso Ordini illius monasterij. Ita Miranda *in manual. Prælat. tom.* 2. *quæst.* 46. *art.* 7. aliique communiter, inter quos Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 1. docet indultum, quo alicui Ordini conceduntur omnia priuilegia concessa quomodolibet aliis ordinibus, vt sic non extendi nisi ad concessa: cum dicta verba sonent in præteritum, ideóque protrahi nequeant in futurum; quamuis ex speciali indulto hodie omnes Religiones gaudeant communicatione priuilegiorum tam concessorum, quam concedendorum. Quin etiam puto sub communicationem priuilegiorum cadere priuilegia acquisita per consuetudinem iuxta *cap. super quibusdam, de verb. significat.* cum consuetudo solùm sit signum concessionis tacitæ Papæ concedentis, & priuilegium à Papa tacitè sit concessum. 42.

QVÆRAS IV. An priuilegia concessa vni monasterio alicuius certi Ordinis communicentur omnibus monasteriis eiusdem Ordinis & quomodo.

Respond. communicari ex speciali indulto ad id per Pium IV. concessu Patribus S. Hieronymi, quo priuilegia concessa vni, aut pluribus monasteriis dicti Ordinis extenditur ad omnia, & singula monasteria eiusdem ordinis tam virorum, quam mulierum, quibus in specie non sunt concessa, & in quibus aliæ causæ concessionis, & indultorum prædictorum suberant, si tamen dictis aliis monasteriis ea adaptari, & conuenire possint vt notauit Rodriq. *supr. quæst.* 55. *art.* 2. Cui indulto (quod censeo esse bullatum) simile est, quod Paulus III. nonis Septembr. 1537. per bullam concessit Congregationi S. Iustinæ his verbis: *Nec non cuiusuis particularis monasterij ipsius Congregat. priuilegia toti Congregationi prædicta, & illius particularibus monasterijs communia esse*, indultum Pij IV. refert Rodriq. *supr. art.* 9. 43.

QVÆRAS V. An priuilegia concessa vni certo Religioso alicuius ordinis communicentur etiam aliis Religiosis eiusdem ordinis.

Respond. non communicari, cum possit esse indecens vni Religioso, quod alteri congruit, & quidem etiam intra eundem Ordinem: quod non euenit in priuilegio concesso vni monasterio respectu aliorum monasteriorum eiusdem Ordinis. Ita Portel. *supr. num.* 21. addens tamen priuilegium concessum Prælatis vnius monasterij ratione officij, aut Fratribus in communi alicuius monasterij, communicari omnibus Prælatis, ac Fratribus aliorum Ordinum communicantium; cum inter hos duos 44.

casus

casus magna intercedat disparitas, vt considetanti patebit.

Qværes VI. An priuilegia concessa Religiosis alicuius Ordinis, communicentur aliis ordinibus cum eo habentibus participationem priuilegiorum; si contingat aliquod dictorum priuilegiorum repugnare obseruantæ supradictorum ordinum communicantiumi.

45. Respond. non commnnicari, idque etsi in bulla communicationis expreisè non dicatur: *Dummodo regulari obseruantia eorum, quibus communicantur, non sint contraria*; semper enim talis clausula subintelligitur, ne alioqui communicatio priuilegiorum cedar in odium, ac destructionem; non in fauorem, atque ædificationem: quod repugnat rectæ rationi, & sacris canonibus; vnde sequirur priuilegia Ordinum Militarium commnnicata à Greg.X I V.Ordini Cistercienfium, & consequenter Religiosis Mendicantibus, ab bis non posse in vsum deduci, nisi quatenus non repugnant regulari obseruantiæ. ita Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 25.

Sic aduertit Brod. *tom.* 2. *resol.* 52. *num.* 75. sub communicationem priuilegiorum non cadere ea, quæ aduersantur Religioni: hincque infert *num.* 76. Capuccinos, cum ex suis staturis non excipiant sæcularium confessiones, non posse vti priuilegiis concessis aliis Ordinibus, quoad absoluendum à reseruaris, aut dispensandum sæculares: &, si ij à Papa obtineant facultatem audiendi confessiones sæcularium in genere, vel in specie, non ideò censeri iis communicata dicta priuilegia, nisi specialiter iis concedatur, vt possint communicare de præfaris priuilegiis.

Qværes VII. An priuilegium concessum alicui Ordini cum aliqua restrictione, si postea communicetur alteri Ordini, intelligatur communicatum cum eadem restrictione, etiamsi non exprimatur in ipsa communicatione.

46. Respond. non communicari cum eadem restrictione, adeóque Religiosos participantes de priuilegiis Societatis Iesu, posse illis vti independenter ab ipsorum Generali: estò ipsi Religiosi Societ. ex dectero Gregor. XIII. iis vti non possint, nisi dependenter à Generali Societ. ita Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 17. *num.* 6. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 46. *art.* 6. Portel. *v. priuileg. communic. num.* 23. & probatur, quia priuilegia Societatis Iesu aliis Ordinibus absolutè, & sine vlla restrictione communicantur, ac si illis directè essent concessa: non communicantur autem restrictiones, ac limitationes; quippe quæ cum ex propria, & (vt ita dicam) distinctiua ratione Societ. sint ipsi expedientes, sine alia declaratione, ac necessitate non debent extendi ad alios Ordines; nisi fortè aliquis Ordo in modo regiminis, aut subordinationis Societatem imitaretur, ita vt vsus priuilegiorum independens à proprio capite cederet in damnum illius; in tali siquidem casu putat Suarez, & meo iudicio bene, communicationem priuilegiorum intelligēdam esse cum supradicta restrictione, non quidem vi communicationis (vt iam probatum est) sed ob illud generale principium, quod communicatio priuilegiorum in quolibet Ordine debet intelligi sine dispendio disciplinæ regularis; qua de re Diana *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 81. & Bordon. *num.* 87. à nobis dissentiens.

Sic docet Bordonus *num.* 305. Religionem, cui confirmata fuerunt priuilegia cum certis restrictionibus (v. g. *modò sint in vsu, modò non sint reuocata, modò non aduersentur Tridentino*, &c.) vti posse priuilegiis suis sine iis restrictionibus vi confirmationis illorum factæ alij Ordini sine dictis restrictionibus: & probat, tum, quia concessio confirmationis factæ sine tot restrictionibus est priuilegium quoddam, adeóque debet cadere sub priuilegiorum communicationem, sicque ea vti poterit Ordo communicans: tum, quia per eas restrictiones non negatur simpliciter vsus priuilegiorum, sed solùm vi specialis confirmationis factæ cum dictis restrictionibus, quæ tamen non excludit vsum confirmationis factæ in ampliori forma, vt patet.

Quòd si aliqua priuilegia reuocentur, & postea per confirmationem in specifica forma factam reualidentur iuxta dicta *supr. num.* 26. ea non subiiciuntur clausulæ, *modò non sint reuocata*, aut alij simili, quæ postea apponatur. Ducor, quòd ea clausula afficit solùm ea priuilegia, quæ ita reuocata sunt, vt post reuocationem ius non acquisierint ad nouum esse per subsequentem confirmationem (verba enim formaliter, & cum effectu accipienda sunt) priuilegia autem, de quibus hîc agitur, esse nouum acquisierunt. ita Bordonus *num.* 308.

Qværas VIII. An priuilegium concessum alicui Ordini cum limitatione, ne vlli alij Ordini communicetur (quale est, quod habet Soc. Iesu, vt eius Religiosi sine interstitiis, & extra tempora sine examine de cantu à quocumque Episcopo ordinari possint &c.) modò aliis Ordinibus communicetur per nouas concessiones posteriores summorum Pontificum iis communicantes priuilegia eiusdem Societatis.

Respond. quod, quamuis non videatur improbabile ea communicari (sicuti putat Diana *supr.* cum Roriq. *& Io. de la Cruz*) idque ob amplam confirmationem, ac extensionem priuilegiorum per sequentes Pontifices concessam aliis Ordinibus: probabilius tamen videtur, quod docet Suar. *supr. cap.* 17. *num.* 8. & cum illo etiam alij, ea scilicet non communicari. probatur, tum ex illa generali regula, *Sub generali clausula non venit, quod Princeps in specie non esset verisimiliter concessurus* (quod vtique locum habet in casu nostro, vt patet;) tum ex praxi, qua constat Religiosos quidem Societat. sæpiùs vti priuilegio superiùs commemorato, scientibus, & consentientibus Episcopis; non item Religiosos aliorum Ordinum, quatumuis communicantes de priuilegiis Societatis, qui nec audent attentare vsum dicti priuilegij, &, si attentarent, fortè repellerentur ab Episcopis; vt proinde Rodriq. *supr. art.* 17. dicat hoc dubium ipsi esse difficilè, cupitéque vt mens Sedis Apostolicæ circa illud expreisè petatur. 47.

Qværes IX. An Religiosi communicantes in priuilegiis communicent etiam in pœnis, ac prohibitionibus illius Ord. de cuius priuilegiis participant.

Respond. communicare, si dictæ pœnæ ac prohibitiones ita sint odiosæ Religiosis in particulari, vt censeant fauorabiles toti Religioni; secùs si eæ sint odiosæ & Religiosis in particulari, & toti Religioni. Ducor, quod in priori casu pœnæ, ac prohibitiones continent rationem fauoris, in posteriori verò odij; sicque procedit regula iuris, *Odia restringi oportet, fauores ampliari.* ita docti recentiores à mo consulti, & probabiliter. 48.

A nobis dissentit Bordonus *tom.* 2. *resol.* 51. *q.* 34. aliàs concedens sub generali priuilegiorum communicatione venire ea, quæ continent aliquid onerosum, ac odiosum huic, & illi Religioso, vt pote fauorabilia, & conseruatiua Ordinis: & probat, quia bonum, cum sit sui diffusiuum, est communicabile; pœnæ autem babent rationem mali, adeóque

non communicárur iuata regulam iuris, *Odia restringi oportet.* quasi verò pœna, quæ respectu Religiosi particularis habet rationem mali, non habeat rationem boni respectu totius Ordinis; vt ostendimus in probatione huius responsionis, & modò innimus ex ipso Bordono: qui consequenter philosophando poterat sequi nostram sententiam: quidquid contradicant Rodriq. Miranda, Portel. Sigismund. Portel. & Lezana ab ipso Bordone relati *num.* 94.

Addit Bordon. *num.* 95. ea Sorbo, & Lezana sub generali priuilegiorum communicatione venire pœnas fauore Religiosorum in priuilegiis latas contra sæculares: quippe quæ cedunt in bonum Religiosorum; quatenus earum timore Religiosis debitam reuerentiam, ac obsequium præstant, eorumque priuilegia non contemnunt.

49. Ad hoc autem vt pœnæ, ac prohibitiones censeantur factæ communes per viam participationis etiam Religiosis aliorum Ordinum modo dicto; non puto opus esse, vt Prælati illorum eas positiuè veluti acceptent, sed sufficit, quod eas non repudient: cum enim sint personæ publicæ spectantes bonum commune Religionis, censendi sunt illas acceptare, vtpote valdè fauorabiles hoc ipso, quod eas positiuè non repudiant. ita docti viri consulti.

QVÆRES X. An Religiosi Societ. Iesu de facto communicent in omnibus priuilegiis aliorum Ordinum, cum quibus habent communicationem priuilegiorum.

Respond. non communicare, nisi in iis, quæ in
50. Compendio eiusdem Soc. comprehenduntur; est communis DD. ipsius Soc. patétque ex eo, quod vsus nostrorum priuilegiorum, quæcumque sint, ex Gregor. XIII. Const. pendet à P. N. Generali, qui ea potest condecere, vel non concedere, aut etiam moderari, pro vt ipsi libuerit; adeóque cum de facto solùm communicauerit priuilegia, quæ continentur in Comp. Soc. iis tantum poterimus vti, & non aliis. Quod autem vsus nostrorum priuilegiorum modo dicto pendeat à P. N. Generali, constat ex præfatione ipsiusmet Compendij, quod ita habet: *Porrò nullis alijs gratijs, & priuilegijs quacumque etiam communicatione Societati nostræ illa competant, quæ in hoc. Comp. comprehensa non sint, vlli vnquam vti licebit: si tamen illorm vsus alicubi necessarius fuerit, aut, si periculum in mora esset, censeatur Prouincialibus, & Visitatoribus eo duntaxat in casu communicatus, dummodò Societ. Instituto non repugnet: qui nihilominus Præpositum Generalem de huiusmodi vsu, eiusque causa quam primum poterunt, certiorem reddere tenebuntur*; hæc ibi, quæ diligenter perpendi debent.

Vtrum verò vsus priuilegiorum à P. N. Generali non concessorum sit solùm illicitus, an etiam inualidus, dicetur *sect. seq. quæst.* 5.

QVÆRES XI. An veniant in communicatione priuilegiorum non solùm priuilegia scripta, sed etiam, quæ vocant viuæ vocis Oracula.

51. Respond. venire etiam viuæ vocis Oracula; ratio est, quia, teste Sylu. *v. priuilegium, quæst.* 3. priuilegium, quod sapit beneficium principis, latissimè interpretandum est, nisi quid obstet; communicatio autem priuilegiorum est beneficium principis, ideóque latissimè debet interpretari, ita vt comprehendat non tantum priuilegia scripta, sed etiam, quæ viuæ vocis oraculo sunt concessa.

QVÆRES XII. An Indulgentiæ cadant sub communicationem priuilegiorum, ita vt Ordo communicans de priuilegiis alterius Ordinis communicet, & de illius indulgentiis, standu præcisè in iure communi.

Respond. non cadere; cum indulgentia communi 52.
vsu non soleat comprehendi sub nomine priuilegij in generalibus rescriptis Pontificum, nisi expressa mentio illius fiat sub proprio nomine; quamquàm Mandos. *in tract. de priuil. ad instar quæst.* 10. *glos.* 9. putet, quod quando verba concessionis sunt latissima, & prægnantia, vi eorum comprehenduntur etiam indulgentiæ, saltem sub verbo *Gratijs.* Ratio responsionis est, quod indugentia est quædam absolutio, non autem facultas aliquid agendi, quam nomen priuilegij particulariter significat, teste Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 9. *num.* 10. ita Portel. *supr. num.* 20. qui licèt explicitè solùm loquatur de indulgentia concessa vni Conuentui, si tamen velit consequenter philosophari, idem debet dicere de aliis indulgentiis, quæ sunt concessæ omnibus Ecclesiis alicuius certi Ordinis (qualis v.g. est indulgentia cócessa templis Soc. Iesu, quam vocant Communionis generalis;) eadem namque ratio militat in his, ac in illis, quæ sunt concessæ vni tantùm Conuentui; qua de re infra *cap.* 5. *sect.* 5. *subs.* 2. *quæst.* 3.

QVÆRES XIII. Vtrùm, si aliquis Ordo communicat in priuilegio alterius Ordinis, cui primò illud fuit concessum, possit Ordo communicans de tali priuilegio, se tueri contra Ordinem, cui tale priuilegium fuit primò concessum.

Respond. non posse, ideóque si Ordini Mino- 53.
rum v.g. concessum fuit primò ne Religiosi alterius Ordinis ædificent monasteria intra spatium 300. cannarum, & hoc idem priulegium posteà concessum sit Carmelitis per communicationem priuilegiorum non posse Carmelitas se tueri aduersus Minores ædificando monasterium intra supradictum spatium, quin potiùs possunt Minores, si velint, impedite, ne Carmelitæ intra præfatum spatium ædificent: ideóque ob rationem afferendam *sect. seq. q.* 16. vbi de hac re fusiusculè disseremus. ita docti Recentiores à me consulti, & bene; qui cum Lezana *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 34. notant multo minus famulos, & familiares Regularium in casu, quod illi gaudeant aliquo priuilegio Ordinis, cuius sunt famuli, & familiares, posse in vsu illius se tueri contra ipsum Ordinum, illiud vsurpando in præiudicium ipsius Ordinis; alioqui quod est concessum Religionibus in fauorem, retorqueretur in dispendium contra regulam iuris 61. *de regul. iur. in* 6. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.*

QVÆRES XIV. Vtrùm in communicatione priuilegiorum communicetur solùm ius vtendi, an etiam vsus, & non vsus.

Respond. communicare solùm ius vtendi, non 54.
autem vsum, & non vsum, ideóque priuilegia concessa alicui certo Ordini, & posteà communicata aliis Ordinibus ex æquo modo supradicto non tolli respectu horum, nisi legitimè præscribantur: idque etsi Ordo, cui primò concessa sunt dicta priuilegia, vsum illorum amiserit, aut etiam contra ipsum, quoad ea fuerit legitimè præscriptum. ita Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 19. ex Panorm. *in cap. cum accessissent de Constit.* & Sylu. *v. priuil.* §. 11. quos sequitur Suar. *supr. cap.* 16. *num.* 17. & probat quia posterior concessio priuilegiorum non pendet à priori, ac proinde inter tales concessiones datur tantum antecessio temporis, & sic mutatio facta in vno non potest nocere alteri; cum quoad hoc non sit facta communicatio, vt patet.

QVÆRES XV. An priuilegium concessum vni ob rationem in eo solo existentem extendatur ad coniuncta, seu correlatiua.

Respond.

55. Respond. non extendi, nisi aliunde colligatur talis extensio ex materia, vsu, ac verbis priuilegij, aut alia iuris dispositione. ita Suar. *supr. cap.* 11 *num.* 1. & probatur, quia huiusmodi priuilegium simpliciter est personale: relatio autem, vel connexio ad aliam personam non facit identitatem, adeóque si per se non spectet ad vsum priuilegij, neque ad eius communicationē deseruitet, & sic manet intra fines priuilegij personalis, cuius natura est, vt maneat intra ipsam personam.

Monet autem Mandosius *quest.* 10. *de priuil. ad instar, gl.* 7. *num.* 9. priuilegia concessa Ordini intelligi concessa singularibus personis Ordinis, si illa sint eius generis, vt non nisi per singulares personas exerceri possint; qualia sunt, quæ dantur in ordine ad ministranda Sacramenta: aliàs priuilegia essent frustratoria; cum alioqui actus interpretari debeat potius vt valeat, quàm vt pereat.

An autem Collegia Societatis Iesu, Scholares approbari in iis degentes communicent de priuilegiis Ordinum Mendicantium.

Respond. gaudere: cum dicti Scholares verè sint Mendicantes; vt ostendimus *in tra.* 1. *cap.* 3. *num.* 45. & à S. Rota Rom. resolutum est nouissimè in sequenti decisione; quæ sic habet: Decis. S. Rot. Rom. coram R. P. D. Corrado in causa Hispal. Decimar. Merc. 26. Iun. 1647.

Decisio S Rotæ Romanæ coram R P. D. Corrado in causa Hispal. Decimarum. Merc. 26. Iunij 1647.

ATtendentes Summi Pontifices Paul. III. & Pius IV. S. M. multiplices & vberes animarum fructus, quos Venerab. Societatis IESV, vsque ab eius orientis Institutionis initio in Populo Christiano in dies producebat, dignum censuerunt, vt illi plura concederentur priuilegia, inter quæ illud specialiter recensetur, vt de Domibus Collegijs, ac prædijs, bonis alijsq. locis eisdem socijs iuxta eorum viuendi institutum haberi concessis Decimam aliquam etiam Papalem soluere, seu canonicam portionem exhibere, &c. non teneantur, &c. Eamdemq. Societatem, Domos, Collegia, & bona quæcumque a quibusuis Decimis etiam Papalibus, prædialibus et personalibus &c. alijsq. ordinarijs oneribus &c. plenissimè liberarunt, & exemerunt, vt constat ex litteris Apostolicis Pauli. Incip. Licèt debitum Pastoralis Officij. Dat. 15 Kal. Nouembris anno 1549. in vers. concedentes ipsis socijs Bullar. part. 2. inter Constitutiones illius Pontificis. 48. & in alijs Pij sub die 19. Aug. 1561. Incip. Exponi nuper fecistis. vers. & nihilominus pro potiori cautela. in lib. Priuilegiorum d. Societ. fol. 87. & seq. Quas deinde confirmauit S. M. Greg. XIII. cum expressa derogatione Decreti Lateran. Concl. relati in cap. Nuper extr. de Decim. alijs litt. Incip. Pastoralis officij cura. sub die 1. Ian. 1578. Bullar. part. 2. Constit. 61. Verum exortis tractu temporis litibus, ac controuersiis inter Venerab. Capitula Metropolitan. & Catredralium, ac Rect. Parochialium Ecclesiarum ex vna, et Religiosos præfata Societ. in Regnis Castellæ & Legionis super interpretatione, ac vsu dictorum Priuilegiorum. Leo XI. S. mem. præmissa eorum narratione, ac dd. Priuilegiorum tenore, illas ad se auocauit, & terminauit eius Decreto, quo iussit in posterum solui per Societ. eiusque Domus, ac Collegia & loca quæcumq. in eisdem Regnis existentia illis Ecclesiis, quibus alioquin circumscriptis dictis Priuilegiis *Decima* soluenda erat, eius loco vigesimam omnium fructuum, & animalium, quæ de Iure, vel consuetudine decimari consueuerant, *ex quibuscumque bonis prædictis Religiosis tunc obuentis, ac deinceps ex largitione fideliū, vel alijs lucratiuis titulis obueniendis. Ex alijs verò emendis, vel ab extraneis conducendis integram Decimam. Exceptis ab hac præstatione Hortis, seu Viridarijs penes eorum Domus Collegia, ac vno prædiolo in Agro pro singulis Domibus, seu Collegijs mensuram quatuor fanegarum illarum partium non excedente. Saluis tamen quibuscumque concordijs, seu transactionibus inter partes initis, quas in suo robore permanere voluit, vt legitur in eius litt. Incip. Apostolici muneris debitum exposcit sub die 23. April. anno 1605. quæ posteà per S. mem. Greg. XV. moderata, ad pristinum tenorem restituta fuerunt per S. mem. Vrb. VIII. similibus litt. Incip. Alias à fel. rec. Leone Papa XI. sub die 29. Nouembr. 1623. Quare institutis de anno 1625. pro parte Venerab. Capituli Eccles. Archiepiscopalis Hispal. generalem, & perpetuam habentis administrationem redditum, & Decimarum illius mensæ vice Archiepiscopi vniuersalis Parochi in ea Diœcesi, nouis Iudiciis primùm super executione dictarū litterarum Leonis XI. deinde super manutentione coram Illustriss. Hispaniarum Nuncio contra Religiosos, & Collegia dicta Societ in illis partibus existentia, Pro quibus adducebantur ea quidem peculiaria priuilegia, ex prænarratis Pontificijs Constitutionibus ipsis concessa quorum vigore quæcumq. eorum bona, etiam alijs locata, omnino & ab extraneis conducta prætendebantur exempta, fuisse præfatis Leonis litt. abrogata: Sed non fuisse sublatum ius ipsis communiter cum cæteris mendicantium Ordinibus competens ex immemorabili eiusdem Diœcesis consuetudine, qua preseruantur ab eiusmodi præstatione immunia, quæ proprijs manibus, vel sumptibus excolunt. Hisque omnibus ab Rotata delatis vigore Commissionis directæ bon. mem. Coccino, fuit negata Capitulo manutento prima Decis. die 26. Nouembris 1635. Ac subinde in prosecutione negotij principalis coram me in causis illius subrogato. Domini die 1. Februar. 1644. mandarunt dari dubium. An, & in quibus littera Apostolica suffragentur Capitulo. Interea verò, quia pro Collegijs fuerant exhibiti Articuli ad effectum probandi allegatam consuetudinem immemorabilem, petebanturque littera Remissoriales ad partes, quas Informantes pro Capitulo contendebant. Voluerunt super his prius disputari.*

Proposito itaq. pluries Articulo, eoque maturè discusso. Hodie fuit resolutum concedendam esse Remissoriam. Quia decimarum causa censetur ad hunc effectum ex sententia Rotæ ad instar profanæ sicut alia quæcumq. in quibus non agitur de titulo beneficij iux. decis. Puth. 324. in fin. vers. & quia eramus. lib. 2. in correct. Veral. decis. 99. p. 1. & penes S. M. Greg. dec. 174. & dec. 403. sub num. 1. & seq. ac in recen. decis. 677. sub num. 1. p. 1. & decis. 18. n. 1. vers. & versamur. & p. 3. & in aliis infr. citat. *Ideòq. data releuantia materia articulata, (etiam non concurrente veritatis fumo) negari non potest ad* l. Iudices. C. de Iud. l. Iudices cum Auth. seq. C. de fid. Instr. c. fin. 30. q. 5. Puth. decis. 212. n. 3. ver. quia in materia profana l. 1. in correct. Veral. decis. 68. à n. 1. p. 3. Cæs. de Grass. dec. 1. à n. 8. vers. maior tamen pars, & seq. de dilat, & dec. 120. n. 1. vers. mouebantur Domini. p. 1. diuers. & penes bon. mem. Card. Mantie. dec. 374. n. 2. vers. In profanis autem & seq ac S. M. Greg. decis. 124 n. 1. & d. decis. 174. sub n. 2. vers. & in profanis, ac dec. 191. n. 2. vers. & sumus in profanis, ac d. decis. 403. n 3. vers. in profanis autem Card. Caualer. decis. 250. n. 1. vers. nam causa Butar. decis. 656. n. 1. Reuerendiss. Vrgellen. decis. 35. n. 1. & in recent. decis. 277. num. 1. & seq. & decis. 389. sub num. 1. part. 3. & decis. 256. num. 1. vers. Hæc enim par. 4. tom. 2.

Releuantia

Releuantia verò ex eo deducitur. Quia probata immemorabili quilibet legitimus, & validissimus titulus à Collegijs adduci potest pro defensione prætensæ exemptionis ab huiusmodi Decimarum solutione, iuxta gloss. fin. in cap. in aliquibus vers. quia Clerici, vel Ecclesia, extr. de decim. Rot. penes Cresceni. dec. 1. n. 2. vers. & ad hoc probandum, & seq. de Decim. ac in Valentin. Decim. de Gaodia 23. Febr. 1601. coram bon. mem. Cardin. Seraph. *& in proprijs terminis hac ratione fuit resolutum constare de releuantia articulorum ad effectum concedendæ remissoriæ, licet alia priuilegia exhibita fuissent prius reprobata* in Tolet. Dec. 27. Iun. 1608. coram Ottemberg. in §. His tamen non obstantibus, ac seq. & in Tirason. Dec. 24. Maij 1610. coram bon. mem. Pironan. relata post secundum vol. cons. Crim. Farin. dec. 303. in Vallent. Decim. 21. Iun. 1613. coram Card. Caualer. dec. 258. in Legionen. Decim. 12. Maij 1615. coram bon. me. Manzaned. in recent. d. dec. 677. num. 4. vers. Vlterius & seq. p. 1. & in Tol. Decim. 4. Decembr. eiusdem anni coram bon. mem. Seleu. 715. sub num. 1. & seq. part. 3. *Earundem.*

Nec obstat, quod articuli non fuerint rectè formati super immemorabili cum coarctatione negatiua.

Quia contrarium apparet ex eorum lectura, & præsertim primi continentis in effectu omnia requisita, gloss. in cap. fin. in verb. mem. de præscr. in 6. *quibus illa benè probatur*, l. si arbiter. ff. de probat. P. Rebuff. de decim. q. 13. à num. 94 vers. quæro quomodo probetur, & seq. Minsinger. obseru. 30. num. 5. quomodo autem probanda sit cent. 1. Decian. cons. 51. sub n. 35. vers. aliquando intendit quis probare vol. 1. Rot. penes sanct. me. Greg. dec. 196. & in recent. dec. 445. sub num. 1. & seq. par. 1. ac dec. 360. num. 13. vers. 6. p. 2. ac dec. 431. sub num. 1. vers. & moti fuerunt p. 3. *Eaque possunt etiam per testes in eorum dictis, atque rationibus clarius explicari*, iuxta tradit. per specul. in tit. de teste, §. 1. sub num. 63. vers. quid ergo, iuncto vers. sed dic valere & sub num. 65. Felin. in cons. 2. sub num. 35. vers. præmitto secundò, & alios refert Farinac. de testib. q. 71. sub num. 30. & 31. in 7. & 8. limitatione, *& fuit nuper dictum in* Mediolan. Prioratus 27. Maij præteriti coram mem. in §. præterea non obstat.

Minùs obstat, quod non fuerit in eis deductum Decimas fuisse ex parte Capituli petitas, atque a Collegijs negatas, eiusmodique negationi Capitulum acquieuisse, quæ videntur necessaria ad effectum acquirendi libertatem ab huiusmodi præstationibus.

Quoniam hæc non requiruntur vbi agitur de consuetudine, seu præscriptione immemorabili, in his præsertim, quæ alteri competunt per modum iuris. Nam illa vim habet tituli, ac concessionis expressæ eiusmodi adminiculis non egentis, quæ si necessaria forent ex tanti temporis lapsu præsumerentur. Immò illorum probatio eius essentiæ prorsus repugnat, cum præseferant, & includant per necesse initium actus, quod destruit immemorabilem. Oldrad. cons. 254. Quia tota pars sub num. 25. vers. tertiò opponitur Crauet. cons. 211. à num. 21. vers. non obstat dictum Alex. &c. & seq. vsque ad fin. & cons. 775. sub num. 8. vers. non obstat necessariam interpellationem. Nat. cons. 446. sub num. 15. vers. nec est vera. Purpurat. cons. 536. num. 11. ver. & stante titulo præsumpto, ac seq. Decian. d. cons. 51. sub d. n. 35. vers. aliquando intendit quis probare & seq. lib. 2. Menoch. cons. 234. sub num. 33. vers. alia verò requisita, & seq. & cons. 525. num. 10. vers. quia quod attinet ad primum. Iosef. Lud. dec. 106. sub n. 4. vers. nec obstat, & seq. Gasp. Ant. Thesaur. q. forens. lib. 1. quæst. 8. num. 9. vers. Tertius est casus & fuit responsum in Nonantulana bonor. 18. & 22. Martij 1591. coram bon. mem. Cardin. Mantic. in §. neque obstat, quod sit aduersus hanc facultatem, & seq. vsque ad fin.

Deinde non obstat quod prædicta consuetudo sit improbabilis, Tum inspecto tempore litium, de quibus fit mentio in litteris san. mem. Leon. XI. de an. 1602. (vt asseritur) inceptarum, ideóque in præsentia verisimiliter non reperiantur testes in ætate quinquaginta quatuor annorum tunc constituti, qui eam legitime probare possint. Tum etiam stantibus contrarijs actibus pro Capit. adductis illam prorsus elidentibus.

Quia (prætermissis alijs) tempus illarum litium (quæ cepta fuerunt super solis priuilegijs particularibus Societ. vt attestatur Rota in Carthaginen. Decim. 16. Feb. 1615. coram Selencien. in recent. dec. 645. n. 4. vers. considerarunt etiam Domini part. 3.) *in præsentia considerari non debet, tum quia fuerunt prorsus extincta, ac terminata vigore prædictarum litterarum san. mem. Leonis de anno* 1605. ad tex. in c. 1. de transact. Sarnens. ad Reg. de Iur. quæsit. non tollend. q. 7. Valenzuel. cons. 85. n. 19. vers. maximè, & cons. 151. n. 16. vers. maximè; *Tum quia in eis actum fuit de iure particulari priuilegiorum Societatis, non autem vniuersali Mendicantium omnium communi, de quo modo contenditur* Rot. penes Puth. decis. 348. vers. sed in casu nostro lib. 2. in correct. & in Bonon. de Maluetiis 16. Maij 1588. coram bo. mem. Plato in §. nec obstat, ac sanct. mem. Greg. decis. 403. sub n. 5. vers. nec potest dici, & seq. & fuit resolutum in Illerden. Decimarum 16. Decem. 1639. coram bo. mem. Pirouano. *Sed attendendum est tempus huius Iudicij instituti de anno 1625. super eiusdem Breuis interpretatione, ac, dictæ Consuetudinis releuantia, vt apparet ex ipso Processu, de quo testes plures iustæ ætatis, ac bene informati possunt facilè reperiri.*

Actus autem contrarij pro parte Capituli deducti ex sententia bon. mem. Alex. Iunij in Burgen. Decim. *pro Capitul. Burgen. contra Moniales Beatæ Mariæ de las Huelgas Ord. Cistercien. anno* 1558. *6. Iulij. Et alia* bo. mem. Oran. in Carthaginen. Decimar. de Murcia *pro Episcopo & Capitulo Carthaginen. contra Moniales S. Antonij de Padua Tertij Ord. S. Francisci āno* 1593. 30. *Decembris præuia Decisione* 19. *Nouemb. eiusdem anni. Ac alia* bon. mem. Peniæ in Carthaginen. Decim. *inter eumdem Episcop. & Cap. Carthag. ac Priorem, & Conuentum S. Petri loci de la Noya, Ord. S. Hieronymi. Et ex* decis. 1293. & 1295. bon. mem. Card. Seraph. in Val. Decim. 1. Iulij & 23. Octobris 1598. ac dec. 1380. in Seguntin. Decim. 30. Octob. 1600. *(in qua non fuerat legitimò probata allegata generalis consuetudo, vt ibi legitur* sub n. 1. vers. nec obstare, ac seq.) & in Toletan. Decimar. 16. Nouemb. 1605. coram iusto penes Marches. de Commiss. part. 2. fol. 90. Ac in alia Toletana Decimar. 29. Nouemb. 1606. coram Ottemberg. Et in Valentina Decimar. 11. Febr. 1608. coram bon. mem. Lugdun. in recent. dec. 212. p. 2. *(quæ emanauit per contradictas, vt patet ex principio)* Et in Conchen. Decimar. de Belmonte 9. Maij 1616. coram bon. memor. Vbaldo in recent. decis. 270. par. 4. *(in qua fuit disputatum duntaxat de validitate concordiæ initæ cum illo Capitulo vt in ea legitur,) ac alijs similibus. Non eludunt intentionem Collegiorum Nam (præter quod in illis casibus actum fuit tantū de alijs particularibus priuilegijs à præfatis Religiosis prætensis, non autem de consuetudine immemorabili Mendicantium, vt apparet ex eisdem decisionibus. Imò quando hæc fuit particulariter allegata, etiam reiectis ipsis priuilegijs Rota concessit Remissoriam* in ead. Toletan. Decimar. 27. Iunij 1608. coram Ottemberg. in §. His tamen non obstantibus.)

ſtantibus.) *Placuit Reſponſio, quod in Articulis pro Collegÿs exhibitis deducta ſuit immemorabilis, non ſolum vniuerſaliter in Regnis Caſtellæ, ac Legionis, in quibus nonnullæ ex prædictis Diœceſibus exiſtunt, ſed particulariter, & præcipuè in Diœceſi Hiſpalen. Ideòque licet etiam ex huiuſmodi actibus elidi poſſet vniuerſalis, non tamen excluditur particularis huius Diœceſis conſuetudo, vt bene reſpondit* Anchar. in conſ. 255. In cauſa, & quæſtione, quæ vertitur ſub num. 3. verſ. Ad hoc dico, quod iuſtificari non poteſt & ſeq. Crauet. d. conſ. 112. num. 16. verſ. & licet in Italia, & fuit dictum in Cautien. Decimar. relata per Papazon. ad decis. vlt. n. 10. verſ & in vna Cautien. de conſuet. in Nou. & comprobat Honded. conſ. 46. verſ. cum conſuetudo lib. 2. *Quæ maximè attendi, atq; præferri debet* iux. gloſ. fi. in c. ſuper eo in verb. vicinis verſ. contraria vero extr. de Cenſ. Bar. in l. 2. ſub num. 41. verſ. trigeſimo ſextò quæro C. quæ ſit long. conſuetud. Soc. conſ. 7. ſub num. 6. verſ. Præterea & ſeq. l. 1. Pariſ. conſ. 25. ſub n. 42. verſ. ex quo conſuetudo l. 4. Rotæ in Hiſpalen. Decim. 18. Iun. 1612. coram Vbal. §. pen. verſ. & in concurſu, & in Calaritana Decimarum coram Card. Caualer. decis. 95. n. 3. verſ. non autem, & dec. 107. n. 1. verſ. Et ideò, & decis. 356. n. 2. verſ quæ conſuetudo particularis, ac in recent. decis. 169. n. 9. verſ. quia in concurſu part. 5.

Nec refert quod Capitulum prætendat contrarium probare ex teſtibus, & alÿs. Quia non ideo excludi debent probationes Collegiorum, ſed perfecto proceſſu videbitur in diſputatione cauſæ, quæ ſunt potiores, & preferendæ c. cum Ioan. ibiq. no. DD. extr. de fid. inſtr. Rot. penes Bellamer. dec. 624. verſ. De primo caſu Mantic. d. dec. 374. n. 3. verſ. nec probatio, & decis. 785. n. 5. ver. quo verò ad probationem part. 1. diuerſ. ac in recent. dec. 677. n. 5. verſ. quibus non obſtant. part. 1. & dec. 229. ſub num. 4. verſ. Atque ex abundanti, ac decis. 660. num. 4. verſ. Nam reſpondetur part. 2. & penes Burat. d. dec. 824. n. 7. ver. ſicut etiam ac ſeq. & in Maceraten. pecun 27. Ian. 1645. coram R. P. D. meo Ottobono in §. fi. *Cum præſertim illis interea aliqualiter ſuffragentur adminicula teſtium in partibus examinatorum, quibus concinit relatio* Modern. Luſitan. de iur Eccleſ. lib 3. c. 26. §. 3. ſub num. 35. verſ. & quamuis *ibi*, prout in Hiſp. partibus, &c. & d. decis. cor. bon. mem Coccino 26. Nouemb. 1635. *in qua ſolutiones ab eis euaſe, & metu cenſurarum facta declarantur, ac reprobantur, negatur q; manutentio Capitulo; Neq; obſtat aſſertio* Franc. Caſtil. in eius Tran. de tertiis debitis Regibus Hiſp. c. 36. ſub n. 53. ver. Tambien. ſuppongo, *ibi*, y no teniendo exempciom los Religioſos, las Religiones, y todas las perſonas Eccleſiaſticas pagan diezmos, vt probaui ſupra, &c. *Quia loquitur de iure communi ſecundum diſpoſitionem* tex. in d. c. 1. §. cæterùm de decim. in 6. *vt legitur paulo ſupra (quo ibi ſe refert)* n. 43. v. cum aliàs Religioſi omnes, &c. *non autem excludit conſuetudinem immemorabilem, quæ priuilegÿs, ac alterius cuiuſq; melioris tituli ius præfefert, & in ipſamet lege Regia preſeruatur expreſsè, vt legitur apud eundem in cap. 21. & pluribus ſequentibus. Quinimò ſi eam referet, vel negaret non tamen eius aſſertioni prorſus deferendum eſſet, cum hæc in facto conſiſtat, cuius ideò contraria probatio recÿcienda non eſſet* Rota penes Mohed. decis. 1. & 3. de conſuetud. Card. Mantic dec. 357. ſub num. 6. verſ. Præterea, *vbi reÿcitur atteſtatio Beroi, de quodam ſtylo, ſeu conſuetudine Ciuitatis Bononiæ*, & penes Sanct. mem. Greg. decis. 274. ſub num 4. verſ. nec facit, & ſeq. *vbi reÿcitur alia ſimilis Carauit. de Conſuetudine Regni Neapolitani.*

Preterea non obſtat, quod Collegia non ſint mendicantia, licèt Indulto Apoſtolico fuerint illis communicata aliorum mendicantium priuilegia; quæ ſanè communicatio exemptionem à ſolutione decimarum huiuſmodi, quarum non fuit facta mentio, neque explicitè, neque implicitè derogando contrariæ Concil. Gen, Lateranenſ. Conſtitutioni relata in d. c. Nuper. extr. de deci. *regulariter non comprehendit.*

Quia vetus controuerſia quam ex alÿs excitant Horat. Mandoſ. in eius Tra. de Priuil. ad inſtar gloſ. 2. ſub n. 22. verſ. Videndum eſt autem, & gloſ. 11. ſub num. 24. verſ. Vltimò non obſtat & ſeq. *abſoluit autem* Gabr. in conſ. 28. à n. 8. ver. Verum & ſeq. lib. 1. *Videtur iam deffinita per ſanct. mem. Pium V. in eius Conſt. incip. Dum indefeſſæ conſiderationis intuitu in ord.* 131. *Bul. p. 2. qua motu proprio declarauit his verbis*, illam, & illius Præpoſitum, ac ſingulas perſonas Societatis huiuſmodi verè, & non fictè mendicantes fuiſſe, & fore inter aliorum Fratrum, & Religioſorum mendicantium Ordines, alióſque Fratres, & Religioſos mendicantes connumerandos, prout illos Nos connumeramus, & connumerari debere; ac omnes, & ſingulas, tam Iuris, quàm hominum diſpoſitiones in fauorem Religioſorum, ſeu Fratrum mendicantium nunc, & pro tempore emanatas etiam in Soc. illiúſque Domibus, Collegiis, Præpoſito, & aliis Religioſis locum habere, &c. *vt habetur in ea in* §. 2. *Hæc enim ſunt membra Societatis pro ſcholaſticis approbatis principaliter inſtituta, qui certè ſunt perſona Soc & de corpore illius, vt legitur in Conſtit. eiuſdem part. 5. cap. ibi*, ſed quia ſcholaſtici approbati etiam modo quodã interiori, quam admiſſi ad probationẽ in corpus Soc. computantur & in Deci. ſubdit. A. *ibi*, ſecundo modo, qui minus latè patet, Soc. cum profeſſis, & Coadiutoribus formatis etiam ſcholaſticos approbatos continet. Ex his enim tribus partibus, ſeu membris Soc. corpus conſtat, &c. P. Mol. de Iuſ. & Iur. tom. 1. diſput. 139. in verſ. Cum Societas noſtra &c. *Et licet necdum fuerint inter profeſſos recepti, tamen quantum in eis eſt, & profeſſionem emittere parati, (ſi id Præpoſitus Generalis Inſtituto Societatis congruere iudicauerit, & in perpetuum dei ſeruitio conſecrari, ac ſua ſorte contenti ſunt, prout idem exigit inſtitutum p. 5. cap. 4 §. 5. Ideóq; meritò emiſſis tribus votis ſimplicibus, ſunt veri, ac proprÿ Religioſi ipſius Societatis, illique ex parte ſua prorſus affecti, & obligati, ac eius meritorum, & priuilegiorum participes, non ſecus, ac ipſi profeſſi effecti fuerunt, vt habetur in Conſtit. ſanct. mem. Gregor XIII. Incip. Quanto fructuoſius in verſ. Et licet eos, & verſ ſed etiam alios omnes, & quoſcumque. Dat. anno* 1582. *Kal. Febr. in præfato lib. Priuileg. Soc. fol.* 214. *ac ſeq. Et in alia eiuſdem Pontif. incip. Aſcendente Domino, in verſ. Et licet in verſ. & non modo eos. ibid. f.* 222. *Dat. an.* 1584. *viÿ. Kalend. Iun. in Bul. part. 2. inter eius Conſtit.* 89. P. Mol. d. diſput. 139. in verſ. non ſolum autem profeſſos, &c. Nauar conſ. 8. ſub n. 4. verſ. longè tamen, &c. de Reg. *Bona verò illis ex inſtituto permiſſa, non habent tamquam propria etiam in communi, ſed ſub adminiſtratione, & gubernatione omnimoda eiuſdem Prepoſiti, debentq; eſſe parati etiam oſtiatim mendicare, quoties obedientia, vel neceſſitas id exegerit, vt habetur* in exam. gene. c. 4. §. 1. & ſeq. & §. 27. Ad hæc, & verſ. quandoquidem Et in Conſt. part. 3. c. 1. §. 7. Et experiri, & §. 2. Diligant omnes paupertatem, & part. 4. c. 2. §. 5. Profeſſionem Collegiorum, ibiq. in Decl. lit. C verſ. Soc. §. 7. verſ. tunc enim, ac p. 6. c. 2. §. 10. & in Summar. Conſt. Reg. 24. & in Conſtit. ſanct. memor. Pauli III. Incip. Regimini militantis Eccleſiæ in verſ. Poſſunt *re quoties obedientia vel neceſſitas id exegerit, vt habetur* tamen habere. Dat. anno 1540. v. kal. Octobr. in Bullar. p. 1. inter eius Conſtit. 25. & Iulij III. incip. Expoſcit

debitum

debitum Pastoralis officij, vers. quæ Collegia. Dat. anno 1550. 12. Kal Augusti in eadem Bullar. part. 1. Coustit. 9. Roderic. q. Regul. tom. 1. q. 2. art. 9. ad fin. vers. Præterea. P. Molin. d. disp. 139. vers. Illi, qui finito probationis tempore. Suar. de Relig. tom. 4. lib. 4. cap. 5. sub num. 11. vers. Nihilominus certissimum est, ac per tot. Sanch. ad præcept. Decalog. lib. 7. c. 27. sub num. 33. vers. quarto, & num. 38. vers. nono. *Ita vt neque Capitulum habere, neque capitulariter ad quæuis peragenda congregari possint, sed omnis facultas celebrandi pro eis quoscunque contractus penes præfatum Præpositum Generalem resideat, vt cauetur in alia Constitut. Sanct. mem. Pij V. de anno 1568. 3. Kalend. Maij in prædicto libro Priuileg. Societatis, fol. 106. & seq. Incip. Innumerabiles fructus. Atque etiam eadem bona, & redditus in iudicio, cum id conueniens, vel necessarium fuerit defendendi*, vt habetur in Declar. ad d. 4. p. c. 2. §. 5. sub litt. C. versic. Societas in vsum scholasticum suorum, &c. *Propterea sanctus ille Pontifex omnibus attentè pensatis Societatem ipsam indefinitè, ac singulas eius personas indistinctè, verè, ac non fictè mendicantes, eoq; nomine cum omnibus eius Domibus, Collegijs, Præposito, ac cæteris Religiosis tanquam vnius corporis membra vni subordinata capiti, cuius summum, præcipuumq; Institutum in arctissima paupertate est constitutum, sub quauis Iuris, ac hominis dispositione comprehendi declarauit in d. §. 2. eisdemq; omnibus, & singulis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentijs, remissionibus, gratijs, & litteris, cæteris quibuscunque mendicantium ordinibus quomodolibet concessis & concedendis liberè, ac licitè vti, frui, potiri, & gaudere in §. seq. Non quidem per verba futuri duntaxat temporis, sed & præteriti, vt legitur in d. §. 2. ibi*, verè, & non fictè Mendicantes fuisse, esse, & fore, &c. *ad in §. 3. vers. finem, ibi*, concessis, & concedendis antea potuerunt, & nunc, ac in futurum, &c. possint liberè vti frui, potiri, & gaudere, &c. *Vt quisque intelligeret, ipsam nouam non adderet Societati qualitatem, ac priuilegium, sed illi insitam explicaret* ad l. hæredes palam. §. si quid post factum testamentum, ff. de testam. Bald. in l. non dubium, sub num. 2. vers. tertio nota, C. de legib. Oldrad. cons. 263. Dominus Ægidius sub n. 3. vers. His præmissis, ac seq. Rota decis. 502. sub num. 15. vers. Demum adest declaratio, part. 1. ac decis. 414. num. 17. vers. neque est verum, ac seq. part. 5. recent.

Quare nec videtur de hoc Amodò dubitandum stante huiusmodi Pontificis (ad quem spectat) declaratione, quæ pro lege seruari debet. Imol. in Clem. 1. sub num. 9. vers. secùs si narrauit aliquid, quod consistat in Iuris effectu, &c. de probat. Gabr. Com. concl. lib. 1. de probat. concl. 1. num. 37. vers. Primo sublimita. *Et ita in hac quæstione concludunt* Suarez de Relig. tom. 4. lib. 4. d. c. 4. sub num. 11. vers. Imo quod maius est, & cap. 7. in fin. vers. Denique ob hanc causam, & tom. 5. de Censur. disp. 22. sect. 5. num. 16. vers. Rursus, *ibi*, omnes autem dicti sunt verè, & propriè Religiosi Mendicantes, vt satis declarat Pius V. in eadem Bull. &c. fol. mihi 430. col. 1. & Sanch. ad præcept. Decalog. lib. 6. cap. 7. sub num. 117. vers. Dictis ex parte contrarius est, in fin. & ex aliis Bonac. de clausf. q. 2. punct. 9. §. diffic. 1. §. quintò sequitur, in fin. & Modern. Sicul. in tract. de donat. contempl. matrim. factis, tom. 1. discurs. 2. p. 4. sub num. 5. vers. omnes verò ac seq. & alij DD. Regnicolæ.

Nec mirum quod in dubium id reuocaueris Horat. Mandos. in d. tract. de Priuileg. ad instar, d. gl. 2. in fi. & d. gloss. 11. sub num. 24. & seq. ac Roderic. quæst. Regular. tom. 3. q. 49. art. 2.

Quia ille non scripsit super hac Constitutione Pij V. sed super alia quadam sanct. mem. Pij IV. Dat. sub die 26. Nouembr. 1565. relata in alia eiusdem Pij V. Incip. Æquum reputamus, & rationi consonum in prædicto libro Priuileg. Societatis fol. 46. & seq. vt apparet ex præfatione d. Tractat. & ex verbis ipsius Bullæ ibidem relatis ante primam glossam. Neuter autem certam habuit notitiam dd. omnium Constitutionum, ac Litterarum Apostolicarum Societatis, vt fatetur vterque: primus scilicet d. gloss. 2. sub n. 23. vers. credo tamen. *Alter verò* d. q. 2. art. 9. in fin. vers. hæc dicta sint. *Indeque altera irrepsit eorum æquiuocatio, dum asserunt scholasticos approbatos non esse vere de societate, sed in via ad illam: Quia id intelligitur de societate sumpta in primo, vel secundo gradu scilicet Professorum, seu Coadiutorum formatorum, qui licet in ea sint præstantiores, non tamen soli eius integrum corpus constituunt, sed aliud quoque prædictum scholasticorum membrum concurrit, vt explicatur in d. Declarat. ad Constit par. 5. cap. 1. sub litt. A. vers. secundò modo, & vers. quare huius nominis, &c. quæ sane declarationes vim habent Constitutionum, vt statuit idem sanct. mem. Paul. III. in eius Constit. Incip. Iniunctum Nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium, in vers. Ac quod quascumque Dat. anno 1543. Pridie Id. Martij, & Iulius III. in d. Constit. Incip. Exposcit debitum Pastoralis officij, in vers. qui quidem Præpositus Dat. anno 1550. duodecimo Kal. Augusti, & alij Pontifices successores*, & firmauit Rota in Romana legati 10. Maij 1617. coram Burat. decis. 245. sub n. 11. vers. Declarationes autem.

Et ex prædictis tollitur etiam aliud obiectum quod scilicet præfata consuetudo suffragari non possit Collegijs d. Societatis, cuius approbatæ Institutionis initium apparet ex allegata Bull. Sanct. mem. Paul. III. Dat. V. Kal. Octobr. an. 1540.

Quia si probetur articulata immemorabilis ad fauorem omnium Religionum Mendicantium, hæc ipsa vniuersaliter intuitu, ac fauore Ordinis mendicantium introducta, videtur comprehendere Religiones mendicantes successiuè institutas, non tam vigore communicationis priuilegiorum, vt per Horat. Mandos. in d. tract. de priuil. ad instar gloss. 15. à n. 59. vers. videndum quoque est, & seq. vsque ad fin. & Roderic. q. Regul. tom. 3. q. 51. art. 2. vers. Secundò dici, &c. *attenta præsertim verborum amplitudine, quam bene perpendit*, idem Mandos. in d. tract. gloss. 14. sub n. 1. & 2. *quam iure proprio, vt in specie tradit*, idem Mandos. in d. tract. citat. gloss. 11. sub num. 19. vers. Si ergo Societ. &c. & Roderic. Regul. tom. 3. q. 49. d. art. 2. in §. vnde ex hoc concludendum est, vers. Si ergo Societas. *Quia cum illa non solum priuilegij, sed legis etiam vicem obtineat*, l. 1. §. fin. vers. si tamen & in l. in summæ in princ. ff. de aqu. pluu. arcend. l. hoc iure, §. vers. ductus aquæ, ff. de aqua quotid. & æstiu. *Ideo faciliùs comprehendit etiam futuras, ac postea institutas*, ad l. Ariani, §. cunctis quoque l. C. de Hæret. & Manich. gloss. in cap. Vnic. in verb. mendicantes, in fin. vers. qui enim similem de excess. Prælat. in 6. Bart. in l. omnes populi, sub num 64. vers. Si verò continet, ff. de iust. & iur. Alex. consil. 178. in occurrenti casu, sub num. 13. vers. ego pro hoc adduco lib. 2. Castr. in cons. 372. quantum ad illam partem Dotis, sub n. 2. vers. & quod not. per Cyn. lib. Soc. iun. cons. 76. sub num. 100. ad fin. versicul. vel quia dico lib. 1. Natt. consil. 100. sub n. 23. versic. Respondetur & sequitur Molin. de Primogen. lib. 2. cap. 6. sub num. 19. vers. quod clariùs procedit & supra, sub num. 13. vers. idque non mirum, &c. *& comprobatur*, ex dec. Puth. 150. sub num. 5. vers. tamen istis non obstantibus, lib. 1. & decis. 81. num. 27. vers. Imò quod in fortioribus, ac seq.

ſeq. & deciſ. 265. num. 40. verſ & cum priuilegium, ac ſeq. & deciſ. 325. num. 12. verſ. & tale priuilegium part. 5. recent. ac ſequitur Valenzuel. conſ. 79. à numer. 100. verſ. nam quoad primum & ſeq. & latiùs probat in conſ. 140. num. 30. verſ. quare ius per talem immemorabilem.

Non obſtat inſuper, quod licet allegata Conſuetudo in Diœceſi Hiſpalen. vigeret, non tamen Societati eiuſque Collegijs prodeſſe poſſet, cum in dictis Litteris ſanct. mem. Leonis XI. fuerint abrogata quæcumque contrariæ Conſuetudines generales, vel ſpeciales, ac etiam particulares eiuſdem Societatis, vt in eis legitur in §. Non obſtantibus præfatis, &c. Quibus ſanè verbis hanc quoque licèt non peculiarem Societatis, ſed cum alijs mendicantibus communem fuiſſe comprehenſam. Ideóque inutilem omninò fore, ac proinde irreleuantem eius probationem aſſeritur.

Nam hæc obiectio altiorem præſefert indaginem, quàm ſuſcepta diſputationis poſtulat ratio; Ideóque in propoſitione alterius dubij ſuper meritis cauſæ erit maturiùs diſcutienda. Interà verò ad effectum, de quo agitur in præſentia ſatis viſum fuit Dominis, quod ex lectura earumdem litterarum apparet tàm in parte narratiua, quàm diſpoſitiua Pontificem intendiſſe lites, ac controuerſias inter partes tunc vertentes ſuper proprijs Societatis Priuilegijs ibi narratis, quibus Collegia prætendebantur abuti in maximum Capitulorum, & Parochialium Eccleſiarum præiudicium, finire, ac terminare, vt legitur in § cum itaque ſicuti accepimus. & in §. Nos qui inter Eccleſiaſticas perſonas, &c. *Conſtàtque etiam, quod in illis litibus, ac controuerſijs actum fuerat tantùm de exemptione per Societatem prætenſa vigore dictorum eius priuilegiorum particularium ex atteſtatione* Rotæ in d. deciſ. 645. num. 4. verſic. conſiderarunt etiam Domini. & verſic. Certumq. eſt par. 3. recent. *idemque aſſerit referens proceſſus ipſos* Valenzuel. conſil. 151. in princip. verſic. Ad quod præſuppono. *Quare non videtur ea Conſtitutio, ſiue Decretum ob amplitudinem Clauſularum derogatoriarum, quæ fuerunt appoſita in parte executiua* in §. Quocirca Venerabili fratri, &c. *extendi poſſe ad reuocationem aliorum, de quibus, nec in præcedentibus litibus actum, nec in ipſis litteris mentio vlla facta fuit* Calder. conſil. 11. ſub num. 1. verſic. nec obſtat, quod ſufficiant generales Clauſulæ. de Priuileg. Pariſ. conſil. 141. num. 15. verſ. Iterum in huiuſmodi diſpoſitione lib. 3. & firmauit, Rota d. in dec. 645. num. 3. verſic. Reſponderunt enim Domini. & ſeqq. par. 3. recent. *ſed ad limites ipſius principalis diſpoſitionis reſtringi, ac moderari debere* Clem. 1. vbi gloſſ. in verb. Animarum cura verſ. ſed hæc clauſula & infr. in verb. gratiæ, ac DD. de Præbend. Rot. apud Card. Seraph. d. deciſ. 1293. numer. 7. verſic. non obſtat, quod derogatum ſit ac ſeq. & S. me. Gregor. deciſ. 159. numer. 6. verſic. & non faciunt Clauſulæ derogatoriæ, ac ſeq. Reuerendus. Vrgellen. deciſ. 48. numer. 22. verſ. Non obſtant ſecundò & in recent. deciſ. 103. ſub numer. 5. verſ. Derogatio enim & deciſ. 111. num. 4. verſic. & non faciunt clauſulæ derogatoriæ part. 2. & deciſ. 68. numer. 3. verſ. non obſtat, quod Papa part. 3. & in deciſ. 604. numer. 6. verſ. Non obſtant Clauſulæ generales derogatoriæ part. 4. *Non enim poteſt quæuis Clauſularum prægnantia ſupplere intentionis defectum circa ea, quæ in facto conſiſtunt, quorum non conſtat Principem habuiſſe notitiam* cap. 1. de Conſtit. in 6. Pariſ. conſil. 1. num. 96. verſic. Prout etiam dicimus, lib. 1. Cardin. Seraphin. d. deciſ. 1293. numer. 6. verſ. non obſtant. Clauſulæ priuilegiorum & S. mem. Gregor. deciſ. 164. à numer. 7. verſ. præſertim & ſeqq. & in rec. deciſ. 666. ſub num. 7. verſ. ſed difficultas eſſet, ac ſeqq. part. 1. & deciſ. 739. numer. 5. verſic. Prædictus autem defectus part. 2. *Eóque minùs ad tollendam conſuetudinem immemorabilem, cuius expreſſa mentio requiritur, ita vt ſublata etiam quacumque conſuetudine illa non cenſeatur regulariter abrogata* Pariſ. conſil. 101. ſub num. 84. verſ. quæ præſcriptio & ſeqq. lib. 1. & conſil. 25. num. 17. verſ. Iſta enim præſcriptio. & ſeq. lib. 4. Rot. penes. Burat. deciſ. 435. num. 5. verſ. ſecundo dixerunt DD. ac ſeq. *& in ſpecie ex prædictis rationibus fuit reſolutum in* Placentin. Canonicat. coram bon. mem. Coccin. in recent. deciſ. 614. numer. 1. part. 2. confirmata deciſ. 286. part. 4. de deciſ. 257. ead. part. 4. tom. 2. & deciſ. 71. part. 5. Roderic. quæſt. Regular. tom. 1. q. 9. art. 5. in fin. verſ. & aduertendum. *Et licèt fuerit etiam derogatum priuilegijs, ac indultis, non tamen fuit derogatum pactis, & conuentionibus legitimis, quæ ſub eiuſmodi generalibus verbis non comprehenduntur* cap. ex multiplici. extr. de decim. *& proptereà cum hæc quoque includantur ſub ipſa immemorabili, ita vt eius vigore allegari poſſit quicumquè melior titulus de mundo* Roland. conſil. 42. num. 28. verſic. quia à pari procedunt. & ſeq. lib. 1. & conſil. 66. numer. 40. verſ. ſecunda eſt concluſio, ac ſeq. lib. 2. Menoch. Præſ. 131. numer. 44. verſ. Huc facit lib. 3. Crauet. conſil. 4. numer. 13. verſ. quia conſuetudo. Rota in d. Nonantul. Bonor. coram bon. mem. Card. Mant. in §. proinde, qui habet immemorabilem in verſ. Igitur, poteſt allegare etiam pactum, *& in* §. neque etiam refragatur. verſ. & conſuetudo, *cum alijs relatis per* Modern. Roman. diſcept. 800. ſub numer. 2. verſic tanquam ob ſpatium tanti temporis ac ſeq. *Ideò nec illis derogatum fuiſſe videtur, vt in his terminis, dum agebatur de releuantia articulorum ad effectum concedendi Remiſſoriam ſenſit* Rota d. deciſ. 286. ſub numer. 2. verſ. nam fuit reſponſum, & ſub num. 3. verſ. & quamuis diceretur part. 4. recent.

Neque videtur concludens argumentatio ex eo deducta, quod cum S. mem. Gregor. XV. moderando dictas litteras decreuerit Societatem, eiuſque Religioſos non teneri Decimas ſoluere, niſi prout cæteri Mendicantes ſoluere conſueuerunt. Vrbanus autem VIII. S. mem. renouata moderatione illarum tenorem obſeruari ſtatuerit, hinc conſtet fuiſſe per S. mem. Leonem abrogatas non ſolùm conſuetudines, & priuilegia particularia Societatis, & quæ ex eis procederent, ſed ea etiam, quæ cum alijs Mendicantibus habebat communia.

Quia certum eſt, quod dictæ litteræ Greg. XV. emanarunt ſolo, peculiarique fauore, & pro maiori commodo, ac beneficio Societatis, ideóque nullo pacto retorqueri debent in eius odium prout manifeſtò contingeret ſi ex eis efficaciter deduci poſſet huiuſmodi illatio, adeò præiudicialis Societati, quod admittendum non eſt l. ſi mancipia ff. de fund. inſtr. l. quod fauore ibiq. gloſſ. in verb. diſtingue ac Bald. in princip. verſ. item in fauore introducto per Principem C. de legib. Iaſ. in l. ſi Ruffinus ſub num. 5. verſ. & quarenus. C. de teſtam. milit. Dyn. conſil. 52. ſuper eo, quod quæritur ſub num. 8. verſ. ſed priuilegium in fin. ac numer. 8. & plur. reſpondit Oldrad. conſil. 228. quod Fratres Prædicatores num. 5. verſic non obſtat Paris. conſil. 19. num. 46. verſic. nam dicta verba. lib. 1. & de conſil. 141. num. 14. verſ. & quia &c. lib. 4. Mandoſ. de Priuileg. ad inſtar gloſſ. 8. numer. 8. verſ. nam priuilegium Decian. conſ. 1. ſub numer. 140. verſ. quia reſpondeo lib. 3. Franc. Cald. de iur. emphyt. lib. 1. quæſt. 3. num. 3. verſic. quoniam renouatio & fuit dictum in Ariminen. Caſtror. 14.

Februarij 1642. coram Reuerendiſſimo Dom. meo Decano in §. Verùm etiam quia, &c. *In alijs verò poſterioribus S. M. Vrbanus nil aliud intendit, (vt ex eis apparet) niſi eaſdem Leonis litteras rinouare, rémque ipſam ad earum terminos prorſus reducere, ſublato quouis ſpeciali priuilegio, ſi quod ex Decreto Gregorij Societati contra earum tenorem ſuperueniſſet: Non autem grauiora illis voluit inferre præiudicia, nec ea tollere beneficia, quæ non fuerant per Leonem abrogata, vtpotè cum alijs mendicantibus communia, prout etiam refert* Modern. Luſitan. in eius Tract. de iur. Eccleſiaſtic. l. 1. cap. 41. num. 195. §. Abſolutione. verſ. Tamen Vrbanus VIII.

Nec inde ſequitur alia illatio ſuper adducta, quod ſcilicet Decretum Leonis eſſet inutile, quando Collegia, circumſcriptis particularibus Societatis priuilegijs frui poſſent adhuc communibus cum alijs Mendicantibus. Quia longè maiora reſultabant illis beneficia ex particularibus priuilegijs, ob quorum amplitudinem à decimis prætendebantur immunia quæcumque bona etiam extraneis locata, vel ab extraneis conducta, vt ex eodem Decreto colligitur; quam ex adducta conſuetudine cum cæteris Mendicantibus communi, quæ anguſtioribus terminis circumſcripta ea omnia non complectitur. Satis eſt autem ad euitandam obiectam ſuperfluitatem, quod breue aliquid operetur, cap. cùm dilectus, §. quia nobis, verſic. cæterùm extr. de conſuetud. Ceph. conſ. 104. n. 17. verſic. Septimò reſpondeo. Surd. conſil. 271. num 47. verſic. & ſufficit & ſenſit Rota dict. deciſ. 645. n. 4. in fin. ac infr. par. 3. deciſ. 527. ſub num. 8. verſic. Et ſuperfluitas ceſſat. par. 4. recent. & penes Burat. d. deciſ. 435. num. 7. verſ. Quæ nec propterea, &c. *addens, quod potius toleranda foret ſuperfluitas, quam tollatur ius eccleſiæ ſuper pactis, & conſuetudinibus fundatum; ſed de his alias (vt præmiſi) agendum erit in diſputatione dubij principalis.*

Non obſtat demum, quod iam plurimi fuerunt ſuper eiſdem fermè articulis examinati teſtes in partibus, eorumque dicicta teſtificata, ideóque nouum examen admitti non debeat.

Quia (præter quod nec teſtium multitudo faceſſit negotium, quippe fuerunt examinati ad probanda geſta in quam pluribus & diuerſis oppidis, ac locis ampliſſimæ Diœceſis, vt fuit reſponſum in Siracuſan. quarta 1. Februarij 1593. coram bon. mem. Gypſio, in §. non obſtat, quod Epiſcopus examinauerit. & in Toletan. Decimar. 28. Februarij 1614. coram Card. Caual. *in qua fuerant pro parte Archiepiſcopi petentis remiſſoriam examinati in antecedentibus inſtantijs centum quinquaginta quatuor teſtes, vt legitur in eius,* deciſ. 289. à n. 1. verſ. & licet. ac ſeq. & in Pacen. Decimar. 12. Iunij 1615. coram bon. mem. Manzanedo in recent. deciſ. 183. par. 4. *Nec eorum publicatio nocet Societatis Collegijs, quibus ſaltem ope reſtitutionis in integrum conſultum eſſet,* Afflict. deciſ. 216. num. 2. ver. ſemper fuit practicata. Gabr. com. concl. lib. 1. tit. de teſtib. concluſ. 21. num. 48. verſic. amplia; nam idem Rot. in ſeguntin. mediæ annat. 12. Iunij 1598. coram bon. mem Litta & in d. Toletan. decimar. coram Seleuc. d. deciſ. 715. num. 2. in fin. par. 3. recent. *vbi referuntur concordantes.) Viſa fuit ceſſare omnis difficultas, quippe Articuli modo exhibiti non ſunt ijdem prorſus cum primis in partibus productis, ſed ſubſtantialiter differentes. In illis enim non fuit deducta immemorabilis cum neceſſarijs requiſitis, ſed longiſſima poſſeſſio, ſiue præſcriptio à quadraginta & pluribus annis citra, vt apparet ex eis, ac depoſitionibus teſtium tunc receptorum. In his autem deducta fuit explicitè immemorabilis in eius formalitate: Ideóque negari non poteſt eorum admiſſio, ac Remiſſoria conceſſio,* iuxt. theor. Abb. in cap. fraternitatis, ſub num. 8. in fin. verſ. quædam ſunt, quæ non comprehenduntur extr. de teſtib. Rot. penes Ægid. deciſ. 725. num. 2. verſ. modo articuli non bene ſpecificati in prima inſtantia, & San. mem. Greg. d. deciſ. 191. num. 3. verſ. Non obſtat, & Card. Caualer. deciſ. 369. ſub num. 2. verſ. neque videbatur obſtare, & Coccin. deciſ. 23. per tot. & in recent. d. deciſ. 483. num. 3. verſ. Vlterius licet ea. p. 4. *& in his terminis fuit reſponſum in* d. Anconitan. penes Burat. dec. 392. ſub n. 1. verſ. non obſtat publicatio proceſſus, & ſeq. & Toletan. decimar. coram Seleucien. in recent. d. deciſ. 715. n. 2. verſ. non obſtat fuiſſe examinatos alios teſtes, p. 3. ac in aliis.

Poſtremò non obſtat, quod agatur de executione litterarum Apoſtolicarum, quæ ob exceptiones requirentes altiorem indaginem retardari non debet.

Quia procedit obiectio, quando litteræ Apoſtolicæ ſunt vndique claræ, nullámque requirunt interpretationem, vel liquidationem, prout in caſu propoſito requiritur, in quo cum S. mem. Leo præmiſſa expoſitione priuilegiorum particularium Societatis tantum, ac litium, earum occaſione vertentium, iuſſerit Decimam, ac vigeſimam reſpectiuè ſolui omnium rerum quæ de iure, vel conſuetudine decimari ſolent Eccleſijs quibus alioquin circumſcriptis dictis priuilegijs Decima perſolui deberet, &c. Hæ vtique ipſæ earundem verba eiuſmodi diſcuſſionem præſeferunt, vt conſtet, de quibus rebus, quibúſque Eccleſijs, circumſcriptis priuilegijs prædictis de iure, vel conſuetudine Decimæ erant ſoluendæ. Quibúſque priuilegijs, ac conſuetudinibus fuerit ibidem derogatum. Quorum ſanè congrua determinatio neceſſariam facti probationem præcedere poſtulat, vt certior inde reſultet iuris deciſio, iuxt. l. ſi ex plagis, §. in Cliuo, *ibi*, Reſpondi in cauſa ius eſſe poſitum, vbi gloſſ. in ver. in cauſa, ff. ad l. Aquil. d. l. Iudices, C. de Iud. l. 1. in princip. ibique gloſſ. in verb. probatis his, C. quæ ſit long. conſuetud. d. cap. fin. 30. q. 5. *Ideóque omninò admitti debet, etiamſi longiorem dilationem expoſcat, cum oriatur, & prodeat ex ventre ipſarum litterarum,* iuxt. theor. Bart. in l. 1. §. & parui refert. ſub num. 5. verſ. aut aliæ exceptiones deſcendũt, ff. quod vi. auct. clam. Rota. penes Cardin. Seraph. deciſ. 980. ſub num. 12. verſ non obſtat, quod dicitur & ſeq. *vbi quod alias pars grauatur,* & Burat. deciſ. 122. n. 2. verſ. & iſta exceptio ac ſeq. in recent. deciſ. 728. num. 2. & verſ. Et iſta exceptio, par. 2. & 348. ſub num. 2. verſ. facit, quod iſta exceptio, par. 3.

Prædicta verò latius fortè, quam propoſitæ quæſtionis exigeret ſolutio coacti fuerunt Domini afferre, vt emergens hæc diſceptatio, iam tres ferè annos varijs partium argumentationibus agitata ſileat tandem, ac terminetur. Cum etiam in dubio æquius, ac tutius ſit probandi facultatem concedere, quam coarctare, l. quoniam multi, in fin. C. de hæret. & Manich. cum concord. penes Buratt. deciſ. 28. num. 3. verſ. & Rota & d. deciſ. 656. num. 5. verſ. & nihilominus. & Coccia. deciſ. 20. ſub num. 4. verſic. eóque libentiut, & in recent. deciſ. 503. ſub num. 2. verſ. & Rota part. 2. & d. deciſ. 277. num. 4. verſ. præterea, part. 3. ac deciſ. 240. num. 6. verſ. Atque in hanc ſententiam, part. 4. tom. 2. *ſufficit enim ad hunc effectum probabilis releuantia iudicis arbitrio penſanda.* Bald. in cap. licèt cauſam, num. 33. verſ. dicitur tamen, extr. de probat. Rot. penes Caſſador. deciſ. 3. ſub num. 1. verſ. quæ remiſſio non negatur de dilat. & Cardinal. Mantic. deciſ. 312. ſub n. 10. verſ. Vnde remiſſoria, & Card. Caualer. deciſ. 232. num. 2. verſ. nam Rota non ſolet, & deciſ. 105. num. 2. verſ. præſertim, & ſeq. part. 4. diuerſ. ac in recent. deciſ. 41. num. 41. verſicul. cum in iſtis terminis, part. 7. *quæ in hoc caſu ex præ-*

dictis

dictis visa fuit Dominis resultare. Necessaria verò, atque concludens ad definitionem causæ refertur post factas probationes Veral. decis. 61. sub num. 1. vers. sed hoc iudicari debet, & seq. part. 3. San. mem. Gregor. decis. 124. num. 3. vers. quamuis autem. *Quo tempore præmissa quoque, ac alia à partibus adducenda: denuò (prout opus fuerit) discutientur. Ne autem diutius quàm par sit probationes differantur, reseruarunt Domini eorum arbitrio facultatem prosequendi intereà, vel retardandi disputationem dubij principalis, ac processum ad vlteriora, vt factum fuit in d.* Anconitan. seu Auximana flor. 26. Aprilis 1613. coram Burat. decis. 392. in fin. vers. Verum quia, & in Theati. seu nullius Abbat. 15. Martij 1641. coram R.P.D. meo Bichio, ac in aliis.

Atque ita fuit conclusum concedendam esse Remissoriam cum retardatione, vel sine arbitrio, &c. *Vtraque parte informante, &c.*

Sectio IV.

De Vsu Priuilegiorum.

56 *In vsu priuilegij seruanda forma præscripta in eius concessione.*
57 *At ad eum non petitur solemnis promulgatio.*
58 *Priuilegiam non semper prodest ignoranti,*
59 *Prodest in quolibet loco concedentis.*
60 *Imò, & extra territorium illius; etsi cum limitatione.*
61 *Idque licèt priuilegium deroget communi præcepto Ecclesiæ, si concessam sit ex causa personali ipsius priuilegiati.*
62 *Priuilegia non prosunt Regularibus, si eorum Prælati renuant.*
63 *Capitulum generale vsum priuilegiorum restringit Generalis Ordinis.*
64 *In Societate Iesu vsus omnis priuilegiorum pendet à Generali: nec eius communicatio videtur retrotrahere validitatem actus antea inualidi: etsi interdum oppositum fuerit practicatum.*
65 *Regulares promoti ad sæculares prælaturas fruuntur aliquibus priuilegijs Ordinis.*
66 *Non item apostantes à Religione sub prætextu nullitatis Professionis.*
67 *Priuilegijs vti possunt Religiosi etiam inobseruantes.*
68 *Non item legitimè eiecti ab Ordine.*
69 *Vtuntur ijs Religiosi laici, imo & Oblati, seu Donati, sed non per se.*
70 *Vtuntur Tertiarij, sed non omnes eodem modo.*
71 *Vtuntur & Nouitij.*
72 *Vtuntur Moniales Ordinis, si priuilegia ijs adaptentur.*
73 *Sicut & Religiosi vtuntur priuilegijs concessis Monialibus sui Ordinis.*
74 *In vsu priuilegiorum respectu monialium non exemptarum Ordinarius stat loco Prælati regularis.*
75 *Explicatur, qui dicantur familiares, ac famuli Regularium quoad vsum priuilegij,*
76 *Illis non omnia Regularium priuilegia prosunt: & explicatur, quid sit esse commensalem.*
77 *Priuilegia prosunt Regularibus, non obstante contrario vsu.*
78 *Prosunt ijs etiam contra æquè priuilegiatum.*
79 *Communicata per viam participationis prosunt contra principalem priuilegiatam.*
80 *Idque procedit etiam de priuilegiatis ad instar.*
81 *Priuilegia in Concilio Tridentino reuocata non amplius prosunt.*
82 *Declaratur clausula in priuilegiorum concessione apponi solita* Dummodò Concilio Tridentino non sint contraria.
83 *Religiosi Societatis communicant de priuilegijs aliorum Ordinum requirentibus vsum Capituli.*
84 *Religiosi tenentur vti suis priuilegijs.*
85 *Ordinarius dubius de validitate priuilegij Regularium non impedit vsum illius.*
86 *In dubio priuilegij priuilegiatus stat in possessione.*
87 *Religiosi tenentur exhibere priuilegium, si non sit notorium.*
88 *Priuilegium concessum*, quatenus est in vsu, *ipso facto prodest communicanti de illo.*

QVÆRES I. Quid requiratur ad vsum priuilegij, tum licitum, tum validum.

Respond. Requiri, vt seruetur forma substantialis 56.
præscripta in ipsa concessione priuilegij, ideoque si concedatur iniuncto ad effectum illius consequendum aliquo opere per modum conditionis, tale opus necessariò præstandum esse, ad hoc vt habeatur effectus priuilegij. est communis DD. apud Bonac. *de leg. D. 1. q. 3. p.* 4. §. 2. *num.* 1. & probatur tum quia conditio importat formam substantialem, sine forma autem substantiali res esse non potest ex *l. qui heredem, §. vlt. ff. de condit. & demonstrat.* tum quia priuilegium non operatur vltra intentionem concedentis: priuilegium verò conditionatum indicat voluntatem concedentis esse conditionalem, ipsumque non velle concedere priuilegium, nisi impleta conditione. Dixi *per modum conditionis*, quia si iniungatur in concessione priuilegij opus, tanquam sub modo, priuilegium valet, etsi opus non impleatur: cum sic concessio priuilegij sit absoluta, & consequenter non suspendat effectum priuilegij, estò modus non impleatur; qua de re *subsect. 2. quæst. 3.*

QVÆRES II. An, & quo modo ad validum vsum priuilegij requiratur solemnis promulgatio ipsius priuilegij.

Respond. Non requiri, nisi eo modo, quo diximus *supr. sect. 1. quæst.* 8. 57.

QVÆRES III. An priuilegium circa ignorantem operetur, ita vt priuilegiatus statim à concessione priuilegij consequatur effectum illius, estò nondum habuerit notitiam illius.

Respond. Non operari, nisi eo modo, quo diximus *sup. sect. 1. quæst. 9.* 58.

QVÆRES IV. An, & quando priuilegiatus vti Possit priuilegio in quolibet loco concedentis.

Respond. Posse si priuilegium concessum sit sine 59.
determinatione loci, & aliud non colligatur de mente concedentis. ita Suar. *l. 8. de leg. cap.* 26. aliique communiter; & probatur tum quia vbi ius non distinguit, nec limitat, neque nos distinguere debemus, aut limitare, nisi aliud suadeat ratio, aut lex distinguens; tum quia priuilegium sine determinatione loci concessum est vniuersale iuxta facultatem concedentis, ideóque si is habet facultatem generalem concedendi priuilegium pro toto suo territorio, priuilegiatus potest eo vti in toto illius territorio (intellige iuxta sup. dicta, nisi aliter constet de mente concedentis, quæ etiam coniecturata non est minùs efficax, quàm expressa, quando coniecturata censeatur moraliter sufficiens;) mens autem concedentis colligi potest, tum ex verbis illius, tum ex supplicatione petentis, tum ex re, quæ petitur, ex causa motiua, & finali concessionis, tum ex aliis antecedentibus, & consequentibus. Dixi, *si priuilegium sine determinatione loci sit concessum:* si enim concessum sit cum loci determinatione,

tunc non potest priuilegiatus eo vti vltra locum destinatum.

Difficultas grauior est, an priuilegiatus vti possit priuilegio concesso absque loci determinatione etiam extra territorium ipsius concedentis.

60. Respond. posse, per se loquendo, si priuilegium sit personale, & specialis prohibitio non extet quoad hoc in alieno territorio: quod est dicere, modò priuilegium non sit circa materiam prohibitam à Superiore territorij, ad quod se transfert priuilegiatus. Ita Nauar. *de priuil. conf.* 5. Salas *de leg. D.* 17. *sect.* 10. *num.* 54. Castr. Pal. *tract.* 3. *D.* 4. *part.* 6. *num.* 6. aliique penes Bonacinam *supr. part.* 6. *num.* 4. patétque, tum quia priuilegium personale afficit personam, illi adhæret, eamque comitatur quocumque pergat: tum quia per priuilegium priuilegiatus eximitur ab obligatione legis communis, obligatio autem non reuiuiscit ex locorum varietate, ac mutatione. Dixi, *per se loquendo*, nam per accidens ratione scandali, aut alterius circumstantiæ potest contingere, vt priuilegiatus vti nequeat priuilegio intra territorium concedentis, non modò extra. Dixi prætetea, *& specialis prohibitio non extet*, si enim priuilegium sit circa materiam prohibitam modo supradicto, & supponamus extraneum teneri seruare talem prohibitionem (de quo alibi) tunc priuilegiatus non potest vti suo priuilegio extra territorium concedentis, nisi fortè priuilegium concessum sit à Superiore illius, qui fecit illam prohibitionem: nemo quippe potest derogare iurisdictioni alterius; vnde si habentem priuilegium gestandi arma Ferrariæ, non posse vti talis priuilegij ea gestare Mediolani, si ibi etiam vetita sit armorum delatio: quod item locum haberet in Religioso, qui in proprio monasterio facultatem haberet à suo Prælato exeundi domo sine licentia: non enim potest vti tali facultate in alio monasterio absque approbatione Superioris huius alterius monasterij, vt notat Suarez *supr. cap.* 26. *num.* 9.

An verò habens à proprio Episcopo priuilegium derogans alicui præcepto Ecclesiæ de se vbique obliganti (v.g comedendi lacticinia in die prohibito) possit eo vti, etiam extra territorium Episcopi concedentis.

61. Respond. posse, si priuilegium sit ei concessum ex propria, & personali causa ipsius: secus, si ex peculiari causa, conditione, ac necessitate loci: quo pacto in aliquibus diœcesibus conceditur vsus lacticiniorum, eo quod illæ distinctæ sint mari, adeóque piscium penuria laborent. Ita Suar. *supr. cap.* 26. *n.* 14. *&* 15. prima pars probatur ex eo, quod præceptum illud Ecclesiæ non pendet ab hoc, vel illo loco, adeóque eum respectu personæ modo dicto priuilegiatæ illud de facto sublatum sit per priuilegium, eius obligatio dici non potest redire ob solam loci mutationem, sicque priuilegium poterit tali personæ suffragari, etiam alibi. 2. Pars probatur, quia ratio priuilegij localis cessat ex sola mutatione loci, vtpotè quod adhæret loco, sicut dictum est.

QVÆRES V. An, Regulares vti possint priuilegiis proprio Ordini concessis absque licentia suorum Superiorum, imò & ipsis repugnantibus.

62. Respond. non posse, ideoque Prælatos Regionum, maximè si sint Generales, ac Prouinciales, posse suis subditis non solùm restringere vsum quorumcumque priuilegiorum, sed etiam illum omnino auferre. Quamuis enim de iure communi oppositum dicendum sit, ex eo quod inferior non potest abrogare id, quod à Superiore gestum est, nisi fortè in casu, quo subditus abuteretur priuilegio iuxta illud, *Priuilegium meretur omnino amittere, qui malè sic permissa vtitur potestate, cap. priuilegium* 11. *q.* 3. de facto tamen omnes Religiones ad id habent speciale priuilegium; vt videre est apud Mirand. *supr. tom.* 2. *q.* 43. *art.* 4. eóque vtuntur in praxi, restringendo, aut etiam omnino auferendo aliqua priuilegia, & quidē etiam toti Religioni. Ita Rodriq. *tom.* 1. *q.* 9. *art.* 2. Mirand. *supr.* aliique quos citat, & sequitur Diana *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 87. addens hanc doctrinam procedere etiam respectu Religionum, quæ ad id non habent specialem facultatem; siquidem regula illa, *Inferior non potest abrogare*, &c. locum habet solùm, quando inferior restringit, aut tollit priuilegium contra voluntatem eius, cui concessum est: quod certè non euenit in casu nostro, cum in Capitulis Generalibus, ac Prouincialibus, in quibus supponis eiusmodi priuilegia abrogari, adsit interpretatiua voluntas totius Religionis, cui concessa sunt dicta priuilegia: quod est talem restrictionem; aut ablationem priuilegij fieri de consensu habentis priuilegium. Præter quam quod, vt notat Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 22. *n.* 14. hac in re nobiscum sentiens, Papa concedens priuilegium in fauorem Religionis censetur illud conferre iuxta ordinem debitum, & magis consentaneum ipsi Religioni, quamdiu expressè non declarat in contrarium: debitus autem ordo Religionis petit, vt inferiores Prælati pendeant à Superioribus, & consequenter credendum est hanc esse mentem Papæ concedentis talia priuilegia: quomodo non potest dici inferior auferre facultatem concessam à Superiore; quippe quæ non est concessa simpliciter, sed cum hac subordinatione.

Quod si quæras, an Capitulum Generale possit Generali Ordinis auferre, aut restringere aliquod priuilegium Ordini concessum à Papa.

Respond. regulariter posse: cum enim priuilegia principaliter concedantur toti Religioni, & tota Religio in Capitulo generali censeatur existere: sequitur eam, si iudicauerit ita expedire, posse à se tota abdicare vsum illorum, & consequenter etiam à proprio Generali, eum nemo cogendus sit vti suo priuilegio. Ita sentiunt viri docti à me consulti, & videtur colligi, tum ex doctrina, quam tradit Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 11. tum ex ea, quam nos tradidimus §. *præcedenti.* Dixi, *regulariter*, quia, quod spectat ad Præpositum Generalem Societ. Iesu sustinet Suar. *supr. tract.* 9. *lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 15. eum non posse priuari per ipsam Societatem potestato ipsi à Papa concessa ad professum expellendum; quod idem ego dixerim de aliquibus aliis facultatibus, quæ eidem Generali, vt sic, à Summis Pontificibus concessæ sunt; sicuti videre est in bullis pontificiis in fauorem Societ. editis: cum de his militent rationes, quas Suar. adducit pro se in eo casu proposito. 63.

Illud porrò, quod diximus de vsu priuilegiorum dependenti à Prælatis regularibus, multò magis locum habet in nostra Societ. in qua ex decreto Gregor. XIII. vsus priuilegiorum omnino pendet à Præposito Generali pro tempore existente; vt constat ex bulla ipsius Gregor. edita anno 1573. quæ incipit ex Sedis Apostolicæ, & ita habet: *Nec aliter cæteræ personæ dictæ Societ. prædictis priuilegiis, facultatibus, & alys præmissis, aut aliquo eorum, nisi per Generalem Præpositum, & de eius beneplacito, aut per alium, seu alios de eius commissione electos vti, aut gaudere possint.* Vbi noto vsum priuilegiorum à P.N. Generali non concessorum esse in Soc. non solùm illicitum, sed etiam inualidum; cum clausula apposita in Const. Gregorij: *Nec aliter vti, aut gaudere possint*, indicet 64.

indicet actum inualidum, vt videre est apud Suarez *de leg. lib. 5. cap. 31. num. 11. & seqq.* Nald. *v. clausula*, & Sanchez *lib. 6. moral. cap... num. 10. & lib. 6. de matrim. D. 38. num. 10. v. tertio*, vbi tamen aliquos Doctores adducit oppositum sustinentes.

An autem actus ex priuilegio nondum à Generali communicato gestus, adeóque nullus censeri possit validari, si postea priuilegium communicetur; quod esset priuilegium quasi retrotrahi.

Respond. non posse validari; & probatur, tum quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit: tum quia retrotractio fit per fictionem iuris, & consequenter solùm habet locum in iis casibus, qui in iure sunt expressi; non constat autem quod in iure expressus sit casus, de quo hic: quamuis in grangia Collegij nostri Ariminensis oppositum fuerit practicatum; cùm ex voto Cardinalis de Lugo dimissus fuerit quidam reus ibi captus à satellitibus, antequam P.N. Generalis fecisset dictæ grangiæ priuilegium immunitatis asyli: quod non videtur potuisse fieri, nisi vsus priuilegij potuisset retrotrahi iuxta ipsum Cardinalem de Lugo, cuius authoritas meritò maximi debet æstimari.

QVÆRES VI. An Regulares promoti ad Cardinalatum, Episcopatum, aut aliam prælatutam sæcularem, gaudeant priuilegiis sui Ordinis.

65. Respond. videri gaudere, loquendo de priuilegiis, quæ concernunt personam religiosam in bonum animæ, vel corporis, & quorum vsus non sit onerosus ipsi Religioni. Ratio est, quod, cum dicti Regulares adhuc subiaceant oneribus Religionis se compatientibus cum illo statu nouo assumpto: æquum est vt fruantur etiam fauoribus, qui sine Religionis incommodo dicto statui adaptari possunt: cuiusmodi est communicatio Indulgentiarum. præterquam quod dicti Regulares reuera adhuc sunt Religiosi eiusdem Ordinis, ideóque cum communicatio priuilegiorum sit fauorabilis, & consequenter debeat ampliari, non apparet, cur ea denegari debeat præfatis Regularibus. ita Nald. *v. priuilegium, num. 6.* aliique docti Recentiores è me consulti contra Sanch. *lib. 6. in decal. cap. 6. n. 33.* Rodriq. *tom. 1. q. 58. art. 4.* Mandos. *de priuileg. ad instar, q. 10. gloss. 3. n. 11.* & alios absolutè asserentes Religiosos assumptos ad Cardinalatum, Episcopatum, &c. hoc ipso non posse vti priuilegiis sui Ordinis; quippe qui sicut exempti sunt à iugo regularis obseruantiæ, ac religiosæ disciplinæ, ita nec debent gaudere priuilegiis propriis Religiosorum, iuxta illud, *qui non sentit incommodum, nec debet sentire commodum.* ita citati DD. & non improbabiliter, maximè attenta concessione Sixti IV. facta intuitu Prædicatorum, ac Minorum, statuente Religiosos horum Ordinum promotos ad prælaturas sæculares non posse gaudere priuilegiis concessis Ordini, nisi de licentia Prælati regularis: quæ concessio cum sit fauorabilis Religioni, vtpote conducens ad faciliorem illius conseruationem, retrahendo Religiosos à procurandis dignitatibus sæcularibus, sine dubio cadit sub communicationem generalem priuilegiorum, estque communis aliis Ordinibus: si tamen est in vsu apud illos; de quo valde dubito; eiusmodi concessionem refert Rodriq. *loco supr. cit.*

Nobiscum sentit Pasqualigus *decis. 136. num. 4.* dicens, Episcopos regulares frui omnibus priuilegiis, quæ sunt concessa omnibus, ac singulis Religiosis Ordinis, adeóque posse absoluere à reseruatis, dispensare, & commutare vota æquè ac priùs: probatque ex eo, quod, etsi desinant esse membra Religionis, adhuc in iis subsistit causa principalis, ob quam talia priuilegia concessa sunt, vtilitas scilicet Ecclesiæ, & animarum. Secùs dicendum, si Religiosus, quãdo fit Episcopus, nondum erat expositus audiendis confessionibus: sic enim quando fit Episcopus, nondum acquisiuit ius ad dicta priuilegia; cùm ea concedantur Regularibus solùm in ordine ad confessiones sacramẽtales, & consequenter solùm actualibus confessariis, quippe qui soli sunt capaces vsus ipsorum; vt benè notat idem Pasqualigus *dec. 137. n. 1.* addens *n. 2* ad acquirendum ius super dicta priuilegia sufficere, quod is, qui fit Episcopus, tunc esset à Religione habilitatus ad audiendas confessiones, non autem requiri, quod sit tunc approbatus ab Ordinario: nam per illam habilitationem constituitur illa persona, cui priuilegia illa conceduntur.

Nobiscum sentit & Cespedes *d. 389. de exempt. n. 2.* & probat assertionem, tum quia per mutationem status non amittitur priuilegium compatibile cum statu recens assumpto Cochier *de iurisdict. tom. 2. p. 2. q. 69. art. 9.* Rota Romana *decis. 1444. n. 10.* tum quia non est tanta vis, ac potestas translationis, vt res, & translati loci priuilegia adimat, imò rem, & locum in eadem conditione relinquit, *l. 1. ff. de priuil. credit. l. tempus, ff. de indic.* Felinus *cap. quia indicande, sub fine, de præscript.* tum quia ecclesia regularis ad sæcularem statum redacta non amittit exemptionem, & priuilegia antea ipsi concessa, nisi expressè sint sublata; vnde Abbatia regularis exempta, si fiat sæcularis, manet exempta, Tamburinus *de iure Abb. tom. 1. D. 15. q. 11.* aliique, & facit textus in Clem. 1. *de supplen. neglige. Prælat.* tum quia concessio Sixti IV. supra adducta loquitur de priuilegiis pugnantibus cum statu religioso, ac ei præiudicialibus, non autem de priuilegiis vniuersè.

QVÆRES VII. An Religiosi Apostatæ vti possint priuilegiis Ordinis.

Respond. non posse, si nomine Apostatarum intelligantur ij, qui recedunt à Religione & habitum dimittunt prætendentes professionem esse nullam. 66.
Ita Sanch. *supr. cap. 8. num. 34.* ex Mandos. *supr. n. 10.* & colligitur ex Conc. Trid. *sess. 25. de Regular. cap. 19.* vbi dicitur: *Quod si antea habitum spontè dimiserit, tanquam apostata puniatur: interim verò nullo priuilegio suæ Religionis iuuetur.* Notat autem Sanchez hoc decretum, cum sit pœnale, non debere extendi ad illos Apostatas, in quibus hæ conditiones non concurrunt: & cum loquatur per verbum futuri, *non iuuetur*, exigi sententia iudicis ad eam pœnam incurrendam; namq; verbum futuri importat sententiam ferendam, vt contra multos sustinet Tiraq. *l. si vnquam, ver. reuertatur, n. 152. & seq. C. de reuoc. donat.*

QVÆRES VIII. An Religiosi irreligiosè viuẽtes vti possint priuilegiis proprio Ordini cõcessis.

Respond. posse, quod spectat ad forum externum. 67.
Ita Miranda *p. 2. q. 43. art. 3.* patétque ex eo quod Ecclesia non iudicat de occultis, & ratio fruendi priuilegiis, licèt cesset respectu Regularium irreligiosè viuentium, nihilominus manet in communi, ideóque priuilegia subsistunt. Quod autem dicitur communi adagio, *Si nomine priuaris, nec rem habere mereris*, (vnde iurisperiti communiter colligunt Scholares in aliqua vniuersitate degentes non gaudere priuilegiis illius, si scholas non intrent, non studeant, totíque sint in ludis, ac dissolutionibus) solùm indicat eos esse dignos, qui priuentur priuilegiis Ordinis, non autem probat quod intendit Miranda) eos non posse vti illis, neque quoad forum conscientiæ: si quidem axioma illud militat tantum quoad forum externum, nec aliunde conuincitur oppositum; quod mihi constet.

QVÆRES IX. An Regulares legitimè eiecti ab Ordine possint vti priuilegiis ipsius Ordinis.

68. Respond. non posse. Ita Suar. *supr. tract.8. lib.3. cap.6.num.11.* & probatur ex eo quod illi, teste Suar. non tenentur ad obseruantias regulares; ideóque non est æquum, vt fruantur priuilegiis Regularium iuxta regulam superiùs allegatam: *Qui non sentit incommodum*, &c.

QVÆRES X. An priuilegia concessa alicui Ordini religioso communicentur Conuersis, ac Oblatis, seu Donatis eiusdem Ordinis.

69. Respond. quod quidem spectat ad conuersos, ea sine dubio illis communicari; cum sint verè Religiosi, eamdem cum aliis Religiosis Ordinis profiteantur regulam, sicque comprehendantur in concessione priuilegiorum facta Religiosis illius Ordinis; quod verò spectat ad Oblatos, seu Donatos; ea illi per se non communicari; cum non sint Religiosi; communicari tamen ex indulto speciali Sixti IV. per bullam authenticam concedentis: Oblatis Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini omnia, & singula priuilegia, & indulta concessa Fratribus, & sororibus de Pœnitentia, ac Mantellatis, & Pinzocheris sub eodem Ordine degentibus idque perinde ac si pro eisdem Oblatis personis, & circa illas emanassent; vnde sic arguo: Oblatis communicantur omnia indulta, & priuilegia, quæ communicantur Fratribus, & sororibus de Pœnitentia: at Fratribus, & sororibus de Pœnitentia communicantur omnia priuilegia sui Ordinis (vt ostendemus *q.seq.*) & ea communicantur Oblatis. Colligitur ex Casarub *in Compend. ver. Oblati, num.3.* vbi refert supradictum indultum, de quo vtique participant alij Ordines communicantes de priuilegiis Eremitarum.

QVÆRES XI. An, & qui Tertiarij vti possint priuilegij sui Ordinis.

70. Respond. posse, siue sint ex illis Tertiariis, qui in Congregatione degunt, emittentes tria vota essentialia Religionis, & viuentes sub obedientia alicuius Ordinis, qui à Sorbo *in Comp. v Tertiarij, n.25. fine*, dicuntur tertij Ordinis de Pœnitentia, siue sint ex illis, qui non viuunt quidem in Congregatione, sunt tamen adstricti voto solemni Continentiæ virginalis, aut vidualis, & gestant habitum Tertiariorum; his enim omnibus Tertiariis communicantur omnia priuilegia Ordinis, exceptis tamen iis, quæ Papa dicit se concedere solum Tertiariis viuentibus in Congregatione: siue demum sint ex illis Tertiariis, qui sunt coniugati, voto tamen Castitatis se obstrinxerunt (intellige, coniugalis) his enim etiam communicantur omnia priuilegia Mendicantium, exceptis iis, quæ à Concil. Lateran. ipsis fuerunt specialiter sublata, & referuntur à Casarub. *supr. v. Tertiarij Fratres, & sorores, n.19. & v. mulieres, num.7.* ita Rodriq. *tom.3. q.73 art.1.* Mirand. *p.1. q.36. art.4.* & alij; probantque ex monumentis Minorum, quæ vtique locum habent etiam quoad Tertiarios aliorum Ordinum communicantium de priuilegiis Minorum.

QVÆRES XII. An Nouitij vti possint priuilegiis Ordinis.

71. Respond. posse. ita Diana *p.3. tract. 2. resol. 73.* ex Suar. *tom.3. de relig. lib.5. cap.16. n.17.* Molin. *tom.1. D.139.* & alij contra Rodriq. *tom.3. q.51. art.12.* & Pottel. *de dub. regul. v. nouitius, n.54.* patétque ex eo, quod, licèt Nouitius verè, & in effectu non sit Religiosus; in fauorabilibus tamen habetur pro Religioso professo, & ab ipsa Cancellaria Apostolica, teste Rebuffo *in praxi benef. tit. de dispens. cum Regularibus, n.21.* vocatur monachus: vt proinde mirum non sit eum gaudere priuilegiis Ordinis: præsertim cum viuæ vocis oraculo concesserit Gregor. XIII. Societati Iesu, vt eius Nouitii communicari possint priuilegia Societatis: de quo priuilegio participant etiam alij Ordines, qui de priuilegiis ipsius Societ. communicant: quamquam, posita generali viuæ vocis oraculorum reuocatione (de qua infra) supradictum viuæ vocis oraculum iam expirarit.

QVÆRES XIII. An moniales vti possint priuilegiis, quæ cōcessa sunt viris Religiosis sui Ordinis.

72. Respond. posse, si ea adaptari possint ipsis monialibus, & in concessione priuilegij non dicatur ea concedi viris, aut masculis Religiosis ita Suar. *lib.8. de leg. c.10. n.7.* cum Rodriq. *tom.1. q.13. ar.22.* aliique & probatur, quia ex vna parte in dispositione fauorabili sub masculino nomine comprehenditur fœmininum in iis, quæ possunt fœminis accommodari: ex alia parte moniales sunt verè Religiosæ, ideóque dispositio facta de Religiosis, etiam iis modo dicto suffragabitur. Dixi, *& in concessione priuilegij non dicatur*, &c. si enim id dicatur, tunc constat ex verbis concedentis priuilegium non extendi ad moniales, nisi necessitas aliud suadeat; quamquam aliter dicendum sit, attento priuilegio bullato Leonis X quo absolutè conceditur monialibus Fratrum Minorum, vt possint vti omnibus, & singulis priuilegiis, & indultis spiritualibus, & temporalibus per, ipsum Leonem ac Sedem Apostolicam ipsis Fratribus quomodolibet concessis, & concedendis; perinde ac si ea ipsis monialibus fuissent concessa: sicut videre est apud Casarub. *supr. v. communicatio priuil. n.18.* ex quo fit, vt etiamsi in concessione priuilegij diceretur, *Viris religiosis illud concedi*, eo nihilominus gaudere possint moniales, dummodò priuilegium sit ex iis, quæ possint fœminis accommodari.

Dubium maius est, an, sicut moniales vti possunt priuilegiis, quæ concessa sunt viris religiosis sui Ordinis, ita & viri Religiosi vti possint priuilegiis, quæ conceduntur monialibus eiusdem Ordinis, imò & aliorum Ordinum per viam communicationis.

73. Respond. posse. ita Peyr. *tom.2. priuil. const.8. Pij V. §.2. n.3.* ex Peregr. *in Comp. v Nouitij, §.1.* patetque ex eo quod, sicut, teste Suar *supr. n.7.* & Rodriq. *tom.1. q.13. art.12.* quando conceditur aliquod priuilegium viris, illud censetur concessum & mulieribus talibus à talibus viris dependentibus: ita par est, vt & viri gaudeant priuilegiis, quæ conceduntur mulieribus ab iis dependentibus: idque ex natura priuilegij fauorabilis, quod debet ampliari; qua de re Castr. Pal. *tract.3. D.4. p.12. n.1.*

74. Vnum hìc moneo, quòd quando Religiosis conceditur aliquod priuilegium per Prælatos regulares expediendum (quale esset priuilegium dispensandi, v.g.) tunc loquendo de monialibus immediatè subiectis Ordinario (quæ sine dubio modo supradicto gaudent etiam ipsæ priuilegiis sui Ordinis) ipsemet Ordinarius succedet loco Prælati regularis, & consequenter poterit dictum priuilegium expedire cum Monialibus sibi subditis: quippe qui reuera est Prælatus talium monialium.

QVÆRES XIV. An, & quomodo famuli, & familiares Regularium gaudere possint priuilegiis concessis Ordini, cuius sunt famuli, &c.

75. Pro responsione suppono nomine famulorum, ac familiarium hìc intelligi illos omnes, qui expensis alicuius monasterij commensales continue existunt, ac seruiunt ex auctoritate Prælatorum, aut Officialium monasterij siue toti monasterio, siue Religioso alicui particulari (v.g. Magistro in Theologia) idque etsi contingat eos interdum abesse ad seruitium monasterij;

nasterij; non item eos, qui inseruiunt particularibus Religiosis, ad id assumpti priuata auctoritate ipsorummet Religiosorum particularium; his suppositis ex Rodriq. *tom. 2. quæst. 67. art. 1.*

76. Respond. famulos, & familiares Regularium non gaudere omnibus priuilegiis, quæ concessa sunt Regularibus, quibus inseruiunt, sed solùm aliquibus, quæ progressu huius tractationis suis locis proponentur, & exponentur; cuiusmodi sunt, quod à præfatis Regularibus independenter à Parocho recipere possint Sacramenta, etiam extremam vnctionem, & Ecclesiasticam sepulturam, vbi decesserint in monasterio; quod sine speciali Papæ mandato non possint excommunicari, aut interdici; quod aliquas indulgentias consequantur, tum in vita, tum in morte; & similia; vti videre est in primis apud Rodriquez vbi *supr.* per totam illam quæstionem. Patet autem responsio, quod sicut nullo iure probari potest famulos, & familiares Regularium gaudere omnibus priuilegiis concessis Regularibus, quibus deseruiunt, & conuiuunt; ita ex variis indultis, quæ refert Rodriq. *loco cit.* constat eos gaudere priuilegiis hîc recensitis.

Monet autem Mandosius *q. 10. de priuil. ad instar, gloss. 15. n. 46.* quod, sicut dicitur commensalis, qui habet potentiam comedendi, etsi actu non comedat, vt aliàs tenuit Rota teste Crescent. *decis. 225.* aliàs 2. *super regul. Cancella. de filiis familiaribus*: sic commensalis continuus dicitur, qui continuè aptus est comedere, etsi continuè non comedat.

QVÆRES XV. An Regulares vti possint propriis priuilegiis, etsi contra ea habuerint contrarium vsum.

77. Respond posse. Ita Portel. *de dub. Regul. ver. priuilegium in addit. n. 4.* & patet ex priuilegio per Eugenium IV. concesso Congregationi S. Iustinæ, & bullato, vt constat in bullario Rodriquez bulla Eugenij IV. nona, vbi statuitur, *quod si quando contigerit per aliquem*, aut plures actu contra huiusmodi, aut quæcumque alia priuilegia, indulta, gratias immunitates præfatæ Congregationi concessis, aut ipsorum aliquod à quocumque cuiuscumque conditionis, gradus, seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quauis causa, propter quam fuerit aliter attētatum, vel pro tempore obseruatum, ignoranter, vel scienter, nullum tamen præiudicium decretis, priuilegiis, indultis, gratiis generetur, sed sub suo vigore, *ac robore permanerent*. Cum Portella sentit Diana *part. 3. tract. 1. resol. 88.* & Ioan. de la Crux *de statu relig. lib. 2. cap. 3. d. 2. conclus. 2.* referens per quamdam bullam concessum fuisse Monachis S. Benedicti, ne contra illos, nisi per 100. annos priuilegia præscribantur: de quo *sect. seq. quæst. 8.*

QVÆRES XVI. An Regulares vti possint suis priuilegiis aduersus pariter priuilegiatum.

78. Respond. posse, & quidem etiam in casu, quo alter habeat priuilegium in re non simili, sed diuersa (vt si Regulares sint exempti à decimis soluendis, & alter habeat priuilegium recipiendi decimas à quocumque existente in suo territorio.) Ita Castr. Pal. *supr. part. 8. n. 2.* ex Rodriquez & Salas, patétque, quia priuilegium Regularium est speciale, generale verò priuilegium alterius; priuilegium autem speciale præualet generali, cum generi derogetur per speciem, *reg. 34. de reg. iur.* quin etiam dici potest priuilegium Regularium in casu proposito non præualere aduersus aliud priuilegium generale; cum in generali intelligantur excepti priuilegiati specialiter: non secùs ac in omni lege generali intelliguntur excepti, qui priuilegium exemptionis habuerint:

vnde fit, vt eiusmodi priuilegia non sint formaliter contraria, licèt videantur esse; sed vnum est generale, & aliud speciale non specialiter oppositum generali, sed ab illo exceptum. Quod si detur in præsenti casu priuilegia formaliter contraria concurrere (vt si aliquod monasterium ædificatum priuilegio gaudeat, ne aliud intra certas cannas ædificetur, & alteri monasterio concessum sit intra illas cannas ædificari) nec alia via appareat, quomodo talia priuilegia in concordiam reduci possint, itaut vtrumque valeat; tunc examinari debet, quodnam dictorum priuilegiorum sit antiquius, vel ab altiori Prælato concessum; & illud iudicandum est præualere, aliud verò contrarium cessare: cum Princeps non censeatur velle derogare iuri alterius acquisito, nisi illius expressam faciat mentionem, illi manifestè derogando; quæ limitatio locum habet etiam in casu, quo priuilegia modo supradicto concurrentia non sint formaliter contraria, vti superiùs explicauimus.

Notat porrò Bordonus *tom. 2. resol. 52. quæst. 63.* priuilegiatum vti priuilegio contra alium priuilegiatum 1. si priuilegia sint imparia, tunc enim maius præfertur maiori Caccialup. *in l. omnes populi, ff. de instit. de iure num. 122.* 2. quando vnus est dupliciter priuilègiatus, alter non; nam iste illi cedit Cephalus *consil. 148. num. 18.* 3. quando agitur de damno vitando, & lucro acquirendo: tunc enim præfertur qui passurus est damnum Bart. *in Auth. quas actiones, C. de sacros. Eccles. num. 3. §. Pontius autem*, 4. priuilegiatus in specie præfertur priuilegiato in genere Bart. *in citat. Auth.* 5. quando vni assistit ius commune, & non alij; nam hîc cedit illi Couar. *pract. quæst. cap. 7. §. sextò.* E contra priuilegiatus non vtitur suo priuilegio contra alterum priuilegiatum, quando vtrumque priuilegium est æquale, æquè fauorabile, & concurrit in actu, ac exercitio. Ita docent plures relati à Barbosa *axiomate 190. num. 1.* Et ratio esse potest, quod simile non agit in omnino simile, vt docet Aristoteles *l. 4. de generat. cap. 7. textu 50.*

QVÆRES XVII. An Regulares participantes de priuilegiis alterius Ordinis per viam communicationis possint illis vti etiam contra Religiosos dicti Ordinis.

Respond. posse eo modo, quo diximus *quæst. preced.* posse priuilegiatum vti suis priuilegiis aduersus æquè priuilegiatum, adeóque si contingat Carmelitas, v.g. posse monasteria ædificare intra 300. cannas ex priuilegio hac de re concesso Minoribus, & per viam communicationis ipsis Carmelitis competente, non posse Carmelitas ædificare intra dictas cannas aduersus Monasterium Minorum iam ædificatum, idque ob rationem allatam sub finem quæst. præcedentis; quæ proportionaliter militat, siue priuilegium concedatur per se primò, ac directè, siue competat per viam communicationis. 79.

Respond. addo hic solùm ex Suarez *lib. 8. de leg. cap. 15. num. 8.* ea, quæ diximus de pariter priuilegiato, seruata proportione, locum habere etiam in eo, qui est priuilegiatus ad instar. 80.

QVÆRES XVIII. An Regulares saltem in foro conscientiæ possint in præsentis vti suis priuilegiis, quamuis expressè reuocatis in Concilio Tridentino.

Respond. non posse; & hoc ex clausula exceptiua, qua post Tridentinum vti solent omnes Pontifices in confirmatione priuilegiorum: *Dummodò Concilio* Triden. *non sint contraria*; quæ clausula, si non intelligatur de priuilegiis à Tridentino reseruatis, 81.

aut reuocatis, non apparet, de quibus debeat intelligi,& quorsum toties repetatur; prætéreaque qood viuæ vocis oraculum,quo nituntur Henriquez *lib.7. cap.14.num.8.*& Rodriquez *tom.1. quæst.8.art.9.* aliique oppositum sustinentes, non solùm fuit reuocatum à Gregor. XIII. sed etiam à Gregorio X V. & Vrb. VIII.in reuocatione generali viuæ vocis oraculorum Religiosis concessorum;vt proinde opinio Henriq. & eius asseclarum in præsentia nullo modo possit sustineri. ita Portel. *supr. v. priuilg.n.64.* quamuis videatur admittere, vt probabilem etiam oppositam sententiam.

82. Notat autem Portel. *supr.n.31.*ex Suar. *supr.c.18. num.18.*Rodriq. *tom.1.quæst.8. art.6.* Mirand. *tom.2. quæst.42.art.3.* quod, quando Papa confirmans priuilegia Regularium addit supradictam clausulam, *Dummodo Concilio* Tridentino *non sint contraria*, non intendit reuocare, nisi ea priuilegia, quæ præfato Concilio ita sunt contraria, vt ab eo expresse reuocentur (quale erat, quod Regulares possent recipere Ordines sacros ante ætatem assignatam in Tridentino *sess.23.cap.12.* quod ibidem expresse abrogatur;)non autem intendit derogare priuilegiis,quæ quoquomodo sunt contraria Concilio Tridentino, sed ab eo in terminis non abrogatur: quale est priuilegium, quod iidem Regulares habebant,vt possent ordinari extra tempora: quod quidem est contrarium dictu Concilio oppositum statuenti *sess. citata cap.8.* & tamen, quia ei in Concilio non derogatur expresse,cadit sub generalem confirmationem priuilegiorum factam cum prædicta clausula. *Dummodo Concilio* Trid. non sint contraria; Priuilegia autem Regularium, quæ expresse reuocantur in Conc. Trid. colliguntur à Io.de la Cruz *in epitome lib.2.c.3. d.6.*& facilè reperientur in ipso Concilio.

Vtrum verò Pontifices, qui post Conc.Trid.concesserunt priuilegia, apposita clausula *Non obstantibus quibuscumq; aliisq; similibus prægnantibus clausulis* censeantur derogare Concilio Trid. dicemus infra *sect. sequenti quæst.6.* interim qui vult, consulat Portellum *supr. v. Conc. Trid in addit.*

QVÆRES XIX. An Religiosi Soc. Iesu non habentes vsum Capituli possint vti priuilegiis concessis aliis Ordinibus, ad quorum vsum supponitur in bullis concessionis aliquis vsus Capituli.

83. Respond. posse; & probatur ex eo, quod ij per viam communicationis gaudent priuilegiis aliarum Religionum in amplissima forma, & absque vlla limitatione: &,cum communicatio priuilegiorum, maximè facta Religionibus, sit fauorabilis, non debet restringi, sed ampliari, quantum patitur tenor concessionis;vnde, si quæ priuilegiis concessio supponit vsum Capituli; id debet intelligi in ordine ad Religiones habentes talem vsum: & hoc ex benigna interpretatione concedentis,qui in tenore concessionis præsumi debet locutus in terminis habilibus. ita docti viri è Soc. à me consulti; cum quibus addo in tali casu neque esse necessarium, quod Prælatus Soc. qui vult vti tali priuilegio, rem conferat cum suis Consultoribus, qui aliquo modo videntur æquiualere Capitulo: si quidem ij non faciunt propriè Capitulum, adeóque non est, cur ad eos amplietur ius ad vsum alicuius priuilegij petentis vsum Capituli.

QVÆRES XX. An Regulares teneantur suis priuilegiis.

84. Respond. teneri; siue priuilegia concessa sint intuitu communitatis, in bonum commune(quo pacto seruant non tam proprium priuilegium, quam priuilegium Communitatis, quam aliàs grauiter lædérent cedendo priuilegiis ipsi concessis:) siue per dicta cedendo priuilegia actus, qui erat illicitus, fiat licitus, & deinde per aliquam legem præscribatur(quo modo habens priuilegium audiendi Missam tempore Interdicti,ex præcepto ecclesiastico tenetur secundum communiorem DD. sententiam eam audire diebus festis, ad quod, secluso priuilegio non tenebatur, quamuis Auila.Rodriq.Lopez,Ledesma, & alij apud Fagund.*prec.1. Eccl.2.cap.8.num.4.* id negent.)ita DD.communiter cum Suar. *supr.cap.23.* ac Port. *supr.num. 39.* qui bene monet hanc doctrinam non verificari in casu, quo alicui Religioso in particulari concederetur aliquod priuilegium ratione ipsius præcisè, non autem intuitu Communitatis(v.g. vt non ieiunet) tunc enim Religiosus non teneretur eo vti iuxta illod *Priuilegium non confertur inuito*. Quod verò dicitur neminem cogendum esse vti suo priuilegio, ne alioqui quod est concessum in fauorem,vertatur in dispendium *regul.61.de regul.iur.* non habet locum in casu, quo non potest renunciari priuilegio sine præiudicio publico, aut damno tertij, vt notat Portel.*loco supr.citato.*

QVÆRES XXI. An Episcopus dubitans de validitate priuilegij concessi Regularibus possit eos impedire, ne interim illo vtantur.

Respond. non posse. ita Rodriq. *tom.1. quæst. 56. art. 12.* cum Innoc. Io. Andr. & Henrico; patétque 85. tum, quia nemo esse potest iudex in propria causa;(quod tamen præstaret Episcopus, si modo supradicto agere posset aduersus exhibentem suum priuilegium:) tum, quia si Epicopus posset in proposito casu agere contra priuilegiatum,id faceret indicando priuilegium esse vitiosum,subreptirium,amissum, aut aliter intelligendum esse: quod tamen non est munus Episcopi; cum illius tantum sit interpretari priuilegium, cuius est illud concedere; vt proinde asserat Imola apud ipsum Rodriq. Episcopum non posse iudicare de priuilegiis Papæ, &, si quod dubium de iis occurrat, consulendum esse ipsum Papam.

Addit Rodriq. *tom.1.quæst.63. art.7.* ex communi 86. DD. pendente lite super validitate priuilegij (num scilicet fuerit concessum, nec ne) non esse priuandum priuilegiatum sua possessione, vel quasi possessione: idque quantumuis possessio sit contra ius.

QVÆRES XXII. An Regulares ad effectum vtendi proprio priuilegio teneantur illud sponte exhibere.

Respond. teneri, si illud non sit notorium,quoad 87. titulum, ac possessionem: secùs, si hoc pacto sit notorium. ita Sylu. *v. exemptio num. 8.* & cum illo Rodriq. *loc.cit.*

QVÆRES XXIII. Vtrum, si per modum communicationis aliquod priuilegium prius concessum Mendicantibus alicui Ordini religioso concedatur cum hac clausula. *Quatenus est in vsu*, teneatur talis Ordo disquirere, num einsmodi priuilegium tempore concessionis sibi factæ esset in vsu apud Mendicantes,quibus antea fuerat cōcessum, nec ne.

Respond. non teneri; siue constet priuilegium eo 88. ipso tempore, quo dictus Ordo vult eo vti, esse in vsu penes Mendicantes (cum sic supponatur fuisse in vsu, etiam eo tempore, quo facta fuit concessio: siquidem præsumendum est actum fieri legitimè;) siue etiam non constet esse in vsu hoc ipso tempore: modò constet ante talem concessionem fuisse aliquando in vsu (sic enim præsumitur fuisse in vsu tempore concessionis: cum de præterito præsumatur io futurum *l. ex persona C. de probat.* sicque præsupponi potest priuilegium, quod aliàs fuit in vsu

vsu, esse etiam in præsentia. Secùs, si constet tale priuilegium numquam fuisse in vsu; sic namque præsumitur fuisse tempore concessionis, ideóque nec Ordo, cui posterius communicatur, poterit eo vti, nisi probatur illud fuisse in vsu pro tempore concessionis. ita Rodriq. *tom. 3. quæst. 51. art. 4.*

SECTIO V.

De Amissione Priuilegiorum.

89 *Priuilegium amittitur 8. modis, qui proponuntur.*
90 *Simpliciter concessum non amittitur morte concedentis.*
91 *Priuilegium personale perit morte priuilegiati, &, si sit Communitatis, ea extincta; at durat respectu communicantium.*
92 *Priuilegium personale, & priuilegium reale inter se differunt.*
93 *Concessum ad tempus perit lapsu temporis.*
94 *Non omnia priuilegia pereunt, cessante causa finali concessionis.*
95 *Pereunt, si causa finalis cesset contrariè, secus, si negatiuè.*
96 *Causa autem finalis debet cessare perpetuò.*
97 *Reuocatio priuilegij alia est specialis, alia generalis.*
98 *Per clausulam*, non obstantibus, *in 4 casibus non reuocantur priuilegia: declaratur, quo modo explicada clausula derogans priuilegijs concedendis.*
99 *In tacita reuocatione priuilegiorum attendi debent duæ regulæ, quæ referuntur.*
100 *Dicta reuocatio fit, tum per legem, tum priuatim.*
101 *Priuilegia gratuita pereunt reuocatione concedentis, secus quæ ex contractu oneroso.*
102 *Compensatio procedit, in priuilegijs remuneratorijs.*
103 *Reuocatio viuæ vocis oraculorum facta ab Vrbano VIII. iuxta aliquos non tenet.*
104 *Reuocatio priuilegij non ligat, nisi cognita, non nocet communicantibus de illo.*
105 *Priuilegium concessum non subdito nequit reuocari.*
106 *Priuilegium remuneratorium continet specialem mentionem meritorum.*

QVÆRES I. Quot, & quibus modis amittantur priuilegia.

89. Respond. amitti octo modis: 1. per mortem, tum concedentis priuilegium, tum eius, cui conceditur: 2. per lapsum temporis: 3. per cessationem causæ finalis, ob quam priuilegium concessum est: 4. per reuocationem concedentis: 5. per renunciationem personæ priuilegiatæ: 6. per non vsum: 7. per contrarium vsum: 8. per abusum. ita Bonac. *de leg. D. 1. quæst. 3. p. 8.* aliique communiter.

90. QVÆRES II. An, & quando amittant priuilegia per mortem concedentis.

Respond. non amitti, si sint concessa simpliciter sine vlla conditione, aut clausula, quæ ea restringat vsque ad mortem concedentis (vt si dicatur *vsq; ad beneplacitum nostrum. Donec voluero: Ad arbitrium nostræ voluntatis*, & important gratiam factam. ita Molin. *tract. 2. de iust. D. 19* Garc. *de benefic. part. 6. c. 2. num. 330* Mirand. *part. 2. quæst. 43. art. 1.* aliique communiter, & probatur tum quia priuilegium est fauor, & gratia, gratia autem non cessat morte concedentis *cap. si cui nulla de præbend. in 6.* tum quia priuilegium est veluti quædam donatio, donatio verò non cessat morte donantis. Dixi, *si sint concessa simpliciter*, &c. si enim priuilegium detur cum clausula illud restringente, vsq; ad mortem concedentis; tunc vtique finitur morte illius, si res sit integra: quo modo morte concedentis finitur beneplacitum, voluntas, arbitrium ipsius concedentis (quod tamen non verificaretur, si in priuilegio apponeretur hæc alia clausula, *Donec reuocauero*; tunc si quidem priuilegium non finitur morte concedentis; cum reuocatio supponat actum contrarium, vt patet. Dixi præterea, *& important gratiam factam*; priuilegium enim quod continet gratiam faciendam (quod scilicet non concedit gratiam, sed solum dat alteri facultatem illam conferendi in fauorem tertij, qui tamen aliter nondum illam contulit) spirat morte concedentis, si res sit integra: sicut notant communiter DD, addentes tunc rem dici integram in iurisdictione contentiosa, quando Iudex nondum legitimè præcepit citari partes, in alijs verò casibus, in quibus non adhibetur citatio, quando Commissarius nondum inchoauit actum primum respondentem citationi: vt si cœpit vocare partem ad cognoscendam veritatem precum.

QVÆRES III. Quæ priuilegia amittantur per mortem personæ priuilegiatæ.

Respond. amitti ea, quæ sunt personalia: quippe quæ sunt concessa personæ, ac illis inhærent, adeóque persona corrupta extinguuntur iuxta illud *Corruptis nobis, corrumpuntur* ea, quæ sunt in nobis: non item priuilegia realia, cum hæc rem ipsam sequuntur sicque successiuè transmittantur ad eos, qui rem ipsam acquirunt. est communis DD. teste Salas *de leg. D. 20 sect. 17 num. 124.* 91.

Dubium modò est, an casu, quo aliqua Religio omninò extinguatur petentibus omnibus Religiosis illius, si postea renouetur, priuilegia Ordini illi olim concessa competant Ordini sic innouato.

Respond. Mandusius *quæst. 10. de priuileg. ad instar glos. 7 num. 44.* non competere; cum Ordo sic renouatus non sit idem cum illo priori, cui concessa sunt priuilegia. aliter tamen videntur sentire Innocent. Bartol. & Bald. allegati ab ipso Mandosio, asserentes Collegium retinere iura, & priuilegia (etiam mortuis omnibus de Collegio) saltem habitu, licèt non actu, nisi Collegium per Superiorem destruatur: quod Mandosius ait sibi non placere, nisi fortè loquamur de priuilegiis loco concessis (v. g. studio Perusino) aliàs sustinens, quod si vnica tantum persona Ordinis, cæteris extinctis, supersit, tunc indubitanter priuilegia durarent dicto Ordini facta: cum Ordo ex tali diminutione non desinat esse idem ordo, vt notauit in simili *Aristoteles lib. 1. de generat.* dicens *Cum autem alteratur, augetur, diminuitur, permanet idem, quod augetur, aut alteratur.*

Addit Bordonus *tom. 2. resol. 52. num. 80.* destructa Religione, cui per se concessa sunt priuilegia, non ideo hæc amitti ab Ordinibus de iis communicantibus: & probat, quia vbi priuilegium conceditur illi Religioni, ita communicatur aliis Ordinibus, vt deinceps ius in illud habeant, ac retineant independenter ab illa: sicque ipsum non deperdunt, siue ea destruatur, siue non.

Quod si quæras, quando priuilegium censeri debeat personale, & quando reale.

Respond. censeri personale, quando conceditur, expresso nomine siue tantum personæ, cui conceditur priuilegium (v. g. conceditur Titio) siue personæ, & dignitatis simul (v. g. conceditur Titio Episcopo Ferrariensi:) idque siue præponatur nomen legati, siue nomen dignitatis; si quidem nomen dignitatis contrahitur à nomine personæ, tanquam genus à specie, censeri verò priuilegium reale, quando conceditur expresso solo nomine dignitatis (v. g. 92.

conce

conceditur Episcopo Ferrariensi) ideóque transire ad Successorem in dignitate; siue res sit integra, siue non: dignitas enim non extinguitur, sed semper manet. ita Sanchez *lib.8.de matr. D.27.num.6.* qui hanc quæstionem fusè prosequitur, docetque *num.4* cum Menoch.*lib.1. de præsumpt. quæst. 39. num. 7.* & aliis priuilegium in dubio præsumendum esse personale, & præsumptionem respicientem personam præualere præsumptioni respicienti dignitatem; cum præsumptio specialis præponderet generali; quo modo generi per speciem derogatur.

QVÆRES IV. An priuilegia amittantur per lapsum temporis.

93. Respond. amitti. ita Laym. *lib.1.tract.4.c.23.n.17.* aliique communiter; & patet, tum *ex lib.quoties C. de prac. Imperat offer.* tum quia priuilegium non durat vltra intentionem concedentis; concedens autem non vult priuilegium durare vltra terminum ab ipso præscriptum; quod tamen habet locum duntaxat in priuilegio temporali.

QVÆRES V. An, & quando priuilegia amittantur ob cessationem causæ finalis, propter quam concessa sunt.

94. Respond. pro responsione suppono 1. hunc modum amittendi priuilegia non habere locum in priuilegio, quod non derogat iuri, siue communi, siue alterius tertij, & est mera gratia Principis: quippe tale priuilegium, vt ritè, & licitè concedatur, vel non requirit causam (vt aliqui DD. volunt,) vel si requirit, eam solùm requirit, vt honestè, ac prudenter concedatur; vnde fit, quod, vbi priuilegium concessum est, iam non requiritur talis causa; cum hæc solùm fuerit necessaria respectu voluntatis Principis, vt honestè moueretur, & consequenter ipsum priuilegium manet, estò cesset causa illud concedendi: decet enim beneficium Principis esse mansurum.

Suppono 2. hunc modum amittendi priuilegia neque habere locum in priuilegio rigoroso derogante iuri communi, aut alicuius tertij, quod vnico actu consummetur; si quidem consummato effectu, priuilegium transit; secùs, si priuilegium habeat tractum successiuum, eo quod detur per modum potestatis ad successiuè operandum, aut omittendum in futurum.

Suppono 3. causam finalem priuilegiorum cessare posse non solùm negatiuè, sed etiam contrariè: negatiuè quidem, quando ratio, quæ induxit Principem ad concedendum, non ampliùs subsistit, vsus tamen priuilegij non est iniustus, nec per se contra vllam virtutem (vt si datum sit monasterio priuilegium non soluendi decimas ob indigentiam, & monasterium non amplius egeat;) contrariè verò cessat causa priuilegij; quando vsus priuilegij ob mutationem materiæ, aut circumstantiarum factus est iniustus, aut iniquus (vt si monasterio applicetur pars aliqua decimarum alicuius Ecclesiæ, quæ tempore concessionis poterat ex reliquo sufficienter sustentari, & posteà, mutatis rebus, ampliùs non potest, si tota illa pars decimarum ipsi subtrahatur:) his suppositis,

95. Respond. priuilegia amitti, quandocumque cessat causa finalis illorum contrariè, idest quando vsus priuilegij factus est iniustus, aut iniquus, inutilis, aut perniciosus, etiam ipsi priuilegiato; secùs, si causa finalis cesset solùm negatiuè modo dicto. ita Suarez *supr. cap.30 numer. 6.* & alij contra Sanchez *lib. 8. de matrim. D. 30. num. 14.* aliósque; & quidem quod, cessante causa finali priuilegij, cesset priuilegium, patet, quia valor priuilegij pendet à tali causa in fieri, & conseruari; si quidem actus non operantur vltra intentionem agentis *quemadmodum de ureiur.* Quod verò causa priuilegij debeat cessare contrariè, probatur, tum quia priuilegium eo ipso quod est de re illicita, est nullum; cum sit eadem ratio de conseruatione priuilegij, ac de inceptione, & aliàs neutro modo dari possit facultas ad agendum malum: quo pacto *lib.Vranius 72.§.sed cum duo ff. de fideiussor.* dicitur *quod qui peruenit ad statum, in quo incipere non posset, in eo remanere non potest:* tum quia, sicut lex cessat, cessante causa per contrarietatem; ita & cessabit priuilegium, quod est quędam lex, & quidem tanto mutabilior, quanto specialior. Dixi, *secùs si causa finalis cesset solùm negatiuè:* nam in tali casu quamuis cesset ratio priuilegij, non ideo tamen priuilegium sit iniquum, cum eius vsus adhuc sit iustus, licitus, ac vtilis.

Addo cum Suarez *supr. num. 14.* ad hoc vt priuilegium amittatur, requiri, vt causa cesset contrariè, non solùm ad tempus, sed perpetuò; si enim cesset solum ad tempus, priuilegium non extinguitur, sed suspenditur eius effectus: cum sic vsus priuilegij sit malus non simpliciter, & perpetuò, sed ad tempus, ac proinde, eius vsus alio tempore esse possit honestus. 96.

QVÆRES VI. An, & quo modo priuilegia amittantur per reuocationem.

Pro responsione suppono 1. reuocationem priuilegij aliam esse expressam, quæ potest fieri tum in specie reuocando aliquod priuilegiũ speciale, ac nominatum: tum per clausulam generalem. *Non obstantibus quibuscumque priuilegijs,* &c. aliam esse tacitam, quæ fit per actum Principis contrarium, modò præsumi possit ipsum scire, ac meminisse priuilegij iam concessi: vt si iubeat exigi tributum ab eo, quem olim exemerat à tributis. 97.

Suppono 2. ex Suar. *lib.8.de leg. cap.38.num 1* Salas *D.17. de leg. sect. 14. & alijs* per clausulam illam generalem *Non obstantibus*, &c. non censeri reuocata 1. priuilegia inserta in corpore iuris, nisi eorum quoque clausula derogatoria exprimatur: cum enim correctio iuris vitari debeat, & non facilè præsumi, ius generale posterius non tollit ius prius speciale, si ob aliquam rationem specialem exceptum videri possit. 2. priuilegia in corpore iuris non contenta, si iis insertum sit, quod non debeant præsumi ablata, nisi speciali eorum mentione facta (quamquam eiusmodi priuilegia censeri debeant reuocata, si plenissima fiat derogatio, per quam voluntas derogantis sufficienter explicetur) vt si dicatur *Non obstantibus quibuscumq. priuilegijs sub quacumque forma conceptis:* vel *Etiam si de verbo ad verbum debeat de illis mentio fieri*, &c. nam Papa prædecessor non potest ligare manus Successoris, vt sic, aut sic reuocet (v.g. transcribendo antiquum priuilegium) 3. non reuocantur priuilegia concessa per modum contractus onerosi, nisi in ipsa reuocatione dicatur, *Etiamsi per modum contractus fuerint concessa:* cum enim talia priuilegia iure ordinario sint irreuocabilia (vt infrà) & ad ea iustè reuocanda requiratur grauissima causa spectans ad bonum commune, non præsumuntur reuocati, nisi modo dicto sufficienter exprimantur 4. per clausulam generalem, *Non obstantibus*, non reuocantur priuilegia contenta in Conciliis generalibus, nisi de illis fiat expressa mentio, dicendo v. g. *Non obstante quauis constitutione, seu lege in Concilio generali edita;* talia namque priuilegia matura deliberatione conceduntur, ideóque videntur continere virtualem clausulam, vt non possint reuocari, nisi ipsorum fiat expressa, ac specifica mentio. 98.

tio. Imò Henriq. *lib. 7. cap. 26. num. 3.* & Sanch. *lib. 3. de matrim. D. 26.* putant, si priuilegium contineatur in Concilio generali moderno (quale est Tridentinum) ipsum non sufficienter reuocari, nisi fiat specifica mentio Tridentini; quod tamen Bonac. *D. 1. de leg. q. 3. p. 8. §. 3. num. 11.* dicit non videri facilè admittendum. In his, inquam, quatuor casibus non reuocantur priuilegia per clausulam generalem, *Non obstantibus*, &c.

Suppono 3. quòd, quando Papa in suis bullis, aut breuibus contendit derogare priuilegiis in futurum concedendis à suis successoribus, id solùm operatur, vt in concessione futuri priuilegij ad illius validitatem requiratur clausula derogatoria præfatæ derogationis anticipatè factæ; ita vt Papa concedens postea tale priuilegium non censeatur illud voluisse concedere, nisi in concessione apponat dictam clausulam derogatoriam: & hoc, licèt simpliciter concedat priuilegium, quod vtique non est ligare manus Papæ successori, sed instituere formam loquendi ad significandam suorum successorum voluntatem, quæ non sufficienter significatur supposita tali sermonis institutione, si tali forma non vtantur: sicut Grammatici, seu linguarum inuentores non dicuntur ligasse manus Pontificibus, & aliis Legislatoribus, si non loquantur iuxta significationem verborum, & constitutionem talis idiomatis, sed solùm posita tali institutione sermonis non satis explicare suam internam voluntatem aliter loquentes.

99. Suppono 4. ex Laym. *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 17.* quod attinet ad tacitam priuilegiorum reuocationem has duas regulas maximè attendendas esse. Prima est per legem vniuersalem non derogari priuilegiis in corpore iuris non contentis, si specialis mentio ipsorum fiat: princeps quippe non præsumitur scire ius priuatum, nec particularia facta, *cap. 1. de Constitut. in 6.* Secunda regula est priuilegium priùs concessum non tolli per posteriùs rescriptum, aut priuilegium, quod videatur contrarium, nisi de eo specialis mentio fiat; cum posteriùs rescriptum, aut priuilegium censeatur processisse ex ignorantia, *cap. ex parte 1. de offic. deleg.* (intellige, nisi priùs priuilegium sit in corpore iuris contentum, adeòque Principi præsumatur notum; aut certè priùs priuilegium sit generale, & posteriùs speciale: tunc enim probabile est derogari priori priuilegio ex parte, iuxta *regul. 34. de regul. iur. Generi per speciem derogatur*, sine ea antecedat, siue sequatur: cum Princeps censeatur concedere gratiam generalem eo animo, vt semper occurrente aliquo casu, ei per gratiam specialem possit derogare; excipe, nisi virtute prioris priuilegij generalis acquisitum sit ius tertiæ personæ: tunc enim non debet præsumi Principem posteriori priuilegio speciali voluisse derogare, sine maiori discussione causæ alteri præiudicium inferendo: vt notauit Panorm. *cap. 1. n. 10. de rescriptis.*

100. Suppono 5. reuocationem priuilegij posse fieri, tum per legem, tum etiam priuatim: & quidem, si fiat per legem, requiri publicationem reuocationis, eaque facta priuilegium manere reuocatum, ita vt acta ab ignorante reuocationem sint inualida, nisi ex vi tituli colorati, ac erroris communis, iuxta *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* validentur: si autem reuocatio fiat priuatim, ea non operatur suum effectum, nisi postquam ex priuilegiato innotuerit modo infra dicendo. ita Bonacina *supr. num. 10.* addens ad reuocationem priuilegij per legem illud idem spatium temporis requiri, quod Doctores dicunt exigi ad inducendam obligationem legis: his suppositis

Respond. ad propositam quæstionem cum distinctione: vel loquimur de priuilegiis omnino gratuitis, & hæc possunt amitti per reuocationem concedentis, aut successoris factam etiam sine causa: cum sic eorum concessio merè pendeat ex voluntate illius (intellige, nisi per tale priuilegium acquisitum sit dominium alicuius rei (v. g. alicuius oppidi) tunc enim sine causa non potest priuilegium reuocari, vt infra:) vel loquimur de priuilegiis ex contractu oneroso concessis, aut certè in remunerationem alicuius obsequij, siue exhibiti, siue exhibendi à priuilegiato; & hæc non possunt reuocari, nisi ex iusta causa respiciente bonum commune: cum sic concedens adstringatur suo contractu, & priuilegiatus aliquod acquisierit, cui non potest sine sufficienti causa præiudicari. ita Sanchez *lib. 8. de matr. D. 33. num. 3.* aliique communiter; inter quos Suar. *supr. cap. 37. num. 5.* bene notat Principem volentem reuocare aliquod priuilegium onerosum, teneri illud aliter compensare, quatenus potest; quamuis enim Princeps ob bonum publicum, aut aliam vrgentem causam possit rescindere contractum initum cum subdito; non ideò tamen potest illum priuare re sua absque eo, quod illi faciat debitam compensationem; cum subditus non teneatur cedere iuri suo gratis, si ipsi commodè fieri possit iusta compensatio. 101.

Vtrùm verò compensatio locum habeat etiam in priuilegio remuneratorio, quod æquiparatur priuilegio obtento per viam contractus, ac proinde videtur esse æquè irreuocabile.

Respond. habere, quotiescumque remuneratio debetur ex iustitia: non item, si debeatur solùm ex gratitudine; Princeps enim dans priuilegium ex gratitudine, non præsumitur velle se obligare ad compensationem in euentu, quo auferat tale priuilegium; cum gratitudo non sufficiat ad proprium, ac rigorosum contractum; vnde fit, quòd si priuilegium remuneratiuum concessum ex gratitudine, iusta de causa reuocetur, compensatio non sit debita nisi ex gratitudine (vti fuit prima remuneratio) non autem ex iustitia: quod tamen non facit, quò minùs priuilegium remuneratiuum per se sit irreuocabile, cum ipsa ratio remunerationis id includat, & hoc ipsum petat gratitudo. 102.

Hinc inferunt aliqui apud Peyt. *tom. 3. priuileg. cap. 12. num. 1.* ad Constit. 18. Vrb. VIII. reuocationem viuæ vocis oraculorum (de qua infra) non obligare, quoad forum conscientiæ, eam interpretantes tanquam odiosam, ita vt minùs lædat, quam fieri possit: cum deceat priuilegia concessa Regularibus conseruari, vtpote, quæ illis fuerunt concessa intuitu meritorum, & sanguinis effusi pro S. R. Ecclesia: idque probant ex doctrina Bald. *de Priuilegijs, tract. de exempt. n. 22.* sic illi; quàm probabiliter ipsi viderint: Peyt. certè *vbi supr.* ait, & bene, standum esse interpretationi, quam seruat stylus Curiæ Romanæ. 103.

Illud porrò hîc bene monet Sanchez *lib. 3. de matrim. D. 30. num. 13.* reuocationem priuilegij non ligare priuilegiatum, donec ipsi innotuerit, & quidem notitia, non casuali, sed aliquo modo destinata ad ipsum priuilegium; nam per quas causas res nascitur; per easdem & dissoluitur, ideòque sicut priuilegium incipit valere erga absentem per destinationem, nuncij epistolæ, &c. ita & eodem modo debet reuocari, ac tolli; dissentiunt Suarez *supr. c. 40. num. 7.* aliique apud ipsum Sanchez *num. 12.* ea ducti ratione, 104.

ratione. quod res facilius destruitur, quam acquiratur, & aliàs ad reuocationem non requiritur consensus, & acceptatio personæ priuilegiatæ; quæ tamen requiruntur ad illius acquisitionem.

Addit Bordonus *supr. num.* 132. reuocatis priuilegiis alicuius Ordinis, non ideo his priuari aliorum Ordinum Religiosos de iis participantes: & probat, quia ex dictis *supr. num.* 40. communicatio priuilegiorum priuilegium communicatum sic facit proprium Ordinis communicantis, vt is illud possideat independenter ab Ordine, cui per se illud fuit concessum (esto illud originaliter habeat ab illo) sicque in esse, & conseruari non pendet à priori Ordine: quo modo filius in suo existere pendet à patre, non item in conseruari. cum Bordono sentiunt Peregrinus, Rodriq. Suar. Nau. Nald. & Miranda relati ab ipso Bordono, qui ait *num.* 320. quod, cum iuxta dicta priuilegia aliàs reuocata reualidentur per confirmationem priuilegiorum factam à Papa de plenitudine potestatis: & Gregorius XV. die 16. Octobris 1621. per bullam *In Apostolica*, priuilegia Theatinorum ex certa scientia, & de plenitudine potestatis confirmauerit, tum concessa ipsis principaliter, cum per communicationem aliorum Ordinum, non additis solitis restrictionibus: per hanc amplissimam confirmationem reualidata sunt omnia priuilegia, aliàs reuocata, tam illorum propria, quam aliorum iis communicata; sicque non amplius retinent formalitatem illam reuocationis, ex quo restituta fuerunt: quare clausula illa *modò non sint reuocata* nequit habere locum in priuilegiis ante illum diem reuocatis, & posteà restitutis, sed solùm respectu eorum; quæ postea à Gregorio XV. & Vrbano VIII. fuerunt reuocata; si quæ tamen ab iis reuocata sunt. Quæ confirmatio priuilegiorũ prodest non solùm Theatinis, sed etiam Reliogiosis aliorum Ordinum communicantium de Theatinorum priuilegiis ob dicta *supr. num.* 29. quæ admittit idem Bordonus *n.* 321. ex Rodriq. Miranda, Suar. Portello, & Peregrino monens ex dictis hic paucissima priuilegia cõprehendi in præsẽtia sub dicta clausula *modò non sint reuocata.*

Quòd si quæras, an eodem modo reuocari possint priuilegia concessa non subditis, ac reuocantur ea, quæ concessa sunt subditis.

105. Respond. non posse, & probatur, quia priuilegium concessum non subdito, & ab eo acceptatum transit in contractum; nullusque Princeps ius habet priuandi non subditum suis rebus legitimè acquisitis, vndecumque hæ ad illum perueniant: &, si quis eas recipiat à Principe non suo, in iis perinde manet non subditus, ac si illas aliunde acquisiuisset; quæ vtique nnn militant respectu subditorum; vt videri potest apud Suar. *vbi supr.*

106. Addo ex Castro Pal. *tract.* 3. *D.* 4. *part.* 21. §. 2. *n.* 6. pro se alios referente ad hoc, vt priuilegium censeatur concessum in remunerationem meritorum non sufficere, quod in concessione priuilegij fiat generalis mentio ipsorum meritorum, sed requiri, vt fiat mentio eorum specialis (dicendo v.g. *Ob hæc, & illa merita tibi hoc priuilegium concedimus*) ratio est, quia priuilegium ob merita concessum debet adæquari meritis; non potest autem constare talis adæquatio, nisi merita exprimantur, vt patet; prætérquam quod generalis mentio meritorum facta in priuilegio videtur potius fieri ob honorem priuilegiarij, quam pro veritate; adeóque reputari debet, ac si non fuisset facta iuxta *l. quod venditor ff. de dolo.*

107 *Perit priuilegium per voluntariam renunciationem priuilegiarij.*
108 *Non item per renunciationem dolo, aut metu extortam.*
109 *Amissio priuilegij per non vsum procedit solùm in priuilegio affirmatiuo: & ipse non vsus alius est negatiuus, & alius priuatiuus.*
110 *Priuilegia affirmatiua per non vsum pereunt, sed non omnia.*
111 *Si adsit occasio vtendi, & non vtaris, & concurrant tria.*
112 *Priuilegia negatiua alteri damnosa per actum contrarium pereunt 2. modis.*
113 *Præscriptio priuilegiorum solùm fit per certum tempus.*
114 *Priuilegium non est amissum, etsi plures ex priuilegiatis eo non vtantur.*
115 *Amissio priuilegij per contrarium vsum procedit maximè in priuilegijs negatiuis, vsus autem contrarius est duplex.*
116 *Pereunt priuilegia per contrarium vsum, sed non semper.*
117 *Priuilegium habens tractum successiuum per actum contrarium perit solùm secundum quid.*
118 *At contrarius vsus, loquendo de Regularium priuilegijs, debet esse totius Ordinis.*
119 *Priuilegia per abusum regulariter non pereunt.*
120 *Regularium priuilegia non reuocantur per Bullam Cruciatæ.*
121 *Concessa à principe laico reuocari nequeunt ab eius Successore.*
122 *Priuilegia reuocantur, si constet ea enormiter obesse.*
123 *Item, si obsint priuilegiario.*
124 *Priuilegia localia pereunt, destructo loco.*
125 *Abrogato Priuilegio exemplari non perit priuilegium ad instar.*
126 *Priuilegia in dubio censentur durare.*
127 *Si concedantur duo priuilegia contraria, non semper vtrumque subsistit.*
128 *Reuocatio priuilegiorum, vt sic non extenditur ad viuæ vocis oracula.*
129 *Priuilegium bullatum à non bullato differt ex forma loquendi.*
130 *Priuilegia Regularibus viuæ vocis oraculo concessa reuocata sunt à Gregorio XV. & Urbano VIII.*
131 *At hanc reuocationem limitat Peyrinus; & est notabilis doctrina.*
132 *Quam tamen reijcit Bordonus, sed minus efficaciter.*
133 *Dicta reuocatio alijs modis limitatur à Bordono.*

QVÆRES VII. An, & quo modo priuilegia Regularium amittantur per renuntiationem factam ab ipsis Regularibus.

Respond. amitti, si renunciatio sit voluntaria, & fiat, non quidem ab aliquo Religioso in particulari, sed à tota Religione (v. g. à Capitulo) & acceptetur à concedente, ipsumque priuilegium habeat tractum successiuũ, id est consistat in potentia faciendi, aut omittendi aliquid in futurum (quale est priuilegium audiendi confessiones, non soluendi tributa, &c.), quod proinde dicitur habere tractum successiuum ad differentiam illius priuilegij, quod operatur statim ac est obtentum, ideóque dicitur habere effectum momentaneum (quale est dispensatio in impedimento matrimonij) est communis DD. apud Bonac. *part.* 8. §. 14. *num.* 1. & probatur, tum *ex cap. si de terra, de priuil.* tum quia priuilegium quoad suam vim pendet à voluntate concedentis; à voluntate autem concedentis non pendet eo ipso quod concedens acceptauit renunciationem factam ab ipso priuilegiato, & consequenter non ampliùs subsistit, ideóque amittitur. 107.

Dixi

Dixi, *si renunciatio sit voluntaria:* non enim priuilegium amittitur per renunciationem factam ex dolo, aut metu: quippe quæ est quædam donatio, sicque non subsistit cum dolo, aut metu. Dixi prætérea, *si fiat à tota Religione* &c. vt innuerem eiusmodi renunciationem factam à Religioso particulari non operari quidquam; cum renuntiatio sit abdicatio illius, quod quis habet de suo: priuilegium autem concessum in communi non est proprium vnius Religiosi, aut Prouinciæ, sed totius Religionis, ideóque solùm Capitulum generale repræsentans totam Religionem potest ei renunciare. Dixi, *& acceptetur à concedente:* quia priuilegium non amittitur sola voluntate renunciantis, vt ostendit Portel. *supr. num.* 54. & patet ex modò dictis. Dixi denique *priuilegiumque habeat tractum successiuum*, non enim potest renunciari priuilegium, quod habet effectum momentaneum: vt constat in eo, qui dispensatus est ad contrahendum matrimonium cum consanguinea; hîc namque per renunciationem dispensationis non potest se facere iterum inhabilem ad contrahendum.

Porrò, vt renunciatio priuilegij auferat priuilegium, debet perfici acceptatione eius, qui priuilegium concessit: res enim, per quas causas nascitur, per eas & dissoluitur; sicque priuilegia, sicut nascuntur à Principe, ita & per eius voluntatem dissoluuntur, facta acceptatione renunciationis; vt docent Sanch. *lib.* 8. *de matr. D.* 32. *num.* 2. & omnes in *cap. si de terra cap. accedentibus, de priuil.* idque siue acceptatio sit ab homine, siue à iure concedente facultatem renunciandi priuilegio. & hoc est adeo verum, vt renuncians priuilegium, mutata voluntate, possit velle eo vti, vsque dum acceptata sit renunciatio à legitima potestate: vt in simili ostendit Bordonus *supr. n.* 112. monens *n.* 114. ex Cephalo *cons.* 286. *num.* 29. *tom.* 2. in dubio non præsumi quem renunciasse iuri suo, cum renunciasse iuri suo de facili nullus præsumatur *cap.* 5. *de renunc.* nec quis dicatur renunciasse iuri suo, nisi expresse renunciauerit: quamuis aliàs renuncians intelligatur renunciasse omnibus, quæ sequuntur ex illo, & etiam omnibus cohærentibus, *glossa v. dicere, cap.* 1. *dist.* 8. per *cap. si. quis Sacerdotum, dist.* 81. *cap. si quis Episcopus quæst.* 1. *cap. nullus primas, quæst.* 2.

QVÆRES VIII. An, & quo modo priuilegia amittantur per non vsum.

109. Respond. pro responsione suppono 1. hunc modum amissionis solum habere locum in priuilegio affirmatiuo indulgente aliquid faciendum; sicut enim omissio peccaminosa opponitur præcepto affirmatiuo; ita & non vsus priuilegij solum opponitur priuilegio concedenti aliquem vsum; quod proinde vocamus affirmatiuum ad differentiam priuilegij negatiui, quo conceditur facultas non faciendi aliquid (v. g. non soluendi tributa.)

Suppono 2. dupliciter posse contingere, vt quis non vtatur suo priuilegio; nimirum merè negatiuè, eo quod non adsit occasio illud vsurpandi; & priuatiuè, quando scilicet adest occasio vtendi priuilegio, & tamen priuilegiarius sciens, ac volens eo non vtitur; his suppositis.

110. Respond. priuilegia affirmatiua, si quidem vergant in damnum alterius, amitti per non vsum spatio decennij inter præsentes; spatio verò 20. annorum inter absentes (modo non defuerit occasio vtendi) idque partim per viam præscriptionis, partim per viam tacitæ renunciationis ex dispositione iuris; si autem non vergant in damnum alterius, non amitti per non vsum, aut aliorum præscriptione. ita Laym. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 19. *ac seqq.* & quoad 1. partem probatur, tum *ex lib.* 1. *ff. de nundinis:* tum quia omnes obligationes, ac seruitutes tam reales, quam personales modis supradictis extinguntur, si altero iure suo pro temporum occasione numquam vtente, res obligata decursu legitimi temporis possideatur velut libera, & tandem vsucapiatur. Quoad 2. verò partem probatur, quia priuilegia non vergentia in damnum alterius, non amittuntur neque via præscriptionis, cum nullum respiciant, & grauent; neque via tacitæ renunciationis, cum vnusquisque vti possit liberè suo priuilegio. Quod si *lib.* 1. *ff. de nundinis* dicitur, *Nundinis impetratis à Principe non vtendo, qui meruit, decennij tempore amittit:* idest speciale in priuilegio nundinarum, quippe quod solet concedi, cum hac conditione, vt per non vsum decennij spatio amittatur, ideóque non debet extendi ad alia priuilegia, quibus non inest talis conditio, neque ex iure scripto, neque ex consuetudine.

Dixi, *modò non defuerit occasio vtendi*; si enim habeas priuilegium iurisdictionis, & eo per longum tempus non vtaris, eo, quod nullum malefactorem apprehẽderis; non ideò priuilegiũ amittis, cum talis non vsus sit merè negatiuus, qui non repugnat priuilegio, neque continet tacitam voluntatem renunciandi priuilegio, vt notat Suar. *supr. cap.* 34. *n.* 4. 111.
ex quo notat *Homo bonus tract.* 8. *cap.* 2. *quæst.* 6. §. *ad quintam* priuilegia Regularium ad hoc, vt amittantur per non vsum, requiri 1. scientiam priuilegij, & voluntatem eo non vtendi 2. vt se obtulerit occasio illud vsurpandi: 3. vt spatio 40. annorum, immo & 60. iuxta alios DD. Religio in communi dicto priuilegio noluerit vti, quam doctrinam tradunt etiam Antonius Naldus *v. priuilegium n.* 9. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 8. *art.* 3. 4. & 5. Bela *p* 4. *casu* 4. §. *dico secundo.* 112.

Respond. secundò priuilegia negatiua in alterius damnum redundantia per actum contrarium duobus modis amitti: 1. per præscriptionem, si post contrauentionem priuilegij factam sine protestatione labatur tempus sufficiens ad præscribendum (vt si quis ab Ordinario exemptus se sistat iudicio ipsius Ordinarij: 2. per tacitam renunciationem, si quidem in foro externo præsumitur renuntiare proprio priuilegio, qui sine necessitate exercet actum ei contrarium. ita Laym. *supr. num.* 23. cum communi DD. addens ex Suar. *supr. cap.* 35. *num.* 25. priuilegiatum, si exerceat actum contrarium non habens simpliciter animum renuntiandi priuilegio, sed solum, quoad illum actum, non amittere priuilegium, quoad forum conscientiæ; cum talis amissio fundetur in præsumptionem renunciationis, quæ cessat, vbi constat de veritate; imò nec quoad forum externum, si constet, aut ex iudiciis colligatur defuisse animum simpliciter renũtiãdi, & tẽpus legitimæ præscriptionis non excurrere vna cum taciturnitate priuilegiarij.

Quantum verò temporis requiratur ad præscribendum aduersus priuilegia Regularium.

Respond. non sufficere illud tempus, quod iure communi sufficit ad præscribendum contra priuilegia aliorum, sed requiri ex decreto Innocentij III. annos 40. aut etiam 60. ex concessione Eugenij IV. imò & 100. ex indulto concesso Patribus S. Benedicti ab Eugenio IV. & relatu à Rodriq. *tom.* 3. *q.* 35. *a.* 2. qui Eugenius IV. iisdem Patribus Benedictinis concessit speciale indultum, ne contra eorum priuilegia vllo modo possit præscribi; vt videre est penes ipsum Rodriq. *art.* 3. & nos retulimus *sect. præcedenti q.* 15. ita Portel. *supr. n.* 58 ex Rodriq. Suar & Io. de La Cruz: quod sine dubio est priuilegiũ magnũ: si quidem, adhuc durat, estque bullatũ; de quo non parum dubito, præsertim, quoad forum externum, in quo 113.

vtique non pauca omitti debent, quæ aliàs in foro conscientiæ licitè fieri possent iuxta illud *multa licent, quæ non expediunt.*

Ex quibus infert Bordonus *n.* 122. difficile esse, quod præscribatur contra Regularium priuilegia; cum hæc ab aliquibus Pontificibus confirmata clausulis restrictiuis alij Pontifices confirment in ampliori forma, & absolutè, sicque inualida, ac nulla prætexto abusus, vel non vsus, vel contrarij vsus, vel priuationis vsus, aut imperfectæ præscriptionis de nouo incipiant esse valida, ac si tunc primò concessa fuissent, & aboleatur, qualibet inchoata præscriptio aduersus illa, vt aduertit *Confessitius tit.* 1. *cap.* 3. §. *nec etiam*, & *tit.* 12. *cap.* 1. *de præscript.* Quamquam hoc intelligi debeat, modò confirmatio non habeat clausulam *Modo aliàs non fuerint reuocata*; nam per talem confirmationem sic limitatam non reuiuiscunt priuilegia aliàs reuocata. sic Bordonus concludens *numer.* 123. Regulares amittere sua priuilegia ex contrario actu, seu acto priuatiuo, præscriptione centenaria (eum hi actus inuoluant aliquam negligentiam, & abusum) non item per vsum negatiuum; cum sic excusentur à culpa, & præscriptio non currat contra non valentem agere, aut ignorantem ius suum.

114. Illud autem benè monet Portell. *de dub. regul. v. priuileg. num.* 55. ad hoc, vt priuilegium concessum alicui Ordini non censeatur amissum, sufficere, quod illud sit in vsu apud aliquam, vel aliquas prouincias eiusdem Ordinis: patet, quia priuilegium vnius Monasterij iuxta sup. dicta extenditur ad omnia monasteria eiusdem Ordinis, imò etiam ad alios Ordines, qui cum illo habent communicationem priuilegiorum: ergò etiam priuilegium, quod est in vsu apud aliquam, aut aliquas prouincias item extenditur ad omnes prouincias, ac monasteria eiusdem Ordinis. Imò etsi detur aliquod priuilegium desiisse omninò esse in casu apud omnes prouincias, & omnia Monasteria alicuius Ordinis: nihilominus, si tale priuilegium sit in vsu apud aliquem alium Ordinem, & ille alios Ordo in huius priuilegiis communicet, poterit talis Ordo vti dicto priuilegio per viam communicationis; non secus ac posset vti priuilegio, quod fortè de nouo concederetur illi alteri Ordini, aut certè numquam anteà vsurpasset; quod enim aliquis Ordo hactenus non fuerit vsus aliquo ex priuilegiis concessis aliis Ordinibus, cum quibus habet communionem priuilegiorum; non facit, quò minus possint incipere eo, vti in præsentia: Ex alia parte, admissa doctrina tradita in hoc ipso *cap. sect.* 3. *quæst.* 1. quod scilicet priuilegium competens per viam communicationis æquè sit proprium illius, qui de eo communicat, ac si ei primò fuisset concessum, ita, vt si is, cui primò conceditur, illud amittat, non ideò illud amittat is, qui de eo communicat: sequitur in præsenti casu Religiosos communicantes de priuilegio, cuius vsus omninò desiit apud Ordinem, cui primò concessum fuit, posse adhuc eo vti; sicut possent, si eis primò fuisset concessum tale priuilegium. vt proinde falsum sit communicationem priuilegij nihil aliud esse, quam extensionem priuilegij ab Ordine, cui primò concessum est, ad alium Ordinem; sicque tale priuilegium, sicut in sui primo fieri respectu secundi Ordinis communicantis dependet à primo Ordine, cui primò, & per se fuit concessum, ita ab eo pendere in conseruari; ita vt, si in primo Ordine desinat, consequenter desinat in secundo Ordine, qui de eo communicat: data enim doctrina illa, quam Portellus *ibi* dicit esse communem, hoc non subsistit; cum potiùs dici debeat communicationem priuilegij iam factam alij Ordini esse omnino independentem in conseruari à priori concessione.

Addo non amitti per non vsum priuilegium in nullius grauamen cedens: priuilegium verò cedens in aliorum grauamen per non vsum solùm amitti, quando grauati præscribunt aduersus priuilegiatum: priuilegium denique concessum, non vt eo priuilegiatus vtatur ex obligatione, sed pro suo arbitratu, non amitti per non vsum. ita Castrus Palaus *tract.* 3. *D.* 4. *part.* 18. & *tract.* 21. *D. vn. part.* 19. *num.* 4.

QVÆRES IX. An, & qualiter priuilegia amittantur per contrarium vsum.

Pro responsione suppono 1. hunc modum amissionis maximè militare in priuilegiis negatiuis, quibus opponitur actio, quæ fit contra id, quod conceditur in priuilegio: vt si quis habeat priuilegium non soluendi decimas, & tamen eas soluat. 115.

Suppono 2. vsum contrarium, per quem priuilegium amittitur, posse esse contrarium dicto priuilegio, tum materialiter, tum formaliter; materialiter quidem, quando priuilegiarius agit contra priuilegium nesciens, aut non aduertens illum actum esse contra priuilegium; formaliter verò, quando priuilegiarius agit contra priuilegium tanquam ex obligatione, seu (quod idem est) cum intentione se obligandi; his suppositis.

Respond. priuilegia amitti per vsum contrarium, si quidem vsus sit contrarius, tum materialiter, tum formaliter: idque tam in foro conscientiæ, quam in foro externo; siue id fiat per legitimam præscriptionem, de qua *quæst. præcedenti*, siue per tacitam renuntiationem, quæ fiat per actum directè, & formaliter contrarium priuilegio. ita Suar. *l.* 8. *de leg. cap.* 35. *num.* 3. & probatur tum ex *cap. cum accessissent de Constit.* tum, quia sicut lex cessat per actus contrarios modo sup. dicto; ita & debet cessare priuilegium, quod est quædam lex. quod verò vsus debeat esse contrarius, tum materialiter, tum formaliter; patet ex eo, quod vsus priuilegij contrarius tantùm materialiter non est sufficienter volontarius ad effectum huius amissionis; quippe quæ reuocatur ad virtualem renuntiationem, cum tamen nemo censeatur velle renunciare id, quod ignorat, tollente ignorantia voluntarium. quod denique priuilegium amittatur tam in foro conscientiæ, quam in foro externo, probatur, quia in hoc casu etiam priuilegiarius modo sup. dicto operans contra priuilegium, moraliter loquendo videtur velle renuntiare priuilegio, saltem pro illo actu; & alter, in cuius fauorem operator, acceptat saltem virtualiter renuntiationem, quoad illum effectum. 116.

Dubium iam esse potest, an priuilegium, quod habet tractum successiuum, amittatur per quemlibet actum contrarium priuilegio factum ab ipso priuilegiario, aut certè de illius consensu.

Respond. Amitti, non simpliciter, sed solùm secundùm quid. ita Suar. *sup. num.* 14. ex Bartolo *in l. vlt. ff. de constit.* & probatur, quia ex vna parte per solam contrauentionem non censetur quis renunciare priuilegio, nisi in eo, in quo facit contra priuilegium; per aliquem verò vsum contrarium non facit contra totum priuilegium in se, & tota facultate sua, etiam pro futuris temporibus, sed tantùm hîc, & nunc in præsenti materia; ideóq; renuntiatio non debet extendi vlterius; ex alia parte vsus contrarius priuilegij, est quædam tacita renuntiatio ipsius priuilegij, adeóque sicut per expressam renuntiationem cessat priuilegium, ita & per contrauentionem; cum tacitum, & expressum in iure æquiparentur. 117.

Monet

118. Monet autem Pottel. *supr. n. 60.* contrarium vsum priuilegij factum per aliquem Religiosum, aut particulare aliquod monasterium non tollere priuilegium concessum Ordini, & ratio est, quod contrarius vsus, per quem amittitur privilegium, debet esse illius, cuius est priuilegium: in nostro autem casu contrarius vsus non fit à toto Ordine, cuius est priuilegium.

QVÆRES X. An, & quo modo priuilegia amittantur per abusum.

119. Respond. regulariter loquendo, non amitti: cum amissio priuilegij sit pœna, quæ non incurritur ipso iure, nisi alter constet ex iuris dispositione, aut mente concedentis; mereri tamen priuilegiarum sic abutentem suo priuilegio, vt ipsi auferatur iuxta *cap. vbi ista d. 74. priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.* ita Sylo. *v. priuilegium quæst.* 10. Diez, Panorm. & alij communiter penes Bonac. *supr. part.* 8. §. 7. qui bene monet abusum priuilegij, do quo hîc, contingere tam non vtendo priuilegiis loco, tempore, ac mensura præscriptis, quam eo vtendo vltra limites priuilegij (in quo casu actus est irritus ex defectu potestatia) nec non aliquid iniqui faciendo spe, occasione, aut licentia arrepta ex priuilegio, imò & agendo contra finem ipsiusmet priuilegij.

QVÆRES XI. An priuilegia Regularium reuocentur per bullam Cruciatæ vbi ea publicatur.

120. Respond non reuocari. ita Rodriq. *tom. 1. quæst. 61. art.* 14. & patet, quia in in bulla reuocantur solum Indulgentiæ, non autem priuilegia: cum tamen priuilegia non sint indulgentiæ; vnde fit, vt talis reuocatio non debeat extendi ad priuilegia; cum à diuersis non fiat illatio, præsertim in odiosis.

QVÆRES XII. An priuilegia Regularibus concessa per Principes sæculares reuocati possint ab iisdem Principibus, aut eorum Successoribus.

121. Respond. non posse. ita Sanch. *l. 7. in decal. c.* 12. *num.* 8. & probatur, tum quia ex quo Principes sæculares concesserunt priuilegia, & Regulares illa acceptarunt, non possunt ampliùs ea reuocare, ac auferre consensu Papæ, cum principes supradicti iurisdictionem non habeant in Regulares, ideóque non possint eos spoliare rebus suis; tum quia, vt aduertit Bellarm. *tom. 1. controu. part. 2. controu. 5. de membr. Eccles. milit. lib. de Clericis cap.* 28. fine totus orbis, à quo Principes laici iurisdictionem receperunt, consensit in præfata priuilegia, sicque à Pontificibus approbata sunt & ideò non amplius cadunt sub potestatem ipsorum Principum.

QVÆRES XIII. An priuilegia Regularium reuocentur, si temporis progressu constet ea esse enormiter perniciosa.

122. Respond. reuocari. ita Nald. *v. priuilegium num.* 11 & Laym. *supr. num.* 19. monent priuilegium, si cedere incipiat in graue damnum aliorum, aut Communitatis, & consequenter fiat iniquum ob rerum mutationem; vel per se ipsum cessare, vel certè posse reuocari ab illo, qui illud concesserat; probatur ex *cap. suggestum est de decimus,* vbi decimæ remissæ non comprehendunt futura tempora, si inde alteri damnum enorme contingat: vt si bona priuilegiarij sint valdè aucta.

QVÆRAS XIV. An priuilegia Regularium reuocentur, si ipsis reddita sint nociua.

123. Respond. reuocari, ne aliàs quod in gratia conceditur, retorqueatur in dispendium contra *reg. 61. de reg. iur.* ita Laym. *supr. num.* 20.

QVÆRES XV. An, & qualiter amittantur priuilegia destructo loco, cui ea sunt concessa.

Respond. amitti, recuperari tamen eo ipso, quod locus ille (v. g. monasterium) iterum construitur; excipe, nisi fortè authoritare Superioris destructum sit. ita Nald. *supr. num.* 8. ex Tiraquell. *regula cessante causa num.* 112. & patet ex eo, quod in tali causa manet solum immobile loci priuilegiati, in quo velut in semine, ac fundamento censetur conseruari priuilegium, veluti quoad proprietatem, vt posteà consurgere possit, quoad vsum. Imò Suar. *supr. cap. 5. num.* 8. addit quod, si Ecclesia in vno loco destruatur, vt aliò transferatur, non amittit priuilegia, sed cum ea transferantur, si ea concessa sint, non ratione situs, sed directè ipsi Ecclesiæ, & sub eius nomine; tunc quippe Ecclesia videtur æquiparari personæ, quæ secum defert priuilegium personale; stante quod Ecclesia recèns constructa vna numero censetur: cum priori Ecclesia; quod non habet locum in casu, quo locus auctoritate Superioris destruatur; cum sic locus omninò pereat, vt patet. 124.

QVÆRES XVI. An abrogato, aut quomodolibet amisso priuilegio exemplari concesso alicui Ordini, censeatur reuocatum, & amissum etiam priuilegium *ad instar.*

Respond. non censeri; si quidem priuilegium ad instar re ipsa est distinctum ab exemplari, non est correlatiuum illius, nec pendet ab eo in conseruari: cum verba priuilegij sint absoluta (vt suppono) & ex vi particulæ *ad instar* non sequatur talis dependentia. Vnde fit, vt, reuocato priuilegio *ad instar,* non reuocatur illud aliud, ad cuius instar fuerat concessum; quippe quod est non solùm prius, sed etiam est absolutum, ac independens à posteriori. ita Nau. *de Iubil. not. 26. num.* 8. Mandos. *in tract. de priuil. ad instar quæst.* 6. & alij apud Suar. *cap.* 15 *n.* 5. qui bene aduertit *num.* 6. quod si contingat concedi priuilegium ad instar, & posteà reperiatur nullum priuilegium in loco, persona, aut corpore, ad cuius instar priuilegium concessum est; priuilegium ad instar ex vi illius clausulæ generalis, si nihil aliud exprimatur, est inualidum; cum sic generalis illa concessio maneat incerta, & non possit determinari, adeóque sit inutilis; actiones enim humanæ, & morales versantur circa particularia. Dixi, *ex vi illius clausulæ generalis*; vt innuerem, quod si in concessione priuilegij ad instar specificè exprimantur gratiæ, cum relatione ad illud priuilegium (v. g. dicendo *Concedimus Ordini Minorum hoc, & illud priuilegium sicut Ordo S. Dominici illis fruitur*) tunc validum est priuilegium ad instar, habérque effectum specialem expressum in eo, estò Ordo S. Dominici de facto ea priuilegia non habeat: seu (quod idem est) licèt exemplar non subsistat; si quidem clausula *Ad instar*, aut *Sicut* non est conditionalis, sed absoluta, ac dispositiua, solúmque additur illud exemplum ad maiorem explicationem, aut certè ne alioqui concessio videatur noua. 125.

QVÆRES XVII. An priuilegia Regularium in dubio præsumi debeant reuocata.

Respond. non præsumi; cum in dubio melior sit conditio possidentis, & nemo debeat spoliari re sua. ita Diana *part. 4. tract. 3. resol.* 51. ex Paris, Alciato, & aliis, quos citat, & sequitur Sanctarel. *tract. 1. var. resolut. quæst. 16. num.* 12. 126.

QVÆRES XVIII. Vtrùm in casu, quo conceduntur duo priuilegia contraria vtrumque illorum subsistat, an verò solùm prius, aut posterius.

Respond. distinguendo: vel vtrumque priuilegium est generale, aut vtrumque speciale; vel prius est generale, & posterius speciale; vel prius est speciale, & posterius generale: si vtrumque est generale, 127.

aut vtrumque speciale; tunc adhuc subdistinguendum est; vel vtrumque continetur in iure communi, & posterius derogat priori; cum Princeps probabiliter præsumatur scire ius commune: vel neutrum continetur in iure communi; & tunc valet primum priuilegium; cum Princeps iudicetur ignorate, quod non consistit in iure, sed in facto: vel vnum continetur in iure, alterum non; & tunc valet priuilegium, quod est extra ius. Si autem priuilegium prius est generale, & posterius speciale, priuilegium prius abrogatur, & valet posterius, etiam nulla prioris mentione facta; cum speciale deroget generali: Si denique priuilegium priùs est speciale, & posterins generale; valet prius, non autem posterius; cum species derogei generi: & hoc, siue præcedat, siue sequatur. ita Azor. *part.* 1. *l.* 5. *cap.* 21. *q.* 18. cum Panorm. *in cap.* 1. *de rescript. num.* 14.

Qværes XIX. An reuocatis priuilegiis Regularium, censeantur reuocata etiam illa, quæ ipsis viuæ vocis oraculo concessa sunt.

128. Respond. non censeri, nisi in specie exprimantur. ita Henriq. *l.* 6. *cap.* 6. *num.* 6. Lezana *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 21. Portel. *de dub. Regul. v.* viuæ vocis oracula *num.* 3. aliique, & patet ex eo, quod reuocatio est odiosa, adeóque non debet ampliari ad viuæ vocis oracula, vtpote, quæ secundum propriam significationem verborum non veniunt nomine priuilegij, quo solùm significantur priuilegia scripta; à diuersis autem non fit illatio, vt patet.

Quod si quæras, per quid dignoscatur priuilegium bullatum per bullam non authenticam à priuilegio, quod est concessum viuæ vocis oraculo.

129. Respond. dignosci ex ipsa forma loquendi, qua illa exprimuntur, si quidem in priuilegio modo dicto bullato loquitur ipsemet Papa; in oraculis verò loquitur alia persona referens, & attestans, quid Papa censerit. patet id ex *bullario* Rodriq. in quo afferuntur multa exempla eiusmodi priuilegiorum. Addo solùm, ad hoc vt priuilegium dici possit bullatum (id est concessum per bullam) non requiri, vt in fine bullæ extet attestatio affixionis, seu promulgationis illius: nam ad priuilegium non requisitur promulgatio, teste Suar. *l.* 8. *de leg. cap.* 24. *n.* 7. imò sufficit copia priuilegij impressi, vt quis eo vti possit tuta conscientia, quod notat Nald. *v. priuileg. num.* 3.

Qværes XX. An, & à quibus fuerint reuocata priuilegia Regularibus viuæ vocis oraculo concessa.

130. Respond. Fuisse reuocata tum à Gregor. XV. tum ab Vrban. VIII. vt videre est apud Nald. *v. priuileg. num.* 4. & Lezanam *sup. num.* 21. cum hac tamen differentia, quod Greg. excepit viuæ vocis oracula, quæ fuerant confirmata manu propria S. R. E. Cardinalium; Vrbanus verò omnia omninò reuocauit; quantumuis firmata ab ipsis Cardinalibus. Quamquàm sub hac reuocatione viuæ vocis oraculorum non comprehendantur, nisi ea viuæ vocis oracula, quæ continent aliquam facultatem, licentiam, & gratiam: non item, quæ sunt meræ declarationes, aut explicationes factæ circa res concernentes ipsos Regulares; sicut nec ea, quæ ante reuocationem suum effectum sortita non fuerant: idque estò effectus tractum haberet successiuum in futurum, sicut notant Lezana *sup.* & Peyrin. *infra num.* 4. quod non admittit Bordon. *infra num.* 8. in casu, quo dictus effectus sic potest multiplicari, vt vnus ab alio non pendeat, quale esset indultum absoluendi à reseruatis.

131. Quin etiam Peyrin. *tom.* 3. *priuil. cap.* 12. loquens de bulla Vrban. VIII. reuocatoria viuæ vocis oraculorum putat in hac reuocatione non includi viuæ vocis oracula concessa Regularibus, tum ante Gregor. XIII. tum ab ipso Gregorio; idque ex eo colligit, quod ipse Gregorius 10. Octob. 1575. per bullatam confirmationem, & innouationem ex certa scientia (quæ iuxta sup. dicta vim habet nouæ concessionis) confirmauerit Ordini Minimorum, & consequenter etiam aliis Ordinibus communicantibus de priuilegiis talis Ordinis, omnia priuilegia viuæ vocis oraculo vsque ad illud tempus concessa à Summis Pontificibus; confirmauerit inquam, tum in genere, tum in specie, & quidem per particulares Constitutiones: vt proinde præsentia spectari debeant tanquam priuilegia scripta, non autem tanquam viuæ vocis oracula; quippe quæ ex vi talis confirmationis mutauerunt naturam, adeóque non amplius veniunt nomine viuæ vocis oraculorum, sed absolutè, & simpliciter dici possunt, & debent priuilegia scripta. ita Peyr. quam probabiliter (maximè, quoad forum externum) viderit ipse, & iudicent alij, non enim Iubet io his immorari.

Addo quod, cum Paulus V. die 23. Maij 1605. priuilegia PP. Dominicanorum per quoscumque Romanos Pontifices, per ipsum, & per Sedem Apostolicam *sub quacumque verborum forma, & expressione in genere, & in specie, & per solam signaturam, & viuæ vocis oraculo, aut aliàs quomodolibet concessa, ac semel, seu pluries confirmata, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus, Apostolica authoritate perpetuò confirmauerit, & approbauerit, illisque perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur* adiecerit (*singulas literas tam plumbo, quam sub forma Breuis, aut aliàs desuper confectas, quarum tenores, & formas datas, effectus, decreta, & alia in illis contenta, ac si de verbo ad verbum insererentur,* hui suæ bullæ *pro sufficienter expressis haberi volens*) quatenus *S. Concilij Trid. Decretis, nec non Regularis Ordinis Dominicani Institutis non aduersentur, ac reuocata non sint, neque sub aliquibus reuocationibus comprehensa*: doctrina modò tradita pariter procedit etiam, quoad viuæ vocis oracola Regularibus concessa à Summis Pontificibus vsque ad diem 23. Maij anni 1605. quod est benè aduertendum, quandocumque proponetur indultum aliquod viuæ vocis oraculo concessum, vt constet, an ipsum comprehendatur sub præfata Peyrini doctrina.

Quin etiam Gregorius XV. die 16. Octob. 1621. in bulla *In Apostolica,* Theatinorum priuilegia per quoscumque Romanos Pontifices ipsis concessa principaliter, aut per communicationem aliarum Religionum ex certa scientia, & de plenitudine potestatis simpliciter confirmauit; sicque reualidauit etiam priuilegia aliàs reuocata, tam illorum propria, quam aliorum iis communicata, & consequenter etiam ea, quæ modo supra dicto, cum fuissent viuæ vocis oraculo concessa facta sunt bullata: siquidem confirmatio hæc fuit facta sine iis clausulis, *Quatenus tamen sint in vsu, & non sint reuocata, seu sub aliquibus reuocationibus comprehensa, ac Sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non aduersentur*: & alioqui confirmationes priuilegiorum, cum sint quoddam priuilegium, & gratia, teste Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 19. *num.* 8. communicantur: ita vt confirmatis priuilegiis vnius Ordinis in forma specifica, confirmata censeantur priuilegia etiam aliorum Ordinum, qui cum eo communicant in priuilegiis; vt notat Bordonus *tom.* 2. *resol.* 52. *n.* 321. ex Rodriq. Miranda, Portello, & Peregrino monens id procedere, quando cófirmatio est vniuersalis, quoad priuilegia:

si

si enim Papa confirmet solùm priuilegia propria vnius Ordinis, non ideò censetur confirmare priuilegia aliorum Ordinum; cum eius voluntas non operetur vltra intentionem, & plus confirmaret, quam intenderet: Gregorius autem XV. confirmauit Theatinorum priuilegia, tum propria ipsorum, tum iis communicata ex aliis Ordinibus, vt patet ex tenore Bullæ.

132. Bordonus certè *resol.* 31. *n.* 5. reiicit hanc doctrinam Peyrini ex eo, quod confirmatio, seu innouatio viuæ vocis oraculorum facta per bullam non immutat naturam illorum aliàs ea non dicerentur confirmari, sed recipere nouum esse; verùm ista ratio non videtur concludere contra Peyrinum: vt hinc patet, quod, quamuis confirmatio, seu innouatio viuæ vocis oraculorum facta nouo viuæ vocis oraculo non immutet illorum naturam, vt ostendit ratio Bordoni: id tamen non procedit in casu, quo dicta confirmatio, seu innouatio fiat per bullam (vt in casu nostro;) tunc enim sine dubio immutatur natura viuæ vocis oraculorum: cum viuæ vocis oraculum, etiam secundùm Bordonum sit concessio, seu gratia oretenus facta sine scriptura; quod vtique non verificatur de viuæ vocis oraculis per bullam confirmatis, seu innouatis, etiam solùm in genere: cum, data hypothesi, iam fiot gratiæ factæ, cum scriptura; quod est ea mutare naturam, & fieri priuilegia scripta, cum priùs essent viuæ vocis oracula.

133. Addit Bordon. *resolut. cit.* sub generali reuocatione viuæ vocis oraculorum non comprehendi neque indulgentias viuæ vocis oraculo concessas (cum eæ, teste Nau. *consl.* 1. *de pœnit. num.* 3. non veniant nomine indultorum, & gratiarum, quæ iuxta Cancellariæ regulas à Papa initio suæ assumptionis solent reuocari, quippe quæ sunt maxima priuilegia, ideóque egent speciali expressione) neque gratias omninò fauorabiles, nemini præiudiciales (v. g. quod officium B. V. recitetur singulis Sabbatis non impeditis:) cum finis dictæ reuocationis fuerit, ne vsus viuæ vocis oraculorum cederet in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ, vt colligitur ex illis verbis *minus canonica interpretatione extendi, & perperam in Ecclesiastica disciplinæ detrimentum executioni demandari*, & aliàs causa finalis restringat, aut ampliet Constitutionem ad limites suos *l. cum pater* §. *dulcissimus, ff. de legatis* 2. quod vtique non euenit in nostro casu, cum potiùs reuocatio illa conseruet disciplinam Ecclesiasticam, neque gratias fauore Prælatorum factas contra Religiosos subditos: idque ob rationem modò allatam.

Sectio VI.

De Interpretatione Priuilegiorum.

134 *Priuilegia Regularium solus Papa interpretatur interpretatione iudiciali.*
135 *Non item Ordinarius, neque in causa ipsum tangente.*
136 *Plura obseruanda in priuilegiorũ interpretationem.*
137 *Priuilegium purè fauorabile latè interpretandum.*
138 *Odiosum verò potius strictè.*
139 *Mixtum latè debet interpretari, quatenus fauorabile est, & strictè, prout odiosum.*
140 *Indicatur, vnde priuilegium censeri debeat fauorabile, aut odiosum.*
141 *Priuilegium in dubio debet censeri fauorabile.*
142 *Priuilegia Regularibus facta contra Ius commune latè interpretanda.*
143 *Contenta in Iure communi item latè interpretari debent.*
144 *Contraria Iuri communi strictè sunt interpretanda, sed non semper.*
145 *Priuilegium contrarium Iuri communi interdum ampliatur.*
146 *Priuilegium derogans statuto, aut consuetudini speciali strictè interpretandum.*
147 *Item & priuilegium cedens in damnum alterius.*
148 *Priuilegiũ nunquã sic debet restringi, vt fiat inutile.*
149 *Assignatur regula ampliandi priuilegia.*
150 *Hæc autem ampliatio fieri debet, salua verborum proprietate.*
151 *Priuilegium priuans iure acquisito strictissimè interpretandum.*
152 *Priuilegium ad instar interpretari debet, vt concedat, quicquid concedit priuilegium ad cuius instar.*
153 *Priuilegium posterius contrarium priori strictissimè debet interpretari.*
154 *Priuilegia interpretanda iuxta consuetudinem.*

QVÆRES I. Ad quem spectet interpretari priuilegia Regularium.

Respond. cum distinctione: vel loquimur de interpretatione iudiciali; & hæc spectat ad solum Papam; cum priuilegium sapiat naturam legis, quæ ab eo tantum debet explicari, qui eam condit. *l. fin. C. de legib.* vel loquimur de interpretatione doctrinali, & magistrali; & hæc fieri potest, tum à Prælatis Religionum, tum ab aliis viris doctis, siue Theologis, siue Iurisperitis: idque seruatis regulis, de quibus infra Miranda *part.* 2. *quæst.* 44. *art.* 3. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 11. *art.* 3. aliique communiter; inter quos Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 63. *art.* 7. refert ex *Comp. Soc. Iesu v. priuileg. num.* 1. & 4. Paulum III. in fauorem dictæ Societ. statuisse, ne Prælati Ecclesiarum priuilegia ipsius Societ. interpretentur, siue sint clara, siue dubia (quod Clemen. IV. prius concesserat Dominicanis, ac Minoribus) &, si quod dubium oritur, de iis inter Iurisperitos, ac Iudices, iudicetur in fauorem Societ. quod item concessit Alex. VI. Congregationi Benedictinorum Vallisoleti. imò Sixtus IV. teste Portello *de dub. Regul. v. priuil. n.* 77. sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ac suspensionis à regimine prohibuit Prælatis Ecclesiarum, ne molestent, aut inquietent Dominicanos, & Minores præter, aut contra priuilegia præcedentium Pontificum illis concessa. priuilegium autem Pauli III. est bullatum, refertur in Bullar. Societ. *pag.* 35. & est commune etiam aliis Ordinibus, qui de priuilegiis ipsius Societ. participant. 134

Ex quibus infert Portel *supr. v. Episcopus num.* 13. ex Rodriq. *loco cit.* non posse Episcopum in causa ipsum tangente interpretari priuilegia Regularium; cum id potius fieri debeat per Iurisperitos: idque ne aliàs Episcopus sit iudex in propria causa contra legem *Cui iurisdictio, ff. de iurisd. omn. Iudic.* 135

QVÆRES II. Quænam generaliter obseruari debeant in interpretatione priuilegiorum.

Respond. si quidem verba priuilegij sint clara, & certam significationem habeant, tenorem, & formam illius seruandam esse iuxta *c. recipimus de priuileg.* si verò verba sint aliquo modo ambigua: tunc inprimis inspiciendam esse mentem, ac intentionem concedentis, eam colligendo, tum ex postulatione, ac proœmio, tum ex materia priuilegij, & circumstantiis omnibus, præsertim personæ conferentis priuilegium, & eius, cui confertur: quod si adhuc dubium maneat de voluntate concedentis; tunc debet fieri interpretatio secundum communem, 136

vſitatam ac propriam verborum acceptionem, quæ ſeruari conſueuit in eo foro, in quo priuilegium conceſſum eſt: ſiquidem priuilegia non plus operantur, quàm verbis exprimant *cap. porrò de priuileg.* Ita Laym. *l.1. tract.4. cap.23. num.6.* aliique communiter; inter quos Suarez *lib.8. de leg. cap.28. num.14.* monet, quod ſi præfatis regulis ſeruatis, res adhuc maneat dubia, conſulendus eſt Princeps, niſi fortè periculum ſit in mora: quo caſu licebit facere, quod iuxta prudentiæ leges viſum fuerit conuenire pro loco, & tempore.

Qværes III. Quomodo debeat explicari priuilegium purè fauorabile; quod ſcilicet non eſt contra ius commune, neque contra bonum tertij.

137. Reſpond. debere explicari latè, quantum recta ratio, ac prudentia dictabit, ſeruata verborum proprietate, quoad fieri poſſit Ita Suar. *ſupr. cap.27. n.3.* aliique communiter; & patet, tum ex *reg.15. de regul. iur. in 6.* Odia reſtringi, fauores conuenit ampliari: tum ex *l. beneficium, ff. de Conſtit. Princip.* vbi habetur, *Beneficium principis latè explicandum eſt*: tum quia ad ſtatum, & amplitudinem principis ſpectat liberaliter agere (prudenter tamen) & ſic intra huiuſmodi limites ampliari debet conceſſio ab eo facta.

Qværes IV. Qualiter debeat interpretari priuilegium odioſum.

138. Reſpond. regulariter loquendo, debere interpretari potiùs ſtrictè, quam latè; niſi fortè aliter cogat neceſſitas (vt ſi priuilegium aliàs inutile reddatur, ac illuſorium; aut certè id exigat materia neceſſariò, ac inſeparabiliter annexa: quomodo diſpenſatus ad plura beneficia cenſetur etiam diſpenſatus, vt in vno tantùm loco reſideat:) idque potiſſimùm habere locum in priuilegio, quod eſt contra ius commune, aut quod alteri damnum infert. Ita Nau. *cap.12. num.79.* aliique communiter; & patet, tum ex dictis *quæſt. præced.* tum quia Princeps in odioſis cenſetur ſolùm voluiſſe derogare, quatenus per verba expreſsè declarauit *l. nec Auus, C. de mancip. liber.* Dixi, *regulariter loquendo*, quia aliquando priuilegium, quamuis ſit contra ius commune, poteſt ampliari, ſi recta ratio id dictet: vt ſi grauis cauſa, aut neceſſitas cogat ampliare; quomodo ſi ampliatio ſit neceſſaria ad bonum commune, quod præponderet derogationi iuris, aut certè agatur de cauſa pia ac religioſa, priuilegium extendi debet, vt *infra quæſt.6.*

Qværes V. Quomodo debeat interpretari priuilegium, quod eſt partim fauorabile, partim odioſum.

139. Reſpond. qua parte eſt fauorabile, latè interpretandum eſſe; ſtrictè verò, qua parte eſt odioſum (intellige, dummodo odium, & fauor diſtingui poſſint, aut certè fauor ſit tanti momenti, vt cogat interpretari priuilegium tanquam fauorabile:) ſecùs, ſi odium, & fauor in tali priuilegio diſtingui non poſſint; tunc enim ſi priuilegium ex primario fine eſt fauorabile, interpretari debet vt fauorabile: ſi verò ex primario fine eſt odioſum, interpretari debet vt odioſum. Ita Sanchez *lib.1. de matrim. D.1. num.4.* cum Couar. *1. var. cap.11. num.5.* & aliis; patétque ex dictis de priuilegio fauorabili, ac odioſo. Dixi, *dummodo odium, & fauor diſtingui* poſſint; interdum enim in priuilegio diſtinguuntur fauor, & odium (vt conſtat in priuilegio Canonis, quod eſt fauorabile reſpectu Eccleſiæ, & odioſum reſpectu delinquentis:) interdum verò non diſtinguuntur (vt patet in priuilegio ad lites, in quo odium, & fauor non diſtinguuntur, niſi per intellectum concipientem in ipſa actione litigandi diuerſos reſpectus ad diuerſos terminos.) Dixi præterea, *aut certè fauor non ſit tanti momenti*, &c. quia in tali caſu priuilegium, quantumuis contineat fauorem, & odium, latè debet interpretari, tamquam fauorabile; tale eſt priuilegium exemptionis à foro ſæculari conceſſum Eccleſiaſticis: quod licèt ſit odioſum reſpectu poteſtatis ſæcularis; latè tamen interpretatur, eo quod ſit in fauorem Religionis, cui in primis fauendum eſt.

Quod ſi dicas, quando dicatur priuilegium fauorabile, & quando odioſum.

140. Reſpond. inſpiciendam eſſe primam intentionem concedentis; ſi enim is intendat primò concedere in fauorem alterius, priuilegium eſt fauorabile eſtò redundet in alterius damnum; ſi verò intendat primò concedere in alicuius odium, aut pœnam, eſt odioſum, licèt aliàs cedat in fauorem alterius. Colligitur ex Sanchez *loco ſupr.* adducto, & probatur, quia quælibet diſpoſitio debet attendi ex primario fine diſponentis: priuilegium autem eſt quædam diſpoſitio, vt patet.

141. Addo, & quidem valdè probabiliter, in dubio, an priuilegium ſit fauorabile, an odioſum, ſimpliciter iudicandum eſſe fauorabile: cum lex per ſe intendat fauorem.

Qværes VI. An priuilegia Regularibus conceſſa contra ius commune debeant explicari latè, vel ſtrictè.

142. Reſpond. debere explicari latè. Ita Sanch. *lib.8. de matrim. D.1. num.3.* ex Henriq. & Oldrado; patétque tum quia ſumma eſt ratio, quæ pro religione facit *l. ſunt perſonæ, ff. de Relig. & ſumpt. fun.* tum quia huiuſmodi priuilegia conceduntur toti Religioni, aut Communitati in perpetuum, ideóque æquantur legi, & habentur, ac ſi inſerta eſſent in corpore iuris, cum ſint Conſtitutiones perpetuæ. Vnde fit, vt priuilegia Regularibus hoc modo conceſſa ſemper interpretari debeant ad inſtar iuris communis; ita videlicet vt iis minùs derogetur, quàm fieri poſſit; qua de re conſulatur Caſtr. Pál. *tract.3. D.4. part.10. num.5.*

Qværes VII. An priuilegia contenta in iure communi debeant interpretari ſtrictè, an latè.

143. Reſpond. debere interpretari latè: quippe quæ habent vim iuris communis, adeóque debent interpretari iuxta regulas ipſius iuris communis, quod cum ſit ordinatum ad bonum commune, eſt fauorabile, & ſic debet latè interpretari. Ita Suar *ſup. l.8. cap.27. num.8.* Sanch. *l.8. de matrim. D.1. num.7.* Caſtr. Pal. *ſupr. num.6.* & alij.

Qværes VIII. Vtrum latè, an ſtrictè debeant interpretari priuilegia, quæ ſunt contraria iuri communi.

144. Reſpond. debere interpretari ſtrictè, itavt iuri communi derogetur minus, quam fieri poſſit. Ita Mirand. *part.2. quæſt.44. art.3.* cum Syluest. *ver. priuileg. quæſt.3.* & probatur, tum ex dictis *ſupr. quæſt.4.* tum quia derogatio iuris communis, per ſe loquendo, vt odioſa, quàm maximè debet vitari, vel certè reſtringi debet, ſi omnino vitari nequeat: idque ne alioqui priuilegium fiat inutile; tum quia licèt huiuſmodi priuilegia ſint fauorabilia, quatenus reſpiciunt priuilegiarium: quatenus tamen à iure communi exorbitant, cenſeri debent odioſa; ideóque cum fauor communis præferendus ſit fauori priuato, vbi oportuerit vnum reſtringere, vt aliud minùs lædatur, reſtringi debet reſpectu iuris communis. Excipe priuilegium conceſſum motu proprio Principis, quod quamuis ſit contra ius commune, nihi-

lominus

lominùs latè interpretatur: quippe quod est beneficium Principis, & præsumitur datum ex certa scientia, adeóque debet extendi: cum talis extensio videatur pertinere ad fauorem, ac honorem ipsius principis. Dixi, *regulariter*, quia hæc doctrina fallit non solum in casu modò excepto, & in eo, quem attulimus *quæst. 6.* sed etiam in aliis casibus infra afferendis, qui sub præfata doctrina non comprehenduntur.

Vtrum verò priuilegium, quod est contra ius commune, ampliari debeat, si cum æquali derogatione iuris communis ampliari possit in fauorem priuilegiatij.

145. Respond. Debere ampliari, ideóque si cui detur priuilegium edendi carnes tempore Quadragesimæ, censeri item concessum ad edenda lacticinia: cum sic non plus derogetur iuri communi. ita Suarez *sup. cap. 27. num. 6.* & probatur, quia, licèt ratio odij, & fauoris sint coniunctæ in eodem priuilegio respectu diuersorum, retinent tamen suas proprias rationes; &, vbi fauor, ac odium non opponuntur, fauorque potest ampliari absque ampliatione odij, fauor debet ampliari, cum sic nihil obstet.

146. Addit Castr. Pal. *supr. part. 10. num. 4.* com Suar. & Bonacin. priuilegium derogans statuto, aut consuetudini speciali strictè interpretandum esse; quidquid contradicant Salas, & Azor. apud eumdem Castrum Palaum. ratio est clara, quia tale statutum, & consuetudo est instar iuris communis; ergò præferri debet iuri speciali priuilegij: cum priuilegium, quod secum trahit dispensationem in iure communi, strictè debeat interpretari, ita vt quoad minus fieri possit, ius commune lædatur ex *cap. cum dilectus de consuetud.* Secùs, si statutum, aut consuetudo contrarientur iuri communi; nam tunc priuilegium latè debet explicari, cum sic eius explicatio lata faueat iuri communi, vt notant Salas *D. 20. de legibus sect. 10. num. 90. v. quinto limitatur*, aliique penes Castrum Palaum *vbi sup.*

QVÆRES IX. Vtrum latè, an strictè debeant interpretari priuilegia, quæ cedunt in præiudicium alterius.

147. Respond. Debere interpretari strictè seruata tamen verborum proprietate: idque, etsi motu proprio priuilegium sit concessum; intellige, nisi fortè ex grauitate causæ, ac necessitate materiæ aliud præsumatur de intentione concedentis. ita Laym. *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 6.* aliique communiter; & probatur, tum ex *cap. dilectis de decimis*, ex quo colligitur priuilegium de decimis non soluendis ex prædiis suis, non debere extendi ad prædia ab aliis conducta, vel in emphyteusim recepta; tum quia in concessione priuilegij non est facilè præsumendum Principem velle alicui gratiam conferre cum alterius damno, aut derogare speciali conuentioni, seu pacto, quod antea intercessit inter priuilegiarium, & alteram personam, aut præbere ansam scandali, & litium. Dixi, *nisi fortè ex grauitate causæ*, &c. tanta enim potest esse necessitas materiæ priuilegij cedentis in præiudicium alterius, vt extensio facienda sit, non obstante alterius præiudicio. Quamquam Suarez *sup. cap. 28. num. 10.* dicat non esse permittendum malum graue alterius, etsi opporteat, cum improprietate verba restringere, vt etiam priuilegium reddatur inutile.

QVÆRES X. Quanta esse possit, aut debeat restrictio in interpretatione priuilegiorum.

148. Respond. Numquam debere esse tantam, vt reddat priuilegium inutile, idque quantumuis priuilegium sit graue, ac odiosum; nisi fortè eò perueniat, vt etiam sit iniustum, & quidem iniustitia contraria valori priuilegij: ita vt vsus illius sit iniustus, ac iniquus. est communis DD. apud Suarez *supr. num. 2.* & patet, tum quia voluntas Principis nunquam debet frustrari, aut reddi inefficax, etiamsi priuilegium extendi debeat ad aliquid exorbitans, ac odiosum, & quidem etiam vltra rigorosam verborum proprietatem; quamquam, per se loquendo, verba priuilegij secundùm proprietatem teneri debeant, & obseruari, non autem trahi extra illam ad restringendum ipsum priuilegium; nisi ratio iustitiæ cogat, vel aliunde præsumatur rationabiliter talis esse voluntas concedentis.

QVÆRES XI. Quāta esse possit, & debeat ampliatio, seu extensio in interpretatione priuilegiorum.

Respond. priuilegium censeri solùm concessum iis personis, aut rebus, quæ sunt in priuilegio expressæ, aut certè in eo includuntur ob significationem vocis, iuris dispositionem, ac materiæ, vel actionis connexionem; ideóque nunquam ita ampliandum esse, vt ob similitudinem rationis extendi debeat ad aliàs personas, aut actus. Ita Suarez *supr. num. 11.* aliique communiter, & probatur, tum ex *cap. sanè, de priuil.* tum quia virtus, & efficacia priuilegij nec omnino, nec essentialiter posita est in ratione, sed in voluntate concedentis, ac pruinde parum refert, quod in simili casu, aut persona reperiatur eadem ratio, si voluntas concedentis ad eum non extenditur; non extenditur autem, nisi exprimatur, cum voluntas inter homines, non operetur nisi vt significata. Quod tamen non facit, quin liceat priuilegia interpretari, vt plura comprehendant, quam in ipsa verborum superficie appareat (quo modo sub facultate dispensandi, & sub licentia testandi facultatem, conficiendi codicilla, aut donandi causa mortis) quamquam talis extensio de vno ad aliud non fiat ob similitudinem rationis (quod non est licitum) sed per virtualem verborum continentiam iuxta rationabilem eorum interpretationem innixam consuetudine iuris, Iudicum, ac Sapientum, seruata tamen verborum proprietate; nisi maior extensio requiratur ad hoc, vt priuilegium non sit inutile: siquidem priuilegia debent semper interpretari, vt non sint iniusta, neque inutilia, ac frustranea. 149.

Quod si quæras, vnde sit desumenda proprietas verborum, secundum quam diximus esse interpretanda priuilegia.

Respond. desumendam esse ex vsitata significatione, aut communi vsu, vel (quod maximè debet attendi) secundùm ius priuilegio proportionatum: videlicet secundùm ius ciuile, si priuilegium sit regium; si verò pontificium, secundùm ius canonicum. Ita Sylu. *v. priuil. q. 3.* & cum illo Suar. *sup. n. 12.* addens ad hunc modum exponendas esse regulas, quæ hac de re passim inueniuntur apud DD. qualis est, quæ habetur *cap. porrò, de priuil. Priuilegia non plus operantur, quam verbis exprimant:* & illa alia, *Priuilegium simpliciter fauorabile extendendum est:* & illa, *Priuilegium simpliciter odiosum restringendum est, vt quam minimum operetur.* Hæ, inquam, omnes regulæ, & aliæ similes latè, aut strictè interpretari debent secundùm conditionem priuilegiorum, & obseruata propria verborum significatione communi, aut saltem iuridica, nisi specialis necessitas adstringat ad impropriandа verba; qua de re consulatur Bonac. *D. 1. de legibus, quæst. 3. part. 7. §. 1. num. 1.* 150.

QVÆRES XII. Quam strictè debeant interpretari priuilegia, quæ inferunt damnum alicui tertio, eum priuando iure aliquo acquisito.

Respond. debere interpretari strictè, etiamsi ver- 151.

ba priuilegij, cum improprietate reſtringi debeant; ſi quidem damnum, quod infertur terrio, ſit graue. eſt communis DD. apud Portel. *ſupr. v. priuileg. n. 47.* & patet, quia poteſt quidem Princeps ex iuſta cauſa auferre ſubdito ius acquiſitum; niſi tamen id exprimat, non cenſetur velle hoc facere; & ſic, licèt loquatur generaliter, non comprehendit damnum tertij graue verſans circa ius acquiſitum: quin potius præſumitur illud ignoraſſe, & conſequenter nec ipſum velle; cum voluntas non feratur in incognitum. Quod verum eſt, quamuis priuilegium aliàs reddatur inutile; quippe quod ob præſumptam priuilegiarij ſubreptionem eſt potius annullandum, quam admittendum. Dixi, *non comprehendit damnum tertij graue:* ſi enim damnum ſit leue, & vitari nequeat ſine magna violentia, ac improprietate verborum priuilegij: tunc priuilegium extendi poteſt ad illud; cum damnum leue quaſi nihil reputetur, & aliàs præſumi poſſit concedentem illud comprehendiſſe; quod non poteſt præſumi in caſu, quo ſupradictum damnum ſit graue.

151. QVÆRES XIII. Qualiter debeant interpretari priuilegia alicui cóceſſa ad inſtar alterius priuilegij.

Reſpond. debere ita interpretari, vt per ipſum cenſeatur conceſſus omnis fauor, & gratia: idque cum eadem extenſione, ac limitatione, quæ continetur in priuilegio, ad cuius inſtar priuilegium conceſſum eſt. ita Nauarr. *de Iubil. not. 26. num. 2.* cum Bald. *in l. omnia priuil. C. de Epiſc. & Cleric.* patétque quia hoc totum ſpectat ad propriam, & adæquatam imitationem, eſtque neceſſarium ad hoc, vt priuilegium ſit vtile, ac certum.

153. QVÆRES XIV. Quo pacto debeant interpretari priuilegia, quorũ poſterius eſt contrariũ priori.

Reſpond. debere interpretari ſtrictè; & quidem etiam impropriando verba, ſi opus ſit; & hoc, ne dicatur Princeps concedere contraria; præterquam quod non præſumitur Princeps velle derogare priuilegio priori, imò nec illud ſcire, niſi illius mentionem faciat. ita Suarez *ſupr. cap.* 28. n. 9. addens idem dicendum eſſe in caſu, quo priuilegium poſterius deroget alicui ſtatuto particulari, aut repugnet conſuetudini, aut importet aliquod factum, vel ius priuatum, quod ipſemet Princeps præſumatur ignorare, adeóque cenſeatur illud nolle, ſi priuilegium aliis fiat nimis odioſum, ac oneroſum.

154. QVÆRES XV. An priuilegia debeant interpretari ſecundùm conſuetudinem.

Reſpond. debere. eſt communis DD. penes Mirand. *p. 2. q. 44. art. 4.* & probatur ex eo, quòd ſicut conſuetudo poteſt inducere, & abrogare leges; ita & poteſt illas interpretari; ergo & idem præſtare poterit, quoad priuilegia, quæ (vt iam diximus) ſunt quædam quaſi lex.

CAPVT II.

De Priuilegiis, quibus gaudent Regulares, quoad vſum, ac ſuſceptionem Sacramentorum.

SECTIO I.

Quibus Priuilegiis gaudeant Regulares quoad vſum Sacramenti Pœnitentiæ.

IN hac Sectione agendum nobis eſt de priuilegiis, quæ conceſſa ſunt Regularibus, quoad vſum Sacramenti Pœnitentiæ: & quidem, cum ea ſint multa, & varia, ad vitandam confuſionem, ſectionem diuidemus in duas ſubſectiones: in quarum prima oſtendemus, quæ priuilegia illis conceſſa ſint, quoad poteſtatem audiendi confeſſiones ipſorum Regularium: in ſecunda, de facultate, quam habent ſuper reſeruata in ordine ad abſoluendum ipſoſmet Regulares.

SVBSECTIO I.

De Priuilegiis conceſſis Regularibus, quoad facultatem audiendi confeſſiones ipſorummet Regularium.

1 *Ad audiendas confeſſiones Regularium ſufficit approbatio Prælati regularis, præterquam in Ordine Ieſuatorum, qui debent confiteri approbatis ab Ordinario.*

2 *Hæc tamen approbatio Ordinarij non requiritur reſpectu aliorum Regularium.*

3 *Approbatio facienda à Prælato Religioſi Pœnitentis.*

4 *Quod fallit pro tempore Iubilei.*

5 *Confeſſarius eligendus à Regulari vi Bulla Cruciatæ approbandus à Prælato eligentis.*

6 *Legatus de Latere approbat ad confeſſiones Regularium.*

7 *Si quidem hi degant intra eius Prouinciam.*

8 *Religioſi Sacerdotes non confitentur cuicumque approbato.*

9 *Aſſignatur, cui debeat confiteri Religioſus peregrinans.*

10 *Is in proprijs Conuentibus de rigore confiteri poteſt, etiam Sacerdoti ſæculari.*

11 *Item Sacerdoti Ordinis non approbato à Prælato ipſius Sacerdotis.*

12 *Item proprio Confeſſario, cum quo peregrinatur: idq; etſi diutius ipſi degant in alijs Conuentibus Ordinis: quod non procedit in Societate Ieſu.*

13 *Si tamen retineat domicilium in loco, à quo receſſerunt.*

14 *Item poſſet confiteri Confeſſario ordinario Conuentus, per quem tranſit.*

15 *Rediens ad priorem Conuentum poſt mutatum domicilium confitetur Sacerdoti, cui alias confitebatur: Religioſus item recedens è Conuentu, & ſtatim rediturus cuicumque confitetur in itinere, etſi Prælatus expreſſè non intenderit ei id concedere.*

16 *Religioſi ex ſuis priuilegijs de rigore audire poſſunt confeſſiones Religioſorum alterius Ordinis: etſi alij id negent.*

17 *Data ſententia affirmante, ea procedit, eſto Religioſus prohibeatur confiteri extra Ordinem.*

18 *Confeſſio venialium, imò & mortalium, quæ aliàs confeſſus eſt, fit etiam Sacerdoti non approbato.*

QVÆRES I. An Regulares ad effectum audiendi confeſſiones ipſorum Regularium ſui Ordinis indigeant approbari ab Ordinario loci, in quo commorantur.

Reſpond. non indigere, ſed ſufficere, vt approbentur à proprio Prælato, idque non obſtante decreto Concilij Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 15. de reformat.* ſtatuentis nullum, etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium audire, etiam Sacerdotum. ita Fagundez *part. 2. lib. 7. cap. 2. num.* 10. ex Suarez *D.* 28. aliiſque communiter; & probatur, quia Concilium ſolùm loquitur de confeſſionibus ſæcularium, ſolumque requirit in Regularibus approbationem 1.

Epiſcopo

Episcoporum ad audiendas confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum non Regularium, adeóque reliquit Religiosos in suo iure antiquo, nihil circa illos innouando; vnde fit quod, sicut ante Tridentinum non egebant approbari ab Ordinario ad effectum audiendi confessiones Regularium, ita nec egent modò post ipsum Tridentinum; quod tamen in præsentia non habet locum, quoad Moniales, etiam immediatè subiectas Regularibus (idque ob Constit. Greg. X V. quæ incipit inscrutabili) sicut nec quoad Fratres Iesuatos, qui ex Pauli V. decreto debent examinari ab Ordinario, ad hoc vt possint audire confessiones suorum Religiosorum: sicque fit in praxi; & ego Ferrariæ illorum aliquos ad dictum effectum examinaui.

Quæres II. An Prælati regulares possint committere Religiosos subditos Sacerdotibus sæcularibus non approbatis ab Ordinario loci, itavt licitè, & validè audiant eorum confessiones.

2. Respond. posse. Ita Suar. *supr. num. 5.* & patet, quia id poterant facere ante Concilium Trid. ergo, cum Concilium quoad confessiones Regularium audiendas nihil innouauerit (vt iam dictum est) stari debet iuri antiquo, illudque in præsentia seruandum est: nam à iure antiquo recedendum non est, nisi expresse per aliud recens emendetur, corrigatur, limitetur, aut reuocetur, *l. præcipimus, C. de appell.* & quidem meritò Concilium nihil de hac re innouauit quoad Regulares; cum ratio, quæ ipsum mouit ad irritandas confessiones sæcularium factas confessariis non approbatis ab Episcopo cesset quoad ipsos Regulares; siquidem sæculares vtpote habentes conscientias communiter grauioribus peccatis oneratas, indigent Iudicibus, ac Medicis, qui à propriis Prælatis iudicentur idonei; Religiosi verò regulariter habent conscientias timoratas, adeóque respectu illorum cessat ratio paulò ante adducta; cum tamen cessante causa legis, cesset & ipsa lex.

3. Quod autem diximus posse Prælatum Regularem committere Religiosos subditus Sacerdotibus sæcularibus quoad forum pœnitentiale: dicendum etiam eriam est de Sacerdotibus Regularibus; Prælatum scilicet Regularem posse Regularibus alterius Ordinis committere Religiosos subditos in ordine ad idem forum: & hoc independenter à Prælato Religiosi, qui modo dicto approbatur in confessarium; itavt confessarius regularis quoad audiendas confessiones Religiosorum alterius Ordinis approbari debeat, non à Superiore confessarij, sed ipsiusmet Pœnitentis.

Quæres III. An Regulares habentes bullam, priuilegium, aut iubileum ad eligendum confessarium possint ad id eligere etiam Sacerdotem sæcularem non approbatum à proprio Ordinario.

4. Respond. non posse, si in supradictis concessionibus dicatur eligendum esse confessarium approbatum ab Ordinario loci (sicut regulariter dicitur in bullis Iubilei.) Ita Henriq. *lib. 6. cap. 6. num. 9.* aliique communiter cum Suar. *supr. n. 22.* & probatur, tum quia Iubilei non aliter, nec alio modo conceditur nisi sub conditione, quod eligatur confessarius approbatus ab Ordinario loci, vt suppono: tum quia Prælatus regularis non venit nomine Ordinarij loci, estò in aliis rebus nomen Ordinarij extendatur ad Prælatos regulares cum proportione, ac distributione accommodata. Oppositum sustinent Bonac. *de Sacr. D. quæst. 7. part. 4. §. 1. num. 15.* putátque, esse valde probabile, eò quod verba illa Bullæ Iubilei, vt possit eligere confessarium approbatum ab Ordinario, non apponantur priuatiuè, quasi Papa velit priuare pœnitentem iure aliàs ipsi competente, sed cumulatiuè, & ampliatiuè; itavt pœnitens non solùm possit confiteri proprio Sacerdoti (sicuti poterat, etiam seclusâ Iubileo) sed præterea possit eligere quemcumque alium Sacerdotem ab Ordinario approbatum; quod facere non posset independenter à concessione Iubilei. Verùm hæc ratio ad summum probat intentum, quando in bulla præscriberetur electio confessarij approbati ab Ordinario, & non adderetur *ab Ordinario loci*, in casu enim quo addatur talis limitatio, opinio Bonacinæ videtur omnino improbabilis etiam iudicio ipsius Bonacinæ: cum tamen eius sententiam absolutè sustineant Rodriq. Valer. Fernand. Zanard. Coriolan. & alij penes Dianam *part. 3. tract. 1. resol. 21.*

Quæres IV. An Regulares ex priuilegio Bullæ Cruciatæ, aut aliis similibus indulgentiis possint sibi eligere confessarium non approbatum à proprio Prælato regulari, idest à Superiore Regularis eligentis.

5. Respond. non posse. Ita Suar. *tom. 4. de Rel. tract. 8. l. 2. cap. 16. n. 9.* aliique apud ipsum, contra Sancium, Pontium, Valerum, & alios apud Dianam *p. 2. tr. 11. resol. 14.* patétque tum ex bulla Vrb. VIII. edita 19. Iunij 1630. in qua id expresse statuit, cum hoc idem antea expressisset Clem. VIII. vt proinde in præsentia non possit sustineri tamquam probabilis opinio contraria: tum quia sub clausula generali non veniunt particularia, quæ non esset quis verosimiliter concessurus in specie; ideóque cùm facultas Bullæ, & alia similia indulta respectu Regularium habeant specialem quamdam rationem, quatenus esse possunt occasio relaxandi disciplinam regularem, in iis non comprehenduntur Religiosi sub verbis tantum generalibus quoad supradictam facultatem eligendi confessarium, estò comprehendantur quoad alios fauores concessos in talibus indultis; tum quia, quando Papa vult concedere talem facultatem etiam Regularibus, vt in Iubileis, id propriis, ac expressis verbis declarat: quod est signum eum nolle comprehendere Regulares in similibus concessionibus quando loquitur solùm generatim; maximè, cum teste Suar. *supr. num. 7.* non inueniantur huiusmodi specificæ concessiones, nisi in aliquibus facultatibus, quæ ratò pro vna vice tantum, & ex causis grauissimis conceduntur, non autem in iis, quæ perpetuò, aut ad longum tempus, vel vsum ordinarium confessionis conceduntur; idque ne disciplina regularis planè euertatur. Vnde sequitur in Iubileis, quæ pro vno tantùm actu conceduntur, faciliùs posse admitti, vt Regulares vi illorum eligere sibi possint Confessarium modo supradicto: dummodo sufficientibus verbis indicetur hanc esse mentem Papæ concedentis, non enim puto id prohiberi in Bulla Vrban. VIII. supra citata, stante quod in ea sub nomine generali indulti non videntur venire Iubilea, & in his cesset ratio prohibitionis.

Quæres V. An Legatus de latere possit dare facultatem Regularibus exemptis, vt possint eligere confessarium non approbatum à Prælato regulari.

Respond. posse. Ita Nald. *ver. Legatus, n. 8.* & patet, quia legatus in sua prouincia est iudex ordinarius, seu proprius Episcopus Regularium, quamuis exemptorum (vt constat ex literis ipsius Legationis:) certum est autem posse quemlibet Ordinarium concedere suis subditis supradictam facultatem. Imò existimo cum Suar. *lib. 8. de leg. cap. 16. n. 10.* Regulares posse vti tali facultate etiam extra prouinciam Legati concedentis, eamque durare perpetuò 6.

tuò; cum sit priuilegium personale, quod afficit personam, eamque comitatur, quocumque ierit, & habeant rationem gratiæ factæ, quæ non spirat, mortuo concedente, aut amoto ab officio: intellige, si talis facultas sit data indefinitè, & sine limitatione, vt aduertit Filliuc. *tract.7. num.*238.

An verò Legatus de latere possit concedere supradictam facultatem eligendi confessarium etiam Religioso habenti domicilium extra illius prouinciam, & se ad hunc tantùm effectum sobiicienti: quomodo potest absoluere ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici quoscumque accedentes etiam extra suam prouinciam; vt notauit Glossa *cap. excommunicatis, de offic. Legati, ver. mittuntur, & ver. commissum.*

7. Respond. non posse; cum casus allatus ei specialiter sit concessus; vt habetur *in cap. quod translationem eodem tit.* vnde non potest inferri idem ei licere etiam in aliis casibus.

QVÆRES VI. An Regulares Sacerdotes possint indiscriminatim confiteri cuicumque Sacerdoti approbato ad confessiones.

8. Respond. consuetudinem, quæ multis in locis videtur inducta, vt Sacerdotes confiteri possint cuicumque confessario approbato (idque ex præsupposito Superiorum consensu) de facto non habere locum in Sacerdotibus Regularibus; cum respectu horum non videatur posse præsupponi tacitus consensus proprij Prælati regularis, nisi in casu necessitatis. Ita sentiunt viri docti à me consulti, & colligitur ex Filliuc. *supr. num.* 234.

QVÆRES VII. Cui confiteri debeant *Regulares, dum peregrinantur.*

9. Respond. distinguendo; vel secum ducunt socium eiusdem Ordinis Sacerdotem, & idoneum ad audiendas confessiones; vel suos hospites in alia domo, aut Monasterio eiusdem Religionis; vel diuertunt ad loca extra Monasteria sui Ordinis; si primum, communis vsus est, vt Regulares peregrini confiteantur socio, & non alteri; idque ex voluntate Superiorum, saltem tacita, quæ inclusa est in ipsa licentia peregrinandi, & recta ratione dictante, præsumitur: si secundum, Regulares confiteri debent Prælato illius domus, aut alteri de illius licentia, vel certè confessario illius loci: his enim iure hospitij subiiciuntur pro eo tempore, quo ibi commorantur: si tertium, seclusis particularibus voluntatibus, seu instructionibus Superiorum, quæ non cadunt sub scientiam, possunt Regulares peregrini confiteri cuilibet Sacerdoti idoneo, siue sæculari, siue regulari; idque ex licentia Prælati saltem tacita modo supradicto inclusa in licentia peregrinandi: siquidem, concesso antecedente, necesse est, vt concedatur & consequens; sicque vsus communis Religionum testatur. Ita Suar. *tom.4. de Rel. tract.8. lib.2. cap.17. n.2.* addens *num. 6.* Religiosum in hoc vltimo casu non teneri eligere Sacerdotem approbatum ab Episcopo (adde to, nec à Superiore Sacerdotis electi, si is sit Regularis;) cuius rei ea est ratio, quod Religiosus etiam peregrinans nunquam dici potest vagari extra suam diœcesim, cum Religio non claudatur certis terminis localibus alicuius certæ diœcesis; ideóque semper retinet actualem subiectionem perfectam ad proprium Prælatum regularem, & consequenter per ipsius iurisdictionem regitur in vtroque foro; quod est dicere confessarium Religiosi peregrinantis approbari à Prælato ipsius Religiosi pœnitentis, huncque absolui per iurisdictionem ab illo manantem.

QVÆRES VIII. An Religiosus peregrinans de licentia sui Prælati possit in alia domo Ordinis confiteri Sacerdoti sæculari, aut alterius Ordinis, cum habeat copiam Sacerdotis eiusdem Ordinis.

Respond. absolutè loquendo, posse, nisi aliter præscribat Regula, aut Prælatus; talis quippe limitatio est onerosa, ac proinde non imponenda, nisi de ea constet expresè; quamuis aliàs consultum sit, vt Religiosus in tali casu confiteatur Sacerdoti eiusdem Ordinis: cum talis probabiliter præsumi possit voluntas Superioris, idque sit per se magis ordinatum, magísque commendet fidelitatem, ac vnitatem erga proprium Ordinem. Ita Suar. *supr. n.*8. 10.

QVÆRAS IX. An Religiosus peregrinans, cum licentia proprij Prælati possit in aliis monasteriis sui Odinis confiteri Sacerdoti, qui non sit approbatus à Superiore dictorum monasteriorum.

Respond. quod, quamuis id possit fieri, si Prælatus talis Religiosi ei concessit facultatem confitendi cuicunque etiam in aliis monasteriis Ordinis (nisi fortè statuta Religionis talem facultatem irritent;) regulariter tamen non solet concedi talis facultas; siue, quia per regulam id prohibetur; siue quia eiusmodi facultas per se est irrationabilis, ac inordinata; vnde fit, quod si ea non detur expresè, concessa non præsumatur, neque inclusa sub generali facultate, quæ & necessitatem respicit, & debitum ordinem religiosum. Ita Suar. *supr. num.*3. 11.

QVÆRAS X. An Regularis peregrinans cum suo confessario possit ei confiteri in monasteriis Ordinis, per quæ transit: idque estò diutius ibi sint commoraturi, & de hoc expressam licentiam non habuerint, neque à proprio ipsorum Prælato, neque à Superiore monasterij, in quo hospitantur.

Respond. posse, si adhuc rediturí sint ad monasterium, à quo discesserunt, & consequenter maneant subditi prioris Prælati. Ita Reginald. *lib.1. n.93.* cum Soto *in 4. d.18. q.4. art.3.* §. aliud verò aliique contra Syluest. *ver. confess.1. quæst.14.* Zerol. *in praxi, de Sacr. Pœnit. cap.16. quæst.3.* & alios: patétque, quia iurisdictio, quæ absque strepitu iudicij exercetur, potest exerceri etiam extra propriam diœcesim, *cap. vlt. de offic. legati.* Confessarius autem audiens, & absoluens pœnitentem sibi aliàs commissum exercet iurisdictionem sine strepitu iudicij, vt constat. Verùm quidem est hanc doctrinam, quoad Religiosos Soc Iesu esse limitandam ob decretum R.P. Generalis Aquauiuæ: qui statuit Religiosum Soc. peregrinantem vnà cum suo confessario, si diutius hospitentur in aliqua domo, aut collegio ipsius Soc. non posse vltra mensem ei confiteri sine licentia præsentis Prælati: idque ex vi *regula 48. ex communibus,* quæ ita habet: *Cùm quis iter faciens transit per locum, vbi domus, aut collegium Societ. sit, ad aliud hospitium ne diuertat, eiusque, qui illic præest, obedientiæ subsit in omnibus, sicut & reliqui, qui in eadem domo, vel Collegio commorantur.* 12.

Dixi, *si adhuc rediturus est ad monasterium*, vt innuerem Religiosum in proposito casu non posse confiteri Religioso comperegrinanti, si iam peruenit ad locum, vbi debet figere nouum domicilium; sic enim censetur iam mutasse domicilium, & est factus subditus illius Prælati, in cuius monasterio imposterum habitaturus est, adeóque debet ei subesse, quoad electionem confessarij: quomodo DD. iuxta dicta *quæst. præced.* docent Ferrariensem itinerantem cum Sacerdote approbato Ferrariæ posse ei confiteri, etiam in aliena diœcesi, non tamen in ea, in qua nouum ponit domicilium; cum sic desinat esse subditus Episcopi Ferrariensis, ac proinde etiam Sacerdotis approbati per eum. Secùs dicendum in casu, 13.

casu, quo Religiosus peregrinans à Prouinciali, vel alio Prælato superiore haberet facultatem confitendi Sacerdoti secum itineranti; tunc quippe confiteri posset tali Sacerdoti etiam in loco noui domicilij; cum ad id facultatem receperit ab habente iurisdictionem etiam in eo loco; sicut & ei potuit confiteri in progressu totius itineris, etiam sine supradicta facultate Prouincialis; cum maneat subditus prioris Prælati (saltem quoad hoc) vsque dum perueniat ad locum noui domicilij.

Vtrum verò in casu proposito possit Regularis, omisso confessario sibi designato à suo Prælato, confiteri alteri Sacerdoti de licentia illius Superioris, qui præest domui, in qua modo dicto hospitatur rediturus paulo post ad pristinum domicilium.

4. Respond. videri posse; cum sic Regularis subsit duobus Prælatis, non priuatiuè, sed cumulatiuè, & ita liberè possit alterutrius iurisdictione vti, quoad istum effectum. Ita viri docti è Societ. nostra à me consulti; & colligitur ex doctrina, quam tradunt Suar. *D.25. de pœnit. sect.2. num.5.* Henriq. *l.6. cap.7. num.2.* & alij cum Nauar. *cap. placuit, de pœnit. d.6. n.77.* docentes habentem plura domicilia in diuersis diœcesibus, & in iis habitantem per distincta tempora posse liberè confiteri, cui maluerit ex duobus Parochis; cum vterque illorum sit proprius Sacerdos, ac iudex: vt vel hinc patet, quod iurisdictio non sequitur actualem habitationem, sed domicilium.

Difficultas maior est, an Regularis habens à Superiore locali facultatem confitendi certo Sacerdoti sui Ordinis, si inde discedat alibi fixurus domicilium, possit eidem confiteri rediens post longum tempus ad idem monasterium.

5. Respond. posse, siue Prælatus illius monasterij sit ille idem, qui facultatem concesserat, siue alius (intellige, modò dicta facultas à legitimo Superiore non fuerit reuocata.) Ita viri docti consulti, & probatur à pari; sicut enim iuxta supradicta potest ciuis Ferrariensis confiteri Sacerdoti approbato Ferrariæ, etiam in aliena diœcesi non solùm quamdiu manet subditus Episcopi Ferrariensis, sed etiam postquam mutauit domicilium, si iterum Ferrariæ domicilium ponat, & consequenter iterum subiiciatur eidem Episcopo Ferrariensi: ita & in casu nostro poterit Regularis confiteri Sacerdoti sibi designato à Superiore alicuius monasterij non solùm quamdiu in eo commoratur, sed etiam, si mutato domicilio, ad illud iterum redeat, sicque iterum subdatur Superiori eiusdem monasterij; idque vt dixi, siue Superior sit ille idem, qui concesserat facultatem confitendi, siue alius: cum hi ratione officij reputentur vnus, ac idem.

Addo Religiosum, qui de licentia Prælati petit aliquem locum statim reuersurus, si in tali itinere velit confiteri sacramentaliter, posse confiteri cuicumque maluerit, etsi Prælatus fortè non habuerit explicatam intentionem dandi ei talem facultatem, sciens, & putans ipsum statim regressurum esse. Moueor, quod Prælatus in hoc casu censetur noluisse priuare Religiosum subditum confessione sacramentali nec pro eo breui tempore, quo erat absuturus: cum posset euenire, quod eo tempore egeret confessione; sicque Prælatus censetur habuisse intentionem saltem virtualem de præsenti, quando concessit recessum è Conuentu; quæ intentio sufficit.

Qværes XI. An Regulares ex vi priuilegij, quod habent audiendi, & absoluendi quoscumque accedentes, possint audire & absoluere etiam Religiosos alterius Ordinis independenter à voluntate Superioris Religiosorum, quos audiunt, & absoluunt.

Respond. posse, stando in rigore iuris, nisi vsus talis priuilegij quoad Religiosos aliorum Ordinum ipsis prohibeatur: quomodo reuera prohibetur Religiosis Soc. Iesu, vt constat ex *Comp. priuil. ipsius Societ. ver. absolutio*, §.1. in concessione, quæ ita habet: *Excommunicatos autem nominatim ab homine, & illos Regulares, qui licentiam non habuerint extra suum Ordinem confitendi, ne Superiores quidem absoluent.* Colligitur ex Suar. *tom 4. de Rel. tract. 10. lib.9 cap.2. num.9.* vbi ait: Si Regulares aliorum Ordinum per propria priuilegia non impediantur, ex vi supradicti priuilegij, possunt à Nostris confessariis absolui: quamquam, cum & ius aliorum Ordinum, quoad hoc possit esse nostris incertum, & odiosum sit alius Religiosus audire in confessione sine licentia suorum Superiorum, ideò talis facultas in Societ. non communicetur eius confessariis respectu Regularium non habentium licentiam confitendi extra suum Ordinem; vt notatur *in Comp. priuil. Soc. verb. absolutio*, §.1. Ita Suar. à quo apertè dissentiunt Reginald. *lib.8. n.37.* Henriq. *lib.6. §.7. lit. P.* Viuald. *tit.11. de absol. n.32.* & alij, qui sustinent Religiosos vi supradicti priuilegij non posse audire confessiones Religiosorum alterius Ordinis; idque probant, tum ex quadam declaratione Pij V. quam refert Viuald. *supr. num.25.* tum quia generalis concessio debet intelligi, secluso iuris alicuius præiudicio, *cap. quamuis, de rescript. in 6.* cum tamen præiudicet Religioni, quod Religiosi dirigantur, vitæque emendandæ, & impostetum instituendæ rationem accipiant ab alienis, & non à suis Prælatis, aut eorum commissariis. Probatur autem præsens responsio, tum ex eo, quod priuilegium (de quo hîc) dat facultatem Regularibus audiendi quoscumque fideles ad eos confessionis causa vndecumque accedentes (vt videbimus *cap. sequenti, sect.2. subs.2. quæst.1.* sub his autem verbis comprehenduntur etiam Religiosi, vt patet ex clausula illa generali *quoscumque*: tum quia alioqui frustra Religiosis Societatis facta fuisset illa limitatio, ne Regulares, qui non habent licentiam confitendi extra suum Ordinem, vllo modo absoluant vi talis priuilegij; vt quid enim limitaretur ipsis eiusmodi priuilegium, quoad Regulares aliorum Ordinum, si illud ad hos non extenderetur? Dixi sub initium responsionis *stando in rigore iuris*; vt innuerem in praxi tale priuilegium non videri extendendum ad audiendas confessiones Regularium ex aliis Ordinibus accedentium; & maximè ob rationes allatas ex Suar. & Reginaldo. 16.

Aduerto solùm, quod si detur Regulares vi supradicti priuilegij posse audire confessiones Religiosorum, etiam aliorum Ordinum: id præstare poterunt, quantumuis Religiosi per specialia statuta proprij Ordinis prohibeantur confiteri extra suum Ordinem. Cuius rei ea est ratio, quod ex vna parte præfatum priuilegium hoc ipso quod dat Regularibus facultatem audiendi confessiones Regularium, etiam aliorum Ordinum modo supradicto, eo ipso dat etiam Regularibus facultatem confitendi Religiosis etiam aliorum Ordinum; cum hæc duo sint correlatiua, & vno ex illis concesso, consequenter concedi debeat & aliud; ex alia parte, cum dictum priuilegium sit pontificium, non potest ei derogari neque in totum, neque ex parte per peculiaria statuta Ordinum Religiosorum: cum inferior in superiorem non habeat imperium, vt patet. 17.

Qværes XII. An Regulares possint confiteri Sacerdoti non approbato à Prælato regulari, saltem

ſaltem peccata venialia, aut etiam mortalia alliàs ritè confeſſa.

8. Reſpond. poſſe; cum ad hoc non requiratur ſpecialis iuriſdictio, vt tradunt DD. communiter, & in tali caſu ad ſummum interueniat tranſgreſſio vnius regulæ, quæ ſi non obligat in conſcientia, ipſa tranſgreſſio per ſe non attinget culpam venialem; ſi verò obliget, per ſe loquendo, ac ſecluſo contemptu, & ſcandalo, non erit materia culpæ mort. cum Sacramentum de ſe ſit validum, & aliàs non ſimpliciter neceſſarium. ita Suarez *ſupr. cap. 16. num. 1.*

19 *Ad audiendas confeſſiones ſufficit ratihabitio de præſenti, quæ aduertatur.*
20 *Religioſi liberè confitentur Pœnitentiarijs Papæ.*
21 *Non item proprio Epiſcopo, ſi ſint exempti.*
22 *Præterquam ſi occurrat facultatem Epiſcopi extendi ad abſoluendum Religioſum, non item facultatem regularis Prælati.*
23 *Et hoc procedit etiam de ipſo Prælato regulari.*
24 *Idq; in caſu etiam ſatis ſingulari, qui refertur.*
25 *Et tunc Prælatus regularis per proprium ſubditum abſolui poteſt à reſeruatis.*
26 *Equites S. Iacobi, & ſimiles ex conſuetudine confitentur approbatis ab Ordinarijs: etſi de rigore videantur poſſe confiteri approbatis à proprio Prælato.*
27 *Nouitij confiteri poſſunt cuicumque approbato, etiam extra Ordinem.*
28 *Limita, niſi Sacerdotis Ordinis, qui aliàs non eſt approbatus ab Ordinario, id in ſpecie prohibeatur: mox ingreſſurus Religionem confitetur Sacerdoti approbato à regulari Prælato.*
29 *Ordinarius loci modò approbat ad confeſſiones Monialium, etiam exemptarum ex Bulla Greger. XV.* Inſcrutabili; *cuius ſuſpenſionem ab Vrb. VIII. factam pro Religioſis degentibus in Hiſpania putant aliqui ſuffragari etiam in Italia.*
30 *Approbari poteſt pro Religioſis Conuentus is, qui per breue tempus ei præſidet.*
31 *Prælatus nequit ſe approbare pro eo tempore quo non erit Prælatus in eo Conuentu.*
32 *In monaſterijs pro numero Religioſorum ibi habitantium plures, aut pauciores aſſignandi ſunt Confeſſarij: & quidem in Societate Confeſſarijs extraordinarijs, qui bis in anno deputantur, poſſunt confiteri etiam Profeſſi: idq; pluries, vſque dum ſit facta votorum renouatio, cuius occaſione ſit ea deputatio: imò & modò vni, modò alij ex deputatis confiteri poſſunt; necnon per aliquod breue tempus poſt renouationem factam, ſi nondum fecerunt generalem confeſſionem quotannis faciendam ab ipſis profeſſis ex regula Societatis.*

Qværes XIII. An Regulares poſſint confiteri Sacerdoti habenti iuriſdictionem, & approbationem ex ratihabitione Prælati regularis.

19. Reſpond. poſſe, ſi ratihabitio ſit de præſenti, & indicetur aliquo ſigno externo; ſiquidem, teſte Bart. *l. quæ dotis, num. 34. ff. de ſolut. matrim.* ſcientia, ac patientia in iis, quæ ſunt modici præiudicij, inducit conſenſum; quamuis talis approbatio non cenſeatur ſimpliciter facta, ſed ſolùm pro eo actu particulari; vt notat Henriquez *lib. 6. cap. 13. n. 13.* Secùs, ſi ratihabitio ſit ſolùm de futuro: ſic enim abſolutio non eſt valida pro tempore prolationis formæ; cum Sacerdos tunc careat iuriſdictione, & illa non fiat valida per ſubſequentem ratihabitionem, ſtante quod adueniente ratihabitione iam præceſſit forma abſolutionis, quæ fuit inualida, & ratihabitio ipſa non retrotrahitur ad abſolutionem iam datam. ita Sanch. *l. 3. de matr. D. 35. num. 20.* aliique apud ipſum: qui benè monet cum Soto, Henriq. Vega, & aliis ratihabitionem de præterito ſufficere ad ſup. dictum effectum, cum ſic verificetur licentiam præcedere, vt patet.

Addo quod ſi religioſus non approbatus à ſuo Prælato audiat confeſſionem Religioſorum ſui Conuentus ex ratihabitione de præſenti ipſius Prælati, non aduertens tamen eiuſmodi ratihabitionem, non ſolum illicitè, ſed etiam inualidè audit: cum verè non poſſit dici acceptare iuriſdictionem aliàs conferendam per ratihabitionem illam, ſi ignoret illam ſibi conferri; & alioqui talis acceptatio ſit neceſſaria ad hunc effectum.

Qværes XIV. An Regulares poſſint liberè confiteri Pænitentiariis Papæ.

Reſpond. poſſe; & probatur ex eo quod Papa eſt 20.
ſupremus Prælatus Regularium, adeoque poteſt ſuis Pœnitentiariis tribuere auctoritatem ſuper ipſos Regulares, hiſque dare facultatem, vt liberè poſſint illis confiteri: quod autem de facto dederit talem licentiam, conſtat experientia, qua Romæ videmus Regulares diuerſorum Ordinum confiteri paſſim Pœnitentiariis Papæ, ſcientibus, & non reclamantibus regularibus Prælatis. ita Peyr. *tom. 1. priuil. Conſtit. 1. Iulij 2. num. 61.*

Qværes XV. An Regulares exempti poſſint confiteri proprio Epiſcopo.

Reſpond. non poſſe ſine licentia proprij Prælati 21.
regularis: idque non ſolùm in caſibus, in quibus poſſunt abſolui etiam à proprio Prælato, ſed etiam in iis, in quibus non poſſunt adire proprium Prælatum regularem, & poſſunt conuenire Epiſcopum. ita Suarez *ſup. cap. 23. num. 2. 4. & 5.* Et quidem quod attinet ad caſus, in quibus poſſunt abſolui à proprio Superiore, probatur, quia priuilegium exemptionis conceſſum eſt in fauorem totius Religionis, ac eius Prælatorum, ideoque non poteſt Religioſus particularis cedere iuri ſuo, nec ſibi Iudicem conſtituere extra ſuos Prælatos iuxta *cap. ſignificaſti de foro competent.* Quod verò ſpectat ad alios caſus, probatur, quia aliter poteſt ſubueniri neceſſitati Regularium: quippequi in caſu, quo non habent facilem aditum ad proprium Prælatum pro reſeruatis, poſſunt confiteri cuilibet Sacerdoti approbato, & ab eo abſolui, directè quidem à non reſeruatis, indirectè verò à reſeruatis, cum onere ſe poſtea præſentandi coram Superiore habente facultatem ſuper reſeruata; qui modus abſoluendi vtilis eſt etiam Religioſis; cum ſic facilius poſſint abſolui, & melius tolerare onus comparendi: maximè cum nullum extet ius, quo ij eximantur à tali onere, quod ſecum affert reſeruatio, quotieſcumque facultas abſoluendi datur occaſione talis difficultatis, aut neceſſitatis.

Hæc tamen non faciunt, quin dato caſu, in quo 22.
Regulares poſſent abſolui ab Epiſcopo, & non à proprio Prælato, poſſint tunc ſe ſubiicere Epiſcopo: aliàs illi eſſent deterioris conditionis, & ipſum priuilegium exemptionis cederet in præiudicium: vnde ij non præſumuntur rationabiliter eximi ab Epiſcopo, niſi in iis, in quibus ſubduntur iuriſdictioni ſuorum Prælatorum; Quamquam in præſentia huiuſmodi caſus contingere nequeat; cum Prælati Regularium ex priuilegio infra allegando poſſint quoad Religioſos ſubditos abſoluere ab omnibus reſeruatis, à quibus Epiſcopi poſſunt abſoluere proprios ſubditos.

Vtrum verò ſaltem Prælatus regularis poſſit confiteri

confiteri Episcopo, & per eum absolui à reseruatis.

23. Respond. non posse; cum communiter potestas absoluendi Prælatum localem à reseruatis sit penes Prouincialem, & respectu Prouincialis apud Generalem, Generalis verò ipse, cum non habeat intra Ordinem alium Superiorem, nisi Capitulum generale, possit absolui à confessario cui Capitulum suas vices commiserit: vel certè, si Capitulum quidquam non statuit circa hoc, ab eo, quem ipsemet Generalis elegerit communicando ei quamcumque potestatem per priuilegia concessam proprio Ordini; vnde sequitur nullum posse assignari casum, in quo Prælatus regularis egeat confiteri Episcopo.

Solùm dubitari potest de casu, in quo Prælatus degat in monasterio cum vno tantum Sacerdote, & ambo incurrant censuram Papæ reseruatam (eò quod v.g. se inuicem percusserint:) an tunc Prælatus possit, & debeat adire Episcopum ad effectum obtinendi absolutionem.

24. Verùm adhuc negandum est Prælatum teneri adire Episcopum: vel enim Prælatus regularis, & Sacerdos subditus dicti Prælati sunt excommunicati vitandi, vel sunt tolerati: si sunt vitandi, potest Prælatus eligere extra Ordinem Sacerdotem habilem, vt ab eo absoluatur, sicque absolutus postea absoluere subditum (imò iuxta dicta *tract. 7. cap. 2. n. 43.* ex Cespedes *tract. de exempt. Regul. d. 140. n. 3.* potest approbare confessarium, qui audiat confessionem suam; cum actus approbandi Regulares non sit actus iurisdictionis, quippe quam ij habeat à Papa) vel sunt tolerati; & sic Prælatus audire potest subditum, eumque absoluere, qui postea illum absoluat. Colligitur ex Suarez *num. 10. & 11.* addente *num. 12.* Prælatum in isto casu posse eligere confessarium, eo quod eligere confessarium non sit actus iurisdictionis, sed eiusdam priuilegij, quo non priuatur excommunicatus, licèt vitandus; quo modo iurisdictio non committitur confessario ab eligente, sed à Papa, aut certè à Prælato superiore vi priuilegiorum. Imò putat Rodriquez *tom. 1. quæst. 20. art. 12.* quod si in casu proposito non adsit alius Sacerdos neque sæcularis, neque regularis, à quo Prælatus absoluatur; tunc Prælatus, & eius subditus poterunt se inuicem absoluere; cum necessitas non habeat legem; qua de re infra *cap. 6. sect. 1. quæst. 48.*

Cæterùm hîc dubitari potest, an Sacerdos in casu proposito electus à Prælato regulari possit per priuilegia concessa Regularibus illum absoluere ab ea censura reseruata, & quo casu.

25. Respond. posse, si tenor priuilegij sit, quod Religiosi possint absolui à censuris reseruatis non limitando vsum talis facultatis ad Prælatum Regularem, aut Religiosos Ordinis; secùs, si restringat vsum dictæ facultatis ad Prælatos regulares, aut confessarios Ordinis: tunc enim non posset Sacerdos modo dicto electus absoluere Prælatum à censura reseruata: cum id non possit præstare, nisi ex potestate ei commissa ab ipsomet Prælato (qui vtique potest eam delegare) & aliàs Prælatus, qui illum eligit, tanquam excommunicatus vitandus non possit eam committere, seu delegare, vtpote tali potestate priuatus ratione excommunicationis.

Quæres XVI. An Equites S. Ioan. S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, & similes possint confiteri Sacerdoti non approbato ab ordinario.

26. Respond. quod, licèt in rigore possint; cum reuera sint Religiosi, si tria vota substantialia Religionis emittant in Ordine à Sede Apostolica approbato

& iuxta supradicta Conc. Trident. quoad confessarios Religiosorum nihil innouauerit; consuetudo tamen est in contrarium; vt scilicet præfati Equites non confiteantur nisi Sacerdoti approbato ab ordinario. Ita contra Dianam *part. 8. tract. 7. resol. 96.* Sanctius *in select. D. 39. num. 10.* quem sequitur Bordonus *resol. 36. num. 70.* & benè, si non obstet in contrarium consuetudo.

Quæres XVII. An Regulares Nouitij possint confiteri sine licentia proprij Prælati cuicumque Sacerdoti aliàs approbato ad confessiones.

27. Respond. posse, siue Sacerdos habeat iurisdictionem à Papa (v.g. per priuilegia Religionum) siue ab Ordinario ipsius Nouitij. Ita Henriq. *l. 6. c. 16. n. 3.* aliique contra Cordub. *l. 1. q. 30.* & Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 2. c. 17. n. 12.* qui etsi opinionem nostram dicat esse satis probabilem, putat tamen probabilius hac in re esse distinguendum: nimirum Nouitios posse quidem confiteri cuicumque Sacerdoti habenti iurisdictionem à Papa, vtpote se extendentem ad audiendas confessiones omnium fidelium, & consequenter etiam Nouitiorum: non item Sacerdoti habenti iurisdictionem tantum Episcopalem, idest approbato solùm ab Episcopo, cum Nouitius ita censeatur mutasse domicilium, vt omnino factus sit extra iurisdictionem Pastorum sæcularium, ideóque ex vi iurisdictionis præcisè ab iis obtentæ non possint absolui. Ratio nostræ sententiæ est, quod Nouitij re vera non sunt Religiosi, nec tales reputãtur in odiosis, ac oneribus, quale est non posse confiteri cuicumque Sacerdoti aliàs approbato ad confessiones.

28. Illud quidem videtur omnino admittẽdum, quod monet Suar. *supr. n. 13.* nimirum si Prælatus Religionis expressè prohibeat suis subditis audire confessiones suorum Nouitiorum, non posse tunc Nouitios ipsis confiteri: non quidem, quod ipsi ex sua parte sint impediti, sed quia Religiosi non habent vllam iurisdictionem circa illos (suppono enim eos non esse approbatos ab Ordinario: cum tamen data hac hypothesi neque à Prælato regulari sint approbati; quod est eos nullo modo esse approbatos.

Addit Peyr. *tom. 3. priuil. c. 3. n. 3.* ex *Vecchio de Nouitijs, D. 9. d. 1.* Nouitios, quamuis nondum indutos veste religiosa posse cõfiteri Sacerdoti per solum Prælatum regularem approbato; siquidem de breui accingendus in fauorabilibus habetur pro accincto *l. penult. ff. de milit. testam.* adeóque sicut Nouitius veste religiosa iam indutus potest confiteri Sacerdoti approbato solùm à Prælato regulari, ita & poterit confiteri, etiamsi nondum sit indutus religioso habitu, dummodo breui illum recepturus sit.

Quæres XVIII. Cuius sit approbare confessarios Monialium.

29. Respond. in præsentia id spectare ad Ordinarium; siue Moniales sint exemptæ ab Episcopo, siue non; idque ex Const. Gregor. XV edita Non. Febr. 1622. quæ incipit *Inscrutabili*; in hac quippe statuitur, ne Prælati regulares possint assignare Monialibus etiam sibi immediatè subiectis confessarium ordinarium, aut extraordinarium, nisi prius prædicti confessores approbati fuerint ab Episcopo approbatione particulari in ordine ad ipsas Moniales: & hoc quamuis iam generaliter approbati sint ad confessiones sæcularium; qua de re Pottel. *in resp. moral. part. 2. casu 13. num 4.*

Quæres XIX. An Religiosus, qui ad breue tempus (v.g. per 15. dies) vices gerit Prælati absentis, possit approbare pro confessionibus Religiosorum subditorum, & talis approbatio duret, vsque dum reuecetur.

T Respond.

30. Respond. videri posse; com ille re vera sit Superior totius monasterij, nec aliàs potestatem Prælatis localibus ratione muneris, saltem quoad hoc habeat coarctatam, vt suppono; vnde fit, vt, sicot Prælatus localis monasterij posset modo dicto approbare ad confessiones; sic & poterit, qui in eius locum sosfectus est, vt iam diximus.

Qværes XX. An Prælatus regularis existens in vltimo instanti sui officij possit sibi conferre facultatem audiendi confessiones suorum Religiosorum pro eo tempore, quo non erit amplius Prælatus.

31. Respond. bordon *resol.2.num.*10. non posse: probàtque, quia delegans, & delegatus debent esse inter se personaliter distincti, cum actus iurisdictionis non possit exerceri in se ipsum, *l. qui iurisdictioni, ff. de iurisd.omn.iudic.* delegare autem est actus iurisdictionis, vt docent communiter DD. eum Bonac. *D.5. de sacr.q.7.p.4.§.1. num.* 16. cum Bordono sentit Io. de Lugo ex dictis *in nostro tract.de prohibit. c.1.q.36.*

Qværes XX. Quot Confessarios debeant Prælati regulares approbare in suis monasteriis.

32. Respond. debere approbare duos, tres, aut plures pro subditorum numero maiori, vel minori: idque ex Clementis VIII. decreto edito 26. Maij 1593. & à nobis explicato *tract.6.c.1.* pro cuius maiori explicatione addo, quod si pauci Religiosi ad breue tempus degunt ruri (v. g. causa recreationis) de rigore iuris non tenetur Prælatus iis deputare plures Confessarios, etsi possit commodè: talis enim est cōmunis praxis; & consuetudo, quæ est optimus legis interpres: eaque suadetur ex eo, quod in præfato Decreto fit solum mentio de monasteriis, ac similibus non autem de domibus rusticis, & aliàs, vbi agitur de imponenda obligatione, stricta facienda est interpretatiu. Sic censeo, si Prælatus sit ruri cum 2. Religiosis subditis, vno Sacerdote, & altero laico, etsi expediat offerre Religioso laico Religiosum Sacerdotem in Confessarium, de rigore non teneri: cum id ipso facto, & à iure concedatur.

Quod si hac occasione quæras, an Professi, & Coadiutores formati Societatis possint etiam ipsi confiteri Confessariis extraordinariis bis in anno deputati solitis in reuocatione Votorum, quæ fit ab iis, qui non sunt professi, nec formati.

Respond. posse: & probatur, quia deputatio illa Confessariorū fit quidem ex occasione reuocationis Votorum; at ex vsu Societatis non restringitur ad renouantes Vota, sed fit generaliter, adeóque cum sit animæ fauorabilis ampliari debet etiam ad Professos ac formatos degentes in collegio, aut domo: sicque hi omnes poterunt confiteri extraordinariis Confessariis in qualibet reuocatione; etsi in vna earum solùm velint instituere generalem peccatorum confessionem; sicut tenentur ex regula.

Addo Religiosos Societatis omnes posse confiteri dictis extraordinariis Confessariis, non solùm semel in qualibet renouatione, sed pluries, & quoties voluerint: idque à die deputationis inclusiuè vsque ad diem, in quo fit renouatio votorum inclusiuè (proportionaliter, vt tempore Iubilei possunt pro toto tempore, quo durat, eligere Confessarium toties, quoties volunt ad consequendum Iubileum) est enim paritas in vtroque casu. Imò puto, si contingat aliquem ex illis differre confessionem generalem, ad quam tenetur, post factam votorum renouationem; cùm deputatio illa ex interpretatiua mente deputanti moralem habeat latitudinem.

Censeo prætereà Religiosos Societatis à die præfatæ deputationis vsque ad votorum renouationem posse confiteri modò vni, & modò alij ex deputatis, prout voluerint; non secùs ac tempore Iubilei possunt fideles variare Confessarios; vt tradunt communiter Doctores: proportionalis enim ratio militat in præsenti casu: nec apparet, vnde prohibeatur talis variatio.

Svbsectio II.

Quæ Priuilegia concessa sint Regularibus, quoad Absolutionem Reseruatorum ipsis impertiendam.

33 *Asserunt aliqui Regulares posse absolui à reseruatis in Bulla Cœnæ; negant alij.*

34 *Pars negans sequenda, posita reuocatione viuæ vocis oraculorum, secùs, hac seclusa.*

35 *Eluditur prima ratio partis negantis.*

36 *Reijcitur & secunda.*

37 *Peyrinus putat sub præfata reuocatione non comprehensa omnia viuæ vocis oracula, eiusque doctrina fauet in præsenti materia parti affirmanti.*

38 *At in hoc standum stylo Curiæ, si de eo constet sufficienter.*

39 *Et hæc doctrina procedit, quoad Hæresis absolutionem.*

40 *Facultas, quæ hîc conceditur, competit etiam Prælatis localibus Regularium: qui, si sint impediti, possunt absolui à papalibus, etiam sine onere se præsentandi.*

41 *Regulares absoluuntur à quinque casibus contentis in decreto Clementis VIII.*

42 *Item & ab alijs Papæ reseruatis.*

43 *Item à reseruatis Ordinario loci: & quidem etiam à censuris per eum latis contra Regulares in casu permissio, non tamen ab excommunicationibus reseruatis.*

44 *Regulares ex suis priuilegijs absoluunt Religiosum alterius Ordinis ab ibi reseruatis; quod non admittunt alij cum Suarez.*

45 *Probatur sententia Suarij.*

46 *Regulares vi Iubilei absoluuntur à reseruatis in proprio Ordine.*

47 *Prælati Religiosos subditos absoluunt à censuris per Simoniam contractis.*

48 *Facultas reseruatorum competit Prælatis regularibus iuxta tenorem concessionis.*

49 *Non tamen Subprioribus, & similibus, nisi sint Superiores in capite.*

50 *Idque etsi Prælati absentia sit solùm vnius diei.*

51 *Dicta facultas est delegabilis.*

52 *Restringi potest Prælatis inferioribus à superiore Prælato.*

53 *Non censetur data simpliciter approbato ad confessiones Regularium.*

54 *Præsumitur concessa, quoad Religiosum itinerantem, nisi aliter constet.*

55 *Regulares extra suum Conuentum absoluuntur ab ibi specialiter reseruatis in proprio Conuentu, si confiteantur approbato à Prælato non suo.*

56 *Facultas reseruatorum, si petatur in casu occurrenti, danda: sed non semper.*

57 *Danda tamen, si graue malum timeatur de subdito, pro quo ea petitur: in Societate autem Religiosus degens in Collegio paruo absoluitur cum onere se præstandi Superiori, etiam alterius Collegij, ad quod breui sit iturus, etsi non remansurus.*

58 *Facultas dicta non necessariè danda Confessario electo à Pœnitente.*

59 *Negata à Prælato inferiori præsumitur data à Prælato superiori, sed non semper.*

60 *Imo, si negetur, cum sit debita, habetur pro data, & quidem toties, quoties petitur.*

61 *Si quidem Confessarius eam petens hic, & nunc iudicet illam dari debere.*

62 *Dari potest cum onere faciendi, v. g. certam pœnitentiam.*

63 *Non item cum onere se præsentandi Superiori (quod alij negant) etsi fallat, quoad casus habentes annexam censuram.*

64 *Absolutus cum onere se præsentandi peccat, si illud non impleat: absolutio autem vi talis facultatis data differt ab indirecta: hac verò obligat ad præsentandum se Superiori, vt peccatum alias remissum proprio Iudici subijciatur.*

65 *Obligatio se sic præsentandi in hoc casu ante absolutionem manifestanda Pœnitenti.*

66 *Habens reseruata, & non reseruata, si in necessitate confiteatur simplici Confessario potest reticere reseruata.*

67 *Absolutus cum onere se præsentandi, si postea vi Iubilei absoluatur, liberatur ab hoc onere: idq; procedit, quoad Capuccinos, qui à reseruatis absoluuntur cum onere, vt absoluens se præsentet Prouinciali: quod onus tollitur vi Iubilei, si præscripta ad consecutionem Iubilei fiant à Confessario, vel etiam à Pœnitente.*

68 *Regulares extra Sacramentum à censuris reseruatis absoluuntur stando in iure communi: idq; tum ex suis priuilegijs, tum ex facultate aliunde delegata (v.g. ab Ordinario.)*

69 *Assertio procedit, etsi absolutio dicatur facienda pro foro conscientiæ audita confessione: forum enim pœnitentiale interdum sumitur pro foro conscientiæ.*

70 *Facultas reseruatorum prodest cuicumque Religioso Ordinis, etiam Nouitijs, Conuersis, Donatis.*

72 *Prodest & ipsis Prælatis regularibus, nisi aliunde prohibeantur, vt in Societate Iesu.*

72 *Obtenta pro vno Religioso interdum prodest ipsi obtinenti.*

73. *Ea facultas extenditur ad commissa, postquam illa fuit obtenta.*

74 *Obtenta pro vno casu particulari, non iuuat in alio simili: quod negat Moronus.*

75 *Hæc facultas delegata interdum potest subdelegari.*

76 *Et quidem iuxta aliquos, etiam pro subdelegante, sed non semper.*

77 *Ablata deleganti non semper aufertur subdelegato: concessa durat, etiam mortuo concedente, eove amoto ab officio.*

78 *Absolui possunt Regulares à reseruatis de licentia Legati à Latere.*

79 *Afferuntur duo priuilegia Regularibus concessa, quoad absolutionem reseruatorum.*

80 *Ad vsum prioris priuilegij non petitur licentia specialis Prælati.*

81 *Posterius priuilegium datum pro articulo mortis potest pluries prodesse.*

82 *Vigore illius tolli possunt, & censura, etsi de his in eo non fiat mentio.*

83 *Non est inutile, etsi aliàs in mortis articulo nulla sit reseruatio.*

84 *Extant alia indulta Regularibus concessa pro absolutione reseruatorum.*

85 *Facultas talium indultorum non est semper delegabilis.*

QVÆRES I. An, & quomodo Prælati Regulares possint absoluere Religiosus subditus à casibus in Bulla Cœnæ contentis.

33 Respond. Doctores in hac re esse discordes: alij enim affirmant, alij negant: affirmant Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 21. n. 1.* Rodriq. *in compend. quæst. reg. resol. 3. n. 3.* Peyr. *tom. 1. priuil. const. 4. Sixti IV. §. 5. n. 6.* Portel. *de dub. regul. v. Abbas, n. 12.* Eman. Rodriq. *tom. 1. q. 20. art. 9.* Vega *tom. 1 summ. cap. 41. casu* 1. aliique apud Peyr. *supr.* & probant, tum ex variis priuilegiis ad id concessis, quæ afferunt Suar. & Peyr. tum maximè ex eo, quòd Pius V. concessit Prælatis Cassinensium anno 1571. *vt possint absoluere omnes suos Fratres, tam Professos, quàm Nouitios, in Religione tamen perseuerantes, à quibuscumque peccatis, censuris, & & pœnis per eos tam ante, quàm post ingressum in dictam Congregationem, seu professionem incursis, & in futurum incurrendis, etiamsi fuerint de casibus Apostolicæ Sedi reseruatis, vel comprehensis in Bulla, quæ dicitur Cœnæ Domini singulis annis legi consueta, & hoc toties, quoties opus fuerit, iniuncta eis pro modo culpæ salutari pœnitentia*, (his quippe verbis refertur hoc priuilegium à Peyrino *vbi sup.*) tum quia eiusmodi priuilegia, cum sint valde fauorabilia, nulliq; præiudicent, nisi concedenti debent latè interpretari; & cum non constet vllo authētico testimonio in ea fuisse reuocata censenda sunt adhuc durare, sicque etiam in præsentia posse deseruire Regularibus; quippe qui sunt in possessione, & in dubio non debent spoliari priuilegio aliàs legitimè concesso, iuxta regulam, *In dubio melior est conditio possidentis.* Negant verò Graff. *1. p. decis. lib. 1. cap. 13. n. 54.* Passatel. *in not. priuil. Minim. not. 13.* Confect. *in Compend. Mendic. tit. 17. c. 7.* Casarub. *in Comp. v. absol. ordin. quoad Fratres, n. 13.* & alij penes Dianam *p. 3 tract. 2. resol 72.* probantque, tum ex eo, quod in publicatione Bullæ Cœnæ singulis annis expresse derogatur priuilegiis, quoad hoc concessis Mendicantibus; vt constat ex clausula illa, quæ habetur in eadem Bulla sub his verbis: *Etiam prætextu quarumuis facultatum, vel indultorum quibuscumque personis quorumuis Ordinum, & Mendicantium ipsisq; Ordinibus, & Monasterijs;* tum ex decreto sacræ Congregationis de mandato Clement. VIII. edito, & relato à Quaranta *in Bullar. v. casus reseruati*, in quo expressè prohibetur absolutio à casibus Bullæ Cœnæ cum aliquibus aliis, de quibus infra; quæ prohibitio confirmata est etiam ab Vrb. VIII. die 17. Nouembris 1628. vt videre est apud Peyr. *tom. 3. priuil. cap. 1. num. 38.*

34 Verùm ego puto hac in re vtendum esse distinctione; vel enim loquimur de facultate absoluendi Regulares à casibus Bullæ Cœnæ, stante de facto reuocatione viuæ vocis oraculorum, de qua *cap. præced. sect. 5. q. 19.* vel loquimur de tali facultate antecedenter ad dictam reuocationem: si primum, sustinenda est pars negans cum Graffio, eiusque asseclis; siquidem rationes sententiæ affirmantis fundantur in aliquibus priuilegiis viuæ vocis oraculo concessis, quæ, cùm, supposita reuocatione prædicta, non amplius substant, neque subsistunt rationes, quæ iis nituntur (nisi fortè quis malit negare priuilegia, in quibus fundantur præfatæ rationes, fuisse reuocata iuxta inferiùs dicenda) si secundum, non videtur improbabilis pars affirmans, quam sequitur Suarez cum aliis *supr.* relatis; idque ob rationes pro ipsa adductas, ac solutionem rationum, quæ contra illam positæ sunt ab Aduersariis.

35 Respond. enim ad 1. rationem per clausulam derogatoriam Bullæ Cœnæ solùm reuocari priuilegia generalia absoluendi à casibus Papalibus, vt sic (quæ vtique non extenduntur ad casus contentos in Bulla Cœnæ) non autem priuilegia, quæ expressè concedunt absolutionem casuum ipsiusmet Bullæ.

Colligitur ex ipsa Bulle Cœnæ, quam publicarunt Sixtus V. & Clementis VIII. quippe hi Pontifices verbis illis. *Etiam prætextu quarumuis facultatum*, &c. quæ extant in bulla, hæc alia immediatè addiderunt. *Nisi in ijs etiam casus præsentibus literis expressè comprehendantur*; quæ verba non habentur quidem in bullis sequentium Pontificum, semper tamen debent intelligi; vt ostendit Peyr. *supr. num.* 11. ex Suar. & Rodriq. his verbis. *Sicut in generali concessione casuum papalium non veniunt casus Bullæ Cœnæ, vt communis fert opinio, sed requiritur, quod in specie concedantur: ita in reuocatione generali priuilegium absoluendi à casibus papalibus non comprehenduntur ea, quæ expressè absolutionem casuum dictæ bullæ concedunt: sed requiritur quod de ijs fiat expressa mentio hoc pacto; videlicet: Per nullum priuilegium possint absolui à casibus Bullæ Cœnæ, etiamsi in ijs auctoritas ad eorum absolutionem concedatur; quod hucusque factum non est: nam per easdem causas res soluitur, per quas nascitur, vt passim notant scribentes.*

36. Ad 2. verò rationem respond. Peyr. *supr. num.* 16. ex Molfes. *part.* 1. *sum. tract.* 7. *cap.* 19. *num.* 19. decrecretum reuocatorium Clementis VIII. & Vrbani VIII. supra relatum contra partem affirmantem non derogare priuilegiis Regularium, quoad absolutionem ipsorum Regularium, sed solum, quoad absolutionem sæcularium: sicque declaratum fuisse à Sacra Congregatione facto verbo cum ipso Clem. eiusque viuæ vocis oraculo desuper habito, prout refert Peregr. *in compend. part.* 1. *ver. absolutio, in Schol.* §. 1. vnde sequitur tale decretum non obstare, quominus sustineri possit pars affirmans: cum nos in præsentia loquamur de absolutione Regularium, non autem sæcularium: nec dissentiunt Naldus *ver. reseruatio*, & Bordonus *resol.* 1. *num.* 17. citans pro se Vecchium cum quibus, me citato, sentit Cespedes *tract. de exempt. cap.* 23. *dub.* 357. *num.* 1.

37. Dixi in responsione, *nisi quis malit negare priuilegia, quibus nituntur dictæ rationes, fuisse reuocata*: Peyr. *tom.* 3. *priuil. in addit. ad* 18. *Const. Vrb. VIII. cap.* 12. *num.* 1. ingeniosè aduertit reuocationem viuæ vocis oraculorum supradictam non videri habere locum in viuæ vocis oraculis concessis, tum ante Gregorium XIII. tum ab ipso Gregorio, adeóque omnia, & singula priuilegia Regularibus viuæ vocis oraculo concessa ab omnibus, & singulis Prædecessoribus Gregorij, adhuc durare: vtpote quæ per Constit. ipsius Gregorij editam 10. Octobr. 1575. & relatam à Peyrino *supr.* de plenitudine potestatis approbata, confirmata, & innouata sunt; cúmque clausula *de plenitudine potestatis*, iuxta supradicta vim habeat nouæ concessionis, desierunt esse viuæ vocis oracula, & transierunt in priuilegia scripta, adeóque non comprehenduntur sub generali reuocatione viuæ vocis oraculorum, vt etiam diximus *cap. præced. sect.* 5. *quæst.* 20. Verba autem Constit. Gregorij XIII. sunt ista: *Omnia, & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruationes, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum alijs Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus*, &c. *etiam per solam signaturam, etiam viua vocis oraculo per præfatos, & alios quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac nos concessa auctoritate Apostolica, ac potestatis plenitudine approbamus, confirmamus, & innouamus*, &c. Vbi notandum, quod, licèt ista Constitutio in specie edita sit pro Fratribus Minimis, eius tamen beneficio gaudent omnes alij Ordines Religiosi, qui cum dictis Fratribus habent communionem priuilegiorum: vnde fit, vt quæcumque priuilegia præfatis Ordinibus viuæ vocis oraculo concessa sunt à summis Pontificibus vsque ad Greg. XIII. imò etiam ab ipso Gregorio vsque ad tempus, quo illam Constitutionem edidit, non fuerint comprehensa in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum; quippe quæ modo dicto transierunt in tertiam naturam, & facta sunt priuilegia scripta, & consequenter non veniunt amplius nomine viuæ vocis oraculorum: quod est valdè aduertendum.

Respond. Hæc est sententia Peyrini: hæc fundamenta, quibus nititur: quam probabilis verò sit eius doctrina, viderit ipse, & iudicent alij, quibus vacat in his immorari: illud asserunt communiter DD. in eiusmodi rebus standum esse interpretationi, quam stylus Curiæ Romanæ admittit, & seruat; is enim facit ius *cap. ex litteris de Constitut.* ac proinde contra ipsum non est operandum in foro contentioso, vt monet ipsemet Peyr. *tom.* 1. *priuileg. Constitut.* 1. *Iulij* 2. *num.* 38. addens tamen non esse necessariò standum dicto vnius Doctoris attestantis de stylo Curiæ; quippequi consistit in facto, ideóque debet probari pluribus de certitudine, & scientia attestantibus; quod notauit etiam Menoch. *vol.* 4. *consil.* 364. *num.* 12. docens hac in re maximam omnium probationum esse assignationem alicuius casus, in quo ita fuerit obseruatum. 38.

Quod si hac occasione quæras, an Prælati regulares possint absoluere Religiosos subditos ab Hæresi.

Respond. Non posse, nisi eo modo, quo diximus eos posse absoluere à reliquis casibus Bullæ Cœnæ; quamuis enim sit opinio multorum DD. non venire in concessione generali casuum Bullæ Cœnæ casum hæresis ob ipsius enormitatem: id tamen nullo iure firmo probatur; & aliàs non pauci viri docti contrarium sustinent; videlicèt in concessione indefinita casuum Bullæ Cœnæ venire etiam hæresim, & quemcumque alium casum, nisi fortè excipiantur: & ita practicari Romæ in Sacra Pœnitentiaria testatur Filliuc. *tract.* 8. *num.* 265. cuius auctoritatem puto hac in re magni faciendam esse; quippequi per multos annos fuit Rector eiusdem Sacræ Pœnitentiariæ, & consequenter in rebus ad eam spectantibus præsumi potest versatissimus: Præter quam quod Greg. XIII. Prælatis Societ. Iesu concessit facultatem absoluendi ab hæresi, & a relapsu etiam in hæresim eos omnes, qui sub Soc. obedientia viuunt; vt habetur in *Comp. ipsius Societ. v. absol.* §. 7. quamquam, cùm tale indultum fuerit viuæ vocis oraculo concessum, in præsentia non subsistat, nisi pro eius duratione faciat doctrina paulò ante tradita ex Peyrino de viuæ vocis oraculis concessis Regularibus. Dissentit Baunius *p.* 2. *de censur. D.* 3. *tract.* 2. *q.* 26. docens Prælatos regulares posse suos subditos, etiam in præsentia absoluere ab hæresi occulta: sed reiicitur à Diana *p.* 8. *tract.* 7. *resol.* 50. pro se referente Sanctorum, & Nouarium. 39.

Addit Suarez *supra cap.* 22. *numer.* 1. potestatem absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ Religiosos subditos competere Prælatis regularibus non solùm Generalibus, ac Prouincialibus, sed etiam localibus: quippequæ conceditur generatim, & in plurali, non autem restringitur ad Prælatos superiores; maximè, cùm, teste Suarez, idem dicendum sit etiam in casu, quo talis potestas concederetur Prælato in singulari: & hoc ob regulam iuris, *Fauores oportet ampliari*: sed de hoc alibi. 40.

Vtrum

Vtrum verò regulares possint absolui à casibus Bullæ Cænæ, saltem in casu, quo sint occulti, & non deducti ad forum contentiosum, dicemus *cap. seq. sect. 1. subsect. 2. q. 5.*

Solùm hîc aduerto ex Bordono *resol. 3. num. 35.* potestatem absoluendi à quibusuis reseruatis Papæ subditos legitimè impeditos, ne accedant ad Papam, iure communi Episcopis concessam *cap. de cætero 11. cap. eanoscitur 13. cap. quod de his 16. cap. quamuis 50. & c. eos 22. de sent. excommunic. in 6.* competere Prælatis regularibus respectu Religiosorum subditorum: cum iura concedentia talem potestatem de Episcopo loquantur, non formaliter, sed æquipollenter pro quouis habente dignitatem quasi Episcopalem; cuiusmodi sunt etiam Prælati regulares. Veruntamen est, quod sic absoluti, cessante impedimento, debent se præsentare Papæ; cum sic iis pateat aditus ad Papam de licentia proprij Prælati. Vnde infert Bordonus *num. 36.* melius esse in tali casu vti priuilegio Concilij Tridentini concesso in *cap. liceat*, vel aliis priuilegiis immediatè concessis Religioni pro vtroque foro: sic enim absoluti vigore horum priuilegiorum non debent se præsentare Papæ.

QVÆRES II. An, & quo modo Regulares possint absolui à casibus contentis in decreto derogatorio Clementis VIII. de quo *cap. sequenti loco modò citato suppos. 2.*

41. Respond. Posse absolui per Confessarios ipsis à proprio Prælato deputatos. ita Nald. *v. reseruatio numer. 1.* Peyt. *tom. 1. priuil. Const. 4. Sixti IV. numer. 16.* Molfes. *1. part. sum. tract. 7. c. 19. num. 29.* aliique, & probatur, quia ex dictis *q. præcedenti* reseruatio horum casuum non afficit Regulares vt pœnitentes, sed solùm vt Confessarios; derogatque priuilegiis Regularium solùm, quoad absoluendum sæculares à dictis casibus, non autem, quoad absoluendum ipsos Regulares; si qui eorum fortè aliquem ex præfatis casibus incurrant: idque ex declaratione Sacræ Congregat. quam item retulimus *q. præcedenti*, & refert. etiam Nald. *in summa edita Bononiæ*: estò eam omiserit in editione Romana, & quidem breuitatis causa, vt ipsemet mihi dixit: nobiscum sentit Bordonus *resol. 1. num. 17.* citans pro se Vecchium.

QVÆRES III. An, & quo modo Regulares possint absolui ab aliis casibus, ac censuris Sedi Apostolicæ reseruatis.

42. Respond. posse, si confiteantur Sacerdoti Regulari, idque ob rationes adducendas *c. sequenti sect. 1. subsect. 2. quæst. 3.* vbi ex professo quæstionem hanc examinabimus.

QVÆRES IV. An, & quo pacto Regulares absolui possint à casibus, & censuris Ordinario reseruatis.

43. Respond. distinguendo: vel enim loquimur de casibus, qui in iure reseruantur Episcopis; & de his non est præsens quæstio; cum, teste Suar. *de pœnit. D. 29. sect. 3. num. 6.* nullus casus in iure communi modò Episcopis reseruetur, nisi legitima consuetudine sit approbatus: vnde in præsentia ea solùm censentur Episcopis reseruata, quæ ipsi in specie reseruant in propria Diœcesi; vel loquimur de censuris, quæ ex generali ratione iurisdictionis Episcopalis in iure committuntur Episcopis (qualis est excommunicatio Canonis *si quis suadente*:) & ab his possunt Regulares absolui per proprios Prælatos regulares; quippequi habent in Religiosos subditos iurisdictionem quasi Episcopalem; vel loquimur de iis, quæ Ordinarij locorum sibi in specie reseruant, quoad propriam diœcesim; & neque de his est quæstio præsens; cum ea non ligent Regulares, vtpotè exemptos ab Episcopali iurisdictione; vel denique loquimur de censuris latis ab Episcopis contra Regulares in casibus, in quibus possunt eas ferre contra illos, iuxta Concil. Trid. *sess. 25. cap. 13. de Regular.* & ab his videntur posse absolui Regulares non solùm per suos Prælatos, sed etiam per alios Regulares, quibus ipsi confiteantur de licentia proprij Prælati: idque ex variis priuilegiis, quæ affert Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 2. cap. 25. num. 1.* & præsertim ex priuilegio Pauli III. concesso Societati Iesu; quod adducam *cap. sequenti sect. 1. subsect. 2. quæst. 1. suppos. 1.* si quidem, cum in eo concedatur Regularibus facultas absoluendi à quibuscumque peccatis, ac censuris, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & clausula *etiam* sit ampliatiua, indicetque Regulares vi talis priuilegij posse absoluere omnes Christianos ad ipsos accedentes non solùm à reseruatis Sedi Apostolicæ, sed etiam ab omnibus aliis reseruatis cuicumque inferiori Papa (nisi aliunde prohibeantur, quo modo re vera post decretum Clement. VIII. sup. relatum non possunt absoluere tum ab illis, quinque casibus, tum à reseruatis Ordinariorum, eo quod sint prohibiti; cum antea possent); sequitur eos modò posse absoluere à sup. dictis censuris Ordinariorum latis contra ipsos Regulares; cum hæ ex vna parte dicantur reseruari inferioribus Papa, adeóque comprehendantur in præfato priuilegio: ex alia parte Regulares ab his non prohibeantur absoluere; si tamen excipias excommunicationes reseruatas Episcopis, à quibus neque Regulares priuilegiati possunt absoluere ex decreto Pauli V. iuxta dicenda *cap. sequenti sect. 2. subsect. 2. quæst. 4.* quod decretum, cum sit generale, extenditur ad omnes excommunicationes ab Episcopis latas, & reseruatas; siue eæ ferantur contra sæculares, siue etiam contra Regulares; lex quippe generaliter loquens generaliter debet intelligi. Vnde, quod ait Suarez *sup. cap. 25. num. 6.* si contingat Religiosum excommunicari, & quidem per sententiam, etiam specialem ab homine ab Episcopo in aliquo casu ipsi commisso, aut etiam à Legato, vel alio Iudice Apostolico, posse eum nihilominus absolui à proprio Prælato regulari ex vi indulti, quod Paulus III. concessit Societati Iesu, & nos infra adducemus; hoc debet intelligi de excommunicatione, quam Episcopi ferant quidem in casu permisso contra Regulares, non tamen specialiter reseruent: si enim eam specialiter reseruent, ab ea non poterunt Regulares absolui ex vi sup. dicti indulti; quippe qui à Paulo V. quoad hanc partem derogatum est, vt iam diximus. Dico *quoad hanc partem*; quia, quod spectat ad Suspensiones, & interdicta, quæ ferantur, ab Episcopis, siue contra sæculares, siue contra Regulares, censeo ea vi præfati priuilegij posse tolli à Regularibus, quantumuis Episcopi ea sibi reseruent: cum tali priuilegio derogatum sit solum, quoad excommunicationes, non item, quoad alias species censurarum, & alioqui in odiosis à diuersis non fiat illatio.

QVÆRES V. An, & quo modo Regulares, possint absolui à reseruatis in Religione.

Respond. Cum distinctione: vel confitentur proprio Prælato; & sic possunt absolui; cum ipsi talis potestas competat iure ordinario: vel confitentur alicui alij Sacerdoti, de licentia tamen Prælati; & sic, si quidem confitentur Sacerdoti sæculari, non possunt absolui; cum is ad id nullam habeat potestatem, neque ordinariam, neque delegatam; si verò sit Regularis; 44.

Regularis; tunc adhuc diſtinguendum eſt; vel confitentur Regulari eiuſdem Ordinis, & non poſſunt abſolui, niſi de licentia Prælati expreſsè ad hoc conceſſa; cum hæc ſit vis reſeruationis, & in tali caſu non habeat locum Priuilegium Pauli III. vt hîc ſuppono: vel confitentur Regulari alterius Ordinis; ſicque videtur probabile eos poſſe abſolui, & quidem independenter à Prælato Religioſi pœnitentis; cum Papa, qui eſt ſupremus Prælatus Religionum, ei ad hoc facultatem dederit, vt probat ratio illata *quæſt. præcedenti* deducta ex clauſula *etiam*: Quamquàm Suar. *ſup. c.16. n.16.* ſuſtineat in ſup. dicto priuilegio abſoluendi ab omnibus reſeruatis, etiam Papæ non venire facultatem abſoluendi Regulares à reſeruatis in Religione: quo modo neque in præfato indulto ſub generali facultate audiendi confeſſiones quorumcumque fidelium videtur venire facultas audiendi confeſſiones eorumdem Regularium (intellige eo modo, quo diximus *ſubſect. præcedenti quæſt.* 11.) quod in primis probat conſuetudo recepta in omnibus Religionibus benè ordinatis; quæ ſolet eſſe ſufficiens ad ſuo modo dandam, aut tollendam iuriſdictionem in foro Pœnitentiæ: ita Suarez & cum eo Portel. *ſup. v. Confeſſor erg. fratres numer.* 16. qui ait Confeſſores Regularium non poſſe, quoad eos abſoluendos, quod poſſunt erga ſæculares per priuilegia ipſis conceſſa: hos enim poſſunt abſoluere ab omnibus reſeruatis modo ſup. dicto ex priuilegio Pauli III. quod non poſſunt præſtare erga Regulares; cum Paulus III. id conceſſerit pro ſæcolaribus, non item pro Regularibus; hæc Portel. quàm probabiliter autem diſſentiant iſti DD. in hac re conſtat ex dictis *ſubſect. præcedenti quæſt.* 11.

45. Sanè quod priuilegium abſoluendi à reſeruatis etiam Sedi Apoſtolicæ conceſſum Regularibus non extendatur ad ea, quæ ſpecialiter reſeruantur in Religionibus pro Religioſis vniuſcuiuſque Ordinis, probari poſſet ex eo quod diximus *cap. præcedenti ſection. 3. q.6.* in communicatione priuilegiorum facta Regularibus non comprehendi ea, quæ poſſunt præiudicare regulari Obſeruantiæ: cuiuſmodi ſine dubio eſſet vſus ſup. dicti priuilegij; vt patet ex eo, quod Religio Minimorum teſte Peyr. *tom.1. priuileg. Conſtit. 2. Iulij 2. num.* 63. expreſsè prohibuit, ne Prælati ſuis ſubditis facultatem concedant confitendi extra Ordinem reſeruata in ipſo Ordine.

QVÆRES VI. An Regulares tempore Iubilei poſſint abſolui à reſeruatis in Ordine per Confeſſarium ab ipſis electum.

46. Reſpond. poſſe; & colligitur ex doctrina illorum, qui cum Suar. *D. 7. de cenſuris ſect. 5. num.* 14. putant Papam eo ipſo, quod generali clauſula concedit cenſuras ſibi reſeruatas, concedere item Cenſuras, quas Epiſcopi inferiores ſibi ſpecialiter reſeruant; cum enim Papa in conceſſione Iubilei intendat, vt fideles omnes poſſint diſponi ad lucrandam indulgentiam media abſolutione Confeſſarij à ſe electi, & ad hunc finem neceſſaria ſit ablatio reſeruationis non ſolum Papalis, ſed etiam Epiſcopalis (adde tu & regularis) dicendum eſt conceſſionem Iubilei extendi ad quamcumque reſeruationem factam ab inferioribus Papa, & conſequenter etiam ad eam, quæ fit in Religionibus. quod tamen negabunt ij, qui cum Nau. in *cap. ita* quorumdam *de Iudæ. nor.* 11. *num.* 35. & in Sum. *c.27. num.* 261. aliiſque dicunt ſub facultate abſoluendi à cenſuris Papæ reſeruatis non includi cenſuras Epiſcopis reſeruatas; quod autem diximus de Cenſuris, dicendum eſt & de Caſibus reſeruatis; cum ſit par ratio de vtriſque.

QVÆRES VII. An Prælati regulares poſſint abſoluere Religioſos ſubditos à cenſuris per Simoniam contractis.

Reſpond. quod, quamuis prima facie dicendum 47.
videatur ipſos non poſſe, attento motu proprio Sixti V. edito aduerſùs Clericos malè promotos §.8. in quo ipſe pœnas iam latas renouauit nonnullas alias addens, eaſque omnes ſibi reſeruans, reuocauitque omnia priuilegia, etiam in Mari magno contenta, vel quibuſcumque Ordinibus, aut perſonis Regularibus conceſſa, derogauitque facultati Concilij Trident. conceſſæ Epiſcopis ad abſoluendum à caſibus occultis; quæ reuocatio adhuc ſubſiſtit, non obſtante motu proprio Clem. VIII. edito anno 1595. qui dictam Conſtitutionem Sixti V. reduxit ad terminos iuris, & Concilij Trident. ſi quidem Clemens addidit exceptionem *præterquàm contra Simoniam ordinatos, & ordinantes inflictas*; vnde infert Suar. *tom.4. de Relig. tract. 8. l. 2. cap. 21. num.9* hanc exceptionem extendi ſolum ad Simoniam Commiſſam circa Ordines; additque Prælatos Religionum, quoad hanc non habere facultatem abſoluendi ſuos ſubditos, niſi à Sede Apoſtolica habeant nouam ſuorum priuilegiorum confirmationem. Nihilominus diſſentit Portel. *ſup. v. prælatus num.* 29. docens Prælatos regulares, etiam modò poſſe abſoluere ſuos ſubditos à Simonia commiſſa circa Ordinem, eo quod Clem. VIII. teſte Rodriquez *in Bullar. bulla 1. Clement. VIII.* confirmauerit ex certa ſcientia priuilegia Fratrum Minorum, adeóque reualidauerit priuilegium, quo Religioſi poterant abſolui à ſup. dicta Simonia reuocatum à Sixto: confirmauerit, inquam, & quidem vno anno poſtquàm edidit bullam moderatoriam ipſius Sixti: vt conſtat ex eodem *Bullario* Rodriq. *bulla 21. Clementis.* Vnde non obeſt Regularibus, quod Clemens in hac ſua bulla moderatoria reliquerit in ſuo robore pœnas à Sixto latas contra Simoniacos in Ordinis receptione; cum ſic per præfatam confirmationem priuilegiorum poſteriùs factam, dictum priuilegium abſoluendi à Simonia alioqui à Sixto reuocatum, fuerit reſtitutum: ſi quidem iuxta dicta ſuperiùs confirmatio priuilegiorum ex certa ſcientia reualidat priuilegia alias legitimè ſublata; ſic Portel. & non improbabiliter.

QVÆRES VIII. In quibus Prælatis regularibus extet facultas abſoluendi ſubditos ab omnibus cenſuris tam à iure, quam ab homine.

Reſpond. Id colligendum eſſe ex verbis ipſorum- 48.
met priuilegiorum; ideóque ſi in ſpecie concedant aliquam facultatem Prælato Generali, ea competit ſoli Generali; ſi Prouincialibus, competit & Prouincialibus, & Generali; ſi denique Prælatis generatim, aut etiam in ſingulari, Prælato, competit Prælatis localibus, & à fortiori Prouincialibus, ac Generali; quippequi omnes re vera ſunt Prælati, & aliàs conceſſio indefinita æquiualet vniuerſali. ita Suar. *ſupr. cap. 12. num.* 5. addens *num* 4. vſum priuilegiorum, quo modo dicto conceduntur Prælatis, non conuenire Miniſtris inferioribus, ſiue Confeſſariis, ſiue etiam Vicariis Ordinariis Monaſteriorum (quocumque demum nomine vocentur:) cum ij non ſint propriè Prælati, & priuilegium non debeat extendi vltra proprietatem verborum.

Quod ſi quæras, an detur aliquod ſpeciale priuilegium, per quod ſup. dictis Vicariis, Subprioribus, Miniſtris, &c. concedatur ſup. dicta facultas.

Reſpond. Diſtinguendo; vel in monaſterio adeſt 49.
proprius Prælatus, qui illud gubernet; & ſic Vicarij nullum habent tale priuilegium (vt conſtat ex modò dictis) vel proprius Prælatus abeſt à monaſterio;

&

& sic videntur habere totam illam facultatem, quæ competit Prælatis idque ob priuilegium concessum Ordini Prædicatorum, teste Rodriq. *tom. 1. quæst. 20. art. 5.* quem refert, & sequitur Suar. *supr. num. 6.* cum S. Antonin. *part. 1. tit. 19. cap. 5.* addens tamen *num. 7.* vt omnis tollatur scrupulus, optimum consilium esse, vt Prælatus, dum recedit à monasterio, omnem suam potestatem committat Vicario: imò, ne hoc pendeat ex memoria, aut voluntate singulorum Prælatorum, expedire, vt id stabili lege, aut recepta consuetudine introducatur.

Quamdiu verò abesse debeat Prælatus monasterij ad hoc vt illius Vicarius possit vti præfata facultate erga Religiosos subditos.

50. Respond. videri sufficere absentiam vnius diei: cum sic Vicarius euadat absolutus Superior monasterij, sicque ipsi concedi debeant omnia illa, quę pro recta administratione necessaria sunt; qualis vtique est potestas specialis absoluendi; maximè cum priuilegia ad id concessa sint fauorabilia, ac proinde ampliari debeant. ita Nald. *v. abesse num.* 11. & cum eo Peyr. *tom. 1. priuil. Const. 4. Sixti IV. num.* 26. qui tamen minus bene videtur dicere in tali casu non posse absolui à Vicario monasterij Religiosum, qui sine causa distulit absolui: si quidem is vtitur iure suo (vt in simili aduertit Filliuc. *tract. 7. num.* 285. de eo, qui ad declinandum iudicium pœnitentiale proprij Episcopi mutat domicilium) qui autem vtitur iure suo, nulli facit iniuriam.

QVÆRAS IX. An facultas absoluendi Regulares à reseruatis concessa ex priuilegiis possit delegari etiam aliis ad quos non extenditur ex tenore ipsius priuilegij.

51. Respond. posse. ita Suar. *supr. num.* 8. & probatur, tum ex priuilegio ad id concesso Societati Iesu per Paulum III. in quo conceditur Generali, vt omnes gratias, concessiones, & indulta sibi concessa à Sede Apostolica exercere possit per Vicarios, aut personas ad id sibi benè visas (quod etiam concessit Sixtus IV. Prælatis Fratrum Minorum;) tum, quia Prælatis Religionum hebent in proprios subditos iurisdictionem episcopalem, & quoad hoc æquiparantur Episcopis, adeóque erga suos subditos possunt ea vi suæ iurisdictionis quidquid eis non prohibetur: quod est habere iurisdictionem quasi ordinariam, quæ consequenter potest delegari alteri; in quem tamen delegans, propriè loquendo, non transfert priuilegium, sed tantum vtitur eius ministerio ad exequendum suum priuilegium: quod vtique est quid diuersum, vt patet. Vnde fit, quod Commissarius in tali casu non potest alteri committere vices suas, eo, quod ipsi non tam iurisdictio, quam nudum ministerium committatur iuxta *c. vlt. §. vlt. de offic. deleg.*

QVÆRES X. An Prælati superiores Religionum possint restringere inferioribus Prælatis supradictam facultatem absoluendi à reseruatis, nempe Generalis Pronincialibus, & Prouinciales Superioribus localibus.

52. Respond. posse; & quidem etiam stando in virtute priuilegiorum concedentium talem facultatem, quamdiu id expresè non prohibetur in ipsis priuilegiis. ita Suar. *supr. num.* 14. & probatur, quia Papa concedens priuilegium in fauorem Religionis, censetur conferre iuxta debitum ordinem, & magis consentaneum ipsi Religioni; nisi fortè aliud expressè declaret; debitus autem ordo Religionis petit, vt Inferiores Prælati dependeant à Superioribus, ac proinde credendum est hanc esse voluntatem Papæ concedentis. in quo tamen casu non potest dici inferior auferre facultatem concessam à superiore; cum ea non censeatur simpliciter concessa, sed cum hac subordinatione.

QVÆRAS XI. An Prælatus concedens Religioso alicui absolutam potestatem audiendi confessiones suorum subditorum, hoc ipso censeatur ei concedere etiam casus Papales, à quibus Regulares possunt absolui ex priuilegiis in specie ipsis concessis.

53. Respood. non censeri concedere. quantumuis cōcessa fuerint ad eorum absolutionem multa, & varia priuilegia; ex vi enim horum non est ablata reseruatio à dictis casibus, sed solum commissa est Prælatis regularibus eorum absolutio: quod est, quid longè diuersum. vnde fit, vt præfati casus non veniant sub generali delegatione facta à Prælato ad absoluendum à peccatis, ac censuris; imò nec sub facultate absoluendi à reseruatis in Religione, cum casus papales habeant reseruationem longè altioris ordinis, adeóque non comprehendantur sub ea generalitate. ita Suar *supr. num.* 17. & 18. addens, ad hoc vt Prælatus præsumatur concedere casus papales, opus esse, vt vel eos in specie exprimat iuxta vniuscuiusque exigentiam; vel, si vtitur verbis generalibus, ea debere esse talia, quod tollant omnem ambiguitatem, dicendo v. g. concedere omnes suas facultates: quantum potest per priuilegia, &c.

An verò prælatus regularis dans subdito peregrinanti facultatem eligendi Confessarium, censeatur concedere, vt possit per illum absolui à reseruatis.

54. Respond. Suar. *cap. 19. num. 4. & 5.* hac in re spectandam esse consuetudinem, aut regulam cuiuscumque Religionis, aut ordinationem Prælatorum: & si nec per regulam satis declarata sit talis facultas, aut modus illius, nec constet sufficienter de consuetudine; si contingat Regularem ex naturali obliuione discedere, non petita supradicta facultate, præsumi implicite concessam à Prælato in ipsa licentia peregrinandi (saluo tamem reseruationis rigore, quoad fieri potest;) qui enim concedit vnum, virtualiter concedit & aliud, quod est moraliter necessarium ad illud decenter exequendm. Dixi, *saluo tamen reseruationis rigore*, quia, cum talis licentia non detur, nisi ratione necessitatis, ea debet explicari iuxta iura concedentia facultatem in similibus casibus; nimirum, saluo onere reseruationis, idest sub obligatione se præsentandi, vt infra.

Nec obstat, quòd plures Doctores sustinent Bononiensem confitentem Ferrariæ posse absolui à reseruatis Bononiæ, si item non sint reseruata Ferrariæ: hæc enim doctrina non procedit, quoad Religiosos de licentia Prælati confitentes extra Ordinem: obstat quippe vsus in contrarium fortè in eo fundatus, quod reseruatio, quæ fit in Religionibus, non respicit locum (sicut reseruatio Episcopalia respicit propriam diœcesim) sed personas, sicque vsus obtinuit.

55. Verum tamen est, quod si Religiosus extraneus confiteatur in Monasterio, vbi est hospes, & quidem Confessario approbato à Prælato dicti Monasterij, absolutè posset absolui à casibus reseruatis in proprio Monasterio, non item à reseruatis in eo, in quo confitetur: quod non esset, si confiteretur Sacerdoti electo ex potestate sibi collata à proprio Prælato: si quidem in priori casu Confessarius vtitur facultate proprij Ordinarij, non tamen Ordinarij, cui subest Pœnitens. Nec obstat, quod sic Religiosus hospes posset subterfugere specialem reseruationem, proprij Monasterij (rogando Confessarium, vt ipsum absoluat, tamquam Confessarius Conuentus, non autem ex electione Confessarij hospiti con-

cessa ante discessum) tum Monasterij,in quo est hospes (petendo à Confessario, vt velit illum absoluere ex potestate ei delegata per electionem factam à pœnitente de consensu proprij Superioris) quod est inconueniens maximum,ceditque in fraudem reseruationis. non obstat, inquam; cum in tali casu pœnitens vtatur iure suo, vtpotè habens ius confitendi approbato à Prælato Monasterij, in quo est hospes, sicque effugiat reseruationem proprij Monasterij; & è contra ius habeat eligendi Confessarium ex facultate sui Superioris, sicque euitet reseruationem Monasterij, in quo est hospes: quæ reseruatio vtique non afficit Confessarium approbabatum ab Ordinario religiosi hospitis: qua de re Bordon.*resol*.58.

QVÆRAS XII. An, & quo modo Prælati regulares teneantur concedere subdito petenti, vt possit absolui à reseruatis.

56. Respond. cùm distinctione; vel Religiosus subditus timet rationabiliter aliquod graue damnum à Prælato, si ipsi confiteatur (v. g.quod reuelet confessionem, aut ea vtatur in graue illius præiudicium) & sic Prælatus tenetur ex iustitia dare facultatem, vt possit ab alio absolui; vel non timet aliquid tale, quin potius Prælatus videt id non expedire subdito, qui hinc sumpturus est occasionem scandali, aut recidiui; & sic Prælatus negare potest dictam facultatem. ita *Regin.lib*.8.*n*.42. aliique communiter, & quoad 1. partem probatur, quia Prælatus in priori casu non potest iustè priuare subditum legitimo vsus Sacramenti Pœnitentiæ, nec potest illum cogere,vt se exponat periculo grauis damni; quoad 2. verò partem patet,quia alioqui nullius ferè momenti esset reseruatio, si subditus ab ea se tam facilè liberaret; quo pacto *Angel. v. confessio*, 3. *num*. 31. dicit rectè facere Superiorem, quando negat supradictam facultatem, vt alij scientes, & videntes difficultatem in danda facultate, tantò magis retrahantur à peccatis.

57. Concedunt tamen DD. cum S. Thoma *in* 4.*d*.17. *quæst*.3.*art*.3. *quæst*. 4. quod si Prælatus timeat graue damnum speciale subditi ex negatione talis facultatis, estò illud euenturum sit ex defectu ipsius subditi (quia verbi gratia nimis differet confessionem, aut retinebit illud peccatum in confessione) tenetur ex charitate, debito sui muneris dare eiusmodi facultatem, & si neget, peccare, si quidem hæc potestas non datur in destructionem, sed in vtilitatem subditorum. Nec refert, quod subditus sibi ipsi sit causa talis damni, quia & hoc tenetur spiritualis Pastor impedire, si commodè potest; vt notat Suar. *D*.30.*de pænit. sect*.4. *num*. 8. ex dictis colligens, regulariter, ac moraliter loquendo, Superiorem in dicta facultate concedenda debere potiùs esse facilem, quàm difficilem: cum, teste Nau.*cap.placuit d*.6. *num*. 149. sola nimia verecundia possit interdum esse causa sufficiens, vt detur talis facultas. Imò addit Filliuc. *tract*.7. *num*. 294. Prælatum, si iudicet subesse iustam causam negandi præfatam facultatem, & postea cognoscat subditum nullo modo velle ipsum adire, teneri dare talem facultatem, & si non det, peccare; excepto tamen casu, quo hinc sequeretur graue damnum aliorum.

Portò in Congregatione generali 8. Societ. Iesu *can*.5. statutum fuit, quod, cum in paruis Collegiis, aut Residentiis, in quibus 4.aut 5. morantur ex nostris, difficilè possit Confessarius Societatis, saluo sigillo ad Superiorem recurrere pro facultate absoluendi à reseruatis: absoluat cum onere præsentandi se Prouinciali, aut alteri Superiori, si breui pœnitens sic absolutus in eius collegium, aut domum sit discessurus. quod puto intelligendum esse, etsi post discessum breui sit rediturus ad Collegium, in quo fuit absolutus cum dicto onere; eò quod discessus fiat ad tractandum aliquod negotium, ad faciendàm aliquam peregrinationem, &c. cum enim simus in materia fauorabili animæ, ea debet ampliari; & lex generaliter loquens generaliter intelligi debet. Puto autem in isto casu non posse dici Religiosum breui discessurum, si infra spatium vnius, aut alterius mensis discessurus sit: idque colligo ex *instructione pro Superioribus, & Confessarys Societ. circa casus reseruatos* §. 6. quæ habetur inter instructiones impressas, & sic habet: *Si verò accidat, vt aliquis, tamquam hospes sit in aliquo Collegio, diu tamen ibi moraturus (puto spatio vnius, aut alterius circiter mensis) si is eo tempore in casum aliquem reseruatum inciderit, poterit ac debebit absolui à Superiore illius loci, in quo est, vel de eius licentia*, &c. si enim iuxta mentem Societatis censetur diu morari in aliquo Collegio, qui ibi moratur ad vnum, vel alterum mensem; è contra breui censebitur discessurus, qui infra vnum, vel alterum mensem est discessurus.

Dubitari posset hoc loco, an Prælatus teneatur dare subdito facultatem eligendi quemcumq; Confessarium voluerit ad effectum, vt absoluatur à reseruatis.

58. Respond. non teneri, sed posse illum committere alteri, quem iudicet magis idoneum, vel certè inter aliquos designatos dare subdito electionem, prout censuerit expedire ad bonum ipsius subditi. ita *Regin.supr.num*.50. aliique communiter; & patet ex eo, quod finis reseruationis est, vt grauiora delicta grauius, & meliùs corripiantur, ac emendentur: ad hoc tamen necesse est, vt delinquentes subdantur iudicio viri grauioris, doctoris, ac melioris; quamquàm Superiores in hoc non debeant esse admodum difficiles, si subditi sint prudentes, & timorati, aut certè Sacerdos, per quem subditus petit facultatem, sit idoneus, vt ipsi talis causa committatur.

QVÆRAS XIII. An, quando Prælatus regularis Monasterij pio, ac religioso Confessario negat facultatem absoluendi à reseruatis aliquem ex Religiosis subditis: hoc ipso is possit absolui ex tacita concessione licentiæ Prælati Superioris (v. g. Prouincialis, Generalis, aut Papæ.)

59. Respond. posse, si instet necessitas communicandi, aut celebrandi, & alioqui incurratur periculum infamiæ, nisi subditus communicet, aut celebret. ita Fagund. *præc*.3.*Eccl.lib*.3.*cap*.9.*num*.17.*cum* Henriq.*lib*.6.*cap*.13.*num*.6.*&* Rodriq.*tom*.1. *Sum.cap*.55. *n*.11. contra S.Thom. *in* 4.*d*.17.*q*.3.*art*.3.*quæstiunc*.4. *ad* 5. Sotum, Marsil. Caietan. & alios, quorum opinionem docet Fagond. esse communiorem, & probabiliorem. Ratio nostra est, quia hîc teneri non potest, quod Prælatus Superior nolit posteà dare talem facultatem, aut id ratum non habeat; cum nostra opinio fundetur, non in ratihabitione de futuro, (quæ non sufficit ad conferendam iurisdictionem) sed in tacita concessione de præsenti. quo modo Sanchez *lib*.2.*de matr. D*.40.*num*. 7. cum multis docet posse Episcopum ex tacita voluntate Papæ dispensare in voto Castitatis ad contrahendum matrimonium; si res vrgeat, & adsit magna necessitas, siue ob inopiam contrahentium, siue ob periculum animarū imminens ex mora, siue ad vitandum scandalum: cum tamen votum simplex castitatis non sit minùs reseruatum, quam quodlibet peccatum reseruatum in Religione.

Accedit,

60. Accedit, quod Sacra Congregatio Cardinalium innouando Constitutionem Clementis VIII. factam super Regularium reformatione, de consensu Vrbani VIII. statuit (vt habetur in *Bullario tom. 4. bulla Vrbani VIII. in ordine 26. in decreto super casuum reseruat.*) quod si Superior regularis neget Confessario Monasterij facultatem absoluendi Religiosum pœnitentem ab aliquo casu reseruato in Religione, adhuc possit eum absoluere pro illa vice. ita Diana *p. 3. tract. 2. resol.* 126. vbi quærens an ly *pro illa vice*, intelligatur pro vna vice tantùm; an verò toties, quoties dicta facultas petitur à Confessario, & denegatur à Superiore: valdè inclinat, quod intelligatur posteriori modo videlicèt pro *toties quoties*; etenim in dicto indulto additur dictio taxatiua (qualis adhiberi solet in bullis Iubilei, in quibus dicitur *pro hac vice tantùm*) ideóque, cum probabile sit in dictis bullis non restringi fauores Iubilei ad vnicam vicem, non obstante ea dictione taxatiua, quæ in illis apponitur (vt videre est penes Dianam *part. 3. tract 4 resol.* 151. pro hac sententia citantem Henriquez, Regin. Fernand. Nald. Zanard. & Alphons. de Leone) à fortiori probabile erit concessionem factam in præfato indulto Sacræ Congregationis non arctari ad vnicam vicem; stante quod in eo non apponitur vlla dictio taxatiua, vt iam diximus. Cum Diana sentiunt Alphos. de Leone *tract 2. recollect. 6. num.* 178. Bordonus *resol. 39. num.* 50. putans id procedere etiam in casu, quo pœnitens petat facultatem, aliique docti viri è Societate à me consulti: & meritò, cum talis expositio conformior sit menti Sacræ Congregationis tale indultum concedentis: in quo fortè non dissentit Lezana *tom. 3. summæ v. casu reseruat. num.* 23. Adde quod, cum supradictum indultum loquatur absolutè, videtur locum habere etiam in casu, quo Religiosus petens absolui à reseruatis, nullum incurrat infamiæ periculum, nullámque habeat necessitatem communicandi, aut celebrandi: si quidem lex generaliter loquens generaliter debet intelligi, præsertim si sit fauorabilis, & cedat in bonum spirituale animarum; qua de re consulantur dicta *in tract. de prohibit. cap. 1. quæst. 31. §. nec obstat.*

Dices, explicato tam amplè supradicto Sacræ Congregationis indulto sequitur in Religionibus valde eneruari reseruationem casuum, cum sic semper facillimè obtineri possit absolutio, & quidem per ordinarios Monasterij Confessarios, quod videtur esse contra finem intentum in reseruatione casuum.

61. Respond. negando inde sequi tale inconueniens; si quidem, vt colligitur ex Naldo *v. Religiosus n.* 44. Clemens VIII. qui primò concessit dictum indultum, præcepit etiam, vt Superiores deputent in singulis domibus duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori, iique sint docti, prudentes, ac caritate præditi, quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit. Vnde infero, quod, cum ex vna parte præfatum indultum Religioso pœnitenti reseruatis irretito non suffragetur, nisi quando prudens Confessarius iudicauerit expedire, vt Superior concedat facultatem illum absoluendi; ex alia parte vix contingere possit, vt Confessarius prudenter iudicet illud expedire in casu inconuenientis superiùs allegati, consequenter patet inde non posse sequi illud inconueniens, quod contra afferebatur.

QVÆRES XIV. An Prælatus regularis teneatur concedere facultatem absoluendi à reseruatis absolutè, an verò cum aliquo onere siue faciendi certam aliquam pœnitentiam, siue posteà comparendi coram legitimo Superiore.

62. Respond. primò, quod spectat ad onus faciendi aliquam pœnitentiam, posse Prælatum concedere facultatem absoluendi à reseruatis cum dicto onere faciendi hanc, vel illam pœnitentiam: & hoc, siue facultas petatur ante peccatum commissum, siue post; cum enim Prælatus sit Iudex ordinarius, potest committere facultatem absoluendi alicui alteri, taxando pœnitentiam, vt olim fiebat in Ecclesia ex *Gratiano in fine Decreti & cap. latorem* 33. *q.* 2. Quamquam Superior in hoc procedere debeat cum magna prudentia; nimirum relinquendo taxationem pœnitentiæ arbitrio illius, cui absolutio committitur, si confidat de eius prudentia: vel certè, si non confidat, taxando pœnitentiam sub conditione (v. g. si est tale delictum, iniungatur talis pœnitentia:) & per modum consilij potiùs, quam præcepti; iurisdictio namque non videtur committenda cum tanta dependentia, quin potius aliquid relinquendum est arbitrio Iudicis. Filliuc *supr. num.* 295. qui benè monet Prælatum in hoc casu posse inquirere speciem peccati, consuetudinem, & alias circumstantias, si non adsit periculum manifestandi personam secùs, si adsit tale periculum.

63. Respond. 2. quod spectat ad onus comparendi coram Superiore, si quidem petatur facultas absoluendi à reseruatis post peccatum commissum, eam non debere concedi cum tali onere: cum ideo præfata facultas petatur, vt pœnitens à tali onere liberetur; si verò petatur, antequam peccatum committatur, & peccatum habeat annexam censuram, non repugnat eam concedi cum præfato onere, vt constat ex communi vsu Ecclesiæ, quo sæpè datur facultas absoluendi à reseruatis Papæ cum onere se præsentandi ratione censuræ: quæ cum sit instituta ab Ecclesia, potest Ecclesia præscribere modum seruandum in eius absolutione. Dixi, *& peccatum habeat annexam censuram*, vt innuerem, quòd, quando peccatum non habet annexam censuram, alioqui DD. cum Durando *in 4. d. 17. q. 15. num.* 10. negant posse imponi tale onus: contra quos tamen facit communis aliorum DD. sententia: qui cum Nau. *cap 9 n.* 1. *& cap. 26. num.* 12. sustinent posse imponi tale onus ex pacto tacito inter Superiorem & subditum, illum concedentem absolutionem sub onere comparendi, & hunc illud acceptantem hoc ipso, quod vtitur tali facultate: idque, siue talis obligatio ei exponatur ante confessionem, aut absolutionem (vt tradont plures DD addentes absolutionem non esse dandam in hoc casu, nisi talis obligatio acceptetur:) siue non exponatur, vt volunt alij cum Suar. *sect. 5. num.* 27. qui putat pœnitentem in tali casu absolutum à reseruatis, vbi resciuerit eiusmodi obligationem, teneri comparere; cum tale onus propriè non oriatur ex pacto, sed ex ipsa rei natura, posita tali iurisdictione, adeóque non pendeat ex actuali consensu subditi, & consequenter per eius ignorantiam non impediatur: quo modo absolutus à reseruatis Papæ per Confessarium non potentem absoluere, tenetur eadem peccata iterum aperire Superiori, vbi id ei innotuerit.

Vtrum verò subditus peccet mort. si acceptata tali obligatione, debito tempore non compareat.

64. Respond. peccare: cum talis obligatio sit grauis, vtpote iniuncta ex causa graui, nempe ob Dei honorem, ac bonum spirituale subiti. ita Filiuc. *tractat* 7. *n.* 168. docens Religiosum, cui talis facultas in Ordine datur per statutum cum præfato onere compa-

tendi

tendi, teneri comparere sub mortali: idque etsi statuta illius Ordinis aliàs non obligent sub mortali: talis quippe obligatio non sequitur ex vi regulæ, sed ex natura rei, ac institutione Sacramenti, vt ostendit Suar. *loco supr. citato* monens *num.* 30. hanc obligationem comparendi non esse ad confitendum denuo, sed solùm ad reddendum rationem facti commissi, & satisfactionis impositæ, imò & ad acceptandam aliquam aliam, quam fortè Superior velit imponere: quæ tamen omnia recipi debent sub sigillo confessionis, cum sint complementum prioris confessionis.

Vnde constat, dato statuto, in aliquo Ordine, quod Religiosi absolui possint directè à reseruatis à quocumque si peregrinentur, cum onere tamen postea se præsentandi proprio Superiori: non ideo confundi inuicem absolutionem directam, & absolutionem indirectam; cum absolutio indirecta consistat in eo, quod quis absoluatur cum onere se postea præsentandi Superiori: si quidem absolutio directa, quæ datur cum onere se præsentandi modo supradicto duo facit, quæ non facit indirecta absolutio; nimirum, quod absolutus non tenetur obtinere aliam absolutionem, sed solùm se præsentare (vt iam dictum est) sicut tenetur absolutus à censura reseruata in articulo mortis à simplici confessario; &, quod post illam priorem absolutionem potest celebrare, ac recipere Eucharistiam, etiam secluso quolibet necessitatis casu: quæ duo vtrique non verificantur de absolutione indirecta, vt patet.

Qua occasione moneo absolutum indirectè à reseruatis ratione necessitatis celebrandi, v. g. teneri postea adire Superiorem pro absolutione reseruatorum (quod apertè aliis citatis docet Bonac. *D.* 5. *de Sacram. quæst.* 7. *part.* 5. §. 3. *num.* 6.) licet enim per absolutionem indirectam remittatur peccatum reseruatum; cum tamen in casu proposito non exponatur proprio Iudici illius, vtpote confessum Sacerdoti non habenti facultatem reseruatorum; debet iterum subiici proprio iudici: quomodo peccatum oblitum, etsi remittatur cum aliis peccatis manifestatis, debet subiici clauibus, vt per directam absolutionem tollatur.

65. Porrò illud benè monet Suar. *supr. num.* 27. iuxta debitum ordinem opus esse, vt supradicta obligatio comparendi notificetur Pœnitenti, qui debet absolui, antequam absoluatur; & hoc, vt sic liberè vtatur tali facultate; quamuis enim Superior possit concedere præfatam facultatem, non ideo tamen potest obligare pœnitentem ad vtendum illa; cum non possit eum obligare ad bis comparendum pro eodem peccato; quin potius is, si velit, differre possit confessionem, vt postea confiteatur Superiori, ideóque adstringi non debeat ad confitendum reseruata Sacerdoti inferiori, à quo absoluatur cum onere comparendi: quod est valde aduertendum.

66. Ex qua doctrina quis benè inferat Religiosum, in cuius ordine conceditur, vt habens reseruata possit cum præfato onere comparendi ab iis absolui, etiam directè per quemcumque simplicem confessarium: si contingat eum habere reseruata & non reseruata, & non possit pro tunc confiteri Superiori, cum tamen habeat necessitatem confitendi, posse simplici confessario aperire non reseruata, & reticere reseruata animo ea confitendi postea Superiori, cum primum poterit (idque supposita probabilitate doctrinæ, quam tradunt non pauci DD. apud Bonac. *de Sacram. D.* 5. *quæst.* 7. *p.* 5. §. 3. *num.* 9. quod scilicet habens reseruata, & non reseruata, si confiteatur non habenti facultatem absoluendi à reseruatis potest confiteri sola non reseruata, omissis reseruatis, & tamen ab omnibus absoluitur, si quoad omnia sit dispositus habens de omnibus sufficientem dolorem, & propositum, videlicet directè à non reseruatis, & indirectè à reseruatis;) non enim Religiosus in tali casu adstringi debet ad confitendum cum supradicto onere comparendi: cum talis modus confitendi habeat rationem priuilegij, quod conceditur Religioso, & aliàs nemo cogendus sit vti proprio priuilegio, vt patet.

Imò (quod maius est) docet Sanchez *l.* 2. *in Decal. cap.* 13. *n.* 32. ex Henriq. *l.* 6. *cap.* 10. *n.* 5. com, qui carens bulla Cruciatæ, v. g. absoluitur à reseruatis cum onere se præsentandi, posse, accepta bulla, aut tempore Iubilei concedentis absolutionem talium reseruatorum præsentare se confessario, vt iterum absque eo onere absoluatur, ac si prius non fuisset absolutus, & consequenter dictam obligationem comparendi cessare. Ratio est, quia onus illud comparendi eatenus obligat, quatenus pœnitens vult vti priuilegio illius absolutionis impensæ ratione necessitatis; iam autem eo non vtitur hoc ipso quod de nouo absoluitur ab iis reseruatis vi alterius priuilegij talem absolutionem concedentis absque illo onere: nec prior absolutio præstita impedire potest, quin pœnitens nouam obtinere possit absolutionem vi alterius priuilegij. 67.

Quam doctrinam puto procedere etiam in casu, quo in Ordine aliquo Religiosus posset absolui à reseruatis per quemcumque confessarium monasterij cum hoc onere, vt absoluens compareat postea coram Prouinciali ei manifestans se toties absoluisse à tali reseruato; procedere, inquam, si confessarius qui absoluit tempore Iubilei compareat coram alio confessario, eique faciat dictam manifestationem. Ducor, quòd talis de facto est praxis inter Capucinos fortè fundata in eo quòd subrogatum sapit naturam illius, cuius loco subrogatur; & aliàs tempore Iubilei pœnitens modo dicto absolutus, cuius loco subrogatur confessarius, plenè satisfaceret in casu proposito, si compareret coram confessario approbato, eique suum peccatum, à quo fuerat absolutus modo dicto, manifestaret in confessione. Ad quem effectum puto sufficere præscripta ad consecutionem Iubilei impleri ab ipso confessario, vel à Pœnitente taliter absoluto: cum confessarius præsentare se debeat nomine alterius; adeòque sufficiat, si vel ipse, vel principalis exequatur opera Iubilei.

Maius dubium est, an Religiosus Capucinus, qui incurrit aliquod reseruatum, teneatur vti indulto præfato, quod scilicet possit absolui ab eo per quemcumque confessarium monasterij, cum onere tamen, vt is modo dicto se præsentet postea Prouinciali; vel certè possit dimidiare confessionem, vsque dum confiteatur habenti facultatem illius reseruati.

Respond. non teneri vti eo Indulto; & clarè colligitur ex P. Suarez *D.* 30. *de pœnit. sect.* 5. *num.* 32. sic dicente: *Semper tamen existimo in his casibus esse liberum pœnitenti non confiteri Sacerdoti inferiori (per se loquendo, & secluso scandalo) sed se gerere, tanquam qui non habet copiam confessarij, quia sicut extra articulum mortis nullus obligatur confiteri per interpretem; ita nec obligabitur confiteri cum onere manifestandi suum peccatum pluribus Sacerdotibus: semper ergo se habet hoc tanquam priuilegium, cuius vsus voluntarius existit.* Hæc Suarez, quæ constat posse adaptari ad resolutionem dubij hîc propositi, vt patebit consideranti.

QVÆRES XV. An Regulares vi suorum priuilegiorum

uilegiorum possint absolui à censuris alioqui reseruatis etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ.

Respond. posse, nisi aliunde id ipsis prohibeatur, ita Sanchez *l.8. de matr. D.15. num.25.* & *D.16. num. vlt.* Laym. *l.5. tract.6. cap. 10. num. 21.* Coninck. *de Sacr. D.14. num.253.* aliique apud ipsos citat. Nauar. *cap.26. num.31.* & Suar. *de Censur. D.7 sect.5. num.36.* patetque, quia ex vna parte absolutio à censura non pendet à Sacramento Pœnitentiæ; ex alia parte expedit sæpè, vt pœnitens absoluatur à censuris extra confessionem, vt si alioqui non sit dispositus ad statim confitendum, & tamen occurrat iusta causa, vt statim absoluatur à censura: vel certè habens potestatem absoluendi à censuris reseruatis non possit audire integram confessionem illius, qui modo dicto est censuratus. Dixi *nisi aliunde id ipsis prohibeatur*, vt significarem id non esse licitum Religiosis Societatis, quoad externos absoluendos, eò quod facultas absoluendi à censuris ipsis restricta sit ad solum Sacramentum Pœnitentiæ; vt constat ex *Comp. Soc. v. absolutio, §.11. sub finem*, vbi habentur hæc ipsissima verba: *Quæ hic dicuntur de absolutione à censuris quoad externos, intelligantur de absolutione in Sacramento Pœnitentiæ*; quod tamen videtur negare Suarez *tom. 4. de Rel. tract. 10. l.9. cap.2. n.28.* asserens ligatum censura reseruata, si accedat ad Confessarium Socier. & confiteatur delictum, ob quod incurrit censuram, posse ab eo absolui quoad censuram, & remitti ad alium, vt postea absoluatur à peccatis: quo fundamento id afferat Suarez, ego non video, cum verba ex Compendio modò citata oppositum videantur importare; quamquam, cum ibi dicatur: *quæ hic dicuntur de absolutione à censuris quoad ad externos, intelligantur de absolutione in Sacramento Pœnitentiæ*, talis limitatio non videatur extendi ad eausam, in quo Religiosi Societ. absoluant alios Religiosos ipsos Societ. sed solùm ad causam, in quo absoluant externos, siue sæculares, siue Regulares aliorum Ordinum: hi quippe propriè vocantur externi, non item qui sunt intra ipsam Societatem.

Præter quam quod non repugnat Regulares habere facultatem absoluendi à censuris, tum ex priuilegio concesso Ordini (quo modo eo vti non poterunt extra Sacramentum Pœnitentiæ, si vsus illius modo supra dicto sit iis restrictus) & ex facultate iis delegata (ab Episcopo v. g.) sicque poterunt absoluere extra Sacramentum Pœnitentiæ: cum talis absolutio conferatur, non vi priuilegij, sed vigore facultatis aliunde obtentæ, & hæ duæ facultates diuersæ sint simul compossibiles, vt indicat Cespedes *de exempt. d. 140. num. 3.* dicens non repugnare, quod Regulares habeant duplicem iurisdictionem & ab Episcopo, & à Papa.

69. Nec obstat doctrinæ traditæ in hac responsione ex Sanchez, aliisque DD. sup. citatis, quod in priuilegiis concedentibus absolutionem censurarum reseruatarum, dicitur concedi talis facultas pro foro conscientiæ tantùm, & confessionibus diligenter auditis; si quidem ibi forum conscientiæ sumitur pro vt opponitur foro externo, non autem pro foro pœnitentiali: ita vt sit sensus absolutionem censurarum daram ex vi dictorum priuilegiorum non suffragari quoad forum externum: ly verò *auditis confessionibus*, est quid commune, ac de se indifferens ad confessionem, tum sacramentalem, tum quamcumque aliam proportionatam absolutioni, seu sententiæ, aut pœnitentiæ imponendæ; sicque sumi potest in sua generalitate, & accommoda partitione adaptari absolutioni; ita vt sub se includat duplicem confessionem duplici absolutioni respondentem, nempe confessionem peccatorum, & confessionem censurarum, ad vnamquamque tamen absolutionem requirendo eam solam confessionem, quæ per se sit sufficiens, videlicet sacramentalem ad absolutionem peccatorum, & non sacramentalem ad absolutionem censurarum. ita Suar. *num.27.* addens *num. 32.* quod, quando Pius V. dicit eiusmodi absolutiones debere dari in foro interiori, ac pœnitentiali, pro eodem sumpsit forum interius (id est conscientiæ) & forum pœnitentiale, eaque solum contradistinxisse à foro contentioso, ac proinde ex eo modo loquendi non sequi absolutionem censurarum necessariò dandam esse intra Sacramentum Pœnitentiæ; quod probat Suarez ex verbis ipsiusmet Pij positis in Bulla Iubilei ab eo concessi anno 1568. quæ sic habent: *Declarantes insuper tam præsentes, quàm alias quascumque concessiones similium, vel dissimilium indulgentiarum Christi fidelibus, nisi ad effectum in foro conscientiæ, & pœnitentiali consequendum duntaxat, non autem foro firi, aut contentioso, nisi satisfecerint, vllatenus suffragari.*

Qværes XVI. An vi priuilegiorum concedentium Regularibus facultatem reseruatorum possint absolui ab iis omnes omninò Religiosi, videlicet non solum Professi, etiam Prælati, sed præterea Conuersi, Nouitij, Donati, Oblati.

Respond. posse; & quidem de Professis, etiam Conuersis, emittentibus 3. vota substantialia Religionis, patet ex eo, quod pro his maximè conceduntur eiusmodi priuilegia: de Prælatis constat, quia etiam ipsi sunt Religiosi, & subduntur, vel aliis Prælatis superioribus, vel certè Religioni, adeóque non adest ratio, cur excludantur ab vsu priuilegiorum, quibus fruuntur alij Religiosi: de Nouitiis, & quidem etiam iis, qui nondum susceperunt habitum religiosum, sed volunt ingredi Religionem, colligitur ex variis priuilegiis, quæ refert Suar. *sup. tract.8. l.2. cap.24.* & ex eo, quod Nouitij in fauorabilibus veniunt nomine Religiosorum: de Donatis, seu Oblatis Religioni probatur ex priuilegio concesso Cisterciensibus, relato in *Comp. Cisterciensium v. absolutio, §. 1.* vbi cum monachis, & Nouitiis expressè nominantur, Donati, & Commissi: sub quibus item veniunt omnes ij, qui vocantur Conuersi, quamuis non sint professi, nec emittant 3. vota substantialia Religionis (si tamen Religioni se donent cum aliqua firmitate, siue per votum Obedientiæ, siue per aliud genus promissionis, & pacti) siquidem hi omnes propriè dicuntur Donati, aut Oblati, vt ostendit Suar. *de Censur. D. 22. sect. 1. num. 10.* quamuis aliàs non comprehendantur in omnibus priuilegiis concedentibus facultatem censuratorum, si in illis sit sermo de Monachis, Fratribus, aut Religiosis: ij enim non sunt re vera monachi, ac Religiosi, & aliàs ex communi vsu constat hanc esse intentionem Pontificum talia priuilegia concedentium, vt ij in illis non includantur, ideóque vbi volunt plus concedere, id exprimunt. quod tamen non facit, quin dicti Donati includantur in talibus priuilegiis, si hæc dicantur concedi omnibus, qui in tali Religione proposuerunt perpetuò Deo ceddere famulatum; aut certè dicantur concedi omnibus, qui sub obedientia talis Religionis viuunt: quod rectè aduertit Suar. *tom.4 de Rel. tract.8. l. 2. cap.14. num. 10.* mouens hac in re ex tenore priuilegij colligendum esse verum illius sensum, maximè spectata consuetudine Religionum. 70.

Qværes XVII. An Prælati Regulares, si incurrant aliquod reseruatum vi suorum priuilegiorum ipsis concessum, quoad Religiosos subditos, aut

aut certè illis commissum ratione officij, possint & ij ab illo absolui.

71. Respond. posse, nisi aliunde prohibeantur. ita Sanch. *l.8. de matrim. D.3. num.3.* aliique communiter apud Dianam *p.3. tract.4. resol.* 141. & probatur, quia alioqui Prælati essent deterioris conditionis, quàm subditi. Dixi, *nisi aliunde prohibeantur*, vt indicarem hanc doctrinam non habere locum in Societate Iesu, in qua si contingat Superiorem localem incurrere casum reseruatum in ipsa Societ. non potest absolui, nisi cum onere se præsentandi Prouinciali; sicut & Prouincialis incurrens item aliquem casum reseruatum non potest absolui, nisi cum onere se præsentandi Generali, vel certè ei, qui ad talem effectum esset destinatus ab ipso Generali. Quod tamen debet intelligi cum moderatione facta in 8. Congregatione generali *can.* 7. & à nobis relata in *in tract. de Prohibitionibus cap.1. q.* 39.

QVÆRES XVIII. Vtrum in casu, quo Religiosus subditus petat facultatem absoluendi à reseruatis pro vno Religioso Ordinis, possit ex vi talis facultatis concessæ ipsemet petens absolui.

72. Respond. posse, si facultatem petiit his, aut similibus verbis: *Est quidam ex nostris, qui vestra eget potestate, placetne mihi eam dare?* in generali si quidem sermone comprehenditur etiam persona sua, quando loquens concipit verba in persona alterius *l. paulus respondit, §. fin. ff. de pignor.* Secùs, si petiit facultatem his aliis verbis: *Rogo te, vt des mihi tuam facultatem pro quadam persona nostri Ordinis:* nam sic petens videtur excludere se ipsum. ita Peyr. *tom. 3. priuil. cap.* 12. *num.* 6. ex Alphons. Leone, Villal. & Diana *p. 3. tract.4. resol.* 142. pro se citante Floronum: à quibus non dissentit Io. de Lugo *de pœnit. D.* 20. *num.* 119. addens id pendere omninò ex intentione, ac consuetudine, quam habent concedentes talem facultatem, ideóque illam in primis attendendam esse; & inde inferens, quod qui à sacra Pœnitentiaria petit pro vno indigente facultatem ad faciendum se absoluere pro vna vice, ex vi horum verborum, ipsemet petens non censetur exclusus; qua de re Bordon. *resol.* 39. *num.* 63.

Imò Diana *p.3. tract. 2. resol.*126. *& p. 3. tract.4. resol.* 142. ex Leone, & Florono notat Confessarium petentem reseruatorum facultatem pro vna persona, posse etiam vti pro sua; intellige, nisi Confessarius sit moraliter certus Superiorem intendere ei solùm dare facultatem actiuam; tunc enim cognosceretur limitata facultas ad actiuam, nec potest contra talem cognitionem agi, nisi imprudenter, ac inutiliter. Nec obstat, quod petitio, & concessio per verba generalia secundùm communem sensum concipiuntur de vtraque facultate; quia specialis sensus moralis certitudinis derogat communi sensui: nec vrget *regula 57. in 6. Contra eum, qui legem dicere potuit clarius, est interpretatio facienda*; quia id locum non habet in gratiis, ac priuilegiis, sed in contractibus tantùm Gloss. *ibid.*

QVÆRES XIX. An qui petiit facultatem absoluendi Regularem à reseruatis, vi talis facultatis possit absoluere dictum Regularem etiam à reseruatis, in quæ is incurrit post obtentam facultatem.

73. Respond. posse. ita Io. Præpositus *in 3. p. q.9. de reseruat. cas. d.3. num.* 21. quem sequitur Diana *p.4. tract.4. res.* 109. non dissentiente Bonac. *de leg. D.1. q.3. p.7. §. 1. num.* 11. & probatur, quia petitio, & concessio tacitè intelliguntur de similibus casibus, qui post dictam concessionem bona fide subiiciantur clauibus. Quin etiam putat Præpos. id locum habere in casu, quo petens facultatem dixisset non subesse periculum relabendi: si quidem, hoc non obstante, facta est concessio absolutè, ac independenter ab eo, quod non relaberetur: neque petens, id addendo bona fide, Prælatum decepit, qua de re Io. de Lugo *sup. num.*120. *vsque ad* 128. & nos *cap. seq. sect. 1. subs.2. q.* 20.

Addo facultatem absoluendi à reseruatis obten- 74
tam pro certo casu particulari, sed non mandatam executioni non posse deseruire pro alio casu omnino simili. ita Beia *part.3. casu* 10. Homob *tract.* 10. *exam. cap.4. q.10. resol.4.* Bordonus & alij à me consulti. ratio est, quod actus agentium vltra intentionem eorum non operantur *l. non omnis, ff. si cert. pet.* Confessarius autem petens facultatem reseruatorum pro Titio, suam intentionem specificauit ad Titium: præterea Superior concedens reseruata intendit facere gratiam iuxta petitionem; cum Princeps soleat se accommodare precibus porrectis *l. si preces, ff. de leg. cap. inter dilectos, §. caeterum de fide instr.* vbi glossa *v. petitionis* ait responsum conformari petitioni; at petitio facta est præcisè pro Titio; ergo & facultas solum pro eo censetur data: parum item refert in gratia impetranda, quod exprimatur nomen appellatiuum, aut proprium, si ex aliis circumstantiis constet de ipsa persona, eiusque qualitate; vt Decius communiter receptus tradit in *cap. qui* Abbas *de offic. de leg.* denique limitata impetratio illimitatum nequit producere effectum *argum. leg. in agris, ff. de acquir. rer. dom.* & facta restricta ad vnum, non possunt ampliari ad alium *argum. cap. si de verb. significat.* & *l. rem legatam ff. de redim. leg.* neque ex hoc gratia perdit suum effectum ex se, sed defectu pœnitentis non comparentis: at dissentit Moronus *resp.*23. & probat, tum quia quotiescumque expressa in petitione facultatis reseruatorum pro Titio militant pro Caio; & idem est finis concedendi dictam facultatem pro vno, ac pro alio, & Superior, qui illam concessit de facto pro Titio, concessisset etiam pro Caio, facultas videtur posse extendi ad vtrumque præsertim, cum mens non supplicantis, sed concedentis attendi debeat Iason *l. Gallus in 1. lect. §. idem credendum, ff. de lib. & posthum.* tum quia hîc agitur de gratia facienda, cùm Confessario detur facultas absoluendi hunc vel illum; gratia autem facienda latè interpretanda est, Sanch. *l.8. de matr. D.2. num.* 1.

QVÆRES XX. An Regulares habentes facultatem delegatam absoluendi à reseruatis in Ordine, possint eam subdelegare.

Respond. posse, si habeant facultatem delegatam 75
ad vniuersitatem causarum eo modo, quo dicimus in *tract. de prohibit. cap. 2. sect. 2. quæst.* 13. loquentes de habentibus facultatem delegatam reseruatorum episcopalium; patetque ex dictis ibi, quæ non est opus hîc apponere.

Imò Peyr. de R. P. *quæst. 3. cap.2. §. 1. num.*28. ex Vgol. & Caiet. censet Regularem habentem facultatem delegatam absoluendi à reseruatis in Ordine modo suprà dicto posse eam subdelegare etiam pro se ipso; eam scilicet committendo alteri, vt ipsum absoluat à reseruatis, quæ forte incurrit: idque ex præsumpta voluntate Prælati delegantis, qui sciens hanc doctrinam eam tolerando censetur approbare: & meritò, cum æquum non sit, vt sitiat qui potum aliis tribuit. Secùs, si facultas illa delegetur solum pro certo casu occurrenti; tunc enim non potest delegatus ea vti pro se ipso modo dicto: quod aduertit ibi Peyr. ex Graff. patetque ex dictis, si solum monuero hîc nos non loqui de facultate reseruatorum competente Prælatis Regularium inferioribus

rioribus respectiuè, quoad suos subditos hac quippe certum est illos posse vti, etiam pro se ipsis, nisi iure speciali prohibeantur (vt in Societate Iesu iuxta dicta *q. 57.*) sed de facultate delegata alicui non Prælato (v.g. Confessario monasterij) quod vtique apud DD. est valdè controuersum.

QVÆRES XXI. An casu, quo summus Pœnitentiarius delegauit Regularibus facultatem absoluendi à reseruatis, aut dispensandi in aliquo particulari cum potestate dictam facultatem subdelegandi, si interim Papa dicto summo Pœnitentiario auferat potestatem absoluendi, aut dispensandi in eo casu, hoc ipso etiam Regulares amittant facultatem ipsis ad eum casum delegatam.

77. Respond. amittere, si Papa auferat summo Pœnitentiario dictam facultatem, reseruando sibi, vel alicui certo tribunali eiusmodi casum. Secùs, si Papa solum auferat facultatem, quam prius habebat summus Pœnitentiarius; sic enim Regulares, quibus delegata fuisset talis potestas, eam non amitterent: idque ob rationes adducendas pro casu simili in *tract. de prohibit, cap. 5. q. 14. §. difficultas.*

Ex quibus patet, quod dicendum sit ad eam difficultatem, quæ hic posset excitari, An scilicet Religiosus, qui à legitimo Superiore obtinuit facultatem absoluendi à reseruatis in Ordine, ea vti possit, etiam Superiore illo demortuo, aut amoto ab officio.

Respond. enim posse; & probatur, tum ex doctrina modò tradita, quæ mirè facit ad hunc casum: tum quia dicta concessio reseruatorum est gratia facta, quæ non spirat, mortuo concedente, vt à pluribus citatis, bene ostendit Sanch. *l. 8. de matr. D. 28. n. 43.* tum quia Cardinalis de Lugo *D. 19. de pœnit. n. 42.* expressè docet Prælatum posse Religioso subdito concedere facultatem reseruatorum, vt ea vtatur etiam pro tempore, quo ille non erit amplius Prælatus; quæ doctrina vtique non subsisteret, si præfata facultas non duraret, concedente mortuo, aut amoto ab officio.

QVÆRES XXII. An Regulares possint absolui à reseruatis in Ordine de sola licentia Legati à latere.

78. Respond. posse, & quidem extra prouinciam illius, ac eo amoto ab officio. ita Nald. *v. Legatus n. 8.* ex Molfes. Coriol. aliique qui tamen iuxta dicta *subsect. præced. q. 5.* supponunt obtinentem facultatem reseruatorum tunc temporis degere in Prouincia Legati concedentis.

QVÆRES XXIII. An seclusis priuilegiis iure communi concessis Regularibus quoad absolutionem reseruatorum extet aliquod aliud priuilegium iisdem concessum ad effectum vt absolui possint ab omnibus reseruatis.

79. Respond. Extare duo priuilegia concessa Fratribus Minoribus de Obseruantia, quæ refert Rodriq. *tom. 1. q. 62. a. 6.* & exponit Suar. *tom. 4. de rel. tr. 8. l. 2. cap. 19. num. 7. &* 8. in quorum vno datur facultas dictis Fratribus, vt possint semel eligere de eadem Obseruantia Confessarium, qui de omnibus peccatis reseruatis, & censuris possit illos absoluere, imò & dispensare in irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, & mutilatione item voluntaria: in altero verò conceditur, vt quicumque Confessor pro articulo mortis absoluere possit quemlibet Religiosum Mendicantium, vel eorum, qui gaudent illorum priuilegiis, ab omnibus casibus, nullo excepto, cum omnimoda auctoritate, ac si in illo actu esset summus Pontifex, & eadem auctoritate ei indulgentiam plenariam concedere. Quæ duo priuilegia vtique sunt magna, si sunt bullata (quod non explicant citati Doctores) & per viam communicationis sunt communia etiam Religiosis aliorum Ordinum.

Notat autem Suarez *vbi sup.* quod, cum prius priuilegium sit generale, complectitur omnia peccata, 80.
etiam reseruata in Religione: cumque ex parte personæ eligendæ in Confessarium requirat solum, vt sit eiusdem Ordinis, non videtur necessarium, vt in hoc interueniat specialis licentia Prælati; quamuis paulò post subdat esse probabile Confessarium in tali casu eligendum debere esse ex approbatis, aut expositis à Prælato regulari: cum priuilegium ex parte personæ non excludat ius ordinarium Religionis; quæ tamen limitatio videtur minùs necessaria, tum quia priuilegium generaliter loquitur, & lex generaliter loquens generaliter debet intelligi: tum quia, si Papa voluisset apponere talem limitationem, illam expressisset; quo modo de facto exprimitur in bullis Iubilei quod Confessarij ex vi illius eligendi debeant esse approbari ab Ordinariis locorum; vnde fit, quod, cum Papa hîc non expresserit talem limitationem, non est cur nos eam gratis apponamus.

Quod verò spectat ad posterius priuilegium concessum Regularibus pro articulo mortis; putat Suar. 81.
num. 11. 12. & 13. quod si detur casus aliquem Religiosum ex vi dicti priuilegij in vero periculo mortis (quod sub articulo comprehenditur) absolui à reseruatis, & frui indulgentia plenaria, & postea non mori; potest iterum absolui à reseruatis, & iterum frui indulgentia, si adueniat similis alius casus: idque vsque ad verum articulum mortis; si quidem beneficiũ Principis amplè interpretari debet, quando ipse illud non limitat. cum tamen præsens priuilegium non limitetur ad verum articulum mortis, neque ad vnam vicem: quo modo limitaretur, si diceret *Semel pro articulo mortis*, sicque debet extendi ad quemcumque articulum mortis.

Addo ego, quod, licèt in hoc posteriori priuilegio nulla fiat mentio censurarum, sed solum dicatur 82.
ab omnibus casibus nullo excepto, & alioqui DD. communiter asserant nomine casuum non venire censuras: nihilominus in præsenti casu cum agatur de fauore, qui debet ampliari, censeo in hoc priuilegio concedi facultatem absoluendi etiam ab omnibus censuris: idque in primis colligo ex verbis, quæ adduntur in ipso priuilegio: *cum omnimoda auctoritate, ac si in illo actu esset summus Pontifex*, quæ verba sine dubio essent illusoria, si per ea non concederetur facultas absoluendi etiam à censuris reseruatis.

Accedit quod, quamuis in articulo mortis nulla 83.
sit peccatorum reseruatio, non ideo tamen dici potest hoc priuilegium esse inutile; cum vi huius Religiosus absoluatur à reseruatis simpliciter, & sine onere comparendi: quod non eueniret, si ab iis absolueretur à censuris reseruatis in articulo mortis à Sacerdote non habente facultatem reseruatorum. ita Suarez *num. 14.* addens ex alio capite hoc priuilegium esse vtile, quatenus per illud quilibet Confessarius potest absoluere prætermisso proprio Prælato etiam præsente, & non petita eius licentia; cum alioqui solus articulus mortis det aliis iurisdictionem tantùm in defectum Superioris, aut alterius habentis talem iurisdictionem: quod tamen negant plures alij DD. apud Cardinalem de Lugo *D. 18. de pœnit. num. 24.*

Vtrùm verò Regularibus concessa sint aliqua alia priuilegia, vt possint absolui à reseruatis.

Respond. Ex variis priuilegiis, quæ colligit Rodriq. *sup. art. 10.* concessum esse Fratribus Minoribus, 84.

ac Monialibus S. Claræ ac tertij Ordinis sub obedientia eorumdem Fratrum Minorum degentibus, vt possint plenariè absolui ab omnibus peccatis, & censuris quater in anno diebus, quibus malnerint, & in festis Domini, B V. Mariæ, Sanctorumque Apostolorum Petri, & Pauli, S. Francisci, Claræ, S. Catherinæ, & per totam hebdomadam maiorem (de consensu tamen suorum Prælatorum) idemque esse concessum aliis Regularibus participantibus de priuilegiis Minorum, præterquam in festo S.Francisci, & S. Claræ: quamuis loco istarum duarum absolutionum ij possint eodem modo absolui in festiuitatibus suorum Patronorum (v.g. Fratres Prædicatores die S. Dominici, & S. Catherinæ Senensis) ita Rodriquez & cum eo Casarub. *in Comp. v.absol. extraord. quoad Fratres num.* 10. vbi varia annotantur circa hæc priuilegia; quibus ego vnum tantùm addo ex Suar. *num.* 7. Regulares in vsu horum, & similium priuilegiorum debere seruare modum in proprio Ordine præscriptum, & à Pontificibus approbatum circa sup.dictum vsum; & quidem prius inspiciendo, num fuerint viuæ vocis oraculo concessa, aut aliter abrogata: in quo casu non possent iis vti.

85. Illud etiam hîc placet monere ad cognoscendum, vtrum facultas vi dictorum priuilegiorum concessa Regularibus pro absolutione reseruatorum, delegari possit extraneis, nec ne: id colligendum esse ex tenore ipsarummet concessionum; aliquæ enim ita restrictæ sunt, vt soli Prælati iis generaliter vti possint (cuiusmodi est concessio Pij V. relata à Rodriq. *in suo bullario bulla Pij V. in ordine* 13. aliæ sunt ampliores, vtpote indulgentes facultatem datam delegari etiam aliis Sacerdotibus Ordinis; aliæ denique amplissimæ, ad quarum vsum delegari potest quilibet Confessarius, etiam extra Ordinem. qua de re *tract.7. cap. 6. num.* 10. nonnihil dicimus.

Sectio II.

De Priuilegiis concessis Regularibus, quoad Missæ Celebrationem.

SECTIONEM hanc, in qua agimus de priuilegiis concessis Regularibus, quoad Missæ celebrationem, in 2. subsectiones diuidemus; in quarum priori explicabimus multa, & magna priuilegia Regularibus concessa in ordine ad Missæ celebrationem: in posteriori verò proponemus, & soluemus varia dubia circa intelligentiam indulti, quod Papa solet concedere sæcularibus ad celebrandam, & audiendam Missam in domibus priuatis, aliqua addentes de facultate Episcopis ad hunc eundem effectum iure communi competente: quippe quæ aliquam habent connexionem cum materia in hac sectione tractata, & à Doctoribus (quod ego viderim) minùs sufficienter explicantur; cum alioqui teste experientia, sint valdè obuia, ac frequenter controuertantur; nec ita facilè solui possint.

Svbsectio I.

De variis Priuilegiis, quæ concessa sunt Regularibus in ordine ad Missæ Celebrationem.

86 *Regulares possunt celebrare in quouis loco honesto.*
87 *Idque ex duplici priuilegio adhuc durante.*
88 *At aliqua requiruntur, vt ij celebrent in proprijs domibus: ad hunc tamen effectum in Societate non petitur designatio Prouincialis, nisi Capella erigatur extra: facta autem ea designatione, non est necessaria approbatio Ordinarij.*
89 *Regulares possunt celebrare, etiam in loco non benedicto.*
90 *Imò in necessitate etiam in loco non approbato à superiore Prælato.*
91 *Prouinciales Societatis ex indulto Gregorij XIII. non approbant in Oratorium loca posita extra domos, & Collegia Societatis: consuetudo tamen est in contrarium.*
92 *In Oratorijs à Prouinciali designatis celebrant, etiam externi, non item in ijs, quæ extra Collegia aperiuntur vigore indulti Pauli III.*
93 *Regulares celebrant in Oratorijs priuatis laicorum.*
94 *In illis item ministrant Eucharistiam.*
95 *Celebrant in mari, & in fluminibus.*
96 *Item in Cellis Regularis infirmi, etiam morbo minus graui: idque etsi ille ægrotet extra Conuentum: secus, si laici ægrotent intra Conuentum.*
97 *Celebrant 3. horis ante Solis ascensum, & infra 2. horas post meridiem.*
98 *Iure communi aliquando licet celebrare, etiam per horam post meridiem.*
99 *Regulares modo non celebrant vespere.*
100 *In duobus casibus celebrant nocte.*
101 *In Natiuitate Christi media nocte dici potest secunda, vel tertia Missa, prima omissa.*
102 *Celebrant tempore interdicti, sed aliquibus seruatis.*
103 *Idque ex priuilegijs in Tridentino non reuocatis.*
104 *Extant alia indulta ad hunc effectum, sed reuocata.*
105 *Refertur priuilegium Fratribus Minoribus, quoad hoc concessum.*
106 *Refertur aliud simile priuilegium concessum Dominicanis.*
107 *Regulares possunt celebrare qualibet die, præterquam in feria 6. Parasceues.*
108 *Ea tamen die possunt communicare more laicorum: feria V. in Cœna Domini non celebrant post finitam Missam solemnem, nec in Sabbato sancto, ante inchoationem Missæ solemnis.*
109 *Regulares semel tantum in die possunt celebrare.*
110 *Etsi alicubi possint bis celebrare: imo Dominicani in die Commemorationis defunctorum 3. Missas dicere possunt in Hispania.*
111 *Etiam diebus festis possunt celebrare, antequam celebret Parochus.*
112 *Celebrant Matutino nondum recitato.*
113 *Idque seclusо priuilegio, quod ijs concessum est ad hunc effectum, nec inutiliter: celebrat Religiosus Officium de Dedicatione propriæ Ecclesiæ; etsi eo die sit ruri, imò etsi ibi futurus sit per totam Octauam; imò, etsi sit in alia Ciuitate breui rediturus.*
114 *Interdum celebrat Missam excusatus à recitatione diuini Officij: ex causa recitans psalmos singularum Horarum sine antiphonis, capitulis, & oratione currenti non peccat, neque venialiter.*
115 *Regulares interdum celebrant cum conscientia peccati mort. sed elicita contritione.*
116 *Et tunc ex Concilio Tridentino debent confiteri quam primum: quæ tamen obligatio non afficit laicos in eo statu communicantes.*
117 *Item non afficit Sacerdotem in actu celebrandi peccantem mortaliter, aut mortalis peccati recordantem.*
118 *Afficit verò Sacerdotem ante Missam confitentem reseruata simplici Confessario.*

119 *In*

119 *In varijs casibus dicitur quis non habere copiam Confessary.*
110 *In festis diœcesalibus Regulares non mutant ritum propry Ordinis, quoad Missam.*
121 *Non possunt mentaliter dicere, quæ in Missa secretò iubentur dici.*
122 *Missa conuentualis debet concordare cum officio, non item Missa priuata.*
123 Sine *culpa saltem mortali potest dici Missa alia à currente.*
124 *Indicatur quibus diebus dici possit Missa de requiem, & quibus non.*
125 *Missa de Beato Ordinis concessa Regularibus aliquando ab externis dici potest.*
126 *De dicto Beato infra annum fieri nequit commemoratio in Missa, nec dici potest Missa votiua.*
127 *Regulares non possunt celebrare operto capite sine indulto Papæ: quod non obseruatur in China, imò nec in Polonia.*
128 *In aliquo casu possunt sine Ministro celebrare.*
129 *Imo & sine stola, manipulo, aut cingulo, vel cum his non benedictis.*
130 *Item & sine crucifixo, aut cum vnica mappa benedicta (imò corporale interdum potest deseruire pro mappa) imò & sine Missali, sed rarò: item aliquando mappæ esse possunt prophanæ.*
131 *Regulares non peccant omittentes recitare preces præscriptas in induendis vestibus sacerdotalibus.*
132 *Item non peccant mortaliter, si violent aliquas rubricas Missalis.*
133 *Possunt dispensari super irregularitate contracta ex indebita celebratione.*
134 *In regularium templis omnes possunt Missam audire, imo & in oratoriis eorum rusticis.*
135 *Regulares Sacerdotes extraneos admittunt ad celebrandum in suis templis Ordinario repugnante etiam per statutum.*
136 *Audiens Missas Regularium certas obtinet Indulgentias.*
137 *Regulares in suis templis possunt Eucharistiam asseruare, imò & debent: hostia posita in tabernaculo clauso valide consecratur in certo casu: non peccat mortaliter qui vnam tantùm Missam ex stipendio debitam omittit: accipiens stipendia danda celebrantibus Missas non potest aliquid ex iis retinere curando, vt Missæ dicantur minori stipendio: etsi hoc interdum fallat.*

QVÆRES I. In quibus locis possint Regulares celebrare Missam.

86. Respond. posse celebrare non solùm in Ecclesiis, Oratoriis, aut aliis locis, in quibus degunt, sed etiam in quouis alio loco honesto, & congruenti (super altare tamen portatile, quod concessit Siatus IV. Fratribus Minoribus in bulla authentica): imò & in ipsis plateis ex concessione Alexandri VI. (quæ tamen facta est viuæ vocis oraculo, adeóque sublata per generalem viuæ vocis oraculorum reuocationem): quamquam *Gregor. XIII.* id ipsum postea concesserit per bullam Religiosis Soc. Iesu 1. Octobris 1579. vt scilicet dicere possint in Missionibus Missam in Altari puttatili vbique gentium etiam in castris militum, quod priuilegium teste Fagund. *prac.* 1. *Eccl. lib.* 1. *cap.* 11. *numer.* 17. videtur communicari etiam aliis mendicantibus, qui in simili exercitio missionum iussu Superiorum Deo, & Ecclesiæ inseruiunt, si quidem eo ipso quod Gregor. dictos mendicantes non exclusit, eos censetur voluisse includere. Diai, *qui in simili Missionum exercitio inseruiunt, &c.* quia censeo huiusmodi priuilegium non suffragari extra casum missionum, neque ipsis Religiosis Societatis: quippe quod videtur concessum intuitu missionum, vt patet ea verbis, habentur in ipsomet indulto *Vsum Altaris viatici Societatis vestræ à fel. record.* Paulo III. *concessum, deinde à* Conc. Trid. *vniuersè sublatum vobis eatenus restituimus. vt inter missiones* &c. *Missæ sacrificium licitè valeant celebrare super huiusmodi Altare vbique gentium, etiam in castris militum* &c. vbi noto clausulam illam *eatenus*, quæ videtur limitare istud priuilegium ad casum missionum, vt pote quæ est limitatiua, ac restrictiua: causa autem limitata non producit, nisi effectum limitatum. Non sic priuilegium, quod Siatus IV. per bullam authenticam concessit Minoribus, vt videre est apud Casarub. *in Comp. v. Missa* 1. *num.* 6. hoc enim cum sit concessum absque vlla limitatione, generaliter, ac illimitatè debet intelligi, adeóque vt illius possunt Minores, aliique Religiosi de eorum priuilegiis communicantes celebrare super Altare portatile in quocumque loco honesto, ac congruenti, & quidem super mensa lignea, ac mobili; nisi fortè hoc priuilegium reuocatum sit per Conc. Trid. *sess.* 22. *in decreto de obseru. & vitan. in celebrat. Miss.*

Quamquam Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 106. ex Ioan. Præpos. putet re vera tale priuilegium non fuisse reuocatum: cum in præfato decreto Concilij nulla adsit clausula derogatoria priuilegiorum quoad hoc Regularibus antea concessorum; si quidem verba, quæ in fine dicti decreti apponuntur. *Non obstantibus priuilegys, exemptionibus, ac consuetudinibus quibuscumque*, commodè referri possunt ad verba immediate præcedentia, *Atque ad ea inuiolatè seruanda censuris ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituuntur, fidelem populum compellant*, & consequenter non euincunt dictum priuilegium fuisse sublatum. Præter quam quod eiusmodi priuilegium est insertum *in cap. in his de priuil.* priuilegium autem insertum in corpore iuris non censetur reuocatum, nisi sufficienter constet de reuocatione. Oppositum sentiunt communiter DD. cum Suar. *de Sacram. D.* 81. *sect.* 3. §. 4. *exceptio*; qui tamen aduertit in concessione similis priuilegij à Greg. XIII. facti Societati Iesu, & relati sup. derogatum fuisse expressè à Concilio Trid. vt manifestè constat ex tenore ipsiusmet concessionis. 87.

Addit Suarez isto priuilegio frui solùm Religiosos Societatis, aut alterius Ordinis, cui per communicationem illud competat: cum illud personale sit, vt pote directum ad personas, non ad loca; vt constat ex verbis concessionis: quod si est personale, & eius concessio ordinatur solum ad personas Societatis, aut alterius Ordinis de eo communicantis; certum est externos, & sæculares posse celebrare in altari vigore huius indulti erecto.

QVÆRES II. Quid requiratur ad hoc vt Regulares possint in propriis domibus celebrare absque vlla Episcopi approbatione.

Respond. requiri, vt locus, in quo celebrandum est, à Prouinciali sit approbatus, & ad diuinum cultum dumtaxat deputatus. ita Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *c.* 5. *num.* 5. ex Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 43. *art.* 4. patétque *ex Comp. Societ. v. Oratoria* vbi refertur concessio, quoad hoc facta Societati per Greg. XIII. in Bulla, *Decet Romanum Pontificem*, quæ refertur in bullar. Soc. *pag.* 137. & hæ duæ tantùm conditiones ad vsum illius apponuntur; Quamquam, quod ibi dicitur deputationē illam faciendam esse à Prouinciali, nō tollit, quo minus ea fieri possit etiā à Generali, imò & à 88.

Visitatore iuxta ea, quæ diximus *sect. praced. subs.* 2. *q.* 8. *num.* 48.

Dicit tamen Castrus Palaus *tract.* 22. *D.vn.p.*8. *num.* 9. Superiores Societatis in domibus professis, & Collegiis Oratoria designare posse; in aliis verò locis extra collegia, vbi aliqui ex Societate resederint, necessariò Prouinciales designaturos fore: idque ex Pauli III. bulla *Licet debitum*, in qua dicitur, *Liceat Præpositis, & de eorum facultate vniuersis fratribus, & Sociis Societatis in Presbyteratus Ordine constitutis in locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit, habere Oratoria, & in eis, ac quocumque alio loco honesto, & congruenti loco in Altari portatili missas, & alia diuina Officia celebrare.* Quamquàm, cum in Societate Præpositi distinguantur à Rectoribus, etiam Paulus III. in citata bulla loquatur solum de Præpositis: dicere aliquis posset vsum huius priuilegij non competere Rectoribus Collegiorum, sed solum Præpositis Domorum professarum. At posset dicere Castrus Palaus nomen Præpositi ibi sumi, pro vt significat quemcumque Superiorem, adeóque sub eo comprehendi etiam Rectores Collegiorum: cum beneficium Principis latè debeat interpretari, & priuilegium fauorabile latam admittat interpretationem: prætetquam, quod vsus huius priuilegij esset nimis restrictus; cum in Societate pauci sint Præpositi, quippe qui præsunt Domibus professis, quæ sunt paucæ: & aliás ratio concessionis militet etiam quo ad Collegia, vt patet. Cum tamen priuilegium hoc Pauli III. non referatur *in Comp. priuileg. Societatis*, non censetur communicatum iuxta dicta *cap.* 1. *num.* 64. ideóque vti eo non possumus; quod tamen non obstat, quin eo possint vti Religiosi aliorum Ordinum communicantium de priuilegiis Societatis: sicque eorum Prælati locales poterunt modo dicto Oratoria priuata erigere.

Monet item Castrus Palaus ad designationem Oratorij factam à Prouinciali non peti vllam designationem Episcopi: idque apertè colligi ex citata Pauli III. bulla, & ex Constitut. Gregorij XIII. quæ incipit *Decet Romanum* ad hunc effectum edita anno 1575. notatque Religiosos Societatis extra Ecclesiam, & præfata Oratoria solum ex Prouincialis licentia posse celebrare, eumque non posse illam dare extra occasionem missionum.

89. Addo, quod, licet iure communi Missa celebrari non possit, nisi in locis ab Episcopo consecratis, aut benedictis ex *cap. nullus de consecr. d.* 1. non videtur tamen necessarium, quod loca, in quibus vi præsentis priuilegij dicimus posse celebrari, sint modo dicto benedicta. Docet, quod Sanchez *l.*9 *de matrim. D.* 15. *num.* 39. ex Abb. & aliis docet Oratoria, etsi nunquam benedicenda, aut consecranda sint, si tamen ad publica Officia diuina semel ab Episcopo deputentur, locis sacris annumeranda esse, eo, quod talis deputatio sit ad instar benedictionis (quod negant alij cum Suarez *sect.* 3. vt pote contrarium communi praxi horum temporum;) certum est autem, quod deputatio Prouincialium, quoad Oratoria priuata Regularium respectiuè subditorum æquiualet deputationi, quam faciunt Episcopi, quoad Oratoria publica, & consequenter præstabit eundem effectum iuxta regulam, *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio.*

QVÆRAS III. An Regulares possint celebrare in aliquo loco, qui modo dicto non sit approbatus neque à Prouinciali, neque à Generali.

90. Respond. posse, si iudicio Prælati localis, aut alterius prudentis viri adsit iusta causa (v. g. necessitas, quæ non potuit præueniri) ita viri docti à me de hoc consulti; & probatur, tum, quia aliqui DD. cum Sà *v. Missa num.* 20. existimant, secluso scandalo, & contemptu, non esse peccatum mort. celebrare in quouis loco honesto, etiam sine licentia Episcopi, dummodo celebretur super Altari sacrato: tum, quia Henriq. Nauar. Sot. Suar. Azor. Sylu. Armil. & alij penes Fagund. *sup. l.* 1. *cap.* 15. *num.* 14. docent in casu magnæ necessitatis licitum esse celebrare extra Ecclesiam in quouis loco honesto absque licentia Ordinarij, si ea commodè haberi nequeat; cum necessitas non habeat legem, & attenta tali necessitate censeatur Papa iure ipso interpretatiuè dispensare; quamquam, si alioqui necessitas præuideatur, petenda sit licentia ab Episcopo, illum præueniendo: quæ doctrina vtique facit ad præsentem casum, vt patet.

QVÆRAS IV. An Prouinciales ex vi priuilegij relati *q.*2. possint approbare Oratoria pro Religiosis subditis non solum intra ipsorum monasteria, & domos, sed etiam extra.

91. Respond. Quod, cum in concessione præfati priuilegij habeantur hæc verba: *Volumus, vt in Oratorijs, & capellis, quæ ipsius Societatis Prouinciales per se in domibus, & Collegijs, & alijs locis, vbi aliqui Societatis residebunt, approbauerint, & ad diuinum dumtaxat cultum deputauerint, Missa, & alia diuina Officia alterius licentia desuper minimè requisita celebrare possint:* apertè sequitur Prouinciales non posse ad vsum Religiosorum suorum approbare Oratoria, nisi in locis, quæ sint ipsius Societatis, adeóque non posse ea approbare in domibus sæcularium, vbi aliquis, aut aliqui è Societate negotiorum causa commorati sunt, etiam ad tempus non breue tanquam in hospitio; sic quippe non verificantur verba concessionis, *Vbi aliqui Societatis residebunt:* cum propriè loquendo, non dicantur residere Religiosi in loco, qui non sit ipsorum, saltem iuxta modum dicendi, qui vsitatur in ipsa Societate. ita viri docti à me consulti addentes hanc facultatem approbandi Oratoria ita competere Prouincialibus, vt ea etiam vti possint Generalis, & Visitatores: quippequi concurrunt cum Prouincialibus ratione officij, imò sunt maiores illis; eam tamen non posse ab ipsis delegari alij; cum in concessione posita sit clausula *Per se*, quod scilicet ij per se ipsos ea vtantur, non autem per alios: quod tamen limitandum est iuxta dicta *in tract.*6. *cap.*6. *num.* 32. §. *quod si* ex Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 11. *num.* 23.

Vnum placet hic aduertere, quod, licèt stando in rigore huius concessionis Gregorij XIII. non possint Nostri vi illius aperire priuata Oratoria locis, in quibus obiter solùm habitant: cum respectu horum non verificetur eos ibi residere (sicut requirit indultum) tamen, cum optima legum interpres sit consuetudo; & in Societate vsus obtinuerit, vt in talibus locis; (cuiusmodi sunt villæ Nostrorum) per totum orbem erigantur priuata Oratoria: tali vsui stari potest in materia præsertim adeò fauorabili, ac respiciente totam Societatem. sic doctissimi viri è Societate à me consulti. Prætetquàm quod iuxta dicta *num.* 88. §. *dicit tamen Castrus Palaus*, possunt Prouinciales erigere ad vsum Religiosorum Societatis oratoria priuata, etiam extra domus, aut collegia ipsius Societatis: quod vtique magis corroborat præsentem assertionem.

QVÆRES V. Vtrum in Oratoriis modo dicto deputatis à Prouincialibus vi Præfatæ concessionis possint celebrare non solùm Regulares

res

res Ordinis, sed etiam alij extranei etiam sæculares.

92. Respond. posse, si ea Oratoria sint erecta per deputationem Prouincialis iuxta concessionem Gregorij XIII. quippe cuius verba diriguntur non ad personas, sed ad loca, adeóque priuilegium est locale, sicque eo frui possunt omnes ibi existentes. Secùs, si Oratoria sint erecta auctoritate Superioris localis iuxta Pauli III. indultum: sic enim priuilegium est personale: cum eius concessio dirigatur, non ad locum, sed ad personas; ideóque eo solum frui possunt Religiosi Societatis in concessione expressi. Colligitur apertè ex Suarez *supra*.

QVÆRES VI. An Regulares liberè possint celebrare in priuatis Oratoriis sæcularium legitima facultate concessis ipsis sæcularibus.

93. Respond. posse, & quidem non obstante Concilio Trident. *session. 22. in decreto de obseru. & euit. in celebrat. Miss.* vbi dicitur. *Ne ve patiantur in priuatis domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda sanctum hoc sacrificium à sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi*; vnde colligunt Doctores Episcopos vi huius decreti posse prohibere etiam Regulares, ne celebrent in Oratoriis priuatis sæcularium. Si quidem talis prohibitio sano modo debet intelligi; si videlicet dicta Oratoria non decenter seruentur &c. quod ego colligo ex illis verbis *ad diuinum tantum cultum dedicata, & ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda*; aliàs enim cum Concilium loquatur tam de Sacerdotibus sæcularibus, quàm de Regularibus, omninò abrogaret, & ablegaret à domibus sæcularium vsum Oratoriorum priuatorum, quod tamen est contra communem vsum, ac sensum Doctorum.

94. Vnde sequitur malè aliquos inferre ex supradicto decreto Concilij Tridentini posse Episcopos prohibere Regularibus, ne in Oratoriis priuatis sæcularium ministrent sæcularibus Eucharistiam, id colligentes ex eo, quod vi præfati Concilij possunt Regularibus prohibere, ne in dictis Oratoriis celebrent; primò enim id non est verum absolutè (vt iam diximus:) secundò, dato etiam quod Episcopi possent Religiosis prohibere, ne in Oratoriis priuatis sæcularium celebrent, non ideò sequitur hoc ipsu etiam posse illis prohibere, ne ibi Eucharistiam administrent, vt fusiùs probat Portel. *part. 3. respons. moral. casu* 39. & maximè ex eo, quod celebrare, & ministrare Eucharistiam sunt quid diuersum; à diuersis autem sit illatio in odiosis.

QVÆRES VII. An, & quomodo Regulares celebrare possint in flumine, & mari.

95. Respond. quod, quamuis DD. communiter id negent cum S. Antonino *part. 3. tract. 13. cap. 6.* §. 4. ob periculum effusionis sanguinis: iure tamen nouo ad instantiam Patrum Societ. Iesu concessum viuæ vocis oraculo fuit à Clem. VIII. & Paulo V. vt in Indiarum Orientalium nauigatione sereno Cœlo, & tranquillo mari possit Missa celebrari: quod magno nauigantium bonu, & Religiosorum solatio introductum est, & quidem, teste experientia, absque vllo periculo effusionis sanguinis: cum quidam Sacerdos e nostris testetur plus quam vigesies celebrauisse in nauigatione Indica sine vllo omninò periculo; ad quod in primis iuuat, tum maxima cautela, & prudens circumspectio, quæ in hoc adhibetur, tum assistentia alicuius Sacerdotis, qui Calicem consecratum firmet, ne cadat. ita Fagund. *sup. cap. 30. num. 15.* addens ex Henriquez *lib. 9. cap. 27. num.* 3. stando in iure communi, fortassè in necessitate licere celebrare in fluuio placidissimo, vbi effusio sanguinis timeri non possit; quod idem sentiunt Granad. Durand. Scortia, Layman, & Hurtad. apud Dianam *part 5. tract. 3. resol.* 40. & quidem non solùm, quoad celebrandum in flumine, sed etiam in mari. Vnde mirum non est etiam post generalem reuocationem viuæ vocis oraculorum Religiosos Societatis proficiscentes ad Indicas Missiones modo dicto celebrare in mari, sin minus nixos indulto Clementis VIII. & Pauli V. (quod cum fuerit viuæ vocis oraculo concessum, aliqui dicere possent abrogatum fuisse in generali illa reuocatione viuæ vocis oraculorum) saltem iuri communi, quod non constat fuisse reuocatum, & consequenter adhuc subsistit.

QVÆRES VIII. An, & quo casu possint Regulares celebrare in priuatis cubiculis Religiosorum ægrotantium ad effectum, vt hi tempore infirmitatis Missam audire possint.

96. Respond. posse, si iudicio Medici, aut Prælati ij aliter Missam audire nequeant, locus sit decens, ac honestus, & adsit Altare portatile; idque ex concessione Pij IV. facta Canonicis Regularibus S. Saluatoris Lateranensibus 18. Maij 1565. vt habetur in eorum priuilegiis *pag.* 536. & refertur in *Comp. priuilegiorum Congregationis S. Mariæ Fulensis, ver. infirmi*, §. 5. *cum clausula, Non obstantibus quibusuis Apostolicis, nec non prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, & etiam per nos quomodolibet factis*: quo pacto derogatur decreto Concilij Tridentini *sess. 22. de celebrat. Missarum*, explicato *supr. quæst.* 6. Ita Peyr. *tom. 1. priuil. Constit. Pyrrhi, num.* 34. addens eiusmodi priuilegium competere Regularibus, tam viris, quam fœminis, ac extendi etiam ad recipiendam Eucharistiam in iisdem priuatis cubiculis: si tamen non est viuæ vocis oraculo concessum, sed bullarum: quale videtur esse ob eam clausulam *non obstantibus*, &c. quæ, vt puto, non solet apponi concessionibus viuæ vocis oraculo factis, sed solùm bullatis, vt videre est in Bullario Rodriquez, vbi referuntur vnà cum bullis pontificiis plura viuæ vocis oracula sine præfata clausula.

Notat autem Pasqualigus *decis.* 176. *num.* 5. vsum dicti priuilegij non debere restringi ad personas aliquas, aut solùm ad morbos graues; cum sufficiat Religiosum ex morbo non posse exire è cubiculo, vt exprimitur in tenore ipsius priuilegij. Addit Pasqualigus *decis.* 177. quod, cum hoc priuilegium sit personale (quippe quod fit omnibus, & singulis, tam viris, quam fœminis) & priuilegium personale sequatur personam, si Religiosus ægrotet in domo alicuius viri sæcularis, ibi in eius cubiculo poterit celebrari; non item in cubiculo monasterij, in quo fortè ægrotet aliquis sæcularis: quod est signum priuilegium non esse locale.

QVÆRES IX. Quo tempore, & qua hora possint Regulares celebrare Missam.

97. Respond. quod, licet iure communi non possit celebrari Missa, neque ante Auroram, neque post meridiem, nisi in casu raro, ac existente rationabili causa; vt tradunt communiter DD. apud Layman *lib. 5 tract. 5. cap.* 4. & suadet vniuersalis consuetudo Ecclesiæ; Regulares tamen ex priuilegio bullato Gregorij XIII. concesso Patribus Societ. Iesu cum licentia proprij Prælati possunt celebrare vna hora ante auroram, & vna hora post meridiem; adeóque possunt inchoare Missam 3. horis ante Solis ascensum, & infra 2. horas post meridiem. Ita Suar.

D 80.*sect*.4. & probatur ex eo, quod, cum priuilegium istud concedens facultatem celebrandi vna hora ante aurotam, & vna post meridiem, debet intelligi, vt concedat facultatem celebrandi vna hora ante, aut post tempus illud, quo, iure communi licitom est celebrare; vnde fit, quod, cum eriam sine priuilegio liceat celebrate 2. horis ante ascensum Solis, & infra horam post meridiem; vi priuilegij licebit celebrare 3. horis ante auroram, & infra 2. post meridiem, imò & vsque ad 3. horas iuxta Dianam *part*.2. *tract*.14. *resol*. 34. pro se citantem Ioannem de la Ctuz.

89. Addit Nau.*cap*.25.*num*. 85. Viuald. in candel. de Euchar.*cap. de præparat.num*. 50. Llamas *part*. 3. Methodi *cap*.5.§ 18.iure communi licitum esse celebrare aliquot hotis post meridiem, si scandalum cesset: at hoc negant communitet alij DD. apud Suat.*supr*. quamuis Fillioc.*tract*.5.*num*.113.id admittat in casu magnæ solemnitatis, in qoa concio, aut Missa publica excederet meridiem, aut etiam in casu itineris in die festo, sed ad summum ad horam post meridiem: additque per meridiem intelligi citca horam sextam moraliter, & sufficere si Missa inchoetur ante meridiem, esto post meridiem absoluatur: quod locum habet item in inchoatione Missæ, cum sit par ratio, vt patet.

QVÆRES X. An Regulares vi suorum priuilegiorum possint, etiam in præsentia celebrare vespere.

99. Respond. non posse, eo, qood, teste Naldo v. Missa *num*.30. Pius V. reoocauerit omnia priuilegia ipsis ad id concessa; vt consta *ex Constit*.ab ipso edita, quam refert ipsemet Naldus.

QVÆRAS XI. An, & in quo casu Regulares possint celebrare media nocte.

100. Posse, tum in nocte Natiuitatis Domini (in qua secundum Suar.*supra* & alios contra Nau. *c*.25.*n* 87. aliósque ante aururam possunt dici non vna tantum Missa, sed altera, & tertia:) tum in casu, celebrandum esset ad communicandum moribundum, & non adesset periculum scandali. Laym.*lib*.5.*tract*.5.*cap*.4.*num*. 3. ex S. Antonin. Nau. & Vict. contra Henriq *lib*.9.*cap*. 24 *num*.5. qui Laym. bene monet cum Nauar. consuctudinem, quæ viget in Belgio, Germania superiore, & aliquibus Galliæ partibus, vt in Ciuitatibns hyeme 3. vel 4. horis ante ortum Solis Missam inchoent, non esse reprehendendum; cum id iusta ratione introductum sit, videlicet vt in iis religionibus Septentrionalibus, in quibus Sol hyeme sero oritur, operarij, & famuli prius missæ intersint, quàm eant ad operandum.

Vtrum verò, si Sacerdos in die Natiuit. Domini velit celebrare vnicam missam, possit media nocte dicere secundam, aut tertiam Missam prima omissa.

101. Respond. posse; cum sit accidentale, quod tunc dicatur potius prima missa, quam secunda, & tertia potius, quam secunda. ita Diana *supr. resol*. 39. ex Vgol. Zanardo, Petro de Ledes. & Villal. addens contra Gauantum *tom*.1.*in rubric*.Missal.*part*.4 *tit*.3. *num*. 6. hanc doctrinam militare etiam in casu, quo Sacerdos in die Natiuit.Domini post auroram velit celebrare vnam tantum missam; putat enim Gauantus tunc dicendam esse vel primam, vel tertiam missam & potius tertiam, eo, quod oratio illius magis concordat cum Officio currenti: quæ opinio meo iudicio est probabilior, & consulenda in praxi.

QVÆRES XII. An, & quo modo tempore Interdicti generalis Regulares celebrare possint missam in propriis Ecclesiis, ac monasteriis.

102. Respond. posse, dummodò id faciant submissa voce, ianuis clausis, exclusis excommunicatis, ac interdictis, & non pulsatis campanis: idque ex *cap*. Alma *mater de sent. excommunic*. ita Sorbus *in Comp. v. interdictum* 3. §. 6. *in annotat*. Peyr. *tom*. 1. *priuil. Constit*.2.*Sixti IV*.*num*.55.Lezana *tom*.1.*cap*.21.*n*.19. aliique communiter. Quin etiam addit Sorb. §. 11. posse Regulares ex eodem *cap*. Alma *mater*. supradicto tempore Interdicti generalis solemniter celebrare diuina, ianuis apertis, pulsatis campanis, & admissis interdictis (ita tamen, vt excludantur ij, qui fuerunt causa interdicti, nec non ij, qui sunt excommunicati) in festis Natiuitat. Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. V. imò in vna Extrauagante Martini II. in festo Corporis Christi, & per totam illius Octauam, nec non ex alio priuilegio bullato (quod concessit Leo X. Monachis S. Benedicti, seruisque Monasteriorum, & refert Casarub. *in Comp. v. interdictum* 2. *num* 10. estque commune aliis Religiosis communicantibus de priuilegiis dictorum Monachorum) in festo Concept. Visitat. & Natiuit. B. V. ac Natiuitat. S. Io. Baptistæ; nec non in solemnitatibus Sanctorum respectiuè suarum Religionum], & aliorum Sanctorum, ac Sanctarum, sub quorum inuocationibus Ecclesiæ Regularium dedicatæ sunt, seu quorum corpora in ipsis Ecclesiis recondita respectiuè existunt: item in hebdomada maiori, in festis Resurrectionis Domini, & per Octauas earumdem omnium festiuitatum: item quoties Religiosi Professionem religiosam emittunt, primam Missam celebrant, & in propriis Ecclesiis Defunctorum corpora Ecclesiasticæ tradunt sepulturæ (modò tamen dicti Religiosi non dederint causam interdicti, aut non fuerint specialiter interdicti, & excludant nominatim interdictos, ac excommunicatos) ita Lezana *supr*. addens *num*. 20. supradictum priuilegium Leonis suffragari Regularibus, etiam pro tempore Cessationis à diuinis; vt constat ex tenore ipsiusmet priuilegij, quamquam in casu, quo interdictum, tum Cessatio à diuinis ponatur auctoritate Apostolica, semper inspiciendum sit, an reuocentur Regularium priuilegia, nec ne: si enim legitimè reuocentur, aut vsus eorum gignat scandalum, non possunt Regulares iis vti: quod est benè aduertendum.

Difficultas est, vtrum priuilegia Regularibus concessa pro tempore interdicti, aut Cessationis à diuinis, reuocata fuerint à Concilio Tridentino *sessione* 25. *cap*. 22.

Respond. videri probabile non fuisse reuocata; & 103.
hoc, non obstare Constitut. Greg. XIII. qui ea reuocauit, & annullauit, quatenus erant contraria ipsi Concilio; Concilium quippe solùm intendit reuocare ea priuilegia, quæ alioqui Regulares iactitabant se habere de quouis interdictu nullatenus seruando, & referuntur à Surbo *supr. in annotat*.§ *sed aliis Doctoribus*: talia autem non sunt priuilegia, quæ hic à nobis proposita sunt. ita Lezana *num*. 19. ex Surbo pro se citaos Rodriquez contra Nauar. *in manu. cap*. 27.*num*.190.

Extant & alia priuilegia Regularibus concessa 104.
pro tempore interdicti, quæ videri possont apud Casarub. *v. interdictum* 3. & à nobis hîc consulto omittuntur eo quod, vel sint viuæ vocis oracula, vel non sint amplius in vsu, vel certè sint talia, vt eorum vsus non leuem gigneret offensionem in Ordinariis, ideòque non expedit iis vti.

Placet hîc vnum aduertere ex Casarub. *v. interdi-* 105.
ctum 1. *num*. 2. per bullam authenticam concessum fuisse à Clemen. IV. Fratribus Minoribus *vt, cum*

generale

generale interdictum apponi contigerit, possint Fratres Minores in Ecclesiis, & Oratorijs suis, ac in alijs quibuscumque cum ad loca peruenerint Ecclesiastico supposita interdicto, clausis ianuis (excommunicatis, & interdictis exclusis) non pulsatis campanis, & submissa voce celebrare diuina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta, dummodo causam non dederint interdicto, nec contingat id eis specialiter interdici: nisi Ecclesiæ, & Oratoria eadem fuerint specialiter interdicta.

106. Præterea idem Clemens IV. concessit per bullam item authenticam, Fratribus Ordinis Prædicatorum, quod tempore strictissimi interdicti in suis domibus dumtaxat, exclusis omnibus, qui non fuerint de Ordine suo, clausis ianuis, & non pulsatis campanis, valeant quotidie vnam Missam in communi legendo audire, seu quilibet Sacerdos eiusdem Ordinis cum 2. aut 3. Ministris modo simili missam celebrare possit: dummodo in eiusdem interdicti sententiis de Ordine prædicto, & de hac concessione non fiat mentio specialis. Ita Casarub *n.* 3. patétque ex ipso tenore verborum; si solùm addam nomine strictissimi interdicti hîc intelligi illud, quod continet omnes omnino effectus, ex institutione Ecclesiæ, annexos Interdicto.

QVÆRES XIII. An Regulares possint celebrare missam singulis diebus, ita vt nullo die anni vacent.

107. Respond. posse, præterquam in Feria 6. Parasceues, quo die prohibitum est celebrare, *cap. Sabbato de consecr. d.* 3. Ita Laym. *l.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. Lezana *sup. n.* 18. aliique non pauci; & patet ex eo quod, cum in Ordinibus magis obseruantibus Religiosi soleant quotidie celebrare, & talis consuetudo in Ecclesia maximè approbetur; solùm dubitari posset de feria 5. hebdomadæ maioris, & de die Sabbati Sancti: vtrum in his diebus liceat Religiosis liberè celebrare; cum tamen DD. apud Suar. *de Sacram. D.* 80. *sect.* 2. satis probabiliter concedant etiam in his duobus diebus licitum esse celebrare vnicuique Sacerdoti, ea ducti ratione, quod nullum extat ius in contrarium, neque consuetudo, quæ habeat vim legis, & aliàs plures viri docti, ac pij sine scrupulo celebrant talibus diebus, sin minùs publicè, saltem priuatim, seu secretò (idque ob varias contingentias, quæ affert Fagund. *supr. cap.* 16. *num.* 13. monens *num.* 14. ex Gutierrez ad celebrandum his diebus non requiri licentiam Prælati.) Neque ex eo, quod *in cap. Sabbato*, iam citato expresse prohibetur missam dici die Sabbati Sancti: siquidem hoc ipso, quod dictum caput abrogatum est, quoad solemne Officium, & vnam missam publicam in singulis Officiis, quæ de facto in præsentia dici solet in vnaquaque Ecclesia, censetur etiam abrogatum fuisse, quoad omnes alias Missas: cum non sit maior ratio de Missa publica, quam de priuata, & alioqui ex vi prioris consuetudinis cessauerit ratio dictæ prohibitionis, non solùm in particulari, quoad vnam missam, sed etiam in generali, quoad omnes: quidquid contradicant Nauar. *cap.* 25. *num.* 88. Azor. *part.* 1. *l.* 10. *c.* 24. *quæst.* 4. & alij.

Quod si quæras, an Regulares in feria 6. Parasceue saltem possint communicare more laicorum, siue sint Sacerdotes, siue non.

108. Respond. videri posse, per se loquendo, & secluso omni scandalo, quod facilè euitaretur communicando in aliquo Oratorio priuato ex particulis, quæ de more Ecclesiæ eo die asseruantur. Ita Filliuc. *tract.* 5. *num.* 106. & Sancius *in selectis D.* 22. *num.* 20. citans pro se alios 16. Doctores; patetque ex eo, quod, cum communicare eo die per se sit bonum, & aliunde non prohibeatur; non est, cur damnetur tanquam malum, & peccatum; maximè cùm Innocentius *in citato cap.* dicens Sacramenta eo die penitus non celebrari, aperte loquatur de solo sacrificio Missæ; siquidem celebrare Sacramenta, vt ingeniosè aduertit Suarez *sup.* non est proprie præbere populo Eucharistiam, sed illam conficere, ac consecrare: ita vt celebrare sacramenta perinde sit, ac Missam dicere, nobiscum sentit Diana *p.* 6 *tract.* 6. *resol.* 19. ex Suarez, Fagund. Laym. Molfes. Sà, & Vasquez.

Addit Castrus Palaus *tract.* 22. *D. vn. p.* 7. *num.* 5. ex Vasquez quod, licet in feria v. in Cœna Domini ex communi Doctorum sententia nulla adsit obligatio abstinendi à Missa, neque ex iure scripto, neque ex consuetudine vim legis habente; tamen Missæ priuatæ debent celebrari, antequam solemnis finiatur in Ecclesia: ea enim finita nequeunt Sacerdotes Missas dicere priuatas sine culpa mortali: siquidem iam cœpit Officium Parasceues; cum vespere dicuntur, & recolitur memoria realis mortis, & sepulturæ Christi: ob quam causam feria 6. parasceues interdicitur Missæ celebratio. ita Castrus Palaus monens *num.* 5. quod, stante probabilitate opinionis asserentis quemlibet Sacerdotem in die Sabbati Sancti posse priuatim celebrare; nemini licitum est celebrare, antequam Missa solemnis inchoetur: cum vsque ad illud tempus memoria realis passionis ab Ecclesia colatur, quo durante cultu, nullum est sacrificium celebrandum *cap. sabbatho de consecr. dist.* 3. qua de causa Nauar. Francolin. Henriq. Layman, & Vasq. apud ipsum Castrum Palaum cum iis sentientem docent probabilius esse in die Sabbathi sancti non posse priuatim celebrari etiam secluso scandalo: idque ob varias rationes adductas à Castro Palao *num.* 4. *v. nihilominus.*

QVÆRES XIV. An Regulares plures Missas dicere possint eodem die, & quibus casibus.

Respond. Regulariter non posse; nisi aliud suadeat necessitas, est communis DD. apud Fagund. *sup. cap.* 16. *num.* 1. & probatur, tum ex *cap. consuluisti de celebrat. Miss.* vbi id expresse asseritur: tum ex consuetudine receptissima in toto Orbe christiano, quæ habet vim legis: tum quia Missa est memoriale expressiuum sacrificij passionis Christi, Christus autem semel tantum est passus, & mortuus. Dixi *regulariter*, vt innuerem dari aliquos casus, in quibus Sacerdos, si sit ieiunus, potest bis celebrare in eodem die; v. g. ne moriturus aliàs decedat sine Viatico, eo quod non adsit hostia consecrata; ne populus die festo priuetur auditione Missæ; & alij similes casus, qui referuntur à Fagund. *sup.* sed sunt incerti, & posita tanta Sacerdotum copia, modo vix possunt habere locum, 109.

Addo solum Religiosos Societ. Iesu posse in remotissimis regionibus, vbi sunt pauci Sacerdotes, celebrare bis in die: idque ex priuilegio bullato Pauli III. & relato in Bullario ipsius Societ. *pag.* 44. de quo vtique participant in iisdem regionibus, etiam Regulares aliorum Ordinum, qui communicant de priuilegiis Societ. 110.

Sic Rodriquez *p.* 1. *summæ cap.* 149. & cum eo Persiens *l.* 1. *de præcipuo offic. Sacerd. num.* 104. referunt Dominicanos in Hispania in regno Valentiæ habere priuilegium, quo Sacerdotes dictæ familiæ in die Commemorationis defunctorum possunt singuli celebrare tres Missas, dictumque priuilegium etiam modo esse in vsu in dicto regno, coque posse frui etiam alios Religiosos, qui gaudent indultis præfatæ familiæ per viam communicationis:

non tamen posse Dominicanos dicto priuilegio vti in aliis regnis, eo quod non sit in vsu.

Quæres XV. An Regulares in dominicis, & diebus festis possint celebrare Missam, antequam Rector Ecclesiæ parochialis celebret.

111 Respond. posse. ita Peyr. *tom. 1. priuileg. Constitut.* Pyrrhi *num.* 26. & cum eo Lezana *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 17. aliíque, & patet, tum ex quadam declaratione Sacræ Congregationis, quam adducit Lezana *cap.* 12. *num.* 41. tum ex Constitutione Pij V. *Etsi Mendicantium* vbi id expressè conceditur; vt videre est penes ipsum Peyr. *tom. 2. in istam Constit. Pij V.* §. 10.

Quæres XVI. An Regulares possint celebrare Missam antequam recitent preces matutinas.

112. Respond. posse, est communis Recentiorum apud Laym. *supr. num.* 5. contra plurimos antiquos cum Nauar. *cap.* 25. *num.* 83. sustinentes id non posse fieri absque peccato mort. Ratio responsionis est, quod, quamuis Matutinum cum Laudibus debeat recitari ante Missam, tum per modum cuiusdam præparationis; tum, quia Matutinum pertinet ad noctem, Missa ad diem: id tamen spectat ad ritum, seu ordinem tantum accidentalem, & valde extrinsecum Missæ; ideóque per se loquendo, non continet grauem obligationem. Quin etiam nec erit peccatum v. si id fiat ex causa rationabili (v.g. ob Principis aduentum ratione itineris ad maiorem commoditatem studendi &c.) secus, si id fiat sine causa iusta: tunc enim erit peccatum v. teste Sylu. v. Missa 1. *quæst.* 1. cum sic interueniat aliqualis inuersio ordinis inducti ex vsu Ecclesiæ; quæ tamen solum habent locum in Missis priuatis: nam in solemni Officio non debet cantari Missa publica ante matutinum, Laudes, & Primam, talisque est vsus in Ecclesia.

Quod si quæras, quid peculiare operetur priuilegium à Iulio III. concessum Religiosis Societ. Iesu *in bulla*, quæ incepit *Sacræ Religionis*, & adducitur in Bullario Societ. *pag.* 65. vt ij ex legitimis, ac iustis causis de licentia Superioris Officium celebrationi missæ liberè, & absque scrupulo postponere possint; stante quod iuxta dicta id fieri potest etiam sine vllo priuilegio, quotiescumque adest legitima causa.

113 Respond. id operari, vt, stando etiam in opinione Nauarri, multo minor causa requiratur, & sufficiat ad postponendum Officium Missæ; prætérquam quod non est necessarium, vt priuilegia semper aliquid certum concedant præter ius commune; sed satis est, vt quando ius est dubium (quo modo apud plures est in causu nostro) priuilegium detur ad tollendos scrupulos; quod fortè insinuatur in concessione istius priuilegij dum dicitur, *& absque scrupulo*, vt notat Suar. *tom. 4. de Relig. tract.* 10. *lib* 8. *cap.* 3. *num.* 5.

Quod si hac occasione quæras, an Religiosus existens ruri, quo die in ecclesia sui monasterij celebratur festum Dedicationis Ecclesiæ, possit ibi recitare Officium de tali festo, si ruri commoraturus est eo die, imò & alio sequenti.

Respond. videri posse: cum breui absuturus habeatur pro præsenti, & ecclesia cuius Dedicationis festum celebratur, verè sit Ecclesia talis Religiosi, vt pote non habentis aliam Ecclesiam, quæ sit, & possit dici sua: quod si est sua Ecclesia, vtique potest, & debet dicere Officium de Dedicatione in festo Dedicationis illius. Imò puto id procedere, etsi Religiosus tunc temporis existat in alia Ciuitate, breui tamen rediturus: idque colligo ex Azório *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 4. *quæst.* 3. docente Scholares in studij, & alios extra locum Originis, domicilij, aut beneficij pro maiori parte anni habitantes in recitatione diuini Officij posse eligere aut ritum loci, in quo degunt, aut ritum loci, originis, beneficij, aut domicilij: quæ doctrina vtique facit ad præsens dubium, & quidem à fortiori, vt consideranti facilè patebit: cum Azorio sentit Tiberius *in instruct. ordin. quæst.* 105. §. *dico.* 3. citans pro hac doctrina S. Thomam *quod lib.* 6. *art.* 8. loquentem in specie de beneficiariis. Idem etiam puto procedere de Religioso ruri commoraturo non solùm in festo Dedicationis, sed etiam per totam Octauam: cum de eo militet doctrina modò tradita, & quidem à fortiori.

An verò dari possit casus, in quo Religiosus excusetur ad Officio diuino (v. g. ex morbo) & possit dicere Missam.

Respond. posse dari. ita Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. 114.
quæst. 18. cum Soto; & patet quia potest contingere, vt infirma valetudo det iustam excusationem omittendi horas, & tamen non impediat, quo minus Sacerdos celebret: plus enim aliquando malè valenti nocere potest recitatio horarum, quàm celebratio Missæ.

Addo obiter Religiosum recitantem Horas ex obligatione non peccare, neque venialiter; si ratione commodioris studij, aut alia de causa reciter memoriter psalmos singularum horarum, dilata recitatione hymnorum, antiphonarum, capitulorum, & orationis currentis; eo quod hæc memoria non retineat, & existente aere obscuro ex breuiario ea legere non possit: hæc enim deordinatio recitationis est leuis, & alioqui cohonestatur ex fine intento: sicque non apparet, ex quo capite possit suboriri culpa etiam venialis in tali modo recitandi.

Quæres XVII. An Regulares aliquando possint celebrare Missam cum conscientia peccati mortalis & quo modo.

Respond. posse, si probabiliter putent se esse 115.
contritos, non adsit copia Confessarij, & aliàs subsistit periculum scandali, vel infamiæ, aut occurrat grauis aliqua causa: teneri ex decreto Concilij Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. quàm primùm confiteri data copia Confessarij; idque non solùm ex concilio, vt censent Villal. & Perr. de Ledes. apud Dianam *part.* 2. *tract.* 14. *resolut.* 60. sed ex præcepto, vt docet Suar. *de Sacrament. D.* 66. *sect.* 7. communi Doctorum. ita Coninch. *de Sacrament. quæst.* 80. *art.* 4. *d.* 1. Laym. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 7. Fagund. *prae.* 3. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 9. aliíque, & patet ex eo, quod, quamuis exter præcéptum diuinum de præmittenda confessione ante susceptionem Eucharistiæ iis impositum, habent conscientiam peccati mort. præceptum tamen diuinum conseruandæ famæ, & vitandi scandali magis præpóndetat; sicut & potest præponderare aliqua alia causa, quæ iudicio viri prudentis ad id sufficens videatur (v. g. vt moritoro dari possit Viaticum; vt Sacerdos satisfaciat muneri suo, quod per alium præstare nequit &c.); quando autem concurrunt duo præcepta diuersi Ordinis, si vtrumque seruari non potest, seruari debet illud, quod fortius est.

Quando autem Concilium Tridentinum præcipit, vt Sacerdos celebrans modo supradicto non 116.
præmissa confessione, teneatur quam primum confiteri: per ly *quam primum* non solùm potest intelligi idem, ac *intra triduum*; cum, teste Sanch. *lib.* 2. *de matr. D.* 52. *num.* 14. Gonzales *reg.* 8. Cancellariæ *glossa* 43. *num.* 51. dicatur quamprimum, & incontinenter fieri, quod fit intra triduum; sed etiam potest

test intelligi, vt significet idem, ac cum ptlmum item celebrauerit; ita vt sensus Concilij sit, Sacerdotem in proposito casu celebrantem, non præmissa coofessione sactamentali, teneri confiteri, cum primum iterum celebrauerit; ac ptoinde, si diutius differat celebrare, posse etiam diutius differre confessionem. ita Fagund. *supr. cap.* 8. *n.* 9. quem sequitur Diana *part.* 1. *tract.* 14. *resol.* 60. pro se citans Molfesium, & Binsfeldium; qui tamen Fagund. minus bene infert suptadictum præceptum Concilij extendi ad laicos modo supradicto communicantes, non præmissa confessione ob necessitatem, ac inopiam Confessarij: cum tale præceptum loquatur solum de Sacerdote, ideóque vltra proprios verborum limites extendi non debeat ad laicos; imò nec ad Sacerdotes ipsus more laicorum communicantes non præmissa confessione ob necessitatem, ac inopiam Confessarij; cum in tali communione se habeant vt laici; excipe cum Diana *suprà*, nisi fortè tales Sacerdotes celebreot in die Parasceues, aut assumantur ad complendum sacrificium ab alio Sacerdote inchoatum; quo modo communicant vt Sacerdotes. Quin etiam Suar. *supr. sect.* 7. probabiliter putat præfatum præceptum Concilij nun extendi ad illum Sacerdotem, qui in peccato mort. celebrat extra necessitatem: siue, quia id omninò oblitus est, siue quia non curat legem; cum neuter propriè comprehendatur verbis legis, & ratio ipsa legis quoad eos deficiat; vt constabit legenti verba Concilij.

117. Respond. addit Io. de Lugo *D.* 14. de Euchar. *num.* 146. & 147. probabile esse Sacerdotem, qui in ipso actu celebrandi committit aliquod peccatum mort. aut recordatur peccati mort, antea commissi, non subiici huic præcepto: siue id contingat ante Consecrationem, siue post; & probat ex tegulis Missalis Rumani diuerso modo loquentibus de Sacerdote habente conscientiam peccati mort. ante celebratiooem, ac de eo, qui talem conscientiam habet in in ipsa celebratione: illum scilicet debere cooteri, & quàm primùm confiteri; hunc verò debere conteri cum proposito confiteodi, & satisfacieodi; quod est signum vtrumque hunc casum uoo æque comprehendi sub præfato præcepto Concilij, quod, cum intenderit Parochos rurales facere cautiores ad quærendum Confessarium ante Missæ celebrationem ob periculum magis ordinarium, ne diù celebrarent sine confessione pretextu carentiæ Confessarij, meritò extendi dictum præceptum ad priorem casum, & non ad posteriorē, in quu cessat finis illius.

118. E contra subiicitur huic præcepto Sacerdos, qui habens casum reseruatum, & non potens recurrere ad Superiorem, vrgente necessitate celebrandi confitetur inferiori, ab eoque directè absoluitur à non reseruatis; is enim verè celebrauit ratione necessitatis vrgentis absque confessione peccati; cuius habebat conscientiam, & quam præmittere debebat: & ex alia parte quod confessus fuerit peccata non reseruata, non videtur sufficere; sicut nec sufficit in eo, qui confessus alia peccata postea ante Missam recordatur alicuius peccati non confessi: si quidem post Missam debet quàm primùm confiteri, quippe qoi dicitur celebrare non præuia confessione, quatenus non præmittit confessionem peccati, cuius conscientiam habet ante confessionem; quod item locum habet in casu, quo iustè dimidietur confessio, siue ad vitandum graue damnum pœnitentis, siue ex defectu temporis, aliàs vrgente necessitate belebrandi. ita Io. de Lugo *supr. num.* 152. 153. & 156. qui ingeniosè, & solide examinat omnes hos casus ducens simul *num.* 162. & 163. quamtam dilationem admittat impletio huius præcepti, vt dixi *in tract. de obligat. cap.* 3. *num.* 65.

119. Tunc autem, inquit Fagund. *cap.* 9. *num.* 24. censetur Sacerdos in proposito casu non habere copiam Confessarij, quando vel non adest Sacerdos habens iurisdictionem super peccata mort. aut super aliquod ex iis, quæ habet is, qui est commonicaturus; vel adest quidem Sacerdos, sed homo non potest ei confiteri absque suo graui damno, siue spirituali, siue temporali; quod prudenter timeatur, & noo per meram suspicionem, vt notat Coninch *supr. d.* 21 *num.* 19. addens *num.* 23. tunc generatim præsumi deesse Confessarium io proposito casu, quando ob inualetudinem, difficultatem itineris, breuitatem temporis, vrgentia negotia, & alias causas similes, hîc & nunc adiri non potest Confessarius sine graui incommodo.

QVÆRAS XVIII. An Regulares in Missis festorum, quæ Episcopi præcipiunt obseruari in suis diæcesibus, teneantur permutare ritum propriæ Religionis.

120. Respond. non teneri; idque ex declaratione Sacræ Congregat. quam refert Quar. *in bullario v. priuil. Regul. pag.* 513. in hæc verba: *Congregatio Concilij censuit decretum cap.* 12. *sess.* 25. *de Regular.* (loquitur autem de Concilio Trid.) *ita esse intelligendum, vt Regularium ritus illis festis semper permaneat, quoad Missas celebrandas, & cætera diuina Officia tum publicè, tum priuatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persoluenda: nec circa hæc ab Episcopis quoquomodo quicquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse: quod si de facto præceperint, Regulares neutiquam ipsis Episcopis obedire teneri.* ita Sacra Congregatio; quamquam in præsenti, Gauauto *part.* 4. *in rubric. Missal. tit.* 16. *num.* 3 teoeantur Regulares recitare Missam, & Officium Sancti Patroni loci, in quo degunt, non tamen teneri obseruare Octauam, licèt possint, si velint; idque ex declaratiooe eiusdem Sacræ Congregationis.

QVÆRES XIX. An Regulares possint mentaliter recitare preces, quæ in Missa dicuntur submissa voce, & vulgo vocantur *le secrete.*

121. Respond. quod, quamuis Tambur. *de iure Abb. tom.* 2. *D.* 10. *quæst.* 9. *num.* 5. Io. de la Cruz *lib.* 2. *de statu relig. cap.* 8. *d.* 2. & aliquis alius recentior senserint pattem affirmantem esse probabilem ducti ex concessione à Leone X. facta Fratribus Minoribus, & relata à Casarub. *in Comp. v. offic. diuin. num.* 9. his verbis Leo X. *concessit, vt ne Fratres prædicti se mutuo impediant in Officio diuino, aut alij sint fastidiosi, quod illa, quæ in Ordinario iubentur dici secretè sub silentio tam in horis canonicis, quam etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo inter se per librum;* nihilominus pars negans omninò sequenda est, eamque de facto communiter sequuntur Doctores: sicque sensus præfatæ concessionis erit, vt ea, quæ in Choro debeut dici secretò, dum cantatur Missa) v. g. quæ diuiduntur cum organo, confessio, & aliæ præces, quæ fortè aliàs tempore Missæ recitabantur) dici possint mentaliter; idque ne se mutuò impediant Fratres, qui scilicet Choro assistunt cum tamen Sacerdos priuatim celebrans neminem impediat; prærérquam quod concessio loquitur de iis solum, quæ in Ordinario iubentur dici secretò, non autem de iis, quæ sunt in Missali; sicut bene aduertit Io. de Lugo à me de hoc consultus dicens dictam concessionem numquam de dicendis à Sacerdote in Missa receptam fuisse, nec potuisse sine magnis absurdis sic intelligi.

QVÆRES

QVÆRES XX. Qualem missam debeant recitare Regulares.

122. Respond. Missam quidem conuentualem debere semper concordare cum Officio currenti *c.cum creaturæ de celebrat.Miss.* non item Missas priuatas, ideóque Missas votiuas, aut de requiem posse dici quotidie, præterquam in diebus dominicis, & in iis diebus, in quibus prohibetur fieri de festo duplici, nimirum infra Octauam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & in Hebdomada maiori, in quibus nec fit de Patrono. ita Gauant. *sup. p. 1. tit. 4. lit. O, & P,* ex decreto Sacræ Congregat. Rituum edito 28. Aug. 1627. qui tamen concedit etiam in festis non maioribus cantari posse missam votiuam pro re graui, aut publica necessitate (cantata tamen Missa propria illius diei) & tunc posse dici *Gloria & Credo:* quamquam hæc dici non debeant, quando in Missa adhibentur paramenta violacea. Res autem grauis, inquit Lezana *tom. 1. cap. 21. num. 27.* est pro qua Episcopus conuenit cum Clero: publica verò causa dicitur etiam illa, ob quam fit oratio solemnis 40. horarum per gyrum, & quando fiunt comitia siue generalia, siue prouincialia; adderem ego, & quando in vltimo triduo bacchanalium Societas nostra in propriis templis publicè exponit Eucharistiam ad nimiam fidelium licentiam, ac morum dissolutionem plus æquo debacchantem coercendam, cùm etiam in isto casu interueniat ratio non multum dissimilis.

123. Addit Diana *p. 1. tract. 14. resol. 30.* cum Suarez, Lamas, Villal. Zanando, & Miranda, quòd, sicut Sacerdos absolutè potest non celebrare, ita & potest celebrare Missam aliam à currente; & consequenter præceptum dicendi Missam de tali Sancto, aut de Feria, non videri obligare sub peccato mort. nisi adsit scandalum, aliudque suadeant circumstantiæ concurrentes; vnde subdit Diana. *Non damnarem reum peccati mort. eum Sacerdotem, qui in diebus festiuis Apostolorum, B. V. & Domini nostri diceret aliam Missam:* quod tamen non admittunt Barthol. ab Angelo & Angel. apud ipsum Dianam, quorum sententia in praxi videtur amplectenda.

124. Quod autem spectat ad Missas *de Requiem*, docet Gauant. *in thes. sacr. rit. tom. 1. p. 1. tit. 5. lit. X.* Missam quidem solemnem *de Requiem* posse dici Dominicis, & festis de præcepto, si corpus defuncti sit præsens ac insepultum (exceptis tamen die Paschæ, & diebus primæ Classis, in quibus id prohibetur ex Rituali Romano;) Missas verò priuatas *de Requiem* non posse dici in diebus, in quibus prohibetur fieri festum duplex; sicut neque in Dominicis, ac festis duplicibus; quamquam si festum duplex incidat in diem assignatum pro Altari priuilegiato, & illud festum sit de præcepto, possint in dicto Altari celebrari Missæ *de Requiem:* idque tantum ad implendas defunctorum voluntates, & non aliàs: secùs, si festum sit de præcepto.

An verò Missa de aliquo Beato concessa Regularibus alicuius Ordinis dici possit etiam à Sacerdotibus externis.

125. Respond. Granado *2. 2. controu. 1. tract. 7. D. 4. sect. 2. n. 19.* posse, si id fiat, petentibus iis, quibus concessa est facultas dicendi talem Missam, & in ipsa concessione non extet aliqua clausula id prohibens; si quidem per alium faciens per se ipsum facere videtur, & lex (præsertim fauorabilis) generaliter loquens generaliter debet intelligi. Dixi, *& in ipsa concessione non extet aliqua clausula id prohibens:* si enim talis aliqua clausula extet, tunc ea Missa non potest dici à Sacerdotibus externis; sicut nec potest dici in alienis Ecclesiis, si facultas sit restricta ad Ecclesias ipsorum Regularium. Quamquam, ait Granado *num. 17.* si id fiat semel, aut bis, non videatur peccatum mort. cum celebratio sit licita, & solum mutetur Ecclesia: in quo non apparet inordinatio ita grauis, nisi toties fiat, vt meritò censeatur valdè aduersari decreto, ac menti Papæ id concedentis.

126. Addit Granado *sup.* de Beato, cui conceditur Missa modo supradicto, non posse fieri infra annum commemorationem in Missa, nec dici ipsam Missam, nisi in die à Papa designato (quod est non posse dici de illo Missam votiuam;) quamuis, vbi primò conceditur talis Missa, possit quasi pro inchoatione festiuitatis dici Missa prædicta ante diem statutum ab ipso Papa, si ea multùm distet à tempore, pro quo est facta concessio; qua de re Diana *p. 4. tract. 4. resol. 231.*

QVÆRES XXI. An Regulares celebrare possint operto capite ex aliqua infirmitate, cum sola licentia proprij Prælati.

127. Respond. non posse; cum, teste Gauanto *p. 2. tit. 2. lit. F.* talis licentia hodie non possit dari, nisi à Papa ex decreto Sacræ Congregat. rituum facta 31. Iulij 1626. cui, vtique standum est; cum aliàs probabile esset, in casu, quo grauis morbus id exigeret, & facilè non posset peti dispensatio, licitum esse celebrare cum pileolo; vt docent Suar. *sup. sect. 3.* Filliuc. *tract. 5. num. 152.* & alij.

Monet autem Io. Præpositus *in 3. p. q. 83. a. 3. d. 6.* quod, cum apud Chinenses aperire caput nullo modo sit honoris, sed signum reuerentiæ exhibeatur caput operiendo: proinde in China omninò licitum censendum est totam Missam celebrare, cooperto capite, & quidem etiam pro tempore Consecrationis, quamquàm ad tollendum omnem scrupulum Paulus V. anno 1615. die 27. Iunij per Breue, quod incipit *Romanæ Sedis Antis*, Patri Nicolao Trigantio à China Romam profecto concesserit, vt Missa in China tecto capite celebraretur.

Sic Castrus Palaus *tract. 22. D. vn. p. 10. num. 10.* non solum posse Sacerdotes operto capite celebrare de licentia Episcopi, sed etiam propria authoritate, si adsit iusta causa, sicque Sacerdotes etiam Regulares in Polonia celebrare hyemali tempore vsque ad consecrationem velato capite: probatque ex *cap. nullus Episcopus de consecrat. distinct. 1.* quod petit præsumptionem, qui autem ex necessitate facit, temerè non facit: sic ille; sed improbabiliter stante decreto Sacræ Congregationis sup. relato, loquendo de regionibus, in quibus illud fuit acceptatum, & non abrogatum.

QVÆRES XXII. An Regulares in aliquo casu celebrare possint sine Ministro, & quando.

128. Respond. Fagund. *præc. 1. Eccl. l. 3. cap. 21. num. 5.* cum multis aliis DD. posse, si occurrat grauis, ac iusta causa; cum probabile sit id sæpius factitatum fuisse in primitiua Ecclesia tempore persecutionum. imò Nauarrus, & Zerola ab ipso Fagundez *vbi sup.* relati absolutè dicunt Sacerdotes posse celebrare sine Ministro, nulla habita ratione de causa graui, quam diximus ad id requiri; in quo non omninò dissentit Azor *p. 1. l. 10. cap. 29. q. 2.* dicens cum Soto meliùs esse celebrare sine vllo Ministro, quam fœminam ad id munus adhibere: quod negat Nugnus *in 3. p. tom. 1. q. 83. a. 6. d. 1.* existimans cum Syluio in graui necessitate adhiberi posse fœminam ad inseruiendum Missæ, tum respondendo, tum ministrando: si quidem *cap. 1. de cohabit. Cleric. & mul.* vbi dicitur, vt nulla fœmina ad Altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, intelligi debet extra

casum

caſum grauis neceſſiratis. Poſſeulmus certè *de offic. Cur.c.5.n.9* adduceris pro ſe Sylu.Sor. & Azor.putar non peccare Sacerdorem, qui ſine neceſſirate celebrat non habeus Miniſtrum ſcientem reſpondere, dummodò habeat,qui vrceolos miniſtret,& ſir mas; quòd ſi admittarur, poſſe tunc Sacerdos ſibi ipſi reſpondere,aut certè(quod eſſet melius) ita præire dicendo, vt miniſter ſequatur eadem verba repetendo.Suarez item *D.87.de* Euchar.*ſect.2.fin.* ait ſe non damnatur um peccati. mort. eum, qui in quocumque feſto celebraret ſine Miniſtro. Sic etiam Sà v. Miſſa *num.* 18. hæc haber, *poteſt quis, ſi deſit Miniſter, ipſe ſibi reſpondere in* Miſſa; quos duos Doctores adduċit Perſicus *ſupr.cap.10.num.16.& non.reyċit.*

QVÆRES XXIII. An Regulares in caſu neceſſitatis celebrare poſſint ſine ſtola, manipulo, aut cingulo, vel cum his non benedictis.

129. Reſpond. Diana *part. 2. tract. 14.reſol.57.*ex Suar. Coninch, Filliuc. & aliis poſſe; cum grauis neceſſitas ex vna parte, & ex alia leuitas mareriæ excuſet à culpa mort.quæ aliàs hac in re committeretur; non licere tamen celebrare abſque vlla omninò veſte ſacra, quamtumuis vrgeat rimor mortis: cum moraliter loquendo, vix fieri poſſit, vt quis alium velit cogere ad ſic celebrandum, niſi in contemptum Eccleſiæ; quo caſu vtique eſſet peccarum mort. ei parere; vt rectè aduertit Coninch. *ſupr. quæſt.83.num.*250.addens cum Nauat. *c.25. num.* 84. licirum eſſe vti ſtola pro cingulo, aut manipulo pro ſtola, cum eamdem habeant benedictionem.

130. Inſuper docet Laym. *tract. 5. cap. 6. num.* 17. ex Azorio etiam extra magnam neceſſitatem poſſe celebrari ſine Crucifixo, vel cum vnica mappa benedicta, vel eriam cum vno cereo, aut igne ardenre in oleo, vel ſeno (modò abſit ſcandalum;) non tamen ſine ara conſecrara, Calice, aut parena, aut corporali, aut Miſſali (excipe, niſi fortè Sacerdos eſſet memoria adeò conſtanti,vt moraliter certus ſit ſe non erraturum,& alioqui non ſubſit ſcandalum;) ſine his, inquam, non licèt celebrare, etſi grauis vrgeret cauſa, ſecluſo tamen metu mortis, qui non intenteтur in contemptum Eccleſiæ.

Concedit tamen Io. Præpoſitus *in 3. p. quæſt.* 83. *art. 3. d.* 4. ex Vaſquez eos, qui ob viſus debilitatem non puſſint legere, poſſunt tamen ſufficienter videre hoſtiam, & calicem, permittendos celebrare, ſi Miſſam memoriter teneant ſufficienter: additque, quod ſi corporale ſit paulo maius; poteſt plicari, eiuſque altera pars deſeruire poſſet loco ſecundæ mappæ, quæ ſufficit cooperire partem Altaris conſecratam, vt in ea fiat conſecratio; pallam item diſtinctam à corporali non eſſe ita neceſſariam, quin eius defectus ſuppleri poſſit, partem corporalis calici ſuperponendo.

Monet item Caſtrus Palaus *ſupr.*10.*num.*1. ex Sà, & Laym. quod, ſicut decet integram menſam Altaris coopeririri linteo mundo: ſic ex neceſſiate ſufficit eam ſolam partem Altaris, quæ vocatur ara, cooperiri duplici linteo, aut vno duplicato, quæ non oportet eſſe benedicta, imò in neceſſitate eſſe poſſunt prophana, & ea poſtmodum reddi Domino, vt iis vtatur liberè: ſuper hæc verò lintea apponi debet palla benedicta, quæ vulgo vocatur Corporale.

QVÆRES XXIV. An Regulares Sacerdotes mortaliter peccent, ſi inter induendum veſtes ſacras omittant recitare preces præſcriptas ad id in Miſſali.

131. Reſpond. non peccare mort. cum nullum extet ius id præcipiens ſub obligatione ita graui, & recitatio talium precum ſpectet ad decentiam, ac cõſilium, non autem ad neceſſitatem, & obligationem. ita Vegha *tom.2.Sum.cap.18.caſu* 8. addens 7. Sacerdotem non peccare, etiam ſi in Miſſa maiori non legat ſubmiſſa voce epiſtolam, aut euangelium,dum hæc à Subdiacono, & Diacono canuntur; ſi quidem in miſſali hoc non præcipitur, neque vllo alio iure tale onus imponitur; vt proinde Fagund. *n. 9.* concludat omittentem ſine cauſa preces ſolitas recitari in induendis ſacris veſtibus, eas, quæ dici ſolent poſt miſſam peccare ſolum venialiter, imò nec venialiter,ſi loco earũ alias pias preces recitet;quod eſt contra Azorium *ſup. quæſt.5.* Zerolam, & Nauarrum pro ſe citantem.

QVÆRES XXV. An, & qualiter peccent Regulares, ſi in celebranda Miſſa non ſeruent rubricas Miſſalis.

Reſpond. Peccare mortaliter, ſi vel delinquant in rebus ſubſtantialibus ſacrificij, vel nullam obſeruent rubricam: ſic enim faciunt contra præceptum Pij V. in bulla appoſita miſſali in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipientis obſeruantiam talium rubricarum; Secùs, ſi aliquot paucas rubricas violent, & quidem minoris momenti: cum ſic excuſet leuitas materiæ. ita Suar. *de Sacram, quæſt.83.art.5 ſect.2.* addens *ſect.* 3. teneri Sacerdotem non addere ex propria deuotione in miſſa alias preces,aut verba, quam quæ ab Eccleſia præſcripta ſunt: cum id diſtrictè prohibeatur in bulla ſupradicta Pij V. in Conc. Trid. *ſeſſ.22. cap.de obſeru. in celebrat. Miſſa.* & in hoc genere faciſimè peccari mortaliter, ſi materia ſit alicuius momenti quamquam ſi Sacerdos vt priuatus miniſter tempore miſſæ aliquam deuotionem priuatam ſecretè recitet ſine intentione addendi aliquid Officio, non peccet directè contra præfatum præceptum, aliàs tamen imprudenter agens, & malè, ſacrum miniſterium interrumpendo precibus priuatis ab eo penitus diſtinctis. 132.

QVÆRES XXVI. Per quos poſſint Regulares diſpenſari ſuper irregularitate contracta ex indebita celebratione.

Reſpond. poſſe diſpenſari, per proprium quidem Confeſſarium regularem, ſi eam ignoranter, ac inaduertenter contrahant: idque ex indulto viuæ vocis oraculo conceſſo ab Eugenio IV, quod refert Caſatub. *in Comp.v.abſolu.extraord. quoad Fratr. n.3.* per proprium verò Prælatum, ſi eam contrahant ſcienter, & aduertenter: idque ex priuilegio bullato conceſſo Fratribus Dominicanis à Pio V. vt eorum Priores erga ſuos ſubditos (in foro tamen conſcientiæ tantùm, & per ſe ipſos) omnem auctoritatem abſoluendi, & diſpenſandi habeant, quam habent Epiſcopi erga ſuos ſubditos; vnde, cum certum ſit Epiſcopos poſſe diſpenſare cum ſuis ſubditis ſuper iſta irregularitate occulta (vt conſtar ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. de reform. concedente Epiſcopis facultatem diſpenſandi ſuper omni irregularitate ex delicto occulto proueniente, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario:) & hoc idem præſtare poterunt Prælati regulares erga proprios ſubditos reſpectiuè & quidem etiam per alium ad id ſpecialiter deputatum, vt dicimus *tract.7.c.6. quæſt.15.num.*20.ita Portel. *de dub. Regul. v. Confeſſor erga Fratr. num.* 51. patétque ex dictis; ſi monuero vi poſterioris huius priuilegij poſſe à propriis Prælatis diſpenſari ſuper irregularitate contracta ex indebita celebratione, ſi ea ſit occulta: idque etiam in caſu, quo eam contrahant ignoranter, ac inaduertenter; cum enim vi talis priuilegij poſſint ſuper ea diſpenſare, quando contrahitur ſcienter, & 133.

aduerten-

aduertenter, à fortiori poterunt dispensare in casu, quo ignoranter, & inaduertenter contrahatur; si quidem cui licèt quod est plus, licet vtique quod est minus *regula 53. de reg. iur. in 6.*

Quæres XXVII. An Parochi possint impedire proprios parochianos, quo minus in diebus festis audiant missas Regularium in eorum templis, oratoriis, & capellis, etiam rusticis, quas scilicet habent tuti,

134. Respond. non posse. est communis DD. apud Fagund. *prec. 1. Eccl. l. 3. cap. 8.* & probatur ex vsu communi toto orbe inducto, sciro, & tolerato ab ipsis Parochis: qui si esset illicitus, absque dubio fuisset sublatus auctoritate Episcoporum; præter quam quod Conc. Trid. *sess. 22. supr. cit.* quo nituntur Aduersarij, dicit solum: *Moneat etiam Episcopus eundem populum, vt frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis, ac maioribus festis accedant: quod est non præcipere, sed solùm consulere, vt fideles supradictis diebus accedant ad suas parœcias*: alioqui Concilium non dixisset *Moneat*, sed *Præcipiat*.

Et quidem quod sæculares possint liberè audire Missam in capellis Regularium rusticis, videtur sufficienter colligi ex bulla Alex. VI. in ordine 14. relata à Rodriq. *in bullario*, quæ ita habet: *Ampliantes eisdem Abbatibus* (Ordinis S. Cistercienfis) *quod in ipsis grangijs, & locis, in quibus insunt capellæ, seu Ecclesiæ, aliquas Ecclesias, seu capellas, vel oratoria, seu altaria, in quibus, & ad quæ missæ, & alia diuina Officia celebrari possint sine alterius præiudicio construendi, & ædificandi, Diœcesani loci, & cuiusuis alterius licentia super hoc minimè requisita licentiam concedimus* &c. vbi Io. de la Cruz *lib. 2. de statu relig. cap. 5. d. 7.* notat Sixtus IV. declarasse per parochiæ præiudicium significari exactionem decimarum, & primitiarum, quæ solent dati Clericis, & non aliud; quod est bene aduertendum,

Quæres XXVIII. An casu, quo Episcopi in suis diœcesibus prohibeant suis subditis, ne vllum Sacerdotem extraneum admittant ad celebrandum in propria Ecclesia, aut Oratorio absque speciali licentia ipsorum Episcoporum aut Vicarij generalis illorum, nihilominus ij possint admittere Regulares ad celebrandum absque dicta licentia.

135. Respond. Rodriq. *tom. 1. quæst. 43. art. 17.* posse, modò Regulares exhibeant literas proprij Prælati attestantis ipsos esse Sacerdotes nullo affectos impedimento, quo minùs licitè valeant celebrare, aut aliunde morali certitudine id ipsum constet; vt si aliàs sint noti viro fide digno: probatur autem responsio ex eo quod in Conciliu Trid. *sess. 23. de reform. cap. 16.* dicitur *Nullus præterea Clericus peregrinus sine commendatitijs sui Ordinarij literis ab vllo Episcopo ad diuina celebranda, & Sacramenta administranda admittatur*; nullaque ibi fit mentio de Regularibus: quod est signum respectu Regularium quoad hoc non requiri nisi literas proprij Prælati regularis, vt pote qui respectu suorum Religiosorum se habet vt eorum Ordinarius.

Quæres XXIX. Quas Indulgentias lucrentur ij, qui audiunt missas Regularium,

Rodriq. to. 1. q. 95. art. 2. 136. Respond. lucrari qualibet vice indulgentiam 100. dierum quocumque tempore illas audiant: 3. verò annorum, & 2. dierum, si audiant primam Missam Sacerdotis regularis recens ordinati, ita Rodriq. *tom. 1. quæst. 95. art. 2.* monens hanc vltimam indulgentiam non acquiri ex eo quod quis osculetur manum Religiosi primam missam dicentis (vt putat vulgus) sed quia deuotè interest missæ: quod colligitur ex *Monumentis Ordinũ*, ab ipso Rodr. allegatis.

Quæres XXX. An Regulares possint in suis templis seruare Eucharistiam.

Respond. posse ex priuilegio bullato Pauli III. concesso Religiosis Soc. Iesu, vt videre est in Bullat. ipsius Soc. *pag. 41.* quod priuilegium cum sit fauorabile, potest extendi etiam ad casum, in quo præfati Religiosi sua ministeria spiritualia exerceant ad aliquod tempus in alieno Oratorio ipsis pro tunc ad vsum concesso (v. g. in Oratorio alicuius Confraternitatis) ita viri docti à me de hoc consulti; patetque tum ex praxi; tum quia eiusmodi Oratorium dici potest esse Societatis, sin minus quoad dominium, saltem quoad vsum, adeóque verificatur tenor concessionis indultum restringens ad Ecclesias Societatis: maximè cum ipsa concessio sit fauorabilis, ac proinde ampliari debeat iuxta regulam, *Fauores ampliari oportet*. 137.

Quinimò Bordonus *resol. 20. num. 29.* putat Regulares teneri asseruare in propriis ecclesiis ex *cap. presbyter 92. d. 2. de consecrat.* vbi cum Guatmiacense Concilium iubeat presbyteris, vt semper paratam habeant Eucharistiam pro infirmis, ne sine communione moriantur, & ibi sit sermo de bresbyteris simpliciter; tale præceptum afficit non solùm sæculares presbyteros, sed etiam Regulares, sicque ad hoc non egent priuilegio.

Vnum placet hîc obiter notare, quod in publica casuum collatione habita Ferrariæ coram Eminentissimo Cardinale Machiauello docui: videlicet formulas positas in tabernaculo Altaris clauso validè consecrari, si ostiolum tabernaculi sit è regione oris Sacerdotis celebrãtis itavt is faciem inclinans ostiolum versus (quo modo Sacerdos solet os inclinare in hostiam consecrandam) dicere possit *Hoc est enim corpus meum*; ad quod supponitur præsentia moralis materiæ consecrandæ. Ducor, quod, sicut Sacerdos in tali situ corporis constitutus non posset dicere de pixide continente formulas consecrandas *illa pixis est argentea*, sed deberet dicere *hæc pixis est argentea* (quod videtur omninò concedendum) ita & de formulis in præsenti casu consecrandis in circunstantiis propositis dicendum videtur Sacerdotem non posse veraciter dicere *illæ formulæ, sed hæ*, & consequenter eas esse moraliter præsentes; ita vt de iis dici possit *hoc est enim corpus meum*, adeóque validè consecrari. Nec parum fauet huic responsioni, Cardinalis de Lugo *de Euchar. D. 4. num. 123.* dicens esse valdè dubium an hostiæ positæ in sacrario clauso possint validè consecrari; quo modo non negat absolutè, sed cautè loquitur forte admissurus nostram responsionem, cum loquatur de hostiis in sacrario clauso repositis, abstrahendo à circunstantiis, in quibus hic casus proponitur: vnde puto forte nobiscum censurum, si casus ei proponeretur cum circumstantiis hic propositis. mecum certè sentit P. Zanetus vir doctissimus.

Addo obiter, quod dixi *tr. 5. c. 9 n. 20.* (omittentem vnam tantùm Missam debitam ex stipendio non peccare mortaliter) sustineri nouissime à Castro Palao *tract. 22. D. vn. part. 14. num. 2.* in casu, quo stipendium datum in materia furti non inducat culpam mortalem: idque ex Sanchez *l. 1. de matrim. D. 5. num. 25.* & Fagund. *1. prac. Eccl. l. 3. cap. 8. num. 11.* & ex eo quod grauitas damni in præsenti debet æstimari ex damno, cui subiacet qui ius habet ad missam: hoc autem damnum in genere damnorum spiritualium non est graue, cum leui stipendio possit redimi. Nec est simile de Missa debita ex voto, iuramento, aut Superioris præcepto; nam eo casu materiæ grauitas desumitur ex cultu, ac honore Deo

Deo per Missam exhibendo: qui vtique etiam respectu vnius tantùm Missæ importat grauitatem, adeoque eius omissio est grauis.

Addit Castrus Palaus *n.* 9. quod, si dentur stipendia, non vt accipiens celebret Missas, sed vt aliis Sacerdotibus celebrantibus det, seclusa consuetudine, aut expressa voluntate dantis aliquam partem stipendij nequis ea retinere: non enim dantur, vt retineas, sed vt des celebranti; cui proinde fit iniuria dando infimam stipem, cum danda esset copiosior, cognosces autem tibi dari stipendia vt mero distributori, si ipse nequis Missas celebrare, eò quod sis laicus, vel ex Instituto prohibearis celebrare (vt in Societ. Iesu) sed de hoc in *tract.6. cap.3. num.23.*

Svbsectio II.

De Concessione celebrandi, & audiendi Missam in Oratorio priuato.

138 *Refertur tenor Breuis Pontificij concedentis Oratorium priuatum.*

139 *Ostenditur quæ nobilitas in eo supponatur ad vsum concessionis.*

140 *Explicatur, quid ibi significetur per verbum* ornare.

141 *Locus deputandus in Oratorium debet esse liber à prophanis vsibus, etsi in eo, vrgente necessitate, dormiri possit sicut & in Ecclesia, & supra eam.*

142 *De valore huius concessionis est visitatio, & approbatio proprij Ordinarij.*

143 *Et hæc durat Ordinario etiam mortuo, aut amoto, donec reuocetur.*

144 *In Oratorio priuato vnica Missa pro quolibet die dici potest.*

145 *Non conceditur Oratorium priuatum domui similem concessionem adhuc habenti.*

146 *Sacerdotes, vt ibi celebrent, debent esse generaliter approbati ad celebrandum a suo superiore respectiuè.*

147 *At celebratio facienda sine præiudicio iurium parochialium, quod non facit, quin Regulares ministrent Eucharistiam in Oratorio priuato: etsi oppositum consulatur: ij etiam, nisi prohibeantur ab Episcopo, celebrãt in domibus priuatis sæcularium.*

148. *In Oratorio priuato non celebratur in certis festis anni, quæ recensentur.*

149 *Familia habentis Oratorium priuatum ibi Missam audit, etiam eo absente: nomine verò familiæ veniunt filij, fratres, illorum vxores, & famuli habitantes sub eodem tecto, imò & alij, qui proponuntur: item venit Capellanus: non item filij separati, & filia nupta.*

150 *Ibi Missam audiunt hospites nobiles, eorum filij ipsos comitantes, & famuli: idque etsi dicti hospites degant in eodem loco; imo etsi inuitentur, vt missam audiant.*

151 *Ibi item validè, ac licitè audiunt Missam familiares non necessarij iuxta aliquos; etsi verba Breuis videantur oppositum decernere: satisfacit, qui simul Missam audit, & confitetur.*

152 *Concessio hæc suffragatur vbique de licentia Ordinarij illius loci, vbi debet suffragari.*

153 *Durat, vsque dum reuocetur: licet alioqui dici possit personalis: & maximè in casu, quo ea expresse, ac specialiter alicui communicetur.*

154 *Illam habens non tenetur die festo ibi Missam audire, si aliàs excusetur.*

155 *Celebrans in Oratorio priuato semel in die vetito peccat mortaliter.*

156 *Iuxta aliquos ibi possunt Missam audire etiam non contenti sub indulto.*

157 *Et, si audiant, excusantur ab audienda alia Missa; etsi alij id negent ex tenore Breuis pontificij.*

158 *Item iuxta aliquos excusantur, qui sunt in causa, vt non contenti sub indulto Missam audiant in Oratorio priuato.*

159 *Iura Episcopis concedunt, vt possint vbique celebrare, & audire Missam in domo priuata diuino cultui non dicata: & quidem etiam in aliena diœcesi, & in domo, in qua interdum breui hospitantur, ac extra casum itinerationis, aut infirmitatis.*

160 *In suis palatijs plura erigunt Oratoria priuata, etiam ad vsum suæ familiæ.*

161 *Et hæc, alijs deseruiunt: imò eo celebrante in vno ex illis, alij in alio, eodem tempore Missam audiũt.*

162 *Audiens ibi Missam omninò satisfacit.*

163 *Episcopo absente, aut etiam mortuo, durat facultas Oratorij.*

Qværes I. Quibus verbis fieri soleat concessio celebrandi in Oratorio priuato. 138.

Respond. Solere fieri his verbis; nimirum: *Tibi, qui, vt asseris, de nobili genere procreatus existis, vt in priuato domus tuæ N. Oratorio ad hoc decenter muro extructo, & ornato, seu extruendo, ac ornando ab omnibus domesticis vsibus libero, per Ordinarium loci prius visitando, & approbando, ac de ipsius Ordinarij licentia eius arbitrio duratura vnam Missam vnoquoque die; dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab Ordinario approbatum sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quocumque iurium parochialium præiudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Natiuitatis, D N. ac alijs solemnioribus anni festis diebus exceptis, in tua, ac familiæ tuæ, nec non hospitum tuorum nobilium præsentia celebrari facere liberè, & licitè possis & valeas Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, ac indulgemus: non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscumque Volumus autem, vt familiares seruitijs tuis non necessarij præter supradictos ibidem missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minimè liberi censeantur.*

Qværes II. Quæ nobilitas supponatur in iis verbis *qui, vt asseris, de nobili genere procreatus existis.* 139.

Respond. supponi, vt is, qui petit gratiam, descendat ab iis, qui communiter censerentur nobiles, adeóque per aliquot generationes artem mechanicam non exercuerint: sicque non sufficit illum à Principe assumptum fuisse in nobilem, ita vt ab ipso incipiat nobilitas; cum sic de eo non verificetur, quod de nobili genere procreatus existat, (vt supponitur in Breui) & plus sonet esse natum nobilem, quam dicere esse nobilem, vt notat Sanch. *lib.* 8. *de matr. D.*19. *num.* 6. ex Cuco *lib.* 5. *institut. maiorum tit.* 13. *num.* 15. monens, dum in dispensatione pontificia narratur aliquos esse nobiles, sufficere nobilitatem ex parte patris, eamque esse necessariam: quod puto procedere etiam in præsenti casu.

At dubitari potest, an nobilitatis qualitas in casu isto sic requiratur, vt, ea non verificata, sit inualida Papæ concessio.

Respond. videri inualidam; eo quod dicta qualitas censeatur de substantia concessionis: quippe quæ solet fieri solum personis nobilibus; & aliàs non decet, quod fiat frequenter quibuscumque personis: idque ob plures rationes, quæ consideranti facilè occurrent.

QVÆRES III. Quid ſignificetur per verba, *ornato*, vel *ornando* appoſita in relato Breui.

140. Reſpond. ſignificati, quod locus deputandus in Oratorium ſiue, quoad formam ſtructuræ, ſiue quoad ornamenta in eo poſita (cuiuſmodi ſunt piæ aliquæ imagines, aut aliud ſimile) ſit talis, vt diſcernatur à cæteris locis domus prophanis vſibus deſtinatis.

QVÆRAS IV. An per verba illa *ab omnibus domeſticis vſibus liber* poſita in Breui tollatur, quo minùs in aliquo euentu locus deputatus in Oratorium deſeruire poſſit ad dormiendum.

141. Reſpond. Non tolli, ſi occurrat neceſſitas: nam neceſſitatis cauſa multa permittuntur, quæ aliàs non permitterentur *cap. ſi quis propter, ff. de furtis:* quamuis ob reuerentiam loci ab hoc quam maximè debeat abſtineri; ſiquidem ex neceſſitate conceſſa non debent in argumentum trahi *regul. 78. de regul. iur. in 6.* Confirmatur reſponſio ex eo, quod Sanchez *lib. 9. de matrimon. D. 15 num. 12.* plurimis aliis citatis, concedit nullam eſſe culpam petere, aut reddere debitum in loco ſacro, ſi adſit neceſſitas; cum iſta auferat omnem irreuerentiam, ſicque totam deformitatem, & culpam euacuet (intellige, ſi occurrat neceſſitas, qualis ſupponitur à Sanchez *ibi*) ſi enim hoc Doctores concedunt de loco Sacro; à fortiori concedent de loco deputato in Oratorium priuatum, qui non eſt ſacer, imò nec benedictus; & quidem etiam in caſu minoris neceſſitatis: maximè, ſi ibi nulla copula exerceri debeat, ſiue coniugalis, ſiue fornicaria.

Addo obiter de rigore iuris non eſſe illicitum dormire in cubiculo conſtructo ſupra fornicem Eccleſiæ (præſertim ſi ibi non ſit ſecuturus actus coniugalis:) nullum enim ius extat in contrarium, & alioqui dormiens in tali cubiculo non dormit in Eccleſia, ſed extra; vt notat Sanchez *ſupra num. 26.* ex Gloſſa *cap. vnic. de conſecrat. Eccleſ. in 6.* aliiſque pluribus Doctoribus. Prætérquàm quod mihi conſtat Religioſos aliàs valdè timoratos de facto dormire, & habitare in locis conſtitutis ſupra propriam Eccleſiam; quod non facerent, ſi crederent hoc eſſe illicitum: quamquàm re vera oppoſitum magis deceat ob reuerentiam loco Sacro debitam.

QVÆRAS V. An verba illa Breuis *per Ordinarium loci prius viſitando, & approbando, ac de ipſius Ordinarij licentia* id operentur, vt Ordinarij viſitatio, approbatio, ac licentia ſint de valore huius conceſſionis.

142. Reſpond. id operari; cum hæc omnia præſcribantur à concedente, & conceſſio non poſſit excedere intentionem concedentis ſufficienter expreſſam iuxta illud, *Actus agentium non debent vltra intentionem eorum operari, l. non omnis, ff. ſi certum petatur.* Quamuis Diana *part. 5. tract. 10. reſolut. 77.* ex Ludouico de la Cruz *in bullam Cruc. D. 1. cap. 5. diſtinct. 1. num. 4. & 5.* dicat quod, ſi contingat locum deputandum in Oratorium eſſe decentem, ac idoneum arbitrio boni viri; & Ordinarius nolit eum approbare, nec dare facultatem ad celebrandum in eo; poteſt cogi ad concedendum talem facultatem; quippequi non poteſt priuare ſubditum facultate ipſi conceſſa à Papa. Imò addit Diana ex eodem Ludouico probabile ſatis videri eum, cui conceſſa eſt talis facultas, poſſe tunc licitè vti conceſſione, celebrando per ſe, vel per alium in loco per ipſum deſtinato in Oratorium, ſine licentia Ordinarij: nam ſuppoſita decentia, ac idoneitate loci prudentis viri iudicio, licentia iuſta petita, & iniuſtè ab Ordinario denegata præſumitur conceſſa ipſo iure à Papa: idque ad vitandas lites. ſic Diana, & Ludouicus de la Cruz; quam probabiliter, videtiur ipſi: certè, cum vſus talis conceſſionis facilè deduci poſſit ad forum externum, non video, quo modo vtens conceſſione euitet lites, quin potiùs vitans Syllam incidit in charybdim.

Quod verò ait Diana ad celebrandum in Oratorio priuato ex facultate Bullæ Cruciatæ non requiri licentiam proprij Ordinarij, ſed ſufficere poſſe licentiam cuiuſcumque Ordinarij; non ſubſiſtit reſpectu conceſſionis factæ vigore Breuis, quod hîc explicamus: cum in eo dicatur, *ac de ipſius Ordinarij Licentia*; & hæc verba referantur ad illa alia verba Breuis præcedentia per *Ordinarium loci prius viſitando*, &c. vnde fit in iſto caſu requiri licentiam proprij Ordinarij, qui communiter appellatur Ordinarius loci; nam recurrendum non eſt ad præſumptionem, cum veritas aliter ſciri poteſt, *l. nummus, ff. de leg. 3. & l. antiqui, ff. ſi pars hered. petatur.*

QVÆREA VI. An duret conceſſio Oratorij priuati, etiam mortuo, aut amoto Ordinario ipſum approbante.

Reſpond. durare: & probatur, quia gratia conceſſa ad beneplacitum dignitatis perpetuæ eſt perpetua, & durat, donec reuocetur à concedente, eiuſve ſucceſſore; cum voluntas concedentis perſeueret in Succeſſore, & eadem reputetur cum voluntate illius *cap. ſi gratioſè de reſcript. in 6.* talis autem gratia eſt approbatio, ac licentia Ordinarij, de qua hîc agitur; vt conſtat ex illis verbis Breuis, *ac de ipſius Ordinarij licentia eius arbitrio duratura:* vbi certum eſt nomine arbitrij idem ſignificari, ac beneplacitum: 143.

QVÆRES VII. An limitatio illa poſita in Breui, *vnam Miſſam vnoquoque die*, efficiat, quod ſine graui culpa in Oratorio priuato celebrari non poſſit pluſquam vna Miſſa eodem die.

Reſpond. Efficere: cum prohibitio celebrandi Miſſam in loco non idoneo ex obiecto ſit grauis, etiam reſpectu vnius tantùm Miſſæ, & celebrare in Oratorio cum dicta limitatione approbato poſt celebratam primam Miſſam eodem die ſit celebrare in loco non idoneo; cum locus deputatus in Oratorium reſpectu Miſſarum, quæ in eo celebrantur eodem die poſt primam Miſſam, perinde ſe habeat, ac ſi non eſſet legitimè approbatus; ſiquidem cauſa limitata non producit; niſi effectum limitatum, 144.

QVÆRES VIII. An, attentis verbis illis Breuis *dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit*, valida foret conceſſio celebrandi in Oratorio priuato domus, in qua duæ familiæ diſtinctæ habitarent, ſi harum altera iam obtinuiſſet indultum ibi celebrandi, & aliud ſimile indultum poſteà obtineret à Papa.

Reſpond. eiuſmodi conceſſionem fore inualidam; 145. vt clarè conſtat ex illis verbis *alteri conceſſa non fuerit*; quæ omninò verificantur in caſo noſtro; cum ſupponamus alteri ex duabus familiis iam fuiſſe conceſſum indultum celebrandi in ea domo; idque puto procedere, etſi quælibet ex dictis familiis diſtinctum haberet Oratorium; cum adhuc verificetur in ea domo alteri conceſſam fuiſſe licentiam celebrandi adhuc durantem, ſicque procedat limitatio appoſita in Breui, vt patet.

QVÆRES IX. Quæ approbatio requiratur in Breui per illa verba, *per quemcumque Sacerdotem*

ab

ab Ordinario approbatum sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, adhoc vt Sacerdos licitè possit celebrare in Oratorio priuato.

146. Respond. requiri, & sufficere approbationem generalem celebrandi Missam, non autem requiri specialem approbationem ad celebrandum in Oratorio priuato; & hoc procedere de Sacerdote tam sæculari, quam regulari. Moueor tum quia, vbi agitur de obligatione, stricta fieri debet interpretatio; ac proinde, cùm hîc requiratur approbatio Ordinarij ad celebrandum in Oratorio, & verba relata Breuis commodè possint explicari de approbatione generali, ea non debent ampliari ad approbationem specialem: tum quia lex obligatoria debet semper interpretari in mitiorem partem; ergo & obligatio approbationis petita in Breui, hoc eodem modo interpretanda est; quod vtique fit, si dicamus Breue loqui de approbatione generali, sicut nos dicimus.

QVÆRES X. Quid intelligatur per illa verba Breuis, *sine tamen quocumque iurium parochialium præiudicio.*

147. Respond. intelligi, quod in Oratorio priuato non exerceatur vllum munus Parochiale, quod aliàs ibi posset exerceri: cuiusmodi sunt ministrare Sacramenta, facere solitam Eleemosynam, dare pacem, denunciare festa, ieiunia ac matrimonia, & similia; quæ per se spectant ad Parochos, ideóque ab aliis extra parochiales Ecclesias obiri nequeunt sine ipsorum Parochorum præiudicio. Cùm quo tamen stat, vt Sacerdos tam sæcularis, quam regularis celebrare possit in Oratoriis priuatis sæcularium sine licentia Parochi: vt notat Cespedes *in tractat. de exempt. Regul. cap. 6. d.* 103. *num.* 1.

Addo, quod si Sacerdos Regularis in Oratorio priuato celebret, ibi potest licitè Eucharistiam ministrare iuxta Porcellum *part. 3. respons. moral. casu* 39. Dianam *part. 4. tract. 4. resolut.* 14. & Cespedem *supr. num.* 2. pro se citantem Moronum *in suis responsis, respons.* 99. quamquam ipsemet Diana, & cum eo Lezana *ver. Eucharistia, num.* 11. consulant, ne Regulares id faciant sine consensu Episcopi: maximè cum vi Concilij Trident. possint Episcopi prohibere Regularibus, ne celebrent in Oratoriis priuatis ab ipsis non approbatis (vt constat ex *session. 22. in decretis de obseruand. in celebrat. Miss.*) sicque consequenter, teste Nouario *in Lucerna Regul. ver. Eucharistia, num. 9. &* 10. videantur posse iisdem prohibere, ne in dictis Oratoriis Eucharistiam administrent: præterquam quod priuilegium Pauli IV. concessum Minoribus, & relatum à Rodriquez *in bullario Constit. 3. Pauli IV.* & alia indulta ab eodem Rodriquez adducta *tom. 1. quæst. 56. art.* 3. quibus nituntur Porcellus, & aliqui alij, non sunt ita clara. Certè Religiosi Societatis iis vti non possunt; cùm illorum vsus iis specialiter vetetur *in Comp. priuil. ver. Eucharistia, post* §. 2. *&* 4. his verbis: *Numquam tamen in alienis Ecclesijs sine licentia eorum, ad quos pertinet* (subintellige Eucharistiam administrabunt.)

Notat porrò Ioan. de la Cruz *l. 2. de statu relig. cap. 5. d. 7. conclus.* 4. quod, cum Concilium supra dicat. *Non patiantur Episcopi*, quod *Sacerdotes, etiam Regulares in domibus priuatis, & omnino extra Ecclesiam, vel Oratoria*, &c. *celebrent*; hinc fit Religiosos, quamdiu Episcopi non prohibent, posse ibi celebrare vigore suorum priuilegiorum; secus, si Episcopi prohibeant: tunc enim non possunt; cum Concilium ibi expressè reuocet contraria priuilegia, etiam Regularium, & consequenter concedentia facultatem celebrandi in domibus priuatis sæcularium, de quibus hîc loquitur Ioan. de la Crux.

QVÆRES XI. Qui sit sensus verborum illorum, quæ sunt in Breui, *ac Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Natiuitatis, D. N. ac alijs solemnioribus anni festis diebus exceptis.*

Respond. sensum esse hunc, vt exceptio ista comprehendat solùm primum diem Paschatis, Pentecostes; & Natiuitatis Domini; non item alios duos dies immediatè subsequentes dictarum solemnitatum; non enim hi duo dies dicuntur de festo præcedenti, sed de Officio infra octauam; & in Natali fit Officium de S. Stephano, & S. Ioanne. Ita in terminis Nald. *ver. interdictum, num.* 8 & probatur tum ex dictis: tum quia interdictum generale suspenditur in solemnitate Natiuitatis Domini, Paschæ, ac Pentecostes solùm, quoad primum diem, non autem quoad alios duos dies præfatas solemnitates respectiuè subsequentes; vt ex communi Doctorum sensu testatur Vgolinus *de censur. tabul.* 1. *cap.* 8. §. 9. ergo & idem dicendum est in præsenti casu, & quidem à fortiori, cum agatur de beneficio Principis, quod non debet restringi, sed latissimè interpretari. 148.

Addo per illa alia verba, *ac alijs solemnioribus anni festis diebus*, intelligi quædam alia festa, quæ communi fidelium sensu habentur in maiori veneratione: cuiusmodi sunt festum Ascensionis Domini, & Assumptionis B. V. Mariæ, festum Annunciationis, & festum omnium Sanctorum.

QVÆRES XII. An vi verborum illorum, quæ in Breui continentur, *in tua, ac familiæ tuæ*, &c. *præsentia celebrari facere*, ad vsum huius concessionis sit necesse, vt intersit Missæ is, qui obtinuit indultum; itavt, ipso absente, indultum non suffragetur cæteris, qui sunt de eius familia.

Respond. videri probabile, quod, cum vigore Breuis celebrari possit Missa in præsentia illius, qui illud obtinuit, ac familiæ illius; & non obstante particula copulatiua, *ac*, possit Missa celebrari in sola præsentia Domini; sic videtur posse celebrari in sola præsentia familiæ, absente Domino. Ita Ludouicus de la Cruz *in bullam Cruciatæ D. 1. cap. 5. distinct. 3. num.* 5. & cum eo Diana *part. 5. tract.* 10. *resolut.* 77. in simili contra Henriquez, Rodriquez, & Trullenchum citatos à Diana: & probatur tum ex modò dictis: tum quia beneficium Principis latissimè interpretandum est, *l. fin. ff. de constitut. princip. & l. si quando, C. de inoffic. testam.* concessio autem, de qua hîc, est beneficium Principis, nulli præiudiciale, & aliàs cedens in bonum animæ, ideóque debet interpretari latè, vt nos interpretamur: tum quia vbi militat eadem ratio, militat eadem iuris dispositio in materia fauorabili; sicut ergo indultum celebrandi in Oratorio priuato concessum per Bullam Cruciatæ à Lodouico de la Cruz, aliisque iunioribus extenditur, vt priori etiam, absente Domino: sic & debet extendi similis concessio, de qua hîc agimus: cum sit par ratio de vtraque concessione; certè hanc assertionem approbarunt viri doctissimi à me consulti. 149.

Cæterùm nomine *familiæ* hîc puto venire maritum ac vxorem; filios, ac filias; nurum habitantem in eadem domo, & commensalem; item omnes seruos, & seruas commensales inseruientes familiæ; vt expressè ex aliis Doctoribus aduertit Diana *part. 4. tract. 4. resolut.* 208. quem puto idem concessurum esse de Hortulano manente sub

eodem tecto, & commensali colente hortum domus, in qua est Oratorium; imò & de Factore eiusdem domus non manente sub eodem tecto, at viuente ex salario Domini habentis indultum Oratorij; idque ob doctrinam Suarez *tom. 4. de relig. tractat. 10. lib. 9. cap. 4. num. 15.* notantis nomine familiaritatis petitæ ad vsum ptiuilegiorum competentium familiaribus Regularium venire etiam familiaritatem œconomicam, quæ non requirit commensalitatem, nec habitationem sub eodem tecto; quæ doctrina omninò videtur procedere etiam in præsenti casu.

Adde tu Capellanum Domini habentis indultum Oratorij priuati, admissa doctrina hic in responsione principali data posse in absentia ipsius Domini, & reliquorum de familia celebrate ibi in commodum sui ipsius tantùm. Moueor, quod ipse est de familia præfati Domini, adeóque sicut reliqui de eius familia possunt eligere Sacerdotem, qui in gratiam ipsorum celebret in priuato Oratorio proprij Domini, sic & ille posset ad eumdem effectum eligere aliquem Sacerdotem (ne alioqui censeatur deterioris conditionis ex eo, quod est Sacerdos) quod si posset eligere alium Sacerdotem, vtique poterit se ipsum eligere, & consequenter celebrare in priuato Oratorio sui Domini in commodum sui ipsius tantùm.

Accedit, quod licèt frater habentis indultum Oratorij, & vxor præfati fratris cum sua familia habentes propriam mensam, proprios redditus, & proprios famulos, verè, & propriè non possint dici de familia habentis indultum Oratorij, etsi habitent in eius domo; cum puriùs re vera sint duæ familiæ: nihilominus in materia fauorabili, (cuiusmodi est vsus dicti indulti) nomen familiæ videtur posse improptiari, ita vt extendatur ad præfatum fratrem, eius vxorem, ac famulos; præsertim cum vsus ille nemini sit præiudicialis, & fauorabilia debeant ampliari *l. cum quidam, ff. de lib. & posthum.* Quod non puto procedere de filiabus nuptis, ac filiis separatis à conuictu parentum habentium indultum Oratorij priuati:quippe qui non reputantur de eorum familia, (cum constituant propriam familiam distinctam) sicque excluduntur ab vsu indulti: quod non videtur procedere, si dictæ filiæ, ac filij sub eodem tecto cohabitent, cum parentibus: idque ob rationem modò adductam, quæ item militat in hoc casu.

QVÆRES XIII. Qualiter indultum Oratorij suffragetur hospitibus nobilibus illius, qui habet indultum, de quibus in Breui dicitur, *necnon hospitum tuorum nobilium præsentia.*

150. Respond. ita suffragari, vt non solùm ipsi hospites Missam audire possint in Oratorio priuato, sed etiam eorum filij illos associantes, vtpote concomitanter venientes nomine hospitum (præsertim in materia adeò fauorabili) imo, & ipsorum famuli ob regulam connexorum; & ob doctrinam ex Diana traditam *q. præcedenti, §. cæterum*, quæ vtique hìc procedit.

Quin etiam censeo præfato indulto posse frui illos, qui habitantes in loco, in quo adest Oratorium priuatum, à Domino illius fortè inuitarentur ad prandium, eamque occasione ibi vellent Missam audire: ij quippe verè sunt hospites habentis indultum Oratorij, adeóque censeri debent comprehensi sub Breui; maximè in materia animæ fauorabili, quæ debet ampliari. Et hoc puto procedere, quamuis illi consultò inuitarentur ad prandium ad effectum, vt possent in dicto Oratorio audire Missam: cum in tali casu tam inuitans, quam inuitati iure suo vtantur; & alioqui vtens iure suo fraudem committere non dicatur *regul. 55. ff. de regul. iur.* & dolo malo non videatur habere, qui iure suo vtitur *l. 3. ff. de libero homin. exhib.* quo modo aliqui sustinent posse Cremonenses ire Mediolanum, vt ibi Paschalibus cibis vesci possint vltimis 4. diebus Bacchanalium.

QVÆRES XIV. Quid operentur verba illa in fine Breuis posita. *Volumus autem, vt familiares seruitys tuis non necessarij præter sup. dictos ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minimè liberi censeantur.*

Respond. id solùm operari, quod non impleant præceptum Ecclesiæ de audienda Missa iuxta formam antiquam audiendi Missam in propria Parochia diebus festis: quæ circumstantia audiendi Missam in propria parochia, cum sit hodie contratio vsu abrogata, inferendum necessariò videtur implicate contradictionem, quod audiens Missam in Oratorio priuato, modò non satisfaciat præcepto Ecclesiæ, prout hodie extat. Et in hoc non videtur dissentire Bonac. *D. 4. de Sacram. quæst. vltim. part. 12. num. 4.* cum dicat ex Toleto, Azorio, Rodriq. Nau. Suar. Nugno, Coninchо, Graffio, & aliis præceptum audiendæ Missæ impleri quocumque in loco ea audiatur, siue in propria Parochia, siue in Ecclesia Religiosorum, siue in Oratoriis priuatis, siue extra Ecclesiam: nam Ecclesia præcipit Missæ auditionem, & non præscribit locum; sicque præceptum impleri in quocumque loco Missa audiatur. Quamquam dici posset hos Doctores loqui (quod spectat ad audientes Missam in Oratoriis priuatis) de habentibus indultum, audiendi Missam ibi. Quam doctrinam doctissimi Recentiores aliqui, & maximè P. Zanetus censent esse probabilem (nisi obstet stylus Curiæ) cum quibus satis apertè videtur sentire Castrus Palaus *tract. 22. D. vnic. p. 16. num. 13.* dicens, quod, si iure communi non cogeris Missam audire in certo loco, sed potes vbique eam audire: si de facto in priuato Oratorio Missam audias, imples præceptum Ecclesiæ; cum rem præceptam exequaris, quantumuis nolit Episcopus te missam audiendo in Oratorio priuato satisfacere (loquitur enim iste Doctor in specie de concessione Oratorij facta ab Episcopo, cum limitatione, de qua hìc agitur) non enim ipse potest impedire præcepti satisfactionem, si eius executionem non impedit. Nec obstat, quod communicans tempore Paschali in aliena Parochia non satisfacit præcepto; cum communio fieri debeat in propria Parochia ex statuto Ecclesiæ, & aliàs Ecclesia tale quid non præcipiat, quoad missæ auditionem, vt iam dictum est. Quare Castrus Palaus concludit priuilegium sub dicta limitatione concessum sic esse explicandum, vt non audientes, sed celebrantes astringat: ita vt nemini detur facultas ibi celebrandi, nisi aliquis ex familiaribus ibi velit audire.

151. Quod si in Breui expressè declaratur in hoc casu non impleri præceptum Ecclesiæ: id fit, quia Curia Romana ob aliquot bonos respectus vult retinere modum loquendi iuxta Sacros Canones, ac ritum antiquum (qui fortè alicubi non est abrogatus) non autem iuxta consuetudinem communiter receptam, quæ abstulit obligationem audiendi missam de præcepto in propria Parochia; sicque non intendit destruere probabilitatem opinionis, quam in præsenti materia sustinent doctissimi viri

cum

cum Castro Palao: siquidem loquendum vt multi, sentiendum vt pauci.

Vnum hîc obiter addo, quod dixi *tract. 5. cap. 4. num.* 50. confitentem sua peccata posse simul audire missam de præcepto, sustineri etiam à Castro Palao *supr. num.* 4. tanquam probabilius ex Reginald. Molfes. imò & ex Suarez, ac Azorio, quippe qui dicunt ob peccata fatenda regulariter non debere omitti missam de præcepto, non tamen ideò negant, quod nos asserimus: additque cæcum simul, & surdum non videri posse habere præsentiam moralem ad missam: quod est dicere eum à missa excusari.

Addo ego per verba illa, *vt familiares seruitij, tuis non necessarij*, intelligi eos, qui ex gratia ascribuntur in familiam quorumdam Magnatum honoris causa & absque onere seruiendi.

QVÆRES XV. An concessio Oratorij priuati suffragetur vbique & non solùm in loco expresso in breui.

152. Respond. Diana *part. 4. tract. 4. resolut.* 208. ex Nouario, & Megala probabilissimum sibi videri, quod suffragetur: & probat, tum quia priuilegium hoc non est locale, sed personale, adeóque comitatur personam: tum quia verba illa solita apponi in breui (*quod Missa celebretur in domo ciuitatis Ferrariensis*, verbi gratia) non apponuntur dispositiuè, sed demonstratiuè; & verba, quæ apponuntur solùm causa demonstrationis, nihil operantur (cum demonstrent habitationem) vt notat Cruciata *consil. 86. num.* 11. & in dubio accipi debent demonstratiuè; non taxatiuè, vt declarauit Sacra Rota in vna Squillacensi die 4. Martij 1616. Ita Diana monens licentiam Ordinarij requiri, ad hoc vt concessio Oratorij prosit, & quidem Ordinarij loci, ad quem transfertur concessio.

QVÆRES XVI. Quamdiu duret concessio Oratorij priuati.

153. Respond. durare, durante vita illius, cui facta est, adeóque, eo mortuo, finiri. Ita in terminis Diana *supr.* & probat, quia concessio ista est personalis: priuilegium autem personale finitur morte personæ priuilegiatæ, *cap. priuilegium, de regul. iur. in 6. l. vnic. § ne autem, Cod. de caducis, tollend. l. cum quis, § 1. final.*

Verùm, si concessio fiat iis verbis, *ac de ipsius Ordinarij licentia eius arbitrio duratura*, quæ apponuntur in breui à nobis hîc explicato; mihi non placet hæc doctrina Dianæ: imò puto dictam concessionem durare, vsque dum legitimè reuocetur, vtpotè pendentem ab arbitrio Ordinarij loci, quod durat vsque dum reuocetur, vt diximus *quæst. 6.* Nec obstat, quod concessio ista est personalis iuxta dicta *q. 15.* adeóque debet cessare per mortem eius, cui facta est (vt ostendunt iura allata *quæst. præcedenti.*) nam quod dicunt Doctores priuilegium personale finiri morte priuilegiatij, benè limitatur à Castro Palao *tract. 3. D. 4. p. 2. § 1. num. 4.* nisi in priuilegij concessione addantur verba, quæ perpetuitatem, ac transmissionem priuilegij ad posteros denotēt; tunc enim priuilegium non debet reputari concessum soli priuilegiario, sed etiam aliis: vt si dicatur, *Concedo tibi in perpetuum hanc facultatem*: tunc quippe priuilegium transit ad alios (v.g. ad familiam) aliàs particula *in perpetuum*, esset frustranea: quod in legibus, ac priuilegiis vitandum esse deciditur in *cap. si Papa de priuileg. in 6. & l. 3. ff. de iureiur.* & quidem ita, vt quælibet syllaba effectum aliquem debeat sortiri. Quæ limitatio videtur procedere in casu nostro, stante quod concessio Oratorij sit ad arbitrium Ordinarij, quod potest durare post mortem illius, cui fit concessio, eóque durante, durat concessio, ac proinde censeri debet transmitti ad alios: quod si ea fit tibi tantùm sub expresso nomine, vt constat ex verbis breuis, *Tibi, qui, vt asseris*, &c. fit aliis (v.g. familiæ) sub nomine implicito, ac virtuali: aliàs verba illa breuis, *ac de ipsius Ordinarij licentia eius arbitrio datura*, nihil operarentur. Vt proinde concessio Oratorij priuati dici possit priuilegium personale quidem, sed transmissibile in alios, adeóque participare etiam de reali, in quantum non finitur morte priuilegiarij. Puto autem ius talis concessionis transire ad hæredes, sicut & alia quælibet iura testatoria. Quamuis aliqui putent clausulam illam *arbitrio eius duratura*, posse sic explicari: vt hæc concessio duret solùm ad vitam primæ personæ priuilegiatæ, adeóque eius morte extinctum manere priuilegium absque alio Ordinarij arbitrio. At in hoc standum est communi praxi.

Quod si quæras, an casu, quo filiæ matris habentis indultum faciendi celebrare in Oratorio priuato concedatur, vt etiam absente matre, ea possit cum sua familia ibi audire Missam; & quidem sub his verbis: *Tibi, vt quando dicta N. à domo prædicta absit* (in qua scilicet existit Oratorium matri concessum) *durante absentia huiusmodi Missam in dicto Oratorio in tua, ac familia tua præsentia celebrari facere liberè, & licitè possis*; si mater iam sit mortua, adeóque supponatur cessare concessio Oratorij iuxta Dianam, hæc item cesset respectu filiæ, itavt non possit ampliùs ibi audire Missam.

Respond. videri non cessare: & probatur, tum quia concessio facta filiæ est absoluta ac independens à concessione Matris; vt colligitur ex tenore concessionis paulò antè relatæ; sicque non apparet, cur per mortem Matris cessare debeat filiæ concessio: tum quia quod dicit Suarez *de leg. cap. 15. num 5* ex Baldo, Panormit. Mandos. & Nauarro abrogato, vel quomodolibet amisso, vel destructo exemplari non censeri reuocatum priuilegium adinstar; cum priuilegium adinstar re ipsa sit distinctum a suo exemplari, nec ab eo pendeat in conseruari proportionaliter procedit in casu nostro, in quo concessio filiæ supponitur independens à concessione Matris, ideóque hac non eget in suo conseruari. Quamquam iuxta dicta *§. præcedenti*, concessio filiæ aliunde dici possit durare; quatenus durat adhuc concessio Matris, si facta sit verbis illis: *Ac de ipsius Ordinarij licentia eius arbitrio datura*, & licentia ipsa verè non sit reuocata: quomodo etiam post mortem Matris poterit celebrari Missa in loco vi concessionis ab ea obtentæ deputato in Oratorium.

Ex eo autem quod præfata concessio filiæ est independens à concessione Matris, sequitur, quod, sicut iuxta dicta *quæst. 15.* mater ea potuit vti vbique sic & filia vbique possit vti sua; cum de vtraque sit eadem ratio, vt patet.

QVÆRES XVII. An habens titulum Oratorij priuati teneatur ibi die festo audire Missam, si alibi eam audire nequeat; eò quod per Iudicis potestatem tunc detineatur domi verbi gratia.

Respond. Diana *part. 4. tract. 4. resolut.* 80. ex Suarez Ledesma, Trullencho, & aliis non teneri, & 154.
consequenter non adstringi quærere Sacerdotem, & dare stipendium, vt ipsi celebrent Missam; imò nec eam teneri audire, etsi inueniat Sacerdotem, qui gratis celebret: quamuis alij citati ab ipso Diana oppositum sustineant. Probatur

autem responsio tum quia nemo tenetur sumere Bullam Cruciatæ, vt tempore Interdicti Missam audire possit: tum quia multi, & graues Doctores sentiunt habentem dictam Bullam non teneri tempore Interdicti audire Missam: tum quia nemo obligatur vti priuilegio suo: alioqui gratia fieret onerosa, & libera facultas in obligationem verteretur: tum quia, esto demus habentem priuilegium audiendi Missam tempore Interdicti teneri illam audire; non ideo sequitur ad hoc idem teneri illum, qui habet indultum Oratorij priuati: si quidem celebrare in Oratorio priuato est priuilegium de se odiosum, ac derogatorium iuris communis; in casu verò Interdicti, si tollatur impedimentum, nulla petitur dispensatio in iure communi ad hoc vt possit celebrari; sicque in his duobus casibus interuenit magna disparitas; ideóque non est eodem modo philosophandum de vtroque; cum à diuersis non fiat illatio.

Qværes XVIII. An celebrans, aut faciens celebrare in Oratorio diebus vetitis in Breui concessionis peccent mortaliter, si id fiat semel in decursu plurium annorum, & aliàs impleri nequeat præceptum Ecclesiæ de audienda Missa.

155. Respond. peccare mortaliter: & probatur quia ex vna parte celebrans semel in tota sua vita in loco interdicto, aut polluto, aut non consecrato, vel saltem non benedicto, non excusatur à mortali ex prauitate materiæ (idque ob grauem irreuerentiam in tali casu interuenientem) & alioqui par ratio militat in euentu hic proposito, in quo proinde negandum est posse dari paruitatem materiæ excusantem à mortali; ex alia parte non sunt facienda mala, vt eueniant bona gloss. *in l. qui sub prætextu C. de Sacrosanct. Eccles. & in cap. magna ne cler. vel mon.* sicque non est celebrandum in loco prohibito, vt impleatur præceptum de Missa audienda; cuius obligatio cessat, adueniente physica, aut morali impotentia ad illud exequendum.

Qværes XIX. An casu, quo quis nequeat audire Missam de præcepto, nisi in Oratorio aliquo priuato, possit illam ibi audire, etsi non comprehendatur sub concessione.

156. Respond. posse, imò & teneri (sicut teneretur alibi audire, qui non posset adire Ecclesiam parochialem) si iuxta dicta *quæst.* 14. sustineamus validè, & licitè Missam audiri in Oratorio priuato à quocumque fideli, non obstante clausula illa apponi solita in fine Breuis hîc explicati; *Volumus autem, vt familiares seruitijs tuis non necessarij*, &c. Secus, si vigore huius clausulæ dicatur auditio illa Missæ esse illicita, ac inualida: sic enim puto non posse audiri Missam in Oratorio priuato; cum non sint facienda mala, vt inde eueniant bona; & consequenter non adesse obligationem ibi illam audiendi; cum lex non obliget ad illicita, & per talem auditionem non satisfiat obligationi: vnde, sicut non tenetur communicare in Paschate, qui non potest communicare de manu proprij Parochi, aut de licentia illius; cum per talem Communionem non impleatur præceptum Paschalis Communionis, prout præscribitur ab Ecclesia; ita nec tenebitur quis in præsenti casu audire Missam; cum eodem modo non satisfiat præcepto de audienda Missa, vt supponitur.

Qværes XX. An audiens Missam in Oratorio priuato bona fide, si postea cognoscat sibi id esse prohibitum, vtpotè non comprehensum sub concessione, imò excluso, teneatur audire aliam Missam ad effectum implendi præceptum Ecclesiæ.

Respond. iuxta distinctionem datam *quæst. præcedenti* non teneri si admittamus per illam Missæ auditionem satisfactum esse præcepto Ecclesiæ, non obstanti clausula illa Breuis; cum sic verè executus sit totum illud, quod præcipit Ecclesia quoad hoc. 157.
Secùs; si sustineamus per dictam auditionem non fuisse impletum præceptum Ecclesiæ: nam sic verè non impletum fuit dictum præceptum; cum posita clausula illa, *Volumus autem* &c. audiens Missam in Oratorio priuato perinde se habeat, ac si non audiret: proportionaliter vt dicunt Nauarrus, Suarez, Henriq. Azor. & Regin. apud Bonacinam *D. 4 de Sacr. quæst. 7. part. 2. num.* 7. communicantem in Paschate extra propriam parochiam absque consensu sui Parochi non satisfacere præcepto Ecclesiæ de communicando in Paschate: qui Doctores consequenter dicere debent illum teneri intra tempus Paschale communicare iterum de manu proprij Parochi modo dicto: quod omninò procedit etiam in isto casu ob paritatem rationis, vt facilè constabit consideranti.

Qværes XXI. An peccet habens indultum Oratorij priuati, si sit in causa, vt in die festo personæ prohibitæ ibi Missam audiant.

Respond. non peccare; si iuxta dicta *quæst.* 14. supponamus posse quemlibet validè: & licitè audire Missam in Oratorio priuato; cum sic cooperetur actui bono; nec adsit vlla ratio illum damnandi de peccato. Secùs dicendum, si supponamus illicitum esse audire ibi Missam contra prohibitionem concedentis indultum Oratorij priuati: sic quippe cooperans tali auditioni Missæ, cooperatur actui illicito, & per consequens peccat iuxta illud, *Quidquid est causa causæ est etiam causa causati, l. manumissione, ff. de iust. & iure.* 158.

Qværes XXII. An, & quo iure possint Episcopi in suis palatiis erigere Oratoria priuata.

Respond. posse de iure communi, vt manifestè colligitur ex *cap. quoniam Episcopi, de priuileg. in 6.* quod Sacra Cardinalium Congregatio, teste Nauarro *in suis consilijs, lib. 5. de priuileg. consil.* 16. declarauit non fuisse reuocatum per Concilium Trident. *sess. 22. in cap. de vitandis in celebrat. Miss.* quippe quod statuit solum, ne Episcopi permittant extra Ecclesiam, & loca ab eisdem disignanda, & visitanda Sanctum Sacrificium à sæcularibus, & Regularibus peragi; cum tamen nomine sæcularium, ac Regularium non veniant Episcopi; sicque de loco celebrationis Episcoporum nihil innouat, ac proinde relinquit illud dispositioni iuris antiqui. arg. *cap. 1. de renunciat. & l. præcipimus, Cod. de appellat.* Quod etiam notat Cardinalis de Lugo *D. 20. de Euchar. num.* 50. ex Gauanto, & Nouat. dicens, quod, cum Paulus V. abstulerit Episcopis facultatem concedendi, vt in domibus priuatis habeantur Oratoria ad celebrandum (etsi fortè ista prohibitio non fuerit per Breue Pontificium, sed per Epistolam Cardinalis Lancilotti iussu Pauli V. Missam 10. Martij 1613. ad Cardinales, Archiepiscopus ac Episcopos, & relatam à Scottia *lib. 1. de sacrific. Missæ c. 13. num.* 3.) & palatium Episcopi non censeatur domus priuata; propterea iis non censetur ablata facultas habẽdi Oratoria ad diuina deputata, in quibus celebrare possint, vt antè in proprijs domibus. Quocirca placet hîc aliqua breuiter disquirere ad maiorem dictæ facultatis, seu priuilegij intelligentiam: sicque 159.

Quæritur, an Episcopi possint vbique celebrare in Oratorio priuato, etiam non dedicato cultui diuino, & quidem etiam extra propriam diœcesim.

Respond. in propria quidem diœcesi posse (vt constat

constat ex dictis §. *praecedenti*) non item extra suam diœcesim, si ibi permansuri sint pluribus diebus, ita vt non sit per modum transitus, ac itineris, sed causa insti, ac vtilis negotij: sic enim non suffragantur indultum *cap. quoniam supr.* citatum concedens Episcopis, vt extra loca sacra possint celebrare; sicut aduertit *glossa in citato cap. quoniam.* cum tunc cesset ratio, in qua fundetur præfatum indultum, quæ est acceleratio itineris, & non facilis accessus ad Ecclesiam. ita Beja *part.4. casu 33.* monens, quod si Episcopus aliquis publico edicto prohibeat, ne quis celebret in suo Episcopatu extra loca sacra, vel quæ ab eo ad id specialiter fuerint deputata; tunc Episcopi extranei certiores facti de tali edicto non poterunt vti præfato indulto, tum ob scandalum; tum quia Concilium Trid. *supr.* dat Episcopis facultatem, tamquam delegatis Papæ, vt possint in suis diœcesibus circa hoc statuere, quæ ipsis iusta, ac honesta videbuntur, non obstantibus quibuscumque priuilegiis. In quo dissentit Portell. *part. 5. resp. moral. casu 20. num.7.* absolutè, & sine distinctione affirmans Episcopos in aliena diœcesi posse erigere altare, & in eo celebrare, vel facere celebrare; cum *cap. quoniam, supr. citatum,* dicat indultum hoc Episcopis, concedi, eo quod sæpe absint à suis Ecclesiis (quod maximè verificatur, quando ij sint in aliena diœcesi) & vsus dicti indulti importet actum iurisdictionis voluntariæ, quæ potest exerceri, etiam in alieno territorio, teste Sanch. *lib. 3. de matr. D.19. num.7.*

Et hoc puto posse ampliari, ita vt Episcopus possit in paterno palatio posito extra territorium suæ diœcesis, habere Oratorium, in quo celebret aut celebrare faciat, quando ad illud pro breui tempore se transfert: Idque colligo ex tenore priuilegij Episcopis ad hunc effectum concessi, & relati *cap. vlt. de priuileg. in 6.* quod priuilegium non fuisse reuocatum per Tridentinum docent Barbosa *de potest ate Episcopi part. 2. allegat. 23. num. 5.* & Pasqualig. *de-cis. 56.* indicans *decis. 55. num. 4.* in tali Oratorio non posse celebrari, absente Episcopo; quippe palatium illud non est Episcopi, vt Episcopus est, sed vt est priuata persona.

Quod si quæras, quo iure Episcopi vtantur eo indulto, etiam extra casum itinerationis, aut etiam infirmitatis.

Respond. vti ex consuetudine inducta: quo modo ait Portellus Episcopos, non obstante Concilio Trident. posse in suis palatiis erigere Oratorium, etsi non sint infirmi, aut in itinere, etiam in villa, ibique celebrare, & facere celebrare: quod etiam docet Venetus citatus à Diana *part. 4. tract. 4. resol. 15.* & non reiectus. ratio autem responsionis est, quod consuetudo vincit legem *cap. de edific. priuil. l. an in totum*; & dat iurisdictionem, seu potestatem, *l. inspeximus, in glos. v. consuetudinem, de mancip. & in l. viros, cap. de apparit. l. 12.*

Quæras XXIII. An Episcopi in eodem suo palatio possint erigere plura Oratoria priuata ad vsum, tum proprium, tum suæ familiæ.

160. Respond. posse: & probatur, tum ex praxi, qua constat in eodem palatio Episcopali erigi plura Oratoria priuata (idque ex consuetudine inter Episcopos inducta, quæ est optimus legis interpres) tum quia priuilegium, *cap. quoniam*, loquitur absolutè, ac illimitatè: vbi autem ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. *l. de pretio, ff. de offic. pretoris, l. prases, ff. de iudic. l. 2. §. conuenire, ff. de offic. prafidis.*

Quæres XXIV. An Oratoria ab Episcopis erecta modo dicto in suis palatiis deseruire possint ad vsum familiæ, (v. g. ad vsum vxoris, fratrum ipsius Episcopi, aut matris illius) imò & ad vsum extraneorum.

Respond. posse deseruire: cum indultum *cap. quoniam* concessum Episcopis nullam adhibeat restrictionem; & aliàs beneficium Principis latè debeat interpretari. *l. beneficium, ff. de constitut. Princip.* & gratia; ac fauor semper ampliari debeat, *l. hoc modo, ff. de condit. & demonstr.* cuiusmodi est indultum (de quo hic) licèt derogans iuri communi; quippe quod cedit in fauorem religionis, ac piæ causæ; & alioqui summum ius est, quod pro religione facit *l. sunt personæ, ff. de religios. & sumpt. funer.* cum per bonum cedens in fauorem religionis sufficienter compenseretur vulneratio iuris communis per dispensationem facta; vt aduertit Castrus Palaus *tract. 3. D.4. part. 10. num. 5.* ex Suarez, Salas. Sanch. Rodriq. Banac. 161.

Ex quo vlterius infero posse v. g. fratrem Episcopi cum vxore, & reliqua sua familia audire Missam de præcepto in aliquo ex Oratoriis in Episcopali palatio erectis, quo tempore Episcopus illam celebrat, aut audit in alio Oratorio sui Episcopalis palatij; moueor, quod, cum ex dictis §. *praecedenti* supradicti possint simpliciter, & absolute Missam de præcepto audire in quolibet ex Oratoriis Episcopalis palatij; non apparet, cur eam non possint eodem tempore, quo Episcopus illam audit in vno Oratorio, audire ipsi in alio distincto Oratorio; cum priuilegium audiendi Missam in Oratoriis priuatis palatij Episcopalis sit illimitatum, non autem restrictum, neque ad certos dies, neque ad personas, neque ad vnicam Missam pro qualibet die, sicut est restrictum indultum concedi solitum in Breui à nobis hic explicato.

Quæras XXV. An intra Oratoria priuata palatij Episcopalis possit quilibet, & quolibet die audire Missam de præcepto absque onere audiendi aliam Missam in Ecclesia.

Respond. posse & patet, tum ex dictis §. *praecedenti in fine*: tum ex Concilio Triburicensi relato *cap. Missarum de consecrat. distinct. 1.* vbi dicitur; *Missarum solemnia non vbiq; sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus*; constat enim Oratoria palatij Episcopalis comprehendi sub iis verbis, *vel vbi ipse permiserit*, tum, quia id non reperitur prohibitum, ideòque cum non sit de iis, quæ sunt intrinsecè mala, videtur concessum. *l. 1. ff. de procur. l. quod non, §. quod est, ff. quibus caus. maior. cap. 1. de procur. in 6. & concessum intelligitur, quod expressè non prohibetur cap. 1. de transact. Episc.* vbi Glos. *v. non inuenitur, cap. non licet 23. quest. 5.* 162

Vtrum verò familiares Episcoporum possint iis ægrotantibus, aut absentibus, aut etiam mortuis, celebrare, ac audire missam in Oratoriis Palatij Episcopalis.

Respond. posse: & probatur, tum, quia Doctores apud Dianam *part. 6. tract. 7. resol. 51.* cum Mario, Italia, Barbosa, & Nouario, concedunt palatium Episcopi gaudere immunitate ecclesiastica, etiam eo absente (modo alteri non locetur) imò & eo mortuo; quippe quod adhuc censetur domus Episcopi: ergo etiam Episcopo absente, aut mortuo, Oratorium dicti palatij poterit deseruire ad celebrandum, &c. cum sit par ratio in vtroque casu: tum, quia sic vsus interpretatur facultatem dicti Oratorij, & priuilegium dicitur commune Domino, ac familiæ, inquit Diana *supr. §. neque obstat.* 163.

Sectio III.

De Priuilegiis, quæ concessa sunt Regularibus, quoad susceptionem Sacramenti Ordinis.

164 *Regulares illegitimi admittuntur ad Ordines, & quidem etiam Societatis Iesu, licèt sint votis biennij solum adstricti.*

165 *Possunt ordinari, etsi minus literati.*

166 *Promouentur ad Ordines sacros titulo Paupertatis, si sint Professi: quamuis Religiosi Societatis etiam non Professi eodem titulo ordinentur: quod item procedit de Religiosis laicis aliorum Ordinum, qui fortè ordinentur in sacris, imò & de commissis Benedictinorum, qui item ordinentur, necnon de Religioso cuiusuis Ordinis nulliter professo, qui de facto ordinetur in sacris: secus de Religioso inualidè professo reclamante, aut dubitante de valore professionis, & reclamante.*

167 *Admittuntur ad Ordines Religiosi eiecti, si sufficientes habeant redditus, quibus alantur, & qui sint in proprietate Ecclesiæ: sunt enim incapaces proprij patrimonij.*

168 *Regulares ordinari debent ab Episcopo loci, in quo degunt ex Clementis VIII. decreto: quod non ligat Religiosos Societatis ob indultum Gregorij XIII. cuius tenor explicatur: decretum autem Clementis facit, ne Religiosi ordinentur ab Episcopo originis, & quod degentes in monasterio nullius diœcesis, ordinari debeant ab Episcopo viciniori.*

169 *Religiosi ordinandi subsunt examini Ordinariorum (nec illud recusant Religiosi Societatis, etsi iuxta aliquos ad hoc habeant priuilegium.)*

170 *Hodie nequeunt ordinari ante debitam ætatem: etsi anni ad singulos Ordines præscripti non debeant esse completi, & in ijs computetur dies bissextilis.*

171 *Item non possunt in præsentia recipere duos Ordines sacros eodem die.*

172 *At possint ordinari, non seruatis interstitijs, in quibus quoad Ordines minores dispensare possunt, etiam Prælati regulares, qui eos possunt conferre: causa tamen requiritur ad hanc dispensationem, qualis est etiam meritum Religiosi.*

173 *Ordinantur item extra tempora iure statuto, si fruuntur indulto Gregorij XIII. concesso Religiosis Societatis: alia enim priuilegia sunt minus tuta: possunt item iuxta aliquos ordinari in die, qui sit festus solum ratione duplicis Officij.*

174 *Ordinandi recipiunt Dimissorias à proprio Prælato habente iurisdictionem quasi Episcopalem, qualis est Generalis, Prouincialis & similes.*

175 *Recipientes vnum Ordinem sacrum ab Episcopo originis v.g. aliam possunt recipere ab Episcopo domicilij; etsi alij id negent.*

176 *Prælati regulares aliqui conferunt primam Tonsuram, ac ordines minores Religiosis Ordinis, qui sint ipsis subditi; imò & Subdiaconatum, ac Diaconatum.*

177 *Conferunt & Nouitijs subditis, sed in proprio Conuentu.*

178 *Si autem Prælati regulares ordinent sæculares subditos, ordinatio valida est, sed illicita.*

179 *Priuilegium conferendi Ordines non communicatur Prælatis Ordinum non Monachalium.*

180 *Dominicani primam Tonsuram, & Ordines minores conferunt recèns conuersis ad Fidem.*

181 *Non item Religiosis sui ordinis.*

182 *Hæc concessio neque ipsis Dominicanis prodest vbique.*

183 *Regulares subsunt excommunicationi ferri solitæ ab Episcopo ante ordinationem, nisi ad hoc habeant priuilegium.*

184 *Ordinatio cum occulto impedimento tenet, non obstante protestatione fieri solita Episcopo ordinante.*

185 *Regulares absoluuntur per suos Prælatos ab excommunicatione contracta occasione ordinationis.*

186 *Absolutio ad cautelam præmissa ante ordinationem ab Ordinante prodest Religiosis.*

187 *Prælati regulares suos subditos absoluunt à Suspensione incursa ex ordinario.*

188 *Idq; ex priuilegijs à Sixto V. reuocatis quidem, sed postea de nouo concessis.*

189 *Item eos absoluunt à Simonia commissa in ordinatione.*

190 *Dispensant super irregularitate impediente ordinationem, sed non super omni.*

191 *Amplior facultas, quoad hoc data Benedictinis, sed postea restricta.*

192 *Ad valorem ordinationis sufficit moralis contactus materiæ, quæ traditur ordinando.*

193 *Declaratur, qualis esse debeat intentio recipientis Presbyteratum in proferenda forma consecrationis: quilibet autem recipiens debet totam proferre formam, etsi alius eum præcurrat in ea finienda.*

194 *Ordinati solum ex decentia tenentur ad Missas, ac preces indictas ab Ordinante.*

195 *Existens in peccato mortali non semper peccat mortaliter exercendo Ordines.*

196 *Nec obstat* cap. vltimum de temp. ordinat. *quod explicatur.*

197 *Sacerdos Religiosus Professus vnicum facit peccatum, omittendo Horas canonicas.*

198 *Is si fornicetur, non tenetur in confessione aperire hanc vtramque circumstantiam.*

199 *Votum enim Castitatis factum, tam in Professione, quam in Ordinatione solum obligat ex fidelitate, sicque eius violatio non est diuersa specie.*

200 *Ordinatus in sacris inhabilis est ad Matrimonium, non ex eminentia status, sed ex voto Castitatis saltem emittendo, eoq; solemni (fuitq; congruum, vt ea inhabilitas ab Ecclesia annecteretur potius voto solemni castitatis, quam voto simplici) vnde violatio castitatis est eadem specie respectu Professionis religiosæ, & respectu Ordinis sacri.*

QVÆRIS I. An possint admitti ad Ordines ij Regulares, qui ex defectu natalium sunt irregulares.

Respond. posse: cum per professionem factam in Religione approbata tollatur talis irregularitas iuxta *cap. 1. de presbyt.* non quidem, quoad prælaturas, & dignitates Religionis, sed solùm, quoad Ordines. quin etiam *Sot. in 4. d. 25. quæst. 1. art. 3. §. potest.* ait nunc de facto hunc morem seruari in Religiunibus, vt per ingressum Religionis (id est, per professionem) tollatur omnis irregularitas, excepta bigamia, ac homicidio voluntario: siue id obtentum fuerit iure communi, siue consuetudine, siue priuilegio; quod item concedit Filliuc. *tract. 10. num. 257.* quoad hanc vltimam partem, videlicet per priuilegia Mendicantium tolli omnes irregularitates, & quidem etiam illam, quæ oritur ex bigamia, & homicidio voluntario. 164

An verò per vota simplicia post biennium emissa in Soc. Iesu tollatur supradicta irregularitas ex defectu natalium.

Respond.

Respond. tolli, ita Filliuc. *vbi supr.* patétque ex eo, quod earenus professio religiosa tollit supradictam irregularitatem, quoad Religiosos aliorum Ordinum, quatenus eos constituit verè, & propriè Religiosos: at emisso 3. votorum simplicium biennij in Soc. facit emittentem verè, & propriè Religiosum, vt declarauit Greg. XIII. in bulla, *Ascendente Domino*, quæ habetur *in Bullar. Soc. pag.* 215. ergo & tollet eam irregularitatem saltem quamdiu manent in Societate; si enim ab ea dimittantur, antequam suscipiant Ordines, putat Turrian. *de censur. lib.9.D.71.d.2.* & cum eo Diana *part.4. tract.2. resol.66.* probabilius esse tunc eiusmodi irregularitatem reuiuiscere: quod tamen alij negabunt, & non improbabiliter; cum in Societate per emissionem 3. votorum simplicium non tollatur talis irregularitas ad reincidentiam, sed simpliciter, & absolutè, non secùs ac tollitur in aliis Ordinibus religionis.

Qværes II. An possint ordinari Regulares etiam minus literati.

165. Respond. posse, & quidem etiam Ordinibus sacris, modò sciant bene legere & cauere, & alioqui debeant solum inseruire choro. ita Peyr. *tom.1. priuileg. Const.26. Leon.X. num.*25. Portel. *de dub. Regul. v. Ordines sacri in 6.* aliique apud Tiber. *in instruct. c.*8. *quæst.* 58. §. *hoc tamen non obstat*; & probatur, quia tales Religiosi re vera sunt sufficientes ministri Ecclesiæ, ac Religionis, sicque æquè bene implent suum locum. Oppositam sentit Lezana *tom. 1. c.* 14. *num.* 24 ex eo, quod Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 11. velit ordinandos etiam in minoribus Ordinibus callere linguam latinam: cum sit valde conforme iuri naturali, vt ministri Ecclesiæ intelligant quæ faciunt; verum id non facit contra nos; cum id ipsum in Concilio remittatur arbitrio Episcopi ordinantis (ibi namque dicitur, *Nisi aliud Episcopo magis expedire videretur*; quæ clausula, teste Menoch. *lib.2. de arbitr. casu* 425. *num.*58. refertur ad arbitrandum non solum super dispensationem interstitiorum, sed etiam super sufficientiam doctrinæ: constat autem expedire, vt in Ordinibus ex professo inseruientibus Choro adsint plures initiati ordinibus etiam sacris, vt sic melius suæ possint obligationi satisfacere. Ad quod facit *cap. nullus Episcopus de tempore ordinat. lib. 6.* vbi infanti, ac illiterato prohibetur Episcopus primam tonsuram conferre, nisi religionem intraret: sicque intranti religionem concedi permittitur. quo modo Glos. *in cap. legi epistolam v. instructus* 16. *quæst.* 1. agens de requisitis ad Ordines ait, *Sufficit monacho, quod tantum sit bonus: licet sit illiteratus. & Dominus Soto in 4.d. 25. art. vlt.* ait, *Quando Religiosi, qui curam animarum non habent, ordinantur, non requiritur alia scientia quàm vt mysterium Sacramenti intelligant.*

Qværes III. Quo titulo Regulares promoueantur ad ordines sacros.

166. Respond. quod, cùm triplex possit esse iste titulus, nimirum patrimonij, beneficij, & paupertatis; Regulares communiter ordinantur titulo paupertatis: ad quod tamen requiritur vt sint professi: idque ex *Constitut. Pij V. in ordine* 75. in qua extendens decretum Concilij Trid. de Clericorum sæcularium promotione ad sacros Ordines, etiam ad Clericos Regulares siue sæculares more Religiosorum in communi viuentes prohibet, ne dicti Religiosi non professi vllo modo promoueantur absque titulo patrimonij, aut beneficij ipsis non suffragante titulo paupertatis, statuitque promotiones aliter factas contra formam Concilij Trid. executione dictorum Ordinum omninò carere, nullasque prorsus, ac irritas existere, sicque promotas personas in Altaris ministerio ministrare non posse: quin imò ministrantes priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & aliis gratiis Clericis concessis omninò priuati, & irregularitatis, aliasque in dicto decreto contentas pœnas eo ipso incurrere, à quibus nisi à Papa vel in mortis articulo absolui non possint. Vnde Religiosis Societ. Iesu non professis peculiari indulto bullato Gregorij XIII. relato *in bullario ipsius Soc. pagin.* 130. concessum, vt etiam ante solemnem professionem initiati possint ordinibus sacris.

Ex quo quis bene inferat Religiosos Nouitios non posse promoueri ad Ordines sacros, nisi habeant patrimonium, aut beneficium ecclesiasticum, quorum titulo ordinentur; si quidem hoc ipso, quod non sunt professi, subiacent prohibitioni Pij V. modo allegatæ, pœnisque ei annexis; vt item indicauimus *in tract. de nouitiatu.*

Dubium modò est de Religiosis, quos vocant Conuersos, an isti comprehendantur prohibitione Pij V. si fortè insciis propriis Superioribus clandestinè promoueantur ad Ordines sacros.

Respond. quod, cum dicti Conuersi verè sint professi, non comprehenduntur sub prohibitione Pij V. excludente ab Ordinibus sacris solum Religiosos non professos; sicque non apparet quo titulo dici debeant incurrere pœnas latas in citata Constit. ipsius Pij V.

Difficultas esse posset de Religiosis laicis non professis (quales sunt Coadiutores temporales in Soc. Iesu, & Commissi Ordinis S. Benedicti, an scilicet isti incurrant præfatas pœnas, si ad Ordines sacros promoueantur siue insciis, siue consciis ipsorum Prælatis.

Respond. non incurrere; cum Coadiutores Soc. per se, & Commissi Benedictini per communicationem gaudeant priuilegio Soc. quod eius Religiosi, etiam non professi possint suscipere ordines sacros titulo paupertatis.

Quod spectat ad Religiosum qui post professionem nulliter factam reclamat, docet Cespedes *cap.4. de exempt. d.74.* ex Garcia & Barbosa non posse ordinari, attenta Pij V. Constitutione suprà allata: & inde probat, quòd, licèt ea solùm vetet, ne Episcopi ordinent in sacris Religiosos, qui post professionem non emiserunt, nulla facta mentione de iis, qui professionem emiserunt, sed irritam: ad hoc tamen extenditur prohibitio iuxta communem Doctorum sensum; cum de his par ratio procedat, sicque currat regula, *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio.* ita Cespedes addens *num.4.* Episcopum item non posse ordinare in sacris Religiosum dubitantem de validitate suæ professionis, & actualiter reclamantem: & pro se adducit, tum Garciam, tum decisionem Rotæ, non tamen probat assertionem: cuius ratio esse potest, quòd lex prohibens talem ordinationem in dubio valoris professionis est in possessione; melior est autem conditio possidentis. Porrò sic ordinatus nullam pœnam incurrit, teste Bordono *de ratificanda professione, cap.6.* cum Tridentinum *sess.* 22. *de reform. cap.*2. innouet solùm pœnam, quæ est *in cap. cum secundum, de prebendis*, quæ solùm est contra ordinantem, nec alibi feratur vlla pœna contra sic ordinatum.

Docet etiam Cespedes *d.80. num.*2. ex Lezana, & Nouario, Episcopum posse ordinare in sacris Regularem, quem scit nulliter esse professum: & probat, quia tota ratio, ob quam Pius V. in bulla suprà

prà citata, vetat nullliter professum ordinari in sacris, est, ne se aliquis ordinetur sine debito titulo; in hoc autem casu adest vetus titulus: cum sic ordinandus verè sit professus professione tacita, quæ inducitur ex susceptione Ordinum sacrorum; vt declarauit sacra Congregatio 20. Decembr. 1619. & meritò, cum Ordinum sacrorum susceptio ad titulum paupertatis sit actus proprius professorum: præterquam, quòd Iulius II. concessit Eremitanis, quòd quicumque Nouitius promouetur ad sacros Ordines, debet haberi pro professo, teste Casarubio *v. Nouitius, num.* 24. & Corduba *ibi in annotat.* Nec obstat, quòd hoc valet solùm pro foro externo; cum talis Religiosus non habeat animum profitendi, etsi per eum actum reputetur professus: nam ad hoc vt ille possit ordinari, sufficit professionem valere pro foro externo: cum sic cesset bulla Pij V. quæ est, ne quis ordinetur sine titulo, & postea egressus à religione cogatur mendicare: quòd non procedit in isto casu, cum sic ordinatus teneatur perseuerare in Religione, nec possit reclamare; cum sic tacitam emiserit professionem.

QVÆRES IV. An Regulares legitimè eiecti, si ante eiectionem sint initiati aliquo Ordine sacro, possint promoueri ad vlteriores Ordines.

167. Respond. posse, si iam sint emendati, nullamque habeant irregularitatem indispensabilem ab Episcopo. ita Rodriq. *tom.* 3. *quæst.* 23. *art.* 13. vbi monet expedire, vt Prælati regulares cum supradictis eiectis dispensent, in quibus possunt, ne postea miselli cogantur pro dispensatione Episcopos, aut etiam Papam adire cum magno labore, ac difficultate.

An autem Religiosus eiectus possit in hoc casu promoueri ad vlteriores Ordines, si non habeat sufficientia alimenta.

Respond. non videri posse; idque colligitur, tum ex doctrina Rodriq. *supr.* dicentis eiectum in casu proposito posse ordinari, si habeat patrimonium sufficiens ad honestè viuendum: tum ex eo, quòd docet Fillliucius *tract.* 17. *num.* 91. eum scilicet, qui ordinatus est Subdiaconus titulo ficto, & postea absolutus est à suspensione ob id contracta, non posse absque nouo titulo vero ascendere ad Ordines superiores: cum iura simpliciter prohibeant suscipere Ordinem sacrum absque patrimonio, nec distinguant inter ordinatum Ordine sacro inferiori, & non ordinatum; quæ ratio sine dubio locum habet in casu præsenti, cum respectu Religiosi eiecti titulus paupertatis, quo fuit ante eiectionem ordinatus, perinde se habeat, ac si ordinatus fuisset sine titulo; stante quòd Religio non tenetur ei ministrare alimenta, vt inter alios docet Azor *p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 16. *q.* 2. §. *obijcies.*

In casu autem, quo Religiosus eiectus ordinetur, non debet ordinari titulo Religionis, cum sit ab ea expulsus; non titulo patrimonij proprij cum sit incapax illius ratione voti paupertatis, sed titulo aliquotum redditum ab Episcopo designatorum, qui sint in proprietate Ecclesiæ, aut Episcopi, & assignati ad vsum Religiosi eiecti. ita Lezana *v. eiecti, n.* 6. & Rodriq. *tom.* 1. *q.* 30. *art.* 14. cum quibus sentit Cespedes *de exempt. d.* 75. *num.* 4. monens *num.* 2. Religiosum eiectum debere ordinari ab Episcopo suæ originis: cum subiectio originis sit à natura, & amitti non possit, adeóque maneat in Religioso eiecto: quippe quæ non admittitur, etsi quis per mille annos extra originis domicilium steterit, teste Bart. *in l. quæsitum, ff. de legib.* 3. & Socin. *conf.* 35.

QVÆRES V. A quo Episcopo possint, & debeant Regulares ordinari.

Respond. quòd, licèt olim possent ordinari à quocumque Catholico Antistite ob priuilegium bullatum Clement. IV. concessum Fratribus Minoribus, & relatum à Casarub. *in Compend. v. Ordines sacri, num.* 1. (de quo vtique participabant etiam alij Religiosi cum præfatis Fratribus priuilegiorum communicationem habentes;) in præsentia tamen ex decreto sacræ Congregationis edito de mandato Clem. VIII. non possunt ordinari, nisi ab Episcopo diœcesano, illius scilicet monasterij, in quo Religiosus ordinandus habet domicilium: &, si quidem præfatus Episcopus absuerit, vel non sit habiturus ordinationem, (addit Peyr. *tom.* 1 *priuil. Constit.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *num.* 33. aut Sedes Episcopalis vacet) à quocumque alio Episcopo; dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur, quoad doctrinam, & Prælati regulares de industria non distulerint ad illud tempus dare dimissorias: in quibus exprimi debet causa huiusmodi absentiæ diœcesani Episcopi, aut ordinationum non habendarum: idque sub pœna priuationis officij, dignitatis, seu administrationis, & vocis actiuæ, ac passiuæ, aliisque Papæ arbitrio reseruatis. ita Lezana *supr. cap.* 14. *num.* 15. aliique communiter cum Barbos. *de offic. Episc. alleg.* 4. *num.* 58. patetque ex ipso decreto sacræ Congregationis, quod refert Quaranta *in Bullar. v. Ordo.* 168.

Hoc tamen decretum non comprehendit Religiosos Societatis Iesu, quibus ex speciali priuilegio bullato Gregor. XIII. quod refertur *in Bullar. Societ. pag.* 212. & quidem incommunicabili aliis quibuscumque Religiosis concessum est, vt possint ordinari à quocumque Antistite: quod priuilegium testatur Tiberius *supr. cap.* 7. *quæst.* 49. cum Piasecio, & Barb. non fuisse reuocatum in allegato decreto Clementis VIII. (cum in eo non fiat mentio vllius derogationis; quæ tamen debuisset fieri, si Papa intendisset reuocare dictum priuilegium, vt innuit Fagundez *precept.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 12. § *tam verò.*) vel certè si fuit in eo reuocatum, fuit postea innouatum à Paulo V. cum aliis omnibus priuilegiis Societatis aliàs concessis, & quomodocumque reuocatis; & hoc *in Constit. sua, Quantum religio Societat.* & est in Bullario ipsius Societatis: sicque passim admittitur ab Episcopis teste experientia, vt diximus *cap. præcedenti, sect.* 3. *quæst.* 8. Priuilegium autem Gregor. XIII. superiùs allegatum sic habet: *Omnibus Episcopis, & alijs Antistitib. præcipitur, & interdicitur, ne à Nostris promouendis, qui licentiam à Præposito Generali Soc. pro tempore existente, vel ab eo delegatis habuerint, quidam requirant, vel exigant, sed ipsos etiam absque vlla functione in ipsis Ordinibus, aut obseruatione interstitiorum ad illos suscipiendos, aut inquisitione de cantu, officijs, & ceremonijs Ecclesiasticis idoneitate proprij Ordinarij licentia, & alijs in aliis requisitis ad minores, ac etiam extra tempora à iure statuta* 3. *Dominicis, vel alijs festis diebus, etiam continuis ad sacros etiam Presbyteratus Ordines promoueant, ac si illis omnibus requisitis essent præditi*; sic habetur *in Compend. Societ. v. Ordines sacri, num.* 3. *ex Bullario eiusdem Soc. pag.* 212.

Vbi notandum est, præceptum, quòd hic sit Episcopis sub verbo *Præcipimus*, non operari, quòd Episcopi simpliciter teneantur initiare Religiosos Societatis Ordinibus, quotiescumque ab iis de hoc requisiti fuerint (hoc enim esset Episcopis nimis onerosum, adeóque non videtur posse præsumi fuisse intentum à Papa) sed solùm, dato quòd velint eos initiare Ordinibus, nullo modo possint ab illis requirere ea, quæ in aliis ordinandis solent exigi; nimirum

rum exercitium Ordinum, peritiam cantus obseruationem interstitiorum, &c. & quod eos debeant promouere extra tempora à iure statuta etiam ad Ordines sacros, imò & ad ordinem Presbyteratus 3. Dominicis, vel aliis festis diebus etiam continuis; quo modo præceptum redditur magis suaue, minusque potest offendere ipsos Episcopos. Quamquàm Castrus Palaus *tract. 27. D. vn. part.* 13. *n.* 11. expressè dicat quemlibet Episcopum requisitum ordines conferentem debere acquiescere dispensationi factæ à Superioribus Societatis super interstitiis, nec posse sine graui culpa nostros repellere à collatione Ordinum ob non seruata interstitia; cum Gregorius XIII. vtatur verbo præceptiuo *mandamus, & interdicimus* addátque *num.* 13. probabile esse Religiosos non solùm in 3. Dominicis, sed etiam in 3. diebus festiuis duplicibus, aut semiduplicibus posse promoueri ob concessionem Alexandri VI. & declarationem Clementis VIII. & hoc etiam in sententia Rodriquez, & Villalob.

Quod autem dicit Zipæus relatus à Diana *part.* 6. *tract.* 7. *resol.* 35. Regulares etiam in præsentia non obstante allegato decreto Clementis VIII. posse ordinari ab Episcopo originis, id inde probans, quod neque in dicto decreto, neque in Concilio Trident. nec à consuetudine est prohibitum; reiicit Diana dicens obstare vsum in contrarium.

QVÆRES VI. An Regulares ordinandi possint, & debeant examinari ab Episcopo ordinante.

169. Respond. & posse, & debere, nisi Episcopo aliunde constet de sufficientia doctrinæ ordinandorum: idque non obstantibus variis priuilegiis quoad hoc concessis tum Fratribus Minoribus à Clem. IV. tum Monachis S. Benedicti ab Eugenio IV. & referuntur à Casarub. *in compend. v. ordines sacri, num.* 1. & 9. hæc enim omnia reuocata sunt à Concilio Trident. *sess.* 23. *cap.* 11. *de reformat.* vbi hæc habentur, *Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti examine ordinentur, priuilegijs quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.* ita Miranda *part.* 1. *quæst.* 39. *art.* 4. Tiber. *supr.* §. *petes.* 1. aliique apud ipsum; qui ex iisdé refert Religiosos Soc. Iesu esse quidem exemptos ab Episcoporum examine ob priuilegium singulare ipsis concessum à Gregor. XIII. etiam non obstante Concilij Tridentini decreto super adducto; nihilominùs tamen non recusare examen Episcoporum: idque esto dictum priuilegium à Paulo V. innouatum fuerit, iuxta relata *q. præcedenti*, sicque adhuc eo vti possint, licèt detur illud fuisse reuocatum à Sixto V. vt putat Miranda *supr.*

170. QVÆRAS VII. An Regulares vi suorum priuilegiorum possint modò ordinari ante legitimam ætatem præscriptum in Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 12.

Respond. non posse. ita Portell. *supr. num.* 1. Mirand. *quæst.* 39. *art.* 1. Tiber. *cap.* 58 aliique penes ipsos: & probatur, tum ex ipso Trid. quod cum singulis Ordinibus sacris ætatem debitum designasset, & prohibuisset aliter fieri, subdit: *priuilegijs quibuscumque quoad hoc penitus exclusis* (quod est reuocasse omnia priuilegia, quæ quoad hoc erant Regularibus concessa:) tum quia, teste Miranda post Tridentinum nulla concessio facta est, qua Religiosis professis, indulgeatur, vt promoueri possint ad Presbyteratum ante 25 annum: illud autem viuæ vocis oraculum, quo aliqui dicunt Pium V. concessisse Fratribus Minoribus, vt possent in foro conscientiæ vti omnibus priuilegiis, & gratiis per suos Prædecessores concessis, quantumuis per Tridentinum abrogatis (cuiusmodi erat indultum concessum ab Innocentio VIII. Fratribus Minoribus, vt de licentia Generalium, & Prouincialium possent promoueri ad Presbyteratum 22. anno completo) vel non est multum authenticum, vel certè fuit reuocatum à Sixto V. in Constitut. edita contra malè promotos, quæ incipit *Sanctum, & salutare*; qua de re Rodriquez *tom.* 3. *quæst.* 23. *art.* 6. & 8. Portel. *supr. v. priuilegij cessatio, num.* 64.

Quod si quis quærat vtrum anni in Concilio Tridentino requisiti ad sacros Ordines suscipiendos debeant esse completi, an sufficiat quod sint inchoati.

Respond. sufficere quod sint inchoati; si quidem Concilium exigit solùm, ne ante illam ætatem Ordines recipiantur, nempe Subdiaconatus ante 22. annum, Diaconatus ante 23. & Presbyteratus ante 25. non ordinantur autem ante illam ætatem, qui ordinantur in annis 22. 23. & 25. inceptis. ita Tol. *lib.* 1. *cap.* 48. *num.* 4. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 116. Vasq. 3. *part. D.* 246. *num.* 42. & Tiber. *supr.* §. *quoad sacros Ordines*: qui bene notat in dubio, an quis expleuerit debitam ætatem, posse eum ordinari; cum præceptum de ætate legitima sit in possessione, & in dubio melior sit conditio possidentis.

Addo in præfata ætate videri computandum diem bissextilem, ita vt dies bissextilis cum die antecedenti numeretur pro vno, vt computat ipsa Ecclesia: si quidem dictus dies requiritur ad complendum annum naturalem, quo Sol zodiacum perlustrat: quod sine dubio requirit Ecclesia, dum præscribit ordinandis certam ætatem, alioqui possent detrahi omnes dies bissextiles, qui fuerunt in tota vita ordinandorum. ita Tiber. *supr.* cum Sanch. Maiolo, Oddo, & Bonac. quod tamen negant Barbos. Sylu. Abb. Henriq. & alij penes ipsum Tiberium putantes (& non improbabiliter) diem bissextilem non debere modo dicto computari, eo quod annus communiter sumatur 365. dierum. Vnde fit, vt posset ordinari in Sacerdotem is, cuius ætas esset 23. annorum completorum 11. mensium, & 29. dierum; cum adhuc ei supersint 4. dies bissextiles, qui additi non solùm complent 24. annum, sed faciunt, vt ordinandus præterea attingat 25. annum per 2. dies; sic ego in facti contingentia consului Ferrariæ & consilium fuit approbatum à viris doctis, imò & practicatum Mantuæ; nec improbabiliter, attenta doctrina modò tradita, nimirum pro legitima ætate ordinis non debere computari diem bissexti, nec de eo curandum esse; cum annus à iure determinatus intelligatur ex 365. diebus continuis, vt loquitur Barbosa. *alleg.* 16. *de offic. episc. n.* 2. Imò Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 17. ex Mendosio, Panorm. Sanch. censet posse ordinari Sacerdotem eum, qui hodie compleret 24. annum post dimidiam noctem; cum in fauorabilibus dies cœptus habetur pro completo *l. qua ætate, ff. de testam.* quod tamen alij non admittunt.

QVÆRAS VIII. An Regulares eodem die possint recipere duos Ordines sacros.

Respond. non posse; idque non obstantibus quibusuis priuilegiis, ac indultis in contrarium concessis: quale erat, quod concessit Eugen. IV. Monachis S. Benedicti, vt vno die possent recipere omnes Ordines sacros, & quidem extra tempora à iure statuta, & à quolibet Antistite catholico, pro vt refert Rodriq. *tom.* 3. *quæst.* 23. *art.* 4. ita Miranda *p.* 1. *manual. quæst.* 38. *art.* 5. aliique communiter; & probatur ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 13. vbi hoc expressè prohibetur sub his verbis: *Duo sacri Ordines non in eadem die etiam Regularibus conferantur, priuilegijs, atque indultis quibuscumque in contrarium concessis, non obstantibus.* 171.

Quod

Quod tamen non facit, quominus eodem die possint omnes ordines minores conferri iisdem Regularibus; cum ex vna parte, quoad hoc Concilium *supr. cap.* 11. se remittat arbitrio Episcopi dicens: *Minores ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur*: ex alia parte Regularibus idipsum expediat ad tollendam illis occasionem vagandi extra monasteria. Imò Nauar. *cap.* 25. *n.* 71. Gutier. *l.* 1. *qq. canonic. quæst.* 26. *num.* 31. Sà, Vasquez Piasec. apud Tiber. *supr.* §. *octauò, vt inter vnius*, docent Episcopum posse ex causa eodem die conferre vni, ac eidem vna cum omnibus minoribus Ordinibus etiam Subdiaconatum; cum id nullo iure antiquo prohibeatur, imò à Sacra Congregatione fuerit approbatum, teste Laym. *l.* 5. *tract.* 9. *cap* 8. *num* 5. (intellige, sicubi viget talis consuetudo;) quod tamen videtur minus approbare Miranda *supr.* præsertim attenta Const. Sixti V. superiùs adducta, addens saltem id fieri non posse, nisi necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ id deposcat: hoc enim requirit Concilium *loco supr. cit. cap.* 11. quod non exigit ad conferendos omnes ordines minores eodem die.

QVÆRES IX. An Ordines sacri possint conferri Regularibus non seruatis interstitiis, & quo iure.

172. Respond. non posse de iure communi; cum id expressè prohibeatur in Concilio Trid. *supr. c.* 11. 13. & 14. eos tamen posse hac in re dispensari, siue per proprium Prælatum regularem ex priuilegio bullato Gregorij XIII. concesso Religiosis Societ. Iesu, & relato *supr. quæst.* 5. (quod docet Diana *p.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 31. cum Villalob. Ioan. de la Crux, & Ledesma:) siue per ipsum Episcopum ordinantem; quod docent Bonac *de Sacram. D.* 8. *q. vnic. part.* 5. *num.* 34. pro se citans Riccium, Barbos. Quar. & Lezana *supr. cap.* 4. *n.* 15. qui pro se adducit declarationem quamdam Sacræ Congregationis; quæ sic habet: *Prælati, cum mittunt suos subditos ad Ordines suscipiendos, & expedire iudicauerint, vt cum eisdem in interstitijs dispensetur, in literis dimissorialibus humiliter debent exorare Episcopos, vt id faciant.* Monet autem Miranda *vbi supr. num.* 7. Episcopos teneri stare attestationi factæ à Prælato regulari de necessitate, aut vtilitate Ecclesiæ, ex quibus petitur dispensatio interstitiorum; hæc autem attestatio fieri potest, tum à Prælato superiori dante dimissorias, tum à Prælato locali illius Religiosi, qui debet dispensari.

Addit Miranda Prælatos regulares, qui possunt conferre ordines minores Religiosis subditis, posse etiam cum iis dispensare, quoad obseruationem interstitiorum: & hoc non solùm, quando ipsimet illos ordinant, sed etiam quando eos ad alios dimittunt, vt ab ipsis ordinentur; sic enim viget regula generalis; quod spectat ad eum dispensare, ad quem spectat ordinare: quamquam talis regula deficiat, tum in Episcopo electo, & confirmato nondum consecrato, tum in Capitulo, Sede vacante vltra annum; his quippe conceditur, vt dent dimissorias, & tamen non possunt ordinare, vt patet.

Causa autem, quæ requiritur ad dispensandum in interstitiis, non est eadem respectu omnium ordinum: siquidem ad minores sufficit, vt id expediens videatur Episcopo: ad Subdiaconatum requiritur necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ iudicio Episcopi: ad Diaconatum satis est, vt ita iudicet Episcopus rationabiliter: ad Presbyteratum denique requiritur Ecclesiæ vtilitas, ac necessitas simul, idque iudicio Episcopi. Ita Lezana *supr. num.* 16. aliique communiter; & patet ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 11. 13. 14. Tunc autem dicitur adesse vtilitas, inquit Miranda *supr. art.* 8. quando sunt pauci idonei ministri, & aliqualiter vtile erit, quod aliquis ordinetur: tunc verò adest necessitas, quando deficiunt ministri & idonei, & non idonei: hæc tamen cum habeant latitudinem, relinquantur arbitrio boni viri, nempe Prælati, seu Episcopi, qui in hoc non debet esse nimis strictus; memor illius, quod dicitur Prou. 30. *Noli esse nimium iustus*: nam qui vehementer emungit, elicit sanguinem.

Addit Tiber. *sup.* §. *quamuis autem*, eminentem doctrinam, probitatem morum, & alia merita personæ ordinandæ videri sufficere ad dispensandum modo supradicto: cum spectet ad necessitatem, ac vtilitatem Ecclesiæ, vt ratio habeatur eorum, quibus illa eget. Imò putat Tiber. particulam, *Ac*, quæ est in *cap.* 14. Concilij Trid. dum ait, *Nisi ob vtilitatem Ecclesiæ, ac necessitatem sumi debere disiunctiuè, non copulatiuè*, vel certè nomen *Necessitas*, latè sumendum esse, prout importat magnam vtilitatem.

QVÆRES X. An Regulares ordinari possint ab Episcopis extra tempora iure statuta.

Respond. posse; si detur eos frui priuilegio ad id concesso Religiosis Societ. Iesu à Greg. XIII. & adducto *supr. quæst.* 5. quod vtique, quoad Religiosos dictæ Societ. teste quotidiana praxi, est in viridi obseruantia, scientibus, & consentientibus Episcopis; secùs, si non fruantur dicto priuilegio: quomodo re vera non videntur frui (quidquid plures DD. hac de re in contrarium sentiant apud Dianam *part.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 31. qui dicit horum opinionem esse probabilem, ac tutam in praxi, imò cum aliquibus sui Ordinis ab Episcopis obseruatam, vt proinde huc bellè cadat, quod ait Nald. *ver. vsusfructus, n.* 2. quando de aliqua re extant duæ opiniones probabiles, bonum esse iudicem habere propitium, qui eam sequatur opinionem, quæ tibi sit fauorabilior. 173.

Quod autem addit Diana posse Regulares ordinari extra tempora statuta, ex duplici alio priuilegio, quorum vnum concessum est, ab Alex. VI. ac Eug. IV. Religiosis S. Hieronymi, & S. Benedicti; alterum à Clement. VIII. Patribus Congregationis S. Ioan. Euang. in Portugallia: hoc, inquam, minùs tutum videtur; siquidem priuilegium Alexandri VI. & Eug. IV. est viuæ vocis oraculum, teste Casarub *in Comp. ver. Ordines sacri, num.* 11. adeóque iuxta supradicta reuocatum: priuilegium autem Clementis fortasse etiam est viuæ vocis oraculum, & minùs authenticum: quamuis Portel. *supr. ver. Ordines sacri, num.* 4. dicat se illud vidisse, & Diana *supr.* cum Rodriquez, & Villalob. sustineat eiusmodi priuilegia non fuisse à Concilio Trid. reuocata. Aliud simile priuilegium refert Cespedes *de exempt. d.* 82. *num.* 4. fuisse concessum à Pio V. per bullam Capellanis S. Ioannis Hierosolymitani his verbis: *Nec non exemptionem, & liberationem ita quod Magistri baiulorum, & dicti Hospitalis Capellani à quocumque catholico Antistite sub Romanæ Sedis obedientia constituti sacros ordines etiam extra tempora à iure statuta tribus diebus festiuis suscipere*, &c.

Dubitant hoc loco DD. an, quando Papa dat priuilegium, vt quis extra tempus à iure statutum ordinari possit tribus diebus festis, & promoueri ad 3. sacros Ordines, nomine diei festi intelligatur festus dies, ac feriatus, an sufficiat, quod sit duplex quoad ritum Officij.

Respond. videri sufficere quod sit duplex in ordine ad Officium diuinum, estò non sit feriatus à laboribus; siquidem in iure dies festi vocantur etiam illi, qui non sunt feriati à laboribus; quomodo Alex. VI.

Alex. VI. in priuilegio paulò ante citato concedit Religiosis S. Hieronymi, vt etiam extra tempora à iure statuta 3. diebus dominicis, aut festiuis duplicibus successiuè promoueri possint, distinguens inter dies dominicos, qui semper sunt feriati à laboribus, & inter alios dies festos duplices, de quibus non expressit quod debeant esse feriati à laboribus, addita particula *siue*, quæ est disiunctiua, non synonima, aut copulatiua; quod si dicit, *festiu*, & postea addit *duplicibus*, parum refert; cum ly festus sumatur per ordinem ad celebrationem Officij duplicis, non autem ad vacationem operum seruilium. Ita Fagund. *præc.* 1. *Eccl. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 12. ex Rodriq. *tom.* 3. *q.* 23. *art.* 5. contra Azor. *p.* 1. *l.* 1. *c.* 27. *q.* 19. addens ex declaratione Clementis VIII. posse Religiosos Mendicantes sumere ordines minores 3. diebus semiduplicibus.

QVÆRES XI. An Prælati regulares dare possint dimissorias Religiosis subditis ad Ordines suscipiendos.

174. Respond. posse; cum ad id expressa habeant priuilegia, quæ à Tridentino non fuerunt reuocata, nisi quoad subditos sæculares. Ita Diana *p.* 2. *tract.* 16. *resol.* 15. Lezana *supr. cap.* 14. *num.* 18. Tiber. *cap.* 7. *q.* 49. aliique communiter contra Filliuc. *tract.* 9. *num.* 98. Henriq. *l.* 10. *cap.* 23. *n.* 4. aliosque & probatur, tum ex declaratione Sacræ Congreg. de qua Nauar. *l.* 2. *consil. de temp. ordin. consil.* 22. *&* 23. ex decreto Clementis VIII. relato *quæst.* 5. tum ex praxi Religionum: tum quia licèt Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 8. id tribuat Ordinario, nomine tamen Ordinarij intelligit (quod attinet ad Regulares) etiam ipsos Prælatos regulares: & meritò, cum hi soli testari possint de requisitis ordinandorum.

Addit Tiber. dimissorias non posse dari, nisi à Prælatis regularibus habentibus iurisdictionem quasi episcopalem: quales sunt Generales, Prouinciales, Visitatores, & aliqui Abbates iuxta Glossam in Clement. I. *ver. proprij de reb. eccl. non alien.*

QVÆRES XII. An Subdiaconatum recipiens ab Episcopo originis possit recipere Diaconatum ab Episcopo domicilij.

175. Respond. quod, quamuis Molfesius Archidiac. Grassus, Quaranta, & Riccius relati à Diana *part.* 6. *tract.* 7. *resol.* 35. quos sequitur Barbosa *de Offic. Episc. in addit. ad allegat.* 4. *num.* 1. partem negantem sustineant, & quidem probabilius; probabilis tamen videtur etiam pars affirmans, quam sustinent Zipæus, quem citat, & non reiicit idem Diana *loco cit.* Ioan. de Lugo à me per literas de hoc consultus, aliique docti recentiores item à me consulti: & probatur; tum quia hîc variatio non contingit circa vnum, ac idem subiectum, sed respectu diuersorum (cum vnus ordo non sit alius) ideoque ea non est prohibita; tum quia nullo iure talis variatio est vetita; sicque procedit regula, vt iure permissum censeatur, quod non inuenitur prohibitum.

QVÆRES XIII. An Prælati regulares possint ordinare Religiosos, & quibus Ordinibus.

176. Respond. posse, & quidem conferendo primam Tonsuram, & Ordines minores; imò & Subdiaconatum, ac Diaconatum ex speciali indulto Innocentij VIII. Abbatibus Cisterciensibus concesso quod infra referemus: posse, inquam, si habeant ius ferendi mitram, ac pastorale, sint benedicti, & non ordinent, nisi proprios subditos Regulares. Ita Barbos. *de offic. & pot. Episc. alleg.* 3. *num.* 5. *&* 6. aliique plures apud ipsum, & patet ex Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 10. *de reform.* vbi hæc habentur. *Abbatibus, ac alijs quibuscumque quantumuis exemptis non liceat imposterum intra fines alicuius diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel minores ordines conferre.*

Dixi, *& non ordinent, nisi proprios subditos Regulares*, vt innuerem videri probabile Prælatos regulares, quibus aliàs competit facultas conferendi Ordines minores, vi illius non posse ordinare post Trident. neque Monachos alterius Monasterij (estò hi speciales dimissorias habeant à proprio Prælato) neque personas sæculares (quantumuis consentiant eorum Episcopi, illorumque dimissorias exhibeant;) quod tamen negant alij cum Vgol. *de offic. Episcop. cap.* 26. §. 7. *num.* 3. affirmantes dictos Prælatos posse conferre ordines minores tum iis, qui in temporalibus subsunt ipsorum iurisdictioni, tum aliis Regularibus non subditis: dummodo hi à propriis Prælatis, & illi à proprio Episcopo respectiuè habeant dimissorias, sempérque præhabeant consensus, & facultas Episcopi illius loci, in quo Prælatus regularis est collaturus ordines alieno subdito. Confirmat Vgol. suam sententiam ex quadam declaratione Sacræ Congreg. factæ super hac re: quamquam de ea non nihil videatur dubitare Nald. *ver. Abb. num.* 3. addens quod, nisi authenticè constet de illa, non est quoad hoc recedendum à contraria sententia Rotæ apud Seraphin. *part.* 1. *decis.* 985. asserentis mentem Concilij Trident. fuisse adimere Abbatibus regularibus facultatem conferendi primam Tonsuram, & ordines minores personis sæcularibus, etiam habentibus literas dimissorias à suis Ordinariis (quæ vtique facultas eis competebat ante Concilium, vt constat ex *cap. nullus, Episcop. de temp. ordin.*) eamque restrinxisse ad Religiosos subditos; ita Nald. à quo non dissentit Barbosa *num.* 12. *&* 13. Mirand. *part.* 1. *quæst.* 38. *art.* 9. & Suar. *tom.* 4. *de Rel. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 29. *n.* 21. aliique declarationem illam refert Quar. *ver. Ordin.*

Indultum verò concessum Abbatibus Cistercij (de quo paulò ante) refertur à Rodriq. *in bullario bulla Innocentij VIII. in ordine* 5. & indulget Abbati quidem Cistercij, idest Generali Ordinis (Abbas enim Cistercij semper est Generalis Ordinis Cisterciensis) vt possit conferre Subdiaconatum, ac Diaconatum omnibus Religiosis Ordinis, 4. verò Abbatibus principalium monasteriorum eiusdem Ordinis solùm Religiosis dictorum monasteriorum. Et hoc priuilegium à Religiosis Ordinis grauioribus audio etiam hodie esse in vsu: putóque (si verè subsistit) per viam communicationis competere aliorum Ordinum Abbatibus, nempe Generali Ordinis, qui correspondet Abbati Cistercij, & Abbatibus 4. monasteriorum principalium eiusdem Ordinis; quæ scilicet communi Ordinis sensu censentur principalia, vel certè à Prælatis Ordinis pro talibus deputantur.

Vtrum autem Prælatus regularis habens facultatem conferendi Ordines, possit eos conferre Nouitiis proprij Monasterij.

177. Respond. videri posse: cum facultas conferendi ordines sit beneficium Principis, quod latè explicandum est, quantum verba patiuntur; & aliàs Nouitij sint aliquo modo partes communitatis religiosæ, vt patet. Ita Suar. *num.* 12. addens *num.* 17. facultatem supradictam conferendi ordines competere etiam Abbatibus non benedictis, qui scilicet, sunt triennales, & non benedicuntur; idque ex concessione Iulij II. facta Ordini Cisterciensi, necnon ex aliis priuilegiis, quæ referuntur *in comp. dicti Ordin. v. Abbas.*

Addit Suar. *n.* 6. Prælatos regulares habentes facultatē conferēdi ordines ex vi iuris communis non posse

posse eos conferre, nisi in proprio monasterio (cum id expressè statuatur io *c. 1. dist. 69 ex 7. Synodo c. 14.*) & non alibi inuito Ordinario illius diœcesis: & quidem ita vt ad id non sufficiat consensus Prælati regularis Monasterij, in quo facienda sit ordinatio; quod est contra Glossam putantem consensum huius Prælati ad id sufficere, non secus ac consensus Episcopi diœcesani sufficit ad hoc vt alter Episcopus in illius diœcesi conferat Ordin. cum tamen, quoad hoc sit diuersa ratio Episcoporum, ac Prælatorum regularium, vt probat Suar. *loco sup. citato.*

Difficultas est an validè ordinetur subditus sæcularis à supradictis Prælati regularibus, ita vt non egeat noua ordinatione.

178. Respond. validè ordinari, & consequenter non egere noua ordinatione, sed solum indigere dispensari; vnde fit, vt verbum illud Concil. Trid. *non liceat*, quod habetur *loco sup. cit.* contineat simplicem prohibitionem, non auferat potestatem; si enim auferret potestatem, ordinatio non esset valida: cum ignorantia, & bona fides non reddant actum validum, si alioqui desit potestas. ita Suar. addens dispensationem, qua eget sic ordinatus ad hoc vt possit vti ordinibus collatis, pertinere ad proprium Episcopum illius, qui eo modo fuit ordinatus. Quod si Suar. *num. 8.* docet eiusmodi ordinationem esse inualidam: id non dicit absolutè, sed attento præcisè iure antiquo 7. Synodi per ipsum allegato *n. 3.* & abstrahendo à declaratione S. Congregat. Superiùs adducta: quæ, si authentica est, inquit Suarez *num. 22.* parit difficultatem.

Maior difficultas est, an priuilegium conferendi ordines per viam communicationis competat etiam Prælatis regularibus Ordinum non Monachalium?

179. Respon. Suar. *num. 28.* videri certum non competere; probatque tum quia nullus Ordinum non Monachalium vnquam vsus est tali priuilegio, imò nec Ordo ipsorummet Canonicorum Regularium (nisi fortè idipsum aliquibus specialiter sit cõcessum) cum tamen vsus talis priuilegij possit facilius accommodari eorum Instituto, ac modo procedendi: tum quia tale priuilegium semper conceditur Prælatis regularibus sub nomine Abbatis: quod est signum in iure significari aliquam dignitatem, quam non habent Prælati aliorum Ordinum, qui hoc nomine non vocantur; tum quia istud priuilegium est adeò speciale, vt non comprehendatur sub generali clausula, nec spectat ad bonum spirituale, aut conueniens regimen Religionis, sed potius ad quãdam dignitatẽ, ac præeminentiam talium Prælat. quæ videntur minùs accõmodata statui aliorum Ordin. præsertim Mẽdican.

180. Concessit quidem Nicol. III. Fratr. Dominicanis, per Bullam, quam refert Rodr. *in bullario bulla 2. Nicolai III.* vt possint non solùm conuersos ad Christianæ Fidei vnitatem recipere, baptizare, & aggregare, sed etiam ipsos aggregatos possint insigniri charactere clericali, & ipsos ad Acolytatus ordinem promouere. Vbi notandum, quod, licèt hic nulla fiat mentio de aliis 3. ordinib. minoribus horum tamen collatio item conceditur tanquam inclusa in collatione Acolytatus: aliàs enim cum sit prohibitio ordinum per saltum, parum prodesset quod præfati Religiosi possent conferre Acolytatum, & primam tonsuram (quæ hic vocatur character clericalis) si intermedios ordines non possent conferre: præterquam quod cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus *reg. 35. de regul. iur. in 6.* maxime si quod est minus, necessariam habeat connexionem cum eo, quod est maius; sicut euenit in casu nostro, quo ordo Superior ita est connexus cum inferiori, vt inferior non possit licitè recipi, nisi recepto Superiore.

Hinc dubitari potest, an vi huius concessionis possint Fratres Dominicani, aliique Regulares, quibus per viam communicationis hoc idem priuilegium competit, conferre primam tonsuram, & ordines minores etiam Religiosis sui Ordinis, imò & aliorum Ordinum.

Respond. videri non posse, nisi fortè Religiosi ordinandi & ipsi essent ex conuersis ad christianæ fidei vnitatem. ducot, quod priuilegia non debent extendi vltra intentionem concedentis sufficientibus verbis expressam; in nostro autem casu ex tenore concessionis, imò & ex fine in ea intento sufficienter explicatur facultatem conferendi ordines extendi solum ad conuersos ad vnitatem fidei: ideoque dixi eam extendi etiam ad ipsos Religiosos, siue eiusdem, siue alterius Ordinis, si de iis verificetur, quod sint conuersi ad fidei christianæ vnitatem. 181.

Quod si quæras, an præfatum priuilegium Nicolai III. per viam communicationis competat Fratribus Dominicanis, aliorumque Ordinum Religiosis, posito quod sit probabile priuilegium concessum etiam vni monasterio communicari aliis monasteriis eiusdem Ordinis, imò, & aliorum (quod esse probabile ostendimus in *tract. de priuil. cap. 5. sect. 3. q. 4.*

Respond. videri non competere, idcóque supradictos Religiosos non posse vi præfatæ concessionis conferre ordines extra prouincias in tenore concessionis expressas; idque ob rationem *§. praced.* allatam, quod priuilegium extendi non debet vltra mentem concedentis: cum tamen præsens concessio restringatur ad prouincias ibi expressas; vt colligitur ex iis verbis, quæ habentur in ipsa concessione. *Vt in terris, quæ adhuc Sedis Apostolicæ magisterio non intendunt.* 182.

QVÆRES XIV. An Regulares ordinandi incurrant excommunicationem ferri solitam ab Episcopis ante ordinationem contra eos, qui accedunt ad ordinationem cum impedimento occulto.

Respond. incurrere. ita Leaana *tom. 1. r. 14. n. 22.* cum Peyr. *tom. 1. priu. Const. 1. Iul. II. §. 16. n. 39.* & probatur ex eo, quod, licet Episcopi non habeant iurisdictionem in Regulares exemptos: cum tamen hi prohibeantur à Papa per Canones, & Constitutiones põtificias suscipere Ordines absq; debitis requisitis; hoc ipso Episcopi, dictos Canones, ac Cõstitutiones adiuuando possunt pœnam apponere; vt colligitur ex Panorm. *in c. innotuit de eo. qui furt. ord. susc. num. 2.* Quamquam, inquit Fill. *tract. 9. n. 99.* non deberent Episcopi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibere accedentes ad ordines, ne accedant cum impedimento occulto, & multo minus edicere se non habere intentionem ordinãdi eos, qui essent aliqua censura, aut irregularitate affecti: cum potius iuxta Romanum Pontificale deberent eos in generali absoluere ad cautelam ab omni excommunicatione, ac censura, eosque dispensare super omni irregularitate in quantum possunt. 183.

Concedo tamen hanc responsionem non procedere de Religiosis habentibus speciale priuilegium, quod non possint excommunicari, suspendi, aut interdici iuxta dicenda *inf. cap. 6. sect. 1. q. 19.* & dicta *in tract. de Monial. cap. 8. num. 6.*

Quod si hic obiter quæras, an validè ordinetur Regularis, qui cum impedimento occulto accedit ad recipiendos ordines ab eo Episcopo, qui modo supradicto protestatur se non habere intentionem ordinandi accedentes ad ordines cum impedimento.

Respond.

184. Respond. Diana *part. 5. tract. 13. resol. 66.* ex Ioan. Præposito contra Ioan. de Lugo *D 8. de Sacr. sect. 7. num. 119.* validè ordinari; probatque, quia non obstante dicta protestatione Episcopus verè intendit Ordines conferre examinatis, admissis, & nominatis, de quorum defectu nullam habet notitiam: ita vt illa protestatio dici possit fieri in generali ad terrorem tantum, ideoque factum in particulari esse contrarium protestationi: & hoc rationabiliter præsumi potest, ne aliàs ordinati illaqueentur scrupulis, qui possent identidem suboriri.

Addo quod, quando *in cap. neminem, cap. sanctorum, dist. 70.* dicitur ordinationem initiati absque beneficio, aut patrimonio esse irritam, id debet intelligi, quoad exercitium: sicut & debet intelligi *cap. cum secundum Apostolum, de prabend.* dum ait: *Licet prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine titulo promouentur, in iniuriam ordinantium irritas esse voluerint, & inanes*: quod idem habetur *cap. si Episcopus, eod. tit. in 6.*

185. Ex dictis autem *in hoc cap. sect. 5. subsect. 5. quæst. 4.* constat, quòd si Regulares incurrant excommunicationem latam ab Episcopo ordinante contra indebitè accedentes ad Ordines; possunt ab ea absolui per proprium Prælatum regularem (quòd in terminis docet Peyr. *num. 40.* contra Nauarr. *cap. 25. n. 7.* docentem, eiusmodi absolutionem reseruari Papæ: idque ex *cap. Innotuit, suprà citato.*) imò & per quemcumque alium Confessarium Ordinis legitimè electum: & hoc ex priuilegiis concessis Regularibus.

QVÆRES XV. An absolutiones, & dispensationes, quæ ad cautelam ab Episcopo ordinante dari solent, prosint etiam Regularibus exemptis.

186. Respond. prodesse. ita Lezana *vbi supr.* cum Sylvest. *v. irregularitas, quæst. 9. fin.* & Henriq. *lib. 10. c. 20. num. 2.* pateteque, quia Prælati regularium eo ipso, quòd Religiosis subditis concedunt facultatem suscipiendi Ordines, consequenter censentur concedere ea, sine quibus Ordines rectè recipi nequeunt; quale est, quod ab Episcopo ordinante absoluantur, aut dispensentur in censuris, ac irregularitatibus, saltem dubiis, & occultis, iuxta illud, *Qui vult finem, vult consequentia ad finem.*

QVÆRES XVI. An Prælati regulares, etiam locales, possint absoluere Religiosos subditos à suspensione contracta ex susceptione Ordinum facta, sine ante ætatem legitimam, siue absque debita licentia, siue per saltum.

187. Respond. posse. ita Diana *part. 3. tract. 2. resol. 85.* cum Rodriq. Pottel. ac Vinald. citato ab ipso Pottel. contra Sayr. *lib. 6. de censur. cap. 12. num. 13. & 14.* asserentem quoad hoc derogatum fuisse priuilegiis Regularium. Ratio responsionis est, quod ex vna parte Prælati regulares vi suorum priuilegiorum, & præsertim ex eo, quòd concessit Clem. IV. & refertur à Casarub. *in comp. v. absolu. ordin. quoad. Frat. n. 7.* & est bullarum, possunt proprios subditos Regulares absoluere à qualibet excommunicatione, suspensione, ac interdicto à iure, vel ab homine generaliter promulgatis, sed etiam dispensare in irregularitate, quam ij fortè incurrant, siue celebrando diuina Officia in loco interdicto, siue suscipiendo Ordines: nisi adeò fuerit grauis, & enormis excessus, quod sint ad Sedem Apostolicam meritò destinandi (quales sunt relapsus in hæresim, schisma, falsificatio literarum Pontificiarum, & delatio prohibitorum ad infideles (prout refert Casarub *num. 13.*) non autem suspensio, de qua hîc loquimur; ex alia parte ista priuilegia, aliàs Regularibus concessa, non fuerunt sublata per Concilium Tridens. *sess. 23. cap. 12. de reform.* cum ibi Concilium deroget solùm priuilegiis Regularium, quoad Ordines suscipiendos ante ætatem ab ipso præscriptam; vt proinde nulla videatur superesse ratio denegandi Prælatis regularibus facultatem absoluendi Religiosos subditos à supradicta suspensione, quoad forum conscientiæ; siue sic suspensus exercuerit Ordinem eo modo receptum (quo casu incurrit etiam irregularitas, super qua item potest dispensare Prælatus regularis) tum ad ministrandum in Ordinibus malè susceptis, tum ad ascendendum ad vlteriores Ordines, siue Ordinem non exercuerit. vnde fit, vt Nauarr. *cap. 25. num. 70.* dicens in hac suspensione solùm Papam dispensare, intelligendus sit loqui, non absolutè, sed seclusis priuilegiis: aliàs id est falsum; cum Papa talem facultatem possit concedere, imò & concesserit de facto, vt patet ex dictis. Dixi, *quoad forum conscientiæ*: si enim talis suspensio non sit occulta, sed deducta ad forum contentiosum, tunc recurrendum est pro absolutione ad Datariam, vel sacram Pœnitentiariam; cum sic fecat stylus Curiæ Romanæ, teste Peyr. *n. 36.* 188.

Nec obstat supradictis, quod Sixtus V. *in sua Const. contra malè promotos*, reuocauerit priuilegia Regularium concessa ad absoluendos subditos sic malè promotos. Si quidem dicta priuilegia per alios Pontifices posteriores fuerunt reualidata per confirmationem eorum factam ex certa scientia: quæ forma confirmationis reualidat priuilegia per Pontifices priores reuocata; vt iam dictum est.

Vtrum verò Prælati regulares possint absoluere Religiosos subditos à Simonia commissa in susceptione Ordinum.

Respond. posse, etiam non obstante Constitutione Sixti V. edita *contra malè promotos*: idque ob rationem allatam *supr. sect. 1. subs. 2. q. 7.* quod scilicet facultas absoluendi à supradicta Simonia aliàs competens Regularibus, & sublata à Sixto V in allegata Constit. per subsequentem priuilegiorum confirmationem factam Regularibus ex certa scientia fuerit reualidata. Quæ ratio vtique etiam in præsentia viget, etiam post decretum Vrban. VIII. editum 17. Nou. 1628. & inferius à nobis afferendum: quo declaratur per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Concil. Trid. obtinuerunt, nequaquam reuixisse priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam factæ Congregationis decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absoluendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reseruatis. Cùm enim hoc decretum sit odiosum, non debet ampliari; sed restringi, adeòque cum expressè loquatur tantùm de facultate absoluendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reseruatis, & Simonia commissa in susceptione Ordinum non sit casus contentus in Bulla Cœnæ, neque reseruatus Ordinario loci (vt suppono) ad eam non extenditur præfatum decretum, ac proinde, si ante illud poterant Regulares absoluere modo supradicto, poterunt & in præsentia post illud. ita Peyrinus *tom. 3. priuileg. cap. 3. num. 31.* quanta cum probabilitate, non vacat hîc discutere, viderit ipse, & statuant alij. 189.

QVÆRES XVII. An, & quomodo Prælati regulares possint dispensare Religiosos subditos super irregularitate orta ex defectu corporis, aut alia quacumque impediente susceptionem Ordinum.

Respond. posse, modò vitium non sit ita fœdum, vt inde probabiliter immineat scandalum: idque in pluribus casibus afferendis *in tract. de gubern. Regul. cap. 3. sect. 4. q. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & seqq.* Quamquam in his casibus, non tam dicendi sunt Prælati 190.

dispensare, quam iudicare Religiosos subditos in dubio non esse irregulares ex hoc, aut illo defectu corporis; vnde tenentur hoc suum arbitrium, ac iudicium significare Episcopo, ad quem mittunt subditum ordinandum: qui tamen Episcopus liberè potest tale arbitrium admittere, aut reiicere, vt benè aduertit Suar. *D. vlt. de censur. sect. 3. num. 16.* Et quidem, quod Prælati regulares dispensare possint mudo supradicto cum suis subditis in irregularitatibus, probatur, tum ex eo quod ij respectu Religiosorum subditorum gaudent auctoritate quasi Episcopali, ac proinde, sicut Episcopi possunt cum suis subitis dispensare in multis irregularitatibus prouenientibus ex defectu corporis, aliisque occultis, vt constat ex Conc. Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* ita & Prælati regulares poterunt in iisdem irregularitatibus dispensare cum suis subditis (quidquid contradicant alij cum Barbos. *de offic. & potest. Epis. alleg. 41. num. vlt.*) tum quia Paulus III. per bullam relatam in Bullar. Soc. Iesu *pag. 32.* concessit facultatem, vt Præpositus generalis, & de eius licentia Prouinciales, ac eorum Vicarij, & loca tenentes possint dispensare cum suis subditis super quacumque irregularitate, præterquam in homicidio voluntario, aut præstatione auxilij, vel fauoris huiusmodi homicidij, aut ex bigamia proueniente; ita vt, ea non obstante, possint promoueri ad omnes Ordines, etiam Presbyteratus. Ex quo fit, quod cum in hac exceptione solum excipiantur hæ duæ species irregularitatis, non autem irregularitas, quæ est ex defectu corporis, & aliæ similes, super his poterunt Prælati regulares dispensare, imò & Superiores aliorum Ordinum, qui per viam communicationis gaudent tali priuilegio; omnis quippe exceptio firmat regulam in contrarium, vt proinde minùs benè negarit Bonac. *D. 7. de censur. q. 2. p. 2. num. 36.* talem facultatem dispensandi non competere Prælatis regularibus ex eo quod nullo iure probatur eam ipsis competere: constat si quidem illam concessam fuisse à Paulo III. Prælatis quidem Societatis Iesu per se primò, per viam verò communicationis etiam Superioribus aliorum Ordinum, eamque ad dispensandum non solùm in irregularitatibus ex defectu corporis, sed etiam in aliis, vt modò diximus. Notat autem Bordonus *cap. 4. de profess. q. 56. §. infirmum Religiosum* irregularem ex morbo caduco, amentia, aut obsessione à proprio Prælato dispensari posse, quoad vsum ordinum susceptorum (quod docent Sylu. Ang. Tabien. & Vecch. relati à Bordono) sed etiam quoad receptionem aliorum ordinum: quod docent Mol. *tom. 4. D. 70.* & Auila *de censur. p. 7. D. 3. d. 4.*

191. Addò hic tantùm ex concessione viuæ vocis oraculo facta Monachis S. Benedicti per Martinum V. posse Prælatos regulares, etiam locales dispensare cum suis subditis super omni irregularitate, etiam in illis casibus, in quibus Papa sibi vicem reseruat; nempe in morte, membrorum truncatione, & sanguinis effusione enormi; dummodò hæc tria non sint notoria. Quamquam, quod spectat ad homicidium voluntarium, reuocata sit talis concessio in Conc. Trid. *sess. 14. cap. 7. de reform.* & quidem etiam, quoad forum conscientiæ; cum in dicto Concil. reuocata fuerint omnia priuilegia Regularibus aliàs concessa, quatenùs repugnant ipsi Concilio, vt ostendimus *cap. præced. sect. 4. q. 18.* Dixi, *viua vocis oraculo*, vt indicarem eiusmodi concessionem, attenta generali reuocatione viuæ vocis oraculorum, de qua sup. non amplius suffragari, vi pote vi illius reuocatam; nisi fortè quis mallet dicere cum Peyr. eam reuixisse iuxta dicta *cap.* item *præced. sect. 5. q. 10.*

QVÆRES XVIII. An, & quo modo requiratur ad substantiam, & valorem Sacramenti, vt Regulares ordinandi physicè, & realiter tangant materiam, quæ ipsis traditur in ordinatione.

Respond. non requiri, quamuis diligenter curare debeant, vt quando traditur materia Ordinis, eam modo dicto tangant, & quidem simul cum prolatione formæ, quam profert Episcopus ordinans, non tamen simultate physica, sed morali; nimirum vel paulò ante, vel paulò post ipsam prolationem, ita Laym. *l. 5. tract. 10. cap. 5. num. 3. & 4.* cum Alb. Vict. Henriq. Amil. Vasq. Zambr. Soto, Caier. & aliis apud Tiber. *cap. 3. q. 20.* contra S. Thom. *in 4. d. 24. q. 1. a. 1. quæstiunc. 5. ad 3.* aliosque plures apud eũdem Tiberium: patetque ex eo, quod si contractus physicus requiritur in ordinatione, maximè requiritur ratione acceptationis: quæ tamen non exigitur Sacramento Ordinis; cum forma illius *Accipe* denotet solum traditionem potestatis in alium; ad quod vtique sufficit traditio facta præsenti sine morali acceptatione; vt constaret in casu, quo infans incapax humani consensus, & acceptationis ordinaretur, qui tamen validè ordinaretur: imò etsi detur requiri acceptationem ad hoc vt ordinandus recipiat materiam Ordinis, &, ea mediante, potestatem, adhuc non requiritur contactus physicus, sed sufficit solus consensus illius, qui ordinatur: si quidem & rei dominium, & possessio tradi possunt sine contactu, solo oculorum aspectu *l. 18. quod meo, § si venditorem, ff. de acquir. possess.* præterquam, quod ad denotandam acceptationem potestatis non sufficeret contactus, quo modo fit ab ordinandis, tangentibus vasa manibus ligatis: cum non dicamur aliquid recipere, nisi illud stringamus manu. 192.

QVÆRES XIX. Qualiter se debeant gerere Regulares, quando in susceptione Presbyteratus proferunt verba consecrationis cum Episcopo ordinante.

Respond. debere ita se gerere, vt intendant proferre verba consecrationis eo meliori modo, quem intendit Ecclesia, nimirum non præuenientes Episcopum in eorum recitatione, ac diligenter curantes, vt ea simul cum eo absoluant; debent prætetea habere intentionem conditionatam consecrandi eamdem hostiam, si contingat eos vnà cum Episcopo formam consecrationis absoluere, aliàs proferendi illam solùm materialiter in signum potestatis sibi concessæ: sic enim Episcopos certò consecrat (quod vtique est conuenientissimum; cum sit principalis sacrificans:) non consecrat autem si ab aliis modo dicto præueniretur. ita Filliuc. *tract. 4. n. 154.* ex Caier. Vict. Suar. & alij. 193.

Quod autem dicit Pasqu. *dec. 422.* Sacerdotem in Missa ordinationis, si audiat verba consecrationis esse ab alio ordinato completa, priusquam ipse compleat, debere non progredi vlterius: non omnes admittunt, imò plures alij sustinent præfatum Sacerdotem, practicè loquendo, teneri in tali casu complere verba consecrationis cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: probantque quia sic ex vna parte consuetudinem Ecclesiæ obseruant; & ex alia cessant absurda ab Aduersariis in contrarium allata hoc ipso, quod Sacerdos, ordinandus in isto casu intendit dicere verba Consecrationis merè materialiter, vt paulò antè diximus.

QVÆRES XX. An Regulares sub mortali teneantur recitare preces, & celebrare Missas, quas Episcopi solent præscribere in ordinatione.

Respond. videri probabile non teneri, nisi ex quadam congruentia, ac honestate ducor, quod, cum hic 194.

hîc agatur de obligatione inducenda, & quidem grani, ſtricta facienda eſt interpretatio, nec ita facilè præſumendum eſt de Epiſcopo ordinante, quod intendat obligare ſub mortali ad eas preces ac Miſſas; præſertim cum adſit iuſta ratio dubitandi, an Epiſcopus illas præſcribat per modum conſilij, aut præcepti. ita Val. *tom. 3. D. 6. q. 2. p. 10.* Sot. *l. 10. de iuſt. q. 5. a. 3* Caſt. Pal. *tom. 2. D. 2. de orat. p. 1. §. 1. n. 5.* aliique contra Auerſam *q. 2. de Ordine, ſect. 13. §. vlt.* & alios plures ab ipſo relatos. Imò aliqui Neoterici probabiliter putant Sacerdotes recèns ordinatos non teneri applicare ad intentionem Epiſcopi ordinantis 3. illas Miſſas præſcribi ſolitas in ordinatione, (nempe de Spiritu S. de B. V. & de requiem) ſi quidem id non exprimit Epiſcopus; cum tamen, ſi id vellet, deberet exprimere iuxta illud *Si voluiſſet, expreſſiſſet*; nec eſſe opus eas dicere ſtatim ac celebrata eſt prima Miſſa, ſed poſſe eas differri, ſi contingat occurrere dies, in quibus non poſſint dici Miſſæ votiuæ: talis enim præſumitur intentio ordinantis.

QVÆRAS XXI. An Regulares mort. peccent exercendo functiones ordinum, ſiue minorum, ſiue maiorum in peccato mortali.

195. Reſpond. peccare mort. per ſe loquendo, ſecluſa adminiſtratione Sacramentorum facta à Miniſtro tamquam ad illam deputato, & conſecrato. ita Suar. *de Sacram. D. 16. ſect. 3.* aliique penes ipſum contra alios apud eumdem; & quidem quoad functiones ordinum minorum, patet ex eo, quod reſpectu illorum materia eſt leuis; cum dicti Ordines valdè remoti ſint à proprio, ac perfecto actu ſacrificandi, aut miniſtrandi Sacramenta, ad quem, tamquàm ad finem dicti Ordines referuntur: vt proinde Sot. *in 4. d. 1. q. 5. a. 6.* dicat in eorum exercitio nec venialiter peccari, quod verò ſpectat ad actus Ordinum maiorum, videlicet Subdiaconatus, & Diaconatus probatur, tum, quia tales actus non ſunt immediatè ſanctificatiui: tum, quia non extat ſpecialis prohibitio, qua ij prohibeantur exerceri in peccato mortali, vbi autem non conſtat de præcepto, non eſt facilè imponenda obligatio ſub mortali.

196. Quod verò dicitur *cap. vlt. de temp. ordinat.* Sacerdotes, & Clericos non eſſe quidem prohibendos à Iudice exteriori ob occulta ipſorum delicta in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, veruntamen, ſi non pœnituerint, monendos eſſe, & ſub interminatione diuini iudicij obteſtandos, vt in teſtimonium ſuæ damnationis nec aſcendant ad ſuperiores Ordines, nec in iam ſuſceptis miniſtrent, quod, inquam, dicitur in *hoc cap.* non indicat eſſe peccatum mort. miniſtrare in ordinibus, ſi miniſtrans ſit in peccato mort. neque circa hoc indicat nouam legem poſitiuam, ſed ſolum explicat naturalem, non decidés tamen, quam grauis ſit iſta tranſgreſſio, cum id potius debeat ſtatui ex qualitate obiecti, ac materiæ. ita Suar. qui addit non facilè excuſandum à mortali eum, qui in ordinibus ſacris diu, aut frequenter, aut ex conſuetudine miniſtraret in peccato mort. cum ſic tranſgreſſio videatur fieri grauis. & talis conſuetudo præſumatur oriri ex contemptu quodam, ſaltem virtuali.

QVÆRES XXII. An peccet duplici peccato Religioſus profeſſus, qui eſt initiatus ordine ſacro, ſi omittat horas, & teneatur id exprimere in confeſſione.

197. Reſpond. non peccare, niſi vnico peccato: cum violet tantum virtutem Religionis, ex qua ſolum tenetur recitare horas, tum vt Profeſſus, tum vt Sacerdos; & ſola multiplicatio præceptorum circa eamdem materiam non inducat multiplicem difformitatem ſpecie; quo pacto Garc. *de benefic. p. 3. cap. 4. num. 125.* Henriq. Salas, & Homob. apud Dianam *p. 1. tract. 12. reſol. 22.* ſuſtinent beneficiarium, qui eſt Sacerdos, non recitantem horas peccare vnico peccato contra Religionem: quippequi ſolum ex Religione tenetur ad Horas, tum vt Sacerdos, tum vt beneficiarius (quamuis id negent plures alij apud eumdem Dianam putantes Beneficiarium ex iuſtitia teneri ad recitandum diuinum Officium, non autem ſolum ex virtute Religionis.) eſt enim par ratio de Sacerdote profeſſo, ac de Sacerdote beneficiario, quoad obligationem horarum; vt proinde Garcia aliique ab eo citati dici poſſint nobiſcum ſentire in iſta quæſtione.

QVÆRES XXIII. An Regularis ſacris ordinibus initiatus fornicans teneatur in confeſſione exprimere ſe eſſe & Religioſum profeſſum, & ſacris ordinibus initiatum.

Reſpond. non teneri, ſed ſufficere, quod, tacito ſacro ordine, dicat ſe eſſe profeſſum. ita Sanch. *l. 7. de matrim. D. 17. num. 30.* cum Corduba, Ouando, Manuel. & Lud. Lopez contra Conineh. *D. 20. de Sacram. num. 131.* mordicus oppoſitum ſuſtinentem aliosque apud ipſum Sanch. Ratio noſtræ reſponſionis eſt, quod, cum Caſtitas non ſit annexa conſecrationi Sacerdotij ex natura rei, ſed ratione voti annexi ex Eccleſiæ inſtitutione, malitia neceſſariò confitenda conſurgit ex ſola voti tranſgreſſione; tota autem malitia voti Ordinis ſacri violati ineſt incluſa in violatione voti emiſſi in profeſſione ſolemni: cum tamen non committat plura peccata, qui violat votum ſæpius repetitum, vt fatentur communiter Doctores. 198.

Nec obſtat, ſi dicas fornicationem Regularis profeſſi, qui ſimul eſt ſacro ordine initiatus, videri continere diuerſam malitiam, vtpote oppoſitam diuerſis finibus virtutis Religionis: ſtante, quod Eccleſia annexuit votum Caſtitatis Ordini ſacro ob reuerentiam miniſterij ſacri; votum verò obligat ad fidem Deo præſtandam; non obſtat, inquam, quia Eccleſia quidem præcipiens, vt ordinandi in ſacris voueant Caſtitatem, habuit illum finem, adhuc tamen votum Caſtitatis emiſſum obligat ſolum ex fidelitate Deo debita; vnde fit, quod ſi ij in ſuſceptione Ordinis ſacri voueant Caſtitatem, ſatisfaciant ſupradicto præcepto, ac fini Eccleſiæ (ſicut è contra illud præceptum tranſgrediuntur, ſi non voueant) cæterùm maneant obligati ad Caſtitatem ſolum ex fidelitate, qua tenentur ſeruare promiſſionem factam Deo: ita vt illud præceptum Eccleſiæ non ſit immediatè de Caſtitate ſeruanda ab initiatis ordine ſacro, ſed de voto Caſtitatis emittendo; quod eſt valdè aduertendum. 199.

Non obſtat item, quod fornicatio Sacerdotis Religioſi profeſſi videtur continere circumſtantias diuerſas ſpecie, vtpote continentes ſpeciale impedimentum matrimonij, & ſic neceſſariò inducentes ſpecialem Obligationem ad Caſtitatem; non obſtat, inquam; cum ſtatutum Eccleſiæ reddens Religioſos profeſſus, alioſque ſacris ordinibus initiatos inhabiles ad matrimonium id faciat ob reuerentiam voti Caſtitatis, adeóque non inducat obligationem ſpecie diuerſam neceſſariò in confeſſione exprimendam, vt volunt Aduerſarij. 200.

Quod ſi vrgeas cum Coninch hinc ſequi eum, qui ſuſcipiens ordinem ſacrum, intendit non vouere Caſtitatem, validè contrahere matrimonium, cum nullum votum emiſerit, per quod prohibeatur: præterquam, quod alioqui Eccleſia deberet reddere inhabiles ad nuptias omnes eos, qui voueant Caſtitatem.

Reſpond.negando vtramque ſequelam: priorem quidem,eo quòd inhabilitatio ad matrimonium ab Eccleſia fuit annexa voto caſtitatis,quòd initiandus ſacro Ordine facit,aut ſaltem facera debet,adeóque talem inhabilitatem incurrit quicumque initiatur Ordine ſacro, etiamſi non faciat votum præfatum caſtitatis, quod alias tenetur facere(quod eſt dicere eiuſmodi inhabilitatem prouenire, non ex eminentia ſtatus (vti Conineh.) ſed ex voto caſtitatis, ſin minùs emiſſo de facto, ſaltem emittendo: posteriorem verò, quia maior extabat ratio, cur Eccleſia ſupradictam inhabilitatem annecteret voto caſtitatis ſolemni (quale emittitur tacitè, & implicitè in ſuſceptione Ordinis ſacri) quam cuilibet voto ſimplici caſtitatis, idque ob varias congruentias, quæ facilè occurrent conſideranti.

Capvt III.

De Priuilegiis, quæ conceſſa ſunt Regularibus,quoad Sacramentorum adminiſtrationem.

Qvoniam Ordines Regularium, maximè Mendicantium in Eccleſia inſtituti ſunt ad ſpiritualem proximorum ſalutem procurandam, & quidem in primis media Sacramentorum adminiſtratione; multaque illis ad hunc finem vtilius conſequendum conceſſa ſunt priuilegia à ſummis Pontificibus: in hoc capite eiuſmodi priuilegiorum explicationem aggredimur.Caput diuidemus in quinque ſectiones: in 1. exponemus priuilegia conceſſa ad miniſtrandum Baptiſmum:in 2.quæ ſunt conceſſa ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ (quod enim ſpectat ad Sacramentum Confirmationis nullum occurrit priuilegium peculiariter datum Regularibus:) in 3. explicabimus priuilegia conceſſa ad miniſtrandam Euchariſtiam: in 4. quæ ſunt conceſſa ad miniſtrandam extremam Vnctionem: in 5. denique quæ conceſſa ſunt circa Sacramentum Matrimonij;priuilegia ſiquidem,quæ conceſſa ſunt Regularibus, quoad miniſtrandum Sacramentum Ordinis, iam declarata ſunt *cap.præcedenti ſect.3.*

Sectio I.

Quæ Priuilegia conceſſa ſint Regularibus, quoad miniſtrandum Sacramentum Baptiſmi.

1 *Regulares baptizant ſolemniter ſolùm in defectum Parochorum.*
2 *Et hoc, ſiue ſint Ordinis Monachalis, ſiue non.*
3 *At poſſunt baptizare recèns conuerſos ad fidem, & paruulos parentum infidelium.*
4 *Nullam tamen pœnam incurrunt, ſi baptizant in caſu vetito.*
5 *In Baptiſmo poſſunt vti chriſmate veteri.*
6 *Et quidem etiam in Indijs Orientalibus.*
7 *Infidelium ſpecies ſunt 3. Infidelium filij; inuitis parentibus, interdum baptizantur.*
8 *Regulares non ſunt Compatres in Baptiſmo.*

Qværes I. An, & quibus in locis poſſint Regulares miniſtrare Baptiſmum.

Reſpond. non poſſe quidem in regionibus, in 1.
quibus ſinguli fideles habent ordinarios Paſtores, ad quos ſpectat ex officio baptiſmi adminiſtratio: id enim ipſis prohibetur iure communi *in cap. placuit* 2. 16. *quæſt.*1. vbi Eugenius Papa prohibet Monacho baptizare (intellige ſolemniter;)poſſe tamen ſolemniter baptizare in partibus Indiarum,aliorumque Infidelium: idque, tum ex iure communi *c.doctos 16. quæſt.* 1. id concedente ratione muneris ipſis commiſſi:cum æquum ſit, vt qui mittuntur ad prædicandum gentibus, vel aliis infidelibus, eis committatur facultas recipiendi in Eccleſiam eos, qui ingredi voluerint, eiſque demandetur tota cura illarum animarum; tum ex priuilegio Leonis X. Pauli III. & IV. ad hoc Regularibus conceſſo, vt inter Indos, ac infideles poſſint baptizare eos, qui ad fidem conuertuntur. ita Suar. *tom 4. de Rel.tract.*10. *lib.9.cap.4.num.*3.5.6.monens hæc locum habere ſolum, quamdiu in dictis regionibus non ſunt fundatæ Eccleſiæ, in quibus adſint proprij Epiſcopi, aut Parochi; vbi enim Eccleſiæ hoc pacto ſunt fundatæ, non poſſunt Regulares amplius vti præfatis priuilegiis; cum ſic ceſſet ratio, ob quam ea conceſſa ſunt, nempe conueniens fidei propagatio in iis regionibus, ad quam ſine dubio non eſt neceſſarium, nec conueniens, quod Regulares vſurpent ius Parochorum, quando his cura iam commiſſa eſt; cum id potiùs excitare lites, iurgia, & diſſenſiones poſſit, vt patet.

Illud porrò hîc aduertendum eſt, quod, licet in 2.
cap. placuit, citato, expreſſa mentio fiat ſolùm de Monacho: ibi tamen nomine Monachi veniunt omnes Religioſi non habentes curam animarum (quod innuit Gloſſa iis verbis, *non habentibus populum:*) ſiquidem vbi ratio prohibitionis non fundatur in ſpeciali conditione Monachatus,ſed in generali ſtatu Religioſi, appellatione Monachi veniunt omnes Religioſi; vt notauit Nauarr.*conſ.*10.*de ſtatu monach.* ex Panorm.*c.*2. *de poſtul.* quod omninò euenit in præſenti caſu,vt facilè conſtabit conſideranti.

Concedit tamen Suar.*num.*7. Regulares vi ſupra- 3.
dictorum priuilegiorum poſſe baptizare; tum eos, qui denuo conuertuntur ad fidem, & adulti baptizantur, tum paruulos ex voluntate parentum infidelium, aut ad baptiſmum venientium; cùm ij nondum ſint de Eccleſia, adeóque nondum ſubſint iuriſdictioni Parochorum, ſed adhuc duret facultas Papæ per priuilegia circa illos conceſſa Regularibus, & vigeat finis talis facultatis, nempe propagatio fidei. Quamquam, quod attinet ad illos, qui in partibus Infidelium habent domicilium in locis, aut diœceſibus iam habentibus proprios, Epiſcopos, aut Parochos, & non ſunt baptizati, ſecurius putat Suar.*num.* 8. vt non baptizentur ſine Epiſcopi illius diœceſis conſenſu: quippe qui habet ius in totum illud territorium, eique demandata eſt cura omnium animarum ibi exiſtentium, tum vt nutriantur in fide, tum vt ad eum reuocentur; quod eſt Eccleſiam habere in Infideles nondum baptizatos iuriſdictionem, non quidem coërcitiuam, ſed voluntariam.

Qværes II. An Regulares incurrant aliquam pœnam baptizando ſolemniter in caſibus non conceſſis.

Reſpond. nullam incurrere. ita Rodriq. *tom.* 1. 4.
*quæſt.*31. *art.*1. & patet, tum,quia nullibi reperitur talis pœna:cum in Clem.*religioſi de priuil.*excommunicatio lata ſit ſolùm contra Regulares miniſtrantes

Eucha

Eucharistiam, matrimonium, ac Extremam Vnctionem; constat autem pœnas non debere extendi ob paritatem rationis, aut etiam maioritatem.

QVÆRES III. An Regulares in Baptismi administratione vti possint oleo sancto, & chrismate veteri.

5 Respond. posse, & quidem etiam 3. annorum: idque non solùm in baptizandis paruulis, si nondum delata sint oleum, & chrisma recentia, sed etiam in baptizandis adultis. Ita Rodriq. *art. 5.* patétque ex indulto Leonis X concesso Fratribus minoribus, & postea extento à Greg. XIII. ita vt adhiberi possint oleum, & chrisma etiam 4. annorum; & quidem meritò, cum in partibus infidelium, nempe in Indiis Occidentalibus, pro quibus eiusmodi priuilegium concessum est, non ita facilè haberi possint oleum, & chrisma recentia.

6. An verò istud priuilegium suffragetur etiam in Indiis Orientalibus non decidit Portell. *de dub. Regul. ver. Religiosus, num. 8.* dicens ex Rodriquez id colligendum esse ex concessionibus particularibus; ego tamen censeo probabile esse, quod possit suffragari; cum simus in materia fauorabili, quæ debet ampliari; & alioqui ratio concessionis non minus militet in Indiis Orientalibus, quàm in Occidentalibus.

QVÆRES IV. An Regulares possint baptizare filios infidelium, etiam inuitis eorum parentibus, & quando.

7. Pro responsione suppono tria esse genera infidelium: aliqui enim illorum sunt subditi Ecclesiæ etiam quoad iurisdictionem spiritualem (quales sunt Christiani à fide desciscentes in hæresim, iudaismum, aut paganismum) alij sunt subditi Ecclesiæ, quoad iurisdictionem temporalem, ac politicè: ac denique nec sunt subditi Ecclesiæ spiritualiter, nec politicè; his suppositis,

Respond. distinguendo: vel baptizandi sunt filij infidelium primo modo; & sic possunt baptizari à Regularibus, etiam inuitis parentibus; cum Ecclesia habeat ius cogendi parentes ad seruandam fidem, eosque puniendi pœna mortis, si pertinaces sint, & consequenter priuandi illos potestate, quam habent in filios: vel sunt filij infidelium secundo modo; & sic (siquidem etiam ipsi infideles sint serui, & mancipia) possunt licitè baptizari inuitis parentibus: cum Dominus habeat ius vendendi suum seruum, eum separandi à filio, &c. non item, si infideles sint subditi Ecclesiæ solùm politicè; sic enim non possunt filij eorum baptizari, parentibus inuitis: quippe qui si baptizentur, vel eripiendi sunt à parentibus (& fit ipsis iniuria; cum iure naturæ pater ius habeat in filios, vt eos instruat, & regat) vel relinquendi sunt in parentum potestate, & fit iniuria baptismo ob periculum apostasiæ (quod tamen negant Scot. & Gabr. sustinentes Principem, cuius est coërcere sibi subditos, vt Deo obediant, posse eos baptizare, etsi solùm politicè sint subiecti:) vel sunt filij infidelium tertio modo; & sic non possunt baptizari inuitis parentibus: vt vel hinc patet, quod si filij infidelium subditorum tantùm ciuiliter non sunt baptizandi, multò minùs filij infidelium nullo modo subditorum; cum sic sequantur eadem absurda, imò & maiora. Ita Filliuc. *tract. 2. cap. 6. quæst. 8.* ex Suarez *D. 25. de Sacram. sect. 3.* addens filios infidelium posse baptizari inuitis parentibus, non solùm in casu, quo illi sint in periculo mortis, ac desperati (quod etiam concedunt S. Anton. *2. part. tit. 12. cap. 2.* §. 4. & Sot. *in 4. d. 5. art. 10.* sed etiam in casu quo filij sint extra paternam potestatem sine spe restitutionis) quod concedunt etiam Caiet. Scotus, & alij: quorum aliqui benè notant ad baptizandum filium sufficere consensum alterius è parentibus, etsi ambo sint infideles: idque in fauorem Religionis; quamquam hac in re magna cum cautela procedendum sit ob apostasiæ periculum.

QVÆRES V. An, & quo iure prohibeantur Regulares fieri Compatres in actu suscipiendi in Baptismo.

Respond. prohiberi *in cap. non liceat Abbati de consecr. d. 4.* & quidem sub peccato mortali, teste Nald. *ver. Religiosus, num. 9.* Quamquam probabile sit tali prohibitione non adstringi Religiosos Ordinum Mendicantium, vt dicemus *in tract. de prohibit. cap. 14. quæst. 2.* 8.

SECTIO II.

De Priuilegiis, quæ concessa sunt Regularibus, quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ.

IN hac sectione explicanda sunt nobis Priuilegia concessa Regularibus, quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ: &, cum ea sint multa, ac varia, ideóque non possint sine confusionis nota vnico titulo comprehendi, sectionem diuidemus in quinque subsectiones: In quarum 1. exponemus priuilegia concessa Regularibus, quoad approbationem requisitam pro sæcularium confessionibus audiendis: In 2. quæ concessa sunt, quoad absoluendos ipsos sæculares à reseruatis tum Papæ, tum Ordinariis: In 3. quæ concessa sunt, quoad commutationem, ac dispensationem votorum, etiam reseruatorum: In 4. quæ concessa sunt, quoad expediendas literas sacræ Pœnitentiariæ: In 5. denique quæ concessa sunt quoad dispensandum super impedimento non petendi debitum coniugale; hæc, inquam, omnia in ista sectione nobis explicanda sunt; vtpote quæ magnam habent connexionem cum Sacramento Pœnitentiæ, vt ex ipsa eorum explicatione constabit.

SVBSECTIO I.

Quæ Priuilegia concessa sint Regularibus, quoad approbationem requisitam pro Confessionibus sæcularium audiendis.

9 *Ad validam confessionum auditionem requiritur iurisdictio, & approbatio: illam Regulares habent à Papa, hanc ab Episcopo, quoad sæculares.*

10 *Nunc non sufficit, vt ij præsententur Episcopo à suis Prælatis, sed ab eo approbandi.*

11 *Et quidem possunt ab Episcopo examinari: tuncque debent stare coram eo.*

12 *Examinari possunt etiam Doctores, ac licentiati.*

13 *Non est opus eos ad hunc effectum præsentari à suis Prælatis.*

14 *Nisi fortè obstent statuta proprij Ordinis.*

15 *Et hoc maximè procedit in Societate Iesu.*

16 *Religiosus à suo Superiore prohibitus audire confessiones interdum validè audit.*

17 *Approbatus ab Episcopo, inscio Superiore, fruitur priuilegijs conferentibus ad confessionum auditionem: quod alij negant.*

18 *Regulares approbandi ab Episcopo proprio, cui scilicet se subijciunt quoad hoc.*
19 *Alicubi approbati eligi possunt vbique ab habente facultatem eligendi Confessarium.*
20 *Prælatus regularis parochiam sæcularium habens non approbat suum Capellanum, stando in iure communi.*
21 *Sicq; renocatis generaliter approbationibus, reuocatur approbatio talis Cappellani.*
22 *Legatus a latere approbat in sua Prouincia Regulares ad confessiones sæcularium.*
23 *Eius approbatio non cessat ex generali reuocatione approbationum Episcopi.*
24 *Religiosi admissi ad examen, si idonei sunt, reijci nequeunt.*
25 *Neq; sub prætextu quod nimia adsit copia Confessariorum in Diœcesi.*
26 *Iniustè reiecti iuxta aliquos possunt audire confessiones, si constet de iniustitia: alij tamen dissentiunt.*
27 *Talis iniustitia ex varijs capitibus colligi potest.*
28 *Regulares ex causa possunt apprbari limitatè; & quidem ita vt valide complicem nequeant absoluere: quod tamen non procedit respectu monialis exempta (nisi id explicetur) imo nec respectu complicis Laici pro tempore Iubilei.*
29 *Approbati solùm ad confessiones virorum vi Iubilei possunt eligi à fœminis.*
30 *Probatur assertio.*
31 *Alicubi approbati non sunt vbique approbati.*
32 *Idque secl.sa quauis prohibitione Episcopi.*
33 *Ex mutatione domicilij cessat approbatio respectu illius loci.*
34 *Approbati in aliqua diœcesi vbique audiunt confessiones illorum Diœcesanorum.*
35 *Etsi dissentiat quidam Recentior.*
36 *Afferuntur eius rationes, & dissoluuntur.*
37 *Episcopus extra suam Diœcesim non approbat Confessarios pro suis subditis.*
38 *Regularis alicubi approbatus, si recedat ab Ordine, ibi desinit esse approbatus.*
39 *Sacerdos sæcularis alicubi approbatus, si ibi fiat Religiosus, adhuc ibi audit confessiones, fruiturque priuilegijs Ordinis ad vsum huius ministerij concessis: quod negat Moronus.*
40 *Approbatio illimitata durat, vsq; dum reuocetur, & facit vbique eligibilem vi Iubilei.*
41 *Parochus resignata parochia factus Religiosus absque noua approbatione audit confessiones: approbatus ad cōfessionem vnius cum hoc quod possit illum absoluere solùm à peccatis commissis vsque ad diem, qua inchoatur confessio, potest absoluere item à commissis, quo tempore durat confessio.*
42 *Approbatio Regularium non potest semper reuocari ab Episcopo approbante.*
43 *At reuocari potest à Successore.*
44 *Non item à Capitulo, Sede vacante.*
45 *In aliquo casu reuocatur ab Episcopo approbante.*
46 *Sed ex causa noua spectante ad confessionem.*
47 *Approbatio ad beneplacitum iuxta aliquos non potest reuocari.*
48 *Alicubi approbatus si peregrinetur, audit confessiones etiam per alias diœceses.*
49 *Sed non repugnantibus Parochis.*
50 *Religiosus approbatus validè audit confessiones etiam in templis Parochorum sine eorum licentia.*
51 *Clausula* non repugnantibus *aliquid concedit, non item clausula* de licentia Parochi.
52 *Facultas audiendi confessiones vbique in itinere videtur adhuc durare; maximè attento non dissimili indulto concesso Clericis S. Philippi Nery, quod aliqui putant durare etiam modo, & suffragatur Regularibus.*
53 *Regularis alicubi approbatus ibi audit quoscumque accedentes, & in quouis loco.*
54 *Regulares sine Episcopi approbatione non audiunt confessiones suorum famulorum.*
55 *At alij sustinent oppositum.*
56 *Iuxta aliquos audiunt sine dicta approbatione confessiones suorum Alumnorum.*
57 *Item & confessiones infirmorum in suis Hospitalibus existentium: quod alij negant.*
58 *Regulares approbati audiunt confessiones infirmorum in domibus priuatis.*
59 *Et tunc tenentur facere in scriptis fidem de confessione audita; etsi alij id negent.*
60 *Ad audiendas confessiones sufficit ratihabitio de præsenti.*
61 *Non item ratihabitio de futuro.*
62 *Interdum non approbatus validè audit confessiones.*
63 *Approbatio Regulariter non prodest, nisi sit cognita.*
64 *Reuocatis generaliter approbationibus non reuocatur facultas approbandi facta Prælato regulari, quoad suos subditos, quæ non extenditur ad Religiosum hospitem, at extenditur ad Religiosum reiectum, si verè sit idoneus. Pœnitens si sit in bona fide, & ex monitione non speretur fructus, moneri non debet vt occasionem peccati vitet: interdum item sufficit in hoc monitio generalis, imò & dissimulari: quod procedit de Pœnitente grauato ære alieno: tentatio de copula cum muliere sufficienter exprimitur, si dicas te habuisse cum delectatione voluntaria turpes cogitationes de fœmina tali: nec tunc teneris fateri an sis in occasione proxima talium cogitationum: consulitur scrupuloso.*

QVÆRES I. An, & quo modo Regulares debeant approbari ab Episcopis ad hoc vt audiant confessiones sæcularium.

Pro responsione suppono 1. ad confessiones vali- 9.
dè audiendas præter potestatem Ordinis, quæ datur à Deo in ordinatione per impressionem charačteris, requiri etiam potestatem Iurisdictionis, quæ confertur ab Ecclesia per deputationem ad confessiones.

Suppono 2. ex Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. prætera requiri approbationem Ordinarij, quæ tamen non est semper collatio iurisdictionis, sed potiùs veluti vltima conditio, & complementum reddens Sacerdotem capacem audiendi confessiones, si ei aliunde conferatur iurisdictio, siue ab Ordinario approbante, siue à Papa.

Suppono 3. Sacerdotibus quidem sæcularibus, hoc ipso, quod approbantur ab Ordinariis in Confessarios suorum subditorum, ab iisdem Ordinariis eo ipso etiam conferri iurisdictionem; non item Regularibus, qui cum à Papa habeant iurisdictionem in omnes fideles confessionis gratia ad ipsos accedentes (vt dicemus *suppos. sequenti*) ab Episcopis indigent solùm approbari, quoad doctrinam (vt notauit Suar. *D.* 28. *de pœnit sect.* 4. *num.* 22.) qui tomo 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 3. dicit hoc priuilegium communicari Religiosis dependenter à suis Prælatis: cum primò, & per se sit concessum Religioni, & deinde Religiosis particularibus: aliàs hi, inuitis suis Prælatis possent confessiones audire: quod non est credendum velle Papam, vt maximè obstans bono regimini Religionis: & de Societate nostra est indubitatum. quod approbat Castrus Palaus *tract.* 23. *D. vnic. part.* 14 *num.* 7. addens

dens *num*.8. ex Suar. posse Prælatos Religiosis subditis restringere facultatem, ac iurisdictionem absoluendi, quam habent à Papa, & prohibere vsum illius: quamquam, si ista prohibitio non sit notoria, ac publica, confessiones sint validæ, etsi per prohibitionem intendat Superior illas annullare: idque ex *l. Barbarius, ff. de offic. Prætoris*; quod docent etiam Coninch. Miranda, Laym. apud ipsum Castrum Palaum.

Suppono 4. Regulares Mendicantes, imò & alios omnes, qui communicant de eorum priuilegiis, accipere supradictam iurisdictionem à Papa: idque per varia priuilegia ipsis ad hoc concessa, & præcipuè ex indulto bullato Pauli III. concesso Religiosis Societ. Iesu, quo datur facultas omnibus Presbyteris eiusdem Societ. audiendi confessiones quorumcumque vtriusque sexus fidelium ad eos vndecumque accedentium; vt constat ex bulla ipsius Pauli III. quæ habetur in Bullario Societ. *pag*.19. Quamquam eiusmodi indultum non facit, quo minus Regulares eo gaudentes indigeant approbari ab Episcopis; cum illud, censeatur datum sub tali conditione; sicut aduertit Fagund. *præcept.* 2. *Eccl. l.* 7. *c.* 2. *num* 8. cum Suar. & Corduba, addens, quod si Papa alicui Sacerdoti in particulari licentiam faciat ad confessiones audiendas, eum nominando proprio nomine, aut per differentias particulares; hoc ipso præsumitur eum approbare, estu aliàs non sit approbatus: maximè, si talem licentiam concedat pro suo Episcopatu Romano; sic enim censetur eligere industriam talis Sacerdotis.

Suppono 5. Episcopum censeri approbare Sacerdotem eo ipso, quod sciens, & volens ei nominatim præcipit, vt audiat confessiones: idque ob rationem allegatam *suppos. præcedenti*; his suppositis,

10. Respond. quod, quamuis olim, ad hoc vt Regulares possent audire confessiones sæcularium, requireretur solum, vt à suis Prælatis præsentarentur Episcopis: (& hoc ex indulto Bonifacij VIII. *in Extrauag. super Cathedram*,) imò eas audire possent, etiam sine tali præsentatione, & absque licentia Episcoporum ex concessione Benedicti XI. *in Extrauag. Inter cunctas de priuil.* (quamuis postea in Concilio Viennensi reuocatum fuerit decretum Benedicti, & reuocatum fuerit decretum, quod iam ediderat Bonifac. VIII.) in præsentia tamen post Concilium Trident. requiritur necessariò, vt sint approbati ab Episcopo; est communis DD. & patet ex Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.* vbi hæc habentur. *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen S. Synodus nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.*

Verum verò aliqui Regulares ex priuilegio debeant modo dicto approbari ad confessiones, non præmisso examine.

11. Respond. hodie nullum, quoad hoc extare priuilegium; cum Vrban VIII. in sua Constit. edita anno 1627. & est in ordine 92. reuocauerit omnia, & singula priuilegia quibuscumque Religionibus, & Societatibus, quoad audiendas sæcularium Confessiones absque Ordinarij examine, & approbatione: quamquam Episcopus adhuc possit Regulares approbare sine examine, si aliunde iudicet illos esse idoneos: idque ex verbis Concilij citatis supra: *Per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus ab Episcopo iudicetur.*

Addit Bordonus *resol.* 36. *quæst* 34. & cum eo Cespedes *de exempt. d.* 223. Regulares posse cogi stare coram Episcopo, dum examinantur: & probant, tum quia examinandus se habet, ac si esset subditus, ideoque nullum ius habet ad honorem sessionis, etsi Doctor sit, ac Magister: potest enim quis esse Sacerdos, & Confessarius absque magisterio: tum quia etsi Religiosus Doctor sit persona publica (cum priuata persona sit, quæ caret dignitate Gloss. *ver. priuati, cap. qui contra* 24. *quæst.* 1.) tamen in examine spectatur vt persona priuata: tum quia maiores honorandi sunt à minoribus, à quibus obsequium præstandum est, *l.* 1. *C. de Offic. Rect.* cum ergo Regularis examine sit minor, debet stare. Vnde infert Bordonus quemdam Vicarium potuisse carcerare Regularem, qui illum in examine iniuriauerat volens sedere: licèt enim nullus possit punire sibi iniuriantem, cum nemo sit iudex in propria causa; tamen id fallit, quando iniuria redundat in dignitatem, seu officium iniuria affecti: vt notatur *in cap.* 1. *de offic. delegati, cap.* 1. *de pœnis, in* 6. Alex. *vol.* 1. *consil.* 33. aliique penes ipsum Bordonum.

Quæres II. An Regulares indigeant approbari ab Episcopo, etiamsi sint Doctores, Lectores, Licentiati in Theologia, & Concionatores.

Respond. indigere. Ita Fagund. *supr. num.* 69. cum Cordub. Gutier. Rodriq. Menoch. Palat. & aliis contra multos alios relatos ad ipso Fagund. & probatur, tum ex Bulla Pij V. in fauorem Mendicantium expedita anno 1571. & adducta à Rodriq. *in Bullario bulla* 10. *Pij V.* in qua declaratur Regulares Magistros, etiam Laureatos, & Prælectores præsentandos esse Episcopis, vt approbentur: tum ex communi Episcoporum praxi: tum quia verba Conc. Trident. superiùs allegata: *Aut aliàs idoneus iudicetur*, (quibus nituntur Aduersarij) debent intelligi, itavt cohæreant cum illis aliis præcedentibus, *Nisi aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur*: vnde ly *aliàs idoneus iudicetur*, referendum est ad Episcopos; itavt sit sensus, nisi aliàs idoneus iudicetur ab Episcopis; quod rectè notauit Toler. *l.* 3. *cap.* 13. *num.* 5. & cum eo Fagund. *num.* 68. addens hoc totum confirmari ex verbis eiusdem Concilij sequentibus, *& approbationem, quæ gratis detur, obtineat* (intellige ab Episcopo;) quæ clausula sine dubio refertur ad illam aliam, *nisi aliàs idoneus iudicetur*, sicut iam dictum est; Concilium quippe voluit eiusmodi approbationem esse aliquo modo iuridicam, idest descendere à potestate iurisdictionis, ideóque eam non concedit Academiis, neque publicæ existimationi erga Magistros, ac celebres Concionatores, vt videntur supponere aduersarij, sed solis Episcopis, qui in hac re sunt veri, & competentes iudices. 12.

Quæres III. An Regulares validè possint audire confessiones sæcularium per solam Episcoporum approbationem, etiamsi à proprio Prælato ei non repræsententur.

Respond. posse, nisi fortè in ipsorum Religione recepta sit Constitutio Iulij III. facta ad instantiam Generalis Ordinis Prædicatorum, qua eiusmodi confessiones declarantur irritæ, vt videre est apud Mirandam *par.* 1. *Manual. quæst.* 45. *art.* 12. Ita Laym. *l.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 19. ex Miranda *loco cit.* & Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 60. *art.* 3. patétque, quia in præsenti casu concurrunt omnia requisita ad validam absolutionem, videlicet ordo Sacerdotalis, approbatio Episcopi, & iurisdictio delegata: quod tamen non facit, 13.

facit, quin dicti Religiosi grauiter peccent modo dicto se exponendo ad confessiones; cum Religiosus non habeat velle, nec nolle circa consensum Prælati, & consequenter dependere debeat in omnibus ab eius voluntate, ac imperio: dissentit Bordonus *resolut.* 36. *num.* 42. aliique ab ipso citati.

14. Dixi, *nisi fortè in ipsorum Religione recepta sit Constitut. Iulij III.* hæc enim si recepta sit; tunc Regulares approbati ab Episcopo, inscio, aut inuito proprio Prælato, & illicitè, & inualidè absoluent; cum vi dictæ Constitutionis Apostolica auctoritate annulletur licentia concessa ab Episcopo, & sic Religiosus modo dicto approbatus careat iurisdictione requisita ad validè absoluendum. Notat autem Miranda *loco cit.* Religiosos, qui communicant de priuilegiis Prædicatorum, posse vti præfato indulto Iulij III. estò immediatè concessum sit Ordini ipsorum Prædicatorum.

Vtrum verò supradicta doctrina locum habeat etiam in Religiosis Societatis Iesu, attentis iis, quæ diximus *hic cap.* 1. *sect.* 4. *quæst.* 5. §. *Illud porro.*

15. Respond. habere, idque ob rationem adductam §. *præcedenti*; quamquam Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 3. videatur inclinare in partem oppositam ex eo, quod in Societate facultas, & iurisdictio necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ ministrandum descendat à Papa ad quoscumque Sacerdotes eiusdem Societ. per Propositum generalem illius, siuè immediatè, siue mediis Prouincialibus (quod fit ordinariè) aut etiam aliis Superioribus, quibus iure ordinario, aut delegato conceditur potestas creandi Confessarios; & hoc tum iure primario Societatis (vt ita dicam) tum iure posteriori declarato à Gregor. XIII. vti diximus *cap.* 1. *loco supr. citato*, & probat ipsemet Suar. *vbi supr.* addens *num.* 7. se non dubitare, quin Prælatus Societat. possit partem supradictæ facultatis concedere, & non totam, tum ex parte pœnitentium (v. g. ad audiendas confessiones virorum, non mulierum) tum ex parte peccatorum respectu pœnitentium sibi subditorum: idque per modum cuiusdam reseruationis. Dico, *respectu pœnitentium subditorum*: quod enim spectat ad pœnitentes non subditos, sicut respectu ipsorum non habet locum propria reseruatio, ita nec videtur posse fieri prudenter, ac licitè talis limitatio iurisdictionis, nisi fortè supposita aliqua reseruatione facta à Prælato ipsius pœnitentis, & in ordine ad obseruationem illius. ita Suar. & bene, si loquatur de facultate audiendi confessiones, quam Religiosi Societatis habent per iurisdictionem immediatè manantem à Papa (quo modo iam diximus illam transfundi in Regulares mediis ipsorum Prælatis;) non item, si loquamur de facultate, quam iidem Regulares habent per iurisdictionem in ipsos immediatè deriuatam ab Episcopo approbante (cuius iurisdictionis sine dubio capaces sunt Religiosi, simpliciter loquendo, nec constat, ex quo capite incapaces sint Religiosi Societatis: præsertim cum in ipsa Societate non videatur acceptata Constitutio Iulij III.) per talem quippe iurisdictionem ipsis ab Episcopo concessam validè audient confessiones, quamuis non licitè, ea prorsus ratione, quæ diximus de aliis Regularibus. Quod nouissimè reperi approbatum à Castro Palao *tract.* 23. *D. vnic. part.* 14. *num.* 24. his verbis, *Quoad alias Religiones non constat Breue Iulij II. receptum esse, nec virtute illius annullatas esse confessiones sine licentia Superiorum factas: quapropter, dum non constat de annullatione, dicendum est validas forè: vt docuerunt* Rodriq. Miranda, Laym.

Quod si quæras, an, quoties prælatus regularis prohibet Relgioso subdito, ne audiat confessiones, censeri debeat priuare illum iurisdictione necessaria ad audiendas confessiones, aut solùm vetare, ne tunc talem actum exerceat.

Respond. id pendere ex intentione Prælati, colligenda ex verbis illius, vel aliis signis, & circumstantiis: vtrum scilicet id fiat in pœnam alicuius delicti commissi, aut intuitu ipsius ministerij, ne indignè fiat à tali persona, vel circa talem personam; quo casu censetur tolli iurisdictio sicut & tollitur, quando alicui non datur ab initio licentia audiendi confessiones, aut certè datur determinatum genus personarum; ac verò prohibitio fiat per modum simplicis obedientiæ, vt Religiosus eo tempore non occuperur in tali ministerio: quo casu non censetur auferri iurisdictio. ita Suar. *supr. num.* 7. monens in dubio abstinendum esse confessionibus audiendis, donec constet de intentione Prælati, qui in hoc mentẽ suam explicare debet sufficiẽtibus verbis. 16.

Dubium manet est, an Regulares, inscio, aut inuito proprio Prælato approbari ab Episcopo vti possint priuilegiis, quæ alioqui concessa sunt Regularibus, quoad ministrationem Sacramenti Pœnitentiæ.

Respond. Miranda *loco supr. cit.* cum Rodriq. non posse, probatque, tum quia Regulares eatenus possunt vti priuilegiis supradictis, quatenus habent iurisdictionem à Papa (cum tamen in præsenti casu illum non habeant à Papa, sed ab Episcopo modo dicto approbante:) tum quia probabile est Papam nolle concedere vsum talium priuilegiorum Religiosis taliter approbatis independenter à Prælato regulari. Verùm puto oppositum sustineri posse probabiliter; & ducor, tum quia abutens priuilegiis concessis (quod euenit in præsenti casu) meretur quidem iis priuari, non tamen ipso facto iis priuatur (vt ostendimus *cap.* 1. *sect.* 5. *quæst.* 10. tum quia nullo iure, aut sufficienti ratione probatur Regulares eo modo approbatos non posse hoc ipso vti priuilegiis concessis, quoad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ: vt vel hinc patet, quod ex rationibus allatis à Miranda prior absolutè potest negari, posterior vero solùm affert aliquam congruentiam, & non conuincit. 17.

QVÆRES IV. A quo Episcopo debeant Regulares approbari.

Respond. quod, quamuis Doctores sint diuisi in 4. sententias, vt bene ostendit Io. de Lugo *D.* 21. *de pœnit. sect.* 1. *num.* 35. & communior sententia, quam sequitur Suarez *D.* 18. *de pœnit. sect.* 6. *num.* 5. habeat approbationem faciendam esse ab Episcopo loci, in quo approbandus habet domicilium, aut quasi domicilium; probabilis tamen videtur sententia, quam sustinet ipse Io. de Lugo, nimirùm dictam approbationem debere fieri ab Episcopo proprio Confessarij, cui scilicet ille subiicitur respectiuè in ordine ad munus audiendi confessiones. Probatur autem responsio, tum ex declarationibus super hac re factis à Sacra Congregatione Cardinalium de mente Papæ, & relatis à Suar. tum quia approbatio, per se loquendo, est actus iurisdictionis, adeóque per se spectat ad Superiorem illius, qui debet approbari, nempè ad Ordinarium ipsius Confessarij: quippe qui quoad audiendas confessiones est solus ille, cui in ordine ad tale ministerium subditur Sacerdos approbatus, & à quo, si is in hac materia deliquerit, potest puniri, tanquàm à suo Iudice, ac Ordinario in hac serie causarum: hic autem Ordinarius est ille, in cuius diœcesi Religiosus approbandus habet domicilium, aut quasi domicilium, 18.

lium, aut certè cui ille subiicitur in Ordine ad ministerium audiendi confessiones. Vnde alicubi infert Ioan. de Lugo, & benè, quod si Sacerdos alicubi approbatus obiret, & vt hospes transeat per alium Episcopatum, poterit ab hoc Episcopo item approbari, si ei quoad hoc se subiiciat: & quidem ita, vt, si post discessum postea reuertatur, vigore prioris approbationis iterum possit audire ibi confessiones. Ita Ioan. de Lugo *num.* 44.

Vtrum verò Regularis approbatus in vno Episcopatu (v. g. Ferrariensi) eligi possit in Confessarium in alio Episcopatu (v. g. Bononiensi) ab habente priuilegium eligendi Confessarium per Bullam, Iubileum, &c.

19. Respond. posse eligi. Ita Reginald. *l.* 1. *num.* 186. cum Suar. *supr. sect.* 7. *n.* 6. & aliis, inter quos Nald. *ver. Indulg. num.* 9. refert ex literis Cardinalis Gypsij Patres Sacræ Pœnitentiariæ de hoc consultos respondisse, quod in proposito casu sufficit approbatio Ordinarij ipsius Confessarij: cum Papa tunc conferat iurisdictionem Confessario sic electo, nec requiratur approbatio Ordinarij loci, in quo fit confessio, aut Ordinarij ipsiusmet pœnitentis. Quod tamen negat Ioan. de Lugo *num.* 47. docens Sacerdotem Ostiensem approbatum ab Episcopo Ostiensi non posse vi Iubilei eligi à ciue Tusculano Tusculi, nisi ibi approbetur item ab Ordinario Tusculano (idque etsi Sacerdos non mutauerit domicilium, & consequenter retineat approbationem) probátque ex eo, quod Sacerdos in hoc casu habet duos Ordinarios, quibus subest, nempe Ostiensem, cui subditur ratione domicilij, & Tusculanum, cui subiicitur, tanquam Superiori, quamdiu degit Tusculi, quoad ea, quæ concernunt bonum Tusculanorum, adeóque etiam quoad eorum Confessiones audiendas. Ratio nostræ responsionis est, quod, quando Papa in bulla, Iubileo, &c. dicit, vt eligatur Confessarius approbatus ab Ordinario, solùm intendit, vt eligatur iuxta formam Concilij Trident. ideóque si Papa in casu proposito solùm loquitur de Sacerdote approbato ab Episcopo Confessarij (vt teste Suar. *num.* 6. declarauit Sacra Congregatio) de eodem loquitur, & ipsum Concilium; præterquam quod Confessarius electus ex priuilegio Papæ in actu audiendi Confessiones non se gerit tanquam subditum Episcopi diœcesis, in qua audit, sed tanquam Papæ delegatum. Quamquam inquit Reginald. *supr.* si in casu proposito præscriberet Papa, vt eligeretur Sacerdos approbatus ab Ordinario loci, tunc opus esset, vt Confessarius esset approbatus ab Episcopo proprio pœnitentis.

QVÆRES V. An Prælati regulares habentes parochias sæcularium annexas propriis Monasteriis possint designare Vicarium regularem, qui absque approbatione Episcopi audiat Confessiones eorum sæcularium.

20. Respond. de iure communi non posse, nisi fortè ad id speciale aliquod priuilegium habeant; de quo mihi non constat. Ita Fagund. *supr. cap.* 2 *num.* 40. & probatur, quia ex vna parte Concilium Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. simpliciter requirit approbationem Episcopi etiam in Regularibus, ad hoc vt audiant Confessiones sæcularium; ex alia parte beneficium Parochiale, per quod ipsi Regulares videntur approbare ratione muneris, quod exercent, cum sit amouibile, vtpote durans ad certum tempus, non est sufficiens, vt per illud censeri debeant approbari ad Confessiones; quomodo iuxta Concilium Trident. *supr.* censentur ij, qui habent beneficium Parochiale simpliciter, quod scilicet sit perpetuum; vnde non apparet, ex quo capite Regulares censeri debeant approbati ad Confessiones sæcularium hoc ipso, quod modo supradicto à propriis Prælatis constituuntur Vicarij amouibiles parochiarum monasterio annexarum; quod erat probandum.

Ex quo sequitur præfatos Vicarios regulares comprehendi in generali reuocatione approbationum, quæ iustè fiat ab Episcopo, tenerique iterum se præsentare, vt iterum approbentur; estò ad id non adstringantur Parochi sæculares, qui habent beneficium parochiale perpetuum: est enim diuersa ratio de his, ac de illis, vt patet ex dictis. 21.

QVÆRES VI. An Legati à latere possint approbare Regulares ad audiendas confessiones sæcularium in tota sua prouincia.

Respond. posse, ob rationem allatam *cap. præcedenti, sect.* 1. *subs.* 1. *quæst.* 5. quamuis ipsi Legati in vsu eiusmodi potestatis non debeant esse admodum faciles, ne incurrant offensionem Ordinariorum. 22.

Moneo hîc solùm in generali reuocatione approbationum, quæ fiat ab aliquo Episcopo existente intra Prouinciam alicuius Legati à latere, non reuocari approbationes modo dicto factas à Legatis de latere; siquidem inferior (qualis est Episcopus respectu Legati de latere in propria prouincia) non possit derogare iuri Superioris; expedire tamen, vt taliter approbati à Legatis in casu proposito se præsentent Episcopo reuocanti approbationes in sua diœcesi: idque ad cauendam ipsorum Episcoporum offensionem, vt iam dictum est. 23.

QVÆRES VII. An Episcopi teneantur approbare Regulares ipsis præsentatos à suis Superioribus ad audiendas sæcularium confessiones.

Respond. Fagund. *supr. l.* 7. *cap.* 2. *num.* 14. Episcopos posse quidem non admittere Regulares ad examen approbationis (loquendo de Religiosis alicuius Ordinis in particulari) cum in præsentia quoad hoc possint consulere necessitati suorum subditorum per alios Confessarios æquè idoneos tum sæculares, tum regulares; si tamen admittant ad examen Religiosos, ac eos inueniant dignos, nec aliunde constet ratione morum eos indignos esse tali munere, teneri ex iustitia illos approbare: cum approbatio sit actus iustitiæ, & Regulares hoc ipso quod admittuntur ad examen, ius ad eam acquirant, adeóque sine graui iniuria nequeant ea priuari ab Episcopis sic operantibus contra proprium munus. 24.

Imò Ioan. de Lugo *supr. num.* 54. cum Vasq. *in* 3. *part. quæst.* 93. *art.* 3. *d.* 5. *num.* 5. putat, & meo iudicio probabiliter, Episcopos nolentes approbare aut admittere ad examen ex eo præcisè quod in propria diœcesi censeant adesse nimiam Confessariorum copiam, iniustè procedere contra ius, quod ipsi Regulares habent ad audiendas confessiones; vtpote qui per sua priuilegia sunt quasi Parochi fidelium à Papa delegati ad tale ministerium; & hoc, non obstante Clem. *dudum*, in qua dicitur: *Sed numerus personarum assumendarum ad huiusmodi officium exercendum esse debet, prout vniuersitas Cleri, & populi, ac multitudo, vel paucitas exigit eorumdem*: hæc enim limitatio solùm procedit quoad priuilegium in dicta Clem. concessum, non autem absolutè; vt notauit Ioan. de Lugo *num.* 55. addens tamen eos, qui voluerint vti priuilegio dictæ Clementinæ, teneri illo vti cum præfata limitatione. 25.

QVÆRES VIII. An quando Episcopi ex odio, ac maleuolentia erga Regulares, nolunt eos, licèt placè idoneos, admittere ad examen, & approbare ad confessiones sæcularium, possint eorum Prælati

ex

ex aliquo priuilegio ipsos nihilominus exponere ad confessiones.

26. Resp. videri posse ex Clem. *dudum, de sepult.* vbi hoc expressè conceditur in fauorem Religionis. ita Rodriq. *tom.1.q.59.art.1.* Graff. *lib.1.decis.c.13.n.49.* Ang. *v.confessio 3. num.23.* Henriq. *lib.6.cap.6. num.4.* Laym. *lib.5. tract.6. cap. 11 num. 4* Miranda *part.1. quæst. 45. art.6.* aliique penes Fagund. *supr. num. 15.* qui bene notant priuilegio concesso in allegata Clementina non fuisse derogatum Concilio Trid. *sess.23.cap.15.* iis verbis: *Priuilegijs, & quacunque consuetudine etiam immemorabili non obstantibus*; si quidem Tridentinum ibi intendit solùm cassare, & irritare priuilegia quorumdam extra corpus communis Iuris vagantia, quæ merito restringi debent tamquam odiosa, & mortes iuris: quale sine dubio non est priuilegium dictum, quod est inclusum in corpore iuris. Præter quam quod quando leges moderniores loquuntur tantùm in communi, & decreta antiqua de casu aliquo in particulari non reuocant expressè, trahuntur ad sensum decretorum antiquorum, vt ostendit Nuart. *in cap.placuit de pœnit. d.6.num.147.* vnde, cum decretum Clementinæ *Dudum*, sit magis antiquum, quam decretum Concil. Trid. & expressè loquatur de hoc casu, Concilium verò loquatur tantum absolutè, & in generali, nec in particulari reuocet præfatum decretum Clementinæ; Concilium in hoc particulari potius trahi debet ad sensum Clementinæ, quàm Clementina ad sensum Concilij; vt proinde dicat Nauar. *c.27.n.264.* Episcopo sine iusta causa nolente admittere Religiosos præsentatos ad examen posse facere (idest, audire) confessiones perinde, ac si admissi essent, iuxta Clement. *Dudum.* sic ille cum DD. sup. citatis; à quibus tamen dissentiunt Suar. *D.28. de pœnit. sect.5. num.15.* aliique apud Fagund. *sup.* sustinentes Episcopos quidem in hoc casu nolentes approbare Regulares præsentatos peccare contra iustitiam, non ideo tamen posse Regulares se exponere ad audiendas confessiones neque licitè, neque validè: quorum opinio vtique est conformis praxi, & videtur sequenda ad euitandas tricas, quæ alioqui à Religiosis incurrerentur.

Cum Rodriq. *sentit.* Castrus Palaus *tract.13.D.vn. part. 19. §. 3. num. 9.* dicens Religiosos, si a suis Prælatis præsentati fuerint, & iis iniustè fuerit approbatio negata, aut restricta, iure ipso censeri approbatos ex Clementina *Dudum, de sepultur.* & ex Bonifacij VIII. Extrauagante *Super cathedram*, vbi id Religiosis expressè conceditur.

Quod si quæras, vnde constare possit de odio, ac maleuolentia Episcoporum erga Regulares.

27. Respond. posse ex multis capitibus constare; videlicet, si contra Regulares iaciant conuitia; si Religionis institutum vituperent; publicè, aut secretò de Religiosis detrahant, si sine limitatione approbent Clericos sæculares, aut etiam alios Regulares. ita Fagundez *num. 16.* addens iuxta doctrinam §. *præcedentis* traditam posse probabiliter sustineri, quod si Regularis ex odio, aut maleuolentia Episcopi approbetur solùm cum limitatione (v. g. solum ad annum, solum ad viros, solum ad hunc locum posse audire confessiones absque vlla limitatione æquè ac si approbatus fuisset absolutè, & illimitatè; si quidem quæ est ratio totius ad totum, est & partis ad partem; quod idem sentiunt Sotus, Vega, Rodriquez, Angelus, & Graff. penes Fagund. quod probabiliter constabit ex dicendis *q.seq.*

Quæras IX. An Episcopi possint approbare Regulares limitatè, v. g. ad viros, & non ad fœminas, ad annum, &c.

28. Respond. posse, si adsit iusta causa id faciendi. Ita Portel. *de dub. Regul.v. Confessor. num. 3.* Rodriq. *tom.1.quæst.59. art.4.* aliique, & patet tum ex praxi Episcoporum, tum ex quadam declaratione Sacræ Congregationis hac de re facta, quam refert Miranda *supr. art.10.* & Lezana *tom.1. cap.19.num.8.* vt proinde dicat Barbosa *de offic.& potest.Episc.alleg.25. num.32.* iurisdictionem à iure, vel à Papa Regularibus tributam restringi, seu dilatari per Ordinarij approbationem, si adsit iusta causa; quod tamen negant Villalob. Veg. Portel. Zanard. & alij apud Dianam *part. 3. tract. 2. resolut. 25.* sed malè, stante supradicta declaratione, quæ sic habet: *Regulares, qui ad audiendas confessiones idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumque examinatoribus reperti, & approbati fuerint, generaliter quoque & indistinctè absque vlla limitatione temporis, certorum locorum, aut generis personarum admittantur in propria diœcesi; de cæteris verò, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere:* Sacra Congreg. 20. Nouemb. 1615.

Quod si quæras, an Regulares subiaceant statuto Concilij prouincialis Mediolanensis VII lato sub hisverbis: *Qui crimini alicuius, culpæve mortalis particeps fuerit, sciat sibi interdictum munere audiendi confessionem illorum, quos socios eius criminis, eulpæve habuerit:* quod Decretum ad quoscumque Confessarios, etiam Regulares volumus pertinere.

Respond subiacere: & probatur, quia ex dictis sup. potest Ordinarius approbare Regulares limitatè, si occurrat iusta causa; alioqui vis huius statuti in eo consistit; quod Sacerdos approbatus ad Confessiones non est approbatus in ordine ad confessionem pœnitentis, qui sit complex delicti à Confessario commissi; vt notauit Bonac. *D.5. de Sacr. quæst.5. p.5. §.5.n.10.* monens in Synodo diœcesana Mediolanensi XL adimi iurisdictionem quoad confessionem complicis; ita vt Confessarius illam & illicitè, & inualidè audiat; & Coofessariū ipsum in Concilio prouinciali VII. suprà adducto positiuè reprobari iis verbis, *sciat sibi interdictum munere audiendi confessionem illorum*, &c. quare, cum Regulares possint limitatè approbari, & de facto limitatè approbentur in præsenti casu, constat eos subiici præfato statuto expressam mentionem de iis faciente. nobiscum sentit Cespedes *de exemption. dist.373.*

At maior difficultas est, an dictum statutum afficiat Regulares respectu Monialium exemptarum ab Ordinario; ita vt eæ non possint validè confiteri, nec absolui à Confessario, qui sit complex delicti commissi à Moniali pœnitente.

Respond. videri probabile, quod non afficiat. & probatur 1. quia lex non obligat vltra intentionem legislatoris; cum actus agentium non operentur vltra intentionem eorum: hoc autem statutum ex primaria intentione statuentis non se extendit ad Regulares respectu Monialium exemptarum: vt hinc patet, quod, quando fuit conditum hoc statutum, Regulares ad confessiones Monialium exemptarum non approbabantur ab Ordinario loci, sed à Prælato regulari ipsarum; & alioqui vis statuti in eo consistit, quod Sacerdos ad confessiones approbatus non censetur, nec est approbatus ad confessionem complicis, imò positiuè reprobatus: vt §. *præcedenti* dictum est; quod vtique non potuit eo tempore, quo conditum fuit hoc statutum, verificari de Regularibus respectu Monialium exemptarum; quippe qui hoc ipso, quod tunc non poterant simpliciter

pliciter approbari ab Ordinarlo loci in ordine ad Moniales exemptas, nec potuerunt approbari ab eo cum hac limitatione, quod non possent audire confessionem Monialis complicis; & quidem, quod Regulares pto confessionibus Monialium exemptarum non possent simpliciter apptobari ab Ordinario, quando conditum fuit hoc statutum; constat, quia potestas approbandi Regulares ad confessiones Monialium exemptarum collata fuit Ordinariis à Gregorio XV. in sua Constitutione *Inscrutabili*, quæ fuit edita post Concilium prouinciale Mediolanense VII. in quo statutum boc editum fuit.

Probatur 2. quia, si hoc statutum afficit Regulares respectu Monialium exemptarum, maximè afficit ex eo, quod ij Ordinariis subduntur in iis, quæ concernunt administrationem Sacramenti Pœnitentiæ; vt coostat ex citata Constitutione Gregorij iis verbis: *In his, quæ huiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, correctioni, & visitationi Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati planè in omnibus subijciantur*; sicque videntur affici hoc statuto, vtpote concernente materiam spectantem ad Sacrameotum Pœnitentiæ: Verùm id non probat, quod intendunt aduersarij; cum verba illa Gregorij possint, & debeant intelligi de omnibus iis, quæ sunt de iure communi, non autem de iis, quæ sunt de iure speciali vniuscuiusque diœcesis, ac prouinciæ, quæ præsumuntur Papæ incognita, adeóque non volita in dispositiooe suarum bullarum (cuiusmodi est statutum, de quo hîc agitur) quare vi citatæ Gregorianæ non potest dici, quod Regulares subdantur præfato statuto: præsertim cum statuta synodalia, teste Suarez *lib. 4. de legibus, cap. 20. num.* 10. non adstringant Regulares: sicut nec eoa adstringunt prohibitiones Episcopales, teste Diana *part. 1. tract.* 11. *resolutione* 36. & aliàs derogatio exemptionis Regularium semper debeat interpretari, itavt ei minùs derogetur, quam fieri possit; quod vtique non fieret, si verba illa Gregorij extenderentur vniuersè ad omnia concernentia materiam Sacramentorom de iure speciali singularum diœcesum, ac prouinciarum, vt patet.

Probatur 3. quia dispositio huius statuti est reseruatio, quædam peccati commissi, cum Confessario, cum sit restrictio facultatis Confessario competentis, ne absoluat à dicto peccato (etsi Bonac. *supr. §. obijcies* 1. id neget) reseruatio autem casuum Episcopalium non afficit Moniales exemptas; vt à fortiori colligitur ex dictis in nostro *tract. de Monial. cap. 5. num.* 191. sicque Moniales exemptæ, non obstante hoc statnto, poteruot per Regularem Confessarium à peccato, cum eo commisso absolui.

Probatur 4. quia Moniales exemptæ non videntur venire sub generalitate statuti, quod ex primaria intentione statuentis solùm videtur extendi ad pœnitentes sæculares: idque in fauorem exemptionis Regularium, & iuxta regulam iuris: *Non veniunt sub generali prohibitione, quæ specialiter non prohiberentur, si in specie peterentur.* Quod est ita verum, vt Concilium Prouinciale Mediolanense (in quo editum fuit boc statutum) volens in casu præmisso comprehendere Regulares, id disertis verbis expresserit dicens: *Quod decretum ad quoscumque Confessarios, etiam Regulares volumus peruenire*; quod tamen non fecit, quoad moniales exemptas: sicque dici potest noluisse eas comprehendere iuxta illud: *Si voluisset, expressisset; non expressit ergo noluit.*

Notat autem Bonacina *supr. num.* 11. statutum hoc non respicere solùm peccata carnis, sed quodlibet peccatum mortale; cum verba statuti sint generalia, & lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi; nec distingui debeat, vbi ius non distinguit. Quamquam teste eodem Bonacina *num.* 13. prohibitio statuti extendatur solùm ad eam confessionem, in qua pœnitens debet confiteri peccatum, cum ipso Confessario commissum: cum talis sit praxis, & Concilium solùm vetet audire confessionem peccati, cuius Confessarius est socius, isque non sit socius, quoad alia peccata, sed solum, quoad illud, cuius est complex.

Notat item Bonacina *num.* 10. *ver. hac ratione*, vi huius statuti prohiberi Regulares audire confessionem complicis tempore Iubilei: idque probat multis rationibus, quæ licèt faciant probabilem eius sententiam, non tamen euincunt, quod oppositum sustineri nequeat probabiliter; videlicet per dictum statutum non tolli, quin tempore Iubilei audiri possit vigore illius confessio complicis. Moueor, tum quia virtute Iubilei approbatus solùm ad confessiones virorum iuxta Henriquez, Coninchum, Nugnum, Sanchez, & alios potest audire confessionem fœminæ, etsi pro ea non sit approbatus; ergo & Confessarius tempore item Iubilei poterit audire confessionem pœnitentis complicis, etsi pro ea non sit approbatus: tum quia virtute Iubilei simplex Confessarius potest absoluere à reseruatis Episcopalibus; etsi aliàs quoad ea ipsi sit adempta iurisdictio: ergo vi eiusdem Iubilei poterit, & absoluere complicem peccati ab eo commissi; etsi quoad hoc non sit approbatus, imò ei sit adempta approbatio.

Quod si quæras, an Ordinarij in præsentia possint approbare Confessarios Monialium exemptarum, cum limitatione prædicta, vt non possint absoluere Monialem complicem.

Respond. videri posse ob dicta *supra in responsione principali*, ex Bonacina; quamquam; si Ordinarius generaliter edicat, ne Confessarij possint absoluere complicem, non ideò sub tali prohibitione comprehenderentur Regulares Confessarij Monialium exemptarum: idque ob dicta *hîc §. probatur* 2. ex Suarez, & Diana.

Dubitare hîc posset aliquis, vtrum Regularis possit puniri à proprio Prælato, si expositus ad audiendas confessiones virorum tantùm, audiat confessiones mulierum vigore bullæ Iubilei, &c.

29. Respond. quod, cum iuxta mox dicenda probabile sit approbatum, cum limitatione vi Iubilei, Bullæ, &c. posse eligi à quocumque in Confessarium; probabile etiam putat Diana *part. 3. tract. 2. resolut.* 93. Regularem in tali casu non posse puniri: cum is ex vna parte operetur secundùm opinionem probabilem, ideóque non peccet, & consequenter non mereatur pœnam, quæ supponit culpam: ex alia parte prohibitio facta Regulari de non audiendis confessionibus fœminarum, v.g. debeat explicari, vt locum habeat quantum ad iurisdictionem commissam ab Episcopo, siue à Prælato regulari, non autem quantum ad eam, quæ ipsi delegatur à Papa & tribuitur Confessariis vi Bullæ, Iubilei, &c.

30. Et quidem, quod Regularis approbatus cum limitatione possit à quocumque eligi in Confessarium ex vi Bullæ, ac Iubilei, imò etiam ex delegatione Parochorum; docent Sanch. *l. 8. de matr. D. 34. n. 16.* cum Henriq. Petro Ledesm. aliisque penes Fagund. *sup. num.* 18. contra Suar. *sup. sect. 7. num.* 3. aliosque,

probantque, quia Papa in concessione bullæ, Iubilei, &c. requirit solum, vt Sacerdos eligendus in Confessarium sit idoneus iuxta formam Concilij Tridentini; Tridentinum autem ad id exigit tantùm, vt sit approbatus ab Ordinario, non distinguendo inter approbatos limitatè, & approbatos illimitatè: vnde nec nos debemus distinguere iuxta regulam. *Vbi lex non distinguit*, &c. præsertim, cum facultas eligendi Confessarium sit fauorabilis animæ, adeóque ampliari debeat: quod tamen non fieret, si restringeretur ad Sacerdotes approbatos illimitatè.

QVÆRES X. An Regulares alicubi approbati ab Ordinario possint vbique audire confessiones absque eo, quod ibi de nouo approbentur.

31. Respond. iure communi non posse, siue sint approbati absolutè, siue limitatè; & probatur, tum quia in Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. dicitur nullum Sacerdotem posse audire Confessiones, nisi ab Episcopis approbationem accipiant, ac proinde, cum vtatur nomine plurali dicendo *ab Episcopis*, indicat Sacerdotem ad hoc, vt in pluribus diœcesibus possit audire confessiones, indigere plurium Episcoporum approbatione; tum quia alioqui Episcopus deberet hac in re fidere iudicio aliorum Episcoporum præsumendo Sacerdotes ad eius diœcesim accedentes hoc ipso quod alibi fuerunt approbati, esse idoneos ad audiendas confessiones: cum tamen possit contingere, vt sint minus idonei, siue simpliciter, siue in hac, aut illa diœcesi, in qua fortè sunt aliæ consuetudines, ac peccatorum reseruationes, alia instituta, alia hominum ingenia, alia contractuum genera; tum quia Greg. XIII. concessit Religiosis Societ. Iesu, vt semel approbati, ac expositi à Superioribus, quando iter faciunt per alias diœceses, possint audire confessiones modò non repugnent Parochi, & facilè audiri non possit Ordinarius; quod est signum de iure communi id non licere. ita Rodriq. *tom.* 1. *q.* 59. *a.* 5. Laym. *l.* 5. *tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 8. aliique penes ipsum contra Suar. suprà Henriq. *l.* 7. *cap.* 12. *num.* 4. Coninch. *de Sacr. D.* 8. *num.* 55. & alios oppositum sustinentes: quorum doctrina sine dubio est contra communem praxim etiam Regularium, & ad summum videtur admitti posse eo sensu, quod Sacerdos alicubi absolutè approbatus potest vbique eligi per delegationem Parochorum, per bullam, iubileum, &c. iuxta dicta *q.* 4. §. *vtrum verò*.

32. Porrò dicit Coninch. *num.* 57. quod, quamuis Episcopus, si velit, possit iterum examinare Sacerdotes alibi approbatos ad explorandum, an re vera idonei sint, & consequenter prohibere, ne quis in sua diœcesi audiat confessiones absque eius approbatione: quamdiu tamen id non facit Episcopus, possunt Parochi in suis parœciis, & Prælati regulares in suis Ecclesiis exponere Sacerdotes alibi approbatos, hique validè possunt audire confessiones, vtpote habentes conditionem in Conc. Trid. requisitam quod sint approbati ab Ordinariis. ita Coninch. sed contra praxim, saltem in Italia.

QVÆRAS XI. An Regularis approbatus v. g. Ferrariæ possit audire confessiones Ferrariensium etiam Bononiæ, si incipiat ibi habitare, & quidem etiamsi Bononiæ non sit approbatus ab eo Ordinario.

33. Respond. quod, licèt iuxta dicenda *q. seq.* Sacerdos approbatus Ferrariæ, quamdiu non mutat domicilium, possit audire confessiones Ferrariensium, etiam in alienis diœcesibus, in quibus non est approbatus; hoc ipso tamen quod mutat domicilium, & incipit habitare alibi (v. g. Bononiæ) non potest ibi audire confessiones Ferrariensium illac transeuntium, nisi Bononiæ sit approbatus. Ducor, quod Confessarius debet esse approbatus non ab Ordinario pœnitentis, sed ipsiusmet Confessarij, vt probauimus *q.* 4. hoc autem ipso, quod Regularis approbatus Ferrariæ transfert aliò domicilium, Ordinarius Ferrariensis desinit esse eius Ordinarius, & consequenter non potest dici amplius approbatus à suo Ordinario; cum per translationem domicilij acquisierit alium Ordinarium (v. g. Bononiensem) à quo propterea indiget approbari, vt possit audire confessiones Bononiæ. ita Io. de Lugo *D.* 21. *de pœnit. num.* 35. addens *num.* 42. Sacerdotem approbatum alicubi, si interim obiter, & vt hospes transeat aliò (v. g. Bononia) non posse hîc audire confessiones; quippe qui licet sit approbatus à suo Ordinario (id est ab Episcopo sui domicilij) non est tamen approbatus ab Ordinario, cui modò subest, & ad quem pertinet approbare in ordine ad suas oues, vti diximus *citata q.* 4.

QVÆRAS XII. An Regularis alicubi simpliciter, & absolute approbatus (v. g. Ferrariæ) possit etiam in aliena diœcesi audire confessiones Ferrariensium absque eo, quod ibi de nouo approbetur.

Respond. posse: & probatur, tum, quia auditio confessionis Sacramentalis est actus iurisdictionis, non forensis, sed voluntariæ, quæ cum exerceatur sine strepitu iudicij, potest exerceri etiam in aliena diœcesi: tum, quia sic Regularis adhuc dici potest approbatus à suo Ordinario, sicut requirit Concil. Trident. vtpote qui censetur retinere idem domicilium, quod sine dubio non præsumitur mutari ex eo præcisè, quod breui commoraturus est extra illud. est communis DD. apud Fagund. *sup. cap.* 3. *num.* 12. 34.

Quod autem diximus *q. præcedenti* doctrinam traditam in hac responsione non habere locum in casu, quo Sacerdos approbatus aliò transfert domicilium, putat quidam Recentior non esse ita certum; idque sibi suadet ex eo, quod approbatio iuxta dicenda *quæst.* 15. durat, quamdiu non reuocatur, non reuocatur autem præcisè ex eo, quod Sacerdos approbatus aliò transfert domicilium; vt hinc patet, quod si ipse iterum repetat prius domicilium, hoc ipso ibi absque alia approbatione potest audire confessiones. 35.

Quod si dicas approbationem in hoc casu suspendi quatenus Sacerdos incipit habere alium Ordinarium, à quo proinde indiget approbari, vt ibi audiat confessiones; cum Confessarius approbari debeat à suo Ordinario iuxta dicta *q.* 4. Contra est, primo, quod Sacerdos in præsenti casu verè censetur approbatus à suo Ordinario, nempe ab eo, qui quando illum approbauit, erat eius Ordinarius. Contra est 2. quod Sacerdos, etiam mutato domicilio, adhuc videtur manere subditus Ordinarij, à quo fuit approbatus, non quidem ratione domicilij (vt patet) sed quoad ministerium audiendi confessiones subditorum ipsius; quo modo DD. dicunt cum Suarez *de pœnit. D.* 28. *sect.* 6. *num.* 13. posse Episcopum approbare Sacerdotem non subditum, si iste, quoad hoc ei se subiiciat: præsertim cum subiectio non videatur requirere domicilium, vt constat in Feudatario, qui quoad feudum potest esse subditus Regis Galliarum v. g. & tamen habere domicilium in Hispania; quod si concedatur, concedendum etiam videtur Sacerdotem approbatum in aliqua diœcesi posse, etiam mutato domicilio, audire confessiones subditorum illius diœcesis, in qua erat approbatus: cum hoc non obstante possit dici manere subditus illius Episcopi, quoad 36.

auditionem

auditionem confessiorum, sicque nulla adsit ratio, cur dicatur desinere esse approbatus. ita ille Recentior; quanta cum probabilitate, statuant alij: Io. certè de Lugo *sup. num.* 35. acriter tuetur oppositum.

QVÆRES XIII. An Episcopo Ferrariensi v.g. approbante Bononiæ aliquem Regularem pro confessionibus suorum subditorum, possit is vi talis approbationis ex tunc audire confessiones Ferrariensium Bononia transeuntium, esto ibi non sit approbatus ab Ordinario Bononiensi.

37. Respond. Io. de Lugo *D. 21. de pœnit. num. 37.* non posse; cum in tali casu Regularis non censeatur approbatus pro diœcesi Ferrariensi, nisi quando se transtulerit Ferrariam ibi positurus domicilium, seu quasi domicilium; tunc enim & non prius incipiet esse approbatus à suo Ordinario, ex vi approbationis factæ antecedenter Bononiæ ab Episcopo Ferrariensi, & virtualiter adhuc manentis: tunc quippe incipit esse subditus illius, & eius foro, ac correctioni subiacet, adeóque illum habet pro suo Ordinario quoad ministerium audiendi confessiones. Ita Io. de Lugo addens *num.* 48. quod si confessarius Regularis per æquales anni partes domicilium habeat in duplici Episcopatu, hyeme habitans in vno, & æstate in alio; ex eo quod in vno horum episcopatuum est approbatus, & in eo habet iurisdictionem, non ideo potest in illo alio Episcopatu audire confessiones, nisi eorum, qui spectant ad primum Episcopatum; quæ doctrina est valdè probabilis, & communis Doctorum, non tamen ita facilè admitteretur ab illo Recentiore, de quo *q. 12, §. quod autem diximus*; idque ob rationes ibi adductas, quæ item faciunt ad rem præsentem.

QVÆRES XIV. An Regularis in aliqua diœcesi approbatus, si fortè dimittatur è Religione (quod non raro euenit in Societate Iesu) possit vi tali approbationis audire confessiones in ea diœcesi, etiam postquam dimissus est.

38. Respond. non posse, non quidem ex defectu approbationis, quæ durat, vsque dum reuocetur, sed ex defectu iurisdictionis, quam ille Regularis habebat à Papa ex priuilegio Regularibus concesso, ac proinde cessat hoc ipso, quod ille desinit esse Religiosus; vnde fit, vt eiusmodi Regularis per delegationem Parochorum, nec non per Iubileum, ac Bullam Cruciatæ in dicta diœcesi elegi possit in Confessarium; vtpote qui re vera est approbatus ab Ordinario loci, & de nouo modis supradictis acquirit iurisdictionem, quæ sola illi deerat; ita docti Neoterici à me consulti, & benè.

Vtrum verò Sacerdos approbatus ad confessiones in aliqua diœcesi, si ingrediatur religionem, possit vi talis approbationis ibi audire confessiones etiam post professionem emissam.

39. Respond. posse; & probatur, tum, quia facultas audiendi confessiones non repugnat statui religioso, imò est valdè vtilis ideóque non apparet, cur ea debeat priuari ingrediens religionem vi professionis emissæ: præsertim cum retineat alia iura, ac facultates statui regulari non aduersantes; tum, quia non obstat, quod mutatione personæ extinguitur priuilegium, *l. locatio, §. fin. ff. de public.* siquidem hoc procedit, quando fit transitus ad statum incompossibilem cum priuilegio: quod vtique non euenit in præsenti casu; cum facultas audiendi confessiones non sit magis annexa statui clericali, quam regulari. ita Bordonus *resol. 36. num.* 88. monens tamen Superiores posse tali Religioso interdicere munus audiendi confessiones: quamquam ad hoc vt nulla sit absolutio ab eo data, opus sit vt Episcopus, qui illum approbauit, acceptet renuntiationem approbationis faciendæ à dicto Religioso. Quod si Religiosus profiteatur in Ordine, in quo non exerceatur munus audiendi confessiones, eo ipso extinguitur approbatio, vtpote incompossibilis tali statui religioso.

Dubium est, an Regularis in hoc casu possit frui aliorum Confessariorum Regularium priuilegiis absque eo, quod præsentetur Ordinario per suum Prælatum.

Respond. Moronus *resp. 85. num.* 28. non frui; cum ad hoc requiratur, vt Confessarius dici possit Confessarius Regularis: qualis hîc non est hoc ipso, quod non fuit præsentatus à suo Superiore. at dissentit Cespedes *de exempt. d.* 145. *num.* 2. & benè; cum non appareat quo modo, & quo iure ad constituendum Confessarium Regularem requiratur præsentatio, & ex tota Clementina non colligatur dictam præsentationem supponi, vt Religiosus Confessarius vtatur priuilegiis Ordinis.

QVÆRES XV. Quamdiu duret Approbatio concessa absolutè, & simpliciter absque vlla limitatione.

Respond. durare, quamdiu non reuocatur, adeóque non cessare per mortem concedentis, cum detur nomine dignitatis, quæ numquam perit. ita Suar. *de leg. l. 8. cap. 32. num.* 9. aliique communiter, qui rectè addunt secus dicendum, si approbatio detur ad tempus limitatum (v.g. ad annum) tunc enim elapso anno, cessat ipso facto etiam approbatio *c. gratiosè de rescript. in 6.* Vnde fit, inquit Fagund. *sup. num.* 20. quod Regularis in aliqua diœcesi semel approbatus, si interim mutet domicilium, & posteà iterum redeat ad eumdem Episcopatum, non eget noua approbatione, ad hoc vt ibi possit audire confessiones: quippe prior approbatio Religiosi per eius recessum è diœcesi, in qua fuit approbatus, suspenditur quidem, aut mutatur ipso facto, ex parte tamen Episcopi approbantis numquam mutata est, sicque statim ac Religiosus regreditur ad eamdem diœcesim, & quasi subiectionem eiusdem Episcopi, prior approbatio censetur moraliter redire ad eumdem, quamdiu non fuerit reuocata. Vnde fit, quod si Religiosus approbatus Ferrariæ domicilium figat Bononiæ, & postea identidem redeat Ferrariam breui discessurus ad locum sui domicilij, possit Ferrariæ confessiones audire ob rationem modò allegatam, & sic talem puto esse praxim. 40.

Quin etiam Trullench. in *Bullam Cruciatæ l. 1. §. 7. cap. 1. d. 5. num. 7.* censet esse valdè probabile Religiosum ab aliquo Ordinario absolutè, & simpliciter approbatum posse vbique eligi per Bullam Cruciatæ (adde tu, & per Iubileum, cum sit eadem ratio) etsi domicilium mutet, nec ab vllo alio Ordinario approbetur. Ratio est, quia, vt quis modo dicto possit eligi, iuxta Henriq. Ledesmam, Viualdum, Valerum, Villalobum, Coninchum, & alios à Trullencho relatos *sup. d. 2. n. 7.* sufficit esse approbatum ab aliquo Ordinario, nec est necesse, quod sit approbatus ab Ordinario Pœnitentis: cum quilibet Episcopus approbare possit quemlibet Sacerdotem dignum, etiam alienum ad audiendas confessiones proprij subditi; modò quoad hoc ei se subiiciat: qui Episcopus etsi sic approbatus dare possit iurisdictionem solùm in suos; potest tamen eum simpliciter approbare; & licet sic approbatus solùm habeat iurisdictionem in subditos Episcopi approbantis, nec possit vi dictæ approbationis absoluere aliorum Ordinariorum subditos: cum tamen sic simpliciter approbatus (vt suppono) potest eligi vi

priuilegij, & validè absoluere in qnolibet alio Episcopatu, iurisdictionem in tali casu recipiens, non ab Episcopo approbante, sed à Papa concedente facultatem eligendi Confessarium, supposita tamen Ordinarij approbatione: quæ vbique valet, sicut vbique valet testimonium Doctoratus semel collatum. ita Trullenchus.

41. Qood autem ait Diana *part. 5. tract. 18. resolut.* 47. ex Ludouico de la Cruz, Villal. Io. de la Cruz, Rodriq. & Trullencho Parochum, resignato beneficio Parochiali, ingredientem religionem posse eligi in Confessarium virture Iubilei, ac bullæ Cruciatæ, eo quod non desinat esse approbatus per resignationem beneficij, sed solùm amittat iurisdictionem, quæ ei confertur à Papa vi Iubilei, &c. probat item illum posse à Prælato regulari exponi ad audiendas confessiones sæcularium, stante quod Confessarij Regulares iurisdictionem recipiunt immediate à Papa per suum Prælatum.

Imò Cespedes *de exempt. d.* 119. *num.* 3. dicit cum Peyr. *tom* 3. *de priuil. cap* 4. *num.* 82. Parochum Regularem amotum à Parochia posse adhoc audire confessiones in ea diœcesi: & probat quia hic Regularis non est minùs approbatus ad Confessiones, quam ij, qui simpliciter approbantur, cum vere dicatur Confessarius approbatus, & vt talis vi Iubilei possit eligi à quocumque vt apud Cardinalem de Lugo *D.* 21. *de pœnit. sect.* 1. plures docent; sicut ergo simpliciter approbati ad Confessiones possunt semper excipere Confessiones, si discedant à diœcesi, & redeant; sic & poterit Regularis Parochus amotus à Parochia. idem docet de Parocho sæculari Villalob. *tract.* 9. *difficult.* 55. *num.* 5. ex Rodriq. putans ex resignatione Parochiæ non desinere approbationem: quod benè negant Bordonus *resolut.* 7. *num.* 47. Bossius *sess.* 3. *de Iubileo casu* 2. §. 2. *num.* 56. aliique nixi eo fundamento, quod approbatio Parochi importat actualem habitionem beneficij parochialis: vt constat ex Concilio Trident. *sess.* 23. *cap.* 15.

Vnum hîc obiter moneo, quòd si Religiosus approbetur ad Confessionem vnius pœnitentis, cum hac limitatione, quod illum possit solùm absoluere à peccatis commissis vsque ad diem, qua inchoabitur confessio (suppono enim approbationem concessam fuisse solùm pro vna Confessione dicti pœnitentis) probabile mihi videtur hunc pœnitentem, vi dictæ approbationis posse absolui etiam à peccatis, quæ fortè committit intra illud tempus, quo facit Confessionem; quippe quæ duratura est per multos dies: & ratio est, quòd sumus in materia fauorabili animæ, quæ debet ampliari, adeóque approbatio illa censetur extendi etiam ad peccata, quæ fiant intra tempus, quo durat confessio: ita vt limitatio illa intelligi debeat de inchoatione confessionis non instantanea, sed prout habet tractum successiuum, donec ei subsecuta sit absolutio, sicque inclusiuè comprehendat totam inchoatam confessionem, donec sit perfecta per absolutionem.

QVÆRAS XVI. An, & quando reuocari possit approbatio data Regularibus.

42. Respond. cum distinctione: vel approbatio concessa est præuio sufficienti examine, & sic non potest reuocari, nisi ab Episcopo successore: vel fuit concessa sine præuio examine; & sic potest reuocari. ita Suar. *sup. sect.* 8. Henriquez *l.* 6. *cap.* 6. *num.* 6. Fagund. *sup. cap.* 2. *num.* 26. 27. contra Rodriq. *tom.* 3. *quæst.* 32. *a.* 6. aliosque penes Fagund. *num.* 25. Probatur autem responsio tum ex indulto bullato Pij V. concesso Regularibus anno 1571. quod incipit Romanus Pontifex, & refertur à Rodriquez in Bullar. Constitut. 10. Pij V. sicque habet, *Volumus eos* (loquitur de Regularibus) *qui semel ab Episcopo in Ciuitate, & diœcesibus suis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari*; tum ex quadam declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Fagundez *num.* 26. in hæc verba: *Congregatio Concilij censuit Regulares, ad audiendas in Ciuitate, aut diœcesi sæcularium Confessiones semel ab Episcopo præuio examine approbatos iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos: caterum à Successore posse vtique examinari iuxta constitut. Pij V. datam 8. Idus August. Pontific. sui anno 6. quæ à fel. record. Gregorio XIII. non est reuocata per reductionem priuilegiorum ad terminos Concilij Trident.* Vbi notandum quod, cum in citatis iuribus statuatur eiusmodi indulto gaudere illos tantum Regulares, qui approbati sunt præuio examine; consequenter indicatur eo non gaudere illos Religiosos, qui sine præuio examine approbati sunt, ac proinde eos posse vocari in examen, imò & reprobari, si non inueniantur idonei; si quidem tale indultum non conceditur nisi sub illa veluti conditione præuij examinis, sicque mirum non est, ex non purificata, concessionem non subsistere.

Dixi sub initium responsionis, *nisi ab Episcopo successore*; hic enim cum sit nouus Pastor, & ex nouo munere nouam acquirat obligationem, non debet cogi ad ratihabendas, & confirmandas approbationes factas ab Episcopo Prædecessore, sed potest ad examen vocare omnes approbatos, etiam Regulares, eosque reprobare, si dignos non inueniat; idque vt suæ satisfaciat conscientiæ; quod innuitur in allegata Constitut. Pij V. & expresè deciditur in allegata declaratione Sacræ Congregationis. 43.

Vtrum verò Capitulum, Sede vacante, possit reuocare approbationes Regularium.

Respond. non posse ob speciale priuilegium concessum Dominicanis, & Minoribus à Clement. IV. anno 1265. ideóqoe Regulares prædictos, imò & alios Religiosos communicantes de eorum priuilegiis non includi in generali reuocatione approbationum, quæ mortuo Episcopo fiat à Capitulo: & hoc, etiamsi de iis fieret expressa mentio. ita Fagundez *num.* 28. *&* 29. ex Sylu. *v. Confessor* 2. *num.* 4. & benè, nisi præfatum priuilegium sit viuæ vocis oraculo concessum, aut certè post generalem reuocationem viuæ vocis oraculorum supponatur reuixisse iuxta dicta *cap.* 1. *sect.* 5. *quæst.* 20. nobiscum sentit Diana *p.* 8. *tract.* 7. *resol.* 94. ex Bordono, & P. de Bellis. 44.

Addo ex Sylu. *num.* 11. multos alios pro se referente, quod, quamuis Episcopus ex indulto Pij V. superius relato non possit sine causa reuocare approbationes Regularium factas præuio examine; si tamen occurrat iusta causa id faciendi, potest in particulari hunc, & illum Religiosum iam approbatum reuocare ad examen, suspendere, & reprobare; id enim colligitur ex Concil. Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 15. vt notat Henriq. *l.* 6. *cap.* 6. *num.* 6. & à Pio V. in citata Constitutione. 45.

Causa autem, ob quam Episcopi licitè possunt reuocare approbationes Regularium, debet esse noua, & pertinens ad ipsas confessiones, aut certè violatio Interdicti positi ab Ordinario; idque ex declaratione Sacræ Congregat. facta 10. Nouemb. 1615. & relata à Gauanto *in Enchir. Episc. v. Confessarius n.* 23. *&* 24. in qua item statuitur non posse simul 46.

simul omnes Confessarios vnius Conuentus priuati ab Ordinario facultate audiendi confessiones. Ita Lezana *tom.1. cap.19. num.9.* cum Peyr. addens Regulares, si contra supradictam declarationem suspendantur à confessionibus non teneri obedire: cum sic Ordinarij eos suspendentes excedant fines suæ potestatis, & alioqui semper patendum sit maiori; qua de re Bordonus *resol.37. num.83.*

Quod si quæras an Episcopus approbans Regularem ad beneplacitum, reuocare possit ad libitum eiusmodi approbationem.

47. Respond. Peyr. *tom.1. priuil. const.2. Sixti IV. §.11. num.44.* non posse, quamuis aliàs liberè possit reuocari, quod conceditur ad beneplacitum. Probat, quia approbatio Confessarij non est propriè licentia, sed quasi iusta sententia, ac declaratiu idoneitatis ad confessiones audiendas: sententia autem data secundum regulas iustitiæ non potest reuocari; obstat tamen Episcoporum praxi penè communis vt patet.

QVÆRES XVII. An Regulares alicubi approbati, si discurrant per aliàs diœceses, possint ibi audire confessiones absque alia approbatione.

48. Respond. posse ex priuilegio bullato concesso à Gregorio XIII. Religiosis Soc. Iesu in Constit. quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, & habetur *in bullar. Societ. pag.137.* his verbis: *Omnibus & singulis ipsius Soc. Prædicatoribus, ac Confessarijs ab aliquo Ordinario semel approbatis, & à suis Superioribus ad huiusmodi munera deputatis, vt quandocumque, siue mari, siue terra iter fecerint, populos, non repugnantibus tamen Curatis parochialium Ecclesiarum, prædicatione verbi Dei instruere, ac consolari, & quorumcunque Christi fidelium, præsertim ægrotorum, & eorum, qui in vinculis detinentur, confessiones audire, dummodo id non faciant in ipsis oppidis, aut locis, in quibus Ordinarij existunt, nisi eorum licentia desuper obtenta, liberè, & licitè valeant.* Ita Greg. & satis clarè, si solùm explicemus, quid importetur per illam clausulam, *non repugnantibus tamen Curatis:* vtrum scilicet Regularis vi præsentis priuilegij audiens confessiones validè absoluat, si id faciat, repugnante Parocho.

49. Respond. Religiosum in tali casu audientem confessiones inualidè absoluere: cum facultas vi talis priuilegij concessa ad absoluendum non sit absoluta, sed conditionata, idest dependens à consensu Parochorum (qui consensus vtique non adest, quando ij repugnant.) Colligo id à simili ex doctrina, quam tradit Rodriq. *tom.1. quæst.60. art.4.* sæculares Sacerdotes, quibus datur facultas audiendi confessiones cum restrictione, vt eas non audiant, contradicente Parocho, non posse, contradicente Parocho, vti tali facultate: idque ex defectu iurisdictionis, quæ, cum data sit sub conditione consensus Parochorum, hoc ipso, quod talis conditio non purificatur, etiam ipsa iurisdictio deficit; quæ doctrina si admittatur in isto casu, & debet admitti in nostro, in quo Papa Regularibus tribuit facultatem audiendi confessiones cum hac conditione, *si Parochi non repugnent*, & consequenter dat facultatem, non absolutam, sed conditionatam. Quod tamen non eueniret in casu, quo Episcopi approbarent Regulares cum hac conditione, *vt non audiant confessiones, contradicente Parocho:* tunc enim adhuc eas possent audire; cum priuilegia Regularibus concessa à Sede Apostolica id eis expressè concedant, & ea ab Episcopis tolli non possint: vt notat Rodriq. addens ex Henriq. *l.6. cap.6. lit.M.* Regulares vtentes supradicto priuilegio Gregorij XIII. non teneri petere licentiam à Parochis, vt confessiones audire possint, sed sufficere, quod ij non contradicant, nec repugnent.

Addit Portel. *de dub. Regul. ver. Confessor. num.8.* Regularem approbatum ab Episcopo non solum posse validè audire confessiones eorum, respectu quorum approbatus est (& quidem etiam contradicente Parocho) dummodo id faciat in propria Ecclesia; sed etiam in Ecclesiis ipsorum Parochorum, non petita ab ipsis licentia: quidquid sit de peccato, quod committeret in non petenda dicta licentia; quæ sine dubio debet peti, sin minus de rigore iuris (quomodo vtique non tenetur, cum sit approbatus independenter à consensu Parochi, vt suppono) saltem ex æquitate, ac vrbanitate: vt in simili docet Bonac. *D.5. de Sacr. q.7. part.4. §.1. n.18.* sustinens approbatum sub hac forma: *Concedimus tibi facultatem audiendi quoscumque accedentes, de licentia tamen Rectorum*, posse in Ecclesiis eorum audire confessiones, etiam non petita Rectoris licentia; cum talis concessio non sit propriè conditionata, & ablatiuus absolutus non semper importet conditionem, sed aliquando connotet modum ad aliquid licitè præstandum ex lege æquitatis; quod euenit in casu nostro, in quo Sacerdos approbatus modo dicto solùm fit certior de modo, quem debet seruare, saltem ex æquitate, etsi non admoneretur ab Episcopo. Ita Bonac. aliique Neoterici consulti. 50.

Non pugnat autem cum hac doctrina Bonacinæ id, quod diximus *§. præcedenti*, non posse Religiosos Soc. Iesu vti præfato priuilegio Gregorij XIII. repugnantibus Parochis; siquidem clausula, *Non repugnantibus tamen Parochis*, purificata conditione, aliquid concedit, nempe facultatem audiendi confessiones: non item hæc alia, *De licentia Parochi*, quæ ex se nihil concedit, sed potiùs inducit Parochos ad concedendum id, quod Confessario solùm ex lege æquitatis præscribitur: quo pacto patet disparitas inter has duas clausulas. 51.

Cæterùm, quod ait Lezana *supr. cap.19. num.5.* supradictum priuilegium Gregorij XIII. fuisse sublatum ab Vrbano VIII. in Constit. quæ incipit, *Cùm sicut accepimus*, & refertur *in Bullar. tom.4. bulla 92. Vrbano VIII.* qua reuocantur omnia priuilegia aliàs concessa quoad audiendas confessiones sæcularium personarum sine examine, & approbatione Ordinarij; imò & per quoddam viuæ vocis oraculum fuisse sublatum; mihi non probatur (sicut nec aliquibus aliis teste Lezana, inter quos recenseri potest Ioan. de Lugo, qui *D.21. de pœnit. sect.2. n.29.* oppositum annuit:) idque ex duplici capite; 1. quia decretum illud Vrb. VIII. potest interpretari, non de isto priuilegio Gregorij XIII. quo supponit approbationem semel alicubi concessam, & suffragatur tantùm transeunter, (vt ita dicam) sed de priuilegiis, quibus aliqui prætendebant se debere approbari ab Ordinariis sine examine, & quidem absolutè, ac simpliciter: cum tamen restrictio priuilegiorum, quæ concessa sunt Regularibus, debeat explicari, ita vt iis deroget minùs quam fieri possit. 2. quia, quod spectat ad illud viuæ vocis oraculum, de quo meminit Lezana, non constat authenticè, nec ab ipso producitur, cum tamen producendum esset: in dubio autem melior est conditio possidentis, etiam in materia priuilegiorum. 52.

Confirmatur, quia Cespedes *de exempt. c.6. d.11. num.5.* ex Nouario ait priuilegium à Sixto V. concessum Patribus Congregationis S. Philippi Nerij, insertúmque in bulla ipsius Sixti, *Decet Romanum*, & relatum à Naldo *ver. Confessarius, num.39.* (quod dicti Patres à Vicario Vrbis approbari possint vbi-

que locorum absque alio examine, de licentia tamen Ordinariorum audire confessiones) non fuisse sublatum per bullam Vrbani VIII. supra allegatam vtpote derogantem solùm priuilegiis Religiosorum, quales non sunt dicti Partes in odiosis: ac proinde, cùm hoc priuilegio gaudeant Regulares iuxta dicta *supr. cap.* 1. *n.* 41. ex Cespedes *de exempt. d.* 111. *n.* 3. si is velit consequenter philosophari cum probabile putet hoc priuilegium non fuisse sublatum, debet concedere Regulares in præsentia eo frui posse: quod videri posset probabile, nisi obstaret praxis, quam ipse Cespedes *n.* 5. fatetur esse in contrarium. Certè cum de Partibus dictæ Congregationis dicatur, quod possunt vbique locorum approbati absque alio examine, non autem quod debeant: sequitur Episcopos, si velint, non obstante præfato priuilegio, adstringere posse dictos Partes, vt petentes approbari ad confessiones, examini se subiiciant: cum hoc relinquatur arbitrio Ordinariorum, non autem iis imponatur, vt illos sine examine approbent: sunt enim res diuersæ, *posse approbare sine examine, & debere approbare*; & alioqui à diuersis non fit illatio.

Qværes. XVII. An Regulares alicubi approbati audire possint confessiones quorumcumque illuc ad ipsos accedentium, etiam ex aliis diœcesibus.

53. Respond. posse ex variis priuilegiis à Pio II. Nicolao III. Sixto IV ac Leone X. Religiosis Mendicantibus concessis, & nouissime à Paulo III. Patribus Soc. Iesu per bullam, quæ est *in bullar. Soc. pag.* 20. & ita habet, *quorumcumque Christi fidelium ad vos vndecumque accedentium confessiones audiendi*, (supple concedimus facultatem.) Ita Suar. *tom.* 4. *de Rel tract.* 10. *l.* 9. *c.* 2. *n.* 8. aliique communiter; qui benè aduertunt eiusmodi priuilegium non fuisse reuocatum, aut limitatum per Conc. Trid postulans Episcoporum approbationem: cum menti Concilij sufficienter satisfiat per hoc quod Regularis approbatur ab Episcopo loci, in quo habet domicilium aut quasi domicilium.

54. Addit Suarez *n.* 9. Confessarios Societatis vti posse hoc priuilegio non solum in propriis Ecclesiis, ac domibus, sed etiam vbicumque, patétque ex eo quod in eius concessione nullum extat verbum, quo illud restringatur ad loca, ac habitationes Societatis; vnde nec nos debemus illud restringere; cum lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi; maximè, si sit fauorabilis, cuiusmodi est priuilegium, de quo hîc loquimur.

Qværes XVIII. An Regulares egeant approbatione Ordinarij ad audiendas confessiones famulorum, & alumnorum degentium cum Regularibus.

55. Respond. egere, & consequenter non sufficere, quod sint approbati à proprio Prælato regulari. Probatur autem responsio tum quia Concilium Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.* approbationem Ordinarij requirit in Regularibus ad hoc vt sæcularium confessiones audire possint: cum tamen supradicti famuli sint sæculares, vt patet: tum quia priuilegia aliàs Regularibus ad rem præsentem concessa omnia sunt sublata per Constit. Vrbani VIII. allegatam *quæst.* 17. adeóque nulla superesse videtur ratio, qua oppositum sustineatur.

56. Peyrin. tamen *tom.* 1. *priuil. Const.* 1. *Iulij* x. *num.* 12. contrariam partem mordicus tenet, nimirum ad audiendas confessiones famulorum habitantium in Monasteriis sufficere, quod Regulares approbentur à Prælato regulari: probátque 1. ex quodam priuilegio bullato Leonis X. concesso Fratribus Minimis, vt famulis in habitu sæculari in domibus eorum deseruientibus possint Eucharistiæ, etiam in die Paschatis, & in articulo mortis, & extremæ Vnctionis Sacramenta ministrare, & eorum confessiones audire: idque (vt puto) de consensu solius Prælati regularis; si enim ad prædicta Sacramenta ministranda, & præsertim ad audiendas confessiones vt istius priuilegij requireretur approbatio Ordinarij loci, priuilegium esset omnino inutile; cum absque vllo priuilegio quilibet Sacerdos tam sæcularis, quam Regularis interueniente approbatione Ordinarij possit audire confessiones quorumcumque sæcularium, non modo eorum, qui famulantur monasteriis Regularium. Probat 2. ex quadam declaratione sacræ Congregat. quam refert in hæc verba: *Prælati regulares, seu alij Religiosi confessores non possunt audire confessiones sæcularium, qui sunt de familia, & deseruiunt ipsorum Monasterijs absque approbatione, vel licentia Episcopi: secus tamen, si illi sæculares sunt verè de familia, & continui commensales*; quæ declaratio, si est authentica, magnam vim habet ad probandum intentum, cum sit facta à Sacra Congregatione Concilij Trident. & post ipsum Concilium, videlicet die 14. August. 1567. cum Concilium absolutum fuerit anno 1564. vt proinde, quando Tridentinum dicit nullum, etiam Regularem, posse audire confessiones, sæcularium etiam Sacerdotum, nisi ab Episcopo ad id idoneus iudicatus fuerit, interpretari possit, & debeat illud tunc loqui de confessionibus sæcularium extraneorum (quales sunt etiam Artistæ, qui monasteriis inseruiunt, sed in iis non viuunt, neque dormiunt, & teste Rodriquez *tom.* 2. *quæst.* 67. *art.* 1. dicuntur familiares lato modo) non autem de confessionibus famulorum, qui sunt continui commensales, qui scilicet ordinariè viuunt in Monasteriis, ibique comedunt, bibunt, & dormiunt. Ita Peyr. *supr.* nec dissentit Lezana *tom.* 2. *cap.* 16. *n.* 16. dicens non carere probabilitate asserere Regulares approbatos à Prælatis Ordinis posse audire confessiones supradictorum famulorum; quorum sententia posset videri non improbabilis, si non obstaret Constitutio Vrbani VIII. adducta *quæst.* 17. quæ videtur tollere priuilegium Leonis X. supra citatum; quamquam Peyr. iuxta expositionem superiùs allatam posset respondere in ea Constitutione derogari solùm priuilegiis, quæ Regularibus concessa sunt quoad audiendas confessiones quorumcumque sæcularium, non item quoad audiendas solùm confessiones, suorum famulorum, ac aliorum commensalium; cum Peyrino sentit Barbosa *l.* 1. *iur. Eccl. vniu. cap.* 43. *n.* 204. citans alios pro se, & Cespedes *tract. de exempt. cap.* 6. *d.* 125. *num.* 4. addens *num.* 5. ex Peyrino Religiosos posse absoluere dictos famulos à reseruatis Episcopo: cum dici posset decreta pontificia, quæ adducuntur in contrarium, loqui respectu aliorum sæcularium, non item respectu dictorum famulorum; vt paulò ante diximus: præsertim, cum plus sit Regulares sine approbatione Ordinarij posse audire eorum confessiones, quod plures iis concedunt, quàm posse alios absoluere a reseruatis episcopalibus.

Quod verò spectat ad alumnos degentes in Regularium monasteriis putat Bordonus *resolut.* 38. *quæst.* 5. eos posse confiteri Religioso non approbato ab Episcopo, & per eum absolui à reseruatis episcopalibus; cum sint Regularium commensales, & commensalitas sufficiat iuxta dicta ad hunc effectum, cum Bordono sentit Cespedes *supr. n.* 11. monens præfatos alumnos frui omnibus priuilegiis, 57

quibus

quibus fruuntur Regularium famuli: idque ob rationem modò allatam.

QVÆRES XX. An Regulares absque Ordinarij approbatione possint audire confessiones infirmorum degentium in ipsorum hospitalibus.

57. Respond. Bordonus *resol.* 56. *num.* 63. posse; & probat tum quia omnes personæ de familia Religiosorum quoad Sacramenta subduntur Prælatis regularibus ex *sess.* 25. *de regul. cap.* 11. Conc Trid. hospitalia autem Regularibus subiecta, & personæ in iis degentes sunt de familia Religiosorum; vt inde constat, quod *in sess.* 22. *cap.* 8. *eiusdem Concilij* hospitalia Regularium non eximuntur ab Ordinarij iurisdictione; tum quia decretum eiusdem Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. disponens nullum Religiosum posse sæcularium confessiones audire sine approbatione Episcopi, priuilegiis, aut quauis consuetudine, etiam immemorabili non obstantibus: intelligendum est loqui de merè sæcularibus, non autem de sæcularibus alio titulo subiectis Regularibus: cuiusmodi sunt infirmi degentes in eorum hospitalibus, qui cum Religiosis adhæreant, reputandi sunt Religiosi: idque vt iura inter se concordent; aliàs *cap.* 15. Concilij Trid. requirens approbationem Episcopi ad sæcularium confessiones audiendas aduersaretur *cap.* 11. *sess.* 25. statuenti personas de familia Religiosorum quoad Sacramentorum administrationem eximi ab Episcopi iurisdictione; quod omninò cauendum est, etiam impropriando verba (vt aliis citatis ostendit Sanch. *lib.* 10. *de matr. D.* 15. *num.* 19.) nedum ea restringendo, vt in præsenti casu fit ad vitandam iurium correctionem. ita Bordonus ex Cruz, Tambur & Peyrino, quæ refutat Auersa *quæst.* 16. *de pænit. sect.* 7. & reiicit Gauantus *in manuali v. Confessarius num.* 25. & 26. dicens Religiosos non approbatos audire non posse confessiones sæcularium, qui sunt de familia latè sumpta, sed eorum tantum, qui verè sunt de familia, & continui commensales: quales non videntur infirmi degentes in Hospitalibus Regularium: quare Diana *p.* 8. *tra.* 7. *resol.* 95. loquens de hac doctrina Bord. ait *Tu cogita.*

QVÆRES XXI. An Regulares ab Ordinario approbati possint audire confessiones ægrotantium extra eorum monasteria.

58. Respond. posse ex peculiari priuilegio ad hunc effectum ipsis concessio per Paulum IV. in quadam Constitut. quæ refertur in Bullar. Rodriq. estque inter bullas istius Pontificis tertia, & ita habet: *Indulgemus, declaramus, & Apostolica auctoritate decernimus, vt Confessores Regulares à suis Superioribus deputati possint confessiones, etiam infirmorum vbilibet, etiam extra domus, & habitacula eorumdem Fratrum audire.* ita Peyr. *supr. Const.* 26. *Leonis X. num.* 14.

Quod si quæras, an Regulares, audita confessione alicuius infirmi teneantur relinquere in scriptis fidem confessionis auditæ.

59. Respond. Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 31. teneri quadam declaratione Sacræ Congregat. facta die 2. Iulij 1587. quæ ita habet: *Confessores, qui in domibus laicorum confessiones ex causa infirmitatis audierint, statim Parochum admonere teneantur, & fidem auditæ confessionis pro Medico adueniente relinquere* (quod idem statuerat Pius V. 11. Martij 1566. in bulla *Supra gregem dominicum* relata in Bullario *tom.* 2. *bulla* 3. *Pij V.* quoad fidem confessionis auditæ scripto exhibendam Medico.) Oppositum tamen sentiunt Filliuc. *tract.* 7. *numer.* 34. Nugnus, Scotcia, & Barbosa apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 93. asserentes consuetudine inductum fuisse, vt si les supradicta confessionis factæ non relinquatur in scriptis: quæ consuetudo vtique potuit abrogare sup. dictam declarationem Sacræ Congregationis, etsi alias detur eam fuisse authenticam.

Præter quam quod Pius V. in citata Bulla non præcipit Regularibus audiētibus confessiones infirmorum, vt faciant dictam fidē in scriptis, sed solùm vetat Medicis, ne visitent infirmos grauiter ægrotantes, nisi habeant fidem à Confessario, quod ij sint confessi; vt aduertit *Cespedes de exempt. d.* 147. *num.* 13. muniens *num.* 11. Regulares non astringi statuto Episcopi præcipiente, vt dictam fidem faciant, idque etsi detur Sacram Congregationem hoc idem iussisse; non enim hinc tributa est facultas Episcopis, vt possint tale quid præcipere Regularibus exemptis.

QVÆRES XXII. An, & quo modo ad audiendas confessiones sufficiat approbatio ex ratihabitione Ordinarij, quem spectat approbare.

Respond. sufficere; si sit ratihabitio de præsenti, & signo aliquo externo manifestetur: vt si Episcopus videat Sacerdotem pium, & doctum, non approbatum audire confessiones sæcularium, & aduertens illum non esse approbatum neutiquam contradicat, cū possit contradicere; sufficere, inquam, pro illo actu, non item vt simpliciter censeatur approbatus ad exercendum munus Confessarij. ita Tol. *lib.* 3. *summæ cap.* 13. *num.* 3. Sanch. *lib.* 3. *de matr. D.* 35. *num.* 22. aliique communiter; & probatur tum ex 20. *reg. iur. in* 6. *qui tacet in ijs, quæ ad ipsum pertinent, & in quibus tenetur contradicere, consentire videtur*; tum quia ratihabitio de præsenti expressa aliquo signo externo tribuit iurisdictionem, quæ per Superioris consensum obtinetur ab eo, qui cognoscit per talem ratihabitionem consensum præstari, ac iurisdictionem conferri, & ipse eam acceptat. Quod verò supradicta approbatio sufficiat solum pro eo actu, patet ex eo, quod si peteretur approbatio solum ad illum actum, & tempus, & ea daretur ab Episcopo; tunc vtique Sacerdos vi illius non censeretur simpliciter approbatus ad alios actus: in tali autem casu approbatio ex ratihabitione de præsenti perinde habet, ac si peteretur approbatio solum ad illum actum. 60.

Dixi, *ex ratihabitione de præsenti*; si quidem ad hoc non sufficit ratihabitio de futuro) quæ tunc interueniret, quando Sacerdos non approbatus confessionem audiret credens Episcopum posteà ratihabiturum esse factum;) cum enim approbatio requiratur ad valorem confessionis, & Sacramenti, debet adesse eo tempore, quo fit confessio, & Sacramentum; nec sufficit, vt adsit posteà; cum tractu temporis non conualescat, quod semel est inualidum. Dixi præterea, *& aliquo externo signo manifestata*; quia concessio iurisdictionis est actus, qui humano modo ad alterum dirigitur, vt ab eo acceptetur; non potest autem acceptari, nisi modo dicto manifestetur. 61.

QVÆRES XXIII. An confessio facta Regulari communiter existimato approbato sit valida, cum ille re vera non si approbatus.

Respond. esse, si adsit titulus coloratus, error communis, & non extet vllum impedimentum iuris naturalis, aut diuini (cuiusmodi esset, si Regularis non esset Sacerdos.) est communis DD. cum Sanch. *lib.* 3. *de matrim. D.* 22. *contra alios apud* Fagund. *præc.* 2. *lib.* 7. *c.* 2. *num.* 75. & probatur tum ex *l. Barbarius ff. de offic. præt.* vbi id clarè decitur: tum quia in tali casu Ecclesia supplet defectum iurisdictionis ob bonum commune (vt tradunt communiter DD.) adeóque nulla adest ratio, cur dicatur illa 62.

confessio esse inualida. Imò Diana *part. 2. tract. 16. resol. 45.* cum Pontio, & Sancio putat in præsenti casu sufficere errorem communem, etiamsi non adsit vllus titulus coloratus à legitimo Superiore collatus; quod si detur esse probabile, (vt putant hi DD, & fortè non improbabiliter) dicendum est regularem, qui se publicè exponit ad audiendas confessiones, validè absoluere, etsi nullo modo sit approbatus; quippequi ratione erroris communis præsumitur approbatus hoc ipso, quod se publicè exponit, & aliàs id exigit ratio boni communis, ne alioqui sic confitentes maneant illaqueati. Quin etiam existimat Diana *p. 3. tract. 4. resol. 122.* validè absolui pœnitentem ab eo Confessario, quem ipse pœnitens scit esse priuatum iurisdictione (eo quod v. g. desiit esse approbatus, & id ille non aduertit) si populus errore communi putet illum adhuc esse approbatum.

Vtrum verò validè absoluat Regularis, qui ignarus approbationis sibi ab Episcopo concessæ audit confessiones.

63. Respond. cum distinctione: vel Episcopus concessit approbationem Nuncio misso à Regulari ad hunc effectum: & sic valida est absolutio; cum sufficiat eam esse cognitam, & acceptatam ab ipso Nuncio; vel Episcopus concessit approbationem motu proprio, aut etiam ad instantiam alterius non missi à supradicto Regulari; & sic absolutio est inualida: sicut & esset inualida, si præfatus Regularis talis approbationis fieret conscius per alium, quam per ipsum impetrantem, aut Nuncium siue concedentis, siue ipsiusmet Regularis. ita Reginald. *l. 1. num. 104.* ex Sanch. *sup. D. 36. num. 8. qui num. 9.* rectè monet ad cessationem approbationis non sufficere, quod ea fuerit reuocata à concedente, sed requiri, vt ea intimetur Regulari approbato per Nuncium ad id ipsi destinatum: si quidem per quas causas res nascitur, per eas & dissoluitur.

Quod si quis hic obiter quærat, an Prælatus regularis, cui ab Ordinario loci concessa est facultas approbandi ad confessiones Religiosos sui Monasterij, possit id facere etiam in casu, quo Successor dicti Ordinarij reuocauit omnes approbationes factas à suo Prædecessore.

64. Respond. posse; & probatur; quia ex vna parte præfata facultas approbandi est potestas iurisdictionis delegatæ, non contentiosæ (quæ perit morte delegantis re integra) sed gratiosæ, ac voluntariæ, quæ non extinguitur mortuo, aut amoto delegante, vt aliis citatis notat Sanch. *l. 8. de matrim. D. 28. num. 32.* ex alia parte dicta facultas in reuocatione generali approbationum facta ab Episcopo successore non fuit reuocata: cum facultas approbandi ad confessiones, & ipsa approbatio sint res diuersæ, adeóque ex eo, quod fuerunt reuocatæ approbationes modo supradicto non ideò inferri possit fuisse reuocatam etiam facultatem approbandi: si quidem à diuersis non fit illatio. Secus dicendum, si Episcopus ille per supradictam concessionem facultatis approbandi intendisset ipse approbare ex tunc omnes illos Religiosos, qui imposterum habitaturi essent in eo Monasterio; tunc enim puto quod talis facultas fuisset ablata in generali illa reuocatione approbationum; cum talis facultas re vera sit approbatio facta anticipatè (quæ proinde venit sub nomine generali approbationum) non autem potestas approbandi, de qua suprà.

Dubitari potest an Prælatus regularis in præsenti casu facultatis sibi concessæ possit approbare ad confessiones sæcularium Religiosum hospitem in Monasterio breui commoraturum; & quidem ita vt vigore talis approbationis, si post aliquot annos ibi figat domicilium, possit audire confessiones.

Respond. non posse; & ratio est, quod, quamuis simus in materia fauorabili ex natura sua, quoad Pœnitentes, ac Religiosos: ea tamen est valdè odiosa respectu Episcoporum, qui in hoc strictissimè se gerunt (ita vt Religiosis interdum negent admissionem ad examen pro dicta approbatione) sicque ex illorum mente strictè accipi debet nomen subditi in concessione approbandi subditos ad confessiones; videlicet pro eo, qui fixum habet domicilium in monasterio, non autem pro Religioso hospite; idque etsi ex Regularis Prælato monasterij; per quod transit, debeat esse subditus, ac ij, qui ibi fixum habent domicilium. Imò dato etiam quod oppositum esset probabile, non videtur ad praxim deducendum, ob periculum offensionis Episcoporum.

Concedo quidem de rigore iuris Prælatum regularem in isto casu vi facultatis acceptæ posse approbare Religiosum subditum, quem Vicarius Capitularis, Sede vacante, reprobat vt insufficientem, si is re vera sit idoneus: & hoc doctrinam traditam *infra cap. 3. num. 257.* ex Portello *de dub. Regul. v. dispensare num. 28. in addit.* quam hic omitto breuitatis causa.

Moneo hic vnum obiter (quod fortè erit magnæ consolationi Regularibus timoratis, qui excipiunt confessiones virorum primariorum versantium in occasione proxima peccati, & aliàs ex quadam erubescentia, ac timore non audent iis liberè & apertè prohibere illam occasionem) nimirum Confessarium in tali casu posse non solùm tacere, ac dissimulare, si videat pœnitentem, quoad relinquendam occasionem esse in bona fide, & non speret fructum emendationis ex admonitione (idque ob dicta in *tract. de Monial. cap. 10. num. 191.*) sed etiam satisfacere suo muneri, si dicat Pœnitenti, quem minùs paratum suspicatur ad vitandam occasionem, Dominatio tua benè nouit non supponi dispositum eum, qui in occasione proxima existit, & non est parata eam relinquere: absque eo, quod expressè ipsi inculcet, vt occasionem proximam relinquat: sic enim suauior est monitio, minusque offensiua pœnitentis; &, cum is supponatur vir prudens, ac discretus, ex tali modo loquendi benè agnoscit suam obligationem: præsertim, cum Confessarius possit rationabiliter præsumere pœnitentem aliàs fuisse monitum de vitanda occasione; & fortè etiam non expediat mouere hunc lapidem, si pœnitens modo supradicto supponatur in bona fide.

Imò puto audientem primò Confessionem alicuius viri primarij existentis in occasione proxima peccati, si is sit prudens, discretus, & alioqui probus, non teneri ipsum monere, vt vitet occasionem: cum stante eius prudentia, ac probitate in cæteris, Confessarius possit supponere Pœnitentem habere propositum vitandi occasionem saltem in genere; vel certè ipsum existimare se iustam habere causam non dimittendi occasionem; sicque ei non esse proximam moralem, sed solùm physicum. qua de re Sanch. *l. 3. mor. cap. 7. num. 9.* & Diana *p. 5. tract. 14. resol. 107. 108. 109.*

Puto etiam, quod si Confessarius audiens confessionem Pœnitentis, quem scit esse ære alieno grauatum, si is sponte de hoc non se accuset, non tenetur ille de hac ipsa re eum interrogare; si Pœnitens aliàs sit prudens, ac timoratus, eique contingenter confiteatur: potest enim Confessarius credere Pœnitentem aliàs fuisse monitum à suo ordinario Confessario,

tio, vt satisfaciat creditoribus, &c. si non satisfecit, habere iustam causam differendi solutionem debitorum.

Addo, quod, si Pœnitens confiteatur se plurimas habuisse cogitationes turpes de variis fœminis cum voluntaria delectatione; non est opus interrogare pœnitentem, an sit in proxima occasione: nam circunstantiam mortalis, quæ non frequenter, sed rarissimè accidit, non tenetur pœnitens eam confiteri, nec de ea à Confessario debet interrogari (vt in simili notat Sanch. *lib. 9. de matr. D. 16. num. 5.*) talis autem videtur esse præsens casus, cum tam in præsentia, quam in absentia peccatum hoc fiat; & valde difficile sit quarumdam personarum vitare præsentiam, id erit iusta causa non vitandi; sicque pœnitens quoad hoc excusabitur.

Quod si habens tentationes habendi copulam cum fœminis eas sufficienter exprimit in confessione dicendo se cum delectatione voluntaria plures habuisse cogitationes de fœminis; etsi alioqui turpes cogitationes haberi possint de fœminis, quæ non sint de copula. moueor, quod in sermone simpliciter prolato intelligitur principale analogatum, quod in præsenti casu est copula carnalis, adeóque confitens modo dicto se habuisse cogitationes turpes de fœminis, sufficienter explicat se habuisse desiderium habendi copulam carnalem cum fœminis. ita P. Zanettus in morali theologia versatissimus à me consultus.

Illud hîc etiam placet monere doctrinam traditam à Bonacina *D. 2. de leg. quæst. 4. par. 6. num.* 25. videlicet detentum in carcere non peccare omittendo missam in die festo, etsi falsò credat se grauiter peccare (idque ex defectu voluntatis, ac libertatis) posse deseruire ad consolandum scrupulosum, qui falsò apprehendit se peccare in aliqua re (v. g. quod non sit paratus ad corripiendum Proximum in casu, quo teneatur sub mortali) quamuis enim posset afferri disparitas, quod in priori casu adest necessitas physica, & solum moralis in casu posteriori: tamen moralis hæc necessitas sufficit (vt colligitur ex Diana *part. 6. tract. 6 resol.* 53. dicente peccare moraliter, nisi excusetur ignorantia, aut quia aliter id facere non potest ob vrgentem necessitatem) sicque cum in nostro casu scrupulosus summopere angatur, quod in proposita materia non sit paratus animo facere, quod debet, curetque repellere suggestionem illam regulis generabilis; (v. g. dicendo in tali casu *Deus me adiuuaret*, vel *Deo dante, facerem quod deberem*, vel, *sufficit diei malitia sua*,) est in morali necessitate peccandi, ideóque censendus est non peccare. Præter quam quod scrupulosus potest credere se esse animo paratum facere id, ad quod tenetur, etsi ex conscientia scrupulosa, ac vehementi apprehensione oppositum viuaciter apprehendat; ideóque potest, & debet credere talem apprehensionem esse iudicium, non autem actum voluntatis deliberatiuum (in quo consistit peccatum) sicque illud repellere.

Svbsectio II.

Quibus Priuilegiis gaudeant Regulares, quoad absoluendos Seculares à reseruatis Papæ, & Ordinariis.

65 *Regulares absoluunt à quibuscumque reseruatis Papæ modo infra dicendo.*
66 *At hæc facultas à Clemente VIII. fuit restricta.*
67 *Etsi adhuc possint absoluere à multis reseruatis Papæ.*
68 *Et quidem absoluunt à Papalibus occultis, sicut absoluunt Episcopi ex Tridentino.*
69 *Declaratur, quid veniat in hoc loco nomine* occulti.
70 *Hæc facultas non includit casus deductos ad forum contentiosum.*
71 *Regulares non absoluunt à contentis in Bulla Cœnæ Domini: & hoc procedit, etsi casus sint occulti: quod ad alij negant, &c.*
72 *Probant 1. assertionem.*
73 *Probant 2.*
74 *Probant 3. & 4.*
75 *Probant 5.*
76 *At non videtur recedendum à sententia negante.*
77 *Aliqui tamen dissoluunt præcipua eius fundamenta: certe Religiosi Societatis in remotissimis regionibus absoluant a casibus Bullæ Cœnæ.*
78 *Regulares non absoluunt à reseruatis in decreto Clementis VIII. si sint notoria.*
79 *Secus, si sint occulta.*
80 *Absoluunt à cæteris omnibus Papalibus.*
81 *Nec obstat decretum Pauli V. hac de re editum.*
82 *Sicut nec obstat decretum simile editum ab Vrbano VIII.*
83 *Non absoluunt à reseruatis specialiter Ordinario.*
84 *Et quidem nec extra Italiam.*
85 *Item non absoluunt ab excommunicationibus reseruatis specialiter Ordinario.*
86 *At absoluunt à Suspensionibus, ac Interdictis et specialiter reseruatis.*
87 *Item iuxta aliquos absoluunt à censuris Inquisitorũ.*
88 *Item absoluunt à quibuscumque sententijs, ac pœnis ecclesiasticis.*
89 *Idque etsi sententia generalis, aut specialis sit ab homine.*
90 *Iuxta aliquos item dispensant super irregularitatibus ex delicto.*
91 *A censuris absoluunt etiam extra Sacramentum: absolutio censuræ data pro foro conscientiæ duo operatur: imò potest prodesse quoad forum externum.*
92 *At absolutio hæc non ligat simpliciter manus Iudicis quoad forum externum.*
93 *Etsi ille, si velit, possit non procedere vlterius.*
94 *Tenet absolutio censuræ data indisposito.*
95 *Validè absoluunt Regulares à reseruatis vi suorum priuilegiorum, etsi ea ignorent: maximè si agant sub conditione si habent indultum.*
96 *Probabilitas opinionis dat iurisdictionem super reseruata: si tamen opinio verè sit probabilis, non autem falsò apprehensa vt talis.*
97 *Regulares absoluunt ab excommunicatione lata contra procurantes abortum.*
98 *At hæc non incurritur à fœmina procurante proprium abortum: imò putant aliqui abortum fœtus inanimati in aliquo casu esse licitum.*
99 *Non absoluunt Regulares à reseruatis Papæ impeditos, ne adeant Papam.*
100 *Idque procedit etiam quoad reseruata Ordinario, etsi aliqui dissentiant.*
101 *Item non absoluunt damnatos ad triremes à reseruatis aliqui non permissis: absoluunt verò iuxta* Peregrinum *rapientes bona naufragantium.*
102 *Interdum ad Confessarium simplicem pro non reseruatis remittunt pœnitentem absolutum per ipsos à reseruatis sub eorum potestatem cadentibus.*
103 *E contra remittunt ad Superiorem pro reseruatis pœnitentem absolutum a non reseruatis.*
104 *Idque procedit etiam, quoad excommunicationem reseruatam.*
105 *Affectus reseruatis, necessitate cogente, Missam celebrat cum sola Contritione.*

106 *Item & poteſt in tali caſu confiteri ſimplici Confeſſario.*

107 *In mortis articulo Regulares abſoluunt à reſeruatis, ſi abſit priuilegiatus.*

108 *Imo iuxta aliquos, etſi adſit priuilegiatus.*

109 *Item, licèt ſint cenſurati.*

110 *Abſolutus à cenſuris reſeruatis in mortis articulo, ſi ſuperuiuat, poſtea ſe præſentat.*

111 *Limitatur hæc aſſertio: & ipſa præſentatio fieri poteſt per Procuratorem.*

112 *Dicta abſolutio reſeruatorum datur à prima die morbi periculoſi.*

113 *Item datur damnato à iudice ad mortem, & quidem aliquot diebus ante mortem.*

114 *Abſolui poteſt moribundus, etſi nullo modo petat confeſſionem, ſed ſub conditione.*

115 *Et dummodo probabiliter præſumi poteſt tunc diſpoſitus, quod non ſemper præſumitur.*

116 *Probatur aſſertio varijs rationibus.*

117 *Confeſſus priuilegiato poteſt ab oblitis reſeruatis poſtea abſolui à quouis Confeſſario.*

118 *Et quidem interdum, etſi confeſſio fuerit nulla.*

119 *Id autem procedit etiam de abſolutione data vi Iubilei, &c.*

120 *Abſolutus à reſeruato dubio per ſimplicem Confeſſarium, non eget iterum abſolui: ſic confitens numerum alicuius peccati, quod poteſt eſſe veniale, hoc ipſo explicat peccati grauitatem, ſi aliàs non exprimat numerum culparum leuiorum: item confitens numerum blaſphemiarum recens prolatarum animo ſupplendi ex blaſphemijs aliàs confeſſis numerum, ſi excedat, non ſatisfacit, ſi poſtea cognoſcat numerum prolatum fuiſſe certum: at alij diſſentiunt in hoc.*

121 *Regulares non tenentur ſemper abſoluere à reſeruatis, à quibus poſſunt.*

122 *Confeſſarius adit Prælatum pro reſeruatis, ſed non ſemper.*

123 *Prælatus regulariter debet dare facultatem reſeruatorum.*

124 *Facultas reſeruatorum extenditur ad futura.*

125 *Obtenta pro vno, & tunc cum eo non exercita, deſeruit pro eodem, etſi aliunde ipſe fuerit abſolutus: ſecus ſi à duobus Superioribus eamdem facultatem pro eodem obtineam: conceſſa perit, ceſſante approbatione habentis, ſi res ſit integra: extenditur à Duce militum ad eius famulos non adſcriptos in albo militum.*

126 *Conceditur ſub varijs terminis; & quidem iuxta aliquos conceſſa ad caſus extenditur etiam ad cenſuras.*

127 *Facultas reſeruatorum data ſub his verbis*, Do tibi facultatem talium reſeruatorum, *intelligitur, tum de actiua facultate, tum de paſſiua (vt alij diſſentiunt, & bene, ſi Superior ſit rigidus in danda ſimili facultate) ea verò cenſetur data pro caſu ſpeciali.*

128 *Data ad communionem Paſchalem iuuat pro omni confeſſione Communionem præcedente.*

129 *Prodeſt petita à pœnitente pro ſe, etſi id ignoret Confeſſarius: non abſoluens à caſu, quem falſò putat eſſe reſeruatum, verè non abſoluit, etſi abſoluat pœnitentem.*

130 *Petens facultatem vnius reſeruati mente præconcepti, qui poſtea occurrit loco caſus petiti.*

131 *Facultas data ad vniuerſitatem cauſarum eſt delegabilis, etiam inuito dante: indicatur autem, quis dicatur delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, etſi delegationem habeat limitatam, quoad aliqua.*

132 *Sic delegatus habenti omnes caſus præter duos, delegare poteſt hos duos.*

133 *Item poteſt omnes delegare, etſi delegans in delegatione aliquos excipiat: ſecus, ſi det facultatem, vt delegatus ſubdeleget tamquam purus Miniſter: quin etiam delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, ſi ſimul habeat facultatem delegandi in caſu occurrenti, poteſt dare illam, etiam quoad caſum in delegatione exceptum.*

134 *Sic delegatus dat caſus occurſuros per aliquot dies.*

135 *Habens facultatem dandi reſeruata in caſu occurrenti, dat audituro confeſſionẽ habentis reſeruata: præſertim, ſi pœnitens præmoneat Confeſſarium, vt facultatem reſeruatorum petat: item potens dare reſeruata in caſu occurſuro, dat in caſu, qui iam occurrit, & à pœnitente fuit Confeſſario propoſitus: imò, præmonitione hac facta, dari poſſunt omnes caſus: idq; fieri poteſt à ſubdelegante tamquam à delegato ad vniuerſitatem cauſarum.*

136 *Facultas reſeruatorum data pro feſto Natiuitatis Domini durat per 8. dies ante, & poſt data intuitu alicuius feſti incipit prodeſſe à puncto conceſſionis vſque ad finem Octauæ, ſi feſtum habeat Octauam.*

137 *Conceſſa ab Ordinario durat, eo mortuo, aut amoto: ſecus, ſi detur reſpectu certi pœnitentis: & hoc totũ procedit de facultate data à Legato de latere.*

138 *Facultas reſeruatorum Regularibus competens ex ſuis priuilegijs non ſuſpenditur anno Iubilei.*

QVÆRES I. An, & quomodo regulares poſſint abſoluere ſæculares à caſibus contentis in Bulla Cœnæ.

Pro reſponſione ſuppono 1. ex priuilegio bullato Pauli III. conceſſum fuiſſe Religioſis Societatis Ieſu, & per communicationem etiam Religioſis aliorum Ordinum, vt omnes Confeſſarij habeant facultatem abſoluendi quoſcumque Chriſti fideles ad eos vndecumque accedentes, eorum confeſſionibus diligenter auditis, à quibuſcumque peccatis etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, & à quibuſcumque ſententiis, cenſuris, & pœnis ex illis reſultantibus, exceptis iis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, habetur *in Compend. Societ. v. abſolutio, §. 1.* & fuſiùs explicatur à Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 2. per totum.* 65.

Suppono 2. ſupradictam facultatem fuiſſe reſtrictam à Clemente VIII. (quod ex Quaranta adducimus *in tract. de prohibit. cap. 2. ſect. 1. quæſt. 3.*) & quidem non ſolùm, quoad caſus Bullæ Cœnæ, ſed etiam quoad caſus quomodocumque reſeruatos Sedi Apoſtolicæ; quamuis poſtea idem Clem. præfatum Decretum moderatus ſit declarans ſub prohibitione dicti Decreti vltra caſus Bullæ Cœnæ (loquendo de caſibus Papalibus) comprehendi ſolum hos quinque: nimirum violationem immunitatis Eccleſiaſticæ, iuxta Conſtitut. Gregor. XIV. *Cum aliàs*: Violationem clauſuræ Monialium ad malum finem: Duellum in terminis Concil. Trident. & Conſtitut. Gregor. XIII. Iniectionem violentam manuum in Clericos, iuxta Canonem, *Si quis ſuadente Diabolo*: Simoniam realem ſcienter contractam, atque etiam Confidentiæ beneficialis: quin etiam ſupradicto Decreto prohibentur Regulares abſoluere etiam à caſibus, quos Ordinarij ſibi in ſpecie reſeruant; vt conſtat ex dictis *in cit. tract. de prohibit.* vbi fuſiùs hac de re agimus. 66.

Suppono 3. quod cum Regulares poſſent ante præfatum Decretum Clementis abſoluere ab omnibus caſibus Papalibus, præterquam à contentis in Bulla Cœnæ, & in dicto Decreto ipſis ſolum ablata ſit 67.

sit facultas absoluendi à quinque casibus *suppos. praecedenti* relatis: sequitur eos in praesentia posse absoluere ab omnibus casibus Papalibus, si excipiantur tantùm ij, qui continentur in Bulla Coenae, & in dicto decreto: si quidem exceptio firmat regulam.

68 Suppono 4. casus Papales occultos in Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reform.* concessos Episcopis sub his verbis; *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum dispensare; & in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicae reseruatis delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absoluere, imposita poenitentia salutari: idem & in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantùm, non eorum Vicarijs sit permissum*; casus inquam Papales occultos Episcopis concessos iuxta Suar. *lib. 4. mor. cap. 54. num. 27.* & alios competere Regularibus priuilegiatis; non quidem directè ex vi concessionis Tridentini (siquidem in ea non nominantur) sed indirectè, videlicet ex indulto Pauli III. celato *suppos.* 1. quatenus scilicet ex vi talis indulti possunt absoluere à quibuscumque peccatis, etiam Sedi Apostolicae reseruatis. Cum enim ex vna parte clausula *etiam* sit ampliatiua, teste Sanch. *lib. 2. de matr. D. 39. num. 6.* ideóque complectatur casus alios reseruatos Sedi Apostolicae, & ex alia parte Decreta Sacrae Congreg. iussu Clem. VIII. edita, necnon Pauli V. & Vrb. VIII. inferiùs adducenda. Praeter casus in Bulla Coenae, & illos alios quinque relatos *suppos.* 2. non excipiant, nisi casus, quos Ordinarij locorum sibi specialiter reseruant: sequitur omnes alios casus comprehendi in priuilegio Pauli III. & consequenter etiam casus Papales occultos, quippe qui desinunt esse Papales, & fiunt Episcopales eo ipso, quod iure ordinario conceduntur Episcopis, & sunt perpetuò annexi dignitati Episcopali, non autem iure speciali delegati ob industriam personae (aliàs quippe non possent Episcopi tales casus delegare; cum tamen Tridentinum *loco citato*, concedat, vt dicti casus possint delegari:) sequitur, inquam, eos includi in priuilegio Pauli III. & per consequens eos competere Regularibus. Quod satis apertè insinuat Castrus Palaus *de censur. 3. part. 24. §. 23. num. 19.* dum ait facultatem in Tridentino datam Episcopis, seu Episcopalem iurisdictionem habentibus absoluendi ab excommunicatione canonis: *Si quis suadente*, & ab omni alia excommunicatione, modò delictum sit occultum, neque ad forum contentiosum deductum, ferè eamdem Religiosis Mendicantibus esse concessam.

69. Suppono 5. ex Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 11. num. 19.* Suar. *de poenit. D. 30. sect. 2. num. 2.* Azor. *part. 1. lib. 8. cap. 10. quaest. 10.* Tambur. *de iure Abb. tom. 1. D. 17. quaest. 6. num. 4.* & alios, Concilium Trid. dum concedit loco suprà citato Episcopis casus Papales occultos, sumere ibi *Occultatum*, prout contradistinguitur à publico, & notorio, ac proinde licèt delictum sciatur ab aliquibus, imò & probari possit in iudicio; nihilominus dici occultum, si in ratione delicti non sit publicum; dicetur autem publicum, si in maiori parte viciniae, Collegij, Monasterij, aut paroeciae sit notum; modò in iis saltem adsint decem personae: quo modo delictum dicitur publicum, si ad minimum sit notum 6. personis, imò & pluribus, si oppidum, vicinia, aut collegium sint magna; vt proinde Auila *part. 2. de censur. cap. 6. D. 2. d. 4.* ex Nauarr. & Soto, putet percutientem Clericos coram 10. vel 12. personis non esse notorium in magna ciuitate. Vnde ego infero, quod, sicut in communitate constante ex 10. personis delictum dicetur notorium, si sit notum sex personis, eo quod 6. personae sunt maior pars talis communitatis; sic respectu oppidi constantis ex 4000. personis ad hoc, vt delictum dicatur notorium, debebit esse notum plusquam 2000. personis; cum sic solum verificetur illud esse notum maiori parti dicti oppidi: quod idem proportionaliter dicendum est de magna Ciuitate. Ex quo vlteriùs sequitur aliquod delictum, posse esse notorium, seu publicum respectu viciniae, aut Monasterij, quod erit occultum respectu oppidi, in quo est vicinia, aut Monasterium.

Suppono 6. in supradicta concessione Concil. Trid. excipi censuras deductas ad forum contentiosum, ac irregularitatem prouenientem ex homicidio voluntario; tunc autem praesumi deductas ad forum contentiosum, quando delictum saltem per vnum testem delatum est in iudicium, siue iustè, siue iniustè: modò talis delatio sit intimata reo: aliàs enim non dicitur deductum ad forum contentiosum. ita Pnrtel. *de dub. regl. v. Abbas num. 5.* aliique DD. inter quos Fagund. *praec. 2. lib. 8. num. 26.* & Auila *de censur. cap. 7. D. 1. d. 11.* probabiliter sustinent quod, si reus ex defectu plenae probationis in foro externo absoluatur, estò falsis testibus se defenderit, delictum eius dicetur occultum: sicut & dicetur in casu, quo deductum ad forum contentiosum de facto fuerit punitum; quod in specie docet Sanchez *supr.* aliis citatis. Caeterùm vt Episcopi, & alij priuilegiati possint absoluere à casibus Papalibus occultis, requiritur, vt ea copulatiuè non sint publica, nec deducta ad forum contentiosum. His suppositis 70.

Respond. regulares, quantumuis priuilegiatos non posse absoluere saeculares à casibus Bullae Coenae, siue publicis, ac notoriis, siue etiam occultis, est communis DD. vt patet, tum ex verbis ipsis Bullae Coenae, quae ita habet: *A peccatis, & censuris in hac bulla contentis nemo absolui potest ab alio, quàm à Summo Pontifice, vel ab eo, cui de mandato eius id specialiter fuerit concessum, non obstante quocumque priuilegio*, &c. tum ex Decreto sacrae Congregationis edito anno 1601. iussu Clementis VIII. quo sub grauissimis poenis prohibetur omnibus Confessariis, tam saecularibus, quàm Regularibus per vniuersam italiam, extra Vrbem degentibus, ne quis sub praetextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatum possit absoluere ab vllo ex casibus clarè, vel dubiè in bulla die Coenae Domini legi solita contentis. 71.

Dixi, *siue publicis, aut notorijs*, siue etiam occultis; vt innuerent non deesse viros alioqui valdè doctos, qui putant se probare Regulares priuilegiatos posse, etiam hodie absoluere saeculares à casibus Bullae Coenae occultis.

Probant 1. quia non obstante clausula derogatoria ipsius Bullae, *Ac cuiusuis Concilij decreta*, qua videtur derogari concessioni factae Episcopis per Concil. Trident. super casus Papales occultos, plurimi DD. Nauarr. Gutier. Bann Aragon. Sà, Rodriq. Sanch. Suar. & alij apud Fagund *supr. num. 24.* putant Episcopos vi supradictae concessionis adhuc posse absoluere ab omnibus casibus bullae coenae occultis, & quidem etiam ab haeresi secundùm multos (quamuis aliqui illorum eam excludant, sed minus consequenter: cum in dicto loco Tridentini Episcopis concedatur omnes Papales occulti, adeóque inter eos comprehendi & haeresis, si sit occulta, non occurrente vlla peculiari ratione illam excipiendi;) vnde sic arguunt; Si Regulares priuilegiati in praesen 72.

præſentia non poſſunt abſoluere à caſibus occultis bullæ, maximè quia per ipſam bullam derogatum eſt priuilegio aliàs ipſis conceſſo, quoad eorum abſolutionem: at non eſt derogatum, quia alioquì derogatũ fuiſſet idem priuilegio, etiam quoad Epiſcopos; quod tamen negant omnes DD. ſupra relalati, qui proinde, vt loquantur conſequenter, debent item dicere præfato priuilegio non fuiſſe derogatum, neque quoad Regulares priuilegiatos: cum clauſula derogatoria, *Ac cuiuſuis Concilij decreta*, de ſe ſit apta ad derogandum dicto priuilegio non minùs, quoad Epiſcopos; quam quoad Regulares: nec ſit maior ratio, cur dicatur derogare reſpectu Regularium, quam reſpectu Epiſcoporum, facilè conſtabit conſiderandi.

73. Probant 2. quia non obſtante ſupradicta clauſula derogatoria Portel. *de dub. regul. v. Abbas num.* 10. cum Souſa viro doctiſſimo, & Peyr. *tom. 3. priuil. cap. 2. num.* 38. putant Prælatos regulares poſſe etiam modò abſoluere proprios ſubditos à caſibus Bullæ, ſi ſint occulti: idque ex priuilegio conceſſo PP. Dominicanis à Pio V. per bullam à Rodriq. relatam *in Bullar.* (& eſt 13. inter Conſtitutiones Pij V.) quod ſcilicet Prouinciales, & Priores dictorum Patrum erga ſubditos reſpectiuè per ſe ipſos poſſint omnia, quæ poſſunt Epiſcopi erga ſuos ſubditos in conceſſione Concilij Trid. *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* probántque ex eo, quod licèt in Bulla Cœnæ quotannis reuocentur priuilegia Regularium, quoad abſolutionem caſuum in ea contentorum, talis tamen reuocatio explicari poteſt, vt dicta priuilegia reuocentur, non abſolutè, ſed ſolùm quando caſus ſunt publici, ac notorij: non item, ſi occulti; ex qua doctrina ſic argumentantur: Non obſtante derogatione bullæ poſſunt Prælati regulares, ſiue per ſe, ſiue per communicationem priuilegiorum ſaltem ſecundùm Portel. Souſam, & Peyrinum, abſoluere Regulares ſubditos à caſibus bullæ occultis ex vi ſuorum priuilegiorum: ergo & Regulares priuilegiati, ſaltem iuxta præfatos DD. poterunt vi eorumdem priuilegiorum abſoluere ſæculares à caſibus iiſdem occultis: ſi quidem non eſt ratio, cur clauſula, ſupradicta bullæ derogauerit priuilegio Regularium hac in re conceſſo, tam quoad Regulares in ordine ad pœnitentes ſæculares, quam quoad Prælatos Regularium in ordine ad Religioſos ſubditos item pœnitentes: ideóque ſi non derogauit, quoad hos, dicendum eſt neque derogaſſe, quoad illos.

74. Probant 3. quia iuxta communem DD. ſententiam apud Portel, *ſuprà* per præfatam clauſulam Bullæ derogatoriam non reuocatur facultas Bullæ Cruciatæ concedentis cuilibet Confeſſario, vt poſſit abſoluere ſemel in vita, & ſemel in morte ab omnibus caſibus contentis in Bulla Cœnæ: ergo nec præſumetur reuocati facultas in Tridentino conceſſa Epiſcopis tanta cum deliberatione, & communicata Regularibus eo modo, quo diximus *ſuppoſ.* 4.

Probant 4. ex eo, quod etiam in præſentia poſſunt Regulares priuilegiati abſoluere ab omnibus caſibus Papalibus occultis, qui ſcilicet non ſunt merè Papales (vt diximus *ſuppoſ.* 4.): at caſus Bullæ Cœnæ occulti non ſunt merè Papales, teſte Sanchez *lib. 4. in decal. cap. 54. num.* 27. cum deſierint eſſe Papales per generalem Conſtitutionem eos perpetuo concedentem Epiſcopis (vt probatum eſt citata *ſuppoſ.* 4.) ergò & Regulares poſſunt ab iis abſoluere.

75. Probant 5. quia ex vna parte Sanch. *lib. 3. de matr. D. 26. num.* 7. aliíque penes ipſum ſuſtinent ad hoc vt Conſtitutiones Pontificiæ reuocent aliquod decretum Concilij generalis opus eſſe, vt fiat expreſſa, & indiuidua mentio Cõcilij derogati: cuius ſignum eſt, ait Portel. *ſupra v. Trid. in addit num.* 2. quod recentiores Pontifices confirmantes priuilegia Regularium, vt plurimum dicunt: *Dummodo Concil. Trid. decretis non contradicant*; ex alia parte in derogatione illa, quæ fit in ipſa Bulla Cœnæ non fit expreſſa mentio Concilij Trid. ſed ſolùm dicitur in genere; *Ac cuiuſuis Concilij decreta*; vndè fit, vt alicui videri poſſit non ſufficienter derogatum per dictam bullam priuilegio, quod aliàs habebant Epiſcopi, & Regulares priuilegiati, quod abſoluendum à caſibus Bullæ occultis, & conſequenter etiam hodie poſſint ab iis abſoluere modo ſupradicto. Maximè cum Samuellus *de elect. tract. 1. D. 1. controu. 11. concl.* 5. ex Mariſcotto *lib. 2. var. cap. 38. n.* 41. referente ſic reſoluiſſe Rotam 27. Nouemb. 1571. in vna Alixbonenſi decimarum coram Orano notet doctrinam illam (quod decretis Concilij generalis nunquam derogatur, niſi de eo fiat expreſſa mentio) procedere ſolùm, quoad ea Concilia, in quibus non eſt expreſsè reſeruata authoritas Sedis Apoſtolicæ; hincque inferat, quod, cum in Tridentino dicta authoritas ſit reſeruata *ſeſſ. 25. cap. 21. de reform.* ea doctrina de eo non procedit: quod etiam docet Sigiſmund. *de elect. part. 1. cap. 1. d. 5. num.* 3.

Hæ ſunt peculiares rationes, quibus illi Recentiores nituntur probare Regulares priuilegiatos etiam in præſentia poſſe abſoluere perſonas ſæculares à caſibus Bullæ Cœnæ occultis. Verùm (quidquid ſit de probabilitate huius opinionis, cuius diſcuſſionem, ne diutius in his immorer, relinquo aliorum iudicio) non eſt recedendum à communi ſententia id negante: & hoc, tum ob rationes adductas in noſtra reſponſione: tum quia in ipſamet Bulla Cœnę videtur derogari priuilegio illi, quo potiſſimum nituntur dicti Recentiores, & quod nos ſuppoſuimus *ſuppoſ.* 4. cum enim in bulla dicatur *aliscuiuſuis Concilij decreta*; & hæc verba non poſſint reſpicere niſi facultatem in Trid. conceſſam directè Epiſcopis, & indirectè Regularibus priuilegiatis (cũ de nullo alio Concilio dubitari poſſit, quod det aliquam facultatem abſoluendi à caſibus Bullæ Cœnæ occultis (ſequitur talem facultatem per bullam fuiſſe ſublatam: aliàs verba illa, *ac cuiuſuis Concilij decreta*, eſſent omninò inutilia, nihilque operarentur: cum tamen receptiſſimum ſit in literis Pontificiis nec vnam ſyllabam debere eſſe ſuperfluam, teſte Sanchez *lib. 3. de matr. D. 26. num.* 6. 76.

Niſi quis malit dicere: ſicut verè dicunt præfati Recentiores ea poni in bulla ad abundantiorem cautelam: quo modo ſimiles clauſula in bullis pontificiis apponi ſolent iuxta ſtylum Curiæ etiamſi nunc nulla appareat neceſſitas illas apponendi: *abundans* quippe *cautela non nocet l. teſtamentum C. de teſtam.* ita præfati Recentiores, qui præterea adducunt rationem deſumptam ex Bulla Cœnæ, & declarationem Sacræ Congregationis, quibus probata eſt noſtra ſententia, loqui de abſolutione caſuum bullæ, qui ſunt publici, ac notorij; non autem, ſi ſint occulti, & hoc pacto eas debere explicari; præſertim cum reſtrictio priuilegiorum Regularibus conceſſorum debeat ſemper interpretari, ita vt iis derogetur minus quam fieri poſſit: vtpote quæ debent explicari ad inſtar iuris communis, ſicut benè notauit Henriq. *lib. 7. cap. 25. num.* 4. quod tamen, inquiunt illi, non obſeruatur, ſi dicta reſtrictio ad caſus bullæ tam occultos, quam publicos: cum alioqui mens bullæ, & dictæ declarationis videatur ſufficienter ſaluari, ſi eæ explicentur ſolum de caſibus publicis, non autem de occultis: qua de re nonnihil 77.

Lezana

Lezana *in Sum. v. confessio, num.* 9. absolutè reliciens dictos recentiores: cum quibus tamen mordicus sentit Crousers relatus à Diana *p. 6. tract. 6. resol.* 54.

QVÆRAS II. An, & quo modo Regulares vi suorum priuilegiorum possint absoluere sæculares à quinque casibus contentis in decreto derogatorio Clem. VIII. à nobis relato *q. preced. suppos.* 2.

Respond. non posse, si sint publici, ac notorij;
78. id enim constat ex tenore præfati decreti, quod ad minimum debet de bis intelligi; verò sint occulti, non videri aliquibus improbabile, quod Regulares possint ab iis absoluere: idque ex doctrina, quam tradidimus *quæst. preced. suppos.* 4. quamque approbans Fagund. *prec.* 2. *Eccles.* 8. *cap* 8. *num.* 29. disertis verbis docet Episcopos, & Regulares ad id priuilegiatos posse absoluere ab excommunicatione: *Si quis suadente* etiamsi læsio sit enurmis, & grauis, modo sit occulta: quod idem sine dubio, si velit consequenter philosophari, debet Fagund. concedere etiam de aliis 4. casibus in præfato decreto derogatorio contentis; cum sit per ratio de his, ac de illo, quem concedit de facto. Ratio autem, qua nituntur isti Recentiores, est tum quia Regulares priuilegiati ex dictis *preced. quæst. suppos.* 4. possunt absoluere à casibus Papalibus occultis; & cum talis potestas non extendatur ad casus Bullæ Cœnæ ob rationes adductas *q. preced.* nec sit necessaria ad alios casus papales in dicto decreto non comprehensos, (cum ab his simpliciter, & absolutè possint absoluere iuxta dicenda infra *quæst. sequenti*) ea saltem debet extendi ad hos quinque casus: alioqui esset omninò inutilis: tum, quia restrictio priuilegiorum, vt odiosa, debet interpretari, ita vt minùs iis deroget, quam fieri possit: hoc autem fit in casu nostro, si decretum Clementis VIII. præallegatum ita explicemus, vt dicamus per illud auferri facultatem absoluendi à supradictis quinque casibus, non quidem absolutè (quod esset omninò derogare priuilegiis Regularium) sed solùm in casibus publicis, aut notoriis, non item in occultis: quo modo vtique quam minimum derogatur dictis priulegiis. ita dicti Recentiores: quam probabiliter, ipsi viderint, aliique iudicent.

Rodriquez certè *tom.* 1. *quæst.* 61. *art.* 8. Nald. *v. Clericus, num.* 39. aliique docti viri censent Regulares
79. priuilegiatos posse, etiam modò absoluere percussorem Clerici, quamuis manifestum, si percussio sit leuis: quippe qui habent facultatem absoluendi à casibus iure communi concessis Episcopis, inter quos est percussio leuis. docent prætetea alij cum Filliuc. *tract.* 15. *num.* 106. posse Regulares priuilegiatos absoluere ab excommunicatione contracta ex duello, si quidem incurratur in terminis Clem. VIII. non item, si in terminis Gregor. XIII. & Conc. Trid. vt notauit Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 39. *num.* 27.

QVÆRES III. An Regulares vi suorum priuilegiorum possint absoluere sæculares à casibus Papalibus, qui nec continentur in Bulla Cœnæ nec specialiter reseruantur in præcitaro Decreto derogatorio Clementis VIII.

Respond. posse; & probatur ex priuilegio Pau-
80. li III. concesso Societati Iesu, & relato *supr. quæst.* 1. *suppos.* 1. in quo cum concedatur facultas absoluendi à quibuscumque casibus etiam Sedi Apost. reseruatis, sic fas est argumentari: ex vi huius priuilegij poterant Regulares ante decretum Clement. VIII. superius adductum absoluere omnes fideles ab omnibus casibus Papalibus, præterquam à contentis in Bulla Cœnæ: in decreto autem illo Clementis ipsis ablata est solum facultas absoluendi à quinque casibus relatis *quæst.* 1. *suppos.* 2. (loquendo de casibus Papalibus) ergo etiam in præsentia possunt Regulares vi supradicti priuilegij absoluere ab omnibus casibus Papalibus, præterquam à contentis in Bulla Cœnæ, & in supradicto decreto Clementis, idque iuxta regulam generalem; exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

Nec obstat decretum Pauli V. hac de re editum
7. Iann. 1617. in quo cum decretum Clementis VIII. 81.
supra citatum confirmasset, additis etiam aliquibus, hæc habet: *Ac insuper vt nulli ex Sacerdotibus prædictis* (idest tam sæcularibus, quàm regularibus) *ab excommunicationibus, vel à casibus eisdem Ordinarijs, vel Sedi Apostolicæ reseruatis* &c. *præterquam in articulo mortis absoluere audeant, vel præsumant.* Ex quibus verbis aliqui opinantur Paulum V. abrogasse simpliciter omnia priuilegia, & facultates Regularibus concessas non solùm, quoad absoluendum à casibus contentis in Bulla Cœnæ, & in decreto Clementis VIII. sed etiam ab omnibus aliis Papæ reseruatis; siquidem clausula *insuper.* videtur designare nouam dispositionem legislatoris ab antiquis omninò distinctam, *c. statutum, §. insuper, de rescriptis, in* 6. non obstat, inquam; cum ly *insuper* referatur solum ad casus, & censuras, de quibus fit mentio in decretis confirmatis, & innouatis à Paulo V. non autem ad omnes omninò casus Papales, vt aduertit Duard. *in Bulla Cœnæ, lib.* 3. §. 2. *q.* 1. *num.* 31. *& seqq.* faciléque constabit consideranti verba vtriusque decreti.

Non obstat item decretum Vrbani VIII. factum
17. Nouemb. 1628. in quo dicitur facultatem absol- 82.
uêdi ab omnibus casibus Papalibus (loquitur autem non de contentis in Bulla Cœnæ, aut decreto Clementis, sed de aliis Papalibus) extra Italiam non fuisse sublatam; ex quo modo loquendi aliqui à contrario sensu inferunt facultatem supradictam in Italia fuisse sublatam, adcóque Regulares in Italia degentes non posse amplius ab iis absoluere. Sed malè inferunt, vt aduertit. Peregr. *in comp. priuil. v. absol. quoad secul.* & nos dicimus *in tract. de prohibit.* quo pacto item malè inferret qui de Petro, & Paulo Confessariis habentibus facultatem absoluendi à reseruatis Ordinario, sic argueret: Facultas absoluendi à reseruatis non est ablata Petro: ergò est ablata Paulo; malè, inquam, inferret; cum ex tali antecedente non necessariò sequatur tale consequens, possitque contingere, quod nec Petro, nec Paulo talis facultas sublata sit; præterquam, quod non est probabile priuilegia Regularibus concessa à Sede Apostolica cum tanta consideratione, voluisse Papam reuocare per argumentum à contrario sensu deductum, vt aduertit Peregr. *vbi supr.*

QVÆRES IV. An in præsentia Regulares vi suorum priuilegiorum possint absoluere sæculares à casibus reseruatis Ordinario.

Respond. cum distinctione: vel loquimur de ca-
sibus iure communi reseruatis locorum Ordinariis; 83.
& de his non procedit quæstio, cum non constet dari vllo tales casus, vt notauit Filliuc. *tract.* 15. *n.* 238. ex Suar. *D.* 29. *de pœnit. sect.* 3. *n.* 6. vel loquimur de casibus iure consuetudinis reseruatis iisdem Ordinariis; & hi, si qui dentur (quod non est certum) non sunt reseruati Regularibus, & consequenter poterunt ab iis absoluere; idque ob rationem, quam adduximus *q. preced.* in probationem, illius responsionis, quæ sine dubio intentũ probat etiam in præsenti casu, si bene applicetur hoc modo: Regulares ante decretum Clem. VIII. superiùs adductum vi suorum priuilegiorum poterant absoluere ab omnibus re-

seruatis etiam Sedi Apostolicæ (præterquam à contentis in Bulla Cœnæ) & consequenter etiam ab iis, quæ erant reseruata Ordinariis, siue iure communi, siue speciali, siue iure consuetudinis; post præfatum autem decretum Clementis (quod spectat ad casus reseruatos Ordinariis) Regularibus ablata est tantum facultas absoluendi à casibus, quos Ordinarij specialiter reseruarunt, aut reseruabunt: ergo, cum casus iure consuetudinis reseruati Ordinariis non sint tales, sed habeant modum reseruationis longè diuersum, ab iis poterunt Regulares etiam modò absoluere, non secus ac ante illud decretum; quippe qui non comprehenduntur tali decreto. Vel denique loquimur de casibus, qui specialiter reseruantur ab vnoquoque Ordinario in sua diœcesi; & ab his non possunt Regulares absoluere, neque in Italia, neque extra Italiam: idque ob varia decreta sacr. Congreg. id ipsis expressè prohibentia (vt dicemus *in tract. de prohibit. cap. 2. sect. 1. num. 59.* vbi dicta decreta afferemus, & explicabimus;) idque abrogatis quibuscumque indultis, priuilegiis, ac concessionibus, quoad hoc quomodocumque concessis Regularibus, vt proinde minùs conforme praxi videatur, quod ait Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 2. num. 15.* supradicta decreta non obtinuisse extra dominium temporale Ecclesiæ: si quidem constat ea in Italia omnino obtinuisse.

84. Dixi, *neque in Italia, neque extra Italiam*, vt indicarem post decretum Vrban. VIII. hac de re editum non subsistere, quod aliqui dicebant præfata decreta non obligare extra Italiam; id colligentes ex verbis illis, *per vniuersam Italiam extra vrbem degentibus*, positis in decreto Clement. VIII. cum Vrb. VIII. in illo suo decreto apertè comprehenderit Regulares Confessarios existentes, tam extra Italiam, quàm intra, vt constat ex illis verbis, *nec intra, nec extra Italiam*, quæ apponit in dicto suo decreto.

Difficultas iam est, an, stantibus supradictis decretis, possint Regulares in præsentia absoluere sæculares pœnitentes à censuris, quas Ordinarij locorum in specie sibi reseruant.

85. Respond. quòd, quamuis attento decreto Clementis VIII. eiusque declaratione possint absoluere; eo quòd in iis solum auferatur facultas absoluendi à casibus Episcopis reseruatis, nulla mentione facta de censuris: cum tamen censuræ, propriè loquendo, non sint casus, sed pœna casus, vt notauit Nauarr. *cap. 27. n. 261.* & à diuersis non fiat illatio. *l. Papinian. ff. de minor. & cap. ad audientiam, de decimis*; hodie tamen, stante decreto Paul. V. à nobis relato *in tract. de prohibit. cap. 2. sect. 1. q. 3.* non possunt Regulares amplius absoluere ab excommunicationibus, quos Ordinarij specialiter sibi reseruant, cum talis facultas in præfato decreto Pauli V. ipsis sublata sit; vt patet ex eius tenore, & communiter tradunt DD. post dicti decreti emanationem; vt propterea Diana *p. 3. tract. 2. resol. 13.* aliique ab ipso relati oppositum sustinentes dicendi sint loqui in terminis solius decreti Clem. VIII. (quod etiam nos concedimus) non autem attento decreto Paul. V. modò relato.

86. Dixi, *ab excommunicationibus*, quia puto non obstante isto decreto Paul. V. Regulares etiam in præsentia posse absoluere à suspensionibus, ac interdictis, quantumuis locorum Ordinariis reseruatis. Ducor, quòd Paulus V. in illo suo decreto Regularibus solum abstulit facultatem absoluendi ab excommunicationibus specialiter reseruatis ab Ordinariis, nulla omnino mentione facta de suspensionibus, ac interdictis, quæ iidem Ordinarij sibi specialiter reseruent; cum tamen nomine excommunicationum non veniant suspensiones, & interdicta; sicut ergo, non obstante decreto Clem. VIII. probabile erat Regulares potuisse vi suorum priuilegiorum absoluere sæculares, & ab excommunicationibus, & ab aliis censuris specialiter reseruatis locorum Ordinariis, eo quòd in illo decreto ablata esset Regularibus potestas absoluẽdi à casibus specialiter reseruatis, nulla mentione facta de excõmunicationibus, & aliis speciebus censurarum, & in odiosis nõ sit facienda extensio à casu expresso ad nõ expressum; ita & in casu nostro; cum Paul. V. de nouo solum abstulerit facultatem absoluendi ab excommunicationibus Episcopis specialiter reseruatis, nulla mentione facta de aliis censuris, & aliæ censuræ non veniant nomine excommunicationum. ita Docti viri à me consulti; quamuis curandum sit, vt hæc doctrina practicetur sine offensione Ordinariorum, iuxta illud, *multa licent, quæ non expediunt.*

QVÆRES V. An Regulares vi suorum priuilegiorum possint absoluere sæculares à censuris contentis in edictis Inquisitorum.

Respond. Diana *in tract. de absolu. ab hæresi, resol. 8.* ex Portell. & Freita posse: quamuis dicat se nihil de suo dicere, aut ponere. Probat tribus rationibus, & maximè ex eo, quòd Regulares iuxta dicta *q. 1. suppos. 1.* vi suorum priuilegiorum possunt absoluere ab omnibus reseruatis etiam Sedi Apostolicæ, & consequenter etiam ab omnibus reseruatis cuicumque inferiori Papa (quales sine dubio sunt Inquisitores;) id enim indicat clausula, *etiam*, cum sit ampliatiua. Vnde fit, vt facultas concessa in priuilegiis Regularium, quoad absoluendum à reseruatis, de se extendatur ad censuras Inquisitorum; cumque ea, quoad has non fuerit hactenus in specie restricta quomodo fuit de facto restricta, quoad casus, & excommunicationes Ordinariis specialiter reseruatas, quæ aliàs Regularibus erant concessæ) etiam in præsentia poterunt ab illis absoluere; sic citati DD. & cum iis Acuña: quam probabiliter ipsi viderint, non enim habet hac in re iudicem agere; negatiuam certè sententiam sustinet Bordonus *resol. 3. n. 6* 87.

QVÆRES VI. An Regulares vi suorum priuilegiorum possint absoluere, non solùm à casibus, & censuris reseruatis, sed etiam à quibuscumque sententiis, ac pœnis Ecclesiasticis, & quo iure.

Respond. posse ex priuilegio bullato Pauli III. concesso Religiosis Soc. Iesu, & adducto *q. 1. suppos. 1.* 88.
patetque ex dictis ibi; si hîc monuero nomine sententiarum hîc intelligi censuras latas, tum à iure (de quo nemo dubitat) tum per sententiam generalem, ac specialem ab homine; vnde fit, vt hoc loco censura, & sententia sumantur tanquam synonima, non tamen omnino inutiliter, cum deseruiant ad indicandam enixiorem voluntatem concedentis; vt de geminatione verborum in casu simili, ostendit Sanchez *lib. 5. in decalog. cap. 4. num. 19.* ex Gloss. Clem. 1. *v. diœcesani, de iure patron.* nomine verò pœnarum hîc significari non solùm pœnas Ecclesiasticas, quæ ex vi sententiæ, per quam imponantur, non habent positiuam perpetuitatem, aut definitam durationem, & semper pendent ex arbitrio iudicis (cuiusmodi est prohibitio communionis per annum, nisi Superior iudicet remitti posse pro parte dicti temporis) sed etiam priuationes officiorum, dignitatum, graduum, vocis actiuæ, & passiuæ, aliasque similes pœnas in Bullis Pontificiis ferri solitas contra Ecclesiasticos, etiam regulares: quod in specie notauit Sanchez *lib. 6. in decal. cap. 15. n. 78.* restringens tamen facultatem, quoad earum dispensationem Regularibus concessam, ad solum forum conscientiæ;

qua

qua de re Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. l. 9. cap. 2. à num. 41.* & Castrus Palaus *tract. 23. D. vnic. part. 14. num. 16.* qui benè aduertit nomine pœnarum hîc non intelligi, nec pœnas à Confessariis iniunctas in Sacramento Pœnitentiæ, nec eas, quæ à fidelibus suscipiuntur ex voto, & promissione propria, sed pœnas spirituales, quæ in pœnam delicti à iure, aut ab homine fidelibus imponuntur: euiusmodi est prohibitio ab ingressu Ecclesiæ, à cōmunione, ab officio aliquo diuino, & similes, vt paulò ante diximus.

Quod autem Regulares vi suorum priuilegiorum possint absoluere sæculares etiam à sententiis, tum generalibus, tum specialibus ab homine; constat ex eo quod sententia generalis est propriissimè sententia, nihilque habet speciale, ob quod non includatur in generali concessione; nullaque adest ratio sufficiens, quæ cogat ad excludendum à dicta concessione sententiā specialem; vnde, cum illa concessio sit beneficium, & fauor Principis, non debet restringi, sed ampliari; quamquam, quod attinet ad Religiosos Societatis, ij non possint absoluere excommunicatos nominatim ab homine, etiamsi sint Superiores, vt constat ex *Comp. priuil. Soc. ver. absol. §. 1.* vbi tamen conceditur Superioribus Societatis, vt possint absoluere excommunicatos generaliter ab homine.

Dubium grauius est, an Regulares vi dicti priuilegij Pauli III. possint dispensare, cum personis sæcularibus etiam super irregularitatibus, quas ij incurrant.

90. Respond. quod, quamuis DD. communiter sustineant partem negatiuam ea ducti ratione, quod in præfato priuilegio non conceduntur, nisi casus, & censuræ, & aliās, propriè loquendo, irregularitates non sint, neque casus, neque censuræ; Sotus tamen *in 4. d. 22. q. 3. art. 1. § 1.* Barth. Medin. *2. 2. q. 96. art. 4.* Cord. *l. 5. de indulg. q. 43. d. 4.* Salon. *2. 2. q. 64. art. 8. controu. 4.* Diana *p. 1. tract. 11. resol. 27.* aliique penes ipsum docent, & non improbabiliter iudicio quorumdam doctorum Recentiorum, irregularitatem, quæ nascitur ex delicto, esse veram censuram Ecclesiasticam; si velint loqui consequenter, tenentur fateri eas posse auferri à Regularibus ex vi priuilegij, quod habent absoluendi ab omnibus censuris. Imò Portel. *part. 1. resp. mor. casu 3.* ex Rodriq. & Henriq. censet Regulares ex quodam priuilegio Sixti IV. concesso PP. Minimis posse dispensare cum sæcularibus super omni irregularitate reseruata Ordinario: idque etiam seclusa concessione Conc. Trid. relata *q. 1. suppos. 4.* Quod quidem priuilegium est bullatum, vt colligitur ex *Comp. priuil. Mendic. vtr. absol. quoad sæcul. num. 20.* & teste Vega *in Sum. ver. absolut. casu 44.* extensum est etiam, quoad sæculares (de quo tamen subdubitat Casarub. *ibi*,) nec contrat fuisse reuocatum; quamquam Portel. *loco cit.* dicat, quod, cum dictum priuilegium non videatur esse in vsu apud PP. Minimos, eiusque vsus non leuem parere possit offensionem in Ordinariis; consultum est, vt etiam Regulares aliorum Ordinum eo gaudentes per viam communicationis, ab illo abstineant; quod & ego suadeo, non tamen præcisè ex eo, quod præfatum priuilegium non sit in vsu apud PP. Minimos, quibus primò, & per se concessum est: si quidem non repugnat priuilegium non esse in vsu apud eum, cui per se primò concessum est, & tamen eo vti posse illos, qui per viam communicationis de illo participant, vt ostendimus *cap. 1. sect. 3. q. 14.*

Quæres VII. An Regulares vi suorum priuilegiorum possint absoluere sæculares à censuris, itavt absolutio prosit etiam, quoad forum externum. Pro responsione suppono 1. ex Suar, Rodriq. Henriq. Auila, Coninchο, & Laym. relatis à Castro Palao *tract. 23. d. vnic. part. 14. num. 18.* de rigore iuris Regulares posse à censuris absoluere extra Sacramentum Pœnitentiæ validè, ac licitè vi priuilegij supra adducti: quippe quod est à Principe, & in fauorem animarum, adeòque non est, cur eius vsus restringatur ad Sacramentum Pœnitentiæ; maximè cum ea verba, *auditis eorum confessionibus*, sint generalia, & possint aptari confessioni, tum Sacramentali (sicut verbum absoluendi, ac iniungendi pœnitentiam salutarem necessariò aptatur absolutioni peccatorum, quæ est Sacramentalis) & censurarum absolutioni, quæ non est Sacramentalis; datur autem simul vtraque potestas ob commodiorem vsum, & quod frequenter vsus vtriusque potestatis coniungatur, non quod vtraque simul necessariò debeat exerceri, cum sæpè deceat diuidere absolutionem à censuris, ab absolutione peccatorum. Ita Castrus Palaus *num. 19.* addens ex Suarez posse te absoluere à censuris recedentem à contumacia, & satisfacientem parti, aut Ecclesiæ, si eius peccata sacramentaliter audieris solùm ex parte, nec intendas ab iis absoluere, eo quod ipse integrè nequeat confiteri, aut tu nequeas totam confessionem audire: cum sic verè detur absolutio censuræ audita confessione, adeòque satisfiat verbis priuilegij: qua de re plura *cap. praecedenti, sect. 1. subs. 2. quæst. 15.*

Suppono 2. cum Suar. *D. 7. de censur. sect. 5. n. 30.* 91. potestatem absoluendi à censuris solùm pro foro conscientiæ duo operari: primò vt, non obstante tali absolutione, ac pœnitentia imposita in foro pœnitentiali, possit iudex Ecclesiasticus nihilominus cognoscere de delicto illo, ac iniungere satisfactionem accommodatam foro contentioso. 2. vt opus sit absolutionem prædictam saltem declarari, & probari in foro externo iuxta modum, ac exigentiam censuræ (estò non sit necesse, vt ipsa absolutio iteretur) idque per fidem factam ab absoluente, siue voce, siue scripto, siue etiam iuramento: & quidem ita, vt, quando fides fit scripto, scriptum dari debeat pœnitenti, coram testibus, & tabellione, qui in altera facie scripturæ testetur illud scriptum esse Sacerdotis absoluentis; quod tamen non requiritur, si Confessarius adsit personaliter, & coram iudice illud testificetur, quamquam, si aliunde constet illam esse subscriptionem Confessarij, non requiratur attestatio præfata testium, ac Notarij: quod tamen alij negant cum Penna *in direct. Inquisit. part. 2. in scholijs ad Conc. Tarracon. com. 35.*

Suppono 3. ex eo, quod absolutio censurarum data à Regularibus prosit in foro externo, duplicem sequi effectum: primus est, quod iudex Ecclesiasticus, si ei constet sufficienter de tali absolutione, non possit ampliùs ferre iudicium de delicto, ob quod contracta fuerat censura, nec de contumacia præteritis, nec de quacumque irreuerentia, aut iniuria, quæ in progressu illius delicti, aut censuræ facta fuerit contra claues, aut pastores Ecclesiæ. 2. effectus est, quòd si ei constet sufficienter de supradicta absolutione in foro externo, recipiatur tanquam vera absolutio, & consequenter non sit necessaria noua absolutio, sufficiatque vt iudex, qui censuram tulerat, vel quem spectabat de ea cognoscere, eam ratam habeat: sicque non possit pœnitens modo dicto absolutus priuari, eo quod post talem absolutionem non seruauerit censuram, neque iudicari irregularis eo quod celebrauerit, &c. his suppositis,

92. Reſpond. ad propoſitum quæſtionem diſtinguendo; vel loquimur de priori effectu, quem *ſuppoſ.* 1. diximus prouenire ex abſolutione cenſurarum data à Regularibus; & ſic ea non ſuffragatur, quoad forum externum; vel loquimur de poſteriori effectu; & ſic ſuffragatur; primum probatur, quia alioqui conceſſio ſupradicti priuilegij vergeret in damnum Eccleſiæ, in qua opus eſt, vt puniantur delicta, etiam in foro exteriori ob commune bonum, & aliorum exemplum; quod tamen non fieret ſi abſolutio cenſurarum impertita pro foro conſcientiæ prodeſſet etiam quoad forum externum. Secundum probatur, quia ſic non minuitur ius Eccleſiæ; aut Prælati auctoritas, parúmque aut nihil violatur rigor eccleſiaſticæ cenſuræ; vt patebit conſideranti. Ita Suarez *tom. 4. de relig. tract.* 10. *l.* 9. *c.* 2. *n.* 34. contra Medin. *inſtruct. Confeſſar. p.* 2. *c.* 12. Nauar. *conſ.* 26. *de ſent. excommunic.* & alios abſolutè ſuſtinentes cenſurarum abſolutionem datam ex priuilegio non limitante facultatem quoad forum conſcientiæ ſuffragari etiam in foro externo; idque etſi non fiat expreſſa extenſio; cum priuilegia, & fauores animarum ampliari debeant: & contra Sanch. *l.* 8. *de matr. D.* 34. *num.* 29. *& l.* 6. *in Decal. cap.* 17. *n.* 43. Gutier. *l.* 1. *quæſt. canon. cap.* 1. *n.* 17. Couar. 2. *var. cap.* 10. *n.* 3. & alios id abſolutè negantes ex eo quod facultas abſoluendi à cenſuris competens Regularibus videatur à Pontificibus reſtricta ad ſolum forum conſcientiæ, ſin minùs expreſsè, ſaltem implicitè; nempe ex ſubiecta materia, ex modo conceſſionis, aliiſque antecedentibus, & conſequentibus ipſam conceſſionem: quæ vtique videntur indicare hanc fuiſſe mentem Pontificum ſupradicta priuilegia concedentium; qua de re Homobonus *tom.* 1. *conſultat. reſp.* 201. & Diana *part.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 13.

Quod ſi quæras, an iudex teneatur admittere ſupradictam abſolutionem cenſurarum quoad hunc effectum, vt debeat exiſtimare abſolutum tanquam liberum ab iis cenſuris ex illo die, quo fuit abſolutus.

93. Reſpond. poſſe, non tamen teneri. Ita Suar. *ſupr. num.* 56. & quidem quod non teneatur, patet ex eo quod abſolutio data in foro animæ non obſtat, quo minùs poſſit reus accuſari, inquiri, aut puniri in foro externo; cum diuerſus ſit finis vnius, & alterius; ſiquidem publica punitio, quæ interdicitur in foro externo, ordinatur ad bonum commune, exemplum, & emendationem aliorum, ideoque non debet impediri ob ſolam punitionem, ac emendationem rei in foro conſcientiæ: aliàs id vergeret in graue nocumentum Eccleſiæ, quatenus delicta manerent impunita præterquam quod talis eſt praxis Eccleſiæ, vt conſtat. Dixi, *non tamen teneri*, ſi enim iudex ſciat abſolutum in foro conſcientiæ per actus factos contra cenſuram poſt abſolutionem nihil peccaſſe; poteſt ex æquitate, imò & ſuo modo debet non illum punire, ac ſi verè deliquiſſet, ſed ſolùm quantum requiritur ſiue ad vindictam prioris contumaciæ, ſiue ad publicam ſatisfactionem, aut tollendum ſcandalum, quod fortè interceſſit; ratio quippe iuſtitiæ petit, vt pœna non excedat culpam, & quod veritas præferatur præſumptioni: quæ doctrina locum habet etiam in abſolutione cenſurarum data vigore iubilei, aut alterius ſimilis conceſſionis, cum ſit par ratio in vtroque caſu.

Qværas VIII. An Regulares vi ſuorum priuilegiorum validè abſoluant à cenſuris pro foro conſcientiæ, ſi intra Sacramentum Pœnitentiæ abſoluant ex propria indiſpoſitione tunc incapacem gratiæ, & abſolutionis quoad peccata.

94. Reſpond. validè abſoluere, modò facultas abſoluendi non ſit reſtricta, ac limitata ad aliquam certam conditionem, quam non ponat pœnitens abſoluendus: ſic enim ſi ea conditio ſit ſubſtantialis, valida non eſt abſolutio; ſicut nec eſſet valida, ſi daretur pro foro exteriori; idque ex defectu poteſtatis, vt patet. Ratio reſponſionis eſt, quod in abſolutione ſacramentali bona diſpoſitio pœnitentis requiritur ad remiſſionem quidem peccatorum (cum Deus non remittat peccata carenti debita diſpoſitione) non autem ad ablationem cenſurarum; cum ad hanc Eccleſia non requirat, niſi vt pœnitens abſoluendus ſe præſentet habenti legitimam poteſtatem, ſiue ordinariam, ſiue delegatam; quomodo Bonac. *D.* 5. *de ſacr. q.* 7. *p.* 5. §. 5. *n.* 9. aliique plures apud ipſum concedunt abſolutionem reſeruatorum eſſe ſacramentalem, & producere ſuum effectum quoad ablationem reſeruationis, eſto Sacramentum ſit inualidum, adeóque non operetur ſuum effectum quoad remiſſionem culpæ. Ita viri docti à me conſulti & ſatis probabiliter, ſi non vero hinc conſtare, quod abſolutio cenſurarum in propoſito caſu eſt ſacramentalis quod ex tali confeſſione conſurgit obligatio ſigilli ſacramentalis, quæ tamen non oritur niſi ex confeſſione ſacramentali, vt tradunt DD. communiter ſuo loco.

Qværa IX. An Regulares validè abſoluant à reſeruatis, & quidem directè, ſi ignorent ſe poſſe id facere vi ſuorum priuilegiorum, cum reuera poſſint.

95. Reſpond. validè abſoluere. Ita Portellus *de dub. regul. ver. priuileg. num.* 40. patétque tum ex regula iuris, *Si non valet hoc, quod ago, prout ago, valeat, vt valere poteſt*: tum quia abſoluens in hoc caſu præſumitur habere voluntatem, ſaltem generalem vtendi ſuis priuilegiis, & conſequenter abſoluendi: vnde videntur concurrere quæcumque ſunt neceſſaria ad validè abſoluendum: qua de re infra *num.* 129.

An autem validè abſoluat Regularis, qui habens facultatem abſoluendi ab aliquo reſeruato (ſed annum, v.g.) ab eo abſoluit etiam poſt annum elapſum bona fide credens illam facultatem nondum eſſe extinctam.

96. Reſpond. validè abſoluere; & colligitur ex doctrina, quam in re ſimili tradit Bonac. *ſupr.* §. 4. *n.* 5. eum ſcilicet, qui ſequitur opinionem probabilem Doctorum ſentientium ipſum habere facultatem abſoluendi à reſeruatis, ſeu priuilegium abſoluendi non fuiſſe reuocatum, validè agere, quæ agit, ac ſi re ipſa iuriſdictionem haberet, & priuilegium nondum eſſet reuocatum: idque licèt fortè probabilis illa opinio à parte rei non ſubſiſtat, cum reuera priuilegium ſit reuocatum; ſiquidem Eccleſia in tali euentu ſupplet iuriſdictionem, non ſecùs ac ſupplet, quando concurrunt titulus coloratus, & error communis, iuxta *l. Barbarius, ff. de offic. prœt.* aliàs ſequerentur eadem incommoda, quæ ſequerentur, ſi Eccleſia non suppleret iuriſdictionem, dum adeſt titulus coloratus, & error communis. Hæc autem doctrina, quæ eſt probabilis, & eſt plurium Doctorum apud ipſum Bonac. militat ſine dubio in caſu noſtro: cum perinde ſit facultatem abſoluendi à reſeruatis fuiſſe reuocatam, ac elapſum eſſe tempus, ad quod illa fuerat conceſſa, & conſequenter eam ſpiraſſe: quod eſt eam implicitè, & virtualiter reuocatá fuiſſe

Verumtamen eſt, ad hoc vt doctrina Bonacinæ locum habeat, requiri, vt opinio, quam quis concipit, verè ſit probabilis; non autem ſufficere, vt ex errore, aut falſa apprehenſione reputetur probabilis, quæ reuera non eſt talis: ſic enim ceſſat ratio

qua

qua Ecclesia modo dicto suppleat iurisdictionem; & alioqui plura sequerentur inconuenientia, quæ facilè consideranti occurrent.

QVÆRES X. An Regulares vi suorum priuilegiorum possint absoluere ab excommunicatione lata per Sixtum V. contra procurantes abortum.

97. Respond. posse. Ita Peyt. *tom. 1. priuil. Const. 1. Iul. II. n. 65.* Diana *p. 5. tract. 9 resol. 40.* aliique, & probatur, tum, quia ista excommunicatio non continetur neque in bulla Cœnæ, neque in decreto derogatorio Clementis VIII. neque est specialiter reseruata Ordinariis (vt suppono:) Regulares autem possunt absoluere vi suorum priuilegiorum ab omnibus excommunicationibus, præterquam ab iis, quæ comprehenduntur in bulla Cœnæ, aut decreto Clementis, vel certè reseruantur specialiter ab Ordinariis; tum, quia attenta moderatione Gregorij XIV. qui eiusmodi excommunicationem aliàs Papæ reseruatam reseruauit Ordinario loci, cum facultate delegandi illius absolutionem cuilibet Confessario, tam sæculari, quam regulari; iam hic casus non est amplius merè papalis, sed episcopalis, vtpote concessus Episcopis iure ordinario; Regulares verò possunt vi suorum priuilegiorum absoluere ab iis omnibus casibus, à quibus possunt absoluere Episcopi iure communi, vt constat ex dictis *quæst. 1. suppos. 4.*

98. Vnum placet hic monere, quod ingeniosè aduertit Nald. *ver. abortus, n. 1.* mulieres prægnantes proprium procurantes abortum, quamuis primo aspectu videantur incurrere supradictam excommunicationem Sixti V. reuera tamen non incurrere; nam in Constit. in qua fertur talis excommunicatio, nulla de iis fit mentio, dum agitur de excommunicatione (fortè in hoc compatiendo fragilitati sexus fœminei) cum tamen de illis mentio fiat expressa, quando agitur de pœnis temporalibus: quod est signum eas quidem subiici pœnis temporalibus, non item excommunicationi: cum enim simus in odiosis, stricta fieri debet interpretatio. Nec obstat, quod in præfata Constit. immediatè præcedunt illa verba, *siue vt principalis, siue vt socia:* cum ly *principalis*, intelligi possit de principali in dando poculum ad abortiendum: quod colligitur ex verbo, *dederit*, à quo regitur ly *principalis*; quæ enim reguntur ab vno verbo eandem recipiunt qualitatem. Ita Nald. Henriq. *l. 6. cap. 10. lit. H.* (etsi non expressè) Auila *part. 2. de censur. cap. 5. D. 3. d. 12.* Trullench. *l. 5. in Decal. cap. 1. d. 3. n. 3.* Ioan. de Lugo, aliique docti viri à me consulti, & meo iudicio probabiliter.

Addo obiter Torreblaneam, Zambellum, Bordonum, Lezanam, Trullenchum, & doctissimum quemdam Theologum Soc. Iesu relatos à Diana *p. 6. tr. 8. resol. 37.* sustinere non esse improbabile, quod liceat procurare abortum fœtus inanimis ad consulendum famæ, ac vitæ fœminæ prægnantis, si aliter ei consuli non possit: quorum opinio, si admittatur vt probabilis, non debet practicari nisi instar Antimonij (vt ad me rescripsit vir doctissimus è Societate) & benè, cum aduersetur communi Doctorum sententiæ, & sit valdè periculosa.

QVÆRES XI. An Regulares possint absoluere à casibus papalibus, quorum alias non habent facultatem, si pœnitens absoluendus iusto detineatur impedimento, quominus se præsentet Papæ ad recipiendam absolutionem.

99. Respond. non posse; cum facultas absoluendi in tali casu iure communi delegetur Episcopo, electa industria personæ, ideóque non extendatur ad alium Episcopo inferiorem; vnde non est mirum eam non competere Regularibus, cum tamen iis competat potestas absoluendi ab iis omnibus reseruatis, à quibus Episcopi possunt absoluere de iure communi, vt iam non semel dictum est. Ita Nauar. *cap. 27. n. 112.* aliique apud Henriq. *l. 6. cap. 16. n. 1.*

Quod si quis hac occasione quærat, an casu, quo nequeat adiri Ordinarius ad obtinendam facultatem alicuius reseruati, possint tunc Regulares absoluere à tali reseruato, si adsit iusta causa id faciendi.

100. Respond. Diana *p. 5. tract. 14. resol. 58.* cum Granado, Cœlestino, & Gamachæo posse; probátque ex eo, quod interdum potest contingere ita difficilem esse accessum ad Ordinarium, ac est ad Papam, & quidem in casu, quo vrgeat necessitas absoluendi, vnde, si licitum est in tali casu absoluere à reseruatis Papæ, cur etiam non licebit absoluere à reseruatis Ordinario? Dissentit tamen Suar. *D. 30. de pœnit. sect. 3. n. 13.* eo motus fundamento, quod ius concedit in casu proposito facultatem absoluendi à reseruatis Papæ, non tamen id concedit quoad casus reseruatos Ordinariis; verùm ego puto opinionem Dianæ esse valdè probabilem, nitique æquitate, quatenus est verosimile, quod Episcopi in talibus circumstantiis non intendant denegare facultatem absoluendi indirectè eo modo, quo suo loco dicimus.

QVÆRES XII. An Regulares vi suorum priuilegiorum possint absoluere, tum missos ad triremes ab omnibus reseruatis, etiam Papæ, & quidem etiam ab iis papalibus, à quibus aliàs non possunt; tum rapientibus bona naufragantium.

101. Respond. olim potuisse ex concessione viuæ vocis oraculo facta Societati Iesu à Pio IV. vt videre est in comp Societ. *ver. absol. 55. §* vbi talis facultas communicatur omnibus Superioribus, & iis, quibus ipsi commiserint; in præsentia verò non posse; cum omnia viuæ vocis oracula reuocata fuerint à Gregor XV. ac Vrbano VIII. vt iam dictum est; & alioqui similia priuilegia Regularibus concessa sublata fuerint per decretum Clementis VIII. superiùs allegatum, quæ proinde non est, cur hîc referamus, ac explicemus. Quanquam Sà *in editione veteri, ver. absolutio, n. 4.* putans damnatum ad triremes esse semper in periculo mortis, consequenter putet eum de iure communi posse absolui à quibuscumque reseruatis: quod tamen negat Sanch. *l. 2. mor. cap. 13. n. 4.*

Quod verò spectat ad rapientes bona naufragantium dicit Peyt. *in Comp. verb. absolutio, quoad sæculares, § 2. in scholijs suo Ordini facultatem* concessam fuisse à Paulo V. eos absoluendi, iniuncta tamen ipsis restitutione vbi, & quando fieri poterit; concessam, inquam, fuisse per confirmationem sui Ordinis (quam ipse refert *loco cit. ver. confirmatio, § 3.*) & quidem etiam priuilegiorum, tum propriorum, tum per viam communicationis competentium: idque cum clausula, *Quorum tenores, & ex certa scientia.*

QVÆRES XIII. An Regulares possint absoluere pœnitentes solùm à reseruatis, quorum habent facultatem, eos mittendo ad simplicem Confessarium pro non reseruatis.

102. Respond. posse, si adsit iusta causa: cum sic confessio sit integra formaliter; & aliàs ex parte Confessarij ea possit dimidiari, sicut & potest dimidiari interdum ex parte pœnitentis; secùs, si non adsit iusta causa; cum integritas confessionis sacramentalis sit de iure diuino, adeóque omitti non debeat sine iusta causa (qualem sustinet Suar. *D. 31. de pœnit. sect. 1. num. 8.* esse solam multitudinem negotiorum, quibus detineatur Confessarius.) Ita Suar. *loc. cit.* contra plures DD. ab eo citatos *n. 1.* inter quos Caiet. *v. confessio condit. 10.* ait hanc esse consuetudinem Romanam, neque oportere sapere plusquam oportet,

eam in dubiom reuocando : qui quidem DD. loquuntur solum de Superiore absoluente à reseruatis : si tamen velint consequenter differere, idem debent dicete de Regularibus habentibus potestatem delegatam; cum par ratio militet in vtrisque; qua de te Bonacina *supr.* §. 3. vbi sustinens nostram sententiam dicit consuetudinem, quam aliqui asserunt vigere Romæ, vt peccata reseruata tollantur à Superiore, iniuncto onere pœnitenti accedendi ad inferiorem, illique omnia confitendi, non ita passim vsurpari, sed solùm quando Confessarij adeò grauibus negotiis premuntur, vt non possint audire omnia peccata pœnitentis; præterquam quòd talis consuetudo si Romæ est recepta, versatur circa casus Papales, qui cum annexam habeant excommunicationem Papæ reseruatam, & alioqui constet excommunicationem posse tolli, etiam non auditis omnibus peccatis; mirum non est dictam consuetudinem ibi fuisse inductam : quòd si alicubi etiam inducta est talis consuetudo, ea omoino corrigenda est; cum legitima consuetudo induci nequeat contra ius diuinum.

QVÆRES XIV. An è contra Regulares possint absoluere pœniteotes à non reseruatis, mittendo eos ad Superiorem pro reseruatis, à quibus ipsi Regulares non possint absolnere.

103. Respond. posse, si adsit iusta causa, ac necessitas; secus si non adsit. ita Filliucius *lib.7. num.*289. aliique apud ipsum contra plures alios pro se allegantes in contrarium consuetudinem (quam tamen negat Suarez adesse, *num.*2.) patetque ex dictis *quæst. præcedenti.*

104. Monet hîc vnum Suarez *sect.*3.*num.*1. ex communiori DD. sententia, quòd, si adsit iusta causa absoluendi modo supradicto, & non possit adiri Superior, possunt Regulares absoluere, etiamsi peccatum habeat annexam excommunicationem reseruatam: quippe excommunicatio non facit pœnitentem incapacem absolutionis, si bona fides interueniat; sed tantum facit, vt non possit licitè absolui à peccatis, quin priùs absoluatur ab excommunicatione; quando autem adest iusta causa, sicut potest pœnitens in tali casu communicare, sic & potest confiteri; cum vtrumque prohibeatur vno, ac eodem præcepto: quòd cum sit Ecclesiasticum, non obligat in casu tantæ necessitatis, vt bene notat Layman *lib.*5. *tr.*6. *cap.*12.*num.*10. quamquam, teste Cooinch. *D.*8. *de Sacram. num.* 107. ad absoluendum pœnitentem in præsenti casu maior necessitas requiratur, quàm si non esset excommuoicatus : quod est bene notandum.

105. Addo eum, qui habet casum reseruatum, & adstrictus necessitate celebrandi, aot commonicandi non potest ad effectum recipiendæ absolutionis adire Superiorem, non teneri per se loquendo confiteri Sacerdoti inferiori, si cesset scandalum, & celebraturos, vel communicaturus probabiliter putet se esse contritum : aliàs teneretur bis confiteri idem peccatum, quod tamen non admittunt Doctores. Dixi, *per se loquendo*. si enim pœnitens præter peccata reseruata habeat etiam oon reseruata mortalia, debet iuxta communiorem, & probabiliorem sententiam confiteri, tam reseruata, quàm non reseroata, vt sic Confessarius statom illius agnoscat (quamuis id negent Vasquez & alij apud Bonac. *D.*5. *de Sacr. q.*7.*p.*5. § 3. *num.*6.) quibus consentiunt Rich. Adrian. Durand. & Sylu. relati à Diana *p.*3. *tract.*4. *resol.*104. ita Suarez *sect.*3.*n.*7. monens *sect.*1.*num.*10. pœnitentem à solis reseruatis sacramentaliter absolutum per Superiorem, aut alium habentem potestatem noo teneri postea iterum confiteri Sacerdoti inferiori dicta reseruata vnà cum aliis mortalibus non reseruatis, à quibus solùm indirectè absolutus est : quidquid contradicant Caiet. Henriq Sà, & Finell. apud Laym *supr. num.*8.

Quòd si dicas ex doctrina tradita in hac quæst. sequi habentem casus reseruatos, aut saltem alia peccata mortalia posse in necessitate celebrandi, aut communicandi confiteri Sacerdoti non approbato, & absolui modo supradicto, si ei simul confiteatur aliqua venialia.

Respond. sequelam videri satis probabilem, con- 106.
sequens tamen noo esse facilè admittendom, nisi in grauissima necessitate: vt si quis alioqui per multos annos esset cariturus confessione. ita Conincb. *supr. num.*107. ex Suar. *vbi supr. num.* 10. aliique. & pater, quia prædictæ sequelæ obstat auctoritas Doctorum, & praxis communis Ecclesiæ, quæ tamen hac in re debent magni æstimari.

QVÆRAS XV. An, & qualiter possint Regolares, etiam non approbati absoluere existentes in articulo mortis à reseruatis, tum Papæ, tum Ordinario.

Respond. posse, & qoidem etiam directè, modò 107.
non adsit, aot facilè aduocari non possit Confessarius habens iurisdictionem, siue ordinariam, siue delegatam: idque ex decreto Concil. Trid. *sess.* 14 *de pænit. cap.*7. quod ita habet : *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis : atque ita omnes Sacerdotes quoslibet pænitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt.* ita Layman *supr. n.* 14. aliique communiter apud ipsum; & probant, tum ex allegato decreto Tridentini; tum ex eo, quod cum Sacerdoti simplici detur iure extraordinario facultas absoluendi ab omnibus ob necessitatem, ne scilicet aliquis hac occasione pereat, & talis oecessitas cesset hoc ipso, quòd datur copia Sacerdotis approbati, aut Superioris, eo ipso etiam videtur cessare talis potestas extraordinaria iuxta regulam, quam tradit Abb. *in cap. cum venerabilis, de consuetud. Cum aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenus vrget necessitas*; qoæ ratio à fortiori locum habet in Sacerdote excommunicato, ac suspeoso post denontiationem, vt aduertit Peyt. *de R.P. q.*3. *cap.*2. *n.*13. hinc inferens, quòd, licèt excommunicatus, hæreticus, schismaticus in articulo mortis possint validè absoluere, si tameu adsit Sacerdos carens talibus impedimentis, non potest existens in articulo mortis confiteri Sacerdoti excommunicato : aliàs ostenderet se non esse dispositum ad absolutionem, vtpote sine iusta causa inducens Sacerdotem excommunicatum ad ministrandum pœnitentiæ Sacramentum, sicque cooperans eius peccato, stante quod excommunicatis est expressè prohibita administratio Sacrameoti pœnitenciæ, quæ Sacerdoti simplici solum est prohibita priuatiuè, id est non concessa, vt loquitur Diaoa *p.*5. *tract.*3. *resol.*60. ex Hortado; verùm sitne ista doctrina Peytini sequenda, necne, constabit ex dicendis §. *seq.*

Dico ergo quòd, licèt opioio Layman sit com-
muniot, & valde probabilis : nihilominus puto esse
probabilem etiam oppositam, quam sustinent Vega, 108.
Nauarr. Rodriq. Henriq. Villal. Barbos. Coriol. Conrad. Valer. Zerola, Finell. Comitol. aliiqoe, quos citat & sequitur Diana *tract. de absol. ab hæresi, resol.*5. Regin. *lib.*1.*n.*61. Peyr. *supr.* Suarez *D.*30. *de pænit. sect.*3. *n.*5. & alij: probantque, tum quia reseruatio facta Papæ, & aliis inferioribus Prælatis non comprehendit articulum mortis: tum quia Concil. Trident. *loco cit.*

abso

absolutè concedit, vt in articulo mortis cesset omnis reseruatio, idque in fauorem pœnitentis, ergo non est, cur per articulum mortis intelligamus articulum necessitatis, seu penuriæ Sacerdotis, vniuersalem Concilij concessionem restringendo sine vrgenti ratione; cum alioqui lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi, &c, vbi ipsa non distinguit, nec nos distinguere debeamus.

109. Ex quibus non malè quis inferat existentem in articulo mortis posse, stando in rigore iuris, confiteri Sacerdoti etiam excommunicato, aut suspenso denuntiato, quantumuis adsit Sacerdos non excommunicatus &c. si quidem hoc non est cooperari peccato Sacerdotis (vt inferebat Peyr.) sed vti iure sibi concesso ab Ecclesia: cum in tali casu Sacerdos excommunicatus absque peccato ministret Sacramentum Pœnitentiæ, suspensa pro tunc prohibitione aliàs ipsum adstringente, ne dictum Sacramentum administret; quod si non peccat Sacerdos ministrando Sacramentum in tali euentu, nec pœnitens dicendus est cooperari peccato illius ei confitendo,

110. Notant autem communiter DD. apud Filliuc. *tract.* 7. *num.* 188. absolutum à reseruatis modo hic explicato, si superuiuat, teneri comparere coram Superiore, non quidem ratione casuum, à quibus cum fuerit directè absolutus, non indiget iterum absolui: sed ratione censurarum, à quibus fortè absolutus est; idque non vt iterum absoluatur (ab istis enim item directè fuit absolutus, ac proinde non habet opus iterum absolui) sed vt specialem modum satisfactionis, ac obedientiæ exhibeat Ecclesiæ; & hoc in pœnam contumaciæ, quæ præsupponitur ad omnem censuram, non item ad casum reseruatum incurrendum. quæ est ratio, cur absolutus in articulo mortis à censuris reseruatis debet se præsentare Superiori, si superuiuat, aliàs eamdem specie censuram reincursurus, vbi fuerit in mora culpabili, iuxta *cap. eos, qui de sentent. excommunic.* non item, si solum absoluatur à casibus reseruatis, siue Ordinario, siue etiam Papæ.

111. Naldus tamen *v. absolut. à censuris, num.* 18. censet eiusmodi onus comparendi coram Superiore non adstringere illum, qui ab inferiori absoluitur ab excommunicatione Papali ratione morbi perpetui, ac incurabilis eum excusantis ab adeundo Papam, si postmodum miraculosè conualescat: quod etiam concedit Sylu. *v. absol.* 4. *num.* 3. ex ductus ratione, quod per gratiam illam miraculosam sublata videtur omnis illa obligatio. Imò Nauarr. *cap.* 26. *num.* 26. Auila *part.* 2. *de censur. cap.* 7. *D.* 3. *d.* 4 Sà *v. excommunic.* §. *absolutio*, *n.* 8. Gambacurta *de cas. reseru. fol.* 35. & 36. aliique docent absolutum modo dicto vniuersaliter non teneri se præsentare, postquam conualuit, si absens obediat Ecclesiæ mandatis: quorum doctrinam Cælestin. *in comp. theolog. mor. tract.* 3. *cap.* 7. docet tuta conscientia posse practicari, quando excommunicatio non est notoria, nec deducta ad forum contentiosum; addunt etiam Vasq. Hurtad. & alij, quos citat, & non reiicit Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 199. absolutum à reseruatis ex facultate concessa cum onere comparendi, non teneri comparere, si ante absolutionem ignorarunt tale onus; quam probabiliter autem ista, & alia supradicta dicantur, viderint ij, qui illa docent, mihi enim nec vacat, nec lubet ea diutius examinare.

Addit Diana *part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 66. quod licet Nauarr. Vgolin. & Sayrus doceant absolutum à censuris reseruatis tempore mortis, teneri se postea personaliter præsentare Superiori: probabile tamen est sufficere, quod se præsentet per Procuratorem. Sylu. *v. excommunicatio* 8. *quæst.* 7. vel etiam per literas: Armilla *v. excommunicatio* 59. cum sic verè dicatur comparere. Excipit Diana casum, in quo pœnitens incurrerit excommunicationem ob percussionem Clerici: cùm *in cap. quod de his, de sentent. excommunicat.* expressè statuatur, vt sic absolutus eat personaliter Romam; idque in pœnam percussoris.

112. Monet item Diana *part.* 3. *tract.* 3. *resol.* 69. ex Sancio ac Cœlestino absolutionem à reseruatis, quam diximus conferri posse in articulo mortis à quouis simplici Sacerdote, etiam non approbato, posse impendi à prima die infirmitatis periculosæ (v. g. doloris lateris, pleuritidis &c.) idque, siue periculum mortis adeatur sponte, siue ex vrgenti necessitate.

113. Quæ doctrina meo iudicio procedit etiam in eo, qui publica potestate damnatus est ad mortem, sicque is à reseruatis poterit absolui per quemcumque Confessarium; etsi non nisi post multos dies sententia mortis implenda sit; par enim ratio militat in præsenti casu, ac quando mors imminet ex morbo, vt facilè consideranti patebit. Ita Docti recentiores à me consulti, oppositum indicante Diana *part.* 5. *tract.* 3. *resolut.* 61. & *tract.* 13. *resolut.* 12. ex Hurtado, qui *D.* 84. *de fide, sect.* 8. §. 125. sic habet; *Afficiendi vltimo supplicio sunt in mortis articulo: lata igitur sententia, & instante executione sunt in eo mortis articulo, in quo nulla est reseruatio*, &c. cum Hurtado sentiunt Floron. & Finell. relati ab eodem Diana *supr. tract.* 3. *resol.* 61.

Quod si hac occasione quæras, an possit absolui moribundus sensibus omninò destitutus, qui non petiit confessionem, nec dedit vllum signum contritionis, communiter tamen æstimabatur bonus Christianus, & studiosus propriæ salutis spiritualis.

114. Respond. videri non omninò improbabile, quod possit absolui, saltem sub conditione. moueor tum ex principio extrinseco, nempe ex auctoritate plurium Doctorum opinionem hanc sustinentium: qui sunt Molfesius, Homob. Salmer. Literatus, & Premulus citati à Diana *part.* 3. *tract.* 3. *resolut.* 8. Bartohl. à S. Faust. *tom.* 1. *theol. mor. lib.* 4. *quæst.* 204. Bayus *lib.* 2. *instit. relig. christ. cap.* 91. Raynaud. *de martyrio per pestem, part.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. Suarez qui ex fideli attestatione virorum grauium talem doctrinam priuatim tradidit, imò & practicauit (quamuis eam in suis tractatibus non ediderit) Baldel. & Nald. à me per literas consulti, aliique docti Recentiores: à quibus non omninò dissentire videtur S. Augustinus *tom.* 6. *lib.* 1. *de adult. coniug. cap.* 26. 27. & 28. vbi more scholastico quærens, an baptizari debeant Cathecumeni in vltimo vitæ constituti, qui morbo, seu casu aliquo sic oppressi sunt, vt quamuis adhuc viuant, petere tamen sibi baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, hæc habet; *Prosit eis, quod eorum in fide Christiana iam nota est voluntas, vt eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas adhuc nulla patuit.* & paulò post subdit, *Sed non solum incredibile est nec in fine vitæ huius baptizari Cathecumenum velle, verum etiam si voluntas eius incerta est, multò satius est nolenti dare, quam volenti negare; vbi velit, an nolit, sic non apparet, & tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum sacramenta percipere, sine quibus iam credidit, non se oportere de corpore exire*; quin & addit. *Ego non solum alios Cathecumenos, verum etiam ipsos, qui viuentium coniugys copulati retinent adulterina consortia, cum saluos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum: tamen si desperati, & intra se pœnitentes iacuerint, nec pro se respon-*

dere potuerint, baptizandos puto, vt etiam hoc peccatum cum cæteris lauacro regenerationis abluatur: quis enim nouit, vtrum fortassis adulterina carnis illecebra vsque ad baptismum statuerit detineri, & tandem concludit: *Quę autem baptismatis eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit: nec ipsum enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* hæc S. Augustin. quæ videntur etiam posse aptari præsenti casui, vt constabit attentiùs perpendenti tenorem illorum; vnde nobiscum sentit nouissime Lezana *v. confessio num.* 11. imò & Bresserus *de conscientia l.* 3. *cap.* 8. *num.* 98. dicens doctrinam hîc traditam esse probabilē probabilitate aliqua respectiua quoad vulgum; eum alioqui *cap.* 3. *num.* 37. doceat ad talem probabilitatem sufficere non solùm docere theologiam moralem, sed illi studuisse, ac in ea profecisse, ita vt vir doctus habeatur à vulgo Christi fidelibus. Vnde ego infero quòd, cùm Doctores adducti pro dicta doctrina sint, & habeantur docti, etiam à viris doctis, ne dum à vulgo: consequenter ea censeri debet probabilis probabilitate respectiua etiam quoad viros doctos; & consequenter existimari debet probabilis simpliciter in sententia Bresseri.

Ad hoc tamen vt moribundus in casu proposito possit absolui, requiritur, vt Sacerdos ex Concurrentibus circumstantiis possit probabiliter credere illum esse dispositum ad absolutionem sacramentalem, & tunc temporis elicere actum contritionis, aut attritionis: quod vtique piè, & probabiliter credi potest etiam de existente in occasione proxima peccandi (v. g. de concubinario) cum præsumatur nemo immemor suæ salutis *C. ad L. Iuli repet. lib. si adde C. sanctimus* 2. *q.* 7. & alioqui gratia Dei non deficiat in necessariis; secùs de eo, qui in mortis articulum deueniat in actu ipso peccandi (v. g. in actu fornicandi) sic enim probabiliter credi nequit illum esse dispositum, etsi simpliciter loquendo contingere possit, quod verè sit dispositus: nam ad faciendum Sacramentum requiritur materia moraliter certa: cuiusmodi in isto casu non censetur adesse ex communiter contingentibus.

116. Probatur 2. eadem responsio à loco intrinseco, nempe à ratione, quæ non vna, sed multiplex afferri potest. Prima fundatur in eo, quod præterita vita præsentis pœnitentis transacta in obseruantia diuinorum mandatorum, & frequentatione Sacramentorum saltem semel in anno est tacita, quædam petitio Sacramenti Pœnitentiæ pro articulo mortis; non secus ac dicitur de Sacramento extremæ Vnctionis: quod tamen est complementum, seu supplementum quoddam Sacramenti Pœnitentiæ: quæ petitio eò ipso quod non constat eam fuisse reuocatam, censetur habitualiter durare, & sic coexistentiam talis signi taciti sufficere in articulo tantæ necessitatis censent plures viri pij, ac docti: sicque adest materia Sacramenti, saltem dubia, ne dicam probabilis quæ in tanta necessitate à Doctoribus reputatur sufficiens. Secunda ratio nititur in eo, quod, cum vir timoratus soleat frequentius elicere actus Contritionis, de præsenti pœnitente præsumi probabiliter potest quod in eo articulo mortis similes actus eliciat, qui cum censeri possint sensibiliter exhiberi per testificationem, & famam probitatis illius, poterunt etiam existimari apta materia absolutionis sacramentalis.

Confirmatur ex eo quod docet Sanch. *l.* 2. *de matrim. D.* 40. *num.* 8. imminente notabili damno Proximi licitum esse omissa fere certa opinione eam sequi, quæ speciem aliquam probabilitatis habeat: & quod ait Nauar. *cap. inter. verba coroll.* 53. *num.* 153. docens, eum, qui habet opinionem alicuius partis, & solam alterius formidinem, non teneri sequi opinionem, si inde magnum immineat alicui periculum, & formido alterius apparentem habeat probabilitatem: quia periculum graue facit, vt in moralibus formido præponderet opinioni. Vnde in maiorem confirmationem huius nostræ opinionis sic licet arguere: quotiescumque agitur de vitando graui malo, ac periculo Proximi lex charitatis non obligat ad operandum, etiam secundum opinionem, quæ solum habeat aliquam speciem probabilitatis, saltem apparentis, & quæ veriùs dicatur formido, quam opinio: at in casu nostro non potest negari quod opinio sustinens moribundum posse absolui, non habeat aliquam speciem probabilitatis, saltem apparentis; cum habeat pro se tot Doctores citatos §. *præced.* aliosque doctos Recentiores à me consultos, & nitatur rationibus habentibus aliquam probabilitatis speciem, saltem apparentem; ergo ex charitate tenemur eam sequi, tantum abest, vt non possimus eam practicè sequi.

QVÆRES XVI. An confitens Regulari habenti facultatem reseruatorum, si quod reseruatorum tunc omittat confiteri possit ab illo posteà absolui per quemcumque alium simplicem Confessarium.

Respond. posse, & quidem, etiamsi pœnitens non significet Confessario saltem confusè se intendere absolui à reseruatis, si quæ habet, & id intendat etiam Confessarius. ita Coninch. *D.* 8. *de Sacr. num.* 93. aliique & patet, quia sic tollitur reseruatio etiam ab illo peccato, quod omissum est: idque tollendo impedimentum, quo ablato peccatum alias reseruatum relinquitur sub communi lege aliorum peccatorum mortalium, quod possit remitti à quouis Confessario. 117.

Dices, quod si pœnitens in casu proposito confiteatur inualidè?

Respond. distinguendo: vel confessio est inualida ex defectu debiti doloris, ac propositi, aut etiam ex culpabili reticentia alicuius peccati mort. non reseruati; & sic probabile est pœnitentem posse absolui à reseruatis per quemcumque simplicem Confessarium; cum sic videatur cumulatè satisfactum fini reseruationis hoc ipso quod pœnitens se præsentat Superiori, aut alteri habenti potestatem delegatam reseruatorum; & aliàs currat regula: *Quod non valet, vt agitur, valet saltem, vt valere potest*, quatenus absolutio data in præsenti casu, si non valet, quoad remissionem culpæ, saltem valet, quoad ablationem reseruationis. Vel confessio est inualida ex defectu tangente ipsa peccata reseruata, eò quod pœnitens culpabiliter omittat confiteri aliquod reseruatum; & tunc, quod spectat ad reseruatum modo dicto omissum in confessione, non tollitur reseruatio (estò tollatur quoad alia reseruata) & consequenter non potest pœnitens ab eo absolui, nisi per Superiorem, aut alium habentem facultatem reseruatorum; confessio enim non solum fit delegato non habenti facultatem absoluendi à reseruatis, nisi sacramentaliter (ideoque cum in præsenti casu sacramentum sit inualidum nulla erit confessio) sed præterea non satisfit fini reseruationis, quoad reseruatum culpabiliter omissum: quod non euenit in casu quo culpabiliter reticeantur peccata mortalia non reseruata; ideoque tunc diximus tolli reseruationem, quantumuis aliàs illa confessio sit inualida. Colligitur ex Bonac. *D.* 5. *de de sacr. q.* 7. *p.* 5. §. 5. *n.* 9. Filliuc. *tract.* 7. *num.* 311. & aliis. 118.

An

An verò tollatur modo supradicto casuum, & censurarum reseruatio per absolutionem confitenti inualidè datam à Regularibus per modum indulgentiæ, vt in Iubileis, vi Bullæ Cruciatæ.

119. Respond. Diana *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 18. ex Comitolo, Caiet. Armil. Sylu. Palud. S. Anton. & aliis multis ab ipso Comitolo *lib.* 1. *resp. mor. quæst.* 30. *num.* 2. relatis probabile esse, quod tollatur, ita vt fictè confitens reseruata in tali casu, possit ab iis posteà absolui à quouis Confessario, propterea quod legi ecclesiasticæ reseruationis satisfecerit, quamuis iterum violando legem diuinam; quæ ratio confirmat posteriorem partem responsionis præcedentis, quod scilicet non auferatur reseruatio per confessionem inualidam ex malitiosa omissione alicuius reseruati: ideò enim supponitur pœnitentem saltem fictè confiteri reseruata; quod est dicere secùs sentiendum, si pœnitens nullo modo confiteatur reseruata. à Diana dissentiunt Suar. *supr. D.* 31 *sect.* 3. *n.* 11. Bonac. *n.* 8. & alij apud ipsum Dianam ea ducti ratione, quod in casibus propositis conceditur facultas reseruatorum ad effectum obtinendi indulgentiam: qui autem scienter facit confessionem inualidam, vtique non obtinet indulgentiam, cum non impleat omnia requisita, vt patet: quæ ratio mihi videtur adeo efficax, vt non videam, quo modo opposita sententia sustineri possit, tanquam probabilis.

Quæres XVII. An Regulares possint absoluere à reseruatis dubiis, & si quem contingat sic absolui, is indigeat iterum absolui, si posteà constet casum, à quo absolutus est, fuisse certò reseruatum.

120. Respond. quod, cum iuxta dicta *in tract. de prohibit. cap.* 1. *quæst.* 37. *num.* 58. reseruatio tanquam odiosa non comprehendat casus dubios, sed solùm certos, possunt Regulares absoluere à reseruatis dubiis, etiam aliàs non concessis (exceptis tamen casibus contentis in Bulla Cœnæ, à quibus licèt dubiis nemo inferior potest absoluere ex decreto Sacræ Congreg. relato *supr. quæst.* 1. *suppos.* 4.) & si quis à tali reseruato absoluatur, non eget iterum absolui, quantumuis postea constet illud non dubiè, sed certò fuisse reseruatum; siquidem eiusmodi reseruatum perinde se habet, ac si nullo modo fuisset reseruatum, adeóque sicut non indigeret iterum absolui, si primò absoluenti constitisset certò ipsum non esse reseruatum, ita nec indigebit in casu nostro: cum æquiparatorum idem sit iudicium; sed de hoc plura *in tract. de prohibit. cap.* 2.

Moneo hac occasione, quod, si confitens nomerum alicuius peccati, quod dubitat esse mortale, non explicet illud versari circa materiam grauem; nihilominus sufficienter explicat grauitatem talis peccati, hoc ipso quod confitens peccata clarè venialia non exprimit numerum illorum: ex hoc enim modo confitendi Confessarius potest iudicare peccatum, cuius numerum pœnitens confitetur, esse mortale, talem numerum non confessurus, si illud non crederet, aut saltem non dubitaret esse mortale; cum numerus peccatorum venialium non exprimi non debeat in confessione. Et hanc assertionem censeo probabiliorem, si pœnitens in confessione peccati, cuius numerum exponit, dicat se magis dubitare, quod in illud consenserit, id non asserens in confessione peccatorum clarè venialium.

Addo, quod si vir scrupulosus confitens imprecationes graues ex animo factas dicat se decies in hoc deliquisse, intendens, si post vltimam confessionem vare non commisit tot imprecationes, supplere illum numerum ex imprecationibus aliàs manifestatis in confessione, ne excedat in confessione numeri imprecationum: non satisfacit suæ obligationi, si postea reperiat post vltimam confessionem re vera decies deliquisse, adeóque teneri iterum confiteri numerum illarum imprecationum, quas prius fuerat confessus vt dubias. & ratio est quod confitens peccatum vt dubium, si postea agnoscit fuisse certum, tenetur illud iterum confiteri: quamuis iuxta dicta *in tract.* 4. *de Obligat. c.* 4. *quæst.* 29. aliqui possent id negare, sustinentes peccatum in confessione expressum, non esse iterum exprimendum, etsi postea cognoscatur certò illud fuisse certum. ita Docti viri à me consulti.

Quæres XVIII. An Regulares teneantur absoluere à reseruatis in omnibus iis casibus, à quibus possunt virtute suorum priuilegiorum.

Respond. non teneri, si adsit iusta causa denegandi absolutionem: imò posse contingere, vt interdum teneantur non absoluere, ne alioqui nimia facilitas absoluendi inducat facilitatem delinquendi, & quod conceditur in ædificationem cedat in destructionem. Ratio responsionis est, quod nemo tenetur vti suo priuilegio, &, si in tali casu non vsus priuilegij videtur redundare in præiudicium pœnitentis, qui sic cogitur idem peccatum bis confiteri, hoc ipsum sibi imputet, quod in committendis reseruatis fuerit nimis facilis, ita vt ad cohibendam nimiam illam facilitatem opus sit eum mittere ad Superiorem pro absolutione. ita Rodriq. *tom.* 1. *q.* 61. *art.* 15. Miranda *part.* 1. *quæst.* 46. *art.* 12. dicens Regularem sine iusta & legitima causa non absoluentem à reseruatis, cum possit, peccare ad minus venialiter, Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *n.* 21. aliique penes ipsos, inter quos puto recensendum esse Rodriquez, licet aliqui eorum ipsum adducant pro contraria sententia: siquidem ipse non loquitur absolutè, sed quantum coniicitur ex eius discursu, supponit id non esse faciendum sine iusta causa: quod etiam ego admitto, & omninò admittendum est: cum pœnitens, ex quo se subiicit Confessario, habeat ius quasi acquisitum, vt absoluatur, & consequenter non sine aliqua iniuria ei denegari possit absolutio, vt iam dictum est. 121.

An verò Regulares teneantur aliquando adire Superiorem ad petendam facultatem absoluendi à reseruatis.

Respond. posse interdum teneri ex charitate: vt si videant non expedire, aut non posse adduci pœnitentem, vt se ipsum sistat coram Superiore, & ipsi alioqui qui sine notabili suo incommodo possint ad dictum effectum adire Superiorem. ita Laym. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 7. 122.

Quæres XIX. An, & quo modo Episcopi, aliique Prælati, qui reseruant casus, & censuras, teneantur concedere facultatem absoluendi ab iis, si rogentur siue à pœnitentibus, siue à Confessariis.

Respond. non teneri, nisi eo modo, quo diximus *supr. cap.* 2. *sect.* 1. *subs.* 2. *quæst.* 12. ideóque si ipsi talem facultatem denegent, siue iustè, siue iniustè, non posse pœnitentes absolui, neque licitè, neque validè, sicut enim reseruatio casuum iniusta est valida; ita & valida denegatio facultatis absoluendi ab illis; vt in terminis docent Bonac. *D.* 5. *de Sacr. quæst.* 7. *part.* 5. §. 2. *n.* 20. aliique communiter contra Rodriq. Henriq. & alios ab eodem Bonac. allegatos. 123.

Quæres XX. An obtinens facultatem absoluendi pœnitentem à reseruatis, vi talis facultatis possit ipsum absoluere etiam à reseruatis, in quæ incidit post dictam facultatem obtentam.

Respond. distinguendo: vel ista facultas fuit

obtenta

obtenta à Superiote habente potestatem ordinariam, aut ab alio delegato ad vniuersitatem causarum; & sic pœnitens potest absolui etiam à reseruatis incursis post obtentam facultatem; idque ob rationem allatam *cap. præced. sect. 1. subs. 2. q. 19.* vel facultas fuit obtenta ab aliquo inferiote non potente eam delegare, nisi in casu hîc, & nunc occurrenti; & sic, licèt in tali euentu subesse possit maior ratio dubitandi, num pœnitens possit modo dicto absolui, nec ne, eò quod facultas data pro casu occurrenti videatur restricta ad casum particularem propositum concedenti: nihilominùs probabile est pœnitentem in tali casu posse absolui modo dicto: idque ob dicta in *tract. de prohibit. cap. 2. sect. 2. q. 36.*

124. Addo videri probabile in casu, quo Titius, pro quo facultatem alicuius reseruati obtinui, per alium ab eo tunc absoluatur: si postea incurrat iterum tale reseruatum, posse illum per me ab illo absolui vigore facultatis aliàs intuitu illius obtentæ: maximè, si iterum confiteatur reseruatum illud, à quo per alium Confessarium fuit directè absolutus: idque tum ob doctrinam Dianæ *p. 3. tract. 2. resol. 126. §. notandum est, & p. 4. tract. 4. resol. 109.* tum quia sumus in materia fauorabili animæ, quæ debet ampliari. Secùs si à duobus Superioribus obtineam facultatem absoluendi Titium ab aliquo reseruato iam incurso: non non enim vi talis facultatis possum illum absoluere tum ea vice, tum alia, si incurrat postea eumdem casum; nam facultas data est pro casu iam incursu iuxta intentionem vtriusque Superioris concedentis, adeóque nequit extendi ad casum incurrendum ob dicta *sup. cap. 2. num. 74.*

Maius dubium est, an Regularis habens facultatem absoluendi Titium à reseruatis episcopalibus, si ante vsum talis facultatis desinat esse approbatus (eo quod eius approbatio esset limitata ad certum tempus, quod elapsum est) & postea iterum approbetur, post nouam approbationem vti possit dicta facultate, & absoluere Titium à reseruatis.

125. Respond. Videri no posse: cum per desitionem approbationis facultas reseruatorum non fuerit solum suspensa, sed extincta ex incapacitate subiecti superueniente: & facultas extincta non reuiuiscat. Dixi *sed extincta*, quia cessante approbatione, non suspenditur tantum iurisdictio, sed extinguitur, eo, quod Sacerdos, qui erat approbatus, fit subiectum incapax iurisdictionis attenta dispositione Concilij Tridentini; cum alioqui facultas reseruatorum importet iurisdictionem, vt patet.

Concedo quidem, quod si in isto casu Regularis cœpit audire confessionem Titij, antequam desineret eius approbatio, sed non absoluit; potest eum à reseruatis absoluere etiam post finitam approbationem: cum iudicium cœptum protoget iurisdictionem, & res non sit integra.

Quod si Papa concedat militibus status Ecclesiastici, vt absolui possint ab aliquibus reseruatis: probabile est tale indultum suffragari non solum Duci generali exercitus, sed etiam eius famulis; quippe qui Dominum suum ad pugnam comitantur (etsi aliàs non sint adscripti albo militum,) ibique potest occurrere occasio pugnandi ad defensionem tum propriam, tum sui Domini, & consequenter periculum mortis, ob quod periculum Papa concedit suis militibus dictam facultatem, quæ est fauorabilis, ideóque præfati famuli sub nomine militum latè sumpto videntur venire: constat autem opinionem probabilem conferre iurisdictionem ad absoluendum. sic in facti contingentia à viris doctis iudicatum fuit, & bene meo iudicio.

QVÆRES XXI. Sub quibus terminis censeatur facultas reseruatorum.

Respond. cum distinctione; vel loquimur de re- 126.
seruatis papalibus, & sic hoc ipso, quod Papa concedit facultatem absoluendi à peccatis sibi reseruatis, præsumitur etiam concedere facultatem absoluendi à censuris, quæ sunt peccatis annexæ: quippe nullus casus reseruatur Papæ, nisi qui habet annexam censuram reseruatam; &, cum alioqui nemo possit absolui à peccatis, nisi prius absoluatur à censuris, inutilis foret facultas absoluendi à peccatis Papæ reseruatis, nisi talis facultas consequenter extenderetur ad censuras, vel loquimur de reseruatis Episcopalibus, aut aliorum Prælatorum inferiorum; & sic, si Superior dicat se concedere Confessario totam suam auctoritatem quoad absoluendum, censetur concedere non solum casus, sed etiam censuras sibi reseruatas: si quidem talis concessio est generalis, indistincta, & maximè fauorabilis, ideóque debet ampliari; præsertim cum vsitato more loquendi nomine casuum reseruatorum veniant etiam illi, qui habent censuram annexam; & alioqui dici non posset Superior concedere totam suam auctoritatem. Quæ doctrina militat tum in casu, quo Superior dicat, *Do tibi facultatem absoluendi ab omnibus reseruatis*; cum ratio reseruati extendatur æquè ad censuras ac ad casus, & materia concessionis sit fauorabilis, tum in euentu, quo Superior absolutè concedat omnes casus sibi reseruatos, & aliqui talium casuum habeant annexam censuram item reseruatam: idque ob rationem allatam paulo ante, quoad casus Papales. ita Suarez *D. 7. de censur. sect. 4.*

Imò Lezana *v. casus reseruati num. 16.* ex Suarez, ac Portello satis probabile putat facultatem absoluendi à casibus reseruatis extendi ad censuras reseruatas, etiam non Papales: nisi ex circumstantiis antecedentibus, aut consequentibus oppositum colligatur: & probat, tum, quia nomine casus iuxta communem modum loquendi veniunt censuræ; cum æquè dicatur quis incidere in censuram, ac cadere in peccatum, seu in casum: tum, quia Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 6.* dans facultatem Episcopis absoluendi à casibus occultis ex communi Doctorum sensu nomine casuum intelligit tum censuras, tum casus: nec obstat, quod ibi est sermo de casibus Papalibus, quibus regulariter est annexa censura; licet enim id ita sit, tamen ex hoc habetur nomen casus extendi tum ad peccata, tum ad censuras; sic ille indicans *num. 27.* habentem facultatem reseruatorum delegatam posse dispensare in irregularitatibus: cum hæ dici possint casus, quatenus homo dicitur cadere in irregularitatem: dicit enim opinionem oppositam esse probabiliorem, sicque innuit eam, quam ipse proponit, item esse probabilem: quam probabiliter verò hæc dicantur, iudicent viri docti.

QVÆRES XXII. An facultas absoluendi à reseruatis petita sub his verbis, *Des mihi facultatem talium reseruatorum*, & concessa intelligi possit de facultate tum actiua, tum passiua; ita vt obtinens illam, si sit Sacerdos, à dictis reseruatis, vi illius possit ipse absolui, & absoluere alios.

Respond. quod, quamuis pars negans sit proba- 127.
bilior, eo, quod Sacerdos approbatus ad confessiones communiter petendo facultatem reseruatorum intelligat de facultate actiua, & iuxta hunc intellectum ea præsumatur concessa à Superiore, aliásque actus agentium non excedant intentionem ipsorum: tamen pars affirmans videri potest non improbabilis, tum, quia nomine facultatis reseruatorum venit

facultas

facultas tam passiua, quam actiua; & alioqui sumus in materia fauorabili animæ, quæ debet ampliari: tum, quia beneficium Principis debet latè interpretari: tum, quia apud Dianam *p.3. tract.2. resol. 126. & tract.4. resol.142.* non desunt Doctores, qui sustinent, Confessarium petentem à Superiore facultatem reseruatorum pro vna persona posse vti pro sua. Quamquam pars negans omninò amplectenda esset in casu, quo petens facultatem reseruatorum in genere, esset moraliter certus Superiorem intelligere solum de facultate actiua: quippequi solet in tali concessione esse rigidior, ac scrupulosus: tunc quippe essemus in claris ex defectu intentionis ad talem delegationem necessariæ, adeoque non est recurrendum ad coniecturas.

Addo facultatem reseruatorum petitam sub prædictis verbis, si concedatur, non posse præsumi generaliter concessa, sed tantum pro casu particulari: & ratio est, quod, licet facultas reseruatorum concessa sub his verbis, *Do tibi facultatem reseruatorum*, ex vi verborum possit intelligi tum de concessa generaliter, tum de concessa pro casu particulari; ex circumstantiis tamen concurrentibus in ipsa concessione colligendum est, an sit concessa generaliter, vel solum pro casu particulari; & nisi ex tenore concessionis constet illam esse generaliter concessam, regulariter præsumitur concessa pro casu particulari: cum generalis facultas difficilius concedi soleat, adeoque non veniat sub generali concessione iuxta illud *non veniunt sub generali concessione, quæ non esset quis verosimiliter concessurus, si in specie peterentur*.

QVÆRES XXIII. An facultas reseruatorum data Regulari ad absoluendum pœnitentem ex occasione communionis Paschalis, suffragetur ad illum absoluendum à reseruatis incursis post absolutionem impetratam, sed ante susceptionem Communionis.

128. Respond. suffragari: & probatur, tum quia id censetur fieri ex interpretatiuo consensu Superioris, qui, hoc ipso, quod dedit facultatem præfatam in ordine ad communionem Paschalem, censetur eam tacitè extendere ad omnes confessiones, quæ fiant ante dictam communionem; alioqui concessio facultatis frustraretur suo fine: tum, quia etiam facultas reseruatorum concedi solita in Iubileis extenditur ad omnes confessiones factas ante consecutionem Iubilei; vt inter alios notant Suarez *l.6. de voto cap. 13. num. 5.* & Sanchez *lib.4. moral. cap. 53. num. 26.*

QVÆRES XXIV. An pœnitens validè absoluatur à reseruatis vigore facultatis ab ipso petitæ, si confiteatur Regulari non habenti ex se dictam facultatem, ac ignoranti illam modo dicto fuisse obtentam ab ipso pœnitente.

129. Respond. validè absolui, & quidem etiam directè. moueor, quod, vt iurisdictio per reseruationem ablata restituatur Confessariis, quibus ablata est, necesse non est eam ab ipsis acceptari; sed sufficit illam ipsis à Superiore restitui, vt patet in morte Episcopi, per quam reseruatio casuum tabellæ illius, cum esset ab homine, cessat absque vlla acceptatione Parochorum, & aliorum Confessariorum: constat autem in nostro casu restitui iurisdictionem Confessario pœnitentis facultatem reseruatorum pro se petentis: sicque pœnitens validè absoluetur, æquè ac si nulla ibi esset reseruatio Episcopalis.

Notat verò Bordonus *tom. 2. resol. 51. num. 59.* operari validè eum, qui agit sub conditione, si habet priuilegium, quod ignorat: cum habeat cognitionem priuilegij conditionatam sufficientem ad operandum, & ea conditio sit præsens, adeóque non suspendat actum, *l.3. ff. de legat. 2. l. aliquando, ff. de condit. & dem. cap.2. de bapt. l. cum ad præsens, ff. si certum petat.* sic Bordonus *num.60.* addens ex Portello Confessarium ignorantem priuilegium absoluendi à reseruatis validè absoluere, si verè habeat tale priuilegium.

Addo eum, qui non absoluit à casu non reseruato, eo, quod putet esse reseruatum, cum non sit, ab eo verè non absolui, etsi aliàs implicitè intendat absoluere ab omnibus non reseruatis. ita Moronus *responsor. 19. num. 27.* & probatur, quia, etsi intendat absoluere ab omnibus non reseruatis, excipit tamen casum illum, falsò putans illum esse reseruatum, nec eius intentio ad eum extenditur. imò illum excludit, vtpote existimatum reseruatum; sicque procedit regula iuris: *Actus agentium non excedunt intentionem eorum.* Secus dicendum, si Confessarius intendat absoluere ab eo casu, si non sit reseruatus, aut alia simili forma, per quam positiuè non excludatur dictus casus.

QVÆRES XXV. An petens facultatem absoluendi ab vno reseruato (eo tamen non expresso, sed solùm mente concepto) si post obtentam facultatem deprehendat casum illum verè non esse reseruatum, vi facultatis obtentæ possit absoluere suum pœnitentem ab alio casu reseruato, quo eum reperit irretitum.

Respond. Non posse; cum intentio concedentis non se extenderit ad hunc alium, sed tantum ad illum, quem mente conceptum habebat Confessarius, quando petiit facultatem: si quidem concessio sit iuxta tenorem petitionis; ac proinde, cum petens intenderit petere facultatem absoluendi à casu reseruato, quem tunc animo designauerat, licèt exteriùs non expresserit, huius facultatem Superior intendit concedere, & non alterius: *actus autem agentium non operantur vltra eorum intentionem*, vt modò dictum est. 130.

QVÆRES XXVI. An stante doctrina allata *tract. 6. cap.2. num 83.* habentem scilicet facultatem absoluendi ab omnibus reseruatis proprio Ordinario (quod est esse delegatum ad vniuersitatem causarum) posse subdelegare talem facultatem in casu occurrenti; possit delegans impedire, ne talis delegatus subdeleget.

Respond. non posse impedire: & probatur, quia hæc facultas subdelegandi competit delegaris de iure communi; vt ostendit Sanchez *l. 3. de matrim. D. 31. num.2.* nullus autem inferior potest in Superiorem; adeóque cum ius commune habeat rationem Superioris respectu inferiorum delegantium propriam iurisdictionem, non potest ei derogari, quoad facultatem dictam subdelegandi. 131.

Moneo hic vnum ex eodem Sanchez *num.4.* dici delegatum ad vniuersitatem causarum in re præsenti illum, cui committitur facultas reseruatorum limitata, siue, quoad tempus (v.g. ad mensem) siue, quoad ipsa reseruata, (verbi gratia ad hæc, aut alia reseruata, & non ad alia:) siue, quoad locum, (verbi gratia ad absoluendos habitantes in ciuitate.) vt enim quis dicatur delegatus ad vniuersitatem causarum, sufficit ei committi genus causarum sub vno nomine collectiuo, etsi non generalissimo, sed subalterno; vt notat idem Sanchez ex Barholo *l. legatus num. 4. ff. de officio Procons.* & Azebedo *l.3. recopil. tit.9. l.1. num. 3.*

QVÆRES XXVII. An delegatus ad vniuersitatem causarum super casuum reseruatione possit subdelegare facultatem absoluendi ab vno,

aut altero reſeruato ei , cui aliàs eſt commiſſa facultas abſoluendi ab omnibus reſeruatis, prætetquam ab his duobus: & ratio dubitandi pro parte negante eſt, quod alioqui is poſſet dici ſubdelegatus ad vniuerſitatem cauſarum,quippe qui iam poſſet abſoluere ab omnibus reſeruatis.

132. Reſpond. delegatum ad vniuerſitatem cauſarum poſſe modo dicto ſubdelegare; eum non amittat ius ſubdelegandi ex eo, quod illi, eui eſt ſubdelegatus, iam fuerit aliunde delegata facultas aliquorum reſeruatorum. neq; hinc ſequitur ſubdelegatum habiturum iam eamdem facultatem, quam habet delegans: hoc enim ipſo, quod delegatus ad vniuerſiatem non poteſt vniuerſaliter ſubdelegare, ſed ſolùm in caſu particulari occurrente, non poteſt contingere ei tantam facultatem competere, quanta competit delegatio,vt patet.

Et quidem,quod delegatus ad vniuerſitatem cauſarum poſſit ſubdelegare ſolùm ad vnam,vel alteram cauſam, & in caſu particulari occurrente, inde ſuadetur, quod hæc eſt res pendens à voluntate legiſlatorum, aut conſuetudine, ideóque ſtari debet,quoad illam relationi, ſeu declarationi Doctorum communiter id aſſerentium. Prætérquam, quod, ſi demus delegatum ad vniuerſitatem cauſarum non arctari ad ſubdelegandam præcisè vnam, aut alteram cauſam, ſed poſſe ſubdelegare pro arbitrio, modò non ſubdeleget totam ſuam facultatem; ſubdelegatio eſſet vniuerſalis per modum regulæ, & particularis ſolùm per modum exceptionis; cum potius è contra eſſe debeat.

Qværes XXVIII. An delegatus ad vniuerſitatem cauſarum reſpectu facultatis reſeruatorum poſſit omnes omnino caſus reſeruatos ſubdelegare modo dicto,ſi delegans in ipſa delegatione aliquem ex illis excipiat,

133. Reſpond. poſſe, cum exceptio hæc non teneat, ac proinde delegatus poſſit ſubdelegare, non ſecùs, ac poſſet, ſi exceptio illa non fuiſſet, & quidem, quod exceptio illa non teneat, probatur, quia ratio adducta *quæſt.* 26 qua probatum eſt delegantem non poſſe impedire, quin delegatus ad vniuerſitatem cauſarum ſimpliciter poſſit ſubdelegare in caſu occurrenti; probat item illum non poſſe reſtringere delegato facultatem ſubdelegandi; cum id ipſum fieri nequeat abſque eo, quod ſecundum quid derogetur iuri communi: & tamen facta illa exceptione, reſtringeretur facultas ſubdelegandi,vt patet. Concedo tamen, quod ſi delegans in ipſa delegatione exciperet certum caſum, ita vt primus delegatus non poſſet ab eo abſoluere, tunc non poſſet hunc ſubdelegare; ſed iam non eſſet delegatus ad vniuerſitatem cauſarum.

Exiſtimo quidem, quòd ſi Ordinarius Prælato regulari committat facultatem, vt Religioſis ſubditis poſſit concedere licentiam abſoluendi à ſuis reſeruatis in caſu occurrenti, non quidem tamquam delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, ſed vt eius miniſter, eiuſque nomine; poſſet excipere aliquem caſum, prout ipſi liberet: cum ſic non conſurgat delegatio ad vniuerſitem cauſarum, in qua de iure communi fundetur poteſtas ſubdelegandi.

Vnde infero habentem ab Ordinario facultatem abſoluendi à reſeruatis, & ſimul committendi aliis Confeſſariis talem facultatem in caſu occurrenti, poſſe committere aliis facultatem à reſeruato, quod fortè excipiat Ordinarius, hoc enim ipſo,quod taliter delegatus eſt delegatus ad vniuerſitatem cauſarum,ei non poteſt auferri,aut reſtringi facultas ſubdelegandi;ſicut nec eget ad ſubdelegandum, vt Ordinarius modo dicto ei committat ſpecialiter facultatem ſubdelegandi, hac ipſi competente de iure communi, vt iam probatum eſt.

Qværes XXIX. An delegatus ad vniuerſitatem cauſarum in re præſenti poſſit facultatem reſeruatorum ſubdelegare pro caſibus occurſuris ad aliquot dies, v g. ex occaſione alicuius ſolemnitatis.

Reſpond poſſe quidem ſubdelegare,quoad vnum, aut alterum caſum ſpecificatum, ac electum ex pluribus illis reſeruatis occurſurum intra illos dies; cum ſic ſubdelegatio non ſit vllo modo generalis: non poſſe tamen ſubdelegare modo dicto generaliter, quoad omnes caſus; ſiquidem talis ſubdelegatio eſſet generalis, quoad caſus, licèt reſtricta,quoad durationem, adeóque non poteſt fieri à delegato, vt conſtat ex dictis *quæſt.* 27. 134.

Qværes XXX. An habens facultatem dandi licentiam abſoluendi à reſeruatis in caſu particulari occurrenti, eam dare poſſit in euentu, quo quis auditurus eſt confeſſionem eius, quem probabiliter dubitat eſſe irretitum reſeruatis.

Reſpond videri poſſe: & probatur, quia caſus reſeruati, in quos fortè incidit hic Pœnitens, verè non ſunt occurſuri, ſed occurrentes; etſi adhuc ſint ignoti Confeſſario, qui ſolùm dubitat,an pœnitens in eos de facto incurrerit; ſicque facultas illa dandi licentiam abſoluendi à reſeruatis ſecundùm propriam verborum ſignificationem extenditur ad hunc caſum; maximè cum ſimus in materia animæ fauorabili, quæ debet ampliari. ita P.Carolus Zumbertus in Theologia morali admodum eruditus non ſemel à Diana citatus, mihique amiciſſimus, qui Bononiæ magna cum laude 15.annos prælegit caſus conſcientiæ. 135.

Dices, quid ſi pœnitens ante confeſſionem præmoneat Confeſſarium ſe incurriſſe nonnulla reſeruata; idque vt ante auditionem confeſſionis obtineat facultatem illum abſoluendi etiam à reſeruatis, in tali caſu poteſtne ei concedi facultas reſeruatorum ab habente licentiam dandi facultatem reſeruatorum in caſu occurrenti.

Reſpond. videri poſſe: cum ſic caſus dici poſſit occurens; quippe qui iam deuenit ad aures Confeſſarij ab eo abſoluturi; poſita ea præmonitione facta ab ipſomet pœnitente; & conſequenter dici poteſtas reſeruatorum concedi in caſu occurrenti, ſicque non exceduntur fines conceſſionis: maximè cum ſimus in materia animę fauorabili,quę debet ampliari.

Addo eum, qui habet facultatem dandi poteſtatem ſuper reſeruata in caſu occurſuro, poſſe illam dare etiam pro caſu, qui iam occurrit, & à pœnitente fuit Confeſſario propoſitus. Moueor,quod in iſto caſu tempus futurum non ſumitur in ordine ad commiſſionem peccati, ſed in ordine ad ſubiectionem clauium; eo autem ipſo, quod in futurum dabitur abſolutio, in futurum etiam ſubiicitur clauibus: etſi anteà fuiſſet ſubiectum, ſeu Confeſſario propoſitum, vt abſolueret, quamuis fruſtrà, cum Confeſſarius careret poteſtate ſuper reſeruata.

Maius dubium eſt, an ſicut poſita ea præmonitione pœnitentis dari poteſt facultas huius, aut illius reſeruati particularis, ſic poſſit dari quoad omnia reſeruata, ſi Pœnitens Confeſſarium præmoneat ante confeſſionem, vt totam facultatem reſeruatorum pro ipſo obtineat.

Reſpond. videri poſſe, eum, facta ea præmonitione, iuxta dicta §. *præcedenti* caſus occurſus moraliter cenſeatur occurrens; & non ſit maior ratio, cur id procedat de vno caſu, & non de omnibus, ſi quoad omnes fiat præmonitio;cum per hanc omnes

dici

dici poſſint deueniſſe ad aures Confeſſarij modo ſupradicto; vbi autem militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio. Neque hinc ſequitur delegatum ad vniuerſitatem cauſarum poſſe generaliter ſubdelegare (quod negant Doctores communiter, & nos ipſi negamus *quæſt.* 27.) nam in præſenti caſu dans facultatem reſeruatorum, non dat vt delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, ſed vt merus miniſter Superioris reſeruantis, vt indicaui *quæſt.* 28. §. *exiſtimo*, ſicque corruit ratio, quæ poſſet obſtare huic reſponſioni. Quamquam etiam vt delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, poſſet in præſenti caſu dare totam facultatem reſeruatorum; ſi pœnitens ante confeſſionem præmoneret ſuum Confeſſarium ſe incurriſſe omnes caſus reſeruatos ad effectum, vt eam peteret: nam ſic petitio, & conceſſio fieret in caſu occurrenti: non item ſi præmoneret Confeſſarium, vt peteret dictam facultatem ad abundantiorem cautelam, vt ſcilicet, ſi poſtea in audienda eius confeſſione inueniatur ipſum aliquos caſus incurriſſe, poſſit abſolui abſque alia mora, & ſine alio recurſu ad Superiorem: hoc enim non eſſet dare facultatem in caſu occurrenti, ſed ad vniuerſitatem cauſarum reſpectu perſonæ talis pœnitentis.

Qværes XXX. Pro quanto tempore cenſeri poſſit durare facultas reſeruatorum conceſſa pro ſolemnitate Natiuitatis D.N. pro feſto Paſchatis Reſurrectionis, pro feſtu Pentecoſtes, & alia ſimili ſolemnitate.

136. Reſpond. cenſeri poſſe durare per 8. dies ante feſtum, & per totam eius Octauam; idque ex rationabili voluntate interpretatiua concedentis, ſpectato fine conceſſionis. Ducor, tum quia pro toto hoc tempore militat finis huius conceſſionis, cum pro toto hoc tempore fideles ſoleant accurrere ad confitendum ex occaſione talis ſolemnitatis, vt quotidiana docet experientia; & aliàs Octaua tota alicuius feſti reputetur ſolemnitas dicti feſti, adeóque veniat nomine feſti ad effectum, vt per illam totam ſuffragari poſſit facultas reſeruatorum conceſſa pro tali feſto: tum quia ſumus in materia admodum fauorabili animæ, quæ debet latè interpretari, præſertim in ordine ad finem intentum à concedente: tum quia beneficium Principis (cuiuſmodi eſt conceſſio talis facultatis) eſt latiſſimè interpretandum, *l. ſi quando, C. de inoffic. teſtam.*

Addo, quòd ſi ex occaſione alicuius feſti modo dicto Ordinarius dicat Confeſſario, *Do tibi facultatem caſuum mihi reſeruatorum:* conceſſio incipit prodeſſe in puncto temporis, quo ea facta eſt, & durat per totam eius Octauam, ſi Octauam habeat: idque ob rationes adductas §. *præcedenti*, quæ proportionaliter procedunt in præſenti euentu. Quòd ſi Ordinarius generaliter concedat, vt quis poſſit à reſeruatis abſoluere pro certo aliquo feſto celebriori (verbi gratia, Aſſumptionis Beatæ V. Mariæ:) tunc probabiliter credi poteſt eiuſmodi conceſſionem ſuffragari per 8. dies immediatè præcedentes feſtum; & hoc ob rationes allatas in reſponſione: etſi tutius eſſet petere à concedente expreſſiorem declarationem ſuæ intentionis; præſertim ad vitandos rumores.

Qværes XXXI. An facultas reſeruatorum conceſſa ab Ordinario duret, eo mortuo, aut alias ceſſante eius iuriſdictione.

137. Reſpond. durare, ſi ea non ſit conceſſa reſpectu perſonæ determinatæ, ſed generaliter. Colligitur ex Sanch. *lib. 8. de matrim. D. 18. num. 72.* aliiſque ducentibus poteſtatem delegatam audiendi confeſſiones non expirare per mortem delegantis, eiuſve amotionem (etſi oppoſitum ſuſtineat ex Sayro, Naldus, *v. delegatus num. 6.*) & probatur tum ex praxi: tum quia dicta facultas reſeruatorum computatur inter gratias factas; quippe quæ cedit in magnum fauorem Sacerdotis, cui conceditur, & ſtatim ac ei conceditur, eſt perfectè conceſſa, nec pendet ab vllius executione (etſi aliàs redundet in fauorem pœnitentium) gratia autem facta non ſpirat mortuo concedente &c.

Dixi, ſi ea non ſit conceſſa reſpectu perſonæ determinatæ; vt indicarem eam, ſi ita ſit conceſſa, & ad petitionem illius, ceſſare per mortem concedentis re integra: cùm enim conceſſio in hoc caſu ſit in fauorem pœnitentis, & nondum ſit perfecta, ſed à Confeſſario exequenda, non habet rationem gratiæ factæ, ſed faciendæ; vt bene notat Sanch. *n.* 73 in ſimili; gratia autem facienda ſpirat morte concedentis.

Et hæc doctrina procedit de facultate reſeruatorum conceſſa à Legato de latere reſpectu ſuæ Prouinciæ; hæc enim durat etiam eo amoto ab officio; etſi delegatus ea vti non poſſit extra prouinciam delegantis; ne alioqui eius authoritas ſic dicatur maior authoritate Legati nati, qui id facere nequit extra ſuam prouinciam, teſte Naldo *v. Legatus, num.* 12.

Qværas XXXII. An, & quo modo ſuſpendantur in anno Iubilei facultates, ac indulta abſoluendi à reſeruatis Papæ aliàs conceſſæ Regularibus vi ſuorum priuilegiorum.

Reſpond. non ſuſpendi: & probatur tum quia 138.
dicta priuilegia ſunt fauorabilia toti Religioni, & cedunt in commune bonum fidelium, ideóque non videntur ſuſpendi per verba generalia; quæ ſolent poni in bulla Iubilei, aut in Bulla Cruciatæ, ſed opus eſt ſpecifica eorum mentione; vt bene aduertit Sanchez *lib. 7. mor. cap. 54. num. 62.* nobiſcum ſentiens cum Leſſio, Rodriquez, & Henriq. ab ipſo relatis: tum quia per clauſulam apponi ſolitam in dictis Bullis non ſuſpenduntur omnes facultates abſoluendi à reſereuatis quacumque occaſione conceſſæ, ſed ſolùm eæ, quæ ſunt occaſione alicuius indulgentiæ conceſſæ; vt apertè colligitur ex dictis bullis, notat Filliuc. *tract. 8. num.* 254.

Svbsectio III.

De facultate competente Regularibus circa votorum commutationem, ac diſpenſationem.

139 *Explicatur, quid ſit commutatio, & diſpenſatio voti.*
140 *Eccleſia poteſt auferre obligationem voti.*
141 *Facultas commutandi, ac diſpenſandi vota competit Regularibus ex varijs indultis.*
142 *Priuilegiatus ad diſpenſanda vota, poteſt & ea commutare.*
143 *Regulares talem facultatem nequeunt ſubdelegare: obligatio voti ceſſat, facta commutatione, etſi nondum deſignata ſit materia commutationis.*
144 *Poteſtas Regularium in vota extenditur ad vota Epiſcopo reſeruata: reſeruntur vota Papæ reſeruata: quæ tamen talia non ſunt, niſi ſint perfecta, & abſoluta: & ſi ſint talia, à Regularibus nequeunt commutari ſub excommunicatione: quod non procedit de voto, quod fortè ſibi reſeruent Epiſcopi.*

145 *Regulares commutant vota Papæ reseruata conditionata, & quidem etiam conditionata, quoad formam temporis: particula enim*, Si, *aliquando æquiualet particulæ*, Quando.

146 *Regulares commutant vota reseruata pœnalia, imò & pœnam incursam ob ipsam voti violationem: etsi talis commutatio vt sic non liberet à pœna iam incursa.*

147 *Commutant vota reseruata disiunctiua, siquidem altera pars eorum non sit reseruata.*

148 *Item commutant votum Religionis in pluribus casibus, qui referuntur.*

149 *Commutant votum Castitatis in pluribus casibus, qui recensentur; imò & votum Castitatis factum cum conditione nubendi, sed non reddendi debitum, non item commutant votum Castitatis factum, vt solum obliget post annum.*

150 *Commutant votum reseruatum triplicis Peregrinationis, sed non semper: reseruatur votum peregrinandi ad Sepulchrum Christi, si fiat ad augendam propriam deuotionem.*

151 *Commutant vota Peregrinationis vltra duas diætas.*

152 *At non commutant vota facta in bonum tertij, si ab eo sint accepta.*

153 *Commutant verò, si non acceptata.*

154 *Commutant votum factum alicui Sancto sine speciali promissione Dei,*

155 *Regulares commutant vota iurata, si Iuramentum sit in voti confirmationem.*

156 *Commutant & ipsa Iuramenta.*

157 *Commutatio voti iurati non fit in maius.*

158 *Commutant Iuramenta pia Religionis, & Castitatis idq; etiam vi Iubilei.*

159 *Commutant Iuramenta adiecta contractui continenti turpitudinem.*

160 *Nec talis Commutatio fit in alterius præiudicium.*

161 *Commutatio voti reseruati facta ratione dubij tenet, etiam cessante dubio.*

162 *Regulares commutant materiam, in quam commutatum est votum reseruatum.*

163 *At non commutant vota reseruata, neque in melius,*

164 *Imò nec in aliud votum reseruatum.*

165 *Non commutant vota, quæ in aliquibus Ordinibus fiunt vltra tria substantialia.*

166 *Commutant vota realia in personalia, & è contra.*

167 *Commutant vota non reseruata, etiam in minus.*

168 *Et hæc commutatio non debet reduci postea ad æqualitatem, si commutans sit vir doctus.*

169 *Commutatio voti non est nulla hoc ipso, quod est iniusta ex inæqualitate materiæ, aut causæ: vouens, vbi redijt ad priorem materiam voti nolens vti commutatione facta, non semper redire potest ad materiam commutationis; etsi alij id negent.*

170 *Non commutant obligationes relictas hæredi.*

171 *At commutant vota facta animo, vt ea à solo Papa possint commutari.*

172 *Non commutant vota sine causa.*

173 *Item non dispensant super votis sine causa.*

174 *Afferuntur causæ, ob quas dispensari potest super votis.*

175 *In aliquibus casibus dispensationi voti nullum onus imponitur.*

176 *Commutatio voti in æquale fit etiam ex causa leui.*

177 *Regulares possunt commutare propria vota.*

178 *Commutant vota habitantium in aliena Diœcesi.*

179 *Item commutant vota absentium.*

180 *Commutant vota extra Sacramentum Pœnitentiæ (quod alij negant) imò iuxta* Cespedes, *eu commutant, etsi non sint approbati ad confessiones.*

181 *Dispensant super votis, etiam inuito vouente.*

182 *Non tenentur commutare vota, quatenus id possunt præstare ex suis priuilegijs.*

183 *Hæc autem priuilegia non suspenduntur per Iubileum, aut Bullam Cruciatæ.*

184 *Sub generali concessione commutandi vota non veniunt vota reseruata.*

185 *In votorum commutatione plura obseruanda: nempe materia, cuius dignitas attenditur solùm ratione materiæ promissæ, & maximè desumitur ex vouente: attenditur finis voti; eius difficultas inspicitur; at non requiritur similitudo: materia subrogata debet cedere in æquale Dei obsequium: tum conditionale commutatur, seruata conditione: concessa solùm dilatione voti, modica fit commutatio: attenditur fragilitas vouentis.*

186 *Facta voti commutatione vouens potest redire ad primum votum.*

187 *Repetentis pluries requisita ad Iubilei consecutionem, pluries commutantur vota.*

QVÆRAS I. Quid sit Commutatio, & Dispensatio voti.

Respond. voti commutationem esse substitutionem operis honesti loco alterius per votum promissi, eodem vinculo manente (vt si peregrinatio commutatur in ieiunia) dispensationem verò esse relaxationem iuris Deo acquisiti per votum factam à legitima potestate; seu (quod idem est) solutionem obligationis per votum contractæ, factam authoritate ecclesiastica Prælati, aut alterius delegati, quoad hoc vicem Dei gerentis. In eo autem differunt commutatio, & dispensatio; quod in illa non aufertur simpliciter obligatio, sed vna substituitur pro alia: in hac verò omnino aufertur. 139.

QVÆRES II. An Ecclesia possit auferre obligationem voti.

Respond. posse: & probatur, tum ex praxi, ac vsu Ecclesiæ: tum, quia omnis lex humana interdum eget dispensatione, &, cum votum sit lex priuata à vouente sibi imposita, & aliàs Christus in necessariis non desit Ecclesiæ; æquum erat, vt in ea esset potestas dispensandi; imò & data est Io. 21. iis verbis *Pasce oues meas:* tum quia auferre obligationem voti non est dispensare in iure naturali, ac diuino (idest in lege seruandi votum, quæ est naturalis, & est incapax humanæ dispensationis) sed est auferre votum per voluntatem Prælati, quæ est superior ipso vouente, & remittit obligationem factam Deo, vice ipsius Dei, declarando ei non placere, vt in talibus circumstantiis votum seruetur, quo modo dissoluitur pactum inter Deum, & vouentem initum per votum. est communis DD. apud Suar. *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto cap 9. cap. 6.* 140.

QVÆRAS III. Qualem potestatem habeant Regulares, quoad commutationem, ac dispensationem votorum, & ex quo iure.

Respond. habere potestatem, non quidem ordinariam (qualam habent Papa, Legati de latere, Episcopi, & Prælati regulares, quoad Religiosos subditos) sed delegatam: hancque ex priuilegio bullato concesso, tum PP. Benedictinis Obseruantiæ Italiæ ab Eugenio IV. tum Religiosis Soc. Iesu à Paulo III. vt aduertit Lezana *tom. 1. cap. 19. num. 23.* ex Casarub. Vbi notandum facultatem quidem commutandi vota concedi à Paulo III. in Constit. quæ incipit, *Cum inter cunctas*, in hæc verba: *Nec non vota quæcumque* 141.

per

per eos pro tempore emissa (vltramarinis, visitationis BB. Petri, & Pauli Apostol. de Vrbe ac S. Iacobi in Compostella, nec non Religionis, & Castitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi: supple, plenam, & liberam facultatem concedimus; facultatem verò dispensandi vota concedi ab Eugenio IV. in concessione bullata, quam refert Castrub. *in Comp. v. absol. quoad facul. 2. num. 29.* in hæc verba: *Idem Eugenius concessit Monachis præfatis ad audiendas confessiones deputatis ab ipsorum Prælatis, vt vota omnia permutare, & in omnibus, ac singulis casibus, etiam Ordinarijs, aut per Synodales, aut Prouinciales Constitutiones reseruatis cum sibi confessis dispensare præter eas censuras, pœnas, vota & casus, de quibus esset merito Sedes Apostolica consulenda*; circa quæ verba benè notat Miranda *tom. 1. q. 48. art. 3.* contra Rodriq. *tom. 1. q. 63. a. 3.* ly *dispensare* referri etiam ad vota: si quidem sumus in materia fauorabili, quæ debet ampliari. Refert etiam Sanch. *l. 8. de matrim. D. 16. num. 1.* aliud simile priuilegium concessum iisdem PP. Benedictinis sub his verbis: *Per facultatem Benedictinis concessam à Martino V. possunt Nostri Confessores deputati à Superioribus dispensare in votis etiam Episcopo reseruatis*: quod priuilegium licet non constet certò esse bullatum, non ideo tamen præsumendum est abrogatum in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum facta à Gregorio XV. & Vrbano VIII. cum simus in dubio, & in dubio semper sit melior conditio possidentis; quidquid in contrarium dicat in casu simili Lezana *tom. 1. c. 9. num. 22.*

QVÆRES IV. An concessa Regularibus facultate commutandi vota, concessa censeatur etiam facultas dispensandi, & è contra.

141. Respond. concessa quidem potestate dispensandi vota, censeri concessam etiam potestatem ea commutandi; cum minus sit commutare, quam dispensare, & cui licet, quod est plus, liceat & quod est minus *reg. 53. de reg. iur. in 6.* quæ vtique locum habent maximè in iis, quæ ita sunt subordinata, vt vnum sit affectum ad alterum velut pars ad totum, in quo concluditur; sicut contingit in præsenti casu; concessa verò potestate commutandi vota, non censeri concessam facultatem dispensandi; cum dispensatio sit quid maius commutatione, & ex voluntate dandi minus colligi non possit voluntas dandi longe maius. ita Suarez *sup. l. 6. cap. 12.* aliique communiter, & patet, tum ex dictis, tum quia Regulares potestatem dispensandi vota, & potestatem commutandi habent per distincta priuilegia (vt iam vidimus) quod est signum, concessa facultate commutandi, non eo ipso censeri concessam etiam facultatem dispensandi.

QVÆRES V. An Regulares possint subdelegare facultatem, quam habent ex suis priuilegiis, quoad votorum commutationem, ac dispensationem.

143. Respond. non posse; cum dicta facultas non sit ordinaria, sed delegata, & delegatus non possit subdelegare, si electa sit eius industria, vt de facto euenit in casu nostro: quod non facit, quin Regulares, occurrente iusta causa (vt si adsit magna confitentium multitudo) possint dicere pœnitenti, *Commuto tibi hoc votum in opera, quæ vir ille doctus tibi designauerit, cuius sententiæ volo te stare*; siquidem hac ratione non subdelegatur facultas, sed eligitur prudentia alterius ad statuendam materiam, quæ subrogetur in locum voti: quod cum non sit actus iurisdictionis, fieri potest etiam à laico. ita Laym. *l. 4. tract. 4. cap. 8. num. 27.* ex Viualdo.

Vtrum verò teneatur voto is, qui modo supradicto obtinuit à Regularibus commutationem alicuius voti, quamdiu non est designata materia, in quam fit talis commutatio.

Respond. non teneri, si adstrictus voto re vera obtinuit commutationem (vt si Confessarius dicat, *Commuto nunc votum in materiam, quam postea designabo*) cum sic ablata sit obligatio voti, & translata in materiam designandam; secùs, si adstrictus voto nondum obtinuit commutationem (vt Confessarius dicat, *Commutabo votum attentis consideratis qualitate causæ, aut modo commutationis*) cum sic obligatio voti adhuc duret, & solum inchoata sit commutatio. ita Bonac. *D. 4. de leg. quæst. 2. p. 7. §. 3. num. 15.* ex Sanch. Less. & aliis contra Rodriq. *in Bullam Cruciatæ, §. 9. num. 115. in additionib.*

QVÆRES VI. An potestas, quam habent Regulares ex suis priuilegiis super vota, extendatur etiam ad vota reseruata.

Respond. extendi, non quidem ad vota reseruata Papæ, quæ non veniunt sub generali concessione iuxta regulam iuris, *Non veniunt sub generali concessione, quæ quis non esset verosimiliter concessurus, si in specie peterentur*: sed ad vota iure communi, & ordinario reseruata Episcopis; idque ex priuilegio bullato Iulij II. concesso Benedictinis, & relato à Rodriquez *in bullar. Constit. 23. Iulij II.* Dixi, ad vota iure communi, & ordinario reseruata Episcopis, vt innuerem facultatem, quæ Regularibus competit super vota, non extendi ad ea vota, quæ iure specia li reseruantur Episcopis (quale est votum Castitatis, in casu, quo periculum sit in mora, & ideo non possit expectari dispensatio Papalis: quippe respectu illorum censetur in Episcopis eligi industria personæ, vt Panorm Felin. aliique ferè omnes DD. notant apud Mirandam *p. 1. q. 47. art. 4.* 144.

Vota autem, quæ Papæ specialiter reseruantur iure quidem antiquo sunt quinque, nimirum Religionis, Castitatis, Hierosolymitanum, Romanum (id est ad limina Apostolorum) & Compostellanum; iure verò nouo inducto per Gregor. XV. sunt 6. vt colligitur ex eius Constit. 12. in qua reseruat Papæ votum, & iuramentum, quod emittunt Clerici Congreg. Doctrinæ Christianæ de Vrbe in ea perpetuo manendi; statuitque ne de cætero cum supradictis Clericis super eo voto, ac iuramento à quoquam inferiori Papa dispensari possit, aut commutari. Et quidem quod seclusa ista Constit. Gregorij vota Papæ reseruata sint solum quinque est communis sententia DD. ex Suar. *sup. c. 21. num* 2. & colligitur, tam ex consuetudine, traditione, ac stylo Curiæ Romanæ, quam ex ipso iure scripto, vt notauit Nauar. *cap. 12. n. 75.* addens contra communem DD. sensum communi. *de reg. num. 21.* votum Lauretanum reseruari Papæ, sed absque sufficienti fundamento, ac ratione.

Vnum hic benè monent DD apud Lezanam *tom. 1. cap. 19. num. 24.* eiusmodi vota non reseruari Papæ, nisi quando sunt perfecta, & absoluta, ideóque si sint vel imperfecta (eò quod vouens intenderit se obligare solùm ad veniale peccatum, vel ad pœnam) aut eorum materia sit imperfecta (v.g. Castitatis partialis) aut etiam sint conditionata, vel pœnalia, cadere sub potestatem ipsorummet Regularium; si quidem, cum reseruatio sit odiosa, non debet extendi ad vota deficientia à perfectione voti; qualia sunt vota reseruata Papæ in propositis casibus; vt constabit ex *99. infra proponendis, & soluendis.*

Quod si quæras sub qua pœna Regulares, & alij prohibeantur commutare vota Papæ reseruata absque ipsius licentia.

Respond. prohiberi sub pœna excommunicationis Papæ reseruatæ, & latæ per Sixtum IV. in Extrauag. *Etsi dominici l.1. de pœnit. & remiss.* quæ tamen non incurritur, nisi in casu, quo vota præfata commutentur virtute facultatum ab ipsomet Sixto IV. concessarum: non item, si commutentur vi alterius, aut nullus priuilegij; patet ex tenore ipsius Extrauagantis, quæ ita habet; *prætextu facultatum*, huiusmodi concessionum à nobis, aut auctoritate *nostra*; quod si ibi subditur, *& quas quomodolibet concedi continget postea:* id non facit contra nos; siquidem ly *à nobis*, quod immediatè præcesserat, etiam ibi subintelligitur; itavt sit sensus, *& quas quomodolibet à nobis concedi continget postea*; cum Papa semper loquatur de facultatibus à se vsque tunc concessis, aut imposterum concedendis. Ita Suar. *D.22. de censur. sect.5. num.*28. & alij, qui benè aduertunt parum, aut nihil hodie conferre istam excommunicationem; cum nullæ, aut rarissimæ facultates Sixti IV. quoad hoc extent; imò Clau. reg. *l.6. cap.*11. *num.*39. *&* 40. addit præfatam Extrauagantem, cum loquatur de sola commutatione, non debere extendi ad dispensationem in votis reseruatis; cum pœnæ extendendæ non sint, neque à maioritate rationis, vt tradunt DD. communiter.

Addo, quod, si Ordinarius loci voti alicuius commutationem, aut dispensationem sibi reseruet; adhuc Regulares ex suis priuilegiis possunt super tali voto dispensare, illudve commutare: cum Ordinarius nequeat ipsis restringere facultatem à Summis Pontificibus concessam & aliuqui nullus Papa talem de facto fecerit restrictionem; decreto Clementis VIII. iis solùm prohibente, ne absoluant à casibus reseruatis Ordinariorum: nomine quorum certum est non venire vota; vt indicat Cespedes *tract. de exempt. cap.*19 *d.*308. *num.*2.

QVÆRAS VII. An facultas Regularibus concessa super vota extendatur ad commutanda vota reseruata, si sint conditionata.

145. Respond. extendi, tum ante conditionem impletam (quod concedunt DD. communiter) tum post conditionem impletam (quod negant Nauar. Sot. Val. Azor. & Less. apud Dianam, *p.3 tract.5 resol.*25.) & quidem quod extendatur ad votum conditionatum ante conditionem impletam, probatur tum quia eiusmodi votum est imperfectum, cum tamen Papa non reseruet, nisi vota perfecta, vt diximus *q.6.* tum quia tale votum ante impletionem conditionis non obligat ad materiam promissam sub conditione, sed solùm ad expectandum euentum conditionis, & consequenter non obligat, nisi secundum quid, adeóque pro eo statu non est votum materiæ simpliciter reseruatæ; cùm aliàs reseruatio cadat tantùm super vota, quæ sunt simpliciter talia; quod verò extendatur ad votum conditionatum, etiam post impletam conditionem, constat ex eo quod votum conditionatum non fit ex directo affectu ad rem votam, sed ad beneficium, quod inde speratur à Deo, & sic etiam impleta conditione non videtur absolutum, ac perfectum: cum eius radix sit imperfecta, quæ in eo semper intrinsecè imbibitur, & est imperfecta voluntas pendens à futuro euentu: votum autem non præsumitur reseruatum, si deficiat à natura perfecta materiæ reseruatæ. Ita Sanchez *l.4. moral. cap.*40. *num.*99. *& l.8. de matrim. D.*10. *num.*13. pro se citans Toletum *l.4. cap.*18. *num.*11. P. Ledesm. *part.2. summ. tract.*10. *cap.*8. Gomez *in bullam Cruciat. clausula* 10. *n.*99. quos sequitur Diana *supr.* contra Suar. *vbi supr. l.6. cap.*21. aliosque communiter.

An verò facultas supradicta extendatur ad vota, quæ sunt conditionata, quoad formam, aut determinationem temporis, non autem quoad substantiam obligationis, (v.g. promitto ingredi religionem, si mater obierit, si fratri nascentur filij masculi, & similia.

Respond. Filliuc. *tract.*26. *num.* 268. quòd, licèt pars negans sit probabilis, eò quod talia vota æquiualeant absolutis: non est tamen certa; cum partem affirmantem sustineant Sotus, Arag. Valer. Azor. Cordub. & alij recentiores, quorum opinionem ego puto esse probabilem ob rationes, quas adducit, & soluit Suar. *loco supr. cit. cap.*22.

Vnum hic moneo quòd, quamuis votum conditionale communiter dicatur illud, quo affectus vouentis directè fertur, non in rem promissam, sed in aliud, quod optat consequi, aut vitare, quod ponitur in ipsa conditione, (v.g. voueo religionem, si conualuero ex hoc morbo:) interdum tamen affectus vouentis in voto conditionali fertur in rem ipsam promissam, supposita tamen aliqua conditione: quomodo particula, *si* æquiualet particulæ, *quando*; itavt idem sit dicere, *voueo religionem, si pater meus obierit*, ac dicere, *quando pater meus obierit*; vnde & facit votum propriè conditionatum; cum sic animus vouentis ab initio perfectè consentiat in religionem, differendo solùm executionem voti in tempus, quo cessabit impedimentum: quod tamen est contra naturam conditionis, quæ suspendit perfectionem consensus.

QVÆRES VIII. An facultas Regularium super vota extendatur ad vota reseruata pœnalia: cuiusmodi est id, quo vouens non est affectus ad rem voto promissam sub pœna, sed eam sibi proponit in pœnam, vt eius timore arceatur à culpa, quam cupit vitare, (v.g. *voueo non ludere sub pœna ingrediendi religionem:* vel, *voueo religionem, si lusero:* quo pacto aliqui existimant votum non esse dicendum pœnale, sed conditionatum.

Respond. extendi; idque non solùm ante culpam commissam (cum sic sint conditionata ac imperfecta,) sed etiam post commissam culpam; vtpote quæ non fiunt ex directo affectu erga rem promissam (vt alia vota) sed potiùs cum animi auersione, vt vouens metu talis obligationis contrahendæ auertatur à delicto patrando; ideóque non sunt vota purè, & simpliciter dicta, & consequenter nec reseruata. Ita Laym. *l.4. tract.4 cap.*8. *num.*9. ex Henriq. Tolet. Arag. Mir. Viualdo, Sà, Valer. Sanch. & Suarez contra Less. *l.2. cap.*40. *num.*130. Azor. *part.*1. *l.*11. *cap.*10. *q.*3. & alius. 146.

Maior difficultas est, an Regulares vi supradictæ facultatis possint commutare non solùm obligationem voti pœnalis, sed etiam ipsam pœnam incursam ob violationem voti: vt si quis vouit non ludere sub pœna dandi pauperibus pro qualibet vice 2. aureos.

Respond. posse, cum tota obligatio soluendi dictos aureos in casu, quo vouens ludat, sit ex voto, & alioqui materia non sit reseruata; præterquam quòd obligatio soluendi talem pœnam non est maior, quam obligatio voti, quo quis absolutè, & directè vouet dare certam eleemosynam pauperibus, sed potius minor, cum non procedat ex affectu ad illud opus bonum, sed aliunde, vt iam dictum est; vnde fit, vt sicut Regulares possunt commutare hanc talem obligationem; ita & possint commutare illam aliam obligationem, cum vouens ad eam teneatur solùm ex vi voti. Ita Sanchez *l.8. de matrim. D.*15. *num.*14. Suar. *supr. cap.*20. *n.*19. contra Nauar. Graff. Sayr. & & Azor. apud ipsum Sanchez, qui *l.4. mor. c.*52. *n.*11.

benè

benè notat istam doctrinam habere verum, etiam in casu, quo Papa commutasset præfato vouenti partem pœnæ, ei iniungendo, vt alteram partem solueret: siquidem reliqua pars pœnæ adhuc debetur solùm ex voto, non autem ex præcepto Papæ, ac proinde subiacet, facultati commutandi vota supradicta.

Addit Sanch. *supr. num.* 13. eum, qui in obtinenda commutatione voti pœnalis non facit mentionem pœnæ iam debitæ ex violatione voti, non remanere liberum ab ea soluenda, etiamsi votum commutetur; cum sic commutans non præsumatur habuisse intentionem commutandi pœnam non expressam: voluntas enim non fertur in incognitum; quod tamen non euenit in commutatione voti pœnalis personalis: cum ex eius violatione non relinquatur aliquid commutabile circa præteritum, sed solùm maneat obligatio faciendi pœnitentiam incursam, & directa obligatio voti, quæ respicit tantùm futurum.

QVÆRES IX. An facultas Regularium super vota extendatur ad vota disiunctiua, seu alternatiua, quibus vouetur duplex materia apta, vna reseruata, & alia non reseruata, (v. g. voueo ingredi religionem, aut dare mille aureos pauperibus) ita tamen vt vouens possit liberè eligere quam partem maluerit iuxta *reg. 70. de regul. iuris in 6. In alternatiuis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.*

147. Respond. extendi, si altera pars talium votorum non sit reseruata modo supradicto, & vouens, nondum elegerit eam partem, quæ est reseruata; est communis DD. apud Filliuc. *tract.* 26. *n.* 172. & probatur, quia in alternatiuis electio est debitoris, isque satisfacit præstando quamcumque partem disiunctionis; votum autem disiunctiuum non obligat præcisè ad materiam reseruatam, adeóque non debet censeri reseruatum; cum simus in odiosis, quæ non debent ampliari; & hoc, inquit Azor. *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 19. *q.* 10. etiam in casu, quo quis sub disiunctione voueret ingredi Religionem, aut seruare perpetuam castitatem, aut suscipere Ordines sacros; cum etiam in præsenti voto militet ratio modò allegata.

Dixi, *si altera pars talium votorum non sit reseruata*: si enim vtraque sit reseruata, (v. g. voueo castitatem, aut religionem) tunc votum est reseruatum, vt patet; dixi præterea, *& vouens nondum elegerit eam partem; quæ est reseruata*; quia si illam elegit, & quidem non solùm simplici proposito exequendi votum factum in materia reseruata (sic enim morari potest sine peccato, eligendo materiam non reseruatam) voluntate absoluta se obligandi ad materiam reseruatam, tunc sine dubio votum est reseruatum; quod tamen non euenit, teste Laym. *supr. n.* 12. in casu, quo temporis progressu pars voti non reseruata fiat impossibilis ad implendum: tunc quippe votum non est reseruatum; cum adhuc non sit determinatè votum rei reseruatæ, vt patet, & applicatio obligationis ad partem reseruatam proueniat potiùs ex impossibilitate materiæ, quam ex ratione vinculi; quod tamen alij negant cum Bonac. *D.* 4. *de leg. q.* 2. *p.* 7. *§.* 5. *num.* 18. *ver. sed contrarium.*

QVÆRES X. An, & quibus in casibus facultas Regularium super vota extendatur ad votum Religionis.

148. Respond. extendi in pluribus, & quidem 1. si votum fiat de ingrediendo religionem non approbatam à Sede Apostolica: cum enim hæc verè non sit religio, nec votum illius verè est votum religionis; 2. si votum sit tantùm de ingrediendo religionem arctiorem; tunc quippe potest dispensare cum vouente, vt ingrediatur religionem laxiorem; cum hoc non sit dispensare in substantia voti religionis, sed in aliqua eius circumstantia. 3. si votum sit solùm de perseuerando in religione; nam tunc dispensari potest, vt vouens exeat, si iusta occurrat exeundi causa; cum hoc sit dispensare tantum in qualitate adiuncta voto religionis nullibi reseruata, non autem in voto religionis simpliciter. 4. si votum sit solùm de non differendo ingressu religionis: nam in hoc casu possunt Regulares dispensare, vt qui vouerat ingredi intra annum, differat etiam vltra, dummodo dilatio non sit tanta, vt vouens probabiliter euasurus sit impotens ad votum implendum: hoc enim non est dispensare in substantia voti religionis, sed in qualitate. 5. si vouens expressè intendit se obligare ad ingressum religionis solùm sub veniali: cum sic votum valdè deficiat à perfectione voti, & reputetur leuissimum. 6. si votum sit de ingrediendo religionem S. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ; cum inter DD. dubium sit, an Ordines Militares verè sint Religiones (excipe Ordinem Melitensem,) & aliàs reseruatio excludat casus dubios, se restringens ad casus certos. Ita Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 40. *n.* 71. *& seqq.* aliique plures apud ipsum: qui licèt expressè loquantur de facultate competente Episcopo super vota; quæ tamen ibi dicunt, possunt habere locum etiam in Regularibus ob doctrinam traditam *q.* 6.

QVÆRES XI. An, & in quibus casibus possint Regulares ex vi suorum priuilegiorum commutare votum castitatis.

149. Respond. posse, siue votum sit seruandi castitatem ad certum tempus, (v. g. ad biennium) siue non petendi debitum coniugale, siue seruandi castitatem coniugalem (excipe si tale votum ex auctoritate Papæ annexum Ordini Militari,) non nubendi, non fornicandi, non tangendi mulierem, Ordinis Sacri suscipiendi, &c. Ita Sanch. *supr. cap.* 40. Laym. *supr. n.* 8. aliique plures apud ipsum; & probatur, quia reseruatio votorum, cum exorbitet à iure communi, ac ordinaria Episcoporum potestate, est strictæ interpretationis; ideóque cum votum castitatis, siue continentiæ reseruatur, explicandum est de continentia perpetua, & simpliciter dicta: cuiusmodi vtique non sunt eæ, quas hic recensuimus. Imò Sanch. *supr. n.* 68. docet Episcopum (dic to, & Regulares) posse dispensare cum eo, qui diuersis votis varia ad castitatem spectantia promisit, ita vt ex iis omnibus simul iunctis oriatur obligatio ad omnimodam, ac perfectam castitatem; patet quia in quolibet talium votorum possunt Episcopus, & Regulares dispensare; cum nullum eorum sit votum perfectæ castitatis; ergo & possunt in omnibus simul; cum vota posteriora per accidens se habeant ad prius; intellige, nisi vltimum votum, quo completur castitas perfecta, fiat consultò ad hoc, vt vouens maneat ligatus perfecta castitate: tunc enim priora vota censentur coniungi cum posteriori. Quod idem proportionaliter dicendum de voto virginitatis; posse scilicet Regulares in eo dispensare vi suorum priuilegiorum, si vouens in eo expressè solùm intendat se obligare ad solam corporis integritatem seruandam. Quin etiam Crousers relatus à Diana *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 50. putat Regulares vi suorum priuilegiorum posse in casu vrgentis necessitatis dispensare in voto castitatis absolutæ non secus ac possunt Episcopi, teste Sanch. *l.* 8. *de matrim. D.* 9. *num.* 22. sed Crousers communiter reiicitur.

Addit Sanchez *l.* 8. *de matrim. D.* 15. *num.* 7. Episcopum, & Regulares priuilegiatos posse dispensare super voto castitatis perpetuæ facto à coniugatis: quippe quod ratione status coniugalis importat imperfectionem, per quam diminuitur ratio voti

castitatis perpetuæ; sicque procedit doctrina data *supr. quæst.* 11.

Vtrum verò sit reseruatum votum castitatis, quod quis facit cum conditione, vt sibi liceat nubere cum aliqua, quæ secum velit viuere castè, & sine copula, ideóque possit commutari à Regularibus virtute suorum priuilegiorum.

Respond. non esse; cum non sit votum castitatis absolutum, & totale; quandoquidem sine eius violatione potens vouens inire matrimonium, imò & reddere debitum; cuius rei ea est ratio, quòd, licèt vouens intenderit se obligare ad seruandam castitatem omnino, etiam non reddendo debitum: hæc tamen intentio fuit fundata in ignorantia, qua vouens putabat se posse nubere cum tali pacto; ignorantia autem causat inuoluntarium, & obstat valori voti: vnde & in isto casu votum diminuit, quoad hanc partem. Quin, etiamsi detur vouentem vi talis voti prohiberi etiam reddere debitum, ideóque non posse licitè nubere, nisi cum pacto mutuo non petendi, nec reddendi: nihilominus tale votum non est reseruatum; cum reseruatio voti castitatis ex consuetudine Ecclesiæ inducta cadat super tale votum solùm, prout illud est in Ecclesia vsitatum; & alioqui in Ecclesia non sit vsitatum votum castitatis, cum conditione nubendi, etiamsi cum pacto mutuo non petendi, neque reddendi debitum coniugale. Ita Suarez *tom.* 3. *de relig. l.* 9. *cap.* 12. *num.* 14. monens *num.* 9. votum vouendi castitatem non esse reseruatum, cum sit distinctum ab ipso voto castitatis, & ad inducendam reseruationem non sufficiat æquiualentia, quæ adest in isto voto, sed requiratur identitas.

Addit Suar. *num.* 2. votum continentiæ factum, vt solùm obliget post annum, esse reseruatum; quippe quod iuxta communem æstimationem censetur votum continentiæ simpliciter, vtpotè absolutum, & totale, perpetuum, sin minus à parte ante, à parte post: itavt eius perpetuitas attendatur non ab instanti, in quo fit, sed ab instanti, pro quo fit.

QVÆRES XII. An, & quando facultas Regularium super vota extendatur ad votum reseruatum triplicis Peregrinationis.

150. Respond. extendi, si vouens expressè intendit non inuisere illa loca, sed aliquid aliud (v.g. osculari pedes Papæ; reuereri aliquam imaginem B.V. &c.) sic quippe votum est solùm materialiter, & per accidens, votum peregrinatiunis Romanæ, v. g. ideóque non est reseruatum. Ita Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 40. *num.* 77. addens ex Lessio posse Episcopum (dictu, & Regulares priuilegiatos ob rationem sæpiùs allatam, & præsertim *quæst.* 3.) dispensare in qualitate adiuncta præfatis peregrinationibus (v. g. vt equo vectus eat, ferens necessarias itineris expensas, qui vouerat ire pedibus, ac mendicando) hoc enim non est dispensare in substantia voti (vt patet) sed in qualitate adiuncta.

Quod autem docent Abb. Ang. & alij penes Azorium *part.* 3. *l.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 4. non esse reseruatum Papæ votum, quod quis facit, peregrinandi ad S. Domini sepulchrum non causa auxiliandi Christianis in terra sancta degentibus, sed præcisè studio augendæ propriæ pietatis: est contra communem sensum Doctorum, ac stylum Curiæ Romanæ: quamquam supradicti DD. possint excusari; cum loquantur secundum ius antiquum, & commune, quo Papæ reseruabatur votum vltramarinum solùm in casu, quo fieret in subsidium terræ sanctæ, vt notat Azor. *supr.*

Vtrum verò facultas Regularium super vota extendatur ad vota Peregrinationis vltra duas diætas,

Respond. extendi, non quidem ex vi concessionis factæ ab Innoc. VIII. Mendicantibus & relatæ à Casarub. *loco mox afferendo*, vt possint dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi, exceptis votis peregrinationis vltra duas diætas (hæc enim concessio cum sit facta viuæ vocis oraculo, vt indicat Casarub. *in Comp. ver. absolut. quoad secul.* 2. *num.* 12. non ampliùs subsistit) sed ex indultis relatis *supr. quæst.* 3. quæ cum inter vota reseruata non excipiant vota peregrinationis vltra 2. diætas, per consequens dant facultatem ea dispensandi iuxta regulam, *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis*; quo pacto Sotus, Sanch. & Malder. apud Dianam *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 58. putant probabiliter in Iubileo concedi facultatem commutandi vota triplicis peregrinationis aliàs reseruata, etsi ea in bulla concessionis non exprimantur dato quod in ea tribuatur facultas generalis commutandi omnia vota, præter quam castitatis, & religionis: probántque ex eo quod vota supradicta triplicis peregrinationis non sunt reseruationis adeò antiquæ, sicut sunt vota castitatis, ac religionis, neque sunt tanti momenti, ideóque eorum reseruatio sumi non debet cum tanto rigore, vt dicta vota censenda sint non comprehendi sub generali concessione commutandi omnia vota. 151.

QVÆRES XIII An facultas Regularium concessa super vota extendatur etiam ad vota facta in commodum tertij.

Respond. non extendi, si votum habeat annexam promissionem acceptatam ab illo tertio (cuiusmodi est votum de dotanda tali puella,) & non adsit consensus illius tertij, cui aliàs fieret præiudicium contra ius ab eo acquisitum per acceptationem. Secùs, si votum non habeat promissionem modo dicto acceptatam: sic quippe per votum non acquirit ius tertio; ideóque per dispensationem ipsius voti illi non præiudicatur, estò id cedat illi tertio in carentiam alicuius commodi, non tamen iniuriosam, ac culpabilem; est communis DD. apud Suar. *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *de voto*, *cap.* 15. *n.* 7. addens *n.* 11. quod quamuis in concessione priuilegiorum, quæ dantur ad commutanda vota, non exprimatur clausula, *dummodo non fiat in præiudicium tertij*, ea nihilominus esset subintelligenda, ac proinde ea apponitur solùm ad maiorem declarationem. 152.

Nec facit contra posteriorem partem istius responsionis, quod in pia causa ius acquiritur etiam absenti, *l. illud, C. de sacros. Eccl.* & quod *in cap. ex parte, de censib.* datur actio ad soluenda vota realia facta Ecclesiis; hæc enim iura non probant ad commutationem supradictorum votorum exigi consensum illius, in cuius bonum cederet votum obseruatum: siquidem, *l. illud*, non loquitur de votis, sed de donationibus factis locis piis sine scriptura, *cap. verò, ex parte*, non loquitur de actione contra vouentem, sed contra hæredem respectu cuius actio est facta irreuocabilis, præsertim quando ex consuetudine acquisitum est ius Ecclesiæ, vel per modum præscriptionis: præterquam quod actio canonica, aut ciuilis vtilis, quæ conceditur, quoad votum factum in fauorem tertij, durat solùm, quamdin votum manet in sua vi; ideóque si auferatur per iustam dispensationem, aut per commutationem in aliam rem transferatur, eo ipso cessat, &, si intentetur, repelletur probata dispensatione, aut commutatione: quod aduertit Suar. *n.* 6. addens, quod, quamuis per votum emissum in fauorem tertij acquiratur ius Deo ad rem promissam, non ideo tamen sequitur Deum tale ius transferre in dictum tertium: cum velit solùm, vt votum non violetur; quod vtique sufficienter 153.

ter impletur, intercedente iusta dispensatione, aut commutatione.

Dices, quid si per votum fiat promissio alicui Sancto in particulari sine speciali promissione facta Deo (quod non repugnat) possetne tunc tale votum commutari, aut dispensari à Regularibus vi suorum priuilegiorum.

154. Respond. Suar. *num.* 50. quod posset; probátque tum quia promissio semper intelligitur facta Deo indirectè, eatenus participare rationem voti: tum quia Deus, & Sancti cum ipso regnantes, quoad hoc constituuntur quasi sub eodem foro, vt Papa dispensare possit etiam iura Sanctorum, & eorum debita remittere: tum quia talia vota non ad humanam vtilitatem Sanctorum, sed ad cultum religiosum, & simul ad fructum animarum referuntur; quod totum est sub regimine Prælatorum Ecclesiæ.

Quæres XIV. An facultas Regularium super vota extendatur etiam ad vota iurata.

155. Respond. extendi, si iuramentum fiat in confirmationem voti emissi: sic enim iuramentum est accessorium voto, adeóque cessat, sublato voti vinculo iuxta regulam, *Corruente principali, corruit accessorium*; secùs, si iuramentum fiat independenter à voto (vt si quis priùs iurauit ieiunare, & postea hoc idem vouit: vel certè prius vouit ieiunium, & postea id ipsum iurauit, non quasi confirmans votum, sed immemor illius, ac independenter ab eo;) sic quippe facultas supradicta non extenditur ad vota iurata; cum in casu votum, & iuramentum sint duo vincula diuersæ speciei, & vnum non pendeat ab alio: vnde non sequitur, vno illorum sublato, tolli & aliud. quod est ita verum, vt cum Religiosi Soc. Iesu haberent à Paulo III. priuilegium commutandi omnia vota, exceptis reseruatis, aliud indultum obtinuerint à Gregor. XIII. pro commutandis votis iuratis, citra tamen præiudicium tertij; quod indultum communicatur omnibus Confessariis approbatis, vt constat *ex Compend. Soc. v. commutatio*, § 1. quòd est signum priuilegium Pauli III. non se extendisse ad vota iurata: alioqui indultum Gregorij XIII. fuisset frustratorium, ac omnino inutile. ita Sanchez *lib. 8. de matrim. D. 2. num.* 23. & alij contra Azor. *part. 1. lib. 11. cap.* 10. *q.* 2. & alios absolutè negantes, facultatem delegatam commutandi vota non extendi ad iuramenta: necnon contra Suarez *lib. 6. de voto, cap. 14. num.* 6. aliósque absolutè sustinentes potestatem concessam ad dispensandum in votis extendi etiam ad dispensandum in iuramentis; qui quidem Sanchez bene monet in dubio, an iuramentum emissum posteriùs sit factum solùm ad confirmandum votum, sic præsumi: cum semper sic soleat fieri iuramentum, quoties præcedit votum.

Vtrum verò Regulares vi indulti concedentis facultatem commutandi vota iurata, possint etiam commutare ipsa iuramenta.

156. Respond. posse: dummodo id non cedat in præiudicium tertij. Ratio est, quòd, cum ipsis vigore suorum priuilegiorum concedatur commutatio votorum iuratorum, in quibus includitur duplex obligatio, voti scilicet & iuramenti, à fortiori, & concedetur commutatio iuramentorum, in quibus continetur vnica solùm obligatio 1. iuramenti. ita Miranda *part. 1. quæst. 47. art.* 5. Rodriq. *tom. 1. quæst. 63. art.* 5. Portell. *de dub. regul. v. Confessor, num.* 27. monens priuilegium extendi tam ad iuramenta nuda, ac simplicia, quàm ad iuramenta votiua: quòd tamen negat Nauarr. *cap. 27. num.* 175. Per hoc autem distinguitur votum iuratum, & iuramentum, quòd ille censetur facere votum, qui dicit, *Voueo, & iuro me tale quid facturum:* ille verò censetur facere iuramentum votiuum, qui dicit, *Iuro me tale quid facturum in honorem Dei.*

Illud autem bene monet Portel. *supr. v. votum num.* 104. in commutatione voti iurati non esse opus, 157.
vt illud commutetur in aliquid maius, quam si non esset iuratum: si quidem non est, nisi vnicum vinculum, vt patet ex dictis.

Difficultas iam est, an Regulares vi suorum priuilegiorum possint commutare iuramentum pia Religionis, & Castitatis ratio dubitandi est, quod cum iuramentum, quo aliquid Deo promittitur, nihil illud sit, quàm votum iuramento firmatum: si votum est Papæ reseruatum (quo modo est de facto votum Religionis, & Castitatis) & reseruatum erit iuramentum.

Respond. quod, si probabile est præfata iuramen- 158.
ta posse commutari vi Iubilei, aut Bullæ Cruciatæ (quo modo esse probabile de facto sustinent P. Ledesma Trullench. Alph. de Leone, Tab. & Nauarr. relati à Diana *part. 4. tract. 4. resol.* 69. cum ipsis sentiente, sicut & *part. 5. tract. 12. resol.* 69. vbi in specie loquitur de Iubileo;) probabile item erit ea posse commutari vi priuilegiorum Regularibus concessorum: cùm vi horum quoad commutanda iuramenta tantumdem potestatis detur, quantum conferri solet Iubilei, aut Bullæ Cruciatæ. Et quidem quod vi Iubilei, aut Bullæ Cruciatæ possint commutari iuramenta Religionis, & Castitatis, quando in iis conceditur facultas relaxandi, seu commutandi omnia iuramenta, quæ non cedunt in præiudicium tertij, probant supradicti DD. tum quia in iure nullum repetitur iuramentum Papæ reseruatum: tum quia non sequitur, vota Religionis, & Castitatis sunt reseruata ergo & iuramenta de ipsis facta item sunt reseruata; cum obligatio voti sit maior obligatione iuramenti, teste S. Thom. 22. *q.* 89. *art.* 8. & reseruatio tanquam odiosa non debeat ampliari, sed restringi; tum quia de facto Pontifices per aliquod indultum concedentes facultatem commutandi omnia iuramenta nullum præiudicium inferentia tertio, non solent excipere iuramentum, sicuti excipiunt aliqua vota; ergo signum est non esse vsu receptum, quod aliqua iuramenta Papæ sint reseruata, neque ea, quæ fiunt de quinque votis reseruatis; oppositum tamen sentiunt Caiet. Sot. Val. Azor. Layman. Arag. Pontius, & alij adducti à Diana *part. 4. tract. 4. resol. cit.* cum quibus sentit Sanchez *lib. 8. de matr. D. 13. num. 7. & lib. 4. mor. cap. 54. num.* 21.

Dubitari hic etiam potest, an priuilegium Regularibus concessum super vota iurata extendatur ad iuramenta adiecta contractui, in quo adest turpitudo, ac iustitia in creditore (v. g. ad iuramentum factum homini de soluendis vsuris, aut certè quod fuerit metu extortum.

Respond. probabile esse extendi; & probatur 159.
quia tota ratio, cur iuramenta votiua, & vota æquiparentur, quoad commutationem est, quia per iuramenta votiua, seu in honorem Dei facta nullum ius acquiritur homini, vt per iuramenta adiecta contractui, in quo adest turpitudo, neque vllum ius hominis comparatur (cum potiùs homo iniuriam Deo inferat exigendo, & non remittendo) ergo, quamuis huiusmodi iuramenta non fiant præcipuè intuitu Dei, & in honorem illius, sed intuitu hominis: nihilominus; cùm per ea nullum ius homini acquisitum sit, quoad commutationem, æquiparantur cum votis, & consequenter comprehen-

dentur sub priuilegio concesso super vota iurata; si quidem hoc ipso quòd iuramenta nullum ius conferunt homini, cui fiunt, sed soli Deo, cui iurans se obligauit ad seruandum iuramentum, quod sine Creatoris iniuria seruari potest, ea induunt rationem voti, non secùs ac si fuissent facta soli Deo. ita Diana *part. 4. tract. 4. resol.* 19. cum Barthol Ledesma Rodriq. & Trullench. contra Sanch. *lib. 4. mor. c.* 53. *num.* 13. Suar. *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto cap.* 14. *n.* 13. *& alios.*

160. Nec obstat, quod Greg. XIII. in concessione huius facultatis super vota iurata addat clausulam, *dummodo commutatio huiusmodi in alterius praeiudicium non fiat.* nam in præsenti casu commutatio re vera fit sine alterius præiudicio, cùm nullum ius acquisitum sit illi tertio, cui factum est iuramentum, vt patet ex dictis; præter quam quod falsum est id, quod supponunt Aduersarij, nempe dicta iuramenta induere rationem promissionis merè humanæ, adeóque non habere rationem voti, quod sit capax commutationis: constat enim ex dictis ea continere etiam promissionem Deo factam, & sic participare de voto: cum iurans se obliget ad seruandum iuramentum modo dicto.

QVÆRES XV. An potestas concessa Regularibus supra vota extendatur ad vota reseruata dubia, ita vt, si dubius de voto religionis à se emisso dispensatur super eo ab aliquo Regulari iuxta doctrinam illam (quod votum reseruatum in dubio non præsumitur reseruatum) non teneatur procurare nouam dispensationem, etsi postea certò ipsi constet se votum religionis re vera emisisse.

161. Respond. extendi, adeóque vouentem in tali casu non teneri procurare nouam dispensationem. ita Io. de Lugo de Sacr. Pœnit. *D.* 20. *sect.* 2. *num.* 22. cum Sanch. *lib 4. moral. cap.* 44. *num.* 10. & probatur tum quia in eo dubio præsumendum est pro habente priuilegium dispensandi, id enim exigit recta gubernatio Ecclesiæ: quippe, si priuilegium illud extenderetur solum ad certas causas, vix reperiretur aliquis, qui vellet eo vti; tum quia cum votum ratione dubij non fuerit reseruatum, quando fuit dispensatum potuit inferior tunc in eo dispensare, vt pote qui legitimè vsus est potestate, quam habebat ad dispensandum in votis dubiis; alioqui dispensatio fuisset vana; si quidem non dispensatur sub conditione, si non fuit votum, sed potius sub conditione, si verè fuit votum: nam si non fuit votum, non est dispensabile; ideóque si Regularis tunc potuit dispensare, potuit auferre obligationem casu, quo fuerit.

QVÆRES XVI. An facultas Regularium super vota extendatur ad commutandam materiam, in quam facta est commutatio voti reseruati.

162. Respond. extendi si materia talium votorum commutetur in aliquid non reseruatum; sic enim extinguitur prius votum, quod erat reseruatum ratione materiæ, & suboritur aliud votum, quod non est reseruatum, nec obstat, quod subrogatum sapit naturam eius, cui subrogatur: id quippe verum est, quoad ea, quæ intrinsece, & per se spectant ad subrogationem, non autem quoad extrinseca, & accidentalia qualis est reseruatio Superioris procedens ex libera ipsius voluntate; quæ reseruatio cum sit odiosa, non debet extendi ad materiam subrogatam absque speciali declaratione subrogationis. est communis Doctorum.

QVÆRES XVII. An facultas Regularium super vota extendatur ad commutanda vota reseruata in opus manifestè melius.

Respond. non extendi, cum Papa iure potuerit sibi reseruare in votis grauioribus iudicium, an expediat ea commutari, & ex quo id sibi reseruauit, tollatur inferioribus quæcumque facultas ea commutandi; quod tamen non obstat bonis moribus; cum simpliciter non prohibeatur minus bonum, sed solùm præscribatur modus illud eligendi loco materiæ Deo promissæ; nimirum de licentia Papæ. ita Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 4. art. 3.* Azor. *supr. cap.* 18. *q.* 4. Tabiena *v. dispensatio quæst. 9. num.* 11. aliique apud Sanch. *lib 4. mor. cap.* 52. *num.* 4. cum ipsis sententem contra Val. Aragon. & Sayr. relatos ab eodem Sanchez *num.* 3. oppositum sustinentes, & fortè non omninò improbabiliter. 163.

Addit Suar. *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto cap.* 21. *num.* 17. & 18. vnum votum reseruatum non posse commutari in aliud item reseruatum, etsi euidenter melius, præterquam in votum religionis: idque ob rationem paulo ante allatam. Dixi *præterquam in votum religionis*; certum est enim omnia vota reseruata posse commutari in votum religionis; vt constat ex *Scriptura de voto*, vbi dicitur: *Reus fracti voti non habetur qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis obseruantiam commutare*; vbi caute dicitur, *in perpetuam religionis obseruantiam*, quia textus loquitur de assumptione status religiosi per professionem, non autem de quocumque voto religionis; vnde fit, vt si vouens exeat tempore nouitiatus, aut cum illo dispensetur in voto religionis, teneatur tunc implere votum reseruatum priùs emissum. 164.

QVÆRES XVIII. An facultas Regularium super vota extendatur ad voto simplicia, quæ in aliquibus regionibus emittuntur post tria vota substantialia, vt in Societate Iesu.

Respond. Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. c.* 12. *num.* 31. non extendi, eo quod sub generali concessione non veniant, quæ habent specialem rationem, ac difficultatem, ideóque verosimiliter in specie non concederentur; talia autem videntur vota supradicta: quippe quæ, licèt non sint absolutè de essentia Religionis, sunt tamen valde propinqua, & quasi propriæ passiones illius, pertinent que ad consistentiam, & quasi integritatem illius. Præterquàm quod Prælatus Religionis, cui præ cæteris danda esset potestas dispensandi in talibus votis (si cui danda esset) non potest irritare eiusmodi vota, vt pote pertinentia suo modo ad ipsum statum, & consequenter nec dispensare: cum in Prælato regulari facultas dispensandi vota Regiosorum subditorum non extendatur magis, quam potestas irritandi: quæ vtique est magis intrinseca, adeóque habet vsum faciliorem, ac vniuersaliorem. cum Suario sentiunt Castrus Palaus *tract.* 16. *D.* 5. *part. vlt. num.* 1. *&* Fagund. *lib. 2. in decal. cap.* 24. *num.* 6. 165.

QVÆRES XIX. An facultas Regularium super vota extendatur solum ad commutanda vota realia in realia, an etiam realia in personalia, & è contra.

Respond. extendi ad commutanda etiam vota realia in personalia, & personalia in realia. ratio est, quod, cum in his commutationibus solùm habenda sit ratio maioris obsequij diuini, & talis æqualitas reperiri possit etiam in casu, quo commutetur votum reale in personale & è contra: in tali commutatione non est necesse seruare vnitatem, aut similitudinem physicam rei voto promissæ, & rei, in quam fit commutatio, sed proportionem, aut æstimationem moralem in ordine ad Dei gratiam. ita Sanch. *supr. cap.* 56. *num.* 24. cum Angel. Sylu. & Suar. qui bene monent *cap.* 1. de voto (vbi inuitur votum 166.

pere

peregrinationis, quod est mixtum ex reali, & personali, debere commutari in quid reale, quando necessitas non cogit: loqui tantùm de consilio, non de præcepto: quomodo etiam debent intelligi Doctores, quando dicunt expensas in peregrinatione promissas ex voto consumendas, commutari debere in Eleemosynam, & laborem itineris in opera personalia, eos scilicet loqui de consilio, non de præcepto.

Qværes XX. An facultas Regolarium super vota extendatur ad ea commutanda oon solùm in rem æqualem, sed etiam in quid minus.

167. Respond. extendi; dummodo commutatio non fiat in notabiliter minus. ita Toler. *lib. 4. cap. 18. n. penult.* Rodriq. *in Bullam Cruc.* §. 9. *num.* 107. *in addit.* Henriq. *lib. 7. cap. 30. num. 5.* Lessius *lib. 2. c. 40. n.* 109. aliique plures, quos citat, sed non sequitur Sanchez *supr. cap.* 50. *num.* 2. contrariam sustinens sententiam cum pluribus aliis ab ipso relatis *num.* 4. probatur autem nostra sententia; tum, quia beneficium Principis debet largissimè interpretari. *l. beneficium, ff. de constitut. Princip.* tum, quia alioqui potestas commutandi vota esset nullius effectus, cùm ad commutandum votum in æquale nullo opus sit priuilegio, & quilibet vouens possit id propria auctoritate præstare. nobiscum sentit & Diana *p. 3. tract. 5. resol.* 25. addens stando etiam in sententia opposita non debere Confessarios hac in re esse nimis scrupulosos; cum æqualitas in commutatione votorum non debeat esse mathematica, sed moralis, in arbitrio boni viri, seclusa fraude, & graui ignorantia. quod saltem ex parte admittit Suarez *lib. 6. de voto, cap.* 12. *num.* 6. dicens, facultatem commutandi vota extendi ad commutandum etiam in dubio, an sit minus, modò non sit certum: idque ex eo, quòd credibile est Papam delegantem præfatam facultatem voluisse concedere aliquam benignitatem, & tacitè indulgere, quod habens nudam facultatem cummutandi vota, commutationi admisceat aliquid dispensationis; quod est bene notandum.

Vtrum verò si Confessarius reperiat alicui pœnitenti fuisse commutatum ab alio Confessario votum aliquod in minus æquale, possit acquiescere iudicio prioris Coofessarij, etiam stando in sententia requirente, quod commutatio fiat in æquale.

168. Respond. posse, si vterque Confessarius sit vir doctus: sic enim posterior Confessarius existimare potest priorem considerasse aliquam circumstantiam, quæ ab ipso minus bene agnoscitur; secus, si prior Confessarius sit idiota: nam tunc posterior debet monere pœnitentem, si fructum speret ex admonitione. ita Portel. *de dub. regul. v. votum, num.* 92.

Difficultas maior est an commutatio votorum facta à Regularibus per sua priuilegia, sit irrita hoc hoc ipso, quòd est iniusta ex defectu æqualitatis materiæ, aut causæ.

169. Respond. non esse, siue fiat in rem æqualem, & desit sola causa commutandi (in quo casu nec opus est quidquam supplere, cum substantiæ commutationis nihil defuerit, sed soli rationabili vsui potestatis, idque in re leuissima, cùm sic remissio sit valde parua:) siue commutatio fiat in minus, & nulla adsit causa ad commutandum: quamquam tunc suppleri debeat id, quod deest ad æqualitatem materiæ subrogatæ cum promissa: siquidem etiam inter homines commutatio iniusta defectu æqualitatis inter res permutatas non est omnino irrita, sed valet, dummodo suppleatur excessus: cum tamen mitius agatur cum Deo, quàm cum hominibus. *l. Celsus, ff. de recept. arbitr.* ita Sanchez *supr. cap.* 51. *n.* 8. monens *num.* 10. eiusmodi defectum posse suppleri, etiam per ipsum vouentem.

An autem, vbi mouens rediit ad prius votum, nolens vti commutatione, possit iterum redire ad materiam commutationis.

Respond. Barthol. à S. Fausto *lib. 4. thesauri, q.* 82. non posse, si commutatio sit facta siue in minus (renunciando enim commutationi de nouo emisit priùs votum, quòd cum sit melius, non potest commutari in minus bonom propria auctoritate:) siue in æquale: cum non liceat propria auctoritate commutare votum in bonum euidenter æquale: posse verò, si commutatio facta sit in melius; semper enim votum potest commutari in bonum euidenter melius. dissentit tamen Sanchez *lib. 4. moral. c. 55. q. vlt.* & cum eo Diana *p. 3. tract. 1. resol. 27. v. sextò.*

Qværes XXI. An facultas Regularium super vota extendatur ad obligationem, quam testator imponit hæredi (v. g. vt mittat hominem ad domum Lauretanam) vel quam hæres contrahit ex voto reali defuncti.

Respond. non extendi; cum talis obligatio non 170. sit immediatè ex voto, sed quasi ex contractu; nam hoc ipso, quod quis adit hæreditatem, suscipit omnia onera imposita à defuncto, vel quæ ipse iam coontraxerat, si erant; hæc enim ad hæredem transeunt. ita Lessius *n.* 134. hinc inferens eum, qui alteri promittit se impleturum eius votum; non posse à Regularibus liberari hoc onere: cum sic teneatur ex pacto, & id cedat in præiudicium tertij. nec obstat, quòd origo sit ex voto; & quod votum possit commutari: siquidem votum non potest commutari, nisi ex consensu vouentis, qui cum non viuat amplius, vtique non potest consentire.

Qværes XXII. An facultas Regularium super vota extendatur ad votum, quod fit à vouente animo se obligandi ad non petendam dispensationem illius, nisi à Papa.

Respond. extendi. ita Suar. *tom. 2. de relig. lib. 6. de* 171. *voto, cap. 21. n.* 16. Sanchez *supr. lib.* 40. *num.* 13. aliique communiter; & probatur, tum, quia priuata intentio vouentis non potest priuare Superiorem sua potestate, ac iurisdictione: tum, quia alioqui posset vouens facere suum votum indispensabile, etiam à Papa, si id intenderet: quod tamen non est admittendum; vt proinde dicant DD. votum de non petenda dispensatione, aut commutatione alicuius voti vt plurimum esse irritum: cum interdum expediat saluti animæ illam petere. ita Sanch. *supr. cap.* 8. *num.* 21. addens *num.* 22. idem dicendum esse de iuramento, monénsque vouentem in casu proposito non posse petere prioris voti dispensationem, nisi priùs seorsim petat dispensationem voti posterioris, quo vouit se non petiturum dispensationem: aliàs violaret votum posterius, si peteret dispensationem prioris voti, durante voto de ea non petenda.

Qværes XXIII. An Regulares vi facultatis quam habent super vota possint ea commutare etiam in casu, quo non subsit causa commutandi.

Respond. non posse, siue commutatio fiat in rem 172. æqualem, siue in minus, siue in rem, de cuius æqualitate dubitetur; quod tamen non habet locum in casu, quo fiat commutatio vi bullæ, aut iubilei: tunc enim sufficit conferre subsidium præscriptum in bulla, & exequi opera iniuncta in iubileo. ita Suar. *cap.* 19. *num.* 10. aliíque penes Sanch. *supr. c.* 50. *n.* 12. *& seq.* patétque ex eo, quod si fiat commutatio in rem æqualē cōmutatio habet admixtū non nihil dispēsationis, cū dispensetur in rigore fidelitatis, soluendo in diuersa specie, quod deberet solui in specie promissa

promissa, ideóque requiritor aliqua causa; si autem fiat commutatio voti in minus, multo magis admiscetur dispensatio, ac subinde requiritur causa: cum in commutatione votorum committans gerat vicem Dei, eiusque consensum interpretetur: quod vtique non potest facere, nisi occurrat iusta causa.

Quod si quæras, vtrum ad validè dispensandum super voto requiratur causa.

173. Respond. requiri, & quidem ita, vt ipsemet Papa non illicitè solum, sed inualidè dispensaret, si sine causa id faceret, est communis Theologorum cum S.Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *ad* 2. patérque ex eo, quod, cum potestas dispensandi in Ecclesia data sit in ædificationem, non in destructionem, per eam non potest dispensans, cum non sit dominus, sed merus dispensator, tollere illud, quod est acceptum Deo, nisi ob aliquid aliud, quod sit eidem Deo acceptius, alioqui non ædificaret, sed destrueret; & si contra faciat, nihil facit, peccátque mortaliter abutens sua potestate in re graui.

174. Iustæ autem causæ dispensandi sunt honor Dei: vtilitas Ecclesiæ: spiritualis fructus vouentis: periculum morale sæpiùs violandi votum: imperfecta deliberatio in voto emittendo: metus incussus ab homine ad extorquendum votum, quamuis non grauis: notabilis difficultas superueniens executioni voti: aliaque id genus, quæ generaliter reuocari possunt ad pietatem, vtilitatem, ac necessitatem. ita Sanch. *lib.* 4. *moral. cap.* 45. aliique communiter; qui benemonent rarò vtendum esse dispensatione cum rarò interueniat causæ sufficientes ad dispensandum, quippe quæ debent esse multò grauiores, quam quæ requiritur ad simpliciter commutandum: cum per dispensationem omninò tollatur obligatio voti, non sic per commutationem; vnde monet Portel *supr. num.* 85. sanum consilium esse, vt commutationi semper admisceatur aliqualis dispensatio, si commutans habeat etiam facultatem dispensandi.

175. Quamquàm non desint aliqui casus, in quibus absolutè licet dispensare super votis, etiam nullo onere imposito: nimirum 1. si vouens sit oneratus tot votis, vt expediat aliqua illorum auferre nullo onere speciali addito: 2. si dispensatus sit pauper, adeóque non possit sustinere commutationem in realem obligationem, & aliàs sit obnoxius tot obligationibus personalibus, vt non expediat ei imponere noua onera personalia sub voti obligatione. 3. si timeatur periculum lapsus ex quacumque obligatione voti relicta in quacumque materia, & credatur fore vtilius, si per modum consilij tantum relinquatur, & proponatur aliqua satisfactio pro voto.

176. Addo ex Suar. *loco supr. citato* ad commutandum votum in rem æqualem sufficere quamcumque causam leuem, & paruam: qualis etiam est; quod vouens petit commutationem voti, & iusta condescensio cum eius fragilitate; remissio enim, quæ fit per commutationem est valdè parua.

QVÆRES XXIV. An Regulares possint secum ipsi exercere facultatem, quam habent ex suis priuilegiis, quoad votorum relaxationem.

177. Respond. posse; cum dispensatio, & commutatio votorum sit actus iurisdictionis voluntariæ, quem neque iure naturæ, neque vllo iure ecclesiastico repugnet exercert in se ipsum; cum non repugnet idem respectu diuersorum esse agens, & patiens; & aliunde nulla, quoad hoc afferri possit implicantia. ita Sanch. *lib.* 8. *de matr. D.* 3. *num.* 8. & *lib.* 4. *mor. cap.* 37. *num.* 48. Rodriq. *in bullam Cruc.* §. 8. *num.* 11. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 18. *num.* 3. Bonac. *D.* 4. *de leg. quæst.* 2. *part.* 7. §. 4. *num.* 31. & alij contra Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de voto cap.* 11. *num.* 4. Clau. *reg. l.* 9. *cap.* 11. *num.* 107. & alios

QVÆRES XXV. An facultas Regularium super vota extendatur etiam ad illos, qui habitant in alia diœcesi ab ea, in qua degunt ipsi Regulares.

Respond. extendi ad quoscumque vndecumque 178.
accedentes. ita Sanch. *lib.* 4. *mor. cap.* 43. *num.* 15. aliique docti viri ad ipso consulti contra Rodriq. *in addit. ad bullam Cruciata* §. 9. *num.* 120. & probatur, quia restrictio, vt Regulares possint dispensare solum in iis votis, in quibus possunt Episcopi, non intelligitur ita, vt, sicut Episcopi non possunt dispensare, nisi cum subditis propriæ diœcesis; ita & Regulares non possint dispensare, nisi cum subditis diœcesis, in qua ipsi habent domicilium (quo modo intelligit Rodriq) sed intelligitur ita, vt Regulares non possint dispensare in votis reseruatis Papæ, in quibus nec possunt Episcopi ratione reseruationis; cum enim Regulares potestatem dispensandi habeant à Papa, qui præest toti orbi, nulla adest ratio illam restringendi ad subditos illius diœcesis, in qua degunt ipsi Regulares, præterquam quod huiusmodi priuilegia, cum sint concessa toti Religioni, tanquam fauorabilia ampliari debent, non restringi; vt probaui *cap.* 1. *sect.* 6. *quæst.* 6.

QVÆRES XXVI. An Regulares facultatem, quam habent relaxandi vota, exercere possint, etiam cum absentibus.

Respond. posse, quia ex vna parte iuxta dicenda 179.
q. seq. ista facultas exerceri potest extra Sacramentum Pœnitentiæ (quod etiam concedit cum aliis Doctoribus, Sanch. *lib.* 4. *mor. cap.* 54. *num.* 16. & 17. de facultate ad id concessa vi Iubilei;) ex alia parte decretum Clementis VIII. quod alicui videri posset obstare, non loquitur, nisi de absolutione sacramentali peccatorum, ideóque vt odiosum ampliari non debet ad commutationem votorum, seu dispensationem: quæ vtique sunt quid diuersum à sacramentali peccatorum absolutione; à diuersis autem non fit illatio, vt patet. ita docti viri à me consulti.

QVÆRES XXVII. An Regulares ex vi suorum priuilegiorum possint commutare, & dispensare vota, etiam extra sacramentum pœnitentiæ.

Respond. posse, non obstante, quod in conces- 180.
sione priuilegij dicatur, *confessionibus auditis*, vti videre est in bulla Pauli III. facta in fauorem Societatis Iesu. ratio est, quod, cum longè distent inter se absoluere à peccatis, & vota commutare; & hoc non requirat confessionem sacramentalem: non debet præsumi Papam simul concedentem priuilegium audiendi confessiones, & commutandi vota, velle totum priuilegium limitare per illum ablatiuum absolutum, *auditis confessionibus* in principio positum: cum potius singula referri debeant; vnde ille ablatiuus refertur ad absolutionem à peccatis, quæ immediatè sequitur non item ad commutationem votorum: ea quippe est regula, vt clausula posita in vna parte dispositionis, siue ponatur in principio, siue in medio, siue in fine, non censeatur referri ad omnia contenta in ea dispositione, nisi, quando est eadem ratio omnium; vt rectè notauit Menoch. *lib.* 4. *de præsumption. præsumpt.* 181. *num.* 2. quod vtique non verificatur in casu præsenti; cum absolutio à peccatis necessariò supponat confessionem sacramentalem, non autem commutatio votorum. ita Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 9. ex Sanch. Laym. Henriq. Villalob. & Tambur. contra Cordubam, Sorbum, & Peregrinum relatos ab eodem Diana, qui monet ex Sanch. ad hoc vt Regulares ex suis priuilegiis commutare

mutare possint vota, non esse opus, vt ipsi sint Confessarij vouentis, sed sufficere, vt sint Confessarij approbati ab Ordinario: hoc enim solum requirunt priuilegia; quod idem dicendum est de commutatione votorum, quæ fiat vi bullæ, aut Iubilei, cum sit eadem ratio.

Quin etiam existimat Cespedes *tract. de exempt. cap.* 19. *d.* 309. *num.* 2. Regulares vi suorum priuilegiorum posse commutare vota sæcularium, etsi non sint ab Ordinario approbati ad cconfessiones; dummodo ad id à suis Prælatis deputentur: idque nititur probare ex Pauli III. indulto adducto *q.* 3. cum ibi dicatur *cuilibet vestrum, qui ad hoc onus idoneus repertus, & per vestrum Societatis Præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit*, nolla mentione facta de approbatione Ordinarij, nec obstat, quod, cum ibi concedatur facultas audiendi confessiones sæcularium, vi dicti indulti possent Regulares audire confessiones sine approbatione Ordinarij: nam id malè insertur; cum Pootifices in Regularibus requirant Ordinarij approbationem ad audiendas confessiones sæcularium, non autem ad commutanda eorum vota: vt notat Cespes *num.* 4. addens *num.* 5. ex Pottello *v. Confessor num.* 13. posse item Regulates ex suis priuilegiis sine Ordinarij approbatione dispensare super votis sæcularium: dissentit tamen Bordonus *resol.* 15. *q.* 13. alioqui concedens approbatum solum ad confessiones virorum posse dispensare super vota etiam cum fœminis, eo, quod limitatio illa referatur solum ad absolutionem peccatorum, sine qua fieri potest votorum commutatio, ac dispensatio: vt notat ipse Bordonus *sup. q.* 14. A Cespedes non dissentit Sanchez *l.* 4. *mor. c.* 54. *n.* 16. quatenos sustiner doctrinam à nobis datam §. *præcedenti:* si enim commutatio voti fieri potest extra Sacramentum Pœnitentiæ, ad quid requiritur approbatio? Quamquam, cum vsus, quo ad præsentem casum sit in contrarium (si quidem facultas commutandi vota datur communiter solum approbatis ad confessiones) & consuetudo sit optimus legis interptes, in praxi non sit recedendum à sententia Bordoni; quidquid sit de speculatiua probabilitate opinionis, quam sequitur Cespedes.

Qværes XXVIII. An Regulares exercere possint facultatem, quam habebant dispensandi, aut commutandi vota, etiam inuitis vouentibus.

181. Respond. posse exercere; non quidem facultatem commutandi (cum per voti commutationem obligatio eadem voti trasferatur in aliam materiam, adeóque supponatur necessariò consensus vouentis, acceptantis nouam illam materiam loco prioris præscriptam) sed facultatem dispensandi; cum vouens nequeat sua voluntate præiudicare spirituali potestati Ecclesiæ concessæ ad obligationem voti ex iusta causa auferendam: quamquam in tali casu vrgentior deberet esse causa; cum præter dispensationem concurrat etiam coactio. ita Sanch. *sup. cap.* 24. *num.* 26. & 27. aliique penes ipsum; & patet ex dictis; si monuero, quod diximus vouentem, etiam inuitum posse dispensari in voto, debere intelligi cum ista limitatione, nisi vouens iterum emittat votum: si enim emittat, tunc vtique corruit doctrina tradita: nisi fortè dispensans sit Superior vouentis, sicque simul ei prohibeat materiam illam voti: quo casu constat, quod vouens non posset amplius validè emittere illud votum; quippe quod, attenta ea prohibitione, censeretur de re illicita, vt notauit Sanch. *num.* 26.

Qværes XXIX. An Regulares teneantur sub peccato exercere potestatem ipsis concessam super vota, si de hoc requirantur à pœnitentibus.

182. Resp. Non teneri, loqoendo de potestate, quam habent ex suis priuilegiis. & ratio est, quod nemo astringitur vti suo priuilegio; & aliàs commutatio, seu dispensatio votorum est gratia, quæ fit liberaliter ex voluntate concedentis. ita Sanch. *sup. cap.* 54. *num.* 12. Bonac. *de leg. D.* 4. *q.* 2. *p.* 7. § 4. *num.* 33. & alij apud Dianam *p.* 1. *tract.* 11. *resol.* 44. contra Henriq. & Barthol. à S. Fausto oppositum sustinentes, & probabiliter iudicio Dianæ. Dixi *loquendo de potestate, quam habent ex suis priuilegijs*, vt innuerem Religiosum à pœnitente requisitum, vt ipsi commutet aliquod votum vi bullæ, aut iubilei, teneri commutare, si agnoscat iustam subesse causam id faciendi; sic quippe est Iudex delegatus io fauorem pœnitentia exigentis ius sibi concessum ex indulto bullæ, aut iubilei; ideoque absque iniuria non potest id ei denegare iuxta *cap. quanto* 2. *q.* 5. vbi Episcopos dicitur infidelis hoc ipso, quod negat dispensationem subdito petenti ex iusta causa: cum tamen par ratio militet in casu nostro.

Qværas XXX. An per Bullam Cruciatæ, aut iubileum suspendantur priuilegia concessa Regularibus, quoad commutationem, seu dispensationem votorum.

183. Respond. Non suspendi; patetque ex eo, quod cum dicta priuilegia sint adeo fauorabilia, & concessa non vni, aut alteri monasterio, sed toti Religioni, cedantque in commune bonum fidelium; non præsumuntur suspendi per verba generalia, nisi de iis fiat specialis mentio. quod est ita verum, vt neque per iubileum Anni sancti suspendaotur. ita Sanch. *l.* 4. *moral. c.* 54. *num.* 62. ex Rodriq. Lessio, Henriq. aliisque doctissimis viris; addens concessionem, quæ datur Commissatio Cruciatæ suspendendi omnes gratias, & facultates concessas quibusuis monasteriis, piis locis &c. intelligi de gratiis, quæ conceduntur particularibus monasteriis; quales sunt, vt visitans tale monasterium obtineat talem indulgentiam; his enim priuilegiis non fruuntur carentes bulla; à Sanchez tamen dissentiunt alij Doctores, maximè Nauarr. Lupex, Rodriq. & Acosta citati à Diana *sup. resol.* 100.

Qværes XXXI. Sub qua generali concessione votorum facta Regularibus, aut aliis veniant etiam vota reseruata Papæ.

184. Respond. Distinguendo; vel concessio est ita generalis, vt nullam faciat mentionem votorum reseruatorum; & sic sub ea non veniont vota reseruata, vtpote qoæ egent speciali expressione iuxta *reg.* 81. *in* 6. vel concessio exprimitur etiam, quoad vota reseruata, & quidem sine vlla restrictione; & sic sub ea veniunt etiam vota reseruata; cum hæc nec ex iure, neque ex consuetudine specialiorem requirant expressionem; quod item verum habet in casu, quo concedantur omnia vota præter votum Castitatis, ac Religionis: tunc enim censentur concedi vota triplicis peregrinationis, etsi nulla fiat mentio reseruationis: si quidem exceptio firmat regulam in casibus non exceptis; sicut & concessis omnibus votis præter Hierosolymytanum, præsumitur concessum votum alterius duplicis peregrinationis: vtpote, quod est minùs graue: non item votum Castitatis, ac Religionis; cum ista sint vota maiora, & exceptio ipsa votorum minorum indicet Papam velle à fortiori denegare maiora. Præterea, si concedantur vota reseruata, excepta triplici illa peregrinatione, censetur concessum votum Castitatis, & Religionis; alioqui concessio esset

inutilis;

inutilis; & cum ista duo vota sint æqualia quoad reseruationem, aut ferè æqualia, non est, cur dicamus alterum solùm ex illis concedi; quod si concedantur omnia vota, etiam castitatis, tacito voto Religionis, vel è contra; concessio debet intelligi, prout sonat, videlicet solùm concedi illud votum, quod exprimitur. Si denique Papa concedat vota reseruata præter aliqua minora, tunc non præsumuntur concedi maiora, sed æqualia, aut minora reseruatis exceptis: &, si nullum extet votum reseruatum æquale, aut inferiùs votis exceptis, tunc præsumuntur concedi similia maiora, non autem dissimilia: vt si Papa concedat reseruata præter peregrinationem Romanam, & Compostellanam, eo ipso censetur concedere Hierosolymitanam, quæ est similis votis exceptis, quamuis maior; non item censetur concedere vota castitatis, & Religionis, eo quod sint longè maiora exceptis, iisque valdè dissimilia. Ita Sanch. *cap.*40.*n.*15. *& seqq.* alij communiter; quamuis Diana *part.*5 *tract.* 12. *resol.* 58. ex Soto, Sanch. & Maldero, putet probabile esse vota triplicis peregrinationis reseruatæ comprehendi in generali concessione commutandi, seu dispensandi vota; nisi ea excipiantur in specie.

QVÆRES XXXII. Quænam debeant Regulares obseruare in commutatione votorum facienda iuxta priuilegia ipsis concessa.

185. Respond. quod, quamuis non possint præscribi certæ regulæ generales, quæ deseruiant innumeris votis, & cum innumeris circumstantiis concurrentibus commutandis: cum id potiùs prudentis viri arbitrio relinqui debeat: nihilominus assignati possunt aliquæ regulæ, quæ ad dictam commutationem ritè faciendam mirificè conferent; quarum

Prima est, quòd maior dignitas materiæ subrogatæ spectari debet respectu solius materiæ promissæ nulla ratione habita vinculi voti, vnde fit, vt votum non fornicandi, v. g. parua egeat commutatione; cum per hanc non tollatur obligatio præcepti de fornicando, sicut nec noua voti obligatio, quæ transit in materiam subrogatam, sed solùm fiat, ne illa obligatio voti cadat in eandem præcepti materiam; vt proinde æqualitas materiæ subrogatæ debeat attendi solùm quoad hoc, vt recompenset obsequium diuinum redundans ex eo, vt vinculum voti cadat in priorem materiam, ideóque sit æquale, aut maius Dei obsequium id cadere in nouam materiam cum antiqua solius præcepti obligatione, quam superaddi illi præcepto.

Secunda regula est, quod maius, minus, aut æquale bonum materiæ promissæ in voto, & eius, in quam fit commutatio, non tam desumi debet ex præstantia virtutis, cuius est actus (itavt semper censeatur facta commutatio in melius hoc ipso, quod commutatur in opus virtutis excellentioris) quam ex ipso vouente: itavt melius reputetur id, quod hîc, & nunc Deo est gratius, vel æquè gratum fieri à vouente; si quidem vota tendunt in Dei obsequium à vouente exhibendum; non est autem semper Deo gratius, quod vouens faciat id, quod per se est excellentius, sed quod pro tempore, loco, & dispositione vouenti magis congruit eiua saluti spirituali: quomodo Sanchez *supr. cap.*56. *n.*8. censet tutiorem cæteris commutationem esse in Sacramentorum frequentiam, si vouens sit impleturus, aut in aliquot Sacra facienda: cum Sacramenta maximè communicent merita Christi, & deseruiant emendationi morum, per Sacra verò valdè augeatur cultus Dei, sintque magni valoris.

Tertia regula est, quod haberi debet ratio finis, ad quem ordinatur res promissa per votum cum dignitas materiæ promissæ augeatur ex fine digniori, sicque maiori indigebit commutatione.

Quarta regula est, quod haberi debet ratio difficultatis implendi rem promissam, ac materiam subrogatam; cum difficultas augeat meritum; quo pacto notant DD. in commutatione voti peregrinationis attendendum esse laborem itineris, ac expensas; non quidem, quod hæ redimi necessariò debeant pecuniis, sed quia augent æstimationem voti, ideóque de iis habenda est ratio ad præscribendam æqualitatem materiæ subrogatæ.

Quinta regula est, quod in commutatione votorum non requiritur similitudo, itavt votum reale commutari debeat in reale, & personale in personale, vti diximus *quæst.*19.

Sexta regula est, quod non est opus ad voti commutationem, vt materia subrogata sit æqualis priori promissæ, quoad magnitudinem, durationem, aut numerum, modò cedat in æquale obsequium Dei; vnde votum perpetuum commutari potest in rem temporalem æqualis obsequij diuini, & votum certa die implendum in opus alia die exequendum; cum possit esse maioris, aut æqualis obsequij diuini exequi materiam subrogatam altera die.

Septima regula est, quod si votum sit conditionale, potest commutari, seruata conditione, nempe substituendo aliam materiam sub eadem conditione, vel mutata conditione cum eadem pœna, vel materia; vel denique commutari potest in materiam absolutam: quo pacto censeri potest seruari æqualitas, etsi aliàs quantitas rei promissæ minuatur.

Octaua regula est, quod quando non commutatur votum principale, sed conceditur sola dilatio voti exequendi, aliquali commutatione, modica tamen, debet suppleri, si non multum conducat ad Dei obsequium votum illa die impleri; & ratio est, quod ex vna parte qualitas temporis attingit substantiam voti, vtpote differens totam voti obseruationem pro aliquo tempore; sicut aduertit Sanchez *l.*4. *moral. cap.*40. *num.*76. ex alia parte, dato quod parum referat ad Dei obsequium, votum impleri illa die destinata, aut differri in aliam, modica consurgit inæqualitas, ideóque modica commutatione potest compensari; quod vtique non eueniret, si multum diuino obsequio conduceret votum impleri die statuta; tunc enim maior facienda esset commutatio, cum in tali casu circumstantia temporis, multum, ingrediatur substantiam voti; vt in voto religionis, aut Ordinis sacri assumendi, per cuius solam dilationem impediuntur plura Dei obsequia, quæ status ille secum affert.

Nona Regula est, quod in votis commutandis maximè debet attendi fragilitas vouentis; curandúmque ne nimis grauetur, itavt maneat expositus periculo transgrediendi materiam subrogatam; vnde expedit commutare vota in res, quas alioqui solet vouens facere; aut ipsi relinquere libertatem, vt possit exequi opera iniuncta alia die; aut denique illi imponere diuersa opera, relicta optione, vt eligat, quæ maluerit. Ita Sanch. *supr. c.*56. monens *n.*38. commutationem voti non posse fieri in opera alio præcepto debita, eò quod, sicut per ea non satisfit voto, sic nec possit satisfieri commutationi voti.

QVÆRES XXXIII. An facta per Regulares commutatione voti, possit vouens redire ad priua votum.

Respond. posse, siue commutatio facta sit in minus (quod omnes concedunt) siue in æquale (quod non omnes admittunt, concedunt tamen Suarez 186.

tom. 2.

tom. 2. de relig. lib. 6. de voto, cap. 20. num. 4. Filliucius *tract. 26. num. 289.* Azot. *tom. 1. lib. 11. cap. 18. q. 12.* & alij, siue etiam in melius, quod negant plures cum Suarez *supr. num. 1.* concedunt tamen Diana *part. 3. tract. 5. resol. 25.* cum Filliuc. & alij: & meo iudicio non improbabiliter; cum talis supponatur esse intentio commutantis, & commutatio ipsa sit fauor vouentis, cui proinde potest ipse cedere, si velit: cum nemo astringi debeat vti suo priuilegio: nobiscum sentit etiam Filliucius *tract. 26. num. 288.* ex Sanchez, docens eandem rationem esse de commutatione in melius, ac in æquale.

QVÆRES XXXIV. An vouens, qui in priori hebdomada Iubilei obtinuit commutationem votorum vnà cum indulgentia, & aliis fauoribus ipsius iubilei, si postea emittat alia vota, possit in posteriori hebdomada eiusdem iubilei consequi commutationem talium votorum, & quo modo.

187. Respond. videri posse, si in posteriori hebdomada repetat requisita ad comparandum iubileum: idque ob dicta *in tract. de prohibit. cap. 2. sect. 2. q. 11.* quæ etiam faciunt ad præsentem difficultatem: siue non repetat præfata requisita. Moueor, quod Rodriq. *tom. 1. summ. cap. 184. num. 17.* Henriq. *lib. 6. c. 16. num. 4. lib. 7. cap. 11. num. 1.* Graff. *p. 2. in append. decis. aur. de indulg. lib. 2. cap. 5. num. 23.* Nauarr. *de iubileo, notab. 31. num. 36. & 37.* Reginald. *lib 8. n. 64.* Bonac. *D. 5. de Sacr. q. 7. p. 5. §. 2. n. 17.* & alij apud Mancin. *pract. 4. de Sacr. confess. d. 22.* sustinent eum, qui tempore iubilei confessus est in prima hebdomada, si in secunda hebdomada incurrat aliquod reseruatum, posse absolui ab eo virtute iubilei iam obtenti, etiam non repetitis iis, quæ præscribuntur ad Iubilei consecutionem; probantque variis rationibus, quas affert Bonac. constat autem quòd si talis doctrina admittitur vt probabilis de absolutione reseruatorum, debet admitti vt probabilis, etiam quoad votorum commutationem; cum rationes allatæ pro absolutione militent item quoad votorum commutationem, vt facilè constabit eas consideranti.

SVBSECTIO IV.

De facultate concessa Regularibus, quoad expediendas literas S. Pœnitentiariæ.

188 *Regulares expediunt literas sacræ Pœnitentiariæ, etsi non sint Doctores, aut Magistri graduati: etsi* Fragosus *putet id posse fieri à Magistris non graduatis, etiam secluso hoc priuilegio.*

189 *Ad vsum huius priuilegij debent Religiosi à proprio Prælato deputari ad hoc munus: licèt sufficiat deputatio facta à Prælato locali.*

190 *Deputatio hæc est necessaria ad validum vsum huius priuilegij.*

191 *Ad eius vsum requiritur & approbatio Ordinarij.*

192 *Requiritur & competens doctrina.*

193 *Hoc priuilegio vti possunt etiam Religiosi Ordinis admittentis Doctoratum.*

194 *Hodie non prodest hoc priuilegium extra Sacramentum pœnitentiæ.*

195 *Cum aliàs prodesset etiam extra.*

196 *Nullitas confessionis non facit irritum vsum huius priuilegij.*

197 *Hoc priuilegium non iuuat quoad absentem.*

198 *Item non iuuat quoad mutum.*

199 *Exercetur sine certa verborum forma.*

200 *Facultas vigore illius concessa, non est quoad omnia delegabilis.*

201 *Dispensationes Pœnitentiariæ committuntur etiam sine scriptura.*

202 *Concessæ non expirant morte summi Pœnitentiarij, etsi nondum expeditæ.*

203 *Facultas expediendi illas durat, concedente amoto ab officio.*

204 *Dispensatio oretenus commissa non potest expediri à quolibet Confessario.*

205 *Literæ Pœnitentiariæ ab vno apertæ, possunt ab alio expediri.*

206 *Apertæ à persona non idonea, adhuc possunt prodesse.*

207 *Literæ Pœnitentiariæ non sortiuntur effectum, nisi sint expeditæ.*

208 *Causæ dispensationis debent verificari, vsque dum ea consummetur, ac expediatur.*

209 *Non corruit dispensatio, deficiente veritate causæ finalis tempore intermedio.*

220 *In expeditione dispensationis matrimonialis commissæ per literas priuatas cum clausula, vt di-* spensetur in forma Pœnitentiariæ, *plura obseruanda.*

211 *Indicatur, qualiter expediri debeat dispensatio super incestu.*

212 *Item ostenditur remissiuè, qualiter debeat dispensari super voto castitatis, aut Religionis.*

213 *Item, qualiter dispensandum sit super cognatione spirituali.*

214 *Item, qualiter debeat dispensari super compaternitate, aut impedimento orto copula, & quidem in varijs casibus, qui recensentur.*

215 *Item, qualiter sit dispensandum super impedimento criminis.*

216 *In expedienda dispensatione duobus suffragante, non semper vtrique iniunguntur opera præscripta in literis: & quidem, si impedimentum, super quo debet dispensare, sit culpabiliter contractum ex parte vtriusque dispensandi, literæ debent expedire pro vtroque ab vno, ac eodem Confessario.*

217 *Dispensatio pro vno obtenta alteri non suffragatur, neque in casu omnino simili.*

218 *Etsi aliàs teneat dispensatio facta in casu, quo dispensans putat dispensandum esse alium ab eo, cui dispensatio verè exposcitur.*

219 *Dispensatio ad nubendum cum vna, non semper prodest ad nubendum cum alia.*

220 *Dispensatus super voto Religionis ad nubendum, non semper innuptus manet in sæculo.*

221 *Indicatur, quæ debeant seruari in expediendis dispensationibus Pœnitentiariæ, explicantur clausulæ:* A mutatione propositi absoluas; *&,* Et aliis, quæ de iure fuerint iniongenda.

222 *Commutatio in pia opera, quæ hic interuenit, non est commutanti omnino libera.*

223 *Dicta opera esse debent opera supererogationis.*

224 *Confessio menstrua, quæ in isto casu iniungitur, fieri potest quauis die mensis.*

225 *Cessat obligatio eiusmodi operum cessante effectu dispensationis.*

226 *At dissentit in hoc* Sanchez, *& probabiliter.*

227 *Validè vtitur dispensatione, qui omittit opera præscripta, si antea intendit ea implere, quando fuit dispensatus.*

228 *Secus, si tunc non intendit ea implere.*

229 *Iniunctio dictorum operum est de valore dispensationis expediendæ.*

230 *Opera præscripta debent impleri à die, qua dispensatio expeditur.*

231 *Ea non possunt cõmutari in aliud ab inferiori Papa: quod non semper procedit de pœnitentijs Dataria.*

232 *Legitimatio prolis concessa in dispensatione Pœnitentiariæ valet ad plura.*

233 *Si omittatur in expeditione dispensationis, postea suppleri potest.*

234 *Assignatur modus reualidandi matrimonium antea nullum, obtenta ad id dispensatione.*

235 *Dispensatus ad matrimonium potest pluries contrahere, sed non semper.*

236 *Dispensationes Pœnitentiariæ non prosunt pro foro externo.*

237 *Validè impetrantur sine mandato eius, cui impetrantur.*

238 *Data super impedimento matrimonij interdum prosunt ignoranti.*

239 *Non vitiantur ex errore Scriptoris incuria irrepente.*

240 *Imò nec in casu, quo apponatur nomen suppositiuum.*

241 *Item nec in casu, quo erretur in designanda Diœcesi.*

242 *Corrigens literas Pœnitentiariæ ad mentem concedentis, eas non vitiat, nec punitur.*

243 *Reticentia copula incestuosæ habita inter dispensandos, non semper vitiat dispensationem (in quo alij dissentiunt:) & hoc procedit etiam de impedimento cognationis legalis, spiritualis ac publicæ honestatis: si tamen copula sit habita ad dispensationem facilius obtinendam, hac intentio debet exprimi.*

244 *Indigens dispensari super duplici impedimento, non semper aperit vtrumque Dataria.*

245 *At vtrunque simul debet aperire Pœnitentiaria.*

246 *Idq; siue prius proponendo Dataria impedimentum publicum, siue non.*

247 *Impedimentum occultum idem est, ac non publicum.*

248 *Explicatur, quid sit coniugem impedimenti ignarum certiorari de nullitate prioris matrimonij.*

249 *Litera Pœnitentiariæ dilaniandæ, aut comburendæ, aut retinenda ad vsum materialem (v. g. inuoluenda scripta.)*

250 *Declaratur clausula*, Gratis vbique, *in dictis literis apponi soluta.*

251 *Dispensatio iam expedita nequit reuocari sine causa.*

252 *Dispensatus renuntiata dispensatione non semper se exuit à faciendis operibus impositis in dispensatione.*

253 *Dispensatio renuntiata adhuc prodest, si renuntiatio non est acceptata à dispensante.*

254 *At hoc non procedit de voto, ac iuramento.*

255 *Renuntiatio dispensationis à solo concedente, potest acceptari.*

256 *Dispensatio super affinitate semper prodest ad matrimonium.*

257 *Regulares in casu ijs permisso dispensant, negante Pœnitentiaria dispensationem: Pœnitentiaria ordinariè non dispensat in consanguinitate.*

258 *Explicatur, quæ paupertas apponatur à Dataria in dispensatione data in forma pauperis: item quid veniat nomine miserabilis personæ: item quid importet clausula*, In primis ab inuicem separes: *item quæ esse debet pœnitentia publica, quæ alios deterreat à similibus committendis: hac debet suppleri ante dispensationis expeditionem: dispensandi à Dataria debent fateri incestum commissum ad obtinendam facilius dispensationem, si ita sit: &, si habeant impedimentum duplex, vnum occultum, & aliud publicum, hoc proponunt Datariæ, illud verò Pœnitentiariæ: non est idem examen veritatis precum, quod præscribit Dataria, ac illud, quod præscribit Pœnitentiaria: declaratur de quibus scandalis loquatur clausula Datariæ:* Ad euitanda scandala: *item clausula:* Dummodò immineat periculum incontinentiæ: *tenet dispensatio concessa super affinitate ex copula, quæ fuit fornicaria, & ex errore supponitur adulterina.*

QVÆRES I. Vnde habeant Regulares facultatem expediendi literas sacræ Pœnitentiariæ. 188.

Respond. habere ex concessione bullata Gregorij XIII. facta Religiosis Societatis Iesu, & relata *in Bullar.* ipsius Soc. in hæc verba: *Nos idcirco tuis in hac parte supplicationibus inclinati* (loquitur de Generali Societatis) *Presbyteris Soc. huiusmodi per te, vel tibi subordinatos illius Superiores de tua licentia designandis, & ab Ordinarijs locorum approbatis, vel approbandis, etiamsi magisterijs, vel doctoratus, aut alijs gradibus insigniti non sint, literas huiusmodi* (id est, sacræ Pœnitentiariæ,) *aperiendi, confessionibusq; fidelium ad ipsos recurrentium auditis, & imposita salutari in illis expressa, vel de iure infligenda pœnitentia absoluendi, ac in foro conscientiæ quascumque sibi verbo, vel scriptis commissas absolutiones, dispensationes, & pœnitentiarum immutationes exequendi, & exequendi licentiam, & facultatem concedimus.*

Quanquam Fragosus *p.* 1. *regim. lib.* 5. *D.* 12. *n.* 88. putet Magistros non graduatos, si sint approbati ab Ordinario, & actu doceant in publica Academia Ius canonicum, aut Theologiam, præsertim moralem posse expedire dictas literas; etsi non sint promoti ad doctoratum, vel magisterium. probat, quia mens delegantis in foro conscientiæ tales dispensationes ea est, vt expediantur à viris publicum testimonium scientiæ habentibus; id autem euenit in casu nostro: quo modo Pius V. cuidam asserenti se esse doctoratum dixit, Doctores se percupere, non doctoratus, vt refert Borell. *de magistratib. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 98. Immo addit Fragosus idem esse dicendum de licentiatis actu legentibus, vel etiam actu non legentibus, modò velint ad gradum doctoratus ascẽdere, cum sint in potentia actui proxima, sicque cẽseantur existere in ipso actu, *l. pen. ff. de milit. testam.* prætereaquam quòd candidati in fauorabilibus veniunt nomine Doctorum, vt notant plures DD. allegati ab ipso Fragoso.

QVÆRES II. An, & quomodo ad expediendas sacræ Pœnitentiariæ literas requiratur vt Regulares sint deputati à proprio Prælato.

Respond. requiri, & quidem ita, vt vsus talis concessionis non solùm sit illicita, sed etiam inualida: 189.
usque non solùm in Soc. Iesu (de qua est maior ratio ob dicta *cap.* 1. *sect.* 4. *q.* 5. §. *illud porrò,*) sed etiam in alijs Religionibus (quibus vtique competit talis concessio per communicationem priuilegiorum;) vt proinde dicat Sanchez *lib.* 8. *de matrim. D.* 34. *num.* 11. Religiosos aliorum Ordinum, etiam Mendicantes, vt per communicationem potiantur hoc priuilegio, debere necessariò esse designatos, vel de eorum licentia ab alijs Superioribus; quippe aliàs quidquid egerint, irritum esset: cum hoc priuilegium talem conditionem requirat. ita Sanchez *supr.* & cum eo Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 63. *art.* 8. Portel. *de dub. reg. v. Confessor. aperiens, n.* 1. Bonac. *D.* 1. *de leg. q.* 2. *p.* 2. *num.* 5. aliique viri docti à me consulti; & patet ex verbis ipsiusmet concessionis superiùs relatis, *Presbyteris per te, vel tibi subordinatos illius Superiores de tua licentia designandis.* quod tamen non habeteret locum in casu, quo Regularis esset Doctor, siue in iure canonico, siue in theologia: tunc enim ille posset

posset expedire huiusmodi literas irrequisito consensu Superioris; cum sic operentur vi iuris communis, non autem vigore præsentis priuilegij ad talem effectum concessi.

In indulto autem Gregorij XIII. nomine Superiorum, per quos fieri debet dicta deputatio, veniunt etiam locales: quippe qui verè sunt Superiores, ideoque significantur nomine Superioris simpliciter prolato, & aliàs in præfato indulto dicitur, *per te*, (idest Præpositum generalem) vel tibi subordinatos illius Superiores, etsi in Societate id non procedat quoad omnes Superiores, vt dicemus infra.

Vtrum verò si Regularis à Superiore modo dicto non designatus expediat tales literas, bona fide putans se id posse facere sine illius licentia validè expediat suffragante iure constituto, *in l. Barbarius, ff. de offic. Prætoris.*

190. Respond. non expedire validè: cum hîc non appareat vllus titulus coloratus ad id collatus à potente conferre, nec possit assignari error communis; quæ tamen supponuntur ad hoc vt iura præfatum habeat locum. Ita docti Neoterici à me consulti (quidquid pertinaciùs in contrarium senserit recentior non indoctus) & videtur colligi ex doctrina, quam tradit Sanch. *supr. num.* 10. in casu simili; nimirum has literas suffragari, si eas expediens non sit verè insignitus gradu requisito, quamuis communi errore existimetur Doctor; non enim hîc prodest error communis, eò quod desit titulus coloratus collatus à potente conferre, qui tamen est necessarius, vt gesta ratione erroris communis valeant, quæ doctrina si applicetur ad præsentem casum, probat intentum; cum priuilegium in hoc æquiualeat gradui Doctoris, ideóque de illo disserendum sit, ac de hoc iuxta regulam: *Vbi militat eadem ratio*, &c.

QVÆRES III. An, & qualiter requiratur approbatio Ordinarij ad hoc, vt Regulares validè possint expedire literas sacræ Pœnitentiariæ.

191. Respond. requiri, & quidem ita vt sint approbati respectu illius, cum quo expedire debent literas: patétque, quia in præsentia eiusmodi literæ non possunt expediri, nisi intra Sacramentum Pœnitentiæ, (vt ostendemus infra *quæst.* 5.) sicque opus est, vt expediens audire possit confessionem illius, qui debet dispensari. Ita Sanch. *n.* 16. aliique apud ipsum, cum quibus sentit Filliuc. *tract.* 10. *n.* 352. dicens approbatum cum limitatione posse in præsenti casu eligi, si simul sit Doctor, aut magister; non item, si sit simplex Confessarius; quod idem sentit Sanch. asserens non improbabile esse ad expediendas literas sacræ Pœnitentiariæ sufficere approbationem datam cum limitatione, dummodo limitatio non sit data ex defectu scientiæ; intellige, modò approbatio extendatur ad eum, cui literæ debent expediri: cum enim hæ debeant expediri intra Sacramentum Pœnitentiæ, & consequenter audita confessione illius, qui vi illarum debet dispensari; quo pacto Confessarius, cui traduntur tales literæ, audiet confessionem illius, si quoad illum non est approbatus? si autem non potest audire confessionem, quomodo dici poterit expedire literas intra Sacramentum Pœnitentiæ; ita ego sentio, & mecum Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 71. aliis citatis.

QVÆRES IV. Quis gradus doctrinæ requiratur in Regularibus ad hoc, vt possint validè expedire literas sacræ Pœnitentiariæ.

192. Respond. quod quamuis Summus Pœnitentiarius tales literas non dirigat, nisi ad Doctores graduatos in iure canonico, aut Theologia: siue dicantur Doctores, siue Magistri (quo nomine in aliquibus locis Magistri vocantur Doctores in Theologia;) reuera tamen, vt Regulares ea vi præsentis priuilegij possint expedire huiusmodi literas, non requiritur vt sint Doctores, aut Magistri, sed sufficit, vt sint viri docti, idest idonei ad intelligendas clausulas talium literarum, easque ritè exequendas: ad quod tamen non videtur requiri, vt sint valdè versati in Theologia. Ita Fagund. *præc.* 3. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 17. aliique docti viri è Societate, inter quos dicit Fagund. Confessarium ad talem effectum censeri pium, & doctum hoc ipso quod est approbatus, & expositus ad audiendas confessiones; in quo dissentit Portel. *de dub. regul. v. Confessor, circa irregul. n.* 35. docens ad vsum istius priuilegij non posse designari, nisi viros valde doctos: quod item approbat Rodriq. *supr.* asserens Superiores in hac designatione debere esse maximè circumspectos, cum tantum negotium nonnisi doctis, ac expertis Confessariis committendum sit.

Vtrum verò gaudeant hoc priuilegio Regulares Ordinum, in quibus admittitur gradus doctoratus; non parum dubitat Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 38. ex eo, quod respectu horum videtur cessare titulus, ob quem præfatum priuilegium concessum est religiosis Societatis, quod scilicet ipsi non soleant ad tales gradus promoueri. At puto oppositum sustineri posse; cum finis legis non ingrediatur legem; & priuilegium sit beneficium principis, quod latè interpretandum est; vnde id supponit Sanch. *supr. n.* 11. cum alioqui dicat non posse istas literas expediri per Regulares, qui iuxta instituta suorum Ordinum fruuntur quibusdam priuilegiis Magistrorum, nisi illi verè promoti sint in aliqua Academia ad gradum magisterij; intellige, si Regulares velint expedire eiusmodi literas independenter ab isto priuilegio; nam tunc non sufficit esse Licentiatum, Baccalaureum, Doctorem iuris ciuilis, aut etiam professorem Theologiæ: vt inter alios aduertit Castr. Pal. *tract.* 3. *D.* 6. *part.* 15. §. 1. *num.* 1. addens, neque ad id sufficere, si quis errore communi existimetur magisterij gradum habere; cum communis error non det qualitatem, sed iurisdictionem, & esse magistrum, seu doctorem habeat rationem qualitatis; quod non eueniret in casu, quo quis verè esset insignitus gradu requisito, esset tamen indoctissimus; imò etiamsi gradus collatus ob defectum occultum esset irritus: cum sic adsit qualitas, & titulus, vt patet. 193.

QVÆRES V. An Regulares expedientes literas sacræ Pœnitentiariæ vi huius priuilegij teneantur id facere intra Sacramentum Pœnitentiæ, & non aliter.

Respond. olim quidem partem negantem sustineri potuisse, tanquam probabilem (vti de facto sustinuerunt Sanch. *supr. num.* 29. Salas *D.* 20. *de leg. sect.* 10. *num.* 98. Castr. Pal. *supr. n.* 6. & alij) hodie tamen omnino sustinendam esse partem affirmantem; Regulares scilicet teneri expedire dictas literas solùm intra Sacramentum Pœnitentiæ; siquidem modò in illis extat clausula: *Audita confessione, non aliter, neque alio modo*; quæ antea non apponebatur, habétque vim conditionis substantialis: ita vt, si non seruetur, actus sit inualidus; quod olim non habebat locum; cum tunc non adderetur talis clausula, sed solùm præciperetur, vt præfatæ literæ expedirentur in foro conscientiæ: quod vtique non est idem, ac forum Sacramentale, sed medium inter forum externum, & forum Sacramentale; solúmque importat, vt dispensatio fiat non publicè, adhibitis testibus, & notoriè, sed secretè, & in foro animæ. Ita 194.

Filliuc. *tract.10. num.355.* Diana *part.4. tract.4. resol.71.* aliique.

195. Nec obstat, quod etiam olim in literis sacræ Pœnitentiariæ apponebatur hæc clausula: *Eumdem à mutatione propositi absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, iniuncta ei pœnitentia salutari*; licèt enim hæc verba importent absolutionem Sacramentalem, non ponuntur tamen per modum conditionis (idest cum aliqua particula denotante conditionem, qualis est, *Si*, *Dummodo*, & similes) nec per ablatiuum absolutum; cum ly *iniuncta Pœnitentia salutari*, non iungatur facultati dispensandi, sed absolutioni Sacramentali (si tamen ea verba, *à mutatione propositi absoluas*, eam important) & consequenter non habeat vim conditionis, cum in iure insit, vt in omni confessione Sacramentali Pœnitentia imponatur. Ita Sanchez *num.29.*

Maius dubium est, vtrum, si confessio, quam dicimus modò requiri ad validam expeditionem istarum literarum, sit inualida, etiam inualida sit ipsa expeditio.

196. Respond. non esse, si confessio sit inualida ex defectu doloris, aut integritatis circa alia peccata, non autem circa id, de quo petitur absolutio, aut circa id, de quo petitur dispensatio; secùs, si non sit integra respectu eius, de quo quæritur dispensatio. Ita Filliuc. *supr.* Suarez *D.31. de pœnit. sect.4. num.9.*

Qværes VI. An Regulares vi præsentis priuilegij possint expedire literas sacræ Pœnitentiariæ, etiam cum pœnitente absente.

197. Respond. iuxta dicta *quæst. præcedenti*, olim potuisse; cum tunc non esset opus tales literas expedire intra Sacramentum Pœnitentiæ; hodie verò non posse: cum modò dictæ literæ necessariò expediri debeant intra Sacramentum Pœnitentiæ (sicut ostendimus;) vnde fit, vt, sicut ex decreto Clem. VIII. non potest dari absolutio Sacramentalis absenti, ita nec possit absens dispensari; quod negat Portel. *ver. Confessor dispensans, num.14.*

Qværes VII. An dispensationes sacræ Pœnitentiariæ expediri possint cum inuito.

198. Respond. non posse; cum iuxta dicta expediri debeant intra Sacramentum Pœnitentiæ; & ratio est, quod sic dispensatio est Sacramentalis, ideóque præsupponit intentionem pœnitentis, vtpotè requisitam ad faciendam Sacramentum: quæ vtique non adesset, si dispensaretur inuitus. Secùs, si præfatæ dispensationes expediri possent extra Sacramentum (vt olim) tunc enim possent expediri, etiam cum inuito; si tamen excludatur commutatio voti, quæ inuito vouente, fieri nequit, vt ostendimus *subsect. præced. quæst.28.* Colligitur ex Sanchez *l.4. moral. cap.24. num.26.*

Qværes VIII. An dispensationes sacræ Pœnitentiariæ possint expediri actu merè interno, proferendo tamen sensibili voce sacramentalem absolutionem peccatorum.

199. Respond. posse; non quidem quod actus internus de se sufficiat ad dispensandum: (id enim est falsum; cum dispensatio fiat inter homines, adeóque fieri debeat modo humano, idest signo aliquo sensibili;) sed quia ad dispensandum non requiritur certa forma verborum; imò ipsamet forma absolutionis peccatorum, vt sic ad id sufficit, si id intendat Confessarius illam proferens, & hoc ipsum innotescat pœnitenti: quod est virtualiter dispensare. Ita Turrian. *part.2. select. disput. D.31. d.65.* & cum eo Diana *part.4. tract.4. resol.118.* patétque, tum ex dictis; tum à simili ex eo, quod tradunt DD. apud Bonac. *D.1. de censur. in communi, quæst.3. part.5. num.2.* absolutionem censuratum dari posse illis iisdem verbis, quibus datur absolutio peccatorum, si id intendat Confessarius; præsertim, cum aliqui DD. penes eumdem Bonac. *supr. D.7. quæst.5. part. vlt. num.8.* idem sustineant in specie de dispensatione, validam scilicet esse dispensationem irregularitatis datam sub hac forma *absoluo te irregularitate*, siquidem dispensans id intendat. Imò puto non improbabile dispensationem posse imperriri nullo modo exprimendo id, supra quod cadit dispensatio (v. g. impedimentum, irregularitatē, &c.) si enim iuxta modò dicta in absolutione sacramentali censuræ possunt venire nomine peccatorum, si id Confessarius intendat (cum tamen censuræ non sint peccata) cur etiam nomine peccatorum non poterunt venire irregularitas, votum, & similia, si id intendat Confessarius? maximè cum hæc omnia habeant rationem vinculi, sicque iudicari sufficienter possint auferri per verbum, *Absoluo.*

Qværes IX. An, & quomodo possint Regulares subdelegare aliis alioqui idoneis dispensationes à sacra Pœnitentiaria ipsis commissas, saltem quoad aliqua.

Respond. posse subdelegare, quoad veritatis in- 200.
dagationem: cum hæc sit, actus iurisdictionis, qui potest delegari; non item quoad dispensationem, prolis legitimationem, absolutionem, pœnæ impositionem, seu commutationem in pia opera: cum hæc importent nudum ministerium, quod non potest subdelegari ex doctrina *cap. fin. de offic. deleg.* quam pluribus exornat Feliu. *ibi. §. vlt. n.4.* Ita Castr. Pal. *tract.3. D.6. p.15. §.2. num.4.* aliique plures apud ipsum: qui licèt expressè loquantur de dispensationibus concedi solitis pro foro externo, implicitè tamen videntur idem concedere, & de dispensationibus sacræ Pœnitentiariæ; cum quoad illas militent eædem rationes, à Castro Palao non dissentit Sanchez *l.8. de matrim. D.27. n.43.* in casu non dissimili. Nec obstat, quod delegatus Principis potest subdelegare: siquidem sacra Pœnitentiaria non est Princeps, cum non sit Papa, sed quid physicè, & moraliter ab eo distinctum: sicque delegatio facta ab eo dici nequit delegatio Principis, per quam possit subdelegari potestas delegata, vt patet.

Qværes X. An dispensationes sacræ Pœnitentiariæ committi possint Regularibus etiam absque vlla Scriptura.

Respond. posse. Ita Sanch. *l.8. de matr. D.29. n.2.* 201.
aliique plurimi penes ipsum; patétque, tum ex tenore priuilegij relati *quæst.1.* in quo dicitur, *quascumque verbo, vel scriptis commissas absolutiones, dispensationes*, &c. vbi notari debet ly *verbo*; tum quia dispensatio sacræ Pœnitentiariæ est gratia, & consequenter quædam donatio: donatio autem statim ac fit, est in se perfecta, etiam non confecto donationis instrumento; quæ confirmantur etiam ex praxi ipsius sacræ Pœnitentiariæ: siquidem Illustrissimus D. Coccinus, cum esset Regens Pœnitentiariæ, mihi tunc Romæ existenti oretenus commisit dispensationem quamdam super voto castitatis alibi expediendam.

Vtrum verò, commissiones Regularibus factæ à sacra Pœnitentiaria ad dispensandum expirent morte Summi Pœnitentiarij eas concedentis, si tunc nondum sunt expeditæ, & res sit omninò integra.

Respond. non expirare. Ita Suar. *D.41. de censur.* 202.
sect.2. num.15. aliique cum Sanchez *supr. Disp.28. n.87.* contra plures ab eo relatos. Et ratio est, quod

in

in istis commissionibus non relinquitur voluntati Regularium concedere, aut negare dispensationem, sed ipsis præcipitur, vt, inuenta precum veritate, dispensent; vnde habent rationem gratiæ factæ, non faciendæ, ideóque non extinguuntur morte concedentis; cum enim præsenti casu executor non sit voluntarius, sed necessarius, is, in cuius fauorem gratia est concessa, acquisiuit ius ad rem; sicque respectu illius est gratia facta, cum sola requiratur executio. Quin addit Filliuc. *tract.* 10. *num.* 348. præfatas commissiones non expirare morte Papæ: idque, etsi contineant gratiam faciendam: siquidem officium Summi Pœnitentiarij, à quo conceduntur, non expirat morte Papæ, *cap. legatos, de offic. legati in* 6. & Clem. 2. *de elect.*

Vtrum verò amoto ab officio Prælato, qui dedit Regulari facultatem expediendi literas sacræ Pœnitentiariæ, adhuc duret facultas concessa.

203. Respond. durare: quippe quæ censetur dari ab ipso Papa; ita vt Prælatus regularis quasi nudus minister designet eum, cui Papa talem facultatem concedit; quo modo etiam Superior regularis præsentans Episcopo Religiosos subditos approbandos ad confessiones sæcularium, non ipse dat illis iurisdictionem ad absoluendum, sed Papa, ideóque amoto Prælato, non expirat iurisdictio. Ita Pottel. *de dub. regul. ver. confessor, num.* 23.

Qværis XI. An casu, quo iuxta dicta *q.* 9. oretenus committatur Regulari aliqua dispensatio à Sacra Pœnitentiaria, ille possit eam expedire, si non sit Doctor, & præterea à proprio Prælato non sit designatus ad talem expeditionem, prout præscribitur in concessione indulti relati *quæst.* 1.

204. Respond. non posse, & constat, quia dispensationes sacræ Pœnitentiariæ iure ordinario non committuntur nisi Doctoribus in iure canonico, vel Theologia, aut habentibus ad id speciale priuilegiũ: & meritò, cum requirant non vulgarem scientiam ratione clausularum, quas continent; eæ autem perinde se habent, siue committãtur oretenus, siue scripto; cum in vtroque casu committantur sub iisdem clausulis expediendæ (quod mihi certa constat experientia, vt dixi *q.* 9. quare, sicut quando committuntur scripto, eæ non possunt expediri à Regularibus, nisi sint Doctores in iure canonico, vel Theologia, aut iuxta concessionem relatam *q.* 1. à Superiore ad id designentur; sic nec poterunt, si iis concedantur oretenus; cum militet eadem ratio in vtroque casu: vbi autem militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio. Ita docti Recentiores à me consulti.

Qværis XII. An vbi vnus Regularis aperuit literas sacræ Pœnitentiariæ concessas pœnitenti, is possit nihilominus eligere alium Confessarium, qui illas expediat.

205. Respond. posse, & quidem etiam in casu, quo prior Confessarius pronunciasset dispensationem fuisse subreptitiam. Ratio est, quia hoc ipso quod talis concessio facta est pro foro conscientiæ, sequitur naturam talis fori: quæ est, vt pœnitens non astringatur acquiescere sententiæ vnius Confessarij, sed possit alium adire, imò & ipsemet Confessarius mutare possit sententiam. Ita Nald. *ver. litera, num.* 8. & alij contra Nauar. *l.* 1. *consil. de offic. deleg. cons.* 8. *num. vnic.* quem benè confutat Sanch. *supr. n.* 40.

Qværis XIII. An literæ sacræ Pœnitentiariæ frustrentur suo effectu, si à persona non idonea aperiantur.

206. Respond. non frustrari, ideoque impetrantem posse adire alium Confessarium, qui eas expediat. Ita Nald. *supr.* aliique communiter; & patet, tum quia idoneitas requiritur potius in eo, qui debet exequi dispensationem, quàm in eo, qui aperit literas: tum quia DD. quando dicunt priuilegium finiri vnico actu, intelligunt de actu valido; cum actus irritus reputetur, ac si non esset, iuxta regulam: *Quod nullum est, nullum sortiri potest effectum*; vt proinde Sanchez *supr. D.* 34. *num.* 12. dicat esse errorem vulgi existimare literas sacræ Pœnitentiariæ frustrari suo effectu, si aperiantur à persona non idonea.

Qværis XIV. A quo tempore dispensationes sacræ Pœnitentiariæ commissæ Regularibus suum sortiantur effectum.

Respond. non sortiri, nisi postquam literæ ad id obtentæ fuerunt expeditæ. Ita Layman *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 10. & probatur, quia Papa non exequitur ipse dispensationem, sed dat facultatem, & præcipit ei, qui ad id eligitur à persona dispensanda, vt illam exequatur; vnde fit, vt ante executionem literarum vsus dispensationis sit illicitus, & inualidus: quidquid contradicat Præpositus apud Sanchez *l.* 3. *de matrim. D.* 36. *num.* 12. 207.

Qværis XV. Quo tempore debeant verificari causæ dispensationis, quam sacra Pœnitentiaria concedit Regularibus expediendam.

Respond. debere verificari non solùm pro tempore, quo proponuntur summo Pœnitentiario, & is per literas committit Confessario, vt, cognita precum veritate dispensationem exequatur: sed etiam pro tempore, quo Confessarius eam exequitur: imò & quo tempore dispensatio debet omnino consummari, consequendo suum vltimum indiuisibilem effectum; aliàs inualida est dispensatio, quippe cuius causa finalis cessat, dum est in fieri, & nondum consummata; cum tamen illa censeatur in fieri, & nondum consummata quamdiu non est vltimò mandata executioni; vt si virtute illius iam sit contractum matrimonium. Ita Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 30. *num.* 12. *& seqq.* qui existimat cum multis aliis ab ipso adductis *num.* 13. probabilier posse sustineri non cessare dispensationem, quæ fuit quidem consummata à Confessario, nondum tamen sortita est vltimatum effectum: cum per eam verè relaxata sit lex, ac extincta eius obligatio, adeóque non possit reuiuiscere, ex eo quod postea cesset causa illius modo dicto. 208.

Maior difficultas est, an corruat dispensatio, si tempore medio inter concessionem summi Pœnitentiarij, ac executionem Confessarij deficiat veritas causæ finalis: cum tamen illa vtroque tempore reuera subsistat; vt si puella petat dispensari ad matrimonium, allegata causa dotis defectus, & verè sit pauper, dum Pœnitentiarius concedit dispensationem, diues tamen effecta sit postea, prius quam literæ datæ sint Confessario, & ante id tempus iterum facta sit pauper.

Respond. dispensationem in hoc casu non corruere; cum enim vim suam habere debeat ex voluntate summi Pœnitentiarij eam concedentis, & Confessarij illam exequentis: sufficit causam eo duplici tempore verificari, ne subreptitia reputetur. Ita Sanchez *supr. D.* 30. *num.* 11. addens *num.* 13. quod si causa dispensationis verificetur vtroque illo tempore, ideoque legitimè concedatur dispensatio, etsi postea deficiat causa, ac proinde cesset dispensatio: præsumi potest mentem concedentis esse, vt vsus dispensationis sit illicitus, & inualidus, dum non adest causa; non item, si causa redeat; quod est valorem dispensationis manere suspensum, non autem omnino irritum. 209.

Quæris XVI. Quænam debeant obseruare Regulares in expediendis dispensationis matrimonialibus ipsis commissis, non quidem per Breuia (in quibus semper apponitur forma obseruanda) sed per literas priuatas cum clausula, vt dispensent, *in forma Pœnitentiariæ*.

210. Respond. 1. quod si dispensatio concedatur circa affinitatem, & quidem in ordine ad matrimonium contrahendum, in primis absolui debet pœnitens ab incestu (loquimur enim de affinitate orta ex copula illicita) eique iniungenda est pœnitentia salutaris: 2. inquirendum, an tale impedimentum sit occultum, subsitque periculum infamiæ, & scandali, nisi fiat matrimonium: 3. dispensandum cum declaratione, quod proles futura est legitima, & dispensatio nequaquam suffragabitur pro foro externo, adeóque literas talem dispensationem continentes esse dilaniandas. Quod si dispensatio sit in ordine ad matrimonium iam contractum, 1 absoluendus pœnitens à censuris, ac incestu, imposita confessione menstrua, vel quoties videtur Confessario: 2. examinandum est, an tale impedimentum sit occultum, an possit fieri separatio, an subsit periculum incontinentiæ, an adsit aliquod aliud impedimentum (idque iuxta dicenda *inferius q.* 19. 20.) 3. dispensandum est cum duplici declaratione modò allata.

211. Respond. 2. quod si incestus commissus sit ante applicatam dispensationem consanguinitatis, affinitatis, aut alterius impedimenti: dispensatio est inualida, ideóque opus est vt alia petatur, peractis iis, quæ diximus §. *præc.* & addito examine, num secretum sit priorem dispensationem esse nullam, nec non declarata prolis legitimatione modo supradicto. Quod si incestus superuenit matrimonio, sicque ortum est impedimentum affinitatis; tunc auferri debet occasio recidiui, posteà impertienda est absolutio, salutari pœnitentia iniuncta; tum dispensandum, vt coniux maneat dispensatus, ad petendum debitum coniugale; denique pœnitens moneri debet, quod si superuixerit, sine noua dispensatione non potest iterùm nubere.

212. Respond. 3. quod si dispensatio sit circa votum Castitatis, aut religionis; tunc obseruari debent ea, quæ dicemus in sequentibus qq.

213. Respond. 4. quod si dispensatio sit circa Cognationem Spiritualem, siue in ordine ad matrimonium contrahendum, siue in ordine ad contractum; proportionaliter obseruari debent quæ diximus §. *Respondeo primò*.

214. Respond. 5. quod si dispensatio sit circa impedimentum compaternitatis, & quia carnaliter se cognouerunt, ac tractarunt de matrimonio, vel necdùm receptis literis Sacræ Pœnitentiariæ, vel nondum applicata dispensatione se cognouerunt: obseruandum est quod diximus de Affinitate.

215. Respond. 6. quod si dispensatio sit circa impedimentum Criminis, præter regulas communes absolui debet pœnitens à censuris, adulterio, aut homicidio; si fuerit secutum est: tum dispensandum est, vt diximus §. *Respondeo primò*. denique imponendum est dispensato, vt ieiunet in pœnitentiam singulis feriis sextis, oret 3. diebus in hebdomada per annum pro anima occisi, faciat pro eo celebrare 50. Missas, aut iuxta arbitrium Confessarij, confiteatur semel in mense per annum, & satisfaciat hæredibus occisi, aliisque, quibus ille forsan solebat subuenire, pro vt de iure. ita Filliuc. *tract.* 10. ex formulis sacræ Pœnitentiariæ *num.* 362.

Quæres XVII. An casu, quo Regulares expedituri sint dispensationem Sacræ Pœnitentiariæ suffragantem duobus, debeant illam expedire cum vtroque, vtrique iniungendo opera præscripta in literis eiusdem Sacræ Pœnitentiariæ ad id transmissis.

Respond. debere: si impedimentum culpabiliter contractum est ex parte vtriusque dispensati: secùs, si sit contractum ex culpa vnius tantum. Et ratio est, quod in priori euentu vterque per se, & directè est affectum impedimento, ideóque dispensatio expedite debet opera præscripta à Sacra Pœnitentiaria, quippe quæ habent rationem pœnæ, aut quasi pœnæ quæ vtrique dispensato debetur hoc ipso quod vterque fuit in culpa (vt si commiserint crimen adulterij vnà cum promissione futuri matrimonij facta viuente altero coniuge;) in posteriori autem euentu si vnus solum per se, & directè est affectus impedimento altero merè passiuè ad illud se habente (vt si Titus affinitatem contrahat cum Berta ex copula illicita, quam habet cum sorore ipsius Bertæ, & posteà Titius velit nubere cum Berta) idcòque cum solo Titio expediri debet dispensatio, illique soli imponi debent opera modo dicto præscripta, cum ille solus culpabiliter contraxerit impedimentum, Berta ad illud se habente merè passiuè. ita Nald. aliique viri docti Societatis à me consulti, cum quibus sentit Portel. *de dub. regular. v. Confessor aperiens, num.* 16. docens confessionem menstruam quæ interdùm præcipitur à sacra Pœnitentiaria, imponi debere vtrique coniugi, si ambo peccauerunt: non item, si vnus tantum peccauit; tunc enim huic soli debet imponi; cùm in literis dicatur eam imponendam esse in pœnam tam enormis libidinis. 216.

Puto autem, quòd si impedimentum, super quo dispensandum est, sit culpabiliter contractum ex parte vtriusque dispensandi: tunc literæ ab vno, ac eodem Confessario expediri debent pro vtroque; adeóque non potest ad illarum expeditionem ab vno eligi vnus Confessarius, & alius ab alio. Moueor, tum quia literæ non duplicem dispensationem continent, sed vnicam, quam præstat effectum erga vtrumque coniugem, vt docet Sanch. *lib.* 8. *de matr. D.* 26. *num.* 2. sicque ex se sola sufficit: tum quia literæ diriguntur discreto viro, non discretis viris, & præfato discreto viro iniungitur per ablatiuum, vt vtrique dispensando pro tam enormi libidinis excessu grauem pœnitentiam salutarem iniungat; & ad talem iniunctionem tenetur Confessarius, vt ostendit idem Sanchez *sup. D.* 34. *num.* 33. quo modo autem vtrique dispensando præfatam pœnitentiam iniungeret vnus, ac idem Confessarius, si eædem literæ expedirentur cum vno coniuge ab vno Confessario, & ab alio cum alio coniuge? ita ego in facti contingentia consultus respondi, & responsionem approbarunt viri doctissimi.

Quæris XVIII. An Regulares dispensationem à sacra Pœnitentiaria obtentam pro aliqua certa persona, validè expedire possint pro alia in casu omninò simili.

Respond. non posse. ita Nald. aliique docti viri à Soc. à me per literas consulti; & probatur, tum quia de iure communi ciuili, & canonico non fit translatus à persona in personam; quo modo in §. *si quis in nomine, Instit. de Legatis*, cum dictum esset error nominis, aut pronominis Legatarij non obstare Legato, signanter apponitur, *quando aliàs de persona constat*: sic enim adest error solum accidentalis; tum quia, sicut notat Glossa in *significante, de rescript.* vna clausula, quæ certa, ac determinata videtur, posset 217.

possit trahi ad plures personas; quod non debet admitti, cum generalitas in rescriptis reprobetur, quippe quæ debent potiùs restringi, quam laxari: tum quia sic possent oriri multa scandala obtinendo literas à sacra Pœnitentiaria pro casibus imaginariis, iisq; te posteà vtendo ad libitum obtinentia inscia ipsa Pœnitentiaria: cum tamen ea in hac re multum inuigilet, ne nimia facilitate dispensandi nimia relaxetur rigor disciplinæ Ecclesiasticæ.

218. Quod autem concedat Sanch. *l.8. de matr. D.21. num.* 38. validam esse dispensationem in casu, quo dispensans intelligit eum, cui concedit dispensationem, esse alium ab eo, cui re vera expostulatur concedi, si constat quod dispensatio concessa fuisset etiam illi alij, & quidem eodem modo, si expressus fuisset; non facit contra nos; vt hinc constat quod, cum Sanchez id probet ex eo, quod dispensans non debeat spectare, quis ipsi proponatur, sed quis verè petat dispensationem, ac ea indigeat; constat ipsum aliter sensurum esse in casu hîc proposito, quo quæritur, an dispensatio petita pro vno possit suffragari alteri, qui illam non petiit, nec peti curauit: quæ non verificantur in casu adducto à Sanch. supponente ad hoc, vt dispensatio alicui suffragetur, opus esse, vt ea pro ipso petatur.

Vtrum verò, si duo voto Castitatis adstricti obtineant dispensationem ad simul contrahendum, possint vi illius contrahere cum qualibet alia persona non impedita.

219. Respond. posse, si causa allegata pro dispensatione obtinenda erat cuiusuis illorum independenter ab altero (vt si quilibet illorum allegaret se stimulis carnis agitari) sic quippe duplex est dispensatio omninò diuersa, & neutra pendet ab alia. Secùs, si causa allegata versetur specialiter inter ipsos (vt si allegent se mutuo inter se concubinatu esse irretitos, aut fœminam illam ab eo infamatam) tunc enim dispensatio prodesset solum ad contrahendum inter ipsos. ita Sanch. *sup. D.* 31. *num.* 14, addens quod si in priori casu dispensatio non est restricta ad vnicum matrimonium, & adhuc duret causa dispensationis, soluto priori matrimonio, vi dictæ dispensationis potest transiri ad alias nuptias.

220. Addit Sanch. *num.* 7. quod si dispensetur cum habente votum religionis ob vehementes carnis tentationes, aliamve causam, cui solo matrimonio subueniatur, non potest vouens vi talis dispensationis manere in sæculo absque coniugio; cum dispensans intendat solum dispensare ad consulendum bono spirituali vouentis; cui tamen non consulitur sufficienter nisi per matrimonium: dispensatio autem non extenditur vltra voluntatem dispensantis, vt patet.

QVÆRES XIX. Quænam debeant Regulares præstare in expediendis dispensationibus, quæ ipsis committuntur à sacra Pœnitentiaria.

221. Respond. Debere primò examinare causas allegatas ad effectum obtinendi dispensationem opportunia monitis, & consiliis ad id adhibitis: 2. absoluere à mutatione propositi in forma Ecclesiæ consueta, iniuncta salutari pœnitentia. Examinatio autem illa est ita necessaria, vt, ea omissa, nulla sit dispensatio: idque etsi causa allegata re vera subsisteret; cuius rei ea est ratio, quod sacra Pœnitentiaria non vult prodesse dispensationem, nisi sub conditione, ac forma dictæ examinationis, vt constat ex verbis, quæ solent apponi in litteris ab ea concessis, *Si ita per diligentem illorum examinationem, ac post monita, & consilia opportuna illi præstita inueneris*: quæ vtrique important conditionem; ab hac tamen doctrina excipiendus est casus, in quo causæ dispensationis essent notoriæ, aut aliunde Confessario notæ, tunc enim non esset opus tali examinatione. Absolutio verò à mutatione propositi, vel est à culpa, si fortè dispensandus aliquo modo violauit votum, super quo petit dispensari, siue illud frangendo, siue eius executionem nimia differendo, & talis violatio in ea diœcesi sit reseruata vel certè ad cautelam, si causa allegata ad dispensandum sit minùs sufficiens, ita vt non esset petenda dispensatio; vnde, si mutatio propositi non sit culpabilis, quoad talem effectum non requiritur absolutio. Consilia denique & monita ad notitiam veritatis ordinata requiruntur solum ex æquitate; cum veritas sufficienter indagari possit per interrogationem Confessarij, ac responsionem pœnitentis absque restium receptione, ac iuramento petito à pœnitente, quamuis simpliciter loquendo, illud ab eo posset efflagitari. ita Castr. Palao *tract.* 3. *D.* 6. *p.* 15. §. 1. *num.* 4. Filliuc. *tract.* 10. *num.* 355. Sanch. *l.8. de matrim. D.* 34. *num.* 26. 27. 28. Portel. *de dub. regul. v. Confessor aperiens num.* 7. & 8. aliique & patet ex dictis; si monuero timorem incontinentiæ solitum plerumque allegari pro causa dispensandi in voto religionis, aut castitatis importare lapsum moraliter frequentem, siue ex fragilitate, siue ex prauo habitu, ac erebris sæculi occasionibus.

Ex eo autem, quod dixi de absolutione à mutatione propositi, inferri potest, & rectè, quod si dispensandus iam fuit absolutus sacramentaliter ab excessu, ratione cuius incurrit impedimentum egena dispensatione: non tenetur dictum excessum aperire in confessione, in qua expedienda est dispensatio: non enem Ecclesia obligat fideles, vt peccatum semel confessum, & ritè remissum bis confiteantur sacramentaliter.

Addo clausulam illam, quæ in literis sacræ Pœnitentiariæ concedentibus dispensationem super impedimento dirimente matrimonij, *& aliis, quæ de iure fuerint iniungenda*, (quam neque à Sanchez *l.* 8. *de matrimon. D.* 34. vbi illam refert *num.* 3. neque ab vllo alio Doctore explicatam reperi) facere velut sensum hypotheticum; nimirum vt Confessarius iniungat obligationes illas, quas de iure iniungendas esse reperierit; vt si pœnitens dispensandus teneatur facere aliquam restitutionem, relinquere occasionem aliquam proximam, vel quid simile.

QVÆRES XX. Qualis debeat esse commutatio in pia opera, quæ à sacra Pœnitentiaria præscribuntur in expeditione dispensationum.

Respond. non posse quidem Sacerdotem, cui committitur expeditio talium dispensationum, dicta opera omittere, cum ea spectent ad formam substantialem dispensationis, vt dicemus *quæst.* 23. posse tamen ea moderari, prout ipsi visum fuerit expediens: dummodò iniungat aliqua singulis diebus facienda; si quidem dicitur in rescripto: *Commutes* (scilicet votum) *in frequentiam sacramentalis confessionis singulis scilicet mensibus semel, vel quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera iniungenda inter quæ sint aliqua pietatis opera, quæ quotidie facere teneatur.* Vnde fit, vt Confessarius dispensando imponere possit confessionem faciendam tantum tertio quoque mense, & opera religionis, aut pietatis quotidiana, prout iudicauerit expedire saluti pœnitentis dispensandi. est communis Doctor. inter quos Filliuc. *num.* 356. notat non esse positum in arbitrio Confessarij commutare illa opera, quæ in literis exprimuntur, (v. g. confessionem 222.

 menstruam,

menstruam, & aliqua opera pœnitentiæ, inter quæ sint aliqua qnotidie exercenda) hoc enim ipso, quod exprimuntur, & aliàs sunt maximè salutaria, & obligatio voti, in cuius locum illa subrogantur, ea in se continebat, ideo imponi debent, debétque pœnitens adhortari ad ea admittenda.

213. Commutatio autem ista operum debet necessariò fieri in opera superogationis; id quippe intenditur à sacra Pœnitentiaria hoc ipso, quod gratis tollit impedimentum, votum &c. quo modo etiam satisfactio imposita in Sacramento pœnitentiæ iniuncta, absolutè prolata intelligitur de operibus aliàs indebitis ita Castr. Pal. *supr. num.* 7. aliíque penes ipsum contra Salas *D.* 20. *de leg. num.* 98. oppositum sustinentem.

214. Quod verò spectat ad obligationem confessionis menstruæ, notat Portel. *supr. num.* 10. dispensatum satisfacere huic oneri, si confiteatur quouis die cuiusuis mensis (v.g. pro mense Decembris 1. die Dec. & pro mense Ianuar. die vlt. Ianuarij: nec non per confessionem factam tempore Quadragesimæ ad implendum præceptum Ecclesiæ: additque quod si dispensatus omittat confiteri aliquo mense, non tenetur mense sequenti supplere confessionem omissam: cum fuerit onus affixum tempori præcedenti, ideóque transierit; quod etiam docet Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 31. ex Sanch. *lib.* 6. *de matr. D.* 34. *n.* 37.

Qværes XXI. hoc ipso, quod cessat beneficium dispensationis super voto castitatis concessæ ad aliquem actum temporalem (v.g. ad semel nubendum) soluto priori matrimonio cesset obligatio implendi opera præscripta pro dicta dispensatione.

215. Respond. cessare; cum obligatio talium operum sit imposita loco prioris materiæ promissæ in voto, quod dispensatur, adeóque tamdiu solùm censenda sit durare, quamdiu non obligat prior materia, sicque cesset statim ac ista incipit obligare. ita viri docti à me consulti; & probatur tum quia tenor literarum, qui iuxta modò dicenda potest obstare, potest intelligi de perpetuitate dictorum operum non absoluta, sed respectiua, id est correspondente tempori, quo durat beneficium dispensationis; tum quia talis commutatio fit ex potestate Sacræ Pœnitentiariæ habentis facultatem dispensandi simul, & commutandi, ideóque mirum non est, quod, attenta magna æstimatione voti religionis, & Castitatis, illud possit commutari in opera non solùm minùs digna in specie, sed implenda tantùm ad tempus; cum id fieri possit virtute dispensationis, quæ dictæ commutationi admiscetur; tum quia probabiliter præsumi potest de benignitate Ecclesiæ, quod non intendat dispensatum sustinere onera commutationis, nisi quamdiu sentit etiam illius commodũ iuxta regulam, *Qui sentit onus, debet sentire & commodum.*

216. Oppositum sustinet Sanch. *lib.* 4. *mor. cap.* 55. *n.* 21. ex eo quod licitæ, in quibus sacra Pœnitentiaria committit eiusmodi dispensationes, præcipiunt commutationem fieri in frequentiam sacramentalis confessionis singulis mensibus, & in alia pœnitentiæ opera, inter quæ sint aliqua pietatis opera, quæ quotidie facere teneatur dispensatus, vt ea adimplens meminisse semper possit obligationis; sicque in operibus iniunctis videntur requirere perpetuitatem, præterquam quod commutatio voti tam ardui ad statum perpetuum assumendum (cuiusmodi est votum religionis) petit fieri in materiam perpetuam, vt pote quod ratione suæ dignitatis longè superat æstimationem cuiuscumque alterius operis, quantumuis perpetui, quod substituatur; verùm, quamuis istæ rationes valdè probabilem faciant opinionem Sanchez, non tollunt, quin etiam nostra sustineri possit tanquam probabilis: ídque ob rationes §. *præcedentis*, quæ & probant nostram sententiam, & soluunt fundamenta opposita.

Qværes XXII. An licitè, & validè vtatur dispensatione obtenta à sacra Pœnitentiaria is, qui opera præscripta in expeditione literarum statuit postea non implere; cum tamen antea haberet animum illa implendi.

Respond. validè vti, non item licitè; validè qui- 217.
dem, quia vsus talis dispensationis non conceditur sub onere dictorum operum per modum formæ substantialis, & conditionis propriè dictæ (quo pacto, iis non impletis, dispensatio non subsisteret) sed tanquam sub modo; vnde fit, vt iis etiam non impletis, dispensatio teneat (sicut communiter tradunt DD. cum Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 13. *num.* 4.) non licitè verò, quia dispensatus ex fidelitate tenetur implere opera acceptata in expeditione literarum; præsertim, si dispensatio cecidit supra aliquod votum, eique admixta sit aliqua commutatio; quo casu certum est dispensatum teneri impleri opera subrogata; ídque sub mortali, nisi leuitas materiæ excuset. Et certè quod opera, quæ imponuntur in literis sacræ Pœnitentiariæ, præcipiantur dispensato, non per modum conditionis propriè dictæ, sed tantùm veluti sub modo, inde suadetur quod ea non postulantur nisi post effectum dispensationis, vt aperrè colligitur ex ipso tenore literarum eiusdem sacræ Pœnitentiariæ, eiusque praxi: constat autem ex Suarez *supr.* quod, sicut opera imposita ad effectum alicuius priuilegij, seu dispensationis pertinent ad formam substantialem, quando præcipiuntur fieri ante effectum: ita pertinent solùm ad modum, si præcipiantur fieri post effectum: ídque regulariter, nisi constet expressè de opposito.

Vtrum verò validè vtatur dispensatione concessa is, qui neque in ipsa literarum expeditione habuit animum implendi opera tunc præscripta.

Respond. non vti validè, cum illa duo fiant eo- 218.
dem contextu, & Confessarius exequens non intendat aliter dispensare, nisi dispensandus acceptet iniungenda; vnde fit, vt ipso nolente acceptare, nihil censeatur actum, imò in continenti omnia reuocentur, vtpote nondum completa. ita Sanch. *lib.* 8. *de matr. D.* 9. *num.* 21. monens, quod, cum in hoc casu dispensatio teneat ex parte dispensantis, ea poterit vti dispensatus, si posteà, interno commutationem voti admittat animo implendi opera.

Qværes XXIII. An valida sit expeditio literarum Sacræ Pœnitentiariæ, si in earum expeditione Confessarius non imponat opera in iis præscripta.

Respond. non esse, cùm talis impositio operum 219.
debeat præcedere expeditionem literarum, & consequenter pertineat ad formam substantialem expeditionis, prout ostendimus *q. præcedenti.*

Qværes XXIIII. An obligatio exequendi opera ininncta in expeditione dispensationis concessæ à Sacra Pœnitentiaria incipiat à die, qua fit dicta expeditio, vel certè à die, qua dispensatus vtitur dispensatione (contraheodo v.g. matrimonium.)

Respond. incipere à die, qua expeditur dispensa- 230.
tio: ex tunc enim dispensatus manet liber à materia priùs promissa, si dispensatio cadit supra votum, aut ab impedimento, si illa cadit supra impedimentum: ideóque ab illo die prior obligatio transfertur in materiam subrogatam. ita Sanch. *lib.* 4. *moral.*

cap.

cap. 55. *num.* 22. addens *num.* 23. id non obstare, quo minus Confessarius, cui committitur dispensatio, possit commutationem differre, ita vt non obliget, nisi à tempore, quo pœnitens dispensatus incipit sentire beneficium dispensationis: idque eo modo, quo explicat ipsemet Sanch. *loco supra citato.*

QVÆRES XXV. An, & à quo commutari possint opera præscripta in expeditione dispensationum sacræ Pœnitentiariæ in alia opera.

231. Respond. non posse commutari, neque ab eo, cui primò commissa est dicta expeditio (cum iam iste functus sit suo munere) nec ab alio Confessario, quantumuis aliàs idoneo; cum iam consummata sit præfata expeditio, nec supersit aliquid, quod circa illam fiat; neque ab ipso dispensato, cum ad id præstandum requiratur iurisdictio, qua ipse caret, ita viri docti à me consulti contra Naldum item à me consultum, qui sentit, quoad hoc philosophandum esse proportionaliter de huiusmodi dispensationibus, ac de votis; quod certè non videtur admittendum, cum votum, & dispensatio sint res diuersæ, & à diuersis non fiat illatio.

Quod autem spectat ad pœnitentias in Dataria impositas pro dispensationibus matrimonialibus concessis in forma commissoria notat Genuensis *in praxi cap.* 20. *num.* 2. eas posse ex causa commutari ab Episcopo, dicitque sic rescriptum fuisse ex Vrbe: quod tamen limitat Thesaur. *p.* 1. *praxis cap.* 2. dicens id non procedere de pœnitentiis, quæ debent præcedere actum dispensationis; cùm hæ sapiant formam, & sint loco compositionis. Opinionem Genuensis refert Diana *p.* 7. *tract.* 10. *resol.* 9. & probat, tum quia Concil. Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 12. habet detrahentes decimas esse excommunicandos, nec absoluendos, nisi plena restitutione secuta; & tamen Molina *D.* 756. *de iust. fine,* aliique decretum hoc limitant, nisi excuset impotentia (cum alioqui clausula, *nisi,* conditionem induceat, *l. à testatore, ff. de condit. & demonstrat.* & conditio inducat formam *l. Memmius, ff. de condit. & demonstrat.* cum ergo hæc doctrina procedat in casu proposito, & aliis ab ipso Diana propositis, procedat & in præsenti casu, si pœnitentia imposita à Dataria, aut Pœnitentiaria, quæ aliàs præcedere deberet dispensationem, ex graui morbo, vel alia iusta causa in specie non possit adimpleri: sicque ab Ordinario ea poterit commutari ex interpretatiua voluntate Papæ, qui potest præsumi nolle obligare ad impossibile: tum quia pœnitentia iniuncta à Dataria formam quidem sapit, quia necessariò debet impleri; at dici posset sufficere illam impleri in æquipollenti specie ex Ordinarij commutatione, si non possit in propria. ita Diana addens tamen se nolle aduersari stylo ac praxi Datariæ, & Pœnitentiariæ.

QVÆRES XXVI. Ad quid conferat potestas legitimandi prolem concessa in dispensationibus sacræ Pœnitentiariæ.

232. Respond. conferre ad hoc, vt proles succedere possit vtrique parenti, accedere ad Ordines, recipere quodcumque beneficium, & promoueri ad omnia officia spiritualia, & temporalia (pro solo tamen foro conscientiæ;) vnde fit, vt si ipsi beneficium conferatur, & posteà manifestetur impedimentum, spoliari possit beneficio obtento; quamquàm si ex parte alterius coniugis extet bona fides, proles in vtroque foro sit legitima, quo casu in dispensatione apponitur clausula decernens legitimam esse prolem solùm ad tollendos scrupulos. ita Castr. Pal. *sup. num.* 14. & alij, inter quos Sanch. *l.* 8. *de matrim. D.* 7. *num.* 16. aduertit prolem susceptam non manere legitimam in casu, quo dispensetur ad matrimonium validè contrahendum, nisi Confessarius, qui expedit dispensationem, explicet se cum ea dispensare; quod non euenit in prole suscipienda post matrimonium modo supradicto initum; cum hæc ex natura rei sit legitima, vtpotè orta ex legitimo matrimonio, adeóque non egeat legitimari ex decreto præfat. Confessarij, cui æquè committitur, vt, reperta precum veritate, dispenset in impedimento, & decernat prolem susceptam esse legitimam; summus enim Pœnitentiarius non dispensat ipse ex se, sed committit alteri dispensationem exequendam.

Moneo ex Sanchez *num.* 17. quod, si Confessarius, dispensatu impedimento matrimonij, omittat decernere prolem susceptam legitimam, potest id posteà præstare, tum idemmet Confessarius (cum nondum plenè functus sit officio suo, omittens partem sibi commissam:) tum quilibet alius Confessarius approbatus (idque licet prior adiri posset;) cum enim Confessarius sit iudex in foro conscientiæ, ex eo quod prior Confessarius cœpit exercere iurisdictionem in proposito casu, non tollitur, quin alius possit adiri: cum hæc duo peti possint consulto à duobus: vt patet ex eo, quod tempore Iubilei concedentis commutationem votorum, & absolutionem reseruatorum, licitum est pro absolutione reseruatorum adire vnum Confessarium, & alium pro votorum commutatione. 233.

QVÆRES XXVII. Quo modo debeant inter se contrahere matrimonium, qui à sacra Pœnitentiaria dispensantur ad effectum vt possint validare matrimonium iam factum, sed nullum ob impedimentum dirimens.

Respond. Sanch. *l.* 2. *de matrim. D.* 36. *num.* 9. quod si nullitas matrimonij sit ignota alteri coniugi, nec ei possit manifestari absque graui periculo alterius coniugis nocentis, & is alioqui cogatur reddere debitum coniugale, aliàs non potens vlla industria nouum consensum extorquere; tunc posset renouare consensum accedendo ad copulam ex affectu maritali; idque sufficeret ad validandum matrimonium, alioqui irritum: cum talis accessus habeat rationem consensus correspondentis consensui alterius coniugis; qui cum putet bona fide matrimonium esse validum, censeri potest etiam ipse accedere ad copulam eodem affectu maritali. 234.

QVÆRES XXVIII. An dispensatus in voto Castitatis, aut Religionis ad contrahendum matrimonium possit nubere vi talis dispensationis non semel, sed iterum, atque iterum, non petita noua dispensatione.

Respond. posse, si dispensatio concessa sit absolutè: secùs, si cum limitatione ad semel tantum contrahendum. ita Sanch. *l.* 8. *de matrim. D.* 31. & cum eo Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resolut.* 30. patetque, quia in priori casu absolutè tollitur votum, quod impediebat matrimonium, ideóque non potest ampliùs impedire: in posteriori verò casu cum dispensatio sit limitata non potest producere, nisi effectum limitatum iuxta illud: *Causa limitata non producit, nisi effectum limitatum*; contra Sanchez, sentiunt Henriq. & Ochagauia relati à Diana *vbi suprà.* 235.

QVÆRES XXIX. An dispensatione sacræ Pœnitentiariæ suffragentur dispensatis, etiam pro foro externo.

Respond. non suffragari; cum pro solo foro conscientiæ concedantur, vt constat ex tenore priuilegij relati *quæst.* 1. vbi expressè dicitur in foro conscientiæ; certum est autem forum conscientiæ con- 236.

tra

tradistingui à foro externo. Vnde fit, vt dispensatus à sacra Pœnitentiaria inquiri possit à Iudice, ac puniri æquè ac si non fuisset dispeusatus; quod tamen non facit, quin fieri possit aliqua fides de dispensatione impensa pro consolatione pœnitentis dispensati, vel pro testimonio apud Episcopum dispensatioois obtentæ pto foto conscientiæ: cum id fiat, etiam in aliis absolutiouibus collatis item pro foro conscientiæ. ita Filliuc. *tract.* 10. *num.* 378.

Qværes XXX. An dispensationes sacræ Pœnitentiatiæ validè impetreotur absque mandato eius, cui impetrantur.

237. Respond. validè impetrari, non tamen habere effectum, nisi quando innotescunt, & acceptantur ab eo, cui sunt obtentæ, vel certè ab alio habente ad id speciale mandatum: si quidem valor gratiæ pendet à concedente præcisè, ooo item acceptatio illius, quæ pendet ab illo, cui gratia confertur; vt pruinde graria concedi possit renuenti, ac inuito: quamuis id præsumi oon debeat, nisi apertè constat, ne alioqui gratiæ principis negligantut; ptæterquàm quod non expedit principi concedere dispensationem, nisi cogatut petitionibus; cum dispensatio sit iuris relaxatio, quæ non ita facilè debet fieri à principe. ita Castr. Pal. *tract* 3. *D.* 6. *part.* 11. *num.* 4. aliique plutes apud ipsum; & quidem quod dispensatio validè impetretur in casu proposito, constat, tum quia nullibi habetur requiri mandatum pto ubtinenda gratia, priuilegio, ac dispensatione in gratiam alterius; tum quia in *l. vniuersis, C. de precibus Imperat. offerend.* dicitur rescriptum ab Imperatore concessum validum esse, per quemcuouque impetratum sit. Contra quod non facit *c. innotuit, de elect.* vbi videtur annullatum rescriptum, eo quod fuerit siue mandato impetratum; ibi enim annullatur rescriptum, non quod fuerit concessum sine mandato, sed quod fuerit concessum pro confirmatione electionis irritæ, nulla dispensatiooe facta.

Qværes XXXI. Au dispensatio obtenta à sacra Pœnitentiaria per alterum volentium ioire matrimonium, vel qui iam inualidè contraxeruot, prosit vtrique, estò alter omnioò ignoret impedimentum, ac dispensationem.

238. Respond. prodesse, si impedimentum, cuius petitur dispensatio, sit tale, vt necessariò afficiat vtrumque contrahentem (quale est consanguinitas, & affinitas:) si quidem dispensatio extenditut ad necessariò connexa; secùs si impedimentum afficiat solum alterum (vt si alter solus vouit castitatem) aut certè ita sit commune vtrique contrahenti, vt sit in vrroque omnino diuersum (vt si vterque vouit castitatem:) runc enim opus est vt ille, qui est effectus impedimento, & (si vterque sit affectus) vterque acceptet dispensationem, estò sine eius mandato potuerit obtineri: dispeosatio quippe directè obtinetur habenti impedimentum, nec obtenta vni per necessariam consequentiam obtinetur alteri, vt euenit in priori casu: vnde qui illa eget, debet eam nosse, & acceptare; &, si vterque egeat, vterque debet illam scire, & acceptare. ita Sanchez *supr. D.* 26. *num.* 6. & 7.

Qværea XXXII. An literæ Sacræ Pœnitentiæ, quibus conceditur aliqua dispensatio, vitientur, ita vt expediri non possint à Regularibus priuilegiatis, ex eo, quod in iis incuria scriptoris irrepsit aliqois error (*v.g.* exprimendo tertium gradum consanguinitatis pto tertio affinitatis, aut errando in nomine eius, cum quo dispensatur.

239. Respond. non vitiati, si dispensandi sincerè, & perspicuis verbis dispensationem petierunt super tertio gradu affinitatis, & de hec constet Religioso, qui dictas literas expediturus est. Colligitur ex *cap. susceptum, de rescript. in* 6. vbi habetur verba rescripti strictè ioterptetanda esse, & ad alium casum non extendenda, *nisi de intentione mandantis aliud appareret expressè:* quæ exceptio vtique locum habet in casu præsenti; cum certum sit Papam voluisse dispensare super impedimento matrimooij propositio, & non super alio: vnde, cum ptopositnm fuerit impedimentum affinitatis, in hoc ceosetur voloisse concedere dispensationem: quod est errorem illum ptæter mandantis intentionem incutia execntorum, aut scriptoris ittepsisse, adeóque esse omninò materialem; cuius nulla ratio haberi debeat. non secùs ac si erretur in nomine eius, cum quo dispensatur: quo casu sustinent Sanchez *lib.* 8. *de matrim. D.* 21. *num.* 8. & Laym. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 27. dispensatiooem nihiluoinus esse validam; cum intentio potiùs, quàm verba in quouis rescripto attendi debeant, & alias noo deceat, vt talis error inuoluotarius deroget inteotioni veritatis. præterquàm quod subreptio noo contingit sine aliqua suppressiooe callida veritatis, aut simili circumuentiooe, ac dolo; cuiusmodi nihil interueoit in isto casu, vt aduertit Laym. ex quo desumitur præseus responsio.

An autem vitientur literæ concessæ à Dataria casu, quo in petitione dispensationis consultò, aut inaduerteuter apponatur nomen aliqood supposititium.

Respond. videri ptobabile non vitiari, si ex concurreotibus circumstantiis constet dispensationem cuicumque alij petenti concedendam, & non habitam fuisse specialem rationem personæ ootæ per nominationem. ratio est, quod in his omnibus ad officium Principis spectantibus mens illius est attendere propositæ causæ iustæ merita, sicque estò erretur in nomine persunæ, cui conceditur dispensatio, intentionem ditigere ad eam, cui verè petitur; vnde fit, vt si alioqui in petitiune dispensationis omnia fideliter, & sincerè ptoponaotur, sola variatio nominis, aut etiam cognominis non sufficiat ad vitiandam dispensationem: si quidem non persona petens vt sic, sed merita causæ præbent ansam dispensandi; vt notat Sanch. *supr. D.* 21. *num.* 38. in casu non dissimili; quæ ratio æquè procedit; siue ertur procedat ex inaduertentia Officialium Principis; siue ex parte petentis: vbi autem militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio. 240.

Respond. sic (vt etiam id obiter annotem) putat Sanch. *num.* 39. qood si erretur in diœcesi est is, cui impertatur dispensatio, existimando illum esse diœcesis Salmantinæ, cum sit Cordubensis, ideóque commissio dispensatiouis fiat Officiali Salmantino: adhuc Officialis Cordubensis potest dictam dispensationem exequi; cum mens concedentis sit illam committere vero Ordinario impetrantis, sitque quasi materiale, & per accidens, quod ille vocetur Salmantinus, cum sit Cotdubensis; vnde, cum constet de corpore, non obstat etror nominis.

Addo videri ptobabile non vitiari dispensationem, neque incurrete excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contra falsificantes literas Apostolicas eum, qui rescriptum, per quod conceditur dispensatio, corrigit ad mentem concedentis, (v.g. apponendo nomen veti Ordinarij) id quippe non est falsificare literas, sed falsitatem ab iis auferre; quamquàm cauendum sit, ne talis correctio fiat propria auctoritate; cum potiùs id fieri debeat per Officiales in Curia ad hoc deputatos; nisi fortè aditus ad ipsos 241.

ipsos esset difficilis, aut subesset aliqua iusta causa id faciendi priuata auctoritate (v. g. ad vitandas nouas expensas, ad cauendum periculum imminens ex mora, &c. ita Bonac. *de censur. in partic. D. 1. quæst. 7. part. 2. num. 7.* Duardo, Sayro, Regin. & aliis contra Suarez, & Alterium oppositum sustinentes apud eumdem Bonacinam.

Qværes XXXIII. An Regulares validè expediant dispensationem matrimonij inter consanguineos, aut affines contrahendi, si in supplicatione non sit facta mentio copulæ incestuosæ inter ipsos habitæ ante dispensationem obtentam, aut ante expeditionem illius factam à Confessario pro foro conscientiæ.

243 Respond. expedire validè, si copula incestuosa habita sit ex humana fragilitate; sic quippe ex hoc capite dispensatio non redditur difficilior, neque ex natura rei, neque ex iure positiuo, vt notant Nauarr. Sà, Rodriq. Salzedo, Diaz. aliíque plures apud Sanch. *lib. 8 de matr. D. 25. num. 6.* qui tamen oppositam sustinet sententiam, tanquam veriorem, nostram admittens, vt probabilem. Secùs, si copula incestuosa in casu proposito habita sit cum tractatu matrimonij, id est contrahendo matrimonium (idque etsi non secuta sit eius consummatio,) aut certè cum spe facilius obtinendi dispensationem; tunc enim in supplicatione necessario debet fieri mentio dictæ copulæ: in priori quidem euentu ob decretum Concilij Trid. *sess. 24. de matr. cap. 5.* quod ita habet: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat,* (intellige, si contrahatur coram Parocho, ac testibus) in posteriori verò euentu ex stylo Curiæ, sicut notauit Sanch. *sup. n. 38.*

Castrus verò Palaus *D. 4. de matr. p. vlt.* §. 3. admissa *num. 2.* tanquam probabili opinione absolutè sustinente taciturnitatem copulæ incestuosæ non irritare dispensationem in casu proposito (quam opinionem apud ipsum Castr. Palaum sustinent Nauarr. Salced. Ouand. Sà, Henriq. P. Ledesma, Rodriq. Vega, Pontius Gaspar. Hurtad. Zeuallos) *num. 4.* ait probabilius esse mentionem præfatæ copulæ fieri debere in petitione dispensationis, si copula sit publica; cum sic nullum damnum oriatur dispensandi (si quidem potiùs sic scandalo satisfit) & expressa tali copula, Papa concedat dispensationem aliter, ac concederet, ea non expressa; nempe iniungendo aliquas pœnitentias, exigendo maiorem summam pecuniæ, ac præcipiendo superstiti, ne aliud matrimonium ineat: vnde fit, vt subreptitia reddatur dispensatio ob doctrinam datam à Sanch. *supr. D. 21. num. 17.* nimirum ex taciturnitate veritatis, qua expressa, solet Papa diuerso modo dispensare, subreptitiam reddendo dispensationem. Dixi, *si copula sit publica:* si enim sit secreta, ait Castr. Pal. *num. 6.* non esse credendum Papam velle eius fieri publicè mentionem cum infamia personæ dispensandæ, adeóque solum in Sacra Pœnitentiaria tacito nomine contrahentium manifestandum esse incestum cum gradu affinitatis, aut consanguinitatis, in quo Papa dispensauit, aut dispensaturus est: vt aduertit Sanch. *lib. 3 de matr. D. 25. num. 11.* ex Gallego: quos sequitur Castrus Pal. mouens *num. 3.* iuxta plures, ac graues Doctores, quod si in literis dispensationis apponitur clausula, *dummodo copulam non habuerint*, debere intelligi de copula publica, & probata, non item de secreta; ideóque etsi copulam habuerint, negare eos id posse cum restrictione; ac Ordinarios in expedienda dispensatione super consanguinitate, aut affinitate, iniquè interrogare dispensandos, an habuerint copulam; cum illius mentio non sit necessaria: siquidem incestus per se non eget dispensatione (cum non impediat matrimonium contrahendum) nec facit dispensationem difficiliorem, sed potius mouet Papam ad eam concedendam; sicque ex eius taciturnitate vitiari nequit dispensatio: cum, teste Glossa *in c. super literis, de rescript. v. literas*, concessio non sit subreptitia ex eo, quod taceatur veritas, quæ expressa faciliorem faceret dispensationem.

Addit Castrus Palaus *num. 7.* quod quamuis Sanchez *lib. 8. de matr. D. 25. num. 9.* neget doctrinam hic traditam extendi ad eos, qui sunt ligati impedimento cognationis legalis, spiritualis, aut publicæ honestatis: contrarium tamen est probabilius, tum ob Decisiones Sacræ Congregationis: tum, quia copula habita cum iis, qui in reuerentiam alicuius virtutis impediuntur contrahere matrimonium, est incestuosa, vel sacrilega; & alioqui in reuerentiam virtutis religionis, aut pietatis prohibetur copula inter eos, qui sunt adstricti impedimento cognationis spiritualis, legalis, aut publicæ honestatis: sicque in petenda dispensatione horum impedimentorum specialis mētio debet fieri dictæ copulæ.

Quod si contrahentes copulam, seu infamiam ex ea prouenientem pro causa dispensationis adducant, & copulam habuerint ad dispensationem faciliùs obtinendam: talem intentionem debent exprimere; cum hac expressa, Papa difficilius dispenset, grauiorem iniungat pœnitentiam, maiorem summam pecuniæ exigat, intellige, si talis intentio iniqua sit manifesta: nam, si solum interius concepta sit, cum non subdatur humanæ potestati, non videtur necessariò exprimenda; vt notat Gaspar. Hurtad. *D. 26. de matrim. diffic. 5 fine.* & cum eo Castr. Pal. *supr. n. 9.*

Qua occasione lubet vnum monere ex Sanchez *supr. D. 23. num. 7.* nimirum in casu, quo dispensandus duplex habeat impedimentum, vnum publicum (v. g. consanguinitatis) & alterum occultum, 244
eiusque generis, vt sine nota infamiæ manifestari nequeat: (v. g. affinitatis ortæ ex copula illicita habita cum sorore fœminæ ducendæ;) tunc nón esse opus vtrumque impedimentum proponere Papæ, sed sufficere, quod ei proponatur publicum (nempe in Dataria, vt pro foro externo dispenset; occultum verò sacræ Pœnitentiariæ (explicato tamen eidem etiam impedimento publico, super quo Papa dispensauit) idque vt ipsa super eo dispenset pro foro conscientiæ. Ratio est, quod piè, & meritò præsumitur Papa sic, & non aliter velle, ne aliàs talis casus destituatur remedio dispensationis, aut dispensandi cogantur detegere propriam turpitudinem, manifestando in foro externo suum delictum infamatorium cum periculo infamiæ, & quod tale crimen sic detectum deferatur ad iudicium, pœnisque iure statutis puniatur.

Dixi vtrumque impedimentum simul detegendum esse sacræ Pœnitentiariæ; cum enim in foro 245
illius taceantur nomina dispensandorum, & consequenter delicta ibi manifestata adhuc maneant occulta, cessat periculum infamiæ; cum aliàs vtrumque impedimentum aperiatur Papæ per sacram Pœnitentiariam non dispensantem super iis, nisi de ipsius consilio, sicque dici possit nihil impetrari contra mentem Papæ; quamquam non pauci DD. apud ipsum Sanch. *num. 1.* sustineant in casu proposito sufficere, quod sacræ Pœnitentiariæ detegatur impedimentum occultum, altero manifestato in Dataria: quam opinionem dicit Sanch. esse probabilem, nec posse iustè damnari, nisi fortè in eadem persona

persona concurrerent tot impedimenta, vt iustè posset credi Papam non dispensaturum ex caussis propositis, si nosset tot impedimenta simul concurrere: quod mihi etiam satis probabile videtur.

246. Nec refert, quod in nostro casu prius proponatur vtrumque impedimentum sacræ Pœnitentiariæ, & postea publicum Papæ, vel è contra; siquidem adest idem effectus, & vtroque modo satisfit menti Papæ. Ita Sanch. *supr.* addens in tali euentu posse Confessarium, cui sacra Pœnitentiaria committit munus dispensandi, dispensare in affinitate occulta, esto nondum obtenta sit dispensatio cõsanguinitatis publicæ à Dataria: mens namque talis commissionis est, non quidem vt Confessarius non expediat dispensationem ante, sed solùm vt dispensatio non sortiatur plenum effectum concedendi facultatem ad contrahendum matrimonium, donec Papa dispenset in impedimento publico. Imò illud idem videtur sufficere etiam in casu, quo impedimentum occultum esset eius generis, vt ex illius manifestatione non oriretur infamia (vt si esset votum castitatis) tunc enim sufficeret aperire Papæ impedimentum publicum, vt in eo dispensaret, & postea vtrumque repræsentare sacræ Pœnitentiariæ; quamquam, si prius à sacra Pœnitentiaria obtineatur dispensatio talis voti, aut certè à Papa, tunc non esset opus exprimere alterum impedimentum, sed tunc solùm, quando prius impetratur dispensatio alterius impedimenti: quæ sunt benè notanda.

QVÆRES XXXIV. Quid intelligatur nomine *Occulti*, in literis à sacra Pœnitentiaria concessis ad effectum contrahendi matrimonium, aut reualidandi iam contractum cum impedimento dirimente.

247. Respond. intelligi idem ac non publicum eo modo, quo diximus *subsect.* 2. *quæst.* 1. *suppos.* 2. Addo hîc solùm cum Castro Pal. *tract.* 3. *D.* 6. *part.* 15. *§.* 1. *n.* 12. quod quamuis in dispensatione irregularitatis, inhabilitatis, excommunicationis, & aliorum impedimentorum commissa Episcopis, in Conc. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* sustineri possit, quod docent Henriq. *l.* 14. *cap.* 7. *num.* 5. Auila *de censur. p.* 7. *D.* 10. *d.* 6. *fine.* Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 11. *num.* 21. Reginald. *l.* 30. *n.* 29. & alij censeri posse occultum delictum illud, quod est deductum ad forum contentiosum probatum, ac punitum: cum sic cesset ratio, quare delicta publica, & deducta ad forum contentiosum prohibeantur dispensari: quæ est, ne impediatur iudicialis illorum punitio; in dispensationibus tamen quæ à sacra Pœnitentiaria pro delictis, ac impedimentis occultis conceduntur, id nullo modo debet admitti; cum in præfatis dispensationibus requiratur vt delictum sit occultum: dicitur enim ibi, *Dummodo impedimentum*, inde proueniens sit occultum; cum tamen nihil sit magis publicum, quam id, quod non potest celari vlla tergiuersatione, & super quo lata est sententia in iudicio.

QVÆRES XXXV. Qualiter intelligi debeat clausula apponi solita in dispensatione obtenta à sacra Pœnitentiaria ad matrimonium irritum denuò celebrandum: vt scilicet, *coniux impedimenti ignarus certioretur de nullitate prioris matrimonij.*

248. Respond. talem notitiam non apponi per modum conditionis ad dispensandum, sed potiùs per modum instructionis Confessarij, vt, si viderit id fieri posse, absque pœnitentis præiudicio, id faciat; non item si illud fieri nequeat sine graui suspicione delicti; præterquam quod ista clausula non tam apponitur pro valore dispensationis, quam pro restauratione matrimonij; cum tamen probabile sit vrgenti causa illud posse instaurari, etiam sine tali notitia. Ita Sanchez *l.* 8. *de matrim. D.* 34 *num.* 61. & alij, inter quos Filliuc. *supr. num.* 361. monet quod, quamuis in dispensatione concessa ad matrimonium irritum reualidandum præcipiatur, vt ante dispensationem fiat experientia, an coniuges sine scandalo separari possint: deinde an possint simul viuere tanquam frater, & soror; potest nihilominus Confessarius, si id aliunde nouit, statim dispensare, nisi speret fore vt experientia sit allatura aliquam vtilitatem; quamquam moraliter loquendo, rarissimè, aut numquam necessaria sit talis experientia; cum communiter concurrat periculum scandali, atque incontinentiæ, & frustra expectetur euentus, cuius nullus futurus est effectus, *cap. cum contingat, de offic. deleg.* vnde hoc totum remittitur iudicio Confessarij, vt constat ex tenore literarum, quæ à sacra Pœnitentiaria transmittuntur.

QVÆRES XXXVI. An, & qualiter teneantur Regulares dilaniare literas sacræ Pœnitentiariæ ipsis commissas iuxta clausulam in iis contentam, quod dictæ literæ dilanientur, vel comburentur, & parti non dentur: aliàs non valeant.

Respond. sic teneri, vt, si, vbi illas expedierint, eas tradant pœnitenti dispensato, ipsi quidem Regulares incurrant pœnam, si qua continetur in præfatis literis, dispensatio verò remaneat valida pro foro conscientiæ, & inualida pro foro externo; ita vt sensus illorum verborum, *alias non valeant*, sit iste: quod, cum eæ literæ dentur solùm pro foro conscientiæ, nullo modo suffragari possunt pro foro externo. Ita Filliuc. *tract.* 10. *num.* 357. Portel. *de dub. regul. ver. Confessor, aper. num.* 12. & alij hinc inferentes præfatas literas non debere relinqui in manibus pœnitentis, sed Confessarium debere illas lacerare, aut comburere, vel certè retinere apud se ad aliquem vsum materialem (v. g. ad inuoluenda aliqua scripta.) 249.

QVÆRES XXXVII. An, & quomodo Regulares gratis expedire debeant literas sacræ Pœnitentiariæ, attenta clausula iis solita apponi à tergo, *Gratis vbique.*

Respond. debere ita gratis expedire, vt nihil possint exigere pro earum expeditione, ne quidem per viam compositionis; quod ita est verum, vt, si semel impetretur dispensatio pro vtroque foro, & tacitum sit aliquod impedimentum, ob quod in Dataria exigi solet compositio: si postea detecto impedimento obtineatur alia dispensatio in Pœnitentiaria, non possit exigi dicta compositio, quæ aliàs fuisset imposita in Dataria. Ita Nauar. *l.* 4. *consil. de sponsal. cons.* 50. *num.* 3. & alij addentes cum Sanchez *l.* 8. *de matrim. D.* 35. *num.* 64. neque summum Pœnitentiarium pro dicta dispensatione posse quidquam recipere, neque titulo gratitudinis; quod tamen mihi non placet; cum clausula, *Gratis*, videatur solùm prohibere, ne quid recipiatur, tanquam debitum ex pacto: quod vtique non fit in casu nostro, vt patet. Certè Sanch. Filliuc. & Homob. apud Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 84. censent non debere damnari illum, qui in casu proposito reciperet aliquid titulo gratitudinis post expeditionem dispensationis; cum sic cesset ratio prohibitionis, quæ est, ne recipientis animus corrumpatur; vnde Gutier. & Homob. relati ab eodem Diana putant per verba illa, *Gratis vbique*, solùm interdici ea dona, quibus deprauari potest animus recipientis, & auelli à tramite iustitiæ. 250.

QVÆRES XXXVIII. An, & quomodo dispensatio

spensatio obtenta à sacra Pœnitentiaria possit reuocari.

251. Respond. non posse, neque ab ipsa sacra Pœnitentiaria, neque ab inferiore Confessario, cui ea fuerat commissa: nisi fortè superueniat iusta causa id faciendi. Ita Sanch. *supr. D. 33. num. 12. & 14.* patétque, quia dispensatio fit in Lege Papæ ex ipsius commissione, vique illius absoluitur subditus à vinculo Legis: inferior autem non potest eam Legem iterum illi imponere, vt patet. Dixi, *nisi superueniat ista causa*; si enim superueniat, vtique potest dispensatio reuocari: & ratio est; quia, sicut duratio dispensationis pendet à duratione causæ, itavt, ea cessante, & illa cesset; sic etiam pendet à reuocatione rationabili facta per concedentem ob legitimam causam superuenientem, vt sentiunt plures Canonistæ apud ipsum Sanchez.

Quære XXXIX. An, expeditis literis sacræ Pœnitentiariæ possit dispensatus renuntiare beneficio dispensationis, & hoc ipso maneat liber ab exequendis operibus iniunctis in ipsa expeditione literarum.

252. Respond. cum distinctione; vel enim dispensatio facta est super aliquo voto reseruato; & sic dispensatus, iuxta dicenda *quæst. sequenti*, §. *dixi*, non potest renuntiare beneficio dispensationis, nisi redeundo ad priorem materiam voti: in quo casu commutatio ei non potest ampliùs suffragari, cum iterum, renunciando dispensationi voti, se adstringeret priori voto, quod est reseruatum, ideóque non potest commutari absque noua Superioris facultate; vel dispensatio facta est super impedimento occulto matrimonij, (v. g. affinitatis contractæ ex copula illicita) super aliqua censura reseruata, irregularitate, inhabilitate, & similibus (ad hos quippe omnes effectus concedi solent dispensationes factæ Pœnitentiariæ:) & sic dispensatus renuntiare potest dispensationi; non quidem quod per talem renuntiationem reuiuiscat impedimentum, censura, irregularitas, ac inhabilitas iam sublata per dispensationem (quod non potest euenire, nisi accedat Superioris auctoritas) sed quod dispensatus possit nolle vti dispensatione concessa, v. g. nubere cum eo, respectu cuius sublatum est impedimentum, in quo tamen casu dispensatus sic renunciando non manet liber ab operibus iniunctis pro gratia dispensationis; sicque adhuc debet illa exequi: aliàs eodem tempore maneret liber, tum ab impedimento, in quo fuit dispensatus, tum ab onere implendi opera præscripta in dispensatione; quod non admittit Sanch. *l. 4. mor. cap. 55. num. 22.* præsertim, cum præfata renuntiatio sit vana, & nullum habeat effectum, quoad extinguendam, aut saltem suspendendam vim concessæ dispensationis: eum impedimentum per dispensationem ablatum non ideò reuiuiscat; vnde, eum duret beneficium dispensationis, non obstante illa renuntiatione, durabit etiam obligatio operum impositorum.

Quæres XL. An dispensationes factæ Pœnitentiariæ, si semel ab impetrante renuntientur, possint ei prodesse in casu, quo, mutata sententia, statuat iis iterum vti.

253. Respond. posse, quamdiu concedens non acceptauit renuntiationem, & persistit in eadem voluntate: quod præsumitur, *cap. maiores, de bapt.* quod tamen non habet locum, si dispensatio sit circa votum, aut iuramentum. Ita Nald. *ver. dispensatum.* t. ex Sanch. *l. 8. de matr. D. 32. n. 2. & 3.* patétque, tum quia vis dispensationis pendet à voluntate concedentis, & acceptatione eius, cui conceditur, ideoque quamdiu persistit voluntas concedentis, eò quod renuntiationem nondum acceptauerit, potest is, cui concessa est dispensatio, non obstante priori contradictione, illam acceptare, tum quia per quas causas res nascitur, per eas & dissoluitur, ac proinde, sicut ad acquisitionem dispensationis exigitur voluntas concedentis, ac impetrantis, sic & vtraque requiritur ad illius destructionem; nomine autem concedentis hîc intelligitur non Confessarius, cui committitur expeditio dictatum literarum, sed Papa, seu sacra Pœnitentiaria: ab his enim propriè manat dispensatio, Confessario se habente ad illam merè per modum executoris.

Dixi, *quod tamen non habet locum, si dispensatio sit circa iuramentum, & votum*; vt indicarem, quod si, dispensatione semel perfectè concessa, dispensatus ei renunciet, etiam solo actu interno, non potest ampliùs illa vti: cum in hoc casu renunciare dispensationi idem sit, ac velle iterum obligari eo voto, quod per dispensationem erat extinctum; vnde fit, vt dispensatus non possit ampliùs vti dispensatione iam expedita; quippe quæ non fuit concessa, nisi quoad votum emissum ante illam. Ita Sanch. *supr. num. 3.* addens secus dicendum in casu, quo dispensatio non sit perfectè concessa (vt euenit, quando summus Pœnitentiarius committit Confessario, vt aliquem dispenset super voto;) tunc enim si is, cum quo dispensandum est, renuntiet illi priuilegio, potest, mutata voluntate, eo vti, antequam dictus Pœnitentiarius acceptet dictam renuntiationem: cum priuilegium quoddam sit, quod cum eo dispensetur in illo voto, & multiplicatio talis voti facta, priusquam Confessarius vi præfatæ commissionis dispenset, non importet nouam obligationem, sed eamdem repetitam, sicque votum illud vi dictæ commissionis possit dispensari; stante quod talis commissio non potest extingui sola renuntiatione vouentis, antequam Superior talem renuntiationem acceptet. 254.

Porrò renuntiatio dictæ dispensationis acceptari non potest, nisi ab eo, qui eam concessit; siquidem valor gratiæ pendet à voluntate Superioris concedentis, ac proinde quamdiu is persistit in eadem voluntate, potest ille, cui conceditur resilire à renuntiatione, & iterum illam acceptare. Ex quo infert Sanchez *num. 5.* dispensationem subsistere, etsi impetrans literas sacræ Pœnitentiariæ ei concessas cancellet, aut concidat: cum id solùm arguat renuntiationem dispensationis, quæ tamen non eneruat vim illius, nisi à Superiore acceptetur: prætterquam quod firmitas dispensationis non pendet à conseruatione literarum, etsi illa non prosit, nisi post illarum expeditionem. 255.

Adde, quod, si duo affines dispensentur ad effectum vt possint inter se contrahere matrimonium: etiamsi alter illorum, aut etiam vterque copuletur aliis nuptiis (omissis interim iis, ad quas fuerant dispensati) & postea fiant vidui; possunt vi præfatæ dispensationis inter se coniungi matrimonio: cum per illam sublatum sit impedimentum, quod inter eos existebat, & aliàs non possit dici illud reuixisse ratione alterius matrimonij postea contracti. Ita Sanchez *n. 6.* monens idem dicendum esse etiam in euentu, quo dictum impedimentum adhuc non fuisset sublatum, eò quod Confessarius, cui commissa erat executio illius dispensationis, eam nondum esset executus; eum enim tacita renuntiatio præfatæ dispensationis à Superiore non fuerit acceptata, non extinguitur facultas alioqui concessa ad exequendam dispensationem; idque etsi Papa, aut summus Pœnitentiarius, qui dispensationem illam concesse 256.

concesserant, iam decessetint: non enim morte concedentis spirant ea, quæ habent rationem gratiæ factæ, vt itadunt DD. apud Sanch. *supr. D.28.num.64.* talis autem est eiusmodi commissio, vt patet.

Quod si hîc obitet quæras an Regulares priuilegiati possint dispensare cum eo, qui petiit dispensari à sacta Pœnitentiaria, & non obtinuit.

257. Respond. Pottellus *de dub. regul. ver. dispensare, num.*18. *in addit.* ex Sanchez *supr. D.*14. *n.*5. posse, si adsit iusta causa; & probat, quia sacra Pœnitentiaria negauit dispensationem petitam, non ideo abstulit infetiori iurisdictionem, quoad hoc ipsi competentem, neque casum illum effecit indispensabilem; sicut nec dispensandus adeundo sacram Pœnitentiariam intendit cedere iuti, quod aliàs babet petendi dispensarionem etiam ab illo inferiote. Excepit tamen Sancb. *num* 5. casum, in quo saeta Pœnitentiaria negasset dispensationem indicans non subesse instam causam dispensandi; tunc enim inferior ille non posset dispensare, nisi adueniret noua causa; cum sic, deficiente causa videatur definire in tali casu non posse licitè dispensari; quod tamen non haberet locum, si dispensatio denegata fuisset in pœnam delicti, aut personæ dispensandæ (maximè, si alioqui Pœnitentiaria solet dispensare in simili casu;) tunc quippe inferior posset dispensare: cum non teneatur attendere solùm ad causas, quas solet attendere ipsa Pœnitentiaria: sed potest dispensare si credat subesse aliàs causas sufficientes; idque, etsi inferior habeat solùm potestatem delegatam; cum delegans requirat tantùm, vt delegatus non dispenset sine iusta causa, reliquum subiiciens prudenti iudicio dicti delegati. Ita Portellus; quam probabiliter iudicent viri docti.

258. Si quis autem cupit cognoscere, quæ clausulæ exprimi debeant in supplicatione, quæ offertur sacræ Pœnitentiariæ ad obtinendam aliquam dispensationem, consulat Filliucium *tractat.* 10. *num.*351. qui rectè aduertit Pœnitentiariam, vt plurimum non dispensare in consanguinitate, cum ordinariè sit publica, adeóque spectet ad Datatiam, interdum tamen dispensare, si sit occulta, & occurrat iusta causa dispensandi.

Superest modò, vt hîc aliqua adnotemus, quæ deseruire possint ad intelligentiam dispensationum, quæ per Breue à Dataria ubrinentur in ordine ad matrimonium contrahendum: idque in gratiam Regularium, vt promptiùs expedite possint difficultates circa dictas dispensationes iis propositas; sicque

Noto 1. quod, si detur dispensatio in forma pauperis, iis scilicet verbis, *Qui, vt ipsi asserunt, pauperes, & miserabiles existunt, & ex suis laboribus, & industria tantùm viuunt:* quamuis paupertas alioqui ex qualitate personatum æstimari debeat (vt tradunt Doctores, *in l. constante, ff. solut. matr.*) quomodo nobilis habens ducenta, vel quadringenta non dicetur diues, quæ tamen si haberet rusticus, diues censeretur Mascard. *de probation. concl.*1159. *num.*14 & Menoch. *de arbitrar. casu* 65.) in nostro tamen casu hoc ipso quod in literis dispensationis supponitur dispensandos viuere ex suis laboribus, & industria tantùm, sufficienter declaratur, qua paupertate ij debeant esse pauperes; ea videlicet, vt solùm ex suis laboribus, ac industria viuant. Quamquam ex æquitate ac benigna interpretatione mentis Superiotis dispensantis piè credi possit dispensationem subsistere, etsi dispensandi tenuem tedditum babeant, sed insufficientem ad victum: æquitas quippe non scripta præfertur rigori scripto, si pro ea extet præsumptio, Gloss. *penult. in cap. si suscitata, de restitut. in integr.* Domin. *in cap. disciplina, dist.*45. & æquitas est attendere potiùs sensus, quam verba, *l.*3. *§. si quis, ff. de condit. caus. data.*

Noto 2. hîc nomen, *miserabilis persona*, non sumi, provt aliàs, sumit Spiegel. *in lexicon, v. miserabilium,* vt scilicet comprehendat etiam opulentos, si sint senes valetudinarij, furiosi, viduæ, pupilli, orphani, & similes: idque atbittio iudicis, teste Battolo *in l.*1. *C. Quant. Imp. int. pupil. & vid. cap. ex tenore, de for. compet.* hoc enim ipso quod in literis dispensationis dicitur, *& ex suis laboribus, & industria tantum viuunt,* excluduntur opulenti, vt patet.

Noto 3. separationem, quæ in dispensatione præscribitur iis verbis, *In primis ab inuicem separes*, intelligi non debere eo modo, quo similis clausula explicatur à Sancb. 7. 8. *de matrim. D.*34. *n.*60. quoad dispensationes obtentas à sacta Pœnitentiaria (eam scilicet rarissimè faciendam esse, eò, quod rarissimus sit casus, in quo ex ea separatione non subsit periculum scandali, ac incontinentiæ) nam hoc ipso, quod dispensatio Datariæ spectat ad forum externum, seruati debent clausulæ in ea contentæ: & alioqui Dataria absolutè disponit dictam separationem fieri debere: cum Pœnitentiaria bis repetat, *si fieri possit*, eamque remittat prudentiæ, ac iudicio Confessarij. Puto tamen obligationem hanc Datariæ cessaturam, si separatio fieri non posset absque notabili infamia separandorum: cùm lex humana non obliget tanto eum dispendio; vt tradunt Doctores communiter.

Noto 4. pœnitentiam publicam (quam Dataria præscribit debere imponi dispensandis, & quidem talem, vt alios deterreat à similibus committendis) ea circumspectione debere iniungi, vt consulatur famæ personæ, cui ea imponitur; qualis esset, si nudis pedibus dispensandi cogantur inuisere aliquam ecclesiam facie operta: qui enim hos vident possunt suspicari id fieri ex pœnitentia, adeóque ob graue aliquod delictum, sicque deterreri à talibus excessibus patrandis: prætetquam quod fama solet euulgare, qua de causa inflicta sit ea pœna, & sic alij deterrentur. Talis pœnitentia esset, si dispensandi coram Vicario flexis genibus in præsentia grauium aliquot virorum acriter reprehendantur de excessu patrato, & coram illis certas preces recitent, aliquoties terram deosculantes, & quidem etiam fune collo appenso, si iudicetur expediens: neque hinc timeri potest infamia dispensandorum; cùm Dataria supponat illorum delictum esse satis publicum, sicque ex tali genere pœnitentiæ publicæ non immineat periculum nouæ infamiæ.

Noto 5. quòd, cùm Dataria in Breui dispensationis dicat: *Qua pœnitentia publica peracta*, & ablatiuus absolutus importet conditionem, *l. à testatore, ff. de condit. & demonstr.* & conditio formam, *l. qui heredi, & l. Meuius, ff. eodem tit.* omissionéque formæ in quacumque minima parte vitiet actum, *l.*1. *in fine, ff. de vent. inspic.* vt aduertit Sancb. *l.*3. *de matrim. D.*5. *num* 2. consequens est, vt dicta pœnitentia impleatur ante ipsam dispensationem: quæ enim sunt de forma, sunt de essentia; cum forma det esse rei, *ff. ad exhiben. l. Iulianus, § sed si quis*; quæ autem sunt de essentia, debent præcedere; quamquam, si imponantur aliqua ieiunia obseruanda certis diebus, & adsit iusta causa anticipandi dispensationem, saltem de consensu Ordinarij, iuxta dicta *in hac subs. num.*231. *§. quod autem*, ea possent præueniri; cum designatio diei non supponatur principaliter facta in cultum temporis, & ieiunium ipsum principaliter attendatur;

intendatur : sicque non interueniat in tali casu mutatio sustantialis. Nec obstat, quòd teste Bonac. *D.3. de Sacramentis quæst.7.part.4.§.1.num.18.v.alij*, ablatiuus absolutus non semper importat conditionem ad aliquid valide agendum, sed aliquando continet modum ad licitè operandum: nam hoc procedit solùm, quando actus præuius non est tanti momenti, & iudicio prudentis viri non concernit quid substantiale (vt notat Sanch. *lib.8.de matrim.D.43.n.27.* ex Felino *c.cum dilect, num.6. in 3. & 6.signo, de rescript.*) quod non euenit in præsenti casu; cum pœnitentia publicè peragenda contineat quid substantiale, & magni momenti, vt omnes concedent.

Noto 6. quòd, si in literis Datariæ imponatur dispensandis, vt iurent se incestum non commisisse sub spe facilius habendi dispensationem, tenentur iurare veritatem, nec possunt, adhibita æquiuocatione negare, si vterque spem illam concepit, & ex ea patrauit incestum: cum sic non adsit iusta causa æquiuocandi, & tacita, vel æquiuocè negata ea spe, dispensatio est subreptitia, ac inualida, teste Sanchez *supr.D.25.num.38.* addente spem illam non esse exprimendam, si vnus solus dispensandorum sub ea spe incestum commisit, & consequenter illam ab vtroque negari posse cum aliqua æquiuocatione, etiam ab eo, qui verè habuit dictam spem: in tali enim casu iustam habet causam æquiuocandi, videlicet ne sibi negotium facessat in ipsa expeditione dispensationis sibi tunc debitè: quod item reperit Sanch. *D.35.num.8.* Nec obstat quod in priori casu dispensandi fatendo veritatem videntur se infamare: cum enim in literis Datariæ exprimatur incestus, confessio huius circumstantiæ (quod incestus sit factus sub ea spe) non addit notabilem infamiam, vt excuset à fatenda veritate ad vitandam infamiam.

Noto 7. quòd si dispensandus ad matrimonium v. g. habeat duplex impedimentum, vnum publicum, & alterum occultum, hoc que infamatorium: tunc à Dataria proponitur solùm delictum publicum, occultum verò Sacræ Pœnitentiariæ: idque ad vitandam infamiam, ita Sanch. *supr.D.23.num.7.* & constat ex dictis in hoc *cap.num.244.*

Noto 8. ex Sanchez *supr.D.36.num.16.* hoc distare inter examinationem veritatis precum, dispensationis fori interni, & dispensationis fori externi: quod in illa debet accipi sola partis informatio; quippe quæ omnino occultè fieri debet, ac sequitur leges solius fori interni: in hac autem, vt pote publica, & sequente leges fori externi, quo concessa est, ex testimonio aliorum certior fieri debet. Quamquàm, si notoria sit veritas precum, aut aliunde Iudici de ea constet, nulla opus sit informatione; cum iam conscientiæ Iudicis sit satisfactum. Quod si ignarus veritatis precum dispenset, non valet dispensatio, etsi preces in se sint veræ.

Noto 9. quòd spectat ad clausulam in Datariæ dispensationibus apponi solitam, nimirum, *ad euitanda scandala*, (quæ scandala adsunt, si timeantur inimicitiæ, ac iurgia, vel timeatur incontinentiæ periculum ratione iuuentutis; vt aduertit Sanchez *supr.D.19.num.9.* monens *num.10.* hinc inferri intellectum causæ, quæ sæpè adducitur ad impetrandam dispensationem post matrimonium initum, videlicet suboritura scandala ex dissolutione; quæ etiam solet allegari, matrimonio nondum inito, quando mulier famæ iacturam passa est ex copula habita cum consanguineo, cui nuptura, est, vel ex frequenti, ac suspecta conuersatione cum eo) ad eius veritatem sufficere probabilem timorem inimicitiarum inter vtriusque consanguineos, vel incontinentiæ ex eo quod ij sint iuuenes; &, cum sæpè non constet in foro externo impedimentum occultum, quod irritat prius matrimonium, neutri conceduntur aliæ nuptiæ, & ita in periculo incontinentiæ versabitur, vel concubinatus inter se; aut mulier ratione infamiæ non poterit competenter nubere, sicque patietur periculũ incontinẽtiæ: quæ bene debent aduerti.

Noto 10. quod si in dispensatione Datariæ adsit clausula, *Dummodò immineat periculum incontinentiæ*, & in præsentia verè nullum subsit periculum scandali, timeatur tamen probabiliter eiusmodi periculum, si denegetur dispensatio, non ideo subreptitia erit dispensatio: cum hoc ipso quod imminet periculum perseuerandi in peccato (sicut verè imminet isto casu, moraliter loquendo ex consequenti subsit periculum scandali: siquidem talia commercia in longum protracta difficilè manent occulta.

Noto 11. dispensationem Datariæ ad contrahendum cum affine ex copula quæ in literis ex errore supponitur adulterina, cum re vera fuerit habita cum vidua, esse validam, ac prodesse: cum affinitas eodem modo oriatur ex naturali copula, quæ est simplex fornicatio, sicut ex illa, quæ est adulterium, sicque hæ differentiæ in subiecta materia, seu in nostro proposito materialiter se habeant, sintque omninò impertinentes ad gratiam dispensationis obtinendam. Prætetquam quod copula, quæ est simplex fornicatio continetur in copula: quæ est adulteriũ, sicut gradus quartus continetur in tertio.

Subsectio V.

De Priuilegio Regularibus concesso quoad dispensandum super Impedimento non petendi Debitum coniugale.

259 *Contrahens affinitatem cum sua vxore priuatur iure petendi Debitum.*

260 *Etsi hodie solum ad 2. gradum Consanguinitatis extendatur hoc impedimentum.*

261 *Priuatio hæc ligat vxorem cognitam à consanguineis viri.*

262 *Ad illam incurrendam requiruntur 4. conditiones.*

263 *Ea incurritur ante sententiam.*

264 *Ab ea excusat Ignorantia iuris, aut facti, imò & pœnæ: item excusat vis: qui talem priuationem incurrit, adhuc potest in aliquo casu petere debitum: coniux tamen non potest post hanc priuationem coniungi incestuoso.*

265 *Hæc priuatio non incurritur ex Cognatione spirituali.*

266 *Idque etsi talis Cognatio contrahatur extra necessitatem.*

267 *At incurritur ex voto Castitatis, aut Religionis ante Matrimonium facto.*

268 *Non item ex voto suscipiendi Ordines sacros, aut non nubendi facto ante Matrimonium.*

269 *Incurritur ex voto Religionis facto post Matrimonium non consummatum.*

270 *Item ex voto Castitatis facto post Matrimonium, sed diuerso modo.*

271 *Non incurritur ex voto suscipiendi Ordines sacros, aut non nubendi facto post Matrimonium.*

272 *Incurritur, si vterque Coniux fiat affinis, aut contrahat Cognationem spiritualem.*

273 *At cum onere reddendi debitum.*

274 *Regulares dispensant super hac priuatione, si incurratur ex copula incestuosa.*

275 *Secus, si incurratur ex voto Castitatis facto ante matrimonium; etsi olim dispensarent in aliquo casu.*
276 *Hac dispensatio non extenditur ad nubendũ de nouo.*
277 *Aliunde Regulares dispensant super hac priuatione incursa ex voto Castitatis post matrimonium emisso.*
278 *Non item, si priuatio hac incurratur ex voto Religionis.*
279 *Vt Regulares taliter dispensent, aliqua requiruntur.*
280 *Non dispensant in hoc extra Sacramentum Pœnitentiæ.*
281 *Dispensatio facta ex facultate falso præsumpta potest ratificari, obtenta iam facultate.*
282 *Regulares in hoc dispensant, etiam cum absente.*
283 *Dispensant quoscumque accedentes.*
284 *In hac dispensatione nullum opus iniungunt.*
285 *Non dispensant sine causa.*
286 *Non dispensant super hac priuatione incursa ex adulterio.*

QVÆRES I. In quo consistat tale impedimentum, & quo iure inductum sit.

259. Respond. consistere in hoc quod coniux committens incestum cum consanguineis alterius coniugis non possit amplius petere debitum ab illo, teneatur tamen ei reddere; inductum verò fuisse iure Ecclesiastico; nempe *in cap. 1. de eo, qui cognouit consang.* vbi dicitur: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiastra, nec vllo vnquam tempore poterunt se alijs matrimonio copulare*: & ex *cap. discretionem eod. tit.* vbi hæc habentur: *Sed nec affinitas post matrimonium iniquè contracta ei debet officere, quæ huiusmodi iniquitatis particeps non extitit cum suo iure non debeat sine sua culpa priuari.* ita Sanch. *l. 9. de matr. D. 27. num. 1.* addens Concil. Aurelianense relatum *in cap. qui dormierit 27. quæst. 2.* dum decidit nefas esse hunc incestuosum reddere debitum, intelligendum esse de petitione debiti; vt benè ibi exponit Glossa, ideoque minùs propriè locutum fuisse.

QVÆRES II. Ad quem gradum consanguinitatis extendatur hoc impedimentum.

260. Respond. iure nouo Concilij Trid. *sess. 24. cap. 4. de matrim.* restringi ad secundum gradum, ac proinde ex copula habita cum consanguineis proprij coniugis citra secundum gradum oriri tale impedimentum: cum olim iure antiquo communi extenderetur vsque ad quartum gradum; quo modo Tol. *l. 7. cap. 15. num. 2.* etsi scripserit post Concilium Tridentinum, ait tale impedimentum extendi ad quartum gradum: nimirum loquens de iure antiquo. ita Sà, aliique penes Sanchez. *l. 7. de matrim. D. 15. n. 4.* monet ex copula habita cum consanguineis sponsi, aut sponsæ de futuro oriri supradictum impedimentum id inde colligens quod *cap. 2. de eo qui cognouit consanguin.* dicitur: *Si matrem sponsa sue cognouit, si sponsa nunquam carnaliter adhæsit, poterit ex dispensatione cum alia matrimonium contrahere*; vbi sine dubio est sermo de sponsa de futuro: si enim esset de præsenti, non posset incestuosus cum alia contrahere ex dispensatione Episcopi.

QVÆRES III. An tale impedimentum incurratur solum à viro incestuoso, vel etiam ab vxore committente incestum cum consanguineis viri.

261. Respond. quod, quamuis textus loquentes de isto impedimento mentionem solum faciunt de viro cognoscente consanguineam propriæ vxoris, vt constat ex toto *c. de eo, qui cogn. consang.* vbi tale impedimentum statuitur; nihilominùs eodem modo incurritur etiam ab vxore; cum vir, & vxor sint correlatiui, & similiter eadem iuris dispositio iuxta regul. *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio*; maximè, cum *in cap. si quis viduam 32. q. 7.* vbi statuitur hoc idem impedimentum, sit sermo de fœmina. ita Tol. *sup.* S. Anton. *3. p. tit. 1. c. 16. §. 4.* aliique communiter.

QVÆRES IV. Qualis debeat esse incestus, ex quo oritur hoc impedimentum.

Respond. requiri primò, vt committatur cum 262.
consanguineis alterius coniugis: secundò, vt scienter tertiò, vt voluntariè: quartò, vt consummatè, dixi, *Cum consanguineis alterius coniugis*; de his enim loquitur textus, non autem de proprijs consanguineis, aut cognatis cognatione legali, vel spirituali, ad quos proinde non debet fieri extensio, cum simus in odiosis, quæ debent restringi. Dixi, *scienter*, quia sicut ignorantia excusat à culpa, sic excusat & à pœna, tale autem impedimentum est pœna, vt patet. Dixi *Voluntariè*, vt innuerem mulierem violenter cognitam à consanguineo proprij viri non incurrere tale impedimentum; quippe quæ nullius culpæ est rea, adeóque esse debet immunis à pœna, vt expressè habetur *cap. discretionem de eo, qui cogn. consang.* Dixi, *consummatè*, cum enim ratio impedimenti sit affinitas iniquè contracta si copula non sit consummata intra vas legitimum fœminæ, emittente viro semen, non producet illam affinitatem, & consequenter nec impedimentum. ita Sanch. *sup. num. 9. & seqq.* addens hoc impedimentum incurri; siue committatur incestus viuo altero coniuge, siue mortuo: siquidem *c. transmissa, de eo, qui cogn. consang.* adest textus expressus id decidens, quando vxore defuncta, is incestus admissus est; quod est contra Sotum, Henriq. Viuald. Sà, & Vegam, relatos ab eadem Sanchez, asserentes, non tamen probantes eiusmodi impedimentum non incurri, si incestus committatur mortuo iam coniuge.

QVÆRES V. An tale impedimentum incurratur ante iudicis sententiam.

Respond. incurri. ita Sanch. *l. 9. de matr. D. 30. n. 5.* 263.
cum Castr. Angel. Caiet. & alijs relatis ab ipso Sanch. qui tamen postea ingenuè fatetur nullam concludentem se inuenire rationem ad id probandum, esto putet esse certissimum; nisi, quod tale impedimentum est pœna priuatiua: pœnæ autem priuatiuæ faciliùs incurruntur; sicque vsu receptæ, & declaratæ sunt, vt nulla indigeant sententia condemnatoria, aut criminis declaratoria; quamuis id non contingat in omnibus pœnis priuatiuis: vnde mirum non est, quod aliquæ earum sententiam petant: qualis est inhabilitas ad beneficia. quare probatio huius responsionis nititur vsu testante tale impedimentum esse vnam ex pœnis priuatiuis, quæ incurruntur ante sententiam iudicis: cuiusmodi sunt etiam excommunicatio, suspensio, interdictum, & irregularitas; cum alioqui detur aliqua pœna priuatiua, quæ non incurritur, nisi post iudicis sententiam. Ex quo sequitur tale impedimentum incurri, licèt incestus sit occultus: siquidem, cum incestus sit eius naturæ, vt semper occultè committatur, rarò esset locus tali impedimento. ita Sanch. *l. 7 de matrim. D. 15. num. 13.* cum Gloss. Castr. & Gutier. contra Angel. Sylu. Sot. Sà, & Lud. Lopez, adductos à Sanch. qui sustinent istud impedimentum non incurri, si incestus sit occultus; sed improbabiliter ob rationem modò allatam, & ob ea, quibus hoc idem probat Sanch. *l. 9. de matrim. D. 27. num. 2.*

QVÆRES VI. An, & quo modo Ignorantia, tum iuris, tum facti, tum pœnæ excuset ab incurrendo tali impedimento.

Respond.

264. Respond. excusare tam ignorantiam iuris, quàm facti, & pœnæ. ita Sanchez *lib. 9. de matrim. D. 32.* etiam quidem, quoad ignorantiam iuris probatur, quia ius, in quo statuitur talis pœna, petit incestum fieri scienter, &, cum sit pœnale, restringi debet, vt petat scientiam, tam iuris, quàm facti; præterea quicumque excusatur à culpa, excusatur & à pœna; at fornicans cum consanguinea propriæ vxoris nescius talem fornicationem iure ecclesiastico reddi incestuosam, non committit formaliter culpam incestus, ergo nec debet subiacere pœnæ latæ contra instum, nempe impedimento non petendi debitum. Quod autem spectat ad ignorantiam facti constat, quia istud impedimentum verè est pœna; vbi autem ius imponit pœnam scienter aliquid facienti, ab ea excusat ignorantia facti, quæcumque ea sit (modò non sit adeò crassa, vt sit ingens temeritas ignorare, aut certè non sit affectata:) ergo, cum in præcedenti casu ius imponat talem pœnam coniugi scienter contrahenti affinitatem, vt constat ex dictis *quæst. 1.* ignorantia excusabit à tali pœna. quod est ita verum: vt, si quis accedat ad consanguineam vxoris in secundo gradu, putans esse in tertio, non incurrat eiusmodi impedimentum; cum perinde sit ignorare gradum consanguinitatis, cui ista pœna statuitur, ac ignorare ipsam consanguinitatem. Quod denique excuset ignorantia pœnæ; probatur, tum, quia quantitas pœnæ proportionari debet quantitati culpæ, *cap. fælicis, de pœnis in 6.* leuius autem fit delictum, vbi frangitur lex grauissima continens pœnas extraordinarias illis ignoratis, & adest minor contemptus legis, sicque non est æquum, vt iisdem pœnis subiiciatur; tum, quia esto non desideretur consensus subditi ad incurrendam pœnam, requiritur tamen, vt ipse consentiat in causam pœnæ, & quidem non solùm materialiter, sed etiam formaliter, prout est causa; hoc autem non euenit, nisi quando reus nouit pœnam, aut nosse debuit.

Addit Castrus Palaus *D. 3. de matrim. p. 4. num. 3.* excusari ab hac pœna coniugem cognitum per vim; cum sic immunis sit à culpa, iuxta *cap. discretionem, de eo qui cognouit:* idémque procedere de coniuge cognito metu cadente in constantem virum; cum non sit probabile pœnam istam iure ecclesiastico latam imponi peccati ita cuactè, non item de coniuge, cuius incestus sit occultus; etsi aliqui à nobis relati *quæst. 5.* in hoc dissentiant, quos citat, & reiicit Castrus Palaus *supr.*

Porrò, quamuis coniux incestuosus priuetur petitione debiti: hæc tamen ei potest permitti, si grauis suspicio sui delicti suboritura sit in alio coniuge, eo, quòd ille abstineat à debiti petitione (quod maximè procedit de vxoris incestu:) non enim credendum est ius hoc ecclesiasticum obligare cum graui honoris iactura: item petitio debiti permittitur aliquando in gratiam coniugis innocentis: si enim vxor cogeretur semper debitum petere, matrimonium ei esset onerosum, & periculo incontinentiæ exponeretur. ita Castr. Pal. *num. 4.* monens *n. 7.* ex Glossa, Conarr. Gutierr. & Sanch. coniugem innocentem posse reddere coniugi incestuoso, sed non teneri; cum is careat iure petendi; neque ex eo, quòd innocens interdum annuat, ideo teneri deinceps reddere: cum priuatio petendi sit in pœnam delicti, sicque nequeat tolli ob cessionem alterius coniugis innocentis: vt aduertit Sanch. *lib. 9. de matr. D. 6. n. 9.*

Ex quo fit coniugem innocentem non posse remittere istam pœnam coniugi incestuoso: quod in terminis docet Sanch. *loco citato.* his verbis: *cum hæc priuatio petendi debitum non sit in fauorem alterius coniugis innocentis, sed in pœnam incestus, & affinitatis contractæ, nequit coniux innocens hanc pœnam remittere.* Nec obstat, quod *cap. si vir, & cap. propostuit, de eo, qui cognouit,* dicitur ex eo, quòd innocens petit debitum ab incestuoso, videri reconciliationem factam: ibi enim sermo est de coniuge amittente ius petendi ob adulterium: &, cum talis priuatio sit in fauorem coniugis innocentis, is potest eam remittere, & censetur facta remissio per copulam subsequentem: quod non procedit in præsenti casu, in quo priuatio non est in fauorem innocentis, sed in pœnam delicti: constat autem pœnam delicti posse remitti solùm à iudice, eiusve delegato, non autem à parte læsa. Quod idem, etsi minus clarè insinuat Castrus Palaus *supr.* addens coniugem innocentem reddentem debitum non dici cooperari iniquæ actioni petentis (cum copula illa coniugalis secundùm se non sit illicita, sed solùm quatenus petitur ab incestuoso) & coniux innocens petitioni incestuosæ non cooperetur formaliter (cum eum non incitet ad petendum) sed solùm materialiter cooperando copulæ petitæ.

QVÆRES VII. An incurratur hoc impedimentum ex cognatione spirituali, quæ oriatur inter coniuges, eo quòd alter alterius, aut communem filium baptizarit, aut tenuerit in Baptismo, vel Confirmatione.

Respond. videri probabile non incurri: idque etiamsi supradicta fiant extra necessitatem; imò & malitiosè; ac in fraudem matrimonij. ita Durand. *in 4. d. 32. q. 1. art. 3. n. 11.* aliique, quos citat, & sequitur Sanchez *supr. D. 26. n. 6.* contra plurimus alios ab eodem Sanchez relatos, & probatur, quia tale impedimentum est pœna, quæ non debet induci, nisi expressa sit in iure; constat autem illud impedimentum in casu proposito nullibi esse expressum in iure: siquidem *cap. si vir, de cognat. spirit.* cui innititur opposita sententia, potius fauet nostræ opinioni, cum dicat, *siue ex ignorantia, siue ex malitia id fecerint, non sunt ab inuicem separandi, nec alter alteri debet debitum subtrahere;* quæ verba vtique non possunt explicari, quod ibi solùm statuatur coniugem nocentem non debere negare debitum innocenti, aliàs priuatum iure petendi: id enim si intendisset Papa, expressisset, vt expressit *cap. fin. de eo, qui cogn. consang.* agens de coniuge incestuoso cum consanguineo alterius coniugis: vnde cum non expresserit, signum est ipsum id nullatenus intendisse; vt quid ergo extendere præfatum impedimentum ad casum non expressum, cum pœnæ debeant restringi. 265.

Dixi, *idq; etiamsi fiat extra necessitatem,* si enim coniux in necessitate baptizet proprium filium modo supradicto, omnes conueniunt tunc non incurri hoc impedimentum: cum id expresserit Io. 8. *cap. ad limina 30. q. 1.* & meritò; cum nemo sine culpa priuari debeat iure suo. addi, *imò & malitiosè;* vt indicarem, quod, cum probabile sit non extare tale impedimentum (sicur iam ostendimus) non incurretur, quantumuis dolosè, & in fraudem matrimonij cognatio spiritualis modo supradicto contrahatur: dolus quippe & fraus non possunt inducere impedimentum pendens à iure positiuo, si re vera in iura positiuo non extet. 266.

QVÆRAS VIII. An, & quomodo incurratur hoc impedimentum per votum castitatis, Religionis, assumendi sacros Ordines, & abstinendi à matrimonio facto ante ipsum matrimonium.

Respond. ob votum quidem castitatis ita incurri hoc impedimentum, vt vouens inito matrimonio teneatur reddere debitum coniugale exigente ad id 267.

vinculo fortiori, non tamen poſſit petere, neque ante, neque poſt conſummationem matrimonij : ob votum verò religionis ita incurri, vt vouens peccet mort. matrimonium conſummando prima vice, ſiue petendo, ſiue reddendo, conſummato tamen ſemel matrimonio poſſit petere, & reddere. ita Sanch. *l.9. de matr. D.33. num.* 5. 14. *&* 15. aliique plurimi penes ipſum contra plures alios ab ipſo citatos. & quidem, quod attinet ad votum Caſtitatis, probatur reſponſio, tum, quia votum Caſtitatis continet obligationem præcepti negatiui ad abſtinendum ab omni actu venereo, ſicque obligat ad ſemper, & pro ſemper, ac proinde, licet inito matrimonio teneatur vouens reddere ratione vinculi fortioris, quod eſt matrimonium; non tamen poteſt petere, conſummato iam matrimonio, imò nec illud conſummare priori bimeſtri, ſiue oblata cauſa iuſti diuortij : cum adhuc ipſi ſit liberum, nec ad id lege matrimonij aſtringatur, tum, quia matrimonium non abſoluit ab obligatione voti præcedentis, niſi quatenus non debet contrauenire iuri illius : ius autem matrimonij cogit ſolùm ad reddendum debitum, vt patet. quod verò ſpectat ad votum Religionis, probatur reſponſio, quia ex vna parte conſummans matrimonium poſt votum Religionis conſtituit ſe in ſtatu, vt votum ampliùs implere nequeat; cum tamen aliàs, etiam inito matrimonio, illud implere poſſit ingrediendo Religionem, & ad id expreſſo voto ſe adſtrinxerit; ex alia parte vouens aliquem ſtatum non ſe obligat ad leges illius, donec illum re ipſa aſſumat, vtpote non intendens ſe obligare ad illas, niſi modo dicto; & ſic qui vouit Religionem, non tenetur ad Caſtitatem, niſi poſt profeſſionem factam; vnde fit, vt, cum vouens, matrimonio conſummato non poſſit votum Religionis implere, ipſam ingrediendo, nulla ſuperſit ratio impediens petitionem, ad redditionem debiti : quamuis alioqui mortuo altero coniuge teneatur ingredi Religionem ad implendum votum; ſicut & tenetur in caſu, quo altero coniuge adulterante, ipſe vt innocens habeat iuſtam cauſam diuortij; cum ſic ceſſet impedimentum, quod aliàs obſtabat impletioni voti : quæ locum habent etiam in eo, qui vouit Caſtitatem, & poſtea contrahit matrimonium.

268. Reſpond. ſecundò, per votum ſuſcipiendi ſacros Ordines, & abſtinendi à matrimonio non incurri tale impedimentum; ideóque vouentem, ſi in dictis caſibus nubat, poſſe non ſolùm petere, & reddere debitum, ſi iam matrimonium conſummauit, ſed etiam poſſe illud conſummare ſine vllo peccato. ratio reſponſionis eſt, quod votum aſſumendi ſacros Ordines, & non nubendi habet pro obiecto ſolum ſuſcipere ordines, & non nubere; &, ſi obligat ad abſtinendum ab actu matrimoniali, non eſt per ſe, & primariò, ſed mediatè, & ſuppoſita abſtinentia à matrimonio, ac ſuſceptione ſacri ordinis, quæ fuerunt primaria, & immediate materia voti; vnde fit, vt, ſi materia primaria non ſit amplius principalis, eò quod initum ſit matrimonium, non obliget ad ſecundaria, nempe ad abſtinendum ab vſu matrimonij; quamuis aliàs mortuo altero coniuge, teneatur abſtinere ab aliis nuptiis : cum ſic votum eſſet, non extinctum, ſed ſopitum, ſeu ſuſpenſum. quod verò vouens in caſibus propoſitis matrimonio iam inito poſſit illud licitè conſummare, conſtat, quia votum aſſumendi ſacros Ordines, aut non nubendi de ſe non interdicit petitionem debiti (vt iam oſtendimus) nec poteſt ampliùs impleri, niſi ingrediendo Religionem; ad id autem vouens non tenetur iuxta communiorem DD. ſententiam. ita Sanch. *ſup. D.33. num.* 21. *&* 22. *& D.34. num.* 3. aliique apud ipſum.

QVÆRES IX. An & qualiter incurratur hoc impedimentum per votum Religionis, Caſtitatis, ſuſcipiendi Ordines ſacros, & non nubendi emiſſum poſt matrimonium.

Reſpond. primò. Incurri, ſi votum Religionis 269.
fiat poſt matrimonium ratum, nondum tamen conſummatum, ideóque teneri vouentem non conſummare matrimonium, ſed ingredi Religionem; cum id ipſi licitum ſit, & debitum ex ipſius voto; vnde, ſi conſummet, ſiue reddendo, ſiue petendo, peccat mortaliter; quamuis matrimonio ſemel conſummato poſſint deinceps petere, & reddere, donec, ſoluto matrimonio, aut facto diuortio ratione adulterij votum præfatum impleat; ad quod vtique tenetur, vt conſtat ex dictis *quaſt. praced.* Secùs dicendum, ſi votum Religionis fiat poſt conſummationem matrimonij; tunc enim ad nihil obligat, niſi fiat pro tempore, quo matrimonium erit diſſolutum, vel quo alter coniux adulterando det iuſtam cauſam diuortij : ſic quippe votum eſt de re illicita, ac omninò prohibita, ſi fiat pro tempore, quo durat matrimonium. ita Sanch. *ſup. D.35. num.* 10. 11. *&* 12. addens *num.* 13. votum Religionis, quod alter coniux poſt matrimonij conſummationem facit ſimpliciter, & abſolutè abſque licentia alterius coniugis, & quidem nullo tempore præfinito in ſua intentione, valere, ac obligare pro tempore ſoluti matrimonij, imò & quoties id licuerit ratione diuortij; cum ſic ceſſet impedimentum, quod aliàs obſtabat impletioni voti.

Reſpond. ſecundò. Per votum Caſtitatis emiſſum 270.
poſt matrimonium ab altero coniuge incurri iſtud impedimentum, ideoque vouentem non poſſe ſub peccato mort. petere debitum, imò nec reddere, ſi votum fiat poſt matrimonium ratum nondum conſummatum, & quidem animo ingrediendi Religionem; tunc enim non poteſt reddere, quoties redditio eſt voluntaria, vt priori bimeſtri ante conſummationem matrimonij, & oblata iuſta cauſa diuortij; cum tamen aliàs votum non reddendi debitum, matrimonio iam conſummato, ſit penſus irritum, *cap. quidam, de conuerſ. coniug.* ita Sanch. *ſup. n.*23. 25. *&* 26. aliique plures apud ipſum. & certè quod vouens in caſu propoſito non poſſit petere, conſtat tum ex *citato. cap. quidam*, tum quia in *cap. placet, eod. tit.* de muliere coniugata, quæ credens virum obiiſſe profeſſa eſt, dicitur votum eius valuiſſe, ac obligaſſe, etiam viuente altero coniuge : & tamen, ſi fas eſſet debitum petere, nil valuiſſet : quod verò nec poſſit reddere in caſu, quo matrimonium nondum ſit conſummatum, patet ex dictis *quaſt.* 8. §. *Reſpond. primò*, ſi hîc ſolum addidero vouentem tali caſu non teneri ingredi Religionem : quippe qui, licèt potuerit ſe obligare ad omnimodam Caſtitatem, idque intenderit hoc ipſo quod abſolutè vouit Caſtitatem, & ad effectum illam meliùs ſeruandi, in emiſſionem voti intendit tranſire ad Religionem : talem tamen intentionem non confirmauit voto : vnde fit, vt elapſo priori bimeſtri, poſſit matrimonium conſummare reddendo; cum hoc tamen, vt numquam poſſit petere. Dixi, *animo ingrediendi Religionem*, vt indicarem vouentem in hoc caſu ſi non intendit ingredi Religionem, aut negatiuè ſe habuit non cogitans nec de ingreſſu, nec de oppoſito, poſſe etiam in priori bimeſtri conſummare matrimonium reddendo, niſi fortè intendat ingredi Religionem; quamquam talis intentio non præſumatur in ſupradicto voto Caſtitatis, niſi ſit expreſſa

expressa (idque ob arduitatem Status religiosi) non tamen posse consummare petendo ob rationem superius allegatam, quæ æquè militat in præsenti euentu. nec dissentit Castrus Palaus *sup. part. 4. § 7. num. 4.* monens tamen secùs dicendum, si in emissione voti vouens agnoscat nullum aliud superesse remedium voti exequendi, nisi ingressum Religionis: nam eo casu, (qui rarus est) censetur remedium tacitè promitti, ne promissio sit irrisoria.

271. Respond. tertiò, per votum Ordinis sacri suscipiendi aut non nubendi factum post matrimonium non incurri præfatum impedimentum; si illud emissum fuit sine animo ingrediendi Religionem; & consequenter posse non solum consummari matrimonium tam reddendo, tam petendo (si votum fiat ante matrimonij consummationem) sed etiam eo consummato, reddi, & peti debitum. ita Sanchez *sup. num.* 14. & patet, quia votum suscipiendi sacri Ordinis, aut non nubendi non obligat ad castitatem, vt vel sic prohibeat petitionem debiti, nec ad Religionem, vt impediat consummationem matrimonij, sed obligat solùm ad sui impletionem, quando vouens poterit, siue quia morte alterius coniugis matrimonium dissoluatur, siue quia superueniat iusta causa diuortij: quippe quod per vsum matrimonij non fuit extinctum, sed tantùm suspensum.

Qværes X. An, & quomodo incurratur hoc impedimentum, si vterque coniux modis supradictis fiat affinis per copulam habitam cum consanguineis alterius coniugis, aut certè cum iis contrahat cognationem spiritualem.

272. Respond. incurri, ideóque neutrum illorum posse petere debitum, etsi possint, & teneantur reddere alteri, si vterque affinitatem, aut cognationem spiritualem contraxit malitiosè, & animo defraudandi coniugem. Ita Sanchez *supr. D. 28. num 2. & 6.* aliique apud ipsum contra alios penes eundem sustinentes in priori casu proposito posse vtrumque coniugem petere, facta hinc inde compensatione: vti euenit in casu quo vterque coniux est adulter, *cap. penult. & fin. de adult.* quod tamen negant Sanchez, & alij ab ipso relati asserentes paria delicta tunc demum mutua compensatione aboleri, quando agitur de vtilitate delinquentium, & in eorum fauorem aufertur ius exigendi debitum, vt euenit in adulterio: non item, quando in pœnam delicti indicitur priuatio illius iuris; sicut accidit in casu nostro; quod confirmatur ex *cap. nosse 30. q. 1.* vbi dicitur. *Nosse desideras, vtrum mulier, quæ viri filium ex alia fœmina genitum de sacro fonte leuauerit, postmodum possit cum eodem viro copulari: si non ex consensu vtriusque coniugis factum esse probatur, non fraudentur inuicem, sed reuertantur in id ipsum*; quasi dicat à contrario sensu, secùs dicendum esse, vbi culpa fuerit communis; sicque probata manet pars prima responsionis.

273. Quod autem in casu proposito vterque coniux teneatur reddere debitum; probatur, quia talis pœna, cum sit lata iure positiuo, eodemmet iure potest temperari, ac restringi: quomodo de facto temperatur *in cap. si vir, de cognat. spirit.* vbi hæc causa æquiparatur casui, quo per ignorantiam id effectum est: in quo casu constat coniuges teneri sibi reddere; cum malitia, & fraus ipsis non debeant patrocinari: qui textus loquitur quidem de impedimento cognationis, debet tamen extendi ad impedimentum affinitatis; cum in eo sit eadem ratio. Dixi, *malitiosè, & animo defraudandi*; si enim vterque coniux incurrat impedimentum affinitatis, aut cognationis spiritualis sine malitia, ac intentione defraudandi, cum culpa tamen vtriusque; tunc neuter tenetur reddere alteri, imò nec potest, si quidem nulla alia ratione tenetur coniux reus reddere innocenti, nisi ne innocens absque culpa priuetur iure suo; vt colligitur ex *cap. discretionem, de eo, qui cogn. consang.* ac proinde si vterque coniux fuerit nocens, neuter tenebitur reddere.

Qværes XI. An, & qualiter Regulares vi suorum priuilegiorum possint dispensare super hoc impedimento.

Respond. posse in casu, quo istud impedimentum incurratur ex copula incestuosa habita cum consanguineis alterius coniugis; non quidem ex vi concessionis factæ à Pio V. Fratribus Minoribus, & relatæ à Rodriq. *tom. 1. quæst. 63. art. 1.* in hæc verba: *Possunt dicti Confessarij* (nempe Ordinis Minorum) *si sint viri docti, & iuxta formam Concilij Trid. approbati ex commissione Prouincialis dispensare in foro conscientiæ ad petendum debitum cum his, qui consanguineum, vel consanguineam sui coniugis post matrimonium carnaliter cognouerint*; sed concessione bullata Iulij II. PP. Benedictinis facta, & adducta à Rodriq. *in bullar. bulla 23. Iulij II.* Ita Lezana *tom. 1. cap. 19. n. 25.* aliique docti Neoterici; inter quos Ioan. de Lugo à me consultus ex præfata bulla Iulij II. aduertit ad vsum præfatæ concessionis pro tempore deputari debere à Superioribus localibus monasteriorum tres, aut quatuor Religiosos in qualibet domo, qui ad nutum eorumdem Superiorum sint amobiles, & dicta concessione vtantur solum in propria Ecclesia, aut domo: quæ etiam aduertit nouissimè Diana *p. 6. tract. 8. resol. 32.* ex Lezana. Ratio responsionis est, quod concessio Pij V. fuit facta viuæ vocis oraculo, ideóque sublata est in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum (de qua *in tract. de priuileg. cap. 1. sect. 5. q. 20.*) nisi quis malit sustinere dictam concessionem durare ob doctrinam traditam à Peyrino *d. quæst. 20.* è contra concessio Iulij II. fuit facta per bullam, seu per Breue summi Pœnitentiarij de speciali mandato Papæ, adeóque non debet præsumi reuocata in dicta reuocatione viuæ vocis oraculorum: quippe quæ non est facta viuæ vocis oraculo, sed per bullam editam ab habente commissionem per oraculum; sicut benè aduertit Card. de Lugo in literis ad me rescriptis de hoc interrogatus; qua de re Auersa *quæst. 19 de matrim. sect. 3. § penult.*

Respond. secundò, Regulares olim potuisse ex commissione Prouincialis dispensare cum iis, qui post votum castitatis matrimonium de facto contraxerunt, ad petendum debitum: idque ex concessione facta à Pio V. Fratribus Minoribus; vt constat ex Comp. *priuil. Societ. Iesu, ver. dispensatio, § 9.* hodie tamen non posse, eo, quod dicta concessio fuerit facta viuæ vocis oraculo, sicque cessarit, iuxta dicta *§ præced.* prout aduertit Lezana *supr. n. 26.* notat autem Auersa *supr.* quod si dicta concessio duraret, ad eius vsum sufficeret commissio Generalis. 275.

Monet autem Mirand. *in manual. p. 1. q. 47. art. 2.* ex Rodriq. *tom. 1. q. 63. art. 2.* præfatam concessionem se extendisse solùm ad dispensandum cum iis, qui ante matrimonium contractum emiserant votum simplex castitatis; non item cum iis, qui post: cum tamen fuerit petita, & concessa, quoad illos, non autem quoad hos; quamuis Episcopi etiam cum his possint dispensare ea facultate ipsis competente.

Addunt præfati Doctores dispensatos vi dictæ concessionis soluto matrimonio non potuisse denuò contrahere, & si contraherent non potuisse petere debitum absque noua dispensatione ipsis impertita, siue ab Episcopo, siue ab aliquo Regulari, qui esset approbatus ab Ordinario, & à Prouincia- 276.

li haberet facultatem dispensaudi, vt iam dictum est.

277. Illud quidem hîc benè notandum, quod aduertit Fagund. *l.2.in Decalog.cap.45.num.*20. ex Sanch.*l.4. mor.c.43.n.*12. quod licèr Regulares nnn possint per concessionem Pij V. superiùs relatam dispensare ad petendum debitum cum eo coniuge, qui nouit Castitatem post matrimonium initum: cum concessio expresè loquatur de voto Castitatis facto ante matrimonium; poterunt tamen in tale voto dispensare virtute alterius priuilegij, quod habent dispensandi in omnibus votis, quando non sunt reseruata Papæ: idque non solùm ad petendum, sed in toto voto, tam ad petendum quam ad teddendum, quoties Episcopus possit in eo dispensare eo quod à perfecta ratione voti Castitatis deficiat: quale vtique est votum Castitatis emissum post matrimonium, siue consummatum (quippe quod non est votum omnimodæ Castitatis, cum non possit obligare ad non reddendum) siue non consummatum, cum sic etiam non sit votum omnimodæ Castitatis, vtpote non obstans, quo minùs vouens sine culpa reddere possit debitum. ita Sanch.*supr.*& cum eo Portel.*de dub. regul. v. Confessor dispensans, num.* 10. aliique docti Neoterici, & satis ingeniosè.

278. Quod si quis ante matrimonium, vel etiam post matrimonium contractum, non tamen consummatum Religionem vouent, non possunt Regulares vi talium priuilegiorum dispensare cum illo, vt petat, aut reddat; siqudem neque Episcopus in tali casu potest dispensare. & priuilegia loquontur solùm de voto Castitatis. ita Sot. *in 4. de 38. quæst.* 2. *art.* 1. Sanch. *loco supr. citato*, Fagund. *vbi supr n.*21.

QVÆRES XII. Quæ conditiones requirantur ad hoc vt Regulares modis supradictis possint dispensare super hoc impedimento.

279. Respond. ad vsum quidem concessionis Pij V. tequiri, vt Regulates sint viri docti (ea scilicet doctrina, qua diximus *subsect. præced. quæst.* 4. vt sint approbari ab Ordinario, & deputentur ad id per Prouincialem, aut alium Prælatum in munere ipsi correspondentem; ad vsum verò priuilegij concessi à Iulio II. vltra ea, quæ diximus peri *quæst.* 11. opus esse, vt Religiosi sint approbati ab Ordinario (quamuis enim expresè id non requiratur in bulla Iulij II. implicitè videtur supponi hoc ipso, quod in ea dicitur concedi hoc priuilegium, vt qui confluebant ad PP. Benedictinos desiderantes eis confiteri sua peccata, possint absolui à quibusuis peccatis; & in fine additur concedi dictis Monachis, vt coniugatos, qui post contractum matrimonium consanguineas vxorum suarum cognouerunt, vel vxores, quæ à consanguineis virorum suorum se carnaliter cognosci permiserunt, à talibus excessibus absoluere, nec non cum eis, vt, non obstante affinitate superueniente debitum coniugale reddere, & exigere valeant, dispensare liberè, & licitè possint:) 2. requiritur vt sint deputati à Superiore locali, & quidem amouibiliter ad nutum ipsius: 3. vt in quouis monasterio ad talem effectum non designentur nisi 3. aut 4. (sicut iam diximus) quamquam ex bulla Sixti IV. *in bullar.* Rodriq. relata in ordine 42. non videatur testringi concessio ad certum numerum. patet responsio ex tenore ipsorum priuilegiorum, si monuero in bulla Iulij II. non requiri, vt deputati ad vsum illius priuilegij sint viri docti (sicut requiritur in concessione Pij V.) ideóque ad vsum illius sufficere eam doctrinam, quæ aliàs sufficit ad confessiones dignè audiendas. Quin etiam Diana *part.5. tract.* 13. *resol.* 46. cum Cœlestino putat Religiosos, qui non sunt è Soc. Iesu, posse dispensare in tali impedimento, licet à propriis Prælatis ad id non fuerint deputati; sic ille, quam probabili fundamento, ipse viderit; certè id reiicit Auersa *quæst.* 19. *de matrimon. sect.* 3. § *penult.*

QVÆRES XIII. An Regulares possint dispensare super hoc impedimento etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ.

Respond. videri non posse, si dispensent in terminis concessionis Iulij II. secùs, si in terminis priuilegij Pij V. ratio disparitatis est, quod priuilegium Pij V. non petit, vt dispensatio fiat in Sacramento Pœnitentiæ; quamuis alioqui requirat, vt fiat per Confessarium approbatum: siquidem nomen Confessarij est potius muneris, quam actualis exercitij, solùmque requiritur, vt pro munere audiendi confessionem sit approbatus; vnde non est cur illius priuilegij vsus restringatur ad forum tantùm sacramentale. concessio verò Iulij II. videtur petere, vt actui dispensandi præmittatur confessio sacramentalis (sicuti diximus *q. præc.*) confessio autem sacramentalis vtique non fit, nisi intra Sacramentum Pœnitentiæ, quamquam si quis id neget, stando in terminis concessionis Iulij II. non ita facilè posset conuinci falsitatis, vt constat ex dictis *subsect. præc. quæst.* 5. 280.

Dices, quid si Religiosus careat facultate præfata dispensandi, & tamen credat se illam habere, ac dispenset; potestne dispensationem ratificare, obtenta iam facultate, ac pœnitente sic dispensato manente in bona fine, sed absente?

Respond. posse ratificare; cum dispensatio sit actus iurisdictionis voluntariæ, quæ potest exerceri extra diœcesim, vt probat Sanch. *lib.* 8. *de matr. D.*31.*num.*17. hinc infereus *l.4.matr.cap.*37.*num.*32. Episcopum existentem in sua diœcesi posse dispensare cum suo subdito extra diœcesim existente, adeóque absente: licet in tali casu non sufficiat ratificatio actus præteriti nulliter facti, sed requiratur, vt de nouo fiat dispensatio per aliquem actum externum; vt ostendit idem Sanch. *lib.* 2. *de matr. D.* 36. *num.*3. *sub v. quinto v. & confirmatur*, *& num.* 11. *v. ad quintum.* 281.

Quod si quæras, an Regulares possint dispensare super hoc impedimentu, etiam cum absente.

Respond. posse non solùm virtute concessionis Pij V. sed etiam vi priuilegij Iulij II. si demus illius vsum non restringi ad forum sacramentale. ita Portel. *supr. num.* 14. (qui quamuis loquatur de concessione Pij V. consequenter tamen disserendo idem debet asserere etiam de indulto Iulij II.) patétque quia ex vna parte dispensatio non est absolutio sacramentalis, vt iuxta decretum Clement. VIII. impertiri non possit absenti: ex alia parte de ratione dispensationis non est, vt fiat in præsentia dispensati: cum Papa dispenset multos, etiam absentes, & respectu dispensationis cessent incommoda, quæ timentur in absolutione sacramentali collata absenti: dissentit Auersa *loco supr. citato*, dicens esse nimiam licentiam. 282.

QVÆRES XIV. An Regulares possint vigore supradictorum priuilegiorum dispensare super hoc impedimento cum iis, qui degunt etiam extra Diœcesim, in qua tunc ipsi Regulares commorantur.

Respond. posse dispensare cum omnibus, & singulis ad eos vndecumque accedentibus. ita Sanch. *lib.4. matr. cap.* 43. *num.* 15. & quidem, quod spectat ad concessionem Iulij II. apertè colligitur ex ipsiua bulla superiùs relata, quæ sic habet: *Et quoad Ecclesiam monastery S. Benedicti nonnulli nobiles, & aly,* 283.

tam

tam de illis, quam de alijs partibus ad dictam Ecclesiam deuotionis causa confluebant; quod verò attinet ad priuilegium Pij V. probatur, quia talis facultas concessa est Regularibus, quo minus consulerent saluti pœnitentium ad ipsos accedentium, ideóque æquum est, vt, sicut possunt audire confessiones vndecumque venientium, sic & possint cum iis dispensare; præterquam quod eiusmodi priuilegia tanquam fauorabilia debent ampliari, & facultas taliter dispensandi conceditur à Papa, qui præest toti orbi, & quidem sine restrictione ad subditos diœcesis, in qua Religiosi dispensantes pro tunc commorantur.

QVÆRES XV. An Regulares dispensantes super hoc impedimento teneantur iniungere aliquod opus pium, (v. g. aliquam eleemosynam.)

284. Respond. non teneri, imò nec posse. Ita Sanchez *l.* 3. *de matrim. D.* 10. *n.* 9. in casu non dissimili citans *num.* 8. plures contra se; & probatur, quia in Conc. Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 18. præcipitur dispensationem gratis faciendam esse: non concederetur autem gratis, si imponeretur aliquod opus: quomodo reuera gratis non celebratur Missa pro aliquo, si is obligetur ad dandam eleemosynam tertio; quod tamen non facit, quin Ordinarius præbente delicto iustam causam dispensandi, (v.g. concubinatu) possit imponere aliquam mulctam pecuniariam, non quidem propter dispensationem, sed in pœnam delicti, sicut notauit Sanch. *n.* 10.

QVÆRES XVI. An Regulares possint dispensare super hoc impedimento, etiam sine causa.

285. Respond. non posse neque licitè, neque validè. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. aliique Scholastici communiter apud Baldellum *l.* 5. *D.* 52. *n.* 1. patétque, quia voluntas Superioris, vt possit in eius lege dispensari ab inferiori (cuiusmodi sunt Regulares in casu præsenti) neque est, neque potest præsumi, nisi cum limitatione, vt dispensetur ex causa; vnde fit, vt dispensatio sine causa, tanquam vltra formam mandati, & vltra potestatem dispensantis nequeat esse valida: cum non minùs inualidè dispenset in lege Superioris, qui vltra voluntatem illius dispenset, quam inualidè disponat de bonis alienis, qui disponit vltra voluntatem domini; notat Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 3. *art.* 2. legitimam causam dispensandi in præsenti casu esse posse, si coniuges non possint se continere.

QVÆRES XVII. An priuilegia relata *q.* 11. suffragari possint ad dispensandum super hoc impedimento, quod fortè contrahatur ex adulterio, imò & super impedimento cognationis spiritualis.

286. Respond. in neutro casu suffragari: patétque ex eo, quod concessio Papæ, licèt fauorabilis, non debet ampliari vltra tenorem verborum, quibus illa exprimitur: cum ergo in dictis concessionibus solùm fiat mentio de impedimento orto ex commixtione carnali cum consanguineis coniugis, eæ non debent extendi ad impedimentum contractum ex adulterio, neque ad impedimentum cognationis spiritualis; vt benè notat Auersa *supr.* monens tamen cognationem spiritualem superueniente matrimonio non impedire coniuges à petendo debito, & consequenter non esse opus dispensatione.

SECTIO III.

Quæ priuilegia concessa sint Regularibus, quoad Sacræ Eucharistiæ Administrationem.

287 *Ad Eucharistiæ administrationem duplex requiri- quiritur.*

288 *Regularium potestas, quoad hoc est delegata.*

289 *Est limitata, quoad festum Paschatis formaliter sumptum; etsi aliàs in tali festo non teneantur Regulares dare pœnitenti schedulam confessionis præscriptam ab Episcopo.*

290 *Regulares etiam in Paschate ministrant Eucharistiam suis famulis, item Peregrinis, & vagis.*

291 *Non item tertiarijs sui Ordinis seorsim habitantibus.*

292 *Ministrant in Paschate cuiuscumque de licentia Parochi.*

293 *In ipso Paschate non ministrant, neque in alienis Ecclesijs: quamquam, si ministrent, & Parochus postea id ratificet, satisfactum sit præcepto communionis.*

294 *Parochi in Paschate Eucharistiam ministrant suis parochianis in templis Regularium.*

295 *Non implet præceptum paschalis communionis, qui de manu Regularium communicat in eorum Ecclesijs; quod alij negant.*

296 *Fideles de iure diuino tenentur communicare in mortis articulo.*

297 *In eodem morbo pluries potest sumi communio per modum viatici.*

298 *Regulares dant communionem per modum viatici et, qui de manu Parochi iam communicauit per modum viatici.*

299 *Imò in defectum Parochi absolutè dant communionem per modum viatici.*

300 *Idque ex indulto Pauli III. hanc facultatem concedentis in vrgenti necessitate: Parochi per consuetudinem possunt acquirere ius extrahendi è Regularium templis Eucharistiam ad communionem ministrandam infirmis.*

301 *Positi in mortis periculo ex alia causa, quam ex morbo communicant de manu Regularium.*

302 *Regulares Eucharistiam per modum viatici dant hospitibus apud eos ægrotantibus: item & Collegiorum, quibus præsunt, conuictoribus.*

303 *Ministrant fidelibus Eucharistiam in priuatis Oratorijs sæcularium, renuente Episcopo.*

304 *Excommunicantur, si in casu vetito ministrant Eucharistiam.*

305 *Non item in Indys Occidentalibus si id faciant de mandato Regis Catholici: item Religiosi eiecti iuxta aliquos in hoc casu non excommunicantur.*

306 *Ordinarij procedunt contra Religiosos in hoc delinquentes.*

307 *Interdum cogunt eos exhibere indultum, quoad hoc ijs competens.*

308 *Regulares in suis templis subdelegant facultatem ministrandi Eucharistiam.*

309 *Siquidem Parochi non repugnent.*

310 *Eadem facultas competit Monialibus intra sua templa.*

311 *Admissus ad audiendas confessiones non eo ipso ministrat Eucharistiam: etsi quilibet Sacerdos censeatur ad hoc approbatus, modò Episcopus non contradicat: is tamen non potest vetare, ne in templis*

templis Regularium Sacerdot sæcularis ministret Eucharistiam.

312 *Regulares Eucharistiæ ministrare possunt extra sua templa.*

313 *Ministrant & tempore interdicti.*

314 *Diaconi in necessitate ministrant Eucharistiam.*

315 *Sacerdos partem suæ hostiæ dat laico communicanti.*

316 *Item iuxta aliquos in casu aliquo, sed raro dat hostiam non consecratam pro consecrata.*

317 *Laici, neque in mortis articulo communicant sub speciebus vini; etsi alij dissentiant.*

318 *Ad præbendam Eucharistiam ægroto interdum potest interrumpi Missæ sacrificium.*

319 *Eucharistia ministrari potest qualibet hora diei: licèt non semper id deceat.*

320 *Deneganda indigno, sed non semper.*

321 *Illam ministrans in peccato mortali non peccat mortaliter.*

322 *Consecrari possunt hostia oblata post Missæ Offertorium.*

QVÆRES I. Quotuplex potestas requiratur ad ministrandam Eucharistiam.

287. Respond. requiri duplicem potestatem; nimirum ordinis, quæ iure diuino per se competit omnibus Sacerdotibus ex vi suæ ordinationis, vtpote aonexa potestati, quam habent supra corpus Domini, & potestatem iurisdictionis, quæ non competit omnibus Sacerdotibus, sed iis tantum, quibus ex officio incumbit cura animarum, vt Episcopis, Patriarchis, &c. (in quibus est ordinaria) & iis, quibus supradicti illam committunt (in quibus est delegata.) Ita Suar. *D.72. de Sacram. sect.2. sub initium*, aliique communiter addentes esse peccatum mort. ministrare Eucharistiam sine debita iurisdictione: nisi fortè excuset bona fides, & voluntas proprij Pastoris interpretatiua; quæ tamen sufficit, vt sit de futuro; siquidem in Euchatistia ministranda non requiritur iurisdictio ad substantiam, & valorem actus (quo pacto requiritur in Sacramento Pœnitentiæ (ad quod proinde requiritur iurisdictio de præsenti, sed solùm ad debitum modum, & ordinem admioistrandi tale Sacramentum.

QVÆRES II. Qualem potestatem habeant Regulares circa administrationem Eucharistiæ.

288. Respond. habere potestatem delegatam ex variis prioilegiis, quæ illis à summis Pontificibus, quoad hoc concessa sunt, & referuntur à Casarub. *in Comp. ver. communicare, & in Comp. Societ. Iesu, ver. Eucharistia*, §.2. vbi hæc habentur. *Omnes Christi fideles, quouis anni tempore, Rectorum parochialium Ecclesiarum licentia minimè requisita, possunt à nostris sacram Eucharistiam accipere præterquam festo Pascha, Resurrectionis Dominicæ, & in mortis articulo, nisi necessitas vrgeat.*

289. Quod autem in dictis priuilegiis semper excipiatur dies Paschatis, non debet id intelligi materialiter de ipso tantùm die Paschatis (vt putant aliqui cum Nauar. *cap.21. num.52.*) sed formaliter, quod scilicet Regulares non possint sæcularibus ministraxe Eucharistiam in suis Ecclesiis, quando ij communicant ad implendum præceptum annuæ communionis tempore paschatis: siue Pascha comprehendat 8. vel 15. dies (à Dominica nempe Palmarum ad Dom. in Albis, vt in Lusitania;) itavt excipiatur solum illa commuoio, quæ fit ex obligatiooe: quocumque demum die id fiat; vnde fit, vt qui ante diem Paschatis satisfecit obligationi præcepti, possit in ipso die Paschatis communicare ex deuotione in Ecclesiis Regularium; cum restrictio illa dictorum priuilegiorum, *præterquam in die Paschatis*, seu *in festo Paschatis Resurrectionis*, debeat intelligi non iuxta sonum materialem verborum, sed iotentionem, ac sensum Pontificium, qui communiooem, qua impletur præceptum Ecclesiæ, vocant communionem diei Paschatis, aut Resurrectionis. Ita Fagund. *præcept. Eccl.3. l.3. cap.2. num.* 18. ex Suarez *supra*.

An autem Regulares tempore Paschali teneantur dare schedulam, in qua fides habeatur confessionis factæ, si id Ordinarius per edictum præcipiat.

Respond. non teneri: & probatur tum ex Sixti IV. bulla, *Regimini vniuersalis Ecclesiæ*, in qua habetur Parochos debere admittere ad Eucharistiam eos, qui confessi sunt sua peccata Regularibus, siue schedula requisita; tum ex Benedicti II. Extrauag. *Inter cunctas*, in qua dicitur Parochos debere credere pœnitentibus in casu proposito, nec aliquid aliud quærere. Ita Moronus *resp.21.* addens consuetudinem induci non posse obligationem daodi præfatas schedulas; cum obstent priuilegia ad hoc Regularibus concessa, & priuilegia communitati concessa non amittantur per actus subditorum, actúsque particularium personarum noceat vniuersitati, *cap. accedentibus, de priuilegijs*.

QVÆRES III. An Regulares, non obstante exceptione præfata diei Paschatis, possint ipsa die Paschatis ministrare Eucharistiam famulis, ac domesticis, peregrinis, & vagis, aliisque tunc non habentibus copiam proprij Parochi.

Respond. posse ministrare, propriis quidem fa- 290.
mulis, ac domesticis in monasterium degentibus ex priuilegio bullato Leonis X. concessu Patribus Minimis, & relato à Peyr. *tom.1. priuil. Constit.4. Leon. X.* §.3. in hæc verba: *Vt Fratres Ordinis Minimorum huiusmodi dictarum domorum famulorum pro tempore in habitu sæculari eis deseruientium, quoties opus fuerit, etiam Paschatis tempore, & in mortis articulo in eorum domibus & Ecclesijs huiusmodi confessiones audire ipsisque & eorum cuilibet Eucharistiæ, & extremæ Vnctionis Sacramenta ministrare*, &c. Aduenis verò, peregrinis, & vagis, quibus nulla est propria Parochia, ex eo, quod, cum isti saltem tunc careant Parocho, & Parochia, quoad ipsos cessat ratio prohibitionis, quæ erat, vt omnes fideles, saltem in Paschate agnuscerent se teneri præstare proprio Parocho debitam obedientiam; quæ ratio probat intentum, tam, quoad mercenarios, & locantes operas suas ad tempus, ideóque in festo Paschatis degentes extra propriam parœciam: quàm quoad eos, quorum Parochus, instante præcepto communicandi, abest, aut renuit ipsis ministrare Eucharistiam; nec non quoad eos, qui vrgente præcepto communionis non possunt adire propriam Parochiam, ac licentiam petere à Parocho, quamquam illi teneantur postea quamprimum significare proprio Parocho se communicasse: qui Parochus non potest cogere ipsos ad iterum communicandum in Parochia. Ita sentiunt de famulis, ac domesticis Portel. *de dub. reg. ver. Sacramentorum administr. num.9.* idem concedens de famulo coniugato dormiente noctu extra monasterium, ac ægrotante in ipso monasterio; de aduenis, peregrinis, & vagis, Fagund. *supr. cap.5. num.10.* aliique communiter penes ipsum; de mercenariis, Portel. *supr. num.6.* & Sanchez *l.3. de matrim. D.23. num.*18. de iis denique, qui ex iusta causa non possunt adire Parochiam, aut habent Parochum absentem, vel renuentem exequi munus suum, Peyrin. *tom.1. priuil. constit.1. Iulij II. num* 91.

QVÆRES IV. An Regulares possint propriis Tertiariis

Tertiariis administrare Euchatistiam sumendam ex obligatione præcepti annui.

291. Respond. non posse, si ij priuatim habitent in suis domibus: idque ex decreto Leonis X in Concilio Lateran quod refert Rodriq. *supr. art.* 10. addens tali decreto non comprehendi fœminas promittentes Castitatem vidualem, seu virginalem sub modo viuendi Tertiariorum: hæ enim fruuntur priuilegiis Fratrum sui Ordinis, vt diximus *cap. 1. sect. 3. quæst. 7.*

QVÆRES V. An Regulares in Paschate possint ministrare Eucharistiam iis, qui à propriis Parochis habuerunt liberam facultatem communicandi apud illum Sacerdotem, quem maluerint.

292. Respond. posse, non obstante quod in Clem. adducta *quæst.* 13 excommunicentur Religiosi, qui sine expressa Presbyteri parochialis licentia præsumunt ministrare Euchar. &c. ita Azor. *part. 1. lib. 7. cap. 41. quæst. 6.* aliique & patet, quia per ly *expressa*, non requiritur, vt fiat specialis nominatio Religiosorum quibus datur licentia, vt conferre possint Eucharistiam, sed solùm vt exprimatur Sacramentum, ad quod suscipiendum conceditur facultas.

QVÆRAS VI. An Regulares saltem extra proprias Ecclesias licitè possint ministrare Eucharistiam fidelibus ex obligatione communicantibus, cum iure communi solum prohibeantur id facere in suis Ecclesiis.

293. Respond. non posse; cum quilibet Christianus tunc teneatur communicare in propria parœcia, vel saltem in aliena de consensu proprij Parochi (idque ex *cap. omnis vtriusque sexus, de pænit. & remiss.* vbi statuitur, vt quisquis à proprio Sacerdote corpus dominicum in Paschate recipiat) & Nicolaus V. aliique Pontifices in priuilegiis concessis Regularibus, quoad Eucharistiæ administrationem semper excipiant tempus paschatis, vt patet ex dictis. ita Beia *part. 4. resp. casu* 4. & patet, si aduertetur ly *in propriis Ecclesiis*, stare materialiter, & prohibitionem supradictam comprehendere tam Ecclesias alienas, quam proprias: eum in vtrisque militent eædem rationes.

Addo communicantem in Paschate de manu alieni Sacerdotis sine licentia proprij Parochi censeri posse præcepto Paschalis communionis satisfecisse, si postea proprius Parochus ratam habeat talem communionem: nam ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, *l. fin. C. ad Senatusconf. ma. l. licet, ff. de indic. reg. 10. de regul. iur. in 6.* & hoc maximè procedit, attenta doctrina, quam tradit Sà *v. Eucharistia num. 7.* his verbis: *Qui in Pascha transgressus præceptum non communicauit, non peccat iterum mortaliter, si postea non communicet* (& si quidem contrarium affirmant) *semel enim tantùm id præceptum obligat, scilicet in Pascha, vt & præceptum de confessione semel in quolibet anno.*

QVÆRES VII. An Parochi sæculares de licentia Regularium possint suis Parochianis ministrare Eucharistiam in Ecclesiis ipsorum Regularium; ita vt dicti Parochiani satisfaciant præcepto communionis annuæ.

294. Respond. posse; & probatur, tum, quia finis Ecclesiæ præcipientis, vt quilibet in paschate communicet in propria parochia est, vt adeat proprium Parochum, & de manu illius communicet; vt decernitur in citato *cap. omnis*: in præsenti autem casu verè aditur proprius parochus, & de manu illius sumitur Eucharistia, estque per accidens, vt id fiat in aliena Ecclesia, tum, quia parochiani in Ecclesiis Regularium communicantes de licentia Parochi, totum implent præceptum, etsi communicent de manu ipsorum Regularium; tum, quia Regulares habent ad id speciale indultum à Iulio II. quod refertur *in comp. priu. v. communicare*, & fuit concessum potius ad tollendos scrupulos, vt aduertit Fagund. *supr. lib. 1. cap. 5. num.* 18. ita Beia *supr.* Medina, Henriq. & Corduba relati à Fagundez.

QVÆRES VIII. An sæculares satisfaciant præcepto annuæ Communionis, si eam recipiant à Regularibus in templis ipsorum Regularium.

Respond. quod, quamuis Beia, Rodriq. & Sorbus, apud Fagundez *vbi supr. num.* 13. non improbabilem putent partem affirmantem nixi quodam priuilegio per Nicolaum V. concesso monasterio B. Mariæ de Guadalupe anno 1458. & per Cardinalem Antonium Pauli III. Pœnitentiarium de mandato eiusdem Pauli III. extenso ad capellas, grangias, & alia loca præfati monasterij, nec non per Pium IV. & V. ad omnia monasteria eiusdem Ordinis, ac proinde etiam communicato Religiosis aliorum Ordinum communicantium de priuilegiis dicti Ordinis; absolutè tamen in praxi sequenda videtur pars negans, ne alioqui & Episcopi, & Parochi grauius offendantur: maximè cum fundamenta partis affirmantis non sint adeò valida, vt possimus illam sequi. ita Fagund. *num.* 16. & ante illum Rodriq. *tom. 1. quæst. 56. art.* 3. dicens Regulares debere vti dicto priuilegio non passim, sed prudenter, & cautè: præsertim cum illud sublatum videatur per non vsum hoc ipso, quod Regulares nullibi Eucharistiam administrant ad faciendam communionem ex obligatione præcepti, & ipsi fideles existiment se non satisfacere præcepto, nisi communicent in propria. Quamquam talis ratio facilè eludi posset, si dicas cum Rodriq. *supr.* quod, cum Sixtus V. ex certa scientia, & de plenitudine potestatis confirmauerit omnia priuilegia Fratrum Minorum, omissa clausula, quatenus sunt in vsu, imò & de nouo concesserit; etiam præfatum priuilegium supponitur confirmatum fuisse ab eodem Sixto V. & de nouo concessum per viam communicationis; vnde, cum ista noua concessio sit adeo recens, non potest contra illam allegari non vsus, qui legitimam inducat præscriptionem. Priuilegium verò Nicolai V. refertur *in comp. S. Hieron. v. communicare, §. 2. & 6.* his verbis: *Deputati, vel pro tempore deputandi Confessores in monasterio B. Mariæ de Guadalupe Sacramenta Eucharistiæ quibuscunque personis ad prædictum monasterium confluentibus, etiam in die Paschatis ministrare liberè, & licitè possint Diœcesanorum, aut cuiuslibet alterius licentia minimè requisita.* 295.

De hoc priuilegio agit Castr. Pal. *tract. 21. D. vn. part. 19. num. 4. & 5.* illudque maximè confirmat soluendo ea, quæ eius firmitati obstare: etsi dicat se non audire illud probare (sicut nec audent Fagund. *præc. 1. Eccl. l. 1. cap. 5. num. 16.* & Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 6.*), cum verosimile non sit extensionem factam à Pio IV. & Pio V. admissam fuisse à Religiosis S. Hieronymi (ea namque vsi non sunt vnquam) & multo minus admissam esse à Religiosis aliorum Ordinum, & de nostra Societate id certum esse, tum ex Constitutionibus *part. 7. cap. 4. §. 5. in declarat.* tum ex *Comp priuil. v. Eucharist. §. 2.* tum ex bullis Pauli III. hac de re editis in fauorem Soc. in quibus omnibus excipitur Paschalis communio, quæ excepta non fuisset, si dictum priuilegium à nostris admissum esset, eoque vti liceret: priuilegium autem vt vim habet, debet acceptari. Quamquam posset dici ex dictis *cap. 1. num.* 88. priuilegium hoc, etsi non fuisset acceptatum à Religiosis

ligiosis S. Hieronymi (quibus primò concessum est) potuisse, & posse acceptari à Religiosis aliorum Ordinum participantibus de priuilegiis dictorum Religiosorum S. Hieronymi: præterquam, quod non potest dici amissum hoc priuilegium per renuntiationem factum à Regularibus; cum non constet talem renunciationem fuisse acceptatam à Papa; & alioqui renuntiatio priuilegij debeat perfici acceptatione eius, qui priuilegium concessit; vt constat ex dictis *cap. 1. num. 40.* possitque renuntians, mutata voluntate, velle vti priuilegio sibi concesso, vsque dum sit acceptata eius renunciatio (vt bene ostendit Bordonus *tom. 1. resolut. 51. num. 112. in simili.*) Accedit, quod difficile est Religiosos amittere sua priuilegia per præscriptionem (vt ostendimus *c. 1. n. 113.*) sicque iuxta paulò ante dicta possent Regulares in præsentia velle vti præfato priuilegio, etsi antea vsi non fuissent. ita doctus ac ingeniosus Recentior aduersus Castri Palai doctrinam hic positam: quàm probabiliter, iudicent viri docti.

QVÆRES IX. An, & quando Regulares licitè possint ministrare Eucharistiam sæcularibus in articulo mortis existentibus, etiam per modum viatici.

296. Respond. responsione suppono 1. ex Suar. *D. 69. de Sacr. sect. 3. §. dico 1.* iure diuino extare præceptum communicandi in periculo mortis, illudque impleri per vnicam communionem factam intra tempus dicti periculi; cum tale præceptum iubeat solùm sumere Viaticum in eo periculo: quod vtique sufficienter impletur per vnicam communionem factam animo illud implendi. Quamquam, cum tempus dicti periculi habeat latitudinem, etiam plurium dierum, & hoc præceptum sit affirmatiuum, non obligat pro singulis momentis, aut diebus illius temporis, sed determinatio illius esse potest arbitraria; vnde si status morbi, ac periculi nondum peruenerit ad talem statum, vt continuò, & pro eodem die obliget ad communicandum, & ægrotus velit communicare ex deuotione sine animo tunc implendi præceptum, aliàs habens propositum petendi viaticum alio die de manibus Parochi, dato quod periculum crescat, & obligatio censeatur magis vrgere; tunc potest infirmus communionem sumere à non Parocho, manente tamen integra obligatione diuini præcepti pro dicto periculo, vbi ad illud peruentum fuerit; sicut è contra, si ægrotus communicauit tempore apto ad implendum dictum præceptum, & quidem animo illud implendi, & adhuc per plures dies perseueret periculum, iterum, atque iterum potest communionem recipere à non Parocho: quod aduertit idem Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 13.*

297. Suppono 2. ex Laym. *lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 10.* & aliis apud ipsum in eodem morbo posse pluries sumi viaticum, etiam à non ieiuno, si intercedant 3. aut 6. dies à prima sumptione, imò, si subsit iusta causa (vt si æger sit assuetus frequenter communicare, & difficilè abstineat) potest permitti, vt statim altera die communicet, etiam non ieiunus, si mortis periculum instare censeatur, siquidem, vt notat Suar. *D. 68. de Sacr. sect. 5.* non sola obligatio diuini præcepti est in causa, vt Ecclesia in eo articulo non obliget, vt communicemus ieiuni, sed etiam pia necessitas, quæ in mortis articulo est maxima ob tentationes, &c.

298. Suppono 3. in priuilegiis concessis Regularibus, quoad Eucharistiæ administrationem semper excipi articulum mortis: his suppositis

Respond. regulares vi suorum priuilegiorum posse non solùm ministrare Eucharistiam infirmis in lecto degentibus iuxta dicta *quæst. 2.* si deuotionis causa communicent (& quidem etiam constitutis in articulo mortis, modò non communicent ad implendum præceptum, de quo *supp. 2.*) sed etiam per modum viatici, nempe non ieiunis, si dictum præceptum iam debitè impleuerunt: idque non semel, sed iterum, si per plures dies duret mortis periculum. ita Suar. *loco superius allegato, num. 11. & 12.* patetque ex dictis, si solùm ostendamus Regulares posse ministrare Eucharistiam per modum viatici; quæ est vltima pars responsionis, & constat, tum ex dictis in suppositis; tum, quia, si quid obstat contra illam, maximè obstat prohibitio, de qua *suppos. 3.* ac hæc non obstat, cum per eam Regulares solùm prohibeantur sæcularibus existentibus formaliter in periculo mortis (qui scilicet in tali periculo nondum communicarunt de manu Parochi ad implendum diuinum præceptum modo supradicto) non autem iis, qui sunt in periculo mortis solùm materialiter: quales sunt infirmi (de quibus hic loquitur) quippe qui iam communicarunt de manu Parochi animo implendi dictum præceptum, ideóque non amplius continentur sub ea prohibitione.

Vtrum verò Regulares, absente, aut aliter deficiente Parocho, licitè possint Eucharistiam ministrare sæcularibus existentibus in probabili mortis periculo.

Respond. posse: idque non solùm ex priuilegio, 299.
teste Henriq. *lib. 8. cap. 55. num. 1.* concesso PP. Dominicanis à Sixto IV. & à Leone X. in Conc. Later. (dummodo denegatio probetur facta sine legitima causa, aut requisitio coram Notario publico facta doceatur) sed etiam de iure communi, seu potius ex priuilegio inserto in corpore iuris. ita Fagund. *præc. 3. Eccl. lib. 3. cap. 2. num. 20.* pro se adducens alios, asserensque hanc opinionem omnibus bene pensatis sibi videri tenendam, & sine scrupulo sequendam, tum propter auctoritatem DD. quibus contradicere in re adeo pia durum est: tum, quia talis opinio est magis pia, & conformis pietati Ecclesiæ. ratio autem responsionis est, quod sumptio Eucharistiæ in articulo mortis, si decenter, ac reuerenter suscipi possit, est medium necessarium ad salutem: at in præsenti euentu suscipi potest decenter, ac reuerenter, vt patet, ergo.

Nec obstat, quod Paulus III. in priuilegio supe- 300.
riùs adducto excipit articulum mortis; non enim loquitur, quoad præsentem casum; vel certè loquitur iuxta opinionem contrariam negantem, quod Regulares possint in tali euentu ministrare Eucharistiam, interim tamen non damnans nostram sententiam, vt aduertit Fagund. *num. 24.* monens *num. 21.* ex hac doctrina non sequi, quod Regulares possint Eucharistiam ministrare sæcularibus ab implendum præceptum annuæ Communionis, si deficiat Parochus, aut iniustè neget licentiam: nam necessitas implendi tale præceptum non adeo vrget, impotentia tunc excusante.

Difficultas hic facere potest, quod Paulus III. Religiosis Soc. nostræ in bulla *Cum inter*, concedens facultatem ministrandi Eucharistiam quocumque anni tempore, præterquam in Paschate, & in mortis articulo, addit, *nisi necessitas vrgeret*, sicque limitare videtur exceptionem communionis Paschalis: ita vt iuxta Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 8.* exceptionis limitatio procedat non solùm, quoad articulum mortis, sed etiam, quoad festum Paschatis, adeóque in tali festo posse fideles à Religiosis

giosis Soc. suscipere commonionem præceptam, si necessitas vrgeat, quomodo vrget, si non possit adiri Parochus, vt Eucharistiam ministret, aut licentiam concedat, imò, & quando constet cum malitiosè licentiam denegare; tunc enim vrget necessitas sumendi communionem à Religiosis. Et dicit Castr. Pal. *tract.* 21. *D. vnic. part.* 19. *num.* 6. esse probabile, contrarium tamen doctrinæ, quam tradit idem Suar. *D.* 72. *de Sacr. sect.* 2. *fine*; nempe fideles non astringi ad communionem Paschalem, nisi quando adest Sacerdos, qui legitimè ministret, sicque in casu isto non vrget necessitas, de qua loquitur Suar. vnde Suar. si velit procedere consequenter, deberet hoc negare.

Vtrum verò ex consuetudine immemorabili possint Parochi ius acquirere extrahendi ex templis Regularium aliàs exemptorum ad vsum suorum parochianorum.

Respond. Riccius *part.* 4. *decis. decis.* 352. acquirere: & probat, tum ex resolutione Rotæ Romanæ, coram Serephino facta 23. Octobr. 1579. tum quia per priuilegiom non censetur derogatum consuetudini immemorabili, & per hanc ipsum priuilegium amittitur; sicque ea non reuocatur, etiam dum reuocatur consuetudo, nisi de ea fiat specialis mentio, vt tradit Diana *in summa ver. vsus, & consuetudo*, citans Bordonnm, & ad id referens decrationem quamdam Sacræ Congregationis; cum quo Diana sentiunt Ruinus, Aymon, Couar. Rota, & Garcias, relati ab ipso Riccio.

QVÆRES X. An Regulares vi suorum priuilegiorum possint ministrare Eucharistiam sæcularibus, constitutis in probabili periculo mortis, eò quod v. g. inchoaturi fiot longam, ac periculosam nauigationem.

301. Respond. de rigore iuris non posse, si mortis periculum sit tale, vt iudicio prudentis censeatur vrgere obligatio diuini præcepti de communicando, sicque communionem non esse sumendam, nisi à proprio Parocho; idque, siue mortis instantia sit adeò proxima, ac certa, vt vocetur articulus mortis; siue sit magis distans, ac dubia, & appelletur periculum, in praxi tamen videri oppositum esse in vsu; siue quia in propositis casibus non præsumitur subesse tantum periculi, vt inducat præfatam obligationem communicandi, aut certè hic, & nunc non cogitatur de tali obligatione; siue quia in hoc proceditur bona fide fundata in præsumpta voluntate Parochorum, qui quoad hoc non censentur inuiti: cum id ipsis non cedat in contemptum, aut aliud præiudicium. Ita Suarez *supr. num.* 14. & patet, quia Regulares iuxta dicta non possunt ministrare Eucharistiam existentibus in periculo mortis: personæ autem prædictæ non existunt in periculo mortis; quæ doctrina proportionaliter militat, quoad feminam proximam partui, si verè timeatur periculum: & quoad damnatos capitaliter, quibus etiam non ieiunis, putat Sà *ver. Euchar. num.* 2. posse præberi communionem vna hora ante mortem, cum præbeatur per modum viatici: quod etiam docet Fagund. *supr. l.* 1. *cap.* 4. *num.* 3.

QVÆRES XI. An Regulares absque Parochorum licentia possint ministrare Eucharistiam, etiam per modum viatici sæcularibus hospitibus intra illorum monasteria ægrotantibus.

302. Respond. Peyt. *tom.* 1. *priuil. Constit.* 1. *Iulij II. n.* 92. posse; probátque ex priuilegio bullato Pauli IV. concesso Patribus Minimis, & relato à Rodriq. *in bullario Constit.* 2. *Pauli IV.* in qua indulgetur dictis Patribus, vt possint Sacramentũ Pœnitētiæ infirmis, etiam extra domos, atque monasteria, & Sacramentum Eucharistiæ ministrare, excepto die Resurrectionis: non quidem deferendo illud per vicos, & plateas (quod est proprium Parochorum) sed in capellis priuatis in propriis sæcularium domibus consistentibus cum debita facultate erectis factum conficiendo, indéque dictos infirmos communicare, vt explicat Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *l.* 9. *c.* 3. *n.* 12. & quidem etiam per modum viatici, subdit Peyrinus addens hoc ipso quod, conceditur Regularibus ministrare Eucharistiam per modum viatici extra propria monasteria, à fortiori ipsis concedi, vt id faciant in suis Conuentibus, iuxta regulam 53. in 6. *Cui licèt quod est plus, licèt vtique quod est minus*; et autem minus Eucharistiam ministrare per modum viatici intra monasteria propria, quam extra illa, vt patet; ex qua regula, aliisque iuribus infert idem Peyrinus *n.* 93. Regulares vigore dicti priuilegij posse præfatis hospitibus ministrare etiam extremam Vnctionem; sic Peyrinus, quàm probabiliter, viderit ipse: certè Graff. *p.* 2. *decis. l.* 3. *c.* 23. *n.* 19. & Rodriq. *tom.* 2. *q.* 62. *art.* 1. quos pro se adducit, non ita plenè ipsi fauent; cum Peyrino sentiunt Peregrin. *in Comp. 1. p. tit. communicare, n.* 3. & Lezana *ver. Eucharistia, num.* 10. & Portel. *de dub. regul. ver. Sacramentorum administratio, in additione*; à quibus non dissentit Cespedes *de exempt. cap.* 6. *d.* 129. *num.* 2. dicens ex Portello priuilegium Pauli IV. non fuisse reuocatum; etsi postea subdat praxim, quoad hoc diuersam esse.

An autem Regulares vi dictorum priuilegiorum ministrare possint Eucharistiam per modum viatici conuictoribus Collegij, aut Seminarij, quibus ipsi præsunt, si illi existant in articulo mortis.

Respond. posse; & probatur, tum ex praxi Religiosorum, qui solent præesse eiusmodi Collegiis, ac seminariis: tum ex ratione adducta à Peyrino pro præcedenti responsione ex priuilegio Pauli IV. ibi relato, quæ etiam in isto casu habet locum, vt considerandi facilè constabit.

QVÆRES XII. An Regulares ministrare possint Eucharistiam in priuatis Oratoriis sæcularium, contradicente Ordinario loci.

Respond. Portell. *tom.* 2. *resp. mor. casu* 2. ex Suar. Rodriq. Villalob. Ioan. de la Cruz posse; & probat, 303. tum ex multis priuilegiis concessis Regularibus ad ministrandam Eucharistiam extra suas domos, & Ecclesias ab ipso Portello relatis: tum quia eiusmodi priuilegia, cum sint papalia, non possunt tolli ab Ordinario loci, vtpotè inferiori, nec sunt abrogata aliunde (vt supponit Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *l.* 9. *cap.* 3.) tum quia à dioecesis non fit illatio, ideóque ex eo, quod Episcopus vi Concilij Trid. *sess.* 22. *in decreto de obseruand. in celebrat. Miss.* potest vetari Regularibus, ne celebrent in Oratoriis priuatis, non fit ipsum item posse iis prohibere, ne ministrent ibi Eucharistiam; quod est quid diuersum, vt notauit P. Cespedes *supr. d.* 130. *num.* 4. addens *n.* 6. non obstare dictis, quod Paulus III. concedit Regularibus priuilegium ministrandi Eucharistiam sæcularibos, cauet, ne id fiat cum aliorum præiudicio: nam extant alia priuilegia eamdem facultatem concedentia absque illa limitatione.

QVÆRES XIII. Sub qua pœna probibeantur Regulares ministrare Eucharistiam sæcularibus in casibus non concessis.

Respond. prohiberi sub pœna excommunicationis maioris ipso facto incurrendæ, & reseruatæ Papæ; quæ habetur in Clem. *religiosi, de priuileg.* & à nobis explicatur *in tract. de pœnis, cap.* 2. *sect.* 2. *n.* 101. 304.

interim conſulantur Nauar. *cap.* 27. *num.* 102. & Suar. *D.* 72. *de Sacr. ſect.* 2. aliique DD.

An autem dictam excommunicationem incurrant Regulares, qui in Indiis occidentalibus Euchariſtiam adminiſtrant cum facultate Regis Hiſpaniarum, adeóque Epiſcopi poſſint procedere contra ipſos.

305. Reſpond. Non incurrere. ita Miranda *tom.* 1. *man. q.* 41. *art.* 6. ex Rodriq. *tom.* 1. *q.* 56. *art.* 11. & probatur ex eo quod ſuppoſita donatione noui Orbis facta Regibus Catholicis ab Alexandro VI. poſſunt illi auctoritate Papæ ipſis delegata dare Regularibus licentiam miniſtrandi Euchariſtiam, & alia Sacramenta fidelibus ibi exiſtentibus: vnde fit, vt Regulares ibi Sacramenta miniſtrantes non poſſint dici id facere ſine licentia, & facultate; cum re vera illam habeant à Rege Catholico de mandato Papæ, qui eſt ſupremus, ac vniuerſalis Parochus totius Orbis Chriſtiani, additque Miranda Epiſcopos in hoc contradicentes Regularibus eſſe ipſo iure excommunicatos excommunicatione reſeruata Papæ: à qua non poſſunt abſolui, niſi per Papam, aut certè de licentia Prælatorum ipſorummet Regularium, de quorum intereſſe agitur idque ex indulto Leonis X. facto Fratribus Minoribus, quoad miniſtranda Sacramenta Neophytis, præcipientis ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, vt nullus eos impediat, aut impedire audeat directè, vel indirectè quocumque quæſito colore.

Putat Ceſpedes *ſup. d.* 127. *num.* 5. contra Lopez de Tarzedo Religioſum eiectum miniſtrantem Euchariſtiam contra Clementinam non incurrere excommunicationem: cum reſpectu talis Religioſi ceſſent plura, quæ militant in Religioſis non eiectis: & præiudicium non adeò graue hinc inferatur Parochis cum talis Religioſus viuat extra religionem vt Clericus.

Quod ſi quæras, an Epiſcopi poſſint procedere contra Regulares in caſibus vetitis Euchariſtiam ſæcularibus miniſtrantes.

306. Reſpond. poſſe faciendo eos publicè denunciari excommunicatos, donec de abſolutione ipſorum eis fuerit facta fides; idque nullo Religioſis ſuper hoc exemptionis, vel alio priuilegio ſuffragante; ſicut expreſsè habetur in citata Clem. *religioſi*, & aduertit Mirand. *art.* 5. addens ex communi ſenſu DD. quod, cum ad incurrendam iſtam excommunicationem requiratur præſumptio, non poteſt Epiſcopus denunciare excommunicatum Religioſum, qui ſufficienter probat ſe miniſtraſſe Euchariſtiam ex ignorantia, aut ratihabitione Parochorum.

307. Reſpond. addit Rodriq. *ſup. art.* 12. in præſenti caſu poſſe Epiſcopum cogere Regulares aſſerentes ſe miniſtraſſe Euchariſtiam ex priuilegio, vt exhibeant ipſum priuilegium: niſi fortè hoc ſit ita notorium, vt ſine iniuria peti nequeat; non poſſe tamen in dubio, an priuilegium valeat impedire, quo minùs Regulares illo interim vtantur.

QVÆRES XIV. An Regulares poſſint ſubdelegare facultatem adminiſtrandi Euchariſtiam in propriis Eccleſiis cuicumque Sacerdoti, etiam ſæculari.

308. Reſpond. poſſe. ita Fagund. *l.* 3. *cap.* 2. *num.* 16. ex Metina *l.* 1. *cap.* 11. §. 13. aſſerente poſſe quemlibet Sacerdotem, etiam ſæcularem, dum celebrat in monaſterio Religioſorum Mendicantium cum licentia Sacriſtæ miniſtrare ſæcularibus Euchariſtiam, etiam tempore Interdicti; & hoc ex indulto bullato Iulij II. conceſſo PP. Minimis, & adducto à Caſarub. *in comp. v. communicare, num.* 13. Ratio reſponſionis eſt, quod neque poſt Concil. Trid. ad miniſtrandam Euchariſtiam requiritur approbatio Ordinarij (quidquid aliqui ſomniauerint:) vt hinc patet, quod dictum Concilium *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reform.* requirit approbationem Ordinarij ſolùm ad audiendas confeſſiones: ideóque decretum illud non debet extendi vltra verborum proprietatem ad Euchariſtiæ adminiſtrationem: cum decretum illud ſit odioſum, vt pote reſtringens iuriſdictionem, ac proinde ampliari non debeat ad caſum non expreſſum.

Monet tamen hîc vnum Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *l.* 9. *cap.* 3. *num.* 11. non poſſe Religioſos Societatis (adde tu aliorum Ordinum) indulgere Sacerdotibus externis, vt in Eccleſiis ipſorummet Regularium miniſtrent fidelibus Euchariſtiam, repugnante eorum Paſtore; cum priuilegium miniſtrandi Euchariſtiam fidelibus, etiam repugnantibus Parochis ſit perſonale (id eſt conceſſum Religioſis) non autem locale, id eſt conceſſum loco; vnde Sotus *ſuprà* explicandus eſt loqui, niſi Parochi repugnent. 309.

Addit Rodriq. *tom.* 1. *q.* 56. *art.* 9. eo ipſo quod per Sixtum IV. & Leonem X. monialibus S. Claræ, earumque Abbatiſſis, ac monaſteriis, & Monialibus Conceptionis ſub regimine Fratrum Minorum conceſſa ſunt omnia priuilegia, & indulta, quæ conceſſa ſunt ipſis Fratribus, illorumque Prælatis, ac monaſteriis: hoc ipſo iiſdem Monialibus concedi priuilegium, vt in ſuis Eccleſiis per Sacerdotes ſæculares faciant miniſtrare Euchariſtiam ſæcularibus cum ſola licentia Confeſſarij ipſarum, aut etiam Capellani; idque ex communicatione priuilegiorum; quod priuilegium per viam communicationis etiam ab aliis Monialibus participatur iuxta dicta, *cap.* 1. *ſect.* 4. *q.* 13. 310.

An autem conceſſa facultate adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ cenſeatur conceſſa facultas adminiſtrandi Euchariſtiam, & è contra habita facultate ad eligendum Confeſſarium, hoc ipſo eligi poſſit etiam Miniſter Euchariſtiæ.

Reſp. non cenſeri, nec poſſe eo ipſo eligi Miniſtrum Euchariſtiæ; cum adminiſtratio Euchariſtiæ, & auditio confeſſionum ſint actus diuerſi, ac ſeparabiles; ſicque conceſſa facultas ad vnum, non neceſſariò extendatur ad alium. ita Fagund. *ſup. num.* 15. alioqui ex communi DD. concedens datam in articulo mortis facultatem ad audiendam alicuius confeſſionem, cenſeri datam facultatem etiam ad miniſtrandam ei Euchariſtiam; idque ex intentione Eccleſiæ tunc vnientis talem facultatem. 311.

Aduertit autem Ceſpedes *ſup. d.* 128. *num.* 4. quod, quamuis approbatus cenſeri poſſit ad miniſtrandam Euchariſtiam hoc ipſo quod aliquis eſt Sacerdos: ſi tamen Epiſcopus contradicat, cum miniſtratio Euchariſtiæ ſit actus, ad quem requiritur iuriſdictio, Sacerdos nequaquam debet cenſeri approbatus, & quidem, quod ſpectat ad Sacerdotes ſæculares, qui à Regularibus admittantur ad miniſtrandam Euchariſtiã, ſufficit eos ſic admitti ad hoc vt exiſtimentur approbati: quid enim operarentur priuilegia Regularibus conceſſa, vt Euchariſtiam miniſtrare poſſint etiam per alios, ſi approbatio Epiſcopi requireretur? qua de re conſulatur Suar. *de Sacram. q.* 83. *D.* 71. *ſect.* 2.

Cæterùm, licet ad miniſtrandam Euchariſtiam requiratur iuriſdictio, & quidem ita, vt Suar. *de Euchar. q.* 83. *D.* 71. *ſect.* 2. dicat peccare mortaliter eum, qui ſine debita facultate, ac iuriſdictione miniſtrat Euchariſtiam: non ideo tamen poteſt Ordinarius prohibere Sacerdotibus ſæcularibus, ne miniſtrent Euchariſtiam in templis Regularium: cum hi, teſte

teste Suarez *supr.* per sua priuilegia possint ministrare Eucharistiam in suis templis per quoscumque simplices Sacerdotes ex facultate Superioris Ecclesiæ, in qua ministrari debet Eucharistia.

QVÆRES XV. An Regulares ex suis priuilegiis possint ministrare Eucharistiam secularibus etiam extra proprias Ecclesias.

312. Respond. posse, & quidem non solùm in Ecclesiis parochialibus (si adsit licentia Parochorum) sed etiam in Oratoriis ædium priuatarum: idque non obstante Episcopi probibitione. Ita Suar. *tom.4. de relig. tract.10.l.9 cap.3. num.11.* & quoad 1. partem, quam docet Portel. *ver. Sacram. administrat. num.8.*) probatur ex concessione Paoli III. facta Religiosis Societatis, quæ est ampla, nec restringitur ad vllum locum (vt constat ex tenore illius, & maximè ex illis verbis: *Et post, seu ante Missæ celebrationem, aut aliàs Christi fidelibus Eucharistiam ministrare*; vbi ly *aliàs*, extenditur ad omnem modum ministrandi hoc Sacramentum; sicque per se non excluditur vllus locus, neque parochialis, dummodo (vt dixi) id fiat de licentia Parochorum; non enim æquum est ingredi messem alienam, inuito domino. Quoad 2. verò partem (quam sustinet Diana *p.4. tract.4. resol.14.* cum Portello *p.3. resp. mor. casu 39.* & aliis) probatur tum quia Regulares ex concessione bullata Pauli IV. relata à Rodriq. *in bullario Constit.3.* ipsius Pauli IV. habent ad id specialem facultatem, quæ sicut (quod constet) à nullo Papa fuit reuocata, ita non potest abrogari ab Episcopo, nisi ex speciali commissione ipsiusmet Papæ: tum quia tale priuilegium nequit dici antiquatum per non vsum; cum Religiosi non amittant sua priuilegia ex non vsu, nisi talis non vsus sit 100. annorum, & concurrant aliæ conditiones: quæ tamen hîc non interueniunt; præsertim conditio temporis; cum bulla Pauli IV. edita sit anno 1557. & nondum elapsi sint 100. anni.

QVÆRES XVI. An Regulares possint ministrare Eucharistiam sæcularibus, etiam pro tempore interdicti.

313. Respond. posse ex priuilegio bullato concesso Societati Iesu per Paulum III. anno 1549. in sua Constit. *Licèt debitum pastoralis officij*, quæ sic habet: *Liceat Præpositis, & de eorum etiam facultate vniuersis fratribus, & socijs societatis etiam tempore interdicti, quauis etiam apostolica authoritate appositi ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, submissa voce Missas, & alia diuina Officia celebrare, ac Ecclesiastica Sacramenta recipere, & alijs ministrare: dummodo ipsi non dederint causam interdicto, nec contingat id ipsis specialiter interdici*, sed de hoc *in tract. de pœnis, cap.4. sect.1. num.27.*

QVÆRES XVII. An Regulares, qui solùm promoti sunt ad Diaconatum, possint ministrare Eucharistiam.

314. Respond. posse, si adsit rationabilis necessitas, & id faciant iussu Sacerdotis; idque ex priuilegio Diaconis concesso in Concilio Nicæno, Arelatensi, & Carthaginensi: quamquam, cum iuxta præsentem Ecclesiæ statum vsus talis priuilegij omnino abierit in desuetudinem, valdè rarò id permitti debeat, vt notat Rodriq. *tom.1. quæst.56. art.8.*

QVÆRES XVIII. An Regulares, deficientibus particulis consecratis, possint partem hostiæ ab ipsis in Missæ sacrificio consecratæ præbere illis, etiamsi communicent solùm ex deuotione.

315. Respond. posse; ita Diana *part.2. tract.14. resol.37.* cum Sylu. Angelo, Graff. Scottia, Zanardo, Homob. & Sà, quibus addit *part.3. tract.4. resol.34.* Sancium, & Antonium de literatis; patétque quia Sacerdos sic consulit vtilitati fidelium, nec vllam facit iniuriam sacramento; cum Christus totus contineatur in singulis hostiæ particulis etiam minimis.

QVÆRAS XIX. An Regulares in aliquo casu possint præbere fidelibus hostiam non consecratam pro consecrata, & in quo.

Respond. Regulariter non posse; & probatur, tum quia sic præbetur occasio proxima idololatriæ: tum quia videtur per se malum, vt aliquis sciens, & volens proponatur alteri creaturam adorandam cultu diuino, & mentiatur esse Deum id, quod verè non est: cum sit mendacium perniciosum, ac Deo iniuriosum: quod tamen contingit in casu proposito. Ita Suar. *D.67. de Sacram. sect.4. §. circa tertiam*, ex S. Thoma, aliique DD. communiter. Quamuis secundùm aliquos opposita sententia videri posset non improbabilis, in casu grauissimæ necessitatis, cui aliter consuli non possit; dicuntur, quod, stante grauissima necessitate, aliqui DD. censent contrarium probabiliter posse sustineri, tum in casu vitandi scandalum (vt si infirmus egeat viatico, & nulla adsit particula consecrata ex negligentia Parochi: tunc enim putat Altisiod. *l.4. tract.5. q.4. in fine*, ad cauendum scandalum posse infirmo ministrari hostiam non consecratam pro consecrata:) tum ad cauendum periculum vitæ (vt si hæreticus Sacerdoti mortem comminetur, si non consecret totum panem extantem in platea; tunc quippe putat Sancius *in selectis, D.35. num.5. & 6.* posse Sacerdotem proferre verba consecrationis sine intentione consecrandi;) tum ad consulendum famæ petentis indignè (vt si peccator occultus cogatur communicare ad auertendam infamiam, iuxta S. Bonauent. Albertum, Ludouic. de S. Iuan, & Villalob. relatos à Diana *supr. tract.6. resol.83.* præberi potest ei hostia non consecrata pro consecrata, apposita tamen à tergo hostiæ non consecratæ hostia consecrata, quæ adorari possit, idque sentiente, & consentiente ipso communicante. Ratio, quia isti DD. concedunt in casibus propositis dari posse hostiam non consecratam pro consecrata, est, quod sic non præbetur occasio idololatriæ nisi materialis, quæ sicut non imputatur ad peccatum eam committendi, sic nec debet imputari permittenti ob grauissimam causam; quo pacto DD. asserunt cum Sanch. *l.2. de matrim. D.38. num.6. & 7.* à Confessario permittendam esse copulam materialiter solùm fornicariam inter coniuges, in quibus post matrimonium consummatum detegitur aliquod impedimentum dirimens, si ij sint in bona fide, & non speretur fructus ex admonitione. Vtrum auté probabilis sit opinio horum Doctorum, alij iudicent; ego illud solùm addo, quòd si ea admittatur, vt probabilis, admitti debet etiam esse probabile id, de quo olim fui interrogatus, potuisse scilicet Confessarium cuiusdam Monialis, quæ iactitabat se viuere ex sola sumptione Eucharistiæ, ei præbere hostiam non consecratam pro consecrata ad explorandum, num illa hac in re esset illusa, necne, sicque consulendum bono spirituali illius, si aliter id præstari non potuit. Cæsarius certè *l.9. hist. cap 47.* refert simile exemplum, quod approbat Thiepolus *in suis considerationibus Eucharistiæ, l.4. cap.10.* qua de re *in tract. de Monial. cap.10. num.159. §. vtrum verò, in 2. edit.* nonnihil dictum est. 316.

QVÆRES XX. An Regulares possint præbere Eucharistiam alicui sub speciebus vini, saltem in casu quo ægrotus non possit deglutire hostiam.

Respond. quod, quamuis in rigore videatur id posse fieri: cum aliàs in Græcia id fieret in simili casu, & ius diuinum communicandi in periculo mortis 317.

præferri debeat inri prohibenti sæcularibus communionem sub speciebus vini; absolutè tamen id nnn videtur permittendum, tum quia casus propositus est motaliter impossibilis; cum tarissimè ebibi possit species vini absque periculo effusionis, ac eiectionis, quin item deglutiri possit, & panis; tum qnia indiscreti Ministri facilè hinc arriperent occasionem ampliandi talem licentiam, etiam sine necessitate: tum quia ius diuinum communicandi in periculo mortis in tali casu oon obligaret, excusante impotentia; quod tamen non est præferri ius humanum diuino, sed occasione iuris humani tales concurrere circumstantias morales, vt ius diuioum desinat obligare; sic Fagund. *supr. l.3.cap.4.n.*20. ex Suarez addens hoc non obstare, quin, si ex parte ipsius Sacramenti occurrat necessitas vrgentissima, sumi possit sanguis Christi à laicis: vt si Calix aliàs deuentutus sit in manus hæreticorum: tunc enim seruare verba legis esset facere contra finem legis, qui est vitare irreuerentiam Sacramenti.

QVÆRES XXI. An Regulares possint interrumpere sacrificium Missæ ad communicaodum infirmum, & in quo casu.

318. Respond. posse; & quidem etiam post Consecrationem, si infirmus communicandus subito murbo corripiatur in Ecclesia, in qua celebratur, & mox moriturus timeatur; secùs, si infirmus sit extra Ecclesiam; cum communio per modum viatici non sit adcò necessaria; quod tamen non haberet locum in casu, quo ministrandum esset Sacramentum Pœnitentiæ alicui morituro: tunc enim Sacerdos & posset, & deberet relinquere Missam inchoatam, etiam post consecrationem custodiente interim aliquo Eucharistiam, dclara secum aliqua hostia consecrata, & extrema vnctione ad infirmum, vt audita eius confessione illi ministraret Eucharistiam, ac extremam vnctionem. Ita Laym. *l.5. tract. 5. cap.7. n.*2. ex Zambrano addens idem dicendum esse, si infirmo morti proximo ob phrenesim nullum aliud conferri posset Sacramentum, præter extremam vnctionem; quamquam Sacerdos in similibus casibus semper curare debeat, vt quam citissimè redeat ad perficiendum sacrificium.

QVÆRAS XXII. A qua hora diei possint Regulares ministrare Eucharistiam fidelibus, siue Regularibus, siue sæcularibus.

319. Respond. posse ministrare quacumque hora diei, & quidem etiam post meridiem; dummodo recipiens communionem sit ieiunus. Ita Fagund. *supr. cap.7.n.*13. cum Syluest. Ang. Tab. & Henriq. patétque ex eo, quod nullum ius diuinum, aut humanum extat in contrarium; vnde fit, vt qui proximè ante medium noctis cænauit in vigilia natiuitatis Domini, possit statim post mediam noctem communicare, & celebrare: quod notauit Diana *part.3. tract.4. resolut.* 44. monens ex Valent. Soto, & Villalobos posse quem post sacram communionem statim ire ad prandium sine culpa graui; quamuis alioqui deceat aliquod tempus interponere ob reuerentiam Sacramenti; quod autem dixi licitum esse communicare quacumqne hora diei, intelligendum est, secluso scandalo, qnod omnino debet euitari. Nobiscum sentit Castrus Palaus *tract.21.D.vnic p.*16.*num.*3. ex Coninch, monens tamen seclusa speciali causa non debere permitti sub vesperam, aut intempesta nocte Eucharistiam recipi: cum id Sacramenti reuerentiam non deceat, nec occasionem scandali fugiat.

QVÆRES XXIII. An, & quando Regulares teneantur denegare Euchatistiam indignè petenti.

Respond. non teneri, nisi eo modo, qun docent 320
Fagund. *supr. cap.*10. *per totum.* Bonac. *D.1. de Sacram. quæst.6. part.*4. & alij, nosque ostendimus *in tract. de obligat. cap.3. sect.2. quæst.* 12. Hîc addo peccatorem dici notorium, qui manifestus est siue per sententiam (cum res iudicata habeatur pro veritate) siue per confessionem iudicialem delinquentis (cum iuridicè confessus reputetur conuictus, ac iudicatus) siue per rei euidentiam, quæ nulla tergiuersatione celari possit; cum acta perpetuam fidem faciant, *cap. fin. de cohabit. cler. & mul.* Ita Homob. *tract.*13. *examinis, cap.4. quæst.*15. *resol.*1.

QVÆRES XXIV. An Regulares peccent mort. ministrando Eucharistiam in peccato mortali.

Respond. videri probabile, quod non; & proba- 321
tur ex eo quod ministrans Euchatistiam ab alio præconsecratam non facit Sacramentum, sed solùm ministrat, neque est Minister Dei ad iustificationem proximè (vt euenit in aliis Sacramentis) sed tantùm applicat actiua passiuis; ideóque in administratione Euchatistiæ non interuenit tanta irreuerentia, vt qui ministrat illam in peccato mort. dicendus sit peccare mort. etiamsi aliàs sit peculiariter consecratus, & deputatus ad tale munus. Ita Diana *part.2. tract.14. resolut.*23. ex Nugno, Vasq. Syluio, Ledesma, & aliis, *& part.3 in addit secund. resolut.*5. vbi pro se adducens Barbosam *de offic. Parochi, cap* 20. *num.*17. dicit istam opinionem esse probabilissimam; cum tamen DD. *in* 4. *d.*13. communiter contrariam sustineant sententiam.

QVÆRES XXV. An Regulares, aliique Sacerdotes possint consecrare particulas oblatas à Sacrista post oblationem hostiæ consecrandæ.

Respond. Diana *p. 6. tract. 6. resol.* 7. posse; siue 322
eæ offerantur ante præfationem Missæ (quod docet Gauant.) siue post præfationem (quod expressè tradit Marchinus, & indicat Megalius allegati ab ipso Diana. & ratio est, quod oblatio particularum conseruandarum ad communionem Laicorum, non est de necessitate sacrificij, nec ex vi Legis præceptiuæ debet coniungi cum hostia grandiori propria Sacerdotis celebrantis; sed sufficit eas & illam simul reperiri super corporale tempore consecrationis; verum tamen est dictatum particularum oblationem faciendam esse mentaliter ante consecrationem; sicut aduertit idem Diana *part.2. tract.* 14. *resol.*71.

SECTIO IV.

Quæ priuilegia concessa sint Regularibus, quoad Sacramentum extremæ Vnctionis administrandum.

323 *Regulares laicis extremam Vnctionem nequeunt ministrare: ea potest ministrari etiam ante Communionem factam per modum Viatici.*

324 *At eam ministrare possunt suis familiaribus.*

325 *Si quidem in ijs concurrant aliquæ conditiones.*

326 *Illam ministrant Hospitibus apud illos ægrotantibus.*

327 *Item Tertiarijs sui Ordinis, sed non omnibus.*

328 *Item Alumnis Collegiorum, quibus præsunt; non tamen in Societate Iesu.*

329 *Non ministrant incurrenti periculum mortis in casu repentino apud ipsos.*

330 *Ministrant tempore Interdicti, si aliàs possint.*

331 *Item aliquando ministrant extra sua monasteria.*

332 *Item*

332 *Item mercenarys, & operarijs intra sua monasteria ægrotantibus.*

333 *Si in ea ministranda omittatur vnctio vnius sensus, non iterum ministranda: quòd si detur eam debere repeti, omnes vnctiones debent repeti.*

334 *Regulares Oleum sanctum possunt recipere à quolibet Episcopo: & si Oleo sacro addant non sacrum, totum oleum fit sacrum.*

QVÆRES I. An, & quomodo Regulares possint ministrare sæcularibus sacramentum extremæ Vnctioois.

323. Respond. non posse, nisi de licentia proprij Parochi; idque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quæ extat in Clement. 1. *de priuil.* & reseruatur Papæ; prout ostendimus *in tract. de pœnis, cap. 2. sect. 2. num.* 101. vbi etiam proponimus ea, quæ requiruntur ad incurrendam istam excommunicationem, qui vult, consulat Portell. *de dub. regul. ver. Sacram. administrat. n.* 11. & Lezana *tom. 1. c. 21. n.* 10.

Moneo hic vnum ex Suarez *D. 44. de Sacrament. sect. 1. n.* 8. quod, licèt consuetudo ministrandi priùs Viaticum, quàm Vnctionem, sit rationabilis, ac expediens, non tamen obligat sub mortali: eum nec Pœnitentia, nec Eucharistia per se sint dispositiones ad Vnctionem, & sæpè conueniat Vnctionem ministrari ante Eucharistiam, eo quòd Viaticum sumi nequeat ex defectu hostiæ consecratæ, aut incapacitate infirmi.

QVÆRES II. An, & quibus familiaribus possint Regulares ministrare sacramentum extremæ Vnctionis.

324. Respond. posse ex priuilegio concesso per Nicolaum V. Patribus Benedictinis, Leonem X. PP. Minimis, & Paulum III. Religiosis Societatis Iesu, in hæc verba: *Iis verò, qui in ipsorum Prapositorum, & Sociorum morantur obsequio, cuncta libere possint ministrare Ecclesiastica sacramenta, & ipsos, cum decedunt in eorum cœmeterijs sepelire.* ita Paulus III. *in sua Const. licèt debitum:* circa quam notat Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 4. n.* 10. quod, quamuis in eà non fiat expressa mentio de extrema Vnctione: hæc tamen dictis verbis comprehenditur; tum quia concedendo sepulturam declarat Papa se includere omnia Sacramenta, quæ præparant ad illam: tum quia aliàs nihil speciale concederet pro his familiaribus; stante quod, exclusa extrema Vnctione, excluderetur etiam Viaticum, vt patet.

Difficultas est, quinam hîc nomine Familiarium intelligantur, & ratio dubitandi est, quod in Concilio Tridenr. *sess. 24. cap. 11. de reform.* vbi agitur de huiusmodi priuilegiis, declaratur ea solum extendi ad illus, qui actu seruiunt Religiosis, & intra eorum septa, ac domos residenr, subque eorum obedientia viuunt; quo modo ad hoc, vt aliquis censeri possit familiaris Regularium, requiritur, vt habitet intra eorum domos, & quod actu seruiat; viuatque sub obedientia ipsorum Regularium: non quidem quod promiserint obedientiam religiosam (sic enim essent Conoeti, non familiares) sed quod ratione muneris seruiendi obediant.

325. Respond. stante decreto Concil. Trid. modò allegato nomine familiarium hic intelligi illos solùm, qui actu seruiunt Religiosis, & habitant in ipsorum domibus: ideòque requiri hanc vtramque conditionem, non diuisim, sed coniunctim; id enim colligitur ex ipso textu, vt notauit Suar. *supr. n.* 12. qui tamen attenta reuocatione viuæ vocis oraculorum, de qua supra, improbabiliter docet præfatum decretum Concil. Trid. non obstare quo minùs Religiosi Societatis, imò, & aliorum Ordinum participantium de ipsorum priuilegiis) possint ministrare extremam Vnctionem etiam familiaribus non habitantibus in eorum domibus; dummodò ipsis actu inseruiant (hoc vnum enim tantùm requiritur in priuilegio ad id concesso per Paulum III. vt constat ex ipsius verbis,) idque ex priuilegio Pij V. relato *in Comp. Soc. v. Concil. Trid. §.* 3. per quod declaratum est gratiis Regularibus factis nō censeri derogatum per Concil. Trid. neque eas restrictas, quoad forum conscientiæ; eum enim tale priuilegium fuerit concessum viuæ vocis oraculo, in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum sublatum est, sicque non potest ampliùs suffragari; nisi quis malit sustinere illud adhuc durare ex doctrina Peyrini relata superiùs, *c.* 1. *sect. 5. q.* 10. Quamquam in Societate nostra vsus talis priuilegij, etiam seclusa illa reuocatione, non fuerit de facto concessus; nisi eum illis duabus conditionibus, quas diximus requiri io Concil. Trid. vt videre est *in comp. priuilg. Soc. v. familiares §.* 1. vbi in scholio dicitur, *familiaribus extrema Vnctio poterit administrari, atque adò ijs solis, qui domibus, collegijs, residentijs, & alijs locis Soc. habitauerint: extra septa verò cum illis perinde ac cum alijs agatur.*

QVÆRES III. An Regulares possint ministrare sacramentum extremæ Vnctionis sæcularibus occasione hospitij intra monasteria ipsorum infirmantibus ad mortem.

Respond. posse: idque absque vlla licentia Episcopi, aut Parochi: & hocex indulto concesso PP. Benedictinis, & relato *in comp. Soc. v. extrema Vnctio,* his verbis: *Possint nostri ijs, qui intra septa collegiorum, seu domorum infirmati fuerint, extremam Vnctionem Apostolica auctoritate liberè, & licitè parochialis Presbyteri: aut alterius cuiuscumque Episcopi, vel Superioris licentia, vel assensu nullatenus requisito, ministrare.* ita Suar. *supr. num.* 16. qui bene notat ad vsum talis indulti nullam familiaritatem, aut famulatum requiri, sed sufficere, vt quis ægrotet intra monasterium; siue id contingat ratione hospitij, siue aliqua alia occasione (studiorum v. g.) Aduertit autem Miranda *part. 1. manu. quæst. 49. art.* 1. eiusmodi indultum fuisse concessum à Nicolao Franco Apostolicæ Sedis Legato de latere, eoque posse frui etiam alios Regulares per viam communicationis, & quidem etiam in præsentia, cum statuta Legatorum de latere sint perpetua; vt docet Zerola *in praxi part. 2. v edicta. §.* & colligitur ex *cap. fin. de offic. Legati, iuncta glossa ibi v. statuta.* 326.

QVÆRES IV. An Regulares possint propria auctoritate ministrare sacramentum extremæ vnctionis Tertiariis sui Ordinis.

Respond. non posse, si Tertiarij habitent in propriis domibus; sic quippe statuit Leo X. in Conc. Lateran. quod scilicet Fratres, & Sorores tertij Ordinis in propriis domibus habitantes valeant sepulturam eligere, vbi voluerint; & quod in die Paschatis tantùm Eucharistiam, nec non extremam vnctionem, cæteraque ecclesiastica Sacramenta Pœnitentiæ sacramento dumtaxat excepto à proprio Sacerdote parochiali recipere debeant. ita Miranda sup. cum Rodriq. *tom. 1. q. 56. art.* 10. addens tamen in præfato decreto non comprehendi mulieres, quæ solemniter promiserunt castitatem virginalem, aut vidualem; quippe quæ iuxta dicta, *cap. 1. sect. 4. q.* 11. gaudent omnibus priuilegiis, quibus gaudent Fratres sui Ordinis, ideòque à Fratribus sui Ordinis recipere possunt extremam vnctionem, etiamsi habitent in domibus consanguineorum, aut affinium, vel etiam in propriis seorsim. 327.

QVÆRES V. An Regulares poſſint miniſtrare extremam Vnctionem alumnis alicuius Collegij, aut Seminarij, quorum ipſi præſint adminiſtrationi, extra tamen propria monaſteria, aut domos.

328. Reſpond. poſſe ex priuilegio bullato Martini V. conceſſo Monachis S. Benedicti Obſeruantiæ in Hiſpania, relato à Caſarubio *in Compend. v. familiares, n.* 10. quod vtique poteſt ipſis deſeruire, quoad præfatos alumnos, quippe qui re vera veniunt nomine familiarium: non tamen in Societate Ieſu, cum *in Compend ipſius Societatis*, vſus talis indulti, *v. familiares*, §. 1. reſtrictus ſit ad illos ſolos familiares, qui in domibus, collegiis, reſidentiis, & aliis locis Societatis habitauerint: cuiuſmodi non ſunt dicti Alumni, com iis re vera non dici poſſint habitare in locis Societatis, ſed extraneis, vt ſuppono.

QVÆRES VI. An Regulares poſſint conferre extremam Vnctionem homini ex caſu repentino in ipſorum monaſterio incurrenti periculum mortis.

329. Reſpond. non poſſe, cum collatio talis ſacramenti ſpectet ad Parochum proprium moribundi, vel alium habentem ad id priuilegium: quale non habent Regulares pro præſenti caſu; cum priuilegium *quæſt. præced.* relatum non ſuffragetur, niſi quoad familiares ipſorum Regularium.

QVÆRES VII. An Regulares poſſint conferre extremam Vnctionem etiam tempore interdicti, & quo iure.

330. Reſpond. poſſe ex indulto Eugenij IV. bullato, ac relato à Caſarubio *in Compend. v. interdictum* 3. *num.* 11. ſi iungeodus non dederit cauſam interdicto, & ſit familiaris illorum; idque licèt in indulto non fiat expreſſa mentio de extrema Vnctione, cum etiam in præſenti caſu procedat doctrina tradita *quæſt.* 2.

QVÆRES VIII. An & quando Regulares poſſint conferre extremam Vnctionem ſæcularibus extra ipſorum monaſteria morientibus, & quidem inuitis illorum Parochis.

331. Reſpond. poſſe conferre iis, qui ipſis confeſſi ſunt, ſi eorum Parochi difficiles ſe reddant in exhibendo hoc Sacramento, illud iis ſine cauſa rationabili denegando, aut malitioſè differendo: idque ex priuilegio Carmelitis conceſſo à Sixto IV. in Bulla *Dum attenta*, quæ eſt mare magnum, & minoribus ab eodem Sixto IV. relato à Caſarubio *in Compoſit. v. communicare, num.* 6. quod tamen priuilegium dicit Lezana *v. extrema Vnctio, num.* 1. ob limitationem factam à Leone X. in Bulla *Dum intra*, eſſe ſolùm admittendum, quando præfata negatio ſine cauſa rationabili vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio huius Sacramenti coram publico Notario facta doceretur. Quamquam Caſarub. *ſupr.* & Miranda *tom.* 1. *Manual. quæſt.* 49. *art.* 5. dicant Mendicantes poſſe ſtare conceſſioni huic factæ à Sixto IV. cum Leo ipſe X. viuæ vocis oraculo ſic declarauerit: in quo monet Lezana *v. Euchariſtia, num.* 5. data generali reuocatione viuæ vocis oraculorum, cautè procedendum eſſe; addens ex Naldo *v. Euchariſtia, num.* 33. hac in re vitandum eſſe ſcandalum.

QVÆRES IX. An Regulares conferre poſſint extremam Vnctionem mercenariis, & operariis intra clauſtra ægrotantibus.

332. Reſpond. poſſe ex indulto PP. Theatinis facto à Pio V. *in Conſtitutione eius* 31. *in ordine:* quali priuilegio vtique poſſunt vti Religioſi aliorum Ordinum per viam communicationis; & quidem etiam quoad miniſtrandum dictis perſonis Euchariſtiam per modum Viatici: ſicut expreſsè conceditur in relato indulto. & quidem *etiam Diœceſanis locorum, & Sacerdotum Curatorum quorumcumque, etiam in quorum ciuitatibus, & Diœceſibus, ac Eccleſiarum Parochis reſpectiuè Eccleſiæ, & loca ipſorum Congregationis nunc, & pro tempore, aut aliorum quorumcumque licentia minimè petita, nec obtenta: & in caſu, quo non daretur ſpatium petendi talem licentiam propter repentinam neceſſitatem etiam quibuſcumque alijs perſonis, quæ in huiuſmodi neceſſitate intra Eccleſias, Collegia, domos, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigerit, ac extra illa alijs quibuſuis infirmis, etiam in mortis articulo conſtitutis vbique in cauſa neceſſitatis ſupradicta, etiam nulla ad hoc per eos petita, nec eis conceſſa licentia cuiuſuis Sacerdotis Curati Pœnitentia ſacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare poſſint.* hæc Pius V. cum Pius IV. hoc idem indultum conceſſiſſet, teſte Ceſpedes *de exempt. cap.* 6. *d.* 125. *num.* 7.

QVÆRE VIII. An caſu, quo miniſtrans extremam Vnctionem inaduertenter omittat vngere vnum ſenſum (v.g. oculos,) teneatur iterum miniſtrare hoc Sacramentum, ſi infirmus iam confeſſus eſt, & communicauit.

Reſpond. non teneri; cum id commodè præſtari non poſſit; & alioqui infirmus hinc non patiatur 333.
graue damnum, dato quod receperit alia Sacramenta; quæ inde etiam confirmari poſſunt, quod Becanus *de Sacram. cap.* 27. *quæſt.* 7. *num.* 6. aliique apud Dianam *p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 179 putant ad eſſentiam ſacramenti extremæ Vnctionis ſufficere vnicam vnctionem, ſiue fiat in capite, ſiue in pectore, &c. & ex alia parte Suarez & Villalob. quos citat, & non reiicit idem Diana *ſupr. reſol.* 170. inclinant, ſecluſo ſcandalo, ac contemptu, nullum eſſe peccatum omittere extremam Vnctionem: alij verò apud eumdem Dianam, com Conincho & Nugno, putant ſolùm eſſe veniale; ſic ego reſpondi in facti contingentia, & approbarunt viri docti poſtea à me de hoc conſulti.

Addo, quòd ſi detur in caſu propoſito repetendum eſſe Sacramentum, non debet ſolùm ſuppleri vnctio partialis omiſſa, ſi tempus notabile interceſſit, ſed repeti debent ſingulæ vnctiones; idque ob doctrinam, quam tradunt Suarez, Filliucius & alij penes Dianam *reſol.* 179. in hoc ſcilicet Sacramento non conferri gratiam, niſi quando perficitur vltima vnctio cum ſua forma: quod eſt dicere omnes, & ſingulas vnctiones eſſe de ſubſtantia huius Sacramenti.

QVÆRES IX. A quo Epiſcopo Regulares teneantur recipere Oleum ſanctum.

Reſpond. Ex indulto bullato Vrbani III. relato 334.
tom. 1. *bullar. Conſtit.* 1. *Vrbani III.* & conceſſo Fratribus Cruciferis, poſſe illud recipere à quocumque Epiſcopo: ſiquidem indulto illo per viam communicationis fruuntur Religioſi, etiam aliorum Ordinum; vt notauit Lezana *v. Oleum ſanctum, num.* 4. addens de iure communi, ſi abſit proprius Epiſcopus, aut Sedes tunc vacet, Religioſos poſſe adire proximiorem Epiſcopum ad Oleum ſanctum habendum: quod etiam notat Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg.* 31. *num.* 18.

An autem Regulares poſſint addere oleum non ſacrum Oleo ſacro, & quidem ſæpiùs, illúdque totum maneat ſacrum.

Reſpond. poſſe, ſi quod additur, ſemper ſit in minori quantitate: ita vt Oleum ſacrum dici poſſit manere hoc oleum in ſuo eſſe indiuiduali, ac demonſtrari per ſe tanquam hoc aliquid: non autem ſolùm in alio, ſicut eueniret, ſi oleũ non ſacrũ, quod additur, eſſet in maiori quantitate; quo caſu Oleum

ſactum

factum sit, quasi pars olei non sacri, & est solùm in eo existens, ac demoustrabile; vt colligitur ex Aristotele *lib. 1. de generat. tract. 4.* ita Sylu. *v. aqua benedicta num. 3.* Henriq. *lib. 3. cap. 8. num. 2.* Azorius *part. 2. lib. 9. cap. 15. quæst. 6.* & alij contra Angelum *v. aqua benedicta, num. 1.* Tabienam *ibi num. 3.* & Roselam *ibi n. 1.* sustinentes in casu proposito fieri posse additionem in quantitate æquali, imò & maiori.

Sectio V.

Quæ Priuilegia concessa sint Regularibus, quoad Matrimonij Sacramentum.

335 *Regulares non assistunt Matrimonijs, nisi sint Parochi, aut de licentia Parochi contrahentium.*
336 *Assistunt tamen in Indijs fungentes officio Parochi ex Pij V. indulto, quod est amplum.*
337 *Etsi non extendatur ad habentes Parochum, licèt absentem: ad eius vsum Religiosus debet esse designatus in Capitulo prouinciali etiam in Societate Iesu.*
338 *In necessitate Regulares assistunt Matrimonijs in regionibus carentibus proprio Episcopo, aut Parocho.*
339 *Idque ex Pauli III. indulto facto Societati Iesu.*
340 *Non solemnizant matrimonia sub pœna excommunicationis, ac suspensionis.*
341 *Et hæc Suspensio incurritur ex sola assistentia.*
342 *Regulares Matrimonijs assistunt vt Testes.*
343 *Dispensant cum Infidelibus conuersis super impedimentum Matrimonij dirimentibus.*
344 *Non denunciant Matrimonia in suis templis regulariter loquendo.*

QVÆRES I. An, & quo modo Regulares validè possint assistere matrimonio.

335. Respond. non posse, nisi sint Parochi, aut habeant licentiam Parochi contrahentium: idque sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ, quæ habetur in Clem. 1. *de priuil.* reseruatur Papæ, & à nobis exponitur *in tract. de pœnis cap. 2. sect. 2. num. 101.* ita Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 4. num. 19.* aliique communiter; & probatur, quia in Concilio Trid. *sess. 24. cap. 1. de matr.* ad substantialem valorem matrimonij requiritur præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia illius: Regulares autem ordinariè non sunt Parochi animarum, ac proinde eorum assistentia non potest conferre ad valorem matrimonij, cum ad id de facto non habeant vllam specialem concessionem, esto posset ipsis conferri à Papa; quòd si aliqui illorum sunt Parochi, tunc validè assistunt matrimonio, non quidem ex priuilegio, sed ex iure communi competente Parochis.

Dixi, *aut habeant licentiam Parochi contrahentium*; si enim illam habent, tunc vtique possunt assistere matrimonio, vt colligitur ex citata Clem. in qua strictè præcipitur Regularibus, ne audeant Sacramentum extremæ Vnctionis, vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniaue solemnizare, & non habita super his Parochialis Presbyteri licentia; vnde fit, vt prohibitio cesset, si id faciant de Parochorum licentia. ita Miranda *part. 1. manu. quæst. 48. art. 1* addens, quod, quamuis in citata Clement. per *matrimonia solemnizare*, intelligatur benedictio nuptialis (vt ibidem tradit Glossa) eadem tamen est ratio de matrimonio debitè contracto, sicque etiam ipsum comprehenditur sub illis verbis: quod reiicit Filliuc. *tract. 15. num. 188.* eo, quod lex pœnalis (qualis est ea, de qua hîc loquimur) non debeat extendi vltra mentem legislatoris, ac verborum significationem; quamquam alioqui non deceat, quod Regulares eiusmodi functionibus se immisceant, etiam de licentia Parochi: idque ob multa inconuenientia, quæ inde possunt facilè oriri.

QVÆRES II. An, & qualiter possint Regulares in nouo Indarum Orbe assistere matrimonio absque Parochi licentia.

336. Respond. posse, si ibi exerceant munus Parochi: & quidem locis signatis, aut signandis à suis Prælatis in Capitulis prouincialibus: idque ex priuilegio bullato Pij V. relato à Veracruz *in append. ad speculum*; quod explicat Sanch. *lib. 3. de matr. D. 26.* & refert Rodriq. *tom. 1. quæst. 35. art. 5.* his verbis: *Concessit* (i. Pius V.) *Capitulis prouincialibus quorumcunque Ordinum, etiam non mendicantium, vt possint dare licentiam suis Fratribus, vt in monasterijs sui Ordinis vel extra commorantibus in locis assignatis, & assignandis officium Parochi exerceant, Sacramenta ministrando, pro vt hactenus consueuere, Ordinariorum licentia minimè requisita, & quod ibi, vbi dicti Religiosi curam animarum exercent, nihil innouent Episcopi.* Ex eo autem, quod requiritur ad vsum talis priuilegij licentia concessa à Prælatis Regularium, qui eo vsuri sunt, eaque data in Capitulis prouincialibus, infert Sanch *supr. tom. 4.* non solùm non posse frui tali priuilegio eos Religiosos, qui in dictis locis non habent Capitulum prouinciale, sed etiam non posse Capitulum prouinciale committere talem potestatem Fratribus alicuius Prouinciæ, vt pote non subditis tali Capitulo. Quamquam non est opus, vt Religiosi ad id nominatim designentur ab ipso Capitulo, sed sufficit Capitulum statuere, vt omnes Fratres, quos designauerit Prouincialis, Prior, aut Vicarius &c. ij ex tunc censeantur designati à Capitulo prouinciali; cum hoc non sit delegare facultatem assignandi Fratres, & conferendi iis facultatem ministrandi Sacramenta, sed re vera Capitulum assignet, & conferat dictam licentiam; ad quod tamen requiritur vt Episcopus, Prorex, aut Gubernator illarum partium priùs cōcedant Fratribus oppida, quorum cura modo supradicto posteà committi debet à Capitulo prouinciali Fratribus sui Ordinis; id quippe colligitur ex Breui Pij V. teste Rodriq. *tom. 1. quæst. 35. art. 1.*

Quod si quæras quotum matrimoniis possint Regulares assistere vi talis priuilegij,

337. Respond. posse assistere matrimonio, tum Vagorum (quippe qui sunt subditi cuicumque Parocho, cui se subiiciunt) tum indigenarum in iis locis taliter habitantium, vt efficiantur parochiani (hi enim verè sunt subditi: Regulares autem possunt assistere matrimonio suorum subditorum) tum eorum, qui in locis, vbi Regulares parochiale munus obeunt, non habitant, nec sunt vagi, sed habent proprium domicilium, carentque proprio Parocho. hos quippe possunt Religiosi per eorum domicilia transeuntes, coniungere matrimonio; aliàs illi essent omnino destituti ministerio Sacramentorum: quod non est dicendum. ita Sanch. *supr. num. 2. 3. & 4.* addens *num. 7.* in casu, quo Regulares assistant matrimonio Vagorum, teneri petere licentiam ab Ordinario, vt disponit Concil. Trident. *sess. 24. cap. 7. de refer. matr.* idque ob rationes, quæ videri possunt apud ipsum Sanchez quod non admittit Veracruz

supr. & probat, tum quia in bulla illa Regularibus conceditur, vt possint assistere matrimoniis, sicut poterant ante Tridentinum; ante Concilium autem ex indulto Leonis X.& Adriani VI.poterant assistere absque licentia Ordinarij: tum, quia etiam in ea bulla dicitur, quod possint assistere matrimoniis, non requisita Ordinariorum licentia; quæ verba debet aliquid operari; cum priuilegium non debeat carere effectu: & tamen, si nunc necessaria esset licentia, per hoc priuilegium nil noui concederetur: tum, quia, esto in ea bulla expressè non derogetur Tridentino; cum tamen initio bullæ fiat mentio de decreto ipsius Tridentini, constat Papam intendisse ei derogare; cum ex validis coniecturis, quæ apponantur dispositioni, sufficienter ei derogetur, etsi clausula derogatoria non inseratur; vt volunt Sarmiento, Rodriq.& alij è Sanch. *relati l.3.de matr. D.*26.*n.*7. Dissentit Boss. *de matr.cap.*4.*n.*44.ex Sanch. Pontio, & Portello, probátque quia per concessionem illam Pij V.Regulares id tantum possunt, quod possunt alij Parochi, nec iis concessit aliquid amplius: sicque priuilegium aliquid operatur, & fundamenta Veracrucis corruunt: præter quam, quod numquam Tridentino derogatur, nisi de eo mentio specialis fiat. Quanquam si negentur hæc duo (quæ supponit Bossius) non ita facilè probari possent: sicque censeo opinionem Veracrucis non esse improbabilem, si praxis non obstet: præcipuè cum Bossius substineat bullam citatam Pij V. non fuisse reuocatam per Gregor. XIII. bullam *In tanta*; vnde ait Cespedes *tract. de exempt.cap.* 8. *d.* 173. *numer.* 5. de Bossio. Videat bene, quo modo negatiuam sustineat in casu posito: nam fortè dicent Aduersarij, in hoc etiam derogatum fuisse Tridentino, adeóque posse sine licentia Ordinarij coniungere vagos, &c.

An autem casu, quo Indi habeant proprium Parochum, sed absentem, possit Regularis alibi exercens munus Parochi, & illac transiens illorum matrimonio assistere virtute talis priuilegij.

337. Respond. non posse. ita Sanchez *supr. num.*5. ex Veracruz, & probatur, quia priuilegium Pij V.superius relatum conceditur Religiosis habentibus curam animarum in locis signatis, aut signandis à suis Superioribus: locus autem, per quem Religiosus transit, si habet Parochum proprium, & absentem, non est signatus, cum iam habeat Parochum, ideóque Religiosus per dictum locum transiens non potest, tanquam Parochus assistere matrimonio, vt patet.

Moneo hîc vnum, quod diximus hîc in principali responsione non posse vti præsenti priuilegio Relig. qui in iis locis non habent Capitulum prouinciale, habere locum in Societate Iesu, ideóque non posse Religiosos illius frui tali priuilegio, nisi ad id designentur in Congregationibus prouincialibus, quæ vnoquoque triennio haberi solent in Societ. quamuis aliàs in illa non extet vsus Capitulorum sicuti est in aliis Religionibus. ducor, quod ex vna parte in concessione præfati priuilegij petitur, vt fiat illa designatio in Capitulis prouincialibus; congregationes autē prouinciales Societatis æquiualent Capitulis prouincialibus; ergo in iis facienda est illa designatio: cum sic impleri possit tenor dicti priuilegij. ita docti Recentiores à me consulti, & probabiliter.

Qværes III. An Regulares saltem in casu necessitatis possint assistere alicui matrimonio absque licentia Parochi.

338. Respond. videri posse: cum *in Comp. Soc. v. sacramenta, in fine*, dicatur in *scholio* non licere Patribus Societatis ministrare matrimonium, nisi in iis prouinciis, in quibus necessitatis causa à Præposito generali permissum fuerit; quo modo supponitur illum habere potestatem concedendi talem facultatem, saltem in casu necessitatis. ita Suar. *supr. cap.*5.*num.* 21. subdens præfatam necessitatem intelligi solum extare in iis religionibus, in quibus nulli sunt Proprij Episcopi, aut Parochi: siquidem extra illas regiones nulla potest occurrere talis necessitas. quamuis enim in casu aliquo particulari possit deesse Parochus: quia tamen eiusmodi defectus est de re minus necessaria, non ideo vi talis priuilegij, quod videtur concessum Societati poterit vsurpari hoc ministerium.

339. Addit Suar. *vbi supr.* tale priuilegium videri fundatum in indulto Pauli III.quo dat Societati facultatem ministrandi omnia Sacramenta sine præiudicio tertij; nam sub administratione Sacramentorum comprehenditur quidquid pertinet ad substantiam, aut solemnitatem illorum: in proposito autem casu non videtur adesse præiudicium tertij, idcóque non adest ratio excludendi talem facultatem à dicta generali concessione.

Qværes IV. An Regulares possint solemnizare matrimonia per solemnem nuptiarum benedictionem, & sub qua pœna id ipsis prohibeatur.

340. Respon. non posse; cum id ipsis prohibeatur non solùm sub pœna excommunicationis reseruatæ Papæ (sicut diximus *quæst.* 1.) sed etiam sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, vt constat ex Concil. Trid. *sess.* 24.*cap.* 1.*de matrim.* vbi dicitur, *Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, siue regularis, siue sæcularis sit, alterius parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit: ipso iure tamdiu suspensus maneat* (intellige, absolutè ab omnibus, nempe ab Officio, ac beneficio) *quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur*, sed de hoc *in tract.de pœnis cap.*4.*sect.*2.*n.*92. interim consulantur Suar. *D.*31. *de censur.sect.*3.*num.*18. Bonac. *de censur.in partic.D.*3. *quæst.*3.*part.*4. Filliuc. *tract.*17.*num.*101.

341. Vnum hîc aduerto eiusmodi suspensionem incurri non solùm ab eo, qui sine debita licentia benedicit solemniter sponsos, sed etiam ab eo, qui simpliter assistit matrimonio absque benedictione solemni nuptiarum; quem tamen *q.*1. diximus non incurrere excommunicationem ibi relatam: hîc enim sub pœna suspensionis vtrumque prohibetor.

Qværes V. An Regulares possint assistere matrimonio vt testes.

342. Respond. quod, quamuis iuxta dicta *q.* 1. summopere deceat Religiosos abstinere ab huiusmodi muniis; simpliciter tamen possunt assistere matrimonio tanquam testes. siquidem ex vna parte nullo iure id ipsis est prohibitum; ex alia parte ad valorem matrimonij sufficit, quod testes vsum rationis habeant, nullaque alia conditio in ipsis requiritur; vnde, si à tali munere non excluduntur infames, excommunicati, consanguinei, parentes, fœminæ, neque infideles, nec debent excludi Regulares, vt patet.

Qværes VI. An Regulares in aliquo casu dispensare possint super aliquo impedimento dirimente matrimonij.

343. Respond. posse dispensare solum cum infidelibus ad fidem conuersis, qui in locis remotissimis existunt, & tempore infidelitatis matrimonium contraxe-

traxerunt in gradibus solo iure humano prohibitis ad effectum vt in eo permanere possint; idque ex priuilegio Pauli III. concesso Religiosis Societatis Iesu. Quamquam tale priuilegium, teste Henriq. *lib. 12. cap. 3. num. 4.* sit tantum ad maiorem abundantiam; cum iuxta *cap. gaudemus, de diuortijs*, nulla ad id requiratur dispensatio: stante, quod matrimonium tempore infidelitatis initum contra leges solum pontificias valeat. ita Sanch. *lib. 8. de matrim. D. 6. num. 29.* addens *num.* 28. aliquos ex Ruffensi, & Veranez asserere Religiosos Mendicantes habere priuilegium à Leone X. concessum ad dispensandum cum iis, qui scienter, aut ignoranter contraxerunt cum impedimento affinitatis, modo id notorium non sit, neque in iudicium deductum; quod tamen reiicit Rodriq. *tom. 3 quæst. 2. art. 2.* asserens tale priuilegium non esse in vso, & fuisse concessum pro vnico actu. Imò Henriq. *supr. num. 3.* ait vi dicti priuilegij solum fuisse concessum, vt Mendicantes possint dispensare committentes incestum cum consanguineis proprij coniugis, vt possint petere debitum, eoque matrimonio dissoluto transire ad aliud, non tamen cum affine, aut habente aliud impedimentum.

QVÆRES VII. An Regulares possint in propriis Ecclesiis publicare matrimonium, saltem de licentia Parochi contrahentium.

344. Respond. ordinariè non posse; cum obstet praxis in contrarium, & in Concilio Trid. *sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim.* præcipiatur, *vt imposterum*, antequam contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho 3. continuis diebus festiuis in Ecclesia (intellige, parochiali, & quidem vtriusque contrahentis iuxta Sanch. *lib. 3. de matrim. D. 6. num. 4.*) inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. Dixi *ordinariè*, quia de licentia Parochi contrahentium, simpliciter loquendo id præstari potest à Regularibus; idque non solùm in parochia contrahentium (quod concedit Sanch. *supr. num. 5.* id colligens ex eo, quod concedente Concil. Trid. de licentia Parochi posse alium Sacerdotem assistere matrimonio, à fortiori poterit Parochus dare licentiam alij, & consequenter Religioso, vt solitas matrimonij denuntiationes facere possit: quod vtique est minus) sed etiam in Ecclesiis ipsorum Regularium: si enim apud Sanch. *num. 9.* non obstante dicto decreto Concilij Trident. adhuc concedunt præfatas denuntiationes fieri posse extra Ecclesiam in loco competenti (v. g. in frequenti concione, cur dictæ denuntiationes non poterunt fieri etiam in Ecclesiis Regularium? cum finis illatum (qui est, vt sic faciliùs detegantur impedimenta) possit æque bene haberi, etiam si fiant in Ecclesiis Regularium.

CAPVT IIII.

De Priuilegiis concessis Regularibus quoad spiritualia ipsorum ministeria

CVM plerique Regularium Ordines in Ecclesia, ab eorum Auctoribus instituti sint, vt non solùm propriæ saluti, ac perfectioni sedulò vacent, sed etiam vt Proximorum saluti, ac bono nauiter adlaborent: idque, tum media Sacramentorum administratione (de qua *cap. præced.*) tum vsu aliorum ministeriorum, quæ exercent, nempe concionandi, docendi, munus parochiale obeundi, ac Infidelium Missionibus insistendi; & ad id multa, ac varia priuilegia à summis Pontificibus concessa sint: ea in præsenti cap. exponemus, Caput in 4. sectiones diuidentes, in quarum prima explicabimus priuilegia concessa, quoad munus prædicandi: in 2. ea, quæ concessa sunt, quoad ministerium docendi: in 3. quæ concessa sunt, quoad ministerium exercendi munus parochiale: in 4. quæ concessa sunt, quoad expeditionem missionum, quæ fiunt apud Infideles.

SECTIO I.

Quæ Priuilegia concessa sint Regularibus, quoad ministerium Prædicandi.

1 *Regulares vbique possunt prædicare verbum Dei ex suis priuilegijs.*

2 *Sed de licentia Ordinarij in alienis Ecclesiis, in suis verò petita eius benedictione: ea tamen licentia non debet esse in scriptis.*

3 *Licentia Ordinarij petitur, vt prædicent in Ecclesiis Regularium alterius Ordinis: quod negat Cespedes, sed refutatur.*

4 *In suis ecclesiis non possunt prædicare, Ordinario contradicente (quod alij negant nixi quodam Breui Vrbani VIII. quod tamen ipsis non fauet:) idque procedit de quouis Ordinario, etiam inferiori Episcopo.*

5 *At putant aliqui Regulares non posse impediri, quin prædicent in suis ecclesiis: contra quos facit Breue præfatum Vrbani, & ipsa praxis: putant item aliqui Episcopum, inuitis Regularibus, non posse prædicare in eorum Ecclesiis. Breue Vrbani VIII. est solum pro diœcesi Gienensi: sicq; limitari debet assertio, non autem extendi ad Religiosos aliarum diœcesum: in diœcesi Gienensi Regulares approbati ad confessiones pro certo tempore, eo elapso, egent noua approbatione, & possunt iterum examinari: at id non procedit de Religiosis aliarum Diœcesum.*

6 *Licentia hic petita potest obtineri etiam à Legato de latere.*

7 *Debet peti à Capitulari Vicario, Sede Episcopali vacante.*

8 *Vicarius Capitularis in aliquibus venit nomine Episcopi.*

9 *A dicto Vicario licentia hæc non petitur, si ab Episcopo ante eius mortem habeatur.*

10 *Ea personaliter petenda, sed non semper: dari potest etiam extra propriam diœcesim.*

11 *Regulares suis Ecclesiis prædicant, Episcopo malitiosè differente benedictionem.*

12 *An Episcopo malitiosè non sinente, possint nihilominus absque ipsius benedictione prædicare.*

13 *Concionaturi coram Episcopo de rigore solum petunt benedictionem in ecclesia.*

14 *Concionantes coram eo non petunt quotidie benedictionem, nisi extet vsus.*

15 *Si diuersis temporibus interpollatis in eodem loco prædicent, pluries peti debet benedictio: quod negant alij non improbabiliter, nisi obstet praxis contraria.*

16 *Regulariter petitur benedictio ad conciones Quadragesimæ, Aduentus, ac Æstatis.*

17 *Ad prædicandum Monialibus ordinariè non petitur benedictio.*

18 *Item nec ad sermocinandum ex altari in Missa priuata.*

19 *Obtenta benedictio ad concionandum Monialibus non iuuat, vt Regulares prædicare possint in suis ecclesiis.*

20 *Absque Ordinarij benedictione ij tradunt Doctrinam Christianam.*

21 *Ordinarius non cogit suos ire ad propriam parochiam causa discendæ Doctrinam Christianam.*

22 *Regulares ad prædicandum non debent examinar ab Ordinario.*

23 *Nec obstat quædam declaratio Sacræ Congregationis, cum de ea non certò constet.*

24 *Regulares ne sint nimij in procurandis suggestibus ad lucrum temporale.*

25 *Si indebitè prædicent puniuntur ab Ordinariis.*

26 *Et quidem interdum eos suspendendo à prædicatione: non tamen ij possunt præcipere Regularibus, vt in licerto habitu prædicent.*

27 *Regulares prædicare nequeunt sine licentia sui Prælati.*

28 *Idque etsi consentiat Ordinarius loci.*

29 *Regulares prædicant etiam nullo ordine insigniti.*

30 *Si tamen habeant primam Tonsuram.*

31 *Prædicant vbique locorum.*

32 *Vt prædicent in publicis plateis, non egent licentia Ordinarij.*

33 *In parochiali Ecclesia de rigore possunt prædicare, Parocho repugnante.*

34 *Nec in hoc dici posset præiudicari iuri Parochorum.*

35 *Prædicant prædicante proprio Ordinario loci.*

36 *In suis ecclesiis quærunt eleemosinas pro pauperibus sine licentia Ordinarij.*

37 *At publicant solum Indulgentias ab eo approbatas.*

38 *Possunt cogi iuxta Rodriq. denunciare festa, ac ieiunia, sed hoc non placet.*

39 *Ordinarij non possunt impedire, ne eorum subditi adeant conciones Regularium.*

40 *Interessentes horum concionibus plures acquirunt Indulgentias.*

41 *Regulares extra claustra degentes, aut eiecti non semper sinendi sunt prædicare.*

42 *Aliqua peculiariter statuta, quoad Prædicatores Monialium: prædicans in peccato m. non peccat mortaliter: assignatur cuius expensis ali debeat Prædicator.*

QVÆRES I. An, & quo iure possint Regulares prædicare vbique verbum Dei.

1\. Respond. posse ex multis priuilegiis ad id concessis, & relatis *in Comp. Medicant. v. prædicatores verbi Dei*, & præsertim ex eo, quod Paulus III. concessit Religiosis Societatis Iesu in sua Constit. *Cum inter cunctas*, his verbis: *Societatem sub nostra, & Apostolica Sedis protectione suscepimus, & cuilibet vestrum, qui ad hoc idoneus repertus, & per vestræ Societatis Præpositum pro tempore existensem deputatus fuerit, in quibusuis vbique locorum Clero, & populo verbum Dei prædicandi, proponendi, & interpretandi ac eos viam veritatis edocendi, in Domino hortandi, & admonendi liberam facultatem ad nostrum, & Apostolicæ Sedis beneplacitum concedimus.* quod priuilegium est valdè amplum, & fauorabile; vt constabit ex qq. infra proponendis.

QVÆRES II. An Regulares possint vel hoc priuilegio absque licentia Episcoporum.

2\. Respond. non posse. ita Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 1. num. 3.* & probatur, quia ex vna parte non posset exerceri munus prædicandi sine facultate Prælati Ecclesiastici *cap. cum ex iniuncto, de hæret.* ex alia parte licèt præsens priuilegium detur absolutè, & sine restrictione, habet tamen conditionem subintellectam, si Episcopi in suis diœcesibus fuerint contenti, aut parochi non contradixerint: id enim est rationabile, ac iustm ad vitanda dissidia, & scandala:) vnde fit, vt quamuis Papa de plenitudine potestatis possit dare facultatem prædicandi vbique sine licentia Episcoporum, imò etiam ipsis, & parochis peregrinantibus; si tamen id expressè non declaret præsumitur potiùs concedere dictam facultatem saluo iure inferiorum. Præterquàm quod in Concil. Trid. *sess. 5. cap. 2. de reform.* de Regularibus dicitur: *Regulares verò cuiuscunque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint*, ac de eorum licentia, etiam *in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint: cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant: in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Superiorum, etiam licentiam Episcopi habere teneantur.* ex quo benè infert Suar. *sup. num. 4.* ad prædicandum quidem in propriis Ecclesiis sufficere, vt Regulares se præsentent, aut licentiam petant (estò non obtineant) in aliis verò Ecclesiis requiri, vt obtineant licentiam: *sine qua* (addit Conc. Trid.) *in Ecclesiis non suorum Ordinum, nullo modo prædicare præsumant.*

Licentia autem, cum qua iubetur Regularis se præsentare coram Ordinario, non est opus, quod sit in scriptis: cum Concilium id nõ exprimat (sicut exprimit loquens de licentia ingrediendi Monasteria Monialium) & alioqui, vbi agitur de obligatione imponenda, stricta debeat fieri interpretatio.

Vtrum autem vt Regularis prædicet in Ecclesia Regularium alterius Ordinis, sufficiat petere benedictionem ab Episcopo, vel prætereà requiratur eius licentia obtenta.

Respond. requiri licentiam obtentam; cui sic Regularis prædicet in Ecclesia non sui Ordinis, ad prædicandum verò in Ecclesia non sui Ordinis requirat Concilium licentiam Episcopi, vt patet ex modò dictis. ita ego respondi in contingentia facti, & approbarunt viri docti à me consulti. Quamuis 3.
post hæc scripta repererim Cespedes oppositũ sustinere, *tract. de exempt. cap. 10. dist. 205. num. 2.* his verbis. *Dico Regulares prædicantes in Ecclesiis etiam aliorum Ordinum tantum debent habere benedictionem ab Episcopo; sicut, si prædicarent in Ecclesiis proprij Ordinis:* hanc opinionem puto certissimam, & in praxi vidi practicari. hæc Cespedes adducens *num. 4.* pro se Tamburinum *de iure Abb. tom. 2. D. 11. quæst. 2. n. 5.* dicentem Abbates, & Prælatos regulares posse regulariter in propriis Ecclesiis absque vlla Episcopi, vel Ordinarij licentia requisita prædicare, vel prædicare facere.

Probat autem Cespedes suam sententiam, tum quia eadem ratio, ob quam Regulares in propriis Ecclesiis egent solùm benedictione Episcopi, militat in casu, quo prædicent in Ecclesia Regularium alterius Ordinis; nempè exemptio, eo quod Ecclesiæ propriæ Regularium sint exemptæ ab Episcopo: exemptæ autem sunt & Ecclesiæ aliorum Ordinum: tũ quia sumus in odiosis, cum agatur de diminutione exemptionis Regularium; ac proinde verba Concilij Tridentini debent explicari, vt minùs derogent dictæ exemptioni, quam fieri possit; quod fit in sententia Cespedes. mihi tamen non placet hæc sententia (cum manifestè repugnet verbis Concilij relatis

relatis supra, vt constat ex probatione nostræ sententiæ) sicut nec placent rationes pro ea adductæ. ad primam enim dico rationem, ob quam Concilium fecit præfatam dispositionem de Prædicatoribus, non esse solam exemptionem Regularium, sed plures alias, quæ facilè occurrent consideranti: prætetqnam quod stat pro ratione voluntas; & aliàs nobis constat de volunrate legislatoris ex præadductis verbis Concilij, vnde non est recurrendum ad coniectutas. Ad secundam rationem dico verba Concilij debere explicari; ita vt minus derogent Regularium exemptioni, at in hoc seruandam esse verborum proprietatem: ideóque cum verba Concilij secundùm suam propriam significationem faciant sensum à nobis propositum, vt iam ostendimus, ad alium sensum minus proprium non debent diuerti.

QVÆRES III. An Regulares possint prædicare in propriis Ecclesiis, non obtenta Episcopi licentia, petita tamen, imò etiam ipso contradicente.

4 Respond. non posse; & probatur, tum ex decreto Concili. Trid. *sess. 24. c. 4. de reform.* dicentis. *Nullus autem siue sæcularis, siue regularis etiam in ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumant:* tum ex bulla Gregorij X V. *de exemptorum priuilegijs*, edita anno 1622. in qua statuitur Episcopos tamquam Sedis Apostolicæ delegatos habere auctoritatem coercendi quoscumque exemptos tam sæculares, quam regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. ita Suar. *supr. num. 9.* contra Peytinum *tom. 3. priuil. cap. 2. num. 9.* & alios infra citandos oppositum sustinentes ex quodam Breui Vrbani VIII. sub die 30. Ianu 1629. quod ait: *Quod dicitur Regulares non posse verbum Dei prædicare sine Episcopi licentia, id locum sibi vindicat in his tantum Ecclesiis quæ sui Ordinis non sunt: cum in alijs Ecclesiis sui Ordinis sufficiat Episcopi benedictio petita, licet non obtenta: ita tamen, vt, si Episcopus non modo benedictionem simpliciter non concesserit, verum etiam Regularibus prohibuerit, quo minus prædicent, tunc illo contradicente in suis quidem Ordinis Ecclesiis liceat illis prædicare quemadmodum sacri Concilij Trid. decretis salubriter cautum est.* Verum præfati Doctores pro se immerito adducunt hoc Breue, cum in eius exemplari ante verba illa, *liceat illis prædicare*, extet particula *non*, & dicitur, *non liceat illis prædicare*; vt mihi testatus est, Reuerendissimus P. Magister Hippolytus Bazzanus, tunc Ordinis Seruorum meritissimus Generalis ex ipsomet exemplari ei in contingentia facti exhibito, & attentè lecto. cum Peytino sentiunt Barbosa *de offic. Episc. allegat. 76. num. 19.* Tamburin. & Henriq. relati apud Dianam *part. 3. tract. 2. resol. 58.* suam sententiam inde confirmantes, quod Concilium Trid. *sess. 5. cap. 2. de reform.* dicit de Regularibus concionaturis in Ecclesiis suorum Ordinum, *& ab eis* (idest ab Ordinariis locorum) *benedictionem petere teneantur*: non autem dicit, vt ij ad id licentiam obtineant: quod tamen expressisset, si intendisset; sicut exprimitur *in cap. omnis vtriusque sexus, de pænit. & remiss. cap. super cathedram, extrauag. de sepult. § in Ecclesiis*, & alibi. quæ vtique facerent probabilem illorum sententiam, nisi obstaret Breue Vrbani VIII. supra allegatum, & praxis Sacræ Congregationis super Episcopos, ac Regulares, quæ iudicat de facto iuxta tenorem dicti Breuis; vt mihi testatus est idem P. Bazzanus mihi amicissimus.

Monet autem Cespedes *supr. 204 num. 17.* quod, cum Concilium Tridentinum dicat, *nullus Regularis prædicet, contradicente Episcopo:* per hæc verba Regulares non prohibentur prædicare contradicentibus inferioribus Prælatis, qui non veniunt nomine Ordinarij: quod negat Barbosa, & Sellius apud ipsum Cespedes sustinentes id non procedere, si præfati Prælati habeant iurisdionem, quasi Episcopalem, & sint nullius diœcesis.

Quod autem aliqui dicunt Episcopos non posse Regularibus prohibere, ne tempore quadragesimali prædicent in propriis Ecclesiis, eo quod in ciuitate parua adsit minor numerus Concionatorum, quam requirat frequentia populi ibi degentis, siue ob aliam causam, quod aliam Sacra Congregat. Cardinalium 5. Iun. 1590. teste Gauanto *in Enchirid. Episc. v. regularium iura sub Episcopis num. 35.* confirmauit his verbis: *Non debent impediri Regulares, quo minus in Quadragesima concionem habeant in suis Ecclesiis, etiamsi non fuerit consuetudo.* At videndum est, quod possit talis Declaratio, stāte Breui Vrbani VIII. allegato § *præcedenti*, & contraria praxi Sacræ Congregationis. Assertionem hanc sustinent Cenedo, Vega, Bordonus, Peytinus, apud Dianam *part. 3. tract. 2. resol. 58.* cum quibus sentit Cespedes *d. 100. num. 2.* id probans ex bulla Pij V. *Etsi Mendicantium.* iuxta Peytinum *tom. 1. de priuil. Constit. 2. Gregorij VIII.* monensque non expedire, quod Regulares prædicent, contradicente Episcopo: & si alis Episcopi non deberent iis negare facultatem prædicandi: cum verba illa Concilij Trid. superius relata: *Quod nullus potest prædicare, etiam in propria Ecclesia, contradicente Episcopo*, à Bordono, Miranda, & Barbosa relatis à Cespedes debeant intelligi; quando Episcopus per se vellet solemniter facere prædicare: idque iuxta Clementin. *Dudum, de sepult.* 5

Addit Cespedes *num. 4.* ex Peytino Episcopum non posse prædicare in Ecclesiis Regularium, ipsis contradicentibus: idque ex doctrina Cardinalis in Clementin. *Archiepiscopo*; quod scilicet exemptis, ac priuilegiatis non præiudicatur in suo priuilegio, nisi quatenus exprimitur: dissentiunt tamen alij apud Dianam *part. 3. tract. 2. resol. 109.* ex eo, quod talis actus videtur honoris, qui Episcopo denegari non debet.

Cæterùm putat Pasqualigus *tom. 2. quæst. 170.* præfatam Vrbani VIII. Constitutionem restringi ad Diœcesim Giēnensem, eiusque Episcopum: & probat, tum quia ea ad hos solùm dirigitur, vt constat ex illis verbis: *Dilecto filio nostro Balthassari S. R. E. Presbytero Cardinali de Sandoual nuncupato Ecclesiæ Giēnensis ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsuli*; & ex illis aliis verbis: *Teque specialibus fauoribus, ac gratijs prosequi volentes*; lex autem obligat solùm eos, ad quos loquitur Rom. 3. *Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, ijs, qui in lege sunt, loquitur:* tum quia facultas hæc concessa Episcopo Giēnensi per modum gratiæ; vt constat ex verbis modò relatis, *Teque specialibus fauoribus, ac gratijs prosequi volentes*; & est gratia priuilegiatiua contra ius commune, ac exemptionem Regularium immediatè subiectorum Papæ, cuius interest subditos suos ab aliis non iudicari: at priuilegium, & gratia iis solum conceditur, qui in concessione expressè nominantur, aut ad summum personis habentibus connexionem cum illis; vt colligitur ex *c. sanè de priuil.* & *cap. fin. de præbend.* notantque Glossa, & alij *in cap. priuilegium de reg. iur. in 6.* sicque gratia hæc non debet extendi vltra Episcopum Gienensem, cum solus in ea nominetur: tum quia iurisdictio in hac Constitutione tributa Episcopo est delegata;

gata, vt colligitur ex iis verbis: *Tibi religiosis prædictis, ne absque expressa tua licentia sacras confessiones de cætero audire, minusque verbum Dei prædicare audeant, & præsumant, per censuras, & pœnas Ecclesiastica auctoritate nostra inhiberi*, &c. procedens enim auctoritate Apostolica procedit vt delegatus, cum exerceat iurisdictionem delegantis, iuata *cap. cum in aliquibus, de rescript. in 6.* & Menochium *lib. 2. præsumpt. 16. num. 31.* iurisdictio autem delegata arctatur ad delegatum, nec ad alios extenditur; & quando in delegatione exprimitur nomen personæ, non extenditur vltra personam, cum delegatio sit personalis Sanch. *l. 8. de matr. D. 27. num* 20. aut ad summum erit iurisdictio delegata dignitati, adeóque solum Episcopis Gienensibus: tum quia dispositio præfatæ Constitutionis restringitur ad Diœcesim Gienensem; cum disponat solùm de Regularibus dictæ Diœcesis; vt constat ex iis verbis, *vt Regulares quidem in Ciuitate, & Diœcesi Gienensi à Prædecessoribus Episcopis examinati, & approbati*, &c. cum ergo iurisdictio determinate committatur Episcopo Gienensi, & solùm in ordine ad Regulares Ciuitatis, & Diœcesi Gienensi, restringitur delegatio per speciem loci, vt non se extendat vltra ipsum *cap. 2. de rescript. & c. statuto, de decimis in 6.* Nec obstat, quod lex habens generalem rationem, etsi sit specialis, sit generalis, *l. regula §. si quis ff. de iur. & facti ignor.* Bart. *ibid.* Alex. *in l. si pupillus, ff. de verb. oblig.* adeóque cum in aliis Diœcesibus eadem sit ratio, procedet & eadem dispositio: nam præsens dispositio non est per modum legis, sed delegationis; & si esset per modum legis, non posset extendi vltra diœcesim Gienensem; cum lex ex identitate, aut similitudine rationis non extendatur à persona ad personam, neque à loco ad locum *l. si quis ita, ff. de pœnis.* Aretinus *in l. Gallus, §. & quid si tantum, ff. de liber. & posth.* &, licèt ratio sit generalis, restringitur ad personas expressas *l. de eo, §. si quis, iuncta* Glossa *ff. ad exhiben.* Crauetta *cons. 919. num. 17.* in casu autem nostro sunt expressæ personæ non solùm quibus datur iurisdictio, sed etiam circa quas est exercenda, & sunt arctatæ ad existentes in Diœcesi Gienensi Non obstat item, quod rescriptum Principis etiam in causis particularibus habet vim legis *lib. 1. de leg. & const. princip.* Roman. *consil.* 260. Suar. *lib. 3. de leg. c. 15.* Sanch. *lib 2. de matr. D. 31. num. 6.* tunc enim rescriptum habet rationem legis vniuersalis, quando coniungitur cum voluntate condendi ius vniuersale, ac promulgatur, vt ab omnibus seruanda: quo pacto responsa Pontificum faciunt ius (vt passim in toto Decretali) etsi sint in casibus particularibus: quippe quæ sunt inserta in corpore iuris, quod sufficit pro publicatione: constitutio autem Vrbani VIII. de qua hìc, non est proposita, vt seruanda, pro lege communi.

Ex quibus (quod facit ad rem præsentem) inferri potest, etsi iuxta dicta vigore Constitutionis Vrbani VIII. supra allatæ, Regulares, contradicente Episcopo, prædicare nequeant, neque in ecclesiis sui Ordinis: cum tamen Constitutio loquitur solùm de Regularibus Ciuitatis, ac Diœcesis Gienensis, non afficit Regulares alibi existentes, sicque ij poterunt etiam modò in ecclesiis sui Ordinis prædicare, petita, & non obtenta Ordinarij benedictione; cum respectu illorum procedat ius antiquum: nisi extet legitima consuetudo in contrarium, de qua mihi non constat sufficienter.

Quod verò spectat ad Regularium approbationem, quoad audiendas confessiones sæcularium statuitur in dicta Constitutione Regulares Ciuitatis, ac Diœcesis Gienensis (de his enim solùm loquitur) quos idemmet Episcopus approbatur; si quidem huiusmodi approbationem obtinuerint ad certum tempus, eo elapso, non posse confessiones audire absque noua Episcopi ipsius licentia, & approbatione, præuio, etiam si eidem libuerit, nouo examine: illos autem, quos ipsemet Episcopus ad confessiones huiusmodi audiendas semel admisit simpliciter, ac sine vlla temporis præfinitione, nullatenus posse ab eodem reprobari sine noua causa, eaque confessiones ipsas concernente: an autem eadem causa subsit, nec ne, non teneri Episcopum Regularibus edicere, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, vbi eam sibi aperiri postulauerit exemplar dictæ Constitutionis in extensum refert Pasqualigus *supra*, eaque fuit edita 30. Ianuarij 1629.

QVÆRES IV. An sufficiat ad prædicandum in propriis Ecclesiis, si Regulares modo dicto licentiam petant à Legato de latere ibi residente.

Respond. sufficere, si prædicaturi sint in diœcesibus existentibus intra eius Prouinciam. ita Sorbus 6
in Comp. v. Prædicatores, num. 4. & 5. patétque ex indulto bullato ad id concesso Fratribus Ordinis Prædicatorum, ac Minorum ab Alexandro IV. & confirmato à Clemente IV. quod ibi refert Sorbus: tum quia Legatus in sua Prouincia est Ordinarius, & concurrit cum quocumque Ordinario illius iuxta superius dicta; sicque poterit præstare, quidquid præstant alij Ordinarij, & consequenter poterit dare licentiam prædicandi; cum id spectet ad Ordinarios.

QVÆRES V. An Sede Episcopali vacante, teneantur Regulares petere benedictionem à Vicario capitulari, vt prædicent in suis templis.

Respond. teneri; quidquid contra me dissenserit 7.
acriter quidam alioqui vir doctus in contingentia facti dum Ecclesia Ferrariensis vacaret ex morte Eminentissimi Cardinalis Magalotti. ita tunc ego sensi, & mecum senserunt Io. de Lugo, Baldel. Nald. aliique docti viri à me consulti, cum quibus postea reperi sentire Ricciullum *lib. 5. lucubrat. Eccles. c. 12. num. 7.* ex Cardinali *in Clement. 2. §. statuimus, num. 9. de sepult.* Ratio est, quod ex vna parte Vicarius capitularis succedit in iis omnibus, quæ spectant ad iurisdictionem Episcopi ordinariam, præter quàm in casibus exceptis; ex alia parte facultas benedicendi spectat ad iurisdictionem; cum non sit actus Ordinis, sicque exerceatur à Nunciis, & Legatis de latere benedicentibus populo etiam solemniter, estò non sint Sacerdotes, & consequenter non habeant potestatem ordinis; quod si facultas benedicendi spectat ad iurisdictionem, etiam facultas benedicendi Prædicatoribus erit actus iurisdictionis, ideóque non erit deneganda Vicario capitulari aliàs succedenti Episcopo, in iis omnibus, quæ concernunt iurisdictionem ordinariam, & specialiter non excipiuntur, qualis de facto facultas benedicendi Prædicatoribus, Dixi, *ordinariam*, quia Vicarius capitularis non succedit Episcopo in iis, quæ spectant ad iurisdictionem delegatam; cuiusmodi tamen non est facultas benedicendi Prædicatoribus; vt hinc constat, quod ea in Concilio Trident. numquam proponitur, vt delegata: cum alioqui Concilium, quoties concedit Episcopis aliquem actum iurisdictionis tamquam Sedis Apostolicæ delegatis, id ipsum disertis verbis exprimere soleat; vt videre est *in indice ipsius Concilij, v. Episcopi, in quibus casibus procedant, vt Apostolicæ Sedis delegati.* Quo modo corruit ratio Patris de Bellis relati à Diana *p. 7. tract. 12. resol. 26.* qua probat Vicarium capitularem,

Sede

Sede vacante non posse punire Regulares tunc temporis prædicantes sine licentia, ac benedictione illius: quod est indirectè dicere illos non teneri, Sede vacante, petere licentiam, ac benedictionem à Vicario capitulari. Quod tam ostendi esse falsum: sicut & falsum est, quod ait ex eadem ratione idem P. de Bellis allegatus à Diana *sup. resol.* 27. videlicet Vicarium capitularem, Sede vacante, non posse suspendere, aut prohibere Regularibus ne prædicent, iusta occurrente causa: puto enim id ipsum posse facere in omni eo casu, in quo posset Episcopus, si viueret: idque ob rationem pro hac nostra responsione adductam.

8. Nec obstat, quod facultas benedicendi Concionatoribus in Concilio Trident. conceditur Episcopo sub nomine Episcopi: cum tamen sub nomine Episcopi non veniat Vicarius capitularis. id enim falsum est, vt patet in facultate approbandi ad confessiones, dispensandi super irregularitatibus, ac suspensionibus occultis, recognoscendi Reliquias Sanctorum, & approbandi, aliisque similibus, quæ conceduntur Episcopo sub nomine Episcopi, & tamen DD. ea non denegant Vicario Capitulari. Vnde fit, vt cum nomine Episcopi sæpe veniat etiam Vicarius capitularis, & quoad præsentem casum nulla assignetur ratio oppositum suadens: imò occurrant non leuia fundamenta asserendi hîc nomine Episcopi venire etiam Vicarium capitularem; id omninò videtur sustinendum. Certè à nobis non dissentit Peyr. *tom.* 3. *priuil. cap.* 2. *num.* 12. dum ait per literas peti posse benedictionem ab Episcopo existente extra diœcesim,& Sede vacante, à Capitulo: quod est dicere à Vicario capitulari.

9. Quod si detur casus, in quo Regularis prædicaturus in propria Ecclesia petiit benedictionem ab Episcopo, si interim moriatur Episcopus, antequam ille inchoet conciones; probabile est ipsum non teneri petere nouam benedictionem à Vicario capitulari: cum talis benedictio sit veluti gratia facta, quæ non expirat morte concedentis; sicut proportionaliter euenit in approbatione ad confessiones, quæ durat post mortem approbantis, aut eo amoto ab officio. ita docti Neoterici consulti.

Qværes VI. An Regulares personaliter debeant se præsentare Episcopo ad effectum petendi præfatam benedictionem.

10. Respond. Debere, nisi fortè aliquo graui impedimento detineantur; nam tunc possent per alium se præsentare iuxta regulam: *qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.* ita Peyt. *sup. num.* 11. ex Zerola *in praxi part.* 1. *v. prædicatio*, §. 3.& Leone *in thes. fori Eccles. p.* 1. *cap.* 8. *num.* 10.& probatur ex Concil. Trident. *sess.* 5. *cap.* 2. *de reform.* requirente expressis verbis personalem præsentationem; quamquàm, si Episcopus sit extra diœcesim, & non habeat Vicarium, possit in tali casu peti benedictio per litteras; vt notauit Peyrin. *num.* 12. ex Anchar. & Cardin. addens *num.* 13. quod si contingat Regularem prædicare in Ecclesia sui Ordinis, vel alia Parochiali distante vltra duas diætas, vbi resider Episcopus, potest benedictionem petere ab Episcopo per nuntium, etiam non sui Ordinis, aut etiam per literas; quod mihi placet, nisi consuetudo sit in contrarium, cui omninò standum est. nobiscum sentit Cespedes *D.* 199. *num.* 3.

Mouet autem Ricciullus *sup. cap.* 12. *num.* 7. ex Cardinali *vbi sup. num.* 8. licentiam prædicandi, cum sit actus voluntariæ iurisdictionis, posse dari ab Episcopo, etiam extra diœcesim: quod vtique procedit etiam de benedictione ab ipso petenda; cum etiam quoad hanc procedat ratio allata.

Qværes VII. An Regulares possint prædicare in casu, quo Episcopus, eiusve Vicarius malitiosè renuont dare benedictionem, se occultando, aut certè nimis eam differendo.

Respond. Videri posse ex priuilegio Clem. *dudum* §. *si verò*; ita tamen, vt priùs ad Superiorem recurrant, nempe ad Archiepiscopum, Legatum de latere, aut Papam, si commodè possint. ita Peyr. *sup. num.* 13. ex Anchar. & Cardin. patetque, tum ex dictis, tum quia licentia, seu benedictio petita, si iniustè denegetur, videtur ipso iure concedi: vt colligitur ex *cap.* 1. *de suppl. neglig. Prælat.* & *cap. licet, de Regul.* Quamquàm, teste Panorm. *in Clem. cit. num.* 22. in proposito casu non sufficiat vna vice petiisse benedictionem, sed debeat peti saltem per tres vices: quod notat etiam Nau. *in sum. hisp. cap.* 27. *num.* 263. 11.

Dices, quid si Episcopus item malitiosè non sinat Regularem prædicaturum in propria Ecclesia accedere ad ipsum, sicque impediatur petere ab ipso benedictionem, antequam incipiat prædicare: poterit ne is nihilominùs prædicare?

Respond. videri probabile quod sic; cum Regularis in tali casu verè dici possit petere benedictionem, hoc ipso, quod adit Episcopum ad talem effectum, petitque ab eo audientiam: & alioqui fraus non debeat alicri patrocinari cum præiudicio tertij; quod tamen eueniret in præsentia, vt patet. quamquàm, occurrente tali casu, consultum esset benedictionem petere per literas, aut nuncium: quo casu procederet doctrina data *q.* 3. 12.

Qværes VIII. An Regularis concionaturus coram proprio Episcopo teneatur illum adire ad petendum benedictionem, vel sufficiat eam petere in ipsa Ecclesia ipso mane, quo inchoaturus est conciones.

Respond. in rigore iuris sufficere, vt petat in ipsa Ecclesia; cum sic impleatur præceptum Concilij Trident. requirentis, vt Regulares benedictionem petant, antequam incipiant prædicare; expedire tamen, ac decere, vt benedictio petatur domi ad maiorem reuerentiam, ac humilitatem indicandam, nec non ad vitandam Episcoporum offensionem. 13.

Qværes IX. An Regulares concionaturi coram proprio Episcopo teneantur illum conuenire pro benedictione toties, quoties.

Respond. in hoc seruandam esse consuetudinem, quæ pro varietate regionum, ac diœcesum est varia; cum aliqui Episcopi soleant illam dare quotidie, alij solùm diebus festis: alij solùm in principio, & fine concionum, & alij aliter, vt constat in praxi. 14.

Qværes X. An Regularis Concionator, qui semel se præsentauit Episcopo pro benedictione, si contingat illum iterum concionari in illius diœcesi, teneatur iterum se præsentare.

Respond. quod, quamuis DD. communiter negent teneri, maximè Sorbus *in comp. v. prædicatores, in annotat.* Mirand. *tom.* 1. *manu. q.* 50. *a.* 9. Lezana *to.* 1. *c.* 20. *n.* 7.& alij: idque ex Constitut. Pij V. relata superiùs *c.* 3. *sect.* 2. *subs.* 1. *q.* 16. eam extendentes ab approbatione ad confessiones (de qua solùm ibi est sermo) ad approbationem pro prædicatione ob paritatem rationis. in praxi tamen oppositum sustinendum est, nisi aliter constet de pia, ac benigna mente Episcoporum; si quidem in præsentia videmus passim Regulares Concionatores, etiam primarios, & antiquos, qui in aliqua diœcesi prædicaturi tempore Quadragesimali, si post aliquot annos redeant ad prædicandum in ea, iterum se præsentare Episcopo 15.

Episcopo, fine eidem, siue successori: quod non negant etiam DD. citati, & expressè concedit Miranda; quorum sententiam puto posse practicari in casu, quo quis habitis in aliqua diœcesi concionibus quadragesimalibus, in eadem postea prosequatur conciones æstiuas, aut etiam aduentus, nisi fortè etiam in hoc extet consuetudo in contrarium; nobiscum sentit Rodriq. *tom. 3. q. 32. art. 6.* dissentit Cespedes *supr. d.* 201. *n.* 2. ex Patre de Bellis ea ductus ratione, quod Regulares habent à Papa facultatem prædicandi, & ad hoc licentia Episcopi egent solùm per modum conditionis: & quidem, cum Episcopus non habeat ius ordinarium dandi præfatam facultatem, sed delegatam tantùm; non apparet, cur attenta Pij V. Constitutione supra relata, Regulares semel approbati ad confessiones non egeant iterum approbari, & semel approbati ad conciones egeant iterum approbari: cum in vtroque casu Episcopi approbatio tanquam conditio requiratur à summis Pontificibus: & non constet, vbi ij statuerint Regulares, quoties voluerint prædicari, toties teneri adire Episcopum, vt iterum approbentur. Ita Cespedes, nec improbabilitet, si non obstaret consuetudo, quæ est optimus legum interpres.

Qværes XI. An Regulares teneantur petere benedictionem ab Episcopo, siue habituri sint conciones quadragesimales, siue æstiuas, siue aduentus (vt vocant) siue de passione Christi, quales alicubi solent fieri in Quadragesima singulis feriis sextis, aut aliquibus alijs diebus certis, siue etiam extraordinarias, v. g. occasione Iubilei, alicuius solemnitatis, &c.

16. Respond. iuxta dicta nullam certiorem regulam posse in hac re statui, quam ipsam consuetudinem: quæ omnino seruari debet; ideóque in vnaquaque diœcesi inspiciendum esse, qualis in hac re sit vsus; quamquam in similibus rebus melius sit abundare, quam deficere: ne alioqui offendantur Episcopi, hincque oriantur incommoda longè maiora. Vsus autem, saltè in hisce nostris regionibus videtur esse, vt benedictio petatur pro concionibus quadragesimalibus, æstiuis, & aduētus (nisi fortè hæ post quadragesimales ab eodem continuentur) non item pro aliis maximè pro extraordinariis: cum teste Henriq. *l.* 7. *c.* 18. *n* 8. possit Regularis doctus, ac idoneus bis, aut ter prædicare in aliquam parochiam cum sola licentia Parochi; quod admittit etiam Lezana *supr. n.* 4 non tamen absolutè, sed solùm in casu, quo omnibus consideratis præsumi possit licentia tacita, aut interpretatiua Episcopi, & abesset Episcopus, eiusque Vicarius. Certè *in Comp. priuil. Soc. Iesu, v. confessarius, §.* 2. habetur Confessarios, & Prædicatores ab aliquo Ordinario semel approbatos, & à suis Superioribus ad huiusmodi munera deputatos, quandocúque siue mari, siue terra iter faciunt, posse (non repugnantibus tamen Curatis parochialium Ecclesiarum) verbum Dei prędicare; idque ex priuilegio bullato Gregor. XIII. quod exponit Suar. *supr. tract.* 10. *l.* 9. *cap.* 1. *n.* 5. *&* 6. cum Henriq. sentiunt Rodriq. *tom.* 3. *q.* 52. *art.* 1. Portel. *de dub. regul. ver. prædicatores, n.* 2. addentes secluso priuilegio Gregorij XIII. id fieri, non ex priuilegio, sed ex epicheia, vt etiam dicit Lezana *supr.* nobiscum sentiunt Diana *p.* 7. *tract.* 12. *resol.* 24. & Cespedes *sup. d.* 199. *n.* 2. contra Bordonum *resol.* 7. *q.* 11. *n.* 15. dicentem vsum obtinuisse apud Regulares, vt prædicent in propriis Ecclesiis absque alia Episcopi benedictione, quam solùm petunt pro Quadragesima, & aduentu, & non pro aliis festis infra annum; sic Bordonus, contra quem dicit Diana (& meritò) se multum dubitare de tali vsu.

Qværes XII. An Regulares concionaturi Monialibus teneantur modo dicto petere benedictionem ab Episcopo.

Respond. teneri, si adsit consuetudo: ordinariè tamen non videri adesse talem consuetudinem; idque scientibus, & non dissentientibus, Episcopis, cum tamen facilè possint dissentire. Ita docti viri à me consulti, cum quibus sentit Bordon. *resol.* 6. *n.* 33. & quidem sine vlla limitatione. 17.

Qværes XIII. An Regulares sermocinantes in Missa priuata post Euangelium (sicuti solet fieri in aliquibus locis) possint id facere etiam non petita benedictione.

Respond. de rigore iuris posse: cum decretum Concilij Trid. de petenda benedictione ad prædicandum sit odiosum, adeóque ampliari non debeat, sed restringi, vnde, cum in Concilio expressè extendatur solum ad casum, in quo quis prædicaturus est, vt patet ex *sess.* 5. *c.* 2. *de reform.* vbi dicitur, *antequam prædicare incipiant*, non debet ampliari ad casum, in quo quis habiturus est sermocinationes: quæ, omnibus consideratis secundùm moralem æstimationem habent potiùs rationem exhortationis, quam concionis, seu prædicationis; cum teste Posseuino *de offic. Curati, cap.* 3. *num.* 4. & Suarez non dissentiente *supr num.* 31. *& sequentib.* nomine exhortationis veniat sermo, qui habetur ad populum extra pulpitum, aut locum solitum pro concionibus, aut si fiat in loco solito, puta ex altari (vt in casu nostro) sit habitu distinctō ab eo, qui solet adhiberi in prædicatione: itavt habitus, & locus videantur importare differentiam in huiusmodi sermocinationibus: cum alioqui eadem sit tario materiæ, & verborum vtorumque. Dixi, *de rigore iuris*: si enim Episcopus ostendat se id ægrè ferre, non expedit ei contradicere. A nobis autem non dissentiunt Lezana *tom.* 1. *cap.* 20. Bordonus *resolut.* 6. & Cespedes *supr. d.* 196. *num.* 8. *&* 9. dicens Regulares sine licentia Episcopi posse prædicare in scholis disciplinatorum ac Monialium Ecclesiis, posséque per aliquod breue tempus prædicare, v. g. per quartam horæ partem, aut paulò amplius, & quidem etiam frequenter, vt colligitur ex Lezana *supr.* 18.

Qværes XIV. An Regulares, qui tempore Quadragesimali obtinuerunt ab Episcopo licentiam prædicandi Monialibus, vi talis licentiæ possint eodem tempore concionari in propria Ecclesia, non petita noua benedictione.

Respond. videri non posse: cum à diuersis non fiat illatio, & Concilium Trid. *sess.* 5. *cap.* 2. contradistinguat inter se prædicare in Ecclesia non sui Ordinis, & prædicare in Ecclesia sui Ordinis: & quidem per hoc, quod sola benedictio Episcopi requiritur ad prædicandum in Ecclesia sui Ordinis, ad prædicandum verò in Ecclesia non sui Ordinis requiratur licentia ipsius Episcopi. Vnde fit, vt licentia prædicandi in Ecclesia Monialium alterius Ordinis non suffragetur ad prædicandū in Ecclesia proprij Ordinis. Dico, *alterius Ordinis*; si enim Moniales sint eiusdem Ordinis, tunc puto in rigore iuris non teneri Regularem petere in præsenti casu nouam benedictionem: cum videatur extare praxis in contrarium, scientibus, & consentientibus Episcopis; nimirum quod Regulares prædicaturi in Ecclesiis Monialium proprij Ordinis nullatenus petant benedictionem ab Episcopo; itavt decretum Conc. Trid. præscribentis Regularibus, vt petant benedictionem ab Episcopo, antequam prædicare incipiant in Ecclesiis sui Ordinis, testante vsu, qui est optimus legum interpres, non videatur extendi ad casum, in quo ij prædicaturi 19.

prædicaturi sunt in Ecclesiis Monialium sui Ordinis, sed solùm quando prædicaturi sunt in propriis Ecclesiis promiscuè ad populum vniuersum; & quidem meritò; cum conciones, quæ habentur ad Moniales, sint veluti sermones priuati, ac exhortationes, quam conciones simpliciter dictæ, quæ solæ videntur cadere sub præfatum decretum Concilij: quod cum sit odiosum, vtpote restringens immunitatem Regularium, non debet ampliari, sed restringi.

Qværes XV. An Regulares possint tradere pueris rudimenta Doctrinæ Christianæ non petita benedictione ab Episcopo, imò eo contradicente.

20. Respond. posse tum in propriis, tum in alienis Ecclesiis, de consensu tamen eorum, qui illis præsunt: quamuis non expediat id facere ob plura inconuenientia, quæ inde possunt emergere. Ita docti Neoterici à me consulti; & probatur, quia ex vna parte Paulus III. in priuilegio concesso Patribus Societatis Iesu relato *q.1.* dat facultatem tradendi doctrinam Christianam in quibusuis Ecclesiis, & locis, ac plateis communibus; dum ait, *ac eos viam veritatis docendi:* ex alia parte nullum extat ius obligans ad petendam benedictionem Episcopi in præsenti casu: cum decretum Conc. Trid. Regularibus solùm præcipiat, vt petant benedictionem, aut licentiam, quando prædicaturi sunt (ait enim, *antequam prædicare incipiant*,) & alioqui tradere doctrinam Christianam (vt solet tradi) sub nomine prædicationis propriè non comprehendatur teste Suar. *supr. c.* 1. *n.* 31. siquidem talis modus docendi per se non ordinatur ad docendam, & exhortandam totam Ecclesiam: à diuersis autem non fit illatio in odiosis: quale vtique est decretum petendi benedictionem, de quo hic; præterquam quod pro Regularibus quoad hoc stat consuetudo, quæ est optimus legum interpres, *cap. cum dilectus, de consuetud. & lib. si interpretat. ff. de lege.*

Vtrum verò Episcopi possint cogere etiam pœnis proprios subditos, vt eant ad proprias parœcias ad doctrinam Christianam discendam.

21. Respond. non posse; ita olim interrogatus hac de re respondi, & responsionem approbarunt viri valdè docti; patétque tum quia non est ita certum; quod Ordinarius simpliciter possit mulctis, & pœnis cogere pueros ad doctrinam Christianam discendam (cum decretum Concilij Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 4. concedens Episcopis facultatem compellendi ad id, etiam per censuras Ecclesiasticas cum teste Zerola *part.* 1. *praxis, ver. doctr. Christ.* §. 3. intelligatur solùm de compulsione eorum, qui tenentur ex officio ad eam docendum:) non, inquam, est ita certum, & consequenter nec potest Episcopus pœnis cogere pueros ad Christianam doctrinam addiscendam in suis parochiis; tum quia Regulares habent à Papa priuilegium tradendi doctrinam Christianam in propriis Ecclesiis, vt constat ex dictis: quod sine dubio non potest ipsis auferri ab vllo inferiore, & consequenter neque ab Episcopis; auferretur autem saltem indirectè, si Episcopi possent cogere pueros ad Christianam doctrinam addiscendam in propriis parochiis.

Qværes XVI. An Regulares ad obtinendam licentiam prædicandi teneantur se subiicere examini Episcoporum saltem post Concilium Tridentinum.

22. Respond. non teneri (estò de facto à multis Episcopis examinentur, quando prædicaturi sunt in Ecclesia non sui Ordinis.) Ita Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 76. *n.* 23. Mirand. *p.* 1. *q.* 50. *art.* 2. Peyr. *tom.* 3. *priuil. cap.* 2. *n.* 10. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 111. contra alios relatos à Barbosa; & patet quia si quod ius habent Episcopi examinandi Regulares concionaturos in aliena Ecclesia, maximè est ex Conc. Trid. *sess.* 23. *c.* 15. statuente, *nullum etiam*, Regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur; cum tamen potiùs oppositum in Concilio præfato decernatur; stante quod *sess.* 5. *c.* 2. Prædicatorum Regularium examen de vita, moribus, ac scientia ibi committitur ipsorum Superioribus, seu potiùs supponitur esse de iure commissum: eóque præmisso Regulares prædicaturi solùm obligantur ad petendam licentiam, aut benedictionem ab Episcopis modo supradicto: idque nulla mentione examinis facta: in odiosis autem (cuiusmodi vtique est examen, de quo hic) non est facienda extensio à casu expresso ad non expressum: & consequenter ex eo, quod Regulares subiiciuntur examini Ordinariorum ad hoc, vt approbentur pro confessionibus; non sequitur illos etiam subiici examini ad hoc, vt approbentur pro prædicatione: cum hæc duo sint diuersa, & à diuersis non fiat illatio; præsertim cum Leo X. in sua Constit. 21. relata *in Bullar. tom.* 1. statuat vt Regularis prædicaturus non solùm examinetur per suum Superiorem (onerans in hoc conscientias Superiorum,) sed etiam vt ille, *quocumque prædicaturus accesserit, de huiusmodi examine, & idoneitate sua per literas authenticas, seu aliàs sui examinatoris, approbatorísque Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs fidem legitimè faciat.* Ex quo constat vi præsentis Constitutionis denegari Episcopis potestatem examinandi Prædicatores Regulares hoc ipso, quod hi adstringuntur exhibere Episcopis testimonium authenticum suæ doctrinæ per examen exploratæ, vt sic ipsis sufficienter innotescat illorum idoneitas: aliàs quippe inutilis esset exhibitio talis testimonij, nimisquè onerarentur Regulares, si ad obtinendam licentiam prædicandi necessariò subiici deberent examini tum Episcoporum, tum Superiorum Regularium.

Nobiscum sentit Campanilis *rubric.* 12. *cap.* 13. vbi, proposita contraria sententia, cum esset Episcopus, sic in fauorem Regularium ait: Cui tamen sententiæ resistit Constitutio Leonis X. in Concilio Lateranensi edita, & exordiens: *Supernæ maiestatis præsidio*, dum inquit, *sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus, vt nullus tam Clericus sæcularis, quam cuiusque etiam Mendicantium Ordinis regularis aut quiuis alius, ad quem facultas prædicandi tam de iure, quam de consuetudine, vel priuilegio, aut aliàs pertinet, ad huiusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per Superiorem suum respectiuè diligenter examinatus*, &c. Illa igitur verba, *per Superiorem suum*, respectiuè insinuant, vt Regularis à Regularibus, sæcularis à sæcularibus, & consequenter illi non ab Episcopo sunt examinandi. Quæ Constitutio quatenus aliquas admitteret implicantias, posteriori Concilij Trid. dispositione expressius definitum apparet *in cap.* 2. *sess.* 5. *sub rubric. de reform.* volente, vt Regularis prædicare intendens à Superiore de vita, moribus, & scientia examinatus, & approbatus obtenta ab eo licentia cum ea personaliter se coram Episcopo præsentare debeat, & ab eo benedictionem petere, si in Ecclesia sui Ordinis: quod si in aliena, quæ sui Ordinis non sit, vltra licentiam sui Superioris etiam Episcopi licentiam habere teneatur: volt igitur, vt examen fiat à Superiore regulari. Ita Campanilis; & cum eo Cespedes *supr. d.* 194. *n.* 3.

23. Nec obstat, quædam declaratio Sacræ Congregat. relata à Peyrino *sup.n.*10. nobiscum sentiente, quam aliqui adducunt contra nos; si quidem ea vel est minùs authentica, vel certè, si detur illam esse authenticam, non debet præferri citatæ Constitutioni Leonis X. cum huiusmodi declarationes faciant opinionem solum probabilem, & quidem ita vt non tollat probabilitatem oppositæ sententiæ, sicut docet Granado *in* 2. 2. *controuers.* 1. *tract.* 15. *D.* 14. *sect.* 2. *num.* 5.

24. Monitos hîc velim Regulares, ipsos iniustè quæri de Episcopis. quod eos nolint admittere sine examine ad prædicandum in Ecclesiis non sui Ordinis; cum potiùs ipsi debeant id sibimetipsis imputare: cum aliqui illorum ad comparandum aliquod leue lucrum nobilissimum prædicandi ministerium vile nimis efficiant; dum per literas Principum suggestum aliquem, & quidem etiam rusticanum de manibus Episcoporum extorquent ita importunè, vt eos cogant subire onera, quæ alioqui nullatenus subirent; non ergo tantam sui faciant copiam, & tunc Episcopi ex penuria concionatorum cogentur ad ipsos recurrere, sibique magni beneficij loco ducentes, quod acceptentur tales suggestus, aliàs minùs expetibiles, sententiam quoad hoc mutabunt, & seruantes iura Regularium, non ampliùs eos subiicient examini.

QVÆRES XVII. An Episcopi possint punire Regulares, si prædicent sine debita licentia, aut benedictione.

25. Respond. posse ex facultate ipsis delegata à Gregor. XV. in Constit. relata *q.* 3. (quæ tamen teste Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 35. iussu Vrbani VIII. fuit suspensa pro regnis Hispaniarum 21. April. 1625.) cum ante dictam Constitutionem ex declaratione Sacræ Congregat. sub Clem. VIII. edita Regulares prædicantes sine licentia Episcopi deberent puniri, non ab Episcopo, sed à proprio Prælato, & quidem etiam pœna excommunicationis, non tamen latæ sententiæ, sed ferendæ, iuxta *cap. excommunicamus* 1. *de hæret.* §. *quia verò*; vt notant Portell. & alij apud Dianam *vbi supra.*

An autem Episcopi possint suspendere Regulares actu prædicantes ab ipsa prædicatione.

26. Respond. posse in casibus permissis à Greg. XV. *in citata Constitut.* & in Concil Trid *sess.* 5. *cap.* 2. necnon in Constit. Vrbani VIII. relata *q.* 3. in qua datur Episcopis facultas puniendi, & coercendi Prædicatores Regulares, etiam censuris Ecclesiasticis, si delinquant in casibus expressis; & quidem, si modo dicto suspendant, inquit Barbosa *sup. num.* 22. non teneri exprimere causam, ob quam suspendant; quod etiam tradunt alij Doctores.

Notat autem Cespedes *sup. d.* 103. quod, licet Pater de Bellis assignet 6. tantùm causas, ex quibus Episcopi possunt suspendere Regulares à concionibus: nimirum si prædicent miracula falsa, aut incerta; si concionentur prophetias in sacra Scriptura non fundatas; si in concionibus detrahant Episcopis, aut aliis Prælatis (& hæ causæ habentur in Concilio Lateran. *sess.* 11.) si concionentur propositiones erroneas; si proferant scandalosas; si enuncient hæreticales (& hæ causæ referuntur in Concilio Trid. *sess.* 5. *cap.* 2. *de Reform.*) hæc tamen doctrina sustineri nequit, stante Bulla Gregorij XV. *Inscrutabili*, quæ §. 6. iuxta dict. *q.* 3. dat Episcopis facultatem, vt tanquam Sedis Apostolicæ delegati aduersus Regulares Concionatores possint procedere in aliis casibus, *quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem per censuras Ecclesiasticas, aliásque pœnas*, præterquam quod teste Portello *v. Conceptio Deiparæ, num.* 8. Regulares subduntur Episcopis, si indebitè loquantur in concione de B. V. Mariæ Conceptione.

Addit Cespedes *d.* 106. *num.* 1. non posse Episcopos præscribere Regularibus, vt cum certo habitu prædicent: talis enim præscriptio supponit in Episcopis iurisdictionem, quoad hoc contra Regulares; quæ tamen non apparet, vnde Episcopis competat.

QVÆRES VIII. An Regulares possint exercere munus prædicandi sine licentia suorum Superiorum.

Respond. Non posse; ita Miranda *part.* 1. *manu q.* 49. *a.* 1. Suar. *sup. n.* 21. aliique communiter, & patet, 27.
tum ex Trid. *sess.* 5. *cap.* 2. *de reform.* vbi id expressè statuitur, tum ex tenore priuilegij à Paulo III. concessi ac relati *q.* 1. vbi dicitur, *vt per vestræ Societ. Præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit.* Quamquàm vt ibi notat Suar. non est opus, vt Præpositus Generalis id per seipsum, & immediatè præstet (quod esset impossibile in tanta Religiosorum multitudine) sed sufficit, vt per alios ad id sufficientes præstet (v.g. per Prouinciales, imò & per Rectores, si cui eorum Prouinciales voluerint delegare talem potestatem) hæc enim cum respectu Prouincialium censeatur ordinaria, vtpotè ipsis competens ex vi sui muneris, potest etiam aliis delegari; vt proinde dicendum sit Paulum III. in dicto priuilegio specialiter commisisse Generali potestatem deputandi Prædicatores solùm: vt hinc colligatur id peculiariter pertinere ad ipsius administrationem. imò, cum in decreto Concilij Trid. modo allegato talis potestas committatur Superioribus Regularium, non exprimendo, an id committatur Superiori Generali, aut Prouinciali, aut locali; puto id munus pertinere ad quemlibet illorum indifferenter, seruata tamen semper consuetudine cuiusque Religionis.

QVÆRES XIX. An Regulares possint prædicare sine approbatione suorum Superiorum, saltem in casu, quoad id facultatem habeant ab Ordinario loci, in quo prædicant.

Respond. non posse; cum Leo X. & Concilium, 28.
tam Lateranense, quam Tridentinum id expressè prohibeant præcipiendo ne Regulares possint approbari ab Ordinario ad prædicandum, nisi priùs à suis Superioribus approbentur, ac præsententur, vt idonei. ita Rodriq. *tom.* 3. *q.* 32. *a.* 5. patétque ex dictis maximè *quæst.* 3.

QVÆRES XX. An Regulares possint prædicare, etsi nullo ordine sacro sint initiati.

Respond. posse ex priuilegio bullato Pauli III.
cõcesso Religiosis Societatis sub his verbis: *Cuilibet* 29.
vestrum, qui ad hoc idoneus reputetur; quæ verba cum sint generalia, & contineant fauorem, tam ipsorum Religiosorum, quam animarum (in quibus maximè procedit regula, *Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*: & illa alia, *Beneficium principis amplè intelligendum est*) debent amplè interpretari, & consequenter extendi ad omnes Religiosos Societatis, etsi non ordinatos in sacris, præsertim attenta bulla Gregorij XIII. in fauorem eiusdem Societatis edita, in qua habentur hæc verba: *Vobis insuper concedentes, vt etiam Clerici vestri prima tantum tonsura insigniti, prout huc vsque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum vbique populo prædicare*, ita Suar. *sup. num.* 10. *&* 14. addens *num.* 18. istud priuilegium extendi etiam ad Nouitios Societatis; quippè qui iuxta communem DD. sententiam fauorabilius veniunt appellatione Religiosi, vt ostendimus suo loco.

Quod

Quod si quæras, vtrum ad vsum istius priuilegij requiratur, vt Regulares siue Nouitij, siue Professi sint initiati saltem prima tonsura.

30. Respond. quod, quamuis iura expressè non prohibeant, ne munus prædicandi delegetur laico (vt probat Suar. *supr. num.15.*) & in Religioso quamtumuis non tonsurato multum diminuatur de indecentia, quæ aliàs inest in eo, quod laicus prædicet, cum Religiosos tenera sit persona Ecclesiastica; nihilominus probabile est ad vsum priuilegij à Paulo III. concessi requiri, vt Regularis eo vsurus saltem habeat primam tonsuram. Ita Suar. *supr.num.16.* & probatur, tum ex simili indulto concesso eidem Societati à Gregorio XIII. paulò ante relato, in quo cum dicat, *vt etiam Clerici vestri prima tonsura insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant*, &c. idipsum supponit, ostenditque se non tam facere nouam concessionem, quam declarare antiquam in vero eius sensu, & eam totam confirmare; tum quia iuxta *regulam* 81. sub clausula generali non continentur specialia, quæ verisimiliter non essent in particulari concedenda: talis autem est delegatio prædicationis facienda laico ob specialem indecentiam, quæ in ea reperitur, adeóque per verba generalia non censetur committi, nisi quando ei directè, & in particulari fit; sicque non venit in priuilegio Pauli III. de quo hic. Quamquam hæc doctrina maximè procedat de publica concione, quæ fiat in Ecclesia, aut in quouis alio loco, in quo fiat conuocatio fidelium ad verbum Dei pro concione audiendum: non item, si fiat ad cathechesim, & instructionem Christianæ doctrinæ, aut aliquid tale.

QVÆRES XXI. An Regulares vi suorum priuilegiorum possint prædicare vbique locorum.

31. Respond. posse; præsertim ex indulto Pauli III. relato *quæst.* 1. in quo dicitur: *In quibusuis Ecclesijs, & locis ac plateis communibus, seu publicis, & aliàs vbique locorum*; quod idem priuilegium ab aliis Pontificibus concessum fuerat PP. Dominicanis, ac Minoribus à Clemente V. ac Benedicto XI. & Carmelitis à Sixto IV. & Ioan. 22. quamuis, cum aliqua differentia, vt ostendit Suar. *supr. num.23.* vbi etiam fusiùs probat non esse indecens concionari in plateis, ac locis poblicis.

Vtrum verò ad prædicandum in plateis, aliísque locis publicis requiratur Episcopi licentia.

32. Respond. non requiri. Ita Lezana *supr.n 5.* & probatur, quia si quo iure ad id astringuntur ad petendam talem licentiam, maximè ex decreto Concilij Trid. relato *quæst.*3. ex eo tamen non astringuntur, cum ibi solùm sit sermo de prædicatione, quæ fit in Ecclesiis siue proprij Ordinis, siue alienis, & sic non comprehendat prædicationem, quæ modo dicto fiat in plateis; præsertim cum talis sermocinatio non sit propriè prædicatio, vt patet.

QVÆRES XXII. An Regulares possint prædicare in Ecclesiis Parochialibus, contradicentibus ipsis Parochis.

33. Respond. de rigore iuris posse ex priuilegio ipsis ad id concesso ab Alex. IV. eóque bullato: quod postea fuit confirmatum à Sixto IV. pro Carmelitis, necnon ab aliis Pontificibus; vt videre est apud Casarub. *in comp.ver.prædicatores,n.4.12. & 14.* non expedire tamen ob causas non semel superiùs repetitas. Ita Miranda 1.*p.manual.q.50. art.4.* & alij, patétque ex tenore priuilegij Alexandri VI. relati à Casarubio his verbis: *Alex. IV. concessit, quod Fratres Ordinis Prædicatorum, & Minorum possint prædicare populis de licentia Romani Pontificis, aut Legatorum eius, vel Diœcesani, seu Ordinarij absque aliorum inferiorum Prælatorum, & Rectorum Ecclesiarum, ac Sacerdotum Parochialium assensu.* Ex quibus constat derogari Clementinæ, *Dudum*, ac Extraoaganti Benedicti XI. *Inter cunctas*, requirentibus beneplacitum, & assensum Parochorum, ad hoc vt Regulares, habita licentia Ordinariorum possent prædicare in eorum Ecclesiis.

Respond. nec obstat, quod Sixtus IV. in priuilegio confirmato pro Carmelitis, & relato superiùs dixerit, *absque tamen parochialium Ecclesiarum iuris præiudicio*; siquidem ipsemet Sixtus declarauit se ibi loqui solùm de decimis, & primitiis, quæ à Clericis solent exhiberi; præterquam quod Regulares hoc ipso quod habent licentiam prædicandi in Ecclesiis parochialibus à Legatis, aut propriis Episcopis, nullum Parochis infertur præiudicium: cum in voluntate Superioris (qualis est Legatus ac Ordinarius respectu Parochorum) inclusa censeatur voluntas inferioris. 34.

QVÆRES XXIII. An Regulares possint prædicare eo ipso tempore, quo prædicat proprius Episcopus.

Respond. posse. Ita Lezana *supr.n.6.* ex Suar. *supr. n.30.* & probatur ex eo quod, licèt in Clem. *dudum*, sæpiùs citata, & in Extrauag. *Inter cunctas*, Religiosis concedatur licentia prædicandi, *hora illa duntaxat*, excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se, *facere solemniter prædicare*: quia tamen in aliis priuilegiis ad hoc idem concessis Regularibus non apponitur talis limitatio, & supponitur concessa ab Episcopi licentia iure communi requisita ad prædicandum: id vtrique fieri poterit; nisi fortè extet vsus in contrarium, aut Episcopi ostendant id sibi displicere, imò & contradicant; tunc quippe non debent id facere, attento Breui Vrbani VIII. relato *supr.q.3.* quòd aliqui adducunt ad oppositum probandum, sed malè, vt constat ex ibi dictis. 35.

Ricciullus certè *l.5. lucubrat. Eccl.cap.4.n.17.* ait, Regulares posse concurrere cum prædicatione Episcopi in concionibus, quæ habentur in studiis generalibus, in funeribus, & in festis suis peculiaribus; idque ex Clem.2. *de sepult.* ac Extrauag.1. *§.caueant, de priuileg.* quamquam Vitalinus *in §. ad honorem, n.44.* Extrauag.1. *de priuil.* dicat id non procedere, quando Prælatus conuocat totum Cleum alia de causa, quàm prædicationis, & à fortiori, quando ex vrgenti causa conuocat Clerum totius Diœcesis.

Addit Ricciullus *num.4.* ex Vitalino *n.84.* expleta concione Episcopi posse alios prædicare: nisi fortè sub spe prædicationis aliorum aliqui negligerent concionem ipsius Episcopi: cùm tunc cesset finis, Clement.2. *de sepult.* §. *nos autem*, præcipientis, vt, qua hora Prælatus prædicat in sua diœcesi, aut facit coram se prædicare solemniter, alij Prædicatores sileant in signum reuerentiæ.

Docet præterea Ricciulus *n.7.* hic nomine Prælati venire etiam Prælatos inferiores habentes iurisdictionem ex consuetudine, aut priuilegio: probátque tum ex Glossa *in citata Clem. ver. Prælati, & ver. Superior*; tum quia dicta Clem. verbis iis, *hora qua solet Episcopus, vel Prælatus Superior Prædicare*: loquitur de Prælato ad differentiam Episcopi, sicque debet intelligi de Prælato inferiore.

QVÆRES XXIV. An Regulares Prædicatores possint in propriis Ecclesiis quærere eleemosynas pro pauperibus absque licentia Episcopi.

Respond. posse; cum declaratio sacræ Congregationis, quam affert Lezana *supr. n.17.* ex Gauanto in contrarium, vel non sit authentica, vel non fuerit acceptata, vel per vsum contrarium sit aboiita. 36.

Qværes XXV. Quas indulgentias possint Regulares publicare in suis concionibus, & quas non.

37. Respond. non posse publicare, nisi illas, quæ priùs approbatæ sint ab Ordinariis locorum (sic enim habetur in Conc. Trid. *sess. 21. de reform. cap 9.*) & quæ sint veræ; siquidem in Clem. *de priuileg. cap. religiosi*, prohibetur prædicatio indulgentiarum falsarum, ac indiscretarum; vnde sequitur prædicantes huiusmodi indulgentias peccare mort. cum violent præceptum dictæ Clementinæ ipsis impositum, non incurrere tamen vllam pœnam, cum nulla in iure statuta sit, quod ego sciam.

Qværes XXVI. An Regulares cogi possint ad denuncianda in suis Ecclesiis festa, ac ieiunia, siue è suggestu inter concionandum, siue ab altari inter celebrandum.

38. Respond. Rodriq. *tom. 1. q. 43. art. 7.* posse; idque colligit ex Conc. Trid. *sess. 22. in decreto de obseruat. & euit.* vbi habentur hæc verba: *Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt*, (videlicet quoad Missæ celebrationem,) *omnibus locorum Ordinariys ita proponuntur, vt non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a sacrosancta Synodo potestate, ac etiam delegati Sedis Apostolicæ prohibeant mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inuiolabiliter seruanda censuris ecclesiasticis, aliysque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant.* Verùm, vt ingenuè dicam, quod sentio, non video, vnde id colligat Rodriq. (quamuis loquatur solùm de prædictis denunciandis in offertorio Missarum: cum alioqui sit par ratio de iis denunciandis, siue ex altari, siue è suggestu;) non video, inquam, vnde id colligat Rodriq. nisi fortè ex illis verbis, *sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint*; cum tamen minùs benè hinc videatur inferri: siquidem illud decretum, si attentè legatur, non loquitur, nisi de rebus spectantibus ad Missæ sacrificium; sicque non adest ratio dictum decretum ampliandi, etiam ad denuntiationem festorum, ac ieiuniorum, quæ ipsi sacrificio est valdè extrinsecè connexa, & accidentalis: præsertim cum extet vsus in contrarium, saltem in Italia: quidquid sit de regno Portugalliæ, cuius consuetudinem pro se adducit Rodriquez.

Qværes XXVII. An Episcopi possint prohibere propriis subditis, ne accedant ad audiendas Regularium conciones.

39. Respond. non posse, &, si prohibeant, grauiter peccare, & incurrere excommunicationem ipso facto à Bonifacio IX. latam his verbis: *Sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda quibuscumque Ecclesiarum Prælatis, & alys hoc strictè prohibuit (intellige Bonifacius) & vetuit, ac præcepit, ne Populum, aut Parochianos suos retrahere præsumant, quominus accedant ad audiendas prædicationes nostrorum Fratrum, quoties, & quomodo voluerint.* Ita Miranda *supr. art. 8.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 76. num. 36.* Zerola *in praxi part. 2. ver. Parochia*, aliique, & patet ex dictis: si solùm monuero istam excommunicationem non videri reseruatam; cum in tenore illius nulla fiat mentio reseruationis.

Qværes XXVIII. Quas indulgentias lucrentur, qui intersunt concionibus Regularium.

40. Respond. cum distinctione; vel intersunt concionibus Regularium habitis in propriis domibus ipsorum Regularium, vel in alienis; si in propriis, lucrantur quocumque die anni annos 18. & 322. dies indulgentiæ; si in alienis lucrantur annos 18. & dies 222. Ita Sorb. *in Comp. ver. indulg. quoad secul. 5. n. 6.* addens, Regulares prædicantes in propriis domibus tempore Quadragesimali feria 2. 4. & 6. posse concedere suis Auditoribus vltra præfatas indulgentias annos 138. & 202. dies: idque ex concessionibus variorum Pontificum factis Ordini Prædicatorum, ac Minorum; quæ vtique communicantur etiam Religiosis aliorum Ordinum participantibus de eorum priuilegiis, & non fuerunt reuocatæ à Paulo V. vtpote non concessæ Fratribus directè. Ita Portellus *de dub. regul. ver. prædicatores, n. 15.* monens ad acquirendas istas indulgentias opus esse, vt Prædicatores illas concedant in communi, nempe nomine Papæ: aliàs enim non acquirerentur.

Qværes XXIX. An omnes Regulares liberè possint exercere munus prædicandi, etsi degant extra claustra, aut etiam sint legitimè eiecti.

41. Respond. quod quidem spectat ad Regulares degentes extra claustra, ac obedientiam suorum Prælatorum, in Conc. Trid. *sess. 5. c. 2.* præcipi Episcopis, ne in sua ciuitate, vel diœcesi prædicare eos permittant, nisi ipsis noti sint, & moribus, atque doctrina probati, donec ab ipsis Episcopis super ea re Sancta Sedes Apostolica consulatur; quod verò attinet ad Religiosos eiectos; siquidem sint ex Ordine Fratrum Minorum, idipsum illis prohiberi à Clemente IV. his verbis: *Ne Fratres, quos ab Ordine Minorum pro suis culpis expelli contigerit, vel egressi fuerint proprio motu, præsumant prædicare*, &c. *nisi ad alium Ordinem, in quo licitè exercetur huiusmodi officium, de licentia Sedis Apostolicæ, vel Ministrorum Ordinis præfati transierint*; quæ prohibitio in specie facta est etiã Fratribus Dominicanis, ac Carmelitis: immò per priuilegiorum communicationem dici potest communis etiam aliis Ordinibus; quippe quæ est fauorabilis toti Ordini, sicque cadit sub communicationem priuilegiorũ, licèt particularibus Religiosis sit odiosa. Ita Rodriq. *tom. 3. q. 32. art. 9.* addens non censeri viuere extra claustra (quod facit ad rem præsentem) Religiosos illos, qui cum facultate suorum Prælatorum degunt extra monasteria ad aliqua negotia tractanda. Quin etiam notat Lezana *supr. n. 14.* ex Peyrino non posse admitti ad munus prædicandi eos, qui sunt infames infamia iuris, aut facti: cum indecens sit munus tam dignum commendari infamibus.

Qværes XXX. Quod peculiariter futurum sit, quoad Regulares, qui deputantur ad prædicandum Monialibus.

42. Respond. statutum fuisse à sacra Congregat. Cardinalium anno 1590. & quidem decreto authentico, ne Religiosi missi ad prædicandum Monialibus in ipsarum Ecclesiis vllo quæsito colore Moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentes alloqui possint: idque sub pœna priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendis, aliisque pœnis arbitrio eiusdem sacræ Congregationis: vt videre est apud Quarantam v. Monasteria Monialium.

Illud hic obiter moneo, quod, quamuis S. Thom. Caiet. Nauar. & Reginal. apud Persicum *l. 1. de præc. Sacerd. offic. cap. 10. n. 29.* putent exercentem munus concionandi in peccato mort. peccare mort. oppositum tamen sustinent DD. communiter cum ipso S. Thom. *3. p. q. 64. art. 6. ad 1.* vbi se retractauit; & quidem meritò; cum nulla extet lex positiua, siue diuina, siue humana, in qua fundetur obligatio non concionandi in peccato mort. & talis obligatio ex ratione naturali non colligatur; quod tamen non facit, quin concionans in peccato mort. possit mort. peccare per accidens, vt ratione scandali, si sit peccator publicus, vel ratione contemptus; sicut benè aduertit Persicus *vbi supr. num. 30.*

A quo

A quo autem ministrari debeant necessaria Prædicatori.

Respond. quod si munus prædicandi committatur ab eo, qui ratione sui muneris deberet prædicare, is debet Prædicatori suppeditare necessaria ex *c. inter cætera, de offic. iud.* & Concil. Trid. *sess. 5. c. 2. & sess. 24. cap. 4.* quamquam, si vigeat consuetudo, vt onus ministrandi necessaria Prædicatori incumbat alteri, talis consuetudo probetur de iure, teste Surdo *cons. 254. à num. 3. lib. 2.* ac Ricciullo *supr. c. 16. num. 10.* imò specialiter sit approbata à Concili. Trid. *sess. 24. cap. 4.* iis verbis: *Impensis eorum qui eas præstare tenentur, vel solent.*

Sectio II.

Quæ Priuilegia concessa sint Regularibus, quoad Ministerium docendi.

QVÆRES I. An ministerium docendi sit accommodatum Statui religioso. 43

Respond. esse; & probatur, tum quia Paulus III. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. & Paulus V. per bullam approbarunt, & summe commendarunt tale ministerium in Societate Iesu ad talem finem instituta: tum, quia antiquitus illud exercuerunt aliæ Religiones; tum, quia quidquid in eo est per se loquendo, sanctum est, & aptum ad propriam, & proximi charitatem enutriendam, vt ostendit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. l. 5. cap. 4. num. 7.* monens incommoda quæ ex vsu talis ministerij aduenire possunt Religiosis, esse accidentaria, & rationem ipsam status religiosi maximè inseruire ad ea vitanda, & si quid mali ex humana fragilitate irrepit, satis superque compensari abundantia fructus ex tali ministerio redundantis.

QVÆRES II. An Regulares conuenienter suscipiant puerorum institutionem, & quidem ita vt id expediat, tum ipsis Regularibus, tum pueris.

Respond. suscipere: idque maximè expedire, tam ipsis Regularibus, quam pueris. ita Suar *sup. cap. 5.* 44
& quidem, quod expediat Regularibus, constat ex dictis *quæst. præced.* probatque Suarez *num. 7. & seqq.* quod verò expediat pueris, inde suadetur, quod ij sub directione Regularium magis proficiunt, tam quoad doctrinam, quam quoad bonos mores: cum profectus discipuli non pendeat solùm ex scientia magistri secundum se, sed vt applicata ad docendum, id est ex cura, ac solicitudine integrè, ac perfectè implendi munus suum, non ad quæstum, ac ostentationem, sed ad vtilitatem discipuli; ad quod vtrique multum confert status religiosus præceptoris, vtpote excitans ad proprium munus obeundum cum maiori diligentia, ac fidelitate; præter quam quod Religiosus Præceptor maximè confert ad profectum puerorum, quoad bonos mores: idque tum bono exemplo, tum ex fine, quem sibi proponit in docendo, magis intendendo educationem discipulorum in moribus, quam in doctrina, ideóque nihil omittens, quod possit prodesse spirituali ipsorum profectui.

QVÆRES III. An Prælati regulares possint ex propriis subditis Religiosis deputare Lectores; tam in Theologia, quam in aliis Facultatibus.

Respond. Posse, prætetquam in iis facultatibus, 45
quæ specialiter interdicuntur Religiosis, nempe in Iure ciuili, ac Medicina, in *cap. sub specula, ne clerici, vel monachi, in 6.* ipsis in specie prohibentur, patet ex Bulla Pauli III. relata *in bullar. Soc. fol. 42.* in qua conceditur Præposito Generali Societatis (intellige, per se, vel per alios ab ipso designatos) *vt quos de suis idoneos in Domino iudicauerit, ad lectiones Theologiæ, & aliarum facultatum, alterius licentia ad id minimè requisita vbilibet deputare possit.* Quod priuilegium commune est etiam Religiosis aliorum Ordinum aliàs participantium de priuilegiis Societatis; nec est vtile; stante, quod Concilium Trident. *sess. 5. c. 1.* statuit neminem ad lectionis officium, tam publicè, quam priuatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus, & scientia examinatus non fuerit: quod tamen de Lectionibus in

clauſtris Monachorum noo intelligitur; vnde fit, vt priuilegium hîc adductum ſuffragetur Regularibus, ſin minus ad èaercendum officium Lectoris intra propria monaſteria, ad illud publicè exercendum extra clauſtra, & quidem indepeudenter ab Epiſcopo loci, in quo illud exerceant.

QVÆRES IV. Quas Facultates poſſint Regulares docere in ſcholis.

46. Reſpond. Excluſa ſcientia Iuris ciuilis, ac Medicinæ, poſſe docere omnes alias Facultates: ſiue eæ ſint ſacræ (qualis eſt Theologia complectens Scholaſticam, Poſitiuam, ac Scripturæ interpretationem) ſiue ſint ex ſe ita communes, vt eſſe poſſint vtiles ad ſacras, qualis & Philoſophia naturalis, & moralis, Mathematica, Ius canonicom, & Literæ humaniores à primis Grammaticæ rudimentis vſque ad perfectam eloquentiam. ita Suar. *ſup. cap.*4. *num.*4. patetque, tum ex *c. ſuper ſpecula, ſuperius citato:* tum ea ipſa praxi, qua nobis conſtat Religioſos Societatis ſuis ſcholis, ac Vniuerſitatibus docere omnes dictas Facultates; idque iuata ipſorum Inſtitutum à tot Pontificibus approbatum, confirmatum, & commendatum, iamque per 100. annos cum ſumma laude, ac bono totius Orbis Chriſtiani docuiſſe; quod etiam fuit factitatum, & fit etiam ab aliis Religioſis.

QVÆRES V. An, & qualiter poſſint Regulares publicè legere io ſcholis, etiam vbi extant Vniuerſitates.

47. Reſpond. Poſſe ea priuilegio bullato Societ. Ieſu conceſſo à Pio V. & relato *in bullario Societ. fol.* 107. his verbis: *Auctoritate Apoſtolica decernimus, & declaramus, quod Præceptores huiuſmodi Societatis, tam literarum humaniorum, quam liberalium Artium Theologiæ, vel cuiuſvis earum facultatum in ſuis Collegiis, etiam in locis, vbi Vniuerſitates extiterint, ſuas lectiones, etiam publicas legere (dummodo per duas horas de mane, & per vnam de ſero cum Lectoribus Vniuerſitatis non concurrant) liberè, & licitè poſſint; quodque quibuſcumque Scholaſticis liceat in huiuſmodi Collegiis lectiones, & alias ſcholaſticas exercitationes frequentare*; poſſe, inquam., modo per duas horas de mane, & vnam de ſero non concurrant cum lectoribus Vniuerſitatis. Quod procedit, ait Nauarrus *in lucerna Regul. v. priuilegia, num.*17. quamuis aliqua Ciuitas ſe opponat prætendens ab immemorabili tempore habere ius probibendi: ſic enim decidit Rota Romana anno 1627. Imò Gregor. XIII. in ſua Conſtitut. *Quanta in vinea*, tempus illud appoſitum à Pio V. reſtrinxit ad voam horam de mane, & vnam de ſero.

QVÆRES VI. An Regulares etiam in alienis Vniuerſitatibus poſſint docere, recepto ſtipendio, & cum oppoſitione, ac præcedentia in ſedendo.

48. Reſpond. Poſſe, niſi alias vi ſuarum Conſtitutionum prohibeantur: ſicut de facto probibentur Religioſi Societatis ex Decreto 128. Congregat. generalis I. his verbis: *Cathedra publicæ in Vniuerſitatibus, aut alibi cum ea diſceptatione ſuffragiorum, & oppoſitione, quæ ſoles fieri, non ſunt admittendæ; ſi tamen ſpontè offerantur ab vniuerſitatibus, aut Rectoribus earum, & gratis prælegantur, nec quiſquam ſe opponat, cum quo ſit diſputandum, admitti poſſent, conſulto Generali.* patet ex praxi: ſiquidem paſſim videmus Religioſos, etiam Monachos docere io publicis Vniuerſitatibus, & quidem certo ſtipendio conductos, ſcientibus & conſentientibus ipſorum Prælatis, & Pootificibus.

QVÆRES VII. An Regulares poſſint promoueri ad gradum Doctoratus in publicis Vniuerſitatibus.

Reſpond. Poſſe; cum id non ſit alienum à ſtatu religioſo, vt latè probant S. Thom. *opuſc.* 19. *con. impugnantes Religionem c.*2. & 3. S. Antonin. 3. *p. tit.* 5. *c.* 2. §. 3. aliique & ad id ſpeciale priuilegium fuerit conceſſum, tum Ordini Fratrum Prædicatorum à Bonifacio IX. relatum à Rodriq. *tom.* 2. *q.* 74. *a.* 1. tum Religioſis Societatis IESV à Iulio III. vt videre eſt *in bullar. eiuſdem Soc. fol.* 69. Imò Caiet. 2. 2. *q.* 186. *a.* 7. reprehendit Prælatos Religionis inſtitutæ ad prædicandum qui ſubditos prohibent ab huiuſmodi gradibus remuneratoriis, quando aliàs perſonæ ſunt dignæ, quod tamen non facit, quin, ſi id fiat ad præcludendum aditum ambitioni, & aliàs ſufficienter conſulatur bono Religiuois, ſit ſummè laudabile, vt oſtendit Suarez *ſup. num.* 11. 49.

Verum tameo eſt Religioſum non poſſe inſigniri laurea doctoratus abſque liceotia proprij Superioris noo concedenda, niſi ſeruatis conditionibus, quæ in quolibet Ordine prudenter præſcribuntur. omnea enim Religioſi actiones debent ſubiici Superiori; & Laureatis plura iura, ac priuilegia competunt, quibus ſine Prælati licentia noo decet Religioſum vti. ita Caſtrus Palaus *infra num.* 1. monens *n.* 3. in Societate Ieſu licentiam hanc dandam eſſe à Generali: vt habetur *in regula* 62. *Prouincialis*, nullumque poſſe promoueri ad doctoratum, qui noo habeat conditiones, ſeu qualitates præſcriptas *in* 4. *p. Conſtit. c.* 6. *n.* 17. *c.* 15. *n.* 4. & *reg. Prouincialis* 64. quas refert & explicat Caſtrus Palaus *ſup. n.* 3. 4. 5. 6. & 7.

Addit Suar. *cap.* 4. *n.* 12. quod, quamuis modo ſup. 50.
dicto prohibitum ſit Religioſis Societatis docere in alienis Vniuerſitatibus cum ſtipendio, oppoſitione, ac præcedeotia in ſedendo: iique poſito, quod inata dicenda *q. ſequenti*, inſigniantur laurea doctoratus, aut magiſterij in propriis Academiis, non debeant ſeruare in ſedendo certum antiquitatis ordinem; nihilominus, ſi contingat eos dictam lauream recipere in aliena Vniuerſitate (quod non eſt alienum à Societate) poſſunt, & debent ſtare diſpoſitioni, ac ordini locorum in illa vſitato; cum non ſit io eorum poteſtate immutare dictam diſpoſitionem, deceatque Religioſum effectum membrum alicuius Vniuerſitatis (quod ſit per ſuſceptionem doctoratus) ſe conformare conſuetudioi totius corporis: quod admittit etiam Caſtrus Palaus *tract.* 16. *D.* 4. *p.* 13. §. 6. *n.* 3.

QVÆRAS VIII. An Regulares poſſint promoueri ae gradus literarios Doctoris, Magiſtri, Licentiati, Baccalaurei, &c. etiam extra Vniuerſitates.

Reſpond. Poſſe ex conceſſione bullata facta à Iu- 51.
lio III. Societati, & relata *in bullar. ipſius Societ. fol.* 69. in hæc verba; *Scholaribus verò Collegiorum extra Vniuerſitates exiſtentium, ſtudiorum ſuorum curſu abſoluto, & rigoroſo examine præcedente à Præpoſito Generali, vel de eius licentia à quauis ex Præpoſitis, vel Rectoribus huiuſmodi Collegiorum cum duobus, vel tribus Doctoribus, vel Magiſtris licentiaturæ, ac doctoratus gradus accipere: Præpoſitis, vel Rectoribus cum Doctoribus huiuſmodi, vt eoſdem Scholares ad gradus ipſos promouere, eiſdemque Scholaribus, vt poſtquam promoti fuerint, in eis legere, diſputare, ac quoſcumque alios actus ad hæc neceſſarios facere, & exequi ac omnibus & ſingulis priuilegiis, prærogatiuis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, antelationibus, fauoribus, gratiis, & indultis, ac omnibus, & ſingulis aliis, quibus alij in quibuſvis Vniuerſitatibus ſtudiorum huiuſmodi, &c. pro tempore promoti de iure, vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt, pariformiter, & æque principaliter abſque vlla penitus differentia, perinde, ac ſi gradus*

gradus huiusmodi in eisdem Vniuersitatibus, & non eorum Collegiis huiusmodi accepissent. Hoc autem priuilegio gaudent etiam alij Religiosi, qui communicant de priuilegiis Societatis, sicut & eo, quod fuit concessum Ordini Fratrum Prædicatorum ab Innocent. VIII. relato à Rodriq. *loco superius citato* his verbis: *Regens, & in eius absentia Prior domus S. Stephani Salmantina Congregationis* (id est Prædicatorum) *possunt conferre quoscumque gradus Fratribus eiusdem Congregationis per eamdem Congregationem expositis, & admissis per Capitulum, vel Magistrum generalem dicti Ordinis, dummodo sic graduati peregerint cursus suos.*

Quod si doctrina illius, qui debet promoueri ad doctoratum, sit publicè notoria: putat Pasqualigus *decis.* 448. ex Decio *in cap. constitutus* 2. *num.* 3. *de appellat* & Moditio *in* §. *plebiscitum, dub.* 34. *num.* 12. posse omitti examen, aliàs præscriptum; & probat, quia in lege attenditur finis, qui si habeatur absque medio, præscripto in ipsa lege, non est opus vti tali medio, vt pote præscripto solùm ad obtinendum dictum finem: sicque cum examen instituatur ad explorandam sufficientiam doctrinæ illius, qui debet doctorari, si ea sit notoria, necessarium non erit examen. dixi *sit publicè notoria*, quia ad vitandum scandalum necesse est, vt publicè constet de doctrina illius, qui debet doctorari, ne aliàs quis suspicari possit inhabiles admitti ad docturatũ. Quod non admittit Castrus Palaus *supr. num.* 4. dicens ex Rebuffo *de priuil.* Scholar. *priuil.* 86. *v. ego verò*, & Gongalez *reg* 8. *Cancellar. gloss* 4. *num.* 89. quod si in aliqua Vniuersitate extet statutum præscribens examen pro omnibus laureandis; nullus erit doctoratus, si conferatur absque examine: idque, etsi doctorandus notoriè sit: nam sic creditur exigi examen pro forma, qua deficiente actus corruit: etsi hoc non procedat, si doctoratus recipi debeat in Vniuersitatibus Societatis, in quibus Rector illarum de licentia Generalis, aut Prouincialis iustas ob causas potest tale examen remittere, vt dicitur *part.* 4. *Constit. ca.* 15. §. 4. *in declarat. lit. E.*

Hac occasione placet resoluere dubium mihi aliàs propositum his verbis. In quodam Collegio Doctorum extat statutum, quod promouendis ad doctoratum ex libro casu aperto assignentur puncta doctoratus resoluẽda, ac recitanda intra 14. horarum spatium: & hoc statutum fuit confirmatum ab Vrbano VIII. his verbis: *Confirmamus, & approbamus, eique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis vim, & robur adiicimus irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam, quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari*, &c. verùm contra hoc statutum inductus ibi est abusus, quod promouendis per multos menses ante diem promotionis, non casu, sed ex præmeditato assignentur dicta puncta: ita tamen, vt promotores fingant se ea assignare ex libro casu aperto solum die immediatè præcedenti promotionem; idque ad saluanda fenomena: quæritur, an his stantibus promotio sit valida, & Doctores illius Collegij tuta conscientia, cum sint conscij talis abusus, possint ferre suffragium in fauorem promouendorum, vel certè sic ferendo sint periuri, cum iurent obseruantiam statuti prædicti.

Respond. enim eiusmodi promotionem esse validam, tum ratione communis erroris populi, cum titulo colorato ex *l. barbarius ff. de offic. prat.* tum, quia statutum illud, quantumuis pontificia potestate confirmatum pro hac parte non fuit vsu receptum, aut, si fuit receptum, postea contraria consuetudine abrogatum fuit, adeóque non ligat, quoad hanc partem: tum, quia statuta abrogata non comprehenduntur sub iuramento, siue generali, siue etiam speciali, vt notat Sanch. *l.* 3. *mor cap.* 14. *num.* 9. *cap.* 15. *num.* 2. *cap.* 16. *num.* 14. 15 & 16. idémque procedit de pontificia lege statuta alicuius Vniuersitatis, aut Collegij confirmante, cum in vtroliber militet eadem ratio, & vbi militat eadem ratio, militet eadem iuris dispositio.

Ex quo fit Doctores Collegij absque scrupulo posse ferre suum suffragium pro taliter promouendis: cum, posita doctrina modò tradita, ij non cooperentur malæ actioni, nec actum illicitum approbent, sed ipsorum suffragij sensus stet permissiuè, non autem approbatiuè; vt in simili docet Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 8. *n.* 26. & 27. Si autem licitè possunt ferre suum suffragium pro promouendis, vtique non sunt periuri, vt patet ex dictis §. *praced.* cum Sanch.

Accedit quod priuilegium Iulij III. quoad hoc 52. concessum Societati fuit ampliatum à Gregor. XIII. ita vt Præpositus Generalis dictos gradus conferre possit per Præfectum studiorum cuiuslibet Collegij Societatis, in quo Artium, vel Theologiæ facultates pro tempore legentur. Vnde sequitur ad hoc, vt præfati gradus recipi possint vi præsentis concessionis, non requiri, vt promouendus studuerit in Vniuersitatibus, Societatis, sed sufficere, vt studuerit in aliquo illius Collegio, vbi legantur pro tempore Theologia, aut Artes; videlicet vbi statis diebus legatur saltem vna lectio Theologiæ, aut certè habeantur duæ lectiones Philosophiæ siue ab vno, ac eodem Præceptore, siue à duobus distinctis. alterutrum enim videtur sufficere, quamuis aliàs non videatur sufficere vnica tantum lectio; cum nomine Artium importetur pluralitas lectionum, quæ non saluatur in vnica quidem lectione, saluatur tamen in dupliti, vt probabiliter iudicarunt viri docti à me consulti.

Notat porrò Suar. *tom.* 3. *de relig. l.* 8. *c.* 4. *num.* 13. 53. Caietanum 2. 2. *q.* 186. *a.* 7. minùs iustè reprehendere Religiosos, qui cum sint Ordinis instituti ad prædicandum, à suis abdicant honorem magisterij: non enim talis honor est necessarius ad talem finem, licèt sit vtilis, & aliàs magna vtilitas spiritualis ex illius abdicatione potest prouenire, maximè respectu communitatis.

Qværes IX. An Regulares possint promouere ad præfatos gradus etiam Scholasticus extraneos, qui in eorum Vniuersitatibus studuerint.

Respond. Posse ex indulto bullato concesso So- 54. cietati per Pium IV. & relato *in bullar. Soc. fol.* 85. talibus verbis: *Præpositus Generalis per se, vel aliquem ex Præpositis, vel Rectoribus Collegiorum, tam in Vniuersitatibus studiorum generalium, quam extra illas existentium, in quibus ordinariæ studiorum Artium liberalium, & Theologiæ lectiones habebuntur, cursusque ordinarij peragentur, nostræ Soc. Scholares, & pauperes externos qui dictas lectiones frequentauerint, & etiam diuites, si Vniuersitatum Officiales eos promouere recusauerint, cum per Examinatores nostræ Societatis idonei sint inuenti (solutis tamen per diuites suis iuribus Vniuersitatibus) in nostris Collegiis quarumcumque Vniuersitatum, & in aliis extra Vniuersitates consistentibus, quoslibet alios Scholares, qui sub eorumdem Collegiorum obedientia, directione, vel disciplina studuerint, ad prædictos gradus, ac aliàs in reliquis iuxta tenorem literarum Iulij III.* (quas nos adduximus q. præced.) *promouere possint.*

Circa cuius priuilegij intelligentiam (quod sine dubio communicatur etiam Religiosis aliorum Ordinum alioqui participantium de priuilegiis Societatis: cum nulla adsit ratio illud excludendi à generali

tali communicatione priuilegiorum) illud vnum hîc videtur inquiri posse quid ibi intelligatur nomine Scholasticorum pauperum, aut diuitum.

55. Respond. quod, quamuis Doctor. in *l. si constante, ff. soluto matrim.* dicatur id relinquendum esse arbitrio boni viri id iuxta qualitatem personarum iudicantis; quia tamen adhuc desiderari potest certa aliqua regula, quæ facilius reddat tale iudicium: propterea mihi in primis probatur ea, quam indicat Diana *part. 2. tract. 15. resol.* 8. ex Caietan. & Bañez, nimirum pauperes dici posse non solùm illos, qui egent necessariis ad sustentationem, sed etiam illos, qui egent opportunis ad conuenientiam proprij status.

Negat tamen Bordonus *tom. 2. resolut. 52. num.* 83. communicari hoc indultum aliis Religionibus: quippe quod Societati concessum est ex specialissima ratione (eo quod scilicet ex Instituto habeat debitum docendi, & legendi publicè) sicque in remunerationem laborum in studiis, ac meritorum confertur: quæ ratio non inest in aliis Religionibus, vt potè non habentibus debitũ docendi publicè.

Qværas X. An promoti ad gradus literarios vi dictorum priuilegiorum gaudeant omnibus illis priuilegiis, quibus gaudent ij, qui promouentur in Vniuersitatibus.

56. Respond. gaudere, siue promoti sint Regulares, siue laici. ita Rodriq. *supr. art.* 5. & probat ex concessione bullata Iulij III. relata *quæst.* 8. & per Pium IV. expresè confirmata, quoad Scholares Laicos; qui modo dicto, ad gradus promoueantur: imò & per Pium V. districtius inhibente Rectoribus Vniuersitatum, & aliis quibuscumque sub excommunicationis infligendæ pœna, ne Collegiorum nostrorum Rectores, aut Scholares in præmissis per Pium V. concessis molestare audeant; sicut constat ex *bullario Soc. fol.* 107.

Qværas XI. An, & quando Regulares possint doctorari in Iure ciuili, ac Medicina.

57. Respond. posse, si dum ipsi essent Laici, operam dederunt Iuri ciuili, & à proprio Superiore facultatem obtineant suscipiendi talem doctoratum. ita Sanch. *lib. 6. mor. cap.* 14. *num.* 45. ex Calder. Felin. Nauarr. Salz. & Rodriq. patétque ex eo, quod *in cap. non magnopere, & cap. super specula ne cler. vel Monac.* prohibetur Regularibus sola auditio Iuris ciuilis, aut Medicinæ exeundo claustrum; est autem quid diuersum promoueri ad gradus in his facultatibus, si fortè Religiosus illas didicit in sæculo: ideóque ex prohibitione vnius non bene infertur prohibitio alterius; cum à diuersis non fiat illatio, præsertim in odiosis. Imò, si Religiosus in ipsa religione operam dedit dictis facultatibus, & quidem exiens è claustro, estò in hoc peccauerit, poterit nihilominùs de licentia sui Superioris doctorari in illis; cum hoc posterius nullibi prohibitum sit, & prohibitiones non debeant ampliari, sed restringi; præsertim, cum peccatum studij dictarum facultatum, quod præcedit, non reddat Religiosum inhabilem doctoratui. ita Sanch. *supr.* contra Rebuffum putantem Religiosos non posse promoueri ad gradum doctoratus in Iure ciuili, ac Medicina, imò neque in Theologia, ac Iure canonico; cum tamen quoad Theologiam, & Ius canonicum DD. apud Sanchez *num.* 44. communiter id affirment ea ducti ratione, quod nullibi interdicitur assumptio talis gradus, neque studium talium Facultatum.

Qværas XII. An Regulares recipientes gradus literarios absque licentia suorum Prælatorum maneant re vera graduati.

58. Respond. manere, si habeant debita requisita: idque non obstante decreto Innocentij VIII. quo statuit, vt nullus Frater Ordinis Prædicatorum Reformatorum, seu de Obseruantia Prouinciæ, aut Congregationis Hispaniæ, Magisterij, seu aliam quemcumque gradum in Sacra Theologia (nisi ad illum per Capitulum dictæ Congregationis expositus fuerit) assumere quoquomodo præsumat: & quod si aliter promoti fuerint, pro non promotis habeantur, ad huiusmodi gradus inhabiles sint, & esse censeantur. ita Rodriq. *sup. art.* 3. qui bene aduertit, quod, cum hæ pœnæ statuantur contra præsumentes, vt colligitur ex verbo *præsumat*, eæ non incurruntur in casu, quo Regularis ex obliuione, aut ignorantia promoueatur ad præfatos gradus; idque licèt ignorantia esset crassa, & moraliter culpabilis; dummodò non esset ingens temeritas: talis quippe ignorantia, quæ non includit ingentem temeritatem, excusat à pœna imposita contra præsumentes, vt latè probat Sanch. *lib 9. de matr. D.* 32. *n.* 38. & 39. & cum eo Castrus Palaus *tract.* 16. *D.* 4. *part.* 13. §. 6. *num.* 2.

59. Dixi, *idq; non obstante decreto Innocentij VIII.* vt innuerem quod, cum tale decretum expresè loquatur de Fratribus Prædicatoribus Reformatis, non debet extendi ad Fratres eiusdem Ordinis non reformatos, & per consequens multo minùs ad Religiosos aliorum Ordinum: quamtumuis aliàs communicent de priuilegiis dictorum Fratrum Prædicatorum Reformatorum, nam communicatio priuilegiorum, cum sit fauorabilis, non comprehendit pœnas, vt ostendimus *cap.* 1. *sect.* 3. *quæst.* 9.

Qværas XIII. An Regulares missi à Superioribus ad studia hoc ipso censeantur habere licentiam ad suscipiendum doctoratum, & quidem expensis Ordinis.

60. Respond. Sanch. *lib. 6. mor. cap.* 14. *num.* 46. ex Felin. Surd. & Nau. censeri habere; dummodo expensæ non sint sumptuosæ. Verùm ego puto hac in re standum esse consuetudini vniuscuiusque Ordinis, mentique interpretatiuæ Superioris mittentis ad studia; maximè cum susceptio doctoratus sit res grauissima, quæ non videtur venire sub generali concessione iuxta regulam: *Non veniunt sub generali concessione*, &c. Certè Religiosi Societatis non possunt promoueri ad gradum Doctoratus in Philosophia, aut Theologia sine facultate Præpositi Generalis, vt constat ex 4. *p. Constit. cap.* 6. §. 10. & 17. Imò Pius IV. in bulla: *Exponi nobis* relata *in bullar. Soc. fol.* 81. expresè ait non expedire Religiosos Societatis promoueri in Vniuersitatibus externis, tum propter obligationes, & iuramenta per inibi promouendos præstari solita, tum ob nimias, quæ fieri solent, impensas; quæ vtique locum habent etiam in Religiosis aliorum Ordinum, vt patet.

Qværas XIV. An Regulares, qui funguntur officio Lectoris, eo ipso sint exempti à frequentia Chori.

61. Respond. si quidem stemus in decretis à Clemente VIII. editis, & ab Vrbano VIII. confirmatis ac innouatis ad reformationem Regularium, non esse exemptos, nisi iis solùm diebus quibus legunt (modotamen explicando §. *seq.* idque per dispensationem Superioris.) ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 70. & bene, si præfata decreta sint in vsu: de quo nonnihil dubito; cum aliqua illorum passim violentur etiam à Religiosis obseruationibus, & quidem absque scrupulo. moneo tantùm vi dictorum decretorum Prælatos regulares non teneri modo supradicto dispensare cum Lectoribus; cum ibi dicatur, *Cum Le-*

ctoribus

ctoribus autem, & Prædicatoribus Superiores iis tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint. vbi notandum ly *dispensare possint*, non inducere obligationem dispensandi, ita vt Superiores teneantur id facere, sed potiùs dare facultatem id faciendi, si velint.

62. Addit Peyr. *tom. 1. priuil. Constit. 2. Iulij II. §. 5. n. 21.* quòd, si quando statuitur ne Lectores, aliique graduati gaudeant priuilegiis sui gradus, nisi actu legant (sicut de facto statuitur in præfatis decretis Clementis VIII.) non ideo excluditur, quin Lectores fruantur dictis priuilegiis, dum tempore vacationum student, vt postea legant, aut certè breui lecturi sint: cum simus in materia fauorabili, quæ debet ampliari; quod idem putat Lezana *tom. 1. c. 13. num. 42.* dicendum de eo, qui edit libros, resoluit casus conscientiæ, &c: cum isti possint actu legere, & dictio taxatiua in decretis non excludat casus consimiles.

QVÆRES XV. An priuilegia concessa Regularibus studentibus censeatur concessa etiam Regularibus Lectoris munus exercentibus.

63. Respond. censeri concessa; cum nomine studentium in fauorabilibus veniant etiam Lectores; quippe qui non minùs student, quam ij, qui antonomasticè dicuntur studentes, & par sit studium docendi, atque dicendi. ita Peyrinus *tom. 3. priuil. c. 12. num. 3.*

QVÆRES XVI. An expediat bono Religionum, vt concedantur aliquæ exemptiones, & priuilegia Lectoribus, aliisque viris insignioribus.

64. Respond. quod quamuis secundùm se non expediat; cum talium exemptionum concessio nutriat ambitionem, gignat inuidiam, pariat despicientiam inferiorum, tollat debitam subordinationem, relaxet disciplinam regularem, & alia multa mala producat; supposita tamen humana fragilitate, ac conditione communitatum, in quibus semper reperiuntur aliqui minùs perfecti, videtur expedire, vt modo dicto concedantur aliquæ exemptiones, dummodò non sint immoderatæ. ita Pottel. *p. 1. resp. mor. casu 31. n. 18.* & probat tum ex 1. *Tim. 5.* vbi dicitur, *qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore habeantur*: tum ex Syluestro *v. expensæ, num. 3.* qui asserit ex Bartolo secundùm ius, & rectam rationem Abbatem debere meliùs vestiri, quam Monachum, Magistrum in Theologia, quam alios Fratres, Doctorem, quam scholarem, & sic etiam de cibariis: tum quia summa, & mathematica æqualitas inter Religiosos est summa inæqualitas, & confusio: tum quia in ipso corpore humano non omnia membra sunt æqualia, non æquè nobilia, non æque tractantur in vestitu, vt patet: tum quia ipsum Ius ciuile *l. vlt. C. qui æquitatem, l. 1.* liberat ab officiis onerosis septuagenarios; iubetque ne cogantur ad talia officia; quæ omnia confirmari possunt ex eo quod natura hominis, nisi spe præmij, ac remunerationis animetur ad subeundos grauissimos studiorum labores, citissimè flaccescit, ac deficit: cum non omnibus ea insit mens, & voluntas, quæ inerat S. Thomæ Aquinati, qui interrogatus à Domino quam mercedem pro tot laboribus in cudendo toleratis vellet, respondit, *Non aliam, Domine, nisi te ipsum.*

65. Quod verò Vrb. VIII. in Constit. *Pastoralis officij* edita 30. Iunij 1626. reuocauit omnia priuilegia Regularibus concessa, ipsos eximentia ab obedientia suorum Prælatorum, non extenditur vltra regnum Hispaniarum; cum talis reuocatio videatur facta solùm pro illo regno; vt colligitur ex tenore dictæ Constitut. quod tamen fusè reiicit Portel. *supr. num.* addens sub initium illius propositi casus præfatam Constitutionem neque in eo regno habuisse vllum effectum.

QVÆRES XVII. An Regulares possint expellere fabrum ferrarium, aut alium talem Artificem è domo vicina scholis, in quibus ipsi doceant.

Respond. posse; attenta doctrina, quam adducit Bartolus ex Iacobo de Arena, penes Azorium *p. 3. lib. 8. de locato, & conducto, cap. 3. quæst. 11.* pro solutione similis quæstionis, An Doctor possit fabrum expellere habitantem in ædibus scholæ vicinis, distinguit enim Bartolus hoc pacto: aut Doctor præuenit fabrum; & tunc potest expellere: aut faber præuenit Doctorem, & tunc aut doctor potest scholam alibi commodè regere, & ei præfertur faber; aut non potest; & partes Doctoris sunt potiores; quod si ambo simul concurrant, ius Doctoris præualet. Quamquàm teste Bartolo, id potiùs pendeat ex officio, & arbitrio Iudicis, habita ratione locorum, personarum, consuetudinis, ac temporis, præferendo tamen in ambiguis ius Doctoris ob commune bonum. Hæc porrò doctrina, si locum habet in Doctore laico, par est vt habeat & in Doctore Religioso, id est respectu Lectoris Religiosi; præsertim cum Bartolus apud Azorium *loco citato*, concedat, quòd, si faber habitet iuxta domum vnius Scholaris aut plurium, potest inde expelli: & Gelasius Papa *in cap. pridem, 18. quæst. 2.* Episcopo volenti erigere baptisterium prope quoddam monasterium, id prohibuerit, ne Monachi à diuinis Officiis impedirentur; quæ rationes sine dubio proportionaliter militant quoad præsentem casum. 66.

QVÆRES XVIII. Quinam ordo constituendi studia inter Regulares videatur commodior, ac opportunior.

Respond. commodiorem videri illum, qui seruatur in Academiis Societatis; nimirum, vt in singulis prouinciis cuiuslibet Ordinis erigantur Vniuersitates, in quibus deputentur 3. Lectores Philosophiæ, quorum prior legat Logicam, secundus Physicam, & tertius Metaphysicam: nec non 3. alij Magistri Theologiæ, quorum duo priores legant Theologiam scholasticam, & tertius Casus conscientiæ; eo tamen ordine (quod spectat ad Lectores Theologiæ scholasticæ, & moralis) vt in qualiber Prouincia singulis annis eædem prælegantur materiæ: ita vt, si quem ex studentibus contingat mutare Prouinciâ, non interrumpat studium materiæ inchoatæ, sed eam prosequatur in ea Prouincia, cui denouo aggregatur; cum aliàs non pauci Religiosi iterùm, atque iterùm cogantur studere eidem materiæ, eo quod illa audita in aliquo cœnobio, modo legatur in eo, cui in præsentia factus est subditus: idque cum maximo temporis dispendio, ac damno, tum proprio, tum Religionis. Præterquam quod commorantibus in eodem monasterio Logicis, Physicis, Metaphysicis, & Theologis magis, & magis acuuntur ingenia, tam Præceptorum, quàm Discipulorum ex opinionum diuersitate ad multiplicitatem Magistrorum necessariò consequente, meliùs discutiuntur quæstiones, singulis opinionibus suam velutì facem afferentibus ad indagandam veritatem aliàs delitescentem, magisque in dies proficiunt tam Magistri, quàm Discipuli. 67.

QVÆRES XIX. Quæ ratio docendi videatur vtilior pro scholis Regularium.

Respond. eam videri vtiliorem, quæ item seruatur à Patribus Societatis Iesu, nec non ab aliis Religiosis; nempe, vt Discipulis tradantur materiæ, siue Theolo- 68.

Theologicæ, siue Philosophicæ non sola voce, ac expositione textus Aristotelis v.g. aut S.Thomæ Aquinatis, sed dictando scripta, & tradendo quæstiones ad materiam, quæ legitur, spectantes. Ratio est quia, ex vna parte labilis est hominis memoria, ideóque eget asylo, ad quod in casu obliuionis confugiat (quod vtique præstant scripta in scholis excepta;) ex alia parte sola explicatio textus non ita acuit, & excitat ingenia Discipulorum, sicut acuit, & exciat tractatio quæstionum: cum per hanc diuersarum opinionum momenta, & rationes examinentur, sicque magis innotescat veritas, seu (vt rectiùs loquar) probabilitas sententiæ, quam vnusquisque amplectitur; sicut enim indicat Aristot. 1. *Cæli T.* 101. Contrariæ sententiæ dubitare nos faciunt, & animaduertere difficultatum nodos, quibus nostra opinio obstringitur.

QVÆRES XX. An expediat, vt Regulares studiis vacantes alicuius certi Doctoris sequantur doctrinam (quo modo Dominicani sequuntur doctrinam S.Thomæ, Franciscani doctrinã Scoti, &c.)

69. Respond. saluo semper meliùs sentientium iudicio, non videri expedire, saltem in disciplinis philosophicis; probatur 1. quia ingenia hominum sunt valdè diuersa, ideóque non omnes affici possunt eodem modo philosophandi: cum tamen in casu, quo insistendum sit certi vnius Auctoris doctrinæ, opus sit, vt omnes idem habeant ingenium; iisdem inhæreant principiis scientificis, vnum, ac eumdem sequantur modum philosophandi. probatur 2. quia ingenium hominis cum sit finitæ actiuitatis, fieri potest, vt vir aliàs doctissimus interdum amplectatur aliquam doctrinam communi aliorum iudicio minùs probabilem, & minùs cohærentem; ac proinde alij, vt pote ingenio longè differentes vix, & ne vix quidem ei poterunt acsquiescere, ac proinde deficiente pia affectione, illam ægrè sustinebunt. quippe, sicut voluntas humana liberè vtrámque partem amplectitur, siue sit bona, siue sit mala moraliter, siue etiam inter æqualiter proposita bona alterum ex iis, & inter æqualia interdum amplectitur minùs bonum: sic & intellectus, licèt sit radicaliter solùm liber propriè ex communi sententia; si tamen veritas euidenter non appareat, potest ex se propendere ad vtramlibet partem, quam putet probabilem, aut etiam ei determinatè assentiri. probatur 3. quia, vbi in Academiis non est varietas opinionum, cessat feruor disputationis; vbi verò cessat feruor disputationis, deficit & progressus literarius: id ipsum attestante Tullio *l.* 2. *tuscul.* his verbis: *In ipsa Græcia philosophia tanto in honore nunquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus, dissentionibúsque viguisset.* probatur 4 ex ipsa experientia, qua constat non paucos Regulares ex iis, qui modo dicto tenentur inhærere doctrinæ vnius certi Auctoris, si fortè contingat illos eximi à tali obligatione (eò quod v.g. assumantur ad Episcopatum) statim mutare sententiam, & recedere ab ea doctrina, quam antea mordicùs tuebantur; quod est signum illos inuitos, & (vt dicitur) contra conscientiam dictæ doctrinæ adhæsisse, licèt aliàs minùs probabilem crederent; cum tamen in scientiis tradendis deceat vnumquemque sequi illam sententiam, quam ipse reputat probabiliorem, magísque rationabilem.

70. Dixi, *saltem in disciplinis philosophicis*; quod enim spectat ad quæstiones Theologicas, si hæ non pendeant ex philosophicis; tutius erit sequi doctrinam vnius certi Doctoris. quo pacto Lectores Societatis ex suis regulis tenentur sequi doctrinam S.Thomæ, & ad id faciunt, vt colligitur ex plurimis, & doctissimis commentariis, quæ super Summam illius ediderunt hactenus, edúntque in dies.

An autem in scholis permitti debeat nouitas doctrinæ, necne.

Respond. Suar. *tom.* 4. *de relig. tr.* 10. *l.* 5. *c.* 3. *n.* 8. debere vitari quam maximè, præsertim si sit contraria antiquitati: probátque, tum ex S.Bernardo *epist.* 174. *ad Canonicos Lugdun.* vbi ait, *Nouitas contra Ecclesiæ ritum præsumpta mater est temeritatis, soror superstitionis, & filia leuitatis*: tum ex Baldo *consil.* 112. *l.* 2. dicente, *Rarò benè loquitur, qui contra omnes loquitur.* vt proinde meritò *in Constitutionibus Societatis p.* 3. *c.* 1. *l.* O. prohibeatur nouitas opinionum. 71.

QVÆRES XXI. Quibus mediis foueri possint studia inter Regulares.

Respond. Foueri posse 1. disputationibus, quæ inter discipulos fiant, modò priuatim coram proprio Magistro, modò cum aliqua maiori solemnitate, accitis ad disputandum etiam extraneis, siue eiusdem, siue alterius Ordinis, siue etiam sæcularibus: 2. crebris examinibus, saltem annuis ad eum finem peractis, vt, si qui studentium minùs satisfaciunt, amoueantur à studiis superioribus inchoatis, & detineantur ad inferiora (v.g. ad Casus conscientiæ, si studens vacabat Theologiæ scholasticæ) quod de facto seruatur in Societate ex decreto Congregat. generalis VII. 3. promonendo ad gradus literarios Religiosos illos, qui in studiis habent maiores progressus; si quidem spe talis præmij, ac bonoris excitantur Scholastici ad labores studiorum alacriùs sustinendos 4. concedendo studentibus aliquas exemptiones, (v.g. à choro) & aliquam animi relaxationem (quales sunt vacationes hebdomadariæ, & maiores, quæ solent concedi Scholasticis & Magistris: quod enim velis prolixè facere, inquit S.Ambr. *l.* 3. *de virginib. aliquando non feceris*; aliàs, si Scholastici studia interdum tantisper non interrumpant, nimis defatigantur, imò etiam deficiunt in via, cum nullum violentum sit perpetuum. 72.

Vtrum verò peccent Regulares, & incurrant aliquam pœnam eundo ad studia siue debita licentia, & maximè ad audiendas facultates Medicinæ, & Legum, diximus *in tract. de pœnis, c.* 2. *sect.* 3. *n.* 270.

Moneo hîc vnũ *in c. vt periculosa, ne Cler. vel. Mon. in* 6. latam esse excommunicationem ipso facto incurrendam contra Magistros, seu Doctores Legum, aut Medicinæ, qui præsumunt retinere in suis scholis Religiosos dimisso habitu, vacantes dictis facultatibus. ita Sanctarel. *tract. de Apostas. c.* 2. *d.* 2. *n.* 1. aliique apud ipsum, qui benè notant hîc pro eodem sumi Doctores, ac Magistros, eósque solùm dici retinere Religiosos in studiis, qui iis auxilium, aut fauorem præstant ad hoc, vt in scholis remaneant, aut certè rogant ad manendum: non item, si eos non expellant, nisi fortè id ipsis ex officio competeret, vt si sint Rectores studiorum. 73.

Verumtamen est dari multos casus, in quibus ista excommunicatio non incurritur à dictis Magistris; & quidem 1. si sciant tales Religiosos è domo scholis propinqua audire Lectiones; si quidem Doctores id non intendunt, & aliàs non possunt impedire, ne dicti Religiosi domum illam inhabitent: 2. si Religiosi illos audiant, retento habitu regulari: 3. si Doctores excusentur ex ignorantia iuris, aut facti; cùm hîc requiratur præsumptio, vt constat ex textu: 4. si præfati Doctores publicè docentes in scholis sciant adesse Religiosum, qui dimisso habitu audit lectiones prohibitas, eumque vi non expellant: nam ad id non tenentur, nisi id ipsis incumbat ex officio; quod est contra Syluestrum *v. excommunicatio* 9. *n.* 57. & alios relatos à Sanctarello *sup. n.* 14. qui nobiscum sentit aliàs concedens dictos Doctores subiacere 74.

præfatæ

præfatæ excommunicationi, etiamsi solùm extra scholas doceant Regulares supradictas facultates; cum *in citato cap. vt periculosa*, excommunicentur magistri docentes.

Sectio III.

Quæ Priuilegia concessa sint Regularibus, quoad Missiones obeundas inter Fideles, aut Infideles.

75 *Explicatur, quid sint Missiones, in quibus se exercent Regulares.*
76 *Ea sunt in multiplici differentia.*
77 *Non instituenda sine licentia Prælati regularis.*
78 *Ad eas obeundas in præsentia non requiritur licentia Regis Hispaniarum.*
79 *Excommunicantur Religiosi indebitè transeuntes ad partes vltramarinas.*
80 *Licentia in præsenti casu petita non est opus, quod sit in scriptis.*
81 *Vacantes Missionibus possunt reuocari à Generali Ordinis.*
82 *Religiosi cuiuslibet Ordinis possunt obire missiones etiam Iapponicas, non obstante bulla Gregor. XIII. edita in contrarium, quæ fuit reuocata à Clemente VIII. refertur Decretum Sacræ Congregationis factum in fauorem Societatis, quoad missiones.*
83 *Ex Decreto Vrbani VIII. excommunicantur, qui impediunt Missiones.*
84 *Refertur tenor dicti Decreti.*
85 *Non expedit Religiosos euntes ad Missiones Indicas se adiungere militibus.*
86 *Excommunicantur destinati ad Missiones, si rectà ad illas non procedant.*
87 *Regulares liberè versantur cum Hæreticis, Infidelibus, &c.*
88 *Referuntur varia priuilegia concessa pro Missionibus Indiarum.*
89 *Regulares in Indiis exercent Parochialia.*
90 *Propriè tamen dici non possunt Parochi Indorum.*
91 *Euntes in Indias celebrant in mari.*
92 *Celebrant in quolibet loco decenti.*
93 *Celebrare possunt aliquando pluries eadem die.*
94 *Iuxta aliquos, etiam modo absoluunt à casibus Bullæ Cœnæ: quod alij negant.*
95 *Ea ducti ratione, quod affecti dictis casibus per Episcopos, vt impediti, possunt absolui.*
96 *Dispensant super aliquibus impedimentis Matrimonij.*
97 *Promouentur ad Ordines sacros à quouis Antistite.*
98 *Ex causa occultant habitum religiosum.*
99 *Fidem Christianam interdum possunt celare signis, ac verbis, sed non semper, etsi non vrgeat præceptum positiuum manifestandi fidem: & quidem possunt vti signis, ac vestibus infidelium institutis ad profitendam falsam religionem.*
100 *Infideles cogi non possunt amplecti Christianam fidem.*
101 *Episcopi decidunt controuersias ortas inter Regulares vacantes Missionibus Iapponicis, ac Indicis.*
102 *Ecclesia fouet varijs modis Missiones, quæ fiunt, tum inter fideles, tum inter infideles.*
103 *Occasione Missionum, quæ fiunt inter infideles, obtinetur Indulgentia plenaria, & Benedictio Papalis, cuius natura explicatur: præfatas gratias obtinent tam Religiosi Missionantes, quam fideles, ad quos destinantur: secus, si faciant Missionem inter Infideles: illas obtinent Religiosi quicumque si obeant Missiones: idque etsi actu Missionem per accidens non obeant, modò ad locum Missionis eant; obtinent, etsi non sint Sacerdotes, si munus aliquod Missionis peragant; vt dicta gratia obtineantur, petita ad earum consecutionem impleri possunt extra locum Missionis; nec est opus, vt oratio iniuncta fiat in templo, vbi exponitur cabella Indulgentiæ: benedictio papalis obtinetur à non implente præscripta ad consecutionem Indulgentiæ: hanc autem obtinet etiam is, qui non interuenit benedictionis papalis impertitioni: benedictio papalis obtinetur, etsi non detur solemniter à Religioso missionante, aut ab alio illius nomine: obtinens has gratias in vno loco potest in alio loco, in quo posteà fit missio, iterum eas obtinere, si repetat opera præscripta; imò & in eodem loco, si eodem anno pluries interpollatè fiant Missiones: dictis gratiis fruuntur Moniales, & Religiosi omnes degentes in loco Missionis, si faciant opera iniuncta; imò & quicumque extranei confluentes ad locum, si impleant requisita, etiam extra locum Missionis: item qui statuunt præfata implere post finitam Missionem, si respectu eorum à Religiosis missionantibus prorogetur Missio: idque etsi dicta opera faciant post discessum Religiosorum missionantium: ius comparandi illas gratias acquiritur ex eo, quod quis habet in loco Missionis propositam implendi alicubi opera iniuncta in Breui, vel ibi implet aliquod illorum animo reliqua implendi alibi: idem numero Breue deseruit pro pluribus Missionibus interpellatè faciendis, si mens Superioris non refragetur.*

QVÆRES I. Quid intelligatur hîc nomine missionum. 75.

Respond. intelligi excursiones quasdam à Regularibus de consensu Episcoporum, ac suorum Superiorum factas non solùm per varias diœceses fidelium, circumlustrando earum pagos, oppida, & villas: sed etiam per loca Infidelium de licentia Papæ, & institutas in bonum spirituale Proximorum procurandum per traditionem rudimentorum fidei, prædicationem verbi Dei, administrationem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, aliáque ministeria spiritualia, prout præsens petit necessitas. dicuntur autem Missiones, eo quod qui vacant illis, ad eas non spontè se ingerunt, sed missi à propriis Superioribus iuxta illud Rom. 10. *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Vnde fit, vt Iulius III. in bulla: *Exposcit debitum pastoralis officij*, edita in confirmationem Societatis, & relata *in bullario eiusdem Soc. fol.* 49. sic dicat: *Ne qua autem possit esse inter vos Missionum, aut prouinciarum huiusmodi ambitio, vel detrectatio, intelligant singuli sibi per se, vel alium de huiusmodi Missionibus, quidquam cum Romano Pontifice non esse curandum: sed omnem hanc curam Deo, & ipsi Pontifici, tanquam eius Vicario, & Soc. Præposito dimittendam: cui quidem Præposito, sicut cæteris, nihil de suipsius Missione in alterutram partem; nisi de Societatis consilio cum dicto Pontifice curandum erit.*

QVÆRES II. Quot genera Missionum institui possint à Regularibus.

Respond. posse institui duo genera; quippe earum aliquæ fiunt inter fideles, discurrendo per diœceses, ibique exercendo ministeria *præcedenti quæst.* recensita cum singulari proximorum bono; aliæ verò fiunt inter Infideles, tum ethnicos (vt in India 76.

Orientali,

Orientali,& Occidentali, aliisque regionibus inter Hæreticos, aut Schismaticos,& quidem cum incredibili Christianæ fidei progressu; vt quotidiana docet experientia, & abundè restantur literæ annuæ, quæ inde à Patribus Societatis mittuntur.

QVÆRES III. cuius Superioris licentia requiratur ad hoc, vt Regulares licitè possint aggredi Missiones inter infideles.

77. Respond. requiri licentiam Generalis ex decreto Pauli III. & alio Clementis VIII. adducendis *infra quæst.6.* quamquam meo iudicio probabile sit Generales Religionum posse delegare etiam aliis Superioribus facultatem concedendi dictam licentiam, vt dicemus *tract.9.cap.3.sect.1. quæst.4.*

Vtrum verò Regulares possint transire ad Missiones Indicas sine licentia Regis Hispaniarum.

78. Respond. Rodriq.*infra*,quod,licet Alexander VI per bullam Regibus Hispaniarum concedens, & committens Conuersionem Indiarum Occidentalium, præcepit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrenda, vt nulla persona cuiuscumque dignitatis, etiam imperialis, & regalis, statos, gradus, & conditionis pro mercibus habendis, vel quauis alia de causa Indiarum terras subiectas, & subiiciendas iurisdictioni Regum Hispaniarum,& inuentas,& inueniendas accedere possit absque speciali licentia dictorum Regum: nihilominus probabile videtur Regulares in præsentia posse transire ad præfatas Indias sine vlla licentia Regis Hispaniæ, neque propterea subiacere dictæ excommunicationi. Et ratio est, quod talis excommunicatio fuit lata per modum sententiæ, non autem statuti, (vt aduertit Rodriquez ex Nauarro) ideòque non ampliùs subsistit; quo pacto multæ excommunicationis sententiæ contentæ in tenore priuilegiorum Regularibus concessorum contra sæculares molestantes dictos Regulares modò non ligant; siue, quia non fuerunt sufficienter promulgatæ (si quidem, vt excommunicatio liget, non sufficit eam esse impressam, aut reperiri in proprio originali, sed debet authenticè promulgari secundùm formam iuris:) siue, quia non fuerunt latæ per modum statuti perpetui, sed sententiæ, quæ est ab homine, & cum homine finitur; siue, quia illæ iam ignorantur inuincibiliter, esto anteà fuerint promulgatæ. ita Rodriq. *tom.1. q.99. art.7.* quamquam hæc doctrina parum necessaria sit, attenta summa pietate, ac ardentissimo desiderio Catholici Regis, quoad fidem Christianam propagandam: tantùm enim abest vt ille Religiosos retrahat à tali munere, quin potiùs eos excitet, illorumque alacritatem foueat, non solùm sua protectione, sed etiam subsidio pecuniario cum singulari bono Christianæ fidei, & Romanæ Ecclesiæ admirabili incremento.

QVÆRES IV. Quam pœnam incurrant Regulares sine debita Superioris licentia se transferentes ad partes vltramarinas, in quibus existent pauci fideles.

79. Respond. incurrere excommunicationem latæ sententiæ reseruatam Papæ à Io.22.in Extrauag. *Ad nostram, de regular.* in qua prohibetur sub dicta pœna, ne vlli Religiosi ad huiusmodi loca accedant sine licentia sui Superioris: & ne Superiores talem facultatem concedere audeant quibusuis Fratribus sui Ordinis, exceptis Fratribus scientia, prudentia, & experientia vsu præditis. ita Bonac. *de clauf.q.2. p.4.*addens non subiici huic excommunicationi Religiosum, qui sine licentia proficiscentem ad partes transmarinas, si ibi degant plures fideles, quam infideles: cum citata extrauagans loquatur solùm de Religiosis se transferentibus ad partes vltramarinas, in quibus pauci fideles reperiantur respectu fidelium

Cæterùm quod addit Bonac. *supra* ad id requiri licentiam Superioris expressam, imò & scriptam, eo ductus fundamento, quod in citata Extrauagante dicitur, *per ipsius Literas patentes*: non puto ita certum, vt etiam oppositum non possit sustineri probabiliter,saltem pro foro conscientiæ; præsertim stante doctrina, quam tradit Diana *p.3.tr.2.resol.129. ex Homob. & Belloch.* videlicet ad ingrediendam clausuram Monialium non requiri pro foro conscientiæ Licentiam in scriptis; etsi Concilium Trident. *sess.2.Regul.cap.5.* loquens de ea dicat, *Sine Episcopi, aut Superioris licentia in scriptis obtenta*; quæ doctrina proportionaliter facit etiam ad præsentem casum, vt consideranti patebit. 80.

QVÆRES V. An Regulares actu vacantes Missionibus Infidelium possint ad monasterium reuocari proprio Generali.

Respond. posse, etiam in casu, quo sine certi temporis limitatione à Papa fuissent destinati ad dictas Missiones: idque ex induto bullato concesso Societati à Paulo III. adducendo inferiùs *quæst.6.* quod vtique est commune etiam Religiosis aliorum Ordinum communicantium de priuilegiis Societatis. Dixi *sine certi temporis limitatione*, vt innuerem, quod si Papa Religiosum aliquem ad præfatas missiones destinaret pro aliquo tempore determinato; is non videtur posse reuocari à suo Generali; cum tenor indulti habeat, *& à Sede Apostolica sine certi temporis limitatione missos*; sicque per argumentum à contrario sensu deductum non comprehendat illos, qui destinarentur cum certi temporis limitatione. 81.

QVÆRES VI. An Regulares quorumcumque Ordinum possint vacare Missionibus, & quo modo.

Respond. posse, si ad eas destinentur à proprio Generali iuxta dicta *quæst.3.* & aliunde non prohibeantur:& quidem non solùm apud Indos,sed etiam apud Lapponium, ac regiones propinquas: idque ex priuilegio bullato Paulo III.concesso Societati Iesu, & relato *in bullar. ipsius Societatis fol. 30.* necnon *in Comp. priuil. Societatis, ver. Generalis,§.2.* verbis: *Præpositus Generalis potest suos quocumque locorum etiam inter infideles mittere,ac reuocare,& à Sede Apostolica sine certi temporis limitatione missos, eum expedire ad Dei gloriam & animarum auxilium iudicabit, alio transferre.* Dixi, *sed etiam apud Lapponium*, &c. vt indicarem prohibitionem factam à Greg. XIII. ne vlli Religiosi accederent ad Lapponium,& regiones propinquas exceptis Patribus Soc. Iesu, reuocatam fuisse à Clemente VIII. in bulla,quæ incipit *Onerosa*, edita anno 1600. concedente omnibus, & singulis Mendicantium Ordinum Magistris, Ministris, seu, Prioribus Generalibus pro tempore existentibus, *vt,cum necessitas postulauerit*, Ordinis sui, spectatæ vitæ, & eruditionis Religiosos, quos nimirum ad prædicta officia, & ministeria idoneos,& vtiles fore in Domino iudicauerit, per Lusitaniam dumtaxat,& suscepta inde nauigatione in Indias, & ciuitatem Goam,atque ad Superiores Ordinis in illis partibus existentes transmittere,& tam ipsi sic transmittendi, quam alij supradictorum Ordinum Religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, & ad hoc munus obeundum à suis Magistris,Ministris vel Prioribus Generalibus, seu aliis Superioribus electi, & approbati tam ad Lapponias prædictas, quam ad alias proximas,& adiacentes,etiam Chinæ,& finitimorũ,& Terræ firmæ Indiæ Orientalis insulas,regiones, 82.

nes, *& prouincias accedere.* Quin etiam in hac ipsa bulla prohibuit Clem. VIII. omnibus Religiosis sub pœna excommunicationis Papæ reseruatæ, aliisque pœnis, *ne ex Insulis Philippinis*, siue ex qualibet alia Indiarum Occidentalium, vel quæ pro partibus Indiarum Occidentalium parte tunc habetur, parte ad illas pertinente in Japponias, & alias illi proximas, adiacentes, & finitimas insulas, prouincias, & regiones prædictas transire audeant: & si qui aliter fecerint, redire teneantur sub iisdem pœnis. Quamquam Paulus V. in bulla, cuius initium est, *Sedis Apostolicæ*, edita anno 1608. concesserit postea omnibus Religiosis, vt etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam ad dictas Japponicas, & alias Indiarum Orientalium regiones possint accedere, seruata in reliquis forma bullæ præfatæ Clementis VIII.

Placet autem hic referre Decretum à sacra Congregatione de propaganda fide 15. Septembr. 1647. coram Sanctissimo hac de re editum in fauorem Societatis: quod sic habet.

Referente Eminentissimo D. Card. Cappontio P. Generalem Societatis Iesu circa Missiones suorum Patrum ab hac Congregatione faciendas libenti animo eiusdem sacræ Congregationis mandatis obtemperaturum, tam in seligendis, proponendisque Patribus quoad mores, scientiam, ac prudentiam ad Missiones idoneos, quam in tradendo illis sacræ Congregationis instructiones, & facultates, vt ad loca, ad quæ fuerint destinati, se conferant, ac illam de suis progressibus sæpè, ac singulis saltem annis certiorem faciant, si eidem P. Generali, & alijs Societatis Superioribus iuxta Societatis Institutum præfatos Missionarios à Missionibus amouere, eósque mutare, & in locum remotorum alios substituere, etiam inconsulta prædicta sacra Congregatione, ad eorum beneplacitum licuerit. Sacra Congregatio sciens, qua diligentia, & maturitate Societas suos Patres ad Missiones destinando sine viatico, & stipendio seligere consueuerit: censuit, si Sanctissimo placuerit, præfati Generalis petitioni esse annuendum, dummodò nomina remotorum expressa causa, & in eorum locum substitutorum significentur, vt ipsa substitutos declarare Missionarios suos, &, si opus fuerit, facultates necessarias renouare possit. Eodem die Sanctissimus D. N. decretum Sacræ Congregationis supradictum confirmauit.

A Cardinalis Capponius.

Franciscus Ingolus Secret.

QVÆRES VII. Quam pœnam incurrant, qui impediunt Missiones Regularium ad Japponicas, & alias Indiarum Orientalium regiones.

83. Respond. incurrere excommunicationem latæ sententiæ, non tamen reseruatæ: idque ex bulla Vrbani VIII. in ordine 126. quæ sic habet: *Necnon quoscumque Ecclesiasticos, & Religiosos cuiuscumque Ordinis, & instituti tam non Mendicantium, quam Mendicantium, etiam Soc. Iesu, & sæculares religiosorum, vt præfertur, mittendorum ad insulas, prouincias, regiones & regna prædicta*, (nempe Japponiorum, & Indiarum Orientalium,) *accessum huiusmodi impedientes, excommunicationis latæ sententiæ vinculo innodamus.* Vbi aduerto talem excommunicationem non incursurum illum, qui impediret missiones ad Indias Occidentales: cum in hac bulla solùm fiat mentio de Orientalibus, & in pœnis non detur extensio ab vno ad alium casum, neque à paritate, neque à maioritate rationis.

84. Addit Vrbanus VIII. in citata bulla, §. 6. *Religiosos verò vt supra mittendos, ac etiam missos, & in prædictis locis nunc degentes plurimum in Domino hortamur, vt in docendo populos, & præsertim de recenti ad fidem Christianam conuersos vniformes sint: ne ob doctrinæ diuersitatem, præsertim in materiis moralibus Neophyti illi aliquod scandalum patiantur; & quia in hac re Generalium* (intellige Ordinum religiosorum) *curam, & vigilantiam plurimum profuturam arbitramur, eisdem iniungimus, vt prædictos suos Religiosos ad prædictam conformitatem sæpius adhortentur. Vt autem id facilius succedat, præfati Religiosi in instruendis populis prædictorum locorum Indiæ Orientalis Catechismum Romanum, & doctrinam Christianam paruam, & magnam bon. mem. Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmini nuncupati in linguas prædictorum populorum translatas, & impressas, si fieri poterit, omnino adhibeant.*

QVÆRES VIII. An expediat Regulares profecturos ad Indicas Missiones se adiungere militibus christianis pugnantibus contra ipsos Indos.

85. Respond. quod, quamuis speculatiuè id possit videri expediens; vt probat Mascardus apud Rodriq. *tom. 3. quæst. 32. art.* 4. practicè tamen id non expedit; cum societas illa Militum potiùs impediat prædicationem Euangelij, ac infidelium conuersionem, quam foueat; quippe qui plerumque sunt lupi rapaces, fures, blasphemi, fornicarij, súntque in causa, vt etiam ipsi Regulares ab infidelibus iudicentur esse eiusdem conditionis, vtpote ipsorum socij, sicque ab illorum doctrina, ac exhortatione alienentur: quomodo Alexander VI. in bulla ad id data Regibus catholicis hæc habet: *Insuper mandamus vobis in virtute sanctæ obedientiæ*, &c. *ad terras firmas prædictas*, (idest Indicas,) *viros probos, Deum timentes, peritos ad instruendum incolas, & habitatores præfatos in fide catholica, & bonis moribus imbuendum destinare debeatis, omnem debitam diligentiam in præmissis adhibentes.* Ita Rodriq. *vbi supr.* Castr. Pal. *D. 2. part. 5. num. 9.*

86. QVÆRES IX. sub qua pœna prohibeantur Regulares missi ad fidem propagandam in India commorari in itinere, aut declinare ad loca ipsis non destinata.

Respond. prohiberi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, non tamen reseruatæ, quæ habetur in bulla Pauli V. in ordine 56.

QVÆRES X. An Regulares licitè possint commorari in terris infidelium, hæreticorum, schismaticorum, ac excommunicatorum, & cum illis liberè conuersari.

87. Respond. posse ex speciali indulto à Paulo III. per bullam concesso Societati Iesu: quæ bulla refertur *in bullario ipsius Societ. fol. 36.* & sic habet: *Et cum ipsi socij exhortationis studio bonos ad potiora dirigant, & errantes ad rectitudinis semitam laudabiliter reuocare procurent, concedimus, vt in excommunicatorum, & hæreticorum, & schismaticorum, vel infidelium terris liberè commorari, & cum eisdem conuersari, de licentia tamen Præpositi generalis, & ab eis tunc, & etiam, quando per ipsos illos transire contigerit, necessaria vitæ deposcere, ac recipere valeant.* Vbi notandum quod, cum iure communi licitum sit fidelibus conuersari cum hæreticis, ac excommunicatis animo eos reuocandi ad veram Ecclesiæ vnitatem, ac bonum spirituale ipsorum procurandi; sicut tradunt DD. communiter cum Suarez *D. 15. de censur. sect. 3. num.* 10. vi præsentis priuilegij videtur concedi aliquid plus; nimirum vt dicti Religiosi cum hæreticis, & excommunicatis conuersari possint, etiam extra casum, quo actu procurent ipsorum resipiscentiam, siue per exhortationem, siue per consilium (quamquam etiam hoc ipsum sit ordinatum ad illorum conuersionem;) aliàs istud priuilegium nihil concederet: cum tamen de ratione

priuilegij sit, vt aliquid concedat supra ius commune.

Qværes XI. An aliqua priuilegia in specie concedantur Regularibus vacantibus conuersioni Indiarum, & quæ.

88. Respond. multa fuisse concessa à Nicolao V. anno 1328. quæ postea fuerunt confirmata per bullas authenticas à Leone X. Adriano VI. Clemente VII. & Paulo III. vt videre est apud Rodriq. *tom. 2. q. 99. art. 5.* nimirum 1. vt baptizent infideles, eisque prædicent. 2. vt, casu, quo sint Sacerdotes, possint promouere conuersos ad 4. ordines minores. 3. vt dispensent cum illis, qui contraxerunt in gradibus non prohibitis lege diuina, ad effectum manendi in matrimonio sic contracto. 4. vt dispensent cum iis, qui patiuntur defectum natalium ad Ordines. 5. vt possint cognoscere de causis matrimonialibus. 6. vt inordinatè viuentes de suis excessibus corrigere possint. 7. vt ibi diuina Officia celebrent, cœmeteria benedicant, vota commutent (excepto voto religionis, ac peregrinationis vltramarinæ) ac dent indulgentias concedi solitas ab Episcopis. 8. vt, si non habeant altare portatile, illud possint consecrare, sicut & benedicere corporalia, si non adsint Episcopi. 9. vt possint omnia alia facere, quæ ad augmentum diuini nominis, & ampliationem catholicæ fidei, & ad irritationem, ac reprobationem illorum, quæ sacris traditionibus contradicunt; sicut pro loco, & tempore viderint expedire. Ita Rodriq. *art. citato;* patetque ex bulla Leonis X. relata ab eodem Rodriq. *in suo bullar. Constit. 3.* Leonis ipsius X in qua item conceditur Regularibus in dictis Missionibus existentibus, vt in casu necessitatis Episcopis in prouincia non commorantibus, Confirmationis Sacramentum administrent, capellas, altaria, calices, & paramenta ecclesiastica benedicant, necnon Ecclesias, aut etiam illas reconcilient, oleo denique sancto, & chrismate antiquis vsque ad 3. annos vti possint, si noua habere non possint. Addit tamen Leo in præfata bulla ea, quæ sunt propria episcopalis ordinis, ac dignitatis non posse exerceri à Religiosis, nisi in prouinciis, vbi catholicus Antistes non fuerit: aliàs enim pontificalia non debent exerceri, nisi ab Episcopis; cum sic cesset ratio dispensandi. Quamquam non puto ad id sufficere, vt vnicus resideat Episcopus in vnaquaque prouincia præsidens omnibus, & singulis locis dictæ prouinciæ: si vnicus Episcopus esset minùs sufficiens ad dicta munera pontificalia obeunda in tot locis; sic enim non impleretur mens Papæ concedentis talia priuilegia; quæ cum sit fauorabilis debet ampliari; quomodo notat Rodriq. dicta munera non posse exerceri à Regularibus in terris vbi sunt Episcopi; quasi explicans per ly *in prouinciys*, intelligi loca particularia illarum, non autem solùm ipsas prouincias.

Qværas XII. An & quo iure Regulares in partibus nouarum Indiarum exercere possint munus Parochi.

89. Respond. posse ex priuilegio bullato ipsis ad id concesso per Pium V. in Const. illius 34. in ordine, quæ refertur *in Bullar. tom. 2.* & sic habet: *Omnibus, & singulis Religiosis quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum in dictis Indiarum partibus,* (intellige, tam Orientalium, quam Occidentalium, cum Papa indefinitè loquatur & simus in materia fauorabili patiente extensionem,) *& in eorundem Ordinum monasteriis, vel de illorum Superiorum licentia extra illa commorantibus, vt in locis ipsarum partium eis de simili licentia assignatis, & assignandis officium Parochi huiusmodi matrimonia celebrando, & Ecclesiastica Sacramenta ministrando, prout hactenus consueuerunt, dummodo ipsi in reliquis solemnitatibus dicti Concilij* (nempe Tridentini,) *formam obseruent, exercere & verbum Dei, vt prefertur, quatenus ipsi Religiosi Indorum illarum partium idioma intelligant, de suorum Superiorum licentia, vt præfertur, in eorum Capitulis prouincialibus obtenta prædicare, ac confessiones audire, Ordinariorum locorum, & aliorum quorumcumque licentia minimè requisita, liberè, & licitè valeant, licentiam, & facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus.* Quæ omnia confirmauit Vrbanus VIII. *in bulla citata, quæst. 7.* pro missionibus Iapponicis, durante præsente rerum statu, manéntque explicata ex dictis *cap. 3. sect. 5. quæst. 2. per totum.*

Quod si quæras, an, & quomodo Regulares dici possint Parochi Indorum.

Respond. propriè loquendo, non posse, quamuis, 90.
hoc ipso, quod in Indiis exercent munera parochialia iuxta modò dicta possint dici Parochi Indorum in actu exercito (vt sic loquar.) Ita Rodriq. *tom. 1. quæst. 35. art. 5.* & probatur, tum, quia Regulares per bullam Pij V. paulò ante relatam, neque per Capitula prouincialia constituti sunt Parochi Indorum, neque ibi munus Parochi exercuerunt tanquam Curati; cum tamen quidquid recipitur, per modum recipientis recipiatur; tum, quia in citata bulla Pij V. solùm dicitur, vt valeant officium Parochi exercere, & statim subditur, *vt hactenus consueuerunt:* hoc autem non est illos creare Parochos, sed tantùm dare facultatem obeundi munia parochialia, quæ sunt res admodum diuersæ. Addit Rodriq. quod licèt Regulares solùm ex charitate præstent munus Parochi apud Indos; nihilominus tenentur ex iustitia administrare illis Sacramenta, & præstare non quidem ea omnia, ad quæ tenentur Parochi, sed ea, quæ alioqui præstitissent Clerici, si dicti Regulares suppetias non venissent: idque dictante naturali ratione, vt vnusquisque soluat illud damnum, quod sui causa alteri infertur.

Qværes XIII. An Regulares proficiscentes ad missiones Indicas celebrare possint in mari, aut flumine.

Respond. posse eo modo, quo diximus *cap. 2. sect. 2.* 91.
subsect. 1. quæst. 7.

Qværes XIV. An Regulares vacantes missionibus, siue inter infideles, siue inter fideles, possint celebrare in quouis loco decenti cum solo altari portatili.

Respond. posse; vt diximus *cit. cap. 2. sect. 2. sub-* 92.
sect. 1. quæst. 1.

Qværes XV. An Regulares tempore missionum possint eadem die celebrare pluries, & quo casu.

Respond. posse in casu relato eo *cap. 2. sect. 2. sub-* 93.
sect. 1. quæst. 14.

Qværas XVI. An, & quomodo Regulares possint absoluere à casibus contentis in bulla Cœnæ fideles degentes in terris infidelium.

Respond. olim potuisse ex priuilegio bullato 94.
Pauli III. concesso Societati Iesu, & relato *in bullar. ipsius Societ. fol. 43.* his verbis: *Et vt cum aliquos ex socijs Societatis huiusmodi in Saracenorum, & Paganorum, aliorumque infidelium terras, & prouincias alias remotissimas, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica miserit,* (idest Generalis Societatis,) *possit ei auctoritate nostra facultatem concedere, vt Christianos ibidem commorantes confessione peccatorum suorum audita, eos, & eorum quemlibet ab omnibus, & singulis eorum peccatis, etiam in bulla Cœnæ Domini reseruatis,*

reseruatis, & à consequentibus censuris, & pœnis absoluere; in præsentia tamen videri non posse, eo, quod tale prioilegium noo solùm reuocetur quotannis in ipsa bulla Cœnæ, sed etiam fuerit reuocatum modo superiùs explicato: quamuis Io. de la Cruz. *l. 2. de stat. relig. c. 6. d. 6.* absolutè doceat oppositum, & Castrus Palaus infra citandus dicens ex Pauli III. bulla *Licet debitum*, & bulla Gregor. XIII. edita anno 1575. in fauorem Societatis Iesu in remotissimis regionibus, vbi recursus ad Sedem Apostolicam difficilis est, permitti Præposito Generali Societatis, & quibus ipse commiserit, potestatem absoluendi ab omnibus in bulla Cœnæ Domini contentis, & consequenter ab hæresi, iodicio Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. l. 9. cap. 2. num. 16.* cum ratio concessionis (quæ est difficilis recursus ad Sedem Apostolicam) procedat æquè in hæresi, ac in aliis contentis io Bulla Cœnæ: quod approbat Castrus Palaus *tr. 23. D. vn. p. 14. num. 15.* addens Religiosos Societatis posse ex aliis priuilegiis absoluere ab aliis cootentis in ipsa Bulla Cœoæ; vt constat *ex Comp. priuileg. Societ. v. absolutio.*

95. Nec obstat, quod egentes præfata absolutione ob magnam distantiam illarum regionum non possint adire Sedem Apostolicam; siquidem legitimè impediti possunt absolui à propio Episcopo, vt traduot commuoiter DD. apud Bonac, *D. 1. de censur. in comm. q. 2. p. 2.* imò, si neque Episcopum adire possint, à Regularibus, aliisque Clericis ibi confessiones excipientibus, non tamen directè, sed indirectè; vt habet communis DD. sententia.

QVÆRES XVII. An, & quando Regulares possint in locis remotissimis dispensare super impedimentis Matrimonij dirimentibus.

96. Respond. posse; sicuti diximus *c. præc. sect. 5. q. 6.*

QVÆRES XVIII. A quo Episcopo possiot Regulares promoueri ad Ordines, etiam sacros in Philippinis, & Indiis Occidentalibus.

97. Respond. posse promoueri à quocumque, quem maluerint, Antistite gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente in propria Diœcesi residente, vel in aliena de Diœcesani loci consensu pontificialia exercente per eos eligendo ad 4. quidem minores 4. feriatis, vel non feriatis, seu vnica, & subinde ad sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus ordines 3. Dominicis: seu aliis festiuis diebus continuis, vel interpolatis, etiam extra tempora ad id à iure statuta, ac interstitiis à S. Coocilio Tridentino designatis minimè seruatis, annique curriculo non expectato, etsi in vnoquoque ex dictis sacris Ordinibus, antequam ad alium promoueantur, se non exercuerint. dummodò tamen ad id idonei reperiantur. ita concessit Vrban. VIII. die 9. Iul. 1633. Fratribus S. Augustini discalceatis Hispaniarum degentibus in Indiis Occideotalibus; vt constat ex bulla illius in ordine 128. pro cuius expositione aduerto solùm tale priuilegium communicari Religiosis etiam aliorum Ordioum commorantibus in Philippinis, ac Indiis Occidentalibus, si aliàs participant de priuilegiis dictorum Fratrum; secùs, si commorentur in Indiis Orientalibus, vbi plures Episcopi resident: cum enim tunc cesset ratio concessionis, vt constat ex tenore procemij, cessat & vsus concessionis.

QVÆRES XIX. An Regulares in Missionibus fidelium versantes possint occultare habitum religiosum, aut etiam illum ad tempus dimittere.

98. Respond. posse, si occurrat iusta causa (v.g. ad effectum liberius agendi cum Catholicis occultis, fidémque inter eos conseruandi, ac augendi) quo modo Religiosi Societ. Iesu inter hæreticos habitu etiam militari incedunt, & interdum etiam se simulant mercatores, omnia omnibus facti, vt omoes Christo lucrifaciant. ita Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. l. 9. c. 8 num. 12.* patétque quia in tali casu non interuenit mendacium, sed occultatio, neque adest vlla indecentia Status religiosi hoc ipso, quod constat, quo fine, & quia necessitate id fiat. idque non obstante Iure communi probibente sub pœna excommunicatioois temerariam habitus religiosi dimissionem: si quidem talis dimissio non est temeraria (qualis præsupponitur ad incurreodam illam censuram) sed prudens.

QVÆRES XX. An, & quo modo Regulares vacantes Missionibus Infidelium possint fidem celare signis, aut verbis, casu qoo oon vrgeat præceptum positiuum manifestandi fidem.

Respond. Non posse se signa, aut verba spectatis omnibus circumstantiis, nullam aliam significationem habeant præter cultum falsæ religionis (cuiusmodi est genuflexio coram idolo, thurificatio, tunsio pectoris, gestatio vestium, quibus vtuntur Gentiles io impiis sacrificiis, & similia;) secùs, si significent quidem adhibentes illa habere falsam religiooem, ex se tamen assumi possunt ob alium finem (qualis est esus carnium die vetito, vsus vestium, quibus vtuntur communiter cultores falsæ alicuius sectæ, & alia id genus) & alioqui adsit grauis causa iis vtendi. ita Castr. Pal. *tract. 4. D. 1. p. 16 n. 3. p. 17. n. 3.* aliique penes ipsum; & quoad 1. partem probatur, quia per fidem Christianus obligatur, non solùm præcepto negatiuo non profiteri falsam religionem ex animo, sed oeque quoad apparentiam; quippequi tenetur non negare fidem exteriùs: at vtens signis, & verbis prioris generis falsam religionem protestatur exteriùs, idque intendit saltem in re, & in apparentia, & facto ipso; ergo peccat operando id, quod est intrinsecè malum. Quoad 2. verò partem, quæ est contra Caiet. Nau. Tol. Sylu. Ang. & alios apud ipsum Castrum Palaum *p. 17. n. 2.* probatur, quia, attentis circumstantiis, vsus signorum, ac verborum posterioris generis nullo modo testatur vtentem esse infidelem: si quidem quicumque illum fidelem agnosceret, videns illum turcica veste indutum; non ideò iudicaret ipsum defecisse à fide, sed solùm velle occultare fidem ob metum mortis: &, si aliter iudicat, absque ratione iudicat. 99.

An autem Regulares ad se occultandos possint vti signis, ac vestibus infidelium institutis ad profitendam falsam illorum religionem.

Respood. posse; cùm dicta signa, quantumcumque instituantur ad protestandam falsam religiooem, non ideò amittant suam natiuam significationem (v.g. tegendi corpus, si sint vestes) possuntque ad talem finem assumi à fidelibus, relicta alia significatiooe legali. ita Sanch. *l. 2. mor. cap. 4. num. 20.* Azor. *tom. 1. l. 8. cap. 27. q. 4.* Coninc. *D. 15. de fide d. 3. num. 72.* quod tamen negat Sanch. *num. 21.* admittendum esse de vestibus destinatis ad cultum Auctoris falsæ alicuius sectæ (quales sunt vestes destioatæ ad vsum sacrificij:) sed minùs coosequenter, inquit Castrus Pal. *p. 17. num. 6.* eum etiam in talibus vestibus reperiatur natiua significatio, & vsus modo dicto corpori deseruiens; quasi verò non sit maior ratio id negandi de vestibus immediatè, & proximè deseruientibus ad vsum impij sacrificij, quam de iis, quæ solùm institutæ sunt ad protestandam falsam aliquam religionem; vnde mihi probatur limitatio facta à Sanchez, quæ proinde immeritò reiicitur à Castro Palao.

QVÆRES XXI. An Regulares possint curare, vt infideles etiam inuiti cogantur amplecti fidem Christianam.

100. Respond. non posse, si infideles aliàs non sint baptizati; est communis DD. cum S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. & probatur, tum ex *cap. sicut Iudæi de Iudæis, & Saracenis, d.* 45. tum ex Conc. Tolet. 4. attestante id esse contra vsum, ac institutionem Apostolorum, tum ex praxi Ecclesiæ perperuò seruata: tum, quia coactio supponit iurisdictionem, Ecclesia autem nullam habet iurisdictionem in non baptizatos; quod benè probat Castr. Pal. *D.* 2. *p.* 6. *n.* 3. tam de ipsa Ecclesia, quam de Principe sæculari, cui dicti infideles subiiciantur: addens tamen *num.* 4. infideles posse compelli ad fidem indirectè, idque multis modis, qui videri possunt apud ipsum.

QVÆRES XXII. Ad quos spectet decidere controuersias, quæ fortè oriantur inter Regulares vacantes Missionibus Iapponicis, ac Indiarum Orientalium.

101. Respond spectare ad Episcopos illorum locorum pro tempore existentes, tanquam Sedis Apostolicæ delegatos, si controuersiæ sint minùs graues; non item, si sint grauiores: hæ enim quanto citiùs deferri debent Papæ pro tempore existenti, vt quod in iis statui, ac decerni debeat, matura consultatione adhibita statuatur. Ita decreuit Vrb. VIII. in bulla relata *quæst.* 7. in qua item prohibet omnibus, & singulis Religiosis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, officiorum, ac graduum, & dignitatum quarumcumque, etiam inhabilitatis ad ea, & insuper amissionis mercium, & lucrorum ex eis factorum, ne mercaturæ, ac negotiationibus se immisceant, aut operam dent, siue per se, siue per alios, siue proprio siue communitatis nomine, directè, siue indirectè, aut quouis alio prætextu, aut colore: sed de hoc *in tract. de pœnis, cap.* 2. *num.* 119.

QVÆRES XIII. An, & qualiter Ecclesia Romana foueat Missiones faciendas in regionibus, tam infidelium, quàm fidelium.

102. Respond. fouere, Missiones quidem faciendas in locis infidelium media Congregatione S. R. E. Cardinalium, Prælatorum, & Regularium virorum à Gregorio XV. instituta; quæ vocatur de fide catholica propaganda, habet multa priuilegia (& præcipuè, quòd scripturæ dentur gratis,) annuósque possidet prouentus) vt constat ex bulla Gregorij XV. in ordine 26.) Missiones verò faciendas in locis fidelium, concedendo benedictionem Papalem, & indulgentiam plenariam, tum Religiosis vniuersis Societatis Iesu ad tales Missiones iussu Prælatorum suorum proficiscentibus, tum fidelibus omnibus vtriusque sexus, ad quos proficiscuntur; si vtrique verè contriti, ac confessi sacram sumant Eucharistiam, oréntque pro aliquo temporis spatio iuxta propriam vniuscuiusque deuotionem, ac pietatem pro S. Romanæ Ecclesiæ exaltatione, vnione inter Christianos Principes, infidelium conuersione, ac hæresum extirpatione; vt constat ex Breui pontificio tradi solito Religiosis Societatis ad similes Missiones destinatis.

103. Pro cuius Breuis explicatione aliqua hîc placet breuiter aduertere, ex quibus resoluentur plura dubia, quæ suboriri possunt circa consecutionem præfatæ benedictionis Papalis, ac indulgentiæ plenariæ, & aliàs non ita facilè decidi possunt.

Aduertendum igitur 1. nomine benedictionis Papalis hîc venire illam benedictionem, quam communiter Papa impertire solet, & quam Doctores recensent inter sacramentalia: idque ex iis, quæ habet Glossa *in proœmio Decretal. ver. benedictionem.*

Aduertendum 2. tam Religiosos destinatos ad Missiones, quàm fideles, ad quos ij destinantur, posse obtinere præfatam benedictionem, ac plenariam indulgentiam, si vtrique impleant præscripta ad earum consecutionem; colligitur ex tenore ipsius Breuis, quatenus post verba illa: *Omnibus, & quibuscumque Religiosis Societatis, qui mittentur, & quibuscumque fidelibus vtriusque sexus, ad quos ij mittentur vigore præsentium nostram, & Apostolicam benedictionem impertimur*, immediatè in eo additur: *Et pariter iisdem verè contritis, ac confessis, qui sacram Eucharistiam sumpserint, & pro aliquo temporis spatio iuxta vniuscuiusque deuotionem, ac pietatem orauerint pro exaltatione S. R. Ecclesiæ, vnione inter Christianos Principes, conuersione infidelium, ac hæresum extirpatione, concedimus indulgentiam plenariam.* Vbi noto, quòd, cùm clausula in fine posita referatur ad omnia præcedentia, si in iis sit eadem ratio, & alioqui eadem militet ratio non denegandi consecutionem dictæ benedictionis & indulgentiæ Religiosis proficiscentibus ad Missiones, ac militat quoad eos, ad quos proficiscuntur: verba illa, *& pariter iisdem*, ad vtrosque par est referri: aliàs Religiosi essent deterioris conditionis, vt patet.

Aduertendum 3. Religiosos Missionem obeuntes in locis infidelium non gaudere præfata benedictione, ac indulgentia (quamuis gaudeant indulgentia à nobis explicanda *cap.* 5. *num.* 200.) in hoc enim Breui videtur fieri mentio solùm de Missionibus, quæ fiunt inter fideles; vt colligitur ex iis verbis: *Et quibuscumque fidelibus vtriusque sexus, ad quos ij mittentur*; constat autem concessionem indulgentiæ non extendi vltra intentionem concedentis verbis expressam.

Aduertendum 4. Religiosos aliorum Ordinum vacantes Missionibus posse per viam communicationis frui dicta benedictione, ac indulgentia, eamque communicare iis, inter quos Missiones faciunt, si sustineamus sub generali priuilegiorum communicatione venire etiam indulgentias: quod docet Mandosius *tract. de priuil. adinstar, q.* 10. *gloss.* 9. sed nos negamus *supr. cap.* 1. *n.* 52. ideóque sustinemus præfatæ benedictionis, ac indulgentiæ concessionem Religiosis aliorum Ordinum non suffragari.

Aduertendum 5. Religiosos Societatis posse frui dictis gratiis etiam in casu, quo profecti ad aliquem locum causa Missionum, de facto Missionem non faciant; siquidem per ipsos non stet, sed aliunde hoc proueniat (eo, quòd verbi gratia, repellantur à Prælato illius loci,) & ratio est, quòd in Breui præfatæ gratiæ conceduntur Religiosis, qui mittuntur in aliquem locum causa Missionis, & ad illum proueniunt, ibi confitentur, communicant (intellige, etiam celebrando Missam, si sint Sacerdotes) orántque pro causis in Breui expressis; non autem requiritur, quod actu faciant Missionem: cum ergo impleant omnia requisita ad consecutionem dictarum gratiarum, non apparet, cur eis denegari debeat vsus dictarum gratiarum ex eo præcisè, quod sine culpa ipsorum reuera non faciunt Missionem.

Aduertendum 6. præfatis gratiis gaudere Religiosos etiam non Sacerdotes, qui mittantur ad aliquam Missionem, (v. g. ad pios sermones habendos, ad tradendam doctrinam Christianam, &c. doceo, quòd hæ gratiæ conceduntur Religiosis proficiscentibus ad Missiones, nec exprimitur in Breui

Breui concessionis, quod debeant esse Sacerdotes; vbi autem ius non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Aduertendum 7. ad obtinendas dictas gratias de rigore concessionis non videri necessarium, quòd opera iniuncta impleantur in loco Missionis; cùm talis limitatio non sit apposita in Breui, & gratia Principis non debeat restringi, præsertim in materia fauorabili animæ. Dixi, *de rigore concessionis*, quia, attento vsu Missionum res aliter se habet: nam in loco Missionis communiter fieri solet communio, & oratio iniuncta, illucque solent populi confluere ad recipiendam benedictionem solemniter datam.

Aduertendum 8. orationem, quæ hîc præscribitur, non necessariò debere fieri in templo, in quo exponitur tabella Indulgentiæ) talis quippe restrictio non apponitur in Breui) sed posse fieri etiam alibi, & quidem de rigore, etiam extra locum Missionis, vt iam diximus.

Aduertendum 9. ad obtinendam benedictionem Papalem non esse opus, vt impleantur præscripta ad consecutionem indulgentiæ, siquidem hæc coniunguntur solùm cum obtentione indulgentiæ (vt constat ex tenore Breuis) & aliàs, vbi agitur de obligatione imponenda, stricta fieri debet interpretatio.

Aduertendum 10. ad consequendam hanc indulgentiam non requiri, vt fideles interueniant impertitioni Papali: cum id non exprimatur in Breui, & alioqui multiplicari non debeant onera absque sufficienti fundamento.

Aduertendum 11. ad hoc vt benedictio hæc Papalis censeatur collata habitantibus in loco Missionis, non esse necessarium, vt ea solemniter impertiatur à Religiosis missionantibus, aut ab alio nomine ipsorum: cùm in Breui id non explicetur, & in aliis similibus casibus id fieri non soleat; vt colligitur ex *procemio libri sexti Decretalium*, aliísque iuribus ibi adductis à Glossa *v. benedictionem*.

Aduertendum 12. eum, qui obtinuit indulgentiam, ac benedictionem in vno loco, posse easdem lucrari etiam in alio loco, ad quem transferatur Missio, si iterum impleat requisita; ídque etsi in Breui habeatur clausula, *pro vna vice tantum*: si enim similis clausula iuxta aliquos relatos à Diana *part. 3. tract. 4. resol.* 151. non obstat, quin Iubileum in eodem loco bis comparari possit, si bis impleantur requisita: multò minùs obstabit, quin dictæ gratiæ Missionis pluries computentur in distinctis locis.

Aduertendum 13. ad hoc vt sæpiùs comparentur præfatæ gratiæ, posse in eodem loco intra eumdem annum institui Missionem: sicut enim Missio repeti potest diuersis annis, ita & eodem anno; cùm oppositum in Breui non statuatur, & beneficium Principis latam admittat interpretationem, præsertim in materia fauorabili animæ.

Aduertendum 14. Moniales, alióśque Religiosos degentes in loco Missionis posse lucrari dictas gratias, si impleant præscripta: quippe qui non debent esse deterioris conditionis. & aliàs in Breui dici possunt venire sub iis verbis: *Quibuscumque fidelibus vtriusque sexus, ad quos illi mittentur*; ídque, etsi Religiosi missionantes nullo modo accedant ad Moniales.

Aduertendum 15. prædictas gratias lucrari posse etiam extraneos confluentes ad locum Missionis, qua die impertitur benedictio Papalis; si alioqui omnia requisita impleant. moueor, quòd Sà *v. indulgentia, num.* 16. & alij sustinent indulgentiam concessam ab Episcopo Ecclesiæ sibi subiectæ, comparari à non subditis dictam ecclesiam visitantibus, (quod negat Nald. *v. indulg. num.* 12) dicique potest conuenienter Religiosos Missionis esse missos, non solùm ad indigenas, sed etiam ad forenses, qui in loco Missionis reperiuntur, aut ad illum accurrent, & quidem non minùs, quoad præfatarum gratiarum consecutionem, quàm Sacramentorum administrationem; ad quod facit doctrina tradita à Sanchez *lib. 1. moral. cap.* 12. *num.* 28. quæ videri potest apud ipsum.

Aduertendum 16. ad hoc vt extranei lucrentur dictas gratias, non requiri, vt in loco Missionis impleant præscripta ad earum consecutionem, sed sufficere illos ibi habere propositum ea implendi, siue ibi, siue alibi; ídque ob dicta, §. *aduertendum* 7.

Aduertendum 17. quod, vbi impertita est solemniter benedictio Papalis, sicque terminata censetur Missio; si qui præfatas gratias tempore Missionis non compararunt, possunt eas lucrari posteà impletis iis, quæ requiruntur in Breui; si quidem Religiosi missionantes se declarent, quoad eos prorogari tempus Missionis. & ratio est, quod cum dicti Religiosi pro arbitrio possint restringere, aut protrahere tempus Missionis, quoad omnes fideles, sic & possunt illud protrahere, quoad aliquos particulares; ídque ex identitate rationis.

Aduertendum 18. in casu, quo tempus Missionis prorogetur, quoad aliquos modo dicto; hos præfatas gratias lucrari, quamuis impleant requisita post recessum Religiosorum missionantum; nam ex tenore Breuis ad dictarum gratiarum consecutionem non requiritur assistentia personalis præfatorum Religiosorum, sed solùm, vt debitè impleantur omnia requisita. Secùs esset, si quis interueniens benedictioni Papali datæ in fine Missionis eliceret propositum implendi requisita ad Indulgentiam: is enim non posset hanc lucrari, nisi modo supradicto ei prorogaretur tempus Missionis: ídque ob eam rationem, qua Doctores probant non comparari Iubileum ab eo, qui, eo elapso, implet requisita ad eius consecutionem; nisi ex causa Confessarius intra tempus Iubilei proroget ei consecutionem illius, aut aliàs id in concessione ipsius Iubilei indulgeatur.

Aduertendum 19. ius comparandi dictas gratias acquiri ex eo, quod, quis ad talem effectum in loco Missionis habet propositum implendi siue ibi, siue alibi omnia requisita in Breui; vel certè ibi implet aliquod opus ex requisitis cum proposito implendi reliqua alibi. Moueor, quod si alterutrum ex his non requireretur, denunciata Missione in aliquo loco fideles vbicumque degentes possent præfatas gratias lucrari (quod nemo dixerit) ex alia verò parte de rigore Breuis ad talem effectum non est opus, quod omnia, aut aliqua ex operibus præscriptis in loco Missionis impleantur, vt diximus §. *aduertendum* 7.

Aduertendū 20. idem Breue numero dari solitum missionantibus posse deseruire pro pluribus Missionibus tempore interrupto faciendis; modò mens Superioris mittentis non refragetur. & ratio est, quod Breue est mera attestatio Prælati, quia constat Religiosum destinari ad hanc, aut illam Missionem; idem autem numero Breue potest deseruire pro attestatione destinationis ad plures Missiones: præsertim cum per ipsam destinationem Superioris multiplicatam, Breue ipsum censeatur virtualiter mulplicari.

Sectio IV.

Quæ Priuilegia concessa sint Regularibus, quoad ministerium exercendi Parochialia.

104 *Regulares olim erant capaces beneficij parochialis, sed non modò (quod non procedit de Canonicis Regularibus, qui adhuc sunt capaces, tum beneficij curati, tum beneficij sæcularis non curati.)*

105 *At Regulares sunt absolutè capaces beneficij regularis curati.*

106 *Mendicantes Religiosi olim erant capaces beneficij curati sæcularis.*

107 *Non item Religiosi ab vno Ordine ad alium transeuntes: si parochia sit annexa monasterio, omnes Religiosi iuxta* Cespedes *sunt Parochi.*

108 *Regulares sine licentia Superioris inualidè acceptant beneficium sæculare.*

109 *Beneficia manualia Regularium vacant ad reuocationem Superioris: etsi reuocatio non debeat fieri sine iusta causa.*

110 *At hoc fallit, quoad beneficium regulare plenè subiectum Ordini.*

111 *Beneficium à Papa collatum non semper potest reuocari a Prælato inferiori.*

112 *Beneficium regulare vnius monasterij, & aliud alterius conuentus permutari inuicem non possunt.*

113 *Beneficia regularia curata conferenda præuio examine, & cum Ordinarij approbatione: Episcopus amouet Parochum regularem præsentatum a suo Prælato: si autem talis Parochus à suo Prælato sine causa amoueatur, contra illum reclamat; etsi aliàs ab eo cum causa possit amoueri, quamuis de licentia Superioris institutus ab Episcopo sit: non tamen potest ab Episcopo amoueri ob incuriam adhibitam in ministrandis Sacramentis: item nequit Episcopus in Indijs auferre populos à regulari Parocho: regulare beneficium curatum non debet conferri per concursum: Episcopus de consensu Capituli confert Regulari parochiam: Regularis ex dispensatione Papæ promotus ad vnam parochiam transire potest ad aliam, & quidem etiam sine licentia Episcopi; quod alij negant.*

114 *Religiosus promotus ad parochiam plenè subiectam Episcopo manet verè Religiosus.*

115 *Si tamen parochia sit subiecta Ordini, non eximitur à regularibus obseruantijs, saltem omnibus.*

116 *Regulares Parochi, quoad aliqua subsunt Ordinario.*

117 *Dicuntur delinquere in suo officio, si delinquant circa parochialia: Episcopus nequit visitare parochiam regularem annexam monasterio, in quo degit Generalis Ordinis; sicut nec in casu, quo Parochiam, quoad temporalem iurisdictionem subsint monasterio: visitat tamen Regulares Parochos, etiam quoad personas: non censurat Religiosum Parochum, neque vt delinquentem circa parochialia, si is habeat priuilegium, vt non possit censurari. Regularis Parochus delinquens circa parochialia potest puniri, tum ab Episcopo, tum à Prælato regulari: idque etsi Parochus sit Ordinis non exempti: iuxta aliquos Parochus regularis nequit puniri in casu proposito à Diœcesano inferiore Episcopo. habens parochiam pleno iure subiectam Episcopo iuxta aliquos non subest Episcopo in pertinentibus ad Regulam; etsi alias iuxta aliquos possit promittere Episcopo obedientiam, quoad parochialia.*

118 *Non omnes Parochi regulares sunt exempti ab obedientia suorum Prælatorum.*

119 *Recitant Horas canonicas iuxta ritum propriæ Ecclesiæ.*

120 *Non omnes tenentur Socium Ordinis secum retinere.*

121 *Limita, nisi sint Monachi; hi enim debent retinere.*

122 *Debent interesse collationi casuum conscientiæ; quod alij negant.*

123 *Tenentur ad Residentiam formalem (quod non omnes admittunt.)*

124 *Ad paucos dies substituunt Collegam in parochia; etsi abesse nequeant sine licentia Episcopi.*

125 *Omittentes residere adhuc faciunt suos beneficij fructus, si sint amouibiles*

126 *Omittentes diuinum Officium, restituunt ad ratam.*

127 *Fidei professionem faciunt, sed non semper.*

128 *Acquirunt Ordini, sed non omnes: subsidium à Regularibus de consensu Episcopi assignandum beneficiarijs monasterij.*

129 *Disponunt liberè de prouentibus beneficij, sed non semper.*

130 *At hoc non procedit, si beneficium sit pleno iure subiectum Ordini.*

131 *Regulares eo ipso, quod fiunt Parochi, possunt audire sæcularium confessiones iuxta aliquos idem asserentes de Prælato monasterij, cui annexa est parochia (quæ alij negant) possunt Parochi audire vbique confessiones suorum parochianorum.*

132 *Eligi possunt in Confessarios vi Iubilei, ac Bullæ Cruciatæ.*

133 *Si sint amouibiles, non audiunt confessiones ex delegatione Parochorum alterius diœcesis.*

134 *Secus, si sint perpetui.*

135 *Si habeant parochiam pleno iure subiectam Episcopo, debent confiteri approbatis ab Episcopo.*

136 *Amoti à parochia adhuc possunt audire confessiones sæcularium.*

137 *Pro aliquot vicibus dant facultatem prædicandi in propria ecclesia.*

138 *Appropriant sibi Oblationes fidelium.*

139 *Specialia aliqua notantur de Oblationibus: oblationes factæ Episcopo celebranti in Ecclesia Regularium spectant ad ipsos Regulares, sicut & factæ imagini depictæ in pariete ipsorum Regularium.*

140 *Regulares Parochi deferunt stolam etiam in aliena paracia.*

141 *Gaudent priuilegijs Ordinis, sed non omnibus.*

142 *Sub mortali tenentur seruare lampadem accensam coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.*

QVÆRES I. An, & quo modo Regulares possint habere beneficium parochiale.

Respond. quod, quamuis olim obtinere potuerint 104
beneficium parochiale sæculare, etiam sine dispensatione Papæ (vt fusè ostendit Saoch. *lib. 7. mor. c. 26. num. 35. & 36.* patétque ex *cap. quod Dei timorem, de statu Monach.* vbi dicitur: *Per antiquos Canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari*; idque non obstante bulla Pauli IV. quæ incipit: *Priusquam diuina bonitas*, & priuat omnes Regulares beneficiis sæcularibus; ea quippe per Pium IV. anno 1560. redacta est ad ius commune in bulla, cuius initium est est: *Sedis Apostolicæ solertia*, in præsentia tamen non possunt Regulares obtinere beneficium Parochiale sæculare, neque in perpetuum, neque ad tempus; non quidem quod illi vi professionis religiosæ fiant incapaces talis beneficij (nulla enim ratione id pr[illegible]

bari

bari potest) sed quod ita statutum est à Sacra Congregatione Cardinalium de mente Gregorij XIII. in hæc verba: *SS.D.N.Gregor.XIII.noluit licere Canonicis Regularibus, etiam de licentia sui Generalis absque permissu Summi Pontificis assumere curam animarum etiam ad tempus, multóque minus beneficium curatum ad tempus.* Quod Clem.VIII. item statuit in decretis editis pro *reformat.Regularium*, & nouissimè confirmatis, ac innouatis ab Vrbano VIII. Constit. eius in ordine X. in qua hæc habentur: *Ineatur ratio qua, sublatis licentiis, ac facultatibus*, hactenus quibuscumque concessis degentes extra Conuentus claustra ad ea quam primum reuocentur, nec de cætero, nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica probanda huiusmodi facultates concedi possint. ita Peyr. *tom.1. priuil.Constit.4. Sixti IV. §.10. num.45.* patétque ex dictis; si obiter aduertero declarationem illam Sacræ Congregationis, quam adducit Quaranta *in bullar. v. Canonicus Regularis*, derogasse *capiti quod Dei timorem, de statu Monach.* sup.citatum, in quo Canonicis Regularibus indulgebatur, vt possent obtinere beneficium Parochiale seculare. quam tamen declarationem non admittit Pennotus *l. 2. histor. tripart. Congregat. Lateran.c.72.num.7.* dicens ipsum Gonzalez, qui illam admisit *in comment. ad regul. Cancell. glossa 7.num.53. in priori editione*, illam *in posteriori editione citata glossa, num.75. v.cæterùm*, reiecisse, se retractando in fauorem Canonicorum Regularium; sicque in praxi obseruari. Addit Pennotus *sup.* eamdem Sacram Congregationem anno 1602. declarasse Canonicum Regularem decretis Concilij Trid. non prohiberi obtinere beneficia curata sæcularia, nisi sit ex iis translatis, de quibus habetur decretum dicti Concilij *sess. 14. cap. 11.* cum alioqui declaratio Gregorij XIII. dicatur facta 1581. cui declarationi Sacræ Congregat. concordauit Rota Romana post declarationem illam decidens Canonicum Regularem esse capacem beneficij curati singularis: quod non fecisset, si declaratio Gregorij substitisset; non enim putandum est Romanam Rotam, vel ignorasse, vel neglexisse declarationem præfatam.

Imò ostendit Pennotus *sup.num.8. & seqq.* Canonicum Regularem esse capacem beneficij sæcularis non curati: idque ex tenore professionis, quam faciunt, nimirum: *Et quod nunquam absque licentia Capituli generalis dictæ Congregationis, vel eius auctoritate fungentis aliquod cum cura, vel sine cura beneficium acceptabo intus, vel extra ordinem*: sicque Paulus V. anno 1616. D. Æmilio Caracciolo Neapolitano contulit Canonicatum in Cathedrali Capriensi, cùm priùs iussisset examinari, an Canonici Regulares sint capaces talis beneficij: quod est signum illos fuisse repertos capaces. Iura autem, quæ adducuntur in contrarium, vel loquuntur de Monachis, vt *cap.super eo, de regul.* vel non sunt ad rem, vt *cap.in noua 16. q.7.* Cum Pennoto sentiunt Glossa, Huguccius, & Ottelius ab ipso relati.

Addo Pium V. in bulla *Exponi*, edita 25. Martij 1567. concedere singulis Religiosis, etiam Ordinum Mendicantium, vt in Indiis exerceant officium Parochi, matrimonia celebrando, & Ecclesiastica Sacramenta ministrando, prout hactenus consueuerunt; dummodò ipsi in reliquis solemnitatibus Concilij Trid. formam obseruent, & de suorum Superiorum Licentia in Capitulis Prouincialibus obtenta, prædicandi, & audiendi confessiones liberè, & licitè.

105. Dixi in responsione, beneficium Parochiale sæculare: si enim beneficium sit regulare, tunc vtique potest obtineri à Regulari absque dispensatione Papæ: cum id non repugnet; neque voto obedientiæ, cum ad illud obtinendum præsupponatur consensus Superioris regularis (vt infra ostendemus:) neque voto Castitatis, vt per se patet: neque voto Paupertatis; cum beneficiarius Regularis nihil habeat proprij, sed tantùm vsum, & administrationem, seu dispensationem fructuum beneficij. ita Lezana *tom.2. cap.18.num.2.* ex Syluestro, & Nauarro; patétque, tum ex iis, quæ modò diximus, tum ex praxi, qua multis in locis Regulares, tam Mendicantes, quam non Mendicantes præficiuntur Parochiis annexis proprio Monasterio.

Quod si quæras an Regulares, etiam Mendicantes iure communi antiquo sint capaces obtinendi beneficium curatum sæculare non obtenta vlla dispensatione Papæ.

106. Respond. esse capaces; cùm nullum ius extet in contrarium, vt ostendit Sanchez *supra num. 36.* monens *num.37. in Clem.exiui, de verbor.signific.* quæ posset obstare, solùm esse sermonem de Fratribus Minoribus, iisque solùm interdicere annuos redditus; non autem beneficia curata; quamquam talis prohibitio extendatur solùm ad tempus, quo dicti Fratres degunt intra sua Monasteria subiecti Regulæ Ordinis: non item, quando promouentur ad beneficia curata; vnde nec prohibentur promoueri ad Episcopatum, esto habituri sint ampliores prouentus: cum Sanchez sentiunt plures alij ab ipso relati.

An autem stando in iure antiquo transeuntes ex vna Religione ad aliam sint capaces beneficij sæcularis curati, si transeant cum legitima Papæ dispensatione.

107. Respond. Non esse, etiamsi sint Canonici Regulares: idque ex decreto Concilij Trid. *sess.14.c.11. de reform.* & quidem etiam in casu, quo transeant ad Religionem strictiorem: cum enim Concilium generaliter loquatur, generaliter debet intelligi. ita Sanch. *l.6.mor c.7.n.188.* Less. *l.2.c.41.n.105.* & alij: inter quos Suar. *tom.4.de relig.tract.8.l.3.cap.15.n.3.* bene aduertit *in Clem.1.de Regul.* statui Mendicantes omnes, qui transeunt ad non Mendicantes, etiam auctoritate Apostolica, non posse assumi ad curam animarum, neque intra, neque extra Ordinem, neque pro se, neque pro aliis (id est supplendo pro aliis) & si quid fiat in contrarium, irritum esse, ac inane: idque vt instabilius, & quietius in sua paupertatis professione permaneant. quæ tamen non videntur habere locum, neque in Mendicantibus transeuntibus ad alios Mendicantes, neque in non Mendicantibus transeuntibus ad Mendicantes (cum in *Clem.* sit solùm sermo de Mendicantibus transeuntibus ad non Mendicantes) neque in Mendicantibus, qui translati ad non Mendicantes redeunt ad Mendicantes; vt ostendit Bonac. *q.2.de clausp.9.§.5.difficult.1. num.5.*

Quærit Cespedes *tract.de exempt.cap.8.d.178.* an, quando parochia est annexa monasterio, omnes Religiosi, qui sunt de gremio Capituli, sint Parochi.

Respond. esse; & probatur, quia Canonici Collegiatæ habentis annexam parochiam omnes sunt Curati, vt notat Alphonsus de Leone *de officio Capellan: q.3.n.26.&seqq.* & ad illos omnes spectat cura animarum; vt colligitur ex declaratione relata à Parisio *l.8. de resignat. q.9. n.93.* Ecclesiæ autem Regularium in fauorabilibus sunt Collegiatæ, teste Moneta *cap 11.de mutat.status Eccles.num.39.* ergo Religiosi omnes talium Ecclesiarum erunt Parochi. idque etsi apud illos exercitium Parochiæ non fiat per turnum à singulis, sed commiti soleat alicui Capellano

nam,

nam titulus semper manet apud Capitulum, nec potuit in Capellanum transferri; ita vt Capitulum liberetur etiam immemorabili tempore, vt notat Alphons. *sup.* ita Cespedes monens hinc non sequi, quod parochia habeat plures Rectores: cum vna sponsa non possit habere plures sponsos *c. 1. de sponsa duorum*: nec vnum corpus possit habere duo capita *c. plerisque de offic. ordinary*: nam Ecclesia parochialis adhuc haberet vnicum Parochum, vnicum sponsum, vnicum caput, nempe Capitulum, & singulos de Capitulo, quatenus faciunt Capitulum: intellige, si ij omnes habeant omnia requisita ad exercitium curæ animarum. Verùm, quia vsus videtur esse in contrarium; ideo in re adeo graui non auderem consulere praxim huius assertionis sine altiori indagine contra communem vsum; & maximè ad cauendam Ordinariorum offensionem, & ad vitandas tricas, ac lites.

Qværes III. An Regulares sine licentia proprij Prælati possint acceptare, saltem validè, beneficium sæculare aliàs legitima potestate collatũ.

108. Respond. non posse, quamquàm, si necessitate, aut vtilitate cogente superior renuat dare consensum, is compelli possit ad consentiendum ob bonum publicum. est communis DD. apud Rodriq. *tom. 1. q. 30. a. 5.* & colligitur ex *cap. si religiosi, de elect. in 6.* quod tamen non facit, quin, si Papa conferat beneficium sæculare Monacho sciens illum esse Monachum, ideóque inhabilem ad illud obtinendum, collatio sit valida, in tali casu non possit Religiosus illud recipere sine licẽtia Prælati: cum sic Papa præsumatur cum ipso dispensare iuxta generalem doctrinã, quam tradunt DD. Papam hoc ipso quod aliquem promouet contra iura humana, censeri dispensare.

Qværes IV. Quando vacent beneficia manualia Regularibus collata.

109. Respond. Vacare, quoties Superior reuocat collationem: & hoc, licet beneficium collatum sit pro toto vitæ tempore, & Superior in ipsa collatione promiserit se non reuocaturum; talis quippe promissio est irrita, vtpote contra ius, & naturam beneficij manualis, quod petit esse reuocabile ad nutum Prælati. ita Sanch. *l. 7. mor. c. 29. num.* 107. 124. *&* 125. addens *n.* 111. ad hoc vt talis reuocatio sit valida, non requiri vllam causam: cum in tali casu Superior reuocans vtatur iure suo erga rem, & personam sibi subditam. Imò notat Barbosa *in Collect. bull. v. Abbas* 1. ex decreto Sacræ Congregationis posse Abbates Ordinum inuito Episcopo absolutè reuocare ad monasterium suos Religiosos animarum curam exercentes in Ecclesiis, quæ sunt vnitæ ipsis monasteriis: quod tamen non puto habere locum in Religioso, qui legitimè obtinuit beneficium curatum sæculare: idque ub dicenda infra. Dixi, *ad hoc vt reuocatio sit valida*; ad hoc enim vt ea licitè, ac prudenter fiat, requiritur causa aliqua rationabilis (v. g. Religionis vtilitas, aut commoditas Ecclesiæ) eáque maior, & grauior, si ex tali reuocatione probabiliter timeatur scãdalum, aut infamia Religiosi beneficiarij; quod rectè notauit Suar. *c. 19. num.* 21. monens ex Rebuffo Religiosum in casu proposito non posse sua auctoritate resistere Superiori reuocanti illum, nec posse ex solo defectu causæ sufficientis ad reuocandum veluti ex iustitia postulare coram superiore Prælato, vt non reuocetur, sed solùm illum supplicare, qui tamen, nisi aliàs constet ex dicta reuocatione interuenire malitiam ex parte reuocantis, aut gigni scandalum, vel infamiam, debet potiùs sustinere reuocationẽ, quam cassare: excipe, nisi vsu receptum sit, vt præfata reuocatio, saltem intra aliquod tempus non fiat sine causa, & aliter facta cedat in dedecus Religiosi: tunc namque Prælatus superior non debet illam permittere tanquam iniquam.

Addit Suar. *num.* 23. longè aliter iudicandum esse 110.
de Regulari habente beneficium regulare non tamen pleno iure subiectum Religioni, ac de Regulari habente beneficium regulare solùm manuale: nam in priori casu beneficium non est manuale, sed perpetuum, ideóque semel collatum Religioso de licentia proprij Superioris non potest ad eius nutum ipsi auferri; nisi adsit etiam consensus Episcopi cui tale beneficium subiicitur: si quidem hoc ipso quod Prælatus regularis consentit, vt suus subditus prouideatur ab Episcopo, consequenter consentit, vt perpetuò adscribatur illi Ecclesiæ: cum rei concessio censeatur facta iuxta qualitatem illius, vt notatur *in Clem. de supp. neglig. Prælat.* Vnde fit, vt Prælatus tunc cedat iuri suo, sicque postea non possit sua voluntate reuocari Religiosum prouisum; quæ proportionaliter locum habent in beneficiis eiusmodi regularibus, quæ sunt perpetua ex institutione, consuetudine, aut priuilegio Papæ: ea scilicet non posse auferri à Religiosis prouisis, nisi ex aliqua ipsorum culpa, &c, si auferantur, posse Religiosum spoliatum agere contra Superiorem spoliantem. ita Nau. *com. 2. de Regul. num.* 65. & alij.

Dubium grauius est, an beneficium regulare, quod ex sua natura est manuale, si conferatur a Papa, possit reuocari ab inferiori Prælato.

Respond. non posse, si Papa illud conferat cum 111.
clausula, vt retineatur toto vitæ tempore; sic enim euidenter constat voluntatem illius esse, vt non reuocetur. secùs, si Papa non apponat talem clausulam: nam tunc videtur beneficium posse reuocari; cum natura talis beneficij sit esse manuale, & amouibile, & aliàs, si Papa oppositum non explicet, non præsumitur voluisse alterare naturam illius; præsertim cum id cedat in fauorem obedientiæ religiosæ, cui Pontifices semper fauent, nisi aliter exprimant. Quod idem proportionaliter asserendum est in casu, quo Prælatus regularis religioso subdito concedat beneficium regulare manuale, & Papa confirmet talem concessionem; posse scilicet Prælatum etiam tunc reuocare concessionem, cum per talem confirmationem non mutetur natura beneficij; idque esto Papa ex certa scientia dictam concessionem confirmasset. ita Lezana *tom. 2. cap.* 18. *num.* 21. *&* 22. contra Sanchez *supra num.* 130. negantem hoc vltimum: cuius sententiam puto esse probabilem, vtpotè suffultam auctoritate 16. Doctorum, quos ipse refert.

Illud hîc etiam aduertendum est, quod, cum Re- 112.
ligiosus vnius monasterij non sit capax beneficij regularis alterius Monasterij, etiam eiusdem Ordinis iuxta *cap. cum singula §. prohibemus de præbend. in 6.* non possunt duo Regulares diuersorum monasteriorum eiusdem Ordinis permutare beneficia regularia, quæ possident de licentia suorum Superiorum: cum neuter eorum sit capax beneficij alterius, & Superior vnius non habeat potestatem supra beneficium alterius. quod item dicendum est de duobus Religiosis diuersorum Ordinum habentibus beneficia regularia: cum neuter illorum capax sit beneficij alterius Ordinis, & Superior vnius potestatem non habeat supra beneficium alterius. ita Sanch. *sup. num.* 29 *&* 30.

Qværes V. Qualiter conferri debeant Regularibus beneficia curata regularia.

Respond. debere conferri præuio examine, & ap- 113.
probatione Episcopi: siue sint electiua (quo casu ad Capitulum

Capitulum Conuentus spectat prouidere, accedente confirmatione Prælati regularis;) siue sint collatiua, (quo modo eorum collatio spectat, vel ad solùm Prælatum regularem, vel ad Prælatum ipsum cum Capitulo iuxta varia statuta, & consuetudines Religionum. ita Lezana vbi *supr. num.*7. & 8. aliique, & patet ex Conc. Trid. *seß.* 25. *de regul.cap.*11. quod ita habet: *Nec ibi aliqui etiam ad nutum amouibiles deputentur, nisi de eiusdem cōsensu*, idest Episcopi, ac præuio examine per eum, aut eius Vicarium faciendo, quamquam tale examen non necessariò fieri debeat per examinatores synodales, vt censet Barbosa *de offic. Episc. alleg.* 74. *num.* 18. sed minùs bene, cum id nullo iure nitatur, loquente Concilio *seß.* 24. *cap.*18.(quod videtur obstare) solùm de beneficio curato sæculari.

An autem Episcopus amouere possit Parochum regularem præsentatum à suo Prælato.

Respond. Bordonus *resol.* 7. posse ex iusta causa: Idque ex *cap. vnico Presbyteri de Capellis Monachorum*; vbi id apertè deciditur: quamuis Glossa *ibi* dicat id posse facere etiam Prælatos regulares, qui habent ex priuilegio Papæ (sicut de Humiliatis fertur, & Præmonstratensibus;) addatque causam iustam in casu isto non esse leuem culpam, nec grauem, si ad populi notitiam non peruenit.

Quod si Regularis Parochus à proprio Prælato sine causa amoueatur à Parochia: putat Cespedes *supr.d.* 162.*num.*5. quod, sicut seruus nimis grauatus à Domino contra hunc audiri potest, & in aliis etiam casibus *L. vix certus, ff. de Iudicijs*; sic audiri poterit Regularis; maximè cum æquiparetur seruo, aut filio familias, si nimis grauatur; vt in præsenti casu: securius tamen debet fieri ad Iudicem competentem, qui scilicet sit Superior Prælati regularis: dissentiunt tamen Doctores communiter cum Vuamesio *cons.*65. *de iudicijs, & foro competenti*, vt notat idem Cespedes, cuius opinio mihi non displicet.

Addo Parochum Regularem institutum ab Episcopo cum licentia Prælati regularis de Parochia siue sæculari, siue regulari, idest annexa Monasterio posse amoueri à regulari Prælato, etiam inuito Episcopo. ita Vuamesius *cons.* 61. *num.* 10. & probatur, tum quia Parochus regularis adhuc est subiectus obedientiæ Ordinis, sicque ad libitum potest reuocari: tum quia non obstat *cap.*1.*de Capellis Monach.* cum loquatur solùm de Presbyteris sæcularibus præsentatis à Prælatis regularibus ad suas Parochias: & merito, cum dicti Presbyteri amoti non habeant, quò se recipiant, Regularibus redentibus ad suum Monasterium, vt notat Imola in Clemen. 1. *de supplen. neglig. Prælator.* licèt Io. Andreas Geminian. Philipp. & Franchus apud Cespedes *d.* 163. *num.* 7. cuius opinio mihi non displicet. Dixi *ab Episcopo institutum*; vt indicatem, quod si Regularis ex dispensatione Papæ instituatur Parochus, non procedit doctrina Vuamesii, & nostra.

Addit Marchinus *de pest parte.* 1. *cap.*4. Parochum regularem, si tempore pestis sit negligens in administrandis Sacramentis nō posse propterea amoueri à Parochia: & probatur, tum quia illius est auferre beneficium, cuius est conferre; Regulares autem habent Parochias à Papa, ideóque eæ nunquàm vacant, nec obtinentur per concursum: tum quia quod Episcopus possit punire, & coercere Parochos Regulares delinquentes, est quid diuersum ab hoc, quod possit illos amouere à Parochia; & hoc posterius ei nullo modo competit, imò in contrarium extant aliqua indulta Papalia apud Rodriq. *tom.*1. *quæst.* 36. *art.* 1. tum quia pro nostra sententia adest expressa declaratio Sacræ Congregationis edita 1613. in vna Mediolanensi.

Quæri potest hoc loco, an, attento Breui Pij V. relat *quæst.* 2. § *addo* possint Episcopi auferre à Regularibus populos aliquot Indiarum, & partem curæ ab Ecclesia Parochiali illorum.

Respond. non posse, neque auferre aliquot populos; cum in dicto Breui prohibeatur Episcopis, ne auferant à Regularibus populos, & ne aliquid innouent circa hoc: neque dimembrare partem curæ, illam applicando alteri Ecclesiæ ob numerositatem populi: cum Ordo Hierosolimitanus, teste Barbosa *de offic. Parochi. part.* 2. *c.*23.*n.*13. habeat ad hoc priuilegium commune aliis Religionibus per viam communicationis priuilegiorum.

Insuper notant Garcias *de benefic. part.* 1. *cap.* 2. *num.*197. Barbosa *de potest. Episc. alleg.*60. *num.* 31. & alij regularia beneficia curata non debere ab Episcopo conferri per concursum: sicque sæpius fuisse decisum à Rota Romana, & id confirmari à bulla Sixti V. relata à Rodriq. *in Bullario Constitut.* 22. ipsius Sixti V.

Existimat item Cespedes *supr.d.* 168. ex Moneta, Gratiano, & Randa, Episcopum de consensu Capituli posse conferre Regularibus Ecclesiam parochialem; probatque, tum ex variis iuribus, in quibus deciditur non posse Episcopum sine consensu Capituli dare Regularibus Ecclesiam baptismalem (quod est dicere ipsum posse illam dare de consensu Capituli) tum quia Tridentinum *seß.*24.*cap.*13.*de reform.* vetans ne parochiales Ecclesiæ monasteriis quibuscumque aut abbatiis vniantur, prohibet solùm vnionem parochialis Ecclesiæ monasterio, non autem subiectionem, & solùm vetat Vnionem, quæ supprimit, ac extinguit titulum; quæ non eueniunt in casu nostro.

Illud demùm hîc quæri potest, an Regularis ex dispensatione Papæ semel promotus ad parochiam sæcularem possit sine noua licentia sui Prælati promoueri ad aliam parochiam.

Respond. Lauretus de Franchis *in controuersijs quæst.* 91. posse, imò & sine licentia Episcopi; sicut potuit promoueri primò vi dispensationis, absque eo quod interueniret licentia Prælati Regularis, & authoritas Episcopi: nam licentia Prælati regularis, & Episcopi authoritas in iis solùm casibus requiruntur, in quibus similia requirerentur ad promotionem aliorum Clericorum sæcularium. At dissentiunt Imola *in* 1.*Clem.num.*41. *de elect.* dicens in casu præsenti non requiri quidem licentiam Prælati regularis, at requiri licentiam Episcopi; ac concludens requiri, vel licentiam Prælati regularis, vel Episcopi; & Ancharannus *in cap. si religioso num.vlt.de elect. in* 6. aliique docentes in isto casu nullo modo peti licentiam Abbatis.

QVÆRES VI. An Regularis semel assumptus ad parochiam pleno iure subiectam Episcopo maneat verè, ac substantialiter Religiosus; & teneatur ad regulares obseruantias.

Respond. manere verè, & substantialiter Religiosum, ac proinde adhuc teneri tribus votis substantialibus religionis. ita S. Thom. 2.2. *quæst.* 185. *art.*8. patetque ex dictis *in tract. de profess. cap.* 5 *sect.* 1. *quæst.*7. 114

Quod autem spectat ad obseruantias regulares: distinguendum est, vel enim Religiosi promoti ad curam animarum, eam habent in ecclesia subiecta Prælato regulari, & sic, cum verè maneant sub obedientia proprij Prælati, & adhuc sint membra Religionis, obligantur regula ipsius Religionis eodem modo, 115

modo, ac anteà. ſolumqoe excuſantur ab illis obſeruantiis, quæ vel in tali habitatione ſeparata à communione impleri nequeunt, aut tale munus impediunt (qualia ſunt teſte Rodriq. *ſup. a.6.* ieiunia, ſilentium, & vigiliæ.) Vel habent curam animarum in Eccleſia plenè ſubiecta Epiſcopo, aut certè beneficium ſæculare; & ſic ſunt liberi, tum ab obedientia proprij Prælati regularis, vt pote qui ſiunt ſubditi Epiſcopo, tum ab obſeruantiis regularibus particularibus ſui Ordinis, cum perpetuò ſepareotur à corpore Religionis, & ex tali ſeparatione oriatur exemptio ab actuali obedientia, ac legibus illius. ita Suar. *ſup. num. 6. & 18.* aliique contra Sanchez *l. 6. mor. c. 6. num. 36.* docente Regulares præfectos alicui Eccleſiæ parochiali. quæcumque demum illa ſit, abſolui ſolùm ab iis obſeruantiis regularibus, quæ in Eccleſia ſæculari, vel cum munere Parochiali commodè ſeruari non poſſunt; probat Suar. *cap. 17. num. 6.* interum ex eo quod regula cuiuſlibet Ordinis obligat ſolùm, vt lex quædam huic communitati impoſita, adeoque obligat ſolùm perſonas huius communitatis, quamdiu ſunt membra illius: cum omnis lex per ſe primò ſit pro communitate, & loquatur ad eos, qui ſunt partes talis communitatis: Religioſus autem factus Parochus in Eccleſia pleno iure ſubiecta Epiſcopo deſinit eſſe membrum talis communitatis; quippequi non eſt ampliùs, neque Prælatus, neque ſubditus illius.

Vtrùm verò Regulares aſſumpti ad Eccleſiam Parochialem maneant liberi à ſpecialibus votis proprij Ordinis (v. g. à voto quadragesimalis Vitæ, ſi ſint ex Ordine Minimorum) conſtat ex dictis *in tract. de votis cap. 1. ſect. 1. q. 27. remiſſiue.*

Qværes VII. An, & in quibus Regulares habentes curam animarum, immediatè ſubiaceant
116. iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcoporũ.

Reſpond. ſubiacere, ſi curam habeant in Eccleſia ſubiecta Prælato regulari: ſubiacere, inquam, non abſolutè, ſed tantùm in iis, quæ concernunt curam, & adminiſtrationem animarum: idque ex Concilio Tridentino *ſuprà*, & ex decreto Gregorij XV. relato in bullario *tom. 3. Conſtit. Greg. XV. in ordine* 18. quæ ita habet: *ſtatuimus & declaramus, vt deinceps, tam Regulares, quam ſaeculares quomodolibet exempti, ſiue animarum curam perſonarum ſaecularium monaſterijs ſeu domibus regularibus, aut quibuſuis alijs Eccleſijs, vel beneficijs, ſiue regularibus, ſiue ſaecularibus incumbentem exerceant, ſiue aliàs Eccleſiaſtica Sacramenta aut vnum ex illis miniſtrent prauia Epiſcopi licentia, & approbatione, ſiue quoquomodo in dicta curà exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis adminiſtratione de facto abſque vlla auctoritate ſe ingerant, in his, quæ huiuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni diœceſani Epiſcopi, tanquàm Sedis Apoſtolicæ delegati plenè in omnibus ſubiciantur;* qua de re Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 74. num. 18.* Dixi, *ſi curam habeant animarum in Eccleſia ſubiecta Prælato regulari*; vt indicarem, quod ſi curam habeant in Eccleſia pleno iure ſubiecta Epiſcopo, aut habeant beneficium ſæculare: tunc ij abſolutè ſubiiciuntur Epiſcopo proprio in omnibus: quippequi eſt abſolutè Superior illorum; & quidem ita, vt ij non ampliùs ſubſint Prælato regulari.

Tunc autem Regularis Parochus dicitur delinquere in proprio officio, quando delictum propriè tangit officium illius; vnde nullum eſt diſcrimen, num ille delinquat in officio, an occaſione, fauore, colore, & auctoritate officij. ita Nald. *v. Parochus, num. 9.* ex Rota.

Aduertit autem Ceſpedes *d. 165. num. 6.* ex Rodriq. & Nouario Epiſcopum non poſſe viſitare Regulares Parochias annexas monaſterio, in quibus degunt Generales: & probat, tum ex Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 11. de Regul.* dicente, *Exceptis monaſterio Cluniacenſi cum ſuis limitibus, & exceptis etiam his monaſterijs, ſeu locis, in quibus Abbates Generales, aut Capita ſedem ordinariam principalem habent*, &c. idque etſi cura adminiſtretur per Clericos ſæculares: tum quia non obſtat, quod aliàs fuerit deciſum poſſe ab Epiſcopis viſitari Parochiales Eccleſias vnitas monaſteriis, quæ ſunt capita Ordinum: nam Concilium ſuprà eximit à viſitatione Epiſcopi Parochias regulares, in quibus degunt principaliter Capita Ordinum, non autem monaſteria, quæ ſunt Capita Ordinum, cum aliqua monaſteria poſſint eſſe Capita Ordinum abſque eo quod in iis degant Generales: à diuerſis vero non fit illatio in materia odioſa.

Addo ex deciſione Rotæ Romanæ apud *Seraphinum deciſ. 1067.* Epiſcopum non poſſe viſitare Parochũ in Eccleſiis Regulariũ, quando Superiores Regulares in Parochianos habent iuriſdictionem temporalem. verba deciſionis affert *Ceſpedes d. 166.* monens deciſionem hanc non excludere, quin in caſu iſto poſſit Epiſcopus viſitare Parochum, quoad concernentia curam animarum: quippequi quo ad hæc cumulatiuè concurrit cum Regulari Prælato: ita tamen, vt data contrarietate inter decreta Prælati, & inter decreta Epiſcopi, hæc debeant præualere ex alia Deciſione Rotæ 20. Octobr. coram Pœna.

Poteſt verò Epiſcopus viſitare non ſolùm Parochias regulares, ſed etiam perſonas ipſorum Parochorum ex Tridentino *ſeſſ. 25. de Regul. cap. 11.* at non poteſt ſequeſtrare in viſitatione partem fructuum ad reparandam ſacriſtiam (vt notat Leo *in theſauro p. 2. cap. 31. num. 3.* aliàs id concedens, quoad reparanda ſpectantia ad curam animarum) nec prohibere Regularibus, ne excedant taxam ab eo factam in emolumentis Parochialibus: quod aſſerunt Nouarius, Sellius, Barboſa apud Ceſpedes *d. 165. n. 9.*

Maius dubium eſt, an Regularis Parochus aliàs habens priuilegium, quod non poſſit cenſurari ab Epiſcopo, poſſit ſic cenſurari, ſi delinquat in iis, quæ ſpectant ad curam animarum.

Reſpond. Sanch. *l. 7. de matr. D. 33. n. 23. & 6. mor. cap. 1. num.* 14. non poſſe: probatque, tum ex *cap. 1. de priuil. in 6.* tum quia ſtare poteſt Epiſcopum habere iuriſdictionem in exemptos, & tamen non poſſe illos cenſurare: tum quia Concilium Tridentinum, quoties vult Epiſcopum habere iuriſdictionem in exemptos, etiam ad procedendum contra illos per cenſuras, id explicat. At diſſentit Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 105. n. 13.* aliis citatis, generaliter ſuſtinens in caſibus, in quibus Regulares ſubſunt Epiſcopis, ſi contrafaciant, poſſe ab iis puniri, etiam cenſuris.

An autem Regularis Parochus delinquens circa curam animarum poſſit puniri, tum ab Epiſcopo, tum à Prælato regulari.

Reſpond. Poſſe: & probatur, quia hæc poteſtas, teſte Bordono *reſol. 7. num. 47.* datur Epiſcopis, non priuatiuè, ſed cumulatiuè cum Prælato regulari (idque ex variis deciſionibus Romanæ Rotæ) quo modo per hoc, quod datur Inquiſitoribus facultas in cauſis hæreſis, non ideò talis facultas auferrur Epiſcopis, vt docent Pegna, Farin. Caſtrus Palaus & alij apud Carenam *p. 1. tit. 4. §. 2.* per totum. ita Ceſpedes *d. 161.* contra Nouarium addens dictis non obſtare Greg. XV. bullam *Inſcrutabili*, vbi dicitur Epiſcopos habere omnem iuriſdictionem in Regulares circa curam animarum delinquentes, ita vt liberè in

eos

eos iurisdictionem exercere valeant; cum alioquy ly *liberè*, teste Barbosa *in c.11.sess.25.* Tridentini denotet posse actum fieri sine alicuius licentia: non obstare, inquam, cum teste Tusco *ver. iurisdictio, concl.556.* quando conceditur iurisdictio alicui iudici particulari, numquam ea censeatur adempta à iudice ordinario habente eamdem iurisdictionem; sed noua iurisdictio censeatur cumulata secundo iudici: sicque concedente Greg. XV. Episcopis facultatem puniendi Regulares delinquentes circa curam animarum, tanquam iudicibus particularibus, ea non censeatur sublata Prælatis regularibus, qui sunt iudices ordinarij Religiosorum taliter delinquentium, itavt inter ipsos detur præuentio; intellige, si parochia commissa Regulari non sit pleno iure subiecta Episcopo.

Addit Cespedes *n. 12.* hanc doctrinam procedere etiam de Parocho regulari Ordinis non exempti, adeóque sicut Papa, & regularis Prælatus de facto punire possunt Regularem exemptum in omnibus, sic idem procedere de Regularibus non exemptis, respectu quorum Episcopus hac in re habet potestatem, sicut habet Papa respectu exemptorum.

Monet item Cespedes *d. 181. num. 2.* Parochum regularem circa animarum curam delinquentem in loco nullius diœcesis non posse puniri à Prælatis nullius diœcesis habentibus ibi iurisdictionem, quasi Episcopalem: probatque ex eo quod, licèt Tridentinum *sess. 25. cap. 11.* subdat Regulares, quoad audiendas confessiones Prælatis inferioribus Episcopo habentibus iurisdictionem, quasi Episcopalem, vt resolutum sæpiùs refert Barbosa *ibi*: tamen Gregorius X V. in bulla *Inscrutabili*, Episcopis solùm dat talem facultatem puniendi, cum dicat: *In his, quæ huiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi,* (intellige, subdantur) Constat autem esse Episcopum, & habere iurisdictionem quasi Episcopalem res esse valdè diuersas, adeóque vnum ex alio non posse inferri in materia odiosa, cum à diuersis non fiat illatio; dissentit Nouarius *in summ. Bullar. p. 2. de exemptorum priuilegijs, n. 13. & seqq.* ex communi Doctorum sententia: sed minùs benè; cum sacra Congregatio in 13. declarationibus cum approbatione Gregorij XV. & Vrbani VIII. editis stet pro nostra assertione in 4. declaratione dicens: *An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.* Respond. *non competere:* vnde patet casum manere decisum authoritatiuè. Cum ergo bulla *Inscrutabili*, & Tridentinum *loco citato*, loquantur solùm de Episcopis, non autem de Ordinariis in genere: asserenti in contrarium incumbit onus probandi; fateor quidem, quod si Concilium taliter loqueretur, non ei esset derogatum per bullam citatam Gregorij: nam positum ad augmentum non debet operari diminutionem; sicut è contra, *l. legata inutiliter; ff. de adimendo legato, Quæ ad diminutionem inducuntur*, non debent operari augmentum.

Accedit quod, licèt Angelus Rosella, Syluest. & Sanch. apud Layman *l. 4. tract. 5. cap. 1. n. 12. ex cap. parochia, 16. quæst. 1. & cap. sane, 16. quæst. 2.* velint Regularem promotum ad parochiam pleno iure subiectam Episcopo ei subiacere in omnibus: imò significent teneri ex voto obedientiæ ei parere, tanquam Abbati suo: ipse tamen Layman putat, spectato iure communi, & ipsa natura rei, illum manere subiectum Prælato Ordinis in pertinentibus ad Regulam; nec esse credibile dictum Regularem teneri parere Episcopo ex voto obedientiæ; cum Episcopo obedientiam non promiserit, etsi tandem fateatur Layman consuetudine multorum locorum obseruari, vt Regularis promotus ad parochiam sæcularem subsit Episcopo loci in omnibus.

Existimat tamen Sperellus *dec. 2. n. 83.* ex Motta, & Piaseco, posse Parochum Regularem promittere obedientiam Episcopo in his, quæ spectant ad curam animarum, & quidem sine iniuria Ordinis, ex quo assumitur: quippe qui censetur, saltem tacitè in hoc votum consentire hoc ipso, quod dat suo Religioso licentiam acceptandi parochiam; quod certè non videtur posse ita facilè probari, quoad Parochos amouibiles, cum tacens non censeatur consentire in his, quæ possunt esse in præiudicium (vt aliis citatis docet Sanch. *l. 1. de matr. D. 5. n. 5.*) & votum, de quo hîc agitur, vergere possit in præiudicium Ordinis; sicque Sperelli doctrinam solùm admitto, quoad Regulares promotos ad parochiam perpetuam, siuo ad eam promoueantur de licentia Ordinis in casu permisso, siue ex Papæ dispensatione.

QVÆRES VIII. An Regulares curam animarum habentes sint exempti ab obedientia proprij Prælati regularis.

Respond. iuxta distinctionem datam, *q. 6. §. quod autem*, esse exemptos, si curam animarum habeant in Ecclesia pleno iure subiecta Episcopo: non item, si curam habeant in Ecclesia subiecta Prælato regulari. Ita Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 3. cap. 19. num. 18. & 14.* benè monens *num. 19.* Prælatum regularem habere ius præcipiendi suo Religioso habenti curam animarum in iis, quæ spectant ad beneficij administrationem, si talem curam habeant in Ecclesia plenè subiecta ipsimet Prælato regulari: secùs, si habeant in Ecclesia plenè subiecta Episcopo, patetque ex dictis *cit. quæst. 6.* & maximè ex eo quod in eadem materia non possumus habere duos Superiores inter se non subordinatos, quod tamen eueniret, si Religiosus curam habens animarum in Ecclesia Episcopo pleno iure subiecta, subderetur etiam Prælato regulari. 118.

QVÆRES IX. Quale Officium teneantur recitare Regulares promoti ad Ecclesiam parochialem.

Respond. teneri recitare Officium iuxta ritum Ecclesiæ, cui inseruiunt, non autem iuxta ritum Religionis, in qua sunt professi; & sic, si occurrat festum Religionis cum festo diœcesis, festum diœcesis præferendum esse. Ita Lezana *tom. 1. cap. 17. num. 11. & 16.* Sanch. *l. 6. mor. cap. 6. num. 38.* Rosella *ver. Monachus, num. 5.* aliique & probatur, tum quia id exigit æquitas, & munus Pastoris, quod Religiosi exercent in Ecclesia, cui præsunt: tum quia ij iuxta dicta exempti sunt ab obseruantiis religionis; ergò & ab obligatione recitandi Officium iuxta ritum illius, quæ inter dictas obseruantias computantur. 119.

QVÆRES X. An, & quando Regulares assumpti ad Ecclesiam parochialem teneantur secum habere socium eiusdem Ordinis.

Respond. iuxta distinctionem datam *q. 6.* teneri; si assumantur ad Ecclesiam parochialem plenè subiectam Prælato regulari: idque ex *cap. Monachi, & c. quod Dei timorem, de statu Monach.* quæ teste Azorio *p. 1. l. 12. c. 19. q. 14.* in hunc sensum videntur intelligenda; secùs, si assumantur ad Ecclesiam non plenè subiectam Prælato regulari; cùm enim in tali euentu non ampliùs subiiciantur Prælato regulari, non est cur is deputet ipsis socium. Ita plures Canonistæ relati à Sanchez *mor. cap. 6. num 39.* qui tamen sustinet Monachos in vtroque euentu teneri habere socium sui Ordinis: Canonicos verò Regulares non semper, sed quando illum commodè habere possunt: 120.

siquidem tale discrimen clarè constituitur inter vtrosque *citato cap. quod Dei timorem*, vbi agitur de promotione perpetua, & statuitur, ne Monachus sine socio Ecclesiæ præficiatur iuxta decretum Concilij Lateran. relatum *cap. citato*.

Quòd si obiter quæras, an decretum hoc Concilij Lateranensis extendatur ad Regulares, qui non sunt propriè Monachi: quales sunt Mendicantes, & Canonici Regulares.

121. Respond. non extendi: cum in odiosis nomine Monachi non veniant omnes Religiosi, sed ij tantum, qui propriè dicuntur Monachi: & ratio quoad hoc, militans in Monachis non æquè militet in aliis Religiosis (vt colligitur ex *citato, cap. quod Dei timorem*,) quin etiam putat Lezana *tom. 2. cap.* 18 *num.* 14. quod si redditus assignati Parocho non sufficiant ad alendum ipsum Parochum, & socium; tune Parochus non tenetur tenere apud se socium Ordinis, nisi fortè is aliunde posset sustentari: idque censeo esse verum, etiamsi Parochus esset Monachus.

QVÆRES XI. An Regulares Parochi teneantur interesse collationibus casuum conscientiæ, quæ iussu Episcopi haberi solent pro Parochis.

122. Respond teneri ex decreto sacræ Congregat. Episcoporum & Regularium edito 12. Octobr. 1592. quod in multis locis obseruatur. Ita Lezana *supr. n.* 40. & Barbosa *in collect. ver. Congregat. diuers.*

Dissentit Cespedes *supr. d.* 175. *num.* 2. ex eo, quod Regulares non Parochi ad hoc non tenentur, vt ferè communiter concedunt DD. & militat eadem ratio exemptionis, etiam quoad Regulares Parochos: etsi aliàs hi dicantur subesse Episcopo in spectantibus ad curam animarum: hoc enim nimia remotè spectat ad curam animarum, vt dicantur Religiosi Parochi in hoc subesse Ordinario; etsi concedatur eos illi subesse, quoad hoc, subiectio hæc extenderetur ad plures alios casus similes cum graui præiudicio exemptionis Regularium.

Addit Cespedes *d.* 174 *n.* 2. consequenter ad hanc doctrinam Religiosos Parochos ab Episcopo non posse cogi ad processiones: & probat, tum quia conuenire ad processiones remotissimè spectat ad curam animarum: tum quia ij, ex eo quod fiunt Parochi non amittunt priuilegia Regularium; ergo nec debent amittere exemptionem à processionibus.

QVÆRES XII. An & quomodo Regulares Parochi teneantur residere.

123. Respond, quod, quamuis valdè probabilis sit sententia Sancij *in selectis D.* 47. *num.* 2. pro se citantis Graffium, Cordub. Astensem, Hostiens. & Syluestr. Parochum iuxta mentem Concilij Trid. *sess.* 7. *de reform. cap.* 5. *& sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* teneri residere in propria paræcia non solùm materialiter, idest per habitationem) sed formaliter, idest personaliter, exercendo suum munus, adhibito tamen etiam aliquo alio in auxilium, si sit nimis grauatus: idque sub pœna, vt omittens residere non faciat fructus suos; nihilominus probabile videtur de rigore iuris Parochum non teneri residere formaliter, sed sufficere, quod resideat materialiter modo supradicto. Ita Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 2. *n.* 5 5. Vgolio. *de potest. Episc. cap.* 15. §. 3. *n.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 156. & alij, patetque, tum quia amissio fructuum in dicta à Concilio Trid. pœnalis est, ideóque debet restringi ad absentes in rigore iuris; tales autem non censentur, qui resident solùm materialiter; tum quia Parochus, qui suum munus malè peragit, non ideò amittit fructus proprij beneficij; ergo nec est, cur illos amittat in casu præsenti.

Sed difficultas est, an regulares Parochi iustam habentes causam non residendi ad aliquod tempus, possint inconsulto Episcopo relinquere substitutum, modò sit idoneus, & à Diœcesano admissus ad Sacramentorum administrationem, & præcipuè ad audiendas confessiones.

Respond. posse, si absuturi sint tantùm per 6. aut 8. dies: idque ex consuetudine ferè communi, quæ potest seruari, nisi Episcopi aliter statuant per suas Constitutiones; non item, si ad plures dies, cum Conc. Trid. *sess.* 23 *cap.* 1. *de reform.* dicat: *Ita tamen, vt, quocunque eos*, (loquitur de habentibus beficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens,) *causa prius per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant*; quæ verba, si quam vim habent (sicut reuera habent) maximè habent in casu, quo paruitas temporis modo dicto non excuset. Ita Possen. *de offic. Cur. cap.* 1. *n.* 19. addens *n.* 21. quod, quamuis Parochus tuta conscientia abesse possit, non habita licentia Episcopi; cum id testentur Nauar. *cap.* 25. *n.* 121. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 10. & alij: expedit tamen eam habere ab Episcopo, vt sit tutus etiam pro foro externo; quamquam Peyrin. *tom.* 3. *priuil. cap.* 4. *n.* 23. ex Fagund. censeat Parochum regularem posse commendare curam annexam proprio monasterio vni ex suis confratribus, qui sit approbatus ad confessiones. 124.

Monet autem Cespedes *d.* 177. *n.* 3. ad Episcopum spectare, vt Parocho regulari concedat, quod possit abesse à Parochia: & hoc, licèt hæc conferatur à Prælato regulari. Ratio esse potest, quod Regularis Parochus subest Episcopo in spectantibus ad curam animarum: talis autem est residentia, vt patet.

Vnum placet hîc monere; nimirum obligationem, quam habet Parochus residendi sub pœna non faciendi fructus suos, de rigore iuris non videri habere locum in Regularibus habentibus Ecclesiam Parochialem pleno iure subiectam Prælato regulari, nisi fortè extet consuetudo in contrarium: ducor, quod ei non conueniunt verba legis, nec debet conuenire ipsa lex: verba autem legis, §. *præcedenti*, relatæ ex Conc. Trid. non videntur conuenire Regularibus habentibus Ecclesiam Parochialem plenè subiectam Prælato regulari: siquidem Concilium loquitur de habente beneficium Ecclesiasticum, statuitque, vt non residens non faciat suos fructus illius, imò ipso facto teneatur illos restituere fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci: cum tamen Regulares Parochi reuera non habeant Ecclesiasticum beneficium reddens ipsis annuos fructus, quos non faciant suos in casu non residentiæ, atque restituant: quippe qui Ecclesiam Parochialem, cui præsunt, habent amouibiliter, & ad paucos annos, non autem firmiter, ac perpetuò: quod est proprium beneficij Ecclesiastici. 125.

QVÆRES XIII. An Regulares Parochi teneantur facere aliquam restitutionem, si omittant recitare horas Canonicas, & quomodo.

Respond. teneri pro rata omissionis Officij, & temporis, non tamen omnes fructus, sed eos tantùm, qui respondent oneri diuini Officij; nimirum quintam partem illorum; sicut adoertit Henriquez *l.* 13. *cap.* 13. *n.* 2. ex Lopea, Peña, Cueuos, Gallo, & aliis; quamuis Tolet. *c.* 12. *n.* 9. & alij putent pro toto Officio omisso esse restituendā esse tertiam partem fructuum illi diei respondentem. Ratio est quod, cum Parochi recipiant fructus non pro sola recitatione diuini officij, sed pro aliis etiam oneribus, quibus subiacet: non est æquum, vt in restitutione habeatur solùm 126.

ratio

ratio diuini Officij, sed potius habenda est aliorum onerum; aliàs grauius damnum pateretur beneficiarius, qui præter Officij recitationem sustinet alia onera, quam qui habet solùm onus recitandi Officium: sed de hoc plura in *tract. de Obligat. c. 8. nu. 207.*

QVÆRES XIV. An Regulares assumpti ad Parochiam teneantur facere fidei professionem, & quando.

127. Respond. teneri, si Ecclesia Parochialis, ad quam assumuntur, sit pleno iure subiecta Episcopo, eisque perpetuò conferatur. ita Lezana *tom. 2. cap. 18. n. 38.* & probatur, quia Concil. Trid. *sess. 24. c. 12. de refor.* præcipit, vt prouisi de beneficiis, quibuscumque curam animarum habentibus teneantur à die adeptæ possessionis ad minùs intra duos menses in manibus Episcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario, seu Officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem; quæ verba vtique conueniunt Regularibus assumptis ad Ecclesias Parochiales modo sup. dicto: quippequi sic verè sunt prouisi de beneficio habente curam animarum: cui autem conueniunt verba legis, conuenit & ipsa lex. Vnde quis non male inferat Regulares assumptos ad Ecclesiam Parochialem amouibiliter, non teneri facere professionem fidei: cum hi re vera non habeant beneficium iuxta dicta *q. 12.* adeòque illis non conueniant verba Concilij, vt patet.

QVÆRES XV. Cui acquirant Regulares assumpti ad Ecclesiam Parochialem.

128. Respond. distinguendo: vel ij assumpti sunt ad Ecclesiam Parochialem pertinentem ad ipsum Monasterium; & sic acquirunt Monasterio, cum maneant subditi Prælato regulari, & retineant communionem cum ipso Monasterio (quod puto habere locum etiam in casu, quo monasterium in Ecclesia parochiali habeat sola temporalia: cum, quoad hæc subiiciatur Prælato regulari, aliàs subiectus Episcopo, quoad sola spiritualia). vel assumpti sunt ad Ecclesiam pertinentem ad Episcopum, & sic acquirunt propriæ Ecclesiæ, vtpote nullam habentes communionem cum monasterio: vnde nulla apparet ratio, cur dicantur illi acquirere. ita *Sanch. l. 7. mor. c. 32. num. 76.* ex Greg. Lopez addens Regularem Parochum, loquendo de acquisitis aliunde, quam propriis operis, aut rebus ipsiusmet Ecclesiæ, semper acquirere monasterio: non item, quæ acquirit propriis operis, aut rebus Ecclesiæ, hæc enim acquirit Ecclesiæ modo supradicto.

Placet hîc vnum monere obiter, quod, licet *Rodrig. tom. 1. q. 36. a. 2.* referat Sixtum V. concessisso Congregationi S. Benedicti Portugalliæ, vt salario decenti assignato beneficiariis, reliqui fructus in vsus Monachorum conuertantur: idem tamen Sixtus postea talem concessionem moderatus est in *Constit. sua 24.* relata à Rodriq. *in bullar.* statuens salarium in hoc casu debere esse benè visum Ordinariis. sicque modò ad constituendum salarium Parochis Ecclesiæ parochialis annexæ monasterio concurrit & Prælatus Regularis, & Ordinarius loci: nisi suffragetur quædam alia concessio facta à quodam Ranutio Congregationi S. Elisi cum authoritate Papæ, & relata à Rodriq. *tom. 1. q. 36. a. 2.* quæ Regularibus illius Ordinis dat liberam facultatem taxandi tale salarium: sed concessiu hæc est dubia Lezanæ *tom. 2. c. 18. num. 13.*

QVÆRES XVI. An Regulares Parochi validè possint disponere de fructibus proprij beneficij eos insumendo prodigè, aut in vsus illicitos.

129. Respond. posse, si sint Parochi Ecclesiæ non subiectæ Prælato regulari, adeòque nullam retineant communionem cum monasterio iuxta dicta *q. præcedenti*: ac proinde, si modo dicto insumant, neque ipsos teneri restituere monasterio, neque eos, qui de dictis fructibus receperunt. Moueor, tum, quia Sotus, Palatius, Mich. Metina, Ang. Grat. & Vasq. relati à Sanch. *l. 6. moral. cap. 7. num. 7.* docent Religiosum creatum Episcopum fieri verum dominum redituum Ecclesiasticorum instar Episcoporum sæcularium (quamuis id negent plures alij apud eundem Sanchez *num. 8.*); quod autem illi dicunt de Regulari Episcopo, proportionaliter asseri potest, & de Religioso assumpto ad parochiam plenè subiectam Episcopo: cum par ratio concurrat in vtroque, tum, quia Less. *l. 2. cap. 41. num. 113.* & Mol. *tract. 2. D. 276. num. 5.* docent Religiosum eiectum à religione non teneri restituere expensa in illicitis, sicut nec eos, qui receperunt; similis autem ratio militat in Regularibus Parochis; vnde sequitur vt, sicut Episcopi regulares, & Religiosi eiecti à religione expendentes in vsus illicitos non tenentur quidquam restituere (sicut nec iis, qui ab illis receperunt) sic neque teneantur restituere Religiosi Parochi, nec ij, qui ab illis receperunt, etiamsi ob vsus illicitos.

130. Respond. dixi, si sint Parochi Ecclesiæ non subiectæ Prælato regulari; vt indicarem secùs dicendum, si præficiantur Ecclesiæ pleno iure subiectæ ipsi Prælato regulari; sic enim cessant rationes, quæ in priori casu vigebant.

QVÆRES XVII. An Regulares hoc ipso, quod fiunt Parochi, possint absque Ordinarij approbatione audire sæcularium confessiones.

131. Respond. Cespedes *sup. d. 171. n. 4.* posse; idque, siue sint Parochi perpetui, siue amouibiles; citatque pro se *Peyrinum in formul. lit. C. cap. 13. à num. 4. vsque ad 6.* & probat ex Concilio Tridentino *sess. 23. c. 15. de format.* vbi dicitur nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur: cum ergo Regularis factus Parochus habeat beneficium parochiale, & consequenter de eo verificetur, quod requirit Concilium ad audiendas confessiones, poterit illas audire sine alia approbatione: & hoc videtur procedere etiam de Regulari Parocho amouibili; cum amouibilitas non tollat essentialem rationem beneficij (vt tradunt plures DD.) & beneficium censeri possit perpetuum, hoc ipso, quod certo tempore non præfinitur (quo modo non præfinitur beneficium parochiale Regularium amouibile. Lezana tamen *tom. 2. c. 18. num. 6.* cum dicat beneficia regularia non esse simpliciter beneficia, vtpote amouibilia, consequenter negaret Regularem Parochum amouibilem esse eo ipso approbatum ad confessiones sæcularium; cum de eo non verificetur ipsum habere beneficium parochiale; quod requirit Concilium, vt quis sine speciali approbatione Ordinarij censeri possit ad confessiones sæcularium approbatus: & Lezanæ opinionem puto esse conformem praxi, saltem in his regionibus (quod scilicet Regulares Parochi amouibiles præuio examine specialiter approbentur ad confessiones: nisi quis malit dicere, quod, cum in examine, quod præmittitur ad cognoscendam illorum idoneitatem, promouendus soleat interrogari, non solum in ordine ad audiendas confessiones, sed etiam ad exercenda alia munia parochialia; eodem contextu approbantur & ad confessiones, & ad alia munera parochialia; sicque hoc ipso, quod Regularis ab Ordinario est promotus ad parochiam, potest eo ipso audire confessiones;

quod ego non nego, nec, vt puto, negaret Lezana, stante doctrina à nobis tradita *quæst.5.*

At modò quæret quis, an Prælatus regularis Præfectus monasterij habentis annexam parochiam possit audire confessiones sine Ordinarij approbatione.

Respond. Cespedes *supr. d. 172.* posse, id colligens ex Henriq. *l.6. cap.6. lit. E.* dicente pro parochia annexa monasterio Prælatum regularem assignare Vicarium sine Episcopi approbatione, hincque inferens iuxta Henriq. non solùm Prælatum regularem in præsenti casu posse sine Ordinarij approbatione audire confessiones, sed etiam Vicarium ab eo deputatum; probat suam responsionem Cespedes ex eo, quod iuxta decretum Tridentini, vt quis censeatur approbatus ad confessiones sæcularium, sufficit eum habere beneficium parochiale; idque verificatur de Prælato regulari, vt patet ex dictis, §. *præcedenti.* Ita Cespedes; an probabiliter, iudicent alij, & videtir ipse: praxis certè in his regionibus est in contrarium; sicque oppositam sententiam sustinet Bossius *de triplici subditi, sect. 3. casu 2. §. 2. num. 54. & 55.* id probans tum ex praxi; tum quia Prælati regulares non veniunt nomine Parochorum vt habetur in Trident. *sess. 23. cap. 15. de reformat.* tum quia Concilium videtur intendere, vt quis censeatur approbatus ad confessiones sæcularium, requiri, vt ab Episcopo habeat beneficium parochiale (quod non euenit in casu nostro) hoc tamen impugnat Cespedes, sed meo iudicio minùs validè, vt constabit ponderanti eius fundamenta, quæ non vacat hîc referre.

Addo Regulares Parochos posse vbique audire confessiones suorum parochianorum: & patet, tum quia ij habent potestatem ordinariam in subditos, quæ cum exerceatur sine strepitu, ac externa solemnitate iudicij, adeóque nullius territorium lædat, potest vbique exerceri; tum quia, vt Religiosi ex vi Clementinæ *dudum de sepult. § per huiusmodi,* quoad hoc eandem habent potestatem, quam habent Parochi à iure; quod tamen videtur negare Syluest. *ver. confessor 1. quæst. 14.* sustinens habentes potestatem ordinariam posse absoluere extra locum iurisdictionis, non item eos, qui habent potestatem delegatam; qualem habent Regulares non parochi.

QVÆRES XVIII. An Regulares Parochi eligi possint vbique in Confessarios vi iubilei, bullæ Cruciatæ.

132. Respond. posse, si in bulla iubilei, &c. detur facultas eligendi Confessarium ex approbatis ab Ordinariis locorum. Ratio est, quia ex declaratione sacræ Pœnitentiariæ (prout refert Nald. *v. indulg. n. 9.*) non requiritur in tali casu approbatio Ordinarij loci, in quo fit confessio, aut Ordinarij ipsius Pœnitentis, sed sufficit approbatio Ordinarij ipsius Confessarij: quod scilicet is fuerit approbatus à proprio Ordinario; hoc enim ipso Papa ei sic electo necessariam confert iurisdictionem; quæ si locum habent in simplici Confessario approbato (cuiusmodi sunt omnes Regulares approbati ad confessiones) habebunt etiam in Regulari Parocho habente beneficium parochiale, siue perpetuum (cum hic iuxta Conc. Trid. *sess. 23. c. 15. de pœnit.* verè sit approbatus, & de eo verificetur regula iuris: *Quod dicitur de vno æquiparatorum, dici debet & de alio,*) siue etiam amouibile, cum teste Fagund. *precept. 2. Eccl. l. 7. c. 2. n. 45.* pro se adducente Henriq. & Ledesmam, probabile sit approbatum cum limitatione posse vi iubilei absolutè eligi: itavt dicta limitatio rationabiliter interpretati possit militare solum quoad iurisdictionem ab Episcopo approbante commissam, ac delegatam, non autem quoad commissam per iubileum.

Maius dubium est, an Regulares Parochi possint vbique audire confessiones ex sola commissione aliorum Parochorum.

Respond. quòd licèt probabile sit Parochum habentem beneficium parochiale posse vbique eligi ex sola delegatione facta ab aliis Parochis: quod docent Suar. *D. 28. de pœnit. sect. 4. n. 18.* Viuald. Tolet. & Henriq. citati à Fagund. *supr. n. 36.* idque locum habeat in Regularibus habentibus beneficium parochiale perpetuum iuxta illud: *Vbi militat eadem ratio, &c.* secùs tamen dicendum videtur de iis Regularibus, qui habent curam animarum amouibiliter; hos videlicet non posse eligi in Confessarios per solam delegationem aliorum Parochorum: cum de iis non verificetur, quod habeant beneficium parochiale, & consequenter dici non possint simpliciter Parochi; vnde & communiter dicuntur Capellani. 133.

Et quidem quod habentes beneficium parochiale possint vbique eligi in Confessarios per delegationem aliorum Parochorum probat Fagund. ex eo quod sic beneficiatus iuxta Conc. Trid. nulla alia eget approbatione, nisi quod habeat beneficium parochiale: ideóque non est, cur vltra beneficium parochiale ad id requiratur etiam approbatio Episcopi; ad quod tamen non sufficit habuisse beneficium parochiale, si actu non habeatur: cum Concilium dicat, *nisi aut beneficium parochiale habeat*, non autem dicat, *habuerit*; sicot benè aduertit Suar. *supr. n. 20.* 134.

QVÆRAS XIX. An Regulares Parochi possint confiteri Sacerdoti approbato solùm à proprio Prælato regulari.

Respond. non posse, si sint assumpti ad Ecclesiam pleno iure subiectam Episcopo: sic quippe amittunt actualem subiectionem proprio Prælato regulari, fiuntque subditi iurisdictioni Episcopi, quoad omnia, & consequenter etiam, quoad forum pœnitentiæ, itavt non possint confiteri, nisi Sacerdoti approbato ab Episcopo, cùm is secundum præsentem statum sit ipsorum Ordinarius. Secùs, si assumpti sint ad Ecclesiam subiectam Prælato regulari: sic enim manent subditi illius, præter quam in casibus relatis quæst. inter quos vtique non est quod Confessarius Religiosi assumpti ad talem Ecclesiam approbari debeat ab Episcopo. 135.

QVÆRAS XX. An Regularis ab Episcopo approbatus post approbationem proprij Prælati ad curam animarum annexam monasterio, si postea amoueatur à dicta cura, possit adhuc audire confessiones sæcularium sine noua approbatione Episcopi.

Respond. posse, cum iam sit approbatus ab Episcopo ad confessiones, non quidem vt habens beneficium parochiale (non enim illud habet, propriè loquendo, vt iam diximus) sed vt simpliciter approbatus: quomodo approbatio non cessat, nisi ab Episcopo approbante renocetur. Ita Peyr. *tom. 3. priuileg. cap. 4. num. 22.* Villalob. Ioan. de la Cruz, Rodriquez & alij apud Dianam *part. 5. tract. 12. resolut. 47.* cum quibus sentit Ricc. *part. 3. praxis, resolut. 192.* dicens præfatum Regularem, si à suo Prælato iterum deputetur ad eamdem curam non egere noua Episcopi approbatione: quippe qui cum semel fuerit examinatus, & approbatus ad curam animarum, non potest iterum examinari iuxta *cap. accepimus*, iuncta Glossa *ver. reputare, de ætate, & qualit.* 136.

QVÆRES XXI. An Regulares Parochi dare possint alicui viro docto, ac idoneo licentiam prædicandi in propria Ecclesia, inconsulto Episcopo.

Respond. posse pro duabus, aut tribus vicibus. Ita Diana 137.

Diana *part.4.tract.4. resol.*22. ex Portello *de dub.regul.ver.predicatores,num.*2. Rodrig.*tom.*3.*q.*32. *art.*1. Barbosa *de offic.Episc.alleg.*76.*n.*15.cum quibus sentit Cespedes *d.* 198. probátque ex eo quod, sicut non obstante decreto Concilij Trid. prohibente Episcopis, ne dent facultatem celebrandi in Oratoriis priuatis,censent aliqui Episcopum posse dare licentiam præfatam duabus, aut tribus vicibus: cum Concilium prohibeat Episcopis solùm, ne dent vniuersaliter eiusmodi facultates,ac frequenter ad tollendos multos abusus (quæ ratio non militat,si rarò dentur tales facultates) sic idem Concilium statuens licentiam prædicandi debere dari ab Episcopis, non violabitur,si Parochus bis,aut ter det talem licentiam; cum in isto casu non procedat ratio, quæ procederet, si Parochus vniuersaliter posset dare licentiam prædicandi;qua de re Nouarius *in summa bullarum, de Regularium prædicatione*, *num.*40.

QVÆRES XXII. An Regulares Parochi possint liberè sibi appropriare oblationes factas à fidelibus.

138. Respond. posse; siue eæ fiant in ipsa Ecclesia parochiali (de quo nemo dubitat) siue fiant in aliquo sacello, aut heremitorio sito intra parochiam, siue alicui imagini depictæ existenti intra eandem parochiam, siue etiam alicui Clerico priuato inseruienti,aut celebranti in dicta parochia (excipe, nisi oblatio fiat in stipendium laboris:) siue denique in monasteriis,aut sacellis constitutis intra parochiam, nisi fortè ex priuilegio Papæ tales oblationes attributæ sint Religiosis, vel certè hi contra Rectorem, quoad hoc, legitimè præscripserint: quod videtur de facto euenisse, saltem in hisce nostris regionibus; prout colligitur ex praxi Ita Fagund. *prac.*5. *Eccles.l.*4.*cap.*2. *num.*1. ex Azorio *part.*1. *l.*7. *cap.*8. *quæst.* 13. & aliis, patétque, tum ex consuetudine, quæ debet seruari: tum quia Ecclesia parochialis habet intentionem, & actionem fundatam super omnes oblationes, quæ fiunt Sanctis, & Ministris Dei intuitu Sacerdotum illis inseruientibus, & positis intra terminum parochiæ, vt notatur in Lucerna *Regularium,ver. oblationes.*

Addit Nald. *ver. oblatio*, *num.* 1. oblationes in Missa, quæ ex concordia facta inter Decanum, v.g. & Cappellanum debentur in die dominica Capellano, & in festis B. Mariæ Decano,occurrente festo B. Mariæ in die dominica debere diuidi inter ipsos ad ratam illius partis, quæ vnicuique solet contingere in die suo proprio seorsim adueniente, oblationes verò, quæ fiunt sacello, in quo adest aliqua confraternitas,(v.g. Corporis Christi) esse Rectoris Ecclesiæ, in qua est sacellum, non autem confraternitatis;quod etiam aduertit Ricc.*p.*4.*collect.*1113. & benè, nisi obstet contraria consuetudo, cui omnino standum est.

139. Quòd si Episcopus in Ecclesia exempta Regularium celebrans percipiat solitas oblationes, censet Cespedes *supr. cap.* 13. *d.* 221. *n.*3. ex Socino, Cokier & Belleto, tales oblationes deberi, non Episcopo,sed Regularibus: quippe qui à Bonifac. VIII. habent priuilegium bullatum, ne aliqui Prælati, cum ipsos in Ecclesiis monasteriorum solemnia celebrari contigerit, oblationes tunc prouenientes ibidem sibi quomodolibet vindicare præsumant,sed eas in monasteriis ipsis, seu locis eorum omnino dimittant Fratrum monasteriorum, vel locorum ipsorum vsibus profuturas. Priuilegium autem hoc fuit concessum Cistercientibus, & in extensum refert Cespedes, monens alios ex Genuensi, Afflicto, & Maluet to sustinere oblationes in isto casu deberi Episcopo, ex *cap. quia, & cap. Sanctorum* 10.*quæst.*1. *cap. nulli*, 12. *quæst.* 2. *cap. ex transmissa, de rescript.* quatenus his iuribus deciditur oblationes indistinctè cedere Rectori parochialis Ecclesiæ, & Episcopus in tota sua diœcesi est supremus Parochus, cui proinde debitæ erunt oblationes.

Moneo hîc vnum ex Riccio *part.* 4. *decis.* 170. oblationes factas in loco Regularium (puta in pariete monasterij) acquiri ipsis Regularibus,ex *cap.*1. *de statu Monach. cap. nimis de excessib. Prælatorum*; quod etiam docet Bordonus *resolut.*7. *num.*106. dicens Episcopum non posse disponere de oblatis Regularibus, vel imaginibus sitis infra eorum Ecclesias, vel extra in parietibus monasterij, vel hortorum; & cum hoc de oblationibus, quæ fiunt Regularibus, sit certi iuris, teste *in cap.*1. *de statu Monach.* idem dicendum esse de oblatis imaginibus in muris Regularium, quæ dicuntur oblata Religiosis.

QVÆRES XXIII. An Regulares Parochi possint deferre stolam, etiam in aliena parochia, dum associant corpus alicuius defuncti.

Respond. posse, sicut & Parochi sæculares eam deferre possunt in paræcia Regularium; idque ex 140.
decreto sacræ Congreg.rituum edito 30.Sept.1628. & relato in Lucerna *Regularium, ver. stola.*

QVÆRES XXIV. An Regulares Parochi gaudeant priuilegiis Ordinis.

Respond. gaudere omnibus iis priuilegiis, quæ 141.
respiciunt bonum ipsorum,siue temporale, siue spirituale: & hoc,estò præsint Ecclesiæ pleno iure subiectæ Episcopo; non item iis,quæ vergunt in damnum Ordinis, aut monasterij. Ita Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.*8. *lib.*3. *cap.* 18. & quoad 1. partem probatur, quia Regulares Parochi substantialiter sunt Religiosi, & subiacent votis religiosis, etiamsi præfecti sint Ecclesiæ plenè subiectæ Episcopo, ergò & æquum est, vt fruantur priuilegiis, & gratiis sui Ordinis; cum par sit, vt qui sentit onus, sentiat & commodum: præsertim cum priuilegia concessa Regularibus non fundentur in toto statu religioso personali, sed in vinculo, & coniunctione ad tale corpus, cui per se primò conceduntur, & ad illius vsum, ac commodum ordinantur; quoad 2. verò partem probatur,quia priuilegia Religiosorum principaliter conceduntur in fauorem Religionis, ideóque non debent detorqueri in damnum illius iuxta *reg.*61. *in* 6. *quod ob gratiam alicuius conceduntur non est in eius dispendium retorquendum:* tum quia hoc ipsum statuit Sixtus IV. in quadam declaratione, quam affert Suar. *supr. num.*3. *ex monumentis Minorum concess.*365.

QVÆRES XXV. An Parochi, siue regulares, siue sæculares peccent mort. si non seruent perpetuò lampadem accensam coram Sacramento Eucharistiæ.

Respond. peccare, si in hoc frequenter delin- 142.
quant, & alioqui sufficientes habeant redditus ad talem effectum. Ita ex parte Nald.*ver.Parochus,n.*16. & patet, quia id magnam indicat irreuerentiam erga tantum Sacramentum; excipe, nisi extet contraria consuetudo scita, & tolerata ab Episcopis: quod ego non puto;cum ij in visitatione id acriter inculcent Parochis, eosque puniant, si constet eos hac in re deliquisse; idque quoties visitant Ecclesias sibi subiectas.

Capvt V.

De Priuilegiis, quæ concessa sunt Regularibus, quoad ipsorum Ecclesias.

EXplicaturi in hoc capite Priuilegia Regularibus concessa, quoad ipsorum Ecclesias, cum ea sint multa, & varia (vt videre est apud Casarubium *in Comp. priuileg. v. Ecclesia Fratrum*, adeóque non possunt commodè exponi omnia sub vnico titulo: caput diuidemus in quinque Sectiones, in quarum 1. agemus de Immunitate concessa Ecclesiis, Monasteriis, ac domibus Regularium: in 2. de Exemptione, quam habent ipsorum Ecclesiæ, quoad iurisdictionem Ordinariorum: in 3. de Facultate benedicendi, tum ipsas Ecclesias; tum res ad illarum vsum pertinentes: in 4. de Priuilegio illorum Ecclesiis concesso, vt eligi possint in Sepulturam: in 5. de Indulgentiis quæ concessæ sunt Regularium Ecclesiis, tum quoad ipsos, tum etiam quoad externos.

Sectio I.

De Priuilegio Immunitatis concesso Regularium Ecclesiis, Monasteriis, ac domibus.

1 *Declaratur, quid sit immunitas Ecclesiis, ac Monasteriis Regularium debita.*
2 *Iure ecclesiastico ea inducta est.*
3 *Consuetudine aufertur, & diminuitur.*
4 *Competit variis locis, quæ recensentur.*
5 *Ea non gaudent Oratoria priuata Regularium.*
6 *At ea gaudent eorum Grangiæ, non item eorum domus rustica.*
7 *Ea competit Monasterio inchoato, nondum perfecto.*
8 *Prodest omnibus fidelibus, præter quam in casibus exceptis à Gregorio XIV.*
9 *Non prodest omnibus latronibus.*
10 *Prodest furibus simplicibus.*
11 *Non prodest depopulatoribus agrorum nocturnis.*
12 *Item nec committentibus in Ecclesia homicidium, aut mutilationem.*
13 *Idque etiam in casu, quo existens in Ecclesia occidat manentem extra illam.*
14 *Item in casu, quo existens extra ecclesiam occidat manentem intra ecclesiam.*
15 *Prodest delinquenti prope ecclesiam sub spe Immunitatis.*
16 *Item prodest mandanti in ecclesia homicidium ibi faciendum.*
17 *Non Prodest occidenti proditoriè.*
18 *Proditoriè dicitur occidi, qui non habet occasionem se præcauendi.*
19 *Occidens proditoriè Infidelem non gaudet Immunitate.*
20 *Explicatur, qui dicantur Assassinij in præsenti materia Immunitatis: pœna Assassiniorum extenduntur ad mandatarios: qui autem ex pretio interficit inimicum alterius, non est semper Assassinius; sicut nec est qui ex pretio occidit infidelem, aut recipit pecuniam ad vulnerandum: est verò qui mandat alium occidi, pretio promisso, etsi non sequatur occisio.*
21 *Assassinijs non prodest immunitas.*
22 *Non prodest Hæreticis, ac eorum fautoribus.*
23 *Nec reis læsæ maiestatis.*
24 *Non Religioso occidenti suum Prælatum.*
25 *Committens delictum exceptum gaudet Immunitate quoad alia non excepta ab eo facta.*
26 *Infideles gaudẽt Immunitate, si serio velint esse fideles.*
27 *Talis non præsumitur, qui patrato delicto excepto petit baptizari.*
28 *Immunitas prodest excommunicatis, suspensis, aut interdictis.*
29 *Non item Clericis, ac Regularibus iuxta communiorem, ac probabiliorem sententiam.*
30 *Etsi contraria sententia sit probabilis.*
31 *Conciliatur vtraque sententia distinguendo cum Bordono.*
32 *Immunitas prodest Religioso Apostatæ, sed non in suo monasterio.*
33 *Prodest reclusis in carcere.*
34 *Prodest grauatis ære alieno, ac fallitis.*
35 *Prodest violantibus ipsam Immunitatem.*
36 *Vltra delicta à Gregorio XIV. excepta nullum aliud priuat Immunitate: contra quam hodie nulla præualet consuetudo.*
37 *Non quodlibet delictum patratum in ecclesia priuat Immunitate, neque surreptio pixidis, in qua Eucharistia asseruatur.*
38 *Plures effectus ex Immunitate Ecclesiæ proueniunt, qui recensentur.*
39 *Non tenet processus factus contra reum iniustè extractum ab Ecclesia; etsi Iudex mandans occidi reum, quem supponit priuatum Immunitate, & nequit ab Episcopo obtinere, non violet Immunitatem.*
40 *Iudicis Ecclesiastici est cognoscere de delicto commisso, an sit exceptum, nec ne.*
41 *At ille debet esse Episcopus, non autem inferior Episcopo.*
42 *Cognoscit summariè, data tamen debita dilatione partibus.*
43 *In hoc casu debent citari Ecclesia, & Reus.*
44 *Episcopus non debet stare processui facto à Iudice laico: Episcopus Clericum subditum non extrahit ab Ecclesia Regularium sine licentia prælati regularis, etsi Clericus non gaudeat Immunitate: olim Prælati Regulares sine Episcopi licentia dabant facultatem extrahendi Reos à suis ecclesiis: imò & nunc in aliquo casu id possunt facere.*
45 *In extractione Rei nõ petitur cautio de pœna sanguinis non infligenda.*
46 *Violans immunitatem subest variis pœnis.*
47 *At non incurrit excommunicationem ipso facto iuxta plures Doctores.*
48 *Oppositum sustinent alij, & probabilius.*
49 *Excommunicatio hæc afficit quoslibet concurrentes ad indebitam Rei extractionem; quod alij negant.*
50 *Illam non incurrit Episcopus, aut alius prælatus, qui indebitè extrahant.*
51 *Si Regulares Reum eiiciant à suis Ecclesiis, vel monasteriis, violant Immunitatem, secus, si Reus inquietet monasterium.*
52 *Non violant si precibus, blanditiis, aut verbis subdolis illum extrahant.*
53 *Reus confugiens ad ecclesiam Monialium transferri debet in alium locum tutum.*
54 *Sinens Reum indebitè extrahi ab ecclesia est irregularis si sequatur mors, aut mutilatio ipsius Rei:*

Regulares

Regulares non subsunt præfatæ excommunicationi, si solum non impediant extractionem Rei a propria ecclesia.

55 *Præfata pœna incurruntur à violante immunitatẽ, etiam non secuta extractione.*

56 *Excommunicatio, quæ in isto casu incurritur, non est reseruata.*

57 *Constitutio Gregorij XIV. hic explicat obligata vbique.*

58 *Derogat Iuri communi, & cuiuis consuetudini.*

59 *Rei tradi debent Iudici laico in casibus exceptis.*

60 *Extractio Rei in casu clarè excepto non facienda, inconsulto Episcopo.*

61 *Non facienda sub ratihabitione Papæ de futuro, nisi in graui necessitate communis boni,*

QVÆRES I. Quid intelligatur hîc nomine Immunitatis.

1. Respond. intelligi priuilegium, quod habent Ecclesiæ fidelium, vt sint loca refugij, & quasi asyla eorum, qui commisso aliquo delicto ad ipsas confugiunt, ne puniantur. ita Suarez *tom. 2. de relig. tract. 2. lib. 3. cap. 13. num. 1.*

QVÆRES II. Quo iure inducta sit Immunitas Ecclesiarum.

2. Respond. inductam esse iure ecclesiastico lato, præsertim *in cap. inter alia, de immunitat. Eccles.* vbi dicitur: *Si liber quantumcunque grauia maleficia perpetrauerit, non est violenter ab ecclesia extrahendus*, & nouissimè confirmato, tum à Concilio Tridentino *sess. 25. de reformat. cap.* 20. tum à Gregorio XIV. in Constitut. *Cum aliàs*, quæ est in ordine 7. est communis DD. inter quos Castrus Palaus *tract. 11. D. vn. part. 5. num. 3.* contra alios notat immunitatem Ecclesiarũ debere interpretari latè, cum sit causa pia, fauorabilis Ecclesiæ, & nemini præiudicans in particulari, sitque priuilegium per modum legis insertum in iure communi, quod latam recipit interpretationem, quæ interpretatio fieri debet, non iuxta Ius Ciuile, sed Canonicum, vt pote concernens materiam ecclesiasticam in qua Ius Ciuile nullam habet iurisdictionem, nisi ad fouendam dispositionem Iuris Canonici; vnde & Iudex ecclesiasticus cogere potest Iudices Laicos, vt seruent leges Canonicas suum forum respicientes *c. 2. de foro competent. in 6.* & *cap. decernimus, de sententia excommunicat. in 6.* quod tamen negant aliqui apud Castrum Palaum *num. 4.* sustinentes dictam interpretationem in terris Imperij debere fieri iuxta Ius Ciuile, eò quod in pluribus decretis pontificiis, & maximè *in cap. inter alia, de immunitat. eccl.* leges Ciuiles de ecclesiastica Immunitate loquentes approbentur.

QVÆRES III. An immunitas modo dicto competens locis sacris tolli, aut diminui possit consuetudine legitimè præscripta, & habente omnes qualitates requisitas *in cap. final. de consuetudine.*

3. Respond. posse, cum inducta sit iure ecclesiastico, quod potest abrogari per contrariam consuetudinem (vt tradunt communiter DD. *in tract. de legibus*;) imò de facto videri alicubi diminutam; cum pluribus in locis simplices fures non gaudeant Immunitate existentes intra 30. passus Ecclesiæ, si ad Ecclesiam, eiusve cæmeteriũ non confugiant. Quamquam consuetudines, quæ ante Concilium Trid. & Constitutionem Gregorij XIV. superiùs citatam inductæ fuerant aduersus immunitatem Ecclesiarum, omnino sublatæ sint, tum per ipsum Concilium loco supra allegato, tum per præfatam Constitutionem Gregorij XIV. sicut benè aduertit Farinac. *in append. de immunitat. cap. 2. num. 15.* monens *num. 18.* consuetudinem, cum sit quid facti, non esse præsumendam, nisi legitimè probetur, neque credendum esse Doctoribus de consuetudine testantibus extra locum, vbi degunt.

QVÆRES IV. Quibus locis sacris competat priuilegium Immunitatis.

Respond. competere omnibus ecclesiis, ac oratoriis auctoritate Episcopi consecratis, aut benedictis, aut alia ratione (v. g. per Crucis erectionem) deputatis ad publicum vsum Sacrificij, & Sacramentorum, ideóque extendi 1. ad Ecclesiam nondum perfectè constructam, etiamsi adhuc in ea non celebrentur diuina mysteria, Farinac. *supr. cap. 17. num. 261.* Abb. *in cap. Ecclesiæ, de immunitat. eccl. n. 5.* & alij 2. ad Ecclesiam dirutam, ac destructam, modò non sit destructa auctoritate superioris, aut certè cum spe reædificandi, Sanch. *lib. 9. de matrim. D. 15. num. 37.* aliique communiter: 3. ad Ecclesiam interdictum, Azor. *part. 2. lib. 9. cap. 8. quæst. 4.* & alij: 4. ad Ecclesiam pollutam Suarez *supr. cap. 9. num. 6.* Bonac. *D. 3. de leg. quæst. 7. §. 2. num. 3.* aliique: 5. ad cæmeterium Ecclesiæ, siue sit ipsi contiguum, siue separatum: Farinac. *supr. cap. 17. num. 264*: 6. ad hospitale erectum auctoritate Episcopi cum altari ad celebrandum, Couar. *lib. 2. var. cap. 20. num. 4.* ex communi: 7. ad palatium Episcopi, si existat intra 40. passus per circuitum Ecclesiæ Cathedralis idque ex *cap. constituimus 17. quæst. 4.* (quamquàm Farinac. *num. 272.* Nauarr. *cap. 25. num. 18.* aliique apud Castrum Pal. *part. 6. num. 22.* censeant idem asserendum esse, etsi palatium non existat intra 40. passus:) 8. ad Tabernaculum Eucharistiæ, si hanc actu contineat, imò etiam ad Sacerdotem actu deferentem Eucharistiam: & hoc ex consuetudine quam tamen negat Glossa *in cap. quæsitum 13. quæst. 2.* aliis ipsam admittentibus vt Layman. *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 4.*: 9 ad domos, seu monasteria Regularium secundum totum illud, quod septum est, nempè comprehendendo hortum, dormitorium, claustra, & similia; vt bene aduertit Castrus Palaus *supr. num. 18.* & post illum Diana *part. 6. tract. 1. resol. 6.* & colligitur *ex c. si quis contumax, cap. miror, & cap. frater. 17. quæst. 4.* vnde inferunt Doctores communiter, & satis bene priuilegium Immunitatis extendi ad Ecclesiam non solùm, quoad ambitum interiorem, sed etiam quoad totam ipsius fabricam, ita vt capellæ, parietes, & turres immunitate gaudeant, sicque tutus sit reus confugiens ad portas Ecclesiæ, licèt clausas, accedens ad scalas illius, aut etiam existens supra eius tectum, Castrus Pal. *supr. num. 9.* aliique addentes Immunitatem extendi etiam ad confinia Ecclesiæ vsque ad 4. passus, si sit Ecclesia maior (idest Metropolitana, seu Matrix) ad 30. verò, si sit Ecclesia minor; nisi obstet consuetudo, quam de facto obstare putant multi DD. addentes prætereà eiusmodi doctrinam procedere solùm, quoad Ecclesias positas extra ambitum murorum, non autem, quoad constructas in ciuitatibus, aut castellis. Puto item gaudere immunitate illum, qui intra fines Ecclesiæ est solùm medio corpore: idque ob rationes adductas à Diana *part. 4. tract. 1. resolut. 73.* ad probandum fugientem à satellitibus gaudere immunitate, si parietem partis exterioris Ecclesiæ tangat, aut amplexetur. 4.

De Oratoriis priuatis, quæ non sunt constructa auctoritate Episcopi, potest esse difficultas, an gaudeant immunitate Ecclesiastica.

At responsio est non gaudere; cum, simpliciter loquendo, non fiant Ecclesiæ, iuxta modum iuris, imò nec loca religiosa, vt pote erecta auctoritate

Caput V.

De Priuilegiis, quæ concessa sunt Regularibus, quoad ipsorum Ecclesias.

EXplicaturi in hoc capite Priuilegia Regularibus concessa, quoad ipsorum Ecclesias, cum ea sint multa, & varia (vt videre est apud Casarubium *in Comp. priuileg. v. Ecclesia Fratrum*, adeóque non possunt commodè exponi omnia sub vnico titulo: caput diuidemus in quinque Sectiones, in quarum 1. agemus de Immunitate concessa Ecclesiis, Monasteriis, ac domibus Regularium: in 2. de Exemptione, quam habent ipsorum Ecclesiæ, quoad iurisdictionem Ordinariorum: in 3. de Facultate benedicendi, tum ipsas Ecclesias; tum res ad illarum vsum pertinentes: in 4. de Priuilegio illorum Ecclesiis concesso, vt eligi possint in Sepulturam: in 5. de Indulgentiis quæ concessæ sunt Regularium Ecclesiis, tum quoad ipsos, tum etiam quoad externos.

Sectio I.

De Priuilegio Immunitatis concesso Regularium Ecclesiis, Monasteriis, ac domibus.

1 *Declaratur, quid sit immunitas Ecclesiis, ac Monasteriys Regularium debita.*
2 *Iure ecclesiastico ea inducta est.*
3 *Consuetudine aufertur, & diminuitur.*
4 *Competit variys locis, quæ recensentur.*
5 *Ea non gaudent Oratoria priuata Regularium.*
6 *At ea gaudent eorum Grangiæ, non item eorum domus rusticæ.*
7 *Ea competit Monasterio inchoato, nondum perfecto.*
8 *Prodest omnibus fidelibus, præter quam in casibus exceptis à Gregorio X IV.*
9 *Non prodest omnibus latronibus.*
10 *Prodest furibus simplicibus.*
11 *Non prodest depopulatoribus agrorum nocturnis.*
12 *Item nec committentibus in Ecclesia homicidium, aut mutilationem.*
13 *Idque etiam in casu, quo existens in Ecclesia occidat manentem extra illam.*
14 *Item in casu, qui existens extra ecclesiam occidat manentem intra ecclesiam.*
15 *Prodest delinquenti prope ecclesiam sub spe Immunitatis.*
16 *Item prodest mandanti in ecclesia homicidium ibi faciendum.*
17 *Non Prodest occidenti proditoriè.*
18 *Proditoriè dicitur occidi, qui non habet occasionem se praecauendi.*
19 *Occidens proditoriè Infidelem non gaudet Immunitate.*
20 *Explicatur, qui dicantur Assassinij in præsenti materia Immunitatis: pœna Assassinorum extenduntur ad mandatarios: qui autem ex pretio interficit inimicum alterius, non est semper Assassinus; sicut nec est qui ex pretio occidit infidelem, aut recipit pecuniam ad vulnerandum: est verò qui mandat alium occidi, pretio promisso, etsi non sequatur occisio.*
21 *Assassinys non prodest immunitas.*
22 *Non prodest Hæreticis, ac eorum fautoribus.*
23 *Nec reis læsæ maiestatis.*
24 *Non Religioso occidenti suum Prælatum.*
25 *Committens delictum exceptum gaudet Immunitate quoad alia non excepta ab eo facta.*
26 *Infideles gaudēt Immunitate, si serio velint esse fideles.*
27 *Talis non præsumitur, qui patrato delicto excepto petit baptizari.*
28 *Immunitas prodest excommunicatis, suspensis, aut interdictis.*
29 *Non item Clericis, ac Regularibus iuxta communiorem, ac probabiliorem sententiam.*
30 *Etsi contraria sententia sit probabilis.*
31 *Conciliatur vtraque sententia distinguendo cum Bordono.*
32 *Immunitas prodest Religioso Apostatæ, sed non in suo monasterio.*
33 *Prodest reclusis in carcere.*
34 *Prodest grauatis ære alio, ac fallitis.*
35 *Prodest violantibus ipsam Immunitatem.*
36 *Vltra delicta à Gregorio XIV. excepta nullum aliud priuat Immunitate: contra quam hodie nulla præualet consuetudo.*
37 *Non quodlibet delictum patratum in ecclesia priuat Immunitate, neque surreptio pixidis, in qua Eucharistia asseruatur.*
38 *Plures effectus ex Immunitate Ecclesiæ prouenimt, qui recensentur.*
39 *Non tenet processus factus contra reum iniustè extractum ab Ecclesia; etsi Iudex mandans occidi reum, quem supponit priuatum Immunitate, & nequit ab Episcopo obtinere, non violet Immunitatem.*
40 *Iudicis Ecclesiastici est cognoscere de delicto commisso, an sit exceptum, nec ne.*
41 *At ille debet esse Episcopus, non autem inferior Episcopo.*
42 *Cognoscit summariè, data tamen debita dilatione partibus.*
43 *In hoc casu debent citari Ecclesia, & Reus.*
44 *Episcopus non debet stare processus facto à Iudice laico: Episcopus Clericum subditum non extrahit ab Ecclesia Regularium sine licentia prælati regularis, etsi Clericus non gaudeat Immunitate: olim Prælati Regulares sine Episcopi licentia dabant facultatem extrahendi Reos à suis ecclesiis: imò & nunc in aliquo casu id possunt facere.*
45 *In extractione Rei nō petitur cautio de pœna sanguinis non infligenda.*
46 *Violans immunitatem subest variis pœnis.*
47 *At non incurrit excommunicationem ipso facto iuxta plures Doctores.*
48 *Oppositum sustinent aliꝫ, & probabilius.*
49 *Excommunicatio hæc afficit quosuis concurrentes ad indebitam Rei extractionem; quod aliꝫ negant.*
50 *Illam non incurrit Episcopus, aut alius prælatus, qui indebitè extrahant.*
51 *Si Regulares Reum eiiciant à suis Ecclesiis, vel monasteriis, violant Immunitatem, secus, si Reus inquietet monasterium.*
52 *Non violant si precibus, blanditiis, aut verbis subdolis illum extrahant.*
53 *Reus confugiens ad ecclesiam Monialium transferri debet in alium locum tutum.*
54 *Siuens Reum indebitè extrahi ab ecclesia est irregularis si sequatur mors, aut mutilatio ipsius Rei:*

Regulares

Regulares non subsunt præfatæ excommunicationi, si solùm non impediant extractionem Rei à propria ecclesia.

55 *Præfata pœna incurruntur à violante immunitatē, etiam non secuta extractione.*

56 *Excommunicatio, quæ in isto casu incurritur, non est reseruata.*

57 *Constitutio Gregorij XIV. hic explicat obligata vbique.*

58 *Derogat Iuri communi, & cuiuis consuetudini.*

59 *Rei tradi debent Iudici laico in casibus exceptis.*

60 *Extractio Rei in casu clarè excepto non facienda, inconsulto Episcopo.*

61 *Non facienda sub ratihabitione Papæ de futuro, nisi in graui necessitate communis boni.*

QVÆRES I. Quid intelligatur hîc nomine Immmunitatis.

1. Respond. intelligi priuilegium, quod habent Ecclesiæ fidelium, vt sint loca refugij, & quasi asyla eorum, qui commisso aliquo delicto ad ipsas confugiunt, ne puniantur. ita Suarez *tom. 2. de relig. tract. 2. lib. 3. cap. 13. num. 1.*

QVÆRES II. Quo iure inducta sit Immunitas Ecclesiarum.

2. Respond. inductam esse iure ecclesiastico lato, præsertim *in cap. inter alia, de immunitat. Eccles.* vbi dicitur: *Si liber quantumcumque grauia maleficia perpetrauerit, non est violenter ab ecclesia extrahendus*, & nouissimè confirmato, tum à Concilio Tridentino *sess. 25. de reformat. cap. 20.* tum à Gregorio XIV. in Constitut. *Cum alias*, quæ est in ordine 7. est communis DD. inter quos Castrus Palaus *tract. 11. D. vn. part. 5. num. 3.* contra alios notat immunitatem Ecclesiarū debere interpretari latè, cum sit causa pia, fauorabilis Ecclesiæ, & nemini præiudicans in particulari, sitque priuilegium per modum legis insertum in iure communi, quod latam recipit interpretationem, quæ interpretatio fieri debet, non iuxta Ius Ciuile, sed Canonicum, vt pote concernens materiam ecclesiasticam in qua Ius Ciuile nullam habet iurisdictionem, nisi ad fouendam dispositionem Iuris Canonici; vnde & Iudex ecclesiasticus cogere potest Iudices Laicos, vt seruent leges Canonicas suum forum respicientes *c. 2. de foro competent. in 6.* & *cap. decernimus, de sententia excommunicat. in 6.* quod tamen negant aliqui apud Castrum Palaum *num. 4.* sustinentes dictam interpretationem in terris Imperij debere fieri iuxta Ius Ciuile, eò quod in pluribus decretis pontificiis, & maximè *in cap. inter alia, de immunitat. eccl.* leges Ciuiles de ecclesiastica Immunitate loquentes approbentur.

QVÆRES III. An immunitas modo dicto competens locis sacris tolli, aut diminui possit consuetudine legitimè præscripta, & habente omnes qualitates requisitas *in cap. final. de consuetudine.*

3. Respond. posse, cum inducta sit iure ecclesiastico, quod potest abrogari per contrariam consuetudinem (vt tradunt communiter DD. *in tract. de legibus*;) imò de facto videri alicubi diminutam, cum pluribus in locis simplices fures non gaudeant Immunitate existentes intra 30. passus Ecclesiæ, si ad Ecclesiam, eiusve cæmeterium non confugiant. Quamquam consuetudines, quæ ante Concilium Trid. & Constitutionem Gregorij XIV. superiùs citatam inductæ fuerant aduersus immunitatem Ecclesiarum, omnino sublatæ sint, tum per ipsum Concilium loco supra allegato, tum per præfatam Constitutionem Gregorij XIV. sicut benè aduertit Farinac. *in append. de immunitat. cap. 2. num. 15.* monens *num. 18.* consuetudinem, cum sit quid facti, non esse præsumendam, nisi legitimè probetur, neque credendum esse Doctoribus de consuetudine testantibus extra locum, vbi degunt.

QVÆRES IV. Quibus locis sacris competat priuilegium Immunitatis.

4. Respond. competere omnibus ecclesiis, ac oratoriis auctoritate Episcopi consecratis, aut benedictis, aut alia ratione (v. g. per Crucis erectionem) deputatis ad publicum vsum Sacrificij, & Sacramentorum, idcóque extendi 1. ad Ecclesiam nondum perfectè constructam, etiamsi adhuc in ea non celebrentur diuina mysteria, Farinac. *supr. cap. 17. num. 261.* Abb. *in cap. Ecclesiæ, de immunitat. eccl. n. 5.* & alij 2. ad Ecclesiam dirutam, ac destructam, modò non sit destructa auctoritate superioris, aut certè cum spe reædificandi, Sanch. *lib. 9. de matrim. D. 15. num. 37.* aliique communiter: 3. ad Ecclesiam interdictam, Azor. *part. 2. lib. 9. cap. 8. quæst. 4.* & alij: 4. ad Ecclesiam pollutam Suarez *supr. cap. 9. num. 6.* Bonac. *D. 3. de leg. quæst. 7. §. 2. num. 3.* aliique: 5. ad cæmeterium Ecclesiæ, siue sit ipsi contiguum, siue separatum: Farinac. *supr. cap. 17. num. 264.*: 6. ad hospitale erectum auctoritate Episcopi cum altari ad celebrandum, Couar. *lib. 2. var. cap. 20. num. 4.* ex communi: 7. ad palatium Episcopi, si existat intra 40. passus per circuitum Ecclesiæ Cathedralis idque ex *cap. constituimus 17. quæst. 4.* (quamquàm Farinac. *num. 172.* Nauarr. *cap. 25. num. 18.* aliique apud Castrum Pal. *part. 6. num. 12.* censeant idem asserendum esse, etsi palatium non existat intra 40. passus:) 8. ad Tabernaculum Eucharistiæ, si hanc actu contineat, imò etiam ad Sacerdotem actu deferentem Eucharistiam: & hoc ex consuetudine quam tamen negat Glossa *in cap. quæsitum 13. quæst. 2.* aliis ipsam admittentibus vt Layman. *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 4.*: 9 ad domos, seu monasteria Regularium secundum totum illud, quod septum est, nempè comprehendendo hortum, dormitorium, claustra, & similia; vt bene aduertit Castrus Palaus *supr. num. 18.* & post illum Diana *part. 6. tract. 1. resol. 6.* & colligitur *ex c. si quis contumax, cap. miror, & cap. frater. 17. quæst. 4.* vnde inferunt Doctores communiter, & satis benè priuilegium Immunitatis extendi ad Ecclesiam non solùm, quoad ambitum interiorem, sed etiam quoad totam ipsius fabricam, ita vt capellæ, parietes, & turres immunitate gaudeant, sicque tutus sit reus confugiens ad portas Ecclesiæ, licèt clausas, accedens ad scalas illius, aut etiam existens supra eius tectum, Castrus Pal. *supr. num. 9.* aliique addentes Immunitatem extendi etiam ad confinia Ecclesiæ vsque ad 4. passus, si sit Ecclesia maior (idest Metropolitana, seu Matrix) ad 30. verò, si sit Ecclesia minor; nisi obstet consuetudo, quam de facto obstare putant multi DD. addentes præterea eiusmodi doctrinam procedere solùm, quoad Ecclesias positas extra ambitum murorum, non autem, quoad constructas in ciuitatibus, aut castellis. Puto item gaudere immunitate illum, qui intra fines Ecclesiæ est solùm medio corpore: idque ob rationes adductas à Diana *part. 3. tract. 1. resolut. 73.* ad probandum fugientem à satellitibus gaudere immunitate, si parietem partis exterioris Ecclesiæ tangat, aut amplexetur.

De Oratoriis priuatis, quæ non sunt constructa auctoritate Episcopi, potest esse difficultas, an gaudeant immunitate Ecclesiastica.

At responsio est non gaudere; cum, simpliciter loquendo, non sint Ecclesiæ, iuxta modum iuris, imò nec loca religiosa, vt pote erecta auctoritate

priuata, & conuertibilia ad vsus prophanos: quæ repugnant loco sacros, ac religioso strictè sumpto. Ita Suar. *cap.9.num.*10. Sanch.*supr.num.*39. Fagund. *prac.*2.*Eccl.l.*4.*cap.*4.*num.*64.

Difficultas est etiam de domibus rusticis, in quibus Religiosi non habitant permanenter, sed ad aliquod tempus (v. g. causâ recreationis:) nec non de hospitiis, in quibus ordinariè non habitant Religiosi, sed solùm ad ea diuertunt, quando itinerantur: an scilicet eiusmodi loca gaudeant immunitate Ecclesiastica.

6. Respond. gaudere ex indulto Eugenij IV. facto Cisterciensibus, & relato à Rodriq.*tom.*2.*quæst.*75.*num.* 1. his verbis: *Concessit, quod grangia monasteriorum Cisterciensium*; sicut Ecclesiarum atria, prauorum hominum incursu, *& violentia libera, & quieta debent esse, ita vt nemo in eis hominem capere, spolium; aut rapinam exercere præsumat*, &c. constat autem nomine grangiæ venire domos rusticas; cum non solùm in Gallia, sed etiam in statu Pedemontano pro eodem sumatur ire ad grangiam, ac ire ad domos rusticas recreationix nostræ Societatis, sicut in facti contingentia, consulente Cardinali de Lugo in Curia Episcopali Ariminensi fuit decisum anno 1640. Quod si præfatæ domus rusticæ gaudent immunitate, vtique ea gaudebunt etiam hospitia Regularium de quibus hic: cum de vtrisque sit par ratio.

Vtrum verò monasterium recèns inchoatum, & nondum aptum ad habitationem religiosorum gaudeat priuilegio immunitatis.

7. Respond. Bordonus *resol.*1.*num.*7. gaudere; estò ibi habitet, nisi vnus Religiosus præfectus fabricæ; & probat, tum quia hoc priuilegium competit immediatè Monasterio materiali, quod non desinit esse tale, estò ibi nullus Religiosus inhabitet; tum quia monasterium in hoc comparatur Ecclesiæ, quæ solùm cæpta fabricari fruitur priuilegio immunitatis; tum quia fabrica inchoata habetur pro finita, arg. eorum, quæ habet glossa *v. ante consummationem, c.* 8. *de regul. & in cap. cum in cunctis, de electione.*

QVÆRES V. Quæ personæ gaudeant priuilegio immunitatis.

8. Respond. gaudere omnes fideles baptizatos, cuiuscumque existant conditionis, exceptis tamen casibus in iure expressis, & relatis in allegata Constit. Gregorij XIV. his verbis: *Ita ad vnam tantum formam reducimus, & moderamus* (loquitur de priuilegiis contra immunitatem Ecclesiarum concessis) *vt Laicis ad Ecclesias, loca, sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, aut mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, eorum vc cameteriis committere non verentur, aut qui proditoriè Proximum suum occiderint, aut assassinij, vel hæresis, aut læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis Rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur. est communis DD.* & patet, tum ex *cap. inter alia, de immunit. Eccl.* aliisque iuribus, tum quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

QVÆRES VI. Quando latrones priuentur immunitate Ecclesiastica.

9. Respond. priuari, si sint Latrones publici, & non semel, sed bis, aut ter tale delictum committant (si quidem Latronis nomen importat frequentiam) aliásque constet illos esse publicos Latrones: ad quod requiritur, & sufficit, vt, citata priùs parte, fiat informatio, & sententia declaretur; is autem dicitur latro, qui violenter aggreditur, ac deprædatur: publicus verò ille censetur, qui palàm, & publicè furatur, siue per insidias in via publica, siue per vim in domibus priuatis (si quidem delictum sit publicum) siue etiam in mari palàm prædas agat; quamquàm, ad hoc vt aliquis dici possit publicus latro, opus sit, vt non semel, sed bis, aut ter commissum fuerit hoc delictum: cum latronis nomen frequentiam importet, vt bene, notauit Castr. Pal. *supr.part.*9.*num.*2. ex Decianos *lib* 6. *tract.crim.cap.*18.*num.*2. Ambros. Farinac. & aliis addens ad hoc, vt quis priuetur immunitate, tanquam publicus latro, requiri, vt constet illum esse publicum latronem.

Quod si quæras, an simplices fures gaudeant immunitate.

Respond. gaudere, si sint fures occulti, aut furentur in viis priuatis: hi quippe non sunt publici latrones, adeóque non comprehenduntur sub Constitutione Gregorij XIV. cum exceptio vnius firmet regulam in casibus non exceptis, *l. nam quod liquidi* §. *fin. ff. de pecul. leg.* ita Cast. Pal. *supr.part.*9. *num.*3 addens ex Farinacio, Tuscho, Bonac. & aliis contra Couaruuiam, Suarez, & Clarum, id esse verum etiam ex consuetudine; si quidem contraria consuetudo (quam isti allegant) aut fuit sublata per Constitutionem Gregorij XIV. ad vnam tantum formam reducentix immunitatem ecclesiarum, sublata quacumque alia ante præfatam Constitutionem inducta: aut post istam constitutionem potuit legitimè induci, cum nondum elapsum sit tempus necessarium ad illam inducendam. 10.

QVÆRES VII. Quinam depopulatores agrorum priuentur immunitate.

Resp. priuari solùm depopolatores nocturnos, non item diurnos: & hoc non solùm *ex c. inter alia* superiùs relato, vbi, cum fiat mentio de depopulatore agrorum nocturno, tacitè excluditur diurnus, cum versemur in materia pœnali, quæ debet restringi; tum ex Constitutione Gregorij XIV. sine vlla limitatione excludentix à priuilegio immunitatis agrorum depopulatores, non quidem tam diurnos, quam nocturnox (sicut putat Bonac. *supr.* §. 4. *num.*6.) sed solùm nocturnos, vt censet Castrux Pal. *num.* 5. id inde colligens, quod, cum talis Constitutio edita sit ad firmandum ius commune, ac reuocanda priuilegia aduersus immunitatem Ecclesiarum concessa, & ius commune iuxta modò dicta excludat à præfata immunitate solùm depopulatores nocturnos, de his etiam tantùm intelligenda est loqui Constitutio Gregorij XIV. quamquam diurni agrorum depopulatorex dici possint sub dicta Constitutione cōprehendi sub exceptione publici latronis, si agros deuastent; cum nomine depopulatoris agrorum hic significetur is, qui alienos agros diripit surripiendo segetes, ac fructus, & vineas deuastando, *l.*1.*C. quando liceat sine Iud. sibi dicere.* 11.

QVÆRES VIII. Quando priuentur immunitate ij, qui in Ecclesia committunt homicidium, aut mutilationem membrorum.

Respond. priuari, siue delictum committatur in vna Ecclesia, & postea confugiatur ad aliam: siue in Ecclesia modo dicto delinquatur sub spe immunitatix, siue absque spe. est communis DD. & patet, tum *ex cap. fin. de immunit. eccles.* & ex Constitutione Gregorij tale crimen excipientis: tum, quia legis auxilium frustra inuocat, qui legem contemnit, *cap. quia frustra, de vsuris, & l. auxilium*, §. *in delictis, de minor.* tum, quia in quo quis deliquit, debet puniri, ideóque cum deliquerit in Ecclesia, priuari debet immunitate Ecclesiæ. 12.

Maius

Maius dubium est, an priuetur Immunitate is, qui existens in Ecclesia occidit, aut mutilat alium existentem extra Ecclesiam.

13. Respond. priuari iuxta communem DD. sententiam, quos refert, & sequitur Castr. Pal. *sup. p.9.n.15.* & probatur, quia verè, & propriè dicitur occidere in Ecclesia is, qui in Ecclesia apponit causam necessariam occisionis; quo modo in casu, quo quis vulneretur in Ecclesia, & vulneratus moriatur extra Ecclesiam, homicidium re vera dicitur commissum in Ecclesia, etiam secundùm Bonacinam *sup. §.4, num.8.* aliàs à nobis dissentientem: idque nulla alia ratione, nisi, quod in Ecclesia apposita est causa necessaria mortis; quod tamen non eueniret, si quis euaginato gladio hostem insecutus illum occidat extra Ecclesiam; cum sic verè non opponat in Ecclesia causam necessariam mortis. Oppositum sustinet Bonac. *loco citato*, Faguod. *prac. 2. Eccles. l.4.c.num.17.* aliique Recentiores à me consulti, & non improbabiliter, eo, quod in casu proposito solùm inchoetur occisio in Ecclesia, non autem consummetur; & aliàs pœnæ imponantur ob actum consummatum, non verò solùm inchoatum: præsertim cum versemur in materia pœnali, ac odiosa, contraria libertati delinquentium, ac fauori Immunitatis Ecclesiasticæ, quæ proinde ampliari non debet ad homicidium, aut mutilationem solùm inchoata in Ecclesia, & extra illam consummata.

Dices, quid si quis existens extra Ecclesiam, mutilet, aut occidat existentem intra Ecclesiam, priuaturne ille tunc immunitate?

14. Respond. priuari, cum in delictis attendatur potius executio, ac perfectio illorum, quam initium: maximè, cum homicidium formaliter consistat in priuatione vitæ, & in præsenti euentu priuatio vitæ contingat in Ecclesia. ita Suar. *loco sup. cit. l.3. cap. 11. num.7.* Couar. *sup. num.15.* Nau. *c.25. num.21.* & alij; qui tamen concedunt secùs dicendum in casu, quo quis vulneret existentem extra Ecclesiam, & vulneratus accedat ad ipsam Ecclesiam ibi moriturus: tunc enim vulnerans non est causa mortis in Ecclesia, esto sit causa mortis illius; vnde fit, vt sic vulnerans non debeat priuari immunitate. quo modo nec debet priuari is, qui dolo, vi, & fraude aliquem extrahit ex Ecclesia, & extractum occidit; cum sic non det causam necessariam occisionis, vt pote ipsum liberè postea occidens. ita Cast. Pal. *sup. num. 18.* contra Azorium *p.2.l.9.c.9.q.14.* & Farinac. *sup. c.16. n.232.* oppositum sustinentes ex eo, quod in tali euentu detur causa occisionis in Ecclesia.

An autem gaudeat immunitate is, qui delinquit prope Ecclesiam, aut cæmeterium, sub spe confugiendi ad illa.

15. Respond. gaudere, siue delictum fiat ex proposito prope Ecclesiam, siue ex subita rixa, & casu. ita Suar. *num.9.* Bonac. *num.13.* & alij, contra Nauarrum, Farinac. Couar. Tuschum, aliosque ab ipso Bonacina relatos; & probatur, quia iuxta superius dicta solùm homicidium factum in Ecclesia excipitur à priuilegio immunitatis: in his autem exceptionibus non debet fieri extensio, cum sint odiosæ; vt patet, & in specie aduertit. Castr. Pal. *sup. p.9. num 9.*

16. Ex quo etiam infert idem Castr. Pal. *num.17.* contra alios ab ipso citatos non priuari immunitate illum, qui mandat aliquem occidi in Ecclesia: idque etsi tale mandatum fiat in ipsa Ecclesia. ratio est, quia nemo priuari debet immunitate, nisi in casibus iure expressis; vt habetur in Constitutione Gregorij XIV. in ea autem non est talis casus expressus; vt constat, maximè ex eo, quod *regula 72. in 6. Quod facis per alium, per te ipsum facere censeris*, non intelligitur propriè, sed impropriè, & fictione iuris, quæ in pœnalibus non habet locum, nisi à iure fiat extensio.

QVÆRES IX. Qualiter priuetur Immunitate, qui aliom occidit proditoriè, incautum scilicet, nihil tale præcauentem.

Respond: priuari, siue inimicum occidat dormientem, aut alio modo incautum; siue per industriam, sed fine insidiis: siue etiam per industriam vulneret, animo tamen illum occidendi. ita Suar. *vbi supra n. 12. & 13.* aliique plures apud Castrum Palauum *p.9.n.25. & seqq.* patetque, tum, quia attento *cap.1. de homic.* vbi dicitur: *Si quis per industriam occiderit Proximum suum, & insidiis ab altari auellat eum, vt moriatur*; non quæcumque insidiæ priuant immunitate, sed insidiæ, quæ constituunt proditionem: si quidem Greg. XIV. *in sua Constit.* ait, *aut qui proditoriè Proximum occiderit*; constat autem stante inimicitia, insidias non constituere proditionem; cum sic inimicus semper habeat rationem se præcauendi, adeòque debeat sibi imputare, si incautè occiditur (quod tameo negant plures citati à Castr. Palao *n.27.*) tum, quia Constitutio Gregorij XIV. quæ casus controuersos decidere intendebat, apponit verbum *proditoriè*, vt sic insinuet in illis aliis verbis *per industriam, & per insidias* appositis in *cap.1. de hom.* idem esse significatum: ita vt vnos terminos sit declaratio alterius, ac proinde verbum *per industriam*, non superfluat, cum sit ad maiorem declarationem subsequentis; præter quam quod propositio ibi non est copulatiua, sed simplex, & facit hunc sensum: qui per industriam insidiosam occiderit proximum, ab altari auellatur; quod non admittunt plures alij relati à Couar. *sup. num.7.* 17.

Addit Castrus Pal. *sup. num.26.* illum dici proditoriè occidi, qui interficitur veneno, aut promissione facta de illo non offendendo: cum sic ei tollatur omnis occasio se præcauendi. 18.

Quod si contingat infidelem proditoriè occidi à fideli: docet Farinac. *sup. c.8. num. 120.* illum priuari Immunitate, ea ductus ratione, quod infideles re vera sunt nostri Proximi, esto nobiscum non communicent in Ecclesia, fide, & Sacramentis: siquidem ad constituendam rationem Proximi sufficit participatio eiusdem naturæ, nec requiritur præfata communicatio in fide, & Sacramentis: alioqui hæretici non essent nostri Proximi, quod omninò est negandum; contra Farinacium sentiunt Bonac. *num. 7.* & Ambrosius relatus à Castro Palao *num. 31.* qui illorum opinionem existimat non esse improbabilem. 19.

QVÆRES X. Quinam Assassinij priuentur priuilegio immunitatis.

Pro responsione suppono 1. nomine Assassinij hic intelligi illos, qui pecunia, aliove pretio, aut re pretio æstimabili conducti aliquem incautum occidũt: ad id tamen non requiri, quod de facto receperint pretium, cum sufficiat promissio illius acceptata, quæ æquiualet receptioni; neque vt pecunia promissa sit in magna quantitate, cum paruitas pretij non minuat, sed augeat malitiam, vt in simonia. 20.

Suppono 2. quod, quamuis *cap. 1. de homic. in 6.* recensens pœnas lata contra Assassinios non loquatur de mandatariis, sed de mandantibus, & solùm faciat mentionem de iis, qui per infideles quosdam barbaros vulgò dictos Assassinios occidebant Christianos; hodie tamen dictæ pœnæ ex communi acceptione extenduntur etiam ad mandatarios; quippequi propriè dicuntur Assassinij; sicut & ad illos, qui mediis fidelibus pecunia conductis occidunt Christianum. ita Castr. Pal. *supr. num. 33.* aliique penes ipsum;

ipſum: qui addit *num.*34. promiſſionem; quæ reqoiritur ad crimen Aſſaſſinij, debere eſſe certam, ac ſpecificam, non autem ſolum generalem, ac incertam, quæ nullam inducat obligationem (vt ſi dicas mandatario te numquàm ipſi defuturum in ſuis neceſſitatibus); quamuis in hoc non pauci DD. diſſeotiant apud Farinac. *de homic. queſt.*123. *num.*145.

Suppono 3. non committere crimen aſſaſſinij illum, qui pretio conductus inimicum occidit, ſi occiſus ſit inimicus, tam mandantis, quàm mandatarij; cum ſic non dicatur occidere incautum, ioimico ſemper habente occaſionem ſe præcauendi; ſecùs, ſi occiſus ſit tantùm inimicus mandantis: ſic enim incautus occiditur. ita Fariuac. *ſup. q.*123. *num.*154. addens *q.* 123. *num.*35. noo dici Aſſaſſinium illum, qui conductus pecunia occidit inimicum mandantis, præſente ipſo maodante, cum ſic occiſor videatur adiuuare mandantem, qui videtur ibi eſſe præcipuus occiſor, & occiſus ab eo deberet ſe præcauere.

Suppono 4. ſtaodo in rigore iuris noo committi crimen aſſaſſinij ab eo, qui pecunia conducta occidit iofidelem: cum in *cap.*1. *de homicid. in* 6. dicatur, quempiam Chriſtianum, ſicque excludatur tacitè is, qui eſt infidelis ita Ambroſin. *tract. de immunit. cap.*7. num. 12.

Suppono 5. non committere crimen aſſaſſinij illum, qui recipit pecuniam ſolùm ad vulnerandum: nam *cap.*1. *de homic.* citatum loquitur in ſpecie de interficientibus Chriſtianos: ſicque con debet extendi ad caſum non expreſſum. ita Farinac. *de homic. queſt.*123. *num.*39. monens *num.*57. cum aliis DD. non dici verè Aſſaſſinium illum, qui accepit pecuniam ad occidendum, ſed ſolùm vulnerauit, ac proinde non eſſe priuandum immunitate; cum *cap.* 1. paulò antè adductum ſolùm de mandante dicat illum puniendum eſſe iiſdem pœnis, ſiue mors ſequatur, ſiue non, nil tale dicens de mandatario: qui propterea in caſu, quo mortem de facto non inferat, relinquendus eſt diſpoſitioni Iuris communis; quæ eſt, vt nullus priuetur immunitate ob ſolam vulnerationem.

Suppono 6. eum, qui mandat aliquem occidere ſub promiſſione pecuniæ, incurrere crimen aſſaſſinij, & conſequenter priuari immunitate, etiamſi non ſequatur effectus occiſionis idque ex citato *cap.*1. *de homic.* vt aduertit Caſtr. Pal. *ſup. num.*39. id inde arguens, quod, cum pœnæ contentæ io eo *cap.* incurrantur à mandante, etiam non ſecuto effectu occiſionis (vt colligitur ex ipſo textu) & eæ incurrantur ſolùm ob crimen aſſaſſinij, ſequitur mandantem In tali caſu eſſe re vera reum aſſaſſinij; & hoc, eſto mandans poſteà ante effectum reuocet mandatum; cum iam paratum ſit crimen, cui dictæ pœnæ ſunt annexæ: quamquam Caſtr. Pal. innuat probabile eſſe etiam oppoſitum; his ſuppoſitis.

11. Reſpond. Aſſaſſinios priuari immunitate, tum ex Conſtitutione Gregorij XIV. tum ex iure communi, non quidem ſumpto io rigore, ſed ſpectato iuxta conſuetudinem receptam, & à Doctoribus probatam; patetque ex dictis; ſi aduertero ex Bonac. *ſup.* §.4. *num.* 18. non dici propriè aſſaſſinium illum, qui ſine pretio, eiuſve promiſſione alterum occidit, vt rem gratam faciat amico: qui occidit ſola ſpe obtinendi aliquod præmium: qui occidit ſpe ſuccedendi in bona occiſi: qui pecuniam recipit, aut dat pro expenſis in itinere faciendis ante occiſionem, aut certè ad liberandum occiſorem à morte.

Qværes XI. Quo modo priuentur immunitate Rei hæreſis, ac illorum fautores.

Reſpond. priuari reos, quidem hæreſis ex Coo- 12.
ſtitut. Gregorij XIV. vt cooſtat ex tenore illius: fautores verò, & quoſcumque alios ſuſpicioοem hæreſis incurrentes, non tameo per ſe, ſed ratiooe hæreſis, cuius ſuſpicionem incurrunt; qoatenos ſcilicet hæreſis eſt crimen exceptum, in animo conſiſtens, ac indigens examinatione, ideóque vbi delinquens incurrit illius ſuſpicionem, extrahi poteſt ab Eccleſia, vt examinetur. ita Bonac. *in append. de immunit. cap.*13. *num.*175. Bonac. *num.*21. aliique.

Qværes XII. Quo iure Rei læſæ Maieſtatis in perſonam proprij Principis priueotur Immunitate.

Reſpood. priuati, oon qoidem vi Ioris communis, 13.
quod oumquam excipit tale delictum, ſed ſolùm ex Conſtitut. Gregorij XIV. vt conſtat ex eius tenore. ita Caſtr. Pal. *ſup. p.*9. *num.*42. aliique apud ipſum; qui benè ootant hîc nomine Priocipis intelligi eum, qui ſupremam habet iuriſdictiooem, & nulli eſt ſubiectus (qualis eſt Papa, Imperator, Rex Hiſpaniarum, aut Galliæ &c. ſiue poſteà ſit Principes offendentis ratione originis, ſiue ratione domicilij: alterutrum enim in præſentia ſufficit.

Quod ſi quæras, an Religioſus occidens ſuum Superiorem, ſiue localem, ſiue Prouincialem, ſiue Generalem priuetur immonitate.

Reſpond. Bordon. *reſol. num.*25. priuari, ſaltem in 14.
caſu, quo occidat Generalem; probatque ex eo, quod ſaltem Generalis dicitur Princeps, vt colligitur ex Aretino *in ſua praxi, cap.* 1. habetque merum, ac mixtum imperium; cum omnem poteſtatem vtriuſque fori perſonæ, & rei habeat ſuper omnes religioſos Ordiois. ita Bordonus, & non improbabiliter: qui cum dicat aſſertionem procedere, ſaltem, quoad Generalem Ordinis, implicitè innuit eam poſſe admitti etiam, quoad Prælatum localem, ac Prouincialem.

Qværes XIII. Ao committens aliquod ex delictis exceptis gaudeat immunitate, qooad alia delicta commiſſa anteà, aut pòſt.

Reſpond. gaudere; & probatur, quia delictum ex- 15.
ceptum reſpectu aliorum delictorum ſe habet per accidens, ideóqoe non poteſt impedire vſum immunitatis, quam delinquens obtinet, ne ob alia delicta extrahatur ab Eccleſia: ſicque priuatur immunitate quoad delictum exceptum, non item quoad alia; quod nullam importat repognantiam. ita Bonac *ſup.* §.3. *num.*3.

Qværes XIV. An & quando Infideles gaudeant immunitate.

Reſpond. videri probabile, quod gaudeant, ſi ve- 16.
rò velint eſſe fideles: cum dignum ſit Eccleſiam fauere ei, qoi illi cupit ioſeruire: & *l.*1. *C. de iis, qui ad Eccleſ. confug.* tacitè admittantur tales infideles hoc ipſo, quod ab vſu immunitatis excluduotur ij, qui ſimulant ſe conuerti; debent autem ſeruari leges ciuiles, quoties caoonicis non contradicunt; quod omninò euenit in caſu ooſtro, ſtante quod nulla lex canonica expreſsè diſponit de infidelibus, gaudeantne immunitate, an noo. ita Caſtr. Pal. *vbi ſup. p.*7. *num.*7. ex Nau. Suar. Azor. Tuſco Farinac. Gutier. & Bonac. contra communem DD. ſententiam id negantem ex citata *leg.*1. excludente à priuilegio immunitatis infideles confugientes ad Eccleſiam, etiamſi baptiſmum petant. Immò Diana *part.*1. *tract.*1. *de reſol.*22. cum aliis pluribus Doctoribus putat infidelem abſolutè gaudere immunitate Eccleſiæ, etſi nolit conuerti; cum hoc priuilegium ſit locale, adeóque extendatur ad quaſlibet perſonas in eo loco exiſtentes.

At

At dubitatur, an præsumi possit seriò petere baptismum illum infidelem, qui post delictum confugit ad Ecclesiam petens baptismum, cum antea nullum dedisset signum conuersionis: vel certè præsumi debeat illum simulatè petere ad vitandam pœnā.

27. Respond. posse, & debere præsumi simulatè petere, nisi contrarium apparere videatur. ita Laym. *l. 4. tract. 9. cap. 3. num. 12.* ex Suar. addens eiusmodi præsumptionem non esse iuris, ac de iure, (contra quam non admittitur probatio in contrarium) sed esse præsumptionem iuris, contra quam admittitur probatio: ideóque spectare ad Ecclesiæ Prælatum, vt in proposito casu examinet voluntatem Rei petentis baptismum, &, si iudicet esse veram, & à Deo inspiratam, illi immunitatem concedat.

QVÆRES XV. An excommunicati, suspensi, & interdicti gaudeant priuilegio immunitatis.

28. Respond. gaudere. ita Fagund. *præc. 2. Eccl. l. 4. cap. 4. num. 50.* ex Couar. Nauarr. Suar. & aliis; patétque, quia Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum nullos alios habent effectus, quam quos ius declarauit: nullo autem iure statutum est, vt excommunicati, suspensi, ac interdicti, etiam declarati priuentur immunitate. Quod est verum, etiam de interdicto ab ingressu Ecclesiæ; nam taliter interdictus non priuetur ingressu Ecclesiæ materiali, sed formali, idest in ordine ad ibi audienda diuina Officia, vt notant communiter DD. & nouissimè Diana *part. 6. tract. 1. resolut. 26. quæst. 2.* aliis citatis.

QVÆRES XVI. An Clerici, ac Religiosi gaudeant priuilegio immunitatis respectu suorum Iudicum.

29. Respond. quod, quamuis sit probabilis pars affirmans, inspecto iuris rigore, & eam sustineant plures, ac graues DD. attenta tamen consuetudine pars negans videtur probabilior; cum passim Iudices Ecclesiastici extrahant Clericos, ac Religiosos delinquentes ex Ecclesia, ac proprio Monasterio, vinculisque ligent sine vllo scrupulo: nec vllus sit, qui immunitatem proclamet, & ratione illius euret se tueri; nec immeritò, cum ab eodem principio potestas Ecclesiastica iudicandi, & ipsa immunitas ecclesiastica proueniant, ideóque indecens sit vnam aduersus aliam pugnare; præterquam, quod absque violatione reuerētiæ debitæ loco Sacro in Eccl. ferri potest sententia Ecclesiastica contra delinquentem, *c. præceptum 2. quæst. 2.* quod est signum respectu Iudicis Ecclesiastici non procedere immunitatem.

30. Quod verò etiam pars affirmans sit probabilis; probatur, tum, quia iura, quæ loquuntur de immunitate, loquuntur generaliter, & absque vlla limitatione, ideóque non debent restringi ad solos laicos, *l. de pretio ff. de Publiciana*; alioqui Ecclesiastici essent deterioris conditionis; tum, quia priuilegium immunitatis non personis conceditur, sed locis, vel (vt rectiùs loquar) personis propter locum: locus autem est communis tam Ecclesiasticis, quam laicis, imò magis proprius Ecclesiasticorum.

31. Hinc mihi magis placet, quod docet Bordon. *resol. 1. num. 18.* Religiosos gaudere immunitate, non quidem intra propria monasteria (aliàs enim eum perpetuò habitent in suis monasteriis, numquam possent capi, incarcerari, aut puniri, quod est absurdum) sed in suis Ecclesiis, imò & intra monasteria aliorum Ordinum: idque ob rationes paulò ante adductas.

QVÆRES XVII. An, & quo modo Regulares Apostatæ gaudeant priuilegio immunitatis.

32. Respond. Bordon. *resolut. 1. num. 18.* gaudere, & quidem etiam in Ecclesiis proprij Ordinis, non item intra suos Conuentus: negat verò Diana *part. 1. tract. 1. resolut. 23.* ex Duardo, Bobad. Rebuf. Dac. Farinac. & Italia, attestante quemdam Apostatam à religione fuisse restitutum Ecclesiæ, ex qua fuerat extractus, aliisque. Et quidem, quod gaudeant, patet, tum ex dictis *q. præcedenti* pro parte affirmante; tum, quia crimen apostasiæ à Religione non est ex casibus exceptis in Constitut. Gregorij XIV. adeóque ex eo excludi nō debet à priuilegio immunitatis; præsertim cum in dicta Constitut. apposita sit clausula taxatiua *tantùm*, quæ natura sua impedit extensionem ad expressa *l. properandum §. 1. C. de Iudiciis*. Quod verò non gaudeant in propriis monasteriis, probat Bordon. ex eo, quod alioqui Religiosus Apostata numquam posset capi, incarcerari, ac puniri; cum monasterium Religiosis sit perpetuum domicilium; qua de re Diana *suprà resolut. 25. & 6. tract. 1. resolut. 26. quæst. 10.*

QVÆRES XVIII. An capti, & reclusi in carcere gaudeant immunitate.

Respond. gaudere; cùm talis casus non sit exceptus in Constitut. Gregorij XIV. ita Castr. Pal. *supr. part. 7. num. 10.* aliique penes ipsum: qui tamen benè negant gaudere immunitate illum, qui fortè per locum sacrum duceretur à satellitibus: cum sic non verificetur ipsum confugere ad locum, vt patet; quod non eueniret, si captus à ministris iustitiæ ex eorum manibus recurreret ad Ecclesiam; cum id faciat iam positus in libertate: idque esto duceretur ad mortem, aut per vim secum ferret etiam ipsos ministros: siquidem in his casibus verum est ipsum confugere ad Ecclesiam. 33.

QVÆRES XIX. An debitores æris alieni gaudeant immunitate.

Respond. gaudere, etiam si sint suspecti de fuga, aut falliti. ita Bonac. *D. 3. de leg. quæst. 7. §. 4. num. 2.* aliique communiter; & patet, tum, quia iste casus non est expressus in Const. Greg. XIV. tum, quia pat est, vt quæ tuetur delinquentes in causis criminalibus ad ipsam confugientes, tueatur etiam delinquentes in causis ciuilibus, quales sunt debitores: tum, quia hoc pacto iura non derogant iuri alterius, nisi indirectè, auferendo solùm facultatem extrahendi reos à loco sacro in reuerentiam ipsius loci sacri; tum denique, quia non obstant literæ scriptæ à Cardinali de Florentia Nuncio Neapolis de mandato Clementis VIII. in quibus, teste Mario Italia *l. 6. de immunit. cap. 5. num. 16.* mandatur Superioribus Regularium illius Regni, ne reciperent fallitos in suis Conuentibus: per has enim literas non derogatur Constitution. Gregorij XIV. cum ex non sint datæ, & publicatæ in forma legis: iisque solùm cauetur, ne mercatores falliti receptentur in monasteria, sed expellantur, non autem, quod tradantur Iudicibus sæcularibus; præter quam, quod dici posset per dictas literas de consensu Papæ derogatum fuisse immunitati, quoad certum illud genus personarum: quod sine dubio potuit fieri, vt patet. 34.

QVÆRES XX. An gaudeant immunitate Indiees, aliique Ministri, qui violenter extrahunt ab Ecclesia confugientes ad illam.

Respond. gaudere; cum tale crimen non excipiatur in Constitut. Gregorij XIV. & ex ampliari non debeat ad casus non expressos; quamuis aliàs crimen illud esset dignum, vt exciperetur; cum non deceat immunitatem prodesse illi, qui noluit eam prodesse alteri: quod tamen non probat illud fuisse de facto exceptum; vt in simili notat Farinac. *append. de immunit. cap. 6. num. 106.* contra alios adductos à Castro Palao, *part. 9. num. 10.* 35.

QVÆRES

QVÆRES XXI. An dentur aliá crimina excepta ab immunitate præter hactenus recensita, saltem ratione consuetudinis.

36. Respond. non dari; patetque ex eo, quod in Constitut. Gregorij XIV. exprimuntur omnia, & singula delicta, quæ excluduntur ab immunitate; vt vel hinc constat, quod iuxta dicta *quæst.* 17. in exceptione delictorum apponitur dictio taxatiua *tantùm*, quæ natura sua impedit extensionem ad casus non exceptos: in præfata autem Constitutione de facto excipiuntur solùm delicta superiùs recensita, & non alia; quod est signum alia non esse excepta.

Dixi, *saltem ratione consuetudinis*; vt innuerem, stante constitutione Gregorij XIV. nullam consuetudinem dari posse in præsentia aduersus immunitatem Ecclesiasticam ob dicta q. 3. & ob doctrinam, quam tradit Suar. *tom.* 1. *de relig. tract.* 2. *l.* 3. *cap.* 11. *num.* 17. in hac materia ex identitate, aut maioritate rationis nullum alium casum excipiendum esse: cum talis extensio admitti non debeat, vbi ea cedit in præiudicium causæ fauorabilis, qualis est immunitas Ecclesiastica, de qua hîc loquimur.

QVÆRES XIII. An quodlibet delictum patratum in Ecclesia, priuet delinquentem immunitate.

37. Respond. quod, quamuis plures Doctores id affirment in *cap. inter alia, de immunit. Ecclesiar.* Nauarrus Couar. Gutierez, Bobadilla, Suar. probabilius tamen oppositum putat ex Boerio, Farinacio, & Bonac. Castr. Pal. *sup. num.* 9. & probat, tum quia priuatio immunitatis est pœna: pœna autem non debet extendi vltra verba legis; ideóque priuatio immunitatis non est extendenda ad alia delicta commissa in Ecclesia præter homicidium, ac vulnerationem, de quibus solis loquitur bulla Gregorij XIV. tum, quia quod dicunt Aduersarij rationem decidendi allatam in præfata bulla æquè procedere in aliis casibus; solùm probat iustissimè in aliis idem constitui posse; at non probat de facto esse constitutum: neque credendum est homicidium, ac vulnerationem solùm exempli causa apposita fuisse, sed verè apposita, vt materiam integrè prohibitam. ita Castrus Palaus dicens manere firmum solùm homicidium, ac mutilationem in Ecclesia priuare illius immunitate, & quidem ita, vt non solùm in Ecclesia materiali, in qua fit delictum, delinquens recipi nequeat, sed neque in aliis; cum immunitas, qua delinquens priuatur, eadem sit in omnibus Ecclesiis, & offendens vnam Ecclesiam omnes offendat; siquidem vna est vniuersalis Ecclesia in toto Orbe, iuxta illud: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.*

Quod autem ait Naldus *v. Ecclesia num.* 5. ex Farinacio furantem pixidem, in qua asseruatur Eucharistia, non gaudere immunitate; cum sacrilegus apertè delinquat in personam supremi Principis; adeóque committat delictum exceptum in bulla Gregorij; mihi minùs probatur, cum simus in materia pœnali, quæ non debet ampliari vltra verborum proprietatem, & Gregorius in excipiendo hoc delicto loquatur de offensione corporali illata Principi humano, non autem de iniuria facta Deo, qualis est ea, de qua hîc.

QVÆRAS XXIII. Quinam sint effectus, seu commoda immunitatis Ecclesiasticæ.

38. Respond. esse sequentes: primus est, vt reus in loco sacro non possit capi, incarcerari, aut vinculis cõstringi, *cap. definiuit*, 17. *q.* 4. 2. est, vt, quamdiu reus manet in Ecclesia, in eum ferri non possit sententia mortis, aut alia pœna corporalis *cap. inter alia de immunit. Eccles.* imò nec pœna seruitutis, exilij, aut triremium, cum tales pœnæ sint graues, & æquiparentur corporalibus, interdumque aliquas illarum excedant (quod non est verum de pœna pecuniaria, quæ in tali casu ferri potest contra reum: 3. est, vt reus spoliari nequeat rebus, aut bonis suis, quæ fortè secum detulit ad Ecclesiam *cap. definiuit, sup. citato* excipe, nisi respectu dictorum bonorum delinqueret, vt si secum detulit res alienas, aut alteri obligatas): 4. est, vt non prohibeatur ipsi deferri victum, ac vestitum *l. præsenti C. de his, qui ad Eccl. confug.* vbi etiam statuitur ipsam Ecclesiam teneri ministrare ei alimenta, si aliunde non habeat (quamquàm aliàs possit Iudex apponere custodiam Ecclesiæ, ne reus liberè fugiat, imò & capi possit, si fortè recedat à loco sacro): 5. est, quod reus per vim, seu inuitus extrahi non possit à loco sacro; quod tamen non facit, quin saluetur immunitas, si reus rogatus, aut blanditiis illectus voluntariè exeat: dummodo adsit consensus Ecclesiæ; siquidem immunitas concessa est delinquentibus ob reuerentiam loci sacri, non autem ob ipsos reos, vt notat Castr. Pal. *sup. p.* 11. *num.* 5. hinc inferens reum non posse renunciare priuilegio immunitatis: sicut nec Clerici possunt renunciare priuilegio fori, vtpote concesso ipsis, non ob ipsos, sed ob dignitatem clericalem: 6. effectus est, vt extractus ab Ecclesia extra casus exceptos ante omnia Ecclesiæ restituatur *cap. miror.* 17. *q.* 14. quod ita est verum, vt non possit Iudex sic extractum interim detinere ob alia delicta, & causas; cum teneatur, quam primum potest, reparare iniuriam factam Ecclesiæ, reum restituendo siue eidem Ecclesiæ, siue alteri, siue etiam Episcopo, aut eius Vicario (id enim nihil refert, cum hinc nullum reo adueniat damnum, vt suppono): 8. effectus est, vt casu, quo reus extra casus exceptos extrahatur à loco sacro per iudicem sæcularem, extractio ipsa sit nulla, nullus processus, &c. idque ex Constitut. Gregorij XIV.: 8. effectus est, vt iudici extrahenti in casibus non permissis resisti possit, tum à delinquente, etiam vi, & armis: tum ab Ecclesia ferendo censuras, claudendo ostia, & apponendo alia media ad vim impediendam. ita Castr. Pal, *part.* 11. aliique penes ipsum: qui notat *num.* 11. consuetudine videri receptum, vt, quando reus recurrit ad locum sacrum in casu non excepto, Iudex sæcularis illum inquirat citare faciat, &, si non comparet, sententiam ferat, tanquam in absentem, esto illam non possit exequi ob priuilegium immunitatis.

Addo quod, sicut iuxta dicta sententia corpora- 39.
lis pœnæ lata contra reum post iniustam, ac violentam extractionem est nulla: ita est nullus processus iudicij institutus contra ipsum post dictam extractionem: cum enim fundamentum iudicij iure non consistat, opus est omnia, quæ in eo fundantur, esse irrita. ita Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 15. alioqui concedens reum confugientem ad Ecclesiam posse spoliari armis vetitis, non quidem per iudicem laicum, sed Ecclesiasticum.

Quod si quæras, an violent immunitatem Ecclesiæ Iudex Laicus, eiusque Ministri, si reum commorantem in Ecclesia, quem supponunt non gaudere immunitate, & tamen nequeunt ab Episcopo obtinere, ibi occidant.

Respond. quod, quamuis prima facie dici posset non violari (quod attinet ad bullam Gregorij XIV.) cum in ea nulla fiat mentio de occidentibus, aut mandantibus occidi, sed solùm decapientibus, carcerantibus,

cerantibus, vel abducentibus reos ab Ecclesia; &, cui non conueniunt verba legis, nec ipsa lex concedat; nec in odiosis extensio debeat fieri ad casus non expressos: oppositum tamen dicendum videtur, tum quia cui denegatur id, quod est minus, denegari debet multò magis, quod maius est; cum ergo capere reos in Ecclesia vetetur, ne eis damnum indebitè inferatur (quod est minus) à fortiori vetabitur occisio, quæ est quid maius: tum quia verba illa, *capere, carcerare*, &c. in casu nostro verificantur satis formaliter, & iuxta mentem dispònentis; quatenus intendit sub illis impedire, ne reo vllum damnum inferatur, ideóque censetur comprehendere etiam occasionem; tum quia dispositio odiosa potest extendi ex casu ad casum, si ex ipsius ratione expressa extendatur: cum hoc non sit extendere, sed comprehendere tanquam genus suas species, & casus omnes, qui tali expressæ rationi conuenire possunt: itavt hæc interpretatio sit non extensiua, sed intellectiua; sic Nald. *in annot. pract. fol.* 61. qui cùm dicat hanc suam doctrinam esse veriorem, supponit contrariam esse veram, idest, probabilem.

QVÆRES XXIV. cuius iudicis sit cognoscere, an casus occurrens sit exceptus à priuilegio immunitatis, necne.

40. Respond. esse solius Episcopi, aut alterius ab ipso deputati; idque, tum ex Constit. Gregorij XIV. vbi id clarè statuitur his verbis, *nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an delinquentes verè crimina excepta commiserint:* tum ex iure communi, quatenus immunitas Ecclesiarum est causa Ecclesiastica, & cognatio causæ Ecclesiasticæ non spectat nisi ad Episcopum. Ita Bonac. *supr.* §. 7. *num.* 2. Gutier. *pract. qq. lib.* 3. *quest.* 1. *n.* 5. aliique apud Castrum Palaum *supr. part.* 13. *n.* 7. qui addit ex Ambrosino, Farin. & Bonac. Episcopum in tali casu debere cognoscere delictum esse exceptum, non quidem ex solis præsumptionibus, ac coniecturis tem probabilem efficientibus, sed probatione concludenti; ne alioqui sine sufficienti fundamento priuentur, & Ecclesia iure, quod habet tuendi reos ad se recurrentes, & reus iure, quod habet, ne vltra casus exceptos extrahatur ab Ecclesia.

41. Quod autem diximus solius Episcopi, aut alterius ab eo deputati esse cognoscere, an casus hic, & nunc occurrens sit exceptus: intelligi debet de verò Episcopo, non autem de alio inferiore: idque etsi is sit Ordinarius, aut nullius diœcesis; vnde, si contingat reum se recipere in locum sacrum exemptum, ac nullius diœcesis, facultas extrahendi illum obtineri debet ab Episcopo viciniori, sic disponente Gregorio XIV. in citata sua Constitutione; quod si duo Episcopi sint proximi, sed alter, quoad diœcesim, non quoad habitationem, & alter quoad habitationem, non quoad diœcesim: facultas peti debet ab eo, qui est vicinior, quoad habitationem, modò ipse etiam habeat diœcesim proximam Gregorius quippe XIV. in sua Constit. principaliter respexit personam Episcopi, & secundariò diœcesim, ideóque non dixit recurrendum ad Episcopum proximioris diœcesis, sed *ad Episcopum viciniorem.* Ita Bonac. *D.* 2. *de censur. in partic. q.* 5. *p.* 16. §. 12. *num.* 7. addens, sede vacante ad dictum effectum adeundum esse Vicarium Capitularem, vtpote succedentem in iurisdictione Episcopi: dum enim Gregorius exigit licentiam Episcopi viciniòris (intellige, expressam, non autem tantùm tacitam; cum expressam requirat Gregor. in sua Constit.) videtur intelligendus solùm respectu loci nullius diœcesis, non item respectu loci alicuius diœcesis, cuius sedes Episcopalis tunc vacet.

Quod si quæras, qualiter debeat Episcopus procedere in hac re.

Respond. non teneri, quidem exhibere libellum, ac litem contestari; cum hic non agatur ad pœnam delicti, sed ad eius qualitatis cognitionem decisio huius causæ commissa sit arbitrio Episcopi, eaquo summariè, ac extra ordinem iuris tractari (in quibus, teste Menochio *de arbitr. quæst.* 18. non requiritur libellus, ac litis contestatio:) teneri tamen delinquenti, ac Ecclesiæ concedere dilationes, quæ ipsi visæ fuerint necessariæ, vt ij sua iura defendant, & præterea facto processu illum publicare: ne aliàs Ecclesiæ, ac delinquenti tollatur defensio, & potestas allegandi in sui fauorem, si quid ipsis occurrat. Ita Farinac. *l.* 1. *consil. cons.* 168. *num.* 64. 42.

Vtrum verò Episcopus in tali cognitione debeat citare non solùm Ecclesiam, seu nomine illius Promotorem fiscalem, sed etiam ipsum reum.

Respond. debere citare vtrumque, Ecclesiam quidem, eo quod agitur de eius præiudicio, *l. de vnoquoque, ff. de re iudic.* reum autem, eo quod immunitas locis sacris concessa delinquentibus directè, & per se competit, vt patet; constat autem, quod, quoties agitur de alterius præiudicio directè, requiritur citatio ad eum condemnandum. Ita Farinac. *supr. n.* 41. *& seqq.* addens *n.* 61. *&* 62. quod si delinquens non citatus spontè compareat, & petat audiri pro defensione sui iuris, omnino audiendus est; ipséque potest, quousque audiatur, se opponere sententiæ Ordinarij declarantis immunitatem ei non competere: cum in tali casu agatur de graui eius præiudicio, & iure naturali cuique competat posse se defendere. 43.

Dubitari etiam potest an Episcopus in tali cognitione stare debeat processui facto à iudice sæculari.

Respond. non debere; cum acta instructoria vnius iudicij in alio non probent, nisi inter easdem personas, in eisdem causis, & ad eundem actum fiant, *cap. inter dilectos*, §. *in omnibus, de fide instrument.* cum tamen iudicium Ecclesiasticum de immunitate respiciat diuersas personas, & diuersam causam ab iis, quæ respiciuntur in foro sæculari; siquidem forum sæculare respicit reum, vt subiectum sæculari iurisdictioni, & vt taliter puniendum pro delicto; forum verò Ecclesiasticum respicit immunitatem Ecclesiæ, eamque tueri procurat: quæ sunt causæ, & personæ longè diuersæ, vt patet. Ita Castr. Pal. *supr. part.* 13. *n.* 9. monens ex Farinacio illud in hoc præcipuè aduertendum esse ab Episcopo, num processus formatus à iudice sæculari fuerit factus, antequam reus ad Ecclesiam recurrerit, & consequenter priusquam ageretur de immunitate, an post; si enim formatus sit ante, tunc non tenetur quidem Episcopus stare illi, debet tamen quam breuissimè testes illos examinare, eúmque remittere iudici sæculari: cum sic nulla falsi suspicio subsit in processu; si verò processus formatus est, postquam reus confugit ad Ecclesiam; tunc non leuem habet suspicionem falsitatis, vtpote factus in defensionem proprij iuris, ac diminutionem iurisdictionis Ecclesiasticæ, & sic Episcopus debet ipse formare processum nouum modo supradicto. 44.

An autem Episcopos sine consensu Prælati regularis extrahere possit ab Ecclesiis Regularium Clericum subditum ad eas post delicta confugientem; dato quod Clericus non gaudeat immunitate contra suum Episcopum.

Respond. non posse extrahere; non quidem ratio-

ne immunitatis Ecclesiæ, quam supponimus hîc non suffragari Clericis contra proprium Episcopum, sed ob exemptionem competentem locis Regularium. Probatur, tum quia Episcopus nullam potest exercere iurisdictionem in loco exempto; cum locus exemptus æquiparetur loco extra territorium, & ius dicenti extra territorium non pareatur impunè; tum quia per hoc, quod monasteria Regularium sunt in diœcesi Episcopi non tollitur eorum exemptio, adeóque sicut nequit punire ibi degentes, sic nec potest eos inde extrahere. Ita Cesped. *de exempt. d.* 118.*num.*6. contra Riccium *part.* 3. *decis.* 316 oppositionem sustinentem ex eo quod locus exemptus est in diœcesi, adeóque in territorio, vnde oritur iurisdictio, *l. pupillus*, § *territorium, de verb. significat.* & loca Regularium, licèt non sint de diœcesi, sint tamen in diœcesi, *cap. cum Episc. de offic. Ordinarij, in* 6. Nec obstat quod sic Episcopus non possit vnquam dare licentiam extrahendi reum ab Ecclesiis Regularium: id enim potest facere, vt Sedis Apostolicæ delegatus, & solùm in casibus expressis in bulla Greg. XIV. superiùs relata

Addit Bordunus *resol.* 7. & ante illum Rodriquez *tom.* 2. *q.* 51 *art.* 1. §. *verùm est*, aoie allegatam Gregorij XIV. bullam Prælatos regulares potuisse sine Episcopi licentia dare facultatem extrahendi reos à suis Ecclesiis; hincque infert Cespedes *supr. n.* 3. Episcopum sine consensu Prælati regularis non debere extrahere reum ab Ecclesia illius, cum sit illius patronus: aliàs de Episcopo iustè conqueri posset.

Quin etiam dantur aliqui casus à Peregrino recensiti *in tract. de immunit. pag.* 212. in quibus Prælati tam regulares, quam sæculares sine licentia Episcopi possunt dare facultatem extrahendi reum ab Ecclesia; etsi tunc statim Episcopo id debeat significari; vt si reus fugiat ad monasterium monialium.

Qværes XXV. An Episcopus antequam tradat sæculari Curiæ reum priuatum immunitate ob delictum exceptum, teneatur exigere cautionem, qua iudex sæcularis promittat se non punitiurum reum pœna sanguinis.

45. Respond. non teneri; cum talis cautio non præscribatur in Constitutione Gregorij XIV. imò in ea præcipiatur delinquentem tradi Curiæ sæculari, & quidem absque periculo incurrendi irregularitatem, aut vllam censuram. Ita Bonac. *supr. n.* 12. aliique apud ipsum.

Qværes XXVI. Quam pœnam, & culpam incurrant ij, qui indebitè extrahunt delinquentem de loco sacro.

46. Respond. incurrere culpam mort. grauissimi sacrilegij, & fieri reos, tum pœnæ capitalis iure ciuili latè, *l. præsenti, C. de his qui ad Eccl. confug.* tum 30. librarum purissimi argenti, *cap. quisquis*, 17. *q.* 4. & 90. *solidorum*, *cap. si quis contumax*, 17. *quest.* 4. tum excommunicationis, non tamen latæ sententiæ, sed ferendæ, *cap. diffiniuit*, 17. *quest.* 4. Ita Bonac. *D.* 3. *de leg. quest.* 7. § 6 *num.* 12. & alij; quamuis aliqui putent modò abolitam esse pœnam, tum capitalem, tum pecuniariam.

47. Difficultas est, an attenta Constitutione Gregorij XIV. taliter extrahentes incurrant excommunicationem latæ sententiæ, & ratio dubitandi est, quod ex vna parte in dicta Constitutione dicitur, *quod si quis quouis prætextu quidquam præter, aut contra huius nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto censuras, & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis, iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros canones, Conciliorúmque generalium, & nostrorum prædecessorum Constitutiones sunt promulgata*, (quod est dicere violatores immunitatis Ecclesiasticæ incurrere excommunicationem, si per sacros Canones, & Concilia lata est: siquidem Papa solùm intendit renouare pœnas antiquas;) ex alia parte nullibi lata est excommunicatio ipso facto contra dictos violatores; idque non est, cur dicamus ipsos incurrere excommunicationem latæ sententiæ; præterquam quod *cap. diffiniuit*, 17. *q.* 4. vbi infligitur excommunicatio ipso facto contra violantes Ecclesiasticam immunitatem, cum sit canon Concilij prouincialis, non obligat extra suam prouinciam, vt notat Nald. *ver. casus reseru. num.* 1. ex Suarez.

Verùm, quamuis Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 7. cum Ambrosino, Mariano, Socino, Turrecr. & aliis relatis à Farinacio *in append. de immunit. cap.* 10. *num.* 312. ex supradictis inferant probabile esse nullam de facto censuram incurri ipso facto ab extrahentibus, stando in iure communi: idque non improbabiliter, præsertim cum pœnæ non debeant ampliari; probabilius tamen est illos incurrere excommunicationem ipso facto; sicut docent Bonac. Moral. Ital. & Farinac. relati à Castro Palao *supr. part.* 12. *n.* 3. (cum quibus sentit Nald. *vb. supr.*) id probantes, tum quia alioqui in Const. Greg XIV. inutiliter apposita fuissent illa verba, *ipso facto*, quod non est dicendum: tum quia sic declararunt Clement. VIII. Paulus V. & sacra Congregatio, prout referunt citati Doctores. 48.

Quod si detur incurri excommunicationem ab extrahentibus; eam incurrent tum iudex, qui mandat delinquentem extrahi, aut extractum non restitui; tum satellites executores, & quilibet alij concurrentes ad extractionem; hi namque omnes procedunt contra Constitutionem Gregorij XIV. & sunt causa violentiæ, siue præcipua, siue minùs principalis. Ita Praxis Archiep. *cap.* 16. *n.* 7. Farin. *n.* 314. & alij, inter quos Bonac. *d.* 1. *de censur. in partic. q.* 3. *p.* 16. §. 12. *n.* 3. putat non esse improbabile Episcopum concedentem, vt reus extrahatur in casu nostro excepto, non incurrere præfatam excommunicationem: quippe quæ videtur imposita contra violantes immunitatem per realem extractionem, non item contra Episcopum dantem facultatem extrahendi. Quin addit Bonac. §. 14. *n.* 12. cont. Gambacurt. Episcopum, aut eius Officialem non affici dicta excommunicatione, si denegent licentiam extrahēdi reum, etiam vbi constat eum non gaudere immunitate: si quidem Episcopus in tali casu non violat immunitatem, sed potius eam nimis seruat. 49.

An autem Episcopi, aliique Prælati Ecclesiastici subijciantur tali excommunicationi, si ipsi extrahant, aut extrahi faciant aliquem contra formam Constit. Gregorij XIV.

Respond. non incurrere, si id faciant quatenus vtuntur auctoritate Ecclesiastica, siue ordinaria, siue delegata; incurrere verò, si id faciant, quatenus vtuntur potestate laica: vt si Episcopus habeat dominium aliquod temporale, aut sit Officialis Principis. Ita Bonacina *num.* 11. contra Gambacurtam, patétque quia in priori euentu militant rationes allatæ *quæst.* 16. in posteriori verò euentu, Episcopi agunt vt laici, sicque subduntur communi iuris dispositioni. 50.

Qværes XXVII. An Regulares violent immunitatem, & subdantur præfatæ excommunicationi, aliisque pœnis, si reos ad ipsorum Ecclesias, aut monasteria confugientes expellant.

Respond. violare; & probatur tum ex *c. miror*, 17. *quest.* 4. & aliis iuribus relatis à Pasqualigo *decis.* 469. *num.* 1. 51.

num. 1. tum quia dans immunitatem alicui loco dat etiam ius omnibus qui indigent, vt ad eum confugere possint; expellens autem ab illo aufert tale ius. Vnde infert Pasqualigus num. 5. Regulares non posse expellere reum cõfugientem ad Conuentum, ipsum reiiciendo ad Ecclesiam; cum ille habeat ius recurrendi tam ad Conuentum, quàm ad templum.

Concedo tamen, quòd si reus, qui confugit ad Conuentum, immodestè se gerat, quietem Religiosorum perturbans, damnumve illis inferens, tunc posset expelli: cum ius seruandi propriam habitationem sine turbatione sit naturale: sicque præferri debeat iuri Ecclesiastico, quod habet reus confugiendi ad Ecclesiam, ne aliàs quod Religiosis conceditur in fauorem, retorqueatur in dispendium. ita Pasqualigus *decis.* 470. mones *decis.* 471. quòd si reus confugiens non habeat vnde alatur, & victum labore sibi parare nequeat, debet sustentari ab Ecclesia, ad quam recurrit; etsi postea ille teneatur ad refectionem expensarum, ac impediri possit, ne recedat, nisi data cautione de dicta refectione. de qua de re Farinacius *de immunit. cap.* 19. *num.* 196. *Sylu. v. immunitas* 3. *num.* 5.

52. Addo præterea videri esse probabile in casu, quo precibus aut subdolis verbis Religiosi dimittant reos ad eorum templa, & monasteria confugientes, cum sciant illos à satellitibus ipsos extra præstolantibus, statim capiendos esse: probabile, inquam, esse in tali euentu non violare immunitatem, & consequenter nec subiici pœnis latis contra illos violatores. Moueor, quod Suarez *supr. n.* 2. docet non violari immunitatem, si iudex reum, qui confugit ad locum sacrum, blanditiis, & promissionibus roget, vt secum exeat, sicque reus de facto exeat voluntariè, & absque vlla coactione: non enim adest violatio immunitatis sine interuentu violentiæ; vt constat ex *cap. inter alia, de immun. Eccles.* & ex aliis iuribus, in quibus expressè dicitur, *non est violenter extrahendus*: hæc autem ratio si locum habet in iudice (vti verè habet etiam secundùm alios relatos à Diana *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 16.) sine dubio locum habebit in Religiosis, quoad præsentem casum; cum neque ipsi in tali euentu reum violenter extrahant: etsi eum modo dicto dimittant. ita docti viri consulti.

Quid verò faciendum sit in casu, quo reus confugiat ad Ecclesiam aliquam Monialium, ibique non possit morari sine periculo scandali, eo quòd aliquam dictarum Monialium turpiter adamet.

53. Respond. in tali casu reum potestate Ecclesiastica eiiciendum esse à dicta Ecclesia, & transferendum in aliam Ecclesiam, in qua tutus manere possit; sic quippe, & occurritur periculo scandali, & consulitur indemnitati delinquentis, & seruatur ius Ecclesiasticæ immunitatis; quare & hoc idem faciendum erat, estò nullum periculum proximum scandali subesset: adhuc enim adesset iusta ratio id præstandi, tum ad tollendum quodcumque periculum, etiam remotum; tum ad consulendum pudicitiæ, ac decori ipsarum Monialium. qua de re consulantur dicta in nostro *tract. de Monial. cap.* 3. *sect.* 3. *q.* 19.

54. Addit Nald. *v. immunitas*, Regulares permittentes in suis Ecclesiis, aut monasteriis capi reos à ministris iustitiæ sæcularis non exhibentibus expressam Episcopi licentiam cum interuentu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, si sequatur mors, aut mutilatio eorumdem reorum, effici irregulares, nec excusari ratione promissionis, aut fidei per iudicem laicum datæ: siquidem id apertè repugnat Constitutioni Gregorij XIV. vt aduertit Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 50. *art.* 3. & 5. sentiens cum Naldo, quos sequitur Homobon. *tract.* 13. *cap.* 12. *q.* 25. *§. vlt.*

Addo ego Regulares non subesse præfatæ excommunicationi, si solùm non obstent indebitæ extractioni Rei è proprio monasterio, cum possint obstare. Ducor, tum quia non obstanti cùm solùm teneatur ex charitate, non imputantur alia damna nec imponuntur aliæ pœnæ: tum quia id non est iure expressum, & aliàs sumus in materia pœnali, quæ non debet ampliari: tum quia quod dicitur eos delinquentibus fauere, interpretamur, qui cum possint manifesto facinori desinunt obuiare; debet explicari de præsumptione fori externi, in quo iudicatur excommunicatus, qui facilè, & commodè valens impedire non impedit; aut debet intelligi de eo, qui non impediuit, eum teneretur ex iustitia: vt in simili notat Bonac. *de censur. in comm. D.* 2. *q.* 4. *p.* 3. *n.* 5. ex Molina, & aliis. Vnde infero non incurrisse hanc excommunicationem Prælatum monasterij, qui cum ex officio teneatur seruare ius immunitatis in suo monasterio, non impedit extractionem Rei ibi latitantis; cum non appareat, quo iure probati possit Prælatum monasterij teneri ex iustitia impedire dictam extractionem; & per hoc, quod dicitur, teneri ex officio impedire extractionem Rei, importetur solùm ipsum teneri ex officio seruare ius immunitatis, non respectu Rei confugientis ad monasterium, sed respectu monasterij, cuius cum sit Superior, tenetur seruare iura: ita vt hæc obligatio ex officio sit debita non Reo, sed monasterio, vt in simili ostendit Sanchez *lib.* 1. *mor. cap.* 6. *n.* 5.

QVÆRES XXVIII. An supradicta excommunicatio, & aliæ pœnæ latæ contra violantes immunitatem Ecclesiasticam incurratur etiam effectu non subsecuto, sed solùm attentato.

Respond. incurri, etiam effectu solùm attentato, id est, delinquente non extracto, sed solùm attentato extrahi; dummodo attentatio reducta fuerit ad actum proximum extractionis (vt si dedisti mandatum, & mandatarius iam illud acceptauit: si Ecclesiam clausam tentasti aperire, aut delinquentem inde extrahere, estò ob resistentiam non potueris:) sic enim est effectu contra tenorem Constitutionis Gregorij XIV. attentare præsumpsisti: cum tamen in ea dicatur: has pœnas incurri ab iis, qui contra eius tenorem attentare præsumpserint. ita Farinac. *supr. cap.* 10. *num.* 321. Menoch. *de arbitr. casu* 350. *n.* 68. & alij. 55.

QVÆRES XXIX. Quis possit absoluere ab ista excommunicatione.

Respond. quod quamuis non desint plures DD. asserentes cum Farinacio *supr. num.* 315. solum Papam posse ab ea absoluere: idque iuxta Naldum *suprà* ex stylo Curiæ; probabile nihilominùs putant Bonac. Praxis Neapolit. *cap.* 17. *num.* 3. & *seqq.* posse ab ea absoluere Episcopum, & quemcumque alium Confessarium ex eius facultate: probántque, quia ea nullibi reperitur reseruata; non enim reseruatur in Extrauagante Pauli II. *de pœnit. & remiss. cap.* 3. vbi inter casus reseruatos Sedi Apostolicæ ponitur offensio facta libertati Ecclesiasticæ: cum ibi solùm reseruetur violatio libertatis Ecclesiasticæ generaliter, sub qua tamen in rigore non includitur immunitas (de qua hic agimus) cum libertas referatur ad personas, & immunitas ad loca: vnde fit, vt pœnæ latæ contra violatores libertatis Ecclesiasticæ non afficiant violatores immunitatis. præterea in decreto Clem. VIII. edito super casuum reseruatione prohibetur quidem omnibus Confessariis, ne virtute priuilegiorum absoluant 56.

absolnant à violatione immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constit.Gregor.XIV. non ideò tamen reseruatur tale crimen, vt ab eo non possint absoluere Ordinarij: cum Papa in præfato decreto non intenderit minuere facultatem Ordinariis, sed potiùs augere, ac promouere: alioqui post tale decretum ij non possent ampliùs absoluere ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici leuem; quod ex falsum; denique in Bulla Cœnæ non fertur censura aduersus violatores immunitatis, sed libertatis Ecclesiasticæ & non cuiuscumque sed specialis: ideóque pœnæ in dicta bulla contentæ non afficiunt violatores immunitatis; quantumuis Greg.XIV. in sua Constit. hìc explicata dicat violatores immunitatis incurrere ipso facto censuras latas contra violatores libertatis, iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ: siquidem ibi libertas, ius, ac immunitas sumontor tanquam synonima, & apponuntur solùm ad maiorem claritatem; præterquam quod in Constitutione Gregorij XIV. expresſè renouantur solùm censuræ, non autem reseruatio, ideóque non manent ibi reseruatæ: cùm reseruatio non præsumatur, nisi expresſè fiat, *cap. nuper, de sent. excommunic.* Quæ omnia videntur esse probabilia, modò non obstet stylus Curiæ, qui sine dubio seruandus est. De Regularibus certè aliàs priuilegiatis indubitatum est illos non posse absolnere à tali excommunicatione; cum quoad eam ipsis ablata sit facultas per decretum Clementis VIII. paulò ante allegatum.

Qværes XXX. An Constitutio Greg.XIV. hìc explicata obliget vbicumque, & quidem etiam vbl non est acceptata.

57. Respond. obligare; patétque, quia in dicta Constitut. irritum redditur, quidquid secùs actum fuerit: constat autem contra Constitutionem, in qua apponitur clausula irritans, non posse allegari vsum, imò nec contrarium vsum; sicuti notant plures Canonistæ apud Farinac. *supr. cap.2.n.15.* Ita Bonac. *D.2. de censur. in partic.quæst.3.part.16. §.15.n.3.* contra alios relatos à Farinacio *supr. num.16.*

Qværas XXXI. An dicta Constitutio Gregorij XIV. deroget in communi, & cuicumque consuetudini.

58. Respond. derogare. Ita Filliuc. *tract.15.num.153.* aliique penes Dianam *part.1.tract.1.resolut.1.* contra Gambacurtam aliosque ab ipso Diana relatos; patet autem responsio, tum ex dictis *quæst.6.§.quod si*, tum quia id ipsum statuit Clemens VIII. in quodam Breui dato Romæ 6. Febr.1597. Archiepiscopo Panormitano, in quo deciditur aliquos delinquentes, qui per industriam, & insidias hommicidium commiserant, debuisse gaudere immunitate Ecclesiæ vigore Constitutionis Gregorij XIV. quod est dicere per Constitutionem illam correctum fuisse ius commune, quo statuebatur tale crimen non gaudere immunitate, *cap 1. de homicid.*

Qværas XXXII. An, & quando rei recurrentes ad Ecclesiam, tradi possint, & debeant iudici sæculari.

59. Respond. cùm distinctione: vel enim illi confugiunt in casibus exceptis; & sic possunt, & debent tradi; cum tunc immunitas ipsis non prosit, & alioqui Greg.XIV. in sua Constitutione præcipiat expresſè, vt Prælati, & Superiores Ecclesiæ tradant delinquentes Curiæ sæculari, si à dicta Curia requirantur: de mandato tamen Episcopi: sicut diximus *quæst.23.* vel confugiunt in casibus non exceptis; & tunc nec possunt, nec debent tradi Curiæ sæculari, nisi ipsimet consentiant: idque etsi iudex securitatem præster de ipsorum impunitate; quod est contra Suarez *supr. cap.33.* & alios sustinentes reum in tali casu posse, & debere tradi Curiæ sæculari, recepto priùs iuramento de securitate pœnæ corporalis. Ratio autem nostra est, quod reus in casibus non exceptis gaudet immunitate; immunitas autem in eo consistit, vt reus extrahi non possit inuitus ab Ecclesia, ac iudicari. Ita Castrus Palaus *supr.part.13. num.1. & 2.* ex Farinacio, & Abbate monens *num.3.* ex ipsa Constitutione Gregorij XIV. quod si in casibus exceptis Episcopus, eiusve Officialis requisiti à Curia sæculari culpabiliter recusent tradere delinquentem, aut interuenire capturæ, vel carcerationi (sicut debent) possunt tunc laici memores reuerentiæ debitæ Ecclesiæ, & locis sacris, delinquentem extrahere minori, quoad fieri poterit, scandalo, ac tumultu, sicque extractum ducere ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ, ibique illum reponere, imò & opportuna custodia sub tuto, & firmo carcere detinere.

Vtrum verò in casibus clarè exceptis possit iudex sæcularis, inconsulto Episcopo, extrahere delinquentes ab Ecclesia, saltem ex consuetudine.

60. Respond. non posse, stante Constitutione Gregor.XIV. id districtè prohibente; cum aliàs iure communi posset, vt tradunt Suar. *tom.1. de relig.l.3. cap.13.n.1.* Couar. *2. var.cap.20.n.18.* & alij; quod tamen negant alij apud Castr.Pal. *supr. n.5.*

Maior difficultas est, an iudex laicus possit propria auctoritate extrahere ab Ecclesia reum ad illam confugientem in casu non excepto, animo petendi statim licentiam à Papa ad eum retinendum, illúmque interim retinendo nomine Papæ, & tanquam eius captiuum: quod audio aliquando fuisse factitatum à quodam Principe.

61. Respond. non posse, nisi fortè ageretur de iusta defensione necessaria bono communi (qui tamen casus rarò contingere potest; moueor, quod Gregor.XIV. in sua Constit. *Cum aliàs*, absolutè, ac generaliter prohibet, ne reus extrahatur è loco sacro, nisi in casibus ab ipso ibi exceptis, ac expressis (inter quos tamen non est præsens casus:) lex autem generaliter loquens generaliter intelligi debet; ex alia parte si aperiatur hoc ostium iudicibus sæcularibus, actum est de immunitate Ecclesiastica: cum non sit maior ratio, cur illud fieret in vno casu, quam in alio, loquendo de casibus grauioribus: sicque præfati iudices, aut semper, ac ferè semper existimarent iustam causam subesse practicandi illam doctrinam. Ita docti viri consulti.

Addo in dubio, an reus gaudeat immunitate, non esse extrahendum ab Ecclesia, aut monasterio: cum in dubio melior sit conditio possidentis, & in dubio nemo spoliandus sit iure suo: præterquam quod in dubiis benigniora præferenda sunt, *l. semper, ff. de regul.iur.*

Sectio II.

De Priuilegio exemptionis concesso Regularium Ecclesiis, quoad Ordinariorum iurisdictionem.

62 *Regulares non construunt Oratoria, ac Ecclesias sine consensu Ordinarij.*
63 *Etsi hoc non procedat in aliquo casu, qui refertur.*
64 *Ordinarius non potest impedire, quin fundator Ecclesia illam exornet: Regularibus construi potest Ecclesiam sine dote.*

65 *Regulares*

65 *Regulares erigunt Oratoria priuata sine licentia Ordinarij.*
66 *Possunt ab vno loco ad alium transferre suas Ecclesias.*
67 *Benedicunt solemniter suas Ecclesias, Oratoria, ac Cæmeteria.*
68 *Sine licentia Ordinarij curant suas Ecclesias consecrari ab alieno Episcopo, sed aliquibus seruatis.*
69 *Possunt reconciliare suas Ecclesias pollutas, etiam consecratas; at reconciliatio Ecclesiæ benedictæ est diuersa à reconciliatione Ecclesiæ consecratæ.*
70 *In materia præsenti spectatur Episcopi absentia, etiam in materialis.*
71 *Facultas reconciliandi Ecclesias competit etiam Prælatis localibus.*
72 *Ecclesia polluitur quinque modis, qui referuntur: nempe per effusionem sanguinis humani iniuriosam, & notabilem, non fluentem è naribus; idque & in casu, quo digitus quasi cadatur, sed non omnino: item per homicidium iniuriosum, etiam sine sanguinis effusione: item per effusionem humani seminis extra actum coniugalem habitum in vrgente necessitate; at hæc effusio debet esse notoria; indicatur, quid hic veniat nomine Ecclesiæ, vt ea polluatur per effusionem sanguinis, aut seminis humani: polluta Ecclesia subterranea (Itali vocant le confessioni) polluta censetur etiam Ecclesia superior; secus, si Ecclesia aliqua totalis constet ex pluribus Ecclesijs, quasi partialibus, propè positis, sed inter se distinctis, & in vna earum effundatur sanguis: polluitur Ecclesia, si fiat, homicidium intra sepulturam in ea posita; secus, si ex ictu sclopi contra prohibitionem Superioris in Ecclesiam delati per accidens in ea sequatur homicidium; item polluitur Ecclesia per sepulturam hominis excommunicati vitandi; secus per sepulturam hominis nominatim interdicti: item per sepulturam infidelis, & quidem etiam paruuli: non item per sepulturam hæretici: polluto altari polluitur Ecclesia.*
73 *Ordinarij non visitant Ecclesias Regularium.*
74 *Et, si quod habent ius visitandi, debent illud exhibere.*
75 *At visitant Capellas Confraternitatis erectas in Ecclesia Regularium.*
76 *Non visitant Oratoria Regularium rustica, etsi habeant Campanam in turri.*
77 *Nec Sanctorum reliquias positas in Regularium Ecclesijs; etsi eæ ab Ordinario debeant approbari, priusquam exponantur, nisi sint approbatæ per Bullam Apostolicam, aut attestationem Episcopi, à cuius diœcesi ea transferuntur (etsi debeant examinari, an sint illæ eadem:) reliquiæ Sancti canonizati mixta cum reliquijs Sancti non canonizati non exponenda publicè: Reliquiæ approbari possunt extra diœcesim approbantis: earum approbatio facienda de consilio Theologorum, non autem de eorum consensu: si oriatur de ijs grauior quæstio, eius decisio spectat ad Concilium Prouinciale: ad priuatam earum venerationem sufficit eas tradi à viro pio, ac fideli: eatenus possunt à laicis.*
78 *Regulares in suis Ecclesijs exponunt imagines ab Episcopo non benedictas.*
79 *Sine eius licentia publicè exponunt Eucharistiam, saltem in multis locis.*
80 *Certè hæc licentia non petitur, vt Religiosi Societatis eam exponant in triduo Bacchanalium.*
81 *Regulares olim exhumabant cadauera de vno in alium locum sine licentia Ordinarij.*
82 *Eo contradicente, in suis templis pias faciunt representationes.*
83 *In ijs habent literarias disputationes, & recipiunt lauream Doctoratus.*
84 *In ijs admittunt puerperas ad purificationem.*
85 *Admittunt Sacerdotes extraneos ad celebrandum, etiam contradicente Ordinario.*
86 *Qualibet hora debita celebrant Missam.*
87 *In die Sabbati Sancti non pulsant liberè campanas.*
88 *Intra suas Ecclesias liberè faciunt Processiones, sed non extra.*
89 *In ijs non mutant ritum Religionis occurrente festo diœcesano.*
90 *Non possunt cogi denunciare festa, ac ieiunia.*
91 *Quoad munus concionandi subsunt Ordinario.*
92 *Non item, quoad Sacramentorum administrationem.*
93 *Erigunt baldachinum in suis templis.*
94 *Possunt & cogi illud erigere ad vsum proprij Episcopi; non tamen, quo die ij habent ius illud erigendi ad proprium vsum: erigunt pro Episcopo alieno de licentia proprij Ordinarij.*
95 *In eorum templis Episcopus facit suos Canonicos canere Missam Rogationum.*
96 *Non possunt celebrare in altari, quo die Episcopus ibi celebrat.*
97 *Tenentur denunciare censuras, ac interdicta, eaque seruare, stando in iure communi; quod non procedit quoad interdicti obseruantiam.*
98 *Idque ex priuilegijs, quoad hoc ijs concessis, & non reuocatis sufficienter: referuntur autem varia priuilegia Regularibus concessa pro tempore interdicti: illi olim celebrabant in suis templis tempore cessationis à diuinis.*
99 *Episcopus in Regularium Ecclesijs nequit erigere Cathedram, ac Tribunal.*
100 *Non potest punire delinquentes in Monasterijs Regularium ibi actu existentes, & quidem nec in casu, quo transeant ad locum non exemptum, si delinquerunt contra ius positiuum.*

QVÆRES I. An, & quomodo Regulares possint ædificare Ecclesias, & Oratoria absque consensu proprij Ordinarij.

Respond. non posse, si ea ædificent in loco non exempto, & Ordinarius loci non recuset ponere primarium lapidem intra 4. menses. Colligitur apertè ex *c. auctoritate, de priuil. in 6. c. cum olim, 2. de priuil. & cap. nemo, de consecr. d. 1.* vbi Glossa notat in casu, quo construenda sit Ecclesia, debere Episcopum diœcesanum designare locum ædificationis, figere crucem, & ponere primarium lapidem; idque ex communi DD. interpretatione, quamuis textus expressam mentionem non faciat de ponendo primo lapide ab Episcopo: vt notauit Barbos. *de offic. Episc. alleg. 26. n. 2.* addens ex Azor. *p. 2. l. 9. c. 3. q. 4.* posse Episcopum dicta præstare etiam per alium, &, si absque causa rationabili renuat ponere primarium lapidem, ac suum consensum præstare, posse ad id compelli auctoritate Archiepiscopi, aut Primatis. Imò Tambur. *tom. 1. de iure Abb. D. 22. q. 9.* notat ex indulto Celestini V. confirmato ab Eugenio IV. in bulla: *Ad decorem,* relata à Rodriq. *in bullar. Constit. 18.* Eugenij IV. concessum fuisse Priori S. Spiritus de Sulmona Ordinis Cælestinorum, vt in ædificandis Capellis, Ecclesiis, aut hospitalibus primum lapidem, & fundamenta more pontificali ponere possit; nomine Prioris venientem Generali totius Ordinis: dicitque hoc indultum esse in vsu apud Abbates regulares. 62.

Dixi, *& Ordinarius loci non recuset ponere,* &c si enim is requisitus à Regularibus vltra 4. menses differat id facere, possunt Regulares id facere per quemcumque Episcopum ex indulto bullato Pauli III. 63.

II 3 concesso

concesso Societati Iesu, & relato in bullario ipsius Soc. fol. 39. his verbis: *Et Ecclesias praedictas cum caemeterys benedici, aut consecrari facere, ac primum lapidem poni per quoscumque Episcopos, si Diaecesani vltra quatuor mēses id facere distulerint, posse decernimus, inhibentes omnibus, & singulis Episcopis, Archiepiscopis, alijsque Ecclesiarum Praelatis, & locorum Ordinarijs, ac quibusuis alys potestatibus Ecclesiasticis, & secularibus, illis nihilominus mandantes, ne ipsos Socios* &c. *adificare volentes, quoquo modo in huiusmodi constructionibus impediant, perturbent, aut molestent.* Circa cuius priuilegij concessionem aduerto illud non videri sublatum fuisse per Concilium Trid. *sess.25.c.3. de regul.* dum ait, *Nec de caetero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta*; si quidem Concilium loquitur solùm de Monasteriis construendis; vt colligitur ex verbis ibi paulo ante praecedentibus, *in praedictis autem Monasterijs, & domibus*; in odiosis autem non valet illatio à diuersis: vnde dispositio facta de monasteriis non debet ampliari ad Ecclesias, cum expressè loquatur solùm de monasteriis.

64. Addit Barbosa ex quadam decisione Rotae non posse Episcopum sine causa rationabili impedire, quo minùs fundator, & patronus Ecclesiae eam sufficienter dotatam ad augmentum diuini cultus dilatet, & sumptuosis aedificiis exornet; cum sic cessent rationes, ex quibus ad nouam Ecclesiam aedificandā, aut funditus destructam reficiendam requiritur Episcopi consensus: ne scilicet Ecclesia construatur, aut reficiatur sine dote competente, aut certè aliquod inferatur praeiudicium aliis Ecclesiis. ita Barbosa monens Episcopi consensum in praesenti materia requisitum non necessariò debere esse expressum, sed sufficere, quod sit tacitus, & quod praestetur post ipsam Ecclesiam constructam.

Moneo hic vnum obiter, quod, quamuis *in cap. nemo, de consecrat.* non possit aedificari, aut construi Ecclesia absque competenti dote; vt notauit Sylu. *v. Eccles.2.num.3.* id tamen non procedit, quoad Religiosos Mendicantes ex antiqua consuetudine; siue quia sic intellecta sunt ipsorum priuilegia, vt aduertit idem Syluester *num.4.*

65. Possunt praetereà Regulares ex priuilegio bullato Gregorij XIII. concesso Soc. Iesu, & relato *in bullario ipsius Soc. fol.* 143. erigere Oratoria priuata, seu domesticas Capellas in suis domibus, collegiis, aliisque locis, vbi aliqui illorum resident: idque absque Ordinarij, aut alterius facultate; dummodò Prouinciales (aut si in aliquo Ordine non extent Prouinciales, Generalis) talia Oratoria per se approbent, & ad diuinum duntaxat cultum deputent; verba autem priuilegij sunt ista: *Volumus, vt in Oratoriis, & Capellis, quae Societatis Prouinciales per se in domibus, Collegiis, & alys locis, vbi aliqui Societatis resedebunt, approbauerint, & ad diuinum duntaxat cultum deputauerint, Missae, & alia diuina Officia, alterius licentia desuper minime requisita, celebrari possint.* Quod priuilegium vtique est commune etiam Religiosis aliorum Ordinum participantibus de priuilegiis Societatis, & est clarum, si monuero hanc deputationem debere fieri à Prouinciali per se (etsi cum limitatione posita *tract.6.cap.6.num.22. §. quod si,*) & verba illa, *vbi aliqui Societatis resedebunt*, explicari posse, vt extendantur etiam ad loca Religiosorum, in quae illi se recipiunt, siue per modum hospitij, siue ad visitandos proprios agros, siue alia simili de causa: idque ex consuetudine Societatis sic ampliantis verbum *residere*, sicque interpretantis tenorem talis concessionis, & benè, cùm consuetudo sit optimus legum interpres, qua de re *supr.c.2.n.95.*

QVAERES II. An Regulares possint transferre suas Ecclesias, aut Oratoria de vno loco in alium absque consensu, tum Papae, tum Ordinarij.

Respond. olim potuisse, vrgente iusta causa: & hoc ex priuilegio tum Sixti V. concesso Benedictinis, teste Miranda *tom.1.Manu.quaest.35. art. 2.* tum Leonis X. viuae vocis oraculo Fratribus Minoribus facto cum facultate locum Prioris Ecclesiae reducendi ad vsus humanos, collocata tamen materia aedificiorum in alia Ecclesia; hodie verò videri non posse, tum quia priuilegium Leonis X. est viuae vocis oraculum, & consequenter reuocatum (quale fortassis etiam est indultum Sixti V.): tum quia translata Ecclesia necessariò debet transferri etiam monasterium ipsi annexum, cum ea debeant esse propinquiora ad commodiorem illorum vsum: constat autem in praesentia non posse Regulares absque Episcopi dioecesani licentia erigere nouum monasterium, stante Constit. Vrbani VIII. quam refert Lezan. *tom. 1. cap. 9. num.* 34. & nos explicabimus *infra.cap.7.sect.2. quaest.* 2. vbi agemus de erectione monasteriorum. 66.

QVAERES III. An Regulares possint solemniter benedicere proprias Ecclesias, Oratoria, ac Caemeteria sine licentia proprij Ordinarij.

Respond. posse ex indulto bullato X. concesso Minoribus de Obseruantia, & relato *in Comp. Mendicantium, v. benedicere, num.14.* quod quamuis non constet fuisse reuocatum, non videtur tamen esse in vsu, saltem in hisce nostris regionibus: cum passim videamus Ecclesias Regularium recenter constructas benedici solemniter ab Ordinario loci ad id per ipsos Regulares accito. Imò *in Comp. Societatis, v. benedicere*, relato tali priuilegio apponuntur haec verba, *Hac facultate vti possunt omnes praedicti* (nempe Praepositi, ac Rectores) *non tamen publicè, nec nisi* Ordinarij abessent, aut id grauate *facerent*: idque ad vitandam ipsorum Ordinariorum offensionem; si quidem multa licent, quae non expediunt. 67.

QVAERES IV. An Regulares possint curare, vt ipsorum ecclesiae consecrentur à quolibet Catholico Episcopo sine licentia proprij Ordinarij.

Respond. olim potuisse ex priuilegio Leonis X. concesso Fratribus Minoribus viuae vocis oraculo; nunc verò non posse; cum tale priuilegium fuerit post restrictum ab eodem Leone in Concilio Lateranensi, & quidem per bullam, vt videre est apud Casarub. *in Comp. supr. num.15.* restrictum, inquam, ita vt Regulares non possint eo vti, nisi bis Ordinarius bis, aut ter cum debita reuerentia requisitus sine legitima causa renuerit quo pacto istud priuilegium est magis amplum eo, quod *quaest.1.* diximus fuisse concessum Societati ad eumdem effectum; sicut patet ex verbis ibi relatis, *Si Dioecesani vltra 4. menses id facere distulerint*; Quamquam in vsu talis priuilegij quammaximè cauenda sit offensio Ordinarij, ne inde sequantur mala longè grauiora: praesertim attento decreto Concilij Trid. *sess.6.cap.5.de reform.* quod ait: *Nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia*; quod tamen non facit, quin supradictum priuilegium Leonis practicari possit: cum ex vna parte decretum Concilij Trid. non neget Episcopos posse vi iuris communis praefata praestare, sed solùm quod ea facere non possint virtute cuiusuis priuilegij: ex alia parte concessio haec Leonis non sit priuilegium, sed ius commune, vt constat *ex cap.1.de suppl.neglig.Praelat. & cap.nihil est §.vlt.de elect.* & notant Rodriq. *tom.5. quaest.19.* 68.

quæst. 19.*art.*4.& Miranda *tom.*2.*manu.quæst.*39.*art.*1. à quibus dissentit Peyr.*tom.*1.*priuileg.Constitut.*1. Iulij I *Lnum.*46.

QVÆRAS V. An, & quo modo Regulares sine licentia proprij Ordinarij possint reconciliare proprias Ecclesias pollutas.

69. Respond. posse, siue Ecclesia esset solùm benedicta (hanc enim quilibet Sacerdos simplex potest reconciliare aqua à se benedicta, iuxta *cap. vlt. de consecrat. altaris*, sicque multò magis id poterit facere Prælatus regularis longè maiorem habens potestatem, vt notat Portel. *de dub.regul.v.Ecclesia in addit. num.*1.) siue etiam esset consecrata: ad id enim habent priuilegium concessum à Leone X. & adductum à Casarub. *supra*; eum onere tamen adhibendi aquam benedictam à proprio Ordinario, si is non distet duabus diætis (idest 40. milliaribus) vel certè, si ille distet vltra duas diætas, benedictam ab ipsumet Prælato regulari (quod etiam putat Miranda *sup.a.*8. habere locum in casu, quo Sedes Episcopalis vacet.) ita Laym. *l.*5.*tract.*5.*cap.*5.*num.*11. Henriq.*l.*9.*cap.*27. *num.* 6. & Rodriq. *tom.*1.*q.*19.*a.*6. quos sequuntur Graff. & Nauar. apud Dianam *par.*4. *tract.*4.*resol.*91. quamuis tandem Laym. ipse dicat decens esse, imò & consuetum, vt priùs res Episcopo significetur, quam ecclesiam Præsbyter (dicito tu, Prælatus Regularis) reconciliet, si fortè ecclesia violetur extra Missæ sacrificium.

Monet autem *Confect. in summa priuileg. tit.* 16. *cap.* 5. ad reconciliandam quidem Ecclesiam consecratam requiri aquam benedictam cum vnio, ac cinere: ad reconciliandam verò ecclesiam solùm benedictam sufficere aquam benedictam cum solo sale.

Addo ego proprium Ordinarium censeri distare in præsenti materia, etiamsi in diœcesi existat eius Vicarius generalis; alioqui cum Episcopi numquam relinquant suam diœcesim sine actuali assistentia, siue sui, siue Vicarij alicuius generalis: numquam verificaretur aquam benedictam, qua debet reconciliari Ecclesia polluta, posse benedici à Prælato regulari (vti conceditur in priuilegio) vnde & inutilis esset illius concessio; quod est omninò alienum à ratione priuilegij, quod debet concedere aliquid vltra ius commune, vt notant DD. communiter.

Difficultas modò est, an priuilegium reconciliandi Ecclesias pollutas competat omnibus Prælatis regularibus, etiam localibus, imò & Regularibus nullam prælationem habentibus.

Respond. competere omnibus Prælatis regularibus, etiam localibus, & quidem independenter à Capitulo generali (quod negat Passarell. apud Peyrinum *in rituali Minim.fol.* 138.;) aliis verò Religiosis prælatum non habentibus solùm ex beneplacito Capituli generalis. ita Casarub. *in Comp.v. benedicere,num.*14. vbi sic habet: *Leo X.concessit Generalibus, Prouincialibus, Custodibus, & Guardianis Fratrum Minorum Obseruantiæ pro tempore existentibus, vt omnia, & singula eiusdem Ordinis, etiam Obseruantiæ ecclesias, cœmeteria, &c. solemni benedictione valeant benedicere; & voluit, quod hoc idem possint alij Fratres eiusdem Ordinis, quoad hoc in Capitulo generali deputati fuerint.* cum Casarubio sentiunt Rodriq.*sup.a.*2. & Miranda *tom.*2.*q.*40. *a.*2. dissentiunt verò Passarel. *de priuil. notab.* 19. & Peyr. *sup. fol.*140. ea ducti ratione, quod cum Leo X. in concessione talis priuilegij dixisset facultatem reconciliandi ecclesias pollutas concedi Generalibus, Prouincialibus, Vicariis, Custodibus, ac Guardianis, pro tempore existentibus: paulò post subdit, *Ac etiam per Vicarium, seu Guardianos, aut alios ad hoc à vobis in vestris Capitulis generalibus prouidè deputandos benedicere, &c.*; quod est, inquit Passarelius, facultatem prius absolutè concessam Guardianis restringere sub beneplacito Capituli generalis: cum tamen verba illa, *à vobis in vestris Capitulis generalibus prouidè deputandos*, referantur non ad Guardianos, sed ad alios Fratres, quibus stando in concessione Leonis, dicta facultas non competit, nisi ad id deputati sint à Capitulo generali.

Qua occasione placet hic notare aliqua de pollutione Ecclesiarum, vt Regulares expeditè, ac securè possint in casibus occurrentibus iudicare, an Ecclesia egeat reconciliatione, necne.

Noto igitur 1. Ecclesiam posse quinque modis pollui; nimirum per effusionem sanguinis humani, per homicidium iniuriosum; per voluntariam seminis humani effusionem; per sepulturam hominis excommunicati; per sepulturam hominis infidelis (*i.* Pagani non baptizati.) Addunt aliqui sextum modum; quando Ecclesia ab Episcopo excommunicato consecratur, aut benedicitur; at alij communiter reiiciunt, vtpote in iure non fundatum.

Noto 2. Ecclesiam pollui per effusionem sanguinis humani, si tea si iniuriosa, & in quantitate notabili, non proueniente è naribus causaque effusioni detur in ipsa Ecclesia: vnde, si quis vulneretur extra Ecclesiam, & accepto vulnere illam ingrediatur, ibique sanguinem effundat, non ob id polluitur Ecclesia; vt inter alios aduertit Cardinalis de Lugo *D.*20. *de Euchar. num.*52. addens non requiri, vt vulnerans sit in Ecclesia: Quod si vulneratus in Ecclesia effundat sanguinem extra illam, aut intra illam, sed intra aliquod vas, adhuc Ecclesia polluitur, teste Fagund. *præc.*2. *Eccl.l.*4.*c.*4. *num.*16. qui ait *num.*17. id procedere etsi Martyr causa Christi in loco sacro occidatur, aut suspendatur, iuxta illud, *Actio displicuit, passio grata fuit*: ad hoc tamen vt Ecclesia polluatur, non sufficit quæcumque percussio mortalis, etsi carnes contundat, & ossa confringat; nec quodcumque vulnus, etiam magnum, ex quo non effundatur sanguis; sed hæc debent esse talia, vt mors probabiliter sequatur. Puto tamen Ecclesiam pollui, si cui digitus cædatur, sed non omnino, cum notabili tamen sanguinis effusione: & ratio est, quod, licet in isto casu non adsit mortalitas, cum digitus non sit membrum, sed pars membri, & non sit recisus; adest tamen sanguinis effusio, scilicet in magna copia. Et quidem cum Doctores dicant effusionem non esse in magna copia, si fiat tres, aut quatuor guttæ sanguinis: hinc colligi potest, si sint moltò plures, effusionem fore in magna copia, adeòque per eam pollutam censeri Ecclesiam, nisi talis copia fit è naribus, è quibus sanguis facilè effluit.

Noto 3. Ecclesiam pollui per homicidium iniuriosum; siue fiat absque sanguinis effusione (vt si quis occidatur per suffocationem, aut suspendatur per Carnificem) siue cum sanguinis effusione: si quidem vulnus, aut causa physica mortis intra Ecclesiam fiat; non enim sufficit ad polluendam Ecclesiam, quod quis vulneretur extra Ecclesiam, & intra illam moriatur; vt obseruat Cardinalis de Lugo *sup.n.*53. docens videri verius pollui Ecclesiam, quando quis in Ecclesia vulneratur, & postea domi moritur ex eo vulnere: etsi Suar. *D.*18. *de Euchar. sect.* 4. oppositum doceat, idque probabile iudicet ipsemet Cardinalis hoc ipso, quod ait suam sententiam esse veriorem, idest probabiliorem. Ex eo autem, quod homicidium debet esse iniuriosum, fit non pollui Eccle-

siam ex homicidio facto in iustam defensionem, aut casualiter, aut sine culpa mortali (v.g. ab amente, vel per iocum) vnde si vnum occidas, aut vulneres in loco sacro, quem nec formaliter, nec virtualiter intendis occidere, aut vulnerare, intendens tamen alium occidere, aut vulnerare, non polluitur Ecclesia: cum talis occisio, ac vulneratio sit omninò inuoluntaria, & sine peccato: quod procedit in euentu, quo Iudicis authoritate suspenderetur in Ecclesia Reus; & si aliàs talis occisio non sit iniuriosa, nec iniusta: cum id directè aduersetur sanctitati loci sacri, vt patet.

Noto 4. Ecclesiam polloi per voluntariam humani seminis effusionem extra actum coniugalem, qui, necessitate vrgente, iuxta communiorem sententiam potest aliquando exerceri in Ecclesia: quando scilicet coniux cogitur ibi diutius residere, nec potest aliò diuertere) & hoc ad vitandum periculum Incontinentiæ) imò & seclusa diotutna inclusione, ac secluso periculo Incontinentiæ: vt notat Fagund. *sup. num.* 23. ex Lessio, Angelo, Richardo, & Alense, dicens copulam coniugalem secretam, ac occultam in loco sacro licitam esse in iis omnibus casibus, in quibus est licita extra illum, addensque *n.* 14. Ecclesiam non egere reconciliatione ex copula, siue inter coniuges, siue inter solutos habita in loco sacro absque seminis effusione, quamdiu copula manet occulta: idque procedere etiam in casu, quo extra copulam effundatur semen ob pollutionem voluntariam manibus habitam, aut ex impetu libidinis non in terram, sed per vestem, aut in tertam occultè; etsi ad polluendam Ecclesiam non petatur tanta seminis effusio in terram, quanta requiritur effusio sanguinis ob copiam sanguinis in corpore humano, & penuriam seminis. Vt autem polluatur Ecclesia, non est opus semen effundi super terram, sed sufficit recipi in vase naturali fœminæ, aut in alio loco: vt monet Bonac. *de matr. q.* 4. *p. vlt. n.* 20. dicens ex Grafsio, & aliis, ad hoc non sufficere paruam distillationem, & modicam humectationem, cum requiratur copiosa effusio. Cæterum notat Cardinalis de Lugo *supr. num.* 55. Ecclesia censeatut polluta per seminis effusionem peti notorietatem facti, quod publicè constet: al às Ecclesia non censetur polluta, nec respectu eorum, qui quacumque notitia id sciunt, vel ipsius, qoi delictum patrauit, qoi nullo modo obligatur ad se manifestandum: quod aduertit etiam Fagund. *num.* 24. ex Suar. Rebello, Nauarro, & Capua, dicens, quod, sicut Ecclesia non eget reconciliari, quamdiu copula iu ea habita est occulta; sic eget, si cœperit publicari, vel publicè de ea constiterit; publicum verò dici, quod est notum maiori parti parochiæ, aut viciniæ, vel in iudicio constiterit; sicque posse contingere, qood copula sit habita 8. abhine diebus, & hodie incipiat impedire diuina Officia, & non ante: nam facta tunc scientibus duobus, aut tribus & vsque nunc tacentibus; tune autem incipientibus publicare, ita vt fama factum fiat publicum, ex nunc incipit impedire diuina Officia, & non ex tunc. Quin nec desunt, qui dicunt ad pollutionem Ecclesiæ peti, quod Ecclesia à Iudice denuncietur polluta ob Extrauagantem, *Ad euitanda scandala*, in qua similis denunciatio petitur, vt teneamur vitare censuratos: quod vt probabile videtur admittere Suar. *supr. §. secundò dubitari solet:* etsi dicat *D. 57. de censur. sect.* 1. *num.* 18. pollutionem Ecclesiæ non posse intelligi nomine Interdicti, aut Censuræ: sicque seruari in praxi Romæ testatur Cardinalis de Lugo, vt Ecclesiæ reconcilientur, etsi pollutio non sit denuntiata.

Noto 5. nomine Ecclesiæ per ordinem ad effusionem sanguinis, aut seminis humani, qua polloatur Ecclesia, venire illud tantùm spatium, quod pertinet ad totum corpus Ecclesiæ à tecto interiori vsque ad pauimentum, & à parte interna portæ Ecclesiæ vsque ad vltimam partem Aræ maximæ; sicque capellæ ædificatæ intra Ecclesiam comprehenduntur vtpote vnum constituentes corpus cum Ecclesia; non item tectum Ecclesiæ, aut speluncæ, aut cellulæ subterraneæ positæ subter illam, Sanch. *l.* 9. *de matrim. D.* 15. *n.* 26. *&* 27. Suar. *D.* 81. *de Euchar. sect.* 4. aliique plores apud Fagund. *sup. num.* 33. non porta Ecclesiæ à parte externa ipsius Ecclesiæ; tunc enim si ea pars spectet ad cæmeterium, solùm cæmeterium violatur, Sanch. *num.* 28. (polluto enim cæmeterio, non polluitur Ecclesia, cum minus nobile non trahat nobilius: sicut è contra polluta Ecclesia, pollutum censetur cæmeterium, com accessorium sequatur principale, & nobilius ad se trahat minùs nobile. Bonac. *sup. num.* 21. ex Sayro, Suar. Henriq. & Coninchо, non sacristia, non cameræ adhærentes Ecclesiæ, non turris, vbi cymbala collocantur, Sanchez *sup. num.* 28. 29. 30. aliis citatis. E' contra in re præsenti nomine Ecclesiæ veniunt propilæa ipsius Ecclesiæ circumducta interius per summitatem templ ad puluerem tecto excutiendum Sanch. *num.* 32. Fagund. *num.* 34. item Chorus, & quidè si etsi sit in loco edito, & à terra prominente, Sanch. *num.* 33. ex S. Antonino: item cellulæ ad mulierum confessiones audiendas deputatæ, si sint in Ecclesia, aut intra concauum parietis à parte interna Ecclesiæ, Sanch. *n.* 34. & Fagund. *num* 35. addentes secùs dicendum, si ex cellulæ pariete diuidantur ab Ecclesia tabulis, vel panno cerato fixo, & solùm per crates, aut foramina confessiones excipiantur, & considerentur secundum partem, in qua est Confessarius; quod falsit si considerentur secundùm partem Ecclesiæ. Præterea non veniunt hîc nomine Ecclesiæ sacristiæ, Sanch. *num.* 31. Fagund. *num.* 34. non cameræ instar odæi ex aduerso Aræ maximæ ad Missam audiendam constructæ, cum non sint deputatæ ad diuina celebranda, Sanch. *num.* 35. Fagund. *num.* 36. addens locum Organorum spectare ad Ecclesiam, cum illorum sonus sit pars coltus diuini, Sanch. *num.* 33.

Noto 6. polluta Ecclesia subterranea, quam Itali in aliquibus locis vocant, *le confessioni*, censeri item pollutam Ecclesiam superiorem, quæ scilicet est supra Ecclesiam subterraneam: ea enim facit vnam, ac eamdem Ecclesiam cum Ecclesia subterranea, & ab hac est aditus ad illam, nec ab ea discontinuatur propriis parietibus, colligitur ex Sanchez *supr. num.* 27. *fine.*

Noto 7. si construatur Ecclesia ex ploribus Ecclesiis, vt ita dicam, inadæquatis, & prope positis (cuiusmodi est Ecclesia S. Stephani Bononiæ) & in aliqua dictarum Ecclesiarum inadæquatarum fiat homicidium, pollutam non censeri totam Ecclesiam adæquatam, sed solùm Ecclesiam illam inadæquatam, in qua factum est homicidium. moueor, quod *cap. vnico, de consecrat. in* 6. dicitur, *non vnum, sed plura cæmeteria esse noscuntur, quæ quamuis sibi cohærentia, pariete tamen medio seiunguntur*, ideóque Ecclesiæ hæ inadæquatæ, cum vnæquæq; propriis parietibus seiungantur, non vna, sed plures Ecclesiæ reputari debent; & consequenter vna ex iis polluta, reliquæ non debent censeri pollutæ.

Noto 8. pollui Ecclesiam, si fiat homicidium, aut seminis humani effusio intra sepultutam positam in ipsa Ecclesia; cum sepultura sit pars Ecclesiæ, sicque facta in sepultura dicuntur facta in Ecclesia: quo modo

modo Sanch. *l. 9. de matr. D. 15. num. 27. fine*. dicit locum sub Ecclesia constructum non reputari locum sacrum, quoad præsentem effectum, nisi in cauernis Ecclesiæ sit fornix, quem sepulturam concauam appellant; ille enim pars Ecclesiæ reputatur, & est deputatus ad fidelium sepulturam, sicut Ecclesia.

Noto 9. Ecclesiam non pollui, si ex ictu sclopi intra ipsam delati contra prohibitionem Ordinarij aliquis ibi occidatur ex casu merè fortuito, ex quo sclopus explodatur: hoc enim homicidium in se non est voluntarium (vt suppono) imò nec in causa, idest in illatione armorum intra Ecclesiam legitimè vetita; cum talis illatio de se non sit periculosa homicidij, sicque inferens arma non potuerit illud præuidere: quod tamen videtur requiri, ad hoc vt homicidium dici possit voluntarium in præfata illatione armorum vt in causa; iura autem ad pollutionem Ecclesiæ petunt homicidium voluntarium, ac iniuriosum, præterquam quod in isto casu homicidium non videtur iniuriosum Ecclesiæ, quatenus est homicidium, sed solùm in occasione eius materiali, idest in delatione armorum prohibita, ita Sà *v. Ecclesia num. 13.* & Bonac. *de matrim. quæst. 4. p. vlt. n. 10.* E contra polluitur Ecclesia, si quis intra illam vulneretur, sed vt retineatur sanguis, ne fluat à vulnere: erat enim ex se fluxurus. ita Bonac. *supr. num. 20.* non longè à fine.

Noto 10. Ecclesiam pollui per sepulturam excommunicati, qui sit publicè denunciatus, aut notorius Clerici percussor (non item, si sit nominatim interdictus, vt aduertit Laym. *l. 5. tract. 5. cap. 5. num. 8.*) vnde colligit Cardinalis de Lugo *num. 56.* in regionibus Septentrionalibus per sepulturam illorum hæreticorum non violare Ecclesiam, cum non sint denunciati nominatim.

Noto 11. pollui Ecclesiam per sepulturam hominis infidelis, idest Gentilis non baptizati: sub quo venit infans non baptizatus, quando seorsim à matre sepelitur; non item, si in vtero matris grauidæ & iam mortuus sepeliatur. ita Cardinalis de Lugo *num. 57.* monens Ecclesiam non pollui per sepulturam hæretici, & ad hos duos posteriores modos pollutionis non requiri peccatum, sed quocumque modo fiat, pollutam manere Ecclesiam.

Noto 12. ex Castro Palao *tract. 22. D. vn. part. 9. num. 9.* & Layman *l. 5. tract. 5. cap. 5. fin.* alteri polluto per effusionem sanguinis, aut seminis Ecclesiam etiam pollui; & è contra, polluta Ecclesia pollui omnia altaria fixa ibidem existentia: cum pollutio in quouis loco Ecclesiæ contingens totam Ecclesiam, eiusque cæmeterium contiguum afficiat.

QVÆRES VI. An Ordinarij possint visitare Ecclesias Regularium.

73. Respond. non posse ex declaratione Sacræ Congregationis relata à Rodriq. *supr. quæst. 36. art. 4.* & Quaranta *in bullar. v. priuileg. Regular. fol. 514.* quæ sic habet: *Congregatio Concilij censuit Episcopos, aut alios locorum Ordinarios vigore cuiusuis decreti eiusdem Concilij nullam habere facultatem quouis tempore in monasterijs, domibus, & ecclesijs Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum personarum secularium visitandi sacristias, paramenta, vasa sacra, altaria, & cætera huiusmodi, aut etiam tabernaculum, seu pyxidem, in qua sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruatur.* Vbi notanda sunt verba illa, *quibus non imminet cura animarum personarum secularium*; si enim Regulares habeant aliquas ecclesias parochiales ad ipsos ratione locorum suorum legitimè spectantes, subsunt visitationi Ordinarij, quoad ea, quę pertinent ad curam parochianorum, Sacramentorum conseruationem, ac administrationem (sine insolito tamen Visitatorum grauamine, aut impensa) &, si in præfatis delinquant, puniri possunt ab eodem Ordinario intra septa regularis loci. ita Lezana *tom. 1. cap. 11. num. 7.* ex Concilio Lateran. *in bulla Leonis X.* quæ habetur in *bullar. tom. 1. Constit. 10. ipsius Leonis*, & Conc. Trid. *sess. 7. c. 7. de reformat.* vbi dicitur, *Beneficia Ecclesiastica, curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut* piis locis quibuscumque perpetuò vnita, & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum singulis annis visitentur; qua de re *cap. præced. sect. 4. quæst. 7.*

74. Addit *Peyrin. tom. 3. priuil. cap. 2. num. 6.* quod, si Episcopus de nouo aliquam recipiat facultatem supra Regulares aliàs exemptos: tenetur priùs ostendere literas suæ commissionis, & postea visitare; quod si nolit illas ostendere, imò de facto procedat, possunt Regulares ei resistere; cum de facto procedentibus de facto resistendum sit. *l. 1. §. hoc edictum, ff. si mulier ventris nomine.*

Vtrum verò Ordinarij possint visitare Capellas Confraternitatum laicorum erectas in ecclesiis Regularium.

75. Respond. posse ex decreto Sacræ Congregationis: idque tum vt cognoscant, an actus pietatis, qui ibi exercentur, forte contineant aliquid illicitum, aut superstitiosum: tum vt videant, an relicta à fidelibus in vsus pios debitè, ac iustè expendantur iuxta mentem relinquentium. ita Nald. *v. visitare n. 6.* testans sic seruari in praxi, addensque Ordinarios non posse se immiscere in bonis temporalibus earundem Confraternitatum, nisi aliter in earum erectione statutum fuerit; cum tamen teste eodem Naldo, *v. Episcopus num. 20.* ex decreto Sacræ Congregation. peracta visitatione possint Episcopi corrigere statuta locorum piorum.

Difficultas modò est, an Ordinarius habeat ius visitandi Oratoria Regularium turri constructa, si campanam habeant pendentem è turri; & vnde Episcopi tale ius prætendant, stante exemptione Regularibus concessa, quoad eorum iurisdictionem.

76. Respond. non habere, attento priuilegio Societati IESV concesso à Paulo III. & relato in *Comp. ipsius Societ. v. exemptio, §. 1.* his verbis: *Societ, & vniuersi illius socij, ac personæ, illorumque bona quæcumque ab omni superioritate, iurisdictione, & correctione Ordinariorum sint exempta, & libera* (quod priuilegium per viam communicationis competit etiam Religiosis aliorum Ordinum;) prætendere verò tale ius ex eo; quod teste Tuscho *lit. O. conclus. 178. num. 6.* Oratorium priuatum præsumitur publicum hoc ipso quod habet campanile cum campanis, vel campana publica: ex alia parte, data exemptione alicuius monasterij, non sequitur necessariò eius Capellam, seu Oratorium esse exempta, si aliter non sit expressum iuxta notata in *cap. ex ore de priuil.* cum sit vnum sine alio, & non sit necessarium ad illud, & à diuersis non fiat illatio.

QVÆRES VII. An Ordinarij possint visitare Reliquias collocatas in ecclesiis Regularium.

77. Respond. quod, quamuis spectet ad Episcopum recognoscere, & approbare Reliquias Sanctorum, antequam exponantur, sic statuente Concilio Trid. *sess. 25. de inuocat. & venerat. SS.* his verbis *Nulla etiam admittenda esse miracula, nec nouas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo*, non videntur tamen Episcopi posse visitare Reliquias ab antiquo exponi solitas in ecclesiis Regularium, si quidem, teste Barbosa

bosa *de offic. Episc. alleg.* 97. *num.* 12. facta Congregatio statuit Reliquias, quæ fuerint antiquæ, habendas esse in illa veneratione, in qua hactenus fuerunt; præter quam quod Concilium Trident. loquitur solùm de Reliquiis nouis, quæ scilicet nondum expositæ sunt, ideóque decretum illius extendi non debet ad Reliquias modo dicto antiquas. Quod tamen meo iudicio non facit, quin si Episcopo occurreret vehemens ratio dubitandi de veritate alicuius Reliquiæ etiam ab antiquo exponi solitæ, posset eam visitare, petendo eius authenticam, eamque recognoscendo; cum Episcopus à Concilio Trid. designatus sit, quoad hoc iudex competens, & alioqui adsit iusta causa exercendi potestatem sibi ad id commissam in bonum Christianæ Religionis: vnde decretum Concilij videtur rationabiliter posse extendi ad hunc casum particularem iuxta regulam, *Vbi militat eadem ratio, &c.*

Hac autem occasione placet aduertere aliqua de sacratum Reliquiarum approbatione in gratiam Episcoporum, quibus vtique subiiciuntur Regulares quoad hoc; cum Trid. Concilium *sess.* 25. *sine* generaliter, ac indefinitè Episcopis committat approbationem Reliquiarum iis verbis: *Nec nouas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo: qui simul atque de iis aliquid compertum habuerint, adhibitis in concilium Theologis, & alijs pijs viris, ea faciet, quæ veritati, & pietati consentanea iudicauerit: quod si aliquis dubius, atque difficilis abusus sit extirpandus, vel omninò aliqua de iis rebus grauior quæstio incidat, Episcopus, antequam controuersiam dirimat, Metropolitani, & Comprouincialium Episcoporum concilio prouinciali sententiam expectet: ita tamen vt nihil inconsulto summo Pontifice nouum aut in Ecclesia inusitatum decernat:* quæ verba cum sint generalia, comprehendunt quascumque Reliquias, & consequenter etiam exponendas in templis Regularium.

Aduerto igitur 1. modum hunc approbandi Reliquias nouiter inuentas ex præscripto Concilij non debere seruari, quoad Reliquias approbatas per bullam Apostolicam, aut testimonium Episcopi diœcesis, à qua eæ transferuntur: tunc enim non potest Episcopus diœcesis, ad quam transferuntur, illarum veritatem examinare iterum; cùm earum veritas iam legitimè approbata sit. Quod tamen non facit, quin possit, & debeat examinare, an sint eæ Reliquiæ, quæ in tali approbatione continentur, vt sic det licentias eas exponendi in sua diœcesi publicè venerandas, in hoc autem examine non tenetur consulere vllum Theologum, sed solùm debet examinare circũstantiis, sub quibus transferentur Reliquiæ. ita Sanchez *l.* 4. *mor. cap.* 43. *num.* 18. & cum eo Fagund. *præc.* 1. *Eccl. l.* 1. *cap.* 4. *num.* 9. monens *num.* 10. quod si præmissa debita diligentia, maneat dubium, an Reliquiæ sint alicuius Sancti, non ideò contemni debent, sed seruari separatim in loco decenti, abstinendo à cultu illarum publico, vsque dum constet de veritate: vt notat idem Fagundez aliis citatis. Puto autem Reliquiam dici nouam, si sit nouiter reperta (vt notat Summa Diana, *v. Episcopi iurisdictio in Reliquias, num.* 37. rem verò dici nouiter repertam, quæ est inuenta infra decennium.)

Aduerto 2. quòd si Reliquiæ Sancti canonizati ita permixtæ sint reliquiis Sanctorum nondum canonizatorum, vt discerni non possint: non potest Episcopus eas proponere venerandas; idque non obstante *c. quod in dubiis, de consecration. Eccl.* iuncta Gloss. *ibi v. consecratio*, vbi dicitur oleum non consecratum admixtum consecrato remanere consecratum: nam *cap.* hoc procedit in solis liquoribus, vt docet Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 43. *num.* 12. & requirit, vt liquor consecratus sit in maiori quantitate iuxta communem sententiam, cùm alioqui in præsenti casu constare non possit, quarum Reliquiarum quantitas excedat; sicut aduertit Fagund. *sup. num.* 12.

Aduerto 3. quòd, cùm approbatio Reliquiarum sit actus iurisdictionis voluntariæ, & inter subditos volentes, ac petentes iuxta tradita à Sanchez *l.* 3. *de matr. D.* 19. *num.* 7. & iurisdictio voluntaria exerceri possit vbique sine alicuius licentia (vt probat idem Sanchez *num.* 7.) potest Episcopus extra suam diœcesim sine licentia Episcopi illius diœcesis, in qua existit, hanc facere approbationem, & dare licentiam, vt in sua diœcesi Reliquiæ iouentæ publicè collocentur venerandæ. ita Fagund. *num.* 8.

Aduerto 4. ex Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 43. *num.* 15. quod, licèt Episcopus in facienda præfata approbatione teneatur cõsulere Theologos, & aliquos viros pios; eorum tamen sententia audita, ex se solo potest decidere: cum ex decreto Concilij solùm teneatur petere consilium, non autem illud sequi, vt latè ostendit Menochius *in simili cons.* 69. *num.* 17. & 18. *volum.* 1. & colligitur *ex l. cum pater §. mando, ff. de legib.*

Aduerto 5. quod si in tali approbatione facienda quæstio grauis oriatur, ideóque res deduci debeat ad Concilium prouinciale iuxta Concilij Trid. decretum relatum: tunc decisio non erit Episcopi, sed Concilij prouincialis; quippe cuius sententia non autem solùm consilium requiritur. hæc autem sententia constituenda ex maiori parte suffragiorum, & explicanda à metropolitano, & aliis in Concilio coniunctis, & congregatis, vt bene ostendit Fagund. *num.* 5.

Aduerto 6. ex Azorio *tom.* 1. *l.* 9. *cap.* 8. *quæst.* 8. ad priuatam venerationem Reliquiarum sufficere, si vir pius & fidelis illas tradat, & hoc procedere etiam quò ad Reliquias Sancti non canonizati, ad hoc vt priuatim colantur; sic enim habetur moralis certitudo & sanctitatis illius viri, & veritatis Reliquiarum eius, vt notat Fagund. *num.* 6.

Aduerto 7. ex Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 43. *num.* 16. absque culpa etiam veniali posse tangi Sanctorum Reliquias; cum id nullibi interdicatur: quamuis Azorius *part.* 1. *l.* 9. *cap.* 95. indicet id à laicis fieri non posse sine veniali, cum dicat, non grauis criminis condemnandum Clericum, vel Laicum, qui sacrarum Reliquiarum minutias, quas apud se tenet, piè, & religiosè tangit, aut in capsis includit.

QVÆRES VIII. An Regulares in propriis ecclesiis exponere possint imagines non benedictas ab Ordinario loci.

Respond. posse, non obstante decreto Concilij Trid. *sess.* 25. *de inuocat. & venerat. SS.* quod sic habet: *Statuit sancta Synodus nemini licere vllo in loco, vel ecclesia etiam quomodolibet exempta vllam insolitam ponere, vel ponenda mcurare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit:* cum enim Concilium loquatur de imaginibus insolitis (quales vtique non sunt imagines ordinariæ Christi, B.V. Mariæ, & Sanctorum) dicatque solùm eas non debere exponi, nisi ab Episcopo approbatæ fuerint, nulla mentione facta de iis benedicendis: video non, quo pacto hinc aliqui colligant ordinarias imagines non posse in ecclesiis exponi, nisi priùs ab Episcopo benedicantur; certè, si Concilium id intendisset, clariùs expressisset: ideóque 78.

quoe cum non expresserit, signum est, quod noluit iuxta illud, *si voluisset, expressisset.* præter quamquod in aliquibus locis vsus est, vt imagines exponendæ in ecclesiis non benedicantur; & sicubi solent benedici, dicendum est id fieri ex deuotione, non ex præcepto: cum nullibi tale præceptum reperiatur, quod mihi constet: qua de re consulantur dicta in *tract.6. cap. 14.quæst.*23.

QVÆRES IX. An Regulares absque licentia Ordinarij exponere possint augustissimum Eucharistiæ Sacramentum.

79. Respond. quod, quamuis sæpius, teste Barbosa *in collect.bullar.v.regulares* 1. & Gauanto *in man. Episc. v. Eucharistia,num.*53. *&*.54. à sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium statutum sit nun posse Regulares exponere Sanctissimum Sacramentum publicè adorandum sine causa ab Ordinatio approbata; non videri tamen id esse in vsu, scientibus & non dissentientibus ipsis Ordinariis, saltem in multis locis: siue quia dictæ declarationes non fuerunt sufficienter promulgatæ, sioe quia per legitimam consuetudinem fuerunt abrogatæ; vt ex parte innuit Lezana *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 26. & expresse asserit Bord. *resolut.* 21. *num.* 30. præterquam quod eæ loquuntur de solemni expositione, vt clarè colligitur ex Gauanto *num.* 53. *citato*: solemnitas autem habet latitudinem, & aliàs dictæ declarationes, cum sint odiosæ non debent ampliari. Qua de re Cespedes *de exempt. cap. 6. d.*132.monens *num.*2. ad exponendam Eucharistiam sufficere causam priuatam, dum ea non extrahatur è tabernaculo, & maneat velata, addensque quod, cum præscriptione acquiratur exemptio, teste Cokier *de iurisd.in exemptos.q.6.* fortè quoad hoc Regulares per præscriptionem aduersus Ordinarios exemptionem acquisierunt; si quidem respectu ipsorum Regularium concurrant conditiones requisitæ ad præscribendum, quas indicat ipsemet Cespedes *num.* 4.

Quod si obiter quæras, an attentis præfatis Declarationibus, Religiosi Societatis IESV in suis templis de more suo possint in vltimo triduo Bacchanalium solemniter exponere venerabilem Eucharistiam sine Ordinarij licentia.

80. Respond. videri posse. moneor, quod, cum ad id habeant à Papa indulgentiam plenariam, acquirendam à fidelibus eorum Ecclesias in eo triduo visitantibus, item videntur habere licentiam tacitam exponendi Eucharistiam ab ipso Papa: qui est supremus Episcopus omniom Ecclesiarum, tacitéque præsumitur approbare causam talis expositioois hoc ipso, quod concedit plenariam indulgentiam visitantibus dictas Ecclesias occasione expositionis Sacramenti, quæ ibi fit pro eo triduo: siquidem concesso vno, concedi videtur etiam adiunctum, sine quo concessum esse non potest, *l.2.ff.de iurisdict.omn.iud.* iuncta glossa *ibi.* ita viri docti consulti.

QVÆRES X. An Regolares sine licentia Ordinarij possint exhumare corpora defunctorom de vno sepulchro in aliud eiusdem Ecclesiæ.

81. Respond olim potuisse de cōsensu tamen eorum, quorum intererat: idque ex indulto Leonis X. concesso Fratribus Minoribus, & adducto à Casarub. *in com. v. Ecclesia num.*7. in præsentia verò non posse, eo, quod tale indultum sit viuæ vocis oraculum, sicque in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum fuerit sublatum. ita Portel. *de dub. reg. v. Ecclesia, num.* 7.

QVÆRES XI. An Regulares, contradicente Ordinario, possint exhibere in propriis Ecclesiis spirituales repræsentationes.

Respond. posse. ita Sanch. *l.* 1. *conf.cap.* 8. *d.* 24. *num.* 23. Angel. *v. ludus, num.* 2. Tabien. *ibi quæst.*4. Sylu. *ibidem quæst.*2. & Diana *part.4.tract.4.resol.*184. contra Gauantum *in Enchir. v. repræsentationes sacræ, num.*1. Barbosam *de offic Episc.alleg.*24.*num.*25 & Zerolam *in praxi, p.* 2. *v. repræsentatio*; patétque tum ex praxi: tum, quia exhibitio talium repræsentationum facta in Ecclesia non est de se mala, neque prohiberi potest Regularibus ab Ordinario, vt pote exemptis ab eo, tam quoad personas, quàm quoad proprias Ecclesias. 82.

QVÆRES XII. An Regulares in propriis Ecclesiis possint habere literarias disputationes etiam extra Comitia generalia, aut recipere doctorarum, aliosue gradus Ecclesiasticos.

Respond. videri posse; constátque ex praxi vbique recepta, etiam in ipsa Vrbe: ídque non obstante quadam declaratione sacræ Congregationis relata à Lezana *tom.*1.*cap.*21.*num.* 34. in contrarium: quæ proinde dicenda est vel non fuisse acceptata, vel postea legitimè abrogata. 83.

Addo Regulares in proprijs Ecclesiis posse recipere doctoratum, aliosue gradus Ecclesiasticos: cum actus, quibus conferuntur hi gradus, non sit placitum, nec actus iurisdictionis contentiosæ, neque in propria specie, neque sub generali aliqua ratione vetitos; & alioqni talis sit communis consuetodo, eiusmodique collatio non soleat fieri tempore importuno, ac cum diuinorum Officiorum perturbatione, sed in sacello aliquo remoto, aut quo tempore non celebrantur diuina Officia. ita Persicus *l.* 1. *de prac.Sacerd.offic.cap.* 9. *num.* 86. ex Panormitano, Angelo, Sylu. Tabien. Armil. Nau. Sà, Azor. & Suar.

QVÆRES XIII. An Regulares in suis Ecclesiis possint admittere mulieres puerperas ad purificationem etiam inuito Episcopo, aut Parocho.

Respond. posse ex quadam declaratione sacræ Congregationis adducta à Peyrino *tom.* 2.*priuil.constitut.* 7. *Pij V. num.* 13. quamquam non expedit ea passim vti inuitis Parochis, præsertim si consuetudo sit in contrarium.

QVÆRAS XIV. An Regulares in propriis Ecclesiis possint Sacerdos sæculares admittere ad celebrandum contra prohibitionem Ordinarij.

Respond. non posse iuxta declarationem quamdam Sacræ Congregat. allegatam à Peyrino *supr.* & Naldo, *v. religiosus, num.* 10. si tamen ea fuit sufficienter promulgata, & acceptata, & est in vsu; de quo valdè dubito; cum praxis sit in contrarium, saltem in multis locis, & quidem etiam apud Religiosos aliàs valdè timoratus: qua de re *supr.cap.*2.*n.*136. 84.

QVÆRES XV. An Regulares io suis Ecclesiis possint celebrare Missas quacumque hora debita etiam ante Missam Ecclesiæ parochialis, pulsatis campanis, & contradicente Ordinario.

Respond. posse. ita Lucerna Regul. *v. Missa, n.*10. 11. *&* 12. patétque, tum ex quadam declaratione Sacræ Congregationis relata in ipsa Lucerna: tum, quia Regulares, cum sint exempti ab Ordinario, quoad hoc, sunt sui iuris, nec subiacent eius iurisdictioni. 85.

QVÆRES XVI. An Regulares in die Sabbati sancti possint pulsare proprias campanas, antequam pulsetur campana Ecclesiæ maioris.

Respond. non posse sub pœna 100. ducatorum statuta in Constitut. 17. Leonis X. ita Barbosa *supr. alleg.* 105.*num.*70. & talis est praxis. 86.

QVÆRAS XVII An Regulares possint in suis Ecclesiis facere processiones, aut etiam extra, & quo modo.

Respond.

88. Respond. In propriis quidem Ecclesiis posse facere sine licentia Episcopi & intra ambitum monasterij, nempe intra claustra; extra verò Ecclesias, & claustra, non nisi de licentia Parochi, aut cum Cruce parochiali. ita Lezana *tom.2.cap.1.num.51.* ex Barbosa; excipe, nisi fortè aliqui Regulares ad id speciale priuilegium habeant: quale habent Dominicani, quoad processiones Sanctissimi Sacramenti, & Rosarij, teste Barbosa *de officio Parochi, c. 12. num.14.*

QVÆRES XVIII. An Regulares in suis Ecclesiis teneantur mutare ritum suæ Religionis, quoad festa diœcesalia.

89. Respond. quod, quamuis in Concil. Trid. *sess.25. de Regul. cap.* 12. præcipiatur vt dies festi, quos in diœcesi sua Episcopus seruari præcepit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus seruentur, non ideò tamen tenentur Regulares mutare in suis Ecclesiis proprios ritus, quoad Missas celebrandas, & alia diuina Officia, tam publicè, quàm priuatim persoluenda: estò teneantur id præstare, quoad Conciones, & Lectiones, quas ij ad populum habeant; & hoc ex decreto Sacræ Congregat. quod refert Quaranta *in bullar. fol.*413. his verbis: *Congregatio Concilij censuit decretum cap.12.v. dies etiam festi sess.25. de Regul. ita esse intelligendum, vt Regularium ritus illis festis semper permaneat, quoad Missas celebrandas, & cætera diuina Officia, tam publicè, quàm priuatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persoluenda, nec circa hæc ab Episcopis quoquomodo quicquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse; quod si de facto præceperint, Regulares nequaquam ipsis Episcopis obedire teneri: verùm, quoad conciones, & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere se conformare euangeliis, & epistolis, quibus Clerus sæcularis vtitur illis diebus festis.* Quamquam hoc decretum, quoad hanc vltimam partem non ita rigorosè videtur esse in vsu, vt Regulares non possint interdum in suis concionibus, ac lectionibus tractare de aliqua materia, quæ omninò sit aliena ab euangeliis, ac epistolis recitandis in festis diœcesalibus: cum id aliquando faciant etiam in Quadragesima, Aduentu, aut festis communibus Romanæ Ecclesiæ ex iusta causa ipsis hîc, & nunc occurrente.

QVÆRES XIX. An Regulares cogi possint ab Ordinariis, vt in propriis Ecclesiis denuncient
90. festa, ieiunia, & alia id genus.

Respond. videri non posse iuxta dicta *cap. præced. sect.1. quæst.26.* quamuis, si velint, possint supradicta denunciare, ita statuente Sacra Congregatione apud Peyrinum *vbi supra.* & quidem, quod non possint cogi ad dicta denuncianda; patet, quia Regulares sunt exempti ab Ordinariorum iurisdictione, præterquam in casibus exceptis: non constat autem casum istum esse inter exceptos, nisi fortè ob quamdam declarationem Sacræ Congregationi relatam à Barbosa *sup. cap.16. num.29.* quæ tamen, vel non est authentica, vel certè non est in vsu, vt patet ex praxi.

QVÆRES XX. An, & quo modo Regulares subsint Ordinariorum iurisdictioni, quoad prædi-
91. candum in propriis Ecclesiis.

Respond. Subesse eo modo, quo diximus *cap. præced. sect.1. quæst.2.*

QVÆRES XXI. An Ordinarij possint percipere Regularibus, vt in Sacramentorum administratione certam seruent formam, quoad tempus, locum, &c.

92. Respond. non posse ex declaratione Sacræ Congregat. approbata à Gregor. XV. ac Vrbano VIII. quæ ita habet: *R.p. Sacra Congregat. in vim ipsius Constitutionis* (quæ scilicet fuit edita ab ipso Greg. de exemptorum priuilegiis) *non posse Episcopos Regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis; ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel aliàs illorum priuilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari.*

QVÆRES XXII. An Regulares in propriis Ecclesiis possint erigere baldachinum, & quo modo.

Respond. quod, quamuis vsus baldachini de se 93.
non debeatur Abbati, nisi speciali priuilegio concedatur (vt constat ex quadam declaratione Sacræ Congregat. relata à Barbosa *de offic. ep. alleg. 80.n.18.*) de facto tamen eo vti possunt Abbates Oliuetani, Cassinenses, & Cœlestini: sed ad summum in tribus festiuitatibus, & sine auro, ac pompa; idque ex priuilegio ipsis concesso, quod refert Gauantus *in manuali, v. Abbas, a. 6* & fuit à Sacra Rituum Congregat. extensum ad Canonicos Regulares S. Saluatoris his verbis: *Vt omnes Prælati prædictæ Congregat.* (id est, Sancti Saluatoris) *in eorũ proprijs ecclesiis exẽptis in 3. tantùm anni festiuitatibus solemniter in pontificalibus celebrantes vti possint baldachino, sine auro tamen, & pompa, cum assistentia vnius Presbyteri cum pluuiali, & duorum Diaconorum, ac aliorum 6. ad summum Canonicorum sacris indumentis coloris solemnitati conuenientis paratorum: duorum videlicet cum pluuialibus, duorum cum planetis, & aliorum duorum cum tunicellis vltra Diaconum, & Subdiaconum, qui in Missa cantaturi sunt euangelium, & epistolam; ita tamen, vt iidem Prælati in eorum ecclesiis nullo modo teneant Sedem abbatialem fixam, & permanentem prope altare, vt Sedes Episcopalis retineri consueuit, sed eorum sedes retineatur in ecclesiis iis tantùm diebus, quibus solemniter, vt supra, celebrantur: & dicti 6. Canonici, vt supra parati, non in sedibus choralibus, sed super scabellis sedeant in situ congruo iuxta ecclesiarum conuenientem situm tunc appositis panno laneo coopertis.* quod priuilegium vtique est commune Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis, saltem per communicationem priuilegiorum. Addo solùm, quod, cum Sacra Congregatio non statuat, quæ sint illæ 3. solemnitates, in quibus conceditur vsus baldachini modo dicto: eæ possunt eligi ab ipsismet Regularibus priuilegiatis, pro vt placuerit, dummodo, quoad alia seruetur forma concessionis.

An autem Ordinarius luci pontificalia obiturus in Ecclesiis Regularium, possit ibi erigere baldachinum, eosque compellere, vt illud attollant, velint nolint.

Respond. posse ex Decreto Sacræ Congregat. fa- 94.
cto iussu Clementis VIII. & relato à Barbosa *supr. num.* 17. in quo prætereà habetur, quod si qui Regularium huic decreto, & mandato inobedientes, & contumaces fuerint, possunt ad id compelli ab Episcopis per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliisque pœnis, tam spiritualibus, quàm temporalibus arbitrio Papæ subiacere, & obnoxios fore.

Dubium maius est, an Episcopus, inuitis Regularibus, possit erigere baldachinum in ipsorum Ecclesiis, ibique pontificalia exercere etiam iis diebus, quibus illi possunt erigere proprium baldachinum.

Respond. Cespedes *de exempt. d. 221. num.2.* non posse: & probatur, tum, quia, quod Episcopus in templis Regularium possit erigere baldachinum, est priuilegium ei factum, & valdè onerosum Regularibus, sicque potius debet restringi, quam ampliari, ideóque sufficit dicere, quod Episcopus regulariter possit erigere baldachinum etiam inuitis Regularibus, non autem, quod possit illud erigere, etiam iis diebus, quibus ipsi Regulares possunt erigere:

gere: præsertim cum in generali concessione non veniant ea, quæ verosimiliter non concederentur, sin specie peterentur (qualis est casus, de quo hic controuertitur) & Regularium priuilegia debeamus semper interpretari, ita vt minus eis derogetur, quàm fieri possit (quod in isto casu non fieret, si opposita sententia sustineatur:) tum, quia, quando ius vult Regulares non posse aliquid facere in suis Ecclesiis, Episcopo contradicente, id exprimit (vt in Tridentino, dum vetat Regulares in suis Ecclesiis concionari Episcopo contradicente) in præsenti autem casu ius id non exprimit, vt constat ex declaratione sacræ Congregationis, quam adducit Nouarius *in summ. bullarum de baldachino*: tum, quia non obstat decisio Rotæ relata à Mattha *tom. 6. tit. de Episcopis, cap. 10.* nam tunc Episcopo dandus erat locus in Ecclesia S. Ambrosij Mediolani, eo quod esset in possessione, non autem alia de causa; vt aduertit Cespedes addens *num. 9.* ex meo *tract. de Monial. cap. 9. quæst. 21.* Prælatos regulares habentes ius baldachini posse illud erigere in templis Monialium ipsis subiectarum; idque ob rationem ibi à me allatam.

Quæri item potest, an exteri Episcopi de consensu Diœcesani possint erigere baldachinum in templis Regularium.

Respond. Cespedes *num. 7.* ex Nouario posse: & probat; tum, quia, quæ sunt iurisdictionis possunt delegari. *cap. aqua, de consecrat.* tum, quia de consensu Diœcesani potest consecrari Ecclesia ab externo Episcopo, teste Azorio *tom. 1. lib. 11. cap. 26. q. 10.* Miranda *tom. 2. Manual. q. 38. art. 1. concl. 3.* qui enim per alium facit, per se ipsum facere videtur. ita Cespedes addens oppositam sententiam non carere probabilitate: cum facultas Diœcesani in hoc sit priuilegium fortè personale, sicque non possit ab eo delegari alius ad tale munus: at hoc deberet probare Cespedes, nimirum tale priuilegium esse personale, & tamen non probat, nec fortè probabit ita facile; cum dictum priuilegium potiùs sit concessum Episcopo ratione dignitatis, ac muneris. Puto autem dubium hoc non posse esse controuersum, si Regulares in casu proposito non sint inuiti; tunc enim certum videtur Episcopum Diœcesanum posse extero Episcopo concedere, vt in templis Regularium erigat baldachinum; Diœcesano sic iuri suo cedente.

95. Addit Lucerna Regularium *v. Episcopus, num. 40.* extare declarationem sacræ Congregat. rituum, qua statuitur, Episcopum in Ecclesiis Regularium posse per suos Canonicos cantare Missam Rogationum, etiam inuitis ipsis Regularibus: quamquam talis declaratio non videatur esse in vsu.

Quæres XXIII. An celebrante Ordinario ad aliquod Altare, possint Regulares eodem die ibi celebrare sine licentia ipsius Ordinarij.

96. Respond. non posse; idque ex *cap. fin. de consecr. d. 1.* vbi dicitur: *Episcopo cantante Missam in aliquo altari, non audeat Presbyter eodem die celebrare in ipsomet altari ob reuerentiam dignitatis Pontificia, nisi præhabita illius benedictione, vel non, nisi ex aliqua incidenti necessitate*, vt ibi aduertit glossa, vbi notat Vgolin. *de off. Episc. cap. 2. §. 2. n. 4.* cum in citato textu dicatur, *Episcopo cantante*, non autem simpliciter *celebrante*, vt ius obliget, videtur requiri publica, ac solemnis celebratio: quod tamen non approbat Nald. *v. Episc. num. 31.* & meritò, cum in summario citati capitis dicatur, *vbi celebrant Episcopus*; quod est signum pro eodem sumi *cantare*, ac *celebrare* Missam: talisque est praxis.

Quæres XXIV. An, & quomodo Regulares teneantur in propriis Ecclesiis denunciare, ac seruare censuras, & interdicta.

97. Respond. teneri iure communi, non item ex priuilegiis, quoad hoc ipsis concessis, quæ illis etiam in præsentia suffragantur, quoad multa, & quidem, quod teneantur iure communi; patet, tum ex Clem. 1. *de sent. excommunic.* in qua præcipitur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, vt Regulares seruent interdicta, siue valida, siue nulla, quando ea seruat Ecclesia Matrix: idque statim, ac iis per probabilem relationem innotuerunt; quamquam, si Ecclesia Matrix seruet interdictum eo, quòd ipsa specialiter fuerit interdicta, tunc Regulares non teneantur illud seruare, vt aduertit Rodriq. *tom. 2. q. 108. art. 5.* tum ex Concil. Trident. *sess. 25. de regul. cap. 12.* vbi dicitur: *Censuræ, & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesiis promulgentur, atque seruentur.* Quod verò etiam in præsentia ex propriis priuilegiis non teneantur seruare interdicta in multis: constat ex dictis *supr. c. 2. sect. 1. subsect. 1. q. 12.* si hic probetur probabile esse illa non fuisse reuocata per Concilium Tridentinum: quod docet Miranda *tom. 2. manual. quæst 32. art. 2.* ex Barthol. Medin. Rodriq. Henriq. & Sayro, quos sequuntur Sorbus, Peregrinus, & Ioan. de la Cruz penes Peyrinum *tom. 1. priuileg. constitut. 2. Sixti IV. num. 51.* contra Nauarrum *cap. 27. num. 190.* Garciam *part. 3. de benefic. cap. 2. num. 180.* & alios.

98. Probatur autem prædicta priuilegia non fuisse reuocata per Concilium Trid. tum, quia in eo solum præcipitur, vt Regulares seruent interdicta: idque in primis contra aliquos Religiosos iactitantes se ex priuilegio non adstringi ad seruandum vllum interdictum, vt aduertit Barth. Medina *cap. 12. summæ. §. 13. d. 2.* cum tamen vti in certis diebus, & casibus aliquibus concessionibus, aliàs repugnantibus interdictum, sed solum tempore interdicti, vti præfatis concessionibus: cuius signum est, quod elapso tali die, aut casu, interdictum statim reducitur ad pristinam obseruantiam: ita vt dici possit, & debeat interdictum potiùs suspendi ad tempus, quam non seruari. Quamquam probabilitas huius opinionis non suffragetur Religiosis Soc. Iesu; eum *in comp. priuileg. eiusdem Soc.* dicatur *v. Interdictum, fine, Non obstantibus his* (nempe priuilegiis ibi relatis) *mandante Episcopo, Nostri interdicta*, non solum à Sede Apostolica, sed etiam ab Ordinariis promulgata publicare, & seruare debent, vt decreuit Concilium Trident. *sess. 25. cap. 12. de Regul.* Vbi obseruanda sunt verba illa, *mandante Episcopo*: iis enim videtur indicari Episcopo non mandante, permitti Nostris vsum dictorum priuilegiorum, & consequenter ad non vsum illorum requiri, vt Episcopus indicens aliquod interdictum in suo edito, quoad hoc mentionem faciat de Regularibus, sicut diximus *quæst. 1. §. verùm verò*; in quo casu nihilominus possent Nostri vti priuilegiis pro tempore interdicti concessis in *cap. alma mater*: quippe quæ ipsis competunt iure communi, ideóque non comprehenduntur sub clausula, *mandante Episcopo*, quæ includit solum priuilegia specialiter ipsis concessa, siue per se, siue per viam communicationis.

Quòd si quæras, quæ priuilegia concessa sint Regularibus pro tempore interdicti.

Resp. concessa fuisse & plura, & magna. I. enim concessit Nicolaus V. Regularibus, vt tempore interdicti sine generalis, siue specialis, vel etiam cessatio

ceſſatioois à diuinis poſſint inter viros, ac mulieres ſucceſſiuè eligere ſex perſonas, quæ in ipſorum Eccleſia admittantur ad audiendam Miſſam, ac diuina Officia, ad recipienda Sacramenta, & ſi eas tunc temporis mori contigerit, Eccleſiaſticæ ſepulturæ donari poſſint (abſque ſolemnitate tamen;) dummodo ipſi Regulares aut dictæ perſonæ eligendæ cauſam non dederint interdicto, aut ceſſationi à diuinis, vel certè interdictum non fuerit poſitum, aut confirmatum auctoritate Apoſtolica: quæ conceſſio eſt bullata, & refertur à Caſarub. *in comp. v. interdictum* 1. *n.* 23. qui addit *n.* 24. Nicolaum Francum Legatum de latere conceſſiſſe Benedictinis, vt tempore interdicti lati ab Ordinario poſſint admittere ad Miſſas, & alia diuina Officia 15. perſonas qualibet die (de iis tamen, quæ non dederint cauſam interdicto;) idque non ſolùm ſucceſſiuè (vti conceſſerat Nicolaus V. quoad 6. perſonas) ſed etiam ſimul: cum hìc non apponatur clauſula ſucceſſiuè, ſicut ponitur in indulto Nicolai V. & alioqui ſimus in materia fauorabili, quæ debet ampliari; vnde puto, quod cum ex indulto Nicolai V. non colligatur 6. illas perſonas ſemper eſſe debere eaſdem, vtique ſingulis diebus variari poterunt, electis vna die 6. perſonis determinatis, & alia die 6. aliis, ſicque deinceps.

II. Poſſunt Religioſi admittere ad diuina Officia, ac Eccleſiaſtica Sacramenta ſuos Procuratores, ac Syndicos, illorum vxores ac filios; idque ex priuilegio bullato Clementis VII. relato à Caſarub. *ver. Procuratores, n.* 12. per quod dictis perſonis conceditur poſſe vti, ac frui omnibus fauoribus, & gratiis, quæ conceſſæ ſunt ipſis Religioſis, & conſequenter iis, quæ Religioſis conceſſæ ſunt pro tempore interdicti, ſicut infert Rodriq. *tom.* 1. *q.* 114 *art.* 2. monens præfatam conceſſionem dictis perſonis ſuffragari etiam pro tempore ceſſationis à diuinis, addénſque *art.* 3. ſimile priuilegium competere Medico ordinario Religioſorum (non tamen pro tempore ceſſationis à diuinis) idque ex conceſſione Alexandri VI. de qua mihi non conſtat, ſitne bullata, adcóque etiam in præſentia ſubſiſtat, necne.

III. Poſſunt admittere ad diuina Officia, receptionem Sacramentorum, & Eccleſiaſticam ſepulturam omnes famulos, ac familiares ſui monaſterij, necnon continuos commenſales, & quoſuis alios viuentes expenſis eiuſdem monaſterij, & quidem cum earum familia vtriuſque ſexus: & hoc ex indulto Benedicti XIII. relato *in comp. FF. S. Hieronym., v. interdict.* §. 1. Quod eſt magnum priuilegium: at videndum eſt, ne fuerit viuæ vocis oraculo conceſſum, quo modo hodie nullum eſſet iuxta ſæpius dicta: quamquam, quod ſpectat ad famulos, ac familiares, tale priuilegium dici poſſit eis competere etiam hodie ex conceſſione bullata Eugenij IV. relata à Caſarub. *ſupr. v. interdict.* 3, *num.* 11.

IV. Poſſunt Regulares ex indulto bullato Alexandri IV. adducto à Caſarub *ſupr. num.* 1. admittere ad diuina operarios, qui in locis ipſorum perſonaliter conſtituti ìuſtiterint, officiales ſcilicet, & laborantes in die, qua ibi laborauerint, & quidem etſi iis ſoluatur ſtipendium, & non ſint ordinarij laboratores.

V. Poſſunt admittere ad diuina proprios famulos aliunde venientes, & mercenarios reſidentes in grangiis, ac cellariis (ſi hi non dederint cauſam interdicto: idque ex indulto bullato Vrbani V. relato à Caſarub. *ſupr. num.* 13.

VI. Poſſunt recipere ad diuina Tertiarios, ac Tertiarias, horum procuratores, ac negotia gerentes: ſic per bullam concedente Sixto IV. apud Caſarub. *ſupr. num.* 7. qui addit *n.* 8. idem fuiſſe conceſſum ab eodem Sixto etiam Aduocatis Fratrum, Monialium, ac Tertiariarum Ordinis Minorum.

VII. Poſſunt Religioſi non ſolùm ianuis clauſis, ac excluſis excommunicatis, & interdictis celebrare ſubmiſſa voce Miſſam, & alia diuina Officia, ſed etiam Sacramenta recipere, & aliis miniſtrare: modò ij non dederint cauſam interdicto, & hoc ipſis ſpecialiter non prohibeantur: idque ex conceſſione bullata Pauli III. facta Religioſis Societatis Ieſu die 1. Nouembr. 1548. de qua etiam alij Religioſi participant per communicationem.

An autem Regulares tempore ceſſationis à diuinis poſſint celebrare in propriis Eccleſiis, ſicut poſſunt tempore interdicti.

Reſpond. olim potuiſſe ex priuilegio Leonis X. relato à Caſarub. *in comp. v. interdictum* 1. *n.* 17. quod tamen cum fuerit conceſſum viuæ vocis oraculo, non amplius ſuffragatur ob generalem reuocationem viuæ vocis oraculorum, niſi velimus illud ſubſiſtere ob dicta *cap.* 1. *ſect.* 5. *q.* 20.

QVÆRES XXV An Epiſcopus poſſit erigere cathedram, & tribunal in Eccleſiis, ac locis exemptis Regularium.

Reſpond. non poſſe: & probatur, quia locus 99.
exemptus eſt quidèm in diœceſi, at non eſt de diœceſi, ſicque Epiſcopus non poteſt ibi exercere iuriſdictionem. ita Ceſpedes *de exempt. d.* 228. *num.* 8. ex Rota *diuerſorum deciſ.* 107. *n.* 2. *p.* 2. ac pluribus Iuriſtis, & Canoniſtis, monens ſecus dicendum de Epiſcopo à ſua diœceſi expulſo: is enim tunc petita, & non obtenta licentia poteſt erigere in loco exempto tribunal, ibique iuriſdictionem exercere, ſicut & poteſt extra diœceſim: quod idem docet Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg* 80. *n.* 10. & colligitur ex Clem. *vnic. de foro comp.*

Ex hac autem reſponſione infert Ceſpedes *n.* 10. cum Ancharano, Vitalino, & Nauarro, Epiſcopum non poſſe degradare aliquem in Eccleſiis Regularium: idque ex defectu iuriſdictionis, quam ibi non habet.

QVÆRES XXVI. An Epiſcopus poſſit punire delinquentes in monaſteriis Regularium ibidem actu exiſtentes.

Reſpond. videri non poſſe: & probatur, tum, 100.
quia locus exemptus, & locus extra diœceſim æquiparantur: ſicut ergo Epiſcopus nequit punire ſuos ſubditos commorantes extra diœceſim, ſic nec poteſt punire commorantes in loco Regularium exempto: tum, quia Regulares ab Epiſcopo eximuntur etiam quoad loca, ita vt in iis nequeat iuriſdictionem contentioſam exercere, adcóque nec punire ibi delinquentes; quod ſupponit vſum dictæ iuriſdictionis: tum, quia hinc non fit delicta manere ſemper impunita: cum puniri poſſit delinquens, ſi redeat ad locum non exemptum, & in monaſterio deliquit contra ius naturale, ſeu diuinum; prætereàquam, quod non eſt inconueniens adeò graue delicta interdum manere impunita, etiam in alio caſu; vt ſi reus diſcedat à diœceſi in qua deliquit. ita Auila *part.* 2. *de cenſur. D.* 2. *cap.* 3. *d.* 7. Bonac. *D.* 1. *de cenſur in comm. q.* 11. *p.* 11. Alph. de Leone *de cenſur. recollect.* 2. *num.* 323. contra Salas *de leg. D.* 14. *num.* 84. Suarez *D.* 5. *de cenſur. ſect.* 4. *num.* 5. Azorium *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 25. *q.* 4. & alios.

Maius dubium eſt, an Epiſcopus poſſit punire eum, qui deliquit in monaſterio Regularium, & redit ad locum non exemptum.

Reſpond. non poſſe, ſi delictum commiſſum eſt ſolùm contra ius poſitiuum; cum ſic actus delinquentis

quentis in loco exempto non habeat rationem delicti, cessante ibi obligatione dicti iuris (vt suppono) secus si delictum sit contra ius naturale, aut diuinum; tunc enim delictum committitur quidem extra territorium, at delinquens, & res, circa quam delinquitur, sunt intra territorium; & hoc sufficit, vt delinquens puniri possit; idque etsi illud delictum non sit per Dioecesanum expressè prohibitum. ita Alphons. de Leone *supr. n.319.* & cum eo Cespedes *supr. d.116.* citans pro se Ciarlinum, addensque oppositum defendi à Federico de Senis *conf.2.* Et hæc assertio mihi placet, sed videtur non sufficienter probata: cum Aduersarij vrgere possint delinquentem, & rem, circa quam delinquitur, esse intra territorium Episcopi, etiam in priori casu, in quo tamen negatur, quod Episcopus possit punire delinquentem: quare ad hoc, vt ratio allata sufficienter probet assertionem, addendum est in posteriori casu ita delinquentem, & rem, circa quam delinquitur, esse intra territorium Episcopi, vt actus delinquentis habeat rationem delicti, vtpote factus contra ius etiam in loco exempto obligans; quod non procedit in priori casu, vt dictum est.

Sectio III.

De Priuilegio Regularibus concesso, quoad benedicendum proprias Ecclesias, Vestes, Vasa sacra, aliáque ad vsum ipsarum Ecclesiarum.

101 *Regulares benedicunt suas Ecclesias, & Oratoria: imò possunt dicta prophanare, si sint solùm benedicta, eaque velint deserere.*
102 *Consecrant Altaria, Calices, & Patenas.*
103 *Idque ex priuilegio, cui non est derogatum à sacra Congregatione.*
104 *Tali priuilegio vtuntur Abbates, tum Cassinenses, tum aliorum Ordinum: Prælati regulares benedicunt pixidem Eucharistiæ, etsi non sint Abbates.*
105 *Benedicunt Campanas.*
106 *Benedicunt Paramenta ecclesiastica.*
107 *Simplex Sacerdos, vt sic, ea non benedicit.*
108 *Benedicunt Corporalia.*
109 *Religiosi Societ. Iesu in locis Infidelium præfata benedicunt, & consecrant.*
110 *Facultas hæc consecrandi, ac benedicendi est ad vsum externorum, nisi obstet vsus.*
111 *Religiosi donant externis sua iam consecrata, & tunc oblata consecrant ad proprium vsum.*
112 *Non benedicunt, nec reconciliant Ecclesias alienas.*
113 *Facultatem consecrandi, aut benedicendi delegant Religiosis subditis.*
114 *Imò & cuilibet Sacerdoti, etiam sæculari.*
115 *Acquiri potest per consuetudinem præfata facultas.*
116 *Eam exercens in peccato mort. non peccat mortaliter; etsi irregularis fiat, si affectus censura illa vtatur.*
117 *Consecratio, ac benedictio non desinunt, quamdiu res consecrata, aut benedicta ad vsum destinatum possunt deseruire.*
118 *Sublata interiori inauratione Calicis, is adhuc manet consecratus.*
119 *De nouo inauratus non eget noua consecratione; nec exercatur ex certis ictibus inflictis ipsi, vt putat vulgus.*
120 *Consecratio, ac benedictio non desinunt eodem modo: assignantur casus varij, in quibus Altare fixum, aut portatile execratur, & alij, in quibus non.*
121 *Consecratio Ecclesiæ paulatim destructa, & simul refecta non desinit: Ecclesia polluta iuxta aliquos reconciliatur, si ibi celebretur Missa.*
122 *Vasa sacra, & similia non oppignerantur, nec venduntur integra.*
123 *Regulares in Sabbato sancto non benedicunt domos sæcularium.*
124 *Si sint Abbates, benedicunt populum solemniter.*
125 *Abbates Regulares de iure communi benedicuntur ab Episcopo: cum mozzeta, & capuccio incedunt coram Episcopo, si sint Generales.*

Quæres I. An, & quomodo Regulares possint benedicere proprias Ecclesias & Oratoria. Respond. posse eo modo quo diximus *sect. præced. q.3. & 5.* solùm hic addo aliquibus non videri improbabile, quod ait Nald. *v. Ecclesia, n.24.* ex Henriq. Sà, Graff. & Alphonso de Castro; nimirum Ecclesiam, quæ occultè polluta est, si quis interim in ea celebret bona fide, videri sufficienter reconciliatam, nec indigere noua reconciliatione: idque ob diuinam præsentiam, quæ in ea per Missæ sacrificium corporaliter adest, & censetur sufficiens ad quamcumque purgationem, ac reconciliationem faciendam; quod idem putant citati DD. proportionaliter dicendum de Calice, & paramentis, quæ bona fide adhibeantur ad sacrificium Missæ, ante eorum benedictionem, aut consecrationem. At dissentiunt Nauarr. *cap.27. n.156.* Fagund. *præc.2. lib.3. cap.21. n.15.* Layman *lib.5. tract.6. cap.5. n.13.* aliique ea maximè ducti ratione; quod bona, aut mala fides nihil facit ad rem præsentem: cum benedictio, & consecratio non procedant ex bona fide Ministri eiusmodi vestes, aut vasa adhibentis, sed ex eo, quod dictæ res deseruiunt ad Missæ sacrificium, & alioqui mala fides non posse impedire virtutem sacrificij, quin dictas res sanctificet, sed solùm impediat sanctificationem animæ ipsius Ministri, qui dictis rebus non benedictis, aut non consecratis vtendo peccat, & quidem, vt puto, mortal. stante grauitate materiæ: cum Naldo sentit Auila *de censur. p.5. D.7. d.3.* Persicus *lib.1. de Offic. Sacerd. cap.7. n.61.* 101

Vnum addo ex Cespedes *de exempt. d.156. num.2.* prophanationem Ecclesiarum, quas Regulares deserunt, debere fieri ab Episcopo, si Ecclesiæ sint consecratæ; si verò sint solùm benedictæ, fieri posse etiam à Prælato regulari, qui item potest eas benedicere. ratio est, quod per quas causas res nascitur, per eas & dissoluitur: cum ergo consecratio Ecclesiæ fiat ab Episcopo, & eius benedictio etiam à Prælato regulari, prophanatio Ecclesiæ consecratæ facienda erit ab Episcopo (quod clarè expressit Vrbanus VIII. in bulla, *Cum sicut nobis*, nuper relata à Peyrino *tom.3. priuil. cap.12. in addit.*) prophanatio verò Ecclesiæ benedictæ etiam à Prælato Regulari. Idem docent Sylu. *v. Ecclesia 2. quæst.5. num.7.* Angelus *v. Altare.*

Quæres II. An Regulares possint consecrare Altaria portatilia, Calices, patenas, & alia, in quibus adhibetur Vnctio.

Respond. iure communi non posse, etiamsi sint Abbates; cum id prohibeatur in *cap. Abbates*, iuncta glossa *v. tonsuram, de priuil. in 6.* ex consuetudine tamen fundata in priuilegio Innocentij VIII. concesso ad petitionem Ioannis Abbatis Cistercensis videri posse: cum in dicto priuilegio concedatur, vt dictus Io. & quatuor primi Coabbates illius tunc, ac pro tempore existentes perpetuis futuris temporibus 102

quæcumque vestimenta, ac ornamenta Ecclesiastica, corporalia, vasculáque ad reponendam Eucharistiam in locis, & domibus dicti Ordinis benedicere, & calices consecrare, tam de dicto Ordine, quam si ad eos aliunde nonnunquam deferantur, valeant, & possint. Ita Barbosa *de offic. Episc. allegat.* 27. *num.* 36. Miranda *tom.* 2. *quæst* 41. *art.* 4. Tambur. *de iure Abbatum, tom.* 1. *D.* 23. *quæst.* 13. Rodriq. *tom.* 3. *sum. cap.* 19. *num.* 2. Portel. *de dub. regul. ver. Abbas, n.* 3. & Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 15. patétque ex tenore præfati priuilegij Innocentij VIII. quod est bullatum, & refertur à Rodriq. *in bullar. Constit. Innocentij VIII. in ordine quinta*; solùm addo facultatem consecrandi altaria portatilia haberi ex Constit. Pij IV. in ordine 97. in quâ talis facultas conceditur Abbatibus Benedictinis, pro suis tamen Ecclesiis tantùm, & solùm ad vsum proprium (vt colligitur ex verbis citatæ Constitutionis.) Similem facultatem concessit Paulus III. anno 1549. Religiosis Societatis degentibus in remotissimis partibus, vbi catholicus Episcopus facilè non potest inueniri; quam antea Honorius II. concesserat Minoribus; vt in eorum monumentis habetur *concess.* 212. & refertur *in Comp. priuil. Societ. ver. Ecclesia*, §. 1. & Adrianus VI. Ordinis Minoris Prouincialibus Indiarum, & Fratribus, quibus ij commiserint facultatem, dedit consecrandi altaria, & Calices, etiam pro vsu alieno in casu necessitatis, Episcopis in prouincia non existentibus; imò Gregorius XIV. teste Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 28. *art.* 1. Abbatibus Ordinis Cisterciensis concessit priuilegium consecrandi Aras, & Calices.

103. Nec obstat, quod sacra Congregatio declarauit Abbatem benedictum mitræ, & baculi pastoralis vsum habentem non posse se ingerere in iis benedictionibus, in quibus vnctio requiritur; siquidem Nald. *ver. Abbas, num.* 4. referens dictam declarationem ait: Cum dubitatum fuisset, an talis declaratio, seu prohibitio deberet intelligi de omnibus Abbatibus, etiam regularibus, & habentibus priuilegia amplissima pro benedictionibus altarium, Calicum, & huiusmodi: ait, inquam, sacram Congregationem, instante Procuratore generali Congregationis Cassinensis, ac exhibente summarium priuilegiorum, & gratiarum eiusmodi declarasse in hæc verba, Decisionem aliàs à se editam, quod Abbates vtcumque benedicti benedicere non possunt ea, in quibus vnctio requiritur, non obstare, quo minus iidem munus prædictæ benedictionis, quoad ea, in quibus vnctio requiritur impendere queant, si specialibus Sedis Apostolicæ priuilegiis, quibus Concilium Tridentinum nequaquam derogat, muniti fuerint.

Quod si quæras, an prædicto priuilegio Innocentij VIII. vti possint Abbates aliorum Ordinum, etiam non benedicti.

104. Respond. videri posse; & probatur, quia ex vna parte tale priuilegium non est personale (quod proinde dicendum sit desiisse cum illis Abbatibus, quibus fuerat concessum) sed reale, idest concessum dignitati: vt constat ex eo, quod fuit concessum dictis Abbatibus in perpetuum, & consequenter etiam illorum successoribus; ex alia parte priuilegium reale, quod conceditur vni monasterio alicuius Ordinis, hoc ipso communicatur, non solùm aliis monasteriis eiusdem Ordinis, vt ostendimus *cap.* 1. *sect.* 3. *quæst.* 4. sed etiam aliis Ordinibus, vt constat ex amplissima communicatione priuilegiorum, quam illi habent inter se. Vnde fit, vt omnes Abbates regulares, etiam non benedicti vti possint tali priuilegio: cum ad vsum illius requiratur quidem, vt vtens sit Abbas, non item, quod sit benedictus; Abbates enim Canonicorum Regularium vtuntur isto priuilegio, & tamen non sunt benedicti. Quare, quod ait Miranda *loco citato*, huiusmodi priuilegio non frui aliàs Religiones, quantumuis alioqui communicantes de priuilegiis Cisterciensium, approbatem, si loqueretur de Religionibus, quarum Prælati non sunt, nec dicuntur Abbates, adeóque non habent in se conditiones requisitas ad gaudendum tali priuilegio, quarum potissima est, vt eo vtens sit constitutus in dignitate Abbatis; sicut in simili aduertit Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 29. *num.* 28. aliàs non puto admittendum esse, quod ait Miranda; idque ob rationem paulo ante adductam, sicque mecum censuerunt alij viri docti consulti. Quod in simili notat Cespedes *de exempt. d.* 158. *num.* 1. dicens priuilegio consecrandi calices, & patenas non frui Prælatos, qui non sunt Abbates: nam Abbatibus iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus plures concedantur, quæ non conceduntur Prælatis aliarum Religionum, sicque in hoc non fit communicatio priuilegiorum.

Et quidem, quod spectat ad pixidem, in qua seruatur Eucharistia, docet Cespedes *num.* 3. ex Lezana eam posse benedici à Prælatis regularibus, ex Leonis X. indulto, non tamen ab omnibus illis consecrari (si extet consuetudo pixides consecrandi, qualis est Romæ,) sed solùm ab iis Prælatis, qui possunt consecrare Calices; idque ex declaratione sacræ Congregationis adducta à Nouario *in Lucerna Regul. ver. benedicere, num.* 3.

Qværes III. An Regulares possint benedicere Campanas.

Respond. posse, tum ex priuilegio Innoc. VIII. relato *quæst. præcedenti*, tum ex concessione bullata Iulij III. anno 1551. facta Canonicis Regularibus S. Saluatoris, vt scilicet omnes Nouitios in Ordine ipso expressè professos ad primam clericalem Tonsuram, & ad minores ordines promouere, campanas quoque & paramenta, ac quascumque vestes diuino cultui deputatas, vel deputandas in quibusuis monasteriis, prioratibus, & dictæ Congregationis locis benedicere liberè, & licitè possint. Vbi notandum est vim talis facultatis non restringi ad res proprias benedicentium, sed concedi absque vlla limitatione, adeóque nisi aliunde restringatur, extendi etiam ad res alienas: præsertim cum simus in materia fauorabili, in qua locum maximè habet regula. *Vbi lex non distinguit.* Ita Lucerna *Regul. ver. benedicere, num.* 21. ex Tamburino. 105.

Qværes IV. An Regulares possint benedicere Ecclesiastica paramenta.

Respond. posse, Prælatos quidem, siue Generales, siue Prouinciales, siue etiam locales ex se: alios verò Regulares non, nisi ex deputatione ad id ipsis facta in Capitulo generali. Ita Miranda *supr. q.* 40. *art.* 1. aliique, & probatur ex priuilegio bullato Leonis X. concesso Fratribus Minoribus, & relato à Casarubio *in Comp. ver. benedicere, num.* 14. in hæc verba: *Leo X. concessit Generalibus, & Prouincialibus, necnon & Guardianis Fratrum Minorum Obseruantiæ pro tempore existentibus, vt paramenta, & ornamenta, & alia quæcumque ad diuinum cultum, & vsum Fratrum necessaria, in quibus chrisma non interuenit, pro eorumdem Fratrum vsu tantùm, solemni benedictione valeant benedicere; & voluit, hoc idem possint alij Fratres eiusdem Ordinis, qui ad hoc in Capitulis generalibus deputati fuerint.* Quamquam, si daretur esse in vsu indultum bullatum Bonifacij IX. relatum à 106.

Confectio

Confectio *fol.56.* sub his verbis: *Huiusmodi Fratres* (idest Dominicani) *vbilibet constituti candelas, aquam, sal, palmas, & alia ornamenta in eorum Ecclesiis seruatis solemnitatibus consuetis benedicere* (supple) *possint*; iam possent absque illa deputatione prædicta benedicere: sed obstat contrarius vsus.

107. Quod verò ait Angel. *v. benedictio, num.* 1. simplices Sacerdotes posse secundùm ius benedicere omnia, in quibus chrisma non interuenit, ea mosus ratione, quod Presbyter potest omnia facere, quæ sunt Ordinis, nisi sint ordinis Episcopalis, aut specialiter ei interdicta *cap. quamuis* 68 *d.*1. cum tamen benedictio paramentorum non sit ordinis episcopalis, vtpote competens Abbatibus ex consuetudine, & aliàs ipsi non sit prohibita: quo modo multa alia ipsi prohibentur in citato *cap. quamuis*, vt consecratio Sacerdotum, consecratio Virginum, &c. hoc, inquam, communiter reiicitur à Doctoribus, teste ipsomet Angelo; estque contra communem Ecclesiæ praxim, quidquid sit de speculatiua probabilitate talis opinionis.

QVÆRES V. An Regulares benedicere possint Corporalia.

108. Respond. posse, non quidem ex vi concessionis factæ ab Innocentio VIII. Fratribus Minoribus; quæ cum fuerit viuæ vocis oraculum teste Casatubio *sup. num.* 7. iam expirauit; sed ex priuilegio Leonis X. adducto *quæst. præcedenti*, in cuius priuilegij concessione cum dicatur paramenta, & ornamenta, & alia quæcomque ad diuinum cultum, & vsum Fratrum necessaria, in quibus chrisma non interuenit, & sub illa generalitate, *alia quæcumque*, commodè venire possint Corporalia, in quorum benedictione nullum interuenit chrisma: sequitur horum benedictionem ibi fuisse concessam, vt rectè notauit Miranda *sup. a.* 2. in confirmationem huius sententiæ referens concessionem Innocentij VIII. factam Prioribus Ordinis S. Hieronymi, & Vicarius in absentia Prioris, & cuilibet habenti principalé regimen cuiuscumque monasterij, vt possint benedicere corporalia, vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiastica ad diuinum cultum pertinentia, tam sui Monasterij, quàm etiam vndecumque sint. Notat autem Rodriq. *tom.*1. *quæst.*19. *art.*2. hic per Vicarios non intelligi quoscunque Vicarios, sed tantùm illos, qui in absentia Prælatorum localium præsint monasteriis; idque colligit ex verbis illis concessionis, *Vicariis in absentia Prioris.*

109. Addo ex Portello *de dub. regul. v. benedicere, in addit. num.*3. Gregorium XIII. concessione Religiosis Societatis, vt qui ex ipsis mittuntur à Patre Generali in terras remotissimas ad fidem prædicandam infidelibus, possint ibidem Ecclesias, hospitalia, & alia pia loca erigere sine alicuius præiudicio, & vestes sacerdotales, palas, corporalia, Calices, & cæmeteria (si Episcopus catholicus, qui ea faciat, ibi non fuerit) benedicere, & prophanatas Ecclesias reconciliare possint. Circa cuius concessionis intelligentiam notat Portellus limitationem illam, si ibi non fuerit Episcopus catholicus, non habere locum, nisi, quoad consecrationem calicum, quippe quos non potest regularis Prælatus consecrare, nisi sit Abbas: & quoad benedictionem corporalium faciendam à Sacerdote non Prælato, vtpote, quæ iure communi spectat ad solos Episcopos, & ex priuilegio tantùm ad regulares Prælatos, vt iam diximus. monet autem Io. Præpositus *in* 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *d.* 4. qood si magnum corporale scindatur in 2. partes & quælibet pars illarum sit apta ad recipiendam hostiam, & calicem, benedictionem retinet.

QVÆRES VI. An Regulares possint vti prædictis priuilegiis consectandi, ac benedicendi non solùm ad vsum suarum Ecclesiarum, sed etiam aliarum quarumcumque.

Respond. videri posse; præsertim si non extet vsus in contrarium, & id fiat absque offensione Ordinariorum. ita Miranda *supr. art.* 3. ex Rodriquez, Casarub. & aliis, patetque quoad consecrationem quidem Calicum ex dictis *quæst.*1. quoad benedictionem verò paramentorum, & corporalium ex dictis *quæst præcedenti*: quamquam Miranda sic tandem concludat: *Sed an id liceat, sitque modo in consuetudine positum, nolo in præsentiarum disserere, aut in hac re iudicem agere: aliorum esto iudicium, tantummodo enim cordis est referre quæ in his rebus communiter à Doctoribus traduntur*: sic ille. Gauantus certè in *rubricas Missalis & Breuiarij part.*4. *tit.*19. *num.*22. asserit sacram Congregationem declarasse Regulares non posse benedicere paramenta ecclesiarum non subditarum; quæ declaratio, si est authentica, sufficienter publicata, & vsu recepta, vtique seruanda est. 110.

Difficultas hic esse potest, an posito quod iuxta dicta *quæst.* 2. Patres Benedictini possint consecrare Altaria portatilia solùm pro suis ecclesiis, saltem possint iis, quid ad ipsos deferunt Altaria consecranda, donare propria Altaria consecrata, animò postea consecrandi Altaria ab extraneis delata, eáque sic consecrata, retinendi ad vsum propriæ Ecclesiæ loco illorum quæ modo dicto donarunt,

Respond. quod, quamuis id videatur factum in fraudem legis, & contra intentionem concedentis; nihilominus, simpliciter loquendo, si quis oppositum vellet sustinere, non ita facilè posset argui falsitatis. ducor, quod ex vna parte non dicitur facere fraudem, qui vtitur iure suo: ex alia parte Regulares in casu proposito videntur vti iure suo: cum ex suis priuilegiis possint ad vsum proprium consecrare Altaria portatilia; eáque verè ad vsum proprium consecrent, aliàs nullo iure prohibiti sua Altaria donare amicis eorum indigentibus. ita docti viri à me consulti, & non improbabiliter. 111.

Quod si hic obiter quæratur, an Regulates vi priuilegij, quod *quæst.* 1. diximus ipsis competere quoad benedicendas ecclesias, easve pollutas reconciliandas, possint benedicere, ac reconciliare etiá Ecclesias, & Oratoria aliena.

Respond. videri posse; constátque tum ex praxi, tum ex tenore concessionis Leonis X. relatæ *sect. præcedenti quæst.* 3. quæ restringitur ad Ecclesias, & Oratoria ipsorum Regularium his verbis: *Leo X. concessit Generalibus, Prouincialibus, ac Custodibus, nec non & Guardianis Fratrum Minorum Obseruantia pro tempore existentibus: vt omnia & singula eiusdem Ordinis, & Obseruantiæ ecclesias, cameteria &c. solemni benedictione valeant benedicere*; constat autem, qood causa limitata non potest producere effectum nisi limitatum. Cum quo tamen puto stare, quod vi talis concessionis possunt Prælati regulares benedicere, & reconciliare Ecclesias Monialium sibi subditarum; cum harum Ecclesiæ veræ sint, & dici possint ecclesiæ eiusdem Ordinis, ac obseruantiæ, adeóque comprehendantur sub præfata concessione dante facultatem benedicendi omnes, & singulas ecclesias eiusdem Ordinis, & Obseruantiæ.

QVÆRES VII. An Prælati Regulares possint delegare suis subditis Regularibus facultatem benedicendi prædicta.

113. Respond. posse, si illos ad id deputent in Capitulo generali iuxta dicta q. 4. (quamquam talis delegatio non sit in vsu, nec necessaria. Imò addit Bordonua resol. 17. num. 1. quòd, cum potestas concessa Prælatis per priuilegia perpetua sit ordinaria teste Bartolo in l. ambitiosa ff. de decr. ab ordin. factis, num. 34. Baldo, ac Imola in cap. fin. de offic. ordin. & Sanch. l. 2. de matr. D. 40. num. 14. & l. 8. D. 2. num. 10. & alioqui ordinaria potestas delegari possit (vt communiter notant DD.) hoc ipso quod potestas benedicendi paramenta ecclesiastica competis regularibus Prælatis ex priuilegiis perpetuis, erit ordinaria, & consequenter delegabilis cuicumque Sacerdoti.

Quæres VIII. An Prælati regulares dictam facultatem benedicendi possint delegare alicui Sacerdoti non subdito, etiam sæculari.

114. Respond. posse; & probatur tum quia nulla ratio extat, cur ea possit delegari Religiosis subditis, & non possit delegari Sacerdoti non subdito, etiam sæculari: cum talis limitatio non habeat fundamentum, neque in iure communi, neque in speciali, quod mihi constet; & aliàs beneficium principis latè interpretari debeat; tum quia dicti Prælati possunt delegare cuicumque Sacerdoti extraneo, etiam sæculari, qui sit idoneus ad audiendas confessiones, facultatem absoluendi Religiosos subditos à reseruatis in Ordine, non est autem maior ratio, cur possit delegari talis facultas, & non possit delegari facultas benedicendi paramenta ecclesiastica, de qua hîc.

Quæres IX. An Regulares per consuetudinem possint acquirere facultatem benedicendi, seu consecrandi, aliàs ipsis competentem vi priuilegiorum.

115. Respond. posse: vt fusè probat Suarez, sup. cap. 30. à num. 3.

Quæres X. An Regulares exercentes prædicta priuilegia in peccato mortali peccent & quomodo.

116. Respond. secluso scandalo, & contemptu, per se loquendo, non peccare, nisi venialiter, eò tamen grauius, quo ministerium, quod exercent, est excellentius, & magis sacrum. ita Suar. D. 16. de sacram. sect. 3. ex S. Thoma Caiet. Soto, aliisque communiter, contra Medin. C. de pœnit. tract. 1. quæst. 6. sub finem, dicentem Episcopum peccare mort. si conficiat chrisma, benedicat oleum, aut consecret ecclesiam in peccato m. Ratio nostra est quòd consecratio, seu benedictio prædictarum rerum non est dispensatio meritorum Christi, aut actio in se adeo sancta, vt adsit obligatio illam exercendi in statu gratiæ: qualem obligationem habet is, qui conficit aliquod Sacramentum: quamquàm (vt diximus) in hoc interueniat peccatum aliquod veniale, eo quod in tali actu adsit aliqua irreuerentia.

Vtrum verò Regulares incurrant irregularitatem, si affecti aliqua censura vtantur dictis priuilegiis consecrando, aut benedicendo.

Respond. incurrere. ita Barbosa de offic. Episc. alleg. 27. num. 62.

Quæres XI. Quamdiu vasa sacra, vestes benedictæ, & similia retineant consecrationem, seu benedictionem, ita vt non egeant denuo consecrari, aut benedici.

117. Respond. retinere, quamdiu non amittunt figuram, & non redduntur inhabilia ad vsum sacrum, ad quem sunt instituta; ideoque Calicem, & patenam manere execrata, quando ita notabiliter franguntur, vt patena hostiam capere non possit, & in Calice commodè nequat consecrari Christi sanguis: vestes verò amittere benedictionem, si ita attenuantur, vt vel deperdant suam formam, vel ampliùs deseruire non possint ad vsum, ad quem benedicuntur; vt constat ex cap. id quod in dubium, de consecrat. quo modo si manica albæ ab ea omninò separetur, & iterum assuatur, eget noua benedictione; non item, si priusquam forma destruatur, ipsa vestis sacra paulatim assuatur, aut reficiatur: tunc enim censetur manere benedicta, accessorio sequēte suum principale. ita Paguod. prac. 1. Eccl. l. 3. cap. 23. num. 9. & cap. 21. num. 16. aliique penes ipsum; à quibus vtique non dissentit Sylnester v. benedictio, n. 6. vbi loquens de benedictione prædicta vestium, ait illam durare, quamdiu in illis manet forma vestis sacræ: formam verò amitti, quando tanta pars est amota, quod non liceret sine ea celebrare (puta medietas, vel tota manica albæ) & tunc tutum est, vt superfuatur pars noua, antequam abscindatur vetusta, sicque semper manebit forma vestis. ita Syluester.

Dubium modò est, an Calicis, & patenæ consecratio amittatur, si interior inauratio diuturnitate temporis omninò absumetur.

118. Respond. non amitti; cum non sola inauratio, sed totus Calix, & patena censeantur consecrata; sicut ex communi docet Laym. l. 5. tract. 5. cap. 6. num. 6. ex Syluestro, Suar. Henriq. Armil. Azorio, Cooinch. Imò est valde probabile Calicem, & patenam, quæ de nouo inaurantur ea parte, qua contingunt Christi corpus, & sanguinem, non indigere noua consecratione; sicut notauit idem Laym. num. 7. ex Durando, Guil. & Cooincho, probatur autem responsio, tum quia non videtur amitti consecratio, quamdiu manet forma Calicis (quo pacto nec Ecclesiæ consecratio deperditur, si muri denuò dealbentur;) tum quia maior pars sacra trahit ad se partem minorem non sacram: at deauratio Calicis, & patenæ comparatione totius Calicis, & patenæ habet proportionem minoris partis; tum quia execratio Calicis, & similium tanquam odiosa in casu dubio non debet induci sine textu expresso. Quamquàm, inquit Durand. l. 1. cap. 6. num. 36. honestum sit, vt post prophanotum manuum contactum, & nouæ materiæ appositionem, Calix aqua benedicta lauetur priùs quam adhibeatur ad sacrificium; quod etiam approbat Laym. monens num. 5. non amitti consecrationem per solam separationem pedis à cuppa in Calice tornatili; cum sola cuppa in Calice tornatili consecretur.

119. Illud etiam aduertendum in præsenti materia, quod notat aliis citatis Azorius part. 1. l. 10. cap. 28. q. 5. Calicem non manere execratum, ex eo quòd, antequam de nouo inauretur, ei ab aurifice aliqui ictus infigantur: sicque in vsu esse, vt denuo inauratus sine noua consecratione adhibeatur. Cum Azorio sentit Bonac. D. 4. de Sacr. q. vlt. part. 9. n. 18.

Notat autem Persicus l. 1. de præcept. Sacerd. offic. cap. 9. num. 42. consuetudinem infligendi ictus illos Calici iterum inaurando fortè fuisse inductam, eo quòd ab initio dictis ictibus Calicis cuppa enormiter læderetur, sicque Calix non esset aptus ad sacrificium: cum verè effici non possit, vt dictis ictibus Calix non maneat consecratus, si tenera manet integer, & aptus ad sacrificium.

Dubitant item DD. quando amittatur consecratio, seu benedictio Ecclesiæ consecratæ, seu benedictæ.

120. Respond. amittere consecrationem quidem, quando eius parietes, siue omnes, siue magna ex parte simul destruuntur (non item, si manentibus parietibus integris, tectum, & alia opera lignea comburantur;)

tur ;) benedictionem verò non emittere, destructis, aut combustis parietibus. Ita Layman *supr. num.* 15. ex Suarez, & Conincho, aliique communiter, & inde probatur, quod consecratio potissimum inhæret parietibus, benedictio verò inhæret solo, quod non potest tolli, etiam destructis, aut combustis parietibus Ecclesiæ, vt notauit Syluest. *ver. consecratio 2. quæst.* 4. quamquam, si Ecclesia destruator : absque spe reædificandi, hoc ipso deperdat priuilegia loco sacro competentie, vt docet Sanch. *l.9. de matrim. D.*15. *num* 37.

Quod spectat ad execrationem altatis tam fixi, quàm portatilis ; ea tunc sequitur, quando altare, ita frangitur, aut diminuitur, vt pars, quæ manet integra, Calicem cum patena commodè non possit retinere ; cum sic amittat formam sibi debitam consistentem in eo, qood possit continere Calicem cum patena : sicque magnitudine bae manente, manet forma altaris, & perseuerat consecratio, ex *cap.* 1. *cap. ligneis, cap. quod in dubijs, de consecr. Eccl. vel altar.* Ita Castrus Palaus *tract.* 21. *D. vnic. part.* 9. *num.* 9. ex Syluest. Sà, Vasquez, Conincho, Bonac. Barbosa, & Layman, qui *l.5. tract.5. cap.6. num.* 9. dicit, quod, licèt nullo textu colligatur altare exectari fractione, seu motione sigilli reliqoias continentis, sed solòm fractione, seu diminutione lapidis suppositi sigillo (quod longè diuersum est,) cum tamen consecratio pendeat ex iure tantùm positiuo, & commonis sententia habeat altare exectati dicta fractione ; credi debet vsu, & consuetudine sic firmatum esse, vt indecens sit ab eo recedere : addit item Layman, quod si dubinm sit, an diminutio impediat legitimam continentiam Calicis, & patenæ, id debet Episcopus iudicare, & non alius.

Quòd si cornna altaris frangantur, seu diminuantur, ita tamen, vt pars remanens possit commodè continere Calicem, & patenam : probabilius est altare non execrari : cum tota ara ex vnctione fiat consecrata, etsi vnctio solùm fiat io cornibus : quod negant Syluest. Armilla, Henriq. Barbosa, Bonac. apud Castrum Palaum *num.* 8. nobiscum sentientem: qui *n.9. ex cap. ad hae, cap. quod in dubijs, cap. ligneis, de consecrat.* ait motione absque fractione altare fixum execrari, si separetur lapis superpositus à structura, cui est affixus : quippe iuxta Glossam *in d. cap. ad hec*, Altare fixum, vt fixum, & stabile perseueret, consecratur ; quamquam, si altare fixum possit firmiter permanere, dimotis aliquibus lapidibus structuræ, oon execratur ; cum absolutè retineat formam, sub qua fuit consecratum, vt benè docent Suarez *D.* 81. *de Sacram. sect.5. in medio.* Layman *supr. num.* 3. & Castrus Palaus *supr.* ex Vasq. addens, si tota mensa simul cum lapidibus, quibus inhæret, moueatur de loco ad locum, uon exectari ; cum dicti textus loquantor, non de motione, ac separatione locali, sed de motione, & separatione à structura.

Nec displicet, quod ait Tabiena *ver. Altare*, §.5. non dissentiente Suarez *supr.* Altare fixum tunc execrari per separationem superioris mensæ à columnis, quando consecratur, vt fixum, ac immobile : secùs, quando priùs consecratur mensa, & postea superponitur structuræ. Ita Castrus Palaus addens ex eo, quod altare fixum motione, aut consecratione execratur, Ecclesiam nullatenus excerari, ex *cap. ad hac, de consecr. Eccles.* sicut nec execratur altare consectarnm, execrata Ecclesia, eo quod eius parietes sint combusti, aut cullapsi.

Addo altare portatile non execrari ex eo, quod separetur à capsula, cui est inclusum : cum eiusmodi altare præcipuè institutum sit, vt ex vno in alium locum mooeri possit, & capsula lignea illius sit uon ad formam, sed ad ornatum, ac custodiam. Ita Sà *ver. Altare*, Layman *supr. num.* 3. Suarez *vbi supr.* & alij contra Paludanum *in 4. d.*13. *quæst.2. art.4. conclus.*1. Angelum *ver. Altare, num.* 2.

121. Accedit, quod si Ecclesia paulatim destruatur per minores partes. Ita tamen, vt pars collapsa reficiatur, antequam altera destruatur, & consequenter ita vt Ecclesia maxima ex parte maneat integra, noo amittitur consecratio ; cum sic ex vna parte eadem semper censeatur manere Ecclesia, eáque nunquam verè dici possit destructa : ex alia parte consecratio maneat indelebilis, quamdiu manet idem subiectum : quod vtique euenit in casu isto secundum moralem æstimationem, secundùm qoam res buiusmodi morales æstimari debent : cum maneat reuera eadem Ecclesia, & iidem parietes, licèt reparati. Ita Coninch. *supr. num.* 235.

Addit Diana *part 6. tract.6. resol.* 28. ex Auila, Sà Henriq. Persico, Naldo, Zerola, Ecclesiam pollutam, hoc ipso, quod aliquis in ea celebrat, manere reconciliatam : idque etsi mala fide celebret ; quod notauit Sà *ver. Ecclesia, n.*19. contra Layman *l.5. tract.5, cap.5. num.* 13. Indè putat Diana *resol.* 27. ex Fagundex, Ecclesiam non debete censeri pollutam, nisi post sententiam iudicis ; & probat, quia pœoa pollutionis Ecclesiæ est veluti quædam censura, adeóque instar censuræ requirit iudicis sententiam ; nullus enim excommunicatns vitator, donec per iudicis sententiam denuntietur excommunicatus : qua de re consulatur dicta *quæst.* 1. dissentit Castrus Palaus *tract* 23. *D. vnic. part.* 8. *num.* 14. cum Nauarro, Azorio, & Layman ex eo, quod consecratio Ecclesiæ, eiusque purificatio iure positiuo sunt statuta : nullibi autem statutum est sacrificium loco reconciliationis succedere, (sicut non succedit loco consecrationis io omnium sententia,) sicque id asseri videtur absque vllo fundamento ; sic Castrus Palaus pro sententia Dianæ citans Castrum *l.2. de leg. pœnit. n.*9.

QVÆRES XII. An, & qualiter possint vendi, seu oppignorari vasa sacra, & vestes benedictæ, aliaque id genus.

122. Respood. non posse oppignorari, aut vendi, nisi sint confracta, & suam formam amiserint, aut certè noo nisi vrgente necessitate ; quamuis in hoc casu debeant, vel vendi ad seruitium alterius Ecclesiæ, & ad vsus sacros : vel, si venduntur ad vsus prophanos, ita instingi, vt formam, & consecrationem amittant ; cum non deceat ea, quæ semel Deo in perpetuum dicata sunt, iterum redire ad vsus prophanos: vnde, si vetustate consumpta sint, debent comburi, ac recondi in piscina. Quamquam Peyrinus *tom.3. priuil. cap.3. num.* 2. cum Sa, *ver. Ecclesia, num.* 2. putet ex Episcopi, aut Prælati regularis dispensatione tobaleas, & albas posse conuerti in vsus prophanos: addens cum Portello *supr. ver. Ecclesiæ reconciliatio, num.* 5. posse Sacristam vti lignis Ecclesiæ dirutæ ad faciendas hostias.

QVÆRES XIII. An Regulares possint in Sabbato Sancto benedicere priuatas domos laicorum, vti solent benedicere Parochi.

123. Respond. non posse ex decreto sacræ Congregationis relato in Lucerna regularium, *ver. benedicere, num.* 18. & quidem meritò, cum talis actus connumeretur inter functiones Parochiales.

QVÆRES XIV. An Regulares possint benedicere populo solemniter.

124. Respond. posse, si sint Abbates, & solemniter celebrent in propria Ecclesia : idque non solùm post

Missam, sed etiam post Matutinum, & Vesperas; non item alibi, nec alio tempore, aut coram alio maiori Prælato Ecclesiæ, (v.g. Legato de latere) nisi id ipsis specialiter concessum sit à Sede Apostolica. Ita Azor. *part.* 1. *l.* 12. *cap.* 20. *quæst.* 7. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 18. *art.* 1. Tambur. *de iure Abbat. tom.* 1. *D.* 21. *quæst.* 7. aliique, & patet ex variis iuribus, ac decretis sacræ Congreg. quæ referuntur in Lucerna *Regul. supr. n.* 13. in qua additur Sixtum IV. concessisse Abbati S. Mariæ pacis Romæ Congregat. Canonicorum Regularium Lateranensium, vt liberè, & licitè possit, & valeat mitra, annulo, baculo, & aliis pontificalibus insigniis vti, necnon in dicto pacis templo, ac intra septa dicti monasterij benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia elargiri, etiamsi in benedictione huiusmodi aliquis Antistes, Cardinalis, vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens fuerit: taléque priuilegium die 2. Iulij 1614. in festo Visitationis B. V. post Capellam solemnem habitam in sacello B. Mariæ Pacis Romæ coram Cardinalibus fuisse practicatum refert Barbosa *de iure Eccl. vniuers. de Abbat. l.* 1. *cap.* 17. *num.* 50. quamquam non puto tale priuilegium communicari aliis Abbatibus regularibus, neque eiusdem Ordinis, neque aliarum Religionum alioqui participantium de priuilegiis Canonicorum Regularium Lateranensium; idque ob rationem adductam *quæst.* 2.

QVÆRES XV. A quo benedici debeant Abbates regulares.

125. Respond. de iure communi debere benedici ab Episcopo, *cap. quoniam,* 69. *dist. & cap. cum contingat, de ætate, & qualit.* Ita Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 20. *quæst.* 2. Sbrozzus *de Vic. Episc. l.* 2. *quæst.* 8. *num.* 1. Ang. *ver. Abbas*, & Tamburin. *tom.* 1 *de iure Abb. D.* 11. *quæst.* 9. addens plures Abbates antiquitus fuisse solitos benedici à Papa, posteáque benedici à quocumque Episcopo à priuilegio Martini V. ac Eugenij IV. imò, & ab ipsis Abbatibus ex indulto Innocentij VIII. concesso Abbatibus Cistereiensibus, loquendo de Abbatibus eiusdem Ordinis respectiuè; vnde Abbas Cisterciensis potest benedicere alium Abbatem Cisterciensem, non item Abbatem Cassinensem.

Notat autem Nouat. *in Lucerna Regul. ver. Mozzeta*, ex declaratione sacræ Congregationis Abbates Generalis Ordinis Monachalis coram Episcopo posse incedere cum mozzeta, & capuceio; & id de facto facere Abbatem Montis Cassini, aliosque plures Abbates tam sæculares, quam regulares in Gallia, Hispania, & Germania, Abbatem S. Andreæ Congregationis Vercellensis, necnon Abbates Cœlestinus, qui possunt vti mozzeta super mantelleto. Idem notat Cespedes *de exempt. d.* 220. addens *n.* 11. ex Tambutino, Abbates etiam in alienis Ecclesiis extra suam iurisdictionem posse date benedictionem solemnem populo: non tamen per vias, vt notant Azotius *tom.* 1. *l.* 12. *cap.* 20. *quæst.* 7. Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 23. *art.* 1.

SECTIO IV.

De Priuilegio Regularium Ecclesiis concesso, tum vt ipsis Regularibus deseruiant in Sepulturam: tum vt ad eumdem effectum eligi possint à sæcularibus.

QVoniam inter priuilegia, quæ concessa sunt Ecclesiis Regularium extant aliqua, quæ concernunt ius sepulturæ, & horum alia spectant ad ipsosmet Regulares, alia ad personas sæculares: Sectionem hanc (in qua de hac materia nobis disserendum est) diuidemus in duas subsectiones, in quarum priori exponemus priuilegia, quæ competunt Religiosis quoad ius sepulturæ: in posteriori explicabimus ea, quibus gaudent Ecclesiæ Regularium ad hoc, vt à fidelibus laicis eligantur in sepulturam.

SVBSECTIO I.

Quæ priuilegia concessa sint Regularibus quoad ius Ecclesiasticæ sepulturæ.

126 *Prælati Regulares eligunt sibi sepulturam (quod negat Bordonus) at, si electa sepultura, moriantur amoti ab officio, sepeliuntur in Ecclesia sui monasterij.*

127 *Regulares subditi non eligunt sepulturam, nisi decedant distantes à suo conuentu.*

128 *Et, si in illo casu non eligant, sepeliendi in parochia, intra quam decedunt, aut in Cathedrali iuxta alios: morientes in domo sæcularium deferuntur ad propriam Ecclesiam.*

129 *Si sepeliantur in parochia, intra quam decedunt, datur solita eleemosyna: remotè decedit Religiosus, qui vnico die nequit deferri ad suum conuentum: etsi hospes decedat in loco habente duo monasteria sui Ordinis, & moritur in domo sæcularium, defertur ad conuentum, quem adibat.*

130 *Creati Episcopi eligunt sepulturam.*

131 *Non eligunt, si sint Apostata à Religione.*

132 *Eligunt si ab Ordine perpetuò eijciantur.*

133 *Item eligunt si sint Nouitij: &, si patrimonium habeant, proprijs expensis sepeliendi.*

134 *Eligunt, si sint dispensati ad matrimonium, &, si non eligant, non deferuntur ad conuentum.*

135 *Tertiarij sepeliendi in Ecclesia proprij Ordinis.*

136 *Prælati eligunt sepulturam pro Religioso subdito.*

137 *Morientes extra conuentum deferuntur ad illum, Parocho irrequisito.*

138 *Ægrotantes extra conuentum Sacramenta recipiunt à Prælato proprio: quod alij negant.*

139 *Corpora Regularium defunctorum non deferenda per vias publicas: etsi alij dissentiant.*

140 *Sepeliuntur solemniter etiam tempore interdicti.*

141 *Religiosus inuentus laqueo suspensus non semper priuandus Ecclesiastica sepultura.*

142 *Religiosus proprietarius caret sepultura Ecclesiastica: etsi in hoc cautè procedi debeat ad vitandam infamiam defuncti: in sepulchro Regularium Sacerdotum, simpliciter loquendo, potest sepeliri non Sacerdos: in dubio, an Regularis sit capax sepulturæ Ecclesiasticæ, iudicat regularis Prælatus, non autem Episcopus.*

QVÆRES I. An Prælati Regulares possint eligere sepulturam.

Respond. posse ex *cap. religiosi, de sepult. in* 6. Ita Rodriq. *tom.* 3. *quæst.* 60. *art.* 1. aliique communiter, & patet, quia Prælatus in multis habet velle, & nolle: quod sufficit ad hoc vt possit eligere sepulturam; quamquam, si de facto non eligat, sepeliri debeat in Ecclesia sui monasterij: cum ibi censeatur habere domicilium, vt tradunt communiter Canonistæ. 126. Dissentit Bordonus *tom.* 2. *resolut.* 51. *num.* 158. dicens Prælatos regulares non posse eligere sepulturam extra Ordinem: cum habeant quidem aliquod velle, aut nolle commensuratum suæ iurisdictioni (quo modo Prouincialis eligere potest sepulturam in tota sua

sua prouincia) non tamen habent velle, ac nolle excedens suos limites, sicque non possunt eligere sepulturam extra ordinem: vnde Doctores, qui negant Prælatos regulares posse eligere sepulturam pro se, ac suis subditis, debent intelligi de electione extra Ordinem, sic Bordonus.

An autem Prælatus regularis sepeliri debeat in ecclesia, quam tempore prælaturæ elegit in sepulturam, vel certè in ecclesia sui monasterij, si postea moriatur simplex Professus: eò quod fuerit depositus v. g.

Respond. debere sepeliri in ecclesia sui monasterij; si quidem inspicitur tempus mortis, vt quis sit habilis ad eligendam sepulturam: at Religiosus in præsenti casu non est habilis tempore mortis, ergò. ita Rodriq. *supr.* monens Regularem præfectum alicui prioratui, qui sit de membris monasterij, si moriatur, posse sepeliri tum in monasterio, tum in loco ipsius prioratus: quippequi censetur professus tam monasterij, quàm dicti prioratus; idque pendere ex libera voluntate Abbatis illius: cuius rei ea afferri potest ratio, quod Abbas potest eligere sepulturam pro suis subditis, vt infra.

Qværes II. An, & quando Regulares possint eligere sepulturam.

127. Respond. non posse, nisi fortè decedant ita distantes à proprio monasterio, vt ad illud deferri commodè nequeant. ita Sanch. *l. 6. moral. cap. 14. num. 1. & 3.* aliique penes ipsum, & habetur expresse *in cap. vlt. de sepult. in 6.* his verbis: *Religiosi, nisi à propriis monasteriis adeò forsitan sint remoti, quod ad ea cum moriuntur, commodè portari non possint, nequeunt, cum velle, vel nolle careant, sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monastria tumulandi*: quare non est audiendus Hostiensis *cap. de vxore, num. 4. de sepul.* qui putat Religiosum posse eligere sepulturam, eò quod actus eligendi referatur in tempus habile, quo scilicet Religiosus per mortem eximitur à iugo Obedientiæ, adeoque valere debeat: cum idem sit aliquid disponi tempore habili, aut inhabili, dummodò effectus conferatur ad tempus habile, *l. quod sponsa C. de donation. ante nuptias.*

128. Quod si consingat Religiosum mori ita remotè à monasterio, vt eius cadauer non possit commodè deferri ad ipsum monasterium, & quidem non eligerit sepulturam, is debet sepeliri in ecclesia parochiali, intra cuius fines decessit, cum in tali casu sepeliendus sit instar sæcularium in itinere morientium; nisi fortè ibi esset aliud monasterium eiusdem Ordinis: quo casu putat Sanch. *supr. num. 3.* ibi Religiosum defunctum sepeliendum esse, & non alibi: quod idem docet Mancinus *in breui tract. de infirmis in ord. ad sepult. d. 11.* aliàs sustinens Religiosum in casu proposito sepeliendum esse in Ecclesia Cathedrali instar sæcularium peregrinorum: idque eo ductus fundamento, quod sacra Congregatio Episcoporum 9. Iulij 1592. quoad sæculares peregrinos morientes in itinere, decidit eos sepeliendos esse in Ecclesia Cathedrali; quæ opinio mihi magis placet, nisi contradicat praxis huius aut illius diœcesis.

129. Porrò notat Bordonus *sup. num. 170.* posse Prælatos Regulares deferre ad propriam ecclesiam Religiosum subditum fortè morientem apud suos consanguineos, inconsultis Parochis, nec teneri iis soluere Quartam: idque ex declaratione Sacræ Congregationis facta anno 1620. Addit *num. 90.* cadauera Regularium posse de licentia solius Prouincialis ab vno ad alium Conuentum transferri: cum quoad hoc Regulares non subsint Episcopo; sicut nec subetant in vita, *argum. cap. sacris, de sepult.*

Putat autem Bordonus *tom. 1. resol. 51. num. 161.* in præsenti materia remotum dici Religiosum, cuius cadauer vnico die non potest transferri ad proprium Conuentum, nec ad alium eiusdem Ordinis: sic enim periculum est in mora ob corruptionem cadaueris, adeoque res debet expediri breui. Imò addit, data difficultate, licèt vnico die ad Conuentum transferri posset cadauer, sed cum graui incommodo, posse sepeliri in parochia, in qua decessit, expensis tamen solutis Parocho.

Quod si Religiosus hospes moriatur in ciuitate; vbi sunt duo monasteria sui Ordinis; debet sepeliri in Conuentu, in quo moritur, &, si moritur in domo alicuius sæcularis, in ecclesia monasterij, ad quod accedebat. probatur, tum quia Religiosus eatenus eligere potest sepulturam, quatenus abest à Conuentu, siue proprio, de cuius familia est, siue communi, qui scilicet est eiusdem Ordinis: in præsenti autem casu Religiosus non censetur abesse à monasterio hoc ipso quod est in monasterio sui Ordinis, vel si moritur extra, ad illud facilè potest deferri, tum quia ideo Religiosus in remotis existens eligit sepulturam, quòd quisque iure naturæ potest sibi prouidere in necessariis propria auctoritate, quando aliunde non prouidetur: in præsenti autem casu Religiosus, qui decedit, prouisionem sepulturæ habet paratam à Conuentu, ita Bordonus *sup. num. 214.*

Addit Mancinus *d. 12* ex Rodriq. Laym. & Vbaldo in casu quo Religiosus defunctus sepeliatur in Ecclesia Cathedrali modo dicto, Presbyteris sæcularibus soluendum est id, quod solet solui pro exequiis sæcularium, vtpote debitum ex iustitia, & tanquam stipendium laboris: si tamen defunctus sit Religionis possidentis bona in communi; secùs si sit Ordinis nulla bona possidentis, neque in communi: tunc enim gratis sepeliri debet tanquam pauper; cum de pauperibus ita expressè statuerit Sacra Congregatio in vna Cassinensi 5. Maij 1617.

Qværes III. An Regulares possint eligere sepulturam, si sint promoti ad episcopatum, aut aliam dignitatem sæcularem, vel sint beneficiati.

Respond. posse; cum sic habeant velle, & nolle; quod sufficit ad eligendam sepulturam. ita Rodriquez *supr. art. 2.* 130.

Qværes IV. An Regulares Apostatæ à religione possint eligere sepulturam.

Respond non posse, sed debere sepeliri in propria ecclesia, si detur illos non esse hoc ipso excommunicatos, & consequenter capaces sepulturæ Ecclesiasticæ (sicut re vera non sunt, stando in iure communi, vt ostendit Sanc. *l. 6. mor. cap. 8. num. 10.* Ratio responsionis est, quòd tales Religiosi verè non habent velle, ac nolle, sicque non possunt eligere sepulturam; præterquam quod sicut illi, quamdiu viuunt, apprehendi possunt vbique à suo Superiore, etiam extra territorium, teste Rodriq. *tom. 1. quæst. 30. a. 6.* ita & mortui poterunt reuocari ad monasterium, vt ibi sepeliantur. Dixi *stando in iure communi*; per varia n. priuilegia Religionum Apostatæ à Religione sunt ipso facto excommunicati: vt videbimus infrà, sicque nisi absoluantur, sunt incapaces Ecclesiasticæ sepulturæ. 131.

Qværes V. An Regulares legitimè eiecti à Religione, & quidem in perpetuum, possint eligere sepulturam.

Respond. videri posse: quippequi, quamdiu à Superiore non reuocantur ad religionem, quoad multa habent velle, & nolle; sed de hoc infra. 132.

Qværes

QVÆRES VI. An Nouitij possint eligere sepulturam.

133. Respond. posse; cum habeant velle, & nolle, ideoque stando in iure communi, illos non debere sepeliri in monasterio, in quo moriuntur, sed in ecclesia, ad quam deferri debent, si essent merè sæculares: quod tamen non habet locum attentis Regularium priuilegiis, vi quorum possunt, & debent sepeliri in monasterio, nisi fortè sepulturam elegerint. ita Sanchez *l.6. mor. cap.14. num.10.* ex Franco, Armilla, Tab. Archidiac. & aliis, inter quos adnectit Syluester *v. sepultura quæst. 8.* Nouitium non esse sepeliendum in monasterio, si erat in proposito redeundi ad sæculum: quippequi hincipso quod elegit mori in sæculo, ibi etiam præsumitur elegisse sepulturam: quod non admittit Sanchez, nec mihi placet, stante quod Nouitius, quamdiu in effectum non redit ad sæculum, manet nouitius, & consequenter gaudent priuilegiis, & consuetudinibus Ordinis.

At difficultas est quibus expensis sepeliri debeant Nouitij.

Respond. de rigore iuris sepeliendos esse propriis expensis, si habeant patrimonium: &, si monasterium illos sepeliat suis sumptibus, posse eos exigere ab hærede; secùs, si non habeant patrimonium: tunc enim sepelire debent expensis monasterij. ita Sanch. *supr. n.12.* aliique, & patet ea eo quod in primo casu, cum nonitius non sit verus Religiosus, nullam habet monasterium obligationem illum sepeliendi suis sumptibus, cum ipse habeat ex suo, vnde sepeliatur: in secundo autem casu, cum Nouitius non habeat, vnde sepeliatur ex suis bonis, æquum est, vt sepeliatur expensis monasterij, cum sit aliquo modo membrum illius, vt pote receptus ad expediendam Religionem. Dixi, *de rigore iuris*, vt indicarem hac in re seruandam esse consuetudinem vniuscuiusque Religionis, quæ fortè est, saltem regulariter, vt Nouitius sumptibus monasterij sepeliatur; idque etsi moriatur distans à monasterio vbi erat obedientia Superiorum, cum etiam in tali casu militet eadem ratio æquitatis, vt patet.

QVÆRES VII. An Regulares legitimè dispensati ad matrimonium, quamdiu in sæculo degunt, possint eligere sepulturam.

134. Respond. posse; & probatur, quia isti in eo statu habent velle ac nolle: quod iuxta dicta requiritur, & sufficit ad eligendam sepulturam. Imò, si non eligant non debent sepeliri in communi sepultura Religiosorum Ordinis, sed in sepulchro suorum maiorum, si habeant, vel certè in ecclesia parochiali, ad quam spectant ratione domicilij: quippe qui fient viuentes eximuntur à potestate Ordinis, ita & eximuntur mortui.

QVÆRES VIII. An Tertiarij possint, & debeant sepeliri in ecclesiis sui Ordinis.

135. Respond. posse, & debere: idque ex decreto Sacræ Congregat. relato à Peyrino *tom.3. priuil. cap.4. num.53.* his verbis: *Tertiarios huiusmodi, si qualitatibus in bulla fel. record. Leonis Papæ X. præscriptis sint præditi, videlicet si viri collegialiter, aut claustraliter viuant: mulieres verò virginalem, aut calibem, aut castam vidualem sub expresso voto, & Tertiariorum habitu vitam ducant, posse, & debere, etiam inuito, ac minimè requisito Parocho in supradictis Fratrum Ecclesiis sepeliri: secus verò, si supradictis qualitatibus careant.* Quamquàm vt aliquis dictorum Tertiariorum sepeliri possit, ac debeat in ecclesiis sui Ordinis, sufficiat, vt à Guardiano domus loci, in quo ille moriatur, aut ab alio Superiore, vel ab altero, cui id Superior duxerit committendum, habitum receperint, ac dictus Guardianus, vel alius Superior habitum huiusmodi recipientem præmouerit, eius cadauer ob habitus concessionem, ac receptionem penes ipsos Fratres, quorum habitum gestat, esse sepeliendum: sic namque statuit eadem sacra Congregatio in decreto allegato.

QVÆRES IX. An Prælatus Regularis eligere possit sepulturam pro Religiosis sibi subditis.

Respond. Rodriq. *tom.3. quest.60. art.1.* posse eò quod Religiosus per professionem transierit in potestatem sui Prælati, & aliàs pater filio impubere sepulturam eligere possit ratione patriæ potestatis. 136.
At dissentit Sanch. *supr. num.6.* ex eo quod pater habeat ius eligendi sepulturam pro filio impubere non ratione patriæ potestatis (vt putat Rodriq.) sed, ratione consuetudinis, vbi ea legitimè præscripta fuerit: talis autem consuetudo non videtur extare, quoad Prælatos regulares respectu Religiosorum subditorum, sicque cessat ratio ei tale ius attribuendi.

QVÆRES X. An Regularis moriens extra Monasterium in domo alicuius consanguinei v.g. ideóque recipiens Sacramenta de manu Parochi parœciæ, in qua moritur, possit noctu deferri ad suum monasterium vt ibi sepeliatur, irrequisito Parocho, & non soluto iure parochiali.

Respond. posse ex declaratione Sacræ Congregat. relata Peyrino *tom.2. priuil. Constitut.7. Pij V. sub n.11.* Quod idem putat Mancinus *supr. d.31.* dicendum esse etiam de Nouitio tempore probationis de Medicorum consilio, vt cum licentia Superioris ob aëris temperiem accedens ad domum paternam ibi infirmatur, & moritur, cum scilicet non extra monasterium, sed in monasterio sepeliendum esse, neque canonicam portionem Parocho loci illius soluendam: cum Nouitij gaudeant priuilegiis Religiosorum professorum, & Religiosi professi iuxta dicta in simili casu inconsultis Parochis deferri possint ad proprias ecclesias, & quidem non soluto Parochis iure sepulturæ; vt declarauit Sacra Congregatio 22. Maij 1615. in vna Puteolana, apud Mancinum *d.9.* 137.

Quòd si hac occasione obiter quæras, de cuius manu debeat Religiosus siue professus, siue Nouitius extra monasterio ægrotans ad mortem excipere sacrum Viaticum, ac extremam Vnctionem.

Respond. debere recipere vtrumque de manu proprij Prælati Regularis, aut alterius ab ipso delegati: sicque audiui à viro fide dignissimo ad 4. vices practicatum fuisse hic Ferrariæ (vbi hæc scribimus) & quidem merito; cum Sacramenta recipi debeant à proprio Pastore, qui vtique respectu Regularis etiam ægrotantis extra monasterium non est Parochus parœciæ, intra quam ægrotat, sed suus Prælatus regularis. puto autem in tali casu posse deferri Eucharistiam solemniter ad domum, in qua est Regularis ægrotans, sicque in casibus propositis fuit practicatum Ferrariæ, nemine contradicente. Quamquàm Bordonus *tom.2. resol.51. num.170.* ex declaratione Sacræ Congregationis facta anno 1620. dicat Religiosum in hoc casu debere Sacramentum Viatici, ac extremæ Vnctionis recipere de manu Parochi, intra cuius parœciam ægrotat: quod cum non non sit in vsu, dicendum est vel ea declaratione minus certò constare, vel eam non fuisse vsu acceptatam, vel certè non obligare instar legis vniuersalis iuxta alibi dicta. 138.

QVÆRES XI. An Regularium defunctorum corpora decedentium intra monasterium honoris ergò deferri possint per publicas vias, & plateam absque interuentu Parochi.

Respond.

Respond. non posse ex declaratione Sacræ Congregat. adducta ab eodem Peyrino *vbi supra* Oppositum sustinet Bordonus *tom. 2. resol. 51 num. 176.* nec improbabiliter (nisi obster contraria consuetudo) & probat, tum quia nullum ius extat in contrarium: tum quia Coofraternitates sine licentia Ordinarij processionaliter procedunt canendo litanias, & alias preces: ergo à fortiori id poterunt facere Regulares, qui sunt personæ ecclesiasticæ: tum quia processio funeralis est de spectantibus ad iura sepulturæ, sine qua commodè nequit expleri ius sepulturæ cum debita decentia: at Regulares habent ius sepeliendi suos Religiosos: ergo & habent ius deferendi cadauer processionaliter; tum quia sic nullum ius parochiale læditur; non in Quarta, cum certum sit illam non deberi; non ratione transitus, cum viæ sint communes, & dicantur viæ, non Ecclesiæ sed ciuitatis. ita Bordonus, cum *tom. 1. resol. 7. num. 135.* oppositum docuerit. Quòd si in contrarium adducitur declaratio Sacræ Congregationis, de qua sup. dici potest de ea minùs sufficienter constare, vel (quod certius est, non obligare per modum legis vniuersalis.

Qværes XII. An Regulares in suis ecclesiis sepeliri possint solemniter etiam tempore Interdicti.

140. Respond. posse ex variis priuilegiis, & maximè ex indulto bullato Iulij II. concesso Fratribus Minoribus, quod refert Casarub. in *Comp. v. interdictum 1. num. 12.* his verbis: *Iulius II. concessit Fratribus Minoribus, quod tempore Interdicti ordinaria auctoritate appositi possint sepelire in ecclesiis suis liberè, & licitè corpora Fratrum, eiusdem Ordinis decedentium: & hoc etiam cum caremoniis solitis in Ordine, ac pulsatis campanis Missas, & alia diuina Officia in similibus celebrari consueta in omnibus, & per omnia, ac si interdictum huiusmodi appositum non esset.* Vbi notat Portel. *de dub. regul. v. interdictum, num. 80.* quod si Religiosus moriatur hodie, & sepeliatur ad vesperam, statque mane sequenti pro ipso Officium, interdictum suspenditur pro eo vespere, dum sepelitur & etiam pro mane sequenti, dum fit pro eo Officium, & Missa. ita Portel. addens ex Rodriq. sed minùs bene, quod si Nouitius moriatur, tunc nequaquam suspenditur Interdictum: cum præsens priuilegium concessum pro Fratribus interpretari debeat, ita vt Ecclesiæ noceat minùs quam fieri possit: quod sit illud restringendo ad solos Professos; quamuis aliàs Nouitij tempore Interdicti possint donari ecclesiastica sepultura vi aliarum concessionum; nimirum saltem vt familiares. Dixi, *sed minùs benè*; cum enim in fauorabilibus Nouitij veniant nomine Religiosorum, & priuilegia concessa Religiosis amplè interpretari debeant, etiamsi contraria sint iuri communi (vt ostendit Sanch *l. 8. de matr. D. 1. num. 3.*) non video, cur præsens priuilegium extendi non possit, & debeat etiam ad Nouitios, cum re vera sit maximè fauorabile, ideoque amplè interpretandum.

Qværes XIII. An sepeliri possit Ecclesiastica sepultura Religiosus, qui cum mane celebrasset post confessionem suorum peccatorum, & tota die hilarem vitam duxisset, sequenti mane reperitur mortuus in suo cubiculo laqueo ad collum appenso.

141. Respond. posse, præsertim si certò constet illum sibimet mortem non intulisse. ita Portel. *supr. v. Sepultura, num. 1.* & ante illum Nauat. *l. 3. consil. de sepult. cons. 6.* patetque quia de recenter confesso, & absoluto bene præsumendum est; illum scilicet vel ab alio fuisse occisum, vel, si suis manibus se occidit, id fecisse ex subito furore, aut alia vehementi passione, rationis vsum omnino auferente.

Qværes XIV. An Religiosus proprietarius, sit eo ipso incapax ecclesiasticæ sepulturæ.

Respond. esse; vt ostendimus in *tract. de votis, cap. 3. sect. 4. subsect. 1. quest. 6.* vbi commodiùs de hac re agimus. Quamquàm loquendo de Religiosis Ordinum obseruantium, eauè procedi debeat in isto casu; ne Religiosus cum peculio mortuus, qui in talibus Ordinibus solet esse valdè occultus infametur: quare in isto casu agendum esset cum solo Prælato, &, abiecta pecunia, Religiosus tradendus esset ecclesiasticæ sepulturæ; cum ob hoc non possit nec debeat infamari. vt aduertit Bordonus *supr. num. 137.* ex Portello, & Diana, monens *num. 141.* vt Religiosus moriatur proprietarius non peti vt apud illum inoeniatur res corporalis (sicut ex prima sui institutione videtur importare verbum, *inuenta fuerit*,) sed sufficere, vt Religiosus habeat liuellos, redditus, & alia incorporalia id genus, vt agros, domos, etiam apud amicum: cum hæc dicantur inueniri apud Religiosum quoad proprietarem, etsi quoad retensionem sint apud alium.

Addo, quod, licet in Rituali Romano *tit. de exequiis §. sepultura*, deputari debeat specialis sepultura pro Regularibus Sacerdotibus, in qua non sepeliantur neque Clerici, neque laici: cum tamen in Rituali sit clausula, *Si fieri potest*, simpliciter loquendo, in sepulchro Regularium Sacerdotum, si occurrat occasio, poterit sepeliri consanguineus, amicus, ac benefactor; cum id non sit prohibitum simpliciter, sed potius sub consilio ordinatum: vt colligitur ex tenore verborum ipsius Ritualis.

Illud etiam placet notare, si dubitetur de Religioso defuncto, an sit capax sepulturæ, id esse decidendum, non ab Episcopo, sed à Prælato regulari locali: cum initium, medium &, finis sepulturæ ad illum spectet, sieque spectare debeat iudicium de dicta capacitate. Dixi, *localem*, quia negotium hoc cito debet expediri; quod non fieret si tale iudicium faciendum esset à superiori Prælato, qui solet abesse. ita Bordonus *supr. num. 127.* addens *num. 116.* in dubio, an quis debeat priuari ecclesiastica sepultura, necne, standum esse arbitrio Ordinarij, etsi defunctus deferri debeat in ecclesiam Regularium: cum enim initium sepulturæ capiatur à leuatione cadaueris spectante ad Parochum, consequitur iudicium super hoc spectare ad eius Ordinarium.

Svbsectio II.

Quæ Priuilegia concessa sint Ecclesiis Regularium, ad hoc vt à sæcularibus eligantur in Sepulturam.

143 *Regulares in suis Ecclesiis sepeliunt quoscumque sepulturam ibi eligentes.*

144 *Electio sepulturæ potest probari variis modis, & quidem etiam ex testificatione Regularium, apud quos sit electio: talis electio est vtilior: probanda saltem per 2. aut 3. testes: fieri potest à parentibus respectu filiorum suorum impuberum.*

145 *Suos Famulos liberè sepeliunt in propriis Ecclesiis.*

146 *Non item Hospites apud ipsos morientes, nisi sepulturam ibi eligant (etsi alij id negent) non sepeliunt famulum conductum pro fabrica sua Ecclesiæ ibi fortè morientem.*

147 *Hospites eligentes sepulturam apud Regulares sepeliuntur*

liuntur ab ipsis, Parocho irrequisito, & Quarta non soluta.

148 *Ecclesiastica sepultura negatur Fidelibus ob varia delicta, sed per sententiam Iudicis; idque procedit etiam quoad Regulares ea delicta patrantes.*

149 *Regulares non sepeliunt in suis Ecclesiis occisos per Ministros publicæ iustitiæ.*

150 *In eorum Ecclesijs, iis inuitis, nemo sepeliendus.*

151 *Sepeliunt exeraneum in alieno sepulchro apud eos constructo: imò extincta familia, cui illud fuerat concessum, dant alij, relictis tamen solitis inscriptionibus sepulchri: & si inuito Domino quis sepeliatur in alieno tumulo, potest exerahi.*

152 *In sepulchris soli heredes sanguinis reponendi.*

153 *In ius sepulchri succedit Conuentus hæres: non tamen quod Religiosi possint ibi sepeliri.*

154 *Officium super defunctum in propria Ecclesia faciendum à Regularibus (etsi hi inuitati ad funus debeant adire locum à Parocho defuncti designatum) idque etiam in Monialium templis.*

155 *Parochus in tali casu cum stola ingreditur ecclesiam Regularium.*

156 *Sepeliendi in Regularium Ecclesiis non deferuntur prius ad propriam Parochiam.*

157 *Parochus defuncti præscribit, qua via ille debeat deferri.*

158 *Cerei funeris non necessariò diuidendi inter Parochum, ac Regulares.*

159 *Solus Parochus defuncti ius habet associandi illum ad sepulturam.*

160 *Explicatur quid sit Quarta funeralis: hæc soluenda ex delatis cum defuncto de Iure communi, imò & ex Concilio Tridentino: quod tamen loquitur limitatè: petenda à Regularibus concurrentibus ad funus.*

161 *Non omnes Regulares tenentur illam soluere,*

162 *Idq; etiam ex bulla Pij V. non reuocata à Gregorio XIII. Quarta non debetur ex sepultura data ad tempus, neq; ex Anniuersario facto in Ecclesia sepulturæ: Quarta soluitur solùm ex ijs, quæ obueniunt cum funere; non item de libris circa feretrum positis in signum Doctoratus: ad illam soluendam Regulares cogi nequeunt ab Episcopo.*

163 *Censuris afficiuntur, qui Regulares cogunt ad Quartam alias non debitam.*

164 *Ea soluenda tempore interdicti.*

165 *Non soluenda pro moriente apud Religiosos, & apud illos sepulto.*

166 *Legatum Parochiæ relictum non derogat iuri Quartæ.*

167 *Regulares in suis Ecclesiis sepeliunt aliquos etiam tempore Interdicti.*

168 *Idq; ex eorum priuilegijs, quorum tenor in casu occurrenti debet attendi.*

169 *Olim sepeliebant tempore Interdicti quoscumque laicos apud eos eligentes sepulturam.*

170 *Eligentes sepulturam in Regularium Ecclesiis acquirunt indulgentias.*

171 *Laici omnes possunt sepeliri in habitu Regularium.*

172 *Vendi potest locus sepulturæ: & quidem à Prælato locali cum Capituli consensu: & quidem etiam cum pacto, quod sine licentia Patroni nullus ibi sepeliatur.*

173 *Excommunicantur Parochi plus exigentes pro sepeliendis in Ecclesia Regularium.*

174 *Defuncti hodie nequeunt sepeliri in tumulis erectis supra terram sicut nec intra Monialium monasteria, cum id solus Papa possit concedere.*

175 *Regulares nequeunt inducere ad vouendam sepulturæ electionem apud ipsos.*

176 *Ordinarij faciunt exhumare illicitè sepultos: etsi in casu, quo sepultus in Ecclesia Regularium extrahi debeat è sepulchro ad informandum de homicidio facto in eius persona, id fieri debeat de licentia Prælati regularis: non potest Ordinarius punire Regulares per vim rapientes à Parocho cadauer de iure in illorum ecclesia sepeliendum.*

177 *Licitè cadauera fidelium occultè transferuntur de vna ciuitate in aliam ad effugiendam solutionem Quartæ parochialis, & gabellæ: per benedictionem Ecclesiæ benedicta censentur sepulchra in ea iam constructa; quæ vero posteà extruuntur, debent specialiter benedici.*

QVÆRES I. An Regulares liberè possint in suis Ecclesiis, aut Cæmeteriis sepelire omnes Fideles, qui eas eligunt in sepulturam.

Respond. posse ex indulto bullato Innocentij IV. 143.
concesso Fratribus Minoribus, & adducto à Casarubio *in comp. v. sepultura, num.* 1. in hæc verba: *Innocentius IV. concessit, vt in ecclesiis Fratrum Minorum sit libera sepultura, ita quod nullus valeat impedimentum præstare, quo minus possint omnes volentes ibidem liberè sepeliri, salua tamen iustitia ecclesiarum parochialium.* ita Rodriq. *tom* 3. *q.* 58. *art.* 3. addens per liberam sepulturam iuxta Sixti IV. declarationem hîc intelligi, vt Fratres prædicti nullius super hoc petita licentia possint cum Cruce processionaliter ingredi parochiam, in quibus fuerint corpora defunctorum, & corpora ipsa ad eorum ecclesias sepelienda deferri, vbi hoc fieri consuetum foret, vel quando Presbyteri parochiales requisiti id facere recusauerint. Quamquàm hæc declaratio in præsentia non suffragetur; cum sacra Congregatio in quodam decreto relato à Quaranta *in bullario, fol.* 512. oppositum statuerit his verbis: *Sacra Congregatio*, huius decreti tenore statuit prædictis Fratribus Ordinis Minorum de Obseruantia, aliisque quibusuis Regularibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium existant, nullo modo licere etiam specialis alicuius consuetudinis prætextu parochias cum Cruce processionaliter, aut aliàs ad efferenda, & leuanda defunctorum funera intrare, vel illa leuare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eóque ibidem præsente, si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat, vel nisi requisitus venire expresè omninò recuset. Quod idem repetiit eadem Sacra Congregatio 22. Decembris 1619. his ipsissimis verbis relatis à Barbosa *de officio Parochi, cap.* 26. *num.* 71. *Mortui sepeliri possunt in Ecclesia, in qua sepulturam elegerunt, sine præsentia Parochi, si ipse requisitus interesse recuset, vel petitam licentiam deneget.*

Quòd si quæras, quo modo probetur electio Sepulturæ.

Respond. probari per testamentum, aut aliam 144.
scripturam manu propria subscriptam, aut etiam per duos testes, qui in qualibet causa probant: imò & per testes singulares, vt docet Lauærius *de sepultura, titulo* 2. *cap.* 11. *num.* 19. addens *num.* 22. in casu, quo testes varient, quoad electionem loci sepulturæ factam ab aliquo tertio, tunc standum esse coniecturis; vt si vnus ex iis locis sit parochia, aut Ecclesia, in qua maiores illius sepulti sunt. ita Peyrinus *tom.* 3. *priuileg. cap.* 4. *num.* 52. qui bene notat, quod si defunctus iam adultus capellam cum sepulcro sibi extruxit munitam propriis insigniis; hoc ipso,

etsi

etsi intestatus decedat censetur illam eligere in sepulturam, licèt alibi habeat sepulturam suorum majorum.

Notat autem Bordonus *tom. 2. resolatione 51. numer.*210. Regulares posse testificari de sepultura electa in propria Ecclesia: probat, tum ex *cap. tuus, de testibus*, vbi dicitur Religiosos in causis suæ Ecclesiæ testimonium ferre posse; nec per hoc dici testes in propria causa: cum causa Ecclesiæ non sit causa singulorum *cap. qui manumittitur* 12. *quæst*.2. sed causa totius corporis Ecclesiæ: tum quia legatarius potest esse testis in testamento, in quo ei sit legatum, *Institut de testamento*, §. *legatarius*: tum quia testis interessatus non repellitur, quando non agitur principaliter de eius interesse, Iason *in l. si quis nec causam, ff. si certum pet.* Rota *volum.*4. *num.*1. *decision.*144. tum quia in Collegiatis Clericorum sæcularium potest quis esse testis idoneus de electione sepulturæ, non obstante quod agatur de interesse suæ Ecclesiæ, & aliquo modo de proprio, cum ex funerali recipiat eleemosynam: ergo & Religiosus à fortiori, cui nullum obuenit stipendium, cum tota eleemosyna sit Monasterij.

Notat item Bordonus *num.*87. melius esse eligere sepulturam in templis Regularium, quam in aliis: & probat, tum ex frequentiori diuinorum officiorum celebratione, quæ fit in Regularium Ecclesiis iuxta *cap. fraternitatem* 3. *de sepultura*, & Glossam *ibi*, *v. frequentius*: tum ex majori frequentia populi accurrentis ad diuina Officia audienda in iisdem templis Regularium, quæ multum prodest fidelibus viuis, ac defunctis, Glossa *cap. cum gratia* 13. *quæst*.2. tum quia in dictis templis sepulti maximè cum habitu Religioso lucrantur Indulgentiam plenariam ex Indulto Leonis X.

Addo ex Genuensi *in praxi Neapolitan. cap.* 61. *numer.*16. pro se referente Sebastianum Medicen ad probandam electionem sepulturæ requiri saltem 2. aut 3. testes: cum talis electio sit species vltimæ voluntatis, & in ea agatur de præjudicio Ecclesiæ parochialis: & aliàs quælibet dispositio ad pias causas petat numerum 2. aut 3. testium *cap. cum esses de testamento*, sic Genuensis addens *numer*.8. dictam electionem probari per testes singulares, si vnus deponat audiuisse eligi sepulturam à Francisco in tali loco, & alius in alio loco: imò Neapoli in hoc stari dicto Confessarij, vt statuitur in *Concilio prouinciali, titul. de sepult.*

Declarauit autem Sacra Congregatio Regularium 20. Ianuarij 1640. licere parentibus, in quacumque Ecclesia voluerint etiam Regularium, eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum peruenerunt eligere sepulturam: nec à Parochis locorum impediri posse, aut debere præsertim si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueuerint, vel in eis habeant sepulturam majorum.

QVÆRES II. An Regulares possint proprio iure in suis Ecclesiis sepelire suos Famulos.

145. Respond. posse, & quidem non requisito consensu Ordinarij, aut Parochi, imò etiamsi illi in iis non elegerint sepulturam; ita Rodriq. *tom.* 2. *qq.*67. *artic.* 2. & probatur, tum ex priuilegio bullato Clementis IV. concesso Fratribus Minoribus, & allegato à Casarubio *in compositione, v. sepultura numer.*2. his verbis: *Clemens IV. concessit Fratribus Minoribus, vt eos, qui in suis immorantur obsequiis, possint, cum decesserint, in cæmeteriis suarum Ecclesiarum sepelire*; tum ex indulto bullato Pauli III. facto Religiosis Societatis Iesu relato in *Bullario ipsius Societatis fol.* 34. quod ita habet, *Iis verò, qui in ipsorum Præpositorum, & sociorum morantur obsequiis cuncta liberè ministrare possint Sacramenta, & ipsos, cum decedant, in eorum cæmeteriis sepelire*; tum ex aliis similibus concessionibus ad hoc idem factis aliis Ordinibus, quæ cum sint satis claræ, non egent fusiori explicatione. Solùm aduerto vsum horum priuilegiorum non videri restrictum ad famulos intra claustra monasterij inseruientes, sed sufficere, quod inseruiant monasterio, & consequenter extendi etiam ad famulos, qui monasterio inseruiunt in villis, & casu moriuntur intra monasterium; siquidem ex vna parte verificatur de iis, quòd immorantur in obsequiis Religiosorum (quod solùm requiritur in tenore dictorum priuilegiorum;) ex alia parte præfata priuilegia non exprimunt eos ad talem effectum debere inseruire intra claustra monasterij: cum tamen lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi; quamquam hæc doctrina non habet locum, stante decreto Concilij Trident. *sess.* 24. *cap.* 11. vt ostendimus *cap.* 3. *sect.* 4. *quæst.* 2. quomodo Portellus *de dubio regularis, ver. sepultura, numer.* 2. ad vsum istius priuilegij requirit, vt famuli moriantur intra claustra.

QVÆRAS III. An Regulares possint in suis Ecclesiis sepelire inscio Parocho hospites, qui fortè moriantur intra eorum monasterium.

Respond. non posse, nisi hospes ante mortem 146.
elegerit sepulturam iuxta dicta *quæst.* 1. Ratio est, quia hospites morientes in itinere iure communi debent sepeliri in parochia, in qua decedunt, siue in Cathedrali (vt innuimus *subsect. præced. quæst.*2.) aut certè in sepulcbro suorum maiorum, nisi alibi elegerint sepulturam; iure autem proprio nullum Regulares habent quoad hoc priuilegium (quod ego sciam,) ac proinde standum est iuri communi. Oppositum sentit Peyrin. *tom.* 1. *priuileg. Constit.* 1. *Iulij II. num.* 94. maximè ex eo quod monasteria Regularium exemptorum æquiparantur locis positis extra diœcesim, ideoque sicut Episcopus nullam haberet iurisdictionem in hospites, si ibi decederent extra eius diœcesim, neque parochus loci, si ij morerentur extra fines parœciæ ipsius; sic & in casu nostro. Ita Peyrinus, & ante illum Rodriquez *tom.* 2. *quæst.* 67. *art.* 1. cum quibus sentit Bordonus *tom.* 2. *resolut.* 51. *num.* 168. suam probans sententiam ex *cap.*1. 16. *quæst.*1. vbi dicitur: *Mortuum non sepeliat, nisi Monachum in Monasterio secum commorantem, vel si fortuitò quemquam aduenientium fratrum ibi mori contigerit*; vbi dicit Bordonus, nomine, *Fratrum*; non venire conuersos Monachos, cum nomine, *Monachi*, superiùs veniant, (alioqui ij non possent sepeliri in suis monasteriis,) sed sæculares peregrinos siue Clericos, siue Laicos: omnes enim fideles per regenerationem baptismi dicuntur inuicem fratres: vt notat S. Chrysost. *hom.* 25. *in epist. ad Hebræos*, his verbis: *Si quis frater nominatur in vobis, fratrem in hoc loco omnem fidelem intellige, non Monachum tantùm: quid est autem, quod facit fraternitatem, nisi lauacrum regenerationis, quod facit posse vocari Deum patrē.*

E contra docet Bordonus *num.* 216. Regulares, inscio Parocho, non posse sepelire in propria Ecclesia famulum conductum pro fabrica suæ Ecclesiæ apud ipsos decedentem: & probat tum quia Parochus certum ius habet sepeliendi suos subditos in sua Ecclesia, vbicumque moriantur, *cap. ex parte, cap. in nostra, de sepultur.* nisi alibi eligant sepulturam, aut in alia Ecclesia habeant sepulchrum maiorum suorum: tum quia per hoc quod conductus inseruiebat fabricæ Ecclesiæ, regularis in isto casu, non

desinit esse subditus proprij, Parochi nec erat commensalis Regularium, aut acquisiuit per hoc habitationem intra Conuentum: sicque non adest ratio, cur sepeliatur in Ecclesia regulari.

Cæterùm in casu, quo hospes moriens in monasterio Regularium eligat sepulturam in ipsorum Ecclesia, difficultas est, an, stante nostra sententia Regulares possint illum sepelire, irrequisito debito Parocho, & teneantur soluere ipsi Canonicam portionem.

147. Respond. videri probabile, quod possint illum sepelire irrequisito Parocho, teneri tamen soluere Canonicam portionem. Prima pars suadetur, tum quia Ecclesia Regularium cum sit exempta, nullam habet Parochus iurisdictionem in illam: vnde etiam dicemus *quæst.* 8. Officium super cadauera tumulanda in Ecclesiis Religiosorum debere fieri ab ipsis Religiosis, non autem à Parocho; tum quia declaratio sacræ Congregationis relata *quæstione* 1. quæ adduci posset in contrarium, non videtur comprehendere istum casum; cum expresè loquatur de Regularibus ingredientibus alienas parochias cum Cruce processionaliter, aut aliàs ad efferenda, & leuanda defunctorum funera, prohibeátque ne ipsi id faciant, nisi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho: quod vtique non accidit in præsenti euentu: qui cum sit specialis, & valdè extraordinarius, non videtur includi sub generali prohibitione; præsertim, cum in tali casu cessent rationes talis prohibitionis, vt facilè consideranti constabit. Secunda pars responsionis videtur apertè colligi ex concessione Innocentij IV. relata *quæstione* 1. in qua conceditur Fratribus Minoribus, vt in suis Ecclesiis possint sepelire omnes eos, qui ibi elegerint sepulturam, *salua tamen iustitia Ecclesiarum parochialium*; quæ limitatio cum sit generalis, & valdè conformis æquitati, non video, cur non debeat extendi etiam ad præsentem casum: Quamquam, si contingat hospitem, qui modo dicto sepelitur in Ecclesia Regularium esse pauperem, & non habere, vnde ex bonis suis soluatur Parocho Canonica portio; tunc vtique ea non debet solui ex bonis monasterij: cum potius in tali euentu Parochus teneatur cedere iuri suo iuxta dicta *subsect. præced. quæst.* 2. §. *addit.*

QVÆRES IV. Quæ personæ prohibeantur sepeliri in Ecclesiis Regularium, imò etiam in quacumque alia Ecclesia.

148. Respond. prohiberi illas omnes, quæ recensentur à Paulo V. in rituali Romano *fol.* 144 his verbis: Negatur Ecclesiastica sepultura paganis, iudæis, & omnibus infidelibus, hæreticis, & eorum fautoribus, apostatis à Christiana fide, schismaticis, & publicis excommunicatis maiori excommunicatione, interdictis nominatim, & iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante: se ipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat (nisi ante mortem dederint pœnitentiæ signa: manifestis, & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt. Quod autem spectat ad voluntariè se occidentes notat Sancius *in selectis D.* 36. *num.* 14. non videri probabile quamquam semetipsum occidere, nisi insania laboret (cum amor vitæ homini sit adeò vehemens, vt ratione existente sana ob nullum bonum acquirendum, aut malum euitandum eligi possit priuatio ipsius vitæ) ideoque non videri priuandum Ecclesiastica sepultura eum, qui ea desperatione se occidit; quamquam iure oppositum decernente, ab eo recedi non debeat, vsque dum re per Papam meliùs inspecta aliter statuatur. Ita Sancius, addens, neque morientem in duello sepultura Ecclesiastica priuandum esse, si testibus probetur illum acceptasse duellum, eò quòd timeret probabiliter se alioqui ab inimico occidendum esse: sic enim duellum licitum est, vtpote acceptatum in conseruationem propriæ vitæ, non in alterius offensionem, vt aduertunt non pauci DD cum Sancio sentit Mancin. *in breui tract. de infirm. in ord. ad sepult. d.* 34 §. *decimò occidentes*, dicens interficientes se ipsos ea industria non debere priuari Ecclesiastica sepultura, nisi id clarissimè ac euidentissimè & ex fortissimis coniecturis constet; alioqui semper supponendum esse, quod vel ab aliis occisi fuerint, vel quod casualiter sine eorum culpa id contigerit, vel quod ex furore, aut graui mentis alienatione id egerint: siquidem in dubio fauendum est reo iuxta *regulam* 168. *de reg. iur. in* 6. & vnusquisque semper supponitur bonus, vsque dum non probetur malus; quæ sunt bene aduertenda.

Cæterùm notat Bordonus *supr. num.* 124. cadauer in propositis casibus non esse sepeliendum extra Ecclesiam, nisi priùs per sententiam Ordinarij constet defunctum in vita fuisse reum, & decessisse in peccato mortali: priuatio enim sepulturæ, est pœna grauis; pœna autem non debet sustineri ab eo, in quem nondum lata est sententia canonica *cap. non debet* 11. *quæst.* 3. ideoque pœna non debet inferri, nisi per iudicem, *cap. sine*, §. *in hoc* 33. *quæst.* 2. & consequenter per sententiam declaratiuam Ordinarij.

Addit Bordonus *num.* 128. Religiosos in omnibus hîc propositis remanere incapaces Ecclesiasticæ sepulturæ: cum Rituale Romanom pro omnibus fidelibus à Paulo V. sit ordinatum, ideoque afficiat quoscumque fideles cuiusuis conditionis, status, ac ordinis: si quidem Papa est Superior, ac legislator omnium: præter quam quod ij casus sunt concepti verbis vniuersalibus, quæ etiam Religiosos comprehendunt vtriusque sexus.

QVÆRES V. An possint sepeliri in Ecclesiis Regularium corpora eorum, qui per ministros publicos iustitiæ suspenduntur, aut aliter occiduntur.

Respond. quod, cum Portello *de dub. regul. v. sepultura, num.* 12. & Rodriquex *in addit. Summa, tom.* 4. *cap.* 131. *num.* 2. doceant consanguineos taliter defunctorum non peccare mortaliter deponendo eorum corpora, aut etiam sepeliendo, siue in Ecclesiis Regularium, siue in aliis, si id faciant ad vitandam propriam infamiam: consequenter etiam Regulares poterunt tales defunctos sepelire. Verùm, cum corpora dictorum defunctorum absque Iudicis licentia sepeliri non possint in loco sacro, debent Regulares ab hoc abstinere, nisi ipsis constet de licentia Iudicis; præsertim cum non videantur posse id facere absque culpa veniali, dato quod consanguinei defunctorum hac in re venialiter peccent, vtpote cooperantes peccato veniali ipsorum. 149.

QVÆRES VI. An, inuitis Regularibus, possit aliquis sepeliri in ipsorum Ecclesiis.

Respond. non posse ex concessione bullata Clementis IV. ad id facta, quam refert Casarub. *in compos. v. sepultura num.* 4. his verbis: *Idem Clemens districtè inhibuit, vt nulli Religiosi, vel sæculares præsumant sine assensu, & voluntate Fratrum Minorum, aliquorum defunctorum corpora in suis cameterys sepelire: nec etiam in Ecclesiis prædictorum Fratrum, ipsis inuitis, audeant Missarum solemnia, vel exequias* 150.

exequias pro animabus eorum, qui ad huiusmodi loca deferuntur tumulandi, celebrare. ita Rodriq.*tom.3. quæst.58.art.4.*

QVÆRES VII. An Regulares possint aliquem extraneum sepelire in sepulchro ab ipsis concesso alicui ad vsum suæ familiæ.

151. Respond. posse: & quidem etiam inuito eo, cui concessum est sepulchrum, si iusta occurrat causa, siue necessitatis, siue vtilitatis. ita Laym. *l.4. tract. 2. cap.13. num.15.* ex Armilla, Sà, & Syluestro monens cum Rodriq. *supr. quæst.58. art.10.*& aliis, extincta tota progenie illius, cui fuerat concessum ius sepulturæ, tale ius posse concedi aliis: cum sic tale ius redeat ad ecclesiam, non minùs quàm morte vsufructuarij, eius descendentium, vsusfructus redit ad proprietarium, *l. corruptionem, C.de vsufructu.* Quod etiam docet Bordonus *tom. 2. resol.51.num.72.* ex Vbaldo, Tabiena, Rodriq. Portello, addens in tali casu non debere deleri inscriptiones sepulchri pro memoria insculptas *l. 6. §. monumentum ff. de relig. & sumpt. fun.* Putat autem Bordonus *numer.* 80. ad hoc vt in proposito casu detur extraneo sepultura in alieno sepulchro, requiri licentiam Patroni: & probat ex eo quod, sicut in fundo, in quo quis habet vsum, dominus habitare nequit contra voluntatem vsuarij, *l.si habitatio, §. fin. ff. de vsu, & habit.* sic nec ecclesia, quæ est domina directa sepulturarum, & capellarum, potest habitare per se, vel per alium in sepulturis alij concessis: quod docent Vbaldus, Lauot. relati ab ipso Bordono.

Quòd si absque licentia patroni extraneus sepeliatur in eius sepulchro, potest ille cadauer extrahere, restituendum proprio sepulchro: idque ex *cap. fraternitatem, cap. ex parte, cap. cum liberum de sepult. & cap. 1. eodem,in 6.* vbi mandatur extertati corpora, & restitui propriis sepulturis: ergo & in hoc casu, in quo recondita cadauera non dicuntur requiescere in propriis sepulchris, sed in alienis, hoc idem licitum erit: quare inferens mortuum in alienum sepulchrum tenetur pœna violati sepulchri:vt notat Bordonus *supr.num.22.* ex Lauorio.

152. Addit Peyrin. *tom. 3. priuileg. cap. 4. numer.* 48. ex Lambertino, in sepulchris non posse sepeliri nisi hæredes sanguinis; eos scilicet, qui nascuntur ex filiis, tum masculis, tum fœminis: non item hæredem extraneum, quamuis vniuersalem: cum ius sepulturæ non transeat ad hæredes extraneos.

153. Notat Bordonus *tom.2. resol. 51. num.* 68. Regulares, qui instituuntur hæredes vniuersales alicuius habentis ius sepulchri in alia ecclesia, succedere in tale ius ex *l. his consequenter, §.sed etiam, ff. de famil. ercis.* vbi dicitur ius monumenti sequi hæredes, & bonorum: succedere, inquam; non quidem quod possint ibi sepelire aliquem extraneum, aut suum Religiosum: sed quod possint impediri, ne ibi sine eorum licentia aliquis sepeliatur, si defunctus viuens habebat talem vsum in suo sepulchro.

QVÆRES VIII. A quo fieri debeat Officium super cadauere tumulanda in Regularium Ecclesiis; à Parochone, an ab ipsis Regularibus?

154. Respond. debere fieri solùm ad Regularibus, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili in contrarium: idque ex decisione Sacræ Congregationis Rituum in vna Sulmonensi 8. August. 1629. aliisque similibus declarationibus eiusdem Sacræ Congregationis, quas refert Barbosa *de Officio Parochi cap.27. num.* 82.: excipe nisi ipsimet Regulares sponte consentiant tale Officium fieri à Parocho; quo modo solent alicubi consentire Religiosi Societatis: quod tamen non facit, quin illi, si velint, tale Officium facere possint, siue per se ipsos, siue per alium ab ipsis electum. vnde consultum est, vt indentidem id faciant ad interrumpendam præscriptionem, quam aliqui Parochi putant se acquirere ea dictorum Religiosorum tolerantia, & tacito consensu; & vt Parochi agnoscant se in ecclesiis Societatis facere Officium eiusmodi, non iure proprio, & ordinario, sed tanquam delegati, & ministri dictorum Religiosorum.

Pelizzarij Manual. Regul. Tom. II.

Similem declarationem fecit eadem S. Congregatio 21. Nouemb. 1637. addens quod, quando cadauer defertur ad ecclesiam Regularem, vbi vnica Crux deferri solet, vnica tantum Crux deferri debet, nempe Crux illius ecclesiæ, ad quam corpus defuncti defertur.

Addo Regulares inuitatos ad funus alicuius defuncti, debere accedere ad locum designatum à Parocho defuncti, & non sufficere illos accedere ad domum defuncti; sicut enim Parochi est disponere viam funeris ex declaratione Sacræ Congregationis sub. 3. Ianuarij 1594. sic & eius ponere initium termini, à quo debet procedi, sic declarante eadem Sacra Congregatione sub 13. Nouembris 1600.

Quin eadem Sacra Congregatio sub 19. Martij 1639. censuit decretum relatum initio huius responsionis procedere etiam in Ecclesiis Monialium Ordinis Mendicantium: imo putat Bordonus *tom. 2. resol. 51. num.* 113. procedere etiam de Regularibus non Mendicantibus, & Monachalibus: idque ex generali priuilegiorum communicatione; quod si Sacra Congregatio expressit solùm Mendicantes, id fecit, quia de iis in specie fuerat rogata.

QVÆRES IX. An casu, quo defunctus sepeliendus sit in Ecclesia Regularium, possit Parochus ingredi Ecclesiam, & quidem cum stola.

Respond. posse ea decisione Sacræ Congregationis rituum die vltimo Septembris 1628. & in vna Asculana 29. Ianuarij 1629. quas refert Mancinus *supr. d. 6.* monens *d.* 7. Parochum in tali casu teneri ducere, & prosequi funerale vsque ad ecclesiam, in qua sepeliendus est defunctus: idque ex duabus decisionibus eiusdem Sacræ Congregationis, vna Brixiensi 18.Iun.1591. alia Nicoterensi 5. Iunij 1615. 155.

QVÆRES X. An corpora defunctorum sepelienda in Ecclesiis Regularium debeant priùs deferri ad Ecclesiam parochialem.

Respond. non debere ex quadam Constitutione Pij V. relata à Rodriquez *in bullar. constitut.2. Pij V.* quæ incipit, *Romanus Pontifex,* ita Nald. *v. sepulturam.num.13.* afferens ad id etiam declarationem quamdam Sacræ Congregat. datam 11.Dec.1615. 156.

QVÆRES XI. Ad quem spectet declarare, per quas vias asportari debeat cadauer sepeliendum in ecclesia Regularium, num ad ipsos, an ad Parochum.

Respond. Liborius *in lib. var. lucubrat. tit.2. cap.9. num.* 116. spectare ad Regulares: idque ex decisione Sacræ Congregationis 22. April. 1588. in vna Bituntina; à Lauario, non dissentit Mancin *sup. d.16.* monens, quod, quamuis in associandis cadaueribus Crucem erigere possint tum ecclesia, ad quam illa defertur sepelienda, tum etiam Ecclesia parochialis defuncti, vt constat ea variis decisionibus Sacræ Congregationis adductis ab ipso Mancino; Regulares tamen iuxta dicta *quæst.1.* in casu, quo defunctus sepeliri debet in eorum ecclesia 157.

LL 2 non

non possunt cum Cruce ingredi parochias ad eum inde leuandum, nisi priùs requisito, ac præmonito Parocho (etsi non annuenre;) nisi fortè Regulares ex contraria consuetudine legitimè ac pacificè inducta secùs facere soleant.

Quæres XII. An intortitia, cerei, & candelæ, quæ per viam deferuntur circa cadauera, & postea in præsentia cadaueris accenduntur tempore diuinorum Officiorum, finito Officio diuidi debeant inter Parochos, & Ministros Ecclesiarum, etiam Regularium, in quibus sepeliendum est cadauer, & quidem æquali portione.

158. Respond. Mancinus *supr. d.* 28. affirmatiuè, suámque probat sententiam ex quadam decisione Præfectorum Vrbis facta 21. Martij 1619. approbante Vrbano VIII. verùm, cum talis decisio videatur facta solùm pro Vrbe, praxis est in contrarium; vnde puto hac in re standum esse consuetudini vniuscuiusque loci, ac diœcesis; nobiscum sentit Bordonus *tom.* 2. *resolut.* 51. *num.* 23. *&* 24.

Quæres XIII. An casu, quo aliquis defunctus sepeliri debeat in Ecclesia Regularium, ius habeat associandi illum ad talem Ecclesiam non solùm Parochus defuncti, sed etiam Curatus paræciæ, intra quam sita est Ecclesia modo dicto electa in sepulturam.

159. Respond. non videri habere tale ius, nisi Parochum defuncti; & ratio est, quod, cum Ecclesia Regularium sit exempta, nullam in ea habet iurisdictionem Curatus paræciæ, intra quam sita est dicta Ecclesia: sicut nec habet in corpus defuncti: vnde ergo ei competit ius associandi talem defunctum? dicere autem tale ius ipsi competere ex eo quod defunctus sepelitur in loco posito intra fines eius paræciæ, gratis videtur dictum: sicque potius probandum est, quam supponendum: cum tamen aduersarij id non probent, imò nec habeant sufficiens fundamentum, quo id probent. ita viri docti à me consulti; & probabiliter, vt puto; nisi obstet praxis, & consuetudo legitimè inducta; quod non credo.

Quæres XIV. An, & qui Regulares teneantur soluere Parocho quartam funeralem casu, quo sepeliant in sua Ecclesia personas laicas.

160. Pro responsione suppono 1. nomine Quartæ funeralis hîc intelligi certam portionem debitam Parocho de omnibus iis, quæ Regularibus prouenìunt ex eo quod aliquis sepeliatur in ipsorum Ecclesia; siue talis portio sit medietas, siue tertia, siue quarta. varia enim est iuxta varia iura, & consuetudines, quibus omnino standum est, iuxta *cap. certificari, extra de sepult.* Et quidem, sicubi non constet de consuetudine, attendi debet vsus Ecclesiæ Metropolitanæ: aut certè si neque de hoc constet, inspicienda est consuetudo vicinarum Ecclesiarum, quod si hæc sit varia debetur Quarta, cum hæc videatur magis conformis iuri, vt notauit Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 39. *art.* 1. ex Archidiac. Syluest. & aliis.

Suppono 2. ex Rodriq. *art.* 2. Miranda *tom.* 1. *q.* 48. *art.* 7. Portello *supr. ver. canonica portio, num.* 5. & aliis quartam funeralem non esse soluendam, nisi de iis, quæ cum corpore defuncti deferuntur (v.g. de cera) non item de legatis, Missis, aut aliis, quæ obueniunt Ecclesiis Regularium, aut deferuntur post diem sepulturæ; idque ex Constitutione Pij V. relata à Miranda, nec reuocata à Gregor. XIII. in sua Constitutione, quæ incipit, *In tanta negotiorum mole.*

Suppono 3. Quartam funeralem iure communi soluendam esse, tum ab Ecclesia, vbi aliquis sepelitur, tum ab ea, ad quam defunctus transit, siue se connertendo, siue alio modo; idque etsi dictæ Ecclesiæ aliàs sint exemptæ: & quidem etiam post Concilium Trid. per quod non fuit immutatum ius commune, vbi non fuit præscripta consuetudo in contrarium; sicut aduertit Miranda *art.* 9. quanquàm Regulares ex indulto bullato Iulij II. concesso Fratribus Minoribus, & relato à Casarub. *in composit. v. portio, n.* 11. exempti sint à solutione talis Quartæ.

Suppono 4. in Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 13. quod spectat ad Quartam funeralem editum fuisse hoc decretum: *Decernit S. Synodus quibuscumque* in locis iam ante annos 40. Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolui, ac postea fuerit ex quocumque priuilegio aliis monasteriis, hospitalibus, aut quibuscumque locis piis concessa, eadem posthac integro iure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ persoluatur, non obstantibus concessionibus, gratiis, priuilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscumque.

Suppono 5. Pium V. in Constitutione paulò ante allegata declarasse decretum hoc Concilij loqui solum de monasteriis ante 40. annos fundatis, quæ dictam Quartam soluere consueuerunt: nec teneri soluere illa monasteria, quæ vel nunquam illam soluerunt, esto fuerint fundata ab annis 40. vel certè fundata sunt à 40. annis citra. Quod idem declarauit sacra Congregatio in quodam suo decreto, quod adducit Rodriq. *sup. art.* 2. in hæc verba: *Congregatio Concilij censuit non comprehendi monasteria ædificata 40. annis citra, aut quæ in dies ædificantur, vel in futurum ædificabuntur, præsupposito, quod huiusmodi monasteria sint eius religionis, cui à Sede Apostolica indultum sit vt quartam funeralem non debeat soluere Episcopo.*

Suppono 6. ex Bordono *sup. n.* 45. Quartam, si sit debita, peti debere directè, ac immediatè à Regularibus, vt pote debitam de iis, quæ ipsis relicta sunt; non autem à defuncti hæredibus: idque ex Clem. *Dudum, de sepult.* quæ solùm loquitur de Regularibus, non item de hæredibus: vt constat ex iis verbis: *Auctoritate Apostolica constituimus, & ordinamus, vt dictorum Ordinum Fratres de obuentionibus omnibus:* etsi id neget Lanorius *sup. cap.* 17. *num.* 69.

Suppono 7. Quartam non deberi in casu, quo Parochus renuat leuare cadauer: cum sic nec habitu, nec actu curæ onera sustineat (ob quæ datur Quarta) nec sit æquum, vt ex sua iniquitate commodum referat, his suppositis,

Respond. Eos tantùm Regulares teneri soluere Quartam funeralem, qui per 40. annos ante Concilium Tridentinum eam soluerunt; non item illos, qui vel eam non soluerunt per 40. annos ante dictum Concilium, etiamsi tunc haberent monasterium fundatum, vel non habebant monasterium fundatum 40. annis ante præfatum Concilium, vel certè illud solùm ædificauerunt, aut ædificabunt post ipsum Concilium. ita in terminis Portellus *vbi supra ex* Rodriquez, & Mirand. *locis citatis*; patetque, tum ex decreto Concilij Trid. relato *suppos.* 4. tum ex Constitutione Pij V. ac declaratione sacræ Congregationis, quæ à nobis adducta sunt *supposito.* 5. 161.

Addo (quod innui *suppos.* 2.) Constitutionem Pij V. allegatam *suppos.* 5. non fuisse reuocatam per Constitutionem Gregorij XIII. reuocantis, & reducentis ad terminos Iuris communis quæcumque concesserat Pius V. Regularibus contra formam Concilij Tridentini; si quidem, vt benè aduertit Rodriq. *supra* Gregorius ibi reuocauit solùm 162.

priuilegia

priuilegia Regularibus concessa contra formam dicti Concilij, non autem reuocauit declarationes factas ab eodem Pio circa præfatum Concilium, etiam in fauorem Regularium: qualis est ista, quæ non tam debet dici concessio, quam vera, & germana explicatio Concilij; vt constat ex declaratione Sacræ Congregat. adducta *suppos.* 5.

Addit Cespedes *de exemptione, d.* 364. *num.* 6. non deberi Quartam, si aliàs soluenda sit, quando quis ad tempus eligit sepulturam in ecclesia Regularium, vt inde transferatur aliò ad perpetuam sepulturam: interim enim manet ibi in deposito, sicque cessante fine, ob quem inducta est Quarta, cessat & obligatio eam soluendi. sic Cespedes monens *n.* 4. ex Confectio, Megala, Couarruuia, ac Rodriquez Quartam non debere solui de candelis, quæ præ manibus deferuntur (quippe quæ sunt eorum, quibus dantur) aut ante mittuntur ad Ecclesiam Regularium; idque ex consuetudine habente vim legis, & non solùm ex priuilegiis ipsorum Regularium.

Sic Perez, Lara *lib.* 1. *de Anniuersarijs, cap.* 15. *ex cap. fin. de testam.* docet, dato etiam, quod ex consuetudine Regulares teneantur soluere Quartam, eam tamen non debere solui Anniuersario, quod fit in Ecclesia, in qua sepultus est defunctus; neque de his (vt loquitur citatum *cap. finale*) quæ in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminaribus, anniuersario; septimo, vigesimo, trigesimo die, siue aliis ad perpetuum cultum diuinum legantur Ecclesiæ, vel reliquis piis locis canonica portio, dummodo in fraudem non fiat; vt Episcopus, seu parochialis Ecclesia debeat defraudari, deduci non debet.

Dicit tamen Azorius *par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 14. *quæst.* 13. *v. funeralia*, non consuetudinem esse, vt Quarta non soluatur nisi ex his, quæ cum funere obueniunt: vt sunt candelæ, equi, arma, & vestes; vel quæ offeruntur, dum funus est in Ecclesia. quamquam fortè ista consuetudo non vbique vigeat: quare consulenda est consuetudo vniuscuiusque loci, ac regionis, quoad hoc inducta.

Difficultas esse potest de libris, qui circa feretrum, in quo iacet Doctor defunctus, reponi solent in signum doctoratus, an pertineant ad Quartam parochialem.

Respond. quod, quamuis 21. Maij 1619. approbante Vrbano VIII. Congregatio RR. DD. Præfectorum Vrbis coram Eminentissimo ipsius Vrbis Vicario decreuerit, tam intorticia, cereos, & candelas, quæ per viam deferuntur, quam etiam omnia ea, quæ circa cadauera, antequam terræ tradantur, esse pro æquali portione inter Parochos, & alios Ministros diuidenda; & sub hoc decretum videantur cadere libri circa cadauer repositi: nihilominus, cum hoc decretum, vt pote factum pro Vrbe non extendatur extra illam; censeo etiam in hoc esse spectandam vniuscuiusque religionis ac loci consuetudinem, quam plerumque puto stare pro parte negatiua: nam Bordonus *tom.* 1. *resol.* 52. *num.* 11. absolutè docet Quartam non deberi de libris, qui ponuntur circa corpus Doctoris, aliisque talibus ornamentis, quæ deferuntur circa cadauer: cum hæc sint accidentia funeris magis spectantia ad sæculares ob pompam, quam ad Ecclesiasticos ob cultum diuinum, sicque non cedant in bonum Ecclesiasticorum, sed restituantur hæredibus.

Notat Cespedes *supr. d.* 118. *num.* 21. dato, quod Regulares teneantur soluere Quartam, non ideo eos posse ab Episcopo ad id cogi: & probat, tum, quia Sixtus IV. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibuit quibuscumque, ne in hoc se ingerant aduersus Regulares (& quidem etiam Episcopis sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ) sicque derogauit Clementinæ *Dudum, de sepult.* danti hanc facultatem Episcopis, vt Regulares possent cogere ad soluendam Quartam: cum hoc indultum sit posterius dicta Clementina (præterquam quod hæc abstulit quidem omnia priuilegia Regularium impedientia solutionem Quartæ, sed non abstulit ipsis exemptionem ab Ordinario,) tum, quia Tridentinum præcipiens solutionem Quartæ, vbi erat consuetudo ante 40. annos, non statuit Regulares debere, aut posse compelli ab Episcopis ad eam soluendam, sed solùm obligat Regulares ad eius solutionem, nec ab eis aufert exemptionem ab Episcopo aliàs iis competentem: à diuersis autem non fit illatio.

Quod si quæras, quam pœnam incurrant Prælati, aut Parochi, qui compellunt Regulares testamentarios, aut hæredes defuncti ad soluendam quartam funeralem

163. Respond. Ordinarios, quidem incurrere interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & Suspensionem à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum: Parochos verò, & alios quoscumque excommunicationem ipso facto, & priuationem suarum Ecclesiarum parochialium, omniumque aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationem ad ea, & ad alia in posterum obtinenda; idque siue directè, siue indirectè inquietare, seu molestare præsumpserint Fratres Prædicatores, & Minores (adde tu, & Religiosos aliorum Ordinum participantium de eorum priuilegiis) super dicta Quarta, &c. ita Miranda *sup. art.* 14. aliique, & patet ex priuilegio ad id concesso per Sixtum IV. Fratribus Prædicatoribus, ac Minoribus; quod priuilegium (inquit Miranda) nollibi reperitur reuocatum, nec vllo pacto contrariatur Concilio Trident. cum priuilegia quæ ab ipso reuocantur *sess.* 25. *cap.* 13. *de refor.* reuocentur solùm in casu, quo Regulares iuxta dictum decretum Concilij tenentur soluere Quartam funeralem, non autem in casu, quo ij per præscriptionem legitimam 40. annorum à solutione talis Quartæ se exemerint; vt euenit in casu nostro. Imò addit Miranda etiam in casu, quo Regulares teneantur soluere Quartam, non ideò ipsos posse ad id cogi ab Ordinariis, vt modo diximus, sed debere conueniri coram suis Prælatis Regularibus, aut certè coram Papa, vel Legato de latere, ac Nuncio, quorù interest cognoscere de causis exemptorũ.

Dubitant hîc DD. vtrum, si quis tempore interdicti sepeliatur in aliqua Ecclesia Regularium iuxta priuilegia referenda *q. sequenti* debeatur Ecclesiæ parochiali quarta funeralis.

164. Respond. deberi, nisi aliud obstet, & nisi Ecclesia illa sit exempta à solutione dictæ Quartæ. ita Miranda *supr. art.* 10. & probatur, tum ex consuetudine, & praxi, quam Miranda dicit esse communem; tum, quia dato, quod defunctus in præsenti casu sepeliatur, sin minùs de iore, saltem ex priuilegio, non est, cur Ecclesia parochialis priuetur suo iure, ac iustitia, *cap. certificari, de sepult.* tum, quia Quarta non debetur Ecclesiæ parochiali præcisè ex eo, quod defunctus ibi deberet sepeliri, sed quia viuens ibi recipiebat Sacramenta. Quamquam (subdit Miranda) si Ecclesia parochialis ex sua culpa sit specialiter interdicta, non autem ex culpa defuncti: probabile est Quartam in tali euentu ipsi non debere, si quis in Ecclesia Regularium modo dicto sepeliatur: idque in pœnam culpæ commissæ; quod idem sustinet Porcel *supr. in addit. num.* 3.

165. Addit Portel ex Azorio *p.2.l.9.c.31.quæft.*4.& aliis, quod fi quis ingrediantur aliquod monafterium animo mutandi vitam, ibique per aliquot dies moretur, & ante fufceptionem habitus Religiofi moriatur durante tali animo mutandi vitam, & fepeliatur in eo monafterio: tunc quarta funeralis non debetur ecclefiæ parochiali: eum per intentionem, quam habebat mutandi domiciliũ, defierit effe parochianus fuæ paræciæ, & cẽfeatur mutaffe domiciliũ.

Vtrum verò Regulares teneantur foluere Quartam Parocho in cafu, quo defunctus fepeliatur in Ecclefia ipforũ, & in fuo teftamento relinquat legatũ fuæ paræciæ, quod æquiualeat Quartæ funerali.

166. Refpond. videri probabile, quod teneantur. ita Portel. *fupr. in addit. num.* 2. contra Rodriquez *tom.*1. *quæft* 93.*art.*7.& Mirandám *fupr. art.* 11. patétque *ex cap. officij, de teftament.* in quo Innocentius III. ftatuit, quod fi quis moriens in teftamento reliquit propriam portionem Epifcopo (id eft, Quartam funeralem) & fimul relinquit multa alia monafterio, aut Ecclefiæ: fiquidem illam portionem reliquit Epifcopo fub conditione, vt fit contentus, & Epifcopus id acceptauit: tunc is non poteft aliquid amplius petere de relictis monafterio; non item, fi moriens reliquit Epifcopo talem portionem abfolutè, & fine conditione: tunc enim poteft Epifcopos de reliquis bonis fibi vendicare: nam recipiens vnum non intelligitur renunciaffe alij, nifi hoc fit dictum iuxta *l. quoties, ff. de act. & obligat.* Quæ autem diximus hîc de Epifcopo proportionaliter locum habent etiam in Parocho; ficque in vtroque cafu idem iudicium ferendum eft; cum in vtroque concurrant eædem rationes.

QVÆRES XV. An Regulares vi fuorum priuilegiorũ poffint in fuis Ecclefiis fepelire defunctos etiam tempore Interdicti, & quos.

167. Refpond. poffe fepelire, & quidem eos, qui morantur in ipforum obfequiis; idque ex indulto bullato Clementis IV. conceffo Fratribus Minoribus, & relato à Cafarubio *in comp. v. interdictum* 3. *num.* 2. item eos Confratres, qui licet maneant in fæculo, & non mutent habitum fæcularem, funt tamen, aut fiunt Oblati ipforum Regularium, faciunque iis donationem inter viuos omnium fuorum bonorum, fibi folùm referuando vfumfructum quamdiu vixerint: & hoc ex priuilegio bullato Ioann 23. facto Fratribus Prædicatoribus, & cum hac explicatione adducto apud Cafarubium *fupr. num.* 5. item Fratres, & Sorores tertij Ordinis de Pœnitentia nuncupatos, ac fuus, & illorum Procuratores Monialium S. Claræ, ac negotia gerentes vtriufque fexus: idque ex conceffione bullata Sixti IV. facta Fratribus Minoribus, & quoad Fratrum, Monialium, ac Tertiariorum Aduocatos confirmata ab eodem Sixto pro Carmelitis, vt videre eft penes ipfum Cafarubium *num.* 7. & 8. (quæ conceffio, licèt dictis perfonis det tantum directè facultatem, vt tempore Interdicti in Ecclefiis fuorum Regulariũ refpectiuè poffint ad diuina admitti; indirectè tamen, & confequenter indulget, vt ibi etiam defuncti fepeliantur cum iuxta Aulam, Nauarrum, & Coninchum relatos à Bonacina *D.*5. *de cenfur. in comm. part.*4. *num.*6. probabile fit laicos habentes priuilegium affiftendi diuinis Officiis pro tempore Interdicti, eo ipfo poffe fepeliri etiam in loco facro: idque ob rationes adductas ab ipfo Bonacina:) item omnes, & fingulos Donatos, Oblatos, Commiffos, aut quofcumque familiares, Officiales, & feruos quorumlibet monafteriorum (dum tamen nullus iftorum dederit caufam Interdicto) fecreto tamen modo, ianuis claufis, & campanis non pulfatis; idque ex indulto bullato Eugenij IV. conceffo Benedictinis, & relato à Cafarub. *num.* 11. quod poteft deferuire pro tempore Interdicti, tam generalis, quam fpecialis, tam à iure, quam ab homine: item proprium Syndicum, & Procuratorem cum illius vxore, & liberis, quippe qui ficut poffunt admitti ad diuina in Ecclefiis Regularium tempore Interdicti, ac Ceffationis à diuinis tefte Rodriq. *tom.*2. *quæft.*114. *art.* 2. id probante ex quodam priuilegio Clementis IV. conceffo Fratribus Minoribus, ita & gaudebont iure fepulturæ ob doctrinam fuperiùs traditam ex Bonacina; quæ locum habet etiam in Medicis ordinariis Regularium; cum ij ex indulto Alexandri VI. pro tempore Interdicti gaudeant omnibus gratiis, quæ pro tali tempore conceduntur ipfis Regularibus: non item pro tempore Ceffationis à diuinis: cum dicti Medici pro tali tempore præfatis gratiis non gaudeant, vt aduertit Rodriq. *fupr. art.* 3.

168. Hos, inquam, omnes poffunt Regulares in propriis Ecclefiis fepelire, etiam pro tempore Interdicti vi fuorum priuilegiorum: quæ cum fint fatis clara, non eft neceffe, quod diutius immoremur in eorum expofitione. folùm moneo, quod, cum aliqua illorum fint magis ampla, alia minùs, in cafu occurrenti hìc & nunc tenor illorum accuratius perpendi debet; alia enim concedont vfum fepulturæ abfolutè, ac fine vlla limitatione: alia enim aliquibus limitationibus (v. g. vt id fiat fecretò, claufa ianua Ecclefiæ, & non pulfatis campanis: vt fepeliendus non dederit caufam Interdicto, & id ipfum iis fpecialiter non prohibeatur) alia denique extenduntur ad tempus Interdicti, nun autem Ceffationis à diuinis, quod eft bene aduertendum.

169. Quod autem aliqui dicunt Martinum V. conceffiffe Fratribus S. Hieronymi, vt tempore Interdicti poffint fepelire in fuis Ecclefiis quofcumque fæculares apud ipfos fepulturam eligentes, pro vt habetur *in lib. priuileg.* S. Io. Euang in Portugallia *fol.* 39. putat Portel. *de dub. regul. v. interdictum num.* 68. non effe in vfu, dicitque fe tale priuilegium non reperiffe in compen. S. Hieronymi in Hifpania, ideóque fe non fuafurum illius vfum.

QVÆRES XVI. Quas Indulgentias confequantur ij, qui Ecclefiis Regularium fibi eligunt fepulturam.

170. Refpond. confequi illas omnes Indulgentias, quas confequuntur Regulares illius Ordinis, & fieri participes omnium fuffragiorum, quæ fiunt in illa Ecclefia, aut monafterio; idque ex indulto bullato Leonis X. & Andriani IV. conceffo Religiofis Ordinis S. Trinitatis, & Redemptionis captiuorum, quod refert Cafarub. *fupr. v. fepultura num.* 22. & Rodriq. *tom.* 2. *quæft.*76. *art.* 10. monens Leonem ipfum X. conceffiffe indulgentiam plenariam omnibus morientibus, & fepeliendis, tam in habitu Fratrum Minorum, quam Sacrorum tertiæ regulæ S. Francifci fub obedientia Miniftrorum Generalium, & Prouincialium; ad idque fufficere, vt dictum habitum petant, fuper fe habeant vfque ad mortem, & in eo fepeliantur: non autem effe opus, vt eo induantur ante mortem (intellige, fi illum recipiant ab aliquo Prælato Ordinis, aut alio per ipfum Prælatũ ad id delegato;) alias enim conceffio habitus non tenet ex decreto Sixti IV. in bulla aurea relato à Rodriq. *fupr. art* 9.

QVÆRES XVII. An omnes laici poffint fepeliri in habitu Regularium.

171. Refpond. poffe ex conceffione bullata Sixti IV. facta Fratribus Minoribus quam adducit Cafarub. *in comp. v. habitus Fratrum num.* 8. his verbis: *Sixtus IV. auctoritate Apoftolica perpetuo indulfit omnibus, &*

&

& singulis vtriusque sexus personis in habitu Fratrum Minorum sepeliri volentibus, quod id eis liceat (sine tamen aliquo alterius praiudicio) districtius inhibens Curatis, & Rectoribus Ecclesiarum sub excommunicationis pœna, quam, canonica monitione præmissa, contrafacientes incurrant, & à qua per aliu, quam per Romanum *Pontificem, nisi in mortis articulo duntaxat absolui non possint; ne taliter sepeliri volentibus quouis modo impedimentum afferant, sed permittant illos pateneter ad Ecclesiam, & locum sepultura in habitu huiusmodi deferri, iure parochialium Ecclesiarum, & cuislibet alterius in omnibus semper saluo.* Quin etiam idem Sixtus IV. in citata Constitut. teste Casarubio *num.* 12. statuit, vt qui cum habitu Fratrum Minorum, aut Sororum tertij Ordinis elegerint sepeliri, sepeliantur in Ecclesiis, aut cæmeteriis dictorum Fratrum, etiamsi illi alibi elegissent sepulturam; excipe, nisi talis electio fiat de licentia expressa, & consensu Fratrum Conuentus illius loci, vbi dicti eligentes decesserint. Vnde notat Casarub. *num.* 14. Sixtum IV. in relata Constitutione præterea statuisse, vt ij, quibus committitur potestas dandi habitum modo supradicto, teneantur manifestare recipientibus eos, cum obierint, debere sepeliri in Ecclesiis Fratrum, quorum habitum petiut, ac recipiunt.

QVÆRAS XVIII. An, & quo modo Regulares possint vendere locum sepulturæ in propriis Ecclesiis.

172. Respond. quod, quamuis DD. communiter dicant cum S. Thoma 1.2. *quæst.* 10. *art.* 4. *ad.* 3. non posse exigi qoidquam, tamquam pretium pro iure sepulturæ, & quidem neque ratione terræ: quin committatur Simonia, saltem iuris ecclesiastici iuxta *cap. questa est* cum aliis 3. sequentibus 1.3. *quæst.* 2. *& cap. abolendæ, de sepult.* nihilominus probabile videtur esse illicitum, neque simoniacum, si in Ecclesia, aut cæmeterio vendatur locus sepulturæ, non ratione consecrationis, aut benedictionis, sed ratione materiæ; quo modo etiam vendi possunt Calices, vestes sacræ, & similia. ita Peyrin. *tom.* 1. *priuil. Constit.* 26. *Leonis X. num.* 21. Azor. *part.* 3. *l.* 12. *cap.* 17. *quæst.* 2. & alij contra Suarez *tom.* 1. *de relig. l.* 4. *de Simon. cap.* 14. *num.* 19. & probatur, quia vendere fundum in Ecclesia, aut cæmeterio ratione materiæ ad affectum construendi sepulturam non est ex se malum, adeóque eatenus est malum, quatenus est prohibitum (vt concedit etiam Suarez) at talis prohibitio potest consuetudine abrogari (sicut de facto in multis locis abrogata est) & quidem maximè in Ecclesiis Regularium exemptorum; nam *cap. abolendæ*, in quo potissimom fundatur opioio contraria, solum præcipit Episcopis, vt prohibeant suis Clericis diœcesanis, ne aliquid præsumant exigere pro sepultura: quod tamen Episcopi non possunt prohibere Regularibus, vtpote exemptis ab eorum iorisdictione. præterquam, quod etsi Episcopi id prohibere possent Regularibus, dum tamen non prohibent, possunt seruare consuetudinem: cum *cap. questa est*, & alia sequentia potiùs loquatur consulendo, quam præcipiendo. Consentit Peyrino, Layman. *l.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt.* § 4 *num.* 37. dicens, quod si quis certum locum ecclesiæ, aut cæmeterij, sibi, ac suis tanquam proprium vendicare velit, non videtur prohibitum aliquid exigere pro tali iure, præsertim si extet consuetudo.

Aduertit autem Bordonus *tom.* 2. *resol.* 51. *num.* 84. Superiores locales cum sui Conuentus consensu posse sæcularibus concedere ius sepulturæ in suis templis: & probat, quia Prælatus localis cum suo Conuentu est immediatus dominus suæ Ecclesiæ, ac sepulchrorum in ea constructorum; ergo ad ipsum spectat de iis disponere, non autẽ ad Prælatos Superiores, cum ius cõmune de hoc nihil disponat.

Addit Bordonus *num.* 78. posse Ecclesiasticos concedere sepulturam laicis cum pacto expresso, vt sine licentia illius, cui conceditur, nullus in ea possit sepeliri (vt constat ex communi vsu totius Orbis in eo fundato, quod suæ rei quilibet est arbiter, ac dominus, & aliàs sepultura dicitur domos, & habitatio defunctorum, Gloss. *in cap. cum* 31. *quæst.* 2.) & tale pactum, cum sit licitum, seruandum esse *arg. cap.* 1. *&* 3. *de pactis in* 6. Quamquam, non obstante tali pacto in casu necessitatis ibi Rector posset sepulturam concedere alicui extraneo.

QVÆRAS XIX. An Parochi possint plus exigere ab iis, qui eligunt sepeliri in Ecclesiis Regularium.

Respond. non posse sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, reseruatæ Sedi Apostolicæ quam induxit Clemens VIII. in sua Constitut. *Expositum nobis*, & cum eadem reseruatione confirmauit Vrban. VIII. ita Portel. *sup. v. sepultura in addit. num.* 2. & cum eo Peyrin. *tom.* 3. *priuil. cap.* 4. *num.* 8. qui bene notat, quod, licet ista excommunicatio expressè lata sic contra Parochos Indiarum Occidentalium; ea extenditur etiam ad Parochos totius Orbis; cum prohibitio facta sub tali pœna sit declaratiua Iuris Canonici, imò naturalis, quo nemo potest plus exigere, quam ipsi debeatur ex iustitia; maximè cum mens dictorum Pontificum fuerit tollere abusum in hac re inductum, qui cum non minùs sit abusus in Europa, quàm in Indiis Occidẽtalibus, propterea vbique debet extirpari. Imò idem Vrban. VIII. die 11. Martij 1638. generaliter confirmauit eamdem prohibitionem per bullam relatam à Peyrino *supr.* in additionibus nouissimè impressis Venetiis. 173.

QVÆRES XX. An Regulares possint sepelire defunctos intra suas Ecclesias in sepulchris super terram constructis.

Respond non posse ex Constitutione Pij V. *Cum primum Apostolatus*, quæ est in ordine 5. & sic habet: *Et vt in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, ijdem* (i. Episcopi, ac Rectores Ecclesiarum) *prouideant, vt capsa omnes, & deposita, seu alia cadauerum conditoria super terram existentia omninò amoueantur, pro vt aliàs statutum fuit, & defunctorum corpora in tubis profundis infra terram collocentur.* Imò Sacra Congregatio anno 1601. referente Naldo *v. Missa num.* 22. prospiciens decori, ac reuerentiæ sacrificij Altaris cuidam Episcopo rescripsit, quod, si quæ Altaria erant, quæ vel superiùs, vel in medio continerent cadauera, siue laicorum, siue etiam Prælatorum, non est in ipsis celebrandum. Imò eadem Sacra Congregatio anno 1594. iniunxit Episcopo Ternensi, vt amoueri faceret sepulchra extantia subtus Altaria, vel ipsorum bradellam. 174.

Addit Portel. *supr v. sepultura num.* 14. corpora defunctorum non posse sepeliri intra monasteria Monialium, nisi de licentia Papæ aut alterius, cui talis potestas sit commissa; patetque, quia Gregor. XIII. teste Marzilla L. 1. declarat. Cardinal. c. 10. declarauit corpora volentium sepeliri in monasterio Monialium debere sepeliri in Ecclesia exteriori, non autem in interiori; talisque est praxis.

Quod autem Cespedes *in tract. de exempt. Regularium, cap.* 12. *dub.* 219. *num.* 31. ait sibi displicere me in tract. *de Monial. cap.* 7. *quæst.* 10. cum aliis hinc inferre eiusmodi sepulturæ electionem non posse fieri sine licentia eius, qui potest dare; cum

aliàs explicandum fuisset, quis talem licentiam dare possit; sed immeritò conqueritur Cespedes, eom paulo ante loco citato dixerim sine licentia Papæ non posse eligi sepulturam intra claustra Monialium: hine enim certò colligitur Papam esse illum, à quo dari potest talis licentia.

QVÆRES XXI. An Regulares possint inducere personas sæculares ad vouendum se electuros sepulturam in ipsorum Ecclesiis, aut talem electionem non immutaturos.

175. Respond. non posse ex peculiari prohibitione ipsis facta à Bonifacio VIII. in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub intermitatione maledictionis æternæ, & aliquibus pœnis à nobis explicatis in *tract. de pœnit. cap. 1. sect. 2. quæst. 2.* Addo hîc solùm, quod si Religiosi sepeliant in suis Ecclesiis excommunicatum vitandum scientes eum esse sic excommunicatum, incurrunt maiorem excommunicationem latam in Clem. 1. *de sepult.*

QVÆRES XXII. An Episcopi possint præcipere, vt corpora eorum, qui in Ecclesiis Regularium sepeliuntur in casu prohibito, exhumentur, & procul proiiciantur.

176. Respond. posse, si sic sepulti sint publicè excommunicati, vsurarij manifesti, aut nominatim interdicti: idque ex Clementina, *eos, de sepult.* vbi id Episcopis conceditur abrogatis priuilegiis in contrarium. Secus, si ex alio titulo sint prohibiti Ecclesiastica sepultura; tunc quippe se habent perinde, ac si extra diœcesim essent sepulti: cum locus exemptus æquiparetur loco sito extra diœcesim. quod tamen non facit quin Episcopi aliàs impedire possint, ne tales defuncti deferantur ad locum exemptum, & consequenter priuentur Ecclesiastica sepultura; sic enim delinqueretur in ipsorum territorio, ideóque ij possunt se opponere. ita Rodriq. *tom. 3. quæst. 61. art. 4.* addens ex communi Doctorum corpora defunctorum, quæ in casu prohibito sepeliuntur, in ea distantia debere proiici procul ab Ecclesia, vt voces Clericorum non audiantur iuxta *cap. quod in te, de pœnit. & remiss.* At dissentit Cespedes *de exempt. d. 218. num. 11.* dicens, quod vellet scire communis huius opinionis quodnam sit fundamentum, vt eum communi possit incedere: siquidem id non colligitur ex *cap. Episcoporum, de priuil. in 6.* sicut nec colligitur ex Clem. *eos, de sepult.* ita Cespedes: quam probabiliter, videtit ipse, & diiudicent viri docti.

Addo obiter in casu, quo corpus hominis occisi in Ecclesia Regularium sepulti extrahi debeat ad capiendam informationem de homicidio, licentiam extrahendi obtinendam esse, non ab Episcopo, sed à Prælato regulari: idque ex priuilegio Leonis X. quod cum Regularibus concedat facultatem exhumandi cadauera defunctorum, eaque transferendi de loco in locum: à fortiori concedet iisdem Regularibus, vt possint cadauer exhumare ad tempus breue in casu hîc proposito. ita Cespedes *de exempt. d. 249.* addens regularem Prælatum dantem præfatam facultatem exhumandi non affici irregularitate: cum actus, qui requiritur ad incurrendam irregularitatem ex defectu lenitatis, debeat esse proximus, ac directus in mortem, ac mutilationem & hic actus sit causa remota, vt patet. cum Cespedes sentiunt Lauorius, Turrianus, Riccius, Genuensis, Venetus, & alij apud Dianam *part. 3. tract. 2. resol. 95.*

Quod si hac occasione quæras, an Episcopus possit punire Regulares, qui in processione funerali per vim rapuerunt cadauer sepeliendum in eorum Ecclesia, contendente Parocho ipsum debere sepeliri in Ecclesia parochiali.

Respond. non posse: & probatur, tum, quia vtens iure suo nulli facit iniuriam; adeóque cum Religiosi ius haberent supra illud cadauer (vt suppono) possunt de manu Parochi nullum ius in ipsum habentis eripere: tum, quia de facto procedenti de facto resistendum est, iure permittēte. *l. 1. § & hoc edictum, ff. si mulier venit*: tum, quia propria authoritate aliquid mihi rapienti possum resistere, & in tuto ponere (vt docent omnes in *tit. de raptor. & furtis*: tum, quia Regulares sunt exempti ab Episcopi iurisdictione, & Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 14. de Regular.* dat Episcopis facultatem corrigendi Regulares solum in casu, quo eorum Prælati correctionem ipsorum negligant (quod non euenit in isto casu in quo Regulares non delinquont) neque hîc adest scandalum, quod conferat iurisdictionem; cùm sæculares ipso actu moneri possint, quod defunctus elegerat sepulturam apud Regulares, sicque cesset scandalum, & præter intentionem pullulet scandalum Parochi volentis sibi vsurpare alienum cadauer. ita Bordonus *tom. 2. resol. 51. num. 205.*

QVÆRES XXIII. An tuta conscientia, & absque læsione iuris parochialis occultè transferri possint cadauera defunctorum in regiones remotissimas ad effectum non soluendi portionem funeralem, aliàs de iure præstandam Parochis, per quorum parœcias transit cadauer, quod transfertur alibi sepeliendum.

Respond. posse; tum ad vitandam dictam portionem funeralem, tum etiam ad declinandas graues gabellas ob dicta cadauera alioqui soluendas: patet ex communi praxi virorum, etiam timoratorum, quæ satis apertè indicat leges imponentes portionem funeralem, & gabellas pro cadaueris transferendis non esse vsu receptas, quoad forum conscientiæ. 177.

Moneor ex Bordono *supr. num. 72.* quod, sicut per benedictionem Ecclesiæ etiam sepulchra iam constructa intelliguntur benedicta ex *cap. Ecclesiam 26. & 27. de consecrat. dist. 1.* vbi Ecclesiæ iubentur rebenedicendæ eiectis paganis, ac infidelibus ibidem sepultis, nulla mentione facta de sepulchris, quæ vtique sunt polluta ex inductione cadauerum infidelium, & tameo non iubentur rebenedici: quod est supponere ea manere benedicta ex benedictione Ecclesiæ: præterquam, quod dignios trahit ad se minus dignum *cap. 3. de consecrat. & cap. vn. eod. in 6.* Si verò sepulchra de nouo construantur in Ecclesia, egent noua benedictione, de qua Paulus V. in suo *Rituali.*

SECTIO V.

De Indulgentiis concessis Regularium Ecclesiis, tam quoad ipsos Regulares, quam quoad Sæculares.

ACturi in hac sectione de Indulgentiis concessis Regularium Ecclesiis, vtpote venientibus nomine priuilegij: sectionem diuidemus in duas subsectiones, in quarum priori exponemus indulgentias concessas Regularium Ecclesiis, quoad ipsos Regulares, aut etiam eorum personis: in posteriori explicabimus eas, quæ concessæ sunt Regularium Ecclesiis, quoad personas sæculares ipsas Ecclesias

clesias inuisentes; idque ad vitandam confusionem, quæ aliàs gigneretur, si sub vno, ac eodem titulo de præfatis Indulgentiis promiscuè disseremus.

SVBSECTIO I.

De Indulgentiis concessis Regularium Ecclesiis, quoad ipsos Regulares, aut etiam eorum personis.

178 *Vsus Indulgentiarum est laudabile etiam Regularibus.*

179 *Paulus V. abrogauit Indulgentias antea illis concessas, & alias concessit.*

180 *Nec abrogata sunt postea restituta: quod alij negant.*

181 *Sub generali illa reuocatione Indulgentiarum aliqua fuerunt excepta.*

182 *Tales sunt, quæ applicari possunt pro defunctis: ignorans reuocationem Indulgentiæ eam lucratur, si impleat requisita: reuocatio Indulgentiarum non continetur sub generali reuocatione priuilegiorum, & gratiarum.*

183 *Regulares plenariam lucrantur Indulgentiam in receptione Habitus religiosi.*

184 *Etiam nulla peccatorum confessione præmissa, imò etsi requisita impleantur die præcedenti receptionem religiosi habitus.*

185 *Hanc Indulgentiam lucrantur, si ad alium Ordinem transeuntes eius habitum recipiant.*

186 *Obtinent Indulgentiam plenariam in die professionis religiosæ: imò & in remissione votorum biennij, quæ fit in Societate Iesu: sicut & in Professione religiosa in mortis articulo facta ex indulto Pij V.*

187 *Non item in renouatione ipsius Professionis.*

188 *Lucrantur plenariam Indulgentiam in festo principali Ordinis, etsi de licentia Prælati per aliquod tempus degant extra Conuentum.*

189 *Similem lucrantur Indulgentiam in articulo mortis.*

190 *Explicatur, quis sit iste articulus mortis: Episcopus habens ius dandi plenariam Indulgentiam subditis morientibus cum hoc, vt interdiu id faciat per se, interdiu vocatus ad morientem facultatem subdelegat pro tempore noctis.*

191 *Indulgentiam plenariam obtinent in celebratione primæ Missæ, siue eam dicant, siue ei assistant, siue ea die celebrent in Ecclesia, in qua dicitur prima Missa.*

192 *Item, si 10. diebus peragant spiritualia exercitia commorantes in suis cellis; quod non facit, quin possint deambulare in horto Conuentus.*

193 *Declaratur clausula*, pro quolibet prædictorum exercitiorum.

194 *In suis Ecclesiis lucrantur Indulgentias Stationum Vrbis, si viuant intra claustra, ita vt possint dici visitare suam Ecclesiam.*

195 *Sub Indulgentijs Stationum veniunt plenaria, & liberatio animarum è Purgatorio.*

196 *Existens in peccato mortali lucratur Indulgentias pro defunctis.*

197 *Certam Indulgentiam obtinent Regulares quotidie, si quinquies recitent* Pater, & Aue: *ad acquirendam Indulgentiam quinque Altarium non est opus accedere ad quodlibet illorum: oratio dicitur facta ante Altare, etsi fiat è Choro.*

198 *Certam item Indulgentiam obtinent, si per annum integrum orent mentaliter per dimidiam horam singulis diebus.*

199 *Item accusando suas culpas in Capitulo iuxta consuetudinem Religionum: at hæc accusatio esse debet pia, & religiosa.*

200 *Indulgentiam plenariam obtinent, si eant ad Missiones Infidelium, aut Hæreticorum.*

201 *Item, si interueniat orationi 40. horarum expositæ pro generali Visitatione.*

202 *Regulares etiam modò possunt lucrari Indulgentias concessas Ecclesiis non suis.*

203 *At in proprijs Ecclesiis non lucrantur concessas alienis Ecclesiis.*

204 *Etsi olim eas acquirerent in suis Ecclesiis, implendo præscripta ad earum consecutionem.*

205 *In alienis Ecclesiis aliquando acquirunt Indulgentias proprijs Ecclesiis concessas.*

206 *Item eas acquirunt in Ecclesia ipsorum vsibus concessa ad tempus.*

207 *Indulgentiæ in specie Regularibus concessæ, suspenduntur in Anno sancto: non item Indulgentia Altarium priuilegiatorum, si concedatur Altare priuilegiatum sub conditione, quod in Ecclesia priuilegiata celebrent quotidie tot Sacerdotes, durat concessio iuxta aliquos, etsi postea tot Sacerdotes non celebrent in ea Ecclesia. si Ecclesiæ Regularium, ijs inscijs, obtineatur Altare priuilegiatum, hoc recusato, aliud ij possunt obtinere: etsi, hoc obtento, possent, ipso recusato, vti prima concessione.*

208 *Finito tamen Anno sancto, eo ipso ea restituuntur.*

209 *Ea non suspenduntur per Bullam Cruciatæ; etsi alij id negent.*

210 *Regulares infirmi Indulgentias è lecto comparant.*

211 *Indulgentiæ Regularibus concessæ prosunt omnibus Religiosis, sed non electis.*

212 *Acquiruntur à Tertiarijs, sed non omnes.*

213 *Imò nec acquiruntur ab omnibus Tertiarijs.*

214 *Ea non acquiruntur ab Oblatis, Donatis, seu Commissis.*

215 *Acquiruntur à Monialibus.*

216 *Non item à Famulis Regularium.*

217 *Concessæ pro solis Regularibus pro(mu)lgantur sine licentia Ordinarij.*

QVÆRES I. An vsus Indulgentiarum repugnet perfectioni religiosæ.

Respond. non repugnare; cum sit opus per se bonum, & conueniens, & aliàs Religiosi tali subsidio indigere possint. ita Filliucius *tract. 8. num. 77.* addens vsum Indulgentiarum non posse dici opus imperfectum, neque in genere satisfactionis; cum indulgentiæ acquisitio non obstet, quo minùs homo, si velit, propriam possit exhibere satisfactionem; vnde Nald. *v. Indulg. num. 6.* ex Benzonio infert votum non acquirendi indulgentias non obligare, eo quòd sit maioris in Deum charitatis velle quamprimùm esse cum Christo, quàm esse paratum ad ferendas Purgatorij pœnas. 178.

QVÆRES II. Quas indulgentias lucrari possint Regulares in præsentia.

Respond. quòd, quamuis multæ, & variæ indulgentiæ concessæ sint Regularibus per summos Pontifices; vt videri potest apud Casarubium *in comp. v. indulgentia*: in præsentia tamen non possunt lucrari, nisi eas, quæ à Paulo V. *in sua Constitut. Romanus Pontifex*, relata in ordine 21. expressè concessit, reuocatis quibuscumque aliis indulgentiis quoquo modo concessis ipsis Regularibus, vt apertè colligitur ex *d. Constitut.* quæ sic habet: *Cæterum omnes & singulas indulgentias quibuscumque Ordinibus & Institutis Regularibus huiusmodi, & Mendicantibus, & quibuslibet personis Regularibus, tam vigore priuilegiorum, & literarum Apostolicarum quam viuæ vocis* 179.

vocis oraculo, aut aliàs quouis modo per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas & innouatas auctoritate, & tenore prædictis perpetuò reuocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum literarum præscriptum reducimus, & moderamur.

An autem indulgentiæ à Paulo V. modo supradicto reuocatæ modo censeantur reualidatæ, ideóque Regulares iis vti possint.

180. Respond. Rodriq. *in comp. qq. regul. resol. 77. n. 45.* cum quibusdam Salmaticensis Academiæ Magistris censeri reualidatas: probátque ex eo, quod idem Paulus V. post præfatam reuocationem indulgentiarum confirmauit Fratribus Minoribus omnia antiqua ipsorum priuilegia, dicens se confirmare etiam gratias, & concessiones, & indulgentias, nec non priuilegia ipsis concessa à Clemente VIII. additque se innouare, seu de nouo concedere priuilegia confirmata à Clemente VIII. cum omnibus, & singulis decretis, clausulis, & declarationibus quibuscumque contentis in literis suæ confirmationis. Clemens autem VIII. expresiè, & apertè concedit indulgentias prædictas; ideóque cum decretum innouans intelligi debeat iuxta tenorem decreti innouati *l. in testam. ff. de condit. & demonstrat.* etiam indultum Pauli V. intelligendum est iuxta formam, ac tenorem bullæ Clement. VIII. & consequenter confirmare indulgentias, quas expresiè confirmat Clemens. ita Rodriq. quàm probabiliter alij, iudicent; Portellus certè *de dub. regul. v. indulg. num. 13.* oppositum mordicus sustinet cum aliis doctis, & grauibus viris ab eo consultis, ea maximè ductus ratione, quod non est præsumendum Paulum V. in re adeo graui tam citò mutasse sententiam confirmando indulgentias paulò ante reuocatas; quamquam afferri possint alij casus, in quibus Pontifices, mutatis circumstantiis, sententiam mutarunt, nec proinde damnari possunt de inconstantia: cum sapientis sit mutare consilium in meliùs.

QVÆRES III. An per dictam reuocationem indulgentiarum reuocatæ fuerint etiam illæ, quæ regularibus concessæ fuerant siue pro articulo mortis, siue pro Animabus Purgatorij.

181. Respond. neutras fuisse reuocatas; non eas, quæ Regularibus concessæ fuerant pro articulo mortis: siquidem quæ speciali nota sunt digna, non censentur tacitè sublata, *l. item apud Labeon. §. ait Prætor, ff. de iniurijs* vnde Peyrin. *tom. 2. priuil. Constit.* 8. Pauli V. cum Alphonso de Leone, aliis nobiscum sentiens *n.* 8 refert ita declaratum fuisse ab Vrbano VIII. anno Iubilei non suspendi indulgentias concessas pro articulo mortis, infertque idem dicendum esse in præsenti casu; cum sit par ratio, vt patet: non eas, quæ fuerant concessæ pro animabus Purgatorij; sic enim teste Peregrino *in comp. priuil. v. indulg. num. 9.* declarauit Paulus V. die 23. Febr. 1609. viuæ vocis oraculo Congregationi S. Mariæ Fuliensis; quæ declaratio non videtur abrogata in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum; cum in dicta reuocatione abrogata solum fuerint viuæ vocis oracula, quæ aliquam continebant gratiam, & aliàs in præfata declaratione nulla contineatur gratia, sed solùm per eam explicetur in generali reuocatione indulgentiarum facta à Paulo V. non comprehendi indulgentias concessas pro defunctis: quod vtique est quid diuersum à concessione gratiæ; siquidem nihil de nouo concedit, qui declarat, vt rectè aduertit Gomez *in reg. Cancell. de non tollendo iure quæsito, quæst. 13.*

Ex quibus infert Peyrin. *supr. num.* 8. non obstante dicta reuocatione indulgentiarum, Regulares posse vti priuilegio ipsis concesso à Leone X. vt indulgentias illi concessas ab ipso Leone, eiusque Prædecessoribus vsque ad annum quartum sui pontificatus, per modum suffragij applicare possent pro Animabus Purgatorij (intellige, nisi tale priuilegium sit viuæ vocis oraculum; quo modo iam esset sublatum.) Ratio huius illationis est, quod ex vna parte probabile est in generali reuocatione indulgentiarum non fuisse sublatas eas, quæ Regularibus fuerant concessæ pro defunctis; ex alia parte indulgentiæ concessæ pro viuis, si considerentur, quatenus applicari possunt pro defunctis, perinde se habent, ac si essent indulgentiæ pro Defunctis, adeóque non censentur sublatæ iuxta regulam. *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio.* 182.

Quod si quis quærat, an ignorans reuocationem indulgentiæ eam lucretur, si impleat opus præscriptum ad eius consecutionem.

Respond. lucrari; cum Papa non præsumatur reuocare, nisi dependenter à notitia illius, cui indulgentia fuerat concessa: idque ne fideles alioqui præstantes requisita ad consecutionem indulgentiæ fructu illius defraudentur. ita Bordonus *tom. 2. resolut.* 82. *num.* 39. dicens ista docere omnes cum Syluestro *v. gratia, num. 4. v. indulg. num.* 17. Bonac. *D. 6. de Sacram. quæst. 1. part. 8. num.* 8. Bossio *sect. 1. de Iubileo, casu* 18. *num.* 7. aliisque apud ipsos: & addens secus dicendum si Papa se declaret velle reuocationem habere suum effectum independenter à notitia eorum, quibus indulgentia concessa est.

Addit Bordonus *num.* 33. ex Portello *p. 2. casu* 14. *num.* 3. indulgentias non censeri reuocatas sub generali reuocatione priuilegiorum, gratiarum, ac indultorum; cum illæ habeant nomen elegans, ac speciale, ideóque sine speciali expressione non censeantur reuocatæ *ex l. item apud Labeonem, §. ait Prætor, ff. de iniur.*

QVÆRAS IV. Quam indulgentiam consequantur Regulares in susceptione habitus religiosi.

Respond. consequi indulgentiam plenariam à Paulo V. concessam *in citata Constitutione §. 5.* his verbis: *omnibus Christi fidelibus, qui canonicè, & iuxta ordines cuiuslibet Religionis, & Constitutiones Apostolicas habitum regularem à legitimis Superioribus causa profitendi in illo: die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, si vere pœnitentes, & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentorum sumpserint, plenariam.* Quæ verba sunt satis clara, si monero ex Sanch. *l. 5. mor. cap. 5. num.* 8. hic per ingressum intelligi susceptionem: in Societate verò Iesu, in qua talis susceptio habitus non vsitatur, illud temporis, quo, finita prima probatione ingrediens admittitur ad nouitiorum consortium: tunc enim reputatur vera eius admissio, & consequenter tunc obtinebit istam indulgentiam plenariam. 183.

Addo pro huius concessionis explicatione ad obtinendam hanc indulgentiam non requiri confessionem peccatorum, licèt in textu dicatur, *Si verè pænitentes, & confessi*: si eam consecuturus non habeat conscientiam peccati mort. cum, teste Suarez *D. 5 a. de pœnit. sect.* 2. DD. communiter dicant in concessione indulgentiarum non solere requiri confessionem, nisi ad peccati mort. ablationem, vt scilicet per eam certiùs, ac securiùs tollatur obex indulgentiæ; idque etsi in textu dicatur, *præmissa confessione communicauerit*: nam iuxta stylum Ecclesiæ, quando requiritur à fidelibus confessio peccatorum, id non intelligitur nisi de mortalibus, quæ sunt ma- 184.

teria

teria necessaria confessionis. Quod idem aliqui putant dicendum in casu, quo concedatur indulgentia contritis, & confessis, non requiri scilicet confessionem, neque in eo, qui est conscius peccati mort. sed sufficere, quod is eliciat actum contritionis habens propositum confitendi: quod est habere confessionem in voto; cum sic confessio requiratur non tamquam opus (quo modo interdum iniügitur ieiunium ad obtinendum indulgentiam) sed tamquam dispositio; quod non placet Coniocho *D.* 12. *de Sacram. num.* 38. qui ait oppositum esse longè securius; additque in casu, quo in bulla dicatur, *qui præmissa confessione, communicarit.* omninò exigi actualem confessionem in eo, qui habet conscientiam peccati mort. qua de re *Diana part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 107. Filliuc. *tract.* 8. *num.* 148. Io. de Lugo *D.* 27. *de pœnit. num.* 94.

Docet item Bordonus *supr. num.* 35. Nouitium, qui hodie implet requisita ad consecutionem huius indulgentiæ animo recipiendi hac die habitum regularem; si ex accidenti illum recipiat solum cras, cras lucrari hanc indulgentiam absque eo, quod repetat dicta requisita: hæc enim indulgentia conceditur quidem eo die, quo induitur habitus religiosus; at non eodem die præcipitur opera requisita impleri; cum potius hæc soleant antecedenter præstari. Quod ego confirmo ex doctrina Comitoli, *l.* 1. *quæst.* 39. & Portelli *de dub. Regul. v. indulg. num.* 5. videlicet confitentem, & communicantem Calendis Augusti, sine noua confessione, & communione posse lucrari indulgentiam concessam confitentibus, & communicantibus nonis Augusti; modò sit in gratia: idque etsi confessionem illam, & communionem non direxerit ad acquirendam talem indulgentiam: quæ doctrina à fortiori probat intentum in casu hic proposito: qua de re *infra subs. sequenti, num.* 248.

Quod si quis, quærat an possit iterum obtinere hanc indulgentiam is, qui emissa legitima professione in aliquo Ordine postea legitimè transit ad illam Religionem ibidem peracturus nouum nouitiatum.

185. Respond. videri posse; & probatur, tum, qui concessio non restringitur ad vnam vicem tantum: vbi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus: tum, quia sumus in materia fauorabili, quæ debet ampliari, iuxta doctrinam Filliucij *tractat.* 8. *num.* 229. asserentis concessionem indulgentiæ, si constet de potestate, esse interpretandam latissimè, intra latitudinem tamen, quam patiatur proprietas verborum; tum, quia vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio: in susceptione autem noui habitus religiosi facta à transeunte ab vna Religione ad aliam, videtur militare eadem ratio, quæ militauit in prima susceptione alterius habitus religiosi. ita docti viri à me consulti.

Qværes V. Quam indulgentiam consequantur Regulares in die, quo completo Probationis anno profitentur.

186. Respond. consequi indulgentiam plenariam, si pœnitentes, & confessi sacra reficiantur communione; idque ex Constitutione Pauli V. citata.

Porrò probabile censeo hanc indulgentiam obtinere primo Nouitios Societatis Iesu peracto biennio emittentes tria vota simplicia; quamuis enim hi non profiteantur (quod petitur in concessione indulgentiæ) emissio tamen illa trium votorum æquiparatur professioni, vtpute constituens statum de se perpetuum, & valdè perfectum: quod autem dicitur de vno æquiparatorum, dici debet & de alio. 2. puto talem indulgentiam obtineri ab eo, qui ex dispensatione Papæ ante completum probationis annum profitetur: idque ex præsumpta voluntate ipsius Papæ dispensantis iuxta *cap. de rescrip.* quod idem existimo dicendum esse de eo, qui emissa professione in vno Ordine transiens postea ad Religionem arctiorem ibi iterum legitimè profitetur: & hoc ob rationes adductas *quæst. præcedenti* § *quod si quis quærat.* Quæ omnia confirmari possunt ex doctrina quam tradit Sanch. *l.* 5. *mor. cap.* 5. *num.* 5. asserens plenam omnium peccatorum remissionem, quoad pœnam temporalem à Theologis communiter cum S. Thom. 2. 2. *quæst. vlt. art.* 3. *ad.* 3. professioni attributam obtineri ab eo, qui professus in vna Religione laxiori transit ad strictiorem, aut certè in perpetuum eiectus à strictiori transit ad laxiorem, ibique profitetur: cum hæc sit omninò noua professio, ac noua traditio; quæ ratio vtique militat etiam, quoad consecutionem indulgentiæ plenariæ, de qua hic agimus: & quidem maximè in professione solemni, quam emittunt Religiosi Soc. Iesu, emissis iam multò ante tribus votis simplicibus; quos proinde puto bis consequi istam indulgentiam, nimirum in emissione 3. votorum simplicium, & postea in professione solemni; non item in emissione votorum simplicium, quam faciunt Coadiutores formati eiusdem Societatis, siue spirituales, siue tēporales; cum hæc non sit vera professio, & per eam vouens non tradatur irreuocabiliter, sed quamdiu non dimittetur è Societate.

Addit Bordonus *tom.* 2. *resolut.* 81. *num.* 17. *v secundo*, non carere probabilitate Religiosum profitentem in articulo mortis anno probationis nondum finito, ex indulto Pij V. lucrari hanc indulgentiam, etsi in eius concessione requiratur annus probationis expletus: & probat, tum, quia Pius V. indultum illud concessit Religiosis Nouitiis pro consolatione animarum suarum; & alioqui in magnam consolationem animæ cedit consecutio huius indulgentiæ: tum quia Paulus V. requirens annum expletum nouitiatos ad acquirendam hanc indulgentiam dici potest loqui regulariter; & aliàs, quoties bullæ possunt concordari, bonum est ad euitandam correctionem. ita Bordonus, & nos *in tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 10. ex Portello.

Dubium maius est, an ista Indulgentia obtineatur quoties renouatur Professio religiosa.

Respond. non obtineri, etiamsi detur (quod probabile censet Laym. *l.* 4 *cap.* 10. *num.* 2.) per renouationem professionis obtineri toties, quoties remissionem plenariam omnium peccatorum debitam ex vi ipsius professionis; hæc enim pendet ex vi, ac merito professionis, non autem ex voluntate Papæ, sicut pendet indulgentia, de qua hic loquimur; ideòque mirum non est illam sæpius acquiri posse, non item hanc: cum ex tenore concessionis illius constet mentem concedentis esse, vt ea solum comparetur, quando re vera fit professio modo supradicto; quo pacto vtique non fit, quando solum renouatur: cum sic iuxta communem loquendi modum ac æstimationem nuoc non dicatur fieri professio, quod requiritur ad obtinendam istam indulgentiam. 187.

Qværes VI. Quam indulgentiam consequantur Regulares in festo principali sui Ordinis.

Respond. consequi indulgentiam plenariam, si intra claustra monasterij degentes in eo festo confessi sacra communione reficiantur, aut Missam celebrent, piasque ad Deum preces effundant pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac S. matris 188.

Ecclesiæ

Ecclesiæ exaltatione. ita Paulus V. in citata Constitutione §.7. constáque ex ipsis terminis; si monuero hîc per festum principale Ordinis videri veoire illud, quod in toto Ordine maiori cum solemnitate celebratur, videlicet sancti Fũdatoris Religonis (v.g. sancti Benedicti apud PP. Benedictinos) vel aliquod aliud festum, quod aliquis Ordo vniuersaliter soleat celebrare solemnius (vt festum SS. Nominis IESV in Societate Iesu: quare quoad hoc attendi debet vsus vniuscusque Religionis.

Notat autem Bordonus *supr. v. tertio*, quod, licèt Paulus V. in concessione huius indulgentiæ requirat, vt Regularis viuat intra claustra Ordinis sui: quia tamen sic dicitur viuere, qui de licentia sui Superioris degit in Oratoriis, capellis, parochialibus, grangiis, ac similibus locis, vbi extant prædia Conuentus; si Regularis modo dicto extra claustra degens in festo principali Ordinis accedat ad monasterium, probabile est illum frui hac indulgentia: cum extra manens per aliquod tempus de licentia Superioris in monasterio censeatur degere; & dici possit Papa hîc loqui de iis Religiosis, qui perpetuò degunt extra Conuentum; quales sunt Parochi, & alij exempti à iugo Obedientiæ.

QVÆRES VII. Quam indulgentiam consequantur Regulares in articulo mortis.

189. Respond. consequi indulgentiam plenariam ex concessione Pauli V. *in citata Constitut.* § 8. facta in hæc verba: *In cuiuslibet verò mortis articulo, si pariter verè pœnitens, & confessus, ac sacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiuerit, saltem contritus nomen Iesu ore, si potuerint, sin autem corde deuotè inuocauerit, etiam plenariam.* Vbi noto hîc per articulum mortis intelligi verum articulum mortis, in quo scilicet mors verè sequatur: idque ex mente coniecturata, tum Papæ concedentis, qui intendit concedere hanc gratiam, vt, quantum in se est, conducat Religiosum morientem statim ad gloriam, sicque ei non sit necessaria purgatio post hanc vitam: tum ipsius Religiosi morientis, cuius intentio præsumitur ferri ad veram mortem, post quam fruiturus est tali gratia, ac concessione. Colligitur ex Bonacina *D. 6. de Sacr. quæst. 1. part. 8. num.* 12. qui addit secùs dicendum in casu, quoad obtinendam indulgentiam requireretur ministerium Confessarij; tunc enim probabile est indulgentiam sub his terminis concessam obtineri, etiam in periculo morti præsumpto, seu probabiliter: quando scilicet infirmus Medicorum iudicio debet confiteri ad recipiendum sacrum Viaticum; aliàs talis concessio sæpè redderetur inanis: cum mors sæpè superueniat, aut phrenesis, & priuatio vsus sensuum, quæ impediunt effectum huius concessionis. Quod idem docet P. Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. cap. 19. num.* 13. addens, quod si infirmus in hoc posteriori casu obtineat indulgentiam, & non moriatur, potest illam iterum obtinere in quolibet simili euentu vsque ad verum articulum mortis; idque ex præsumpta voluntate Papæ concedentis, vt iam diximus: præsertim cum beneficium Principis latè interpretandum sit, quando ipse illud non limitat. Quod certè non procedit, quoad præsentem indulgentiam Pauli V. cum ille satis clarè se declaret iis verbis: *In cuiuslibet vero mortis articulo:* aliàs enim si voluisset extendere concessionem ad quemlibet articulum mortis, dixisset, *in quolibet mortis articulo.*

At difficultas est, quodnam sit instans, in quo re vera obtineatur ista indulgentia.

190. Respond. non esse solùm illud, quod est non esse primum vitæ hominis, in quo potest haberi effectus indulgentiæ, etiamsi anima sit separata: sed illud, quod est adeo propinquum illi, vt mors iam sit ineuitabilis, & statim futura, quamuis incertum sit, quodnam sit ex his. ita Filliuc. *tract. 8. num.* 139. docens vniuersaliter effectum indulgentiæ obtineri in primo instanti, in quo impleta est conditio præscripta ad illius consecutionem; siue hoc instans sit illud, in quo omninò consummatum est totum opus requisitum ad indulgentiam (quo modo, etsi tale instans sit primum non esse præcedentis operis, quatenus fit successiuè, est tamen primum, in quo impleta est conditio requisita ad effectum indulgentiæ:) siue hoc instans sit illud, in quo opus indulgentiæ moraliter loquendo consummatum est, licèt physicè adhuc non sit transactum: sicut instans, in quo consummatur ieiunium diei, non est illud, quod in rigore physico est primum non esse illius diei, sed ante assignari potest aliquod instans, in quo non potest naturaliter fieri comestio, per quam ieiunium frangatur, vt si esset spacium, in quo dici posset, *Pater*, aut *Aue.*

Quod si hac occasione quæras, an Episcopus habens facultatem concedendi plenariam indulgentiam morientibus, cum hoc tamen, vt interdiu id faciat per se ipsum, aliàs potens talem facultatem subdelegare pro tempore noctis; possit sic subdelegare, si interdiu vocetur ad morientem, & tunc nolit, aut non possit per se id facere, facta tamen subdelegatione pro tempore noctis.

Respond. videri posse, dummodò indulgentia per subdelegatum conferatur de nocte. moueor, tum, quia in hoc casu saluatur mens delegantis, ne delegatus conferat indulgentiam per alium interdiu, cum is deleget quidem de die, sed collatio indulgentiæ fiat de nocte; nec referat, quo tempore facta sit delegatio, sed quo tempore fiat collatio indulgentiæ, & solùm attendi debet tempus collationis indulgentiæ: tum, quia hîc non committitur fraus: cum vtens iure suo nemini faciat fraudem, & Episcopus in casu isto verè habeat ius delegandi suam facultatem pro tempore noctis, siue subdelegatio fiat de noctè, siue de die: tum, quia Bonacina *D. 2. de hor. canon. quæst. 5. part. 3. num.* 16. aliique docent lucrari distributiones illum, qui in vtilitatem suæ Ecclesiæ abest à choro, etsi extra tempus Chori posset expedire negotia Ecclesiæ (quod idem concedit in simili Diana *part. 4. tract. 4. resolut.* 10. aliis citatis) ergo & in nostro casu poterit Episcopus delegare pro tempore noctis hanc suam facultatem, etsi eam ipse per se die commodè posset exercere. ita in facti contingentia interrogatus ab Eminentissimo Domino meo Cardinali Machiauello respondi, & responsio fuit approbata, tum ab ipso, tum ab aliis viris doctissimis.

Addo ex Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. cap. 19. num.* 13. quod si is, cui collata est talis indulgentia, periculum mortis euadat, & postea idem periculum iterum incurrat: potest Episcopus vi dictæ facultatis iterum ei concedere plenariam: idque ex præsumpta voluntate concedentis præfatam facultatem, vt suprà dictum est.

QVÆRAS VIII. Quam indulgentiam consequantur Regulares, qui ad presbyteratus Ordinem canonicè promoti primam celebrant Missam.

Respond. consequi indulgentiam plenariam, 191.
quam item consequuntur ij Religiosi, qui pariter confessi, ac sacra communione refecti eidem Missæ interfuerint: vel certè, si sint Sacerdotes, ipso die pariter Missam celebrabunt in loco in quo dicitur prima Missa. ita concessit Paulus V. *in cit. Constit.* §. 9.

&

& constat ex verbis ipsis,quibus proponitur. Addo solum, quod spectat ad vltimam partem,videri probabile hanc indulgentiam comparari posse à Regularibus Sacerdotibus, qui intersunt præfatæ Missæ, & eodem die etiam ipsi celebrant; siue sint eiusdem Ordinis, siue alterius; siquidem lex generaliter loquens generaliter debet intelligi, ac proinde, cum Papa in concessione istius indulgentiæ generaliter loquatur de Regularibus, non distinguens, vtrum sint eiusdem Ordinis, an alterius; non est,cur nos concessionem restringamus ad Regulares tantùm eiusdem Ordinis; præterquam, quod ista concessio est fauorabilis, ideóque debet ampliari. sic docti Neoterici consulti:inter quos Bordonus *tom.2. resolut.81.n.17.v.sexto lucratur*,putat Sacerdotem Regularem, vt in casu proposito obtineat indulgentiam, debere aut interesse Missæ Sacerdotis nouelli, aut Missam celebrare in illa ipsa Ecclesia, in qua dicitur prima Missa: quod licet expressè non colligatur ex verbis Bullæ,quæ sunt: *Qui verò ad Presbyteratus ordinem canonicè promotus, & confessus primam Missam celebrabit, nec non etiam ijs Religiosis, qui pariter confessi, ac sacra communione refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam celebrabunt*, etiam plenariam: (vbi noto non fieri mentionem de loco, in quo debeant celebrare alij Sacerdotes, sicque videri solum requiri,vt Missa alicubi celebretur)tamen puto probabile celebrandam esse Missam in illa eadem Ecclesia,in qua dicitur prima Missa:idque vt extet aliqua connexio inter primam Missam, & celebrationem Missæ requisitam ad consecutionem indulgentiæ concessæ occasione primæ Missæ: præterquam, quod alioqui quilibet Regularis Sacerdos,Regulari quolibet primam Missam dicente (vbicumque eam diceret)posset hâc obtinere indulgentiam, etsi celebraret extra ciuitatem,in qua diceretur prima Missa: quod non videtur intentum à Papa concedente hanc indulgentiam, imò videtur esse absurdum, vt consideranti facilè constabit.

QVÆRES IX. Quam indulgentiam acquirant Regulares per 10. dies facientes exercitia (vt vocant) spiritualia.

192. Respond. consequi indulgentiam plenariam ex concessione Pauli V. *facta in citata Constit.* §.10. his verbis: *Iis verò, qui de suorum Superiorum licentia à negotiis per 10. dies alieni in cella commorabuntur, aut ab aliorum conuersatione separati in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium animos ad deuotionem,& spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint; addendo sæpè considerationes, & meditationes mysteriorum fidei catholicæ,diuinorum beneficiorum,4.nouissimorum, passionis D. N. Iesu Christi, & aliorum exercitiorum,orationum iaculatoriarum,aut vocalium,saltem per 2. horas in diem, & noctem orationibus mentalibus se se exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut Missam celebrauerint,toties pro quolibet prædictorum exercitiorum, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.* Puto autem verba illa, *in cellis commorabuntur* debere intelligi moraliter, sicque per ea non tolli, quod Religiosus non possit deambulare in horto, aut alio loco extra cellam: quod innuit Bordonus *supr. num.17.v.septimo*, dum ait, *necesse autem est, quod ibi continuè maneat seclusis necessitatibus corporis*; aliqua enim deambulatio necessaria est ad sanitatem corporis.

Vnum hîc posset controuerti, quid significent per illas particulas, *pro quolibet prædictorum exercitiorum*: num scilicet intelligatur istam indulgentiam obtineri quotiescumque Religiosus modo dicto per 10. dies vacauerit præfatis exercitiis spiritualibus, an verò toties quoties peregerit aliquod ex dictis exercitiis(v.g.per horam mentaliter orauerit.)

Respond.mihi videri dictas particulas debere intelligi in priori sensu;colligo id ex tenore concessionis requirentis ad consecutionem istius indulgentiæ,vt præter huiusmodi exercitia spiritualia Regulares etiam confiteantur, sactam communionem recipiant,aut certè celebrent: quod non videtur posse referri, nisi ad omnia dicta exercitia simul sumpta vnà cum aliis in tenore concessionis requisitis, non autem ad quodlibet eorum exercitiorum seorsim: vt satis apertè constabit consideranti. 193.

QVÆRAS X. An, & quo modo Regulares in propriis Ecclesiis consequi possint indulgentias stationum Vrbis.

Respond. posse consequi deuotè visitando propriam Ecclesiam,ibique orando:id quippe ipsis concessit Paulus V. *in citata Constitut.* §.11. his verbis, *Præterea iidem Religiosi intra claustra viuentes, qui suam Ecclesiam deuotè visitauerint,& vt præfertur,orauerint,consequantur easdem indulgentias,quas visitantes Ecclesias Vrbis, & extra eam diebus stationum consequuntur in omnibus diebus,perinde ac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitarent.* Vbi notandum ex Suar. *D.52. de pænit. sect.1. num.4.* Rodriq. *tom.2.quæst.96. art.6.* Nauar.*de Indul. not.32.num.46.*& aliis illum dici deuotè visitare Ecclesiam ad effectum lucrandi præsentem indulgentiam,qui modestè,ac deuotè ingreditur Ecclesiam, ibi precatur, ac egreditur, estò reliquum itineris immodestè conficiat; quod approbat Peyrin. *tom.1.priuil.constitut.VIII.Leonis X.* §.1.*num.9.* addens non obstare, quo minus dicatur deuotè visitare, qui actum visitationis facit quidem cum peccato v. tangente substantiam actus (vt si habeat intentionem peccaminosam v. g. vanæ gloriæ, quæ non solum se habeat concomitanter ad actum visitationis, sed etiam in illum influat ipsi communicando malitiam) habet tamen intentionem lucrandi indulgentiam, quæ intentio sine dubio non est incompatibilis cum intentione inanis gloriæ; quod tamen non eueniret, si dicta intentio omninò excluderet intentionem lucrandi indulgentiam: sic enim actus visitationis esset omninò malus. 194.

Porro aduertit Bordonus *v. quarto*, Religiosum commorantem extra claustra non lucrari hanc indulgentiam: cum sic non possit dici visitare suam Ecclesiam, sicut requirit Paulus V. (idque etsi visitet Oratorium priuatum Conuentus ibi constructum; cum hoc verè non sit Ecclesia, sicque immunitate non gaudeat) & alioqui ad consecutionem indulgentiæ impleri debeant in specifica forma opera à concedente iniuncta. nec obstat, quod diximus *quæst.6.* ex eodem Bordono: cum ad consecutionem indulgentiæ ibi requiratur degere intra claustra quod sufficienter saluatur, etsi pro aliquo tempore Religiosus degat extra claustra, si id faciat de licentia Superioris) hîc vero ad consecutionem requiratur visitatio propriæ Ecclesiæ,quæ non saluatur,Religioso commorante extra monasterium, vt patet.

Quod si hac occasione quæras, vtrum in hac generali concessione indulgentiarum,quæ acquiruntur in diebus stationum,veniant etiam indulgentiæ plenariæ, imò & liberationes animarum è purgatorio, quæ interdum conceduntur in dictis stationibus.

Respond. videri venire, quamuis Suarez *supr. D.52.* 195.

D.52. sect.8.num.12. Filliuc. *tract.8.num.168.* Molfes. *part.1.sum. tract.7. cap.16. num.92.* aliique ferè communiter id negent ex stylo, & praxi Curiæ Romanæ, & regula Cancellariæ, opinantes indulgentias plenarias non comprehendi in generali concessione indulgentiarum, nisi in specie exprimantur. Ita Villalobos, Trullench. Lupez, & Gatnica, quos refert, & sequitur Diana *p.5. tract.12. resol.2.* Peytin. *tom.2. privil. Constit.8. Pauli V.* §.11.n.4 Rudriq. *in sum. Ital.* §.8.d.1. aliique docti Recentiores à me consulti; patérque, tum, quia exprimenda in specie dicuntur sufficienter expressa in generali clausula, quando continentur in generali verborum significatione restricta ad rem, de qua fit sermo (vt notat Sanch. *l.3. de matr. D.35. num.4. & 7.*) quod maximè verum est, si consuetudo hanc expressionem admittat: hæc autem videntur verificari in casu nostro, vt consideranti facilè constabit: tum, quia in ista concessione Pauli V. extat clausula, *perinde*, quæ iuxta Tuschum *ver. dictio, concl.375. num.13.* importat omnem similitudinem; tum, quia hîc constat de potestate concedentis, & solùm dubitatur de eius voluntate; cum tamen voluntas concedentis indulgentias iuxta superiùs dicta latè interpretari debeat; tum denique, quia, sicut in casu simili respondet Fagund. *precept.2. Eccl.l.8. cap.8. num 38.* stylus Curiæ Romanæ, (de quo Suar. *supr.*) fundatur in probabilitate oppositæ opinionis, non tamen tollit probabilitatem nostræ sententiæ; præterquam, quod stylus Curiæ variat pro varietate Pontificum; sicut docet experientia, & notat ipse Fagundez. Quæ rationes non minùs probant in generali concessione indulgentiarum venire liberationes animarum è purgatorio, quam probent in ea venire indulgentias, quantumuis plenarias.

196. Vnum hîc obiter addo, existentem in peccato mort. posse lucrari indulgentias pro defunctis; cum status gratiæ requiratur tanquam dispositio ad effectum indulgentiæ in eo solum, qui debet illum recipere: in nostro autem casu non ille, qui facit opus, debeat talem effectum recipere, sed is, cui applicatur. Ita Filliuc. *supr.n.*113. Nauar. *de indulg. not.*22.*num* 30. Nald. *ver. indulg n.7.* contra Ioannem de Lugo *supr. num.75.* nobiscum sentit Diana *p.5. tract.12. resol.38.* ex Præposito, Nauarro, Fabro, Trullencho, Granado, Portello, & Toleto; probátque assertionem, quia ratio satisfactionis in hoc casu non est opus illius, qui est in peccato, sed indulgentia, ac thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum: opus autem particulare, per quod applicatur defuncto, fit nomine Ecclesiæ, in qua nunquam deest gratia.

QVÆRES XI. Quam indulgentiam consequantur Regulares singulis diebus recitando ante altare propriæ Ecclesiæ quinquies orationem dominicam & salutationem Angelicam.

197. Respond. consequi quolibet die quinque annos indulgentiæ, & totidem quadragenas; idque ex concessione Pauli V. *in citata, Constit.* §.12. eandem indulgentiam extendentis ad illos Religiosos, qui de suorum Superiorum licentia existentes in itinere, aut extra claustra degentes (quales sunt Concionatores, ac Lectores, ante quodlibet altare easdem preces recitauerint. Pro cuius concessionis declaratione noto sensum illius esse, quod virtute illius remittitur tota illa pœna, quæ remitteretur, si Religiosus secundum Canones pœnitentiam ageret quinque annos, & totidem quadragenas, sicque remitti etiam pœnam Purgatorij illi tempori correspondentem. Quod verò attinet ad quadragenas, seu quarantenas, benè monet Toletus *l.6. cap.14.* §.4. esse quarantenas dierum, nec debere computari extra tempus annorum concessorum; itavt, si concedantur quinque anni, & totidem quadragenæ (vt in præsenti concessione) istæ quadragenæ includantur in illis quinque annis. Cum enim olim in Ecclesia primitiua pro aliquo peccato infligebatur pœna quinque annorum, v. g. non æqualis pœna toto decursu talium annorum subeunda erat, sed pro aliquibus diebus grauior imponebatur, (sic Sacerdoti fornicario imponebatur pœnitentia 10. annorum, sed artior in tribus primis mensibus; vt scilicet remotus à quacumque conuersatione pane tantum vesceretur, & aquam puram biberet, & in diebus festis paruis pisciculis, & leguminibus, & modico vino vteretur: cum tamen reliquo tempore pœnitentia non esset adeò rigida;) ex his autem diebus constituebantur quarantenæ, vna scilicet quarantena, si dies erant tantum 40. duæ, si dies erant 80. tres, si dies erant 120. & sic deinceps: ita tamen, vt semper isti dies maioris pœnitentiæ includerentur in annis modo dicto.

Qua occasione moneo ex Bordono *supr. num.38.* ad acquirendam indulgentiam quinque altarium non esse opus, quod ad singularia altaria accedas, aut motu corporis distinguas vnam visitationem ab alia; imò sufficere vnicam competentem orationem, ac satisfieri singulorum altarium visitationi per solam intentionalem discriminationem visitationum: cum ex intentione Papæ visitatio hæc formaliter in eo consistat, vt oratio, quæ fit, mentaliter ad quinque altaria dirigatur; sicque accessus ad ea est, quid accidentarium solum ad benè esse inferens aliquid incommodi, quod non facit ad consecutionem indulgentiæ; siquidem non peregrinatio iniungitur, sed visitatio, quæ oratione perficitur. Ita Bordonus ex communi Doctorum sensu contra Gatnicam oppositum sustinentem, & Trullenchum exigentem corporis inclinationem in signum distinctionis visitationum; vt notat Diana *part.5. tract.12. resol.8.*

Addit Bordonus *num.17. ver. octauo*, ad obtinendam hanc indulgentiam requiri quidem, vt oratio fiat ante altare, non esse tamen opus, vt orans genuflectat in bradella altaris, sed è choro posse orationem suam dirigere ad altare, aut etiam simpliciter orare in Ecclesia; præterea non est differenzia inter vnum altare, & aliud, licèt sit altare maius; nec oratio ista debet applicari pro aliquo in specie.

QVÆRES XII. Quam indulgentiam lucrentur Regulares vnum mensem vacantes orationi mentali per dimidiam horam singulis diebus. 198.

Respond. consequi 60. annos, & totidem quadragenas, si præterea confessi sacram communionem sumant vltima Dominica huiusmodi mensis, ita concessit Paulus V. *in citata, Constitut.* §.14. & per se patet si aduertero videri probabile Religiosum obtinere præfatam indulgentiam, esto decursu totius anni vna tantùm die omittat orare mentaliter: idque excusante paruitate materiæ iuxta ea, quæ habet Filliuc. *tract.8. num.153.*

QVÆRES XIII. Quam indulgentiam acquirant Regulares accusando proprias culpas in Capitulis.

Respond. acquirere 3. annos indulgentiæ, & totidem quadragenas ex concessione Pauli V. *in citata Constitut.* §.15. facta his verbis: *Qui verò contrito corde, & pœnitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum* 199.

facient,

facient, tres annos, & totidem quadragenas. Hanc autem indulgentiam puto obtineri etiam ab illis Religiosis, qui cum non habeant vsum Capituli (vt in Societate) in alio loco ad id designato proprias culpas accusant; sic enim talis locus æquipatatur Capitulo; quod verò dicitur de vno æquipatatorum, dici debet & de alio, vt patet.

Addo ad obtinendam istam indulgentiam non sufficere quamcumque accusationem suarum culparum, sed prætetea requiri, vt talis accusatio fit facta piè, ac religiosè (quod puto ionoi illis verbis, *& specialiter communicabunt*) & vt sit coniuncta aliquibus actibus virtutum (quod colligitur ex illis aliis verbis, *& exercitium virtutum faciant*;) hæc enim omnia præscribuntur à Papa sub nota non disiunctiua, sed copulatiua: qood est signum illa omnia requiri per modum vnius; nimirum, vt Religiosus se piè, ac religiosè accuset de propriis culpis in Capitulo, aut alio loco ad id designato, & tali accusationi coniungat actus aliquarum virtutum (v. g. humilitatis, pœnitentiæ, despicientiæ sui ipsius, &c.)

QVÆRES XIV. Quam indulgentiam comparent Regulares proficiscendo ad Missiones Infidelium, aut Hæreticorum.

200. Respond. consequi indulgentiam plenariam, & quidem duabus vicibus, videlicet, quando itineri se accingunt, & quando ingressi fuot prouinciam, ad quam sunt destinati; si tamen pœnitentes, ac confessi Missam celebrent, aut cetrè sacra reficiantur communione. ita concessit Paulus V. *in citata Constitut.* §. 16. his verbis: *Quotiescumque autem de licentia summi Pontificis, aut suorum Superiorum in ditione, & terras Infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut catholicos docendum, vel infideles, & hæreticos ipsos ad fidem catholicam conuertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum missi fuerint, & pœnitentes, & confessi, ac sanctissima Communione refecti fuerint, vel Missam celebrauerint, vt melius ad huiusmodi opus se se parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet, quando itineri se accingunt, & quando in prouinciam, vbi prædicta opera eis exercenda erant, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem.* Et quidem, cum tenor istius concessionis sit per se clarus, non eget alia expositione. Aduerto solùm hanc indulgentiam comparari posse etiam à Regularibus laicis modo dicto proficiscentibus ad terras Infidelium, ac Hæreticorum; siquidem etiam illi possunt docere Catholicos, & cooperari conuersioni Infidelium, ac hæreticorum, vt docet experientia: præsertim apud Religiosos Societ. Iesu in partibus Indiarum, ac regionum Septentrionalium; vbi autem militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio: maximè si ioris dispositio sit fauorabilis, qualis est concessio indulgentiarum iuxta dicta *quæst.* 4. §. *quod si quis.*

QVÆRES XV. Quam indulgentiam consequantur Regulares interessentes orationibus 40. horarum à Superioribus expositisin Visitationibus generalibus.

201. Respond. consequi indulgentiam plenariam, si cōfessi sacram communionem recipiant, aut Missam celebrent, & dictis orationibus saltem spatio duarum horarum intersint. ita concessit Paulus V. *in citata Constit.* §. 17. his verbis. *Et insuper cum Superior in visitationibus generalibus orationes 40. horarum pro bono visitationis progressa collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus, saltem spatio duarum horarum in diuerso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non disciplinæ, & obseruantiæ regularis augmento pias ad Deum preces effuderit, & confessi, & sacra communione refecti fuerint, aut Missam celebrauerint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam.* Circa quæ verba moneo orationem, quæ ad consecutionem istius indulgentiæ petitur, posse esse siue mentalem totam, siue totam vocalem, siue etiam partim mentalem, & partim vocalem: cum nomine orationis propriè loquendo veniat, tam mentalis, quàm vocalis oratio, adeóque alterutra sufficiat ad mentem Papæ in præsenti caso implendam, vtpote requirentis orationem indefinitè, non exprimendo eane debeat esse mentalis, an vocalis; quamuis consultum sit orare vocaliter, vt hac ratione certior sit consecutio talis indulgentiæ. ita Diana *part.* 5. *tract.* 11. *resol.* 44. ex Trullenebo, aliique Neoterici à me consulti.

QVÆRES XVI. An Regulares per reuocationem Indulgentiarum factam à Paulo V. prohibeantur lucrari indulgentias concessas alicui Ecclesiæ extraneæ, Oratorio, aut Capellæ.

Respond. non prohiberi; cum in dicta reuocatione solum comprehensæ fuerint indulgentiæ personales concessæ Regularibus, & ipsorum intuitu; non item indulgentiæ locales. ita Peyrin, *sup. num.* 11. addens cum S. Thoma *in* 4. *d.* 20. *art.* 5. *quæst.* 2. Religiosos existentes in suis monasteriis plus mereri, quam discurrendo, aut peregrinando ad acquirendas indulgentias. 202.

QVÆRES XVII. An Regulares, non obstante præfata reuocatione indulgentiarum, adhuc possint in suis Ecclesiis acquirere indulgentias, quæ conceduntur Ecclesiis extraneis, siue Regularium, siue sæcularium.

Respond. non posse, quidquid sit de iure antiquo: patet ex citata *Constitut. Pauli V.* in qua cum reuocentur omnes omninò indulgentiæ concessæ Regularibus, & quidem etiam per communicationem; vt colligitur, tum ex §. 3. *dicta Constitut.* in quo habentur hæc verba. *Vt indulgentias ipsis Religionibus, & Ordinibus ad instar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus concessas annullaremus*: tum ex §. 19. vbi dicitur: *Caterum omnes, & singulas indulgentias quibuscumque Ordinibus, tam vigore priuilegiorum, & literarum Apostolicarum, quam viua vocis oraculo, aut aliàs quouis modo per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & nos, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, & innouatas perpetuò reuocamus.* Cum, inquam, *in dicta Constitut. Pauli V.* reuocentur etiam indulgentiæ concessæ per viam communicationis: consequens est, vt reuocentur & priuilegia, quæ Regularibus concedebant talem communicationem indulgentiarum: Quale in primis est illud, quod habetur in *Comp. Soc. Iesu v. indulgentia* §. 11. his verbis. *Per concessionem Leonis X. omnes indulgentiæ concessæ visitantibus domos, Ecclesias, & Oratoria Mendicantium, sunt concessæ similiter nobis visitantibus nostras Ecclesias, domos, vel Oratoria, perinde ac si cuilibet Ecclesiarum nostrarum, domuum, & Oratoriorum vbilibet consistentium concessæ fuissent, & similiter nostri visitando Ecclesias nostras consequi possunt eodem modo indulgentias, quas tunc consequerentur, si visitarent quasuis Ecclesias aliorum Ordinum, etiam non Mendicantium, Congregationum, & Confraternitatum, & aliorum piorum locorum iuxta communicationem, quam habemus.* Ex quibus constat Religiosos olim vi suorum priuilegiorū potuisse in propriis Ecclesiis consequi omnes, & singulas indulgentias, quæ 203.

ex deuota visitatione quarumcumque Ecclesiarum, Oratoriorum, atque Confraternitarum à laicis obtineri poterant.

Quod si quæras, quid tunc requireretur; ad hoc vt Religiosi vi dicti priuilegij possent lucrati indulgentias concessas alienis Ecclesiis.

204. Respond. debuisse implere in propriis Ecclesiis illa omnia, quæ in ipsa concessione indulgentiarum præscribebantur implenda ad effectum acquirendi præfatas indulgentias in alienis Ecclesiis. Ratio est, quod ex vna parte Doctores cum S. Thom. *in 4. d. 20. art. 3. quæst. 6.* asserunt indulgentiam tantum valere, quantum sonat, solúmque operari iuxta intentionem concedentis expressam in forma ipsius indulgentiæ; ex alia parte in concessione indulgentiæ concessæ alienis Ecclesiis, & comparandæ à Regularibus in propria ecclesia modo supradicto iniunguntur opera (vt suppono) à quibus non eximuntur Regulares in priuilegio ipsis concedente, vt intra suas Ecclesias lucrari possint indulgentias aliarum Ecclesiarum: siquidem vi talis priuilegij censetur solùm virtualiter transferri indulgentia de alienis Ecclesiis, ac locis ad Ecclesias ipsorummet Regularium; vnde fit, vt, si hi velint obtinere dictas indulgentias, necessariò debeant implere opera requisita in tenore vniuscuiusque indulgentiæ: alioqui eas non consequentur. Quod ita verum est, vt, si quis impleat solùm partem operis iniuncti, & non totum, nihil consequatur indulgentiæ, vt ostendemus *subsect. seq. quæst.* 23.

QVÆRAS XVIII. An Regulares consequi possint in alienis Ecclesiis etiam illas indulgentias, quæ illis conceduntur acquirendæ in propriis Ecclesiis.

205. Respond. posse visitando Ecclesiam loci, in quo ipsi commorantur, siue per transitum, siue etiam ad aliquod breue tempus: idque ex declaratione Pauli V. facta viuæ vocis oraculo Generali Patrum Theatinorum, teste Peregrino *in comp. part. 1. v. indulg. num. 7.* quod viuæ vocis oraculum non puto fuisse abrogatum in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum ob rationem adductam *supr. quæst. 3. sub finem responsionis*, & consequenter Religiosis suffragari, etiam in præsentia.

QVÆRAS XIX. An Regulares indulgentias pro suis ecclesiis concessas lucrari possint etiam in aliena ecclesia ipsis ad longum tempus commodata, & concessa ad vsum temporaneum.

206. Respond. posse; cum sic ecclesia aliena ex hypothesi, sit, & dici possit ecclesia Regularium (sin minùs quoad dominium, quoad vsum) & simus in materia fauorabili, quæ debet ampliari; minimè attenta doctrina, quam tradit Filliuc. *supr. num.* 154. indulgentiam concessam alicui Ecclesiæ non extingui, etiam destructa omninò ipsa Ecclesia, si alia in eodem loco, & quidem breuiori tempore cõstruatur (sic enim quoad situm est idem locus, & secundùm moralem respectum reputatur eadem ecclesia:) siue etiam in alio loco, cum indulgentia ex se non limitetur ad locum singularem, sed ad ecclesiam, quam in tali loco habet talis Religio v.g. cui Papa concedens indulgentiam intendit fauere: quæ doctrina videtur facilè posse applicari ad præsentem difficultatem, iuuatque non parum ad probandam nostram hanc responsionem, quam approbarunt viri docti à me consulti.

QVÆRES XX. An indulgentiæ, quibus in præsentia gaudent Regulares, suspendantur in anno Sancto Iubilei, & quæ.

207. Respond. quod, quamuis talis suspensio pendeat ex intentione Papæ expressa in literis super hoc indici solitis: ex bulla tamen Sixti IV. (ad cuius tenorem fere solent conscribi aliæ) clarè constat in anno sancto Iubilei solùm suspendi indulgentias plenarias, tam pro Regularibus, quàm pro sæcularibus; sic enim habet bulla illa: *Omnes, & singulas plenarias, etiam ad instar Iubilei suspendimus.* Ex quo fit non suspendi, neque indulgentias, quæ non sunt plenariæ, neque eas, quæ conceduntur per modum suffragij pro defunctis, sicut nec illas, quæ conceduntur fidelibus pro articulo mortis: idque ex declaratione Vrbani VIII. facta anno 1625. & iussu illius promulgata à Reueren. D. Cocciono, vt vidimus *q. 2.* quam declarationem quia ignorauit Layman, dicit *l. 5. tract. 7. cap. 8. num. 3.* indubitatum esse in communi indulgentiarum suspensione venire etiam indulgentias concessas pro articulo mortis.

Sic notat Bordonus *supr. num* 36. ex Alphonso de Leone indulgentiam pro defunctis Altarium priuilegiatorum non suspendi in Anno Sancto: & ad hoc affert declarationem sacræ Congregationis factam 1. Ianu. 1625. videlicet Altaria priuilegiata nequaquã inter suspensas Indulgentias recensenda: neque enim passus est optimus Pontifex Ecclesiæ thesauros, qui Romam tantùm proficiscentibus tempore Anni sancti erogantur, iis occludi, qui charitate in Deum nobis coniuncti Romam ire, quemadmodum viuentes Christiani, nequeunt.

Quòd si obiter quæras, an, quando conceditur Altare priuilegiatum Ecclesiæ, in qua debeant celebrare tot Sacerdotes (qualis concessio fieri solet his verbis: *Dũmodom ea 15 Missæ, v.g. quotidie celebrẽtur*) concessio teneat, si vere tot Missæ in ea Ecclesia non celebrentur, eò quod non adsint tot Sacerdotes.

Respond. Bordonus *tom. 1. resol. 91. num. 8.* non tenere, si præscribatur numerus Missarum, tanquam conditio: quamuis dicat sufficere, quod de familia tot fuerint Sacerdotes ab initio, quot exprimuntur in Breui concessionis (cum sufficiat conditionem semel adimpletam fuisse, etsi posteà desit, *l. si quis heredem, C. de institut. & substitut.*) & quod Superior localis petens à Prouinciali Sacerdotes ad numerum illum complendum, nec obtinens, adhuc satisfacit pro Altari priuilegiato: cum conditio, quæ non stat per eum, ad quem pertinet, quo minùs impleatur, haberi perinde debeat, ac si esset impleta, *de regul. iur. in 6. reg. 66. l. iure ciuili, ff. de condit. & demonstration.* Addit Bordonus, quod si in casu proposito Religiosi satisfaciant obligationibus Altaris, aliisque ordinariis, sine præiudicio priuilegij possunt celebrare extra Ecclesiam priuilegiatam: cum finis Papæ in concessione Altaris priuilegiati exprimentis tot Sacerdotes, in eo consistat, quod satisfiat occurrentibus obligationibus, & secuto effectu talis satisfactionis per pauciores Sacerdotes, his extra Ecclesiam priuilegiatam celebrantibus, nullum priuilegio præiudicium inferatur. Dicit item Bordonus, regulariter numerum Sacerdotum in præsenti casu expressum non esse conditionem necessariam ad valorem priuilegij, alioqui sequeretur Ecclesiam priuilegiatam, si temporis progressu desinat habere tot Sacerdotes, quot exprimuntur in Breui, amittere priuilegium iam ritè acquisitum, vtpote ab initio habentem numerum præscriptum Sacerdotum: idque sine culpa, aut negligentia ipsius Ecclesiæ: quod Bordonus, putat esse inconueniens. hæc ille; quàm probabiliter, indicent viri docti, quibus vacet ea maturius examinare: ea certè P. Zanettus posse admiti stante doctrina illa, quod conditiones quascumque impleri, & semel existere sufficit, *l. si quis heredem,* superiùs citata: quam

doctrinam

doctrinam pluribus exemplis exornat Nald. *v. conditio, num. 4.*

Addit Bordonus *resol. 56. num. 199.* quod, si Ecclesiæ alicui Regularium iis insciis, ab extraneo obtineatur indultum Altaris priuilegiati, & ij postea notitiam habentes concessionis obtentæ aliud Altare priuilegiatum obtineat, priori non acceptato: reiecta priori concessione possunt, si velint, vti posteriori: cum posterior concessio obtenta sit à patronis Ecclesiæ, & Regulares priorem sine eorum placito obtentam non cogantur acceptare, *l. inuitus §. quod cuique ff. de reg. iur.* vbi dicitur, *in inuitum non confertur beneficium.* Quamquàm, si Regulares vti velint priori concessione, possint vti omissa posteriori: cùm hæc sit valida, & non appareat, cur Regulares vti non possint illa, vt patet. Nec obstat dictis, quòd secundum rescriptum sine expressione primi obtentum per aduersarium non tenet *cap. cæterùm de rescript.* ibi enim est sermo litis inter actorem, ac reum: quod non verificatur in præsenti casu, qua de re *tractat. V. cap. 9. num. 43. §. addo.*

208. Illud porro benè aduertit Filliuc. *sup. num. 153.* indulgentias, quæ suspenduntur pro anno sancto, desinere esse suspensas, ac restitui in integrum, statim ac absolutus est annus sanctus (qui incipit à vigilia Natiuitatis Domini primis vesperis, & durat vsque ad vigiliam eiusdem festi item in primis vesperis anni sequentis;) idque sine suspensio præfinitatur tempore, dicendo, *durante Anno Sancto*: siue fiat ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, sicut aduertit Nauar. *de indul. notab. 28. num. 31.* id colligens ex variis congruentiis, quas affert.

QVÆRES XXI. An Indulgentiæ Regularibus concessæ suspendantur per bullam Cruciatæ.

209. Respond. quòd, quamuis aliqui cum Acosta *in expositi. bullæ, quæst. 108.* sustineant illas suspendi, ea ratione ducti, quod, licèt in clausula bullæ reuocatoria excipiantur facultates Mendicantium, nomine tamen facultatum non veniunt Indulgentiæ; ideoque non potest dici illas ibi excipi; nihilominùs probabiliùs videtur indulgentias Regularium non suspendi per bullam Cruciatæ. ita Diana *part. 1. tract. 11. resol. 88.* ex Rodriq. Nugno, & Villalobos, probatque qui verba bullæ, *exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus quoad eorum Fratres tantùm*, commodè possunt extendi ad omnes gratias concessas Religiosis, inter quas vtique veniunt & indulgentiæ; præsertim cum simus in materia valdè fauorabili, quæ iuxta dicta debet ampliari.

QVÆRES XXII. An, & quo modo Regulares, etiam tempore infirmitatis possint lucrari indulgentias à Paulo V. concessas.

210. Respond. posse, si in lecto decumbentes pium aliquod opus arbitrio Confessarij faciant; idque ex declaratione ipsiusmet Pauli V. facta Congregationi S. Mariæ Fuliensis relata à Peyrino *sup. num. 2.* quàm iuxta dicta *quæst. 18.* remissiuè censeo etiam modo suffragari Religiosis. Quin Peyrin. addit hane concessionem extendi etiam ad senes decrepitos, qui non possint adire Ecclesiam ad tales indulgentias acquirendas: quippequi in dicta declaratione Pauli V. comprehensi sunt.

QVÆRES XXIII. An indulgentiæ concessæ Regularibus acquiri possint ab omnibus Religiosis, etiam ab iis, qui promoti sunt ad episcopatum, aut aliam dignitatem sæcularem, etiam ab Apostatis, ac Eiectis, etiam à Nouitiis.

211. Respond. posse acquiri, præter quam ab eiectis: patet responsio, de promotis quidem ad episcopatum ex dictis *cap. 1. num. 65.* de Apostatis verò ex iis, quæ dicemus *cap. vltim. sect. 3. quæst. 21.* de Eiectis ex dicendis, *eodem cap. vltim. sect. 2. quæst. 22.* de Nouitiis denique ex dictis in *tract. de Nouitiis, cap 7. quæst. 2.*

QVÆRES XXIV. An indulgentiæ concessæ Regularibus possint acquiri à Tertiariis vniuscuiusque Ordinis respectiuè.

Respond. posse, loquendo de indulgentiis, quæ ipsis possunt adaptari: si quidem Tertiarij viri collegialiter viuant, aut habitent cum claustralibus: mulieres autem virginalem, seu cælibem vitam expresso voto ducant sub habitu tertij Ordinis: secùs, si viri neque collegialiter, neque claustraliter viuát, & mulieres dictum habitum deferentes ex voto expresso vitam ducant virginalem, seu cælibem. Ratio responsionis est, quod ex vna parte Sixtus IV. in bulla, *Dum attenta*, quam refert Lezana *tom. 2. c. 14. n. 26.* concessit Tertiariis Ordinis Carmelitanum, *vt gaudere possint, & debeant tam exemptionis priuilegio, quam omnibus immunitatibus, libertatibus, indulgentiis, & aliis priuilegiis quibuscumque præfato Ordini B. Dei Genetricis Mariæ de monte Carmeli, eiusque Fratribus, ac personis per Sedem Apostolicam iam concessis, & quæ imposterum concedentur* (quod alij etiam Pontifices concesserunt Tertiariis aliorum Ordinum, teste Lezana, *ibi:*) ex alia parte Leo X. in Concilio Lateranensi bullatum edidit decretum, quo statuit, vt illi solùm Tertiarij vterentur ista concessione, qui habe tent qualitates à nobis paulò ante recensitas; vt videre est penes eundem Lezanam *num. 27.* vnde fit, vt illi tantùm Tertiarij sint participes indulgentiarum proprio Ordini concessarum, qui habent dictas qualitates: non item ij, qui illis carent. 212.

Cæterùm monet Lezana *num. 30.* illos Tertiarios dici collegialiter viuere, qui in aliqua communi domo sub habitu, ac regula tertij Ordinis viuunt (non tamen vt Religiosi;) eos verò dici viuere cum claustralibus, qui sub habitu, ac regula tertij Ordinis degunt vnà cum Religiosis sui Ordinis. 213.

QVÆRES XXV. An Oblati, Donati, seu Commissi Regularium possint lucrari indulgentias concessas Religiosis sui Ordinis.

Respond. non posse, cum neque sint Religiosi (vt suppono) nec extet vllum priuilegium ipsis ad id concessum (quod ego sciam) nec aliàs gaudeant priuilegio Tertiariorum relato *quæst. præcedenti*, eò quod verè non sint Tertiarij, vt item suppono. 214.

QVÆRES XXVI. An Moniales possint consequi indulgentias concessas Regularibus sui Ordinis.

Respond. posse; cum Moniales verè sint Regulares, adeòque gaudeant omnibus priuilegiis, & gratiis proprio Ordini concessis; vt ostendimus *cap. 1. sect. 4. quæst. 13.* præter quam quod, loquendo de Indulgentiis à Paulo V. concessis Regularibus, & in hac *subsect.* explicatis, in eius Constitut. ipsius Pauli §. 18. Moniales exprimuntur in specie his verbis, *Volumus autem, vt omnes sup. dictæ indulgentiæ, & gratiæ Religiosis regularibus cuiusuis Ordinis, tam Monastici, quàm Mendicantis duntaxat, vt præfertur, concessæ, etiam omnibus Monialibus cuiusuis Regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viuentibus, & perpetuam clausuram seruantibus, tam Ordinariis locorum, quàm etiam Regularibus cuiusque Ordinis, Regulæ, & Instituti subiectis suffragentur.* 215.

QVÆRES XXVII. An Famuli Regularium lucrari possint indulgentias concessas ipsis Regularibus.

Respond. non posse; cum ij non sint Religiosi, nec extet vllum priuilegium, quo ipsis concedatur vsus talium indulgentiarum, saltem quod mihi constet; quod si aliquæ indulgentiæ iis in specie conce- 216.

duntur, videndum est, ne concessio facta sit vioæ vocis oraculo; qualis est illa, quam refert Casarubius *in compend. v. familiares*, *num. 6.* sic enim iam cessauit: quod tameo negaret Bordonus iuxta dicta hîc, *cap. 1. nam. 133.*

QVÆRES XXVIII. An Indulgentiæ concessæ pro solis Regularibus, promulgari possint absque facultate Episcopi.

217. Respond. posse, non obstante decreto Concilij Tridentini *sess. 21. cap. 9. de reformat.* præcipientis, vt indulgentiæ per Ordinarios locorum debitis temporibus publicentur. ita Rodriq. *tom. 2. quæst. 98. art. 1.* probatque ex eo, quòd Concilium loquitur de indulgentiis concessis populo, non autem de iis, quæ conceduntur pro solis Religiosis; qui vtique in odiosis non veniunt nomine populi, & cum aliàs sint exempti ab Ordinario loci, habentes proprium Prælatum regularem loco Ordinarij; sufficit, quod is promulget iodulgentias ipsis cooceſſas.

SVBSECTIO II.

De Indulgentiis concessis Regularium Ecclesiis quoad personas sæculares.

218 *Plures Indulgentiæ concessæ Regularium Ecclesiis pro sæcularibus.*
219 *Nec hæ reuocatæ per bullam Pauli V. reuocatoriam Indulgentiarum Regularibus concessarum.*
210 *Concessæ Ecclesiis vnius Ordinis acquiruntur in Ecclesiis aliorum Ordinum ex Leonis X. indulto.*
221 *At hoc indultum non extenditur ad omnes Indulgentias.*
222 *Imò videtur abrogatum per non vsum.*
223 *Eius tamen vsus non impeditur à Sixti IV. bulla,* Solet Sedes Apostolica.
224 *Communicatio Indulgentiarum inter Regulares ampliatur à Casarubio.*
225 *Abstinendum ab vsu indulti Leonis X. ad cauenda dissidia inter Regulares.*
226 *Indulgentiæ concessæ vni Ecclesiæ Ordinis communicantur etiam alijs Ecclesiis illius.*
227 *Non transferantur, translato Festo, pro quo conceduntur: etsi alij id negent: Indulgentia concessa ad 7. annos, v. g. si non possit exponi primo anno concessionis, non prorogatur: etsi concessa pro Festo occurrente Feria 6. Parasceue, si requirat Communionem, transfertur cum translatione Officij.*
228 *Ex speciali indulto, translato Officio, transfertur Indulgentia.*
229 *Destructa Ecclesia, cui concessa est Indulgentia, non semper extinguitur Indulgentia.*
230 *Suffecta ad Indulgentias alia imagine loco alterius amissæ, si hæc inueniatur, non recuperat Indulgentias.*
231 *Si consultò frangatur numisma habens Indulgentias, hæ alteri numismati non possunt applicari.*
232 *Crux Carauacca habens Indulgentias eas perdit, si quoad hastam transuersalem superiorem frangatur.*
233 *Secus, si globuli Rosarij habentes Indulgentias, fracto filo segregentur, aut hasta longior Crucis Carauacca notabiliter frangatur in parte existente sub duabus hastis transuersalibus: Indulgentiæ non applicatæ ante mortem ab eas habente, pereunt.*
234 *Aliquæ Indulgentiæ, repetitis debitis requisitis pluries possunt obtineri, non item aliæ.*
235 *Idq; procedit etiam quoad liberationes animarum è Purgatorio.*
236 *Visitantibus Ecclesias Regularium, certæ conceduntur Indulgentiæ.*
247 *Item audientibus ibi Missam.*
238 *Item assistentibus eorum Concionibus.*
239 *Item visitantibus illorum Ecclesias in Quadragesima.*
240 *Item eorum Procuratoribus, & Aduocatis, imò & Medicis ordinarijs.*
241 *Item audientibus primam Missam eorum, ac facientibus celebrare in eorum Ecclesiis.*
242 *Certæ Indulgentiæ concessæ Regularium Fundatoribus, ac Benefactoribus.*
243 *A Pio V. sublatæ Indulgentiæ quæstuariæ.*
244 *Indulgentiæ concessæ Fundatoribus, visitantibus Ecclesias Regularium, & similes, sunt communes omnibus Ordinibus, etsi concessæ sint Ordini particulari.*
245 *Regulares aliquas Indulgentias communicant suis Confraternitatibus.*
246 *Acquiritur Indulgentia à visitante Ecclesiam extra eius ostium: item à visitantibus 7. Altaria ex eodem loco: Indulgentia concessa Oratorio, in quod intratur per cubiculum medians inter Ecclesiam, & ipsum Oratorium, non obtinetur à visitante Oratorium ex Ecclesia.*
247 *Vnica confessio, & communio sufficit ad obtinendas distinctas Indulgentias.*
248 *Communio hodierna sufficit ad comparandam Indulgentiam die crastina.*
249 *Eodem opere diuersæ acquiruntur Indulgentiæ varijs vijs concessæ: quod alij negant.*
250 *Ad acquirendas Indulgentias sufficit habitualis intentio: aliquæ earum possunt obtineri vsque ad mediam noctem diei, pro quo conceduntur.*
251 *Ad obtinendam Indulgentiam sufficit opus præstitum esse bonum secundùm substantiam, nisi aliud exigat intentio concedentis.*
252 *Communicans in peccato mortali, acquirit Indulgentiam pro defunctis.*
253 *Status gratiæ requiritur in lucrante Indulgentiam, quo tempore hanc obtinet.*
254 *Effectus Indulgentiæ, ablato obice, non reuiuiscit; etsi alij id negent.*
255 *Affertur ratio nostræ assertionis.*
256 *Implens partem operis præscripti, non lucratur partem Indulgentiæ.*
257 *At in hoc datur paruitas materiæ, non impediens consecutionem Indulgentiæ.*
258 *Opus præscriptum ad lucrandam Indulgentiam defuncto, non est necesse quod ei applicetur.*
259 *Explicatur clausula inseri solita in concessione Indulgentiarum:* Volumus autem, quòd si aliàs Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus aliquam aliam Indulgentiam concesserimus, præsentes nullæ sint: *sub tali clausula non continetur Indulgentia concessa toti alicui Religioni.*

QVÆRES I. Quæ, & quales indulgentiæ concessæ sint Regularium Ecclesiis quoad personas sæculares.

Respond. concessas fuisse multas, & varias; vt constat ex specialibus concessionibus, quæ per summos Pontifices diuersis temporibus factæ sunt singulis Ordinibus religiosis, ac eorum Ecclesiis. 218.

QVÆRES II. An indulgentiæ concessæ Regularium Ecclesiis pro sæcularibus personis fuerint reuocatæ per Constitutionem Pauli V. reuocatoriam indulgentiarum, & fusius explicatam *subsect. præcedenti.*

Respond.

219. Respond. non fuisse reuocatas; patétque, quia in tali Constit. solum reuocantur indulgentiæ directè concessæ Regularibus, non autem, quæ sunt locales, cuiusmodi sunt eæ, quæ concessæ sunt eorum Ecclesiis pro secularibus: idque estò talis concessio facta sit intuitu ipsorummet Regularium, ita Portel. *de dub. regul. v. indulg. num.* 3. & Rodriq. *in addit. ad summam, tom.* 3. *cap.* 11. *num. vn.* monens indulgentiam plenariam à Calixto III. concessam parentibus Fratrum Minorum pro articulo mortis, non fuisse reuocatam à Paulo V. in citata Constitut. ideóque illam posse etiam modò obtineri, non solùm à parentibus Fratrum Minorum, aliorumque Religiosorum Mendicantium, sed etiam à parentibus Religiosorum non Mendicantium: & hoc per viam communicationis priuilegiorum: intellige, nisi esset viuæ vocis oraculo concessa; sicut re vera videtur esse ex iis, quæ notat Casarub. *in comp. v. parentes Fratrum, num.* 1. vnde consequenter dicendum est talem indulgentiam expirasse.

Quæres III. An indulgentiæ concessæ Ecclesiis vnius Ordinis pro personis sæcularibus, censeantur concessæ etiam ecclesiis aliorum Ordinum cum eo habentium communionem priuilegiorum, ita vt concessæ Ecclesiis vnius Ordinis possint à sæcularibus acquiri etiam in ecclesiis aliorum Ordinum.

220. Respond. de rigore iuris videri posse ex priuilegio bullato Leonis X. concesso Ordini Prædicatorum, quod refert Casarub. *in comp. v. communicatio priuileg. num.* 20. his verbis: *Leo X. motu proprio communicauit, & de nouo concessit Ordini Prædicatorum omnes, & singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, & indulta, tam spiritualia, quam temporalia, qualiacumque illa sint, quæ Minorum, Heremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Seruorum B. Mariæ, ac Minimorum Fratrum Ordinibus, & eorum Ecclesiis, & Oratorijs, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria visitantibus, cuiuscumque status, aut sexus existant, seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus: nec non domibus, & Præsidentibus non solum generalibus, sed etiam prouincialibus, & Conuentualibus, Fratribusque & Sororibus: nec non Monialibus & Conuersis, & Oblatis, ac vtriusque sexus personis de pœnitentia, seu tertij habitus nuncupatis à Prædecessoribus ipsius Leonis, aut ab ipso, eiusque Successoribus, aut alijs auctoritatem habentibus coniunctim, vel diuisim, in genere, vel in specie concessa sunt, aut in posterum concedentur; ac si omnia, & singula nominatim exprimerentur, dicto Ordini Prædicatorum, & illius Ecclesiis, Oratoria, & Ecclesias ipsas, & Oratoria visitantibus, seu pro earum manutentione, & ornatu contribuentibus, nec non domibus, Magistróque Generali, Prouincialibus, & Conuentualibus Fratribus etiam, & Sororibus, siue Monialibus, Conuersis quoque & Oblatis, ac vtriusque sexus de pœnitentia nominatis, & aliis eiusdem Ordinis personis.*

221. Vbi notandum, sub ista generali communicatione facta primò, & per se Ordini Prædicatorum, & consequenter etiam aliis Ordinibus religiosis de eorum priuilegiis participantibus venire indulgentias, vt pote expressas in specie: & quidem omnes, etiam plenarias, nec non liberationes animarum è Purgatorio; vt colligitur ex clausula illa, *qualiacumque illa sint*, ibi apposita; non tamen venire sub ea generali communicatione indulgentiarum illas, quæ concessæ sunt Ordinibus à Leone X. ibi non enumeratis v. g. Benedictinorum, Societatis Iesu, & similium: quippe qui in concessione non exprimuntur neque in specie, cum de iis nulla fiat mentio; neque in genere, cum non proponantur sub vlla clausula generali se extendente ad omnes Religiones; nisi fortè dicamus indulgentias Ordinum ibi non nominatorum venire sub generali communicatione priuilegiorum, quam habent inuicem Ordines religiosi: quod licèt aliqui asserant, mihi non probatur.

Vnum hic puto bene aduertendum esse, an scilicet prædicta concessio Leonis X. adhuc duret, vel certè amissa sit ex non vsu; certum namque est priuilegia Regularium amitti ex non vsu: nimirum si adsit occasio vtendi priuilegio, concurrantque scientia ipsius priuilegij, & potestas eo vtendi, & nihilominus Regulares eo non vtantur, pro vt notat Portel. *supr. v. priuilegium, num.* 57. ex communi Doctorum, & nos ipsi ostendimus *hic cap.* 1. *sect.* 5. *q.* 8. Imò, vt dicam quod sentio, censeo dictam concessionem Leonis sic re vera fuisse amissam; cum ex vna parte Regulares habuerint scientiam præfatæ concessionis (vt potest probabiliter supponi,) & simul habuerint occasionem vtendi illa (vt patet) nec fuerint impediti, quo minùs illa vterentur (quod constet) ex alia parte hactenus dicta concessione vsi non fuerint & quidem per decursum plus quàm 100. annorum, quod est signum eos voluntarie renunciasse tali priuilegio: vt pote quod erat ex se valdè odiosum, & aptum ad excitandam magnam perturbationem, ac tumultum inter ipsos Religiosos; vt vel hinc constabit, quod vi talis concessionis Fratres Minores possent in propriis Ecclesiis exponere indulgentias Rosarij: & è contra Fratres Dominicani in suis indugentias Cinguli S. Francisci, eaque promiscuè possent à sæcularibus obtineri in dictis Ecclesiis: cum in præfata concessione dicatur, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria visitantibus cuiuscumque status, aut sexus existant. 222.

Nec obstat concessioni supradictæ Leonis X. quod Sixtus IV. in bulla, quæ incipit *Solet Sedes Apostolica*, teste Casarubio *supr. v. indulgentia, quoad sæculares* 3. *num.* 12. declarauit indulgentiam concessas visitantibus Ecclesias domorum vnius Ordinis Medicantium non concedi visitantibus Ecclesias domorum aliorum Ordinum Mendicantium: quamuis aliàs inter ipsos adsit reciprocatio gratiarum, & indultorum: idque ad vitandam confusionem, & ne vilescant indulgentiæ, aut minuatur deuotio, non obstat, inquam; cum Leo X. fuerit posterior Sixto IV. sicque per concessionem sui priuilegij potuerit derogare declarationi huic Sixti IV. si quidem per posteriora prioribus derogatur. 223.

Quin etiam notat Casarubius *supr.* non obstante dicta declaratione Sixti IV. posse visitantes Ecclesias Fratrum Minorum in festiuitatibus Sanctorum sui Ordinis gaudere omnibus indulgentiis, quæ concessæ sunt visitantibus Ecclesias Fratrum Ordinis Prædicatorum in festis Sanctorum eiusdem Ordinis; sicut è contra visitantes Ecclesias Fratrum Prædicatorum possunt lucrari omnes indulgentias concessas visitantibus ecclesias aliorum Ordinum Mendicantium: idque ex citata concessione Leonis X. Vnde fit vt, sicut in festo S. Francisci, Antonij, Ludouici, Bernardini, Bonauenturæ, Didaci, & S. Claræ visitantes aliquam ecclesiam Ordinis Minorum, si sint contriti, ac confessi, & Sacra communione reficiantur, obtinent indulgentiam plenariam: ita & eamdem indulgentiam consequantur ij, qui contriti, ac confessi, & sacra communione refecti visitant aliquam ecclesiam Fratrum Domicanorum in festo S. Dominici, Petri, mart. Thomæ de 224.

Aquino, Catherinæ de Senis, & Hiacinthi; & hoc maximè attenta declaratione Iulij II. facta ad hunc effectum, & relata à Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 20. *art.* 20. quæ sine dubio etiam in aliis Ordinibus participantibus de priuilegiis Fratrum Minorum, ac Dominicanorum locum habent (seruata tamen proportione) nisi fortè & illis, & istis obstet doctrina à nobis paulò ante tradita in §. *vnum hic puto*.

225. Quidquid ergo sit de priuilegio illo Leonis X. an scilicet illud in præsentia subsistat, nec ne: puto omninò abstinendum esse ab illius vsu, tum multis de causis tum maximè ad vitanda iurgia, ac offensiones, quæ inde possent facilè prouenire non sine fidelium scandalo; quamquàm Peyrin. *tom.* 3. *priuileg. cap.* 4 *num.* 5. innoat licitum esse Religiosis vti etiam modò præfato priuilegio Leonis X. dum ait: *Sæpè fuit à me quæsitum, quo iure nitantur illæ indulgentiæ cinguli nostri Ordinis* (idest, Sancti Francisci de Pauls,) *quæ deferuntur in diuersis partibus Italiæ impressæ; & nouissimè respondi eo niti, quia Iulius II. nobis concessit communicationem omnium priuilegiorum, gratiarum, &c. aliis Ordinibus Mendicantium concessarum, vt patet ex eius Constitut.* 1. *tom.* 1. *nostrorum priuileg.* §. 14. *concessit etiam, quod possemus dicta priuilegia transumptari facere, mutatis nominibus Pontificum, qui ea concesserunt, in nomen Iulij, & nominibus illarum Religionum, quibus sunt concessa, in nomen Religionis Minimorum; vt patet ex eadem Constitut.* §. 35. *concessit etiam idem Pontifex, vt nostrum habitum, seu cingulum, in quo virtualiter includitur habitus, portantes gaudere possint omnibus priuilegiis nobis concessis: vt patet ex eadem Constitut.* §. 15. *Quo fundamento qui primi dictam Tabellam impressere, collegerunt Indulgentias S. Francisci de Assisio, & Centuram S. Monachæ, & Scapularium S. Mariæ de Carmine: & mutatis mutandis (vt Iulius concessit) eas cingulum nostrum deferentibus applicuere; quod autem illæ indulgentiæ apposita in dicta nostra Tabella, fuerint concessa deferentibus chordam, centuram, & scapularium prædicta, constat ex comp. Cæsarubij v. indulgentia quoad sæculares.* ita in terminis Peyrinus.

Qværes IV. An indulgentiæ concessæ vni Ecclesiæ alicuius Ordinis, quoad sæculares, eo ipso censeantur concessæ etiam aliis Ecclesiis, ac Oratoriis eiusdem Ordinis.

226. Respond. censeri concessas ob priuilegium bullatum Clementis VII. factum PP. Minimis 22. Sept. 1532. & à Peyrino *tom.* 1. *priuil. constitut.* 3. *Clementis VII.* relatum in hæc verba: *Omnia, & singula priuilegia, immunitates, indulgentias, exemptiones, & indulta vni, aut pluribus domibus Ordinis huiusmodi specialiter concessa, ad omnes, & singulas ipsius Ordinis domos de nouo susceptas, & suscipiendas auctoritate Apostolica per præsentes de nouo extendimus & ampliamus, ipsasque domos susceptas, & suscipiendas eisdem priuilegiis, immunitatibus, gratiis, indulgentiis, & indultis aliis domibus specialiter concessis, pariformiter, & æquè principaliter poturi, & gaudere, ac si singulis domibus susceptis, & suscipiendis, & Christi fidelibus illarum ecclesias visitantibus specialiter concessa fuissent.* Quod priuilegium vtique magnum est, eoque frui possunt etiam alij Religiosi communicantes de priuilegiis PP. Minimorum: nec, quod ego sciam, fuit reuocatum; vt constat ex dictis *subsect. præcedenti quæst.* 16. vbi ostendimus Paulum V. in illa sua Constitutione non reuocasse indulgentias locales (quas respicit præsens concessio Clement. VII. sed solùm personales, quæ scilicet concessæ fuerant personis ipsorummet Regularium; quod etiam notauit Portel. *supr. num.* 13. hinc inferens Religiosos prædicta Constitutione Pauli non prohiberi, quo minùs in suis Ecclesiis acquirant illas indulgentias, quas ibi consequuntur sæculares: alioqui essent deterioris conditionis, quàm sæculares, vt patet.

Qværes V. An, translato aliquo festo quoad Officium, transferantur etiam indulgentiæ concessæ pro dicto festo.

Respond. non transferri, nisi adsit aliqua specialis concessio. ita Azorius *part.* 2. *l.* 1. *cap.* 28. *quæst.* 8. & cum eo Portel. *sup. v. festi dies in addit. n.* 1. Peyr. *tom.* 3. *priuil. cap.* 7. *num.* 15. aliique & probatur, tum quia ex communi Theologorum sententia indulgentiæ tantum valent, quantum sonant; ideoque si ex tenore verborum alligantur certo diei, extendi non debent vltra illum; tum quia, trãslato festo quoad Officium, non transfertur quoad cessationem operum seruilium ac obligationem audiendi Missam: ergo nec transfertur indulgentia; cum militet par ratio. 227.

Dissentit tamen Syluius *in suis resolut. v. indulgentia* 2. & iudicio Dianæ *part.* 6. *tract.* 7. *resolut.* 31. satis probabiliter, dicens quod si concedatur indulgentia visitantibus ecclesiam N. die festo talis, aut talis Sancti, nulla mentione facta diei mensis, vel diei depositionis, aut mortis, aut translationis, aut similis: & contingat festum illud non celebrari die præscripto, sed alio, in quem & Officium, & festum transferatur: verisimile est indulgentiam item transferri; cum ea concedatur pro die festo talis Sancti, & dies festus illius sit, quando eius festum, ac Officium celebratur. quod idem videtur procedere in casu, quo nulla similiter mentione facta diei, mensis, aut depositionis, &c. concedatur indulgentia visitantibus Ecclesiam talem die festo S. Benedicti v. g. & tale festum à PP. Benedictinis iuxta rubricas transferatur; probabile enim est indulgentiam acquiri eo die, quo tale festum translatum celebratur: Nobiscum sentiunt Fagund. *præc.* 1. *Eccl. l.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. & Bordon. *tom.* 2. *resol.* 81. *num.* 25. addens tamen occurrente festo in die Veneris Sancti, in quo nulli ministratur Eucharistia, translato Officio talis festi videri transferendam & indulgentiam pro eo festo concessam: ne alioqui fideles sine propria culpa priuentur indulgentia eo anno.

Addit autem Bordon. *num.* 25. quod si obtineatur Indulgentia per 7. annos subsequentes pro S. Ioseph v. g. sed Breue non perueniat tempore debito, ideóque primo illo anno exponi non possit indulgentia; prior ille annus perditur, & non computatur in sequentibus; cum indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, adeoque alligaræ ad certam diem non possint transferri in aliam: & hoc, non obstante doctrina modò data; cum in casu præcedenti non possit acquiri indulgentia ex conditione ipsius indulgentiæ (eo quod in die Veneris Sancti non liceat communicare: quod nos alibi negamus) in præsenti verò casu, id proueniat ex negligentia obtinentis Breue, qui tempus necessarium debeat præuenire.

Dixi, nisi adsit aliqua specialis concessio, vt indicarem tale indultum fuisse concessum à Gregorio XIII. Patribus Minimis pro Festo S. Francisci de Paula, & quidem per bullam relatam à Peyr. *tom.* 2. *priuileg. Constitut.* 4. *Gregorij XIII. num.* 8. quod scilicet translato festo dicti S. Francisci (quod sæpè contingit) transferatur etiam indulgentia pro eo concessa. Quod tamen indultum non puto communicari Religiosis aliorum Ordinum respectu Sancti ipsorum Fundatoris: cum priuilegium ex vi verborum concessionis affixum sit festo S. Francisci de Pauls, ideóque extendi non debeat ad alios Sanctos 228.

in

in concessione non expressos stante doctrina paulò ante tradita, quod indulgentiæ tantum valent, quantum sonant. Ita docti Recentiores à me consulti.

Qværas VI. An destructa Ecclesia, cui conceditur aliqua indulgentia, hoc ipso extinguatur, accesset indulgentia ipsi concessa.

129. Respond. distinguendo, vel enim Ecclesia per partes destruitur, & per partes reædificatur: & non cessat indulgentia, cum sic secundùm moralem æstimationem censeatur manere eadem numero Ecclesia; vel Ecclesia omnino destruitur; & tunc, siquidem in eodem loco & paruo tempore interiecto alia construatur, probabile est manere eandem indulgentiam; cum verè sit idem locus quoad situm, & secundùm moralem respectum reputetur eadem Ecclesia (vt etiam diximus *subsect. praeced. quæst.* 19.) non item, si Ecclesia construatur in alio loco: sic quippe probabilius est indulgentiam extingui (nisi ex verbis concessionis aliud colligatur, videlicet indulgentiam non limitari ad singularem locum, sed ad Ecclesiam, quam talis Religio, v. g. habuerit in tali loco:) quamquam aliqui oppositum sustineant, vt innuimus *cit. quæst.* 19.

Quòd si hîc obiter quæras an casu, quo de licentia Papæ indulgentia concessa alicui grano, aut imagini conferatur alteri grano, aut imagini, eo quod granum, & imago, quibus indulgentia priùs collata fuerat, amissa sint: an, inquam, si hæc postea inueniantur, ea, quibus fuerat substituta indulgentia, retineant indulgentiam ipsis collatam.

130. Respond. retinere; cum sic verificata fuerit conditio, vt ritè eligi posset posterior imago; nempe quod prior fuerit amissa, & facta sufficienti diligentia non potuerit inueniri: vnde fit, vt alia legitimè electa cesset indulgentia prioris imaginis; quamquam tutiùs sit vtramque imaginem apud se retinere. Ita Ioan. de Lugo *D.* 27. *de pœnit. n.* 150. addens *num. seq.* prædictam electionem imaginis fieri posse per actum merè internum, nec requiri vllum actum externum ad applicandam illam indulgentiam; cum talis deputatio verè non sit concessio indulgentiæ, sed solùm applicatio illius indulgentiæ, quàm solus Papa immediatè concedit habentibus talem imaginem à me deputandam; ex quo fit eum, qui semel deputauit talem imaginem, non posse postea reuocare talem electionem: quod est signum talem electionem non esse actum iurisdictionis, sed meram conditionem ad concessionem factam à Papa.

Dices, quid si quis habens numisma cum indulgentiis, v. g. Sancti Caroli, illud dedita opera frangat, aut proiiciat in flumen, vt sic verificetur illud esse amissum: idque intentione substituendi illas indulgentias alij numismati quod ipsi est carius, vt pote confectum ex materia pretiosiori? & hoc iuxta concessionem, quæ solet fieri à Papa concedente indulgentias applicandas factis numismatis, granis, &c. teneatne ista substitutio indulgentiarum: cum sic verificetur numisma esse fractum, aut amissum quod sufficit ad faciendam eam substitutionem?

131. Respond. talem substitutionem non valere; & ratio est, quod mens Papæ concedentis talem substitutionem in casu, quo numisma habens indulgentias frangatur, aut amittatur non potest probabiliter præsumi, quod extendatur ad euentum, in quo consultò, & malitiosè numisma frangatur, aut deperdatur, sed solùm quando casu fortuito frangitur, aut amittitur: constat autem concessionem non extendi vltra intentionem concedentis verbis sufficienter expressam; ita docti viri à me consulti.

Addo, quod si Crux Cauaracæ habens indulgentias frangatur quoad hastam superiorem transuersam, hoc ipso amittit indulgentias: cum sic non sit ampliùs Crux Cauaraccæ, quæ formaliter consistit in hoc quod habeat duplicem hastam transuersalem, sed Crux ordinaria, & aliàs indulgentiæ applicatæ alicui rei non durent, nisi quamdiu res illa sic subsistit, vt iuxta prudentem æstimationem sit, & dici possit eadem; quod potissimum haberet locum, si dictæ indulgentiæ concessæ fuissent Cruci Cauaraccæ, quatenus tali; sic censerunt mecum viri docti consulti. 132.

Secùs dicendum videtur in casu, quo globuli alicuius Rosarij habentis indulgentias, v. g. S. Caroli fracto filo eos colligante inuicem segregentur; tunc enim probabile est adhuc in eo durare indulgentias; cum reuera adhuc sit Rosarium substantialiter, adeóque non appareat, vnde dicatur amisisse indulgentias. 133.

Quod idem puto probabiliter dici posse in casu, quo Crucis Carauaccæ hasta longior notabiliter (etsi non totaliter) frangatur in ea parte, quæ est sub duabus hastis transuersalibus: sic enim adhuc videtur manere eadem numero Crux, & alioqui indulgentia durat, quamdiu res, cui applicata est, manet eadem numero.

Quod si quæras, an casu, quo alicui Religioso concedantur indulgentiæ applicandæ imaginibus, Coronis, &c. si is moriatur, illis nondum applicatis, & hoc certò constet eius Superiori, is possit eas applicare absque eo quod Religiosus ante mortem talem facultatem ipsi subdelegauerit.

Respond. non posse. Ita Baldellus, Bordonus, & alij docti viri à me consulti; probántque ex eo quod in tali concessione eligitur industria personæ, & ipsa concessio est priuilegium quoddam personale, quod desinit in persona; quod tamen non facit quin dictus Religiosus viuens potuerit subdelegare præfatam potestatem, cum delegatus Papæ possit subdelegare; vt benè notatunt relati Doctores, qua de re consulatur Pasqualigus *decis.* 492.

Qværes VII. An indulgentia concessa Ecclesiis Regularium possit sæpiùs obtineri à sæcularibus, si sæpiùs repetant requisita præscripta ad illius consecutionem.

Respond. distinguendo; vel indulgentia est perpetua (qualis est quæ conceditur visitantibus talem Ecclesiam absque vlla temporis definitione;) & sic potest sæpiùs obtineri, si sæpiùs repetantur requisita, intellige, si humano modo repetantur: non enim millies obtineret indulgentiam, qui millies ingrederetur Ecclesiam; cum talis visitatio Ecclesiæ moraliter non sit alia, & alia, sed eadem continuata; vel indulgentia est concessa cum temporis determinatione, (v. g. ad vnum, aut paucos dies,) & sic ea non potest acquiri, nisi semel. Prima pars, quam sustinent Suar. *supr. sect.* 1. *num.* 7. Ioan. de Lugo *supr. num.* 95. Bonac. *D.* 6. *de Sacram. quæst.* 1. *p.* 5. *num.* 32. Diana *part.* 2. *tract. de bulla Cruciata*, *resolut.* 104. & alij, probatur quia qui præstat opus iniunctum ad acquisitionem indulgentiæ, illam acquirit, ideóque cum eodem die sæpiùs repeti possit opus iniunctum ad acquirendam indulgentiam, ea item sæpiùs obtineri potest, præsertim cum in tenore concessionis non adsit vlla clausola limitans consecutionem indulgentiæ ad vnam vicem vt suppono, & alioqui simus in materia fauorabili, quæ debet ampliari. 2. pars, quæ est communis Doctorum contra alios apud Dianam absolutè sustinentes etiam indulgentiam concessam cum temporis determinatione posse 134.

modo

modo supradicto sæpius acquiri eodem die, constat, quia breue tempus ideo præscribitur in concessione talis indulgentiæ, vt ostendatur illam non posse sæpius obtineri; sicque nobis constat de mente concedentis, eam esse, vt indulgentia semel tantum acquiratur. Quamquam Alphonf. de Leone *de indul. part. 1. quæst. 5. n. 208.* non dissentiente Peyrino *supr. num. 3.* probabile censeat indulgentiam determinatam ad 3. 5. vel 8. dies comparari posse ab vnoquoque singulis illis diebus; quod admittit Ioan. de Lugo *n. 96.* in casu quo talis concessio fiat ad fouendum concursum, ac celebritatem in aliqua Ecclesia; qualis videtur esse indulgentia concessa templis Societatis Iesu pro vltimo triduo bacchanalium, (nisi verba concessionis tantum restringant ad vnam vicem; sicut verè restringunt:) secus, si concessio fiat ob commoditatem populi, qui non possit eadem die concurrere.

Vtrùm verò in casu, quo indulgentia sæpiùs acquiri potest eodem die, sæpiùs etiam obtineri possit liberatio vnius animæ è Purgatorio, quæ ibi fortè concedatur pro illo die, sicut interdum euenit.

235. Respond. posse, cum par ratio militet in vtroque casu. Ita Diana, cum Villalobos *supr.* vbi ait, *Nota quod supradicta indulgentia possunt sumi pro defunctis: & ideo pro illis possunt etiam sumi in vno die multoties.*

Qværes VIII. Quæ indulgentiæ concedantur sæcularibus visitantibus Ecclesias Regularium.

236. Respond. quod si in summam redigantur indulgentiæ, quæ à variis Pontificibus concessæ sunt sæcularibus visitantibus Ecclesias Fratrum tum Minorum, tum Carmelitarum (& quidem per bullam) & quæ communicantur etiam Religiosis aliorum Ordinum per viam communicationis ex priuilegio Leonis X. relato *quæst. 3.* quicumque visitans Ecclesias Regularium, quolibet die anni lucrantur annos indulgentiæ 41. & dies 97. vt videre est apud Casarubium *in comp. ver. indulg. quoad sæculares 3. à n. 1. vsque ad 11.*

Qværes IX. Quas indulgentias lucrentur sæculares audiendo Missam in Ecclesiis Regularium.

237. Respond. lucrari eas, quas retulimus *supr. cap. 2. sect. 2. quæst. 29.*

Qværes X. Quas indulgentias acquirant qui intersunt concionibus Regularium siue in propriis, siue in alienis Ecclesiis.

238. Respond. acquirere eas, quas recensuimus *supr. cap. 4. sect. 1. quæst. 28.*

Qværes XI. Quæ indulgentiæ concessæ sint visitantibus Ecclesias Regularium in diebus Quadragesimæ.

239. Respond. concessas fuisse indulgentias annorum 4. & 256. dierum pro quolibet die: idque ex indulto Fratribus Minoribus facto & relato à Casarubio *supr. ver. indulg. quoad sæcul. 2. num. 3.* qui addit summam indulgentiarum per varios Pontifices concessarum visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum in diebus Quadragesimæ, esse 3857. annorum, & 207. dierum; quamquam non explicet, an tales concessiones factæ fuerint viuæ vocis oraculo, necne. De Vrbano quidem I V. refert Casarubius *num. 2.* illum per bullam concessisse indulgentiam 40. annorum visitantibus in Quadragesima Ecclesias Fratrum Minorum, non exprimens tamen, an talis concessio facta sit pro vnoquoque die Quadragesimæ, an verò pro toto curriculo illius, itavt summa illorum 40. annorum diuidi debeat ad singulos dies Quadragesimæ, non autem tota simul acquiratur vnoquoque die; quod puto esse valdè probabile; nimirum vt dicta indulgentia diuidi debeat ad ratam singulorum dierum Quadragesimæ.

Qværas XII. Quas indulgentias consequantur Procuratores in Curiis Ecclesiasticis, & ciuilibus laborantes pro defensione Regularium.

Respond. consequi singulis annis indulgentiam 100. annorum ex concessione bullata Martini I V. facta in gratiam Fratrum Minorum, teste Casarub. *supr. ver. Procuratores, num. 4.* qui addit *num. 11.* Innocentium VIII. concessisse viuæ vocis oraculo, vt dicti Procuratores Fratrum Minorum, eorumque substituti, liberi, parentes, fratres, sorores, & vxores eorum possint prometeri indulgentias stationum, & alias Fratribus prædictis concessas; idque recitando in Ecclesiis dictorum Fratrum quinque pater noster, & totidem Aue Maria pro fœlici statu Romanæ Ecclesiæ; quod priuilegium *in Comp. Soc. Iesu, ver. indulg. num. 29.* refertur competere etiam Medicis ordinariis eorumdem Regularium ex alia concessione facta item Fratribus Minoribus (viuæ tamen vocis oraculo, vt puto.) 240.

Qværes XIII. Quam indulgentiam concesserint Pontifices audientibus primam Missam Regularium, aut facientibus celebrare Missas, & alia diuina Officia in Ecclesiis eorumdem Regularium.

Respond. audientibus quidem primam Missam concessam fuisse indulgentiam trium annorum, & duorum dierum: facientibus verò celebrare Missas, & alia diuina Officia in eorum Ecclesiis, indulgentiam duorum annorum, & dierum 248. Ita Rodriq. *tom. 2. quæst. 96. art. 2.* non explicans tamen, an hæ concessiones factæ fuerint viuæ vocis oraculo, necne. 241.

Qværes XIV. Quibus indulgentiis fruantur ij, qui fundant monasteria Regularium, aut sunt eorum benefactores.

Respond. frui omnibus indulgentiis, quibus fruuntur ipsi Regulares, quorum fundant monasteria, aut sunt benefactores; idque est indulto bullato Iulij I I. facto Ordini Minimorum, quod refert Casarub. *supr. ver. indulg. quoad sæcul. 4. num. 21.* his verbis: *Iulius I I. concessit quod singula persona, quæ fuerint Ordinis Minimorum fundatrices, seu cultrices, cum earum vtriusque sexus liberis procreatis, & procreandis omnibus, & singulis eiusdem Ordinis Minimorum priuilegijs, gratijs, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, indultis, concessionibus, & indulgentijs vti, potiri & gaudere liberè, ac licitè valeant.* Quod priuilegium vtique magnum est, & amplum, sed non videtur esse in vsu, imò nec fuisse saltem quoad omnes sui partes: vt constat experientia. Et quidem, quod spectat ad commmonicationem indulgentiarum, debet intelligi in terminis accommodis: cum certum sit Fundatoribus, & benefactoribus Regularium non competere indulgentiam, quæ à Paulo V. concessa est Religiosis in ipso Religionis ingressu, ac emissione Professionis (sicut vidimus *subsect. præcedenti,*) cui enim non conueniunt verba dispositionis, nec conuenit ipsa dispositio: de Fundatoribus autem, ac benefactoribus Religiosorum vtique non verificatur quod ingrediantur Religionem, aut in ea profiteantur. Quare ego puto per istam concessionem Iulij I I. non communicari Fundatoribus, ac benefactoribus Regularium, nisi illas indulgentias, quæ iis adaptari possunt. 242.

Nec obstat, quod Pius V. in sua Constitutione, *Etsi Dominici Gregis*, sustulerit omnes indulgentias quæstuarias, (quæ scilicet præbent occasionem quæstuandi,) vt inter alios notauit Nald. *ver. indulgentia, num. 13.* 243.

num. 13. si quidem Pius V. solùm reuocauit indulgentias, *pro quibus consequendis* porrigendæ sunt manus adiutrices, & quæ quæstuandi facultatem quomodolibet *continent*: hæc enim ipsissima verba referuntur in citata Constitutione Pij, vt videre est in *Bullar. tom. 2. constitut.* 30. *Pij V.*

144. Vnum moneo, quod licèt indulgentiæ explicatæ *q.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14 non fuerint concessæ Regularibus in communi, sed Ordinibus particularibus, nihilominus iis gaudent etiam alij Ordines ex indulto Leonis X. relato *sup. q.* 3. expressè concedentis talem communicationem, idque non obstante quod ibi diximus tale priuilegiū videri amissum ex non vsu; si quidem contingere potest priuilegium aliquod fuisse amissum, quoad vnam partem (v. g. quoad indulgentias, quarum communicatio non leuem gigneret offensionem inter fideles, ac Regulares) non autem quoad aliam partem, nempe quoad quasdam alias indulgentias, quarum communicatio fieri potest sine dicta offensione (quales videntur ex de quibus locuti sumus in præfatis qq.) certum namque est priuilegium etiam ex non vsu amitti posse secundùm vnam partem; & non secundùm aliam; vt re vera potuit euenire in præsenti euentu, in quo potuit occurrere ratio, cur Regulares non vterentur priuilegio illo Leonis X. quoad aliquas indulgentias, & vterentur, quoad aliquas alias, & maximè quoad has: quomodo re vera videntur vsi fuisse; vt colligitur *ex compendio Societ. Iesu v. indulgentia* §. 26. 27. 28. 29. & 30. in quibus indulgentiæ per se primò concessæ aliis Ordinibus per communicationem applicantur etiam ipsi Societati.

QVÆRES XV. An, & quomodo Regulares possint communicare proprias indulgentias Confraternitatibus suorum Ordinum quas fortè instituant, & aggregent, siue in propriis Ecclesiis, siue in externeis.

145. Respond. posse, non tamen omnes, sed illas solùm, quæ ipsorum Ordini seu Archiconfraternitati nominatim, & in specie concessæ sunt (non item eas, quæ ipsis conpetunt per extensionem, seu communicationem) & quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expressè, ac in specie. sic quippe statuit Clemens VIII. in sua Constitut. *Quæcumque à Sede Apostolica*, relata *in bullario tom.* 3. *constitut.* 115. *Clementis VIII.* & confirmata à Paulo V. anno 1610. vt aduertit Lezana *tom.* 1. *c.* 18. *num.* 88. vbi ponit conditiones seruandas in constitutione, & aggregatione huiusmodi Confraternitatum.

QVÆRES XVI. An acquirantur indulgentiæ concessæ Regularium Ecclesiis ab eo, qui ob concursum non potest ingredi Ecclesiam ideòque extra illius portam eam visitat, ibique orat.

146. Respond. acquiri; eum is moraliter dicatur visitare Ecclesiam, ac in ea orare: quod requiritur, & sufficit ad consecutionem indulgentiæ: maximè cum cæmeterium in fauorabilibus veniat nomine Ecclesiæ. ita Io. de Lugo *sup. num.* 97. aliique quos afferunt, & sequuntur Diana *supr. resol.* 103. & Bonac. *D.* 6. *de Sacr. quæst.* 1. *part.* 5. *n.* 26. contra alios citatos à Diana; qui Io. de Lugo *num.* 98. cum Nugno, monet quod, quando ad obtinendam indulgentiam requiritur visitatio quinque Altarium in aliqua Ecclesia, tunc non sufficit ea visitare extra partem Ecclesiæ modo dicto: com sic dicatur moraliter visitari quidem Ecclesia, non autem hoc, & illud altare. Quio etiam asserunt aliqui ad talem visitationem altarium requiri motum corporis, quo visitans singula altaria seorsim adeat; quod tamen negant Vega, Azotius, Graff. Henriq. & alij apud Dianam *supr. resol.* 102. & probabilius, si visitans sit in eo loco, ac situ, in quo moraliter censeri possit orare ad quodlibet ex illis altaribus; vt proinde ad id non sufficiat esse intra Ecclesiam, & animo conuerti ad hoc, & illud altare; imò etiamsi sit in loco idoneo (vt in medio Ecclesiæ) consultum est, vt aliquo gestu, vel conuersione capitis, aut corporis significet conuersionem animi ad singula altaria; visitatio enim debet esse sensibilis, nempe talis actio, quæ exterius significet orationem fieri ad tale, aut tale altare.

Quod si extet Oratorium, in quod pateat ingressus ab aliqua Ecclesia per cubiculum medians inter ipsum Oratorium, ac Ecclesiam, & certa die concedatur Indulgentia visitantibus præfatum Oratatorium; eam non consequetur, qui Oratoriom visitabit ex ipsa Ecclesia, etsi ab ea inspiciatur huiusmodi Oratorium, vt pote positum è regione loci, è quo fit visitatio. Moueor, quod non potest obtinere indulgentiam qui non implet præscripta ad eius consecutionem; in præsenti autem casu non implentur præscripta, cum verè non fiat moralis visitatio Oratorij ex defectu moralis præsentiæ quam non habet visitans respectu Oratorij; eo ipso quod inter Oratorium, ac locum, è quo fit visitatio, intermedia alius locus. ita doctissimus à me consultus, & bene.

QVÆRES XVII. An casu, quo eodem die plures indulgentiæ concedantur diuersis Ecclesiis obtinendæ media confessione, & communione, tunc ad vtramque indulgentiam lucrandam sufficiat vna confessio, & communio.

Respond. sufficere, cum confessio, & communio in tali euentu exigantur non directè, sed præsuppositiuè ad meliorem dispositionem subiecti ad finem intentum; idque etsi altera indulgentia occurreret non eadem die, sed sequitur. ita Io. de Lugo *supr. num.* 93. cum Turriano, & Diana, putant aliter dicendum in casu, quo communio exigeretur directè (sicut exigi solet in quibusdam Iubileis solemnioribus vnà cum ieiunio, Eleemosyna, ac oratione faciendis intra eamdem hebdomadam) aut etiam in casu, quo indulgentia concedatur iis, qui singulis mensibus in tali Ecclesia communicarint; quamquàm talis communio eadem possit deseruire ad aliam indulgentiam, ad quam communio requireretur, non directè, sed solùm præsuppositiuè. 147.

Dixi, *Idq. etsi altera indulgentia occurreret non eadem die*, &c. vt indicarem non videri improbabile, quod docent Comitolus *l.* 1. *resp. mor. q.* 39. & Pottel. *de dub. regul. v. indulgent. num.* 5. eum, qui confessus est, & communicauit 4. antè diebus, & de nouo non peccauit mort. posse vi dictæ confessionis, & communionis obtinere indulgentiam postea concessam, quæ ad sui consecutionem item requirat confessionem, & communionem: idque etsi non direxerit dictam confessionem, & communionem ad hanc aliam indulgētiam comparandā; & ratio esse potest, quod ex vna parte in moralibus quæ parum distant, nihil distare videtur: vnde & fictione iuris reputatur præsens, qui breui absuturus est; ex alia parte ad acquirendam indulgentiam non requiritur intentio actualis, aut virtualis, sed sufficit habitualis, vt ostendemus *infra quæst.* 19. sicque non est opus, vt implens requisita ad indulgentiæ consecutionem ea ad illam dirigat actualiter, aut virtualiter, sed satis est quod ea dirigat habitualiter. 148.

QVÆRES XVIII. An vniuersè loquendo, vno, ac eodem opere possit quis acquirere diuersas indulgentias diuersis viis concessas: vt si quis reci-

tet

ter Rosarium habens plures benedictiones, & secundum quamlibet illarum sior concessi mille anni indulgentiæ.

249. Respond. quod; quamuis probabile sit posse; cum sic simpliciter fiat, quod vnaquæque benedictio requirit (idest recitatio Rosarij,) nec sit ratio, cur potiùs acquiratur vna indulgentia, quàm alia; probabilius tamen est quod non possit: cum quælibet indulgentia requirat illud opus applicatum ad talem finem, & quidem vt causam saltem partialem talia concessionis; cum tamen idem opus, si ad multa applicetur, minus sit in singulis, adeóque non reddat causam proportionatam omnibus illis indulgentiis; vnde fit, vt iste lucretur voam tantùm indulgentiam, quam ipse determinauerit, aut certè ratione omnium eandem quantitatem. Ita Filliuc. *tract.* 8. *n.* 167. *&* 168. Nald. *ver. indulg. n.* 5. & alij contra Suarez *de pœnit. D.* 53. *sect.* 8. *num.* 9. & alios.

Qværes XIX. An ad acquirendam indulgentiam sufficiat intentio habitualis eam lucrandi, aut certè requiratur intentio actualis, vel virtualis.

250. Respond. videri sufficere voluntatem habitualem, seu interpretatiuam, qua quis re ipsa impleat opus præscriptum ad consecutionem indulgentiæ; estò illam ignoret, aut non aduertat. Ita Laym. *l.* 5. *tract.* 7. *cap.* 6. *n.* 5. Salas *de leg. D.* 16. *n.* 31. aliique contra Suar. *sect.* 6. *n.* 6. & alios putantes requiri actualem voluntatem, ac intentionem lucrandi indulgentias. Ratio nostra est, quod, cum vnus iustus alteri iusto etiam ignoranti applicare possit suas satisfactiones: par est vt à Papa possit satisfactionem Christi, & Sanctorum per indulgentiam applicare homini etiam à sensibus alieno, & mox morituro; præterquam quod actualis intentio lucrandi indulgentias non requiritur neque ex natura indulgentiæ, vt sic, neque ex verbis concessionis, vt consideranti constabit.

Quod si quæras, an indulgentia concessa alicui Ecclesiæ die certa possit obtineri vsque ad mediam noctem diei, pro quo ea fuit concessa.

Respond. posse obtineri, nisi ea sit concessa cum ea limitatione temporis, cum qua indulgentia interdum solet concedi vsque ad occasum solis diei, in honorem, cuius facta est concessio, ratio est, quod dies, (v. g. S. P. N. Ignatij) durat à media nocte diei 31. vsque ad mediam noctem sequentem; &, cum eo die obtineri possit indulgentia, in toto illius decursu ea poterit obtineri: maximè cum simus in materia fauorabili animæ, quæ latam patitur interpretationem.

Qværes XX. An ad consequendam indulgentiam sufficiat implere opus præscriptum secundùm substantiam, vel certè illud debeat ita perfici, vt sit moraliter bonum, seruato debito fine, & aliis circumstantiis.

251. Respond. id pendere ex rationabili voluntate concedentis indulgentiam; sicut enim potest concedi indulgentia sine impositione alicuius boni operis (si aliàs causa adsit sufficiens, sicut interdum adesse potest, teste Suarez *supr. sect.* 4. *num.* 3.) ita & potest concedi sub conditione alicuius operis aliquo modo conducentis ad finem spiritualem, quantumuis illud non fiat secundum bonitatem moralem, (v. g. vt quis intersit publicæ processioni.) Et quidem, cum hisce temporibus non rarò concedantur indulgentiæ sub conditione operis supplentis iustitiam causæ finalis; ideò videndum, est, num opus præscriptum deseruiat ad finem principaliter intentum, etsi fiat solùm secundum substantiam: an non deseruiat, nisi etiam fiat secundùm moralem honestatem pendentem ex singulis circumstantiis; si enim deseruiat, (vt si ad bellicam expeditionem contra hostes fidei requiratur contributio pecuniaria) indulgentia comparabitur, estò contributio fiat ex vana gloria: si verò non deseruiat, (vt si ad placandum Deum exigantur ieiunia) non acquiretur indulgentia, si ieiunans se vino inebriet, sieque notabilem partem boni operis non perficiat benè; quod proportionaliter dicendum in casu, quo præcipiatur visitatio Ecclesiæ, & cum nulla deuotione ad eam accedatur: quamuis fortè ad id sufficeret, quod quis sua præsentia communem populi deprecationem cohonestaret. Ita Laym. *supr. num.* 4. contra Suarez *supr. num.* 2. & alios absolutè docentes ad lucrandum indulgentiam sufficere, quod opus præscriptum fiat secundùm substantiam bonum, licèt vitiatum ex aliqua circumstantia: nec non contra Nauarrum *de indulg. notab.* 19. *num.* 6. Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 98. *art* 6. Coninchum *D.* 12. *de Sacram. d.* 7. & alios absolutè sufficere dicentes opus honestum factum cum peccato non sufficere ad consequendam indulgentiam.

Grauius dubium est, an communicans in peccato mort. obtineat liberationem vnius animæ è purgatorio, si talis liberatio concedatur sub onere communionis; vt interdum conceditur.

Respond. videri satis probabile, quod obtineat; ita viri sanè docti à me consulti; & probatur ex doctrina non dissimili, quam tradit Ioan. de Lugo *D.* 27. *de pœnit. n.* 103. nimirum communionem sacrilegâ sufficere ad consequendum iubileum, cum ea sit vera, & valida communio, quamuis sine fructu ob peccati obicem: quæ doctrina vtique potest applicari ad præsentem casum, præsertim attenta communiori Doctorum sententia, quod existens in peccato mort. obtinere potest indulgentias pro defunctis: cum sic non dicatur malus satisfacere pro alio, sed solùm facere opus, ob quod Papa alteri applicat satisfactionem Christi, & Sanctorum; vt aduertit Nald. *ver. indulg. n.* 7. ex Nauarro, patet ergo responsio ex eo quod nulla adest ratio, cur dicatur obtineri iubileum per communionem sacrilegam, & non obtineatur liberatio animæ è purgatorio per eamdem communionem sacrilegam; ideóque vel id in vtroque casu admittendum est, vel in vtroque negandum. 252.

Qværes XXI. An, & qualiter ad acquirendam indulgentiam requiratur status gratiæ in ipso lucrante.

Respond. requiri, non quidem toto tempore, quo implentur opera iniuncta ad consequendam indulgentiam, sed solùm in fine, quando scilicet applicandus est effectus indulgentiæ; idque ex praxi Ecclesiæ, quæ ad obtinendam indulgentiam solet interdum exigere ieiunia, & confessionem, supponendo confessionem non præmitti, sed subsequi, quippe quæ potest differri ad finem hebdomadæ, ieiunia interim peractis intra ipsam hebdomadam (vt in iubileis) vnde non rarò euenit, quod ieiunia fiant in statu peccati mort. est autem quoad hoc eadem ratio de indulgentiis ordinariis, ac de iubileo, vt patet; est communis DD. cum S. Thom. *quodlibet.* 2. *art. vlt.* Palud. S. Anton Syluest. & aliis Summistis apud Filliuc. *tr.* 8. *n.* 155. & quidem, quod requiratur status gratiæ ad lucrãdam indulgentiam, constat, quia existens in peccato mort. pro eo statu meretur, vt nulla satisfactio pro ipso acceptetur; & omnis pœna, etiã ex veniali remisso quoad culpam pro eo statu debet esse æterna, cuius reatum non potest indulgêtia expiare. 253.

Qværes XXII. An casu, quo omnia opera præscripta ad consecutionem indulgentiæ impleantur in peccato mort. reuiuiscat effectus indulgentiæ, si postea homo iustificetur.

Respond.

254. Respond. videri probabilius non reuiuiscere (loquendo pruut de facto fit in Ecclesia. Ita Ioan. de Lugo *supr. n.* 84. Filliuc. *n.* 141. aliique contra Paludanum *in* 4. *d.* 2. *quæst.* 4. *art.* 3. Henriq. *l.* 7. *cap.* 9. §. 3. & alios absolutè sustinentes effectum indulgentiæ reuiuiscere statim ac homo iustificatur: eo modo proportionaliter, quo effectus Sacramenti conferiur, sublata fictione. Ratio nostræ responsionis est quod indulgentia tantum valet, quantum sonat, & de facto indulgentiæ non conceduntur, nisi fidelibus contritis, & confessis: cum tamen ad acquirendam indulgentiam opus sit, vt conditio impleatur intra tempus definitum in ipsa concessione. Quod tamen non facit, quio Papa possit differre effectum indulgentiæ vsque ad primam iustificationem sequentem illius, qui in peccato mort. implet opera ad eam imposita, & consequenter concedere indulgentiam eo modo obtinendam; quod nos non negamus, neque potest negari; quamuis talis modus concedendi indulgentias rarò, aut nunquam fit in vsu; & meritò, vt fideles diligentius satagant mundare coscientias ad comparandum fructum Indulgentiæ.

255. Dixi, *videri probabilius*, quia Filliuc. *supr. n.* 140. Ioan. de Lugo *supr.* & alij putant esse probabile indulgentiam modo dicto reuiuiscere etiam de facto; potestque probari, tum quia sicut Sacramenta conferunt suos effectus ex opere operato antea manentes in acceptione diuina, vsque dum tollatur obex; sic & conferet indulgentia, cum hæc sit opus Dei non minùs quam Sacramentum: tum quia, licèt in forma indulgentiæ dicatur ea concedi verè pœnitentibus, sensus esse potest, quod ea non prosit, nisi verè pœnitentibus, siue tunc, quando illam lucrantur, siue postea: seu (quod idem est,) non prosit, quamdiu sunt peccatores, sed solùm quando per contritionem, aut sacramentalem confessionem verè erunt pœnitentes.

QVÆRES XXIII. An exhibens dimidium operis præscripti ad obtinendam aliquam indulgentiam lucretur dimidium talis indulgentiæ.

256. Respond. non lucrari; cum indulgentia non concedatur diuisibiliter pro diuisibilitate operis, sed indiuisibiliter pro toto opere; quo pacto indulgentia differt à satisfactione Sacramentali; quod hæc eleuatur diuisibiliter, adeóque implens dimidium pœnitentiæ iniunctæ à Confessario obtinet partem satisfactionis sacramentalis correspondentem illi parti pœnitentiæ; indulgentia verò conceditur indiuisibiliter, vtpote quæ adstringitur operi iniuncto tanquam conditioni: quam proinde qui non implet, nihil consequitur, cum reuera non impleat conditionem sub qua indulgentia conceditur. Ita Ioan. de Lugo *num.* 89. & Filliuc. *tract.* 8. *num.* 153. addens hæc in te inspicienda esse verba concessionis; etsi solùm præcipiatur oratio indeterminatè, tunc quamlibet orationem, etiam minimam sufficere ad comparandam indulgentiam.

An autem in hoc detur paruitas materiæ excusans (vt si lucraturus indulgentiam frangat leuiter ieiunium impositum ad eam acquirendam.

257. Respond. probabile esse, quod detur: cum in moralibus parum pro nihilo reputetur; quod tamen non censeo habiturum locum in casu, quo pars operis iniuncti omissa esset in se leuis, sed grauis respectiuè ad aliàs, vt si in Rosario omittatur dena Aue Maria, aut semel *Pater*, & *Aue*, in quinque denis recitandis: tunc quippe nihil obtineretur indulgentiæ, vt notauit Filliuc. *supr.* ex Suarez.

QVÆRES XXIV. An quando conceditur indulgentia pro defuncto visitantibus talē Ecclesiam, aut ieiunantibus, necessariò offerri debeat pro defuncto etiam satisfactio, quæ ex opere operantis respondet tali operi, an verò possimus eam retinere nobis, applicando solam indulgentiam defuncto.

Respond. distinguendo; vel conceditur liberatio animæ è purgatorio pro qua dicatur Missa, aut recitetur corona: & sic offerri debet pro defuncto substantia operis præscripti, cum ex tenore concessionis id colligatur; vel conceditur talis liberatio celebranti Missam, aut recitanti coronam; & sic non videtur esse opus, vt fiat dicta applicatio operis iniuncti: si quidem non apparet, cur ego non possim diuidere fructum illius operis, partem illius vnam mihi retinendo, & aliam applicando pro defuncto; nimirum illam, quæ ob operis eleuationem prouenit ex opere operato. Ita Suar. *D.* 52. *de pœnit. sect.* 4. *num.* 3. & alij. 258.

QVÆRAS XXV. Quid importet clausula apponi solita in concessione indulgentiarum: *Volumus autem, quod si aliàs Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus aliquam aliam indulgentiam concesserimus, præsentes nulla sint*, (idest literæ;)

Respond. Diana *part.* 6. *tract.* 8. *resol.* 31. ex Naldo, Lezana, & Gauanto, dictam clausulam debere intelligi de alia simili indulgentia expressa in eadem concessione: idque colligitur ex dictione, *aliam*, quæ est repetitiua eiusdem qualitatis, quæ priùs, seu immmediatè fuerat expressa; vnde infert Diana validam fore indulgentiam concessam cum præfata clausula pro festo B. Caietani, estò in templis sui Ordinis alia similis concessa sit pro festo B. Andreæ. Idem sentit Homobon. *tract.* 13. *examinis, cap.* 5. *q.* 16. *resol.* 4. monens quod, cum verbum illud *concesserimus* non referatur ad dignitatem, sed ad personam (vt ex communi sensu DD resoluit Bonac. ab eodem Homobono, citatus) per illud Pontefex solùm intendit reuocare similem indulgentiam à se illi Ecclesiæ ea die concessam. Adde ex decreto Vrbani VIII. verbis illis, *aliam indulgentiam concesserimus*; modo, addi *in quacumque die anni*. Cum Bonacina sentit Castrus Palaus *tract.* 24. *D. vn. p.* 4. *num.* 13. addens, quod, si apponatur hæc alia clausula, *Dummodo alia similis indulgentia ab hac Sede concessa non sit*, certum videtur, ea concessione perseuerante, concessionem hanc esse nullam: si verò apponatur clausula, *Dummodo alia concessa non sit*, id possit intelligi de solo ipso Papa: nam, cum ea verba sint restrictiua, ac odiosa, debent strictè interpretari: præcipuè cum ex hac interpretatione stricta pendeat valor huius concessionis, ac indulgentiæ concessio. 259.

Addo sub ea clausula non videri comprehensas indulgentias toti alicui Ordini concessas (qualis est indulgentia plenaria concessa omnibus Ecclesiis Societatis Iesu pro festo Circumcisionis D. N. Iesu Christi.) Deinde, quod verba illa clausulæ, *quod si aliàs Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus aliâ indulgentiam concesserimus*, debent intelligi de indulgentia concessa huic, aut illi Ecclesiæ particulari, quæ vtique est indulgentia diuersa ab ea, quæ conceditur omnibus Ecclesiis alicuius Religionis, adeóque cum clausula illa sit odiosa, non debet ampliari vltra proprietatem verborum, contra regulam iuris, *Odia restringi oportet*: maximè cum à diuersis non fiat illatio. Ita pluries respondi in contingentia facti, & responsionem approbarunt viri doctissimi.

QVÆRES XXVI. An indulgentia concessa Ecclesiis Regularium indefinitè, nulla facta mentione temporis, aut durationis, censenda sit perpetua.

Respond. censendam esse perpetuam ex vi verbo- 260. tum:

rum. Ita Filliuc. tract. 8. num. 136. ex Suarez D. 57. de pœnit. sect. 1. num. 5. & communi Doctorum sententia monens talem indulgentiam ex aliis adiunctis posse dici temporalem (quomodo indulgentia modo dicto concessa Ecclesiis dici potest temporalis, quatenus illa deficere potest, deficiente Ecclesia cui est concessa: dici autem magis illimitatas illas indulgentias, quæ dantur Religionibus, & aliis Communitatibus.

Sectio VI.

De Priuilegio instituendi Confraternitates concesso Regularibus.

260 *Explicatur quid sit Confraternitas.*
261 *Ea est varia.*
262 *Non extitit in Ecclesia ante institutionem Ordinum Mendicantium.*
263 *Institui potest à Regularibus ex suis priuilegijs.*
264 *Instituenda iuxta formam præscriptam à Clemente VIII. qui iussit Confraternitates antea institutas & aggregatas de nouo institui, & aggregari iuxta eamdem formam; idq; sub certis pœnis.*
265 *Facultas instituendi, & aggregandi Confraternitates est delegabilis.*
266 *Non possunt ha institui absque Ordinarij auctoritate, & consensu.*
267 *Nequeunt multiplicari eiusdem Ordinis in eodem loco.*
268 *De Iure canonico constitui possunt ex duobus Confratribus.*
269 *Omnes fideles in eas admitti possunt, etiam Religiosi, sed de licentia Superioris.*
270 *Rector Confraternitatis non est de eius necessitate: at, si constituatur, administrat bona Confraternitatis nomine illius, sed non habet in eam potestatem coercitiuam.*
271 *Confraternitas gratis debet à Regularibus institui, & aggregari.*
272 *Instituta Ordinarij auctoritate est locus ecclesiasticus; prius vero, si sine præfata auctoritate instituatur, vel non iuxta formam Clementis VIII.*
273 *Erigi potest in quolibet loco electo à confratribus.*
274 *Dissoluitur tribus modis, quæ referuntur, & ea dissoluta bona illius non semper distribuuntur inter Confratres.*
275 *A Regularibus instituta in sua Ecclesia, iis inuitis, alio transfertur cum priuilegiis, &c.*
276 *Non tenetur admittere omnes, etsi admissi possint liberè eam deserere.*
277 *Pro admissione nequit exigi pretium, at peti potest aliqua eleemosyna.*
278 *Vestis fraternalis sumenda de manu Sacerdotis, qui eam benedicat.*
279 *Confraternitatibus communicanda priuilegia nominatim, nec in specie; ea autem destructa hac desinunt, nec possunt promulgari, nisi prius approbentur ab Ordinario.*
280 *Assignatur, vnde Confraternitates sumere debeant præcedentiam: & si qua lites hac de re oriuntur inter illas, ab Ordinario cognoscenda: vt verò ea suam seruent præcedentiam, debent adire processionem cum sacco.*
281 *Potestas Confraternitatum extenditur ad plura, quæ enumerantur.*
282 *Ea constituunt suos Officiales, qui debent confirmari ab Ordinario.*
283 *Confraternitates edere possunt Statuta concernentia proprium Institutum.*
284 *Earum Confratres non peccant omittendo preces, & pia opera ex suis statutis præscripta, etsi interim non fruantur indulgentijs, & gratijs Confraternitatis.*
285 *Compelli possunt ad Processiones, si adsit consuetudo: quæ non potest probari, si modo eant, modo non: quòd si sub pœna interdicti localis iubeantur ire, & non eant, non ideò interdicta manet Capella, quam ij habeant in Ecclesia Regularium: idq; etiam stante decreto* Concil. Trident. sess. 25. cap. 12. *possunt Confratres instituere suas processiones, sed limitatè: at non accedunt ad funeralia, nisi vocati, tuncq; non deferunt Crucem.*
286 *In suis Oratorijs non asseruant Eucharistiam; nec sine Ordinarij licentia orationem 40. horarum exponunt.*
287 *Non faciunt benedictionem candelarum, palmarum, & similium; etsi alij id negent.*
288 *Subsunt visitationi Ordinarij, si eius authoritate instituta sint, sed non quoad omnia, si Confraternitas erecta sit in Ecclesia Regularium: subsunt & Parocho in aliquibus si habeant proprium Oratorium.*
289 *Tenentur contribuere Seminario.*
290 *Non alienant sua bona sine præscripta Iuris solemnitate (quod negat Bordonus) idq; etsi non sint instituta auctoritate Ordinarij, si ab eo visitentur.*
291 *Priuilegia ijs communicata quoad Sacramentum Pœnitentiæ sunt satis limitata.*
292 *Lucrantur certas Indulgentias iuxta concessiones ipsis factas: at in Ecclesijs Regularium tempore interdicti earum Confratres nequeunt sepeliri, etsi ea erecta sint in Ecclesijs ipsorum Regularium.*
293 *Gaudent priuilegio fori, quatenus faciunt vnum corpus politicum: item eorum habitatio annexa Oratorio gaudet immunitate Ecclesiæ, quoad Reos.*
294 *Gaudent priuilegio restitutionis in integrum.*
295 *Earum bona non præscribuntur minori spatio, quàm 30. annorum.*
296 *Eximuntur à gabellis, maximè si sint erecta auctoritate Episcopi.*
297 *Relicta ad causas pias his possunt erogari.*
298 *Soluunt Quartam parochialem, si instituta sint auctoritate Episcopi, ac loco Sacro, aut religioso vnita: ex relictis Confraternitati deduci nequit Falcidia, nec Trebellianica: Oblationes vero ys facta spectant ad ipses.*
299 *Illarum index debet esse Ecclesiasticus.*
300 *Cogi possunt ab Ecclesia Domina directa vendere infra annum bona Ecclesiastica emphyteutica ad eas transeuntia.*
301 *Sunt incapaces decimarum, si consistant in simplici Collegio.*

QVÆRES I. Quid intelligatur hic nomine Confraternitatis.

Respond. intelligi Congregationem fidelium laicorum ad pias, ac deuotas actiones exercendas: idque ad differentiam Congregationum merè prophanarum, quæ nec authoritate Episcopi, nec ad pias actiones exercendas instituuntur; cuiusmodi sunt Congregationes aliquæ Mercatorum, Artificum, Scholasticorum, & similium. 260.

QVÆRES II. An omnes Confraternitates sint eiusdem rationis.

Respond. Non esse: aliæ enim à Regolaribus instituuntur; aliæ à laicis: aliæ eriguntur authoritate Episcopi; aliæ consensu solum personarum priuatarum 261.

rum: aliæ habent proprias Ecclesias, seu Oratoria; aliæ non nisi capellas, aut altaria in alienis Ecclesiis, & quidem etiam Regularium.

262. Quamuis autem videri possent Confraternitates extitisse in Ecclesia ante institutionem Ordinum Mendicantium: cum in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. electo anno 1159. relato in *cap. 3. de priuil.* fiat mentio de Confratribus, vbi in §. *fin.* dicitur, quod Confratres exemptorum, seu ipsorum Oblati, qui in totum se non transtulerunt; iudicari possunt ab Ordinariis locorum; & *cap. quidam, eod. tit.* dicatur Confratres priuilegiatorum, nisi ad eos in totum se transtulerint, ad Episcopalia iura teneri: quod est vltimum cap. Gregorij IX. qui fuit electus anno 1227. quo anno paulo ante Ordines mendicantes S. Dominici, & S. Francisci, qui sunt primarij, instituti sunt; tamen Bordonus *tom. 2. resol. 71. n. 2.* ex Confectio *in fine sui bullarij*, censet Confraternitates incepisse sub Ordinibus Mendicantium: dicitque iura citata in contrarium, & alia similia non loqui de Confratribus, prout hic à nobis sumuntur (hi enim suas faciunt Congregationes absque eo, quod se, & sua bona consecrant, & offerant Ordini, cuius dicuntur Congregationes) sed veniunt ij, qui respectu Mendicantium vocantur Tertiarij, aut Oblati respectu aliorum Religiosorum, maximè non Mendicantium.

QVÆRES III. An, & quo iure possint Regulares erigere, instituere, & aggregare Confraternitates.

263. Respond. posse ex priuilegio variis Ordinibus concesso à variis Pontificibus; vt diseritis verbis indicant Lezana *tom. 2. cap. 15. num. 7.* & Ricciullus *l. 4. Lucubrat. Eccles. cap. 2. num. 4.*

QVÆRAS IV. Iuxta quam formam modò institui debeant Confraternitates, tam à Regularibus, quàm ab aliis.

264. Respond. debere institui iuxta formam à Clemente VIII. præscriptam anno 1604. in bulla, *Quæcumque à Sede*, edita die 7. Decemb. *& relata in bullario tom. 3. inter bullas Clementis VIII. in ordine 15.* & à Quaranta *in bullario v. Confraternitates.* Forma autem in eo consistit 1. quod vnica Confraternitas in Regularium Ecclesiis, & aliis siue Ecclesiis, siue locis instituatur, & aggregetur: 2. quod institutio, & aggregatio non fiat, nisi de consensu Ordinarij loci, & cum litteris eius testimonialibus, quibus Confraternitatis erigendæ, seu aggregandæ pietas, seu institutũ, & christianæ charitatis officia, quæ obire cupit, & solet, commendentur: 3. quod Prælati instituentes, aut aggregantes Confraternitatem ipsi ea tantum priuilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, quæ Ordini, Religioni, ac Instituto erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti nominatim, & in specie; non autem, quæ per extensionem, vel communicationem sibi quouis modo concessa sunt: & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresse, & in specie communicent: 4. vt statuta Confraternitatis instituendæ, aut aggregandæ priùs examinentur ab Ordinario loci, pro ratione loci approbentur, ac eiusdem Ordinarij decretis, moderationi, & correctioni in omnibus semper subiaceant. 5. vt aggregatio Confraternitatis fiat iuxta formulam à Clemente VIII. approbatam; quam Cherubinus in compen. bullar. super citatâ bulla Clementis 115. putat esse illam, quam ipsemet refert, vtpote ab omnibus vsu receptam: 6. vt gratiæ, ac indulgentiæ communicatæ Confraternitati non promulgentur, nisi præuia recognitione Ordinarij, qui adhibitis duobus de Capitulo suæ Ecclesiæ ea iuxta Concilij Trid. decretum promulganda decernat: 7. quod Confraternitas eleemosynas excipiat solum iuxta modum, ac formam per Ordinarium præscribendam, & quidem remotis mensis, peluibus, & capsis, quæ in Ecclesiis, ac Oratoriis publicè ad hoc exponi solent; ac eleemosynæ expendantur in bonum Ecclesiæ Confraternitatis aggregantis, aut aggregatæ, aut in alios vsus pios arbitrio ipsius Ordinarij: 8. quod Confessarij, (qui fortè ex priuilegio Confraternitatis eligi possint) sint approbati ab Ordinario loci, imò, si sint Regulares, etiam à suis Superioribus; & Confratres absoluant iuxta priuilegia ipsis competentia solum quatenus sunt in vsu, & non aduersantur Conc. Tridenr. decretis, ac Romanorum Pontificum bullis: 9. quod litteræ institutionis, seu aggregationis, aut communicationis gratiarum gratis omninò, ac nulla prorsus mercede etiam à sponte dantibus accepta, expediri, & concedi debeant.

Præterea Clemens VIII. in præfata bulla statuit, vt omnes Confraternitates, vsque ad illud tempus institutæ, & aggregatæ in Europa intra annum, & extra Europam intra biennium à die publicationis dictæ bullæ de nouo instituerentur, & aggregarentur iuxta formam ab ipso præscriptam: idque sub pæna, vt, elapso dicto tempore, erectiones, institutiones, & quæcumque communicationes priuilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium, gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore iis concessæ, nullius sint roboris, & momenti, ac reuocatæ, & abolitæ censeantur ab ipso.

Demum in dicta bulla declaratur contrauenientes quoslibet Ministros, Superiores, ac Officiales Ordinum, seu Archiconfraternitatem ipso facto incurrere priuationem Officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda, solum à Papa relaxanda; ac institutiones Confraternitatum, & communicationes gratiarum, & priuilegiorum aliter factas esse nullius roboris, ac momenti.

QVÆRES V. An facultas instituendi, aut aggregandi Confraternitates competens Generali Ordinis possit ab eo delegari aliis & validè, & licitè.

Respond. videri posse: & probatur, tum, quia teste Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. c. 22. num. 8.* Paulus III. concessit Generali Soc. Iesu, vt omnes gratias, concessiones, & indulta sibi concessa à Sede Apostolica exercere possit per Vicarios, aut personas ad id sibi benè visas (quod indultum per viam communicationis, etiam aliis Ordinibus est commune) tum, quia Commissarius ex priuilegio perpetuo potest suam delegare facultatem (vt benè notat idem Suarez *supr.*) & aliàs facultas, de qua hic agitur, est priuilegium perpetuum, vt per se patet. Idem docet Bordonus *sup. num. 38.* ex Lezana *tom. 2. c. 15. num. 48.* & probat, tum, quia delegatus Principis potest subdelegare, *cap. fin. de off. de leg. cap. cum causam, de appellat.* & in hoc casu Generalis est delegatus Papæ, qui est Princeps; tum, quia hoc priuilegium est perpetuum, ac generale respectu omnium Ecclesiarum Ordinis: delegatus autem generaliter respectu vnius causæ potest subdelegare Sanch. *l. 3. de matrim. D. 3 t. num. 2.* 265.

QVÆRES VI. Qualiter ad institutionem, seu aggregationem Confraternitatis requiratur consensus, & authoritas Ordinarij loci, in quo fit institutio, seu aggregatio.

Respond. requiri per modum solemnitatis extrinsecæ; cum Confraternitas circa vsum Sacramentorum possit sibi assumere locum religionis gratia 266.

sine auctoritate Ordinarij, *l. 1. §. sed religionis, ff. de colleg. illicit.* quare auctoritas Ordinarij in hoc non præsumitur, nisi probetur, *l. sciendum ff. de verb. oblig. cap. solemnitates 16. & cap. ecclesiæ, vel altaria, de consecrat. d. 1.* sicque asserenti confraternitatem esse erectam auctoritate Ordinarij incumbit onos probandi, siue explicitè, exhibendo ipsam auctoritatem Ordinarij siue in lumine erectionis, siue post (eum auctoritas sequi possit ex post facto) aut per scripturas, vel testes idoneos: siue præsumptiuè per signa denuntantia locum esse Ecclesiasticum, seu religiosum. Cuiusmodi signa sunt, si appareat locum Confraternitatis fuisse constructum in forma Ecclesiæ aut publici Oratorij quæ sine licentia Episcopi non fabricantur Authent. *vt nullus*: si habeat campanile, & campanam, quæ pulsari possit, *cap. patentibus, de priuileg.* si habeat cæmeterium, aut sepulturam, vel Episcopus ibi iura exerceat Episcopalia: si habeat dotem: si constet ibi fuisse longo tẽpore celebratum: si constet illum ab Episcopo fuisse visitatum. ita Ricciullus *sup. c. 1.* & Lezana *n. 9.* monens ex decreto Sacræ Congregationis non licere Religiosis S. Dominici, & Soc. Iesu instituere Confraternitates absque Ordinarij licentia (quod tamen decretum non est in vsu, quoad Congregationes, quæ eriguntur à Religiosis Soc.) addensque *n. 19.* ex decreto sacræ Cõgregationis super Indulgentiis Superiores regulares, qui possunt instituere nouas Confraternitates iuxta formam Clementis VIII. superiùs adductam, posse sine Ordinarij consensu confirmare Confraternitates iampridem canonicè erectas in suis Ecclesiis, si ibi admitous degant 12 Religiosi de familia, & erectio facta sit ante publicationem dictæ formæ: & hoc Decretum refert Cespedes *de exempt. d. 376. num. 3.*

QVÆRAS VII. An Regulares possint liberè multiplicare Confraternitates Ordinis sui in eodem loco, siue in propriis, siue in alienis Ecclesiis.

267. Respond. non posse, sed ex bulla Clementis VIII. supra adducta teneri vnam tantum Confraternitatem instituere, & aggregare in suis, ac aliorum Ecclesiis, & locis. Quamquam ex decreto Sacræ Congregationis super indulgentiis Prælati regulares possint confirmare plures Confraternitates ab antiquo institutas canonicè in Ecclesiis regularibus collegiatis 12. Fratrum, & in eodem loco, etsi sint eiusdem nominis, ac Instituti, iuxta formã tamen citatæ bullæ Clementis VIII. nec non ob causam Ordinario loci in scriptis approbandam dispensare super distantia inter Confraternitates, tam, quoad antiquas confirmandas, quam, quoad alias de nouo instituendas, si Prælatis concessa sit noua facultas instituendi Confraternitates; sicut re vera à Paulo V. per bullam 30. Octob. 1606. editam concessa est Carmelitis, teste Lezana *num. 40.* & consequenter aliis Ordinibus per viam communicationis.

QVÆRAS VIII. Quot requirantur ad constituendam Confraternitatem.

268. Respond quod, cum Collegium, Congregatio, & Confraternitas conueniantur, *l. fin. ff. de colleg. illicit.* Confraternitas de Iure canonico constituitur ex duobus; de Iure verò ciuili ex tribus, teste Abbate *in cap. 1. de elect. num. 5.* Quamuis, vbi est constituta, deficientibus omnibus, in vno conseruetur; vt notant Glossa, Abb. *& alij in d. cap. 1.* & iterum Glossa, *in l. 7. §. in decurionibus, v. nomen vniuersitatis, ff. quod cuiusque vniuersit. nom. Iason. in l. si grege, num. 7. 12. & 13. ff. de legat. 1.*

QVÆRAS IX. Qui possint admitti in Confraternitates.

269. Respond. posse admitti omnes, siue masculos, siue fœminas, si opus, ad quod instituitur Confraternitas, non repugnet sexui, aut statui (vt notat Bart. *in d l. fin. num. 16 ff. de colleg. illic.*) siue maiores, siue minores) modò habeant vsum rationis, & aliàs habiles) siue laicos, siue clericos, imò & Regulares (de licentia tamen sui Prælati, teste Bart. *in d. l. fin. num. 17.*) & seruos christianos, cum in concernentibus pietatem non sit differentia inter liberum, ac seruum *cap. 1. de coniug. seruorum*: intellige, nisi institutum Confraternitatis repugnet seruitiis domino debitis. ita Ricciullus *sup. cap. 7.* addens *num. 4.* ex Bart. *in l. fin. ff. de colleg. illic.* posse quem esse de pluribus Confraternitatibus, si Institutum vnius non repugnet Instituto alterius.

Notat autem Bordonus *tom. 2. resol. 72. num. 41.* ex Graffio *tom. 2. consil. 4. de pænit. n. 16.* Religiosum non posse sine sui Superioris licentia ingredi aliquam Confraternitatem (cum neque in hoc habeat proprium velle, adeóque sine Prælati consensu nequeat se subiicere vlli Confraternitati) &, si absque licentia dicta ingrediatur, non lucrari Indulgentias, nec esse participem suffragiorum dictæ Confraternitatis; non quod saltem implicitè id videatur negari à Superiore, sed quod cum aliis Confratribus nequeat interesse communibus exercitiis, ac oneribus præstari solitis ab iis; vt proinde velut membrum inutile nihil operari videatur, ex quo consequatur, quod alij Confratres obtinent sustinendo onera Confraternitatis.

Addit Bordonus *num. 16.* quod ait Nauat. *miscellan. 6. de orat. §. dubitatur 2.* non esse opus, quod ingressurus Confraternitatem personaliter adeat locum, vbi solent notari ingredientes; sed sufficere, regulariter loquendo, quod per alium mittat nomen suum; debere intelligi de Confratribus Rosarij nihil in ipso ingressu accipientibus (siquidem Rosarij coronam sibi ex se prouident) non item in casu, quo ingredienti Confraternitatem dari debeat ab alio habitus, seu cingi corda: nam tunc dans, & accipiens debent esse simul, sicque alter ab altero debet conueniri, vt patet.

QVÆRES X. An Rector sit de necessitate Confraternitatis.

Respond. non esse; cum, deficiente Rectore, loco illius præsideat magis dignus: quamuis alias quælibet Confraternitas possit, & soleat sibi constituere Rectorem, *l. fin. C. de iurisd. omn. iudic.* eumque, siue clericum, siue laicum, etsi Confraternitas constituatur ex clericis, & laicis. 270.

Notat autem Ricciullus *cap. 8.* quod, quamuis talis Rectoris potestas careat coërcitione, quoad personas Confratrum, adeóque non possit illos inuitos trahere, nec punire (cum potius habeat præeminentiam fraternalem, qualem habet frater maior in domo, ad summum se extendentem, vt ex causa expellere possit Confratrem, etiam clericum (licèt Rector sit laicus) respectu tamen bonorum Confraternitatis nomine illius ea liberè administrat, ita vt super eis nec à Gubernatore ciuitatis impediri possit, teste Decio *cons. 71.* & Parif. *cons. 34. num. 31. lib. 4.*

QVÆRES XI. Qualiter Confraternitas gratis instituí, & aggregari debeat à Regularibus.

Respond. quod; quamuis in citata bulla Clement. VIII. dicatur, *gratis omnino, ac nulla prorsus mercede, etiam à sponte dantibus accepta*, id præstandum esse: tamen non videtur contrauenire menti Pontificis, si in hoc casu aliquid accipiatur per modum eleemosynæ, ac titulo liberalitatis, aut gratitudinis: & hoc tum ob dicta *sup. c. 3. n. 250.* tum, quia Papa loquitur hîc expresè de mercede etiam à sponte 271.

dantibus

dantibus accepta; qualis vtique non est largitio facta per modum eleemosynæ, ac titulo omnino gratuito, vt patet: quamuis tutius, & consultius sit abstinere à quauis largitione accipienda ob fidelium ædificationem.

QVÆRES XII. An, & quæ Confraternitas dicatur locus pius, Ecclesiasticus, ac religiosus.

272. Respond. dici illam quæ ex Ordinarij auctoritate instituta est; vt colligitur ex *cap. de xenodochijs, tit. de Religiosis domibus, & cap. ad hæc, eod. tit.* vel certè erecta est ad opus pium exercendum, (v.g. ad sustentationem pauperum) non enim inspicitur locus, sed causa. Ita Ricciullus *cap. 11. num. 11. & 12.* aliis pluribus citatis hinc inferens *num. 13.* Doctores asserentes laicorum Confraternitates non esse loca pia, debere intelligi de Confraternitatibus consistentibus in simplici Collegio personarum citra auctoritatem Ordinarij, ac exercitium operis pij: secùs, si habeant Ecclesiam, vel hospitale, aut sint approbatæ ab Ordinario, vel exerceant opus pium: quia tunc vel dicuntur loca pia, vel iis æquiparantur; vt scribunt Bald. *in l. orphanotrophos, C. de Episc. & Cler.* Petrus de Perusio *tract. de portione canonica, cap. 10.* Capra *consil. 54. num. 14.* & alij. In quo dissentiunt Barbosa *de offic. Episc. allegat. 75. num. 27.* Lezana *supr. n. 3.* aliique apud Barbosam docentes Confraternitatem absque Ordinarij auctoritate institutam, si sit ordinata ad opus pium, dici posse locum pium, non item Ecclesiasticum, ac Religiosum.

Nobiscum sentit Bordonus *supr. num. 33.* monens Confraternitates in præsentia non erectas iuxta formam præscriptam à Clemente VIII. nequaquam dici posse Ecclesiasticas, aut religiosas; cum sic ab Ecclesia non habeant institutionem, ex qua dici possint Ecclesiasticæ. Quod non facit quin dici possint piæ Societates, si per Confratres opera pia exerceantur: etsi locus, in quo congregantur, non sit locus pius, vtpote non fundatus authoritate Episcopi; sicque dicentur piæ Societates non ex loco, sed ex causa pietatis exercendæ.

QVÆRES XIII. In quibus locis erigi possint Confraternitates.

273. Respond. quod cum eæ non sint collegia realia, sed personalia, nec habeant connexionem cum loco, sicque sustineant vicem personæ, *l. mortuo, ff. de fideiuss.* eæ possunt erigi in quibus locis maluerint Confratres. Ita Ricciullus *cap. 3. num. 1.* ex Innocentio, Abb. Per. de Vbald. Lottet. Bobadill. & Rota coram Coccino *decis. 472. num. 2.* in qua *num. 7.* resolutum est Confraternitatem in aliena Ecclesia receptam posse liberè ab ea recedere, & eiici; non posse verò institui in Ecclesiis Monialium; quippe quibus interdicta est conuersatio, *cap. prouenit, 18. q. 2.* quod etiam decidit sacra Congregatio Episcoporum 6. April. 1595. in vna Barensi.

QVÆRES XIV. Quot, & quibus modis dissolui possint Confraternitates.

274. Respond. dissolui tribus modis, & quidem primo ex voluntate illorum, qui confraternitatem inierunt, si omnes in id consentiant, *l. 3. ff. de colleg. illic. & cap. inter dilectos, de donat.* & Confraternitas consistat in simplici Collegio personarum: si enim construxit Ecclesiam, aut Oratorium ad celebrandum publicè, cum hæc sint Deo dicata, nequeunt amplius reuocari, *cap. quæ semel, 19. q. 3. cap. semel Deo, de reg. iur. in 6.* secundò possunt dissolui Confraternitates, si omnes Confratres fuerint defuncti, *l. sicut municipium, § fin. ff. quod cuiusque vniuersitat. nom.* tertio dissoluuntur ex præcepto Superioris ob delictum Confraternitatis prætextu Religionis admittentis illicitum, *l. 1. & 3. ff. de colleg. illic. l. qui sub prætextu, C. de sacros. Eccl.* Nomine autem Superioris puto hîc venire etiam Prælatum regularem respectu Confraternitatis à se institutæ, & aggregatæ, attenta iuris regula, *Per quas causas res nascitur, & dissoluitur.*

Quod si quæras, quid faciendum sit de bonis Confraternitatis destructæ.

Respond. siquidem habeant Ecclesiam, aut aliud habeant rationem loci pij (cum sic bona earum dicantur Ecclesiastica) iis dissolutis, ea manere in dispositione Sedis Apostolicæ, ac si essent bona vacantia Ecclesiastica, de quibus solus Papa potest disponere, Clem. *quia contingit, de religios. domib.* quod procedit, etsi Confraternitas cessetit bona sua communitati; vt aduertit Bart. *in tr. minor. l. 2. sub n. 12.* Si verò bona Confraternitatis erant distribuenda in alios, v. g. ad curandos infirmos, cum in iis Confratres sint nudi Ministri, nullum commodum inde referre debent, *l. si quis Titio, ff. de legatis 3.* Bart. *l. fin. ff. de colleg. illic. sub num. 22. ver. quædam sunt collegia, aliàs, ver. si verò ista,* docens destructa Confraternitate regulariter bona diuidi inter Confratres; maximè loquendo de rebus communibus ad vsum particularium destinatis: cuiusmodi sunt vestes fraternales, ex quibus quilibet Confrater recipit suam, teste Bart. *supr. ver. eodem modo.*

QVÆRES XV. An Confraternitates à Regularibus institutæ in suis Ecclesiis, illis inuitis, possint transferri ad aliam Ecclesiam, retentis iisdem priuilegiis, gratiis, &c.

Respond. videri posse: cum ex iuxta dicta *q. 13.* non sint loco annexæ; & aliàs legitimè institutæ, 275. aut aggregatæ durent, quamdiu debito modo non dissoluuntur; quod in præsenti casu non euenit, vt suppono.

QVÆRES XVI. An detur liber ingressus in Confraternitates absque contradictione, & liber egressus ex illis.

Respond. non dari liberum ingressum: cum non debeat cogi Confraternitas admittere omnes indifferenter, teste Bartolo *in l. 3. num. 19. ff. de colleg. illic.* 276. adeóque dari possit legitima contradictio aduersus petentem ingredi: quamuis possit is recurrere ad Iudicem Ecclesiasticum, vt cognoscatur, an contradictio iure, vel iniuria opponatur; vt notant Lambertin. *de iure patron. part. 1. lib. 1. quæst. 1. art. 10.* & Gutierrez *can. quæst. cap. 35. num. 24.* Cum quibus sentit Ricciullus *cap. 10.* addens *num. 5.* quod attinet ad egressum, Confratrem egredi volentem non posse impediri; cum Confraternitas sit collegium voluntarium (intellige, si quid non retineat de bonis Confraternitatis, *l. 1. ff. de colleg. illic.*) posséque siue dimittatur, siue liberè recedat, secum asportare res, quas ipse contulit, etsi eas contulisset in communi, modò ad ipsius vsum sint deputatæ, vt vestem fraternalem: quod etiam docet Bart. *in l. fin. ff. de colleg. illic. ver. eodem modò dico.*

QVÆRES XVII. An liceat exigere pretium ad hoc, vt aliquis admittatur in aliquam Confraternitatem.

Respond. Sanch. *l. 2. cons. c. 3. d. 23 n. 8.* id licere absque periculo simoniæ; cum Confraternitas non sit 277. religio, sed locus ad benefaciendum; imò esse laudabile imponere aliquid admittendis pro sumptibus Confraternitatis, ac operibus piis; sed dissentit Lezana *supr. n. 10.* eo, quod ingressus Confraternitatis ingredienti importet multa iura spiritualia, nempe ad priuilegia, indulgentias, & gratias, pro quibus acquirendis vtique dari nequit pretium absque labe simoniæ. Quod tamen non facit, quin dari,

aut exigi possit pro dicta admissione aliquid per modum eleemosynæ, aut ex alio simili titulo; vt notauit Nauar. *de orat. in miscellan. 6. de psalt. & rosar. num. 6.* aliàs negans *num. 4.* licitum esse statutum Confratriæ præcipiens, ne in eam quis admittatur, nisi certum quid soluat: quod tamen statutum admittit Lezana vt licitum; modò id, quod datur, non detur vt pretium admissionis, sed propria aliqua causa: & tale statutum afficiat solùm eos, qui possunt soluere, ne alioqui pauperes excludantur à piis operibus: quo modo esset illicitum, teste Syluestro *v. Confraternitas num 2.*

QVÆRES XVIII. De cuius manibus recipi debeat vestis fraternalis ab ingredientibus Confraternitatem.

278. Respond. debere recipi de manu Sacerdotis, qui ei monus benedictionis impendat. ita Ricciullus *cap. 6.* ex Concilio prouinciali Mediolanensi addens dictam vestem asseruandam esse in schola, seu Confraternitate, non autem domi; ne fortè contingat eam adhiberi ad vsus indignos cum dedecore Confraternitatis; nec sub ea gestenda esse arma.

QVÆRES XIX. Qualis debeat esse communicatio priuilegiorum, gratiarum, ac indulgentiarum, quæ fit Confraternitatibus in earum institutione, seu aggregatione.

279. Respond. debere fieri nominatim, & in specie, non autem solùm sub generali forma verborum (dicendo v.g. *Communicamus tales, & tales gratias, Ordini, vel Confraternitati nostræ concessas; quæ sunt hæ, & hæ*, &c. solum enim possunt communicari priuilegia, indulgentiæ, & facultates, quæ Ordini, aut Archicoonfraternitati instituenti, & aggreganti nominatim, & in specie competunt, non autem, quæ per extensionem, communicationem, aut quouis alio modo ipsis competunt: idque ex bulla Clementis VIII. supra relata. Quamuis Lezana *num. 11.* probabile putet Confraternitates institutas, seu aggregatas nihilominus gaudere gratiis, ac priuilegiis competentibus Ordini, aut Archiconfraternitati instituenti, seu aggreganti per viam communicationis: cum Papa non declaret se abrogare, aut cassare dictas gratias per communicationem competentes, sed solùm prohibeat illarum communicationem ad tollendam confusionem, ac incertitudinem, quæ insunt in tali gratiarum communicatione: sic Lezana, dicens tamen aliorum iudicio se relinquere; & benè, cum non appareat, quo modo Confraternitas instituta potiri possit gratiis per viam communicationis competentibus Ordini instituenti, nisi hæ ipsi communicentur, non communicentur verò neque ab Ordine instituente (quod est certum) neque ab alio, de quo constet.

Addo ex eodem Lezana *num. 14.* in relata bulla Clemen. VIII. prohiberi quidem Confraternitates promolgare gratias, ac indulgentias ab Ordine instituente, seu aggregante ipsis communicatas, nisi priùs ex recognoscantur ab Ordinario loci iuxta dicta *quæst. 4.* non tamen prohiberi iis vti absque præuia dicta recognitione.

An autem destructa Confraternitate, pereant indulgentiæ, priuilegia, & gratiæ ipsi concessæ.

Respond. perire, si Confraternitas consistat in simplici personarum Collegio, & dissoluatur ex voluntate Confratrum, aut Superioris auctoritate: sic enim non potest amplius dici Confraternitas, *l. 3. ff. de colleg. illic. iuncto cap. placuit de consecrat. dist. 1.* Et, si Confraternitas restauretur, gratiæ præfatæ non reuiuiscunt, teste Ricciullo *cap. 20. n. 2.* qui alioqui ex Glossa, & Bart. sustinet dictas gratias conseruari in loco Confraternitatis, si hæc dispergatur Confratribus ex metu pestis, aut belli à ciuitate recedentibus. Quod si Confraternitas consistat in Ecclesia, seu hospitali, aut loco pio; si quidem illa destruatur auctoritate Superioris ob delictum ab ea commissum, tunc pereunt omnia eius priuilegia, *l. si vsusfruct. ff. quib. mod. vsusfr. amittatur, cap. & hoc diximus 16. q. 7.* sic enim Confraternitas maximam capitis diminutionem patitur, per quam ipsius iura in totum comminuantur, *l. cognitionem, ff. de var. & extraord. cognit.* Bart. *in l. fin. num. 23. ff. de colleg. illic.* si verò Confraternitas destruatur ab hostibus, tunc manent priuilegia *cap. pastoralis 7. quæst. 1. cap. qui semel 19. quæst. 3.* & cessante hostium violentia resumuntur, *l. cum loca, ff. de relig. & sump. fun.* Quod procedit item in casu, quo Confraternitas transferatur ad alium locum, vel vniatur alteri, *cap. & temporis cum seq. 16. quæst. 1.* Glossa *in cap. priuil. de reg. iur. lib. 6.*

QVÆRES XX. Qui præcedentiæ ordo seruari debeat inter Confraternitates.

Respond. ex bulla Gregorij XIII. in ordine 84. quæ incipit, *Exposcit*, illam Confraternitatem debere præcedere, quæ est in possessione præcedendi; vbi verò non constat de tali possessione eas præcedere, quæ priùs saccis vsæ sunt. Cum autem post dictam bullam aliæ circa præfatam præcedentiam exortæ sint controuersiæ, ad eas succidendas sacra Congregatio Episcoporum censuit, vt, quod Romæ seruatur circa præcedentiam, vbique seruetur: & hæc declaratio placuit Clementi VIII. qui etiam mandauit iuxta illam in casibus occurentibus rescribi debere, &, si opportunum fore videretur, constitutionem fieri; vt testantur Barbosa *de offic. Episc. alleg. 78. n. 24.* & Quar. *in bullario v. præcedentia, v. & quoniam.* 280.

Porro lites super præcedentia oriri solitæ inter Confraternitates laicorum debent cognosci ab Episcopo; cum actus præcedendi in processionibus sit actus spiritualis *cap. 2. de pactis l. 6.* adeòque spectet ad Episcopum, teste Nau. *conf. 3. de foro comp. & Gratiano decis. 203. num. 5.* qui rectè notat à decreto Episcopi super materia præcedentiæ inter Confraternitates nullam dari appellationem, nec reclamationem, seu protestationem; cum hæc omnia prohibeantur in allegata bulla Gregor. XIII.

Monet Lezana *num. 23.* ex Butrio, & aliis Confraternitatem, quæ priùs, quam altera saccis vsa est, non gaudere prærogatiua præcedentiæ, si accedat ad processionem sine sacco: qui enim cupit obtinere præcedentiam, habitum conuenientem gestare tenetur, *cap. 1. de authorit. & vsu pallij.*

QVÆRES XXI. Ad quæ se extendat potestas Confraternitatum.

Respond. se extendere 1. ad collectas sibi imponendas, vt probat Ioseph. Ludouic. *decis. 43.* & benè: 281. 2. ad habendas res communes, arcam communem, & Actorem, seu Syndicum, per quem, tamquam in repub. agatur, & fiat, quod communiter agi, fieriue oportet, *l. 1. §. 1. ff. quod cuiusque vniuers.* 3. ad instituendum Rectorem, ac Syndicum, vt Franc. Marc. *decis. 165.* ostendit: 4. ad liberè congregandos Confratres, ac deliberandum sine Episcopi licentia; vt sacra Congregatio 14. Aug. 1584. respondit: 5. ad Confratres admittendos, accedente maiori parte suffragiorum, iuxta *l. quod maior. ff. ad municip.* ita Ricciull. *cap. 5.* monens *num. 10.* eas posse iuxta illarum Institutum quærere eleemosynas ex decreto sacræ Congregationis 23. Maij 1601. cum limitatione tamen posita *quæst. 4.* ex bulla Clem. VIII.

QVÆRES XXII. An, & qualiter possint Confraternitates instituere sibi Officiales.

Respond.

182. Respond. Ricciullus *supr. num.* 8. posse, electionem tamen illorum debere confirmari ab Ordinario ex declaratione sacræ Congregationis 11. Aug. 1616. in vna Bouinensi; & esse nullam electionem ipsorum Officialium, si absque Ordinarij licentia prorogetur, Verùm cum Ricciullus assertionem suam probet solum ex Concilio prouinciali Mediolanensi 7. quod non facit ius extra Prouinciã Mediolanensem: puto in hoc seruari debere statuta, & consuetudines vniuscuiusque Confraternitatis; nec ita facilè electionem iudicandam esse nullam, cum multa prohibeantur, quæ tamen facta tenent. Lezana certè *n.* 22. refert sacram Congregationem 18. Iulij 1594. declarasse Officiales Confraternitatum quotannis eligi debere secretis suffragiis; & 24. April. 1585. ab ipsis Officialibus non posse eligi successores, nec inde vllum emolumentum reportari.

Qværes XXIII. An, & quo modo possint Confraternitates edere statuta.

183. Respond. Ricciullus *cap.* 5. *n.* 1. posse in rebus concernentibus ipsarum Institutum, non item in aliis, *l. fin. C. de iurisd. omn. iud.* statuta tamen non astringere, nisi probentur ab Ordinario iuxta bullam Clem. VIII. relatam *q.* 4. At dissentit Lezana *num.* 12. & meo iudicio non improbabiliter, dicens præfatam bullam videri solum loqui de statutis, quæ ab instituentibus, seu aggregantibus in ipsa institutione, seu aggregatione Confraternitatis traduntur, non autem de iis, quæ postea eduntur ab ea iam instituta, seu aggregata; vt proinde præfatam bullam nimis ampliet Ricciullus, cum ea potiùs tamquam odiosa restringi debeat, iuxta illud, *Odia restringi oportet.*

Qværes XXIV. An peccent fratres Confraternitatum, si omittant preces, & alia opera pia, ad quæ tenentur vi suorum statutorum.

184. Respond. non peccare; cum dicta statuta non obligent ad culpam, vt suppono: interim tamen non frui indulgentiis, & aliis gratiis, quibus fruerentur, si præfata pia opera implerent, quamquam iis postea iterum frui possint, si eos pœniteat dictæ omissionis, & firmiter statuant implere opera pia præscripta; vt bene indicat Lezana *n.* 45. dicens Fratrem Confraternitatis Carmelitæ si ex humana fragilitate semel, aut etiam pluries Castitatem violet, si postea pœniteat, firmitérque proponat iterum illam seruare, vt particeps sit priuilegij (quod vulgo Bullæ Sabbatinæ vocatur) non ideò incapax illius efficietur, pro præsenti autem responsione faciunt, quæ diximus *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 120.

Qværes XXV. An, & qualiter Confraternitates possint compelli ad processiones.

185. Respond. quod, quamuis Barbosa *de off. Episc. alleg.* 78. *num.* 24. Zerola *in praxi, v. processiones*, Lco *in thesauro, part.* 1. *cap.* 8. *num.* 18. aliique plures relati à Ricciullo *cap.* 14. *num.* 1. sustineant partem negantem nixi responsione sacræ Congregationis Concilij, quam adducit Quaranta *in bullario, v. præcedentia*: quia tamen eadem sacra Congregatio apud Barbosam *in collect. bullar. v. Confratres*, declarauit Confraternitates posse cogi ad processiones, si ad sit consuetudo; & hodie ex communi Episcoporum consuetudine Confraternitates solent vocari ad processiones per publica edicta sub pœnis: proinde vr plurimum sustineri potest Confraternitates posse cogi ad processiones (& quidem sub pœnis pecuniariis, aut etiam censuris; vt colligitur ex Barbosa *de off. ep. alleg.* 78. *num.* 25.) si enim consuetudo sola tribuit iurisdictionem Glos. *in cap.* 2. *de except. l.* 6. vtique multo magis potest eam prorogare labenti, vt probant Felinus *in c. significauerunt num.* 3. *de iudic.* Nata *cons.* 98. *num.* 12. & Mar. Antonin. *l. var. c.* 103. *n.* 6. *&* 7. subdens *num.* 13. *&* 17. consuetudinem in hac materia probari per multiplicitatem edictorum absque contradictione. Nobiscum sentit Ricciullus *sup. num.* 2. monens, vbi Confraternitates accedunt ad processiones, aut funus, non posse deferre Crucem à Clericis solitam gestari, sed imaginem Crucifixi; aut Sancti, sub cuius nuncupatione militant; vt in 7. Concilio Prouinciali Mediolanensi; quod etiam extra prouinciam Mediolanensem videtur esse in vsu. Addit Lezana *num.* 25. Confraternitates in processionibus publicè incedere ante Regulares ex declaratione sacræ Congregat.

Notat autem Bordonus *supr. num.* 27. quod si aliqua Confraternitas modò accedat ad processiones ex edicto Episcopi quolibet anno exponi solito sub certis pœnis, modo non: ea non ideo posset astringi ad professiones prætextu consuetudinis; cum consuetudo requirat actus vniformes, teste Bartolo *in l.* 2. *ff. solut. matrim.* & Decio *cons.* 214. *num.* 2. nec talis probetur consuetudo, de qua hic loquimur; cum Confratres modò accedant, modò non: præterquam quod tacens consentire videtur, *cap.* 43. *de regul. iur. l.* 2. § *voluntatem, ff solut. matrim.* & quidem in iudicialibus etiam tacenti præiudicialibus teste Tiraquello *de iure mariti, glos.* 7. *num.* 37. Episcopus autem iò præsenti non punit Confratres omittentes accedere, vt suppono.

Addit Bordonus *num.* 28. quod si Episcopus præcipiat sub pœna Interdicti localis Confraternitati in Regularium Ecclesia erectæ, vt accedat ad processionem; si hæc non accedat, non ideo Altare, capella, aut Oratorium illius subiicitur Interdicto locali: cum Interdictum ferri debeat ab habente potestatem, & Episcopus nullam habeat potestatem in Ecclesiis Regularium, vt pote ab eo exemptis etiam, quoad interdictum ex indulto Leonis X. in bulla, *Cum sancta regula*, apud Confectium *pag.* 155. relata, adeóque si simpliciter dictæ Ecclesiæ non possunt interdici, nec possint ex parte, quoad Altare, v. g. aut Capellam. Præterquam quod non est æquum Regularium Ecclesias pati damnum sine culpa ipsorum. Quod si in Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 12. præcipitur Regularibus vt in propriis Ecclesiis mandante Episcopo promulgent, ac seruent interdicta, etiam ab Ordinariis promulgata; ibi sermo est de interdictis generaliter latis, ad quæ alias Regulares; non autem de interdicto particulari, de quo in casu præsenti.

Refert prætea Lezana *num.* 25. ex declaratione sacræ Congregationis posse Confraternitates laicorum, eorumque Capellanos facere solitas processiones, quando non fiunt in Ecclesia parochiali, ac primaria; non tamen debere extendi per vias sed circa muros Regularium, qui eas regunt: quod non obseruatur Romæ à Confraternitate B. Mariæ de monte Carmelo extendente processionem, quam facit in mense Iulij, vsque ad basilicam B. Mariæ maioris, & per vicinas plateas: idque vel ex indulto speciali, vel ex consuetudine.

Cæterùm non possunt Confraternitates accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialiter, ac expressè vocentur: & quando accedunt, nullo modo Crucem erigunt ex declaratione sacræ Congregationis: tunc tamen accipere possunt aliquid, non per modum pretij, sed congruæ sustentationis, vel eleemosynæ. ita Lezana *n.* 26. addens *ex bulla Pij V. in ordine* 86. Confraternitatem Rosarij posse accedere ad processiones quascumque, & in quibus cor-

pora defunctorum ad ſepeliendum deferuntur cum ſuis inſigniis,& cuiuſuis Superioris licentia minimè requiſita.

Qværes XXVI. An auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruari poſſit in Oratoriis Confraternitatum.

186. Reſpond. non poſſe; cum illiud laicis credendum non ſit, *cap. peruenit, de conſecrat. d.* 2.& ſi ex iuſta cauſa ipſis concedatur illud aſſeruare, teneri Presbyterum ab Ordinario approbatum deligere,per quem illud tractetur, & cuſtodiatur, *c. ſanè, de celebrat. Miſſ.c.de cuſtod.Euchar.*ita Ricciullus *ſupr.cap.6.n.4. & 5.* monens orationem 40. horarum, cum non fiat abſque expoſitione Euchariſtiæ, inconſulto Epiſcopo, non debere exponi in Oratoriis Confraternitatum; idque ex declaratione ſacræ Congregationis 20 Auguſti 1601.

Qværes XXVII. An benedictiones candelarum,palmarum,& ſimilium fieri poſſint in Oratoriis Confraternitatum.

187. Reſpond. Ricciullus *num.* 9. non poſſe ex Concilio prouinciali Mediolanenſi, v.prohibente etiam ne Confratres inuicem poſſit thurificari.Verùm Lezana *num.* 25.ex Barboſa *in Collect.bullar.v.Confraternitas*, dicit à ſacra Congregatione declaratum fuiſſe Confraternitates laicorum, ac eorum Capellanos poſſe in propria Eccleſia facere prædicare à Concionatore approbato ab Ordinario, & benedicere palmas, ignem, & aquam: quare in hoc puto ſtandum eſſe conſuetudini vniuſcuiuſque loci, & Confraternitatis.

188. Qværes XXVIII. An Confraternitates inſtitutæ etiam in Eccleſiis Regularium exemptorum ſubiaceant viſitationi Epiſcoporum.

Reſpond. ſubiacere, ſi ſint inſtitutæ auctoritate Ordinarij, aut Apoſtolica; idque ſiue ſint exemptæ, ſiue non; cum hac ſola differentia,quod non exemptæ viſitantur auctoritate ordinaria, exemptæ verò tanquam à Sedis Apoſtolicæ delegato. patet autem reſponſio ex Clem.*quia contingit de relig.domibus* & Concilio Trid.*ſeſſ.*22.*cap.*8.*de reformat.*proceditque non obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemorabili priuilegio, aut ſtatuto; vt expreſsè præcipitur in Concilio Trid. *loco citato*; & notauit Ricciullus *c.*15.*num.*4.referens *num.* 3. ſacram Congregationem 6. Decembris 1616. declaraſſe Confraternitates erectas in templis Patrum Dominicanorum, ac Ieſuitarum ſubiacere viſitationi Epiſcopi: quod certè non eſt in vſu, quoad Congregationes erectas in domibus, aut Collegiis noſtræ Societatis, ſiquidem eas ſacra Congregatio intendit comprehendere ſub nomine Confraternitatum: quod non puto eſſe ita certum, cum eæ communiter non vocentur Confraternitates.

Quin etiam, loquendo de Confraternitatibus erectis ſine Ordinarij auctoritate, hæ etiam ſubſunt viſitationi Epiſcopi,ſi exerceant opera pietatis;cum enim tunc magis conſideretur opus, quam perſona, dicuntur collegia pia, teſte Caſtrenſi *conſ.*167. *lib.*2. & Abbate *in cap. de xenodochijs, num.* 3. *de religioſ. dom.*adeóque ratione operis poſſunt ab Epiſcopo viſitari; vt notant Barboſa *de offic.epiſc. allegat.*75.*n.*21. & 28.*part.*5.*de benef.cap.*1.*num.*613. & Ricciull.*n.*5. monens ex Concilio Trident.*ſupr.* eximi à viſitatione Epiſcopi Confraternitates ſub immediata Regum protectione exiſtentes, imò & illa, in quibus ex diſpoſitione Fundatoris viſitatio Epiſcopi interdicitur; necnon eas, quæ ſunt vnitæ Confraternitati inſtitutæ ſub regia protectione; quod notat Ricciul. *num.* 7. ex Nauarr. & Ric. alias indicans Confraternitates ſub immediata Regis protectione degentes viſitari poſſe ab Epiſcopo de licentia ipſius Regis (quæ tamen ſit ſpecialis etiam reſpectu Epiſc. nominati à Rege) & monens *num.* 12.ex Pereira, ac Ric. eiuſmodi Confraternitates poſſe ab Epiſcopo libere viſitari, quoad concernentia decentiam, ac ornamentum cultus diuini.

Monet autem Barboſa *num.*18. & Lezana *num.*27. etſi poſſit Epiſcopus viſitare Confraternitates ſæcularium inſtitutas in Eccleſiis Regularium, eoſque cogere ad reddenda computa; non tamen eum poſſe viſitare altaria, & capellas earum conſtructas ab illis intra ipſorum Regularium Eccleſias; idque ex declaratione S.Congr.relatæ à Galletto *v.epiſ.*quam tamẽ declarationem dicit Lezana debere intelligi de altaribus, & capellis, prout ſpectant ad Regulares, non prout ſpectant ad Confratres (vt declarauit eadem S. Congreg. 1612. in vna Imolenſi) ac important adminiſtrationem, ſicut aduertit Barboſa *ſupr. num.* 13.

Quin etiam Bord. *ſupr. n.* 22. cenſet Epiſcopum, ſicut nõ poteſt vllo modo viſitare Regulares,ſic nec poſſe viſitare altaria, & Capellas Confraternitatis erectæ in Eccleſia Regularium: & probat,tum,quia dictæ capellæ ſolum viſitari poſſunt in ordine ad ornatum, ac ſupellectilem earum; quæ omnia cedunt in proprietatem Eccleſiæ Regularium, & ordinariè ſunt ſub illorum cura: tum,quia eadem res diuerſo iure cenſenda non eſt vulgatis iuribus:tum, quia talis viſitatio fieri nequit, niſi aliquo modo viſitentur ipſi Regulares, qui tamen non ſubſunt viſitationi Epiſcopi, vt patet.

Adde Parochum in Oratoriis, aut Eccleſiis Confraternitatem intra fines ſuę parochiæ conſiſtentium debere aſſiſtere funeribus, miſſas ſolemnes canere, aliaque ſui officij munera præſtare:& hoc ex declaratione S. Congr. facta 20.Aug.1601.quæ item declarauit 18. Maij 1602. Confraternitates non poſſe in ſuis Eccleſiis per ſuos Capellanos facere ſolemniter celebrare, audire confeſſiones, Sacramenta miniſtrare, ſepelire, & ſimilia præſtare ad ſolum Parochum ſpectantia ſine expreſſa licentia Ordinarij, & Parochi. Quæ tamen procedunt ſolum, quoad Confraternitates laicorum habentium proprias Eccleſias, ac Oratoria: nam erectæ in Eccleſiis Regularium, vel Oratoriis, ſeu Capellis annexis Regularibus, iuxta quorum pragmaticas debent ſe gerere,ſunt exemptæ.

Qværes XXIX. An, & quando Confraternitates teneantur contribuere Seminario iuxta Concilium Trident.*ſeſſ.*23.*cap.*18.

Reſpond. teneri, ſi habeant redditus Eccleſiaſticos, etiam intra Regularium Eccleſias; de his enim loquitur decretum Concilij: ſecùs ſi ſolùm habeant redditus ex eleemoſynis, & collectis. ita Ricciull. 189.
*cap.*14.*num.*3.Lezana *num.* 28. & Barboſa *ſupr. alleg.* 77. *num.* 10. aſſerentes ſic ſæpe declaratum fuiſſe à S. Congr.Nobiſcum ſentit Bord.*tom.*2.*reſol.*72.*n.*43. monens ſecùs dicendum de Societatibus erectis ſine auctoritate Epiſcopi, quamuis ad opus pium inſtitutis;hæ enim ad nil tenentur: cum earum prouentus non ſint Eccleſiaſtici.

Qværes XXX. An bona Confraternitatum poſſint alienari ſine beneplacito Sedis Apoſtolicæ.

Reſpond. non poſſe, ſi Confraternitates ſint inſtitutæ auctoritate Ordinarij,aut etiam ſine talis auctoritate, ſed ſint ordinatæ ad opera pia, iuxta dicta *quæſt.*12.ita Ricciul. *cap.* 11. *num.* 15. ex Redano *tract.de reb. Eccl.quæſt.*28.*propè fin. & quæſt.*49.*num.*8. 190.

Gratiano

Gratiano *disceptat.* 517. aliisque & quidem, quod spectat ad bona Confraternitatum Episcopi auctoritate institutarum, ex eo constat, quod accedente Episcopi auctoritate, Confraternitates fiunt Ecclesiasticæ, & consequenter res, quæ in earum dominio incorporantur, fiunt de foro Ecclesiæ iuxta reg. text. *in cap. vlt. de reb. Eccl.* quod verò spectat ad Confraternitates sine Episcopi auctoritate institutas, sed ad opera pia ordinatas; inde suadetur, quod tales Cõfraternitates iuxta dicta *quæst.* 12. censentur loca pia, ac Ecclesiastica, saltem per æquipatationem; sicque etiam illarum bona censeri debens Ecclesiastica cum æquiparatorum idem sit iudicium. Quamquam, cum simus in materia odiosa, quæ debet restringi, non improbabilis videatur sententia sustinens bona Confraternitatum in hoc posteriori sensu sumptarum posse alienari, absque solitis solemnitatibus: quam defendunt Barbosa *supr. alleg.* 75. *num.* 33. ex Cardinali, Roccho, Gamma, ac Cophino, Lezana *supr. n.* 4. Bonac. *D.* 3. *de contr. quæst.* 8. *part.* 4. *num.* 21. aliique communiter. Quod à fortiori sustinebit Bordonus *supr. n.* 31. docens seclusis bonis subiectis missarum oneribus, quæ nullo modo possunt alienari ex contraria consuetudine posse Confraternitates Episcopi auctoritate erectas alienare sua bona absque iutis solemnitate: sicque Parmæ practicari, vbi Confraternitates liberè vendunt propria bona, ac si essent laicalia: cum alioqui in Extrauagante ambitiosæ de reb. Eccl. non alien. in iis verbis: *Ex quibus Ecclesiæ, monasteria, & pia loca reguntur, Confraternitates saltem veniant nomine locorum piorum*, vt patet.

An autem liberè possint alienari bona immobilia relicta alicui Confraternitati erectæ sine authoritate Ordinarij, qui tamen aliàs visitat Oratorium dictæ Confraternitatis solùm (vt ita dicam) inchoatæ.

Respond. quod, quamuis prima facie sustinenda videatur pars negans, eo, quod talis Confraternitas non videatur locus pius, vtpote erecta sine authoritate Ordinarij, adeóque bona illius non censeantur Ecclesiastica, & consequenter repotati possint alienabilia sine solemnitate: tamen, cum visitatio Oratorij, quæ fit ab Ordinario, videatur implicitè continere talem authoritatem, Confraternitas hæc videtur esse locus pius, eiusque bona videntur esse Ecclesiastica, adeóque inalienabilia; sicque in dubio non consuli debet talis alienatio, nisi adhibita prius maturiori discussione huius puncti. Ita docti Recentiores consulti.

QVÆRES XXXI. Quæ priuilegia competant Confraternitatibus, quoad absolutionem peccatorum, ac electionem confessariorum.

291. Respond. competere solùm illa, quæ iis de facto communicantur, siue à summis Pontificibus, siue à Regularibus, à quibus instruuntur, aut aggregantur; & quidem quatenus sunt in vsu iuxta dicta hîc *c.* 1. *num* 18. & quatenus non aduersantur decretis Conc. Trident. aut pontificiis Constitutionibus; vt statuit expressè Clemens VIII. in sua bulla hîc relata *q.* 4. quamquam Lezana *supr. num.* 18. putet vigore dictæ bullæ solùm tolli vsum priuilegiorum, quæ aduersantur decretis Concilij habentibus derogationem priuilegiorum in contrarium, non item priuilegiorum, quæ aduersantur aliis decretis non habentibus similem derogationem. Quæ autem prioilegia in hoc genere competant huic, & illi Confraternitati, est quæstio facti, quæ ad nos non spectat.

QVÆRES XXXII. Quas indulgentias possint Confraternitates acquirere.

292. Respond. posse acquirere omnes illas, quæ de facto iis concessæ sunt, siue à summis Pontificibus, siue à Regularibus, per quos fuerunt instituta, aut aggregatæ; notat autem Ricciullus *cap.* 19. *num.* 2. indulgentias concessas pro Societate Rosarij locum habere tantum in Societatibus erectis in Ecclesiis PP. Dominicanorum; idque ex declaratione factæ Congregationis 13. Maij 1603. in vna Spoletana: Confraternitates verò sanctissimi Sacramenti vbique terrarum erectas, aut erigendas absque noua concessione, communicatione, aut aggregatione esse participes indulgentiarum, gratiarum, ac quorumcumque priuilegiorum Archiconfraternitati S. Mariæ supra Mineruam de Vrbe concessorum, & concedendorum statim ac eæ erectæ sunt auctoritate Apostolica, vel Ordinarij: sic enim resoluit Congregatio indulgentiarum 15. Febr. 1608. apud Ricciullum *num.* 1.

An autem Confratres tempore interdicti possint sepeliri in Ecclesiis Regularium quorum sunt Confratres.

Respond. Bordonus *supr. num.* 18. non posse: cum Regulares ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 12. teneantur seruare interdicta lata, tum à Papa, tum ab Ordinatio, sicque derogetur priuilegiis ipsorum Regularium ad rem præsentem aliàs concessorum (quale est in primis, quod refert Lezana *tom.* 2. *cap.* 15. *num.* 61. ex Casarubio) derogetur, inquam, respectu sæcularium, non quidem expressè (cum in Tridentino nulla reuocatio priuilegiorum Regularibus concessorum exprimatur,) sed implicitè, ac virtualiter; quatenus Concilium statoit interdicta debere seruari à Regularibus respectu sæcularium: quod non impleretur, si omnes Confratres tempore interdicti possent ad diuina admitti à Regularibus; cum omnes ferè sæculares, tam viri, quam fœminæ sint adscripti in aliquâ ex Confraternitatibus Regularium: quomodo positio interdicti esset frustratoria, & decretum Tridentini inutile; quare dicendum est derogatum in hoc fuisse Regularium priuilegiis; sicut colligitur ex citata *sess.* 25. *cap.* 22. eiusdem Tridentini, & docent Nauar. *cons.* 7. *de priuil.* Garcia *de benef. p.* 3. *cap.* 5. *num.* 278. & Barbosa cum aliis *ad cap.* 12. citatum *n.* 3. contra Henriq. *l.* 13. *cap.* 48. Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 1 12. *art.* 1. Sayr. *l.* 5. *de censur. cap.* 13. *num.* 24. 25. Cruz *l.* 2. *cap.* 7. *d.* 2. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 37. *art.* 12. & alios sustinentes Concilium nullatenus derogasse in hoc Regularium priuilegiis.

QVÆRES XXXIII. An Confraternitates gaudeant priuilegio fori, & quomodo.

Respond. gaudere, non quidem, quoad personas Confratrum: qui, cum sint laici, ex eo, quod recipiuntur in Confraternitatem, non mutant qualitatem; siquidem status deuotionis est compatibilis cum statu laicali. Bart. *in l. id quod pauperibus, num.* 34. *C. de Episc. & Cler.* Rebuff. *in tract. de confrat. num.* 8. Catol. de Graff. *de offic. Cler. effect.* 1. *num.* 121. aliique plores apud Ricciul. *cap.* 12. *n.* 5. sed quatenus constituunt corpus politicum, ac morale; itavt, si earum corpora conueniantur, cognitio spectet ad forum Ecclesiæ, teste Barbosa *supr. num.* 30. & Lezana *num.* 4. qui tamen supponunt Confraternitatem esse institutam auctoritate Episcopi, & consequenter docent Confraternitatem sine Episcopi consensu institutam non gaudere priuilegio fori; quippe quæ non habet rationem loci pij, ac Ecclesiastici: quod eum nos negemus *quæst.* 12. si Confraternitas sit ordinata ad opera pia, consequenter sustinemus talem Confraternitatem frui priuilegio fori; maximè eum versemur in materia fauorabili, quæ debet ampliari. 293.

An autem gaudeant immunitate loca, in quibus Confra-

Confraternitates solent congregari ad exercenda opera pia, ita vt Rei ad ea confugientes sint tuti.

Respond. gaudere (& quidem per ea loca intelligendo etiam domum contiguam, ac vt iam Oratorio Confraternitatis, si deseruiat vsibus ipsius Confraternitatis:) & probatur, tum, quia Ecclesia per 30. passus in suo circuitu gaudet immunitate, *cap. definiuit* 17.*quæst*.4.domus autem Confraternitatis annexa Oratorio ordinariè includitur intra dictum circuitum: tum,quia domus Confraternitatis dicitur locus pius non solùm autem Ecclesiæ,sed etiam loca religiosa, ac pia gaudent immunitate ex bul. Greg. XIV. edita *de immunitate*.ita Lamber.*de iure patr.part*.1.*l*.1.*quæst*.1.Gutier.*l*.1.*q.canon.cap*.35. *num*.23.Peregrin.*de immunit.cap*.4. *num*. 68 .& cum his Bordon *supr.num*. 35. addens secus dicendum, si præfata domus Confraternitatis sit conducta à viro sæculari, vel etiam à Clerico.

QVÆRES XXXIV. An Confraternitates gaudeant beneficio restitutionis in integrum.

294. Respond. gaudere, & quidem etiam aduersus tres conformes, vt probant Cabeda *decis*. 51.*num*.8. *part*.1.& Masttill.*decis*.110.*num*. 15. *&* 16. imò etsi non sint fundatæ auctoritate Episcopi; modò exerceant opus pium; vt ostendunt Tiraq. *de pia causa priuil*.138.Barbosa *supr.num*.38.aliique ab ipso citati id colligentes ex generali conclusione desumpta ex *l.Orphanotrophos*, *C.de Episc.& cler*.quod hospitalia, & alia pia loca gaudent omnibus priuilegiis, quæ Ecclesiis conceduntur.

QVÆRES XXXV. Quod tempus requiratur ad præscribenda bona Confraternitatum.

295. Respond. requiri spacium 40. annorum, loquendo etiam de Confraternitatibus sine consensu Episcopi erectis,sed ordinatis ad opera pia. ita in terminis Lezana *num*.6.ex Molin. *tract*.2.*D*.72.*v.hoc verò priuil*.& Barb.*supr.n*.55.patetque ex Authent.*de Ecclesiast. tit*. §.*pro temporalibus collat*.9.vbi hoc priuilegium ne præscriptio fiat minori spatio temporis, quàm 40. annorum, conceditur omnibus locis piis; qualis vtique est Confraternitas ordinata ad opus pium, etsi erecta sit absque Episcopi consensu; vt notat Barbosa.

QVÆRES XXXVI. An Confraternitates sint exemptæ à gabellis.

296. Respond. esse, & quidem etiamsi erectæ sint absque Episcopi consensu. ita Barb *supr.n*.36.& Lezana *num*.5. probántque ex eo, quod Authent. *item nulla communitas*,*C.de episc.& cler*.concedit exemptionem à gabellis,aliisque tributis, omnibus piis locis; talis autem est Confraternitas destinata ad opus pium, siue instituta sit cum Episcopi consensu, siue non. Quæ ratio à fortiori ostendit hanc exemptionem competere Confraternitatibus episcopi authoritate erectis: cum earum bona, quoad dominium non sint Confratrum vt singulorum, sed prout hi conueniunt sub vna Congreg. Ecclesiastica, ac protectione alicuius Sancti, respectu cuius Ecclesiæ, aut Oratorij Confraternitas acquirit:bona autem Ecclesiarum sunt exempta à gabellis, *c. non minus*, *c. aduersus*, *de immunit*, *Eccl.c. quia nonnulli*, *c. Clericis*, *eod. tit in* 6. Quamquam Bordonus *supr.num*.32. putet Congregationes sine Episcopi auctoritate erectas post bullam Clement. VIII. superius relatam non frui hac exemptione; eo quod licet sint loca pia, nullum habeant vestigium nominis Ecclesiastici, vt pote in sua institutione non fuerint Episcopo subiectæ, nec eius auctoritate fundatæ.

QVÆRES XXXVII. An relicta ad causas pias erogari possint Confraternitatibus; etiam sine Episcopi consensu erectis.

Respond. posse, si Confraternitas sit erecta de consensu Episcopi; vel sine eo, sed ordinata sit ad opus pium. ita Ricciullus *cap*.11. *num*.19. ex Castro *cons*. 5. *lib*.3. Decio *cons*. 72. & Tiraquello *supr. in præfat.pag*.4. 297.

QVÆRES XXXVIII. An ex bonis, quæ Confraternitatibus relinquuntur, debeatur Quarta canonica.

Respond. deberi, si sint erectæ de consensu Episcopi, & vnitæ alicui loco sacro, aut religioso, vel capellæ:de his enim in toto rigore verificantur verba iurium indistinctè decidentium Quartam deberi de relictis Ecclesiis, vel piis locis. ita Barbosa *supr. num*.46.ex Lapo & aliis pluribus ibi citatis, addens *num*.48. in rigore iuris secus dicendum esse de Confraternitatibus deuotionis causa institutis Episcopi auctoritate, vt ibi celebrentur diuina, aliaque pietatis opera exerceantur, nulli Ecclesiæ, aut loco pio affixis,& adhærentibus;cum in iure solum expressum sit Quartam deberi ex iis, quæ relinquuntur Ecclesiis,aut locis piis; quales non sunt Confraternitates sumptæ in hoc posteriori sensu; quippe quæ non non habent rationem loci pij, sed personæ piæ, vt pote repræsentantes corpus fictum plurium personarum. 298.

Sic etiam ex legatis relictis Confraternitatibus pia opera exercentibus deduci nequit Falcidia:cum ex omnes, etsi absque Episcopi consensu erigantur,piæ censeantur,inter pias causas connumerentur;& alias de legatis ad pias causas nulla deducatur Falcidia ex Authent.*similiter*,*C.ad leg.Falcid*.& Authent.*de Ecclesiast. tit*. §. *fin. autem heres*, *collat*. 9. ita Barbosa *supr. num*. 50. plurimis aliis allegatis: cum quibus sentit Ricciullus *supr.num*.18. addens *num*.17. neque Trebellianicam ex dictis legatis posse deduci; quod idem docent Castren. Peregr. & Rota apud ipsum Ricciullum.

Addit Bordonus *supr. num*. 42. ex probato vsu Oblationes factas Altaribus Confraternitatum spectare ad ipsa Altaria, ac in eorum vsibus debere implicari; non autem prætendi posse à Parochis, aut Regularibus, in quorum Ecclesia erecta est Confraternitas; idque ex bulla Clement. VIII. *citata* 9.4. vbi statuitur Confratres non posse eleemosynas excipere, nisi de licentia Ordinarij, quas expendere debeant ad reparationem, seu ornatum Ecclesiæ, cui sunt addicti; quod negant Praxis Neapolitana *cap*.57.*num*.3.& Nald. *v.Oblatio*, *num*. 3. sustinentes eiusmodi Oblationes cedere Parocho.

QVÆRES XXXIX. An Index in bonis Confraternitatum debeat esse Ecclesiasticus, vel laicus.

Respond. debere esse Ecclesiasticum, si Confraternitas habeat Ecclesiam, aut oratorium publicum, seu hospitale, aut sit approbata auctoritate Ordinarij,aut exerceat opus pium; idque licet Confratres, per quos Confraternitas regitur, sint laici; nam bona semper dicuntur Ecclesiastica, *cap.de xenodochys*, *iuncto cap. ad hæc*, *de religios. dom*. & gaudent iisdem priuilegiis, quibus gaudet Ecclesia; vt probant Redoanus *de reb. Eccl. non alien. quæst*. 28.40. *&* 51. Carol. de Grass. *supr. num*. 121. Marius Antonin. *resol*.66. *num*.2.aliique penes Ricciullum *num*.22. Ratio est, quod Confraternitates ex Tridentino *sess*.22. *cap*.8.subsunt iurisdictioni, ac correctioni Episcopi, sicque coram eo debent conueniri: cum Confratres conueniantur, non vt personæ singulares, sed prout conueniunt in ratione formali Confraternitatis. 299.

ita

ita Riecius *in praxi tom.3. resol.*141. Nouar. *de elect. fori, sect.2. quaest.*56. *num.*8. Peregrin. *de immunit. cap.*4. *num.*64. aliique apud Bordonum *supr. num.*36. qui notat id non procedere de Confraternitate in sua institutione non dependente ab Episcopi authoritate, quippe quae nequit dici Ecclesiastica.

Quaeres XL. An Confraternitates cogi possint ab Ecclesia domina directa, vt infra annum vendant bona Ecclesiastica emphyteutica, quae transeunt in ipsas.

300. Respond. posse non secus, ac quando ea bona transeunt in Ecclesiam; idque etsi Confraternitas consistat in simplici collegio: sic enim decidit Rota *decis.*193. *num.*7. *part.*2. *in recent.*

Quaeres XLI. An, & quae Confraternitates sint incapaces decimatum.

301. Respond. esse illas, quae consistunt in simplici collegio; sicque decidit Rota *decis.*603. *part.*1. *in recent.* teste Ricciullo *cap.*11. *num.*20. Nomine autem Collegij simplicis hic significatur congregatio hominum mere prophana, quae nec auctoritate Episcopi, nec ad pia opera instituitur.

Caput VI.

De Priuilegiis concessis Regularibus quoad eorum personas.

Svnt & multa, & magna Regularium priuilegia, quae exposuimus in praecedentibus capitibus: at non sunt pauciora, nec minora, quae iis collata sunt quoad ipsorum personas, & quae hic explicanda sunt in praesenti cap. Caput diuidemus in quinque Sectiones, in quarum prima agemus de priuilegio exemptionis concesso Regularibus quoad Ordinariorum iurisdictionem: in secunda de priuilegio exemptionum, quoad Forum saeculare: in tertia de priuilegio Canonis in ipsorum fauorem inducto *cap. si quis suadente diabolo* 17. *q.*4. in quarta de habilitate, quam habent Regulares ad praelaturas, dignitates, gradus, administrationes, & officia extra religionem: in quinta de iure Filiationis regularis.

Sectio I.

De Priuilegio Exemptionis concesso Regularibus, quoad Ordinariorum Iurisdictionem.

1 *Regulares nunc exempti ab Ordinariorum iurisdictione, & tandem à tempore Gregorij I. imò & ante quoduis priuilegium ad hoc factum: Paulus V. fauit tali Exemptioni.*

2 *Item sunt exempti à Legatis de latere, nisi in eorum Breuibus aliter statuatur.*

3 *Non veniunt nomine Ecclesiasticorum, aut Clericorum in edictis Legatorum.*

4 *Hac exemptione gaudent Nouitij; non item Religiosi Apostatae, aut electi: non specialis habita regulari, nec damnati ad triremes, nec relegati in loca à Prouincijs Ordinis multum distantia, etsi aliqui putent hos subdi soli Papae.*

5 *Gaudent Tertiarij, sed non omnes.*

6 *Item gaudent Oblati, seu Donati, sed non omnes.*

7 *Gaudent famuli Regularium, sed non absolutè.*

8 *Regulares notorie delinquentes interdum puniri possunt ab Ordinario ex Tridentino.*

9 *Secus, si degant extra Ordinem, sed in Conuentu alterius Ordinis.*

10 *Vt puniantur, seruari debent aliqua, quae suppenantur in Tridentino, & hic referuntur: Praelatus regularis, si monitus ab Ordinario vt puniat Religiosum subditum, & non puniat, certas incurrit poenas, & subditus punitur ab Ordinario.*

11 *At regularis Praelatus in hoc casu non tenetur stare processui facto ab Ordinario.*

12 *Etsi is interdum in suo carcere includat Religiosum delinquentem: qui tamen alias à Praelato regulari liberè potest vendicari: putant aliqui Religiosum delinquentem in Ecclesia sui monasterij posse puniri ab Ordinario: ad hoc tamen delictum esse debet notorium, id est publicum; imò & cum scandalo iuxta Cespedes: debet item Ordinarius plaries monere Praelatum regularem, vt puniat subditum: etsi Praelatus ipse localis notoriè delinquat, Ordinarius non punit, priusquam Prouincialem eius moneat: Religiosus modo dicto delinquens cumulatiuè potest puniri ab Ordinario, & à Praelato regulari, potestq, paniente ipsum Ordinario; appellare ad Metropolitanam: etsi alij id limitent: facultas Ordinario concessa in Regulares censetur delegata (quod alij negant) & in eam, Sede vacante, succedit Capitulum.*

13 *Ordinarius punit Regulares indebitè accedentes ad Moniales, sed non per censuras, si ad id speciale priuilegium habeant.*

14 *Illos punit in causa Haeresis ex Pauli V. decreto.*

15 *(Etsi sub tali decreto non comprehendantur Generales ordinum) idque iuxta Bordonum non procedat de Ordinario inferiori Episcopo.*

16 *Bulla pontificia spectantes ad Inquisitionem ligant Religiosos etiam non expressos.*

17 *Non item iuxta aliquos Edicta Inquisitorum.*

18 *Ordinarius procedit contra Religiosos praedicantes errores.*

19 *Item contra indebitè differentes de Conceptione B.V. Mariae.*

20 *Item contra violantes Vrbani VIII. decretum editum* 13. *Maij* 1625.

21 *Item contra vacantes Astrologiae iudiciariae.*

22 *Ordinarius procedit contra Regulares solicitantes in confessione.*

23 *Et in hoc cumulatiuè concurrit cum Inquisitore.*

24 *Limitatur principalis assertio, quoad aliquos casus, qui referuntur.*

25 *Ampliatur verò, quoad alios casus, qui recensentur.*

26 *Denunciari debet solicitatio facta siue ante, siue post confessionem immediatè.*

27 *Iuxta aliquos non debet denunciari Confessarius tangens poenitentem cum culpa mortali; imò & in alio casu, qui refertur:*

28 *Ante talem denunciationem praemitti debet fraterna correctio.*

29 *Obligatio denunciandi cessat in aliquibus casibus, qui adducuntur.*

30 *Poenitens absolui potest antequam denunciet, si sit paratus denunciare: & vt teneatur denunciare, non est opus, quod manifestatio solicitationis sit materia confessionis.*

31 *In aliquo casu denuntiatio fit per Confessarium.*

32 *Solicitans, si sponte compareat, mitius punitur.*

33 *Solicitans in confessione, si non sit Sacerdos, denunciari non debet.*

34 *Denunciare debet quicumque extra confessionem sci-*

scit solicitationem : nec denunciatio necessariò fieri debet in loco, quo facta est solicitatio : imo, si mulier solicitata postea fiat Monialis, denunciare potest sub nomine quod habebat in sæculo : ab Ordinario punitur Confessarius omittens monere pœnitentem in hoc casu vt denunciet, aut aliter hoc dissuadeat.

35 *Ordinarius punit Regulares delinquentes circa clausuram Monialium.*

36 *Item punit non eijcientes ab Ecclesia pauperes ibi emendicantes.*

37 *Punit iniuriantes ipsum, eiusq; iurisdictionem perturbantes.*

38 *Regulares non tenentur ad ius reuerentiale Episcopo proprio : etsi æquum sit, vt ei honorem debitum præstent.*

39 *Ordinarius punit Regulares vagantes, aut Apostatas.*

40 *Regulares itinerare nequeunt sine literis patentibus proprij Prælati.*

41 *Non subsunt Ordinario alias existenti in possessione illos iudicandi.*

42 *Item ei non subsunt, si sit delegatus ad corrigendos Clericos vt sic.*

43 *Ordinarius non semper supplet negligentiam Prælati regularis in corrigendis suis subditis : at visitat monasteria, in quibus deest obseruantia, si Prælatus illius ab Ordinario ter monitus non visitet : non punit Religiosus complicem.*

44 *Non fert censuras contra Regulares, etiam in casu, quo ei subdantur.*

45 *Non semper eos denunciat excommunicatos.*

46 *Non procedit contra illos in casu mercedum, ac miserabilium personarum.*

47 *At procedit contra Regulares detinentes coniugatum professum in casu vetito.*

48 *Item contra renuentes restituere Nouitio restituenda.*

49 *Ordinario subsunt Regulares, quoad reclamandum contra Professionem.*

50 *Illi subduntur, quoad susceptionem Ordinum.*

51 *Item, quoad audiendas sæcularium confessiones, at non ad iurandam idoneitatem subditi.*

52 *Item, si curam animarum exerceant, sed non subsunt in omnibus.*

53 *Subsunt, quoad prædicand u*

54 *Non item quoad exorcizandum.*

55 *Ordinarius respectu Regularium non reseruat vota aliàs ijs concessa.*

56 *Item ijs non reseruat Restitutionem incertorum.*

57 *Non potest impedire, ne ij liberè vocentur ad funera defunctorum,*

58 *Regulares, quoad Libros imprimendos subsunt Ordinario, etsi non incurrant pœnas contra indebitè imprimentes Libros, si id faciant sine licentia Prælati regularis, qualis est etiam localis: libri musici non imprimuntur sine approbatione.*

59 *Regulares subsunt Ordinario, quoad Lectionem sacræ Scripturæ in Conuentibus suis habendam, non tamen absolutè.*

60 *Subsunt, quod constructionem Monasteriorum, & quoad eorum translationem.*

61 *Item subsunt, quoad Festa diœcesana, non item, quoad inducta ex consuetudine : imò nec tenentur denunciare festa indicta ab Ordinario : iuxta aliquos in his festis possunt exercere seruilia spectantia ad Dei cultum.*

62 *Non subsunt festis in certa parochia Diœcesis solum seruandis sub præcepto.*

63 *Superior regularis cum suis non dispensat super obseruantia Festorum.*

64 *Regulares non tenentur ad ieiunia indicta ab Ordinario.*

65 *Nisi subsit periculum scandali ; imò aliqui putant sæculares intra monasteria non teneri ad dicta ieiunia ; sicut nec tenentur Moniales, etiam non exempta, nisi exprimantur in edicto.*

66 *Regulares subsunt Ordinario, quoad publicandas Indulgentias.*

67 *Item quoad seruanda Interdicta.*

68 *Item, quoad Processiones, etsi Ordinarius sit inferior Episcopo : at iuxta aliquos per Nuncium debeant ad illas vocari : Ordinarius summariè decidit controuersias inter Regulares ortas in processionibus.*

69 *Regulares assistũt Synodo Episcopali, si sint Parochi.*

70 *Tenet Synodus habita, ianuis clausis, etsi aliter non publicetur.*

71 *Probatur assertio pluribus rationibus.*

72 *Statuta synodalia proponuntur Clero per modum promulgationis, non autem approbationis.*

73 *Regulares subsunt Ordinario, quoad bonorum renuntiationem.*

74 *Item, quoad reddendam rationem piarum voluntatum ijs commissarum.*

75 *Item, quoad quæstuandum, sed non absolutè.*

76 *Item, quoad recipiendas Ecclesias de manu laicorum.*

77 *Item, quoad Quartam legatorum, non tamen absolutè.*

78 *Item, quoad Missiones Iaponicas, quoad aliqua.*

79 *Item si recipiant nouos Conuentus, in quibus non habitent saltẽ 12. Religiosi, aut sint falsi Monetarij.*

80 *Regulares de licentia sui Prælati interdum se subijciunt Ordinario.*

81 *Non item sine dicta licentia.*

82 *Etsi in casu aliquo possit sufficere tacita licentia Ordinis.*

83 *Imò & Prælatus ipse interdum potest ei se subijcere.*

84 *Religiosus autem subditus non semper se subijcit de consensu Prælati : & in his casibus aditur Ordinarius loci : isq; operatur ex potestate ordinaria (quod alij negant.)*

85 *Regulares nequeunt renunciare exemptioni ab Ordinario.*

86 *Imò debent eam tueri, nec resistentes Ordinario possunt ab eo censurari ante sufficientem monitionem, etsi ab eo non possint appellare : possunt ab eo visitari, etsi sint obseruantes, si Prælati regulares ab eo moniti intra semestre non visitent : Ordinarius in dubio suæ iurisdictioni in Regulares non decidit.*

87 *Exemptio Regularium ab Ordinario latè interpretanda : sicq; Papa subdens Regulares Ordinario, loquitur solum de Ordinario habente Diœcesim.*

88 *Exemptio hæc prodest sæcularibus intra monasteria existentibus (quod alij negant.)*

QVÆRES I. An, & quomodo Regulares sint exempti ab Ordinariorum iurisdictione, necnon Legatorum de latere, & Nunciorum Apostolicorum.

Respond. quòd quamuis olim attento iure communi non essent exempti, sed subijcerentur Episcopis, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, & quidem etiam, quoad faciendam religiosam Professionem, *cap. qui verè* 16. *quæst.* 1. *cap. Abb.* 18. *quæst.* 2. *& cap. porrectum, de regul.* hodie tamen ex variis Pontificum priuilegiis adductis à Casatub. *in compend. v. exemptus*, ferè omnes Religiosi tunc exempti ab Ordinariorum iurisdictione : & consequenter Prælati regulares habent in propriis monasteriis, 1

ac

ac Ecclesiis iurisdictionem pleno iure, quasi Episcopalem, iuxta doctrinam Glossæ communiter receptam in Clem. *de rebus Eccl. non alien. ver. propry.* Ita Barbosa *de potest. Episc. alleg.* 105. *num.* 3. aliique communiter: inter quos Nald. *ver. relig. num.* 52. notat omnes Religiosos degentes in ciuitate, ac diœcesi Bononiensi fuisse subiectos Archiepiscopo Bononiensi, quoad causas, tam ciuiles, quam criminales, vt constat ex Constit. Gregor. X V. ad id edita 28. April. 1622. quæ incipit, *Cum nos.*

Putat autem Bord. *resol.* 7. ex Barbosa, Rodriq. & multis aliis Regulares de iure communi esse exemptos ab Ordinariorum iurisdictione; & hanc exemptionem censet Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 16. *art.* 6. incœpisse à tempore Gregor. I. cum ex tunc electio Prælatorum regularium fieri cœperit à monasterio. Imò Cespedes *d.* 381. *n.* 5. ex Valero, & Lauretto, dicit Regulares etiam ante priuilegia exemptionis iis concessa à summis Pontificibus fuisse subiectos propriis Superioribus, non autem Episcopis; & quidem priuatiuè: etsi per viam appellationis, ac querelæ in certis casibus possent recurrere ad Episcopos: sicut possunt facere subditi Episcoporum, quoad Archiepiscopum.

Porrò Paulus V. *in sua Const.* 34. in ordine, quæ incipit, *Religiosorum*, præcipit à locorum Ordinariis seruari debere declarationem illam S. Congr. Conc. Tridentr. qua responsum fuit neque Constit. in generali Concilio Lugdunensi edita, quæ incipit, *Volentes*; neque decreto Conc. Trid. *cap.* 14. *sess.* 7. comprehendi Regulares ideóque eos iuxta eorum priuilegia coram suis Superioribus, vel Conseruatoribus esse conueniendos: nec non decretum eiusdem Conc. Trident. *dicto cap.* 20. *sess.* 24. ad Regulares non pertinere, nec eorum conseruatoriis imminuere, nec quod primam illarum instantiam aliquid noui inducere: Imò idem Paulus irritum, & inane declarauit qoidquid super præfatis à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit; quæ constitutio in specie edita pro Carmelitis, Religiosis aliorum Ordinum suffragatur per viam communicationis.

2. Quod autem spectat ad exemptionem ab iurisdictione legatorum de latere, ac Nunciorum Apostolicorum, ea videntur gaudere Regulares si attendamus varia illorum priuilegia, & præsertim illud, quod Sixtus I V. Carmelitis concessit per bullam in hæc verba: *Nullus Ordinarius, seu Legatus quauis auctoritate vtens quamcumque superioritatem super prædictos Fratres*, (idest Carmelitas,) *sibi vendicare præsumat*; verùm videndum est, an dictis priuilegiis derogetur in literis legationis: si enim derogetur, certum est Regulares subiici Legatis de latere, non obstantibus præfatis priuilegiis; dicit autem Peyrinus *tom.* 1. *priuil. Constit.* 4. *Sixti I V. num.* 8. iis de facto derogari in litteris legationis; mihiqoe certo id constat ex literis datis Eminentissimo Cardinali Pallotæ ab Vrbano V I I I. misso ad legationem Ciuitatis, & Ducatus Ferrariensis; sic quippe habent: *Per te ipsum, vel alium, seu alios viros probos, & idoneos contra quoscumque criminosos, & delinquentes, aut inobedientes, seu iuris, legum, & canonum contemptores, tam sæculares, quam Regulares etiam exemptos, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis, & conditionis fuerint per viam accusationis, denuntiationis, aut ex officio simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, inquirendi, & procedendi, eósque, prout Canonica requirunt sanctiones, & aliàs prout tibi videbitur, puniendi: necnon horum criminum, ac etiam omnes alias causas ciuiles, & criminales, & mixtas ad forum Ecclesiasticum, quomodocumque pertinentes, & in quacumque instantia, præterquam in prima*, &c. vt proinde meritò dicat Tabiena *ver. exemptus*, id esse indubitatum; sicque testatur praxis ferè communis. Ita Nald. *ver. exemptio, n.* 5. aliique apud Sanch. *l.* 6. *consil. cap.* 9. *d.* 1. *n.* 18. qui tamen oppositam sequitur sententiam, cum plurimis aliis ab ipso relatis: qui sine dubio loquuntur solum, quantum est ex priuilegiis Regularium, & seclusa derogatione eorum, vti nos diximus. Illud certè non placet, quod ait Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 63. *art.* 4. priuilegium Sixti I V. à nobis paulò ante allegatum, & alia similia non loqui de Legato à latere, sed tantùm de simplicibus Legatis Sedis Apostolicæ; siquidem talis limitatio est minus conformis textui loquenti vniuersaliter de quocumque Legato, & quacumque auctoritate vtente: maximè cum, teste Nald. *sup.* extet priuilegium, quo Clerici Regulares eximuntur à quacumque iurisdictione Ordinariorum, etiam Legatorum de latere.

An autem Regulares in edictis Legatorum de latere aliàs habentium super eos iurisdictionem comprehendantur sub nomine Ecclesiasticorum.

Respond. videri non comprehendi; cum sint personæ speciali nota dignæ, ac priuilegiatæ, adeóque in odiosis non veniant nomine Cleri, sicque interdicto Clero interdicti non censeantur Regulares; quippe qui non constituunt communiter vnum corpus cum Clericis sæcularibus, quod vocetur nomine Cleri; cum habeant planè distinctos fines, ac modos se ipsos regendi, nec communibus consiliis, aut legibus cum ipsis Clericis regantur: sicut notauit Coninch. *D.* 17. *de censur. n.* 9 Vnde fit, vt non solum Legati, sed etiam Pontifices in suis Decretis, ac Constitutionibus expressam faciant mentionem de Regularibus, quotiescumque intendunt eos in illis comprehendere; quod confirmat Nouarius *in Luc. Regul. ver. excommunicare, num.* 7. dicens cum Rodriq. *supr. q.* 69. *art.* 5. ad hoc, vt Regulares includantur sub excommunicatione lata à Legato de latere in communi, specialiter in ea esse nominandos, sicque fuisse practicatum in regionibus Hispaniarum. 3.

Sic Naldus *ver. Clericus, num.* 1. ex Vgolino docet appellatione Clericorum in materia odiosa non venire Monachos, seu Religiosos (cum in his adsit qualitas, supra alios non existens in simplicibus Clericis) adeóque censuram latam simpliciter in Clericos non afficere Regulares, nec è contra: additque in materia odiosa nomine Ecclesiarum non venire monasteria.

QVÆRES II. An exemptio ab Ordinariorum iurisdictione competat omnibus Regularibus, etiam Apostatis, eiectis, ac Nouitiis.

Respond. competere Nouitiis, non item Religiosis Apostatis, aut eiectis, & quidem, quod spectat ad Nouitios, patet responsio, tum, quia alioqui magna esset perturbatio Religionum, si Ordinarius cognosceret de delictis commissis à Nouitio perseuerante in Religione: tum, quia Nouitius in fauorabilibus venit appellatione Religiosi, & gaudet priuilegiis Religionis, teste Corduba *lib.* 1. *quæst. quæst.* 30. quod verò attinet ad Apostatas, constat ex decreto sacræ Congreg. iussu Vrbani V I I I. edito, & relato *in tom.* 4. *bull. Constit.* 26. *Vrb. VIII.* vbi præcipitur, vt fugitiui, & Apostatæ, siue habitum regularem deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres coniici ac Superioribus Regularibus consignari secundum, regularia instituta puniendi. Quod denique facit ad eiectos, habetur ex citato decreto sacræ 4.

Congregat. iis verbis: *Sic Eiecti quamdiu non redierint ad Religionem in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni,& obedientia subsint.*

Quod tamen spectat ad Religiosos regulari habitu spoliatos,& ad triremes damnatos, putat Nauarr. *comment. 1. de Regul. post num.* 34. eos subdi Episcopo originis: cum domicilium originis sit immutabile, nec amittatur per accessorium dignitatis, quæ non aufert,sed cumulat domicilium,*l. Senatores,ff. de Senatorib.*& addit Episcopum originis posse dicto Religioso concedere transitum ad alium Episcopatum, vbi alij Episcopo subsit.

Negat autem Nauarrus *sup.* Regularem ex pœnitentia relegatum à suis Prælatis in loco à prouinciis distanti, subdi alicui Episcopo, cum ille subsit soli Papæ,eique acquirat,quidquid acquirit:quamquam (subdit Nauar.)ex quadam æquitate,& tacita mente Papæ, si longè ab Vrbe exterminaretur satisfaceret fortè suis conscientiis delegando aliquem Episcopatum, cuius Episcopo obediret argument. *cap. nihil de elect.*

An autem & Tertiarij sint exempti ab Ordinariorum iurisdictione.

5. Respond. non esse,nisi illos, qui (siquidem sunt masculi)viuunt collegialiter, aut cum claustralibus iuxta dicta,*cap.præced.sect.5.subsect.1.quæst.*24.(si verò sint fœminæ)vitam cælibem,seu virginalem,seu vidualem ex voto degunt. ita Lezana *tom. 1. cap. 14. num.* 35. patetque ex sup. dictis.

QVÆRAS III. An Oblati, seu Donati sint exempti ab Ordinarij Iurisdictione.

6. Respond. esse,si veram professionem 3. votorum emiserunt(quo modo sunt verè Religiosi,& coincidunt cum iis, qui vulgo dicuntur Conuersi) aut certè, si talem professionem non emiserunt, se, & sua omnia monasterio tradiderunt nulla prorsus licèt minima eorum portione sibi reseruata neque in proprietatem,neque in vsumfructum,idque irreuocabiliter,plenè,& cum effectu,habitumque aliquo modo mutauerunt.Colligitur ex Lezana *supr. cap.*8. *num.*8. addente prædicta habere locum etiam in iis, qui impletis præfatis requisitis ineunt matrimonium: si tamen id faciant de licentia Prælati regularis;pateque tum ex dictis *supr. cap.* 1 *sect.*4.*quæst.*10.

QVÆRAS IV. An, & quomodo Famuli Regularium subiaceant iurisdictioni Ordinariorum.

7. Respond. In aliquibus non subesse,si iuxta Concilium Trid.*sess.*24.*cap.*11.*de reform.* actu seruiant,& resideant in monasteriis; non subesse, inquam, tum quoad Sacramentorum administrationem (excepto tamen Sacramento Pœnitentiæ, sicut probatum est suo loco:) tum quoad censuras,cum ij non possint interdici, aut excommunicari ab Episcopo ex concessione bullata Alexandri IV. relata à Castarub. *in comp.v.familiares,num.* 1 1.

QVÆRES V. An, & quando Regulares delinquentes puniri possint ab Odinario loci.

8. Respond.distinguendo; vel enim ij degunt intra claustra monasterij;& sic non possunt puniri ab Ordinario, nisi ita notoriè delinquant, vt gignatur scandalum in populo (idque iudicio viri prudentis) & Prælatus regularis, eorum instante Ordinario illos non puniat intra tempus præfigendum ab ipso Ordinario:sic quippe statuit Concil. Trid. *sess.*25.*de regul. cap.* 14. Vel ij degunt in aliqua grangia, seu membro monasterij de licentia proprij Prælati in vtilitatem, & bonum sui monasterij: & nequeisse possunt puniri ab Ordinario; cum Religiosus in tali casu fictione iuris censeatur esse in monasterio iuxta Panormitanum *in cap. ex rescripto, de iure iur.* *num.* 5. Syluestrum *v. religio* 3. *quæst.* 19. Nauarrum *com.*4.*de regul.num.*74. & alios docentes Monachum dici esse in monasterio,si in alio loco maneat de Superioris mandato: præsertim cum grangia sit membrum dependens à monasterio, ideoque censeatur esse eiusdem iuris, & gaudere priuilegiis sui monasterij,*cap.recolentes,§.cæterum,de statu Monach.*)quod tamen negat Barbosa *supr. num.* 16. ex Praxi noua Episc.& Campanili,dicens,Regularem manentē extra claustrum de licentia Superioris, etiam in domo deputata ad erectionem monasterij, posse puniri ab Ordinario, nisi in ea domo vigeat regularis obseruantia,vt saltem viuat sub Superiore. Vel denique ij degunt extra monasterium;& sic certum est eos posse puniri ab Ordinario; cum Ita decreuerit Concilium Trid.*loco sup.citato.* Monet autem Peyr. *tom.* 1. *priuil. Constit.* 2. *Sixti IV. num.* 22. decretum Sacræ Congregationis,quod pro se adducit Barbosa,paulò ante allegatus, etiamsi detur esse authenticum (de quo non parum dubitat Peyrin.) intelligendum esse de iis tantum Regularibus, qui ad longum tempus degunt extra monasteria, habentque extra illa domicilium ex aliquo speciali priuilegio, & non subiiciuntur annuæ correctioni, ac visitationi Prælatorum regularium: hi enim par est, vt habeant aliquem Superiorem,qui debitè illos exerceat.

Notat hîc Bordonus *resol.* 7. *num.* 61. Religiosos vacantes studiis extra proprium monasterium effugere iudicium Ordinarij, si degant in aliquo Conuentu alterius Ordinis;idque colligit ex verbis illis Concilij Trid. *sess.*25. *cap.*4.*de regular. In conuentibus tantum habitent*: quæ cum sint generalia, intelligi possunt etiam de Conuentibus aliorum Ordinum,si desint proprij; præsertim cum simus in materia odiosa aduersante exemptioni Regularium, quæ proinde ampliari non debet, sed restringi; sic Bordonus,& non improbabiliter addens *num.*58. Religiosum degentem in grangiis,aut aliis locis annexis monasterio, si delinquant,non puniri ab Episcopo, sed à Prælato Regulari, cum censeantur delinquere intra claustra:cum Bordonu,sentiunt Riccius,& Barbosa, relati ab eo. Imò Cespedes *de exempt. d.* 141. *num.* 3.idem probat de quouis Religioso degente extra claustra Prælati,tum quia in monasterio censetur esse, qui de licentia Prælati est extra illud, *cap. ex rescripto, de iureiurando*:tum quia æquum non est,vt qui à Superiore ordinario quotannis visitatur, &, si opus est,punitur,alij extraordinario Iudici subdatur sicque Authores contrariæ sententiæ putat Cespedes, loqui de Religioso extra claustra viuente, & à Prælato ita distante, vt non nisi post longissimum tempus puniri possit. 9.

Quin etiam Cespedes *d.*141. ex Peyrino, censet supradicta procedere de Religioso sine licentia degente extra claustra,quem Superior studet reducere: & probat, quia Tridentini decretum superius relatum loquitur solùm de Religiosis extra claustra sine licentia degentibus, & quos Prælati velut oues infectas eiecerunt,desperata illorum emendatione,nec curant reducere: Religiosi autem, de quibus hîc agitur,non sunt tales; quippequi non censentur dereliŀti hoc ipso quod Prælatus curat eos reducere ad obedientiam, nec reputantur eiecti ab eius iurisdictione.

Quod autem spectat ad obseruantiam decreti Concilij Trid.superiùs relati,aliqua nobis aduertenda sunt:& quidem 1. Ordinarium, in casu quo notoriè delinquens non puniatur à Superiore regulari, non debere ipsum punire,antequam saltem summariè probet illum deliquisse notoriè, & cum scandalo:

lo: alioqui sententia illius, quæ debet fundari super notorio, esset nulla: secundò notorium hic sumi eo sensu, quem innuimus *sup. cap. 3. sect. 2. subs. 2. quæst. 1. suppos. 5.* in materia non omninò dissimili: tertiò, posse Ordinarium statim ac habet notitiam delicti, capere summariam informationem (non tamen processum iuridicum) eamque mittere ad Prælatum regularem delinquentis, vt possit contra ipsum procedere iuridicè: quartò, sufficere quidem vt Ordinarius vnica vice moneat Superiorem delinquentis modo dicto, terminum ei præfigendo ad puniendum delictum: meliùs tamen factum, si bis, vel ter moneat; cum verbum, *instare*, importet speciem quamdam importunitatis, teste Baldo *in l. eos, §. apostoles, num. 3. C. de appellat.* quintò, Prælatum Regularem teneri non solùm transmittere ad Ordinarium sententiam, & acta super delicto instituta, sed etiam illum certiorare de punitione, ac executione sententiæ, si ipse Ordinarius id petierit: sextò, facultatem Ordinario attributam in Regulares notoriè, & cum scandalo delinquentes extra claustra, locum habere etiam in casu, quo Regulares intra ecclesiam notoriè, & cum scandalo delinquant (non item, si intra claustra. ita Peyrin. *tom. 3. de privil. cap. 2. num. 3* 1. afferens ad id varias sacræ Congregat. declarationes ex Barbosa *in addit. ad. 3. part. de offic. Episc. alleg. 105. num. 20.*

Addo Clementem VIII. *in sua Constit. 39. in ordine*, quæ incipit, *Suscepti muneris*, decreuit, quod si Superior Regularem delinquentem modo dicto non animaduerterit, quin imò illum impunitum ad alia sui Ordinis loca extra Episcopi diœcesim, vt præfertur, transmiserit; Superior ipse, instante Episcopo intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub indignationis Papæ, ac priuationis dignitatum, & officiorum obtentorum, nec non inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac vlteriùs priuationis actiuæ, & passiuæ vocis: ad quas à nemine, præter quam à Papa pro tempore existente restitui possit, ipso facto incurrendis pœnis ipsum Regularem delinquentem à loco, ad quem transmissus fuit, reuocare, & in quo deliquit, consistere, seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere prætermiserit, decreuit Clemens, vt Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel aliàs de illius delicto informatus, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus supradictum Concilij Trid. decretum omninò exequi, & in Regularem delinquentem seuerè animaduertere possit, & debeat; ita Clemens iisdem ferè verbis.

At difficultas est, an Prælatus regularis cum solo processu facto ab Ordinario circa notorium delictum sui subditi possit ipsum punire, vel certè debeat per se ipsum formare nouum processum.

11. Respond. debere formare per se nouum processum: cum ex dictis Ordinarius non possit sumere, nisi summariam informationem facti, ideoque processus ab eo factus non sit iuridicus, vt pote factus à Iudice non competente; constat autem non posse puniri reum ex processu irrito. Quamquàm, si detur Ordinarium posse instituere iuridicum processum (vt aliqui putant) tunc posset Prælatus regularis punire Religiosum subditum cum solo processu facto ab Ordinario; si quidem non est nouum, quod Iudex cum processu formato per alium Iudicem puniat delinquentem; vt patet in casu, quo iudex Ecclesiasticus Clericum degradatum tradit puniendum Iudici laico. ita Peyrin. *num. 32.* monens Prælatum Regularem numquam teneri punire subditum delinquentem cum solo processu facto ab Ordinario.

Difficultas grauior est, an Ordinarius vi decreti Tridentini possit in suo carcere Episcopali includere Religiosum notoriè delinquentem modo supra dicto extra monasterium.

Respond. posse, si sit periculum fugæ, & non possit commodè haberi licentia Prælati regularis; dummodo, sumpta informatione debita super delicto, sine mora vnà cum ipsa informatione Religiosum reum remittat ad Prælatum regularem. ita Barbosa *de offic. Episc. allegat. 105. n. 64.* ex Felino, Cardin. & Kochier, à quibus non dissentit Villalobos apud Dianam *part. 3. tract. 2. resol. 132.* quamquàm Nald. *v. Episcopus, num. 28.* ex quadam declaratione Sacræ Congregation. absolutè dicat Regularem modo superiùs explicato delinquentem posse detineri ab Episcopo in suis carceribus, vsque dum in Curia Episcopali perficiatur processus. Cum è contra Cespedes *d. 238. num. 2. ex Nouario* afferat aliam declarationem eiusdem Sacræ Congregationis, qua statuitur Religiosum delinquentem statim remittendum esse ad Superiorem, etiam posito quod is nullam instantiam faciat.

An autem Prælatus regularis propria, authoritate Religiosum suum captum ab Episcopo possit recuperare.

Respond. Cespedes *d. 246.* ex Snar. Nauarro, & Peyrino, posse: & probat, quia Religiosus perpetuam debet obedientiam, ideóque semper ad obedientiam qualibet via reduci potest: non secùs ac maritus vxorem, dominus seruum possunt semper recuperare: idque non solùm quando Religiosus fugit sine licentia, sed etiam quando cum licentia, & vltra terminum concessum manet extra monasterium. ita Cespedes, monens tamen in praxi Prælatos non reducturos Religiosum subditum ad Ordinem sine multis inconuenientibus. 12.

Qualiter verò Prælatus regularis teneatur monere Episcopum de punitione Regularis subditi delinquentis; ostendit Peytin. *in formulario lit. P. cap. 7.*

Placet hic apponere quod notat Lezana *v. delinquere Regularis*, ex declaratione scilicet Sacræ Congregationis, Concilij decisionem allatam hìc in responsione principali non solùm procedere in casu, quo Religiosus extra claustra deliquerit notoriè, & scandalosè, sed etiam quando deliquerit intra Ecclesiam sui monasterij. Quòd etsi durum videatur, cum Religiosus in Ecclesia sui monasterij existens intra claustra existere dicatur: acquiescendum tamen esse decisioni Sacræ Congregationis, si de ea authenticè constet: nisi fortè dicatur, subdit Lezana & congruentius, intelligi de alia Ecclesia sui Ordinis extra propriam Ecclesiam sui monasterij. Quàm distinctionem dicit Cespedes *de exempt. dub. 139.* sibi placere inter contrarias Sacræ Congregationis declarationes: quamquàm hæc ipsa contrarietas ostendat eiusmodi declarationes non habere vim legis vniuersalis, & non obligare, vt diximus *c. 4. num. 43.*

Porro, cum Tridentinum *sup.* loquens de Regularibus dicat, *notoriè, & cum scandalo delinquerit*, simulque in odiosis, verbum, *notoriè*, sumi debet strictè, adeóque cum publicum non necessario includat notorium (publicum enim dicitur, quod potest probari vltra consuetam probationem) notorium verò vltra id petat, quod in loco publico fiat; sequitur Regularem non subdi Episcopo, si delictum non sit publicum per quem verò numerum personarum assistentium delicto dicatur delictum notorium, non conueniunt Doctores; nisi quod Iudicis arbitrio

id relinquitur: cum omne id, quod in iure non est expressum, Iudicis arbitrio relinquatur. sic notorium, de quo loquitur Concilium, importat notorietatem facti: cum Concilium in hoc non se declaret, & appellatione notorij intelligatur de dubio facti, non iuris, teste Barbosa *de appellat. verb. vtriusque iuris v.notorium.*

Putat autem Cespedes *sup.237.num.9.* quod, licet probabile sit Regulares delinquentes non subdi Episcopo, nisi eorum delictum sit modo dicto notorium, probabilius tamen videtur non requiri, vt delictum verè, ac rigorosè sit notorium, sed sufficere, quod sit cum scandalo; idque ex iis verbis Concilij *ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo, sit* ita indicantis in hoc casu delictum debere quidem esse notorium, non tamen in omni rigore, sed ita vt possit gignere, & gignat scandalum.

Vt verò Episcopus possit punire Regularem in casu proposito, debet priùs monere Prælatum proprium Religiosi delinquentis, semel quidem iuxta Nouarium *in Lucerna Regul. v. delinquens n.9.* afferentem ad id declarationem Sacræ Congregationis, ter verò iuxta Nouarium alterum *in summa bull. bulla Clem.VIII. de Regulari delinquente,* id probantem ex eo quod vnica interpellatio non sufficit, vt dicatur stare per Iudicem, quo minùs causam expediat; & *cap.1.de supplenda neglig.Prælat.* vt superior requisitus ab inferiori constituatur in mora, requiritur multiplex interpellatio, teste Abbate *in cap.ex parte, de appellat.* vbi ait posse appellari à negligentia Iudicis, si ter requisitus distulerit sententiam proferre: quæ omnia videntur procedere in præsenti casu, adeoque probare intentum; vnde Cespedes *sup. num. 11.* loquens de hac vltima opinione ait, *hæc opinio mihi magis placet: fidem tamen adducta declarationi in contrarium* (quæ scilicet allata est paulò ante) *fidem adhibe.* sic ille, & meo iudicio bene, nisi obstet contraria consuetudo.

Quòd si contingat Prælatum regularem monasterij modo dicto delinquere, is non statim ducendus est ad carcerem Episcopi, monito Prouinciali de facto secuto, eoque requisito, vt rescribat cui velit reò consignari (vt putat Ciarlinus apud Cespedes *d.240. n.1.* qui eum refutat ex Alphonso de Leone *recoll.2. de censur.n 496.* referente declarationem Sacræ Congregationis contra ipsum Ciarlinum; dicitque potestatem Episcopi non extendi ad carcerationem Prælati in casu proposito, etsi id non probet) probari tamen posset ex eo quod facultas procedendi contra Regulares notorie delinquentes, cum sit odiosa, debet restringi ad casus in iure expressos: in iure autem non est expressum, quod Episcopus possit carcerare Prælatum monasterij notoriè delinquentem: cum iura apertè dicant generaliter Episcopum, antequam puniat Regularem notoriè delinquentem, debere instare, vt puniatur ab ipsius Prælato, nec excipiant hunc casum, in quo ipsemet Prælatus delinquat; in hoc ergo casu monendus esset Prouincialis, aut Generalis, nec carcerandus Prælatus delinquens. maximè cum Tridentinum sup. loquatur expressè de Regularibus, & nomine Regularium vt sic non veniat Prælatus monasterij, sicut nec nomine Monachi venit Abbas in odiosis, teste Naldo *v. Abbas num.1.* & Diana *p.3. tr.ct.2.resol.48.v. nota 3.* addens infra nec nomine Monialium venire Abbatissam in odiosis.

Addit Vuamesius *tom.1.consil.cons.465.* per decretum Concilij supra allatum non tolli, quin Prælatus Religiosi extra monasterium degentis sine licentia possit Episcopum præuenire in eo corrigendo, ac puniendo, *cap.ad nostram, de statu Monach.cap.reprehensibilis de appellat.* ita, vt Concilium Episcopo accumulatiuè tribuat hanc potestatem, non autem priuatiuè respectu Prælati regularis; cui per Concilium non est sublata iurisdictio in Religiosum subditum, quamdiu manet sub eius obedientia. cum Vuamesio sentit Cespedes *sup.d.243.* nunens contrarium videri innui ex decisione Rotæ relata à Farinacio *p.1.decis.15.* adensque hanc decisionem non obstare resolutioni Vuamesij; cum loquatur de Regularibus non exemptis.

Quæri posset modò, an Regularis appellare possit ad Metropolitanum in casu, quo Episcopus possit, & velit ipsum punire ob delictum commissum.

Respond. Villadiego *in speculo visitatorum, fol.35.* posse, & pro se refert declarationem Sacræ Congregationis, probatque assertionem; quia, quæ Ordinarius facit in visitatione, facit iure ordinario, etsi Apostolica authoritate sit factus delegatus: alij verò Doctores cum Cochier *p.2. de iurisdict. in exemptos q.14. num.4.* ferè communiter sustinent partem negantem ex eo quod, quando Episcopus procedit in Regulares, id facit vt delegatus Sedis Apostolicæ; sicque appellario esse potest solùm ad delegantem, vt habetur *cap.super quæstionem, de offic.delegati, cap. si delegatus, cap.si iis, cui, cap.si à subdelegato, de off. & potest. in 6.* Cespedes denique *de exempt. d.257. num.3.* censet sententiam Villadiegi subsistere, quoad ea, in quibus Regulares subduntur Episcopo, non tanquam delegato Papæ, sed vt habenti ordinariam potestatem (cuiusmodi est susceptio ordinum) non item in aliis, in quibus Ordinarius procedit, vt delegatus Sedis Apostolicæ.

An autem, quando Episcopo committitur aliqua facultas in Regulares à Papa, ea censeatur delegata, aut potiùs excitata.

Respond. ex communi Doctorum sensu eam censeri delegatam: & ratio est, quod, quando Ordinario committitur aliquid non pertinens ad eius ordinariam iurisdictionem, ille tunc censetur solùm delegatus. Cochier autem *sup.* notat ex forma, qua committitur facultas Ordinario, posse cognosci, an ea sit delegata, vel ordinaria: si enim dicatur, *vice nostra: authoritate nostra,* &c. iurisdictio est delegata: si verò dicatur, *mandamus tibi, vt iustitiam facias: committimus tib* ,&c. iurisdictio videtur excitata, non delegata. Vnde infert Cespedes *sup. n.4.* Religiosum grauatum ab Ordinario tunc solùm posse appellare ad Metropolitanum, quando Episcopus procedit vt Ordinarius, non item quando procedit vt delegatus: tunc enim appellare potest solùm ad delegantem, idest ad Papam: quod non admitteret Hostiensis apud Cespedes dicens, dum Ordinario aliquid committitur in exemptos semper excitari eius iurisdictionem. is. n. consequenter debet dicere posse in proposito casu appellari ad Metropolitanum.

Quòd verò aliqui hinc inferunt Capitulum, Sede vacante, non posse præstare, quæ in materia iurisdictionis competunt Ordinario iure delegato: limitandum est; nimirum procedere, quoad competentia Ordinario ex delegatione facta personæ particulari specialiter ad certum casum, non item loquendo de delegatione facta muneri Episcopali vniuersaliter. Ita Cespedes *sup. d.396.* ex hac distinctione inferens Capitulum, Sede vacante, posse præstare ferè omnia spectantia ad iurisdictionem, quæ potest præstare Episcopus, addensque contrarium sustineri à P. de Bellis apud Dianam *p.7.tract.12.resol.26.*

QVÆRES VI. An Regulares accedentes ad Moniales sine licentia possint puniri ab Ordinario.

Respond.

13. Respond. posse, quantumuis sint exempti: idque ex Constitutione Gregorij XV. edita 9. Febr. 1622. *de exemptorum priuilegiis*, quæ sic habet: *Ad hæc tam Regulares, quam sæculares huiusmodi nullis priuilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quo minus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum Monialium etiam Regularibus subiectarum ab Episcopo loci similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato toties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant*. ita Diana *p. 3. tract. 2. resol.* 48. cum Bellochio, & Bonacina: qui tamen benè notant hinc non sequi Episcopum tanquam Sedis Apostolicæ delegatum posse peculiari statuto prohibere Regularibus sub pœna excommunicationis, ne alloquantur Moniales: aut subiacere censuris ab Episcopo latis contra accedentes ad monasteria Monialium: quippequi iuxta dicenda infrà habent speciale priuilegium, vt non possint excommunicari ab Episcopo; cùm aliàs nemo à non suo iudice ligari possit, sicut nec solui *cap. cum inferior, de maior. & obed.*

Quod si Sacra Congregatio Concilij 26. Iun. 1617. in vna Viterbiensi declarauit Episcopum ob clausuram Monialium custodiendum etiam in monasteriis Regularibus subiectis posse excommunicationem latæ sententiæ sibi reseruatam imponere circa apertionem ostij clausuræ extra casus indigentiæ, necnon circa accessus, & colloquia cum Monialibus: dictamque excommunicationem ligare non modo Regulares accedentes, sed etiam Moniales, facta de iis mentione, adeò vt Superior regularis ab huiusmodi excommunicatione absoluere nequeat: talis declaratio videtur explicari posse, ae debere dummodo Regulares non habeant speciale indultum, vt non possint censurari ab Ordinariis: idque vt iura iuribus concordent.

An autem Regulares subiaceant Ordinario quoad obtinendam facultatem accedendi ad moniales, constabit ex dicendis *in tract. de prohibition. cap. 6. quæst.* 17.

QVÆRES VII. An, & quo modo Regulares subiiciantur Ordinario in causa Hæresis.

14. Respond. olim quidem non fuisse subiectos ex indulto bullato Clementis VII. concesso Carmelitis eos eximente ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, etiam in casu hæresis, ac indulgente Prælatis regularibus, vt de suis subditis iudicarent etiam in casu hæresis (quod priuilegium posteà à Pio per bullam fuit restrictum ad casum, in quo Prælati regulares in cognitione talium causarum præuenirent Inquisitores,) in præsentia tamen subiici tum Ordinariis, tum Inquisitoribus ex Constitutione Paul. V. edita 1. Sept. 1606 in qua non solum reuocat omnes facultates quoad hoc concessas Prælatis Religionum, statuitque similes causas solùm spectare ad tribunal S. Inquisitionis: sed præterea præcipit sub magnis pœnis tam Prælatis Religionum, quam ipsis Religiosis subditis, vt Religiosos suspectos de hæresi denuncient Inquisitoribus, aut Ordinariis locorum vicinioribus. ita Lezana *tom. 1. cap. 18. num.* 18. addens omnes, & singulos Religiosos hæreticos, seu de hæresi suspectos Inquisitoribus esse denunciandos sub pœna excommunicationis latæ sententiæ iuxta edictum, quod refert Peyrin. *tom. 2. priuileg. constit. Pauli V. in ordine* 7. probans illud esse perpetuum, cùm fuerit propositum sub nomine præcepti; vnde aliqui opinantur dictum decretum non esse perpetuum; quasi verò præceptum, & decretum aliquando non confundantur in iure, sicut ostendit Peyrinus *supr.* ex Tuscho.

Cæterùm notat Pegna *in direct. inquisit p. 3. q.* 28. *com.* 77. & cum eo Peyrin. *vbi supra*, Inquisitores vi prædictorum decretorum non posse inquirere contra Generales Religionum Militarium; cùm lex generaliter loquens numquam comprehendat casus specialiter priuilegiatos, & in generali locutione non veniant ea, quæ habent nomen speciale, ac elegans, iuxta *cap. de multa, de præbend.* & *cap. Sedes Apostolica, de rescript. & cap. fin. de offic. deleg. in* 6. Vnde fit, vt, si procedendum sit contra præfatos Generales, id priùs debeat denunciari Inquisitoribus Generalibus, vt, causa cognita, statuant, quid opus facto sit; quamquàm interim possint Inquisitores inferiores recipere dicta testium, &c, si dicti Generales essent suspecti de fuga, aut molirentur aliquid vergens in apertum fidei damnum, ac perniciem fidelium, possent inferiores Inquisitores illos incarcerare ad effectum eos remittendi Inquisitoribus Generalibus, sicut aduertit Peyrinus *loco cit.* 15.

Quod autem dicit Bordonus *resol.* 37. *n.* 64. solos Episcopos post allegatam Pauli V. bullam procedere contra Regulares in causis pertinentibus ad Officium S. Inquisitionis, non autem alios Prælatos inferiores iurisdictionem quasi Episcopalem habentes; id colligens ex ipsa bulla Pauli V. in hoc subdente Regulares delinquentes Episcopo viciniori: non approbat Cespedes *de exempt. d.* 166. *n.* 5. ex eo quod in dicta bulla solùm habetur subdi locorum Ordinariis vicinioribus Regulares, in casu proposito delinquentes; & aliàs communiter per Ordinarios locorum intelligantur etiam Prælati inferiores habentes iurisdictionem quasi Episcopalem: quare concludit Cespedes: *nisi alia adducantur fundamenta, Bordoni opinio non placet: nobis autem fauent Castrus Palaus tract.* 4. *D. 8. p.* 12. *n. 6. v. idem quod Carena de offic. S. Inquisit. pag.* 31. *tit. 6. de Vicarius General. Episc.* §. 3. & *Molina tract. 5. de iust. D.* 28. *num.* 11. Sic ille, monens *num.* 3. ex Diana *part. 4. tract. 8. resol.* 33. contra alios, Capitulum, Sede vacante, in hoc non succedere Episcopo: cum illud succedat solùm in iis, quæ iure ordinario spectant ad Episcopum, & facultas procedendi contra Regulares in causis S. Inquisitionis Episcopo competat iure delegato, vt aduertit Carena *supra*.

16. Addo Vrbanum VIII. die 5. Nou. 1631. *in Constitut.* quæ incipit, *Cum sicut accepimus, & est* 117. *in ordine*, declarasse Constitutiones Apostolica in concernentibus fidem Catholicam, & S. Inquisitionis Officium hactenus editas, & imposterum etiam super quacumque alia re, negotio, seu materia edendas, comprehendere omnes Regulares, quamtumuis priuilegiatos, nisi in iis edendis specialiter, ac expressè excipiantur. Vbi noto in Constitutionibus quidem Apostolicis antea editis non comprehendi Regulares modo dicto, nisi sint de rebus concernentibus fidem Catholicam, ac Officium S. Inquisitionis; quod verò attinet ad Constitutiones Apostolicas imposterum edendas in his comprehendi Regulares omnes quomodolibet exemptos, nisi specialiter excipiantur: siue eæ sint de rebus concernentibus fidem Catholicam, & S. Inquisitionis Officium; siue de quacumque alia re, aut materia; quod est valdè notandum.

Grauior dubitatio hîc esse posset, an, attentis Constitutionibus Pauli V. & Vrbani VIII. Regulares in concernentibus fidem, ac S. Inquisitionis Officium ita subiiciantur Ordinariis, ac Inquisitoribus, vt comprehendantur in edictis generalibus, quæ ipsi edant de rebus concernentibus Officium S. Inquisitionis (v. g. de denunciandis blasphemis, &c.

17. Respond. videri posse alicui, quod non cumprehendantur; si quidem Paulus V. in illa sua Constitutione solùm reuocat facultatem quoquo modo concessam Prælatis Regularibus qoibuscumque, quoad cognoscendas causas Religiosorum subditorum concernentes Officium S. Inquisitionis: mandat omnes Regulares suspectos de hæresi liberè denunciari Ordinariis, ac Inquisitoribus: his ipsis committit causas tunc pendentes coram Prælatis regularibus, præcipiens ipsis, vt ad prædictos Ordinarios, ac Inquisitores processus omnes, & acta confecta transmittant vnà cum Relgiosis de hæresi suspectis: hæc inquam statuit Paulus V. in ea Cõstitut. & nihil aliud: sicque vi illius videntur Regulares subiici Inquisitoribus solùm, vt Rei, non autem vt Actores, quales se haberent in casu hîc proposito, vt facilè constabit consideranti. præterea Vrbanus VIII. in sua Constitutione superiùs adducta declarat solùm Regulares quoscumque ligari omnibus Constitotionibus Apostolicis in concernentibus fidem Catholicam, & Officium S. Inquisitionis, nullamque mentionem facit de edictis Inquisitorum particulatium; vnde fit, vt, cum talia edicta sint quid diuersum à Constitutionibus Apostolicis: decretum Vrbani VIII. non debeat extendi ad illa; cum à diuersis non fiat illatio, præsertim in odiosis. sic posset videri alicui: quàm probabiliter, iudicent alij: in hoc casu ego puto consulendam esse praxim.

18. Adde, qnod si Regulares inter prædicandum disseminent errores, aut scandala, contra illos procedere potest Ordinatiusex decreto Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 2. quod ita habet: *Si verò (quod absit) Prædicator errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiamsi in monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat: quod si hæreses prædicauerit, contra eum secundùm iuris dispositionem, aut loci cõsuetudinem procedat.* Vbi notat Bordon. *resol.* 7. *n.* 21. qnod, quando dicitur interdicendam esse prædicationem, id intelligitur respectu illius temporis, non autem quod delinquens priuari debeat perpetuò munere prædicationis. qua de re Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 32. *art.* 8. Miranda *tom.* 1. *quæst.* 50. *art.* 7. Portel. *v. prædicatores, num.* 12.

QVÆRES VIII. An, & qno modo Regulares subiiciantur Ordinariis in casu, quo de Conceptione B. V. indebitè differant in concionibus, aliisue actibus publicis contra decreta Summorum Pontificum.

19. Respond. Subiici; siue in hac controuersia condemnent opinionem affirmãtem asserentium B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali; aut negantem (quod prohibuit Sixtus IV. sub pœna excommunicationis latæ sentẽtiæ, & reseruatæ Papæ:) siue in publicis cõcionibus, aut aliis similibus actibus de alterutra huius controuersiæ parte disputent, rationibus, ac Doctorum auctoritate propriam sententiam fulcientes, & contrariam refellentes, aut impugnantes: siue de hac ipsa quæstione cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu, vulgari sermone præsumant scribere, aut dictare (quæ prohibuit Pius V. sub variis pœnis in sua bulla, *Super speculam*, editam 1570.:) siue in publicis concionibus, aliisve actibus publicis sustineant B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali, aut certè oppositum asserentes aliam opinionem impugnent, aut de ea aliquo modo agant, ac tractent (quod item prohibuit sub grauissimis pœnis sacra Congregatio Sanctæ Inquisitionis iussu Pauli V. die 31. Aug. 1617.) ita Lezana *tom.* 5. *cap.* 20. *num.* 12. patetque ex Constitutione Pauli V. edita 1616. in qua non solùm approbauit, & confirmauit citatas Constitutiones Sixti IV. & Pij V. sed prætereà addidit, quod si quis quouis modo contrauenerit, præter supradictarum Constitutionum pœnas respectiuè ipso facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce actiua, & passiua in quibuscumque electionibus eo ipso absque alia declaratione priuatus existat; nec non ad concionandi, & publicè legendi, docendi, & interpterandi perpetuæ inhabilitatis pœnas similiter ipso facto incurrat absque alia declaratione: à quibus nõn nisi ab ipso Papa absolui, seu super eis dispensari possit, & nihilominus aliis pœnis ipsius Papæ arbitrio infligendis subiiciatur; & contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares cuiusuis Ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & sæculares personas cuiuscumque status, gradus, &c. tam Episcopi, & Prælati superiores, aliique Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos seuerè animaduertãt. Quæ omnia confirmauit Gregorius XV. anno 1622. *in sua Constitut.* quæ incipit, *In generali inquisitione*, ea extendens, & amplians etiam ad priuata colloquia, & scripta, mandans scilicet ne de cætero donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica definitus, vel per Sanctitatem suam, aut Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione aliquo modo agere, seu tractare. Quamquàm posteà idem Gregor. XV. in alia bulla indulserit omnibus, & singulis Ordinis Prædicatorum Fratribus, vt de cætero in quibuscumque priuatis eorum colloquiis, seu conferentiis inter se dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis de materia eiusdem Conceptionis B. Virginis disserere valeant.

QVÆRES IX. Qualiter Regulares subiiciantur Ordinariis, ac Inquisitoribus in casu, quo violent decretum Sacræ Congregationis de mandato speciali Vrbani VIII. editum 13. Maij 1625. quoad imagines hominum à Sede Apostolica nondum canonizatorum, aut beatificatorum cum radiis, splendoribus, & laureolis proponendas, vel tabellas, & luminaria ad eorum sepulchra apponenda, & cum attestationibus desuper præponendis recipienda, & asseruanda, siue eorum miracula in libris imprimendis enarranda.

Respond. subiici eo modo, qno dicimus *in tract. de prohibit. cap.* 4. *quæst.* 25. 20.

QVÆRES X. Quo pacto subdantur Regulares Ordinariis, ac Inquisitoribus in casu, quo vacent Astrologiæ iudiciariæ, maximè in ordine ad vitam, & mortem Papæ, eiusque Consanguineorum vsque ad tertium gradum inclusiuè.

Respond. subdi eo pacto, quo dicimus in eadem *tract. de prohibit. cap.* 1. *quæst.* 13. 21.

QVÆRES XI. An, & quando Regulares subiiciantur Ordinariis in euentu, quo soliciteut pœnitentes ad turpia.

Respond. stante Constitutione Gregorij XV. hac de re edita 30. Aug. anno 1622. subiici, siue solicitent ad turpia (idest ad res venereas) fœminas, siue masculos: siue id faciant in ipso actu confessionis sacramentalis, aut ante, vel post immediatè, seu occasione, aut pretextu confessionis (idque etiam non secuta confessione;) siue solicitent extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque vbi confessiones sacramentales audiantur, 22.

audiantur, seu electo, ad audiendas confessiones (si tamen ibi simulent audire confessionem:) siue solicitent ad turpia committenda, cum semetipsis, siue cum aliis; hæc enim omnia in dicta Constitut. Gregorij X V. satis clarè exprimuntur his verbis; *statuimus, & decernimus, & declaramus quod omnes, & singuli Sacerdotes tam sæculares, quàm quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolica immediatè subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, Congregationum Regulares cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint* (quod est comprehendere tam masculos, quam fæminas) *ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetrāda in actu sacramentalis confessionis, siue ante vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis seuerissimè puniantur, & præterea omnes heretica prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium regionum, prouinciarum, ciuitatum, dominiorum, & locorum vniuersi Orbis Christiani in suis quemque diœcesibus, & territorijs per has nostras literas etiam priuatiuè, quoad omnes alios specialiter, ac perpetuò Iudices delegamus,* &c. *Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab alijs vt supra solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitatores, seu, ve præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs: quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios solicitantes, seu tractantes, ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpa punire non negligant.*

Pro cuius Constitutionis expositione aliqua aduertenda sunt, & quidem

23. Primò aduertendum cognitionem huius delicti ita pertinere ad Ordinarios locorum, ac Inquisitores, vt de eo possint inquirere tum simul, tum seorsim; & quidem priuatiuè, quoad Prælatos regulares vt patet, tum ex bulla Pauli V. tum ex Constitutione Gregorij X V. superiùs relatis.

24. Secundò aduertendum est non comprehendi in hac Constitutione Gregorij X V. eum Confessarium, qui pœnitentem solicitat ad peccata non carnalia (v. g. ad homicidium) aut certè consentit mulieri ipsum solicitanti: nam ea Constitutio loquitur solùm de Confessario solicitante, non autem de Confessario consentiente solicitationi factæ à pœnitente; quo pacto Castrus Palaus *tract.* 4. *D.* 9. *part.* 5. *num.* 3. contra Sancium *in selectis D.* 11 *num.* 28. censet non esse denunciandum Sacerdotem; qui à pœnitente solicitatus ad copulam, intendit solùm se tactibus oblectare, & ad hos tantùm illam prouocat: cum sic Confessarius non possit dici solicitare, sed potiùs consentire pœnitenti ipsum solicitanti; quatenus scilicèt pœnitens solicitando Confessarium ad copulam, tacitè, & virtualiter ipsum prouocat ad tactus, & oscula, tanquam præambula ad copulam; vnde fit, vt Confessarius pœnitentem solicitet solùm ad illud malum, ad quod pœnitens illum iam induxit.

25. Tertiò aduertendum nomine solicitantis intelligi illum, qui in actu confessionis, siue immediatè ante, siue immediatè post, siue eius occasione, ac prætextu procurat inducere blanditiis, promissionibus, precibus, minis, tactibus & osculis, aut aliis signis pœnitentem ad faciendum aliquid inhonestum: siue id faciat per se, siue, per alium: vt si audiens mulierem in confessione eam agnoscat esse valdè propensam ad venerea, & post absolutionem mittat lenonem ad eam solicitandam, siue domi, siue etiam in ipso itinere: quamquàm hoc vltimum satis dubium videatur Peyrino *tom.* 1. *priuil. constit.* 4. *Gregorij X V. num.* a. cum simus in materia odiosa, quæ non debet ampliari, & hîc nomine solicitationis videatur venire ea, quæ verè, & physicè fit personaliter, non item quæ fiat per interpositam personam, & est solum personalis fictione iuris iuxta regulam, *Qui per alium facit*, &c.

Quartò aduertendum solicitationem tunc censeri sequi ante, vel post cōfessionem immediatè, quando inter solicitationem, & confessionem nihil mediat; ita vt nec Confessarius, nec Pœnitens ad actus extraneos diuerterint, ita Castrus Palaus *tract.* 4. *D.* 9. *part.* 7. *num.* 1. ex Sancio, monens *num.* 3. in casu, quo pœnitens dicat Confessario se velle ei cras confiteri, & Confessarius hac occasione ipsi confessionem dissuadeat, ac de venereis agat; talem solicitationem non posse dici proximam confessioni faciendæ (cum potiùs dicenda sit proxima conuentioni de confessione facienda) ideóque non dici delinquere in confessione, neque proximè ad eam, & consequenter non esse denunciandum. quod Castrus Pal. *num.* 5. censet habere locum in casu, quo tempore cogitarunt de confessione facienda: estò immediatè sequatur confessio, eo quod pœnitens conteratur de peccato, velitque citò liberari ab eo per confessionem; secùs si fœminæ dicenti se velle statim confiteri Confessarius illi confessionem dissuadeat: animo eam posteà alliciendi ad carnalia, & talem suum animum sic ei aperiat, vt ipsa intelligat dissuasionem confessionis oriri ex intentione illam alliciendi ad venerea: talem enim dissuasionem putat Sancius esse veram solicitationem. 26.

Quintò aduertēdum non videri improbabile Castro Palao *supr. p.* 3. *n.* 3. non interuenite solicitationem denunciandam in casu, quo Sacerdos pœnitentem tactibus aliàs honestis tangat, qui tamen sint ex circumstantiis peccata venialia, dummodò pœnitens intelligat Sacerdotem non habere animum vlteriùs progediendi, & pœnitens non exponatur periculo consentiendi in peccatum. mort. hæc enim videtur esse mens Pontificum præcipientium talem denuntiationem; vt colligit Castrus Pal. ex eorum constitutionibus hac de re editis; addens *part.* 4. *n.* 3. videri probabile non censeri solicitare in confessione illum Sacerdotem, qui pœnitenti in ipsa confessione tribuit chartam posteà legendam, in qua eum incitat ad turpia: si pœnitens illam non legat immediatè post confessionem, sed elapso iam tempore. Quod quidam Recentior doctissimus censet procedere etiam in casu, quo Confessarius pœnitenti iam absoluto dicit, vt in cubiculum ipsius se transferat, ibique illum statim solicitat: eum dicere pœnitenti, vt eat ad cubiculum Confessarij sit res ea se indifferens: & quamuis prouenjat ex praua intentione statim, ac immediatè post confessionem, & absolutionem; ex se tamen quoad actum externum non sit solicitatio ad actum luxuriosum, sicque solicitatio non possit dici facta immediatè post confessionem, sed mediatè, postquam ad alia diuerterunt. Cauendum tamen, eum in tali euentu prope accedatur ad casum solicitationis, & possit contingere, quod Iudex in foro externo opinionem contrariam amplectatur. 27.

28. 6. Aduertendum pœnitentem modo dicto ſolicitatum in confeſſione, antequam denunciet Confeſſarium ſolicitantem, ſecundum aliquos teneri præmittere correctionem fraternam, ſi adſit ſpes emendæ; cum enim præceptum Correctionis ſit de iure naturali, ac diuino, præceptum verò denunciandi ſit humanum, illud omninò præferendum eſt, ſicut aduertit Fagund, *præc. 2. Eccl. l. 4. cap. 3. n. 31.* docens ad hoc vt correctio fraterna iudicetur non profutura ſit, non ſufficere eam ſemel fieri, & non prodeſſe; ſed opus eſſe eam iterum, atque iterum adhiberi, quamdiu iudicio prudentis ſperatur emendatio; quin etiam in dubio, an correctio profutura ſit, eam nihilominùs præmittendam eſſe cenſent aliqui Doctores apud Dianam *part. 1. tract. 4. reſol. 2.* ita Peyrin. *ſupr. num. 25.* Fagund. *loco citato*, Diana *vbi ſuprà*, aliique penes ipſum, inter quos Io. de la Cruz Dominicanus *in direct. conſcient. p. 1. prac. 5. q. 2. d. 5. concl. 2.* hæc habet: *Mulier ſolicitata in confeſſione non abſoluatur, dum non denunciat Inquiſitoribus ſolicitantem, niſi eſſet ſpes, quod iſte ſecretè correctus emendabitur: quæ ſpes poteſt colligi ex qualitate corrigentis & ex conditione corrigendi; vnde ſi mulier ſolicitata ſcit idoneitatem alicuius ad illam correctionem, poſſet eum eo hoc intendere:* ſic ille; oppoſitum ſentiunt alij Doctores relati à Diana, quorum opinio ſequenda videtur in praxi in odium tanti ſceleris, præſertim ſi talis ſit conſuetudo.

29. 7. Aduertendum aliquos caſus admitti à Doctoribus, in quibus, vel ceſſat obligatio denunciandi, vel certè ſuſpenditur; & quidem primò ſi pœnitens id præſtare nequeat abſque periculo grauis mali, ſiue proprij, ſiue ſuorum: metus enim cadens in conſtantem virum excuſat ab obſeruantia legis humanæ; 2. ſi conſtet pœnitenti de emendatione ſolicitanti; cum ſic ceſſet finis denunciationis; 3. ſi Confeſſarius ſolicitans ex aliorum delatione confeſſus, aut conuictus abiurauit: idque ob rationem modò adductam (in quo caſu ait Peyr. *ſupr. num. 32.* fœminam, quæ noluit denunciare, poſſe abſolui; cum ſic ceſſet obligatio denunciandi) 4. ſi adſit ſpes fore, vt Confeſſarius per correctionem fraternam emendetur; cum iure naturali teneamur conſulere reuerentiæ Sacramenti cum quantoiuis damno Proximi (quamquam aliqui Doctores exiſtiment rarò poſſe ſeparari talem emendationem.) 5. ſi mulier priùs ſolicitet, & Confeſſarius poſteà proſequatur ſolicitationem, ita vt ſe inuicem pelliciant: nam ſic Confeſſarius non ſolicitat, ſed conſentit ſolicitationi. ita Peyr. *ſupr. num. 28. & ſeqq.* Diana *ſupr.* Palaus *part.* 10

30. 8. Aduertendum non eſſe neceſſarium, vt pœnitens priùs, quàm abſoluatur, denunciet ſolicitantem, ſed ſufficere, ſi proponat, aut promittat ſe quamprimum denunciaturum eſſe, adſitque iuſta cauſa non differendi abſolutionem, ſicut facilè adeſſe poteſt. ita Diana *ſupr. reſol. 27.* ex Zanardo, Rodriq. Peyrino, & Sanctarello, monens *reſol. 22.* non eſſe denunciandum illum, qui mandat Confeſſario, vt pro ſe pœnitentem in confeſſione ſolicitet; ſi quidem verba legis pœnalis debent accipi propriè, ac formaliter: & lex, quæ vult punire non ſolùm facientem, ſed mandantem, id ſolet exprimere; vt conſtet ex *cap. mulieres de ſent. excommunic.* vbi excommunicatio lata in *cap. ſi quis ſuadēte diabolo*, contra percutientes Clericum, extenditur etiam ad mandantem. Vt autem fœmina ſolicitata moneri debeat de denonciando ſolicitante, non eſt opus, quod manifeſtatio ſolicitationis facta in confeſſione ſit materia confeſſionis ſacramentalis: nam iura præcipientia id non ſupponunt, ſed abſolutè præſcribunt Confeſſarium ſolicitantem ad turpia modo dicto debere denunciari, vt conſtabit præfata iura legenti.

9. Aduertendum ex decreto ſacræ Congregationis S. Officij Vrbis: de mandato Vrbani VIII. die 27. Sept. 1624. indultum fuiſſe, vt, quando pœnitens ſolicitatus induci non poteſt ad denunciandum per ſe ipſum, poſſit Epiſcopus, aut Inquiſitor concedere Confeſſario, ad quem pœnitens ille modò accedit, vt ipſe recipiat denuntiationem per ſcripturam iuratam ab eodem denunciante ad effectum ſtatim eam exhibendi illi, à quo licentiam habuit illam recipiendi, quod ſi adhuc pœnitens renueret denunciare; tunc res tota deferri debet ad Papam, einſque reſponſum omninò obſeruandum. ita Nald. *v. confeſſio. num. 41.* quod bene aduertendum eſt, cum caſus in prax. non ratò contingere poſſit. 31.

10. Aduertendum conſultum eſſe, ei qui Incurrit peccatum ſolicitationis, vt ſponte compareat coram Ordinario, aut Inquiſitore, iiſque ſuam culpam manifeſtet, ſi enim id faciat, antequam ab vllo præueniatur, non poteſt puniri pœna corporali; idque eſto plories, & pluries inciderit in tale delictum; ſi quidem ad hoc facit regula communis Inriſtatum, quod *ſpontè comparenti nulla corporalis pæna imponitur.* imponuntur tamen pœnæ medicinales &, (vt audiui) etiam priuatio audiendi confeſſiones, quam proinde dicendum eſt ex ſtylo Curiæ comprehendi inter pœnas medicinales. 32.

11. Aduertendum non comprehendi in decretis editis contra ſolicitantes in confeſſione neque laicum, qui aſſumpto habitu ſacerdotali ſe ſimulat Cōfeſſarium, neque interpretem ſacramentalis confeſſionis, neque Sacerdotem iuriſdictione carentem, qui pœnitentem modis ſupradictis ſolicitent in cōfeſſione; cum præfata decreta omnia loquantur de Sacerdotibus deputatis ad audiendas confeſſiones; qualis vtique non eſt vllus ex ſolicitantibus in caſibus modò propoſitis, ſicut oſtendit Fagund. *l. 6. decal. cap. 12. num. 22. 23. & 14.* monens tamen illos ex alio capite poſſe puniri ab Inquiſitoribus: idque ex varijs Conſtitutionibus pontificiis ab ipſo Fagund. relatis. 33.

12. Aduertendum obligationem denunciandi ſolicitantes adſtringere non ſolùm pœnitentes ſolicitatos, ſed etiam eos, quibus certò id innoteſcit extra confeſſionem; & hoc non quidem ex vi decretorum, quæ edita ſunt contra ſolicitantes (hæc, enim adſtringunt ſolos pœnitentes) ſed ex vi edictorum, quæ ad talem effectum promulgare ſolent Inquiſitores talem denuntiationem præcipiendo, etiam iis qui modo dicto id ipſum ſciuerint. 34.

Denunciatio autem hæc non eſt opus, quod fiat in loco, in quo ſecuta eſt ſolicitatio, ſed poteſt fieri etiam alibi: & ſic fœmina ſolicitata Ferrariæ, ſi modo habitet Bononiæ Confeſſarius ſolicitans, eum denunciare poteſt Bononiæ; cum ſic impleat ſufficienter præceptum denunciandi, & ſic denunciando vtiliter gerat negotium S. Officij ſic potentis ex peditius procedere aduerſus denunciatum.

Quòd ſi fœmina ſolicitata poſteà fiat Monialis, & iubeatur denunciare poſt ingreſſum Religionis, velitque ob minorem erubeſcentiam facere denunciationem ſub nomine, & cognomine, quibus vtebatur in ſæculo; videtur ſatisfacere ſuæ obligationi: cum tali notitia habita Inquiſitor facilè poſſit inuenire, quod factum ſit de fœmina talis nominis, ac cognominis, ſicque procedere contra denunciatum.

Aduertendum 13. ex Souſa *l. 1. aphoriſm. cap. 34. num. 73.*

*num.*73. posse puniri ab Ordinario Regulares, qui absoluunt fœminas solicitates non denunciantes intra tempus præfixum, aut certè iis non declarant obligationem, quam habent denunciandi solicitantem, eisve dicunt illas non teneri denunciare.

QVÆRES XII. An, & qua inre Regulares aliàs exempti puniri possint ab Ordinario casu, quo delinquant circa clausuram Monialium.

35. Respond. posse ex Constitutione Gregorij X V. quæ est 26. in ordine, & sic habet, *Ad hæc tam Regulares, quam sæculares huiusmodi nullis priuilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quo minus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum ab Episcopo loci simpliciter ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant*; sed de hoc alibi: Solùm hic aduerto ex Diana *part.*3. *tract.* 2. *resolut.* 48. citante pro se Bonacinam, & Bellocchium, hinc non sequi Episcopos tanquam Sedis Apostolicæ delegatos posse peculiari statuto prohibere Regularibus sub pœna excommunicationis ne alloquantur Moniales, aut quod ij subiaceant censuris ab Episcopo latis contra accedentes ad Monasteria Monialium; si quidem illi iuxta inferiùs dicenda habent priuilegium, vt non possint excommunicari ab Episcopo; constat autem neminem posse ligari à non suo Iudice, sicut nec solui *cap. cum inferior de maior.& obed.*

QVÆRES XIII. An Regulares possint puniri ab Ordinario si delinquant contra Constitutionem Pij V. in ordine quintam prohibentem §. 5. ne pauperes in Ecclesiis petere eleemosynas sinantur.

36. Respond. posse ex *citata Pij V.Constitutione*, quæ sic habet: *Religiosis etiam claustralibus, siue regularibus præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, vt in Ecclesiis suis deputent aliquem, qui tales eyciat* (nimirum pauperes ibi eleemosynam petentes tempore Missarum, prædicationum, aliorúmque diuinorum Officiorum:) *& si negligentes fuerint, grauissimè ab Ordinario corripiantur; quod si illi parere recusauerint, grauissimas pœnas incurrent, & pro qualitate personarum etiam corporaliter puniantur arbitrio nostro* (ideft Papæ) *siue Superiorum.*

QVÆRES XIV. An Regulares puniri possint ab Ordinario, si iniuriam inferant ipsi Ordinario, eiúsve Vicario suam iurisdictionem debitè exercentibus, eorumque iurisdictionem perturbent.

37. Respond. posse, cum quilibet Iudex possit compescere, & punire impedientes, siue turbantes suam iurisdictionem, *cap.*1. *de pœnit. in* 6 *l.*1.*ff. si quis ius dicenti non obtemp.cap. dilecto.* ita Bellett.*p.*1.*disquisit. clerical.* §.5. *num.* 20.*&* 21. aliique penes ipsum eamdem facultatem concedentes etiam Vicariis Ordinariorum. Quamquàm, inquit Nald. *v. Exemptio* cum Cardinale, non ipsi Religiosi iniuriam inferentes in ius vocati debent, sed agendum est coram eorum Superioribus, vt ipsos cogant ad parendum, puniantque non parentes: quod sine dubio est probabilius.

38. Addo obiter, quod, quamuis Sanchez *l.*6. *consil. cap.*9. *d.*1. *num.*36. & alij multi, quos refert, & sequitur Mandosius *de signat. grat. v. exemptiones ab Episcop.*§.*non autem*, doceant Regulares non teneri ad ius reuerentiale Episcopo, & consequenter non posse cogi ad eundum illi obuiam in ingressu Ecclesiæ, vt pote exemptos; æquum tamen est, vt ei debitum honorem præstent: præsertim cum Leo X. in sua Constitutione: *Dum intra mentis*, edita 19, Dec. 1516. dicat: *Eosdem insuper Fratres in virtute sanctæ obedientiæ monemus, vt eosdem Episcopos loco SS. Apostolorum subrogatos pro debita & nostra, ac Apostolica Sedis reuerentia congruo honore, & conuenienti obseruantia venerentur.* Vbi notat Peytin. *tom.* 1. *priuil. Constitution.* 26. *Leonis X. num.*44. verbum, *moneo*, stare pro *præcipio*: cum ea vna parte verba deseruiant intentioni, non autem intento verbis (vt notat Panormit. *in cap. nam concupiscentiæ de constitut. num.*3.) ex alia parte addatur in virtute Sanctæ obedientiæ; quæ verba, licèt non semper inducant peccatum mort. interdum tamen inducunt pro subiecta materia: vt proinde Peyrin. *loco cit.*& Lezana *tom.*1.*c.*11.*num.*3. putent Regulares vi præfatæ Constitutis Leonis teneri sub mortali reuereri Episcopos modo sup.dicto.

QVÆRES XV. An Regulares puniri possint ab Ordinario, si absque licentia Superioris vagentur, aut certè sint Apostatæ à religione.

Respond. posse ex decreto Concil.Trid. *sess.*25.*de regul. cap.*4. quod sic habet: *Nec liceat Regularibus à suis conuentibus recedere etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint: qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui Instituti puniatur.* Circa quod decretum notat Sà *v.religio n.*71. illud non loqui de Religioso fugiente ob nimiam sæuitiam Superioris ad effectum adeundi Prælatum superiorem: Suarez *vero tom.*4. *de relig.tract.*8 *l.*3.*c.*1. *num.*3. aduertit in dicto decreto non dari Ordinario potestatem excommunicandi Religiosum in casu proposito, sed solum puniendi illum alio modo nisi fortè iudicio prudentis opus esset etiam illum excommunicare. 39.

Addit autem Suarez, Sixtum V.in sua Constitut. 71. §.7. præcepisse Ordinariis, eorúmque Ministris, vt curent diligenter inquiri, an Regulares vagantes, vel diuertentes ad sæcularia hospitia literas suæ Obedientiæ secum ferant, & alioqui contra illos procedant, & tamdiu sub custodia detineant, donec de iis certa notitia habeatur. Prælatis autem Regularibus sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, officiorum, & dignitatum, quas obtinent, & inhabilationis in futuro prohibet ne Fratres ignotos sine prædictis literis recipiant atiam prætexin pietatis, ac hospitalitatis: siue Fratres sint alterius prouinciæ, siue eiusdem Ordinis, siue alterius; vt idem Siatus postea declarauit in sua Constitutione declaratoria, quæ in bullario ponitur post citatam eius Constitutionem. quæ constitutio, sicut & eius declaratoria non sunt reuocatæ neque per bullam Gregorij XIV. quæ incipit, *Circumspecta.* 40.

Quod autem Regulares apostatantes à Religione subiiciantur Ordinario, constabit ea dicendis *infra cap.*8. *sect.*3. *q.*9. vbi de hac re ex professo dissertemus.

QVÆRES XVI. An Ordinarij iurisdictionem habeant in Religiosos exemptos, si iam sint in possessione iudicandi illos.

Respond. non habere. ita Diana *part.* 3. *tract.*2. *resol.*134. Rodriq. *in comp.qq.regul.resol.*63.*num.*23. & alij contra Treuisanum, Cuccum, & Capram, penes ipsum Dianam; patetque quia exempti absque licentia Papæ non possunt expressè renunciare priuilegio exemptionis, & consequenter multò minùs tacitè (quod tamen fieret in casu nostro.) Et quidem quod Regulares non possint renunciare priuilegio exemptionis, constat ea eo quod exemptio ab Ordinariis facit Regulares immediatè subiectos Sedi Apostolicæ; vnde fit, vt si Regulares tali priuilegio 41.

legio renunciarent se subiiciendo Ordinariis, hoc ipso se subtraherent ab immediata subiectione Papæ: quod vtique cederet in iniuriam, & damnum Sedis Apostolicæ; vt bene aduertit Peyt. *supr. constit. a Sixto IV. num. 6.*

QVÆRES XVII. An Ordinarij possint procedere contra Regulares, si à Papa delegentur Iudices ad corrigendos Clericos, nulla mentione facta de exemptione.

42. Respond. non posse; si quidem mandatum super correctione criminum strictè debet interpretari, sicut & aliæ commissiones factæ delegatis, *cap. P. & G. de offic. delegat.* in materia autem stricta appellatione simplicis non venit simplex qualificatum, *c. statutum de elect. in 6.* ac proinde facta mentione Clericorum non veniunt Clerici exempti: cum qualitas exemptionis alteret naturam simplicis clericatus; præterquam quod Regulares ex indulto Gregorij XIII. concesso Societati Iesu in bulla, *Ascendente Domino*, habent expressam exemptionem etiam à Iudicibus delegatis. ita Sanch. *supr. d. 5. n. 2.* ex Felino, Nauarro, contra Panormit. *in c. grauis de offic. ordin. num. 5.* oppositum sustinentem.

QVÆRES XVIII. An potestas corrigendi Regulares deuoluatur ad Ordinarios in casu, quo Prælati regulares sint negligentes in illorum correctione, aut Religiosus delinquat vna cum laico subdito ipsius Ordinarij.

43. Respond. non deuolui nisi in casu, quo Regulares publicè delinquunt extrà cum populi scandalo, & Prælatus regularis monitus ab Ordinario minùs iustè punit delictum, vti diximus *quæst. 5.* Addo hic ex Bordono *resol. 7. num. 98.* Ordinarium loci vti Sedis Apostolicæ delegatum posse visitare monasteria Regularium aliàs exemptorum, si in iis non vigeat regularis obseruantia, & Prælati regulares moniti intra 6. menses suos Religiosos non visitauerint, ac correxerint: idque Concilio Trid. *sess. 21. cap. 8.* Si tamen contingat Religiosum esse complicem in delicto personæ sæcularis: non item potest Ordinarius Religiosum carcerare, aut processare: cum is verè non sit subditus illius, & processari possit à Prælato suo regulari: per quem processum authenticè confectum, & traditum Ordinario poterit is adiuuari ad terminandum processum sui subditi, eumque puniendum, quæ posset esse vnica ratio, cur Ordinarius processaret Religiosum in præsenti casu. sic in terminis Bordonus *num. 102. & 121.*

QVÆRES XIX. An Ordinarij possint per censuras procedere contra Regulares in casibus, in quibus habent iurisdictionem in ipsos.

44. Respond. non posse, si Regulares habeant priuilegium speciale, ne possint excommunicari, suspendi, aut interdici: quale habent Ordines Mendicantes, aliique de eorum priuilegiis participantes, præsertim ex bulla Pauli III. in fauorem Soc. Iesu edita anno 1549. quæ habetur *in bullar. Soc. fol. 35.* & ex bulla Sixti IV. relata à Casarubio *in Comp. v. exemptio, num. 23. & 24.* idque nisi expressè Episcopis concedatur vt in dictis casibus procedere possint contra ipsos etiam per censuras. quo modo re vera conceditur in Concilio Trid. *sess. 23. de Regul. cap. 16. & 5. sess. 22. in decreto de vitand. & obseruand. in celebratione Missæ;* quod non fit in aliis casibus, vt videre est *sessione 25. de Regular. cap. 13. 14. & 17.* in quibus conceditur quidem Episcopis, vt in aliquibus euentibus exerceant iurisdictionem in Regulares; non tamen additur quod per censuras eos compellere possit. ita Sanch. *l. 7. de matr. D. 33. num. 23.* ex Gambara, Rodriq. Henriq. aliisque pluribus: & probatur, tum ex *cap. 1. de priuil. in 6.* vbi id expressè deciditur: tum quia hinc non sequitur quod putant Aduersarij, frustraneam, ac inutilem esse potestatem cogendi aliàs competentem Episcopis contra Regulares in aliquibus casibus; si quidem non desunt aliæ pœnæ, quibus eos compellant.

Vtrum verò Ordinarij possint denunciare Regulares excommunicatos, ad effectum vt vitentur, casu, quo incurrerint excommunicationem.

Respond. non posse, nisi in casibus, in quibus id ipsis specialiter conceditur vt si Eucharistiam, aut extremam Vnctionem indebitè administrent; aut certè ad summum in casu, quo delictum, propter quod lata est excommunicatio contra Regulares, notorium est. ita vt nulla tergiuersatione celari possit. ita Diana *part. 3. tract. 2. resol. 35.* cum Peyrino, Nouarr. & Zerola, contra alios relatos ab ipso Diana vniuersaliter docentes Religiosos aliàs immunes à censuris Ordinariorum, si faciant aliquod delictum, propter quod ex dispositione iuris communis, aut Apostolicis Constitutionibus ipso facto incurrant excommunicationem, posse ab Episcopis declarari excommunicatos, ad effectum vt vitentur à suis diœcesanis. Ratio nostræ sententiæ est, quod non potest Episcopus declarare Regulares excommunicatos, nisi priùs citentur, & eorum causa cognoscatur, cum fieri possit, vt ij citati probent se nequaquam incurrisse excommunicationem, Episcopi autem in causis Regularium non sunt iudices nisi in casibus permissis: cum tamen cognitio causæ spectet ad ad proprium Iudicem. Quamquam Sanch. *l. 6. consil. cap. 9. d. 1. num. 19.* cum Franco, & Nauarr, putet in casu, quo delictum est notorium, posse quem declarari excommunicatum, antequam citetur, eo quod in notoriis non requiratur cognitio iudicialis *cap. 1. de offic. deleg.* quo modo non videtur improbabile Episcopos posse denunciare Regulares excommunicatos, si delictum, ob quod incurrerunt excommunicationem, reuera sit notorium: quod etiam docent Barbosa *de offic. Ep. alleg. 105. num. 73.* Vgol. *de potest. Episc. cap. 20. §. 10. num. 1.* aliique penes ipsos. 45.

QVÆRES XX. An, & quo modo possint Ordinarij procedere contra Regulares in causis mercedum, & miserabilium personarum.

Respond. quod, quamuis in Concilio Trid. *sess. 7. cap. 14.* innouetur *cap. volentes, de priuil. in 6.* in quo statuitur, quod Ordinarius loci possit procedere contra exemptos ratione delicti, aut contractus extra loca exempta factorum, vel rei sitæ extra illa: & insuper addatur, quod in ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum Clerici sæculares, aut Regulares extra monasterium degentes, qui scilicet domicilium habent permanens extra monasterium, speciali licentia, aut priuilegio quomodolibet exempti, etiamsi certum iudicem à Sede Apostolica delegatum in partibus habeant: in aliis verò si ipsum Iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis tanquam ad hoc ab ipsa Sede Apostolica delegatis conueniri, & iure medio ad soluendum debitum cogi, & compelli possint. in præsentia tamen Regulares intra claustra degentes, non possunt vi dicti decreti Tridentini in vllo casu conueniri coram Ordinariis idque ex decreto sacræ Congregationis approbato à Paulo V. in Constitutione sua 34. in qua statuitur neque Constitutione in generali Concilio edita, quæ incipit *Volentes*, neque decreto Conc. Trid. *sess. 14. cap. 7.* comprehendi Regulares, ideóque iuxta eorum priuilegia coram suis Superioribus, vel Conseruatoribus esse conueniendos; intellige, si degant 46.

gant intra claustra: de his quippe tantùm loquitur præsens decretum, non autem de iis, qui degunt extra claustra: hi namque conueniri possunt coram Ordinario, vt expresè declarauit eadem sacra Congregatio in hæc verba: *Dubitatum fuit, an Regulares possint ciuiliter coram Episcopo à creditoribus suis conueniri: & fuit responsum, quod possint conueniri, si non sint sub regulari obseruantia; at si sint sub regulari obseruantia non possunt conueniri coram Episcopo, quia habent proprium Superiorem, & nihil habent cum eis commune Episcopo propter exemptionem.* ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 11 *num.* 10. Peyrin. *tom.* 1. *priuil. Constitut.* 2. *Sixti IV. à num.* 28. Barbosa *supr. alleg.* 105. *num.* 21. *& seqq.* aliique qui bene monent hic nomine miserabilium personarum intelligi, viduas, pupillos, orphanos, senes decrepitos, diuturno morbo defatigatos, puellas pauperes, nobiles, peregrinos, & alios similes. quod tamen Peyrinus *supr. num.* 30. limitat, nisi tales personæ sint diuites: tunc enim non habent iuxta ipsum reputari miserabiles; quod non reiicit Cespedes *de exempt. d.* 267. *n.* 13. docens *num.* 8. Regulares habentes Conseruatorem, & viuentes sub regulari obseruantia, etsi extra claustra viuant, posse coram Conseruatoribus conueniri in causis miserabilium personarum; nec obstare Tridentinum supr. dum ait Regulares extra monasterium degentes quomolibet exempti: loquitur enim de iis, qui sine licentia degunt extra monasterium, aut viuunt in loco adeo distanti, vt nequeant visitari ac corrigi à suo Superiore: nec obstat, *cap. volentes*, innouatum à Conc. (quod posset adduci in contrarium) cum post illud multa priuilegia fuerint Regularibus concessa non abrogata ab ipso Concilio (quod solùm abrogauit priuilegia, quæ Regulares in causis miserabilium personarum eximebant, etsi carerent proprio Iudice & Conseruatore) quale priuilegium concessit Paulus V. Carmelitis, teste Cespedes *num.* 11 & refertur *in bullario tom.* 3.

QVÆRES XXI. An, & qualiter possint Ordinarij procedere contra Regulares iniustè detinentes coniugatum professum in casu, quo is compelli possit redire ad sæculum.

47. Respond posse, non tamen per censuras. ita Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 33. *num.* 21. aliique penes ipsum; & probatur, tum quia in hoc casu non agitur de priuilegiis Religionis, sed de instauratione matrimonij, ac reuocatione coniugis, qui minus legitimè professus est; quod tamen est proprium Ordinarij ex *cap.* 1. *de conuers. coniugat.* tum quia Ordinario competit omnimoda iurisdictio contra extraneos, ac exemptos impedientes suam iurisdictionem; si quidem concessa iurisdictione, censentur concessa ea, sine quibus exerceri nequit, *l.* 2. *ff. de iurisdictione omn. iudic.* Dixi, *non tamen per censuras*, quia non possunt Episcopi ferre censuras contra Regulares ad id habentes speciale priuilegium, vt diximus *suprà quæst.* 19.

QVÆRES XXII. An, & quo modo Regulares subiiciantur Ordinariis, quoad restituenda Nouitiis nolentibus profiteri ea omnia, quæ tempore ingressus secum detulerunt in monasterium.

48. Respond. ita subiici, vt ex decreto Concilij Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 16. possint ab Ordinario ad id compelli etiam per Ecclesiasticas censuras. quamquàm (quod spectat ad restitutionem habitus Religiosi) sacra Congregatio statuerit illum Nouitio recedenti non esse restituendum, reddendum tamen esse illius pretium, vt notauit Barbosa *supr. alleg.* 101. *num.* 36. addens ex Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 5. *num.* 25. vi præfati decreti omnia quidem bona restituenda esse Nouitio vnà cum fructibus perceptis, deducenda tamen esse alimenta illius temporis, quo Nouitius mansit in monasterio; intellige, si ad ea tenetur Nouitius: quod non omnes admittunt.

QVÆRES XXIII. An, & qualiter Regulares subiiciantur Ordinario, quoad reclamandum in casu, quo prætendant se emisisse professionem nullam ob metum, vim, aut aliam similem causam.

49. Respond. subiici, sicuti statuit Concilium Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 19. & nos ipsi latè exposuimus *in tract. de profess. cap.* 5. *sect.* 2. *quæst.* 4.

QVÆRES XXIV. An, & quo modo Regulares subiiciantur Ordinario, quoad susceptionem sacrorum Ordinum.

50. Respond. subiici eo modo, quo ostendimus *supr. cap.* 2 *sect.* 3. *quæst.* 5.

QVÆRES XXV. An, & qualiter Regulares subiiciantur Ordinariis quoad Sacramentorum Administrationem.

51. Respond. subiici non solùm quoad Sacramentum Pœnitentiæ, quod non possunt administrare sæcularibus absque approbatione Ordinarij, vt vidimus *in tract. de priuil. cap.* 3 *sect.* 2. *subs.* 1. *quæst.* 1. *&* 16. & quoad matrimonij Sacramentum, quod non possunt solemnizare sine licentia Episcopi, aut Parochi sub pœna suspensionis latæ in Concilio Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de matr.* imò etiam secundùm aliquos sub pœna excommunicationis latæ sententię in Clem. 1. *de priuil.* vt ostendimus *in tract. de pœnis cap.* 3. *sect.* 2. *quæst.* 17. sed etiam quoad Eucharistiriam, ac extremam Vnctionem, quas in aliquibus casibus non possunt administrare sine licentia Episcopi, aut Parochi sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ac reseruatæ Papæ, sicut diximus *in tract. citata, de pœnis cap.* 2. *sect.* 2. *quæst.* 3. quamquàm aliàs Episcopus non possit Regularibus exemptis præscribere, vt in Sacramentorum Administratione certam formam seruent quoad tempus, locum, personas &c. vt constat ex dictis hîc *cap.* 5 *sect.* 2. *quæst.* 21.

Quòd si hac occasione quæras, an Ordinarij possint obligare Prælatos regulares, vt quando ipsis repræsentant Religiosum subditum approbandum ad confessiones sæcularium, attestentur sub iuramento de eius sufficientia, idoneitate, morum probitate, ac certa ætate.

Respond. non posse: & probatur, tum quia obligare ad iurandum est actus superioritatis, qui nequit exerceri in non subditum, Regulares autem, quoad hoc, non sunt subditi Ordinarij, etsi ei subsint, quoad approbationem ad audiendas sæcularium confessiones: tum quia Regularium priuilegia ita debent explicari, vt iis derogetur minùs quam fieri possit, Henriq. *l.* 7. *cap.* 230. *in comment. lit. G.* quod ergò Tridentinum subiecerit Ordinario Regulares aliàs exemptos, quoad dictam approbationem, explicari debet, vt minus eorum exemptioni deroget, quam fieri possit; quod vtique non fiet, si supponamus vi Concilij posse Regulares adstringi ad præfatum iuramentum, vt pote habens connexionem cum ipsa approbatione (præsertim cum à diuersis nõ fiat illatio, maximè in materia odiosa, qualis est ea, de qua hîc agitur) tum quia Episcopus non potest cogere Religiosum ordinandum, vt iuret voce, aut scriptis se validam professionem emisisse, aut aliàs nullam ratificasse, antequam eum promoueat ad Ordines; cum iuxta dicta iuramentum nequeat legitimè deferri, nisi à proprio Iudice, quippe quod est actus iurisdictionis, Abb. *in cap. si quis testium, de testibus.* Aretinus *cap.* 6. *eod.* §. adeoque non debet exerceri in non subditum, cuiusmodi est Religiosus

Religiosus respectu Episcopi: est autem eadem ratio in præsenti casu, sicque militat eadem iuris dispositio, *l. 1. §. interdum ff. de fonte*: tum quia neque in Clem. *Dudum, de Sepult.* vbi agitur de modo, quo Prælati debent præsentare suos Religiosos Ordinariis, & de modo, quo Ordinarij eos debent admittere; iis non conceditur facultas obligandi Regulares ad dictum iuramentum: sicut nec conceditur in Tridentino, nec alibi: tum quia id est contra vsum communem Ecclesiæ vix ab vno, vel altero tentatum, & non sine notabili perturbatione, ac offensione Regularium: ad quam euitandam deceret Episcopos omittere præfatum iuramentum, etsi possent iustè illud Regularibus imponere; cum multa liceant quæ non expediunt, &, vbi summum ius, summa iniuria interueniat: ita Moronus *resp. 85. num. 55.* Lezana *in Marimagno Eremitarum S. Aug. n. 5.* aliique doctissimi viri.

QVÆRES XXVI Quo modo Regulares subiiciantur Ordinario in concernentibus Curam animarum, quam ipsi exerceant.

52. Respond. subiici eo modo, quo statuit Greg. XV. in sua Constitut. edita Non Feb. 1622. quæ incipit, *Inscrutabili*, & nos ostendimus *sup. c. 4. sect. 4. quæst. 7.* Addo hîc solùm ex Bordono *res. 7. n. 19.* Prælatos regulares negligentes facere prædicare in suis ecclesiis habentibus annexam Curam animarum posse ab Ordinario loci ad hoc compelli, aut etiam à Metropolitano, si monasterium sit in loco nullius diœcesis, si priùs moniti spatio 3. mensium suo muneri defuerint: cogi, inquam, posse, & quidem etiam per censuras ecclesiasticas, inquit Bordonus, id colligens ex Concilio Trid. *sess. 5. c. 2.* quod vltimum an sit verum, constat ex dictis q. 19.

QVÆRES XXVII. Qualiter Regulares subiiciantur Ordinario quoad prædicandum siue in propriis, siue in alienis ecclesiis.

53. Respond. subiici, vti diximus *citato cap. 4. sect. 1. q. 2. & seqq.*

QVÆRES XXVIII. An Ordinarij possint prohibere Regularibus, ne exorcizent sine ipsorum licentia.

54. Respond. non posse, cum vi iuris communis id facere possint, si sint Sacerdotes, aut saltem Exorcistæ: & aliàs sint exempti ab Episcopo, ideóque non comprehendantur in edicto, quod forte faceret Episcopus, ne quis absque expressa illius licentia exorcizet. Ita Diana *p. 3. tract. 2. resolut.* 36. ex Portello *de dub. Regul. v. exorcismus*, cum quibus sentiunt Lezana *tom. 1. c. 7. num. 21.* Peytinus *in formul. lit. E. cap. 36. num. 5.* Bordonus *resol. 7. num. 144.*

QVÆRES XXIX. An Ordinarij possint sibi reseruare commutationem, aut dispensationem votorum aliàs Regularibus concessam.

55. Respond. non posse; & ratio est, quod ex vna parte talis reseruatio est actus iurisdictionis, quæ non potest exerceri, nisi in subditos, ex alia parte Regulares sunt exempti ab Ordinariorum iurisdictione, præter quam in casibus iure exceptis; inter quos tamen non est talis reseruatio: cum in decreto Clementis VIII. Pauli V. & Vrbani VIII. superiùs relato concessum sit solùm vt quoad Regulares Ordinarij reseruare possint casus, ac excommunicationes, non item commutationem, aut dispensationem votorum, de qua hîc.

QVÆRES XXX. An Ordinarij possint sibi reseruare restitutionem incertorum etiam quoad Regulares exemptos.

56. Respond. non posse, nisi eo modo, quo diximus *cap. 3. sect. 2. subsect. 2. q. 14.*

QVÆRES XXXI. An Ordinarij possint facere statutum, ne Regulares v. g. vocentur ad funus, nisi priùs vocatis omnibus Clericis parochiæ.

Respond. non posse; cum tale statutum pietati aduersetur, limitem ponat liberæ morientium electioni, & deroget iuri, quod habent Regulares, vt defunctorum exequiis assistere possint. Ita Castrus Pal. *tract. 12. p. 8. num. 5.* Azorius *p. 2. l. 9. cap. 11. in 6. priuil. cleric. §. si quæras*, & alij. 57.

QVÆRES XXXII. Quo modo Regulares subiiciantur Ordinariis quoad librorum Impressionem.

Respond. subiici in eo, quod sicut nulli licet imprimere, aut imprimi facere quosuis libros, nisi prius examinati, & approbati fuerint ab Ordinario: idque sub pœna anathematis, & pecuniæ apposita in Concilio Lateranensi *sess. 10. de impress. lib.* ita neque Regularibus licet absque dicta Ordinarij examinatione, & approbatione vltra licentiam à suis Superioribus obtentam imprimere, aut imprimi facere libros per eos iuxta formam suarum ordinationum recognitos. Ita Barbosa *de offic. Episc. alleg. 105. num. 24.* patetque ex Concilio Trid. *sess. 24. in decreto de edit. & vsu sacr. libr.* 58.

Docet autem Bordonus *tom. 2. resol. 58. num. 20.* quod si Regularis librum imprimat cum licentia Ordinarij, sed sine Prælati proprij facultate, non incurrit pœnas latas in Concilio Lateranensi, & innouatas in Tridentino. probat, quia Tridentinum illas pœnas non extendit ad Regulares quatenus faciunt imprimere sine licentia proprij Prælati, sed solùm innouat contra eos, de quibus in Lateranensi, idest contra facientes imprimere sine licentia Episcopi: de licentia verò Prælati Regularis nihil disposuit Lateranense; sicque Tridentinum pœnas præfatas innouans intelligi debet loqui iuxta dispositionem Lateranensis, quod ne verbum quidem fecit de licentia Prælati regularis. idque ex eo, quod relatum debet esse in referente cum omnibus suis requisitis, Auth. *constitutio, quæ innouat, §. vnde, v. in illis*, & *l. ait Prætor, §. 1. ff. de re iud.* Vnde Nauarr. *tom. 3. de datis, num. 7.* dicit legem relatam recipere omnes extensiones, ac limitationes in referente ex Cardin. in Clem. *statutum, de elect.* nam & referens se ad aliquid intelligitur secundùm illud, *l. in testamento, ff. de condit. & demonstr.* Præter quam quod pœnæ latæ in Lateranensi, ac innouatæ in Tridentino extenduntur ad communicantes, seu euulgantes libros scriptos nondum impressos; & tamen disponens de licentia obtinenda à Prælato regulari nihil dicit Tridentinum de pœnis: ergo signum est velle dictos euulgantes esse liberos à præfatis pœnis, prudenter arbitrans sufficere, quod illi à propriis Prælatis puniantur. Ita Bordonus, ex Peytino *de R. P. quæst. 3. cap. 9. num. 2.* monens licentiam imprimendi dari posse Regularibus (si nihil peculiare de hoc statutum sit in Ordine) non solùm à Generali, & à Prouinciali in propria Prouincia, sed etiam à Prælato locali, qui sit habilis, aut habeat subditos habiles ad examinandum librum: cum Tridentinum indefinitè dicat, *licentiam quoque à suis Superioribus impetrare teneantur*; & Prælatus localis verè sit Superior: aliásque intelligantur concessa, quæ prohibita non sunt *cap. sunt nonnulli 16. q. 1. cap. tam nunc 28. q. 1.*

Addit Bordonus *num. 22.* libros musicos non posse edi sine debita facultate: cum præter cantum contineant sensus, in quibus subesse potest aliquid falsi contra Sacram Scripturam, aut bonos mores, & inoluerit vsus mutandi verba Sacræ Scripturæ

in

in sacris cantionibus, quod non est permittendom: quippe, sicut in Choro,& ad Altare non debent recitari preces, quæ ab Ecclesia non sint designatæ, sic nec à Cantoribus debent cani.

Qværas XXIII. Quo pacto Regolares subiiciantur Ordinariis, quoad habendam lectionem sacræ Scripturæ in monasteriis.

59. Respond. ita subiici, vt, si Prælati regulares in ea procuranda fuerint negligentes, possint Ordinarij opportunis remediis illos ad id compellere, & quidem etiam per excommunicationem, pater ex Concil. Trident. *sess.5. cap.1.* vbi hæc babentur: *In monasterys quoque Monachorum, vbi commodè fieri queat, etiam lectio sacra Scriptura habeatur: qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc vt Sedis Apostolica delegati eos ad id opportunis remedys compellant. In Conuentibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacra Scripture lectio similiter habeatur.* Vbi noto non eodem modo præcipi lectionem sacræ Scripturæ Monachis, ac præcipitur aliis Regularibus: illis enim præcipitur, ita vt, si eorum Prælati in hoc desides fuerint, ad id cogi possint ab Ordinariis per censuras: his verò simpliciter præcipitur, vt habeant lectiooem sacræ Scripturæ, nulla mentione facta, quod per Ordinarios ad id compelli possint modo dicto. Cuius diuersitaris ea fortè est ratio, quod præfata lectio magis necessaria est Monachis, vtpote ex sua professione mious incumbenribus ad studia literarum: cum alij Religiosi vacent studiis, præsertim Theologiæ, tum scholasticæ, tum moralis: per cuius lectionem putar Rodriq. *tom.2. q.130. art.2.* impleri decretum Concil. Trident. alioqui existimans eadem prorsus ratione ligari tali decreto, tam Regulares non Monachos, quàm ipsos Monachos; quod certè non videtur colligi ex textu Concilij: cum tamen decreta odiosa non debeant extendi ab vno casu ad alium ex idoneitate rationis, imò neque ex maioritate; & multò minùs, quando non militat eadem ratio, sicut euenit in præsenti casu. Quod etiam Cespedes *de exempt. d.254. num.6.* ex Lezana, Peyrino,& Rodriq. satis apertè innuens contra Naldum *v. legere*, Episcopum non posse designare materiam lectionum, sicut nec tempus, aut locum (vt censent Garcia,& Aldanus apud Barbosam *ad sess.5. cap.1. Concil. Trid.* addensque Regulares tres mensibus posse vacare à dictis lectionibus ex declaratione sacræ Congregationis.

Qværss XXXIV. Quo pacto Regulares subiicianrur Ordinariis, quoad ptopria ædificia de nouo construenda.

60. Respond. ita subiici, vt quamuis aliàs haberent priuilegium ædificandi Ecclesias,& monasteria absque licentia, & consensu proprij Ordinarij; hodie tamen eo non possint vti; cum id expresse prohibuerit Vrbanus VIII. in sua Constitut. edita 28. August. 1624. reuocando omnes alias licentias, siue facultates à Romanis Pontificibus ad id concessas, & præcipiendo io hoc obseruari, tum dispositionem Concil. Trident. *sess.25. de regul. cap. 3.* tum bulla Clem. VIII.& aliam Gregorij XV. de quibus infrà. Vode fit, vt Regulares in præsentia non possint erigere oooua monasteria sine Episcooi, in cuius diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta; prout statuit Concil. Trid. *loco cit.* imò nec possint ea transferre de vno loco in alium in eadem ciuitate sine dicta licentia, & aliis solemnitatibus: cum in hoc concurrat eadem ratio præiudicij vicinorum,& procedat argumentum de toto ad partem. ita Thesaur. *p.2. praxis, v. Religiosi, cap.1.* ex Portel. Rodriq. Diana.

Qværes XXXV. Quomodo Regulares subiiciantur Ordinario, quoad obseruantiam Festorum diœcesanorum, iuxta decretum Coocil. Trident. *sess.25. de regul. cap.12.*

Respond. subiici ita, vt teneantur non solùm intra claustra abstinere ab operibus seruilibus in eiusmodi diebus festis exercendis, siue per se, siue per sæculares: sed etiam seruare ritus diœcesis, in qua existunt, se conformando, quoad conciones, & lectiones publicas Euangeliis, ac Epistolis, quibus vtitur Clerus sæcularis: non item, quoad celebrationem Missarom, ac diuinorum Officiorum; sicut diximus *supr. cap.5. sect.2. q.18.* Barbos. *de offic. Episc. alleg. 105. n.12. & seq.* aliique communiter; inter quos Nald. *v. festum, n.4.* & Rodriq. *tom.2. q.70. art.1.* monent Regulares non teneri ad festa votiua populorum: idque etsi confirmata sint ab Episcopo (nisi fortè ratione scandali) eo quòd Concil. Trid. loquatur solùm de festis indictis ab Ordinariis locorum, non aotem generaliter de omnibus festis,& consequenter in iis non comprehendantur festa votiua populorum: quæ etsi confirmentur ab Episcopo, non ideo originalem suam denominationem amittuot, neque desinunt esse festa votiua. Quæ ratio probat præterea Regulares noo teneri ad festa inducta ex consuetudine,& multo minus ad ea, quæ à Principe, aut Magistratu sæculari indicuntur: cum institutio festorum ad ipsos non spectet; sicut notauit Azor. *p.2. lib.1. cap.36. q.5.* & cum eo Portel. *de dub. regul. v. festi dies, n.2.* à nobis dissentiens cum Sanch. *lib.4. moral. c.15. n.21.* quoad festa ex voto, aut consuetudine. 61.

Monet aotem Rodriq. *tom.2. q. 62. art.1.* Eugenium IV. concessisse Monachis S. Benedicti Congreg. Hispaniæ, quoad teneantur solùm colere illa festa, quæ ab vniuersali Ecclesia obseruantur, non item alia, quæ sunt solùm ex consuetudine locorum particularium, secluso periculo scandali: sicque concludit hoc priuilegium concordare cum Trideot. *sess.26. de reg. cap.12.* hoc pacto indicans eos non teneri ad hæc festa ex vi coactiua, sed tantùm ex vi directiua, aut ratiooe scandali; licèt non se explicet; vt notauit Cespedes *de exempt. d.311. n.8.* dicens non esse recedendum à communi sententia.

Addo ex Pasqualigo *tract. de ieiun. decis.40. num.3.* & Cespedes *d.314. num.1.* Regulares non posse ab Episcopo cogi publicare in suis templis festa, & ieiunia: cum in Trident. *sess.22.* Episcopi declarentur Sedis Apostolicæ delegati solùm in iis, quæ spectant ad celebrationem Missarum, & annunciare festa ac ieiooia spectet ad instructionem populi, sitque proprium munus Parochorum: quo modo corruit fundamentum Adoersariorum oppositam sustinentium sententiam, qui sunt Rodriq. *tom.1. q.43. art.7.* Portel. *v. Episc. n.7.* Bordonus *resol.18. n.12.* aliique relati à Cespedes, qui ex declaratione sacræ Congregationis, aliis citatis, docet Episcopum è contra impedire non posse, quin Regulares io suis Ecclesiis publicent festa, ac ieiunia.

Docet Pasqualigus *decis.267. n.5.* licere, absolutè loquendo, in die festo exercere opera seruilia pertinentia ad ornatum Ecclesiarum, (v.g. eas ornare, mundare,&c.) idque etsi nulla occurrat causa ea differendi ad diem festum; probat, tum, quia illa opera communicant in cultu diuino, vt pars illius, cum sint aliquid reddens cultum diuinum splendidiorem: tum, quia sunt signa declarantia cultum diuinum propensiori modo in illa die Deo exhiberi, sicque, vt coniuncta cum diuino cultu sunt pars externi cultus ita Pasqualigus addens *decis.286.* à fortiori licere abluere in die festo vasa sacra, purificatoria,

& similia etiam tota die: cum lotio, prout versatur circa materiam factam desinat esse seruilis, vtpote spectans ad personam sacram, nempe ad Subdiaconum, & alioqui persona vt talis non sit destinata operi seruili. Quamuis doctrina hæc Pasqualigi procedat etiam in casu, quo lotio illa fiat ex priuilegio à Religioso laico, qui sit Sacrista; siquidem talis lotio in se verè non est seruilis, adeóque non vetita in die festo.

An verò Regulares teneantur obseruare festa, quæ in aliquibus locis præscribuntur, non pro tota Ciuitate, ac territorio, sed solum pro certa parochia (v. g. festum Sancti titularis parochiæ, si monasterium illorum sit intra fines parœciæ, in qua ex præcepto Ordinarij obseruatur tale festum.)

62. Respond. videri probabile non teneri; & ratio est, quod cum decretum subiiciens Regulares aliàs exemptos Ordinario loci, quoad festa diœcesana sit odiosum non debet ampliari, sed restringi, ideóque non debet extendi, nisi ad festa diœcesana simpliciter dicta: cuiusmodi sunt ea, quæ sunt communia toti diœcesi, non autem ea, quæ sunt propria alicuius parochiæ particularis, (vt in casu nostro,) ita docti viri à me consulti.

63. Dixi in responsione principali, *ab operibus seruilibus in eiusmodi diebus festis, siue per se, siue per alios exercendis*: Vt innuerem Regulares, si velint in diebus festis seruiliter operari intra monasteria, teneri petere licentiam ab Ordinario loci, non autem per se posse id præstare: cum solus Ordinarius ex consuetudine habeat potestatem dispensandi in obseruantia festorum. Ita Barbosa *supr. num.* 33.

Quæres XXXVI. An Regulares teneantur seruare ieiunia indicta ab Ordinario loci.

64 Respond. non teneri, nisi fortè ratione scandali. Ita Fagund. *præcept.* 4. *Eccl. l.* 1. *cap.* 7. *n.* 4. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *cap.* 30. *q.* 2. Suar. *l.* 4. *deleg. cap.* 20. *n.* 8. & Diana *part.* 1. *tract.* 9. *resol.* 36. contra alios; patétque, quia ex vna parte Regulares sunt exempti ab Episcoporum iurisdictione: ex alia parte nullum extat ius, quo adstringantur seruare dicta ieiunia; quomodo verè extat in iure communi lex eos adstringens ad seruanda festa, & interdicta ab Episcopis inducta; lex autem odiosa, cuiusmodi est ea, de qua hîc loquimur non debet amplitari ad casum non expressum.

65. Dixi, *nisi fortè ratione scandali*; si enim in aliqua prouincia, diœcesi, aut loco generali consuetudine receptum sit aliquod ieiunium: tunc etiam Regulares debent seruare tale ieiunium intra proprium monasterium, vtpote commune, & moribos omnium in eo loco habitantium probatum; quod non habet locum in ieiunio indicto per consuetudinem propriam Clericorum, aut laicorum tantùm, si vnumquodque genus harum personarum sumatur seorsim: quo pacto currit regula iuris: *Quos non honoro, nec onero, & quos honoro grauo.* Ita Fagund. *num.* 3. ex Azorio.

Imò Pasqualigus *de ieiunio, decis.* 213. & Cespedes *de exemptione*, *d.* 217. cum Henriq. Bonac. Laymao putant existentes in monasteriis Regularium non obligari ieiuniis indictis ab Episcopo: & probant, tum, quia iurisdictio non extenditur ad alienum territorium, *cap. vt animarum*, *de Constit. in* 6. adeóque cum monasteria sint alienum territorium respectu Episcopi, is non poterit ex sua iurisdictione sibi indicere ieiunia: tum, quia statuta Episcopalia non afficiunt loca exempta; ergo nec personas in iis existentes, etsi aliàs sint subditi; cum talis obligatio inducta non respiciat personas particulares, sed communitatem, à qua proinde si particulares personæ se separent, non subiacebunt dictæ obligationi; oppositum tamen sustinent Suar. *D.* 5. *de censur. sect.* 4. *num.* 10. Salas *D.* 14. *deleg. sect.* 6. *num.* 85. Alterius *D.* 5. *de censur. l.* 3. *cap.* 5. alii que.

Quod verò spectat ad Moniales: si hæ sint exemptæ; certum est eas non obligari ieiuniis ab Episcopo indictis; cum de his procedant rationes suprà allatæ de viris Religiosis: si verò sint subiectæ Episcopo, neque obligantur, nisi in specie exprimantur: lex enim solum obligat eos, ad quos dirigitur, & quæ fertur in vniuersali, non dirigitur ad Moniales, quippe quæ constituunt distinctum ordinem, & diuersam communitatem; sic Cespedes *supr. d.* 313. *num.* 3. ex Pasqualigo *supr. decis.* 197.

Quæres XXXVII. An, & qualiter Regulares subiiciantur Ordinario, quoad publicandas indulgentias.

Respond. subiici, vti diximus *cap. preced. sect.* 5. *subs.* 1. *q.* 28. & *cap* 4. *sect.* 1. *q.* 25. 66.

Quæres XXXVIII. An Regulares subiiciantur Ordinariis, quoad obseruanda in propriis Ecclesiis interdicta ac censuras, quæ promulgantur ab ipsis Ordinariis.

Respond. subiici, si id ipsis præcipiatur ab Ordinario: & quidem eo modo, quo diximus *cap.* 5. *sect.* 2. *q.* 24. 67.

Quæres XXXIX. An, & qualiter Regulares subiiciantur Ordinariis, quoad Processiones.

Respond. subiici ex decreto Concil. Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 13. vti ostendimus *in tract. de oblig. c.* 11. *q.* 3. Notat autem Cespedes *de exempt. d.* 207. *num.* 4. ex Lezana *v. processio quoad Regulares, num.* 4. Leone, & Campanili hîc nomine Ordinarij venire non solum Episcopos, sed etiam Prælatos inferiores habentes iurisdictionem, quasi Episcopalem: & probat, quia authoritas cogendi ad processiones relinquitur in Tridentino illi Ordinario, qui habet ius illas indicendi: hoc autem ius habent etiam Prælati iurisdictionem habentes quasi Episcopalem. dissentiunt Rodriq. Portell. Villalobos & Bordonus relati ab ipso Cespedes, qui horum sententiam dicit non esse improbabilem. 68.

Addit Cespedes *d.* 208 ex Peyrino, Bordono, & Lezana, Regulares debere vocari ad processiones, etiam consuetas, non per edictum solum, sed per nuncium: & probat, tum, quia Tridentinum, quando volt sufficere conuocationem per edictum, id exprimit (vt *sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.*) in isto autem casu non exprimit: tum, quia edicta plerumque à Regularibus non leguntur, & cum designatio horæ spectet ad Episcopum, si Regulares de ea non sint informati, comparere non poterunt hora statuta: sicque obseruantur in Archiepiscopatu Genuensi. Verùm in hoc seruari debet consuetudo locorum, saltem ad vitandas tricas.

Monet idem Cespedes *d.* 216. *n.* 3 aliis citatis, Episcopum summariè de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij debere decidere controuersias inter Regulares ortas in processionibus.

Quæres XL. An, & quomodo Regulares subiiciantur Ordinariis, quoad assistendum Synodo diœcesanæ.

Respond. subiici, si sint Parochi, aut curam gerant alicuius Ecclesiæ sæcularis: idque ex Concil. Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 2. quod ita habet: *Ratione tamen parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarũ, etiam annexarum, debeant ij, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse.* Ex quibus infert Lezana *tom.* 1. *cap.* 11. *n.* 20. cæteros Religiosos non posse cogi ab Episcopis assistere Synodis diœcesanis: 69.

cum

cum ab ipso Concilio eximantur à tali obligatione per illa alia verba, *Synodi quoque diœcesana quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs cessante exemptione interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur.* Cum enim Concilium eximat à Synodo illos Regulares, qui subduntur Capitulis generalibus: hoc ipso, quod Religiosi non habentes Ecclesiam parochialem, aut aliam sæcularem subduntur Capitulis generalibus, censentur exempti à Synodo; quæ ratio non militat in Regularibus Parochis, qui, sicut subsunt correctioni, ac visitationi Episcopi; sicut ostendimus *cap.4. sect.4. quæst. 7.* ita opus est, vt eum Episcopo assistant synodis, sieque instruantur de iis, quæ spectant ad regimen animarum.

Quod si hîc obiter quæratur, an leges latæ in Synodo diœcesana habita, ianuis clausis, nec alio modo promulgatæ, imò nec impressæ obligent in conscientia.

70. Respond. obligare; quidquid acriter contra me senserit Recentior quidam occasione Synodi ab eminentissimo Cardinali Magalotto habitæ anno 1637. pro sua diœcesi Ferrariensi, cuius erat Episcopus. Ita Auersa, Nald. Baldel. & alij viri docti è Societ. à me consulti, inter quos Nald. ad me rescripsit his verbis. *Dico Synodum non posse censeri inualidam ex eo, quod ianuis clausis habita fuerit: facta enim legitima intimatione, ac conuocatione Synodi, præsentibus ijs, qui de iure debent adesse, absoluta Synodo, statimque facto instrumento publico per Notarium rogatum à Synodo de actis in ipsa, tunc statim leges in ea lata obligant; cum eum, qui certus est, vlterius certiorari non oporteat: & sic nulla ei est opus impressione, seu voce præconis, nec affixione ad valuas Ecclesiarum*; sic Naldus, & cum eo duo illustrissimi Auditores ex peritissimis Romanæ Rotæ, qui ab illo, nomine meo consulti responderunt indubitatum esse Synodos habitas, ianuis clausis, modo dicto obligare, & consequenter censeri sufficienter promulgatas leges, quæ in iis feruntur.

71. Probatur autem responsio, tum, quia cum Synodi diœcesanæ plerúmque fiant, ianuis clausis, nec semper imprimantur, aut aliter promulgentur, inutilis, ac irrisoria esset earum coactio: ad quid enim ferre leges, quæ nullam pariant obligationem? tum, quia ad hoc vt lex obliget, non est vt ea promulgetur voce præconis, aut per affixionem, aut alia simili ratione, sed sufficit, quod solemniter edatur; idque ex *cap.1. de postulat. Prælat.* vbi dicitur: *Nec sit necessarium, cum constitutio solemniter editur, aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus inculcare.* Vnde colligit Panorm. *ibi n.10.* obligare Constitutionem editam solemniter in consilio populi, licèt non fuerit promulgata; quod idem sentit Reginald. *l.13. n.155.* asserens ad hoc vt aliqua Constitutio obliget, satis esse, si fuerit solemniter edita, vel publicè promulgata; neque esse expectandam promulgationem, quando iam est solemniter edita; itavt constitutio solemniter edita liget scientes, antequam alia fiat eius promulgatio.

Nec obstat, quod obiiciebat ille Recentior, in Synodis diœcesanis proponi leges Clero solùm, vt eas approbet (quo modo etiam Princeps sæcularis promulgaturus aliquam legem, eam priùs proponit suis Consiliariis approbandam) non autem promulgari, ac proinde vlteriùs requiri, vt debitè promulgentur, aliàs nullam vim habituræ.

72. Respond. enim negando Episcopum in Synodo proponere leges solùm, vt eæ approbentur à Clero; cum potius eas proponat per modum promulgationis, nisi quis malit dicere eas ab ipso proponi, vt sic simul & cap. probentur, & promulgentur; quod sine dubio potest facere Episcopus, quippe qui potest facere leges synodales, etiam sine consensu Cleri; vt notat Quaranta *ver. Synodus diœcesana*, ex quodam decreto sacræ Congregar. his verbis: *In priuatis Congregationibus tractentur decreta, & Constitutiones synodales faciendæ, quæ postea publicè in Ecclesia promulgentur: illæ autem fieri possunt sine Synodi approbatione, super quo extant literæ nomine sacræ Congregationis Concilij scriptæ*; hæc Quaranta; quæ si aduertisset ille Recentior, non dixisset in Synodo proponi leges ferendas præcisè, vt eæ à Clero approbentur; cum potiùs id fieri debeat in priuatis conuentibus; Vnde Henriq. *l.5. cap.17. n.1.* aut leges Concilij generalis obligare omnes si acceptentur à Patribus eiusdem Concilij nomine omnium: idque sine expresso ipsorum consensu; quod item innuit Baldel. *l.5. sum. theol. D.17. num.4.*

QVÆRES XLI. An, & quomodo Regulares subdantur Ordinario, quoad renuntiationem bonorum faciendam ante professionem religiosam, & quoad recipiendum habitum in ingressu religionis.

Respond. non subdi, quidem in præsentia, quoad habitum religionis recipiendum: cum Vrban. VIII. in sua Constit. 26. edita 21. Septembr. 1624. contra Regulares Apostatas, ac eiectos, illos exemerit à tali obligatione aliàs ipsis imposita à Clemen. VIII. subdi tamen, quoad renuntiationem bonorum faciendam ex decreto Conc. Trid *sess. 25. de reg. cap.16.* idque eo modo, quo latè ostendimus *in tract. de nouitiatu, cap.9.* 73.

QVÆRES XLII. An, & qua ratione Regulares subiiciantur Ordinariis, quoad reddendam rationem piarum voluntatum ipsis Regularibus commissarum.

Respond. subiici ex decreto Conc. Trid. *sess. 22. cap.8.* vbi id expressè statuitur, derogando cuicumque exemptioni, consuetudini, etiam immemorabili, priuilegio, aut statuto; & quidem ita, vt possint puniri ab Ordinariis, si fortè hac in re deliquerint: idque iuxta Clem. 1. *de test. an.* vt notauit Barbosa *supr. alleg. 82. num.34.* ex Angelo aliique Doctoribus; inter quos Rodriq. *tom.3. quæst.70. art.5.* notat cum Richardo, & Syluestro hanc Clementinam non habere locum in illis Regularibus, qui ita sunt exempti ab Ordinario, vt coram eo conueniri nequeant, neque ratione contractus, neque ratione delicti, aut ratione rei: quales sunt omnes Religiosi Mendicantes, & ij, qui de illorum priuilegiis participant. Nec dissentit Cespedes *de exempt. d.411.* dicens ex Angel. Syluest. Vega, Tabiena, Armilla sibi certum videri Regulares in isto casu non teneri reddere rationem Ordinario, nec posse puniri; cum Clementina citata loquatur solùm de exemptis exemptione communi, qui possunt conueniri ratione rei, contractus, delicti, &c. non autem de exemptis exemptione omnimoda (cuiusmodi sunt Regulares) qui nullo modo possunt conueniri: additque in sententia dicentium Regulares in isto casu posse puniri, id fieri debere ab Episcopo diœcesis in qua est res, de qua agitur, stando in iure communi. 74.

QVÆRES XLIII. An, & qualiter Regulares subdantur Ordinariis, quoad quæritandas eleemosynas.

Respond. quod, quamuis Regulares liberè possint vbique sine licentia Ordinarij, & Parochorum quærere eleemosynas ex variis priuilegiis bullatis, ipsis ad hoc concessis, & relatis à Casarubio *in Comp. ver. eleemosyna*: imò, teste eodem Casarubio *num. 8.* Sixtus IV. 75.

Sixtus IV. in quadam bulla statuerit, quod Ordinarij, seu quicumque alij prohibentes, ne Fratribus Carmelitis eleemosynæ fiant ipso facto sint excommunicati, & contra eos procedere possint Rectores Ordinum Mendicantium, & Auditor Cameræ Apostolicæ, ac Inquisitores hæreticæ prauitatis sicut contra hæreticos: si tamen quæritare velint extra loca, vbi habent monasteria, teneri ostendere Ordinario licentiam proprij Superioris regularis: sic enim statuit sacra Congregatio Concilij anno 1621. his verbis: *Sacra Congreg. Cardinalium Concilij interpretum censuit Fratres Ordinis Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quo minus per se ipsos in diœcesibus, vbi habent Conuentus, eleemosynas quærant, sed tantum, si extra loca, vbi monasteria existunt, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere*; hoc decretum refert Lezana *tom.2.c.1.n.4.* addens dictam sacram Congreg. declarasse Regularibus non esse prohibitum colligere frumentum, ligna, vuas, & similia, antequam Curatus habeat suas primitias, ac proinde ad huiusmodi quæstuationes non egere licentia Episcopi: cum ij sic quæstuantes vtantur iure suo. Et quidem, quod æquum sit, vt Regulares quæstuaturi extra loca, vbi habent monasteria, ostendant Ordinario licentiam suorum Superiorum; patet, quia alioqui possent non pauci fingere se quæstuare pro Religiosis alicuius certi Ordinis interim quæstuantes pro semetipsis: idque cum scandalo populorum, & graui damno ipsorum Regularium. Decretum verò sacræ Congreg in gratiam Patrum Conuentualium sancti Francisci nouissimè confirmauit Vrbanus VIII. die 9. Febr. 1640. de consilio eiusdem sacræ Congregationis; cum Sixtus idem IV. in bulla eius 4. anno 1479. statuisset Ordinarios impedientes, ne fideles Fratribus Mendicantibus eleemosynas faciant, si intra triduum requisiti non destiterint, eo ipso incurrere pœnam interdicti ingressus Ecclesiæ, ac suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum; alios autem inferiores ab iis excommunicationis sententiam incurrere, vt notauit Rodriquez *tom. 1. quæst. 57. art. 7.* & Leo *in thesaur. part. 4. cap. 2. num. 147.*

QVÆRES XLIV. An Regulares subiiciantur Ordinariis, quoad recipiendas Ecclesias de manibus laicorum.

76. Respond. subiici, ideoque non posse sine Episcopi consensu recipere Ecclesias, quas laici detinent; idque ex *cap. decimas, 16. q. 7.* & aliis iuribus, quæ adducit Barbosa *de offic. Episc. alleg. 105. n 49.* monens præfata iura solum loqui de donatione Ecclesiæ, non autem de donatione iurispatronatus facta loco Religiosorum: ad quam nullatenus requiritur Episcopi consensus; & quidem meritò; cum laicus donans iuspatronatus Ecclesiæ alicuius sit verus dominus illius, illudque iustè possideat iuxta *c. decernimus, 16. q. 7.* sicque iustè possit ex se transferre illius dominium; quod non euenit, in casu, quo laicus donaret Ecclesiam: cum ille verè non sit dominus talis Ecclesiæ, sed iniustè eam detineat, ideoque eius dominium transferre non possit in alium sine Episcopi consensu; pro vt petunt leges pontificiæ, dum indulgent, vt Ecclesias sic malè detentas transferant ad Religiosos iuxta *cap. omnes basilicæ, 16. q. 7.*

QVÆRES XLV. An, & quomodo Regulares teneantur soluere Ordinariis portionem canonicam, quam vocant Quartam legatorum.

77. Respond. non teneri, nisi eo modo, quo diximus *cap præced sect. 4. subs. 1. quæst. 14.* eos teneri ad Quartam funeralem; idque ex variis indultis, etiam bullatis, quæ referuntur à Casarubio *in Comp. ver. canonica portio*, & fuerunt confirmata à sacra Congregatione, teste Barbosa *in collect. bullar.*

QVÆRES XLVI. Qualiter Regulares vacantes Missionibus Iaponicis, & Indiarum Orientalium subiaceant Ordinario, quoad decisionem controuersiarum, quæ ibi oriuntur inter ipsos Regulares.

Respond. subiacere, vti diximus *supr. cap. 4. sect. 3. quæst. 22.* 78.

QVÆRES XLVII. An Regulares subiaceant Ordinario, si recipiant noua loca in quibus non habitent saltem, 12. Religiosi, aut certè sint falsi monetarij.

Respond. subiacere, tum in priori casu, (vt constat ex dictis *tract. 7. cap. 6. n. 84.*) tum in posteriori casu; idque ex bulla Vrbani VIII. quæ incipit. *In suprema pastorali*, à nobis referenda, *tract. 9. cap. 4. sect. 3. q. 15.* vbi hac de re fusiusculè, quantum spectat ad nostrum institutum, disseremus. Addo hîc vnum, quod, quamuis Nouarius, aliique docti viri apud Cespedes *d. 256. de exempt.* putent, ad hoc vt in præsenti casu Ordinarius possit procedere contra Regulares, requiri, vt delictum sit notorium, & cum scandalo (sicut requiritur in aliis casibus, in quibus Episcopi possunt punire Regularem delinquentem; id colligentes, tum ex verbis illis bullæ citatæ, *& culpabiles in præmissis reperti*, per quæ videtur requiri, quod Regulares in fraganti crimine reperiantur delinquentes; tum ex eo, quod per dictam bullam non derogatur Concilio Tridentino requirenti, *sess. 25. de Regul. cap. 14.* quod delictum sit notorium, & cum scandalo ad effectum vt Regularis illud committens puniri possit ab Ordinario: nihilominus Cespedes ait contrarium omnino sustinendum esse; vt sic finis citatæ bullæ obtineatur; qui est omnino extirpare hoc delictum: ad quod vtique deseruiet, si Ordinarius possit illud punire, siue sit occultum, siue notorium. Ita Cespedes; etsi alioqui subdat oppositam partem esse non improbabilem, ac protestetur se nolle illam improbare. 79.

QVÆRES XLVIII. An, & qualiter possint Regulares se subiicere Ordinariis ad effectum vt possint ab illis absolui, dispensari, &c.

Respond. posse, de licentia tamen proprij Prælati regularis, aut certè de consensu etiam tacito ipsiusmet Religionis. Ita Sanch. *l. 4. mor. cap. 39. n. 32.* Molin. *tract. 3. D. 61. n. 4.* Suar. *D. 30. de pœnit. sect. 2. n. 3.* aliique plures, tam Canonistæ, quam Theologi contra plures alios relatos à Sanch. *num. 29.* Et quidem, quod regulares possint se subiicere Ordinario in casibus propositis, constat, tum, quia exemptio regularium potissimum est inducta in fauorem religionis; vt scilicet religiosi quietiùs Deo famulentur, & ne passim ab Ordinariis perturbentur: vnde in iis, quæ concernunt quietem, & fauorem religionis, non debent esse peioris cōditionis, quam sint non exempti, tum, quia non consonat rationi, vt priuilegium exemptionis in hoc casu contra finem illius operetur, impediendo talem subiectionem. 80.

Quod verò Regulares non possint modo dicto se subiicere Ordinario sine licentia proprij Prælati, aut tacito consensu Religionis; patet, quia Prælatus regularis est Ordinarius Religiosorum sibi subditorum, ideóque hi non possunt absque iniuria illius se subiicere Episcopo loci, in quo degunt, cum ipse reuera non sit illorum Ordinarius; idque siue in casibus, in quibus Religiosi non possunt absolui à proprio Prælato: siue in quibus possunt ab eo absolui: quod tamē non facit, quin Prælatus regularis possit, si velit, eis dare facultatē se subiiciendi Episcopo: 81.

com

cum quilibet possit cedere iuri suo, & volenti, ac consentienti non fiat iniuria.

82. Dixi in responsione, *aut tacito consensu Religionis*, vt innuerem, quod si Prælatus regularis sit impeditus, quo minus possit absoluere suum subditum (eo quod v. g. sit excommunicatus denuntiatus, vel, quod obierit, aut longè absit, nec adsit alius vices eius gerens) aut etiam subdito iniustè deneget licentiam recurrendi ad Episcopum pro aliqua absolutione, quæ ab ipso Prælato regulari impertiri non possit; in talibus casibus ex tacito consensu Papæ, ac Religionis videtur posse Religiosus recurrere ad Episcopum, ne alias cogatur diutiùs vagari; sicut aduertit Molina *supr. num.* 5. docens regulariter non euenire, quod Prælatus regularis iniustè deneget subdito facultatem se subiiciendi Episcopo, quam teneatur dare, ideoque nec præsumi posse licentiam illam tacitam Papæ, ac Religionis: cum communiter supponi possit, eam ab ipso denegari iustè; imò, si sit dubium, an iustè, vel iniustè illam deneget, præsumi debet negare iustè: cum in dubio standum sit iudicio Prælati regularis, vtpote legitimi Superioris.

83. Addo ex Auila *part.* 2. *de censur. cap.* 7. *D.* 1. *d.* 6. *conclus.* 1. & aliis Prælatum regularem, si egeat absolui, aut dispensari, posse se subiicere Episcopo ad talem effectum in iis casibus, in quibus possent eius subditi de licentia illius; siquidem potest Superior vti iis facultatibus, quas potest concedere subditis.

Verum tamen est, quod diximus, posse Prælatum regularem se, aut suos subditos subiicere Episcopo in casibus propositis: intelligendum esse de Episcopo loci, in quo ij commorantur: cum requiratur habitatio ad hoc, vt quis censeatur alicui Episcopo subiectus, quoad obtinendam absolutionem, aut dispensationem; quamquam ad recipiendam absolutionem sufficiat habitatio, quæ sit per modum transitus, ad obtinendam dispensationem requirente Concil. Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap* 6. habitationem cum animo ibi commorandi pro maiori parte anni, sicut notauit Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 11. *num.* 9.

84. Accedit, inquit Molina *num.* 3 quod, si Regularis possit absolui, aut dispensari, sin minus à Prælato locali, saltem à Prouinciali, vel alio Prælato superiori: tunc non potest Religiosus subditus ad talem effectum se subiicere Episcopo, neque de consensu Superioris localis; nisi etiam accedat consensus Prouincialis, aut Generalis, ideoque illum remittendum esse ad istos, vt ipsum absoluant, vel dispensent, siue per se ipsos, siue per alios, prout maluerint. ratio est, quod, cum sic intra Religionem pateat remedium, non præsumitur adesse tacitus consensus Religionis, vt extra illam quærat remedium; quamquam, si vrgeat necessitas, possit sufficere licentia præsumpta Superioris mediati, ad hoc vt Prælatus immediatus, possit modo dicto subiicere religiosum subditum ad obtinendam aliquam absolutionem, aut dispensationem.

At difficultas est, cui Episcopo in præsenti casu debeant se subiicere Regulares.

Respond. Bordonus *resol.* 16. *quæst.* 4. ex Florono, & aliis debere se subiicere Episcopo loci, in quo degunt, si Superior, qui dat licentiam in eo casu, nequeat absoluere, aut dispensare. at mihi placet sententia Cespedis *de exempt. d.* 188 *num.* 15. dicentis Religiosum in hoc casu posse se subiicere cuicumque Episcopo, nisi in concessione licentiæ exprimatur, quod se subdat tali Episcopo. Ratio est, quod, cum Religiosi semper sint exempti, ratione exemptionis in eos maiorem potestatem non habet Diœcesanus, quàm alij Episcopi; sicque possunt Religiosi in isto casu recurrere ad quem Episcopum maluni: quo modo habens facultatem illimitatam recipiendi ordines à catholico Antistite, potest eos recipere à quocumque Episcopo maluerit, & hoc procedit etiam in sententia dicentium in casu proposito non requiri licentiam Prælati regularis.

Porro notat Bordonus Episcopum in præsenti casu absoluere Regulares potestate quidem ordinaria, si Prælati regularis facultas ad illam absolutionem non extendatur (cum sic Episcopus vtatur facultate sibi à iure concessa) potestate verò delegata, si Prælati regularis facultas ad absolutionem illam extendatur; cum subiectio de licentia Prælati facta Episcopo sit quædam delegatio, vt patet. Sed hanc distinctionem dicit Cespedes *num.* 13. sibi minus adæquate placere; cum etiam in casu, quo Prælatus regularis potest absoluere subditum Episcopum, idem possit facere, & quidem à iure (vt in *cap. religioso, de sent. excommunicat.* in quo ius Episcopo dat facultatem absoluendi Religiosum percutientem: quod ex priuilegio facere potest etiam Prælatus regularis) & tamen concedendum videatur Episcopum in tali casu de licentia Prælati regularis absoluentem religiosum id facere potestate ordinaria, non autem delegata; vt vult Bordonus. At ego non video, cur non possit Episcopus absoluere in isto casu potestate delegata, liberè tunc eligens non vti potestate ordinaria de iure ei competente: quomodo religiosus Societ. à censuris potest absoluere ex potestate delegata, ab Ordinario; cum id facere non possit ex potestate sibi competente vi suorum priuilegiorum: in quo casu vtique haberet duplicem potestatem, & tamen posset vti potestate data ab Episcopo, abstrahendo ab alia.

QVÆRES XLIX. An Regulares possint renunciare priuilegio exemptionis ab iurisdictione Ordinariorum.

Respond. non posse, tum ob rationem adductam *supr. quæst.* 16. sub finem; tum, quia id cederet in præiudicium Ordinis religiosi, cui per se, & principaliter concessum est priuilegium talis exemptionis. 85.

QVÆRES L. An, & quo pacto teneantur Regulares tueri hanc suam exemptionem aduersus Ordinarios.

Respond. teneri, & posse id præstare duobus modis: 1. respondendo se audire, quod ipsis intimatur ab Ordinario; quo pacto meliùs tollitur occasio, quam Ordinarius habere poterat exigendi, vt coram ipso iudicialiter exhibeatur priuilegium exemptionis, si Regulares conentur declinare eius iurisdictionem; 2. respondendo se esse exemptos ab Ordinarij iurisdictione, ideòque ab illa declinare. Quamquam, siue primo, siue secundo modo respondeant, semper adire debeant suum Iudicem, Conseruatorem, aut alium Iudicem competentem, vt Ordinarium inhibeat; in quo casu non potest Ordinarius prætendere, vt coram ipso exhibeatur priuilegium exemptionis: cum Iudex Conseruator illud exhibeat in literis inhibitoriis: quod perinde est, ac si ab ipsis Regularibus exhiberetur; siquidem Iudex gerit vicem partium, *l. si ob causam, C. de eutt.* Quinimò expedit potiùs, vt Conseruator illud exhibeat, quam Religio; cum ipse velut Iudex inhibeat non relinquens Ordinario cognitionem priuilegij exemptionis, sibique tanquam iudex superior aduocans dictam cognitionem; quod non eueniret, si ipsa Religio præfatum priuilegium exhiberet Ordinario, cum ea non possit illum inhibere, sicque cogatur relinquere ipsius arbitrio cognoscere, ac pronunciare, num ipse sit iudex, 86.

nec ne. Quod si adhuc Ordinarius nolit se inhibere, debet Conseruator ipsum ad id cogere per censuras, donec Ordinarius obediat se inhibendo, aut recurrat ad Superiorem(v.g.ad Papam.)ita Sanch.*l.6.consil.cap.9.d.5. num. 2. & seqq.* aliique inter quos ipse Sanchez *num.* 1. monet Regularibus illud in primis cauendum esse, ne priuilegia suæ exemptionis Ordinario præsentent: cum id sit constituere illum iudicem exemptionis ipsis competentis, & vertere in dubium, an iurisdictio ad ipsum pertineat: quod ille intendit, tanquam iudex ordinarius Ecclesiasticorum. Vnde vlterius sequitur Religiosos non teneri comparare coram Ordinario, si ab eo citentur in casu,quo certò constet de illorum exemptione, quod videtur ionuere Sanchez *supr. d.* 1. *num.* 34. dicendum esse etiam in dubio, an iurisdictio contra Regulares exemptos pertineat ad Episcopum: ait enim non posse Episcopum tunc cognoscere de causa occurrente: cum Paulus III. per bullam concesserit Patribus Societatis Iesu, quod interpretatio priuilegiorum Societatis, quando sunt dubia, reseruetur Papæ, vt constat ex bullario Societatis fol. 35. quod item concessum fuerat Patribus Benedictinis, Dominicanis, ac Minoribus.

An autem in casu quo Episcopus prætendat exercere iurisdictionem in Regulares, & hi prætendant illum non posse, ideóque appellent,possit Episcopus contra illos procedere.

Respond. quod, quamuis Episcopus iuxta Abbatem *in cap. venerabili de censur. num.* 3. ad suam iurisdictionem defendendam vti possit armis spiritualibus, ac temporalibus, nec teneatur admittere appellationem in præiudicium sui iuris, cum sit in possessione, nec debeat recipere probationem, cum procedat vt pars ad ius suum defendendum, *cap. dilecto de sent. excommunicat.*) tenetur tamen ante sententiam excommunicationis monere Regulares, & quidem monitione trina, teste Couarruuia *in cap. Alma mater part.* 1. §. 9. *num.*6. idque etsi Episcopus procedere velit per ostij effractionem; cum possit euenire, quod Regulares ea monitione territi pateant, sicque omnia fiant absque scandalo. ita Cespedes *de exempt. d.* 370.ex Peyrino addens, quod, si dubium sit, an Episcopus sit in possessione visitandi Regulares, ideoque hi recusent visitari; valor excommunicationis pendet à decisione causæ facienda à Superiore competente; & interim Regulares poterunt resistere iura sua tuendo, & respondere de facto procedenti de facto.

Addit Cespedes *num.*5.ex Tridentino *sess.*21.*de refor. cap.* 8. posse ab Episcopo visitari Regulares, etsi in monasterio vigeat regularis obseruantia: si postquam ab Episcopo Prælati regulares moniti sunt, vt visitent, aut visitari curent, & decurrat semestre, adhuc non visitentur, quod tamen non videtur esse in praxi.

Addo ergo ex communi sensu Doctorum,si dubitetur, an Episcopi iurisdictio extendatur ad Regulares, Episcopum non posse tunc cognoscere de tali dubio, & causa; cum interpretatio priuilegij Religiosorum, quando est dubium,reseruetur Papæ iuxta dicta *cap.* 1. *sect.* 6. *quæst.* 1. sicque Episcopus nequeat illam sibi auocare absque iniuria Papæ.

87. Qværas LI. Strictène, an latè interpretari debeat priuilegium Exemptionis concessum Regularibus.

Respond. quod, quamuis priuilegium cedens in præiudicium tertij debeat interpretari strictè: priuilegium tamen hoc exemptionis latè interpretandum est,vt pote concessum in fauorem totius Religionis, ita Henriq. *l.7. cap.* 24. *num.* 4. & *cap.* 30. *numer.* 1. pateteque ea dictis hîc *cap.*1.*sect.*6.*quæst.*6.

Hinc obiter moneo ex Bordono *cap.* 6. *de profess. quæst.*25.quod, quando Papa subiicit Regulares Ordinariis locorum,intelligit de Ordinariis habentibus diœcesim,non autem de Ordinariis nullius diœcesis: sicque in Concilio Trid. *sess.* 5. *cap.* 2. metropolita, non autem Ordinarius nullius diœcesis cogit Regulares prædicare in suis Conuentibus habentibus annexam curam animarum in loco nullius diæcesis: sic Religiosi degentes in loco nullius diœcesis ex decreto Sacræ Congregationis relato à Naldo *v. ordo num.* 26. pro ordinibus recipiendis accedant ad Episcopum viciniorem.

Qværas LII. An priuilegium Exemptionis competens monasteriis Regularium, quoad iurisdictionem Ordinariorum, suffragetur etiam personis sæcularibus ibi existentibus.

Respond. videri non improbabile, quod suffragetur, ideóque delinquentes in monasteriis Regularium non subiacere pœnis latis ab Ordinario contra taliter delinquentes.ita Regin.*l.*9.*num.*154.Nald. *v. exemptio, num.*5. Peyrin. *tom.* 1. *priuil. Constitut.* 2. *Sixti IV. num.* 9. aliique penes ipsos contra Suarez *D.* 5. *de censur. sect.* 4.*num.* 6. Baldel. *l.*5. *theol. mor. D.*31.*num.*16. aliosque communiter; & patet, quia locus exemptus,& locus extra diœcesim æquiparantur ex Glossa *in Clement.* 1. *de foro compet.* monasteria autem Regularium exemptorum sunt exempta, & consequenter, licèt materialiter non sint extra diœcesim,formaliter tamen sunt extra illam;vnde quoad hoc se habent velut parochiæ,& monasteria existentia extra diœcesim: ex quo fit, vt, sicut existens in diœcesi Ferrariensi non ligatur censuris latis ab Ordinario Bononiensi, eo quod iuxta communem Doctorum sententiam statuta diœcesana non ligent extra territorium; sic nec ligetur censuris latis ab Ordinario Ferrariensi is, qui existit in monasterio exempto diœcesis Ferrariensis, intellige, exceptis casibus exceptis in *cap. volentes, de priuil. in* 6. & in Concilio Trid. pluribus locis,in quibus Regulares exempti, & Moniales subiiciuntur Ordinariis (vt nos ostendimus suo loco.) oobiscum sentit Layman.*l.*1. *tract.*4.*cap.*11.*num.*5.citans pro se Henriq. & Syluestrum; monensque exceptionem illam, quam facit Suarez *supr.* dicens monasteria Regularium exempta non æquiparari loco extra diæcesim, se apud alios non legere, sicque virtualiter infeuens illam esse reiiciendam; quod item probat Bordonus *resolut.* 33. *num.* 11. tum, quia alioqui Episcopus in Regularium monasteriis posset exercere quamcumque iurisdictionem: quod nemo concedit; tum, quia in priuilegiis eximentibus Regulares ab Episcoporum iurisdictione habetur mentio expressa etiam de locis, ac monasteriis, vt *cap. nimis iniqua, cap. nimis praua, de excess. Prælat. Clement.vnica, eod. titulo*, & Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 10. nobiscum item sentit Barbosa relatus à Diana *part.* 5. *tract.*9.*resol.*71.

88. Addo ex Salas *D.*14. *de leg. sect.*6.*num.*85. Episcopum, stando etiam in doctrina Suarez superius relata, non posse intra Regularium monasteria exercere actus quosdam iudiciales iurisdictionis contentiosæ solemnis,& cum strepitu(v.g. erigere tribunal, publicare statuta, comprehendere reos) etsi aliàs detur posse exercere aliquos alios actus iurisdictionis; vt ponere cathedram ad modicum tempus, &c. modò non fiant actus præiudicantes iuri acquisito Regularium.

Sectio

Sectio II.

De Priuilegio Exemptionis concesso Regularium personis, quoad Forum sæculare.

Quæres I. Quid intelligatur hîc nomine exemptionis à foro sæculari.

Respond. intelligi priuilegium, quo personæ Regularium legitima auctoritate eximuntur à quacumque potestate sæculari in causis, tam ciuilibus, quàm criminalibus. 89.

Quæres II. An, & quo iure competat talis exemptio Regularibus.

Respond. competere iure Ecclesiastico fundato in iure diuino; idque non secus, ac competit aliis personis Ecclesiasticis, cum & ipsi Regulares sint verè Ecclesiastici. ita Molin. *tom.* 1. *de iustit. D.* 31. *concl.* 3. Suarez *lib.* 4. *de immunit. Eccles. cap.* 8. *num.* 2. aliique plures, tum Theologi, tum Canonistæ relati à Diana *part.* 1. *tract.* 2. *resolut.* 1. & quidem quòd talis exemptio generaliter competat Ecclesiasticis; constat *ex cap. non minus, de immunit. Eccles.* aliisque iuribus. Quod verò competat iure Ecclesiastico; probatur, quia alioqui dicendum esset eam competere iure diuino, siue positiuo, siue naturali: cum tamen certum videatur neutro ex istis iuribus eam competere; non iure diuino positiuo: cum in scriptura sacra nullus extet textus, ex quo id colligatur: non iure diuino naturali; cum character clericalis ex se, & ratione sui non eximat Clericum à sæculari iurisdictione, sed solùm deputet hominem cultui diuino; cum quo vtique stat, quod persona sic deputata possit esse subiecta potestati sæculari in iis, quæ diuinum cultum non impediant. Addidi, *fundato in iure diuino*, vt innuerem esse iuri diuino valde consentaneum, vt Ecclesiastici sint exempti à foro laicali, præsertim in causis criminalibus: cum indecens sit Episcopos, aut Parochos, quibus iudices laici, tamquam filij debent subiacere in spiritualibus, ab iis postea in temporalibus iudicati, ac puniri; vt notant non pauci Doctores. 90.

QVÆRES III. An, & quo modo reuocari possit ista Exemptio.

91. Respond. non posse reuocari neque à Principibus sæcularibus (cum nulla potestas humana sit superior potestati supernaturali concessæ à Christo Ecclesiæ, & talis exemptio speciali ordinatione Christi concessa sit Ecclesiasticis) imò neque à Papa, vniuersè loquendo, i. quoad omnes Clericos, ac omnes causas: non enim potest Papa tollere, quod est necessarium ad rectam Ecclesiæ gubernationem; tum potestas ipsi competens ei sit collata in ædificationem, non in destructionem. Ita Suarez *sup. cap.* 30. & alij apud Dianam *sup. resol.* 3. patetque ex dictis, si monuero Papam pro varietate temporum, & occasionum posse restringere, aut ampliare huiusmodi exemptionem, estò non possit illam omninò auferre.

92. Addo talem exemptionem non posse reuocari, neque per consuetudinē immemorabilem; quidquid sit de particularibus cōsuetudinibus aliquorum Regnorum: quæ cum pertineant ad facta hominum, non ad ius, non tenemur illarum rationem reddere; cum id potius spectet ad eos, qui illas obseruant. Ita Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 10. *num.* 1. aliique penes ipsum contra Couarruuiam *in pract. qq. cap.* 31. *n.* 5. (quem tamen cautè legendum esse in his materiis notat Suar. *tom.* 1. *de relig. l.* 1. *de diuino cultu, cap.* 38. *n.* 16.) Ratio autem responsionis est, tum, quia laici, cum sint incapaces iurisdictionis Ecclesiasticæ, non possunt illam comparare via præscriptionis; tum, quia Consuetudo, quæ tanquam irrationabilis damnata est, non potest abrogare legem via præscriptionis, *cap. vlt. de consuetud.* talis autem est consuetudo contra libertatem Ecclesiasticam: vt colligitur ex *cap. nouerint, de sent. excommunic.* tum, quia estò detur talem consuetudinem posse induci, ea nihilominus non valeret, vt pote singulis annis reprobata per promulgationem bullæ in Cœna Domini.

93. Vnde vlteriùs sequitur hac in re non posse præsumi tolerantiam, ac tacitum consensum Papæ ad defensionem quarumdam consuetudinum directè pugnantium contra libertatem Ecclesiasticam, quæ potius dicendæ sunt corruptelæ, quam consuetudines. si quidem, teste Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 13. *num.* 12. tolerantia sola, supposita scientia, non indicat sufficientem consensum; cum multa per patientiam tolerentur, quæ non approbantur *c. cum iam dudum, de prebend.* Quod confirmat Filliuc. *tract.* 16. *num.* 256. dicens simplicem tolerantiam (quæ adest, quando Princeps non potest prouidere) non sufficere ad dispensandum, *cap. denique, dist.* 4. quamquam non desint plures DD. apud Dianam *sup. resolut.* 5. qui excusant aliquas consuetudines aduersantes libertati Ecclesiasticæ, ex tacito Papæ consensu inductas; quod sine dubio potest esse, non tamen ita facilè præsumendum est, nisi id colligatur prudenter ex rationibus ac coniecturis occurrentibus: cum sit res valdè dubia, ac periculosa, vt obseruat idem Diana. in quo non dissentit Layman *sup. num.* 2. monens huiusmodi consuetudines debere fundari, non in mera consuetudine (quæ iuxta dicta reprobatur in ista materia) sed in aliquo titulo rationabiliter, ac bona fide præscripto (v.g. in priuilegio aliàs concesso, sed quod modò exhiberi non potest) quo modo dari potest præscriptio per tempus immemoriale, vt notant scribentes in materia præscriptionis.

An autem consuetudines taliter inductæ contra libertatem Ecclesiasticam tolli, ac reuocari possint à Papa.

94. Respond. posse; cum præscriptio aduersus libertatem Ecclesiasticam, vt sit legitima, fundari debeat in grataria, ac priuilegio Apostolico; vnde fit, vt, sicut Papa potest reuocare priuilegium, sic & possit reuocare præscriptionem ex priuilegij præsumptione vim capientem. Ita Laym. *sup. num.* 5. docens id verum esse, etiamsi priuilegium illud à Papa collatum fuisset ex contractu oneroso; non enim ideo fit irreuocabile, si adsit causa publica grauissima illud reuocandi, & parti priuilegiatæ fiat debita compensatio; vt notauit Suar. *l.* 8. *de leg. c.* 37. *num.* 5.

QVÆRES IV. An Regulares possint renunciare huic Exemptioni.

Respond. non posse, cum nemini datum sit renuntiare priuilegio, cuius renuntiatio cedat in publicum damnum: talis autem esset renuntiatio istius exemptionis vergens in præiudicium totius status Ecclesiastici, cui est concessa. Ita Castr. Pal. *tract.* 12. *D. vn. p.* 11. *num.* 1. ex Couar. Gomez, Farinac. & Suarez; patetque, tum ex dictis hîc, tum ex *cap. si diligenti, de foro compet.* aliisque iuribus, quæ locum habent, iam in casu, quo ea renuntiatio firmaretur iuramento, quàm in eo, quo Prælatus regularis consentiret dictæ renuntiationi: si quidem iuramentum illud esset illicitum, & consensus Prælati regularis non potest immutare ea, quæ sunt statuta à iure communi: cuiusmodi est etiam priuilegium hoc exemptionis. quod tamen non facit, quin Regulares in ciuilibus possint se subiicere Iudici sæculari vt Arbitro; sicut notauit Less. *l.* 2. *c.* 29. *num.* 52. addens non ideò Regularem nolentem stare sententiæ cogi posse à Iudice ad standum. 95.

QVÆRES V. An omnes Regulares gaudeant hac Exemptione, etiam Conuersi, etiam Apostatæ, etiam perpetuò Eiecti.

Respond. omnes prædictos gaudere: cum hi omnes verè sint Religiosi, & hoc priuilegium concessum sit statui religioso, nec constet aliunde ipsis subtrahi per legitimam potestatem, etsi sint Apostatæ, aut Eiecti. 96.

Difficultas est, an Regulares malè promoti ad Ordines gaudeant tali exemptione (eo, quod v.g. ordinati sint ante debitam ætatem) & ratio dubitandi est, quod Vrbanus VIII. die 11. Decemb. 1624. taliter ordinatos priuauit priuilegio exemptionis à foro sæculari, secuta tamen prius desuper Iudicis Ecclesiastici declaratione; vt constat ex eius *Constitut.* 28.

Respond. gaudere; & ratio est, quod Regulares, etiam abstrahendo ab Ordinum susceptione priuilegio fori fruuntur; sicque non est, cur dicamus illos eo priuari ob indebitam susceptionem Ordinum: cum vtile per inutile non vitietur, quando vtile ab inutili est separabile, vt in casu nostro. ita docti viri à me consulti, maximè P. Zanettus. 97.

QVÆRES VI. An Nouitij gaudeant hoc priuilegio Exemptionis.

Respond. gaudere ob dicta in *tract. de nouitiatu, c.* 7. *q.* 3. vbi pluribus hac re disseruimus. 98.

Moneo hîc ex Pasqualigo *tom.* 2. *resol.* 96. *n.* 2. hospites Theatinorum, qui intra Conuentum ante susceptionem habitus religiosi degunt in via ad religiosum habitum recipiendum, etsi iuxta ipsum Pasqualigum non gaudeant eo tempore priuilegio canonis, tamen gaudere priuilegio fori: cum pertineant ad personas exemptas, vtpote destinari ad habitum religiosum, & existentes in via ad illum recipiendum, & velut in statu præparationis necessariò præmittendæ iuxta Ordinis Constitutiones, sicque sint velut accessorium respectu Religionis, sine quo Religio more consueto nequit conseruari; & alioqui

qoi priuilegium principalis trahatur ad accessorium (v.g. à Domino ad seruum,) *cap. quanto de priuil. & c. licet, cod. tit. in 6.* quando persona attenditur vt res personæ priuilegiatæ. Præterquam, quod si Iodices sæculares, aut Episcopi exercerent iurisdictionem in dictos Hospites, inferrent grauamen Ordini, eiusque statum turbarent: quæ ratio sufficit, vt priuilegium fori personæ exemptæ extendatur ad personas, in quas si exerceatur iurisdictio, turbatur status personæ exemptæ, eique infertur grauamen; vt notant Gratianus *tom. 1. disceptat. forens. cap. 348. num. 4. & 5.* Menoch. *de arbitr. cent. vlt. casu 562. num. 12.* Carol. de Grass. *de effect. cleric. effect. 1. num. 150.*

Qværes VII. An gaudeant hoc priuilegio Exemptionis Oblati, seu Donati, & Fratres tertij Ordinis S. Francisci, dicti Tertiarij.

99. Respond. gaudere, si quidem Oblati se, & sua in Religionis seruitium transtulerunt, habitumque aliquo modo mutant, vt alibi diximus: Tertiarij verò, si viuunt in communi. Ita Castr. Pal. *p. 1. n. 10.* aliique apud ipsum, & quidem quod spectat ad Oblatos, patet ex variis declarationibus sacræ Congregationis relatis à Lezana *tom. 2. cap. 8. num. 8.* ex Barbosa, & Aldano, in quibus claré id statuitur; quod autem pertinet ad Tertiarios, probatur, quia hi aut sunt Religiosi, aut certè imitantur vitam religiosam aliquo modo participantes de statu religioso, sicque sunt Deo dicati iuxta modum loquendi, quo vritur Io: Papa in *c. quisquis 17. q. 4.* dicens sacrilegium committere eum, qui facit iniuriam Clericis, vel Monachis, siue Deo deuotis, i. dicatis. vnde fit, vt, cum Tertiarij sint Deo dicati secundum quamdam participationem propriæ religionis ab Ecclesia approbatam, sub latitudine personarum Ecclesiasticarum comprehendantur, sicque fruantur priuilegiis concessis statui religioso, esto ipsi non sint verè Religiosi, nec emittant vota Religionis: vt docet Suarez *D. 22. de censur. sect. 1. num. 20.* loquens de priuilegio Canonis: idque ex priuilegiis Regularium, consuetudine, ac stylo Curiæ Romanæ; cum tamen hæc omnia item militent in casu nostro, quoad priuilegium fori; maximè cum non desint plures DD. qui putant Tertiarios gaudere priuilegio exemptionis à foro sæculari, etiamsi priuatim habitent in suis domibus: quod tamen non approbat Castr. Pal. *sup.* & benè; & cum obstet decretum Leonis X. hac de re editum in Concilio Lateranensi, & relatum apud Rodriq. *tom. 2. q. 65. a. 5. in fine.*

Qværes VIII. An gaudeant hoc priuilegio exemptionis Equites S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ & similes.

100. Respond. gaudere, & quidem in omnibus omninò causis. Ita Diana *p. 3. tract. 1. resolut. 72.* aliique penes ipsum; & probatur, quia isti sunt verè Religiosi (vt probabimus suo loco) & gaudent priuilegio Canonis, (vt dicemus sect. sequenti): ergo & gaudent priuilegio Fori; cum teste Suarez *l. 4. contra Regem Angliæ, cap. 29. num. 7.* & Layman *supra num. 1.* certa, & communis regula sit gaudentes priuilegio Canonis gaudere etiam priuilegio Fori: & quidem rationabiliter, cum priuilegium Canonis Ecclesiasticis concedatur, eò quod sint sacri, & Deo deuoti, & hæc ipsa ratio suadeat non decere eos subiici laicæ potestati; vt consideranti facilè constabit.

Qværas IX. An Eremitæ sint exempti à foro sæculari.

101. Respond. esse, si viuant in communitate Religionis approbatæ; non item si viuant extra religionem sub nullius obedientia; sic namque sunt verè laici, nulloque gaudent priuilegio. Ita Molf. *tract. 2. D. 50. n. 4.* aliique apud Dianam *p. 4. tract. 1. resol. 35.* contra Bonacinam *in bulla cœnæ, D. 1. q. 16. sect. 1. p. 3. n. 18.* ex Duardo docentem priuilegium fori extendi etiam ad Eremitas peculiarem modum viuendi seruantes, & habitum religiosum deferentes, & alicui loco pio inseruientes sub obedientia Episcopi; aut alterius Prælati: necnon ad illos homines, qui assumpto habitu religioso, adhibentur ad seruitia monialium, & ad petendam pro iis eleemosynam.

Qværas X. An Regulares gaudeant priuilegio fori, si se immisceant enormibus delictis.

Respond. gaudere, & consequenter non posse puniri à iudice laico, nisi per sententiam Iudicis Ecclesiastici notum sit illos enormibus se immiscere, & sine habitu, ac tonsura incedere, aut certè si incedant cum habitu, ac tonsura, ter moniti fuerint, ne enormia committant; nam qualitas tribuens iurisdictionem priùs probanda est, *l. 2. §. sed si dubitetur, & l. si quis ex aliena, ff. de iud.* sic Diana *p. 1. tract. 2. res. 129.* cum Filliucio *tract. 16. cap. 11. num. 314.* Comitolo *l. 1. resp. q. 96. n. 3.* Rodriq. *tom. 2. q. 2. a. 5.* aliisque pluribus contra plures alios relatos à Diana; & probatur, quia Religiosus professus non perdit priuilegium fori, nisi in iis casibus, in quibus illud amittunt Clerici in sacris constituti; hi autem non amittunt priuilegium fori, nisi priùs ter fuerint moniti, quantumuis alias sint incorrigibiles, vt habetur *cap. in audientiam, & cap. contingit, de sent. excommunic.* 102.

Nec obstat, quod Clemens VII. ad instantiam Caroli V. concessit, vt absque trina monitione procedi possit contra Clericos incedentes sine habitu, & tonsura, ac se immiscentes sceleris, & enormibus, siquidem tale priuilegium loquitur de Clericis minoribus; non autem de Religiosis professis, qui æquiparantur initiatis Ordine Sacro; præterquam quod fuit concessum solum pro Regno vtriusque Siciliæ, & non est sic firmum, ac certum: vt aduertit Diana *vbi sup.* 103.

Virum verò in proposito casu Prælatus regularis teneatur saltem degradare suum Religiosum enormia perpetrantem, illumque tradere Iudici sæculari.

Respond. Diana *supra* ex Farinacio, & aliis non teneri, nisi consulto Papa: sicque in multis casibus ab eo relatis factum fuisse, quod tamen negant communiter alij docentes Clericos ab Episcopo degradandos esse, ac curiæ sæculari tradendos, saltem in casibus exceptis, nempe in casu hæresis, falsi commissi in literis Apostolicis, & conspirationis in proprium Episcopum, de quibus Barbosa *de offic. Episc. alleg. 110. num. 11.* 104.

Quod si quæras, an Iudex sæcularis possit punire Regularem assassinum, notorium, aut aliàs incorrigibilem.

Respond. non posse, nisi post sententiam declaratoriam assassinij, aut incorrigibilitatis factam à Iudice Ecclesiastico. Ita Diana *sup resol. 51.* aliique penes ipsum contra plures alios ab eo allegatos; & probatur, tum ex *cap. cum non ab homine de iudiciis:* tum quia crimen assassinij, & incorrigibilitas sunt ea, quæ priuant Ecclesiasticos priuilegio fori: nullus autem afficitur pœna etiam pro iure lata, donec declaretur delictum; vt rectè aduertit Castr. Pal. *sup. p. 6. num. 8.* addens Clericum (adde tu & Regularem) ex consuetudine præsumi incorrigibilem, si ter monitus sub excommunicatione non resipiscat: cum sic satis superque ostendat suam pertinaciam non parens præceptis ter repetitis. 105.

Qværes

QVÆRAS XI. An Regulares possint puniri à Iudice sæculari, si sine habitu reperiantur committere enormia.

106. Respond. non posse, nisi præcesserit trina monitio, de qua *q. præced.* idque etsi commiserint quodcumque atrocissimum delictum. ita Filluc. *tract.* 16. *num.* 314. Bonac. *D.* 10. *de leg. quæst.* 2. *part.* 1. §. 4. *num.* 6. aliique penes Dianam *resol.* 23. & probatur, tum ex dictis *quæst. præced.* tum ex *c. in aud. de sent. excommunic.* vbi dicitur: huiusmodi Clerici si à Prælato tertiò commoniti militaria noluerint arma deponere, de priuilegio Clericorum subsidium aliquod habere non possint: constat autem ex dictis quoad hoc militare eamdem rationem in Religiosis, ac in Clericis Sacris ordinibus initiatis; tum quia bulla Pauli III. quam contra nos refert Decianus *l.* 2. *cons.* 82. *num.* 9. non extat, vt aduertit Ceuall. *tract. de cognit. per viam violentiæ, part.* 1. *quæst.* 76. *num.* 6. idcóque nullam vim habet, cum non sit authentica.

Maius dubium est, an cognitio de habitu religioso spectet ad Iudicem sæcularem in casu, quo Regularis enormia committat.

107. Respond. non spectare. sic Mol. *tract* 3. *D.* 49. *n.* 1. Duard. *in bullam Cœnæ l.* 2. *can.* 19. *quæst.* 8. *num.* 19. Sanchez *l.* 6. *consi. cap.* 1. *d.* 1. *num.* 16. Castr. Pal. *tract.* 12. *D. vn. part.* 4. *num.* 7. citans alios contra se, & probatur, tum *ex cap. si iudex laicus, de sent excommunic. in* 6. & *c. clerici, de cler. coniug. in* 6. tum quia licet ista controuersia sit de facto, est tamen de facto quodam spirituali, scilicet Ordinis, ipsique pertinente: tum quia sic declarauit sacra Congregatio 11. Iulij 1595. & statuit Rota Romana apud Dianam *par.* 3. *tract.* 1. *resol.* 5. vbi sic concludit: *Nescio, quomodo Aduersarij affirmatiuam sententiam tueantur; cum eorum opinio sit contra communem Doctorum opinionem, contra S. Romam Ecclesiam, & contra sacram Congregationem Cardinalium.*

108. Illud autem bene monet Castrus Pal. *supr. num.* 7. ex Farinacio, & Barbosa in proposito casu iudicem Ecclesiasticum ad sumendam dictam informationem de habitu religioso debere citare Iudicem sæcularem, & eius Fiscalem, vt pote quorum interest. idque ex *cap. si iudex laicus, de sentent. excommunicat. in* 6.

QVÆRES XII. An Regulares possint capi à Iudice sæculari in flagranti delicto; & duci sine iniuria ad Prælatum regularem.

109. Respond. non posse, nisi concurrant sequentes conditiones; nimirum, quod crimen ab illis commissum sit perniciosum Reipublicæ (v. g. furtum:) quod extet præsumptio valdè probabilis Regularem meditari tale facinus: quod necessitas capiendi vrgeat (si enim Regularis oblato idoneo fideiussore promittat se sistere iudici Ecclesiastico, non debet capi, nec incarcerari:) quod minister non excedat modum (v. g. percutiendo pugnis illum, qui alias paratus est ire. sic Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap* 4. *num.* 6. ex Abbate, Nauarr. Sylu. Sà, Mol. & Auila contra Hostiensem, & alios, quos refert, & sequitur Martha *de iurisd. part.* 4. *centur.* 2. *casu* 42. *n.* 11. qui Laym. bene aduertit in casu, quo persona Ecclesiastica per laicum iudicem trahi debeat ad laicum tribunal violenter id faciendum esse de mandato Prælati Ecclesiastici, saltem tacito; cum sic non tam iudex laicus, quam Prælati, quorum auctoritate ille nititur, contra Ecclesiasticum procedere censeatur: aliàs valdè difficile, & moraliter impossibile est consistere intra terminos iustæ defensionis, & non vsurpare iurisdictionem in Ecclesiasticos, cum Martha sentiunt Sousa *in bulla Cœnæ, cap.* 16. *D.* 82. *num.* 8. Megala *part.* 3. *l.* 3. *cap.* 11. *num.* 7. & alij, à quibus non dissentit Diana *part.* 1. *tract.* 2. *resol.* 10.

An verò Iudex sæcularis processare possit occultè Regularem delinquentem animo mittendi postea processum Prælato regulari.

Respond. non posse, nisi in casu, quo Prælatus 110.
regularis absit idcóque iuridicè nequeat se informare de delicto commisso, & continuetur in ipso delicto, & sit periculum in mora. ita Sousa *supr. cap.* 20. *D.* 95. Diana *supr. resol.* 52. & alij contra Grassium *part.* 1. *decis. l.* 4. *cap.* 18. *num.* 152. patétque, quia institutio processus est actus iurisdictionis: iudex autem sæcularis nullam habet iurisdictionem in Ecclesiasticos, nisi forte in casu concesso à Sousa: idque ex vi ratihabitionis Prælati regularis, qui in illis circumstantiis non præsumitur ægrè laturus vsurpationem talis iurisdictionis. Cum Sousa sentit Filliuc. *tract.* 16. *num.* 312. docens iudicem sæcularem non posse quidem, neque extraiudicialiter inquirere de delictis Ecclesiasticorum: cum talis inquisitio sit quidam processus, quamuis carens consueta forma iudicij; posse tamen inquirere generaliter super crimine incognito, aut etiam specialiter super aliquo iam commisso, sed incerto delinquente: idque etsi in cursu inquisitionis reperiatur delinquentem esse Ecclesiasticum, dummodò tamen non adsit animus procedendi post processum ad punitionem, in quo casu, vbi inuentum est delinquentem esse Ecclesiasticum, melius quidem est desistere ab inquisitione: id tamen non est necessarium, sed potest vlteriùs procedi in tribus casibus; primò si etiam laici fuerint socij criminis: secundò, ne vexentur laici pro eodem crimine, si solus Ecclesiasticus inueniatur delinquens: tertiò, quia, cum certum sit delictum, omnes iudices debent inquirere de delinquentibus, vt sic quilibet eorum punire possit suum subditum.

QVÆRES XIII. An Iudex sæcularis possit capere Regularem noctu inuentum cum armis prohibitis, aut etiam mutato habitu.

Respond. videri non posse: cum in bulla Cœnæ 111.
excommunicentur magistratus, & aliæ similes personæ, quæ quomodolibet se interponunt circa capturam Clericorum (adde tu, & Regularium, cum sit par ratio) nisi id faciant cum licentia Sedis Apostolicæ, exceptio autem firmat regulam in omnibus aliis casibus exceptis, ac proinde quicumque capiunt Ecclesiasticos sine præfata licentia, comprehenduntur in dicta regula, & consequenter etiam illi, de quibus in præsentia. ita Megala *part.* 3. *l.* 3. *cap.* 11. *art.* 7. & cum illo Diana *supr. resolut.* 11. asserentes hic per licentiam Sedis Apostolicæ intelligi etiam licentiam proprij Prælati, siue sæcularis, siue Regularis. A Megala dissentiunt Bañez Lorca, Sousa, Bellettus & alij penes Dianam: quorum opinio non videtur improbabilis, dummodo, cum possint, incontinenti ducant Regularem sic captum ad proprium Prælatum; non videtur, inquam, improbabilis, eo quod Iudex laicus sic consultat vtilitati, ac tranquilitati Reipublicæ, præuidens, & anticipans tumultus, qui in illa oriri possunt: quo modo etiam quælibet alia particularis persona potest in flagranti delicto defendere innocentem.

Vtrum verò Iudex laicus, eiusue Ministri possint priuare Regularem armis prohibitis, quæ fortè reperiatur gestare.

Respond. non posse; nisi id faciant de consensu 112.
Iudicis Regularis, aut licentia Papæ, vel alterius legitimi Superioris Regularium. colligitur ex Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 7. pro se adducente Suarez, &

Vasquez:

Vasquez: patétque, quia esto Ecclesiastici subsint legibus ciuilibus ob publicam Ciuitatis quietem latis, quoad vim directiuam; non ideo tamen obligantur, quoad vim coactiuam, ita vt puniri possint à Magistratu sæculari; vnde fit, vt, quamuis arma eripere Ecclesiasticis sine percussione eorum spectet ad necessariam defensionem, adeóque censeri posset concessum Magistratui sæculari: armorum tamen spoliatio, & amissio continens violentiam, habensque rationem pœnæ, exerceri non possit à Iudice sæculari propria auctoritate, quamquam Vasq. 1. 2. D. 167. cap. 4. num. 31. excipiat casum, in quo armorum vsus, tanquam Reipublicæ perniciosus prohibitus sit vt neque domi retineri possint, asseratque à ciuili Magistratu tunc posse defendi istam legem, etiam contra Regulares.

QVÆRES XIV. An casu, quo Prælatus regularis sit negligens in punitione Religiosi delinquentis, Iudex laicus supplere possit negligentiam illius.

113. Respond. non posse. est communis Doctorum apud Castrum Pal *supr. part. 6. n. 13.* & probatur, quia naturale est quidem, vt maior minoris, & non minor maioris suppleat negligentiam, seu defectum; Ecclesiasticus autem Iudex (qualis est Prælatus regularis) est maior iudice sæculari: cum spiritualia sint potiora temporalibus, *cap. denique, cap. duo, d. 96.* vnde fit, quod negligente iudice Ecclesiastico, recurrendum sit ad alium Iudicem Ecclesiasticum eius Superiorem, & omnibus negligentibus, ad Papam, *cap. qualiter, de iudic. & cap. placuit* 11. *quæst.* 1. non item ad Principem sæcularem (etiamsi ipsemet Papa sit negligens) nisi fortè id foret necessarium in iustam defensionem; quod est recurrere ad Principem, non vt iudicem, sed vt protectorem, ac defensorem: sicut bene aduertit Castr. Pal. *supr.* addens ita explicandum esse textum *c. filijs* 16. *quæst.* 7. quamquam in præsentia nullam vim habeat, cum ab Innocentio III. *in cap. qualiter*, paulo ante allegato correctus fuerit, vt notat Diana *supr. resol.* 14. ex pluribus aliis Doctoribus.

QVÆRES XV. An Regulares per viam Reconuentionis iudicari, ac puniri possint à Iudice laico (v. g. Religiosus accusauit calumniosè laicum de delicto, poteritne laicus coram eodem iudice reconuenire Religiosum de calumnia)

114. Respond. posse, non quidem ad puniendum Regularem vllo modo, neque pecunialiter, sed solùm ad effectum vitandi calumniam, repellendi calumniatorem, ac defendendi innocentem. ita Couar. *in tract. qq. cap.* 18 *fine*, ex communi, aliique plures apud Castrum Pal. *supr. num.* 9. & certè, quod Religiosus non possit reconueniri modo dicto ad puniendum, patet *ex cap. qualiter & quando, de iudic.* vbi Papa cognitionem causarum Clerici à Iudice laico faciendam omninò prohibet: quod est Iudicem laicum non posse cognoscere causas Ecclesiasticorum, neque principaliter, neque incidenter, neque per viam exceptionis: quod verò Religiosus possit modo dicto reconueniri ad vitandam calumniam, &c. constat ex eo quod aliàs non posset indagari veritas; quod vtique est grande inconueniens.

Quod si quæras, an Regulares in causa ciuili possint reconueniri coram Iudice laico, seu (quod idem est) actione reali.

115. Respond. posse *ex cap.* 1. *&* 2. *de mutuis petition.* quamuis Abbas, & alij Canonistæ, oppositum sentiant apud Sanch. *l. 6. consil. cap.* 1. *d.* 1. *num.* 2. qui tamen ait nostram sententiam esse communem, & veram, eitatque pro illa plurimos Doctores, quorum aliqui bene notant Regulares, & alios Ecclesiasticos in causa ciuili, posse sic reconueniri coram Iudice laico, vti licet ipsi velint desistere ab actione inchoata contra laicum: nihilominùs possit laicus prosequi litem iure illius prosequendæ acquisito per reconuentionem, & Regularis teneatur stare sententiæ contra se latæ in tali iudicio, vt pote per reconuentionem factus subditus Iudicis sæcularis; dummodo reconuentio fiat non solùm in causa ciuili, (vt iam dictum est) sed etiam incontinenti, id est in principio litis, aut statim post eius contestationem, & reconuentio non extendatur ad executionem sententiæ datæ; ad quam vtique non potest cogi Regularis per Iudicem laicum: cum coactio supponat iurisdictionem, & Iudex laicus, seclusa occasione reconuentionis, nullam habeat iurisdictionem in Ecclesiasticos. ratio horum est, quod necesse est laico per Regularem conuento concedere reconuentionem, vt ius suum commodius tueri possit contra Regularem, & alioqui lites nimis non excrescant.

Dubitari etiam hîc potest, an casu, quo Regularis conueniatur pro euictione, conueniri debeat coram Iudice Ecclesiastico, an sæculari.

Respond. debere conueniri coram iudice Ecclesiastico, si ipse Regularis (qui, v. g. vendidit agrum) conueniatur pro euictione; non item, si conueniatur laicus, qui rem emit à Regulari, & Regularis resistat defensioni emptoris; tunc enim causa non potest trahi ad tribunal Ecclesiasticum; cum sic agatur contra laicum, non autem contra Regularem, qui in tali casu assistit iudicio non nomine proprio, sed emptoris, ac pro eius defensione, ita Diana *p.* 3. *tract.* 1. *resol.* 22. ex Tamburino, & aliis. 116.

QVÆRES XVI. An Regularis, qui fuit socius criminis cum laico possit puniri à Iudice sæculari vna cum socio laico.

Respond. non posse, sed debere remitti ad Iudicem Ecclesiasticum: idque non obstante regula, *Accessorium sequitur principale.* ita Castr. Pal. *sup. num.* 10. & probatur quia iura eximentia Ecclesiasticos à laicali iurisdictione non limitant ad delicta commissa principaliter: aliàs quoties Ecclesiastici concurrunt cum laico ad furtū, homicidium, &c. deberent puniri à iudice sæculari, cum regulariter præsumendum sit Ecclesiasticos non esse causas principales criminis commissi. Dixi, *non obstante regula*, &c. vt innuerem dictam regulam non habere locum, vbi adest diuersitas personarum (vt in casu nostro:) siquidem talis diuersitas facit, vt crimen personæ Ecclesiasticæ, quod est accessorium crimini personæ laicæ sit principale in suo genere. 117.

Vtrum verò saltem delinquens laicus in præsenti casu subdatur iudici Ecclesiastico.

Respond. subdi, ita Menoch. *de arbitr. l.* 2. *casu* 171. *num.* 13. Decianus *tract. crim. tom.* 1. *l.* 4. *cap.* 9. *n.* 44. & alij; patétque, quia hic adest vnica causa, nempe vnicum delictum (v. g. homicidium) vnicæ autem causæ vnicus esse debet iudex *l. nulli, C. de iudic.* aliàs in eadem causa plures ferrentur sententiæ, quod est absurdum. posito verò quod vnicus esse debeat iudex, is debet esse Ecclesiasticus, non sæcularis; cum sæculari, non possit esse iudex Ecclesiasticorum, vt iam probatum est: & priuilegiatus, ac magis dignus trahat ad se non priuilegiatum, & minùs dignum, *cap. quando, de iudic. & cap. per tuas, de arbitr.* vbi statuitur ratione societatis posse laicum simul cum Clerico esse arbitrum in causa spirituali. Oppositum sustinet Castr. Pal. *supr. num.* 11. cum aliis ab ipso relatis ex eo quod delictum in præsenti casu sit quidem vnicum in esse, vt ita dicam, physico, sit tamen multiplex in esse morali 118.

iuxta

iuxta multiplicitatem personarum; vnde fit, vt ratione huius diuiduitatis quilibet delinquens possit subiici suo proprio iudici, & ab eo cognosci, ac puniri; quippe vnius cognitio, ac punitio non impedit cognitionem, ac punitionem alterius.

QVÆRES XVII. Coram quo iudice agitari debeat lis, quæ ab aliquo tertio super aliqua hæreditate intentetur Regularibus, & alicui laico simul relictis hæredibus.

119. Respond. debere agitari coram Iudice Ecclesiastico: idque ob rationem adductam §. *præcedenti*, pro Menochio; quæ sine dubio vim habet etiam in præsenti casu, sicut aduertit Castr. Pal. *sup.* nobiscum sentiens cum aliis. immò addit Regin. *l.9.n.352.* ex Couarruuia Clericum (dic tu & Regulares) ratione hæreditatis, quam recipiant à laico, subiici foro seculari in duobus; vnum est, quod testamentum coram iudice sæculati debet aperiri, declarari, ac publicari: alterum est, quod omnes lites, quæ viuente laico defuncto inchoatæ sunt, eas debent Regulares prosequi coram iudice sæculari; non item aliæ lites, quæ circa bona, aut actiones defuncti intententur, hæ enim coram iudice Ecclesiastico agitandæ sunt. Ita Reginald. aliique penes Dianam *p.1. tract.2. resol.14.* contra Ambrosinum, & Bonac. apud ipsum Dianam sustinentes Clericum hæredem laicæ personæ in proposito casu non teneri coram iudice laico prosequi litem iam inceptam contra laicum, cui successit, sed denuo conueniendum esse super eadem re, aut actione coram iudice Ecclesiastico. siquidem concurrit eadem ratio exemptionis, siue lis sit inchoata, siue non; præterquam quod præuentio iudicis laici non tribuit ei potestatem contra Ecclesiasticos, nec potest derogare potestati Ecclesiasticæ; vnde fit, vt, sicut laicus non potest conueniri coram iudice laico, lite non inchoata, sic nec possit lite inchoata.

QVÆRES XVIII. Coram, quo iudice debeat comparere Regularis, qui aduersus laicum actionem instituit.

120. Respond. debere comparere coram iudice laico, nisi causa agitanda sit mixti fori, aut aliter ferat consuetudo. Ita Laym. *sup. cap.5. num.5.* patetque ex eo, quod Actor sequitur forum Rei, *cap. si clericus, de foro comp.*

QVÆRES XIX. An Regulares in causis feudalibus conueniri possint coram iudice laico.

121. Respond. posse, siue agatur de petitorio, (idest de proprietate feudi) siue de possessione, (idest de sola possessione feudi) est communior Canonistarum apud Bonacinam *sup. n.6.* multorúmque Theologorum apud eumdem: & probatur, quia Regularis hoc modo subiicitur iudicio Domini feudi, non vt persona Ecclesiastica, sed vt princeps, marchio &c ideóque non derogatur Ecclesiasticæ libertati; quamquàm, si agatur, non de possessione, aut proprietate feudi, sed de reparatione, & satisfactione facienda Domini feudi; tunc Regulares feudatarij conueniri debent solùm coram iudice Ecclesiastico; vt notauit Castr. Pal. *sup. p.7. num.3.*

QVÆRES XX. An possit conueniri coram iudice laico Regularis, qui dum esset laicus, aliquid per instrumentum promisit, & in præsentia non vult soluere.

122. Respond. non posse, sed debere conueniri coram Iudice Ecclesiastico competente. Ita Diana *part.4. tract. 1. resol.13.* ex Carolo de Graffis, Genuensi, & Antonio de Marinis; patetque, tum ex decisione ad id facta in sacro Concilio Neapolitano allegata ab ipso Diana; tum quia Iudex laicus non potest conuenire Religiosum Nouitium propter delictum patratum in sæculo ante ingressum Religionis; præsertim, si ante dictum ingressum non cœpit cognoscere de præfato delicto; sed de hoc alibi.

QVÆRES XXI. A quo Iudice citari debeant Regulares, qui sint creditores, aut legatarij in casu, quo confici debeat Inuentarium.

Respond. debere citari à Iudice Ecclesiastico; vnde, si hæres aliquis velit adire hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij; ideóque velit citare omnes creditores, & legatorios: si qui horum sint Religiosi, aut Clerici, isti non possunt citari à Iudice laico loci, vbi extant bona hæreditatis, aut vbi hæres habet domicilium, sed debent moneri à Iudice Ecclesiastico; & ratio est, quod Ecclesiastici non possunt cogi ad comparendum coram iudice sæculari vigore generalis edicti, si sua putauerint interesse, eo quod istæ citationes edictionales nimis exorbitent à iure communi. Ita Duard. *sup. l.2. can. 15. q.11. num.50.* ex Marthia, Bonac. Ambros. & aliis cont. Iurisconsultos à Diana *part.1. tract.2. resol.20.* communiter docentes Iudicem sæcularem in casu proposito posse per edictum, aut etiam specialiter citare Ecclesiasticos creditores modò exprèsse non citentur ad comparendum, sed tantum cum ea conditione, & qualitate, si sua putauerint interesse: cum talis citatio non sit vera, & simplex citatio, sed potius admonitio, vt compareant, si velint: admonitio, inquam, non supponens iurisdictionem, & consequenter non arctans citatos ad necessariò comparendum. 123.

QVÆRES XXII. Coram, quo Iudice debeant conueniri Regulares instituti hæredes à laico pro soluendis debitis Testatoris defuncti.

Respond. debere conueniri coram Iudice Ecclesiastico: idque, etsi lacus testator esset obligatus in forma Cameræ, cum renuntiatione priuilegij fori, est communis DD. apud Bellettum *in disquisit. cleric. p.1. de fauore cleric. reali, §.1. num.5.* & patet, tum quia ex persona successionis mutatur forum Gloss. *in cap. vn. v. semestre, de inrepatron. in 6.* tum quia Iudex sæcularis nullo modo potest iudicare Ecclesiasticos, neque ciuiliter, neque criminaliter. Quæ rationes item probant in casu, quo Ecclesiastici succedant laico, non posse contra eos fieri executionem per Iudicem sæcularem, quamtumois obligatio defuncti habeat vim rei iudicatæ; cum talis executio contra hæredem fieri nequeat, nisi per vocationem, & cognitionem aliquam causæ, quæ tamen cognitio præmitti non possit à iudice sæculari contra Ecclesiasticos, vt notat idem Bellettus. 124.

QVÆRES XXIII. An Iudex sæcularis possit citare Regulares ad exhibenda iura propria coram ipso, in casu, quo illorum debitor petat dilationem ex consensu maioris partis creditorum, aut certè velit consequi beneficium Cessionis bonorum. 125.

Respond. non posse, nisi fortè debitor detineatur in carcere ad instantiam creditoris Regularis; quo pacto per viam Reconuentionis contra ipsum Regularem posset debitor petere admitti ad beneficium Cessionis. Ita Duard. *sup. num.53.* ex Martha contra Ceuall. Afflict. & Mastril. adductos à Diana *sup. resol. 22.* oppositum sustinentes ex eo, quod in tali casu Ecclesiastici non conueniantur, vt Rei, sed prouocentur vt Accusatores ad proponenda propria iura: quod non cedit in præiudicium libertatis Ecclesiasticæ, sed potius in fauorem.

QVÆRES XXIV. An Princeps sæcularis possit punire Regulares delinquentes ratione officij illis ab ipso commissi (v.g. Tutoris, Curatoris &c.)

Respond.

126. Respond. non posse, neque in persona (quod omnes copcedunt) neque in rebus, vt hinc patet, quod exemptio rerum consequitur ad exemptionem personæ. Ita Diana *sup. resol.* 18. ex Megala, Bonacina, Duardo, Cochier, Martha, & aliis communiter contra Suarez, Laym. Cened. Borel. & alios penes ipsum Dianam; patetque ex sup. dictis.

QVÆRES XXV. An Iudex laicus possit cogere Regulares ad restituendum depositum, si ij se obligarunt ad illud reddendum in eius tribunali.

127. Respond. non posse, cum Iudex sæcularis nullam habeat iurisdictionem in Ecclesiasticos, & hi ipsi non possint renunciare priuilegio exemptionis. Ita Bonac. *D.* 10. *de leg. q.* 2. *p.* 1. §. 1. *num.* 26. ex Surdo, Ambros. contra Bald. Farinac. & alios; qui Bonac. ex Soccino, Anchar. Marsil. & aliis addit contra Bartolum, Salicetum, & alios idem dicendum esse de Clerico fideiubente pro laico, aut etiam pro Ecclesiastico, si quidem actus iudicialis factus coram Iudice non suo est nullus; vt patet.

QVÆRES XXVI. An Regulares, qui spoliarunt laicum propria possessiune, cogi possint per Iudicem sæcularem ad illam restituendam.

128. Respond. non posse; cum iniusta vsurpatio rei alienæ possessionis auferri debeat à Iudice competente: qualis non est Iudex laicus respectu Regularium. Ita Diana *p.* 4. *tr.* 1. *resol.* 74. ex aliis contra alios.

QVÆRES XXVII. An Regulares eiici possint à Principibus laicis ex propriis territoriis eo quod non pareant ipsorum mandatis.

129. Respood. non posse, nisi fortè per modum iustæ defensionis: idque seruato moderamine inculpatæ tutelæ; idest consulto priùs Papa, aut alio Ecclesiastico Superiore. Est communis DD. cum Molina *tr.* 2. *de iust. D.* 31. §. obseruant Becano *p.* 2. *sum. tract.* 3. *q.* 11. *num.* 3. aliisque contra plures alios adductos à Diana *p.* 1. *tract.* 2. *resol.* 18. & probatur ex eo quod Regulares non tenentur legibus ciuilibus, quoad vim coactiuam, sed solùm quoad directiuam; sicque etiamsi iis contraueniant, non possunt puniri à potestate sæculari. Dixi, *nisi fortè per modum iustæ defensionis*, &c. vt innuerem Principes laicos in casu proposito posse eiicere Regulares è suis statibus modo supra dicto ad auertendum graue damnum aliàs imminens Reipublicæ, aut tollendum scandalum, cui aliter occurri neqoeat. Verùm iste casus vix videtur posse contingere; cum facilè adiri possit Papa, vel alius legitimus Soperior Ecclesiasticus, qui dictis malis occurrat, & plerumque nullum subsit periculum in mora; in quo euentu est certum Principes laicos non posse propria auctoritate punire Regulares; cum sic non seruetur debitum moderamen inculpatæ tutelæ.

Nec obstat, quod sic Princeps sæcularis expelleret Regulares per viam iurisdictionis, non quidem contentiosæ, ac iudicialis, sed œconomicæ, ac politicæ; non secus ac pater familias eiicit famulum contumacem, etiam Ecclesiasticum è domo sua.

130. Respond. enim Diana *vbi sup.* talem distinctionem in præsenti casu esse chimæticam, & exemplum allatum non facere ad rem; cum paterfamilias ipse constituat famulum Clericum ad seruiendum domui suę ideóque illum liberè possit dimittere, quantumuis obedientem, ac morigeratum, & quidem oulla iniuria ipsi Cletico illata, vt pote nou habenti ius commorandi in domo illius; hoc autem non procedit in isto casu, cum Regulares in Regnis, & ciuitatibus constituantur à Papa in seruitium fidelium, sicque habeant ius commorandi in iis non solùm vt ciues, sed etiam vt personæ constitutæ à Papa potente id facere pleno iure; vnde noo possint à Principibus laicis expelli; sicut nec ab iis potest expelli Clericus à Papa prouisus de aliqua Ecclesia constituta in ipsorum dominio, nisi de coosensu ipsius Papæ.

QVÆRES XXVIII. An Regulares subiaceant statuto facto à Principe laico geoeraliter, ne sine eius licentia imprimantur libri.

131. Respond. in rigore non subiacere, estò alicubi vsus sit in contrarium. Ita Bariola *cons.* 34. & cum eo Diana *p.* 4. *tract.* 1. *resol.* 60. patetque quia statutum acquirit vires à potestate statuentium, *l. fin. ff. de iurisd. omn. iudic. & cap. à nobis, idest, de sent. excommun.* sæculares autem nullam habent facultatem supra Ecclesiasticos, *cap. Ecclesia S. Mariæ, de Constit.* idque estò agatur de bono publico; cum publica vtilitas Principi laico non tribuat iurisdictionem in Ecclesiasticos, ex quo fit, vt aliqui minùs benè sic arguant: Regulares ligantur statuto Ordinarij præcipientis, ne quis in sua diœcesi imprimat libros absque eius licentia; ergò etiam ligabuntur statuto, quod fortè de hoc faciant Principes sæculares; si quidem Ordinarij id faciunt ex facultate ipsis ad talem effectum concessa à Concilio Trid. qua carent Principes.

QVÆRES XXIX. An Principes sæculares possint concedere priuilegia suis subditis cum hoc, vt iis non vtantur Regulares.

132. Respond. non posse salua immunitate Ecclesiastica. Ita Duard. *sup. q.* 19. *n.* 41. & alij contra Azorium *p.* 1. *l.* 5. *cap.* 13. *q.* 4 citantem pro se Bartolum, & Felinum; patetque quia teste Filliucio *tract.* 16. *n.* 271. illud statutum est contra libertatem Ecclesiasticam, per quod tolluntur Ecclesiasticis ea, quæ iure communi ipsis competunt; tale autem est statutum, de quo hìc loquimur: cum Ecclesiastici iure communi vti possint beneficio statutorum, ac priuilegiorum, quæ alicui Vniuersitati, aut certo generi personarum coocedantur, *cap. constitutus, de restitut. in integ.* qua de re Diana *part.* 1. *tract.* 2. *resolut.* 59. nobiscum sentiens.

Quod si quæras, an saltem tolerari possit statutum, quo declaretur Regulares, & alios Ecclesiasticos non posse frui priuilegiis Ciuitatis, in qua degunt, nisi ea priùs approbentur, & admittantur ab Ordinario loci.

133. Respond. consequenter ad dicta §. *præced.* videri dicendum tale statutum non posse tolerari, vt pote indirectè repugnans immunitati Ecclesiasticæ; quamquàm eiusmodi statutum alicubi vigeat (vt Ferrariæ) & de facto in præsentia Romæ lis sit sub Iudice; vnde aliqui Recentiores sanè docti, & fortè non improbabiliter, putant dictum statutum posse excusari, saltem per principia extrinseca, licèt alioqui non sit suadendum, sed potiùs curandum, vt omninò tollatur.

QVÆRES XXX. An Princeps sæcularis per nouum statutum abrogare possit statutum à se aliàs factum in fauorem Regularium.

134. Respond. non posse; & probatur, tum quia priuilegium concessum, vbi ratum habetur à priuilegiato, transit in ius illius, ideóque licèt Princeps ab initio potuerit illud non concedere, postquam tamen illud concessit, non potest ampliùs reuocare absque iniuria ipsius priuilegiati: tum quia priuilegium concessum non subdito non potest reuocari, *cap. nouit de iudiciis*; Ecclesiastici autem non sunt subditi Principum sæcularium, sicque ab ipsis priuari non possunt priuilegiis semel concessis. Ita Filliuc. *sup. num.* 269. cum Syluest. Sayro, & aliis, Azor Coriol. Pesant. Martha, Alter. & alij apud Dianam *sup. resol.* 60 contra Sousam Duard. Villal. & alios citatos ab eodem

Diana ; qui putat in tali casu incurri excommunicationem reseruatam in Bulla Cœnæ, contra violatores immunitatis, latam illis verbis, *quarumcumque Ecclesiarum iuribus quomodolibet præiudicetur*; maximè cum derogans per statutum contra aliquam partem Ecclesiæ indirectè præiudicet toti Ecclesiæ generaliter.

QVÆRES XXXI. An statuta laicorum fauorabilia Regularibus, & aliis Ecclesiasticis illos ligent, & quomodo.

135. Respond. ligare actiuè, quatenus possunt iis vti, si volunt (vt probat Sur d. *lib.* 1. *cons.* a. *n.* 14.) non item passiuè; cum ad ea seruanda astringi nequeant ex defectu iurisdictionis: quæ ad valorem statutorum præsupponitur in statuente, & aliàs deest in Principe sæculari, quoad Ecclesiasticos; nam ratio boni communis, necessitas, aut iustitia causæ non tribuunt laicis iurisdictionem in Ecclesiasticos, vt indicat Diana *p.* 3. *tract.* 1. *resol.* 13.

QVÆRES XXXII. An, & qualiter Regulares teneantur legibus ciuilibus.

136. Respond. teneri, quoad vim directiuam, non item quoad coactiuam: si tamen eæ imponantur, non quidem directè ipsis Regularibus (quod non potest fieri; cum laici non habeant iurisdictionem in Ecclesiasticos) sed communitati, & alioqui non repugnent statui Ecclesiastico. ita Castr. Pal. *tract.* 12. *D. vnic. part.* 8. *num.* 1. & patet, quia sic Regulares obligantur, non vt Regulares, sed vt ciues, & partes vnius Reipubl. quibus vniformitas est necessaria: idque consentiente Ecclesia, quæ numquam intendit eximere Ecclesiasticos à tali obligatione. Dixi, *quoad vim directiuam*; vt innuerem Ecclesiasticos, qui contraueniunt legibus ciuilibus, non posse cogi à iudice laico, vt eas seruent; cum talis coactio, quæ per impositionem pœnæ fieri debet non pertineat ad vniformitatem Reipubl. seruandam: cum pro diuersitate delinquentium, ac varietate circumstantiarum pœnæ variari debeant: vnde fit, vt Ecclesiastici à iudice Ecclesiastico, & non ab alio cogi possint, & debeant ad legum ciuilium obseruantiam, ab eoque puniri, si illas violent.

137. Illud porrò hîc notandum est, illas leges ciuiles censeri non repugnantes statui Ecclesiastico, quæ sic conueniunt rectæ gubernationi Reipubl. vt statui Ecclesiastico minimè aduersentur; quales sunt quæ mercibus pretia imponunt, arma deferre vetant, præscribunt debitas solemnitates contractibus, &c. cum enim Ecclesiastici sint partes Reipub. decet, eos obseruare, quæ conuenientissima sunt toti Reipub..

138. Quin addit Castr. Pal. *tract.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 5. *n.* 9. ex Auendaño, Lopez, Azeued. & Salzed. pœnas iniunctas in legibus ciuilibus posse per iudices sæculares exigi ab Ecclesiasticis dictarum legum transgressoribus, si exigantur de plano sine controuersia iudiciali (quo pacto solent iudices exigere per solam declarationem Ministrorum, qui ad id sunt signati) cum sic accipiantur, non tamen in pœnam legis violatæ, quàm in reparationem damni illati, aut contributionem debitam; secus si ad talem exactionem cognitio iudicialis requiratur: tunc enim Ecclesiastici debent conueniri coram iudice Ecclesiastico, non autem laico, qui iudex Ecclesiasticus sine dubio potest cogere ad obseruantiam legum ciuilium, in casu, quo ij iure naturæ, & vi directiua teneantur illas seruare: quod in specie notauit Bonac. *D.* 2. *de censur. in partic. q.* 16. *sect.* a. *p.* a. *n.* 13.

QVÆRES XXXIII. An, & quando iudex sæcularis possit procedere contra Regulares titulo necessitatis superuenientis.

Respond. quòd quamuis necessitas interdum faciat licitum, quod per leges est illicitum, *cap.* 4 *extra de reg. iur.* sola tamen necessitas siue publici, siue priuati incommodi auertendi non tribuit laicis iurisdictionem in Ecclesiasticos, sed solùm ius defensionis: sicque ad hoc requiritur, vt præcesserit aliqua iniuria, seu violentia illata ab Ecclesiasticis, aut certè probabile periculum violentiæ, quam opus sit laicos per se ipsos repellere, eo tamen modo, quo diximus *quæst.* 27. ita Layman *lib.* 4. *tractat.* 9. *cap.* 14. *num.* 3. 139.

QVÆRES XXXIV. Sub qua pœna prohibeantur iudices laici procedere contra Regulares in causis tam ciuilibus, quàm criminalibus.

Respond. prohiberi sub pœna excommunicationis lata in Bulla Cœnæ, his verbis: *Qui, ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, Collegia, Ecclesiarum quarumcumque coram se, ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium, vel parlamentum præter Iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quouis quæsito colore: necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, & quarumcumque Ecclesiarum iuribus; quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.* Vbi rectè notat Regin. *lib.* 9. *n.* 356. quòd si Clericus (dixerim ego, Regularis, cum sit par ratio) se sponte subdat iudici laico, & in iudicio ipsius, siue criminali, siue ciuili, velit se purgare, iudex ferens sententiam, aut sinens coram se fieri talem purgationem, non incurrit istam excommunicationem, si in hoc se habeat merè negatiuè, nullo modo trahens Clericum, neque directè, neque indirectè; secus si cogat minis, inducat suasionibus, aut aliter idem procuret directè, aut indirectè, per se, vel per alium: sic enim incurrit censuram, cum per eam prohibeatur etiam procuratio solùm indirecta, vt patet ex textu. 140.

Cæterùm ea statuta censentur esse contra libertatem Ecclesiasticam, quæ vel prohibent aliquid, quod Ecclesiasticis non est prohibitum, neque diuino, neque humano iure; vel eos timidiores reddunt efficiendo laicos audaciores ad iis nocendum; vel tollunt priuilegia concessa toti Ecclesiæ. 141.

QVÆRES XXXV. Vtrum in dubio an statutum sit contra immunitatem Ecclesiasticam amplectenda sit opinio fauens Ecclesiæ.

Respond. esse amplectendam; & probatur, quia in dubio tenenda est opinio, quæ fauet Ecclesiæ, *cap. fin. de sentent. & re iudic. & l. sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. funer.* ita Diana *part.* 1. *tract.* 2. *resolut.* 65. aliique apud ipsum. 142.

SECTIO III.

De Priuilegio Canonis concesso Regularibus.

143 *Indicatur, quid sit Priuilegium Canonis, quo gaudent Regulares.*
144 *Hoc priuilegium iure Canonico inductum est.*

145 Compe

145 *Competit omnibus Religiosis, etiam Apostatis, etiam Eiectis, etiam Hæreticis, etiam Nouitys (non tamen iuxta Pasqualigum Nouitys Theatinorum primis quatuor mensibus, quos vocant Hospites,) competit Religioso Bigamo, & Impuberi recepto ad Religionem.*

146 *Competit Religiosis damnatis ad triremes, sed non absolutè.*

147 *Competit & Tertiarys.*

148 *Competit Religiosis quorumcumque Ordinum Militarium.*

149 *Item competit Eremitis.*

150 *Competit Monialibus.*

151 *Competit Religiosis dispensatis ad matrimonium.*

152 *At non competit Religiosis indebitè pugnantibus in bello.*

153 *Non semper prodest Religioso incedenti sine habitu regulari.*

154 *Ut tamen eo priuetur, trina monitio premittenda.*

155 *Non prodest enormia patranti, & alys modis delinquenti contra statum religiosum.*

156 *Item non prodest in casu iustæ Correctionis.*

157 *Siquidem fiat cum debitis circumstantiys, quæ proponuntur.*

158 *Prælatus regularis punit Religiosum subditum, etiam per alium, & hunc laicum: quod procedit vniuersè de Magistris, quoad Discipulos Clericos, etiam Ordine sacro initiatos, imò & Religiosos Professos.*

159 *Si tamen Prælatus, & Magister puniant ex odio principaliter, subsunt censuræ.*

160 *Magister Nouitiorum, & similes puniunt Religiosos respectiuè subditos.*

161 *Priuilegium Canonis non prodest in casu iustæ defensionis.*

162 *Quæ conceditur in omni iure.*

163 *Licitè percutitur Religiosus factis tentans alienam pudicitiam: sicut & in casu, quo inuenitur in peccato cum matre, filia, &c. percutientis: quod procedit, si Religiosus aggrediatur alium, & is sine ignominia fugere non possit: potest etiam inuitus detineri, si sit suspectus de fuga, imò & ligari præsentandus eius Prælato: potest percuti ad se iustò tuendum contra tertium, si id sit necessarium.*

164 *Item ad defensionem iustam alicuius tertij.*

165 *Item, si Religiosus diuina Officia perturbet in Ecclesia.*

166 *Item, si arceatur ab Officiali arcente turbam.*

167 *Percutiens Religiosum afficitur excommunicatione reseruata Papæ.*

168 *Siquidem percussio sit violenta, attingat Religiosum, & sit mortalis externè: quo modo pueri percutientes in rixa Clericum puerum, non subsunt huic censuræ.*

169 *Afferuntur vary casus, in quibus incurritur hæc censura.*

170 *Afferuntur & alij, in quibus ea non incurritur.*

171 *Indicatur, quæ percussio reputari possit sufficienter regulariter ad hanc censuram.*

172 *Huic censuræ subsunt omnes Christiani.*

173 *Hanc incurrit Religiosus se percutiens ex ira: non item Monialis procurans abortum etiam scissione venæ.*

174 *Incurrit, qui percutit Religiosum iniustè consentientem.*

175 *Incurrit, qui consulit, aut mandat percussionem.*

176 *Incurrit mandans, si effectus sequatur, nondum constito de reuocatione mandati ab ipso facta: secus si reuocet, & de reuocatione constet mandatario.*

177 *Incurrit mandans in aliquo casu etiam post mortē.*

178 *Incurrit, qui etiam habet percussionem suo nomine factam.*

179 *Incurrit, qui illam non impedit, cum teneatur impedire ex officio.*

180 *Ignorantia excusat à censura Canonis*, Si quis suadente diabolo.

181 *Excusat & actualis inaduertentia.*

182 *Sicq; resoluuntur vary casus hunc punctum tangentes.*

183 *Non incurrit hanc censuram, qui Religiosum aliquantulum repercutit, aut reimpellit.*

184 *Iuxta aliquos non incurrit, qui percutit Religiosum mortuum.*

185 *Percussio Religiosi alia leuis, alia mediocris, alia grauis, seu enormis: eius autem grauitas colligenda ex circumstantiys concurrentibus, etiam moralibus: idq; iudicio boni viri: in dubio non præsumenda grauis, quidquid aliqui contradicant.*

186 *Ab hac censura absolutè etiam pro foro externo, absoluit Legatus de latere quosuis accedentes, saltem ita vt sint intra eius Prouinciam: etsi iuxta aliquos satis sit, vt accessus fiat per alium, imò & per literas: quod procedit de subdito Legati existente extra Prouinciam: facultas hæc absoluendi à Legato delegata exercetur etiam extra Prouinciam, & quidem etiam eo amoto, aut mortuo, tuncq; etiam extra Prouinciam: idq; etsi ipse Legatus amotus facultatem illam nequeat exercere. Religiosus item habens à Legato reseruata sui Ordinis ab ijs absoluit, etiam extra eius Prouinciam; imò & eo amoto: Legati facultas desumenda ex tribus capitibus, quæ proponuntur.*

187 *Ab hac censura absoluit & Episcopus, si percussio sit leuis, imò & grauis occulta, absoluit quilibet Ordinarius Episcopo inferior: & quidem etiam pro foro externo, si percussio sit leuis.*

188 *Ab ea absoluunt & Regulares, si percussio sit leuis, aut grauis occulta: Minister iustitiæ etiam leuiter percutiens Clericum iuxta Doctores absoluendus à Papa, eo quòd talis percussio reputari debeat grauis.*

189 *Regularis percutiens Regularem iure communi, absoluendus à Papa, Episcopo, vel alijs.*

190 *Non item, attentis Regularium priuilegijs, hanc facultatem Prælato regulari concedentibus; etsi is possit subditum absoluendum remittere ad proprium Ordinarium, si velit: quem subditus adire potest, si eius Prælatus id ei iniustè deneget.*

191 *Nouitij percutientes Religiosum ex priuilegiis Religiosorum, absoluuntur a suo Prælato.*

192 *Idq; procedit iuxta aliquos, etsi post percussionem factam ab Ordine recedant nondum absoluti.*

193 *Eiusmodi absolutioni præmittēda satisfactio debita.*

194 *Notorius Clerici percussor non semper est vitandus; si scilicet percussionem celare possit tergiuersatione, quæ sit probabilis.*

195 *Item non debet vitari, si certò non constet de notorietate percussionis.*

196 *Percutiens Religiosum simul Professum, & Ordine sacro initiatum vnicum facit peccatum, & vnicam incurrit censuram.*

QVÆRES I. Quid hîc intelligatur nomine priuilegij Canonis.

Respond intelligi priuilegium personis Ecclesiasticis, & consequenter etiam Regularibus concessum, per quod eorum personæ seruantur immunes à quacumque percussione iniuriosa; idque media excommunicatione lata aduersus earū percussores: dici 143.

verò priuilegium Canonis, eò quod concedatur in Canone, *Si quis suadente 17. quæst. 4.*

QVÆRES II. Quo iure inductum sit priuilegium Canonis.

144. Respond inductum fuisse iure Ecclesiastico, ab Innoc. II. *in cap. si quis suadente diabolo 17. quæst. 4.* his verbis: *Si quis suadente diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum miecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandata recipiat.* Vbi notat Regin. *l. 1. num.* 104. hoc priuilegium fuisse quidem concessum ab Innocentio II. tribui tamen Concilio Lateranensi, eò quod Bonifacius VIII. in eo Concilio illud ediderit, tacito Innocentij nomine, vt constat *ex cap. non dubium, de sent. excommunic.*

QVÆRES III. An Omnes Regulares gaudeant priuilegio Canonis, etiam Apostatæ, etiam Eiecti, etiam Hæretici manifesti, etiam Nouitij.

145. Respond. gaudere; cum hi omnes comprehendantur in telato, *cap. si quis sub nomine Monachi*: siue te vera (vt religiosi Apostatæ, Eiecti, ac Hæretici, etiam manifesti, qui quamuis mereantur priuari tali prinilegio, de facto tamen non Priuantur ab aliquo iure, de quo constet) siue fictione iuris (vt Nouitij, qui licèt non sint verè Religiosi, cum adhuc professionem non fecerint, censentur tamen Religiosi fictione iuris, quatenus in fauorabilibus veniunt nomine Religiosi.) ita communiter DD. & quidem in specie de Apostatis etiam dimittentibus habitum religiosum, Molina *tract. 3. D 54. num. 2.* cum Panormit. de Eiectis, Portel. *de dub. regul. v. manus violenta, n. 5.* ex Suarez, de Hæreticis, Nald. *v. hæresis, num. 23.* Portel. *sup num. 4.* & de Nouitiis, Laym. *l. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 4.* Tol *l. 1. cap 31.* aliique & patet ex dictis, si monuero præsentem responsionem habere locum etiam in Nouitio admisso ad Religionem ante pubertatem: quippequi etsi non sit verè Nouitius, vocatur tamen Nouitius, & viuit sub obedientia, validusque est eius ingressus. Imò ista doctrina procedit etiam in eo, qui admissus est ad nouitiatum, sed nondum indutus est habitu religioso (quales sunt, qui in Societ. Iesu dicuntur esse in prima probatione;) is enim gaudet omnibus priuilegiis Nouitiorum; vt ostendit Peyrio *tom. 3. priuil. cap. 3. num. 3.* & fictione iuris censetur Nouitius. imò (quod attinet ad ingredientea Societatem Iesu) verè, & propriè est Nouitius, cùm à prima illa probatione incboet nouitiatum.

Pasqualigus tamen *decis. 414.* censet Nouitios sui Ordiuis quos vocat hospites, primis 4. mensibus, (quibus degunt in conuentu sub disciplina Magistri Nouitiorum, gestantes habitum externum Ordinis ad experiendum modum viuendi regularem) non gaudere priuilegio Canonis; quippequi nondum sunt Deo dicati, cùm adhuc sint laici, ac externum religionis habitum deferant perinde ac deferret quilibet laicus, qui indueret vestem religiosam; sicque non veniunt nomine Clerici, aut Monachi etiam amplè sumpto, vt pote significante personam Deo dicatam; qualis dicitur solùm ea, quæ seruit Deo, ac Ecclesiæ in aliquo statu ex natura sua ad id ordinato. sic Pasqualigus monens idem esse de Nouitiis laicis sui Ordinis pro primis quinque annis, quibus manent modo dicto in Conuentu, antequam admittantur ad formalem nouitiatum. suamque sententiam latè confirmans *tom. 2. resol. 96* contra Dianam *part. 6. tract. 8. resol. 7.* oppositum sustinentem, maximè ex eo quod inde non sequitur dictos Hospites non gaudere priuilegio fori (vt putat Diana) cum plures gaudeant priuilegio fori, qui non gaudent priuilegio Canonis (vt vxores Equitum S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, familia laica Nuncij, vxores Clericorum coniugatorum) & è contra Clerici minoribus ordinibus initiati, qui gaudent priuilegio Canonis, ex Tridentino *sess. 23. cap. 6. de reformat.* non gaudent priuilegio fori, nisi habeant beneficium Ecclesiasticum, aut cum habitu, ac tonsura de mandato Episcopi inseruiant alicui Ecclesiæ, aut Seminario Clericorum, aut in aliqua Vniuersitate sint in via ad ordines maiores. Vnde infert Pasqualigus *num. 2.* dictos Hospites gaudere priuilegio fori; idque pluribus probat, monens illos nondum esse acceptatos ad habitum Religionis, & multò minus indutos, sed opus esse, vt sub finem hospitij præcedat noua Capituli determinatio, qua ad habitum acceptentur, & cooptentur ad communicandum in eodem habitu, postea que solitis ceremoniis, & protestationibus habitu induantur: ideóque *in Constit. Ordinis, part. 1. cap. 3. §. postquam,* caueri, quod ante admissionem ad habitum pro hospitibus reputentur.

Addit Castrus Palaus *D. 3. de censur. part. 23. §. 1. num. 13.* Religiosum bigamum non excludi ab hoc priuilegio: cum nullo iure constet illum priuari priuilegio Religiosis concesso, sicut priuantur priuilegio clericali, citatque pro se Sayrum, Sylu. & Bonacinam tradentes sic sentire communiter Doctores.

Hoc priuilegio gaudent Impuberes admissi ad Religionem ante annos pubertatis: cum verè, & legaliter admissi sint ad habitum religiosum, sicque verè sint Deo dicati, etsi propriè non sint Nouitij, cum non sint intra annum probationis. ita Diana *part. 6. tract. 8. resol. 7.* ex Marchino, Bonac. Sanch. & Peregrino, cum quibus sentit Pasqualig. *tom. 2. resol. 96. num. 7.*

An verò gaudeant priuilegio Canonis etiam Religiosi in pœnam delictorum suorum damnati ad triremes.

Respond. quod, quamuis in rigore videantur gaudere; cum Clericus, etiam, depositus verbaliter eo fruatur, donec realiter degradetur, iuxta *cap. degradatio, de pœnis. in 6.*; de facto tamen non gaudent ex consuetudine, qua constat illos actiter percuti à Præfectis rtitemium; idque ex tacito Papæ consensu. ita Miranda *tom. 1. manu. quæst. 52. art. 8.* ex Nau. *comm. 3. de regul. super cap. nullam 16. quæst. 2. num. 52.* & aliis; qui tamen bene moueent hinc non sequi dictos Regulares damnatos ad triremes esse priuatos priuilegio Canonis etiam quoad alios: quin potiùs eo gaudent, ideóque si ab aliis percutiantur, quam à Præfecto nauis, aut ab alio, cui ad talem effectum legitimè subsunt, percutientes subiiciuntur excommunicationi ratio est, quod ex vna parte nullibi in iure præfati Religiosi priuantur simpliciter tali priuilegio, sicut nec ex consuetudine: ex alia parte consensus tacitus Papæ, quem diximus præsumi, quoad Præfectum nauis, non potest præsumi probabiliter quoad alios, eò quod extet de his diuersa ratio, ac de Præfecto nauis. ita docti Neoterici à me consulti. 146.

QVÆRES IV. An gaudeant priuilegio Canonis etiam Religiosi Tertiarij, aut Oblati, seu Donati.

Respond. gaudere, Tertiarios quidem, si habitum religiosum gestent & gregatim viuant: vel certè (si sint fœminæ) virginalem, cælibem, vel castam vidualem vitam ducant, expresso voto, & sub habitu item relioso; Oblatos verò, seu Donatos, si habitum aliquo modo mutauerint, seque & omnia sua monasterio tradiderint eo pacto, quo diximus 147.

supr.

supr. sect.1.quaest.4. Probatur autem responsio, quoad Tertiarios, tum ex declaratione Sacræ Congregat. quam affert Filliuc. *tract.15.num.*14. Tertiarios scilicet Mantellatos, Corrigiatos, aliosque similes, si gestent habitum, & viri collegialiter viuant, seu cum claustralibus habitent, gaudere priuilegio Canonis: tum ex consuetudine, ac stylo Curiæ Romanæ, imò etiam ex iure communi iuxta Suar. *D.22. de censur. sect.1.num.*10.& Nau.*cap.27.num.*79.cum quoad hoc nomen *Monachi*, sumatur non solùm pro religiosis professis, sed etiam pro iis personis, quæ sunt participes status religiosi, cuiusmodi sine dubio sunt præfati Tertiarij. Quod autem spectat ad Oblatos, seu Donatos constat responsio ex priuilegio bullato Sixti IV. concesso Oblatis Carmelitarum, quod refert Casarub.*in comp.v.oblati,num.*2.his verbis: *Sixtus IV. concessit, quod Oblati, & Oblatæ Fratrum Carmelitarum gaudeant priuilegijs, & gratijs dicti Ordinis, sicut gaudere possunt mulieres Mantellatæ, & Pizzocheræ sub dicto Ordine viuentes; quibus concessum est posse gaudere omnibus priuilegijs Fratrum.* Vnde quis benè inferat, quod cum Tertiarij inter alia priuilegia, quibus fruuntur, gaudeant etiam priuilegio Canonis, eo etiam gaudebunt Oblati præfatis conditionibus præditi; idque saltem per viam communicationis; maximè cum Bonacina *D.1. de censur. in particul quaest.16. sect.1.part.3. num.*18. doceat eos, qui assumpto religioso habitu adhibentur ad seruitia Monialium, & ad petendas pro ipsis eleemosynas, gaudere priuilegio canonis, cum tamen subsit maior ratio id ipsum asserendi de Oblatis, vt facilè constabit consideranti.

QVÆRES V. An gaudeant priuilegio Canonis Equites Melitenses, San. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, Ordinis Christi, S. Stephani, &c.

148\. Respond. gaudere, cum hi omnes sint, vel verè Religiosi, vel saltem personæ Ecclesiasticæ tria vota Religionis suo modo seruantes ex Sedis Apostolicæ dispensatione, ita Filliuc *supr.* Bonac *num.*9 Mol.*supr. D.*50 aliique communiter; inter quos notat Bonac. *numer.* 16. hanc doctrinam in aliquibus dictorum Equitum non procedere ex consuetudine contraria in aliquibus Regnis inducta.

QVÆRES VI. An gaudeant griuilegio Canonis Eremitæ.

149\. Respond. gaudere; siue subsint alicui Regulæ, aut Ecclesiastico superiori (quo modo sunt verè Religiosi) siue sint subiecti Episcopo ex voto obedientiæ, & dicati seruitio alicuius loci sacri, cum sint personæ Deo specialiter dicatæ, & consequenter censeantur personæ Ecclesiasticæ. ita Filliuc. *supr.* ex Suarez, & Abbate, asserentibus secùs dicendum, si dicti Eremitæ sint vagi, nec vllam specialem habeant Ecclesiasticam obligationem; quod etiam notant Molina *supr.D.*50.*num* 4.ex Nauar.& Laym. item *sup.num.*2. ex Rodriq. Suar. Sylu. & aliis.

QVÆRES VII. An Moniales gaudeant priuilegio Canonis, & quæ.

150\. Respond. gaudere; siue eæ sint professæ, siue Conuersæ, siue Nouitiæ: hæ enim omnes comprehenduntur sub nomine *Monachi*, *in cap. si quis suadente.* est communis DD. inter quos Filliuc. *vbi supr.* non improbabiliter putat Oblatas monasterij Turris speculorum de Vrbe frui hoc eodem priuilegio.vt pote collegialiter viuentes, sua vota simplicia emittentes, secundùm aliquem modum participent de statu Ecclesiastico, & earum modus viuendi sit approbatus à Sede Apostolica non quidem vt Religiosas, sed vt bonas; quamuis alias subiiciantur Ordinario, cum re vera non sint Religiosæ.

QVÆRES VIII. An gaudeant priuilegio Canonis Regulares dispensati ad ineundum matrimonium, secuta iam professione.

Respond. gaudere; & probatur, tum quia bi adhuc manent veri Religiosi, esto interim suspendatur ex parte obligatio vororum substantialium in religiosa professione emissorum (vt probabimus suo loco) tum quia eiecti à Religione gaudent priuilegio Canonis (sicut iam diximus) est autem maior ratio; quod tale priuilegium concedatur Religiosis dispensatis ad matrimonium, tum quia matrimonium vt sic non est incompatibile cum statu religioso, vt probat Sanchez *l. 4. mor. cap. 16. num.* 11. ex Couar. Nau. Rodriq.& aliis, docent Equites S.Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ esse veros Religiosos, quamuis coniugatos: cum tamen ad statum religiosum vt sic consequatur vsus priuilegij Canonis, ita viri docti à me consulti. 151.

QVÆRES IX. An gaudeant priuilegio Canonis Regulares pugnantes in bello.

Respond. non gaudere; si dimisso habitu religioso pugnent in bello, & ter moniti non desistant ab actibus militaribus; secùs, si dicta monitio trina non præmittatur, aut pugnent retento habitu religioso. ita Regin. *l. 1. num.*234. ex Suarez, Bonac. *supr.D. 2.quaest.3. part.6. sect.4.num.*11. aliique communiter; qui licet in terminis loquantur solùm de Clericis, idem tamen tenentur dicere etiam de Regularibus; cum sit par ratio de vtrisque, sicque procedat regula iuris, *vbi militat eadem ratio*, &c. patetque *ex cap.in audientia, de sent.excommunicat.* Quamquam Nau.*cap.*27. *num.*80. negans posteriorem partem huius responsionis putet huiusmodi dispositionem iuris habere locum etiam in casu, quo Clericus gestet quidem habitum clericalem, sed ter admonitus modo infra dicendo nó abstineat ab actibus militaribus: quod benè confutat Suar. *supr. num.* 14. 152.

QVÆRES X. An gaudeant priuilegio Canonis Regulares, qui non deserunt habitum religiosum.

Respond. non gaudere, si ter moniti à Superiore competente, habente scilicet in ipsos iurisdictionem, non corrigantur; quamquam, si postea reassumant habitum, iterum fruantur dicto priuilegio. ex quo fit, vt per solam dimissionem habitus religiosi, aut tonsuræ clericalis Ecclesiastici non priuentur eo priuilegio. est communis DD. apud Bonac.*supr. num.*9.& colligitur ex *cap.contingit* 1.*de sent. excommunicat.* vbi dicitur: *Illum efficiantur immunitatis exortes, quæ pro Clericorum tutela, & laicorum violentia coercẽda dignoscitur instituta.* vbi (inquit Suar. *supr. num.* 11.) non requirit Papa aliam declarationem, vel remissionem ad potestatem iudicis sæcularis præter publicam incorrigibilitatem, & pertinaciam post trinam Superioris monitionem; hoc tamen est speciale in casibus illorum textuum (nempe in *cap.contingit* 2.*cap.in audientia, de sentent. excommunicat.*) quia illi Clerici non vtcumque etant criminosi, & pertinaces, sed vel defetendo clericalem habitum, & militaria arma portanda, &c. ita Suarez. 153.

Dixi, *si ter moniti*, &c.vt innuerem ad amittendum in hoc casu priuilegium Canonis non esse quidem opus alia declaratione, cum in *cap. contingit*, *citato* nihil ad id requiratur præter publicam incorrigibilitatem ac pertinaciam: requiri tamen trinam monitionem, quæ fiat à Superiore competenti non simul, sed successiuè cum interuallo aliquot dierum inter vnã monitionem, & aliam: siue postea sit specialis, facta vnicuique in particulari: siue generalis per edictum, quo Episcopus v.g præcipiat, vt omnes Clerici 154.

Clerici habitum clericalem intra tantum tempus assumunt sub pœna amissionis priuilegij Canonis. ita Mol. *tract.* 3. *D.* 54. *num.* 1. addens *num.* 3. quod quamuis Religiosi professi per solam dimissionem habitus non amittant priuilegium Canonis: id tamen non procedit in Nouitiis, qui hoc ipso, quod dimittant habitum, ac egrediuntur è monasterio animo deserendi nouitiatum, hoc ipso priuantur dicto priuilegio; quod locum habet etiam in Scholasticis, & Coadiutoribus formatis Soc. Iesu ex Societate legitimè dimissis; quippe qui eo ipso desinunt esse Religiosi.

QVÆRES XI. An gaudeant priuilegio Canonis Regulares, qui se immiscent enormitatibus, gestant arma, exercent artem ioculatoriam, seu mimicam, & omissis diuinis Officiis, negotiis sæcularibus insistunt.

155. Respond. non gaudere; siue se immisceant actibus turpibus, ac enormibus (cuiusmodi sunt seditionem excitare, grassari, pugnare in bello, & similia delicta, quæ sunt contra iustitiam, & pacem Reipubl. cum sæuitia, & grauibus iniuriis:) idque nulla monitione præmissa, vt constat *ex cap.* 1. *de apostat. & cap. cum non ab homine, & cap. perpendimus, de sent. excommun.* (quæ iura cum sint pœnalia, non debent extendi, nisi ad delicta superius recensita, vt notauit *Regin. supr. num.* 234.); siue gestent arma, dimisso habitu religioso, & ter moniti non se corrigant iuxta dicta *quæst.* 9. (quæ locum habent etiam in præsenti casu;) siue artem mimicam publicè exerceant per annum (quod item procedit in iis, qui breuiori tempore id faciunt, si ter moniti modo dicto non resipiscant:) idque *ex c. vn. de vit. & honest. Cler. in* 6. ita Mol. *supr. num.* 4. 5. 6. Regin. *supr. num.* 234. Fillluc. *supr. num.* 10. & 11. aliique penes ipsos; inter quos notat Mol. *num.* 5. contra Nauarr. *cap.* 27. *n.* 80. & Sylu. *v. excom.* 6. *num.* 6. Clericum insistentem negotiationi, etiamsi ter monitus non desistat, non amittere priuilegium, neque Canonis, neque Fori, sed solùm priuilegium Exemptionis à tributis & aliis oneribus.

QVÆRES XII. An Regulares gaudeant priuilegio Canonis in casu, quo percutiantur ad iustam correctionem.

156. Respond. Non gaudere, adeóque posse licitè puniri à suis Prælatis, seruatis tamen aliquot circumstantijs de quibus paulo post. ita Suar. *supr. num.* 40 aliique communiter & probatur, tum ex *cap. vniuersitatis, de sent. exc.* tum, quia Superior habet ius puniendi suum subditum; & hoc sæpe est necessarium ad conseruationem disciplinæ regularis; vnde dicendum est id esse licitum, & consequenter fieri posse absque periculo censuræ.

157. Dixi, *seruatis tamen aliquibus circumstantijs*, in hoc enim obseruari debent aliquæ circumstantiæ, quas refert Suar. *num.* 41. his verbis 1. est quod Superior circa suum subditum talem actionem exerceat: si enim Episcopus percutiat Clericum sibi non subditum, incurrit censuram Canonis; cum tunc non exerceat actum iurisdictionis, & impertinenter se habeat, quod sit Superior: 2. est, vt subsit causa perpotionata; nam sine illa non habet locum correctio, aut iustitia vindicatiua, sicque non exercetur actus iurisdictionis veræ, sed vsurpatæ: 3. vt punitio sit proportionata causæ: 4. est, vt fiat castigatio, seruato debito ordine iuris, si sit pœna iuridica, vel saltem seruato debito modo correctionis, si sit paterna, seu religiosa, id est, iuxta consuetum morem cuiusque religionis.

An autem Superior teneatur per se punire Religiosum subditum, vel certè possit id præstare per alium, & hunc laicum.

Respond. quod, licet de rigore iuris communis teneatur id per se præstare (vt colligitur *ex cap. vniuersitatis, de sent. exc.*) attenta tamen consuetudine, videtur permissum, vt id faciat per Religiosos laicos, imò etiam per homines simpliciter laicos, si id exigat necessitas (quod tamen putat Suar. *supr. num.* 43. posse rarò euenire, ideóque negandum simpliciter id debere fieri per laicos) Nobiscum sentit Castr. Pal. *D.* 3. *de censur. part.* 23. §. 3. *num.* 11. dicens consuetudine inductum esse, vt Prælati ope laicorum Ecclesiasticos capiant, in vincula coniiciant, torqueant, publicè flagellent, & in triremibus puniant: cum id bono communi sit necessarium, ne delicta Ecclesiasticorum maneant impunita; quod sæpè eueniret in sententia Suarez; cum rarò inuenirentur Ecclesiastici, qui hæc præstare vellent: præter quam quod non decet Ecclesiasticos executio poenarum huius generis. ita Castrus Palaus; qui bene monet *num.* 6. senioribus Clericis concessum esse leuiter punire ordinatos in minoribus, si diuinum Officium turbent: idque *ex cap. cum voluntate,* §. *vlt. de sent. excommunic. & cap. veniens, eod. tit.* quæ iura qualiter suffragentur Regularibus, ostendo *in tract. de Monial. c.* 10. *sect.* 3. *subs.* 3. *num.* 303. *v. Vnum hic.* 158.

Addit Castrus Palaus *num.* 12. *ex* Molina *D.* 56. *num.* 8. Laym. *l.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 9. *v. porro,* & Conincho *D.* 14. *de censur. num.* 192. non esse improbabile, quod magistri per laicos puniant Discipulos Clericos: & probat, quia, spectato iure naturæ, hæc correctio non est illicita, cum non possit notari de violentia; *cap.* 2. *de sent. excom.* & iure positiuo reperitur interdictum solis Prælatis, ac Iudicibus Ecclesiasticis, ne Clericos, aut Religiosos corrigant mediis laicis, *cap. vniuersitatis, de sent. excommunicat.* cui dispositioni magna ex parte derogatum fuit per *cap. vt famæ, eod. tit. & in cap. si clericus, eod. tit. in* 6. cum ergo Magistris non sit vetitum Discipulos Clericos punire per laicos, id facere poterunt sine periculo excommunicationis. Nec obstat, quod Prælatis, ac Iudicibus Ecclesiasticis interdicta sit correctio. Religiosi, ac Clerici subditi medio laico: quia, cùm ipsi sint personæ Ecclesiasticæ, decebat Ecclesiasticos per se, aut per alios Ecclesiasticos corrigere, cum correctio adhibenda sit, quæ ab Ecclesiasticis personis exerceri decenter possit: Magistri autem sæpe sunt laici; sicque mirum non est, quod iis facultas iure naturali concessa relinquatur intacta, quæ aliàs Prælatis Ecclesiasticis restringitur. ita Castrus Palaus: & conformiter praxi Societatis Iesu, cuius Magistri in scholis inferioribus per Correctorem laicum Romæ, & in aliis locis puniunt suos Discipulos, etiam Clericos.

Et hoc procedit, etiamsi Discipulos sit in sacris constitutus: is enim adhuc potest puniri moderata castigatione, pro vt suadet ratio culpæ, & consuetudine est receptum (idque *ex cap.* 1. *cap. ex tenore, cap. cum voluntate, de sent. excommunicat.*) & quidem etiam per laicum ob rationem §. *præcedenti* adductam: quæ locum videtur habere etiam in Regularibus professis respectu Magistri: cum sit eadem ratio de illis, ac de Clericis, & vbi militat eadem ratio, militare debeat eadem iuris dispositio, qua de re Molina *supr. num.* 4. Coninch. *D.* 14. *de censur. num.* 190. & *seqq.* Laym. *l.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *n.* 8. *v. quarta,* Bonac. *D.* 2. *de censur. in partic. quæst.* 3. *part.* 6. *sect.* 4. *num.* 4.

Addo cum Molina *suprà D.* 56. *num.* 10. quod, 159.
quamuis

quamuis Superior puniens Religiosum subditum principaliter ex odio, aut ira, incurrat censuram Canonis, cum sic agat, suadente diabolo, & cum peccato mort. secus dicendum, si principaliter percutiat causa correctionis, & interim admisceatur culpa mort. siue odij interni, siue quod aliquantulum excedatur in punitione, vel etiam notabiliter, sed per imprudentiam.

160. Sic Magister Nouitiorum eadem ratione potest punire suos Nouitios, & Præceptor suos discipulos Regulares; & hoc, tum per se, tum per alios, etiam laicos: dummodò non excedant notabiliter cum peccato m. & id faciant intuitu disciplinæ, ac correctionis. Ita Regin. *l. 1. num. 229.* & alij communiter, patetque ex *capit. 1. & 54. de sentent. excommunicat.* qui textus, licet non loquantur expressè de Magistro Nouitiorum, ipsi tamen benè adaptantur, sicut & alij cuicumque Religioso habenti sub sua directione aliquot Religiosos iuniores egentes correctione.

QVÆRES XIII. An Regulares gaudeant priuilegio Canonis in casu, quo quis eos percutiat in iustam defensionem, siue sui, siue aliorum.

161. Respond. non gaudere, ideóque posse iustè percuti in defensionem iustam tam sui, quàm aliorum, si quem attentent offendere in persona, honore, aut rebus. Ita Filliuc. *tractat. 15. num. 22.* Regin. *supra num. 225.* Bonac. *sup. part. 6. sect. 4. num. 6. & seqq.* patetque ex *cap. si vero 1. de sentent. excommunicat.* vbi notant DD. percutientem in his casibus eximi quidem ab excommunicatione, si percutiat incontinenti, & non ex interuallo: non eximi tamen à peccato m. cum Ecclesia solum auferat censuram, eo quod tepuret talem percussionem non fieri, suadente diabolo, sed ex vehementi passione (quæ tamen sit culpabilis m.) siquidem difficillimum est in talibus casibus iustum temperasse dolorem. Ita Molf. *sup. D. 7. num. 3.* addens id esse verum, licet percussio fiat cum plena deliberatione.

162. Dixi paulo ante, *qua tamen sit culpabilis m.* vt indicarem doctrinam ibi traditam non procedere in casu, quo percussio habeat rationem veræ defensionis iustæ, & quæ fiat incontinenti, & seruato debito moderamine inculpatæ tutelæ; tunc quippe nullum committitur peccatum; cum omnia iura permittant vim vi repelli, vt patet.

163. Ex quibus sequitur 1. mulierem à viro Religioso tentatam in pudicitia, tum verbis, tum factis, posse illum percutere; secus, si solum verbis tentetur: nisi fortè ei valdè molestus esset, ita vt ipsa non posset se liberare, nisi percutiendo. Ita Laym. *l. 1. tract. 4. p. 2. c. 5. num. 8.* aliique.

Sequitur 2. Religiosum inuentum in peccato cum matre, filia, vxore, aut sorore, non solum licitè detineri posse animo illum præsentandi iudici competenti, sed etiam percuti; idque esto percutiens domi se abscondat expectans Religiosum id prorsus ignorantem, vt eum deprehendat in flagranti, & sic deprehensum percutiat (excipe, nisi fortè dolose id faciat inita conuentione cum vxore, quæ illum dolo vocet ad adulterium: iura enim non intendunt patrocinari dolis, & fraudibus,) & hoc siue Religiosus reperiatur in actu carnalis copulæ, siue in quouis alio actu turpi, vt in osculis, & amplexibus, aut etiam in loco suspecto; vt si solus inueniatur cum sola in loco apto ad turpia agenda. Ita Bonacina *supra sect. 4. num. 6. & 7.* ex Auila, Molfesius, Nauarrus, Couatt. & alijs; qui benè monent, quod, cum pœnæ non debeant extendi vltra id, quod verba legis sonant; hìc nomine matris, filiæ, vxoris; & sororis non intelligitur nisi vera mater, filia (siue legitima, siue illegitima) soror, & vxor, non autem aliæ personæ, neque sponsa de futuro: licet alias sub nomine vxoris includatur sponsa de præsenti, etsi matrimonium nondum sit consummatum.

Sequitur 3. posse te percutere Religiosum, si vel te aggrediatur, & fuga tibi sit ignominiosa; vel tua asporter bona, & tu aliter ea nequeas recuperare; cum alioqui sint magni valoris (si tamen id fiat incontinenti, priusquam Religiosus reponat dicta bona in loco tuto); quamuis in huiusmodi casibus seruati semper debeat moderamen inculpatæ tutelæ; vt indicat Molf. *sup. D. 55. num. 1. & 3.* monens Ecclesiasticum illicitè occupantem aliquid immobile; posse modo sup. dicto depelli à possessione eius; modò id fiat incontinenti, & saluo moderamine. Ita Suar. *sup. num. 35.* Filliuc. *num. 12.* Molf. *vbi sup.* & alij, cum quibus sentit Castrus Palaus *sup. num. 4.* docens posse te detinere Clericum debitorem de fuga suspectum, aut in flagranti delicto, vel probabili suspicione illius inuentum vt Superiori, aut Iudici, quam primum præsentes, aut remittas; cum hæc detentio sit proprij iuris defensio, aut damni inferendi remotio. Imò offensus à Clerico in euentu, quo is ob offensam mittendus esset in carcerem, ac puniendus; potest absque periculo excommunicationis eum alligare, vt suo Iudici intra 24. horas præsentet, si id necessarium sit ad sumendam satisfactionem, examinandos testes aliáque requisita ad probationem delicti: idque ob rationem adductam supra. Ita Cast. Pal. ex Abbat. Syluest. Nouar. Suar. Molin. Iulio Claro, Auila, Layman.

Sequitur 4. Posse quem inferre vim Religioso ad se defendendum à tertio, si defensio sit iusta, & medium, quod assumitur ad defensionem, sit licitum; vt si fugiens inimicum persequentem eripiat equum aut ensem à Religioso occurrente, & is non constituatur in simili periculo. Ita Filliuc. *sup.* ex Suarez contra S. Antoninum relatum ab ipso Suar.

Quod si quæras, an liceat percutere Religiosum in defensionem tertij innocentis absque eo, quod incurratur vlla censura.

Respond. licere; modò non excedatur debitum moderamen, & adsit iusta ratio defendendi. Ita Suarez *sup. num. 59.* ex Innocent. Abb. & aliis extendentibus talem doctrinam etiam ad defensionem rerum alicuius tertij: & patet, quia defensio innocentis respectu cuiuscumque aggressoris est maximè naturalis, & suo modo debita, aut saltem licita, vt dicitur in *cap. dilecto, de sentent excommunicat. in 6.* & alibi. 164.

QVÆRES XIV. An Regulares gaudeant priuilegio Canonis in casu, quo diuina Officia perturbent in Ecclesia.

Respond. non gaudere, adeóque posse expelli à quocumque ad id ratione Officij deputato; dummodo id fiat principaliter animo quietandi diuina Officia, & aliàs non excedatur modus. quod idem proportionaliter dicendum est de Ecclesiasticis excommunicatis denuntiatis, aut notoriis Clerici percussoribus; hos scilicet eiici posse ab Ecclesia, si illam ingrediantur, vt intersint diuinis Officiis: quod vtique est diuina Officia turbare sua præsentia. Ita Regin. *num. 231.* ex Ang. Caier. & Nauar. patetque ex *cap. cum voluntate*, & *cap. veniens*, *de sent. excommunicat.* quamuis Palud. *in 4. d. 18. q. 6. art 4.* notet excommunicatum in casu proposito priùs monendum esse, vt exeat, & omnino abstinendum à sanguinis effusione. 165.

QVÆRES XV. An Regulares gaudeant priuilegio Canonis in casu, quo arceantur ab Ostiario, aut alio Officiali arcente turbam.

166. Respond. non gaudere. Ita Bonac. *supr. num.* 15. ex Sayro, & Auila; & probatur, tum ex *cap. si vero* 1. *de sent. excommunicat.* tum, quia eiusmodi violentia respectu personarum Ecclesiasticarum censetur casualis; cum Officialis non intendat vim inferre Regularibus, vt suppono; aliàs enim incurreret excommunicationem, de qua mox.

QVÆRES XVI. Sub qua pœna prohibitum sit iure Ecclesiastico, ne Regulares, & aliæ personæ Ecclesiasticæ iniuriosè percutiantur, &c.

167. Respond. prohiberi sub pœna excommunicationis maioris, quæ reseruatur Papæ non solùm, *in citato, cap. si quis suadente*, sed etiam in decreto Clementis VIII. edito 26. Nouembr. 1602. & à nobis fusè explicabitur, *in sequentibus quæstionibus.*

QVÆRES XVII. Qualis debeat esse iniectio manuum in Clericum, aut Monachum, ad hoc vt incurratur præsens excommunicatio.

168. Respond. requiri ad illam tres conditiones nimirum, vt iniectio manuum sit violenta; vt attingat ipsum Clericum; vt sit mortaliter peccaminosa; & quidem, quod debeat esse violenta, colligitur ex verbis illis, *manus violentas iniecerit*; siquidem per iniectionem manuum intelligitur quælibet percussio, & vis iniuriosa, siue fiat manibus, siue pedibus, siue quauis alia parte hominis; cum hic dicatur manus violenta denominatione sumpta à manu, quæ est instrumentum consuetum, per quod inferri solet via iniuriosa. Quod verò præfata actio, vt sit iniuriosa, ac violenta, debeat attingere Clericum, constat ex illis aliis verbis, *Clericum, vel Monachum*; quamuis ad hoc non sit opus, vt persona Clerici immediatè tangatur, sed sufficiat, si mediatè; vt si actio violenta, ac iniuriosa fiat circa rem adhærentem Clerico, seu deferentem, aut continentem Clericum: vt si fræno violenter detineatur equus, cui Clericus insidet, ostium cubiculi claudatur, ita vt Clericus inde exire nequeat, aut certè non sine magno dedecore. Quod denique dicta actio debeat esse mortaliter peccaminosa, patet ex illis aliis verbis, *suadente diabolo*, quæ vtique significant ad incurrendam istam excommunicationem requiri grauem iniuriam, & consequenter culpam mort. etiam in ratione sacrilegij; cum hoc sit proprium obiectum huius pœnæ Ecclesiasticæ: & quidem ita, vt non solum internum lædendi propositum sit mortale, sed etiam iniusta violentia externa sit grauis in læsione corporis, aut saltem honoris, vnde, si intentio quidem lædendi sit mortalis, sed læsio exigua, non incurritur excommunicatio: cum verba legis intelligi debeant cum effectu; sicut è contra non incurritur, si exterior læsio sit leuis, quantumuis intentio lædendi sit mortalis; nam Ecclesiastico Canone punitur peccatum mortale externum grauis, ac violentæ inuasionis Clerici; tale autem non est, nisi internum peccatum mort. & exterior violentia, aut læsio grauis existat. Ita Layman *l.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. Reginald. *l.* 1. *num.* 205. *& seqq.* Molin. *tract.* 3. *D.* 51. Suarez *supr. num.* 23. *& seqq.* aliique penes ipsos.

Vnde infert Castrus Palaus *supr. num.* 2. ex Soto *in* 4. *d.* 21. *quæst.* 1. *art.* 2. *casu* 2. §. *eum verò*, pueros Clericos rixantes, & se inuicem percutientes etiam in templo, ita vt eliciatur sanguis è naribus non afficii hac censura; cum hæc iniuria plerumque leuis inter eos censeatur: etsi interdum soleat esse grauis, argument. *cap. vltim. de sentent. excommunicat.* quod ex circumstantiis colligi debet, teste Coninche *D.* 14. *de censur. num.* 190. Layman *l.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 8. Molina *tract.* 3. *D.* 51. *fine.*

Hinc sequitur illum affici hac excommunicatione, qui baculo, ense, aut lapide percutit Ecclesiasticum tali priuilegio gaudentem; qui illi propinat venenum, aut alium mittit ad eum occidendum (secuto tamen effectu:) qui conspuit, aut puluerem, vel aliquid aliud iactat in eum, si sputum, puluis, aut illud aliud eum contingat: qui ipsi eripit aliquid de manibus, aut de eius corpore, vel certè eum capit, detinet, incarcerat, aut includit in aliquo loco cum lethali illius iniuria: qui inijcit manus violentas in equum illius percutiendo: qui eum insequitur, & insequendo impellit ad se præcipitandum, aut inijciendum in flumen, aut foueam ad vitandam offensionem insequentis: qui in eum explodit sclopum, ita vt ex subito metu iniecto per dictam explosionem, aut vicinum transitum pilæ tormentariæ penè exanimatus cadat, idque esto Ecclesiasticum ipse non attingatur: qui foueam facit, vel viam sic disponit, vt cum graui damno cadat Clericus, aut Regularis: qui Clericum spoliat suis vestibus, easque furatur (secùs, si surripiat vestes Clerici iam spoliati, ac dormientis, nisi fortè ea ratione cogat eum nudum incedere, vel aliud dedecus ipsum sequatur:) qui capiens Clericum capillis, aut vestibus protestatur dicens, *nisi esses Clericus, te egregie percuterem*, (si tamen id faciat animo iniuriandi, inquit Reginald. *supr. num.* 211.) qui cogit Clericum exire è fundo, aut vinea, comminando mortem, aut etiam vi aliqua leui illum extrahendo (non item, si præcisè sistatur in metu,) vt Suar. *supr. n.* 31. aduertit. ita Molin. *supr. D.* 51. Filliuc. *supr. num.* 17. 18. 19. 20. Reginald. *num.* 206. *& seqq.* Bonac. *supr. sect.* 2. §. 1. *per totum*, & alij penes ipsos. 169.

E contra non afficitur ista excommunicatione is, qui præcisè iniuriam infert Clerico, aut Religioso absque violenta manuum iniectione: qui lacerat vestes, aut aliàs res ipsi non adhærentes: qui obsidet castrum, aut domum, non vt iniuriam faciat Clerico ibi existenti, sed vt iustè obtineat illud castrum (secùs, si ponat Custodes ad domum Clerici, ne liberè possit exire, vel certè vt capiatur;) qui clam furatur Clerico crumenam, cum præsens excommunicatio lata sit contra iniectionem manus, quæ fiat cum peccato mortali non quidem quatenus ea aduersatur septimo præcepto decalogi, sed quinto, saltem ratione contumeliæ, aut saltem ignominiæ illatæ: qui Clerico præcipit exilium, vel vt intra aliquem locum se contineat, nulla tamen vi facta: qui insequitur Clericum ex metu se præcipitantem, si iudicio prudentis ea insecutio non sit verè illius casus, aut læsionis causa, sed solùm occasio: qui eleuat manum contra Clericum, sed ea ipsum reuera non attingit. Ita DD. citati. 170.

Quod si quæras, an, & quæ regula assignari possit ad cognoscendum, quandonam percussio Clerici, seu actio iniuriosa in Clericum sufficiat ad incurrendam istam excommunicationem.

Respond. posse assignari istam, nimirum illam manuum iniectionem, quæ arbitrio prudentis viri, seclusa excommunicatione sufficeret ad peccatum mortale, eamdem sufficere ad incurrendam præsentem excommunicationem; intellige eum proportione, videlicet quamdiu manet intra latitudinem leuis iniuriæ, sic enim non sufficit ad contrahendam istam censuram; siquidem fieri potest, vt aliqua actio inter laicos, aut milites censeatur grauis, & contra honorem, quæ respectu personæ religiosæ nihili æstimabitur; sicut è contra, actio, quæ circa personam 171.

personam vulgarem esset leuis, circa personam Ecclesiasticam ob reuerentiam ipsi debitam erit grauis iniuria, ac irreuerentia, vt rectè aduertit Suarez *supr. num.* 27.

QVÆRES XVIII. Quæ personæ possint incurrere excommunicationem hanc.

172. Respond. posse illam incurrere omnes Christianos doli capaces, siue sint masculi, siue sint fœminæ, siue puberes, siue impuberes; siue laici, siue Ecclesiastici, etiam in maxima dignitate constituti (excepto tamen Papa) siue superiores, siue inferiores: dummodo Superiores non agant ex officio, seu causa correctionis. Est communis DD. & constat ex particula, *Si quis*, posita *in cap. si quis suadente*, relato *supr. quæst.* 2. sub qua certum est non solùm comprehendi fœminas, sed etiam quamcumque personam fictam, qualis reputatur communitas, & collegium; quæ proinde dici debent etiam ipsa subiici præsenti censuræ, si fortè mandent percussionem alicuis Clerici, aut Regularis: non quidem quod Communitates vt sic possint excommunicari, sed quod afficiantur excommunicatione singuli de Communitate, qui delicto illo cooperentur.

QVÆRES XIX. An, & qualiter Regulares incurrant istam excommunicationem, si se ipsos percutiant.

173. Respond. videri incurrere, si id faciant ex tædio vitæ, ira, aut odio sui; non item si ex deuotione aut desiderio faciendi pœnitentiam, aut etiam ex dolore capto ob mortem charorum. Ratio est, quod percussio in priori casu est iniuriosa statui clericali; cui, cum principaliter concessum sit priuilegium Canonis, non possunt cedere particulares Ecclesiastici: in posteriori verò casu percussio non censetur iniuriosa statui Clericali; ex quo infert Caietanus *v. excommunicatio, cap.* 10. Monialem, quæ portione, aut venæ scissione procurat abortum, non affici hac excommunicatione; eo quod iniectio illa manus in se ipsam comparatione sui non sit violenta, iniuriosa, & contumeliosa (cum volenti, & consentienti non fiat iniuria,) imò nec iniuriosa ipsi statui Ecclesiastico. Ita Molin. *supr. num.* 4. ex Nauar. Panorm. Caiet. Syluest. Palud. Iulio Claro, aliisque communiter; quamuis alij apud Nauar. *cap.* 27. *n.* 78. sustineant Clericum se ex ira percutiente non affici hac censura: quod Castros Palaus *supr.* §. 2. *num.* 4. ex Suar. & Bonacina censet esse non improbabile: cum Papa *in can. si quis*, videatur locutus de tertia persona offendente, distincta ab offensa; vt colligitur ex iis verbis, *Si quis suadente Diabolo, manus violentas in Clericum iniecerit*.

QVÆRES XX. An incurrant hanc excommunicationem, qui percutiunt Regulares, aut alios Ecclesiasticos consentientes in sui percussionem.

174. Respond. incurrere; quamquam ipsi consentientes illam non incurrant ipso iure, sed solùm excommunicandi sint iuxta *cap. contingit, de sentent. excommunicat.* vbi id expressè statuitur his verbis: *Si quis autem Clericus post prohibitionem huiusmodi spontè se subiecerit, excommunicetur*. Est communis apud Bonacinam *supr. sect.* 2. *num.* 5. patérque, tum ex dictis, hîc, tum ex eo, quod diximus *quæst.* 19.

QVÆRES XXI. An, & quomodo incurrant istam excommunicationem, qui consulunt, aut mandant, vt ratam habent percussionem Regularium.

175. Respond. primò mandantes, & Consulentes incurrere, si de facto sequatur percussio, & mandatum, aut consilium reuera influxerint in percussionem: idque, siue mandatum fuerit expressum, siue tacitum; incurrere, inquam, non quidem ex vi Canonis. *Si quis*, (qui cum loquatur solùm de iis, qui per se percutiunt, non debet extendi ad mandantes, & Consulentes, vtpote odiosus, adeóque non ampliandus,) sed ex *cap. quanta, de sent. excommunic.* vbi habetur subiici huic excommunicationi non solùm eos, qui percutiunt, sed etiam qui consentiunt: cum tamen constet eum, qui dat mandatum, aut consilium ad percutiendum esse, & dici consentientem. Ita Suar. *supr. num.* 55. Molin. *D.* 52. *num* 8. aliique communiter apud Bonac. *supr. sect.* 1. §. 2. *num.* 1. patétque ex dictis, si monuero ad incurrendam istam censuram requiri effectum sub ea prohibitum: quod est commune omnibus censuris.

An autem ista excommunicatio incurratur à mandante, si is mandatum reuocet, effectus tamen mandati sequatur, antequam reuocatio illius innotescat mandatario.

Respond. incurrere; cum sic mandans suo mandato verè censeatur causa efficax percussionis; non item, si reuocatio mandati innotuit mandatario: tunc enim percussio tribuenda est soli malitiæ mandatarij, nisi fortè mandatum haberet aliquid consilij, seu persuasionis admixtum; vnde mandatarius, non obstante reuocatione mandati, motus esset ad executionem; siquidem consulens in hoc distinguitur à præcisè mandante, quod Consulens licèt reuocet consilium, & oppositis rationibus conetur dissuadere id, quod consuluit; si tamen is, cui datum est consilium, ex eo antea accepto moueatur ad exequendum, tunc vtrique tribuitur effectus, cum vterque in illum influat; quod tamen negant Suar. *D.* 44. *de censur. sect.* 3. *num.* 13. aliique penes Bonac. *D.* 7. *de censur. in comment. quæst.* 4. *part.* 8. *n.* 10. & *D.* 2. *de censur. in partic. quæst.* 2. *part.* 6. §. 2. *num.* 4. 176.

Quod si mandans, aut Consulens mandatum, aut consilium reuocet sufficienter arbitrio prudentis viri, etsi Consiliarius, aut mandatarius adhuc percutiat: non ideò illi incurrunt excommunicationem; cum tunc mandatum, aut consilium non debeat præsumi esse causam delicti, vt ex communi sententia tradunt Coninch. *D.* 14. *de censur. n.* 184. & Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 7. cum quibus sentit Castr. Palaus *supr. num.* 9. dicens mandatum censeri sufficienter reuocatum, si verbo, epistola, aut internuncio seriò significes mandatario reuocationem; addénsque, quod si post sufficientem reuocationem mandati constet tibi mandatarium moueri tuo mandato, etsi probabile sit te effugere censuram, oppositum tamen est probabilius: cum sic tuum mandatum verè sit causa delicti; quippe quod firmum manet, esto malitiæ mandatarij imputetur, quod nolit adhærere reuocationi; & hæc censura sit imposita iis, qui suo mandato concurrunt in percussionem Clerici.

Maius dubium est, an mandans in præsenti casu incurrat excommunicationem, si mortuus sit ante executionem ipsius mandati.

Respond Molina *supr. D.* 52. *n.* 3. incurrere, si mandatarius ignorans mortem mandantis impleuit mandatum, ideóque eius cadauer non debere sepeliri in loco sacro, donec defunctus absoluatur, imò & debere exhumari, si iam sit sepultum, nec posse pro anima illius offerri missas, & alias orationes publicas. Secùs, si mandatario innotuit mors mandantis: tunc enim, cum morte mandantis soluatur mandatum, *ff. mandati, l. inter causas*, §. 1. (præsertim, si sit de re iniqua:) hoc ipso, quod mors mandantis innotescit mandatario, si is nihilominus impleat mandatum, ipsi soli imputatur executio, sicque sola incurret 177.

incurret censuram, ita Molina addens *num.* 9. posse contingere, quod Consulens, aut mandans percussionem Clerici incorrat excommunicationem, & illam non incurrat execeutor; si videlicet excusetur ex ignorantia, siue iuris, siue facti.

178. Respond. 2. Principaliter incurrere hanc excommonicationem eos, qui ratam habent percussionem Regularis factam nomine ipsorum: si tamen eo tempore, quo secuta est percussio, illam mandare potuerint; si eam ratam habeant signo aliquo externo (v. g. verbis, aut nutibus) si percussio facta sit nomine ipsorum, & de hoc illis constet, ita Molina *supr. num.* 4. Regin. *l.* 1. *num.* 218. Filliuc. *tract.* 15. *num.* 19. aliique communiter; & probatur, quia ratihabitio fictione iuris retrotrahitur, & comparatur mandato, *cap. cum quis, de sent. excommunic. in* 6. vnde, sicut mandans percussionem Clerici afficitur ista excommunicatione; sic & qui eam ratam habet; idque à puncto, quo illam ratam habet modo dicto.

QVÆRES XXII. An incurrant hanc excommunicationem, qui non impediunt percussionem Regularium, aut aliorum Ecclesiasticorum.

179. Respond. non incurrere, nisi ad id ex iustitia, aut quasi iustitia teneantur: quo modo tenentur Superiores, & horum Ministri, parres, domini, & alij similes. ita Molin. *supr. num.* 10. Bonac. *supr. D.* 2. *quæst.* 2. *part.* 6. §. 2. *num.* 8. contra Suarez *supr. num.* 56. Filliuc. *num.* 31. & alios sustinentes hanc excommunicationem incurri etiam in casu, quo quis ex sola charitate teneatur impedire absque proprio periculo, & damno. probatur autem responsio, tum quia non impedienti percussionem Clerici, si ad id teneatur solùm ex charitate, non imputantur alia damna, nec iniungūtur aliæ pœnæ; ergo nec iniungi debet pœna excommunicationis; tum quia id non est expressum in iure; tum quia præsens censura lata est ob actionem, non autem ob omissionem: censura autem lata ab actionem non contrahetur ob omissionem, nec vllus ex facto alterius manet excommunicatus, nisi sit particeps criminis, aut præstet mandatum, vel auctoritatem, vt habet Glossa *ad cap. quanta, de sent. excommunic.* idque etsi non impediatur percussio ex odio: cum hic non puniatur prauus affectus, sed opus externum, aut eius omissio prohibita sub censura. Nec obstat, quod *citato cap. quanta*, dicitur, *eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obuiare*; nam hic textus vel intelligitur de præsumptione fori externi, vel de aliis pœnis (non autem de excommunicatione latæ sententiæ) vel de excommunicatione comminatoria.

QVÆRES XXIII. An, & qualiter ignorantia excuset ab incurrenda præsenti excommunicatione.

180. Respond. excusare; siue sit ignorantia iuris (idest præcepti, seu prohibitionis factæ sub censura) siue facti (quæ contingit, quando quis percutit Clericum ignorans esse talem:) siue sit ignorantia probabilis, siue affectata: siue occasio percutiendi sit ex opere licito, siue ex illicito; sicque non affici excommunicatione illum, qui percutit Clericum, aut Regularem, inuincibiliter ignorans illos esse tales, ita Suar. *D.* 22. *de censur. sect.* 1. *num.* 52. Molin. *supr. D.* 53. *num.* 1. aliique penes ipsos, & probatur, tum ex *cap. si verò, de sent. excommunic.* vbi hic casus expressè deciditur: tum quia, data præfata ignorantia, verè non violatur Canon, in quo solùm punitur sacrilega percussio voluntariè versans circa personam Ecclesiasticam, esto aliunde percussio sit illicita, sicque non est, cur dicatur incurri censura lata contra ipsam. ad quod vtique parum, aut nihil refert, sitne occasio percutiendi orta ex opere illicito, an licito: quidquid contradicant aliqui cum Sylu. *v. excommunicatio* 6. *num.* 6.

Respond. quod autem diximus de ignorantia probabili, non procedit solùm in ignorantia affectata, vt censet Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 7. Sanchez Filline. Bonac. & Duardo; sed etiam in actuali inaduertentia, vt notant Suarez *D.* 4. *de censur. sect.* 8. *num.* 11. ex Graffio, & Hurtados relatus à Diana *p.* 5. *tract.* 6. *resol.* 17. inde probantes, quod inadoertentia æquiparatur in moltis ignorantiæ, & æquiparatorum idem est iudicium. 181.

Ex qoo sequitur 1. affici hac excommunicatione illum, qui videns se percutere Clericum inuincibiliter errat circa personam putans se percutere Petrum Clericum, cum percutiat Paulum Clericum; hæc enim excommunicatio lata est contra iniectionem manuum violentarum in Clericum, non autem contra iniectionem manuum in hunc, aut illum Clericum. ita Molina *supr. num.* 2. monens secùs dicendum, si quis inuincibiliter ignorans eum, quem percutit, esse Clericum, sit ita affectus animo, vt, etiamsi sciret illum esse Clericum, nihilominùs ipsum percuteret: is enim non incurrit excommunicationem, cum prauus ille animus non influat in percussionem, & dicta ignorantia excuset à culpa sacrilegij: qood est contra Cooar. *cap. alma mater, part.* 1. §. 10. *num.* 15. è contra, si quis ex affectu occidendi Petrum inimicum temere, & sine sufficienti certitudine, quod ille sit, & non alius, irruat in eum, qui apparet esse Paulus, non excusabitur à culpa sacrilegij, & consequenter nec à pœna, si percussus sit Clericus: qood in specie notauit Suar. *supr. n.* 52. 182.

Sequitur 2. non affici ista excommunicatione illum, qui noctu intendens percutere Petrum Clericum, ex errore manus, aut personæ occidit Paulum Clericum, si percutiens in hoc præmisit debitam diligentiam; & ratio est, quod sic percussio circa Paulum est omninò inuoluntaria, & casualis. ita Portell. *de dub. regul. ver. manus violenta, num.* 8. ex Suar. *supr. D.* 22. *sect.* 1. *num.* 54.

QVÆRES XXIV. An incurrant istam excommunicationem, qui aliquantulum repercutiunt Regulares, aut recomprimunt, seu reimpellunt (vt accidit in lusu manuum, aut magna frequentia populi.)

Respond. non incurrere, etiamsi fortè aliqualis ita interueniat; dummodò percussio non fiat ex odio, ac indignatione, & ira, attenta qualitate percussionis, aliisque circumstantiis, non pertingat ad peccatum mortale. ita Bonac. *supr. sect.* 4. *num.* 3. Nald. *v. Clericus, num.* 22. Portel *supr. in addit. num.* 4. aliique apud ipsos; & probatur quia talis percussio, licèt aliàs videri possit grauis, non censetur fieri, suadente diabolo, nec esse sacrilega, aut iniuriosa mortaliter; qoo pacto Molin. *D.* 51. *num.* 8. docet pueros clericos impuberes inter se rixantes, & se inuicem percutientes pugnis, aut alia simili ratione regulariter non incurrere istam excommunicationem, eo quod, attenta qualitate nocumenti, & modica iniuria ob qualitatem personarum, eorum culpa non censetur mortalis. 183.

QVÆRES XXV. An incurrant istam excommunicationem, qui percutiunt Regularem mortuum.

Respond. quod, quamuis plures sustineant eos incurrere (vt Bellerus *part.* 1. *disquisit. Clerical. part.* 1. *de discipl. cleric.* §. 1. citans pro se Felinum Boërium, & Ricciullum, Tol. *lib.* 2. *cap.* 31. Nald. *v. sepultura, num.* 5. & Batard. ab ipso relatus;) non improbabile tamen videtur oppositum: cum percussio Religiosi mortui 184.

mortuus verè non sit percussio Religiosi, quæ sola prohibita est in fauorem status Ecclesiastici (loquendo de prohibitione facta in canone, *si quis*:) siquidem Religiosus mortuus est æquiuocè Religiosus.

QVÆRES XXVI. Quinam præter Papam possint absoluere ab hac excommunicatione.

185. Pro responsione suppono 1. triplicem hîc distingui percussionem; leuem scilicet, mediocrem, ac enormem, quæ etiam dicitur grauis: leuis est, quæ fit pugno, manu, palma, digito, baculo pede, aut lapide; quæ nullam maculam, aut sugillationem relinquat, fitque absque membri abscissione, effractione dentis, euulsione multorum capillorum, aut effusione multi sanguinis (quamquam ex circumstantiis personæ læsæ, aut lædentis, loci, vel temporis contingere possit percussionem, quæ censeretur leuis, spectata sola circumstantia facti, reputari grauem: vt si iniicias manum in faciem Religiosi viri grauis, impingendo alapam. Mediocris percussio est ea, qua dens extrahitur, capillorum copia euellitur, sugillatio carnis relinquitur, sanguinis copia effunditur absque graui læsione, aut graui iniuria. Grauis est illa, quæ coniungitur cum graui læsione, aut graui iniuria, v. g. cum mutilatione membri, magna sanguinis effusione non proueniente à naribus, sed aliunde, aut cum magno vulnere, vel ictu: (idque etsi parum sanguinis exeat:) quæ fit contra proprium Superiorem, aut alium Prælatum in dignitate constitutum (nisi fortè percussio, seu violentia sit adeò exigua, vt moraliter non reputetur enormis:) quæ fit in Religiosum quidem vulgarem, sed cum magno scandalo astantium, vt si Religiosus percutiat Clericum in publico, aut in claustro coram sæcularibus, in Ecclesia, aut coram Prælato, vel alia persona in dignitate constituta; quæ fit in Sacerdotem indutum sacris vestibus. Ita Suar. *supr. sect.* 1. *num.* 1.

Suppono 2. ex eodem Filliucio *num.* 44. quantitatem percussionis debere colligi non solùm ex ipsa percussione physicè sumpta, sed etiam ex circumstantiis concurrentibus; quomodo ait Filliuc. esse pensandas omnes conditiones, præcipuè personæ, deinde quantitatis, modi, occasionis, actus, loci, temporis, & similium; quam doctrinam antea tradiderat Suar. *D.* 22. *de censur. sect.* 1. *num.* 91. monens prædicta omnia debere pensari, vt integrum iudicium de facti enormitate reddi possit: addénsque *num.* 92. multum referre animaduertere, an percussio facta fuerit cum graui scandalo; nam illud, moraliter loquendo; est magnum signum enormis percussionis, ac sacrilegij. Quod docet etiam Genuensis *in praxi, cap.* 80. *num.* 3. ad agnoscendam scilicet percussionis grauitatem non tam loci, quam scandali rationem habendam esse; quod non semper oritur ex percussione leui in publico facta: pone enim, inquit Genuensis, quod Clerici in platea sese ad inuicem leuiter percutiant pugnis, & pedibus, nullum scandalum oriri solet: pariter si aliquis à Presbytero prouocatus illum leuiter repercutiat, nullum, aut modicum scandalum oriri solet; quinimò solent commendari à mundanis percussores Clericorum prouocantium, & homicidium, quod ex se est grauissimum delictum, multum alleuiatur, quando præcedit prouocatio aggressus, & insultus, vt non modicum pœna minoretur iuxta latè tradita per Felinum *in cap. significasti, de homic.* & regulariter, quando leuis est percussio, non oritur scandalum, ac proinde non dicitur atrox ad finem absolutionis, quia Canones, vt sit atrox, ad hunc finem requirunt scandalum, vt probatur *in cap. cum illorum, de sent. excommunic.*

Suppono 3. ex Filliucio *supr. num.* 45. ad statuendum hic & nunc, fueritne percussio leuis, aut mediocris, aut enormis, opus esse prudenti arbitrio, taléque iudicium fieri posse (quod attinet ad forum interius) à docto, ac prudenti viro, imò etiam à quolibet idoneo Confessario; quamuis (quod spectat ad forum externum, ac declarationem authenticam) commissum sit Episcopo ex quadam Extrauagante relata à Nauarro *cap.* 27. *num.* 91. quæ tamen cum sit incerti Auctoris, vtpote ab aliquibus attributa Innocentio IV. ab aliis Pio II. & ab aliis Ioanni XXII. non censetur authentica; maximè cum non contineatur in iure, sicut aduertit Suar. *supr. num.* 92. & cum eo Filliuc. *vbi suprà.*

Suppono 4. in casu, quo dubitetur, an percussio sit leuis, aut mediocris, aut grauis, non videri iudicandam grauem, aut enormem, sicuti tradunt communiter Doctores nixi auctoritate Extrauagantis paulò ante relatæ; nam ex vna parte talis Extrauagans, cum non sit authentica, non facit ius, & consequenter non obligat: ex alia parte, cum simus in materia odiosa, mitior pars amplecti debet, & fauendum potiùs est reo, quàm actori: his positis,

Respond. primò, legatos de latere posse absoluere ab ista excommunicatione quoscumque accedentes, vbique locorum, etiam extra suam prouinciam, etiam pro foro externo: quæcumque demum fuerit percussio. Ita Molin. *supr. D.* 58. *n.* 2. Nald. *v. Legatus, n.* 12. aliique & constat ex *cap. excommunicationis, de offic. legati, & cap. ad eminentiam, de sent. excommunic.* qui textus cum generaliter loquantur, generaliter debent intelligi pro vtroque foro ex *l. de pretio, ff. de public. in rem act.* vt notat Nald. dicens Doctores passim interpretari iura, quæ indistinctè aliquid disponunt, vt locum habeant in vtroque foro. Dixi, *Legatos de latere*: vt indicarem eos, qui sunt legati non à latere, non posse absoluere à præfata excommunic. nisi in propria Prouincia, ad quam mittuntur, & illos tantum, qui sunt de ipsorum Prouincia; idque ex *c. penult. de offic. Legati,* vt monet Mol. *vbi sup.* addens legatos natos nullo modo posse absoluere à tali excommunicatione, nisi in specie id ipsis concedatur. 186.

Qua occasione placet aliqua breuiter adnotare de facultate, quoad hoc, competente legatis de latere; sicque

Noto 1. Absoluendum à percussione Clerici ex præfata facultate, si degat extra Prouinciam Legati, non teneri ad eum accedere personaliter, sed sufficere, quod se transferat in locum aliquem Prouinciæ, & inde per literas, aut per Nuncium à Legato petat absolutionem: sic enim cum simus in materia fauorabili animæ, videtur verificari illum moraliter accedere hoc ipso quod est intra eius Prouinciam; sicut supponit *cap. excommunicationis, citatum supra*, dicens, *si huiusmodi manuum iniectores aliunde contingat accedere.*

Noto 2. Legatum de latere non posse dare facultatem absoluendi à percussione Clerici non subditum, qui ad ipsum recurrat per literas: cum sic absoluendus non accedat ad legatum, neque physicè (vt patet) neque moraliter cum non sit intra illius Prouinciam; nisi quis ex S. Augustino *lib.* 2. *de consensu Euangelist. cap.* 10. *tom.* 4. velit dicere istum sufficienter accedere ad legatum hoc ipso quod per literas ab eo petit absolutionem (cum iuxta S. Augustinum per amicum dicatur quis peruenire ad aliquem, cuius fauor est necessarius,) sicque posse absolui ex dicta facultate legati, quæ doctrina non videtur aliquibus improbabilis, at in similibus abundandum est in cautelis.

Noto 3.

Noto 3. ex dicta facultate poſſe abſolui ſubditos Legati, ſi exiſtentes intra Prouinciam abſolutionem petant per literas, aut per nuntium: cum ſic verè ſit ſubditus Legati, & procedat doctrina tradita *ſupr. §. noto* 1. ſicque ordinariè ad Papam recurritur à fidelibus volentibus abſolui, aut diſpenſari.

Noto 4. hoc idem procedere de ſubdito Legati exiſtente extra Prouinciam, & petente abſolutionem per literas, aut per nuntium: cum ille adhuc verè ſit ſubditus, & non parum faueat, *cap 9. de offic. legati,* iuncta Gloſſa, quatenus hæc ait, Legatos, qui non mittuntur de latere Papæ, non poſſe abſoluere excommunicatos propter ſacrilegam manuum iniectionem in Eccleſiaſticas perſonas, vel aliunde venientes, vel extra ſuam prouinciam exiſtentes: ſic innuens Legatos de latere poſſe dictos excommunicatos abſoluere; etſi extra eius prouinciam exiſtant: fauet item huic aſſertioni doctrina in re ſimili data à Diana *part. 7. tract.* 2. *reſolut.*8. *&* 9. ad quam breuitatis cauſa ſtudioſum remitto Lectorem. Imò aſſertio videtur procedere etiam de non ſubdito exiſtente extra Prouinciam Legati; illum ſcilicet poſſe ab eo obtinere facultatem abſolutionis præfatæ per nuntium, aut per litteras; cum reſpectu illius militent dicta §.*noto* 1.*&* §.*noto* 3.

Noto 5. quod, cum Legatus de latere poſſit exercere ſuam poteſtatem, etiam extra ſuam prouinciam; vt aduertit Nald *v. Legatus num.* 12. ex Gloſſa, Abb.& aliis communiter *in cap. excommunicationis, de offic. Legati*, & *cap. ad eminentiam, de excommunicat.* ſic delegatus ipſius Legati videtur poſſe eamdem poteſtatem exercere etiam extra prouinciam delegantis, ſi indigens abſolutione accedat ad delegatum: ſi quidem delegatus ſubrogatur in locum delegantis,& ſubrogatum ſapit naturam eius, cui ſubrogatur.

Noto 5. quod, cum delegatio facta à Legato de latere non expiret eius morte, aut finito officio, niſi ſit facta ad bene placitum perſonæ, aut officij (vt in terminis docet Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. D.* 38. *numer.* 84. & niſi in ſpeciali quodam caſu relato à Naldo *ſupr. num.* 4. conſequenter delegatus eam poteſtatem ſibi delegatam poteſt exercere, etiam poſt finitam legationem Legati delegantis, eiúſve mortem: quo modo approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones abſolutè etiam eo amoto, vel mortuo, poteſt audire illas: vt tradunt Suarez, Vaſquez, Sà, Coninch. Sot. Sanchez, Henriquez, Regin. apud Bonacinam *D.* 5. *de Sacramentum quæſt.* 7. *part.* 3. *numer.* 2.

Noto 6. delegatum à Legato de Latere etiam poſt mortem, aut amotionem illius poſſe poteſtatem ſibi delegatam exercere etiam extra prouinciam delegantis, eo modo, quo diximus § *noto* 5. ſiquidem eſt eadem poteſtas inuariata, & eiuſdem entis ſunt eædem paſſiones; nec apparet, cur id ei liceret durante legatione delegantis, & non liceat poſtea; maximè cum ea poteſtas ſit animæ fauorabilis, & vt talis ampliari debeat, *leg. cum quidam, ff. de lib. & poſthum.*

Noto 6. Religioſum habentem à Legato de latere facultatem abſoluendi à percuſſione Clerici poſſe ea vti extra prouinciam delegantis, etiam eo amoto à legatione, etſi delegans ipſe tunc non fruatur tali facultate. ducor, quod ſubrogatum ſapit naturam eius, pro quo ſubrogatur, adeoque ſicut Legatus, durante legatione, poterat abſoluere extra ſuam prouinciam: ſic poterit delegatus, qui pro eo ſubrogatur, & Legato amoto adhuc retinet facultatem ipſi ab eo antea conceſſam iuxta alibi dicta de gratia facta, quæ non perit, concedente mortuo, aut amoto ab Officio.

Noto 7. Regularem à Legato habentem facultatem abſoluendi Religioſos Ordinis à reſeruatis in ipſo Ordine, poſſe ea vti etiam extra prouinciam ipſius Legati delegantis: cum is poſſit præfatam exercere facultatem extra ſuam prouinciam, *cap. penult. de offic. Legati*, & Regularis in præſenti caſu ſubrogetur in eius locum, ſicque verificetur ſubrogatum ſapere naturam eius, pro quo ſubrogatur: præter quam quod facultas, de qua hîc agitur, pertinet ad iuriſdictionem voluntariam, quæ poteſt exerceri etiam extra proprium territorium; vt in ſimili notat Diana *part.* 4. *tract.* 8 *reſol.* 100. ex vtroque, Rodriq. & Nauarro.

Noto 8. quod ſi generaliter quæratur, quam poteſtatem habeat Legatus de latere, dici poteſt reuocari ad tria capita; videlicet ad abſoluendum à percuſſione Clerici (quæ poteſtas continetur in iure communi) ad eam, quæ ipſi confertur in Breui legationis, & ad eam, quæ ipſi competit, tanquam Ordinario totius ſuæ Prouinciæ; quo modo poteſt præſtare in tota ſua Prouincia, quidquid præſtare poteſt quilibet Epiſcopus in propria Diœceſi. Cæterum, quamuis Nald. *v. Legatus num.* 8. dicat ex Gloſſa, Legatum poſſe omnia, quæ non ſint excepta: cum tamen ſtatim immediatè ſubdat cum alia Gloſſa illum poſſe ea omnia, quæ non ſunt reſeruata Papæ in ſignum ſpecialis priuilegij, nec ipſe Naldus, nec alius Doctor tradat quæ ſint taliter reſeruata Papæ; talis regula ad praxim manet inutilis. Regula autem à nobis tradita colligitur, tum ex Azorio *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 27. præſertim *quæſt.* 8. tum ex Gambata *toto eius tract. de offic. & authoritate Legati de latere*, vbi varias recenſet, ac diſtinguit Legati facultates, ac maximè *titulo de variis Ordinariorum nominibus, eorumque diſtinctis facultatibus à num.* 139. vbi tamen *num.* 120. ponit ſecundam illam regulam Naldi, ſed cum duabus fallentiis, ſeu potius extenſionibus poteſtatis Legati, alteram *num.* 121. alteram *num.* 135. *&* 137. enumerat, quæ Papæ reſeruantur in ſignum ſpecialis priuilegij. ita P. Zanettus *in materiis moralibus verſatiſſimus*, ideóque ſæpius à me in meis tractatibus allegatus non immerito, quippe cuius authoritas apud me plurimum valet, eiuſque in moralibus peritiam, ac eruditionem ſummopere ſuſpicio, & ſuſpiciunt quicumque cum eo de rebus moralibus agunt.

Noto 9. Ex eo, quod Legatus Ferrarienſis poteſt abſoluere Bononienſem ſubditum Legati Bononienſis à percuſſione Clerici, non ſequi illum poſſe exercere cum dicto Booonienſi omnem illam facultatem, quam poteſt exercere cum propriis ſubditis: nam reſpectu abſolutionis à percuſſione Clerici de iure communi ſolùm requiritur, vt abſoluendus accedat ad Legatum; quod non procedit, quoad vſum aliarum facultatum Legatis competentinm, cum id in iure non exprimatur; ſicque eæ ſolùm poſſunt exerceri cum ſubditis.

Reſpond. ſecundò, Epiſcopos poſſe abſoluere ab 187.
iſta excommunicatione non ſolùm in caſu, quo percuſſio fuerit leuis, (quod habetur *in cap. peruenit, de ſent. excommunicat.*) & quidem tam per alium, quam per ſe; cum facultas hæc abſoluendi ipſis competat iure ordinario, adeoque ſit delegabilis iuxta communem DD. ſententiam; ſed etiam in aliis caſibus relatis à Reginaldo *lib.* 1. *num.* 242. *& ſeqq.* in quibus Epiſcopi poſſunt abſoluere, etſi percuſſio fuerit mediocris, aut enormis. At non vacat immorari diutius in illorum explicatione; maximè cum videri poſſint, tum

tum apud Regin. *loco citato*, tum apud Bonac *supr. sect.5.num.9.& seqq.* Barbosam, *de offic. Ep. alleg.* 41. *num.*Filliuc.*supr.num.* 35. *& seqq.* inter quos Bonac. *n.*19.ex Mol.Regin.Coninch.Suar. Henriq. & aliis, notat Episcopos posse absoluere ab ista excommunicatione proprios subditos,etiam in casu,quo percussio sit mediocris, aut grauis: dummodo sit occulta,& non deducta ad forum contentiosum;idque etsi absoluendus possit adire Papam, aut Legatum de latere. sic quippe in Concilio Trid.*sess.*24. *de reformat.cap* 6.id ipsis conceditur,vt ostendimus *supr. cap.*3.*sect.*3.*subs.*2.*quaest.*1.*num.*68.

Quamuis autem Felinus, Abb. Sylu. Molin.apud Castrum Palaum *supr.num.*4.putent hanc facultatem non extendi ad quoscumque habentes Episcopalem iurisdictionem eo quod *in cap.peruenit,de sent.excommunic.* talis facultas Episcopo committatur, vt fratri dicente textu, *Tuae fraternitati*, & nullus inferior Episcopo à Papa vocetur frater: oppositum tamen videtur probabilius: cum Papa ibi vsus sit nomine, *Fratris*, eo quod loqueretur cum Episcopo, non quod vellet hanc facultatem conferre solùm Episcopali charactéri: quippe quae datur non Episcopo ratione iurisdictionis; vt hine patet, quod alioqui eam non posset delegare; nec eius Vicario generali communicaretur, vt communicatam censet Molina *tract.* 3. *D.* 59. *num.* 2. ita Castrus Palaus monens Episcopum in hac excommunicatione contracta ob percussionem leuem posse absoluere in vtroque foro:idque colligit ex Abbate, & Doctoribus communiter *in d.cap peruenit*, & ex Extrauag. Ioannis II. quae in incipit, *Perlectis*.

188. Addo ex eodem Bonac. *num.*17. quod, sicut non potest absolui ab Episcopo in casibus non permissis quicumque potest saltem adire Legatum, vel alium habentem ad id facultatem: ita qui fuit absolutus ab Episcopo ob impedimentum temporale, eo sublato, debet se praesentare Papae iuxta *cap.eos,qui,de sent.excommunic.*& quidem sub poena reincidendi in eamdem speciem censuram; vnde fit, vt, quando in tali casu is absoluitur, Id ipsum debeat illi praecipi cum iuramento.quod tamen fallit in Clericis collegialiter viuentibus, filiis impuberibus, foeminis, Religiosis, ac Officialibus Principum arcentibus turbas,vt pote ad id habentibus peculiare indultum ratione Officij, vt notat Filliuc.*num* 41.

189. Respond. 3. Regulares priuilegiatos posse absoluere ab ista excommunicatione non solum in casu, quo percussio sit leuis (quod docent Rodriq. *tom.*1. *quaest.*61.*art.*8.alter Rodriq.*resol.*3.*de absolut.ad saeculares,num.*38.Nald.*v.Clericus num.*39 Portel.*in resp. moral.part.*3.*casu* 37 *num.*1.citans pro se Vegam,Castrus Palaus *supr. num.* 19. aliique Recentiores) sed etiam in casu, quo percussio sit enormis, sed occulta, & non deducta ad forum contentiosum, vt docet Faguud.*prae.*2.*Eccl.lib.*8.*cap.*8.*num.*29.

Quod autem dicit Nauarrus *cap.* 27. *num.* 78. ex Panormitano *in cap.si verò* 1.*de sent. excomm.num.*3. & Stephano Ministros iustitiae laicae, etsi leniter percutiant, debere remitti ad Papam, nec posse ab alio absolui; idque ex citato *cap.si verò*: notat Suar. *supr.num.*70.ex Caietano, ideo sic ibi definiri, non quidem quod limitetur generalis concessio facta in *c.peruenit*;sed quod percussio facta à Ministro iustitiae laicae,etsi videatur leuis,semper sit grauis; quatenus Minister,eum sit laicus, authoritatiuè percutit Clericum,adeòque grauem iniuriā facit statui clericali.

Quaeras XXVII. Per quos possint,& debeant absolui Regulares ab hac excommunicatione in casu, quo illam incurrant.

Respond. de Iure communi posse, & debere absolui à Papa, si percusserint Clericum percussione non leui; aut etiam ab Episcopo iuxta *cap. religiosi, de sent.excommunic.in* 6.si verò percusserint Religiosum alterius monasterij, siue eiusdem, siue alterius Ordinis, debere absolui à proprio Superiore, concurrente etiam Praelato Religiosi percussi; idque ad remittendam iniuriam, & recipiendam debitam satisfactionem:vel certè, si Religiosus percussus sit eiusdem Ordinis, à Praelato habente iurisdictionem in vtrumque Praelatum immediatam (v. g. in Prouincialem) idque iuxta *cap. cum illorum, de sent. excommunicat.*; si denique percusserint Religiosum eiusdem Ordinis, ac monasterij, debere absolui à proprio Superiore *cap. Monachi verò, eod. titulo*. ita Barbosa *supr num.*17. Regin.*supr.n.*243 *& seqq.* Mol. *D.* 60. Filliuc. *num.* 40. aliique communiter, qui bene monent, quod si Religiosus percutiat suum Superiorem, tunc ille debet absolui à Papa,eo quod talis percussio ob circumstantiam personae censeatur enormis *cap. cum illorum, citato*: non item, si percutiat alienum Praelatum, nisi fortè is sit Episcopus. Denique si Abbas percutiendo suum subditum vltra mensuram debitae correctionis incurrat hanc excommunicationem, absolui debet ab Episcopo, vel à proprio Praelato regulari, dummodo percussio non sit enormis; vel certè, si percutiat subditum alienum à Praelato illius Religiosi, qui fuit percussus. ita Filliuc.*vbi supr.* 190.

191. Dixi, *de iure communi*, vt indicarem, quod notat Mol. *D.* 60. *num.* 6. Praelatos Regularium ex indultis bullatis concessis Vicariis, & Custodibus Fratrum Minorum, nec non Generalibus, ac Prouincialibus Fratrum Praedicatorum, & omnibus illis, quibus id commiserint, posse in praesentia absoluere suos subditos ad ista excommunicatione contracta ex percussione etiam enormi: vt constat ex *Comp. priuil. Mendicant. v. absolut. ordin. quoad Fratres* §. 13. *&* 38. quod idem possunt facere aliorum Ordinum Religiosi per viam communicationis priuilegiorum, & nouissime notat Castrus Palaus *supr. num.* 10. addens *num.* 14. ex Sanch. & Molina, quod si Praelatus regularis nolit per se,aut per alium absoluere ab hac excommunicatione, & quidem iustè (eo quod atrocitas delicti petat cogere Religiosum adire Papam) non potest tunc Religiosus absolui, neque ab Episcopo dioecesano: secùs, si manifestè constet Praelatum iniustè denegare; (quod rarò, aut numquam eueniet) nam tunc poterit Religiosus absolui ab Episcopo: cum in tali casu censeatur Religio, aut Ecclesia iurisdictionem conferre Dioecesano; ac Superior regularis abutatur exemptione, & ipsa exemptio cedat in Religionis praeiudicium: quod etiam docet Bonac.*de censur.in partic.D.*2.*quaest.*3.*part.*6.*sect.*5.*num.*7.

An verò Praelati regulares vi supradictorum priuilegiorum possint absoluere proprios Nouitios à tali excommunicatione contracta ob percussionem factam, tum in ipso Nouitiatu, tum ante illum.

192. Respond. posse, & quidem ita vt, esto exeant ante professionem, non teneantur posteà se praesentare ei, à quo aliàs fuerant absoluendi, quod negant Sylu.*v.excommunicatio* 1.*quaest.*6.ex Hostiensi,& alij: quorum opinio procedit secundùm ius commune, non autem secundùm specialia priuilegia Religionum:quibus cū gaudeant etiam Nouitij,& ea fuerint concessa absq. vlla limitatione,nō apparet,cur ea modò debeamus restringere;qua de re Regin.*sup.n.*245.

Imò Cespedes *de exempt.d.*3.10.*num.*4 contra Alphonsum de Leone,& alios censet Nouitium,si post

commissum delictum exeat è Religione, & dimittat habitum, debere absolui à suo Prælato regulari: & probat, quia commisso delicto reus statim manet obligatus illi Curiæ, sub cuius iurisdictione est, quando committit dlictum: ergo & à Præfato talis Curiæ debet absolui: quo pacto Doctores communiter dicunt Clericum delinquentem tempore clericatus, si post delictum dimittat habitum, adbuc debere puniri à Iudice Ecclesiastico: cum ergo bæc doctrina procedat de Nouitio, idem de eo sustinendum est; & quidem non solùm ad ligandum, sed etiam ad soluendum: cum eadem sit potestas ligandi, ac soluendi. Nec obstat, quod sic Nouitius incurrens in casum reseruatum, dum est in Religione, & postea recedens ab ea, posset ab eo absolui per Prælatum monasterij, à quo recedit (quod tamen non videtur admittendum) nam primò, ait Cespedes, quod Nouitius in isto casu possit absolui solùm ab Episcopo, non est opinio adeò certa: præterea admissa ea opinione, adest disparitas inter absolutionem à censura, & absolutionem à casibus reseruatis, quod ab his potest absolui solùm per Episcopum, eiusve delegatum; cum in foro pœnitentiali respectus habeatur tantum ad tempus sententiæ, non item in aliis foris, in quibus habetur respectus etiam ad tempus commissi delicti.

Qværes XXVIII. An, & qualis satisfactio præmitti debeat, antequam absoluatur ab hac excommunicatione is, qui percussit Religiosum.

193. Respond. debere præmitti eam satisfactionem, quæ iudicio prudentis videbitur necessaria, eamque exhibendam esse Prælato Religionis, in qua degebat, aut degit Religiosus læsus; cum enim bona Religiosorum Monasterio acquirantur, & damnum illorum vergat in damnum Religionis; par est, vt etiam satisfactio inde debita præstetur Religioni ita Bonac. *sup. num.* 24. ex Filliucio, afferente praxim Sacræ Pœnitentiariæ, quam indicat idem Filliuc. *supr.*

Qværes XXIX. An, & quando percutiens Religiosum publicè, ac notoriè sit vitandus, tanquam notorius Clerici percussor iuxta decretum Concilij Constantiensis.

194. Respond. non esse vitandum, nisi percussio sit ita notoria, vt nulla tergiuersatione, aut iuris remedio cælari possit. vnde fit, vt, quamuis percussio sit notoria, & patens multis, non ideò percussor sit vitandus: cum possit dicere se percussisse ex subito impetu iræ, aut in iustam defensionem, se ignorasse excommunicationem annexam esse percussioni, allegare in iudicio falsitatem rumoris, aut afferre aliquam aliam causam probabilem in præsentibus circumstantiis excusantem ipsum à peccato: quod est probabili tergiuersatione percussionem cælare, ita Diana *part. 3. tract. 5. resolut.* 14. ex Sayro, & Fagund. hinc inferens tarò contingere percussionem Clerici esse ita notoriam facto, vt non possit aliquo iuris remedio excusari, cum aliqua probabilitate: & hoc, donec per Iudicis sententiam, aut facti notorietatem constet rem aliter se habere. Dixi *probabili tergiuersatione*, vt indicarem hanc doctrinam non procedere in casu, quo tergiuersatio, attentis præsentibus circumstantiis, iudicio prudentis viri censeretur improbabilis: vnde fit ad præsentem effectum non sufficere quamcumque tergiuersationem, sed eam solùm, quæ hîc, & nunc existimetur verosimilis. Quod si tergiuersatio à parte rei sit probabilis, sed talis non appareat in foro externo: nihilominùs, sit cui constet de tali probabilitate, respectu illius percussor Clerici non erit vitandus, neque quoad forum externum; si in isto foro probet tergiuersationem adductam sibi esse probabilem.

Addo, vt teneat vitare percussorem Religiosi alicuius, aut Clerici, non sufficere dubium, quamuis prudens notorietatis, sed requiri notitiam moraliter certam. ita Hurtad. *D. 2. de excommunicat. diffic.* 3. *num.* 10. docens *num.* 7. ex Suarez, ad hoc vt teneamur vitare excommunicatum iam denuntiatum, non sufficere dubium prudens dictæ denuntiationis, sed requiri notitiam illius moraliter certam. 195.

Qværes XXX. An percutiens Religiosum, qui simul est Clericus (habens scilicet aliquos Ordines) teneatur id ipsum exprimere in confessione, ad hoc vt integrè confiteatur, duplicemque incurrat excommunicationem.

Respond. Neutrum videri necessarium: cum ratio inducendi canonem, *si quis suadente*, fuerit reuerentia debita statui Ecclesiastico, & talis reuerentia sit eiusdem rationis in Monacho, ac in Clerico; ideòque non appareat, vnde multiplicentur diuersæ malitiæ, quæ moraliter coniungantur percussioni, & faciant percutientem reum multiplicis excommunicationis. ita docti viri à me consulti, & probabiliter, quamuis videatur dissentire Suarez *supr. D. 5. sect. 3. num.* 15. 196.

Sectio IV.

De iure Habilitatis competente Regularibus quoad Prælationes, Dignitates, Officia, Gradus, & Honores, tam intra, quàm extra Ordinem, necnon de iure Primogenituræ, seu Præcedentiæ.

Acturi in hac Sectione de iure Habilitatis, quod competit Regularibus, quoad Prælationes, Dignitates, Officia, Gradus, ac honores tam intra, quam extra Religionem, & de iure Primogenituræ, ac Filiationis regularis, maioris distinctionis gratia Sectionem diuidemus in 4. Subsectiones, In quarum 1. disseremus de Iure Habilitatis competente Regularibus, quoad prælationes, dignitates, officia, gradus, & honores intra Religionem. In 2. de Iure Primogenituræ, seu Præcedentiæ, tum respectu aliorum Ordinum, tum respectu Religiosorum eiusdem Ordinis: In 3. de Iure Habilitatis, quod habent Regulares, quoad Prælationes, Dignitates, Gradus, officia ac beneficia Ecclesiastica extra Religionem: In 4. de Filiatione regulari.

Svbsectio I.

De iure Habilitatis competente Regularibus, quoad Prælationes, Dignitates, Officia, Gradus, ac Honores intra Religionem.

197 *Ostenditur, quid sit Prælatio, Dignitas, Officium, Gradus.*
198 *Cæteris paribus expedit, vt hæc admittantur inter Regulares.*
199 *Conferri debent dignis.*
200 *In pluribus Ordinibus conferri nequeunt ad instantiam*

stantiam externorum sub excom municatione.
201 *Quæ cum sit fauorabilis toti Ordini, cadit sub priuilegiorum communicationem.*

QVÆRES I. Quid veniat nomine prælationum, dignitatum, officiorum, graduum, ac honorum.

197. Respond. nomine prælationis, ac dignitatis (quæ re vera conuenire videntur) intelligi administrationem cum iurisdictione, cuiusmodi in Religionibus est Generalatus, Prouincialatus, Abbatia, Prioratus, Guardianatus, & similes, nomine vero officiorum intelligi propriè administrationem absque præeminentia, seu iurisdictione (quale est munus Sacristæ, Procuratoris, Subprioris in præsentia Prælati, Magistri Nouitiorum &c.); nomine item graduum intelligi titulos honorarios in Vniuersitatibus, aut Collegiis studiorum causa cōcessos, vt Doctoratum, Magisterium, Baccalaureatus, &c. denique nomine honorum nihil aliud posse intelligi, quam personarum, qui importat præeminentiam quandam absque iurisdictione, vt diffinitoriatum. ita Lezana *tom. 2. cap. 1 3. n. 2. 3. 4. 5. & 6.* monens *n. 7.* ex communi vsu plurium Religionum nomine officiorum venire Prælatias, seu Dignitates, & quidem etiam in Constitutionibus pontificiis: vt quando aliqua præcipiunt, aut prohibent sub pœna priuationis officiorum, sicut è contra Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 6. cap. 7. num. 13.* censet nomine Prælationum, & Dignitatum significari aliquid diuersum, ita vt nomine prælationis veniat Episcopatus, nomine autem dignitatis Cardinalatus, vt pote per se non habens ordinariam potestatem iurisdictionis, quæ per se primo importatur per prælationem.

QVÆRES II. An, & quo modo expediat bono Religionum Collatio graduum, honorum, & aliarum præeminentiarum.

198. Respond. expedire eo modo, quo diximus hîc *sect. 1. quæst. 2. & in tract. de stat. relig. cap. 5. quæst. 14.*

QVÆRES III. Quibus Religiosis conferri debeant dignitates, gradus, honores, & officia Religionis.

199. Respond. debere conferri illis Religiosis, qui ex vna parte ea promerentur, vt pote præditi dotibus ad illa requisitis; ex alia parte, cum sint modesti, humiles, & regularis obseruantiæ studiosi, iis non sunt abusuri cum graui dispendio Religionis: aliàs quæ inducta sunt in ædificationem Religionum, cederent in destructionem; quod est cauendum.

QVÆRES IV. An dignitates, gradus, & officia Regularia possint conferri Religiosis ad instantiam personarum extranearum.

200. Respond. in pluribus Religionibus non posse ob specialem prohibitionem earum Prælatis, tam mediatis, quàm immediatis quoad hoc factam, & quidem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; vt in Ordine Fratrum Prædicatorum ex Const. Gregorij XIII. confirmata à Clemente VIII. in Ordine Carmelitarum ex bulla eiusdem Clementis VIII. in Ordine Camaldulensium, ac Hieronymianorum ex bulla eiusdem Clementis VIII. qui eandem prohibitionem fecit per aliam bullam in Ordine Cruciferorum, & Augustinianorum: in Ordine Monachorum Cisterciensium Italiæ, Cælestinorum, ac Minimorum, nec non in Congregatione S. Saluatoris per varias Constitutiones Pauli V. quas refert Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 82.* & Peyr. *tom. 2. priuil. constit. 5. Pauli V. tom. 1.* adducens præterea Constitutionem quamdam Vrbani VIII. hac de re factam contra omnes Religiosos quorumcumque Ordinum: quæ tamen cum non fuerit de facto promulgata, nullam vim habet obligatoriam; vt in specie notauit idem Peyrinus.

An autem talis prohibitio afficiat Religiosos aliorum Ordinum per viam communicationis priuilegiorum, ita vt ij non possint prædicta procurare, neque conferre modo dicto ad instantiam extraneorum, etiamsi contra ipsos in specie non fuerit facta talis prohibitio.

Respond. videri afficere; & ratio est, quod, quamuis talis prohibitio sit res odiosa, & odia non cadant sub generalem communicationem priuilegiorum (vt tradunt communiter DD. ex regula Iuris, *Odia restringi oportet.*); id tamen fallit in casu, quo prohibitio, quæ est odiosa Religiosis in particulari, sit fauorabilis toti Religioni (cuiusmodi est præsens prohibitio, vt facilè constabit consideranti:) tunc enim nō apparet, cur prohibitio non cadat sub communicationem priuilegiorum; cum re vera induat rationem fauoris, vt indicauimus hîc *c. 1. sect. 3 q. 9.* quod est contra Portellum *de dub. regul. v. communicatio priuilegiorum, num. 10.* 201.

Reliqua, quæ hic dici possent de prælationibus, seu dignitatibus, latè tractabuntur *in tract. de gubernat.* ideóque non est, cur ea apponantur hoc loco, cum ibi commodiùs tractentur.

SVBSECTIO II.

De Iure Primogenituræ, seu Præcedentiæ tam respectu aliorum Ordinum, quam Religiosorum eiusdem Ordinis.

202 *Declaratur, quid sit ius Primogenitura, seu Præcedentia inter Regulares.*
203 *Desumitur, quoad Religiosos eiusdem Ordinis ex Professione; aliunde vero quoad Religiosos alterius Ordinis.*
204 *Affertur Decretum Gregorij XIII. quoad Ordinum Mendicantium præcedentiam.*
205 *Extat, quoad hoc aliud Decretum Clementis VIII. in fauorem PP. Dominicanorum: refertur & aliud Decretum Vrbani VIII. concernens hanc materiam.*
206 *Clerici Regulares in Processionibus deberent omnes alios Religiosos præcedere præter Canonicos Regulares, idque ratione Status Clericalis.*
207 *Ostenditur ordo Præcedentiæ, qui de facto inter Regulares seruatur in Processionibus.*
208 *In literarijs confessibus præcedunt Regulares, qui prius cœperunt ijs assistere, etsi Dominicani quoscumque alios Religiosos præcedant in dictis confessibus.*
209 *Præcedentia inter Religiosos commendabiles.*
210 *Omnino seruanda.*
211 *Ordinarius componit controuersias Præcedentiam concernentes, quæ in Processionibus excitantur inter Regulares.*
212 *Ius præcedendi aliàs debitum non tollitur eo, quod Religiosi posteriori tempore cœperint habitare in aliquo loco.*
213 *Ius præfatum competens ex antiquiori fundatione Conuentus habetur, etiam ex prioritate vnius diei.*
214 *In Capitulis Generalibus, ac Prouincialibus ius Præcedentiæ desumitur ex maiori antiquitate Prouinciæ, aut Conuentus.*
215 *Prouincialis præcedit Priorem Conuentus alienæ Prouinciæ.*
216 *Prior creatus Magister præcedit simplicē Priorem.*

217 *Doctor in Theologia præcedit Doctorem in iure Canonico: item Doctor, qui Lector est, præcedit alios Doctores non Lectores: idq́; etsi pro aliquo tempore Lectura intermittatur: Regularis transiens à præbenda Theologali, ad Pœnitentialem retinet in Choro, & Capitulo priorem præcedentiam.*

218 *Religiosus doctoratus præcedit quemcunque Religiosum simplicem.*

219 *Rediens ab Ordine arctiori, ad quam transierat, ad priorem Ordinem amittit priorem præcedentiam.*

220 *Transiens ad alium Ordinem, præcedit iuxta Professionem posteriorem.*

221 *Eiectus ab Ordine, si redeat, retinet ius antiquæ præcedentiæ: damnatus ad triremes, si redeat ad Ordinem, suam priorem habet præcedentiam.*

222 *Religiosus Episcopus, si redeat ad Ordinem primum habet locum post Prælatum Conuentus: Regularis verò, qui dimittis Abbatiam sæcularem, & redit ad Ordinem, subditur regulari Prælato.*

223 *Ratificans Professionem irritam ex defectu occulto, retinet priorem præcedentiam.*

224 *Ex duobus simul admissis ad habitum Ordinis, ac Professionem præcedit, qui prius admissus fuit ad habitum.*

225 *Idq́; licèt vterque illorum in diuerso loco eodem temporis puncto profiteantur: Patres Scopetini præcedentiam sumunt à tempore susceptionis habitus.*

226 *Dispensatus ad Sacerdotium, quoad ætatem non præcedit ante ætatem præscriptam: profitens in articulo mortis ex indulto Pij V. præcedit admissos ad habitum ante ipsum, sed post ipsum profitentes: Religiosus laicus transiens ad statum clericalem præcedit solum à tempore talis transitus.*

227 *Nouitij Clerici præcedunt Religiosos laicos professos.*

228 *Abbates Regulares non habent præcedentiam supra Generales aliorum Ordinum non Abbates.*

QVÆRES I. Quid intelligatur hìc per ius Primogenituræ, seu præcedentiæ.

202. Respond. intelligi ius quoddam honorificum ex iusto titulo acquisitum, quoad præcedendum alios in loco, sessione, aliisque fonctionibus, siue publicis, siue priuatis, quocumque demum ex titulo tale ius proueniat; dici verò ius Primogenituræ ex eo quòd, sicut inter homines primarios filiis primogenitis plura honorifica competunt; sic ad eorum imitationem aliqua honorifica competunt Regularibus præfato Iure primogenituræ gaudentibus.

QVÆRES II. Vnde debeat desumi ius Primogenituræ tam inter varias Religiones, quàm inter Religiosos eiusdem Ordinis.

203. Respond. debere desumi, quoad Religiosos quidem eiusdem Ordinis, à tempore, quo vnusquisque Religiosus emittit professionem; intellige, nisi extet alius titulus, ex quo desumatur ius præcedentiæ; (v.g. gradus Doctoratus, &c.) quoad varias verò Religiones inter se, tum ex ipsa conditione status (quomodo Ordo clericalis vt sic deberet præcedere Ordinem non clericalem:) tum ex antiquitate primææ ipsorum institutionis; quod satis apertè indicauit Pius IV. in sua Constitut. 75. in ordine, dum afferens rationes, cur Canonici regulares S. Augustini deberent præcedere Monachos, etiam Cassinenses, has duas adducit; nempe quod ipsi sunt Canonici, & de Clericis à S. Augustino, imò à sanctis Apostolis instituti; sicque concludit, *tam suæ antiquæ institutionis, quàm etiam dignitatis Clericalis, qua eos statim quod professionem regularem emittunt, insignitos esse oportet, aliarúmq; qualitatum in eis existentium ratione ius præcedentiæ ipsis tribuendum esse.* Quod etiam confirmauit Pius V. in sua Constitut. in ordine 71. dum declaraturus Fratres Prædicatores S. Dominici debere præcedere quoscumque Religiosos aliorum Ordinum Mendicantium, pro ratione declarationis illam vnam affert, quòd Ordo S. Dominici *præ cæteris aliis Fratrum Mendicantium Ordinibus à Sede Apostolica primò approbatus, & confirmatus fuerit;* vnde probata manet posterior pars præsentis responsionis; quæ quoad priorem partem inde facilè probari potest; quòd, cum profitens in Religione omnia sua bona, iura, & actiones transferat in ipsam Religionem: æquum est, vt etiam Religio ei ex parte sua contribuat ius præcedentiæ inter alios professos: præterquam quod talis est praxis ferè communis omnium Religionum.

Verum tamen est, quod Greg. XIII. in sua Constit. 204.
84. in ordine declaraturus ordinem præcedentiæ seruandum in processionibus inter Ordines Mendicantes statuit, vt ij, *qui in quasi possessione præcedentiæ, ac iuris præcedendi sunt, ij,* quibuscunque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & alijs subterfugiis prorsus remotis, in processionibus tam publicis, quam priuatis procedere debeant; quando verò non probetur, aut non cõstet de quasi possessione præcedẽtiæ huiusmodi inter Fratres mendicantes, ij, qui antiquiores in loco controuersiæ sunt, in processionibus tam publicis, quàm priuatis præcedere debeant, ita vt, si contigerit noua monasteria, aut domos alicuius Ordinis mendicantium in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis mendicantibus monasteria, aut domus priùs erecta, & instituta sint, ille Ordo, qui priùs monasterium, seu domum *in loco habuerit, præcedat.* Vbi notandum hic non statui Ordinem præcedendi, nisi quoad processiones: vnde subdit Gregor. XIII § 4. *Quin inter prædictos Ordines* (id est, Mendicantes) *plerumque alia in processionibus, & alia in Conciliis generalibus, & alijs actibus publicis, siue priuatis ratio circa modum præcedendi seruatur, nolumus per præsentes prærogatiuis dictorum Ordinum quoad præcedentias huiusmodi, quæ propriis Ordinibus, præterquam in processionibus prædictis debentur, aliquod præiudicium generari.*

Sic statuerat Greg. XIII. cum ecce tibi Clem. VIII. 205.
in sua Constit. 13. in ordine decernit, quod in omnibus actibus, & processionibus tam publicis, quam priuatis post Canonicos, & Clericos sæculares, & antiquos Ordines Monachales, si qui incesserint, Fratres Ordinis Prædicatorum primum, digniorem, & honorabiliorem locum obtineant, ita vt dicti Fratres S. Dominici immediatè post modò dictos subsequãtur, post quos omnes alij Regulares tam Mendicantes, quam non Mendicantes, cuiuscumque Ordinis existant, incedant, & subseqantur, etiamsi Capellæ, Ecclesiæ, Conuentus, domus, & loca regularia dictorum Fratrum Prædicatorum in locis prædictis primò instituta, & fundata non fuerint. Quin etiam idem Clem. VIII. § sequenti, *in virtute S. Obedientiæ, & sub excommunicationis maioris latæ sententiæ eo ipso per contrafacientes incurrendæ pœna omnibus, & singulis quorumcumque aliorum Ordinum pro tempore Religiosis inhibet, ne de cætero præmissorum occasione Ordinem Fratrum Prædicatorum, illiusq; Fratres pro tempore existentes molestare, inquietare, perturbare, aut quoquo modo impedire audeant, vel præsumant.*

Vrbanus denique VIII. in sua Constit. *Nuper,* edita 18. Decembr. 1637. statuit, vt Regulares, qui sunt in possessione præcedentiæ in processionibus præcedant, &, vbi non probatur, aut non constat de possessione, præcedãt ij, qui sunt antiquiores in loco

contro

controuerfiæ : decernitque irritum , ac inane , fi fecùs fuper his à quocumque quauis auctoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quòd fi hac occafione quæras, quis locus præcedentiæ deberetur Ordinibus Clericorum Regularium in cafu, quo hi conuenirent in proceffionibus cū aliis Religiofis tā mendicantibus, quā non mendicantibus, præfertim attenta hac Conftit. Clē. VIII.

106. Refpond. quod, cum Ordo Cleric. habeat ius præcedentiæ fup. quēcumque Ordinē tam Monachalem, quam mendicantem (vt videre eft ex bulla Pij IV. fuperiùs allegata poffet, quis non improbabiliter hinc inferre Clericos Regulares, in cafu, quo conuenirent ad proceffiones cum monachis, & Fratribus Ordinum Mendicantium debere præcedere omnes illos immediatè incedendo ante Canonicos Regulares: qui cum fint ipfi etiam Clerici, & & fimul Canonici, debent vtique præcedere quófcumque Clericos Regulares non Canonicos, vtpote ipfis fuperiores ratione gradus, quo funt infigniti, nec obftat, quod Clem. VIII. ftatuit Fratribus S. Dominici in proceffionibus deberi locum honorabiliorem poft Canonicos, & Clericos fæculares, & antiquos Ordines Monachales: nam fub his verbis non comprehendit Clericos Regulares, ficut nec Canonicos Regulares S. Auguft. (quos tamen conftat habere in proceffionibus ius præcedentiæ fup. Fratres S. Dominici; (ficque ibi loquitur Clemens de Fratribus S.Dominici folùm comparatiuè ad Ordines Monachales minùs antiquos, & Fratres Ordinum Mendicantium (de quibos fubeffe poterat iufta ratio dubitandi, quinam illorum in proceffionibus deberent præcedere, & qui fubfequi) non autem ad Ordines clericales, de quibus certum eft iis deberi ratione gradus clericalis ius præcedentiæ etiam quoad dictos Fratres S. Dominici. ita ducti viri à me confulti quamuis talis controuerfiæ decifio dici poffit potiùs fpectare ad Sedem Apoftolicam, ideóque ab illa effe expectanda.

107. Cæterùm de facto in proceffionibus hîc ordo præcedentiæ feruatur, vt poft Canonic. & clericos fæculares primi incedant Canonici Regular. S. Auguft. tum Monachi S. Benedicti Caffinenfes, tum alij Monachi antiquiores, tum Fratres S. Dominici, tum Fratres Minores, tum Auguftiniani, tum Carmelitæ, tum alij Ordines Mendicantes iuxta ipforum antiquitatem, ac confuetudinem, quæ in hoc omninò feruari debet maximè attenta Conftit. Gregor. XIII. hac de re edita, & à nobis fuperiùs relata: quæ non fuit abrogata à Clem. VIII. per bullam hîc allegatam, nifi præcisè quoad Fratres S. Dominici; qua de re Rodriquez *tom. 3. quæft. 37. art. 1.*

Vtrum verò ius præcedentiæ defumi debeat, quoad congreffus literarios ex antiquitate originis, aut dignitate ftatus præftantioris, aut aliunde.

108. Refpond. iuxta praxim modò vfitatam defumi ex antiquitate Religionis, non quidem, quoad fuam originem, fed quoad interueniendum congreffibus literariis; ita vt in his præcedant Religiofi illorum Ordinum, qui priùs cœperunt interuenire dictis congreffibus: quidquid fit de antiquitate illorum, quoad originem, feu inftitutionem; quamquam (quod fpectat ad Fratres S. Dominici) Clemens VIII. in citata fua conftitut. 13. ftatuerit in omnibus actibus tam publicis, quam priuatis, ipfis deberi primum, digniorem, & honorabiliorem locum poft Canonicos, & Clericos fæculares, & antiquos Ordines Monachales: quod tamen non habet locum in confeffibus literariis, in quibus de facto Fratres Dominicani præcedunt quófque Regulares tam Mendicantes, quam non mendicantes, etiam monachos, etiam Clericos Regulares, etiam ipfos Canonicos Regulares, & quidem etiam Romæ.

QVÆRAS III. An præcedentiæ admitti poffint vt licitæ Religionibus.

Refpond. poffe; & colligitur, tum quia Religiones dicuntur Ordines regulares, eo quod in illis omnia procedere debeant ordinatim; tum quia ius præcedentiæ in ipfo iure canónico videtur approbari, dum in tempore decreti talium apponitur titolus, *ne clerici, vel Monachi*, appofitis priori loco Clericis fæcularibus, & pofteriori monachis: tum quia hoc idem ius præcedentiæ videmus quamperfectiffimè obferuari in ipfa totius Orbis gubernatione, quæ fic fe habet, vt Deus dominetur Angelis, Angeli hominibus, homines animalibus, anima corpori, cœlum terræ. 109.

QVÆRES IV. An Religiofi poffint, & debeant cedere iuri præcedentiæ, quod habeant fuprà alios Religiofos fiue eiufdem, fiue alterius Ordinis. 110.

Refpond. regulariter non poffe, nec debere; cum nemo poffint cedere proprio iuri, quotiefcumque ceffio infert præiudicium tertio; quod omninò eueniret in cafu noftro, fi Religiofi effent remiffiores incedendo iure præcedentiæ: præfertim cum tale ius non tam fit ipforum, quam totius Religionis, idcóque procedere poffit regula, quod nemo poteft cedere iuri alterius. Quamquam in hac re cauendum eft, ne Religiofi ex nimio ftudio feruandæ præcedentiæ non modicum illi præclaræ, Deóque præcipuè dilectæ virtuti, quæ eft humilitas, labem infundant (vt loquitot Pius IV. in illa fua Conft. 75. io ordine) populoque fcandalum generent.

QVÆRAS V. Ad quem fpectet componere controuerfias, quæ fortè occurrant inter Regulares quoad ius præcedētiæ in proceffionibus publicis, aut iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorū corporibus.

Refpond. fpectare ad Ordinarium loci, & quidem ita vt controuerfiam fubortam componat breui manu, nempe fummariè, de plano, fine ftrepitu, ac figura iudicij; pro vt decifum fuiffe referunt non pauci DD. apud Barbofam *lib. 1. iur. vniu. Eccl. cap. 45. num. 177.* docentes in materia præcedentiæ ius deferre confuetudini, adeóque de ea iudicandum effe iuxta loci confuetudinem, etiamfi confuetudo iuri repugnet, habetur autem refponfio ex prefsè in Concil. Triden. *feff. 25. de regul. cap. 13.* vbi additur Ordinariū debere modo dicto componere præfatas controuerfias, amota omni appellatione; quod tamen notat Barbofa *num. 180.* ex Rota, & declaratione facræ Congregationis debere intelligi folùm quoad effectum fufpenfiuum, non autem de appellatione deuolutiua; qua de re Rodriq. *fupr. art. 5.* vbi notat, quod, fi contingat enatam controuerfiam nō poffe adeo breui decidi, eo quod nō poffint ita facilè conftare de iure partium, altera illarum pro fe allegante priuilegium, aut confuetudinem; tunc debet illam præferre, quæ de iure communi præferenda eft, proteftando tamen, fi velit, fe non intendere præiudicare iuri alterius partis. 111.

QVÆRAS VI. An cafu, quo in eodem loco fint plura monafteria eiufdem Ordinis conftructa diuerfis temporibus, ius præcedentiæ competat non folùm monafterio ibi fundato ante monafteria aliorum Ordinum, fed etiam cuilibet alij eiufdem Ordinis pofteriùs fundato: idque inhærendo bullæ Gregorij XIII. fuperiùs adductæ.

Refpond. competere non folùm monafterio priùs fundato, fed etiam cuicumque alij pofteriùs ibi conftructos, idque ex declaratione facræ Congregat. 112.

rituum telata à Barbosa *supr. n.* 192. quæ licèt in specie facta sit, quoad Fratres Minores de Obseruantia, cum tamen sit fauorabilis aliis Ordinibus, poterit etiam illis suffragari per viam communicationis priuilegiorum; quæ declaratio, inquit Barbosa, procedit etiam in casu, quo præcedentia competat ex quasi possessione, ac iure præcedendi in terminis dictæ Constitutionis Gregorij XIII. & quando Religiosi concurrunt ad processiones tam publicas, quam priuatas omnes eiusdem Ordinis Fratres vnitè, & non diuisim.

213. Addit Barbosa *de offic. Ep. alleg.* 75. *n.* 33. aliis citatis quod, quando in adducta Constitut. Gregor. XIII. definitur inter Fratres Mendicantes illos debere præcedere, qui priores sunt in loco; id procedit etiam de prioritate vnius diei, aut horæ: siquidem prioritas, seu præuentio causatur non solùm per vnum diem anterioritatis (vt notat Gloss. *c. si eo tempore de elect. in* 6. *v. iam*,) sed etiam ratione vnius horæ, imò & vnius puncti, aut momenti.

QVÆRES VII. Qualiter debeat attendi præcedentia in Capitulis tam generalibus, quam prouincialibus, num ex antiquitate Prouinciarum, aut Conuentuum, an aliunde.

214. Respond. debere attendi ex antiquitate Prouinciarum, quidem in Capitulis generalibus, Conuentuum verò in Capitulis prouincialibus, non autem ex professione Religiosorum vocalium. Ita Bordon. *de profess. c.* 5. *q.* 66. ex Nauar. *consil.* 5. *de statu Monach. n.* 7. & probabiliter; nisi ex peculiari statuto aut consuetudine Religionum aliter faciendum sit.

QVÆRES VIII. An Prouincialis in aliena Prouincia, & Prior localis in alieno Conuentu habeat ius præcedentiæ.

215. Respond. Videri probabile, quod habeat, sicque æquum esse, vt præcedat immediatum Prælatum dicti Conuentus: idque ob dicenda *tract.* 9. *cap.* 2. *sect.* 3. *subs.* 2. *quæst.* 12. §. *quod si*; dissentit Bordonus *supra quæst.* 65. monens, quod si contingeret duos Priores eiusdem Ordinis incedere processionaliter sub eadem Cruce; deberent ambo simul pergere, præcedente eo, cuius Crux antefertur (Crux enim Conuentus antiquioris regulariter solet eleuari.) Verumtamen est, quod si quæ consuetudo extat in contrarium, quoad hoc, ea seruari debet; cum quilibet cedere potest iuri suo, iusta occurrente causa.

QVÆRES IX. An habeat Ius præcedentiæ in capitulo Prior monasterij magisterio insignitus supra illum, qui est simplex Prior.

216. Respond. habere; & probatur, tum quia dignitas addita dignitati confert ius maius præcedendi: tum, quia Doctor diuersarum facultatum præcedit eum, qui solùm est Doctor vnius, pro vt de communi aduertit *Panorm.* relatus à Nauar. *consil.* 1 *de maior. n.* 7.

QVÆRES X. An Religiosus Doctor in Theologia possit præcedere Religiosum Doctorem Iuris tantum canonici.

217. Resp. Præcedere; cum prima sedes debeatur Theologo: quippe qui versatur circa obiectum nobilius, & longe præstantius (nempe erga Deum) quam Canonista. Ita Graff. *p.* 2. *decis. l.* 3. *c.* 14. *n.* 2. ex Panorm. & cum illis Bordon. *sup. q.* 60. addens *q.* 59. Doctorem in Theologia, & Iure canonico debere præcedere illum, qui est solùm Doctor in altero gradu; idque ob rationes q. 9. adductas.

Addit Bordonus *tom.* 2. *resol.* 56. *num.* 18. Doctorem, qui simul est Lector, habere præcedentiam super alios Doctores, etiam anteriores, qui non sunt Lectores: nam, *l. nemo, C. de off. mag. c.* 5. *offic.* 2. *dist.* 59. *cap. miramur* 4. *dist.* 61. dicitur eos gradu alios præcedere, quos stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit anteire; dicente Paulo 1. Timoth. 5. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.*

Idque putat Bordonus *n.* 19. procedere, etsi lectura pro aliquo tempore intermittatur (v. g. ex bello, vel peste, quæ dicitur bellum inter Deum, & homines ex Bartolo *in l. naturaliter, ff. de vsucap. n.* 23. probatur, tum quia Lector, cuiuscumque facultatis dicitur habere officium Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 7. *n.* 129. officia autem ex sui conditione, & natura sunt perpetua Rota *vol.* 4. *decis.* 334 *n.* 1. cum ergo munus legendi sit perpetuum, tale debet esse & ius præcedendi; cum effectus debeat assimilari suæ causæ, per quam cognoscitur, *l. verum* 2. *ff de furt.* vnde ait Tuscus *lit. E. conclus.* 49. effectum demonstrari, & regulari à sua causa: tum, quia in Constitut. Collegij Thelogorum Parmensis *c.* 5. *n.* 9. statutum est quempiam ex Patribus Soc. Iesu primariis Lectoribus Scholasticæ Theologiæ, si post aliquam interruptionem Collegij rursus fieri membrum contingat, eumdem in Collegio obtinere locum, quem antea habebat: ergo idem in hoc casu dicendum est; cum vtrobique sit par ratio, idem ius extendatur ex vulgatis iuribus, & valeat argumentum ab exemplis deductum, Glossa *v. si enim c.* 1. *d. st.* 1. *de consecr.* & exempla non excludant similia, *l.* 1. §. *quod dicitur, ff. de vi & vi arm.*

Virum autem Regularis transiens à præbenda Theologali ad Pœnitentialem retineat eumdem locum in Choro, & Capitulo.

Respond. Nald. *in annotat. pract. folio mihi* 38. & probat, tum, quia qui promouetur, de minori ad maiorem locum promoueri consueuit, *cap. legimus dist.* 93. mutationes enim & translationes fiunt ad maiorem locum ex Concilio Trident. *sess.* 4. *cap.* 1. *de reformat. matrim.* sicque *cap.* 1. *de translat. Episc.* conqueritur Papa de quodam Patriarcha, quod Archiepiscopum episcopare, imò potius dearchiepiscopare præsumpsisset; oppositum autem in isto casu eueniret, si Regularis non posset retinere pristinum suum locum: tum, quia priuilegium priuilegio non aufertur; & Notarius creatus Doctor non amittit priuilegia Notariorum, teste Iasone *in l. si Rufinus, num.* 4. *C. de testamen. milit.* ergo & in nostro casu dicendum est Regularem non amittere pristinum suum locum: tum, quia propriè iuxta Doctores in *cap. fin. de consuetud. in* 6. non videtur fieri mutatio, quando is, qui est de collatione, aut corpore, in eodem permanens mutat præbendam, aut domum: quo modo iidem Doctores dicunt Canonicum, aut Parochum, si semel facta fidei professione, dimissa priori Ecclesia, transeat ad aliam in aliena diœcesi, oppido, aut loco debere iterum professionem facere; non item, si in eadem diœcesi: hæc enim nequit propriè dici mutatio, & nouitas quoad fieri potest, vitari debet *cap. placuit dist.* 74. tum, quia *l. municeps, ff. ad municipalem*, ille desinit esse municeps, qui Senatoriam adeptus est dignitatem; ibique subditur, hoc autem procedit, quoad munera, sed quantum ad honorem pertinere creditur, originem retinet: similis autem est casus, de quo hic agitur.

QVÆRES XI. An Religiosus doctoratus laurea insignitus habeat ius præcedendi supra omnes Sacerdotes simplices.

Respond. habere; & probatur, tum quia vbi est maior dignitas, prioritas temporis non attenditur, 218.
cap. statuimus, de maior. tum, quia maioris dignitatis existens præfertur aliis iuxta Glossam *v. & vilieres, cap.* 15. *de rescript.* tum quia magister dicitur, quasi maior in statione ex Glossa *in cap.* 2. *Clem. de magist.*

verb.

v. doctoratus; tum, quia Sacerdos simplex vnicam habet rationem præcedendi, nempe titulum professionis; Religiosus autem doctoratus, & habet hunc, & simul laoream doctrinæ, sicque habet ius maius præcedendi, cum ratio duplex vnam vincat *leg. nam & si parentibus, ff. de inoffic. testam. iuncta* Glossa *v. ordo*, tum, quia, teste Portello *part. 2. resp. mor. casu* 31. *num.* 18. S. Franciscus in suo testamento iussit, vt Theologis honor, & veneratio exhibeatur, eo quod nobis ministrent spiritum, & vitam.

QVÆRES XII. An retineat eumdem locum præcedentiæ Religiosus, qui, facta professione in posteriori Religione, ad quam legitimè transierat, reuertitur ad priorem Ordinem.

219. Respond. non retinere: & colligitur *ex cap. mandamus* 19. *quæst.* 3. iuncta *cap.* 12. *de ætate*, &c. vbi deciditur Canonicum Regularem factum Monachum, & reuersum manere vltimum in choro, & cucullam deferre in memoriam suæ instabilitatis: cum tamen sit eadem ratio etiam de religiosis aliorum Ordinum, ideoque procedat regula iuris: *Vbi militat eadem ratio*; præter quam quod religiosus transiens ad aliam religionem, hoc ipso, quod profitetur in Ordine posteriori, amittit ius, quod habebat in priori; sicque non apparet, quo modo dicatur illud recuperare per regressum, cum professio antea facta in priori Ord. sit omninò extincta.

QVÆRES XIII. An Religiosus transiens legitimè ad aliam Religionem ibi habeat locum iuxta suam priorem professionem, vel certè iuxta professionem factam in Ordine posteriori, ad quem transit.

220. Respond. habere iuxta professionem posteriorem; cum per hanc acquisiuerit ius præcedendi in altera Religione, quo antea carebat. sic Nauar. *lib.* 3. *consil. de regul. cons.* 60. Graff. *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 103.

QVÆRES XIV. An Religiosus expulsus à propria Religione, si posteà iterum admittatur, gaudeat priori loco præcedentiæ.

221. Respond. gaudere; & inde patet, quod Religiosus iure expulsus manet verè Religiosus, ideoqoe retinet ius saltem remotum, & in habitu ad suum locum; quamuis aliàs ipsi regredienti non statim debeat restitui talis locus, sed in pœnam detineri in loco humiliori, vt sic meliùs confundatur ab iniquitatibus suis. ita Sanch. *lib.* 6. *mor. cap.* 9. *num.* 33. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 29. Bonac. *quæst.* 2. *de claus. p.* 12. §. 2. *n.* 2.

Addit Nauarrus *comment.* 4. *de Regul. num.* 72. *animad* 3. & cum eo Bordonus *tom.* 1. *resol.* 56. *num.* 22. Religiosum damnatum ad triremes reuersum ad Religionem non amittere ius præcedentiæ ex professione ipsi competens: & probatur, quia hoc ius fundatur in professione, professio autem non amittitur per damnationem ad triremes, sicque manet fundamentum dicti iuris.

QVÆRES XV. Qui locus præcedentiæ debeatur Religioso promoto ad Episcopatum, si abdicato Episcopatu, iterum redeat ad Religionem.

222. Respond. deberi primum locum immediatè post Prælatum monasterij: & hoc, siue eodem tempore adsit in monasterio alius Prælatus superior (v.g. Prouincialis) siue non: semper enim Prælato immediato monasterij debebitur locus præcedentiæ. Colligitur ex Peyrino *tom.* 3. *priuil. cap.* 2. *num.* 34. qui pro se adducit Ioannem Andream, & Petrum de Baysio; constatque ex reuerentia debita dignitati Episcopali, quæ quoad characterem manet, etiam abdicato Episcopatu, quoad iurisdictionem, aut titulum: idque iuxta *leg. fin. ff. de decur. leg. seruos C. de quæstionibus.*

Monet autem Cespedes *d.* 390. *de exempt.* Abbatem regularem, qui abbatiam sæcularem dimittit, subdi non Episcopo (vt putant Ioannes Andreas *in cap. cum ad monasterium, de statu Monach.* & Io. de Lignano *in Clem. cap. ne in agro*) sed Prælato sui Ordinis; probatque tum authoritate Panormitani, Hostiens. Felini, Brixiensis: Grassij, & Pasqualigi; tum quia talis Abbas non eximitur à iurisdictione Ordinis, nisi intuitu administrationis Abbatiæ, non autem desinit esse Religiosus, sicque nec plenè extrahitur à iure Monasterij.

QVÆRES XVI. An Religiosus, qui professionem ex defectu occulto nullam, posteà ratificat, retineat ius præcedentiæ acquisitum ex dicta professione nulla, vel certè illud amittat.

Respond. non amittere, sed retinere, imò & illud magis confirmare; patetque tum quia ratihabitio reretrotrahitur ad tempus actus gesti, *leg. licet ff. de iud.* tum quia etiam contractus factus à minori absque decreto iudicis nullus est, & tamen, si contrahens factus maior illum posteà intra quadriennium ratum habeat, fit validus, etiam respectu temporis præteriti, ac si ab initio fuisset validus (idque *ex leg. fin. C. si maior factus*, &c.:) est autem par ratio in præsenti casu, cum professio sit quidam contractus, & alias procedat argumentum à filio minori ad filium Religionis: nam quia Vrbanus VIII. in suo breui edito 2. April. 1631. id expresè statuit, quoad illos, qui professionem nullam ex defectu nouitiatus non premissi in loco deputato iuxta decreta Clementis VIII. de nouo faciunt & ratificant; illos scilicet habere eumdem locum, sessionem, ac votum, æquè ac si prior professio valida extitisset. ita Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 17. *art.* 3. Sanch. *lib.* 7. *de matr. D.* 37. *num.* 68. Nau. *cons.* 46. *de regul.* Suar. *tom.* 3. *de relig. l.* 7. *cap.* 1. *num.* 34. & alij: qui tamen omnes loquuntur de eo, qui ratificat professionem, quam primò bona fide emisit putans esse validam: hinc inferentes, quod, si quis dictam professionem emisisset malitiosè, videlicet ad locum alteri subtrahendum, is non gauderet iure præcedentiæ respectu illius tertij: cum fraus, & dolus nemini debeant patrocinari. 223.

QVÆRES XVII. Vtri debeatur locus præcedentiæ in casu, quo duo Nouitij eodem die admissi ad habitum probationis postea etiam eodem die profiteantur, ita tamen vt, qui prius fuerat admissus ad habitum, postea recipiatur posteriùs ad professionem.

Respond. locum præcedentiæ deberi illi, qui priùs fuit admissus ad habitum probationis; idque siue constet de dolo (cum ex sua iniquitate nemo debeat commodum reportare *cap. intelleximus de iudicijs*) siue non constet de dolo: siquidem adhuc præsumitur, cum Superior regulariter teneatur recipere priùs ad professionem, qui priùs fuit receptus ad habitum iuxta regulam iuris, quod *prior tempore est potior iure*; & alioqui nulla subesset ratio illum postponendi, vt suppono. Ita in terminis Bordonus *supr. quæst.* 51. mouens, quod sacra Congregatio, teste Nald. *v. professio num.* 11. censuit præcedentiam in Religionibus attendi solùm respectu professionis, non autem admissionis ad habitum, debere intelligi, seclusa fraude, & dato quod priùs receptus ad habitum probationis careat debita ætate ad profitendum. 224.

QVÆRES XVIII. Cui profitentium debeatur locus præcedentiæ in casu proposito, si vterque dictorum Nouitiorum professionem faciat eodem temporis puncto, in diuerso tamen loco.

Respond. locum deberi illi, qui priùs fuit admissus ad habitum probationis: idque ob dicta *quæst. præcedenti*; quod si ambo eodem temporis puncto, sed in 225.

diuersis locis fuerunt recepti ad habitum probationis, & postea eodem etiam temporis puncto recipiantur ad professionem modo dicto; tunc per Superiorem ius præcedentiæ debet determinari ei, qui fuerit, siue maior ætate, siue doctior, siue religiosioris vitæ iuxta *cap. placuit el.* 1. *d.* 18. ita Peyrin. *tom.* 3. *priuil. cap.* 2. *num.* 33. addens, quod si in hoc postremo casu res adhuc sit dubia, tunc poterit Superior statuere de hac re, pro vt ipsi iudicio prudentis viri magis expediens videbitur.

Addo Canonicos Regulares S. Saluatoris posterius facientes professionem præcedere eos, qui priùs professionem emiserunt, si illi priùs ad habitum religiosum sunt recepti; quod est sumere ius præcedentiæ à tempore susceptionis habitus, non autem à tempore professionis.

QVÆRES XIX. An Religiosus ex dispensatione Papæ ante legitimam ætatem ordinatus in Presbyterum gaudeat loco præcedentiæ inter Presbiteros iuxta professionem, vel certè debeat expectare tempus legitimæ ætatis.

226. Respond. non gaudere loco præcedentiæ; & probatur quod à diuersis non fit illatio; sicque hoc ipso quod Religiosus est dispensatus super ætate, quoad Ordinem Presbyteratus, non censetur eo ipso dispensatus, quoad ius præcedentiæ, & similia, quæ certam aliquam conditionem requirunt. ita Bord. *quæst.* 57. cuius assertio magis confirmatur ex eo quod in isto casu præcedentia debetur professioni, non autem Ordini Sacerdotij: sicque mirum non est, quod antiquior in professione præcedat antiquiorem in Ordine Sacerdotij: quod non eueniret, si præcedentia deberetur ratione Ordinis, non autem ratione professionis.

Vnde inferri potest, quod si Religiosus ex indulto Pij V. iuxta dicta in nostro *tract. de Monial. cap.* 9. *quæst.* 11. profiteantur in articulo mortis; & postea superuiuat, præcedet in sessione, & capitulo eos, qui ante ipsum admissi fuerant ad nouitiatum, sed post ipsum faciunt professionem; si quidem ius præcedentiæ consequitur ad professionem, ideoque hoc ipso quod quis prius quam alter profitetur, acquirit dictum ius supra illum; quare dans facultatem anticipandi professionem, dat consequenter ius ad præcedentiam, vt pote accessorium professioni iuxta regulam iuris *Accessorium sequitur principale*: quamuis aliqui id negent in præsenti casu.

An autem in casu, quo Religiosus admissus ad professionem laicorum, quos vocant Conuersos promoueatur ad statum Clericorum, habeat ius præcedendi iuxta anterioritatẽ suæ professionis, vel solùm à tempore, quo admittitur ad statum Clericalem.

Respond. non habere, nisi à tempore, quo admittitur ad statum Clericalem: & ratio est, quod per professionem talis Religiosus acquisiuit ius præcedentiæ, non absolutum, sed modificatum, nimirum in ordine ad Religiosos laicos: siquidem nullus Religiosus Conuersus, data quacumque antiquitate professionis, nunquam præcedet professum Clericum, etiam vnius diei. ita Bordonus in terminis *quæst.* 55. aliique docti recentiores à me consulti.

QVÆRES XX. An Nouitij Clerici habeant ius præcedendi laicos professos.

227. Respond. habere; & probatur, tum quia quæ faciunt vnum corpus, non debent diuerso iure censeri *cap.* 3. *de constit.*: at Nouitij Clerici, & professi faciunt vnum corpus; ergo censeri non debent diuerso iure præcedentiæ; tum quia priùs nominatus debet præferri, *leg. quoties, ff. de vsufr. accresc.* Nouitiis autem prius nominantur, quam Conuersi; vt constat ex decreto Clementis VIII. quoad numerum Religiosorum in vnoquoque Conuentu præscribendum edito; tum quia ius professionis, quoad hoc, Religiosis laicis non suffragatur; cum per eam solùm acquirant ius præcedendi in ordine ad alios Religiosos laicos, sicut iam dictum est. ita Bordon. *supr. quæst.* 56. & satis probabiliter.

QVÆRES XXI. An Abbates regulares habeant ius præcedentiæ supra Generales Religionum.

Respond. non habere; & probatur, tum quia maior administratione, potestate, ac iurisdictione debet præcedere minorem *ex cap. ad hæc de offic. Archidiac.* Generales autem Religionum respectu Abbatum sunt tales, vt patet: tum quia dignior debet præcedere minùs dignum *cap. Episcopus* 2. *dist.* 96. tales autem sunt Generales Religionum comparatione Abbatũ; cum illi præsint pluribus, & grauioribus negotiis quàm hi; & præsidens pluribus, ac grauioribus negotiis sit dignior *cap. per singulas* 2. *caus.* 9. *quæst.* 3. ita Pasqualigus *decis.* 50. citans alios pro se contra Tamburinum *de iure* Abbat. *D.* 24. *quæst.* 3. *num.* 2. Mantiquez, & Iacobatium relatos ab ipso Tamburino oppositum sustinentes: etsi dici possit eos loqui iuxta antiquam consuetudinem, vt notat idem Pasqualigus. 228.

SVBSECTIO III.

De Iure habilitatis competente Regularibus, quoad Prælationes, Dignitates, & Officia extra Ordinem, nec non quoad Beneficia Ecclesiastica, tam sæcularia, quàm regularia.

229 *Regulares sunt capaces Episcopalis dignitatis, & non alterius.*

230 *Renunciant Episcopatui de licentia Papæ: & quidem loco, & dignitate simul, vel solùm loco: facta ea renuntiatione, illicitus est vsus insignium Episcopalium; &, si ea fiat, quoad dignitatem simul & locum, Regularis Episcopus tenetur redire ad Ordinem, & tenetur ad regularem obseruantiam (secùs, si renuncietur Episcopatus solùm, quoad locum, de licentia tamen Papæ) qui autem sic redijt, iterum potest assumi ad Episcopatum: sicut & Episcopus titularis potest prouideri de Episcopatu habente populum.*

231 *Regulares item sunt capaces cuiuscumque beneficij regularis proprij Ordinis.*

232 *Non item beneficij regularis alterius Ordinis: nisi vrgeat necessitas; etsi deficiente Clerico idoneo præbendæ Theologali, collatio eius suspendi debeat, interim supplente Regulari, qui ex præbenda fructibus alatur residuo eorum conuerso in vsum Conuentus.*

233 *Differunt inter se beneficium sæculare, & beneficium regulare.*

234 *Religiosi Ordinum Militarium sunt capaces cuiusuis beneficij, etiam sæcularis.*

235 *Regulares præfici possunt Ecclesiæ collegiali sæculari.*

236 *Olim erant capaces beneficij curati, non item in præsentia.*

237 *Translati ad alium Ordinem sunt incapaces cuiuslibet beneficij.*

238 *Regulares sine licentia sui Prælati non admittunt validè prælaturas, aut parochias.*

239 *Et hæc licentia danda à Prælato locali post electionem, collationem, &c.*

240 *Idque attento Iure communi Religionum, non autem peculiari.*

241 *Hæc licentia nequit denegari.*

242 *Regulares possunt eligi ad beneficia sæcularia, sed iuxta iura ad hoc edita.*

243 Cap. quorumdam de elect. *quoad Religiosos non Mendicantes extenditur solùm ad prælaturas extra Ordinem.*

244 *Non extenditur ad beneficium curatum carens iurisdictione.*

245 *Extenditur ad electiones factas post priorem electionem.*

246 *Regulares esse possunt Coadiutores Episcoporum, & Parochorum.*

247 *Item possunt esse Vicarij Episcoporum.*

248 *Sed de licentia proprij Prælati.*

249 *Esse possunt Delegati Papæ, ac Legatorum de latere, sed non omnes.*

250 *Possunt eligi in Conuersatores.*

251 *Possunt esse Examinatores synodales.*

252 *Et, si sint, in aliquo casu possunt examinandis præiudicare dubia proponenda.*

253 *Concursus Examinatoris non synodalis cum tribus Synodalibus non vitiat examen.*

254 *Secus si examini non intersint saltem tres Sinonodales.*

255 *Regulares sine dispensatione nequeunt esse Prælati alterius Ordinis.*

256 *Item esse non possunt Visitatores alterius Religionis sine dispensatione.*

257 *Item nec Lectores in Conuentu alterius Ordinis.*

258 *Eligi possunt in Confessarios Monialium.*

259 *Creari possunt Notarij intra Ordinem.*

260 *Et tunc iis dandum Iuramentum.*

261 *Priuari possunt beneficiis iam obtentis.*

262 *Creati Episcopi eximuntur à regulari disciplina, & à Votis specialibus Ordinis.*

263 *Secus, si fiant Parochi loquendo de præfatis Votis.*

264 *Votum etiam non ambiendi extra Ordinem cessat in Regulari Episcopo, non obstante decreto Vrbani VIII. hac de re edito: quod Religiosum non facit incapacem dignitatis sæcularis.*

QVÆRES I. An Regulares etiam post professionem religiosam simpliciter maneant capaces prælationum, ac dignitatum, ideoque possint ad eas promoueri absque speciali dispensatione, & in specie ad Episcopatum.

229. Respond non manere, si excipiatur dignitas Episcopalis, quæ ob magnam sui status perfectionem non cõprehenditur sub generali prohibitione, ne Regularibus conferantur prælaturæ sæcalares: sicut nec sub ea secundùm aliquos DD. comprehenduntur prælaturæ aliæ inferiores Ecclesiarum sæcularium; quippe in quibus extat ratio gubernationis animarum, quæ reperitur in Episcopatu. ita Sanch. *l. 7. mor. cap. 29. num. 33.* aliique penes ipsum contra alios à præfata prohitione excipientes solùm Episcopatum, quorum opinionem dicit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 19. num. 27.* esse magis vsu receptam. patet autem responsio ex Clem. 1. *de elect.* vbi dicitur *Per hoc autem quin Religiosus in Episcopum sæcularis, vel cuiuslibet regularis Ecclesiæ licite possit eligi, non intendimus prohibere*; præter quam quod beneficia sæcularia debent conferri iis, quibus de iure, aut consuetudine conferri debẽt, nempe sæcularibus. Quamquàm, quod diximus Religiosos posse absque dispensatione Papæ promoueri ad Ecclesias Cathedralibus inferiores, non procedat de Religiosis Ordinum Mendicantium: cum id ipsis expresse prohibeatur in *Extrauag. dispendiis de postulat Prælat.* sicut aduertit Sanchez *supra.*

Ex hoc autem quod Regulares possunt assumi ad Episcopatum, placet hîc aliqua notare de Religiosis Episcopis quæ frequentiùs controuerti solent de iis, & alioqui sunt difficilioris solutionis; quare.

230. Noto 1. Religiosos Episcopos non posse renunciare Episcopatum, nisi de licentia Papæ *ex cap. ad supplicationem de renunc.* idque vrgente aliqua ex caussis coosideratis *in cap. post translationem eod. tit.* vt notauit Riciullus *lib. 2. lucubrat. eccles. cap. 3. num* 7. addens, vbi admittitur talis renunciatio, iniungi solere renuncianti, vt post habitus depositiooem Crucem auream collo appensam deferat in pristinæ dignitatis memoriam, quo modo, vbi Ecclesia prophanatur, ibi Crux infixa relinquitur.

Noto 2. Religiosum Episcopum posse in tali renunciatione cedere vel loco, & dignitati simul, vel solùm loco; &, si cedat priori modo, non mereri ampliùs nomen Episcopi *ex cap. post translationem §. cum ergò de renunciat. & cap. 1. de ordinatis ab Episcopo qui renunciauit Episcopatui*: quippe qui retinet quidem characterem, sed impeditum quoad executionem, præter quam respectu Ordinum minorum, quos adhuc potest cõferre iuxta *c. requisiuit de renunc.*

Noto 3. talem Episcopum facta ea cessione non posse amplius vti insignibus Episcopalibus *cap. post translationem, de renunc.* nec posse amplius reuerti ad dignitatem Episcopalem *d. cap. post. translationem, cap. temporis, & c. hoc nequaquam 7. quæst. 1.* imò nec posse, si redeat ad Religionem, assumi ad aliquam dignitatem ipsius Religionis ex Pauli IV. Constitutione, quæ est 10. io ordine.

Noto 4. Religiosos Episcopos, si cedant loco, & dignitati, omninò teneri redire ad Religionem, ac viuere sub obedientia, & regulari obseruantia *cap. temporis §. fin. & cap. hoc nequaquam 7. quæst.* 1. cum enim sic maneant dignitate Episcopali omninò denudati cessant omnia priuilegia vi dignitatis competentia *d. cap. post translationem, & cap. 1. de ordin. ab Episcopo qui renunciauit Episcopatum*, Syluester *v. religio 4. fine* adeoque censentur restitui pristino suo statui *l. cum loca ff. de religios. & sumpt. funer.* Quod si cedant solùm loco, retinentes dignitatem, probabilius est illos non teneri redire ad Religionem: quod docent Rodriq *tom. 3. quæst. 52. art. 26.* Sanch. *lib. 6. mor. cap. 6. num. 29.* Henriq. *lib. 10. cap. 32. num. 4.* Federicus *de senis, cons.* 38. *num.* 2. aliique citati à Riciullo *cap. 12. num. 2.* contra Azorium *part. 1. lib. 2. cap. 7.* Maiolum *de irregularit. cap. 6. num. 7.* Aragonam 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. aliosque probant tum quia dignitas Episcopalis statim ac attingitur, liberat à potestate eius, cui ante Episcopatum suberat, Authent. *sed Episcopalis, C. de Episcop. & cler. §. filius fam.* & alioqui per renunciationem loci tantùm non cessat *cap. 1. de ordin. ab Episcopo qui renunciauit Episcopatui, & cap. post translationem de renunc.* præterquàm quod talis reditus fieri neqoit sine consenso, Papæ, *cap. temporis, §. fin. 7. q. 1.* & *Constitut. Pauli IV. in ordine* 21. sicque absurdum est dicere Episcopum in tali casu teneri redire; cum nec possit redire sine Papæ consensu.

Noto 5. Religiosum Episcopum, si in casu proposito redeat ad Ordinem post renunciationem Episcopatus, quoad locum, ac dignitatem simul (in quo casu solùm concedi solet reditus ad Religionem, ne alioqui contingat Episcopalem dignitatem Prælatis inferioribus subiici *cap. hoc nequaquàm 7. q. 1.*) teneri ad Obedientiam, ac Regulæ obseruantiam; idque ob dicta §. *præcedenti.* intellige, dummodo in facultate Papæ specialiter exprimatur, quod Religiosus rediens subiiciatur Regulæ, aut Obedientiæ; aut certè is nouo voto se obliget ad Regularum obseruan-

obseruantiam, ac obedientiam; vt benè aduertit Sanchez *supr. num.* 31.

Noto 6. quod diximus Religiosum Episcopum non posse etiam post Episcopatus renunciationem redire ad Religionem, sine Papæ consensu, procedere etiam cùm renunciatur, tum dignitas, tum locus; cum bulla Pauli IV. *&* *cap. temporis, 7. quæst.* 1. *cap. nisi cum pridem fine, de renunc. & cap. licet, § talis, & § si verò, de regular.* loquantur de dicto consensu generaliter; & ita generaliter loquens generaliter intelligi debeat.

Noto 7. Religiosum Episcopum, qui abdicato Episcopatu, redit ad Ordinem, posse iterum assumi ad dignitatem Episcopalem; modò non sit facta abdicatio ob delictum commissum: idque ex *cap. post translationem, de renunc.* vt aduertit Ricciul. *cap.* 13. *num.* 5.

Noto 8. Religiosum factum Episcopum titularem posse prouideri postea de Episcopatu populum habente: idque ex *cap. pastoralis, 7. quæst.* 1. vt aduertit Ricciull. *cap.* 8. *num.* 1. *&* 2.

QVÆRES II. An, & qualia beneficia Ecclesiastica conferri possint Regularibus absque speciali dispensatione.

231. Respond. posse conferri ea, quæ sunt regularia, & proprij Ordinis; siue sint simplicia (vt Prioratus simplex, Canonicatus regularis, & Monachatus:) siue duplicia (vt Abbatia, Parochia, &c.) non item quæ sunt beneficia sæcularia, vel, si sunt regularia, sunt alterius Ordinis; idque quantumuis sint parochialia (stando in iure nouo.) Probatur autem responsio, quoad priorem partem, (quæ est de beneficiis regularibus, & teste Suarez *supr. num.* 4. sustinetur communiter à Doctoribus,) tum ex *cap. cum singula, § prohibemus, de praeben. in* 6. vbi id satis apertè deciditur: tum ea illo communi axiomate, *Beneficia regularia regularibus conferenda, sæcularia sæcularibus*; quoad posteriorem verò partem (quæ est Garciæ *de benef. part.* 7. *cap.* 10. *num.* 18. Suar. *supr. num.* 26. & aliorum, & est de beneficiis sæcularibus) probatur, tum ea *cap. cum de beneficio, de præben. in* 6. vbi beneficium regulare sæculari, & sæculare regulari conferri non posse statuitur; tum ea iis, quæ habet Castr. Palaus *tract.* 13. *D.* 1. *part.* 3. § 1. *num.* 5. in confirmationem huius nostræ sententiæ, quam ipse etiam sequitur ea Nauarro Garc. Couar. Suar. Azor. Hoieda Sanch. & Lessio, adducens pro se, *cap. quod Dei timorem, de stat. Monach.* & alia iura.

232. Dixi in responsione, *conferri posse Regularibus beneficia regularia, & quæ sint proprij Ordinis*; vt indicarem beneficium regulare non debere conferri Religioso alterius Religionis: quod sit grauiter prohibeatur, *cap. cum singula, § prohibemus, de prebend. in* 6. adeò vt acceptans fiat inhabilis, vt ei aliàs conferatur, & iterum non possit eligi: sicut notat Sanchez *supr. num.* 19. ea Rebuffo, Nauar. Gonzalez, & Rodriquez, monens vigore relati textus Religiosum esse incapacem etiam beneficiorum regularium alterius monasterij eiusdem Ordinis; addensque *num.* 30. Papam non solere Regularibus concedere gratiam assequendi beneficium alterius Ordinis, nisi transferendo illos ad monasterium, ad cuius collationem beneficium obtinent.

Quamquam ab hac doctrina generali excipi debeat casus necessitatis, si videlicet non inueniantur Clerici sæculares idonei ad beneficia Ecclesiastica sæcularia; tunc enim præfici possent Regulares; sicut è contra, si non inueniantur Regulares idonei beneficio regulari, præfici possunt sæculares Clerici; cum necessitas careat, *l. ex glossa, cap. si quis, de furtis,* & aliàs conuenientius sit beneficium gubernari per Clericos alienæ professionis, quam destitui omni gubernatione, aut inîquè gubernari. Ita Castr. Pal. *supr. num.* 11. ea Rebuffo, Gonzalez, & Abbate, dicens in tali casu beneficia debere conferri potiùs in commendam, quam in titulum, ac reperto Ministro idoneo, amoueri posse extraneum, sicque decisum à sacra Congregatione.

Sic Cespedes *de exempt. d.* 187. ex Barbosa dicit Pium V. & Gregorium XIII. statuisse, deficientibus Clericis sæcularibus idoneis ad præbendam theologalem, collationem illius debere suspendi, donec inueniatur idoneus Theologus sæcularis, si fieri possit; interim verò nullum Custodem, aut Curatorem fructuum præbendæ constitui debere, sed eos omnes Superiori alicuius monasterij tradendos esse, qui curet, vt aliquis idoneus Theologus ex suis Religiosis publicè legat sacram Scripturam in Cathedrali, eique in primis necessaria ex dictis fructibus subministret, residuo eorum in vsum monasterij conuerso.

Sicut autem beneficium sæculare est id, quod per sæculares regitur, & administratur; ita beneficium regulare dicitur illud, quod per Regulares debet administrari; sicque ad hoc non sufficit, quod eius collatio, aut præsentatio pertineat ad Regulares, neque quod ipsi Religioni sit vnitum. Ita Sanchez *supr. num.* 13. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 8. *n.* 38. & alij; qui benè notant, beneficium constitui regulare, tum ex fundatore, si fundator beneficij statuat illud administrandum esse per Regulares; tum ex præscriptione quadragenaria, si Regulares per 40. annos continuos pacificè de facto illud administrent; idque etsi antea per sæculares Clericos fuisset administratum. 233.

An autem Religiosi Ordinum Militarium sint capaces beneficiorum Ecclesiasticorum, tam sæcularium, quam regularium.

Respond. esse; & quidem etiam loquendo de Militibus S. Ioânis tria vota substantialia Religionis emittentibus. Ita Sanch. *num.* 103. ea Gambara, Azorius *part.* 1. *lib.* 13. *cap.* 3. Lezana *tom.* 2. *cap.* 5. *num.* 43. aliique, & probatur, quia tales Religiosi omnes in hac parte reputantur Regulares, ideòque sunt capaces beneficiorum regularium: ex alia verò parte in communi modo viuendi statum habent sæcularem, & reputantur sæculares, ideòque censeri debent capaces beneficiorum sæcularium. 234.

QVÆRES III. An Regulares absque dispensatione Papæ possint præfici Ecclesiæ Collegiali sæculari non habenti propriè Curam animarum: qualis est ea, quam habet Præfectus Collegij in pertinentes ad suum Collegium.

Respond. videri posse; & probatur, quia quoad hoc militat eadem ratio, ac de Episcopo: cum Religiosus in præsenti casu eligatur ad curam illorum, qui ad collegium pertinent, & cum suo Capitulo constituat vnum corpus, sicut Episcopus vnum corpus facit cum proprio Capitulo. Ita Rodriq. *tom.* 3. *quæst.* 53. *art.* 2. Graff. *part.* 2. *decis. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 7. Azot. *supr. lib.* 12. *cap.* 19. *quæst.* 13. aliique, quos citat, & sequitur Sanch. *num.* 73. concedens tamen oppositam sententiam, quæ est plurium Canonistarum, esse satis probabilem. 235.

QVÆRES IV. An, & qualiter Regulares sint capaces beneficij curati, habentis scilicet Curam animarum annexam.

Respond. esse de iure antiquo, in quo, fauore animarum concedebatur, quod beneficium curatum posset conferri Regularibus absque dispensatione Papæ (vt constat ea *cap. quod Dei timorem, de stat. Monach.*) 236.

Monach.) non item iure nouo; cum id expressis verbis prohibuerit Gregorius XIII. pro vt Sacra Congregatio Concilij Trident. attestatur in declaratione a nobis allegata superiùs *cap.4.sect.4.q.1.* Ita Castrus Pal. *sup. num.10.* ex Gonzal. Piaseco, Garc. Mandos. & Sanch. Nobiscum sentit Barbosa *l.3.iur. eccles. vn. c.107. num. 21.* dicens *num. 22.* sic decisum fuisse ex voto Cardinalis Pamphilij senioris, referensque pro se declarationem quamdam sacræ Congregationis sub die 10. Nouembr. 1629. quam asserit se vidisse Garcia *p.1. de benefic. c.4. in addit. num.14.*

QVÆRES V. An Religiosi Mendicantes transeuntes ad religionem non Mendicantium, vel quicumque alij Religiosi translati ad aliud monasterium sint capaces beneficiorum curatorum, aut simplicium.

237. Respond. esse; & patet ex dictis in *tract. de profess. c.5. sect.3. q.16.*

QVÆRES VI. An, & qualiter requiratur licentia Prælati regularis ad hoc, vt Religiosi possint obtinere non solum prælaturas, sed etiam quodcumque beneficium parochiale.

238. Respond. requiri, & quidem ita, vt alioqui collatio, siue prælaturæ, siue beneficij curati sit irrita; idque ex *cap. si religiosus, de elect. in 6.* vt vidimus *tract. de Votis, c.4. sect.3. q.13.* in quo *cap. si religiosus*, prætetea habetur, Prælatum regularem se solo posse dare præfatam licentiam absque Conuentu, imò etiam renuente Conuentu: & hoc, vt celeriùs, & faciliùs Ecclesiæ præuideantur. sic in terminis Castr. Palaus *sup. num.15.* addens *num.17.* ex Sanchez & aliis non requiri talem licentiam ad acceptandum Papatum: quod nos etiam concedimus *vbi sup. citata sect.3. ea q.13. §. dubium maius est.*

Quod si quæras, qualis debeat esse ista licentia, & à quo Prælato regulari ea debeat concedi.

239. Respond. eam debere concedi à Prælato monasterij, nisi in aliqua religione aliter statutum sit per peculiarem Constitutionem, aut priuilegium: cum hic sit verus Superior religiosi electi ad prælaturam, aut beneficium curatum, vt rectè notauit Sanch. *sup. num.65.* non sufficere autem, quod dicta licentia concedatur antecedenter ad electionem sub conditione *si eligaris*, sed opus esse, vt ea subsequatur ipsam electionem, collationem, præsentationem, aut quemlibet alium modum prouisionis: sic quippe cauetur expræsse in Clem. *fin. de elect.* vbi deciditur licentiam obtentam post acceptationem prælaturæ, aut beneficij curati non reddere firmam acceptationem; cum tractu temporis conualescere non possit, quod à principio nullum est. Ita Sanch. *sup. num.60.61. & 63.* aliique penes ipsum, quos sequitur Castrus Palaus *num.18. & 19.*

240. Respond. dixi, *nisi in aliqua Religione aliter statutum sit*, quia Rodriq. *tom.1. q.55. a.1.* testatur ex priuilegio Alexandri III. in Ordine Minorum solum Generalem, aut Prouincialem posse concedere licentiam ad prælaturas, & nullo modo Superiorem immediatum; quod approbat Sanch. *n.65.* addens *n.67.* in Soc. Iesu solum Generalem posse talem licentiam concedere, & tunc solum, quando Papa ipsum præcepto adstringit (vt colligitur ex *9.p. Constit. c.4. §.5. & c.5. §.6.*) monens tamen id intelligendum esse solum de prælaturis afferentibus honorem, ac diuitias, non item de iis, quæ mundanis opibus carentes plurimis laboribus abundant, sic ille exemplo allato in episcopatibus Æthiopiæ, Iaponicæ &c.

At difficultas est, quid agendum sit in casu, quo Prælatus regularis renuat concedere præfatam licentiam.

241. Respond. illum posse, & debere compelli à suo Superiore, vt talem det licentiam: siquidem iniustè illam negauerit; & ratio est, quod tunc Prælatus superior (quicumque demum ille sit) potest supplere negligentiam Prælati inferioris, & ad illum deuoluitur potestas, posita negligentia in Prælato inferiore, iuxta *cap. quamquam, de elect. in 6.* & *cap. Romana, de supplen. neglig. Prælat. in 6.* Ita Sanchez *num.68. & 69.* & cum eo Castrus Palaus *num.20.* monens, ad hoc vt Prælatus teneatur dare talem licentiam, debere concurrere non solum vtilitatem, sed etiam necessitatem Ecclesiæ prouisæ: quod puto esse satis probabile; qua de re *sup. cap.4. sect.4. q.5.* vbi diximus eiusmodi licentiam non requiri, quando Papa confert Monacho beneficium sæculare sciens illum esse Monachum.

QVÆRES VII. Qualiter Regulares sint capaces beneficiorum, aut prælaturarum sæcularium per viam electionis.

Respond. cum distinctione; vel Regularis eligendus est Ordinis Mendicantis; & sic omnes electores debent concurrere, ita vt, vno ipsorum deficiente, aut contradicente, electio non subsistat, quantumuis adsit consensus ipsiusmet Prælati regularis; vel regularis eligendus est Ordinis non Mendicantis; & tunc aut electores eligunt iure Collegij (i. quatenus sunt partes illius) & sic electio debet fieri à maiori parte: ita vt existentibus in Collegio 10. electoribus, electio fieri debeat à sex, nec sufficiat eam fieri à quinque (alias enim non diceretur electus à Collegio:) vel electores eligunt iure proprio, & singulari: & tunc potest contingere, vt ex 10. electoribus 4. sufficiant ad faciendam validam electionem, si in vnum consentiant, aliis 6. electoribus diuisis 3. vni parti, & 3. alteri; sic enim qui electus est à 4. electoribus, dicitur eligi à maiori parte eorum, qui actu eligunt, quamuis non à maiori parte electorum. quod videtur sufficere, ad hoc vt dicatur non corrigi ius antiquum in *cap. quærendam, de elect. in 6.* statuens talem electionem esse sufficientem, & in *cap. quoniam de iure patron.* reputari factam à maiori parte; quamquam si illi 6 electores sua vota non pronuncient, & aliquis electus esset tantùm à 4. electoribus, is dici non possit electus à maiori parte eligentium, sed à minori, sicque eius electio esset nulla. Ita Castr. Pal. *sup. §.2. n.2.* ex Lambert. & Sanch. patetque ex *citato cap. quorumdam*, vbi Bonifac. VIII. ad præcludendam Religiosis viam ambitionis, statuit, vt nulli Religioso Ordinum Mendicantium ex electione, postulatione, seu vocatione ad aliquam extra administrationem sui Ordinis prælaturam in discordia de se facta ius de cætero acquiratur, nec eorum aliquis tali electioni, postulationi, prouisioni, aut vocationi quomodolibet valeat consentire, etiamsi Magistri, aut Ministri, vel Prioris generalium eorumdem ad id accesserit licentia, vel consensus. Quin etiam circa alios Religiosos, cuiuscumque conditionis, aut status existant, vult Papa id seruari, vt nec ipsi electionibus, postulationibus, prouisionibus, aut vocationibus à minori parte numeri ad quaslibet prælationes de se factis (quæ hoc ipso, quod à minori parte processerint, nullum ius omninò tribuant eisdem) suum audeant præstare consensum, etiamsi super hoc assensus, vel licentia suorum interuenerit Prælatorum: imò irritum, & inane est quidquid contrà fuerit attentatum. vbi notat Sanch. *sup. n.43.* in hoc plus peti pro Mendicantibus, quam pro non Mendicantibus, consensum scilicet omnium eligentium, eo quod illi ob professionem paupertatis, & arctioris vitæ magis teneantur euitare lites; discordias, & viam ambitionis. 242.

Quod

Quod si quætas, an doctrina modo data procedat de prælaturis tam extra Religionem, quam intra, loquendo de Religiosis non Mendicantibus.

243. Respond. videri probabilius, quod solum extendatur ad prælaturas extra Religionem. Ita plures Canonistæ apud Castrum Palaum *supr. num.6.* & patet, quia textus adductus loquitur de prælaturis exigentibus licentiam proprij Prælati ad acceptandum, vt colligitur ex illis verbis, *etiamsi super hoc assensus, vel licentia suorum interuenerit Prælatorum*: ad prælaturas autem proprij Ordinis rarò, aut nunquam requiritur talis consensus, aut licentia: &, si quando requiritur, id potius est per modum approbationis; nec obstat, quod præfatus textus loquens de Mendicantibus exprimit prælaturas extra Ordinem, non item, quando loquitur de non Mendicantibus; quin potius vtitur verbo generali comprehendente prælationes tam Ordinis, quam extra, dicens, *ad prælationes quaslibet de se factas*, (cum tamen in Religiosis non mendicantibus adesset maior ratio, vt sub dicto textu comprehenderentur prælaturæ proprij Ordinis, vtpote importantes plus honoris, quam oneris,) siquidem propterea textus loquens de non mendicantibus non exprimit prælaturas extra Ordinem, quia id sufficienter præstiterat in priori parte, & ea illa priori parte limitari poterat posterior; sicut notat Castrus Palaus *num.7.* addens extare quidem specialem rationem, vt præfatus textus extenderetur ad prælaturas proprij Ordinis, etiam loquendo de Religiosis non mendicantibus, de facto tamen non fuisse extensam, adeóque nec per nos debere extendi absque firmo fundamento.

244. Adde doctrinam traditam nequaquam procedere de electione beneficij curati carentis iurisdictione; cum in allegato texto fiat mentio solùm de prælaturis, & alioqui beneficium parochiale non sit propriè prælatura; cum non habeat iurisdictionem in vtroque foro, qualis requiritur ad prælaturam. Ita Sanchez *supr. num.56.*

Difficultas maior est, an Religiosus mendicans factus Episcopus, si ei conferatur alius Episcopatus, eligi debeat in concordia, & Religiosus non mendicans à maiori parte eligentium, non secus ac factum fuerat in prima electione.

245. Respond. debere; & probatur, quia Regularis factus Episcopus adhuc verè est Religiosus: citatus autem textus loquitur de quocumque Religioso; vt colligitur ex illis verbis, *nulli Religioso*, & ex illis aliis, *Religiosos quoque alios cuiuscumque conditionis, vel status existant*; quod est dicere, etiamsi status, & conditio viuendi mutata sit, si maneat Religiosus, talis modus seruari debet in eius electione. Ita Sanchez *supr. num.48.* & alij.

QVÆRES VIII. An Religiosi possint constitui Coadiutores tam Episcopi, quam Parochi ex sola sui Superioris licentia.

246. Respond. Sanch. *supr. num.84.* aliis citatis posse; cum Religiosus vtriusque officij principalis sit capax absque dispensatione, & non appareat, cur possit dici capax vtriusque officij principalis, & non possit esse Coadiutor vtriusque. Verùm, cum iuxta dicta *quæst.4.* Religiosus, stando in iure nouo, non sit capax beneficij curati (sicut etiam notauit Sanch. *num.71.*) non video, quomodo sustineri possit illum posse constitui Coadiutorem Parochi maximè attenta ratione, quam pro se adducit ipsemet Sanch. quare puto Religiosum absque dispensatione posse quidem constitui Coadiutorem Episcopi, non item Parochi: idque ob rationem allatam ab ipsomet Sanchez.

QVÆRES IX. An Regulares possint constitui Vicarij Episcopi.

Respond. posse; dummodo adsit licentia proprij Prælati, saltem immediati: idque, siue sint ex Ordine non mendicanti (quod omnes concedunt) siue ex Ordine mendicanti (quod aliqui negant apud Sanchez *lib.6. mor. cap.13. num. 88.* niai Clementina 1. *§.ad prioratus, de regul.* quæ tamen loquitur solùm de mendicantibus transeuntibus ad non mendicantes.) Ita Sà *ver. religio, num.60.* Azor. *tom.2. lib.3. cap.43. quæst.10.* & alij, quos refert, & sequitur Sbrozius *lib.1. de Vic. Episcop. quæst. 38. num.4.* monens idem dicendum esse, & de Vicario Capituli, Sede vacante, aut Locumtenente Vicarij: & probatur, quia nullibi interdicitur, quod Regulares esse non possint Vicarij Episcopi; dummodo id non faciant absque licentia proprij Prælati: hæc enim omnino requiritur, iuxta *cap. Monachi, el 2.16.q.1.* & *cap. 2. de postulando*, vbi prohibetur Monachis quodcumque officium ad iudicia pertinens sine licentia Prælati; cuiusmodi vtique est talis vicariatus; & iuxta decretum Concilij Trid. *sess.25. cap.4. de regul.* interdicentis Regularibus, ne absque licentia proprij Superioris se subdant obsequio alicuius Prælati, Principis, vel Communitatis, aut Vniuersitatis præterquam prædicationis, vel Lectionis, aut cuiuscumque pij operis: idque non obstante quocumque priuilegio. Addit autem Sbrozius *num.5.* Fratribus Minoribus nullo modo permitti, quod sint Vicarij Episcoporum: & talis prohibitio cum possit esse inducta in aliquo alio, quilibet Religiosus debet consulere propriam regulam, & statuta suæ Religionis, & ex iis colligere, an verè sit inducta, necne. 247.

248. Quod si contingat Religiosum fieri sine licentia sui Superioris Vicarium alicuius Episcopi: electio quidem eius est nulla, eius tamen gesta tenent, eo quod præsumatur electus cum legitima licentia, sicque in tali casu sufficiens agatur, *l. Barbarius ff. de offic. prær.* quod non eueniret, secluso communi errore, vt benè aduertit Sanch. *supr. num.97.*

QVÆRES X. An Regulares possint esse delegati, tum Papæ, tum Legati de latere, tum etiam Episcopi, & quomodo.

Respond. omnes quidem Regulares posse esse delegatos Episcopi, si adsit licentia proprij Prælati; siquidem ad hoc non requiritur, vt delegandus sit constitutus in dignitate; non omnes tamen posse esse delegatos Papæ, aut Legati de latere, & consequenter non omnes posse delegari ad expediendas literas Papæ, aut eius Legati, nisi vel sint Prælati Religionis non habentes in eodem monasterio vllum alium Superiorem immediatum supra se: aut saltem ex certa scientia à Papa destinentur ad tale munus; constat id ex *cap. statutum, de rescript. in 6.* vbi deciditur neminem posse delegari ad exequendas literas Pontificis, aut eius Legati, nisi sit persona in dignitate constituta; quales sine dubio sunt Prælati regulares, vt colligitur ex *cap. nisi essent, de prebend.* & *Clem. 2. de rescript.* vbi statuitur Priorem conuentualem esse capacem talis delegationis, non item Priorem claustralem, qui subest Abbati, adeóque non est Superior in capite. Ita Sanch. *supr. num.77.* & *78.* monens *num. 81.* doctrinam hic traditam de iis, qui possint delegari ad exequendas literas Papæ, aut Legati, fallere in Prælatis Fratrum Minorum ob peculiarem quamdam ipsorum Constitutionem, per quam id ipsis specialiter interdicitur: quidquid dissentiant plures Doctores apud ipsum Sanchez, oppositum sustinentes, eo quod non aduerterint 249.

dictam

dictam Constitutionem, quæ totam difficultatem dirimit.

QVÆRES XI. An, & quo modo Regulares eligi possint io Iudices Conseruatores à Religiosis aliorum Ordinum.

250. Respond. posse eo modo, quo dicemus *infra cap. 8. sect. 4. quæst. 5.*

QVÆRES XII. An Regulares eligi possint in Examinatores Episcoporum etiam Synodales.

251. Respond. posse, & quidem etiamsi non sint Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, vel Iure canonico; siquidem in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 18. de reformat.* dicitur: *Sint verò hi Examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Iure canonico, vel alij Clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei.* vbi notandum vi huius decreti oon inferri, quod ait Barbosa *de offic. Parochi part. 1. cap. 2. num. 74.* fuisse à Sacra Congregatione declaratum 19. Febr. 1628. non posse Episcopum eligere in Examinatores synodales Religiosos præfatis gradibus non insignitos, nisi in casu, quo non extent alij habentes dictas qualitates; nam Concilium dicit solùm eligendos esse, vel Magistros, seu Doctores, aut Licentiatos in Theologia, aut Iure canonico, vel alios Clericos, seu Regulares, qui ad id magis idonei videbuntur, & præterea nullam aliam apponit limitationem; constat autem ex Regularibus facilius posse eligi viros magis idoneos ad tale munus, quam ex Clericis sæcularibus: idque etsi hi sint laureati in Iure canonico, aut Theologia: cum melius sit esse doctorem, idest doctum, quam doctoratum, vt patet. Vnde non pauci Episcopi prudenter eligunt iu Examinatores synodales suæ Ecclesiæ Regulares dictis gradibus non insignitos, licèt aliàs ex suis Clericis possent eos eligere laureatos in Theologia, vel Iure Canonico; vt pote scientes operam illorum ipsis futuram esse vtiliorem. Imo Peyrin. *tom. 3. privil. cap. 2 num. 26.* censet in Examinatores synodales posse eligi Regulares sub nomine dignitatis, (v. g. Priorem S. Dominici, Lectorem casuum conscientiæ Collegij Soc. Iesu) aitque id passim factitari ab Episcopis; esto Sacra Congregatio, teste Barbosa *supr. num. 56.* declarauerit secus esse faciendum; vt propterea dici possit dictam declarationem de facto non esse in vsu.

252. Addit Peyrin. *num. 25.* & benè, quod, quamuis grauiter peccent Examinatores, si præmoneant examinandos de quæstionibus proponendis, vt pote infideliter exercentes suum munus; non peccarent tamen, si aliunde ipsis constaret de sufficientia illius, qui debet examinari; & modo dicto eum præmonerent: ne alioqui ex verecundia, aut aimore turbetur, sicque minus fœliciter ei succedat examen: quod facilè potest euenire etiam viris doctissimis.

Grauior difficultas est, an examen factum ab Episcopo cum 3. examinatoribus synodalibus, alio non synodali concurrente, sit nullum.

253. Respond. Non esse nullum, sed validum, ac legitimum: & probatur, quia superabundantia non potest nocere, vt patet in testamento, quod non vitiaretur, si 7. testibus necessariis alij inutiles adiungerentur. ita *Castr. Pal. tr. 13. D. 3. p. 2. § 4. n. 5. ex* Garcia, & Genuensi afferens pro se decisioné Rotæ: addensque contra Genuensem examé non vitiari, si adsint 3. examinatores synodales, quantumcumque addantur alij non synodales; nam Concilium Trid. *vbi sup.* requirit solum, vt examen fiat à tribus examinatoribus synodalibus; sicque his stantibus, saluatur mens Concilij, etsi concurrant alij non synodales: cum hi non concurrant, vt legitimi examinatores, sed vt quidam testes, ac noo inutiles exploratores aptitudinis examinandorum; vnde non potest Episcopus prouidere beneficium in fauorem illius, qui non fuerit approbatus à maiori parte Examinatorum synodalium: cum aliorum approbatio, seu reprobatio, vt pote ab illegitimis, sit nullius effectus.

Verum verò foret valida prouisio, si prouisus examinaretur ab examinatoribus non synodalibus, sed approbaretur à duobus examinatoribus synodalibus ex tribus interessentibus examini cum dictis examinatoribus non synodalibus.

Respond. Non fore; cum ad formam huius examinis pertineat illud fieri ab examinatoribus synodalibus saltem tribus, & alioqui formæ nihil addi possit, nec diminui *cap. cum dilecta de rescript.* 254.

QVÆRES XIII. An tegulares possint exercere munus Prælati in monasterio alterius Ordinis absque legitima dispensatione.

Respond. non posse; & probatur ex Clem. 1. *de elect.* vbi prohibetur ne Religiosus aliquis in Abbatem, vel Prælatus alterius Religionis, vel habitus de cætero eligatur; quod si secus actum extiterit, sit eo ipso irritum, & inhabile. Vbi ootat *Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 3 num. 11.* tale ius esse antiquum (vt constat *ex cap. Abbatem 2. & cap. quam sit 18. q. 2.* & postea tenouatum in Conc. Trid. *sess. 25. cap. 21. de Regul.* sed de boc plura *in tract. de gubernat. cap. 2. q. 3.* 255.

QVÆRES XIV. Ao Regulares vnius Ordinis constitui possint Visitatores alterius Ordinis absque peculiari dispensatione.

Respond. videri non posse; & ratio est, quod quamuis Visitator non habeat potestatem ordinariam, sed delegatam, quæ spirat, delegante mortuo, aut amoto ab officio; munus tamen illius est prælatio, ac dignitas, ideoque de eo differendum est quoad hoe, ae de aliis prælationibus, ac dignitatibus. 256.

QVÆRES XV. An Regulares possint exercere munus Lectoris in monasterio alterius Ordinis se subtrahendo à regulari obseruantia.

Respond. non posse, nisi de licentia Papæ: idque ex decreto Coocilij Trid. *sess. 25. cap. 4. de Regul.* allato *supr. quæst. 9.* 257.

QVÆRES XVI. An Regulares eligi possint in Confessarios Monialium etiam aliorum Ordinum.

Respond. posse eligi, & quidem in Confessarios tam ordinarios, quam extraordinarios; nisi id peculiariter prohibeatur in aliqua Religione (vt in Societ. Iesu, de cuius Religiosis habetur *in 6. part. Constit. cap. 3. num. 5.* quod non debent curam animarum, neque item mulierum Religiosarum, vel aliarum quarumcumque suscipere, vt ordinariè illarum confessiones audiant, vel ipsas regant;) non tamen teneri consentire tali electioni, si nolint. patet autem responsio ex eo quod Regulares non subsunt iurisdictioni Ordinariorum, nisi in casibus iure exceptis: inter quos certè non est præsens casus. præter quam quod Paulus III. ad id concessit speciale priuilegium Religiosis Societ Iesu in sus Constitut *licet debitum*, eos omninò eximens à recipienda cura Monialium, seu quarumlibet personarum religiosarum; Clemens verò IV. teste Casarubio *in comp. v. Monialis, num. 2.* per bullam concessit Fratribus Minoribus, vt ad visitandum aliqua monasteria Monialium cuiuscumque Ordinis, vel audiendum confessiones earum compelli aliquatenus non possint etiam per literas Sedis Apostolicæ, in quibus non fuerit facta meotio specialis de huiusmodi indulto, nec minùs per 258.

Legatos, aut delegatos eiusdem Sedis, aut per quoscumque alios.

QVÆRES XVII. An, & quo iure possint Regulares creari Notarij intra Ordinem etiam pro causis criminalibus Religiosorum.

259. Respond. posse; & hoc non solùm ad intimanda priuilegia, concessiones, & indulta Apostolica Religionibus concessa (quod concessit Pius V. Ordini S. Dominici per bullam relatam à Cherubino *tom.* 2. *bullarij Constit. ipsius Pij in ordine* 124:) sed etiam pro causis criminalibus Religiosorum Ordinis; & ratio est, quod, cum causæ Regularium non possint tractari coram Iudice sæculari; & alias causæ grauiores non possint processari sine Notario, vt notat Rodriquez *tom.* 2. *quæst.* 14. *art.* 2. necesse omninò est, vt Prælati regulares possint ad talem effectum creare Notarios, quibus tanta fides adhibeatur, quanta præstatur Notario sæculari; Prælati enim Regulares in causis suorum subditorum possunt quidquid possunt Episcopi in causis propriorum subditorum: quippe qui in causis Religiosorum subditorum plenum ius habent; vt aduertit Portel. *de dub. reg. v. notarius num.* 2. monens potestatem creandi Notarios competere, tum Prælato immediato quoad causas suorum subditorum: tum etiam Prouincialibus ex consuetudine. ita Portel. *vbi supr.* ex Rodriq. *tom.* 3. *quæst.* 8. *art.* 1. & Aldrete *lib.* 1. *de relig. discipl. cap.* 8. *num.* 3. *& seqq.*

260. Illud porrò hîc aduertendum est, quod, cum iuramentum sit tam de essentia notarij, quam testis: illi Religioso, qui creatur Notarius debet iniungi iuramentum fidelitatis; aliàs enim processus ab ipso facti non sunt substantialiter iuridici, loquendo in rigore. sic Portel. *vbi supr.* monens Regulares Prælatos solere suos Secretarios creare in Notarios; qua de re consulantur quæ diximus *in tract. de prohibit. cap.* 12. *quæst.* 9. vbi in primis explicauimus indultum Pij V. quoad hoc concessum.

QVÆRES XVIII. An, & quo modo Regulares prouisi beneficiis Ecclesiasticis possint iis priuari à Prælatis Ordinis.

261. Respond. posse eo modo, quo diximus *sup. cap.* 6. *sect.* 4. *quæst.* 4.

QVÆRES XIX. An, & qualiter eximantur à iugo regularis disciplinæ Regulares legitimè promoti ad Episcopatum, aliam vel similem dignitatem extra Ordinem.

262. Respond. eximi, & quidem etiam à Votis specialibus, quæ ex peculiari Instituto in aliquibus Ordinibus emittuntur, non item a tribus Votis substantialibus Religionis, quibus sine dubio manent adstricti dicti Regulares, etiam taliter promoti; cum post talem promotionem verè maneant Religiosi. ita Sanchez *lib.* 6. *mor. cap.* 6. *num.* 15. aliique docti recentiores à me consulti contra Suarez *supr. tract.* 9. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 8. à nobis ex parte dissentientem, nimirum quoad vota illa specialia. patet autem responsio (quod attinet ad Obseruantias regulares) ex dictis hic *cap.* 6. *sect.* 4. *quæst* 6. vbi, cum ostenderimus religiosum habentem parochiam pleno iure subiectam Episcopo, esse exemptum ab obseruantiis regularibus sui Ordinis: à fortiori id habebit verum in religiosis promotis ad Episcopatum, aut aliam similem prælaturam; quod verò spectat ad Vota illa specialia, inde probatur, quod talia Vota emittuntur vt annexa; & accessoria professioni vitæ monasticæ (à qua tamen manet liber religiosus promotus ad Episcopatum) & ordinantur ad faciliorem Communitatis religiosæ perfectionem, ac ordinem, non secus ac reliquæ regulares obseruantiæ; præterquam quod materia talium Votorum in regularibus factis Episcopis valdè immutatur: quod Lezana *tom.* 1. *cap.* 23. *num.* 17. aliis relatis ait sufficere ad sustinendum religiosum perpetuo electum ab Ordine non teneri præfatis Votis specialibus. Quæ omnia procedunt etiam in Episcopis titularibus, sicut benè probat idem Sanchez *supr. cap.* 6. *num.* 27. imò & in promotis ad Cardinalatum; vt videre est penes eundem Sanchez *num.* 34. qui idem censet dicendum esse etiam de Religioso promoto ad Abbatiam, aliamve dignitatem habentem propriam diœcesim nulli Episcopo subiectam; cum tales Prælati in omnibus assimilentur Episcopis, ab iis sola consecratione differentes.

Addit tamen Sanchez *num.* 36. & benè, hinc non sequi, quod Religiosus promotus ad parochiam pleno iure subiectam Episcopo sit exemptus à talibus à dictis votis specialibus: in eo enim non militat ratio, quæ viget in religiosis euectis ad Episcopatum; nimirum, quod hi ratione status sunt Magistri perfectionis, & sunt omninò absoluti à iugo regulæ monasticæ: quæ vtique non competunt religioso promoto ad parochiam. 263.

Quod autem diximus religiosum promotum ad Episcopatum, aut aliam similem dignitatem manere liberum à votis specialibus, quæ fortè emittuntur in Ordine, ex quo assumitur, item procedit in Voto siue solemni, siue simplici, quod in aliquibus Ordinibus fit de non petenda, nec procuranda, minusve acceptanda aliqua dignitate, neque alia superioritate extra Ordinem; idque non obstante Decreto Vrbani VIII. edito 21. Maij 1635. his verbis: *Declaramus, & decernimus quoscumque Regulares per quamcumque translationem hactenus, & in posterum quandocumque de sua ad aliam Religionem, vel Ordinem, seu alias quomodolibet, etiam plures, & per quamcumque expulsionem, habitusque regularis dimissionem pro tempore factas, non esse, nec fore, minusve dici, aut censeri posse, seu debere à præfato voto, promissione, seu iuramento* (non ambiendi scilicet, nec acceptandi dignitates extra Ordinem) *liberatos: sed eo hactenus, & pro tempore translatos, expulsos, & à delatione habitus regularis absolutos, vel priuatos, quarumcumque dignitatum huiusmodi proinde incapaces, & ad illas petendas, acceptandas, & obtinendas inhabiles remanere in omnibus, & per omnia, perinde ac si translati expulsi, seu à delatione habitus, liberati, seu priuati non fuissent*: idque ob dicta in *tract.* 4. *cap.* 5. *sect.* 4. *quæst.* 20. *§. difficultas, & sect.* 5. *subsect.* 4. *quæst.* 14. *§. dixi.* 264.

Moneo hîc per hoc Decretum non tolli, quin Regulares adhuc possint procurare munus aliquod speciosum (v.g. Consiliarij alicuius Principis, lecturam Philosophiæ, aut Theologiæ Doctoratum) cum talia munera verè non sint dignitates, aut superioritates, ideóque non comprehendantur sub præfato Decreto.

Addo Religiosum vi præfati Decreti non fieri incapacem dignitatis sæcularis: & inde suadetur, quod ante dictum Decretum dignitates sæculares non comprehendebantur sub tali voto, dum tales vouentes viuebant in priori Ordine (vt constat ex Sanchez *lib* 6. *mor. cap.* 18. *num.* 28.) etiam decretum hoc non ampliat obiectum huius voti, sed eius durationem, vt patet.

SVBSECTIO IV.

De Iure Filiationis Regularis competente Religiosis.

265 *Declaratur quid sit Filiatio Regularis.*

266 Ea

266 *Ea est triplex.*
267 *Fundatur in iure Canonico, ac Pontificio.*
268 *Conceditur à Superiore de consensu proprij Capituli respectiuè: etsi in hoc sit aliqua varietas iuxta varietatem Constitutionum huius, aut illius Ordinis.*
269 *Generalis in toto Ordine, & Prouincialis in sua Prouincia nō creant filios Conuentus particularis sine consensu Capituli localis.*
270 *Imò se solis id facere nequeunt Generalis in toto Ordine, & Prouincialis in Prouincia.*
271 *Non potest Religiosus esse filius duorum Conuentuum.*
272 *Filiatio mutari potest, tum consentiente, tum renuente Religioso, sed aliquibus seruatis: de consensu Conuentus Generalis, excluso Prælate locali, creat filium Conuentus.*
273 *Filiatio Regularis extinguitur quinque modis, qui proponuntur.*
274 *Ea instituenda secretis suffragijs, quæ sint supra medietatem.*
275 *Ex ea proueniunt varij effectus, qui indicantur.*
276 *Per eam Conuentus acquirit in bona filij sui concessum per Constitutiones, statuta, aut consuetudines, vniuscuiusque Ordinis.*
277 *Voluntariè exfiliatus non transfert ad posteriorem Conuentum, cuius de nouo fit filius, bona quæ intulerat priori Conuentui: & quidem censu eius vsibus concessi, quoad proprietatem sunt prioris Conuentus, & posterioris, quoad fructus: ad quem item transeunt bona in spe Religiosi exfiliati.*
278 *Generalis, inuito Conuentu, non transfert bona Religiosi exfiliati ad posteriorem Conuentum, si erant acquisita Conuentui, cuius antea erat filius.*

QVÆRES I. Quid significetur nomine Filiationis regularis.

265. Respond. quod, cum detur triplex genus filiationis, naturalis scilicet, quæ pronenit ex naturali propagatione feminis humani; legalis, quæ est ex institutione legis, & dicitur Adoptio; ac spiritualis, quæ oritur ex Baptismo, Confirmatione, & sacramento Pœnitentiæ: hic nomine Filiationis regularis nulla ex præfatis filiationibus intelligitur, sed alia longè diuersa, quæ consequitur ex actu professionis religiosæ factæ in Religione approbata, & non exiguam habet similitudinem cum filiationibus recensitis, vt ostendit Bordouus *tom. 1. resol. 59.*

QVÆRES II. Quotuplex sit Filiatio regularis.

266. Respond. esse triplicem, aliam scilicet totius Religionis, per quam Religiosus dicitur filius Religionis simpliciter, eo quòd eius professio non fuerit acceptata pro vlla certa Prouincia, aut Conuentu; aliam Prouinciæ, per quam Religiosus dicitur filius Prouinciæ, eo quòd professio illius recepta fuerit intuitu Prouinciæ, non habito respectu ad vllum Conuentum particularem illius; & aliam Conuentus, per quam Religiosus dicitur filius Conuentus, eo, quòd illius professio recepta fuerit ad instantiam alicuius particularis Conuentus; vnde & talis religiosus dicitur filius conuentualis.

QVÆRES III. In quo iure fundetur Filiatio regularis.

267. Respond. fundari in iure Canonico, ac Pontificio; & maximè *cap. fin. de domib.* vbi dicitur, *ne quis in diuersis monasterijs locum Monachi habere præsumat:* (habere enim locum in monasterio est esse illius filium. Gloss. *cap. fin. 18. q. 1.*) necnon in Bulla Gregorij XIV. quæ incipit, *Circumspecta*, & in Decretis Clementis VIII. *de instit. Nouit. §. quia verò*, in quibus dicitur: *Licitum sit Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum huiusmodi Ordinum, in quibus filiationis vsus receptus est, eos, quos prænarratis qualitatibus reperierint in suorum locorum filios iuxta cuiusque Ordinis Constitutiones adscribere.*

QVÆRES IV. Ad quos spectet Nouitium recipere in filium.

Respond. spectare ad Superiorem immediatum, ac Priorem Conuentus vna cum suo Capitulo locali, nempe ad Religiosos in eo Conuentu de familia habitantes; etsi non omnes sint filij dicti Conuentus: & probatur, tum, quia in bulla Gregorij XIV. supra citata, & relata à Quaranta *pag. 316.* id apertè declaratur; tum, quia etiam filij naturales dicuntur generari à solis suis parentibus, & non ab extraneis; ergo & in hac generatione spirituali ad eam necessariò concurret totus Conuentus, qui futurus est eius pater spiritualis: tum, quia hic procedit regula iuris. Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, *c. ad hæc, de Offic. Archid. C. de Auth. præstan. l. vlt.* 268.

Porrò in Capitulo Valentino 1596. statutum est à PP. Dominicanis, vt Prouinciales omnino abstineant à translatione Fratrum per affiliationem, maximè ab aliis Prouinciis ad suas: cum translatio hæc ad Capitulum generale, vel ad Magistrum Ordinis pertineat tantùm, iuxta ipsius Ordinis Constitutiones, sine quorum auctoritate factæ annullantur. Vnde in declarat. *cap. de recipiendis habetur.* Prouinciales non possunt determinare aliquem Fratrem pertinere ad alium Conuentum, quam ad eum, pro quo professus est, nisi per simplicem assignationem in Ordine solitam, & ob id etiam translationes huiusmodi cum licentia Magistri Ordinis factæ solent ratificari in Capitulo generali, & quandoque per dictum capitulum fieri. Imò Romæ 1601. de mandato Clementis VIII. ordinatum fuit, ne fiant affiliationes de vno Conuentu in alium ex quacumque causa, sed tantum maneant filij Conuentus, qui ibidem professionem emiserunt (quæ ordinatio in Capitulo Vallisoletano 1605. fuit item ab Ordine acceptata) nullæque modo translationes fiunt sine consensu Sedis Apostolicæ.

Cæterùm Patres Dominicani duobus modis incorporari possunt certo Conuentui: nimirum ex habitus susceptione (siquidem sunt filij illius Conuentus, in quo, & pro quo habitum susceperunt) aut per translationem affiliationis, quando ex vno Conuentu ad alium transfertur filiatio: sicque in Constitut. Ordinis, cap. de infirmis dicitur, *leprosi infra septa sui Conuentus seorsum procurentur: Conuentum autem suum dicimus, cuius est filius.*

In Constitutionibus verò PP. Seruitarum *cap. 9.* de adoptandis in filios hæc habentur: Si quis voluerit adoptari in filium Conuentus, qui vnum tantum habet vocalem, nulla sine illius consensu per Superiorem, etiam per ipsum Generalem fieri possit adoptio; si nullus filius adsit, adoptio fiat in visitatione, aut in Definitorio prouinciali, seruatis tamen aliis conditionibus, quoad Conuentum suæ filiationis in illo dimittendo. Si quis in alio Conuentu post primam adoptionem velit adoptari, id fiat sine præiudicio primæ adoptionis, ita vt nihil iuris acquirat, vel habeat alter Conuentus super bona, ac iura illius. Huiusmodi autem adoptio oes vim non habeant, donec à Generali fuerint confirmatæ, ne dum, quoad ipsas adoptiones, sed etiam etiam, quoad diuisionem per æquas portiones bonorum faciendas, videlicet immobilium, librorum, pecuniarum, & aliorum pretiosorum mobilium.

Ex quibus patet, quod cum filiatio regularis sit de iure positiuo, & hoc pro varietate Ordinum esse possit varium, ac multiplex; in casu occurrenti debent consuli Constitutiones, & statuta Ordinis, de quo hîc, & nunc agitur, indéque colligẽda solutio difficultatis occurrentis: alias nil certi statui potest.

QVÆRAS V. An solus Generalis in toto Ordine, & Prouincialis in tota Prouincia sine consensu Capituli possit creare filios Conuentus.

269. Respond. non posse: & probatur, tum ex citata bulla Gregorij XIV. quæ dicit: *Ideò receptio Nouitiorum in vnoquoque monasterio ad superiorem Prælatum, & Capitulum eiusdem monasterij tantum pertineat*: vbi particula, *tantum*, excludit alios, in quantum soli non possunt creare filios sine capitulo: tum, quia aliquem profiteri in religione est creari filium; sicut ergo Superiores maiores sine consensu maioris partis conuentus recipere non possunt ad professionem, sic nec poterunt ad filiationem. Ita Bordon. *sup. quæst.* 5. alioqui concedens Generalem, ac Prouinciales posse concurrere ad filiationem, si velint, suum suffragium dando, aut authorizãdo filiationem; quomodo Princeps iuxta ius ciuile authorizat adoptionem filiorum.

QVÆRAS VI. An Generalis pro tota Religione, & Prouincialis pro tota Prouincia possint se solis procreare filios.

270. Respond. non posse sine consensu quidem Religionis Generalem, & Prouinciæ Prouincialem. Probatur, tum, quia filiatio regulatur à professione, cum ab ea suas vires accipiat, & perficiatur; adeóque à solo Superiore maiori nequit recipi, sicut nec potest recipi professio, in qua radicatur, & firmatur: tum, quia hic procedit regula, *Quod omnes tangit*. Ita Bordon. *quæst.* 5. monens nomine Religionis in re præsenti venire definitores Ordinis, qui consensum præstare debent capitulariter, idest simul cum suo capite, non autem seorsim, per literas, v.g.

QVÆRAS VII. An religiosus possit esse simul filius duorum Conuentuum.

271. Respond. non posse: & probatur, tum ex *cap. fin. de relig. domib.* vbi dicitur: Ne quis in diuersis monasteriis locum Monachi habere præsumat (quem textum *quæst.* 3. diximus intelligi de filiatione regulari) tum, quia non potest Clericus sæcularis esse intitulatus in duabus Ecclesiis, *cap.* 1. 21. *q.* 1. *cap. singula de prabend.* ergo à fortiori non poterit Religiosus filiari in duobus Conuentibus: tum, quia etiam in naturalibus natura abhorret, quod quis habeat duos patres: tum, quia *cap. constitutus, de elect. & cap.* 1. *de priuil. in* 6. vbi dicitur non esse inconueniens aliquem vtrobique locum habere monachicum, debent intelligi in casu, quo vnum monasterium pendeat ab alio, quomodo ea reputantur vnicum monasterium, sicque non faciunt contra nos.

QVÆRAS VIII. An filiatio regularis mutari possit, itavt Religiosus possit exfiliari, siue contra eius voluntatem auferendo ab eo filiationem, quam habet, siue ipsum petentem creando filium alterius Conuentus.

272. Respond. posse mutari, de consensu quidem Prouincialis, ac Superioris localis, & Conuentus (siue exfiliatio sit voluntaria, siue coacta;) nam res, per quas causas nascitur, per eas & dissoluitur: quod si Religiosus filius fiat alterius Conuentus (ad quem effectum debet prius exfiliari, quoad priorem filiationem, cum non possit quis esse filius duorum Conuentuum) requiritur consensus illius alterius Conuentus, & licentia Superioris; cum secundus Conuentus debeat fieri pater Religiosi recipiendi in filium. Quod si exfiliatio sit voluntaria, requiritur consensus Religiosi exfiliandi; cum ea ex hoc potissimum dicatur voluntaria. Ita Bordon. *q.* 7. addens ex causa iusta posse religiosũ simpliciter exfiliari, &, si exfiliatio sit coacta, posse fieri à iudice superiori de consensu Conuentus paterni; & quidem in iis omnibus casibus proportionaliter, in quibus pater filium potest exhæredare; de quibus Iustit. *de exhered. liber.* & Auth. *vt cum de appell. cog.* §. *causas*: cuiusmodi casus essent percussio proprij Superioris, dilapidatio bonorum monasterij, hæresis, homicidium, &c.

An autem Generalis cum consensu Conuentus, excluso eius Superiore immediato, possit conferre alicui Religioso filiationem conuentualem.

Respond. quod, sicut Generalis potest in quolibet Conuentu Ordinis de consensu Capituli dicti Conuentus recipere Nouitium ad professionem, etiam excluso Prælato locali præfati Conuentus, (vt ostendi *tract.* 3. *cap.* 5. *q.* 6.) & alioqui filiatio regularis à professione religiosa regulatur iuxta dicta *q.* 6. sic poterit Generalis, excluso Superiore locali Conuentus, eius filiationem de consensu capitulari illius conferre Religioso: cum in vtroque casu militet par ratio, & vbi militat eadem ratio, militet & eadem iuris dispositio.

QVÆRAS IX. Quot, & quibus modis extinguatur filiatio regularis.

Respond. extingui quinque modis; & quidem 1. per exfiliationem voluntariam aut coactam. 2. per transitum ad aliom Ordinem, secuta professione in posteriori Ordine (& hoc est ita verum, vt, si facta tali professione redeat ad priorem Ordinem, ibi denuò profiteri debeat, & effici filius.) 3. per translationem ad aliquam dignitatem extra Ordinem, Episcopatum, v. g. Cardinalatum, Abbatiam, &c. ex *cap. vnic.* 18. *q.* 1. iuncta Glossa, Nauar. *cons.* 6. *de testamentis*: 4. per expulsionem ab Ordine, expulsus enim etsi sit Religiosus in habitu quoad obligationem Castitatis, & Paupertatis, cum adhuc sit incapax proprij, est tamen membrum præcisum à capite paterno, priuatum quolibet iure regulari ob præcisionem, & sua demerita. 5. per mortem naturalem; nam mors omnia soluit Auth. *de nuptiis*, §. *deinceps*. De Apostata autem Dominicano in Capitulo Bononiensi 1564. declaratum fuit illum non amittere filiationem sui Conuentus. 273.

QVÆRAS X. Quot, & quibus suffragiis fieri debeat filiatio regularis instituti.

Respond. regulariter debere institui per suffragia secreta, quæ sint supra medietatem; & quidem filiorum vtriusque Conuentus, si facienda sit translatio filij de vno in alium Conuentum. Sic PP. Dominicani in Capitulo Bononiẽsi 1564. statuerunt translationes filiorum de vno Couentu ad alium non posse fieri, nisi de consensu maioris partis filiorũ vtriusque Conuentus respectiuè præsentium in conuentu, & requisito etiam consensu Prouincialis (exceptis prouinciis desolatis) & in Capitulo Romano 1580. decreuerunt nullas debere fieri translationes filiationũ de vno Conuentu ad alium, nisi per vota secreta; & Prælatos non posse vllo modo recipi in filios illorũ Conuentuũ, in quibus sunt Prælati, quamdiu officio prælationis fungũtur, etiamsi habuerint omnia vota. Sic etiam PP. Seruitæ in suis Const. *c.* 9. *de adoptandis in filios*, habent, ne vllus deinceps alicuius monasterij Professus dimittatur à suo Conuentu, & adoptetur in filiũ alterius Conuentus, nisi dimissio à Conuentu filiationis, & receptio in Conuẽtu adoptionis facta fuerit 274.

fuerit primum in scriptis à filiis vtriusque Conuentus, tam præsentibus, quam absentibus, qui tamen vocem habeant in Capitulo Conuentuali per duas partes ex tribus: idque intelligatur in hoc casu tantùm, quoad assensum duarum partium ex tribus, proponatur toti Capitulo vtriusque Conuentus, vt probetur de more per suffragia supra medietatem dumtaxat. Quod si ex vna prouincia alteri quis adoptandus fuerit, adsit etiam consensus vtriusque Capituli prouincialis, sed hoc ordine, vt prius dimittatur à Conuentu, deinde à Prouincia, priùs proponatur Prouinciæ, denide Conuentui, cui est adoptandus: adoptio autem, quoad Prouinciam fiat tantùm per secreta suffragia, & non in scriptis. Et quidem quod regulariter filiatio regularis institui debeat ex concursu maioris partis suffragiorum, patet, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, & ab omnibus factum reputatur, quod fit à maiori parte; ideóque cum institutio filiationis tangat totum conuentum, cui adoptandus est filius, par est, vt totus modo dicto in eam consentiat. Quod verò suffragia debeant esse secreta; probatur, quia sic melius consulitur libertati suffragantium; & aliqui maximè decet suffragationem esse liberam; præsertim in dispositionibus grauioribus; qualis est institutio, & translatio filiationis regularis.

QVÆRES XI. Qui effectus proueniant ex Filiatione regulari.

175. Respond. prouenire eos, qui ex Constitutionibus, statutis, ac consuetudinibus vniuscuiusque Ordinis ei sunt annexi: ex quibus ille videtur communis omnibus Ordinibus habentibus vsum filiationis, vt filius Prouinciæ, siue Conuentus fruatur omnibus iuribus, ac priuilegiis Prouinciæ, siue Conuentus, in quibus respectiuè est adoptatus. Quo modo in Constitutionibus PP. Seruitarum *suprà*, habetur, post confirmationem filiationis Religiosum gaudere omnibus iuribus, ac priuilegiis Prouinciæ, siue Conuentus, in quo est adoptatus, ac si eorum foret professus, nec liceat ei amplius ad Prouinciam, vel Conuentum, in quibus emiserat professionem, reuerti, neque ius aliquod in eis tanquam filium habere.

Ille item videtur effectus communis filiationis regularis, quod Prouincia, aut Conuentus teneatur admittere Religiosos filios, eisque suppeditare necessaria alimenta: etsi sint inutiles ex infirmitate, ætate, aut alia de causa; quo pacto pater naturalis tenetur alere proprium filium, proportionaliter loquendo. In cuius confirmationem facit quod habetur in Constitutionibus PP. Dominicanorum *cap. de infirmis*, quod Fratres leprosi infra septa sui Conuentus seorsum procurentur: quod est dicere illos, quantumuis morbo illo contagioso laborantes, non posse reiici à proprio Conuentu, imò debere retineri intra ipsum Monasterium.

QVÆRES XII. An, & quale ius acquirat Conuentus in bona Religiosi ei in filium adoptati.

176. Respond. acquirere ius concessum per speciales Constitutiones, statuta, aut consuetudines proprij Ordinis, quod ius potest esse varium pro varietate Ordinum, vt pote pendens ex libera hominum voluntate. sicut in Constit. S. Dominici. *c. de electione Prouincialis*, habetur bona Prouincialis defuncti in officio Prouincialatus spectare pro medietate ad Prouinciam, cuius fuit Prouincialis, pro alia medietate ad Conuentum, cuius est filius; relicta verò Magistri Ordinis, quæ acquisiuit in magisterio, pro medietate esse Conuentus originalis illius: in *cap. item de studentibus*, statuitur, quæ iure hæreditario bona Fratri obueniunt, esse Conuentus originalis, etsi factus sit filius alterius Conuentus. E contra in Constitution. PP. Seruitarum *supr.* dicitur omnia acquisita, vel quoquo modo deuoluta intuitu personæ à die adoptionis per Generalem approbatæ sint Conuentus adoptionis absque vlla partitione post confirmationem autem illius Prouinciæ filium, sint Conuentus, in quo adoptatus est, bona, quæ intuitu personæ Conuentui obueniunt, æquis portionibus inter Conuentum professionis, & Conuentum adoptionis diuidenda esse, exceptis iis, quæ à die adoptionis acquisita sunt.

QVÆRES XIII. An voluntariè exsiliatus secum transferat ad posteriorem Conuentum omnia bona, ac iura quæ secum intulerat priori Conuentui.

Respond. non transferre acquisita priori Conuentui, siue ex donatione, siue ex contractu, siue ex testamento, sed ea remanere penes ipsum Conuentum: quippe qui est perfectè, & absolutè dominus dictorum bonorum, habétque ius acquisitum ad ea, quod sine causa legitima ipsi reluctanti nequit auferri; cum sine culpa nemo priuari debeat iure suo *reg. 23. in 6.* & conuentus in isto casu non deliquerit (vt suppono) sed filius, cuius instabilitati hoc totum debet ascribi. maximè attenta doctrina, quam bene probat Sanchez *lib. 7. mor. cap. 32. num. 8.* tum rationibus, tum authoritate plurimorum Doctorum; nimirum bona, quæ ratione Religiosi sunt acquisita priori monasterio, apud ipsum omninò remanere, Religioso transeunte ad aliud monasterium, aut ad Episcopatum; idque maximè ex Authentica *de Monachis, §. si verò relinquens.* 177.

Secùs dicendum, si prior Conuentus ex filiatione acquisiuit solam spem, & nihil habet actu ex bonis Religiosi exsiliari: tunc enim is secum transfert ad posteriorem Conuentum illam spem; siquidem prior Conuentus habet solam spem dictorum bonorum, quæ euanescit statim ac Religiosus desinit esse filius prioris Conuentus, vt docet Glossa *c. un. 18 quæst. 1.* & cum ea Sanch. *l. 7. de matr. D. 12. n. 7. per Instit. de acquisit. arrogat. §. mortuo.* ita Bordon. *supr. n. 1 a. addens num. 12.* quod si in Ordine de licentia Superioris Religiosus habeat aliquos redditus, pensiones, liuellos, seu census ad vitam, hos secum transfert; cùm prior Conuentus eorum, nullam acquisiuerit proprietatem, aut dominium, sed solùm ius quoddam permissiuum, vt Religiosus dependenter à voluntate Superioris possit eos redditus recipere ad suos vsus licitos, ac necessarios, Conuentu non valente occurrere omnibus indigentiis, sicque ea bona nullo modo incorporata transeunt ad posteriorem Conuentum: idque putat Bordonus procedere non solùm in casu, quo peculium ea lege concedatur, vt monasterium non possit se intromittere in eo (quod etiam concedit Sanch. *lib. 7. mor. c. 32 n. 14.*) sed etiam absolutè; cùm monasterium nullum ius acquisierit in dictum peculium.

An autem, quando redditus, pensiones, census, & similis prouentus creati sunt ex pecuniis acquisitis à Religioso de licentia Superiorum, fundati, siue supra bona extraneorum, siue supra bona eiusdem Conuentus, tunc isti redditus transeant ad posteriorem Conuentum, vel maneant apud priorem, quoad ius, ac exactionem: ita vt in posteriori Conuentu illos exigere nequeat Religiosus exsiliatus.

Respond. ius ad fundum, seu census capitale remanere apud priorem Conuentum, exactionem verò fructuum transire cum Religioso ad posteriorem vsque ad eius mortem; post quam fructus

consolidatur cum capitali apud priorem Conuentum. Ducor, quod prior Conuentus habet ius acquisitum, quo priuari non potest: fructus verò transeunt cum Religioso, vtpote de licentia Superiorum destinati ad vsus illius necessarios, ac licitos.

Addit Bordonus *n. 25.* ex conditione filiationis regularis bona in spe, videlicet census extraneos ex eorum creatione ante possessionem, & exactionem censuum creatorum post ipsam professionem transire ad posteriorem Conuentum, etsi non fuerit facta mentio de transitu, sed solùm de filiatione: quippe comitantur personam, & ad ea prior Conuentus solùm habet ius ratione filiationis; quæ cum extinguatur, & de nouo contrahatur in posteriori Conuentu, ea secum transfert religiosus, quoad fructus.

Maius dubium est, an Conuentu resistente, possit Generalis bona acquisita religiosi subditi transferre in posteriorem Conuentum, cuius efficitur filius.

178. Respond. non posse: & probatur, tum quia Generalis non est dominus absolutus bonorum sui Ordinis, sed supremus administrator, tutor, & conseruator; sicque de iis nequit disponere absque consensu Conuentus ea immediatè possidentis: tum, quia bona particulari Conuentui addicta, ac propria spectant ad totum illum Conuentum, adeòque sine eius consensu nequeunt transferri; siquidem quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari: tum, quia neque Episcopos ex *cap. tua nuper, cap. pastoralis, de ys, quæ fiunt à Prælat.* sine consensu Patroni, ac Capituli potest auferre vni Ecclesiæ, ac donare alteri, eadem autem ratio militat in præsenti casu, vt consideranti facilè patebit. ita Bordonus *n. 26.* alioqui concedens Generalem Ordinis posse de consensu Conuentus, à quo fit translatio filij, dare posteriori Conuentui bona priori tam acquisita: idque probans, tum quia à pari id colligitur de Episcopo ex relatis textibus, & ex Gloss. *v. à quecunque, cap. constitutus, de relig. domib. ad fin. gloss.* tum, quia auferendo vni Ecclesiæ, & dando alteri de consensu eius à quo fit ablatio, non committitur alienatio prohibita, quando vtraque Ecclesia est sub eodem Superiore auferente. Glos. *cap. Eccles. 16. q. 1. per l. voluntas, C. de fideicom.* vbi dicitur frater non videtur alienare dando fratri: tum, quia etsi *cap. vnic. de relig. domib. in 6. §. fin.* prohibeatur transitus vnius Conuentus ad alium, id tamen procedit de Conuentibus diuersorum Ordinum, & habentibus diuersos Superiores, vt ex ipso texto colligitur: tum, quia maior est alienatio personæ, quàm bonorum. Gloss. *v. à Priore, cap. post translat. de renuntiat.* at de consensu vtriusque Conuentus alienari potest persona, vt ostendimus *supr. q. 8.* de exsiliatione, ergo & bonorum alienatio fieri poterit de bonis vnius Conuentus in alium de consensu vtriusque.

CAPVT VII.

De Priuilegiis, quæ concessa sunt Regularibus, quoad bona ipsorum temporalia.

EXplicatis priuilegiis, quæ concessa sunt Regularibus, quoad eorum personas (quod præstitimus in præcedenti capite:) superest modò vt explicemus ea, quæ ipsis concessa sunt, quoad bona temporalia; hinc caput diuidemus in quinque sectiones, in quarum prima exponemus varia priuilegia, quæ ipsis competunt, quoad bona, tam mobilia, quàm immobilia: in secunda agemus de priuilegiis concessis, quoad ædificationem, conseruationémque Monasteriorum: in tertia, de Immunitate à Foro sæculari Regularibus concessa, quoad bona temporalia: in quarta, de Exemptione à gabellis, aliisque similibus oneribus: in quinta, de Immunitate à decimis.

SECTIO I.

De Priuilegiis concessis Regularibus, quoad eorum bona, tam immobilia, quàm mobilia.

1 *Ex Concilio Tridentino Regulares sunt capaces bonorum, etiam stabilium, sed non omnes.*
2 *Et si solùm in communi, non autem in particulari.*
3 *Succedunt monasteria, si sint capacia, in bona suorum Religiosorum.*
4 *Quidquid acquirit Monachus, acquirit monasterio.*
5 *Religiosus Episcopus aut Cardinalis acquirit suæ Ecclesiæ: Titularis verò Episcopus acquirit proprio Ordini, vel certè iuxta alios Papæ: Religiosus damnatus ad triremes acquirit Ordini proprio, sed non semper.*
6 *Acquirit propria Ecclesiæ Religiosus promotus ad sæculare beneficium exemptum ab Ordine.*
7 *Promotus ad Prælaturam alterius Ordinis non acquirit semper Prælaturæ.*
8 *Succedit Ecclesia in hæreditatem Religiosi sui Episcopi.*
9 *Non item semper, si Religiosus professus fuerat in Ordine incapaci.*
10 *Regulares sunt capaces successionis hæreditariæ.*
11 *Hæreditas delata religioso immediatè, acquiritur Ordini.*
12 *Mortuo Religioso post delatam hæreditatem, Monasterium illam adit: religiosus ipse cogi potest adire hæreditatem; &, si ille fiat amens ante delationem hæreditatis, potest monasterium hanc delatam adire.*
13 *Monasterium, quoad succedendum in bonis sui religiosi habetur loco filij.*
14 *Secus, si aliter constet de mente testatoris substituentis.*
15 *Substitutus non exclusus à monasterio, succedit à die, qua profitetur Religiosus, cui substituitur.*
16 *Excluditur monasterium, si is, cui substituitur, sit Societatis Iesu, & renunciauit bonis in eius fauorem.*
17 *Monasterio excluso, succedit substitutus solùm post mortem Religiosi, cui substituitur.*
18 *At non succedit in bona data sub conditione,* Si sine filiis decesserit, *à profitente postea in Religione.*
19 *Idem procedit, si descendens grauatur dare hæreditatem tertio, non apposita dicta conditione, & ille ingreditur Ordinem capacem.*
20 *Item procedit, si non descendens instituatur sine vlla conditione, substitutis eius filiis, isq; fiat religiosus.*
21 *Monasterium acquirit bona data religioso ea lege vt non alienentur.*
22 *Item acquirit, quoad vsum donata suo religioso iam Professo, etsi aliàs sit incapax.*

23 Acquisita monasterio non transferuntur ad alium Ordinem cum Religioso transeunte.

24 Regulares sunt capaces legatorum in communi, imò & particulari : pro defuncto curari nequeunt suffragia ex eius bonis inuito ipsius hærede.

25 Filio profitente in Ordine capaci, expirat Substitutio vulgaris.

26 Peculium castrense, aut quasi filij professi transit ad Ordinem capacem.

27 Regulares Ordinis incapacis non succedunt in Maioratum ; secus, si sint Ordinis capacis, & Maioratus non habeat annexam iurisdictionem, ac dignitatem.

28 Etsi id non procedat, si in Maioratus institutione ij excludantur.

29 Profitente possessore Maioratus in Ordine incapaci, vocatus statim succedit.

30 Regulares succedunt in Maioratum carentem iurisdictione institutum ad conseruandam familiam.

31 Excluso monasterio à Maiorata, succedit sequens vocatus, si habens Maioratum fiat Professus.

32 Regulares Ordinis capacis succedunt in Feudum.

33 Si feudum non habeat dignitatem annexam.

34 Feudum transiens ad monasterium regulariter durat solùm ad vitam Religiosi.

35 Religiosi Ordinis Militaris sunt capaces Feudi.

36 Regulares sunt capaces Iurisdictionis temporalis.

37 Ius patronatus non semper transit ad Monasterium.

38 Et, si transeat, præsentatio fieri debet capitulariter.

39 Interdum Religiosus valide præsentat Beneficiarium sine licentia Prælati proprij.

40 Regulares sunt capaces Fideicommissi.

41 Hæc restituendum post mortem Religiosi taliter institutis, & non ante, si sit Ordinis capacis.

42 Quod si religiosus sit Ordinis incapacis, restituitur a die Professionis ipsius Religiosi.

43 Regulares sunt capaces bonorum emphyteuticorum.

44 Eiusmodi bona non semper transeunt ad monasterium.

45 Emphyteusis transit ad monasterium capax, si ea sit hæreditaria.

46 Emphyteuta profitente in Ordine incapaci, ad vitam eius emphyteusis pertinet ad eius hæredes.

47 Religiosus professus non nominat ad emphyteusim antea obtentam.

48 Non renouatur emphyteusis trãsiens in monasterium capax vi Religiosi, si in eo finiatur.

49 Vsusfructus Religiosi vsufructuarij acquiritur Monasterio ad eius vitam.

50 Imò & perpetuò, si vsusfructus sit Religiosi eiusque hæredum.

51 Extinguitur, Vsufructuario profitente in Ordine incapaci.

52 Relictus Religioso post Professionem intuitu monasterij durat 100. annis ; secus, si intuitu Religiosi.

53 Vsusfructus acquisitus monasterio per professionem Religiosi transit, eo transeunte ad alium Ordinem, sed non semper.

54 Per Professionem in Ordine incapaci tollitur ius commoditatis vsusfructus antea in sæculo alienatum.

55 Translato in monasterium Vsufructu Census perpetui, si vendatur res censuaria, laudemium spectat ad Monasterium.

56 Vsusfructus paternus in bona filij aduentitia expirat per professionem Patris, sed non semper.

57 Filio profitente in Ordine capaci, Pater ad vitam retinet Vsumfructum bonorum, qui patre nubente secundo, & filio præmoriente consolidatur cum proprietate.

58 Ius Retractus Religioso competens non transit in Monasterium.

59 Pater profitente in Religione, Legitima filiis statim debet dari : imò & post suam professionem illam iis potest assignare, si antea non assignauit.

60 Legitima non aufertur filiis Religiosis ob Ingratitudinem commissam in sæculo.

61 Precarium concessum Religioso transit ad Monasterium.

62 Regulares olim poterant commutare legata de vno vsu pio ad alium pium ex suis priuilegiis.

63 Imò iuxta Bordonum possunt & in præsentia post reuocationem oraculorum, aut de consensu hæredis.

64 Si concurrant vtilitas, aut Pietas : quin commutatio fieri potest in præterita per modum ratihabitionis, sufficiente ad hoc necessitate morali, quæ explicatur.

65 Relicta Sacristiæ non expendenda in vsibus Conuentus.

66 Bona ab vno in alium Conuentum non transferenda.

67 Testamentum factum in fauorem Conuentus tenet sine solemnitate Iuris ciuilis.

68 Tenet, etsi, eo non absoluto, moriatur Testator.

69 Promissio, & Donatio facta Regularibus tenet sine Acceptatione, aut Insinuatione ; cuius declaratur natura.

70 Regularibus acquiritur res donata, aut vendita etiam sine Traditione.

72 Gaudent Religiosi Priuilegio, quod vocant Minorum.

71 Et quidem in omni casu, quo gaudent Minores.

73 Imò & post elapsum quadriennium, si subsit causa.

74 Limita, quoad fructus acquisitos bona fide ab emptore rei pertinentis ad monasterium.

75 Hoc priuilegium competit Regularibus, etiam vt personis particularibus.

76 Contra bona stabilia Regularium non currit præscriptio minor sexagenaria, imò & centenaria.

77 Completa Præscriptione per quadriennium restituendi integrum Religiosi.

78 In mutuo gaudent beneficio S. C. Macedoniani.

79 Monasterium non semper tenetur de Deposito.

80 Non tenetur supra vires hæreditatis acceptata absque Inuentario. hæreditas relicta à Religioso ante professionem debetur solùm post eius mortem ; etsi ille superstes sit instituatis, omnia transfert ad Ordinem capacem : quod si ex testamento alij relinquit sua bona, statim adeunda ac ille ingreditur Religionem, reddenda tamen ei ab ea recedenti : bona acquiruntur instituto solùm post professionem Testatoris : legata à profitente postea in Religione soluenda post Testatoris mortem postmorientis instituto : Nonitius, etiam Capuccinus reseruat sibi electionem puellarum dotandarum ab eius hærede ; & quidem etiam pecuniam contrectando : quam Augustiniani Discalceati itinerantes secum nunc possunt deferre de licentia Superioris : cum aliàs teneatur intra 24. horas in solitis officinis reponere donata, vt sint ad vsum communem.

81 Contractus à religioso factus sine licentia Prælati obligat naturaliter.

82 Si fiat cum tali licentia, à Prælato nequit irritari.

83 Monasterium non semper tenetur ad debita à suo religioso contracta.

84 Bona inuenta, & incerta applicari possunt regularibus.

85 Excommunicantur damnificantes eorum bona.

86 Monacho in hæresim incidente, Ordo non amittit bona ipsi Monacho delata.

87 *Religiosus exheredatus, aut præteritus in testamento à parentibus illud rumpit.*

88 *Repudiatio hæreditatis, aut legati facta à religioso sine licentia debita non tenet.*

QVÆRES I. An, & quo iure regulates sint capaces bonorum, tum immobilium, tum mobilium.

1. Respond. Esse, exceptis tamen Capuccinis, Fratribus Minoribus de Obseruan. domibus professis Soc. Iesu, & Conuentibus Carmelit. Discalcear. in Hisp. idque ex concessione Concilij Trid. *sess. 25. c. 3. de regul.* quæ ita habet: *Concedit S. Synodus omnibus monasteriis, & domibus, tam virorum, quam mulierum, & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum, & eorum, qui Minores de Obseruantia vocantur, etiam quibus ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat.* Vnde fit, vt vigore talis decreti omnes Religiones, etiam Mendicantes sint capaces bonorum immobilium: si excipias Capuccinos, & Fratres Minores de Obseruantia, qui expresse excluduntur à decreto (vt constat ex tenore illius) & paucos alios Ordines, qui dictæ concessioni renunciarunt; nimirum Religiosus Societat. Iesu, quoad domos professas, & Carmelitas Discalceatos in Hispania; quibus addi debent Clerici scholarum piarum approbati in Religiosos à Gregorio XV. cum de iis Paulus V. in sua Constit. 101. in ordine statuerit, *vt nihil omnino iuris habeant, sed nec habere, aut acquirere quouis titulo possint in bonis, seu ad bona, quæ vocantur immobilia, vel quæ pro immobilibus habentur.*

2. Circa cuius concessionis intelligentiam illud in primis notandum est, quod cum ea facta sit monasteriis, & domibus Regularium, ex ea inferri non potest quod Religiosi particulares vi illius possint bona aliqua immobilia possidere, saltem reuocabiliter, & cum dependentia à voluntate Superiorum; id enim falsum est, nisi fortè per accidens in casu, quo iuxta consuetudinem aliquarum religionum vnicuique religioso monasterij ex communibus eius redditibus assignaretur certa portio pro victu, vestitu, & aliis vsibus honestis; quod posse fieri docet Diana *p. 1. tract. 6. resol. 32.* aliis citatis.

QVÆRES II. An, & quo modo, & quo iure monasteria Regularium possint succedere in bona suorum Religiosorum.

3. Respon. Posse ex iure humano fundato in Iure ciuili, & approbato in Iure canonico *cap. quia ingredientibus 19. q. 3.* his verbis. *Sed res eorum eiusdem monasterij iuris fiant*; idque non iure hæreditario sed potius cuiusdam acquisitionis naturalis, & accessoriæ ipsi personæ; quatenus scilicet hoc ipso, quod persona transfertur in monasterium, accessoriè in ipsum transeunt etiam bona illius; vt benè colligit Sanch. *l. 7. moral. c. 12. nu. 21.* ex Authent. *Ingressi C. de sacros. eccl.* intellige, si religiosus moriatur ab intestato, & relinquat bona, de quibus ante professionem non disposuit. quæ responsio procedit etiam, quoad monasteria Ordinum Mendicantium capacium modo dicto bonorum immobilium, & manet probata ex dictis *in tract. de profess. c. 3. q. 19.* Et hanc responsionem puto procedere independenter à quacumque Iudicis sententia, quam in hoc casu puto non requiri: sicut nec requiritur in aliis casibus, in quibus aliquid debitum est simpliciter, & absolutè; quo modo debentur monasterio capaci bona religiosi ante professionem ea à se per renunciationem non abdicantis.

QVÆRES III. An, & qualiter verificetur. *Quidquid acquirit Monachus, acquirit monasterio.* 4.

Respond. Verificari generaliter de monasteriis Ordinum capacium; patétque ex dictis *in tract. de profess. c. 6. sect. 2. q. 9.*

An autem, & quo modo procedat ista responsio etiam de religiosis Apostatis, aut legitimè Eiectis, aut promotis ad Episcopatum, aliamue similem dignitatem sæcularem; constat de Apostatis quidem ex dicendis *inf. c. 8. sect. 3. q. 25.* de Eiectis verò *cit. c. 8 sect. 5. q. 14. §. quod si quæras,* de promotis denique ad Episcop. stabit ex modo dicendis per sequentes responsiones.

Respond. Ergo 1. Religiosum factum Episcopum, aut Cardinalem acquirere non religioni, sed propriæ Ecclesiæ iuxta *cap. vn. 18. quæst. 1.* vbi hoc expressè definitur etiam, quoad bona iure hæreditario ei post Episcopatum peruenientia: idque à tempore confirmationis, & à possessione accepta suæ Ecclesiæ, esto nondum sit consecratus: quippe ex tunc est verus Episcopus à iurisdictione monasterij omninò exemptus; vnde fit vt, sicut nullam habet communionem cum eo, quoad fruendum bonis eius temporalibus; sic nec debeat illi acquirere iuxta regulam iuris, *Qui non sentit commodum, nec debet sentire onus.* ita Rodriq. *tom. 3. quæst. 69. art. 4.* addens Episcopum titularem acquirere proprio Ordini: quod tamen non approbant Azor. *to. 5. lib. 12. cap. 10. quæst. 7. & Suar. to. 4. de relig. tract. 8. lib. 3 cap. 18. nu. 5.* docentes Episcopum titularem per se, & ex vi iuris acquirere illi Ecclesiæ, cuius titulum habet: quamquã, cum re vera ei applicari non possit, quod acquiritur (ait Suar.) dispensari debeat in bona opera arbitrio ipsiusmet Episcopi, dependente tamen à Papa. Quin etiam Sot. Rodriq. & Sà relati à Card. de Lugo *D. 3. de iust. num 133.* putant Episcopum titularem acquirere proprio Ordini: alij verò volunt illum acquirere Papæ: vt Azor. & Sanch. relati ab eodem Card. *vbi sup.* addente ex Riminaldo *cons. 342. à num. 38. vol. 3.* Religiosum Cardinalem acquirere suæ Ecclesiæ, cuius administrationem habet; etsi subdat id non esse in vsu; cum omnes Cardinales communiter habeant indultum testandi, ac disponendi: & quæ acquirunt, ea ferè omnia pertineant, vt spolia ad Cameram Apostolicam. 5.

Religiosus autem damnatus ad triremes iuxta Graff. *p. 1. decis. lib. 5. cap. 5. nu. 82.* acquirit Episcopo cuius sunt triremes: iuxta verò Nauar. *in sum. bul. de Regul. condemn. n. 14.* si ille perpetuò sit damnatus ad triremes, acquirit ei, cui acquirunt serui, quippe qui, est seruus, ac degradatus: si autem sit damnatus ad tempus, & elapso tempore præscripto non redeat ad Ordinem, sed tamquam eiectus habitu religioso sit spoliatus, acquirere ei, cui acquirunt religiosi eiecti; quod si damnatus sit ad tempus cum onere redeundi ad Ordinem post elapsum tempus, teneri redire, & acquisita secum deferre ad religionem.

Respond. 2. Religiosum promotum ad alia beneficia sæcularia inferiora, siquidem ita præficiatur Ecclesiæ, vt integrè eximatur ab obedientia Abbatis, acquirere Ecclesiæ, vndecumque acquisita: cum in eo militet ratio allata pro religioso facto Episcopo; si verò maneat subditus monasterio, acquirere Ecclesiæ acquisita ex rebus ipsius Ecclesiæ, aut operis suis, non item quæ aliunde acquirit monasterio; ita vt, quamdiu ille degit intra monasterium, Ecclesia sit quasi eius vsufructuaria; non item, si degat extra; tunc quippe succedit in ea bona Camera Apostolica iuxta Constitutionem Gregorij XIII. alibi explicandam. ita Sanchez *sup. cap. 32. num. 76.* 6.

Respond.

7. Respond. 3. Religiosum euectum ad Prælaturam alterius Ordinis acquirere Prælaturæ, si quid ei relinquatur intuitu ipsius Prælaturæ, aut acquirat ex re, vel ob rationem dictæ Prælaturæ; monasterio autem, in quo professus est, acquirere ea, quæ ipsi obueniunt ex testamento, aut ab intestato, aut aliunde, vt pote quæ censentur ei relicta contemplatione suæ personæ: nam dignitas accidentalis non debet alterare propriam, & originariam naturam *lib. fin. ff. de fundo instructo.* Riminald. iunior *conf. 341. num. 39. & 40. vol. 3.*

Quod si quæras, an Ecclesia, cui præficitur Religiosus factus Episcopus, succedat in hæreditatem paternam, aut aliam ipsi debitam ab intestato non obstante quod ius succedenti in talibus bonis, iam translatum sit in Monasterium ex vi professionis factæ à Religioso.

8. Respond. Succedere; & probatur ex eo quod ius illud fuit translatum in monasterium iuxta dispositionem iuris, dependens scilicet à persona ipsius Religiosi: ita vt, si hæc transeat ad aliquam Ecclesiam Cathedralem, ad eam transeat etiam ius illud succedendi, quod tamen non procederet, si pater Religiosi obiisset, & hæreditas iam peruenisset ad monasterium ante transitum ad Episcopatum; cum sic monasterium ius in re acquisierit absolutum, ac independens à statu personali ipsius Religiosi; quod videtur procedere etiam in casu, quo fortè hæreditas iaceret, & monasterium illam non adiisset.

Dices, quid si præfatus religiosus professus fuerat in Ordine incapaci successionis hæreditariæ, succeditne tunc Ecclesia?

9. Respond. Distinguendo; vel pater, aut testator moritur, antequam dictus Religiosus fiat Episcopus, aut aliàs redditur capax hæreditatis; & sic hæreditas non pertinet ad Ecclesiam, ad quam ille assumitur, sed ad alium hæredem, qui succedat in gradu; idque etsi contingat hæreditatem iacere pro aliquo tempore, & Religiosum interim fieri Episcopum: ius namque & ordo succedendi spectatur iuxta capacitatem, & statum personarum pro tempore, quo moritur pater, aut testator: vel pater aut testator moritur, postquam Religiosus factus est Episcopus; & sic hæreditas pertinet ad Ecclesiam ob rationem paulò ante adductam, est communis Iuristarum apud Suar. *sup. cap. 16. num. 15.* paterque ex eo quod, quamdio religiosus manet in Ordine incapaci, religio non succedit; non quidem quod, quantum est ex parte religiosi, non possit habere ius succedendi, sed quod cedat iuri suo; vnde fit, vt, vbi religiosus vnitur Ecclesiæ capaci successionis; & non cedenti iuri suo, statim in eam transferat ius succedendi. quod est dicere per professionem factam in Ordine incapaci non fuisse omninò extinctum ius succedendi, nec absolutè transiisse ad alios fratres, aut principales hæredes, sed vel mansisse quasi suspensum, vel iuxta præsentem statum dictum ius non esse actu in vllo, vel certè, si ad alios fuit translatum, translatum fuisse, non absolutè, sed dependenter à futuro euentu; nisi quis etiam malit dicere ius illud radicaliter manere semper in religioso: idque illæso voto Paupertatis religiosæ: cum tale ius non sit, vt religiosus succedat, sed vt loco eius succedat Christus, vel aliquis locus pius.

QVÆRES IV. An, & quo modo Regulares fiant capaces hæreditariæ successionis tam ex testamento, quam ab intestato.

10. Respond. esse, & quidem ita vt non solùm monasteria in communi, sed etiam ipsimet religiosi particulares possint modo dicto succedere, acquirendo tamen, non sibi, sed monasterio: idque, etiamsi sint ex Ordinibus Mendicantibus, dum modò non sint de exceptis iuxta dicta *q. 1.* ita Molin. *tract. 2. D. 140. § non solum,* Rodriq. *tom. 2. quæst. 77. art. 1.* aliique, & probatur ex dictis *in tract. de votis, cap. 1. quæst. 6.*

Quod si quæras, an hæreditas delata Monacho acquiratur ipsi immediatè, adeóque requiratur eius aditio, vel certè Monasterio, ita vt ipsum solùm illam possit adire.

Respond. Videri probabilius hæreditatem acquiri Monasterio immediatè, ac proinde ad illam acquirendam nulla opus esse aditione Monachi. & ratio est, quod per professionem omnia iura Monachi, omnisque eius voluntas transierunt in monasterium, ita vt Monacho nulla ampliùs supersit voluntas *cap. nolo 12. quæst. 1.* nec vlla in eo maneat capacitas hæreditatis; vnde fit, vt hæreditas non acquiratur Monacho, sed monasterio. ita Molin. & Rodriq. *locis citatis*, aliique plurimi apud Sanchez *lib. 7. mor. cap. 12. num. 36.* qui ex dictis benè infert monasterium posse adire hæreditatem delatã Monacho, quantumuis Monachus ignoret, contradicat, aut repudiet, tuncque monasterium succedere, exclusis substituto, & aliis hæredibus; cuius rei ea est ratio, quod in tali casu hæreditas immediatè defertur monasterio, quamuis ex persona Monachi; sicque solius monasterij est illam adire, aut repudiare, etiam ignorante, aut contradicente ipso Monacho. 11.

QVÆRES V. An, mortuo Religioso post delatam hæreditatem, nondum tamen aditam, possit monasterium illam adire, exclusis substitutis, & aliis hæredibus.

Respond. Posse; & probatur, quia monasterium non innititur iure transmissionis, sed eo, quod Monachus vi professionis omnem suam voluntatem, & omnia sua iura transtulit in monasterium; ita vt ex tunc non sibi, sed monasterio immediatè deferatur hæreditas, & consequenter ius adeundi competat, non sibi, sed monasterio; quod ius proinde semel acquisitum monasterio non extinguitur morte Monachi; sicque quoad hoc non obstat voluntatem monachi cessare per eius mortem; cum ante eius mortem hæreditas delata sit monasterio. ita Less. *lib. 2. cap. 41. num. 87.* Sà *v. religio num. 27.* Rodriq. *sup.* aliique plurimi Canonistæ penes Sanch. *sup. nu. 47.* qui *nu. 50.* aliis citatis docet, mortuo monacho, nondum adita hæreditate, competere monasterio remedium restitutionis petendæ, sicque ipsum posse hæreditatem acquirere vis restitutionis: cum in hac omissione aditionis non attendatur solum persona monachi defuncti, sed etiam negligentia Abbatis, qui debebat cogere monachum ad illam adeundam; quamquàm petitio dictæ restitutionis fieri debeat intra quadriennium iuxta *cap. 1. de in integr. restit. in 6.* vt aduertit Fachin. *in controu. iur. ciu. lib. 6. cap. 18.* 12.

Dixi, *qui debeat cogere Monachum* &c. vt indicarem ex Sanch. *sup. num. 41.* integrum esse monasterio pænis cogere monachum ad adeundam hæreditatem relictam, & talem coactionem fore vtilissimam ad vitandas lites, quæ suboriri possent ex diuersitate opinionum, sitne necessaria Monachi aditio, vt monasterium acquirat, necne.

Addit Sanch. *num. 43.* ex Baldo, Monacho facto amente ante hereditatis delationem, posse monasterium eam delatam adire: probatque, tum quia hæreditas defertur monasterio immediatè nulla Monachi aditione petita: tum quia esto sit dubium peculiare in hæreditate delata, in qua filius non est suus hæres, cum lex ei non deferat pleno iure, nisi ad sanam mentem redeat *lib. fin. ff. de curat. fur.* sicut tamen

tamen ibi potest adire per Curatorem, sic & in præsenti casu adire poterit per monasterium.

QVÆRES VI. An monasterium capax succedat in bona illius, qui nullis relictis liberis, ingreditur Religionem: si aliàs erat grauatus dicta bona restituere cuidam tertio in casu, quo sine liberis decederet.

13. Respond. succedere, exclusio penitus substituto: idque ex Authent. *de sanctiss. Episcop.* § *sed & hoc præsenti. & cap. in præsentia de probat.* vbi expressè deciditur grauato hoc profitente in Religione expirare prorsus id fideicommissum, & bona illa pertinere ad monasterium in perpetuum, excluso penitus substituto; quod decretum licèt aliquibus visum sit adeò exorbitans, vt putarint illud procedere solùm pro foro externo, tenera tamen seruari debet in vtroque foro, vtpote receptum iure canonico, *cap. in præsentia, modo citato*, in quo iure canonico nefas est cogitare aliquid statui in præiudicium conscientiæ; vnde conditio illa, *si absque liberis decesserit*, habetur pro non apposita, quatenus est in præiudicium monasterij. Ita Molin. *tract.* 2. *D.* 160. aliique apud Sanch. *l.* 7. *mor. cap.* 16. *n.* 8. qui addit *n.* 9. substitutum, quoties excluditur per monasterium modo dicto, in perpetuum excludi, idque esse indubitatum apud omnes Auctores ex Authentica *de sanctiss. Episcop.*

Dices, quid si constet testatorem adiicientem illam conditionem, *si absque libris decesserit*, intendisse, quod substitutus non excluderetur per monasterium, succedetne nihilominus monasterium modo dicto?

14. Respond. videri probabilius, quod non succedet, & consequenter per ipsum non excludetur substitutus. Moueor, quod ex vna parte decisio textuum superiùs relatorum innititur præsumptæ voluntati testatoris, quæ hîc non habet locum; cum clarè constet de contraria eius voluntate; ex alia parte non est verosimile eum, qui ingreditur Religionem per votum paupertatis renuntiaturus omnibus bonis, ob timorem amittendi bona aliqua relicta tractatum iri ab ingressu Religionis, ne monasterium iis priuetur: quod est dicere conditionem illam non reiici tanquam turpem, & auertentem à religione. Ita Menoch. *de præsumpt. l.* 4. *præsumpt.* 83. *à n.* 2. *vsque ad* 29 Molin *supr.* Rodriq. *supr. art.* 4. aliique plures apud Sanch. *n.* 12. contra plures alios ab eodem Sanchez relatos *n.* 11. sustinentes (& quidem probabiliter iuxta ipsum Sanchez) monasterium etiam in hoc casu successurum, excluso substituto.

15. Cæterùm in casu, quo substitutus ille non excludatur à monasterio (quod potest euenire in multis casibus eruditè recensitis à Sanch. *supr. n.* 13. *& seqq.*) potest succedere statim à die, qua profitetur Religiosus, cui ille substituitur; & ratio est, quod grauans aliquem, vt sine liberis decedens restituat substituto, hanc habet mentem, vt velit præferre hominem sic grauatum omnibus hæredibus illius, ac ipsi substituto, deinde filios grauati, & postea ipsum substitutum, vnde, cum grauatus in præsenti casu sit incapax retinendæ hæreditatis (vt suppono eo) eo quod professus sit in Ordine Minorum incapaci, nec liberos habeat veros, neque fictitios, posita monasterij incapacitate: statim à professione, illius bona substituto debent substituto, vtpote à testatore prælato aliis suis hæredibus. Ita Nauar. *comm.* 2. *de regul. num.* 54. Azor. *tom.* 1. *lib* 12. *cap.* 8. *q.* 9. contra Armillam *ver. hæreditas, n.* 19. Syluestrum *v. eod* 1. *q.* 7. & alios sustinentes substitutum in isto casu excludi, non quidem à monasterio, quod supponimus esse incapax; sed ab aliis piis operibus, & contra alius putantes illum excludi non perpetuo, sed solùm pro tempore vitæ monachi, quo scilicet ipse in sæculo degens ea bona possessurus esset, & interim illa à tempore professionis spectare ad legitimos hæredes ipsius Monachi: qua de re Sanchez *supr. num.* 15.

Maius dubium est, an substitutus in casu proposito excludatur in perpetuum, si Religiosus, cui ille substitutus est, sit Societatis Iesu, & in fauorem Societatis bonis suis renuntiauerit priusquam profiteatur, aut emittat vota Coadiutorum formatorum.

Respond. videri probabile substitutum in hoc casu excludi in perpetuum: & probatur, quia iure adducta *q.* 6. quæ videntur posse obstare, excipiunt quidem solùm duplicem causam piam substitutam, ne substitutus per monasterium excludatur; à Doctoribus tamen extenduntur ad quamcumque causam piam, eò quod in qualibet pia causa militet eadem ratio exceptionis, sicque locum habebũt etiam in casu nostro, in quo vrget ratio, quæ vrget in aliis Religionibus; cum vota biennij emissa in Societate verè faciant Religiosum, & consequenter ea emittens dicatur verè ingressus Religionem; vnde verificatur & grauatum ingressum fuisse Societatem, & Societatem ipsam institutam fuisse hæredem ratione præfatæ renuntiationis: parum enim refert, siue monasterium sit hæres ab intestato, siue testamentarius ex voluntate Religiosi instituentis: quæ duo sufficiunt ad hoc vt substitutus vi dictorum iurium per monasterium excludatur in perpetuum. Ita Sanch. *supr. n.* 22. concedens *n.* 20. quod si Religiosus ille grauatus in præsenti casu sit Professus, aut Coadiutor formatus, tunc substitutus statim succederet, non minùs quam si esset professus in Ordine Minorum. 16.

Monent autem DD. cum Molina *supr. D.* 190. in casu, quo monasterium alioqui capax non succedit, vtpote exclusum à substituto; non admitti substitutum, nisi post mortem naturalem Religiosi modo dicto grauati, monasterio interim retinente dicta bona; cum enim monasterium succedat in totum ius, quod dictus Professus habebat in sæculo; sicut is præfata bona retinuisset in sæculo pro toto tempore vitæ suæ, aut certè quamdiu adueniisset terminus præscriptus à testatore; sic & monasterium ex persona illius Professi ea bona retinebit, dum ille viuerit, redditque substituto post mortem naturalem Professi, aut certè accedente tempore designato à testatore. 17.

QVÆRES VII. An monasterium succedere possit in ea bona, quæ quis in sæculo alteri donauit sub ea conditione, *si absque liberis decessero*, & postea facta tali donatione ipse donans sit professus in Religione.

Respond. non succedere; & probatur, tum quia Authent. *de sanctiss. Episcop.* relata *quæst. præced.* quæ videtur obstare, loquitur in casu, quo conditio liberorum refertur in alteram personam: cum tamen sit diuersa ratio, quando ea refertur in propriam personam, quod eum quis de se ipso loquitur, seruanda est conditio, *l.* 3. § *conditio, ff. de adimend. legatis*: tum quia legitima ratio dictæ Authenticæ non est, ne impediatur ingressus Religionis; &, si esset, nihilominus non probaretur intentum; siquidem diuersa est ratio, quando ea conditio apponitur à quodam tertio, ac quando apponitur ab ipsomet disponente: nam in priori casu grauatus tale onus subit inuitus, & cogente alterius dispositione; sicque posset terrabi ab ingressu Religionis, si tunc non excluderetur substitutus, cui cogitur præstare fideicommissum; in posteriori verò casu cõditio apposita, 18.

cum

cum manet ex propria voluntate, & præsumatur perseuerare, dum non reuocatur, non retrahit à Religione. Ita Sanch. *sup. num.* 67.

QVÆRES VIII. An monasterium succedat in perpetuum in bona Professi casu, quo testator instituit suum descendentem, ipsum grauando, vt post mortem suam restituat hæreditatem, aut partem illius alteri tertio, non explicata tamen conditione, *si absque liberis decedat*, & alioqui descendens ingrediatur Religionem capacem.

19. Respond. non succedere, sed substitutum: idque statim ac Professus modo dicto grauatus moritur. Ducor, tum quia decisio Authenticæ relatæ *q.* 6. vt exorbitans à iure non debet extendi vltra casum, in quo ipsa loquitur, nimirum quando exprimitur conditio, *si absque liberis decedat*, quæ non exprimitur in præsenti casu; tum quia quando hæres extraneus sine vlla conditione grauatur restituere hæreditatem alicui extraneo, grauato profitente, monasterium non succedit, sed extraneus substitutus, excluso monasterio, eo quod tunc non insit tacita conditio, *si sine liberis decesserit*, & cesset ratio iudicandi, quod testator voluerit alienas successiones propriæ successioni anteponere; ergo & in præsenti casu succedet descendens substitutus, excluso monasterio; cum tali successioni non obstet, quod tunc insit tacita conditio, *si absque liberis decesserit*: quippe quæ à iure præsumitur oriri, non fauore Religionis, quæ verè non est filius, nec descendens, sed ex effectu, quem creditur habere ascendentem ad descendentes, sicque non obstat dictæ successioni. Ita Molin. *sup.* addens ex communiori Doctorum in casu, quo aliquis descendentium grauetur aliquid restituere post mortem pauperibus, aut cuiuis alij piæ causæ, semper habere locum tacitam illam conditionem, *si sine liberis decesserit*, æquè ac si expressa fuisset.

QVÆRES IX. An casu, quo testator sine vlla conditione instituat aliquem non descendentem suum (v. g. fratrem, aut alium consanguineum, aut etiam extraneum) substituendo tamen filios, aut alios descendentes personæ institutæ; si persona sic instituta ingrediatur Religionem, excludantur alij substituti, & monasterium retineat dicta bona in perpetuum.

20. Respond. non retinere; eum in tali institutione nec tacitè, nec expressè insit côditio, *si absque liberis decesserit*, adeóque in ea non procedat *cap. in præsentia, de probat.* & Authent. *de Sanctiss. Episc.* superiùs adducta, quæ supponit inesse dictam conditionem; quamquam viuente tali Religioso bona illa maneant penes monasterium, vt diximus *q.* 6. §. *monent.* Ita aliis citatis, Sanch. *num.* 80.

QVÆRES X. An data Religiosis in sæculo ea lege, vt non alienentur, iis profitentibus transeant in monasterium.

21. Respond. transire; cum ea prohibitio non alienandi intelligatur de alienatione voluntaria, ac proueniente ex facto hominis, non autem de necessaria, ac inducta à lege in consequentiam translationis personæ; qualis est ea, de qua hic agimus. Ita Sanch. *sup. c.* 15. *n.* 67. aliique penes ipsum; qui benè notat præfata bona alienari prohibita in præsenti casu transire in monasterium perpetuò, ac irreuocabiliter: si ea prohibitio nullum contineat fideicommissum tacitum, aut expressum, & aliàs non frustretur finis intentus à prohibente.

QVÆRES XI. An acquirantur monasterio bona, quæ post professionem acquirit Religiosus Ordinis incapacis titulo donationis, legati &c.

22. Respond. acquiri, quoad commoditatem, ac vsum; & quidem eo modo, quo ea acquiterentur monasteriis Ordinum capacium quoad dominium. Ita Less. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 88. Molf. *sup. D.* 140. aliique contra Nauarrum *l.* 3. *consil. de regul. cons.* 73. *per totum*, Azor. *sup. cap.* 10. *q. vlt.* & alios oppositum sustinentes; patetque, quia *c. exut.* §. *ad hæc, de verborum significat. in* 6. quod contra nos posset adduci, & sic habet, *Ad hæc, cum Fratres ipsi nil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possint, etiam in communi*; non facit contra nos; cum loquatur de acquisitione, quoad dominium, nobis solùm loquentibus de acquisitione, quoad vsum; quæ sunt res valdè diuersæ, vt patet.

An autem bona modo dicto acquisita monasterio per suum Religiosum, cū ipso transferatur in aliū Ordinem casu, quo ipse ad illum legitimè transeat.

Respond. non transferri; cum ea translata fuerint in priorem Ordinem absolutè, ac omninò independenter à futuro euentu translationis personæ, vt colligitur ex Authent. *ingressi, C. de Sacros. Eccl.* vbi absolutè dicitur per professionem omnia bona profitentis dedicari monasterio: vnde fit, vt prior Ordo priuari non debeat iure illo acquisito, ex eo quod Religiosus, ratione cuius acquisiuit transeat ad alium Ordinem. Ita Rodriq. *tom.* 3. *q.* 5. *a.* 5. Sà *v. religio n.* 35. Molin. *sup.* & alij, qui benè monent hanc doctrinam procedere etiam de acquisitis in sæculo, aut in posteriori monasterio vsque ad professionem; de hoc plura *in tract. de profess. cap.* 4. *sect.* 3. *q.* 42. 43. 44. 45. 46. 23.

QVÆRES XII. An Regulares sint capaces, vt ipsis relinquantur legata, tum quoad eorum monasteria in communi, tum quoad ipsos Regulares in particulari.

Respond. esse: idque, siue sint Ordinis capacis (quod est certum) siue etiam Ordinis incapacis succedendi. Ita Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 26. *n.* 2. 9. *&* 10. aliique penes ipsum; & quidem, quod spectat ad monasteria, ac religiosos Ordinum capacium, constat ex regula (quæ habetur. *Inst. de legatis* §. *legari, qui nequit hæres institui, non est capax legati*) in sensu contrario sumpta; cuius sensus erit, quod, sicut monasteria, ac Religiosi Ordinum capacium possunt institui hæredes (vti vidimus q. 4.) ita & possunt iis relinqui legata; quod verò spectat ad monasteria, ac Religiosos Ordinum incapacium, constat, tum ex regula paulò ante adducta (quamquam illa locum habeat solùm in iis, qui ob iuris communis prohibitionem institui non possunt hæredes, non autem in iis, qui ex voto religiosæ paupertatis sunt incapaces successionis hæreditariæ, vti sunt Fratres Minores, & alij de quibus q. 1.) tum quia legatum est quædam donatio relictà à defuncto præstanda ab hærede §. *legatum instit. de legat.* constat autem monasteria, ac Religiosos, etiam Ordinum incapacium, esse capacia, vt ipsis fiant donationes sed de hoc plura *in tract. de voto cap.* 2. *sect.* 2. 9. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 39. 40. 41. 42. 59. 24.

Quod si hac occasione obiter quæras, an possit quis de bonis defuncti pro anima illius facere eleemosynas sine consensu hæredis, imò & eo contradicente.

Respond. Naldus *in annotat. pract. pag. mihi* 75. quod, licet primo aspectu pars negans sustinenda videatur, quatenus species iniusti lucri est ex alieno largiri, & beneficio sibi acquirere debitorem; & vulgari adagio dicatur: *ex corio alieno corrigia longa, de cute non propria scinditur absque bria*; aliásque non sint facienda mala, vt eueniant bona: in contrarium facit, quod Deus mandauit vnicuique de Proximo suo, & defunctus, qui aliàs vir probus supponitur, si de repentina morte cogitasset, animæ suæ vtiliter consu

consuluisset; ideóque pro facto potest haberi, quod ille verosimiliter fecisset, si de propinqua morte cogitasset: ea consuetudine enim viuentis præsumitur voluntas morientis, teste Euerardo *in sua centuria in loco à verisimili, sub initium.* Quo modo Venetiis piè statutum fuit, vt bona ibi decedentis ab inteftato, nullo extante consanguineo necessario legitimo, deuoluantur ad officium vulgo, *Cattaueri*, sed illico tertia ferè pars illorum distribuatur pro defuncti anima in eleemosynam; sicque seruatur in praxi. Similis consuetudo extat in plerisque diœcesibus regni Neapolitani, quod scilicet Episcopi disponant ad pias causas de bonis decedentium ab instetato etiam relictis hæredibus pro quarta parte mobilium defuncti, qui alioqui non sepelitur: & hæc consuetudo fuit approbata à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium 5. Febr. 1591. adeóque potest practicari, vt commendabilis: nam quod exemplo fit, ratione carere non dicitur. ita Naldus, qui suam confirmat assertionem ex eo, quod talis datio eleemosynarum (modò iudicio viri prudentis non sit excedens) non est abusus rei alienæ, cum non absit tacitus consensus proprij Domini, & expressi, ac taciti par sit virtus, fiásque expressum dicatur, quod venit ex coniecturis, ac præsumptionibus, *leg. licet Imperator, de legatis 1. & leg. si quis locuples, de manum. testam.* Naldus tamen supponit in isto casu hæredes ex se non facturos tales eleemosynas pro defuncto; additque se hæc dixisse disputatiuè potius quam conclusiuè, eo quod ius hæredis in bona omnia defuncti iure communi obueniens, tanquam clarum præualere debeat iuri obscuro, quod cuique ex fraterna dilectione competere potest erga animam defuncti, etiam valde coniuncti, ac necessarij; & quod nostrum est, sine facto nostro à nobis auferri non possit, *leg. id quod nostrum, de regul. iur.*

Addo obiter, quod si non solutio legati pij in aliqua diœcesi reseruetur: casum reseruatum incurrit Commissarius testamenti, qui intra tempus præscriptum non soluit legata pia in testamento relicta, & ratio est, quod lex reseruationis loquitur generaliter (vt suppono) lex autem generaliter loquens generaliter debet intelligi: præterquam quod eadem in hoc est culpa Commissariorum, ac hæredum; imò illorum culpa videtur minùs excusabilis, cum ipsi ex legatorum solutione nullum patiantur damnum.

QVÆRES XIII. An filio profitente in Religione capaci, expirent substitutio tam pupillaris, quam vulgaris.

25. Respond. expirare non quidem pupillarem; cum hodie iuxta Concilium Trident. *sess. 25. de regul. c. 15.* professio non fiat, nisi expletis 16. annis, sicque consequenter substitutio pupillaris, finita pubertate, de se ante professionem euanescat; expirare tamen vulgarem, cum in substitutione vulgari includatur conditio, *si filius nequeat esse hæres, leg. cum proponas, C. de hæred. instit.* & talis conditio non procedat in præsenti casu: vt hinc patet, quod filius profitens in Ordine capaci obtinet omnia iura succedendi, & ipsum monasterium ea persona illius in hæreditatem re vera succedit. ita Sanch. *lib. 6. mor. cap. 16. num. 79.* cum Beroio, & Tapia.

QVÆRES XIV. An, & quale peculium filij transeat in monasterium capax, per professionem ipsius filij.

26. Respond. peculium castrense, vel quasi, acquisitum ante ingressum Religionis per professionem filij transire in monasterium, tam quoad proprietatem, quam quoad vsumfructum (quippe quæ sunt filij quoad vtramque rationem) non item peculium aduentitium, quod transit in monasterium, solùm quoad proprietatem, vsufructu remanente apud patrem pro eius vita: ita tamen, vt, eo mortuo, vsufructus consolidetur vnà cum proprietate monasterij; nulla enim potest subesse ratio amittendi talem vsumfructum, nisi quod patria potestas, quæ erat causa illius, soluitur per professionem filij: quæ tamen ratio non obstat; cum vsusfructus semel acquisitus non amittatur cessante patria potestate, *leg. vul. C. ad Tertul. & l. 3. C. de vsufr.* ita Rodriq. *tom. 3. quæst. 16. art. 4.* Lessius *supr. num. 83.* Graffij *in claus reg. lib. 9. cap. 7. num. 9.* aliique communiter, & patet ex dictis; si aduertero peculium aduentitium partum post professionem esse quasi castrense, & acquiri monasterio quo ad proprietatem, ac vsumfructum: cum filius respectu talis peculij sit extra patriam potestatem, ideóque non possit acquiri in eo vsusfructus à patre; stante quod talis acquisitio est effectus patriæ potestatis; sicut notauit Sanchez *supr. cap. 13. num. 44.* aliis pluribus citatis; ce peculij autem speciebus agit Lessius *supr. cap. 4. d. 5.*

QVÆRES XV. An, & quomodo Regulares possint succedere in Maioratum.

Respond. non posse, si sint Ordinis incapacis, sicque Maioratum in tali casu deuolui ad vlterius vocatum: non secus ac si Regulares ille fuissent mortui, aut certè non nati: siquidem reputatur pro mortuo naturaliter quicumque est incapax successionis. 27.
Quòd si Regulares sint Ordinis capacis, distinguendum est: vel enim loquimur de Maioratu habente annexam iurisdictionem in aliquod oppidum, villam, aut castrum: & sic Regulares non possunt succedere in Maioratum; cum præcipuus finis instituendi Maioratus; præsertim habentes iurisdictionem annexam, sit ad conseruandam memoriam Institutoris, eiusque familiæ cum splendore, ac honore; qui finis vtique non potest haberi, si monasterium succedat loco eius, qui ad eum erat vocatus, & est professus in eo Ordine: quo fit, vt credi non debeat Institutorem Maioratus voluisse, vt monasterium succederet in eo euentu. Vel loquimur de Maioratu non habēte iurisdictionem, ac dignitatem annexam; & sic monasterium potest succedere ratione sui Religiosi, recipiendo ex eo totam commoditatem, quamdiu vixerit Religiosus. Et ratio est, quòd, cum monasterium sit capax successionis bonorum, non apparet, cur item non possit succedere in tali Maioratu. Dixi, *quamdiu vixerit Religiosus*, quia eo naturaliter mortuo transit Maioratus in eum, qui vlteriùs ad ipsum vocatur; cum successio in Maioratu sit ex vocatione primi Institutoris, de quorum numero non est monasterium, (vt suppono) nec vocati Maioratum recipiunt ab vltimo possessore, sed à primo Institutore. ita Molin. *tract. 2. D. 613. num. 3. & 4.* aliique penes ipsum.

Monet autem Molina in casu, quo ex prima Maioratus institutione ab eo excluderentur Religiosi (quod plerumque fit, & non iniustè, cum talis exclusio non tendat ad retrahendum à Religione, sed ad conseruandam familiam:) tunc Religiosos sine dubio non succedere in Maioratum, cum primus Institutor illius eam legem apponere potuerit bonis ita vinculatis. Quamquam, teste Sanchez *supr. cap. 15. num. 7.* si Maioratus non constet scriptura, sed sola immemoriali præscriptione, talis conditio excludens Religiosos non præsumatur apposita in institutione Maioratus; cum immemorialis præscriptio aliquorum bonorum, tanquam vinculo Maioratus subiectorum probet solum ipsi inesse illa onera, quæ sunt iuxta Maioratus naturam, & communem modum 28.
succedep

succedendi in illum, non autem ea, quæ Maioratui sunt accidentaria; quale est hoc, quod Religiosi non succedant.

Quod si quæras, an sequens vocatus in Maioratum succedat in ipsum statim ac possessor profitetur in Ordine incapaci.

29. Respond. succedere statim, non secus, ac si ille naturaliter fuisset mortuus: professio enim æquiparatur morti naturali quoad omnes succedendi effectus, vt habetur *l. 1. § sed etsi patrum, ff. de coniungend. cum emancip. liber.* Ita Rodriq. *tom. 2. q. 78. art. 12.* Molin. *n. 2.* & Sanch. *num. 10.* addens idem dicendum de iis, qui in Societ. Iesu profitentur, aut emittunt vota simplicia Formatorum; cum è contra ij, qui in eadem Societate adstricti sunt votis biennij, succedere possint in quocumque Maioratu: vtpote qui per ea vota non fiunt incapaces cuiuscumque successionis in quæcumque bona, & dominij illorum; vt notauit Molin. *n. 1.* monens ad hoc vt certa, & firma esset successio Maioratuum, statutum fuisse in Congregat. *ver. generali, can. 4.* ne in posterum habens Maioratum in Societatem recipiatur in Hispania sine licentia P. N. Generalis, iisque dotibus sit præditus, vt post biennium nouitiatus admitti possit ad professionem solemnem, sicque professus fiat omnino incapax, adeóque succedat sequens vocatus. Imò putat Sanch. *n. 4.* quod si in Maioratus institutione extet clausula illa excludens Religiosos, tunc neque Religiosi Societatis dictis votis biennij adstricti in ipsum succedent: quippe qui in tali statu nequeunt conseruare dignitatem, ac honorem familiæ, licèt aliàs possint illum retinere, si antea acquisiuerant.

Vtrum verò Religiosi Ordinis capacis succedant in Maioratum carentem iurisdictione, ac institutum ad conseruandam agnationem, & familiam.

30. Respond. probabile esse, quod succedant; & probatur, tum quia Monachus non amittit iura sanguinis, nec desinit esse de familia, ac agnatione; cum agnatio sit quoddam ius sanguinis, & subinde naturale, ac incommutabile, *l. iu autem agnationis, ff. de pactis*; tum quia hoc ipso, quod monasterium non est retenturum Maioratum, nisi pro vita sui Religiosi, non dicitur extingui familia, & agnatio extemporaria monasterij successione: cum non dicatur amissum, quod non ita durat, quin ad propriam naturam rediturum sit, *l. si pro patre, §. versum, ff. de in rem, verso.* Ita Molin. *num. 3.* Rodriq. *supr.* Mantic. *de coniect. vltim. vol. lib. 8. tit. 15. n. 25.* & alij contra Azorium *tom. 1. lib. 12. cap. 8. quæst. 5* Sanch. *supr. num. 19.* & alios oppositum probabiliter sustinentes ex eo, quod à tali successione excluditur monasterium, non quia non reputetur agnatus, nec conseruet agnationem, nec quia sit incapax, & pro mortuo habeatur; sed quod non sit talis agnatus, per quem conseruari possit familia iuxta mentem testatoris manifestatam in ea institutione.

Illud etiam hîc controuerti potest, an casu, quo Religiosus Ordinis capacis non possit succedere in Maioratu: si is ante professionem successerat in dictum Maioratum, hoc ipso, quod profitetur, eo exclusa, sequens vocatus succedat.

31. Respond. eo excluso, succedere sequentem vocatum. Ita Molin. *lib. 1. de primog. cap. 13. n. 93.* Rodriq. *vbi supr.* aliique, & probatur ex eo quod cum Monachus non possit exercere iurisdictionem annexam Maioratui, nec memoriam familiæ, & agnationem conseruare, nec deferre arma instituroris: mors ciuilis inducta per professionem æquiparatur morti naturali, quoad hoc, vt succedere debeat is, qui sequitur in gradu, æquè ac si Monachus naturaliter fuisset mortuus: idque iuxta regulam, quod mors ciuilis æquiparatur naturali, quando in casu, de quo agitur, ex conditione negotij est eiusdem effectus, ac esset mors naturalis. Quin etiam addit Sanchez *num. 28.* transeunte Monacho legitimè ad alium Ordinem, etiam Maioratum, in quem successerat monasterium capax transire cum eo ad illum alium Ordinem, etsi fortè is sit incapax, secuta eius professione, transire ad sequentem vocatum; cum possessor Maioratus sit velut vsufructuarius illorum bonorum, & vsusfructus acquisitus monasterio per professionem monachi, seu relictus monacho professo transeat cum ipso legitimè transeunte, ad alium Ordinem.

QVÆRES XVI. An, & quomodo religiosi possint succedere in feudum.

Respond. posse, si sint Ordinis capacis succedendi in communi, & seruitium petitum in feudo sit tale, vt decenter præstari possit à Religione nomine sui Religiosi succedente (siue postea seruitium sit reale, consistens in pecunia, aut alia re tradenda, siue personale non dedecens Religionem, vel certè quod possit exhiberi per substitutum;) secus, si Religiosi sint Ordinis incapacis, aut seruitium præstandum sit personale, & tale, quod non possit decenter exhiberi à Religioso, nec possit sufficienter soloi per substitutum. Ratio autem responsionis est, quod in priori casu militat priuilegium Cœlestini V. concessum Congregationi Cœlestinorum, & relatum *in Comp. Soc. Iesu, v. bona, §. 6.* his verbis: *bona feudalia Societati donari possunt, Cœlestini V. Congregationi Cœlestinorum sub datus Aquila*, (quæ verba indicant priuilegium esse bullatum;) in posteriori verò casu procedit ea ratio, quod, cum feudum non possit transire, nisi cum suo onere annexo, hoc ipso quod Religiosi sunt incapaces dicti oneris, sic sunt & feudi. Ita Less. *lib. 41. n. 84.* Azor. *supr. c. 8. q. 5.* Rodriq. *supr. q. 61. art. 10.* aliique Canonistæ apud Sanch. *supr. n. 36.* qui benè notat *n. 37.* tunc seruitium personale petitum in feudo posse præstari per alium quando in eo non eligitur industria personæ: numquam verò censeri electam industriam personæ, quando in concessione feudi sit mentio hæredis; quamuis id neget Menoch. *cons. 54. n. 13. vol. 1.* 32.

Addit Molin. *tract. 2. D. 140.* doctrinam istam non procedere in feudis habentibus dignitatem annexam, (vt regni, ducatus, marchionatus, & comitatus) tale enim feudum non transit in monasterium; sicut nec transeunt Maioratus eiusmodi, imò nec alij Maioratus inferiores quicumque habentes annexam iurisdictionem; quod tamen alij, quoad Maioratus inferiores tectiùs negant cum Rodriquez *tom. 2. quæst. 78. art. 12.* 33.

Notant etiam Less. & Axor. *locis citatis*, feudum modo dicto transiens ad monasterium, non durare in eo, nisi pro vita Monachi, in cuius persona succedit, nisi fortè feudum à Principe concessum sit post Monachatum, aut certè ipsi monasterio; tunc quippe esset perpetuum; sicut & esset perpetuum, si feudum esset paternum transiens ad omnes hæredes; certum est enim feuda posse acquiri à Religiosis Ordinum capacium, tam donatione, quam emptione; vt notauit Lexana *tom. 2. cap. 19. num. 14.* id probans ex variis priuilegiis. 34.

Dubitari hîc item posset, an Equites Commendatarij sint capaces feudorum casu, quo dicamus Religiosos non esse eorum capaces.

Respond. esse; siue sint ex iis, qui possunt contrahere matrimonium (quippe qui in odiosis non veniunt nomine Religiosorum) siue sint ex iis, qui non possunt matrimonium contrahere: cum hi, esto 35.

fint verè,ac propriè Religiosi, aliàs profiteantur amplissimam paupertatem, multas diuitias habeant, & splendidissimè viuant. Ita Sanch.*sup.num.*49.docens *num.*35.in Soc.Iesu Professos quidem, & Coadiutores formatus esse incapaces feudi:non item reliquos votis adstrictos.

QVÆRES XVII. An, & quomodo Regulares sint capaces Iurisdictionis temporalis.

36. Respond. esse, loquendo de iurisdictione annexa Maioratibus inseriutibus vti diximus *q. præced.* §. *addit.*Ita Rodriq.*sup.q.*78.*a.*12. Lezana *tom.*2.*c.*19.*n.*6.Sanch.*sup.cap.*15.*num.*11.& alij contra Molinam *tract.*2.*D.*623.*n.*4. & alios oppositum sustinentes,& quidem probabilius iudicio ipsius Sanchez. probatur autem nostra responsio tum ex *cap. cum dilectus, de ord.cognit.& cap.Abbate sanè, de sent.& re iudic. in* 6. vbi id deceditur; tum ex ipsa experientia, qua constat in partibus Hispaniarum multa monasteria Religiosorum possidere villas; & castta cum iurisdictiooe: tum quia non apparet,cur iurisdictio temporalis censeri debeat minùs decere statum religiosum.Dixi *loquendo,de iurisdictione annexa, Maioratibus inferioribus*;si enim loquamur de iurisdictione temporali annexa Maioratibus regalibus ac supremis, ea non se compatitur cum statu religioso ob dicta *q.*16.§.*addit.*

QVÆRAS XVIII. An, & quomodo Iuspatronatus transear ad monasterium.

37. Respond.non transire, si Iuspatronatus competebat Monacho iure Collegij, aur Communitatis;imò illo professo deperdi, eò quod desinat esse pars illius Communitatis, secùs, si Iuspatronatus competebat iure siogulari:tunc enim rransit in monasterium vnà cum alus omnibus iuribus monachi (si quidem monasterium sit capax,vt suppono;) quod etiam locum haberet in casu, quo monachus ex legitima licenria ædificaret, aut dotaret Ecclesiam: tunc enim Iuspatronatus non ipsi,sed monasterio competeret, quippe cuius sunt omnia, quæ acquirit Monachus. Ita Sanch.*sup.c.*14.*num.*1.*& seqq.* addens *num.*6. ex Rodriq.*tom.*2.*q.*122.*a.*2. Iuspatronarus, si sir annexum persunæ Professi,& ratione illius transeat ad monasterium,extingui morte ipsius Professi, eoque legitimè translato ad alium Ordinem capacem, etiam illum cum eo rransferri,vt annexum personæ;alioqui permansurum in priori Ordine capaci,si dicta translatio fieret ad Ordinem incapacem, vtpote priori Otdini iam perfectè acquisitum.

38. Transeunte autem Iurepatronatus in monasteriom non potest solus Abbas præsentate, nisi id habeat ex præscripta consuetudine,aut priuilegio; sed præsentatio fieri debet à Conuentu de consensu maioris partis illius:alias enim esset ipso iute irrita; sicut & esset ittira, quæ fieret à Monacho ratione Iurispatronatus ipsi competentis, cum tale ius non sit amplius illius,sed monasterij, in quod translatum fuir. Excipe, nisi Institutor patronatus expressam conditionem apposuisset, vt præsentatio fieret à patrono, qaantumuis transeunte ad Religionem; nam runc ius præsentandi competetet Monacho de licentia proprij Prælari; quæ licentia requireretur etiam in casu, quo Institutor illam excluderet statuens quod præsentatio fieret à Religioso etiam contra voluntatem sui Prælati: sic enim reiiceretut talis cooditio tanquam turpis, vt notauir Lezana *tom.*2.*c.*11.*n.*11.ex Rodriq.

Dices, quid si electio, aut præsentatio fiat à Monacho sine licentia proprij Prælati, non quod ei cõpetat ratione Iurispatronatus, sed quod à vero Patrono, aut veris electotibus sit constitutus Procurator ad præsentandum,aut eligendum: erit ne tunc valida electio,aut præsentatio?

39. Respond.fore validam;& probatur,tum quia nullo iure irritantur: tum quia Monachus in tali casu non agit nomine suo,sed eius,qui commisit,adeóque non attenditur persona Religiosi exequentis, sed persona committentis: is enim dicitur facere, cuius auctoritate,& nomine res fit,*l.ita autem*, §.*gessisse,ff. de administrat.tuter.* Ita Sanch.*sup.n.*12. concedens *n.*13. Religiosum in casu proposito absque licentia Superioris posse validè eligere,si patroni,aut electores concordent,vt is præsentetur,ant eligatur, qui à Religioso ipso eligitur; non item licitè.

QVÆRES XIX. An Religiosi sint capaces Fideicommissi.

40. Respond.esse,ideóque monasteria, si sint capacia, ratione sui Religiosi posse habere, ac possidere ius habendi aliquam hæreditatem alicui relictam eo onere, vt alteri postea restituatur (quod est esse capax fideicommissi;) idque licèt fideicommissum relictom fuisset familiæ, & agnatibus. Ita Mant. *de coniect.vlt. volunt.l.* 8. *titulo* 12. *num.* 25. *&* 27. Sanchez *suprà cap.* 15. *num.* 21. Lezana *num.* 10. & alij, paterque ex eo quod, cum monasteria sint capacia cuiuscumque hæreditatis Religioso competentis, erunt & capacia fideicommissi; cum sit par ratio vtriusque.

Vtrùm verò Fideicommissum restitui debeat statim post professionem, si iostitutus iussus restituere hæreditatem post mortem fiat Religiosus.

41. Respond. non debere restitui statim, si fiat Religiosus Ordinis capacis, sed expectandam esse mortem naturalem dicti Religiosi, monasterio interim fruente bonis fideicommisso subiectis. probatur tum ex *l.cum pater* 79. §. *hæreditarem*, *l.* 1. *ff. de legat.*2. & *l.Statius*,48.§. *Cornelio*, *ff.de iure fisci*, (qui textus possunt adaptari ad istum casum,estò de illo non loquantur expressè;) tum quia vsusfructus relictus alteri habet tacitam hanc conditionem, vt finiatur motte illius, & redeat ad proprietarium, §. *finitur, Inst.de vsufr.* & tamen non finitur per professionem vsufructuarij in monasterio capaci, sed manet apud monasterium vsque ad mortem illius. Ita Sanch.*sup. c.*3.*num.*76.ex Guttiet. Surdo, & aliis, addens *n.*77. quod si monachus superuiuat fideicommissario; fideicommissum non transmittitur ad hæredes, sed manet perpetuò apud monasterium; sicot è contra substituto ingrediente monasterium, & decedente aote mortem grauati, non succedit monasterium: cum morte substituti expiret substitutio, & tale ius non transferatur ad liberos.

42. Quod si institutus ingrediatur Ordinem incapacem, tunc fideicommissum debetur statim ac Religiosus ille professus est: cum talis professio omninò æquiparetur morti naturali;& hoc ipso quod ille nequit possidere bona,eaque ex facto suo non transferat in monasterium, illa pertineant ad eos, ad quos deuoluetentur,illo naturaliter mortuo.Ita Mol.*tract.*2.*D.*186.*col.*1.Couar.*de testam.cap.*2.*n.*6.aliique penes,Saoch.*num.*79. qui tamen ait oppositam opinionem, quæ est multorum, esse valdè probabilem:sieque sustineri posse fideicommissum in præsenti casu non deberi à die professionis, sed solùm à morte naturali Religiosi professi, & consequenter bona fideicommisso subiecta interim habituros hæredes illius ab intestato;vtpote eius personam repræsentantes;non autem monasterium, quod cum sit incapax, non repræsentat personam Monachi. Vnde inferunt aliqui, quod si monachus in isto casu superuiuat fideicommissario, fideicommissum euanescit,

&

& bona illa perpetuò manent apud hæredes ab intestato.

QVÆRES XX. An, & quomodo Regulares sint capaces bonorum emphyteuticorum.

43. Respond. esse ex priuilegio Leonis X. concesso Societati Charitatis de Vrbe V. Calend. Febr. 1519. & relato in *Comp. Soc. Iesu, v. bona*, §. 6. his verbis: *Bona feudalia, & emphyteutica etiam Ecclesiastica Societati nostræ donari possunt, seu relinqui, modò ad ea onera teneatur, ad quæ donator, seu testator occasione huiusmodi bonorum tenebatur, & quacumque alia, quæ ipse donator, seu testator etiam imposuerit: & si ad certum numerum generationum, aut nominationum eadem bona concessa fuerant, Societas nostra non perpetuò, sed per 20. annos pro qualibet generatione aut nominatione huiusmodi bona tenere poterit.* Quin etiam per priuilegium Cælestini V. concessum Congregationi S. Georgij de Alga, & relatum in *eodem Comp. Soc. loco citato*, indulgetur, quod, quamuis Religiosi non recipiant inuestituras liuellorum, & feudorum, quas de iure tenentur recipere, non ideo fit deuolutio ad dominum, nec incurritur in commissum. Quæ duo priuilegia sunt magna, & adhuc durant, nisi fortè fuerint concessa viuæ vocis oraculo (de quo mihi non constat) vel certè abierint in desuetum: & sunt communia etiam Religiosis aliorum Ordinum per viam communicationis; quamquàm (quod spectat ad Societatem Iesu, facultas recipiendi bona feudalia sit penes Præpositum Generalem, recipiendi verò bona emphyteutica absque conditionibus grauantibus penes Prouinciales; pro vt expressè notatur in *Comp. post illum*, §. 6.

An autem, & quando bona emphyteutica, quæ habebat Religiosus ante professionem, transeant ad monasterium.

44. Respond. transire, si monasterium sit capax, & emphyteusis sit sæcularis (cuius scilicet dominium non sit penes Ecclesiam, transire, inquam, & quidem absolutè, irreuocabiliter, & sine onere illam alienandi; quidquid dicant aliqui cum Iulio Claro, & Abbate relatis à Sanch. *l. 7. mor. cap. 15. n. 54.* non item, si emphyteusis sit ecclesiastica (cuius dominium sit apud Ecclesiam) hæc enim transit quidem ad monasterium, sed reuocabiliter; ita vt Ecclesia possit illam vel reuocare, vel permittere vlteriùs. & ratio est, quod, cum alia bona Religiosi transeant in monasterium, nec vllo iure excipiatur emphyteusis, non adest ratio illam excipiendi: ex alia parte nullo iure cauetur, quod habens dominium directum possit reuocare emphyteusim translatam in alium nisi quoad Ecclesiam, cui specialiter indulgetur, vt possit illam reuocare intra biennium, §. 1. *Authent. de alienat. & emphyt.* nec obstat conditionem Domini directi sæcularis sic fieri deteriorem, cum ipse debeat sibi imputare, quod hoc ipsum non deduxerit in pactum, cum posset. Ita Azor. *tom. 1. l. 12. cap. 8. q. 4.* Syluest. *v. religio 6. q. 1.* aliique apud Sanch. *sup.* qui aliis citatis *n. 58.* monet emphyteusim, siue sæcularem, siue Ecclesiasticam non reuocatam ab Ecclesia non durare 100. annis, vt putat Tapia *Auth. Ingressi, v. sua, cap. 15. num. 4.* sed finire, finita vita Monachi, & tunc redire ad dominum directum, nisi alij in eam vocati essent post vitam Monachi: sic enim etiam vsusfructus durat solùm pro vita Monachi.

45. Adde (quod benè aduertit Mol. *sup. D. 140.*) tunc solùm emphyteusim in proposito casu transire ad monasterium capax, quando emphyteusis est hæreditaria, adeóque potest transire ad extraneos; vnde, si ea non sit hæreditaria, non transit ad monasterium, sed in eam succedunt illi ipsi, qui in inuestitura vocantur; quamuis interim eius commoditas pertineat ad monasterium, quamdiu viuit talis Religiosus. Dixi, *ad monasterium capax*: si enim monasterium sit incapax: vtique non potest succedere in emphyteusim sui Religiosi; sicut nec potest succedere in alia ipsius bona.

Quod si quæras, ad quem spectet emphyteusis Religiosi profitentis in Ordine incapaci, quamdiu ille viuit naturaliter.

Respond. spectare ad hæredes, si emphyteusis sit hæreditaria: & ratio est, quod professio reputatur quasi mors naturalis (quæ ratio procedit etiam quoad Coadiutores formatos Soc. Iesu;) si verò emphyteusis non sit hæreditaria, spectare ad eos, qui vocati sunt ad illam in inuestitura (intellige, quoad commoditatem:) &, si nullus sit vocatus, expirare emphyteusim, regredique ad dominum directum; ita tamen, vt, si quæ meliotamenta in ea facta sint, illorum æstimatio hæredibus monachi solui debeat ab iis, qui vocati in inuestitura succedunt, vel certè à domino directo, ad quem redit emphyteusis, si ad eam nullus vocetur. Ita Mol. *sup. D. 482.* patetque ex dictis in *tract. de votu, cap. 2. sect. 3. q. 8. §. porrò.* 46.

Difficultas est, an Religiosus ipse possit nominare ad emphyteusim, quam ante professionem habebat.

Respond. non posse, siue sit Professus, siue Coadiutor formatus in Soc. Iesu: & constat, quia talis nominatio est de re, ac iure suo, quorum est incapax Religiosus. Ex quo fit dictam nominationem transire ad monasterium, si aliàs sit capax (intellige, nisi ex coniecturis eliciatur electam fuisse industriā personæ, seu aliter ius illud nominandi fuisse personale;) quippe in tali iure, eiusque exercitio nihil est, quod repugnet monasterio aliàs succedenti in omnia bona immobilia, ac mobilia Religiosi professi, inter quæ vtique comprehenditur etiam istud ius nominandi. Ita Mol. *sup. num. 2.* & cum illo Sanch. *sup. c. 14. num. 17.* monens dictum ius nominandi extingui, tum mortuo Religioso, ratione cuius obuenerat monasterio, tum illo legitimè translato ad alium Ordinem capacem; cùm tale ius annexum sit personæ, & ratione illius competat monasterio; secùs, si transeat ad Ordinem incapacem; nam tunc ius illud manebit apud prius monasterium, vt pote ei iam perfectè acquisitum. 47.

Accedit, quod si emphyteusis, quæ transiuit in monasterium capax ratione sui Religiosi, finiatur in ipso Religioso; neque Religiosus, neque monasterium nomine illius petere possunt eius reuouationem, quantumuis aliàs ipsa deberetur; & ratio est, quod in tali casu cessat ratio renouandi emphyteusim; nempe ne emphyteusis alienetur à proprio sanguine, seu genere: siquidem Monachus non sibi, sed monasterio acquirit. Ita Sanch. *sup. num. 24.* aliis citatis, benè inferens dominum directum ad dictam renouationem non esse cogendum. 48.

QVÆRES XXI. An, & quomodo per professionem Monachi acquiratur monasterio vsusfructus cuiuscumque vsusfructuarij.

Respond. acquiri, quamdiu Monachus vixerit naturaliter, adeóque extingui, ipso moriente morte naturali: nisi forte vsusfructus ei relictus sit pro se, eiusque hærede. Ita Rebell. *part. 1. l. 1. quæst. 7. sect. 1. num. 21.* Mol. *tract. 2. D. 9.* Azor. *sup. quæst. 2.* Clauteg. *l. 9. cap. 7. v. 8.* aliique & probatur, tum ex *Auth. ingressi, C. de sacros. Eccl.* vbi deciditur omnia bona, iura, & actiones Monachi per professionem transire in monasterium; inter quæ non apparet, cur non debeat comprehendi etiam vsusfructus; cum nec ibi, 49.

nec alibi excipiatur; tum quia non obstat, quod ius vsusfructus sit personalissimum, sicque cohæreat personæ vsufructuarij, vt nec cessione, nec alio modo transire possit in aliam personam; quamuis enim verum sit vsumfructum non posse transferri in alium ex voluntate vsufructuarij; potest tamen transferri ex consensu domini directi, & à fortiori ex auctoritate iuris: vt ostendimus *in tract. de votis cap. 2. sect. 3. quæst. 2. §. nec obstat.*

50. Dixi, *nisi forte vsusfructus ei relictus sit pro se, eiusque hæred. quia* tunc vsufructuario profitente in monasterio capaci, nec instituto alio hærede, succedit monasterium; vt pote quod habetur loco hæredis, *cap. in præsentia de probat:* & tunc, cum in monasterio nouus vsusfructus censeatur constitutus, sicut in illo hærede est, durabit 100. annis post vitam Monachi æquè ac durat vsusfructus relictus monasterio; quod tamen non eueniret, si vsusfructus esset concessus Monacho pro se, ac suis filiis: cum hic nomine filiorum veniant veri filij, qualis non est monasterium; vt rectè notauit Sanchez *supr. cap. 13. num. 60.* addens *num. 55.* quod si Monachus ante professionem factam in Ordine incapaci alienauit commoditatem vsusfructus sibi in sæculo relictam, tale ius finitur per professionem; cum commoditas vsusfructus, quæ sola potest alienari, remanere nequeat, extincto iure proprietarij, & alioqui secuta professione non adsit id, in quo seruetur illud ius.

Difficultas modò est, an vsusfructus, quem monachus habebat in sæculo, extinguatur per professionem ab eo emissam in Ordine incapaci (hactenus enim locuti sumus de vsufructu Religiosi profitentis in Ordine capaci.)

51. Respond. extingui statim, & consolidari cum ipsa proprietate; hæc namque est natura vsusfructus, vt ius illius transire non possit in alium, nisi ex consensu proprietarij, aut dispositione iuris, vt ostendit Sanchez *supr. num. 50.* in nostro autem casu non adest consensus proprietarij, vt suppono, nec iuris dispositio, cum potius iure oppositum statuatur, nimirum vt non transeat ad hæredes: ita Mol *supr.* Azor. *tom. 2. lib. 2. 22. quæst. 4.* Clau. regul *supr. num. 8.* Sylu *v. religio 6. quæst. 1.* aliique penes Sanchez *num. 53.* qui tamen *num. 54.* negat extingui legatum annuum relictum sæculari postea profitenti in Ordine incapaci, sustineique illud, secuta eius professione, transire ad hæredes succedentes in alia eius bona.

52. Quod verò diximus vsumfructum durare solùm pro vita Monachi, intelligi debet de vsufructu ipsi relicto ante professionem; non item de eo, qui relinqueretur iam professo; is enim, si relinquatur intuitu monasterij, durat 100. annis quasi monasterio relictus: si autem intuitu Monachi, non durat, nisi pro eius vita; quamquàm, si dubium sit, cuius intuitu relictus sit, dici potest illum duraturum esse 100. annis: & ratio est, quod, cum Monachus totum acquirat monasterio, præsumitur vsusfructus in eo dubio relictus intuitu monasterij; quo modo vsusfructus relictus seruo, in dubio præsumitur relictus intuitu domini; cui omnia seruus acquirit, ***Bartolo*** *leg. fin. C. de vsufructu.*

Grauior difficultas est, an vsusfructus acquisitus monasterio per professionem Monachi, seu relictus Monacho iam professo, transeat cum ipso legitimè transeunte ad alium Ordinem.

53. Respond. transire, si vsusfructus acquisitus est Monacho ante professionem, & Ordo posterior est capax; idque à tempore, quo in eo profitetur; secus, si vsusfructus relictus est Monacho post professionem, & quidem intuitu monasterij; tunc enim manebit in priori Ordine, cum censeatur illi relictus; non item, si vsusfructus relictus sit Monacho intuitu ipsius Monachi: nam tunc transit cum illo ad posteriorem Ordinem, vt pote relictus Monasterio dependenter à persona Monachi. ita Sanchez *supr. num. 63. 64. & 65.* patetque quoad priorem partem ex eo, quod vsusfructus est talis naturæ, vt sequatur personam, in qua constitutus est, ab eaque pendeat, quoad esse, & conseruari; quoad posteriorem verò partem, constat ex modò dictis. Addo solùm, quod si vsusfructus relictus sit Monacho pro se, ac suo hærede, tunc ratione personæ pertinet ad priorem Ordinem (loquimur in casu hic proposito:) idque donec ille profiteatur in Ordine posteriori: hæres enim designatus censebitur posterior hic Ordo, in quo Monachus reperitur tempore mortis, tuncque attenditur hæreditas, vt patet.

Dixi sub initium huius responsionis, *& Ordo posterior est capax*, vt indicarem vsumfructum acquisitum à monasterio capaci per professionem sui Religiosi; si is postea transeat ad Ordinem incapacem, deperdi à priori monasterio & consolidari cum proprietate, vt dictum est *supr. num. 51.* ex Sanchez.

Dices, quid si Religiosus, priusquam profiteatur in Ordine incapaci, alienet commoditatem vsusfructus sibi in sæculo relicti, extinguiturne ius talis commoditatis per professionem posteà secutam?

Respond. extingui; cum commoditas vsusfructus, quæ sola potest alienari, subsistere nequeat, extincto iure proprietarij, & alioqui per professionem tollatur id, in quo manere posset ius illud; tunc tamen hæredes Religiosi alienantis teneri emptori pro rata ad restitutionem pretij soluti in dicta alienatione; si quidem alienans quando alienauit, habebat animum ingrediendi Ordinem incapacem: secus, si non habebat: in priori enim casu adfuit dolus, non item in posteriori, cum emptor cogitare potuerit, & debuerit illum vsumfructum posse extingui morte naturali, aut etiam ciuili alienantis, sicque interuenetit contractus fortunæ vtrique periculo expositus. 54.

Addit Sanchez *num. 52.* translato in monasterium vsufructu census perpetui in re aliqua constituti, si talis res postea vendatur; laudemium quidem spectare ad monasterium vsufructuarium, rem verò ipsam, si cedat in commissum, ad dominum proprietarium census, manente integro vsufructu pertinente ad monasterium. ratio est, quod laudemium est fructus census, iuxta *leg. item si fundi ff. de vsufr.* res verò cadens in commissum est proprietas; sicque laudemium spectat ad vsumfructuarium; res verò ad ipsum proprietarium. 55.

Quæri etiam hîc potest, an vsusfructus paternus in bona filij aduentitia expiret per professionem ipsius patris; sicque pertineat ad filium, vel potiùs transeat ad monasterium, in quo pater profitetur, & quidem pro vita ipsius patris.

Respond. si quidem pater profiteatur in ordine incapaci, vsumfructum pertinere ad filium statim ac pater professus est (sicut & ad eum pertinent alij vsusfructus.) si verò profiteatur in Ordine capaci, totum vsumfructũ pertinere ad monasterium pro tota vita patris: nulla enim occurrit commoda ratio differentiæ inter vsumfructum paternum, & alios vsusfructus; adeoque si alij vsusfructus transeunt ad monasterium, transibit & paternus. ita Lessius *lib. 2. cap. 41. num. 83.* Azor. *tom 2. lib. 12. cap. 8. q. 2.* Molina *tract. 2. D 9.* apud Sanchez. *num. 70.* qui cum horum DD. sententiam vocet probabiliorem, probabilem 56.

indicat

indicat se existimare etiam sententiam tum eorum, qui dicunt in præsenti casu vsumfructum extingui per professionem patris, & ex tunc pertinere ad filium: tum eorum, qui sustinent dimidiam partem dicti vsusfructus pertinere ad monasterium, reliquam verò ad filium.

An autem, patre, aut filio ingredientibus Religionem, monasterium acquirat vsumfructum constitutum in bonis, quæ parens habuit à coniuge defuncto, & quæ filij, parente transeunte ad secundas nuptias lucrantur, quoad proprietatem, reseruato toto vsufructu ipsimet parenti pro tota illius vita.

57. Respond. distinguendo; vel Ordo, quem pater, aut filius ingrediuntur, est capax; & tunc, si quidem filius profiteatur, monasterium acquirit solam proprietatem, quam filius antea habebat, manente vsufructu penes patrem, dum viuit: quod si filius moriatur priùs quam pater, qui ad secundas nuptias transiit, tunc proprietas consolidabitur cum eo vsufructu parentis, eaque priuabitur monasterium: quippe quæ non erat perfectè acquisita ipsi monasterio, sed reuocabiliter in euentu, quo filius obiret ante parentem; vt videre est apud Sanchez *lib. 7. moral. cap.* 13. *num.* 78. si autem è contra parens profiteatur, monasterium retinebit illum vsumfructum pro tota vita illius, imò etiam acquiret proprietatem, si filius præmoriatur: non secus ac ea pertineret ad patrem manentem in sæculo: monasterium enim succedit in omnia iura sui Religiosi. Vel Ordo, quem pater, aut filius ingrediuntur, est incapax; & sic, si quidem filius profiteatur, consolidabitur proprietas cum vsufructu paterno à die professionis: si verò parens profiteatur, vsusfructus à tempore professionis pertinebit ad filium proprietarium, professio enim æquiparatur morti naturali: secuta autem morte naturali parentis, aut filij, prædicta eueniret, vt patet. ita Sanchez *vbi supra.*

QVÆRES XXII. An Ius (quod vocant Retractus) competens ratione sanguinis, debeatur Monacho, aut monasterio nomine illius.

58. Respond. non deberi, neque Monacho, neque monasterio nomine Monahi, idque siue Ordo, ad quem is transit, si capax, siue sit incapax. & ratio est, quod respectu vtriusque cessat finis Retractus, qui est, ne res vendita alienetur à propria familia; respectu quidem Monachi, eo quod ille non acquirat sibi, sed monasterio, quod est extraneum: respectu vero monasterij, eo quod ipsum non sit de familia venditoris, & res retracta non sit amplius reditura ad familiam. Nomine autem Retractus intelligitur Ius alicuius gentis, aut ciuitatis statuto, vel consuetudine concessum proximo Consanguineo Venditoris intra certum tempus rescindendi, & ad se reuocandi venditionem rei immobilis eodem pretio oblato, quo illa ab extraneo, aut à remotiore Consanguineo fuerat empta. ita Sanchez *supr. cap.* 14. *num.* 27. addens *num.* 28. monasterio vendente rem ad vitam Professi non admitti proximiorem Consanguineum ad Retractum; cum res illa desierit esse Monachi, & translata in monasterium exierit è familia, & sanguine. Quin etiam notat *num.* 29. loquendo de Religiosis Societ. Iesu non solum Professos, aut Coadiutores formatos esse incapaces Retractus (quod est certum, cum sint incapaces omnino dominij) sed etiam alios solis votis biennij adstrictos: quippe qui non possunt acquirere ad retinendum; sicque cessat finis Retractus, ne res exeat de familia.

QVÆRES XXIII. An patre profitente in Religione, Legitima statim debeatur filiis; & è contra profitente filio, Legitima statim debeatur parentibus.

59. Respond. deberi statim à die professionis, si ij profiteantur in Ordine incapaci: cum talis professio æquiparetur morti naturali (quod procedit etiam in Professis, ac Coadiutoribus formatis Soc. Iesu; quippe quorum professio, aut vota eodem modo æquiparantur morti naturali;) imò etiamsi profiteantur in Ordine capaci: sic enim valdè probabile est legitimam deberi, tum filiis, statim ac pater profitetur; tum parentibus, statim ac profitetur filius: quod tamen negant Rodriq. *tom. 2. quæst.* 80 *art.* 2. aliique plurimi; quorum opinionem dicit Sanchez *lib. 7. mor. cap.* 10. *num.* 3. esse probabilissimam, quamuis alias nostram sequatur sententiam cum Molina *tract. 2. D.* 40. *§. an vero statim,* Lessius *supr. num.* 83. Azor *tom. 1. lib.* 12. *cap.* 8. *quæst.* 7. aliisque plurimis. & certè, quod, profitente Patre, legitima statim debeatur filiis, probatur, tum ex Auth. *Si qua mulier, C de sacros. Eccles.* in qua satis innuitur Patrem etiam post professionem, vel monasterio inuito, posse diuidere, & tradere filiis suas legitimas portiones: quod non esset verum, si toto tempore vitæ paternæ eæ pertinerent ad monasterium: tum, quia æquum non est, vt filij post Patris professionem sint deterioris conditionis, quam si Pater esset sui iuris; is autem, si esset sui iuris, ante mortē multis bonis se spoliaret, vt filios, ac filias decenti iungeret matrimonio. Quod verò, profitente filio, statim etiam debeatur legitima parentibus, inde cōstat, quod Legitima parentum, & Legitima filiorum æquiparantur, ac vniformiter debētur; sicque de vtraque illarum pariter philosophandum est; vt rectè notauit Sanch. *num.* 10. monens *num.* 11. data opinione eorum, qui sustinent, profitēte Patre, non statim filiis deberi Legitimam, saltem monasterium succedens in bona illius teneri date alimenta eius filiis; sicut è contra, profitente filio, tenetur ea præstare parentibus, si hi aliunde ea non habeant.

Quin etiam docet Bord. *tom. 2. resol.* 55. *num.* 14. Patrem, si de suis bonis ante professionē non disposuit, post eam posse illa distribuere inter filios suos, legitima nulli eorum diminuta, & quod eis non dederit, competere Monasterio iuata. Authenticam *ingressi, C. de sacros. Eccl.* approbatam iure canonico *in cap. si qua mulier* 19. *quæst.* 3. vbi Glossa *v. diuidere,* ait Professum hinc non dici habere propria, sed disponere aliena, præterquam quod ad hanc dispositionem pater dici potest concurrere cum Conuentu, sicque non dicitur facere actum proprietatis: & ipsa dispositio non videtur actus proprietatis, sed potius conformis paupertati, vt pote abdicans à Religioso bona aliquo modo ad eum attinentia; & se habet velut executio bonorum alienorum; ita vt religiosus sic disponens se habeat, ac religiosus testamenti executor, *cap. fin. de testam. in* 6. quin & diei potest dispensari in hoc à lege. Et quidem. quòd quæ supersunt ex bonis Patris, in isto casu competant monasterio capaci, patet, quia bona ingredientis religionem sequuntur personam, si ante professionem de iis non disponat; vt ostendit Sanchez *lib. 7. moralium cap.* 12. *num.* 4. & 21. *iuncto cap.* 10. *num.* 3. Dixi, *monasterio capaci*: si enim sit incapax, ea bona debentur de iure succedenti ab intestato.

Quod si hac occasione quæras, an Regulares priuari possint Legitima ob culpam Ingratitudinis commissam in sæculo.

Respond. non posse. ita Lessius *lib. 2. cap.* 41. *n.* 78. & probatur, tum *ex cap. non liceat* 19. *quæst.* 3. & ex *leg. Deo nobis, §. hoc etiam, C. de Episc. & cler* vbi id disertè statuitur, tum, quia susceptio status religiosi, & 60.

insignis vitæ mutatio inde sequens abstergit omnem ingratitudinem.

Qværes XXIV. An Præcarium concessum alicui in sæculo, per illios Professionem religiosam transeat ad monasterium.

61. Respond. transire; dum ea vna parte Precarium sit jus habendi aliquid pro tempore, quo voluerit concedens; ex alia parte in monasterium capax transferantur omnia iura Religiosi in eo profitentis. Ita Sanchez *supr. cap. 15. num. 9.* Lezana *tom. 1. cap. 19. num. 30.* & alij.

Qværes XXV. An, quo modo Religiosi possint commutare legata relicta ad vsum certum in alium vsum magis necessarium.

62. Respond. olim potuisse ex priuilegio Sixti IV. concesso Fratribus Minoribus, & postea ampliato à Leone X, ad quascumque res donatas per viuentes: cum hoc tamen, vt talis commutatio fieret absque scandalu, tum eorum, ad quos solutio legatorum pertinet, tum eorum, qui faciunt dictas donationes; in præsentia tamen non posse saltem ex vi talium priuilegiorum: cum hæc viuæ vocis oraculo fuerint concessa, adeóque in generali viuæ vocis oraculorum reuocatione (de qua sæpius sup.) fuerint reuocata. Quod negat Bordonus *tom. 1. resol. 55. num. 48.* quia cùm hoc indultum sit viuæ vocis oraculo concessum, & viuæ vocis oraculo à Gregorio XV. & Vrbano VIII. fuerint sublata; hoc tamen indultum sub dicta reuocatione non videtur comprehensum; cum ea solùm viuæ vocis oraculo fuerint reuocata, quæ præiudicialia erant tertio, & ex quorum vsu sequebantur scandala, ac lites inter partes: vt colligitur ex tenore bullæ illarum reuocatoriæ, & ostendit idem Bordonus *tom. 1. resol. 51.* monent in vsu huius indulti cessare scandalum eo ipso, quod commutatio fit de consensu hæredis, cuius interest legatum soluere; & hoc docet *tom. 2. resolut. 55. num. 48.*

Ex quibus infert *num.* 49. Prælatum Regularem cum hæredum consensu posse legatum relictum ad simplicem ædificationem Capellæ expendere emenda bibiliotheca necessaria studentibus: cum sic commutatio fit in melius, ac vtilius Religiosis, ideóque non videatur infringi voluntas testatoris, sed in melius commutari, *cap. peruenit, de iureiurand. cap. scriptura, de voto*: siquidem innumeræ sunt Capellæ, librariæ verò paucæ, præsertim apud Religiosos; qui tamen maximam habent necessitatem librorum, quibus vtantur in bonum fidelium tum concionando, tum docendo, & audiendo confessiones.

63. Dixi, *saltem ex vi talium priuilegiorum*; vt innuerem ad talem effectum videri aliquibus posse deseruire priuilegium bullatum, quod Iulius II. concessit Ordini Minimorum in sua Constit. *Virtute conspicuos* relata à Peyrino *tom. 1. priuil. Constit. 2. Iuly II.* quatenus in ea §. 26. ipsi Fratres Minimi eximuntur à solutione canonicæ portionis de relictis Ordini, dummodò hæc, *non conuertantur in vsus alios, sed in illos duntaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in dicta Constitutione exprimuntur.* Vbi notanda sunt verba illa, *aut alios etiam*, quæ satis clarè concedunt facultatem aliquam commutandi legata de vno vsu in alium; non quidem omninò absolutam, ita tamen amplam, vt moraliter via possit proponi vsus, in quem occurrat necessitas ea commutandi, qui non contineatur in præfata concessione: sic quippe dicitur in eo §. 26. *Concedimus quoque vobis, vt ijs, quæ in ornamentis, vel pro eis aut librorum fabrica, luminaribus, siue alys ad perpetuum cultum diuinum, seu pro pictantijs, aut victu ad sustentationem vestram, vel indumentis, nec non pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliqua domus vestri Ordinis obligata noscuntur, vel de domibus praedictis, & hortis, alijsque locis vobis secundum instituta vestri Ordinis opportunis, aut de ijs, quæ pro huiusmodi domibus, pradijs, hortis, & emendis vobis legantur.* Vnde non videtur ista concessio adeò obscura, ac limitata, sicut putat Lezana *tom. 2. cap. 19. num. 47.*

Illud porrò hîc notandum, quod, sicut, teste Peyrino *supr. num. 74.* non possunt Regulares vti dictis priuilegiis, nisi occurrat iusta causa faciendi præfatam commutationem legatorum de vno vsu in alium (qualis tamen est etiam sola ratio vtilitatis, aut pietatis) idque ex Concilio Trident. *sess. 22. cap. 6. de reformat.* vbi dicitur: *In commutationibus vltimarum voluntatum, quæ non nisi ex iusta, & necessaria causa fieri debent*; sic in Societ. Iesu facultas faciendi dictam commutationem legatorum reseruatur soli Generali; & quidem ita, vt non nisi rarissimè illa vtatur: quod expressè notatur *in Comp. priuil. v. commutatio* §. 4. his verbis: *nec nisi rarissimè vtatur* & postea fuit confirmatum *Congregatione generali* 8. *canone* 18. his verbis: *Facultas commutandi legata, vel etiam à viuentibus donata, de qua est mentio in Comp. priuil. v. commutatio* §. 4. reseruatur Generali; vnde quis bene inferat talem facultatem adhuc durare; aliàs enim frustra reseruata fuisset Generali. 64.

Existimo autem hoc priuilegium extendi ad hoc vt Prælatus sic priuilegiatus possit indulgere, quod si pecunia implicanda in librorum emptione v. g. fuit per aliquot annos insumpta in alendis Religiosis; Prælatus successor non teneatur postea tantumdem pecuniæ expendere in libris emendis supplendo omissionem Prædecessoris: idque, etsi commodè id posset facere. Ducor, quia petinde est concedere, quod præsens pecunia implicetur in alio vsu pio ab eo, qui fuit intentus à legante, ac concedere, quod loco pecuniæ expensæ in alio vsu pio ab eo, qui fuerat præscriptus, non expendatur alia pecunia in vsu intento à legante: quæ quasi per modum ratihabitionis, quæ æquiparatur mandato: siquidem æquiparatorum eadem est ratio ac iudicium.

Vtrum verò dicta commutatio fieri possit in casu, quo Monasterium est sufficienter prouisum de alimentis, ideóque sine præiudicio sustentationis competentis Religiosis posset legatum implicari in vsu præscripto à testatore.

Respond. videri posse; si vsus, ad quem commutatur legatum, sit necessarius. in Comp. enim priuilegium Societ. supra dicitur: *Per facultates concessas Prælatis Ordinis Minorum possunt omnes nostri Præpositi, ac Rectores commutare ex vno vsu ad alium necessarium legata, quæ relinquuntur nostris Collegijs, aut domibus, dummodo id fiat sine scandalo eorum, ad quos solutio talium legatorum pertinet.* Vbi notandum verbum illud *necessarium*: quod restringit facultatem commutandi legata; ita vt non fiat liberè, ac pro arbitrio, sed solùm occurrente casu necessario, quamquàm verbum, *necessarium*, cum sumus in re morali, debeat sumi, non physicè, sed moraliter: qualis esset, si in aliquo Collegio, aut domo esset indigentia non leuis, cui aliter non posset commodè subueniri iudicio prudentis viri in casibus particularibus; v. g. de victu, vestitu, medicinalibus, refectione domus, agrorum cultura, & similibus.

Difficul

Difficultas modo est, an Prælatus regularis propria auctoritate possit vti bonis expressè legatis Sacristiæ ad subleuendam præsentem necessitatem monasterij indigentis (v. g. ad emendum frumentum) idque fine intentione dicta bona restituendi Sacristiæ.

65. Respond. non posse, seclusis priuilegiis hîc explicatis: & ratio est, quod talis commutatio legatorum esset in vsum minùs pium, seu minus bonum; commutatio autem legatorum piorum in vsum minùs pium reseruatur Sedi Apostolicæ; pro vt notat Diana part. 2. tract. 17. resol. 26.; præter quam quod talis commutatio aduersatur menti personæ legantis, quæ hoc ipso quod legat Sacristiæ in specie, præsumitur velle legatum implicari immediatè & proximè in cultum Dei, non autem in bonum temporale monasterij: cum alioqui mens testatoris impleri debeat instar legis, ita docti viri à me consulti, & probabilissimè.

66. Quod verò addit Peyrin. supr. num. 76. ex Rodriq. Henriquez, Castrop. & Peregrino, Prælatos regulares posse bona vnius monasterij transferre in aliud indigens, non obstantibus vltimis testatorum voluntatibus, cum assensu duarum partium monasterij, à quo bona illa transferri debent; ipsemet Peyrin non approbat dicens se putare Prælatos regulares non posse bona immobilia fructifera, aut mobilia pretiosa transferre de vno Conuentu diuite in alium indigentem, etiam de consensu Conuentus diuitis: cum in tali casu interueniat species quædam alienationis, & alioqui quælibet species alienationis rigorosè sit prohibita Regularibus, maximè ex decreto Sacræ Congregat. iussu Vrbani VIII. edito 7. Sept. 1624.

Quæres XXVI. An testamentum, & quælibet alia voluntas vltima facta in bonum Regularium valeant, etiamsi fiant absque solemnitate iure ciuili præscripta.

67. Respond. valere, & quidem tam pro foro externo, quam pro foro conscientiæ; dum modò non desint ea, quæ sunt de iure gentium, & de iure naturali. est communis DD. apud Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 5. c. 2. num. 2. & probatur: tum ex cap. relatum 11. de testament. vbi Alex. III. mandat, vt Iudices causas, in quibus agitur de iis, quæ relicta sunt Ecclesiis, non tractent secundum leges, sed secundum canones: tum quia iura sæcularia causis Ecclesiasticis, & quæ ad supernaturalem finem hominis, ac salutem animæ directè pertinentibus nullum præiudicium afferre possunt, nisi approbata à Papa recipiantur, iuxta cap. Ecclesia, de Constitut. constat autem, quod solemnitas testamenti, & vltimarum voluntatum iure ciuili inducta fuit, & non recepta, quoad causas pias; vt constat ex citato cap. Vnde inferunt DD. apud Bonacinam D. 3. de contr. quæst. 1. §. 3. n. 16. in testamento ad causas pias non requiri (quod spectat ad forum conscientiæ) testes, dummodò aliter constet de voluntate deliberata testatoris: nec non per testamentum posterius minùs solemne ad pias causas reuocari testamentum priùs solemne, etiam ad pias causas.

An autem valeat testamentum, quod testator cæpit condere instituendo piam causam in hæredem (v. g. monasterium aliquod Regularium) aut certè relinquendo ei aliquod legatum, & mortuus est, antequam testamentum absoluisset.

68. Respond. valere, quoad forum conscientiæ, si causa pia iam erat instituta: voluntas enim defuncti perfecta impleri debet, præsertim in iis, quæ spectant ad pias causas, vt ait Bartol. l. in testam. ff. de fideicommiss. libert. quem sequuntur alij penes Bonacinam supr. n. 21. contra Iulium Clarum de testam. quæst. 7. oppositum sustinentem; qui tamen Bonac. non improbabiliter putat in hoc casu non esse restituendam totam hæreditatem causæ piæ: cum testator nondum absoluerit testamentum; & contingere potuerit, quod in eo perficiendo alia legata aliis relinqueret: vt proinde recurrendum sit ad virum prudentem, qui attentis concurrentibus circumstantiis ex æquo, & bono iudicet, quid fieri oporteat.

Quæres XXVII. An promissio, seu donatio facta Regularibus, aut alij causæ piæ, sit valida; etiamsi non acceptetur, vel non fuerit præmissa debita insinuatio.

69. Respond. esse validam; & constat ex eo, quod sicut iura ciuilia irritantia testamentum carens debita solemnitate nullam vim habent in dispositionibus ad pias causas (vt ostendimus quæst. præcedenti) sic nec leges ciuiles, quæ annullant promissiones non acceptatas, aut factas sine debita insinuatione, vim habebunt in promissionibus circa causas pias: cum dictæ leges à iure canonico non fuerint receptæ, sicut nec fuerunt ab eo recepta iura ciuilia, quæ irritant testamenta condita absque debita solemnitate. ita Molin. tract. 2. D. 264. num. 18 Less. supr. c. 18. num. 36. aliique penes Dianam part. 3. tract. 5. resol. 107. contra Layman. supr. tract. 4. part. 3. c. 1. num. 9. Sanch. lib. 4. mor. cap. 41. num. 7. & alios sustinentes promissionem factam etiam ad causas pias ante debitam acceptationem posse reuocari, eo quod talis sit natura promissionis, & aliàs iure positiuo, quoad hoc, nihil in contrarium statutum sit in Ecclesiæ fauorem.

Insinuatio autem (de qua hîc) est declaratio, seu manifestatio, qua donans declarat Iudici in scriptis se liberè talem summam alteri donare, & Iudex suo consensu illam approbat: quamquam non sit opus hanc denunciationem fieri in loco iudicij, nec requiratur decretum Iudicis, sed eius præsentia sufficiat absque cognitione causæ. ita Bonac. sup. quæst. 12. part. 6. num. 1. ex Bartolo, Corneio, Iulio Claro, Molina, Regin. & aliis.

Quæres XXVIII. An, Regulares acquirant dominium rei donatæ, seu venditæ, etiam non secuta traditione.

70. Respond. quod, quamuis ad comparandum dominium alicuius rei, siue plenum, siue non plenum, regulariter præter titulum requiratur traditio, seu apprehensio, vt habetur l. in traditionibus, C. de pactis; Religiosi tamen, & quæcumque alia loca pia acquirunt dominium rerum tam donatarum, quam emptarum absque vlla traditione: ita vt, si res primò vendatur Religioso, sed non tradatur, & alteri postea vendatur, & tradatur, Religiosus præferri debeat; idque siue priùs, siue posteriùs fuerit celebratus cum eo contractus. ita Molina sup. D. 369. num. 1 a. ex Couar. & Gomez, aliique communiter; & probatur ex l. fin. C. de Sacros. Eccl. iuncta glossa v. fine, vbi Ecclesiæ, & consequenter Regularibus conceditur hoc priuilegium, vt ipsis per legatum, donationem, ac venditionem mutuo consensu perfectam, dominiũ absque traditione acquiratur. Quamquam tali priuilegio non gaudeant personæ Ecclesiasticæ, sed sola Ecclesia. Notat autem Glossa dicta l. fin. non præferri Ecclesiam, cui res vendatur, & tradatur, si talis res alteri Ecclesiæ priùs vendita fuerat, sed non tradita: cum potius præferri debeat Ecclesia, cui priùs res vendita fuerat, licèt non tradita, vt pote quæ vi talis priuilegij dominium illius acquisierat, etiam absque traditione.

QVÆRES XXIX. An, & qualiter Regulares gaudeant priuilegio minorum, nimirum beneficio restitutionis in integrum.

71. Respond. gaudere. est communis DD. teste Panormit. *in cap.1. de prascript.& in cap. auditis, eodem*; & constat eo quod, cum Ecclesiæ tanquam minori, aut etiam pupillo concedatur tale priuilegium, vt tradunt DD. in *c.1.& 2. de restit. in integrum l.6.* & aliàs Regulares nomine Ecclesiæ propriè ac simpliciter veniant; non apparet, cur ipsi excludi debeant ab vsu talis priuilegij. In eo autem consistit hoc priuilegium, vt, sicut minor ætate læsus authoritate Iudicis ex æquitate restituitur in pristinum statum, ac ius; sic & eadem Iudicis auctoritate in integrum restituantur Regulares, si forte lædantur iniustè in propriis bonis; quamquam, si læsio, spectatis omnibus circumstantiis, arbitrio boni viri modica sit, tunc non deceat tribuere extraordinarium istud remedium; iuxta illud, *Minima non curat Prætor*; qua de re Less. *l.2.c.6. num.52.*

72. Gaudent autem Regulares isto priuilegio in iis omnibus casibus, in quibus eo gaudent minores; nimirum 1. si monasterium in venditione rem vendidit minoris iusto pretio; tunc enim potest agere ad iustum pretium, vel etiam, si oportebat rem non vendi, ad illam recuperandam: 2. si ex mutuo accepto læsum est; siue quia amisit, siue quia malè consumptum est: tunc quippe vti potest hoc beneficio, & tenetur solùm reddere id, in quo factum est ditius: 3. si læsum est in solutione pecuniæ ipsi facta à debitore sine auctoritate Superioris; nam tunc debitor non manet liber, nisi salua sit pecunia, aut conuersa in monasterij vtilitatem (intellige post Iudicis sententiam, anteà enim non tenetur debitor in conscientia:) 4. si læsum est ex donatione rem notabilem donando, & quidem sine causa rationabili; non item, si ex causa iusta, nam tunc non censetur læsum, cum donatio sit prudenter facta: 5. si læsum est ex quasi contractu (quia v.g. acceptauit hæreditatem damnosam) tunc enim potest vti hoc beneficio, ne teneatur creditoribus defuncti, ad quos alioqui ex tacito contractu obligaretur (quod item procederet in casu, quo monasterium repudiasset hæreditatem, aut legatum lucrosum:) & hoc, licet Superioris auctoritas interuenerit tam in acceptatione hæreditatis damnosæ, quam in repudiatione hæreditatis lucrosæ. Ita Molin. *sup. D.573.* Less. *sup. cap 17. num.63.* Filliuc. *tract. 33. num. 65.* aliique communiter, qui esto expressè loquantur solum de minoribus, implicitè tamen idem asserunt, & de Regularibus; quippe qui fictione iuris sunt minores, illis æquiparantur, & gaudent ipsorum priuilegio: quod autem disponitur de vno æquiparatorum, disponitur & de alio, nisi quid obstet, seruata tamen proportione.

Vnde quis benè inferat Regulares non teneri soluere legata, siue vitalitia, siue perpetua annexa hæreditati per ipsos aditæ, quæ postea sine eorum culpa periit: idque etsi aditio facta sit absque beneficio legis, & inuentarij: iis enim suffragatur priuilegium restitutionis in integrum.

73. Cæterùm quod dicunt DD. continuum quadriennij spacium concedi Regularibus ad petendam restitutionem in integrum, indiget limitatione; siquidem, iusta causa occurrente, etiam post elapsum quadriennium iis competit talis restitutio; vt rectè aduertit Laym. *l.3. sect.5. tract.4. cap.11. num.4.* ex Glossa Abb. & Molin. addens iustam causam in præsenti materia reputari, si vel læsio sit valdè enormis arbitrio boni viri, vel ignorantia, aliudve iustum impedimentum obstiterit, quo minus intra quadriennium restitutio peteretur; nam legitimè impedito non currit tempus iure definitum. Quin etiam notat Laym. illud esse discrimen inter restitutionē minoris, & Ecclesiæ (dixerim ego, & Regularium) quod si minor pubes contractum à se celebratum spontaneo firmet iuramento, non potest deinde petere rescissionem, aut restitutionem, iuxta Auth. *Sacramenta puberum, C. si aduersus venditionem*; si verò Prælatus regularis iuret se contractum seruaturum, non ideò præiudicat monasterio, quin vti possit beneficio restitutionis: cum ipse non sit dominus bonorum monasterij (quo modo minor est dominus suorum bonorum) sed merus administrator, ideóque non habeat facultatem ita liberè disponendi de bonis monasterij: sicut habet minor, quoad bona propria.

Addit Laym. *num.6.* in casu, quo contractus ab Ecclesia factus per restitutionem in integrum rescindatur, non solum ante omnia restituendum esse pretium vnà cum melioramentis emptori aliàs vsuro iure retentionis, donec ei fuerit satisfactum; sed etiam posse ipsum emptorem retinere fructus interim bona fide perceptos ad ipsum pertinentes tanquam ad verum dominum, nec eos, rescisso venditionis contracto, teneri restituere, si res vendita fuerat iusto pretio; tunc namque Ecclesia non fuit læsa ratione fructuum perceptorum (cum pretium acceptum adhiberi potuerit ad lucrandum) sed solùm ratione rei venditæ: quod tamen non approbat Couar. *l.1. var. c.3. num.1.* 74.

Quod verò notant DD. beneficium restitutionis concessum Ecclesiæ, & consequenter Regularibus non competere personis Ecclesiasticis, quæ forte læduntur in propriis bonis, aut iuribus, eo quod tunc cessset communis fauor Ecclesiæ; non procedit in Regularibus; quippe qui non faciunt contractus nomine proprio (vt faciunt Ecclesiastici sæculares) sed nomine totius monasterij: quo pacto censentur contractus facti ab ipso monasterio; sicque non cessat fauor communis Ecclesiæ, ac Religionis, vt patet. 75.

QVÆRES XXX. An, & quo temporis spatio præscribi possit contra Regularium bona,

Respond. iure communi non præscribi bona ipsorum immobilia, siue corporalia, siue incorporalia, nisi spatio 40. annorum (sicut habetur in *cap. de quarta, de præscript.*) imò non nisi interuallo annorum 60. ex indulto concesso PP. Benedictinis in Portugallia ab Eugenio IV. qui posteà Cal. Iul. 1442. in fauorem eorumdem Patrum habitantium in monasterio S. Pauli extra muros Vrbis illud extendit ad 100. annos; vt patet ex Constitut. *illius 17. in ordine*, relata à Rodriq. *in suo bullario*, in qua habentur hæc verba: *Cum idem monasterium* (nempe S. Pauli) *speciale membrum Apostolicæ Sedis, & propriæ Romani Pontificis Sedes existat, statuimus, & sancimus, vt, sicut contra Romanam Ecclesiam non nisi centenaria currit præscriptio secundum Constitutiones canonicas, & legitimas sanctiones; ita quoque prædicto monasterio minoris temporis præscriptio non obsistat.* Vbi notandum ex eodem Rodriq. *tom.3. q.35. art.2.* quod, quamuis hoc priuilegium fuerit concessum vni tantùm monasterio PP. Benedictinorum; est tamen commune omnibus monasteriis eorumdem patrum, imò & aliis Religionibus per viam communicationis. 76.

An autem in casu, quo contingat præscriptionem compleri contra aliqua bona Regularium, ij petere possint restitutionem in integrum.

Respond. posse, & quidem vsque ad 4. annos sequentes inchoandos à die scientiæ, i. à die, quo Regulares sciuerint præscriptionem contra ipsos 77.

comple

completam esse; idque etsi præscriptio facta sit ipsis scientibus, & valentibus resistere. ita Less. *vbi sup.* & pater ex dictis *quæst. praced.* Imò, quod msius est, Ioann. 23. concessit Monachis Oliueranis, vt, si qua læsio facta sit per quosuis cuiusuis status, quocumque modo, vel forma, vel in futurum fiat personis, iuribus, & rebus, ac bonis dictæ Congregationis, ipso iure non teneat, nec sit opus restitutionem in integrum pro huiusmodi læsione impetrare. Quæ concessio refertor à Rodriq. *sup. art.* 3. & in *Comp. Soc. Iesu v. priuilegia*, §.9. mihique videtur bullata; cum *in dicto Compend. Soc.* de ea dicatur, vnluisse Pontificem, vt ea Constitutio etiam ad præterita traheremr: & alioqni nomine Costitutionis pontificiæ communiter significentur bullæ, similem concessionem fecit & Eugen. IV. Ordini S. Benedicti in Portugallia, quæ videri potest apud Rodriq. loco citato.

QVÆRES XXXI. An Religiosus rem sibi motuatam malè consumens, ita vt nihil illius pœues ipsum extet, gaudeat beneficio Macedoniani concedentis filiisfamilias sic mutuum expendentibus, vt illud non teneantur soluere *lib. 1. & seqq. ff. ad S.C. Macedonianum, & §.penult. Instit. quod.cum eo.*

78. Respond. Non videri improbabile, quod gaudeat, & quidem tam in foro conscientiæ, quàm in foro externo. Ducor, quod Religiosus in iis, quæ concernunt vtilitatem monasterij, æquiparatur filiofamilias, & in eo militat ratio, quæ adducitur in concessione præfati beneficij (nempe vt coerceatur auaritia fœneratorum, vt innuitur *lib. 1. ff. ad Macedonian.*) ita docti Recentiores à me consulti ex Angelo §.*caterum. in fine Institut.* cuius opinionem Sanchez *lib. 7. mor. cap.* 31. *num.*. 22. sine dubio censet esse probabilem hoc ipso quod oppositam (quam ipse aliis citatis sequitur) ait esse veriorem. probat autem Sanch. suam sententiam, tum quia hoc priuilegium, vt valdè exorbitans à iure naturali obligante ad soluendom mutnum, non debet ampliari, sed restringi; tum quia dictum priuilegium fuit concessum, ad hoc vt caueretur machinatio mortis parentum facienda à filiis, ad effectum vt sic succedentes parentibus sint mutuum soluendo. quæ ratio videtur cessare respectu Religiosi; vt notauit Castr. Palaus *tract. 16. D. 3. part. 16 nu. 7.* à nobis dissentiens.

QVÆRES XXXII. An, & quo modo monasterium teneatur Deposito.

79. Respond. non teneri, si amittatur ex culpa alicuius Religiosi particularis, aot deterioretur: idque etiamsi talis Religiosus illud receperit de licentia proprij Prælati; intellige, nisi quatenùs res disposita conuersa est in vtilitatem monasterij, ita vt ipsum inde sit factum ditins; & ratio est, quod monasterium non tenetur ex delicto Monachi, nisi quatenùs vi illius est factum ditius, *regula 76. de regul. iur. in 6.* (quod procedit etiam in casu, quo depositum esset penes Abbatem; cum monasterium neque ex delicto peculiari sui Abbatis teneatur); secùs, si depositum fiat monasterio (quo pacto censetur factum, si fiat de consensu Capituli, ac Prælati, vel certè ipsis præsentibus, & non contradicentibus, cum possint contradicere) tunc enim monasterium tenebitur de deposito. ita Sanch. *supr. num.* 37. qua de re plura in *tract. 6. cap. 12. num* 46.

QVÆRES XXXIII. an monasterium institutum in hæredem teneatur vitra vires hæreditatis, si illam adeat, non confecto Inuentario.

80 Respond. non teneri; cum lex præcipiens hæredibus confectionem Inuentarij sit ciuilis, ideoque non liget Ecclesiasticos ex defectu iurisdictionis; vt notauit Martha *de iurisd part. 4. sent. 1. cons. 75. num 5.* quem sequitur Diana *part. 1. tract. 2. resol. 70.* pro se adducens aliquot Canonistas; non teneri, inquam, maximè in casu, quo monasterium succedat in hæreditatem Professi: quippe in quam succedit non iure hæreditario, sed iure cuiusdam naturalis acquisitionis accessoriæ personæ; sicut aduertit Sanch. *supr. cap. 11. num. 21.* concedens *num. 34.* monasterio adeunte hæreditatem delatam Monacho, posse legatarios ipsum cogere ad faciendum Inuentarium, non quidem expensis ipsius monasterij, sed ipsorum legatariorum, nec non ad patiendum bona Professi describi, si vrgeant legatarij, aut creditores; imò & ad faciendam descriptionem illam bonorum, quæ non est Inuentarium, si Professus habeat ascendentes, aut descendentes, aut alios, qui ex testamento ante professionem condito ei successuri sint; aut creditores, quibus soluendum sit: vt sic constet de bonis, in quæ sunt successuri, & de potentia debitoris ad soluendum.

Quod si quæras, an per Professionē religiosam sic firmetur testamentum, vt statim hæreditas cum suis legatis debeatur institutariis, ac legatariis, vel certè debeat expectari naturalis mors testatoris Professi.

Respond. Debere expectari mortem naturalem Testatoris Professi, si sit in Ordine capaci, adeoque bona illius manere apud monasterium, quamdiu ille viuit, monasterio in ea loco illius succedente pro toto tempore vitæ illius: & probatur, quia voluntas testatoris est ambolatoria vsque ad mortem naturalem, *lib. 3. ff. de adim. legat.* & cum respectu Religiosi non sit ambulatoria, quoad dispositionem, aut reuocationem, aut mutationem, est quoad hoc, vt hæreditas, & legata debeantur institutis, & legatariis solum post mortem testatoris Professi. ita Aug. *v. hæreditas. num.* 12. Nauar. *tom. 1. com. 2. de Regul. num.* 54. Rodriquez *tom. 2. quæst.* 80 *art.* 1. aliique apud Sanch. *lib. 7. mor. cap. 3. num.* 55. addentes secùs dicendum, si Testator sit professus in Ordine incapaci: tunc enim secuta professione, testamentum sortitur omnem suum effectum: cum sic Testator reputetur, ac si esset naturaliter mortuus, & monasterium, cum non possit succedere, ipsum item mortuum censeatur: vnde hæreditas, & legata statim debentor modo dictu.

Quod si in casu proposito institutus, & legatarij præmoriantur testatori Professo: bona manent apud monasterium, quippe quod ab initio successit in omne ius testatoris Professi *Authent. Ingressi, C. de Sacros. Eccles.* eiusque personam sustinet: quando autem præmoriuntur instituti, ac legatarij, testamentum euanescit, & bona manent apud Testatorem; ergo & manent apud monasterium: non enim transeunt ad hæredes eorum, cum nunquam fuerint inter bona illorum. ita Gutierez *lib. 2. qq can. cap. 1. num.* 53. Less. *lib. 2. cap. 41. nu.* 85. Sanch. *lib. 7. mor. cap. 3. nu.* 56.

Difficilioris solutionis est dubium mihi olim propositum sub his verbis: Titius ex testamento relinquit hæredem Caium à die, qua ipse Titius ingreditur Religionem; ita tamen, vt Titio recedente à Religione, hæreditas redeat ad testatorem, quam tamen Titius disponit debere adiri à Caio statim ac Titius ingreditur Religionem, vt inchoet nouitiatum: modò Titius ingreditur Religionem, & Caius statim petit à Iudice immitti in possessionem hæreditatis relictæ, renuit Iudex, eo quod testamentum confirmetur solùm morte Testatoris, saltem ciuili; qualis non sequitur ex simplici ingressu Religionis; quæritur, an Iudex possit, & debeat immittere Caium in possessionem hæreditatis modò relictæ.

Respond.

Respond. non posse, nec debere: & probatur, quia hæreditas non est viuentis, *l. qui superstitis, ff. de acqnir. hæred.* testator autem in isto casu oondum est mortuus, nec ciuiliter, cum nondum sit Professus; & testamentum non recipit vires suas, nisi post mortem, per quam coofirmatnt, nec ante mortem valet ad Hebr. 9. *l. 1. C. de Sacros. Eccles. cap. cum Matth. de celebrat. Miss.* enm ergo testator in præseoti casu viuat, & nullo genere mortis sit mortuus, locum habere nequit aditio hæreditatis, adeóque Iudea non potest illam concedere. prætetquam quod aditio hæreditatis sopponit mottem testatoris, *l. hæres, ff. de acqurr. vel omitt. hæred. l. si ex re, § illud, ff. de stipul. seru.* quare, cum ius disponat hæreditatem non esse adeundam ante mortem disponentis, testamentum Titij eum ea expressione impleri nequit, eaque expressio haberi debet pro non adiecta, cum sic contra ius: nemo enim facere potest, quod in suo testamento leges locum non habeant, *l. testandi C. de testam. cap. requisiti, de testam.* sicque dicendum est mentem testatoris, etiam expressam non debere seruari, quando aduersatur legibus: quo modo corruit ratio, quæ posset adduci contra hanc responsionem. Nec placet, quòd dispositio bonorum (de qua hoc loco) facta sit per modum donationis ioter viuos: eum ea per verba ita generalia, ac ambigua non concipiatur, vt possit ceoseri donatio; siquidem constat illam esse testamentum. ita ego sentio, & mecum senserunt P. Bordonus, & P. Zambertus viri doctissimi: qui P. Zambertus concedit Caium in isto casu stante expressa declaratione voluntatis Titij, posse vti, ac frui fructibus hæreditatis; dependenter tamē à voluntate reuocatoria ipsius Titij: nisi is independenter à talis dispositione testamentaria à se facta velit per nouam donationem inter viuos spectatead Caium fructus omnes hæreditatis percipiendos ante professionem, ad cuius donationis in foro conscientiæ validitatem non requiritur Insinuatio, aliave solemnitas, alioqui de iure petita: vel certè Caius adeat hæreditatem vt administrator tempore nouitiatus à Titio constitutus, qui postea, secuta Professione Titij, vt verus, ac legitimus hæres ex testamento per mortem solùm ciuilem confirmato, & effectum suum sortiente erit verus dominus illorum fructuum hæreditatis: cum verè sint pars illius sibi à Titio relictæ, tanquam hæredi vniuersali: illi enim fructus ant professionem percepti noo spectant de iure ad monasterium, nisi Titius velit, cum Nouitius verè sit dominus omnium bonorum quoquomodo ad ipsum spectantium.

An autem Conuentus post mortem testatoris Professi postmorientis instituto à se teneatur soluere legata relicta in testamento legatariis ipsi superuiuentibus.

Respond. teneri soluere: & probatur, tum quia vtile per inutile non vitiatur, quoties vtile separari potest (quod euenit in isto casu) tum quia testameotum ab initio, & post tenuit; ergo & legatum: sicque & Institutus, & legatarius acquisierunt ius quoddam, etsi imperfectum; quod respectu instituti præmorientis cessauit, non item respectu legatarij superstitis: tum quia legata pia in testamento inualido debentur *cap. indicante, cap. relatum* 11. *cap. cum tibi, de testam.* ergo à fortiori, quando testamentum tenuit legata debentur: tum quia quod dicitur testamentum per mortem instituti præmorientis euanescere, ac rumpi, *Institut. quib. modis testam. infirm. § posteriore, l. bona, § fi. ff. de captiu. & posthum.* ergo & legatum ei accessorium *Instit. de legat.* vbi dicitur legatum esse quamdam dnnatiooem à defuncto testatore relictam, & ab hærede præstandam: hoc inquam non obstat, cum testamentum euanescat, quoad institutionem, non quoad legata; quippe quæ fieri possunt etiam extra testamentum, *cap. indicante, citato.* Quod si legatum petitur ab hærede, & hîc nullus extat hæres, à quo petatur, sicque legatarius videtur amittere ius, illud petendi; procedit, vbi testamentum habet effectum hæredis, non autem vniuersè; vnde Sanch. *lib. 6. de matr. D. 4. num.* 8. ex. *l. à Titio, ff. de furt.* dicit legatum in specie consistens in dominium legatarij transire, noo expectata hæreditatis aditione. ita Bordonus *tom. 2. resol. 55. n.* 15.

Addit Bordonus *num.* 34. posse Nouitium, etiam Capuccinum in suo testameoro sibi reseruare electionem puellarum, quibus eius hæres habeat quotannis soluere certam pecuniam: si electionem faciat de licentia sui Prælati obtenta: idque *ex cap. finali, de testam. in 6.* vbi dicitur religiosum de sui Superioris (intellige, etiam localis) licentia posse esse executorem: quod si potest esse executor alienæ voluntatis, à fortiori potest esse & propriæ; cum quilibet suam exequi possit voluntatem, & melius, quam per alium. Imò addit idem Bordonus *num.* 35. Capuccioum posse de licentia sui Prælati cootrectare alienas pecunias exequendo voluntatem testatoris, qui ei commisit, vt propriis manibus distribueret certam pecuniam: id enim non prohibetur in Regula S. Francisci, sed solùm, ne Minores tangant pecuniam in proprium commodum, ac interesse; vt constat *ex cap.* 4. nec plus oneris, quoad hoc imponat, Clem. *exiui.* Fratribus Minoribus, quam Regula; quamquam (inquit Bordonus) optimum esset remedium ad obseruādam regulam ad literam abstinere etiam à tali contrectatione pecuniæ.

Qua occasione aduerto obiter, quod dixi *tract.* 4. *cap. 2. num.* 317. *§ at difficultas est*, posse iuxta aliquos, Fratres Augustinianos Discalceatos in itinere excusari à prohibitione tangendi pecuniam illis facta, ex titulo necessitatis; fuisse in Capitulo generali dictorum Patrum habito Romæ anno 1647. approbatū, etsi cum limitatione, his verbis: *Declaratum fuit, quod in itinere, necessitate occurrente, & ea durante de licentia Prouincialis, & si commodè haberi nō poterit, de licētia Prioris, seu Superioris localis gestare possint Fratres in sacculo, seu pera pecunias pro itinere necessarias: non liceat eas aliquo modo attrectare omnibus concurrentibus.*

Addo item obiter in *Constit. dictorum Patrum p.* 4. *c.* 12. *§.* 2. haberi hoc statutum; videlicet: *Præcipimus autem in virtute Spiritus S. & sanctæ Obedientiæ, vt quilibet intra 24. horarum spatium quidquid acceperit, quouis modo donatum, in officinis, & locis ad ea seruanda deputatis reponere curet sub pœna grauiori: neque ab aliquo Confessore absolui possit, antequam prædicta reposuerit, vt inde in differenter in communes vsus expendantur.*

QVÆRES XXXIV. An, & quo pacto monasterium teneatur ex contractu inito à suo religioso.

81. Respond. non teneri nisi eo pacto, quo diximus *in tractat. de profess. cap. 5. sect. 81. quæst.* 20. moneo hîc, quod, quamuis; plures DD. relati à Sanch. *supr. num.* 36. sustineant religiosum ex contractu inito absque licentia Superioris non obligari, neque naturaliter, neque ciuiliter; probabilius tamen est illum obligari naturaliter, dum Superior contractum modo dicto initum non irritet. ita Less. *l. 2. c. 41. n.* 90. Azor. *tom. 1. l. 12. c. 11. q.* 5. Rebell. *p. 2. l. 1. q. 8. sect.* 1. *n.* 4. aliique & inde suadetur, quod, sicut Religiosus adstringitur voto à se emisso sine licētia Superioris, quamdiu

quamdiu non irritatur à Superiore: sic & tenebitur promissione facta homini, aliisque contractibus initis absque licentia eiusdem Superioris, dum iste ea non irritat; est enim par ratio de vtroque, cum obligatio vtriusque exigat consensum Superioris, vt patet.

82. Ait Sanchez 7. *mor. cap.* 31. *num.* 42. *con. Arag.* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. in casu, quo contractus fiat de licentia Superioris, eum non posse irritari postea, neque à Superiore, qui dedit licentiam, neque ab eius successore, neque à Prælato ei superiore; cum ex tali contractu obligatio naturalis, ac ciuilis oriatur, & alioqui Prælatus regularis non possit auferre ius alteri tertio acquisitum.

Qværes XXXV. An, & quo modo monasterium teneatur soluere debita contracta à Religioso suo, siue ex delicto, siue ex quasi.

83. Respond. non teneri, nisi eo modo, quo asseruimus *in tract. de profess. loco supr. citato quæst.* 19.

Qværes XXXVI. An, & qualiter possint applicari regularibus bona inuenta, & alia debita incerta, siue ex contractu, siue ex delicto.

84. Respond. posse, si præmissa sufficienti diligentia ad cognoscendum dominum dictorum bonorum, adhuc ignoretur, ita Lezana in terminis *tom.* 2. *c.* 19. *num.* 49. & patet, tum, quia, teste Molina *tom.* 3. *D.* 746. *num.* 1. huiusmodi bona debentur pauperibus (quod negant Sotus *lib.* 6. *de iust. quæst.* 5. *art.* 3. P. Nau. *lib.* 4. *de restit. cap.* 2. *num.* 75. Arag. *supr. quæst.* 66. *art.* 5. §. *caterum*,) tum quia Clemens IV. id per bullam concessit Fratribus Minoribus, teste Casarubio *in comp. v. bona*, §. 4. afferens §. 2. aliud priuilegium bullarium Alexandri IV. iisdem Minoribus concessum in hæc verba, *Idem Alexander concessit, quod de malè acquisitis, & incertis relictis possint Fratres Minores recipere quæcumque eis data fuerint* (intellige, adhibita prius diligentia, de qua paulo ante loquuti sumus.)

Qværes XXXVII. Quibus pœnis subiaceant ij, qui bona Regularium damnificant, aut aliter iniustè occupant.

85. Respond. subiacere excommunicationi maiori eo modo, quo diximus *in tract. de stat. relig. in commun. cap.* 6 *sect.* 2. *quæst.* 6.

Qværes XXXVIII. An Monacho incidente in hæresim, monasterium amittat bona delata ipsi monacho.

86. Respond. non amittere; cum ea non Monacho, sed monasterio acquirantur; vt benè aduertit Sanchez *lib.* 7 *mor. cap.* 12 *num.* 54. *ex Spino.*

Qværes XXXIX. An Religioso exhæredato, aut præterito à parentibus, possit monasterium intentare querelam inofficiosi testamenti, ac rumpere testamentum.

87. Respond. Sanchez *supr. num.* 52. aliis tacito nomine citatis posse; cum omnia iura viri religiosi sint penitus translata in monasterium, eique eodem modo iusint, quo competebant religioso; & hæreditas non iam religioso, sed monasterio immediatè deferatur; dissentiunt tamen alij relati à Sanch. *num.* 51.

Qværes XL. An repudiatio hæreditatis, aut legati facta à religioso sine consensu Prælati, ac monasterio sit valida.

88. Respond. non esse; & probatur, tum, quia monachus non habet velle, nec nolle: tum, quia contractus vtilis monasterio factus à Monacho prodest, monasterio ratificante: non item contractus, qui nociuus esse potest; vt benè tradunt Abb & Nau. allegati à Sanch. *n.* 57. monente, quod, cum aditio, ac repudiatio hæreditatis possint præiudicare monasterio, non item acceptatio legati, ideo acceptatio hæreditatis sine licentia est, non autem acceptatio legati. Addit Sanchez. *num.* 42. aliis citatis, quod, sicut Abbas in adeunda hæreditate non pendet à voluntate Monachi, ita nec pendet in ea repudianda, sicque potest repudiare hæreditatem delatam monacho, inuito ipso monacho.

Sectio II.

De Priuilegiis concessis Regularibus, quoad Monasteriorum erectionem, ædificationem, & conseruationem.

89 *Regulares non acquirunt liberè noua monasteria.*

90 *In iis construendis plura debent seruari, quæ proponuntur: conuocandi ab Ordinario alij Religiosi in eo loco degentes pro consensu: secus, si admittendi ex suis bonis valeant aliàs aliis Religiosis iniustè renuentibus, Ordinarius adhuc concedit nouum monasterium: cuius licentia petitur, etsi Papa det Ecclesiam: non item, si monasterium erigatur in loco exempto: Ordinarius punit construentes nouum monasterium sine licentia eius: at ipsi totum non acquiritur: quod si ille det licentiam, renuentibus aliis Religiosis, & appellantibus, debet suspendere executionem: & si des licentiam, non seruatis seruandis, ea est nulla: iuxta aliquos non debent in isto casu conuocari Religiosi non Mendicantes; at seruanda consuetudo: debent verò conuocari etiam Religiosi degentes extra per 4. milliaria passuum: idque iuxta aliquos, etiam ad facienda noua monasteria monialium; etsi tunc de facto non soleat peti consensus altarum Monialium: sicut nec petitur pro nouo monasterio virorum Regularii: quod si erigatur nouum monasterium à Religiosis ibi alium Conuentum habentibus, requiritur consensus prioris Conuentus.*

91 *Dicta seruari non debent, translato Conuentu de vno in alium locum eiusdem Ciuitatis: sicut nec in casu, quo reficiatur Conuentus funditus non euersus, imò & funditus euersus ex bello, aut incendio.*

92 *De iure communi sine licentia Papæ non erigenda noua monasteria: quod alij negant.*

93 *Ad hoc item petitur licentia Ordinarij: qualis censetur etiam Vicarius generalis Episcopi, imò & Vicarius Capitularis, & quilibet habens iurisdictionem, quasi Episcopalem.*

94 *Petitur item consensus aliorum Regularium in eodem loco degentium.*

95 *Requiritur item, vt adsint sufficientes redditus, aut eleemosyna ad alendos Regulares.*

96 *Et quidem ab initio de rigore iuris.*

97 *Seruanda item distantia 300. cannarum inter vnum monasterium, & alud.*

98 *Etsi postea ea sit reducta ad cannas 140.*

99 *Societas Iesu, quoad hoc habet speciale indultum Gregorij XIII.*

100 *Simile indultum habent & Cistercienses.*

101 *Refertur summa talium priuilegiorum: distantia cannarum seruanda item in conductione domorum facta à Regularibus.*

102 *Forma præscripta ad construenda monasteria debet seruari ab omnibus Regularibus.*

103 *Puniuntur Regulares monasteria indebitè cōstruētes*

104 *Ex speciali indulto deseruni monasteria iam constructa.*

105 *Imo*

105 *Imo & ea retinent, nullo Religioso in iis actu habitante; sed cum limitatione.*
106 *Bona Conuentus tenuioris cum oneribus possunt transferri in monasterium maius.*
107 *Bona monasterij derelicti transeunt ad Conuentum cum Religiosis monasterij.*
108 *Bona Conuentus Monialium destituti applicantur Fratribus eiusdem Ordinis: ut Regulares recuperent Conuentum derelictum, egent Ordinarij licentia, sed non semper: at non in omni casu si mann illius deserunt monasteria: sine eius licentia recuperant suos Conuentus per vim, aut metum iniustum oblatos.*
109 *Vniuntur plures Conuentus Regularium ob tenuitatem redditruum.*
110 *Nec tali vnioni obstant pacta iure humano vetita, quæ ei admiscentur.*
111 *Item non obstat Eugenij IV. indultum, quod adducitur.*
112 *Regulares in aliquo casu possunt cogere saculares, vt ipsis vendant proprias domos.*
113 *Possunt item impedire, ne ij sua ædificia altius attollant.*
114 *Conuentus ex legato construendus alicubi, si ibi construi nequeat, construi debet alibi.*
115 *Ampliatur assertio ad casum similem.*
116 *In dubio, an monasterium debeat construi Monialibus, aut Fratribus Ordinis, ea præferuntur: loco Hospitalis ex legato construendi potest construi Monasterium Regularium.*
117 *Excommunicantur vim inferentes Regularium monasteriis.*

QVÆRES I. An Regulares possint liberè acquirere noua monasteria.

89. Respond. non posse, neque de iure communi antiquo id ipsis prohibente in *cap. eum ex eo de excess. Prælat.* & Clem. 5. *Cupientes de pœnis*: neque de iure communi nouo inducto per Vrbanum VIII. qui in sua bulla 25. in ordine reuocauit omnes licentias, facultates, & priuilegia variis Ordinibus concessa ad effectum erigendi monasteria, & loca regularia sine licentia Papæ præscripta in iuribus adductis: simulque præcepit in huiusmodi locis regularibus erigendis seruari debere decreta sacrorum Canonum, concilij Tridenr. Clementis VIII. & Gregorij XV. idque in virtute sanctæ Obedientiæ, & subpœnis priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, quorumcumque officiorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, nec non excommunicationis ipso facto incurrendis. Vbi noto bas quidem pœnas omnes, & singulas incurri ipso facto absque Iudicis sententia, nullam tamen illarum esse reseruatam, vt constat ex ipso textu.

QVÆRES II. Quæ seruari debeant in erigendis monasteriis Regularium.

90. Respond. debere seruari decreta *quæst. præcedenti relata*, nimirum Concilij Trid. *sess. 25. de regul. cap. 3.* prohibentis *ne noua loca* recipiantur sine Episcopi, in cuius diœcesi erigenda sunt, licentia *prius obtenta*: nec non Clementis VIII. qui in sua Constitut. *Quoniam ad instituta* edita 23. Iulij 1603. (& est in ordine 99.) statuit locorum Ordinarios non posse licentiam ad nouos conuentus cuiusque Mendicantium Ordinis in ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa seruatis seruandis cognita constiterit in eisdem ciuitatibus, & locis nouos huiusmodi eligendos Conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse; præterea seruari debet decretum Sacræ Congregationis sub Gregorio XV. editum 17. Augusti 1622. quo cauetur ne vlla monasteria de nouo erigantur, nisi in eis saltem 12. Fratres, aut Monachi, seu Religiosi Inhabitare, aut ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant: ac Priores, seu Procuratores aliorum monasteriorum Conuentuum, seu domorum aliarum Religionum, non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumuicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint; vel aliàs Ordinariis locorum constiterit Religiosos monasterij, seu domus regularis sic erigendi, seu erigendæ absque detrimento Religiosorum in monasteriis, seu domibus antea in ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium ibi in numero 12. commodè, & congruè manuteneri, & ali posse. Si verò noui conuentus, domus, congregatio, vel societas huiusmodi instituendæ erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominus diligenter Inquirant, an locorum incolæ, & habitores, quorum & consensum requirant, & adhibeant, huiusmodi 12. Religiosos in Conuentibus instituendis commodè alere, & manutenere valeant. Quare (præfata omnia redigendo in summam) non possunt hodie erigi noua monasteria Regularium, nisi priùs obtineatur beneplacitum Papæ, ac licentia Ordinarij loci; nisi adsit consensus omnium Religiosorum ibi degentium: nisi extent redditus annui, seu eleemosynæ probabiliter speratæ, quæ sufficiant ad 12. Religiosos competenter alendos: nisi constet Ordinario monasterium in eo loco posse de nouo erigi absque præiudicio Religiosorum in dicto loco antea degentium.

Debet ergo Ordinarius loci in quo construendum est nouum monasterium, conuocare Religiosos dicti loci pro consensu quamquam, si ei constet Religiosos monasterij construendi absque detrimento Religiosorum in monasteriis ibi antea erectis degentium in numero duodecim posse commode manuteneri, & ali; Ordinarius tunc non teneatur modo dicto conuocare Religiosos: idque ex decreto Sacræ Congregationis iussu Gregorij XV. edito: quod Cespedes *cap. 1. de exemp. d. 4. num. 2.* ex Lezana *v. monasteria*, notat fuisse confirmatum ab Vrbano VIII. per bullam, *Romanus Pontifex*: id autem non aduertit Peyrinus *tom. 3. de priuil. in addit. ad Constitut. Vrbani VIII. cap. 12. not. 2.* adeòque docet in præsentia Ordinario teneri conuocare Religiosos modo dicto etiam in casu hîc proposito eo quod per citatam bullam Vrbani tollatur eiusmodi arbitrium Ordinariis: quod negandum est, cum Vrbanus confirmauerit decretum Gregorij XV. & in hoc tale arbitrium Ordinariis locorum concedatur.

Vnde infert Cespedes *d. 8. num. 1.* ex *Nouario* ad construendum monasterium, quod est tutum de victu, vestitu &c. ob redditus, quos habet, sufficere licentiam Ordinarij, nec requiri consensum aliorum Religiosorum: cum sic cesset finis bullæ requirentis præfatum consensum. sic habet Rota apud Farinacium, teste ipso Cespedes.

Imò Iezana *supr. num. 7.* addit quod si Regulares erectioni noui monasterij sine ratione, vel (quod absit) etiam ex mala voluntate contradicerent: posset Ordinarius concedere dictam licentiam: quod à fortiori confirmat Venerus in *examine l. 6. cap. 10. num. 8.* his verbis: *Episcopus solum tenetur in scriptis redigere ea, quæ ab vnoquoque proferuntur & dare terminum vnicuique*

vnicuique ad id probandum: sed postea ipse solus poterit dare, vel negare licentiam ædificandi absque dependentia aliorum.

Hæc porro licentia Ordinarij requiritur, etsi Papa Regularibus concedat Ecclesiam; nisi fortè in concessione aliud exprimatur. Ita Venerus *sup. l.* 11. *c.* 14. *num.* 11. & probatur, quia in hoc non debet derogari Concilio Tridentino danti potestatem Ordinariis, ne sine eorum consensu Regulares accipiant possessionem Ecclesiarum, aut nouas Ecclesias ædificent, *cap. pastoralis, de priuil.* vbi apertè casus hic deciditur prout nos decidimus: præterquàm quod *Glossa ibi* plures alios affert casus, in quibus, licèt Superior aliquid concedat inferiori, tamen alterius consensus expectandus est.

E contra putat Cespedes *d.* 17. *n.* 2. dictam licentiam non requiri in casu, quo Regulares velint ædificare monasterium in loco exempto: quo modo enim inquit licentia, & consensus Episcopi expectandus est, dum agitur de ædificatione monasterij in loco, in quo iurisdictionem non habet Episcopus? Dissentiunt Nouarius, Franchus, Fumus, Pratus, & Cochier relati à Cespedes suam sententiam colligentes, ex *cap. authoritate, de priuil. in* 6. vbi dicitur: *Inhibemus insuper, ne in locis etiam exemptis, hoc ipsi exempti facere audeant, nisi super his licentiam, vel priuilegium habeant Sedis Apostolicæ:* sed per hæc verba ait Cespedes in hoc casu non requiritur licentia Episcopi; sicut requiritur, dum Regulares volunt ædificare in loco non exempto; sed ne propria authoritate id faciant, & sine consensu Sedis Apostolicæ. Cui interpretationi fauet Glossa *ibi* dicens: *quia, sicut Episcopus est Diœcesanus in loco non exempto, vt supra; sic & Papa est Diœcesanus in loco exempto*; & addit, *Puto tamen*, quod in hoc casu sufficeret licentia legati de latere.

Quod si absque licentia Ordinarij, Regulares intrent aliquam Ciuitatem ad ædificandum monasterium: dicit Cespedes *d.* 23. *num.* 8. posse Episcopum procedere contra illos, vt potest procedere contra delinquentes publicè notoriè cum scandalo: refertque Venerum sustinere, quod Episcopus in tali casu, inuocato brachio sæculari, si opus fuerit, debet intrepidè iubere, vt Sanctissima Eucharistia reuerenter consumatur, dictósque Regulares excommunicare, carcerare, ac mittere ad ipsorum Superiores puniendos, qui Superiores debent illum certiorem facere de pœna iis illata: quod bene reiicit Cespedes, quoad excommunicare, si Regulares iuxta alibi dicta priuilegium habeant, ne excommunicentur. Addit Cespedes *d.* 17. *num.* 4. quod dicunt aliqui Doctores in hoc casu totum acquiri Episcopo, non esse verum, nec benè colligi ex *c. authoritate, sup. relato*; cum ibi nullum sit verbum, per quod Episcopo tribuatur talis facultas.

Si verò Episcopus, conuocatis Religiosis, det licentiam construendi monasterium, renuentibus ipsis Religiosis, & hi appellent à tali licentia data pro suo damno: Episcopus tunc debet suspendere executionem, ac introitum Regularium, & Papæ remittere omnia, ac expectare, vt ipse in hac causa pronunciet. Ita Venerus *sup. l.* 6. *cap.* 10. *num.* 11. & clarè habetur ex decreto sacræ Congregationis iussu Gregorij XV. edito.

Denique si Episcopus, non seruata forma præscripta in decreto Clementis VIII. det licentiam construendi monasterium, inualida est concessio: cum dicta bulla contineat decretum irritans, quod operatur nullitatem, & omnia in oppositum destruit sic Rota *diuersor. decis.* 24. *part.* 2. Gonzalez *super regulam Cancell.* 8. *gloss.* 68. *n.* 2. & Cespedes *d.* 23. *num.* 1. limitans tamen assertionem iuxta dicta hîc §. *debet ergo*, & §. *vnde infert.*

Dubitari posset hîc, an Episcopus teneatur conuocare Religiosos etiam non Mendicantes: & ratio dubitandi pro parte negante est, quod respectu horum videtur cessare finis iurium præcipientium talem conuocationem, vt consideranti facilè patebit; sicque videntur conuocandi solùm Regulares Ordinum Mendicantium. Ego tamen (inquit Cespedes *sup. num.* 4.) nihil proprij audeo dicere; cum dubium non videam motum à Doctoribus, & consequenter non resolutum; sic ille. Vt verò ipse dicam, quod sentio, in hoc puto standum esse consuetudini regionum, ac locorum; cum consuetudo sit optimus legis interpres: & alioqui pro viribus euitari debeant dissidia, ac tricæ inter Regulares: de quibus dicitur Psalm. 131. *Ecce quàm bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.*

Adde vt nouum monasterium in aliquo loco erigatur, debere conuocari ab Episcopo non solùm Religiosos in eo loco degentes, sed etiam illos, qui degunt extra illum per 4. millia passuum. & hoc ex bulla Gregorij XV. *Cum alias* §. 3. vbi dicitur, *ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conuentuum, seu domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, &c. non solum in prædictis, sed etiam in alijs per 4. millia passuum circumuicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint.*

An autem in erectione Monasterij Monialium debeat seruari forma præscripta pro constructione monasterij virorum Religiosorum.

Respond. Lezana *sup. num.* 5. debere seruari: imò Barbosa *l.* 2. *de iure Eccles. cap.* 12. *num.* 7. testatur sic fuisse decisum à Sacra Congregatione: etsi Lezana addat non comprehendi Moniales sub decreto Gregorij XV. adducto à Cespedes *dist.* 1. quarenùs statuit ne erigantur monasteria, in quibus saltem 12. Religiosi nequeant sustentari; & quod audiantur Priores, seu Procuratores aliorum locorum per 4. millia passuum circumuicinorum: cum ibi sit solùm sermo de monasteriis virorum; vt patet ex illis verbis, *Fratres Religiosi, Monachi*, & decisio Barbosæ modò relata fuerit edita ante decretum hoc Gregorij: in quo dissentit Tamburinus *de iure Abbatiss. D.* 33. *quæst.* 1. *num.* 4. dicens non licere Ordinariis licentiam dare ædificandi monasteria Monialium, nisi vocatis priùs, & auditis Prælatis conuentualibus locorum, vbi ædificanda sunt, & aliis interesse habentibus.

Quod si hac occasione quæras, an Ordinarius in erectione alicuius noui monasterij Monialium debeat audire Abbatissas, seu Priorissas, aut Prælatos aliorum monasteriorum Monialium.

Respond. Cespedes *supra dist.* 353. *num.* 1. debere audiri Prælatos aliorum monasteriorum; dicitque id esse contra doctrinam à me datam in *tract. de Monial. cap.* 10. *n.* 31. eo quod Clemens VIII. in sua Constitutione sub iis verbis, *aliisque interesse habentibus*, videatur comprehendere etiam Superiorissas Monialium, vtpote hac in re interesse habentes (quod nego *loco citato*,) verùm cum praxis sit in contrarium (vt concedit ipsemet Cespedes) & consuetudo sit optimus legum interpres; dicendum videtur præfatas Superiorissas non comprehendi sub iis verbis, eaque debere explicari de aliis Officialibus monasterij virorum Regularium, qui non vocentur Priores, aut Procuratores, & aliàs habeant interesse: alioqui, si dictæ Superiorissæ sub iis verbis comprehenderentur, aliquando, & alicubi

fuissent vocatæ, & vocarentur: quod tamen mihi non constat vnquam factum fuisse.

Vtrùm verò Monialium Superiorissæ vocari debeant modo sup. dicto in casu, quo nouum Monasterium virorum Regularium construi debeat in eodem loco.

Respond. ex dictis §. *præcedenti*, non debere vocari: cum ratio ibi allata intentum probet etiam in isto casu.

Dubium maius est, an casu, quo Religiosi alicuius Ordinis velint erigere nouum aliud monasterium in oppido, in quo monasterium aliud habent, conuocari debeat Superior monasterij anteà erecti.

Respond. debere conuocari: cum ius hac de re editum generaliter loquatur, & lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi, finisque legis militet etiam in præsenti casu, quatenùs ex noui monasterij constructione damnificari potest antiquum monasterium; etsi vtrumque sit eiusdem Ordinis: vbi autem militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio.

An autem hæc omnia requirantur etiam in casu, quo in eadem ciuitate solùm fiat mutatio monasterij de vno loco in alium.

91. Respond. non requiri; idque tum ex priuilegio adducendo *inferius q. 9.* tum quia sic nullum infertur præiudicium aliis Regularibus ibi existentibus, nisi fortè per accidens ratione maioris propinquitatis: siquidem Religiosi transferentes suum monasterium de vno loco ciuitatis in alium iam habent ius ibi conquirendi eleemosynas; sicque cessat finis præfatorum decretorum; constat autem, cessante fine legis adæquato, cessare & ipsam legem. Ita Peyriu. *tom. 2. priu. l. Const. 6. Greg. XV. n. 1.* ex Rodriq. *to. 2. q. 49 n. 9.* addens secùs dicendum in casu, quo aliqui Regulares spontè, & omninò reliquissent aliquod monasterium: tunc enim non possunt illud recuperare sine debita solemnitate, cum ipsi iam amiserint ius monasterij derelicti, & eorum redditus posse esse damnosos Religiosis aliorum Ordinum ibi degentibus. Non dissentit Lezana *sup. n. 32.* & cum eo Cespedes *d. 7.* notans ex Miranda *tom. 1. Manual. quæst. 33. art. 1.* & Rodriq. *in Comp. resol. 55.* Regulares posse mutare Conuentum de loco incommodo ad commodiorem sine licentia Episcopi: idque ex indulto concesso à Sixto V. Ordini S. Benedicti, quod non fuit abrogatum per Concilium Tridentinum, vtpote loquens solùm de noua erectione, ac ædificatione, non autem de mutatione: quod negant Rodriq. *tom. 1. q. 23. a. 7.* & Pottel. *de dub. Regul. v. monasterium, n. 5.* addentes in casu posito Regulares posse vendere monasteria, ædificia, & alia omnia præter Ecclesias.

Maius dubium est, an monasteria refici possint sine Episcopi consensu.

Respond. posse refici, si monasterium non sit funditus euersum, quod euenit, quando remanent eius fundamenta, vt colligitur ex Afflicto *decis. 391. n. 14.* sic enim non noua, sed vetus ædificatio reputatur: quomodo Regulares sine Episcopi consensu potuerunt reparare sua monasteria tempore belli destructa: quippe quorum ædificatio censetur vetus, non noua; cum remanserint illorum fundamenta. Secùs, si modo sup. dicto monasterium sit funditus euersum; tunc enim requiritur Episcopi consensus; cum sic ædificatio reputetur noua. Ita Cespedes *d. 10.* ex Nouario monens *n. 3.* cum Rodriq. Francho, Suar. Tamburino, Lezana, Suarez, Regulares sine licentia Episcopi posse ampliare monasteria, quæ habent: cum extensio, seu augmentum monasterij sit de actibus iam permissis; Supposita legitima acquisitione *l. ab ea parte, ff. de probationibus.*

In casu verò, quo destructum esset aliquod monasterium à fundamentis causa belli, aut incendij: cum sic noua fieri debeat ædificatio iuxta modò dicta, requireretur Episcopi licentia: non tamen vocandi essent alij Religiosi ad dandum consensum, cum damnum, ac præiudicium quod illis fit, non sit nouum, sed vetus regulariter loquendo. Ita Cespedes *d. 13. n. 3.* & benè.

QVÆRES III. An hodie ad erigenda noua monasteria Regularium vltra licentiam Ordinarij loci requiratur etiam licentia Papæ.

Respond requiri; & constat ex eo, quod, licèt Concilium Trid. *sup.* videatur exigere solùm consensum Ordinarij, & plures Religiones olim haberent priuilegium erigendi noua monasteria de licentia solius Ordinarij (vt videre est apud Mirandam *p. 1. manu. q. 33. art. 1.* & Lezanam *tom. 1. c. 9. n. 34*) re vera tamen Concilium Trid. non abrogauit dispositionem iuris communis prohibentis, *c. 1. de excess. prælat. in 6.* ne Prælati religionum recipere valeant vllum conuentum, seu locum absque Sedis Apostolicæ speciali indulgentia: sed præterea addidit obtinendam esse licentiam etiam ab Ordinario loci; sicut declarauit Sacra Congregatio apud Barbosam *de offic. Episc. alleg. 36. num. 4.* priuilegia verò quoad hoc aliàs concessa Regularibus, fuerunt abrogata ab Vrbano VIII. quatenus præcepit in locis regularibus erigendis seruanda esse decreta sacrorum Canonum, Concilij Trid. Clementis VIII. & Gregorij XV. per ly *sacrorum Canonum*, intelligendo Ius commune statutum in *cap. 1. de excess. Prælat. in 6.* per quod requiritur consensus Papæ ad construenda noua monasteria Regularium; sicque præfatum Ius commune innouauit, quantumuis aliàs fuisset ei derogatum per dicta priuilegia: quæ proinde non possunt amplius deseruire, nisi iterum concedantur. Dissentit Cespedes *c. 1. de exempt. d. 2. num. 4.* ex Rodriq. & Sorbo, dicens, etsi nulla essent priuilegia concedentia Regularibus, vt possent ædificare monasteria sine speciali licentia Papæ, adhuc in præsentia posse cum solo consensu Episcopi; affertque pro sua sententia Decisionem Rotæ, quam adducit Farinac. *decis. 745. tom. 1 p. 2.* 92.

QVÆRES IV. Qualiter requiratur licentia Ordinarij ad erigenda noua monasteria Regularium.

Respond. ita requiri, vt ea concedi quidem possit ab Episcopo electo, & confirmato, licèt nondum consecrato (cum potestas concedendi talem licentiam spectet ad iurisdictionem episcopalem, quæ competit Episcopo etiam non consecrato;) non item à Vicario generali Episcopi, nisi id expressè habeat in mandatis: idque ex declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Nouar. *in lucerna, regul. v. monasterium, num. 2.* addens ex declaratione eiusdem Sacræ Congregat. dictam licentiam non posse concedi, neque à Vicario capitulari, Sede vacante. Quod negat Cespedes *sup. d. 21. n. 3.* ex Bizono, Rota, Iasone, Abbate, & Sanchez, dicens Vicarium generalem Episcopi, cum is verè sit, & diei possit Ordinarius, posse talem licentiam concedere; imò & Vicarium, Sede vacante, nisi obstet Sacræ Congregationis declaratio modò adducta: addensque hanc licentiam dari posse à quocumque habente iurisdictionem quasi episcopalem (quales sunt multi Abbates, & similes) quippequi iurisdictionem ordinariam habent canone, præscriptione, aut priuilegio, adeóque veniunt nomine Ordinarij. 93.

QVÆRES

QVÆRES V. An consensus aliorum Ordinum ad erigenda noua monastria ita requiratur, vt, si ij dissentiant, Ordinarius loci non possit dare licentiam illa erigendi.

94. Respond. sic requiri, vt Clemens VIII. per bullam editam 23. Iulij 1603. superius allegatam praecepit Ordinariis, vt, si in tali casu contingat ab aliis Ordinibus ad Sedem Apostolicam appellari, tamdiu erectionem nouorum Conuentuum suspendant, quo vsque à Sede Apostolica in eadem causa pronunciatum extiterit: sitque irritum, & inane, quidquid secùs super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

QVÆRES VI. Qui debeant esse reditus, seu eleemosynæ ordinariæ, ad hoc vt alicubi erigi possint noua monasteria Regularium.

95. Respond. debere esse tales, vt saltem sufficiant ad sustentandos 12. Religiosos, & quidem non quomodocumque (sicut censent Peyrinus *tom. 1. priuileg. Const. Pyrrhi. num 49.*) sed commodè, ac decenter, ita scilicet, vt victum, & vestitum iuxta loci consuetudinem, & conditionem personarum ibi degentium Religiosis in eo monasterio commoraturis tribuant, habita etiam ratione aliorum onerum, ad quæ tenetur monasterium (v. g. instaurationis illius, reparationis Ecclesiæ, hospitalitatis, ratarum Superioribus debitarum, &c.) & hoc absque eo quod Religiosi cogantur importuna mendicitate prædicta sibi comparare. Colligo tum ex fine intento in decretis sup. adductis, & præsertim ex decreto illo Gregorij XV. vbi dicitur, *In num. 12. commodè, & congruè manuteneri, & ali posse*: & paulò post: *commodè alere, & manutenere valeant*: quod idem satis apertè indicauit Vrbanus VIII. in decretis *de celebrat. Miss.* dicens, *competenter valeant sustentare*; & paulò post, *sufficienter ali possint*: qui modi loquendi satis ostendunt ad erigendum alicubi monasterium non sufficere, quod redditus, aut eleemosynæ consuetæ sint satis ad alendos 12. Religiosos; vtcumque idest sine penuria (sicut existimat Peyrin. *id* ex eo inferens, quod in decreto Gregorij XV. dicitur, *ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant*, non apposita clausula illa, *commodè, & congruè*; quasi vero in progressu dicti decreti præfata clausula semel, & iterum non apponeretur, & alioquì vna pars Constitutionis Pontificiæ non possit declarare aliam præterquam quod particula, *competenter*, apposita in decreto Vrbani VIII. videtur idem significare, ac illæ aliæ, *commodè, & congruè*: cum ibi addatur, *competenter sustentari valeant ad præscriptum decreti s. r. Gregorij XV. hac de re editi*; quod est signum decretum Vrbani VIII. non esse moderatiuum decreti Gregorij XV. sed potiùs confirmatiuum, ac innouatiuum, sicque in eodem sensu vtrumque intelligendum esse.

Vtrum verò acceptari possit fundatio monasterij non habentis ab initio redditus sufficientes ad alendos 12. Religiosos iuxta præfata decreta, si adsit spes probabilis fore, vt breuì augeantur redditus.

96. Respond. de rigore iuris non posse; cum Vrbanus VIII. in citato decreto *de celebrat. Miss.* inhærens decretis in subiecta materia editis à Gregorio XV. dicat: *Deinceps vero monasterium, conuentus, domus, congregatio, vel societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita in singulis eiusmodi locis 12. saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus vt supr. detrahendis, competenter sustentari valeant*. Vbi verbum, *recipiatur*, importat acceptationem fundationis, ideoque supponit, vt nullibi erigatur monasterium, in quo etiam ab initio competenter ali non possint 12. Religiosi Dixi, *de rigore iuris*, vt innuerem, quod si fortè vsus extaret in contrarium, haud facile talis vsus damnandus esset, vt pote nitens benigna voluntate Papæ illum ex iusta causa permittentis. ita docti viri a me consulti.

QVÆRES VII. An, & qualiter in erigendis nouis Monasteriis Regularium seruari debeat certa distantia inter vnum monasterium, & aliud, qualisque debeat esse talis distantia.

Respond. seruari debere distantiam 300. cannarum; idque ex priuilegio bullato Clementis IV. concesso Fratribus Minoribus, & relato à Casarubio *in comp. v. ædificare, num. 1.* his verbis, *Clemens IV. prohibuit Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Pœnitentiæ Iesu Christi, & Carmelitarum, ac S. Augustini, & Monialibus S. Claræ, aliorumque Ordinum in paupertate fundatorum, ac omnibus mulieribus prædictorum Ordinum, aut aliorum quorumcumque ne aliquod monasterium, Ecclesiam, aut Oratorium ædificare, seu construere præsumant infra spatium 300. cannarum ab Ecclesiis Fratrum Minorum mensurandarum per aerem, etiam vbi alias rectè mensurari loci dispositio non permittit. nulli quoque sæculari, vel Religioso cuiuscumque professionis voluit licere Ecclesiam, vel Monasterium, seu Oratorium iam ædificatum in aliquem transferre de Ordinibus memoratis infra spatium prædictarum 300. cannarum: & quamlibet istarum cannarum voluit 8. palmorum longitudinem continere, non obstante varia locorum consuetudine: præterea statuit, vt quidquid contra huiusmodi ordinationis, & inhibitionis tenorem ædificatum fuerit, diruatur.* hæc Casarubius quæ si benè perpendantur, non paucas dissoluent difficultates. ita Rodriq. *tom. 3. quæst. 49. art. 5.* qui benè notat reductionem 300. cannarum ad 140. factam ab ipsomet Clemente IV. per bullam allegatam à Casarubio *num. 15.* non debere nocere Fratribus Minoribus: idque ex concessione bullata Iulij II. in fauorem dictorum Fratrum confirmantis, approbantis, & de nouo concedentis præfatum priuilegium 300. cannarum. 97.

Quin etiam Sixtus IV. teste Casarubio *num. 19.* per bullam indulsit Carmelitis, ne vlli Religiosi (etiamsi non Mendicantes) aut quæcumque aliæ Ecclesiasticæ personæ vtriusque sexus prope domos dictorum Fratrum nouas Ecclesias, & loca construere, vel aliàs de nouo recipere, & habere possint infra spatium 140. cannarum per aërem modo dicto mensurandarum; excepto tamen casu, quo illi ea erecturi sint prope monasteria Fratrum Minorum; tunc enim non possunt Carmelitæ erigere monasteria infra 300. cannas: & hoc ex indulto Iulij II. qui teste Casarubio *num. 9.* declarauit reductionem 300. cannarum non debere nocere Fratribus Minoribus (vt pote quæ fuit inducta in odium aliorum Religiosorum) ideòque respectu Fratrum Minorum adhuc debere seruari distantiam 300. cannarum. ita vt etiam hodie ab eorum monasteriis distare debeat 300. cannis quicumque locus à Religiosis aliorum Ordinũ erigatur: ipsi verò Fratres Minores ædificare possint sua monasteria prope conuentus aliorum Religiosorum, dummodò distent ab iis 140. cannis. Quamquam hoc ipso quod Iulius II. concessit tale priuilegium Fratribus Minoribus, eo ipso idem priuilegium per viam communicationis competat etiam Religiosis aliorum Ordinum; nisi fortè quis dicat eiusmodi priuilegium concessum fuisse minoribus incommunicabiliter (sicut incommunicabiliter fuit concessum Religiosis Societ. Iesu, vt etiam intra 140. cannas erigere possint Collegia, & domus; prout colligitur 98.

ex Comp. eiufdem Societ. v. adificia §. 3. quod tamen de priuilegio conceffo Fratribus Minoribus non eft ita certum.) hoc autem fi detur, nempe etiam Religiofos aliorum Ordinum participare de ifto priuilegio conceffo Minoribus in fpecie: fequitur etiam Religiofos Carmelitas, alióſque Regulares poffe erigere monafteria prope conuentus Fratrum Minorum, etiam intra 140. cannas, poffeque fe tueri, ne alij Religiofi cum dicta diftantia ædificent prope fuos Conuentus: quod qualiter fieri poffit, oftenfum eft *fupr. cap. 1. fect. 3. quæft. 13.*

99. Priuilegium autem, quod modò diximus conceffum fuiffe Religiofis Soc. Iefu, conceffit Gregorius XIII. in fua Conftitut. *Saluatoris D.N.* edita 30. Oct. 1576. fublatis quibufcumque priuilegiis in contrarium factis cuicumque alij Religioni, ac Ordini; & quidem incommunicabiliter, vt iam diximus; & colligitur ex verbis illis, quæ habentur in dicta Conftitutione, *priuilegia dictorum Ordinum fuper non ædificatione infra dictas cannas, quoad dictam Societatem tantum fufpendentes, reuocantes, ac inualidantes*; quod eft dicere fe nolle priuilegium iftud fuffragari vlli alij Ordini religiofo, quam Societati Iefu; cum dictio *tantum* fit exclufiua, & aliàs refpectu ipfius Societatis magna ex parte ceffet finis prohibitionis de non ædificandis monafteriis intra cannas præfcriptas: dato quod Religiofi illius non habent vfum Chori, non conueniunt ad funerales affociationes, non admittunt in fuis templis defunctorum funera, nifi rara, non recipiunt ftipendium pro Miffis, confeffionũ auditione, aut quocumque alio fpirituali minifterio.

100. Refert præterea Rodriq. *fupr.* Vrban. IV. conceffiffe Ordini Cifterciensi, quod nulla ædificia intra vnum milliare ab abbatiis, ac locis dicti Ordinis erigantur; idque fub pœna excõmunicationis (vt puto) ferendæ: non enim explicat, an fit ferenda, vel lata, ideoque cum odia, & pœnæ reftringi debeant, præfumi debet folùm ferenda; nec non fuiffe conceffum Carthufienfibus ab Innocent. IV. & quidem per bullam, vt videre eft apud Cafarubium *fup. num.* 20. quod infra dimidiam leucam nulli Religiofo liceat quodlibet ædificium conftruere, aut poffeffiones acquirere.

101. Vt ergò hæc omnia priuilegia in vnum redigamus, poffunt Regulares tam Mendicantes, quam non Mendicantes hodie erigere monafteria, & Ecclefias prope monafteria, ac Ecclefias alterius Ordinis, dummodò eà non erigant intra fpatium 300. cannarum: idque ex priuilegio Clementis IV. conceffo Ordini Fratrum Minorum, & poftea illis confirmato à Iulio II. confequenter reuocante reductionem 300. cannarum ad 140. cannas factam à præfato Clemente IV. in fauorem Fratrum Dominicanorum; ita vt vi talis reuocationis non folùm Fratres Minores, fed etiam alij omnes Religiofi de eorum priuilegiis participantes poffint impedire, ne Religiofi alterius Ordinis erigant monafteria infra fpatium 300. cannarum à monafteriis ipforum; nifi fortè aliqui illorum poft dictam reuocationem Iulij II. obtinuerit, quoad hoc fpeciale priuilegium; ficut verè obtinuerunt Religiofi Societatis Iefu, fed incommunicabiliter, quoad alias Religiones, vt iam dictum eft.

Addo ex vna Ianuen. domorum 20. Decembris 1610. coram Patriarcha Manzanedo decifum fuiffe ius competens Regularibus ne intra 140. cannas ab eorum domibus monafteria conftruantur habere locum etiam in conductione domorum ad habitandum (cum eadem ratio militet) adeóque Regulares domum femel conducentes intra 140. cannas à Monafteriis, ac domibus aliorum Regularium acquirere quafi poffeffionem contra ius præfatum generale: fi domum conducant fcientibus ac patientibus aliis Religiofis, & vnicus ifte actus fit effectuatus: vt decidit Rota *in Affifien. Canonicatus 14. Iunij* 1600. coram Cardinali Sacrato, & notauit Mantica *decif. 122. num.* 8.

QVÆRAS VIII. An omnes Regulares etiam Ordinum non Mendicantium in erigendis nouis monafteriis, ac domibus teneantur feruare decreta *quæft.* x. relata, non obftantibus quibufcumque priuilegiis.

Refpond. teneri omnes: idque ex Conftit. Vrba- 102.
bani VIII. in ordine 25. edita 20. Aug. 1624. in qua perpetuò reuocatis, & abrogatis quibufcumque facultatibus, ac licentiis aliàs in contrarium obtentis Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Inftitutorum Regularium Superioribus, cæterifque perfonis, ad quos fpectat in virtute fanctæ obedientiæ, ac fub pœna priuationis vocis actiuæ, & paffiuæ, nec non officiorum quorumcumque ac inhabilitatis ad illa, & ad alia in futurum obtinenda, nec non excommunicationis ipfo facto incurrendis pœnis interdicit, & prohibet, ne licentiarum, feu facultatum modo dicto reuocatarum, fiue alios quouis prætextu, vel caufa, etiam quantumuis priuilegiata noua monafteria, domos, conuentus, & alia loca regularia huiufmodi, nifi de expreffa Ordinariorum licentia, ac feruata in omnibus, & per omnia facrorum Canonum, & Concilij Trid. nec non Conftitutionibus Clementis VIII. ac decretorum, tam eiufdem Clementis VIII. quam Gregorij XV. defuper editorum forma recipere, erigere, fundare, feu aliàs quomolibet inftituere, feu incœpta finire, & abfoluere audeant, feu præfumant. Vbi noto quod, cum dicatur, *Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Inftitutorum*: fatis expreſsè indicatur fub ifta prohibitione comprehendi omnes Ordines Regularium, fiue Mendicantes, fiue non Mendicantes; fi quidem claufula, *etiam*, eft ampliatiua, ficque vltra Ordines Mendicantes includit etiam non Mendicantes maximè attentis illis aliis verbis, *& aliorum Inftitutorum*, quæ cum non poffint intelligi de Ordinibus Mendicantibus, quippe qui iam expreſsè funt recenfiti, fupereft, vt intelligantur de Ordinibus non Mendicantibus, aliàs non expreffis.

An autem etiam Moniales Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium comprehendantur fub ifta prohibitione, dicemus *in tract. de Monialibus cap. 10. num.* 31.

QVÆRES IX. fub quibus pœnis prohibeantur Regulares erigere noua monafteria, non feruata forma *quæft præcedenti* propofita.

Refpond. teneri fub pœnis *quæft. præcedenti* pro- 103.
pofitis ex Conftitutione Vrbani VIII. quæ quidem omnes incurruntur ipfo facto (vt conftat ex tenore textus) non tamen funt referuatæ, vt indicamus *quæft.* 1. Moneo hic excommunicationem latam in Clem. *Cupientes, de pœnis*, contra Religiofos abfque licentia Papæ noua loca recipientes ad habitandum, aut mutuantes, vel etiam alienantes iam recepta, non afficere, nifi Religiofos Ordinum Mendicantium, non effe referuatam, & quoad actionem transferendi, vel alienandi non habere locum, nifi in domibus conftructis vfque ad tempus Clementis V. quia talem excommunicationem adiecit præfenti prohibitioni: imò nec in iis, cum tefte Suarez *D.* 23. *de cenfur fect.* 5. *num.* 15. per bullam Leonis X. derogatum fit dictæ prohibitioni, quoad transferenda, aut alienanda loca antiqua; fed de hoc *quæft fequenti.*

QVÆRAS

QVÆRES X. An Regulares deserere possint propria monasteria iam ædificata, & quo iure.

104. Respond. de iure communi non posse; cum id expressè prohibeatur, *cap. cum ex eo, de excess. Prælat. in 6. & cap. vnic. de relig. dom. in 6.* vt vidimus *quæst. præced.* posse tamen de iure speciali, idest ex priuilegio bullato Sixti IV. concesso Fratribus Minoribus, quod refert Casarub. *in Comp. ver. ædificare, n.8.* his verbis: *Idem Sixtus concessit Generali Fratrum Minorum Obseru. licentiam, & facultatem ea loca, qua Fratribus suis minus commoda esse cognouerint, dimittendi in manibus Ordinariorum locorum, & illa licitè deserendi, prout ei visum fuerit expedire.* Cui concessioni similis est illa alia, quam Rodriq. *tom.2. q.49. art.4.* refert fuisse concessam à Sixto V. Abbati generali Congregationis S. Benedicti in Portugallia anno 1587. dicens se vidisse illam sub sigillo authentico.

105. Quin Leo X. concessit Prouincialibus Minorum, vt loca minùs commoda iis concessa, & ab Ipsis non omnino derelicta post Constitutionem Bonifacij (de qua *quæst. præcedenti,*) constructa pro sua deuotione retinere possint sine Fratribus ibi habitantibus; dummodo illa visitent, cum tempus opportunum fuerit, & in eorum Ecclesiis aliquando celebrent; quamquam id intelligendum videatur, modò in dictis locis maneat aliquis Religiosus, qui eorum curam gerat. Ita Portell. *de dub regul. ver. monasteria, in addit. num. 1.* addens *n.3.* eumdem Leonem concessisse iisdem Fratribus Minoribus, vt in casu necessitatis Ecclesiæ tam Fratrum, quam Monialium de vno in alium locum transferri possint, ac mutari: & quod locus prioris Ecclesiæ reduci possit ad vsus humanos iuxta commoditatem dictorum locorum, ac monasteriorum, dummodò materia ædificiorum reponatur in alia Ecclesia; hæ tamen concessione, cum fuerint factæ viuæ vocis oraculo, in præsentia non iuuant, vt constat ex dictis.

106. Quod autem concessit Vrbanus VIII. per bullam Ordini Minimorum relatam à Peyrino *tom.3. priuil. cap.15.* vt scilicet Generalis dicti Ordinis supprimere possit Conuentus tenues, eorum bona transferendo cum oneribus annexis in Conuentus maiores; non procedit in illis monasteriis, in quibus probabiliter sperari potest ea breui euasura pinguiora, ac ditiora: id enim Papa sufficienter expressit in ipsa narratiua bullæ, vt benè aduertit idem Peyrin. *n.s.* monens in dubio, an monasterium aliquod breui euasurum sit pingue, illud omnino retinendum iuxta regulam iuris, *In dubijs potior est conditio possidentis.*

107. In casu autem, quo monasterium aliquod deseratur à Regularibus cum debita facultate; siquidem illud sit capax bonorum immobilium, & Religiosi illius transferantur ad aliud monasterium, bona illius acquiruntur monasterio, ad quod Religiosi transferuntur, & ad ipsum pertinent: ne aliàs ij sint onerosi monasterio, in quod transferuntur, *l. mater, ff. de pactis*; quod si monasterium penitus destruatur, nec aliò transferatur (eo quod illi Religiosi per mortem, (vt dicitur) extincti sint: tunc bona monasterij subiacent liberæ dispositioni Papæ. Ita Miranda *tom.1. man. quæst. 34. art.3.* Rodriquez *tom.3. quæst.5. art.4. & 6.* Azor. *tom.1. lib.12. cap.16. quæst.10.* & alij; inter quos notat Miranda, quod si monasterium destructum sit incapax bonorum immobilium bona illius mobilia transferri possunt ad locum, ad quem fit translatio monasterij.

108. Addo Sixtum IV. in bulla, *Dum attenta meditatione,* concessisse Carmelitis, vt bona monasteriorum Monialium destitutorum applicari possint Fratribus eiusdem Ordinis, quorum curæ erant commissæ dictæ Moniales, siue ea sint mobilia, siue immobilia: prouiso tamen quod eorum (nempe monasteriorum monialium) Ecclesiæ, & Oratoria ad prophanos vsus non redigantur, sed in illis quandóque diuina Officia celebrentur; quæ sunt verba ipsius bullæ, & quidem conformia sacris Canonibus prohibentibus, ne monasteria vnquam fieri possint habitacula sæcularia: quod tamen debet limitari, seclusa graui necessitate, vt notauit Miranda *vbi supr. art.1.*

At difficultas est, an, quando Regulares sponte monasterium aliquod dimittunt, si velint illud iterum occupare, egeant licentia, & consensu Ordinarij.

Respond. quod, quamuis Cherubinus, & Peyrinus relati à Cespedes *dist. 13. num. 1.* partem affirmantem sustineant, negantem verò Miranda, ac Lezana ab eodem Cespedes adducti: melius distinguit Lezana *ver. monasteria, num.46.* nimirum in isto casu requiri licentiam Ordinarij, si ex noua occupatione nouum damnum fiat aliis monasteriis; sic enim locum habet ius hac de re editum, cùm sit eadem ratio: secus, si nouum non fiat damnum, cum vetus iam sit superatum in priori fundatione monasterij.

An autem Regulares in manibus Ordinarij debeant deserere monasteria, quæ volunt relinquere.

Respond. Tamburinus *tom.3. de iure Abbat. D.5.* pluribus citatis debere ex bulla Sixti IV. relata à Confectio *pag.72.* nec dissentit Lezana *supr. num.44.* in casu, quo monasteria concessa fuerint Regularibus à Communitate, Ciuitate, aut oppido: non item, si ea constructa sint ex eleemosynis fidelium, aut propriis redditibus Regularium (quod est contra Miranda *tom.1. Manual. quæst. 34. art.3.* & Barbosam *lib.1. de iure Eccles. cap. 12. num 67.*) Quod si monasteria sint iurispatronatus alicuius patroni, tunc, si Patronus reseruit sibi dominium illorum in casu, quo Religiosi ea relinquerent, & sic ea lege naturali pertinent ad ipsum, ea non debent deseri in manibus Ordinarij; sicut nec in manibus eius debent deseri in casu, quo patronus non retineat modo dicto dominium monasterij; quod tamen notat Lezana non procedere de Fratribus Minoribus, qui cum bona in communi non possideant eorum monasteria transeunt in dominium Sedis Apostolicæ, sicque iuxta indultum Sixti IV. supra indicati possunt sua deserere monasteria in manibus Ordinarij.

Addit Lezana *supr num 46.* Regulares sine licentia Ordinarij posse recuperare sua monasteria per vim, aut metum iniustè illatum ab iis derelicta: iura enim quæ requirunt certam solemnitatem ad erigenda noua monasteria, loquuntur solùm de noua monasteriorum erectione, non autem de recuperatione eorum in casu proposito: quippe quæ semper manserunt in dominio Regularium, cum per iniustam ablationem priuati fuerint sola possessione, non autem dominio.

QVÆRES XI. An, & quomodo Regulares possint vnire duo, aut plura etiam monasteria ob tenuitatem annuorum redditum.

Respond. posse ex indulto bullato Pij II. concesso Priori, & Conuentui S. Benedicti Vallisoleti, ac relato à Rodriq. *tom.3. q.80. art.1.* seruatis tamen sequentibus conditionibus; 1. est, vt talis vnio fiat à præfato Priore de consensu monasteriorum vniendorum, non requisito tamen beneplacito patronorū, qui dicta monasteria ædificarūt, aut dotaruot, &c. 109.

de his quippe nulla fit mentio in hac bulla, quamuis alioqui ea obliget dictum Priorem, vt constituat de redditibus monasterij vniendi Capellanum, qui exequatur onera à Patronis annexa fundationi. 2. conditio est, vt subsit iusta causa faciendi talem vnionem; qualis est, vt sic diuinus cultus magis augeatur, & Religiosi Deo ibi famulantes commodiùs sustententur. Ita Rodriq. *supr.* qui *in suo bullario, bulla 1. Ioannis XXIII.* refert, simile priuilegium concessum Abbati Cistercienſi Cabilonensis diœcesis, quod censet Cespedes *d.12. num.1.* non fuisse reuocatum; addens, *num.2.* ex Cardinali Tamburino, & Barbosa Episcopum non posse vnire Ecclesiam Abbati, seu Prælato regulari subiectam, etiam loquendo de Prælatis non exemptis, sine consensu talis Prælati.

110. Addit Rodriquez *ibi, art.3. ex comp. Cistercienſium Iulium II.* concessisse Congregationi Montis Oliueti, quod, si in vnionibus Monasteriorum faciendis interueniant conuentiones, & pacta illicita, a iure expressè prohibita (intellige de iure humano) si hæc careant confirmatione Apostolica, vniones illæ sint ratæ, ac firmæ, ipsáque pacta, & conuentiones licitè obseruari possint.

111. Cæterùm, quod Eugenius IV. per bullam indulsit monasteriis Ordinis S. Benedicti, quod per quascumque reuocationes quarumcumque vnionum, seu incorporationum de prædictis, & quibusuis aliis Monasteriis per Romanos Pontifices, etiam per literas, seu constitutiones in genere, vel in specie sub quibusuis formis, vel expressionibus faciendis nullum vniuersitati, seu congregationi Monachorum huiusmodi valeat, siue possit præiudicium inferri, nisi aliàs ipsæ expeditæ, & expediendæ literæ huiusmodi in reuocationum literis de verbo ad verbum insererentur, ac in eis specialis, expressa, & indiuidua de ipsis monasteriis, & locis, ac dicta Congregatione mentio contineretur, &c. hoc, inquam, indultum sano modo debet explicari, eo scilicet modo, quo ostendimus *supr. cap.1. sect.6. q.6. §. suppono 2.*

QVÆRES XII. An Regulares possint cogere viros priuatos ad vendendas proprias domos in casu, quo illi iis indigeant ad construenda, vel amplianda sua monasteria, aut templa.

112. Respond. posse. Ita Couar. *lib.3. var. cap.14. n.7.* & eum eo Azor. *tom.3. lib.8. cap.27. quæst.2.* patétque, tum ex variis iuribus, quæ allegat Couar. tum quia publica vtilitas præferri debet vtilitati priuatæ particularium; cum alioqui publica vtilitas oriatur ex fauore religionis, *l.1. ff. de iustit. & iur. §. huius studij.* Dixi, *vel amplianda*, notat enim Couar. ex Imola non minùs, imò magis fauendum esse Ecclesiis ædificandis, & construendis, quam iam constructis, eo quod per erectionem nouarum Ecclesiarum magis augeatur cultus diuinus; vnde regula, quæ habetur, *l.inuitum, C. de contr. emption. Neminem inuitum cogendum propriam rem vendere*, non est vniuersaliter vera, sed patitur suas exceptiones. Nobiscum sentiunt Francus Giurb. Thesaur. Marcus Costa, Molina, & alij apud Cespedes *dist.19. n.1.* qui notat in Curia Archiepiscopali Neapolitana, teste Riccio *part.1. decisionum, decis.138.* resolutum fuisse pro ædificatione, aut ampliatione hospitij non posse quem cogi ad vendendam suam domum.

QVÆRES XIII. An ædificia sæcularium erigi possint prope Conuentus Religiosorum, aut Monialium, itavt ex iis inspici possint.

113. Respond. quod, quamuis aliàs licitum sit vnicuique proprium ædificium altiùs attollere iuxta *l. altius, C. de seruit. & l. vltim. §. penult. ff. de seruit. urban. præd.* iure tamen prohibitum est priuatum ædificium ita attolli, vt ex eo videri possint Religiosi, aut Religiosæ intra propria monasteria habitantes: idque ob fauorem religionis. Ita Couar. *supr. num.8.* cum Salyceto, & Petro Cyno, Rodriq. *in addit. ad summ. tom.3. cap.145. num.3.* & Portel. *ver. monasterium*, dicens se audiuisse à quodam iudice supremi Senatus Olyssipone mandasse Regem ibi dirui, vel claudi ianuam sæcularis domus, ex qua Religiosi Tertiarij eiusdem vrbis intra Conuentum videbantur, & inquietabantur; qua de re Layman *lib.3. sect.5. tract.4. cap.17. num.34.* & Molina *tractat.2. D.709. num.6.* qui tamen supponit monasterium in casu proposito teneri facere aliquam compensationem.

QVÆRES XIV. An legatum relictum ad construendum monasterium Regularium in certo loco, fiat caducum, si ibi vel construi non possit, vel iam sit de facto constructum.

Respond. non fieri, sed arbitrio Episcopi, ac executoris monasterium illud alibi construendum esse. 114.
Ita Rodriq. *tom.2. q.125. art.10.* ex communi Doctorum; & patet, tum ex Auth. *de Eccles. titul. §. si quis in nomine, collat.9.* vbi statuitur, quod si testator aliquem è Sanctis hæredem instituerit, aut legatum ei reliquerit, eiusque Sancti nullum Oratorium in vrbe, neque in eo territorio inueniatur, legatum debetur Ecclesiæ ciuitatis, in qua testator domicilium habuit, nempe parochiali: tum quia incertitudo non vitiat legata pia; vt inter alios notat Nald. *ver. legatum, num.10.* addens legatum relictum monasterio S. Mariæ, si in loco testatoris sint plura monasteria eiusdem nominis, soluendum esse pauperiori; &, si sint paris paupertatis, in tali casu locum esse gratificationi Episcopi.

Quod si in loco, in quo testator iussit construi monasterium aliquod, illud ibi de facto esset constructum; tunc vel curandum est, vt ibi aliud monasterium erigatur Religiosis illius Ordinis (nisi quid obstet:) vel certè Religiosis eiusdem Ordinis erigendum est alibi aliud monasterium; voluntas enim testatoris si non potest impleri, vt iacet, impleri debet eo meliori modo, quo potest. 115.

Dices, quid si quis in suo testamento iubeat construi monasterium in certo loco, non distinguendo, num debeat construi ad vsum Fratrum, an Monialium, debentne tunc moniales præferri Fratribus, an è contra?

Respond. Miranda *supr. quæst.33. art.8.* ex Angelo debere præferri moniales; cum ædificario monasterij pro monialibus censeatur Ecclesiæ vtilior, & magis necessaria ad puritatem Virginum Deo dicatarum conseruandam; & alias, teste Baldo *in l.multis, ff. de stat. hominum*: (cum quo sentiunt alij DD.) institutis duabus causis piis, institutio loci pauperioris præualeat, tamquam magis pia. 116.

An autem executores testamentarij cum Episcopi consensu possint construere monasterium Regularium loco Hospitalis, quod testator iussit erigi in certo loco.

Respond. Cespedes *supr. D.18.* quod, cum Landensis affirmantem sustineat partem ex eo, quod *cap. scriptura, de voto*, reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam nascitur religionis obseruantiam commutare, & plus semper contineat, quod minus est; Cardinalis verò Lambert. Rochus, & Lappus negantem sustineant partē: vtraque opinio est probabilis, & potest defendi; cum alioqui Ioan. Andr. Io. de Deo, Lappus, &

& Pettus de Vbaldis , doceant de consensu Episcopi non posse executores testamentarios motare monasterium, quod esset malè situatum loco Ecclesiæ, aut Hospitalis , quæ debetent consttui iossu testatoris : cum mutatio ista non sit quid melius , vtpote non æquiualens nouæ constructioni.

Qværes XV. Quam pœnam incurrant, qui infringunt, aut aliter violentiam inferunt monasteriis, vel Ecclesiis Regularium.

117. Respoud. incurrere excommunicationem ipso facto, eamque Papæ reseruatam : idque ex indulto bullato à Clemente IV. Fratribus Minoribus concesso , quod refert Casarub. *in compend. v. Ecclesia, num. 3.* his vetbis : *Clemens IV. inhibuit, ve nullus Ecclesias, aut loca Fratrum Minorum ausu temerario præsumat infringere , aut in illis damnabilem violentiam exercere : qui secus facere præsumpserint , ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, à qua non possint absolui, nisi per Sedem Apostolicam, vel per Conseruatores ab ea eidem Ordini deputatos.*

Sectio III.

De Priuilegio Immunitatis à Foro sæculari concesso Regularibus, quoad bona ipsorum temporalia.

118 *Statutum, ne bona stabilia alienentur in Regulares, est nullum.*
119 *Idq; etsi statutum expreßè non loquatur de Ecclesiasticis.*
120 *Nullum est statutum iubens alienari bona stabilia ad Regulares prouenientia.*
121 *Nullum item est statutum, quod excludit Regulares à succeßione.*
122 *Item nullum est Statutum vetans Regularibus extractionem sui frumenti.*
123 *Regulares tenentur seruare pretium legitimum.*
124 *Si indebite extrahant frumentum, puniri nequeunt à Principe laico.*
125 *Regulariter ab eo non poßunt cogi vendere suum frumentum.*
126 *Sicut nec ab eo puniri poßunt, si in venditione vtantur mensura falsa.*
127 *Iudex laicus non procedit contra eorum animalia in alienis pascuis reperta.*
128 *Regulares non subsunt statute Principis laici , ne prope vrbem madefiat linum.*

Qværes I. An licitum , & validum sit statutum Principis laici prohibens, ne bona immobilia alienentur in Regulares, aut alios Ecclesiasticos per contractum donationis , venditionis , aut quemcumque alium.

118. Respond. esse & illicitum , & inualidum : vtpote apertè repugnans immunitati Ecclesiasticæ : idque, etsi bona illa sint feudalia , vel talia, vt ex iis soluatur tributum fisco. ita Martha *de iurisd. part. 4. casu 6.* Filliuc. *tract. 14. num. 157.* aliique communiter apud Bonac. *D. 1. de censur. in partic. q. 16. sect. 2. part. 2. n. 17.* & Dianam *p. 1. tractat. 2. resol. 57.* Ratio autem est, quòd tale statutum prohibet Regularibus, quæ ipsis competunt, non solùm iure naturali, ac diuino , sed etiam humano , extant *in l. generali, l. iubemus, C. de sacrosanct. Eccles.* vbi decidirur Ecclesiasticis liberè legati , & donari posse à laicis ipsorum bona , tam inter viuos , quàm inter mortuos : quod vtique est contra immunitatem Ecclesiasticam , & expressè damnatur *in cap. eos, de immunit. Eccles. in 6.* quod tamen negant Molin. *tract. 2. D. 140. n. 18.* & alij.

Vtrum verò hæc doctrina procedat etiam in statuto probibente alienari in non subditos, nulla mentione facta de Ecclesiasticis.

Respond. quod , quamuis tale statutum videri 119.
possit valdè suspectum, eo quod in eiusmodi casibus non inspiciatur cum quo statuens loqoatur , sed in quem effectum sermo proferatur , & fieri possit de persona nominata ad non nominatam ; simpliciter tamen loquendo tale statutum videtur posse excusari : quippe quod non videtur comprehendere personas Ecclesiasticas ; cum nulla dispositio generalis comprehendat casus, aut personas in specie priuilegiatas , & sub generali dispositione non veniat id, de quo in specie disponi ooo potest l. Lucius, § *penult. ff. ad munic.* Vnde Coriolan. *in exposit. bullæ cœnæ, excommunicat.* 15. putat in tali casu posse Episcopum cogere ita statuentes , vt declarent illud statutum non extendi ad Ecclesiasticos : cum tamen alias sentiat simile statutum non repugnare Immunitati Ecclesiasticæ.

Qværea II. An possit fieri statutum præcipiens, vt bona, quæ ad Regulares , aut alios Ecclesiasticos legato , aut alio titulo proueniunt , intra tantum temporis spatium vendantur , aut æstimentur , & æstimatio, vel pretim ipsis tradatur.

Respond. non posse ; cum id apertè aduersetur 120.
Immunitati Ecclesiasticæ. ita Bonac. *supr. num. 18.* ex Decio , Boldo , Host. Duardo , & aliis : patétque , tum ex dictis *quæst. præcd.* tum, quia sic Ecclesiastici deterioris essent conditionis, quam laici : cum possint liberè detinere bona ipsis relicta : quæ Ecclesiastici, stante eo statuto , tenerentur alieoare.

Qværes III. An licitum sit statutum, per quod excludantur à successione parentum , agnatorum, aut aliorum , qui Religionem ingressi sunt, aut illam ingredi volunt.

Respood. non esse licitum, sed tepuguare immu- 121.
nitati Ecclesiasticæ. Ducor, tum , quia tale statutum obstat, ne bona locis piis acquirantur; quod est contra *l. generali, & l. iubemus, de sacros. eccl.* tum , quia fideles sic retrahuntur à Statu religioso; quod reprobatur in iure. ita Pontius *lib. 3. de matrim. cap. 7 n. 25.* aliique penes Bonacinam *supr. num. 21.* & Dianam *resolut. 124.* contra Manticam *lib. 11. de coniect. vlt. vol. tit. 18. num. 32.* Mol. *tract. 2. D. 207.* Sanch. *lib. 1. de matr. D. 34. num. 11.* & alios docentes , si cui legaotur. 300. si nubat, 200. verò, si Religionem ingrediatur non deberi, nisi 200.

Qværes IV. An possit fieri statutum prohibens, ne extrahatur frumentum , vinum, aliaque id genus , obligans etiam Regulares.

Respond. non posse , quantumuis id dicatur fie- 122.
ri ad publicam , & communem vtilitatem ; cum enim Regulares , & alij Ecclesiastici sint exempti à potestate Fori sæcularis , non potest ipsis fieri talis prohibitio, quæ necessariò supponit iurisdictionem in eos , ad quos ea dirigitur. ita Azor. *part. 3. lib. 5. c. 19. n. 13.* & alij plures apud Dianam *resol. 68.* contra Menochium *to. 8. cons.* 800 aliósque apud ipsum Dianam: qui ex Carolo de Graffis monet cauendum esse à dicto consilio 800. Menochij vt potè continente multa aduersantia libertati Ecclesiasticæ. Dixi, *quantumuis dicatur id fieri ad publicam vtilitatem* , quia Ecclesiastici non tenétur seruare statutum latum ob publicam vtilitatem , nisi quando talis vtilitas æquè principaliter respicit Ecclesiasticos, & laicos : quod non euenit in præsenti casu , quo statutum respicit

solum vtilitatem priuatam ciuium habentium prædia in territorio.

Quæres V. an Regulares, & alij Ecclesiastici vendentes frumentum, vinum, & similia, teneantur ita seruare taxam impositam à Principe laico, vt, si illam non seruent, possint ab eo puniri pœna taxata.

113. Respond. eos teneri quidem seruare pretia rerum lege taxata, non tamen posse modo dicto puniri, si ea non seruent. ratio est, quod ij tenentur seruare pretia rerum legitima solùm ex vi directiua, nempe ex vi iuris naturalis dictantis res proprias debere vendi ab vnoquoque iusto pretio (quale est pretium lege taxatum): non autem ex vi coactiua; cum ij sint exempti à potestate Principis sæcularis, & consequenter à pœnis per ipsum latis, quæ non possunt ferri, nisi in subditos. ita Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 12. *quæst.* 4. Pesant *de immun. D.* 5. & alij penes Dianam *supr. resolut.* 71. contra Bobadillam relatum ab ipso Diana: qui *resol.* 15. monet ex Salas *D.* 14. *de leg. sect.* 10. *num.* 112. Ecclesiasticos non seruantes pretium lege taxatum, neque à iudicibus Ecclesiasticis puniri debere pœna illa à principe laico imposita, vt pote lata à non habente potestatem; vnde, si lege statutum sit vt vendentes victualia vltra pretiũ lege taxatum, illa amittant in pœnam, huic pœnæ non subiacebunt Regulares, quoad hoc delinquentes, vt in terminis notauit Diana *ea resolut.* 71.

Quæres VI. an Iudex sæcularis, eiusue Minister inueniens Regulares exportantes frumentum, equos &c. extra territorium contra prohibitionem ibi factam, licitè possint ea illis auferre in pœnam.

114. Respond. non posse. ita in terminis Diana *res.* 15. citata ex Megala, Altetio, Valero, Azorio, & aliis: pateteque ex dictis *quæst. præcedenti*, quidquid dissentiant Bobadilla, & Heuia relati ab eodem Diana.

Quæres VIII. an Regulares possint cogi per Principes sæculares ad vendendum suum frumentum, vinum &c: si adsit vrgens necessitas.

115. Respond. non posse, nisi sit periculum in mora, adeoque non possit adiri ad talem effectum Iudex illorum competens. ita Diana *p.* 1. *tr.* 2. *res.* 8. aliique contra Salas *tract. de empt. & vendit. disp.* 9. *nu.* 2. Ortiz *in sum. cap.* 4. *num.* 4. & patet ex eo, quod, coactio supponit iurisdictionem in eum, qui debet cogi; Princeps autem sæcularis nullam habet iurisdictionem in Regulares. Dixi, *nisi sit periculum in mora*; quia tunc possent Princeps sæcularis sequestrare frumentum, illudque extrahere ab horreis etiam Regularium: non quidem vi iurisdictionis, quæ Principi sæculari non competit, quoad Regulares, nec ei confertur ratione publicæ necessitatis, aut vtilitatis; sed ratione periculi instantis, cui aliter occurri non possit, quasi per modum defensionis.

Quæres VIII. an Regulares puniri possint à Iudice sæculari, si frumentum, aut vinum vendant mensura falsa.

116. Respond. non posse. ita Diana *resol.* 76. ex communi Theologorum contra plures Iurisconsultos ab ipso allegatos, patet ex dictis *quæst.* 5.

Quæres IX. an Iudex sæcularis possit procedere contra animalia, & pecora Regularium inuenta in alienis pascuis.

117. Respond. non posse. ita Sanch. *lib.* 5. *consil. cap. vn d.* 31. aliis citatis, Diana *sup. res.* 80. & *p.* 4. *tr.* 1. *res.* 72. contra alios oppositum sustinentes ex decisione facta in regali Cancellaria Pinciana, & stylo Curiarum sæcularium; pateteque, quia Iudex sæcularis non potest procedere contra animalia Regularium, nisi procedat contra eorumdem personas: cum animalia sint de rebus Regularium, & bona sint accessoria personæ, præter quam quod animalia non sunt capacia, vt conueniantur, & condemnentur, sicque conuentio, & condemnatio cadit indirectè in personas Regularium.

Quæres X. an Regulares comprehendantur statuto in publicam vtilitatem prohibente, ne oriza, aut linum madefiat prope vrbem ob periculum aeris inficiendi.

Respond. non comprehendi, nisi quoad vim directiuam; & probatur, quia ad ferenda valida statuta non sufficit, quod subsit iusta causa ea faciendi, sed requiritur competens iurisdictio: quam vtique in præsenti casu non habet Princeps sæcularis, quoad Regulares; cum sola necessitas, & ratio boni communis non conferat laicis iurisdictionem in Ecclesiasticos. ita Bonae. *sup. num.* 15. ex Menochio, Vlpel. Carolo de Grassis, & alij. 118.

Sectio IV.

De Priuilegio Immunitatis à Gabellis, Tributis, aliisque Oneribus concesso Regularibus quoad ipsorum bona.

129 *Declaratur, quid sit Immunitas à Gabellis.*
130 *Ea Regularibus competit Iure Canonico, ac Ciuili.*
131 *Refertur bulla Py V. quoad hoc edita, & Declaratio Sacræ Congregationis.*
132 *Bulla autem Py non fuit reuocata à Gregorio XIII.*
133 *Exemptio à gabellis competit omnibus Religiosis.*
134 *Et quidem etiam Tertiariis.*
135 *Ea in aliquibus casibus suspenditur, at non in venditione libri à Religioso suis sumptibus editi, & ab eo venditi.*
136 *Regulares non semper tenentur ad communia tributa inducta ob publicam necessitatem.*
137 *Et, si sit periculum in mora, ad ea possunt cogi laica potestate.*
138 *Quod tamen rarò potest contingere.*
139 *Non tenentur ad onera affixa bonis ad eos prouenientibus: & ad hoc facit Sacræ Congregationis Declaratio, cui non obstat alia Declaratio, quæ affertur.*
140 *Item non tenentur ob bona, quæ possident cum laicis, nisi in certo casu.*
141 *Hæc exemptio competit Regularium Colonis partiariis, aut conductis.*
142 *Limitatur assertio.*
143 *Exemptio hæc competit absolutè Regularium Emphyteutis.*
144 *Competit Regularibus, quoad bona patrimonialia.*
145 *Illi tenentur ad communes expensas loci, in quo degunt.*
146 *Soluit gabellam emens bona Regularium.*
147 *Idque etiam in casu, quo rem emptam ab ipsis revendat.*
148 *Rebus promiscuè emendis à Regularibus, ac laicis statuendum imponitur gabella.*
149 *Idque etiam in casu, quo gabella imponatur contractu venditionis.*
150 *Tenet Statutum, quòd laici vinum ementes soluant gabellam, etsi cadat in Regulares vendentes, sed non semper.*
151 *A Regularibus non exiguntur gabellæ postea ijs restituendæ.*

152 *Excom*

152 Excommunicantur, & incurrunt alias pœnas, qui à Regularibus exigunt gabellas.
153 Hodie non excommunicantur Ecclesiastici soluentes gabellas indebitas.
164 Pœna illa innouata in Bulla Cœnæ vi illius non reseruantur.
155 Imponentes tributa Ecclesiasticis vnica afficiuntur excommunicatione.
156 Ab ea incurrenda excusat paruitas materiæ.
157 Subsunt dictis pœnis Principes Ecclesiastici, si Regularibus tributa imponant.
158 Item subsunt, qui ea recipiunt etiam sponte soluta.
159 Item, qui exigunt imposita ab alijs.
160 Item, qui Regularibus imponunt onera simpliciter personalia.
161 Item, qui ab ijs exigunt pedagia, guidagia.
162 Non item, qui omittunt impedire impositionem dictorum onerum.
153 Exemptio à tributis non tollitur per consuetudinem; & in dubio eius fauor præfertur.

QVÆRES I. Quid intelligatur nomine immunitatis à gabellis &c.

129. Respond. intelligi priuilegium quo Regulares eximuntur à quibuscumque gabellis, exactionibus, & aliis oneribus, tam realibus, quam personalibuss ac mixtis laica authoritate impositis. Colligitur clarè ex *cap. 1. de immunitat. Eccles. in 6.* & Clem 3. *præsenti, de censibus.*

QVÆRES II. An, & quo iure Regulares sint immunes à solutione gabellarum, & quorumcumque aliorum onerum, vt hospitandi milites &c.

130. Respond. esse, non quidem iure diuino, aut naturali (vt constat ex dictis in simili *supr. cap. 6. sect. 2. quæst. 2.*) sed iure canonico, ac Ciuili; vt colligitur ex variis iuribus, quæ adducit Less. *lib. 2. cap. 33. n. 33. & 34.* ab vtroque iure deptomptis; quomodo Concilium Trid. *sess. 25. cap. 25. de reformat.* ait Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticorum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam esse. Non extat autem in fauorem talis Immunitatis vllum ius magis clarum, & amplum, quam bulla Pij V. *Ad vberes*, edita 29. Iulij 1566. quæ est 11. in ordine, & sic habet:

131. *Dum ad vberes, quos sacri Mendicantium Ordines in agro dominico quotidie faciunt fructus, attente respicimus* &c. *hinc est quod Nos volentes eosdem Mendicantium Ordines ac dilectos filios eorum Fratres, & Monachos, cæterásque personas, & etiam Moniales quaslibet eiusdem Ordinis sub illorum cura degentes specialibus fauoribus, & gratiis prosequi motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Sedis Apostolicæ potestatis plenitudine, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli Mendicantium Ordinum huiusmodi Fratres, Monachi, & dilectæ filiæ in Christo Moniales, seu Sorores, ac aliæ vtriusque sexus personæ Regulares vbilibet per totum Christianum Orbem diffusi, & constitui, illorumq; monasteria, cœnobia, domus, conuentus, Ecclesia, Capella, Oratoria, & alia loca, etiam vnita, ac membra, & dependentia, necnon terræ culta, & inculta, possessiones, prædia, agri, & alia omnia, & singula mobilia, & immobilia, ac se mouentia, & vbilibet, ac quibuscumque rebus consistentia bona, nec non eorum in dictis bonis laboratores, coloni, arrendatarij, locatarij, & affictuarij, negotiorumq; suorum gestores vniuersi quomodolibet nuncupati, nunc, & pro tempore existentes, in perpetuum ab omnibus, & singulis exactionibus, tam vrbanis, quam rusticis, necnon datijs, gabellis, pedagijs, vectigalibus, collectis, impositionibus, & oneribus ordinarijs, & extraordinarijs, ac tam realibus, quam personalibus, meris, & mixtis, etiam subsidio triennali, & augmento, ac facultatibus, quorum taxis, militumque hospitijs, ac alias quibuscumque nominibus nuncupatis, quauis auctoritate quomodolibet imponi consueuerunt, & in futurum imponentur, ac ratione quarumcumque mercium, & rerum cuiuscumque generis, vel qualitatis existentium tam per mare, & aquam dulcem, quam per terram vndecumque & quomodocumque pro tempore delatorum, nec non animalium quorumcumque mortuorum, & viuorum, & quæ alias quomodolibet, & ex quauis causa, & super quibuscumque rebus tam in alma Vrbe nostra, quam extra eam vbilibet locorum exiguntur, & in futurum exigentur, necnon à contributionibus, & solutionibus in illis faciendis, ac tam pro victu, ac vestitu, quàm quocumque alio vsu suo tantum, ac tam emendo, quam vendendo, & alias quomodolibet negotiando, necnon etiam à solutione quadrantis pro singulis libris carnium, de animalibus, quæ nunc & pro tempore ex armentis occidi contigerit, necnon etiam quæ in suis ædibus, prædijs, & possessionibus priuatim detinent, & nutriunt, ac contributione sumptuum, & expensarum, quæ aliquando pro pontibus, & vijs, aquaductibus, muris, mœnibus, alijsque machinis struendis, seu reficiendis, ac Ciuitatum, terrarum, & locorum quorumcumque fortificationibus, necnon etiam aliàs in omnibus, & per omnia, ac tam in dicta Vrbe, quam extra eam vbilibet penitus, & omninò liberi, immunes, & exempti, ac libera, & exempti, liberaque immunia, & exempta sint, & esse censeantur, ac pro talibus teneantur, & reputentur; quodque terræ, agri & possessiones, & loca aratiua (vt præfertur) in illis, quæ aliquando pro pascuis animalium ad certum tempus reseruantur, nullatenus vnquam comprehendantur, nec comprehendi censeantur, ac etiam monasteria, cœnobia, aliaque omnia regularia loca prædicta pro quorumcumque militum, tam equitum, quam peditum hospitijs quemadmodum magno cum nostro dolore hucusque in plerisque locis factum comperimus, nequaquam assignentur, nec assignari debeant. Et insuper quod fructus, redditus, prouentus, & alia quæcumque bona monasteriorum, cœnobiorum, & aliorum locorum regularium præfatorum ab alijs, quam à Syndicis, Procuratoribus, & Religiosis, Fratribus, Monachis, & Monialibus, aliisque personis præfatis exigi, illaque dumtaxat in beneficium loci, vel sustentationem ipsorum Religiosorum, Fratrum, & Monialium expendi nec per alios quoscumque quouis nomine censeantur, nec in alium, quam in præmissum vsum conuerti, seu expendi possint, neque debeant, nisi de consensu Superiorum illius loci, cui data, vel consignata fuerint, seu ad quam aliàs spectabunt, nec etiam soli Tutores, aut Curatores, seu Protectores, & alio nomine Sanchesij, aut aliàs nuncupati de eisdem bonis vllo modo disponere possint. Quodq; id ipsum etiam de eleemosynis, oblationibus, quibuscumque alijs donatiuis intelligi, & obseruari debeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò statuimus, ordinamus, volumus, & declaramus. Necnon Fratres Monachos, Moniales, ac alias Regulares personas, eorumq; monasteria, cœnobia, Conuentus, Ecclesias, Capellas, Oratoria, & alia loca, terras, possessiones, prædia, agros, & bona, necnon laboratores, colonos, arrendatarios, ac gestores prædicta, vt præfertur, libera, immunia, & exempta eiusdem auctoritate, & tenore facimus, ac fore, & esse decernimus, &c. Districtius etiam in virtute S. Obedientiæ, & sub indignationis nostra, ac excommunicationis maioris latæ sententiæ, ac duorum millium ducatorum auri de Camera pro vna basilica S. Petri de Vrbe, & pro altera medietatibus, singulis monasterijs, & locis præfatis, quæ molestari, seu*

pertur

perturbari contigerit , irremissibiliter applicandorum pœnis eo ipso, & quoties contra factum fuerit incurrendis.

In cuius Bullæ confirmationem faciunt literæ in facti contingentia ab Eminentissimo Cardinali Ghineto nomine Sacræ Congregationis Immunitatis scriptæ ad Eminentissimum Cardinalem Rosfetum Episcopum Fauentinum; quarum exemplar mihi ab ipsomet Eminentissimo Rosseto pro singulari sua benignitate exhibitum placet hic apponere; eæ autem sic habent.

Eminentiss.e Reuerendis.Sign.mio Osseruandiss.

Il ricorso de gli Ecclesiastici,c'hanno beneficij nel territorio di Cotignola per la grauezza , c'hora intendono gli huomini di quel luogo essigere per le bestie , che lauoranoi terreni d'essi Ecclesiastici ; dalla quale sono stati, e deuono essere immuni per la manifesta violatione , che ne seguiria dell'Immunità Ecclesiastica, si compiacerà V. E. di procedere col suo Zelo prudente ; e se fin'ora fosse stato fatto pegno , ò atto pregiudiciale , fare che segua la douuta redintegratione : come si spera dalla pietà Pastorale , ch'è propria di V. E. alla qual'humilmente baccio le mani. Roma 19. Marzo.1647.

132. Monet autem Sorbus *in Comp.pag.*541 quod, licet priuilegia à Pio V. concessa Ordinibus Mendicantibus per Gregorium XIII reuocata fuerint in bulla quæ incipit *In sancta*,& quo ad alia priuilegia ab aliis Pontificibus concessa præfatis Ordinibus facta sit reductio ad illum statum,in quo illa erant ante Concilium Trid. exceptis iis , quæ ipsi Concilio apertè aduersantur (intellige , eo modo , quo diximus *sup. cap.*1. *sect.*4. *quæst.*18.) ista tamen concessio Pij. V. adeò clara , & ampla nulla ex parte fuit ablata , imminuta , aut alterata : cum in eiusmodi rebus Episcoporũ iurisdictio(cui Gregorius XIII.noluit contolere in illa sua reuocatione) non solùm non tollatur , aut minuatur , sed potius confirmetur , ac roboretur.

Qværes III. An omnes Regulares sint immunes à gabellis , &c.

133. Respond. esse,siue sint Professi(sub quibus comprehenduntur Scholastici Soc. Iesu solis votis biennij adstricti, & Coadiutores formati)siue Conuersi, aut Oblati, ac Donati; siue Nouitij, siue etiam Professi eiecti è Religione , Dispensati ad matrimonium, aut etiam Apostatæ. est communis Doctorum , & quoad Religiosos Professos , Conuersos, Oblatos , ac Donatos ; patet, quia isti omnes sunt personæ Ecclesiasticæ : priuilegium autem immunitatis à gabellis, &c. est commune omnibus personis Ecclesiasticis. quoad Nouitios verò , quia hi *in cap. religioso* §. 1. *de sent. excommunic. in* 6. recensentur inter personas Ecclesiasticas , reuera sunt pars Religionis, cuius bona, ac personæ,cum sint Ecclesiastica , sunt immunia à tributis ; quoad Religiosos denique Eiectos , aut Apostatas ex dicendis infra *cap. vlt.de Effectis quidem,sect.*2.*quæst.*53. *de Apostatis verò sect.*3. *quæst.*21. quod denique attinet ad Religiosos dispensatos ad matrimonium. probatur tum quia illi adhuc sunt Regulares , & consequenter Ecclesiastici : tum , quia milites Ordinum S. Benedicti, S. Augustini , S. Iacobi , & similes etiam vxorati sunt exempti à gabellis , ac tributis iuxta Nauarr. Menoch. Bobad. Gutt. & Barbos. quos refert,& sequitur Castrus Pal. *tract.* 1 2. *disput. vn. de reuer. deb. person. Eccles. part.*9.*num.*18. extendens cum Barbosa tale priuilegium , etiam ad vxores dictorum Militum.

134. Addo Tertiarios gaudere tali priuilegio eo modo , quo *cap. preced. sect.*2.*q.*7. diximus eos gaudere priuilegio Fori ; quod idem proportionaliter procedit etiam in oblatis , & Donatis ; qui vtique non gaudent isto priuilegio immunitatis à tributis , nisi eo modo , quo loco citato diximus illos etiam gaudere dicto priuilegio fori.

Qværes IV. In quibus casibus Regulares desinant esse immunes à solutione gabellarum , ac tributorum.

Respond. desinere esse in sequentibus : 1. si possessio aliqua annexum habeat aliquod onus perpetuum , ac inuariabile , priusquam deueniat ad regulares : 2. si contributio facienda sit æquè primariò in vtilitatem Regularium , ac aliorum (v.g. pro reparatione aggerum , ne flumen inundet agros vicinos ipsorum regularium , ac laicorum :) 3. si laicorum facultates non sufficiant ad subleuandam publicam necessitatem, modo tamen explicando *q.seq.*4.si Regulares exerceant negotiationem, & ter moniti à Superiore non desistant, idque ex cap. *ex literis, de vita , & honest.cler.* (quamquam Panormit. *ibi. n.*10. putet huiusmodi pœnam extendi solum ad negotiationem , quæ fiat ex bonis propriis personæ Ecclesiasticæ;quod negat Laym.*lib.*4.*tr.*9.*cap.*6.*num.*9.)& solùm pro eo tempore, quo persona Ecclesiastica se implicat negotiationi. ita Regin. *lib.*9.*n.*379. Diana *part.*1.*tract.*5.*resol.*46.monens *part.*3.*tract.*1.*resol.*44. contra Roselam , & alios , vt Ecclesiastici amittant priuilegium istud Immunitatis ob negotiationem, requiri 3. monitiones omninò distinctas. 135.

An autem Regulares imprimentes libros à se conscriptos propriis sumptibus , teneantur soluere gabellam in eorum venditione.

Respond.non teneri,sed posse liberè eos vendere, & asportare vendendos, quocumque voluerint absque eo , quod alicubi soluant gabellas , quamdiu manent sub eorum dominio:& probatur, quia dicti libri tanquam Ecclesiasticorum (siue sint bona Ecclesiastica , quando sunt Religiosorum , siue reducantur ad bona patrimonialia)sunt exempta à laicali iurisdictione, ideoque non possunt grauari gabellis, *cap. quamquam , de censib. in* 6. & *cap.* 1. *de immunit. Eccles.* & in Bulla Cœnæ *can.*18. sicque imponentes gabellam, ac exigentes incurrunt excommunicationem latam in dicto *can.*18. vt pote comprehendente non solum bona Ecclesiastica , sed etiam alia, quæ possidentur ab Ecclesiasticis, & bona Ecclesiastica contra distinguente à bonis Ecclesiarum , ac vtriusque decernente immunitatem ab omnibus oneribus, pœnamque excommunicationis statuente contra trangressores. ita Pasqualig. *tom.* 1. *quæst.*73. ex communi sensu Doctorum addens *num.* 6. quod, si libri Regularium ab Impressoribus imprimatur propriis expensis, possunt Regulares liberè vendere exemplaria donata ab Impressoribus , & liberè deferre quocumque voluerint , nulla soluta gabella: quippe quæ vbi sunt Regularibus consignata , eonmerantur inter eorum bona.

Qværes V. An , & quando Regulares teneantur ad Tributa , quæ imponuntur ad communem vtilitatem, aut ob publicam necessitatem.

Respond.teneri,si iuxta dicta *quæst.præced.*vtilitas, ad quam contribuitur , respiciat peculiaria aliqua prædia ipsorum ; secùs, si ipsos non respiciat , nisi quodammodo remotè; quatenus scilicet ij sunt partes illius communitatis, ideoque debent participare de bono illo ac reliquæ partes dictæ communitatis (vt si imponantur tributa ad reficiendos muros Ciuitatis,ad construendam arcem,ad conficiendum, aut reficiendum publicum pontem,ad mundandum, aut aperiendum publicum puteum. Ratio respon- 136.

sionis

ſionis eſt, quod, cum in priori euentu bonum, ad quod tributum imponitur, directè, ac proximè reſpiciat Regulares; par eſt, vt & ipſi contribuant, iuxta *regulam 29. in 6.* quod, *omnes tangit, ab omnibus debet approbari*; in poſteriori verò euentu iam nulla eſſet exemptio competens Regularibus, quoad ſolutionem tributorum; quandoquidem nullum tributum imponitur, quod remotè ſaltem non cedat in bonum etiam Regularium: hoc autem non eſt vllo modo admittendum, vt conſtat ex dictis, magiſque conſtabit ex dicendis. Ita Molin. *tract. 2. D. 672. num. 4.* ex Panorm. & Syluest. addens in caſu, quo Regulares teneantur contribuere, non poſſe ad id cogi per Principes ſæculares, ſed ad id compellendos per legitimum ipſorum iudicem: ſiue is ſit Papa, ſiue Legatus de latere, ſiue Nuncius Apoſtolicus, ſiue Epiſcopus, ſiue Conſeruator ipſis Apoſtolica auctoritate deſignatus; quin etiam, ſi res ad multos Eccleſiaſticos pertineat, fieri debet impoſitio de conſenſu tam Eccleſiaſticorum, quàm laicorum, habita conſultatione inter Epiſcopum, aut alium legitimum iudicem, & Eccleſiaſticos: quod enim ad diuerſos attinet, de omnium conſenſu ſtatui, mandarique debet executioni, vt notauit Panorm. *in cap. non minus, de immunit. Eccleſ.*

Dices, quid ſi Regulares teneantur in aliquo caſu contribuere, & ob temporis anguſtias, aut diſtantiam loci adiri non poſſint Superiores, ac Prælati Eccleſiaſtici, qui eos pro poteſtate cogant: imò & ipſi Prælati, etiam ſupremi id totum negligant, hincque immineat graue periculum: quid tunc agendum eſt?

137. Reſpond. Principem ſæcularem in tali caſu poſſe in hoc facere illud totum, quod recta ratio dictabit hîc & nunc eſſe faciendum; non quidem per modum iuriſdictionis, ac ſuperioritatis, quam habeat, vel acquirat in perſonas Eccleſiaſticas ratione neceſſitatis occurrentis; ſed per modum iuſtæ, ac rationabilis defenſionis, quæ poteſt competere vnicuique priuato; quod enim iure naturæ licitum eſt vnicuique viro priuato, vt poſſit ſe tueri contra aggreſſores (ſeruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ) non debet negari Reipublicæ, ac Principi laico: dummodo adſit neceſſitas ſufficiens, & non excedatur debitum moderamen. Colligitur ex Bonac. *D. 1. de cenſur. in partic. quæſt. 15. part. 4. num. 11. §. ad caput*, alios citante, qui conſequenter concedunt Eccleſiaſticos in terris infidelium, vbi nulli ſunt iudices, aut Prælati Eccleſiaſtici, coram quibus poſſint conueniri, licitè conueniri coram iudice laico.

138. Neque, quod diximus Regulares teneri ad tributa in caſu, quo facultates laicorum minus ſufficiant ad ſubleuandam communem neceſſitatem, multum officit immunitati ipſorum Regularium, ſi benè intelligatur; adhuc enim id valdè rarò continget: cum ad talem effectum tunc demum cenſeri poſſint non ſufficere facultates laicorum particularium, quando, attenta proportione inter neceſſitatem, aut vtilitatem, ob quam imponitur tributum, & ciuium facultates, hæ non ſufficiunt ad ſatisfaciendum dictæ neceſſitati, niſi ciues ſe ipſos priuent etiam iis, quæ ipſis neceſſaria ſunt ad viuendum iuxta proprij ſtatus decentiam: quod vtique non ita paſſim eueniet. Præterquam quod ad dictum effectum requiritur, vt cauſa, ob quam imponitur tributum, immediatè, & principaliter tangat Regulares, (vt diximus ſupra,) & quod adſit conſenſus Epiſcopi, imò & Cleri, nomine Cleri intelligendo, vel diœceſanam Synodum, vel Capitulum Cathedralis; quæ ſunt bene notanda.

Qværes VI. An Princeps ſæcularis poſſit exigere à Regularibus collectas, talleas, & ſimilia onera, ſaltem ratione bonorum, quæ ad ipſos tranſeunt affecta ſimilibus oneribus.

139. Reſpond. non poſſe, niſi in caſu, quo præfata onera ſunt impoſita bonis ex vi contractus, aut conuentionis factæ inter priuatas perſonas, antequam dicta bona tranſirent ad Regulares: quod eſt talia onera impoſita eſſe bonis propter bona, non autem perſonis propter bona; ſecus in caſu, quo ea onera imponantur bonis ex vi poteſtatis, ac iuriſdictionis Superioris. Ratio diſparitatis eſt, quod priora onera ſunt merè realia, & ſine habitudine ad perſonæ qualitatem iure perpetuo bonis inhærent, ideoque ſolui debent etiam ab Eccleſiaſticis poſſeſſoribus: cum res tranſeat ſuo cum onere, *cap. ex literis, de pignorib.* & is, qui de donatione, legato, aut venditione rem aliquam transfert in Eccleſiam, præiudicare nequeat iuri alterius, iuxta illud, *Suæ quiſque rei moderator, atque arbiter eſt, & non alienæ, l. in re mandata, C. de mandat.* onera verò poſteriora non ſunt merè realia, ſed conueniunt rebus propter perſonas, quæ ſub poteſtate Principis exiſtentes obligari poſſint lege tributi: vnde ſi bona, ex quibus tributa ſoluebantur, deueniant poſtea ad poſſeſſores, ac dominos omnino exemptos à poteſtate Principis ſæcularis (quales ſunt Regulares) debent eximi ab onere illo, ſeu obligatione, iuxta regulam Abbatis, *cap. qualiter, de iudicijs, num. 8. Si perſona exempta eſt, conſequenter etiam res eius:* & iuxta illam aliam: *Mutata perſona, mutatur etiam conditio rei.* Ita Layman *ſupr. cap. 6. n. 3.* Baldell. *lib. 5. D 34. num. 8.* & alij contra alios relatos ab ipſo Layman, patétque ex dictis, ſi monuero Regulares ſubiacere ſolutioni tributorum; quæ imponantur à ſæculari Principe, non ſolum in caſu propoſito, ſed etiam in euentu, quod Eccleſiaſticis relinquerentur aliqua bona cum hoc onere, vt ſoluant præfata onera: ſic enim tenerentur ex pacto ab ipſis voluntariè admiſſo in acceptatione legati; imò & in caſu, quo ſinguli ciues donarent communitati, ſeu Principi ſua bona, & poſtea iterum ea reciperent cum onere ſubeundi collectas: nam ſic tale onus eſſet veluti feudale, & non niſi cum eo bona illa tranſirent ad regulares.

Confirmatur reſponſio ex ſequenti declaratione ſacræ Congregationis Cardinalium præſidentis controuerſiis iuriſdictionalibus, quæ ita habet.

La Sacra Congregatione de gl' Eminentiſſimi Cardinali deputati alle controuerſie giuriſdittionali altre volte fù di parere, che li beni poſſeduti da gl' Eccleſiaſtici godano l'eſentione da qualunque peſo, ò impoſitione, che non ſia copulatiuamente, certo, reale, & inuariabile, conforme alla Deciſione Brunduſina gabella auanti la bona mem. di Pegna: con li ſuoi concordati. Come anche dalle impoſitioni Camerali, nelle quali ſiano ancora compreſi gl' Eccleſiaſtici, quando li medemi Eccleſiaſtici hanno preſcritta la libertà di non pagare, conforme al decreto dell'anno 1600. publicato in tempo della ſanta memor. di Clemente VIII. Dat. queſto di 21. d'Aprile 1640.

G. B. Card. Pamfilio.

Franceſco Paulutio Segr. della Sacr. Congr.

Nec obſtat alia declaratio edita à Sacra Congregatione Cardinalium conſtituta ad conſeruationem immunitatis Eccleſiaſticæ, quæ eſt ſequentis tenoris.

La riſolutione, che ha fatta più volte la Congregatione de ſgrauij, che li beni allibrati, & accataſtati paſſino con il peſo loro ne gl' Eccleſiaſtici, non eccettua li Regolari: e però eſſi non deuono ricuſare per li beni acquiſtati da loro di pagar le collette impoſte dalle Communità di' luoghi,

de' luoghi, prima dell'esser venuti in poter loro, ancorche ne gl'ordini generali, che si sono dati sopra di ciò, non si sia fatta mentione expressa della loro Congregatione, ò Religione: Onde dolendosi cotesta Communità di non poter hauer l'esecutione di detta risolutione per il rispetto sudetto: Ho voluto pregar V. S. Illustriss. che si degni di dar ordine, che possa riscuotersi da loro, come da gl'altri, in conformità della sudetta risolutione, e le baccio le mani. In Roma li 24. Febraro 1599.

Di V. S. Illustriss. e Reuerendiss.

Humiliss. Seruitore

Il Cardinal Caëtano.

Non obstat, inquam dictis hæc posterior declaratio; cum ea explicari possit, & debeat iuxta aliam Declarationem paulò ante allatam: nimirum in Ecclesiasticos, & consequenter in Regulares transire bona allibrata, & accatastata cum suis oneribus, adeoque eos teneri hæc soluere: si onera copulatiuè sint certa, realia, ac inuariabilia: non item, si vna ex his tribus conditionibus desit, vt constat ea dictione *copulatiuè*, quæ facit hunc sensum. Moueor, quod sic iura iuribus concordant, & vna lex explicat aliam: sicque priuilegium Immunitatis competens Regularibus iuata Doct. præscriptum ita explicatur, vt ei derogetur minus, quàm fieri possit: quæ non euenirent, si posterior hæc declaratio exponeretur, prout nudè sonant verba illius; vt patet.

Prior autem Sacræ Congr. declaratio anno 1647. fuit ab eadem Sacra Cong. confirmata in literis ad Eminentiss. D. meum Card. Rosetum scriptis, & ab eo mihi exhibitis; quarum tenor est: *Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium controuersiis iurisdictionalibus præpositorum alias censuit bona per Ecclesiasticos possessa gaudere exemptionibus à quibuscumque impositionibus, & oneribus, quæ non sint copulatiuè certa, realia, & inuariabilia iuxta Decisionem in Brundusina Gabella coram bo. mem. Penia & concordat. nec non ab impositionibus Cameralibus etiam comprehensiuis Ecclesiasticorum, quando Ecclesiastici libertatem eam non soluendi præscripserint iuxta decretum anno 1600. tempore sacr. mem. Clementis VIII. editum.*

M. Card. Ginettus.

QVÆRES VII. An possint exigi à Regularibus tributa, & alia similia onera ratione bonorum, quæ ij possideant cum laicis in communi, ac in indiuiso.

140. Respond. non posse, si talis communio bonorum sit vel simpliciter indiuidua, vel certè non diuidua absque magno Regularium damno; secus, si diuidi possit, & tam Regulares, quam laici possint habere, & dignoscere suam partem bonorum. ita Baldell. *supr. num.* 12. qui sic conciliat duas opiniones extremè contrarias hac de re exstantes: quarum alia est affirmans; & probatur, tum quia *leg. si ex, qui duos, ff. de liberat. legat.* dicitur in indiuiduis posse quem habere ratione socij, quod non habet ratione sui, & socium aliàs non capacem posse percipere commodum ratione alterius socij capacis: tum quia alioqui exemptio à tributis competens Regularibus, quoad sua bona esset inutilis; cum durante ea bonorum communione nulla sit pars in bonis communibus, quæ non sit Regularium, adeòque saltem pro medietate dictorum bonorum ij non possint gaudere præfata exemptione; alia opinio est negans, & probatur, tum quia de iure ciuili exemptio patris ab oneribus publicis non eximit filios, §. *& qui originem*, §. *quamuis maior, ff. de muner. & honor.* tum quia in Clem. *præsenti, de censibus* solùm excommunicantur qui ab Ecclesiis, aut Ecclesiasticis personis exigunt pedagia, & similia pro rebus propriis: quod est signum non excommunicari exigentes pro bonis communibus.

QVÆRES VIII. An possint exigi tributa, collectæ, & alia onera saltem Colonis partiariis, aut etiam Conductitiis Regularium.

Respond. videri non posse; & probatur, tum quia priuilegium exemptionis à tributis est reale, ideòque debet transire ad prædictos Colonos; tum quia vix potest contingere, quod Coloni grauentur oneribus, quin indirectè grauentur etiam domini; tum quia Pius V. in bulla, *Dum ad vberes, superius relata*, expressè eximit à præfatis exactionibus laboratores, colonos, arrendatarios, affictuarios, ac gestorem suorum negotiorum. ita Diana *part. 3. tract. 1. resolut.* 19. Peytin. *tom. 1. priuil. Constit. 2. Iul. II. num.* 142. aliique penes Bonacinam *supr. quæst. 19. part. 3. §. 1. num.* 7 qui cum Surdo, Bellero, Bursato, Altetio, & aliis, censet onera imposita solùm pro parte colonica pertinente ad colonos posse ab ipsis exigi; dicitque hanc quæstionem acriter agitari coram Papa, eiusque decisionem expectandam esse. 141.

Addit tamen Diana cum Filliucio *tract. 16. n.* 302. concedi posse Colonos Regularium teneri soluere gabellas ex fructibus collectis, si illos deferant de loco ad locum, aut alienent: cum sic fructus illi non ampliùs pertineant ad Ecclesiam, ne quidem indirectè, & sint bona laicorum, simpliciter loquendo. 142.

QVÆRES IX. An possint exigi tributa, & collectæ ab iis, qui bona Regularium receperunt in emphyteusim.

Respond. posse, si exigantur præcisè pro domino vtili, nempe pro fructibus, & id fiat absque damno Regularium, qui sunt domini directi. ita Bonac. *supr. num.* 9. ex Alterio, Surdo, Filliuc, Caualc, Menochio, & aliis, contra Dianam *supr. resol.* 14 patetque ex eo, quod collectæ principaliter imponuntur personis, & secundario rebus, *leg. rescripto, ff. de mun. & honor.* emphyteutæ autem in casu nostro sunt personæ laicæ (vt suppono) & ad illos pertinent fructus; cum mutata persona mutetur rei qualitas; præter quam quod priuilegium Immunitatis concessum est personis Ecclesiasticis, ac earum bonis, & fructibus: fructus autem in præsenti casu non sunt ampliùs Ecclesiasticorum, sed emphyteutæ, in quem ratione emphyteusis translatum est dominium vtile rei, qui alias manet sub dominio directo Regularium. Dixi, *& id fiat absque damno Regularium*; si enim id fiat cum eorum damno, etiam indirectò (eo quod cogantur minori pretio tradere prædium in emphyteusi, tunc non tenerentur emphyteutæ Regularium ad illa onera: quia aliàs Regulares indirectè grauarentur: quod prohibetur in bulla Cœnæ, & aliis iuribus; quamquam in hoc, & similibus standum sit consuetudini locorum. 143.

QVÆRES X. An tributa, & alia onera id genus exigi possint à Regularibus saltem ratione bonorum patrimonialium, quæ fortè possideant.

Respond. non posse, & probatur tum ex decisione Romanæ Rotæ coram Merlino facta 1630 tum ex ipsa bulla Cœnæ *num.* 18. vbi cum excommunicentur ij, qui imponunt talleas, ac onera bonis Clericorum, & Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, ac bona Clericorum ibi ponantur vt distincta ae bonis Ecclesiarum, ac beneficiorum, per bona Clericorum non videntur posse intelligi, nisi patrimonialia: quæ proinde dicenda sunt gaudere priuilegio Immunitatis concesso in bulla Cœnæ. 144.

QVÆRES XI. An teneantur Regulares ad expensas communes loci, in quo degunt (v. g. pro Medico à communitate conducto, &c.)

Respond.

145. Respond. teneri, non quidem titulo collectarum præcisè, sed potius titulo mercedis, ac contributionis: idque pro rata correspondente pretio operis, ac laboris. ita Bonac. *supr. part. 3. §. 3. num. 17.* & Suarez *lib. 4. de immunit. cap. 26. num. 6.* patetque, tum ex dictis *quæst. 5.* tum quia par est, vt qui sentit commodum, sentiat & onera: vnde sit Regulares non teneri ad illas expensas communes, quæ fiunt pro Magistro publico v. g. pro Gubernatore, & similibus: cum horum vtilitas non immediatè, ac æquè principaliter respiciat Regulares, sicque non procedat regula iuris modò allegata.

QVÆRES XII. An teneantur soluere gabellam ij, qui emunt de bonis Regularium.

146. Respond. teneri, & probatur, quia Immunitas à gabellis est priuilegium personale competens Regularibus, aliisque Ecclesiasticis: priuilegium autem personale vendentis non transit cum re vendita: quo modo transit priuilegium reale, vt pote inhærens rei, quæ venditur. ita Azot. *part. 3. lib. 5. cap. 20. quæst. 2* ex communi DD. in Clem. *præsenti, de censibus.* Rodriq. *tom. 3. quæst. 74 art. 7.* & alij qui benè monent monasterium in hoc casu non teneri soluere gabellam, quæ aliàs solueretur à laicis venditoribus; cum monasterium sit persona priuilegiata, adeòque exempta ab oneribus laicorum.

An autem emens aliquid à Regularibus teneatur soluere gabellam, si postea illud idem, quod emit, vendat.

147. Respond. teneri, & quidem esto reuendat aliis Regularibus: quod inter alios notauit Rodriquez *supr. art. 13.* idque ob rationem modo adductam.

QVÆRES XIII. An possit imponi gabella super carnes, & alias res venales, quæ promiscuè emantur à laicis, atque à Regularibus, & aliis Ecclesiasticis.

148. Respond. cum distinctione; vel gabella imponitur rei (v. g. carni, quando emitur à macellario, aut importatur in ciuitatem, vel macellum & sic macellarius tenetur soluere talem gabellam; siue postea vendat carnem, siue non) & sic potest imponi dicta gabella: cum enim caro v. g. sit onerata, & subiecta gabellæ in manu mancellarij, ideoque aliquantulum crescat in manu eius de pretio, & valore, siue postea transeat ad Ecclesiasticum, siue ad laicum, iustè transit cum illo onere, ac valore, nec tenetur macellarius decrescere de pretio suæ carnis, eo quod illam vendat Regularibus, aliisve Ecclesiasticis: vt notat Molina *tract. 2. D. 663. num. 5.* Vel imponitur gabella ipsi contractui emptionis carnis iam expositæ in macello, ita vt non macellarius, sed ij, qui emunt carnem, teneantur illam soluere ratione suæ emptionis: & sic non potest imponi talis gabella; cum gabella propriè dicta sit vltra iustum pretium, quod soluitur domino carnis ad faciendam æqualitatem inter rem, & pretium, Ideoque soluatur in bonum non vendentis, sed Principis illam imponentis, ac proinde præsumatur imposita personæ ementi, si est imposita ratione emptionis, & consequenter etiam Ecclesiasticis ementibus; ita vt Princeps eiusmodi gabellam imponens perinde faciat, ac si expressè præcipiat macellario, vt vltra iustum pretium suæ carnis, quod accipit pro se, præterea exigat, & accipiat ab ementibus aliquid certum pro gabella dandum ipsi Principi: quod vtique repugnat Immunitati Ecclesiasticæ, si extendatur ad Regulares, & alios Ecclesiasticos. ita Baldell. *supr. D. 37. n. 8.*

149. Quæ doctrina procederet etiam in casu, quo gabella imponatur contractui venditionis; siquidem, cum debeat attendi non tam is, in quem verba dirigantur, quam is; in quem dirigitur effectus; & effectus gabellæ dirigatur in emptorem, in quem verè reiicitur solutio gabellæ; proinde est imponere gabellam contractui venditionis carnis, siue super contractu venditionis carnis in macello publico, ac illam imponere contractui emptionis. ex quo fit, vt, siue imponatur gabella super contractu emptionis carnis, siue super contractu venditionis: perinde aduersetur immunitati Ecclesiasticæ, si eius solutio in vtroque casu reiiciatur in ementem; & emens sit persona Ecclesiastica. Quare, vt gabella imposita super carnes, aut alias res venales, sit licita; debet cadere super carnes per se; & directè; quatenus existunt in proprietate, ac possessione macellarij, aut venditoris, & ab eo sunt destinatæ, ac expositæ ad venditionem, & ipsa gabella ratione carnium exigi debet à solo venditore: non autem super carnes, quatenus fiunt, & sunt emptoris, si fortè is sit Ecclesiasticus qua de re Diana *part. 1. tract. 2. resol. 45.* absolutè negans gabellam in præsenti casu esse licitam.

QVÆRES XIV. An Princeps laicus constituens pretium legitimum vini v. g. statuere possit vt laici ementes vnum soluant gabellam pro necessitate publica; cum id possit cedere in præiudicium Regularium, & aliorum Ecclesiasticorum sua vina vendentium.

Respond. quod, quamuis sit valdè probabile Principem id non posse statuere absque præiudicio immunitatis Ecclesiasticæ; cum sic Ecclesiastici cogantur vendere sua bona minoris, quatenus gabella est pars pretij, & in taxando legitimo rerum pretio attenditur: ita vt venditores tanto minus lucrum percipiant ex venditione mercis sic oneratæ, subtracto eo, quod debet solui non sine gabellæ, & aliàs deberetur venditori per modum iusti, ac legitimi pretij. probabile tamen videtur, quod ait Bellettus *part. 1. disquisit. cleric. tit. de exempt. cleric. § 8. num. 2.* nimirum posse fieri à Principe tale statutum; si onus gabellæ adiiciatur actui separato ab ipso contractu emptionis, aut venditionis (vt si dicatur pro quolibet dolio vini, quod exportandum est in ciuitatem soluantur duo denarij) non item si gabella adiiciatur ipsi contractui (vt si dicatur, pro quolibet dolio vini, quod emitur, aut venditur, soluantur duo denarij;) & ratio est, quod, quando gabella est annexa contractui modo dicto, læditur emptor, & venditor alias immunis, quippe qui carius, aut vilius emunt, aut vendunt ratione gabellæ: quod non euenit in casu, quo gabella adiiciantur actui seperato à contractu; cum sic solutio gabellæ respiciat immediatè non contractum, sed actum exportationis, qui nihil commune habet cum Ecclesia, seu Ecclesiasticis vendentibus. cum Belletto sentiunt Rolandus, Riminal. & Surdus, relati à Diana *supr. resolut. 48.* vbi restatur Senatum Panormitanum olim in casu occurrente amplexum fuisse opinionem Gratiani, Riccij, Menochij, Surdi, ac Zerollæ, quam nos ipsi in priori parte huius responsionis diximus esse valdè probabilem. 150.

QVÆRAS XV. An Princeps sæcularis propria auctoritate possit exigere à Regularibus, aliisque Ecclesiasticis gabellas animo illas restituendi in fine anni, aut aliquo alio certo tempore: idque ad vitandas fraudes publicanorum exigentium ipsas gabellas.

Respond. de rigore iuris non posse: cum id non possit non cedere in aliquod grauamen Ecclesiasticorum (vt facilè constabit consideranti) adeoque nonnihil lædat Immunitatem Ecclesiasticam; 151.

cui nullum omnino præiudicium inferre potest sæcularis potestas.ita Duard. *in bulla Cœnæ*, *l.2.can.*18. *quæst.*15. *num.*3. Alterius *tom.*1. *de censur. D.*19.*lib.*5. *cap.*3.& alij docti Recentiores à me consulti: à quibus ostendit Diana *resol.* 44. se nun dessentire; dum ait Panormi similem exactionem gabellarum posse excusari, eo, quod fiat consentientibus, ac volentibus ipsis Clericis, non quidem, tanquam renunciantibus priuilegium immunitatis, sed sustinentibus eius effectum differri in tempus, quod proximè sit magis opportunum absque vllo onere, ac interesse; sic innuens oppositum fore sustinendum, si Ecclesiastici non consentirent in dictam exactionem, & inde subirent aliquod damnum, quale de facto subeunt, saltem quatenus ad tempus priuantur vsu propriæ pecuniæ modo dicto solutæ per modum gabellæ. sic ego respondi in facti contingentia, dum hæc scriberem, & confirmauit responsionem Vrbanus VIII. præscribens Communitati Ferrariensi ne talem modum gabellæ induceret contra Ecclesiasticos absque ipsorum consensu.

QVÆRES XVI. Quas pœnas incurrant qui à Regularibus, aliisve Ecclesiasticis eorumque bonis exigunt, aut recipiunt tributa, tallias, aliáque onera.

152. Resp. incurrere excommunicationem latæ sententiæ positam non solùm in *bulla Cœnæ* §.18.(vt infra videbimus) sed etiam in *Constitution. Pij V.* aliisque iuribus: eamquem reseruatam Papæ in ipsa bulla Cœnæ & in *cap. Clericis*, *de immunitat. Ecclesia*. tum pœnam ducatorum auri de Camera bis mille statutam *in citata Constitution.* Pij V. tum etiam illas alias pœnas, quæ in Concilio Lateran. innouatæ fuerint in *bulla confirmat.Curiæ*; quod si imponentes præfata tributa, ac onera sint Vniuersitates, Collegia, & Communitates, incurrunt etiam Interdictum Papæ reseruatum à Bonifacio VIII. patet autem responsio ex dictis *quæst.*2. & ex Canone bullæ Cœnæ Vrbani VIII. in ordine 18. qui sic habet: *Excommunicamus qui collectas, decimas, tallias, præstationes & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis, etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt: nec non qui per se vel alios directè, vel indirectè, prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi imperiali, aut regali præfulgeant dignitate, seu principes, duces, comites, barones, & alij potentatus: quicumque etiam regnis, prouinciis, ciuitatibus, & terris quoquo modo præsidentes, Consiliarij, & Senatores, aut quauis etiam pontificali dignitate insigniti; innouantes decreta super his per sacros Canones tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.*

153. Vbi notandum ex Toleto *lib.* 1. *cap.* 29. per hæc postrema verba bullæ Cœnæ innouari quidem canones antiquos editos in fauorem Immunitatis Ecclesiasticæ cum illis etiam pœnis in iis contentis; non tamen innouari decretum Bonifacij VIII. in quantum ad hoc quod Ecclesiastici soluentes tributa indebitè imposita essent eo ipso excommunicati: sed solùm quoad imponentes, accipientes, aut exigentes; siquidem Canones non censentur innouati nisi quoad ea, de quibus fit mentio de soluentibus siue sponte, siue quouis alio modo: quod est contra Filliucium *tract.*16.*num.*303 *fin.* cum Tolet. sentit Bonac. *de censur. in partic. D.* 1. *question.* 19. *part.* 4. *num.* 4. qui non solùm approbat doctrinam istam Toleti, sed præterea inde infert non affici excommunicatione in bulla Cœnæ contenta neque eos, qui soluunt tributa, neque successores illorum, qui ea imposuerunt, etiamsi non satisfaciant intra mensem, neque eos, qui ab Ecclesiasticis recipiunt collectas impositas nulla mentione facta ipsorum Ecclesiasticorum cum in ipsa bulla nullus sit sermo de successoribus, & ibi solum excommunicentur exigentes collectas Ecclesiasticis iniunctas.

Vtrum verò censuræ, ac pœnæ sacrorum Canonum, quæ innouantur in bulla Cœnæ, vi talis innouationis censeatur reseruatæ æquè ac reseruatæ sunt excommunicationes ibi contentæ.

Respond. non censeri reseruatas; & probatur, tum quia innouare Canones non est reseruare, sed in pristino statu constituere, ac si aboliti non essent: pœnæ autem prædictæ, ac censuræ non erant in pristino statu reseruatæ: tum quia versamur in materia pœnali, quæ non debet ampliari, ita Bonac. *sup. num.*8. ex Sousa contra Toletum *cap.*30. Filliuc. *sup.* & alios sustinentes præfatas pœnas, ac censuras manere reseruatas vi bullæ Cœnæ. 154.

Maius dubium est, an dato quod variis iuribus pontificiis statuta sit excommunicatio contra imponentes tributa Ecclesiasticis, vt constat ex dictis, si quis ea imponat, vnicam incurrat excommunicationem, an plures.

Respond. incurrere vnicam; & ratio est, quod, sicut vnica incurritur censura, quando ea fertur ab vnico Superiore, quantumuis fuerit sepiùs innouata; ita & in casu nostro vnica incurretur excommunicatio, cum conditiones illius sint plures tantum materialiter, & formaliter vnus in potestate, adeóque præsumantur voluisse ferre per plura præcepta formaliter distincta; quod vtique non eueniret, si præfata excommunicatio esset lata à pluribus Superioribus habentibus diuersam potestatem. ita Suar. *D.*5. *censur. sect.*2. Bonac. *D.* 1. *de censur. in com. quæst.* 1. *part.* 5. *num.* 11. 155.

Addit Bonac. *D.* 1. *de cens. in part. quæst.* 16. *part.* 1. *num.*12. eum, qui imponit, aut exigit minimum tributum ab Ecclesiasticis, non incurrere pœnas prædictas, nisi postquam deuenit ad quantitatem notabilem: idque etsi intendat exigere etiam ab aliis Ecclesiasticis; & ratio est, quod actus prauæ huius intentionis non sufficit ad incurrendas dictas pœnas, quæ præsupponunt actum exteriorem: ex alia parte leuitas materiæ sicut excusat à peccato mortali, sic & à præfatis pœnis, ad quas præsupponitur peccatum mortale. 156.

QVÆRES XVII. An incurrant præfatas pœnas etiam Principes Ecclesiastici, si per se, aut per alios imponant tributa Regularibus, ac eorum bonis.

Respond. incurrere; siue illa imponant auctoritate laica (eo quod dignitati ipsorum sit annexa iurisdictio temporalis) siue authoritate Ecclesiastica. ita Bonacin. *sup. part.*2.*num.*8. ex Durando, & Alterio contra Filliucium *sup. num.*300. paterque tum ex tenore bullæ Cœnæ, in qua extant hæc verba, *aut quauis, etiam pontificali dignitate constitutis*; tum, quia Papa non solum intendit consulere Immunitati Ecclesiasticæ aduersus laicos, sed ea occasione vult tueri Ecclesiasticos, ac eorum bona, ne ab vllo, quamuis Ecclesiastico, oneribus grauentur. 157.

QVÆ

QVÆRES XVIII. An dictas pœnas incurrant qui recipiunt tributum à regularibus illud sponte dantibus.

158. Respond. incurrere excommunicationem Papæ reseruatam *in cap. clericis, de immunit. Eccles. in 6.* cum in tali *cap.* expressa mentio fiat de recipientibus à sponte dantibus; non item eam, quæ est reseruata in bulla Cœnæ; cum in hac nullus sit sermo de recipientibus à sponte dantibus, & alioqui versemur in materia pœnali, quæ non debet extendi. Quin etiam prædicti incurrunt pœnas in Concil. Lateranensi innouatas, aut etiam de nouo editas sub Leone X. cum ibi exprimantur recipientes à sponte dante, vt videre est in præfato Concil. *sess. 9. in bulla reformat. Curiæ.*

QVÆRAS XIX. An subiaceant prædictis pœnis, qui à regularibus exigunt tributa, & alia onera imposita, non ipsis regularibus, sed laicis.

159. Respond. subiacere, non quidem excommunicationi contentæ in bulla Cœnæ, cum ibi excommunicentur recipientes tributa imposita Ecclesiasticis, aut eorum bonis (quales vtique non sunt, qui ab ipsis extorquent tributa iis non imposita) subiacere tamen excommunicationi latæ *in cap. quamquam, de censib. in 6.* cum ibi sit sermo simpliciter de exigentibus, aut extorquentibus per se, vel per alium, aut etiam de compellentibus, non facta restrictione ad recipientes tributa imposita ipsis Ecclesiasticis: vnde fit, vt Custodes portæ ciuitatis, aut fluminis, pontis, aut portus extorquentes pedagium, gabellam, aut tributum ab Ecclesiasticis (cum tamen in horum impositione non fuerint comprehensæ personæ Ecclesiasticæ) non incurrant excommunicationem contentam in bulla Cœnæ; sed eam, quæ lata est *in cit. cap. quamquam.* ita Suar *supr. D. 23. sect. 4. n. 22.* Filliuc. *tract. 14. n. 61.* Tolet. *lib. 1. c. 11.* aliique communiter; qui bene notant in casu proposito incurri etiam pœnas latas à Pio V. in sua Constit. *Dum ad vberes*, relata *q. 2.* probántque, quia Pius V. pœnas illas statuit ad effectum vt Ecclesiastici seruentur omninò immunes à quibuscumque tributis, ac oneribus, non exprimens, an præfatæ pœnæ ferantur contra exigentes onera imposita Ecclesiasticis, vel etiam contra exigentes ea, quamuis non imposita: ex alia parte non saluatur, quod Ecclesiastici sint immunes à tributis etiam in casu, quo exiguntur non imposita Ecclesiasticis; sicque subest ratio incurrendi pœnas latas contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ, iuxta regulam, *Vbi militat eadem ratio*, &c.

QVÆRES XX. An incurrantur pœnæ prædictæ ab iis; qui regularibus imponunt onera simpliciter personalia.

160. Respond. incurri pœnas latas à Pio V. in sua Constitut. *dum ad vberes:* cum ibi expressè significetur mentem Papæ esse, vt Ecclesiastici sint immunes ab oneribus laica potestate impositis, tam, quoad personas, quam quoad bona temporalia (vt constat ex verbis in ipsa Constitut. positis paulo post initium;) non incurri tamen excommunicationem latam in bulla Cœnæ hîc explicatam; cum hæc feratur solum contra imponentes onera realia: vt constat ex verbis illis, quæ habentur can. 18. *quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera Clericis*, &c. vbi clausula hæc generalis, *& alia onera*, indicat quidem rem diuersam, denotat tamē similitudinem, & est repetitiua similium, significátque rem eiusdem qualitatis, cuius est antecedens, *l. quidam relegatus, ff. de rebus dub. & l. 3. C. de seruis fugit.* vnde, sicut omnia alia onera expressa in bulla sunt realia, realia etiam præsumi debent ea, quæ exprimuntur in clausula generali, *Et alia onera:* maximè cum Ecclesiastici potissimum vexari soleant oneribus realibus, adeóque opus fuerit iis efficacius consulere, quoad illa. Verum tamen est in præsenti casu incurri excommunicationem latam in eadem bulla Cœnæ *can. 15.* contra quomodolibet facientes statuta, ordinationes, constitutiones, seu quæuis alia decreta contra libertatem Ecclesiasticam: constat enim illum, qui potestate laica imponit onera personalia regularibus, aliísue Ecclesiasticis facere contra libertatem Ecclesiasticam; quod rectè notauit Bonac. *supr. 1. num. 1.*

QVÆRAS XXI. An incurrant præfatas pœnas qui exigunt à regularibus pedagia, quidagia, & alia similia tributa.

Respond. incurrere, quidem etiam excommunicationem latam in bulla Cœnæ *can.* 18. si dicta onera exigantur vt tributa; & ratio est, quod præfata bulla prohibet, ne imponantur onera, & tributa tam personis, quam bonis Ecclesiasticorum (quod etiam facit Pius V. in sua Constitut. *dum ad vberes*, vt constat ex dictis *quæst. præcedenti:*) tali autem prohibitioni sine dubio contrauenitur, si dicta tributa exigantur per modum tributi; secus, si exigantur tanquam iustum stipendium laboris; non enim verosimile est Papam velle quempiam obligare ad laborem, & operam suam gratis impendendam. ita Suar. *supr. num.* 21. Filliuc. *tract.* 16. *num.* 197. & alij contra Nauarrum *cap. 27. num.* 128. & Caiet. *v. excommunicatio, cap.* 71. & 39. sustinentes exigentem pedagia ab Ecclesiasticis non subiici præfatæ excommunicationi bullæ Cœnæ, sed solùm illi, quæ lata est *in citato cap. quamquam:* quod reiicit Suarez *vbi supr.* & bene. 161.

QVÆRES XXII. An incurrant dictas pœnas, qui cum possint, & debeant prohibere impositionem onerum faciendam regularibus, non prohibent.

Respond. non incurrere; cum censura lata contra facientes non liget omittentes facere: quippe quæ est odiosa, ac proinde non debet ampliari intra casus expressos. ita Bonac. *supr. p. 1. num.* 19. contra alios. 162.

QVÆRAS XXIII. An priuilegium immunitatis à tributis, aliísque oneribus competens Regularibus & aliis Ecclesiasticis possint per consuetudinem diminui, aut etiam omninò amitti.

Respond. non posse; & patet, quia, ad hoc vt consuetudo diminuat legem, debet induci ab iis, qui legem ipsam condere possint; constat autem, quod nullus alius, nisi Papa potest statuere legem derogantem immunitati Ecclesiasticæ, vel certè de eius consensu: qui tamen consensus in subiecta materia non potest præsumi adesse, neque tacitè, neque expressè in talem delegationem; cum quotannis in bulla Cœnæ *can.* 14 excommunicet Iudices statuentes contra dictam Immunitatem, abrogétque omnes consuetudines præfatæ Immunitati derogantes. ita Azor. *tom. 1. lib. 5. cap 12. quæst. 1.* Suar. *lib. 4. de immunit. cap. 32. num. 14. & seqq.* aliique. 163.

Addo in dubio, an aliquod statutum sit contra immunitatem Ecclesiasticam, amplectendam esse opinionem, quæ fauet Ecclesiæ: idque *ex cap. fin. de sent. & re iudic. & l. sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. fun.* ita Belletus *in disquisit. clerical. part. 1. tit. 6. §. 4. num. 13.* citans pro se Felinum, Hostiens. Io. Andr. & Iasonem; quibus consentit Diana *part. 1. tract. 3. resolut. 65.* pro sua sententia addens Decianum, Hondedeum, & Mayoardum.

Sectio V.

De Priuilegio Immunitatis à Decimis concesso Regularibus.

164 *Explicatur quid sint Decimæ: ea sunt in triplici differentia.*
165 *Eæ debentur iure Ecclesiastico.*
166 *Soluenda etiam à Regularibus.*
167 *Excommunicantur, qui eas non soluunt; aut illas impediunt, vel vsurpant,*
168 *Earum obligatio cessat 3. modis.*
169 *Ab illis exempti Regulares ex suis priuilegiis.*
170 *Et quidem etiam cum derogatione* cap. Nuper: *affertur Decisio Rotæ in horum confirmatione.*
171 *Regulares non tenentur ad Decimas prædiales antea debitas Parochiæ.*
172 *Itaque etsi* in cap. Nuper *dicatur per priuilegium non soluendi Decimas de noualibus non priuari Ecclesiam vllam iure illas exigendi.*
173 *Imò nec soluunt ex prædiis postea acquisitis.*
174 *Secus nec ex noualibus postea excultis.*
175 *Soluunt verò ex agris conductis, aut emphyteusi subiectis, sed non semper.*
176 *Item soluunt, qui Regularium agros conducunt, stando in iure communi.*
177 *Exemptio à Decimis amittitur 4. modis, qui proponuntur.*
178 *Ea transit ad prædium subrogatum loco alterius venditi.*
179 *In conscientia cessat, si constet clarè de enormi læsione.*
180 *Ea strictè debet interpretari.*

QVÆRES I. Quid intelligatur nomine Decimæ, & quotuplex ea sit.

164 Respond. intelligi quotam bonorum debitam Ministris Ecclesiæ in eorum sustentationem: dicique, *decimam*, eò quo sit decima pars fructuum. Et quidem, cum fructus alij sint prædiales, qui proueniunt à prædiis: alij personales, qui à persona; & alij mixti, qui partim à persona, partim à rebus proficiscuntur; sic triplex est decima, nempe prædialis, personalis, & mixta.

QVÆRAS II. Quo iure solui debeant Decimæ.

165. Respond. quod, quamuis iure diuino, & naturali debeatur sustentatio Ministris Ecclesiæ iuxta illud Lucæ 10. *dignus est operarius mercede sua*; decimæ tamen re vera debentur solum iure Ecclesiastico, cum recta ratio dictet tantùm deberi substentationem Ministris Ecclesiæ, non autem quod ea sit per applicationem decimæ partis fructuum potiùs, quam octauæ, aut duodecimæ; quæ proinde dicenda est esse de iure Ecclesiastico, vt constat ex variis iuribus, & maximè *titulo de decimis*, nec non ex Concilio Trid. *sess. 25. de reformat. c.* 12. vbi præcipitur excommunicandos esse illos, qui decimas subtrahunt, aut impediunt, & quidem ita, vt non possint absolui, nisi plena restitutione secuta. ita Less. *l. 2. cap. 39. d. 1. n. 6.*

QVÆRES III. An decimæ solui debeant ab omnibus Fidelibus, etiam à Regularibus.

166. Respond. debere solui ab omnibus Fidelibus, & consequenter etiam à Regularibus, stando præcisè in iure communi; excipe, si sint Episcopi, aut Parochi, vel certè debeant solùm redditus Ecclesiasticos, quos scilicet recipiant titulo beneficij, aut spiritualis ministerij ex decimis fidelium, aut ex prædiis Ecclesiæ titulo Ecclesiastico possessis: de his enim fructibus dicitur *cap. 2. de decimis*, nouum esse, vt Clerici à Clericis decimas exigant. ita Suar. *tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 1. cap. 16. num. 1.* ex S. Thoma, alijsque Theologis, & Canonistis, patétque *cap. ex transmissa, cap. à nobis, de decimis*: in quorum iurium priori dicitur omnes fideles teneri ad decimas, in posteriori verò subditur, nisi quis se exemptum ostendat: quomodo re vera sunt Regulares ex variis priuilegiis inferiùs proponendis, ac exponendis.

QVÆRAS IV. Quæ pœnæ incurrantur ab iis, qui non soluunt decimas debitas, aut faciunt eas non solui, vel eas aliquo modo vsurpant.

Respond. impedientes quidem, aut subtrahentes decimas incurrere excommunicationem latam *in c. statuimus 16. quæst. 1.* & confirmatam in Concilio Trid. (vt vidimus *quæst. 2.*) exigentes verò, ac vsurpantes, occupantes, & sequestrantes decimas, & auxilium ad id præstantes, si ea faciant, quasi decimæ sibi deberentur, affici excommunicatione lata in bulla Cœnæ *can. 17.* præterquam quod in Clem. *Religiosi de decimis*, fertur excommunicatio contra Religiosos non habentes beneficium, aut administrationem, si absque iusto titulo decimas aut primitias Ecclesiis debitas acceperint, ac vsurpauerint; si seruis suis prohibuerint soluere decimas ex gregibus, ac rebus suis: si ipsi ex rebus emptis, & de quibus decimæ debentur Ecclesiis, non soluerint: si prohibuerint, aut non permiserint seruis, & colonis soluere decimas ex terris, quas ipsi tradunt illis colendas. ita Castr. Pal. *tract. 10. disp. vn. part. 14. n. 2.* monens istam excommunicationem non incurri à Religiosis, nisi in caso, quo decimæ debeantur Ecclesiis (non item, si personis particularibus) & quidem post monitionem, quæ vnica sufficit) teste Glossa *ibi* factam à parte, cui hæc debentur intra mensem satisfecerint, aut ablata restituerint, sed de hoc *in tract. de pœnis, cap. 2. sect. 5. num. 190.* 167.

QVÆRES V. Quibus modis tolli possit obligatio soluendi decimas.

Respond. loquendo de decimis, prout important quotam fructuum, posse tolli 1. per dispensationem Papæ ad id concedentis speciale priuilegium (quale de facto concessum fuit Regularibus, vt infra:) 2. per compositionem factam de consenso ipsius Papæ. 3. per consuetudinem, ac præscriptionem legitimè inductam: ita Bonac. *D. vlt. de leg. q. 5. part. 5.* aliique penes ipsum, & patet ex ipsis terminis. 168.

QVÆRAS VI. Quo modo Regulares eximantur à solutione decimarum.

Respond. eximi ob multa, & varia priuilegia ipsis concessa ad talem effectum: quorum aliqua extant in iure communi (quale est quod habetur, tum *in cap. 47. decimas. 16. quæst. 1.* vbi à solutione decimarum personalium liberantur omnes illi, qui viuunt in communi, & consequenter etiam Religiosi: tum in *cap. ex multiplici, de decimis*, concedente Cisterciensibus, vt de laboribus, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt, nulli decimas soluere teneantur (quod est illos eximere à decimis, tum quoad noualia, tum quoad omnes terras, propriis manibus, aut expensis excultas) tum *in c. ex part. 1. de decimis*, eximente Religiosos à decimis solùm, quoad noualia propriis manibus culta, animalia, ac hortos ipsorum; alia verò priuilegia reperiuntur extra ius commune relata à Casarubio *in Comp. v. decima*, & à variis Pontificibus confirmata; inter quæ insigne est illud, quod concessit Gregor. XIII. Religiosis Soc. Iesu 1. Ianu. 1578. per bullam, quæ incipit, *Pastoralis officij*, in ea non solùm confirmans exemptionem à Paulo III. & Iulio II. concessam Societati, quoad quascumque 169.

decimas

decimas, etiam Papales, prædiales, personales, quartas, medietates, & alias fructuum partes, ad subsidia etiam charitatiua, & alia ordinaria onera, etiam pro expeditione contra Infideles, defensione patriæ, ac aliàs quomodolibet, etiam ad Imperatorum, & inferiorum Principum instantiam imposita: idque quantumuis in ipsa impositione caueatur, quod nulla prorsus exemptio cuiquam aduersus illa suffragetur, excepto tantum casu, quo in literis Apostolicis plena, ac expressa, ac de verbo ad verbum fieret mentio de hoc indulto, ac concessione huiusmodi, & de eorum Ordine; sed etiam specialiter, ac expressè derogauit capiti *Nuper, de decimis*, in quo Innocentius III. statuit, vt non obstantibus priuilegiis antea concessis Monachi Cistercienses, & alij quicumque gaudebunt dictis priuilegiis, de terris alienis, & de his etiam, quas de cætero (intellige ab editione præsentis decreti) acquirent, siue per emptionem, siue per donationem, siue alio titulo, decimas Ecclesiis soluant, quibus aliàs debebantur: & hoc etiamsi propriis sumptibus illas excolant, ne alioqui occasione talium priuilegiorum Ecclesiæ vlterius aggrauantur, vt notauit Glossa *ad citatum caput.*

Quod si quæras, quid importet talis derogatio capitis *Nuper.*

170. Resp. importare hoc, quod Regulares, in quorum fauorem facta est, vi illius sunt exempti à soluendis decimis, non solùm de terris antea acquisitis, sed etiam de acquirendis post emanationem dicti capitis *Nuper* cum aliàs, seclusa tali derogatione, vi præfati capitis teneantur decimas soluere de prædiis amodo acquirendis: itaut priuilegia Regularibus concessa ad talem effectum non procedant, nisi quoad terras acquisitas. magna vtique concessio, quæ cum facta sit Societati Iesu absque nota restrictiua incommunicabilitatis, non apparet, cur ea non possint vti etiam Religiosi aliorum Ordinum participantes de priuilegiis ipsius Societatis.

In quorum confirmationem facit non solùm Decisio Rotæ Romanæ in extensum relata *supr. cap.* 1. *num.* 55. sed etiam aliæ similes decisiones eiusdem Rotæ Romanæ, quas placet hic referre ad commune beneficium Regularium; & sunt sequentis tenoris.

Decisiones S. Rotæ Romanæ coram R.P.D. Cerro in Causa Cracouiensi Lunæ 21. Maij.

Decisiones S. Rotæ Romanæ coram R. P. D. Cerro in Causa Cracouiensi Lunæ 21. Maij.

ORTA controuersia inter Plebanum loci Golambia, & Rectorem Collegij SS. Apostolorum Petri, & Pauli Societate IESV Cracouiensi super Iure decimandi bona dicti Collegij, deuentum fuit ad concordiam, in qua Rector permisit Plebano ex tunc, & in futurum liberam decimationem sub conditione tamen quod Plebanus teneretur soluere de proprio florenos 1300. *pro obtinenda reuocatione excommunicationis, & bannimentorum relaxatorum ad eius instantiam contra P. Albertum Mesinzki ob prætensam non solutionem decimarum, & insuper illi concessit, quod eius vita durante posset qualibet hebdomada extrahere tres currus lignorum ex siluis Collegij vndique facere, declarauit quodam sinceritatis affectu, & amoris gratitudine, licèt Plebano nullum ius competeret in dd. siluis.*

Cùm verò modernus Rector recusasset tàm decimas quam currus lignorum præstare, causa in partibus introducta, & exinde per appellationem ad Rotam deuoluta, dubitans, An concordia suffragetur Plebano loci Golambia, & Domini, informante tantùm Rectore, negatiuè responderunt, quia cum domus, & Collegia Societatis IESV in vim Indultorum Apostolicorum sint exempta, & immunia à quacumque decimarum solutione, vt pluries fuit in hoc sacro Tribunali definitum, & canonizatum, & in specie in alia Cracouiensi coram Cardinali Seraphino *in qua Rota declarauit prædictas domus, personas, & bona esse libera, exempta, & immunia à quibuscunque decimis, & patres absoluendos esse ab impetitis per Plebanum in Dobradomk vt in iudicatum transacta Summum.* 1. *Et omissis antiquis decisionibus fuit etiam firmatum* in Ciuitatis Castelli Decimarum 25. Iunij 1616. coram R.P.D. meo Ghisilerio, *& recentius latissimè* in Corduben. Decimarum de Lucena 10. Maij 1634. 27. Febr. 1636. 30. Ianuarij 137. coram Reuerendissimo D. meo Decano, 27. Maij 1638. coram R. P. D. meo Carrillo, & 7. Februarij 1739. coram R.P.D. meo Merlino, & in Granaten. Decimarum. 20. Ianuarij 1636. coram Illustriss. D. meo Patriacha Constantinopolitano *nullo modo poterat Rector ad huiusmodi concordiam deuenire in præiudicium Collegij.*

Primò ex defectu potestatis illius, quia Rector Collegij non habet facultatem transigendi super decimis, & renunciandi priuilegiis, ac subiiciendi bona Collegij perpetuo oneri decimarum inconsulto Reuerendiss. Patre Generali, penes quem tota Religionis potestas residet, Sanchez super decalog. lib. 7. cap. 27. num. 38. *& in puncto similis concordia inita per Prouincialem eiusdem societatis considerauit* Rota coram Reuerendiss. D. meo Decano in dict. Corduben. Decimarum de Lucena 10. Maij 1635. *& confirmauit* in eadem 29. Maij 1638. coram R. P. D. meo Carillo. *Cum enim priuilegia fuerint concessa fauore totius Religionis cum clausula sublata, & decreto irritanti, non potuit per solum Rectorem illis renunciari* Felin. in cap. cum accessissent num. 8. de constit. Natt. consl. 160. num. 46. lib. 1 Rota decis. 63. num. 10. part. 5. recent.

Secundo ex defectu beneplaciti Apostolici, ac etiam iusta causa euidentis, scilicet vtilitatis, dum Rector disposuit contra libertatem, & exemptionem Collegij illud subiiciendo dd. oneribus absque vlla prorsus retributione. Quinimò in quantum concessit ius lignandi in siluis Collegij, voluit exercere liberalitatem, etiamsi certò sciret Plebano nullum ius competere, quæ duo copulatiuè requirebantur, vt possit sustineri alienatio rerum, & iurium Ecclesiæ cap. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6. clem. 1. eodem tit. DD. in cap. sine exceptione 12. quæst. 2. vbi latissimè Laurentius de Rodulphis in 3. quæst. Couar. var. resol. lib. 2. cap. 17. num. 2. Rota coram Cardinal. Seraph. decis. 508. num. 1. & in recent. decis. 430. num. 4. part. 2. cum aliis per Adden. ad Buratt. decis. 690. sub. num. 18. *Idque etiamsi fiat vigore concordiæ, & transactionis* Federic. de Sen. cons. 94 per tot, Crauett. cons. 323. n. 11 vers. dico quod Prælatus plenè Grat. discept. forens. cap. 846. num. 6. & 7. Verall. decis. 318. part. 3. & fuit dictum in Mediolan. rescissionis, permutationis 10. Ianuarij 1597. coram bo. mem. Card. Pamphilio penes Marches. de commiss. part. 1. fol. 112. *Cum enim per huiusmodi concordiam concederetur Plebano ius decimandi, & Collegium priuaretur exemptione sibi competenti, negari non potest, quin hac esset species alienationis rei Ecclesiasticæ, in qua propterea debent interuenire eadem solemnitates, quæ in alienatione desiderantur cum idem sit ius certum remittere quod alienare* Bart. Castr. Ias. & alij in lib. nulli, ff. de transact. Pinel. in lib. 1

 part.

part.3,num.45. C.de bon.matern. Anton.Gomes.in l.Tauri 40. num. 86. plenissimè Gratian. disceptat. forens. cap.576. num. 16. & d.cap.846. num.8. cum seqq. Verall.decis.106.part.1. Addon.ad Gregor. decis.418 num.17. Reuerendiss. D.meus Decanus decis.301.num 1. *& in hac specie transactionis inita super decimis* Rota decis.362.num.3. coram Reuerendissimo D. meo Decano,& in Spoletana Decimarum de Meuania 14 Nouembris 1638.coram R.P.D. Panzirolo, *Etiamsi alienatio fieret fauore alterius Ecclesiæ* Seraphin. decis.23. Rota in Neapolitana Spolij 3. Iunij 1601.coram Cardinali Lancellotto, in Treueren. bonorum 15. Maij 1621. coram bon. mem. Dunozetto, in Elnen. distributionum 4.Decembris 1634. coram bon.mem. Buccabella, & in Tarraconen.Cappellanum 18.Februarij 1636.coram R.P.D. meo Pirouano.

Nec visum est releuare quod Reuerendissimus Nuncius interfuerit huic contractui, illumq; sua auctoritate confirmauerit asserens tendere potius in vtilitatem, quàm in damnum vtriusque partis, quia licet Nuncius Apostolicus habeat potestatem Legati de latere; tamen non potest authorizare alienationem rerum Ecclesiæ, quia hoc est de specialiter reseruatis Papæ in vim Extrauagantis Ambitiosè, de reb.Eccles. non alienand. *vt tradit* Gambar.de offic. & potest. Legat.de later. lib.2.tit de var.ordin.nom.num.415. inter tractatus magnos tom.13.part.2.fol.156. *Præsertim quia detegitur eius assertio errónea cum nß.vtilitas nullibi iustificetur, imo ex prædictis conuincitur conditionem Collegij fuisse effectam deteriorem.* Bart in l.sed & si Præses, C.de prædiis minor. Alex.cons.69.lib.3. Hondedr.cons.32.num.111.lib.1.Menoch.cons.314.n.27. Gregor.decis.496.num.11.& 12.

Præterea visum fuit DD.Concordiam suffragari non posse, quia cum fuerit inita sub ea conditione, quod Plebanus teneretur soluere florenos 1300. & obtinere renouationem bannimentorum non dicto de adimplemento ex parte sua non potest agi vigore illius. Roland.à Valle cons.53.num.17. lib.1. Gorad.cons.1. in princip. Paris. cons.33.num.17.lib.1. Rota decis.366.num.1 in princ part.4. diuers. & decis.397. num.13. part.5. recent. *Præcipuè cum versentur in contractu, cuius omnes partes sint inuicem correspectiuæ, quia tunc vnum censetur promissum contemplatione alterius, & eatenus obligationes ligant, quatenus omnes obseruantur.* Crauett. cons.461. num.39. Gratian. disceptat. forens. cap.759. num.11. & 12. & Rota decis. 428. num. 3. part.1.recent.

Denique cum transactione adiecta fuerit clausula, citra tamen præiudicium quorumcunque iurium vtriusque partis, & successorum, dictum etiam fuit concordiam fuisse mere personalem, & proinde ex ea nullum fuisse illatum præiudicium successori, cui fuit ius expresse reseruatum. Oldrad.cons.237. num.9. Paris. cons.23. num.148. lib.1. Seraphin.decis.1441.num.6. & in Bonon. fideicommissi de Desideriis coram R. P. D. meo Merlino, quæ est decis. 118. num. 10. part.5.recent.

Et ita, &c.

In eadem, coram eodem.

Mercurij 4.Iulij 1640.

SVb die 21. Maij proximè præteriti, Rota coram me censuit, Concordiam non suffragari Plebano loci Golombiæ super iure decimandi bona Collegij SS. Apostolorum Petri & Pauli Societatis IESV Cracouien.

Et licèt postea ex parte eiusdem Collegij instaretur pro expeditione; Plebanus vero peteret dilationem, placuit DD. nihilominus nonam audientiam concedere, Mandantes tamen quia Procurator partis aduersæ sæpius citatus, nunquam informare voluerat, vt rursus proponeretur in hac Rota, in qua etiam Plebano non informante voluerunt capere resolutionem persistendo in decisis.

Quia ex deductis in decisione exemptio Collegiorum Societatis IESV remanet extra controuersiam, & apparet transactionem super decimis per Rectorem tunc temporis factam esse rescindendam, nec viribus subsistere ex defectu beneplaciti Apostolici, iustæ causæ, euidentis scilicet vtilitatis, ac etiam facultatis Rectoris super ijs, nec minus super iuribus ad Collegium spectantibus transigendi, non obstante quod interuenerit consensus, ac licentia P. Prouincialis, cum illa facultas resideat in scrinio pectoris Reuerendissimi Generalis supremi, & absoluti Moderatoris totius Religionis, vt latè fuit comprobatum in decisione, &c.

Sententia R.P.D. Cerri in eadem causa.

CHristi nomine inuocato. Pro tribunali sedentes, solumq; Deum præ oculis habentes. Per hanc nostram diffinitiuam sententiam, quam de Dominorum Coadiutorum nostrorum consilio, voto, & assensu ferimus in his scriptis in causa & causis, quæ primo & in prima coram Ordinario Cracouien. secundo & in secunda coram Domino Nuncio Apostolico in illis partibus commoran. & demum coram nobis, seu alia veriori verse fuerunt, ac vertuntur instantia inter Rectorem, & Collegium PP. Societatis IESV Cracouien. ex vna, & assertum Parochum, seu Plebanum loci Golombia ex altera; de & super decimis per dictum Plebanum prætensis, ac præsertim manipularibus omnis grani, & seminis ex agris, & araturis, tam prædialibus, quàm bineonalibus Villarum Zorzyn, Pogonero, Boriston, Thromirozka, Ierila, Dizezmice, & Helozanka, alijsq; bonis ac inualiditate assertæ transactionis, seu Concordiæ alias initæ inter eum, & Rectorem dicti Collegij, de qua in actis rebusq; alijs, &c. dicimus, pronunciamus, decernimus, & declaramus non fuisse nec esse locum petitis ex parte dicti Plebani, & prædictam transactionem, seu Concordiam fuisse, & esse nullam, & inualidam, nullumq; ius, nullamq; actionem vigore illius eidem Paracho, seu Plebano competijsse, atque competere ipsumq; Collegium, eiusdem Rectorem, Patres, & bona quomodolibet ad illud spectantia fuisse, & esse libera exempta, & immunia à solutione decimarum per dictum Parochum, seu Plebanum prætensarum, ac vti tale, tales, ac talia conseruandum, & manutenendum, conseruandos, & manutenendos, conseruanda, & manutenenda fore, & esse, ipsiq; Parocho, seu Plebano, eiusq; successoribus arctius inhibendum ne vlterius illud, illos, & illa molestent prout nos inhibemus, & conseruari, ac manuteneri, necnon inhiberi singula singulis congruè referendo volumus, & mandamus, mandatumq; & mandata ac inhibitiones, aliaq; quæcunque quomodolibet necessaria, & opportuna decernimus, & concedimus, sententiasq; seu decreta quæcunque contra dictum Collegium, seu eius Rectorem, & Patres in partibus latas, seu facta his contraria reuocamus, & abolemus molestationes quoque perturbationes, ac impedimenta quæcunque per dictum Parochum, seu Plebanum, dicto Collegio, siue eius Rectori, & Patribus illatas, & illata fuisse & esse nullas, & indebitas, nulla, & indebita, ac de facto præsumptas, & præsumpta, illasq;

& illa facere, & inferre minimè licuisse, neque licere perpetuúmque silentium illi imponendum fore & esse, ac imponimus victúmque victoribus in expensis, & in decimis forsan de facto exactis condemnamus, quarum respectiue liquidationem, taxationem, & moderationem nobis, vel qui de iure in posterum reseruamus, & ita dicimus, &c. non solum prædicto sed & omni alio meliori modo, &c.

Ita pronunciaui, Ego Carolus Cerrus Sacræ Rotæ Auditor.

Qværes VII. An Regulares vi priuilegiorum ipsos eximentium à solutione decimarum prædialium, liberentur à debito etiam reali soluendi decimam prædialem antea Parochiæ debitam ex tali agro.

171. Respond. liberari, & probatur, tum quia Alexander III. *in citato, cap. ex parte*, dicit se cum Adriano II. eximere quosdam Religiosos absolutè à decimis soluendis de laboribus suis, alios verò solùm à decimis de noualibus, animalibus, & hortis, quod est signum priores illos Religiosos eximi non solùm, quoad noualia, sed etiam absolutè, quoad omnes terras propriis manibus excultas, siue priùs cultæ fuerint, & soluendis decimis astrictæ, siue non (aliàs enim nulla esset differentia inter illa duo membra,) & consequenter illa verba, *de laboribus. &c.* quæ extant in *cap. ex parte*, extendi ad quæcumque prædia propriis laboribus, aut sumptibus culta;) tum quia Innocentius III. *in relato, cap. Nuper*, hoc ipso quod statuit, vt Religiosi de terris amodo acquirendis decimas soluant Ecclesiis, quibus antea ratione prædiorum soluebantur, indicat de terris acquisitis ante illud decretum non teneri soluere decimas: & è contra in præsentia non teneri eas soluere, neque de noualibus; cum ex iis, aut ratione ipsorum priùs nullæ decimæ vlli Ecclesiæ soluerentur. Ex quo fit, vt per verba illa generalia, *de laboribus*, concessa fuerit exemptio à decimis prædialibus, etiam quoad reale debitum: tum denique quia multa extant priuilegia, ex quibus id euidenter cognoscetur, cum in iis modò derogetur, *capiti Nuper*, vt iam vidimus; modò addatur distributio, *ab omnibus decimis*, modò simpliciter dicatur à prædialibus decimis. Ita Soar. *supr. cap. 19. num. 2.* aliique communiter cum Abbate *in cap. dudum, de priuil.* contra Oldradum, Rebuffum, Couar. & Gutierrez citatos ab ipso Suarez putantes vi supradictorum priuilegiorum Regulares non eximi, nisi à decimis agri noualis, quem ij suis laboribus denuo excolant: noualis enim, teste Alciato *de verb. signific.* dicitur ager nunc primò coli cœptus, cum priùs esset sylua, aut aliter incultus.

172. Neque ex eo, quod *in cap. dudum, de priuil.* dicitur per priuilegium non soluendi decimas de noualibus non priuari aliquam Ecclesiam iure, aut possessione exigendi decimas de talibus rebus, nisi id ipsum in priuilegio exprimatur; sequitur vi priuilegij vniuersum non posse, quem eximi à debito reali, neque tertium priuari iure suo, nisi in ipso indulto fiat mentio dicti debiti realis; siquidem, cum *cap. Dudum*, loquatur de noualibus propriè sumptis, (nempe de agris, qui nunquam fuerunt seminati, neque vllum fructum vsque tunc habuerunt,) & ex alia parte nomine noualium veniant etiam agri, qui ante concessionem priuilegij ferebant aliquos fructus, herbam videlicet, glandem, &c. priuilegium concessum ad non soluendas decimas de noualibus, non debet extendi, nisi ad noualia omnino infructuosa, vtpote quæ propriè sunt talia (intellige, nisi aliter exprimatur in concessione:) idque ad vitandum nimium præiudicium Ecclesiarum, quibus aliàs dictæ decimæ deberentur; cum tamen in præsenti casu, quo absolutè conceditur exemptio à decimis de propriis laboribus, aut sumptibus cultis censeri possint nomine decimæ venire etiam Decimæ ex terris priùs cultis, & sub potestate Ecclesiæ constitutis, quoad decimarum perceptionem: verba quippe priuilegij in sua proprietate hoc totum comprehendunt, vt ostendit Suar. *num. 3.*

Qværes VIII. An priuilegia Regulares eximentia à solutione decimarum extendantur non solùm ad prædia tempore concessionis iam acquisita, sed etiam ad acquirenda.

Respond. extendi ad vtraque, & probatur, tum 173. ex dictis *quæst. præcedenti*, tum ex *cap. quia circa 22. de priuil.* vbi, cum dicatur priuilegium indefinitè concessum ab Episcopo Monachis de non soluendis decimis Episcopalibus, intelligi nõ solùm de decimis possessionum illius temporis, sed futuri intelligitur, si remissio fuit facta secundùm canonicas sanctiones: & ex alia parte priuilegium, de quo hîc loquimur, concessum à Papa præsumi debeat concessum iuxta canonicas sanctiones, & indefinitè procedat; dicendum est illud extendi ad omnes decimas: cum propositio indefinita æquiualeat vniuersali, quando est eadem ratio de omnibus, vt in præsenti casu. Ita Castr. Pal. *part. 12. num. 6.* ex Soarez, & Azorio addens non obstare dictis, quod res transit cum suo onere: id enim debet intelligi solùm in casu, quo persona sit priuilegiata: non item, quando priuilegium exemptionis concessum est eius bonis, seu (quod idem est,) quando priuilegium aufert huiusmodi onus; tunc namque res non transit cum suo onere.

Qværes IX. An priuilegium concessum Regularibus de non soluendis decimis prædialibus extendatur solùm ad prædia culta vsque ad illud tempus, vel etiam ad noualia culta post concessionem priuilegij.

Respond. extendi ad vtraque, & probatur ex eo, 174. quod Regulares vi suorum priuilegiorum non tenentur soluere decimas prædiales, si concurrant hæ duæ conditiones; nimirum, quod prædia sint propria ipsorum Regularium; & quod excolantur laboribus, aut expensis eorumdem, hæ autem duæ conditiones militant in noualibus, quæ sunt propria Monasterij priuilegiati, & sunt rupta propriis laboribus, aut expensis, adeóque sub negatione non soluendi decimas ex prædiis, & laboribus includuntur: cum sic propositio indefinita transeat in vniuersalem; vt latè probat Couar. *lib. 1. var. cap. 13. num. 7.* maximè attenta regula, *vbi militat eadem ratio, militare debet & eadem iuris dispositio.*

Qværes X. An Regulares vi dictorum priuilegiorum eximantur à soluendis decimis de bonis, quæ ipsi habent locata, aut conducta, aut in emphyteusim.

Respond. cum distinctione; vel priuilegium con- 175. cessum est sub his verbis, *non soluant decimas de suis agris*: vel sub his aliis, *non soluant decimas laborum suorum*, (idest agrorum: id enim colligitur ex verbis illis, quæ sequuntur *quos propriis manibus, & sumptibus colunt*; siquidem soli agri coluntur, non autem labores:) & sic certum est Regulares non eximi à decimis de agris conducititiis, aut acceptis in emphyteusim, cum hi non sint proprij ipsorum nec fuit quod expressè videtur definitum ab Alexandro III. *cap. dilecti, de decimis*, quatenus dixit sub iis verbis, quæ referuntur *in cap. decimas, 16. q. 1.* non fuisse intentionem suam, neque suorum antecessorum agros

coodnctos, ac receptos ad formam comprehendere. Vel priuilegium concessum est sub similibus verbis, *eximimus Religiosos à soluendis decimis ex prædijs, quæ habent*; & sic aliqui cum Azorio *tom. 1. l. 7. cap. 37. q. 8.* dicunt Religiosos eximi à decimis soluendis non solùm ex prædiis, quæ habent in Emphyteusim (quod etiam concedit Suar. *sup. cap. 19. num. 11.*) sed etiam ex conductitiis; cum de vtrisque verificetur, quod Regulares illa habent; alij verò putant cum eodem Suarez probabilius esse Religiosos teneri soluere decimas, tum ex prædiis conductitiis (cum in *cap. dilecti*, à priuilegio non soluendi decimas excludantur agri conductitij) tum emphyteoticis, cum agri emphyteotici siot noo proprij monasterij, sed alterius habentis dominium directum illorum, ideóque quod spectat ad illos, non possit dici monasterium colere proprios agros; quod tamen requiritur in priuilegio eximente à decimis: cum alioqui emphyteuta non sit dominus, iuxta *l. 1.* iuncta Glossa *vlt. ff. si ager vectig. vel emphyt. petat.* & verba dicti priuilegij strictè debeant interpretari iuxta dicenda infra q.

QVÆRES XI. An Coloni conducentes agros Regularium vi dictorum priuilegiorum eximantur à solutione decimarum.

176. Respond. non eximi de iure communi: cum Regulares solùm liberentur à debito decimarum de prædiis, quæ propriis manibus excolunt (quod certè non verificatur in casu, quo ea colant per colonos;) eximi tamen vi specialium priuilegiorum Regularibus concessorum ad talem effectum; non quidem quod coloni ipsi aliqua ex parte dictis priuilegiis fruantur, sed quia Religiosi possunt sibi vindicare illam decimam, siue ob hanc causam augendo quantitatem pensionis, siue distinctè exigendo tantum pro pensione, & tantum pro decima: cum enim ipsi sint simpliciter exempti à decima, illam possunt sibi vsurpare. Ita Suarez *sup. num. 14.* & quoad hanc posteriorem partem probatur, quia priuilegium reale eximit à debito decimarum illorum prædiorum, quæ coluntur per alios, vt tradit Glossa *in Clem. 1. de decimis v. excolendas*, & priuilegium concessum Regularibus quoad exemptionem decimarum est reale (siue concedatur his verbis, *Eximimus Religiosos, & eorum prædia à decimis soluendis*: siue sub his aliis, *eximimus religiosos, & eorum prædia à decimis, siue ea colant per se, siue per alios* imò etiamsi religio absolutè eximatur à soluendis decimis prædialibus suorum prædiorum absque restrictione illa, *si ea propriis laboribus colant*, & absque illa alia ampliatione *licèt per colonos*, &c. ergò attentis specialibus priuilegiis Regularium Coloni conducentes agros eorum eximuntur à decimis: alioqui, si in propositis casibus Coloni tenerentur soluere decimas, consequenter & Religiosi eas soluerent de prædiis suis; siquidem Coloni nunquam eximuntur à decimis, absolutè loquendo, neque in casu, quo priuilegium reale concessum est Religiosis, quibus inseruiunt: cum illi eas soluant ipsismet Religiosis, siue expressè, siue implicitè (sicut iam diximus) vnde fit, vt si Coloni conducentes agros Regularium soluant decimas, id demùm cedat in præiudicium ipsorum Regularium, sicque ij censeantur illas soluere, quod est contra ipsorum priuilegia.

QVÆRES XII. Quot, & quibus modis possint Regulares amittere priuilegium immunitatis à decimis.

177. Respood. posse amittere 4. modis, & quidem 1. si ex vsu illius oriatur graue damnum, ac enormis læsio Ecclesiæ, ac personis, ad quas, secluso priuilegio, decimæ pertinerent; idque ob rationes adductas sùc *c. 1. sect. 5. num. 122.* quamquam, si non constet clarè de læsione, recurri debeat ad Papam, cum nullus alius interpretari possit priuilegium Papale, aut illud moderari; & durante eo dubio Regulares priuilegiati non teneantur soluere decimas possessiones se tenente ex parte priuilegij: 2. amitti potest tale priuilegium per contrarium vsum soluendi decimas non obstante priuilegio: idque non per expressam renunciationem, ac voluntariam cessionem ipsorum (quam probabile est non posse ab ipsis fieri,) sed per tacitam renunciationem coniunctam præscriptioni alterius partis: 3. amitti potest per conuentionem, seu pactionem partium confirmatam ab eo, qui ordinariam habet potestatem ad talia pacta cum debito modo, & solemnitate facienda; siquidem pactio subsequatur post priuilegium ritè, & validè obtentum; quæ pactio non est per se mala, neque prohibita; cum non sit absoluta, & quasi liberalis renunciatio priuilegij (quæ sola prohibetur,) sed iusta conuentio, quæ semper præsumitur esse congrua Religioni. 4. amitti potest dictum priuilegium per alienationem prædiorum, quæ vi priuilegiorum non eximebantur à decimis simpliciter, sed solum quatenus erant sub dominio Regularium; cum fauor iste sit totus Religionis, ideóque non possit transferri in alium: licèt alias huiusmodi priuilegium sit reale

Quod si quæras, an casu, quo Regulares vnam rem immobilem commuteot io aliam, aut prædium vendant ad aliud emendum ex ea pecuoia; tunc prædium subrogatum, & translatum in dominium Religionis sit vi priuilegiorum exemptum ab onere decimarum.

Respond. esse: idque etsi daretur Religionem non habere priuilegium exemptionis à decimis pro terris acquirendis; & ratio est, quod prædium subrogatum loco alterius non est simpliciter acquisitum de nouo, sed subrogatum loco alterius, sicque sapit naturam illius, pro quo subrogatur: ex alia parte restrictio facta ab Innocentio III in Concilio Lateran ad terras acquisitas est odiosa, idóque restringi debet ad acquisitionem omnino nouam. Ita Suarez *suprà cap. 20. num. 6.* 178.

Placet item illud adnotare quoad priorem modum amittendi priuilegium immunitatis à decimis; illud in conscientia amitti eo ipso, quod constat priuilegiato clarè, ac euidenter de enormi læsione; patet tum ex Glossa *in cap. rescripta 25. q. 2.* tum quia sic priuilegiatus est certus de mente concedentis, quæ non præsumitur velle ita grauare Ecclesiam, vt sæpè dicitur *in titulo de decimis*: quamquam in tali casu non possit Ecclesia habens ius exigendi decimas, cogere Religiosos propria auctoritate ad illas soluendas, sed per legitimum Superiorem ipsorum, quicumque demum ille sit. Ita Suar. *sup. n. 1.* 179.

QVÆRES XIII. Strictène, an latè interpretari debeat priuilegium immunitatis à decimis concessum Regularibus.

Respond. Suar. *sup. cap. 18. n. 6.* debere interpretari strictè; & probat ex eo quod, quamuis quoad eos quibus datur, videatur fauere Religioni: simpliciter tamen derogat iuri communi & secum affert præiudicium tertij, nempè Ecclesiarum, & Clericorum, qui decimis priuantur; sicque simpliciter censeri debet odiosum; & consequenter interpretari strictè; ita vt quam minimum deroget Iuri communi, & iuri alterius noceat minus, quam fieri possit; sicut in simili respondet Papa in *cap. capella, de priuilegijs.* 180.

CAPVT

Capvt VIII.

De Priuilegiis concessis Regularibus quoad Rectam ipsorum Gubernationem.

IN hoc cap. quo præsens absoluitur Tractatio, explicanda nobis supersunt Priuilegia Regularibus concessa quoad rectam illorum Gubernationem: & quidem cum ea sint multa, & varia, maioris distinctionis causa caput diuidemus in quinque sectiones, in quarum 1. agemus de varia, ac multiplici potestate Prælatorum regularium in Religiosos sibi subditos: in 2. de Priuilegio eiiciendi ab Ordine Religiosos Incorrigibiles: in 3. de Facultate reuocandi, ac puniendi Apostatas: in 4. de Priuilegio eligendi Conseruatorem: in 5. de Protectore solito assignari Ordinibus Religiosis.

Sectio I.

De varia, ac multiplici Potestate Prælatorum Regularium in Religiosos subditos.

CVm in Tractatu de Gubernatione Regularium *cap.4.* fusissimè disseruerimus de potestate Prætorum Regularium in Religiosos subditos, ibique iuxta variam, ac multiplicem potestatem ipsorum pluria, & varia priuilegia explicauerimus, quæ aliàs hic possent, & deberent explicari: non est, cur ea hoc loco iterum exponamus, sicque iis omissis gradum faciemus ad explicanda alia priuilegia modò proposita, quæ non minùs conferunt ad rectam Regularium gubernationem.

Sectio II.

De Priuilegio Regularibus concesso quoad eiiciendos ab Ordine Religiosos Incorrigibiles.

1 *Eiici possunt Religiosi incorrigibiles.*
2 *Ex Vrbani VIII. decreto plura requiruntur, vt Religiosus censeatur incorrigibilis.*
3 *Hodie Regulares eiici possunt solùm ex titulo Incorrigibilitatis.*
4 *Solus Generalis Ordinis eiicit de consilio, & consensu sex Patrum grauiorum.*
5 *Etsi id facere possit per alium.*
6 *In eiectione plura seruari debent.*
7 *Eiectis non dandæ Literæ testimoniales.*
8 *Illi non tenentur se præsentare Episcopo, licèt aliàs ei subsint.*
9 *Liberè mutant Diœcesim.*
10 *Induunt habitum, non religiosum, sed clericalem.*
11 *Si tamen dimittant habitum clericalem, non excommunicantur.*
12 *Non possunt astringi ad ingrediendũ alium Ordinem.*
13 *Nisi ex pacto, ac veluti in pœnam.*
14 *Idque procedit, etsi ante professionem absolutè vouerint Religionem.*
15 *Cogi possunt redire ad Ordinem.*
16 *Nec enim Religio eiiciendo suum Religiosum cedit iuri, quod habet in illum.*
17 *At possunt interim transire ad alium Ordinem.*
18 *Religio non tenetur eos iterum recipere, licèt emendatos, si regula obstet.*
19 *Illi tenentur corrigere suos mores, & correcti se offerre Religioni.*
20 *Quod si repudientur, sine scrupulo possunt manere in sæculo.*
21 *Quærendi, & reuocandi ad Ordinem à propriis Prælatis.*
22 *Et hoc ex Sacræ Congregationis Decreto innouante* cap. finale de Regularibus.
23 *Si iterum admittantur, non egent noua Professione.*
24. *Recepti retinent eundem gradum, ac locum Professionis.*
25 *Regulares eiecti suspenduntur ab Ordinibus susceptis, nec promouentur ad alios.*
26 *Non prædicant, nec audiunt confessiones: nec pro iis facit quoad hoc,* Tridentinum, sess. 5. de reform. cap. 1.
27 *Subsunt, quoad aliqua suis Prælatis regularibus.*
28 *Tenentur Votis Religiosis, sed non omnibus eodem modo.*
29 *Acquirunt Cameræ Apostolicæ.*
30 *Comparant solum vsum nudum rerum, quas acquirunt.*
31 *Non tenentur ad vota specialia proprij Ordinis.*
32 *Non subsunt Obseruantiis regularibus.*
33 *Non tenentur ad Horas Canonicas, si non sint initiati Ordine Sacro.*
34 *Reputantur infames; etsi hinc præcisè non prohibeantur recipi iterum ad Ordinem.*
35 *Non fruuntur priuilegiis, nec Indulgentiis Ordinis.*
36 *Gaudent Priuilegio Canonis, Fori, ac exemptionis à tributis.*
37 *Non aluntur expensis Ordinis.*
38 *Eligunt sepulturam.*
39 *Puniuntur ab Ordinario loci, in quo degunt.*
40 *Prælatus regularis indebitè eiiciens Religiosum subditum punitur.*
41 *Decretum Vrbani VIII.* de Eiectis, & Apostatis *non comprehendit Societatem Iesu.*
42 *Generalis Societatis dimittit ab ea Professos, etsi non incorrigibiles.*

QVæres I. An, & quo iure possint Prælati regulares eiicere ab Ordine Religiosos Incorrigibiles.

Respond. posse, & quidem non solum ex variis priuilegiis ad talem effectum concessis, quæ refert Ribadeneira *lib. institut. Soc Iesu cap.* 13. sed etiam de iure communi; vt colligitur tum ex *cap. fin. de regular.* vbi deciditur, eiectos quærẽdos esse à superioribus: tum ex *cap. cum ad monasterium, de statu Monach.*, in quo statuitur Monachum proprietarium expellendum esse: tum *ex cap. fin. de eod. tit.* vbi Visitatores iubentur expellere rebelles, ne ouis morbida sanas inficiat. ita Sanchez *lib. 6. moral. cap. 9. num.* 5. aliique communiter, & fauet ipsa praxis.

Qværes II. Qui Religiosi censeri debeant Incorrigibiles ad effectum, vt iuxta dicta priuilegia eiici possint à Religione.

Respond. quod, licèt olim ad præsentem effectum censeretur incorrigibilis, qui ter monitus persistebat in committendis iisdem delictis, aut etiam grauioribus, vel æqualibus, & quidem absque vlla spe resipiscentiæ (sicut sentiunt plures DD. apud Bonac. *q. 2. de clausf. p. 12. §. 1. n. 6.*) in præsentia tamen id non sufficit, sed præterea requiritur, vt per annum probetur in

natio loci; iam non habet locum sententia Nauarri sustinentis *comm. 2. de reg. n. 34.* Religiosum eiectum subiiei Episcopo originis, vtpote cuius domicilium est immutabile, *l. assumptio, ff. ad municip.* & alia domicilia possint amitti.

Putat autem Cespedes *de exempt. d. 315. nu. 12.* ex Laureto ad Ordinarium spectare perquirere, num Religiosus iustè, aut iniustè fuerit eiectus ab Ordine; multi enim eiiciuntur sua culpa, vt laxiorem vitam degant; & alioqui fraus, & dolus nemini debent patrocinari.

Quod si quis hîc quærat, an Religiosus eiectus electo semel domicilio possit illud liberè mutare transeundo ad aliam diœcesim.

9. Respond. videri posse: cum nullum extet votum, aut præceptum in contrarium; & Religiosus, qui eiicitur, non vouerit obedire quoad habitationem, nisi iuxta regulam: habitatio autem iuxta regulam supponit permanentiam in Religione, eiusque communi vita, sicque ablato isto fundamento non manet obligatio obediendi in ea materia. ita Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 6. num. 15.* contra alios oppositum sentientes ex eo, quod Religiosus non habeat velle, aut nolle, *cap. si religiosus de elect. in 6.* sed minùs probabiliter, cum Religiosus eiectus, quoad aliqua habeat velle, ac nolle.

Qværes VII. An Religiosi eiecti teneantur deferre habitum religiosum, vel aliquem alium determinatum.

10. Respond. non teneri deferre habitum Religionis, imò nec posse, cum per iustam sententiam illo spolientur, si in perpetuum eiiciantur; teneri autem deferre habitum clericalem ex decreto sacræ Congregationis *quæst. præcedenti* adducto; quod decretum puto adstringere etiam Religiosos laicos; non autem solùm Religosos sacris ordinibus initiatos: nam decretum generaliter loquitur, ideóque generaliter debet intelligi iuxta illud: Vbi ius non distinguit, nec nos debemus distinguere: quod negat Lezana *v. Electio, num.* 8. non obstante præfato decreto.

11. Illud quidem puto posse admitti Religiosum eiectum dimittendo habitum clericalem non incurrere excommunicationem latam *in cap. 2. vt peric. ne Cler. vel Mon.* contra Religiosos professos habitum temerè dimittentes (quidquid sit de peccato, quod committitur ex hoc capite.) Moueor, quod ius, quo fertur ista excommunicatio, loquitur in specie de habitu suæ Religionis: habitus autem clericalis respectu Religiosi eiecti non est habitus Religionis, vt patet: cum tamen censuræ non debeant extendi à casu expresso ad non expressum, neque à paritate rationis, neque ab identitate, neque à maioritate. Dixi, *quidquid sit de peccato*, &c. quia puto Religiosum eiectum, si omittat deferre habitum clericalem, pro vt ei præscribit sacra Congregatio, peccare mortaliter, nisi aliunde excusetur, siue ob paruitatem temporis, siue ob iustam necessitatem, siue ob alium titulum: præceptum enim ex concurrentibus circumstantiis est graue, adeoque non minus obligat, quam aliàs obligentur Clerici sacris ordinibus initiati, quos constat obligari sub peccato mortali.

Qværes VIII. An Religiosus eiectus teneatur ingredi aliam Religionem, aut etiá ad id cogi possit.

12. Respond. non teneri, nec posse ad id cogi, nisi fortè eiiciatur sub hac conditione, vt in pœnam transeat ad aliam Religionem (quàmquàm modò post relatum decretum sacræ Congregationis talis pœna non possit iniungi, vt constat ex verbis illis, quæ habentur §. 9. *& nos retulimus, q. 5. §. quod verò.*) ita Bonac. *sup. §. 4. num. 2.* Molina, Rodriquez, Less. Sanch. Sanctar. & aliis, patetque tum quia Religiosus eiectus non tenetur nisi ad id, quod promisit; non promisit autem aliam religionem, nisi eam, à qua eiectus est; tum quia religiosus, cuius religio omninò extingueretur, non teneretur ingredi aliam religionem; ergo nec tenebitur eiectus à sua Religione; quidquid contradicant Sylnest. Tab. Ang. & alij penes Bonac. asserentes Religiosum eiectum teneri ingredi aliam religionem, si emendatus iterum non admittatur in suam; à qua eiectus est.

Dixi, *nisi fortè eiiciatur sub hac conditione vt in pœnam transeat ad aliam religionem*: vt indicarem, secluso decreto sacræ Congregationis probabile esse, quod religio posset cogere religiosum, quem eiecit, ad ingrediendum aliam religionem, etiam strictiorem; si id faciat sub conditione, seu disiunctione, vt vel transeat ad alium Ordinem, vel in suo maneat perpetuò in carcere, aut ad triremes, & aliàs delictum ab ipso commissum verè sit dignum tanta pœna. ita Suar. *sup. cap. 5. num.* 20. alioqui negans cum Nauarro *consil. 77. de regular.* posse quem in pœnam delicti commissi obligari absolutè ad statum religiosum. 13.

Dices, quid si quis ante professionem factam in aliqua religione vouerat absolutè religionem, & postea eiiciatur ab Ordine, in quo professus est, tenetur-ne is vi prioris illius voti quærere alium Ordinem?

Respond. non teneri; & probatur, tum quia illud prius votum per priorem professionem omninò extinctum est: tum quia dictum votum fuit sufficienter impletum, adeóque non amplius obligat: quo modo qui vouit religionem absolutè, hoc ipso quod bona fide ingreditur certam aliquam religionem, non tenetur aliam ingredi, etiamsi licitè habitum dimittat ante professionem, cum iam impleuerit votum. ita Suar. *sup. num.* 21. addens quod, quamuis prius illud votum fuisset de particulari religione strictiori, & consequenter vouens peccasset ingrediendo Ordinem laxiorem, ac profitendo in illo; si tamen postea ab illo eiiciatur, non tenetur ingredi illum Ordinem, quem vouerat, vel alium æqualem, aut inæqualem: cum per talem professionem votum illud simplex prorsus extinctum fuerit: vt decisum est *in cap. qui post votum, de regul. in 6.* 14.

Qværes IX. An, & quo modo Religiosus eiectus compelli possit redire ad Ordinem, à quo fuit perpetuò expulsus.

Respond. posse; & quidem etiamsi sæpius petierit iterum recipi. & nihilominus semper repulsus sit: dum modò tamé interim non fuerit ingressus alium Ordinem. ita Arag. 2. 2. *quæst. 88. ar. 3. §. huc vsq.* Graff. 1. *p. decis. lib. 3. c. 5. n.* 147. aliique plures apud Sanch. *lib. 6. mor. cap. 9. n. 25.* & probatur tum quia iniquum est, vt religiosus eiectus ex delicto referat commodum libertatis: tum quia hoc ipso quod *in cap. fin. de regul.* præcepitur Superioribus Religionum, vt fugitiuos, & eiectos de Ordine suo requirant sollicitè annuatim, eosque recipiant, si Regularis Ordo id permittat (quod est dicere, si illi emendati fuerint:) per consequens dicti Superiores semper retinent ius reuocandi dictos religiosos eiectos, & eos cogendi ad iteratum ingressum. si regula non resistat: sicque ipsimet religiosi eiecti tenentur redire, si reuocentur. 15.

Nec obstat, quod religio renuens admittere religiosum potentem iterum recipi, videatur cedere iuri suo; ideoque liberare ipsum religiosum, vt non teneatur redire, quantumuis reuocetur; si quidem falsum est, quod assumitur: vel enim religio iusta 16.

de

23. Respond. non debere; cum per expulsionem non fuerint absoluti à priori professione, sed solùm suspensa fuerit eius obligatio, quoad aliqua pro eo tempore, quod illi manent extra Religionem; vnde fit, vt non sit opus noua professione, sed sufficiat reuocatio dictæ suspensionis, & actualis separationis à gremio Religionis, ratione cuius religiosus erat impeditus ab actuali vsu Obedientiæ, & actuali vnione cum tali corpore; quod est illum restitui ad talem vnionem actualem per solam mutationem voluntatum, & mutuum consensum in actualem vsum (vt ita dicam) non autem in vinculum; non secus ac ij, qui perpetuo diuortio erant separati, per nouum voluntarium consensum iterum coniunguntur absque eo quod ineant nouum matrimonium, solum vsum prioris matrimonij restituentes. ita Rodriquez *tom. 1. quæst. 50. art. 19.* Sanch. *supr. n. 33.* aliique communiter.

An verò regularis eiectus iterum receptus gaudeat eodem gradu antiquitatis Professionis, quoad locum sedendi, ferendi suffragium, &c.

24. Respond. quod, quamuis Rodriq. *supr.* putet religiosum eiectum, si iterum recipiatur ad religionem, non debere restitui ad eum gradum, & locum, in quibus erat ante eiectionem: absolutè tamen dicendum est illum posse recipi ad pristinum gradum, & locum suæ professionis, nisi fortè in pœnam excessuum præteritorum iis priuetur; quod satis clarè indicauit Sanchez *supr.* non dissentiente Suarez *supr. cap. 5. num 17.* constat autem ex dictis *hic cap. 6. sect. 4. subsect. 2 quæst. 14.*

Qværis XIV. An regulares eiecti possint exercere Ordines susceptos, vel etiam vlterius promoueri ad non susceptos.

25. Respond. non posse, neque exercere Ordines susceptos (cum in relato sacræ Congregationis decreto §. 10. statutum fuerit, vt eiecti extra religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi) neque promoueri ad Ordines non susceptos; idque ex duplici capite; eo quod scilicet non habeant titulum, ad quem promoueantur (vt pote qui carent titulo Paupertatis proprio religiosorum, cum non debeant ali à religione; nec sint capaces patrimonij, aut beneficij habentis annexum Ordinem, aut functionem illius) & quod ei vetita sit susceptio Ordinis, cui est vetitus vsus illius; siquidem Ordines suscipiuntur, vt exerceantur. ita Bonac. *supr. §. 6. n. 1. & 4.* Lezana *supr. n. 8.* contra Sanch. *l. 7. consil. cap 1. d. 14.* ex Nauar. sustinentem religiosos eiectos posse promoueri ad Ordines, & quidem ab Episcopo originis, si habeant omnia requisita, & alioqui delicta, ob quæ eiiciuntur non inducant irregularitatem, aut aliam inhabilitatem: non enim adest textus id prohibens, inquit Sanchez: at hoc ipse dicit, quia nondum emanarat Decretum sacræ Congregationis toties hic relatum, in quo oppositum statuitur: quod decretum vtique seruandum est. quamuis Lezana ex verbis illis, *extra Religionem degentes*, inferat tale decretum, quoad hanc partem non procedere in eiectis, qui ingrediuntur aliquam aliam religionem, licet laxiorem, nam tali casu eo ipso eximuntur à tali suspensione: quæ cum sit generalis, extenditur ad Ordines tam minores, quam maiores. Imò probabile videtur dictam suspensionem esse solùm communicatoriam, ac ferendam: vt pote quæ lata est per verbum futuri temporis *sint perpetuò suspensi*: nam verbum, *sit*, est futuri temporis Sanchez *lib. 2. mor. cap. 38. num. 90.* aut saltem ambiguum, an sit futuri optatiui modi, aut præsentis subiunctiui: ideoque in dubio inclinandum est in partem mitiorem: cum tamen censura lata per verbum futuri temporis sit solùm ferenda. Cum Sanchez sentit Lauretus apud Cespedes *de exemp. d. 3. 15. num. 13.* dicens certissimum esse, quod religiosus eiectus, si ante eiectionem erat Subdiaconus, posse ad alios Ordines sacros postea promoueri, nisi aliud obstet: hancque opinionem esse certam, manifestam, & communi vsu comprobatam, & de ea (vt ipse credit) neminem dubitare, aut dubitare posse; à Laureto, non omninò dissentit Cespedes, cum dicat nostram sententiam esse probabilem, sic indicans oppositam item esse probabilem.

Qværis XV. An Regulares eiecti, quamdiu maneant extra Religionem, possint exercere munus prædicandi, audiendi confessiones &c.

Respond. non posse ex decreto bullato Innocentij IV. relato à Cæsarubio *in Comp. v. eiicere num. 1.* his verbis: *Innocentius IV. prohibuit districtè, vt Fratres Minores, quos à Generali, aut Prouincialibus Ministris ab Ordine pro suis culpis expelli contigerit, vel qui egressi fuerint proprio suo motu, non præsumant prædicare, seu confessiones audire, vel docere, nisi de licentia Sedis Apostolicæ, aut prædictorum Ministrorum ad alium transierint Ordinem: & voluit, quod si contra huiusmodi inhibitionem aliquid fuerit temerariè attentatum, possint dicti Ministri in illos sententiam excommunicat. promulgare.* ita Miranda *part. 1. manual. quæst. 32. art. 5.* Lezana *num. 18.* Portel. *v. eiicere, n. 10.* qui tamen videtur innuere Religiosos eiectos posse obire dicta ministeria de licentia Prælatorum Ordinis, fortè ductus verbis illis, quæ habentur in decreto Innocentij, *nisi de licentia Sedis Apostolicæ, aut prædictorum Ministrorum.* cum illis aliis, *non præsumant prædicare*, &c. cum potius ea debeant coniungi cum illis aliis verbis, *ad alium transierint Ordinem.* Notandum autem hîc, quod, quamuis decretum hoc Innocentij factum sit in specie pro solo Ordine Minorum: nihilominus, cum sit fauorabile Religioni, licèt odiosum quoad Religiosos particulares, probabile est illud communicate etiam aliis Religionibus participantibus priuilegia Fratrum Minorum. Nobiscum sentit Rodriq. *resp. 112. de Prædicatoribus*, & cum eo Cespedes *tract. de exempt. cap. 10. d. 201. num. 1.* monens *num. 4* Concil. Trid. *sess. 5. de reformat. cap. 2.* remittens Episcopo ius admittendi ad concionandum illos, qui extra Obedientiam viuunt, si moribus, & doctrina probati sint, loqui solùm de Regularibus, qui prætextu priuilegiorum viuunt extra Obedientiam; vt constat ex illis verbis, *donec ab ipsis Episcopus super ea Sedes sancta Apostolica consulatur, à qua priuilegia huiusmodi, nisi tacita veritate, & expresso mendacio ab indignis extorqueri verisimile non est*: constat autem Religiosos eiectos non degere extra claustra prætextu priuilegiorum, vt patet.

Qværis XVI. An Regulares eiecti eximantur ab Iurisdictione suorum Superiorum Regularium, & quo modo.

Respond. non eximi absolutè, sed solùm quoad aliqua, vt ostendimus *in tract. de Votis, cap. 4. sect. 4. quæst. 24.* 27.

Qværis XVII. An, & qualiter Regulares eiecti teneantur votis substantialibus Religionis.

Respond. teneri non tamen eo modo, quo tenentur in Religione. ita Azorius *sup. quæst. 4. & 7.* Clauis regia *l. 6. cap. 9. num. 17. & 18* Lessius *supr. num. 112.* aliique plurimi penes Sanchez *sup. num. 17* & probatur, tum quia alioqui referrent commodum ex delicto contra *cap. 1 de postulation. Prælat.* tum quia nec Regularis creatus Episcopus eximitur ab his votis (vt tradunt DD. communiter) tum quia cer- 28.

tum est eos non liberari à voto Castitatis (cum tamen sit eadem ratio de aliis votis , quippe quæ omnia sunt æquè solemnia , ac essentialia Religioni , & consequeter perpetua. Dixi , *non tamen eo modo, quo tenetur in Religione* ; cum enim Religiosus eiectus non habeat Superiorem , cui subiiciatur , & ei victus à monasterio denegetur , nec habeat Prælatum , à quo petat facultatem comparandi necessaria ad victum:non potest obligari ad omnimodam Paupertatem , aut Obedientiam ; sicque tenebitur ad hæc duo vota solùm , pro vt patitur præsens status illius,qua de re *in tract.de votis cap.* 2. *sect.*5 *subsect.*1. *quæst.*14.

Quod si quæras, cui acquirant Regulares eiecti.

29. Respond. acquirere, non amplius Monasterio,aut Religioni(vt olim)sed Cameræ Apostolicæ;ideoque bona eorum , si contingat eos mori extra Religionem ipsi eo ipso deberi,idque ex Constitut. Gregorij XIII. in ordine 43. in qua statuitur spolia Regularium extra claustra degentium pertinere ad Cameram Apostolicam. ita Sanchez *lib.7.mor.cap.*33.*n.*31. docens *num.*29 Religiosum eiectum,si posteà legitimè profiteatur in alia Religione , ei sine dubio acquirere,vt pote succedenti in omnia bona illius,quæ vi professionis cum ipso transire censentur;intellige, si Religio sit capax: si enim sit incapax,tunc bona Religiosi eiecti eodem modo spectant ad Papam iuxta *cap. exiit , de v signific.in* 6 Dixi , *si contingat eos mori extra Religionem* , vt innuerem , quod si Religiosus eiectus redeat ad priorem Religionem, bona ab ipso acquisita ad eam pertinent,sicut & ad illam pertinet dominium illorum , quamdiu Religiosus prædictus commoratur in sæculo.

30. Addo Religiosum eiectum non posse comparare dominium alicuius rei,imò nec vsum , nec vsumfructum , qui in iure consistunt , & pugnant cum voto Paupertatis,sed solùm nudum vsum, qui est res facti, non iuris: sicque nec posse testari de suis bonis ; cum facultas testandi aduersetur voto Paupertatis,& Religiosus eiectus bonorum,quibus vitur,habeat tantùm commoditatem, ac vsum, quamdiu viuit.

QVÆRES XVIII. An Religiosi eiecti teneantur votis illis,quæ fortè in suo Ordine emitti solent vltra 3. vota substantialia Religionis.

31. Respond. non teneri, quamdiu degunt extra Religionem;excepto tamen voto, quod fit in aliquibus Ordinibus de non procurandis , aut acceptandis dignitatibus extra Religionem : hoc enim semper durat,& non suspenditur ex decreto Vrbani VIII. relato *supr.cap.*6.*sect.*4 *subs.*3.*quæst.*19.sicuti suspenduntur alia vota similia pro eo toto tempore, quo dicti Religiosi commorantur in sæculo.ita Sanchez *lib.6.mor. cap.9.num* 56. Lezana *tom.*1.*cap.*23.*num.*17.Vega *t.* 2. *sum. cap.* 71. *casu* 16. contra Bonac. *quæst.*2. *de clausu. part.*12.§.3.*num.*4 & probatur,tum quia votum desinit obligare,quādocumque superuenit mutatio adeo notabilis in eius materia,vt reddatur notabiliter difficilior , & quæ ab initio præuisa retraxisset à voti emissione (quod optimè probat Sanchez *lib.*4. *mor. cap.*2. *num.*18.)hoc autem euenit in casu nostro;tum quia prædicta vota fiunt ad fœlicem statum Religionis conseruandum,adeoque non censentur obligare, nisi quamdiu Professus est de illo corpore.

QVÆRES XIX An Religiosi eiecti teneantur obseruare Ieiunia , Orationes , corporis macerationes , & similia præscripta in regula.

32. Respond.non teneri;& probatur,tum quia illi non tenentur ad regulam,nisi ex vi Professionis, & quasi sub pacto , & conditione, vt permittantur viuere in tali statu , ac communicare (quo pacto etiam Ciuis non tenetur legibus Ciuitatis , nisi quatenus finitur degere in illa) tum quia obseruatio regulæ in vita communi est multo faciliur ob proportionem, quam habet cum tali ratione viuendi , & ob auxilia, quæ in eo statu reperiuntur ad illam obseruandam, quam in sæculari vita,ideoque verosimile est religiosum non intendisse se obligare ad regulam Ordinis, nisi ex suppositione talis status. ita Sanch.*lib.6.mor. cap.9.num.*52.cum Atag Sayro,Sorbo, & aliis contra Syl. Armillam , Cordubam , Passarellum , & S. Antoninum relatos ab ipso Sanchez *num.* 51. vbi docet non esse absurdum reportare commodum ex delicto (sicut videtur euenire in præsentia) si id contingat per accidens ratione alicuius principalis , quod desinat ; quod omnino euenit in nostro casu,quatenus obseruatio regularum est accessoria perseuerantiæ in religione , ideóque ista deficiente per legitimam, ac perpetuam expulsionem obligatio accessoria non potest non desinere per accidens , & concomitanter.

QVÆRES XX. An Regulares eiecti,si sint Choro destinati , teneantur recitare horas canonicas etiamsi non habeant Ordines sacros.

Respond. non teneri ; & probatur, quia si tenentur , vel tenentur ex voto ; & hoc non,cum tale votum non faciant expresſè,ac in specie;vel ratione regulæ:& hoc non, cum iuxta dicta *quæst. præced.* non ampliùs teneantur ad regulæ obseruantiam ; vel ratione præcepti Ecclesiastici in specie obligantis etiam Religiosos eiectos;& neque hoc,cum tale præceptum non extet:vel ratione Consuetudinis;& hæc solùm probari potest de religiosis suum statum profitentibus,ac retinentibus,& ad Chorum per se obligatis,non autem de eiectis:cum consuetudo,quæ est intra religionem,non possit obligare extra : cum extra religionem deficiat fundamentum talis consuetudinis quod est obligatio ad Chorum vi regulæ, & fortè etiam titulus sustentationis ex eleemosynis fidelium (vt aliqui volunt) siquidem religiosi non aluntur ex bonis religionis : vel denique religiosi eiecti tenentur recitare horas præcisè ratione professionis : & hoc non:cum professio per se non afferat secum obligationem Officij diuini , vt patet in religiosis laicis, qui talem obligationem non habent. ita Suarez *tom.*4. *de relig. tract.*8.*lib.*3.*cap.*7.*num.*12. Lezana *supr.num.*17.& alij contra Nauarrum *de orat. cap.*7. *num.*20. Rodriq.*tom.*1.*quæst.*30.*art.*50. Portel. *supr.num.*5.& alios oppositum sustinentes. 33.

QVÆRES XXI. An Regulares eiecti, quamdiu viuunt extra Religionem , dici possint infames, ac irregulares.

Respond. Lezana *num.*18.dici posse infames infamia facti;hinc inferens, quod, cum quilibet infamis sit irregularis,Religiosi eiecti item censeri debent irregulares : à Lezana,non dissentiunt Rodriq. *tom.* 1. *quæst.*30.*art.*21. Portel. *supr.num.*7.& Mir.*part.*1.*manual.q.*52.*a.*7. qui tamen minus benè hinc colligunt Prælatos regulares non solum non posse cogi,vt iterum recipiant eiectos , quantumuis emendatos , sed positiuè prohiberi eos recipere ex bulla Sixti V.præcipiente , ne vllatenus ad Religionem admittantur ij , qui ob sua delicta reputantur infames : putant enim dictam bullam (quæ est inter Constitutiones huius Pontificis 71. in ordine)extendi ad Religiosos eiectos, vt pote, qui soluti ab obedientia Religionis reputantur quasi sæculares ; (cum tamen ipsa expresſè loquatur de sæcularibus petentibus ingressum Religionis) hoc inquam ,minùs benè colligunt ; siquidem , cum in *cap. fin. de regul.* & in decreto sacræ Congregationis sæpiùs relato statuatur,quod Prælati 34.

regulates

regulares compelli possint ad recipiendos iterum eiectos: signum est, vel eos non esse inhabiles ad Religionem, vel, si qua affecti sunt inhabilitate, io ea tacitè cum ipsis dispensari per Sedem Apostolicam; ideoque ad eorum ingressum non requiri specialem licentiam, seu dispensationem Papæ; quod negat Miranda dicens Religiosos eiectos solemniter non posse iterum recipi in Religionem absque speciali licentia Papæ; idque non obstante *capite finali, de regular.* pro nostra sententia adducto; quippe quod, inquit ille, loquitur de alio expulsionis modo ab Ordine, non solemni, sed ordinario, qui tunc erat vsitatus, sed iam desueuit; ac mihi non placet ista doctrina; cum nimis multiplicet inhabilitates, easque nimis ampliet contra communem Doctorum sensum generaliter tradentium irregularitates non incurri, nisi expressæ sint in iure.

Quæres XXII. An Regulares eiecti, quamdio degunt extra Religionem, gaudeant priuilegiis, ac indulgentiis sui Ordinis.

35. Respond. videri non gaudere; & probatur, tum, quia æquum non est, vt, cum illi non adstringantur oneribus Religionis, fruantur gratiis, ac fauoribus illius contra communem regulam iuris: *Qui sentit commodum, debet sentire & onus*; tum, quia hæc præsumitur esse mens concedentium priuilegia, ac indulgentias; vt vel hinc eiecti tanto magis agnoscant mala eiectionis, sicque tanto efficacius se disponant ad resipiscendum. Ita docti recentiores à me consulti.

Quæres XXIII. An Regulares eiecti gaudeant priuilegiis propriis personarum Ecclesiasticarum, idest, priuilegio Canonis, fori, ac exemptionis à tributis.

36. Respond. gaudere, sin minus vt Religiosos, saltem vt personas Ecclesiasticas; (quales sine dubio sunt etiam quamdiu degunt extra Religionem) maximè cum iuxta decretum sacræ Congregat. sæpiùs allegatum teneantur deferre habitum clericalem, & specialiter subsint iurisdictioni Ordinarij pro toto illo tempore, quo commorantur in sæculo; vnde, cum præfata priuilegia sint cõmunia omnibus Ecclesiasticis, hoc ipso, quòd Religiosi eiecti sunt personæ Ecclesiasticæ, imò etiam substantialiter Religiosæ, nec constat de vllo iure, per quod excludantur à participatione dictorum priuilegiorum; non apparet, cur iis non possint liberè gaudere, & frui; idque esto *quæst. præcedenti*, negauerimus eos frui priuilegiis, ac indulgentiis Ordinis; cum enim hæc sint propria Religiosorum, non autem communia omnibus Ecclesiasticis, mirum non est ipsos ab illorum participatione excludi, sic vrgentibus rationibus adductis *d. quæst. præced.*

Quæres XXIV. An Religio teneatur alere Religiosos eiectos, quamdiu degunt extra monasterium.

37. Respond. non teneri; & patet ex dictis *in tract. de profess. cap. 5. sect. 1. quæst. 8.* nec obstat, quod *in cap. fin. de regul.* videtur oppositum statui, vt vidimus *quæst. 12.* nimirum Religionem teneri talibus Religiosis ministrare vitæ necessaria; si iuxta ordinem regularem eos iterum recipere non possint in monasterium; siquidem ibi non est sermo de Religiosis legitimè eiectis (de quibus modò nos loquimur) sed de Religiosis fugitiuis; sicque cum versemur in materiis valdè diuersis, textus ille non debet extendi ab vno casu expresso ad alium non expressum.

Quæres XXV. In quo loco sepeliri debeant Regulares eiecti, si contingat eos mori, dum viuunt extra Religionem.

Respond. quod, cum illi habeant ius eligendi sepulturam, vtpote habentes in multis velle, & nolle (quod requiritur, & sufficit, ad hoc vt quis eligere possit sepulturam) debent sepeliri in eo loco, quem ipsi elegerint: vel, si non eligant, in Ecclesia parochiali, in qua decedunt, non autem in Ecclesia sui Ordinis. Et ratio est, quod Religiosi eiecti subsunt Ordinario loci, perinde ac si essent sæculares, suntque exempti à potestate religionis, ideoque sortiri locum illum sepulturæ, quem sortirentur, si essent merè sæculares, nempe Ecclesiam parochialem: non enim æquum est, vt quibus non communicamus viui, mortui communicemus, vt in dissimili re tradunt DD. vbi de excommunicatione. 38.

Quæres XXVI. A quo iudice puniri debeant Regulares eiecti, si fortè delinquãt post eiectionem. 39.

Respond. debere puniri ab Ordinario loci, in quo degunt; & ratio est, quod cum illi ex vna parte eximantur à potestate Prælatorum regularium, & ex alia non subiiciantur Iudici laico, vtpote personæ Ecclesiasticæ, nec iustum sit eos relinquere sine vllo omnino iudice; Ordinarius loci erit proprius ipsorum iudex, sicque ad illum spectabit eos punire; cum punitio supponat iurisdictionem in eum, qui debet puniri; & hæc respectu illorum non competat, nisi Ordinario loci: præsertim post decretum sacræ Congregat. toties adductum, per quod ipsi subiiciuntur Ordinario loci.

Quæres XXVII. Quas pœnas incurrant Prælati regulares, si in eiiciendis ab Ordine Religiosis non seruent formam præscriptam à sacra Congregatione in decreto superiùs relato.

Respond. incurrere ipso facto priuationem omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea imposterum obtinenda, eamque Papæ reseruaram; vt apertè colligitur ex §. 13. ipsius decreti, & nos ostendimus *in tract. de pœnis, cap. 6. sect. 2. q. 14.* 40.

Quæres XXVIII. An decretum sacræ Congregationis de eiectis, & apostatis toties hic allegatum habeat locum etiam in Societate Iesu, itavt religiosi dictæ Societatis modò eiici non possint, nisi iuxta formam præscriptam in præfato decreto.

Respond. non habere locum; siue loquamur de eiectione eorum, qui post biennium simplicia vota emittunt, aut etiam Coadiutorum formatorum, tam spiritualium, quam temporalium: quam Societas ex bullis pontificiis ius speciale habeat eiiciendi tales Religiosos, etiamsi non sint incorrigibiles (sicut ostendit Suarez *tom. 4. de relig. tract. 4. lib. 3. cap. 9. num. 11.* docet praxis quotidiana) siue loquamur de eiectione Professorum, etiam 4. votorum; cum etiam hi possint dimitti è Societate alio titulo, quam incorrigibilitatis; & aliàs decretum hoc sacræ Congregationis solùm loquatur de eiectione propter incorrigibilitatem. Et certè, quod Professi Societatis, etiam 4. votorum possint ab ea dimitti, etiamsi non sint incorrigibiles, constat ex bulla Gregorij XIII. edita 22. Septembr. 1582. & relata in bullario ipsius Societatis pag. 109. quæ sic habet: *Dubitare contingit, an Præpositus pro tempore existens* (loquitur de Generali) *valeat etiam professos ex causis id exigentibus ab ipsa Societate emittere: nos re perpensa, atque diligenter examinata, Societatis ipsius puritati, atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volentes statuimus, vt deinceps in perpetuum liceat dicto Præposito, quos iudicauerit, ab ipsa Societate emittere.* 41.

Circa cuius bullæ intelligentiam obseruat Suarez *supr. lib. 11. cap. 2. num. 5.* concedi Generali Societatis facul- 42.

facultatem dimittendi Profeſſos, etiam ſi non committant culpas dignas eiectione (ſed iis non contradicentibus) ſi ita iudicabitur expedire incremento Societatis, & ſaluti emiſſorum; quod vtique non eſt conceſſum vlli alij Religioni, neque per ſe, neque per viam communicationis priuilegiorum; cum Gregor. XIII. talis priuilegij participationem interdixerit aliis ordinibus, quantumuis aliàs participantibus de priuilegiis Societatis. Quod ſi denique loquamur de eiectione Religioſorum Societatis facienda ob incorrigibilitatem; tunc vtique ea facienda eſſet iuxta tenorem præfati decreti: quippe quod in ampliſſima forma derogauit omnibus priuilegiis in contrarium conceſſis, & conſequenter etiam indultis hac de re factis in fauorem Societatis, ſicque in tali caſu etiam in Societate Ieſu locum habet decretum illud ſacræ Congregationis, ſicut cenſuerunt viri docti Societatis à me conſulti.

Sectio III.

De Priuilegio conceſſo Prælatis regularibus, quoad reuocandos Apoſtatas, ac Fugitiuos.

43 *Explicatur, quid ſit propriè Apoſtata à Religione, aut Fugitiuus.*
44 *Apoſtata propriè non eſt, qui tranſit ad Ordinem laxiorem.*
45 *Dimiſſio religioſi habitus non refert ad Apoſtaſiam.*
46 *Non eſt Apoſtata, qui confugit a Prælato inferiori iniuſtè grauante ad ſuperiorem.*
47 *Item non eſt, qui fugit è carcere, in quo detinetur.*
48 *Religioſus perpetuo carceri adiudicatus nequit fugere, poteſt verò fugere à triremibus.*
49 *Apoſtatæ, aut Fugitiui iure communi non ſunt excommunicati.*
50 *Sunt verò ex iure proprio Religionum, & quidem excommunicatione reſeruata.*
51 *Religioſi Societatis Ieſu votis biennij adſtricti, ſubſunt pœnis Apoſtatarum, ac Fugitiuorum.*
52 *Religioſus Apoſtata, aut Fugitiuus vbique poteſt comprehendi à proprio Prælato.*
53 *Idq́, etiam inuocato brachio ſæculari, quod ei debet præſtari, ſi debitè inuocetur: Religioſus Apoſtata, vel Fugitiuus captus ab Ordinario, & traditur ſuo Prælato.*
54 *Is ex multiplici titulo poteſt eum capere.*
55 *Variæ pœnæ latæ contra Religioſos vagantes.*
56 *Prælati regulares tenentur inquirere Apoſtatas, ac Fugitiuos, & cogere ad reditum.*
57 *Idq́, cum morali diligentia.*
58 *Imò in præſentia tenentur eos admittere, ſi ſpontè redeant.*
59 *Nec poſſint illos eijcere, præciſè in pœnam Apoſtaſiæ, aut Fugæ.*
60 *Apoſtatæ, aut Fugitiui, vt ſic, non ſubſunt Inquiſitoribus.*
61 *Priuantur libris, & aliis vſui eorum conceſſis.*
62 *Abſoluuntur ab Apoſtaſia per proprium Prælatum Ordinis.*
63 *De eius licentia non ingrediuntur alium Ordinem.*
64 *Sunt de iure infames.*
65 *Carent voce, imò & olim amittebant ius Primogeniture.*
66 *Imò & modò amittunt iuxta aliquos.*
67 *Regulares ex ſuis Priuilegijs diſpenſant ſuper pœnis incurſis ex Apoſtaſia.*
68 *Religioſus Apoſtata eget diſpenſari, vt reuerſus exerceat Ordinem receptum in Apoſtaſia.*
69 *Loquendo de Ordinibus ſacris.*
70 *Indebitè tranſiens ad Ordinem laxiorem non ſuſpenditur ab vſu Ordinis tunc ſuſcepti.*
71 *Religioſus Apoſtata ad Ordinem reuerſus, exercet Ordines receptos, & recipit alios.*
72 *Durante Apoſtaſia, non concionatur, nec docet.*
73 *Reuerſus ad Ordinem eligi poteſt in Prelatum.*
74 *Durante Apoſtaſia fruitur priuilegijs, ac Indulgentijs Ordinis.*
75 *Fruitur priuilegio Canonis, ac Fori, & exemptione à tributis.*
76 *Gaudet immunitate Eccleſiæ, ſed non abſolutè.*
77 *Acquirit Ordini.*
78 *Excommunicantur, qui Apoſtatam receptant, iuuant, &c.*
79 *Idq́, etſi receptantes habeant priuilegium generale, vt non poſſint excommunicari.*
80 *Hæc tamen excommunicatio non afficit conſanguineos Apoſtatæ receptati.*

Qværes I. Quid requiratur ad hoc, vt Religioſus verè, & propriè dici poſſit Apoſtata, aut Fugitiuus.

Respond. quod, cum, teſte Sanch. *lib. 6. mor. cap. 8. n. 2.* nomine Apoſtaſiæ intelligatur receſſus, quo Religioſus profeſſus deſerit monaſterium animo excutiendi in perpetuum Obedientiæ iugum, ac deſerendi inſtitutum Religioſum; Religioſus ille verè, ac propriè erit Apoſtata, qui recedit à monaſterio intentione ſe ſubtrahendi in perpetuum ab obedientia ſuorum Superiorum, & deſerendi inſtitutum Religioſum: ille verò propriè dicitur Fugitiuus, qui ſine licentia Superioris recedit à monaſterio, vt ad tempus fiat extra poteſtatem, ac obedientiam Religionis, ad illam tamen poſtmodum reuerſurus: vnde fit, vt ratio Fugitiui ſit quid commune Fugitiuis, qui verè ſunt Apoſtatæ, & Fugitiuis, qui propriè nō ſunt Apoſtatæ: cum omnis Apoſtata ſit fugitiuus, non autem è contra omnis Fugitiuus ſit Apoſtata. Dixi, *quo Religioſus profeſſus deſerit monaſterium, &c.* vt innuerem mulieres Tertiarias Ordinis Minorum, & ſimiles non eſſe, nec poſſe dici Apoſtatas, quamuis in perpetuum recedant ab eo ſtatu, contrahendo matrimonium; eæ enim non ſunt Profeſſæ, ac ſimpliciter Religioſæ, adeòque in illas ſimpliciter non cadit Apoſtaſia, ſicut notauit Sanchez *num. 6.* 43

Qværes II. An ſit, & dici poſſit verè Apoſtata, qui propria Religione deſerta, abſque legitima licentia tranſit ad aliam laxiorem.

Resp. non eſſe propriè, & ſimpliciter; eſtò impropriè, & ſecundum quid dici poſſit talis. Ratio eſt, quod iuxta dicta *q. præced.* ad veram Apoſtaſiam requiritur verus animus dimittendi ſtatum religioſum in perpetuum: Religioſus autem in præſenti caſu non habet talem animum, cum non recedat ſimpliciter ab inſtituto vitæ religioſæ, ſed ſolùm ab inſtituto certæ vitæ religioſæ, ſeu certæ Religionis: quamuis aliàs talis tranſitus ſit irritus, vt patet. Vnde infero, quod, licèt quoad alios effectus perinde ſit non efficere, ac facere irritè; quoad hoc tamen non eſt idem; cum deponens ſtatum religioſum omnino habeat animum recedendi ab illo, qualem animum non habet, qui tranſit ad aliam Religionem, quamuis inualidè. ita Val. *2. 2. D. 1. q. 12. p. 1.* Leſſ. *lib. 2. c. 41. num. 101.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 17. q. 7.* aliíque plures contra Francum, Dominicum, & Suarez relatos à Sanchez *ſupr. n. 8.* ſuſtinentes Religioſum in propoſito caſu fieri verè, ac propriè Apoſtatam. 44

Qværes

QVÆRES III. An propriè dici possit Apostata, qui habitum religiosum sui Ordinis veste peregrina ita cooperit, vt exteriùs non appareat.

45. Respond. non posse; cum habitus dimissio, aut retentio nihil referat ad veram Apostasiam: quippe quæ propriè constituitur per recessum factum à monasterio animo recedendi in perpetuum ab instituto religioso. Ita Rodriq. *tom.* 1. *q.* 50. *art.* 2. ex Mandosio testante sic fuisse decisum à Rota; quidquid contradicant aliqui Canonistæ apud Sanch. *supr. num* 5. nobiscum sentientem. Et quidem, quod dimissio, aut retentio habitus religiosi nihil referat ad Apostasiam inde suadetur, quod, sicut habitus non facit Monachum, sed Regulæ monasticæ professio; sic Apostatam facit recessus à professione Monastica, esto habitus non deponatur.

QVÆRAS IV. An sit Apostata Religiosus, qui confugit ad Prælatum Superiorem, eo quod à Prælato inferiori iniustè notabiliter grauetur.

46. Respond. non esse; cum verè non habeat animum perpetuò recedendi ab instituto religioso; imò nec posse dici fugitiuum, & consequenter nec puniendum esse pœna fugitiui; idque non obstante decreto Concilij Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 4. Interdicente Religiosis recessum à suis Conuentibus absque licentia Superioris, etiam prætextu Superiores suos adeundi, nisi ab eis vocati fuerint; nam hoc decretum non habet locum in Religiosis à Superiore vexatis iniquè, qui nullo alio remedio vexationem tollere possint, nisi fugiendo ad Superiores: aliàs Religiosis adimeretur iusta defensio iure naturali concessa. Ita Sà *ver. religio, num.* 71. Clau. Reg. *lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 40. Rodriq. *supr. art.* 3. Azor. *supr. cap.* 11. *quæst.* 7. & alij; quamuis aliqui illorum hanc doctrinam duplici limitatione restringant dicentes tunc licitum esse Religiosis fugere modo supradicto, si euidenter constet vexationem esse iniquam, eique aliter occurri nequeat; & ex tali fuga non sequatur scandalum, ac perturbatio in Religione, quæ præponderent defensioni Religiosi taliter vexati; quod notauit Sanch. *num.* 17. monens dictum decretum Concilij statutis Religiosos absque Superioris licentia in scriptis obtenta recedentes à propriis monasteriis posse puniri ab Ordinariis locorum tanquam desertores sui instituti non habere locum in præsenti casu; idque ob rationem modò allatam.

QVÆRES V. An sit Apostata Religiosus, qui è carcere, in quo iussu sui Superioris detinetur, fugit.

47. Respond. non esse, imò nec posse dici propriè fugitiuum, si ei imponenda erat pœna capitis, abscissio membri, & modus exequendi sententiam aliàs iustam sit iniustus (vt si custos carceris ei iniustè deneget cibum, vestitum, aut ignem ad vitam sustentandam necessaria.) Moueor, quod homo ex naturali desiderio vitæ propriæ conseruandæ ius habet fugiendi: quod vtique non fuit abdicatum vllo voto Religionis; quo modo docet Sanchez *supr. n.* 15. ex Soto, Sylueſt. Arag. Lopez, Vasq. & aliis contra Caietanum, Valentiam, & Sayr. Religiosum in propositis casibus posse fugere è carcere, quantumuis præcepto Superioris iussus esset ibi manere, aut damnatus esset iusta sententia; tale enim præceptum, ac sententia non obligant, cum sint nimis repugnantia propensioni naturali, ac intolerabilia, quod idem putat Sanchez, dicendum esse etiam in casu, quo religiosus ad dictam pœnam damnaretur iustè secundùm allegata, & probata, cum verè coram Deo esset innocens, vel certè non reus delicti pœna adeò acerba digni.

An autem Religiosus possit fugere, siue è carcere, si ad eum perpetuò damnetur, siue à triremibus, si ad eos iustè condemnatus sit.

Respond. non posse quidem fugere è carcere, si per iustam sententiam ei perpetuò adiudicatus sit (idque ob rationes adductas *in tract. de gubernat. c.* 5. *sect.* 3. *quæst.* 21. §. *dubitant*,) non videri tamen improbabile, quod possit fugere à triremibus. Moueor, quod, cum Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 8. *num.* 16. ex Corduba, Lopez, Bañez, Salonio, P. Ledesma, & Lessio putet probabilius esse viros sæculares triremibus damnatos posse licitè fugere, eo quod talis pœna sit veluti quædam mors perpetua, *l. seruitutem, ff. de regul. iur.* & quod damnati ad triremes non damnentur, vt ibi spontè maneant, (quod esset nimis durum,) sed vt patienter ferant ibi detineri; non apparet, qua ratione ipsemet Sanchez oppositum sustineat de Religioso; cum in eo militent eædem rationes: & doctrina, quam tradit Sanch. (Religiosum scilicet se priuasse sua libertate exeundi è claustro, & vagandi, adeóque non posse fugere in præsenti casu, sicuti possent sæculares,) non procedat in casu, de quo hic loquimur: quippe in quo Religiosus propriè non exit è claustro, nec tenetur ex lege Clausuræ ibi manere, quæ ibi nulla est. Ita docti, ac ingeniosi recentiores à me consulti. 48.

QVÆRES VI. An, & quomodo Religiosi Apostatæ, aut fugitiui incurrant excommunicationem aliquam iure communi latam.

Respond. non incurrere, neque Religiosos Apostatas, neque fugitiuos, nisi fortè hi ante fugam habitum religiosum dimittant. Et quidem, quod attinet ad Apostatas, probatur, quia in iure canonico nullibi extat talis excommunicatio: siquidem *cap.* 1. *ne Cler. vel Monach. in* 6. non excommunicantur, nisi ij professi, qui temerè habitum suæ religionis dimittunt; cum tamen possit quis esse verè Apostata à Religione, etiamsi habitum non dimittat: & ad incurrendam huiusmodi excommunicationem parum refert Apostasia, sufficiente sola dimissione temeraria habitus; siue ea contingat simul cum Apostasia, siue non. Quod verò Religiosi fugitiui non incurrant vllam excommunicationem, nisi modo dicto habitum dimittant, inde constat, quod *in cap.* 2. *ne Cler. vel Monach.* non excommunicantur fugitiui (sicut censet Rebuff. *in praxi benefic. de dispensat. cum regul. n.* 17. docens Religiosum exeuntem è monasterio absque licentia Superioris, & sic fugitiuum incurrere huiusmodi excommunicationem,) sed solùm excommunicantur dimittentes habitum; vt benè notat Sanchez *num.* 45. 49.

Verum quidem est, quod quamuis nulla excommunicatio extet in iure communi contra Apostatas à religione, si tamen attendantur peculiaria priuilegia Religionum, Apostatæ hoc ipso quod apostatant à religione, incurrunt excommunicationem ipso facto, eamque reseruatam, vt in primis colligitur ex Compendio *Soc. Iesu, ver. apostata*, §. 1. vbi dicitur: *Si quis post emissa vota secundum Societatis Constitutiones ab ea ad sæculum recesserit, etiam prætextu cuiusuis indulti concessi, aut concedendi, absque expressa sui Superioris licentia ad id ab eo specialiter obtenta, ipso facto sit excommunicatus, & absolui nequeat, nisi à Romano Pontifice, vel Superiore Societatis*; quod priuilegium à Pio V. fuit concessum Societati per bullam relatam *in bullario ipsius Societ. pag.* 94. & est maius similibus aliis priuilegiis, quæ item per bullam concessa sunt aliis Ordinibus ad effectum, vt eorum Prælati contra Religiosos Apostatas ferre possint sen- 50.

tentiam excommunicationis, & referuntur à Casarubio *in Comp. ver. Apostata*, cum Religiosi longè magis arceri possint ab apostatando per censuras ipso facto incurrendas, quàm per ferendas tantùm, vt patet. Quamuis priuilegium hoc concessum Societati Iesu, cum sit valde fauorabile toti religioni, per viam participationis esse possit commune etiam aliis religionibus, vt constat ex alibi dictis.

Quod si quæras, an pœnæ iure communi latæ contra Religiosos Apostatas, aut fugitiuos incurrantur à Religioso Soc. Iesu, qui solis votis bienoij adstrictus recedat à Societate.

51. Respond. incurri; & probatur, tum quia Apostasia est iniqua à statu religioso; præfati autem Religiosi Societatis verè sunt religiosi, vt constat ex variis bullis Pontificiis: tum quia Paulus III. in quadam sua bulla tales recedentes à Societate vocat Apostatas, omnémque potestatem superioribus præbet ad eos cogendos, ac puniendos, tum quia Gregor. XIII. *in sua Const. Ascendente Domino*, de præfatis Religiosis loquens ait, *Si à Societate deficiant, excommunicationi, & alijs pœnis Apostatarum, si qui à Societate deficiant subiacere, & tanquam veros Apostatas puniri posse*; quæ verba omnem excludunt tergiuersationem, claréque indicant dictos Religiosos esse verè, ac propriè Apostatas, non autem fictos, ac reputatos. Ex quo sequitur statuta de Apostatis, ac eorum receptatoribus, fautoribus, &c. habere locum etiam in his Apostatis non minùs, quam in Religiosis Apostatis aliorum Ordinum: quidquid dicat Bañez 2. 2. *q.* 12. *art* 1. disertis verbis asserens, quod si sit religio, in qua emittatur votum simplex tantùm, retrocedere ab illa non est Apostasia, quod optimè confutat Suar. *supr. tract.* 8 *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 6.

QVÆRES VII. An Regulares Apostatæ, aut fugitiui possint à proprio Superiore apprehendi, ac puniri vbique etiam extra territorium.

52. Respond. posse, & quidem etiam inuocato brachio sæculari: idque ex variis priuilegiis bullaris aliquibus religionibus concessis: & relatis à Rodriq. *tom.* 1. *q.* 30. *art.* 6. quibus ego addo indultum Pij V. concessum Societati Iesu per bullam, & adductum *in Comp. Soc. v. apostata*, § 5. in hæc verba: *Si quis animo indurato post emissa vota, siue Professorum, siue Coadiutorum, siue Scholarium absque Superioris licentia exierit, & in sæculo, vel etiam in alio regulari loco degere præsumpserit, licebit Præposito Generali, alijsque Superioribus Societatis, illum, tanquam Apostatam etiam per auxilij brachij sæcularis inuocationem summariè, & sine figura iudicij ad Societatem reuocare, capere, & incarcerare, ac debita pœnitentia subijcere*. Concessio verè magna, & communis etiam aliis Ordinibus participantibus de priuilegiis Societatis: cum hac tamen differentia, quod in Societate (prout colligitur ex ipso Compendio) non parum fuit restricta: quatenus quoad Apostatas commorantes in aliquo alio Ordine ea possunt vti soli Prouinciales, concessa libera facultate omnibus Superioribus, etiam localibus vtendi illa quoad transfugas vagantes in sæculo: adhibita tamen debita circumspectione, & habito respectu communis ædificationis.

53. Notat autem Peyrin. *tom.* 1. *priuil. Const.* 1. *Iulij II. num.* 97. iudices sæculares iure communi teneri præstare iudicibus Ecclesiasticis dictum auxilium, quod vocant brachium sæculare; & hoc ex *cap. principes, & cap. administratores*, 13. *quæst.* 5. posséque ad id cogi per conseruatores Religionum, & delegatos à Summis Pontificibus pro executione priuilegiorum ad talem effectum concessorum: siue illi id præstent per censuras (vt existimat Rodriq. *supr. quæst.* 8. *art.* 14.) siue per alias pœnas arbitrarias; vt censet Menoc. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 452.

Accedit, quod in decreto sacræ Congregationis sæpiùs allegato *sect. præcedenti*, statuitur, *vt fugitiui, & Apostatæ*, siue habitum regularem deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres coniici, ac Superioribus regularibus consignari secundùm regularia *Instituta puniendi*; vnde putat Lezana *tom.* 1. *cap.* 16. *num* 16. dictos Apostatas, ac fugitiuos posse à præfatis Superioribus apprehendi, etiamsi detinerentur ab Episcopis: idque iuxta Constitutionem Pij V. relatam in Ordine 41. editam 17. Cal. Ion. 1567. in qua apertè inhibetur Ordinariis, ne Fratres extra claustra degentes sub eorum protectione recipiant, eósque inuitis Superioribus detineant.

Quin etiam addit Peyrin, *tom.* 2. *priuil. Constit.* 7. *Pij V.* posse Prælatum regularem etiam propria auctoritate capere, & incarcerare suos Religiosos Apostatas, ac fugitiuos sine inuocatione brachij sæcularis, aut Episcopalis; siue ij fugiant absque licentia, siue aliò profecti cum licentia ibi vltra terminum præfixum commorentur; idque non solùm ex priuilegiis ad talem effectum concessis à variis Pontificibus, sed etiam ex titulo iurisdictionis, ac dominij, vi cuius quilibet potest rem suam recuperare, vbicumque eam repererit; quo modo vir vxorem, dominus seruum, & Prælatus subditum vbique capiunt, etiam in Ecclesia, vt aduertit Gloss. *in l.* 1. § 1. *de rei vendicat.* & Nald. *ver. Clericus, num.* 25. quod tamen nos alibi absolutè non approbauimus. 54.

Monet autem Sanch *supr. cap.* 8. *n.* 10. Constitutionem 14. Pauli IV. cuius initium est, *Postquam diuina bonitas*, editam 13. Cal. Aug. 1558. in qua variæ pœnæ statuuntur contra temerè vagantes extra religioligionem (nimirum quod suspendantur in perpetuum ab omni cuiusque ordinis Ecclesiastici executione, & ab omni gradu, necnon ab omnibus beneficiis obtentis, ac eorum fructibus, & fiant inhabiles ad quoscumque gradus, & quæcumque beneficia imposterum obtinenda) non comprehendere, nisi veros Apostatas; & hoc colligit ex tam iterata repetitione apostasiæ facta in ea Constitutione: siquidem eiusdem verbi in eodem canone, aut lege repetitio grande continet mysterium: vt tradit Glossa *Clem.* 1. *ver. diœcesanus, de iure patron.* & docent Nau. *lib.* 5. *consil. de apostatis, cons. vnic. à num.* 9. *vsque ad* 13. aliique: quod si ipsemet Paulus IV. in citata Constitut. expressè includit omnes Professos, qui temeritate propria extra claustra quouis prætextu degunt, aut imposterum degent: non loquitur tamen, nisi de degentibus apostatando vera apostasia; vt aduertit Sanch. *vbi supr.* monens his non obstare bullam Pij V. in Ordine 89. cum ea edita fuerit ad interpretationem citatæ Constitutionis Pauli IV. sicque recipiat omnes interpretationes, ac limitationes illius; præterquam quod ista Constit. Pauli IV. à Pio IV. fuit moderata, & redacta ad terminos iuris, vt constat ex bulla ipsius Pij IV. in ordine 3. 55.

QVÆRES VIII. An Prælati regulares teneantur inquirere Religiosos Apostatas, aut fugitiuos, eosque cogere, vt redeant ad religionem.

Respond. teneri, tum ex iure communi, (vt patet ex *cap. fin. de regul.*) tum ex decreto sacræ Congreg. toties adducto *sect. præcedenti*, quod sic habet, § 4. *Rursus statuit, vt fugitiui, & Apostatæ, siue habitum regularem deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres conijci, ac Superioribus regularibus consignari secundum regularia* 56.

Instituta

Instituta puniendi; vtque ipsi Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur, salua tamen in omnibus facultate Ordinarys locorum attributa decreto Concily seß. 25. de regul. cap. 4. Pro cuius decreti explicatione noto in decreto illo Concilij Trident. Ordinariis committi curam recolligendi Religiosos Apostatas, & Fugitiuos, non quidem absolute, & simpliciter, sed solum in casu, quo eorum Superiores, vel fuerint hac in re desides, vel certè non habeant monasterium in iis diœcesibus, in quibus reperiuntur dicti Apostatæ, aut Fugitiui; sicut notauit Mir. *tom. 1. Manual. q. 51. art. 3.* quamquam post dictum decretum Sacræ Cong. talis cura simpliciter incumbat Ordinariis, vt constat ex tenore illius.

At dubium est, quod facere debeant Prælati regulares ad hoc, vt dici possint in hac re satisfacere suo muneri.

57. Respond. debere vti morali diligentia iuxta occasionem oriam, & quidem statim, ac constat aliquem Religiosum apostatasse, aut fugisse; quod si tunc capi non possit, necessarium non videtur singulis annis specialem inquisitionem facere, sed sufficiet vigilare, & iuxta occurrentes occasiones prudenti arbitrio moralem diligentiam adhibere. Ita Suar. *sup. cap. 3. num.* 17. addens *num.* 18. quod si experimento constet Religiosum Fugitiuum esse incorrigibilem, aut perniciosum religioni; tunc Prælatus videtur excusari ab onere quærendi illum; cum bonum commune præferri debeat priuato, & Prælatus non debeat cogi ad inquirendum illum, quem si sponte non abiisset, potuisset dimittere: quæ doctrina licet sit vera de iure communi, attento tamen decreto illo Sacræ Congreg non debet admitti ita absolute; cum ibi statutum fuerit, vt nullus Professus à religione eiiciatur, nisi sit vere incorrigibilis, & quidem incorrigibilitate ibi descripta: qualis vtique non reperitur in eo, qui sæpiùs apostatauit; quippe qui non ideo per annum inclusus fuit in carcere, &c. sicut ibi statuit Sacra Congregatio; vnde fit, vt quemadmodum Apostata, vt sic non potest hodie eiici à Religione, sic & debeat inquiri à Superiore modo dicto: & hoc, inquit Suar. *num.* 19. quamuis Apostata quærendus deberet postea eiici (intellige seruatis seruandis) talis enim inquisitio potest aliis prodesse, qui sic deterrebuntur à tam atroci delicto, imò & ipsi Apostatæ, cui fortè vexatio dabit intellectum.

QVÆRES IX. An Prælati regulares teneantur iterum recipere ad religionem Apostatas, ac Fugitiuos sua sponte reuertentes.

58. Respond. quod licet aliàs non tenerentur attenta concessione Cardinalis Alexandrini inferius adducenda *q.* 16. per quam indulgetur Prælatis Patrum Minimorum, vt sine discrimine, ac delectu non teneantur quoscumque Apostatas recipere, & suæ societati admiscere: sed eos tantùm, de quibus emendationis vitæ propositum cōcipere, & sperare probabiliter possent; & qui ipsorum Religioni esse possent bono vsui: in præsentia tamen post decretum Sacræ Congr. *sect. praced.* sæpius propositum, Prælati regulares videntur teneri recipere Apostatas, ac Fugitiuos, saltem vt eos probent experimentis in dicto decreto præscriptis, & inde cognoscant, num sint verè incorrigibiles, necne: decretum quippe loquitur absolutè, *nullus legitimè professus eyci possit, nisi sit verè incorrigibilis*; decernitque ne quis dici possit ad hunc effectum incorrigibilis, nisi priùs præfatis experimentis probatus fuerit; cum tamen non recipere Apostatam spontaneè reuertentem perinde sit, ac illum eiicere à Religione. Ita docti viri consulti.

QVÆRES X. An Religiosi Apostatæ, aut Fugitiui possint eiici à Religiune saltem in pœnam Apostasiæ.

59. Respond. non posse, stante decreto illo Sacræ Congregationis: patetque ex dictis *q. praced.* si aduertero doctrinam, quam tradit Portel. *de dub. regul. v. Apost. n. 4, v. 5.* ex Rodriquez (Religiosum scilicet, qui ter, aut quater fuit verus Apostata, eiici posse ab Ordine: imò posse dari Apostasiam vnam ita qualificatam, vt ob eam solam expelli possit) modò non subsistere; quippe quæ manifestè aduersatur præfato decreto, ad quod non respexit Portel. vt puto.

QVÆRES XI. An Religiosi Apostatæ, aut Fugitiui puniri debeant ab Inquisitoribus.

60. Respond. non debere ex vi Apostasiæ vt sic. Ita Diana *p. 4. tr. 7. resol. 3.* ex Duardo, Pegna, & Bariola, testantibus sacrum tribunal Inquisitionis Romanæ non solere contra dictos Religiosos procedere; quod tamen non facit, quin Inquisitores possint contra illos procedere ex aliis capitibus: quomodo procedunt contra sæculares communicantes cum hæreticis, eorum concionibus interessentes, binas nuptias contrahentes &c. Quin etiam Sanctarel. *de haresi c. 41 d. 3.* & Peyrin. *to. 2. priuil. Constu. 9. Pauli V. n. 12.* censent Inquisitores posse procedere contra Religiosos Apostatas, si per annum negligentes perstiterint in redeundo ad religionem.

QVÆRES XII. An religiosi Apostatæ, aut Fugitiui priuari debeant libris, & aliis rebus ipsorum vsui aliàs concessis.

61. Respond. debere ex quadam bulla Pauli II. facta in fauorem Congregationis Lombardiæ S. Augustini, & alia Leonis X. facta Patribus Minimis, quam refert Peyrinus *tom. 1. priuil. constit.* 13. *Leonis X.*

QVAERES XIII. An religiosi Apostatæ reuertentes ad Ordinem possint absolui ab Apostasia, & per quos.

62. Respond. posse absolui, non tamen à quocumque Confessario (vt aliqui censent apud Suarez *sup. tr. 10. l. 3. c. p. 4. n. 21.*) sed à proprio Superiore. Ita Suarez ipse; & probatur, tum quia religiosus Apostata manet verus religiosus, adeóque subiectus Prælatis sui Ordinis in foro etiam pœnitentiæ: tum quia, quamdiu ille manet in statu Apostasiæ, est in statu damnationis, sicque in eo statu à nemine potest absolui, nedum à quolibet Confessario: quod si ad mentem redeat, debet recurrere ad suos Superiores, vt ab ipsis absoluatur; tum quia ex vera Apostasia incurritur excommunicatio reseruata Papæ, aut Generali Ordinis iuxta concessionem factam Societati Iesu adductam *q. 6. §. verum*; non ergo religiosus Apostata absolui potest à quocumque vt patet.

QVÆRES XIV. An Prælati regulares dare possint religioso Apostatæ, aut Fugitiuo licentiam ingrediendi aliam Religionem.

63. Respond. olim potuisse ex priuilegio bullato Clementis IV. quod refert Casarub. *in comp. v. Apostata, num.* 11. non item in præsentia attento decreto sacræ Congregat. sæpe sæpius relato hîc, etiam *sect. praced.* quod derogat Constitutionibus ac ordinationibus Apostolicis in fauorem, quarumcumque personarum, ac Ordinum factis, exemptionibus, indultis, ac priuilegiis concessis aduersus ea, quæ in præfato decreto comprehenduntur, sicque etiam tollit dictum priuilegium Clementis IV.

QVÆRES XV. An Religiosi Apostatæ, durante Apostasia, sint infames, ac irregulares.

64. Respond. esse de iure infames, & vt tales non admitti in testes, vt notauit Lezana *tom. 1. cap. 16. n.* 12. ex Grassio *l. 3. de cas. reseru. cap. 2. num.* 26. adeóque

etiam esse irregulares, cum quilibet infamis sit item irregularis, vt tradunt communiter DD. qui tamen aliàs nullam referunt irregularitatem, quæ iure communi incurratur à Religiosis Apostatis vi Apostasiæ vt sic.

Qværas XVI. An Regulares Apostatæ priuentur Voce actiua, ac passiua, imò & Iure primogenituræ.

65. Respond. priuari ex decreto authentico, quod Cardinalis Alexandrinus, posteà Pius V. viuæ vocis oraculo desuper facto à Paulo IV. edidit, tanquàm supremus Inquisitor 10. April. 1559. in fauorem PP. Minimorum, & refertur à Peyrino *tom. 5. priuil. Const. a. Pauli IV.* his verbis: *De eiusdem S. D. mente, & voluntate esse tenore præsentiam declaramus huiusmodi Apostatas receptos, & iterum Religioni insertos actiua, & passiua vocibus, iureque sua primogenitura, nec non publica ad populum prædicatione, & confessionis sacularium audientia priuatos esse, per nullos Superiores, nec etiam per generale, seu Prouinciale Capitulum rehabilitandos, donec ad minus per quadriennium benè, & laudabiliter sub correctionis, & disciplina ferula patienter, & humiliter vixerint; quo quidem quadriennio sic expleto, posse ad huiusmodi Generalis, & Prouincialis Capituli duarum ex tribus partibus Vocalium accedente consensu rehabilitari, & ad omnes, & singulos Religionis legitimos actus restitui eiusdem S. D. N. Pauli Papæ IV. auctoritate, & gratia permittimus, & indulgemus: dummodo tempus, quo manserint extra Religionem, inter sua professionis annos nō computetur.*

66. Circa quod decretum illud placet adnotare, quod licèt alicui videri posset expirasse, vtpote concessum viuæ vocis oraculo; idque ob generalem reuocationem viuæ vocis oraculorum, de qua sæpe superiùs; re vera tamen videtur adhuc durare; cum sit plus quam viuæ vocis oraculum, vtpote editum de mandato speciali Papæ, & per literas à Cardinali subscriptas: quæ vtique excedunt rationem viuæ vocis oraculi, vt patet in decretis *de celebrat. Missar.* & similibus, (quæ nemo dixerit esse viuæ vocis oracula) & constat ex dictis *supra cap. 3. n. 574. fine.* hoc autem indulto vti poterunt Religiosi etiam aliorum Ordinum, si velint; idque ob doctrinam hîc sæpè datam.

Difficultas est, an dato quod præfatum decretum modo dicto subsistat, possint Regulares vi suorū priuilegiorum dispensare super pœnis in eo contētis: & ratio dubitandi est, quod in dicto decreto expresfsè statuitur huiusmodi dispensationem non debere impertiri, nisi Religiosus affectus illis pœnis per quadriennium laudabiliter vixerit sub regulari disciplina, & quidem accedente consensu generalis, & prouincialis Capituli duarum ex 3. partibus Vocalium: quæ videntur auferre, aut saltem restringere facultatem Regularibus priuilegiatis competentem, quoad dispensandum super pœnis ecclesiasticis.

67. Respond. nihilominùs Regulares vi suorum priuilegiorum posse dispensare super dictis pœnis, etiam ante illud quadriennium, non quidem pro foro externo (quomodo non potest impertiri talis dispensatio, nisi seruatis conditionibus modò relatis) sed pro foro conscientiæ tantùm, respectu cuius vtique non habet locum vsus suffragiorum capitularium. Addo quod, quando in citato decreto dicitur, *generalis, & prouincialis Capituli*, &c. clausula, *&*, sumitur pro clausula *Seu*; vt constat, tum ex textu, tum quia non decet Capitulum generale in suis dispositionibus pendere à prouinciali.

Qværes XVII. An Religiosus Apostata, vbi resipiscens rediit ad Religionem, possit ministrare in Ordine suscepto tempore Apostasiæ.

68. Respond. non posse, nisi dispensetur in suspensione contracta ex tali susceptione Ordinis; siue dispensatio ei impertiatur à Prælato proprio regulari (quo modo potest impertiri, si ea suspensio sit occulta, & non deducta ad forum contentiosum, (sicut ostendimus *sup. c. 5. sect. 3. q. 16.*) siue à Papa, si suspensio sit notoria, aut deducta ad forum contentiosum. patet autem responsio ex dictis eo *q. 16.* si monuero suspensionem istam non incurri ex eo quod ratione Apostasiæ contrahatur aliqua censura (stando præcisè in iure communi) & quod Religiosus tali affectus censura ordinem susceperit; sed solùm ex hoc quod receperit Ordinem sacrum in Apostasia. vnde, si Religiosus Apostata esset irretitus aliqua censura (v. g. excommunicatione, quam diximus *q. 6.* contrahi ab eo ratione priuilegiorum aliquibus Religionibus concessorum:) tunc ille non incurreret solùm hanc suspensionem, sed prætereà aliam contraheret suspensionem, recipiendo Ordinem illum sacrum: cum hæ duæ pœnæ non sint incompatibiles, nec altera in alteram commutetur; & hoc est adeò verum, vt, si Religiosus Apostata, nondum deposita Apostasia, promoueretur ad Ordinem sacrum, nihilominùs incurreret priorem illam suspensionem, etiamsi tunc esset iam absolutus ab excommunicatione incursa modo dicto ratione Apostasiæ. Colligitur ex Suarez *D. 31. de censur. sect. 6. num. 1.* qui addit, *num. 3.* ex regula tradita *c. cum illorum de sent. excommunic. Maiora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita sunt minora*, Apostatis recipientibus ordinem sacrum in Apostasia non esse integrum ascendere ad Ordines superiores cum alioqui longè minus sit vti ordine sacro (quod Religioso Apostatæ prohibetur in *cap. fin. de Apostatis*) quàm posse ascendere ad ordines superiores; quamquàm, cum ibi solùm prohibeatur vsus Ordinis sacri suscepti in Apostasia; consequenter ibi non prohibetur vsus Ordinum receptorum ante Apostasiam; ne aliàs lex odiosa (qualis est hæc) nimis amplietur, cum potiùs debeat quam maximè restringi.

69. Addit Suar. *supra* contra plures Doctores relatos à Sanch. *l. 6. mor. c. 8. num. 25.* quod, cum in *citato cap. finali*, sit sermo tantùm de Apostatis recipientibus Ordinem sacrum, & iis solùm prohibeatur vsus Ordinis taliter suscepti; consequenter potest Religiosus Apostata, & recipere in Apostasia Ordines minores, & illis vti absque eo quod incurrat vllam pœnam ratione Apostasiæ vt sic.

Vtrum verò Religiosus contra iuris ordinem transiens ad aliam Religionem laxiorem, si in eo transitu perseuerans recipiat Ordinem sacrum, hoc ipso sit suspensus ab vsu illius.

70. Respond. non esse; cum in *citato cap. fin.* suspensio illa feratur expresfsè contra Religiosos Ordinem sacrum suscipientes in Apostasia; & in præsenti casu non verificetur Religiosum suscipere in Apostasia Ordinem sacrum; quippe qui iuxta dicta *q. 2.* re vera non est propriè Apostata. Ita Sayr. *l. 4. de censur. c. 13. num. 17.* Azor. *tom. 1. l. 15. c. 17. q. 5.* & Sanch. *num. 58.* contra alios, qui cum putent Religiosum in isto casu esse verè Apostatam, subinde etiam inferunt eum incurrere talem suspensionem.

Qværes XVIII. An Religiosus Apostata, durante Apostasia, possit exercere Ordines, quos habet, imò & recipere quos non habet, vbi iam resipuit, & rediit ad Religionem.

71. Respond. posse non solùm in Apostasia exercere Ordines, etiam sacros susceptos ante Apostasiam, cum nullo iure prohibeatur tale exercitium; imò & minores susceptos in ipsa Apostasia, vt constat ex

dictis

dictis q. praeced. §. addit; sed etiam deposita Apostasia promoueri ad Ordines, quos non habet, siue sacros, siue non sacros, necnon ministrare in iis sic susceptis; cum haec nullo iure prohibeantur; praeterquam quod, teste Sanch. n. 23. dispensatio impertita Religioso Apostatae, vt possit ministrare in Ordine suscepto tempore Apostasiae extenditur ad hoc, vt etiam possit ascendere ad Ordines superiores: quamuis enim dispensatio strictè debeat interpretari, extenditur tamen ad ea, quae possunt separari, quandocumque dispensatus ante dispensationem per se non erat inhabilis ad accessorium, sed solùm ad principale, & eatenus erat impeditus circa accessorium, quatenus erat impeditus circa principale: tunc namque amoto per dispensationem defectu principali, consequenter cessat defectus accessorius.

QVAERES XIX. An Religiosus Apostata, durante Apostasia, possit concionari, docere, audire confessiones, & similia obire.

72. Respond. non posse; patetque ex dictis q. 16.

QVAERES XX. An Religiosus Apostata, vbi reuersus ad Religionem bonam opinionem recuperauerit, possit eligi ad praelaturas Ordinis.

73. Respond. posse; cum nullum ius extet in contrarium, & cap. perpetuus, de voto, cui innituntur aduersatij non faciat ad rem: quippe quod decidit solùm, electum in Episcopum post emissum religionis votum, & non impletum, cogi resignare Episcopatum, non ratione culpae praeteritae, sed vi culpae adhuc pendentis: quatenus scilicet votum illud emissum, & non impletum adhuc obligat. Ita Azorius sup. q. vlt. & alij apud Sanch. num. 32. contra plures alios penes eundem num. 31.

QVAERES XXI. An Religiosus Apostata gaudeat priuilegiis, ac Indulgentiis concessis proprio Ordini.

74. Respond. gaudere & priuilegiis, & indulgentiis, si alioqui ad earum consecutionem sit dispositus: priuilegiis quidem, eo quod nullum extet ius in contrarium, vt ostendimus sup. c. p. 1. sect. 4. q. 7. & aliàs ratio status religiosi, quae in Religioso Apostata manet, sit sufficiens fundamentum asserendi illum gaudere priuilegiis sui Ordinis, vtpote verum Religiosum; indulgentiis verò, eo quod non appareat, ex quo capite ille debeat excludi à participatione illarum, cum verè sit Religiosus, & ex indulgentiae concessae sint Religiosis.

QVAERES XXII. An Religiosus Apostata gaudeat priuilegiis propriis Ecclesiasticorum, nempè priuilegio Canonis, priuilegio Fori, & priuilegio Immunitatis à vectigalibus.

75. Respond. gaudere triplici isto priuilegio: priuilegio quidem Canonis ob dicta superiùs cap. 6. sect. 3. q. 3. priuilegio verò Fori ob dicta eod. cap. sect. 2. q. 5. priuilegio denique Immunitatis à vectigalibus, eo quod tale priuilegium competat omnibus Religiosis, vt suo loco ostendimus, tales autem sunt etiam Religiosi Apostatae, cum ratione apostasiae non desinant esse tales, vt patet.

QVAERES XXIII. An, & quomodo Religiosi Apostatae gaudeant Immunitate Ecclesiae.

76. Respond. non gaudere nisi eo modo, quo diximus sup. cap. 5. sect. 1. q. 17.

QVAERES XXIV. Cui acquirant Religiosi Apostatae, aut Fugitiui.

77. Respond. si quidem maneant in eodem statu, acquirere religioni, cum sic definitum sit in c. Abbas 18. q. 2. & illi adhuc sint verè religiosi, quorum proprium est acquirere monasterio iuxta illud, Monachus acquirit monasterio: si autem moriantur in Apostasia, quae supersunt ex bonis ipsorum acquisitis, pertinere ad Cameram Apostolicam iuxta bullam Gregorij XIII. in ordine 43. circa quam non pauca dicentur in tr. de poenis cap. 6. sect. 2. q. 33. Moneo hic solùm ex Suar. to. 4. de relig. tract. 8. l. 3. c. 2. n. 28. quod si praefati Religiosi in vita sua disponant de suis bonis, ea tradendo religioni, religio non tenetur ea restituere Camerae, nisi post sententiam condemnatoriam: cum applicatio talium bonorum Camerae sit poenalis, & poena non obliget, nisi post sententiam: quamquam Suarez ostendat se de hoc non parum subdubitare dicens optimum esse consilium Nauarri, vt de dictis bonis fiat semper compositio cum Camera Apostolica.

QVAERES XXV. Quas poenas incurrant ij, qui Religiosos Apostatas, aut Fugitiuos recipiunt, eisve dant auxilium, consilium, ac fauorem.

Respond. incurrere excommunicationem latae sententiae reseruatam Papae: idque, tum ex bulla Iulij II. facta in fauorem Fratrum Augustinianorum, & relata à Casarubio in com. v. apostata n. 26. tum ex aliis indultis adductis ab eodem Casarub. ibi, & maximè ex Constitutione Pij V. relata in Bullario Soc. Iesu pag. 90. in qua fertur poena excommunicationis ipso facto incurrendae reseruatae Papae, aut Superiori ipsius Societatis, tam in religiosos, qui Professos, siue Scholares, aut Coadiutores dictae Societatis recipiunt: quàm in ipsos receptos recedentes etiam praetextu cuiusuis indulti concessi, aut concedendi, etiam quaesito colore ob frugem melioris vitae, aut strictioris obseruantiae; quodque secus facta non teneant, quae excommunicatio ibi indicetur non solùm contra Professos religiosos Societ. transeuntes ad Carthusienses, aut alium Ordinem, si ad Carthusienses quidem intra 3. menses, ad alium verò Ordinem infra tempus ei à proprio Superiore praefigendum actualiter non ingrediantur, & si in iis permanere aut nolint, aut non possint, absque vlla mora ad Societatem non regrediantur; sed etiam contra eos, qui praefatos recipiunt, aut eis praestant auxilium, consilium, vel fauorem. refert item Casarub. n. 17. aliud indultum bullatum Pij II. concessum Carmelitis contra omnes Principes, & Duces, & alios Magnates fauentes Apostatis, & aliis Fratribus inobedientibus, Ordinis, mandans procedi contra ipsos per censuras Ecclesiasticas, & inuocationem brachij saecularis, vbi verbum mandans indicat Carmelitas (& consequenter etiam alios religiosos participantes de eorum priuilegiis) non solùm vi huius indulti posse procedere contra dictos Principes, &c. sed etiam teneri modo supradicto (non quidem per se, vt puto,) sed per suos Conseruatores, aut alios iuxta dicta q. 8. 78.

Vnum hîc placet monere, quod, quando Iulius II. in Mari magno Fratrum Minimorum statuit detinentes secum in monasteriis, aut Ecclesiis suis aliquem ex dictis Fratribus indebitè recedentem ab Ordine, nisi eum reiecerint; postquam eis denunciatum fuerit, excommunicationis sententiae subiacere: non obstante quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de indulto huiusmodi mentionem; in tali decreto nequaquam includuntur Episcopi, qui fortè retineant huiusmodi Apostatas: quippe qui iure communi habent speciale priuilegium, vt non possint excommunicari, nisi de ipsis expressa mentio habeatur, prout constat ex Conc. Trid. sess. 24. c. 5. de refor. & ex c. Sedes Apostolica, de rescript. vnde, ne dicatur decretum Iulij II. esse inutile, dicendum est ipsum loqui de aliis personis, 79.

quae

quæ non ſint Epiſcopi, & aliàs habeant ſimile priuilegium.

80 Addo ex Miranda *part. 1. man. quæſt. 5 a. art. 2.* cenſuras hic relatas contra eos, qui recipiunt, detinent, & occultant Religioſos Apoſtatas, aut Fugitiuos, non afficere eos, qui prædicta faciant ratione conſanguinitatis, amicitiæ, neceſſitatis, aut alio ſimili titulo: cum DD. communiter dicant recipientes, detinentes, aut aliter auxiliantes hæreticos non affici excommunicatione lata in bulla Cœnæ contra huiuſmodi perſonas recipientes, &c. ſi ea præſtent ratione conſanguinitatis, &c. eſt enim par ratio in vtroque caſu vt patet.

Sectio IV.

De Priuilegio eligendi Conſeruatorem conceſſo Regularibus.

81 *Explicatur, quid ſit Conſeruator Regularium.*
82 *Is eligitur a Regularibus.*
83 *Et quidem ad ſuam defenſionem.*
84 *Inſtituitur à ſolo Papa.*
85 *Regulares interdum petunt à Principe laico Iudicem non ſuſpectum.*
86 *Conſeruator debet eligi iuxta formam à Gregor. XV. præſcriptam cum conſenſu capitulari Conuentus: & ſi nunc fiat electio, eius documentum non dimittendum penes Curiam Epiſcopalem, quamuis ipſa electio intra menſem debeat notificari Ordinario: Prælatus regularis tollit priuationem vocis contractam à Regularibus Iudicem non ſynodalem eligentibus in conſeruatorem.*
87 *Regulares ſi non elegerunt Conſeruatorem, poſſunt illum adhuc eligere.*
88 *Eligendus in Conſeruatorem varias debet habere Conditiones, quæ recenſentur; & ſi in hoc ſuffragari poſſit* l. Barabrius, ff de offic Prætoris.
89 *Verbum* admoneo *non importat præceptum, ſed conſilium.*
90 *Prælati regulares eligi poſſunt in Conſeruatores alterius Ordinis.*
91 *Non item qui ſunt ſub dominio eligentis.*
92 *Prælati Societatis Ieſu non acceptant munus Conſeruatoris ſine licentia Generalis; munus autem hoc non expirat, expirante dignitate, quæ ſupponitur ad eius electionem, niſi fortè electus ob delictum ea priuetur.*
93 *Idem nequit eſſe Conſeruator plurium Conuentuum eiuſdem Ordinis exiſtentium in variis diœceſibus.*
94 *Secus, ſi plures ij Conuentus ſint in eadem diœceſi.*
95 *Conſeruator eligendus ex diœceſi eligentium, ſi deſit habilis, ceſſat obligatio eligendi.*
96 *Etſi alias abſens exercere poſſit munus ſuum per alium in Diœceſi, in qua eſt electus.*
67 *Electus in Conſeruatorem tenetur acceptare munus.*
98 *Niſi excuſetur ex graui aliqua cauſa: item deputatus in Subconſeruatorem tenetur acceptare mu- & poteſt cogi.*
99 *Electus in Conſeruatorem non poteſt liberè amoueri à Regularibus.*
100 *Imo nec ipſe intra quinquennium poteſt munus à ſe mus, abdicare.*
101 *Munus Conſeruatoris durat per quinquennium.*
102 *Nec obſtat* Tridentinum, ſeſſ. 14. c. 5. de reformat.
103 *Non conſtitutus in dignitate, ſi eligatur in Conſeruatorem, eo quod ſit Vicarius Epiſcopi, durat eius munus, etiam abdicato Vicariatu.*
104 *Et, ſi detur non durare, ſaltem durat quoad cauſas inchoatas.*
105 *Subſtitutus Conſeruatoris ei non ſuccedit in munere: Archidiaconus electus in Conſeruatorem, ſi fiat Epiſcopus, durat in munere: Conſeruatoris munus non extinguitur per excommunicationem, aut ſuſpenſionem.*
106 *Conſeruator munus ſuum poteſt ſubdelegare, etiam de iure communi: item inſtituit Subconſeruatorem, ſed ab eo poteſt ad ſe auocare cauſam, re integra: quod non procedit, ſi facta ſit citatio.*
107 *Non citat extra diœceſim, in qua degit.*
108 *Eligitur contra habentes Conſeruatorem Apoſtolicum.*
109 *Mutat tribunal intra diœceſim, in qua eſt deputatus.*
110 *In cauſis procedit ſolùm ciuiliter.*
111 *Extra ſuam diœceſim non exercent iuriſdictionem immediatione ſuppoſiti: & tamen ſufficit vnicus Conſeruator habentibus bona in variis diœceſibus.*
112 *Non ſemper adhibet Aſſeſſorem.*
113 *Nihil poteſt lucrari, & ſi lucratur, retinet titulo donationis, non item remiſſionis: ſi adhibeat Aſſeſſorem, eius cōſilium interdum debet ſequi: cogi nequit ab Ordinario, vt Notario Epiſcopali vtatur.*
114 *Non cognoſcit cauſas, quæ iudicialem petunt indaginem.*
115 *Explicatur, quid ſit violentia manifeſta, cuius cognitio ſpectat ad Conſeruatorem.*
116 *Manifeſta violentia Conſeruator vtitur indagine vſitata in notoriis.*
117 *Etſi debeat prius conſtare de notorietate violentiæ: Conſeruator decidit controuerſiam ortam inter 2. Religioſos, aut 2. Conuentus diuerſorum Ordinum; non item inter Religioſos Conuentus ſibi commiſſi: coram eo conuenitur Nouitius debitor.*
118 *In cauſis procedit de plano, & ſine ſtrepitu.*
119 *Vtitur cenſuris Eccleſiaſticis, ſed non contra Religioſos, quoad hoc priuilegiatos.*
120 *Procedit ſolum in cauſis, in quibus Regulares ſunt rei, & iis in quibus ſunt Actores, quoad violentiam: ſicque agit contra Regulares debitores, & iuxta Bordonum iubet ſubhaſtari eorum bona ad ſoluenda debita; quod non placet: at non interponit ſuum decretum in contractu obligationis contrahendæ à Regularibus.*
121 *Poſſunt Regulares, etiam nunc coram Conſeruatore conuenire inferentes iis manifeſtam violentiam; non item ſuos debitores nolentes ſoluere (etſi alij id negent:) non ſe intromittit in controuerſia de præcedentia in proceſſionibus.*
122 *Conſeruator non recipit querelas Religioſorum inter Religioſos Ordinis.*
123 *Non cognoſcit de eorum delictis, nec eos punit.*
124 *Non appellatur à Prælato regulari ad Conſeruatorem.*
125 *Procedit contra quoſcumque in violentiis manifeſtis illatis monaſterio.*
126 *Imo & contra violentias inferendas.*
127 *At non punit illatores violentiæ.*
128 *Tuetur priuilegia, & bona Regularium; etiam cenſuris, & contra Ordinarium.*
129 *Defendit eorum Famulos, ac Familiares in iniuriis manifeſtis.*
130 *Procedit contra extrahentes Reum indebitè ab eorum Eccleſiis, aut Monaſteriis.*
131 *Proſequitur cauſas à Prædeceſſore inchoatas.*
132 *Inter Conſeruatores diuerſorum Ordinum eſt locus præuentioni.*
133 *Suas exequitur ſententias per cenſuras, & inuocato* brachio

brachio sæculari, aut Episcopali, & quidem etiam implerando primò brachium sæculare.

134 *Eius potestas impediri nequit ab Ordinario, nec à Legato de Latere.*

135 *Et si ei exequenti aliquid iniustum ij possint resistere.*

136 *Per arbitros decidenda lis de competentia Iurisdictionis inter Conseruatorem, ac Ordinarium.*

137 *Molestantes Regularium Conseruatorem excommunicantur, aut suspenduntur à diuinis.*

138 *Idq; data ijs optione.*

139 *Conseruator potest recusari vt suspectus.*

140 *Appellatur ab eius sententia.*

141 *Non petit salarium.*

142 *Imò nec potest recipere munera præterquam aliqua esculenta.*

143 *Si suam excedat iurisdictionem, suspenditur ab officio per annum.*

144 *Etsi Ignorantia excuset ab hac pœna.*

145 *Excommunicatur qui procurat, vt Conseruator suam excedat iurisdictionem.*

146 *Conseruator gaudet varijs priuilegijs.*

147 *Iurisdictio Subconseruatoris expirat per mortem Conseruatoris, quoad negotia non cœpta, etsi alij id negent probabiliter iudicio Sanchez: quod præterea procedit, Conseruatore ciuiliter moriente, aut eo quomodocumque amoto ab officio: suspenditur verò per excommunicationem contractam à Conseruatore item, quoad negotia non cœpta: quod si sint duo Subconseruatores simul, per mortem alterius expirat tota eorum iurisdictio: refertur Formula instituendi Conseruatorem.*

QVÆRAS I. Quid intelligatur hîc nomine Conseruatoris.

81. Respond. intelligi Iudicem delegatum à Papa ad defendendos Regulares contra manifestas iniurias iudiciali non vtentem indagine. Colligitur *ex cap. statuimus, de offic. iudic. deleg. in 6.* & constabit ex inferiùs dicendis; si monuero ex Barbosa *de offic. Episc. allegat.* 106. *num.* 2. quod, licèt Conseruator ex vi iuris communis sit iudex solùm delegatus; ex priuilegio tamen bullato Pij V. & Gregorij XIII. concesso Societati Iesu, ac relato in eius *bullario pag.* 120. etiam iudex ordinarius; quippe qui vi talis concessionis potest suam facultatem delegare; cum tamen is, qui potest delegare, sit ordinarius, aut quasi; vt bene notauit Lezana *tom. 2. cap. 10. num.* 25. hinc inferens non esse necessarium, quod in citationibus inserantur literæ conseruatoriæ, sed sufficere, quod de iis constet in actis Notarij Curiæ Ordinarij: vt solet fieri etiam quoad alios Iudices Ordinarios.

QVÆRAS II. An, & quo iure possint Regulares sibi eligere Conseruatorem.

82. Respond. posse ex variis priuilegiis bullatis ad talem effectum concessis à summis Pontificibus, quæ videri possunt apud Casarubium *in comp. v. Conseruatores Ordinis*, & Lezanam *supr. num.* 3. 4. & 5. qui rectè notat huiusmodi priuilegia non fuisse reuocata à Concilio Trid. id probant tum ex eo quod *sess.* 14. *cap.* 5. cum magnam adhibuisset limitationem circa Conseruatores, ac illorum facultatem, postea declarat se non loqui de locis, aut personis Regularibus; quasi supponens eos habere suum Conseruatorem; tum quia non obstante quod dictum Concilium *supr. cap.* 20. statuit omnes causas ad forum Ecclesiasticum, quoquomodo pertinentes in prima instantia cognoscendas esse coram Ordinariis; nihilominùs sacra Congregatio declarauit non propterea sublatos esse Conseruatores; tum quia de facto post dictum Concilium Pius V. deputauit Conseruatores Dominicanis, Greg. XIII. Societati Iesu &c.

Quod si dicas ad quid deputentur Conseruatores.

Respond. deputari, vt defendant bona, iura, ac priuilegia Religionum sibi commissarum ab iniuriis aduersariorum; quo modo Conseruatores vocantur etiam defensores, vt notauit Sorbus *in comp. v. Conseruatores, §. sunt autem.* 83.

QVÆRAS III. Ad quem spectet instituere Conseruatorem.

Respond. ita spectare ad Papam, vt neque Legatus de latere possit illum instituere, maximè post Constitutionem Gregorij XV. editam 20. Sept. 1621. in ordine 9. quoad formam eligendi Conseruatores. est communis Doctorum, vt videre est apud Mirandam *part. 2. manu. quæst. 47. art.* 1. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. 65. art.* 3. Lezana *supr. num.* 1. & patet, tum quia Conseruatores Regularium ideò vocantur Iudices delegati à Papa; tum quia in §. 1. dictæ Constitution Gregorij XV. dicitur: *Quodque deincept literæ conseruatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ suprascriptis tantùm dirigantur*; cum enim Conseruatores vi talium literarum iuridicè instituantur, & eæ non debeantur concedi, nisi à Sede Apostolica; necessariò sequitur solius Papæ esse instituere Conseruatores Religionum. 84.

Quod si hac occasione quæras, an dentur aliqui casus, in quibus Regulares petere possint Iudicem non suspectum à Principibus sæcularibus.

Respond. dari; vt patet ex ex citata Constitut. Gregor. XV. quæ §. 12. sic habet: Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quominùs Regulares, & alij supradicti in casibus à iure permissis petãt iudicem non suspectum à Principibus, & Magistratibus sæcularibus: dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant; videlicet vt Regulares, & alij prædicti sint Auctores, non autem Rei, vtque agant contra laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel aliàs à iurisdictione sæculari exemptum, atque vt causa, in qua Iudex deputatur, fuerit prophana, non autem Ecclesiastica, & in ea iuxta sacrorum Canonum dispositionem laicus eligendus iudex competens existat. Vbi notandum quod, cum Conseruator sit iudex Regularium in illis tantùm iudiciis, in quibus ipsi sunt Rei, non item in iis, in quibus interueniunt vt Auctores; si detur in casu, quo ij interueniant vt Rei, illos habere iudicem suspectum, tunc poterunt petere iudicem non suspectum à principibus, & magistratibus sæcularibus; idque vi huius concessionis Greg. XV. expressæ iis verbis, *in casibus à iure permissis*: sic enim verba hæc intelligit Peyt. *tom. 2. priu. Const. 5. Greg. X V. num.* 67. 85.

QVÆRES IV. Quo modo eligi debeant Conseruatores Regularium.

Respond. debere eligi iuxta formam nouissimè præscriptam à Gregorio X V. in illa sua Constitut. §. 5. nimirum eligendo personam idoneam (qualem describemus *q. 6.*) & talis electionis instrumentum exhibendo penes acta Curiæ Ordinarij; & hoc, vt certò constet de electione Conseruatoris, sicque tollantur fraudes, quæ in hac re possunt contingere. notat autem Portell. *de dub. regul. v. Conseruatores, num.* 1. non esse opus, quod Conseruator nominetur per Prouincialem, sed potest nominari etiam per Prælatum localem; quare in hoc standum est consuetudini cuiusque Religionis, quin etiam puto huiusmodi electionem, cum sit res grauissima, non esse faciendam à Prælato sine consortio monasterij; quamuis re vera id non præscribatur; si quis verò cupit videre formam creandi Conseruatorem, consulat Portellum *supr.* 86.

Et

Et quidem quod reqoitatur consensus Capituli, expresse docet Bordonus *tom. 2. resolut. 95. num. 16.* & inde probat, quod Conseruator eligitur fauore totius monasterij; & alioqui quod omnes taogit, ab omnibus debet approbari.

Monet autem Cespedes *de exempt. dist. 318. n. 6.* Regulares in Italia non teneri dimittere penes acta Curiæ Ordioariorum documentum electionis Conseruatoris, quam ij in præsentia faciant; etsi Gregorius X V. *in bulla citata*, dicat: *Eiusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus eiusmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur:* vbi cum dicatur, *eiusq; electionis*, idest factæ intra duos menses à die publicationis suæ Constitutionis in Vrbe inchoandos; constat ibi non esse sermonem de electionibus Conseruatoris, quæ fiunt post elapsum dictum bimestre; sicque dimissio præfati documenti non est de substantia electionis Conseruatoris.

Debent quidem Regulares indicare Ordinario nomen Conseruatoris electi intra mensem à die electionis: alioqui possunt conueniri coram ipso Ordinario ex declaratione sacræ Congregationis iussu Gregorij X I I I. facta, & relata à Quaranta *v. priuilegia Regularium, pag. 514 v. insuper sciendum.*

Addit Bordonus *num. 18.* priuationem vocis actiuæ, & passiuæ, quam incurrunt ipso facto Regulares eligentes in Conseruatorem eum, qui non est Iudex synodalis, etsi Papæ reseruetur, posse tolli à Prælato Regulari: cum idem Gregor. X V. die 16. Octobr. 1621. confirmauerit omnia priuilegia PP. Theatioorum, & talis confirmatio facta sit post editionem Bullæ de Conseruatore hîc explicatæ, quæ edita fuit eodem anno 20. Septemb. adeóque Regularibus restituta fuerit facultas dispensandi super dicta iohabilitate, quam Bordonus videtur supponere iis fuisse ablatam in bulla edita de Conseruatore; monens nullam pœnam in ea fuisse latam contra Regulares indebitè mutantes aut reuocantes Conseruatorem iam electum.

Q V Æ R E S V. An Regulares, qui intra tempus præscriptum in citata Constitut. Gregorij X V. non elegerunt Conseruatorem, possint nihilominùs illum postea eligere.

87. Respond. posse ex decreto sacræ Congreg. relato à Barbosa *in collect. v. regulares*, §. 1. quo statutum fuit Regulares, qui in tempore eis à Gregorio X V. præfixo Conseruatores eligere non curauerunt, dicto tempore elapso, quandocumque eis libuerit, eos eligere posse; quamquàm interim, quamdiu non eligunt Conseruatorem iuxta formam dictæ Constitutionis, coram Ordinariis conueniri possint, & debeant, sicque illorum iurisdictioni subiaceant.

Q V Æ R E S VI. Qui possint, & debeant eligi in Conseruatores.

88. Respood. non posse, nec debere eligi, nisi eos, qui sunt in dignitate constituti, personatum, aut Ecclesiæ Cathedralis Canonici: & qui præterea in Conciliis prouincialibus, aut diœcesanis priùs electi fuerint in Iudices synodales. patet ex bulla Greg. XV. in cuius §. 2. hæc habentur: *Sanctitas sua statuit, & decreuit, vt iudices conseruatores principales huiusmodi, siue subrogati eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solùm habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitut. similis record. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris sui, quæ incipit, statutum, ita vt vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, sed etiam in Concilijs prouincialibus, aut diœcesanis iuxta decretum Concilij prædicti iudices electi, seu designati sint.* Postea autem subditur in § 4. *Cæterum, vt latius pateat Conseruatorum huiusmodi delegandorum facultas, Sanct. sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in synodis prouincialibus, aut diœcesanis quam plures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constitut. eiusdem Bonifacij prædecessoris contentas* (videlicet quoad ætatem, scientiam, & mores) *& alioquin ad id aptas designari procurent, & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsq; ad futuram prouincialem, aut diœcesanam synodum.* Circa quæ illud notandum est hîc nomine dignitatis venire præeminentiam, seu administrationem rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione (qualis inest Cardinalibus, Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, Abbatibus, Vicariis generalibus Episcoporum (saltem ex priuilegio religionum) Archidiaconis, Archipresbyteris, Primiceriis, Præpositis, Decanis Ecclesiarum, Vicecancellario Papæ, Camerario, Summo Pœnitentiario, Clericis Cameræ, Auditoribus Curiæ causarum dictæ Cameræ, Auditoribus Rotæ, Referendariis, & Protonotariis, qui proinde omnes eligi possunt in Conseruatores Regularium, teste Lezana *supr. num. 11. & seqq.* nomine verò personatus intelligi quamdam prærogatiuam in Ecclesia absque iurisdictione: vt qui habet stallum honorificum in Choro præ aliis Canonicis etiam ante receptis.

Aduertit autem Moneta *cap. 10. de Conseruatore, num. 450.* valere gesta à Conseruatore, qui errore communi putabatur habere qualitates præscriptas, quas verè non habebat: idque ex *l. Barbarius, ff. de offic. Præt.* quæ lex procedit non solùm de Ordinario Iudice (de quo expresè loquitur,) sed etiam de delegato, vt bene probant Sanch. *lib. 3. de matr. D. 22. num. 16.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 29. d. 8. num. 66.* & Suar. *D. 14 de censur. sect. 1. num. 9.*

Quod autem dicitur in Const. Greg. X V. *admo-* 89.
nitos voluit, existimat Lazana *supr. num. 55.* per ea verba importari non solùm consilium, sed præceptum: idque tum ob negotij grauitatem, tum quia iis verbis videtur imponi obligatio faciendi, quod ibi præcipitur, & quidem non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia; sic ille; quam probabiliter, ipse viderit, & alij iudicent: siquidem dum agitur de obligatione imponenda, stricta debet fieri interpretatio: vnde cum verbum, *admoneo*, iuxta propriam significationem non importet præceptum, sed consilium, non video, cur in præsentia debeat sumi, vt significans præceptum, non autem solum consilium.

Vtrum verò ipsimet Prælati regulares eligi possint modo dicto in Conseruatores ab aliis Ordinibus.

Respond. olim potuisse; vt constat ex eo quod, 90.
teste Peyrino *supr. num. 11.* aliquæ literæ conseruatoriæ diriguntur ad Priores; in præsentia vero non posse ob decretum sacræ Congregationis relatum à Barbosa *de offic. Episc. alleg. 106. num. 15.* his verbis: *Quærente Archiepiscopo Turritano, an Regulares vnius Conuentus, Monasterij, vel domus aliquem Priorem, seu Guardianum, vel quemuis alium quauis dignitate regulari fulgentem in suum Conseruatorum eligere, vel deputare possint: sacra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præpositorum non posse respondit.* Quod decretum, si est authenticum, vtique seruari debet; quamuis de facto patiatur exceptionem: cum Lezana *num. 14.* ex Barbosa *in collectan. v. Conseruator*, testetur Abbati Ordinis Oliuetani ab ipsa Congrega-

tione

ftone Cardinalium indultum fuisse, vt eligi possit in Conseruatorem, si Episcopus eum in synodo deputauerit Iudicem synodalem. Quod indultum puto competere per viam communicationis etiam Prælatis aliorum Ordinum (etsi aliàs non nominentur Abbates) si ij aliàs in Synodo deputati fuerint Iudices; sicut statuit Gregorius X V. & ratio est, quod prælatura regularis est dignitas Ecclesiastica, quæ requiritur ad munus Conseruatoris; &, cum Prælati aliorum Ordinum sint deputati iudices in Synodo, habent etiam aliam conditionem requisitam ad munus Conseruatoris, sicque nihil deest, quo minùs ipsi eligi possint ad tale munus, etiam attenta Constitutione Gregorij XV de hoc edita.

91. Addit Barbosa *de offic. Episcopus alleg. 106. num. 14.* ex Molina, Azorio, Cochier, & Petro Gregorio, quod nemo potest esse Conseruator sui Conseruatoris; sic nec potest eligi in Conseruatorem ille, qui est sub iurisdictione, dominio, aut districtu, siue Ecclesiastico, siue temporali ipsius eligentis; exceptis tamen Regibus, aut Reginis: idque *ex cap. vlt. de offic. & pot. deleg.* vbi id expressè deciditur.

92. Quod, quidem spectat ad Prælatos Societat. Iesu siue locales, siue Prouinciales probabile puto eos non posse absque licentia Generalis acceptare munus Conseruatoris, quantumuis aliàs in Synodo deputati sint Iudices; idque colligo *ex part. 6. Constitution. Societat. cap. 3. §. 7. in declarat. lit. D.* vbi nostris Religiosis interdicitur acceptare officium executoris testamenti, & quæcumque alia, quæ puritati nostri instituti non conueniunt, & quæ aliis causa offensionis esse possunt: quale vtique est munus Conseruatoris, vt facile patebit consideranti. ita docti viri è Soc. à me consulti.

Cæterum notat Moneta *cap. 10. de Conseruator. num. 172.* vacante per renuntiationem, translationem, aut alio simili modo dignitate, seu beneficio, ratione cuius quis deputatus est in Conseruatorem, non expirare ipso iure potestatem, ac officium ipsius Conseruatoris, neque suspendi, siue quoad negotia cœpta, siue etiam fortè quoad non cœpta, modò tempore deputationis talis qualitas adesset. Moueor ex eo quod, licèt nemo id dixerit in specie de Conseruatoribus, de delegato tamen Apostolico id expressè tradit Glossa *in cap. statutum, v. canonicis, de rescript. in 6.* communiter recepta, aiuntque DD. sufficere, quod Canonicus Cathedralis delegatus ratione Canonicatus, sit Canonicus tempore commissionis, etsi non sit tempore præsentationis, ideóque procedere posse; id probantes *ex leg. fœmina, ff. de senator. leg. cæcus ff. de iudic. cap. dudum, de elect. &c. si eo tempore, de rescript. in 6.* Limitat tamen Moneta *num. 177. & seqq.* assertionem, nisi deputatus ob delictum amoueatur à dignitate, aut superueniat qualitas opposita totaliter primæ qualitati (vt si habens dignitatem Ecclesiasticam nubat,) aut deputatio facta sit sub nomine dignitatis, limitat item Moneta *num. 180* assertionem modò tempore dimissionis talis qualitatis saltem fuerit transmissa citatio, sicque perpetuata iurisdictio; aliàs sustinens assertionem procedere quouis modo citra mortem naturalem vacet dignitas in casu proposito.

Qværas VII. An vnus, & idem possit esse Conseruator plurium monasteriorum eiusdem Ordinis existentium in diuersis diœcesibus.

93. Respond. non posse; & colligitur ex Lezana *supr. num. 79.* afferente ad id declarationem quandam Sacræ Congregat. relatam à Barbosa *in collect. v. Conseruator*, qua habetur Regulares debere eligere suum Conseruatorem in singulis diœcesibus, in quibus habent monasteria, conuentus, seu domos, quod confirmatur ex alia declaratione Sacræ Congregationis, quæ rogata an, si vnum, ac idem monasterium habeat bona in diuersis diœcesibus, eligi debeant Conseruatores in vnaquaque diœcesi, an verò vnus tantùm sufficiat: respondit Conseruatorem esse deputandum in Ciuitate, vel diœcesi, vbi situm est monasterium; atque ibi solùm, & non alibi posse eumdem Conseruatorem procedere etiam in causia bonorum, ac membrorum eiusdem monasterij extra ipsam diœcesim existentium. ita Peyrin. *tom. 3. priuil. cap. 11. num. 17.* Dixi sub initium responsionis, *nisi fortè illa plura monasteria*, &c. cum enim Sacra Congregatio in præfatis declarationibus solùm statuerit in vnaquaque diœcesi, in qua extent Regularium monasteria, eligendos esse Conseruatores, non tollit, quo minùs eligi possit vnus, ac idem conseruator pro duobus, aut etiam pluribus monasteriis in eadem diœcesi assistentibus, vt patet.

Qværas VIII. An vnus, & idem possit esse Conseruator plurium monasteriorum intra eandem diœcesim existentium, quæ sint diuersarum religionum.

Respond. posse; cum id non sit prohibitum, neque iure naturali (vt patet,) neque positiuo, quod mihi constet. nec obstat, quod sic oriri posset casus, in quo talis Conseruator deberet componere lites, ac dissensiones, quæ fortè excitarentur inter ea monasteria diuersorum Ordinum; sicque ab alterutro illorum haberi posset suspectus, quod magis faueret causæ vnius, quam alterius monasterij, vnde postea ea orirentur diffidentiæ, & querimoniæ; talis quippe casus non nisi valdè rarò eueniturus est; ideoque non haberi debet ratio illius; cum inspiciendum sit, quod, vt plurimum euenit. Præterea hic idem casus militat, quoad Episcopos, ac Gubernatores Ciuitatum, & tamen non idcirco quis dixerit multiplicari debere in eadem Ciuitate Episcopos, ac gubernatores. Tandem si talis casus eueniret, recurri posset ad Papam, vel ad Legatum de Latere appellando à sententia talis Conseruatoris: vel etiam eligi possent Arbitri, qui controuersiam præsentem dirimerent; quod in re non dissimili notauit Peyrinus *supr. num. 15.* & colligitur ex citata Constitut. Gregorij X V. in cuius §. 7. hæc habentur: *Si qua vero inter iudices Conseruatores huiusmodi, & locorum Ordinarios controuersia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super iurisdictionis competentia fuerit iudicatum.* ita docti viri à me consulti; quamquam in praxi secùs faciendum esse videatur; nimirum quod Religiosi diuersorum Ordinum vnum non eligant in Conseruatorem, vnum ac eumdem virum, nisi forte extaret tanta penuria Conseruatorum, vt aliàs Regularium aliqui cariturí essent suo Conseruatore; quod via potest contingere attenta prouisione facta à Gregorio X V. *in sua Constitut. §. 4.* 94.

Quod si quæras, an facto statuto in aliquo Ordine (quod quilibet Prælatus localis sub pœna priuationis officij teneatur eligere Conseruatorem pro suo monastrio) incurrat hanc pœnam Prælatus, qui intra tempus præscriptum à statuto non eligit Conseruatorem, eo quod in diœcesi, in qua degit, non extet vllus habilis ad munus Conseruatoris.

Respond. non incurrere: & probatur, tum quia vbi non interuenit culpa, locum non habet pœna;

hic autem non adest culpa ; cum per Prælatum non stet , quin eligat Conseruatorem , vt patet ; tum quia impossibilium non est obligatio , *ff. de reg. iur. leg. impossibilium; & leg. si stipuler. ff. de verb. obligat.* at electio Conseruatoris in isto casu est impossibilis ex defectu materiæ : tum quia necessitas non habet legem , *leg. vn. ff. de offic. consu. C. sicut non alij , de consecr. dist.* 1. quæ regula vtique in præsenti casu procedit.

Qværes IX. An Conseruatores eligi possint etiam ex aliena diœcesi.

95. Respond. non posse, quamuis olim id fieri posset ex literis conseruatoriis Gregorij X I I I. in quarum §. 6. concedebatur Conseruatoribus , vt possent ad suum iudicium trahere personas existentes extra Ciuitates, ac diœceses, in quibus ij deputati sunt, dum modo tamen non traherent vltra duas diætas (nempè 60. milliaria.) Colligitur autem nostra responsio ex § 6. *Constitutionis Gregorij X V.* sæpiùs citatæ, in quo dicitur , *neque extra Ciuitates , seu diœceses, in quibus fuerint deputati , contra quoscumque procedere præsumant.* Vnde sic arguo ; attenta ea Constitutione Gregorij XV. (cui hac in re vt nouissimæ standum est) non possunt Conseruatores suam iurisdictionem exercere , nisi in diœcesi , in qua extat monasterium , cuius ipsi sunt Conseruatores ; ergò necesse est , vt & ipsi habitent in eadem diœcesi , & consequenter sint eiusdem diœcesis : ergò non possunt eligi ex aliena diœcesi ; nisi fortè quis mallet dicere non repugnare , quod quis habitet in aliena diœcesi , & tamen in casu occurrenti toties quoties præsto esse possit Religiosis , quorum est Conseruator , se statim illuc transferendo ad exercendum suum munus , ideoque nec repugnare, quod etiam in præsentia eligatur Conseruator qui sit alterius diœcesis. Verùm obstant declarationes sacræ Congregationis relatæ *quæst.* 7. siquidem certò constet illas esse authenticas : aliàs enim potest videri non improbabile , quod Conseruator eligi possit etiam ex aliena diœcesi : idque ob rationem modo allatam.

96. Quod autem dicemus *infra quæst.* 13. Conseruatorem Regularium posse etiam absentem per substitutum exercere suam iurisdictionem in diœcesi, in qua deputatus est : non probat eum posse eligi etiam extra diœcesim , & de aliena diœcesi ; nam illud est , quod Conseruator iam electus in diœcesi possit existens extra illam exercere per substitutum suam iurisdictionem in diœcesi , in qua deputatus est (quod non concedimus) & aliud est , quod degens in aliena diœcesi possit à Regularibus eligi in Conseruatorem monasterij siti in aliena diœcesi (quod nos negamus , & omninò negari debet attenta bulla Gregorij Decimiquinti) vnum autem non benè infertur ex alio ; cum à diuersis non fiat illatio.

Qværes X. An electi in Conseruatores à Regularibus teneantur acceptare id munus ; & sub qua obligatione.

97. Respond. teneri sub peccato mort. nisi graui aliqua causa excusentur; pateteque ex eo quod tenentur ad id non solùm ex charitate ad euitandas iniurias, ac violentias Regularibus illatas , aut inferendas ; sed etiam ex speciali mandato Summorum Pontificum id ipsis præcipientium sub grauibus pœnis, nempe sub pœna excommunicationis (quod fecit Iulius II. in quadam sua bulla (quam postea Pius V. in literis conseruatoriis Fratrum Dominicanorum sibi reseruauit , addita suspensione item sibi reseruata : quamquam Lezana *supr. num.* 4. non nihil dubitet tales literas fuisse reuocata à Gregorio X I I I. ita Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 65. *art.* 4. Portellum *de dub. reg. v. Conseruatores, num.* 3. Lezana *supr. num.* 18. aliique.

98. Dixi, nisi graui aliqua causa excusentur, vt innuerem , quod si electus in Conseruatorem legitimam causam habeat detrectandi tale munus (vt si non sit ferendo tanto oneri ob senecturem , morbum, aut alias occupationes) potest absque peccato recusare tale munus ; imò puto quod taliter electus non peccaret mort. si à tali onere curaret se substrahere leui aliqua excusatione , aut precibus suadendo Religiosis , vt alium Conseruatorem quærerent : aliàs nimis durum esse tale præceptum ; cum aliàs iugum Christi sit suaue , & onus eius leue , & DD. communiter concedant , etiam in debitis ciuilibus, ad quæ quis tenetur ex iustitia non esse peccatum mort. ea degenerare creditori , qui , vel illa petit remissè , vel facilè concedit dilationem debitori eam petenti.

Moneta autem *cap.* 10. *de Conseruat. num.* 344. docet etiam deputatum in Subconseruatorem teneri , & posse cogi acceptare subdelegationem , eamque susceptam non posse dimittere sine causa. constat *ex cap. pastoralis, in princ. de offic. deleg.* aliique iuribus relatis à Moneta, & ex eo, quòd verba accipiēda sunt cum effectu, *lib.* 1. *ff. quod quisque iur.* adeóque si Subconseruator tenetur acceptare subdelegationem, tenetur iusta causa cessante ea vti vsque ad sententiam inclusiuè.

Qværes XI. An , & quo modo Conseruatores Regularium amoueri , aut mutari possint , postquam legitimè electi sunt.

99. Respond. non posse, nisi ex causa legitima à Sede Apostolica , aut locorum Ordinariis (prout libuerit iisdem Regularibus, & aliis, quorum interest) approbanda : & hoc , durante quinquennio deputationis. habetur expressè *in bulla Gregor. XV.* §. 5. & inde suadetur, quod, cum ij post legitimam electionem à Sede Apostolica auctoritatem acquirant ad illam causam vi literarum Conseruatoriarum Religionibus concessarum , non possunt spoliari tali potestate à Regularibus , nisi superueniente graui aliqua causa ; puta negligentia, impotentia, inimicitia, aut alia simili, quæ tamen priùs approbetur à Papa, aut Ordinario, vt diximus.

100. Vnde sequitur 1. deputato vno Conseruatore pro vna causa , non posse pro ea alium nominari: quod aduertit Lezana *num.* 19. aliis citatis: 2. durante præfato quinquennio, neque ipsi Conseruatores renunciare possunt tali muneri, nisi ex graui causa superueniente approbanda à Papa, aut Ordinario; cum verba illa , quæ habentur in §. 5. bullæ Gregorio X V. *durante quinquennio à die deputationis amoueri , aut mutari nullatenus possint , aut valeant , æquè respiciant casum istum, in quo Conseruator spontè velit à se abdicare munus susceptum:* vt hinc patet, quod sic verificatur Conseruatorem amoueri, aut mutari, quod est prohibitum. 3.

Qværes XII. Quanto tempore duret munus Conseruatoris.

101. Respond. durare per quinquennium inchoandum à die, quo legitimè eligitur: idque ex citata bulla Gregorij XV. vt iam indicauimus. Quamquam ex eo quod in dicta bulla statuitur durante quinquennio , Conseruatores nullatenus posse amoueri , aut mutari: non sequitur eos, elapso dicto qiuoquennio, debere statim amoueri , aut mutare; cum talis amotio sit odiosa , ideóque absque textu expresso non inducenda ; qualis tamen textus non extat (quod

ego

ego sciam.) Vnde fit, vt Regulares elapso quinquennio, possint quidem amouere Conseruatorem, si velint, non tamen teneantur.

102. Nec obstat, quod in Concilio Trid. *sess.14.c.5.de reformat.* dicitur: *Nemo etiam similium literarum beneficio* (loquitur de Conseruatoriis) *vltra quinquennium gaudere possit*; vt enim benè aduertit Miranda *p.5.manu.q.47.art.6.* oppositum videtur statui in eodem Concilio, quoad Religiosos; dum in fine citati capitis ait, *Vniuersitates autem generales, ac collegia Doctorum, seu Scholarium, & Regularia loca, necnon hospitalia actu hospitalitatem seruantia, ac vniuersitatum, collegiorum, & locorum, & hospitalium huiusmodi personæ in præsenti canone minimè comprehensæ, sed exemptæ omninò sint, & intelligantur.* Quare quoad Regulares in hac re seruandum est ius commune, quod iuxta modò dicta non videtur prohibere, quo minùs Conseruatoris officium possit durare, etiam vltra quinquennium.

Dubium maius esse potest, an cesset officium Conseruatoris in casu, quoad illud sit electus Vicarius generalis Episcopi, & is deponatur à Vicariatu, cum alioqui non sit in dignitate constitutus: quod requiritur ad hoc, vt quis eligatur in Conseruatorem; & ratio dubitandi est, quod ex vna parte cessat conditio necessario requisita in persona eligenda ad tale munus, sicque videtur procedere regula, *per quas causas res nascitur, per eas & dissoluitur*; ex alia parte durum valdè est illum absque sua culpa amoueri ab officio ante absolutum quinquennium, iuxta illud: *Turpius eycitur, quam non admittitur hospes.*

103. Respond. videri probabile, quod possit prosequi suum munus vsque ad absolutum quinquennium. Colligo ex doctrina, quam aliis citatis tradit Sanch. *l.8 de matr.D.17.n.22.* in simili; nimirum delegationem non extingui ex eo, quod persona delegata præcisè amittat officium, seu dignitatem, si delegatio verè sit personalis, vtpote facta personæ: probatque ex eo quod, cum in tali delegatione habeatur consideratio solius personæ habentis officium, seu dignitatem, delegatio sequitur personam instar priuilegij personalis; nec obstat, quod non esset quis capax talis delegationis, nisi esset in dignitate constitutus: id enim solùm probat spectari dignitatem, vt delegatus ille sit capax delegationis acquirendæ: at vbi ea semel acquisita est, nihil refert ad retentionem delegationis personalis, quod dignitas cesset: idque ob varias rationes adductas ab eodem Sanchez *n*.28. hæc autem doctrina, si benè adaptetur præsenti dubitationi, non leuiter probabit nostram responsionem, prout mihi concesserunt viri docti à me consulti, & probabiliter; cum simus in pari casu. Colligitur ex Moneta *cap.10.de Conseruatore, num.172.*

104. Imò etiamsi daremus munus Conseruatoris expirare in casu hîc proposito; nihilominùs puto quod non expiraret quoad causas inchoatas. Moueor ex alia doctrina einsdem Sanchez *sup. num.25.* dicentis ex Franco commissionem personalem non expirare cessante officio, aut dignitate personæ, dummodò res non sit integra, sed ante cessationem delegatus cœperit vti iurisdictione: quamquàm Sanchez cum eodem Franco posteà dicat ad id nihil referre, siue ille cœperit vti iurisdictione, siue non: quæ doctrina vtique facit ad præsentem casum, vt patet.

Illud etiam hîc quæri posset, vtrum in casu proposito is, qui substituitur in Vicariatum, eo ipso etiam censeatur substitutus in munus Conseruatoris, dato quod munus hoc cessaret in priori electo ex amissione Vicariatus.

105. Respond. non censeri substitutum, cum talis electio sit personalis, non realis, ideóque non transeat ad successorem in officio, vt patet: suppono enim electionem factam fuisse sub nomine proprio, & esse personalem; qua de re Moneta *c.10.de Conseruatore, num.201.*

Illud porrò bene notat Moneta *supra num. 195.* quod si quis fuit deputatus Conseruator ratione Archidiaconatus, aut alterius inferioris dignitatis, & posteà fiat Episcopus, aut obtineat aliam ex qualitatibus requisitis in Conseruatore; is omninò manebit Conseruator, & poterit procedere in negotiis tam cœptis, quam non cœptis. nam vbi qualitas aliqua assumitur ob aliquam dispositionem, ita vt permanere debeat, licet regulariter cessante qualitate cesset dispositiò, *l. si cui balnei, ff. quibus mod. vsufr. amit.* tamen id fallit, vbi qualitas illa mutatur in melius aut alteratur in qualitatem non mutantem rationem disponentis. vt de qualitate petita ad delegatum iuxta terminos Clemen.2.*de rescript.* notauit Imola *num.14.* intellige, si deputatio in Conseruatorem sit personalis, & dignitas consideretur solùm vt qualitas petita in delegato, aut Conseruatore: non item, si commissio fiat dignitati &c.

Addit Moneta *n. 219.* per excommunicationem, ac suspensionem Conseruatoris non expirare in eo munus, ac iurisdictionem Conseruatoris, sed solum suspendi, vsque ad absolutionem ab excommunicatione, ac sublationem suspensionis: probatque quoad excommunicationem quidem ex eo, quod generaliter per excommunicationem suspenditur cuiuscumque Iudicis iurisdictio, seu vsus illius tollitur; quoad suspensionem vero ex iis, quæ habent Sanch. *l.8. de matrimon. D.28. num.57.* Saytus *l.4 de censuris cap. 4. num. 10.* & Vgolinus *de censuris tab.4. cap.6.§.1.*

QVÆRAS XIII. An Conseruatores Regularium possint alteri delegare suas vices, seu (quod idem est) substituere Subconseruatores.

Respond. quod, licet stando in iure communi Conseruator non possit subdelegare, vt patet ex *cap. fin. de offic. & pot. iud. deleg. in 6.* vbi dicitur: *Vices suas nulli alij committere possint, nisi hoc illis competierit ex beneficio literarum*; re vera tamen Conseruatores Regularium possunt subdelegare, & consequenter instituere Subconseruatores (qui tamen prædicti sint omnibus qualitatibus, quas sup. diximus requiri in Conseruatoribus Regularium:) cum id requirant plura iura, & præsertim *capit. final. modo citatum*, in quo dicitur: *Subdelegatus talis esse debet cui possit delegari.* Ita Rodriq. *sup. art.4.* Sorbus *in compend. v. conseruator*, & alij apud Peyrinum *tom.2 priuil. Constit.5.Gregorij XV. num.5.* & patet, tum, quia Gregorius XV. in bulla sæpius relata §.2 id supponit distinguens inter Conseruatores principales, & subrogatos. ait enim: *Vt Iudices Conseruatores huiusmodi, siue principales, siue subrogati*: tum, quia idem Gregorius ibi innouat Constitutionem Bonifacij VIII. (quæ est *cap. fin. de offic. & pot. iud. deleg. in 6.*) dum dicit in §. 8. *Quod si qui Conseruatores siue in hac parte, siue aliàs quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab officio Conseruatoris huiusmodi suspensi sint & pars, quæ hoc fieri procurauerit, sententiam excommunicationis incurrat iuxta formam alterius Constitut. eiusdem Bonifacij Prædecessoris, quæ incipit. Hac constitut. quam Sanct. sua in his omnibus, quæ præsenti Constitutioni non aduersantur, innouauit, & innouat*; cum tamen in Constitutione illa Bonifacij expressè habeatur, quod Conseruatores, quibus hoc competierit ex beneficio literarum possint vices suas committere. Vnde infert Leaana *num.57.* contra Lauretum 106.

in controu. ep.& regul.supradictam Constitutionem Gregory X V. posse Conseruatores regularium, quibus ex priuilegiis aliàs competebat instituere Subconseruatorem (sicut concessit disertis verbis Pius V. in Conseruatoria edita à Gregorio X I I I. in fauorem Soc. Iesu.) posse instituere etiam post Constitutionem istam Gregorij X V. cum hæc priuilegiis Regularium, quoad hoc non deroget. Quin etiam addit Lezana ex Barbosa attento iure communi præcise Conseruatorem posse per alios facere citationes, ac sententiarum denuntiationes; cum id aperte concedatur *in cap.fin.de offic.& pot.iud.deleg.in* 6. imò Peyrin *supr.n.*48. docet ex Conseruatoria Gregorij XIII. modo adducta, & alia bulla Clementis VIII. posse Conseruatores citare per edictum, si fortè tutus non pateat accessus ad personaliter citandum; quod tamen puto intelligendum esse de citatione facienda intra diœcesim iuxta dicenda *q.* 17. non enim Conseruator hodie potest citare extra diœcesim; cù citare sit procedere con. quod expresse prohibetur *in bulla Gregor. X V.* §. 6. derogatis quibuscumque priuilegiis &c.

Porro notat Moneta *c.* 10. *de Conseruat.n.*56. posse Conseruatorem Apostolicum, qui alteri vices suas subdelegauit, etiam in totum, auocare ab eo causam, dummodò id faciat, prius quam is vti cœperit eadem iurisdictione: idque *ex c. quamuis, de offic.deleg. in* 6. & Glossa *ibi*, communiter recepta; dicitur autem subdelegatus cœpisse vti iurisdictione per solam citationem vt docet Glossa *d.cap.quamuis, v. vsus fuerit*. Quod si subdelegatio fiat cum clausula, *donec vices suas duxerit ad se auocandas*, tunc subdit Moneta *n.*58. non valebit reuocatio in actu indiuisibili (qualis est probatio sententiæ) nisi re integra; vt colligitur ex *cap. si delegatus, de offic.delegati, in* 6. non item in actu subdelegati recipiente diuisionem, qualis est examen testium; sic enim pars examinis, quæ fieret post reuocationem, esset nulla, valida verò maneret, quæ facta fuisset ante dictam reuocatio- 301.
nem.

Quod si quæras, quid agendum sit in casu, quo reus citandus coram iudice Conseruatore sit extra diœcesim, in qua est Conseruator.

107\. Respond. quod, cum Conseruator sit iudex Regularium solum in casu, quo Regulares, quorum est Conseruator, interueniant in iudicio vt Rei (sicut ostendimus *infra quæst.*21.) si quidem Reus, contra quem agendum est, sit ipsum monasterium, prout repræsentat personam quamdam moralem: cum monasterium non possit regulariter emigrare, consequenter non censetur abesse à diœcesi, sicque citari debet coram iudice Conseruatore in ea diœcesi deputato; si verò agendum sit contra aliquem Religiosum particularẽ monasterij; tunc si is retinet prius domicilium, citatio fiet ad domum eius, vt pote qui censetur adesse, vbi habet domicilium: si verò mutauit domicilium, eius Iudex erit is, qui est Conseruator posterioris domicilij, & coram hoc citari debet; quod si denique fingatur vagus; tunc (sicut dicitur de vagis) Iudex illius erit is, qui est Conseruator cuiuslibet loci, vbi ille erit. Adde, quod si in loco, vbi adest Reus, qui debet citari, non sit deputatus vllus Conseruator, tunc reus citandus est coram Ordinario loci, qui stat loco Conseruatoris iuxta Constitutionem Gregorij X V.

QVÆRES XIV. An Regulares vi suorum priuilegiorum eligere possint Conseruatorem contra religiosos alterius Ordinis, aut alios habentes Conseruatorem Apostolicum pro suis causis.

108\. Respond. posse; & probatur, tum ex variis priuilegiis ad id concessis, & relatis à Rodriquez *supr. art.* 5. (quamquam non pauci dubitent ea fuisse reuocata per bullam Gregorij XV. toties adductam;) tum quia iuxta dicta hic *cap.*1. *sect.* 3. *num.* 78. non repugnat priuilegiatum vti priuilegio contra æquè priuilegiatum.

QVÆRES X V. An Conseruatores Regularium possint mutare tribunal, & quo modo.

Respond. quod, cum non habeant certum tribunal, pro arbitrio mutare possunt locum semel electum ad ius dicendum, modò talis locus sit intra fines suæ diœcesis. ita Peyrin. *tom.* 3. *priuil. cap.* 11. *num.* 11. ex Cochier *de Conseruat.Eccl. quæst.*9. *num.*2. & probatur, quia talis mutatio tribunalis non est prohibita neque iure naturali (vt patet) neque positiuo, dummodò non exeat è finibus suæ diœcesis: nam extra hos non potest Conseruator procedere, vt constat ex dictis. 109.

QVÆRES XVI. An Conseruatores Regularium in causis occurrentibus procedere debeant ciuiliter, aut criminaliter, aut mixtè.

Respond. quod, cum procedere ciuiliter sit cognoscere de delicto ob priuatam vtilitatem; procedere criminaliter sit cognoscere de delicto ob publicam vtilitatem, & procedere mixtè sit cognoscere de delicto ob vtilitatem, tum publicam, tum priuatam; dicendum videtur Conseruatores Regularium non posse, stando iuri communi, procedere in causis occurrentibus, nisi ciuiliter: quippe qui instituuntur solùm ob priuatam vtilitatem eorum, quibus deputantur in Conseruatores. ita Moneta *de Conseruat. c.*7. *quæst* 4. *num.*208. *& seqq.* Peyrin. *tom.*2. *priuileg. Constitut.*5. *Gregory X V. n.*43. *&* 44. Nauarrum pro se adducens, & alij qui bene notant dictis non obstare, quod in aliquibus Conseruatoriis reperitur hæc clausula, *inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachy sæcularis*: hæc enim clausula potest bene explicari de auxilio necessario intra limites modi procedendi ciuiliter; quod puto licitum esse, etiam in præsentia post Constitutionem Gregorij X V. 110.

QVÆRES XVII. An Conseruatores possint exercere suam iurisdictionem etiam extra Ciuitatem, ac diœcesim, in qua deputantur.

Respond. post Constitutionem Gregorij X V. toties allegatam non posse iurisdictionem exercere immediatione (vt sic dicam) suppositi; posse tamen illam exercere immediatione virtutis: quamuis scilicet ij existentes extra diœcesim committere possunt suas vices alteri commoranti tunc in ea ipsa diœcesi, in qua illi deputati sunt Conseruatores (quod fieri posse diximus *quæst.* 13.) ita Peyrin. *tom.* 2. *priuileg. const.*5. *Gregory XV. num.*57. & satis probabiliter; cum Gregorius per ea verba, *neque extra ciuitates seu diœceses*, solùm intenderit prohibere Conseruatoribus, ne suam exerceant iurisdictionem cum non existentibus in diœcesi, in qua ipsi deputantur in Conseruatores: non autem quod modo dicto non possint subrogare alios, qui existentes in ea diœcesi, aut ciuitate ibi exerceant iurisdictionem; cum tamen olim Conseruatores Regularium vi priuilegiorum Religionibus concessorum possent exercere iurisdictionem etiam extra diœcesim, in qua deputantur; vt bene aduertit, & probat Lezana *supr.num.*27. 111.

Notat tamen Cespedes *de exempt. d.* 318. *num.*13. quod si monasterium habeat bona in diuersis diœcesibus, adhuc sufficit vnicus conseruator, qui debet deputari in Ciuitate, in qua est monasterium; & poterit procedere etiam in causis motis super bona extra diœcesim posita: idque ex declaratione sacræ Congregationis.

QVÆRES

QVÆRES XVIII. An, quando, & quo modo Conseruatores Regularium in cognoscendis causis ipsorum Regularium possint adhibere Assessorem, Notarium, ac Testes.

112. Respond. non posse, nisi quando, & quo modo id ipsis conceditur in *cap. fin. de offic. & pot. iud. deleg. in 6.* quod cap. fuit innouatum à Gregorio XV. & sic habet: *Assessorem autem, vt quandoque faciunt aliqui fraudulenter, nisi eo indigeat* (idest Conseruator) *quod conscientiæ relinquatur eiusdem, ibi nequaquam adiungat: alioqui de suo proprio prouidere teneatur eidem; si autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, ei de competenti salario prouidè moderando ab eo faciat à partibus communiter prouideri; Notarium verò, vel Notarios in causa sibi commissa scribentes, qui vt plurimum in exigendo salario metas rationis excedunt* (*vt ad ipsius spectat officium*) *prouidenter refrænet, nec cum ipsis, aut cum Assessore præfato lucrum participet vllo modo. S. quid autem contra Constitutionem præsentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur, nulla eorum, quibus restitutio facienda fuerit, remissione vllatenus profutura eidem, pro ferendo quoque testimonio* (*prætextu cuius aliqui alios fraudulenter interdum à Iudicibus vocari procurant, vt eos laboribus, & expensis fatigent, aut retorqueant aliquid ab eisdem*) *nullum vllatenus connocet, nisi quando conditio, & status causæ requirent; sed nec tunc, nisi à producente, competentes vocato pro testimonio veniendo, stando & redeundo faciat ministrari expensas: quidquid autem contra præmissa, vel eorum aliquid contigerit atentari, sit ipso iure irritum.*

113. Circa quem textum quoad illam clausulam, *nulla eorum, quibus restitutio facienda fuerit, remissione vllatenus profutura*, placet aduertere per illam non tolli, quin domininm rei, quæ remittitur, relinqui possit in manibus eius, qui eam iniustè accepit; non quidem titulo remissionis propriè dictæ (quæ hîc prohibetur) sed titulo donarionis; quilibet enim est arbiter suarum rerum, & potest de illis disponere pro arbitrio. ita docti recentiores à me consulti.

Notat autem Moneta *cap. 9. de Conseruat. num. 69.* Conseruatorem teneri sequi consilium Assessoris: 1. si sit imperitus: 2. si in rescripto commissinnis imponatur delegato necessitas sequendi illud: 3. si Assessor assumatur loco Arbitrorum iuris, vbi iudex vt suspectus recusatur.

Addit Peyrinus *in formul. lit. C. cap.* 20 *num.* 3. aliis citatis Episcopum non posse engere Conseruatorem Regularium, vt Notariis episcopalibus vtatur, imò eum posse ad libitum assumere quoscumque Notarios maluerit. probatque ex eo quod Conseruator est delegatus Papæ *cap. 1. & 2. cap. fin. de iud. deleg. in 6.* & Papæ iurisdictione vtitur, non propria *l. solet, ff. de iurisd. omn. iud.* & consequenter, quoad hoc est Superior Ordinarij, sicque hunc potest punire, si ei non obediat in spectantibus ad eius iurisdictionem, *cap. sanè, cap. pastoralis, de iud. deleg. & cap. quia Pontificalis, eodem in 6.* inferior autem ius non dicit Superiori, *cap. inferior, dist.* 21.

QVÆRES XIX. An Conseruatores Regularium possint cognoscere de iis, quæ iudicialem requirunt indaginem, nempe cognitionem causæ, eiusque examinationem ob eius dubietatem.

114. Respond. non posse, attenta Constitut. Gregorij XV. & quadam declaratione sacræ Congregationis inferius adducenda; & probatur, tum quia in *cap. fin. de offic. & pot. iud. deleg. in 6.* quod, iuxta sæpius repetita, fuit innouatum in citata Constit. Gregorij XV. non possunt Conseruatores Regularium iudicare, nisi de manifestis iniuriis, ac violentiis, in quibus non requiritur, ac admittitur iudicialis indago: tum quia sacra Congregatio, teste Barbos. *de offic. Episc. alleg. 106. n. 55.* interrogata, an vi Constitutionis Gregor. XV. sublata sit facultas, quam Conseruatores habebant defendendi Regulares, & alios à manifestis iniuris, ac violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiiciuntur, & propriis bonis frui, aut vti impediuntur: respondit minimè sublatam esse facultatem, quam habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniuriis, ac violentiis, dummodò obseruent formam præscriptam in Constit. Innocentiis VIII. & Bonifacij VIII. relatis *cap. 1. & fin. de offic. deleg. in 6.* Vnde ego infero, quod, cum in eo *cap. 1.* expresè prohibeatur, ne Conseruatores ad ea, quæ iudicialem indaginem exigunt, suam possint excedere potestatem: & aliàs Conseruatores in iudicando debeant obseruare formam præscriptam in citatis Constitutionibus Innocentij IV. & Bonifacij VIII. sequitur eos in præsentia non posse cognoscere de iis, quæ iudicialem petunt indaginem.

Quod si quæras, quæ dicatur iniuria, ac violentia manifesta.

Respond. Peyrin. *sup. num.* 38. ex Tusco, & 10. Monacho, dici illam, quæ per facti euidentiam est adeo notoria, vt non egeat examinari, vel, si eget, probari potest clarè, & certò per multos testes, ita vt probabiliter negari non possit 115.

An autem in cognoscendis dictis iniuriis, ac violentiis Conseruatores possint adhibere illam saltem indaginem iudicialem, quæ in notoriis solet communiter vsurpari.

Respond. posse; & probatur, tum quia cui committitur iurisdictio in notoriis, debent committi ea, 116. sine quibus illa non potest exerceri: aliàs non posset conseruator punire de notoriis, nisi reum citet, & citatum, ac contumacem puniat in expensis, nisi cogat testes ad ferendum testimonium, si fortè delictum sit notorium aliis, & non ipsi Conseruatori, aliaque id genus præstet, quæ important iudicialem indaginem; tum quia *cap. 1.* superius citato (quod posset videri obstare, quatenus ait, *nec ad alia, quæ iudicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem*) ab Innocentio IV. qui fuit auctor illius, explicatur. Ita vt locum habeat solùm in obscuris, ac dubiis, in quibus verificandis, & probandis omninò requiritur specialis indago, non autem in notoriis; ait enim Innoc. *ad illud cap. num. 4. præter quam in notoriis*; quia in notoriis benè habebunt indaginem. ita Moneta *sup. n. 78.* & cum eo Peyrin. n. 40. aliique.

Quare Conseruatores Regularium non possunt 117. procedere in eorum causis, nisi priùs constet iniuriam, seu violentiam ipsis factam esse notoriam, ac manifestam, iisque id constet; vbicumque enim comperit iurisdictio alicui respectu certæ qualitatis, ante omnia ei debet constare de illa qualitate, vt tradit Bart. *in l. multum interest, num. 2. & 5. ff. de condit. & demonstr.* Et certè, si Conseruator dubitet de tali qualitate notorietatis, vel minùs sufficienter ei de illa constet, potest ante omnia summariè examinare, an iniuria, seu violentia, de qua agitur, sit notoria, & super ea recipere probationes ad fundandam suam iurisdictionem: ita vt, si inueniat illam esse notoriam, vlterius procedat, sin minus, desistat, tanquam iudex incompetens. ita Barbosa 118. *sup. num. 18. & seqq.* aliique plures apud ipsum; qui monet *n. 21.* non esse opus præmittere talem examinationem de notorietate, quando reus fatetur factum, & qualitatem illius notoriam fuisse; nam tunc, siue re vera sit tale, siue non, semper processus est

validius: cum partis confessio sufficiat, vt per eam notorium dicatur, & constet de notorietate: idque, licet alioqui notorietas non probetur, quod procedit, etiamsi reus, qui fatetur factum notorium, excuset se dicens se iure suo fecisse; quamuis Conseruator tunc teneatur admittere reum ad probandas suas excusationes: cum enim vix reperiri possit delictum adeo notorium, quod non possit aliquo modo excusari; patum, aut nihil prodesset munus Conseruatoris, si, quando factum in se est notorium, non posset procedere ob excusationes à reo allegatas, quæ tamen non sunt notoriæ, ideoque egent probatione. Cum Barbosa sentit Peyrin. *tom.3.priuil. cap.11.num.10.* dicens ita verum esse, quod Conseruator non potest cognoscere, nisi de iniuriis notoriis, vt in suo iudicio priùs, & ante omnia debeat pronunciare delictum esse notorium.

An autem Conseruator possit decidere controuersiam ortam inter duos Religiosos, aut Conuentus diuersorum Ordinum.

Respond. Bordon. *p.2.res.95.q.5.* posse; & probat, tum, quia iura, & bullæ pontificiæ non arctant personas, inter quas Conseruator debet facere iudicium; ergo nec nos debemus arctare: sicque debet quilibet conueniri coram proprio Conseruatore, siue citetur à laico, siue ab alio Religioso, aut Conuentu alterius Ordinis: tum, quia Religiosus non debet citari coram suo Prælato regulari, cum reputetur eadem persona cum ipso Prælato, sine quo respondere nequit in iudicio (quippe qui non habet velle, nec nolle, sed mortuus est Mundo) neque coram Ordinario loci, cum is non sit Iudex competens Religiosi, vt pote ab eo exempti: sicque superest, vt conueniatur, tam Conuentus, quam Religiosus coram suo Conseruatore; tum, quia aliàs Actor cogeretur agere suam causam coram Iudice, qui simul esset Iudex (vt supponitur) & pars, vt pote tractans negotium sui Conuentus, ac Religiosi: quod iura prohibent, ita Bordonus concedens tamen posse laicum, aut Religiosum suam causam exponere coram Superiore alterius Ordinis contra Religiosum illius subditum: cum talis Superior præsumatur esse administraturus iustitiam fauore Actoris contra suum subditum, si constet illum verè esse reum: quod etiam docent Aldrete, Barbosa, & Miranda, ab ipso Bordono relati.

Addit Bordonus *q.9.* non posse vnum Religiosum conuenire coram suo conseruatore alium Religiosum, siue eiusdem Conuentus, siue alterius Conuentus eiusdem Ordinis: & probat, tum quia id nullo iure probatur: tum quia Regulares intra suum Ordinem habent proprios Prælatos in Iudices tam in ciuilibus, quam in criminalibus; adeoque non possunt adire extraneos Iudices, qui respectu eorum non sunt competentes.

Docet idem Bordonus *ref.54. n.116.* coram Conseruatore conueniri debere Nouitios pro debitis; cum priuilegia illius ad eos extendantur ex Pij V. bulla *Ad hoc nos*, relata à Confectio *pag. 110.* & ex bulla Gregorij XV. hic relata, in qua statuitur personas Religiosas cuiusuis conditionis debere conueniri coram Conseruatore.

Qværas XIX. An Conseruatores in causis Regularium possint procedere de plano sine strepitu, ac figura iudicij.

118. Resp. videri posse; & probatur, quia vbi agitur de causis Regularium apud eorum Prælatos, aut conseruatores seruari non debet subtilis, & angusta iuris forma, quæ in aliis causis præscribitur; idque ex *cap. qualiter, & quando, de accusat.* vbi hoc innuitur; quod etiam in propriis Religionum Constitutionibus caueri solet ad vitandas expensas alioqui necessariò faciendas, ita Rodriq *sup. art. 18.* & satis probabiliter etiam post Constitutionem Gregorij XV. cum tale priuilegium sit iuris communis, & in Præfata constitutione solùm derogatum sit specialibus priuilegiis Religionum conseruatoris munus concernentibus, non item iure communi: cui non censetur derogari in reuocationibus generalibus nisi addatur specialis aliqua clausula, v.g. *non obstante iure communi* vel, *non obstante priuilegio etiam inserto in iure communi*; quod inter alios notat Portel. *de dub. regul. v. priuilegium, num. 67.* talis autem clausula non reperitur in præfata Constitut. Gregorij XV.

Qværas XX. An Conseruatores in causis Regularium etiam ciuiliter tractandis vti possint censuris ecclesiasticis.

Respond. posse, & quidem de iure communi; pro vt colligitur ex *cap. fané, el. 1. de potest. iudic. delegat. &* supponitur in *cap. authoritate, de priuil. in 6.* ita Azorius *part. 2. lib. 11. cap. 30. quæst. 10.* Moneta *sup. cap. 7. num. 279.* aliique & pates, tum ex iuribus adductis, tum quia aliàs frustra conferretur iurisdictio, quæ non esset iuncta cum vi coërcitiua. 119.

Quod autem ait Bordonus addens *ref. 95. num. 19.* Conseruatorem posse censuris Ecclesiasticis cogere Regulares ad comparendum, ac respondendum, & soluendum: non videtur absolutè admittendum ob dicenda *infr. sect. 5. quæst. 13. num. 168.* quæ procedunt etiam in isto casu.

Qværas XXI. Ad quas causas extendatur potestas Conseruatorum.

Respond. quod, licèt ante Constitutionem Gregorij XV. illa esset valdè ampla, vt pote quæ extendebatur ad omnes causas ciuiles, criminales, ac mixtas; & quidem non solùm in iis, in quibus Regulares erant Rei, sed etiam in iis, in quibus Actores; nec non de quibusuis iniuriis, molestiis, aut violentiis tam manifestis, quàm non manifestis, tam sine iudiciali indagine, quàm cum illa, pro vt conditio causarum poscebat: sicut ostendit Lezana *supr. num. 22. 23. 24. 29. & 30.* ex variis priuilegiis concessis Regularibus; modò tamen post Constitutionem Gregorij XV. potestas conseruatorum est valdè restricta; vt colligitur ex §. 6. dictæ Constitutionis, vbi dicitur: *Ad hæc statuit Sanct. sua, vt coram ipsis Conseruatoribus Regulares, ac personæ supradscriptæ conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint; ita vt memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij Actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in iis tantùm in quibus Rei extiterint: neque extra ciuitatem, seu diœceses, in quibus fuerint deputati contra quoscumque procedere præsumant.* Vnde fit, vt Conseruatores Regularium in præsentia solùm cognoscere possint de illis causis, in quibus Religiosi sunt Rei, & non Actores, vel etiam (quod postea indultis facta Congregatio iuxta dicta *quæst. 19.*) de illis causis, in quibus Religiosi fuerint Actores, quoad violentias tamen, ac iniurias solùm manifestas, sicut explicauimus dicta *quæst. 19.* 120.

Vnde infert Bordonus *tom. 2. ref. 53. num. 10.* creditorem Regularium nolentium soluere debita posse recurrere ad eorum Conseruatorem, huncque ius habere cogendi illos, vt soluant: si quidem in bulla Gregorij XV. generaliter statuitur regulares coram suo Conseruatore conueniri, ac trahi debere; & alioqui lex generaliter loquens generaliter debet intelligi.

Porrò docet Bordonus *tom. 2. resol. 95. n. 20.* regularibus soluere nolentibus debita posse conseruatorem mandare

mandare subhastationem, aut pignus tot bonorum, etiam stabilium ad satisfaciendum creditoribus, quando nequit eos cogere in pecunia numerata: talis enim alienatio, cum sit necessaria, non continetur sub prohibitione de non alienandis rebus Ecclesiæ: imò nec est vera alienatio, sed potius restitutio eius, quod alteri debetur: hæc ille, sed mihi non placent, nisi concurrant limitationes propositæ à Quaranta *v. alienatio, num.* 36. aut certè adsit vrgens necessitas, & sit periculum in mora iuxta dicta ab eodem Quaranta *num.* 42.

Illud quidem admitto, quod ait idem Bordonus *n.* 21. Conseruatorem non posse, nec debere interponere decretum in contractu alienationis, seu alterius obligationis contrahendæ à monasterio et commisso: nam monasterium, seu Prior, eiusque subditi non dicuntur minor, nec vt minor tenentur procedere in suis negotiis, cum sint maior, quando simul agunt, & contrectant (si quidem Prior semper excedit annum 25. & capitulum dicitur Senatus *c. Ecclesia* 16. *q.* 1.) præter quam quod Conseruator est Iudex litiū, non contractuum: &, cum in aliis non sit Superior, nec Iudex, nequit interponere dictum decretum, quod supponit subiectionem ex parte contrahentium, ac iurisdictionem in decretante, qua tamen caret Conseruator quoad hoc.

121. Cæterùm, quod statuit Gregorius XV. Regulares posse quidem conueniri coram Conseruatoribus vt Reos, non item vt Actores conuenire alios: ait Peytin. *tom.* 2. *priuil. Const.* 5. *Gregory XV* debere sic intelligi, quod scilicet Religiosi non possint quidē vt Actores conuenire coram suo Conseruatore alios in causis ciuilibus (vt si ipsis debeatur aliqua pecunia ex locatione, legato, &c.) possint tamen vt Actores coram eo conuenire illos, qui ipsorum bonis, aut personis manifestam inferunt iniuriam, ac violentiā, patet, tum ex declaratione Sacræ Congregat. allata *q.* 19. tum, quia aliàs Conseruatores essent potius iudices dati pro ministranda iustitia Regularibus; tum quia in *cap. cum sit, de foro compet.* dicitur: *Cum generale sit, vt actor forum Rei sequatur, verum quoniam saculares Iudices in exhibenda iustitia personis ecclesiasticis sapè in iudicio sunt remissi, in fauorem Ecclesia est introductum, vt malefactores suos, qui sacrilegi sunt censendi, venerabilium locorum Rectores possint, sub quo maluerint Iudice, conuenire*, ex quo infert Peyrin. *n.* 54. quod, cum hic ius commune à regula illa generali, *Actor sequitur forum Rei*, excipiat illos, qui publicè, ac notoriè malefecerint Regularibus, ipsorum bona diripiendo, dissipando, &c. probabile est etiam Gregorium XV. in illo suo decreto generali (quod Regulares vt Actores non possint alios conuenire coram suis Conseruatoribus) hunc eundem casum intenderit excipere, solúmque voluerit religiosos Actores sequi forum Rei in exigendis pecuniis sibi aliquo titulo debitis, quoad alios casus, relinquendo antiquos canones, ac constitutiones in sua dispositione. Ita Peyrin. & ante illum Moneta *sup. q.* 6. *n.* 343. quos sequuntur Lezana *sup. num.* 61. & Diana *p.* 3. *tract.* 1. *resol.* 20.

Porro ex eo, quod vi bullæ Gregorij Regulares nequeunt vt actores trahere alios coram Conseruatore, infert Cespedes *sup. d.* 318. *n.* 8. coram eo non posse conueniri debitores Regularium: quippequi sic conueniuntur à Regularibus, tanquam Actoribus. cum Rodriq. *tom.* 1. *q.* 65. *art.* 12. ex Alciato, ac Perez ante dictam bullam Gregorij oppositum doceant, tum ex iure communi, tum ex priuilegiis ipsorum Regularium potuisse defendi: licet enim Conseruatores dentur ad defendendos Regulares ab iniuriis, quæ iis inferuntur, nomine tamen iniuriæ venit damnum culpa datum, teste Vlpiano *lib.* 1. *de iniuris*; sicque Conseruator potest se intrommittere ad ea impedienda, quare Sixtus IV. in conseruatoria Minorum dicit; quod non permittant per quoscumque indebitè molestari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari: constat autem grauamen inferri Regularibus à nolente ipsis soluere debita: vnde Nouarius sententiam Rodriq. sustinet etiā post bullam Gregorij: quod non admittit Cespedes monens *n.* 10. quod si Regulares sint debitores, à creditoribus possunt conueniri coram conseruatore, vel etiam coram Prælato regulari eorum: enim alioqui ob debita particularia regularium conuentio deberet fieri determinatè coram Prælato regulari, teste Rodriq. *sup. a.* 13. & Miranda *tom.* 2. *q.* 47. *a.* 10.

Addit Cespedes *n.* 11. ex Nouario Conseruatores non posse se intromittere in controuersiis de præcedentia in processionibus inter regulares: cum Trid. *sess.* 25. *de reform. c.* 13. Episcopis, omni appellatione remota, facultatem det componendi has similes controuersias.

QVÆRES XXII. An Conseruatores possint recipere querelas regularium, quorum sunt Conseruatores, contra religiosos eiusdem Ordinis.

Respond. non posse; cum id expressè prohibuerit Leo X. in quadam bulla relata à Peytin *tom.* 1. *priuil. constit.* 23. *Leonis V.* qua §. 3. sic habet, *Inhibentes sub eadem pœna* (i. excommunicationis latæ sententiæ) *quibusuis iudicibus ecclesiasticis, & sæcularibus, etiam Conseruatoribus priuilegiorum dicti Ordinis, aut quarumcumque personarum, congregationum, aut domorum, & monasteriorum huiusmodi; & camera Apostolica Auenionensi, ne querelas huiusmodi Fratrum, & Sororum contra alios Fratres dicti Ordinis suscipiant, vel de eis cognoscant*; Quæ prohibitio cum sit fauorabilis toti Ordini, licèt odiosa religiosis particularibus, vtique cadit sub communicationem priuilegiorum. 122.

QVÆRES XXIII. An Conseruatores possint cognoscere de delictis regularium sibi commissorum, & eos punire.

Respond. videri non posse; & inde suadetur, quod Doctores latè agentes de potestate competente Conseruatoribus, & maximè Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 65. talem potestatem eis non attribuunt, quoad hoc: quod est signum illam ipsis non competere; & quidem meritò, cùm ea concessa non parum eleuaretur potestas Prælatorum regularium in præiudicium religiosæ disciplinæ. 123.

Quod si quæras, an regulares à suo Prælato regulari possint appellare ad Conseruatorem in casu, quo aliàs licita sit ipsis appellatio.

Respond. non posse: alioqui talis potestas esset potius in destructionem, quam in ædificationem, vt patet. 124.

QVÆRES XXIV. An Conseruatores possint procedere in violentiis, ac iniuriis manifestis illatis monasterio sibi commisso, & quidem non solùm cōtra Clericos, & laicos, sed etiam contra religiosos aliorum Ordinum, imò & illius eiusdem Ordinis, cuius sunt Conseruatores.

Respond posse, non obstante, quod Gregorius XV. in sua Constitut. statuerit regulares posse conueniri coram suis Conseruatoribus, non autem posse conuenire alios coram iisdem. patet autem responsio, tum ex dictis *quæst.* 21. tum, quia Conseruatores regularium sunt Iudices electi à Papa, ideóque sunt iudices competentes. tam laicorum, & clericorum, quàm religiosorum cuiuscumque Ordinis: quippe 125.

qui omnes subiacent iurisdictioni ipsius Papæ, sicque iudicari possuoi ab eo, siue per se, siue per alios; præter quam, quod alias minus sufficienter prouisum esset indemnitati illorum, vt facilè consideranti constabit.

QVÆRES XXV. An Conseruatores possint procedere non solùm contra iniorias maoifestas iam illatas, sed etiam con. inferendas.

126. Respond. posse, si probabiliter credatur eas esse inferendas. Ita Miranda *p.2. manu.q.47. art.7.* ex Io. Andr. & Syluest. patetque tum ex variis priuilegiis ad talem effectum concessis regularibus, & relatis à Lezana *sup. n.23.* (quale est, quod habetur in conseruatoria Gregorij XIII. facta Soc. Iesu, vbi est sermo de damnis præsentibus, ac futuris;) tum, quia defensio consistit in arcendis iniuriis, tam inferendis, quam illatis, licet magis consistat in arcendis ferendis. vt notauit Barbosa *de offic. ep. alleg.* 106. *num.* 34. & cum eo Lezana *n.23.* asserens Conseruatorem, si quos paratos videat cum armis ad damnificandum monasterium ipsi commissum, posse in eos ferre excommunicationem, vt à tali damnificatione desistant: sicut & potest cogere censuris Ecclesiasticis reum ad satisfaciendum damno illato; quod in specie notat Peytin. *tom.2. priuil. Constit.5. Greg. XV. n.41.* ex Azorio, & Miranda.

QVÆRES XXVI. An Conseruatores possint punire eos, qui manifestas iniurias faciunt Regularibus sibi commissis, aut illorum bonis.

127. Respond. non posse; patetque ex dictis *quæst.16.* vbi cum ostenderimus Conseruatores post constitutionem Gregorij XV. sæpius relatam non posse procedere in causis ipsorum Regularium, nisi ciuiter; necessariò sequitur illorum potestatem non extendi ad puniendum delinquentes: quod esset procedere criminaliter; quamquam oon ideo tollatur, quin possint censuris Ecclesiasticis, & aliis remediis compellere delinqoentes ad exhibendam regularibus debitam satisfactionem, vt vidimus *q. præced.*

QVÆRES XXVII. An Conseruatores possint procedere ad defensionem, tam priuilegiorum ipsis concessorum, quam bonorum quorumcumque ad ipsos Regulares iis commissos pertinentiom.

128. Respond. posse, si iniuria illata in supradictis sit manifesta, & alioqui in procedendo seruentur præscripta in const. Gregor. XV. ac in decreto S. Congregat. *relato q.19.* Ita Lezana *n.67. & 68.* probatque ex variis priuilegiis Regularibus concessis ad conseruationem, tam suorum priuilegiorum, quam bonorum: quæ priuilegia non videntur sublata per citatam Constitut. Gregor. XV. si non adhibeantur, nisi eo modo, quo conceditur in præfata Constit. ac decreto.

Sic Bordonus *resol.95. num.14.* sustinet Conseruatorem posse se censuris opponere contra manifestam violentiam, ac iniuriam Episcopi prætendentis visitare Ecclesiam aut monasterium Regularium sibi commissorum: nam notoria est illorum exemptio ab ordinario, qui proinde si velit eos visitare, constat eum per hoc iis inferre iniuriam, ac violentiam, à qua possunt, & debent defendi per suum Conseruatorem: supponitur autem constare, quod Ordinarius oullum ius habeat visitandi: vt si nuoquam antea visitauit.

QVÆRES XXVIII. An Conseruatores possint procedere ad defensionem famulorum, & familiarium ad Regulares commissos spectantium.

129. Respond. posse, si iniuria, ac violentia facta dictis famulis, ac familiaribus sit manifesta, famuli iuxta Concil. Trid. *sess.24. c.11.* actu monasteriis inseruiant intra septa Religiosorum residentes, ac sub eorum obedientia viuant, & Conseruatores ipsi non procedant, nisi iuxta bullam Gregor. XV. toties adductam, & decretum Sacræ Congregat. item sæpè relatum. colligitur autem responsio ex priuilegio bullato Pij V. concesso Dominicanis, quod refertur in *bullario tom.2. bulla Pij V. in ordine* 41. vbi expresse conceditur Conseruatoribus ab ipsis Dominicanis electis, *vt possint procedere aduersus inferentes eis, aut eorum Procuratoribus, agentibus, seruitoribus, & familiaribus in præmissis, & eorumdem alique molestias, iniurias, grauamina,* &c. quæ concessio magna est, nec videtur sublata per bullam Greg. XV. si adhibeatur iuxta dicta *q. præced.* & non aliter. Extat ad aliud priuilegium in rem præsentem, quod refert Casarub. *in comp. v. procuratores fratrum, n.13.* & nos explicauimus in *tract. de statu relig. in comm. cap.6. sect.2. q.11. §. addo*; interim consulantur Portel. *sup. v. syndicus num.5.* & Lezana *tom.2. cap.10. num.66.*

QVÆRES XXIX. An Conseruatores possint procedere contra illos, qui violentes extrahunt de Ecclesiis, aut monasteriis Religiosorum sibi commissorum reos ad illa confugientes.

Respond. posse; cum talis extractio importet ma- 130.
nifestam violentiam, ac iniuriam factam regularibus, ideóque etiam post bullam Gregorij XV. toties allegatam ad illam extendatur potestas Conseruatoris, vt vidimus *quæst.19.* Ita in terminis Peytin. *tom.3. priuil. c.12. n.13.* addens ex Rodriq. *tom.2. q.50. art.2.* excommunicationem illam, quam ij incurruot ex decreto Clementis IV. reseruari Papæ, aut Conseruatori, quoad forum fori; quamuis aliàs ex indulto Leonis X. pro foro conscientiæ ab ea possint absoluere etiam Prælati Ordinis, cui violentia illata sit: si quidem tale indultum sit bullatum; quod non est certum.

QVÆRES XXX. An Conseruatores possint prosequi causas inchoatas à suo Prædecessore, & quo iure.

Respond. videri posse, modò seruent præscripta 131.
in bulla Greg. XV. & decreto S. Congregat. superius allegatis: idque ex Conseruatoria Clement. VII. id expressè concedentis, quam putat Peytin. *tom.2. priuil. Constit.5. Greg. XV. n.48.* & non improbabiliter adhuc subsistere non obstante ea bulla Gregor. XV. dissentit tamen Rodriq. *sup. art.9.* cum Io: Andrea putans iurisdictionem Conseruatoris non durare post quinquennium, neque, quoad negotia cœpta, eo, qood Conseruatoriæ sint odiosæ, vtpote præiudicantes potestati Ordinariorum, adeóque strictè debeant interpretari: quod alij non ita facilè admittent, & absolutè negari potest attenta Conseruatoria Clementis VII. hîc relata.

QVÆRES XXXI. Qualiter procedi debeat in casu, quo Religiosi duorum Ordinum inuicem sibi Ioferant manifestam iniuriam, & vterque recurrat ad proprium Conseruatorem.

Respond. Peyr. *tom.3. priuil. c.12. n.15.* in tali casu 132.
fore locum præuentioni, ideóque posse illum solum Conseruatorem procedere, qui prior aditus fuit, *l. vn. ff. de offic. consul. & cap. cum plures, de off. deleg. in 6.* quamuis, ne se mutuò impediant, satius esset adire Papam, aut etiam eligere Arbitros, vt diximus *q.8.* cum Peytin. sentit Cespedes *sup. n.13.*

QVÆRES XXXII. Quibus mediis possint Regularium Conseruatores mandare executioni sententias à se latas.

Respond. posse, tum per censuras ecclesiasticas 133.
(vt ostendimus *q.20.*) cum inuocando brachium

sæculare

sæculare, vel etiam Episcopi, vt docet Cochier. *de exempt. p. 4. q. 11. n. 16. & seqq.* imò & incarcerando delinquentes, vt probat idem Cochier. *de conseruat. Eccl. q. 97. n. 4.* & cum eo Peyr. *supr. n. 12.* addens quod, cum Conseruatores non habeant proprium carcerem, possunt vti carceribus Episcopi, aut etiam potestatis sæcularis; nam per potentiam sæcularem adiuuari debet potestas Ecclesiastica, & potestas sæcularis ab Ecclesiastica, ordinatè tamen, nempe quando vtraque illarum pro executione iustitiæ fecit, quod poterat propria potestate (vt si potestas Ecclesiastica iam excommunicauit;) & ratio est, quod, cum *in cap. 1. de offic. ord.* dicatur præfatas potestates debere se inuicem adiuuare, eum opus fuerit; & opus non sit auxilio alieno, quando quis potest propriis viribus se tueri; sequitur implorationé brachij sæcularis, aut Episcopalis seruandum esse dictum Ordinem, itavt conseruator illud non imploret, nisi priùs contra delinquentes tulerit censuras, & vsus fuerit suis armis; quod etiam indicat Peytin. *supr. cap. 6. num. 3.* monens iure communi competere Episcopis, Abbatibus, Generalibus, Prouincialibus, cæterisque Prælatis habentibus potestatem excommunicandi, ius inuocandi brachium sæculare (idque ex *cap. periculosa, §. fin. de statu regul. in 6.*) imò & eorum delegatis, vt tradit Nauar. *in cap. cum contingat, de rescript. remed. 1. n. 1.* vnde infero ego, quod cùm Conseruatoribus, eorúmque delegatis competat facultas excommunicandi; etiam ipsi poterunt modo dicto inuocare brachium sæculare, & multò magis Episcopale: quod puto debere præferri brachio sæculari, cum sit Ecclesiasticum, & iudicem Ecclesiasticum id magis deceat, qualis est Conseruator Regularium.

Monet autem Moneta *c. 8. de Conseruatore, n. 267.* Conseruatorem posse immediatè implorare auxilium brachij sæcularis, antequam recurrat ad Ordinarium Ecclesiasticum: additque *n. 268.* illum non teneri necessariò præmittere censuras contra reum, aut alios contradictores, antequam modo dicto imploret brachium sæculare: idque ex Concil. Trid. *sess. 25. cap. 5. de regul. fine, & sad. sess. cap. 3. de reform.*

QVÆRES XXXIII. An potestas Conseruatoris Regularium possit impediri ab Ordinariis, aut à Legato de latere.

134 Respond. non posse; & colligitur ex *c. 2. de offic. iud. deleg. in 6.* etsi attentent impedire, posse Conseruatores ferre censuras contra illos, vt *in dicto cap. 2.* supponitur; seruata tamen modestia, ac reuerentia debita, itavt illis 1. interdicatur ingressus in Ecclesiam aut prohibeatur Sacerdotale Officium. 2. vt suspendantur ab officio. 3. contra eos aggrauetur Ecclesiastica censura, nimirum procedendo ad suspensionem, vel etiam ad excommunicationem, (nisi fortè aliud suaserit nimiæ contumaciæ proteruitas) quæ omnia habentur *in dicto cap. 2.* vt notat Barbosa *supr. n. 37.* ex Syluestro, Azorio, & Miranda, addens Episcopos posse petere à Conseruatoribus literas conseruatorias, etsi hi renuant illas ostendere, eos non teneri exequi sententiam ab ipsis latam, nec propterea posse excommunicari; cum sic ipsis non faciant iniuriam petendo id, quod sibi in iure conceditur.

135. Quin etiam docet Barbosa *supr.* ex Gaball. Fatin. & Laurent. posse Conseruatorem, tanquam delegatum conueniri coram iudice ordinario pro damnis, ac interesse, si delinquunt in causa, in qua est delegatus in iudicando, vel non iudicando, & non reddendo ius, & abutendo sua iurisdictione, & illam excedendo, resolutique iudici delegato resisti posse ab Ordinario, quandocumque voluerit exequi aliquid iniustum.

Addo, si quæ controuersia oriatur inter Conseruatores, & Ordinarium super competentia iurisdictionis, eam per arbitros in forma iuris electos decidendam esse, & interim non esse procedendum in causa; sic quippe statuitur, tum in Concil. Trid. *sess. 14. cap. 5.* tum in bulla Gregorij XV. centies adducta §. 7. his verbis, *Si qua vero*, inter iudices Conseruatores huiusmodi, & locorum Ordinarios super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super iurisdictionis competentia fuerit iudicatum. 136.

QVÆRES XXIV. Quas pœnas incurrant ij, qui vel impediunt, vel molestant Conseruatores Regularium, quo minùs exercere possint liberè munus suum.

Respond. incurrere excommunicationem, seu suspensionem à diuinis, & quidem ipso facto, latam in bulla Pij V. facta in fauorem Dominicanorum; quæ bulla licèt Lezanæ *n. 71.* videatur dubiæ auctoritatis, mihi tamen non videtur adeò incerta; siquidem puto eam posse suffragari, cum in dubio semper sit melior conditio possidentis, & in præsentia possessio stet pro concessione, quam constat fuisse factam; quanquam, cum talia remedia sint validè violenta, ac odiosa, non nisi rarò, & in casu necessitatis, (vt ita dicam) extremæ adhibere debeant, ad euitanda incommoda longè maiora. 137.

Sed iam dubium est, quem sensum faciat pœna prædicta lata sub forma disiunctiua sub excommunicationis, seu suspensionis à diuinis latæ sententiæ pœna:

Respond. quod, quamuis aliqui iuxta dicenda *in tract. de pœnis, cap. 1. sect. 2. quæst. 16.* putent censuram sub tali forma latam esse prorsus nullam (cum non sit maior ratio, cur incurratur potiùs vna ex dictis pœnis, quam alia;) nihilominus puto in præsenti casu, censuram sub tali forma latam esse validam, & facere hunc sensum; vt delinquens vnam dictarum censurarum determinatè incurrat, eam videlicet, quam ipse elegerit. Ita Bonac. *D. 1. de censur. in comm. quæst. 1. part. 7. n. 5.* 138.

QVÆRES XXXV. An Conseruatores Regularium recusari possint, vt suspecti à reo contra quem procedunt.

Respond. posse, si causa de qua agitur, sit talis, vt in ea reus grauari possit, (v.g. imponendo maiorem pœnam, quàm de iure illi debeatur.) Ita Barbosa *sup. num. 31.* & alij penes ipsum, patétque, quia in his terminis, & similibus, etiam in notoriis admittitur recusatio: & in ipso Concilio Trident. *sess. 14. de reform. cap. 5.* præscribitur forma, iuxta quam procedi debet, si Conseruator suspectus esse dicatur: quod vtique non faceret Concilium, si supponeret Conseruatorem recusari non posse, tanquam suspectum. 139.

QVÆRES XXXVI. An liceat appellare à sententia Conseruatoris.

Respond. licere; & probatur, tum ex praxi in hoc recepta; tum quia etsi in notoriis non admittatur appellatio, *cap. cum sit Romana, cap. peruenit, cap. consuluit, de appellat.* quia tamen in statuenda pœna potest contingere excessus, ideo admittitur appellatio. Ita Lezana *supr. num. 75.* ex Farinacio, & Barbosa, Moneta *de conseruat. cap. 9. n. 176.* Peytin. *tom. 2. priuil. Const. 5. Greg. XV. n. 6.* ex Tusch. *ver. Conseruatores, conclus. 760. n. 6.* & Anchar. *cons. 72. n. 1.* monentibus in præsenti casu non esse appellandum, nisi ad Papam, 140.

pam, & solum post sententiam diffinitiuam, aut interlocutoriam continentem grauamen, quod per diffinitiuam reparari nequest.

QVÆRES XXXVII. An conseruatores Regularium possint exigere salarium à monasterio, & quomodo.

141. Respond. non posse, cum id prohibeatur *in cap. fin. de offic. deleg. in 6. & cap. statutum, de rescriptis item, in 6.* posse tamen exigere expensas, quas faciunt extra domicilium ratione officij: idque non deducendo illas, quas alioqui fecissent domi, ita disponente iure in citato *cap. statutum, §. insuper.* Ita Cochier. *de conseruat. quæst. 13. n. 1.* addens, quod si adesset consuetudo, possent Conseruatores exigere sportulas moderatas, estò resistat ius, *in cap. cum ab omni, de vita, & honest. Cleric.*

Quod si quæras, an Conseruatores possint recipere saltem munera à monasterio ipsis commisso.

142. Respond. non posse; vt patet ex citato *cap. statutum*, quod tamen c. non habet locum in esculentis, & poculentis, quæ paucis diebus consumi possint, nempe tribus (vt notat Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 6. casu 517. n. 9.*) quamuis alij iuxta Glossam ibi id relinquant statuendum iudicio boni viri, considerata qualitate personarum dantium, ac recipientium, & causæ, ob quam dantur.

QVÆRES XXXVIII. Quas pœnas incurrant Conseruatores Regularium, si excedant limites propriæ iurisdictionis.

143. Respond. incurrere suspensionem ab officio conseruatoris per annum idque ex bulla Greg. X V. sæpiùs adducta, quæ in §. 8. sic habet, *quod si qui Conseruatores siue in hac parte, siue aliàs quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab officio Conseruatoris huiusmodi suspensi sint.* Vbi notat Lezana n. 70. quod, cum hæc suspensio sit temporalis i. per annum, hoc ipso quod elapsus est annus, statim cessat absque alia absolutione; vt constat ex doctrina quam tradunt DD. apud Suarez *D. 26. de censur. sect. 5. n. 14.*

144. Adde ex Peteyno *supr. n. 63.* ad incurrendam huiusmodi suspensionem requiri scientiam, & consequenter non incurri in casu, quo Conseruator suam potestatem excesserit ex ignorantia, quamuis crassa, ac supina: nisi fortè esset adeò crassa, vt saperet ingentem temeritatem. Ratio est, quod, quamuis in bulla illa Gregorij X V. non apponatur clausula, *scienter*, apponitur tamen *in cap. fin.* his verbis: *Conseruatores, qui scienter se intromiserint*; ac proinde, cum Greg. XV. loquens de excommunicatione, quam contrahunt qui procurant, vt Conseruator excedat suam potestatem, se remittat ad præfatum *cap. fin.* probabile est eundem Gregorium intendisse, quod etiam dicta suspensio incurratur iuxta formam *enarrati capitis finalis*; vnde fit, vt, sicut non incurritur illa excommunicatio, nisi interueniente scientia, sic nec incurratur ista suspensio, nisi supposita scientia; qua de re Suar. *D. 31. sect. 3. num. 17.* Sanch. *lib. 9. de matrim. D. 32. n. 36 & 39.* aliique.

QVÆRES XXXIX. Quam pœnam incurrat pars procurans, vt Conseruator excedat modo dicto limites suæ iurisdictionis.

145. Respond. incurrere excommunicationem ipso facto, à qua nequit absolui, nisi ei, quem indebitè eo pacto molestauit, priùs integrè satisfecerit de expensis; sic enim habetur *in citato, cap. final.* quod Gregorius X V. innouauit, in sua Constitut. dicens §. 8 *& pars, quæ hoc fieri procurauerit*, (quod scilicet Conseruator excedat suam iurisdictionem,) *sententiam excommunicationis incurrat iuxta formam alterius Constitut. eiusdem Bonifacij prædecessoris*, &c.

Notat autem Peyrin. *supr. n. 65.* quod licèt *in cap. fin.* relato non extet clausula, *ipso facto*: ex eo tamen quod ibi dicitur, *incurrat*, videtur colligi talem excommunicationem eo ipso incurri: quod etiam notauit Gloss. *ibi*, adde, quod sicut talis excommunicatio ante compensationem expensarum est reseruata Papæ, sic facta ea compensatione, simpliciter non est reseruata.

QVÆRES XL. Quibus priuilegiis gaudeant Conseruatores Regularium.

146. Respond. gaudere tum participatione bonorum operum, quæ fiunt in religione ipsi commissa (idque ex indulto bullato Iulij I I. concesso conseruatoribus Patrum Minimorum relato à Peyr. *tom. 5. priuil. Const. 4. Iulij I I.* quod puto cadere sub communicationem priuilegiorum, adeóque esse commune aliis Ordinibus,) tum etiam variis, ac magnis indulgentiis, & præsertim plenaria omnium peccatorum in morte, & semel in vita ab eodem Iulio I I. Conseruatoribus eorumdem PP. Minimorum concessis per bullam; vt videre est penes eundem Peyrium *supr. Const. 1. Iulij I I. §. 39.*

Quas autem pœnas incurrant Regulares eligendo Conseruatorem non seruata forma Constitutionis Gregorij XV. toties allegatæ constat ex dictis *in tract. de pœnis, cap. 6. sect. 1. num. 36.*

QVÆRES XLI. Quando expiret iurisdictio Subconseruatoris.

147. Respond. expirare per mortem naturalem Conseruatoris, quoad negotia non cœpta. Ita Moneta *de conseruat. cap. 10. num. 255.* ex Ancharano *cap. licèt vndique, quæst. 5. de offic. deleg.* etsi alij dissentiant, alitérque distinguant, & quidem probabiliter iudicio Sanchez *lib. 8. de matrim. D. 28. num. 36.* probatur responsio tum ex *cap. relatum, & cap. gratum, de offic. deleg.* necnon ex *cap. fin. §. officium, de offic. deleg. in 6.* quæ iura etsi loquantur de morte primi delegantis respectu eius, qui immediatè fuit delegatus, tamen, cum sit eadem ratio in morte delegati respectu subdelegati, idem quoque ius in casu statuendum est, *l. illud, ff. ad leg. Aquil.* cum subdelegatus sit quidam delegatus, ideóque quod de hoc dicitur, de eo dispositum censeatur; tum ex *l. & quia, §. ideóque, ff. de iurisd. omn. iudic.* vbi generatim dicitur, quod si is, qui mandauit iurisdictionem, decesserit, antequam res ab eo, cui mandata est iurisdictio, geri cœperit, soluitur mandatum.

Quod si conseruator ciuiliter moriatur (eo quod seruus fiat, aut banniatur) Subconseruator item amittit exercitium iurisdictionis quoad negotia non cœpta. Ita Moneta *supr. num. 263.* & patet, quia ratio ob quam per mortem naturalem delegantis expirat iurisdictio in delegato, antequam ea vtatur, est, quod ea non transit efficaciter in delegatum, sed manet penes delegantem, *cap. quamuis, de offic. deleg. in 6.* hæc autem ratio procedit etiam in morte ciuili; cum per hanc iura amittantur, inter quæ numeratur iurisdictio delegata.

Addit Moneta *num. 267.* Subconseruatoris iurisdictionem expirare quoad negotia non cœpta, si conseruator priuatus sit officio: probátque tum quia iurisdictio illa est accessoria, adeóque corruit, corruente principali; tum ex *l. Cassius, ff. de Senator.* quin etiam idem dicendum est in casu, quo officium conseruatoris expiret per lapsum temporis præstituti, aut per renunciationem officij factam à Conseruatore, aut per renunciationem impetrationis, seu electionis conseruatoris, aut per reuocationem talis electionis; nam in his casibus expirante officio, ac iurisdictione in Conseruatore, siue quoad

negotia

negotia cœpta, siue qooad non cœpta, expirat item in Subconseruatore solùm, qooad non cœpta; excepto tamen lapsu temporis ob ea, quæ latè habet Moneta *vbi supr. n.* 334.

Accedit, quod per excommunicationem, aut suspensionem Conseruatoris, vel simpliciter, vel à iorisdictione, vel ab officio non expirat, sed solùm suspenditur iurisdictio, ac officium in Subconseruatore, quoad negotia non cœpta: patétque ex dictis hic *quest.* 13. 5 *addit Moneta:* qui *num.* 284 bene monet per excommunicationem, aut suspensionem ipsius Subconseruatoris latam simpliciter, vel à iurisdictione, vel ab officio non expirare in eo iurisdictionem, ac officium ipsi commissum, sed solùm suspendi, donec Subconseruator absoluatur à dictis censuris.

Notat præterea Moneta *num.* 277. qood, sicut moriente vno ex doobus Conseruatoribus datis simul, non autem in solidum, in altero etiam expirat officium Conseruatoris; cùm sint loco vnius tantùm, & omnes iodicare iusti sint, *l. duo ex tribus, ff de re iudic. cap. causam matrimonij, de offic. deleg.* & similibus; ita si dentur duo Subconseruatores simul, per mortem alterius illorum expirat tota eorum iurisdictio, ac officium, ex *cap. si duo, de offic. deleg. in 6.*

Quòd si quæras, quæ forma eligendi, ac instituendi Conseruatorem adhiberi possit à Regularibus.

Respond. posse adhiberi illam, quam addidit Peyrinos *in Formulario, in litt. C. cap.* 20. mutatis aliàs mutandis: videlicet, *Frater N. Ordinis N. Generalis Illustriss. Domino N. Episcopo N. salutem in Domino. Sedes Apostolica Regularium personarum, quæ relicto sæculo Dei sese obsequio manciparunt, quieti, ac tranquillitati consulere cupiens ad ea, quæ religiosum earundem propositum impedire possunt, remouenda, sollicitè semper, ac paternè intendit. Contuens igitur, refrigescente charitate, sic complurium iniquitatem abundare, vt succensa, veluti ignis eorum impietas, contra Ecclesias, ac Regulares personas, eò validius inflammetur, quò eas infirmiores esse, vel qui easdem tueantur, rariores cernit comperiri: huiusmodi molestatoribus, præsumptoribus, atque iniuriosis hominibus sese opponere, eorundemque temeritatem compescere, quam maximè cupiens, viros grauitate, auctoritateque præcellentes, necnon in Ecclesiastica dignitate constitutos, qui eas ab apertis iniurijs, & vexationibus tuerentur in Protectores, Conseruatoresque eligendi facultatem gratiosè concessit, ac liberaliter impertiuit. Quo sanè beneficio nostræ Prouinciæ N. Patres frui peroptantes in suo Prouinciali Capitulo nuper in Conuentu S. N. Ciuitatis N. die 29. Septembris anno 1634. celebrato, Illustrissimæ vestræ Dominationis pietati, virtuti, doctrinæ, ac zelo, necnon in agendis prudentiæ summopere fidentes, vnanimi voce, ac suffragio eam pro futuro duntaxat quinquennio in Conuentus N. Conseruatorem libentissimè elegerunt; quatenus, videlicet iuxta canonicas Sanctiones, sibique ab Apostolica Sede concessa priuilegia, efficacis suæ defensionis præsidium, vt res postulauerit, eidem præstare, ac exhibere non dedignetur. Nos prudentiam, doctrinamque vestram, religiosas virtutes, ac regiminis experientiam probè cognoscentes, maxima sumus ob huiusmodi electionem affecti iucunditate, vestri numinis clypeo, consilio itidem, beneficio, ac virtute non parùm sperantes, impiorum, perditorumque hominum molestias, vexationes, iniurias facillimè delusuros. Quamobrem præsentium tenore, ac vi præfatam Dominationis vestræ electionem notam facimus, eandemque, quantum officij nostri ratio postulat, laudamus, approbamus, & confirmamus cum omni ea auctoritate, & potestate, quâ iuxta canonicas Sanctiones, & nostri Ordinis priuilegia Regularium Ordinum Conseruatores frui valent, ac gaudere. Quod præterea officium, & munus, vt alacriori, promptiorique animo Illustrissima Dominatio vestra suscipiat, ac exequatur, eam ad omnium spiritualium bonorum, quæ per vniuersi nostri Ordinis Fratres, ac Sorores Auctor bonorum Deus sua misericordia fieri donauerit, communionem, participationemque libentissimè admittimus. In quorum fidem, &c.*

Sectio V.

De Protectore solito concedi Regularibus.

QVÆRES I. An expediat quod vniculque Ordini religioso deputetur aliqois Cardinalis in Protectorem.

Respond. expedire, si deputatus Protector non excedat limites sui muneris, seque exhibeat, qualem, teste Cæsarubio *in compend. v. Protector, n.* 1. descripsit Gregorius IX. & nos ipsi proponemus *q.* 5. 148. Probatur autem sponsio, tum quia etiam ex cælesti hierarchia administratorij spiritus assignantur, non solùm in custodes singulorum hominum, sed etiam in Protectores Regnorum, ac Prouinciarum, vt docet S. Basilius *lib. 3. contra Eunom.* tum quia S. Franciscus Minorum Institutor cælesti visione monitus fuit

fuit ab ipso Deo, vt ab Honotio III. peteret Cardinalem in Protectorem sui Ordinia, & de facto petiit, & obtinuit Cardinalem Hugolinum, qui postea fuit Giegorius IX. tum, quia Religiosi indigent patrocinio viri, qui & possit, & sciat, & velit tueri, ac seruare iura Ordinis, eius bonum promouere, occurrere malis imminentibus, ac malignos inimicorum auersantium conatus reprimere; hæc verò omnia opportunè, & commodè potest præstare Cardinalis Protector, qui cum resideat Romæ, assistat Papæ, & intersit conuentibus, in quibus negotia Regularium tractantur, facillimè potest auertere ab Ordine ipsi commisso malum imminens, eiusque bonum, tam spirituale, quam temporale vtiliter curare.

Dixi, *si deputatus Protector non excedat limites sui muneris*, si enim excedat se intromittendo in rebus spectantibus ad officia, gubernationem, ac correctionem Religionis, ac promouendo ad munia speciosiora Ordinis eos, qui cum nullum virtutis, doctrinæ, prudentiæ, ac probitatis meritum habeant, Principum, ac Prælatorum fauores captant, & per literas eorum commendatitias curant assequi officia, dignitates gradus, ac prælatutas Ordinis; tunc sine dubio non expedit Religionibus babere Protectorem; cum sic dici possit destructor potius, quam protector. Quod tamen credendum est non euenire; cum Papa non soleat eligere in Protectores Ordinum religionum, nisi Cardinales singulari prudentia, doctrina, integritate, ac zelo religionis instructos: quales ij solent describi in literis pontificiis, quibus ad tale munus deputantur; vt videre est *in Constit. Pauli V. in ordine* 53. ad talem effectum edita, quæ sic habet: *Cum Ordo Fratrum Minorum Conuentualium S. Francisci Protectore ad præsens destitutus reperiatur, Nos eidem Ordini de idoneo Protectore prouidere volentes, ac de tua industria, singulari prudentia, doctrina, & integritate, ac religionis zelo plurimam in Domino fiduciam habentes*, &c. Cum ergo tales eliguntur Religionum Protectores, credi potest communiter expedire Religionibus, habere Protectorem; maximè si te vera se exhibeat qualem se præstitit Cardinalis Hugolinus primus Ordinis Minorum protector, de quo ait Vading. *in annal. Minorum anno* 1217. *num.* 8. quod super Minores constitutus factus est quasi vnus ex eis, nihil tam curans, quam vt à molestiis, & iniuriis vbique terrarum defenderentur, ab Ecclesiarum Prælatis fouerentur, amicè reciperentur & per vniuersas Orbis prouincias ad omnium salutem defenderentur.

QVÆRES II. Ad quem finem deputentur protectores Ordinibus religiosis.

149. Respond. deputari ad eorum defensionem, conseruationem, dilatationem, tutelam, ac protectionem; vt scilicet illorum iura, exemptiones, ac priuilegia tueantur; vt opportunis mediis eorum conseruationi insistant, vt eorum augmentum efficaciùs procurent, vt eos protegant ab Aduersariorum violentiis, vt ipsorum bonum, tam spirituale, quam temporale omni studio, ac sedulitate procurent, vt Prælatorum Regularium auctoritatem sustineant, etiam contra religiosorum subditorum contumaciam, vt prauis abusibus contra regularem disciplinam assurgentibus se constanter obiiciant, vt scientiarum studia promoueant; studiosorum alacritatem fouendo: vt denique se tales præstent, quales nomen ipsum Protectoris requirit; quamuis ita intelligi debeant cum moderationibus inferiùs apponendis.

QVÆRES III. Qualem potestatem habeant Protectores regularium in Ordines sibi commissos,

Respond. quod, cum talis potestas fuerit varia pro temporum varietate iuxta Pontificium decreta, Cardinalium Protectorum conditionem, ac temporum rationem: & quidem modò amplior, modo arctior (vt ostendit Lezana *tom. 2. cap. 9. num. 3.* ex Casarubio *vbi sup.* & Rodriquez *tom. 3. quæst. 42. art. 1. & 2.*) illud vnum hîc certò dici potest, auctoritatem Protectoris hisce temporibus colligendam esse ex consuetudine legitimè præscripta, ex variis decretis summorum Pontificum, ac declarationibus sacrarum Congregationum hac de re editis, & maximè ex literis, quibus Papa solet committere Cardinalibus munus protectoris. Hæ autem, cum, teste Cherubino *in bullario tom. 3. Constit.* 53. *Pauli V. citat.* ferè sint eiusdem rationis; hîc solum supponam partem literarum, quas dictus Paulus V. dedit Cardinali Lantes, quando illum constituit Protectorem Ordinis Minorum; vt hinc aliarum tenor colligatur; inquit ergo Paulus V. in *citat. Constitut. Volumus autem, ac tibi in virtute sanctæ obedientiæ per præsentes easdem iniungimus, & mandamus, vt Superiorum dicti Ordinis auctoritatem, quantum fieri poterit, conseruare cures; & propterea, cum ipsi Superiores eorum officio debitè satisfecerint, ac guberntio subditorum sufficienter incubuerint, tunc negotiis eorumdem Fratrum te non immisceas: quando autem ab ipsis fueris requisitus, vt in eisdem negotiis auctoritatem interponas, vel necesse fore cognoueris, vt eamdem auctoritatem tuam in eiusdem negotiis exerceas tunc id liberè facere possis sed quoad potueris, per te ipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quando opus fuerit in eisdem negotiis, seu causis loco Notarij aliquo ex Fratribus dicti Ordinis*; hæc Paulus V. ex quibus patet, quo casu protectores religionum debeant se immiscere in negotiis Ordinis sibi commissi, quando debeant interponere suam auctoritatem, & circa quæ extendatur illorum potestas; tenor autem istarum literarum benè memoria restituendus est, & occurrente dubio de potestate Protectoris sedulo, ac maturè examinandus, vt sic probabiliter decidi possit id, quod controuertitur. 150.

Quæ omnia confirmantur ex literis protectionis ab Innoc. X. sub. 20. Sept. 1645. datis protectori Ordinis S. Hieronymi Fesulani in hæc verba: *Volumus autem, vt Congreg. prædictam foueas, & protegas, ac tibi in virtute S. Obedientiæ mandamus, vt Superiorum dictæ Congregationis authoritatem quantum fieri poterit, conseruare cures, ac propterea ipsis Superioribus regimen, & gubernium subditorum penitus relinquas, nec in negotiis eorum Fratrum te immisceas, nisi ab ipsis Superioribus requisitus fueris, vt in iisdem negotiis authoritatem tuam interponas; & tunc si omnino necessarium fore cognoueris, vt eamdem authoritatem tuam in iisdem negotiis exerceat, tunc id facere possis, sed quoad potueris, per te hoc ipsum facere cures, adhibito ad scribendum, quando opus fuerit, in iisdem negotiis, seu causis loco Notarij aliquo ex Fratribus dictæ Congregationis.*

QVÆRES IV. An Protectores Religionum possint delegare suam potestatem, tam generaliter, quam in casu particulari.

Respond. posse, si iusta causa id faciendi occurrat; & probatur, tum ex verbis illis, *Quoad potueris per ipsum hoc facere cures*, quæ extant in literis Pauli V. superius adductis: iis enim supponitur Protectorem posse suum munus exercere, etiam per alium seù alios hoc ipso, quod monetur facere per se ipsum, quoad potuerit: tum, quia siue potestas com- 151.

petens

petens Protectori sit ordinaria, siue delegata occurrente iusta causa, poterit delegari; cum communiter delegari possit potestas, tam ordinaria (quod omnes concedunt) quam delegata, si delegatio sit facta à supremo Principe, aut ad vniuersitatem causarum (vt in casu nostro:) quod tradunt Sylu. *v. delegatus num.* 12. & alij cum Glossa *in cap. cum causam, de appellat.*

Quod si quæras, an Protector facere possit talem delegationem etiam in casu, quo agatur de visitatione, aut reformatione alicuius prouinciæ, aut Monasterij Ordinis commendati in protectionem.

152. Respond. posse; dummodò deleget suas vices alicui Religioso, aut aliquibus religiosis eiusdem Ordinis, non autem alij personæ extraneæ. ita Lezana *supr. num.* 20. patétque, tum ea priuilegio bullato Innocentij VIII. quoad hoc facto Cistetciensibus, & relato à Rodriq. *supr. quæst.* 77. *art.* 9. (quod puto per viam communicationis competere etiam aliis Ordinibus participantibus de priuilegiis Cisterciensium;) tum, quia Visitator, seu reformator debet esse informatus de Regula, ac Instituto religiosorum, quorum intenditur reformatio; vt colligitur *ex cap. officij, de elect.* & ex Concilio Triden. *sess.* 25. *cap.* 20. *de regul.* tum, quia id innuit Paulus V. *in citatis*, dum ait *adhibito ad scribendum, quando opus fuerit in eisdem negotiis, seu causis loco Notarij aliquo ex Fratribus dicti Ordinis*; sic indicans protectorem debere consulere bono nomini, ac famæ Ordinis sibi commissi: quod vtique non faceret, si absque necessitate in procuranda illius reformatione vteretur opera virorum sæcularium, aut etiam Religiosorum alterius Ordinis, iis manifestando excessus, ac defectus, qui in eo Ordine passim committuntur.

Qværas V. An Protector Regularium dici possit in rigore Prælatus Ordinis commissi æquè ac Generalis, Prouincialis, & Superior localis.

153. Respond. videri non posse: & colligitur, tum ex bulla Greg. IX. relata à Cæsarubio *loco supr. cit.* in qua Papa Cardinali Protectori Fratrum Minorum districtè prohibet, ne se intromittat in rebus pertinentibus ad officia, & gubernationem, seu correctionem Fratrum dicti Ordinis, nisi in certis casibus: & quod præfati Fratres ad Protectorem, tanquam ad Prælatum pro licentia, vel aliis similibus gratiis recurrentes grauiter puniantur, & quod actibus legitimis, ac officiis ordinis in pœnam ipso facto sint suspensi; tum ea alia bul. Sixti IV. à Rodriq. relata *in suo bullario Consi. Sixti IV. in ordine* 5. cuius tenor est, quod *Protectores Ordinis Min. non possint statuta Ord. corrigere, dispensare, seu immutare, Prælatos, seu Officiales ponere; aut deponere; ad lecturam, vel gradum aliquos promouere, aut ab eisdem remouere; de loco ad locum aliquem Fratrum mutare, aut licentiam aliquò eundi impartiri, quemquam punire, aut à pœna liberare; res Ordinis alicui concedere, aut concessas amouere, de rebus, aut correctione Fratrum, nisi in quibusdam casibus se aliquatenus intromittere*, &c. Vnde sic arguo: Ille non potest verè, ac propriè dici Prælatus regularis, cui non licet exercere actus proprios Prælati regularis, & qui communiter competunt Prælatis regularibus; at Protectoribus Religionum in bullis citatis negantur ea, quæ possunt fieri à Prælatis Regularibus; ergo ij verè, ac propriè non sunt Prælati Regularium. Dico, *verè ac propriè*, quia latè, & minus propriè illi possunt dici Prælati Ordinis commissi, quatenus scilicet sunt Commissarij Apostolici, Vicarij delegati, & Locumtenentes Papæ in hia, quæ concernunt bonum regimen Ordinis: quicumque enim habet curam animarum, etsi delegatam, dici potest aliquo modo Prælatus; vt notauit Glossa *in cap. tua nos; de Clerico ægrot.*

154. Neque ex eo quod limitatio potestatis Protectorum contenta in bullis adductis est facta in specie solùm quoad Fratres Minores (vt colligitur ex tenore illarum) sequitur talem limitationem non debere extendi ad Protectores aliorum Ordinum, ideóque saltem istos respectu Ordinum ipsis respectiuè commissorum, posse vere & propriè dici Prælatos; cum enim talis limitatio potestatis sit fauorabilis Religionibus, non est dubitandum, quin cadat sub generalem communicationem priuilegiorum, sicque afficiat etiam Protectores aliorum Minorum; vt constat ex alibi dictis non semel. Quæ ratio etiā probat suspensionē illam ab actibus legitimis, ac officiis Ordinis, quam diximus incurri à Fratribus Minoribus ex bulla Gregorij IX. si ad Protectorem recurrant pro licentiis obtinendis, vel aliis similibus: eam incurri etiam à Religiosis aliorum Ordinum participantium de priuilegiis Minorum, si qua in re dictam bullam violent; quamquàm Cæsarub. *supr.* ex Corduba, notet dictam suspensionem non amplius subsistere, neque respectu ipsorum Fratrum Minorum, attenta bulla Sixti IV. ab eodem Cæsarubio relata *v. statuta Ordinis, num.* 1. in qua cum reuocatæ sint omnes pœnæ statutorum, ac declarationum, etiam Papalium latæ contra Fratres Minores, & reuocata censeri debet dicta suspensio, adeóque non amplius ligabit.

Quod, si dicas hinc sequi valdè leuem esse potestatem Protectorum, quæ tamen potius deberet esse valdè ampla ad tale munus rite obeundum,

Respond. quod, cum iuxta dicta proprium, ac præcipuum munus Protectoris sit, vt auctoritatem Prælatorum Ordinis commissi sustineat, & omni meliori modo conseruet, non autem vt sit Superior, aut Iudex Ordinis; mirum non est citatis bullis ei denegari plures actus, qui alioqui conceduntur Prælatis Regularibus; si quidem illorum vsus spectat ad munus Superioris, aut Iudicis, non autem Protectoris vt sic. 155.

Qværas VI. An potestas Protectoris se extendat etiam ad Moniales Ordinis, nec non ad Tertiarios, & Oblatos, seu Donatos.

Respond. se extendere; cum deputatus in Protectorem alicuius Ordinis absolutè, & simpliciter dicatur Protector Ordinis, & intra Ordinem comprehendantur non solùm Moniales, sed etiam Tertiarij, & Oblati, seu Donati, vt patet. Et quidem, quod spectat ad Moniales, extat bulla Vrbani IV. relata à Cespedes *supr. num.* 3. quæ sic habet: *Moniales S. Claræ esse subditas Cardinali, qui pro tempore fuerit Protector Ordinis Fratrum Minorum, & illi teneri firmiter obedire: & quod tam per se, quam per viros idoneos quoties Protector expedire viderit, visitationis officium impendere studeat corrigendo, & reformando tam in capite, quam in membris, quæ correctionis, & reformationis officio nouerit indigere*, quæ concessio cum sit fauorabilis, cadit sub communicationem priuilegiorum, esto in specie facta sit solùm pro Monialibus S. Claræ; sicque ea frui poterunt etiam aliæ Moniales per viam communicationis. 156.

Qværas VII. An, & quando Protectores possint visitare aliquam prouinciam, aut monasterium Ordinis commissi ad ea reformanda.

Respond. posse, siue de hoc requirantur à Prælatis Ordinis, siue ipsimet cognoscant id esse necessarium & Prælatos regulares in hoc minùs satisfacere propriæ obligationi. Colligitur ex verbis illis, quæ habentur 157.

bentur in literis Pauli V. relatis *quæst.* 3. nimirum, *quando autem ab ipsis fueris requisitus, vt in eisdem negotiis auctoritatem interponas, vel necesse fore cognoueris, vt eamdem auctoritatem tuam in eisdem negotiis exerceas, tunc id liberè facere possis*; & probatur, tum quia præcipuum munus Protectoris est conseruare statum spiritualem Ordinis commissi incolumem; ad hoc autem nihil magis potest conferre, quàm procurare reformationem disciplinæ regularis, quæ fortè sit ex parte relaxata; tum quia iuxta literas Pauli V. allegatas, potest Protector se immiscere in negotiis Ordins, si de hoc requiratur, aut ipsemet videat id esse necessarium; at visitatio Ordinis, eiusque reformatio est negotium maximum, & grauissimum; Ergo Protector in eo poterit se immiscere.

QVÆRES VIII. An Protectores possint condere statuta perpetua, aut certè imponere præcepta temporalia Religiosis in ipsorum protectionem traditis.

158. Respond. attenta præcisè auctoritate, quam habent ex literis protectionis, communiter non posse ferre, neque statuta perpetua, neque præcepta temporalia; cum hoc tamen discrimine, quod statuta absolutè, & simpliciter non possunt condere, nisi id ipsis in specie concedatur (& hoc ob doctrinam, quam tradunt Doctores cum Suarez *lib.* 1. *de leg. cap.*8. *num.*8.) præcepta verò imponere possunt, quotiescumque occurrit casus, quo iuxta dicta ipsi possint se immiscere in negotiis, & causis Ordinis commissi; sicut enim ideo non possunt absolutè ferre præcepta, eo quod non possunt absolutè, ac generaliter se immiscere in negotiis, & causis Ordinis commissi; sic si detur eos posse in aliquibus negotiis Ordinis se immiscere (vti reuera possunt) dandum etiam est illos tunc posse imponere aliqua præcepta, cum hoc sit omnino necessarium, vt patet.

An autem Religiosi teneantur obedire proprio Protectori ex voto obedientiæ, & is possit eis præcipere in virtute Sanctæ Obedientiæ, constat ex dictis in *tract. de votis, cap.*4. *sect.*4. *quæst.*7. vbi partem negantem sustinuimus.

QVÆRES IX. An Protectores Regularium possint ipsis concedere facultatem eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis Ordinis.

159. Respond. videri posse: quamquam, si contingat Superiorem regularem indiscretè denegare dictam facultatem, adeoque occurrat casus, in quo Protector possit interponere suam auctoritatem iuxta dicta *quæst.* 3. tunc possit cogere Superiorem regularem, vt concedat eam facultatem. ratio responsionis sumitur, tum ex bulla Gregorij XI. in ordine 4. quatenus Papa ibi negando Protectori Minorum facultatem dispensandi super statutis Ordinis, tacitè videtur etiam illi auferre potestatem concedendi facultatem tam eligendi Confessarium, quam absoluendi à reseruatis; tum maximè ex literis Pauli V. sæpe relatis, in quibus Papa iniungit Protectori, vt Superiorum Ordinis auctoritatem quantum fieri potuerit, conseruet, vnde sic potest argui: tenetur Protector curare, vt quantùm fieri potest, conseruetur auctoritas Superiorum Ordinis commissi, & consequenter ad talem effectum debet adhibere media opportuna; at medium opportunum est, vt Religiosi subditi, quoad electionem Confessarij, ac reseruatorum absolutionem immediatè subiaceantur Prælato regulari; ergo Protector non potest; nec debet in his regulariter se immiscere.

160. Dixi sub initium responsionis, *quamquam, si contingat Superiorem regularem indiscretè denegare*, etiam quia, dato tali casu, sicut potest Protector interponere suam auctoritatem, sic & poterit cogere Superiorem regularem, vt facultatem indiscretè denegatam concedat: ne aliàs interpositio auctoritatis sit inutilis, ac frustranea.

QVÆRES X. An Protector possit tueri Ordinem sibi commissum in omnibus causis, & contra quascumque personas quantumuis qualificatas.

Respond. posse ex indulto Sixti IV. facto Prote- 161.
ctori Carmelitarum per bullam relatam à Rodriq. *in suo bullario* 37. *in ordine, quæ num.* 108. sic habet; *Et nihilominus dicti Ordinis* (Carmelitarum) *Protectori qui pro tempore erit, mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios præmissa vbi, & quando opus fuerit, solemniter publicantes, ac eisdem Fratrum Gloriosissimæ V. Mariæ de monte Carmelo Ordini, illiusq; domibus, & professoribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant eos pacifica possessione, vel quasi priuilegiorum, & concessionum huiusmodi gaudere, non permittentes eos, seu testamentorum executores, & hæredes prædictos contra illum tenorem per Ordinarios, & Protectores prædictos, aut quoscumque alios indebitè molestari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari, aut etiam summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij sola facti veritate inspecta contra quoscumque cuiuscumque qualitatis, vel conditionis existant, & quacumque Ecclesiastica, etiam Patriarchali, Archiepiscopali, aut Episcopali, aut mundana forent dignitate, & exemptione muniti in quibuscumque causis per eos mouendis quacumque ratione, vel causa excogitari posset, eis ministrent iustitiæ complementum: exequentes, quod per eos fuerit ordinatum, & illos, quos censuras, & pœnas supradictas incurrisse constiterit, illos irretitos esse declarent, & faciant & mandent interdictos, suspensos, & excommunicatos publicè nunciari & ab omnibus arctius euitari, ac legitimis super his habendis seruatis processibus illos, quoties opus fuerit, auxilio brachij secularis. non obstantibus prædictis Bonif. VIII. quibus cauetur, ne quis extra suam ciuitatem, & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & illis vltra vnam diœtam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede Apostolica deputati extra ciuitatem, & diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij vel alij vices suas committere præsumat, & de duabus diætis in Concilio generali, nec non quæ incipit Super cathedram Bonifacij prædicti, & dudum Vienn. Concilij, ac recolendæ memoriæ Callixti Papæ III. etiam prædecessoris nostri literis, aliisque Apostolicis, ac etiam in prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, & generalibus.*

Vbi noto non solùm concedi Protectori Carme- 162.
litarum amplissimam facultatem promulgandi, & conseruandi priuilegia Ordinis, sed etiam ipsummet Protectorem constitui veluti Conseruatorem eorumdem Carmelitarum, & quidem pro omnibus omninò causis, quæ quoquo modo ei occurrere possunt: vt constat ex verbis illis: *In quibuscumque causis per eos mouendis quacumque ratione, vel causa, quæ excogitari posset, eis ministrent iustitiæ complementum.* Vnde, quæ diximus *sect. præced.* de Conseruatore Religionum, proportionaliter etiam procedunt de Protectore; cum hac tamen differentia, quod, quamuis auctoritas Conseruatorum sit valdè restricta, ac diminuta, præsertim per bullam Gregorij XV. talis tamen restrictio non videtur extendi ad Protectores, pro vt modo dicto obeunt munus Conseruatores: siquidem bulla Gregorij XV. loquitur solùm de auctoritate concessa Conseruatoribus modo communi, ac ordinario designatis ab ipsismet

Religiosis

Religiosis vigore literarum Apostolicarum ad talem effectum iis concessarum; non autem de illa, quæ competit per immediatam Papæ concessionem absque vlla deputatione, designatione, aut instantia Religiosorum: qualis est ea, quam habent Protectores Religionum, pro vt funguntur etiam munere Conseruatoris. ita Lexana *tom. 2. cap. 9. num. 14.* monens de tali indulto Sixti IV. participare etiam Religioso aliorum Ordinum, si alioqui participent de priuilegiis Carmelitarum.

Quod si hac occasione quæras, an credendus sit Cardinali Protectori asserenti se habere viuæ vocis oraculum à Papa circa concessionem alicuius priuilegij, aut aliquid aliud simile.

163. Respond. credendum esse; quamuis, quod spectat ad priuilegia, post decretum Vrbani VIII. cassans, & abrogans omnia viuæ vocis oracula etiam firmata à Cardinalibus: talis doctrina non amplius subsistat, nisi cum moderatione paulo post adducenda. & ratio est tum quia in causis commissis Cardinalibus eorum dicto fides adhibetur teste Azorio *tom. 2. lib 4. cap. 3. quæst. 20.* tum quia de stylo Curiæ omnibus Cardinalibus credendum est, vt tradit Tuschus *v. Cardinalis, concl. 103. num. 2.* quamquam aliqui apud Dianam *part. 5. tract. 13. resol. 31.* id limitent, nisi agatur de præiudicio tertij.

164 Dixi, *quamuis quod spectat ad priuilegia post decretum Vrbani VIII.* vt innuerem hisce temporibus priuilegia viuæ vocis oraculo concessa non acquirere firmitatem ex attestatione Cardinalium; idque ex decreto Vrbani VIII. quod tamen, teste Lexana *supr.* se extendit solùm ad viuæ vocis oracula continentia gratias, facultates, licentias, ac priuilegia eorea concessa; quod est bene aduertendum.

Qværes XI. An Protector possit punire Religiosos Ordinis sibi commissi, si delinquant, & aliàs non puniantur à Prælatis Regularibus.

165. Respond. quod, quamuis, attenta bulla Gregorij XI. videantur non posse: cum id expressè ipsis prohibeatur; stantibus tamen literis Pauli V. (quibus diximus fere similes esse literas protectionis dari solitas Protectoribus Religionum) videntur posse in casu, quo Prælati regulares in hoc suum munus non expleant. Colligo ex verbis illis, quæ habentur in præfatis literis Pauli V. *Quando autem ab ipsis fueris requisitus, vt in eisdem negotijs auctoritatem interponas, vel necesse fore cognoueris, vt eandem auctoritatem tuam in eisdem negotiis exerceas, tunc id liberè facere possis;* cum enim in Religionibus expediat, imò necessarium sit, vt delicta non maneant impunita; si Protector videat in Ordine sibi commendato graue aliquod delictum non puniri ex incuria Prælatorum regularium, æquum est, vt suam ipse interponat auctoritatem, illudque debita pœna puniat; idque ex potestate ipsi concessa in literis Pauli V. citatis, quas proinde dicendum est derogasse quoad hoc bullæ Gregorij XI. id expressè prohibenti.

Qværes XII. An Protector possit dispensare cum Religiosis Ordinis sibi commissi in pœnis laris, siue ex iure pontificio, siue ex peculiaribus statutis Ordinis, siue alio modo.

166. Respond. videri non posse, nisi id in specie et concedatur in literis protectionis mouent tum quia bulla Gregorij XI. id expressè prohibetur, its verbis *aut à pœna liberare;* tum quia aliàs non videtur sustineri authoritas Superiorum Ordinis, sicut intendit, & præcipit Paulus V. in dictis literis dicens, *Mandamus, vt Superiorum dicti Ordinis auctoritatem, quantum fieri potuerit conseruare cures:* cum tamen Superiorum auctoritas magis conseruetur, si subditi adstringantur ipsos adire, vt liberentur à pœnis, sicque etiam quoad hoc ipsis subiiciantur seruata debita subordinatione.

Nec refert si dicas, quod in decreto sacræ Congregationis edito iussu Vrbani VIII. de eiectis, & apostatis omninò interdicitur Superioribus regularibus, etiam Generali, ac Protectori, ne moderentur, aut relaxent pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ latam contra transgressorem dictorum decretorum: quod est signum, seclusa tali prohibitione Protectorem Regularium posse dispensare in ea pœna; aliàs talis prohibitio esset inutilis, & nullo modo necessaria.

Respond. enim negando hinc colligi, quod, seclusa tali prohibitione posset Protector dispensare in ea pœna, nam in Constitutionibus Pontificiis, ac decretis sacræ Congregat. non est nouum apponi clausulas minùs necessarias, siue ad abundantem cautelam, siue ad indicandam enixiorem voluntatem circa rem, de qua disponitur; quo modo censeo in præfato decreto sacræ Congregat. expressè sublatam fuisse facultatem dispensandi in illa pœna etiam ipsi Protectori: non quod talis facultas ei aliàs competat, sed vt inde constet, quam efficaciter velit sacra Congregatio illam pœnam esse reseruatam Papæ. vnde constat Protectorem ratione sui muneris non posse dispensare, neque in pœna, de qua est sermo in citato decreto, neque in aliis similibus pœnis, quæ fortè incurrantur à Regularibus Ordinis sibi commendati. 167.

Qværes XIII. An Protector in casu, quo potest suam interponere auctoritatem, & se immiscere in negotiis Ordinis commissi, procedere possit per censuras contra Religiosos dicti Ordinis.

Respond. quod, licèt prima facie videri possit probabilis pars affirmans, quam sequitur Salcedo, apud Sanch. *lib. 7. de matr. D. 33. num. 22.* in casu non dissimili; absolutè tamen dicendum videtur Protectorem de iure communi non posse in casu proposito vti censuris aduersus Religiosos ipsi commissos, si ibi speciale habeant priuilegium, vt non possint excommunicari, suspendi, aut Interdici (quale habent Ordines Mendicantes, teste Casarubio *v. exemptio, num 9. 13. & 14*) ita Sanch. *supra num. 23.* ex Gambara, Henriq. & Rodriq. aliique & probatur; tum ex *cap. 1. de priuil. in 6.* vbi id expressè deciditur, tum quia Concilium Trid. quoties vult concedere Episcopis facultatem procedendi per censuras contra Regulares exemptos, id clarè explicat; tum quia, rationes, quæ afferuntur ab Aduersariis pro parte opposita, probant solùm, prout de iure communi ac secluso priuilegio; sicque non faciunt contra nos, qui oppositum sustinemus, non de iure communi, sed ratione priuilegij superiùs allegati. 168.

Qværes XIV. An Protector possit deponere Prælatos regulares, etiam maiores Ordinis sibi commissi, si reperiat illos notabiliter deesse suo muneri, ac eorum gubernationem esse valdè perniciosam Ordini.

Respond. quod, quamuis id expressè prohibeatur, in citata Constitutione Gregorij XI. iis verbis: *Prælatos, seu Officiales ponere, & deponere* (supple, *non possit*;) attentis tamen literis Pauli V. item superiùs citatis videtur concedendum Protectori, quod in tali casu possit deponere Prælatos, etiam maiores, ducor, quod Paulus V. in dictis literis prohibens Protectori, ne se immisceat negotiis Ordinis ei commissi, cum ipsi Superiores eorum officij debito satisfecerint, ac gubernio subditorum sufficienter incubuerint: hoc ipso à contrario sensu cense- 169.

 AAa 2 tur

tur date ei facultatem, vt, quandocumque Superiores minùs satisfecerint proprij officij debito, possint se immiscere in negotiis Ordinis, ac in iis suam interponere auctoritatem; quis autem non videt inter Præcipua Ordinis negotia maximum, ac potissimum esse illud, quod Prælati illius muneri suo non satisfacientes. deponantur, substitotis aliis, qui dignè impleant proprium officium? vnde fit, vt circa hoc Protector suam possit interponere auctoritatem, si necessitas exigat: sicque poterit deponere Prælatos Ordinis minùs bene satisfacientes suo muneri, ita docti recentiores à me consulti.

QVÆRES XV. An Protector Regulatium admittere possit appellationem eorumdem Regularium, si fortè grauati à Prælatis Ordinis commendati in protectionem ad eum reccurrant.

Respond. posse, si grauamen sit tale, vt, attentis omnibus circumstantiis, censeatur recursus non
170. temerarius, ac leuis, sed prudens, rationabilis, ac
instus. Moueor, quod talis appellatio concessa est
Regularibus, & maximè per bullam Gregorij XIII.
relatam *in bullario. tom. 1. Constitut. Greg. XIII. in ordine* 27. per quam Fratribus Minoribus de Obseruantia (& consequenter etiam religiosis aliorum Ordinum per viam commnnicationis) expresse conceditur, quod si à Prælatis suis grauari prætendant, ad Generalem Ministrum ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad Romanum Pontificem (sicut antiquitus semper consuetum fuit) rursum habeant; quamquam talis concessio limitari debeat ad causas, in quibus aliàs licitum est Regularibus appellare, iuxta dicta *in tractat. de prohibit. cap. 7. quæst.* 14.

Adde huiusmodi appellationem faciendam esse
gradatim, nimirum à Prælato locali ad Prouincia-
171. lem, à Prouinciali ad Generalem, aut alium, qui
sit Superior Prouinciali, à Generali ad Pnotectorem; id enim est iure conforme, & præscribitur in quodam decreto sacræ Congregationis, quod refert Sorbus *in comp. v. appellare*, & nos ipsi asserimus *in tract. de prohibit. cap. 7. quæst.* 20. tenor autem illius est eiusmodi; *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, siue dum imminentem admissorum criminum pœnam ex suis Constitutionibus, aut aliàs debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia grauamina causari, non ad immediatè sui Ordinis Superiores, scilicet à grauamine Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cuiusque Religionis Constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sæpius fugiunt potius quàm recurrant*: ex quo *Ordinum disciplina relaxatur*, *Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores euadunt; placuit sacra Congregationi Regularium ex ordine Sanctitatis suæ statuere, vt si quis Regularium in posterum temerè, leuiue ex causa hanc almam Vrbem seu Curiam absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores seueriori pœna plectendus mittatur.*

QVÆRES XIV. An regulares possint appellare à sententiis proprij Protectoris non solùm ad Papam, sed etiam ad Sacram Congregationem, quæ præest negotiis Regularium.

Respond. posse; cum id expressè supponatur in 172.
citato decreto sacræ Congregationis, & aliàs sacra
Congregatio Cardinalium super Regulares à Sixto
V. Instituta sit ad causas Regularium nomine Papæ
definiendas, ac terminandas; ex quo fit, quod, sicut potest appellari à Protectore ad Papam, sic etiam possit appellari à Protectore ad sacram Congregationem, quæ repræsentat ipsum Papam. ita Lezana *supr. n.* 17. & ante illum Thomas de Iesu *tract. 3. de visitation. regul. cap. 17. num. 3. & 7.*

TRACTA

TRACTATIO IX.

DE

GVBERNATIONE REGVLARIVM.

NTER ea, quæ de Regularibus tractari solent, iure optimo recensetur Tractatio de Gubernatione: quippe cuius cognitio non solùm est vsui valde frequens, sed admodum vtilis, ac necessaria; hinc de ea egemus in præsenti Tractatione, quam de more diuidemus in plura capita: In primo agemus de Gubernatione Regularium in communi: In secundo differemus de eorum Electione, tum secundùm se, tum in ordine ad eligentes, tum quoad ipsos eligendos: In tertio explicabimus quam potestatem habeant Prælati in Religiosos subditos: In quarto agemus de Iure visitandi ipsis competente, quoad Monasteria respectiuè sibi subiecta: In quinto ostendemus quibus obligationibus adstringantur: In sexto proponemus Prohibitiones iure communi ipsis peculiariter factas: In septimo afferemus Pœnas contra illos item iure communi latas: In octauo tractabimus de Capitulis, tam Generalibus, quàm Prouincialibus, & localibus, quibus ipsi Prælati regulares respectiuè vtuntur in gubernatione; sicque manebit absoluta tota Tractatio.

CAPVT I.

De Gubernatione Regularium in communi.

1 *In Religionibus constitui debent Prælati, tum immediati, tum mediati.*
2 *In ijs regimen est multiplex, & varium esse potest.*
3 *Imo & est de facto varium in aliquibus Religionibus.*
4 *Optima regiminis forma est Monarchica.*
5 *Prælati regulares alij supremi, alij medij, alij infimi.*
6 *In aliquibus Ordinibus extant plures Generales, & quidem diuerso modo.*
7 *In Ordinibus Monachalibus non extant Prælati medij.*
8 *Prælati supremi, medij, ac infimi, & conueniunt, & differunt.*
9 *Expedit Prælatum eligi ex Conuentu, aut Prouincia, cui respectiuè præficitur; sicq; nequit eligi is, qui ignorat idioma eorum, quibus præfici debet.*
10 *Ad Prælaturas regulares non semper ijdem promouendi.*
11 *Expedit Prælatos regulares eligi immediatè à Prælato superiori, si ij sint noti eligenti.*
12 *Et hoc, quamquam per accidens hinc procedere possit aliquod inconueniens.*
13 *Fallit, quoad electionem Generalis, quem expedit capitulariter eligi.*
14 *Confert Religiosos gradatim ascendere ad Prælaturas regulares.*
15 *Confert item cæteris paribus Generales Religionum esse perpetuos, non item alios Prælatos.*
16 *Probatur assertio, quoad Generales.*
17 *Est enim diuersa ratio de his, ac de alijs Prælatis inferioribus.*
18 *Prælaturas inferiores expedit durare solùm pro certo, ac limitato tempore.*
19 *Refertur praxis communis Religionum quoad hoc.*
20 *Electus in Prælatum, si impediatur exercere gubernium, iterum eligitur, etsi aliàs eligi non posset.*
21 *Expedit Prælatos regulares certis interuallis vacare: idq; maximè fit à Patribus Minimis.*
22 *Prælatus perpetuus perniciosus, si careat debitis dotibus: non expedit Prælatos vacantes à gubernio manere in loco gubernij.*
23 *Prælaturæ cæteris paribus conferendæ senioribus.*
24 *Eæ possunt appeti à dignis, imò & procurari, secluso iure positiuo id vetante.*
25 *Non semper recusandæ.*
26 *Plures eodem tempore eidem conferri nequeunt.*
27 *Expedit Prælatos seipsis regere monasteria, at de aliquorum consilio.*
28 *Probatur assertio, maximè ex Regula S. Benedicti.*
29 *Limitatur assertio, quæ tamen in Societate Iesu non est necessaria, quidquid* Peyrinus *dicat.*
30 *Regimen monarchicũ requirit optimos Consiliarios.*
31 *Prælati debent consulere subditorum bono spirituali, ac temporali.*
32 *At maximè debent curare spiritualem profectum ipsorum, quòd si permittant in vno aliquid, quod permissum multis induceret notabilem relaxationem, non peccant mortaliter; censentur autem insistere regulari obseruantiæ, si defectus subditorum occurrentes puniant.*

33 *Afferuntur varia media conferentia ad bonum regimen.*
34. *Prælati debent vnire benignitatem cum rigore.*
35 *Debent opportuno tempore remunerare subditos.*
36 *Illorum item defectus debent punire, vel interdum prudenter dissimulare.*
37 *Prælatorum potestas incipit à die, quo recipiunt possessionem Conuentus commissi, nec modo opus est, vt solemniter ij installentur: interdum munus suum exercent non habita, aut ignorata confirmatione.*
38 *Modo supradicto proportionaliter incipit & subiectio Religiosorum subditorum.*
39 *Prælatura cessat à tempore, quo Successor recipit possessionem.*
40 *Prælatus regularis, si fiat Episcopus, amittit prælaturam solum post Consecrationem: Generalis temporaneus non porogat suum munus vltra tempus præfixum.*
45 *Prælati regulares in pluribus casibus deponi possunt.*
42 *Prælato locali moriente, aut alias absente substituitur Superior Conuentus subordinatus; & quidem etiam in Societ. Iesu; etsi Superior in casibus propositis possit in ea nominare alium, si Prouincialis adiri nequeat.*

QVÆRES I. Vnde proueniat necessitas constituendi in Religionibus Prælatos, tam immediatos, quam mediatos, per quos ea regantur.

1. Respond. prouenire ex generali ratione, quæ militat in omni Communitate, & clarè indicat necessitatem constituendi Superiorem, qui aliis præsit, eos regat, & gubernet; quo modo Prou. 11. habetur. *Vbi non est gubernator, populus corruet.* ratio autem est, quod, cum homo sit animal naturaliter sociabile, ideoque cogatur viuere in aliqua communitate iuxta illud Gen. 2. *non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile*: & alias non possit quietè viui in communitate sine rectore, ac duce; vt docet communis vsus, etiam animalium irrationabilium, & docet experientia rerum magistra; hinc necesse est, vt in quacumque communitate, adeoque etiam in Religionibus constituatur aliquis, qui officio Superioris fungens alios gubernet, & moderetur. Quod maxime in Religionibus est necessarium ex eo quod viri Religiosi indigent dirigi non solùm in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, suasque voluntates per omnia subiiciunt Religioni per votum Obedientiæ, quod vnà cum aliis votis Religionis emittunt in professione religiosa.

QVÆRES II. Quotuplex gubernatio reperiri possit in Religionibus.

2 Respond. reperiri posse triplicem; nimirum Monarchicam, Aristocraticam, & Democraticam. ratio est, quod, cum DD. communiter cum Aristotele 8. *Ethic. cap.* 10. assignent 3. differentias principatus, nempe Monarchiam, Aristocratiam, & Democratiam: nullaque appareat ratio diiudicandi aliquam illarum repugnantem gubernationi Regularium; sequitur vnamquamque illarum posse admitti in Religiosis communitatibus; ita vt tamen, vt quælibet Religio illam formam gubernationis seligat, quæ ipsius Instituto opportunior, & accomodatior videbitur; quamquàm, simpliciter loquendo, non repugnet dari gubernationem mixtam, ac compositam ex dictis differentiis principatus, participantem, v.g. de Monarchia, & Aristocratia; sicut aduertit Nauar. *com.* 3. *de regular. num.* 15. & videbimus *quæst. sequenti.* In eo autem differunt istæ 3. formæ gubernationis, quod Monarchia est, qua Respublica regitur per vnum commune caput: Aristocratia est, qua Respublica regitur per multos, eosque Optimates: Democratia denique, qua Respublica regitur per multos, & illos populares; qua de re qui vult, consulat Peyrinum *de R. P. quæst.* 1. *cap.* 1. per totum.

QVÆRES III. Qualis forma Gubernationis de facto seruetur in Religiosis Ordinibus iuxta ipsorum Regulas, ac Constitutiones.

Respond. seruari non vnam, ac eamdem, sed diuersam; qui enim militant sub Regula S. Benedicti, ex primaria institutione reguntur Monarchia, vt aduertit Perez *in regul S. Benedicti*, & colligitur ex *c.* 3. *dicta regula*: qui viuunt sub Regula S. Basilij, videntur regi Aristocratia, vt notauit Peyr. *sup. cap.* 2. *num.* 4. & desumitur ex *reg. fusius, disput. c.* 54.; Augustiniani reguntur Aristocratia; vt obseruat idem Peyt. *n.* 6. & statuitur in Constit. Pauli V. quæ incipit *Prouisionis*, & fertur à Cherub. *tom.* 3. *in append. pag.* 60. nec non (quod spectat ad Canonicos Regulares) in eorum *Constitut. par.* 2. *cap.* 1. *&* 2. Carmelitæ ex primæua sua Regula regebantur democratia, modò verò videntur regi Aristocratia, seu Monarchia, vt putat Peyr. *num.* 7. Fratres Minores reguntur democratia, vt colligitur ex *cap.* 7 regulæ ipsorum: Minimi habent regimen mixtum ex Monarchia, Aristocratia, ac Democratia. Clerici Regulares vulgò dicti Theatini reguntur Aristocratia, vt constat *ex cap.* 5. *Constit.* suarum Religiosi Societatis Iesu seruant regimen Monarchicum, participans tamen in aliquibus de Aristocratia, vt ostendit Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *l.* 10. *cap.* 1. Clerici Ministrantes infirmis reguntur modò regimine in multis accedentes ad Democratiam, cum alias viuerent sub Aristocratia, vt constat ex Gregorij XIV. Constitut. 17. in ordine: alij denique Ordines reguntur alia, & alia forma regiminis, prout facile colligetur ex eorum Constitutionibus vnde satis apertè constat non vnam esse formam regiminis in Religionibus, sed variam, & quidem non simplicem, sed compositam, & mixtam sicut iam diximus. 3.

QVÆRES IV. Quæ forma gubernationis ex tribus supradictis simpliciter censenda sit melior, & magis accommodata Statui religioso.

Respond. eam censendam esse, quæ est Monarchica, si Prælati, qui eliguntur re vera sint tales, quales describuntur Deut. 17. & quales desiderabat Cyrus, teste Plutarcho *in apophe.* dicens magistratu dignum non esse quemquam, qui melior subditis non esset. & ratio est, quod primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum, & quo magis ad mensuram vnumquodque accedit, ei etiam similius redditur: primum autem inter imperia, & præstantissimum est diuinum, quo Deus ipse totum orbem moderatur; ergo cum imperium Dei sit Monarchicum, ea gubernatio inter homines reputabitur melior, quæ erit Monarchica, aut certè accedet magis ad Monarchiam; vnde & gubernatio Ecclesiæ, quæ post Dei principatum est optima, eamdem formam seruat gubernationis, nempe Monarchicam: & hoc idem suadet frequentior vsus omnium nationum, vt notauit Suarez *lib.* 3. *de leg. cap.* 4. *num.* 1. monens, supposita fragilitate, ignorantia, ac malitia hominum, expedire regulariter, vt Monarchiæ admisceatur aliquid Aristocratiæ, aut Democratiæ; quod idem confirmat *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 1. asserens Monarchicum regimen, quod secundum se est melius, ob hominum fragilitatem, & periculum errandi, siue in iudicio, siue in affectu, aliquo adminiculo Aristocratiæ debere esse temperatum: idque ex Philosophorum moralium, & Theologorum communi sententia; & hoc ipsum ego innui 4.

in

in responsione iis verbis, *si Pralati, qui eliguntur sint tales, quales describuntur, Deut.* 17. &c. in gubernatione ergo religiosa probatur mixtio, reprobatur simplicitas: cum per mixtionem regiminum auferantur, aut certè retundantur incommoda, quæ secum ferunt singulæ species gubernationis seorsim sumptæ, & habeantur bona, quæ ex vnaquaque illarum consequuntur; vnde Polybius *lib.* 6. ait eam rempublicam censeri debere optimam, quæ ex omnibus illis, quas diximus, formis sit composita: cuius rei probationem non ratione solùm collectam, sed vsu etiam, & experientia confirmatam habemus; sic ille.

Quæ autem commoda, & quæ incommoda sequantur ex Monarchia, Aristocratia, & Democratia seorsim sumptis, prosequuntur Molin. *tract.* 2. D. 23. Azor. *tom.* 2 *lib.* 11. *cap.* 1. Peyr. de R.P. *quæst.* 1. *cap.* 1. §. 1. 2. 3.

QVÆRES V. Quæ diuersitas Prælatorum reperiatur in regimine Regularium.

5. Respond. eos posse distingui in 3. differentias: nimirum in supremos, medios, & infimos; Prælati supremi sunt Generales, qui præsident toti Ordini quocumque tandem nomine vocentur: medij sunt Prouinciales, qui ita præsunt certæ alicui prouinciæ, vt subsint Generali; infimi denique sunt Superiores locales singulorum monasteriorum, qui subiacent iurisdictioni non Generalis solùm, sed etiam proprij Prouincialis, & dicuntur infimi, quatenus non habent sub se inferiorem Prælatum; quamuis enim habere soleant Vicarium sibi subordinatum qui in aliquibus Ordinibus vocatur Prior respectu Abbatis, in aliis Subprior respectu Prioris, in aliis Minister respectu Rectoris: tamen iuxta communem sententiam hic non est Prælatus, cum non habeat iurisdictionem propriam, & ordinariam, sed delegatam, aut etiam solùm administrationem œconomicam. Quod non facit, quin, si mortuo Abbate, aut Priore, substituatur Vicarius cum sufficienti auctoritate, tunc ille censeri debeat Prælatus: cum tunc habeat iurisdictionem ordinariam, quam potest delegare, & sit Superior in capite (vt vocant.) Quæ doctrina à fortiori habet verum in eo, qui præest paruo monasterio immediatè subiecto Prouinciali, aut Generali, esto propter paruitatem vocetur tantum Vicarius: idque ob rationem modò allatam; quæ item militat in Vicario prælati absentis, vnde Nald. *ver. abesse*, *n.* 11. ait absentiam prælati regularis vltra vnum diem naturalem à suo Conuentu videri sufficientem ad transferendum ius, & auctoritatem in eius vicemgerentem, puta Vicarium, vel Subpriorem; intellige iuxta statuta, aut consuetudinem vniuscuiusque religionis, quæ in hoc etiam debent attendi, & seruari: ne alioqui talis Vicarius excedat vires suæ potestatis; certè Nald. *ibi*, non loquitur, nisi de facultate reseruatorum: cui nos etiam addere possumus iurisdictionem Ecclesiasticam iure proprio competentem prælatis regularibus; quam tamen non puto extendi ad contrahendum de bonis monasteriis, aliàque id genus præstanda, quæ non veniunt in generali concessione iuxta regulam iuris, *non veniunt in generali concessione*, &c.

6. Monet autem Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib* 2. *cap.* 5. *num.* 4. loquendo de Religionibus, in quibus nominantur plures Generales (siquidem ij inter se habeant aliquam subordinationem, etiam minimam, itavt vnus omnino sit independens, alij ab eo aliqualem habeant dependentiam, etsi minimam eo quod ab illo confirmari debeant, aut visitari possint, &c.) tunc illum solùm dici supremum Prælatum, adeóque Generalem simpliciter totius religionis, qui est independens, alios verò tantùm secundùm quid tales nominari; quod si illi nullam inter se habeant subordinationem, tunc vterque censetur prælatus supremus Religionis, non quidem simpliciter totius religionis, sed solùm in sua natione, seu districtu: quo casu religio dicitur vna, non perfecta vnitate morali (quæ requirit vnionem sub vno capite,) sed vnitate, ac imitatione eiusdem Fundatoris, & vnitate regulæ, saltem, quoad præcipua, & quoad similitudinem habitus, aliaque similia.

Addit Suar. *supr. num.* 5. quod, sicut in religionibus Monachalibus non sunt in vsu Prælati, qui vocantur intermedij, sed solùm supremi, & infimi; ita in religionibus, etiam Mendicantibus non solent, moraliter loquendo, esse plures Prælati intermedij, & ordinarij: nam licet in iis interdum constituantur Commissarij, ac Visitatores: hi non sunt Superiores ordinarij, sed extraordinarij, habentque iurisdictionem solùm delegatam, quæ expirat morte concedentis; (excepta tamen religione Minorum, in qua dantur Commissarij, qui sunt Superiores omnibus Prouincialibus suæ familiæ, habéntque probabiliter iurisdictionem ordinariam; & Custodes, qui cum sint subiecti proprio Prouinciali, habent sub se nonnulla monasteria prouinciæ, quæ hoc pacto est diuisa in plures custodias;) quamquam, teste Suarez *num.* 6. eiusmodi Prælati non videantur modò esse in vsu, neque inter ipsos Minores, qui quoad tale munus retinent solùm titulum, seu nomen. 7.

QVÆRES VI. In quibus conueniant tria Prælatorum regularium genera enumerata, & in quibus differant.

Respond. conuenire in hoc, quod omnes habent iurisdictionem spiritualem in subditos, tam in foro pœnitentiæ, quam in foro exteriori Ecclesiastico, aut religioso: eamque ordinariam, & immediatam; itavt Prouincialis æquè immediatè possit suam iurisdictionem exercere in quemcumque Religiosum suæ Prouinciæ, sicut proprius Prior, ac Rector eius; quod idem est de Generali totius Religionis; sed de hoc infra *cap.* 3. vbi latè explicabimus quantam, & qualem potestatem habeant Prælati regulares supra Religiosos subditos. Differunt verò supradicti Prælati in præfata iurisdictione, maximè quoad amplitudinem, ac dependentiam, seu subordinationem: quatenus Prælatus inferior in operari indiget aliquo modo concursu, ac influxu Prælati superioris, & aliquo modo pendet ab eo in origine, seu in esse; quamuis cum aliqua differentia pro diuersitate Religionum (vt ostendemus *citato cap.* 3.) & notauit Suarez *supr. num.* 19. monens *num.* 20. quod, cum Prouinciales eligentes Generalem non eligant illum vt Prouinciales, sed vt electores, (quæ duo munia sunt formaliter diuersa, vtpote separabilia) sequitur Superiorem Prælatum nunquam pendere formaliter ab inferiori, tanquam à Prælato: cum è contra Prælatus inferior semper dependeat eo modo à superiore; quod est bene aduertendum. 8.

QVÆRES VII. An bono regimini Regularium expediat, quod Prælati eligantur, locales quidem ex monasterio, cui debent præfici, prouinciales verò ex prouincia, cuius regimem ipsis demandandum est.

Respond. videri, cæteris paribus, expedire, si aliàs Religiosus eligendus iis dotibus præditus sit, quæ requiruntur ad tale regimen. Ducor, tum quia teste 9.

teste experientia Prælati alienigenæ minùs afficiuntur bono monasterij, cui præsident, ideoque minùs diligenter, ac studiosè illud procurant: cùm è contra Prælati originarij ex affectu in propriam patriam, aut prouinciam solicitiores se soleant exhibere in curando bono monasterij, seu prouinciæ, quam gubernant: tum quia, si Prælatus monasterij sit originarius, meliùs agnoscit ingenium hominum, cum quibus debet agere de rebus sui monasterij, perspectas habet consuetudines loci, in quo commoratur, plures reperit amicos, ad quos recurrat, occurrente aliqua monasterij necessitate, faciliùs fouet beneuolentiam ciuium erga monasterium, vberiores eleemosynas comparare potest, si indigeat, nouit conditionem regionis, & quibus viis comparati debeant necessaria ad sustentationem suorum Religiosorum (quæ omnia sine dubio maximè possunt conducere ad bonum monasterij, tam temporale, quam spirituale;) tum quia, Prælatus originarius alacriùs, & faciliùs euincit difficultates, quæ sæpè sæpiùs emergunt in gubernatione, promptiùs occurrit, periculis, constantiùs subit labores, generosius ardua quæque aggreditur: idque ex naturali affectione in patriam, & peculiari propensione, qua fertur in bonum sui monasterij, tanquam in aliquid specialiter suum; constat autem quod amanti nihil difficile. Vnde Portel. *de dub. regular. ver. electio, num.* 10. *in addition.* ex Nauarro à quibus non dissentit Reginald. *lib.* 30. *tract.* 3. *numer.* 200. ponens casus, in quibus sine peccato eligi potest minùs dignus, omisso digniori, ait vnum esse, si eligatur indigena minùs dignus omisso alienigena digniori; ad quod etiam faciunt quæ habet Philo Iudæus *lib. de creation. principis*, his verbis: *Præficies tibi ipsi Principem non alienigenam, sed vnum ex tuis fratribus*: quæ vtique nostram confirmant sententiam; cui subscribit Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resolut.* 110.

Sic Samuellius *tract.* 3. *de election. D.* 4. *controu* 6. docet non posse eligi, seu prouideri in Prælatum localem eum, qui ignorat idioma eorum, quibus præficitur: idque, tum, ex *cap. quoniam, de offic. iudic. ordin.* vbi expressè hoc deciditur: tum quia, Prælatus localis est parochus sui Conuentus, & vt talis parochialia debet exercere erga suos subditos; quod tamen præstare non poterit, si illorum idioma ignoret, cum Concilium Trid. *sess.* 7. *cap.* 3. *de reformation.* mandet Curatis vt resideant, & sint habiles per se ipsos curam animarum exercere: tum quia, Deut. 28. inter maledictiones à Deo illatas habetur: *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, cuius linguam intelligere non possis*; tum quia, si quando oppositum obseruatur etiam in ordinibus obseruantibus, id fit ex necessitate, ideoque cùm non sit consuetudo, sed necessitas, quæ legem non habet, in argumentum trahi non potest, *cap. in argumentum, de regular. tit.* 6. Ita Samuellius aliàs concedens secùs dicendum esse de Prouincialibus, quippe qui cum substituantur loco Episcoporum, & Episcopi per alios Sacramenta ac Dei verbum suis subditis ministrare possint, respectu Prouincialium non militant rationes, quæ militant respectu Superiorum localium.

QVÆRES VIII. An conducat ad rectam gubernationem Regularium, vt iidem semper promoueantur ad regimen eos transferendo ab vno ad aliud monasterium, vel certè quod modò hi, modò illi promoueantur.

10. Respond. videri magis conducere, quod modò hi, modò illi promoueantur, dummodò tamen reperiantur personæ habiles ad regimen. Moueor, tum quia, sic omnes Religiosi assuescunt obedire, & propria experientia discunt compati subditis, quibus postea præficiuntur, vnde & hi dicere possunt ex 4. Hebr. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia*; tum quia hoc pacto plures habiles redduntur ad regularem gubernationem, qui alioqui non negotiarentur talentum à Deo concessum, sed absconditum detinerent, ac otiosum; tum quia omnia noua placent, idcóque desiderantur etiam noua regimina; tunc quia temporis progressu omnia senescunt, & senescendo flaccescunt; vnde & ipsa gubernia diutius continuata Prælatos faciunt segniores, & magis remissos cum graui præiudicio monasteriorum; tum quia, vel Prælatura regularis est honor; & par est, vt sit communis omnibus Religiosis aliàs dignis; vel est onus; & æquum est, vt omnes illud pro sua parte sostineant: tum quia hoc ipsum videtur insinuare Aristoteles 5. *Politic. cap.* 3. vbi confutans sententiam Socratis approbantis perpetuos Magistratus; sic ait: *Periculosa est insuper Magistratuum constitutio, quàm sic facit Socrates, vt semper sint iidem.*

QVÆRES IX. An expediat bono regimini Regularium, quod Prælati Religionum eligantur capitulariter; nimirum à toto monasterio, si sint locales, & à tota Prouincia, si sint Prouinciales; vel certè eligantur immediatè à Prælatis superioribus, videlicet à Generali, aut Prouinciali.

Respond. videri magis expedire, quod eligantur immediatè à Prælatis superioribus; si id fiat, præhabita sufficienti notitia personæ eligendæ, siue per scientiam, (vt sic loquar) intuitiuam, siue per informationes datas à viris cordatis, ac timoratis, qui optimè nouerint personam eligendam. Moueor, tum quia aliàs Prælati aliquo modo pendent à subditis; hincque fit, vt vigor, & auctoritas illius non parum diminuatur: quo modo *in cap. visis*, 16. *quæst.* 2. dicitur, *humani moris est illum vereri, cuius iudicio, & voluntate nunc erigeris, nunc deprimeris*; tum quia, alioqui non possunt Prælati procurare disciplinam regularem ea libertate, qua tenentur; cum cogantur multa dissimulare, vt postea gratos inueniant suffragatores, multáque concedere aliàs deneganda, ne ingratos se ostendant electoribus; tum quia, sic electio esse potest minùs bona, vtpote facta ex humanis respectibus; nempe vel ex affectu naturali, vel ex subornatione aliorum, vel intuito proprij commodi, & (vt dicunt) non propter Christum, sed propter Lazarum: tum quia, de facto in Ecclesia ablatæ sunt electiones Episcoporum, quæ olim fiebant à Clero, & populo; idemque præstitum est in aliquibus Religionibus: quod est signum in talibus electionibus subesse multa incommoda, ac pericula, quæ non possunt auferri, nisi totum ius eligendi resideat penes Prælatos superiores, qui cum præsumantur viri prudentes, discreti, timorati, ac studiosi boni communis Ordinis; præsumi potest, quod non eligent in Prælatos, nisi viros idoneos, & maximè vtiles, ita Suarez *supr. cap.* 7. *num.* 5. ex Nauarro *com.* 3. *de Regular. num.* 3. aliique docti Recentiores contra Peyrinum *supr. cap.* 4. §. 3. *numer.* 55. qui certè, (vt id obiter notem) immeritò nimis acriter *num.* 50. inuehitur contra Suarez, dicens illum quærere laudem propriæ Religionis cum vituperatione aliorum Ordinum: quod tamen esse falsum colligitur ex *citato cap.* 7. vbi de more suo quàm modestissimè loquitur de aliis Religionibus, simpliciter 11

ſimpliciter referens incommoda, quæ, teſte experientia, non tardò proueniunt ex electione Prælatorum facta capitulariter; ſicque concludens *num.8.* quod ſi Religiones aliquæ ſimpliciter retinent conuentuales, & frequentes, ſeu triennales electiones Prælatorum, id fortè eſt, vel quia non poſſint ſibi aliter commodè prouidere (vt de monaſteriis Monialium probabile eſt) vel quia nondum expertæ ſunt incommoda, ſed in ſimplicitate, & puritate Religionis omnia efficiunt; quod deſiderabile eſt. Ita Suarez qui in *tract.* 10. *l.* 10. *cap.* 3. *num.* 5. vbi diſſerit de hac eadem re, ſibi ſimilis hæc habet in terminis: *Meritò credimus hunc modum regiminis eſſe accommodatum huic Inſtituto* (idest Societatis Ieſu) *iuxta ſuum peculiarem viuendi modum, quidquid ſit de alijs Religionibus, vel Congregationibus, quarum mores proprios non improbamus*: immeritò ergò illum carpit Peyrinus; at quandoque bonus dormitat Homerus.

Nec obſtat, dato quod electio Prælatorum regularium ſpectet ad ſupremum Prælatum, nempe ad Generalem (vt in Societ. Ieſu) ſic ſtandum eſſe informationibus aliunde acceptis, quæ ſunt admodum periculoſæ, & poſſunt cedere in graue præiudicium eorum, de quibus fiunt: ſiue id contingat ex ignorantia informantium, ſiue ex eorum affectione, aut alia humana paſſione: ſimus enim homines, & in tanta multitudine vix fieri poteſt, quin reperiantur huiuſmodi aliqui affectus.

12. Reſpond. enim dicta incommoda eſſe communia ad quemlibet modum electionis, ſeu prouiſionis fieri ſolitæ per homines: quo pacto nec Papa, nec Epiſcopi, nec Reges, aut alij Principes poſſunt aliter prouidere officia, aut dignitates, niſi accepta informatione quarumdam perſonarum ab aliis fide dignis; & minora timeri poſſe, quando vna ſolùm perſona informanda eſt, eaque eſt adeo grauis, vt omnes maiorem reuerentiam, ac fidelitatem debeant, & adeo prudens, ac potens, vt alij nec facile poſſint, nec audeant illam decipere: præterquam quod etiam ex parte eorum, à quibus capi debet informatio, minus ſubeſt periculi; cum ij ſint non ſolùm Religioſi, ac timorati, ſed ſpecialiter profiteantur, ne inter ipſos ſit genus aliquod ambitionis, aut negotiationis: idque per votum non procurandi dignitates regulares, nec directè, nec indirectè. Vnde patet, quantum patitur humana conditio, ſufficienter prouiſum eſſe illis incommodis, quæ poſſunt oriri ex informationibus: idque magis conſtaret, ſi hîc vacaret proferre omnia media particularia, quibus Societas Ieſu vtitur, vt Generalis ſufficientem habeat notitiam perſonarum ad ſuum munus exequendum; ſed hoc non eſt neceſſarium, nec expedit.

13. Quod autem ait Peyrinus *ſup. num. 68.* incommoda, quæ adducit Suarez, contra electionem capitularem Prælatorum inferiorum æquè militare etiam in electione ſupremi Prælati, ideóque exoptandum eſſe, vt ea fieret per Papam; non habet verum, ſtante quod ad Capitula generalia non conueniunt, niſi primarij viri Religionis, & quidem tales, vt rationabiliter præſumi poſſint eſſe ea prudentia, morum probitate, ac zelo boni communis Ordinis, vt non ſint electuri, niſi eum, quem hîc, & nunc præ cæteris idoneum ad tale munus iudicauerint: cum è contra in Capitulis localibus, & interdum etiam in prouincialibus, inueniantur aliqui vel iuuenes, vel minùs prudentes, aut in propriis affectibus minus moderati; ſicque facilè ſit electionem fieri magis ſuſpectam, & minus vtilem Religioni, vt patet.

Qværes X. An conferat ad bonum regimen Regularium, quod religioſi ad prælaturas aſcendant quaſi per certos gradus, exercendo munera inferiora, ſicque paulatim aſcendendo ad prælaturam.

14. Reſpond. conferre; & probatur, tum, quia etiam in prælaturis regularibus procedit axioma. *Nemo repentè fit ſummus*: tum, quia ſic ex iis, quæ ipſi patiuntur in exercitio inferiorum miniſteriorum, diſcunt compati aliis ſimilia miniſteria obeuntibus: tum, quia hoc pacto euitant inuidiam, ac offenſionem aliorum Religioſorum, qui minus ægrè ferunt eleuati ad ſpecioſa munera religionis illos, qui per miniſteria inferiora velut per gradus quoſdam prouehuntur: tum, quia ſic magis habiles ſe reddunt ad prælaturas longiori experientia addiſcentes, qualiter ſinguli Officiales monaſterij debeant ſe gerere in proprio munere: tum, quia hoc ipſum ſtatuitur non ſolùm in Iure canonico *cap. qui Eccleſiis, diſt. 59.* vbi dicitur: *Qui eccleſiaſticis diſciplinis per ordinem non eſt imbutus, nec temporum approbatione diuinis ſtipendiis eruditus, nequaquam ad Summum Sacerdotium Eccleſiæ aſpirare, vel præſumere debet*: ſed etiam in Iure ciuili, *l. vt gradatim, ff. de mun. & hon.* vbi hæc habentur: *Vt gradatim honores deferantur, & vt à minoribus ad maiores perueniatur.* Ita in terminis Peyrinus *de R. P. q. 2. c. p. 1. num. 7.* ex Marquez, Caſſanæo, Peña, & Maiolo ad id afferens verba Quintiliani *l. 10. cap. 3.* quæ ſunt huius tenoris: *Nihil rerum ipſa natura voluit magnum effici citò, præpoſuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem; quæ naſcendi quoque hanc fecerit legem, vt maiora animalia diutiùs viſceribus parentum contineantur.*

Qværes XI. Quanto tempore durare poſſint, aut debeant prælaturæ regulares, & an expediat quod Generalatus ſit perpetuus.

15. Reſpond. diſtinguendo: vel loquimur de prælaturis inferioribus; & hæ, ſiue ſint vocales, ſiue prouinciales, videtur expedire, quod non durent, niſi ad tempus: idque, tum ob rationes adductas *q. 8.* tum ex vſu communi omnium ferè religionum, in quibus huiuſmodi prælaturæ ſunt temporales, &, ſi alicubi erant perpetuæ, auctoritate Sedis Apoſtolicæ reſtrictæ ſunt ad tempus, ſiue certum, ac determinatum, ſiue indefinitè ad alterius arbitrium: quæ mutatio cum facta ſit, non in vno, vel alio loco tantum, ſed in tota Eccleſia, & non ſolùm in religionibus, quæ de ſuo feruore aliquid remiſerunt, ſed etiam in iis, quæ in eo conſeruantur, aut ad illum reuocatæ ſunt: ſignum eſt id eueniſſe, non ex errore priuato, aut imperfectione; ſed quia per experientiam cognitum eſt id magis expedire bono religionum: quidquid fuerit de antiqua conſuetudine, qua Abbates monaſteriorum erant perpetui; vt colligitur ex multis relatis à Suarez *tom. 4. de relig. tract.* 8. *l. 2. cap. 7. num.* 3. Vel loquimur de prælatura ſuprema, ideſt de Generalatu: & hæc puto expedire, quod ſit perpetua, non autem temporalis; dummodò is, qui eligitur ſit talis, qualis requiritur ad tale munus, & qualem Deo dante adhuc vſque experti ſumus in Societate. Ita Miranda *tom. 2. manual. q. 6.* Suarez *ſup. tract. 10. l. 10. cap. 2. n. 2.* Nauarrus *comm. 3. de Regul. num. 3. & l. 3. de ſtatu* Monach. *conſ. 7. num.* 8. Azor. *tom. 1. l. 11. cap. 20. quæſt.* 21. & alij contra Peyrinum *ſup. cap. 4. §. 3.* oppoſitum ſuſtinentem mordicus, alióſque citatos à Diana *p. 3. tract. 2. reſol.* 114.

16. Et certè, quod expediat bono Religionum Generales eſſe perpetuos, probatur, tum, quia Epiſcopi,

ſcopi, & alij prælati Eccleſiarum ſint perpetui; adeo vt tranſlationes Epiſcoporum factæ regulariter Eccleſiæ diſpliceant, vtpote credenti eſſe vtilius eumdem Epiſcopum perpetuò manere in eadem Eccleſia: tum, quia ex maiori conſuetudine, & quaſi perpetuo vinculo maior gignitur amor, & homo maiori cura ſuſcipit munus, in quo perpetuò eſt perſeueraturus. præterquam quod longa experientia multum confert ad maiorem prouidentiam, ac gubernationem; quæ deficiunt in prælatis temporalibus, qui vbi incipiunt habere experientiam ſui muneris, deficiunt, nec de rebus perpetuis admodum curant contenti, vt ſit capax in diebus ſuis: tum, quia perpetuitas ipſa muneris magnam conciliat auctoritatem, tam cum externis, quàm cum religioſis ſubditis; cum dignitas temporalis ſoleat minoris æſtimari, ſicque prælatus firmiorem habeat iuriſdictionem, minùs dependeat à ſubditis, magis ab ipſis timeatur, & liberior eſſe poſſit à reſpectibus timoris, & amoris humani: tum, quia incommodo, quod hinc poteſt conſequi, ne ſcilicet prælati abutantur ſua poteſtate, nimium excedendo ſiue contra iuſtitiam, ſiue contra charitatem, poteſt occurri à religione ſtatutis peculiaribus, quibus tales periculi occaſiones auferantur, & incommoda illa euitentur, ſicuti in Societate factum eſt, vt oſtendit Suar. *tract.* 10. *l.* 10. *cap.* 2. *num.* 9. monens *num.* 8. hoc periculum comparatione facta ad commoda, & vtilitates, quæ proueniunt ex perpetuitate Generalatus, & ad incommoda, ac pericula frequentis electionis, & mutationis eſſe nullius ferè conſiderationis.

17\. Neque hinc ſequitur idem dicendum eſſe, & de prælaturis inferioribus, nimirum expedire bono Religionum, quod eæ ſint perpetuæ; eſt enim magna diuerſitas inter illas, & prælaturam ſupremam: ſi quidem, cum plures, & præſtantiores dotes requirantur in Generalibus Religionum, quam in aliis Prælatis inferioribus, difficilius eſt reperire plures, qui re vera poſſint tale munus ſuſtinere pro dignitate, adeóque ſi quis dignus reperiatur, non eſt curandum de mutatione; præterea maior experientia requiritur in ſupremo Prælato, cui incumbit adminiſtratio totius Ordinis, quam in Prælatis inferioribus, quorum intereſt ſolùm adminiſtrare vnicum monaſterium, aut vnam tantùm prouinciam; quò autem maior requiritur experientia, eò maior continuatio exigitur in munere, & quidem non minus perpetua, cum breues dies hominis ſint; denique rationes, quæ ſuadent expedire, vt prælaturæ inferiores ſint temporales, ceſſant quoad ſupremam prælaturam (vt facilè conſtabit conſideranti) ac proinde non eodem modo diſſerendum eſt de hac, atque de illis.

An autem prælaturæ inferiores debeant eſſe temporales ad certum tempus, vel indefinitè ad arbitrium Prælati Superioris.

18\. Reſpond. Suarez *tract.* 8. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 9. quod licet vbi conferuntur prælationes ab vno Superiori capite, faciliùs poſſet eius arbitrio committi duratio illarum; abſolutè tamen dici poteſt melius eſſe, quod determinetur tempus, ſeu terminus illarum, patet tum ex vſu ferè omnium Religionum, quæ taxarunt certum tempus ſingulis prælaturis (vt infra videbimus) tum quia ſic liberiùs fieri poſſunt mutationes abſque nota illorum, qui remouentur, & grauamine Superioris, qui hoc modo nullius offenſionem incurret faciendo mutationes ſuis temporibus; tum quia ſic tollontur acceptiones perſonarum, & occaſiones querimoniarum, ac murmurationum; tum qoia, vbi hæ prælaturæ conferuntur per electionem, vix poteſt aliter fieri; cum illud arbitrium non debeat cómitti alicui perſonæ particulari, ne alioquin veluti noua electio ipſi committatur.

Cæterum vſus communis Religionum eſt, vt Generalatus duret ad ſexennium (quo pacto durat in Ordine Minorum, Auguſtinienſium, Carmelitarum, Seruitarum, & Minimorum) Prouincialatus ad triennium, & Prælatura localis item ad triennium, (quod tamen non obſeruatur in Ordine Minimorum, in quo Superiores locales durant ſolùm ad annum; neque in Religione Carthuſienſium, in quo Prælati locales ſunt perpetui. Dixi, *communiter, vſus Religionum eſt*; quia, quod ſpectat ad Generalatum, in multis Religionibus Monachalibus is non durat, niſi per 3. annos; cum è contra in Ordine Carthuſienſium, Dominicanorum, & Religioſorum Societatis Ieſu perpetuus ſit, & duret ad vitam. 19.

Vtrum verò iterùm eligi poſſit in Prælatum, & quidem immediatè Religioſus, qui item fuerat electus in Superiorem eiuſdem, aut alterius monaſterij, ſed non potuit accedere ad illud toto triennio ob ſuperuenïens impedimentum, ſicque nullam exercuit adminiſtrationem: idque non obſtante quod in eo Ordine intercedere debeat annus inter vnam promotionem, & aliam.

Reſpond. poſſe: cum prior electio fuerit nulla ex hypoteſi quod electus toto triennio accedere non potuerit ad exercendam ſuam adminiſtrationem: ſic enim perinde ſe habuit, ac ſi fuiſſet incapax electionis; quod ſi prior electio fuit nulla, non poteſt impedire poſteriorem; cum non præſter impedimentum quod de iure non ſortitur effectum, *reg.* 52. *in* 6. Ita in terminis Bordon. *reſol.* 26. *n.* 68. *& reſ.* 61. *quæſt.* 14. vbi docet Priorem, qui primo anno ſui triennij ſolùm modico tempore potuit reſidere (eo quod iuſſu Principis v.g. coactus fuerit recedere) manutenendum eſſe in ſuo prioratu; cum afflicto addi non debeat noua afflictio, *c. cum percuſſio* 7. *quæſt.* 1. *& cap. ex parte, de Cler. ægrot.* Epiſcopo ægrotanti detur Coadiutor, & non deponatur ab officio; vnde fit, quod tali priori dandus eſt Vicarius, qui loco eius regat Conuentum, in omnibus tamen ab eo dependens. 20.

Exiſtimo autem expedire, & conſultum eſſe, vt Prælati regulares inferiores, abſoluto tempore prælaturæ, ad aliquod tempus vacent à quacumque alia ſimili prælatura, ſicuti fit etiam hodie in Ordine Minimorum, in quorum *Regula cap.* 10. §. 49. dicitur, *correctores locales, reuoluto ſui Correctoriatus anno ſemper ad minus per annum ſubiecti remaneant, niſi per ipſum Capitulum prouinciale, vel generale ad altiora officia nouiter eligerentur. Cæteri autem Superiores quicumque tanto ſaltem tempore, quo illi primi Prælati extiterint, poſtea ſubiecti manebunt, niſi etiam ipſi (vt præmittitur) ad altiora officia de nouo eligerentur.* intellige, quoad poteſtatem ordinariam, non itera quoad delegatam; vt notauit ex Paſſarello Peyrinus *in Regulam, c.* 10. *& vlt.* §. 49. *quæſt. vn. num.* 5. dicens in ſuo Ordine Correctores perſeuerare in officio Correctoriatus vſque ad noui Correctoris aduentum; idémque procedere de Prouincialibus; etſi ij non vocentur interim Correctores, nec Prouinciales, ſed Vicarij, quomodo Bordonus *tom.* 2. *reſol.* 71. *n.* 18. generaliter dicit Prælatum regularem; finito triennio ſuæ prælaturæ poſſe vt Vicarium manuteneri in gubernatione à Capitulo, vſque dum eligatur nouus Prælatus (etſi id raro fieri debeat) additque *num.* 19. Religioſum modo dicto manutentum in gubernatione poſſe anno ſequenti per formalem electio- 21.

electionem legitimè eligi ad idem officium ; cum sic formaliter vacaverit per annum ab eo officio.

12. Dixi in responsione principali expedire bono Religionum, quod Generales habeant perpetuos, dummodo is, qui ad tale munus eligitur, sit qualis requiritur ; si enim careat dotibus ad id requisitis, vtique non expedit ista perpetuitas ; cum inde proueniant innumera mala, & incommoda moraliter ineuitabilia, quæ sunt toti Religioni perniciosissima, regimen quippe facilè transit in tyrannidem: vitiosi exaltantur, pij verò, ac timorati deprimuntur: bona monasteriorum magna ex parte expilantur: promouentur indigni ad gradus, honores, & prælaturas Ordinis : aperitur ostium intercessionibus Principum, iam sæcularium, quam Ecclesiasticorum dominatur iniustitia, & ambitio ; crebræ insurgunt persecutiones, ac odia intestina : frequentes excitantur detractiones, ac querimoniæ : tota fere regularis disciplina labefactatur.

Moneo hìc vnum obiter, regulariter non videri expediens, quod Prælati regulares, finito tempore gubernij maneant in monasterio, quod gubernarunt : idque ob multas rationes, quarum aliquas breuiter attingam. 1. est quod in modo gubernandi non sunt eadem dictamina Prælati prædecessoris, ac successoris, sed interdum longe diuersa ; & si dictamina successoris sint meliora, prædecessori sunt veluti tacita quædam obiurgatio, ac exprobratio; iuxta illud effatum Taciti *lib. 1. hist. vtilissimus, ac breuissimus bonarum, malarumque rerum delectus cogitare, quid aut volueris sub alio Principe, aut nolueris*. Ratio 2. est, quod Superior in decursu gubernationis, si rectè suo fungi velit officio, non potest non contristare aliquem ex suis subditis, sicque illum sibi reddere minus amicum, ne dicam infensum : si autem Superior, expleto gubernio, habitet cum tali subdito, probabile incurrit periculum, ne reddat ei mala pro bonis, siu minùs factis, saltem verbis, & quidem cum magna eius afflictione : 3. ratio est, quod si successor videat suum regendi modum minùs probari subditis, & ab iis, in occurentibus casibus, magnificis verbis commendari gubernium Prædecessoris, is potest iustè timere, ne sic Successori sine sua culpa fiat exosus, ac inuisus, cum graui ipsius præiudicio, zelotipia (vt ita dictam) id operante.

QVÆRES XII. Quibus conferri debeant prælaturæ regularibus, iunioribus ne, an senioribus.

13. Respond. quod, si cætera sint paria, eæ debent conferri potiùs senioribus, quàm iunioribus. ita Tiraq. *in præfat. de iure primig. num. 186. & 210.* estque communis DD. teste Peyrino *de R. P. quæst. 2. cap. 1. num. 13.* probatur, tum quia senes in dubio, præsumuntur prudentiores iuxta illud Iob 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia* : vnde *in cap. 1. de renuntiat.* dicitur : *Plus valet vmbra senis, quàm arma iuuenis*, vt ibi colligit Bald. tum quia, vt benè notat Plutarh. *in Opusc. an sen. ger. sit*, ad parendum iuuenilis, ad imperandum senilis ætas accommodata est ; ac maximè salua est ciuitas, vbi consilia senum, & iuuenum arma obtinent ; tum quia senes habent maiorem experientiam proprij Instituti, ac notitiam statutorum, & consuedinum Religionis, sicque meliùs possunt dirigere Religiosos subditos ad regularem obseruantiam ; tum denique, quia, estò senilis ætas, simpliciter loquendo, non sit necessaria ad hoc, vt Religiosus dignè promoueri possit ad prælaturam Religionis, negari tamen non potest, quin valdè conferat, vt pote non parum concilians auctoritatem, ac reuerentiam, quæ sine dubio maximè conferunt ad bonū regimen. Quamquam, si contingat dari Religiosum iuniorem prudentia, probitate, rerum gerendarum solertia, aliisque dotibus ad bonum Regularium gubernationem necessariis præcellere senibus (quod vtique potest euenire :) tunc iuuenis præferri debet senibus: si quidem vt habentur Sap. 4. *Senectus venerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata : cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata*, ad quod faciunt, quæ habet Paulus 1. Tim. 4. *Nemò adolescentiam tuam contemnat* : vbi Chrysost. *hom. 13. Si ætatis*, inquit, *defectum indolis magnitudine, moribusque maturitate suppleueris nullus te adolescentiæ causa contemnet*.

QVÆRES XIII. An Religiosi possint appetere prælaturas regulares, easque procurare, & acceptare.

Respond. posse, si sint digni, & recto ordine illas appetant, ac procurent licitis mediis, nec aliunde prohibeantur eas procurare ; sicut de facto prohibentur Religiosi aliquorum Ordinum ex voto ad talem effectum peculiariter emisso, aut ex Constit. pontificia, vt infra: Secùs, si sint indigni, indebitè apperant, & mediis illicitis procurent, aut etiè id ipsis sit interdictum ; quo modo est interdictum PP. Minimis ex *Constit. Pauli V.* quæ incipit, *Admonemur*, & refertur à Peyr. *de S. 5. quæst. 2. cap. 2. §. 11.* 14.

Ratio prioris partis est, quod, cum prælatura regularis sit quid indifferens, quod potest cohonestari ex bonitate finis, & aliis circumstantiis concurrentibus, ea licitè poterit apperi, procurari, & acceptari; imò & meritoriè, si is, cui confertur, verè sit dignus; sic quippe non apparet, ex quo capite is possit reprehendi, & damnari de peccato : præsertim cum in vsu prælaturæ regularis communiter non interueniat periculum propriæ salutis proximum, & probabile, sicut interuenit in administratione prælaturæ sæcularis; vnde puto, quod, si in hoc adesset aliqualis inordinatio finis, regulariter non excedere culpam v. Ratio partis posterioris est, quod tunc Religiosus peccaret contra charitatem impediendo locum digno, & bonum commune Religionis : præterquam quod peccat etiam peccato præsumptionis voluntariè se exponendo muneri, quod eius viribus omninò est impar, ideòque obiri nequit sine dispendio propriæ salutis, qua de re Peyrin. *de R. P. quæst. 1. cap 6.* per totum.

QVÆRAS XIV. An, & quo modo Religiosi possint recusare prælaturas regulares.

Respond. non posse nisi eo modo, quo diximus *in tract. de votis cap. 4. sect. 3. quæst. 16.* 15.

QVÆRAS XV. An vnus, & idem Religiosus possit habere plures prælaturas intra proprium Ordinem, saltem ex dispensatione Prælati regularis, stando in iure communi.

Respond. non posse ; cum id expresè prohibeatur *in cap. de multa, de preb. cap. 1. de consuetud. 6.* quæ intra vtique extenduntur etiam ad dignitates, ac Officia Regularium ; cum de similibus idem sit iudicium, ita Miranda *part. 2. Manual. quæst 3. art. 3.* 16.

QVÆRES XVI. An conferat ad bonum Religionis, vt Prælati regulares res omnes suo iudicio, ac voluntate definire possint, non autem teneantur sequi consilium, & consensum Religiosorum subditorum.

Respond. conferre, si aliàs Prælatus sit vir prudens, discretus, & pius, habeatque saltem aliquos viros item prudentes, & timoratos, ex quibus capiat consilium in euentibus dubiis, ac difficilioribus ; vti, de facto fit in Societate Iesu, in qua Prælati possunt quidem proprio iudicio, ac voluntate definire res 17.

omnes

omnes occurrentes, etiam contra Iudicium suorum Consultorum, si velint: debent tamen habere suos Consiliarios, quos consulant in rebus grauioribus; sicut habetur *part.4 Constit. cap.17. num.1.* his verbis: *Habebit autem Rector 4. Consiliarios, vel Assistentes, qui in rebus ad ipsius officium pertinentibus vt plurimum possint eum iuuare, & cum quibus ipse, quæ sunt maioris momenti, conferat.* Imò *num. 6. in declarat.* additur: *Quamuis decisio rerum ex suffragiis horum* (idest Consultorum, &c.) *non pendeat: ipsos vocari, & audiri conuenit; sententia autem eorum, qui res melius intelligunt, eam quam par est, rationem Rector habebit; si tamen omnes alij aliter, quàm ipse, sentirent, contra omnium sententiam ne agat, nisi prius rem cum Prouinciali contulerit.*

28. Colligitur autem responsio *ex Regula S. Benedicti cap. 3.* vbi, admonito Abbate, vt cum consilio Fratrum gubernet, subiungitur: *In Abbatis pendeat arbitrio, vt quod salubrius iudicauerit esse, ei cuncti obediant*; & probatur, tum quia sic purior, & perfectior obedientia exercetur, maior seruatur dependentia membrorum à capite, maiorque vnio, qualis esse debet inter patrem, & filium: sic minuitur occasio ambitionis, ablata occasione multiplicandi dignitates tot Iudicum, & quasi prælationes in religione: sic tolluntur pericula schismatum, diuisionum, ac subornationum, quæ possent identidem suboriri, si iudicia, ordinationes, & aliæ negotiorum expeditiones penderent à sententia, & voluntate multorum. ita Suarez *tom.4 de relig. tract.10 lib10. cap.1. num.10* dicens hinc non ita probabiliter timeri posse, quod Prælati regulares sua abutantur potestate in præiudicium Religionis, cum in ipsa Religione facilius sit inuenire vnum, qui ex malitia, aut prauo affectu non erret, adeóque illi sufficiant prudentia consilia: quam inuenire plures, qui sint eiusdem integritatis; præterquam quod Prælati inferiores per prouidentiam suorum Superiorum contineri possunt in officio, vt non ita facilè abutantur sua potestate, aut frequenter disponāt contra sententiam suorum Consultorum, maximè in rebus grauioribus.

29. Dixi sub initium responsionis, *si aliàs Prælatus sit vir prudens*, &c. si enim secus res habeat, tunc vtique talis modus gubernandi esset non parum periculosus; vnde Nau. *comm. de Regul. num. 10.* significans S. Augustinum in sua regula approbasse, vt in suis monasteriis Monarchia potius, quam Aristocratia seruaretur, addit id fore vtilius, si vnus, qui regit, esset Augustinus, & subditi essent Possidonij: quia verò Prælati, & subditi à moribus Augustini, & Possidonij multùm degenerarunt, ideo aliquid opportuisse illi regulæ addere. quod omnino obseruauit S. P. N. Ignatius, qui nolens eligere modum illum gubernandi, qui solùm ob deprauatos, ac imperfectos mores expedire censetur, sed tentare potiùs instaurare perfectiorem modum, nempe Monarchicum modo supradicto, addidit in Constitutionibus varia media, quibus tollerentur in Societate ea incommoda, quæ ex tali regimine timeri poterant ob temporum improbitatem. vnde fit, vt Deo dante, talis modus gubernandi in Societate bellè hactenus processerit, & de præsenti procedat: sicque non adsit occasio desiderandi, vt ille immutetur; quidquid dicat Peyrin. *supr. cap.4. § 3. num.68.* multos è Iesuitis exoptare, vt regimen eorum immutetur per multas scripturas, quæ circumferuntur, & nouissimè anno 1628. die 26. April. prohibitum fuisse discursum cuiusdam Io. Marianæ id multùm desiderantis; non enim hac de re tot scripturæ è Societate prodierunt, vti iactitat Peyrin. (saltem quod mihi constet.) & si quæ prodierunt, habebunt Auctorem non dissimilem Marianæ, qui de facto dimissus fuerat è Societate, & à supremo Tribunali Sanctæ Inquisitionis dignus existimatus est eo honore, vt præfatus illius discursus omnino prohiberetur; quare Peyrino illius auctoritatem pro sua opinione adducenti non abs re adaptari possunt, quæ dicit S. August. *in psal. 63. v.7.* ad ea verba Iudæorum: *Dicite, quia nobis dormientibus venerunt discipuli eius, & abstulerunt eum. Dormientes testes adhibes; verè tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti.*

Illud quidem verissimum est ad talem modum gubernandi necessarium esse, vt Prælati regulares habeant paratos prudentes, ac pios Consiliarios, eosque in rebus saltem grauioribus seriò consulant; siquidem *salus*, (inquit sapiens Prou. 11.) *vbi multa consilia: est enim lingua sapientum sanitas* (subdit idem sapiens Prou. 15.) *& vbi sunt plures consiliarij, cogitationes confirmantur*; vnde 4 Reg. 12. de Ioade dicitur, *fecitque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus eum docuit Ioada Sacerdos*, vt merito dicatur Eccl. 31. *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis*, cum è contra Isa. 5. dicatur: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* de iis quippe verificatur, quod ait Iob. 18. præcipitabit eum consilium suum; vt propterea digna fuerit ea vox Caroli V. Imperatoris, qui audita morte Thomæ Mori viri sapientissimi, Angliæque Cancellalij dixit, *In Moro Henricus Rex VIII. totius Angliæ caput præcidit.* Habeant ergo Prælati regulares suos Consiliarius, eos sæpiùs consulant, illorum consilia attentiùs examinent, eorum authoritatem magni faciant; facilius namque est videre multis oculis, quam duobus tantùm, sicut innuit Aristoteles 3. *polit. cap. 12.* 30.

QVÆRES XVII. Quid principaliter debeant intendere, & procurare Prælati regulares in regendis suis subditis.

Respond. quod, cum Prælati regulares instituantur in Religionibus, non vt vacent propriis commodis, sed vt omni studio, ac diligentia curent bonum subditorum tam spirituale, quam temporale: & bonum spirituale absolutè debeat præferri cuicumque bono temporali iuxta illud Matth. 6. *quærite primum regnum Dei*; Prælati regulares ratione sui officij ita tenentur prouidere subditis necessaria ad decentem sustentationem corporis, vt principaliùs procurent bonum ipsorum spirituale, illos opportunis mediis dirigendo ad religiosam perfectionem; videlicet insistendo obseruantiæ regularum, corrigendo excessus, qui committuntur, salutaria monita, & consilia præstando, remouendo pericula, & occasiones delinquendi, debita remedia præbendo ad euincendas tentationes, exercendo in variis actibus virtutum, ea denique omnia efficiendo, quæ ad bonum spirituale subditorum conferre possunt; vt proinde S. Gregor. Nazianz. *orat. 1. num. 31.* loquens de Prælatis dicat: *Sed sit sanè aliquis non modo à vitiorum contagione purus, verùm ad summum etiam virtutis fastigium euectus: haud equidem video, quanam scientia instructus, aut quibus virtutibus fretus huiusmodi præfecturam intrepide suscipere queat; nam profectò ars quædam artium, & scientia scientiarum mihi videtur esse hominem regere animal omnium maximè varium, & multiplex.* 31.

Hine patet, quàm grauiter decipiantur, & errent ij Prælati, qui in regimine monasteriorum putant tunc demum satisfecisse proprio muneri, & plenè expleuisse partes boni Superioris, si Religiosis subditis mensam lautiorem parent, vestitum pretiosiorem 32.

rem distribuant, suppellectilem cubiculorum meliorem tribuant, monasterij fabricam amplient, ac exornent; beneuolos subditorum animos sibi seruent, magni denique œconomi nomen acquirant; interim dissimulantes Regularum, ac Constitutionum transgressiones, impunitos relinquentes excessus subditorum, etiam grauiores, relaxationem regularis disciplinæ paulatim inducentes, religiositatem penitus ablegantes. at hoc non est esse bonum Prælatum, sed prouidum cauponem, solicitum domus præfectum, bonum rei familiaris dispensatorem. Væ væ væ talibus Prælatis.

Vnum hîc moneo, quod si Prælatus regularis in vno solùm Religioso subdito permittat aliqua (quæ si passim permitterentur in multis, inducerent notabilem relaxationem regularis disciplinæ iudicio prudentis viri) non peccat mortaliter; cum sic detur paruitas materiæ excusans à mortali; quæ non daretur in casu, quo ea in multis permitterentur (vt si quem Religiosum sinat habere ad vsum proprium aliqua in Ordine inusitata, ac pretiosiora) intellige, dummodò non sit probabile periculum, quod excessus ille, tanquam cancer serpat ad alios subditos.

Puto autem Prælatum regularem esse tutum in conscientia, & excusari à mortali, si aliquoties, pro violatione regularum Ordinis dentur, & impleantur pœnitentiæ (vt fit in Capitulis Religionum) tuocque regularem disciplinam in religiosis obseruantiis non censeri sic relaxari, vt eius permissio imputari possit Prælato ad culpam mortalem: id namque prudentis viri iudicio debet æstimari: qua de re Sanchez *lib. 1. moral. cap. 6. num. 19.*

QVÆRES XIII. Quænam potissimum con-
33 ferre possint ad rectam Regularium gubernationem.

Respond. conferre, quod Superiores subditorum animos sibi quam maximè deuinciant non solùm prouidendo eorum necessitatibus, sed etiam illas præueniendo, & pro statu monasterij, seu domus abundanter consulendo; quod omnibus æquè amicos, affabiles, ac beneuolos absque vlla personarum acceptione se exhibeant, ita vt vnusquisque sibi persuadere possit se præ ceteris esse dilectum: quod suis tempororibus debitas recreationes concedant, præsertim iunioribus, qui vacant studiis: quod Officialibus Monasterij sedulò inuigilent, vt quilibet ipsorum munus suum ritè exerceant: quod iis, qui præ aliis laborant, siue in bonum spirituale Proximorum, siue in commodum Religionis, identidem & verbis, & factis ostendat sibi gratos, & acceptos esse eorum labores, sicque illos animent: quod subditis præcipiant non imperiosè, sed modestè, humaniter, & potiùs exorando, quam imperando: quod ita tractent cum suis, vt hi magnam erga illos concipere possint confidentiam: quod se faciles præsteot in concedendis iis, quæ licitè petuntur, &, si quando coguntur ea denegare, significent id sibi non parum displicere, interdum etiam indicata causa denegationis; quod in malis subdirotum, & præsertim in infirmitatibus, iis viscera paterna ostendant, illos sæpiùs inuisendo, consolando, & debitis remediis curando, nullis expensis parcentes, nullum incommodum declinantes, quamlibet magnam difficultatem superantes: quod publicè, & priuatim suos Religiosos adhortentur ad perfectionis religiosæ acquisitionem, ad regularem obseruantiam, ad exercitium virtutum omnium, idque non solis verbis, sed præcipuè exemplo: quod iuxta leges prudentiæ, & charitatis illos reprehendant de excessibus, isque salutares imponant pœnitentias, ita tamen, vt ij certò sibi persuadere possint illas iniungi, non ex odio, aut ira, sed ex amore, ac zelo regularis disciplinæ, iuxta illud Sap. 12. *Cum tranquillitate iudicas*; quod ostendant se de omnibus bene sentire, interim tamen obseruantes suorum subditorum mores, ac ingenia, vt sic tantò meliùs possint eos dirigere, eos subtrahendo ex occasionibus peccandi: quod curent, vt omnes quam diligentissimè obeant exercitia spiritualia orationis, meditationis, examinis conscientiæ, & alia, siue priuata, siue publica: idque maximè per Confessarios, & Præfectos rerum spiritualium, hæc inquam, & alia similia, quæ vnctio Spiritus S. docebit, mirum in modum conferent ad rectam Regularium gubernationem.

QVÆRES XIX. Quales se debeant præstare Prælati regulares erga Religiosos subditos, benignosne, & suaues, an austeros, ac rigidos.

Respond. quod, cum in qualibet Communitate, 34
adeóque etiam in Religiosis familiis extent boni, & mali, aut saltem minùs boni; & boni ex amore honestatis, & virtutis abstineant ab excessibus, mali verò solùm ex formidine pœnæ: Superior, cui incumbit regimen tam bonorum, quam malorum, talem se debet præstare, vt bonos foueat exhibendo se benignum, ac suauem, & malos in officio contineat præstando se rigidum, ac seuerum ad retundendam ipsorum contumaciam. Vnde vsus præmiorum, & pœnarum omninò necessarius est in regendis communitatibus, vt per illa boni alliciantur, & animentur, per has verò mali reuocentur à sceleribus, aut certè malo ipsorum cæteri à committendis excessibus deterreantur iuxta illud Prou. 21. *mulctato pestilente, sapientior erit paruulus*: & Prou. 19. *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Sic in Psal. 17. dicitur: *Cum Sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerseris*: sic Arca Dei virgam simul, & manna continebat, Hebr. 9. sic Samaritanus alligauit vulnera Proximi sui infundens oleum, & vinum, Luc. 10. sic Spiritus Sanctus in specie columbæ, & ignis mundo se ostendit, Matth. 3. sic Salomon inter alia templi ornamenta iussit insculpi Leones pariter, ac boues, 3. Reg 7. sic Dauid, quocumque iter, incedebat stipatus Cerethis (qui interfectores interpretantur) & Phelethis (qui sonant liberatores) 2. Reg. 15. Vt proinde S. Gregor. 2, *part. past. cap. 6.* loquens de prælato dicat: *Sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate saeuiens: sit pietas, sed non plus quam expediat, parcens; vt dum se in arce regiminis iustitia, clementiaque permisceant, is, qui praeest, corda subditorum, & terrendo demulceat, & tamen terroris reuerentiam demulcendo constringat.*

QVÆRES XX. Qualiter procedere debeant Prælati regulares in remunerandis propriis subditis.

Respond. quod, cum omnis labor optet præmium, 35
& proprium hominis sit excitari ad benè operandum ex fine retributionis: vnde & Dauid aiebat Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem*; debet Prælatus regularis gratiis, fauoribus, ac remunerationibus opportunis prosequi Religiosos subditos, sicque ipsorum alacritatem fouere: & quidem non solùm ab iis requisitis, sed sponte, & motu proprio; non enim ipsi ex eo quod præ sua modestia non audent similia petere à suis Superioribus, debent iis defraudari, & fieri deterioris conditionis iis, qui cum sint audaciores, per improbitatem extorquent à Prælatis ea, quæ nullo modo merentur. Quinimo, quò modestior est Religiosus subditus, eò magis debent Superiores illi gratificari, eoque promptiores se debent exhibere ad indulgendum eius desideriis, ea etiam interdum præ-

habeatur pro concessa, & Sixtus V. in bulla relata à Bordono pro suo Ordine. *resol.26. num.92.* concedat confirmationem requisitam pro valida electione, si sit petita, haberi pro obtenta; maximè ne maneat Provincia absque Pastore. Ita Lezana *in mari magno Servitarum, à num. 31. vsque ad 34.* monens *n.31.* responsionem hanc procedere etiam, quoad electiones aliorum Prælatorum, & quidem etiam localium.

Quæres XXIII. Quandonam expiret prælatura regularis de iure communi.

39. Respond. non expirare, nisi postquam advenit successor, & legitimè acquirit possessionem prælaturæ sibi commissæ modo supradicto; vnde ait Nald. *ver. Superior, n.14.* Superiorem post expletum tempus suæ administrationis debere adhuc ius dicere vsque dum adveniat eius successor in officio, & quousque bullæ fuerint ei exhibitæ: & ita servari in resignantibus, qui permanent in beneficio abdicato vsque ad possessionem captam à resignatario; idque iuxta *l.meminisse, ff. de offic. proconsul.* sic Nald. qui quamvis non loquatur in specie de Prælato regulari, non negaret tamen hanc doctrinam proportionaliter militare etiam in Prælatis regularibus ob paritatem rationis.

Quòd si quæras ex quo tempore vacet prælatura Superioris regularis, qui fortè promovetur ad Episcopatum, aut aliam similem dignitatem.

40. Respond. non vacare, nisi post consecrationem; quidquid contradicat Villalob. *part.2. sum. tract.35. difficult. 41. n.5.* sustinens prælaturam regularem in tali casu vacare statim post confirmationem. Ita in terminis Peyrin. *in formul.lit.G. cap.6. n.5.* & probatur, tum ex *cap.cum in cunctis, §.cum verò, de elect.* iuncta Glossa *ver. ad quem*, tum quia Religiosus promotus ad Episcopatum eo ipso eximitur à iugo monasticæ disciplinæ iuxta *cap. statutum, 18. quæst.1.* sicque cum sit disparis conditionis, non potest esse caput religionis ex Clem.1. *de elect.*

Addo Generalem Ordinis temporaneum non posse prorogare suum munus vltra tempus præfixum: idque de iure communi, vt constat ex Authentica *de defens. ciuit. §.fin. vers. si verò*, & ex his, quæ habet Baldus *lib.3. consil. cons.318.* & Abbas *in cap. fin. num.8. & 9. de iudic.* quod tamen non facit, quin vrgente gravi necessitate, possit protrahi Capitulum generale, & per consequens prorogari Generalatus: vt notat Samuell. *infra controu.4. n.2.* ex Rodriq. *tom.2. quæst. 51. art. 2.* & Sigismundo *de elect. dub.103. num.1.* monens tamen tutius fore vt in tali casu de hoc consulatur Papa.

Quæres XXIV. In quibus casibus possint Prælati regulares deponi à prælatura ipsis commissa.

41. Respond. posse deponi in iis casibus, quos recenset Panormit. *in cap. Monachi, de statu monach. num.5. & 6. & in cap. at si Clerici, & cap. cum non ab homine, de iudiciis*, & nos paulò post referemus: non item in iis casibus, nisi ex iusta causa; intellige, si prælatura sit electiva (ad quod requiritur, vt conferatur per electionem exigentem Superioris confirmationem, & electio fiat capitulariter:) hæc enim censetur perpetua; vt colligitur ex *cap. Monachi, de statu Monach. & cap. nullam potestatem, 18. quæst.2.* certè de Generali Societ. Iesu, *part.9. Const.4. cap.4. n.7.* habetur illum posse deponi, immo & dimitti è Societate in certis casibus loco citato recensitis; quamquam, cum habentes curam aliorum præcipuè tam vniversalem iniustè possint pati calumniam à multis varias ob causas; diligenter animadvertendum est, vt probationes dictorum defectuum, sint, quam fieri possit, efficacissimæ morali modo loquendo, sicut habetur *in declar. ibi lit. E.*

Notat autem Samuellius *de elect. tract. 3. D.1. controuers.3.* Generales Ordinum posse deponi 1. si sint notorij suæ regulæ transgressores, *cap. cum ad monasterium, de statu Monach.* 2. si sint notoriè criminosi, *cap. si quis Abbas, 18. quæst. 2.* 3. si sint notabiliter negligentes in officio, *cap. dictum, dist. 81. 4.* si sint senio confecti, ideòque impotentes ad gubernandum, *cap.1. dist.85.* aut certè ita sint infirmi, vt inhabiles sint ad regimen, *cap. alius, 15. quæst.6.* Ita Samuellius monens *num. 4.* præcipuam insufficientiam provenientem ex primis duobus capitibus procedere, si criminosus censeatur incorrigibilis.

Quæres XXV. Quis Prælato immediato Conventus morienti, aut aliàs absenti substituatur in regimen ipsius Conventus. 42.

Respond. de iure communi Religionum succedere Superiorem Conventus subordinatum, quem alij vocant Priorem, alij Subpriorem, alij Vicarium, alij Ministrum; vt constat ex dictis hîc *n.5.* quamquam, si in aliquo Ordine extet hac de re peculiare aliquod statutum illud omnino observari debeat. Certè vnicuique possunt plures occurrere rationes, quæ suadent expedire, vt in propositis casibus substituatur Superior Conventus subordinatus, vt nos ipsi diximus.

Sic in *Congregatione nostra generali 8. can.3.* statutum est, absente, vel moriente Superiore alicuius loci Societatis, illius curam ad Ministrum pertinere, etiam in Domibus professis, quamvis ipse professus non sit: licere nihilominus Superiori, cum domo, aut vita excedit, alium nominare, qui eam curam habeat: si Provincialis citò moneri non possit, aut alia causa gravis id suadeat.

Sic etiam R.P. N. Caraffa ad Provinciales Societatis sub die 2. Iunij 1646. scripsit in casu, quo aliquis Superior absolvat triennium superioratus absque eo quod P. Generalis declaraverit eius successorem, posse Provincialem interim nominare loco illius aliquem Vicerectorem, qui Collegium illud vacans regat, vsque dum declaretur à P. Generali illius Rector: &, si contingat Provincialem tempore debito non nominare Vicerectorem, posse Rectorem ipsum, qui absolvit triennium rectoratus, nominare in Vicerectorem Ministrum sui Collegij, aut aliquem ex eo magis idoneum, eique omnino renunciare gubernationem Collegij, id significando Superioribus: quod idem procedit de Provincialibus, Visitatoribus, ac Præpositis Domorum professarum.

Caput II.

De Electione Prælatorum Regularium.

De electione Prælatorum Regularium in hoc cap. nobis agendum est; cùmque ea spectari possit, tum secundum se, tum in ordine ad eligentes, tum quoad eligendos: caput dividemus in 3. sectiones, in quarum 1. agemus de electione secundùm se, in 2. quoad eligentes, in 3. quoad eligendos, sicque totam materiam electionis, quantum spectat ad nostrum institutum, Deo dante, explicabimus.

Sectio I.

De Electione Prælatorum Regularium secundùm se.

1 *Prælati regulares varijs modis instituuntur.*
2 *Illorum electio fieri potest quinque modis, qui recensentur.*
3 *Declaratur, qualiter fiat per Scrutinium, per Compromissum, & per communem Inspirationem.*
4 *Etiam modo electio fieri potest ea forma, quæ antea erat in usu: tenet electio, si tres sint Vocales, & vnus ex ijs eligatur in Discretum.*
5 *In Societate Iesu solus Generalis creat Prælatos.*
6 *De essentia electionis per Scrutinium sunt decem conditiones.*
7 *Alia item sunt de eius solemnitate.*
8 *Ad electionem per Compromissum sex requiruntur.*
9 *Non tenet Compromissum factum ab vno, nomine omnium.*
10 *Compromissarius interdum eligit seipsum; & si illicitè id faciat, adhuc tenet electio (quod alij negant.)*
11 *Facultas Compromissariorum in suo munere delinquentium non deuoluitur ad Compromittentes.*
12 *Ad electionem per communem Inspirationem quatuor conditiones petuntur.*
13 *Prælati regulares possunt eligi, etiam per viam Postulationis.*
14 *Electio, & Postulatio differunt in tribus.*
15 *Prælati regulares possunt eligi etiam per Nominationem.*
16 *Non item per Sortes.*
17 *Etsi electio per Sortes non sit irrita, sed irritanda.*
18 *Non fit electio per fabas.*
19 *In ea non seruandi apices Iuris.*
20 *Ea non excludit quemcunque tractatum.*
21 *Ad illam conuocandi quicumque habent ius eligendi.*
22 *Ea facienda in communi Congregatione.*
23 *Scrutatores electionis assumendi per electionem.*
24 *Illi esse possunt plures tribus.*
25 *Debent esse de numero electorum.*
26 *Exquirunt vota eligentium data, siue viua voce, siue ex scripto.*
27 *Nomina eligentium absolutè non publicanda.*
28 *Suffragia eorum in scriptis redigenda.*
29 *Publicanda in communi, quoad numerum: etsi iuxta aliquos irrita non esset electio, eo quòd aliquis Electorum Coelectori in electione ostendat suum suffragium: quod procedit, si ostendatur suffragium in fraudem electionis: secreta est electio, & valida, si Elector suffragium Coelectoris recipiat, plicatum, ac videat, sed alteri non publicet: valida item est, si Elector ante, aut post aperit alteri, cui suum daturus est, aut dederit suffragium.*
30 *Publicatio suffragiorum statim facienda.*
31 *Collatis suffragijs, electio fieri debet à Præside.*
32 *Facienda electio à maiori parte Capituli: & si in vno Conuentu sint duo solum Religiosi, vnus alterum nequit eligere: quod negat* Pasqualigus.
33 *Electio non fit per Scrutinium ex suffragiis incertis, conditionatis, alternatiuis.*
34 *Electio ex causa potest arctari ad certum genus personarum eligendarum: imò est libera, si vnus solum proponatur eligendus, modò Electores possint eum non eligere.*
35 *Ea publicanda cum aliquibus conditionibus.*
36 *Decretum publicationis scrutinij, ac suffragiorum facit plenam fidem.*
37 *Mitti debet ad Prælatum Confirmatorem, & sufficit esse subscriptum à Secretario Capituli.*
38 *Præses debet publicare electionem factam de indigno, sed aliquibus præstitis.*
39 *Electio confirmanda à Prælato immediato Superioris electi.*
40 *Ante confirmationem non necessariò præmittitur examen.*
41 *Electio Generalis non eget Confirmatione.*
42 *Electio Prælati regularis interdum deuoluitur ad Confirmatorem.*
43 *Ea non irritatur præcisè ex nullitate Confirmationis.*
44 *Confirmanda electio minus digni, non item indigni.*
45 *Facta appellatione ad Papam, electionem non confirmat ordinarius Confirmator.*
46 *Ex Pij IV. decreto electio confirmari deberet à Papa, at id non est in usu: si ex causa non sit confirmanda electio capitularis, Confirmator prouidet de Prælato.*
47 *Electio canonicè debet præsentari.*
48 *Et ordinariè fit de die.*
49 *Tractatus de electione Successoris factus, Prælato adhuc viuente, est irritus.*
50 *Electio fieri potest in quouis loco honesto.*
51 *Per electionem ius acquiritur ad Prælaturam.*
52 *Electio in duobus casibus deuoluitur ad Superiorem; &, si absque electorum culpa non confirmetur, redit ad illos: si verò ij omnes moriantur, aut sint inhabiles, ea deuoluitur ad Superiorem.*
53 *Ea deuoluta ad Superiorem, is se solo eligit de consilio Collegarum.*
54 *Tempus electionis regulariter non restringitur; &, si deuoluatur ad Superiorem, debet fieri iuxta* cap. quia propter, de elect. in 6. *& iuxta* Concilium Tridentinum.
55 *Non semper appellari potest ab electione proprij Prælati.*
56 *Et, si appelletur, appellatio tria debet continere.*
57 *Ea non semper est prohibita.*
58 *Appellari potest contra negantem electionis Confirmationem; & si ea per scrutinium est facta, confirmari debet, non obstante quauis exceptione, si aliqua fuerint seruata, quæ proponuntur.*
59 *Electio facta à legitimis electoribus, in septem casibus irritatur.*
60 *Facta contra Prælati prohibitionem non est semper nulla.*
61 *At facta simoniacè est nulla*
62 *Etsi electus ante sententiam non teneatur abdicare dignitatem obtentam.*
63 *Afferuntur casus, in quibus electio est simoniaca, & in quibus non est.*
64 *Tenet electio simoniaca facta de eo, qui contradixit,* &c.
65 *Secus, si pro ea detur pecunia, inscio electore, ac electo.*
66 *Non est simoniacus, qui se eligit in Generalem, vt illum constituat Prouincialem.*
67 *Ad incurrendas pœnas Simoniæ petitur effectus consummatus.*
68 *Regulares possunt supplere defectus electionis.*

QVÆRES I. Quot, & quibus modis fieri possit creatio Prælatorum regularium, siue supremorum, siue inferiorum.

Respond. Prælatos quidem supremos, id est, Generales, non posse institui, nisi per legitimam electionem; quippe qui intra Religionem non habent 1.

Superio

Superiorem, à quo possint institui; Prælatos vero inferiores posse creati duobos modis, nimirum per electionem, aut per voluntarem Prælati supremi: siue id faciat cum Definitoribus Prouinciæ, siue cum consilio aliquorum; quamquàm, absolutè loquendo, non repugnet Prælatum supremum Religionis institui per nominationem Prælati decedentis, seu finientis tempus suum: quo modo in Societat. Iesu *part. 8. Constitution. cap. 4.* conceditur Generali, vt possit Vicarium nominare, qui statim post eius mortem debeat congregare Societatem, eique præesse, donec nouus Generalis eligatur; hic tamen modus instituendi Prælatum supremum non est vsu receptus; vnde in Societate ipsa neque S. P. N. Ignatius, neque alius ea ipsius Generalibus excepto P. N. Aquauiua, & P. N. Vitellesco vsque ad hæc tempora Vicarium generalem nominarunt iuxta facultatem ipsis quoad hoc cōcessam.

Notat porro Lezana *in Mari magno Seruitarum, num. 134.* quod, cum Seruitis *in Mari magno §. 41.* concedatur, vt electiones Prouincialium, & Priorum fiant semper in Capitulis generalibus, ac Prouincialibus (quæ concessio, quoad electiones Priorum est notabilis: quippe quorum electio de iure communi spectat ad monasteria, pro quibus eliguntur *cap. 1. de elect. cap. congregatio 16. quæst. 7. cap. cum dilectus, de consuet. cap. 2. de statu monach.* Rota *decis. 65. p. 1. in recent. & decis. 296. num. 5. coram Coccino, Nauar. com. 3. de Regul. num. 2. & lib. 1. consi. 3. num. 3.* Motonus *resp. 72.* aliique communiter) hoc indulto possunt vti aliæ Religiones communicantes de priuilegiis Seruitarum; cum nulla sit ratio illud excludendi à generali communicatione priuilegiorum, vt patet.

QVÆRES II. Quot modis fieri possit electio Prælatorum regularium.

Respond. posse fieri 3. modis; nimirum per Scrutinium, per Compromissum, & per commonem Inspirationem: habetur apertè *in cap. quia propter de elect.* his verbis: *Quia propter diuersas electionis formas, quas quidam inuenire conantur, & multa impedimenta proueniunt, & magna pericula imminent Ecclesiis viduatis; statuimus, vt, cum electio fuerit celebranda præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, vt is collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior, & sanior pars Capituli consentit: vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ prouideant de Pastore: aliter electio facta non valeat, nisi fortè communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem absque vitio celebrata.* his autem 3. modis addi possunt alij duo inferiùs explicandi; nimirum per postulationem, aut nominationem. Cæterùm notat Miranda *tom. 2. manu. quæst. 23. art. 3.* dispositionem decretalis modò propositæ habere locum non solùm in electione Episcoporum, sed etiam in electione Abbatum, & quorumcumque Prælatorum regularium babentium ordinariam iurisdictionem; estò vi textus in ea videatur solùm comprehendi electio Episcoporum, & maximè ex illis verbis, *Ecclesiis viduatis*; cum Ecclesiæ propriè non dicantur viduatæ, nisi per mortem Episcoporum, vt pote, qui propriè sunt sponsi suarum Ecclesiarum.

3\. Electio per scrutinium fit, quando per scrutatores deputatos exquiruntur suffragia omniū illorum, qui possunt, volunt, & debent concurrere ad institutionem Prælati, seruatis aliis de iure seruandis; electio per compromissum fit, quando aliquibus viris idoneis, qui compromissarij dicuntur, datur facultas, & potestas eligendi Prælatū vice eorum, qui habent ius illum eligendi: electio denique per cōmonem inspirationem fit, quando ij, quibus competit ius eligedi, nullo prorsus discrepante, aliquem eligunt in Prælatum absque vllo vitio, ac fraudis suspicione: cuiusmodi fuit electio S. Ambrosij, Nicolai, & Seueri; de quibus in *c. statuimus d. 61.*

QVÆRES III. Qualis forma de facto seruari debeat modò in creandis Prælatis regularibus.

Respond. quod, quamuis attento decreto Concil. Trid. *sess. 25. c. 6. de reg.* primo aspectu dicendum videatur eos debere creari solùm per modū scrutinij: cum in præfato decreto dicatur, vt in electione Superiorum quorumcumque & Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, qoδ omnia rectè, & sine vlla fraude fiant, omnes supradicti eligantur per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina numquam publicentur; probabile tamen est eos etiam modò posse creari in vnaquaque Religione ea forma, qua poterant antea: cum probabile sit per hoc decretum Concilij non derogari decretali relatæ *quæst. preced.* sed potiùs illam præsupponi, & ea præsupposita tradi formam seruandam in ferendis suffragiis pro electione facienda per modum scrutinij: sicut nec derogatur modo eligendi per compromissum, communem inspirationem, postulationem, & nominationem; hi enim modi, vel sunt in vsu, vel possunt esse; vnde inferre possumus in præfacto decreto Concil. Trid. non præcipi absolutè, vt electio Prælatorum regularium fiat per scrutinium, sed solum, dato quod ea facienda sit eo modo, vt fiat iona formam ibi præscriptam. ita Mirand. *tom. 2. manu. quæst. 23. art. 4.* 4.

Hoc tamen non facit, quin valida sit electio, si 3. tantùm sint vocales, & vnus horum eligatur in Discretum v. g. ideoque alter aliorum duorum alteri det vocem suam (quo pacto electio non potest esse secreta;) patetque, tum ex declaratione sacræ Congregationis relatæ à Samuellio *de elect. tract. 1. D. 3. contr. 9. num. 4.* qui addit *num. 5.* hoc idem procedere in casu, quo extent solum duo electores in Capitulo, & fiat electio: hæc enim erit valida, licet in ea non sit seruata forma, *cap. quia propter*; cum lex non stringat vbi de facto seruari non potest *cap. erit autem lex, dist. 4. l. fin. ff. quæ. sent. sine apparatu rescin. & l. ita autem, ff. de adms. tut.* Quod si ius Collegij remaneant penes vnum electorem, is potest eligere aliquem extra collegiom, & postea publicare electionem; vt notauit idem Samuellius *num. 7.* monens *num. 11.* in tali casu electionem deuolui ad Superiorem; addensque *n. 9.* quod si ex tribus eligi debeant duo, potest primò eligi vnus, qui erit electus à duobus; & postea consentire poterit in alium, qui item erit electus à duobus.

Ex quo vlterius colligi potest, quod, cum in Soc. Iesu omnes Prælati inferiores sub Generali fiant, nō per electionem, aut suffragia subditorum, sed per voluntatem, seu prouisionem ipsius Generalis; sicut habentur *in 9. p. Constit. c. 3. §. 14.* his verbis: *Constituat (i. Generalis) per se ipsum Rectores Collegiorum, & Vniuersitatum, ac Præpositos locales domorum, quos aptiores iudicauerit, Prouinciales item, Præpositos, &c.* decretum Concilij superiùs adductum non obstat, quo minùs Præpositus Generalis Societatis hodie id faciat; sicuti de facto facit, vt docet experientia. 5.

QVÆRES IV. Quænam ſint de ſubſtantia electionis per Scrutinium.

6. Reſpond. eſſe decem; nimirum 1. vt electio fiat cum libertate; ſi quidem ceſſat electio, vbi adimitur libertas eligendi, *cap. vbi periculum, §. cæterum, de elect. in 6.* 2. quod omnes, qui debent, poſſunt, & volunt intereſſe electioni, ſimul congregentur in vnum locum ad hoc deſtinatum: 3. quod ex iis ſic congregatis aſſumantur tres, aut etiam duo tantum (ſi ſint pauci electores) qui ſingulorum ſuffragia ſcrutentur, ſeu perquirant: 4. quod hi in ſecreto exquirant ſuffragia: 5. quod talis inquiſitio fiat ſingillatim; non autem à pluribus ſimul: 6. quod omnium ſuffragia exquirantur nullo prorſus prætermiſſo: 7. quod ſinguli ſcribant per ſe, aut per Notarium propria ſuffragia: 8. quod dicta ſuffragia ſic ſcripta incontinenti publicentur toti Capitulo, nullo actu contrario interiecto: 9. quod facta publicatione ſuffragiorum, fiat collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, & zeli ad zelum (quamuis iſta collatio omittatur, quando omnes congregati vnanimiter vnum eligunt:) 10. quod facta ea collatione, fiat communis electio per vnum de Collegio ab ipſo deſtinatum ad talem effectum, & quidem nomine totius Capituli his, aut ſimilibus verbis in ſingulari prolatis: *Ego N. nomine meo, & omnium electorum præſentium, qui mecum conſenſerunt, eligo in Generalem P. N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* ita Peyrin. *de R. S. quæſt. 1. cap. 31.* ex Panormit. Sylu. Tab. Ang. & Roſel. patebitque ex dicendis *infra.*

7. Addit Peyr. præter iſta, quæ diximus eſſe de ſubſtantia electionis, dari alia, quæ ſunt de ſolemnitate illius: hæc autem ſunt tractatus de electione: præfixio diei: quod ſcrutatores ſint viri fide digni: locus, in quo electores congregentur: quod in caſu mortis Prælati non fiat electio, antequam ſepeliatur defunctus: quod vocentur abſentes: decretum continens geſta in electione à principio vſque ad finem: inuocatio Spiritus Sancti & Miſſa de Spiritu Sancto. Hæc ergò ſunt de ſolemnitate electionis, non autem de ſubſtantia; ideoque non annullant electionem ipſo facto, ſed ſolum reddunt eam annullandam, ſi fiat oppoſitio: cum omiſſio eorum, quæ ſunt de ſubſtantia electionis illam eo ipſo reddat irritam.

QVÆRES V. Quæ requirantur ad electionem, quæ fiat per Compromiſſum.

8. Reſpond. requiri 1. vt compromiſſum fiat ab omnibus habentibus ius eligendi, & quidem nemine penitus diſcrepante, vt notat Sylu. *v. electio 2. q. 11.* & Gloſſa *cap. quia propter, ſuperiùs citato, v. vice omnium:* 2. vt Compromiſſarij eligant eum, in quem conſenſerit maior pars Capituli; non enim ſufficit, vt eligant illum, in quem plures conſenſerint per *cap. ſi cur eligendi, de elect. in 6.* 3 quod compromiſſum non fiat de eligenda certa perſona: 4 quod in electionem compromiſſaria ſeruentur ea omnia, quæ DD. tradunt ſeruari debere in electione generaliter ſumpta: 5. quod electio fiat per verba numeri ſingularis, etſi compromiſſarij ſint plures 6. quod non excedatur forma compromiſſi, ita Miranda *ſupr. art. 34. & 38.* monens quod ſi compromiſſum fiat limitatè (nimirum vt eligatur is, in quem maior pars Capituli conſenſerit, ſcrutatis omnium Capitularium votis) tunc requiritur, quod compromittentes ſint ſimul omnes congregati, ij ſcilicet, qui volunt, & debent intereſſe: quod omnes compromittant in vnum, duos, tres, aut quot volunt, ſiue iſti ſint de capitulo, ſiue non, dummodo ſint Clerici, *ex cap. contingit, de arbitris:* quod Compromiſſarij ſecretè, & ſingillatim ſcrutentur vota ſingulorum: quod denique eligant illum, in quem maior pars Capituli conſenſerit. Quod ſi Compromiſſum fiat ſimpliciter, & abſolute, nempe, vt Compromiſſarij eligant, quem voluerint, & magis idoneum iudicauerint; tunc non requiritur, niſi vt compromittentes omnes ſimul congregati, & quod omnes compromittant in vnum, aut plures, quot voluerint, ſicut paulò antè diximus.

Quod ſi quæras, an valeat compromiſſum factum ab vno, nomine, & vice omnium, aliis præſentibus & non contradicentibus.

9. Reſpond. non valere; cum omnes expreſſè debeant conſentire, eſt communis DD. ex Syluestro *v. electio 2. quæſt. 12.* & probatur, ex eo quod, cum res iſta ſit grauiſſima, & in rebus grauibus, ac oneroſis taciturnitas non habeatur, pro conſenſu (vt aduertit Gloſſa *in regul. Qui tacet, conſentire videtur*) omnes, ad quos ſpectat electio, inquiri debent, omneſque debent conſentire expreſſè: ſiquidem quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. cum Syluestro ſentit Miranda *art. 35.* monens *art. 36.* poteſtatem datam compromiſſariis ad eligendum Prælatum, ſeu alium Officialem, ſemper, intelligendam eſſe de idoneo, & conſequenter, ſi eligatur non idoneus, poſſe electores eum recuſare, & non teneri acceptare: idque ex regula, quam affert Gloſſa *ex cap. cauſam, quæ, de election. v. ſi tamen exiſtat idonea*, videlicet quod, quando aliquid generale committitur arbitrio alicuius, non valet, niſi legitimè ſit factum.

An verò Compromiſſarius, ſi ſit vnus, poſſit licitè eligere ſe ipſum, aut certè, ſi ſint plures, poſſint eligere vnum ex ſe ipſis.

10. Reſpond. non poſſe, ſi Compromiſſarius ſit vnus, poſſe autem, ſi ſint plures. patet, quia in priori euentu, obſtant non ſolùm plura iura relata à Syluest. *v. electio 2. quæſt. 16.* ſed etiam ratio, quod nemo debet oriri à ſe ipſo per *cap. in ſcripturis 8. quæſt. 1.* meritóque argui poſſet ambitionis, qui ſe ipſum veluti cæteris digniorem eligeret, ideoque eſſet repellendus: in poſteriori autem euentu non ſolùm ceſſant iura, & rationes modò adductæ, ſed præterea occurrunt rationes ſuadentes oppoſitum, & præſertim ea, quam affert Miranda *art. 40.* quod alioqui poſſet quis fraudulenter eligi in Compromiſſarium eo animo, vt fieret incapax prælaturæ conferendæ, cum tamen ea ſit digniſſimus, ſicque munus Compromiſſarij eſſet nimis oneroſum ipſis Compromiſſariis, cederetque in damnum Religionis, aut Eccleſiæ, quæ debent prouideri.

Maior difficultas eſt, an electio, qua quis ſe ipſum eligit, in quo caſu eſt illicita, ſit etiam inualida.

Reſpond. quod, licèt Bordonus, & alius doctiſſimus Recentior à me per literas de hoc conſulti putent electionem eſſe inualidam (quod etiam docet Paſqualig. *tom. 1. deciſ. 254. num. 3.*) idque probent, tum *ex cap. per noſtras de iure patronatus*, vbi dicitur: *nullus ſe poteſt ad perſonatum alicuius Eccleſiæ præſentare, quantumcunque idoneus ſit, & quibuſcunque ſtudiis, & meritis adiuuetur:* & alioqui dictio, *non poteſt*, annullat actum geſtum in contrarium, priuatque potentia vt oſtendit Sanch. *lib. 6. de matrim. D. 38. num. 20.* ex Gloſ. Bar. Corraſ. Tiraq. Angel Sylu. Medina, Couar. & Azebedo) tum quia, ſicut nemo oritur à ſe ipſo, *cap. didicimus 24. quæſt. 1.* ſic ne ſe ipſum poteſt eligere; cum id in genere moris ſit quædam generatio; & mos, & ars imitentur naturam, *inſtit. de adopt. §. minorem:* tum quia, vbi eſt datio, & acceptio,

ibi

ibi debet esse personarum distinctio; vt patet, tum in naturalibus generantibus, ac genitis; tom in moralibus, eò quod nemo possit se ipsum præsentare, *cap. cum ad nostram in institut.* tum quia Glossa *in cap. cum in iure, de elect. v. consentiat*, hanc tradit sententiam, dicens: *hodie non commeratur persona electa inter eligentes, iuxta cap. Cumana, & cap. quia propter, nec diceremus valere talem electionem, si modò fieret.* Licèt, inquam relati Doctores putent eiusmodi electionem esse inualidam; tamen opposita sententia videtur esse probabilis; & probatur, tum quia, multa prohibentur, quæ facta tenent, *c. nemo* a. *quæst.* 1. sicque iura, quæ contra valorem talis electionis adducuntur, explicari possunt, quod eam faciant illicitam, non item inualidam: maximè cum actus in dubio debeat interpretari vt valeat, *l. quoties ff. de reb. dub. l. quoties. ff. de verb. obligation.* Abb. *consil.* 61. *num.* 7. *lib.* 2. Rota *decision.* 469. *numer.* 3. *part.* 2 *recent.* Mantica *de coniecturis vltim. volum. lib.* 12. *tit.* 17. *num.* 13. tum quia nullum extat ius, in quo annulletur talis electio, sicque non apparet, in quo ea fundetur: si quidem dictio, *non potest*, iuxta Bartol. Iasonem, Soeiuum, Hentiqoez, relatos à Sanchez *sup.* non facit actum nullum, nec aufert potestatem; sed hæc facit dictio, *non possit*, quæ vtique *in c. per nostras*, non vsurpatur: tum quia, non desunt Doctores, qui defendunt factum Ioannis XXII. cui cum Cardinales reclusi in conclaui dedissent potestatem eligendi in Papam, quem vellet, ille se ipsum elegit anno 1316. teste Ciaconio, nec talis electio postea fuit infirmata; quod est signum eam fuisse reputatam validam. Sic Azorius *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. *q.* 8. expressè ait, quod, quando omnes Cardinales, aut tres eorum partes, vel duæ in vnum aliquem Cardinalem compromitterent, vt ipse quem vellet, Pontificem eligeret, locum haberet electio, quia non suo, sed aliorum nomine, & consensu id faceret.

11. Addit Mirand. *a.* 41. ex *Panorm. in cap. cum in iure, de elect. num.* 7. quod si contingat vnum ex Compromissariis eligere dignum, alios verò eligere manifestè indignum: si clarè constet de indignitate alterius electi, electio digni facta ab vno ex Compromissariis tenet, electio verò indigni facta ab aliis Compromissariis est irrita, & nulla. ratio est, quod auctore Panormit. potestas Compromissariorum in suo munere delinquentium non deuoluitur ad Capitulum compromittens, sed ad alios non delinquentes; ideoque cum in casu proposito ille vnus Compromissarius elegerit dignum, aliis eligentibus indignum, tota potestas eligendi ad illum deuoluetur: nec delictum maioris partis nocere debet minori, vt potestas deuoluatur ad Capitulum.

Qværes VI. Quæ requirantur ad substantiam electionis faciendæ per viam communis Inspirationis.

12. Respond. requiri primo, quod omnes electores simul congregentur: 2. quod omnes vltro conueniant, & consentiant in istum modum eligendi, nemine excepto: 3. quod omnes consentiant in vnam, ac eamdem personam: 4. quod fiat talis electio absque vitio simoniæ, aut specialis alicuius tractatus præcedentis, in quo nominetur certa persona. ita Miranda *sup. a.* 42. monens, quod, quando creditur certo huiusmodi electionem fieri, Deo auctore, non est opus alia confirmatione: illud autem probabiliter præsumi potest, quando omnes electores, nullo præuio tractatu, vno ore in aliquem conueniunt.

Qværes VII. An, & quo modo Prælati regulares eligi possint per viam Postulationis.

Respond. quod, cum talis modus eligendi sit iure communi permissus (vt constat ex *c. vn. de post. Prælat. in* 6.) & consequenter sit licitus; illum seruare poterunt Regulares in eligendis propriis Prælatis, si apud illos iam est in vsu: imò, & poterunt talem vsum inducere, si adhuc non induxerunt; dummodo non obstent Constitutiones approbatæ à Sede Apostolica, quæ talem modum instituendi Prælatos reprobent. ita in terminis Lezana *tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 52. patetque si monuero ad talem modum electionis requiri, vt illa fiat ab iis, qui possint postulare (quales sunt ij soli, qui possunt eligere:) vt postulatio præsentetur ei, qui potest illam admittere (cuiusmodi est ille tantum, qui potest dispensare in defectu, aut impedimento, quod habet is, qui postulatur, vt si sit illegitimus, aut carens ætate requisita:) vt postulatio sit concors, idest, facta ab omnibus electoribus, aut saltem à duabus partibus. 13.

Porrò electio, & postulatio in eo differunt, quod 1. per postulationem potest quis postulari, qui per electionem nequit eligi (v. g. illegitimus;) 2. quod per electionem canonicè factam consentiunt electores, tamquam in sponsum Ecclesiæ, ad quam eligitur: per postulationem verò solùm vota sua dirigunt ad Superiorem, vt ex gratia postulatum admittat: 3. quod postulatus ex vi postulationis nullum ius acquirit ad prælaturam; acquirit verò is, qui est electus. sic Lezana *sup. n.* 50. Panor. Sylu. & Castellino monens *n.* 51. ex postulatione duos sequi effectus; prior est, quod postulatus admissa postulatione ab eo, cui præsentatur cum conditionibus debitis, statim obtinet ius ad prælaturam, ac si fuisset electus, ac confirmatus, adeòque non eget alia electione, aut confirmatione, sicut notant Syl. Ang. & Tabiena allegati ab ipso Lezana; posterior effectus est, quod, quamuis postulatione concurrente cum electione, cæteris paribus, præferri debeat electio: si tamen postulatio habeat duas tertias, seu duas partes ex tribus Capituli, electio verò solùm maiorem partem, tunc præfertur postulatio iuxta *c. script. est, de elect.* & Gloss. *ibi v. maior.* præterquam quod postulatio facta concorditer ab omnibus, aut saltem à duabus partibus ex tribus non potest reiici à Superiore, nulla legitima electione existente: quod aduertit Panorm. *de postulat. c. postulat. num.* 2. 14.

Qværas VIII. An Prælati regulares eligi possint per Nominationem.

Respond. posse, nisi ipsis ex peculiari aliquo statuto, aut ex legitima consuetudine id sit prohibitum; cum enim id iure communi sit permissum, vt colligitur ex *c. quod sicut, de elect.* & notat ibi Panor. *in* 1. *notab.* non apparet, cur debeat denegari Regularibus, stando præcisè in iure communi. Tunc autem propriè sit electio per nominationem, quando duo, vel tres, qui sunt celebriores, ac digniores de Capitulo, aut alibi, nominantur Superiori, & petitur, vt de aliquo illorum prouideat. ita Lex. *n.* 53. aliis citatis addens per talem nominationem, vel acquiri ius nominatis, vel certè ad minus non posse nominantes variare, postquam nominatio legitimè fuit præsentata Superiori. qua de re Sylu. *v. nominatio.* 15.

Qværes IV. An prælati regulares eligi possint per sortes.

Respond. non posse; & probatur, tum ex *cap. fin. de sortileg.* vbi dicitur, *sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnantes*: quod cap. licet non loquatur in specie de Prælatis regularibus, ad illos tamen extenditur, cum quoad hoc sit eadem ratio de illis, ac de Prælatis Ecclesiasticis sæcularibus; tum, quia electio per sortes est cæca, & non discernit 16.

inter merita, & demerita, sed quasi fortunæ committitur; tum, quia vsus communis omnium Religionum est, vt electio Prælatorum non fiat per sortes, præsertim post decretum Concilij Trident. adductum *q.3.* Ita Lezana *sup. num.44.* ex Castellino, & Portel. *de dub. regul. v. electio, in addit. num.4.* referens nullum iudicatum fuisse suffragium cuiusdam Religiosi, qui pro suffragio Nouitij, oculis clausis præ scrupulo misit manum ad vrnam fabis nigris, & albis plenam, fabámque quæ primò occurrit, iniecit; quod fuit suffragari quasi per sortes absque discretione meritorum Nouitij, & consequenter inualidè.

Dubium modò est, an electio facta per sortes sit eo ipso irrita, aut certè irritari debeat, seu non confirmari, si electores conueniant, vt per suffragia eligatur is, super quem sors cadit, sicque missis sortibus eligatur per suffragia is, super quem de facto cecidit sors.

17. Respond. non videri irritam, si aliàs ex nullo alio defectu vitietur, irritari tamen debere, non autem confirmari, sicque debere grauiter puniri electores, vtpote facientes electionem ad minùs dubiam, & sorti committentes id, quod magna cum discretione facere debuissent. Ita Lezana *vbi supra.* & certè quod electio in tali casu non sit eo ipso irrita, suadetur tum quia ipsa formaliter in se dici non potest facta per sortes; cum sortes illam antecesserint; tum quia *in citato c. p. de sortileg.* dicit Papa se confirmare electionem factam per sortes antecedentes ipsam; cum tamen non dicatur confirmari id, quod non subsistit, & est nullum. quod verò talis electio debeat irritari, probatur tum quia est à sortibus dependens, licèt fuerit in se libera: tum quia Glossa *ad citatum cap. fin. de sortileg. v. ad gratiam*, ait electionem factam per sortes antecedentes debere cassari, ideóque Papam dixisse, *electionem factam de ipso ad gratiam confirmationis admittimus.*

Qværes X. An Prælati regulares eligi possint per fabas.

18. Respond. non posse; & probatur tum ex dictis *q. præcedenti:* tum quia in *cap. Ecclesia 2. de election.* dicitur in Prælato eligendo saniorem partem suffragiorum attendendam esse: quod tamen non seruaretur, si electio fieret per fabas; cum taliter eligens non scribat suum nomen, nec verbum proferat, ex quo cognoscatur, num ipse conueniat cum parte saniori, nec ne. Ita Sylnest. *v. electio 2. quæst.6* & cum eo Portel. *sup. num.7.* qui quamuis in specie non loquantur de Prælatis regularibus; ratio tamen, quam adducunt, ostendit illos eodem modo philosophaturos esse de illis, ac de Prælatis Ecclesiasticis sæcularibus philosophantur.

Qværes XI. An Regulares in eligendis propriis Prælatis teneantur seruare apices iuris spectantis ad electionem Prælatorum.

19. Respond. non teneri ex concessione ad id facta Fratribus Minoribus, & per viam participationis communi etiam Religiosis aliorum Ordinum: ideóque sufficere, quod seruent ea, quæ in *superioribus qq.* diximus esse de substantia electionis. Ita Portel. *sup. v. electio, num.14.* & patet ex Clem. *exyt, de paradiso, de verbor. significat.*

Qværss XII. An, & quales tractatus possint Regulares habere ante electionem suorum Prælatorum.

20. Respond. posse habere tractatus, non quidem ambitiosos, pactionales, & condirionales, sed consultorios ad cognoscenda merita eligendorum: idque etiamsi in ea Religione, in qua facienda est electio, extet prohibitio sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne ante electionem Prælatorum vllus tractatus de illa habeatur. Ita Diana *part. x. tract. 16. resol.37.* ex Abb. Petr. Basil. Cucco Mandagato, alijsque, & quoad priorem partem probatur tum ex *cap. cum post petitam, de election.* vbi deciditur cassandam, & annullandam esse electionem illius, qui requisitus, antequam eligeretur, consentit electioni de se faciendæ: tum ex *c. per inquisitionem, ibidem*, vbi statuitur electionem Episcopi Tholosani ex multis causis esse indignam, & præcipuè quia ipse, & eius amici ante eius electionem colloquium habuerãt cum quibusdam Canonicis, eósque precibus solicitauerant, vt ipsum eligerent Episcopum; vnde infert Abb. *ibi n.5.* sulicitantem electores pro sua electione facere se indignum, eò quod probetur ambitiosus: & hoc, siue per se, siue per alios solicitet. quoad posteriorem verò partem constat, quia tractatus consultorius regulariter est necessarius ad electionem rite faciendam, cum identidem agatur de eligendo aliquo, cuius merita non omnibus electoribus sunt nota, qui proinde opus est, vt ex aliis, qui illum agnoscunt, debitam sumant informationem: non est autem præsumendum, quod ius commune, aut particulare Religionum velit impedire eiusmodi informationem interdum adeò necessariam.

Qværas XIII. Quinam conuocari debeant ad electionem Prælatorum regularium licitè, & validè faciendam.

21. Respond. debere conuocari omnes illos, qui habent ius eligendi, & commodè possunt conuocari: sic quippe statuitur in *cap. quia propter, superius citato*, his verbis: *Cum electio fuerit celebranda præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse:* cum tamen constet quod si non conuocentur vocandi, non poterunt esse moraliter præsentes, etiamsi velint: quod etiam expressius statuitur *in cap. coram, de elect.* quamquàm non est necessarium, vt adsint de factu omnes, qui habent ius eligendi; si quidem non coguntur eligere, sed, si velint; vt apertè constat *ex citato cap. quia propter:* vnde fit, vt non sit opus interesse electioni omnes, qoi possunt ferre suffragium, imò nec maiorem partem; cum maior pars eligentium possit nolle interesse, & alioqui non debeat impediri electio contra intentionem *citati cap.* quæ in eius principio exponitur. Ita Suarez *tom.4. de relig. tract.8. l.2. cap.5. num.2.* monens commoditatem illam, de qua fit mentio *in cap. quia propter*, per ea verba, *& possunt commodè*, spectandam esse magis ex parte Ecclesiæ (adde tu, aut Religionis) quam ipsorum electorum: idque iuxta specialia iura vniuscuiusque Ordinis hac de re lata, aut certè, si hæc desint, iuxta consuetudinem, quoad hoc inductam, præcipuè in modo conuocandi per admonitionem, seu vocationem singulorum, vel per generalem publicationem, tali loco, aut modo fieri solitam, vel per ipsam legem, aut constitutionem, qua ipso iure (vt sic dicam) electores solent vocari: quod maximè locum habet in Religionibus, in quibus Generalatus est temporalis, & certo, ac per legem statuto tempore vacat, & successoris electio fit certo die, & loco: vbi verò tempus, aut locus electionis sunt incerta, aut certè vacatio (vtpote non contingens, nisi per mortem,) conuocatio electorum fieri debet sigillatim per omnes prouincias, aut Prælatos Generali immediatos, & quidem ita vt perueniat ad omnes habentes ius suffragij. Vnde in his non attenditur difficultas, aut distantia, quæ per se est coniuncta cum tali electione, nec censetur esse contra commoditatem electionis

nis; sicque difficultas in re præsenti interueniens debet esse extraordinaria, & tunc ea prudentis arbitrio diiudicanda est, habito præcipuè respectu, ne ob dilationem electionis communitas damnificetur.

QVÆRES XIV. Qualiter electio Prælatorum regularium fieri debeat in communi Congregatione, interessentibus omnibus electoribus.

12. Respond. quod, cum iure communi non permittatur fieri electio, nisi *communiter celebrata* (vt exponitur *in cap. in genesi, de elect.*) etiam electio Prælatorum regularium debet communiter celebrari; nimirum conuenientibus in vnum locum omnibus electoribus: idque vt electio fiat cum maiori examine, & cognitione personarum, nec non cum maiori certitudine, tam suffragiorum, quàm meritorum personæ eligendæ; quæ haberi non possunt in casu, quo electio fiat singulariter, idest singulis manentibus in suis domibus, aut prouinciis, & sua suffragia mittentibus ad locum destinatum. præterquam quod quæ fiunt ab vniuersitate, vt vniuersitas est, debent fieri per congregatos in vnum; sicut bene notauit Panorm. *in citato cap. in genesi, num.* 4. cum Glossa *in cap. cum omnes, de Constitut.* electio autem Prælatorum est actus Vniuersitatis, tanquam vnius corporis habentis potestatem ad sibi constituendum caput. ita Suarez *num.*4. addens *num.* 5. quod, cum illa vocetur conditio substantialis, sine qua actus moralis non potest validè fieri sub tali ratione: præscos conditio censeri debet substantialis, sicque defectus illius irritam reddit electionem.

QVÆRES XV. Quo modo è toto Collegio in electionibus Prælatorum regularium assumi debeant iuxta *cap. citatum quæst.* 5. tres Religiosi, qui singulorum electorum vota exquirant.

13. Respond. quod, licèt *in citato cap.* nullus certus modus ad id præscribatur, ac proinde Papa vsus sit verbo generali, *assumendi*, non autem, *eligendi*, vel alio simili: ordinarius tamen modus, ac moraliter necessarius est per electionem; vbi enim personæ non sunt designatæ per legem, nec ex vi alicuius muneris, sed per consensum plurium designari debent, necesse est, vt ibi interueniat electio; quamquàm ad faciendam talem electionem non est opus seruare hanc formam, ne procedatur in infinitum; sed poterit procedi in ea modo arbitrario; cum forma illa statuta *in citato cap. quia propter*, solùm requiratur ad electionem Prælatorum. Hinc posset statui consuetudine, aut lege, vt electio illorum trium pertineret ad 4. vel 5. antiquiores, aut digniores ratione officij aut alterius conditionis: id enim nulli iuri repugnat; imò posset lege, aut vsu induci, vt absque vlla electione illi tres essent designati per conditionem antiquitatis, officij, &c. talisque videtur esse praxis teste Suar. *supr. num.* 7. qui bene notat non obstare tali modo eligendi, quod *in cap. quia propter*, per illa verba; *assumantur tres de collegio fide digni*, videtur committi Religiosis præsentibus examen, & cognitio de dignitate eorum, qui ad tale munus eligendi sunt; nam personæ designatæ per legem modo dicto præsumuntur hoc ipso esse fide dignæ; cum ordinariè soleant designari, qui ratione muneris, aut antiquitatis censentur digniores: vel certè in tali congregatione præsupponitur adesse tacitus, aut expressus consensus, dum quod illi possunt obiicere suspicionem, si talem personam non iudicent fide dignam, & aptam muneri, ad quod sunt deputati.

14. Addit Lezana *tom.1. cap.11. num.*18. non videri de substantia electionis per scrutinium faciendæ iuxta *cap. quia propter*, quod scrutatores, qui ibi præcipiuntur assumendi de Collegio, sint solùm tres, sed posse etiam esse 4. cum per hoc nihil fiat contra finem legis, & huic sententiæ faueant duæ declarationes sacræ Congregationis Cardin. relatæ à Suar. *supr. num.* 10. qui tamen *num.* 8. censet numerum dictorum scrutatorum esse ita præfixum, vt tam maior, quam minor exclusus sit: quippequi designatus est non solùm ad certitudinem suffragiorum faciendam, sed etiam ad seruandum secretum, cui aliàs videtur inferri aliquod præiudicium ex tanta multiplicatione scrutatorum: præsertim cum eadem ratione possent assumi quinque aut sex, & ita in quocumque maiori numero. Verum, stantibus citatis declarationibus sacræ Congregationis expressè supponentibus posse assumi 4 scrutatores, non video quo modo id negari possit; maximè cum cessare possit inconueniens, quod hinc infert Suar. si negemus eos posse multiplicari quo modo supponit Suarez.

An autem sit de substantia dictæ electionis, quod præfati scrutatores sint de Collegio electorum, idest de numero eorum, qui conuocati sunt ad eligendum.

Respond. esse; & inde patet, quod, cum *in cap. quia propter*, expressè dicatur, *vt sint de Collegio*; postea subditur, *aliter electio facta non valeat.* ita Suar. *sup.* 15.

QVÆRES XVI. Quo modo ad electionem faciendam per scrutinium requiratur, vt deputati scrutatores secretè, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, iuxta *cap. quia propter.*

Respond. quod, cum duobus modis contingere possit singulorum vota exquiri, ac inscribi; nimirum quod electores coram deputatis scrutatoribus voce profeteant, quem eligunt, & ij, vel aliquis illorum id scribat; vel quod quilibet eligentium secretò scribat, aut scriptum deferat suum votum ad scrutatores: prior quidem modus est conformior decretali *cap. quia propter*, ob ea verba, *vota cunctorum diligenter exquirat, & in scriptis redacta mox publicent*, & ex vi iuris communis potest obseruari, non obstante quod in Concil. Trid. *sess.25. cap.6. de Regul.* dicatur electionem Prælatorum debere fieri per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur; vt hinc patet quod, cum *non publicari*, significet seruari sub secreto, sub quo aliquid receptum est; sicut secreta censentur suffragia in textu proposito, etsi sciantur à tribus; ita, quamdiu ab illis retinentur sub secreto, dicuntur non publicari; posterior verò modus videtur conformior decreto Concilij Trid. cum re vera magis secretè dentur suffragia, eaque minùs exponantur periculo publicationis, si vnusquisque electorum suum suffragium inscribat proprio charactere aliquantulum immutato: vnde & talis modus obseruari potest, immo de facto obseruatur in aliquibus Religionibus. ita Lezana *num.*28. nec dissentit Suar. *num.* 11. quamuis non ita clarè se explicet. 16.

Illud quidem satis clarè explicat obligationem non publicandi vota data in electione Prælatorum regularium extendi non solùm ad scrutatores illa recipientes, sed etiam ad ipsos electores ferentes suffragium; quippe hoc præceptum indefinitè ponitur, adeòque afficit omnes illos, per quos fieri potest talis publicatio, & consequenter etiam electores. ita Suat. *num.* 12. addens ad violandum tale præceptum sufficere, vt quilibet electorum votum proprium, aut alienum cuicumque alij manifestet; idque etiamsi suffragantes, quoad hoc, cedant iuri suo: hæc enim prohibitio non est facta adæquatè, & principaliter in fauorem eligentium, sed ipsius electionis, ad vitādas 17.

das fraudes, ac illicitas contentiones, & vt electio fiat cū maiori libertate. Vnde infert Suar. quod, sicut violatio istius prohibitionis irritam reddit electionem, ita prohibitio ipsa durat etiam post elapsum tempus electionis, cum Concilium dicat indefinitè, *nunquam publicentur*, & finis prohibitionis subsistat etiam potest consummatam, confirmatam, & publicatam electionem.

28. Addit Suar. *num.* 13. esse de substantia formæ eligendi statutæ *in cap. quia propter*, vt vota in scriptis redigantur; probátque tum quia *in citato cap.* proposita ea conditione, additur, *aliter electio non valeat*: tum quia talia circumstantia est valdè necessaria ad certitudinem electionis.

29. Cæterùm publicari suffragia in commune, quod præcipitur *in cap. quia propter*, est integrum numerum illorum publicè proferre, non explicando, in quorum fauorem ea fuerint data, vel quot ex illis in hanc, aut illam partem descenderint, sed explicando solùm numerum eorum, qui suffragia tulerunt: quod fit ad maiorem certitudinem collationis votorum postea faciendæ, ac præcludenda subterfugia, & tergiuersationes. ita Suar. *num.* 15. monens eiusmodi solemnitatem esse substantialem ex communi DD. sensu, & publicationem ipsam suffragiorum debere fieri à scrutatoribus, id est ab vno, aliis consentientibus: cum illi soli supponantur scire suffragia secreta, & alioquin non expediat illos omnes simul loqui, nec sic opus, vt successiuè à singulis fiat talis publicatio; quamquam de hoc nihil in textu statuatur.

Porrò Samuellius *tract.* 1. *de elect. D.* 5. *controu.* 4. ex Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 51. *art.* 8. Miranda *tom.* 2. *manual. quæst.* 23. *art.* 19. Pasqualigo *decis.* 263. ex Nauarro *lib.* 1. *consil. de elect. consil.* 9. sustinet non esse improbabile electionem non fore irritam, si aliquis electorum in actu electionis vni ex electoribus ostendat proprium suffragium; & probat, tum quia Concilium Trid. *sess.* 25. *cap.* 6. solùm decernit irritas esse illas electiones, in quibus singulorum electorum nomina publicentur; id autem nō euenit in nostro casu; tum quia ex eo quod forma electionis est indiuisibilis, sicut hæc haberi nequit ex vnico suffragio, ita nec potest dici publicari per publicationem vnius suffragij; cū alioqui Cōcil. præcipiat solū vt electio sit secreta.

Addit Samuellius *num.* 8. quod si elector in fraudem electionis ostendat suum suffragium, vt sic electio sit nulla; in tali casu valida est electio, cum fraus nemini debeat patrocinari, & vtile per inutile viciari non deceat. qua de re Rodriquez *resol.* 58. *num.* 8. Bordunus *resolut.* 26. *num.* 3. *&* 50.

Sic Samuellius *controu.* 6. *num.* 4. docet electionem posse dici secretam, & consequenter validam in casu, quo vnus electorum recipiat suffragium alterius electoris plicatum, & illud videat, non tamen puplicet alteri: quoad secretum enim res se habet, ac si suffragium non fuisset inspectum, quod proinde non potest dici publicatum; cum publicari sit manifestari ab aliquo respectu tertij; quod non accidit in præsenti casu.

Præterea *controu.* 7. sustinet valere electionem, in qua elector dicit alteri, siue ante, siue post, cui daturus est, aut dederit suum suffragium: per hoc enim suffragium non publicatur in ipso scrutinio, & ita publicator, vt non sit certa publicatio; cùm in ipso scrutinio aliter possit se habere, ac publicatum est ante scrutinium; sicque nōn contrauenitur Concilio Trid. vt patebit consideranti textum. Cum Samuellio sentiunt Garcia *part.* 5. *de benefic. cap.* 4. *n.* 197. Pasqualigus *decis.* 252. & Sigismund. *de elect. d.* 31. *num.* 1. & alij, quorum aliqui non improbabiliter putant in casu proposito non peccari mortaliter; alij dissentiant, & magis probabiliter.

Certum autem videtur esse de substantia istius electionis, vt publicatio votorum mox fiat, & sine interpositione appellationis, aut alterius dilationis: nimirum sine vlla morali interruptione: qualis esset, si interponeretur alius actus pertinens ad impediendam, aut differendam electionem, aut certè absque tali publicatione dissolueretur congregatio absque vlla causa cogente. Ratio est, quod omnes circumstantiæ positæ *in cap. quia propter*, pertinent ad intrinsecam formam electionis; cuiusmodi etiam sunt, quod vota ferantur sigillatim, & non simul plura, etiam duo; & quod vota omnia, nullo excepto, suscipiantur; siquidem clausula illa, *aliter electio facta non valeat*, posita sub finem textus cadit in totam formam electionis ibi propositam, vt notauit Suar. *supr. num.* 13. 30.

QVÆRES XVII. Qualiter collatione suffragiorum habita iuxta *cap. quia propter*, eligi debeat in Prælatum regularem is, in quem omnes, vel maior, & sanior pars Capituli consentit: quive numerus suffragiorum ad id requiratur.

Respond. habita collatione illa modo infra explicando electionem fieri debere ab vno nomine omnium publicè loquente, ac denonciante electionem, nempe ab eo, qui præest Capitulo: cum enim iura, neque *in cap. quia propter*, neque alibi de hoc quidquam disponant, supponunt non posse deesse, qui præsit Capitulo, aut saltem qui primam vocem habeat, eique tacitè committunt tale munus: cum ratio petat id fieri ab eo, qui præest Capitulo, aut qui primam vocem habet, quando nulli alteri commissum est. ita Suar. *num.* 24. asserens istam electionem esse veluti vnum actum totius Capituli, qui non censetur consummari, donec vnius nomine totius Capituli loquatur, & eligat futurum Prælatum; idque postquam totius Capituli voluntas paulatim per suffragia singulorum electorum declarata est; vnde patet electionem Prælati regularis aliter fieri à singulis declarantibus suam voluntatem, & aliter à toto Capitulo declarante suam, & quasi vnam voluntatem, quod est omninò de substantia electionis, ita vt non censeatur electio facta, donec ita fiat, eòque omittō nullum ius per illam conferatur; quin etiam talis electio debet fieri statim post collationem superiùs expositam; sicut dictum est de publicatione suffragiorum: idque item est de substantia, & forma tali electionis (vt expressè declaratur *in cap. cum post, de elect.*) sicut & est collatio suffragiorum iuxta *cap. Cumana, de elect.* quæ collatio fieri debet non inter personas eligendas; sed intra vota recepta, conferendo præcisè numerum ad numerum, abstrahendo à qualitatibus personarum vouentium; ita scilicet vt numerus votorum contineat maiorem partem totius Capituli, vt mox dicemus: quamquam teste Suar. *supr. num.* 22. vbi aliud non constiterit, maior pars semper supponatur etiam sanior: itavt dici possit verificari eligi illum, in quem maior, & sanior pars conuenit. 31.

Aduertendum porrò est, quod sicut ad electionem canonicam requiritur non solùm habere plura vota, quam alij, sed præterea maiorem partem totius Capituli; sicut expressè habetur *in c. quia propter*, & in aliis iuribus; sic in præsentia non requiritur, vt in electum conueniat maior, & sanior pars (vti aliàs requirebatur) sed sufficit, quod concurrat maior pars, licèt non sanior. Ratio est, quod cum modò Conc. Trid. iuxta dicta *quæst.* 16. prohibeat publicari 32.

publicari nomina eligentium, consequenter prohibet disquisitionem, per quam aliàs dignosci poterat, an sanior pars eligeret. Ita Lezana *tom.1. c.15. num.* 10. ex Mir. & Barbosa.

Addit Bordonus *resol.61.q.*20. quod si in vno Conuentu sint duo tantum Religiosi, vnus alterum nequit eligere; cum sic non possit saluari essentia electionis, quæ est assumptio vnius ex pluribus, saltem ex duobus (siquidem pluralitas saluatur *in duobus reg* 40. *in* 6.) & alioqui in isto casu non sint duo, quorum alter eligi possit; eo quod, si vnus eorum est Prælatus, non possit eligi ad munus, supra quod cadit præsens electio (vt suppono) si verò non sit Prælatus, adhuc alter eorum non sit eligibilis; videlicet is, qui debet eligere (non enim idem potest eligere, & eligi, cum nemo possit oriri à se ipso) sicque electio maneat solùm respectu vnius; quod est contra naturam electionis. A Bordono dissentit Pasqualigus *to.1. decis.*253. aliis pluribus citatis; cum sententiam Bordoni sequantur Miranda *in Manuali to.2. q.*23. *art.*5. *concl.*21. & Nauar. *consil.*6. *de elect.n.*4. id probantes, quia in proposito casu nequit seruari forma electionis præscripta in *cap. quia propter, de elect.* quæ est, vt maior pars consentiat in aliquem; & in hoc casu non datur maior pars, nec minor, nec vota ipsa dici possunt secreta. Probat Pasqualigus ex eo quod inter duos saluari potest essentia electionis, quæ à Doctoribus definitur alicuius personæ canonicè facta vocatio; cùm possit quis alterum canonicè vocare ad id, ad quod eligitur, præmisso prudenti, ac discreto iudicio de eligibilitate personæ; sed reiicitur plutibus à Bordono.

Qværes XVIII. An electio Prælatorum per scrutinium fieri possit ex votis, siue incertis (v.g. eligo, quem Petrus voluerit) siue conditionatis (v.g. eligo Petrum, si electus fuerit à maiori parte Capituli) siue alternatiuis (v.g. eligo Petrum, aut Paulum.)

33. Respond. non posse; & patet ex *cap. in electionibus, de elect. in* 6. vbi id in terminis statuitur. Ita Portel. *sup. v. electio, num.*1. Peyr. *de R.S. q.*1. *cap.*31. §.6. alisque apud ipsum; qui addit ex Nau. Vega, & Rodriq. quod si in scrutinio repetiatur schedula alba, non computatur in numero: imò præsumitur eum, qui illam dedit, cessisse iuri suo; quod etiam aduertit Mirand. *tom.2. manu q.*23. *a.*20. monens *a.*19. electionem non irritari ex eo quod scriba, siue cum malitia, siue absque ostendat schedulam alicuius electoris continentem nomen ipsius, & illius, pro quo suffragabatur: non enim par est, vt defectus vnius de Capitulo noceat toti Capitulo, & actui aliàs legitimo *cap. fin. de procurat.* secus, si id fiat de consensu totius Capituli: nam tunc electio redderetur nulla ob decretum Concilij Trid. *relatum q.* 16. quod tamen non habet locum in priori euentu: alioqui posset quilibet elector quamcumque electionem alioqui legitimè factam ob priuatum commodum irritare, ostendendo alteri suum, aut alterius votum: quod vtique cederet in damnum Religionis, nec est probabile fuisse intentum à Concilio, quod potiùs intendit fauere per illud decretum bono Religionum, & quieti Religiosorum.

Qværes XIX. An electio Prælatorum regularium possit arctari ad certum genus hominum (v.g. ad eos, qui 30 annos attigerunt, tali, aut tali gradu sunt insigniti) vel etiam ad certum numerum eligendum, v.g. ad tres.

34. Respond. instā occurrente causā, posse arctari priori modo, non item posteriori. Ita Miranda *in terminis sup art.* 22. Portel. *sup. num.*4. alisque, & quidem quod electio arctari possit priori modo, probatur, tum quia sic non tollitur libertas eligendi; nam electio Papæ est restricta ad Cardinales, ita vt non possit eligi, nisi vnus ex illis, & tamen est libera; tum quia potest institui beneficium, vt conferatur solùm propinquis Institutoris: tum quia valet consuetudo, vt Abbas certi monasterij non eligatur, nisi de certo quodam monasterio *cap. cum dilectus, de co .suetud.* tum quia hinc non sequitur electores posse in aliquo casu astringi ad eligendum indignum; si enim contingat intra illud genus personarum, ad quas restricta est electio, non reperiri vllum dignum, tunc cessat ratio statuti, aut præcepti, per quod fuerat præscripta illa restrictio, sicque eligi poterit alius dignus. Quod verò posteriori modo non possit restingi electio; patet, quia sic tollitur libertas electionis, quæ ita est de substantia electionis, vt consuetudine induci non possit, quod non sit libera, sicut notauit Abb. *cap. cum terra, de elect. num* 4 & habetur dicto *cap. cum terra*; vnde & talis electio esset nulla.

Moneo hic vnum, electionem fore liberam in casu, quo vnus tantùm proponatur eligendus, si electores possint illum non eligere: ad hoc enim vt actus electionis sit liber, sufficit quòd sit liber, quoad exercitium: siquidem quod possibile est non esse, non necesse est esse, vt aduertit S. Thom. 1.2. *q.*13. *art.*6. è contra, non censetur libera, ideóque est nulla electio, in qua electores coarctentur ad 3. aut 4. personas eligendas; sicque decidit Sacra Congregatio, teste Samuellio *tract.*1. *de elect. D.*1. *contr.*4. *num.*5. qui benè monet *num.*13. secùs dicendum, si præfata coarctatio pendeat ex voluntate electorum, aut ex alio accidenti; vt si electio fieri debeat de certo gremio personarum, & ibi non sint nisi duo idonei; tunc enim electio esset coarctata, & tamen teneret vt aduertit Sanch. *l.*4. *de matr. D.*12. *n.*20.

Qværes XX. An, & quomodo publicanda sit electio Prælatorum regularium.

Respond. debere publicari post publicationem suffragiorum factam in communi, (vti diximus *quæst.*16. §. *caterum*,) & post collationem eorumdem suffragiorum faciendam (sicuti diximus *quæst.* 17. §. *collatio*) & quidem statim, & incontinenti eo modo, quo asseruimus *quæst.* 16. §. *caterum*, necnon coram omnibus electoribus simul congregatis. Ita Nauarrus *l.*1. *consil. de electionib. consil.*3. *num.*2. & cum eo Mirand. *sup. art.*25. docentes ex Host. Io. Andr. Panormit. alisque ferè communiter esse de substantia electionis, vt ea incontinenti post collationem suffragiorum modo dicto publicetur, & si non publicetur illam declarandam esse nullam; quamuis aliqui putent eam non esse ipso facto nullam, sed solùm esse annullandam, intellige, nisi id fiat ex fraude, eo quod displiceat electio facta, sicque intendant electores instituere nouam electionem; tunc enim electus, cognita fraude, potest adire Superiorem, ac requirere Præsidem Capituli, vt iuxta iuris præscriptum faciat publicari electionem in eius fauorem perfectam: quippequi per talem electionem acquisiuit aliquod ius ad prælaturam, quo non decet ipsum priuari absque sua culpa iuxta *l. non debet, ff. de reg. iur.* 35.

Monet autem Mirand. *art.* 26. decretum publicationis scrutinij, & suffragiorum collatorum in scrutinio factum à scrutatoribus facere plenam fidem pro electo, illique standum esse, ac proinde electum legitimè statim debere confirmari, nisi quid obstet (vt si euidenter constaret de fraude aliqua ordinata inter Superiorem, & scrutatores; tali quippe decreto nihil deest, quo minus plenam fidem faciat; 36.

aut

aut facere possit in quocumque judicio, & præsertim in Capitulo, in quo facta est electio; quibus verò verbis fieri possit, ac debeat eiusmodi decretum, diximus *q.* 4.

37. Addit Lezana *tom.* 2. *cap.* 12. *num* 49. præfatum decretum electionis (quod aliqui vocant scrutinium, alij acta Capituli) debere continere formam electionis celebratæ expresso nomine electi, ac numero eligentium, mittique debere ad Superiorem, cuius est confirmare electionem; si is sit absens: idque vt ipse videat, an electio debeat confirmari, necne: aliàs enim imprudenter eam confirmaret, si hoc faceret ignorans, num ea legitimè fuerit facta, vel non; vnde infert Lezana eiusmodi decretum dici posse de necessitate electionis, prout confirmandæ, dato quod Confirmator sit absens; secùs, si sit præsens: tunc enim potest confirmare electionem sine tali decreto; cum sic aliunde possit ipsi constare eam ritè, ac legitimè factam fuisse.

Quod verò dicunt Doctores hoc decretum debere esse scriptum manu publica, idest alicuius Notarij; non facit, quin ad hoc sufficere possit Secretarius Capituli, in quo fit electio fungens munere Notarij. Ita Lezana *in Mari magno Eremitarum, n.* 143. dicens, quod ait Sigismundus *de elect. d.* 43. *num.* 12. posse in tali casu deseruire Religiosum creatum Notarium vigore indulti Pij V. infrà referendi *c.* 3. *n.* 260. sibi esse incertum; cum tale indultum videatur solùm ad intimanda mandata, ac priuilegia Apostolica personis extra Religionem existentibus; sic Lezana: sed minùs cohærenter doctrinæ à se traditæ *in Mari magno Seruitarum, num.* 121. quod scilicet Religiosus creatus Notarius ex præfato indulto Pij V. possit deseruire loco Notarij ad faciendum transumptum literarum Apostolicarum, aliàs manu Notarij publici faciendum, vt iis fides plena adhibeatur iuxta concessionem factam *in Mari magno Seruitarum:* si enim in hoc casu Religiosus modo dicto creatus Notarius exercet validè munus Notarij, cur non potest exercere in priori casu; cum in vtroque requiratur de iure authoritas Notarij. Confirmat autem Lezana *citato num.* 121. suum dictum, tum quia libris campsorum, mercatorum, ac similium plena fides datur, saltem ex consuetudine, eaque rationabili, Mascard. *de probat. concl.* 973. *num.* 16. Surd. *decis.* 312. *num.* 3. tum quia libris ratiociniorum Conuentuum manu Notarij Monachi, aut Monialis scriptis adhibetur fides, Rodriq. *in addit. Sum. tom.* 4. *cap.* 58. *n.* 11. alter Rodriq. *in Comp. resol.* 100. *n.* 5. ergo & idem dicendum est in præsenti casu.

Sed difficultas est, an Superior, qui præest scrutinio electionis, teneatur publicare electionem, si ipsi constet electum fuisse indignum; vel certè possit illam supprimere eam non manifestando.

38. Respond. teneri illam publicare, interim tamen summariè per testes inquirendo de sufficientia electi, & probata eius insufficientia, ac indignitate, illum excludendo ab electione: & hoc, ne alioqui feratur sententia contra reum inauditum, & in materia graui condemnetur non citatus. Ita Portel. *sup. in addit. ad addit. num.* 5. patetque ex *c. quia propter, de elect.* vbi indefinitè præcipitur, vt facto scrutinio statim vota publicentur, qua de re plura idem Portel. *p.* 2. *resp. mor. casu* 4. *num.* 3.

QVÆRES XXI. An, à quo, & quomodo debeant confirmari Religiosi electi ad prælaturas regulares.

39. Respond. debere confirmari à Superiore immediato Prælati electi, examinata tamen prius idoneitate eligentium, ac electi, & forma electionis; aliàs, si prælatura vtantur, nondum obtenta confirmatione, eo ipso priuantur iure acquisito per electionem, per *cap. auaritia, de elect. in* 6. Ita Suar. *tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 2. *cap.* 5. *num.* 25. magna ex parte Host. *l.* 1. *de elect. n.* 27. Peyrin. *sap.* §. 11. Mir. *art.* 28. Lezana *n.* 40. aliique penes ipsos, & habetur expressè in *cap. nihil est*, §. *caeterum, de elect.* vbi etiam statuitur certa pœna contra indebitè confirmatum, & indebitè confirmantem, vt videbimus *infra cap.* 7. *q.* 28. idque non immerito, cum nihil sic noceat Ecclesiæ, quam promotio eorum, qui indigni sunt, & minus habiles ad regimen animarum, vt habetur *in citato cap. nihil.*

Quod autem diximus præmittendum esse examen, antequàm Prælati regulares confirmentur à Superiore; putat Rodriq. *tom.* 2. *q.* 52. *art.* 5. non esse semper necessarium, ideóque non esse damnandam praxim Generalium, qui electionem Prouincialium factam in concordiam confirmant absque vllo examine probat, tum quia *cap. fin. de elect. in* 6. quod posset adduci in contrarium, intelligendum est de electione facta in discordia, & consequenter tali, vt timeri probabiliter possit, ne confirmatio illius sit irrita, ac inanis. quod certè non potest timeri in casu nostro, quo electio supponitur facta in concordia; tum quia Sixtus IV. concessit Generali Ordinis S. Hieronymi, quod possit supplere auctoritate Apostolica quoscumque defectus contingentes in electione Prælatorum; sicque de facto censentur supplere hoc ipso, quod sine vllo examine confirmant electionem concorditer habitam, dato etiam quod tale examen esset de substantia talis confirmationis. 40.

Certè electio Generalium, quæ iure communi deberet confirmari à Papa; cum ipsi nullum alium habeant Superiorem, ad hoc vt sit valida, nullæ speciali indiget confirmatione; cum enim per varia priuilegia, etiam bullata plurium Religionum, illorum electio fiat auctoritate Apostolica, eo ipso quod quis publicè denunciatur canonicè electus, eadem auctoritate Apostolica censetur confirmatus. vnde in multis Religionibus, finita electione Generalis, statim ei, tanquam supremo Prælato Religiosi omnes subditi reuerentiam exhibent, & ipse incipit præsidere Capitulo generali, suúmque munus exercere; qua de re Rodriq. *sup. art.* 1. & Mirand. *tom.* 2. *manu. q.* 23. *art.* 32. 41.

Extat & aliud singulare priuilegium ab Alexand. IV. & Sixto IV. concessum Dominicanis; nimirum quod si contingat electionem Prouincialis, aut Prioris factam non confirmari ex aliqua iusta causa: potest Superior, ad quem pertinet confirmatio talis electionis, eligere aliquem de illis Religiosis, quos ipsi electores, aut maior pars illorum per literas suas ab eo petierint. Ita Lezana *tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 41. ex Castellino monens tale priuilegium esse commune Religiosis etiam aliorum Ordinum per viam communicationis, nisi obstent peculiares Constitutiones, aut statuta ipsorum, vel aliunde prohibeantur. 42.

Illud etiam hîc placet monere, quod, quamuis electio ipso iure nulla non possit validè confirmari; cum confirmatio sit corroboratio iuris priùs habiti, (vt habet Host. *l.* 1. *de confirm. vtili vel inutili, n.* 1. §. *quid sit*) electio tamen canonica, quæ est iure valida, non irritatur ex eo quod confirmatio illius declaratur irrita, siue ex defectu debitæ solemnitatis omissæ, siue ex inhabilitate Superioris confirmantis non habentis potestatem confirmandi: sic quippe statuitur *cap. si confirmationem, de elect. in* 6. Ita Peyr. *sup.* ex Cucco, & alij. 43.

Dices,

Dices, quid si electores elegerunt indignum, aut certè dignum, sed omisso digniori, teneturne tunc Superior confirmare talem electionem?

44. Respond. si quidem fiat electio indigni, non teneri, imò nec posse: cum id non possit fieri sine præiudicio religionis, & confirmans sic censeatur concurrere ad peccatum electorum; teneri verò, si electus fuerit dignus, omisso digniori: sic enim colligitur ex Concil. Trid. *sess. 24. de reformat. cap. 18.* & *cap. pastoralis de iure patron.* patetque, quia confirmatio est actus exterior, & electio digni in foro exteriori est valida: electio autem valida debet confirmari, aliàs electus habet ius appellandi ad Superiorem. ita Peyrin. § *citato*, aliique penes ipsum: qui addit & Ledesma, Salon. Rodriquez, Arag. & aliis, quod si Confirmatori proponantur duo vel tres, sub culpam. tenetur confirmare digniorem, cum sic gerat vicem electoris, & confirmatoris; quod etiam docet Lezana *num.* 39. ex Couar. & Sanch. monens id intelligendum esse de iure communi: cum quo stat, vt iure particulari possit confirmator cassare electionem digni factam omisso digniori, (prout Sanchez *lib. 2. consil. cap. 1. d. 6. num. 4.* testatur statutum esse in Ordine Prædicatorum) dummodò tamen euidenter constet relictum fuisse digniorem.

45. Accedit quod, sicut, quando in electione sunt aliqui oppositores, ij debent vocari, antequam electus confirmetur *cap. fin. de elect. in 6.* sic si quoad hoc ad Papam appelletur in debita forma, ordinarius Confirmator non potest procedere ad confirmationem electionis iam secutæ, quamdiu pendet appellatio *cap. si postquam, eod. tit.*

46. Quod autem Pius IV. in bulla *Sanctissimus* 86. in ordine statuit, vt nullus de cætero se in regimine, & administratione monasterij, vel alterius dignitatis Conuentualis, ad quod, seu quam illum contigerit eligi in spiritualibus, vel temporalibus, antequam ritè celebrata electio à Papa pro tempore existente confirmata, & literæ Apostolicæ desuper expeditæ fuerint, per se, vel alium, in toto, vel in parte quouis quæsito colore immiscere, aut ad illud, vel illam se recipi facere, vel aliàs se pro eius Prælato gerere præsumant: idque sub pœna, quod Superiores regulares, qui tales electiones confirmare præsumpserint, eo ipso suis dignitatibus priuati existant; Ordinarij verò locorum hoc idem præstantes maneant interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & suspendi ab Ecclesiarum suarum regimine, & administratione; & quod ij, qui sic confirmati fuerint, eo ipso sint priuati iure, si quod illis ad monasteria, vel eorum regimina, & administrationes, ac aliàs Conuentuales dignitates per huiusmodi electionem acquisitum fuerit, & deinceps ibi ineligibiles sint, ipsaque monasteria, & aliæ dignitates à Sede Apostolica impetrari possint. hoc, inquam, quod per talem Constitutionem statuit Pius IV. non videtur esse in vsu, & fortasse etiam nunquam fuit acceptatum à Regularibus, vel certè, si fuit acceptatum, tanquam nimis onerosum postcà per contrarium vsum legitimè abolitum est, scientibus, & non contradicentibus summis Pontificibus: quod neque est impossibile, neque est nouum in Ecclesia.

Addo in Mari magno *Prædicatorum*, § 6. concedi Prælatis Ordinis, vt possint prouidere monasteria de aliquo Prælato, si ij ex insta causa renuant confirmare electionem factam à Capitularibus: quare, si controuersum sit, an valida sit electio, potest Confirmator prouidere officium illud in personam eius, quem electores, vel maior pars eorum ab eo per literas petunt: idque etsi electio fuerit inualida. ita Lezana *in Mari magno Prædicatorum, num. 16.* monens quod, licèt Sigismund. & Samuellius videantur intelligere hoc priuilegium solùm de Prioribus Conuentualibus (illud scilicet procedere solùm in electionibus Priorum localium) tamen extenditur etiam ad Prouinciales; adeóque Generalis, aut alius, ad quem spectet confirmare electiones Prouincialium potest in isto casu aliquem Prouincialem designare: idque ex verbis illis *Quando in aliquo Capitulo, vel Conuentu de Prouinciali, vel Conuentuali Priore occurrit electio*, quæ extant in ipso Mari magno *loco citato*; sicque quod est *in fine § citati, Concedere valeat in Priorem*, videtur intelligendum tam de Priore locali, quàm de Prouinciali. quod priuilegium vtique est commune etiam Religiosis aliorum Ordinum, si velint eo vti.

QVÆRES XXII. An, & qualiter electio ad prælaturas regulares præsentari debeat iis, qui canonicè electi sunt.

Respond. electores, cum primùm possunt teneri præsentare electionem electo, eiusque consensum requirere; qui proinde intra mensem computandum à die præsentationis, si velint consentire, tenetur exprimere consensum: ita, vt, si vltrà distulerit, eo ipso maneat priuatus iure acquisito ex electione; habetur expresè *in cap. quam sit, de elect. in 6.* patetque, si monuero ex Peyrin. *in formul. lit. E. cap. 16. num. 1.* istam notificationem electionis præsentari debere electo absenti in forma authentica, idest subscriptam ab omnibus electoribus, aut saltem à Scriba de mandato ipsorum; electum verò, habita tali notificatione, non debere statim consentire, ne præsumatur ambitiosus *cap. sicut in 1. quæst. 6.* sed debere respondere se capere tempus ad deliberandum: siquidem tempore indigemus, vt aliquid maturiùs peragamus, *cap. pondere d. 50.* 47.

QVÆRES XXIII. Quo tempore fieri debeat electio Prælatorum regularium, num de die, an etiam de nocte, & quo casu.

Respond. omnino congruum esse, vt fiat de die; imò esse necessarium, si ea per modum scrutinij facienda sit; excepto tamen casu necessitatis, quæ legi non subiacet (vt si cœpta sit electio, & periculum sit in mora) in quo euentu ad tollendam suspicionem fraudis adhibenda essent luminaria, saltem tria. ita Rodriq. *tom. 2. quæst. 51. art. 15.* Miranda *tom 2. man. quæst. 23. art. 12.* Portel. *de dub. regul. v. electio num. 5.* Laym. *in qq canonic. cap. 4. quæst. 34.* & Peyrin. *de R. S. quæst. 1. c. 31. § 6. v. dico 7.* monens tunc demum electionem continuari posse de nocte (i. vsque ad mediam noctem) quando ita esset statuta dies electionis, vt ea elapsa, electio deuolueretur ad Superiorem: alioqui si electio de die inchoata protrahatur ad vesperam, & cum Solis luce absolui non possit, die proximè sequenti peragi debet, vt notauit Laym. Ratio autem, cur electio per scrutinium non possit regulariter fieri de nocte, est quòd illa post Conc. Trid. debet fieri secretò: si verò ita fiat de nocte, possunt immisceri fraudes. ad quas euitandas electio debet fieri de die, vel saltem cum luminibus, si ex graui necessitate facienda sit de nocte. vnde fit, vt Rodriq. *loco citato* doceat non esse damnandam electionem factam de nocte, si ea non fiat per vota secreta, sed aliter (v. g. per compromissum.) 48.

Vnum hîc obiter aduerto, quod, quamdiu viuit Prælatus monasterij, licèt eius vita sit desperata, non solùm illicitus, sed etiam inualidus est tractatus de electione successoris: cum dedeceat eligi Prælatum, aut tractari de eius electione, antequam Sedes va- 49.

cetıdque non obstante regula relata *in cap. de vxore, de sepult.* quod dispositio facta tempore inhabili subsistere possit, si conferatur in tempus babile; siquidem illa non habet locum, si tempore inhabili ablata sit potestas disponendi; sicut benè notauit Laym. *supr. num.* 30. addens per boc non tolli, quo minùs extra Capitulum, aut etiam in Capitulari conuentu incidenter, ac veluti per accidens fieri possit mentio de certa persona substituenda post mortem Prælati, v.g, senis, aut infirmi: cum talis mentio non fiat in ordine ad decretum definitiuum, sicque non habeat rationem tractatus capitularis Quin ipsemet Prælatus non vetatur cum capitularibus suis quippiam statuere circa formam, tempus, aut locum electionis, cum reuera possit statuere; imò potest ante mortem conuocare electores, eos bortari ad concordiam, consultare de idoneo successore, eisque certum aliquem proponere. ita Laym. *vbi supra.*

Qværes XXIV. In qoo loco fieri debeat electio Prælatorum regulariom.

50. Respond. debere fieri in Choro, aut Capitulo, aut alio honesto conclaui iuxta cuiusque Religionis consuetudinem. Colligitur ex Syluestro *v. electio* 1. *quæst.* 8. quem sequuntur Mirand. *tom.* 2. *man. quæst.* 23. *art.* 9. Laym. *supr. cap.* 4. *quæst.* 33. aliique communiter.

Qværsa XXVI. An, & quale ios Regulares acquirant per electionem ad prælaturas Ordinis ad quas eliguntur.

51. Respond. acquirere, itaut possiot proprio iure petere confirmatiouem: electio enim facit imperatorem, *cap. legimus d.* 93. iuncta Glossa ibi, at non posse exercere prælaturam ante confirmationem, cum ante hanc semper possit opponi electioni; vt colligitur *ex cap.* 1. *de transact.* & inter alios aduertit Peyrin. *in formul. lit. C. cap.* 18. *n.* 2. docens *n.* 1. ad confirmationem non requiri ceriam formam verborum, sed sufficere quodcumque dictum, aut factum, quo Superior, ad quem spectar confirmare, declaret voluntatem suam confirmandi: ita vt, si Superior intersit electioni, & illam factam verbis approbet, nulla alia requiratur scriptura. ita Graff. *tom.* 1. *lib.* 1. *de elect. consf.* 2. *num.* 1. Nau. *comm.* 2. *de Regul. num.* 64. aliique.

Qværes XXVI. In quot, & quibus casibus electio Prælatosum regularium deuolnatur ad Superiorem.

52. Respond. deuolui in duobus casibos: 1. propter negligentiam electorum eo quod non eligant intra tempus iure præscriptom: 2. ob culpam eorumdem, eo quod, vel indignum elegerint, vel in eligendo non seruauerint debitam formam. Colligitur ex Laym. *sup. cap.* 5. *num.* 94. & quoad priorem casum habetur *in cap. ne pro defectu, de elect.* vbi statuitur tempus, intra quod facienda est electio ex causa mortis, esse trium mensium: quoad posteriorem verò casom decidiiur *in c. cum Vintoniens. de elect.* vbi eligentes indignum priuantur iure eligendi pro illa vice; sed de hoc alibi. Notat autem Peyrin. *tom.* 3. *priuil. cap.* 13. *n.* 23. Superiorem ad quem deuoluitur electio, teneti illam facere intra mensem: & si, cessante iusto impedimento, non faciat, illam iterùm deuolui ad alium Soperiorem, (v.g. ad Protectorem, aut Papam.) aut etiam ad primos electores, si ipse eligat, & eius electio cassetur ob aliquem defectum: idque *ex citato cap. ne pro defectu.* vbi Abb. *num.* 6. Bald. *n.* 12 & alij.

53. Notat item Samuellius *tract.* 1. *de elect. D.* 2. *contron.* 12. quòd, sicut electio non confirmata absque electorum culpa redit ad illos, ac si esset noua vocatio, cum electio non dicatur perfecta, nisi sit confirmata; sic etiam ad ipsos redit in casu, quo electores ex negligentia intra tempus præfixum non eligant, ideóqoe Superior, iure deuoluto, prouideat, & prouisus renonciet, aut moriatur, aut prioerur. quod etiam docent Ancbaranus *in cap. si electio, de elect. in* 6. *v.* 4. Sigismund. *de elect. d.* 12. *num.* 3.

Quòd si omnes electores moriantur, aut sint inhabiles; tunc electio deuoluitur ad Superiorem proximè immediatum semper gradatim vsque ad Papam: idque *ex cap. ne pro defectu, de elect. & cap. fin. de supplen. neglig. Prælat.* aliisqoe iuribus relatis à Samuellio *sup. contr.* 13. *n.* 5. pro se citáte *n.* 6. plures DD.

Vtrum verò Prælatus regularis in casu deuolutionis possit per seipsum eligere absque consensu, & consilio soorum Collegarum.

Respond. Peyrin. *sup. num.* 24. ex Glossa, Abb. Anchar. Baldo, & aliis posse de iure communi eligere per se ipsum: (siue per viam electionis, siue per viam prouisionis, provt maluerit) & quidem sine consensu Collegarum, non tamen sine eorum consilio; patetque ex *citato cap. ne pro defectu.*

54. Addo ex Laym. *num.* 96. quod licet Prælati regulares possint restringere tempus electionis iure definitum, ocurrente casu necessitatis, in quo ob periculum moræ electores deberent accelerare electionem, vt tradit Abb. *cap. cum in veteri, num.* 1. *de elect.* extra casum tamen necessitatis, adeóque per se, & ordinariè non possunt facere dictam restrictionem; cum priuilegium concessum à Superiore, tolli nequeat ab inferiore iuxta *reg.* 17. *in* 6. *Indultum iure priuilegium non est alicui auferendũ:* quod in specie aduertit. Glossa *cap. pro illorum, v. auctoritate propria, de præbend.*

Addit Samuell. *sup. D.* 1. *contron.* 13. *num.* 11. electionem, si deuoluatur ad Prælatos superiores, debere fieri iuxta formam præscriptam *in cap. quia propter, de elect. in* 6. & in Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 6. & probat ex decretis Clementis VIII. *de reformat Regul. num.* 36. & ex Pauli V. decreto relato à Quaranta *pag.* 422.

Qværas XXVII. An, & quo modo Regulares possint se opponere, seu appellare ab electione suorum Prælatorum.

55. Respond. non posse, si electio facta sit vnanimi consensu eligentium (excipe, nisi postea emergant nouæ causæ, aut ipsis eligentibus de nouo innotescat indignitas personæ electæ;) ita Peyt. *de R.S. quæst.* 1. *cap.* 31. §. 11. ex Cueco; & babetur expresè *in cap. nulli, de elect. in* 6. Dixi, *si electio facta sit vnanimi consensu;* si enim fiat in discordia: tunc à contrario sensu licitom erit appellare ab ea: sicut & in casu, quo electio fiat indebitè (v.g. exclusis iis, qui non debent excludi. vel non vocatis electoribus, &c.) quod aduertit Portel. *supr v. electio in addit. num.* 1.

56. Cæterùm appellatio in electionibus debet necessario continere tria nimirùm primò vt in literis appellationis exprimantur omnia, & singula, quæ appellantes possunt obiicere, siue contra formam electionis, siue contra personam electi, aut eligentium: secundò vt id fiat coram Iudice competente (v. g. coram Præside Capituli, aut etiam toto Capitulo, adbibitis aliqoibos testibus:) tertiò vt appellantes præstent corporale iuramentum se credere vera esse, quæ opponuntur, & posse probare; quæ omnia habentur *in cap. vt circa, de elect. in* 6. ita Peyrin. *in formul. lit. E. cap.* 19. *num.* 1. monens *num.* 3. eos, qui opponont electioni alicuius notorium aliquem defectum, vel qoem ipsi per sufficientes testes facere possunt notorium, non posse postea desistere ab oppositione, alioqui debere puniri *cap. ab eo de elect. in* 6.

57. Adde prohibitium quidem esse appellare, ne fiat electio, non item, ne fiat, nisi canonica. habetur

cap.

cap. cum nobis, de elect. & notat Gloss. *in cap. considerauimus, v. post appellationem, eod. tit.* addens, quod quamuis electio cassetur ratione modi in ea seruati, nihil tamen obstat, quin electus possit iterum eligi; vt habetur in *d. cap. considerauimus.*

QVAERES XXVIII. An Regularis electus in Praelatum possit appellare, si ei denegetur confirmatio electionis.

58. Respond. posse; cum ius habeat ad praelaturam, adquam fuit electus, & quidem non solùm *ad rem* (quod est certum) sed etiam aliquo modo *in re*; quippe quod tribuitur cum traditione expressa officij, ac eius exercitatio; vt notauit Peyr. *supr. lit. C. cap. 18. num.* 10. constat autem, quod quando subditus iniustè læditur in re graui, potest appellare ad Superiorem postulando ius suum. ita Peyr. *num.* 14. monens quod, cum appellatio executionem retardet, Religiosus electus à Capitulo in Prouincialem v. g. (si Generalis, eius electione irritata alium sufficeret in locum ipsius) posset appellare ad Superiorem intra debitum tempus, & interim se manutenere in possessione officij: quo casu alter electus à Generali teneretur se subtrahere, vsque dum per Superiorem, ad quem appellatum est, declaretur priorem electionem fuisse iustè, aut iniustè irritatam; idque etsi iste sit & electus, & confirmatus, ille verò alius solùm sit electus: siquidem illi suffragatur possessio, qua caret is, qui à Generali pustea electus est; vnde fit, vt habens possessionem possit se in ea manutenere contra alium carentem illa. eum melior sit conditio possidentis.

Notat autem Samuell. *tract.* 1. *de elect. D.* 8. *controu.* 5. *num.* 10. electionem, quæ per scrutinium celebratur, non obstante quauis exceptione, absolutè loquendo, debere confirmari, si sit celebrata à nomero duarum partium, præmissa examinatione, si opus sit, an electio fuerit canonica: & hoc *ex cap. indemnitatibus, §. sanè, de elect. in* 6. *& cap. bona, §. contra verò, eod. tit.*

QVAERES XXIX. In quibus casibus Superior possit irritare electionem Prælati regularis factam à legitimis electoribus.

59. Respond. posse in multis casibus. 1. si electus consentiet electioni de se faciendæ, & ipsi proposita, antequam eligeretur, *cap. cum post petitum, extra de elect.* 2. si electio sit clandestina (v. g. facta in occultis conuenticulis) *cap. quia propter, de elect.* 3. si electio fiat contra formam substantialem, & est communis DD. apud Sylu. *v. electio* 2. *num.* 13. 4. si electus est graoatus in fama apud viros bonos, v. g. de aliquo delicto accusatus, *cap. Omnipotens Deus, de accusat.* 5. si ex electione scandalum aliquod graue probabiliter timeatur, & ita sentit Panorm. *in cap.* 1. *de elect. num.* 8. cum Rota, Torrecr. Felin. & aliis adductis à Peyrino *supr. num.* 6.: 6. si electio sit facta in magna discordia, & sine magno excessu votorum, & sic docent Azor. & Castellin. relati à Peyrino id colligentes *ex cap. nihil, § ceterum, de elect.* qui tamen subdit id intelligendum esse, nisi post electionem conueniant, & reconcilientur (vti regulariter solet fieri:) 7. si iudicetur ad bonum commune expedire, vt electio cassetur, idque docet Bannez 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 2. *resp. ad* 2. quem tamen Castell. & Lauor. relati à Peytino putant intelligendum esse, dummodo occurrat causa grauis, & quæ iuridicè etiam probari possit in iudicio, si opus sit. Quamquam Peyr. ipse *n.* 7. ex Innoc. Abb. Anchar. & aliis sustineat Superiorem, qui ex causa rationabili non vult confirmare electionem, non teneri dictam causam probare iuridicè, sed sufficere, quod eam probet extraiudicialiter ad solam famam attendendo.

Quod si contingat aliquem Superiorem prohibere subditis, ne faciant aliquam electionem, & nihilominùs ipsi illam faciant: si eligant dignum, electio est valida, nisi Superior, qui prohibuit, possit per se irritare electionem, & in scriptis declaret se irritare electionem aliter factam. ita Portel. *de dub. regul. v. elect. in addit. ad addit. n.* 4. & probat, tum *ex cap. inter cætera, & c. dilectus, el* 2. *de præbend.* tum quia, si illi habent ius eligendi, & eligunt canonicè, sola prohibitio, quod non eligant, non irritat electionem; eum multa fieri prohibeantur, quæ facta tenent. 60.

QVAERES XXX. An electio Prælatorum regularium facta simoniacè sit valida, adeòque electus possit retinere prælaturam sic obtentam.

Respond. non esse validam, ac proinde taliter electum teneri renunciare prælaturæ Simoniacè, receptæ; sic enim habetur *in cap. si alicuius, de elect.* idque etsi vnus tantùm ex electoribus sit Simoniacus, aliis id ignorantibus, imò & ipsomet electo inscio: nisi fortè corruptores illum corrumpere studuissent in fraudem, ne talis eligeretur: habetur expresè *in cap. nobis, de Simonia:* quin etiam hoc idem verum est, etsi suffragium illius, qui per simoniam fuit corruptus, non fuisset necessarium *c. Matthæus, de simon.* ita Peytin. *de R. S. quæst.* 1. *c.* 31. *§.* 9. sub finem monens, quod si nesciente electo simonia commissa est, tunc siquidem statim ac agnoscit simoniam, prælaturam renunciat in manibus Generalis, potest ab eo dispensari (nisi ipse Generalis sit is, eum quo cõmissa est simonia:) secùs, si expectet iudicis sententiam; nã tunc solus Papa potest cum ipso dispensare. 61.

Addo, quod si Religiosus accipiat prælaturam, aut dignitatem Ecclesiasticam simoniacè non est priuatos ipso facto aliis dignitatibus priùs legitimè acquisitis, sed solùm post sententiam Iudicis, vt bene notant Azor. *tom.* 3. *lib.* 12. *cap.* 21. *q.* 12. Regin. *l.* 23. *n.* 188. Suar. *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *l.* 4. *c.* 58. *n.* 3. aliique. 62.

Porrò simonia committitur in electione: 1. si electores inter se conueniant hoc pacto; si tu dederis mihi tuum suffragium in hac electione, ego dabo tibi meum in illa alia, *cap. de hoc autem, de Simonia:* 2. si detur pecunia ad obtinendum votum alicuius: 3. si ad eumdum effectum promittatur prioratus, aut alia prælatura: 4. si detur pecunia, ne quis suffragetur in tali electione, & quidem personæ aliàs dignæ: 5. si, vbi aliquis electus est plurium electorum suffragio, detur pecunia, ne quis contradicat tali electioni, cum iustè possit contradicere: 6. si contradicentibus electoribus, non iure, sed facto, electus det pecuniam, ne contradicant; secùs, in sequentibus casibus, nempe si quis sit electus ad prælaturam, & confirmatus, & iniustè vexantibus soluat pecuniam ad retinendam prælaturam: si iniustè fuit priuatus prælatura, aut ab ea suspensus, ideòque tribuat pecuniam ad recuperandam prælaturam, aut se liberandum ab ea suspensione: si detur aliquid temporale ad redimendam vexationem (v. g. ne alter, qui alioqui non habet ius eligendi me infamet, aut detrudat in carcerem, ne accedam ad Capitulum) si detur pecunia, ne alter contra me suborner electores. ita Peyt. *§. cit.* aliique plures apud ipsum: qui monet ex Suar. *supr. cap.* 57. *num.* 18. electionem esse ipso facto nullam, si sciente eo, eui procurabatur electio, alius dedit pecuniam, & tamen ille, cui procurabatur, non contradicit. 63.

Quod si electus non sciuit simoniam, quæ committebatur, sed quia suspicatus est, ne committeretur, omninò contradixit, nec vnquam consensit: tune electio est firma, & valida; vt habetur expresè *in* 64.

cap. sicut tuis, de simonia: idque, siue Simoniacus sit amicus electi, siue inimicus. ita Suar. *sup. num.* 30. addens *num.* 31. quod si electus in tali casu obtenta prælatura pecuniam soluat ei, qui antea illam dedit, non ideo reputari debet simoniacus, si illam soluat non approbando factum interius, neque exterius, sed solum ne amicus damnum patiatur, *cap. cum quis, de sent. excomm. in 6.*

65. E contra electio simoniaca est nulla, si pecunia detur inscio electore, & electo (vt si amicus electi illam det intimo amico electoris) & ratio est, qood irritatio directè fertur in omnem electionem simoniacam, talis autem est præsens electio, vt patet. ita Soar. *num.* 40.

Vtrum verò excusari possit à simonia praxis, quæ seruatur in aliquibus Religionibus, nimirum quod in Capitulis, in qnibus fiunt diuersæ electiones, electores in tractatu electionis alicuius in Generalem, aut Prouincialem cooueniunt, vt posteà tales eligantur in Proniinciales, aut Prælatos locales.

66. Respond. posse excusari; cum sie eligendus oon promittat aliquid pendens à sua libera potestate (quod solùm videtur probibere *in c. de hoc, de simon.*) siquidem, quantumuis eligendus id promittat, adhuc possint electores illum eligere, aut non eligere, & de facto aliqui interdum contradicunt; ita vt eligendus io talibus electionibus per se non habeat, nisi proptium votum; vnde ista praxis videtur potiùs quædam conuenientia, seu concordatio electionum faciendarum ad terminandum tractatum electionis, quàm realis aliqua promisso. ita Peyr. *tom.* 3. *priuileg. cap* 9 *num.* 7. monens se hîc nomine tractatus intelligere tractatum merè consultorium, non autem conuentionalem, aut conditionalem, qoos iam superiùs diximus esse prohibitos. à Peyrino oon omnino dissentit Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 125. dicens ex Rodriq. Villal. & Nau. nou committi simouiam, si inter electores non interueniat pactum, sed tantum oblatio futuræ spei (vt si dicant, da huic votum, & prouidebitur tibi de alia re:) quamuis tandem subdat, quod, cum tales oblationes præseferant speciem subordinationis, eæ omnino debent omitti.

67. Vnum hic bene aduertendum est ad incurreodas pœnas latas contra Simoniacos non sufficere, quod pecunia sit promissa, aut accepta, & dignitas Ecclesiastica solùm promissa, sed requiri, vt in effectu pecunia sit data, & digoitas à parte rei accepta; ita enim habet stylus Curiæ Romanæ, & colligitur ex Extrauag. 2. *de simon.* vbi præfatæ pœnæ statuuntur solùm in eos, qui coouentione facta qoomodolibet, dando, vel accipiendo simoniam commiseruot. ita Nauarr. *cap.* 23. *summ. n.* 104. Less. *lib.* 2. *cap* 35. *n.* 149. Azor. *supr. q.* 10. Regin. *item supr. num.* 171. aliique communiter.

QVÆRES XXXI An, & quo iure Prælati regulares suplere possint defectus occurrentes in electionibus factis intra Religionem.

68. Respond. posse iure proprio Religionis fundato in potestate, quam Ordines Religiosi habent à Summis Pontificibus condendi ius, ac ferendi leges. Certè io Soc. Iesu Congregatio 4. generalis *in formula Congregationis Prouincialis cap.* 4 *num.* 11. id expressè statuitur in hæc verba: *Deinde decernatur ad plura suffragia, num Congregatio legitima censenda sit: quod vbi factum erit, videatur num suppleri debeant defectus aliqui circa personas, quæ conuenerunt; aut circa aliquid aliud ad ipsam Congregationem, aut congregandi formam pertinens: possunt enim Patres legitimè congregati, si modo duas tertias partes excedant, ad præsentem praxim dubia omnia terminare, quorum explicatio Congregationi perficiendæ opportuna videbitur, quoties ea ex Constitutionibus, decretisve, aut Generalium responsis colligi non potuerit: ac omnino supplere quicquid ad integritatem Congregationis spectare iudicauerint.* Vbi notandum legitimationem istam, quæ fit in Soc. Iesu, oon fieri potestate solius Prouincialis, qui præsidet, sed omnium Patrum, qui iotersunt Congregationi prouinciali: id enim iodicant verba illa, *possunt enim Patres legitimè congregati, &c.*

SECTIO II.

De Electione Prælatorum Regularium quoad Electores.

69 *Ad electionem vocandi qaicumque possunt, debent, ac volunt interesse.*

70 *Elector in loco Capituli ægrotans dat suum suffragium; item dat elector factus cæcus.*

71 *Qui verò est in carcere, aut detentus in cubiculo, non debet vocari, nec differenda electio, eo quod is breui sit liberandus è carcere.*

72 *Regulariter non omnes vocati debent interesse.*

73 *Scrutinium electionis repeti potest, sed non semper.*

74 *Elapso termino præscripto electioni, ea fit, etsi non adsint omnes vocati.*

75 *Et quidē illo eodem mane, ac hora, quibus fieri debet.*

76 *Etsi possit prorogari dies electionis: imò, si pars notabilis Capitularium absit, ea differenda.*

77 *Vt prorogetur dies electionis, petitur causa, & consensus duarum partium Capituli.*

78 *Ad electionem regulariter debent concurrere duæ partes Capitularium.*

79 *Loquendo de ijs, qui possint, & velint accedere, aliàs electio est nulla, si electus non habuit maiorem partem suffragiorum duarum illarum partium.*

80 *Contemptio aliquo ex electoribus cedente iuri suo, rescindi nequit electio sic facta. Quod si inuitus sit contemptus, interdum potest contradicere, & debet audiri etiam post confirmationem.*

81 *Elector absens interdum concurrit ad electionem.*

82 *Electio fieri potest etiam per Procuratorem.*

83 *Qui tamen esse debet de Capitulo: quòd si Religiosus laicus admittatur ad electionem capitularem, potest eligere in Procuratorem alium Religiosum laicum Capitularis item electus in Procuratorem vni potest addicere suum suffragium, & alteri suffragium electoris absentis, sed non semper.*

84 *Si absens plures constituat Procuratores, & hi non concurrant simul, Capitulum eligit ex illis, quem vult, & si maior pars Capituli discordet, assumitur, qui primus fuit electus.*

85 *Elector absens mittere potest suum suffragium obsignatum ad Capitulum.*

86 *Varij vt inhabiles excludendi ab electione, qui recensentur.*

87 *At non excludendi, nisi per sententiam sint declarati inhabiles.*

88 *Admissis ad electionem inhabilibus, ea est nulla, sed non semper; vt in casu, quo suffragium electoris inhabilis sit superfluum.*

89 *Ad valorem electionis petitur certa ætas in eligente.*

90 *Requiritur item, quòd elector sit professus eiusdem religionis.*

91 *Etsi de consensu electorum possit admitti extraneus.*

92 *Requiritur item, vt elector sit sacro Ordine initiatus.*

93 *Quod negat* Rodriq. *sed reijcitur.*

94 *Admittitur ad electionem, qui post monasterij vacationem ordinatur in sacris.*

95 *Item*

95 *Item admittitur, qui ex priuilegio ante debitam ætatem ordinatur in sacris: imò etsi illicitè ordinetur modo dicto.*
96 *Religiosi laici inhabiles ad electionem, sed non in qualibet Religione.*
97 *Electio facienda ab electoribus congregatis.*
98 *Iuramentum de eligendo digniori præmittitur ab electoribus.*
99 *Etsi eo non obstante, interdum eligi possit minus dignus: imò sine peccato mortali omitti potest tale iuramentum.*
100 *Tractatus consultiuus præmitti potest electioni.*
101 *Non denegandum suffragium, ei qui ex sola confessione sacramentali noscitur indignus.*
102 *Indignitas eligendorum aperienda Præsidi.*
103 *Sciens ex sola sacramentali confessione alterius indignitatem, non tenetur eum eligere.*
104 *Eligendus dignior.*
105 *Sed non simpliciter melior.*
106 *Tenet electio de digno, omisso digniori.*
107 *Eligentes indignum priuantur iure eligendi pro ea vice; excipe, nisi maior pars electorum statuisset eligere indignum.*
108 *Interdum potest reuocari suffragium datum in electione, sed non semper.*
109 *Ante mortem Prælati, nulli promittenda electio.*
110 *Reprobatus ob vitium personale, quod fuit probatum, postea eligi nequit.*
111 *Concorditer electus postea reprobari non potest: & si electores velint reclamare contra electionem, debet infra octo dies electionem præsentare electo, aut per alium reclamare.*
112 *Electo reijciente electionem non semper deuoluitur ius eligendi.*
113 *Ex duobus in discordia nulliter electis aliquando assumitur vnus.*
114 *Vicarius Prælati Prælatura priuati eligendus à Superiore priuante Prælatum.*
115 *Nesciens scribere concurrit ad electionem per schedulam ab alio scriptam: nisi in aliquo Ordine id in specie prohibeatur.*

QVÆRAS I. Quinam generaliter vocati debeant ad electiooem Prælatorum regularium.

69. Respond. debere vocari omnes illos, qui debent, & voluot, & possunt commodè interesse; idque etsi sint absentes, si distantia loci in quo commorantur, sit talis, vt commodè vocari possint, & ita ferat consuetudo, quæ pluribus in locis est, vt quicumque sunt in prouincia, aut regno, nuncio, aut literis destinatis vocentur: dummodo non sit periculum in mora, & vocati intra tempus definitum à sacris canonibus conuenire possint. ita Mit. *tom.2.man.q.23.art.6.* Laym. *in qq.can.num.* 36. Lezana *tom.1.cap.*15*.num.*8. & alij, patetque ex dictis *sect.praced. quæst.* 13. si hic monuero ex Syluestro *v.electio* 1*.quæst.*5. quod si quis electorum legitimorum fuerit contemptus, & ad electionem non vocatus, ad eius petitionem electio cassari debet, nisi ille eam ratam habeat. Notat autem Peyr. *in formul. lit. E. cap.*26*.n.*3. citationem absentem debere fieri per specialem nuncium, seu per alium quemcumque; ita tamen vt citatio dictis absentibus singillatim intimetur, & quidem coram testibus, vt occurente casu ea probari possit: non enim præsumitur quis citatus, nisi probetur, *cap. proposuisti, dist.*82.

De Religiosis ægrotantibus in loco electionis dubitari posset, an illorum votum inquirendum sit, si habeant votum eligendi.

70. Respond. inquirendum; cum illi verè censeantur præsentes, ideoque contemni non debeant. Ita Azor *tom.2.lib.6.cap.*14*.q.*7. Sylu. *v. elect.* 1*.quæst.*5. Mirand. *supr. art.*6. Ang. *v. elect. n.*17. Lezana *supr.* aliique apud Peyr. *de R.S.q.*1*.cap.*31*.§.*6*.v.dico* 3. monens, quòd si elector non potest accedere ad Capitulum, consultius esset, vt pro tunc renunciaret iuri eligendi: quilibet enimque potest proprio iuri renunciare. Probat autem Nald. *in suis annot. pract. pag. mihi* 37. nostram assertionem, tum quia Gregor. XV. in Constit. edita de electione Papæ, statuit formam mittendi scrutatores ad excipienda vota obsignata Cardinalium in Conclaui ægrotantium; quod est signum id esse iuri consentaneum, non tamen repugnans: tum quia non obstat eligentium nomina debere esse semper secreta ex Concil. Trid. *sess.*23*.c.*6*. de Regul.* cùm in tali casu nomina eligentium nunquam publicentur, vtpote à scrutatoribus recepta, in vrnam iniecta, per eligentes obsignata, ac inuoluta: tum quia dispositio *cap. pen. de elect. in* 6. item non obstat; cum diuersa facti species ibi examinetur: siquidem ibi agitur de electore absente à loco Capituli, in quo celebranda erat electio; qualis dici nequit decumbens in cœnobio coacti Capituli; sicut nec absens à loco dicitur, qui est intra continentia vrbis, *l. Collegam*, *& l. absentem, de verb. sign.* prætetea ibi votum exprimebatur viua voce; hic verò per schedulam obsignatam, & in vrnam scrutatorum ab eligente iniectam, ac soli Præsidi Capituli vnà cum scrutatoribus detectam. sic Nald. *supr.* ponens tamen ad vsum huius doctrinæ requiri, vt in Ordine extet statutum prohibens, ne admittantur procuratores absentium, vel aliter, & quocumque modo legitimè impeditorum; addensque si electores infirmi noluot cedere iuri suo, non posse repelli ab electione, adeóque cum non possint mittere Procuratorem, opus esse, vt scrutatoribus suum suffragium dent modo hîc explicato: quod de facto in aliquibus Ordinibus practicatur.

Addit Nald *supr. pag.* 108. in casu, quo elector fiat cœcus, eum nihilominus cum aliis electoribus debere admitti ad eligendum, non quidem faciendo sibi scribi nomina eorum, quos intendit eligere, iniuncto scriptori iuramento de fidelitate seruanda, vt vult Castellinus *de elect. cap.*5*.n.*60.) sed accedendo ad aures scrutatorum, ibique suum suffragium aperiendo iuxta formam antiquam, de qua *in cap. quia propter, de elect.* sic quippe facilius euaditur periculum infidelitatis, retento etiam secreto nomine eligentis; & aliuqui vbi forma alicuius actus in totum seruari nequit, explicari debet eo meliori modo, quo potest; vt colligitur ex Abbate *in cap. quia propter, de elect. n.*16*. & in conf.*15*. lib.*2. Marescotto *lib.*1*.var. resol. cap.*52*.n.*35. Præterquam quod superueniens defectus oculorum non impedit exercitium iudicis, *l. cæcus, ff. de iudic* & generaliter superueniens inhabilitas non debet quem priuare iure iam quæsito, *cap.*1*. de Cler. ægrot. cap. cum pecussio* 7*. q.*1. quod item procedit in dignitatibus Ecclesiasticis, *cap. satis peruersum, d.*55. cæcisque potius miserendum, ac de nouo subueniendum est, *cap. licet, de censib.* vnde, licèt cæcus de iore non possit postulare, tamen manet tutor, iudex, & Senator, *l.*1*.§.*1*. cum ibi not. v. exemplis, de postul.* multaque permittuntur per superuenientem necessitatem, quæ aliàs non essent toleranda, *l. si longius, ff. de iudic. & tit. de cler. ægrot. per tot.* Rota *decis.*889*.n.*8. in nouiter nouissimis.

An autem Religiosus iustè detentus in carcere, aut in proprio cubiculo sequestratus conuocari debeat ad electionem, &, si non vocetur, possit infirmare electionem ex *cap. quod sicut, de elect.*

Respond. non debere conuocari, etsi non careat 71.
iure eligendi: & probatur, tum ex *citato cap. quod*

ficut, vbi dicitur: *Si tamen fine periculo potuerit conuocari, fiue nequiuerint, fiue noluerint ad electionem celebrandam accedere*, & ex *cap. quia propter eod. tit.* in quo habetut, *Præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse*; cum ergo ad electionem debeant conuocari, qui possunt, & Religiosus carceratus non possit interesse, vtpotè impeditus à carcere, à quo propria aotboritate neqoit exire, & Prælatus ei non teneatur permittere exitum; sequitur illum non debere conuocari; tum quia ij soli ad electionem vocandi, qui commodè possunt interesse; carceratus autem nequit cōmodè interesse; cum in tali casu probabilīter possit timeri de eios fuga: &, si eaorè educatur de carcere detinendus in Capitolo ligatus, electio futura sit nulla; siquidem gesta à carcerato etiā extra carcerem deducto, sed detento ligato, ac si esset in carcere, non tenent arg. *cap. accedens de procur.* tum quia carceratus non est absens, cum sit in domo, in qoa fit electio, imò præsens dicitur ad effectum electionis, vt oon mittat Procuratorem, qui est io Ciuitate, io claustro aut io hortis Inuoc. *in cap. quia propter de elect.* cum impedimentum carceris sit culpabile ex parte carcerati: tum quia carceratus, etsi non careat iure eligendi quoad ius, at caret quoad exercitium ratione impedimenti; quod cum sit culpabile respectu carcerati, de eo noo procedit, *cap. si quis, de elect. in* 6. quod impeditus potest mittere Procuratorem. ita Bordon. *tom. 2. resol. 61. quæst. 5. num.* 7. addens carceratum in isto casu non posse agere ex contemptu ad rescissionem electionis celebratæ; cum ad hoc requiratur contemptus, qui non adest in isto casu, in quo oullus adest dolus, cum quo semper coniungitur contemptus Card. *cons.* 11. *de verb. significat.* & non adsit contemptus, vbi non datur obligatio conuocandi, vt in præsenti casu; sicut probatum est.

Imò notat Bordonus *num.* 6. dicta procedere, etsi speretur Religiosum breui liberatum iri è carcere; non enim ideo differenda est electio; sicut nec debet differri, ad hoc vt excommunicatus absoluatur, & absolutus interesse possit; vel vt quilibet alius impeditus exeat ab impedimento, vt ioteruenìat electiooi, Glossa *v. constitutus*, Clem. 2. *de ætate*, Lauorius *aliis ettatis tit.* 4. *de elect. cap.* 15. *num.* 35.

QVÆRES II. An omnes electores vocati teneantur in conscientia conuenire ad electionem, si aliàs commodè possint.

72. Respond. non teneri, nisi fortè ex huius, aut illius Religiosi absentia graue aliquod damnum immineat religioni, aut monasterio; eo quod v. g. eligatur minùs dignus, vel indignus; qoo casu sine dubio teneretur Religiosus assistere tali electioni, vt patet. ita in terminis Lezana *supr.* ex Diana, & Peregr. cum quibus sentit etiam Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. c. 5. num.* 2. dicens quod, quando dicitur omnes, qui habent iua suffragij debere adesse, ly *debent* ex parte electorum non dicit obligationem, sed ius, itaut respectu illorum ioterpretandum sit potius actiuè, quam passiuè; siquidem illis debetur suffragium, si velint illud ferre, noo tenentur tamen, sicque non agunt iniustè oolendo, neque contra debitum electionis. Constat autem responsio *ex cap. quia propter de elect.* quod cum dicat, *Præsentibus qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse*, clarè indicat electores non dabere adstringi, vt intersint electioui; aliàs enim non diceretur *& volunt*: præterquam quod iuxta modo dicta quilibet potest cedere iori suo, dummodo talis cessio noo sit in præiudicium tertij, aut boni communis.

73. Notat Peyrio. *tom. 3. priuil. cap. 9. num.* 18. quod, sicut accedente aliquo electore non vocato ad locum electionis post scrutinium iam factum, & publicatum, retractari debent quæ facta sunt, & de nouo incipienda est electio, nisi ille malit eam pro bono pacis ratam habere: cum certum sit, ipso absente non fuisse procedēdum ad electionem, *cap. quod sicut, cap. bonæ, el. 2. de elect.* sic è contra, si quis vocatus ad electionem accedat, dum fit scrutinium, debet quidem admitti ad suffragia, & alia, quæ debent fieri. vsque ad finem Capituli, non debet tamen iterari scrutinium: & si veniat facto, & publicato scrutinio, solùm admittendus est ad ea, quæ supersunt facienda iis, quæ iam facta sunt, io suo robore permanentibus: sibi quippe id debet imputare, & suæ oegligentiæ; quod etiam notat Miranda *art.* 6.

Quod si quæras, an statuta die electionis, possint electores, qui iam sunt præsentes, procedere ad illam, si elapsus si terminus præscriptus, estò noodum comparuerint omnes vocati.

74. Respond. posse, quamuis, si velint, possint adhuc expectare absentes, modò tēpus destinatom electioni non expiret. ita in terminis Peyrin. *supr. n.* 13. cum Abb Fel. io. Andr. aliisque Mir. *sup. a.* 6. Laym. *num.* 36. Lezana *vbi supra*, & alij; quorum aliqui putant, quod licet vnicus tantum esset, qui electionem peragere posset, ac vellet, nihilominus electio fieri posset, cum ius vniuersitatis in eo tonc resideat iuxta *l. sicut*, *ff. quod cuiusque vniuersitatis* quamquam is non posset se ipsum eligere, ne videatur ambitiosos: vnde censet Laym. quod iste in tali casu posset nominare alium idoneum, & Superiori præsentare ad confirmationē, imò etiam conferre ius eligendi io Superiore, aliumve Clericum vnum, aut plures: quo casu & ipse eligi posset ad prælaturam. ratio responsionis est, quod electores præsentes ob aliorum absentiam non debēt priuari iure eligendi ipsis competente: sicque expressè habetur in *c. cum iter, & el. 2. & c. cum nobis, de elect.*

75. Qoæ adeo sunt vera, vt si qui electorum nun compareant eo mane, quo electio debet fieri, possint qui suut præsentes electionem facere hora solita, nec teneantur vlteriùs expectare; citatus enim ad certum actum debet adesse illa hora, qua talis actus solet expediri, vt notat Felin. *in cap. consuluit, de offic. deleg. num.* 5. & quando hora est de consuetudine, vel natura actus, expressio diei habetur pro expressione horæ, teste Baysio *part. 3. direct. elect. cap.* 11 *num.* 20.

76. Dixi sub initium responsionis, *quamuis, si velint, possint adhuc expectare absentes*; vt innuerem electores posse mutare diem statutum ad electiooem faciendam, designatum terminum protogando, aut abbreuiando, idque *ex cap. 1. de iis, quæ fiunt à maiori parte.* ita Peyrin. *supr. num.* 16. addens *num.* 17. quod, quando dicitur electionem Prælati loco defuncti debere fieri intra 3. menses à die mortis, isti menses computari debent de momento ad momentum: stante quod tale tempus inductum est in fauorem Ecsiarum, & odium negligentium eligere: nimirum ne Ecclesia, seu monasterium detrimentum patiatur: vnde & tale tempus computari debet à die, imò & ab hora, qua Prælatus est mortous.

Munet autem Samuellius *supr. D.* 21. *controu.* 13. *n.* 13. electores absentes debere expectari, si ij notabilem partem Collegij constituant, & ex causa iusta detineantur, & alias Superior pro certo habeat eos non longè abesse, nec graui aliqua necessitatē compellatur procedere ad electionem. idem sentiunt plures alij DD. quos refert Samuellius *num.* 14. addens *num.* 16. ex Hostiensi; Butrio, Marescotto, Sigismundo, & aliis in casu, quo Superior, aut Capitulum statuat electores absentes debere expectari,

non

non posse electores præsentes recedere, & si recedant, haberi, ac si non essent de Capitulo, nullumque esse actum electionis ab ipsis factum, si non constituant duas partes: idque & si maior pars illorum consentiat in electum.

77. Addit Peyrin *num.* 16. quod si contingat die electionis concorditer designata electores postea intra terminum à iure præscriptum discordare in pari numero vsque ad ipsum diem electionis; itaut aliqui velint electionem facere die primo statuta, alij verò velint prorogare terminum, & de facto prorogent, aliis contradicentibus in pari numero; si inquam, contingat electores modo dicto discordare, & eos, qui contradicunt prorogationi termini, reuera eligere Prælatum, necnon alios, qui terminum statutum prorogarunt, eligere alium Prælatum, citatis illis aliis in termino ab ipsis prorogato; tenet electio facta ab iis, qui die primò statuta elegerunt, non item alia. & ratio est, quod prorogatio termini assignati in iure ad eligendum Prælatum non potest fieri, nisi à duabus partibus Capituli, & cum causa, vt probat idem Peytin *num.* 12. in præsenti autem casu non concurrunt duæ partes Capituli, vt patet.

QVÆRES III. Qui numerus Vocalium, seu Capitularium necesse sit, vt conueniant ad electionem Prælati regularis faciendam.

78. Respond. loquendo de iis, qui volunt, & possunt accedere ad electionem, requiri, & sufficere, vt duæ partes Capitularium concurrant ad eligendum, & maior, ac sanior pars præsentium consentiat in personam idoneam; ex vna enim parte duæ partes ordinis totius curiæ vicem repræsentant, vt notauit Glossa *in leg. nulli, ff. quod cuiusque vniuersitatis*, & habetur *cap. cum nobis* 19. *de elect.* ex alia parte quod maior pars Capituli præsentis decernit, pro eo habetur, ac si omnes egerint, dummodò adsint duæ partes, & in his adsit vis Capitularis ad eligendum. quamquam, si instet terminus electionis statutus à iure, aut speciale periculum adsit in mora, fieri possit electio, esto non conueniant duæ partes Capitularium: vt constat ex dictis *quæst. præced.* §. *quod si quæras*, & inde etiam suadetur, quod alioqui ex malitia Capitularium impediri posset electio Prælatorum regularium cum graui præiudicio religionis, seu monasterij. Colligitur ex Laym. *supr. num.* 37. qui benè addit *num.* 41. quod sicut est certum electionem fieri validam, etsi sine necessitate aliqui Capitularium exeant è Capitulo iam congregato, dummodò electioni interueniant duæ partes Capitularium, sicut iam diximus: & hoc idem probabile est, si aliis absque necessitate recedentibus, maior pars remaneat in conuentu; cum Capitulo congregato standum sit iudicio maioris, ac sanioris partis, vt habetur *cap. 1. de iis quæ fiunt à maiore*, &c. sic si maior pars Capitularium egrediatur, non possunt alij procedere ad electionem; cum illi censeantur velle dissoluere conuentum, & alij iis teneantur obtemperare; quatenus iuxta Glossam *in cap. cum inter* 21. *v. capituli, si dissentio sit inter Canonicos ibi præsumatur esse Capitulum, vbi est maior pars*; intellige cum limitatione paulò ante apposita, nisi instet terminus electionis à iure præfixus, & sit periculum in mora; tunc enim etiam minor pars manens in Capitulo absque aliis eligere non prohibetur, vt aduertit Laym. *loco citato.*

79. Dixi sub initium responsionis, *loquendo de iis, qui volunt, & possunt accedere*: quia hæc quæstio solùm habet locum in iis, qui cum velint, & possint accedere, non vocantur, aut non expectantur: non item iis, qui congruo tempore instituta electione ad illam aut nolunt, aut non possunt accedere; hi quippe non censentur in numero Capitularium, sed tota facultas eligendi manet penes alios, *cap. bonæ, elect.* 2. *de postular. prælat.*

Notat autem Samuell. *sup. contron.* 10. *num.* 1. aliis citatis electionem tunc esse ipso iure nullam, quando ad electionem non congregantur saltem duæ partes electorum, qui de iure debent, volunt & commodè possunt interesse; & post scrutinium reperitur electum non habuisse maiorem partem suffragiorum duarum illarum partium, habita ratione illorum, qui debebant vocari, & non fuerunt vocati: sic enim electioni non interuenit vniuersitas, ad quam requiritur, vt adsint saltem duæ partes *l. nulli, & l. planè, ff. quod cuius cap. vniuers. not.*

Quod si hîc obiter quæras, an electore contempto expressè, aut tacitè ius suum remittente, possit Iudex ex officio, aut petente aduersario, rescindere electionem sic factam.

Respond. probabilius esse quod non possit; & ratio est, quod hîc non agitur de iure publico, sed priuato: vt inde constat, quod contemptus potest renunciare iuri, quod habet prosequendi contemptum suum; cum aliàs nemo possit renunciare iuri inducto in fauorem publicum; quando autem agitur de fauore non publico, sed priuato, & ille, cuius interest, remittit, non potest iudex officium impartiri *l. dies* 4. §. *hoc autem, ff. de damno infecto.* ita Laym. *sup num.* 39 monens *num.* 40. quod, cum confirmatio innitatur electioni, tanquam legitimè factæ, hoc ipso quod electio cassatur, etiam confirmatio exinde secuta cadit; quamquam, si contempti publico edicto moniti ante confirmationem non se opponant, censeantur consentire, & cedere iuri suo, ita vt postea non sint audiendi. 80.

Ceterùm, licèt elector absens contemptus, absolutè loquendo non debeat audiri, si non contradicat electioni infra tempus antecedens confirmationem iuxta *cap. fin. de elect. in* 6. si tamen constet illum ignorasse celebrationem electionis, & confirmationis, debet audiri etiam post confirmationem *cap. fin. qui man. accus. poss.* ita Samuell. *sup. contron.* 8. *num.* 2. & 3. ex Cucco, Sigismundo, & aliis addens electorem absentem contemptum item debere audiri post confirmationem, si celebratio actus, de quo agitur, non sit electio, sed prouisio: qui enim prouidet, vnico actu eligit, & confirmat Glossa *in cap.* 1. *v. prouisionem de elect. in* 6.

QVÆRES IV. An Regulares absentes vocati ad electionem proprij Prælati possint instituere Procuratorem, qui præsens electioni pro ipsis interueniat, & concurrat ad electionem: aut etiam mittere suum votum in scriptis.

Respond. iure communi posse; si ita sint absentes, ac distantes, vt debeant conuocari, & alioqui ipsi iusto detineantur impedimento, eiusque veritatem in primis sufficienter probent, aut confirment: quo modo non concurrunt ad electionem vt absentes, sed vt præsentes; quippequi sicut per alium concurrunt, ita & per alium sunt præsentes; secùs, si iuxta dicta *q.* 1. sint ita absentes, & distantes, vt vocari non debeant; sic enim reputantur tanquam nullum ius habentes. ita Suar. *sup. n.* 6. Mirand. *tom.* 1. *man. quæst.* 23. *art.* 7. Portell. *de dub. reg. v. elect. in addit. ad addit. num.* 2. Rodriq *tom.* 1. *quæst.* 51. *art.* 6. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 15. *num* 9. & habetur *in cap. quia propter*, §. *illud autem, de elect.* quod ius non fuit abrogatum à Conc. Trid. *sess.* 25. *de reg. cap.* 6. per illa verba: *Vt in posterum non liceat voces, & suffragia absentiū supplere.* si quidem (vt notant citati DD.) mens Concilij fuit tollere solum consuetudinē aliquorum Prælatorum, 81.

qui vt electiones facerent iuxta proprium beneplacitum, votum electorum absentium huic, aut illi dabant; id omninò oescientibus ipsis electoribus absentibus: quod non euenit in casu nostro; vt patet; quæ confirmantur ex declaratione factæ Congregat. Cardinalium hac de re factæ, quam adducunt citati D D. Dixi, *iure communi*, quia in aliquibus Religionibus, siue ex peculiari statuto, siue ex legitima consuetudine non permittitur, vt electores iustè impediti modo dicto instituere possint Procuratorem, qui pro ipsis accedat ad Capitulum, & nomine ipsorum eligat: quo casu non habet locum doctrina à nobis tradita.

82. Aduertit autem Syl. *v. electio* 1. *q.* 3. quod, quamuis attento *cap. quia propter superius citato*, non possit admitti ad electionem Procurator designatus ab electore non impedito; si tamen alij electores velint illum recipere, possunt: cum prohibitio illa facta sit in fauorem illorum, adeoque ipsi possint ei cedere, si enim ij possunt communicare ius eligendi personæ omninò extraneæ (vt ostendemus *q.* 7.) à fortior; si velint, poterunt admittere Procuratorem illorum, qui sunt de Capitulo, etsi re vera non habeant iustum impedimentum non accedendi.

83. Notat præterea Sylu. *sup.* eiusmodi Procuratorem debere institui de iis, qui sunt è Capitulo: idque ex *citato cap. quia propter*, quod ait, *Vni de Collegio committat vocem suam*; vnde fit, vt si nullus Capitularis velit acceptare dictum munus Procuratoris, nō possit elector absens deputare ad id aliquem extraneū, neque per literas exprimere suum votum, si alij Capitulares in id non consentiant. Concedit tamen Bordonus *resol.* 61. *num.* 13. posse dictum Procuratorem eligi, tum de Conuentu proprio, tum de alieno siue propriæ prouinciæ, siue alienæ; cum hoc nihil referat ad valorem talis electionis.

Addit Bordonus *ibid.* Religiosum laicum, qui in aliquo Ordine admittitur ad electionem capitularem, posse, si sit legitimè impeditus, mittere in Procuratorem Religiosum ordine sacro non initiatum, imò & alium Religiosum laicum: cum iura id concedant cuilibet habenti ius eligendi, qui sit absens, ac legitimè impeditus (quæ hîc procedunt de Religioso laico) & iura requirentia Ordinem sacrum in electoribus, immediatè dirigantur ad electores, non autem ad eorum Procuratores, nisi in consequentiam; quatenus scilicet ratio dictat, vt eligendus in Procuratorem habeat habilitatem petitam in eligente. vnde, cum Religiosus laicus ex sola professione habilis sit ad vocem actiuam, sequitur eum posse eligere in Procuratorem alium, qui habeat similem habilitatem, qui scilicet sit Professus, nec requiri, vt sit saltem Subdiaconus.

Dubium modò est, an electus Procurator, qui est de corpore Capituli, adeòque habet duas voces, possit suam addicere vni proprio nomine, & aliam alij designato ab electore absente.

Respond. posse, si duo concurrentes sint pares meritis, ac æquè digni: non enim requiritur vnitas conscientiæ in ordine ad obiecta eligibilia sed sufficit eam non esse diuersam, si non sit diuersitas meritorum secundùm magis, & minus: neque in hoc casu procedit, quod habet Glossa *in cap. si quis, de elect. in* 6. *v. nihil agit*; nimirum, quod qua conscientia tenetur quis eligere meliorem nomine suo, eadem ratione tenetur eligere meliorem nomine procuratorio iuxta *regulam* 67. *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit*; cum in isto casu vterque electus supponatur æquè bonus, & æquè dignus: præterquam quod eligens Procuratorem potest ei prohibere, ne certam personam eligat, ad quam tamen Procurator inclinat; adeòque eum is non priuetur libertate, quoad proprium ius, in directa potest ire. ita Bordonus *sup. quæst.* 6. referens ex Garcia *de benefic. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 200. sacram Congregationem declarasse non valere mandatum de eligenda certa persona.

Accedit, quod si elector absens constituat plures Procuratores ad electionem (sicut potest) quilibet eorum debet esse in solidum, & si non concurrunt simul, Capitulum poterit admittere, quem maluerit: in casu autem, quo maior pars Capituli non concordet, admittetur ille, qui prior fuit institutus. ita Sylu. *loco citat.* & cum eo Mirand. *vbi sup.* probantque præfatum Procuratorem non posse vnū eligere nomine proprio, & alium nomine Procuratorio; aliàs inualida esset electio, nisi is, qui illum substituit, speciale mandatum dederit de aliquo in specie nominando: tunc enim posset illum nominare nomine substituentis, & alium nomine proprio per *cap. si quis, de elect. in* 6. vbi hæc omnia statuuntur; verum tamen est, quod si substituens aliquem eligendum nominaret per literas, electio esset nulla, quamuis aliàs possit committere suo Procuratori expressionem alicuius personæ nominandæ: idque ex *citato cap. si quis*: quæ sunt benè aduertenda. Quod autem negat Portel. *sup. num.* 3. substituentem non posse suo Procuratori designare determinatam personam, pro qua suffragetur, id probans, quia alioqui votum non esset secretum: iam à nobis negatum est ex Sylu. & Mir. nec sufficienti nititur fundamento; cum iura præscribentia electionem fieri per vota secreta non significent ea à nullo debere sciri, sed solùm ea debere seruari sub secreto, sub quo recepta sunt; vt in simili optimè notat Suar. *supr. num.* 11. cuius doctrina proportionaliter potest applicari ad præsentem casum, si dicamus Procuratori committi sub secreto expressionem personæ eligendæ, ideòque votum substituentis reputari secretum, vt pote sub secreto retinendum à Procuratore: qua de re Samuellius *de elect. tract.* 1. *D.* 2. *controu.* 13. 84.

Addo absentem posse concurrere ad electionem mittendo suum votum in schedula obsignata, ita Portel. *part.* 2. *resp. mor. casu* 2. *num.* 5. probátque, tum, quia votum dari in scripto non repugnat iuri, imò est conforme Concilio Trid. præcipienti vt vota dentur secretò, idest per schedulas scriptas, & obsignatas: tum, quia de facto in Congregatione S. Io. Euang. in Portugallia omnes, ac singuli Religiosi cuiusque monasterij tempore Capituli mittunt sua suffragia obsignata pro eligendo Generali Ordinis, sicque absentes illum eligunt; quod est signum id iure communi non esse prohibitum: quidquid sit de iure proprio Ordinum. oppositum sustinet Bordonus *resol.* 16. *num.* 59. aliis citatis. 85.

QVÆRES V. An, & quo modo inhabiles excludi possint, & debeant à canonica electione Prælatorum regularium.

Respond. & posse, & teneri, si per sententiam Iudicis constet de ipsorum inhabilitate; siue hæc proueniat ex aliqua censura, quam incurrerint, siue ex delicto, quod commiserint, siue ex alio titulo. Sunt autem inhabiles ad eligendum 1. ligati excommunicatione maiori, *cap. vltim. de Cler. excommunicat. ministr.* 2. suspensi ab officio, *cap. cum dilectus, de consuetud.* 3. interdicti, *cap. cum inter, de elect.* 4. ij, quibus interdictum est eligere sine licentia Superioris *cap. fin. de elect.* 5. qui scienter celebrauerunt in loco interdicto absque peculiari priuilegio, *cap. is, cui, de sent. excommunic. in* 6. 6. ij, qui in ali- 86.

qua

qua vacatione indignum scienter elegerunt, *c. cum in cunctis, de elect.* aut certè peccauerunt in postulando, *cap. scriptum eod. tit.* (si tamen facta nominatione, secuta est postulatio, aut electio:) 7. pupilli, & impuberes *cap. ex eo, eod. tit. in 6.* 8. laici & Conuersi, *eod. cap. 9.* non professi tacitè, aut expressè, *eod. cap.* 10. non ordinati in sacris Clem. *ut ij, qui, de et. & qualit.* 11. qui per laicalem abusum elegerunt, *c. quisquis, de electionib.* 12. qui non eligunt intra tempus iure præscriptum, *cap. ne pro defectu, eod. tit.* 13. omnes irregulares *cap. is qui, de sent. excommunic. in 6.* Ratio autem responsionis est, quod, cum eiusmodi inhabiles peccent in vsurpando munus eligendi, etsi ipsorum inhabilitas sit occulta, meritò repelli possunt, & debent à tali munere tanquam iniusti vsurpatores iuris alieni.

87. Verum tamen est quod (vt dixi sub initium responsionis) non debet quis excludi ab actu eligendi sub prætextu alicuius inhabilitatis, nisi priùs de hac constet per sententiam Iudicis; vnde fit, vt, lite pendente, quamdiu res est dubia, non debeat excludi elector, sed admitti cum protestatione, quod admittitur si, & in quantum postmodum constiterit illum debuisse admitti; idque, etsi talis inhabilitas ei ab aliquo electorum opponatur; in dubiis quippe fauet possessio, eòque potius fauendum, quam actori. Secùs, si facta inquisitione de inhabilitate, quantum tempus permiserit, de ea certò constet ex confessione Rei, aut euidenti probatione; tunc enim elector inhabilis statim debet repelli, nisi immineat periculum scandali, vel certè, si debet detineri ad vitandum scandalum aliàs imminens, facienda est protestatio modo supra dicto: ne alioqui videatur scienter admissus, sicque corruat tota electio, vti mox dicemus. Ita Syluest. *v. electio* 1. *quæst.* 15. Peyr. *de R. S. quæst.* 1. *cap.* 3. *t.* §. 6. *v. dico* 2. Lezana *tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 30.

Quod si quæras an, & quando electio Prælati regularis sit inualida ex eo quod aliqui inhabiles ad illam admissi fuerint.

88. Respond. esse inualidam, quando inhabiles scienter admittuntur ad illam, & ij, qui sic admittunt, non possint dispensare super tali inhabilitate; sic enim electores habiles non censentur voluisse eligere sine dictis inhabilibus: secùs, si inhabiles ignoranter admittantur ad electionem; sic quippe procedit regula, *Vtile per inutile non vitiatur*; & illa alia: *Factum legitimè non debet retractari, licèt casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari*; præterquam quod in negotiis vniuersitatis tota potestas residet in iis, qui sunt habiles; quæ verum haberent etiam in casu quo aliqui inhabiles à maiori parte Capituli admitterentur ad eligendum, scienter quidem, sed habentis potestatem ad dispensandum cum illis: cum sic censeantur virtualiter dispensati super inhabilitate, & consequenter facti habiles ad eligendum. Ita Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 4. *num.* 9. Lezana *sup. num.* 29. Peyrin. *sup.* Mir. *a.* 11. aliique penes ipsos; quamuis, teste Lezana, non desint aliqui DD. qui sustinent electionem non viriari ex eo quod aliquorum inhabilium suffragia ad illam scienter admittantur; idque ea ducti ratione, quod iura, quibus declaratur electionem vitiari ex concursu inhabilium, non loquuntur vniuersaliter, sed in specie de excommunicato (vt constat ex *cap. fin. de procuratoribus*;) & de laico, (vt habetur in *cap. Massana, de election.*) ideòque non debent extendi ad casus non expressos: præterquam quod suffragia inhabilium separari possunt ab habilibus; sicque currit regula, *quod vtile per inutile non vitiatur.* quæ doctrina mihi non displicet, si supponamus tot suffragia personarum habilium concurrere ad electionem, quot de facto requiruntur ad validam electionem; quod etiam præsupponendum est in casu, quo ignoranter inhabiles admittuntur ad electionem; sicut benè aduertit Lezana, aliàs contrarius doctrinæ modò traditæ.

An autem teneat electio Religiosi facta post protestationem à quodam Capitulari, quod sic electus erat illegitimus (cum verè sit legitimè) & quod inter Vocales aderat Religiosus carens voce actiua.

Respond. tenere, si votum Religiosi carentis voce constet fuisse superfluum, concurrentibus in electionem omnibus suffragiis de iure necessariis, quod est reiicere suffragium nullum sine præiudicio electionis aliàs validæ) moueor, quod in isto casu reliqui Vocales legitimi per se sufficienter poterant validam facere electionem, sicque collatio suffragij illegitimi redditur frustratoria: cum ratio suadeat, quod, vt ille suo voto non poterat prodesse eligendo, sic nec potuerit obesse electioni, quæ sine eo sequi poterat valida. Ita Bordonus *tom.* 2. *resolut.* 61. *num.* 38. monens *num.* 37. ex Bonacina *de elect. Papa, quæst.* 5. *concl.* 4. *num.* 11. in iis electionibus, in quibus dubitatur electum sibi ipsi dedisse suffragium, aperiri debere schedulam illius cum aliis, ad cognoscendum, an ipse sibimet suffragium dederit, necne.

QVÆRES VI. Cuius ætatis debeant esse Regulares, ad hoc vt possint validè concurrere ad electionem Prælatorum sui Ordinis.

Respond. quod, cum iuxta dicenda 9.8. ad validè eligendum requiratur, vt eligens sit initiatus ordine sacro, illa eadem ætas, quæ requiritur, & sufficit ad susceptionem ordinis sacri, requiretur, & sufficiet etiam ad validè eligendum: alias enim in iure communi nihil speciale extat dispositum de hoc; vt notauit Suar. *sup. cap.* 6. *num.* 18. 89.

QVÆRES VII. An, & qualiter Professi debeant esse Regulares, vt validè possint admitti ad electionem Prælatorum Ordinis.

Respond. debere esse professos, & quidem eiusdem Religionis: idque tum ex iuribus *citatis* 18. *q.* 2. vbi Monachis committitur electio proprij Abbatis, & ex *cap. ex eo, §. in Ecclesiis, de election. in* 6. tum ex praxi omnium ferè Religionum: tum, quia Nouitius, cum adhuc non sit membrum Religionis, non potest habere ius eligendi: non esse tamen necessarium, vt sint expressè professi, sicut benè aduertunt Suar. *c.* 4. *n.* 2. Mir. *sup. a.* 5. Lezana *tom.* 1. *c.* 15. *n.* 2. aliique, & probatur, tum ex *c. nullus, eod. tit.* in quo solùm petitur professio expressa in eligendis, tacetur autem de electoribus; cum tamen ius nouum non mutet, aut limitet antiquum, nisi in eo, quod exprimit; tum, quia professio tacita verè est professio, non minùs quam expressa, nec quoad ius eligendi excluditur à iure, imò admittitur sub disiunctione. 90.

Vtrum verò, consentientibus legitimis electoribus, possit admitti aliquis extraneus ad electionem.

Respond. posse, dummodo omnes concordent in illo admittendo, nullo eorum penitus discrepante. Ita Peyr. *sup.* §. 8. *v. dico* 9. ex Panorm. Nauar. & Passarello; probatque, tum ex *cap. scriptum, §. & si partes, de elect.* tum, quia electores possunt totam potestatem eligendi transferre in compromissarios (vt deciditur in *cap. causam, eod. tit.*) ergo à fortiori poterunt communicare alicui extraneo potestatem coeligendi, vel scilicet cum ipsis concurrat ad electionem. Dixi, *dummodo omnes concordent*, &c. si enim vous electorum discordet, non potest extraneus admitti ad eligendum; cum iuxta *regul.* 56. *in* 6. in re communi 91.

potior

potior sit conditio prohibentis, & cum ius eligendi spectet ad singulos electores pro parte sua, singulorum intersit, ne admittatur extraneus: si quidem pluribus admissis minùs valet votum vniuscuiusque.

QVÆRES VIII. An ad hoc vt Regulares admittantur validè ad electionem suorum Prælatorum, opus sit, vt ij sint initiati ordine sacro.

92. Respond. esse; & probatur ex Clem. *vt ij, de ætat. & qualit.* vbi dicitur, *vt nullus de cætero in Ecclesiis Cathedralibus, vel collegiatis sæcularibus, vel regularibus vocem in Capitulo habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis libere concedatur, nisi saltem in Subdiaconatus ordine fuerit constitutus*; quod decretum sine dubio comprehendit monasteria Regularium, qui destinati sunt ad diuina Officia, ac eorum Capitula; vt constat ex ipso textu, & communi DD. expositione, vt notauit Suar. *sup. num.* 5. monens *num.* 8. quod, si quæ extat Religio merè laicorum (cuiusmodi potest esse Militaris, aut Hospitalaris) & in ea fit electio: in ea possunt concurrere ad eligendum Religiosi laici nullo ordine initiati; vt aduertunt omnes DD. *in cit. cap. ex eo, & cit.* Clem. *de ætat. & qualit.* clareque colligitur ex ipsis iuribus. quod etiam admittit Sanch. *lib. 2. consi. c. 1. disp. 55. n. 3.* sustinens per decretum Conc. Trid. *sess. 22. c. 4.* statuentis, vt quicumque in Cathedrali, vel Collegiata, sæculari, vel regulari Ecclesia diuinis mãcipatus Officiis in Subdiaconatus ordine constitutus non sit, vocem in huiusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat; non tolli, quo minus Religiosi etiam sacris non initiati vocem habere possint in Capitulo, si id statutis alicuius Religionis stabilitum sit (vt de facto statutum est in Ordine Minimorum:) cuius rei ea est ratio, quod Concilium in citato decreto non comprehendit monasteria Regularium; vti adnettit Passarel. *in priu. Minim. in annotat. super Canones* Conc. Trident. *can. 13.* dicens ita respondisse sacram Cardinalium Congregationem.

93. Contrarium sentiunt Rodriq. *tom. 2. q. 51. art. 5.* & Portel. *sup. v. elect. num 2.* docentes in electione Prælati localis facta per Conuentum posse suffragari etiam illos, qui sunt absque ordine sacro: & hoc quia Clement. *cuiat vt hi*, non loquitur de Religiosis Mendicantibus, sed de Clericis, & Canonicis Regularibus, ideóque extendi non debet: verum (vt paulò ante diximus) repugnat communis expositio Doctorum, & Religionum consuetudo, quæ est optimus legum interpres, vt notauit Mir. *sup.* nobiscum sentiens; quamuis, cum dicat solùm nostram sententiam esse veriorem, vt videatur approbare etiam oppositam vt probabilem.

Dices, quid si quis Religiosus non erat ordinatus in sacris tempore vacationis, est autem, quo tempore fieri debet electio, potestne is concurrere ad electionem Prælati regularis?

94. Respond. posse; patetque, quia talis Religiosus est habilis tempore electionis, & hoc sufficit; cum iura non petant, vt eligens sit habilis, idest ordinatus in sacris tempore vacationis, sed solùm vt non admittatur, nisi sit ordinatus in sacris. ita Suar. *n. 6.* notans *num.* 8. suffragium datum à non ordinato in sacris non solùm esse illicitum, sed etiam inualidum; vt constat ex illis verbis, quæ habentur in Clement. *vt ij, Nullus vocem in Capitulo habeat, nisi*, &c. quæ non solum prohibent, sed præterea tollunt omnem potestatem; idque etsi non ordinatus à toto Capitulo admittatur, vt colligitur ex illis aliis verbis, *etiamsi hoc sibi ab aliis libere concedatur*: siquidem per hæc verba irritatur talis concessio, quandoquidem, ea non obstante, admissus manet in Capitulo sine voce ex vi præfati iuris.

Dubitatio grauior est, an ordinatus in sacris ante legitimam ætatem sit hoc ipso habilis ad eligendum.

Respond. esse, si sic ordinetur ex priuilegio, atque 95.
adeo legitimè; tunc enim habet omnia requisita ad eligendum (quod spectat ad citatam Clem.) & quidem modo licito absque vlla culpa, recipitque cum ordine etiam executionem ordinis suscepti; imò etsi ordinetur ante legitimam ætatem illicitè, ac subreptitiè; vt ostendit Bordon. *resol. 61. quæst. 7.* dicens ex Rodriquez, Lauorio, & Peyrino sic ordinatum posse validè eligere, etsi illicitè sit ordinatus. probat, tum, quia taliter ordinatus est validè ordinatus, & ius suffragandi pendet, non ab exercitio ordinis (à quo sic ordinatus manet suspensus) sed ab ipso ordine: sicque eo ipso, quod est valide ordinatus, poterit validè suffragari in electionibus; cum aliud sit suspendi ab exercitio ordinis, aliud suspendi à dando suffragio in electionibus: tum quia suspensio, quæ incurritur à sic ordinato, est solùm ab exercitio ordinis malè suscepti; vt autem suspensus caret voce, necesse est, vt sit simpliciter suspensus, & talis etiam denunciatus, ac declaratus: cum suspensus simpliciter nullum actum Ecclesiasticum, ac legitimum (cuiusmodi est datio ac receptio vocis in electionibus) facere possit. Suspensio autem, de qua hîc, fuit lata à Pio II. in Extrauag. *Cum ex sacrorum, quæ est 6. illius in bullario*, & latè declaratur à Suar. *de Censuris D. 31. sect. 1. à num. 25. ad 28.* addente *num. 26.* quod si in præsenti casu ordinatus ratione bonæ fidei excusaretur à culpa, etiam excusaretur à tali suspensione, quæ est pœna concomitans culpam, possetque tuta conscientia ferre suffragium, vt pote re vera habens conditionem in citata Clem. requisitam, & nullum habens impedimentum canonicum; nam defectus ætatis per se non est impedimentum ad electionem, estò obstet executioni ordinis suscepti, si illud cognoscatur prius quam legitima ætas compleatur.

Ex quibus inferunt Sylu. *v. elect. 1. quæst. 2.* Mir. *sup.* 96.
art. 5. Lezana *loco sup. cit. num. 3.* & alij Religiosos laicos non habere vocem in electionibus canonicis Prælatorum regularium ex *cap. ex eo, de elect. in 6.* & hoc de iure communi; vnde non repugnat oppositum seruari in aliqua Religione ex antiqua consuetudine; sicut aduertit Miranda ex Innocent. *in capit. 2. de institut.*

QVÆRES IX. An requiratur ad validam electionem Prælatorum regularium, vt illa fiat ab Electoribus collegialiter congregatis.

Respond. Requiri ob dicta *sect. præcedenti quæst. 14.* 97.

QVÆRES X. Quale iuramentum præmittere debeant Religiosi conuenientes ad electionem Prælatorum regularium, & quo iure.

Respond. teneri iurare secundùm veritatem cu- 98.
iusque conscientiæ probiores ac magis idoneos se electuros: idque ex decreto Clement. VIII. posteà confirmato, ac innouato ab Vrbano VIII. imò etiam ex Concilio Basiliensi, & Coloniensi, & valdè conformiter Tridentino *sess. 24. de reform. cap. 1. & 12.* vt aduertit Peyrin. *in formul. liter. E. cap. 2. num. 1.* monens *num. 7.* istud iuramentum non esse de substantia electionis, ideóque electionem factam sine illo esse quidem illicitam, non tamen inualidam: quidquid dicant aliqui apud ipsum sustinentes eiusmodi electionem esse vel irritam ipso facto, vel certè posse irritari; quasi verò in iure reperiantur multa, quæ prohibentur, & tamen facta tenent: tale autem videtur esse decretum hîc adductum; sicut benè notauit Peyrin. dicens non obstare, quod dicitur,

l. non

1.non dubium, C. de leg. Quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi; cum id intelligatur de lege prohibitiua, vt constat ex lege citata, non item de ordinatiua; cuiosmodi est illa, de qua hîc loquimur.

An verò stante tali iuramento possiot regulares nihilominus eligere aliquando minùs dignum.

99. Respond. posse; nimirum quando maior pars electorum vult eligere minùs dignum; cum enim in tali casu minùs dignus, censeatur magis dignus, vt pote magis acceptus electoribus, & consequenter ex hoc capite meliùs gubernaturus; nulla violatio iuramenti hîc interuenit, imò potius illud, perfectè impletur iuxta rationabilem mentem iurantis. ita Sanch. *lib.2.consil.cap.1.disp.4.num.6.* Sylo. *v.electio 3. quæst.2.* Caiet. *v.electio* §.4 Diana *part.3.tract.5.resol.* 210. aliique apud Peyt. *num.* 10.

Docet autem Bordonus *supr. quæstion.9* regulares omittentes dictum iuramentum de eligendo digniore non peccare mortaliter: cum in decreto Clementis VIII. dicatur; *Iurentque electores secundum veritatem cuiusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros*; & verbum *iurent*, modi imperatiui oon habeat vim obligaudi ad culpam mortalem; vt docent Caiet.2.2.*quæst.66.art.4.in solut.ad* 2. Castrus *de lege pœnali, lib.1. cap.5. docum.4.* Sayr *lib.3.de censur. cap.7.num.16.* Sà *v. lex num.6* Diana *part.4. tract.4. resolut. 5. §. sed restat.* Et quidem, cum in quolibet Capitulo sit aliquis Præses, is defert iuramentum electoribus: &, si ipse etiam sit elector ille, aliis audientibus, & videntibus, iurat, etsi ab alio ei noo deferatur iuramentum, cum in Capitulo non habeat Superiorem.

QVÆRES XI. An Regulares, antequam conueniant ad eligendum Prælatum regularem, possint præmittere aliquem tractatum, sumendo informationem de eo, de cuius electione tunc agitur.

100. Respond. posse, si tractatus sit merè consultiuus: idque ob dicta *sect. præced. quæst.* 12. imò & debere; vt rectè aduertit Peytin. *num.* 14. asserens electores teneri adhibere mediocrem diligentiam ad inquirendum digniorem; qualem scilicet adhibere solent viri deligentes in propriis rebus curandis; qui enim tenetur ad finem tenetur & vti mediis necessariis ad finem obtinendum ioxta regulam iuris: *Qui vult consequens, vult & antecedens conducens ad illud.*

At difficultas est, an possit quis iustè denegare suum suffragium illi, quem solùm ex confessione sacramentali scit esse indignum.

101. Respond. quod, quamuis Sanch. *lib. 3. de matr. D.16.num.4.* dicat, negari non posse, quin pars affirmans præsentis quæstiools sit probabilissima vt pote quæ tot, tantorumque virorum auctoritate, ac fortissimis rationibus fulcitur; nihilominus, cùm iuxta alibi dicta R.P.N. Aquauiua anno 1590. prohibuerit eiusmodi doctrinam publicè, aut priuatim doceri in Societate, eamque obseruari, sic concludens: *Ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant Confessarij, ac si in confessione nihil penitus audissent, sibique persuadeant, vt humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento (idest Pœnitentia) longissimè distat, ita debere nullatenus ab eo pendere*: propterea partem negantem amplector cum eodem Sanch. *num.* 4. eà maximè ductus ratione, quod si, vbi agitur de causa matrimoniali, cum matrimonium sit fauorabile, magis credendum est vni Doctori in illius fauorem sentienti, quam multis contrarium opinantibus (vt ostendit Sanchez *lib. 1. de matrim. D. 18. num. 7.*) à fortiori id tribuendum Sacramento Pœnitentiæ, eiusque sigillo, vt maior fides præstetur duobus Doctoribus (qui sunt Armillà, & Bannex citati à Sanchez *lib.3.de matrim. D.16.num.3.*(sentientibus in fauorem sigilli, quàm multis contrarium opinantibus: si quidem fauurabilius est Sacramentum Pœnitentiæ Sacramentu Matrimonij; vt facilè constabit considerandi.

Illud certè concedi potest, & debet, Electores, si sciant eum, de cuius electione agitur, esse indignum, & futurum perniciosum bono commuoi, teneri manifestare Præsidi electioois defectus illius, siue publicos, siue etiam occultos, si aliter impediri neqoeat electio illius. ita Lexana *tom. 2. cap. 13. num. 22.* ex Beia, & Portello, Peytin. *de R. S. quæst. 1. cap. 31* §. 3. aliique, & patet, tum, quia in tali euentu eligendus non habet ius proximum suæ famæ: tum, quia bonum commune præferri debet bono priuato particularis Religiosi. 102.

Quod si quæras, an dato, quòd liceret vti scientia confessionis in electione Prælatorum regularium, religiosus sciens ex confessione sacramentali indignitatem illius, de cuius agitur electione, teneatur in conscientia illum excludere.

Respond. probabile esse non teneri; & probatur, quia eiusmodi medium est valdè difficile, arduum, & expositum grauissimo periculo violādi sigillum: cum, etiam dato, quod sit licitus vsus scientiæ habitæ ex confessione sacramentali, practicè magna prudentia, & cautela ad id sit opus, totque requirantur circumstantiæ, vt vix liceat vti tali scientia; vnde fit, vt etiāsi vsus dictæ scientiæ speculatiuè possit esse licitus, non ideò tamen sit in præcepto, quippequi non potest exerceri, nisi cum valdè magna difficultate ita Sanch. *supr. n. 6.* quamuis concedat oppositam sententiam, quæ est multorum, & grauium DD. esse probabilem. 103.

QVÆRES XII. An, & quo modo regulares in electionibus suorum Prælatorum teneantur eligere digniorem.

Respond. teneri, & probatur, tum ex dictis *sup.q.* 10. tum, quia eligens dignum, omisso digniori, peccat contra iustitiam, tum communicatiuam, tum distributiuam: commutatiuam quidem, eo quod faciant contra suum officium abutentes potestate sibi tradita: distributiuam verò, quatenus ex parte sua distribuunt honores, & gradus religiosis absque respectu meritorum ita Rebell. *1. p.l.3. q.4.n.11.& q.5. n.5.* Sot. *l.3. de iust.q.6. a.2.§ sequitur*, Vasq. *de benefic. cap.2. §.2. disp 2.* Portel. *de dub. regul. v.electio, num.6.* Peyrin. *sup.* §.4. & Valerus *in differ. vtr. iur. v.electio, differ.1.n.1.* contra Filliuc. *tract.41.n.181.* oppositum sustinentem, non dissentientibus Castr. Pal. *tract.13. D.2.part.11.§.2.num.14* & Caietano *v.elect.* quorum opinionem dicit Diana *part. 2. tract. 15. ref. 61.* esse contra communem DD. sententiam. 104.

Veruntamen est ad hoc, vt dicatur eligi dignior, non esse opus, vt eligatur is, qui absolutè, & simpliciter est melior, sed sufficere, vt eligatur is, qui pensatis omnibus hîc & nunc reputatur magis idoneus ad tale munus; vnde potest contingere, quod interdum dignior ad prælaturam regularem censeri debeat religiosus, qui est minùs sanctus, at est longè prudentior, maioremque habet rerum experientiam, adeóque futurus est vtilior religioni, seu monasterio, cui præficitur. ita Portel *num.21.* ex Comitolo *lib.1.resp. mor. q.77.n.3.* aliisque hinc inferens nunquam quidem eligendum esse indignum, sufficere tamen, quod eligatur dignior secundùm quid, idest in ordine ad tale munus: idque arbitrio viri prudentis. 105.

Addit Castr. Pal §.3.*num.* 1. electionem factam de digno, omisso digniori, ex communi DD. sententia esse validam: ne alioqui aperiatur via litibus, sicque 106.

pertur

perturbetur quies, & pax religionum; patetque ex *c. cum nobis, de elect. cap. nisi cum pridem, §. pro defectu, de renuntiat. & constitutis 2. de appell.* Idque verum habet, etsi ante electionem factam electoribus intimetur, vt eligant digniorem, sin minus ex tunc à tali electione appellari; talis quippe appellatio tanquam iuri contraria penitus repelli debet, sicque nihil operatur, vt notat Castr. Pal. ex Glossa aliisque DD. monens ista procedere de iure communi.

107. Quod si detur electores eligere indignum, in pœnam priuantur iure eligendi pro illa vice, vti expressè definitum est *c. cum Vintonien. de elect.* & notauit in terminis Portel. *p. 2. resp. mor. casu 4 num. 3.* quamquam, si quis neget Regulares in casu proposito subiacere tali pœnæ, vtpote latæ contra Clericos sæculares (nomine quorum non veniunt religiosi in odiosis, non ita facilè conuinci posset falsitatis, vt constat ex dictis *in tract. de pœnis.*

Quod tamen non procederet in casu, quo maior pars Electorum statuisset eligere indignum, ideóque minor pars nequeat impedire talem electionem: sicut enim tunc minor pars sine peccato, saltem mortali posset suffragium dare indigno, se conformando cum maiori parte; cum sic minor pars non sit causa electionis, huius valore pendente à maiori parte, *cap. quia propter, de elect.* & minor pars sit causa solùm remota electionis, quæ non attenditur vtpote non influens efficaciter in effectum, *l. sed etsi plures, §. in arrogato, ff. de vulgar. & pupill. substit.* quod si elector in isto casu non peccat mort. nec debet puniri pœna adeo graui, cum pœna sit mensura delicti, *l. sancimus, ff. de pœnis.* Colligitur ex Bordono *resol. 61. num. 31.* citante contra se alios.

Qværes XIII. An, & quando regulares possint mutare electionem factam de Prælato regulari, reuocando suffragium iam datum.

108. Respond. posse, si id faciant priusquam electio publicetur: secùs, si post; habetur *c. publicato, de elect.* à contrario sensu. Ita Peytin. *de R. S. q. 1. cap. 31. §. 6.* ex Glossa Host. & Syluest. addens, quod si omnes electores, aut maior pars opponant, ne fiat publicatio electionis, & petant variari, tunc ante publicationem variari debet electio; non item, si minor pars opponat, nihilque rationabile obiiciat: tunc enim publicari debet electio iuxta *c. quia propter, de elect.* quod idem putat Peytinus dicendum esse in casu, quo vnus tantum ex electoribus velit mutare votum iam præstitum sub prætextu, quod recens audiuerit vitium latens de electo sibi antea ignotum: non enim ideo potest reassumere suum votum ex vrna, illudque mutare; alioquin posset quilibet electionem malitiosè protrahere, sicque ostium aperiretur litibus ac dissidiis.

109. Moneo autem hîc vnum obiter, non posse electores sub culpa graui ante mortem Prælati promittere cuiquam se illum electuros in Prælatum: idque ne aliàs quis videatur optare mortem proximi, vt habetur *c. nulla, de concess. præbend.* &, si promittant, promissionem non tenere, vt deciditur, *c. relatum, eod. tit.* si tamen hæc iura, cum loquantur expresse de Clericis sæcularibus, & sint odiosa, extendi debeant ad regulares, de quo non parum dubitari potest ob dicta *q. praeced.*

Qværes XIV. An Regulares possint eligere in Prælatum illum, qui alias fuit reprobatus ob vitium aliquod personale.

110. Respond. non posse, si vitium illud aliàs fuit probatum: tunc quippe procedit regula 8. in *6. semel malus præsumitur semper malus, nisi probetur emendatus*, vt notat Abb. *c. cum inter Canonicos, de elect. num. 7.* Secus, si illud vitium solum fuit præsumptum: siquidem contra crimen præsumptum admittitur purgatio, vt in *c. officij, de elect.* Ita Peyt. *sup. §. 8.* addens, quod si prior electio fuit cassata ratione infirmitatis, non impeditur posterior electio, si electus possit se purgare, quod ab eo morbo conualuerit, vt notauit Abb. vbi supra. nam infirmus non semper præsumitur infirmus, nisi sit incurabilis.

Qværes XV. An Regulares possint reprobare illum, quem iam concorditer elegerunt in Prælatum.

Respond. non posse, & probatur, tum quia, quod 111.
semel placuit, amplius displicere non potest *reg. 21. in 6.* tum quia, nemo potest mutare consilium in alterius præiudicium, *l. nemo, ff. de regul. iur.* tum quia, talis mutatio posset cedere in damnum religionis, cum sic protraheretur electio, vbi mora est periculosa, *cap. cum inter vniuersos, de elect.* tum quia, iam res non est integra posita regulatione suffragiorum, ac publicatione scrutinij, quæ præcedunt publicationem electionis, estò sic electo nondum sit acquisitum ius plenum. Ita Mirand. *tom. 2. quæst. 23 art. 24.* Peytin. *sup. §. 6. v. dico tamen.* Rodriq. *tom. 2. quæst. 51. art. 7.* aliique penes ipsum; inter quos Mirand. notat per Superiorem cogi posse electores, vt electionem factam ratam habeant, ac firmam per *cap. publicato, de election.* Quin addit Mirand. quod, licèt possint electores repetere suum suffragium, quamdiu res est integra, præsertim si per imperitiam, seu errorem illud dederint alicui inhabili; non possunt tamen illud repetere, postquam scrutatores recepta electorum suffragia simul permiscuerunt: idque etsi præfati scrutatores ea nondum cœperint recitare; quod etiam notauit Rodriq. ex Glossa, Io. Andr. Abb. & Biaxio.

Notat autem Samuellius *de elect. tract. 1. D. 8. controuers. 5. n. 3.* quòd si electores infra 8. dies electionem electis non præsentauerint, aut personas instructas ad Superiores non miserint causa reclamandi contra electionem (cum hæc commodè præstare potuerint) priuantur iure reclamandi, aut certè eo priuari debent: idque ex *cap. cupientes §. cæterum, de elect. in 6.* vbi id expressè deciditur. Quòd si voluerint reclamare contra confirmationem electionis, id facere debet intra 10. dies, aut opponere per modum exceptionis, aut appellare: siquidem confirmatio electionis vim sententiæ obtinet *cap. fin. de elect. in 6.* & sic volens opponere, intra 10. dies debet id facere, aut per modum exceptionis opponere, aut appellare modo dicto; vt colligitur ex *cap. concertatione, de appellat. in 6. & cap. quoad consultationem, de sent. & re iudic.*

Qværes XVI. An Regulares iterum possint eligere casu, quo electus in Prælatum nolit acceptare prælaturam, aut acceptatam renunciet, aut moriatur, vel certè electio deuoluatur ad Superiorem.

Respond. posse iterum eligere, dummodò ipsis 112.
non currat tempus eligendi: si enim elapsum sit tale tempus, electio deuoluitur ad Superiorem, vt habetur expressè in Clem. *exivi, de p. rad. de verb. signific. §. cæterum.* Ita Peytin. *sup. §. 8. v. dico 5.* ex Sylu. Azor. & Mirand. patetque expressè ex *c. si elect. de elect. in 6.* quod ius locum habet etiam in euentu, quo electio irritaretur ob vitium aliquod occultum.

Qværes XVII. An casu, quo Regulares elegerint in discordia duos ad eamdem prælaturam, & vtraque electio ex aliquo defectu cassetur, possint tunc temporis aliquem illorum duorum assumere ad illam eamdem prælaturam.

Respond.

113. Respond. posse, si omnes, qui fuerunt diuisi, in vnum illorum duorum concordent; sic enim cessat causa prohibitionis, quæ est discordia. ita Panorm. *in cap. considerauimus, de elect. num. 3.* & cum eo Peyr. *supr. v. dico 6.* & expressè habetur *in cit. cap. considerauimus.*

QVÆRES XVIII. Cuius sit eligere Vicarium Prælati regularis, qui fortè priuetur sua Prælatora.

114. Respond. de iure communi id spectare ad eum, qui illum priuauit. habetur *cap. inferior d. 21.* vbi latè Gloss. *v. inferior*; & patet, quia illius est ligare, cuius est soluere. sic Peyr. *vbi supr. v. dico 12.*

QVÆRAS XIX. An possit concurrere ad electionem faciendã per schedulas, qui nescit scribere.

115. Respond. posse, nisi fortè in electionis forma præscribatur schedulam esse conscribendam ab ipsismet vocalibus. Et ratio est, quòd is per alium scribere potest suum votum in schedula, sicque est capax voti: ex alia parte per hoc votum non desinit esse secretum; eum secretũ dicatur id, quod scitur ab vno, aut etiam ab altero, vt notat Nauarr. *consf. 9. de elect.*

SECTIO III.

De Electione Prælatorum Regularium, quoad ipsos eligendos.

IN hac Sectione agendum nobis est de iis, quæ desiderantur in illis, qui eliguntur in Prælatos regulares: vnde cum aliqua in iis positiuè desiderentur, & alia negatiuè (quæ scilicet abesse debent ab eligendis) Sectionem diuidemus in duas Subsectiones; in quarum priori exponemus ea, quæ positiuè requiruntur in Religiosis, vt eligantur in Prælatos regulares: in posteriori verò ea, quæ in illis requiruntur negatiuè modo dicto.

SVBSECTIO I.

Quænam positiuè requirantur in iis, qui eligi debent in Prælatos regulares.

116 *Plura requiruntur in eligendis ad regulares Prælaturas: ac non est opus, vt eligendus ad Capitulum accesserit, stando in iure communi.*
117 *Requiritur ætas annorum 25. ad minus.*
118 *Et ætas hæc sufficit ad Generalatum Ordinis.*
119 *Non est necesse, quod sit completa de momento in momentum.*
120 *Super ea dispensant Prælati regulares.*
121 *Ad prælaturas regulares requiritur Professio expressa;*
122 *Sed non vlla antiquitas Professionis: non expedit Prælatos assumi ex aliena Religione.*
123 *Requiritur & Sacerdotium, saltem quamprimum suscipiendum.*
124 *Nec obstat* cap. tuam, de ætat. & qual. *quod explicatur.*
125 *Requiritur & scientia proportionata.*
126 *Quod si in eligendo desit scientia, saltem debet esse prudens, & non præceps.*
127 *Expedit eligi in Prælatum viros nobiles.*
128 *Curandum, vt qui eligitur, sit bona valetudinis.*
129 *Etsi infirmus, qui est dignus, valdè eligatur.*
130 *Eligendus debet esse instructus variis dotibus naturalibus, & habilis ad ministeria Ordinis.*
131 *Debet in eo elucere magna morum probitas: etsi aliqui putent potius eligi debere peccatorem, quem verè pœniteat, quam innocentem.*
132 *In eo requiritur magna Charitas.*
133 *Requiritur & singularis Prudentia.*
134 *Hacq; in pluribus ostendenda.*
135 *Contra illam delinqui potest variis modis.*
136 *Requiritur item Iustitia.*
137 *Item Temperantia.*
138 *Item Fortitudo; eaq; maxima in negandis iis, qua irrationabiliter petuntur.*
139 *Item Grauitas.*
140 *Item Oeconomia.*

QVÆRES I. Quænam positiuè requirantur generaliter loquendo, ad hoc vt quis eligi possit in Prælatum regularem.

Respond. requiri multa, vt constat ex *seqq. qq.* generaliter autem requiri, vt sit dignus (idque de iure naturali, quod dictat indigno non debere conferri Prælaturas,) & quod sit habilis: idque de iure Ecclesiastico, siue communi, siue speciali vniuscuiusque Religionis prohibente, ne inhabili secundùm leges Ecclesiasticas Prælaturæ conferantur, quantumuis aliàs iure naturali sit dignus. 116.

An autem Regularis absens eligi possit in Generalem, Prouincialem, aut Priorem.

Respond. posse eligi: & probatur, tum ex *cap. quam sit, & cap cupientes, de elect. in 6.* tum quia in electione electus nullam actionem, nullumve consensum in actu electionis, vt sic, præstare debet, nisi quod debet illam acceptare, quod postmodum fit; sicque eius præsentia non est necessaria. ita Bordonus *resolut. 61. q. 17.* monens secus dicendum in casu, quo Prælatus electus in ipso Capitulo electionis ex statuto Ordinis teneatur exercere aliquos actus electionis, postquam confirmatus est (eligendo v. g. Priores, aut alios.)

QVÆRES II. Cuius ætatis debeat esse eligendus ad Prælaturas regulares, stando in iure communi.

Respond. debere esse ad minus 25. annorum; sic enim deciditur, *cap. cum in cunctis, de elect.* quod cap. confirmatum est à Concil. Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* quæ iura cum loquantur generaliter de omnibus dignitatibus Ecclesiasticis habentibus corã animatum annexam, vtique extenduntur etiam ad Prælaturas regulares, quippe quæ magnam habent curam animarum ordinariam, & ex officio, suntque veræ prælationes, ac dignitates Ecclesiasticæ; sicuti aduertit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8 lib. 2. cap. 3. n. 7.* 117.

Difficultas esse potest de Generali Religionis, an sufficiat quod sit 25. annorum: & ratio dubitandi est, quia in iuribus citatis statuitur in Episcopis ætas 30. annorum, in inferioribus verò 25. vnde potest dubitari, sub quo talium membrorum comprehendi debeat Prælatus Generalis Religionum: cum is in rigore non sit Episcopus, sed dignitate inferior, aliasque verba legis, præsertim ponentis formam necessariam, & irritantis actum, in quo ea omittitur, seruari debeant in proprietate, vtpote continentia odium, ideóque restringenda.

Respond. in rigore iuris sufficere, quod sit 25. annorum, patétque, tum ex dictis in ipsa propositione difficultatis: tum quia nullus Author de facto extendit ætatem 30. annorum in citatis iuribus præscriptam pro Episcopis ad Generales Religionum: quod est signum non ita facilè admittendam esse talem extensionem. ita Suar. *supr.* monens, quod, licèt hic sit veluti casus omissus in iure communi; nihil refert, cum, moraliter loquendo, & quasi ex ipsa 118.

rerum natura, seu necessitate, contingere non possit quemquam eligi in Generalem Religionis, qui non excesserit 30. ætatis annum; quin nec fortè vnquam euenit in graui aliqua Religione, vt iunior aliquis fuerit electus. an autem reuera expediat ad prælaturas regulares eligi seniores, aut iuniores, constat ex dictis, *cap. præcedent. quæst.* 12. Oppositum sustinent Mirand. *tom.* 2. *quæst.* 3. *art.* 1. Peyrin. *de R.P. quæst.* 2. *cap.* 1. *n.* 19. (qui tamen dicit nostram sententiam esse probabiliorem) Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 5. & alij putantes Generales, & Prouinciales debere esse saltem 30. annorum.

Maior difficultas est, an ætas requisita in Prælatis regularibus debeat esse completa de momento in momentum, vel certè sufficiat, quod sit inchoata, (v. g. 25. annorum inceptorum.)

119. Respond. loquendo quidem de Prælatis inferioribus sufficere, quod ij habeant 25. annos inchoatos; cum de iis in *c. cum in cunctis*, & in decreto Concil. Trid. superiùs relatis dicatur eos non esse promouendos, nisi saltem 25. suæ ætatis annum attigerint: qui modus loquendi supponit annos illos non debere esse expletos, sed solùm inchoatos; vt tradunt communiter DD. agentes de ætate requisita ad suscipiendos Ordines sacros. loquendo verò de Prælatis superioribus (nempè de Generalibus, ac Prouincialibus) in nostra quidem sententia sufficere, quod habeant 25. annos inchoatos (sicut diximus de Prælatis inferioribus) idque ob rationem modò adductam: si autem sustineamus requiri, vt habeant 30. annos (vti sustinent illi alij DD.) annos debere esse expletos, non verò solùm inchoatos: cum *in citato cap. cum in cunctis*, expressè dicatur, *vt nullus in Episcopum eligatur, nisi* 30. *annum ætatis excegerit*: qui modus loquendi importat annos non inchoatos tantùm, sed expletos. Ita Miranda *art. cit.* & benè meo iudicio, aliique inter quos rectè notat Peyrin. *n.* 22. aliis citatis, ætatem 25. annorum inceptorum requisitam à sacris Canonibus ad obtinendas Ecclesiasticas dignitates debere esse adeò præfixam, vt, si desit vnica dies, persona sit inhabilis: quippe in his, quæ sunt à iure statuta, non licet arbitrari.

110. Neque in ætate requisita ad prælaturas regulares possunt Prælati Religionum dispensare cum suis subditis, nisi fortè ad id habeant peculiare priuilegium: id enim prohibetur *cap. cum nobis olim, de elect.* & *capit. licèt, can. eod. tit. in* 6. Ita Lezana *sup.* ex Syluestro.

Qværes III. An, & qualis professio requiratur, ad hoc vt Religiosi sint capaces prælaturæ regularis.

121. Respond. requiri, vt sint professi, & quidem professione expressa, necnon in eadem Religione. Et certè quod requiratur professio expressa, habetur *in c. nullus, de elect. in* 6. vbi ad hoc vt Religiosus promoueri possit ad prælaturas regulares, requiritur, *vt antea fuerit Ordinem regularem expressè professus*; & additur, *quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur*: quæ verba sine dubio important eiusmodi conditionem esse de substantia, & valore talis actus, quod verò debeant esse professi in eadem Religione, deciditur in Clem. 1. *de elect.* dum in ea prohibetur, *ne Religiosus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus de cætero eligatur: quod si secus actum extiterit, sit eo ipso irritum, & inhabile*. Ita Suar. *sup. num.* 8. 10. & 11. Laym. *in qq. can. n.* 183. Leza. *sup.* Mir. *a.* 4. quorum aliqui rectè notant decretum Clem. 1. modò citatum fuisse innouatum à Conc. Trid. *sess.* 14 *c.* 10. *de refor.* & *sess.* 25. *c.* 21. *de Reg.*

Sed dubium est, an requiratur aliqua antiquitas professionis, vt quis eligi possit in Prælatum regularem, vel certè eligi possit statim post professionem: & ratio dubitandi est, quod Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 7. *de regul.* statuit, vt Abbatissa non eligatur, nisi quæ 8. annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, vel, si id fieri non possit, saltem quinque, cum tamen id à fortiori videatur obseruandum in Prælatis regularibus, in quibus desideratur maior auctoritas, & approbatio vitæ.

Respond. nihilominùs nullam requiri antiquitatem professionis, sed statim per professionem expressam personam reddi capacem prælaturæ regularis, quantum est ex hoc capite. ratio est, quod talis conditio nullo iure requiritur, cum non extet in corpore iuris, neque prout præscribitur in adducto decreto Conc. Trid. comprehendat Prælatos regulares; sicut ostendit Suar. *sup. n.* 16. & maximè ex *l. si ita scriptum, ff. de Legat.* 2. vbi dicitur, *exemplum pessimum est fæminino vocabulo etiam masculos contineri*: præstereà talis conditio non est necessaria ex natura rei; cum antiquitas professionis non sit conditio simpliciter necessaria ex natura rei non solùm ad capacitatem, sed neque ad dignitatem personæ: stante quod experientia, quæ inde præsumitur, potest aliunde suppleri, aliisque egregiis doribus compensari. Quamquam cauendum est, ne quis simul, ac eodem contextu promoueatur ad prælaturam, & profiteatur; nam hoc est in iure adeò reprobatum, vt talis electio irrita decernatur *in c. officij, de elect.* etiam in eo casu, quo electus paratus erat purgare se, quod nulla fuisset ad id ambitione inductus: quippe, vt ibi subditur, ex his, quæ incontinenti subsecuta sunt, ostenditur, quod talis taliter non possit eligi in Abbatem, & quidem meritò, cum præsumi possit non sincerè ob Dei amorem, ac animæ salutem professionem fuisse emissam, sed potiùs ad consequendã dignitatem. Ita Suar. *sup.* Laym *n.* 183. & 184. Lezan. *n.* 9. & alij; inter quos benè aduertit Suar. *n.* 17. electionem illam particularem, de qua *in citato, c. officij*, non fuisse nullam ipso facto ob rationem ibi allatam; adeóque verba illa, *irritam esse decernimus, & inanem*, non significare solùm sententiam declaratoriam nullitatis, sed effectricem talis nullitatis, irritando id, quod factum erat, esto per se non esset irritum: ad irritandum autem sufficeisse vehementem præsumptionem ambitionis ortam ex his, quæ incontinenti facta sunt: prætterquam quod persona electa non erat satis digna, cum voluerit esse magister, priusquàm esset discipulus, vt dicitur *in citato cap.* 122.

An autem expediat ex alieno Ordine assumi Prælatos regulares.

Respond. regulariter non expedite: & probatur, tum ex *c. cum causam* 27. *de elect. c. cum ad nostram* 37. *eod. c. nullus* 26. *eod. in* 6. tum ex Deut. 11. vbi Deus volens populo suo insinuare se bonum ei daturum Prælatum, ac Regem, dicit, *Constituam super te Regem de numero fratrum tuorum*: tum quia Sixt. V. eximens Fratres Tertij Ordio. S. Francisci ab Obedientia Prælatorum de Obseruantia, ait: *Nos itaque quibus nuper innotuit, quod Fratres Tertij Ordinis huiusmodi sub obedientia Ministri Generalis, & Prouincialium Fratrum de Obseruantia prædictorum manentes nihil in vinea Domini profecerunt, imo in eodem Tertio Ordine varij abusus, tam circa Regulæ obseruationem, quàm etiam Fratrum dictæ Regulæ transgressorum, & aliàs delinquentium castigationem irrepserunt*: tum quia iuxta Martialem: *Principis est virtus maxima nosse suos*; sicque Christus Ioan. 10. ex eo se dicit bonum Pastorem, quod cognoscat oues suas; id autem difficilè assequetur Prælatus alterius Ordinis: maximè, cum

cum teste Ficino *de Repub. Platonis* gubernare feliciter ciuitatem impossibile sit ex tam multis, & diuersis compositam, cui quotidie innumerabiles, incertique imminent casus: tum quia S. Thom. telatus à Bordono *to. 2. resol. 87. n. 4.* loquens de Prælatis alieni Ordinis ait, *Tales solent parum effici ad gentem, cui præficiuntur, & per consequens curare de eis.*

Qværes IV. An, & qualiter requiratur, vt sit Sacerdos is, qui eligendus est in Prælatum regularem.

123. Respond. requiri, non tamen vt sit actu Sacerdos quando eligitur, sed vt posteà fiat intra tempus debitum: ea proportionaliter ratione, qua sacri Canones non requirunt quidem, vt promouendus ad curam animarum sit Sacerdos, quando promouetur, exigunt tamen vt per ipsam promotionem obligetur ad suscipiendum Sacerdotium intra annum. Ratio responsionis est, quod ex vna parte, quoad hoc. non reperitur imposita maior obligatio, aut necessitas, neque ex iure naturali, vel diuino (vt patet) neque in iure positiuo humano, siue communi, siue speciali, quod sit generale respectu omnium Religionum, vt item patet; ex alia parte cum Prælati regulares in præsentia habeant propriam curam animarum, opus est, vt saltem quamprimum fiant Sacerdotes, ne aliàs diutius cogantur per alios exercere parochialia, quæ non semper sic possunt conuenienter exerceri: præterquam quod, cum modò in Religionibus extent multi Sacerdotes, indecés esset Prælatum ipsum non esse Sacerdotem. Ita Suar. *n. 21.* Laym. *n. 185.* Lezana *n. 5.*

124. Neque ex eo, quod in *c. tam, de ætat. & qual.* dicitur: *Cum instante necessitatis articulo possit in Abbatem assumi etiam in minoribus ordinibus constitutus:* sequitur per argumentum à contrario extra articulum necessitatis debere esse ordinatum in sacris illũ, qui Abbas constituitur (sicuti prima facie aliquis posset inferre;) Siquidem ibi est sermo de irregulari, qui non potest in sacris ordinari; vt indicant illa alia verba textus, *Instituas in Abbatem, ita videlicet quod ad sacros ordines non ascendat*; vnde in *citato c.* dicitur non constitutus in sacris, non omnis ille, qui non est actu ordinatus, sed qui neque est ordinatus, neque potest ordinari: qualis est irregularis. Ita vt sensus sit irregularem ad sacros ordines non posse iute ordinario eligi in Prælatum Religionis quippequi ex vi muneris obligatur ad sacros ordines, ad quos ratione irregularitatis est impeditus; posse tamen eligi, instante necessitatis articulo; cum necessitas non habeat legem, & interim electus possit procurare dispensationem super irregularitate, & ea obtenta ascendere ad ordines Sacros (quod colligitur ex verbis illis, *cum instante necessitate*, &c.) Constat autem peti, vt eligendus in Prælatum regularem, præsertim supremũ, saltem sit ordinatus in minoribus ordinibus, siue omnibus, siue aliquo illorum: idque vt fiat capax dignitatis Ecclesiasticæ, cuius non est capax ille, qui nullum habet ordinem, & consequenter est omninò laicus; quamquam ad id sufficiat prima tonsura, cum intentio iuris sit, vt persona hac ratione fiat capax spiritualis iurisdictionis: ad quod satis est prima tonsura. Ita Suar. *sup. num. 23.* & benè.

Qværes V. An, & qualis scientia requiratur in iis, qui debent eligi ad prælaturas regulares.

125. Respond. quod, cum teste S. Th. *2. 2. q. 76. art. 2.* singuli teneantur scire, quę ad eorum statum, & officium pertineant, & turpe sit ignorare artem, quam profitemur *l. 2 § seruum, ff. de orig. iur.* consequenter eligendi in Prælatos regulares debent actu habere illam scientiam, quæ est necessaria ad munus suum rectè exercendum: eámque maiorem, aut minorem, prout maior, aut minor est prælatura, ad quam assumuntur. patet responsio; tum ex dictis: tum ex Concil. Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* vbi dicitur, *nemo ad dignitates Ecclesiasticas promouentur, nisi doctrina ad suum munus exequendum necessaria commendetur:* tum ex 18. Exodi, in quo hæc habentur. *Prouide de omni tribu viros potentes, & constitue ex eis tribunos:* tum quia in *cap. si in laicis d. 38.* dicitur ignorantiam esse intolerabilem in his, qui præsunt, tum quia in ipsa gubernatione multa occurrunt, à quibus non potest Prælatus se expedire, nisi sit vir doctus: tum quia cum in monasteriis communiter sint aliqui viri docti; & interdum disseratur de rebus doctrinalibus, decet Superiorem iis esse instructum doctrinis, vt percipiat, quæ dicuntur, & de iis possit iudicare, saltem ad dirimendas disputationes; quod non rarò potest esse necessarium, siue quia rarus est, qui velit ingenio cedere; siue quia vt dicitur Auth. *de tabellion. §. nos autem* ignarus literarum facilè negat ea, quæ pro veritate statuta sunt, & super eo inconuincibilis est: tum denique quia non sufficit, quòd Superior apud se habeat viros doctos, quorum opera vtatur: nam verecundum est ex aliorum manibus quærere quod apud se inueniri debet, vt dicit Innoc. *in cap. cum in cunctis, de elect. num. 1.*

Verum tamen est, quod si re vera non extent viri sapientes, qui elligantur ad prælaturas regulares, tunc possunt eligi viri minùs docti, ac literati iuxta illud Isai. 24. *erit sicut populus, sic Sacerdos*; & iuxta commune adagium, *Inter cæcos lusci dominantur*; dummodo ij sint timorati, ac prudẽtes, ideóque non præcipites in rebus diiudicandis, sed consulentes viros se doctiores; sic n. bellè etiam procedit gubernatio monasterij. vnde Sacra Cong. Cardinalium, teste Gonzalez *ad reg. 8. cancell. gloss. 4. n. 112.* declarauit in conferendis prælaturis præferendum esse minùs doctum, modò sit idoneus, quando eius mores sunt noti, & approbati. 126.

Qværes VI. An, & qualiter expediat eos qui assumuntur ad prælaturas regulares, esse ex nobili prosapia.

Respond. quod, quamuis in Religionibus non habenda sit ratio præcipua nobilitatis iuxta illud 1. Cor. 1. *videte vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*: nihilominus cæteris paribus expedit, vt eligantur in Prælatos potiùs viri nobiles, quam plebei, ac infimæ notæ, Ita Tiraquel. *de nobil. c. 20. n. 10.* Felin. *in c. cum adeo, de rescript. n. 6.* Bald. *in cap. stat nimus, de man. & obed. num. 2.* aliique & probatur ex eo, quod vbi nobiles ope religiosæ mortificationis exuerunt innatum illud supetbiæ, & ambitionis vitium de quo loquitur. Aristot. *2. rhetoric. c. 15.* solent esse magis dociles, affabiles, magnanimi, & maioris auctoritatis, quomodo *in c. officij, de elect.* dicitur nobiles esse aptiores ad defendenda bona Religionis; præterea solent esse ingenij perspicacioris, ac flexibilioris, prudentiores, ac liberaliores, meliùs morigerati, & ad gubernationem aptiores; quæ sine dubio maximè conferunt ad bonum regimen. 127.

Qværes VII. An, & quomodo curandum sit, vt qui eliguntur in Prælatos regulares, sint bonæ valetudinis.

Respond. omninò curandum esse; & probatur, cum quia ad prælaturas regulares non debent eligi, nisi ij, qui dignè, & aptè eas possint sustinere (quod ita est verum, vt Concilij Trident. *sess. 25. cap. 4. de reform.* dicat: *Nec alij in posterum fiat promissio, nisi ys qui iam aetatem, & cæteras habilitates integrè haberet digno scãtur, aliter irrita sit promissio:*) tales autem non sunt, qui 128.

qui praua valetudine sunt affecti, vt patet; tum quia in decretis *de reformat. Regul.* editis à Clem. VIII. & innouatis ab Vrb. VIII. præcipitur, *vt ad officia, gradus & prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint regulas Ordinis, & constitutiones obseruare*: at tales non sunt Religiosi minùs bonæ valetudinis, cum indigeant multis exemptionibus, ac immunitatibus tam in victu, quàm in aliis; ergò; tum quia munus Prælati est valdè arduum ac laboriosum iuxta illud 1. Tim. 3. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: idest præclarum, & arduum, vt vertit Cornel. ad illum locum adducens Aluarum Pelagium *lib. de planctu Ecclesiæ art.* 18. ex S. Hieron. verba illa sic interpretantem: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus, idest martyriũ desiderat*: qui autem non gaudet bona, & firma valetudine, vtique non erit ferendo tanto oneri; sicque aut ipse succumbet, aut corruet regularis disciplina monasterij.

129. Quod autem dicitur in citato decreto Concilij Trid. *aliter irrita sit prouisio*, intelligendum est cum aliqua latitudine: non enim hoc ipso quod aliquis Religiosus est valetudinarius, ac indiget aliquibus exemptionibus, eo ipso est incapax prælaturæ regularis; ita vt, si eligatur, irrita, ac nulla sit eius electio; si alioqui sit idoneus, & possit per ministros suum munus exercere; Canones quippe eos solùm infirmos prohibent assumi ad prælaturas, qui ea præsenti infirmitate impotentes redduntur ad exequendum proprium officium; sicut docet Glossa *in c. nisi cum pridem v. impotens de renunt.* maximè cum recta Religiosorum gubernatio non tam viribus corporis indigeat, quàm prudentia, discretione, aliisque dotibus, quæ in viro, etiam minùs benè valente interdum mirificè vigent iuxta illud 2. Cor. 12. *Cum infirmor, tunc potens sum.*

QVÆRES VIII. Quantum deceat eos, qui eliguntur in Prælatos regulares, esse ornatos pluribus dotibus naturalibus, & habiles ad multa ministeria Religionis (v.g. legendi in scholis, concionandi, &c.)

130. Respond. decere quàm maximè multùmque conferre ad bonum regimen 1. quia Prælatus eiusmodi dotibus maiorem sibi auctoritatem conciliat, tum in Religiosis subditis, tum etiam in extraneis; quæ sine dubio plurimum confert ad rectam gubernationem; 2. quia identidem in monasteriis occurrit occasio supplendi modò in hoc, modò in illo ministerio, euenitque interdum non reperiri in monasterio vllum, qui in casu occurrenti possit, aut velit supplere: est ergo necesse, vt Superior ipse locum illum expleat; quod non posset facere, saltem pro dignitate, nisi peculiarem ad id nactus fuisset habilitatem; 3. quia sic Prælatus meliùs potest diiudicare, quomodo vnusquisque suorum subditorum se gerat in proprio munere, eósque monere de defectibus, quos in eo exercendo committunt: aliàs enim possent eius admonitionem repellere eo dicterio, *Ne sutor vltra crepidam*; 4. quia Prælatus in monasterio est veluti anima rationalis in homine, adeóque debet esse totus in toto, & totus in qualibet parte, varia munera exercendo iuata occurrentes necessitates: non poterit autem id præstare, nisi sit instructus variis habilitatibus; 5. quia (quod est benè notandum) euenire potest, quod subditus renuat suum munus exercere (v.g. habere aliquam concionem necessariò habendam, quasi in vindictam quod Superior aliquid ei denegauerit, & quidem iustè, vel certè sic intendat illum pertrahere in suam sententiam, ipsum adstringendo ad concedendum id, quod statuit non concedere: ne hinc ergo Superior cogatur inuitus concedere quod non est concedendum, aut omittatur concio quæ sine graui nota omitti nequit, necesse est, vt Superior, qui fortè nullum alium habet idoneum ad tale munus, ipse per se concionetur, sicque ostendat subditis se etiam sine eorum opera posse præstare, quæ præstanda sunt, hoc autem non posset fieri ab illo, nisi ad id esset habilis.

QVÆRES IX. Quanta, & qualis Probitas morum requiratur in iis, qui assumuntur ad prælaturas regulares.

Respond. quod, cum integritas Præsidentium sit salus subditorum (vt habetur in *c. miramur, dist.* 61.) & Prælatis regularibus dicat Apostolus *Tit.* 2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum*; manifestè patet eos non posse munus suũ benè exercere, nisi sint iis virtutibus ornati, quas in suis subditis ex officio tenentur procurare, & sint ipsi tales, quales debent eos effingere; si quidem (vt dicitur in *c. magnæ de voto*) *quod agitur à Prælatis, facilè trahitur, à subditis in exemplum.* vnde Concil. Trid. *sess.* 25. *de refor. c.* 1. monet Episcopos, vt factis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant: in primis verò ita mores suos omnes componant; vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Huc spectant, quæ habet, Chrysost. *hom.* 10. dicens; *Eum, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt instar Solis cæteros velut stellarum igniculos in suo fulgore obscuret; debet huiusmodi vitam habere immaculatam, atque compositam, vt omnes in illum, & in eius vitam velut in exemplar aliquod excellens intueantur.* 131.

Notat tamen Naldus *v. eligere n.* 15. ex Abbate *in c. at si Clerici §. de adulteriis in fin. de iudiciis* eligendum esse potius eum, qui peccauit, & pœnituit; quia ille scit melius compati infirmitatibus aliorum, quam iste; & firmior tuoc videtur ad resistendum, qui semel lapsus est, & reuersus.

QVÆRES X. Quam necessaria sit virtus Charitatis in illis, qui eligũtur ad prælaturas regulares.

Respond. eam esse quam maximè necessariam; & inde probatur, quod Prælatus regularis debet esse patiens in tolerandis subditorum defectibus, benignus in remittendis iniuriis sibi illatis, abstinens ab æmulatione, humilis, rectus in operando, alienus à propriis commodis, mitis, benè sentiens de omnibus, non gaudens super iniquitate, & congaudens veritati: hæc autem omnia præstat Charitas, quæ ex 1. Corinth. 13. *patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*; sic ergo in Prælato charitas vera, & germana, & habet quot virtutes requiruntur ad bonam Religiosorum gubernationem; vnde S. Ansel. *in c.* 14. *Lucæ* ait *Quisquis charitate flagrat, non necesse est, vt ei præcipiatur, nisi vt faciat quidquid voluerit.* Charitatem autem debent Prælati exercere potissimum in seruanda pace, ac concordia inter subditos, in virtute misericordiæ, ac eorum malis compatiantur; in beneficentia, illis iuxta occurrentes necessitates benefaciendo, & in correctione fraterna facienda, sic ipsorum emendationem procurando. 132.

QVÆRES XI. Qualiter requiratur prudentia in iis, qui debent constitui Prælati regulares.

Respond. ita requiri, vt sine ea impossibile sit munus gubernationis benè implere, & quidem cùm teste S. Thom. 2. 2. q. 48. & 49. partes integrales prudentiæ sint octo nimirũ memoria, intelligẽtia, docilitas, solertia, 133.

ſolertia, ratio, prouidentia, circumſpectio, & cautio; ad hoc vt Prælatus dicatur prudenter gubernare proprios ſubditos debet 1. eſſe memor præteritorum, & præſertum eorũ, quæ benè, aut malè facta ſunt à ſuo Prædeceſſore, conſilium enim futuri ex præterito venit, vt notauit Seneca *ep.* 83. 2. debet habere notitiam præſentium; aliàs non poteſt benè iudicare: 3. debet eſſe docilis, ideſt, facilis ad ampiectẽda aliorum conſilia iuxta illud Eccl. 32: *Fili ſine conſilio nihil facias*: 4 debet eſſe ſolers, itaut etiam ex improuiſo in negotiis arduis poſſit inuenire opportuna media ad ea fœliciter peragenda: 5. debet eſſe expeditus ad ratiocinandum, colligendo vnum ex alio, prout fert conditio rerum præſentium: 6. debet eſſe prouidus præuidendo ea, quæ probabiliter euentura ſunt, & applicando debita media ad conſequendum finem intentum: 7. debet eſſe circumſpectus, itaut accuratiùs conſideret occurrentes circũſtantias ad ſtatuendum, num hîc & nunc expediat hoc, aut illud facere: 8. debet eſſe cautus, ne ſub ſpecie boni eligat malum, aut reſiitet bonum falsò repræſentatum ſub ſpecie mali. Præterea ad veram prudentiam requiruntur: 3. habitus, quos Theologi cum S. Thom. *quæſt.* 51. vocant partes potẽtiales prudentiæ; nempè Eubuliam, quæ conſiſtit in facultate rectè conſultandi, ſeu facilè inueniendi media in rebus dubiis, ac perplexis: Syneſim, per quã importatur habitus rectè iudicandi de conſultatis iuxta communia principia practica; & Gnomin, ideſt, habitum rectè iudicandi ex principiis quibuſdam altioribus contra tenorem verborum legis hîc, & nunc occurrentis, ad mentem tamen legiſlatoris (v.g. non eſſe hîc & nunc reddendum depoſitum volenti eo abuti in præiudicium boni communis, licèt alioqui iura clament depoſitum reddendum eſſe domino petenti;) quæ ſunt benè aduertenda à Prælatis regularibus, & generaliter ab iis, qui præſunt aliorum gubernationi.

134. Vt autem Prælati regulares prudenter regant ſuos ſubditos: 1. nullum negotium aggrediantur, niſi benè perpenſis omnibus eius circumſtantiis, *qui enim feſtinus eſt*, vt dicitur Prou. 19. *offend. pede*: 2. conſilium, negotio ſic exigente, non detrectent interdum mutare, nec ſint nimis tenaces proprij ſenſus; ſiquidem teſte Ariſtotele *7. ethic. cap.* 9. id indicat animum pertinacem, ineruditum, ac ruſticum: 3. ſciant parere neceſſitati occurrenti iuxta conſilium Senecæ *Epiſ.* 95. *Fortiter excipienda quæ nobis mundi neceſſitas imperat*: 4. ne nimis facilè credãt, & acquieſcant aliorum dictis; cum Eccl. 19. dicatur: *Qui citò credit, leuis eſt corde*: 5. nihil agant abſque conſilio; id quippe docet ſapiens Eccl. 32. *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pænitebis*: 6. non omnes adhibeant in conſilium iuxta Eccl. 37. *A conſiliario ſerua animam tuam, prius ſcito quæ ſit illius neceſſitas*: 7. in quocumque negotio præmeditentur ea mala, & incommoda, quæ inde poſſunt emergere; nam, vt ait S. Ambr. *l.* 1. *de offic. cap.* 38. *animum mala inexplorata plus frangunt*: 8. ſint valdè circumſpecti in loquendo cum ſubditis; quippe ſubditi attentè notant ſingula verba Superiorum, ea diligenter examinant, & interdum etiam animo verè phariſaico ſtudent eos capere in ſermone: 9. delatores non audiant ſuſpectos, importunos, ac nimis moleſtos; ſic quippe hortatur Salomon Prou 4. *remoue à te os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te*: 10. caueant, ne nimis familiares, fiant propriis ſubditis; nam nimia familiaritas parit contemptum, *leg. obſeruandum, ff. de offic. præſid.* cui conſonat Apul. *de Deo Socr.* dicens, *Parit conuerſatio contemptum, raritas conciliat ipſa rebus adminiſtrationem.*

135. Addo ex S. Thom. *ſupr. quæſt.* 53. *art.* 2. quod, ſicut contra prudentiam peccari poteſt per defectum: 4. modis, videlicet præcipitatione, inconſideratione, inconſtantia, & negligentia: ita & contra illam peccari poteſt per exceſſum: 6. modis; nempè per prudentiam carnis, aſtutiam, dolum, fraudem, ſolicitudinem bonorum temporalium, & ſolicitudinem futurorum, vt docet idem S. Thom. *ſupr. quæſtione* 55. & fuſiùs explicant Interpretes ibi.

QVÆRES XII. Quantum neceſſaria ſit Iuſtitia in iis, qui debent promoueri ad prælaturas regulares.

Reſpond. eſſe ſimpliciter neceſſariam; & probatur, tum ex Prou. 20. vbi dicitur, *Miſericordia, & veritas* (ideſt iuſtitia) *cuſtodiunt Regem*; & Sap. 1. *diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram*: tum ex S. Aug. *lib.* 2. *de ciu. cap.* 21. qui ait rempublicam regi, aut ſtare non 136.
poſſe ſine iuſtitia; tum quia Prælati debent eſſe regula agendorum; non poſſunt autem eſſe regula recta, niſi debitam ſeruent iuſtitiam. Iuſtitia autem, quam Prælati regulares debent obſeruare erga ſuos ſubditos, potiſſimum eſt diſtributiua; & diuiditur in remuneratiuam, quæ præmia diſtribuit, & punitiuam, quæ punit delicta: in eoque conſiſtit, quod euitetur acceptio perſonarum, quæ omninò cauenda eſt in omni communitate, & maximè religioſa ob ingentia mala, quæ ex illa procedunt.

QVÆRES XIII. Quam ſit neceſſaria virtus Temperantiæ in iis, qui debent aſſumi ad prælaturas regulares.

Reſpond. eſſe quàm maximè neceſſariam; ſiue ea 137.
ſumatur pro moderatione, quam ratio actionibus, & affectionibus humanis imponit (quo modo eſt virtus generalis) ſiue pro virtute quæ cohibet appetitum in iis, quæ ſummè alliciunt (qualis ſunt guſtus, & tactus) quo modo eſt virtus ſpecialis. patet autem reſponſio ex eo quod, ſi temperantia vtroque modo ſumpta eſt neceſſaria omnibus Religioſis ratione ſtatus, quem profitentur, potiori ratione erit neceſſaria eorum Prælatis: quippe quibus 1. Tim. 4. dicitur, *exemplum eſto fidelium*. præterquam quod intemperantia, prout eſt vitium ſpeciale, continet maximam turpitudinem, ideóque ſummè dedecet Prælatum regularem, qui propriis ſubditis debet prælucere in omnibus virtutibus.

QVÆRES XIV. An, & quo modo ſit neceſſaria fortitudo in iis, qui eligi debent in Prælatos regulares.

Reſpond. eſſe, praterque; ex eo quod, cum ſint duo 138.
peculiaria munera fortitudinis, ſuſtinere, & aggredi, Prælatis regularibus frequens adeſt occaſio ſe exercendi in vtroque; ſiquidem ex vna parte debent ſuſtinere labores, & incommoda, quæ ſecum neceſſariò defert munus gubernationis, ſicut & contradictiones, calumnias, & querimonias, quibus identidem impetuntur à ſubditis minùs morigeratis: ex alia parte in ipſa gubernatione occurrunt plura ardua, & difficilia, quæ aggrediantur non ſolùm erga Prælatos Superiores Religionis, & proprios ſubditos, ſed etiam erga externos, & interdum erga Principes, tam Eccleſiaſticos, quàm ſeculares, in quibus peragendis vtique requiritur ſumma animi fortitudo, ſingularis magnanimitas, inuicta patientia, conſtans longanimitas, vt proinde meritò Prælato regulari adaptari poſſint ea, quæ habentur Ier. 1. *Ne formides à facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum; ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram regibus Iuda, Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ: & bellabunt aduerſum te, & non præualebunt,*

ualebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te. Bono ergo sint animu Prælati regulares, iura Religionis constanter tueantur, subditis discolis resistant in faciem, non expaueant minis Principum, si quando incutiuntur, negligant hominum iudicia, nullam habeant rationem humanorum respectuum, illud vnum curantes, vt in omnibus Deo placeant, suóque munere ritè fungantur memores eorum, quæ dicit Apost. Galat. 1. *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem:* qua de re consulantur, quæ diximus hîc *cap. 1. q. 21.*

In primis autem Prælatus regularis sit fortis, & constans in denegandis iis, quæ interdum à subditis, aut ab aliis irrationabiliter petuntur, non sine præiudicio regularis disciplinæ; memor nescire eum regnare, qui nescit negare; sicut aliquando dixit Eminentissimus quidam S.R.E. Cardinalis.

QVÆRES XV. An, & quomodo requiratur Grauitas in iis, qui assumuntur ad Prælaturas regulares.

139. Respond. requiri, coniunctam tamen cum Affabilitate, & Modestia; sic quippe Philo *lib. de præm. & pœn. col. 12.* ait: *Hæc tria plurimum faciunt ad constabiliendum imperium, maiestas, grauitas, & beneficentia; nam maiestas parit reuerentiam, grauitas metum, beneficentia verò amorem; quæ res quoties in vnum pectus conueniunt, egregiè continent subditos in officio.* Dixi, *coniunctam tamen cum Affabilitate*, &c. vt innuerem maximè cauendum esse Prælato regulari à nimia grauitate; sic enim se reddet subditis verè grauem, ac exosum, eius conuersationem omni studio effugient, nullam in illum habebunt confidentiam, illum timebunt, tanquam serui; non amabunt vt filij, vno verbo eius gubernatio desinet in tyrannidem: idque cum magno præiudicio tam subditorum, quàm totius Religionis.

QVÆRES XVI. Quantopere euitandum sit, vt eligendi in Prælatos regulares præstent in Oeconomia.

140. Respond. quod, cum Oeconomia contineat per modum materiæ non solùm homines, sed etiam res, & bona temporalia (vt aduertit Aristot. 1. *œconom. cap. 2.*) Prælatus regularis, vt rectè præstet suum munus, debet esse bonus Oeconomus, non solùm quoad gubernationem subditorum, sed etiam quoad bonorum temporalium administrationem, ea diligenter conseruando, custodiendo, meliorando, & opportunè distribuendo. Aliàs enim teste quotidiana experientia, monasteriorum bona semper efficiuntur deteriora, redditus annui in dies diminuuntur (cum tamen ex bonis à fidelibus identidem legatis deberent augeri:) conuentus nouis debitis magis, & magis grauantur: Religiosorum necessitatibus minùs sufficienter subuenitur: in monasteriis denique inducuntur singularitates, multiplicantur querimoniæ, & detractiones: tota regularis disciplina relaxatur, aut etiam omnino collabitur. At vnde tot mala? ex defectu bonæ œconomiæ ego puto ea potissimum prouenire; eo quòd scilicet interdum eligantur ad regulares Prælaturas aliqui, qui nullam habent œconomiam, nullam bonorum monasterij curam, nullam politiæ domesticæ experientiam: imò, quod peius est, in administrandis monasterij bonis vtuntur opera eorum, qui talium munerum nullam habent experientiam, nullam ad ea habent habilitatem, & malo monasteriorum post annos, & annos addiscunt œconomiam. Quis ergo neget in Prælatis regularibus maximè desiderari œconomiam, & competentem rerum humanarum experientiam?

SVBSECTIO II.

Quænam negatiuè requirantur in iis, qui eligi debent in Prælatos regulares.

141 *Illegitimus sine dispensatione eligi nequit ad Prælaturam.*
142 *Solus Papa in hoc dispensat.*
143 *Dispensatus ad dignitatem inferiorem, non est capax inferioris dignitatis.*
144 *Dispensatus in sæcule ad quoduis beneficium est capax Prælaturæ regularis.*
145 *Reualidatur electio illegitimi per subsequens matrimonium.*
146 *Dispensatio ad vnam Prælaturam extenditur ad aliam.*
147 *Illegitimus occultus interdum admittit Prælaturam regularem, ac retinet.*
148 *Episcopus non dispensat cum illegitimis ad Prælaturas.*
149 *Professio religiosa illegitimum non habilitat ad eas.*
150 *Ab ijs excluduntur quicumque infames.*
151 *Quod non procedit de iure communi antiquo.*
152 *Excluduntur Homicidæ voluntarij.*
153 *Nec hi ex priuilegijs Regularium possunt dispensari, si homicidium fuit plenè voluntarium.*
154 *Excluduntur pœnitentiati ab Officio S. Inquisitionis.*
155 *Item transeuntes ab Ordine Mendicante ad non Mendicantem.*
156 *Limita, nisi redeant ad Mendicantes.*
157 *Et limitatio procedit, si Mendicãtes fiant Episcopi, & postea transeant ad non Mendicantes.*
158 *Explicatur, quid veniat nomine Officij.*
159 *At non excluduntur Apostatæ, vbi resipuerint.*
160 *Idq; non obstantibus iuribus, quæ aliqui adducunt in contrarium.*
161 *Non excluduntur Eiecti ab Ordine, si reuertantur.*
162 *Dummodo ab Ordine Mendicanti non transeant ad Ordinem non Mendicantem.*
163 *Excluduntur Excommunicati, Suspensi, Interdicti, & aliàs inhabiles.*
164 *Quamuis, si sint occulti, & eligantur, teneat electio.*
165 *Non excluduntur damnati ad triremes.*
166 *Excluduntur notoriè mali, non item accusati de delicto, nisi hoc sit semiplenè probatum: inhabilitati per sententiam, si appellent, validè eliguntur & eligunt.*
167 *Excluduntur Religiosi laici à Prælaturis regularibus.*
168 *Imò & ab alijs muneribus, quæ habent annexam vocem actiuam, vel passiuam.*
169 *Excluduntur regulares Episcopi, qui redeunt ad Ordinem.*
170 *Hi regressi ad Ordinem habent primum locum post Prælatum.*
171 *Prouincialis in Conuentu alienæ Prouinciæ, præcedit Prælatum localem.*
172 *Excluduntur maculati circa fidem.*
173 *Item Hæretici, licèt occulti, ac emendati.*
174 *Non item semper filij Hæreticorum.*
175 *Non excluduntur nati ante paternam hæresim.*
176 *Excluduntur Neophyti.*
177 *Non item descendentes ab Infidelibus.*
178 *Excluduntur Irregulares.*
179 *Excluduntur Bigami.*
180 *Excluduntur procurantes suffragia eligentium.*
181 *Officium interdum importat superioritatem annexam.*

182 Prohi

182 *Prohibitio non procurandi suffragia cadit sub communicationem priuilegiorum.*
183 *Procurans suffragia, si sit Religiosus, subest pœnis Simoniacorum.*
184 *Indignus numquam licite eligitur.*
185 *Etsi indignitas debeat probari per vnum testem.*
186 *Excluduntur priuati Prælatura alias obtenta.*
187 *Cœci item, aut muti, aut surdi.*

QVÆRES I. An, & quo modo possint eligi ad prælaturas regulares ij, qui sunt illegitimi.

141. Respond. non posse, nisi per legitimam potestatem dispensentur: idque ex *c. 1. & fin. de filiis presbyt.* in quibus habetur illegitimos eos non solùm esse incapaces prælaturarum (quod exprimitur *in citat. c. 1.*) sed etiam dignitatum, personatuum, ac beneficiorum curam animarum habentium (quod exprimitur *in citato cap. fin.*) vnde fit, vt Religiosi illegitimi non possint eligi in Generales, Prouinciales, Priores, Guardianos, Rectores, Præpositos, Visitatores, Cōmissarios, Procuratores generales, Definitores, Assistentes, Superiores, aut Vicarios Conuentuum, in quibus gaudeant aliqua præeminētia, aut in absentia Superiorum maneāt præsideores monasterio. ita Lezana *tom. 2. cap. 13. num. 50.* ex Syl. Rodriq. Portel. aliique communiter addentes è contra illegitimos posse in Religionibus institui Procuratores monasterij, Magistros Nouitiorum, Sacristas, & habere alia officia manualia, quæ nec prælaturam nec dignitatem, nec personatum, curamve animarum importent.

Quod si quæras, à quo possint religiosi illegitimi dispensari ad effectum, vt fiant capaces prælaturarum, ac dignitatum.

142. Respond. iure communi non posse dispensari, nisi à Papa; vt colligitur ex iuribus citatis, & ex Constitut. Sixti V. per quam abrogata sunt omnia priuilegia regularibus concessa, quoad hoc, & declarantur irritæ, ac nullæ dispensationes à Prælatis religionum ad talem effectum impertitæ vsque ad emanationem dictæ Constitutionis, iure verò speciali religionum posse dispensari etiam à propriis Prælatis regularibus ex Constit. Gregorij XIV. relata à Quaranta *in bullar. v. monasterium*, & à nobis proposita *in tract. de Gubernat. cap. 8. part. 85.* nec non ex priuilegio bullato ab eodem Gregor. XIV. concesso Clericis regularibus Ministrantibus infirmis à nobis adducto *in citata tract. loco citato*; quod priuilegium sine dubio potest esse commune religiosis, etiam aliorum Ordinum, si habeant communicationem priuilegiorum cum præfatis Clericis, & aliàs admiserunt tale priuilegium, vt constat ex dictis *tract. de priuil.*

Vtrum verò dispensatus ad dignitatem Inferiorem vi talis dispensationis eligi possit etiam ad dignitatem superiorem.

143. Respond. Peyrin. *tom. 1. priuil. Constitut. 2. Iulij II. num. 99.* non posse: probatque ex eo, quod permissio minoris non est permissio maioris; quamuis alias dispensatus ad maiorem dignitatem censeri possit item dispensatus ad Minorem, si minor contineatur sub maiori: vt Prioratus sub Prouincialatu, & Prouincialatus sub Generalatu, quin addit Peyr. dispensatum ad prioratū, prouincialatum, & omnes alias dignitates, quæ in religione habentur, non ideo posse esse Generalem sine noua dispensatione: cum clausula illa generalis posita post specialia expressa non includat maiora, sed solùm consimilia.

An autem illegitimus in sæculo dispensatus ad omnia, & qualiacumque beneficia, hoc ipso possit eligi ad prælaturas, ac dignitates regulares.

144 Respond. posse cùm ea dispensatio fuerit quasi quædam legitimatio, & se extendat, vt docet Lezana *tom. 1. c. 18. n. 61.* ex Mir. *n. 63.* docens cum Nau. & Rodriq. Prælatum habentem potestatem dispensandi cum religioso illegitimo, quem scit esse talem, hoc ipso, quod illi confert aliquam Prælatiam, aut officium, præsumi dispensare cum eo, saltem in foro conscientiæ (si tamen adsit iusta causa dispensandi, qualis requiritur in omni dispensatione;) ratio huius est, quod collatio talis officij, aut prælatiæ, spectatis circumstantiis concurrentibus, est quædam virtualis dispensatio. Dissentit Bordon. *resol. 12. num. 58.* absolutè asserens dispensatum ad dignitates sæculares non censeri dispensatum ad dignitates regulares; sicut è contra dispensatus ad dignitates regulares non censetur dispensatus ad dignitates sæculares: quod concedit etiam Lezana, & ante illum docuerunt Rodr. *tom. 1. q. 13. a. 13.* Sanch. *l. 5. mor. c. 5. num. 16.* aliique, & meritò cùm priuilegia, vi quorum conceditur talis dispēsatio, inducta sint in fauorem solius religionis.

Illud etiam hic controuerti potest, an electio religiosi illegitimi reualidetur per matrimonium subsequens inter parentes eius: ita vt absque noua collatione, aut dispensatione exercere possit prælaturam, ad quam antea electus est.

Respond. reualidari; & probatur, tum, quia matrimonium illud retrotrahitur, prolemque legitimat, quoad omnes actus præcedentes, etiam prout ex tunc *cap. tanta, qui filij legitimi*: tum, quia illegitimus ante professionem recipiens ordines sine dispensatione manet irregularis, quoad eorum exercitium, & tamen secuta professione, statim desinit esse irregularis; ergo & idem dicendum est in casu nostro. ita Bordon. *supr. num. 59.* 145.

Addit Bordonus *resolut. 10. num. 21.* dispensatum ad vnā prælaturam regularem vi talis dispensationis eligi posse etiam ad alias prælaturas Ordinis; probatque, quia dispensatio cadit super personam, adeóque semper durat, sicut semper durat persona: quo modo etiam dispensatus ad beneficium censetur indefinitè dispensatus pro pluribus successiuè, teste Sanch. *l. 8. de matr. D. 31. num. 11.* alios pro se citante. 146.

Maius dubium est, an Religiosus illegitimus omninò occultus, si cogatur acceptare aliquam prælaturam in religione, possit illam retinere, etiam non petita dispensatione.

Respond. posse, si sine sua, & suorum infamia petere nequeat dispensationem; cum ius conseruandi famam sit naturale, adeóque præualeat iuri positiuo irritanti ipso facto omnes tales electiones; in quo quidem casu acta talis Prælati essent valida ex *l. Barbarius, ff. de offic. Prætoris*; vt notant DD. communiter in similibus casibus. 147.

Monet autem Rodriq. *supr. art. 6.* non posse Episcopos dispensare cum Religiosis illegitimis ad prælaturas ex vi Trid. *sess. 24. cap. 6. de reformat.* cum facultas ibi concessa solum extendatur ad irregularitates prouenientes ex delicto occulto, ac personali. 148.

Hinc sequitur per professionem factam in Religione non reddi illegitimos habiles ad prælaturas (vt putat Rodriq. *sup. art. 1.*) sed ad hunc effectum indigere dispensatione facta, siue à Papa, siue à Prælatis regularibus; vt notat Sanch. *lib. 5. mor. c. 5. num. 16.* quod non facit, quin professio religiosa sufficiat, vt illegitimi admittantur ad ordines, etiam sacros; vt docuimus *tract. 3. cap. 3. quæst. 8.* 149.

QVÆRES II. An Regulares infames admitti possint ad prælatias Ordinis.

Respond. Regulares infames infamia iuris, aut facti in præsentia non posse admitti ad prælatias regulares, nisi ad hunc effectum dispensentur. ita Suar.

tom.4.de Relig.tract.8.lib.2.cap.3.num.28 Tntrecerem. & probitur, tum quia, indecens est, vt infamis præficiatur regimini Regularium; tum quia, si Religiosus post susceptos Ordines incurrit præfatam infamiam, hoc ipso est irregularis, quoad exercitium Ordinum susceptorum, & per consequens, si eligatur in Prælatum regularium, non poterit per se ipsum exercere munia sui officij, audire confessiones, ministrare Eucharistiam, &c. cum tamen non expediat, vt talia munia semper exerceat per alios; ex quo sequitur, vt irregularitas ad Ordines procedens ex infamia, modo supradicto, indirectè faciat inhabilem etiam ad Prælaturas regulares. Dixi, *in præsentia*.

151. Quamuis de iure antiquo, non videatur improbabile infames iure, vel facto potuisse admitti ad Prælaturas regulares; cum tunc non esset opus, vt Prælati essent insigniti Ordinibus (sicuti notat Suarez *supr.*) & consequenter cessaret ratio, quia diximus Religiosos infames nunc esse irregulares, quoad prælaturas Religionis. Dixi, *nisi ad hunc effectum dispensentur*; possunt enim dispensari per proprios Prælatos ex priuilegio Eugenij IV. & quidem etiam in foro exteriori, ab infamia per Iudicem declarata, inquit Peyr. *tom.3. priuil. cap.2.num.1.* cum priuilegium non restringatur ad forum internum, & loquens absolutè loquens in vtroque foro intelligenda sit, maximè, si sit fanotabilis.

Quæres III. An Regulares homicidæ possint eligi ad prælaturas Religionis.

152. Respond. non posse, si sint homicidæ voluntarij; idque etiamsi homicidium sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum; quod tamen non facit, quin retinere possint ea officia, quæ actu habent, quando committunt homicidium. ita Lezana *tom.1.cap.18.num.8.* ex Nauar.*c.27.num.248.* alijque & patet ex Concil. Trid *sess.14.c.7.de reform.* Quod tamen *infra cap.3.num.248.§.quin etiam*, dicemus ex Rodriq. debere explicari de homicidio omninò occulto, quod scilicet probari non possit in iudicio nisi ex confessione ipsiusmet homicidæ: quod tamen Doctores communiter negant.

Vtrum verò Regulares homicidæ modo supradicto possint dispensari super homicidio, si sit occultum.

153. Respond. non posse ex vi priuilegiorum, quæ de facto habent, si homicidium fuerit perfectè voluntarium, (quale reputatur, quod fit proditoriè:) si quidem ob enormitatem illius communi sensu excipitur, & non censetur concedi, nisi in specie exprimatur (non exprimitur autem in priuilegiis, quæ de facto Regularibus concessa sunt quoad hoc.) Secùs, si homicidium fuerit minus perfectè voluntarium, cuiusmodi est quod fit in rixa: cum hoc non sit ita excerabile, vt pote perpetratum in feruore iracundiæ, & ad hunc effectum deseruire possit priuilegium à Pio V. concessum anno 1571. Congregationi Cassinensium, vt eorum Generalis dispensare possit cum suis subditis super irregularitate contracta ex homicidio voluntario; dummodo non sit commissum post ingressum Religionis, & delinquens maneat in Religione; & hoc in foro conscientiæ tantum (si quidem hoc indultum non sit viuæ vocis oraculum, de quo non parum dubito) quamuis Peregin. *in Comp. part.1. v.dispensatio §.2.* illud referens id non exprimat; in quo casu, attenta reuocatione viuæ vocis oraculorum (de qua sæpius suprà) non possent Regulares dispensare vllo modo super homicidio voluntario; nisi fortè habeant ad id aliquod aliud priuilegium, de quo mihi non constat (cum indultum Martini V. quod aliqui afferunt ex Casarub. *v. dispensatio, §.24.* sit viuæ vocis oraculum, & concessio Sixti IV. quam alij adducunt cum Suar. *supr.cap.12.num.9.* sit limitata, nec constet, an sit viuæ vocis oraculum, necne) aut prosit doctrina data. *tract.8.cap.1.num.131.*

Quæres IV. An Regulares ab Officio S. Inquisitionis pœnitentiati admitti possint ad dignitates, ac Prælatias Regularium.

Respond. non posse; idque ex decreto authentico S. Congreg. de mandato Vrbani VIII. habito 1. Oct. 1626. his verbis *S. D. N. decreuit, & statuit, vt imposterum Regulares omnes cuiusuis Ordinis, quibus pro delictis ad S. Inquisit. Officium spectantibus pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, & officia inhabiles censeantur, & deinceps, etiamsi pœnitentiæ tempus expleuerint, vel gratiam receperint, ad illa tamen promoueri nullatenus possint, nisi prius obtenta à S. D. N. vel ab hac sacra Congreg. coram Sanct. sua habenda, speciali, & expressa rehabilitationis gratia: alias promotio qualibet nulla sit, & promouentes ipsi priuationem suorum officiorum, ac præterea vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrant: ad quæ restitui, nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem S. Congreg. coram Sanct. sua habenda non possint.* Vbi notat Peyrin. *tom.2.priuil Const.9.Pauli V. num.30.* pœnitentias salutares hîc dici, quæ extraiudicialiter imponuntur, & priuatim, ac in secreto implentur, qualia sunt ieiunia, preces, &c. 154.

Quæres V. An, & quando Regulares transeuntes ab vna ad aliam Religionem possint admitti ad prælaturas, administrationes, & officia Ordinis, ad quem transeunt.

Respond. non posse, etiamsi transeant authoritate Apostolica: si tamen sint Mendicantes & transeant ad non Mendicantes; non item, si transeant ad alium Ordinem Mendicantium, aut certè ad Carthusiam. ita Sanch. *lib.6.in Decal.cap.7.num.109. & 110.* patétque ex Clem. *1. de Regul.* quæ tamen loquitur solùm de Religioso Mendicante transeunte ad non Mendicantes (quomodo non comprehendit non Mendicantes ad quamcumque aliam Religionem transeuntes) vel certè transeuntes virtute alicuius priuilegij, etiam Apostolici ad Religionem maiorem, & ita ad non Mendicantem: cum tamen transitus ad Carthusiam iure communi permittatur tanquam ad Religionem strictiorem, etsi non sit Mendicans, ac proinde non comprehensa in dicta Clementina. 155.

Quod si quæras, an dicta Clem. locum habeat in Mendicante transeunte cum legitima facultate ad non Mendicantes, si posteà ductus pœnitentia redeat ad Mendicantes.

Respond. non habere: cum præfata Clem. expressè inhabilitet ad supradicta Mendicantem transeuntem ad non Mendicantes respectu Ordinis non Mendicantis, & quamdiu in eo perseuerer: vnde fit, vt is textus, cum sit pœnalis, non debeat extendi ad religiosos modo supradicto regressos ad Mendicantes. ita Sanch. *supr. num. 118.* cum Bonifacio addens *num.117.* in dicta Clem. comprehendi non solùm 4. Ordines Mendicantium antiquos, de quibus *cap. vn. de relig. domibus in 6.* sed etiam alios de nouo adiectos, & cõsequenter etiam Soc. Iesu, tam, quoad professos, quàm quoad non professos, imò & eos, qui ea emiserunt vota biennij; quod docet *n.112.* negans tamen *n.114.* nomine Mendicantium hîc venire eos, qui ex propriis Constitutionib. à Papa non approbatis arctantur ad non habendos redditus, ac possessio- 156.

nes

nes in communi; quidquid in contrarium putent Mandos. Lapus, Anchar. & alij penes ipsum Sanch.

Maior difficultas est, an comprebendatur hac Clem. Regularis ex Ordine Mendicantium creatus Episcopus, si deposito Episcopatu eum licentia Papæ, transeat ad non Mendicantes.

157. Respond. esse satis probabile non comprehendi; eum teatus dictæ Clem. loquatur de religioso Mendicante adstricto suæ regulæ; vt colligitur ex procemio: qualis tamen non est Religiosus creatus Episcopus, qui iam liber est à iugo Regulæ. ita Sanch. *supr. num.* 119. cum Lapo, Anchar. Imola, Candin. quamuis oppositum dicat esse probabilius.

158. Addo ex Sanch. *supr. num.* 127. hoc in loco nomine Officij venire non solùm ea, quæ subiecta Regulæ Ecclesiasticæ, vt multi eaistimant cum Glossa, sed omnia omninò, quæ per Religiosos fieri solent; nimirum officium sacristæ, Camerarij, Oeconomi, Syndici, Ostiarij, Cellarij, Concionatoris, Lectoris Theologiæ, vel aliarum facultatum, & similia (cum quo tamen stat vt possint prómoueri ad doctorarum, vel alium gradum literarium: si quidem progredi ad hos non est officium, nec administratio huius est, quia in dicta Clem. probibentur quælibet officia, qui autem dicit totum, nihil eacludit.

QVÆRES VI. An, & quando Regulares Apostatæ à Religione possint admitti ad gradus religionis, prælaturas, & officia.

159. Respond. posse, vbi ad meliorem frugem se receperint, ad pristinam redierint teligionem, & bonæ opinionis eatiterint; idque non obstante motu proprio Pauli IV. quem aliqui in contrarium adducunt apud Suar. *supr. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 10. & *cap. perpetuus. de voto.* ita Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 17. *quæst. vlt.* Sanch. *supr. num.* 30. & 32. aliique penes ipsos contra Graff. *de cas. reseru. lib. cap.* 2. *num.* 25. negantem cum Archidiac. Apostatas à religione posse eligi in Abbates in casu proposito, & alios apud Suar. *num.* 31. patétque ea eo, quod nullum ius extat inducens talem pœnam; cum talis pœna non debeat induci, nisi sit iure eapressa, vt aduertit Bonac. *de clausula*, *q.* 2. *part.* 11. §. 3. *n.* 6. nobiscum sentiens, prætetquam in casu, quo eatet aliud impedimentum, aut ferant Constitutiones religionis: quod vtique supponunt etiam alij DD. qui nobiscum sentiunt, & omninò admittendum est.

160. Dixi, *non obstante motu proprio Pauli IV.* &c. quia & talis motus, teste Sanctar. *supr. num.* 30. non est receptus, & consequenter non obligat, ideóque non potest assumi ad probandum Apostatas à religione suspendi in perpetuum ab omni cuiuscumque Ordinis Ecclesiastici executione, & ab omni gradu, & eos reddi inhabiles ad quoscumque gradus, & quæcumque beneficia in posterum obtinenda; *cap.* verò *perpetuus, de voto,* quo muniuntur Aduersarij ad probandum Apostatas non posse eligi in Abbates, non est ad rem; cum non loquatur de Apostatis, sed solùm statuat eum, qui omisso voto Religionis promotus est ad Episcopatum, debere illum resignare ad effectum implendi votum; quod adhue obligat.

QVÆRES VII. An Regulares eiecti, si redeant ad religionem, à qua eapulsi sunt, aut certè transeant ad aliam, possint promoueri ad gradus, aut prælaturas Religionis.

161. Respond. posse, nisi fortè in aliquo Ordine oppositum statutum fuerit. ratio huius est, tum, quia nullo iure communi (quod sciam) ij inhabiles redduntur ad supradicta: tum, quia aliæ pœnæ contra ipsos latæ (qualis est, vt non possint audire confessiones, docere, & concionari, esse infames infamia facti, & consequenter irregulares) non durant, nisi quandiu manent in sæculo; vt innuit Bonac. §. 4. *n.* 9. quod est Regulares eiectos in pristinum statum reuocari hoc ipso; quod emendati ad religionem reuertuntur: ea quo fit, vt, sicut antequam eiicerentur, habiles erant ad gradus, ac prælaturas religionis, ita & sint, postquam ad eam modo dicto redierint. Quamquam non videatur expedire huiusmodi regulares ad prælaturas Ordinis promouere, nisi fortè post reditum singularis probitatis specimẽ præbeant, & aliàs occurrat iusta, & grauis causa eos promouendi; cum expelli è religione sit nota grauissima, quę manet in religioso eapulso, ac proinde possit multũ obesse bono regimini, vt cõsiderãti patebit.

Quod autem supposui regulares eiectos transeuntes ad aliam religionem in casu concesso posse admitti ad prælaturas, intelligi debet iuxta dicta *q.* 10. vnde sequitur religiosum expulsum ea Ordine Mendicanti, si transeat ad Ordinem non Mendicantium, non posse eligi ad prælaturas, &c. ob doctrinam traditam dicto *q.* 10. idque non obstante doctrina à nobis tradita *in dicto q.* §. *maior difficultas est*, si quidem Episcopus regularis hoc ipso, quod assumitur ad Episcopatum, liber est à iugo regulæ, nec tenetur amplius redire ad religionem; non item regularis eiectus: qui tenetur se corrigere, vt iterum recipiatur ad religionem; sicuti obstendit Sanctarel. *tract. de Apostasia*, *c.* 5. *d.* 1. *n.* 4. & nos probabimus suo loco. 162.

QVÆRES VIII. An regulares eacommunicati, suspensi, interdicti, aut aliter inhabiles possint promoueri ad prælaturas regulares, & quando.

Respond. non posse ob dicta *in tract. de pœnis*, *c.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 16. excepto tamen casu, quo ipsorum excommunicatio, suspensio, aut inhabilitas esset occulta, & illi absque periculo Infamiæ non possint recusare prælaturam oblatam: tunc enim possunt illam acceptare, adhibitis tamen prius opportunis mediis ad illam effugiendam se subtrahendo alio titulo, aut etiam detegendo Impedimentum, si sine nota, aut scandalo id fieri possit, & quam primum obtinendo dispensationem ita Suar. *D.* 13. *de censur. sect.* 1 *num.* 31. & alij, inter quos Portel. *de dub. reg. v. offic. Ordinis*, *num.* 7. bene aduertit electorem, si sciat electum, aut eligendum teneri aliquo impedimento occulto, & suffragia dentur in decreto, non posse ei dare suffragium; secùs, si dentur in publico; tunc enim tenetur dare, ne alioqui eum infamet. Ratio huius responsionis est quod ius naturale, quale est ius conseruandi propriam famam, præualet iuri positiuo humano, quale est ne excommunicati admittantur ad dignitates &c. & habetur *in cap. Constitutus, de appellat.* 163.

An verò valida sint acta, quæ fiant à Regulari in præsenti casu promoto ad prælaturam regularem.

Respond. esse valida, *ex cap. infames*, 3. *quæst.* 7. & *l. Barbarius, ff. de offic. Præt.* 164.

QVÆRES IX. An Regulares damnati ad triremes possint eligi ad Prælaturas Religionis, si libertati ad Religionem reuertantur.

Respond. videri posse admitti eo modo, quo diximus *q.* 12. posse admitti Regulares eiectos: nõ enim maior extat ratio de illis, quam de his, nisi fortè adsit aliquod ius positiuum de his; quod mihi non constet. 165.

QVÆRES X. An Regulares notoriè mali, aut accusati de aliquod delicto graui admitti possint ad prælaturas Religionis.

Respond. notoriè quidem malos non posse; idque *ex cap. fin. de Cler. excom. minist.* in quo, teste Sylu. 166.

v. Ele

v. Electio 1. *q.* 14. talis admissio statuitur cassanda, & annullanda (accusatos tamẽ de delicto posse admitti, si hinc non sit infamatus (vt si delictum non fuerit sufficienter probatum;) aliàs enim esset in potestate cuiuslibet maleuoli excludere viros meritissimos à prælatiis; vt notauit Lezana *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 25. ex Nauarr *lib.* 5. *conf. de Accusat. conf.* 2. quamuis aliqui penes ipsum Lezanam arbitrentur se oppositum colligere ex *cap. Omnipotens Deus, extra de accusat.*

Verum tamen est, quod si delictum per vnicum testem omni exceptione maiorem fuerit probatum (quod est esse semiplenè probatum,) accusatus eligi nequit in Prælatum, &, si eligatur, electio est nulla: si enim per dictum vnius testis omni exceptione maioris impeditur quis à contrahendo matrimonio *cap. super eo* 22. *de testib. & cap. præterea* 12. *de sponsalib.* ergo & idem dicendum in ordine ad electionem, quæ est spirituale matrimonium, *cap. inter corporalia* 2. *de transl. Episc.* Sanch. *lib.* 1. *de matr. D.* 71. Mirand. *de ordine iudic. q.* 17. *a.* 1. *concl.* 2 *Ghislerius de iudice reg. cap.* 17. *n.* 85. aliique penes Samuell. *de elect. tr.* 1. *D.* 6. *contr.* 1. *n.* 8. qui *n.* 9. addit religiosum modo dicto accusatum, ad se purgandum non posse impedire, seu prorogare diem statutum electionis, seu capituli: cum in electionibus canonicis mora sit maximè suspecta, ac nociua & aliàs accusatus debeat sibi imputare, quod tempore debito se non purgauerit: consentiunt Rodriqez Portell. Nauarr. Bordon & alij penes ipsum Samuellum *num.* 17.

Addit Samuellius *sup. tract.* 2. *D.* 7. *contron.* 5. *num.* 8. ex Nauarr. Suar Sigismund. & aliis, quod, cùm appellatio regulariter suspendat sententiam, ac eius effectum *cap. cum venientes, de iure iur. & l.* 2. *ff. ad Turpil.* Religiosus per sententiam inhabilitatus potest nihilominus & eligi, & eligere; nisi fortè ex delicto denunciato, super quo lata est sententia, factus fuisset infamis apud viros bonos, ac graues; tunc enim non posset eligi, non quòd appellatio non suspendat sententiam, sed quòd taliter infamis est ineligibilis, vt diximus *quæst.* 2.

QVÆRES XI. An Regulares laici, quos vocant, *Conuersos*, possint admitti ad prælaturas, & administrationes Religionis.

167. Respond. non posse. &, si fortè admittantur (vti olim admittebantur in Ordine Minorum, non posse exercere actus veræ iurisdictionis spiritualis (v. g. imponere censuras, dispensare &c. talis enim iurisdictionis non est capax laicus) quod tamen non facit, quin possent imponere præcepta, etiam obligantia ad peccatum mortale, cogere ad obseruantiam Regulæ, punire, trangressores, irritare vota, aliáque similia exercere, cum hæc omnia spectent ad potestatem dominatiuam, cuius sine dubio est capax laicus, & Conuersus, ita Suarez *tom.* 4. *de Rel. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 20. *& seqq.* aliique communiter; & probatur, tum ex Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* & *cap.* 1. *de ætat. & qualit:* tum ex dictis *sup. quæst.* 9. quorum non pauca faciunt etiam ad solutionem præsentis quæstionis.

168. Addit Lezana *tom.* 2. *cap.* 8. *n.* 19. ex Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 15. *a.* 2. Regulares laicos, quantumuis professos non posse esse Socios, aut Discretos pro Capitulis generalibus, aut prouincialibus, non Definitores, nec vlla munera exercere, quibus est annexum habere vocem actiuam, aut passiuam pro electionibus Prælatorum, cuiusmodi sunt esse Assistentes Generalium, aut Prouincialium; patet id, tum ex Clement. *vt ij qui de ætat. & qualit.* tum ex Conc. Trident. *sess.* 22. *cap.* 4. vbi habetur, nullum habere vocem in Capitulis, nisi adminus sit insignitus Ordine Subdiaconatus; vnde fit, vt, cum supradicta munera importent facultatem habendi vocem in Capitulis pro electione Prælatorum, ea competere nequeant Regularibus laicis, vt pote non constitutis in Ordine sacro: quamquàm, (quod spectat ad electionem aliorum Officialium Conuentus) si alicubi extaret Consuetudo, vt supra dicti Regulares laici ad eas conuenirent, & in iis haberent vocem actiuam, id facilius posset tolerari, vt notauit Lezana *supra.*

QVÆRES XII. An Regulares promoti ad Episcopatum, si, deposito Episcopatu redeant ad Religionem, possint eligi ad prælaturas Religionis.

Respond. non posse ex constit. Pauli IV. relata à 169.
Rodriqez *in bullar. Constitution.* 4. *Pauli IV.* quæ ita habet: *Statuimus quod nullus cuiusuis Ordinis, seu Religionis professus Episcopus, seu Archiepiscopus postquam munus consecrationis huiusmodi susceperit, etiamsi à vinculo Ecclesiæ, cui præfuerat, per Sedem eamdem absolutus, eique quod in suo Ordine remanere, & ad dignitates, & officia, & superioritates huiusmodi assumere, eaque obtinere posset per Sedem eamdem, seu superioritates huiusmodi cuiuscumque qualitatis existant, & quouis nomine nuncupentur eligi, seu assequi, aut obtinere nullatenus possint, & ineligibilis, ac ad ea obtinenda perpetuò inhabilis existat: ac quæuis indulta contra hæc quomodolibet concessa, & in posterum concedenda, nulla, & inualida, nulliusque roboris, vel momenti sint, & esse censeantur: & si quis eum de cætero ad dignitates, seu officia, aut superioritatem huiusmodi scienter elegerit, iure eligendi perpetuò careat, ac voce actiua, & passiua eo ipso priuatus existat.* Vbi notandum hanc Const. cum sit pœnalis, & loquatur solùm de Regularibus promotis ad Episcopatum aut Archiepiscopatum non esse extendendam ad eos, qui assumpti ad Cardinalatum, Abbatiam, beneficium parochiale, aut aliam dignitatem, quæ non sit Episcopatus, his renunciatis ad suam religionem reuerterentur: siquidem lex odiosa non debet extendi ad casus in ea non expressos ob obedientiam, aut etiam maioritatam rationis, vt apertè habetur *in cap. si qui, de sent. excommunic. in* 6. & tradunt DD. communiter. Quod autem ait supradicta Constit. regulares promotos ad Episcopatum esse inhabiles ad dignitates, officia, seu superioritates suæ religionis, non obstante, quod Sedis Apostolicæ auctoritate ipsis concedatur, vt ad ea possint promoueri: sanè intelligendum est, quo modo solent intelligi similes clausulæ in aliis Constitutionibus pontificiis; nimirum, vt sit sensus eos non posse ad supradicta promoueri, nisi per huiusmodi concessiones ac indulta pontificia sufficienter derogetur, præsenti Constitutioni: aliàs enim certum est Papam non posse derogare indultis Pontificum prædecessorum non seruatis seruandis; cum par in parem non habeat imperium.

Illud verò benè monet Peyr. *tom.* 3. *priuil. c.* 2. *n.* 34. 170.
Regularem factum Episcopum, si renunciato Episcopatu redeat ad suum Ordinem, debere habere locum immediatum post Prælatum, quantumuis adsint alij ipso antiquiores: idque ob reuerentiam prioris dignitatis iuxta *l. fin. ff. de Decur. & l. seruos, C. de quæst.* imò, & in eius genitura computandum esse tempus, quo mansit in Episcopatu, cum Monachus dicatur esse de religione, quamdiu est extra illam de consensu Superioris.

Quod si hìc obiter quæras, an Superior Prouincialis in monasterio alienæ prouinciæ debeat præcedere Superiorem localem in sedendo, in processionibus &c.

Respond. videri satis æquum, vt præcedat; quid- 171.
quid

quid mordicus in simili casu dissentiat Peyrin. *tom.* 3. *priuil. cap.* 10. *num.* 15. *& seqq.* Probatur, tum, quia Episcopus extra propriam iurisdictionem præcedit Abbates in propria diœcesi existentes; cum ille locus sit dignitatis, non iurisdictionis, & præcedentia debeatur dignitati, quæ semper comitatur personam & est ab illa inseparabilis, saluo tamen iure tertij, ac Superioris, sicut aduertit Nald *v. præcedentia num.* 3. tum, quia Fratres S. Dominici *in part.* 3. *Constitut. cap.* 19. de potestate, & officio Prouincialis habent hoc decretum: *Potestas, seu iurisdictio Prouincialium non se extendit vltra limites suæ prouinciæ, etiamsi, dum actu Prouinciales sunt, locum habeant super Priorem alienarum prouinciarum in Choro, processionibus, & etiam in refectorio, dummodò tamen tablam non pulsent*; quod decretum, licèt in specie factum sit pro Fratribus S. Dominici, & vt sic vim non habeat in aliis Ordinibus: hinc saltem colligitur esse valdè rationabile, vt illud etiam ab aliis religiosis obseruetur; tum denique, quia *cap. ex ore, de priuil.* absonum dicitur, quod Abbas supra Episcopos sedeat: Prouinciales autem æquiparantur Episcopis, & Prælati locales Abbatibus; quamquam hac in re standum sit Constitutionibus, ac consuetudinibus vniuscuiusque Ordinis.

QVÆRES XIII. An eligi possint ad prælaturas regulares ij, qui sunt maculati circa fidem.

172. Respond. non posse, &, si eligantur, illorum electionem esse ipso iure nullam: idque, siue ipsi sint hæretici, siue filij hæreticorum, fautorum, receptatorum, & defensorum vsque ad secundam generationem per lineam paternam, & vsque ad primam per lineam maternam. ita Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 26. *num.* 4. *& cap* 27. *num.* 2. Sanctarel. *de hær. cap.* 33. *d. vn. num.* 6. *& cap.* 34 *d.* 2. *num.* 12. Farinac. *de hær. quæst.* 189. *num* 71. 73. 74. *& quæst.* 191. §. 2. *per totum*, aliique plures apud Peyrin. *de R.S. quæst.* 2. *cap.* 5. §. 6. *num.* 72. *&* 75. Ratio autem responsionis (quod quidem ad hæreticos, eorumque receptatores, fautores ac defensores, ad quos extenditur præsens responsio) est, quod isti omnes sunt excommunicati in bulla Cœnæ, & irregulares *cap. saluberrimum* 1. *quæst.* 7. excommunicati autem, ac irregulares sunt incapaces prælaturæ regularis; vt constat de excommunicatis ex *quæstione* 8. & de irregularibus constabit ex *quæst. sequenti*: præterquamquod, cum illi sint extra Ecclesiam, *cap. excommunicamus, el.* 1. *de hæretic.* dedecet eos admitti ad dignitates Ecclesiasticas cum non debeant possidere aliquid catholicæ Ecclesiæ, qui extra illam sunt, *cap. quo iure* §. *legantur d.* 8. Quod verò spectat ad filios hæreticorum, fautorum, &c. patet responsio ex *cap. quicumque*, §. *hæretici, & cap. statutum, el.* 2. *de hæret. in* 6. vbi expresſè id deciditur.

173. Quæ responsio locum habet in hæreticis, tam occultis, quam manifestis, & quidem etiam post publicam ipsorum emendationem: maximè attento Decreto Sacræ Congregat. relato hîc *quæst.* 4 quamuis alias abiurans de leui, aut etiam de vehementi in tribunali S. Inquisitionis non sit ineligibilis ad prælaturas regulares ex eo solùm, quod abiurauerit; sicut aduertit Peyrin. *supr.* §. 7 *num.* 91. ex Sanchez Henriq. Sanctar. & aliis.

174. Addunt Suar. *D.* 43. *de censur. sect.* 3. *num.* 2. Azor. *tom.* 1. *l.* 8. *cap.* 15. *quæst.* 8. Lessius *l.* 2. *cap.* 34. *num.* 121. & alij, ad hoc vt filij hæreticorum sint modo dicto incapaces prælaturæ regularis, requiri, vt ipsorum parentes in iudicium fuerint conuicti, siue per propriam confessionem, siue aliunde, vel saltem vt illorum hæresis sit publica; id enim satis apertè indicatur *in cap. statutum, el.* 2. *de hæret. in* 6. per ea verba: *Qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur.* Vnde filij hæreticorum occultorum non subiacent tali incapacitati, nisi fortè illorum parentes condemnati sint in contumacia, aut eorum statuæ combustæ sint: siquidem contumax habetur pro conuicto; vt habet Glossa *in cap. cum contumacia, de hæret. in* 6. & Sanchez *supr. cap.* 27. *num.* 19. asserens contra Azorium *supr. cap.* 14. *quæst.* 3. præfatam inhabilitatem incurrere filios eorum, qui obierunt suspecti de hæresi; quod negat Azorius eo, quod *citatum cap. statutum*, loquitur solum de hæreticis decedentibus, &; cum sit pœnale, non debet extendi ad suspectos de hæresi.

Vtrum verò filij nati ante paternam hæresim incurrant supradictam inhabilitatem.

Respond. probabile esse, quod non incurrant: 175.
idque ob dicta *in tract. de nouitiatu, cap.* 5. *quæst.* 18. interim qui vult videat Sanchez *supr. cap.* 27. vbi fusissimè disserit de hac re nostram amplectens sententiam: quam negant Suar. Couar. Gomez, Azor. & & alij penes Peyrin. *supr. num.* 79.

QVÆRES XIV. An Neophyti admitti possint ad prælaturas regulares.

Respond. non posse, & patet, tum ex *cap. quoniam*; 176.
cap. sicut neophytus d. 48. vbi redduntur rationes talis prohibitionis; tum ex dictis *in tract. de Pœnis, cap.* 5. *num.* 44. qua de re Peyrin. *num.* 28. aliique ab ipso relati.

QVÆRES XV. An descendentes ab infidelibus possint promoueri ad prælaturas regulares, si ipsi ab infantia sint christiani.

Respond. de iure communi posse, vt colligitur ex 177.
cap. eam te, de rescript. vnde inferunt Suar. *n.* 8. Sayr. *l.* 6. *de censur. cap.* 13 *num.* 12. Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 28. *num.* 14. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 14. *art.* 1. aliique plures relati a Peyrin. *num.* 84 nullum inferiorem Papa posse facere statutum, quo præfati descendentes ab infidelibus reddantur inhabiles ad prælaturas Ecclesiasticas, stando præcisè in iure communi; quod non habet verum respectu illorum Ordinum, in quibus extant talia statuta ex legitima auctoritate Papæ: quomodo extat in Ordine Minimorum, teste ipso Peyr. *num.* 85. & in religione Fratrum Minorum, teste Portello *de dub. regul. v. electio num.* 11. quamuis Sanchez *supr. num.* 3. & alij dicant, quoad religionem Minorum tale statutum non esse amplius in vsu.

QVÆRES XVI. An Irregulares eligi possint ad prælaturas regulares.

Respond. non posse, si defectus, ex quo eligendus 178.
est irregularis, sit talis, vt ipsum reddat impotentem ad proprium officium rectè exercendum, &, si eligatur, electionem eo ipso esse nullam. ita Peyrin. *supr. cap.* 4. *num.* 2. ex Lessio, Garc, & Panorm. paterque; tum ex *cap. nisi, de renunciat. cap.* 2. *de Clerico ægrot.* aliisque iuribus adductis ab ipso Peyr. tum, quia iure naturali ea requiritur aptitudo in eligendis ad Prælaturas regulares, quæ est simpliciter necessaria ad decenter exercendum munus Prælati: talis autem aptitudo non est in eo, qui est irregularis; quæ verò irregularitas requiratur, & sufficiat ad inducendam talem inhabilitatem, latè ostendit Peyrin. *loco cit.* & facilè colligetur ex dictis *in tract. de pœnis, c.* 5. *n.* 22.

QVÆRES XVII. An bigami possint eligi ad prælaturas regulares.

Respond. non posse; & probatur, tum ex 1. Tim. 3. 179.
vbi dicitur eligendum in Prælatum debere esse vel cælibem, vel vnius vxoris virum; tum ex *cap.* 1. *&* 2. *d.* 33. & Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 17. *de reformat.*

ite

ita Peyrinos *cap.5. §.8. num.97.* in terminis ; vtrum autem Prælati regulares in hoc poſſint diſpenſare, videbimus *cap.ſeq.ſect.1. quæſt.19.*

Qværes XVIII. An poſſint eligi ad prælaturas regulares ij, qui directè, ſeu indirectè, pro ſe, aut pro aliis procurant voces, ſeu ſuffragia ad effectum conſequendi prælaturas, aut officia Ordinis.

180. Reſpond. non poſſe; cum hoc ipſo, quòd modo dicto procurant vota, fiant inhabiles ad quæcumque officia religionis (& conſequenter ad prælaturas regulares) vt habetur in decretis Clem. VIII. editis ſuper reformatione Regularium, & confirmatis ab Vrban. VIII. quæ *num.45.* ſic habent : *Vt omnis officiorum ambitus occaſio præcidatur, caueant omnes à directa, ſeu indirecta vocum, ſeu ſuffragiorum procuratione, tam pro ſe ipſis, quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præſertim generalibus Capitulis, aut Congregationibus, ſeu alibi; quicumque ſecus fecerint, præter alias pœnas, & cenſuras hactenus contra huiuſmodi ambientes, & practicantes inflictas (quas in ſuo robore permanere volumus) in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, ſuper quo à nemine diſpenſari valeant, niſi à nobis, vel Succeſſoribus noſtris*, &c.

181. Dixi, *& conſequenter etiam ad prælaturas regulares*; vt innuerem in citato decreto nomine officiorum Religionis intelligi etiam ea, quæ habent coniunctam ſuperioritatem quamdam, non autem ſolùm ea, quæ ſunt quædam miniſteria Religionis abſque vlla prælatione : quale eſt officium concionandi, legendi, &c. ſic enim Sanch. *lib.6. mor.cap.15.num.66.* cum Souſa, Rodriq. & Sorbo, in ſimili explicat nomen officij ; & quidem ſatis probabiliter, præſertim in caſu noſtro; vt inde patet, quod alioqui, ſi per officia non venirent in citato decreto Clement. VIII. etiam prælaturæ, minus retraherentur regulares à procuratione ſuffragiorum ibi prohibita, ſaltem ex timore pœnæ, ſicque minùs ſufficienter præcluſus fuiſſet aditus ambitioni: cum talis procuratio potiſſimum fieri ſoleat à Prælatis, & in ordine ad prælaturas obtinendas, vt patet.

Cùm autem in aliquibus Religionibus extet ſpecialis prohibitio facta à ſummis Pontificibus, quoad non procurandas prælaturas, tam maiores, quam minores, & alia quæcumque, & quomodocumque nuncupata officia Religionis (vt videre eſt apud Nald. *v. ambitio*) poſſet hîc quæri, an talis prohibitio, pœnæque latæ contra illius transgreſſores per viam communionis priuilegiorum communicetur Religioſis aliorum Ordinum; & ratio dubitandi eſt, quod, cum talis prohibitio ſit odioſa, nôn videtur cadere ſub communicationem priuilegiorum, quæ eſt fauorabilis.

182. Verum, puto quod, cum dicta prohibitio ſit fauorabilis religioni ſumptæ in communi, licet odioſa religioſis particularibus, ea vtique comprehenditur in communicatione priuilegiorum iuxta dicta *in tract. de priuileg.cap.1.num.48.*

183. Monet autem Nald. *v. religioſus, num.42.* per verba illa, quæ referuntur in allegato decreto Clementis VIII. *præter alias pœnas, & cenſuras hactenus contra huiuſmodi ambientes inflictas*, intelligi illas, quæ iure communi latæ ſunt contra Simoniacos, vt *in cap. principatus 1. quæſt.1. cap. ſi quis deinceps, ſi quis Epiſcopus 16.quæſt.7.* & alibi, in quibus textibus damnatur labes ſimoniæ à lingua æquè deteſtabilis, & pernicioſa, ac eſt ea, quæ dicitur à manu, & obſequio.

Qværas XIX. An dari poſſit caſus, in quo licitè eligatur indignus in Prælatum Regularem.

Reſpond. non poſſe ob dicta *in præced. ſect. 9.12.* &, ſi eligatur, teneri renunciare iuxta ea, quæ diximus ſuprà. 184.

Quod ſi hac occaſione quæras, qualiter debeat conſtare de indignitate electi, vt excludatur à prælatura, ad quam eligitur.

Reſpond. Portel. *de dub. regul. v. electio, num.19.* ſufficere, quod vnicus teſtis probet illius indignitatem, non ſecus, ac ſufficit vnus teſtis ad probandum impedimentum matrimonij; idem ſentit Rodriq. ex *tom.1. quæſt. 14. art. 3.* patetque ex eo, quod, ſicut vnus teſtis ſufficit ad probandum impedimentum matrimonij, eo quod ibi agitur de peccato vitando, quod committerent impediti, ſi contraherent, non obſtante eo impedimento (vt rectè aduertit Sanchez *lib. 1. de matrim. D. 71. num.1.*) ita & hîc agitur de peccato vitando, quod committerent electores eligendo indignum, & ipſe electus admittendo electionem. 185.

Qværas XX. An poſſit eligi in Prælatum is, qui alias in pœnam fuit priuatus prælatura legitimè obtenta.

Reſpond. non poſſe ; & probatur, tum ex *cap. illi, cap. infames 6. quæſt. 1.* tum, quia fama eligendi in nullo debet vacillare, *cap. laics d.33.* &c. *omnipotens, de accuſat.* vbi dicitur accuſatum interim promoueri non poſſe : ſi enim is promoueri non poteſt, multò minus poterit promoueri punitus per ſententiam. ſic Bordon. *reſol.16. num.76.* ex Garcia *part.7.cap.8. de benef.num.4.* & Suar. *D.48.de cenſur.ſect.1.* 186.

Qværes XXI. An poſſit eligi in Prælatum religioſus cæcus, aut mutus, aut ſurdus.

Reſpond. non poſſe ; cæcum quidem ex *cap. hinc etenim, ſi cæcus, diſt.49.* ſurdum verò ex *cap. conſtitutionem, de verb.ſignificat. in 6.* mutum denique eo, quod non poſſit monere, corrigere, ac docere ſubditos, vt docet Peytin. *de P.R.quæſt.2.cap.4.n.21.* ex S. Thoma quem ſequuntur Lauorius, & Sigiſmundus à Bononia relati apud Dianam *part.8.tract.6.reſol.20.* vbi ex Megala docet electum in Viſitatorem alicuius Ordinis, ſi poſtea fiat cæcus, non proſequi viſitationem : idque ob plures rationes, quas adducit Megala *tom.2.var.reſolut.reſol.183.* 187.

Capvt III.

De poteſtate Prælatorum regularium.

QVoniam Poteſtas Prælatis regularibus ex officio competens eſt multiplex, & varia : acturi de illa in præſenti cap. ad vitandam confuſionem illud diuidemus in 6. ſectiones ; in quarum prima tractabimus de poteſtate Prælatorum Regularium in communi : in 2. de poteſtate directiua : in 3. de coactiua : in 4. de diſpenſatiua : in 5. de abſolutiua : in 6. de poteſtate ad varia.

Sectio I.

De poteſtate Prælatorum Regularium in communi.

1 *Prælatis Regularibus neceſſaria eſt Iuriſdictio ſpiritualis*

2 *Duplex*

2 *Duplex potestas iis competit in Religiosos subditos.*
3 *Potestas illorum est ordinaria.*
4 *Est delegabilis.*
5 *Facultas concessa Prelatis Regularibus ad absoluendum, ac dispensandum competit etiam localibus.*
6 *Potestas prelati regularis, quoad forum conscientia est quasi episcopalis.*
7 *Iurisdictio spiritualis iure humano competit prelatis regularibus.*
8 *Potestas prelati inferioris pendet à prelato superiori 3. modis, qui infcruntur.*
9 *Non omnis potestas competens prelatis inferioribus restringi potest sine causa à Prelatis superioribus.*
10 *Ex tenore concessionis colligitur, que potestas competat Prelatis, etiam inferioribus.*
11 *Potestas voluntaria exercetur etiam extra territorium.*
12 *Non item potestas contentiosa.*
13 *Potestas data ad dispensandum super Votis, &c. durat, mortuo, aut alias amoto concedente.*
14 *Talis facultas non reuocatur in generali reuocatione licentiarum.*
15 *Potestas prelati Regularis extenditur ad Moniales subditas.*
16 *Extenditur ad Nouitios.*
17 *Item ad Religiosos Apostatas, Eiectos, Oblatos, ac Tertiarios modo infra dicendo.*

QVÆRES I. An, & quomodo ad gubernationem externam religionum requiratur in Præ-
1. latis regularibus iurisdictio spiritualis.

Resp. quod, licèt in rigore loquendo, sufficere potest potestas dominatiua (qualis competit etiam patri in filios,) & per illam solam olim regerentur Monachi; supposito tamen, quod Religiosi fuerint exempti ab Episcoporum iurisdictione, quibus aliàs subiiciebantur: necesse est, vt Prælati regulares iurisdictionem babeant spiritualem in Religiosos subditos, tam quoad forum pœnitentiale, quàm, quoad forum externum religiosum, cum non sit æquum, vt religiosi relinquantur absque proprio gubernatore infra Papam: quod vtique illis esset magno præiudicio. Vnde fit, vt Generales Ordinum habeant dictam iurisdictionem in totum Ordinem, Prouinciales in totam Proninciam, & Superiores locales in totum Monasterium; siqnidem nec Generalis toti Ordini, nec Prouincialis toti Proninciæ possunt immediatè præesse, ideoque opus est, vt inter ipsos detur certa subordinatio, sicut notauit Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib 2. cap. 2. n. 7.* monens *n. 15.* omnes Prælatos regulares in hoc conuenire, quod in omnes religiosos subditos immediatam habent iurisdictionem, etiamsi aliqui illorum dici soleant Superiores mediati, vt Generales, & Prouinciales: idque ad debitam subordinationem perfectiùs seruandam.

QVÆRES II. Quotuplex sit potestas, quæ com-
2. petit Prælatis regularibus.

Respond. esse duplicem; aliam dominatiuam (de qua suprà) & aliam iurisdictionis, quæ, licet sit vna secundùm suam adæquatam rationem, in ordine tamen ad varios effectus, qui ab illa proficiscuntur, concipitur veloti multiplex, & distinguitur in directiuam, coactiuam, seu coërcitiuam, dispensatiuam, absolutiuam, & potestatem ad varia se extẽdentem.

QVÆRES III. An potestas Prælatorum regula-
3. rium sit ordinaria aut delegata.

Respond. Quod cum potestas ordinaria sit ea, quæ competit ex officio (qualis competit Papæ Episcopo, Parocho: delegata verò, quæ habetur ab habente potestatem ordinariam (qualem habent Sacerdotes deputati ad audiendas confessiones) consequens est, vt potestas competens Regularibus Prælatis, quoad Religiosos subditos sit ordinaria; quippe quæ ipsis competit ex officio. ita Rodriq. *tom. 1. q. 12. art. 11.* & cum eo Portell. *de dub. Regul. v. Prelatus, n. 2.* expressè docens potestatem datam per priuilegium esse ordinariam, nisi à concedente limitetur, vt per se fiat à solo tali, quod addit Portel. *supr. num. 37.* ex Rodriquez.

QVÆRES IV. An regulares possint delegare 4.
potestatem ipsis ex officio ordinario competentem.

Respond. posse, nisi fortè aliquid à Papa, vel statuto ipsis concedatur cum limitatione, vt ipsi soli per se illud præstent: quo modo Pius V. concessit PP. Dominicanis, & consequenter etiam aliis Religiosis de ipsorum priuilegiis communicantibus, vt Prior erga suos subditos (pro solo tamen foro cõscientiæ, & per se ipsos tantum) omnem habeat potestatem absoluendi, ac dispensandi, quam habent Episcopi erga suos subditos, idque per bullam, vt videre est *in bul. Rodriq. bulla. Pij V. 13.* ita Portel. *sup. num. 2.* & ante illum Sà *v. delegatus num. 1.* ex fumo, & Syluestro docens potestatem Prælatis Regularibus ex officio ordinario competentem posse ab iis delegari non solum, si sint Generales, aut Prouinciales, sed etiam, si sint Prælati locales toti monasterio præsidentes, imò & eorum absentium vices gerentes: vt sunt Vicerectores, Vicepriores, &c. Ratio huius est, quia omnes supradicti babent potestatem ordinariam in subditos (vt ostendimus *quæst. præced.*) quicumque autem habet potestatem ordinariam, potest eam delegare; vt tradunt communiter DD. cum Sà *v. delegatus, n. 1.* Quin etiam potestas dispensandi Prælatis Regularibus à Pio V. concessa (de qua paulo ante) & ipsa est delegabilis, non quidem absolutè, sed limitatè eo modo, quo diximus *tract. 7. cap. 6. num. 10.*

Quòd si hic obiter quæras, qui veniant nomine Prælatorum in Constit. Pontificum, aut statutis
Ordinum tribueotibus facultatem absoluendi, di- 5.
spensandi, &c.

Respond. venire non solùm Generales, Prouinciales, & Visitatores, sed etiam Prælatos maiores locorum (v.g. Priores, Guardianos, Rectores, &c. non tamen Vicarios, Superiores, aut Ministros, vel alios subordinatos Superiori locali: hi enim verè non sunt Prælati, nisi fortè in aliqoo Ordine aliter statutum sit: vt proinde Portel. *supr. n. 1.* dicat in re spectãdas esse singularum Religionum Constitutiones.

QVÆRES V. An potestas competens Prælatis regularibus, quoad suos subditos in rebus spectanti-
bus ad forum conscientiæ sit quasi Episcopalis. 6.

Respond. esse: probatur, tum ex decreto Pij V. relato *quæst. præced.* tum ex *cap. Abbates, de priuil. in 6.* in quo habentur hæc verba: *In quos* (intellige Monachos) *Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent*; vbi notat Glossa potestatem Prælatorum regularium dici quasi Episcopalem (quod est additum diminuens) eo quod non extendatur ad actus, qui sunt proprij Ordinis Episcopalis, saltem omnes; quamquam alioqui, vt notat Portel. *sup. n. 36.* Prælati regulares, quoad aliqua maiorem habeant potestatem, quàm Episcopi: cum ij possint dispensare in irregularitate contracta ex homicidio voluntario si fuerit occulta, quod tamen Episcopi non possunt facere, id prohibente Conc. Trid. *sess. 24. de reform. c. 6.* ita Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. c. 2. n. 9.* Portel. *supr. n. cit.* Peyr. *tom. 1. priuil. Const. Pyrrhi, n. 46.* aliique communiter in Clem. 1. *de reb. Eccl. non alien. v. propry*: inter quos Suar. *n. 10.* bene notat (quod etiã

nos diximus *quæſt.* 4) hanc poteſtatem quaſi epiſcopalem competere noo ſolùm ſupremis Prælatis regularium (v. g. Generalibus, ac Prouincialibus) ſed etiam Prælatis localibus: cum in iure communi nulla differentia aſſignetur inter hos, ac illos.

QVÆRES VI Quo iure competat Prælatis regularibus iuriſdictio ſpiritualis io religioſos ſubditos.

7. Reſpond.non competere iure diuino (vti putant aliqui cum Rodriq.*tom.1.quæſt.*17. *art.*2. & Mirand. *tom.1.man.q.*17.*art* 4.)ſed iure humano pendente ex prudenti arbitrio ſummorum Pontificum; qtomodo enim fieri poteſt, vt ſit de iure diuino, quod ab Eccleſia non fuit ſemper obſeruatum: cum tamen io antiquis Religionibus fuerint Abbates ſine propria, ac ſpirituali iuriſdictione; vt fuſius probat Suar.*ſupr.cap.*1.*num.*3. oobiſcum ſentiens: quamuis alias concedat præfatam iuriſdictionem poſſe dici de iure diuino remotè; videlicet in generalibus principiis, in ipſa poteſtate concedendi; quod etiam nos concedimus.

QVÆRES VII. An, & quo modo prælati inferiores religionum dependeant à prælatis ſuperioribus, quoad poteſtatem, ſeu iuriſdictionem ex officio competentem.

8. Reſpond. dependere, & quidem multis modis: 1. in origine, ſeù in eſſe, cum prælati ioferiores ſoleant ducere originem à ſuperioribus, non è contra (quamquam in hoc iuxta varia Ordinum Inſtituta reperiri poſſit aliqua varietas: ſi quidem aliquando ſuperior prælatus confert omnino iuriſdictionem inferiori, aliquaodo vero ſolùm confirmat, aut ratam habet:) 2. in operari, eo quod prælatus ſuperior in ſuis actibus non pendeat ab inferiori, inferior autem aliquo modo pendeat à ſuperiori; vt conſtat ex vſu, & patet ex eo, quod, licet non ſit opus, vt prælatus ſuperior actu confirmet, aut præſcribat quæ inferior præcipit, eſt tamen neceſſarium, vt oon contradicat: 3. in eo, qood prælatus ſuperior poteſt reſtringere iuriſdictionem inferioris, tum, quoad forum pœnitentiale, tum, quoad forum externum religioſum (v. g. reſeruando ſibi abſolutiooem à tali caſu, iudicium in tali cauſa, diſpenſatiooem banc, vel illam, ſubiectionem talis perſonæ, & ſimilia) cum enim prælatus inferior pendeat à ſuperiori in ſuo eſſe, pendet & in iuriſdictione. ita Suarez *ſupr. cap.* 2. *num.* 19.20.21. *&* 22.

Quod ſi quæras, an talis reſtrictio requirat iuſtam cauſam, vel certè fieri poſſit pro ſolo arbitrio maioris prælati.

9. Reſpond.cum diſtinctione: vel loqoimur de his, quæ conueniunt vnicuique prælato ex vi ſui muneris, ac iure ordinario; & quoad hæc nón poteſt fieri licitè talis reſtrictio ſine iuſta cauſa (vt patet in ſimili in caſuum reſeruatione, quæ facta ſine cauſa eſt illicita: vel loqoimur de iis, quæ fortè conceduntur prælato ioferiori vltra ius ordinarium per delegationem ſuperioris: & ſic prædicta reſtrictio fieri poteſt, & validè, & licitè (etſi alias caueri debeant incommoda, quæ inde ſequi poſſent per accidens, ſiue contra booum commune, ſiue contra pacem, & charitatem) primum patet, tum, quia quilibet prælatus babet aliquod ius in re quoad ſuam ordioariam iuriſdictionem, ideóque non debet eo priuari ſine cauſa; tum quia, præfata reſtrictio vel eſt pœna illata abſque culpa, & illicitè; vel eſt peruerſio, aot immutatio ordinis de ſe inſtituti ad bonum commune, & eſt præter regulam, adeóque illicita, ſi fiat ſine cauſa: ſecundum probatur, tum quia, in poſteriori caſu ceſſant rationes allatæ pro priori: tum quia, delegatio eſt quædam gratia, & fauor, qui poreſt auferri, tum à concedente, tum à ſucceſſore illius, tum ab alio qui ſit vtrique ſuperior. ita Suar. *ſupr.n.*23. *&* 27. addens reſtrictionem factam in priori caſu (quamuis iniuſtam) eſſe validam; quo modo etiam reſeruatio caſuum facta ſine cauſa eſt valida licèt iniuſta; cum voluntas Prælati ſuperioris, abſolutè loquendo, ſit potentior, nullaque extet lex poſitiua irritaos huiuſmodi factum, & ex ſola rei natura non poſſit cenſeri nulla iuxta regul. *multa illicitè fiunt, quæ facta tenent.* quod tamen intelligeodum eſt, dummodò ſupradicta reſtrictio aliunde non contineat errorem iotolerabilem contra bonos mores; tunc enim eſt nulla.

QVÆRES VIII. Vnde colligi poſſit poteſtatem conceſſam Regularibus qooad ſubditos, quæcumque demum ea ſit, competere Prælatis non ſolùm ſupremis, ſed etiam ioferioribus.

Reſpund. ex modo, ac conceſſione illios id colligendum eſſe, ſiue priuilegium concedens talem 10.
poteſtatem ſit directè conceſſum, ſiue per communicationem cum aliis: ſi enim verba Papæ concedentis ſint generalia, ſcilicet coocedendi tali Religioni, vel Prælatis eius poteſtatem diſpenſaodi in hac, vel illa re, & per aliud indultum, aut regulam Ordinis non limitentur: tunc ea poteſtas competet omoibus Prælaris, quibus ſpecialiter non prohibetur; ſi verò verba indolti ſint ſpecialiter, nempe directa ad Generalem; vel ad Prouinciales; tunc inferiores Prælati in eo genere ſolum poſſunt, quod ſibi à Superioribus fuerit conceſſum: nam, cum alibi datum non ſit, ex oatura rei eſt ipſis prohibitum, quamdiu non eſt conceſſum; quod tamen non habet locum in Prælaris ſuperioribus, hi enim nunquam cenſentur excluſi à conceſſione, & poteſtate in ſpecie data Prælatis inferioribus (v. g. Prioribus, Guardianis, Rectoribos, &c.) quippe ſub particulari ſemper iocluditur Prælatus vniuerſalis; ſicut ſub nomine proprij Sacerdotis ſemper comprehenditur Epiſcopus quoad habendam poteſtatem. ita Suar.*ſupr.cap.*13.*num.*16.

QVÆRAS IX. An Prælati Regulares exercere poſſint poteſtatem ipſis ratione officij competentem, etiam extra territorium, & quando.

Reſpond. poſſe exercere poteſtatem voluntariam, 11.
ſeu (vt aliqui vocant) gratioſam: idque non ſolùm in caſu, quo ſubditus eſt vnà cum ſuo Prælato extra territorium, ſed etiam quando ſolus Prælatos exiſteret extra territorium, commorante ſubdito iotra (ſi quidem actus poteſtatis exercendus ſit ex iis, qui licitè fieri poſſint per literas, aot noncium.) eſt communis DD. apud Couar.*lib.*3.*var.cap.*20.*num.*8. & probatur, tum *ex l.* 2.*ff. de offic. Proconſul. & cap. nouit, de offic.legat.* tum quia, iotiſdictio voluotaria, cum nullam requirat cauſæ cognitiooem, non petat Iudicem pro tribuoali ſedentem, fiatqoe ſine forenſi ſtrepitu, poteſt exerceri in alieno territorio abſqoe eo quod Iudex illios iuſtè conqueri poſſit.

Dixi, *poteſtatem voluntariam, ſeu gratioſam:* de poteſtate enim contentioſa (qoam alij appellant oeceſſariam) aliter dicendum eſt, eam ſcilicet exerceri noo poſſe in alieno territorio: aliàs enim iniuria ſit Iudici illius territorij, & datur cauſa turbationis hoc ipſo quod talis poteſtas exerceri neqoit ſine forenſi ſtrepitu, cognitione caoſæ, ac Iudice pro tribunali ſedente; excipe, oiſi partes conſentiaot, & Prælatus illius loci det facultatem, tunc enim in alieno diſtrictu exercere poteſt etiam poteſtas cootentioſa; cum volenti, & conſentienti

non

non fiat iniuria. ita Portel. *de dub. Regul. v. Prælatus in addit. n.11.* cum Sanch. *lib. 3. de matrim. D. 19. n. 8.* addens Prælatum degentem extra proprium territoriom posse non solùm ferre validam excommunicationem publicandam in proprio districtu contra suum subditum existentem intra territorium ipsiusmet Prælati; sed & iubere, vt in suo territorio exerceatur aliquis actus contentiosus; si quidem per hæc oon fit ioiuria Prælato loci, in quo ille alier existit, nec læditur vllo modo illius tribunal, vt considersnti parebit.

QVÆRES X. An facoltates concessæ Regularibus per Prælatos (v.g. ad dispensandum in petitiooe debiti, ad commutanda vota, &c.) dureot, etiam mortuo concedente, aut amoto ab officio.

13. Resp. durare; vtpote quæ conceduntur auctoritate Papæ, estò immediatè procedant à Prælato regulari; qui proinde oon potest sine iusta causa illas reuocare: aliàs enim faceret grauem iniuriam subditis, vt patet. ita Rodriq. *tom. 1. quæst. 17. art. 11.* addens in hoc casu Superiorem quidem peccare auferendo sine causa facultatem concessam, factum tamen tenere, immò etiam non peccare, si auferat cum iusta causa; si quidem non præsumitur Princeps in concessiooe priuilegiorum, velle alteri inferre præiudicium, aut tollere ius illius (maximè si sit Superior regularis) nisi clarè id exprimat: quod habetur, *in cap. 1. de filijs presbyt. in 6.* & tradit Panorm. *in cap. cum ad hac de cleric. non resid. num. 9.* Dixi, *vt pote quæ conceduntur authoritate Papæ:* gratia enim concessa auctoritate Papæ, sicut durat, mortuo Papa, ita durat mortuo Prælato eam concedente, aut certè amoto ab officio, vt notat Sylu. apud Rodriq. *tom. 1. quæst. 17. art. 11.*

Maius dubium est, vtrum in reuocatione generali omnium licentiarum, quæ interdum solet fieri à Prælatis regularibus, veniant eiusmodi facultates concessæ pro solo foro conscientiæ.

14. Respond. non venire: cum talis reuocatio fiat solùm ad gubernationem externam Religionis, à qua sine dubio abstrahunt supradictæ facultates; adeóque non adest ratio, cur dicantur in illa generali reuocatione compreheodi iuxta reg. *Vbi non militat eadem ratio: nec militat eadem iuris dispositio.*

QVÆRES XI. An potestas quam habent Prælati Regulares in Religiosos sibi subditos exteodatur etiam ad Moniales eiusdem Ordinis.

15. Respond. extendi, si eæ sint exemptæ ab Ordinario, idque authoritate Apostolica; & quidem meritò, ne aliàs careant Superiore: quod tamen eueniret, si exemptæ ab Ordinario non subiacerent potestati Prælatorum sui Ordinis. ita Portel. *supr. v. Prælatus n. 7.* & ante illum Rodriq. *supr. art. 8.* vbi affert varias Extrauagantes Pontificum, per quas Moniales S. Claræ, & Tertiariæ S. Francisci subiectæ sunt Fratribus Minoribus.

QVÆRES XII. An potestas Prælatorum regularium se extendat ad Nouitios eiusdem Ordinis.

16. Respond. se extendere eo modo, quo dicemus *in seqq. sectionibus*, in quarum singulis respectiuè ostendemus an, & quo modo potestas Prælatorum regularium extendatur ad Nouitios.

QVÆRES XIII. An potestas Prælatorum regularium extendatur ad religiosos creatos Episcopos, Apostatas, eiectos, Oblatos, seu Donatos, ac Tertiarios.

17. Respond. extendi eo modo, quo item dicemus *in sect. seqq.* in quarum singulis quæremus an, & quo modo potestas competens Prælatis regularibus exteodatur ad supradictos.

SECTIO II.

De Potestate Directiua Prælatis regularibus competente, quoad Religiosos sibi subditos.

18 *Potestas Directiua competit Prælatis Regularibus.*
19 *Sed non omnibus eodem modo.*
20 *Generalis Societatis Iesu facit Ordinationes perpetuas, etsi reuocabiles à Successore.*
21 *Capitulum generale Regularium facit leges perpetuas.*
22 *Et quidem etiam Sede vacante, ac Generali nondum electo.*
23 *Prouinciales faciunt leges pro sua Prouincia: etsi id non semper expediat.*
24 *Quinque requiruntur ad facienda statuta, ac præcepta.*
25 *Materia illorum esse debet honesta.*
26 *Præceptum non obligat, nisi intimetur.*
27 *Decet Statuta generalia publicari in quolibet Conuentu; etsi id non sit necessarium.*
28 *Prælati supremi subsunt Statutis Capituli generalis, aut Prouincialis respectiuè.*
29 *Regulares peregrini non subsunt legibus alieni territorij.*
30 *Idq; etsi peregrini soleant puniri non seruantes ieiunia & festa locorum, per quæ transeunt.*
31 *Nouitij non subsunt præceptis, ac statutis Ordinis.*
32 *At iis subsunt Oblati, licèt non omnes.*
33 *Non subsunt Religiosi eiecti.*
34 *Subsunt Tertiarij, sed non omnes.*
35 *Subsunt Moniales exemptæ ab Ordinario.*
36 *Hæ parent præceptis Abbatissæ concernentibus domesticam gubernationem.*
37 *Grauitas præcepti, & statuti colligitur ex variis capitibus.*
38 *Res leuis non potest præcipi sub culpa mortali.*
39 *At sub veniali solùm præcipi potest res grauis.*
40 *Prælatus superior impedire potest executionem præcepti facti à Prælato inferiori.*
41 *Regulares ex variis capitibus excusantur à præceptis, & statutis Superiorum.*
42 *Prælatis interdum obligat ad obediendum, etiam cum periculo vitæ.*

QVÆRES I. An, & quomodo Potestas directiua competat Prælatis regularibus in religiosos subditos.

Resp. competere ex duobus titulis, nimirũ ex voto obedientiæ, quæ promittitur à religiosis, & ex titulo iurisdictionis Ecclesiæ ipsis Prælatis communicata, vt constat, tum ex vsu Ecclesiæ, tum ex priuilegiis vniuscuiusq. religionis, ita Suar. *to. 4. de Rel. tr. 8. lib. 2. c. 8. n. 2. & 3.* aliiq. cõmuniter: & quidẽ quod talis potestas competat Prælatis regularibus, obligandi scilicet subditos in conscientia per legem, aut præceptum iustum (in quo diximus supr. consistere potestatem directiuam) putat Suar. esse certum de fide supposito vniuersali consensu Ecclesiæ, vero statu religioso, eiusque institutione, ac approbatione. Quod autem talis potestas oriatur ex duplici illo titulo probatur, quia ex vna parte subditũ obligari ex voto Obedientiæ, quod emittit, & Superiorẽ posse ex illo obligare comparantur sicut actio, & passio, adeóque sicut non potest subiectũ pati, nisi potestas sit in agẽnte, ita nec potest subditus obligari, nisi in Prælato sit potestas ad obligandũ, & consequenter, cum votũ obedientię 18.

obliget in conſcientia, etiam Prælatus poterit obligare in conſcientia; ex alia parte eſt certum de fide iuriſdictionem eccleſiaſticam eſſe ſofficientem ad obligandum in conſcientia; conſtatque ex vſu eccleſiæ, ac indultis religionum huiuſmodi iuriſdictionem cõceſſam fuiſſe Prælatis regularibus, vnde nulla poteſt aſſignari ratio, cur negetur talis poteſtas ſupradictis Prælatis.

QVÆRES II. An hæc poteſtas competat æqualiter Prælatis regularibus ſiue ſuperioribus, ſiue inferioribus.

19. Reſpond. non competere æqualiter, ſed cum proportione propriæ iuriſdictionis, ac proinde (quod ſpectat ad præcepta perſonalia) non poſſe ea imponi à Prælatis localibus niſi religioſis ſui monaſterij, à Prouincialibus non niſi in ſua Prouincia, à Generali in toto ſuo Ordine, & quidem ſolùm in rebus reſpectiuè pertinentibus ad monaſterium, prouinciam, aut Ordinem: limitata enim cauſa non producit niſi limitatũ effectum. Dixi, *quod ſpectat ad præcepta perſonalia*, vt innuerem ad facienda ſtatuta perpetua, quæ habeant vim legis, neque Prælatos inferiores, neque Prouinciales habere poteſtatem: quin etiam nec Generali ſolet concedi tanta poteſtas; cum non ſit ſimpliciter ſupremum tribunal Ordinis, vtpote habens Capitulum generale ſuperius, cui regulariter reſeruatur huiuſmodi poteſtas, niſi fortè aliter ſtatuatur in aliqua religione, vt proinde Suar. *ſup. n. 5.* dicat hac in re ſpectanda eſſe peculiaria inſtituta, ſeu indulta ſingularum religionum vt id obſeruetur, quod in vnaquaque fuerit præſcriptum, & ab Apoſtol. Sede tacitè, aut expreſsè confirmatum.

20. Certè in Societat. Ieſu poſſunt Generales condere ordinationes, quæ non expirant per mortem ipſorum, donec reuocentur, ita declarante 4. Congregat. generali *decr. 19.* ideóque licet, quoad hoc participent de perpetuitate legum, in eo tamen differunt à decretis Congregat. generalium, quod poſterior Generalis poteſt reuocare ordinationes ſui Anteceſſoris, non item canones, aut decreta Congreg. generalium: quippe Congreg eſt Generali ſuperior, quo pacto in bulla Iulij III. dicitur eſſe proprium Congregat. generalis Conſtitutiones condere, vt mutare.

QVÆRES III. An, & quomodo Capitulum generale poſſit condere leges perpetuas.

21. Reſpond. poſſe, non tamen ſine conſenſu Generalis, qui per ſe, aut per alium ſit præſens, & præſideat ipſi Capitulo: quamuis aliàs non pendeat ex conſenſu, vel ſuffragio (vt ita dicam) affirmatiuo ipſius Generalis; vnde fit, vt, ſi Capitulum generale concordet in ferenda lege, quantumuis Generalis ſit alterius opinionis, ſententia Capituli præualeat, & lex conſtituatur, dummodò pars Capituli ita excedat, vt ſuperet qualitatem, aut prærogatiuam Generalis, ſi quam habet in ſuffragando iuxta Religionis ordinationes (cum è contra Generalis Ordinis ad faciendum ſtatutum perpetuum ita indigeat conſenſu Capituli generalis, vt, niſi maior pars illius concurrat, lex condi non poſſit.) Ita Suarez *ſup. num. 8.* & probatur ex eo, quod poteſtas in Capitulo generali eſt adæquata, & ibi Generalis interuenit ſolùm vt vnus ex ferentibus ſuffragia, ſolétque ad ſummum eius ſuffragium æquiualere duobus, aut habere qualitatem vincendi, ſi adſit in numero æqualitas.

Vtrum verò Capitulum generale Ordinis, Sede vacante, ante electionem Generalis poſſit ferre leges perpetuas.

22. Reſpond. de iure communi poſſe, niſi obſtent eiuſdem Religionis iura aut pontificia indulta. Ratio eſt, quia Capitulum in tali caſu habet ſupremam iuriſdictionem in talem Religionem immediatè à Papa: & quamuis Religio pro tunc non habeat Generalem, non poteſt tamen carere aliquo Vicario, ſeu Præſidente, qui pro tunc ſimul cum toto Capitulo eamdem habeat poteſtatem ad præcipiendum, aut ſtatuendum, quam Capitulum habere poteſt cum Generali iam electo. Dixi, *Niſi obſtent eiuſdem Religionis iura*, &c. quia poſſet generali Capitulo committi iuriſdictio ſolùm ad eligendum Generalem, & ad præcipiendum, ac ordinandum ea ſolùm quæ ad hunc finem eſſent neceſſaria, vel ad actualem conſeruationem, & gubernationem totius Ordinis pro eo tempore; & tunc non poſſet Capitulum generale ferre leges perpetuas modo ſupradicto, cum ſic non habeat iuriſdictionem ordinariam, & abſolutam, ſed ſolùm commiſſam ad talem finem. Ita Suar. *ſup. n. 9. & 10.* addens ſtatutum factum à Capitulo generali, vacante Generalatu, non poſſe reuocari à Generali poſteà electo ſine conſenſu eiuſdem, aut ſimilis Capituli: non enim Generalis habet æqualem poteſtatem cum Capitulo, vt iam dictum eſt: ſed de hoc iterum *cap. 8. n. 69.*

QVÆRES IV. An Prouinciales Religionum poſſint facere ſtatuta perpetua, quoad prouincias, aut nationes ipſis commiſſas.

23. Reſpond. quamuis in rigore (ſecluſis peculiaribus inſtitutis, aut indultis ſingulorum Ordinum) talis poteſtas non improbabiliter videatur poſſe concedi Prouincialibus, vt innuit Suar. *ſup. n. 5.* cum non adſit ratio, aut ius commune vrgens in contrarium; non videri tamen expediens, quod talis poteſtas ipſis concedatur, cum potius debeat concedi Capitulo prouinciali (ſeruata proportione ad id, quod diximus de Capitulo Generali reſpectu legum generalium) & quidem dependenter à Prælato, aut Capitulo generalibus: cum huiuſmodi ſtatuta reſpectu talis prouinciæ ſit res grauiſſima, adeóque non debeat fieri abſque influxu ſupremi capitis, ſeu tribunalis ea ſaltem confirmantis, aut approbantis; præterquam quod cum Generalis debeat habere notitiam, & curam prouinciarum omnium etiam, quoad proprias ipſarum obſeruantias, valde æquum eſt, vt ſine eo perpetua ſtatuta non inducantur.

QVÆRES V. Quæ requirantur ad hoc vt Prælati Regulares licitè, & validè ferre poſſint præcepta, ac ſtatuta, quoad Religioſos ſibi ſubditos.

24. Reſpond. requiri quinque, nimirum poteſtatem in Prælato præcipiente (de qua *ſup. q. 1.*) honeſtatem materiæ, circa quam verſetur præceptum, aptitudinem eiuſdem materiæ ad obedientiam religioſam (quæ aptitudo in eo conſiſtit, vt materia præcepti ſit conſentanea Regulæ, quam profitetur ſubditus, cui ſit præceptum) ſufficientem propoſitionem præcepti: debitam denique ſubiectionem illius, ad quem ordinatur præceptum, ſeu ſtatutum: eſt communis DD. in materia de legibus.

QVÆRES VI. Qualis debeat eſſe materia præcepti, ſeu ſtatuti, quod facit Prælatus.

25. Reſpond. debere eſſe & honeſtam, & conſentaneam Regulæ (vti diximus *q. præc.*) honeſtam quidem honeſtate, ſiue intrinſeca ipſimet materiæ, ſiue ex fine extrinſeco: ita vt materia præcepti nec ſit intrinſecè mala, nec à Prælato ſuperiore prohibita (nemo quippe poteſt obligari ad malum, neque inferior poteſt auferre legem Superioris;) conſentaneam verò Regulæ, eò quod, licèt præceptum, vt maneat ex poteſtate iuriſdictionis, directè, & immediatè non fundetur in voto Obedientiæ, quia tamen illa

illa iurisdictio datur accommodatè ad statum religiosum; rescipit eamdem materiam, & vltra eam non extenditur: maximè cum amplior iurisdictio non sit data ex intentione Papæ, vt tam ex iure communi, quam ex indultis Religiosorum peculiaribus apertissimè constare potest. ita Suar. *sup. cap.* 8. *num.* 11. & 12. addens in dubio, num lex sit iusta, teneri subditum eam seruare, quamdiu non constat esse iniustam: cum in dubio ius Superioris præferatur, ac pro eo præsumatur, sicque non obstante illo dubio, quod tunc est speculatiuum, adsit certitudo practica honestum esse tunc obedire legi.

QVÆRAS VII. Quo modo debeat præceptum Prælati regularis proponi subditis, ad hoc vt ipsi teneantur illud seruare.

5. Respond. debere proponi propositione accommodata præcepto ideóque si sit præceptum priuatum, intimandum esse particulari personæ, cui imponitur, siue Superior id faciat per se, siue per internuncium fidelem, siue per literas (intellige, nisi Religio speciali iure petat aliquam ceremoniam in intimando præcepto, tunc enim modus præscriptus seruari debet, si sit de valore, ac substantia præcepti, quod tamen minus frequenter videtur euenire;) si autem præceptum sit per modum statuti, tunc debet solemniter promulgari, cum sic sit vera lex, de cuius ratione est, vt solemniter promulgetur: debet, inquam promulgari, vel eo modo, quo præscribitur in propriis Constitutionibus Ordinis; vel certè, si nullum ius priuatum de hoc caret, eo modo, qui inductus est per Consuetudinem: ius si quidem commune, quoad hoc nihil peculiare disponit de legibus Religionum, & in ipsis legibus ciuilibus, aut Ecclesiasticis non est idem modus promulgationis, difficileque applicatur ad mores Religiosorum, vt constabit ex modo dicendis. Ita Suar. *sup. n.* 14. vbi rectè advertit quæ diximus de præcepto facto particulari personæ, eum proportione eadē dicenda esse de præceptis, quæ fortè à Prælatis ferantur pro tota Communitate non sub ratione statuti, sed præcepti tantum.

Vtrum verò ex natura rei requiratur, vt Constitutiones editæ à Prælatis Regularibus, promulgentur in singulis monasteriis Religionis.

27. Respond. absolutè loquendo non requiri, quamuis alias talis modus promulgationis sit valdè accommodatus; vt vel inde colligitur, quod, cum Prælati Regulares non habeant quasi proprias sedes, aut curias, in quibus talem faciant promulgationem (quo modo lex pontificia sufficienter promulgatur Romæ, Episcopalis in Ecclesia Cathedrali, & regia in Curia Regis) necesse est, vt eam faciant per totam Religionem, & consequenter per singula Monasteria illius; cum non sit maior ratio de vno, quam de alio, & alioqui non verificetur promulgationem factam fuisse per totam Religionem. quod autem absolutè non requiratur talis modus promulgationis, probatur ex eo, quod, si statutum fiat in Capitulo generali, sicut in eo adest tota Religio ad condendam legem; ita, si ibi promulgetur, tota item Religio ibi adest ad audiendum, adeoque talis promulgatio ex natura rei videri potest sufficiens in suo ordine: vel certè iuxta iura canonica illa solemnis editio habet vim promulgationis. Dico, *in suo ordine,* quia præfata promulgatio non sufficit, vt statim obliget omnes Religiosos vbique existētes, sed opus est, vt prætereat tempus necessarium ad hoc vt notitia legis ad alia loca diffundatur; quin etiam tenentur Prælati curare, vt talis notitia diuulgetur, siue per literas missiuas, siue voces, eam proponendo locis, ac personis, pro vt petierit materia legis; si enim legis actus pertineat ad solos Prælatos, aut alios Officiales, sufficit eam promulgari iis, aliisque grauioribus personis talia munera proximè obituris; si verò spectet ad omnes, maior quidem requiritur publicatio, fiet tamen facilè per publicam notitiam, & traditionem, etiamsi specialiter in singulis monasteriis publica auctoritate non proponatur.

QVÆRAS VIII. An Prælati Regulares, etiam supremi obligentur præceptis, aut statutis ab ipsismet latis.

Respond. distinguendo: vel enim loquimur de statutis latis in Capitulo generali iuxta dicta *quæst.* 3. & sic certum est Prælatos Regulares, etiam supremos iis obligari, non solùm, quoad vim directiuam, sed etiam quoad coactiuam; adeoque in eis non habet locum, quod Princeps obligetur sua lege quoad vim directiuam, & non quoad coactiuam; vnde fit, vt in Religionibus Generales tēporales, absoluto Generalatu, puniantur, si Constitutiones Ordinis tempore generalatus violarunt: vel loquimur de statutis latis ab ipsomet Generali habente potestatem ferendi leges perpetuas independenter à Capitulo generali, & sic Prælati obligantur suis legibus non solùm, quoad vim directiuam (cum potestas ferendi leges ipsis competat in ædificationem, non in destructionem, & magna sit dissipatio disciplinæ religiosæ, si Prælati non seruent Constitutiones generaliter ad omnes pertinentes) sed etiam, quoad vim coactiuam, & consequenter si eas transgrediuntur, fiunt Reipœnæ; non quidem quod eam in se ipsos exequi cogantur, aut eam ipso facto incurrāt; etiamsi ipso iure sit imposita (nisi fortè sit aliqua pœnitentia religiosa occulta, ad quam possint Religiosi obligari in conscientia) sed quod possint puniri saltem à Papa ob huiusmodi trāsgressiones, quę doctrina proportionaliter habet locum in Capitulo generali, si delinquant contra obseruantiam regularem, vt est quædam Vniuersitas; quippe quod verè delinquit, etiam in foro humano; esto ea defectu Superioris puniri nequeat, nisi à Papa. ita Suar. *supr. num.* 18. Mirand. *tom.* 2. *quæst.* 29. *art.* 4. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 56. *a.* 3. 28.

QVÆRAS IX. An Regulares hospites, seu peregrini obligentur legibus, seu præceptis illius prouinciæ, aut domus, in qua degunt ad tempus.

Respond. non teneri; siue leges illæ sint per modum præcepti puri generalis, siue per modum statuti: nisi fortè ferant Constitutiones alicuius Ordinis, quæ sine dubio possunt extendere, aut limitare talia Præcepta, vt obligent, vel non obligent tales personas, ita Laym. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 11. cum Palud. Antonin. Syluest. Rosel. Medina, Angl. Sanch. Axor. Coninchu, Sayr. & Auil. contra Nau. Couar. Abbat. Lessius, Sà, Salas, Suarez, & alias docentes peregrinos breui in aliquo loco commoraturos teneri legibus propriis loci illius: patetque tum quia, ad obligandum aliquem legibus requiritur iurisdictio; peregrini autem ob breuem hospitij moram non subiiciuntur iurisdictioni, seu non acquirunt forum, *l. hæres absens* 16. §. *proinde, ff. de iudiciis*; tum quia, qui transit, aut breui tempore diuertit ad locum, non dicitur moraliter in eo esse, *l. quæsitum* 76. §. *fin. de legat.* 3. non est autem æquum, vt quis adstringatur legibus loci, in quo non dicitur moraliter esse; cum leges non obligent, nisi existentes in loco. Quod tamen non facit, quin peregrini teneantur legibus contractuum, aliisque similibus specialiter latis ob bonum loci, in quo breui commoraturi sunt, aut etiam ad pacificam communicationem cum incolis: 29.

idque ex iure gentium, Christiani populi, maximè Prælatorum consensu, vsuque inducto ad pacem cuiusque territorij conseruandam, vt videtur innuere Laym. *supr. num.* 4.

30. Nec obstat, quod Prælati soleant punire peregrinos non seruantes ieiunia, & festa propria suæ diœcesis; si quidem, vel id faciunt, quia sequuntur oppositam opinionem, quæ est probabilis, immò & certa secundum plures DD. vel quia peregrini ibi verè delinquunt ratione scandali, ideóque sortiuntur forum delicti, & iis subiiciuntur ratione delicti ibi commissi iuxta *cap.* 1. *de Raptor*, quamquàm (quod spectat ad forum conscientiæ) facilè in proposito casu auferri possit scandalum, patefaciendo se esse peregrinos, & docendo se, vt tales, non adstringi legibus loci, in quo breui sunt commoraturi.

QVÆRES X. An Regulares Nouitij in conscientia obligentur ordinariis præceptis, aut legibus proprij Ordinis.

31. Respond. non obligari; cum Prælati regulares in eos non habeant, neque potestatem dominatiuam, neque potestatem iurisdictionis; vt pote qui nec votum obedientiæ emiserunt, nec se illis propriè subiecerunt vt Religiosi; quamuis aliàs, cùm ij sint sub cura pastorali supradictorum Prælatorum, pro eo tempore, possint ab illis obligari in his, quæ per se cadunt sub episcopali iurisdictione secluso speciali respectu ad religiosam professionem (v. g. ad dicendam veritatem in casu occurrenti, in quo legitimè interrogantur, ad cauendam talem occasionem peccati, ad restituendum ablatum, & similia pertinentia ad iurisdictionem ordinariam Episcoporum, quæ aliunde ab his exerceri non possunt circa Nouitios Religionum exemptarum (& quidem etiam eos ad prædicta compellendo per censuras) aliàs Nouitij non haberent Superiorem; quod est contra omnem æquitatem.

QVÆRES IX. An Tertiarij, Donati, & Oblati subsint in conscientia præceptis, seu statutis Prælatorum Regularium.

32. Respond. subesse, si sint ex iis, qui emittunt 3. vota substantialia Religionis; secùs, si prædicta vota non emittant. patet ex dictis *cap.* 6. *sect.* 3. *q* 4. *& hac sect. quæst.* 1. si enim emittant 3. vota Religionis, sunt verè Religiosi, adeóque subsunt potestati dominatiuæ, ac iurisdictioni suorum Prælatorum; non item, si non emittunt præfata vota, cum sic maneant sui iuris.

QVÆRES XII. An Regulares eiecti obligentur in conscientia legibus sui Ordinis.

33. Respond. non obligari; cum ex decreto S. Congregat. iussu Vrb. VIII. die 21. Septemb. 1624 edito ij, quamdiu non redierint ad Religionem in habitu Clericali incedere debeant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint; quod est signum eos eximi ab obedientia suorum Superiorum Regularium. aliàs enim subiacerent duobus Superioribus, nempe Ordinario loci, & Prælato Regulari Ordinis, quod non videtur conforme benignitati Ecclesiæ, cuius iugum suaue est, & onus leue; maximè cum Lezana *tom.* 1. *cap.* 23. *num.* 17. ex Soto, & Nauarr. putet esse probabile Religiosos eiectos eximi etiam à votis specialibus, quæ fortè emiserunt supra 3. vota substantialia Religionis (quale, v. g. est votum vitæ quadragesimalis, quod faciunt Minimi:) idque ob notabilem rerum mutationem, vt infra videbimus. In ea certè præfati Regulares eiecti subsunt suis Prælatis Regularibus, vt ab his cogi possint redire ad Religionem, & quidem etiam per censuras iuxta *cap. fin. de Regular.* vnde fit, vt quando ij iudicauerint illos posse iterum admitti ad Religionem salua Ordinis disciplina, omnino teneantur redire. ita Sanch. *lib.* 6. *in decal. cap.* 9. *num.* 24. & alij plures apud ipsum; quorum aliqui absolutè dicunt Religiosos eiectos eximi ab obedientiæ voto.

QVÆRES XIII. An, & quo modo Tertiarij obligentur in conscientia præceptis, seu statutis sui Ordinis.

Respond. videri obligari: viros quidem, si collegialiter viuant, aut habitent cum claustralibus; mulieres verò, si ex voto vitam cœlibem, virginalem, & castam degant: secus, si viri non viuant collegialiter, & mulieres modo dicto non ducant cœlibem vitam. ita Mirand. *tom.* 1. *q.* 36. *art.* 6. Casarub. *in Comp. v. Tertiarij, num.* 24. §. *quoad* 1. *gradum.* Portel. *de dub. Regul. v. Tertiarij, n.* 6. aliique & quoad 1. partem probatur, quia Tertiarij in priori casu iuxta supradicta sunt exempti à iurisdictione Ordinarij, ac Iudicis sæcularis, adeóque ne dicantur esse sub nullius iurisdictione, concedendum est, eos subiici iurisdictioni Prælatorum Regularium, posseque ab iis puniri, corrigi, &c. æquè ac alios Religiosos subditos; quoad 2. verò partem probatur, quia Tertiarij in posteriori casu sunt simpliciter personæ sæculares, nec se subiecerunt potestati Prælatorum, nisi quoad quamdam directionem, & gubernationem, quæ ipsos decet, quatenus sunt aliquo modo membra illius Ordinis, cuius sunt Tertiarij: cum quo tamen stat, vt nihilominus sint simpliciter exempti ab eorum obedientia, & consequenter ab eorum præceptis. 34.

QVÆRES XIV. An Moniales in conscientia obligentur legibus, ac præceptis sui Ordinis.

Respond. obligari, si sint subditæ Prælato regulari, (exceptis tamen iis, quæ non sunt accommodata ipsarum sexui, ac fragilitati,) & probatur, quia illæ reuera sunt personæ religiosæ, votumque obedientiæ emittunt suis Prælatis Regularibus; ac proinde tenentur ad ea, ad quæ obligantur alij Religiosi eiusdem Ordinis. Dixi, *si sint subditæ Prælato regulari*; si enim sint subditæ Ordinario, tunc tenentur quidem seruare regulas, ac Constitutiones sui Ordinis; non tamen obligantur præceptis, seu statutis, quæ de nouo fiunt in Ordine, postquam illæ subiectæ sunt Ordinario; cum non sit æquum, vt eæ subsint duobus Superioribus, sicque adstringantur oneribus imponendis tum ab Ordinario loci, tum à Prælato proprij Ordinis. ita Lezana *tom.* 1. *c.* 15. *n.* 1. cum Suar. *tom.* 4. *de Rel. tract.* 9. *lib.* 1. *c.* 12. *n.* 6. 35.

Quod si obiter quæras, an Moniales teneantur in conscientia obedire præceptis propriæ Abbatissæ, aut Priorissæ.

Respond. teneri in iis, quæ pertinent ad gubernationem domesticam, ac ciuilem: & probatur, tum quia hæc obligatio necessaria est ad bonum regimen, ac Ordinem monasterij; tum quia quamuis Abbatissa non habeat, nec possit habere iurisdictionem spiritualem super Moniales iuxta alibi dicenda, habet tamen supra illas potestatem dominatiuam, domesticam, & ciuilem (qualem habet pater in filios, & mater familias in domesticos,) & ita potest præcipere Monialibus; eæque in conscientia tenentur obedire ex vi voti obedientiæ: quod cum ex promittant Abbatissæ (vt constat ex formulis profitendi) eas obligabit, quotiescumque Abbatissa ita præcipiet, vt fidem datam exigat; quod est quasi applicare materiam voto obedientiæ; vt aduertit Suar. *supr. num.* 9. nobiscum sentiens ex communi 36.

Theo

Theologorum, Summistarum, & Canonistarum; qui Suarez benè monet magis propriè cum locuturum, qui dicet Moniales in conscientia teneri obedire Abbatissæ, non tam, quod ea præcipiendo obliget illas, quàm quod, posita illius iussione, eæ obligantur voto obedientiæ: quod est valdè notandum.

QVÆRES XV. Vnde colligi possit, ac debeat, quod præcepta, seu statuta Prælatorum Regularium obligent sub mortali.

37. Respond. posse, & debere colligi, tum ex qualitate materiæ, quæ præcipitur, tum ex ipsa voluntate Prælati præcipientis sufficienter expressa: ex qualitate quidem materiæ, si ea sit grauis in se, aut certè ratione finis, & aliarum circumstantiarum hic, & nunc occurrentium, quo modo aliqua actio secundum se spectata est leuis, & tamen in statu tali ratione finis, & aliarum circumstantiarum fit grauis; ex voluntate verò Prælati præcipientis, &c. si vtatur verbis indicantibus voluntatem obligandi, siue in actu signato (v.g. *mando, præcipio*) siue in actu exercito (v. g. *fac, recita*,) item si addat verba satis indicantia voluntatem obligandi in conscientia iuxta capacitatem materiæ (v. g. *in virtute obedientiæ, in virtute S. Obedientiæ; In nomine D. nostri Iesu Christi*, &c. sic enim supposita grauitate materiæ, adest obligatio sub mortali; item si præcepto addatur excommunicatio maior latæ sententiæ, immò & secundum multos DD. etiam solùm ferenda (quod tamen alij non improbabiliter negant cum Caietan. *in sum. v. Clericorum peccata* Valer. Soto, Dried. & Castro Palao penes Dianam *part. 3. tract. 6. res. 76.* à quibus non omninò recedit Suar. *sup. tract. 8. lib. 1. cap. 9. num. 26.* vocans oppositam opinionem solùm probabiliorem:) Ita Suar. *loco citat. num. 25. & 26.* aliique apud ipsum; qui benè aduertit præfato *num. 25.* communem morem Religionum esse, vt ordinaria præcepta Prælatorum, quæ oretenus fiunt, non censeantur obligare sub mortali, quantumuis materia sit grauis, & verba sint modo supradicto præceptiua, nisi fortè in eorum transgressione interueniat contemptus; cuius ratio non est, nisi quia ex vsu illa verba non satis ostendunt in Prælato præcipiente voluntatem obligandi sub mortali; vt colligitur ex S. Thom. 2. 2. *quæst. 186. art. 9. &* Caietan. *ibi.*

Maius dubium est, an potestas directiua Prælati Regularis extendatur ad hoc; vt possit sub mortali obligare ad rem leuem.

8. Respond. non posse, quantumuis id velit, ac intendat. Ratio est, quia, cum materia præcepti sit leuis, non est capax obligationis grauis: & hoc etiamsi præcipiatur in virtute S. Obedientiæ (vt notauit Sanch. *lib. 1. in decal. cap. 4. num. 4.* ex Castro; quamuis cum hoc stet, vt Superiores Regulares præcipere possit leuia etiam sub mortali (v.g. ne subditi ingrediantur cubiculum alterius sine licentia, &c. siquidem res de se leues euadunt graues ob circumstantias ipsis aduenientes; quod minùs attendisse videntur aliqui Doctores, qui docent absolutè penes Prælatos Regulares extare potestatem præcipiendi leuia sub mortali; idque constare ex vsu Religionum, &c. vt videre est penes Suar. *lib. 3. de leg. cap. 25. num. 3.*

39. Addunt Less. *l. 2. cap. 41. num. 74.* Sanch. *l. 6. in decal. cap. 4 num. 15.* Suar. Val. Salas, & alij apud Dian. *sup. resol. 91.* contra Vasq. Becan. Aragon. Mexiam Salon Ochagau. & alios penes eumdem Dian. esse Prælatum Regularem obligare suos subditos circa materiam grauem etiam solùm sub veniali; siquidem obligatio legis pendet ex voluntate Legislatoris, idèoque si is nolit eam obligare sub mortali, eam non obligabit sub mortali, vtpote quæ non potest obligare vltra mentem Legislatoris, *l. si quis nec causam, ff. si certum petatur.*

Quærunt hîc etiam aliqui, an Prælatus regularis inferior possit impedire executionem præcepti impositi à Prælato Superiore.

Respond. Portel *sup. v. Lex, n. 5.* posse; siue occurrat causa, quæ aderat etiam quo tempore factum est præceptum, sed non fuit præuisa à præcipiente, siue de nouo contingat; & hoc ex epiicheia (maximè in posteriori casu,) quæ tunc valet, quando vrget necessitas facti præsentis, & adest Prælatus, cuius interest dispensare, nec sine graui periculo possit vlterius differri; vnde infert Rodriq. *to. 1. q. 69. a. 4.* quod si Generalis committat Religioso particulari aliquod negotium peragendum in aliqua Prouincia, potest Commissarius generalis ex noua causa ignoto Generali impedire, ne fiat tale negotium; quod item concedit Portel. *sup.* & quidem etiam Prouinciali in propria prouincia. 40.

QVÆRES XVI. Quibus ex causis excusari possint Regulares ab implendis præceptis, seu statutis suorum Prælatorum.

Respond. posse excusari ex iis capitibus, ex quibus excusantur alij subditi à legibus proprij Superioris: nimirum ratione ignorantiæ, siue iuris, siue facti, si ea sit inuincibilis, (quæ tamen non videtur facilè admittenda in Religiosis, præsertim quoad leges obligantes sub culpa;) & ratione necessitatis, seu coactionis, cum præcepta Prælatorum, vt humana non obligent tanto cum rigore. ita Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. num. 17.* aliique communiter ex *tract. de legibus.* 41.

Difficultas grauior est, an Prælatus Regularis possit, non obstante supradicta coactione, mortis periculo, aut alia simuli necessitate obligare subditum Religiosum suis præceptis.

Respond. posse; & patet ex eo, quod Prælatus Religionis verè est Superior habens potestatem ad ea omnia, quæ possunt esse necessaria ad bonam gubernationem inter homines: est autem sæpè necessarius hic modus obligandi; vt si Religiosus morbo contagioso ægrotet, eique debeat deputari, qui ei inseruiat. ita communiter Theologi in 1. 2. *quæst. 96. art. 4.* contra Tabien. *v. Episc. §. 5. &* Armil. *v. obedientia, num. 5.* sed de hoc alibi fusius. 42.

SECTIO III.

De Potestate Coërcitiua, quam habent Prælati Regulares in Religiosos sibi subditos.

43 *Potestas Coërcitiua competit Prælatis Regularibus; sicque hi possunt punire Religiosum hospitem contra regulam Ordinis delinquentem.*
44 *Potestas coërcitiua est duplex.*
45 *Sicut est duplex & coërcitio.*
46 *Potestati coërcitiuæ subsunt Tertiarij, & Oblati modo supra explicato.*
47 *Subsunt Moniales exemptæ ab Ordinario.*
47 *Subsunt Nouitij, si velint perseuerare.*
49 *Et tenentur in conscientia subire pœnas à Prælato inflictas, sicut alibi dictum est.*
50 *Ex tenore concessionis colligenda amplitudo Potestatis Prælatorum Regularium.*
51 *Hi excommunicant Religiosos subditos.*

52 *Et quidem etiam ſine ſcriptura.*
53 *At excommunicationem modo non reſeruant (quod alÿ negant.)*
54 *Suſpendunt Religioſos ſubditos.*
55 *Non tamen ſuſpendunt proprium Capitulum.*
56 *Interdicunt ſubditos, ſed non Interdicto generali.*
57 *Imo & Interdicto generali, ſi ſint Generales, aut Prouinciales, & delinquat aliquis Conuentus.*
58 *Irregularitates nouas non inducunt.*
59 *Inhabilitant ad prælaturas; officia, gradus, &c. imo & debent inhabilitare, ſi inhabilitatio iure communi imponatur omnibus Eccleſiaſticis facientibus certum delictum.*
60 *Priuant ſepultura Eccleſiaſtica.*
61 *Priuant Communione Euchariſtica: & tunc ſuſpendi poteſt præceptum Communionis paſchalis.*
62 *Suſpendunt ab audiendis confeſſionibus.*
63 *Amouent Prælatos à prælatura regulari.*
64 *Amouent Prælatos.*
65 *Ferunt Prælati Regulares Cenſuras etiam extra ſuum territorium.*
66 *Quod tamen Epiſcopi facere nequeunt, quoad proprios ſubditos.*
67 *Inquirunt peccata, etiam occulta Religioſi ſubditi.*
68 *Procedunt contra ſubditum delinquentem extra ipſorum territorium: bannitus iuxta aliquos poteſt occidi extra territorium bannientis.*
69 *Prælatus ſuperior impedire nequit, ne inferior procedat contra ſuum ſubditum delinquentem.*
70 *Prælati Regulares capiunt ſuos ſubditos ab alio Iudice indebitè detentos.*
71 *Illos includunt carceribus.*
72 *Etſi incluſus poſſit fugere ad euitandum graue ſupplicium.*
73 *Quod non procedit, ſi carcer perpetuus eſſet pœna non excedens delictum commiſſum.*
74 *Nouitij damnari poſſunt carceri perpetuo, ſi velint perſeuerare.*
75 *Prælati Religioſos ſubditos proceſſant.*
76 *Illos poſſunt torquere, ac verberare, etiam per alium, etiam laicum, ſi neceſſitas petat: Magiſtri Societatis Ieſu ſic per laicum verberant ſuos Diſcipulos ſcholarum inferiorum.*
77 *Eos damnant ad publicam flagellationem, ac mutilationem.*
78 *Nec obſtat* cap. Vniuerſitatis, de ſent. excommun. *verberatus in monaſterio etiam per alium non eſt infamis.*
79 *Damnant ſubditos ad triremes.*
80 *Eos relegant in exilium (ſicut & eos poſſunt relegare Superiores eorum non regulares.)*
81 *Et tunc Epiſcopus procurat executionem ſententiæ.*
82 *Reuocant ſubditos relegatos.*
83 *Non poſſunt damnare ſubditum, ut fame pereat; etſi aliqui diſſentiant ex doctrina* Suarij.
83 *Priuant ſubditum peculio ei conceſſo.*
84 *Eiiciunt illum ab Ordine; habitu item religioſo illum priuant ad tempus.*
85 *Transferunt illum à Statu Clericali ad laicalem.*
86 *Damnant ipſum ad mortem; quo modo Iudex Eccleſiaſticus damnare poteſt ſuum ſubditum.*
88 *At illum non tradunt brachio ſeculari propria auctoritate, nec poſſunt degradare, ſi ſit non ſolum profeſſus, ſed etiam Clericus ordinatus.*
89 *Prælati Regulares, ſi inferiores ſint, non remittunt pœnam lege communi taxatam: imò nec Prælatus ſuperior poteſt ſemper auferre pœnam impoſitam a Prælato ordinario, eo inuito*
90 *Religioſus punitus à Prælato inferiore non puniendus iterum a Prælato ſuperiori.*
91 *Inter Regulares non præſcribitur contra delicta.*
92 *Item non præſcribitur contra executionem ſententiæ.*
93 *Illis item non ſemper conceditur appellatio.*

QVÆRES I. An, & quo modo poteſtas coërcitiua competat Prælatis regularibus, quoad Religioſos ſubditos.

Reſpond. Competere; idque conſtare tum ex vſu 43.
omnium Religionum; tum ex eo quod poteſtas directiua abſque coërcitiua eſſet infirma, ac ferè inutilis: cum ſine timore, ac punitione (ad quam ordinatur poteſtas coërcitiua) non poſſit communitas humana contineri in officio, quantumuis bona videatur in hac vita mortali; corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & caro concupiſcens aduerſus ſpiritum ſæpè vincit, adeòque ſepties in die cadit iuſtus.

Vnum hîc obiter moneo Religioſum hoſpitem puniri poſſe à Prælato monaſterij, per quod tranſit, ſi delinquat contra propriam Regulam: ſic enim fit ſubditus ratione delicti: quod non eueniret, ſi delinqueret contra ſtatutum peculiare monaſterij, in quo breuî commoraturus eſt; tunc enim cum non teneatur ad tale ſtatutum, per eius violationem non poteſt fieri ſubditus; cum hæc ſupponat in violante obligationem illud ſeruandi; vt apparet,

QVÆRES II. Quotuplex, & qualis ſit poteſtas coërcitiua Prælatorum regularium.

Reſpond. eſſe duplicem; vnam videlicet, quæ 44.
oritur ex vi ſtatus, ſeu profeſſionis regularis, ac ex voto obedientiæ, ſolumque extenditur ad coërcendum modo paterno, ac iuxta limites Regulæ (vtpotè, quæ non procedit ex iuriſdictione, ſed ex poteſtate dominatiua, qualem habet etiam pater in filios vnde fit, vt Prælatus regularis vi illius præcisè non poſſit imponere ſubdito pœnam grauem corporalem, aut ſpiritualem, ſed ſolùm adhibere illam correctionem, quæ intra latitudinem domeſticæ prouidentiæ haberi poteſt; idque iudicio viri prudentis attento vſu, & communi more hominum:) & aliam, quæ Prælatis regularibus competit ratione iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & importat perfectam poteſtatem coërcitiuam Epiſcopalem; vt conſtat ex vſu, ac priuilegiis omnium Religionum exemptarum, per quæ talis iuriſdictio transfertur in ipſam Religionem, eiuſque Prælatos, quæ proinde priuilegia conſulenda ſunt, habita ratione conſuetudinis, quæ habet vim dandi iuriſdictionem, *cap. duo ſimul de offic. iud. ordin.* & magna ex parte illam induxit in Religiones, aut certè auxit, vt benè notauit Nauarr. *com. 2. de regul. num. 63.*

Addo coërcitionem, quam reſpicit poteſtas iuriſ- 45.
dictionis, eſſe duplicem: vnam ſpiritualem, quæ fit maximè per cenſuras, irregularitates, aut inhabilitates ad quæcumque ſpiritualia iura, bona miniſteria, & alia omnia, quæ ad hæc reuocari poſſunt; & alteram corporalem, ſub qua comprehenditur quæcumque corporis caſtigatio, vel afflictio, aut etiam publica reprehenſio, infamatio, incarceratio, ac deputatio ad quodcumque vile, vel laborioſum opus, ſeu miniſterium, ſicut & quælibet alia pœna temporalis, quæ fieri ſolet in bonis externis fortunæ; & poteſt habere locum etiam in Religioſis, quatenus priuari poſſunt vſo aliquarum rerum aliàs ipſis licito, imò & iuxta regulam debito.

QVÆRES III. An omnes Regulares ſubiaceant poteſtati coërcitiuæ Prælatorum regularium, etiam Tertiarij, etiam Oblati, ſeu Donati.

Reſpond. ſubiacere eo tamen modo, quo *ſect. præced.* diximus præfatos ſubiacere poteſtati directiuæ

eorumdem Prælatorum ; ſiquidem ex iſta ſubiectione benè colligitur etiam coërcitiua.

Qværes IV. An Moniales ſubiiciantur poteſtati coërcitiuæ Prælatorum regularium ſui Ordinis.

47. Reſpond. ſubiici eo item modo quo *ſect. præced. quæſt.* 14. docuimus illas ſobiici poteſtati directiuæ Prælatorum ſui Ordinis : eſt enim par ratio quoad vtramque poteſtatem , ſicque militat eadem iuris diſpoſitio.

Qværes V. An , & quo modo Nouitij ſubdantur poteſtati coërcitiuæ Prælatorum regularium.

48. Reſpond. diſtinguendo ; vel Nouitij volunt perſeuerare in Religione ; & ſic ſubduntur poteſtati coërcetiuæ Prælati regularis , poſſuntque ab eo puniri ; ſiue delinquant cuntra regulam , ac ſtatuta Ordinis ; ſiue committant alia delicta , etiam pœna capitali digna (vt bomicidium) vel volunt recedere à Religione ; & ſic non ſubduntur poteſtati coërcitiuæ Prælati regularis , ſed iudicis ſæcularis , ſi eligant egredi è Religione, & aliàs non ſint Clerici. Ratio autem reſponſionis eſt , quod in priori caſu Nouitius , eſtù non ſit perfectè, & omninò Religioſus , eſt tamen intra Religionem tanquam eius pars, quamuis imperfecta ; ſicque gaudet priuilegio fori , & quamdiu manet in religione , eſt exemptus ab Ordinarij iuriſdictione ; in poſteriori verò caſu Nouitius , cum iam ſupponatur egreſſus è Religione , eſt verè , ac propriè ſæcularis , ideòque non apparet , qualiter debeat ſubiici Prælato regulari; cum data hypoteſi ſubdatur poteſtati ſæculari , per quam proinde puniri debet , ne aliàs delicta maneant impunita. ita Sanch. *l.6. mor. cap.* 10. *num.* 10. & 14. ex Molina , Azorio , Nauarr. Titaq. & aliis innumeris addens *n.* 12. Nouitium volentem manere in Religione. ſi accuſetur de aliquo delicto, ad cuius comprobationem neceſſaria ſit tortura , poſſe à Prælato regulari torqueri inſtar Religioſorum profeſſorum , necnon coram eo debere conueniri, ſi fortè ab iis debitum ciuile exigatur , vtpote qui ſubeſt ſolis Prælatis regularibus.

Quod ſi quæras an Nouitij teneantur in conſcientia ſubire pœnas à Prælato regulari legitimè inflictas.

49. Reſpond. non teneri, niſi eo modo, quo diximus *in tract. de nouitiatu, cap.* 6. *quæſt.* 8. vbi ex propoſito hanc decidimus quæſtionem ; qui vult , conſolat Sanchea *ſup. num.* 13.

Qværes VI. Quantum ſe extendat poteſtas coërcitiua Prælatorum regularium quoad ſpiritualem coërcitionem in modo, numero, aut ſpecie pœnarum.

50. Reſpond. ſiquidem talis poteſtas in conceſſione Pontificum , ac priuilegiis ; & in diſtributione , ſeu applicatione illius facta Prælatis per ipſam Religionem in Capitulis , aut certè per alium Superiorem ad id poteſtatem habentem, limitata eſt, talem limitationem omninò ſeruandam , eam colligendo ex vniuſcuiuſque Ordinis Conſtitutionibus : ſi autem indefinita ſit conceſſio ad regendam , & gubernandam Religionem immediatè ſuſceptam ſob protectionem Papæ, ac exemptam ab Ordinariorum iuriſdictione ; talem poteſtatem nun habere aliam limitationem , niſi quam ex natura rei ſecum affert , vel iure communi habet in Epiſcopis; ſiquidem ex nullo alio capite fingi poteſt limitatio , & vbi lex non diſtinguit, neque limitat , non poſſumus nos voluntariè eam excogitare iuxta regul. *vbi lex non diſtinguit, neque nos debemus diſtinguere.* ita Suar. *tom.* 4. *de Rel. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 4. hinc inferens poſſe Prælatos regulares coërcere ſubditos per quaſcumque Eccleſiaſticas cenſuras , quæ aliàs iuſte imponi poſſint perſonis in tali materia , ac crimine , æquè ac poſſunt Epiſcopi proprios ſubditos ; cum & illi in Religioſos ſubditos habeant poteſtatem quaſi Epiſcopalem , vt iam diximus.

Qværes VII. An Prælati regulares excommunicare poſſint Religioſos ſubditos.

Reſpond. poſſe , etiamſi ſint Prælati locales : & probatur, quia etiam iſti habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem iuxta dicta hoc *cap. num.* 6. conſtat autem Epiſcopos poſſe excommunicare ; quinimò talis actus ſolet eſſe primus, qui cum tali iuriſdictione conceditur. ita communiter DD cum Suarez *de Cenſur. D.* 2. *ſect.* 2. *num.* 9. qui id probat , tum ex *cap. cum in Eccleſiis , de maiorit. & obed. & cap. ſicut , de ſimonia elect.* 1. tum ex vſu Religionum iuxta Apoſtolica indulta vnicuique conceſſa. 51.

Addo non videri improbabile , quod docent Henriq & Sayt. apud Bonac. *de Cenſur in comm. D.* 1. *q.* 1. *p.* 8. *n.* 2. Prælatos regulares ferentes cenſuras contra ſuos Religioſos ſine ſcriptura eximi à ſuſpenſione lata *in cap.* 1. *de ſent. excommunic. in* 6. contra ferentes cenſuram ſolo verbo : ſiquidem , cum ipſi non raro cogantur ferre cenſuras , nimis durum eſſet eos adſtringere ad ſeruandum hunc ordinem iuris ; maximè cum ij olim haberent peculiare priuilegium à Leone X. conceſſum ad talem effectum : quod tamen , cum ſit viuæ vocis oraculum; vt colligitur ex Caſarub. *v. excommunic. num.* 7. non amplius ſuffragatur. Certè quod *in cap.* 1. *de ſent. excommunic. citato*, habetur, Superiorem prohiberi ferre ſententiam excommunicationis , ſuſpenſionis, ac interdicti in ſuos ſubditos ſine ſcriptura ; putat Nald. *v. Superior num.* 2. non extendi ad Prælatos regulares præcipientes aliqoid modo dicto ſine ſcriptura : cum aliud ſit ſententia , quæ ibi præcipitur fieri cum ſcriptura, & aliud ſit præceptum, ſeu mandatum , de quo hîc : præterquam quod verba textus non videntur loqui de ſupradictis Prælatis regularibus , adeóque contra eos non ſunt diſtorquenda contra regulam, *In pœnalibus non eſt facienda extenſio.* ita Nald. & cum eo Duardus , Riccard. & alij , nec improbabiliter. 52.

Grauior difficultas eſt , an Prælati regulares non obſtante decreto Clementis VIII. ipſis reſtringente facultatem reſeruandi caſus quoad ſuos Religioſos , poſſint reſeruare excommunicationes , aut alias cenſuras , quas fortè ferunt contra ipſos Religioſos.

Reſpond. quamuis probabilis videatur ſententia, quam ſuſtinent Suarez Fagund. Tambur. Coriol. &. Villalob. apud Dian *p.* 3. *tr.* 2. *reſ* 49. aſſerentes Prælatos regulares , non obſtante præfato decreto Clem. VIII. adhuc poſſe ferre cenſuras ſibi reſeruatas ; eo quod in eo decreto ſolùm reſtringatur facultas, quoad caſus ; quales ſine dubio non ſunt cenſuræ , vt patet ; ſi tamen admittatur , authentica declaratio S. Congr. facta hac de re anno 1617. die 7. Iulij, & nouiſſime relata à Ioan de Lugo. *de pœnit. D.* 20. *ſect.* 5. *num.* 47. oppoſitam ſententiam praxi ſequendam eſſe, quam ſuſtinet Diana *ſup.* cum Sanch. Peyrin. Megala, Molfeſ. Leone, & aliis, immò & ipſemet Io de Lugo, nempè Prælatos regulares non poſſe in præſentia ferre excommunicationes ſibi reſeruatas : cum id ſit in fraudem *ſup.* dicti decreti Clement. VIII. quatenus appoſita excommunicatione reſeruata alicui peccato , hoc ipſo etiam peccatum reſeruetur indirectè ; vtpote quod non poteſt tolli à Confeſſario, 53.

niſi

nisi priùs auferatur excommunicatio; quamquam, (vt notat Ioan.de Lugo) hæc ratio non conuincat, cum ad ea,quæ per accidens, & indirectè fieri possunt,non ita debeat attendi, eo quòd rarius contingant.) Declaratio autem S.Congreg.ita habet: *Cum à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in decreto fel. rec.Clem.Papæ VIII. anno 1593.16.Maij,super qualitate casuum ab eorundem Regularium Superioribus reseruandorum edito censura etiam comprehenderentur, ita vt ijsdem Superioribus absque Capituli generalis,aut prouincialis consensu aliquibus peccatis in huiusmodi decreto non contentis excommunicationem annectere, eiusdemq; absolutionem sibi reseruare liceat: S.Congr. Cardin. negotijs Regularium præpositorum Illustrissimo Bandino, referente censuras in supradicto decreto comprehendi censuit.* Vtrum verò talis declaratio sit authentica, necne, colligendum est ex dictis *supr. in tract. de obligat. cap.1. q.5.* vbi etiam egimus de hac eadem materia.

QVÆRES VIII. An Prælati regulares possint suspendere Religiosos subditos,& quomodo.

55. Respond.posse,& quidem eo modo,quo possunt Episcopi suspendere proprios subditos; nimirum tam ab officio,quàm à beneficio,aut Ordine; idque tam in totum quàm in partem: tam in pœnam, quàm in medicinam: tam perpetuò, quàm temporaliter, prout dicemus suo loco. est communis DD. cum Suar. *tom.4.de Relig.tract.8. lib.2. cap.9. num.6.* & probatur,quia qui potest excommunicare,potest & suspendere; siquidem potest in minus,qui potest in maius, quandocumque vel adest sufficiens ratio similitudinis, vel certè maius, & minus inuicem, quodammodo comparantur tanquam totum, & pars, & potestas est iurisdictionis ordinariæ, non autem delegatæ: quæ omnia vtique concurrunt in præsenti casu,vt patet.

Concedo quidem Prælatos locales non posse suspendere proprium Capitulum, aut monasterium: quippe qui cum sint caput ipsius Capituli,ideóque Capitulum nihil possit peccare, quod ipsis Prælatis præcipuè non imputetur, non possunt esse Iudices criminis commissi à tali Capitulo, vt Capitulum est,& consequenter nec illud punire per suspensionem; ea quo fit,vt,sicut non potest seipsum suspendere (quod omnes concedunt) ita nec possit suspendere Capitulum,cuius ipse est caput. ita vt, etiamsi iustè suspenderet singulos de Capitulo, ipse nihilominus semper maneret habilis, & in eo seruaretur vox Capituli, prout docet Abb. *in cap.1.de elect.n.5.* communiter receptus inter Doctores.

QVÆRES IX. An,& quomodo Prælati regulares possint interdicere Religiosos sibi subditos.

56. Respond.posse interdicere, non quidem interdicto generali(idque ob rationem modò allatam,quoad suspensionem generalem totius Capituli localis, quæ etiam militat in interdicto generali:quod fortè feratur à Prælato locali in suum Conuentum:) sed interdicto particulari; quamuis neque hoc videatur esse in vsu, quomodo sunt excommunicatio, ac suspensio,cuius ratio videtur esse, quod pro personis religiosis, quæ non solent esse ita contumaces, videntur sufficere excommunicatio,ac suspensio:suntque media magis accommodata ad finem,qui intenditur,vt notauit Suarez *supr.n.6.*addens ad recedendum à contumacia solam excommunicationem imponi solere, addique suspensionem potius in pœnam delicti iam patrati; ad quem finem sine dubio non ita deseruit interdictum, vtpote quod priuat mediis spiritualibus, & necessariis ad animæ salutem. est item communis DD. & patet ex dictis, si tantùm probauerimus Prælatos regulares posse ferre interdictum particulare in particulares Religiosos subditos: quod facilè suadetur ex ratione allata pro interdicto, quæ præsenti casui sic adaptari potest: *Qui potest in maius,potest etiam in minus:*at Prælati regulares possunt excommunicare Religiosos subditos,quod est maius; ergo,& interdicere modo supradicto,quod sine dubio est quid minus.

Dixi,*In interdicto generali,quod fortè feratur à Prælato locali in suum Conuentum*; vt innuerem secus dicendum de Prælatis superioribus, Generali,Prouinciali, &c. hi enim possunt non solùm interdicere generaliter aliquem Conuentum,sed etiam excommunicare Capitulum aliquod particulare(si constet totum deliquisse:)eum respectu talium Prælatorum cesset ratio, ob quam negamus Prælatos locales posse interdicere, aut excommunicare totum aliquem Conuentum. 57.

QVÆRES X. An Prælati regulares possint imponere Religiosis subditis irregularitates alias ab iis,quæ extant à iure communi.

Respond. non posse, sed ad summum declarare, an aliquis suorum subditorum incurrerit aliquam ex irregularitatibus iure Pontificio inductis.ita Suarez *supr.num.7.* aliique communiter: & patet ex eo quod neque Episcopi possunt imponere irregularitatem propriè dictam:cum irregularitas sit res adeò grauis,vt solo iure Pontificio imponatur,solúmque incurratur in casibus ab ipso iure expressis, *cap. is qui, de sent.excom. in 6.* extra quos casus neque per iudicis sententiã, neque per nouum ius inferiorum Prælatorum potest imponi; vt in propria materia tradunt communiter DD. 58.

QVÆRES XI. An,& quomodo Prælati regulares possint inhabilitare Religiosos subditos ad prælationes,officia,gradus,&c.

Respond. cum distinctione: vel enim huiusmodi inhabilitationes præscriptæ sunt in iure communi; & sic Prælati regulares non solùm possunt, sed debent eas imponere Religiosis subditis delinquentibus iuxta qualitatem delicti respectiuè (nisi fortè sub proprio Religionis contra similis delicta commissa imposita sit aliqua pœna;) vel non sunt præscripta in iure communi;& tunc,siquidem inhabilitatio respiciat actum, cuius valor aliquo modo pendeat ex potestate dominatiua, aut voluntate Religionis, possunt supradicti Prælati imponere talem inhabilitationem: non item, si inhabilitatio respiciat actum, quoad suum valorem,independentem à Religione, & non sit à iure instituta; tunc enim eam non possunt imponere; cum id propriè spectet ad Pontificiam potestatem. ita Suar. *supr. n. 8. & 9.* aliique communiter. Pars prima probatur,quia pœna in priori casu est canonica, & proportionata tali delicto, adeóque cum Prælato regulari non sit specialiter prohibitum eam imponere,& aliàs sit iudex habens potestatem Ecclesiasticam, supra tale delictum potest ab eo imponi; immò & debet,cum index debeat iudicare secundùm ius commune,si non habeat proprium; vnde fit, vt si præfata pœna sit lata ipso iure, & tale ius sit vniuersale pro omnibus Ecclesiasticis, Religiosus delinquens ipso facto illam incurrat; si verò pœna sit solum ferenda per iudicem, imponi debeat per Prælatum regularem. Secunda pars patet ex eo, quòd,quando inhabilitatio quoad suum valorem pendet à Religione, potest Religio suum consensum non præstare, aut potestatem non concedere: quod est Religiosum reddere inhabilem ad habendam prælationem in Ordine,vt constat. 59.

Dixi

Dixi in probarione 1. partis, *& tale ius sit vniuersale pro omnibus Ecclesiasticis* : si enim loquatur de Clericis sæcularibus (quod colligi debet ex verbis, ac vsu) tunc non est ita necessarium imponere Religioso delinquenti pœnam in iure communi expressam : quin potiùs ad prudentiam Iudicis pertinebit eam legem imitari , illam applicando cum proportione ad talem personam , & statum.

QVÆRES XII. An Prælati regulares possint priuare Religiosos subditos Ecclesiastica sepultura.

61. Respond. posse eo modo, quo diximus *supr. cap. 5. sect. 4. subs. 1. quæst. 5.*

QVÆRES XIII. An Prælati regulares possint priuare Religiosos subditos Sacra Communione in pœnam delicti commissi.

62. Respond. posse ; & probatur tum ex vsu Religionum , tum ex institutione totius Ecclesiæ , quæ excommunicationi tam maiori, quam minori adiunxit priuationem Eucharisticæ communionis : quod est signum talem priuationem habere rationem pœnæ , ac posse imponi, immo & aliquando expedire : quidquid contradicat Sancius *in selectis D. 30. num. 5.* asserens non expedire Prælatis religionum priuare susceptione Eucharistiæ suos subditos causa illos mortificandi.

An autem Religiosus sic prohibitus communicare teneatur communicare in Paschate ad implendum Ecclesiæ præceptum , adeóque Superior teneatur suspendere in hoc casu prohibitionem.

Respond. non teneri Religiosum communicare : cum præceptum Ecclesiasticum communicandi in Paschate non obliget impeditos (vt in simili notauit Bonac. *D. 2. de censur. quæst. 2. part. 3. §. 1. num. 4.*) & Religiosus verè sit impeditus ratione prohibitionis: nec Superiorem teneri suspendere prohibitionem (si habeat iustam causam non suspendendi) cum nec Iudex teneatur liberare Reum è carcere die festo , vt possit audire Missam, aut concedere facultatem eundi ad audiendam Missam de præcepto ei, cui prohibuit exitum è domo propria. An autem sub generali prohibitione non communicandi veniat communio Paschalis , attenta regula iuris quod sub generali prohibitione non veniunt, quæ non esset quis prohibiturus, si in specie proponerentur; id puto debere colligi ex causa prohibitionis , aliisque circumstantibus; quæ possunt esse tales , vt sub generali prohibitione censeri possit comprehensa etiam communio Paschalis.

QVÆRES XIV. An Prælati regulares possint suspendere proprios subditos à confessionibus sæcularium audiendis aliàs approbatos ab Ordinario loci.

63. 2 Julij 1617. Respond. posse , & ita fuisse declaratum à Sacra Congregat. his verbis : *Sacra Congr. Cardinalium negotiis Regularium præposita censuit Generalem posse suos subditos ex quacunque causa , etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extraiudicialiter à confessionibus audiendis suspendere.* ita Peregr. *part. 3. Constit. cap. 5. lit. E. §. 7.*

QVÆRAS XV. An Prælati regulares maiores possint amouere Prælatos inferiores in pœnam delicti commissi.

64. Respond. posse, & probatur quia ad id non deest iurisdictio, & ad licitum vsum sufficit iusta , & proportionata causa : qualis sine dubio est culpa Prælati , si in iudicio viri prudentis censeatur digna tali pœna. ita Suar. *tom. 4. de Rel. tract. 8. l. 2. cap. 1. num. 25.* benè addens posse Prælatum regularem amoueri, etiam nulla præcedente ipsius culpa : si superuenist ratio aliqua vrgens maioris boni communis ; cum enim hæc munera in religionibus ordinentur non ad commodum priuatum Prælatorum , sed ad bonum commune Ordinis: & cura boni communis, ac iurisdictio ad illud conseruandum in primis spectet ad Prælatos Superiores, hi poterunt ex iusta causa & licitè, & validè amouere ab officio Prælatos inferiores , cum bonum commune semper debeat præferri bono priuato particularium , intellige, modo regimen sit simpliciter monarchicum : si enim in aliquo Ordine extet statutum, vt in rebus grauioribus Generalis, vel prouincialis nõ possit quidquã statuere validè sine cõcursu suorum Definitorum, aut aliorum habentium diffinitiuum suffragium , tunc non subsistit hęc nostra doctrina, sed spectari debet consuetudo, vel institutio vniuscuiusque Ordinis, & iuxta eam statuendum quid possit, vel non possit fieri.

QVÆRAS XVI. An Regulares subditi ligentur censuris suorum Prælatorum regularium , si delinquant extra territorium dictorum Prælatorum.

Respond. Peyrin. *tom. 2. priuil. Const. 7. Pij V. n. 21.* Auila, & Ang. ligari, eo quod Monachus vbicumque est , semper sit de iurisdictione Abbatis , quem vice Dei super caput suum imposuit, *cap. statuimus 19. q. 3. & cap. si Religiosus, de elect. in* 6. necnon fictione iuris semper censeantur esse in claustro; vt notant Innoc. Abb. & Archidiac. apud Ang. *v. sententia, n. 6.* 65.

Nec obstat quod Episcopus non potest excommunicare suum subditum existentem extra territorium, nisi in eo aliqua ratione deliquant , idque ea *cap. 2. de Constit. in* 6. vbi dicitur, *extra territorium ius dicenti non pareri impunè.*

Respond. enim Coninc. *de Censur. D. 13. n. 64.* nobiscum sentiens magnã esse disparitatem inter Episcopum, & Prælatum regularẽ (quod spectat ad præsentem materiã:) si quidem Episcopus habet immediatè iurisdictionem in territorium, & ratione huius in personas, quę proinde non sunt ei subiectę immediatè per se, sed solùm ratione domicilij, beneficij, aut officij , quod habent in eius diœcesi : quod vel inde constat, quia ij possunt supradicta relinquere etiã inuito Episcopo , seque transferre ad aliam diœcesim, statimque ac id fecerint, desinunt subiici illi Episcopo: Prælatus verò regularis immediatè habet iurisdictionem in personas religiosorum subditorum, quæ proinde non finitur certis locorum limitibus (vt finitur Episcopalis ,) sed solùm terminatur certis personis, quæ vbicunque sint, eadem ratione subiiciuntur Prælato regulari, ab eóque possunt coërceri, ac puniri; sicut & filij à parentibus, vxor à marito, &c. idque maximè ratione potestatis dominatiuæ, quã habẽt Prælati regulares in suos subditos religiosos non minus, quam parentes in filios , vir in vxorem, &c. 66.

QVÆRES XVII. An Prælati regulares inquirere possint peccata occulta religiosorum subditorum ad effectum ea corrigendi fraternè.

Respond. posse, cum debita tamen moderatione, ne alioqui Prælatus se ostendat nimis suspiciosum, ac zelotypum , sicque se reddat exosum subditis. ita Diana *part. 3. tract. 2. resol. 42.* cum S. Thom. *2. 2. q. 33. art. 2. ad* 4. & Lorca, patetque ex eo quod aliàs subditi delinquentes manerent non ratò impuniti, vt pote qui facilè possunt cauere, ne delinquant sub oculis propriis Prælati , sibique persuadent per alios subditos ipsorum delicta non fore manifestanda nisi ipso prælato inquirente : quo pacto facilè vigor disciplinæ omninò dissolueretur. Vnde laudabile est id , quod proponitur *in Summario Constitut. Soc. Iesu §. 9.* his verbis: *Ad maiorem in spiritu profectum, & præcipuè ad maiorem submissionem , & humilitatem* 67.

propriam

propriam contentus esse quisque debet, vt omnes errores, & defectus ipsius, & res quacunque qua nota in eo, & obseruata fuerint, Superioribus per quemuis, qui extra confessionem eos acceperit, manifestentur.

Qværes XVIII. An Prælati regulares possint iudicè procedere con. religiosos subditos in alieno territorio delinquentes.

68. Respond. videri posse; & probatur tum ex praxi ciuili, & canonica, per quam Rei delinquentes in alieno territorio remittuntur à Iudice territorij, vbi patratum est delictum, ad Iudicem territorij delinquentis, vt videre est penes Zerolam *in prax. Ecclesia 1.p.v.remissio reorum*, sustinentem quod Episcopus repetere possit suum Clericum detentum ab alio Episcopo ob delictum, idque etiam inuito ipso Clerico: tum quia Syluest.*v.furtum q.4.* quærens an qui facit furtum in vno loco, & postea transiens cum ipso furto ad aliud territorium, possit ibi puniri à Iudice illius territorij, putat cum Panorm. *c. p.1. de pœnis, n.5.* alios citante istum furem, si postea sortiatur forum huius territorij per domicilij mutationem, posse hic puniri pro delicto aliàs commisso in alio territorio. Ita Portel. *in resp. moral. p.1. casu 19. num.1.* contra aliquos ab ipso tacito nomine relatos, qui oppositum in facti contingentia sustinuerunt, eò quod delicta commissa in alio territorio non pertineant, nisi ad iudicem illius territorij; quod illi supponunt vt certum, cum potius probare debuissent.

Quod si hîc obiter quæras, an bannitus per iustam sententiam licitè possit occidi extra territorium bannientis.

Respond. quod quamuis, teste Layman *l.3.tract.3. p.3. c.2. num.3.* Theologi communiter doceant non posse ex *l.vlt.ff.de iurisd.omn. Iudic.& cap.2.de Constitut. in 6.* necnon ex eo quod sic occidens, vt homicida posset iuste puniri, vt notat Syluest.*v.homicidium 1.quæst.3 num.7.* pars tamen affirmans in casu grauis necessitatis non videtur, etiam practicè improbabilis: vt si bannitus sit valdè facinorosus, bonóque communi perniciosus colligitur, ex Graffio *l.2.decis.cap.62.num.57.* & probatur tum ex *l.3.§.fin. ff.de Sicarijs*; vbi dicitur transfugas, vbicumque inueniuntur, licere interficere; cum Constitutio ligare possit personas extra territorium, vt *in l.magis puto, §.illud, ff.de rebus eorum per l.fideicommissum, §.tractatum, ff. de iudic.* Soc. *cons.74. num. 17.* tum quia Reipublicæ interest viros facinorosos perimi vbique ne iterum delinquant; sicque videtur concurrere titulus iustæ defensionis: tum quia in isto casu videtur adesse consensus alieni Principis; sicque ei non fit iniuria; &, si est inuitus in casu magnæ necessitatis, est iniustè inuitus, adeóque de eius dissensu non est curandum, cum Graffio sentiunt Toletus *l.5.summa, cap.6.v.rursus tertiò*, & Gomex *in cap.2.si statuto, num.42.* de Constit. quatenus ait occidenti eiusmodi bannitum extra territorium dandum esse præmium: quod est dicere occisionem esse licitam: consentiunt Farinac. *in pract.crimin.p.3.q.103. num.213.* & Nald. *v.bannitus, num.11.* nec dissentit Sà *in summa v. De reo, num.14.* dicens: *Reus, qui capi non potest post sententiam potest in alieno territorio puniri; de voluntate tamen Domini saltem præsumpta.* Nec obstat, quod sic occidens bannitum puniretur tanquam homicida: id enim contingeret, eò quod Princeps ille puniens oppositam sententiam (quam diximus esse communem) sequeretur: cum quo tamen stare potest, quod nostra sententia probabilis, & in aliquo casu practicari possit.

Qværes XIX. An Prælatus regularis superior (v. g. Generalis) possit auferre Prælato inferiori (v. g. Prouinciali) iurisdictionem procedendi contra aliquem suum subditum in casu contento intra limites iurisdictionis ipsius Prælati inferioris.

Respond. de iure communi non posse; & probatur, tum quia illud repugnat suaui gubernationi Ecclesiæ, multásque gigneret perturbationes, ac inconuenientia (quomodo ipsum primum mobile cœlorum licèt suo proprio motu orbes inferiores secum rapiat, non tamen impedit, quin vnusquisque orbis inferior suum proprium motum, & cursum peragat, suásque particulares influentias in terram emittat) tum quia in Concil. Trid. *sess. 24.c.2. de reform.* præcipitur, quod causæ omnes in prima instantia terminentur solum coram Ordinariis locorum, & quod ante biennium assignatum ad earum terminationem coram iis faciendam, à Superioribus quibuscumq; non auocentur, neque appellationes acceptentur, neque fiat earum commissio, aut inhibitio, nisi à sententia diffinitiua, aut interlocutoria habente vim diffinitiuæ, cuius grauamen per appellationem reparari nequit (exceptis tamen causis, quæ iuxta ius canonicum de prima instantia pertinent ad Papam, vel ipse Papa per speciale rescriptum propria manu subscribendum commiserit, aut auocauerit:) vnde fit, quod, cum Prouincialis in sua prouincia habeat iurisdictionem quasi episcopalem, adeóque possit causas suæ iurisdictioni subiectas coram se motas terminare, saltem cum suis Definitoribus, non potest Generalis prohibere, quin dictus Prouincialis de prima instantia præfatas causas resoluat: & hoc eo modo, quo Archiepiscopus nullo modo se ingerit causæ motæ coram Episcopo, nisi per appellationem, licet aliàs sit eius Superior. Ita Portel. *de dub. reg. v. Prælati potestas, num.8.* Dixi, *de iure communi*; si enim in aliquo Ordine adsit aliquod statutum, aut consuetudo in contrarium, quoad hoc, ea sine dubio seruari debent, vt patet. 69.

Qværes XX. An Prælati regulares propria authoritate capere possint Religiosos sibi subditos, qui fortè ab Episcopo vel alio Iudice detineantur.

Respond. posse: & patet, tum ex variis priuilegiis ad hunc effectum concessis Ordinibus religiosis, maximè Societ. Iesu, vt constat ex Const. Pauli III. relata *in Bullar. ipsius Soc. pag.28.* in qua hæc habentur: *Ipsique Generalis & alij inferiores Præpositi per se, vel alios illos sic egressos, ac alios quoscumque dictæ Soc. Apostatas, vt etiam alios quosuis insolentes, & qui id mereri videbuntur, in quocumque habitu Apostatas prædictos excommunicare, capere, incarcerare, & alias sua disciplinæ submittere, & ad id, si opus fuerit, auxilium brachij sæcularis inuocare liberè, & licitè valeant:* tum, quia, qui debent obedientiam perpetuam, si ab obedientia fugiant, capi possunt propria auctoritate, & reuocari ad obedientiam: quo pacto vir vxorem, dominus seruum, & Prælatus subditum capiunt vbique etiam in Ecclesia iuxta Glos. *in leg.1. §.1. ff. de rei vendic.* idque ex titulo, tum potestatis dominatiuæ, tum iurisdictionis. Ita Peyrin. *tom.2. priuil. Constitut.7. Pij V. num.20.* cum Auila *de censur. part.2. cap.3. D.2. d.4.* Suarez *tom.4. de relig. tract.8. l.3. cap.2. num.16.* aliique. 70.

Qværes XXXI. An Prælati regulares possint incarcerare religiosos sibi subditos, & quomodo.

Respond. posse; vt constat, tum ex priuilegio Pauli III. adducto *q. præced.* tum ex communi praxi religionum; quamquam, vt benè aduertit Rodriq. 71.

tom.1.

*tom.*1. *quæst.*22. *art.*2. non debeant Prælati regulares esse hac in re nimis faciles: cum captura non debeat fieri absque processu saltem informariuo iuxta tradita per Diaz, de Lugo, Roderico, Suarez, Boss. & Gomez, & consequenter ad incarcerandum non sufficiat sola suspicio delicti, aut præsumptio, aut etiam semiplena probario præcedens: aliàs enim aliquando incarcerantur innocentes, qui licet postea per sententiam absolororiam liberentur, tum à carcere, tum à pœna delicti, non ideo tamen euadunt infamiam, quæ per capturam contrahitur; vode sic concludit Rodriqoez: *mea sententia est, quod vbi delinquentis Monachi fuga non timetur, neque vllatenus suspicatur, nisi plena delicti probatione præcedenti ad aliquem Monachum incarcerandum minime procedunt: si verò timetur, in domo disciplina securè detineatur;* quod comprobari videtur ex Conc. Trid. vbi *in criminalibus ex incontinentia procedentibus, & aliis atrocioribus, vbi fuga timetur, ne iudicium deludatur, potest Episcopus, facta summaria informatione, ad capturam procedere: secùs autem videtur fuga cessante.* ita Rodriq. cum quo sentit & Portel. *de dub. Reg. v. carcer, n.*1. addens *num.*2. cum Iulio Claro *l.*5. *pract.* §. *vlt. quæst.*46. *num.* 2. non licere quidem appellare à carceratione; cum carceratio non sit sententia, à qua possit appellari; in Religionibus tamen dari locum petendæ iniuriæ pro iniusta carceratione.

Quod si quæras, an Religiosos à proprio Prælato iustè detentus in carcere, licitè possit fugere.

72. Respond. posse, si ei imponenda sit grauis pœna (v.g mors, abscissio mēbri, aut alios atrox cruciatus) id enim ipsi conceditur ob ius, quod quilibet homo habet conseruandi propriam vitam, & non est abdicatum per ingressum Religionis; non item, si Religiosus in pœnam iustè damnatus sit perpetuo carceri: tunc quippe non potest fugere. ita Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.*8. *n.*12. cum Caieran. Armil. Nauar. Salon, Sayro, Rodriq. aliisque & quoad posteriorem partem probatur, quia frequentissima, & probabilior opinio haber nullum perpetuis carceribus damnatum posse fugere, nedum Religiosum, qui sententiæ iustæ clausuram illam iubenti tenetur obedire.

73. Dixi, *si iustè damnatus*; supponunt enim DD. cum Rodriq. *sup. art.*4. Religiosum posse damnari carceri perpetuo, si committat delictum tali pœnæ proportionatum, quin etiam Portel. *supr. num.* 44. monet Religiosum in hoc casu fugientem è carcere esse excommunicatum ob crimen Apostasiæ, qood fugiendo committit: non tamen haberi pro confesso; cum *lex in eos ff. de custodia reorum* statuens, quod Reus fugiens à carcere iuxta ius ciuile habeatur pro coofesso, non habeat locum io Religiosis, vt pote exemptis à iure ciuili.

n.48. Maius dubium est de Nouitiis, an hi, si committant delictum dignum perpetoo carcere, possint à Prælatis regularibus Ordinis puniri tali pœna.

74. Respond. posse, si Nouitij velint permanere in Religiooe: secus, si eligant egredi. Pars prima probatur; quia supposita voluntare permanendi, plenè subduntur Prælato regulari, quoad delicta, adeóque puniri possunt ab eo qualicumque pœna ei delicto debita. Pars secunda patet ex eo, quod Nouitij ante professionem habent plenam potestatem exeundi à potestate Prælati; qoamuis alioqui eo ipso, quod exeunt à Religione, subdantur Iudici sæculari, qui eos punire poterit ob delicta commissa in Religione: si quidem delicta non debent manere impunita, & Nouitius egressus à Conuentu est mere sæcularis. ita Sanchez *supr. num.* 13. & 14. cum Farinacio, Lambert, Bobado, Zecchar. Francho & aliis; quorum aliqui benè monent, qood si in aliquo Ordine statuta fuisset pœna perpetui carceris Religioso patranti hoc, vel illud delictum: Nouitius committens tale delictum non deberet puniri tali pœna; cum Nouitiatus detur ad experiendam Religionem, adeóque oon possint inuitus in ea detineri.

QVÆRES XXII. An Prælati, etiam locales possit propria auctoritate processare suos subditos delinquentes.

Respond. quod cum Prælati regulares, etiam locales habeant in Religiosos subditos iurisdictionem non solùm, quoad forum conscientiæ, sed etiam quoad forum externum; & hoc sufficiat ad hoc vt Superior possit processare: omnes Prælati possunt processare Religiosos subditos: nisi fortè io aliquo Ordine obstet aliquod staturum, aut extet consuetudo in contrarium: qualis de facto videtur extare in Societat. Iesu, in qua Prælati locales non solent independenter à Prælato superiore instituere iuridicos processus aduersus Religiosos subditos, si quaodo casus occurrat. 75

QVÆRES XXIII. An, quando, & quomodo Prælati regulares torquere possint Religiosos subditos ad exprimendam veritatem.

Respond. posse in delictis atrocioribus, & per ministros Laicos, idque ex consuetudine, sciente, & tacente Papa inducta. ita Suar. *tom.*4. *de relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.* 10. *num.* 7. & probatur, tum ex priuilegio bullato ad id per Nicolaum V. concesso Fratribus Minoribus, & adducto à Casarub. *in Comp. v. correctio Fratrum* 12. vt scilicet: *Minister Generalis Ordinis possit iuxta Constitutiones, & regularia Instituta antiqua dicti Ordinis corrigere, visitare, punire, & emendare, ac in criminibus grauioribus, si res ipsa exegerit (cum moderamine tamen torturæ subiicere possit, & valeat;* tum quia hoc ipsum aliquando esse potest necessarium ad bonam Regularium gubernationem, ideóque non debet denegari potestati Prælatorum regularium. Dixi, *& per Ministros laicos*; non enim potest persona Religiosa licitè, ac decenter exqui tale monus per se: quod vtiqoe modo dicto induci potuit consuetudine à viris doctis, ac Religione insignibus obseruata, & quidem bona fide, inchoata; cum nullum extet decretum prohibens, ne Religiosi torqueantur, immò in *cap.* 1. *de calumniatoribus.* Diaconus præcipiatur publicis verberibus castigari, & in omnibus rebus semper debeat seruari decentia, quæ tamen non seruaretur, si Regulares torquerentur per ipsos Regulares. 76.

Quod si hic obiter quætas, an Prælatus regularis debeat verbetare Religiosos subditos per se, & non per alium.

Respood. Debere per se verbetare, *cap. vniuersitati, de sent. excommunicat.* vbi tamen excluditur casus necessitatis; & additur tunc fieri id debere, non per laicum, sed per Clericum: &, si per laicum id fiat, & præcipiens, & exequens incurrunt excommunicationem canonis *si quis suadente.* ita Suar. *D.*22. *de censur. sect.*1. *n.*42. monens *n.* 43. secus dicendum, si hic, & nunc castigatio censeatur necessaria, & noo adsit Monachus, vel Clericus, per quem id fieri possit, nequeatque Superior per se id facere: quæ tamen cum rarò omnia coocurrere possint, ideò simpliciter negandum Prælatum regularem debere per se ipsum cædere Religiosos subditos, quod non procedit, teste Suar. *num.*46. in casu, quo Prælatus per alium Religiosum punit sine graui necessitate: etsi, cum hic defectus non sit in substantia actionis, sed in modo, seu ordine accidentali; Prælatus tunc non peccet mortal. nec incurrat excommunicationem canonis.

Moneo hîc obiter Præceptores scholarum inferiorum Societatis Iesu licitè per alios alicubi verberare suos discipulos, etiam Clericos (id est per Correctorem) non obstante quod *cap.Vniuersitatis,de sentent. excommunic.* præscribatur, vt Magistri id per se faciant : talis enim est consuetudo legitimè inducta ; & (vt puto) ex aliqua concessione Sedis Apostolicæ ; vnde & in regulis Magistrorum talis consuetodinis obseruantia præcipitur, licèt non vbique sit in vsu.

QVÆRAS XXIII. An Prælati regolares possint damnare Religiosos subditos ad publicam flagellationem,aut mutilationem.

77. Respond.posse quidem (in tigore loquendo)damnare ad publicam flagellationem per plateas, & vias ciuitatis ; com talis pœoa non excedat Ecclesiasticam iurisdictiooem(quamois non sit in vsu respectu personæ Ecclesiasticæ , eo quòd sit nimis ignominiosa,ac dedecens statum Ecclesiasticum;)non posse tamen damnare ad publieam mutilationem , vtpote quæ non fit sioe effusione sanguinis , ac incursione irregularitatis, nimisqoe repugnat com Eeclesiastica mansuetudine. ita Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.2.cap.10.num.7.*

78. Nec obstat *cap.Vniuersitatis,de sent.excommun.* vbi prohibetur Abbas flagellare subditum Religiosum per laicum; siquidem ibi est sermo de verberatione, qoæ fiat modo religioso , & iuxta religiosam disciplinam,non autem de flagellatione , quæ fortè fiat more laicorom , & infamium reorum ; de qua sine dubio noo procedit Textos ; cum saloa decentia,tale munus impleri nequeat à Religioso, quamquam, vt diai,vel nunquam , vel valde ratò talis pœna ininfligi debeat.

Notat autem Bordonos *tom.2.resol.56.q.11.* Religiosum verberatum in refectorio per se , vel per alium à Prælato,siue iuridicè, siue ad correctionem sine processu propriè non esse infamem : nisi delictum, ob quod punitos est , de iore inducat infamiam:tuncque si per sententiam damnatus est,illum esse iofamem infamia iuris , si vero paternè correctus est,infamia facti , cum delictum fuerit ootoriū. probat tum ex *l.ictus, ff.de iis qui infam.not.* quæ ait , *Ictus fustium infamiam non importat,sed causa,propter quam id pati meruit:* tum quia infamia oritur ex prauis operibus , quibus quis infamator ; verberatio autem prouenit ex impositione Superioris per sententiam,*cap.non debet* 11.*quæst.*3.

QVÆRES XXIV. Ao regulares à sois Prælatis damnari possint ad triremes in pœnam delictorum.

79. Respond.posse; & patet,tum ex vsu Religionom, in quibus interdum aliqoi Religiosi ad talem pœnam damnati sunt;tum quia ista pœna per se non includit effussionem sanguinis , nec vllo iure speciali est prohibita , ideoque potuit consuetudine induci; cum per consuetudioem acquiratur iurisdictio. ita Nauar.*comm.3.de regul.nap.52.* aliique,quorum aliqui benè monent ea eo quod Episcopi non solent absque licentia Papæ punire Clericos tali pœna,non ioferri eam esse iniostam,ac illicitam,acproiode non posse infligi à Prælatis regularibus , sed solùm eam ab ipsis ratò debere infligi ob ionumeras occasiones peccandi annexas illi statui ; cum quo tamen stat , quod simpliciter loquendo possint illam infligere.

QVÆRES XXV. An,& quomodo Prælati regolares possint Religiosos suos delinquentes mittere in eailium.

80. Respond. posse , & quidem non solùm intra religionem (quod genns exilij locum habet in religionibus admittentibus filiationes monasteriorum, aut prouinciarom , quæ in pœnam delictorum solent transferre Religiosum à propriis monasteriis , aut prouinciis ad aliena,) sed etiam extra religionem; nimirum expellendo à religione, simulqoe relegando religiosum expulsum in talem prouineiam , aut regionem ; quamquam (vt notat Suar.*supr.num.9.*) tale genus exilij non possit imponi religioso eapulso,nisi in caso,quo is illod acceptet,quasi sub conditione & pacto ad euitandom aliod geous pœnæ iustæ , quæ ipsi ante expulsionem è religione erat subeunda ; aliàs enim cum religiosus per eapulsionem desinat esse subiectus religioni, hoc ipso, quod ille est expulsus , desinit esse obligatus ad exequeodum quodcumque præceptum ipsi impositum à religione; vnde in priori casu non tenetur obedire ex præcepto humano , sed ea lege naturali fidelitatis , ac iustitiæ ; idque etsi genus illud eailij acceptatum fuerit ex metu grauioris pœnæ ; cum talis metus iustè fuerit incussus,sicque non excuset ab implendo pacto , ita Rodriq.*tom.2.quæst.23.art.1.* ex communi DD.& probatur , tum , quia sacri Canones istam pœnam imponuot personis Ecclesiastieis,vt constat ex *cap.cum.beatus, d.45.& cap.1.de calumniat :* (cum tamen sit eadem ratio de religiosis;) tum quia talis pœna nullibi repetitur probibita.

Quod si obiter qoæras an regularis possit in pœnam relegari in exilium à Sopetiore non regulari (*v.g.*ab Ordinario.)

Respond. posse;cum possit relegari à sua Prouincia, quæ ipsi est velut patria;etsi alias viro religioso totus Orbis sit patria:prout indicat S.Nazianzenus *orat.28.n.35.* dicens : *Nobis omnis terra & nulla terra, patria sit*;& Pontios *in vita B.Cypriani*, dicens,*Christiano totus hic mundus vna domus est* , quo modo Socrates , & Diogenes ioterrogati cuiates essent , responderunt se esse mondanos , idest totius mundi incolas.

81. Notat autem Portel. *de dub. regul.v.pœna,num.19.* casu, qoo religiosus à Prælato regulati mandetur in exilium , teneri Iudicem , aut Episcopum procurare eaecutionem sententiæ,vt effectum sortiator:& hoc ea *cap.postulasti, de foro compet.& l.relegatorum , ff.de interd.& releg.* additque Episcopum posse præcipere religioso relegato sub eacommunicatione , ne egrediatur à tali regno,aut ciuitate.

82. Addit Rodriq.*supr.* quod,sicut Episcopus ex iusta causa potest reuocare Clericum à se relegatum ; ita & Prælatus regularis ea causa iusta poterit reuocare religiosom à se modo dicto relegatum : cum sit par ratio , & Prælati regulares, quoad religiosos subditos æquiparentur Episcopis.intellige,nisi aliter præscribant statuta Ordinum ; quæ proinde consulenda sunt,& seruanda.

QVÆRAS XXVI. An prælati regulares damnare possint religiosom subditum,vt fame pereat per insensibilem cibi necessatii substractiooem.

83. Respond. videri non posse:& probatur tum,quia hoc videtur contra lenitatem Ecclesiæ in puniendis ea se ipsa delictis ,ac irregularitatem induceret ex defectu lenitatis : quippe qoæ locurritur à quolibet Iudice ecclesiastico habente gladium laicalem & [illegible]usam saoguinis per se ipsum immediatè exercentem ; vt colligitur ea *cap. his à quibus 23. quæst.8. cap.Cle[illegible]icis , cap.fentteniam, ne Clerici , cap. ex literis, de excess. Prælat.* in quibus iotibus prohibetur Clericis quibuscunque etiam habentibos anneanm gladium temporalem causa sanguinis, iisque præcipitur , vt per laicum hoc munus exerceant : quare

quale cùm Prælatus regularis per se ipsum damnauerit religiosum subditum ad moriendum inedia, vtique incurret irregularitatem: tum, quia infra *quæstione* 30. dicemus Prælatum regularem non posse damnare Religiosum subditum ad mortem violentam; ex inedia autem sequitur mors violenta; cum violentia inferatur etiam sine corporali læsione, Abbat. *in cap. nuper de sentent. excommunicat.* & subtrahens cibum dicatur occidere *cap. pasce distin* 86. ac homicidium committatur per solam omissionem, Sylu. *v. homicidium* 3. *quæst.* 5. *quintum*: præterquam, quod non attenditur medium, quo quis moritur, sed præcisè causa influens in mortem, quouis demum modo influat, id parum refert; cum iura respiciant factum homicidium ex intentione, seu mortem sequentem ex homine: sicque in præsenti casu mors reputari debet violenta ex industria Iudicis; cum tunc ex naturalis censeatur, quando patienti simpliciter desunt cibi, ita P. Bordonus, & alij doctissimi viri à me consulti. Etsi dissentiat ingeniosissimos, ac doctissimus Magister à me consultus, qui sustinet Prælatum regularem posse damnare religiosum subditum ad mortem ex inedia modo supra dicto procedentem; idque prohibendo suis subditis, ne religioso taliter damnato cibos præbeant, tam virtute obedientiæ, quam ex voto paupertatis; non tamen prohibendo ipsi religioso, ne vtatur cibis ei oblatis, cumque ad hoc obligando in conscientia (talis enim obligatio esset nimis ardua, ac repugnans naturali inclinationi hominis ad propriam vitam conseruandam. Colligit Magister hic suam hanc sententiam ex Suarez *supr. num.* 11. vbi loquens de Religioso subdito delinquente habet hæc formalia verba: *Sanè est, quod re ipsa possit iuste cibis priuari, & quod, Iudex possit præcepto suo ministros iustitiæ obligare, ne alimenta præbeant huiusmodi malefactori: quod etiam potest prohibere Prælatum Religionis, tam virtute obedientiæ, quam ratione voti paupertatis*: quod est dicere Religiosum delinquentem posse à proprio Prælato damnari, vt fame pereat modo dicto. Quod si dicas Prælatum in hoc casu se expositurum periculo irregularitatis; id fortè negaret Suarez contradistinguens mortem violentam à morte naturali consequente ex inedia, & concedens per mortem quidem violentam incurri irregularitatem ex defectu lenitatis à Iudice inferente illam, non item per mortem naturalem: cum sacri Canones inducentes irregularitatem ex defectu lenitatis loquantur solùm de morte violenta, & alioqui non incurratur irregularitas, nisi in casibus iure expressis. Nec obstat, quod *infra quæst.* 30. negamus præfatum regularem posse religiosum subditum damnare ad mortem: id enim potest, & debet intelligi de morte violenta, non autem de naturali; cuiusmodi est ea, de qua hîc loquimur. Dixi sub initium responsionis, *de rigore*; vt indicarem, quod, cum damnare ad mortem ex fame videatur aduersari lenitati, quam profitetur Ecclesia, debent Prælati regulares à tali supplicio regulariter abstinere, illudque solùm in casu raro infligere; in quo scilicet concurrerent circumstantiæ, quæ hîc, & nunc suaderent tale genus supplicij debere infligi.

QVÆRES XXVII. An Prælati regulares in pœnam delicti commissi possint priuare Religiosum subditum peculio aliàs ipsi concesso.

84 Respond. posse; patetque ex eo, quod, cum Religiosus vi voti paupertatis nihil proprij habere possit, & consequenter acquirat monasterio quidquid acquirit; nihil potest habere, quod eius Superior pro arbitrio illi auferre non possit; quod si id ille potest facere pro arbitrio, à fortiori poterit illud facere in pœnam.

QVÆRES XXVIII. An, & qualiter Prælati regulares possint eiicere Religiosum subditum à Religione, aut ad tempus priuare habitu religioso.

Respond. posse, eiicere; si Religiosus sit incorrigibilis (& hoc eo modo, quo diximus *in tract. de priuil. cap.* 8. *sect.* 2.) posse verò priuare ad tempus habitu religioso, si subditus committat delictum tali pœna dignum iudicio viri prudentis. Ducor, quod, cui conceditur, quod plus est, concedi debet & quod minus est: Prouinciales autem Religionum possunt subditos delinquentes spoliare habitu religioso illos eiicientes ab Ordine in perpetuum (quod est plus) ergo & poterunt eos spoliare habitu solùm ad tempus (quod est minus.) quæ de re consulantur Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 39. *art.* 1. Sanch. *lib.* 6. *mor. cap.* 9. *num.* 55. 85.

QVÆRES XXIX. An Prælati regulares possint in pœnam transferre Religiosum Clericum ad statum laicalem.

Respond. Peyrinus *de R.S. quæst.* 1. *cap.* 14. §. 3. cum Soto, Suar. Sanch. Azorio, & aliis posse, & benè, nisi obstet decretum Clementis VIII. hac de re editum, & à nobis relatum *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 135. idque ex rationibus *ibi num.* 136. adductis. 86.

QVÆRES XXX. An, & quo modo Prælati regulares possint damnare pœna mortis Religiosum subditum.

Respond. quod, quamuis potestas Prælatorum regularium non extendatur ad pœnam mortis infligendam, cum hæc à nullo Iudice Ecclesiastico imponi possit, *cap. cum non ab homine, de iudiciis*; ad illud tamen extenditur, vt sicut Iudices Ecclesiastici possunt interdum ferre sententiam de delicto capitali, eum postea remittendo brachio sæculari; ita & idem præstare possint Prælati regulares, quantum est ex parte professionis: quippequi possunt priuare Religiosum incorrigibilem habitu Religionis, ac omnibus priuilegiis illius, & per consequens etiam tradere brachio sæculari, si delicta commissa id mereantur. ita Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 10 *num.* 1. Pottel. *supr. v. Prælatus num.* 10. & alij inter quos Aldrete *l.* 1. *de discipl. relig. cap.* 3. *à num.* 22. refert casum, in quo 4. Fratres vnius Ordinis in Hispania traditi sunt brachio sæculari, eò quod suum Prouincialem interfecissent; additque se credere, quod Prælati regulares non possint ob crimina, quantumuis atrocia tradere Religiosum subditum brachio sæculari sine licentia Papæ; cum priuilegia Religiosorum dent solùm facultatem mittendi in exilium, ad triremes, aut carcerem perpetuum; vnde & in casu illo proposito 4 Fratrum interuenit commissio Papæ facta Archiepiscopo Hispalensi, qui fuit Iudex cum aliquibus Religiosis. 87.

Dixi, *quantum est ex vi professionis*; vt innuerem, quod si consideretur Religiosus, prout est Clericus ordinatus; tunc per Prælatum regularem non potest priuari priuilegio Clericali, & consequenter neque degradari, ac tradi Curiæ sæculari: quantumuis alias illum priuet statu, seu habitu Religionis; præsertim cum traditio non possit fieri absque speciali priuilegio Papæ ob periculum irregularitatis, quæ aliàs vix potest euitari; vt notant Doctores in materia irregularitatis. Præterquam quod immunitas à foro sæculari conceditur Religioso non solùm quatenus est Clericus, sed etiam quatenus est 88.

Religiosus: & quidem in fauorem, non personæ priuatæ, sed ipsius Religionis; vnde fit, vt Prælatus regularis non possit ob delictum priuatæ personæ priuare Religionem tali priuilegio, nisi ei specialiter concedatur: quo pacto non potest priuata persona renunciare priuilegio concesso in fauorem communitatis, cui per talem renuntiationem præiudicium inferatur; vt proinde Suarez *tom.4.de relig.loco supra citato*, dicat: *Et ob hanc causam existimo Prælatos Religionum nunquam habere hanc potestatem* (videlicet tradendi Religiosum subditum Curiæ sæculari) *quia nunquam est eis specialiter concessa: neque expedit, vt ea vtantur propter decentiam, ac honorem Religionis*; hæc ille, quæ tamen non omninò mihi probantur, vt constat ex dictis *in tract. de pœnis, cap.5.sect.4.quæst.*10.

QVÆRES XXXI. An Prælati regulares possint reo Religioso remittere totam pœnam lege communi statutam.

89. Respond. non posse; cum iudex inferior non iudicet ex propria potestate, sed ex publica, cui tenetur stare. est communis Doctorum cum S. Thoma 2. 2. *quæst.68.art.3.ad 3.* inter quos Portel.*supr.v. correctio Fratrum, num.54. ex cap. licet, de pœnis* monet iudicem ordinarium, siue Regularem, siue alium non posse neque commutare, neque minuere, neque augere pœnam à lege statutam pro aliquo crimine; & hoc multò minùs, si iam lata sit sententia, vt colligitur ex *cap. si quem 2. quæst. 3.* Excipe, si pœna legis sit posita in arbitrio iudicis, aut certè in iudicio processum fuerit via accusationis, & pars læsa consentiat, vt pœna post sententiam relaxetur: aut etiam delicta sint extraordinaria, vel habeant particulares circumstantias aggrauantes, aut minuentes; tunc quippe non solùm iudex supremus (v. g. Generalis respectum Regularium) qui potest dispensare in lege: sed etiam ordinarius potest augere, aut minuere pœnam iuxta *l. hodie, ff. de pœnis, & l. quid ergo, eod. tit.* spectando maximè ætatem, doctrinam, & alias similes circumstantias, quæ possunt esse causæ sufficientes ad alterandas pœnas. quamuis dictæ circumstantiæ debeant spectari, antequam feratur sententia, non autem post; vt benè aduertit Portellus *sup. num. 55.* cum Vmberto *in pract. inquisition.v. pœna, §. qua autem sint*; qui Portellus *v. pœna, num. 2.* ex Abbate & Iulio Claro docet, quod si pœna imponatur pro aliquo delicto, nunquam tota pœna infligi debet, si delictum fuit solùm attentatum, non autem consummatum, sed imponenda est alia pœna multo mitior, ac minor.

Monet autem Bartholom. à S.Fausto *l.6. thesauri quæst. 128.* quod, quamuis Prælati regulares inferiores possint dispensare in pœnis taxatis à Constitutionibus, si eæ non sint reseruatæ Prælato Superiori; si quidem Prælati ordinarij iure possunt ea omnia præstare, in quibus non sunt prohibiti: si tamen pœnæ impositæ sint à Prælato ordinario, non potest Prælatus Superior illas tollere contra voluntatem Prælati inferioris, qui eas tulit: idque ex Concilio Tridentino *sess.14.de reformat. cap.1.* sic statuentis, ne Prælati ordinarij negligentetur à subditis; quod est maximum malum in Religionibus. Verum tamen est, quod si Prælatus, qui tulit pænam illam, officio suo functus sit, tunc Prælatus Superior pœnam illam tollere poterit sine licentia Prælati moderni: cum enim Prælatus, qui pœnam tulit, iam functus sit officio, eius auctoritas non despicitur.

An verò Prælati Superiores (v.g. Generalis) dispensare possint in pœna imposita à Prælato inferiori, v. g. à Prouinciali.

Respond. non posse sine consensu ipsius Prælati inferioris, nisi fortè is iam sit mortuus, aut certè 90.
fuerit amotus ab officio, vel etiam casus per appellationem deuolutus sit ad Prælatum Superiorem. ita Rodriquez *tom. 1. quæst. 12. art. 8.* aliique, & colligitur ex Concil. Tridentino *sess.14. de reformat. cap. 1.*

Addo cum Portello *supr. num. 4.* quod si aliquis Regularis punitus fuit legitimè à Prouinciali v. g. non potest pro eodem delicto puniri iterum à Generali; idque colligo ex doctrina, quam idem Portellus tradit ex Syluest. & Rodriquez, nimirum punitum ab vno iudice puniri non posse pro eodem delicto ab alio iudice eiusdem ordinis, seu rationis, vt si vterque iudex sit laicus; quod tamen non euenit, si sint diuersi ordinis: vnde si iudex laicus punit crimen mixti fori pœna lege laica statuta, potest à Iudice Ecclesiastico postea puniri pœna Ecclesiastica; quæ doctrina si benè applicetur ad præsentem casum, videtur sufficienter probare nostram responsionem; maximè cum non sit æquum, vt quis puniatur bis in id ipsum, si iam digno supplicio legitimè fuit punitus.

QVÆRES XXXII. An inter Regulares præscribantur delicta, ita vt post certum tempus puniri non possint à Prælato regulari.

Respond. non præscribi: & probatur, ex eo quod 91.
licèt in iure ciuili spatio 20. annorum præscribatur accusatio criminalis, & per tale tempus excludatur volens agere, *l. querela, ad legem Cornel. de falsis*; in iure tamen canonico (quod seruari debet inter Regulares) non præscribuntur delicta; vnde fit, vt Religiosus possit puniri etiam post 15. annos à crimine commisso, si aliàs non fuit punitus. ita Rodriq. *tom.2. quæst.5. art. 11.* ex Glossa, Decio, Bossio, & Nauarro, addens; quod si in aliquo Ordine fieret statutum, quod Religiosi non possent se inuicem accusare, ac denunciare, nisi intra certum tempus; adhuc posse Prælatus regularis procedere contra Religiosum delinquentem per viam correctionis, etiam elapso eo termino; non quidem vt parti satisfaceret, cum vi præfati statui aduersus eam sufficienter præscriptum fuerit: sed vt satisfaceret bono communi Religionis, cuius multum interest, vt impunita non maneant delicta; & hoc, etsi nemo accuset, aut denunciet delinquentem, si is suum delictum fateatur.

Addo ex Portel. *supr. v. præscribere, num.4.* & aliis, 92.
quod si sententia lata est contra aliquem delinquentem: executio talis sententiæ non potest impediri via præscriptionis; sicque etiam post longum tempus potest impeliri.

QVÆRES XXXIII. An Regulares possint appellare à regulari correctione suorum Prælatorum, & quo modo.

Respond. non posse, neque ad tribunalia sæcula- 93.
ria, quod est certum, neque ad Ecclesiastica, & ad Iudices competentes, nisi in casu raro, & graui, quo euidenter constaret notabilem iniuriam fieri Religioso in fama, ac honore: tunc enim licita esset appellatio. est communis DD. cum Soto *lib. 5. de iust. quæst. 6. art. 3. §. breuissima*, & patet ex dictis *in tract. de prohibit. cap.7.quæst.14.*

Sectio

Sectio IV.

De Potestate Dispensatiua, quæ competit Prælatis Regularibus, quoad Religiosos subditos.

94 *Declaratur quid sit Potestas Dispensatiua.*
95 *Ea est duplex: ordinaria scilicet, & delegata.*
96 *Competit Prælatis Regularibus.*
97 *Ad eius vsum supponitur causa.*
98 *Eaq; saltem bona fide talis putata:*
99 *Tenet dispensatio facta ex causa iusta, sed non cognita.*
100 *Dispensans sine causa in propria lege peccat solùm venialiter (quod alij negant.)*
101 *Inducens ad sic dispensandum mortaliter peccat, iuxta* Sanchez.
102 *Potestas dispensandi competit omnibus Prælatis regularibus, etiam localibus.*
103 *Quæ autem competat ex priuilegiis, colligendum ex tenore concessionis.*
104 *Prælati Regulares non possunt dispensare cum Nouitiis.*
105 *Loquendo de dispensatione perpetua.*
106 *Non dispensant cum familiaribus, & famulis.*
107 *Potestas dispensandi potest delegari in fauorem delegantis.*
108 *Exercetur solùm cum subditis.*
109 *Competit Prælatis Regularibus non minus, quam Episcopis, imò & maior.*
110 *Extat de hoc insigne Pij V. priuilegium, quod refertur: extant & alia similia priuilegia.*
111 *Episcopi tamen in multis dispensant, ad quæ non extenditur potestas Prælati Regularis.*
112 *Prælati Regulares dispensant cum suis, etiam extra suum territorium.*
113 *Item etiam extra forum sacramentale.*
114 *Ex Pauli III. indulto dispensant super quauis Irregularitate.*
115 *Quod licèt restringat* Lezana, *adhuc potest sustineri.*
116 *Et quidem, vt deseruiat extra forum Sacramentale, & prodesse possit, etiam pro foro externo.*
117 *Hoc indultum communicatur aliis Ordinibus; cum in specie sit factum PP. Benedictinis Vallisoleti.*
118 *Potestas dispensandi latè interpretanda.*
119 *Nisi cedat in præiudicium tertij.*
120 *Ea est delegabilis.*
121 *Ea debet exerceri cum subditis, si occurrat casus, in quo ea indigeant.*

QVÆRAS I. Quid sit potestas dispensatiua.

Respond. esse facultatem eximendi proprios subditos ab obligatione legis, seu (quod idem est) suspendendi obligationem legis ad aliquod tempus; siue obligatio tollatur in totum (quo modo vocatur dispensatio totalis) siue solùm in parte (quo modo dicitur dispensatio partialis.)

QVÆRAS II. Quotuplex sit potestas dispensatiua.

96. Respond. esse duplicem: ordinariam scilicet, quæ iure ordinario competit Prælatis regularibus ex priuilegiis pontificiis: & delegatam, quæ competit iis, quibus ipsi Prælati illam delegant; talis enim potestas, cum sit concessa à Papa, qui est supremus Princeps, censetur ordinaria, adeóque potest delegari; vt bene notauit Sanch. *l. de matr. D.* 40. *n.* 14.

QVÆRAS III. An, & quo iure potestas dispensatiua competat Prælatis regularibus.

Respond. competere ex priuilegio Papæ, & quidem iure ordinario, ac proinde dicendam esse ordinariam; vt paulò antè indicauimus. ita Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 12. *num.* 1. & patet ex eo, quod Prælati Religionum exemptarum in suos subditos habent iurisdictionem quasi Episcopalem, cum Religiosi exempti non habeant alium proprium Episcopum, nisi proprios Prælatos; & alioqui potestas dispensandi sit maximè necessaria ad iurisdictionem Episcopalem.

QVÆRAS IV. An requiratur causa ad vsum potestatis dispensatiuæ tam licitum, quàm validum.

Respond. requiri, ita tamen, vt, si dispensatio fiat sine causa circa legem propriam, aut legem inferioris, dispensatio sit valida, sed illicita: si verò fiat circa legem superioris, sit & inualida, & illicita. probatur autem responsio, quoad 1. partem (quæ est communis DD. apud Baldellum *lib.* 5. *D.* 52. *n.* 9.) ex eo quod quando quis dispensat in propria lege, dispensat in re propria, dependente solùm ab eius voluntate, ideóque sicut legislator ab initio validè potuisset non ferre legem, sic &, vbi eam tulit, validè potest illam reuocare pro tota communitate: sic & potest eam reuocare pro vno aliquo, validè super ea dispensando: quo modo irrationabiliter dispensans propria bona validè dispensat, quamuis peccet. Quoad 2. verò partem (quæ est communis cum S. Thoma 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. *ad* 2.) probatur responsio, quia voluntas Superioris, vt inferior dispensare possit in lege illius, non est, neque præsumi potest, nisi cum ista limitatione, vt dispensetur ex iusta causa: ideóque dispensatio sine causa, vt excedens formam mandati, ac potestatem dispensantis non potest esse valida; quod certè non euenit, quando Superior dispensat in lege inferioris: cum Superior in dispensatione legis latæ ab inferiori proinde se habeat, ac si in lege propria dispensaret. Cæterùm peccat, qui sine causa dispensat in lege propria, eo quod dispensatio sine causa non consonat fini ad quem confertur potestas dispensandi, neque est in bonum, ac ædificationem communitatis, sed in destructionem, si pars in rebus spectantibus ad bonum commune, permittitur non esse conformis toti. 67.

Concedo tamen cum Sanch. *lib.* 8. *de matr. D.* 17. *num.* 8. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 29. *quæst.* 6. & aliis apud Bonacinam *D.* 1. *de leg. quæst.* 2. *part.* 3. *num.* 8. quod si causa, ex qua dispensatur, bona fide putetur sufficiens, & vera non sit; nihilominùs tenet dispensatio, & is, cum quo dispensatur, est tutus in conscientia, etsi postea fiat certus de causæ insufficientia; id enim petit recta animarum gubernatio ad tollendos scrupulos, ac pacandas conscientias; quod tamen negant alij, & probabiliter iudicio Bonacinæ: cum ignorãtia inuincibilis, quæ fundat bonam fidem circa sufficientiam causæ, solùm excuset à culpa, non autem validet actum aliàs nullum. 98.

Addo ex Suar. *tom.* 1. *de relig. tract.* 2. *l.* 2. *c.* 33. *n.* 13. Sanch. *lib.* 4. *mor.* 45 *num.* 6. & aliis, quod, si verè subsit causa sufficiens ad dispensandum, sed ea non cognoscatur à dispensante: probabile est dispensationem esse validam; nisi fortè in facultate dispensandi specialiter præscribatur cognitio causæ, vt communiter fit in literis Sacræ Pænitentiariæ: nam in tali casu dispensatio facta absque cognitione causæ in Concilio Trid. *sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.* censetur subreptiua, non quidem, quoad forum conscientiæ, sed quoad præsumptionem fori externi. 99.

FFF 3 Quod

Quod ſi qoæras, an peccet, mortal. qui ſine iuſta cauſa diſpenſat in propria lege, vel certè ſolùm venialiter.

100. Reſpond. quod licèt multi DD. cum Caietano *v. diſpenſatio*, & Suarez *lib. 6. de leg. cap.* 18. *num.*9. ſuſtineant illum ex genere ſuo peccare mortal. eo quod ſic diſpenſans multipliciter peccet contra iuſtitiam, tum communicatiuam, qua ipſe tenetur non vti irrationabiliter poteſtate, quam habet; tum diſtributiuam, qua tenetur æqualiter diſtribuere onera, non admiſſa perſonarum acceptione; tum legalem, qua tenetur conſulere bono communi non faciendo quidquam contra illud (quæ omnes obligationes ex genere ſuo ſunt ad mortalem;) nihilhominùs probabile videtur taliter diſpenſantem non peccare, niſi venialiter: cum eximere aliquem ſine cauſa à communi obligatione legis non ſit res magni momenti, niſi fortè ratione ſcandali, aut iniuſti grauaminis aliorum inde reſultantis. ita Sanchez *ſup. D.* 18. *num.*7. Nauarr. *in manu. prælud.*9. *num.*14. Caietan. 1.2. *quæſt* 96. *art.*5. Bonac. *ſup. part.*3. *num.*2. & alij, qui conſequenter dicent Soperiorem ſecum ipſo diſpenſantem in propria lege ſine cauſa non peccare mortal. quod eſt contra Suarez *ſup. num.* 2. & alios docentes in tali caſu peccari mortal.

An autem peccet mortal. ſubditus, qui ſine cauſa petit diſpenſari ad id inducendo Superiorem, aut acceptat diſpenſationem factam ſine cauſa.

101. Reſpond. Sanch. *ſup. D.*16.*n.*8. peccare mortal. ſiue petat diſpenſationem ſine cauſa (niſi fortè excuſetur ratione ignorantiæ) ſiue acceptet eiuſmodi diſpenſationem ſpontè oblatam: quamuis id neget Suarez *ſup. num.* 13. aſſerens acceptantem in tali caſu, vel nullo modo peccare, vel fortè ſolùm venialiter: vtpote qui permittit ſolùm, vt peccatum à Superiore iam commiſſum habeat effectum; nimirùm vt ipſe eximatur à communi obligatione: quod non videtur continere grauem malitiam. Moueor, quod inducens alterum ad peccandum eſt reus illius eiuſdem peccati, cuius eſt reus is, qui inducitur: acceptans verò diſpenſationem datam ſine cauſa, vtique conſentit peccato taliter diſpenſantis, eique cooperatur, cum diſpenſatio non ſit completè diſpenſatio, niſi acceptetur.

Qværas V. Quibus Prælatis regularibus competat poteſtas diſpenſandi.

102. Reſpond. competere non ſolùm Prælatis ſuperioribus (nempe Generali, ac Prouincialibus) ſed etiam Prælatis omnibus inferioribus; ita vt qoilibet horum poſſit diſpenſare cum ſuis ſubditis in iis omnibus, quæ per regulam non reſeruantur Prælato Superiori: quod eſt illis concedi totum id, quod non prohibetur. ita Suar. *tom.*4 *de relig. tract.*8 *l.*1.*c.*13.*n.*15. & probatur, quia ex vi prælationis quilibet Prælatus habet hanc poteſtatem, vtpote valdè neceſſariam ad bonum ſpirituale ſubditorum promouendum, & conſequenter habet totam huiuſmodi poteſtatem, quæ reperitur in Religione reſpectu ſubditorum, niſi prohibeatur iure ſpeciali: nullum enim aliud principium excogitari poteſt, vnde talis poteſtas reſtringatur. Dixi, *vtpote valdè neceſſariam*, &c. vt innuerem quod, ſicut Religioſi ratione ſtatus tenentur procurare non ſalutem ſpiritualem animæ tantùm, ſed etiam perfectionem propriam; ſic & Prælati, etiam locales debent illos ad dicta promouere: ſicque par eſt, vt eos opportunis auxiliis adiuuare poſſint: quale eſt, vt, occurrente neceſſitate, poſſint diſpenſare: quæ neceſſitas ſæpè eſſe poteſt vrgens, præſentanea, & quaſi quotidiana, ideóque non debuit dependere ſemper à Prouinciali, vel Generali, qui ſæpè, & diu, & longè abſunt; præterquam quod Prælati locales participant de iuriſdictione Epiſcopali, ſicque etiam participabunt de poteſtate diſpenſandi, quæ competit Epiſcopis.

Verum tamen eſt, quod ſi conſideretur poteſtas diſpenſandi, prout Prælatis regularibus conceditur ex ſpecialibus priuilegiis conceſſis, ſiue per ſe, ſiue per viam communicationis: tunc maximè attendi debet tenor conceſſionis, poteſtque contingere, vt Prælati locales interdùm vti non poſſint tali poteſtate; vt ſi verba conceſſionis ſint ſpecialia, v. g. directa ad Generalem, aut Prouincialem: ſic quippe adeſt virtualis prohibitio reſpectu inferiorum impediens vſum talis poteſtatis. dico *reſpectu inferiorum*, quia reſpectu ſuperiorum non debet admitti ea reſtrictio, niſi exprimatur; vnde fit, vt, qoamuis indultum, aut regula diceret, *Omnes Guardiani, aut Priores, vel locales Prælati in hoc diſpenſare poſſint*, non ideò cenſeatur excluſi Prouinciales, & alij Prælati ſuperiores: cum ſub particulari ſemper includatur Prælatus vniuerſalis. 103.

Qværes VI. An Prælati regulares poſſint diſpenſare cum omnibus ſuis ſubditis, etiam Nouitiis.

Reſpond. poſſe diſpenſare cum omnibus ſubditis: quippe qui ſunt quaſi proprium ſubiectum poteſtatis dominatiuæ, circa quod ea verſatur; non tamen cum Nouitiis, eis concedendo diſpenſationes perpetuas, quæ in eis durent, etiamſi poſteà habitum religioſum relinquant; ſiquidem hi non ſunt perpetui ſubditi, & talis diſpenſatio potiùs cederet in damnum Religionis, quam in fauorem. ita Suarez *ſup. cap.* 14. *num.* 1. & 9. quod tamen negant alij Doctores, & non improbabiliter, vt dicemus infra *quæſt.* 15. §. *porrò ſi quæras.* 104.

Dixi, *concedendo diſpenſationes perpetuas*; quod enim ſpectat ad quaſdam diſpenſationes non perpetuas (v. g. in ieiunio, auditione Miſſæ & ſimilibus) puto Nouitios poſſe pro tempore nouitiatus diſpenſari à Prælato regulari: cum pro eo tempore gaudeant priuilegio exemptionis, & quoad ſpiritualia ſint ſub cura Prælati regularis, qui proinde circa illos poteſt exercere iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem, ad quam pertinet diſpenſatio: maximè cum talis modus diſpenſandi ſit regulariter neceſſarius, vt facilè conſtabit conſideranti. 105.

Quod verò ſpectat ad Familiares, aut Famulos Regularium, aduertit Suarez *ſup. num.* 10. facultatem diſpenſandi regularibus Prælatis competentem ad ipſos non extendi, niſi in ipſa conceſſione exprimantur; hi enim neque in proprietate verborum veniunt nomine Religioſorum, neque etiam ſecundùm aliquam extenſionem fundatam in iure aut communi modo loquendi; vnde neceſſe eſt, vt ea extenſio expreſsè fiat à Papa. 106.

Maius dubium eſt, an Prælati regulares poſſint delegare dictam facultatem diſpenſandi, vt ſecum diſpenſetur.

Reſpond. cum diſtinctione; vel loquimur de ſupremo Prælato Ordinis, & is ſicut per ſe poteſt ſecum diſpenſare; cum diſtinctio perſonarum non ſit de ſubſtantia diſpenſationis, vti eſt de ſubſtantia abſolutionis Sacramentalis (quamuis aliàs conuenientius ſit tale munus alteri committere) ſic & poteſt dictam poteſtatem diſpenſandi ſecum ipſo exercere per alium, ſiue ab ipſo electum (ſi aliud non præſcribatur iure ſpeciali Ordinis) ſiue deſignatum à Capitulo generali: quod vtique fieri poſſet, cum talis poteſtas principaliter ſit in toto Ordine, 107.

qui

qui existit in Capitulo generali, & talis modus ea vtendi nullam habeat indecentiam, aut repugnantiam: &, si fieret, tunc non posset Generalis secum dispensare per se ipsum; aliàs enim non esset sufficienter prouisum Generali, si semper cogeretur quærere dispensationem extra Religionem: quod esset contra mentem summorum Pontificum, qui facultates à se concessas Ordinibus religiosis intenderunt suffragari omnibus ac singulis Religiosis, & consequenter etiam Generali. Vel loquimur de Prælatis inferioribus; & hi non possunt vti potestate dispensandi secum ipsis, nisi iuxta institutionem, ac vsum Ordinis; quamquam per se loquendo talis dispensatio pertineat ad proximum prælatum vniuscuiusque, nempe ad Prouincialem respectu Superiorum localium (siue postea id præstent, siue per se, siue per alium) & ad Generalem respectu prouincialium; quod tamen non videtur seruari in multis Religionibus: quippe in quibus Prouincialis censetur posse in sua prouincia quidquid non est expressè reseruatum Generali iuxta propria statuta; vnde, si quidem statuta in hoc aliquid disponant, illud seruari debet; si verò nihil disponant, eo ipso commissa videtur Prouincialibus facultas dispensandi, nisi oppositum constet ex consuetudine. Ita Suarez *sup. num.* 5. & 6. monens *n.* 7. dicta procedere de dispensatione propriè dicta, (quæ propriè locum habet in votis, præceptis Ecclesiæ, ac impedimentis, quæ ex eorum violatione interdùm contrahuntur, imò & in præceptis religionis aliquid simpliciter præcipientibus, aut prohibentibus) non autem de iis actibus, qui simpliciter non prohibentur fieri, sed solùm requirunt licentiam Superioris, adhoc, vt licitè fiant: nam quoad hoc certum est Prælatos etiam locales posse sibi concedere licentias, quas possunt dare aliis, modo id faciant moderatè: id enim moraliter est necessarium.

108. addo, quod cum dispensatio sit actus iurisdictionis, quæ non versatur erga non subditum, non potest Prælatus vnius Ordinis dispensare cum Religioso diuersi Ordinis, nec inferior prælatus cum prælato Superiore, nec prælatus vnius monasterij cum Prælato alterius, nec vnus Prouincialis cum alio Prouinciali, minúsque poterit vnus Prouincialis dispensare cum subditis alterius Prouincialis, vel è contra. Ita Suar. *sup. num.* 1 monens, neque Religiosos hospites dispensari posse à Superiore loci, aut prouinciæ in qua reperiuntur: cum simpliciter non sint subditi, & dispensatio possit obtineri etiam à Prælato absenti, ad quem proinde recurrendum est in casu, quo subditus egeat dispensati.

QVÆRES VII. An potestas dispensandi competens prælato regulari, quoad suos subditos se extendat ad dispensandum in illis omnibus casibus, in quibus Episcopi possunt dispensare cum suis subditis.

109. Respond. se extendere, seruata tamen proportione; imò, si attendantur specialia Religionum priuilegia, se extendere ad longè plura, quàm extendatur potestas Episcopalis. ratio responsionis est, quod Prælati regulares, quoad suos subditos, supposito priuilegio exemptionis, iure Ordinario habent talem potestatem dispensandi, & consequenter si ea aliunde non limitetur, æqualem iurisdictioni Episcopali, vtpote subrogatam loco iurisdictionis Episcopalis. non enim apparet, cur ea potiùs restringi debeat in vna materia, quàm in alia, nisi iure expresso talis restrictio inducatur.

110. Ad cuius assertionis probationem maximè confert priuilegium bullatum Pij V. concessum Ordini Fratrum Prædicatorum, ac relatum à Rodriq. *in suo bullario Constitut. Pij V. in ordine* 13. nimirum quod facultas reseruatorum in Concilio Trid. *sess.* 24. *c.* 6. concessa Episcopis, quoad sæculares subditos extendatur etiam ad prælatos regulares præfati Ordinis, & consequenter etiam aliarum Religionum Participantium de priuilegiis dicti Ordinis; itaut prælati regulares circa religiosos sibi subditos possint quo ad facultatem absoluendi à reseruatis Papæ quidquid possunt Episcopi circa sæculares subditos, siue ex iure communi, siue ex Concil. Trid. siue ex quacumque alia facultate, quod sine dubio est maximum, & amplissimum priuilegium: sed de hoc plura *in tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 133.

Extant & multa alia priuilegia bullata ad eumdem effectum concessa, quæ congerit Cafat. *in Comp. v. dispensatio*; inter quæ illud in primis eminet, quod concessit Sixtus IV. Carthusiensibus; quod scilicet Generalis per se, vel per 50. prælatos inferiores ab ipso deputandos possit dispensare cum suis subditis in omnibus casibus pontificiis, nullo excepto, in foro conscientiæ tantùm: & ita vt dispensatus in homicidio voluntario non se ingerat circa Altaris ministerium; quod priuilegium sanè est magnum, siquidem non est viuæ vocis oraculo concessum, de quo non parum dubito; quamquam, cum de hoc certò non constet, iuxta doctrinam aliàs traditam fundatam in regula iuris, *In dubio melior est conditio possidentis*, censeri possit non esse viuæ vocis oraculum, & consequenter durare etiam in præsentia.

Dixi, *seruata tamen proportione*, vt innuerem Episcopus ex diuersitate subiectorum, seu materiæ, circa quam versatur eorum facultas dispensatiua, posse dispensare in multis, in quibus Prælati regulares non possunt dispensare cum Religiosis subditis (vt in impedimentis matrimonij non dirimentibus) sicut è contra Prælati regulares possunt dispensare in aliquibus, in quibus non possunt Episcopi (vt in obseruantia Regularum &c.) quamquam hæc diuersitas sit solùm materialis, vt patet. 111.

QVÆRES VIII. An Prælati regulares possint vti potestate dispensandi etiam extra proprium territorium.

Respond posse, & quidem eo modo, quo diximus *in hoc ipso cap. sect.* 1. *q.* 9. 112.

QVÆRES IX. An Prælati regulares possint vti facultate dispensandi etiam extra Sacramentum pœnitentiæ.

Respond. posse; ita tamen, vt dispensatio non suffragetur, nisi pro foro conscientiæ, si in tenore concessionis dicatur potestatem dispensandi concedi solùm pro foro conscientiæ; tunc enim, quoad forum externum non prodesset dispensatio, quæ impertiretur vigore talis concessionis. Ita Portel. *de dub. regul. v. dispensare, in addit. num.* 10. patetque ex dictis *in tract. de priuil. cap.* 3. *sect.* 1. *subsect.* 3. *num.* 180. 113.

Moneo hîc solùm Paulum III. per bullam relatam à Rodriq. *in suo bullario Constit.* 10. *Pauli III. in* ordine concessisse Religiosis S. Benedicti Vallisoleti; quod singulis annis prima die lunæ quadragesimæ omnes, & singulas vtriusque sexus personas Ordinis, & Congregationis prædictorum religiosas, ac eidem Ordini, & Congregationi oblatas seu donatas, nec non Eremitas sub cura ipsorum existentes ab illorum omnibus peccatis, ac censuris, & pœnis propterea incursis, etiam in casibus quantumcumq; Sedi Apostolicæ reseruatis (exceptis contentis in bulla Cœnę) absoluere possent, & cum eis super quibusuis irregularitatibus per eos pro tempore quauis occasio- 114.

ne, vel causa contractis dispensare. Vbi notat Portel. *sup. num.* 5 quod, cum Papa in hoc indulto det facultatem dispensandi ab omni irregularitate quauis occasione, vel causa contracta, non limitando, siue homicidij voluntarij, vel casualis; siue delictum occultum, vel publicum, nullámque excipiendo irregularitatem; & aliàs tale indultum possit concedere, nec constet ab vllo alio Pontifice fuisse reuocatum in specie, videntur Regulares eo vti posse absque vlla limitatione; cum lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi, maximè in materia fauorabili animæ, ac bono spiritualis Religionis.

115. Dissentit tamen Lezana *tom. 1. c. 18. num. 42.* dicens quod, quamuis in aliquibus priuilegiis Religiosorum concessa videatur facultas dispensandi in omni irregularitate, semper tamen debent intelligi exceptæ tres illæ, bigamiæ, occisionis voluntariæ, ac mutilationis membrorum: nam casus speciales sine specifica expressione non censentur concessi; vt in simili docet Suar. *sup. c. 21. num. 2.* Quæ ratio probat in generali facultate dispensandi non includi irregularitates procedentes ex aliquo enormi vitio corporis, aut animæ; vt si quis lepra sit infectus, morbo caduco laboret, aut sit conuictus de peccato indicibili. Ita Lezana, & satis probabiliter. Quamquam non ideò improbabile videatur, quod ait Portel. *vbi supra*, vt constat, tum ex rationibus modò adductis: tum quia ex rationabili voluntate concedentis in priuilegio illo Pauli III. videntur includi 3. illæ irregularitates, aliàs speciali expressione indigentes hoc ipso, quod vsus talis concessionis non sæpiùs in anno (quo pacto concedunt alia priuilegia similem facultatem præstantia modo supradicto limitatam) sed semel in anno deseruire possit, & alioqui minùs benè obtineri possit finis, qui in præfata concessione intenditur: nimirum quod Religiosi dicto priuilegio gaudentes Altissimo famulari possint maiori eum animi hilaritate, ac serenitate; prout habetur in ipsa bulla Pauli III. quod certè non possent facere, si quod esset delictum, à quo ij per suos Superiores non possent absolui, aut aliqua irregularitas, super qua ab eis non possent dispensari.

116. Illud etiam hic placet aduertere, quod, cum Paulus III. in allegato indulto non distinguat, an dispensatio vigore illius fieri debeat in foro Sacramentalis confessionis, aut conscientiæ: poterunt Regulares eo vti etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ iuxta regulam, *Vbi lex, vel Princeps non distinguit, nec nos debemus distinguere.* Quæ ratio si quid probat, videtur etiam probare huiusmodi dispensationem posse suffragari pro foro externo, cum Papa eam non restringat ad forum conscientiæ (quo modo non prodesset pro foro externo) sed eam sine vlla limitatione concedat; vt constabit consideranti verba textus: quod tamen videtur negare Portel. *sup. num* 4.

117. Addo, quod, licèt talis facultas dispensandi concedatur in specie Reformatori generali, Abbatibus, Prioribus, ac Præsidentibus Ordinis S. Benedicti Vallisoleti: per communicationem tamen competit etiam Prælatis aliorum Ordinum, qui cum iis habent communionem priuilegiorum, & correspondent prædictis Officiis, ac dignitatibus Benedictinorum, idque cum facultate delegandi supradictam potestatem; siquidem hoc ipso, quod habent illam per Priuilegium Papæ, eam habent vt ordinariam, & consequenter delegabilem; quod tamen non habet locum in casu, quo facultas dispensandi concederetur Prælatis regularibus cum hoc, vt eam per se ipsos exercerent (quomodo concedirur in indulto Pij V. relato à Rodriq. *in suo Bullar. bulla* 13. *Pij V.* & à nobis explicato *tract. 7. cap. 6. num. 20.* tunc enim non possent delegare facultatem dispensandi quantumuis concessam à Papa, nisi eo modo, quo diximus *tract. 8. cap. 2. num. 133.*

QVÆRES X. Vtrum strictè, an latè debeat interpretari potestas dispensandi.

Respond. quod, quamuis dispensatio debeat strictè interpretari, vtpotè derogans iuri communi; potestas tamen dispensandi latè debet interpretari; siue sit ordinaria, siue delegata; ideóque potest aptari ad casus quoquomodo adaptabiles casibus in ipsa potestate expressis (intellige, nisi hinc sequatur præiudicium tertij, & nisi potestas concedatur ad dispensandum cum personis expressis) est communis DD. cum Sanch. *l. 8. de matr. D. 2. n. 1.* patetque ex eo quod quando conceditur potestas dispensandi, nulli fit præiudicium, nisi soli concedenti, nec ex parte eius, cui conceditur, reperitur aliquod odium, ac proinde tanquam Principis beneficium est latè interpretanda *l. beneficium ff. de constitut. Princip.* 118.

Dixi, *nisi hinc sequatur preiudicium tertij*, &c. si enim vergat potestas dispensandi in præiudicium tertij, tunc debet strictè interpretari; cum Princeps censeatur velle quam minimum damnum inferre tertio; quod item locum habet in casu, quo exprimantur personæ, cum quibus dispensandum est: cum sic potestas dispensandi sit priuilegium passiuum personæ dispensandæ, vtpotè in eius fauorem concessum & consequenter non tam sit potestas dispensandi, quam quasi dispensatio in esse producta solam executionem expectans. Ita Sanch. *sup. n. 3. & 6.* addens *num. 9.* in dubio, an potestas dispensandi extendatur ad aliquem casum, eam interpretandam esse extendi; non item ipsam dispensationem, quæ in dubio interpretanda est non extendi, idque ob rationes adductas in præsenti responsione. 119.

QVÆRES XI. An potestas dispensandi competens Prælatis regularibus sit talis, vt eam possint delegare quibus maluerint.

Respond. posse eo modo, quo diximus *sup. q. 9.* idque ob rationem allatam, tum ibi, tum *q. 2.* 120.

QVÆRES XII. An Prælati regulares, concurrente iusta causa, teneantur dispensare cum suis subditis.

Respond. teneri, cum potestas dispensatiua ipsis concedatur in bonum spirituale subditorum, & ij ex officio debeant omnibus modis consulere spirituali ipsorum saluti, ad quam sine dubio interdùm potest conferre dispensatio. Ita Portel. *sup. n. 21.* ex Sanch. *l. 3. de matr. D. 10. num. 6.* addens, quod si subditus petens dispensationem sit scrupulosus, non debet Prælatus illum remittere suæ conscientiæ, sed causa cognita pro sufficienti, debet eum omninò liberare à scrupulis, nullatenùs commisso negotio in manu illius; quod est valdè notandum. 121.

De Potestate dispensandi super Irregularitatibus, aliisque pœnis Ecclesiasticis.

122 *Prælati regulares dispensant cum Religiosis subditis super aliquibus Irregularitatibus, etiam stando in iure communi, imò & super omnibus ex Pauli III priuilegio.*

123 *Item quod hoc vti possunt indulto Concilij Tridentini Episcopis concesso.*

124 *Regulares ab Episcopis possunt dispensari super irregularitatibus.*

125 *Idque non obstante quod ex Pij V. indulto possint super ijs dispensari à proprijs Prælatis.*

126 Prædict

126 *Prodest generalis dispensatio facta à proprio Prælato in Visitatione.*
127 *Potestas dispensandi competens Prælato regulari extenditur ad Nouitios ex Sixti IV. indulto.*
128 *Imò & ex indulto Pij V. concesso PP. Theatinis.*
129 *Quod suffragatur etiam Nouitys.*
130 *Nouitij ab Episcopo liberè possunt dispensari super irregularitatibus iuxta facultatem illius.*
131 *Prælati irregulares dispensant cum subdito illegitimo ad dignitates, ac officia Ordinis.*
132 *At dispensandus explicare debet genus illegitimitatis.*
133 *Dispensant super irregularitate ex defectu corporis.*
134 *Item super infamia iuris, etiam publica.*
135 *Item super Bigamia.*
136 *Item super irregularitate contracta ex celebratione facta cum censura.*
137 *Item cum verbaliter degradatis ab Ordine.*
138 *Item super defectu scientiæ.*
139 *Item super Homicidio voluntario iniusto, sed occulto (quod alij negant.)*
140 *Item super Homicidio occulto: quamquam* Rodriq. ex Castro *putet non incurri irregularitatem ex homicidio omninò occulto: Episcopi autem ex Tridentino dispensare prohibentur cum mandante, aut consulente homicidium voluntarium occultum (etsi alij dissentiant.)*
141 *Item dispensant super Homicidio casuali, aut facto in iustam defensionem.*
142 *Et hoc ex indulto Sixti IV.*
143 *Item super irregularitate ex defectu lenitatis.*
144 *Item super irregularitate ex abortu per indulta ad hunc effectum concessa.*
145 *Idq; etsi Sixtus V. reuocauerit dicta indulta: quippe quæ à Clemente VIII. fuerunt reualidata.*
146 *Item dispensant super mutilatione.*
147 *Item super priuatione vocis actiuæ, & passiuæ.*
148 *Et quidē, etsi ea imposita sit à sacra Pœnitentiaria.*
149 *Idem procedit quoad Moniales exemptas ab Ordinario.*

QVÆRES XIII. An Prælati regulares dispensare possint super irregularitatibus.

121. Respond. quod, cum neque Episcopi de iure communi possint generaliter dispensare cum suis subditis in irregularitate, vt sic, sed solùm in aliquibus ipsis iure communi concessis: multo minus Prælati regulares, stando in iure communi, poterunt dispensare cum suis subditis in omni irregularitate, sed ad summum poterunt dispensare in iis, in quibus Episcopi possunt dispensare cum propriis subditis. ita Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 11. & patet ex dictis *supr. q.* 5.

Dixi, *stando in iure communi*, quia Paulus III. in bulla à Rodriq. relata *in suo bullario* 10. *in ordine*, quæ incipit, *Exponi nobis*, concessit PP. Benedictinis Vallisoleti, vt quouis anno prima die Lunæ Quadragesimæ, si sint Prælati, possint dispensare cum suis subditis super quibusuis Irregularitatibus pro tempore, quaui occasione, vel causa contractis, quod indultum cum sit generale, videtur comprehendere omnes irregularitates, adeòque irregularitatem ex homicidio voluntario, ac irregularitatem ex bigamia: qui enim dicit totum, nihil excludit; & lex fauorabilis generaliter loquens, generaliter debet intelligi.

Vtrum verò facultas dispensandi in irregularitatibus contractis ex delicto occulto concessa Episcopis in Concil. Trid. censeatur cum proportione concessa Prælatis regularibus quoad suos subditos.

Respond. non esse concessam, stando præcisè in iure communi. ita Suar. *supr. num.* 11. probátque ex quadam declaratione sacræ Congregationis Cardinalium, quæ ita habet: *In hoc decreto* (quod scilicet extat in Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 6.) *non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, sed tantum Episcopi priuatiuè, quoad omnes alios*; vnde infert Suarez *supr. n.* 8. quòd cum hæc declaratio non possit fundari in aliqua speciali ratione, aut locutione illius textus Concilij, sed in generali doctrina; consequenter ea debet extendi ad omnes similes casus, & sic in ea comprehendentur etiam Prælati regulares, vt consideranti patebit. Dixi, *stando præcisè in iure communi*, vt innuerem supradictam facultatem dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto competere Prælatis regularibus, quoad suos subditos ex priuilegio ipsis concesso à Pio V. ad talem effectum, & à nobis relato *supr. quæst.* 9.

Quòd si quæras, an seclusо hoc priuilegio, aut alio simili, possint Religiosi exempti obtinere dispensationem talium irregularitatum occultarum ab Episcopis.

Respond. posse vnumquemque ab Episcopo diœcesis, in qua Religiosus dispensandus habet domicilium. ita Suar. *supr. cap.* 12. *n.* 12. & probatur ex eo quòd, licèt Religiosi sint exempti, sunt tamen subiecti Episcopis, quoad aliquos actus proprios Episcopi, & omnibus respectiuè necessarios; quod præcipuè locum habet in actibus iurisdictionis voluntariæ, qui cedunt in fauorem subditi, qualis est actus dispensationis. 124.

Maius dubium est, an stante supradicto priuilegio Pij V. nihilominus possint Religiosi petere ab Episcopo dispensationem irregularitatis occultæ.

Respond. Suarez *supr. num.* 14. & 15. quòd, licèt Regulares videantur posse petere dictam dispensationem ab Episcopo, eum per extensionem concessionis factam respectu Prælati regularis non sit ablata ab Episcopo potestas supradicta dispensandi, eadatque in maius bonum Religiosi, vt non auferatur; in praxi tamen tutius est obtinere semper huiusmodi dispensationem à proprio Prælato, vel certè de eius licentia, si recurrendum sit ad Episcopum, eo quòd Prælatus nolit, aut non audeat vti sua potestate; ex vna enim parte non pauci DD. affirmant posse Episcopum de consensu Prælati regularis impertiri huiusmodi dispensationem; ex alia parte probabile est Prælatum exemptum hoc ipso quod habet facultatem dispensandi cum suis subditis, habere etiam ius, vt nemo se intromittat circa eius subditum, aut ipsum præueniat in vsu talis potestatis; vt proinde videatur necessarius Prælati consensus, etiam vt valida sit dispensatio (quod non eueniret, si Prælatus careret tali potestate:) maximè quando dispensatio attingit aliquo modo disciplinam regularem, (vt in absolutione reseruatorum, &c.) quod tamen non facit, quin si Prælatus regularis careret præfata facultate dispensandi, possint Religiosi dictam dispensationem validè obtinere ab Episcopo sine licentia proprij Prælati, immò ipso inuito: quidquid sit de peccato, quod Religiosus dispensandus committat, vel non committat dispensationem eo modo procurando; cum talis defectus ad valorem dispensationis sit extrinsecus, & accidentarius, & per exemptionem non debeat commune omnium commodum fraudari; quod tamen non admittit Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 12. *art.* 7. 125.

QVÆRES XIV. Ad qui prosit dispensatio, quæ à Prælatis regularibus solet impertiri Religiosis

fis subditis in generali, tempore Visitationom, aut reconciliationis.

126. Respond. prodesse ad boc vt, si quis postea meminerit se affectum esse aliqua irregularitate v. g. non indigeat nooa dispensatione; eum iam per illam generalem dispeosationem foerit sublata. ita Peyrin. *tom. 1. priuileg. Constit.* 1. *Iul. II. n.* 4. cum Nao. *cap.* 16. *n.* 13. Sylu. *v. Confessio* 1. *q.* 4. & aliis à Nauarr. citatis.

Qværes XV. An Prælati regulares possint vti com Nouitiis sui Ordinis ea potestate, quam exercere possunt cum professis.

127. Respond. posse ex prioilegio Sixti IV. concesso Fratribus Minoribus, vt eorum Nooitij per confessionem post ingressum Religionis possint dispensari in omnibus irregularitatibus homicidij voluntarij, & mutilationis membri: quibus Rodriq *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 15. addit bigamiam, vt grauiorem ad dispensandum; cum boc tamen, vt ipsi Nouitij babeant propositum profitendi, & si fortè iam dispensati exeant è Religione: teincidant in irregulatitates modo dicto ablatas. ita Rodriq. *loc. cit.* addens *in Mari magno Fratrum Prædicatorum*, ab eodem Sixto IV. concessum fuisse Magistro Ordinis dictorum Prædicatorum, Prouincialibus Prioribus, Conuentualibus, & eorum vicem gerentibus, vt possint dispensate cum Nouitiis, qui in sæculo iociderunt in irregularitatem, eo quod excommunicati, suspensi, vel interdicti, aut in locis interdictis diuina celebrarint, vel Ordines susceperint, dato à Iudice generaliter fuetit data, vel lata à iure dicta censura; ita tamen, quod, si ex boinsmodi sententiis propter debita sint adstricti, satisfaciant: quod idem priuilegium concessit Paulus III. per bullam Societ. Iesu anno 1549. quamquam cum aliqua differentia, quod ex vna parte est magis restrictum; cum ibi dicatur, *nisi* excessus dispensandorum sit adeò grauis, vt ad Sedem Apostolicam sint remittendi iuxta explicationem Sixti IV. (intellige factam circa priuilegium relatum bîc:) ex alia parte est magis amplum; tum indultum Sixti IV. excludat casum, in quo Nouitius ante ingressum Religionis nominatim fuetit excommunicatus, suspensus, aut interdictos à Iudice, & nihilominus celebrauerit (quod colligitur ex illis verbis indulti, *dato à Iudice generaliter fuerit data*, &c. quæ vtique contradistinguunt censuram latam in genere à censura nominatim lata, vt patet.

128. Magnum quidem, & amplum est priuilegium, quod retulimos sub initium huius responsionis; si quidem in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum non fuit sublatum, tanquam comprehensum inter illa de quo non parum dubito; cum non constet illud esse bullatum: quamquam si dicatur illud esse sublatum, non desit aliud priuilegium (& quidem bullatom) concessum à Pio V. PP. Theatinis aono 1567. 13. Febr. in bulla *Ad immarcescibilem*, in quo ipsis conceditur, vt quicumque ingrediuntur eorum Ordinem aoimo profitendi in eo ante professionis emissionem dispensari possint *super irregularitate ex quocumque eorum defectu, & impedimento, non tamen ex homicidio voluntario, prouenient, ac aliàs quomodolibet contracta.* Vbi aduerto hanc concessionem videri extendi ad omnes omnino irregularitates, præterquam ad eam, quæ contrahitur ex homicidio voluntario (quidquid contradicat Lezana *supr. num.* 40. iuxta dicta *quæst.* 9. putans in generali facultate dispensandi super irregularitatibus nunquam comprehendi irregularitatem ex bigamia, ac homicidio, & mutilatione voluntariis ortam:) eiusque vsum non videri restrictum ad forom Sacramentale; quantumuis Pius V. in ea videatur supponere id fieri in ipsa confessione Sacramentali: idque ob doctrinam à nobis traditam *sup. c.* 2. *sect.* 1. *subsect.* 2. *q.* 12. in re non dissimili, & à Suar. *sup. tract.* 10. *l.* 9. *c.* 2. *n.* 27. quin etiam (quod spectat ad priorem partem animaduersionis modo factæ contra Lezanã) mihi tanto probabilius redditur in hac concessione Pij V. non excludi irregularitates ex bigamia, aut mutilatione voluntaria: quod eæ videtur venire sub illa clausula, *ac aliàs quomodolibet contracta*, quæ est generalissima, ibique solùm excipitur irregularitas ex homicidio voluntario, quæ est vna ex 3. irregularitatibus, quas Lezana dicit non censeri concessas, nisi in specie exprimantor, immò & præcipua: cum tamen exceptio firmet regulam in contrariom, & cui cõceditur quod est plus, concedatur, & qood est minus; præterquam qood Pontifices quando voluerunt à generali concessione irregularitatum excludere illas 3. sopradictas, vel eas expressè exceperunt, vel certè non sunt vsi clausulis adeo prægnantibus, vt facilè videri potest apud Collectores prioilegiorum *v. absolutio*, & *v. dispensare.*

Porrò si quæras, ao Prælati regulares possint cum Nouitiis dispensare super omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus iuxta indultum Pij V. à nobis relatum *supr. quæst.* 9. & 13.

129. Respond. non videri improbabile, quod possint; patetque tum quia probabile est Nouitios gaudere priuilegiis sui Ordinis (vt ostendimus *supr. c.* 1. *sect.* 3. *quæst.* 6.) tum quia etiamsi Prælatos regularis non habeat in Nouitios potestatem dominatiuam, habet tamen iorisdictionem spiritualem Ecclesiasticã in eos, vt benè tradit Sanch. *l.* 4. *in decal. c.* 39. *n.* 17. ex Nauar. vnde fit, vt quamdiu Nouitius perseuerat in Religione, sit exemptus à iurisdictione Episcopi, qoi proinde non potest cognoscere de delicto, aut aliis causis illius, nisi fortè Nooitius illi se subdat, sed totom hoc pertinet ad Prælatum Religionis. ita Sanch. *loco cit.* & com eo Henriq. Rodriq. Less. Ang. Sylu. & alij penes Dianam *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 71. qui licèt in specie loquãtur solùm de commutatione, ac dispensatione; eorũ tamen rationes videntur æquè probare de quacumque dispensatione, & cõsequentur de ea, que impertiri potest ex præfato priuilegio Pij V. quod negaret Suar. existimans non posse Nooitiõ vi priuilegiorum Religionis dispensari ad effectus perpetuos (v. g. in irregularitate ad effectum suscipiendi Ordines) eo quod spectata materia talium priuilegiorum non possit prudẽter fieri extensio ad Nouitios; quippe quæ non est accommodata statui Nouitij, vt sic: cum is habeat statum annuum (vt ita dicam,) & facilè mutabilem, dispensatio autem fiat ad rem perpetuã; quæ ratio non videtur eneruare vim rationum pro nostra sententia adductarum; maximè, cum in casu nõ dissimili possit quis dispẽsari ad effectum perpetuum, siue vi Iubilei, quod mutata voluntate, postea non obtinet, siue ex concessione Sacræ Pœnitentiariæ, cuius opera iniuncta postea non exequitur ex negligentia, aut tædio; vt propterea mirum non sit Nouitium bona fide accedẽtem ad Religionem consequi ex priuilegiis ipsius Religionis aliquod beneficium, aut fauorem perpetuum, esto in ea non perseueret (ita est ambulatoria hominis voluntas vsque ad mortem:) præsertim cum simus in materia fauorabili, quæ debet ampliari, & æquum sit, vt sicut Nouitius sustinet onera Religionis, & quidẽ aliquando cum notabili ipsius præiudicio (v. g. contrahendo morbom insanabilem) ita & fruatur bonis, ac priuilegiis illius, iuxta regulam, *qui sentit commodum*, &c.

Hoc tamen non facit, quin si Nouitios velit adire

Episcopum

Episcopum ad obtinendam aliquam dispensationem, possit illum adire: cum nondum plenam exemptionem, ac subiectionem Prælato regulari adeptus sit, adeóque possit se subiicere Episcopo modo supradicto. Ita Sanchez *sup.n.*18. addens *n.*20. quod licet probabile sit Nouitium ad supradictum effectum posse adire Episcopum, cui suberat ratione domicilij antequam ingrederetur Religionem: eo quod Nouitius non censeatur acquirere domicilium in loco Nouitiatus: vtpote qui non habet animum perpetuæ habitationis, sed experiendæ regulæ, eáque experta statuendi, an permansurus sit, necne; probabilius tamen est Episcopum hunc debere esse Ordinarium diœcesis, in qua Nouitius est in probatione: siquidem Nouitius, quantum est ex parte sua, habet animum perpetuò habitandi, ac prioris domicilij deserendi, & cum hoc animo ingreditur Religionem, estò libere postea egredi possit; quo modo dici non potest dubius de perseuerantia, cum dubius dicatur, qui in neutram partem inclinans manet animo pendulus.

QVÆRES XVI. An, & quomodo Prælati regulares possint dispensare cũ subditis defectum natalium patientibus ad dignitates, & officia Ordinis.

131. Respond. posse, siue sint Generales, siue Prouinciales, siue etiam Superiores locales, & quidem etiam extra Capitulum generale, aut prouinciale: idque ex priuilegio concesso Clericis Regularibus ministrantibus infirmis à Gregorio XIV. & relato à Casarub. *in Bullar. tom.*2.*Const.*17.*Greg. XIV*.

132. Moneo hic solùm ex Mirand. *tom.*2.*q.*1.*art.*13. ad dispensandum cum illegitimo requiri, quod illegitimus exponat qualitatem illegitimitatis: sitne spurius, an naturalis, an sacrilegus, an incestuosus, adulterinus, &c. hæ enim qualitates cum aliquibus circumstantiis, maximè duplicatis possunt deterrere, aut mouere ad dispensandum, sicut etiam notat Portel. *de dub. Regul. v. illegitimus, n.*11.

QVÆRES XVII. An, & quando Prælati regulares possint dispensare cum subditis super irregularitate ex defectu corporis.

133. Respond. posse in iis casibus, quos retulimus *tract.*8.*c.*2.*sect.*3.*q.*17.

QVÆRES XVIII. An Prælati regulares dispensare possint cum suis subditis super Infamia iuris, etiam publica.

134. Respond. Peyr. *tom.*2.*priuil. c.*2.*n.*1. quod licet DD. communiter cum Llamas 4.*p. Meth. c.*3. §.8. Sigism. à Bonon. *de elect. d.*87.*n.*3. & Vecch. *de nouit. D.*9. *d.* 22. *n.* 13. concedunt posse Prælatos regulares dispensare super infamia iuris, si delictum sit occultum, negent verò id posse facere, quando delictum est notorium, & à fortiori, quando delinquens est declaratus infamis per sententiam Iudicis: nihilominus, cum iuxta probabilem Doctorum sententiam (de qua Sanch. *l.*9. *de matr. D.*30.) non incurratur infamia iuris, nisi post Iudicis sententiam, & Eugenius IV. concesserit Religiosis B. Petri de Pisis per bullam relatam in *Bullar. tom.*1.*Const.*12. Eugenij IV. vt per Confessarios electos (intellige de consensu proprij Prælati regularis) possint abolere maculam infamiæ: sequitur huiusmodi concessionem extendi ad dispensandum etiam in infamia iuris publica, & declarata per Iudicem, & consequenter etiam quoad forum externum: aliàs enim talis concessio esset inutilis; quippe quæ iuxta supradictam doctrinam non est necessaria, nisi in casu, quo infamia per Iudicis sententiam declarata sit; cum tamen priuilegia semper debeant interpretari, itaut aliquid operentur; & iura absolutè loquentia, pro foro tam externo, quam interno intelligenda sint iuxta regulam: quod fauores debent ampliari. Ita Peyrin. non dissentiente Diana *part.*5. *tract.*14.*n.*91. quàm autem probabiliter, viderint alij; in foro certè externo valdè dubito talem doctrinam non admissum iri; maximè cum non desint DD. penes Sanch. *loc. cit.* docentes incurri Irregularitates etiam ante Iudicis sententiam: vt proinde con. Peyrin. sentiant Rodriq. *to.*1.*q.*14.*art.*6. Portel. *sup. v. dispensare, n.*6. & alij suprà relati: inter quos Rodr. benè concedit Irregularitatem, quæ oritur ex infamia facti (qualis est, quæ nascitur ex delicto graui notorio) tolli posse non solum per Episcopos (dic tu, & per Prælatos regulares, quoad ipsorum subditos) sed etiam per iustam pœnitentiam, ac emendationem vitæ; cum res per quas causas nascitur, per easdem & dissoluatur, quod notauit Nauar. *c.*25.*n.*75. *&* 76.

QVÆRES XIX. An Prælati regulares dispensare possint cum suis subditis super Irregularitate orta ex bigamia vera, ac interpretatiua.

Respond. non videri improbabile, quod possint; idque maximè ex priuilegio bullato, quod retulimus, ac explicauimus *sup. q.*9. Ita Auila *de Censur. part.*7. *D.*8.*d.*4. Henriq. *l.*12.*c.*6.*n.*11. *lit. Z.* Portel. Peyrin. & alij penes Dianam *p.*4.*tr.*1.*resol.*63. contr. Rodriq. & alios, quos citat, & sequitur Barbosa *de pot. Episc. p.*2.*alleg.*49.*num.*25. à nobis dissentientes ex eo, quod in priuilegiis semper censeatur excepta bigamia, nullúmque extet indultum in quo ea expresse concedatur. nobiscum sentit Bordonus *c.*4. *de profess. q.*56. *§ bigamum, quoad ordines minores, imò & quoad maiores*, loquendo de bigamia similitudinaria. 135.

QVÆRES XX. An Prælati regulares dispensare possint super irregularitate proueniente ex eo, quod quis Ecclesiastica censura irretitus diuina celebret.

Respond. posse ex priuilegio concesso tum PP. Dominicanis in Mari magno, tum Soc. Iesu à Paulo III. *in Const. Licèt debitum*, in qua conceditur, vt Generalis Societat per se, vel per alios ad id deputatos possint dispensare, cum omnibus iis, qui sub obedientia Societatis degunt, super irregularitate, si quam incurrerint, eo quod excommunicati, aut suspensi, aut interdicti, aut in loco interdicto diuina Officia celebrauerint, aut Ordines susceperint: nisi excessus dispensandorum sit adeò grauis, vt ad Sedem Apostolicam sint remittendi iuxta explicationem Sixti IV. cum hoc tamen, vt, si sic dispensati mox Ordinem intrare, & peractis experientiis secundùm Societatis Constitut. vota emittere parati sint, etiamsi super hoc induciæ eis à Prælatis Societatis concedantur, eo ipso in pristinas sententias reincidant. Ita Rodriq. *sup. art.*14 qui benè aduertit, ex vi priuilegij præsentis concessi PP. Dominicanis posse Prælatos regulares dispensare super hac Irregularitate, cum Religiosis etiam non subditis: cum tamen nullibi reperiatur Prouinciales posse dispensare, cum Fratribus alterius Prouinciæ, neque Priores Conuentuales, cum Fratribus alterius Conuentus super irregularitate contracta ratione homicidij casualis, idque ex vi indultorum, quæ talem dispensationem concedunt in ordine ad Religiosos subditos, non autem ad alios, vt infra constabit. 136.

QVÆRES XXI. An Prælati regulares dispensare possint, cum degradatis ab Ordine.

Respond. posse, si sint degradati solùm verbaliter: secùs si actualiter, seu solemniter. Ita Rodriq. *supra q.*23.*art.*4. & probatur ex eo, quod sola degradatio actualis reseruatur Papæ: verbalis verò conceditur Episcopis, & consequenter etiam Prælatis regularibus, vtpotè iuxta dicta habentibus, quoad proprios subditos iurisdictionem Episcopalem. 137.

QVÆRES

Qværes XXII. An Prælati regulares dispensare possint super irregularitate orta ex defectu scientiæ, quæ communiter dicitur ex defectu animi.

138. Respond. posse, quatenus Episcopi tuta conscientia possunt sacris Ordinibus initiari Religiosos idiotas, ac minus literatos si per literas testimoniales dictorum Prælatorum ipsis constet eos fuisse examinatos, ac repertos sufficienter idoneos; siquidem in Religiosis ordinandis non requiritur tanta scientia, quanta in Clericis sæcularibus; vnde Glossa *in cap. Legi 16. quæst. 1. v. instructus*, ait: *Sufficit Monacho quod tantum bonus sit, licèt sit illiteratus*; quod Sotus *in 4. d. 25. quæst. 1. art. 4* confirmat dicens, quando Religiosi, qui curam animarum non habent, ordinantur, non requiritur alia scientia, quam vt mysterium Sacramenti intelligant. ita Rodriq. *supr. quæst. 24. art. 7.* Mirand. *part. 2. quæst. 8. art. 7.* aliique communiter.

Qværes XXIII. An, & quando Prælati regulares dispensare possint super irregularitate contracta ex homicidio voluntario, iniusto, ac illicito.

139. Respond. Molin. *tract. 3. de iustit. D. 70. num. 12.* Laym. *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap 12. num. 1. & 2.* Peyrin. *tom. 1. priuil. Const. 2. Iulij II. num. 103.* aliique apud ipsos non posse, quantumuis homicidium sit occultum, idque non obstante decreto Conc. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 6.* in quo conceduntur Episcopis omnes irregularitates prouenientes ex delicto; siquidem ibi in specie excipitur hæc irregularitas: probántque ex eo quod in præsentia nullum habent Regulares priuilegium, quo concedatur dispensatio talis irregularitatis; quod tamen negant alij DD. Rodriq. *supr. art. 9.* Mirand. *supr. art. 10.* Portell. *sup. v. dispensare, num. 8.* & alij penes Dian. *part. 3. tract. 2. resolut. 45.* sustinentes, quòd Prælati, etiam locales possint dispensare cum suis subditis super irregularitate de homicidio voluntario, si sit occultum, non publicum probántque ex variis priuilegiis, & præsertim ex bulla Pij V. relata *in bullar. tom. 2. Const. 129. Pij V.* in qua conceditur Prælatis Ordin. Cassinensis facultas dispensandi cum suis subditis in omnibus casibus, & ob quemuis excessum, ac delictum, publicum, vel occultum, casu, seu data opera quomodolibet ab eis, & singulis, etiamsi homicidium voluntarium, seu membri mutilatio (in foro tamen conscientiæ tantum, & dummodò homicidium non fuerit factum post Religionis ingressum, sempérque in ea sint perseueraturi; hæc enim omnia expresè requiruntur in præfata bulla.) quod priuilegium, quàm amplum sit, nemo non videt: quamquam Lezana *tom. 1. cap. 18. n. 44.* putet non extendi ad dispensandum in homicidio voluntario per assassinium, aut proditoriè patrato; quippe quod est adeò enorme, ac malignum, vt nunquam debeat præsumi concessa illius dispensatio, nisi expressa mentio fiat de illo: quod fortasse aliquis alius non concederet inhærens dictis *supr. q. 15.*

Qværes XXIV. An Prælati regulares possint dispensare super irregularitate contracta ex homicidio occulto.

140. Respond. posse; & probatur, tum ex dictis *quæst. praced.* tum quia DD. non pauci cum Auila *de Censur. part. 7. D. 6. sect. 5. d. 5.* Mirand. *supr.* & Lezan. *loco supr. cit.* concedunt, quod, quando homicidium voluntarium, ac illicitum est ita occultum, vt nullo modo sciri, aut probari possit, possunt Episcopi dispensare in irregularitate vi illius contracta: idque non obstante decreto Conc. Trid. *loc. supr. cit.* negante dispensationem in homicidio voluntario etiam occulto, cum tamen ibi concedat Episc. facultatem dispensandi super quacumque irregularitate proueniente ex delicto occulto: dicunt enim Conciliũ loqui de homicidio occulto, quod aliquo modo probari possit, aut certè de eo, quod factum est per insidias, ac proditoriè iuxta *cap. 7. sess. 14. eiusdem* Conc. quod autem conceditur Episcopis in hoc genere, constat ex dictis *supr. quæst. 9. & 13.* non esse negandum Prælatis regularibus quoad eorum subditos, vt pote super ipsos habentibus iurisdictionem Episcopalem. nobiscum sentit Bordon. *c. 4. de profess. q. 56. §. homicidam voluntarium*, addens ex indulto bullato Pij V. posse prælatos Cassinenses pro foro conscientiæ dispensare cum suis subditis etiam super homicidio voluntario deducibili ad forum externum; indultum refertur *in Const. 129. Pij V.* quæ incipit, *Dum ad Congregationem*, nobiscum sentit Rodriq. *tom. 1. quæst. 24. art. 11.* ex Couarruia, & aliis.

Quin etiam Rodriq. *supr.* ex Castro *lib. de lege pœnali, cap. vlt.* docet probabile esse non incurrere irregularitatem per homicidium omninò occultum, quod scil. nulla ratione probari possit in iudicio, neque in notitiam hominis deuenire, nisi ex confessione ipsius occisoris: & probat, tum *ex cap. ex tenore, de temp. ord.* vbi ait Alex. III. *Veruntamen quia peccatum occultum est, si promoueri voluerit, non debet aliqua ratione prohibere* (est autem ibi sermo de delicto digno degradatione) tum quia irregularitas incurritur solùm in casibus expressis; in nullo autem iure expressum est, quod per delictum omnino occultum incurratur irregularitas: nam iura, quæ dicunt irregularitatem incurri, quando culpa latet, vel quando delictum est occultum, non loquuntur de delicto, quod sit omnino occultum: imò Conc. Trid. *sess. 14. de reform. cap. 6.* quod posset adduci in contrarium, loquitur de homicidio occulto, quod scil. non sit probatum in iudicio, sed possit probari aliquo modo publicum, non autem de homicidio, quod sit omnino occultum; de quo loquitur Rodriq. tum quia excommunicatus, aut suspensus ex delicto omninò occulto non tenetur abstinere ab vsu Ordinis, ne se prodat, vt dicunt omnes, teste Nauar. *cap. 27. num. 239.* sicque constat Ecclesiam nolle pœnam externam infligere ob delictum omninò occultum: nec adhuc vllam pœnam exteriorem intulit contra delictum omninò occultum: licet enim excommunicatio incurratur statim ob delictum omninò occultum exterius commissum, quoad priuationem suffragiorum, quæ est occulta ac secreta; at non incurritur, quoad communicationem exteriorem, & participationem Sacramentorum: cum in tali casu excommunicatus possit se ingerere, ne se prodat, ac infamet. ita Rodriq. contra Sayrum *lib 7. de consc. cap. 1. num. 6.* & Dianam *part. 2. tract. 17. ref. 69. & part. 7. tract. 11. resol. 48.*

Quod si hac occasione quæras, an restrictio facta in Trident *supr.* (ne dispensent Episcopi super irregularitate ex homicidio voluntario occulto extendatur ad mandantes, aut consulentes tale homicidium, ita vt hi dispensari non possint super irregularitate contracta ex eo quod mandarunt, aut consuluerunt homicidium voluntarium.

Respond. ex Tole *lib. 1. cap. 81. §. sexto extend.* cum mandans, aut consulens homicidium *cap. 2. de Cler. pugn. in duello*, dicatur perpetrare homicidium; & Tridentinum indistinctè loquatur de perpetrante homicidium; maximè cum *cap. mulieres, de sent. excom. §. ille etiam*, verè committere dicatur delictum, cuius mandato fit. Quamquam aliqui putent oppo-

ſitum

situm posse probabiliter sustineri ex Anania *cap. 2. de Cler. pugn. in duello*, putante non dici propriè homicidam, nec committere homicidium, nisi eum, qui facto occidit, non autem mandantem, nec consulentem, sicque declarari debere statuta loquentia de homicidiis, & commitentibus homicidium: idque; non dissentiente Sanch. *lib. 1. mor. cap. 10. num.* 44. qui sustinet consulentem non contineri, quoad irregularitatem in iure sub nomine commitentis homicidium, nisi etiam consulens in iure exprimatur; sicut verè interdum exprimitur; quod si admittatur, dicendum est in loco sup. citato Tridentini, consulentem, & mandantem, non contineri; maximè cum simus in materia odiosa, quæ non debet ampliari.

Qværes XXV. An Prælati regulares dispensare possint super irregularitate contracta ex homicidio casuali, aut facto ad instam defensionem.

141. Respond. posse (si homicidium sit occultum) & quidem non solùm quoad Ordines minores, sed etiam quoad maiores, ita Mirand. *supr. art.* 13. probatque ex eo quòd Episcopis in Concil. Trident. expressè conceditur facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus, ac suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & aliis ad forum contentiosum deductis: cum tamen homicidium casuale, aut factum causa defensionis non sit propriè, ac directè voluntarium, adeóque sub ea exceptione non comprehendantur: quidquid autem possunt Episcopi circa suos subditos, quoad potestatem dispensandi, possunt, & Prælati regulares, quoad suos (vt etiam paulò pòst diximus:) immò & aliquid amplius, cum Diana *p. 4. tract. 2. resol.* 72. citans pro se Vecchium, & Sebastianum à Bononia, dicat illos posse dispensare circa præfatam irregularitatem, etiam quando homicidium est publicum, nullam tamen afferens rationem huius ampliationis, quæ fortè desumi posset ex indulto Pauli III. relato *supr. q. 9. §. moneo*, vt consideranti constabit: idem docent Rodriq. *tom. 1. q. 54. art.* 13. & Bordonus *supr. §. homicidam item.*

142. Addo ex Casarub. *v. dispensatio, n.* 10. Sixtum IV. concessisse Fratribus Minoribus, vt Generalis, & Prouinciales eorum possint dispensare cum Fratribus sibi subditis in irregularitate homicidij; dummodo tales homicidæ nō sint certi, quòd ipsi actualiter occiderunt, nec pro certò sciant, quod fuerunt tales mādatores, vel auxiliatores homicidij sic, quòd sine illis nullo modo fuisset tale homicidium perpetratum; verùm, cum talis concessio facta fuerit viuæ vocis oraculo (vt colligitur ex ipso Casarub. notante hoc priuilegium *litera O*, in præsentia nihil suffragatur, vtpote reuocatum iuxta sæpiùs dicta.

Qværes XXVI. An Prælati regulares dispensare possint super irregularitate contracta ex defectu lenitatis.

143. Respond. posse: siue contrahatur occasione iudicij publici, siue ex bello iusto, siue alia via. Ratio est, quia qui habent priuilegium dispensandi in irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, possunt etiam dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis: cum nomine homicidij voluntarij non veniat nisi illud, quod fit iniustè; quale sine dubio non est illud, de quo loquimur in præsentia. ita Filliuc. *tract. 29. n.* 58 s. Villalobos, Auila, & Lezana penes Dianam *supr. resol.* 69. inter quos Filliuc. sic concludit: *Vnde etsi securius esset petere dispensationem à Papa, tamen existimo etiam securè frui posse priuilegio eos Religiosos, & dispensare per seipsos in homicidio iusto, quod Doctores, & vsus in sacra Pœnitentiaria, & Cancellaria Apostolica vsurpet nomine irregularitatis ex defectu lenitatis, vel ex eo quod se immiscuerit in causa sanguinis: quare vsus, qui dicitur esse in Ecclesia petendi dispensationem à Papa, intelligitur respectu eorum, qui non habent priuilegium vel ad maiorem securitatem, & certitudinem.* hæc ille; à quo dissentiunt Rodriq. *supr. art.* 8. pro se citans Felician. Maiol. Polanc. & Viuald. dicentem ita practicari, Bañez 2. 2. *q.* 48. *art.* 5. *d.* 4. Lezana *supr. n.* 43. aliique penes Dianam *supr. ref.* 69. citantem plures alios oppositum sustinentes ex eo quòd in Concil. Trid. *loco sæpius cit.* solùm concedantur irregularitates ex delicto, non autem quæ nullum supponunt delictum, qualis est, quæ dicitur ex defectu lenitatis: cum tamen Concilium re vera non neget, quin Episcopi etiam possint dispensare in irregularitate proueniente ex occisione hominis iusta: quod est dicere, ex defectu lenitatis.

Qværes XXVII. An Prælati regulares dispensare possint in irregularitate contracta ex abortu fœtus animati.

Respond. posse, si sit omnino occultum: & hoc, non quidem ex indulto Martini V. relato à Casarub. *in compend. v. absol. ordin. quoad Fratres, num.* 40. quod cum fuerit viuæ vocis oraculo concessum, iam sublatum est: sed ex iure communi concedente Episcopis, & consequenter Prælatis regularibus facultatem dispensandi in irregularitate contracta ex homicidio voluntario, quòd nullo modo possit probari, ideóque est omnino occultum: necnon ex speciali priuilegio à nobis relato *q.* 23. quo Prælati regulares possunt dispensare cum suis subditis super irregularitate, quam incurrant ex homicidio voluntario: quale vtique est etiam homicidium ex abortu fœtus animati. ita Mirand. *supr. art.* 10. Portel. *supr. v. abortus, n.* 10. Villalob. & alij apud Dianam *supr. resol.* 87. inter quos Vega, & Hieron. Rodriq. existimant Prælatos regulares posse dispensare super hac irregularitate, etiamsi sit notoria apud Fratres, seu Religiosos eiusdem Ordinis; quod tamen alij DD. non admittunt, nec approbat ipsemet Diana. 144.

Nec obstat, quòd Sixtus V. in illa sua Constitut. contra procurantes, consulentes, & auxiliantes ad abortum, bis nominet Regulares, ac reuocauerit omnia priuilegia ipsius Regularibus concessa ad dispensandum super hac irregularitate, nullamq; moderationem circa huiusmodi irregularitatem fecerit Gregor. XIV. in sua Constit. moderatoria præfatæ Sixtinæ relinquens eam, quoad hoc in suo robore. 145.

Respond. enim quod, cum Clem. VIII. postea confirmauerit priuilegia Minorum ex certa scientia, & talis confirmatio iuxta dicta *sup. cap. 1. sect. 5. q.* 5. reualidet priuilegia etiam reuocata ab Antecessoribus: consequenter etiam reualidauit priuilegia dictis Minoribus concessa, quoad dispensandum super hac irregularitate, quantumuis antea fuissent reuocata à Sixto V. ita Portel. *supr. num.* 10. monens *n.* 12. Prælatos etiam locales posse delegare aliis facultatem dispensandi super hac irregularitate; & hoc ob rationem allatam *supr. q. 5. & 9.*

Qværes XXVIII. An Prælati regulares dispensare possint super irregularitate contracta ex voluntaria Mutilatione.

Respond. posse, si sit occulta, & non deducta ad forum contentiosum: parétque ex eo quòd Concil. Trident. iuxta sæpius dicta concessit Episcopis facultatem dispensandi super omni irregularitate contracta ex delicto, illa vna excepta, quæ incurritur ex homicidio voluntario; ideóque, cum exceptio firmet regulam in contrarium, & mutilatio voluntaria sit quid diuersum ab homicidio voluntario, poterunt dispensare super hac irregularitate, quæ 146.

contrahitur ex voluntaria mutilatione: vtpotè quæ non comprehenditur sub homicidio voluntario, & aliàs includitur in ea generali concessione omnium irregularitatum ex delicto prouenientium; quod autem conceditur in hoc genere Episcopis, debet concedi & Prælatis regularibus, quoad proprios subditos (vt non semel iam ostendimus.) Ita Mirand. *sup. art.* 11. Peytin. *tom.* 1. *priuil. Constit.* 1 *Iul. II. num.* 17. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 24. *art.* 10. aliique plurimi penes Dianam *sup. resol.* 71. contra Sanch. *l.* 1. *in decal. c.* 10. *num.* 49. Henriq. *l.* 14. *cap.* 9. *num.* 3. & Medinam *in Sum. l.* 1. *cap.* 11. §. 12. putantes dispensationem huius irregularitatis non concedi, neque ipsis Episcopis. Addo solùm obiter hic nomine Mutilationis intelligi abscisionem membri; quale propriè non dicitur, nisi ea pars corporis humani, quæ habet munus separatum, & distinctum ab aliis partibus (vt manus, pes, oculus &c.) vt proinde non incurrat hanc irregularitatem, qui aliquem reddit claudum, aut etiam cœcum, non tamen eruendo oculum; quod est valdè aduertendum.

Qværes XXIX. An Prælati regulares dispensare possint cum propriis subditis super priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, aut officiorum, dignitatum &c. necnon in inhabilitatione ad ea, aliisque similibus pœnis Ecclesiasticis, quæ contrahantur ex aliquo delicto sub dictis pœnis prohibito à Summis Pontificibus, vel aliis Regularium Superioribus.

147. Respond. posse (pro foro conscientiæ tamen solùm) & quidem etiamsi sint reseruatæ Papæ. Ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 46. ex Sorbo *in comp. v. Ingreds Monast. Monial. in annot. a* §. *dico* 4. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 12. *num.* 9. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 61. *art.* 9. Sanch. *l.* 6. *in decal. cap.* 15. *num.* 78. aliique, & probatur, tum ex dictis *sup. quæst.* 9. vbi remissiuè ostendimus Prælatos regulares posse dispensare super irregularitatibus ex delicto prouenientibus, si sint occultæ, æquè ac possunt Episcopi ex concessione Concilij Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. cum tamen ibi nomine irregularitatum, ac suspensionum veniant huiusmodi pœnæ, quarum proinde dispensatio conceditur Regularibus: tum ex dictis hic *cap.* 1. *sect.* 1. *subsect.* 2. *q.* 1. vbi ostendimus per priuilegium bullatum Pauli III. concessum fuisse Patribus Societat. Iesu facultatem absoluendi à quibuscumque censuris, ac pœnis Ecclesiasticis, & consequenter dispensandi in iis, quæ in hac quæst. proponuntur, vtpotè quæ re vera sunt pœnæ Ecclesiasticæ.

Vtrum verò vi supradictorum priuilegiorum dispensati possit Regularis in priuatione vocis actiuæ, & passiuæ ipsi imposita à Sacra Pœnitentiaria in pœnam cuiusdam delicti, cuius ipse absolutionem petebat.

148. Respond. posse; patetque ex doctrina, quam tradit Sanch. *l.* 2. *in decal. c.* 13. *n.* 32. & nos ipsi adduximus *sup. c.* 2. *sect.* 1. *subs.* 2. *q.* 11. nimirum quod absolutus ab aliquo reseruato, cum onere se præsentandi, si postea vi Iubilei, aut alicuius indulti iterum absoluatur, manet liber ab illo onere, nec tenetur amplius se præsentare: quæ doctrina optimè potest adaptari casui nostro, vt consideranti constabit.

149 Quod autem diximus Regulares posse dispensari per suos prælatos in præfatis pœnis Ecclesiasticis proportionaliter dicendum est, & de Monialibus; has scilicet posse in dictis pœnis dispensari à propriis prælatis; nimirum ab Episcopis, si non sint exemptæ; à Superioribus verò religiosis, si sint exemptæ, cum hoc tamen discrimine, quod si & Episcopi, & Superiores regulares id præstent vi concessionis factæ in Tridentino *sess.* 24. *c.* 6. Episcopi quidem id facere possint etiam per alios, non verò Prælati regulares, idque ob rationem allatam *sup. q.* 9. Cum quo stat, quod præfati dicti possint dispensare cum Moniali etiam absenti id ipsum ei significando per Confessarium ordinarium: cum facultas dispensandi secundùm se exerceri possit erga absentem, vt ostendimus *sup. cap.* 3. *sect.* 1. *subs.* 3. *q.* 13. & aliàs habens potestatem commutandi vota, etiam absens possit commutare votum in id, quod aliter iudicauerit; ac prudenter præscripserit vouenti.

De Potestate dispensandi, aut commutandi vota Regularium.

150 *Prælati regulares dispensant super votis Religiosorum subditorum.*
151 *Si sint Prælati monasterij in capite.*
152 *Et vota Papæ non reseruentur.*
153 *Dispensant in voto transeundi ad Ordinem strictiorem.*
154 *Idque ex indulto Eugenij IV.*
155 *Dispensant super votis, etiam de ipsorum licentia emissis.*
156 *Prælatus inferior dispensat super voto facto de licentia Prælati superioris.*
157 *Prælati regulares dispensant super Iuramentis promissorijs, sed non semper.*
158 *Et hoc ex indulto bullato Pauli III.*
159 *Ampliatur assertio ad votum factum in fauorem tertij.*
160 *Qui potest dispensare præcisè super votis, potest & dispensare super votis iuratis.*
161 *Non dispensant Prælati regulares super votis religiosis neque communibus, neque specialibus.*
162 *Dispensant super votis Nouitiorum.*
163 *Non item super votis Episcopi Regularis.*
164 *Dispensant super votis Religiosi ad tempus eiecti.*
165 *Item super votis monialium subditarum.*
166 *Item super votis Tertiariorum, ac Oblatorum.*
167 *Item super votis proprijs.*

Qværes XXX. An, & quam potestatem habeant Prælati regulares quoad dispensandum in votis Religiosorum sibi subditorum.

Respond. habere potestatem ordinariam, vtpote ex vi muneris ipsis competentem, ac perpetuò annexam, siue postea sint Generales, siue Prouinciales, siue etiam Superiores locales; cum hac tamen subordinatione, quod Prælati Superiores reseruare possint inferioribus aliquorum votorum dispensationem. Ita Sanch. *l.* 4. *in decal. cap.* 39. *num.* 3. 4. & 5. aliique penes ipsum; & probatur, tum quia supradicti omnes Prælati erga Religiosos respectiuè sibi subditos habent iurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem in vtroque foro, ratione sui muneris, ideòque poterunt dispensare in eorum votis; quomodo possunt Episcopi dispensare in votis suorum subditorum (vt cómuniter supponunt DD. apud Bonac. *de leg. D.* 4. *q.* 2. *p.* 7. §. 4. *n.* 4.) tum quia potestas irritandi, quæ competit Prælatis regularibus non excludit potestatem dispensandi, sed vtraque stat, simul cum illa sit potestatis dominatiuæ, hæc spiritualis, & vtraque in dictis prælatis reperiatur. 150.

Vtrum verò Subpriores, Vicarij, Ministri, & similes possint exercere hanc potestatem erga Religiosos subditos, absente Priore, Guardiano, &c. saltem in casu, quo *sup. cap.* 2. *sect.* 1. *subs.* 2. *q.* 6. diximus eos posse absoluere à reseruatis.

Respond. Peyrin. *de R. P. q.* 3. *cap.* 3. *n.* 16. non posse 151.
probarque

pro utraque ex eo quod, cum non possit, mortaliter loquendo, dari casus adeò vrgens, quin possit ad talem effectum expectari Superior Prælatus, non potest præsumi quod talis potestas ipsis interpretatiuè committatur: secùs, si occurreret casus, in quo periculum esset in mora, aut certè Prælatus Superior diutius esset absuturus: tunc enim censeretur ei committi talis potestas.

QVÆRES XXXI. An Prælati regulares possint dispensare in votis reseruatis Papæ.

152. Respond. non posse; & patet, tum quia neque ipsi Episcopi habent potestatem circa illa, vt concedunt communiter DD. tum quia potestas dispensandi supradicta vota, vel esset impertinens, vel inutilis; inutilis quidem, loquendo de voto Religionis, & Castitatis, quæ sine dubio in vito Religioso dispensari nequeunt; impertinens verò respectu voti peregrinationis, cum tale votum non possit fieri à Religioso, nisi in Ordine ad licentiā proprij Prælati, adeóque isto tenuente, eo ipso fit nullum, ac irritum. ita Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 12. num.* 10. & ante illum Sylu. *v. cas. q. 1. casu* 11. & Nauar. *c.* 12. *n.* 75. quos citat, & sequitur Mirand. *p. 2. q. 9. a.* 8. absolutè dicens Prælatos regulares de iure communi immò neque ex vllo priuilegio posse dispensare in supradictis votis; qua de re Peyr. *sup. n.* 57. sustinens partem affirmantem de voto triplicis peregrinationis.

QVÆRES XXXII. An Prælati regulares dispensare possint in voto transeundi ad Religionem strictiorem.

153. Respond. quod, licet ij non possint irritare huiusmodi votum (sicut probat Sanch. *l. 4 in decal. c.* 33. *n.* 2.) possunt tamen in eo dispensare; & ratio disparitatis est, quod Religiosus non subditur proprio Prælato, vt domino, & subiectione propria Religiosorum; cum talis transitus non includatur in iis, quæ pertinent ad votum obedientiæ (& tamen dicta subiectio requiritur ad votum irritandum:) sed solùm subditur vt suo spirituali Prælato, non secùs, ac sæculares subsunt Episcopo, ideóque ab illo poterit dispensari in votis eodem modo, ac possunt sæculares dispensari à proprio Episcopo: cum huc solùm sufficiat ad dispensandum in votis ita Azor. *part. 1. lib. 11. cap. 12. quæst.* 12. Suar. *tom 2. de Relig. tom lib. 6. cap. 10. num.* 16. Clau. Reg. *lib. 6. cap. 11 num.* 90. *&* 91. Less. *lib. 5. cap.* 40. *num.* 75. Sà *v. voti irritatio, num.* 18. & alij.

154. Quin etiam Eug. IV. concessit Monachis S. Benedicti (& quidem per bullam, vt puto) vt eorum Prælati possint dispensare cum ingredientibus eorum Ordinem in voto Religionis, etiamsi arctiorem Religionem ingredi vouissent: cum hoc tamen, quod, si dispensatus ante professionem ab Ordine recesserit, dispensatio sit nulla. ita Casarub. *in Comp. v. dispensatio, num.* 18.

QVÆRES XXXIII. An Prælati regulares dispensare possint in voto de ipsorum licentia emisso à propriis subditis.

155. Respond. posse. ita Suar. *sup. n.* 17. Tab. *v. votum* 6. *q. 4. n.* 5. Sylu. *v. votum 4. q.* 3. aliique, & probatur ex eo quod, si Prælatus in hoc casu non potest dispensare, maximè quia dando licentiam ad faciendum votum se priuauit potestate dispensandi; quod est falsum; siquidem talis priuatio, neque oritur ex propria voluntate concedentis licentiam: cum talis concessio solùm præiudicet potestati dominatiuæ Superioris cedentis aliquatenus iuri, quod aliàs habet ad irritanda vota Subditorum; neque ex voluntate Prælati Superioris; cum de hoc non constet, nec sit rationabile, vt qui concedendo dictam licentiam non peccauit, priuetur potestate dispensandi in eo voto; neque ex natura rei; cum ex ea licentia tantùm sequatur votum illud esse firmius, non autem indispensabile, stante quod votum, quantumuis firmum subiicitur potestati spirituali dispensandi.

Vtrum verò Prælatus inferior possit dispensare in Voto emisso de licentia Prælati Superior.

Respond. posse, esto illud irritare non possit. ita 156.
Sanch. *sup. c. 41. n.* 5. cum Suar. *sup. n.* 18. & probatur, quia irritatio votorum pertinet ad potestatem dominatiuam, ideóque aduersatur dominio Prælati Superioris, qui in proposito casu licentiam concessit: dispensatio autem est actus diuersæ potestatis, sicque ei nullatenus præiudicat.

QVÆRES XXXIV. An Prælati regulares possint dispensare in iuramentis promissoriis, seu votis iuratis suorum Religiosorum.

Respond. posse, si dicta iuramenta, & vota fiant 157.
soli Deo: sic enim iuramenta sunt quasi quædam vota; ideóque de illis iudicandum est, ac de votis; sicut & ipsa vota iurata, moraliter reputantur vota; vnde fit, vt qui potest dispensare in votis (quo modo possunt Prælati regulares circa Religiosos subditos) possit, & dispensare in iuramentis, seu votis iuratis, vt infra probabimus. Secùs, si dicta iuramenta ac vota fiant in vtilitatem tertij, & materia illorum sit circa res subiectas potestati Prælatorum regularium; nam in tali casu putant Suar. *cap.* 15. *num.* 10. Bonac. *quæst. 2. part. 7. §. 4. num.* 15. Lezana *num.* 53. & alij, Prælatos regulares non posse in illis dispensare: quippequi non possunt tollere ius alterius acquisitum ab illo tertio per dicta iuramenta, ac vota; quod tamen negant plures alij DD. cum Sanch. *lib. 4. mor. cap. 41. num.* 7. sustinentes Prælatos Ecclesiæ posse dispensare etiam in votis factis in fauorem tertij absque illius consensu: vtpotè quæ fiunt principaliter Deo, ac in eius honorem, sicque ius peculiare ipsi attribuunt, paupere, seu loco pio, in cuius fauorem cadunt dicta vota, designatis solùm per modum materiæ, circa quam is cultus diuinus exhibendus est: vnde fit, vt, præfato pauperi nullum ius competat agendi per modum actionis, sed solùm actio vtilis implorandi officium iudicis, vt cogat vouentem ad implendum votum; quod non est habere ius ad rem, vt benè notat Sanchez id probans exemplo Fratrum Minorum, qui ad legata ipsis relicta soluenda implorare possunt officium iudicis, & tamen ius nullum ad ea acquirunt. Quod si hæc sunt probabilia (vt verè sunt) probabile item est Prælatos Ecclesiæ, & consequenter etiam Religiosorum posse dispensare in iuramentis, seu votis iuratis in fauorem tertij emissis, sed ab eo non acceptatis.

Ad quod facit priuilegium bullatum Pauli III. 158.
concessum Religiosis Societatis Iesu ad commutanda omnia, vota, exceptis quinque reseruatis, Gregorio XIII. posteà extensum per bullam etiam ad vota iurata, dummodò commutatio non fiat in præiudicium tertij. Quæ clausula licèt prima facie videatur destruere doctrinam modò traditam: verè tamen non destruit, sed confirmat; cum non possit censeri votum commutari in præiudicium tertij hoc, ipso quod ille tertius nullum ius acquirit per votum.

Quod si votum factum in vtilitatem tertij sit 159.
circa materiam subiectam Prælato regulari; tunc certum est posse ab eo dispensari in tali voto, imò & irritari: cum tale votum non possit fieri à Religioso subdito, nisi cum dependentia à consensu proprij Prælati, adeóque dependeat ab illo etiam in suo conseruari.

160. Concedo quidem, quòd si dicta iuramenta, & vota iurata in fauorem tertij emissa non fiant soli Deo, sed adiungatur promissio facta illi tertio (vt si dicas præsenti pauperi: *Promitto Deo me tibi daturum eleemosynam:*) tunc non potest Prælatus regularis in eo dispensare, ordinariè loquendo: cùm sic promissio transeat in contractum, & acquiratur ius illi tertio, quòd ipsi non potest auferri.

Vtrum verò habens facultatem dispensandi in votis præcisè possit dispensare etiam in iuramentis, seu votis iuratis: constat ex dictis *in tract. de priuileg. cap. 3. sect. 2. subsect. 3. quæst. 14.* posse dispensare, quamuis id negent Suarez *supr. cap. 14. n. 16. & seqq.* aliique.

QVÆRES XXXV. An Prælati regulares possint dispensare in votis substantialibus Religionis, aut saltem in specialibus votis, quæ in aliquibus Ordinibus ex peculiari ipsorum Instituto fiunt vltra tria vota essentialia status Religiosi.

161. Respond. non posse, neque de tribus votis substantialibus Religionis, neque in illis aliis votis specialibus: patétque de tribus quidem votis substantialibus Religionis ex dictis *in tractat. de profess. cap. 4. sect. 1. quæst. 4.* de illis verò aliis votis ex dictis *in tractat. de votis, cap. 1. sect. 1. quæst. 16. §. solum, & in tractat. de priuileg. cap. 3. sect. 2. subsect. 3. quæst. 18.*

QVÆRES XXXVI. An Prælati regulares possint dispensare in votis Nouitiorum, & Professorum transeuntium ad alium Ordinem, quo tempore ibi faciunt Nouitiatum.

162. Respond. posse eo modo, quo diximus *suprà quæst. 6. & 15.* patetque ex dictis si hîc aduertero præfatos Prælatos non posse dispensare super vota Religiosi, qui legitimè transit ad alium Ordinem, neque pro eo tempore, quo ibi est Nouitius: siquidem pro tunc suspensa est illorum potestas circa illum; vt bene aduertit Sanchez *suprà cap. 39. num. 15.*

QVÆRES XXXVII. An Prælati Regulares, possint dispensare in votis Religiosorum, qui promoti sunt ad Episcopatum, vel aliàs exempti sunt à potestate Religionis.

163. Respond. Sanchez *supr. n. 13.* non posse, eo quòd tales Religiosi sint extra Obedientiam, ac potestatem Religionis. verum cum nos sustinuerimus *in tractat. de priuileg. cap. 1. sect. 4. num. 65.* illos gaudere priuilegiis sui Ordinis; consequenter dicendum nobis est eos posse modo supradicto dispensari à Prælatis regularibus, quibus, quoad hoc, se voluntatiè subiiciant, quamuis aliàs ab eorum potestate exempti sint; præterquam, quod in præsenti casu procedit regula iuris 61. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.*

QVÆRES XXXVIII. An Prælati regulares dispensare possint in votis Religiosorum ab Ordine eiectorum.

164. Respond. posse, si sint eiecti ad tempus (v.g. donec corrigantur) aut delicti commissi pœnas luant: cuiusmodi sunt qui ad tempus damnati sunt triremibus; non item, si eiecti sunt in perpetuum. Prima pars ex eo constat, quod eiecti priori modo adhuc verè sunt subditi Religionis, ac proinde non apparet, cur Prælati illius non possint circa eos exercere suam iurisdictionem. Secunda pars probatur, quia eiecti posteriori modo, quamuis remaneant aliquo modo subditi Religionis, non tamen digni sunt, qui gaudeant priuilegiis illius; vt ostendimus *in tract. de priuil. cap. 8. sect. 2. q. 22.*

QVÆRES XXXIX. An Prælati regulares possint dispensare in votis Monialium sibi subditarum.

Respond. posse, cum Moniales, quantum patitur conditio status & sexus proprij, fruantur omnibus gratiis, indultis, ac priuilegiis sui Ordinis; nec apparear, cur debeant excludi ab vsu facultatis, quam habent Prælati regulares, quoad dispensandum in votis Religiosorum subditorum; quamquam hæc doctrina non procedat, quoad Moniales immediatè subiectas Ordinario: hæ enim, cum sint exemptæ à potestate sui Ordinis, non possunt per Prælatos illius dispensari in votis, nisi in casu, quo ij possent dispensare etiam cum qualibet alia persona sæculari; qua de re consulantur dicta *in tract. de Monialibus, cap. 9. q. 15. & 17.* 165.

QVÆRES XL. An Prælati regulares possint dispensare in votis cum Tertiariis, ac Oblatis, seu Donatis sui Ordinis.

Respond. posse eo modo tamen, quo diximus *in cap. 1. sect. 3 q. 7. & 8.* præfatos Tertiarios, ac Oblatos frui priuilegiis sui Ordinis; quæ enim diximus ibi generaliter de priuilegiis in communi, proportionaliter procedunt de huiusmodi facultate dispensandi in votis competente Prælatis regularibus, quoad Religiosos sibi subditos. 166.

QVÆRES XLI. An Prælati regulares possint dispensare in votis secum ipsis, & quo modo.

Respond. posse eo modo, quo diximus *in hac ipsa sect. q. 6 §. dubitatio maior est:* patetque ex dictis ibi, si bene ad rem præsentem applicentur. 167.

De potestate dispensandi in præceptis Ecclesiæ.

QVÆRES XLII. An Prælati regulares possint cum suis subditis dispensare in præceptis Ecclesiæ, & in quibus.

Respond. posse, etiam stando in iure communi, & secluso quocumque priuilegio: & quidem in iis omnibus præceptis, in quibus Episcopi dispensare possunt cum propriis subditis iuxta generalem regulam, quam tradunt DD. apud Suarez *supr. num. 18.* *Quidquid iure communi possunt Episcopi in hoc genere circa suos subditos, possunt & Prælati regulares circa suos.* Et ratio est, quòd cum Prælati regulares in Reli 168.

Religiosos subditos habeant iurisdictionem quasi episcopalem, quæ ad hoc genus dispensationis est maximè necessaria: & talis potestas dispensandi in præceptis Ecclesiæ versetur circa res frequenter, ac ordinariè occurrentes, nec semper recurri commodè possint ad Papam pro dispensatione hîc, & nunc necessaria; patet, vt, necessitate dispensationis existente non minus in Religiosis personis, quam in laicis, potestas dispensandi omninò concedatur Prælatis regularibus: quippe alioqui non possent commodè, ac perfectè gubernare; maximè cum ferè omnes Religiosi modo sint exempti ab Ordinariorum iurisdictione, ideóque non possint ab iis petere tales dispensationes; vt notauit Suar. addens *num.* 19 quod si interdum per specialia priuilegia conceditur Religiosis, vt possint dispensare in præceptis Ecclesiæ, non conceditur iis aliquid vltra ius commune, sed solum declaratur ius, quod ipsam exemptionem comitatur: vel certè, si Papa intendit aliquid plus concedere, solum est ad dispensandum faciliori modo, & ex causa leuiori.

169. Illud autem benè monet Suar. *num.* 24. quod, licet regula allata superiùs communiter sit vera (quod scilicet vbicumque per specialia verba conceditur Episcopis potestas dispensandi in aliqua lege pontificia, aut Conciliari, eo ipsò censeatur item concessa Prælatis regularibus, quoad Religiosos subditos;) non est tamē talis regula infallibilis, imò esse aliqua limitatione; quod scilicet dicta regula procedat in casu, quo materia legis concernat salutem animarum, ac bonum regimen spirituale illarum (cum Prælatus regularis, quoad hoc habeat totum onus Episcopale, sicque indigeat omni potestate, ratione talis muneris concessa) non autem procedat in casu, quo materia legis spectet solum ad externum ordinem Ecclesiasticum, aut quo materia, & causa dispensationis sit talis, vt concedatur Episcopo ob maiorem rei auctoritatem, aut grauiorem, vel certe vt non fiat frequenter, ac vulgariter (quod ex circumstantiis literarum Pontificiarum facilè colligetur) Addo quod quando materia, & causa dispensationis est talis, vt petat notitiam, ac prouidentiam proprij Prælati: tunc signum est intentionem legis esse, vt dispensatio committatur Prælato (vt ita dicam) Episcopali, qualis est etiam Prælatus regularis, quoad suos subditos, non autem Episcopo propriè dicto: quod vt plurimum fit in puris præceptis, nisi interueniat aliqua irregularitas, aut inhabilitas dispensanda.

Qværes XLIII. An Prælati regulares possint dispensare in Obseruantia Festorum.

170. Respond. posse, non quidem cum famulis laicis, sed cum Religiosis subditis, ideóque instante necessitate, posse his dare licentiam, vt in die festo opera seruilia exerceant. ita Portel *de dub. Regul. v. Abbas, num.* 11. cum Azor. *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 28. *quæst.* 5. & patet ex dictis *quæst. præcedent.* cum enim Episcopus possit hac in re dispensare cum suis subditis, poterit & Prælatus regularis cum suis, vt pote habens erga illos iurisdictionem quasi Episcopalem.

Qværes XLIV. An Prælati regulares possint dipensare in recitatione diuini Officij.

171. Respond. posse, non quidem perpetuò; cum recitatio Officij diuini sit præceptum Concilij generalis, quod non potest abrogari à potestate inferiori Papæ: sed ad tempus, quamdiu scilicet Religiosus ægrotat, aut sine graui tædio, ac difficultate nequit recitare, siue correptus sit febri, siue alio dolore; idque non tam ex priuilegio, quod refert Casarub. *in comp. v. Officium diuinum num.* 8. fuisse concessum à Leone X. viuæ vocis oraculo (quod proinde orauit iuxta sæpius repetita) quam de iure communi, vti diximus *sup. quæst.* 42. ita Sanch. *lib.* 7. *consil. cap.* 2. *dub.* 5 3. *num.* 3. ex Nauar. Rodriq. & Portel. *sup. v. Horæ canon. n.* 11.

Qværes XLV. An Prælati regulares dispensare possint in Ieiunio, ac cibis vetitis.

Respond. posse ex priuilegio bullato concesso PP. Soc. Iesu à Iulio III. in Constit. Sacræ religionis relata *in bullar. ipsius Soc.* vt scilicet Præpositus Generalis per se, vel per alios Professos, quos elegerit, dispensare valeat cum Religiosis sibi subditis circa ieiunia, & cibos prohibitos: imò & per quemlibet alium Societatis ex concessione bullata Greg. XIII. relata remissiuè *in Comp. Soc. v. dispensatio*, §. 7. In quo item refertur quædam concessio Eugenij IV. facta Monachis S. Hieronymi; vt Prior monasterij dicti Ordinis, seu Vicarius in illius absentia possit dare licentiam de consilio Medici, aut etiam sine eo, si commodè haberi non possit, vt familiares monasteriis, infirmi, seu debiles possint comedere carnes, & oua, seu alia sanis interdicta in Quadragesima, & aliis ieiuniis Ecclesiæ sine licentia Diœcesani, vel quod non teneantur ieiunare in prædictis temporibus, etiam sine consilio Medici; quod certè esset magnum priuilegium, nisi, teste Casarub. *sup. v. ieiunium*, esset viuæ vocis oraculo concessum, adeóque reuocatum iuxta supradicta. 172.

Notat autem Bordonus. *resol.* 58 *n.* 16. quod, sicut Episcopi ex iuxta causa possunt transferre ieiunium de vna in aliam diem: v. g. ex causa magnæ solemnitatis (vt si vigilia Natiuitatis S. Io. Baptistæ in festo Corporis Christi incidat) idque ex Leonis X. decreto, in quo statuitur per totum Orbem in tali casu ieiunandum esse die præcedenti: vt notat Diana *p.* 4. *tr* 6. *resol.* 66. siue ad tollendum scandalum infirmorum; vt si vigilia S. Matthiæ incidat in Bacchanalibus, tunc enim retrotrahi potest ieiunium in Sabbatum præcedentem ab Episcopo; vt notat idem Diana *sup.* ex Layman *lib* 4 *tr.* 7. *c.* 3. *n.* 9. Sic dici potest Superiores etiam locales Regularium ad imitationem Episcoporum posse cum sui Conuentus consilio præuenire huiusmodi vigiliam, si id iudicet expedire ad bonum spirituale suorum Religiosorum, ipsorum fragilitati pro viribus occurrendo: quippe qui in Religiosos subditos habent iurisdictionem quasi Episcopalem, & ex officio tenentur inuigilare saluti spirituali ipsorum, non minus quam Episcopi tenentur erga proprios subditos. ita Burdonus monens tamen melius esse, quod Religiosi, qui debent vi status tendere ad perfectionem, ad vnguem seruent ieiunia præscripta ab Ecclesia; quæ licèt prouiderit casum à Layman propositum, nihil tamen de eò voluit disponere: maximè cum in diebus Bacchanalium fideles esse debeant frequentiores in abstinentiis ad compescendam carnis petulantiam tunc temporis maximè debacchantem.

Qværes XLVI. An Prælati regulares possint dispensare cum suis subditis, vt celebrare possint cooperto capite ob infirmitatem capitis.

Respond. olim quidem potuisse eodem modo, ac poterant Episcopi dispensare cum propriis subditis, (vt tradunt communiter DD. cum Nauar. *lib.* 3. *consil. de celeb. Missar. consf.* 4. *n.* 6. & Rodriq. *tom.* 1. *q.* 24. *a.* 5.) in præsentia tamen non posse ob decretum quoddam sacræ Congregat. rituum editum 31. Ianu. 1626. ac relatum à Gauanto *in comment. rubric. Missal. p.* 2. *tit.* 2. *liter.* F. quo statuitur dispensationem gestandi pileolum inter celebrandum reseruari Papæ: quod si tale decretum est authenticum, ac sufficienter promulgatum, vtique debet obseruari, 173.

Qværes XLVII. An Prælati regulares dispensare possint cum religiosis subditis, vt, veste religiosa retenta, maneant extra claustra ad subleuandas necessitates parentum.

174. Respond. de iure communi antiquo posse; siue necessitas sit extrema (in quo casu etiam tenerentur) siue solùm sit grauis (in quo casu possent, sed non tenerentur;) non item de iure nouo; cum Clemens VIII. *in decretis de reformat. Regularium*, dicat: *Incacur ratio, qua sublatis licentijs, ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis degentes extra Conuentus claustra, ad ea quamprimum reuocentur: nec de catero nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica approbanda huiusmodi facultates concedi possint*; *quod decretum innouauit etiam Vrbanus VIII.*

Qværes XLVIII. An Prælati regulares dispensare possint cum Nouitiis, vt ante legitimam ætatem professionem religiosam emittant.

175. Respond. non posse; patetque ex eo, quod Concil. Trid. *sess. 25. de regul. c. 15.* statuens ætatem 16. annorum requiri ad emissionem professionis expressæ præcipit, ac declarat professionem factam ante illam ætatem esse nullam, nullámque parere obligationem: cum tamen nullus inferior Papa dispensare possit in iure conciliari, nisi habeat ad id speciale priuilegium. Ita Miranda *p. 2. q. 8. art. 2.*

Qværes XLIX. An Prælati regulares dispensare possint cum subditis, vt ynus Religiosus habeat simul plures Prioratus.

176. Respond. non posse ob rationes allatas *sup. cap. 6. sect. 4. subsect. 1. q. 20.*

Qværes L. An Prælati regulares possint dispensare in personali Residentia prælatorum sibi subditorum.

177. Respond. non posse, nisi ad certum, & determinatum tempus, quod tamen non excedat 3. menses. Ita Mirand. *sup. q. 9. art. 5.* & probatur, tum ex variis iuribus, quæ ipse Miranda adducit, tum maximè ex Conc. Trid. *sess. 25. c. 1. de reform.* vbi strictè præcipitur Episcopis, & cunctis Ecclesiæ prælatis, aut aliis curam animarum habentibus (inter quos vtique comprehenduntur etiam Prælati regulares) vt personaliter resideant, & quidem cum pœna non faciendi fructus suos quamdiu absque legitima causa, ac licentia non resident: quod ius, cum sit Conciliare, non potest vllus inferior Papa illud abrogare.

Qværes LI. An Prælati regulares possint dispensare cum suis subditis, vt transire valeant ad aliam Religionem, & quidem non solùm strictiorem, sed etiam laxiorem.

178. Respond. posse; cum hac tamen differentia, quod, si transitus fieri debet ad Ordinem strictiorem, sufficit licentia Prælati localis: si quidem *cap. licet, de Regul.* indistinctè ait petendam esse licentiam à Prælato Religionis, ne bonum Obedientiæ videatur contemni, cum tamen Superior localis verè sit Prælatus Religionis, &, petita ab hoc licentia, non censeatur contemni bonum obedientiæ cum recognoscatur: Si verò transitus fieri debet ad Ordinem laxiorem, tunc requiritur & causa iusta, & consensus alicuius Prælati superioris (Generalis scilicet, aut Prouincialis) imò & ipsius Conuentus: causa quidem iusta (eo quod iuxta dicta *sup. quæst. 4.* ad dispensationem exigatur causa) consensus autem Prælati alicuius superioris, eo quod, sicut, quando quis admittitur ad Religionem, non illi soli monasterio, in quo profitetur, sed toti Religioni, aut saltem Prouinciæ ius acquiritur, sicque pertinet ad totam prouinciam; ita nec possit illum alienare immediatus prælatus Conuentus, sed toti Prouinciæ præfectus; cum tamen transitus Religiosi ad alium Ordinem sit quasi quædam alienatio. Dixi, *imò & ipsius Conuentus*: cum enim supradictus transitus sit ex maioribus negotiis monasterij, & negotia maiora monasterij expediri nequeant absque consensu Conuentus, ad talem transitum requiretur consensus Conuentus, & quidem eo modo, quo ostendit Sanch. *l. 6. mor. c. 7. num. 32. & seqq.* etsi hæc intelligi debeant de iure communi; Generalis enim Societ. Iesu ex priuilegio bullato plurium Pontificum se solo potest concedere licentiam, siue professo, siue iis, qui post biennium probationis vota simplicia emiserunt in Societate, vt transeant ad alium Ordinem, etiam non Carthusiensiũ, vt notat Sanc. *sup. l. 6. c. 7. n. 71.* addens *n. 68.* quod, quando Conc. Trid. *sess. 25. de Regul. c. 19.* ait: *Nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem*, intendit solùm prohibere, ne tales licentiæ sine iusta causa concedantur, aut prætermissa cognitione causæ, vt olim fiebat interdum, quibusuis prælatis id suo arbitratu concedentibus: quod idem sentit Nauar. *l. 3. consil. de Regul. cons. 56. num. 3.* & Less. *l. 2. c. 41. n. 103.* addens *n. 104.* Extrauag. 1. *de Regul.* Viam ambitiosæ prohibentem mendicantibus, ne transeant ad non mendicantes, præterquàm ad Carthusianos, neque cum licentia proprij prælati, non videri receptam, quoad hoc, vel intelligi de transeuntibus absque iusta causa; quæ sunt valde notanda.

Quod si quis quærat, an Prælatus regularis possit dare licentiam Religioso subdito, vt transeat ad Religionem æquè strictam.

Respond. posse, si adsit iusta causa, prælatus sit Generalis, aut Prouincialis, & adsit consensus Conuentus. Ita Sanchez *sup. num. 65. & 66.* patetque ex dictis *q. præced.* 179.

Qværes LII. An Prælati regulares possint dispensare cum Religioso destinato ad Chorum, & consequenter ad Sacerdotium, vt transeat ad ordinem Conuersorum.

Respond. posse; & probatur, quia sic status substantialis Religionis non variatur, sed manet illæsus, nec fit translatio ad alium Ordinem, sed Religiosus cum iisdem votis eiusdem numero religionis manet alumnus. Ita Sotus *l. 10. de iust. q. 5. art. 3.* Azor. *tom. 1. l. 10. c. 6. q. 7.* aliique penes Sanchez *sup. num. 79.* con. Nauar. *c. quando q. 21. n. 20. de consecr. d. 1.* qui Sanch. optimè aduertit ex supradictis D D. Religiosum in in præsenti casu dispensatum liberari obligatione Officij diuini, eo quod iuxta veriorem sententiam ea oritur, non ex vi professionis, sed ex consuetudine, & ex eo quod Religiosus ex sua voluntate, ac Superiorum consensu deputetur ad Chorum; vnde fit, vt eo ipso, quod manet liber ab hac deputatione, censeatur & liber ab obligatione supradicta: quod est prælatum regularem posse eximere ab obligatione recitandi diuinum Officium, non directè, & per se, sed per accidens, nimirum remouendo eum à statu eorum, qui deputati sunt Choro. 180.

Addit Sanch. *num. 81.* & benè, quod, cum translatio Religiosi deputati Choro ad statum laicorum sit res grauis, & maior, quàm de vno monasterio ad aliud eiusdem Ordinis (quæ tamen spectat ad solum Prouincialem:) ea non poterit fieri cum solo consensu Superioris localis, sed requiretur licentia Generalis, aut prouincialis, imò & consensus ipsiusmet Conuentus, sicuti diximus *suprà quæst. præced.* de translatione ad aliam Religionem arctiorem, aut æquè arctam: & hoc, nisi Constitutiones Religionis aliud præscribant: quibus standum est. Quomodo in Soc. Iesu translatio ex laico ad statum Scholasticorũ, vel 181.

vel è contra solius Præpositi Generalis est; vt obseruat idem Sanch. docens ad præfatam translationem requiri iustam causam, eamque esse posse vel punitionem delicti, vel ingentem ardorem vitæ humilioris in eo statu, vel ineptitudinem ad literas addiscendas ac Sacerdotum ministeria (si tamen in his posterioribus casibus consentiat Religiosus, qui modo dicto debet transferri:) non enim inuitus potest quamuis hoc modo transferri, nisi in pœnam delicti, cum id excedat suam professionem.

QVÆRES LIII. An Prælati regulares possint cum suis subditis dispensare, vt sacros Ordines suscipiant extra tempora, aut non seruatis interstitiis.

182. Respond. posse eo modo, quo diximus *sup. cap.* 2. *sect.* 3. *quæst.* 9.

De Potestate dispensandi in Obseruantiis, seu Obligationibus Religionis.

183 *Prælati Regulares dispensant cum suis Religiosis super Obseruantiis regularibus,*
184 *Item super Constitutionibus, ac statutis Ordinis.*
185 *Item super pœnis contractis ob violationem legis.*
186 *Si ea non sint imposita à Iudice ordinario.*
187 *Super regularibus obseruantiis dispensant etiam Prælati inferiores.*
188 *Ampliant aliqui assertionem ad omnem obligationem grauem, etiam ex Voto speciali Ordinis.*
189 *Sed reiicitur hæc ampliatio.*
190 *Interdum dispensant super substantialibus propriis Ordinis, sed non vniuersaliter.*
191 *At non debent esse faciles in talibus dispensationibus.*
192 *Prælatus superior dispensat super præceptis Prælati inferioris.*
193 *Iniustè dispensatus non potest puniri postea ob violationem Regulæ, super qua dispensatum est.*
194 *Dispensatio propriè cadit solùm super actus simpliciter vetitos.*

QVÆRES LIV. An Prælati regulares dispensare possint in Obseruantiis Religionis.

183. Respond. posse; & probatur, tum quia possunt iuxta dicta dispensare in præceptis Ecclesiæ, ergo & multò magis in regulis Religionis iuxta regulam, *Cui conceditur, quod est plus, conceditur, & quod est minus:* tum quia hæc dispensatio est frequenter necessaria, ideòque debet esse commissa Prælato ordinario; aliàs non esset sufficienter prouisum vitæ regulari, ita Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 26. addens huiusmodi potestatem dispensandi competere Prælatis regularibus vi iuris communis: ita vt, quemadmodum Episcopus potest dispensare cum Clerico sæculari in obligationibus pertinentibus ad statum Clericalem; vel ad officium, aut beneficium eius: sic & Prælati regulares possint dispensare cum suis subditis in propria eorum regula: &, si quando ad hunc effectum dantur Religionibus specialia priuilegia, non deseruiunt, nisi ad tollendos scrupulos, aut certè ad facilius dispensandum, vti diximus *in tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 113.

QVÆRES LV. An Prælati Religionum possint dispensare vniuersaliter in legibus, Constitutionibus, aut statutis ipsarum religionum.

184. Respond. de iure communi non posse, nisi quando talis facultas ipsis conceditur, siue expresiè, siue interpretatiuè; quod tamen non facit, quin dispensare possint in aliquibus casibus, qui vel sunt frequentiores, aut tales, vt non pateat commodus accessus ad superiorem. ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 8. *n.* 1. Sylu. *v. dispensatio. quæst.* 4. & 9. Nauarr. *in man. prælud.* 9. *num.* 15. Mirand. *tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 1. & alij; patetque, quoad priorem quidem partem, quia inferior non potest de iure communi dispensare in lege lata à Superiore (cuiusmodi sunt Constitutiones Religionum factæ à tota Religione, aut Prouincia; quæ sunt Superiores Generali, & Prouinciali:) quoad posteriorem verò partem constat, quia in casibus frequentioribus aliisque ibi allatis præsumitur concedi licẽtia interpretatiua à iure, ac maioribus Superioribus; idque consuetudine, quæ est optima legum interpres, obseruatur, quod benè aduertit Barthol. à S. Fausto *lib.* 6. *thesauri quæst.* 128.

An verò Prælati inferiores possint saltem dispensare in pœnis iam contractis ob trangressionem legis latæ à Prælato superiore.

Respond. Mirand. *sup.* posse, si talis pœna non sit reseruata, nec imposita à Iudice, ac Prælato ordinario, seu (quod idem est) ab homine, ratio huius responsionis est, quod, cum Prælati, etiam inferiores, quoad suos subditos sint Ordinarij, ea omnia possunt, in quibus iure non sunt prohibiti: quo modo *in c. nuper, de sent. excomm.* dicunt communiter DD. excommunicationem ibi latam contra communicantem cum excommunicato posse tolli à quocumque, eò quod cuicumque concessa videatur, hoc ipso quod Auctor illius, eius absolutionem sibi specialiter non reseruauit; cum tamen aliàs Prælatus inferior nequeat dispensare, vt communicans cum excommunicato non incurrat illam censuram, eò quod hoc esset dispensare in substantia legis, quod ipsi non conceditur. 185.

Dixi, *nec imposita à Iudice, ac Prælato ordinario*, &c. vt innuerem, quod, si pœna esset talis, non posset Prælatus inferior in ea dispensare sine vrgentiori causa contra voluntatem Prælati imponentis illam: id enim colligitur ex multis iuribus, & præcipuè ex Conc. Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *de reform.* vbi id expresse prohibetur; vt constabit legenti verba textus. 186.

QVÆRES LVI. An, & quo iure possint Prælati regulares non solùm supremi, sed etiam inferiores modo supra dicto dispensare in regularibus Obseruantiis.

Respond. posse, nisi fortè aliqua illarum sit reseruata Prælato superiori. ita Suar. *sup. cap.* 13. *num.* 15. patetque ex dictis *sup. quæst.* 5. si hic tantùm aduertero doctrinam ibi traditam non habere locum in Societ. Iesu, in qua ex peculiari bulla Gregorij XIII. de qua *sup. cap.* 1. *sect.* 3. *quæst.* 16. nullus Prælatus inferior sub Generali censetur posse dispensare, nisi quatenus sibi concessum est ab ipso Generali: ita vt quidquid non est concessum, censeatur prohibitum: & non è contra quidquid non est prohibitum, censeatur concessum quod est quid speciale in Societate, adeoque non debet ampliari ad communem rationem Prælatorum regularium. 187.

QVÆRES LVII. An facultas dispensandi in regularibus Obseruantiis, quam diximus competere Prælatis regularibus, extendatur non solùm ad Regulas (vt sic dicam) directiuas, non obligantes ad culpam, saltem mortal. sed etiam ad quæcumque obligationem grauem, & sub mortali prouenientem ex regula, aut peculiari voto Religionis præter 3. substantialia.

Respond. Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 26. *art.* 1. cum distinctione: vel loquimur de obseruantiis substantialibus Religionis vt sic; & hæ sunt indispensabiles per potestatem Prælatorum regularium, vt iam diximus; vel 188.

vel loquimur de obseruantiis substantialibus talis Religionis, vt talis est, quæ indicantur in Trident. *sess. 25. de regul. cap. 1.* in illis verbis: *Ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum respectiuè essentiam pertinentia*, & comprehendunt, tum vota, quæ in Ordinibus sunt vltra 3. essentialia, tum omnia præcepta obligantia ad mortale, & in his potest dispensare Prælatus regularis; sicut & in omnibus, quæ dici possunt accidentaria, & non obligant sub mortali; si quidem Concil. Trident. dicit solum non posse Prælatum regularem relaxare ea, quæ sunt de substantia vitæ regularis; & non dicit, *huius, vel illius vitæ regularis*, sed absolutè *vitæ regularis*; qualia sunt ea tantum, quæ spectant ad primum ordinem, ideoque Concilium significat supra dictum Prælatum posse dispensare in aliis omnibus, quæ non sunt talia, cum exceptio firmet regulam in contrarium. ita Rodriquez pro se citans S. Thomam, & cum eo Sylu. *v. dispensatio, quæst.* 14. Sotus *lib. 1. de iust. quæst. 7. art. 3.*

189. Verùm hanc doctrinam vniuersaliter non approbat Suarez *supr. num.* 28. neque, quoad vota peculiaria, quæ fiunt secundum Regulam, & assumuntur tanquam substantialia huic, aut illi Instituto: neque quoad obseruantias regulares obligantes sub mortali, quæ cum suo modo pertineant ad substantiam vitæ spiritualis in tali Religione, dici possunt aliquo modo spectare ad substantiam Religionis: sicut & videntur spectare aliqua, quæ in aliqua Religione nec vouentur, nec præcipiuntur sub mortali (quale est in Societ. Iesu reddere rationem conscientiæ) vt pote quæ sunt media valdè intrinseca, ac necessaria ad consequendum finem quem sibi vt proprium illa Religio præfigit: quæ omnia eruditè probat Suarez more suo *supr. à num.* 28. ideoque ea lubens, & volens omitto.

190. Illud vnum moneo ex ipsomet Suar. *supr. num.* 41. quod, licet dispensatio non cadat vniuersaliter in ea, quæ modo supra dicto videntur substantialia alicui Ordini, quamuis non voueantur, nec præcipiantur sub mortali; in particulari tamen potest cadere in ea dispensatio; vt patet, tum ex vsu, tum, quia talis dispensatio non rarò est necessaria: tum, quia non omnia, quæ absolutè, & simpliciter sunt substantialia religionis, sūt substantialia in particulati, quoad singulas personas, aut singulos actus eorum; Ex quo fit, vt etiamsi in iis non possit vniuersaliter dispensari, ne alioqui dispensatio fieret dissipatio, & potestas tradita in ædificationem, verteretur in destructionem: in particulari tamen dispensari possit cum aliquo particulari Religioso, eo quod illa obseruantia, quæ in toto corpore Religionis est, & censetur substantialis, desinat esse talis vt applicata ad hoc, vel illud membrum, ad hunc, vel illum Religiosum; vt pote quæ ratione concurrentium circumstantiarum potest non esse necessaria ad bonum eius, neque aliorum: vnde sequitur, vt licet in ea dispensetur ratione illius particularis Religiosi, non ideo possit dici dispensatum fuisse in substantialibus Instituti; sic in Societ. Iesu v. g. substantiale censetur reddere rationem conscientiæ proprio Superiori, cum talis redditio sit medium moraliter necessarium ad perfectionē Instituti dictæ Societatis; ideoque non potest Generalis, aut alius Prælatus Societatis dispēsare in huiusmodi regula, vel institutione, ita vt in Societate nō seruetur, vel vlla ratio, aut cura illius non habeatur: & tamen, cum talis redditio conscientiæ alicui particulari Religioso ob singularem eius probitatem, & magnam existimationem de illius prudentia possit non esse necessaria ad bonum eius, neque aliorum, vtique poterit in ea dispensari, sicuti iam ostensum est.

QVÆRES LVIII. An Prælati regulares debeant esse faciles ad dispensandum in obseruantiis, ac Obligationibus regularibus.

Respond. non debere esse faciles in Obseruantiis grauioribus, & quæ ad substantiam Instituti pertinere censentur siue ex natura sua, siue ex declaratione illius, ac proinde in earum dispensationibus, etiam in particulari, teneri ita se gerere, vt inde moraliter satis constet inde non minus substantialis obseruantiis Religionis; secus in aliis regulis, cæremoniis, aut actibus virtutum: in his enim facilius potest concedi dispensatio, imò interdum dari potest etiam toti Religioni ab eo, qui potestatem habet in totam Religionem. ita Suar. *supr. n.* 41. addens tamen semper requiri causam proportionatam, sicut & requiritur ad omnem iustam dispensationem. 191.

QVÆRES LIX. An Prælatus regularis superior possit dispensare in præceptis Prælati inferioris.

Respond. posse ex communi iure, & ratione muneris, seu officij, quod habet: cum quilibet Superior possit dispensare in lege sui inferioris respectiuè, & Prælatus maior respectu Prælati inferioris sit Superior. ita Suar. *sup. num.* 42. qui tamen limitat hanc responsionē non habituram locum in casu, quo potestas Prælati superioris esset limitata per Cōstitutiones Ordinis: additque eum, qui succedit in officio, posse dispēsare in lege sui prædecessoris; cum sint fiunt æquales, & par in parem non habeat imperium. 192.

Quod si hîc obiter quæras, vtrum in casu, quo Prælatus regularis sine iusta causa dispenset in regula habente annexam aliquam pœnam ipso facto incurrendam (v. g. excommunicationem) possit successor illius habens æqualem iurisdictionem punire subditum eo modo dispensatum.

Respond. videri non posse; & probatur ex eo, quod quamuis dispensatio fuerit iniusta, Prælatus tamē æqualis non potest in foro exteriori cognoscere de eius iniustitia, neque eam damnare, & consequenter nec damnate, quidquid illius auctoritate effectum est. ita Suar. *supr. num.* 44. vbi tamen concedit Prælatum superiorem posse in præsenti casu punire transgressorem, si iniustitia, ac defectus dispēsationis sit adeò euidens, vt subditus nequeat excusari: quod dico, vt innoam subditum in casu aliquo modo dubio non esse damnandum; cum alioqui debeat semper præsumere pro suo Prælato. 193.

QVÆRES LX. In quas Regulas cadere possit propriè dicta dispensatio.

Respond. cadere in Regulas versantes circa actus simpliciter prohibitos (cuiusmodi est habere proprium in particulari) non autem in eas, quæ versantur circa actus, qui non sunt simpliciter prohibiti à Religione, sed solum, ne fiant sine licentia (quale est ingredi cubiculum alterius, exire domo, & similia;) vnde fit, vt, quando tales actus exercentur, neutiquam fiant ex dispensatione, sed ex concessione ipsiusmet regulæ. ita vt tunc licentia Prælati requiratur ad complendam materiam legis, seu modum operandi per legem petitum, non autem vt fiat dispēsatio; vnde colligitur aliud dispensare, & aliud licentiam dare; vt benè aduertit Suarez *sup. num.* 45. monens ad hoc, vt Prælatus regularis licet det licentiam exercendi præfatos actus in Regula non simpliciter prohibitos, non semper requiri specialem causam, sed sufficere, vt in eo actu hic, & nunc nihil sit incommodi, & quod possit à subdito honestè fieri aliquo titulo etiam ob honestam animi, aut corporis recreationem, vel certè Prælatus det talem facul- 194.

culta

cultatem, ne alioqui nimis austerus videatur: quæ tamen non sufficiunt ad licitas dispensationes, quæ requirunt propriam, & specialem causam.

Sectio V.

De Potestate Absolutiua Prælatis Regularibus competente, quoad Religiosos subditos.

195 *Prælatis Regularibus iure ordinario competit Potestas Absolutiua, quoad Religiosos subditos.*
196 *Et quidem etiam localibus.*
197 *Ea est delegabilis.*
198 *Extenditur ad casus bullæ Cœnæ, etiam in præsentia (etsi alij id negent.)*
199 *Item extenditur ad quinque casus contentos in Decreto derogatorio Clementis VIII.*
200 *Item ad alios casus reseruatos Papæ.*
201 *Item ad casus Papales occultos aliàs Regularibus specialiter reseruatos.*
202 *Item ad Censuras etiam speciales, & ab homine.*
203 *Item ad Hæresim occultam.*
204 *Item ad cēsuras Episcopales cōtra Regulares latas.*
205 *Item ad suspensionem contractam ex indebita ordinatione.*
206 *Item ad Censuras incursas ex Simonia commissa in ordinibus suscipiendis.*
207 *Imo & ad incursas ex Simonia commissa in officiis Religionis.*
208 *Extenditur ad reseruata in Religione.*
209 *Item ad Apostasiam à Religione.*
210 *Hac potestate vti possunt Prælati Regulares erga Nouitios.*
211 *Et quidem etiam nondum ingressos.*
212 *Imo & per Confessarios ordinarios Conuentus, in quo probandi sunt.*
213 *Imò per Prælatum Conuentus loci, in quo admittuntur ad Religionem aliò mittendi.*
214 *Quamquam, si ij sic absoluti mox non ingrediantur religionem, reincidant in priores censuras.*
215 *Potestas absolutiua Prælatorum Regularium non extenditur ad Religiosos perpetuò electos.*
216 *At extenditur ad Religiosos ordinis creatos Episcopos.*
217 *Etsi hi alioquin sint exempti ab ordinis iurisdictione.*
218 *Item extenditur ad Moniales subditas.*
219 *Non item ad exemptas.*
220 *Monialis absens ab Episcopo potest absolui à censura Hæresis occulta.*
221 *Dicta potestas prodest Religiosis hospitibus quoad reseruata proprij Ordinis.*
222 *Nisi aliter statutum sit in aliquo ordine (vt in Societate Iesu.)*
223 *Prodest, quoad Tertiarios Ordinis, sed non, quoad omnes.*
224 *Item prodest quoad Oblatos, non tamen, quoad omnes.*
225 *Ea interdum competit etiam Vicario Conuentus.*
226 *Iuuat aliquo modo etiam pro Foro externo.*

QVÆRES I. An, & quo iure potestas absolutiua competat Prælatis Regularibus.

195. Respond. competere iure ordinario, quatenus scilicet sunt ordinarij Pastores animarum suorum subditorum, & in eos translata est cura, quam Episcopi, vel Parochi habent circa suos subditos sæculares: quod est habere dictam potestatem ex vi sui muneris, & consequenter ordinariam, sequiturque necessariò ad exemptionem Religionibus concessam; vt patebit consideranti. ita Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 15. num. 2.* addens *num. 1.* huiusmodi potestatem (quod ad præsens pertinet) non extendi nisi ad peccata, & censuras, seu pœnas Ecclesiasticas, cum nullum aliud spirituale vinculum excogitari possit, quod per absolutionem tollatur.

QVÆRES II. In quibus Prælatis regularibus extet potestas absolutiua.

Respond. extare in omnibus Prælatis, etiam localibus: ita tamē, vt circa Religiosos alicuius monasterij non solū habeat talem potestatem Prælatus localis, sed etiam Prouincialis, sub cuius prouincia est illud monasteriū, immò & Generalis; qui proinde nō solum indepēdenter à Prælato locali, sed & ipso renuente poterunt illius subditos absoluere; idque tum ex praxi religionum, tum ex ratione intrinseca taliū munerum; quatenus nempe ij omnes sunt proprij; ac ordinarij Pastores talium animarum, magis aut minùs vniuersales: ita tamen, vt vniuersalitas non tollat prædictā immediationem, quoad potestatem, sed potius subordinationem statuat inter dictos prælatos etiam in vsu huius potestatis: ita vt inferior quidem pendeat à superiore, non autem è conuerso. 196.

QVÆRES III. An Prælati regulares possint, & debeant delegare huiusmodi potestatem absolutiuam, ipsis iure ordinario competentem.

Respond. non solùm posse delegare eo modo, quo diximus *subsect. præced. quæst. 2. & 9.* sed etiam, regulariter loquendo teneri; cum multis de causis, quæ facilè occurrent consideranti, non expediat, quod Prælatus regularis audiat confessiones suorum subditorum (quamuis aliàs, si ipsi velint, ratione sui muneris, teneatur eos audire:) imò id ipsum prohibuerit Clemens VIII. *in decreto de Reseruat. casuum pro Regularibus,* relato à Quaranta *in bullar. fol. 191.* in quo habentur hæc verba: *Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi spontè, aut proprio motu id ab eis petierint.* ex quibus quis non videt Prælatos regulares ordinariè teneri delegare aliis facultatem absoluendi ipsius ratione officij competentem: qood nobis erat probandum. 197.

QVÆRES IV. An Prælati regulares possint absoluere proprios subditos à casibus in bulla Cœnæ contentis, & quando.

Respond. videri posse, eo modo, quo dixi, *tract. 8. cap. 2. sect. 1. subs. 2. num. 33.* 198.

Moneo hîc, quod, licèt Lezana *de obligat. Prælat. regul. cap. 16. num. 38.* & Io. de La Crux, & alij apud Dianam *part. 1. tract. 5. resol. 6.* cum ipsis sentientem putent Prælatos regulares in præsentia non posse absoluere Religiosos subditos à casibus Bullæ Cœnæ; eo quod Bulla Cœnæ edita ab Vrban. VIII. non contineat verba illa, *Nisi in eis* (idest in priuilegiis Regularium) *etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur*, sed loquatur generaliter, adeóque non relinquat locum existimandi Religiosos posse per proprios Prælatos vi suorum priuilegiorum absolui etiam in præsentia à dictis casibus; maximè attenta declaratione sacræ Congregationis hac de re edita: tamen putant aliqui Doctores relati à Diana *sup.* & præcipuè Peyr. Religiosos posse adhuc absolui à Præfatis casibus per suos Prælatos, si ij sint occulti: idque possunt probare, tum quia priuilegia Regularium debent interpretari instar Iuris communis, vt eis derogetur minùs, quam fieri possit Henriq. *lib. 7. cap. 230. in com. lit. G.* cum ergo derogatio priuilegio-

tum

rum Regularibus concessorum facta in Bulla Cœnæ Vrban. VIII. possit explicari, quoad casus notorios, non autem quoad occultos,dici poterit Religiosos etiam modò posse absolui à casibus occultis Bullæ Cœnæ:cum sic saluetur derogatum fuisse priuilegiis Regularium (quippe quibus ablati sunt casus notorij) & alioqui ipsorum priuilegiis derogetur minùs quam fieri possit,hoc ipso, quod iis concedimus casus occultos: tum quia in dubiis benigniora præferenda sunt, *l. semper. ff. de reg. iur.* sumus autem in dubio,an derogatum sit priuilegiis Regularium generaliter,aut solùm,quoad casus notorios,sicque debemus dicere derogatum fuisse solum,quoad casus notorios: quæ est pars benignior. Quo modo item dici potest intelligendam esse declarationem Sacræ Congregationis suprà adductam, per eam scilicet tolli Regularibus casus notorios,non item occultos.

QVÆRES V. An Prælati regulares possint absoluere Religiosos subditos à quinque casibus in decreto derogatorio Clem. VIII. comprehensis.

199. Respond. posse,sicut diximus *tract. 8. cap. 2. sect. 1. subsect. 2. quæst. 2.*

QVÆRES VI. An Prælati regulares possint absoluere suos subditos ab aliis casibus Sedi Apostolicæ reseruatis.

200. Respond. posse, sicut dictum est *tract. 8. cap. 2. sect. 1. subsect. 2. quæst. 3.*

QVÆRES VII. An Prælati regulares possint absoluere proprios subditos à casibus merè Papalibus. (qui scilicet ipsis sunt specialiter reseruati) si sint occulti.

201. Respond. posse vti diximus *tract. 8. c. 3. sect. 2. q. 1.*

QVÆRES VIII. An Prælati regulares absoluere possint Religiosos subditos à Censuris, etiam specialibus, & ab homine latis per sententiam specialem.

202. Respond posse,& probatur ex dictis *tract. 8. cap. 2. sect. 1. subsect. 2. quæst. 6.* & ex iis,quæ affert Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 37.* vbi in primis adducit priuilegium bullatum à Paulo III. Fratibus Soc. Iesu concessum, & relatum *in Bullar. ipsius Soc. pag. 31.* quo conceditur Generali Societatis vt per se, vel per alios ad id deputatos possit suos socios absoluere *à quibusuis excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, aliisque Ecclesiasticis, & sæcularibus sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quomodolibet latis, & promulgatis.* Quod priuilegium est verè magnum, commune etiam aliis Religiosis communicantibus de priuilegiis Soc. & de se clarum, si solum monuero hic per sententias sæculares intelligi eas, quæ à sæculari potestate latæ sunt contra Religiosum adhuc sæcularem: quatenus post se possunt relinquere aliquem effectum (v.g. infamiam iuris) postea tollendum: quo modo re vera tolli potest virtute huius priuilegij; ita docti viri à me consulti, & satis probabiliter.

QVÆRES IX. An Prælati regulares possint absoluere suos subditos ab Hæresi.

203. Respond. videri posse eo modo, quo diximus *tract. 8. cap. 3. sect. 1. subsect. 2. quæst. 1.* nisi fortè obstet decretum Vrban. VIII. datum Romæ 17. Nou. 1628. in quo reuocantur in ampla forma omnis priuilegia Regularium, quoad absoluendum à casibus bullæ Cœnæ,& consequenter ab hæresi occulta; vti re vera putat obstare Diana *part. 3. tract. 2. resol. 122. & in tract. de absol. ab heresi, resol. 6.* addens Religiosum in hoc casu posse pro absolutione adire,tum Inquisitorem,tum proprium Ordinarium,cum licentia tamen proprij Prælati,imò & sine ea,si fortè illa iniustè denegaret.hæc Diana, quæ certè non ita facilè admitterent ij,qui iuxta dicta *c. 2. sect. 1. subs. 2.* conatur probare Regulares vi suorum priuilegiorum adhuc posse absoluere à casibus occultis bullæ Cœnæ non obstante decreto præfato Vrban. VIII. vtpote quod potest intelligi solum de casibus publicis, non verò de occultis.

QVÆRES X. An Prælati regulares possint absoluere suos subditos à censuris per Episcopos latis contra illos in casibus permissis (qualis est excommunicatio,quam Episcopi ferre solent in collatione Ordinum contra indebitè accedentes.)

Resp. posse iuxta dicta *tract. 8. cap. 2. sect. 1. subs. 2. quæst. 4.* idque non iure communi; sed ex priuilegiis, ipsis concessis, & maximè ex eo, quod refert Suarez *supr. cap. 20. num. 5.* his verbis: *Nicolaus IV. noluit Fratres ligari aliqua sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti hominis, nisi nominatim fieret mentio, nec sufficere, si diceret in sententia generali, vt perinde valeant, ac si essent nominatim expressi*; quæ concessio vtique est magna, &, cum habeatur in Ceremoniali in Bibliotheca Vaticana, adhuc durat non obstante reuocatione generali viuæ vocis oraculorum; vtpote quæ videtur excedere fines viuæ vocis oraculi; quamquam aliàs ex tali concessione potiùs probetur Regulares in proposito casu non subiacere præfatæ excommunicationi, nisi nominatim exprimantur (siue singillatim, quoad personas siue quod talem,vel talem Religionem,tale,sur tale monasterium,vtrumque enim hunc sensum facere possunt verba illa, *nisi nominatim fieret mentio:*) quod possint per proprios Prælatos absolui ab ea iam contracta. 204

QVÆRES XI. An Prælati regulares possint absoluere suos subditos à suspensione, quam fortè contrahant est indigna Ordinum susceptione.

Respond. posse; & patet ex dictis *tract. 8. cap. 2. sect. 3. quæst. 16.* 205

QVÆRES XII. An Prælati regulares possint absoluere Religiosos subditos à censuris contractis ob simoniam commissam in susceptione Ordinum.

Respond. Lezana *supr. cap. 18. num. 39.* ex Suarez *supr. cap. 21. num. 9.* & Peyr. *tom. 1. priuil. Const. 2. Iul. II. num. 88.* non posse;& probat ex eo,quod Sixtus V. *in bulla contra Clericos malè promotos*, reuocauit omnia priuilegia Religionibus concessa quoad absoluendum à censuris ob hanc causam incursis, talemque bullam confirmauit Clemens VIII. quoad simoniacè ordinantes, & ordinatos: vt proinde assignari non possit ratio,cui Prælati regulares absoluere possint à præfatis censuris; nisi fortè quis velit recurrere ad doctrinam illam generalem de casibus occultis, datam, *tract. de priuil. supr. cap. 2. sect. 1. subs. 2.* quamuis,& hanc reiiciat Rodriq. *tom. 1. quæst. 20. art. 13.* 206

An verò Prælati regulares possint suos subditos absoluere à Censuris incursis ob simoniam commissam in officiis Religionis.

Respond. posse ex variis priuilegiis, & præcipuè ex eo,quod concessit Sixtus IV. In mari magno Fratrum Prædicatorum,& adducit Lezana *supr. num. 34.* monens *cap. 15. num. 33.* supradictis non obstare,quod Pius V. *in bulla, Cum primum*, confirmat excommunicationem Papæ reseruatam à Paulo II. contra simoniacos in officiis Religionum, adeòque videtur derogare supradictis priuilegiis; siquidem in bulla ista Pij V. loquitur in specie de beneficiis Ecclesiasticis non videntur venire officia Religionum, vtpote quæ non sunt propriè beneficia; cum tamen in odiosis extensio fieri non debeat, sed restrictio; ita Lezana *loc. cit.* licèt postea *c. 18. n. 39.* dicat in hoc cautè procedendum esse, seque id aliorum iudicio remittere. 207

QVÆRES XIII. An, & quo modo Prælati regulares

regulares possint absoluere suos subditos à casibus reseruatis in Ordine.

208. Resp. posse, & quidem eo modo, quo explicabimus suo loco, & fusius docet Suar. *sup. tract.* 10. *l.* 8. *cap.* 5.

Quæras XIV. An Prælati regulares possint absoluere Religiosos subditos ab Apostasia, ac excommunicatione ob eam contracta, Papæque reseruata ex variis priuilegiis, quæ concessa sunt Religionibus, & extant *in Comp. Soc.* v. *Apostata.*

109. Respond. posse, patétque ex dictis *supr. cap.* 2. *sect.* 1. *subs.* 2. *q.* 3 *n.* 6. præterquam quod (saltem quod spectat ad Patres Soc. Iesu) Pius V. *in Const. Æquum reputamus* relata *in bullar. Soc. pag.* 90. Superioribus Societatis talem absolutionem concessit dicens præfatam excommunicationem non posse tolli, nisi à Papa, vel à Superiore Societatis.

Quæras XV. An Prælati regulares possint absoluere Nouitios etiam nondum ingressos Religionem in iis casibus, in quibus possunt absoluere alios Religiosos subditos.

210. Respond. posse; non quidem ex indulto PP. Benedictinis concesso (quod fortè reuocatum est in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum: eum non constet esse bullatum,) sed ex eo, quod Nouitij gaudent priuilegiis sui Ordinis (vt probanimus *cap.* 1. *sect.* 3. *quæst.* 6) adeóque & possunt frui concessionibus factis quoad potestatem absolutiuam: cum nulla apparet ratio, cur hæ excludantur à generali communicatione, ac vsu aliorum priuilegiorum, vt consideranti patebit.

211. Dixi, *Nouitios etiam nondum ingressos Religionem*; de his enim etiam extat peculiaris concessio facta à Iulio II. per bullam *Virtute conspicuos*, adductam à Peyrin. *tom.* 1. *priuil. Const.* 2. *Iulij II.* in qua habentur hæc verba § 9. *Ad hæc volentibus vestro aggregari consortio, qui suspensionis, aut interdicti, vel à Iudice promulgatis generaliter sunt ligati obseruata forma canonica impartiri, ipsósq; in Fratres recipere, ac eos, qui post assumptum habitum, vel professionem emissam recognouerint se talibus in sæculo fuisse sententiis innodatos secundum formam ipsam, vos Generalis, Vigiles, & Prouinciales, & Correctores, ac Vices vestras gerentes valeatis absoluere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus sententiis innodati, vel in locis interdicto suppositis diuina præsumpserint officia celebrare, vel Ordines recipere; ita tamen quod si alicui ex huiusmodi eisdem sententiis propter debitum sint adstricti, satisfaciant, vt tenentur. volumus autem nihilominus, quod huiusmodi volentes vestro aggregari consortio, nisi mox, postquam fuerint absoluti, Ordinem vestrum intrauerint, etiamsi super hoc eis inducta à Prælatis Ordinis eiusdem concedantur, eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos etiam absolui contigerit, relabantur: cæterum vestra discretio cautè prouideat, vt Apostolicæ Sedis Legatorum ipsis, & Ordinariorum locorum in absolutionibus huiusmodi scandalum euitetur.* Ita Iul. II. & satis claré; si monuero per ly, *obseruata forma canonica*, intelligi, quod absolutio prædicta detur cum debita solemnitate; nempe flagellando absoluendum, & recitando psalmum *miserere*: quamuis putet Peyrin. *supr. num.* 31. cum Glossa *in cap. venerabilibus*, §. *porrò*, *de sent. excommun. in* 6. ad absoluendum in foro conscientiæ non requiri præfatam solemnitatem, addens *num. praeced.* Nouitios vi præsentis priuilegij posse absolui ab omnibus illis sententiis, ac censuris, in vtroque foro: eum illud non restringatur à Papa ad forum conscientiæ, & aliàs beneficium Principis latissimè interpretandum sit, *l. beneficium*, *ff. de Constit. Princip.*

212. Quin etiam Diana *part.* 3 *tract.* 2. *resol.* 46. cum Vecchio *in praxi Nouit. D.* 9. *d.* 7. *num.* 5. putat enim, qui de proximo vult ingredi Religionem posse per Confessarium Religionis (non modo per Prælatum Illius) absolui ab iis reseruatis, à quibus possunt absolui alij Religiosi Ordinis, & quidem vt puto, secluso dicto priuilegio Iulij II. quippe qui in fauorabilibus veniunt nomine religiosi, etiam antequam induant habitum religiosum: vt probat Peyrin. *tom.* 3. *priuil. cap.* 3. *num.* 5. tum quia de breui accingendus in fauorabilibus habetur pro accincto *l. penult. ff. de milit. test.* tum quia teste Archidiac. *in cap. si quis suadente* 17. *quæst.* 4. *num.* 8. qui nullum ordinem habet, sed tantum coronam portat, & est Clericus animi destinatione, gaudet priuilegio illius Canonis: quo modo *l.* 4. *ff. de fundo dotali*, fundus destinatus ad dotem dicitur ante matrimonium fundus dotalis, & inalienabilis; tum quia *l. etsi non sint.* §. *quid ergo*, *ff. de aur. & argent. leg.* appellatione argenti venit argentum aptum fabricari, licèt nondum fabricatum; vt proinde mirum non sit etiam in casu nostro nomine Religiosi venire illum, qui de proximo vult ingredi Religionem, esto nondum sit ingressus, & consequenter posse frui priuilegiis Religiosorum, necnon absolui à reseruatis æquè, ac si esset Religiosus: & hoc, non obstante decreto derogatorio Clem. VIII. de quo *tract.* 8. *cap.* 1. *sect.* 1. *subs.* 2. siquidem in eo reuocantur priuilegia Regularium solùm ad hoc, ne ipsi vi illorum absoluant sæculares personas, non autem ne absoluere possint eos, qui breui ingressuri sunt Religionem, vt pote qui, moraliter loquendo, non sunt sæculares, sed Religiosi censentur modo supradicto; quod ita verum est, vt, teste Vecchio *supr.* ipsemet Clem. VIII. declarauerit hos posse absolui à casibus Episcopo specialiter reseruatis, non obstante illo suo decreto: quod nos etiam notauimus *in tract. de prohibitionibus*, *c.* 2. *sect.* 2. *q.* 21.

Difficultas iam est, vtrum Nouitius absoluendus virtute priuilegij Iulij II. debeat absolui à Prælato locali Monasterij, in quo ille peracturus est Nouitiatum, & quidem postquam illuc se transtulit ad faciendum aliquod experimentum, quod in illo Ordine fieri soleat à Nouitiis antequam recipiantur ad immediatum consortium Nouitiorum (vti fit in aliquibus Ordinibus:) an verò possit absolui etiam à Prælato locali Monasterij, in quo Nouitius habet domicilium paternum, &c.

Respond. quòd, quamuis probabilius sit, attenta mente Pontificis concedentis, talem absolutionem impertiendam esse à Prælato Monasterij, in quo Nouitius peracturus est Nouitiatum; cum sic censeatur Nouitius magis accedere ad statum religiosum, vt pote iam nactus domicilium religiosum, viuens inter Religiosos, seque proximè ibi disponens aliquo ordinario experimento illius Ordinis ad vitam religiosam incohandam, ideóque potiori ratione iuxta dicta moraliter censeri possit Religiosus ad effectum vtendi priuilegiis Religiosis; nihilominus improbabile non videtur absolutionem supradictam dari posse etiam in loco, vbi Nouitius habet paternum domicilium: siquidem in concessione vsus talis potestatis non restringitur ad Prælatum Monasterij, in quo Nouitius peracturus est Nouitiatum, sed indefinitè conceditur Generali, Vigilibus, Prouincialibus, & Correctoribus (videlicet Prælatis localibus) ac vices eorum gerentibus: cum tamen nos distinguere non debeamus, vbi lex non distinguit, & gratia Principis latissimè interpretanda sit. 213.

Quod autem additur in concessione Iulij II. Nouitium modo supradicto absolutum reincidere 214.

in

in easdem censuras, si mox Religionem non ingrediatur &c. censeo habere locum, tum in casu, quo ille de breui non intret Religionem (siue id fiat culpabiliter, siue absque culpa; quod colligo ex ea clausula, quæ apponitur in ipsa concessione, *etiamsi super hoc eis inducia à Prælatis Ordinis eiusdem concedantur*:) sed etiam in casu, quo iam ingressus sponte sua egrediatur, vel certè sua culpa eiiciatur; hoc quippe priuilegium conceditur Nouitiis in ordine ad Religionem, adeóque si hanc sponte, aut eorum culpa relinquant, non amplius sentire possunt beneficium illius. ita Peyrin. *tom. 1. priuil. Const. 2. Iulij 11. num. 33.* cum Viualdo *in Candel. part. 2. de absolut. num. 23.* addens cum eodem Viualdo, Rodriq. *tom. 1. q. 20. art. 21.* & Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 14. nu*... *7. &* 8. Nouitium, qui ob morbum, aut parentum ... opiam inuitus expellitur è Religione, eodem modo reincidere in easdem censuras, si ita expellatur, vt Superior nolit eum amplius admittere; idque etiamsi de se sit paratus ad redeundum, cessante causa: & hoc ob rationem iam allatam; oempe quod dictum priuilegium non conceditur, nisi in via ad Religionem: quamquam Suar *supr. num. 6.* non parum dubitet de eo, qui bona fide ingressus Religionem, & cum animo profitendi secundùm ius, postea non profitetur absque sua culpa, eo quod vel à Religione eiiciatur, vel ex iusta causa egrediatur; valde enim inclinat in fauorem illius; eum scilicet nullatenus relabi in censuras modo dicto ablatas: cum sic impleuerit conditionem requisitam ad vsum præfati priuilegij, & nulla adsit ratio extendendi verbum illud, *nisi intrauerint*, ad introitum per professionem; præsertim cum sit valde æquum, vt qui absolutus fuit in ordine ad insignem actum ingrediendi Religionem, eumque expleuit bona fide, non priuetur postea tali beneficio, sed eo vtatur etiam relicta Religione sine ipsius culpa. ita Suar. qui tandem sic concludit: *Quapropter probabile reputo hanc absolutionem datam Nouitio, qui bona fide in Religione versatur cum animo profitendi, non esse ad reincidentiam, sed omninò absolutam, ac permanentem: datam verò ei, qui vult ingredi, antequam Nouitius sit, esse ad reincidentiam, si cum effectu non ingrediatur, aut ingressus nimium differatur: si autem cum effectu ingrediatur, omninò firmetur absolutio, ita vt, licet casu postea non profiteatur, non reincidat.* quæ de re consulantur, quæ diximus *in tract. de Nouitiatu, cap. 7. quæst. 18.*

QVÆRES XVI. An Prælati regulares possint vi supradictorum priuilegiorum absoluere à reseruatis Religiosos sui Ordinis legitimè eiectos.

215. Respond. non posse, si sint eiecti in perpetuum; patétque ex eo, quod nullam habet iurisdictionem in illos (vt bene notat Portel. *de dub. Regul. v. eiicere ab Ordine, num. 9.* cum Nauarr. *lib. 3. consil. consil. 3. de Regul.* hine inferens Prælatos regulares posse, ac debere cum dictis eiectis dispensare in irregularitatibus, ac censuris, quas tollere possunt, antequam illis denuncient sententiam eiectionis: cum tunc adhuc sint subditi, & consequenter capaces præfatæ dispensationis: quo modo etiam sunt capaces, qui ad tempus destinantur triremibus, & possunt dici eiecti ad tempus; vtpote qui sic verè manent subditi Religionis.

QVÆRES XVII. An Prælati regulares possint Religiosos sui Ordinis promotos ad Episcopatum &c. in casu, quo hi nequeat absolui vi facultatis ipsis ratione Episcopatus competentis.

216. Respond. quod sicut *tract. 8. cap. 1. sect. 4. quæst. 6.* sustinuimus huiusmodi Religiosos gaudere priuilegiis sui Ordinis; ita & in præsentia dicimus illos posse absolui à prædictis reseruatis vi priuilegiorum Prælatis religionis competentium: cum ij verè maneant Religiosi; & sic non adsit ratio, cur excludantur à participatione taliom priuilegiorum, maximè cum hæc sint fauorabilia animæ, & pec consequens debeant ampliari, vt pote non præiudicantia Religioni, neque vlli alteri.

Dices. Regulares eo ipso quod assumuntur in Episcopos, subtrahuntur à Prælatorum regularium iurisdictione: cum tamen iurisdictio, quæ supponitur in vsu præfatorum priuilegiorum, exerceri nequeat, nisi in subditos.

Respond. quod, quamuis verum sit dictos Regulares ratione Episcopatus, vel alterius similis dignitatis eximi ab obedientia Religionis; hoc tamen non facit, quin si velint, Prælatis regularibus Ordinis se subiicere possint quoad hoc, vt vi priuilegiorum ipsis concessorum possunt absolui à reseruatis; ea ratione proportionaliter, qua Regulares communiter exempti sunt ab Ordinariis, & tamen quoad forum Sacramentale possunt se illis subiicere de consensu suorum Prælatorum, vt passim tradunt DD. & præsertim Suarez *supr. cap. 23. per totum*, vbi more suo fusius hanc materiam prosequitur. 217.

QVÆRES XVIII. An Prælati regulares possint vi supradictorum priuilegiorum absoluere à reseruatis Moniales sui Ordinis.

Respond. posse, si sint exemptæ ab Ordinario; secùs, si non sint exemptæ. Pars 1. probatur ex eo quod Moniales exemptæ verè sunt Religiosæ Ordinis, in quo professæ sunt, ideóque gaudent priuilegiis, quæ concessa sunt Religiosis illius Ordinis, & cum reuera subsint Prælatis dicti Ordinis, non est cur dicamus eas non posse absolui à reseruatis vi illorum priuilegiorum, per quæ absolui possunt Religiosi masculi illius Ordinis: siue id fiat per regulares Prælatos immediatè (quod omnino debet fieri, quando in concessione priuilegij exprimitur, vt per se ipsos absoluant,) siue etiam per alium delegatum (quod potest fieri, quotiescumque in concessione non apponitur illa limitatio:) quod est valdè aduertendum, ne aliàs quis abutatur potestate sibi tradita, eam exercendo aliter, ac ipsi conceditur. Pars 2. quæ est de Monialibus non exemptis, constat ex eo quod, licet hæ gaudeant priuilegiis sui Ordinis (intellige, quæ iis possint adaptari) non ideo tamen videntur frui præfatis priuilegiis, quæ diximus fuisse concessa Regularibus in Ordine ad absolutionem reseruatorum; nisi fortè aliquod eorum sit concessum sub simili clausula, quod Religiosi huius, aut illius Ordinis possint eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, quem maluerint, & per eum absolui à reseruatis; quod tamen regulariter non fit: cum similia priuilegia potiùs concedi soleant cum hac clausula, vt Prælati regulares, aut alij Confessarij per ipsos deputati iis vtantur cum Religiosis Ordinis: quæ clausula sine dubio verificari non potest, quoad Moniales non exemptas, vtpote quæ iam nullo modo subsunt Prælatis regularibus; cum tamen iurisdictio, quæ necessariò præsupponitur in vsu talium priuilegiorum, non exerceatur erga personas non subditas, vt patet. 218.

Quod si dicas hinc sequi Moniales non exemptas esse deterioris conditionis, vt pote quæ non possunt à reseruatis absolui per Confessarios ordinatos vi priuilegiorum, quæ ad hunc effectum proprio Ordini concessa sunt (quomodo possent, si immediatè subessent Prælati sui Ordinis:) id vltro concedimus

cedimus, vtpote quid consequens ad subiectionem immediatam, quam dictæ Moniales acquisierunt erga Episcopos; quanquam, practicè loquendo, vix possit cōtingere casus, ad quem respectu Monialium exemptarum se extendat potestas prælatorum regularium, & non se extendat potestas Episcoporum respectu Monialium ipsis immediatè subditarum: maximè attenta facultate, quam illi habent, quoad casus occultos, ex vi Tridentini *sess.24.cap.6.* de qua sæpius suprà.

220. Addo vnum obiter ex *Suar. sup. cap.14. num.4.* multos DD. putare Episcopum posse ea vi concessionis Concil. Trid. per se ipsum absoluere Monialem, vel aliā personam impeditam à censura hæresis occultæ, etiam absentem: cum non possit delegare talem facultatem, vt indicat Concilium (quamuis Cordubà *in Sum. hisp. quæst.8.* & alij aliter exponant) nec debeat cogi accedere ad pœnitentem impeditum, vt illum absoluat; cum alioqui data absolutione à censura tollatur reseruatio culpæ, & consequenter hæc possit absolui à quocumque legitimo Confessario; qua de re Nau. *cons.15. de sent. excommunic.* Rodriq. *tom.1. quæst.20. art.11.* Gutierez *in practic. qq. cap.13. num.28.*

Qværis XIX. An Prælati regulares vi priuilegiorum possint absoluere à reseruatis Religiosos sui Ordinis, etiam hospites, ac peregrinos.

221. Respond. posse, nisi fortè in aliquo Ordine aliter statutum sit, ita Suar. *supr. cap.14. num.2.* & probatur, tum ex indulto ad id concesso ab Eugen. II. Patribus Minimis in bulla à nobis adducta *quæst. 15.* in qua hæc habentur: *Generalis quoque & singuli Vigiles, ac Prouinciales, & Correctores, & eorum Vicarij in prouincijs, & vigilantijs sibi commissis, prædictis Fratribus constitutis ibidem, necnon & Fratribus alijs eiusdem Ordinis interdum ad eos declinantibus vndecumque absolutione, & dispensatione indigentibus absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impartiri.* Intellige à quacumque sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti à iure, vel à Iudice generaliter promulgata, imò & ab irregularitate incursa ex eo quod dictis sententijs innodati, aut in locis suppositis interdicto Ecclesiastico diuina officia celebrauerint, aut Ordines susceperint:) tum ex alijs priuilegijs ad talem effectum varijs Ordinibus concessis, siue ea loquantur indefinitè de suis Monachis, aut Religiosis, siue etiam de Religiosis subditis; vtpote quæ rectè exponi possunt de subditis in foro conscientiæ secundum præsentem statutum (quales vtique sunt etiam Religiosi hospites;) tum denique ex quadam declaratione Cardinalium ad *cap. liceat sess.24 Concil. Trid.* quæ habet forenses, dum versantur in aliquo Episcopatu, posse absolui à casibus occultis ab Episcopo loci per facultatem ibi concessam; quæ declaratio itidem probat Religiosos hospites secundùm se posse absolui per facultates Religionis à Prælato loci, in quo tanquam hospites degunt: cum ibi se habeant veluti forenses, & io iis militet eadem ratio.

222. Dixi, *nisi fortè in aliquo Ordine aliter statutum sit:* si enim aliter statutum sit (quo modo de facto statutum est in Soc. Iesu, vt mox dicam) tunc non currit doctrina modò tradita, sed omnino obseruandum id, quod hac in re præscriptum est. Quòd ergo spectat ad Societatem Iesu, inter ordinationes Generalium *instruct.6. §.6.* habetur Nostros iter agentes, si diuertant ad locum aliquem Societatis, posse quidem absolui à reseruatis per Ordinarium loci illius Confessarium, aut, si is haberi nequeat per quemlibet alium Societatis Sacerdotem approbatum; imò

&, si is desit, etiam per alium externum: teneri tamen in omnibus his casibus se sistere postmodum Superiori, ad quem ituri, vel redituri sunt, eique, aut alteri de eius licentia confiteri. Si verò accidat, vt aliquis tanquam hospes sit in aliquo Collegio, diu tamen ibi moraturus, puta spatio vnius, aut alterius circiter mensis: si is eo tempore in casum aliquem reseruatum inciderer, poterit, ac debebit absolui à Superiore illius loci to quo est, vel de eius licentia, tanquam si proprius esset eius subditus, sine obligatione sistendi se Superiori eius loci, ad quem proprie pertinet; sic ibi, & satis clarè, maximè attentis iis, quæ diximus *tract.8. cap.2. sect.2. subs.2. q.11.*

Qværas XX. An Prælati regulares virtute priuilegiorum Ordini concessorum possint absoluere Tertiarios sui Ordinis, ac possunt Religiosos professos illius.

223. Respond. posse, siquidem viri collegialiter viuant, aut cum claustralibus habitent: fœminæ verò virginalem coelibem, aut castam vidualem vitam ducant, facto voto castitatis, & sub habitu illius Ordinis; siue etiamsi aliàs seorsim habitent in domibus proprijs, aut suorum consanguineorum, vel affinium. Colligitur ex Lezana *tom.2. cap.14. n.31.* vbi cum probet ex bulla Leonis, ac Decretis sacrarum Congregationum Tertiarios habentes prædictas conditiones frui hoc ipso omnibus priuilegiis, gratiis, ac concessionibus, quibus gaudent Fratres illius Ordinis (quod nos etiam ostendimus *tract.8. cap.1. sect.3. q.7.* & alibi quoque sæpiùs repetiimus:) per consequens etiam probat dictos Tertiarios frui priuilegiis suo Ordini concessis, quoad absolutionem reseruatorum, vtpote comprehensis in generali illà communicatione priuilegiorum, & hoc non obstante decreto illo derogatorio Clem. VIII. de quo *tr.8. cap.2. sect.1. subs.2. q.1.* quippe quod iuxta dicta hic *q.15.* non afficit Religiosos pœnitentes, sed tantùm laicos; & per consequens non comprehendit suprà dictos Tertiarios, qui hoc ipso, quod habent conditiones suprà positas, in iure censentur Religiosi, & pro talibus computantur: cum tamen alioqui lex odiosa (cuiusmodi est præfatum decretum Clementis) non debeat ampliari, sed restringi.

Qværas XXI. An Prælati regulares vi suorum priuilegiorum possint absoluere à reseruatis Oblatos, seu Donatos sui Ordinis.

Respond. posse, si sint ex iis Oblatis, seu Donatis, qui professionem trium votorum faciunt; adeóque sunt veri Religiosi, & consequenter iuxta dicta *q. præc.* non includuntur in illo decreto Clem. VIII. 224.
Secus si sint ex iis Oblatis, seu Donatis, qui nullam votorum professionem faciunt, sed solùm omnia sua bona donant Monasterio irreuocabiliter, in eóque degunt, habitu aliquomodo mutato: hi enim teste Lezana *tom.1. cap.8. n.8.* sunt quidem personæ Ecclesiasticæ, & pro talibus habentur, non tamen sunt, nec reputantur Religiosi, & sic comprehenduntur in decreto Clementis, sin minùs vt simpliciter laici, saltem vt non Religiosi, vtpote includente omnes non Religiosos; vnde fit, vt quamuis hi Oblati, seu Donati vi priuilegiorum Ordini concessorum possent absolui à reseruatis; hodie tamen non possint ob præfatum Clementis decretum derogans omnibus priuilegiis, quæ ipsis concessa fuerant in ordine ad absoluendum personas sæculares ab iis, quæ in ipso decreto specialiter reseruantur.

Qværas XXII. An Vicarij, seu Subpriores, &c. absente Prælato Monasterij possint in virtute suprà dictorum priuilegiorum absoluere à reseruatis Religiosos sibi subditos, & alios, quos diximus

posse absolui ab ipso Prælato, ita vt vsus dictorum priuilegiorum pro tunc totus transferatur in Vicarios, &c.

225. Respond. posse eo modo, quo diximus *tract. 8. cap. 2. sect. 1. subs. 2. q. 6.*

QVÆRES XXIII. An, & quomodo Prælati regulares possint absoluere Religiosos subditos à reseruatis Papæ: ita vt absolutio ipsis suffragetur etiam pro foro externo.

226. Respond. posse eo modo, quo diximus *tract. 8. cap. 2. sect. 2. subs. 2. q. 7.*

SECTIO VI.

De Potestate, quam habent Prælati regulares, quoad Varia, quæ concernunt Gubernationem Regularem.

227 *Prælati regulares possunt erigere in Conuentu priuatas Capellas.*
228 *Benedicunt Ecclesias, Vasa, Vestes sacras, &c.*
229 *Instituunt Confraternitates, seruatis tamen seruandis.*
230 *Alioqui earum Institutio non tenet.*
231 *Plura priuilegia ijs concessa.*
232 *A Clemente VIII. plura de ijs statuta sunt.*
233 *Prælati regulares dant literas communicationis bonorum operum Ordinis.*
234 *Declaratur fructus proueniens ex tali communicatione.*
235 *Ille extenditur ad satisfactiones Ordinis, sed mediatè solum: & hoc probatur.*
236 *Fructus hic est per modū impetrationis de congruo.*
237 *Orationes pro habentibus talem communicationem factæ in Ordine ijs plus prosunt.*
238 *Communicatio hæc posset ex voluntate Prælati, ac Religiosorum subditorū extendi ad satisfactiones.*
239 *Ea interdum extenditur etiam ad Indulgentias Ordinis.*
240 *Prælati regulares applicant Missas Religiosorum subditorum.*
241 *At non concedunt Indulgentias iure ordinario.*
242 *Etsi Papa ijs posset dare facultatem illas concedendi, imò & data sit pro tempore Visitationis.*
243 *Etsi talis facultas concedatur, eius tenor bene debet perpendi.*
244 *Dant Dimissorias Religiosis subditis ad Ordines.*
245 *Approbant Confessarios pro suis subditis.*
246 *Non item pro suis famulis (etsi aliqui dissentiant.)*
247 *Prælati regulares dant Religiosis subditis facultatem expediendi literas Pœnitentiariæ.*
248 *Item dant ad dispensandum super impedimento non petendi debitum coniugale.*
249 *Item ad imprimendos libros.*
250 *Instituunt Lectores, ac Concionatores.*
251 *Promouent ad Gradus Literarios.*
252 *Admittunt Nouitios ad Probationem, seruatis seruandis.*
253 *Recipiunt Nouitios ad Professionem.*
254 *Eligunt Syndicos pro Monasterio.*
255 *Item eligunt Conseruatorem.*
256 *Contrahunt de bonis proprij Conuentus, & quidem omissis minorum solemnitatibus.*
257 *Conuentus non semper tenetur ex delicto proprij Prælati.*
258 *Non contrahunt sine consensu Conuentus: & , si sint Prælati locales, de rigore inuito Prælato locali contrahere possunt: contrahunt in Societate Iesu quinque Rectores, etiam facti à Rectore.*
259 *Prælatus inferior communia bona sui Conuentus nequit occultare superiori, nec ea administrare contra eius voluntatem rationabilem.*
260 *Instituunt Notarios ex suo Ordine iuxta Pij V. indultum: quilibet Religiosus institui potest Notarius ab Inquisitoribus.*
261 *Notarius nequit fingere scripturam, vt factam tempore antecedenti, etiam sine damno tertij; nec oblitus nomen alicuius testis, potest nominare in instrumento alium testem.*
262 *Prælati regulares instituere possunt Notarios ex suo Ordine, etiam secluso indulto Pij V.*
263 *Ex causa possunt restringere vsum priuilegiorum Ordini concessorum.*
264 *Possunt prohibere librum aliquem suis Religiosis, qui tamen illum legendo, aut retinendo non incurrent censuras iure communi latas contra legentes, aut retinentes libros prohibitos.*
265 *Ius sedilis in Regularium Ecclesia concedi potest laicis, & concessum ijs non potest auferri nec in casu, quo ij desistant frequentare Ecclesiam: durat hoc ius, siue Ecclesia solum amplietur (quo casu, mutatis sedilibus, locus honoratior, v.g. è regione suggestus antea alicui concessus relinqui debet, quod alij negant) siue Ecclesia transeat in dominium alterius Ordinis: siue ea destructa in eodem loco ædificetur, vel certè in alio loco distantiori (quod alij negant) ius sedilis competens vsufructuario vt illius pro se facientis sedile non transit, eo moriente, ad fideicommissarium, cui ceditur hereditas.*
266 *Prælati regulares auctoritate Apostolica in dubijs, ac scrupulis determinare possunt conscientias suorum subditorum: scrupulosus in suis perplexitatibus non tenetur positiuè dissentire, sed sufficit, quod positiuè non consentiat, & potest se habere negatiuè.*

QVÆRES I. An, & quo modo Prælati regulares proprio iure possint erigere, & approbare Capellas priuatas ad vsum Religiosorum sibi subditorum irrequisito cuiuscumque alterius consensus.

Respond. posse eo modo, quo diximus *in tractat. de priuileg. cap. 2. sect. 2. n. 9.* 227.

QVÆRES II. An, & qualiter Prælati regulares possint benedicere Ecclesias, Vestes sacras, Vasa, aliaque id genus deputata ad Dei cultum.

Respond. posse, sicuti diximus *in eod. tract. de priuil. cap. 5. sect. 3. q. 1. 2. 3. 4. 5. 6 & 7.* 228.

QVÆRES III. An, & cum quibus conditionibus possint Prælati regulares instituere Confraternitates suorum Ordinum, easque aggregare in quibuscumque Ecclesiis, siue propriis, siue extraneis.

Respond. posse, seruatis tamen conditionibus, quoad hoc præscriptis à Clem. VIII. *in Constit. 115. in ordine*, quæ postea fuit confirmata à Paulo V. *in bulla 68. in ordine*, cuius initium est, *Quæ salubriter.* Prima conditio est, vt in vno loco vnica tantum Confraternitas vniuscuiusque Ordinis instituatur. Secunda, vt id fiat de consensu Ordinarij loci, & cum literis eius testimonialibus, quibus commendentur pietas Confraternitatis erigendæ, & charitatis Christianæ officia, quæ exercere cupit apud eos. Tertia, vt tali Confraternitati erigendæ, seu aggregandæ ea tantum priuilegia, indulgentiæ, facultates, aliæque spirituales gratiæ, & indulta communicentur, 229.

centur, quæ ipsi Ordini, ac Religionis Instituto erigenti, instituenti, & communicanti concessa sunt nominatim, & in specie, non item quæ ei compenunt per extensionem, seu communicationem sibi quouis modo factam; eaque non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresse, & in specie: 4. quod statuta talium Confraternitatum sint priùs ab Episcopo diœcesano examinata, & pro ratione loci approbata, eiusdémque Episcopi decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus semper subiecta remaneant: 5. vt seruetur formula instituendi Confraternitates, quæ fuit approbata ab ipso Clem. VIII. 6. vt Ministri, & Officiales talium Confraternitatum non vtantur facultatibus, & priuilegiis nisi præuia recognitione Ordinarij, qui adhibitis duobus de Capitulo suæ Ecclesiæ, ea decernat promulganda iuxta decreta Concilij Trident. 7. quod Ministri, & Officiales huiusmodi Confraternitatum non possint excipere eleemosynas, nisi iuxta modum, & formam ab Ordinario loci præscribédam, & quidem admotis mensis, peluibus, & capsis, quæ in Ecclesiis, ac Oratoriis dictarum Confraternitatum ad hoc publicè exponi consueuerunt.

230. Cum his, inquam condicionibus, & non aliter, possunt Prælati regulares instituere Confraternitates: &, si secùs instituant, institutio nullius est roboris, ac momenti, & instituentes priuationis officiorum, quæ obtinent, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnam, quæ ab alio, quàm à Papa pro tempore existente remitti non possit, eo ipso incurrunt; sicut habetur in citata Constit. Clementis §. 12.

231. Inter alia autem priuilegia, quibus gaudent Confratres talium Confraternitatum illud in specie refertur in citata Constitutione; quod possint eligere Confessarium (approbatum tamen ab Ordinario loci, si sit sæcularis, si verò sit Regularis, etiam à proprio Prælato respectiuè) & per illum absolui possint etiam à reseruatis Papæ, præterquam à casibus contentis, tum in Bulla Cœnæ, tum in decreto derogatorio Clementis VIII. à nobis explicato *in tract. de prohibit. cap. 2. q. 3.* necnon à casibus locorum Ordinariis reseruatis, ac pro tempore reseruandis, & à quauis excommunicatione ab homine lata: exclusa etiam facultate illos dispensandi super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu prouenientibus, quam occasione delicti contractis; idque iuxta tenorem priuilegiorum ipsis vi aggregationis competentibus: quatenus tamen sint in vsu, & sacris Concilij Trid. decretis, ac Romanorum Pontificum prædecessorum, & ipsius Clementis Constitutionibus non aduertantur nec reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa sint.

232. Statuitur præterea in ea Constitutione Clementis VIII. quod Confratres talium Confraternitatum eleemosynas modo dicto collectas curent fideliter erogare in reparationem, & ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum Religionum, Institutorum instituentium, erigentium, & communicantium, quam Confraternitatum erigendarum, aut in alios earum pios vsus arbitrio Ordinarij locorum respectiuè: vt sic omnes intelligant cœlestes Ecclesiæ thesauros, non quæstus, aut lucri alicuius gratia, sed pietatis, & charitatis excitandæ causa ex Apostolicæ Sedis benignitate Christi fidelibus aperiri.

QVÆRAS IV. An Prælati regulares possint applicare bona opera suorum subditorum personis extraneis, iisque tribuere literas talis communicationis.

233. Respond. posse, & quidem non solùm ex priuilegio bullato Vrbani V. quod refert Casarub. *in comp. v. indulg. quoad secul. 3. tit. indulgentiæ concessæ exhibentib. n. 6.* his verbis: *Vrbanus V. concessit, vt Generales, & Prouinciales totius Ordinis Minorum possint communicare suffragia, indulgentias, orationes, & bona spiritualia benefactoribus Ordinis*; sed etiam ex iure communi id concedente cuilibet Prælato cuiuscumque Congregationis, prout docent S. Tho. *in 4. dist. 20. q. 1. art. 1.* & Nauar. *de iubileo notab. 31.* & Lezana *tom. 1. c. 18. n. 67.* addens secundum opinionem multorum Doctorum Prælatos regulares posse, saltem in aliquo casu facere dictam applicationem etiā renitentibus subditis.

At difficultas est, qualis fructus conferatur iis, qui à prælato alicuius religionis modo dicto admittuntur in communionem bonorum operum, ac meritorum totius religiosæ Congregationis, perinde ac si membrum illius esset.

Respond. eiusinodi fructum non esse, quod iis satisfactiones Religiosorum subditorum directè, & immediatè applicentur: sed esse præcipuè per modum impetrationis de congruo. Ita Layman *l. 5. tr. 7. cap. 4. n. 5. & 6.* aliique penes ipsum; & quidem quod satisfactiones Religiosorum subditorum non applicentur, constat, quia cuiúsque hominis etiam Religiosi opera buna, & fructus ipsorum, antequam fiant, vel dum fiunt, subiacent particulari dominio ipsius operantis, ideóque non debent censeri bona communia, quæ à Prælato communitatis applicari possint, cui ipse velit: & hoc non obstante, quod dicitur *in c. non dicatu 12. q. 1.* Religiosos non tantùm propriis facultatibus, sed etiam voluntatibus renunciasse: non enim sensus est, quod, sicut terrenarum substantiarum, ita & suorum actuum liberorum desinant esse domini: sed, quod per Obedientiæ votum ita voluntatem propriam imperio Superioris subiecerint, vt contra eius iustum imperium nihil licitè etiam velle possint. 234.

Dixi, *directè, & immediatè*; vt innuerem fructum satisfactionum ascitis in Religionem solere prodesse mediatè; nimirum interueniente Religiosorum subditorum applicatione siue generali, siue speciali. in primis enim si dicti Religiosi opera sua satisfactoria generatim applicant religioni, aut omnibus membris eius; vtique de iis participabunt etiam illi, qui vt fratres fuerunt assumpti in Religionem; præterea si Prælatus Religionis iusta de causa præcipiat Religioso, vt huic, aut illi in particulari applicet opus satisfactionis: subditus tenetur obedire, &, si non obediat, (v. g. applicando alteri dictum opus) peccat; quamuis alioqui validè applicet, non obstante contraria applicatione prælati: quippequę non valet, nisi accedente voluntaria applicatione etiam ipsius operantis, siue generali, siue speciali, vt notat Suar. *D. 55. de pœnit. sect. 5. num. 8.* 235.

Et quidem, quod prælatus non possit immediatè disponere de satisfactionibus Religiosi subditi independenter ab eius intentione, probatur, quoad satisfactiones quidem præteritas, quia operi dum fit, satisfactio conceditur, quæ sub dominio operantis est, sicut & opus: opere autem præterito, illius dominium cessat in operante, & consequenter dispositio satisfactionis; cui non obstat, quod, pereunte opere satisfactorio, non pereat illius satisfactio, sed moraliter ex Dei benignitate maneat in diuina acceptatione, vt in thesauro Ecclesiæ aggregetur, de quo solus Papa potest disponere: sicque nec religiosus subditus, nec eius prælatus de satisfactione præterita ipsius Religiosi possunt disponere. quoad satisfactiones verò futuras probatur, quia satisfactio futura

futura Religiosi subditi non subditur domino, ac dispositioni Prælati; cum votum Obedientiæ non prinet subditum libera, ac licita facultate, quam habebat disponendi de suis actionibus, Superiore inconsulto: quod si penes subditum est dominium suarum satisfactionum, & nullo modo penes Prælatum; utique hic non poterit independenter ab eo satisfactiones illius validè applicare: applicaret enim rem non suam, seu non existentem sub suo dominio.

236. Quod verò fructus proueniens assumptis in participationem meritorum alicuius Religionis præsertim sit per modum impetrationis de congruo, quod in terminis docent Adrianus *quodlibet VIII.* Suar. *supr. num. 2. & 3.* & Laym. *n. 6.* probatur ea eo quod. cum talis fructus haberi possit, tum directè (quo modo requiritur intentio, & applicatio eorum, qui pro aliis orant, aut ad impetrandum aliis de congruo opera bona exercent) tum indirectè (quo modo non requiritur ulla intentio, aut applicatio singulorum operantium, sed sufficit, eum, cui sic impetratur esse peculiari ratione membrum, aut socium talis Religionis:) ad habendum talem fructum hoc utroque modo confert fuisse assumptum ad communicationem meritorum alicuius Religionum; primo quidem modo, quia cæteris paribus efficacior est oratio iusti facta pro persona sibi coniuncta, quam pro extranea: sicut merita ipsa iustorum, quæ absque alia intentione de congruo valent personis ipsis coniunctis, non verò extraneis, adiuncta speciali intentione, ac oratione maiorem habent efficaciam respectu personæ coniunctæ, quam extraneæ; secundo autem modo, quia ratio amicitiæ petit, ut propter amicos benefaciamus eis, qui sunt ipsis coniuncti, etiam ipsis amicis nihil directè petentibus; quamuis maior futura sit vis impetrationis, si accedat directa intentio, siue ipsorum Religiosorum pro taliter sibi coniunctis orantium, siue etiam ipsorum coniunctorum per merita talis Religionis aliquid à Deo petentium; siue postea talis intentio sit specialis, qua Religiosi opera sua, & orationes specialiter Deo offerant pro personis suæ Congregationi coniunctis, siue generalis, qua opera meritoria, & orationes instituantur vniuersim pro Religione, ac membris illius; quo casu putat Suarez *num.* 12. quod, si tales orationes fiant à tota communitate, & quasi nomine totius Religionis, illarum effectus non pendet neque quo ad directam impetrationem ea intentione particulari singulorum membrorum, sed sufficit sola intentio Prælati, & consequenter de iis participant admissi in participationem meritorum, non solùm indirectè, sed etiam directè.

237. Accedit, quod orationes Religiosorum, quæ ex directa intentione Deo offeruntur pro habentibus participationem meritorum, efficaciorem vim habent impetrandi, quam si pro extraneis offerantur: cum digniores sint, & perfectioni charitatis, quæ primò respicit coniunctos, quam extraneos, magis conformes; ut notarunt Suarez *D. 55. de pœnitent. sect. 5. num. 12.* & Layman *supr.* docens dictas orationes pro pluribus applicatas diminuera vim impetrandi: quod non admittit Castrus Palaus *tract. 25. D. vn. p. 6. n. 13.* si applicatio æquè directè, ac distinctè pro pluribus fiat, ac si pro singulis fieret: siquidem efficacia orationis, quoad impetrationem, non tam nititur operis dignitati, quam diuinæ liberalitati, quæ infinita est, ideoque non restringitur ex operis limitatione; quod docent etiam Corduba *de indulgentiis, quæst. 39. dicto 6.* Rodriq. *tom. 1. quæst. 33. art. 2.* Val. *tom. 4. D. 7. quæst. 20. part. 3. v. orationes.*

Quare recipere aliquem ad vnionem meritorum alicuius Religionis non est admittere ad participationem alicuius thesauri cum ipso communicandi, nec applicare ei aliquas satisfactiones ad remissionem peccatorum commissorum, sed recipere ad applicationem suorum meritorum, ac operum præcipuè per modum impetrationis, siue directè, siue indirectè modo suptadicto, quod tamen non facit, quin Religiones, earumve Prælati possint aliquos admittere ad participationem suffragij satisfactorij, si velint satisfactiones suas illis applicare, quando eas faciunt; at talis applicatio semper requirit particularem intentionem, & voluntatem particularium operantium: sicque non sufficit, quæ Prælatus monasterij sua intentione applicet pro benefactoribus tale opus satisfactorium à propriis subditis faciendum, sed opus est, ut etiam subditis sua voluntate illud offerant, sin minùs expresè, & directè, saltem intentionem suam referendo ad intentionem Superioris, quod ita est verum, ut, quando Religiosus subditus ea inaduertentia, aut aliter omitteret applicare alicui suum opus; sola intentio Superioris non sufficeret ad illud applicandum; quippe qui non habet immediatam potestatem in illud opus, sed tantùm in voluntatem, à qua prouenit, obligando illam, quamuis aliàs probabile sit Prælatum regularem posse præcipere suis subditis, ut opera satisfactoria faciant pro aliis, cum hæc sint opus charitatis: idque rationa iuris, & dominij, quod ille acquirit in voluntatem subditi ob votum Obedientiæ. 238.

Addit Suarez *n. 13.* generalem bonorum spiritualium communicationem interdum deseruire ad participandas, & lucrandas indulgentias à Seda Apostolica Religionibus concessas; sed ad hoc necessaria est specialis facultas eiusdem Apostolicæ Sedis extendentis tales indulgentias ad huiusmodi personas: qualis concessa est Mendicantibus; ut ea *Compendio priuilegiorum* constat; quamquam in tali casu non Prælatus regularis, sed Papa tales det indulgentias. 239.

QVÆRAS V. An, & quo modo Prælati regulares possint applicare pro aliis sacrificia Missarum, quæ celebrantur à Religiosis subditis.

Respond. posse eo modo, quo diximus *in tract. de obligat. cap. 9. num. 18.* 240.

QVÆRAS VI. An Prælati regulares possint concedere Indulgentias.

Respond. iure ordinario non posse. ita Filliucius *tract. 8. num. 94.* ex communi DD. sententia; pateteque ex eo quod talis facultas ipsis non competit, neque iure diuino; cum nullibi reperiatur tale ius: neque iure humano; cum tale ius non extet, imò potiùs habeatur oppositum; stante quod *in cap. accedentibus, de excessib. Prælat.* reprehenduntur aliqui Abbates tala munus vsurpantes; & quidem meritò; cum remittere reis pœnas debitas soleat tantum pertinere ad Principes, ideóque sicut Christus suo iure solùm Papæ, sic Papa suo iure id Episcopis tantum concessit, & quidem valdè limitatè. 241.

Verum tamen est quod, cum facultas concedendi Indulgentias sit delegabilis iuxta communem Doctorum sententiam apud Suarez *supr. sect. 6. n. 2.* non repugnat talem facultatem in aliquo casu concedi à Papa Prælatis regularibus, imò de facto Visitatores Soc. Iesu (nomine quorum veniūt etiam Prouinciales) ea concessione Gregorij XIII. olim poterant in singulis Collegiis, & locis Societatis absoluta visitatione concedere Nostris indulgentiam plenariam; quamquam talis concessio eum fuerit 242.

facta

facta viuæ vocis oraculo iuxta alibi dicta iam sit sublata; qualis item est concessio Leonis X. Minoribus facta de hac eadem re, & telata à Casarubio *in comp. v. ministri, n.* 11. nisi dicamus illam adhuc subsistere ob doctrinam Peyrin. *à nobis indicatam, tract.* 8. *cap.* 1. *sect.* 5. *quæst.* 10.

Præter quam quod Lezana *v. oracula viuæ vocis n.* 5. ex Bordono *tom.* 1. *resol.* 31. *num.* 4. ait probabile esse sub generali reuocatione viuæ vocis oraculorum non cadere oracula concedentia Indulgentias; quippequæ videntur speciali nota digna, & non nominantur in præfata reuocatione, nec commodè possunt venire nomine priuilegiorum, sed sunt omninò diuersa; & alioqui à diuersis non fit illatio, maximè in odiosis; cuiusmodi est Constitutio reuocatoria tot priuilegiorum.

Addit Lezana *v. accusator num.* 13. ex Corduba, Sayto, Portel. quod si Prælatus regularis sub censuris iubeat denunciari Religiosum delinquentem ad impediendum malum proximi, aut damnum illatum resarciendum; si scias Religiosum esse iam damnum fuisse reparatum &c non teneris denunciare: cum finis denunciationis cesset, & lex non obliget ad actum inutilem, quod non procederet, si denunciatio præciperetur ad punitionem delicti, ac exemplum aliorum: tunc enim ratione boni communis denunciatio facienda esset; vt notat idem Lezana ex Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 6. *art.* 4.

243. In casu autem, quo talis facultas delegetur Prælatis regularibus, benè monet Laym. *sup. num.* 4. in priuilegio indulgentiarum attendendum esse, num ipsis Prælatis delegetur facultas concedendi indulgentiam, an immediatè concedatur indulgentia à Sede Apostolica; in hoc enim casu Religiosi non debent dicere se concedere indulgentias, sed debent commonere de indulgentia concessa à Papa; quod notauit etiam Nauarr. *de indulg. notab.* 30. *num.* 14.

Quæres VII. An, & qualiter Prælati regulares possint dare dimissorias Religiosis subditis ad effectum suscipiendi Ordines etiam sacros.

244. Respond. posse; sicuti diximus *in tract. de priuileg. cap.* 2. *sect.* 3. *quæst.* 11.

Quæres VII. An Prælati regulares etiam post Concilium Trid. possint approbare Sacerdotes siue Regulares, siue Sæculares in Confessarios Religiosorum, qui ipsorum iurisdictioni subiiciuntur.

245. Respond. posse; & constat ex dictis *in tract. de priuileg. cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 1.

Vtrum vero Prælati regulares possint approbare Religiosos sui monasterij, vt independenter ab approbatione Ordinarij audiant confessiones Famulorum habitantium in suis monasteriis.

246. Respond. videri non posse ob dicta *in citato tract. priuil. cap.* 3. *sect.* 2. *subs.* 1. *quæst.* 19. quamuis aliqui dissentiant ibi relati, & maximè Mancin. *pract.* 4 *dub.* 22. citans pro se Dian. Barbosr. Portel. Homobonum, & Fernandez; sed minus probabiliter ob dicta eo *q.* 19. quod etiam innuit Diana *part.* 3. *tract.* 2. *res.* 21.

Quæres IX. An Prælati regulares possint concedere Religiosis subditis facultatem expediendi literas sacræ Pœnitentiariæ, etiamsi non sint Doctores in Iure Canonico, aut Theologia.

247. Respond. posse eo modo, quo ostendimus *in tract. de priuil. cap.* 3. *sect.* 2. *subs.* 4. *quæst.* 2. vbi de hac re fusè disseruimus.

Quæres X. An Prælati regulares possint concedere suis subditis, vt dispensent super impedimento non petendi debitum coniugale.

248. Respond. posse; sicut docuimus *in tract. de priuil. supr. subsect.* 5. *quæst.* 12.

Quæres XI. An, & quo modo Prælati regulares possint concedere Religiosis suis facultatem imprimendi libros ab ipsis conscriptos.

Respond. posse eo modo, quo diximus *in tract. de prohibit. cap.* 4. *quæst* 2. 249.

Quæres XII. An Prælati regulares possint instituere Lectores, & Concionatores ex Religiosis sibi subditis.

Respond. posse, & constat de Lectoribus quidem *in tract. de priuil. cap.* 5. *sect.* 2. *quæst.* 3. de Concionatoribus verò ex dictis *ibid. sect.* 1. *quæst.* 18. 250.

Quæres XIII. An Prælati regulares possint promouere Religiosos subditos ad gradus literarios, & quo modo.

Respond. posse eo modo, quo asseruimus *in citato tract. de priuil. cap.* 5. *sect.* 1. *quæst* 8. 10. & 11. 251.

Quæres XIV. Qualiter possint Prælati regulares admittere Nouitios ad probationem Religionis.

Respond. posse; vti diximus *in tract. de nouitiatu, cap.* 2. *quæst.* 2. & 3.

Quæres XV. An, & quo modo Prælati regulares possint Nouitios incorporare proprio Ordini per professionem Religiosam. 252.

Respond posse eo modo quo indicauimus *in tract. de profess. cap.* 3. *quæst.* 7. 253.

Quæres XVI. An Prælati regulares possint pro suis monasteriis eligere Procuratores, & Syndicos.

Respond. posse, & quidem, quod spectat ad Syndicos Fratrum Minorum, ex concessione bullata Innoc. IV. quam refert Casar. *in comp. v. procur. Fratrum.* vnà cum aliis similibus concessionibus bullatis aliorum Pontificum, quæ videri possunt apud ipsum. Solùm moneo procuratoribus taliter electis multa competere priuilegia, quæ sunt concessa, etiam per bullam, & adhuc durant; nimirum, quod possint tempore Interdicti generalis interesse diuinis Officiis cum ipsis regularibus, dummodo causam Interdicto non dederint, aut ij non sint specialiter interdicti, seu excommunicati: quod tempore Interdicti iis possint administrati omnia Sacramenta, & concedi Ecclesiastica sepultura, prout docet Sorbus *in comp. v. interdictum* 3. §. 5. (quod tamen reuocat in dubium Lezana *tom.* 2. *cap.* 17. *n.* 7.) quod non comprehendantur sub sententia generali Excommunicationis, aut Interdicti, quoad forum conscientiæ, nisi specialiter causam dederint Excommunicationi, aut Interdicto: quod sint participes omnium, & singulorum ieiuniorum, orationum, sacrificiorum, & quorumcumque aliorum operum bonorum, quæ fiunt in Ordine, cui in tali munere inseruiunt. ita Lezana *sup. num.* 6. 7. 8. & 9. afferens indulta, per quæ talia priuilegia conceduntur dictis Procuratoribus, seu Syndicis, seu negotiorum gestoribus. 254.

Quæres XVII. An, & quo modo Prælati regulares possint eligere Conseruatores pro suis monasteriis.

Respond. posse eo modo, quo docuimus *in tract. de priuil. cap.* 8. *sect.* 4. *quæst.* 4. vbi diximus quæ faciunt ad præsentis quæstionis solutionem. 255.

Quæres XVIII. An, & quam facultatem habeant Prælati regulares, quoad contrahendum de bonis temporalibus proprij monasterij.

Respond. habere, & quidem talem, vt monasterium, cuius bona administrant, teneatur ex contractu ab ipsis facto, dum modo non excedant in eo limites propriæ administrationis. Ratio est, quod, cum Religiones non possint omninò carere bonis temporalibus, siue quoad proprietatem, possessionem, & vsum, siue saltem quoad simplicem 256.

tentionem, ac vsum, iuxta modum vniuscuiusque Ordinis:& aliàs(quomodocumque ea habeantur)necesse sit, vt illorum cura,& administratio ad aliquem pertineat; hoc ipso quod talis administratio non potest pertinere, neque ad singulos Religiosos(cum id repugnet ordini, & conseruationi ipsorum bonorum) neque ad totam communitatem; cum hæc per se ipsam immediatè nequeat exercere, quæ spectant ad dictam administrationem; opus est,vt ea Prælato regulari committatur, vel omninò (vt in Societate Iesu) vel magna ex parte (vt in aliis Religionibus regulariter.) ita Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap.16. num.* 1. patetque ea dictis, si solum probetur monasterium teneri ex contractu inito à Prælato iuxta potestatem sibi commissam; constat autem, quia talis obligatio sequitur hoc ipso, quod Prælatis regularibus demandatur administratio bonorum monasterij, sicut innuit Sanchez *lib. 7. moral. cap.31. num.*10. monens *num.* 13. monasterium teneri etiam in casu, quo Prælatus in bonum proprij monasterij recepisset mutuum, illudque postea, mutata voluntate, malè expenderet; cum enim ex mutui acceptione, vt pote quæ legitimè facta est, translata sit obligatio in monasterium, futurus euentus malæ dispensationis Prælati non potest illud liberare: vt proinde Peyr. *de R. P. q.3. c.5. n.*13.dicat consultum esse, quod mutuans pecuniam Prælato, aut Procuratori alicuius monasterij, in ipso mutui contractu exprimat vsum, in quem talis pecunia debet expendi.

Notat autem Bordon.*resol.*53.*q.*9. Prælatum cum suo Capitulo contrahentem de bonis conuentus non teneri vti solemnitatibus minorum, celebrando contractus cum auctoritate Curatoris, ac decreto Iudicis, & probat, tum quia quilibet Conuentus habet Prælatum, & Capitulum, per quos expediuntur eius negotia; Prælatus autem semper est maior, cum excedat annum 25. sicut & est Capitulum; cum in iure dicatur Senatus, *Ecclesia.16.quæst.*1. tum quia Prælatus habet ea officio procurare negotia sui Conuentus, *cap. edoceri, de rescr.* & respectu illius est Tutor, & Curator Gloss. *cap.*3. *de in integr. restit.*& dicitur Procurator *cap. fin.*12. *quæst.* 1. Rota *vol.* 2. *decis.* 14. *num.* 3. at est talis respectu bonorum suæ Ecclesiæ, cuius dominus non est, sed administrator, & procurator *cap. fraternitatem, de donat.* non autem respectu suorum subditorum: tum quia Prælatus est caput, eius verò subditi, & Capitulum membra,*c.nouit,de iis quæ fiunt à Prælat.*caput autem & membra eodem iure censeri debent, Gloss. *v. quæ non probantur, cap.ex ore,de priuil.* sicque subditi sunt maiores, sicut & est Prælatus: tum quia in rebus Ecclesiasticis quilibet est sui iuris, Gloss. *v. quamuis cap.ex parte de restit. spoliat.* tum quia,etsi in capitulo sint aliqui ætate minores; at hi à maioribus instruuntur de agendis; sicque ij reputantur maiores cum aliis; cum dedeceat idem corpus Capituli censeri diuerso iure, arg. *cap. cognouimus* 12. *quæst.* 2.

Quod si Prælatus regularis mutuò recipiat pecuniam in vsus vanos, ac turpes, aut in alios, in quos monasterij bona non erant expendenda;tunc vtique non tenetur monasterium; cum sic excedat fines suæ administrationis,& consequenter censeatur operari sine potestate: intellige, nisi ex tali mutuo aliquid proueniat monasterio, aut illud in eius vtilitatem conuersum sit: tunc quippe monasterium reneretur, in quo factum est ditius; sicut aduertit Sanch.*sup.num.*11. aliis citatis.

Sed difficultas est, an Prælatus regularis possit modo dicto contrahere de bonis sui monasterij per se solum absque consensu ipsius Conuentus.

Respond. videri non posse, loquendo de contractibus alicuius momenti; idque ex *cap. quod quibusdam,de fideiuss.c.sine exceptione 12.q.2.& c.nouit,de his quæ fiunt à Prel.* in quibus id satis clarè deciditur: & meritò, cum æquum sit, vt, quod omnes tangit, ab omnibus approbetur. ita Peyrin. *sup. n.* 14. addens secùs dicendum de contractibus, qui fiunt circa res modicas (vt circa victum, ac vestitum communem) hos quippe decet fieri posse à Prælato absque consensu Conuentus, nisi aliter ferat consuetudo, aut regula: cum id ipsum importet administratio bonorum temporalium, & alioqui durum sit adstringere Prælatos ad requirendum consensum Capituli toties, quoties aliquem talem contractum inituri sunt; consulatur ergo consuetudo vniuscuiusque religionis, ac monasterij, eáque seruetur. 258.

Vtrum verò Prælatus superior (v. g. Prouincialis) possit de bonis Conuentus sibi subiecti contrahere, contradicente, vel etiam inconsulto Prælato locali dicti Conuentus.

Respond. de rigore iuris posse ob dicta *in hoc cap. sect.* 1. *quæst.*8. regulariter tamen id non expedire ob multas rationes,quæ vnicuique possunt facilè occurrere. vt proinde *in Congregatione generali* 8. *can.* 17. declaratum sit Prouinciales Societatis facultatem habere faciendi contractus in bonum Prouinciæ, vel Collegiorum,aut Residentiarum suarum; sicque intelligendam esse regulam Prouincialis nonam: at quamuis id validè possint; nullo tamen modo facere debere, contradicente, aut etiam inconsulto Superiore locali, nisi vrgens necessitas contractum suaderet: in quo casu monere debebunt Generalem, quas ob causas id fecerint. 259.

Addo V. Rectorem Societatis Iesu constitutum à Rectore eò ipso tanquam administratorem bonorum Collegij, cui præficitur, posse contrahere de dictis bonis ex præsumpta ipsius Rectoris voluntate; quæ esset præsumenda, quando periculum esset in mora; vel certè bona, de quibus contrahendum esset, mobilia essent, aut leuis momenti. Quæ doctrina à fortiori procedit de V. Rectore constituto à Prouinciali, vt patet.

Illud etiam placet hîc obiter monere violari paupertatem in casu, quo Superior localis suo Prouinciali occultet bona communia sui monasterij: idque ex timore, ne, iis cognitis, Prouincialis nimis illud grauet. nam Superior localis in administratione bonorum sui monasterij subordinatur Prouinciali, sicque ea non potest administrare contra eius voluntatem rationabilem: quod esset disponere de iis bonis,tanquam suis.Dixi,*contra eius voluntatem rationabilem:* quia secùs foret, si Prouincialis sine causa nimis esset grauaturus monasterium: tunc enim excusaretur Superior localis ob decreta sacræ Congregationis *de celebrat. miss. §. postremò Illustrissimi Patres:* aut saltem ob indiscretum, seu nimium Conuentus grauamen bona fide præsumptum.

QVÆRES XIX. An, & quo iure Prælati regulares possint instituere Notarios ex suo Ordine.

Respond. posse ex concessione Pij V.facta Dominicanis per bullam relatam *in bull.to.2.Const.Pij V. in ordine* 124. & à nobis in extensum adductam,*tract.6. cap.*12.*quæst.*9. vbi plura adnotauimus ad explicationem dictæ concessionis,quæ proinde non est cur iterum repetamus; consulantur dicta *hoc cap.* 2. *n.* 36. 260.

Adde ibi dictis Religiosos cuiusuis Ordinis ab Inquisitoribus posse authoritate Apostolica assumi in Notarios ea priuilegio Pij V. in bulla, *Pastoralis officij*.ita Lezana *in Mari magno Carmelitarum*,*n*.474. ex Penna, & Hieronymo Rodriquez.

Quod

Quod si hac occasione quæras, an possit Notarius fingere aliquam scripturam, tanquam authenticè factam tempore antecedenti, si inde nullum sequatur damnum, ac præiudicium alteri.

261. Respond. non posse: & probatur, tum, quia crimen falsi committitur, quando immutatur veritas, Host. *c. licet, n. 3. de crimine falsi*, Castr. *conf. 371. n. 2. lib. 1.* Curtius *sen. conf. 55. n. 11.* in hoc autem casu adest mutatio veritatis, cum fingatur scriptura authentica facta, quo tempore re vera non est facta: tum, quia Notarij iurant fidelitatem, quoad scripturas publicas, quæ vtique non seruatur, dum fingitur scriptura facta, quæ verè non fuit facta; quod sine peccato mort. fieri nequit, versante infidelitate circa rem grauem, cum fidei publicæ violatio sit graue præiudicium communitatis, siquidem fides publica etiam hostibus seruanda est, *l. conuentionum, ff. de pactis*, & *c. noli 23. q. 1.* tum, quia ad crimen falsi non requiritur, quod inferatur præiudicium alteri, sed sufficit immutari veritatem, & ea tali immutatione posse sequi præiudicium, Clarus *l. 4. sent. §. falsum v. item excusatur*, etsi per accidens non sequatur: quamquam negari possit hinc non sequi præiudicium, cum violetur fides publica in graue præiudicium communitatis, & in fictione præsentis scripturæ adsit dolus ordinatus ad decipienda tribunalia; quod sufficit, vt immutatio veritatis sit crimen falsi, *l. quid sit falsum, ff. ad leg. Cornel. de fals.* Hostiens. *in sum. de crimine falsi, §. 1.* Bart. *conf. 199. n. 1.* Ita Pasqualig. *tom. 2. q. 75.* ex Couar. Laym. & Sà contra Minsing. Iodocum, Farin Syl. Tabien. & Giptium, sustinentes oppositum apud ipsum Pasqualigum ea eo, quod in veritatis immutatione non fundatur falsum, si non sequatur alterius præiudicium, quod in hoc casu de facto non sequitur: at id ipsum diximus, & probauimus esse negandum.

Hinc sequitur Notarium, qui oblitus fuerat nomen Testis, qui interfuerat cuidam instrumento authentico, non potuisse apponere aliud nomen: & hoc, tum ob rationes sup. adductas, quæ procedunt etiam in hoc casu: tum, quia sic facilè potuit eleuari tota fides instrumenti, teste hoc ficto negante se interfuisse illius stipulationi nec obstat, quod potuit apponi nomen alicuius defuncti, sicque tolli periculum eleuandi fidem instrumenti, adhuc enim vrgent aliæ rationes superiùs adductæ, vt facilè patebit consideranti.

262. Addo quod, quamuis vi præfatæ concessionis Pij V. non possint Regulares institui Notarij nisi ad intimanda mandata, priuilegia, ac indulta pontificia, aliunde tamen possunt eos creare Notarios pro causis criminalibus, & quidem ita vt tanta fides illis adhibeatur, quanta Notario sæculari; cuius rei ea est ratio, quod cum causæ Religiosorum non possint, nec debeant tractari extra Ordinem, & aliàs causæ graues processari nequeant absque Notario: omnino decet, imò necesse est, quod Prælati regulares in causa criminali Religiosorum subditorum instituere possint Notarios, vtpote habentes plenum ius circa dictas causas non secùs ac habent Episcopi circa causas suorum subditorum. Ita Pottel. *de dub. regul. v. notarius, n. 1.* ex Rodriq. *tom. 3. q. 8. art. 1.* & Aldrete *l. 1. de relig. disc. c. 8.* monens Prælatos superiores solere ad talem effectum vti opera sui Secretarij illùmque propterea ab initio creare Notarium, & quidem in publico, necnon iniuncto fidelitatis iuramento, cuius iniunctionem dicit Pottel. esse de essentia Notarij, ideóque non debere omitti.

QVÆRES XX. An Prælati regulares possint restringere proprijs subditis immunitates, ac priuilegia concessa Ordini.

Respond. posse, si adsit iusta causa, & patet ea dictis *in tract. de priuileg. cap. 1. sect. 4. q. 61.* quod idem proportionaliter procedit in libertatibus, ac immunitatibus concessis à regula vniuscuiusque Ordinis (nisi fortè id in ipsa regula interdicatur prælatis:) imò & in immunitatibus concessis à prælato religionis superiore, hæ enim non possunt arctari à prælato inferiori, nisi in casu particulari, & ex iusta causa, qua de re Sanch. *l. 6. mor. cap. 3. num. 9.* & Peyrin. *de R. S. q. 1. cap. 8. §. 6.* 263.

QVÆRES XXI. An Prælati regulares prohibere possint Religiosis subditis lectionem, ac retentionem libri aliàs non prohibiti in Ecclesia.

Respond. posse; cum actus talis prohibitionis sit actus iurisdictionis in proprios subditos, & Prælati regulares iurisdictionem habeant in religiosos subditos, & quidem, quoad hunc effectum nullo iure impeditam (quod ego sciam) Vnde fit, vt Religiosus violans talem prohibitionem peccet mortaliter, si prælatus prohibens sufficienter exprimat se intendere illam prohibitionem seruari sub mortali: non tamen afficiatur pœnis iure communi latis contra legentes, aut retinentes libros prohibitos; cum ex mente ferentis dictas pœnas eæ solùm cadant supra libros ab Ecclesia modo ordinario prohibitos, non autem supra prohibitos ab aliquo particulari prælato, & pœnæ non debeant ampliari, sed restringi iuxta regulam iuris: *Odia sunt restringenda, l. cum quidam, ff. de liber. & posthum.* 264.

Quod si hac occasione quæras, an, dato quod aliquis liber ab Ecclesia generaliter prohibitus, cum debita licentia Superiorum reimprimatur, aliquibus detractis (quod interdum fit) possit legi, ac retineri similis liber antea impressus, detractis ea illo iis omnibus, sine quibus fuit reimpressus.

Respond. posse, cum eiusmodi liber sit expurgatus, adeóque possit legi, ac retineri, necnon æquiparetur libro reimpresso, & æquiparatorum idem sit iudicium: præterquàm quod in tali casu cessat finis prohibitionis, vt consideranti patebit.

QVÆRES XXII. An Prælati regulares, sicut possunt in proprijs Ecclesijs concedere sæcularibus ius sedilis, aut scamni, sic & possint auferre.

Respond. posse quidem concedere (vt patet tum ex praxi vniuersali omnium Regularium tale ius concedentium; tum ex eo quod laicis concedunt iuspatronatus Ecclesiarum suarum, & Capellaniarum in iis institutarum, necnon ius sepulturæ, etiam pro tota familia; de quibus par ratio procedit, imò maior (vt consideranti patebit) non tamen posse auferre ius sedilis legitimè concessum, nisi sedile illud cederet in notabile incommodum Ecclesiæ. Ita terminis Giouagnonus *l. 2. resp. 8.* monens *n. 10.* laicos non posse in Ecclesia acquirere ius sedilium de rigore iuris, ita vt illud habeant tanquam ius dominij, ipsúmque vt ius proprium possint vindicare, ac possidere (cum potius dictum ius iis tolleretur ea gratia, sicut iuspatronatus) sicque debere explicari Syluestrum *v. sepultura: q. 6.* ea Abbate, ac Hostiensi dicentem laicos ius sedis, seu scamni non posse acquirere in Ecclesia, sed tolerari ex sola gratia; nō autem quod præfatum ius laicis concessum possit ab iis auferri per Episcopum, aut Rectorem Ecclesiæ ad eius libitum; vt putat Vgolinus *de offic. Episc. c. 17. n. 7.* 265.

Probatur autem assertio ex eo quod, sicut iuspatronatus semper dicitur ex gratia, adeóque etiam post fundationem est ius gratiosum: vbi tamen est fundatum in vna familia, non potest amplius reuocari per Episcopum, sed transit ad hæredes *cap. 1. de turp. tum vulg.* imò Papa, qui est supra ius, via solet

iuriſpatronatus in totum derogare pro vna vice, ſed pro dimidia, & nunquam perpetuò : ſic ius ſedilis licet ſit ex gratia, ſi tamen alicui ſemel conceſſum ſit,eſt irreuocabile : cum dicatur acquiſitum ius illud gratioſum, non quoad dominium, ſed quoad vſum,ita vt ei non poſſit derogati;& de iutepatronatus ad ſedilium ius in ſpecie arguat Gratianus *diſcept.*210.*n.*46.

Confirmatur à pari de iure ſepulchri,quod quamuis ſit ius gratioſum, ſi tamen vni conceda tur, tranſit ad hæredes, nec poteſt reuocari iuxta communem ſententiam Canoniſtarum in *cap. penult. de ſepult.* & de habente inſignia in Eccleſia etiam Mendicantium, in quam non cadit iuſpatronatus, quæ vtique nequeunt amoueri per Rectores Eccleſiæ, & ſi amouerentur, amouentes punirentur, teſte Lambertino *de iurep.l.*3. *q.princ.*5. *art.*4. Anania *conſ.*86. Menoch.*de rec p.remed.*15.*n.*47.& 48.Gratiano *ſup. n.*32.*& ſeqq.*maximè *n.*49.cum alioqui dicta inſignia ſolum ex gratia in Eccleſia poſſint retineri.

Facit item, quod pro iure ſedilis competit mandatum de manutenendo *cap.licet cauſam*,vbi Bald.*de probat.* aliique plures apud Giouagnonum *ſup.* quod non concederetur, ſi ius illud eſſet amouibile ad nutum Rectoris: facit regula iuris 21. in 6. *Quod ſemel placuit,amplius diſplicere non poteſt*:facit,quod ſi amotum ſit ſedile, habet remedium recuperandæ poſſeſſionis,Menoch.*ſup. n.*45 *& conſ.*52. *num.*154. Gratian.*diſcept.*110 *n.*26.*& diſcept.*210.*n.*39.56.57. Praxis Archiepiſc.Neapol.*cap.*41.

An autem aſſertio procedat in caſu, quo habens ius ſedilis ratò accedat ad illam Eccleſiam, & alioqui ius illud petatur ab aliis, qui eam frequentarent.

Reſpond. videri procedere: probatur, tum quia ex collocatione ſedilis non contrahitur obligatio frequentandi Eccleſiam, ſed ſolum acquiritur ius genuflectendi, ac ſedendi in Eccleſia; ſicque ex eo quod quis non frequentat Eccleſiam, dici nequit amittere dictum ius; cum ius acquiſitum alteri non ſit auferendum, ac poſſidens ſit manutenendus: tum quia præiudicium, quod ex præfata non frequentatione Eccleſiæ oritur, prouenit, eſt modicum, & compenſetur, aliis extraneis ſedentibus, aut genuflectentibus in ſedili Domini non frequentantis Eccleſiam: tum quia hic non facit reg.61. iuris in 6. *Quod ob gratiam alicuius conceditur non eſt in eius diſpendium retorquendum*; cum eius verba non referantur ad concedentem, ſed ad eum, cui gratia conceditur, ſicque non faciant ad rem præſentem. Ita Bordonus, & Zanetus à me conſulti.

Quæri etiam hîc poteſt, an dato, quod Eccleſia amplietur, aut deſtructa reædificetur, tunc ſaltem amittatur ius ſedilium aliàs conceſſum.

Reſpond.Giouagnonus, quod ſi Eccleſia funditus deſtructa reædificetur,non ideò videtur amitti ius ſedilium,etſi aliàs detur amitti in tali caſu iuſpatronatus; cum videatur diuerſa ratio de hoc,ac de iure ſedilium: idque à fortiori procedit in euentu, quo Eccleſia ſolùm amplietur; cum ampliatio intelligitur facta abſque præiudicio tertij, ac retentis prioribus qualitatibus, ita vt quilibet habeat iure ſuorum ſedilium in iis locis, in quibus antea habebat. Rota in vna Calarigutana præeminentiarum 26.Iunij 1589.coram D.Gypſio;vnde,quando Eccleſia non eſt funditus deſtructa, non acquiritur iuſpatronatus ex ſimplici ædificatione, Roch. *de iurep. v. conſtruxit, n.*14. Cum Giouagnono ſentiunt Bordon. & Zaner. à me conſulti:ſicque practicatum fuit Regij in noſtra Eccleſia S. Georgij ampliata; & generaliter confirmatur aſſertio ex eo quod, ſi iuxta modò dicenda ius ſedilis non amittitur per refectionem Eccleſiæ,ſiue in eodem loco, ſiue in alio; à fortiori conſeruabitur in Eadem Eccleſia ſolum ampliata; cum remanet idem ſolum eiuſdem Eccleſiæ: vt in terminis aduertit Bordonus in literis ad me reſcriptis.

Quod ſi Eccleſia,in qua habetur ius ſedilis,in dominium alterius Ordinis tranſeat (v. g. per venditionem) non ideò amittitur tale ius: & probatur, tum quia ſic non mutatur eccleſia, ſed patronus adeóque Eccleſia debet retinere omnia ſua iura, tam activa, quam paſſiua inuariabilia: tum quia ius ſedendi non fundatur in patrono, ſed in ſolo Eccleſiæ: tum quia iuxta placitum philoſophicum *idem remanendo idem ſemper facit idem*; ſicque Eccleſia cum maneat eadem ſub vtroque patrono ſucceſſiuè, non poteſt non conſeruare inuariatum ius ſedendi alteri conceſſum. Ita ego ſentio, & mecum ſentiunt Bordonus,& Zanetus citati.

An autem,durante iure ſedilis in Eccleſia ampliata,illud ita duret,vt, ſi ſedile in Eccleſia non ampliata erat v.g. è regione ſuggeſtus, item in Eccleſia ampliata, facta ſedilium mutatione, debeat eſſe è regione ſuggeſtus, aut relinqui poſſit in loco priori, quomodo erit in loco remotiori à ſuggeſtu oſtium Eccleſiæ verſus.

Reſpond.Bordonus à me conſultus in tali caſu aut omnia ſedilia eſſe ordinatim mutanda, ſi neceſſitas ſitus id petat; aut, ſi ſtent immobilia,quemlibet ius ſuum antiquum conſeruare: neque enim videntur poſſe mutari aliqua ſedilia, & non omnia; cum per talem mutationem omnibus perturbetur ius ſuum, quod cum ſit relatiuum,non eſt murandum reſpectu aliquorum in præiudicium aliorum.Quod ſi mutetur locus ſedilium, mutari debent ſedilia proportionaliter, ac ordinatim; cum diſpoſitio ſedilium in ordine ad concionem reſpiciat non ſolum Eccleſiæ pauimentum,ſed etiam locum ſuggeſtus; ſicque ratio dictet mutationem faciendam eſſe habito reſpectu ad vtrumque, ſiquidem mutatione extremorum mutatur relatio. Sic Bordonus: at diſſentit Zanetus ità à me conſultus, & meo iudicio probabilius, dicens in caſu propoſito eum, qui in Eccleſia non ampliata ius ſedilis habebat è regione ſuggeſtus, ius item ſedilis habere è regione ſuggeſtus in Eccleſia ampliata, ſi in hac ſedilium mutatio fiat: & hoc inde probat, quod alioqui ſequeretur magna ordinis peruerſio; nimirum quod nobiliores familiæ,quæ ſuum ſedile habebant in locis nobilioribus,& commodioribus Eccleſiæ non ampliatæ, in Eccleſia ampliata remanerent in locis ignobilioribus, ac ferè infimis, patúmque commodis; quod eſt magnum inconueniens;ad quod vitandum debet vitari intellectus diſpoſitionis ſcamnorum, ad quem ſequitur;& ſeruandus ordo dignitatis, vt qui in eo erat antea primus, nunc quoque in Eccleſia ampliata ſit primus, & ſic deinceps: hoc enim dictat recta ratio.

Illud item hîc controuerti poſſet, an dato, quod Eccleſia, in qua quis habet ius ſedilis, deſtruatur,& alia in eodem ſolo conſtruatur, dictum ius retineatur in Eccleſia de nouo conſtructa.

Reſpond.quod,cum Eccleſia deſtructa, ſed reædificata,non perdat iura antiqua, ſed ea conſeruet cum ſuis priuilegiis; vt docent Tiraquel.*in regula ceſſante cauſa, num.*212.& cum eo Nald. *v.priuil.num.*8. vbi de monaſterio reſtaurato; idem videtur dicendum reſpectu ſedilis;maximè cum remaneat idem ſolum, cui adhæret ſcamnum. Ita Bordonus, & Zanetus à me conſulti; ſicque practicatum fuit Regij in noſtra Eccleſia.

Ecclesia. Nec obstat, quod Filliuc tract.8.num.144.& alij docent, destructa Ecclesia, cui concessa est Indulgentia, cessare Indulgentiam, eo quod destructis nobis, destruantur & ea, quæ in nobis sunt: nam ij debent intelligi, quando Ecclesia diruta non restituitur: tunc enim cum priuilegia, ac iura careant subiecto, impossibile est ea existere; quippe quæ sunt res, non absolutæ, sed relatiuæ, adeóque pereunt, destructis eorum subiectis. Responsio autem nostra colligitur ex Suar. D.38. de censur. sect.1. num.13. docente templum destructum, in eodem loco restitutum iisdem indulgentiis, ac priuilegiis gaudere.

Quòd si Ecclesia, in qua habetur ius sedilis, destruatur, & in alio loco distantiori ædificetur, putat quidem Bordonus à me consultus dictum ius durare in Ecclesia de nouo ædificata, eo quòd priuilegia, & iura transeant ad Ecclesiam in alio loco constructam, teste Glos. in cap. prim. de reg. iur. in 6. Innoc. in cap. cum ex iniunct. de nou. oper. nunt. quos, & alios refert pro se Tambur. tom.3. D.5.q.6. hincque inferri possit etiam in præsenti casu transferri ius sedilis in Ecclesiam alibi cõstructam; ita vt in ea retineatur eodem modo ac habebatur in priori Ecclesia. At oppositum sentit Zanerus item à me consultus, id inde sibi suadens, quod, sicut Suar. sup sect.1. cit. sustinet Interdictum prioris loci destructi non perseuerare in secundo alibi ædificato (cum situs non sit idem, sed alius) sic ius sedilis, cum respiciat pauimentum Ecclesiæ alibi constructæ, quod non amplius est idem, sed aliud tum physicè, tum moraliter; loquendo de casu hîc proposito, ius sedilis non videtur perseuerare in Ecclesia alibi ædificata, sed corruere: sic inter se variant in præsenti casu hi duo Doctores, & vtriusque opinio meo iudicio est probabilis.

Addo, quòd, si cui ius sedilis competat ex hæreditate, quamis grauatus sit restituere alteri, & ille interim suis expensis faciat scamnum, ac reponat in Ecclesia; quando postea restituetur hæreditas illi tertio; cum ea non restituitur ius sedilis. Et ratio est, quòd eiusmodi iura honorifica (velut iuspatronatus, ius sepulchri, & similia) non transeunt in fideicommissarium, sed manent penes hæredem grauatum. ad text. in l. quia perinde, §.1. & l. si patroni filium, ad Treb. l. si quis fuit hæres, de relig. & sumpt. fun. Peregrin. de fideicom. art.6. n.38. Anton. Gomez resol. p.1. c.5. n.19. quæ Bordonus ad me rescripsit sibi placere, & confirmari per l. quia perinde, cit. vbi fideicommissarius excluditur à iure sepulchri remanente apud hæredem; cum alioqui par ratio procedat de iure scamni, vtpote adhærente Ecclesiæ solo; sicut ius sepulchri eidem solo adhæret. Quamuis Gratian. supr. discept. 110. n.15. dicat de iure, quod habet institutor maioratus in sedilibus, & banchis, quod transeat ad successores, quemadmodum iuspatronatus, concludere Molin. de Hispan. primog. lib.1. cap.13. n.35.

Quæres XXIII. Qualem facultatem habeant Prælati regulares, quoad determinandas subditorum conscientias in dubiis, & scrupulis tangentibus eorum conscientias.

266. Respond. Habere illam, quæ ex Leonis X. concessione refertur à Casarub. in compend. priuil. v. declarare, n.4. his verbis: *Idem Leo concessit, quòd in rebus dubiis, & scrupulis conscientias subditorum tangentibus Generalis, vel Prouinciales, seu Custodes cum consilio aliquorum Patrum, si ret sit grauis, possint authoritate sua Sanctitatis determinare in scrupulis, & rebus huiusmodi: ac quod eorum determinationi subditus secura conscientia possint, & debeant stare.* Vbi noto per ea verba, *authoritate sua Sanctitatis*, suppleri, quatenus opus est virtuali quadam siue dispensatione, siue concessione, ac licentia in iis, in quibus Apostolica Sedes, seu authoritas id facere potest; quare, detecto postea errore, actus sic gesti validitas esset sustinẽda.

Qua occasione moneo doctrinam à Sanchez datam lib.1. cap.2. n.13. (quod scilicet non peccet saltem mortaliter, qui negatiuè se habet circa delectationem veneream, illam non admittendo, nec reprimendo) suffragari posse Religioso scrupuloso existimanti ex falsa apprehensione se non esse animo paratum, v.g. monente pœnitentem de re omoino necessaria, & graui: idque ob magnam repugnantiam, quam sentit in apprehensione euentus futuri; etsi aliàs in corde suo dicat: *Deus tunc me adiuuaret*, & similia. Nam is non tenetur positiuè in tali dissentire, sed potest se habere negatiuè, nec debet credere se in hoc peccasse grauiter, nisi certò sciat se positiuè consentisse: quidquid sit de passione physica sensus, quam patitur in ea apprehensione. Et hoc bene notent Confessarij, cum possit pœnitenti scrupuloso esse remedium opportunum, ac efficax in multis casibus, si bene proponatur, ac percipiatur.

Capvt IV.

De Iure visitandi competente Prælatis regularibus, in Religiosos subditos.

Agimus in præsenti cap. de Iure visitandi, quòd competit Prælatis regularibus erga Religiosos respectiuè subditos: par est, vt etiam ostendamus, quem modum procedendi iudicialiter ij seruare debeant in causis suorum subditorum ex occasione Visitationis, aut aliàs occurrentibus; hinc caput diuidemus in tres sectiones; in quarum prima agemus in communi de Iure visitandi Prælatorum regularium: In secunda explicabimus formam, & modum procedendi iudicialiter in causis Regularium, ea tamen maiori breuitate, qua poterimus: in tertia agemus de pœnis in specie infligendis Regularibus in foro iudiciali.

Sectio I.

De iure, quòd habent Prælati regulares, quoad Visitationem suorum subditorum.

1. *Prælati regulares ex variis iuribus tenentur visitare Religiosos subditos.*
2. *At Conuentum iam visitatum sine causa graui non possunt reuisitare, quod interdum fallit.*
3. *Visitare possunt per alium.*
4. *Visitatores Religionum possunt subdelegare Visitationem.*
5. *Non omnes Prælati eadem frequentia debent visitare.*
6. *Visitant in bonum Disciplinæ regularis.*
7. *Ex causa recusari possunt vt suspecti à Religiosis visitandis.*
8. *At in recusatione aliqua debent seruari.*
9. *Præsignificari debet Visitatio Regularibus visitãdis.*
10. *Et quidem iuridicè, ac debita cum solemnitate.*
11. *Proponitur materia, circa quam fit Visitatio.*
12. *Inchoatur Visitatio ex Prælato Conuentus.*

13 Acta

13 *Acta Visitationis à Secretario iuridicè registranda.*
14 *Excessus Religiosorum occulti deferri possunt statim Prælato visitanti vt Patri.*
15 *Et quidem laudabiliter.*
16 *Secus, si Religiosus, qui delinquit, iam sit emendatus, aut reparatum sit damnum, &c.*
17 *Excessus Prælato denunciatus vt Patri ex causa manifestari potest.*
18 *Non item, si Prælatus se solo possit emendare Religiosum subditum; quod alij negant.*
19 *Inferior Prælatus per literas excessum præfatum potest ex causa referre superiori Prælato.*
20 *Et hæ literæ possunt ex causa seruari; licet id regulariter non expediat.*
21 *Excessus sub secreto manifestatus non denunciandus.*
22 *Sicut nec excessus minus certus.*
23 *Item nec excessus factus ante multum tempus (quod alij negant.)*
24 *Non denuncians tempore Visitationis adhuc debet denunciare.*
25 *Excessus denunciatus Generali vt Patri non iterum debet denunciari Prouinciali.*
26 *Omittitur denunciatio, si credatur inutilis.*
27 *Regulariter non denunciatur delinquens ex mera fragilitate.*
28 *Præcipiens denunciari delicta regulariter intendit denunciationem paternam.*
29 *Et quidem præmissa Correptione fraterna.*
30 *Non tenetur denunciare qui probabiliter putat excessum ab alio denunciandum esse.*
31 *Denunciat vt Patri, qui nequit probare delictum.*
32 *A denunciatione paterna interdum transitur ad iudicialem.*
33 *Idque etsi subditus renuat denunciare iudicialiter.*
34 *Denunciatus vt Patri punitur moderatè.*
35 *Amoueri potest interdum à loco, in quo habitat, & ab officio, quod exercet.*
36 *Argui potest à Prælato coram Testibus.*
37 *Assignari potest Inspector, qui eius moribus inuigilet.*
38 *Eius excessus scribi potest Prælato, cui in subditum assignatur.*
39 *Et, si tandem non emendentur, pro eo orandum, eique benè inuigilandum.*
40 *Non denunciatur tempore Visitationis delictum à multis annis antea factum (quod alij negant.)*

QVÆRES I. An, & quo iure teneantur Prælati regulares visitare Religiosos subditos.

1. Respond. teneri ex variis iuribus, & maximè ex Concil. Trid. tum *sess. 25. cap. 20. de regul.* vbi præcipitur Prælatis regularibus exemptis, vt monasteria sibi subdita visitent, & quod monasteria, quæ sunt Ordinum capita, eadem ratione iuxta sanctæ Sedis Apostolicæ, & cuiusque Ordinis Constitutiones visitētur: tum *sess. 21. c. de refor.* statuitur, vt Episcopi visitent commendata monasteria, in quibus non viget regularis Obseruātia, quæ aliis monasteriis, quę sunt capita eiusdem Ordinis, non sunt subiecta; vnde fit, vt generaliter Constit. omnium Religionum huiusmodi visitationes summopere commendent, imò & præscribant, vt pote non solùm vtiles, sed in primis necessarias, teste experientia.

Quod si quis quærat, an Prælatus regularis possit sine causa graui iterum visitare monasterium, quod iam visitauit per se, aut per alium intra tempus à iure, aut consuetudine statutum.

2. Respond. Peyrin. *de R.S. quæst. 1. cap. 18. § 1.* non posse; probatque maximè ex antiqua consuetudine Religionum, quæ pro lege seruanda est, vt dicetur *in cap. videtur nobis, qui matrim. accus. poss.* aliisque iuribus: præter quam quod aliàs multiplicarentur expensæ absque necessitate, & non subsisteret finis visitationis, qui est corrigere excessus, & auferre abusus subditorum, quos per priorem visitationem supponimus fuisse correctos, & sublatos. Concedunt tamen Barbosa *de offic. Episc. allegat. vlt. num. 30. & seqq.* Peyr. *tom. 3. priuil. cap. 4. num. 9.* & Lezana *v. visitator num. 12.* Conuentum visitatum à Visitatore constituto per Generalem posse visitari à Prouinciali.

QVÆRES II. An, & quo modo Prælati regulares possint visitare religiosos subditos etiam per alios.

Respond. posse, non tamen per Clericos sæculares, aut Religiosos alterius Ordinis, & quidem quod possint per alios, inde patet, quod habent potestatem ordinariam: potestas autem ordinaria vtique potest delegari: quod verò non possint visitare per Clericos sæculares, aut Religiosos alterius Ordinis, probatur, tum quia in Clem 1. *de elect.* expressè prohibetur, ne eleuetur ad Prælaturam Religiosorum is, qui non est in ea Religione professus, cum tamen militet par ratio in præsenti casu; tum quia aliàs araretur in boue, & asino; quod interdicitur. *c. 22.* Deut. tum quia ad munus visitatoris rectè obeundum requiritur, vt visitans sit benè instructus in Regula, ac Constitutionibus Religiosorum, quos visitat; regulariter autem non potest sic esse instructus, qui est diuersæ Religionis, aut etiam sæcularis; tum quia ad hoc extat peculiare priuilegium Innocentij VIII. concessum Cistercienfibus per bullam, & relatum à Rodriq. *tom. 3. quæst. 77. art. 9.* ne scilicet eorum monasteria visitari possint ab aliis, quam à Monachis eiusdem Ordinis, idque in virtute S. Obedientiæ, & sub Ecclesiasticis censuris. ita Peyrin. *sup. §. 2.* Lezana *tom. 1. c. 18. n. 91.* Rodriq. *tom. 2. q. 4. a. 2.* aliique cōmuniter; inter quos notat Peyr. Legatum de Latere ob ampliorem potestatem ipsi concessam ratione muneris, posse instituere Religiosum alterius Ordinis in visitatorem hoius, vel illius Religionis; non item Clericum sæcularem: idque iuxta *cap. officij de elect.* vbi Papa cassat electionem Abbatis, quæ prius fuerat confirmata ab eius Legato: & hoc ex nulla alia ratione; nisi quod electus antequam esset discipulus, voluit esse magister; quæ ratio militat etiam in præsenti casu, vt facilè constabit consideranti. 3.

Difficultas est de Visitatoribus, an ij possint subdelegare potestatem visitandi alteri Religioso eiusdem Ordinis & consequenter visitare per alium; ratio dubitandi est, quod, cum ij habeant potestatem delegatam, non videntur posse subdelegare, cum delegatus non possit subdelegare.

Respond Rodriq. *supr. quæst 4 art. 3.* posse, si instituantur ad visitandam totam aliquam Prouinciam cum plenitudine potestatis: probatque ex eo quod, quamuis illi habeant potestatem delegatam, hoc ipso tamen quæ iis committitur cum plenitudine potestatis, ipsis videtur concedi facultas subdelegandi; præsertim cum ij instituantur è Generali Ordinis, & consequenter dici possint delegati Principis, quem Doctores dicunt posse subdelegare. 4.

QVÆRES III. Quam frequenter debeant Prælati regulares visitare Religiosos subditos.

Respond. generales quidem debere visitare ea frequentia, quæ præscribitur in Constitutionibus vniuscuiusque Religionis, & est varia (cum aliqui eorum nunquam teneatur visitare, vt Generales Minorum, & Societatis Iesu, licèt possint, si velint, vt aduertit Gloss. *in Constit. Soc. Iesu p. 8. cap. 1. n. 7. lit. H.*) 5.

Prouin

Prouinciales verò teoeri visitate quotannis prouinciam sibi commissam; talisque est praxis omnium ferè Religionum, in quibus institui solent Prouinciales, aut alij ad tale munus deputati, quocumque tandem nomioe nuncupeotut. ita Rodtiquez *supr.art.4.*

Qværes IV. Ad quem finem ordinentut visitatiooes Regularium.

6. Respond. otdinari ad huoc finem, vt excessus Religiosorum subditorum inquirantut, & inquisiti cotrigantur, ac emendentur, & vt obseruantia obligationum iuxta vniuscuiusque personæ, ac rei exigentiam conseruetur, vbi viget, & vbi deficit, in pristinum statum restituatur. ita Barbosa *de offic. Episc. alleg.73 num.*1. patétque ex Conc. Trid. *sess.14.cap.3. de reformat.*

Qværes V. An Regulares possint proprium Prælatum tempore visitationis recusare, tanquam suspectum.

7. Respond. posse, si adsit iusta causa, & hoc, siue Prælatus sit Generalis, siue Prouincialis: siue visitatio sit generalis, siue particularis. ita Sanch. *l. 6. mor.cap.8.num.*111. cum Hostiensi, aliísque pluribus Canonistis, & probatur maximè *ex cap. cum speciali, de appellat.* quod ita habet: *At ipsa probata legitimè de recusatoris assensu persona idonea committat negotium recusatus*; nec obstat, quod ibidem subditur: *Cæterum has duas Constit. præmissas nolumus ad Regulares extendi contra suas speciales obseruantias*: si quidem id solùm intelligitut in casu, quo extensio dicti iuris impediret correctiooem Regularium iuxta proprij ordinis Instituta faciendam: sicque quando Superior habetur valdè suspectus, ac excessurus ob passionem, posset recusari, non secùs ae potest in tali euentu etiam ab eo appellari (vt diximus suo loco) quod est ita verum, vt Peyr. *sup.cap.*19. sub finem ootat doctrinam nostræ huius tesponsionis habere locum si, in literis visitationis exprimatut, quod nullæ debeant admitti exceptiones, amota omni appellatione, vel recusatione, aut alia similis clausula apponatur, nam tales clausulæ intelligendæ essent de appellatione friuola, cui non est deferendum, ac recusatione frustratoria, quæ à Iudice sperni debet, aut est euidenter malitiosa ad effugiendum Iudicem, vel certè fit in delictis nototiis, & in quibus statuta est pœna à iure.

8. Dixi sub initium tesponsionis, *si adsit iusta causa*; non enim potest Iudex recusari sine causa iusta, & sufficientet probata. vnde opus est, vt causa suspicionis proponatur coram Iudice recusato, & probetur intra tempus constitutum coram arbitris à partibus eligendis; quod si pars nullum habeat aduersarium, cum iudices eligat arbittos communiter; & , si ij concordare non possint, vterque suum arbitrum eligat, qui de suspiciooe cognoscat; quin, & si neque isti arbitri concordare possint, aduocent tertium, vt quod duo ex ipsis decreuerint, robur obtineat firmitatis. ita Peyr. *supr.* §. 1. docens si causa suspicionis intta tempus debitum non prohiberur, iudex debet exercete propriam iurisdictionem: si verò fuerit legitimè probata, de recusatoris assensu debet recusatus si sit Ordinarius, committere negotium alteri personæ idoneæ, aut ad superiotem ttansmittere: si autem sit delegatus, omninò debet abstinere à causæ cognitione. Portò causæ, ob quas Iudex potest recusari tamquam suspectus, sunt multæ, & enumerantur à Peyr. *supr.* §. a. per totum, vbi etiam apponit formam recusationis: addente §. 1. à præfatis Arbittis posse appellari ad Sedem Apostolicam *ex cap. ab arbitris, de offic. & potest. Iudic. deleg. in 6.* quod item aduertit Lezana *v. Iudex num.* 13. notans ex Aldetete in casibus, in quibus denegatur appellatio, debete denegari etiam recusationem; cum vtraque sit iuris defensio concessa ob innocentiæ defensionem.

Qværes VI. An Prælati regulares, antequam accedant ad visitationem Religiosorum subditorum, de hoc ipso debeant eos præmooere.

9. Respond. regulariter debere; vt sic visitandi possint se disponere ad visitatiooem; excipe, nisi occurrat iusta causa aliter faciendi: vt si in aliquo monasterio vigeant aliqua inconuenientia, quæ non possint auferri, nisi Prælatus superior ex improuiso accedat ad eius visitationem, sicque delinquentes capiat in flagraoti; tunc quippe non esset necessaria præmonitio, imò deberet omitti, vt patet. ita Gauantus *in praxi visitat.* §.4.*num.*1.& alij.

Qværes VII. Qualiter debeat Intimari visitatio proximè facienda.

10. Respond. debere intimari iuxta vniuscuiusque Ordinis Constitutiones, aut consuetudinem; communiter tamen modus intimandi visitationem est, vt, conuocatis ad sonum campanæ omnibus Religiosis monasterij visitandi in Capitulum, aut alium locum publicum pium, ac religiosum sermonem iis habeat illos cohortando ad regularis disciplinæ obseruantiam, ac morum compositionem; deinde iis denunciet visitationem monasterij inchoandam esse tali die determinato; demum præcipiat omnibus, & singulis, & quidem etiam sub præcepto formali obedientiæ, aut excommunicationis maioris (si velit) vt sibi omnibus, de quibus tempore visitationis intetrogabuntur, veritatem manifestent, nec non ea omoia patefaciant, quæ iudicabunt facere ad maiorem Dei gloriam, monasterij reformationem, Religionis augmentum, ac Prouinciæ tranquillitatem.

Qværes VIII, Circa, quæ versari debeat visitatio Regularium.

11. Respond. debete versari circa res coocernentes cultum diuinum (vnde regulariter visitatio inchoatur à saoctissimo Eucharistiæ Sacramento) circa motes Religiosorum, regularem obseruantiam, & ipsotum ministeria, denique circa redditus monasterij, aut eleemosynas illi annuatim contingentes; idque iuxta diuersitatem statutorum, & obseruantiarum regularium vniuscuiusque Religionis, vt notauit Rodriq. *tom.2.quæst.4.art.5.*

Qværes IX. A quo debeat incboari visitatio Regularium.

12. Respood. debere inchoari à Prælato locali monasterij, quod visitandum est; is enim potest tradere Prælato visitanti summariam notitiam status monasterij, & Religiosorum in eo degentium, quæ summopere conferat ad visitationem maiori cum fructu peragendam: cum sic Prælatus visitans agnoscere possit in quos defectus vnusquisque Religiosotum soleat frequentius incidere, quibus remediis indigeat, & de quibus debeat admoneri.

Qværes X. Qualitet debeat constare de actis in visitatione.

13. Respond. debere constare per scripturam factam à Secretario Prælati visitantis omnia acta visitationis fidelitet scribente; cui scripturæ inquit Peyr. *in sor. lit. P. cap.9. num.* 3. ex Thoma à Iesu, quasi iure gentium inductum esse, vt tanta fides Præstetur, quanta solet præstari scripturæ confectæ à Notario publico: idque non solùm intra Religionem, sed etiam extra, quamquam Peyr. addat melius esse, quod dictus Secretarius creetur Notarius iuxta priuilegium

uilegium Pij telatum *cap. prec.sect.6.quæst.* 19. quod tamen priuilegium *loc. cit.* diximus non extendi ad creandum Notarium pro simili effectu; vt clarè constat ex tenore illius.

QVÆRES XI. An tempore visitationis, aut alio possint Regulares deferre Prælato visitanti peccatum quodlibet proptij Fratris, quantumuis secretum, & qnidem omissa fecreta correctione.

14. Respond. posse defette Prælato tamquam Patri, si probabiliter speretur religiosum delinquentem sic melius emendandum. Ducor, quod Medicus corporalis prudenter adhibet medicinam acerbiorem, quamuis minus necessariam, si ea futura sit valdè vtilis; ergo, etiamsi correctio per prælatum non sit necessaria simpliciter, si tamen est valdè vtilis, & efficacior correctione secreta, hac omissa, poterit eius delictum deferri ad ipsum Prælatum. ita Suar. *tom.4. de relig.tract.* 10. *lib.* 10.*cap.*9. *num.*5. & Castr. Pal. *tract.6.D.3.part.* 10. *num.* 3. cum Richardo, & S. Thoma monens in Religionibus & præsertim in Soc. Iesu semper præsumendum esse subditum delinquentem melius corripiendum esse per proptium Prælatum, quam à quoliberparticulari, dum contrarium non constet; idque tum quia Prælatus potest amouere occasiones peccati, quas non potest alius subditus: tum, quia Prælatus potest applicare debita remedia, quæ per alios subditos applicari nequeunt: tum, quia subditi difficilius possunt simulare Prælato emendationem, quam alteri fratri. Nostram hanc responsionem negant plures DD. citati à Castr. Pal. sed nostra sententia est probabilis, fine religiosi renuncient iuri, quod habent, vt sibi peccata secretò corrigantur antequam deferantur Prælato (vti fit in Soc. Iesu iuxta *regulam 9. Sum. Const.* & quidem laudabiliter,) siue non.

15. Et certè, quod dicta renunciatio fieri possit laudabiliter, probatur, quia potest quilibet ob honestos fines pati detrimentum in propria forma, etiamsi non sit dominus suæ famæ: ergo & potest renuntiare iuri, quod habet, vt fama integra conseruetur in correctione, si id faciat ob honestos fines, quale sunt maior spiritualis profectus correcti, maiórque securitas à recidino, submissio, ac humilitas propria, & integritas Religionis; qui fines vtique locum habent in præsenti euentu. Præterea si proximus ob dictos fines proprium peccatum manifestaret suo Prælato, fine dubio esset laudandus; ergò si ex eius consensu id facias (vti fit de facto, posita illa renuntiatione) opus laudabile facies, & valde meritorium. Quamquam talis renuntiatio, pro vt fit in Societate Iesu, se solùm extendit ad hoc, vt Religiosi delictum deferatur Prælato tanquam Patri, non autem tanquam Indici; sicut bene aduertit Sanchez *l. 6.mor. cap.*18.*num.*48. ea ductus ratione, quod in dubio actus præsumitur ita gestus, vt agenti sit minus onerosus, quam fieri possit, & eo modo, quo potest esse vtilior ipsi agenti; vnde, cum in præfata renuntiatione solùm fiat mentio de denuntiatione facienda Superiori, nec explicetur, an fiat vt patri, vel vt Iodici: explicari debet, vt fiat solùm tanquam patri, cum sic vtilior sit renuntianti, & minus onerosa.

QVÆRES XII. An possit denunciari Prælato visitanti delictum Religiosi, & quidem tanquam patri, si constet Relig. de eo emendatum esse.

16. Respond. videri nō posse, certò si constet de emendatione, & non subsit probabile periculum relabendi (cuiusmodi esset, si proximus occasionibus peccandi esset ita irretitus, vt, moraliter loquendo, censeatur casurus, nisi ab illis subtrahatur;) idque etiam posita illa renuntiatione, quam *quæst. præcedenti* diximus fieri in Societate. Ratio est, quod finis præcipuus talis renuntiationis est correctio delinquentis; vt colligitur *ex reg.* 10. *Summary Constit. Societatis*, quæ ita habet, *boni etiam omnes consulant ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem iuuare debito cum amore ad maiorem spiritus profectum*; si ergo Proximus iam correctus est omninò, nec subest periculum recidiui, cessat finis, ob quem ipsa in ea renuntiatione consensit delicta sua Superioribus deferri. ita Sanch. *supr.* & cum eo Castrus Pal. *part.* 12. *num.*4. addens *num.*6. in dubio, num delinquens fuerit emendatus, nec ne, si delinquens facit prædictam renunciationem, eum posse, deferri Prælato tanquam patri: cum sic adsit finis correctionis, saltem sub dubio, ideóque sufficiens ad honestandam delationem.

QVÆRES XIII. An Prælatus regularis, cui vt patri reuelatur tempore visitationis delictum alicuius Religiosi, possit de eo differere cum aliquo, aut aliquibus suorum Consultorum, si id necessariom iudicet ad remediom adhibendum.

Respond. posse; cum in tali manifestatione intendatur spiritualis vtilitas delinquentis, quæ præferri debet leui illi detrimento famæ. ita Torres 2.2. *quæst.*33. *D.*89.*d.*4.& cum eo Castr. Pal. *supr.part.* 11. *num.*5. afferens ad id. *decr.*62. *Congr. gen.*6. habitæ in Soc. Iesu vbi dicitur habita ratione finis denuntiationis paternæ posse Prælatum aliquando monere Religiosum delatū, & corrigere secretò coram duobus testibus; necnon de remedio consulere, imponendo secretum iis, cum quibus Prælatus communicat. Præter quam quod Caiet. Corduba, P. Nauarr. aliique relati à Less. *lib.*2.*cap.*11.*num.*68. putant non improbabiliter non esse pec.mort. reuelare crimen proximi, etiam infamatorium vni, aut duobus, quibus dicere perinde est, ac si nulli diceretur: cum hinc re vera sequatur leue detrimentum in fama, & non adsit periculum euulgationis, aut alterius grauis incommodi: quod si hæc doctrina est probabilis (quo modo verè est) vtique & poterit admitti in præsenti casu, quo reuelatio fit in bonum ipsiusmet delinquentis, non autem ex loquacitate, aut lenitate, vt in priori casu. 17.

QVÆRES XIV. An casu, quo Superior localis monasterij possit sa solo delinquentem præcauere à recidiuo, possit nihilominus delictum manifestare Prouinciali, aut Generali tempore visitationis.

Respond. Castr. Pal. *supr.num.* 7. quod, quamuis probabile sit in hoc nullum interuenire peccatum: idque maximè ex doctrina tradita sub finem responsionis præcedentis: quia tamen inde aperitur ostium manifestandi pluribus delictum commissum, probabilius est non licere modo dicto reuelare Prælato superiori crimen commissum: si enim solum ob maiorem securitatem à recidiuo, & non ob necessitatem, quæ appareat, licet illud reuelare, poterit & reuelari cuilibet Superiori immediato, quem delinquens habeat, & prouinciali sequenti, cum sic delinquens possit esse securior à recidiuo: qui est finis intentus in tali reuelatione; hoc autem non videtur admittendum neque in ipsa Soc. Iesu, vbi fit renuntiatio, de qua *quæst.* 11. vnde Congreg. general. 6. *in decr. de manifest. delict.*, *can.* 33.*num.* 2. dixit ne vrgenti necessitate, & magna vtilitate némini esse crimen delati reuelandum: quæ verba sunt bene expendenda in præsenti materia. 18.

QVÆRES XV. An prælatus inferior per literas possit

possit Prælato superiori manifestare delictum Religiosi subditi tempore visitationis manifestatum ad effectum applicandi debitum remedium.

19. Respond. videri posse, maximè in Soc. Iesu, in qua fit renuntiatio, de qua *supra*. Mouent, tum quia talis manifestatio iuxta dicta *quæst.* 13. licitè potest fieri verbis Prælato superiori præsenti, ergo & poterit fieri eidem absenti per literas, cum perinde sit crimen proximi patefacere verbis, ac illud reuelare per literas absenti: nisi quod fama proximi videtur exponi maiori periculo per manifestationem factam literis, quam si fiat verbis tantùm, cum literæ possint intercipi, aperiri, & legi, etiam ab aliis: verùm moraliter loquendo, non adest tale periculum, si excipias tempus tumorum bellicorum (in quo concede abstinendum esse à tali manifestatione ob rationem allatam:) sicque cum constet experientia communiter literas fideliter deferri, consequenter falsum est per talẽ modum manifestationis periclitari famam proximi, ideoque abstinendum esse ab illa, non obstante quod Religiosus fecerit dictam renuntiationem: si quidem non potest præsumi illam fecisse cum periculo suæ famæ ita manifesto, vt dicunt aduersarij. Nec obstat, quod, absolutè loquendo potest contingere eiusmodi literas legi etiam ab aliis: aliàs cum, absolutè loquendo item euenire possit quod homo prudens, & valdè taciturnus manifestet alteri delictum proximi ipsi reuelatum iuxta doctrinam datam *quæst.* 13. talis doctrina etiam deberet reiici vt omninò improbabilis: quod nemo, dicet, si eam aliquis sustineat esse probabilem: cum iudicium fiat à communiter contingentibus non autem ab iis, quæ rarò, & per accidens eueniunt; ita docti viri consulti.

Dubium maius est, an Prælati regulares possint seruare huiusmodi literas, siue apud se, siue in archiuio monasterij prouinciæ, aut totius Religionis, & ratio dubitandi est, quia sic fama Religiosi exponitur non leui periculo: cum temporis progressu dictæ literæ peruenire possint ad alios, & legi cum præiudicio famæ alterius.

20. Respond. quod, quamuis regulariter non videatur expedire, quod seruentur tales literæ: si tamen occurrat iusta causa illas seruandi (qualis sine dubio dubio potest occurrere, v. g. ad tollendas occasiones reincidentiæ:) absolutè non repugnat eas seruari; ea tamen cautela, ac circumspectione, vt non possint haberi, ac legi nisi à Prælato: idque solùm vsque ad mortem Religiosi delinquentis; tunc enim cum cessset ratio illas amplius seruandi, puto eas debere comburi. ita docti viri à me consulti, & probatur ex dictis §. *præcedenti*, quæ proportionaliter applicari possunt ad præsentem casum.

Qværes XVI. An Regulares tempore visitationis teneantur manifestare Prælato visitanti delictum fratris sub secreto ipsis reuelatum v. g. ad petendum consilium, aut remedium.

21. Respond. non teneri, imò nec posse: idque non obstante cessione iuris propriæ famæ, de qua sæpiùs supra ratio est, quod, licet bonum commune petat delinquentem infamatum puniri: non tamen postulat, vt iuuet ad punitionem is, qui secreto, & occasione remedij delictum agnoscit: aliàs arcerentur miseri à petendo consilio, aut remedio; vnde fit, vt etiam in Societate Iesu, in qua fit illa cessio iuris, excipiatur casus, in quo cognoscitur Proximi delictum sub secreto gratia petendi consilij, vt expresè habetur *decreto* 51. *Congregat.* 6. & notat Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 10. *cap.* 7. *num.* 23. quem sequitur Castr. Pal. *p.* 14. *n.* 4. monens secus dicendum de delictis vergentibus in damnum tertij; hæc namque debent manifestari, quantumuis sub secreto accepta fuerint (modò non sit sub sigillo confessionis:) dignus enim est, vt sibi frangatur fides, etiam iurata, ob reparationem damni reipublicæ, aut tertij innocentis; vt notauit Sanch. *l.* 3. *de matrim. D.* 13. *à num.* 6. pluribus aliis citatis; quod maximè habet locum in Societ. Iesu, in qua, cum extet regula, quod quilibet possit deferre Prælato, vt patri defectus aliorum ad maiorem delinquentis profectum; implicitè irritatur quælibet promissio, etiam iurata de non reuelando Superiori, cum id sit contra bonos mores, imò contra primarium finem ipsius regulæ; sicut aduertit Suarez *supr.*

Qværes XVII. An Regulares Prælato visitanti teneantur reuelare delicta suorum Fratrum, si ea acceperunt à viris non fide dignis, aut non recordantur, à quo illa acceperint.

Respond. non teneri; sic quippe notarentur leuitatis, & proximo inferrent damnum sine vlla vtilitate, & fortè sine fundamento. ita Sanchez *supr. n.* 7. Lessius *lib* 2. *cap.* 30. *num.* 50. Rodriq. *de ordine iudic. cap.* 4. *num.* 12. aliique; quorum doctrinam ego limitarem, nisi delictum cognitum esset tale, vt cederet in damnum publicum, & aliàs eius manifestatio, qualiscumque esset, deseruire posset ad meliùs indagandum illud delictum, & consequenter ad aduertendum malum publicum, quod caueri debet, etiam cum præiudicio cuiuscumque alterius. 22.

Putat Diana *p.* 4. *tract.* 5. *resol.* 28. ex Spathario nullum teneri denunciare, quod auditu tantũ percepit; excepto tamen casu, in quo siue ob grauitatem delicti, siue ob alium dignum respectum Prælati præcipiant denunciari ab omnibus, etiam qui audierint, etsi aliter non sciuerint: quod est bene aduertendum: qui vult consulat eumdem Dianam *p.* 1. *tract.* 4. *res.* 1. 23.

Qværes XVIII. An Regulares, qui iussi à Prælato visitante non reuelarunt durante visitatione delicta Fratrum ipsis nota, teneantur ea reuelare, etiam post tempus visitationis, & quo modo.

Respond. teneri; & probatur ex communi doctrina, quam tradunt Nauar. Suar. Rodriq. Regin. Filliuc. Alter. & alij relati à Bonac. *p.* 1. *de obligat. denunc. p.* 1. §. 9. *num.* 1. eum qui non denunciat intra tempus præscriptum in edito Superioris, eo tempore elapso adhuc teneri denunciare quàm primùm commodè potest: id inde probantes, quod ille terminus non apponitur ad finiendam obligationem denunciandi, sed ad eam sollicitandam, ideoque non cessat obligatio, etsi cesset terminus; quæ ratio vtique probat intentum, etiam in casu præsenti, cum ad gignendam obligationem denunciandi perinde se habeat præceptum Superioris, ac editum illius. Cæterùm puto, quod, quamuis in rigore iuris posset fieri per literas iuxta dicta *quæst.* 15. regulariter differri potest ad proximam visitationem nisi fortè arbitrio boni viri subesset periculum in mora. 24.

Oppositum tamen sustinent alij, nimirum omittentes denunciare delictum intra tempus Visitationis non teneri amplius denunciare; eo quod præceptum denunciandi impositum à Visitatore videatur solùm obligare pro tempore, quo durat visitatio, nisi aliud exprimatur. ita Fagund. *præc.* 8. *decal. lib.* 8. *cap.* 62. *num.* 12. & cum eo Lezana *n.* 9. monens *n.* 10. ex Peyrin. *supr.* eos, qui tempore visitationis tacent delicta Religiosi delinquentis, & postea ea manifestant, debere repelli à denunciatione, aut accusatione, imò & à testimonio ferendo, tanquam suspectos; eo quod tempore debito id non præstiterint (intellige, nisi constet eos ex causa rationabili, aut impedimento vrgenti id non præstitisse.) Puto autem,

quod ait Fagund. *sup.* procedere etiam in casu, quo visitatio fiat à Generali, aut Prouinciali, cum militet eadem ratio, & vbi militat eadem ratio, militare debeat eadem iuris dispositio, *ff. de fonte. lib. 1. §. interdum, ff. de adul. lib. si postulauit §. 2. ff. de eden. lib. quidam nummularies.*

QVÆRES XIX. An Regulares teneantur manifestare delicta Fratrum Generali visitanti, tanquam patri, si ea iam manifestarunt prouinciali antecedenter ipsos visitanti.

25. Respond. non teneri, nisi fortè ipsis constaret prouincialem non adhibuisse opportunum remedium (quod tamen in dubio non debent, nec possunt præsumere; cum in dubio nemo præsumatur malus.) ratio responsionis est, quod nulla lex obligat ad actum inutilem: inutilis autem esset denuntiatio, quæ fieret Generali in præsenti casu, dato quod iam fuerit facta prouinciali & probabiliter credi possit adhibitum fuisse opportunum remedium; secùs, si constaret oppositum; tunc enim adhuc vrgeret obligatio denunciandi; cum sic adhuc subsisteret finis denunciationis, vt patet.

QVÆRES XX. An Regulares teneantur reuelare Prælato visitanti delicta Fratrum, tanquam patri, si ipsis morali certitudine constet ipsum nullum omninò remedium adhibiturum esse.

26. Respond. non teneri; vt in simili adnotauit Bonac. *de censur in comm. D. 2. q. 6. part. 1. num.* 16. ex Auila, & Sylu. id inde probans, quod (vt diximus *quæst. præced.*) nulla lex obligat ad actum inutilem.

QVÆRES XXI. An Regulares teneantur prælato visitanti manifestare, vt patri delictum Fratris, quod probabiliter sciunt ab ipso fuisse commissum ex fragilitate ob commodam occasionem peccandi, non autem ex malitia, hoc est ex consuetudine. Nobiscum sentiunt & Sanchez *supr. cap. 2. disp.* 17. ex S. Anton. Portellus *de dub. Regul. v. correctio fratrum, num.* 9. Lezana *v. index, num.* 7. addentes secus dicendum, si dubitetur solum, an sit adhibendum remedium: nam in dubio præsumi debet pro Prælato (cum in dubio nemo præsumatur malus,) eique obediendum est.

27. Respond. probabile esse non teneri, nisi delinquens sit ex Religione, quæ facit renuntiationem illam, quam explicauimus *q.* 11. ita in terminis Petr. de Ledesm. *to. 2. sum. tr. 4. concl. 24. diffic.* 5. & cum eo Castrus Pal. *p. 12. n.* 5. patetque, quia sic delinquens præsumi potest emendatus, & liber à periculo recidiui, vt suppono. Dixi, *nisi delinquens sit Religionis, quæ facit renunciationem illam*, vt indicarem, in Soc. Iesu non habere locum istam doctrinam ob dictam renunciationem, quæ in ea fit.

QVÆRES XXII. Quo genere denuntiationis præsumendi sunt Prælati regulares velle denunciari delicta Fratrum, quando sub initium visitationis iubent ea denunciari; denuntiationéne iudiciali, an solum tanquam patri?

28. Respond. regulariter præsumi posse eos velle denunciari solùm, tanquam patri; nisi aliter se declarent. Moueor, tum quia lex odiosa (qualis est hæc de denunciandis delictis Fratrum) semper debet interpretari, vt sit minus onerosa, quam fieri possit, vt tradunt DD. communiter ex *cap. 1. de iureiur. in 6. & lib. quidquid adstring. de verb. oblig.* talis autem erit interpretatio in præsenti casu, si dicamus præceptum Superioris obligare solum ad denunciandum tanquam patri; tum quia gubernatio regularis est suauis, & paterna iuxta illud, *Iugum meum suaue est, & onus meum leue:* si ergò Prælatus præcipiat denunciari delicta Fratrum, præsumi potest probabiliter velle ea sibi manifestari solùm tanquam patri, tum quia Superior, cui reuelatur delictum Fratris, vt patri potest interdum præcipere reuelanti, & aliquando etiam præcipit, vt relicta denuntiatione paterna, transeat ad iudicialem; vt benè aduertit Suarez *sup. cap. 12. num.* 44. & nos dicemus infra *q.* 27. ergo, si Superior præcipiens denunciari delicta Fratrum non se declaret valle denunciari iudicialiter, potest, & debet eius præceptum interpretari de denunciatione paterna, vtpote quæ sufficit ad finem intentum in visitatione. ita dicti Recentiores à me consulti.

QVÆRES XXIII. An, & quando Prælati regulares tempore visitationis præcipiunt denunciari delicta Fratrum, intendant ea denunciari non præmissa correctione fraterna, vel certè ea præhabita iuxta Ordinem Charitatis.

Respond. quod, cum iuxta dicta *q. præc.* Prælatus 29. regularis præcipiens denunciari delicta Fratrum præsumi possit intendere ea solum denunciari, vt patri ad emendationem delinquentis; propterea præsumi potest, & debet velle eiusmodi denunciationem fieri præmissa correctione fraterna, modò inde speretur emendatio, ratio responsionis est, tum quia præceptum Prælati non debet supponi contrarium legi Euangelicæ, *Corripe eum, inter te, & ipsum solum*; tum quia Proximus non potest infamari absque necessitate, & rationabili causa: in nostro autem casu infamaretur sine necessitate, cum possit eius emendatio haberi per correctionem fraternam, vt suppono. ita Vasq. *cap 9. de restit. §. 3. num.* 4. Sayr. *l. 1. de censur. cap. 9. n.* 34. Filliuc. *tract. 14. n.* 29. Bonac. *de obligat. denunc. p. 1. §. 18. num.* 1. qui tamen intelligendi sunt iuxta dicta *quæst.* 11. nimirum dato quod Religiosus, cuius delictum denunciari debet, non fecerit renunciationem ibi explicatam; si enim fecit talem renuntiationem, tunc vtique potest denunciari illius delictum, etiam omissa correctione fraterna; cum in hoc formaliter consistat eiusmodi renunciatio, vt ostendit Suar. *sup. cap. 7. num.* 18. monens talem renuntiationem non repugnare, neque Iuri naturali, neque doctrinæ, quam tradidit Christus de correctione fraterna Matth. 18. quippe quæ solum procedunt absolutè, non supposita tali renuntiatione, & fundantur in iure, quod cuilibet competit, ne se inuito apud alios infametur: quæ omnia cessant, posita dicta renunciatione, vt patet.

QVÆRES XXIV. An Regulares tempore visitationis teneantur denunciare delicta Fratrum, quæ probabiliter putant alios esse denunciaturos.

Respond. non teneri, si probabiliter existiment 30. denuntiationem illam fore sufficientem ad emendationem denunciati, & denunciatio fiat tamquam patri. Colligitur ex Sayro *sup.* Graf. *1. p. decis. l. 4. c. 8. n.* 31. aliisque citatis à Bonac. *sup. §. 4. n.* 2. docentibus audientem delictum ab eo, qui iam denunciauit, non teneri denunciare, etiamsi audierit à viro fide digno, eo quod aliàs eius denuntiatio foret inutilis: cum tamen nemo obligetur ad opus inutile; quæ doctrina proportionaliter intentum probat etiam in præsenti casu. Dixi, *si probabiliter existiment denuntiationem illam fore sufficientem*, &c. quia secùs esset, si probabiliter putarent Prælatum vi denuntiationis factæ non motum fuisse ad procurandam emendationem Rei denunciati, eo quod v. g. minorem fidem præstiterit denuntianti, aut alia simili de causa: tunc enim denuntiatio non esset inutilis, vt suppono. Dixi præterea, *& denunciatio fiat tanquam patri*, vt innuerem, quod si fieret iudicialiter: tunc etiam Religiosi, qui modo dicto audierunt delictum Fratris, tenerentur etiam ipsi denunciare; cum multi-

plex

plex denuntiatio iudicialis requiratur, & conferat ad formam iudicialem, adeóque intendatur à Superiore talem denuntiationem præcipiente.

QVÆRES XXV. An, præcipiente Prælato denuntiari delicta tanquam patri, teneantur Regulares denunciare etiam delicta, quæ non possunt probare.

31. Respond. teneri, si moraliter sint certi de delicto: & ratio est, quia ad finem intentum in denuntiatione paterna non requiritur probatio delicti denuntiati, (quo modo requiritur ad denunciationem iudicialem,) sed sufficit, quod delictum Fratris innotescat Prælato ad effectum, vt possit tanquam pater corrigere delinquentem, ac emendare.

QVÆRES XXVI. An Prælatus regularis tempore visitationis possit transire à denunciatione paterna ad iudicialem, & quando.

32. Respond. posse præcipiendo delatori, vt relicta denunciatione fraterna, transeat ad iudicialem; idque si delictum, quod denunciatur, cedat in damnum communitatis, vel tertij, & per denunciationem paternam ei sufficiens remedium non adhibeatur; vel certè reus denunciatus sit durus, & neget delictum, nec emendationem promittat. Ita Suar. *sup. cap.* 12. *num.* 44. & post illum Castrus Pal. *sup.* § 11. *num.* 11. loquentes in specie de Societate Iesu, probántque, tum ex *decreto* 58. *Congregat.* 6. in quo habetur, quod quando prudenter iudicaretur non posse adhiberi sufficiens remedium ad consulendum bono communi, aut tertiæ personæ, nisi assumpto officio Iudicis, tenetur subditus ad denunciationem iudicialem faciendam, & potest Superior non obstante secreto prioris denunciationis paternæ, ei præcipere, vt iudicialiter denunciet: tum quia bonum commune, ac innocentis tertij præferri debet bono particulari nocentis.

33. Quod si subditus nolit obedire Prælato præcipienti denunciationem iudicialem: potest Prælatus procedere iudicialiter; non quidem via inquisitionis, (cum non præcesserit infamia, vt suppono,) sed via denunciationis, creando Fiscalem, qui causam assumat, & denunciet; tuncque poterit Prælatus interrogare, etiam primum denunciantem, tanquam testem, qui tenebitur sub iuramento fateri veritatem, cum iam legitimè interrogetur, & post eius testimonium, si sit omni exceptione maius, poterit reus interrogare; itaut teneatur dicere veritatem; sicque vlterius procedi iuxta dicenda *sect. sequenti.* Ita Suar. *sup.* addens, quod si denuntiator fuit complex delicti denunciati, & ob affectum Religionis, aut perfectionis illud reuelauit Prælato vt patri; tunc non potest obligari ad denunciationem iudicialem, aut ad ferendum testimonium contra reum denunciatum: cum nemo teneatur se ipsum prodere iudicialiter; & aliàs prodere complicem modo dicto moraliter idem sit, ac prodere se ipsum.

QVÆRES XXVII. An Prælatus regularis ex denunciatione sibi vt patri facta de peccato Religiosi subditi possit procedere ad punitionem, & qualem.

34. Respond posse, quæ tamen sit moderata, & talis, vt neque infamiam irroget, neque delictum, si graue est, manifestet: talis enim punitio non excedit limites correctionis fraternæ; vt videre est in patre carnali respectu filiorum; quin etiam in casu, quo delictum paternè denunciatum esset graue, posset Superior procedere ad pœnitentiam aliquam secretam, quæ tamen sit potius correctiua, ac præseruatiua delicti, quam punitiua: præsertim si delictum probari possit: idque ob rationem modo allega- tam. Ita Suarez *sup. cap.* 10. *num.* 13. ex Soto, & Nauarro, quos citat, & sequitur Castrus Palaus *supra part.* 2. *num.* 2. monens in istam doctrinam consentire Congregationem 6. generalem Soc. Iesu dum *decreto* 33. *num.* 7. egit de manifestatione delicti facienda in ipsa Societate.

Verum verò Prælatus regularis in casu proposito possit Religiosum paternè denunciatum amouere à loco, aut ministerio, in quo, & occasione cuius deliquit.

Respond. posse, si ministerium ex solo nutu Superioris pendeat, & amotio fieri possit absque infamia delinquentis denuntiati, omnibus circunstantiis prudenter perpensis. Ita in terminis Castr. Pal. *num.* 3. ex Suarez, & Torres; patetque tum ex *c. qualiter, & quando, el* 2. *de accusat.* vbi Papa dicit ordinem correctionis cum personis Religiosis non esse semper seruandum, eo quod ij facilius, ac liberiùs possint remoueri à suis administrationibus: tum ex decreto Congregationis 6. modò relato; vbi id deciditur; tum quia estò delictum non fuisset commissum, nullam iniuriam infert Superior delinquenti illum sic remouendo à loco, ac officio: cum pro sua voluntate id possit facere, & aliàs talis remotio sufficienter honestetur ex maxima vtilitate, quæ inde prouenit delinquenti. Quamquam in hac re debeant Superiores procedere maxima cum prudentia, ac animaduersione, examinando, num conferat ad emendationem fratris, & præcauendum damnum; illum amouere à loco, ab officio, & occupatione, benéque vigilando, ne fortè delator inuidia, aut odio motus delictum fratri imposuerit, aut commissum exaggerauerit. 35.

Præterea potest Prælatus regularis, si ei moraliter constet de delicto subditi, saltem per delationem fraternam vnius testis oculati omni exceptione maioris grauiter reprehendere subditum denuntiatum, etiam coram 2. aut 3. testibus, minis eum terrere, imò & ipsi præcipere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne talem locum suspectum adeat, neve cum tali persona loquatur: idque etiam coram ipso delatore, & aliis testibus; quippe hæc non excedunt correctionem paternam, & potestatem patris in filios; & alioqui semiplena probatio delicti sufficit ad ista præstanda, sicut notauit Suar. *sup. n.* 14. 36.

Accedit, quod potest Prælatus regularis subdito paternè denunciato designare socium fidelem, qui eius actiones exploret, & referat Superiori; cum Superior vi officij teneatur inquirere vitam suorum subditorum, vtpote eius curæ commissorum: quod aliis priuatis non imponitur. Ita Bañez 2. 2. *q.* 33. *a.* 3. *d.* 2. *concl.* 4. & Torres *ibi D.* 89. *d.* 5. quos sequitur Castr. Pal. *num.* 8. non tamen in eo, quod subdunt Prælatum posse socio illi designato significare se aliquam malam suspicionem de subdito habere, dicendo *obserua illum*; si quidem subditus iam apud ipsum Superiorem diffamatus est; si enim absque significatione malæ opinionis potest socio vigilantia commendari, quæ causa subesse potest cohonestans infamationem. 37.

Difficultas esse potest, an quando Prælatus mutat subdito delinquenti domicilium ad auferendam ei occasionem recidiui, possit Superiori noui domicilij significare lapsum illius, vt sic inuigilet magis, eríque ei subtrahere occasiones omnes recidendi.

Respond. videri posse, & quidem etiam per literas; dummodo iuxta dicta *q.* 15. sit certus moraliter literas non peruenturas in manus alterius, quam eius ad quem scribuntur. moueor ex iis, quæ diximus *sup. q.* 13. 14. & 15. quæ proportionaliter appli- 38.

cari poſſunt ad præſentem caſum; præterquàm quod iſta manifeſtatio ordinatur ad bonum ſpirituale, tam ſubditi, quàm Religioſis, quod præualet illi leui iacturæ famæ prouenienti ex tali manifeſtatione iuxta dicta *q.* 13. quamquàm, ſi probabiliter credi poſſit nullum ſubeſſe periculum recidiui, abſtinendum ſit à talibus manifeſtationibus, vtpote ſecundùm ſe validè odioſis, ac oneroſis: idque etiam in Religione, in qua fieret renuntiatio illa, de qua locuti ſumus *q.* 11.

Addo quod, quamuis Prælatus poſſit acriter reprehendere ſubditum paternè denuntiatum de delicto commiſſo, etiam coram aliquo alio ad illum confundendum, & commouendum, vt diximus *ſup.* §. *præterea*: non ideò tamen poteſt reprehendere publicè in Capitulo, aut alio ſimili loco, ſi delictum ſit infamatorium, & occultum. ratio eſt, quod ſic ſubditus iniuſtè infamaretur per manifeſtationem proprij delicti; cum habeat ius ſuę famæ, quamdiu delictum eſt occultum, ideóque non poſſit inuitus eo priuari; eſt autem in præſenti caſu inuitus, etiamſi demus feciſſe illam renuntiationem: ſiquidem talis renuntiatio non extenditur ex intentione renuntiantis ad talem caſum; vt facilè conſtabit conſideranti; ſecùs, ſi delictum ſit leue, & non infamatorium: tunc enim licita eſſet præfata reprehenſio, etiam publica; vt aduertit S. Th. 2.2.*q.*37.*art.*7.*ad* 4 & indicat praxis Religionum.

Qværes XXVIII. Quid agere debeat Prælatus regularis, ſi ſubditus paternè denuntiatus, & ab eo modis ſupradictis correctus, ac monitus non reſipiſcit, imò in peiora prolabitur.

39. Reſpond. quod ſi delictum denuntiatum non ſit notorium, nec probabile in iudicio, nec vergens directè in damnum communitatis: non habet ampliùs, quod faciat circa delinquentem, niſi quod oret pro eo, illi inuigilet, & occaſiones, quas poterit, auferat ſine ſcandalo, aut infamatione ſubditi; non enim poteſt illum infamare propter delictum occultum, neque tenetur procedere ad aliud genus inquiſitionis; ſecùs eſſet, ſi delictum denuntiatum probari poſſet in iudicio, aut directè vergeret in damnum communitatis: nam tunc poſſet facere id, quod diximus *q.*37. ex Suarez *ſup. cap.* 12.*n.*44.

Qværes XXIX. An Regulares tempore viſitationis debeant denunciare etiam delicta à multis annis commiſſa.

40. Reſpond. quod, cum delicta non debeant præſcribi, debent denunciari crimina etiam à multis annis commiſſa; maximè ſi delinquens non ſit emendatus, & delicta noceant Communitati: quamuis cauendum ſit Prælato viſitanti ne delicta iam conſopita Religioſorum ſubditorum ſine cauſa vrgenti reuiuiſcere faciant. Ita Rodriq. *tom.*2.*q.*5.*art.*11. Peyrin. *de R.S.q.*1.*cap.*16.§.4. & cum iis Lezana *v. viſitator n.*8. addens poſſe in Religionibus fieri ſtatutum, quod certo tempore elapſo delicta amplius non proceſſentur. Alij tamen oppoſitum ſuſtinent non improbabiliter ex eo quod, quando poſt commiſſum delictum præceſſit longum tempus (quale eſt ſpatium 3. annorum ex Maſcardo *concl.*600. *num.*14.) delinquens præſumitur emendatus, niſi aliunde conſtet de reincidentia. quod expreſsè docet Sancius *in ſelectis D.* 11. *num.*52. aſſerens cum Acuña ſollicitantem in confeſſione non eſſe deferendum ad tribunal Inquiſitionis, quando præceſſit longum tempus à delicto commiſſo: conſtat autem ex dictis *quaſt.*12. non debere denunciari delinquentem, qui iudicio viri prudentis præſumitur emendatus, eo quod conſtet occaſiones delinquendi v.g. fuiſſe ſublatas.

Sectio II.

De Forma Iudiciali ſeruanda in Viſitationibus Regularium.

Qværes I. Quot, & quibus modis poſſint Prælati regulares procedere in exteriori iudicio ad cognoſcenda, aut punienda delicta Religioſorum ſubditorum, ſiue tempore viſitationis, ſiue quocumque alio.

Reſpond. poſſe procedere 3. modis; nimirum via inquiſitionis, denuntiationis, & accuſationis; ſicut habetur *c. qualiter, & quando* 2. *de accuſat.* inter quos modos procedendi notat Suar. *tom.*4. *de relig. tr.*10. *l.*10.*cap.*11.*num.*1. potiſſimam differentiam poſitam eſſe inchoando iudicio, ſeu proceſſu: nam in eius medio, ac fine multum conueniunt, quamuis aliquæ differentiæ interueniant, vt conſtabit ex quæſtionibus infra proponendis. Addit Suarez in his 3. procedendi modis duplicem formam ſeruari poſſe, aliam iuris poſitiui, & aliam iuris naturalis: forma iuris poſitiui pendet ex iure Eccleſiaſtico, aut ciuili, & ſeruari debet à ſæcularibus, vt iuſtè, & aliquando etiam validè procedant: forma iuris naturalis eſt ea, ad quam requiritur, & ſufficit, vt facti veritate ſufficienter inſpecta iuxta ius naturale, & gentium poſſit ferri humanum iudicium: idque niſi extet ius poſitiuum peculiare aliter obligans. 41.

Qværes II. Qua forma procedi debeat in iudiciis Regularium, formáne iuris poſitiui, an iuris naturalis.

Reſpond. procedi debere forma iuris naturalis, videlicet ſine ſtrepitu, & figura iudicij ſæcularis, ſimpliciter ſummariè, de plano, & ſola rei veritate inſpecta. Ita Caiet. 2.2. *q.*70.*art.*2. Sotus *l.*5. *de inſt. quaſt.*7.*art.*2.*fine*, Suar. *loco cit.* Lezana *tom.*5.*cap.*17. *n.*26. & alij aſſerentes Iudices Regulares poſſe procedere iuridicè poſtpoſitis iuris apicibus, iis ſcilicet actibus omiſſis, qui potiùs reſpiciunt ſubtilitatem iuris, quam facti veritatem, & merita cauſæ. probatur autem reſponſio, tum ex *cap. qualiter, & quando, ſuperius adducto*, vbi Innoc. III. explicato progreſſu iudiciali ſic concludit: *Hunc tamen ordinem circa Regulares perſonas non credimus vſquequaque ſeruandum*; tum ex priuilegio bullato Bonifacij VIII. conceſſo Prælatis Minorum, & relato à Caſarubio *in comp. v. correctio Fratrum*, *n.*6. his verbis: *Bonifac. VIII. conceſſit, vt Prælati Ordinis Minorum ad correctiones, & punitiones Fratrum eiuſdem Ordinis delinquentium infligendas, ad quos eadem ſpectare noſcuntur, ſimulſ, & iuris apicibus poſtpoſitis liberè procedere valeant ſecundùm conſuetudines approbatas, & generalia ſtatuta ipſius Ordinis facta, ac fienda*; tum quia in Religionibus debet eſſe ſincera, & plana cognitio criminum, ibique ſupplicia non ſunt adeò acerba, vtpote ordinata magis ad ſalutem animæ, quam ad puniendum, & eſt per ſe credibile Iudices Regulares procedere, cum maiori charitate, ac puriori intentione, & teſtes, etiam, & alias perſonas, quæ interueniunt, eſſe fide dignas; vt proinde dicat iſtam formam iudicij eſſe magis conuenientem Statui Religioſo, conſuetudine receptam, & per Canones, & Doctores approbatam. 42.

Notat

43. Notat autem Lezana *vbi supr.* clausolas illas, *postpositis apicibus iuris, simpliciter, summariè, de plano, & sola veritate facti inspecta*, quæ interdum sopponuntur in decretis Pootificum, ferè coincidere in idem: siquidem *per apices iuris*, venioor citationũ ioterualla, dilationes interlocutoriæ, & alia huiusmodi, quæ oon sunt de essentia iuris: *simplipliciter*, denotat procedeodũ esse exclodendo calumniatorias, & dolosas dilationes, ac inanes exceptiones: *summariè*, vt solùm adhibeantor ea, quæ iudicij vim, & essentiam spectant: *de plano*, vt omissa solemnitate sedendi, vel etiam feriatis, vanis exceptionibus, tergiuersationibus, & appellationibus postpositis procedatur: *sola veritate facti inspecta*, indicat reiiciendas esse solemnitates ioris accidentales, iis solùm seroatis, quæ sunt de iure naturali, diuino, & iure gentium.

De modo procedendi per viam Inquisitionis.

44 *Explicatur, quid si procedere via Inquisitionis.*
45 *Inquisitio iudicialis alia est generalis, alia specialis.*
46 *Si ea fieri debet in generali, non præsupponitur infamia.*
47 *In Regularium Visitatione seruatur Inquisitio generalis.*
48 *Inquirentis generaliter non denunciandus excessus occultus, de quo nulla est infamia.*
49 *Inquisitio specialis fit absq; infamia prævia in 4. casibus, qui referuntur.*
50 *Infamia interdum supplet vicem Accusatoris.*
51 *Non omnis infamia sufficit ad Inquisitionem specialem.*
52 *Requiritur infamia faciens clamorosam insinuationẽ.*
43 *Definitur, quæ sit publica suspcio.*
54 *Ea esse debet probabilis.*
55 *Infamia non semper probanda iudicialiter.*
56 *Ad inquirendum specialiter non sufficiunt indicia vehementia de delicto.*
57 *Item non sufficiunt literæ sine nomine Auctoris.*
58 *Et in hoc casu cautè procedendum.*
59 *Item non sufficit infamia orta post capturam Rei.*
60 *Non sufficit denunciatio alicuius priuati, aut querela partis læsæ recusantis onus probandi.*
61 *Non proceditur iudicialiter contra delictum indebitè extortum.*
62 *Secùs, si testes Rei delictum malè detegant.*
63 *Inter Regulares aliqua solemnitas seruanda in Inquisitione.*
65 *Religioso Reo conceduntur Aduocatus, & alia similia.*
65 *In via Inquisitionis mitior pœna datur.*

QVÆRES III. Quid intelligatur hîc per viam ioquisitionis.

44 Respond. Intelligi actum Iudicialem; quo Prælatus regularis tanquam iudex io visitatione, nullo alio ipsum prooocante ex se incipit disquirere delicta subditorum; sicque differt ab aliis duobus modis procedendi, qood in iis Prælatus ab alio prouocatur, delato ad aures eius delicto; & postulata illius cognitione.

QVÆRAS IV. Quotuplex sit Inquisitio Iudicialis.

45. Respond. esse doplicem; generalem scilicet, & specialem; generalis est illa, qua in genere inquiritur, an subditi seruent leges, & statota Ordinis, an committantur delicta, an seruetor Regula, &c. & hæc seruatur in visitatione Monasteriorum, quando Prælatus visitans vult procedere iuridicè, estque valdè necessaria, ac vtilis ad bonum regimen Religionum, & vniuscumque Communitatis bene institutæ, vt constat ex vsu Ecclesiæ; idque, siue talis ioquisitio fiat in generali, tam ex parte delictorum, quam personarum (vt in exemplis allatis:) siue fiat per interrogationem specialem ex parte delicti, & generalem ex parte personarum (vt si Prælatus interroget, num quis sciat aliquem ex Religiosis Monasterij habere proprium;) quamquam, vt bene aduertit Suar. *num.* 5. hîc posterior modus inquirendi in generali non debeat vsurpari in Religionibus, nisi præcesserit speciale delictum; de quo interrogatur, aut de illo sit communnis error, ac suspicio, estò de auctore nullà exter infamia, aut ootitia: vbi enim oollus rumor præcessit de delicto, aliqua iniuria inferri videtur communitati, eo modo interrogando; cum eo ipsò gigni possit suspicio, tale quid in ea cõmissum fuisse. Ioquisitio specialis est, qua in particulari inqoiritur de tali persona; idque siue in particulari de tali delicto (furto v. g.) vel io geoerali, an commiserit aliquod delictum graue.

QVÆRAS V. An, & quando ad inquisitionem iuridicam præcedere debeat iofamia delicti, de quo inquiritur: & quidem etiam inter Regulares.

Respond. non debere præcedere, si inquisitio facienda est in generali, siue priori, siue posteriori modo ex dictis: sic enim cum de nulla persona in particulari fiat interrogatio, nulli fit ioiuria; secùs, si inquisitio facieoda sit in particulari vtroque modo supradicto: sic quippe fit iniuria ei, de quo inquiritur, ob suspicionem, quæ inde de eo potest oriri; quæ doctrina militat etiam io Regularibus (vt ostendit Suar. *supr. cap.* 12. *n.* 2. pluribus aliis citatis) noo tamen in casu, quo visitatio iostitoeretur in particulari de aliqua persooa ratione specialis muneris (v. g. de Prouinciali) siquidem tunc liceret iu particulari de eo interrogare, etiam sioe vlla præoia iofamia, qoaliter se gerat in suo munere, vel numquid in eo notatum fuerit, non descendendo tamen ad particularia; ratio est quod, sicut in visitatione communitatis oecessaria est generalis ioterrogatio ad inchoandam visitationem: ita, cum visitatio per se instituatur de Prouincisli, necessariò inchoari debet per particularem iotertogationem, quoad illius personam, generalem verò de moribus, aut officio; & quidem tunc nulla generatur suspicio de tali persona, estò de ea inquiratur io particulari: cum constet inquisitiooem illam oon fieri ob specialem suspicionem, quæ de ea habeatur, sed quod talis inquisitio sit propriom, ac speciale obiectum, vt sic dicam; talis visitationis; sicot beoe aduertit Suar. *cap.* 11. *n.* 6. 46.

QVÆRES VI. Qualis ioquisitio habeat locum in visitationibus Regularium generalis ne, an specialis.

Respond. quod, cum finis talium visitationom sit inquirere io generali de vitiis, & virtutibos Religiosorum ad effectum ea extirpandi, has promouendi iuxta illud *Ier.* 1. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*; in visitationibus Regularium communiter habet locum inquisitio generalis, qoæ sine dubio est iusta, imò & moraliter necessaria ad inchoandam visitationem, estque propriè loquendo, non actus iudicialis, sed generalis gubernationis, & quasi præambulum quoddam ad iudiciom, si necessarium fuerit. Monet autem Suar. *supr.* quod si visitatio dirigitur ad totam communitatem, non licet de vno ioterrogare magis in parti- 47

culari, quàm de aliis, nisi præcedat infamia proportionata interrogationi, siue de tali vitio, si de eo fiat interrogatio: siue de eius vita in genere: quod sit minus bona, si de eius vita solum inquiratur.

QVÆRES VII. An Prælato regulari tempore visitationis procedente per viam inquisitionis generalis teneantur Religiosi subditi ei denunciare iudicialiter delicta Fratrum, si persona delinquens sit adeò occulta, vt nulla infamia laboret.

48. Respond. non teneri, imò nec posse, & ratio est, quod, cum Prælatus non possit de tali persona iuridicè interrogare, neque subditus tenetur, aut potest ei respondere manifestando illam personam, vnde fit vt quamuis Prælatus absolutè interroget, & quidem etiam sub iuramento: semper subintelligatur, an subditi sciant delictum de aliquo, quod de tali delicto infamatus sit. ita ferè S. Thomas 2.2. *quæst.33.art.7.ad 5.* & ibi Caiet. Soto, & alij, quos adducit Suarez *num.9.* monens *num.8.* quod si Superior visitans deposito Visitatoris iudicialis munere petat, aut præcipiat sibi tanquam Patri, & in ordine solùm ad emendationem secretam sibi denunciari ea, quæ ad bonum communitatis, aut cuiuscumque particularis personæ opportuna fuerint, si Prælatus sit Ordinarius, ideòque ad ipsum spectet, tum emendatio subditi, tum punitio delicti; debet subditus obedire, sibi persuadens Prælatum verè, & ex animo ita interrogare, non autem vt ea notitia vtatur ad visitationem iuridicam, quam principaliter intendat; quod si de hoc non sit moraliter certus, non tenetur obedire: cum in tali casu præceptum Prælati contineat errorem intolerabilem.

QVÆRES VIII. An dentur aliqui casus, in quibus Prælatus regularis tempore visitationis, aut alio procedere possit iuridicè per viam specialis inquisitionis, etiam absque vlla præuia infamia.

49. Respond quod quamuis iuxta dicta *quæst.5.* non possit fieri specialis inquisitio iuridica de persona particulari, nisi supposita infamia talis personæ: (idque militet etiam in causis Regularium, non obstante, quod *in cap. qualiter, & quando, el 2. de accusat.* dicatur non esse necessarium seruare ordinem iudicialem ibi propositum cum personis Regularibus: cum *in cap. licet Heli, de Simonia*, in quo agitur de correctione regulari, dicatur requiri clamorosam insinuationem, idest infamiam;) ab hac tamen generali regula excipiuntur aliqui casus, quos recenset Suar. *supr. cap.12 à num.4.* primus est si delictum, de quo inquiritur, sit contra commune bonum Religionis: vt si ei inde immineat periculum alicuius grauis infamiæ, aut scandali, quamquam hæc exceptio magis spectet ad viam denuntiationis, id est, inquisitionis generalis: 2. est, si committantur delicta nimis grauia, & atrocia, & quidem redundantia in damnum aliorum: 3. est, si fiant crimina notoria (euiusmodi esset illud, quod fieret coram 10. personis) eo tamen modo, quo latè explicat Suar. *num.7.8.9. & 10.* vltimus casus est, si præcedant indicia sufficientia personæ delinquentis, & quidem publica simul cum delicto, de quo inquiritur: quamquam iste casus sic propositus non sit propriè exceptio; cum supponat præcedere infamiam de persona delinquente. Cæterùm concludit Suar. *num. 13.* quod, licèt istæ 4. exceptiones singulæ per se non sufficiant ad propriam aliquam exceptionem faciendam; ex omnibus tamen simul sumptis potest admitti casus, in quo possit inquiri de aliqua persona in particulari, etsi de illa præcedat sufficiens infamia; nimirum si delictum sit publicum, ac enorme, & Iudici constet adesse sufficientia indicia de aliqua persona, & aliunde iudicetur esse moraliter necessarium ad bonum commune, quod auctor delicti cognoscatur. Quod autem Doctores communiter excipiunt à doctrina illa generali casus illos, in quibus fit inquisitio, non ad punitionem inquisiti, sed ad alios fines iustos, (vt cum inquiruntur merita alicuius ad officium, aut ministerium) dicentes in istis casibus posse procedi per viam specialis inquisitionis absque præuia infamia; non est propriè exceptio à dicta doctrina, cum in ea sit solùm sermo de inquisitione iudiciaria tendente ad punitionem delicti, qualis certè hic non interuenit.

QVÆRES IX. An præcedente infamia de delicto, & de persona Prælatus regularis teneatur inquirere interrogando in particulari de tali persona, & obligando subditos ad fatendam veritatem.

Respond. teneri; probatur, tum quia in tali casu infamia supplet vicem Accusatoris: tum quia id est necessarium ad bonum commune: ne aliàs delicta maneant impunita, & impediri non possint; vnde, si Prælatus in hoc esset remissus, daret aliis graue scandalum: quod est magnum argumentum obligationis illius, inquit Suar. *num. 18.* 50.

QVÆRES X. Qualis infamia requiratur, & sufficiat ad procedendum per viam inquisitionis specialis.

Respond. in primis non sufficere, quod Religiosus, de quo inquirendum est, malè audiat, siue generatim de vita sua, siue speciatim de aliquo delicto, ad hoc vt de illo inquiratur, an commiserit aliud delictum, cuius auctor ignoratur; sed requiri, vt infamia sit de tali persona circa delictum: aliàs etiam infamia impertinens est, vt pote quæ non accusat verè, aut fictè talem personam: ex quo fit, vt sicut in via accusationis accusatus de vno delicto non potest accusari de alio; ita nec in via inquisitionis; nisi fortè delicta ita sint connexa, vt vnum sit circumstantia alterius, aut certè, prout hîc & nunc factum est, gignat generalem suspicionem de alios, vt si Caius reperiatur mortuus in via, ac spoliatus, & Titius laboret infamia, quod illum spoliauerit, consequenter est suspectus de homicidio; quamuis in tali casu, & aliis similibus fiat inquisitio siue infamia, cum infamatus de vno delicto sit item infamatus de circumstantiis eius, quando aliàs constat de connexione vnius cum alio, siue ex natura rei, siue ea facti euidentia. 51.

Deinde infamia debet esse talis, vt faciat publicam, & probabilem suspicionem, & (vt iura loquuntur) clamorosam insinuationem; infamia quippe, & clamorosa insinuatio, quoad præsentem effectum, confunduntur, licèt aliqui oppositum sentiant, sed immeritò; tum *in cap. inquisitionis, de accusat. §. tertia dubitationis*, dicatur, *super quo aliqua non laboras infamia, seu clamorosa insinuatio non processit*: vbi particula *seu* indicat illa esse æquiualentia: vnde ibidem nulla mentione facta de infamia, subditur, *cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, quibus clamores aliqui præcesserunt*. 52.

Tunc autem dicetur publica suspicio, si ea sit apud grauiores, & meliores personas, etsi non sint plures: dummodò absolutè sint multi, & si quoad qualitatem personarum cætera sint paria, probabile est requiri opinionem maioris partis, & sufficere, vt id probabiliter credatur, aut certè censeatur esse vulgaris opinio, cum hæc facilè diffundatur ad maiorem partem; ita Suar. *num. 24.* vbi concludit, non nisi prudenti arbitrio determinandum esse, 53.

num

num suspicio sit publica, necne: idque considerata qualitate communitatis, & conditione personarum, quod est contra Nauarr. *comment. de fama, & infamia. n.7.8.&9.* putantem cum Bartolo ad famam necessarium esse, vt ea sit omnium, aut maioris partis eorum, apud quos illa allegatur esse: & opinionem pauciorum, quam decem non sufficere ad infamiam, etsi sit maior pars illius loci, vel communitatis, aut tota communitas, in qua versatur fama.

54. Ad hoc verò vt suspicio, quæ requiritur ad infamiam, sit probabilis, necesse est, vt processerit, non ex odio, ac inimicitia alicuius, aut ex leuibus indiciis, & vulgi suspicione, ac locutione (quo modo non esset vera infamia,) sed ex iusta, ac probabili causa, & inter probos, & non suspectos homines diuulgata sit: quod aduertit Suarez *num. 15.* ex *cap. inquisitionis, citato, & cap. qualiter, & quando 2. de accusat.*

QVÆRES XI. Qualiter debeat constare Iudici de infamia, vt procedere possit iudicialiter per viam specialis inquisitionis.

55. Respond. distinguendo; vel enim fama delicti, de quo facienda est inquisitio, per se ipsam peruenit ad aures Iudicis; vel non peruenit per se ipsam, sed quia vnus, vel alius ei denunciant Petrum esse infamatum de tali delicto: si primum, non est opus, vt præcedat iudicialis probatio infamiæ; cum in publicis, ac euidentibus non sit necessaria specialis probatio, & tunc infamia fit per se euidens, & publica, clamans contra reum; si secundum, antequam iudex incipiat inquirere de reo, necesse est, vt infamia iuridicè probetur; quippe quæ respectu iudicis per se non est publica, ideòque per publicam probationem debet ipsi innotescere; quo modo incipitur à via denuntiationis, non autem inquisitionis, sicque prima causa, quæ agitur, non est de delicto, sed de infamia delicti, an sit, necne: sicut aduertit Suarez *n.27.* addens *n.28.* quod, si Prælatus ordinarium munus inquirendi deleget alteri instruens illum, & affirmans sibi constare Petrum esse infamatum de tali delicto, id sufficit, vt delegatus possit immediatè inchoare iudicium inquirendo in specie de delicto talis personæ, nec tenetur inquirere de infamia eius probatione inuestigando.

QVÆRES XII. An Prælatus possit procedere per viam specialis inquisitionis, si nulla præcedat infamia, adsint tamen indicia sufficientia, & quidem vehementia de eo delicto, de quo inquirendum est.

56. Respond. non posse: & satis benè colligitur ex *cap. cum oporteat, de accus.* & *c. inquisit. eod. tit.* aliisque iuribus, quæ adducit Sanch. *lib. 6. consil. cap. 3, disp. 17. n. 5.* monens *n. 6.* quod, quando indicia non solum nota sunt particularibus personis, sed populo, itaut de illis sit infamia, potest interdum fieri inquisitio: cum talia indicia faciant aliquam infamiam, etsi non integram; indicia autem alia dicuntur leuia, quæ communiter nihil probant. alia grauia, quæ communiter sunt vera, & vehementer animum mouent ad aliquid credendum, probantque semiplenè; & alia violenta, seu plena, quæ ita mouent animum ad assentiendum alicui rei, vt in eo acquiescat, tanquam vera, nec curet vlteriùs inuestigare.

QVÆRES XIII. An Prælatus regularis possit specialiter inquirere de Religioso subdito ex eo præcisè quod contra illum scriptæ sint literæ sine nomine Auctoris, quas vulgò vocant *orbas.*

57. Respond. non posse, etiamsi in dictis literis notati sint aliqui testes conscij illius delicti, quod inquirendum est. ratio est, quod tales literæ nullam prorsus infamiam faciunt, neque vllum indicium exhibent circa ea, quæ in ipsis denuntiantur, prout habetur in *cap. inquisitionis, de accusat. §. tertia dubitat.* ita Iol. Clat. *lib. 5. praxis, §. final. quæst. 5. num. 3.* Miranda *de ordin. iudicat. quæst. 8. art. 8.* Ghisler. *de Iud. reg. cap. 10. num. 65.* Rodriq. *tom. 2. quæst. 6. art. 10.* aliique apud Peyrinum *in formul. liter. P. cap. 16. n. 17.* addens Prælatum vi talium literarum non posse procedere contra subditum, neque iudicialiter, neque tanquam patrem: nisi aliunde aliquod aliud indicium habeat de delicto per dictas literas manifestato; quod tamen non puto ita facilè admittendum in Societat. Iesu, posita renunciatione illa, de qua diximos *sect. præcedent. quæst. 11.* præsertim si Superior ea notitia vtatur cautè ac prudenter monendo subditum de defectu taliter manifestato non absolutè, ac simpliciter, sed ex suppositione quod illum commiserit.

58. Porrò monet Peyrin. *num. 21.* quod cum iuxta doctrinam S. Thom. *2.2. q. 60. art. 4. ad 3.* duplex sit genus iudicij; aliud suppositirium, quo semper cogitamus id, quod est deterius, siue in nostris, siue in alienis rebus, vt sic securius, & efficacius remedium applicemus; & aliud definitiuum, quo aliena facta interpretamur in meliorem partem; si Prælato regulari per dictas literas, aut aliter significetur aliquod delictum fuisse commissum ab aliquo ex suis subditis: potest supponere illud esse verum, non tamen credendo illud, aut malam opinionem concipiendo de subdito, sed solum applicando opportuna remedia, ac si delictum esset verum: cum debita tamen circumspectione, & cautela, ne aliàs appositio remediorum cedat in dedecus, ac infamiam subditi; quod est facere iudicium suppositirium, non autem definitiuum.

QVÆRES XIV. An ad procedendum per modum inquisitionis specialis sufficiat infamia orta, postquam reus detrusus est in carcerem.

59. Respond. non sufficere; & patet, quia ex ipsa detrusione in carcerem gignitur infamia talis delicti. ita Sanch. *sup. disp. 26. num.* pro se citans Nauar. *cap. inter vera corol. 61. num. 691.*

QVÆRES XV. An Prælatus regularis possit procedere ad inquisitionem specialem solùm ex denuntiatione alicuius priuati, aut querela partis læsæ, quæ tamen renuit suscipere onus probandi.

60. Respond. quod, quamuis demos id posse concedi Iudicibus sæcularibus ob rationes adductas à Lessio *l. 2. c. 29. d. 15.* id admittente, tanquam probabile cum Bartolo, & aliis Iurisconsultis; id tamen non potest, nec debet admitti de Iudicibus Ecclesiasticis, & consequenter neque de Regularibus: cum Canones, quibus prohibentur Iudices procedere ad specialem inquisitionem absque præuia infamia, expressè loquantur de iudicibus Ecclesiasticis, vt aduertit idem Lessius *n. 140.* addens præfatos Canones extendi posse, etiam ad Iudices sæculares, si inquisitio eorum tendat solùm ad punitionem delicti. Quamquam aliqui putent dictos Canones in iudiciis sæcularibus, vel nunquam moribus fuisse receptos, vel postea contraria consuetudine abrogatos; vnde, cum in casibus hic propositis non præcedat vlla infamia: consequenter in iis Prælati regulares non poterunt procedere ad specialem inquisitionem; quod erat probandum.

QVÆRES XVI. An casu, quo Prælatus regularis tempore visitationis, aut alio contra ius à Religioso subdito extorserit aliquod delictum, possit ex eo contra ipsum procedere in iudicio.

61. Respond. non posse, siue modo dicto extorserit à reo, siue à teste; & hoc, siue extorserit per metum grauem, siue etiam absque metu graui, sed per iniustas interrogationes factas reo ignoranti illarum iniustitiam, ita Sanchez *supr. d. 39. num. 1. & 5.* cum Caietano, Syluest. Soto, aliisque recentioribus Magistris & probatur, quia ex vna parte cum causa fuerit iniusta, debet annullari quidquid ex ea sequitur *l. non dubium, C. de legibus, l. fin. ff. de constit. pecun.* ex alia parte iniuriam faciens tenetur eam corrigere, & læso satisfacere, non autem iniuriam continuare: quod non potest præstare iudex, nisi cesset à prosecutione talis causæ; dissentit Nauar. *supr. num. 687.* docens vniuersaliter iudicem, qui per iniustas interrogationes aliquid extorsit à reo, posse ex tali cognitione procedere: quod item admittit Petr. Nauar. *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 143.* de iudice inferiori, non item de supremo.

62. Respond. concedit tamen Sanch. *num. 8.* & benè, quod si Iudice iustè interrogante testes malè detegant aliquod delictum Rei: potest iudex procedere ex tali cognitione, cum sic nullam irrogauerit iniuriam; quod locum haberet etiam in casu, quo iniustitia se teneret, non ex parte iudicis, sed alterius: vt si quis minis extorqueat à Titio, quod Caium occiderit, & testes quibus Titius conuinci possit, & tandem illum deferat ad iudicium; idque tum ob rationem modò adductam: tum quia non debet iniquitas huius, vel illius nocere iustitiæ, & hono communi.

Qværes XVII. Quæ praxis, & solemnitas
63. inter Regulares seruari debeat in via Inquisitionis,

Respond. Quod, cum Prælatus regularis supposita sufficienti infamia delicti, de quo inquirendum est, & notitia ipsius infamiæ, procedere possit ad inquisitionem specialem de subdito; & hæc debeat esse sufficienter iuridica, ita vt faciat publicam fidem (quamuis aliàs iuxta dicta *q. 2.* non requirat omnes iuris subtilitates) cuiusmodi sunt citatio die non feriata, libelli porrectio in scriptis, longæ dilationes, receptio testium post publicatas attestationes, prolatio sententiæ sedendo, & alia id genus): in via inquisitionis seruari debent ea, quæ sunt de iure diuino, & naturali: qualia sunt congruæ dilationes, legitimæ exceptiones, traditio dictorum testium, citatio partium ad sententiam, & similia. Hine primò constituendus est Notarius, seu Secretarius, qui omnes actus inquisitionis fideliter conscribat, eisque vnà cum ipso Prælato subscribat: secundò formatis articulis, & capitulis pro interrogatorio testium, hi iuxta illos interrogari debent clarè, ac distinctè: tertiò formato processu, seu informatione procedendum est vlterius iuxta merita causæ resultantia ex interrogationibus testium; quod si nullus testis condemnet reum de delicto, ita vt inde habeatur saltem semiplena probatio; non potest reus interrogari, sed vlterius inquirendum est ab aliis testibus, aut certè vltra procedendum: quamquam Suarez *num. supr. 30.* censeat sufficere infamiam probatam ad hoc vt reus citari possit, ac interrogari: præsertim si accedant indicia grauia; sicque existente semiplena probatione, siue ex testibus, siue ex iudiciis, siue ex probata infamia citandus est reus, debetque sub iuramento interrogari de veritate, manifestatis ei prius testimoniis, & probationibus vnà cum delicto, quod ei obiicitur (tacitis tamen testium nominibus) idque legendo coram eo processum, non item dando ei illius transumptum; quartò sumpta confessione à reo, si quidem delictum fateatur, potest in rigore ferri statim contra illum sententia: mitiùs tamen agendo cum eo, dandus est ipsi terminus, vt afferat excusationem, si quam habet, saltem diminutiuam delicti, si verò neget delictum, procedendum vlterius est ad ipsum conuincendum, tam ratificando priora testimonia, quam illa de nouo examinando; si necessarium iudicetur ad moralem certitudinem veritatis: quin etiam addi potest tortura, si reus sit semiplenè, non tamen planè conuictus, & adhuc neget delictum, grauitásque delicti id exigat (modo tamen conueniente statui, & consuetudini Religiosorum, vt per strictiorem carcerem, humicubationem, strictiora ieiunia, &c.) quinto si reus in tormentis adhuc veritatem neget, absoluendus est: si verò confiteatur, & quidem etiam postea ratificando confessionem extra tormenta (quod omnino est necessarium) procedi debet ad ferendam sententiam, siue viua voce, siue in scriptis; dummodò ad illam audiendam citetur reus, & præcedat debita examinatio probationum; num scilicet reus sit plenè conuictus, nom indicia sint leuia, vel grauia, quæ testium qualitates sint, quæ defensiones Rei, quæ executiones, quæ exceptiones, &c.

Verum tamen est, quod si reus ante prolationem sententiæ velit se defendere, potest deputare aliquem Religiosum in suum Procuratorem, qui ipsius defensionem suscipiat: idque iuxta Clement. *religiosus, de procurat.* præterea si velit aliquos testes producere in sui defensionem, concedendus est ei terminus ad hoc necessarius, dictique testes examinandi sunt iuxta præscriptum ordinem; imò, si petat transumptum probationum ad maiorem sui defensionem: posset ei tradi; quamuis id non sit necessarium; sicut & possent ei detegi nomina testium, si ea peteret, dummodo id fieret absque graui eorum præiudicio. 64.

Qværes XVIII. An, quando in iudicio proceditur via inquisitionis, infligenda sit reo pœna integra, aut certè moltò mitior.

Respond. infligendam esse pœnam mitiorem prudenti arbitrio iudicis, & quidem habita ratione delicti, & personæ delinquentis; cùm enim in tali modo iudicij, reus neque accusatus sit ab aliquo, neque ipse confessus sit suum delictum, iura volunt, vt iudex prudenti arbitrio pœnam moderetur: præterquam quod hic locum habet solum vindicta publica, non item satisfactio priuata. ita Syluest. *v. inquisitio 1. q. vlt.* Ant. Gom. *n. 3. var. cap. 1. n. 51.* Suarez *supr. n. 33.* Sanch. *lib. 6. cons. 3. d. 40.* 65.

De modo procedendi per viam Denuntiationis iudicialis.

66 *Explicatur, quid sit Denuntiatio.*
67 *Ea est triplex, nempe iudicialis, euangelica, & canonica.*
68 *Ordinatur ad punitionem per accidens: sicq; non tenetur denuntiare eum, qui scit suum delictum tibi soli esse notum, aut cuius furtum apud te retines, quod præcipitur denuntiari.*
69 *Denuntiatio iudicialis fit absque infamia.*
70 *Non semper ei præmitti debet correptio fraterna.*
71 *Hac non præmissa, admittitur solum Denuntiatio paterna.*
72 *Denuntians vt Patri, non cogitur postea denuntiare, vt Iudici.*
73 *Religiosi iudicialiter denuntiant in causa sanguinis.*
74 *Interdum tenentur iudicialiter denuntiare, quod non possunt probare.*
75 *Denuntiator aliquando est testis.*

76 *Non denuntiandus iudicialiter, qui iam est emendatus.*

77 *Denuntiatus iudicialiter non semper punitur pœna publica.*

78 *Proponitur praxis iudicialis Denunciationis seruanda inter Regulares.*

79 *Non ita facilè præcipienda Reo delicti confessio sub excommunicatione: emendatio fratris curanda sine correptione iudiciali.*

66. QVÆRES XIX. Quid sit denuntiatio.
Respond. definiri posse, quod sit manifestatio delicti facta Superiori ad effectum, vt remedium, aut correctionem, vel pœnam ex officio adhibeat.

QVÆRES XX. Quotuplex sit denuntiatio.

67. Respond. esse triplicem; nimirum Euangelicam, iudicialem, & canonicam; Euangelica est illa, quæ fit Superiori ad solam correctionem, ac emendationem delinquentis denuntiati; ideoque dicitur fieri Superiori tanquam patri: Iudicialis est, quæ fit Iudici, & ordinatur ad satisfactionem, & recompensam, fitque secundum formam iuris: Canonica est, quæ fit Superiori ad impedienda mala, & damna ex delicto procedentia, siue in malum publicum, siue in damnum tertiæ personæ; diciturque canonica, eò quod iure canonico inuenta fit, cuius est obstare omnibus peccatis, & damnis animarum.

QVÆRES XXI. An, & quo modo denuntiatio iuridica ordinetur ad punitionem, & vindictam publicam.

68. Respond. quod, quamuis nulla dictarum denuntiationum per se, & ex natura sua ordinetur ad punitionem, & vindictam publicam (quo modo ordinatur accusatio) ad eam tamen per accidens ordinari potest ob incorrigibilitatem denuntiati, ob mali grauitatem, quod nequeat aliter impediri, & ob alias causas, quæ hîc, & nunc possunt emergere, ita Sanch. *supr. cap. 2. in proœmio, num. 3.* monens quod, licèt tria illa genera denuntiationum sint distincta, interdum tamen coincidunt, ita vt eadem denuntiatio sit Euangelica, quoad emendam, & canonica, quoad vitanda damna.

QVÆRES XXII. An, vt fiat denuntiatio iudicialis, necesse sit, quod præcedat infamia delicti denuntiandi.

69. Respond. non esse; & probatur, tum ex *cap. inquisitionis, & cap. qualiter, & quando, de accusat.* tum quia in via Inquisitionis ideo requiritur infamia, vt suppleat vicem accusatoris: hic autem non adest talis necessitas; cum denuntiator sustineat vicem accusatoris, quamuis non omninò suscipiat totum onus illius, quippe qui non ita obligatur ad probandum, sicut accusator. ita Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 10. cap. 12. num. 35.* & cum illo Lezana *tom. 1. cap. 27. num. 19.* addens ex Thoma de Iesu, quod si præcedat infamia, tunc multo magis denuntiari debent delicta.

Et hoc puto procedere tum in casu, quo Regularis apud se haberet rem surreptam à fure, & præciperetur denuntiatio talis furti; cum sic denunciare nequeat absque suo damno, quippe qui etsi bona fide acceperit rem illam, erit suspectus de furto, sicque hoc denuntians se proderet: tum in casu, quo Prælatus præcipiens aliquid sibi denuntiari fundetur in præsumptione, quam tu scis esse falsam: sic namque cessat præsumptio, & finis talis præcepti. ita Lezana *supr. num. 15. & 16. aliq relati.*

Notat Lezana *v. accusator, num. 14.* cum Sayro *lib. 12. Clau. Reg. cap. 14. num 26.* & Portello *v. denuntiatio, num. 26.* quod si Prælatus regularis præcipiat denuntiari delictum, quod delinquens scit tibi solùm esse cognitum, non teneris illud denuntiare; nisi sit contra bonum commune, aut graue damnum tertij: aliàs enim si denunties, te exponis periculo magnæ inimicitiæ, ac iræ oriundæ inter te, & delinquentem: cui damno solum cedi debet ob bonum commune, aut graue malum tertij.

QVÆRES XXIII. An, & quando secreta monitio, seu correctio fraterna debeat præcedere denunciationem iudicialem.

Respond. cum distinctione; vel peccatum est publicum, siue in damnum aliorum, siue non: vel est secretum, sed contra bonum publicum; vel est occultum, & in damnum tertiæ personæ priuatæ pendens in futurum: vel denique est secretum, & solùm in damnum ipsiusmet delinquentis. si primum, potest peccatum denuntiari absque præuia monitione; cum per illud facta sit iniuria Reipublicæ ob scandalum, ac malum exemplum, ideoque non sufficiat emendatio delinquentis (ad quam ordinatur correctio) sed requiratur etiam publica satisfactio, *cap. sed illud, d. 45. cap. si peccauerit 2. quæst.* 1. si secundum, denunciandum est peccatum statim sine præuia monitione; si quidem periculum est maximum, ac commune; & in similibus delictis communitet non spectatur emenda per secretam monitionem; bonumque commune præferendum est famæ proximi, quæ est bonum particulare: Si tertium, tenetur denuntians priùs secretò corrigere delinquentem, si est spes certa emendationis: sin minùs denunciet Superiori, si potest absque suo damno; quippe tenemur eripere Proximum à periculo, si possumus; &, si sequitur damnum delinquentis, melior est conditio patientis iniuriam. Si quartum, eodem modo secretò corrigendus est delinquens, si speretur eius emenda, sin minùs statim denunciandus; semper enim fama Proximi seruanda est, si seruari possit absque damno animæ: ita Sanchez *supr. d. 5* aliique plures apud ipsum; qui benè monet *num. 10.* in delictis secretis, ac perniciosis detegendis cauendum esse, vt quam minimum fieri possit, famæ Proximi dispendiu detegantur: ideoque si damna publica, aut priuata vitari possint, ea reuelando in genere, non esse reuelanda in particulari: & quidem etiam non reuelata persona, si sufficiat reuelare crimen, aut aliter vitari possint damna. Vnde & ponderandum est damnum sequens delinquenti ex infamia, & damnum, quod ipse vult inferre alteri; &, si illud sit magnum, hoc autem leue, non debet denuntiari delinquens; cum maiori malo obuiandum sit; licet aliàs alioqui melior sit conditio innocentis. 70.

Hinc Peyrin. *in formul. lit. D. cap. 2. num. 8.* notat Prælatum, antequam admittat denuntiationem iuridicam (à quacumque persona illa fiat) debere inquirere à denuntiante, num per se, aut per alium præmiserit correctionem fraternam: &, si reperiat eum non præmisisse, non debere admittere denuntiationem iuridicam; sed solùm Euangelicam, idque ne alias aperiatur aditus malignis, & calumniatoribus, qui etiam in Religionibus interdum reperiuntur; quin ait Gbissler. *de iud. regul. cap. 16. num. 68.* denuntiantem debere modo dicto interrogari, etiam præstito iuramento, vt sic tanto strictius compellatur dicere veritatem. 71.

QVÆRES XXIV. An, & quando fieri possit transitus à denuntiatione paterna ad iudicialem.

Respond. non posse, nisi in casibus propositis *sect. præcedenti quæst.* 27. Vnum hîc moneo, quod quando 72.

quando Prælato regulari denuntiatur delictum fratris vt patri; non potest Prælatus subdito denuntianti præcipere, vt, quod sibi dixit tanquam patri, dicat vt iudici, vel vt tollat obligationem secreti; si enim frequenter id faciat, terrebit subditos, ne ad illum vt Patrem audeant accedere; præterquam quod nulla adest ratio præcipiendi denuntiationem iudicialem; cum supponamus delictum esse occultum, & nemini nociuum, nisi ipsi peccanti, necnon adhibitam fuisse omnem diligentiam ad secretam delinquentis emendationem; sicque inutilis sit denuntiatio iudicialis; cum per eam progrediendum non sit ad punitionem, nec cogi possit subditus, vt ob hunc finem tantum iudicialiter denuntiet in talibus delictis. ita Suarez *supr. num.* 43. addens idem dicendum etiam in casu, quo delictum probari possit in iudicio nemini tamen sit nociuum: idque ob rationem modò adductam.

QVÆRES XXV. An Regulares possint denuntiare iuridicè, ac iudicialiter, etiam in causa sanguinis.

73. Respond. posse, imò & teneri; non obstante *cap. sententiam, ne clerici, vel monachi*, prohibente Clericis, ne immisceant se in causa sanguinis: siquidem delictum quod denunciatur, sit in graue damnum Reipublicæ, aut alicuius priuati, & denuncians præmittat potestationem se non intendere mortem, aut mutilationem, sed solùm vitare damna. ratio est, quod obligatio denunciandi in talibus casibus est de iure naturali, eique potest accedere præceptum Superioris, vt tempore visitationis; nec est periculum incurrendæ irregularitatis; cum ius eximens in causa propria extendatur iure naturali, etiam ad causas proximorum, in quibus agitur de vitando damno ipsorum. ita Sanchez *supr. d.* 10. ex Armilla, & Couar. notans id intelligi, quando aliter, quam per denuntiationem iuridicam illi malo obuiari non possit; & hoc, vti diximus *quæst.* 23.

QVÆRES XXVI. An Regulares teneantur iudicialiter denunciare delicta, quę non possunt probare.

74. Respond. teneri, si adsit præceptum Superioris, aut aliunde vrgeat obligatio denuntiandi; & ratio est, quod denuntians vt sic non suscipit in se onus probandi delictum, quod denuntiat, nec tenetur illud denuntiare; & quidem meritò, ne alioqui plura delicta grauia in Religionibus transeant impunita, eo quod nemo audeat illa denuotiare ex timore, quod non possit ea sufficienter probare. ita Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 4. *art.* 3. *sub medium*, Bañez 2. 2. *quæst.* 33. *a.* 8. *d.* 3. Lezana *supr. num.* 20. Thom. de Iesu *de visitat. regul. tract.* 1. *cap.* 16. *num* 13. & alij.

Vtrum verò denuntiator possit esse testis contra delinquentem à se denuntiatum, vt sic procedatur ad punitionem.

75. Respond. quod, cum denuntiator non procuret vindictam delinquentis, sed correctionem, vtique potest esse & testis, si procedatur, non ad punitionem integram, prout qualitas delicti petit, sed ad aliquam punitionem, quæ sit delinquenti pœna, & aliis cedat in bonum exemplum. ratio est, quia ad hunc procedendi modum, & ad hanc pœnam temperatam non requiritur tam exacta probatio: sicut quando proceditur via accusationis ad integram pœnam. ita Nauarr. *cap.* 25. *num.* 33. Sotus *supr. quæst.* 6. *art.* 2. *concl.* 4. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *supr. d.* 13.

QVÆRES XXVII. An Regulares teneantur denunciare iudicialiter eum, quem se iam esse emendatum de delicto, quod posset denuntiari.

Respond. non teneri ob dicta *sect. præced. quæst.* 22. 76.
Moueo hic vnum ex Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 6. *art.* 6. quod, quamuis delinquens ad correctionem fraternam ipsi factam non omninò resipult, si subsit spes probabilis fore, vt per aliam correctionem plenè emendetur, non debet, nec potest iudicialiter denuntiari, sed iterum corripiendus est fraternè, adhibitis omnibus mediis, quæ hic, & nunc videntur conferre posse ad eius emendationem.

QVÆRES XXVIII. An Prælatus regularis vi denuntiationis iudicialis possit punire subditum denuntiatum, pœna, etiam publica.

Respond non posse, nisi delictum, quod denuntiatum est, sit publicum, aut reus laboret infamia, aut contra eum sit semiplena probatio, vel indicia sufficientia: si enim nihil horum adsit, & subditus denuntiatus pertinaciter neget delictum, non potest Prælatus illum publicè punire: cum sic delictum sit occultum, quamuis probabile, nullumque scandalum generauerit, ex quo postuletur publica satisfactio, sicque talis pœna non spectet ad bonum commune; vt aduertit Suarez *num.* 38. addens tamen posse Prælatum in tali casu monere reum denuntiatum, imò & seuerè reprehendere pro qualitate semiplenæ probationis, aliquam etiam correctionem secretam adhibendo ad terrorem, & medicinam in futurum, non item in vindictam, vt diximus *sect. præced. quæst.* 28. Quod si reus denuntiatus iuridicè recognoscat suum delictum, & promittat emendationem, ac satisfactionem; nec ipse potest puoire publicè, potest tamen puniri occultè in medicinam præseruatiuam. 77.

QVÆRES XXIX. Quæ, & qualis inter Regulares esse debeat praxis denuntiationis iudicialis.

Respond. subditos quidem debere deferre delictum fratris ad Superiorem (præmissa tamen correctione fraterna) declarando se illud deferre, tanquam ad Iudicem; Superiorem verò, admissa denuntiatione, debere diligentiùs examinare qualitates personæ tam denunciantis, quàm denuntiatæ; num præmissa sit correctio fraterna, necne; num delictum sit publicum, vel occultum, & similia; his bene perpensis debet Superior vocare ad se subditum denuntiatum, & agere cum eo de emendatione; si autem vel recognoscit delictum, & promittit emendationem, ac satisfactionem; sicque non potest puniri, nisi pœna secreta in medicinam (vti diximus *quæst. præcedenti*:) vel pertinaciter negat delictum; & tunc Superior debet adhibere vnum, aut duos testes ad eum conuincendum, modo delictum non sit omninò occultum (& quidem eos, quos (vt suppono) adhibuit denuntians in facienda correctione ante denuntiationem, ne aliàs infamia vlteriùs crescat) sin minùs, duos viros graues, & coram ipsis grauiùs subditum reprehendere, ac minis terrere; si quidem Superior hæc omnia præstare potest, & propter spirituale bonum subditi, illa qualiscumque infamia permitti potest; intellige, si occurrant aliqua vehementia indicia, de quibus certò constare potest, aut certè denuntians sit tantæ fidei, integritatis, & auctoritatis, vt faciat magnam probabilitatem: idque ob periculum calumniæ, quod esse potest, & ne fortè innocens amplius infametur. Quod si subditus post totam hanc diligentiam adhuc pertinaciter neget delictum, nec possit conuinci; vtique non potest procedi ad inquirendum amplius de eo, si non laboret infamia, nec publicè potest puniri, sed solùm aliqua correctione secreta tendente ad eius emendationem. Quod si subditus duplici testimonio conuictus 78.

uictus nihilominus neget delictum pertinaciter, aut, si illud recognoscit, non offert debitam satisfactionem, aut emendationem; imò etiam defendit delictum, indicans se in peius ruiturum, si cum eo asperius agatur: poterit Prælatus sub excommunicatione latæ sententiæ præcipere subdito reo, vt fateatur veritatem, debitamque satisfactionem offerat, & acceptet, si delictum confitetur: quo casu incurret reus excommunicationem, si non obediat; cum Superior habeat ius cogendi subditum ad emendationem per media instituta ab Ecclesia, & insinuata à Christo, cuiusmodi est excommunicatio. ita Suarez *supr. num.* 37. 38. & 39. addens *n.* 40. in præsenti casu Prælatum posse punire subditum, etiam in vindictam delicti commissi; cum in tali foro, ac modo procedendi fuerit ab eo conuictus: non tamen pœna publica, nisi ad commune bonum id necessarium iudicetur: quamquam tunc necesse sit facere transitum à via denuntiationis ad viam accusationis, denuntiatore, aut alio fiscali tanquam ministro publico sumente munus Accusatoris, & formante processum, sicut in via accusationis.

79\. Monet tamen Suarez *num.* 39. quòd si in casu proposito inflictio excommunicationis non sit necessaria ad bonum commune, nec iudicetur profutura ad emendationem Rei incorrigibilis; non apparet, qua ratione honesta ea possit infligi; quin potius id videtur repugnare charitati, quatenus augetur reo periculum grauiùs peccandi sine spe fructus; quamuis, cum moraliter vix possit desperari vterque fructus (siquidem vexatio dat intellectum) possit Prælatus tentare hoc medium: præsertim cum possit auferre censuram, si viderit nocere potius, quàm prodesse.

Reliqua quæ hic dici possent de denuntiatione iudiciali, colligi possunt ex dictis *sect. praced.* de denuntiatione paterna, ideóque non est, cur immoremur in hoc loco repetendis. Vnum tantum hic aduerto (& est bene notandum) quod, cum finis correctionis fraternæ sit sola emendatio fratris, omnia priùs tentari debent, vt frater sine correptione iudiciali emendetur.

De modo procedendi per viam Accusationis.

80 *Explicatur quid sit Accusatio iudicialis: hæc fieri nequit nomine alieno; &, si delictum est publicum, potest quilibet pro eo accusationem deferre.*

81 *Ad accusationem sex requiruntur, quæ enumerantur.*

82 *Ea potest institui, non procedente infamia, & nulla præmissa correptione fraterna.*

83 *Admittitur inter Religiosos, sed non frequenter: totus Conuentus in aliquo casu potest accusari, imò puniri: item Officiales possunt, durante officio, accusari, sed non semper.*

84 *Non accusatur delictum, quod non potest probari.*

85 *Accusator non potest esse simul testis.*

86 *Semel accusatus de eodem delicto, non iterum accusatur.*

87 *Regulares rarò accusantur à laicis.*

88 *Inter Regulares potest aboleri Accusatio, sed non semper; idq; desistente Religioso actore ad consulendum famæ Rei Correligiosi: & fingendo externum sibi restituisse rem à Correligioso surreptam, ac restitutam (adhibita æquiuocatione:) quod procedit, etsi fiat inquisitio specialis: Index Regularis interdum debet reijcere accusationem factam contra Religiosos: Accusatore mortuo, potest alius accusationem prosequi, sed non semper: etsi accusatus probetur obijsse, Iudex non debet vlterius procedere, præterquam contra delicta aliqua excepta: reus item confessus, si ante executionem sententiæ obit, non punitur in proprio cadauere.*

89 *Accusatus interdum licitè curat, vt desistatur ab accusatione.*

90 *Proponitur praxis Accusationis inter Regulares seruanda.*

QVÆRES XXX. Quid sit propriè Accusatio, & ad quem finem ordinetur.

Respond. esse delationem Rei de crimine ad vindictam publicam libello factam ad Superiorem competentem: vt ex punitione vnius Rei cæteri omnes ab huiusmodi delictis abstineant. est communis Doctorum. 80

Notat autem Clarus *lib.* 5. *pract.* §. *fin. quæst.* 14. ex communi sensu Iuristarum, non posse quem regulariter accusare nomine alieno, adeóque Syndicum Vniuersitatis non posse quem accusare nomine syndicario, sed debere accusare suo nomine, ad bonum tamen Vniuersitatis: idque procedere etiam de tutore respectu pupilli: quamquam Bald. *in l.* 1. *n.* 35. *C. de accusat.* putet indistinctè Syndicum Vniuersitatis posse in iudicio capitali comparere pro ipsa Vniuersitate, tam accusando, quàm defendendo: idque ex communi opinione Doctorum, quam Clarus ait sibi magis placere, & videri approbatam consuetudine, addens, sublata iam pœna talionis, se non videre, cur Vniuersitas non possit accusare per Syndicum, aut Procuratorem, sicut potest quilibet alius.

Addit Clarus *supr. quæst.* 17. siquidem crimen est publicum, vnumquemque posse pro eo accusationem deferre: non item, si est priuatum: tune enim admittitur ad accusandum, regulariter loquendo, solum is, cuius interest: etsi interdum ratione publicæ vtilitatis ius permittat, quòd etiam pro crimine priuato quilibet possit accusare: vt patet de tutore suspecto, qui potestà quolibet accusari; ex *Instit. de suspect. tut.* §. *consequens*; cum tamen hoc sit crimen priuatum; teste Salicero *in l. cum rationibus, C. qui accus. non poss.* Præterquam quòd de iure canonico omnia crimina sunt publica, vt notat Gloss. *in cap. infames, v. fures* 6. *quæst.* 1. sicque hodie titulus de delictis priuatis non est in vsu. Delicta autem publica sunt læsæ maiestatis, adulterium, homicidium, parricidium, peculatus, falsum testamentum, vis publica, aut priuata, repetundarum, annonæ; omne delictum, quod principaliter fit in offensam Dei, aut Principis; priuata verò delicta sunt furtum, damnum, iniuria, arborum furtim cæsarum, bonorum raptorum, Gomez *cap.* 1. *delictorum*, & cum eo Clarus *lib.* 5. *pract.* §. 1.

QVÆRES XXXI. Quot, & quæ requirantur ad accusationem propriè dictam.

Respond. requiri sex; nimirum 1. vt fiat in scriptis: 2. vt exprimatur dies, & annus, quo intentatur: 3. nomen accusatoris, & accusati: 4. species delicti: 5. locus, & tempus, nempe annus, & mensis, quo delictum fuit commissum (imò etiam dies, & hora, si reus velit) quod aduertit Lessius *lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 5. ex communi Doctorum: 6. inscriptio accusantis. & hæc de iure communi; vt colligitur ex *l. libellorum* 3 §. 1. *ff. de accusat.* Vbi notat Suar. *tom.* 4 *de relig. tractat.* 10. *lib.* 10. *cap.* 12. *num.* 45. quod, licet Regulares in suis iudiciis non teneantur ad omnes solemnis 81

solemnitates iuris; quod tamen accusatio fiat in scriptis per Notarium, est solemnitas maximè substantialis, ideóque omninò seruanda est; eum, teste S. Thoma 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 2. id sit moraliter necessarium, vt constet, quid accusator probare teneatur.

QVÆRES XXXII. An possit procedi via accusationis, etiamsi non præcedat infamia, etiam non præmissa correctione fraterna.

82. Respond. posse; & quidem, quod non sit necesse præcedere infamiam, probatur, tum *ex cap. qualiter, & quando, el 2. de accusat.* vbi dicitur: *Sicut ante denunciationem precedit charitatiua monitio, & ante inquisitionem precedit clamorosa insinuatio, ita ante accusationem legitima debet precedere inscriptio:* quod est supponere ad accusationem non requiri infamiam: tum, quia eatenus in via inquisitionis requiritur infamia, quatenus ea debet supplere vicem accusatoris; in nostro autem casu adest verus, & formalis accusator. Quod verò non sit necessariò præmittenda fraterna correctio, patet, quia accusatio non ordinatur ad emendationem fratris, sed ad iustam vindictam; quamquam Less. *supr n.* 10. 12. Nauarr. *lib.* 2. *de rest. cap.* 4. *num.* 450. 451. 2. *editione*, Castr. Pal. *tract.* 6. *D. part.* 15. *num.* 3. & alij limitent istam doctrinam, asserentes non esse quidem præmittendam correctionem fraternam ex iustitia, quando delictum est probabile, esse tamen præmittendam ex charitate, si credatur fratrem emendandum priuatis monitis; intellige certò: vnde ait Lessius *num.* 13. *Itaq; in huiusmodi nisi certò constet periculum caueri posse priuata monitione, non est adhibenda: si quidem in re tanti momenti eligendum quod est tutius*, nobiscum sentit Suar. *supr. num.* 48.

QVÆRES XXXIII. An deceat Regulares procedere via accusationis.

83. Respond. Suar. *vbi suprà* quod, quamuis hæc via in Religionibus sit minus vsitata; non tamen omninò excluditur: cum Religiosus affectus iniuria possit iniuriantem deferre apud Superiorem non solùm sine iniustitia (vt patet) sed etiam sine peccato contra charitatem; si id faciat, non ex odio, sed ex affectu Religionis, ne tales iniuriæ in ea introducantur vel ex affectu proprij commodi, nempe iusti honoris, aut boni nominis; quin etiam interdum potest id cadere sub obligationem; nimirum ne similes excessus inducantur in Religionem: idque ex communi sensu Theologorum 2. 2. *quæst.* 68. &, Canonistarum *in cap. nouit, de iudiciis*; quamquam, vt bene aduertit Sot. *relect. de teg. secr. memb.* 2. *q.* 5. *concl.* 1. cesset obligatio rigorosè accusandi, si per denunciationem sufficienter consuli possit communi bono. Vnde concludit Suar. quòd, licèt accusare ob vindictam, & in recompésationem proprij nocumenti sit periculosum (quamuis non per se malum) & regulariter alienũ ab his, qui statum Religionis profitentur, adeóque vitandum à religiosis: nihilominus, si accusatio legitimè fiat, debet Superior illam acceptare, & per Notarium scriptam eam recipere.

Quod si quæras, an totus Conuentus possit accusari, ac puniri criminaliter.

Respond. posse, si quotquot sunt in Conuentu, delinquant præmissa ad id publici consilij conuocatione, ac deliberatione. ita Abb. *in cap. dilectus, & 2. num.* 13. *de simon.* ex communi sententia, aliíque quos citat, & sequitur Clarus *lib.* 5. §. *fin. pract. quæst.* 16. monens, quod si omnes de Collegio, non præuia consilij deliberatione delinquant, tunc non punitur Collegium, sed ij, qui deliquerunt, tanquam singuli: sicque Veronæ fuisse practicatum à Prætore, qui processit contra Conuentum S. Francisci, eò quod eius Fratres occidissent quemdam Cremonensem ibi hospitantem; illos enim omnes fecit suspendi per eorum hortulanum minus grauatum in delicto, etsi essent plus quam 50.

Notat autem Clarus vniuersitatem, quæ deliquit vt vniuersitas puniri, modò adimendo priuilegia, ac iura ipsius, modò eius bona publicando, modo imponendo mulctam pecuniariam.

Addit Clarus *supra* Officiales, si committant delictum, pro quo à iure imposita est pœna priuationis officij, posse de eo accusari, ac condemnari etiam durante officio: alioqui lex imponeret pœnam, cui tempore condemnationis locus esse non posset. Secùs, si committant delictum, pro quo non est imposita pœna priuationis officij: tunc enim expectandum esset tempus Syndicatus; sicque fuisse obseruatum Florentiæ, & Castellis ait Amad. *de Syndic. num.* 34.

QVÆRES XXXIV. An liceat accusare delictum, quod quis non potest sufficienter probare.

Respond. non licere; & probatur, tum quia in hoc differt denunciator ab accusatore; quod iste tenetur probare delictum, quod defert; denunciator verò non: tum quia aliàs accusator infert iniuriam reo accusato, eius famam iniustè lædendo, seque exponendo pœnæ talionis. ita Sanch. *l.* 6. *consil. cap.* 1. *d.* 28. *num.* 1. ex S. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 19. §. 5. Aretinus *in pract. crimin. de accusat. cap.* 5. Portel. *de dub. regul. v. accusatio num.* 2. Lezana *tom.* 1. *cap.* 17. *num.* 24. & alij; inter quos Lezana ex Nauarro, & Aretino rectè notat, ad hoc vt accusator dici possit probasse delictum, & non esse calumniator sufficere, quod delictum probauerit simiplenè; videlicet per famam, aut per vnum testem integrum, aut per alia indicia iis æquiualentia: si quidem reus, intimata ei semiplena probatione, tenetur confiteri delictum Iudici interroganti, & Iudex potest illum punire. Imo Aretinus *supr.* Aldrete *l. de relig. discipl. cap.* 23. *num.* 5. & cum illis Lezana *supr.* docent hodie non puniri pœna talionis accusatorem, etiamsi nec semiplenè probet delictum, quod alteri obiicit (cum lex talionis non sit in vsu, nisi tantum respectu testis falsum iurantis in causa criminali; sicut notat Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 7. *art.* 8. addens, quoad inferendam istam pœna, standum esse consuetudini, ac legibus Regnorum, ac Prouinciarum) solere tamen puniri pœna minori, idque ne aliàs homines deterreantur ab accusando. Quin etiam censent Aldrete *supr. num.* 9. Aretinus *cap.* 7. & Lezana *loco citato*, nulla pœna puniendum esse accusatorem deficientem in probatione delicti, quod obiicit alteri: si probet se illud obiecisse bona fide, putando se habere iustam causam credendi illud ab illo altero fuisse commissum: nam verus calumniator est ille solùm, qui scienter, & mala fide obiicit falsa delicta. 84.

QVÆRES XXXV. An accusator possit etiam esse testis.

Respond. non posse: & probatur *ex cap. in omni negotio, de testibus* vbi per hoc destinguitur denunciator ab accusatore, quod ille potest esse testis, non item iste. ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 27. *num.* 24. ex Soto, & Nauarro. 85.

QVÆRES XXXVI. An liceat accusatum de aliquo delicto iterum accusare de eodem delicto. 86.

Respond. regulariter non licere, nisi illud iteret: exceptis tamen aliquibus easibus, quos refert Sylu. *v. accusatio quæst.* 10. ita Sanch. *supr. d.* 28. & patet, tum

ex

ex cap. de his, accusat. tum quia delictum voius hominis sæpius quæri non debet, leg. licet, ff. nauta, caupon. stabul. & 35. quæst. 9.

QVÆRES XXXVII. An Regulares accusari possint à laicis, & quando.

87. Respond. non posse, nisi in casu, quo suam, aut suorum iniuriam prosequantur. ita Lezana sup. n. 25. ex Alderete referens excommunicationem latæ sententiæ à Leone X. in fauorem Ordinis Prædicatorum prolatam contra Religiosos, qui alios eiusdem sui Ordinis ex quauis causa conueniant coram Iudice externo, imò & contra ipsum Iudicem, si admittat talem conuentionem. ratio responsionis est, quod accusator; & accusatus debent esse eiusdem fori; cum accusator iuxta sacros Canones teneatur ad pœnam talionis casu, quo defecerit in probatione criminis delati; & aliàs talis pœna à Iudice Regularium infligi non possit in laicos, aut clericos sæculares modo dicto deficientes contra Religiosum ab ipsis delatum: ex quo Rodriq. nobiscum sentiens supr. art. 7. colligit ob eadem rationem non posse Religiosum vnius Ordinis accusare Religiosum alterius Ordinis: quod tamen debet intelligi cum limitatione à nobis apposita in ipsa responsione, in quo casu si Religiosus accusator deficeret in probatione, puniendus esset, siue à proprio Superiore, siue à Prælato Religiosi accusati, cui Prælato Religiosus accusator fieret subditus ratione delicti: sicque inter dictos Superiores daretur locus præuentioni: vt euenit in delictis mixti fori.

QVÆRES XXXVIII. An Prælati regulares abolere possint accusationem coram ipsis factam aduersus Religiosum subditum, aut impedire accusatorem, ne illam prosequatur.

88. Respond. posse, si sint Prælati supremi (quales puto esse etiam Prouinciales, quoad suam prouinciam) & id faciant ex iusta causa, necnon citra scandalum, & accusatio facta sit à Religioso ipsis respectiuè subdito. Colligitur ex Sanch. lib. 6. consil. cap. 4. d. 1. num. 6. Rodriq. supr. art. 7. aliisque ab ipso Sanchez citatis, qui generaliter docent supremum Principem posse iusta de causa, & modò citra scandalum fiat, tum à principio abolere accusationem, tum impedire accusatorem, ne illam prosequatur: & hoc, siue accusatio sit de iniuria publica, siue de priuata, dummodò alia via restituantur damna, quæ fortè illata sunt accusatori; probanturque, quia Princeps supremus potest dispensare in lege, & potest euenire casus, in quo expediat, quod dispenset: vt si qui peritur damnandus morte, sit valde vtilis bono communi; negant tamen id posse fieri à Iudice inferiori, nisi fortè ex Epiicheia, eo quod non sit recursus ad Principem supremum, quæ doctrina sine dubio potest applicari proportionaliter ad præsentem casum, vt facilè constabit considerantti.

An autem in casu, quo Prælatus regularis inchoauit iudicium criminale de furto commisso intra suum Conuentum, & nondum de Reo constet in specie; possit Religiosus læsus, qui est actor, desistere ab actione, & consequenter Prælatus à prosequendo iudicio; idque ad consulendum famæ Religiosi, qui verè deliquit.

Respond posse, & actorem desistere ab actione, & Prælatum à iudicio. Docet, tum quia Caiet. Sotus, Palud. & Adriao. relati à Diana p. 2. tract. 25. resol. 63. iudicio ipsius Diana probabiliter sustinena Iudicem in casu, quo delictum est notorium, ac publicum, sed ignoratur eius Auctor; non posse inquirere, nec interrogate de dicto delicto, &, si inquirat, peccate; cum tunc per inquisitionem procedi debeat, quando de Auctore est fama, aut indicia, cap. cum oporteat, de accus. cap. inquisitionis, & cap. qualiter, & quando, eod. tit. (etsi alij probabiliùs oppositum sustineant apud eundem Dianam) tum quia Azorius part. 3. l. 13. cap. 10. d. 6. §. secundò tergiuersando, docet Accusatorem recedentem à lite in totum sine authoritate Iudicis in foro conscientiæ non peccare, si recedat ex causa rationabili; quia v. g. competit innocentem esse, quem accusauit, vel ex misericordia, pietate, vel charitate (quæ duæ doctrinæ omninò procedunt in nostro casu) vt constat ex ipsa eius propositione, adeòque probabilem faciunt præsentem responsionem, vt consideranti facilè patebit.

Quod si in hoc casu Religiosus Monasterij ad consulendum famæ Correligiosi furis curet, vt aliquis externus fingat apud Iudicē Regularem quemdam suum amicum se offerre ad restituendas Religioso læso res furto sublatas, sicque desistatur à iudicio: puto licitè hoc vtrumque fieri posse, adeóque non peccare nec Correligiosum id procurantem, nec amicum fingentem; dummodò is vtatur æquiuocatione. Moueor, tum quia Caiet. v. præuaricatio docet seclusa omni iniuria, pensandam esse rationem declinandi (idest, desistendi à prosequenda causa in iudicio) & secundum illam iudicandum esse, an præuaricatio sit mortalis: quod confirmant Tolet. l. 5. c. 57. fine, dicens accusatorem desistentem in media causa, quando negotium est proprium ipsius, non peccare, dummodò non vtatur mendaciis, aut periuriis: & Sà v. iudiciales actus, tit. de accusatore, n. 4. dicens accusatorem non posse desistere ab accusatione cum damno Reipublicæ; sicque à contrario sensu indicans eum cum posse desistere, si nullum damnum inde patiatur Respublica: quæ doctrinæ si benè adaptentur casui præsenti, vtique probant intentum: in casu autem suppono Religiosum furem per amicum illum fingentem restituere Correligioso res furto sublatas.

Et quidem, cum Doctores allegati à Diana supr. & Azorius relatus, vbi supra, indistinctè, ac generaliter dicant in casu proposito licitum esse desistere à iudicio: supra dicta procedunt; siue de furto commisso fiat inquisitio generalis, siue specialis, videlicet de eo, qui verè est fur.

Moneo hic vnum obiter Prælatos Regolares posse, & sæpè teneri non acceptare accusationem contra aliquos Religiosos, sed alia via debere satisfacere parti læsæ, seu procedere ad remedium; si credant ex accusatione secutura esse mala bono communi Ordinis noxia, seditiones, Monasteriorum turbationes, malam famam, seu infamiam Religiosorum, & similia. Patet, tum quia bonum commune debet præferri bono particulari: tum quia, etsi lex obliget ad acceptandam accusationem accusatoris, per Epicheiam in dictis casibus eredi potest non obligare. ita Lezana v. Index num. 8. ex Aragonio, Clavi regia, Fagund. & Cardin. de Lugo D. 37. de iustit. num. 74. monente posse in aliqua Religione prohiberi communi lege, aut ordinatione (si id necessarium iudicetur ad bonum commune) ne Prælati inferiores causas accusationis prosequantur, inconsulto Generali: quod confirmat Lezana addens item posse prohiberi, ne Prælati Religionum inferiores, inconsulto Generali, præfatas causas admittant; & doctrinam datam sub initium huius §. maximè procedere de Prælatis supremis quales sunt Generales, cum in iis principaliter sit ea potestas.

An autem Accusatore mortuo, possit aliquis alius prosequi accusationem.

Resp. posse, si compareat intra 30. dies; imò & post 30. dies, si velit de nuuo accusare principaliter, & per se

se, admitti intra tempus à iure accusationi præfixum. ita Bartol. in l. libellorum, §. fin. n. 6. ff. de accus. Gomez lib. delictorum, cap. 1. num. 36. & cum iis Clarus l. 5. pract. § fin. quæst. 51. monens ex Bart. Gand. & aliis accusatore desistente, posse Iudicem procedere, ex quacumque causa accusator desistat, ac processum finire: in iis tamen causis solùm, in quibus Iudex ab initio potuisset procedere ex officio.

Quod si allegetur, & probetur delinquentem obiisse; Iudex non debet ad vlteriora procedere; cum crimen, & pœna morte extinguantur, l. defuncto, ff. de publ. iud. nec mortuo accusato transeat accusatio in hæredes, l. 1. C. si reus, vel accusator mortuus fuerit. ita ex communi sententia Plaza l. 1. delict. cap. 38. num. 2. & cum eo Clarus supr. monens dari delicta excepta, in quibus etiam post mortem delinquentis procedi potest: cuiusmodi sunt hæresis, læsa Maiestas, & alia recensita à Gomez supr. n. 80. addente id procedere in omni casu, in quo imposita est à iure pœna amissionis bonorum; tunc enim procedi potest contra hæredes ad effectū confiscationis bonorum.

Addit Clarus, si reus de crimine confessus conuictus aut damnatus moriatur ante executionem etiam morte sibi ipsi illata, quoad pœnam corporalem non esse sæuiendum in eius cadauer, ipsum, v. g. suspendendo: aliàs id faciens tenetur iniuriarum.

QVÆRES XXXIX. An, & quando Regularis accusatus possit licitè petere ab accusatore, vt desistat ab accusatione.

89. Respond. posse, si crimen, de quo fuerat accusatus, erat in causa propria accusatoris: non item, si erat perniciosum Religioni, ideòque necessariò deferendum, vt consuleretur bono ipsius Religionis. desumitur responsio ex Sanch. sup. num. 4. & 5. & Soto l. 5. de iust. quæst. 5. art. 3. fine, docentibus reum accusatum peccare petendo ab accusatore, vt desistat ab accusatione, quando crimen, de quo erat accusatio, cedebat in damnum Reipublicæ, ac proinde necessariò deferri debebat ad Superiorem: secùs, si crimen erat in causa propria ipsius accusatoris; probant ex eo quod accusator in priori casu peccat desistendo ab accusatione, cum talis desistentia redundet in damnum Reipublicæ: in posteriori verò casu non peccat, cum quilibet possit cedere iuri suo, & remittere iniuriam sibi illatam. quæ doctrina benè potest aplicari ad casum præsentem, & probabit intentum; nisi quod inter Religiosos iniuria illata etiam particularibus frequentiùs censetur cedere in damnum Religionis, ideòque rarius contingit, quod ipsi possint desistere ab accusatione intenta etiam in causa propria: cum ij non possint iuri proprio cedere cum præiudicio Religionis; quod non ita frequenter contingit inter sæculares: dato autem quod Religiosi non possint desistere ab accusatione, neque Religiosus accusatus potest petere ab accusatore item Religioso, & quidem eiusdem Ordinis (vt hîc supponimus) quod desistat ab accusatione: cum hoc sit cooperari peccato illius, quod vtrique est peccatum.

QVÆRES XL. Quæ, & qualis inter Regulares debeat esse praxis procedendi via accusationis.

90. Respond. esse, quod accusatione scripta per Notarium, & formata cum debitis requisitis, ea recipiatur à Superiore, eaque recepta procedat in causa eodem ferè modo, quo q. 29. diximus procedendum esse via denunciationis iudicialis; nimirum citando reum accusatum, illumque interrogando, præmissa vt minimum semiplena probatione, sicque progrediendo vsque ad sententiam diffinitiuam; & hoc iuxta statuta & consuetudines vniuscuiusque Religionis: quæ quoad aliqua non sunt eiusdem rationis in omnibus Religionibus, sed aliquantulum diuersa ob priuilegium Bonifacij VII. relatum hîc quæst. 2. quo cōceditur Regularibus Prælatis, vt in causis suorum subditorum tractandis non teneantur seruare apices, & rimulas iuris, sed possint procedere secundùm consuetudines approbatas, & generalia statuta proprij Ordinis tam facta quàm facienda; quod maximè constabit ex mox dicendis de forma iudicij, quæ seruatur in Soc. Iesu, præsertim in expellendis suis Religiosis tam Professis, quàm non Professis.

Quę forma iudicij seruetur in Soc. Iesu.

QVÆRES XLI. An detur in Societate Iesu certa forma iudicij.

Respond. non dari, neque in via inquisitionis, neque in via denunciationis, neque in via accusationis: cùm nihil peculiare dispositum sit de ordine iudiciali, nec in Constitutionibus Societ. nec in bullis Pontificis, nisi quoad denunciandos procurantes dignitates (vt aduertit Suar. supr. cap. 33. n. 2.) imò, cum in septima Congregatione generali Patribus deputatis proposita fuisset forma iudicialis, vt videre est in decreto 94. censuit Congregatio eam pro tunc non esse firmandam vllo decreto, sed iudicio P. Generalis committendam, qui eam Prouincialibus communicaret, graniori aliqua necessitate id exigente. Ex quo videtur indicari pro singulis casibus formam iudicialem requirentibus non illicò adhibendam esse formam iuris communis (sicuti posset alicui videri hoc ipso, quod non adest in Societate peculiaris forma iudicij) sed recurrendum est ad Generalem. 91.

QVÆRES XLII. Quomodo possit iustificari consuetudo, quam habet Societas dimittendi aliquos ex suis Religiosis, nulla seruata forma iudiciali, sed ex sola priuata informatione, & interdum (vt dicunt) parte non audita.

Respond. quòd, cum talis dimissio fieri possit duobus modis; nimirum vel in pœnam delictorum (quo pacto dimissio est inuoluntaria ei, qui dimittitur, cum parum referat, quod reus repugnet, aut consentiat in pœnam, si illam meretur) vel propter alias causas, quæ reddunt personam inutilem huic Instituto, aut minùs vtilem tali Religioni, etiamsi non sint delicta, adeòque in toto vigore iustitiæ puniri non possunt (quomodo dimissio interdum fieri potest, inuito Religioso; sæpè verò fit ex consensu, & conuentione partium iuxta inferiùs dicenda;) si quidem dimissio fiat solùm in pœnam, tunc neque fit de facto, neque potest fieri legitimè, nisi seruato ordine regulari in iudicio ferendo de delicto, propter quod fit dimissio, sin minùs secundùm accidentia, saltem 92.

saltem secundum substantiam; si verò dimissio fiat, non in pœnam, sed in bonum Religionis, ipsoque Religioso non repugnante, sed potiùs consentiente: tunc non est necessarius vllus ordo iudicialis, sed sufficit quælibet informatio, quæ iuxta prudentiam censeretur proportionata ad alia grauia negotia. Primum probatur ex eo quod Constitutiones Societatis non disponunt, vt pœna dimissionis aliter imponatur, nec per indulta Pontificia quoad habet Societas aliquod speciale priuilegium: ergo debet seruare communem ordinem, quem recta ratio petit ad tales pœnas inferendas, estò non teneatur seruare rigorem iuris communis, vt iam diximus. Secundum patet, quia ad humanos contractus non est necessaria iuridica probatio, aut notitia: dimissio autem, quæ fit in posteriori euentu est velut quidam contractus, cum fiat ex communi consensu vtriusque partis, nempe Religionis, & Religiosi; præterquam quod in tali casu cessat omnis ratio iniuriæ, aut violentiæ. ita Suarez *supr. num.* 5. 6 & 7. satisque probabiliter.

93. Porrò notandum priorem partem huius responsionis præsertim habere locum in Professis: cum in aliis Religiosis Societatis dimissio nunquam sit ita pænalis, seu iudicialis, quin etiam sit conuentionalis, idest fundata in pacto, & conditione, sub qua Nouitius Societatis admittitur ad vota biennij, sicque recipitur in Societatem; nimirum, vt quando vel ipse meruerit, vel bonum Religionis ad suam indemnitatem poposcerit, expelli possit iuxta Societatis Constitutiones. vnde, vt iustè id fiat, nullus alius modus iudicij requiritur, nisi quem Constitutiones exigunt, & petit ius naturæ; videlicet quod certo constet de delicto, eiusque notitia exterius probari possit; cum enim tota iustitia huius pœnæ conuentionalis fundetur in conuentione iusta, etiam modus exactionis ex conuentione debet regulari; sicque erit iustus, si fuerit ei conformis, vtpote aliàs non continens vllam intrinsecam iniquitatem. ita Suar. *num.* 8.

94. Modus autem seruandus in dimissione Religiosorum Societatis non professorum consistit, tum in eo, quod causa dimissionis sit sufficienter iustificata, tum vt de iustitia talis causæ sit sufficiens, & moraliter certa notitia apud Superiorem; ad primum spectat, vt Religiosus semel, ac iterum monitus de delicto, & emendatione se ostendat incorrigibilem, aut certè spem moralem non afferat emendationis, & per consequens vtilitatis ad ministeria Societatis, quamquam posset interdum contingere committi delictum adeò enorme, vt vi illius statim procedi posset ad dimissionem ad vitandam infamiam Societatis, vel etiam quod vix posset concipi spes de securitate talis personæ, & aptitudine ad Institutum Societatis; ad secundum spectat, vt non facilè credatur denuntiationi vnius, aut alterius: illudque in primis obseruandum, quod si delictum denuntietur Superiori vt patri, & si certissimè comprobetur, non procedat ad dimissionem, sed solùm ad emendationem Religiosi denuntiati; quippe quæ intenditur per talem denuntiationem.

95. Quod verò spectat ad Religiosos Societatis, qui dicuntur Coadiutores formati: putat Suarez *num.* 7. quod, sicut professi dictæ Societatis non possunt dimitti, nisi cogente causa omninò necessaria boni communis, aut iustitia id exigente (nempe ob delicta:) idque non nisi seruato ordine aliquo iudiciali iuxta supradicta; ita & hoc idem proportionaliter asserendum est de præfatis Coadiutoribus formatis; cum ij non sint vllo modo in probatione, sed suo modo in termino; vnde, quamuis Religio possit eos dimittere, etiam solutis votis; non tamen potest id facere quasi ex conuentione, aut pacto cum illis, sed solùm ex causa adeo vrgente, vt Societas posset illos iustè compellere ad egressum; etiam inuitos: siquidem strictiori modo eorum vota, ac traditionem acceptauit.

96. Et quidem quod Professi Societatis: non possint dimitti Religione in pœnam delicti commissi, nisi seruato aliquo Ordine iudiciali, itavt saltem conuincantur iudicialiter de delicto, seruata forma iudicij iure naturali præscripta: constat, tum ex dictis in probatione responsionis: tum quia in tali casu dimissio est pœna iudicialis, seu legalis, ideóque in ea infligenda seruandus est ordo iudicialis, saltem substantialis, ac in Religione præscriptus. Quin existimat Suar. *num.* 6. aliquem ordinem iudiciarium seruandum esse etiam in casu, quo Professus Societatis dimitteretur non solùm propter delictum commissum; sed etiam, & magis ob indemnitatem Religionis: nimirum vt procedat aliqua denuntiatio, aut extent sufficientia iuditia talis personæ, & subsequatur sufficiens probatio delicti, ita vt faciant rem moraliter certam in humano iudicio, & in eo conferant notitiam publicam, id est de qua constare possit testimonio publico; quamquam, seclusa ratione condignæ pœnæ, non sit procedendum ad dimissionem professi ob indemnitatem Religionis, si ad talem effectum suppetant alia media sufficientia vt si subditus corrigatur, & periculum recidiui auferatur: sic enim necessitas talis dimissionis cessaret, ex qua solùm potest dimissio honestari, sicut bene aduertit Suar. *loco citato*.

97. Addo, loquendo de eiectione Scholarium Societatis; quod si vrgens ratio boni communis petat aliquem illorum dimitti, ad id sufficit quæcumque certa notitia causæ (v. g. delicti) ideóque si post paternam denuntiationem adhibita est omnis diligentia ad emendationem delinquentis, sed frustra; licitè fit transitus à denuntiatione paterna ad iudicialem, id merente contumacia delinquentis, sicque potest dimitti, si moraliter certò constet de delicto, & contumacia. & hoc etiam in casu, quo nulla præcedat denuntiatio paterna, sed Superior ipse vigilans aduertat in aliquo suorum subditorum indicia aliquorum defectuum; vel ipsi vt iudici per alios deferantur; vel ipsemet reus delictum confiteatur extra confessionem, & extra secretam, & paternam consultationem: quicumque enim ex his modis sufficit ad dimissionem, modò ad notitiam moraliter certam perueniatur: idque iudicio prudentis iuxta qualitatem testium, modum indiciorum, aut coniecturarum, conditionem delicti, & alias similes circumstantias.

98. Differentiæ ergo, per quas distinguitur eiectio per modum pœnæ ab eiectione (vt ita dicam) conuentionali, sunt tres; 1. consistit in qualitate causæ, ob quam fit eiectio; 2. in certitudine ipsius causæ, cum ad pœnam legalem requiratur plena probatio, & ad conuentionalem sufficiat semiplena, idest ita probabilis, vt prudenter, & sine temeritate indicari possit ita factum esse: 3. consistit in modo procedendi iudicialiter; siquidem in ferenda pœna legali necessariò seruari debet ordo iudicialis, saltem quoad substantiam; non item in ferenda pœna conuentionali, ad quam sufficit moralis diligentia quæ iudicio prudentis Prælati adhibenda est, seruata lege iustitiæ, & charitatis, sicut in faciendo, aut dissoluendo graui aliquo contractu.

99. Placet hîc monere ex Suar. *num.* 10. dimissionem

è Societate factam sine iusta causa esse nullam; etsi omnia vota non solemnia, quæ in ea emittuntur, fiant sub conditione, *Si Societas eos tenere voluerit*, (vt dicitur *in examine cap.7.§.1.& 2.*) clariusque *p.4. Constit.cap.4.lit.B.& D.* vbi etiam additur, licèt vouentes, quod in ipsis est, se obligent in perpetuum, *liberum tamen esse Societati eos dimittere*: talis enim conditio non debet intelligi de mera, ac pura voluntate Societatis, suo absoluto dominio, & arbitrio volente, sed de voluntate, quæ prudenti arbitrio, & ex iusta causa velit, aut non velit; patet ex *examine cap.7.§.1.* vbi dicitur, *libera tamen manebit Societas, nec tenebitur ad eos admittendos ad professionem, nec in Coadiutores formatos, si studiorum tempore malè se gererent; adeo vt Superior Societatis existimaret Deo gratum non fore, si in eam admitterentur, & tunc ipsi etiam suis votis soluti erunt.* Vbi noto conditionem illam, *si studiorum tempore*, esse adeo necessariam, vt Societas non teneatur dictos Religiosos retinere; vt ea non subsistente, teneatur; & quidem non vi Constitutionum, sed vigore contractus: nam obligatio Constitutionis, cum non sit sub culpa esset minima in re ita graui; & verbum, *tenebitur*, indicat præcisam obligationem fundatam in natura ipsius rei, non autem in sola Constitotione, præsertim cum ibi nulla fiat mentio Constitutionis, & examen has antecedat. Præterquam quòd verba illa, *Et tunc ipsi etiam suis votis soluti erunt*: habent vim exclusinæ, se si dicerent, *tunc, & non aliàs soluti erunt*: si enim solui possunt, quandocumque dimittantur, non opus fuisset addere particulam restrictioam, *tunc*, cum vel sic, vel aliter dimissi, & tunc, & semper essent soloti.

QVÆRES XLIII. Qualiter in Soc. Iesu iustificari possint expulsio è Religione, aut impositio alterius pœnæ grauiotis, cum eæ infligantur à Generali, qoi cum communiter longè distet à reo, non potest per se ipsum causam examinare, nec eius excusationes audire; itavt reus videatur carere omni auxilio ad sui defensionem.

100. Respond. iustificari ex eo quòd talis modus procedendi non cedit in grauamen subditorum, sed potiùs in fauorem, quatenus sic maiori cum consilio, atqoe adeò maiori cum difficultate tales pœnæ imponuntur, præterquam quòd subditi possunt propriam causam tueri, non solùm recurrendo per literas ad Generalem (quod minus commodum videri potest) sed etiam pro se respondere coram proximioribus Prælatis, tum allegando causas excusationis, tum (qood efficacius esse solet) emendationem promittendo: per quæ sufficienter satisfactum videtur præsenti querimoniæ; vt aduertit Suar. *supr. num.12.*

De Forma examinandi Reum.

101 *Proponitur forma examinandi Reum.*
102 *Is non semper cogitur iurare de dicenda veritate.*
103 *Regulariter examinandus extra carcerem, & liber à compedibus.*
104 *Ante examen informandus.*
105 *Non semper tenetur legitimè respondere.*
106 *Respondere non tenetur, si ignoret, an iuridicè interrogetur.*
107 *Varijs modis astringitur ad respondendum.*
108 *Si iudex allegetur suspectus, eligi debent Arbitri.*
109 *Iudex nequit interrogare de quibuscunque.*
110 *Indiciatus de vno delicto, non semper interrogatur de alijs.*
111 *Reus non semper respondet quoad Complices.*
112 *Debet respondere formaliter, ac precisè.*
113 *Interdum licitè vtitur verbis æquiuocis.*
114 *Si tamen speret se sic euasurum pœnam aliàs inferendam.*
115 *Inter Regulares vitari debet testium confrontatio.*
116 *Regulares torqueri possunt, sed non ita facilè.*
117 *Et vt torqueantur, debent præcedere certa indicia.*
118 *Eaq; Reo exhibenda.*
119 *Inter Regulares raro repetuntur tormenta.*
120 *Nec ij possunt fateri vi tormentorum delictum verè non factum (etsi alij negent.)*
121 *Confessio facta in tormentis, debet postea ratificari; Religiosi graduati non torquendi, nisi in casibus exceptis; imò nec alij, si pœna debita delicto esset minor, aut æqualis torturæ; Regulares mitius torquendi, tortura purgat inhabilitatem testis.*
122 *Reus ad sui defensionem, potest detegere occultos defectus testium veros.*
123 *Regulares non carcerãdi sine magna consideratione.*
124 *Reus periurus non punitur in foro externo.*
125 *Citatio est de substantia iudicij, & facienda debito modo, qui proponitur: etsi in aliquo casu procedi possit contra reum non citatum, nec auditum.*
126 *Proponitur forma examinandi testes.*
127 *Iuramentum à testibus exigendum.*
128 *Illi debent esse vocati.*
129 *Laici regulariter non testificãtur contra Religiosos.*
130 *At interdum admittuntur.*
131 *Contra Religiosos possunt testificari & Clerici, & Religiosi aliorum Ordinum.*
132 *Iudices regulares dant iuramentum testibus exteraneis.*
133 *Et quidem etiam ad indicium faciendum, an ij possint, & debeant torqueri.*
134 *Religiosi testificantur contra Religiosos proprij Ordinis ex indulto Vrbani IV.*
135 *At hoc indultum non debet extendi ad causas, quæ per testes extraneos possunt probari.*
136 *Duo testes probant delictum.*
137 *Cautè procedendum in causis Regularium Prælatorum.*
138 *Testes singulares non probant contra Religiosos; (etsi alij id negent.)*
139 *Item non semper probant testes varij: quamuis interdum stetur posteriori dicto testis.*
140 *Explicatur, quis dicatur testis omni exceptione maior.*
141 *Testes non tenentur probare.*
142 *Illi regulariter examinandi per iudicem.*
143 *Scribæ committitur receptio testium, sed per scripturam.*
144 *Dicta testium scriptis excipienda.*
145 *Excusantur iudices Regulares dicta testium, per se excipientes.*
146 *In causis criminalibus reijcitur testificatio facta in scriptis.*
147 *Etsi tolerari possit, quod in Visitatione Regularium per scriptum denuntientur leuiores defectus.*
148 *Ante litis contestationem testes non probant.*
149 *Interdum recipiuntur testes post publicationem vsque ad diffinitiuam sententiam.*
150 *Examinati ante litis contestationem iterum debent examinari.*
151 *Proponitur praxis repetendi testes.*
152 *Testis debet fateri veritatem, si iuridicè interrogetur, & aliqua alia concurrant.*
153 *Imò in aliquo casu, etsi iuridicè non interrogetur: testis vocatus ad testificãdum debet aperire etiam, quæ faciunt pro Aduersario: &, si renuat testificari, tenetur de damno.*

154 *Index*

154 *Iudex Regularis torquere potest Testes, etiam saeculares, si opus sit.*
155 *Non omnes Testes torquendi.*
156 *In recipiendis Testibus seruanda certa solemnitas.*
157 *Testes intra terminum praefixum, aut die iuridica iurantes, postea examinantur quauis die.*

QVAERES XLIV. Qualiter inchoari debeat examen Rei.

101. Resp. inchoari debere illum interrogando, an sciat, vel praesumat suae vocationis causam: an aliàs fuerit denuntiatus, aut de aliquo delicto inquisitus: ex quo tempore moretur in praesenti monasterio (quamquam tales interrogationes non sint simpliciter necessariae, sicque absolutè loquendo, omitti possint.) quod si exprimat causam sui examinis, debent ei fieri illae interrogationes, ex quibus eliciatur confessio delicti, aut certè colligantur magna indicia illius: vbi verò ex eius responsionibus collectum fuerit illum re vera esse reum delicti, quod ipsi obiicitur, requirendus est, vt facti seriem referat singillatim: tum, si quae obscurè, & non plenè explicauit, rursus debet interrogari super iis, vt clariùs, & distinctiùs illa exprimat; quod si respondeat se nec scire, nec praesumere causam suae vocationis, aut carcerationis (si carceratus est) tunc faciendae sunt rei interrogationes primo loco propositae, interim obseruando, num inter respondendum pallescat, trepidet, aut rubescat: hinc enim coniici possunt affectus Rei, quamuis non certò, vt notat Aulus Gellius *lib.* 19. *noct. attic. cap.* 1.

An autem Religiosus examinandus astringi possit ante examen ad iurandum se dicturum veritatem.

102. Respond. non posse, nisi in casu, quo reus licitè posset subiici torturae, & aliàs non possit constare de veritate. ita Reginald. *l.* 24. *n.* 42. Less. *l.* 2. *cap.* 31. *n.* 15. Pottel. *de dub. reg. v. correctio fratrum, §. index, num.* 9. probantque ex eo, quod, cum iuramentum sit spiritualis quaedam tortura, mentem non pessimam non minus vrgens ad fatendum veritatem, quam tortura corporalis; sicut haec exhiberi nequit reo, nisi praecedente probatione ferè semiplena, ac deficiente omni alia probatione; sic nec potest illi imponi iuramentum ad eliciendam veritatem, nisi priùs constet illum de criminibus obiectis esse valdè infamatum, & aliter non posse sciri veritatem.

QVAERES XLV. In quo loco examinari debeat Religiosus iudicialiter, & in quo statu.

103. Respond. quod, si sit in carcere, & adstrictus compedibus, inde extrahendus, & soluendus, vt sic liberius fateri possit veritatem; ita enim obseruat totus mundus (inquit Spathar. *de modo corrig. reg. n.* 9. *c.* 5. *num.* 15.) sicque obseruandum esse in causis Regularium docet in terminis Rodriq. *tom.* 2. *q.* 19. *a.* 11. eo quod libertas ad testificandum, spectet, non ad apices iuris, sed ad substantialia ipsius: confessio quippe extorta à carcerato dicitur extorta metu tormentorum, adeóque nulla, nisi posteà ratificetur; intellige, nisi praesentes circumstantiae suadeant reum debere examinari in carcere, immò & compeditum: (vt si aliàs reus tutè examinari non possit:) tunc enim id esset licitum.

QVAERES XLVI. An, & quo modo Regularis iudicialiter examinandus debeat priùs formari de statu causae.

104. Respond. debere informari, ei manifestando contra ipsum extare, vel infamiam, vel indicia sufficientia, vel semiplenam Probationem; & hoc, vt sciat se esse in tali articulo constitutum, vt teneatur obedire Iudici praecipienti, & fateri veritatem. ita Diaz *in pract. crim. cap.* 129. *n.* 5. Nauar. *cap.* 18. *n.* 57. Caiet. 2. 2. *q.* 69. *a.* 1. aliique plures apud Peytin. *in formul. lit. R. cap.* 9. *num.* 6. qui benè monet, quod, licet Iul. Clar. & alij dicant de consuetudine oppositum seruari in Curiis saecularibus, in Religionibus tamen obseruanda videtur prima practica, quam Iul. Clar. *in l.* 5. *pract. crimin. §. fin. q.* 46. *num.* 8. & alij dicunt esse de iure. ratio responsionis est, quod nemo tenetur obedire Superiori in praeiudicium sui ipsius, nisi ipsi constet praeceptum Superioris esse iustum: id autem non potest constare Regulari examinando, nisi modo dicto informetur de statu causae; quamquam subdit Peyrin. non esse opus dare talem informationem, nisi post communes interrogationes, imò & post interrogationem particularem de delicto; & hoc absque eo, quod ei tradatur transumptum processus: quod non habet locum in indiciis, quorum copiam debere dari reo ante torturam docent Nauar. & alij apud Peyrinum.

QVAERES XLVII. In quibus casibus Religiosus reus teneatur legitimè respondere proprio Praelato iuridicè interroganti.

Respond. cum distinctione; vel Praelatus interrogat per viam accusationis; & reus non tenetur respondere, nisi adsit infamia, aut semiplena probatio, vel indicia manifesta aequiualentia semiplenae probationi: vel interrogat via inquisitionis, aut denuntiationis canonicae; & reus regulariter non tenetur respondere, nisi praecedat infamia probata per duos testes. ita Sanch. *l.* 6. *cons. c.* 3. *d.* 19. *n.* 9. ex Caietano, & Soto, aliique, & probatur, quia reus tunc solùm tenetur fateri crimen, quando iudex iuridicè interrogat: at iudex via accusationis iuridicè interrogat tantùm, quando adest semiplena probatio; & via inquisitionis regulariter solùm, quando adest infamia (vt patet ex supradictis) ergo. 105.

Vtrum verò reus teneatur legitimè respondere Iudici, si ignotet, an Iudex iustè interroget, & secundum ius.

Resp. non teneri; si ex tali responsione ipsi, aut alteri secuturum sit aliquod damnum (v. g. punitio.) ratio est, quod reus est in possessione sui honoris, famae, & vitae: ergo in dubio habet ius ea conseruandi, & non exponendi periculo. ita Sotus *lib.* 5. *de iust. quaest.* 6. *art.* 2. aliique penes Sanch. *sup. d.* 31. *num.* 2. contra Paludanum, Syluestrum, & S. Antoninum apud ipsum Sanch. sustinentes reum in tali dubio teneri respondere, eo quod Superior sit in possessione respectu subditi, & in dubio melior sit conditio possidentis. nobiscum sentit Fragosus *p.* 1. *regimin. lib.* 5. *D.* 12. *num.* 207. aliis pro se citatis. 106.

QVAERES XLVIII. Quid facere debeat Iudex regularis, si reus legitimè interrogatus recuset respondere.

Respond. debere id notari in processu, & reum ipsum cogendum esse respondere, siue ei indicendo mulctam, quod factis tribus monitionibus, illum mulctabit poena debita; siue etiam ipsum torquendo, si agatur de delicto grauiori; siue id ei praecipiendo sub poena excommunicationis latae sententiae. ita Peytin. *sup. numer.* 2. ex Ambrosino, Follerio, Iulio Claro, & Chartar. monens istam doctrinam habere verum, siue reus nolit respondere super delicto principali, siue super circumstantiis substantialibus illius, de quibus verosimile est reum posse recordari. vbi notandum torturam in praesenti casu dari, non ad eruendam veritatem, sed ad extorquendam responsionem, siue affirmatiuam, siue negatiuam, quod si etiam subiectus torturae pertinaciter renuat respondere, dicunt Rodriq. *in resolut. regul. resol.* 43. *num.* 8. Thom. à Iesu *tract.* 3. *de visitat.* 107.

Regul. cap. 8. num. 7. Spathar *sup. cap. 10. num. 2.* & Peyr. *num. 3.* illum posse haberi pro confesso, & consequenter posse damnari.

108. Quod si reus recuset respondere allegando Iudicem suspectum; tunc Iudex eligat arbitros vnà cum ipso reo, qui de causa suspicionis iudicent: & si quidem ea non fuerit probata, iudex prosequatur suam iurisdictionem: si verò intra tempus præfixum fuerit probata, si Iudex est ordinarius, deleget causam alteri; si autem delegatus, ab ea omninò abstineat, habetur in *cap. cum speciali*, & *cap. secundo de appellat.* & constat ex dictis *in tractat. de prohibit. cap. 7. quæst. 10.*

QVÆRES XLIX. de quibus possit Iudex interrogare reum in legitimo iudicio.

109. Respond. non posse interrogare, nisi de iis, de quibus vel processit infamia legitimè probata per duos testes omni exceptione maiores: vel extant indicia expressa, eaque legitimè probata; vel habetur semiplena probatio coniuncta cum accusatione formali, aut cum aliquo supplente vicem accusatoris: cuiusmodi est notorium delicti, fama de auctore, & denunciatio iuridica. ita Less. *l. 2. c. 31. n. 8.* aliique communiter, & constat ex dictis.

QVÆRES L. An reus indiciatus de vno crimine possit à Iudice interrogari etiam de aliis.

110 Respond. non posse, nisi respectu aliorum delictorum extent indicia æquivalentia semiplenæ probationi; quamquam, si reus conuictus sit de vno delicto, possit interrogari, num alia eiusdem rationis commiserit, dummodo per infamiam, aut indicia clamorosa reuera credatur alia commisisse. ita Rodriq. *tom. 2. quæst. 19. art. 8.* Soto, Nauar. & Alcocer. patetque ex dictis *quæst. 47.*

QVÆRES LI. An Iudex possit interrogare reum de complicibus, & reus teneatur legitimè respondere.

111. Resp. non Iudicem posse interrogare, nec reum teneri respondere, nisi contra ipsos complices præcedat infamia, aut extant indicia sufficientia, aut certè delictum, quod confitetur reus, sit talis naturæ, & conditionis, vt non possit sine complice committi; quale est adulterium. ita Rodriq *sup. a. 10.* monens tamen iudicem posse interrogare de complicibus, quamuis non infamatis, neque sufficienter indicatis, si inquirat, non ad vindictam, sed ad correctionem, & procedat non vt iudex, sed vt pater; quamquam reus debeat cautè procedere in respondendo, cum ei non constet, nec ita facilè possit constare iudicem in casu proposito interrogare, non ad punitionem, sed ad correctionem. Ratio responsionis est, quod sicut iudex non potest interrogare reum iuridicè, nisi præcedant vel infamia, vel indicia, vel semiplena probatio (vti diximus *quæst. 49.* ita nec potest interrogare de complicibus, nisi præcedat aliquid ex supra dictis: aut certè crimen, quod confessus est reus, sit tale, vt cedat in maximum dispendium Reipublicæ, (cuiusmodi v. g. est hæresis) cum enim complices habeant ius suæ famæ, quamdiu eorum delictum manet occultum, non potest Iudex præiudicare tali iuri; nisi delictum modo dicto fiat publicum, aut sit tale, vt bonum Reipublicæ lædatur: nam bonum commune præferri debet bono famæ complicis.

QVÆRES LII. Qualiter debeat reus respondere Iudici legitimè interroganti.

112. Respond. debere respondere formaliter, & præcisè, affirmando scilicet, aut negando; non autem dubiè (v. g. dicendo, *non scio, non recordor,* &c.) respondere enim hoc modo perinde est ac non respondere: vnde & potest reus cogi ad respondendum cathegoricè illis iisdem mediis, quibus *quæst. 48.* diximus posse cogi ad simpliciter respondendum reum, qui renuit respondere. ita Peyrin. *supr. num. 3.* ex Iulio Claro, Ambrosino, & aliis.

QVÆRAS LIII. An Religiosus reus legitimè interrogatus à Iudice regulari possit verbis æquiuocis celare veritatem.

Respond. probabile esse, quod possit, si ex confessione delicti ipsi mors infligi debeat, aut alia grauis pœna, & aliàs delictum non sit plene probatum, probatur, tum quia ex *l. 4. ff. de testib.* nemo potest cogi ad testificandum contra sanguine iunctum; nemo autem cuiquam est magis iunctus sanguine, quam sibi ipsi: tum quia vehemens inclinatio naturæ indita vnicuique ad se conseruandum indicat naturam ipsam tribuisse ei liberrimam facultatem se tuendi quocumque medio de se licito; at tale est celare veritatem ad cauendum mortis periculum, si sit probabilis spes illud euadendi; ergo, tum quia lex humana non obligat cum periculo mortis, nisi magnitudo negotij aliud exigat; ergo nec obligabit præceptum humanum, cum vtriusque sit eadem ratio; tum quia *l. nimis C. de testib.* dicitur neminem teneri contra se exhibere id, per quod sibi negotium fiat, ergo. ita Petr. Nauar. *l. 2. de rest. c. 4. à n. 141.* Less. *l. 2. c. 31. n. 16.* Reginald. *l. 14. n. 37.* aliique quos adducit, & sequitur Rodriq. *sup. a. 4.* sic concludens *Notare debent etiam aliqui Religiosi grauissimis delictis notati, non tamen plenè probatis, vt se non prodant, etiamsi à suis Prælatis interrogati iuridicè præcipiantur dicere veritatem: possunt enim ipsam verborum inuolucris celare.* 113.

Dixi, *si sit probabilis spes illud euadendi*, vt innuerem, quod si non sit spes euadendi (eo quod v. g. delictum facilè possit plenè probari) tunc reus tenetur veritatem fateri: cum sic cesset ratio tegendi veritatem, & alias vrgeat obligatio parendi Superiori legitimè præcipienti; sicut benè aduertunt Lessius, & Reginald. *locis citatis.* 114.

QVÆRES LIV. An Iudex regularis in casu, quo Religiosus subditus neget delictum, possit confrontare testes cum ipso reo ad illum magis conuincendum.

Respond. quod, quamuis talis confrontatio fieri soleat à Iudice sæculari in delictis grauissimis iuxta *cap. qualiter, & quando 2. de accus.* vbi statuitur iudicem ante condemnationem Rei teneri aperire ipsi statum causæ, probationes, indicia, & testes, & quidem propriis nominibus; in causis tamen Regularium talis confrontatio non videtur regulariter expedire, imò potiùs omittenda est ad cauenda odia, ac alia incommoda, quæ inde probabiliter consequi possint, & ferè communiter consequerentur, vnde in Ordine Minorum Obseruantium extat statutum generale Toletanum, quod Prælati non dent reo nomina testium, ad vitanda odia, nisi fortè quando viderint periclitari iustitiam Rei in grauiori aliqua causa, ac delicto infamatorio; quod statutum à Sede Apostolica fuit confirmatum teste Portello *loco supr. citato §. index numero 12.* Ducor tum quia stante priuilegio Bonifacij VIII. sæpiùs allegato Regulares in suis iudiciis non tenentur sequi rimulas, & apices iuris; talis autem est manifestatio nominum testium, & consequenter confrontatio testium, quæ sine præfata manifestatione, saltem in actu exercito non fit; tum quia alioqui in Ordine Minorum non fuisset editum statutum illud Toletanum, nec fuisset confirmatum à Sede Apostolica, nisi fuisset iustum, & valdè laudabile: quod si tale est; ergo & in Religionibus potest practicari ad effugienda 115.

fugienda incommoda, quæ ex non vsu illius possunt prouenire. Ita ego sentio cum Hostiensi, & Manso, quos citat, & sequitur Rodriq. *tom.2.q.3.art.1.* quamuis cum aliqua limitatione.

QVÆRES LV. An casu, quo Regularis à proprio Iudice legitimè interrogatus neget veritatem, posset Iudex eum subiicere torturæ.

116. Respond. posse; sicuti diximus in hoc ipso *c.sect.3. q.22.* quamuis Rodriq. *q.10.a.7.* innuat in Religionibus id esse minùs vsitatum. Cæterum illud hoc loco notandum est, quod, cum tortura sit subsidium vltimum ad eruendam veritatem occultam, ideóque illa locum non habeat in delictis manifestis: ad eam non est deueniendum, nisi in defectum aliarum probationum, & præcedentibus indiciis legitimis, & à iure approbatis, vel saltem communi voto Doctorum receptis, iisque ad minus per duos testes probatis; prout tradunt Bartolus, & Iul.Clar. apud Rodriq. *art.2.*

117. Huiusmodi autem indicia sunt 1. variatio delinquentis circa substantiam delicti coniuncta cum infamia præcedente: 2. si reus sit diffamatus de delicto, & de eo fuerit conuictus ab vno teste; 3. fama de delicto commisso contra reum orta vna cum aliis grauibus indiciis: 4. indicium violentum, propinquum tamen, & coniunctum cum crimine, etiam sine infamia præcedente, aut testibus: 5. sola fama, aut infamia vehemens; qualis est, quæ orta est à dignis personis, est frequens, scandalizat viros probos, & est de reo malæ famæ, ac peioris vitæ: 6. fama simul cum fuga delinquentis: 7. fama orta contra aliquem, cum primum commissum est delictum, si concurrant alia adminicula, ac coniecturæ verosimiles præcedant iudicio prudenti iudicis: 8. si duo Socij criminis aduersus aliquem deponant, & is nihilominus neget. Ita Rodriq. *art.3.* aliis citatis monens *art.4.* ex Bartolo, & aliis Iudicem teneri dare reo copiam indiciorum cum certo termino ad se purgandum, & priusquam detur talis copia non esse procedendum ad torturam, aut aliam sententiam: idque, etsi reus sit malæ famæ, ac vitæ; aliàs quippe, cum non possit reus se defendere, ignoratis indiciis, hoc ipso quod ei celantur indicia, tollitur reo defensio, quæ est de iure naturali.

Vtrum vero Iudex regularis teneatur dare reo subdito copiam indiciorum, etiamsi ipse reus illam non petat.

118. Respond. Rodriq. *art.5.* teneri; cum Prælatus regularis ita sit Iudex Religiosi sibi subditi, vt communiter etiam sit eius Aduocatus; ideóque sicut Aduocatus tenetur procurare suo Clienti præfatam copiam indiciorum, sic & Prælatus regularis teneatur eam procurare suo Clienti, illam ipsi exhibendo, ne alioqui careat debito remedio suæ desensionis: præsertim cum talis exhibitio indiciorum videatur esse de substantia iudicij, non autem solum spectare ad apices iuris, ideóque omitti non possit etiam stante priuilegio Bonifacij sæpiùs relato: quod in specie notauit Rodriq. *art.6.* vbi in terminis tractat hanc quæstionem.

Quærit hîc etiam Rodriq. *art.9.* an, & quando Iudices regulares repetere possint tormenta ad extorquendam veritatem à suis subditis.

119. Respond. quod, licet Iudices sæculares possint iustè sepiùs repetere tormenta; si vel reus minus acriter tortus fuerit, vel post primam torturam superueniant noua indicia sufficientia, vel certè priora indicia sint multum vrgentia, & reus torquendus admodum constans; sicut tradunt plures Canonistæ apud Rodriq. *vbi supra*; in causis tamen Religiosorum non decet Prælatos regulares repetere consueta tormenta, nisi aliter suadeat, siue grauitas delicti, siue vehementia indiciorum de nouo superuenientium longè maiorum prioribus; siquidem punitio Regularium magis ordinatur ad emendationem, quam ad vindictam, & primis appositis torturis præsumitur Religiosus resipuisse; cum vexatio det intellectum. Ita in terminis Rodriq. & non minùs probabiliter, quam piè.

Difficultas modo est, an Religiosus subiectus torturæ ad vitandam tormentorum acerbitatem possit fateri delictum à se verè non factum.

Respond. videri improbabile, quod non possit, si sit vir grauis, & communiter existimatus valdè probus, ideóque eius infamia cedat in dedecus Religionis; vt proinde dicat Rodriq. *sup.q.10.art.10.* se hunc talem vix liberaturum à peccato mort. quamuis alioqui doceat cum S.Thoma, absolutè loquendo, posse reum sibi imponere aliquod graue delictum ad effugiendam tormentorum acerbitatem. 120.

Illud demum hîc adnotandum est, quod cum confessio delicti facta in tormentis sit nulla ad effectum condemnandi reum, nisi extra tormenta ratificetur post aliquod tempus ex Iudicis arbitrio definiendum iuxta qualitatem Rei torti, & tormentorum; itaut verosimile sit metum cessasse, ex quo confessio reddebatur nulla, vt tradit ex omnium sententia, Eymericus *direct.3.rubr.3.de modo terminandi processum n.157.* ad hoc vt Regularis possit condemnari vi confessionis factæ in tortura, debet induci ad eam ratificandam post aliquod tempus; quale esse possit spatium 3. dierum; si enim, vt Sanch. *l.6.cons.c.8.d.2.n.17.* ex Simanca refert, Inquisitores, vt benignius procedant, id faciunt post tertium diem: certè id à fortiori debet facere Iudex regularis cum suis subditis, quorum punitio potiùs ordinanda est ad emendationem, quam ad vindictam. Notat autem Sanchez *sup.cap.4.d.5.num.2.* ex Gomez quod licèt reus falsus delictum in tormento, & postea ductus ad ratificandum si neget, possit iterum torqueri: eo quod indicia hac ratione non videantur sufficienter purgata; si tamen iterum tortus iterum confiteatur delictum, & postea ductus ad ratificandum (quod omnino debet fieri extra locum torturæ) rursus neget, non potest vltra tertiam vicem torqueri, ne alioqui tormentis perimatur: quod à fortiori docet Simanca *lib.instit.tit.65.n.75.& 76.* docens nullum posse torqueri plus, quam bis. 121.

Monet Lezana *v.tortura num.4.* ex Portello *v.tortura.n.12.* quod, cum in iure plures priuilegiati non possint torqueri, nisi in criminibus exceptis (vt Doctores, & constituti in magna dignitate) inter Regulares hoc eodem priuilegio gaudebunt Magistri graduati (cum sint Doctores) imò & Generales, ac Prouinciales, vtpote constituti in magna dignitate; cum non sit ratio illos excludendi ab vsu dicti priuilegij, vt patet.

Addit Lezana *num.6.* ex Alderete, & Portello torturam non debere applicari, quando pœna imponenda pro delicto est æqualis, aut minor ipsa tortura: iniustum enim est, vt pro delicto, pro quo Religioso debet imponi ieiunium, aut mortificatio aliqua in pœnam, aut priuatio officij, applicetur enormissima pœna torturæ.

Notat item Lezana *v. Iudex num.14.* ex Syluest. *& alijs* Regulares mitius torquendos, tum ob metum excommunicationis, si excedant in tortura, ac eius modo, tum ob reuerentiam status religiosi, & regulariter abstinendum esse ab iis tormentis: quibus moraliter loquendo reus non possit resistere.

Porrò aduertit *Clarus l.5. pract. §.fin.quæst.25.* testes in causis criminalibus torqueri, si sint inhabiles (quomodo tortura purgat defectum testis, ita vt faciat fidem contra reum, aliàs sine tortura non probaturus) si sint socij criminis, aut varij in suis depositionibus; qui vtique nisi firment suum dictum in tortura, non faciunt fidem contra reum. Quod videtur procedere etiam de Clerico vacillante, aut suspecto, quod dicere nolit veritatem; quippequi plus peccat celans veritatem, quam laicus; quamuis Bario. *in l. ex libero, circa princ.ff. de quæst.* censeat Presbyterum vacillantem de iure canonico non esse torquendum ex *l. Presbyteri C.de Episcop.& Clericis* quod tamen ius dicit Bossius *in tit.de tortura testium* in hoc non seruari.

QVÆRES LVI. An reus in progressu examinis ad sui defensam possit detegere occultos testium defectus.

122. Respond. posse, si crimen occultum testis sit verū: (falsum enim nullo pacto licet imponere) & eius detectio sit necessaria ad causæ iustæ defensionem, & damnum, quod reus patitur, sit notabile: idque etsi malum inde proueniens testi sit maius eo, quod pateretur reus.tatio est, quod talis detectio est medium iure concessum, ideóque cum reus vtatur iure suo, non delinquit, neque contra iustitiam, neque contra charitatem, stante quod non tenetur cum tanto suo damno vitare alienum. Ita Sotus *l.5.de iust.q.7.art.3.* Sanch.*sup.c.5.d.10.n.4.*& quidam docti iuniores magistri ab ipso, nomine tacito, citati.

QVÆRES LVII. An, & quando Iudex regularis possit includere carcere Religiosum subditum, antequam illum iuridicè examinet.

123. Respond. quod, cum incarceratio Religiosi cedat in magnum, & damnum dedecus ipsius, & inferat irreparabilem iacturam (vt aduertit Rodriq.*sup.q.17. art.4.* & docet experientia) propterea Religiosorum captura non nisi cum maximo consilio facienda est, & regulariter tunc solum, quando duo, aut tres testes contestes testimonium tulerunt contra Religiosum; siquidem accusatio non debet recipi contra Religiosos, nisi cum duobus, aut tribus testibus. ad quod faciunt quæ dicit Nauarr. *in comm. de iud. num.* 83. his verbis. *Iudices, etiam supremi debent esse multum circumspecti in inquirendo, vel mandando inquiri, ne faciant quæ propter propria peccata castigentur, dum aliena castigare nimis anhelant; quandoquidem non lege humana tantum, sed naturali, & diuina contenta in octaue præcepto decalogi vetatur, ne quis Proximum infamet, vel sit causa propinqua infamandi; qua eadem ratione debent abstinere à conjciendo in carcerem, præsertim viros honorates, & de fuga non suspectos, donec iustam informationem de crimine habeant.* Sint ergo Iudices regulares hac in re admodum cauti, &, si interdum suspicantur de fuga, recludant Religiosum suspectum in aliqua cellula benè munita, & custodita, meminerintque se qua mensura metiuntur alios, eadem postea remetiendos esse, saltem à Deo, sin minùs in præsenti vita, in futura.

QVÆRES LVIII. An reus puniatur ratione periurij, si constet illum in progressu examinis peierasse.

124. Respond. non puniri in foro exteriori: ne aliàs ex hoc timore inducatur ad veritatem occultandam. Ita Peytin.*in formul.lit.R.cap.9.num.12.* ex Iulio Claro, Chartario, & Follerio.

QVÆRES LIX. An, & quomodo ad validitatem iudicij debeat Regularis iuridicè citari à proprio Iudice.

Respond. quod, cum citatio, seu vocatio Rei sit de iure naturali, ac diuino (vt ostendit Rodriq.*sup.q.18. art.1.*) statim ac Iudex regularis habet notitiam criminis, ac Rei, siue per inquisitionem, siue per accusationem ex dictis testium; debet citari reus, siue per literas Iudicis tradendas ipsimet reo, si is sit absens, quibus ei iniungitur sub præcepto obedientiæ, vt accedat ad Prouincialem v. g. qui cum eo actorus est aliqua specialia negotia; siue per aliquem ex Religiosis monasterij, si reus sit præsens, ipsum aduocantem coram Prouinciali, aut alio Iudice competenti. ratio est, quod, quamuis inter Religiosos necessaria sit citatio secundùm substantiam, vtpotè quæ iure naturali, ac diuino requiritur ad valorem iudicij, etiam in notoriis; vt colligitur ex Clem. *pastoralis.§.cæterum, de re iudic.& cap. Deus omnipotens 2.q.1.* non est tamen opus, quod inter ipsos seruentur ea, quæ sunt accidentalia citationi; sicque in ea facienda seruari debet consuetudo vniuscuiusque Religionis. Ita Peyrin.*sup.lit. C.c.10.n.5.* aliique apud ipsum: qui monet ex Portello citationem non valere, si in ea non assignetur tempus competens ad respondendum, aut certè reus citetur ad locum non tutum; idque iuxta *cap.ex parte, de apell.* quin etiam addit Peyrin. reum non posse vnquam haberi pro contumaci, & confesso, nisi ei assignetur terminus peremptorius, cum comminatione delicti confessi. 125.

Monet autem Lezana *v. Iudex num.17.* quod licèt Abb.*c.causam, de rescript.& c.cum olim, de sent.& re iudic.* Syluest.*v.citatio q.7.*& Sanch.*l.3.cons.c.vu.d.4.* aliique apud ipsum Sanch. sustineant Iudicem, præsertim supremum posse, quando delictum est notorium, & certo constat reum nullam habere defensionem, contra eum procedere non citatum, nec auditum; idque admittat Sanch.ex Nauar. quando ex citatione partis timeretur graue scandalum: tamen Prælatus Religiosorum, regulariter loquendo non potest procedere contra reum Regularem non citatum, vel non auditum ex *l.illicitas, ff.de offic. Prat.& c.Iudices, 3.q.7.* idque, tum quia de reo Regulari non facilè credendum ipsum deliquisse, vel certè existimandum est iustam ipsum habuisse excusationem: tum quia mitius, ac benignius cum Religiosis debent Iudices procedere ob dignitatem status religiosi. Quamquam ipse Lezana cum Rodriq. *tom. 2. q.18. art.1.* concedat in casu raro, quando delicti notorietas, & inconuenientia, quæ inde possint oriri suadent expedire, quod contra reum non citatum, nec auditum procedatur, id facere posse Prælatos Religionum, maximè supremos; cuiusmodi sunt Generales Ordinum, qui in Religionibus sunt veluti principes.

De Forma examinandi Testes in Iudicio Regularium.

QVÆRES LX. Quæ forma seruari debeat in examinandis testibus circa delicta Regularium.

Respond. non posse dari certam formam, cum interrogatoria debeant variari iuxta diuersitatem criminum, ac circunstantias, & responsiones testium: vt proinde id relinqui debeat Iudicis prudentis arbitrio; illud generaliter obseruandum est, quod in examine testium notetur nomen, & cognomen testis, status ipsius, gradus, ætas sæculi, ac Religionis, dictaque ipsorum testium, & quidem illo eodē idiomate, quo ab ipsis proferentur, necnon eodem modo, nempe clara clarè, dubia dubiè &c. nihil addendo, aut minuendo; vbi autem absolutum fuerit examen, 126.

&

& fideliter lectum coram teste, ipsemet testis illud subscribat, &, si nescit scribere, propria manu signum Crucis apponat; sic quippe seruatur in omnibus Religionibus, teste Gibilero *de iud. regul. cap.17. n.102.* qui addit *n.99.* testes præterea interrogandos esse de noritia Rei denunciati, de tempore, de delicto, de præsentia, de visu, de audiu, loco, & tempore, quo commissum est delictum, nempe de anno, mense, hebdomada, die & hora: item qui, & quot interfuerint, de scientia, credulitate, & similibus.

Qværes LXI. An, & qualiter exigi debeat iuramentum à testibus examinandis in iudicio.

127. Respond. debere exigi, priusquam se subiiciant examini; siquidem testis examinatus absque iuramento de dicenda veritate non probat; vt fusè ostendit Farinac. *part.1. praxis, quæst.74. num.1.* asserens *quæst.69. num.71.* de tali iuramento debere constare in processu; siue postea iuramentum recipiatur ad sacra Dei Euangelia, & Sacras Scripturas corporaliter tactas; siue tangendo scripta ipsius Notarij (sicut vsitatur in Italia) siue tacto pectore, si iurans sit Sacerdos; id enim parum refert, dummodo iuramentum præmittatur examini: nam si exigatur post examen, non valet, vt probat Farinac. *q.74. citata n.31.* quamuis aliqui Religiosi loco iuramenti id faciat per præceptum obedientiæ addendo excommunicationem teste Syu. *v. inquisitio 1. num 6.*

Qværas LXII. An, ad hoc vt testes legitimè probent in iudicio, debeant esse vocati.

128. Respond. debere: siquidem testis voluntariè se offerens ad testificandum, & non vocatus, hoc ipso redditur suspectus, & non probat *l. presbyteri, C. de Episc. & Cler.* siue postea vocetur à Iudice ex officio, siue producatur à parte: id enim parum refert, modò in processu notetur, qua via inductus sit. ita Farinac. *supr. quæst.80. num.1.* aliique

Qværes LXIII. An, & quo modo admitti possint Laici ad testificandum iudicialiter contra Regulares in criminalibus.

129. Respond non posse, nisi fortè delictum, de quo inquirendus est Religiosus, sit commissum in loco, vbi non essent alij Religiosi, siue eiusdem, siue alterius Ordinis: tunc quippe etiam laici possent admitti ad testificandum, ne alioqui Regulares libetiùs delinquant coram sæcularibus commissi delicti impunitatem sibi promittentes; siquidem adhoc vt veritas inueniatur, quæ alioqui non posset indagari, conceditur id, quod aliàs non concederetur, sicque potest recedi à regulis iuris communis, vt aduertit Rodriq. *supr quæst.11. art 5.* ex Hippol. ad quod facit doctrina, quam tradit Less. *lib.2. cap.30. n.41. ex cap. fin de testibus* testes minus idoneos admitti, tanquam idoneos, quando delictum commissum est in loco, aut tempore, vbi testium copia haberi nequit. Et quidem quod laici non possint admitti in criminalibus ad testificandum contra Regulares, colligitur, tum *ex cap. de cætero, de testibus* vbi dicitur de cætero laicos in accusationem, vel testimonium contra Clericum in criminali causa non esse aliquatenus admittendos, nisi fortè suam, vel suorum iniuriam prosequantur; nec tunc etiam ad testimonium, sed ad accusationem posse admitti; tum *ex cap. testimonium 11. quæst. 1.* quod sic habet, *testimonium laici aduersus Clericum nemo recipiat* Circa quæ iura bene notat Rodriq. *loco citato* quod, licet ea in specie loquantur solùm de Clericis, extenduntur tamen etiam ad Religiosos: cum ea sint fauorabilia, & in fauorabilibus nomine Clericorum veniunt etiam Religiosi.

130. Verum tamen est, quod si opponantur crimina contra Religiosos in aliqua causa testificantes ad effectum eos repellendi à testimonio; tunc contra ipsos admitti possunt testes laici: cum talis causa sit, non criminalis, sed ciuilis, vtpote versans circa crimen per viam exceptionis, non ad pœnam ordinariam, sed ad repellendum testimonium. ita Rodriq. *supr.* ex Abbate, & communi DD. sententia addens iura relata §. *præcedenti* non procedere quoad laicos integras, ac bonæ famæ, & tales, vt respectu illorum cesset communis suspicio, ob quam dicta iura inducta sunt: quod scilicet laici malè affecti sint erga Ecclesiasticos. vnde subdit Rodriq. quod, cum Regulares non ita sint laicis inuisi, & ingrati (vti sunt Clerici sæculares,) non eodem modo repellendi sunt laici à testificando contra Regulares, ac repelluntur à testimonio ferendo aduersus Clericos; cum quoad Regulares cesset ratio vehementis suspicionis; quod ego etiam admitto, si vera est hypothesis; de quo valdè dubito, cum hisce temporibus Religiosi adeo sint interdum exosi viris laicis, etiam fidelibus, vt cum Apostolo Paulo *1. Cor. 4.* dicere iure, ac meritò possint: *maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsq; adhuc*; quamquam ij mirificè recreari possint iis verbis, quæ Christus Io. 15. habet in hanc sententiam: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit: si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*

An autem Clerici sæculares, aut Religiosi aliorum Ordinum possint testificari in criminalibus aduersus Religiosum alterius Ordinis.

Respond. videri posse; & probatur, tum quia iura citata, teste Rodriq. non excludunt laicos bonæ, ac integræ famæ (vt paulo ante vidmus) sicque multo minus excludent Clericos sæculares, & Religiosos alterius Ordinis, qui communiter ratione status, ac professionis præsumi possunt bonæ, ac integræ famæ; nisi claré cóstet de opposito; tum quia præfata iura loquuntur præcisè de laicis, & quidem eos contradistinguendo à Clericis, vt patet ex ipsis textibus: ergò non debent extendi ad Clericos sæculares, ac Religiosos aliorum Ordinum, cum sint odiosa, ideòque non ampliari, sed restringi debeant iuxta communem iuris regulam. 131.

Addit Rodriq. *loco cit.* quod licèt Iudices Regulares non possint cogere per excommunicationem laicos ad testificandum contra Religiosos in causa criminali casu, quo alij Religiosi vocari possint in testes, possunt tamen ad id compelli per Iudices Ecclesiasticos, aut sæculares; & cum Iudices regulares habeant iurisdictionem ordinariā possunt ab iis petere iuramentum; quippe quod est necessarium ad procedendum in causa criminali ad ipsos spectante vsq. ad sententiam diffinitiuam, stante quod reus nō potest condemnari sine testibus iuridicè, ac legitimè facientibus; ad quod constat requiri iuramentum; cui autem conceditur aliquid, conceduntur etiam illa omnia quæ sunt necessaria ad eius executionem. 132.

Monet præterea Rodriq. *vbi supra* laicos posse admitti ad testificandum aduersus Clericos, ac Regulares, non solùm in causis ciuilibus, (vt patet ex dictis *supr. §. verum tamen est.*) sed etiam ad indicium faciendum, num ij possint, & debeant subiici ad torturam; idque argumento eorum, quæ notant Glossa, & Bartol. *ad leg quæro si insuff. de adilitiè.* 133.

Qværes LXIV. An Regulares possint admitti ad testificandum in causis tam ciuilibus, quam criminalibus proprij monasterij.

Respond.

134. Respond. qood, quamois testes domestiei (qui scilicet viuunt in communi; & dicunturetiam familiares) repellantur à testificando iuxta communem DD. sensum *cap. tam literis, de testibus* : & Religiosi dici possint domestici aliorum Religiosorum eiusdem mooasterij, ac Ordiois, vt pote viuentes io communi, idest, de codem pane, & vino (vt loquitur Authét. *de Monachis* §. *cogitandum* : nibilominus ij possuor valide testificari, etiam pro Monacho sui monasterij, & quidem non solùm in causa ciuili : sed etiam criminali : quamuis aliquantulo minor fides ipsi habeatur pro qualitate amicitiæ, vt fraternitatis; vt ait Glossa *in* §. *cogitandum v. testis*, Authent. *de monachis*, *citata*. patet responsio ea priuilegio Vrbani IV. coocesso Cistercieosibus, & relato à Rodriq. *tom.* 2. *q.* 15, *art.* 1 quo conceditur, quod in causis propriis monasteriorum dicti Ordinis, siue ciuilibus, siue criminalibus, ne ius eorum depereat, licet monachorum testimoniis vti. eaque tanquam iutidica recipienda sunt : quod idem priuilegium coocessit Iulius II. Congregat S. Montis Oliueti, & Eugenioa IV. Congregat. S. Iustinæ, illud extendens etiam ad Conuersos, & Commissos, & Leo X. Congregationi Camaldulensium, illud ampliando etiam ad Nouitios; quamquam, vt bene aduertit Rodriquez tale priuilegium esset minùs necessatium; cum in causis communitatis iure commuoi admittantor collegiati ad testificandum, eo quod quæ domi getuotur non ita facilè probari possint per alienos.

135. Notat autem Rodriquez quod, licet Regulares vi talis priuilegij recipi possint, & debeant ad testificandum in causis ciuilibus, & criminalibus secretis monasteriutum (cuiusmodi v. g. est electio Prælati facta in capitulo) ad quarum comprobationem non possont vocari testes extranei; idque etiamsi ex ipsarum causarum eapeditione damnum aliquod, aut commodum de monasterio Religiosis testificantibus applicandum esset : aliàs enim ius ipsorum ob defectum probationis periret; vt in causis ipsorum monasteriorum, quæ per testes extraneos probari possunt, non obstante præfato priuilegio, non debent admitti Religiosi ad testificandum : etsi alioqui ea defectu probationis ius illorum pereat; siquidem Religiosi ipsi id debent sibi imputare, quod eum in dictis causis posseot conuocare testea extraneos, id non feeerunt. sieque videmus, quod, quando Conuentus aliquod ius transfert in alium, & de eo fit authenticum instrumentum, etsi tunc adsint omnes Religiosi monasterij sono eampanulæ vocati, ad firmitatem tamen contractus, testes extranei aduocantur. Diai, *non obstante præfato priuilegio*; vt innuerem, quod, eum nunquam præsumatur Papa conecdere priuilegia contra terminos iuris, quando eius verba, & mens possunt facilè verificari in alio easu, qui non sit contrarius iuri : stante quod mens Priocipis semper præsumitur esse talis, qualis debet esse de iure; (sicut notant communiter scribentes,) ac propterea concessio præsentis priuilegij non debet intelligi, nisi de causis monasteriorum secretis modo suprà dicto : nec habet locum in iis Religiosis, qui pro mooasteriis suot actores, aut responsales : hi namque excluduntur in iure à testificando, quod ius noo infringi per dictam concessionem, satia superque coustat ex modò dictis; vt rectè ootauit Rodriquez.

QVÆRES LXV. Quot, & qui testes requirantur ad probandum delictum Regularium, maximè Prælatorum, reumque conuincendum, & condemnandum.

Respoud. requiri, & sufficere duos téstes, qui ta- 136
men non solùm sint omni exceptione maiores, & fide dignissimi, sed etiam sint contestes, ita vt iurati deponant de eodem facto, loco, tempore, personis, & aliis circumstantiis ad substantiam facti pertioentibus, ac necessariis; idque ea *cap. placuit* 2. *quæst.* 5. *cap. in omni negotio, de testib. cap. cum esses, &c. relatum, de testam.* ita S. Thom. 2. 2. *q.* 70. *a.* 2. & est cómunis, tum Doctorum vtriusque iuris, tum Theologorum apud Lessium *lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 24. patetque, tum ex iuribus citatis, tum quia teste eodem Lessio *num.* 25. sic iure gentium receptum est, & meritò; cum vnus facilè peruerti possit, duos autem peruertere, ac efficere, vt conformiter loquantur, nec voquam constet de falsitate, est valdè difficilè : tum quia, vbi maius est periculum, ibi cautiùs est agendum : agitur autem cautè, si ad reum conuincendum, & condemnandum requirantur saltem duo testes cum in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.

Monet tamen Rodriq. *supr. quæst.* 13. *art.* 1. quod,
licèt ad coodemoandos Prælatos Regulares, simpli- 137
citer loquendo, sufficiant duo testes, cum doo item sufficiant ad coodemnandos Episcopos quibus Prælati regulares æquiparantur, quoad iurisdictionem; nihilominus, quando hia imputatur aliquod delictum, qui eos inquirunt, cautè debent procedere, cum Prælatus positus sit in signum, cui contradicatur : propter quam causam, inquit Rodriquea *non condemnarem ego eos ad pœnam ordinariam propter duos tantum testes, nisi causa, & circumstantia facti, & personæ aliud postularet.* ad quod facit, quod iure canonico ad condemnandum Card. Episc. requiruntur 72. testes, ad Presbyterum Cardin. 64. ad Diaconum Cardinalem 27. ad reliquos Clericos 7. vt coustat ex *cap.* 3. *Præsul.* 2. *quæst* 5. ex Syluestro Papa : quamuia modò hoc ius non sit in vsu.

QVÆRAS LXVI. An, & quo modo in causis Regularium criminalibus testes singulares probent, quorum scilicet depositio cum nullius alterius depositione coniungitur, sed est ab omoi alia distincta.

Respond. quod qoamuis Valentia *tom.* 3. *D* 5. *q.* 14.
part. 2. §. 2. & Aldrete *de discipl. tuen. l.* 2. *cap.* 3. *num.* 28. 138
ea doctrina Caiet. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 2. *ad* 2. videantur sustinere in Religionibus omnia delicta probari posse per testes singulares, ea ducti ratione, quod in Religione ptoceditur contra delinquentes, non tam ad punitionem, quam ad emendatiooem delinquentis, & fauorem ipsius Religionis; sieque inter Religiosos, vt pote mottuos mundo, tolerabile videtur ad certitudinem moralem delicti sufficere probabilitatem, quam afferunt testes singulares; id tamen dicit Peyrin. *in formul. lit. T. cap.* 3. *num.* 7. esse falsissimum, probatque quia ex vna parte de iure est, vt nemo condemoetor, oisi de delicto conuictus *cap. nos in quemquam* 2. *quæst.* 1. ea alia parte testes singulares non coouineunt (vt plutibus probat Arag. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 2. §. *illud quoque*, & inde suadetur, quod requiritur ad integram probationem, vt saltem duo testes sint concordes, iuxta *cap. licet vniuersis, de testibus, & cap. licèt causam, de probat.* dicere autem quod, eùm Religiosi mortui sint mondo, ad eoa condemnandos oon requiritur tanta certitudo delicti, quanta requiritur ad condemuandos sæculares, eo quod illi sint in statu perfectiori; minùs rationabiliter videtur dictum; cum hioc potiùs oppositum colligatur, maiorem scilicet certitudioem delicti requiri ad condemoandos Religiosos : cum eorum fama pluris æstimari debeat, quam fama sæcularium,

rium, illorum infamia aliquo modo cedat in dedecus totius Religionis, & Religioso neganti delictum, quod ipsi obiicitur, ratione status, & gradus cæteteris paribus præstari debeat maior fides, quam sæcularibus. Caietanus certè loco citato, prætetquàm quod loquitur multum dubitatiuè, explicari potest quod, quando dicit Religiosum condemnari posse de furto per testes singulares, non loquitur de sententia absuluta, sed conditionali, si Religiosus taliter condemnatus velit acceptare sententiam:) & quidem ita, vt, si nolit acceptare, possit torqueri, & si tortus neget, à pœna furti omnino liberetur; nisi etiam quis velit dicere dictum Caietani intelligendum esse, non absolutè, sed quoad excludendum ab officio, quod prætendit Religiosus condemnatus: quo modo etiam posset benignè explicari Rodriq. *sup. q. 9. art. 5* sentiens cum Caietano.

Qværas LXVII. An Testes varij probent in causis Regularium.

139. Respond. non probare, nisi varient corrigendo dicta, aut dictum suum confirment in tortura. Ita Iul. Clar. Farinac Rice. & Villag. apud Peytinum *sup. num 8.* patetque ex *c. cum Ecclesia, de caus. possession.* si monuero testem varium dici illum, qui vel contraria deponit in eodem examine, aut in diuersis: vel primò testificatur per verbum, *Credo*, & deinde assertiuè: vel primò ait se nihil scire, & postea deponit de veritate facti: vel primò testimonium affert, & deinde negat se deposuisse. Dixi in responsione, *nisi varies corrigendo*, vt indicarem, quod notat Sanchez *l. 6. consil. cap. 5. d. 13 num. 2.* in casu scilicet, quo testis retractet incontinenti, standum esse vltimo dicto; cum sic ostendat se corrigere, vtpotè quasi ex inconsideratione locutum; non item, si retractet ex interuallo, antequam tamen pronuntietur sententia: tunc quippe stabitur priori dicto, quamuis illud debilitetur, adeò vt testis non reputetur omni exceptione maior.

Addit Sanch. *n. 3.* ex Nauarro interdum stari posteriori dicto testis; quando scilicet, consideratis circumstantiis personarum causæ, ac temporis, Iudici videretur testis reuocare prius dictum ex stimulo conscientiæ: quod sustinet etiam Laym. *l. 3. sect. 4. tract. 6. cap. 5. n. 20.* indicans doctrinam hanc procedere, si deponens de crimine postea errorem suum alleget, eius probabilem rationem afferens (sicut docet Abb. *cap. præterea, n. 4. de testib. cogend.* Couar. *2. resol. cap. 73.* Menoch. *de arbitr. Iudic. casu* 108.) addensque ex Delrio *l. 5. sect. 5.* & Couar. si ex manifestis indiciis appareat testem, aut denunciatorem, non ex leuitate, ac perturbatione, non prece, aut suasione testimonium suum corrigere, aut reuocare, etiam in crimine hæresis, & maleficij à Iudice audiendum esse; idque ex *cap. sicut, de testib.*

An autem Iudex teneatur attendere, ac æstimare reuocationem denunciationis post latam sententiam condemnatoriam denunciantis, quando is supplicio proximus ait innocentem esse illum, quem in iudicio falso denunciauit.

Respond. Laym. *num.* 21. quod licèt Binsfeldus, Delrius, & alij communiter dicant Iudicem non teneri attendere talem reuocationem; eo quod denunciatio in tormentis facta, & postea coram Notario ratificata inducat præsumptionem veritatis, ideóque non elidatur per subsequentem reuocationem extraiudicialem: tamen negari non potest hanc factam à morituro aliquatenus debilitare priorem denunciationem; vt si alia etiam indicia commissæ falsitatis accedant, contra denunciatam personam procedi non debeat.

Quod si hîc obiter quæras, quis dicatur testis omni exceptione maior.

Respond. esse illum, qui est fidei integerrimæ, nullaque exceptione legitima potest repelli, & ex certa scientia deponit de ipso facto, de quo inquiritur. Ita Farinac. *part. 2. praxis, quæst. 62. num. 1.* aliique communiter, qui benè notant eiusmodi testes requiri ad probandum in causis criminalibus, & vnum talem facere iudicium ad torturam. 140.

Qværas LXVIII. An testificantes in causis Regularium teneantur probare id, quod deponunt iuridicè.

Respond. non teneri, ideóque non excusari à testificando ob defectum probationum. Ita Sanchez *sup. c. 2. dist. 27. num. 1.* aliique, & colligitur ex *cap. plerumque 2. q. 7. cap. si tantum 6. q. 2. & c. si Sacerdos, de offic. ordin.* 141.

Qværas LXIX. Per quem debeant Testes examinari in causis Regularium, num per Iudicem ipsum, an per alium ab illo substitutum (v. g. per Scribam.)

Respond. Regulariter debere examinari per ipsum Iudicem, si causa, quæ tractatur, sit grauior, & Iudex non sit iusto impedimento detentus, aut certè testes non possint ad illum præsentialiter accedere; sic enim definitum est in iure multis locis allegatis à Rodriq. *sup. quæst. 14. art. 5.* & ratio suadet, quod talis substitutio est valdè periculosa, ac perniciosa Reis: cum sic informationi admisceri possint multæ falsitates ex imperitia, aut incuria substituti, & iudex ipse obligatus ad iudicandum secundùm allegata, & probata debeat iudicare iuxta prædictam informationem. Nec obstat, quod Iudex regularis non adstringitur apicibus iuris; siquidem examinatio testium coram Iudice, inquit Rodriq non spectat ad apices iuris, cum ad indagandam veritatem maximè conducat. 142.

In casu autem, quo Iudex cogatur committere Scribæ receptionem, ac examinationem testium; debet id ei committere per scripturam: aliàs quidquid fier vigore talis commissionis, erit nullum; cum Scribæ affirmanti talem commissionem sibi factam fuisse non credendum sit, prout cum communi tradunt Hostiensis Io. Andr. Alex Gregor. Lopez, & alij relati à Rodriq. qui addit cum Greg. Lop. dicta testium examinata per Scribam, si non sint deposita coram Iudice, & sint de causa grauiori, nullam fidem facere in iudicio, etiamsi Scriba ea acceptarit ex commissione sibi à Iudice facta in scriptis: quod est valdè notandum. 143.

Qværas LXX. An sit de valore iudicij, quod fit in causis Regularium, vt dicta testium scriptis excipiantur à Notario.

Respond. esse; idque tam in iudicio ordinario (in quo scilicet curatur de apicibus iuris) quam extraordinario, seu summario (in quo sola veritate inspecta proceditur postpositis apicibus iuris;) quamquam, si desit Notarius, seu Scriba, sufficit quod interueniant duo testes idonei, qui vniuersa iudicij acta conscribant. Ita Rodriq. *sup. art. 2.* & habetur *in c. quoniam contra, de probat.* his verbis: *Statuimus, vt tam in ordinario iudicio, quam in extraordinario iudex semper adhibeat aut publicam* (si potest habere) *personam, aut duos testes idoneos, qui vniuersa iudicij acta conscribant:* constat autem, quod Iudex Regularis subiacet dispositioni iuris communis. Vnde infert Rodriq. non videri iuridicè agere quosdam Iudices Regulares, qui non solùm non sumunt iuramenta à testibus eos examinantes in causis Regularium sed eorum depositiones propria manu scribunt: 144.

eo;

eo ducti fundamento, quod dicta testium tunc demum a Notario scribenda sunt, quando proceditur secundùm apices iuris, non autem quando proceditur de plano (vt in causis Regularium:) id quippe manifestè repugnat iis, quæ statuuntur in *cap. quoniam contra, paulò ante citato*, vt constat ex eius verbis; quod ius putat Rodriquez habere locum, etiam quando proceditur via inquisitionis, vti proceditur inter Regulares, teste Glossa communiter recepta.

Quo modo verò excusari possit consuetudo aliquarum Religionum, in quibus Iudices Regulares per se ipsos solent scribere ea, quæ iuridicè deponuntur à testibus, nullo Notario adhibito.

145. Respond. Rodriq. *sup. a* 3. posse excusari; siue quia sæpè inter Regulares agitur de causis minimis, quæ ea benigna interpretatione præsumi possunt non fuisse comprehensa illo iure citato; siue quia Religiosi videntes suos Iudices Regulares procedere magis ad correctionem, quam ad vindictam, renunciarunt iuri sibi competenti ex citato iure, suoque iudici potestatem faciunt procedendi absque forma in eo præscrita; cum tale ius factum sit in fauorem priuatorum, & quilibet renunciare possit iuri proprio iuxta *cap. Apostolicam, de Regul.*

QVÆRES LXXI. An testes in causis Regularium possint deponere suam testificationem in scriptis, recepto priùs iuramento de veritate dicenda

146. Respond. quod, quamuis Bartol *in l. Titiæ. ff. de dote præleg. n.* 12. sustineat testem posse scribere suum dictum, ac respondere per scripturam, sicque de facto fiat Venetiis, teste Rodriq. *sup. a.* 4. in causis tamen criminalibus non videtur admittenda consuetudo aliquorum Prælatorum Regularium, qui in visitatione sua generali suorum monasteriorum præcipiant subditis, vt ea, quæ intendunt denunciare, scribant, & propria manu subscribant; si quidem talis consuetudo est iuri minus conformis, redditque Iudici difficiliorem veritatis inquisitionem: etsi postea testis suum ferat testimonium legendo suam illam scriptutam: & ratio est quod, cum in causis criminalibus probationes debeant esse luce meridiana clariores; in scriptis mens testificantis non declaratur, vt decet; cùm viua vox habeat nescio quid energiæ, plurimumque conferat ad excutiendam veritatem. ita Rodriquez *vbi supr.* concedens tamen testimonium latum scriptis valiturum, si testis legens suam scripturam à Iudice interrogaretur super illa, & ipse testis sic respondere ad interrogationes, vt Iudex probabiliter inde posset conijcere scripturam illam esse veram: idque non solum in causis ciuilibus, sed etiam in criminalibus, quamuis in his maior requireretur declaratio.

147. Addit item Rodriq. non obstante doctrina tradita nequaquam condemnandos esse Prælatos Regulares, qui audientes minima in visitationibus Conuentuum, præcipiunt testibus, & denuntiatoribus ea scribi manu propria, sicque scripta ipsis tradi: de minimis enim non curat Prætor.

QVÆRES LXXII. An testes in generali, aut speciali inquisitione, imò etiam in denuociatione examinati ante litis contestationem (idest, priusquam reus citetur, & respondeat accusationi sibi datæ) aliquid probent contra reum.

148. Respond. nihil probare, quoad causam principalem, nisi primam suam depositionem medio iuramento ratificent post litis contestationem, & postquam reus negauit delictum: idque, tum ex *cap. 2. de testibus, & cap. veniens, el. 2. eodem titulo* vbi id exprefsè deciditur: tum, quia sine partis citatione nihil in iudicio fieri potest ea absente, tam de iure naturali, quam diuino: vt ostendit Aldrete *de discipl. iuen. lib. 1. cap. 9. num. 2. & seqq.* Quod si de communi stylo totius mundi, & quidem etiam approbato à Concil. Trident. *sess. 25. de reform. cap. 6.* ante citationem Rei soleot examinari testes contra ipsum ob multas rationes, quas adducit Aldrete *supr. num. 4.* id solum deseruit, quoad carcerandum reum, si fortè suspectus sit de fuga; ita vt ista prima examinatio pertineat tantum ad ordinem iudiciarium, ac informationem Curiæ, non autem ad causam principalem. ita Peyrinus *supr. numero* 11. aliique plures ab ipso citati, à quibus non dissentit Sanchez *lib. 6. consil. cap. 5. dub. 19. num. 4.* dicens doctrinam traditam esse communiter veram, dari tamen aliquos casus exceptos, qui videri possunt apud Syluestrum *v. testis quæst. 6. & cap. quoniam, vt lite non contest.*

Tempus autem, in quo possunt recipi testes, licèt communiter signetur illud, quo recipiuntur probationes (vnde & dicitur terminus probationum;) in aliquibus tamen casibus durat etiam post publicationem vsque ad sententiam diffinitiuam; vt quando Iudex procedit ex officio, & quando probatio fit in defensam alicuius innocentis: quin etiam adeò euidens potest esse innocentia, vt talis probatio fieri possit, etiam post sententiam diffinitiuam. ita Sanch. *sup.* ex Antonio Gomez *tom. 2. var. cap.* 13. *num.* 34. 149.

QVÆRES LXXIII. An, & quo modo in causis Regularium necesse sit, vt testes examinati ante litis contestationem iterum examinentur ad effectum condemnandi reum.

Respood. attenta doctrina tradita *quæst. præcedent.* videri omninò necessarium, vt testes in casu proposito saltem ratificent suum testimonium coram Iudice, & quidem cum iuramento; imò, si Iudex in ista repetitione testium timeret de falso, posset, & deberet illos iterum examinare ea proposito ad videndum, an concordent, necne: tuncque non sufficeret, quod testes dicerent: *Me remitto iis, quæ dixi in prima depositione*, sed possent cogi, vt iterum distinctè responderent, sicut docet Miranda *de ord. iudic. quæst.* 18. *art.* 6. *num.* 54. Colligitur autem probatio præsentis responsionis ex dictis *quæst. praced.* quamquam Portel. *part. 1. resp. moral. casu.* 20. *num.* 7. ex Rodriquez, Iosepho à S. Maria, Berto: & aliis putet, quod cum testificari ante, aut post litis contestationem videatur solum pertinere ad apices iuris & Regularium causæ ex priuilegio Bonifacij IX. expediri possint de plano, & non seruatis apicibus iuris: non est necesse, quod in causis Regularium seruetur ratificatio testium receptorum in inquisitione generali, quo modo seruatur in causis sæcularium. Verùm, si negemus præfatam repetitionem testium spectare solum ad apices iuris (sicut de facto negandum videtur ex dictis *quæst. præcedent.* & negant communiter DD. apud Peytin. *supr.*) neganda item est & hæc doctrina; præsertim cum ipsemet Portellus *num.* 8. sic tandem concludat: *His non obstantibus ego consulerem Prælatos Regulares, vt, si quidem hodie vel temporum malitia, culpatorum subterfugia, vel Prælatorum nimietas iam ferè apices iuris in Religiones inuexit, curent Prælati in visitatione generali illa quinque monita Nauarri (quorum vnum est, quod. cum inquisitio generalis non fiat ad damnandum, nec ad dicendum, sed solum ad inueniendum, ac preparandum, adeo quod per testes acceptos in illa, nemo potest damnari etiam postea in inquisitione, nisi repetantur)* sic ille addens ex eodem Nauarro *lib. 5. consil. cons.* 3. *num.* 4. consultum esse, vt Prælati regulares dupli-

cem

cem faciant visitationem: primam generalem, de nullo specialiter inquirendo: secundam specialem, quando videlicet resultante infamia aut probatione contra aliquem in particulari fit nouus processus contra illum citato eodem, & repetitis testibus antiquis, & aliis, qui à denunciatoribus visitationis generalis sunt indicati.

151. Cæterùm praxis repetendi testes in eo consistit, quod vocetur testis coram Iudice, ac Notario, eique deferatur iuramentum veritatis dicendæ, & interrogetur super examine aliàs facto, veranefuerint, & sint, quæ aliàs coram ipsis deposuit, eáque pro veritate dixerit, ac deposuerit; quod si affirmet, interrogari debet, num iis velit aliquit addere, aut detrahere, primúmque examē reuocare, siue in totum, siue ex parte, an potiùs illud confirmare, aut ratificare pro veritate in omnibus, & per omnia, sic Peyrinus qui posita formula talis praxis affirmat cum Iulio Claro non esse necessarium, quod in isto casu reus det interrogatoria, super quibus interrogetur testis, sed sufficere, vt testes examinentur à Prælato, aut alio de illius mandato, lecta tamen ipsis eorum depositione de verbo ad verbum; cum id spectet ad valorem talis repetitionis, sic ille *num.* 13.

Qværes LXXIV. Quandónam in causis regularium testes interrogati teneantur fateri veritatem.

152. Respond. teneri, quando iuridicè interrogantur, quando scilicet, vel procedit infamia, vel adest semiplena probatio. ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 43. Azorius *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 27. *quæst.* 1. aliique communiter, & probatur, tum quia subditus adstrictus iusto præcepto Prælati tenetur obedire: sic autem adstringitur, quando iuridicè interrogatur; tum quia occultans veritatem impedit executionem iustitiæ: quod vtique non est licitum.

153. Quin etiam tenentur testes fateri veritatem, etiamsi non iuridicè interrogentur, si delictum sit commissum in publicam perniciem, aut in damnum particulare alicuius tertij, quod vitari non possit absque eorum testimonio, sic S. Thom *sup.* Nauar. *cap.* 15. *num.* 17. Vall. *tom.* 3. *D.* 5. *quæst.* 14. *part.* 1. patet ex eo quod, sicut denuntiator tenetur statim denuntiare talia delicta: ita, & tenetur testis, præsertim ad seruandum innocentem.

Monet autem Lezana *v. testis num.* 3. ex Nauarro *cap.* 25. *num.* 40. & Sanchez *lib.* 6. *consf. cap.* 5. *d.* 7. Religiosos vocatos, vt testimonium ferant in aliqua causa, teneri aperire, quæ faciunt pro aduersario, &, si ea taceant, teneri de damnis hinc secutis: quippequi sunt causa talis damni, & damni dans causam damnum fecisse videtur, *cap. sicut de testi.* additque *num.* 4. ex Caietano, Corduba, Nauarro, Sanchez & aliis, eum, qui præter intentionem, morali diligentia vsus falsum dixit, non teneri de damno ex iustitia (cum iniustitiam verè non commiserit) sed solum teneri ex charitate retractare dicta eo modo, quo poterit.

Notat idem Lezana *num.* 2. ex Naldo, Portello, & aliis. Religiosum vocatum à suo Prælato, vt testificetur, si omittat testificari, hincque alteri sequatur damnum, teneri de damno; cùm sit eius causa; quippequi in tali casu tenetur obedire Iudici, & non obediendo violat iustitiam; vt aduertit Sanch. *sup. d.* 3. *num.* 4. monens *num.* 5. eum qui à Iudice non est vocatus ad testificandum, non teneri de damno secuto alteri ex eo, quod ipse eius fauorem non testificatur: siquidem ad id tenebatur solum ex charitate, non autem ex iustitia.

Qværes LXXV. An, & quando in causis regularium testes torqueri possint ad extorquendam veritatem, qoicumque demum ij sint, etiam sæculares.

Respond. posse; & constat ex eo, quod cui commissa est aliqua causa, licitum est inquirere ea omnia, sine quibus illa non potest expediri, pro vt dicitur *cap. præterea, de offic deleg. & l.* 2. *ff. de iurisd. omn. iudic.* sicque Iudex potest agere ea omnia, quæ possunt deseruire ad indagandam veritatem, (vt item habetur in variis iuribus citatis à Rodriquez *tom.* 2. *quæst.* 11. *art.* 1.) vnde cum ab inuito, ac suspecto non possit elici veritas, nisi per torturam, hæc poterit infligi etiam à Iudice Regulari. sic Rodriq. addens *art.* 2. ex Bartolo (cui dicit neminem contradicere) quod, quando testes sunt torquendi, neutiquam iis dari debet copia indiciorum, ac processus; cum plerumque tortura fiat super inquisitione generali ad inuestigandam veritatem, & aliàs oeque parti, neque testibus detur copia inquisitionis generalis: idque ex communi consuetudine; quamquam in hoc cautè procedendum sit. 154.

Et quidem quod etiam testis sæcularis possit torqueri à Iudice regulari, probatur; quia hoc ipso quod vir sæcularis in casu permisso acceptat testificari coram Iudice regulari, se eius iurisdictioni subiicit, eique fit subditus ratione fori iudicialis (vt colligitur, tum ex iuribus *supr.* adductis; tum quia qui vult formam debet velle consequentia ad formam, & qui vult antecedens, non potest non velle, & consequens necessariò connexum cum eo) sicque non sequitur in præsenti casu torqueri alienum subditum, iurisdictionemque exerceri in non subditum; cum sæcularis testificans coram Iudice regulari, ei verè fit subditus.

An autem debeant torqueri omnes testes, qui interfuerunt delicto.

Respond. quod, quamuis debeant torqueri testes, qui cùm delicto interfuerint, nihilominus dicunt se neminem vidisse, aut cognouisse; quippequi hoc ipso reddunt se suspectos, quod velint celare veritatem, vt deciditur *l. vnius, §. Iudex, ff. de quæstionibus*; non tamen omnes torqueri debent, sed tantum duo, aut tres, vt ex communi ait Bossius *in pract. de tortura testium, num.* 10. nisi quis malit dicere (& fortè probabilius) id relinquendum esse arbitrio iudicis, sicut notat Iulius Clarus *in pract. crimin. §. final. quæst.* 25. *num.* 8 oegans seruari in practica id, quod ait Bossius. Certè, si sustinenda sit doctrina Bossij, adhuc quærendum est, cur in casu, quo plures, quàm duo, vel tres interfuerint delicto, potius hi, quam alij eligi debeant ad torturam: vnde saltem electio torquendorum remitti debet arbitrio iudicis. 155.

Qværes LXXVI. Quæ solemnitas necessariò requiratur in recipiendo testimonio.

Respond. requiri primò, vt testis iuret se totam veritatem dicturum: secundò, vt partes, præcipuè aduersæ, vel alij ipsarum nomine sint præsentes, vt audiant, & videant testes, quando testificantur: aut saltem citentur, & moneantur, ita vt per ipsas stet, quo minus sint præsentes (intellige non quod partes audiant, quod testes deponant in particulari) (debent enim deponere in secreto,) sed quod videant, & audiant illos iurantes ad deponendum *c. in nomine, de testib.* (quamquam ista solemnitas in multis casibus deficiat, in quibus sufficit, quod post testium publicationem pars aduersa videat depositiones contra ipsam prolatas:) tertiò vt testis deponat viua voce: quartò, vt non recipiantur testes, nisi citate parte, & post litis contestationem: 5. vt testis 155.

testis non se vltro offerat, & in particulari non promittat testificari quid certum: 6. vt deponat ex certa scientia, idest, de visis à ipso, si obiectum sit visibile, aut de auditu proprio, si obiectum spectet ad auditum, sicque de aliis sensibus. ita Sanchez *lib. 6. consil cap. 5. disp. 19.* patetque ex dictis.

157. Notat Mandosius *q. 10. de priuil. ad instar, gloss. 1. num. 8.* generale esse testes, qui intra præfixum terminum, aut die iuridica iurarunt, posse deinde examinari siue die feriata, siue extra tempus præstitutum: ad idque adducit plures, ac graues Doctores.

De Forma ferendi sententiam in Causis Regularium.

- 158 *Explicatur, quid sit sententia iudicialis.*
- 159. *Ea est duplex; diffinitiua scilicet, ac Interlocutoria, quarum vtraque explicatur: Diffinitiua verò alia est Absolutoria, & alia Condemnatoria.*
- 160 *Sententia iudicialis alia iusta, alia iniusta, & quidem varijs modis, qui recensentur.*
- 161 *Non ferenda Sententia sine sufficienti probatione.*
- 162 *Etsi Reus interdum possit condemnari ob delicta negata, iuxta aliquos Doctores.*
- 163 *Confessio iudicialis Rei sufficit ad illum condemnandum.*
- 164 *Indicia, etiam violenta non sufficiunt ad Reum condemnandum (etsi alij id negent)*
- 165 *Ante condemnationem Reo aperiendus status causæ.*
- 166 *Citandus item Reus, etsi delictum illius nequeat defendi, ac excusari.*
- 167 *Ei concedendus Aduocatus.*
- 168 *Iudex Regularis non tenetur ferre sententiam in scriptis & è tribunali.*
- 169 *Tenet Sententia etsi in ea non exprimantur delicta, ob quæ fertur.*
- 170 *Regulariter ferenda à Iudice.*
- 171 *Ferenda verbis opportunis.*
- 172 *Iudex Regularis ex Iure scripto debet statuere Pœnas, etiam arbitrarias, si potest.*
- 173 *Pœna statuta pro certo delicto temperatur in 8. casibus, qui aducuntur.*
- 174 *Iudex inferior non mutat, nec declarat sententiam diffinitiuam à se latam.*
- 175 *Si dubia sit interpretatio.*
- 176 *Absolutus in Syndicatu non iterum conuenitur ob superuenientes probationes.*
- 177 *Regulares à Sententia diffinitiua communiter non appellant.*
- 178 *Explicatur, quid sit Purgatio canonica: ea fit duobus modis, coram Iudice, & necessariò in 3. casibus. Quis etiam illa est indicenda Religioso infamato de grauis delicto, etsi non semper.*
- 179 *Proponitur latè Forma practica procedendi Regularem in causa criminali*

QVÆRES LXXVII. Quid intelligatur nomine sententiæ iudicialis.

Resp. intelligi applicationem iuris ad factam particulare; siue hæc dicatur sententia iuris (vt quando
158. Superior habens potestatem condendi leges facit aliquod statutum super aliqua causa, aut negotio terminando, & quidem per modum perpetuæ constitutionis, sicque determinando factum simul constituit ius) siue dicatur sententia hominis (vt quando iudex iudicat inter partes determinando, & diffiniendo causam in odium alicuius mali perpetrati) & hæc potest definiri, quod sit diffinitio iudicialis finem imponens controuersiis, prolata à iudice competenti, continensque absolutionem, aut condemnationem. ita Sanchez *sup. cap. 5. disp. 9. num. 1.*

QVÆRES LXXVIII. Quotuplex sit sententia iudicialis.

Resp. esse duplicem, nimirum diffinitiuam, & interlocutoriam, diffinitiua est illa, per quam diffinitur principalis quæstio, & causa: habetque plures conditiones requisitas ad eius integritatem; vidilicet, 159.
quod sit absolutoria, aut condemnatoria, quod sit puta, quod sit iusta, quod detur sedendo, non stando, quod recitetur in scriptis, præsentibus partibus, aut citatis; quod proferatur à iudice, qui eam dat, nisi sit Prælatus, aut illustris: quod proferatur loco publico, & honesto &c. (quorum tamen aliqua non habent locum in iudicio Regularium) Sententia interlocutoria est, quæ non datur super causa principali, sed super aliqua alia quæstione mota inter initium, & finem litis (v.g. de repellendo aliquo teste inhabili:) sicque dicitur, quia dari potest sola locutione, sine scripturæ solemnitate, iuxta *c. significauit de testib.* Diffinitiua autem sententia, alia est absolutoria, & alia condemnatoria. absolutoria est, qua reus accusatus, aut denunciatus, aut inquisitus in iudicio declaratur immunis à delicto, quod ei modis dictis obiectum fuerat; siue id fiat, eo quod reus repertus sit innocens ab ipso iudice, qui cognouit eius innocentiam per semetipsum absque facto prætensi Rei: siue, quod reus prætensus manifeste probauit suam innocentiam: siue quod reus dictam innocentiam probauerit purgando indicia; Sententia condemnatoria est, qua delinquens iuridicè probatus reus à iudice competente ad iustam pœnam condemnatur ob delictum ab ipso commissum, & iudicialiter probatum: idque (siue specificè exprimendo delictum, siue illud non exprimendo) nisi in genere, vt aduertit Peyrin. *in formul. liter. S. cap. 3. num. 5.*

QVÆRES LXXIX. Qui sub diuidatur sententia iudicialis.

Respond. sic iterum subdiuidi. Alia est iusta, & alia 160.
iniusta; iusta est, quæ datur à iudice competente, ex causa sufficienti, & seruato ordine iuris, ad bonum, ac iustum finem: iniusta est, quæ aliquem defectum patitur; & quidem, cum gradus iniustitiæ possint esse plures, & varij; multiplex item est sententia iniusta: alia enim est iniusta iniustitia extrinseca, & accidentali ad ipsam sententiam; sicque est valida, tam in foro externo, quam conscientiæ (vt si fit iniusta ex defectu intentionis iudicis;) alia est iniusta ex defectu aliquo substantiali, ac intrinseco; & hæc valet in foro exteriori, imò & obligat in foro conscientiæ, quoad plura, quamdiu non cassatur, nec reuocatur in iudicio (vt si probatio non fuerit sufficiens, aut causa, in cuius fauorem iudicatur, sit iniusta:) alia denique est iniusta ex defectu substantiali, eoque ita claro, & aperto, vt merito neque in foro conscientiæ, neque in externo quidquam valeat; & hæc dicitur nulla; estque omnis illa, quæ continet manifestam iniustitiam, aut intolerabilem errorem; vnde non indiget appellatione, nec vt ordine iudiciario reuocetur, sed sufficit, quod constet de nullitate, ne concipiant scandalum, qui illam nouerunt *c. inter cæteras, de sent. & re iudic.* (vt si sententia lata sit contra leges, & canones, aut à Iudice incompetente, aut contra formam ordinis iuris substantialis, &c.) Qua de re Sanch. *sup. d. 10.* monens *n. 1.* quod, quando sententia est iniusta secundo modo, iudex inferior ordinatius, & minister, cui committitur à iudice, tenentur illam exequi iuxta *c. cum inter, modò allegatum.*

QVÆRES LXXX. Quæ probatio requiratur, & sufficiat ad ferendam sententiam iudicialem in causis Regularium.

Respond. In causis quidem ciuilibus cedentibus 161.
in

in damnom tertiæ personæ requiri probationem minùs euidentem, quàm in causia criminalibus ordinatis ad punitionem corporalem, ideoque sufficere famam cum vno teste, aut præsumptiones, & coniecturas multas verisimiles ad idem tendentes; in criminalibus verò causis requiri probationes luce meridiana clariores. ita Sanchez *supr. d.* 12. *num.* 4. *&* 5. aliique plures Canonistæ ab ipso relati; & probatur ex eo, quod, cum Iudex debeat esse valdè circumspectus in iudicando, cedente eios iudicio in damnum illorum, qui iudicantur: ius petit, vt, quo maius est bonum, de quo agitor in iudicio, eò maiorem Iudex adhibeat circumspectionem in iudicando, ne alias iniustè iudicet in præiudiciom tertij; cum ergo in caosis criminalibus agatur de bono maiori, quàm in ciuilibus, nempe de persona; in his tenetur iudex procedere maiori com cautela, sicque non iudicare, nisi clarè, ac patenter constet de delicto, contra quod laturus est sententiam: si quidem io dubio sanctios est absoluere noxium, quàm condemnare innocentem, *l. sciant cuncti, C. de probat*; Quamquàm aliqoid DD. apud Sanchez *num.* 5. excipiant ab bac doctrina generali hæresim, imò & assassinium, ac simoniam.

162. Respond. Non desunt tamen plures, & grsues Doctores, qui sustinent reum damnari posse etiam quoad delicta negata, si de iis sit conuictus à testibus fide dignis Iul. Cl. *lib.* 5. *praxis* §. *fin. quæst.* 66. *num.* 1. Sanchez *lib.* 6. *conf. cap.* 4. *d.* 3. *num.* 7. & Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 10. *cap.* 22. *num.* 40.

QVÆRES LXXXI. An, & qualiter confessio iudicialis facta ab ipso reo sit sufficiens probatio ad illum condemnandum.

163. Respond. esse, si reus confitens sit maior 15. annis: spontè confiteatuc, & non metu torturæ: confiteatur præsente parte aduersa, & cocam competenti iudice sedente pro tribunali: & quod confessus sit rem certam, quæ confessio non solum valet pto sufficienti probatione, sed etiam est efficacior quacunque alia probatiooe: vnde, data tali confessione, dicitur nullas esse pattes Iudicis in confitentem, idest examinatorias, benè tamen condemnatorias. Secùs, si confessio extocta sit metu, ac vehementia tormentorum, & postea non ratificetur eo modo, quo diximus *quæst.* 55. si ceus semel confessus dicat se errasse, probetque suum errotem ante sententiam: si confessio facta sit per procuratorem, & ante triduum reuocara: si sit facta ob fraudulentam, & falsam promissionem iudicis: si facta sit de re, quæ naturaliter videtur impossibilis, aut cepugnans, &c. ita Sanch. *cap.* 3. *d.* 13. *num.* 1. *&* 2. addens *num.* 3. quod, licèt ad confessionem spontè factam in iudicio non cequiratur ratificatio; oon ideo tamen reus statim est condemnandus post confessionem, sed debet ei signari terminus sufficiens ad suam defensionem; cum possit habere aliquam causam excusantem.

QVÆRES LXXXII. An dari possint aliqua indicia, quæ valeant pro sufficienti probatione ad condemnandum reum.

164. Respond. non posse dari, quantumuis ea sint violenta, ac indubitata; ratio est, quod ad fereodum sententiam in criminalibus requiruntur pcobationes certissimæ, & ipsa luce clariotes; indiciis autem semper subest aliquod dubium, vt patet; qood vtique à fortiori locum habet in iudicio Regularium, in quo noo proceditur, ita de rigore iuris. sic Sanchez *supr. d.* 14. *num.* 4. aliique innumeri, quos ducit, & sequitur Tiraq. *de pœn. tempor. causa.* 27. 10. *&* 11. contra Panormitanum sustinentem *cap. vestra, de cohibit. num.* 13. indicia violenta, ac indubitata aliquando sufficere ad ferendam sententiã etiam, in criminalibus, idque probantem ex *l. indicia, C. de rei vindicat, & l. sciat cuncti, C. de probat. & cap. afferte, de præsumpt.* cuius opinionem indicar Sanchez esse probabilem, boc ipso quod dicit suam esse veriorem, idest probabiliorem: Cum Panormitano sentiunt item Iulius Clarus *vbi supra quæst.* 20. *num.* 6. Alexand. *lib.* 2. *conf.* 23. *num.* 6. *&* 7. Anchar. *conf.* 277. *num.* 9. Suarez *supr. cap.* 12. *num.* 33. docentes reum posse coodemnari, etiamsi non sit conuictus de delictis ei oppositis; si extent indicia grauissima, ac præsumptiones violentæ: præsertim si delictum sit occultum, & difficilis probationis; idque maximè in Religionibus (inquit Suarez) iu quibus delicta non puniuntuc pœna sanguinis, aut alia simili: vbi enim veritas aliter nequit haberi in casibus obscuris, ac difficilibus, admittitur probatio per præsumptiones, & coniecturas. Marsil. *in pract. crimin. princ. num.* 13. Viu. *commun. opin. v. iuramentum*; quod est ita verum, vt probatiooes elicitæ ex præsumptionibus, ac coniectutis dicantur euidentes, non mious quàm quæ habentor per testes Rom. *conf.* 371. *n.* 8. Afflict. *decis.* 44. *num.* 15. & iuxta Emericum 2. *p. inquis. q.* 55. *num. vlt.* Carer. *de hæret. n.* 118. aliósque; vt dictarum præsumptionum reus damnari possit ad pœnam ordinariam; præsumptio autem violenta est conuioci per duos testes, qui in Religione sufficiunt ad condemnandum reum, concurrentibus aliis circumstantiis circa priocipale delictum. Sanchez *supr. cap.* 5. *d.* 9. *num.* 1. etiamsi in specie non loquatuc de Religiosis.

QVÆRES LXXXIII. An, & quomodo Iudex Regularis ante coodemnationem debeat apecire reo statum causæ, probationem, indicia, & testes.

Respond. debere, vt sic ei constet procedi iuridicè contra se, quidquid contra ipsum depositum sit. 165. ita Portellus *vbi supra*, §. *iudex, num.* 11. & ante illum Reginald. *lib.* 24. *num.* 41. citans pro se Nauarrum; paterque tum ex *cap. qualiter, & quando* 2. *de accusat.* tum quia in prædictis consistit copia defensionis, quæ omninò concedenda est reo.

QVÆRAS LXXXIV. An citari debeat reus in iudicio Regularium, antequam feratot contra ipsum sententia condemnatoria, si crimen sit adeo notocium, & probatum, vt reo comparenti, & audito nulla supersit excusatio, seu defeosio ob euidentiam facti, ac testium multitudinem.

Respond. videri probabilius, qund debeat citari. 166. ita Portel. *supr. v. correctio Fratrum, num.* 49. contra Nau. *conf.* 25. *de sent. excom. num.* 16. & Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 18. *art.* 1. oppositum sostinentes, præsertim in casu; quo Prælatus regolaris amouendus sit ab officio; paterque ex Extrauag. *Rem non nouam, de dolo, & contumac.* & Glossa, *ibi*, §. *quis quid*, vbi habetur, quod etiam in notoriis requirituc citatio; quo modo re vera notorius erat casus, de quo ibi agitur; quod est ita verum, vt Glossa *loco cit.* dicat neque ipsum Papam posse aliter procedere: si autem non potest Papa, vtique nec poterit iudex regularis: qua de re consulantur, quæ diximus *supr. quæst.* 59.

QVÆRAS LXXXV. An, & quando Iudex regularis teneatur dare reo subdito Aduocatum antequam illum condemnet, & qualem.

Respond. quod, cùm iure naturali vnicuique concedatur, vt in iudicio licitis mediis possit se defendere; & interdum reus se solo id non possit facere sine auxilio Aduocati (vt si reus sit illiteratus, & ignarus modi procedendi in iudicio; generaliter 167.

debet Iudex quicumque dare reo Aduocatum, qui eius partes sustineat, illúmque defendat, si viderit eum indigere tali auxilio, aut ipse reus illum petat. quod si id verum est de quocumque Iudice, erit & verum de Iudice Regulari; sicque etiam ipse tenebitur dare reo subdito Aduocatum; siue Regularem (quod omninò curandum est si fieri possit) siue sæcularem; si videat reum esse illiteratum, ideóque ad sui defensionem indigere opera Aduocati: maximè si ipse reus illum petat. Colligitur ex Portello *sup. v. reus, num. 6.* quatenus dicens cum Sayru *in Claui reg. l. 12. c. 7. n. 1.* non esse dandum Aduocatum sæcularem reo Religioso, quando is est literatus; hoc ipso à contrario sensu innuit illum dandum esse, si reus sit illiteratus, & causa, de qua agitur, sit grauior (vt hîc suppono:) quidquid ergo dicat Bertus *in pract. crimin. tit. 21 c. 1. à num. 3.* sub opinione esse, an extra periculum vitæ dandus sit Aduocatus Religioso ordinario ob bonum, & pacem Ordinis; ego puto omnino dandum esse, talémque credo esse praxim ferè omnium Religionum, quando causa, de qua agitur est grauior; vnde non video, quo modo Rodriquez *tom. 2. q. 20. art. 4.* absolutè supponat in Religionibus non dari Regularibus Aduocatum ad se defendendum, cum id vel sit de iure naturali, vel certè valde conforme lumini naturali.

QVÆRES LXXXVI. An Iudex regularis teneatur ferre sententiam condemnationis contra reum in scriptis, & sedens pro tribunali.

168. Respond. non teneri; quamuis in *cap. etsi sententia. de re iudicata in 6.* habeatur sententiam diffinitiuam ferendam esse in scriptis, alioquin esse ipso iure nullam, idque pluribus probet Scaccia *de sent. c. 1. glos. 12.* addens *n. 2.* non sufficere illam edi in scriptis, sed præterea debere recitari in scriptis. Ita in terminis Lezana *tom. 1. c. 27. n. 18.* & ante illum Aldrete *l. 1. de disc. tit. c. 17. n. 3. & 4.* à quibus non dissentit Sanch. *l. 6. consil. c. 3. d. 9. n. 4.* vbi afferens aliquos casus, in quibus non est necessarium sententiam dari, aut proferri in scriptis sic concludit, *Et in omnibus casibus, in quibus secundum ius procedit* (i. Iudex) *de plano, & sine strepitu iudicij:* & *d. 11. n. 1.* vbi explicans, quid sit procedere de plano, dicit cum aliquibus esse idem, quod procedere sine strepitu iudicij, ita vt non teneatur iudex sedere pro tribunali, *&c.* ex quibus sic arguo pro præsentis responsionis probatione; tunc demum ferri debet sententia diffinitiua in scriptis, & proferri à Iudice sedente pro tribunali, quando Iudex procedit in iudicio secundum apices iuris: at Iudex regularis ex indulto Bonifacij VIII. non tenetur in causis Religiosorum subditorum procedere apicibus, & rimulis iuris seruatis, sed de plano, & absque strepitu iudicij (vt ostendimus *n. 42.* ergo neque astringitur ferre sententiam condemnationis in scriptis, nec sedendo. Illud tamen benè aduertit Lezana in casu, quo Iudex Regularis velit viua voce ferre sententiam diffinitiuam contra reum (vt potest) debet citare reum ad illam audiendam; idque censeo esse omninò necessarium: cum talis sententia sit veluti quædam lex, seu præceptum, quæ non obligant, nisi sufficienter intimentur subditis, qui iure subiectionis tenentur ea obseruare.

QVÆRES LXXXVII. An sit de valore sententiæ diffinitiuæ latæ à Iudice Regulari, vt in ea assignetur causa, ob quam fertur, nimirum specificè in ea exprimendo delicta, ob quæ fertur.

169. Respond. Portel. *sup. v. correctio Fratrum, n. 59.* ex Iulio Claro communiorem sententiam, & praxim seruare, quod in sententia ponatur causa, ob quam fertur; sententiam tamen valere, etsi modo dicto in ea non assignetur causa, solúmque dicatur, *viso processu, &c.* exprimendo in genere illum, contra quem fertur sententia, esse reum grauissimorum criminum, & talem probatum. quod sine dubio admittit Peyrin. *in formul. lit. S. c. 4* hoc ipso, quod ibi apponit formam sententiæ condemnatoriæ absque expressione causæ. hæc autem responsio si habet verum in iudicio sæculari, à fortiori habebit in regulari, in quo (vt sæpiùs dictum est) non ita proceditur seruatis apicibus iuris.

QVÆRES LXXXVIII. An Iudex Regularis teneatur ipse ferre sententiam per se, vel etiam possit per alium.

Respond. quod, quamuis non repugnet illum eam ferre etiam per alios (v. g. per Notarium, seu Scribam) cum faciens per alium per se ipsum facere videatur, & sic de facto feratur ab Inquisitoribus; vt aduertit Castr. Pal. *tract. 4. D. 8. p. 11. num. 7.* regulariter tamen expedit, & decet, vt id faciat per se ipsum: cum sic exerceatur actus principalis iurisdictionis, & ipsa sententia maiorem quamdam authoritatem habere videatur, maiorémque terrorem incutiat. talem certè puto esse praxim Religionum; eaque est obseruanda. 170.

QVÆRES LXXXIX. Qua forma verborum à Iudice regulari exprimi debeat sententia, tam interlocutoria, quàm diffinitiua, siue absolutoria, siue condemnatoria.

Respond. posse, & debere exprimi ea verborum forma, qua exprimuntur à Peyr. *sup. lit. S. c. 1. a. 3. & 4.* 171.
aut certè alia forma æquiualenti, quæ facilè poterit colligi ex formis, quas ipse ponit in extensum locis citatis: vnde non est, cur nos eas hîc referamus.

QVÆRAS XC. Quo modo debeat se habere Iudex Regularis in statuendis pœnis, tum iure præscriptis, tum arbitrariis.

Respond. in statuendis quidem pœnis iam certo 172.
iure præscriptis, recurrendum illi esse in primis ad statuta, aut regulam proprij Ordinis (si quæ sunt) his verò deficientibus ad Ius canonicum, tum demum ad ius ciuile (intelligendo nomine iuris ciuilis primò ius illius regni, in quo degit Iudex Regularis;) in imponendis verò pœnis arbitrariis maximè attendendam esse æquitatem adeò commendatam in Concil. Trid. *sess. 13. c. 1. de reform.* magnáque prudentia procedendum de similibus ad similia, benè perpensis concurrentibus circunstantiis; nimirum quis sit delinquens; num soleat talia delicta sæpè committere, vel casu deliquerit; num sit doctus, an indoctus: num Sacerdos, an laicus; num deliquerit lacessitus, aut spontaneè: num cum scandalo, vel non; præterea in quo loco delictum fuerit commissum: quæ diuturnitas, ac grauitas delicti; qui modus irrogatæ iniuriæ, quæ eius atrocitas, ac damni dati magnitudo; insuper quæ persona fuerit offensa: aliáque id genus, quæ accuratius examinari debent in arbitrandis huiusmodi pœnis. Ita Rodriq. *tom. 2. q. 22. art. 3. & 4.* & cum eo Portell. *sup. v. correctio fraterna, num. 51.*

An autem, & quando Iudex Regularis possit augere, minuere, aut commutare pœnam statutam iure proprio, siue communi; constat ex iis, quæ diximus *in tract. de pœnis c. 1. sect. 1. q. 17.*

Moneo hîc vnum ex Sanch. *l. 6. consil. cap. 1. d. 21.* 173.
num. 11. dari plures causas, ob quas potest temperari pœna delicto præfixa; octo recenset Sanch. sed quæ magis faciunt ad rem nostram, sunt tres: 1. est si ex diminutione pœnæ meritò speretur emendatio delinquentis: 2. si post patratum delictum transeat aliquod magnum interuallum, aut tempus *l. si diutino, ff. de pœnis*, (intellige, nisi reus fuerit quidem accusatus,

accusatus, sed propter eius absentiam non potuerit puniri:) 3. si reus accusatus statim sponte fateatur crimen, & non metu probationum: idque nisi inde immineat periculum animæ, aut Ecclesiæ, vel bono communi: denique causa iusta minuendi pœnam est quælibet circumstantia, ex qua delictum reddatur leuius: cum enim pœna incurratur propter delictum, si hoc decrescit, æquum est, vt & illa decrescat.

Qværes XCI. An Iudex Regularis inferior possit mutare, aut interpretari sententiam à se semel latam.

174. Respond. non posse, loquendo de sententia diffinitiua: idque esse adeò verum, vt procedat, etiamsi postea manifestum fieret iudici sententiam à se latam esse iniustam ex fide instrumentorum ipsi post sententiam exhibitorum. & ratio est, quod iudex vbi tulit sententiam, functus est iam officio suo, *l. iudex, ff. de re iudic.* & *cap. in literis, de offic. deleg.* sicque ei non superest amplius quid faciat. Ita Couar. *l. 1. var. cap. 1. num. 4.* aliique, quos refert, & sequitur Sanch. *sup. d. 24. num. 2.* addens id procedere etiam in Iudice arbitro; qui Doctores non loquuntur quidem in specie de Iudice regulari: cum tamen militet eadem ratio etiam quoad ipsum, idem debent dicere & de illo iuxta regulam, *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio.* notat tamen Sanchez *num. 3.* eiusmodi doctrinam pati aliquas exceptiones, quæ videri possunt apud ipsum, suntque satis rationabiles, ac iustæ.

175. Quod autem spectat ad interpretandam sententiam à se latam docet Sanch. *n. 4.* ex Syluestro *v. iudex 2. q. 8.* & aliis Iudicem inferiorem non posse interpretari suam diffinitiuam sententiam, si dubia sit interpretatio: secùs, si sit clara, ac iuri consona; quin etiam Iudex superior potest sententiam à se latam absolutè interpretari, dummodò eam non corrigat, aut mutet.

Qværes XCII. An contra Regularem iudicialiter absolutum à delicto obiecto possit per alium Iudicem iterum iudicialiter procedi.

176. Respond. non posse, siue fuerit absolutus, eo quod à Iudice cognitus sit innocens absque facto prætensi Rei: quatenus scilicet non est probatum quidquam con. ipsum, nec adsunt indicia, quibus ille posset citari, ac examinari; siue quia reus prætensus suam innocentiam manifestè probauerit (ostendendo v. g. testium falsitatem, aut aliter probando se non potuisse esse auctorem delicti obiecti) siue quod propriam innocentiam probauerit purgando indicia: idque etsi absolutio facta sit cum clausula, *stantibus rebus pro vt stant*; quæ solet apponi in tali modo absolutionis. Ita, aliis citatis Peytin. *in formul. lit. S. c. 1.* addens dicta procedere in primo, ac secundo casu, etsi superueniant postea noua indicia, ac probationes (cum sic absolutio transeat in iudicatum, & res iudicata amplius indicari non possit, *l. res iudicata, ff. de reg. iur.*) imò & in tertio casu ad tollendas occasiones diffidiorum ac malignitatum: quod etiam sustinet Spatharius *tract. 10. cap. 11. num. 1.* contrà communem aliorum DD. sententiam.

Qværes XCIII. An Regulares possint appellare à sententia diffinitiua proprij Iudicis, & quando.

177. Respond. non posse, nisi in casu, quo per dictam sententiam notabilis iniuria inferretur Religioso in vita, fama, honore, ac æstimatione (& de tali iniuria euidenter constaret; idque etiam in Societate Iesu aliàs habente priuilegium, quod eius alumni non possint appellare à mandatis, institutis, ordinationibus, ac correctionibus cuiuscumque Superioris Soc. etiam ad ipsum Papam: si quidem, vt aduertit Sanch. *sup. cap. 8. d. 2. num. 25.* per tale priuilegium non tollitur, quo minus possit appellari à sententia condemnatoria iudiciali, sed solùm à correctione, mandatis &c.

Qværes XCIV. An Iudex regularis Religioso infamato de aliquo delicto possit, & debeat indicere purgationem canonicam.

Pro responsione suppono 1. Purgationem canonicam consistere in eo, quod quis iuxta statutum Iuris canonici se immunem ostendat à delicto sibi obiecto; vt colligitur ex 2. q. 5. 178.

Suppono 2. Purgationem canonicam fieri posse duobus modis: primo per iuramentum solum ipsius purgantis faciendum his, aut similibus verbis: *Iuro me tale crimen non commisisse, nec mandasse, nec consuluisse, nec fauisse, nec meo nomine factum ratum habuisse:* idque iuxta *cap. si quis viduam, d. 50.* & *c. cum ad sedem, de restit. spoliat.* (quod iuramentum interdum sufficit, siue ob causæ leuitatem, sine ob personæ auctoritatem:) secundò per iuramentum, tum Rei infamati, tum simul aliorum ipsum compurgantium, qui sint probatæ vitæ; & scientes eius conuersationem iurent se credere dictum infamatum iurasse verum se purgando: (& hoc iuramentum est necessarium quando auctoritas infamati non est tanta, & crimen non est adeò leue, vt sufficiat solùm iuramentum personæ infamatæ:) compurgantium autem numerus non est determinatus, sed prudentiæ Iudicis committitur iuxta qualitatem delicti; vt colligitur ex *c. presbyter 2. q. 4.* & aliis iuribus.

Suppono 3. eiusmodi Purgationem faciendam esse coram Iudice: non videri tamen necessarium, quod fiat coram populo, si purgans apud illum sit infamatus: dummodò facta coram Iudice competenti per actum iudicialem posteà innotescat.

Suppono 4. talem Purgationem in quibusdam casibus necessariò faciendam esse ad hoc, vt reus maneat liber à pœna, & infamia: 1. si ille laborat publica infamia orta ex probabilibus, & apud viros probos, nec potest maiori probatione conuinci *c. presbyter 15. q. 5. 2.* si Iudex procedit via accusationis, aut inquisitionis, & non reperit contra aliquem, nisi semiplenam probationem *cap. inter, de purgat.* & *cap. omnibus 2. q. 4.* tertio si ex processu, & actibus contra aliquem remanet vehemens suspicio apud honestos viros, & non solùm apud iudicem; in his inquam casibus, quando deest sufficiens probatio, reo indicenda est purgatio.

Suppono 5. quod, quando alicui reo indicitur Purgatio; siquidem is legitimè se purget, debet Iudex illum liberare à pœna infamiæ, denunciando ipsum esse hominem boni testimonij: hic enim est effectus purgationis ritè factæ, *cap. ex tuarum, de purgat.* si verò deficiat in purgatione, tunc puniri debet, at non eodem modo, sed maiori pœna, si contra eum procedatur via accusationis, miniori verò, si via inquisitionis, aut denunciationis; his sic suppositis.

Respond. religioso infamato de aliquo graui delicto indicendam esse canonicam purgationem à Iudice Regulari, si infamia sit scandalosa, & speretur eam sic posse sedari: idque etsi illa orta sit à personis maleuolis. Ita in terminis Rodriq. *tom. 2. quæst. 1. t. art. 1.* negans tamen Religiosum deficientem in purgatione esse puniendum, tanquam conuictum, etsi contra ipsum procedatur via accusationis: patetque ex dictis. 179.

Si quis autem cupit videre in extensum, qua verborum forma debeant fieri iuridica denunciatio, inquisitio, accusatio, citatio Rei, eiusque examen,

examen testium, processus, appellatio, & sententia, consulat Peyrinum *in suo formulario*, ibique reperiet has omnes formas. Placet hîc apponere breuem, & practicam formam. processandi Regularem in causa criminali, quæ paucis mutatis deseruiat tam Iudici ordinario, quàm delegato, & est sequentis tenoris.

Forma Practica processandi Regularem in causa criminali.

Præuia infamia publica graui delicti contra aliquem Religiosum, aut certè accusatione competenti præmissa conuenitur reus, & incarceratur.

Facta incarceratione proceditur ad causam, siue per Iudicem ordinarium (si velit) siue per delegatum electo ad talem effectum Notario, seu Secretario Regulari, cui omninò dandum est iuramentum; is autem fideliter debet excipere dicta testium, ac Rei, non autem examinare, &c.

Porrò, si delegandus sit Iudex, literæ delegationis esse poterunt præsentis tenoris: *Eligimus te ad causam criminalem N. N. cognoscendam, prosequendam, & peragendam iuxta prudentiam, ac peritiam tuam, de qua summopere confidimus: ac proinde tibi impartimur potestatem examinandi tam reum, quàm testes quoscumque duxeris examinandos, & quæcumque alia præstandi ad veritatem eliciendam necessaria, præmisso etiam iuramento prout de more, & quatenus opus fuerit*, &c.

His peractis deuenitur ad processum informatiuum (cuius titulus posset esse is: *Processus criminalis fabricatus à N. N. contra N. N. criminaliter conuentum) more tamen regulari, seruato iure naturæ, non autem apicibus, ac subtilitatibus iuris: ex potestate ipsi delegata à N. N, prout constat ex literis delegationis ipsi traditis* (quæ inferendæ sunt in processu, vt constet de eius validitate:) *quæ postrema verba omittentur, si processus formandus erit ab Iudice ordinario.* Antequam tamen inchoetur processus, citandus est reus modo superiùs explicato: id enim est de validitate processus.

Cæterùm in instituendo processu ad examen testium in primis proceditur dato illi iuramento de dicenda veritate, sicque poterunt illorum dicta registrari in processu.

Anno 1640 die 1. Iulij citatus more regulari N.N. comparuit, & delato iuramento ad dicendam veritatem iurauit: & interrogatus, quid certi sciat de his, aut illis delictis (quæ debebunt exprimi) *respondit*, &c.

Absoluto examine testium, Iudex vnà cum Secretario adit locum, in quo examinandus est Reus, præmissâque breui exhortatione reo de dicenda veritate, siue id fiat extra carcerem, sicut regulariter fieri debet, si possit; fiat in ipso carcere (quod simpliciter loquendo potest fieri, expressa tamen in processu causa, cur reus eductus non fuerit extra carcerem) & deuenit ad interrogationes concernentes delictum reo imputatum: quæ interrogationes vnà cum responsionibus Rei debent registrari à Secretario in processu similibus verbis: *Anno 1640. die 5. Iul. in carcere (à quo iustis de causis non poterat discedere) examinatus fuit N. N. delato ipsi iuramento* (quod nullo modo omitti debet, quotiescumque examinatur de nouo) *interrogatus respondit*, &c. Debet autem reus interrogari, priusquam incipiat examinari, num in monasterio aliquem habeat inimicum, aut saltem suspectum, & quam ob causam: & bisque nominatis, ac registratis in processu debet vlteriùs interrogari an eos ita inimicos, aut suspectos habeat, vt credat, vel saltem dubitet illos contra se deposituros fuisse falsum, cum iuramento; interrogandus item ante institutionem processus de causa carcerationis, an aliàs fuerit carceratus, qualitates parẽtum eius quæ sint, quæ nomina, & alia id genus: quæ omnia fideliter registranda sunt in processu.

Finito processu informatiuo Secretarius hæc subdat: *Ego N. N. tanquam Secretarius electus iuramento meo assero nullum ex testibus me in hoc processu examinasse, ac interrogasse: sed hoc munus exercuisse Patrem N. N. tanquam Iudicem delegatum* (vel si sit ordinarius, tanquam Iudicem Ordinarium:) *sicut etiam ipse personaliter interrogauit, ac examinauit; & ita esse attestor & confirmo ego supradictus.*

Hisce peractis, fabricatur à Iudice nouus processus, qui dicitur offensiuus, & defensiuus simul; in cuius initio inseri debet præfatio declaratiua potestatis illius, vt supra, debéntque apponi similia verba: *Expedito processu informatiuo contra N. N. reum conuentum, & carceratum iuxta morem regularem fabricato volens Pater N. N. ad hanc causam peragendam delegatus* (vel si sit Iudex ordinarius, tanquam Iudex ordinarius in hac causa peragenda) *procedere ad vlteriora, & concedere (vt par est) reo prædicto defensionem, qua se expurget ab indiciis contra ipsum militantibus tam respectu furtorum, quàm aliorum delictorum ipsi imputatorum* (hîc registrantur præcipua capita rerum, ob quas damnandus est reus, si se non expurget) *& simul etiam se defendat à testificatis contra se, suppressis testium nominibus die 15. Iul. 1640. dedit, & obtulit infrascriptum processum compendiatum, eique intimauit, vt quamprimum se defendat, ac expurget ab vniuersis ibi oppositis: & si velit etiam in suæ auxilium patrocinium alicuius Patris è monasterio, eligat, ac nominet quem malit.*

In hoc autem processu ponuntur omnia, & singula (compendiata tamen) quæ reus aut confessus est, aut negauit: & quidem vna cum dictis testium iam examinatorum, confrontantibus propria assertione, quæ negauit reus, aut confirmantibus ab eodem confessa in hunc modum *Tu negas* hæc, & hæc, quæ debent exprimi in specie.

Tu confiteris hæc & hæc, quæ item exprimenda sunt in specie.

Tum hîc processus à Secretario inseritur cum nominibus testium alteri processui informatiuo: deinde extrahitur ex eo copia, seu exemplar tacitis testium nominibus, compendiata tamen; & Iudice præsente à Secretario datur reo. Hoc facto eidem reo datur facultas eligendi Aduocatum modo dicto, & insuper consulendi quemcumque ex monasterio in sua causa: necnon loquendi alios ad crates ferreas; & id ipsum registrari debet in processu similibus verbis.

Data est N. N. reo conuento, & carcerato copia processus offensiui, ac defensiui simul, vt se purget, ac defendat ab obiectis, & testimoniis contra ipsum legitimè deductis in iudicium, seruato more regulari: & vt possit per aduocatum aliquem è monasterio se defendere; copia autem præfati processus data est reo non extensa, sicut hîc scripta est, quoad varias circumstantias accidentarias, quas ipsi reo notificare nec vtile, nec necessarium, nec iustum erat; substantia tamen dictorum contra ipsum, & aliorum extantium integrè, & perfectè data est illi, itaut possit plenissimè cognoscere statum causæ suæ, & qualitates delicti, & in quibus possit, aut non possit se defendere.

His peractis deuenitur ad defensionem, sicque vbi Aduocatus Rei fuerit paratus, debet comparere

coram iudice, & Secretario, & afferre defensionem ad singula puncta: prout fuerunt proposita: comparente ergo Aduocato, Secretarius scribat hoc modo:

Defensio N. N.

Anno 1640. *die* 29. *Iulij, comparuit Pater N. N. electus Aduocatus ad sui Rei defensionem à N. N. reo conuento, & carcerato:* postea verò registratur in processu, quidquid ipse Aduocatus respondet ad singula puncta.

Finita tali defensione datur reo proroga temporis ad sui defensionem, saltem per diem: quo tempore elapso, si quid attulerit ad defensionem, registratur in processu: postea verò dicta defensio sic à Secretario concluditur: *Anno* 1640. *die* 7. *Augusti, comparuit Pater N. N. tanquam Aduocatus N. N. Rei, & dixit se non habere aliud, quod possit afferre in defensionem sui rei, ideoq; se remittere ad dicta in singulis punctis, eaq; confirmare.*

Hoc habito responso, debet iudex formare statum causæ criminalis contra reum, in eo apponendo: 1. dicta contradictoria, si quæ sunt: 2. ea, in quibus reus conuincitur à testibus: 3. quo pacto reus variis modis conuincatur, qui debent exprimi: 4. quæ reus ipse fatetur: 5. quibus in rebus veniant in contradictionem vnico conteste.

Status causæ Criminalis contra N. N. reum.

Anno 1640. *die* 10. *Augusti, Pater N. N. auditis defensionibus factis pro N. N. à Patre N. N. volẽs procedere vlterius infrascriptum statum causæ confecit, quem traderet pro vltimo peremptorio reo, vel eius Aduocato ad vltimam defensionem:* postea verò apponantur 1. dicta contradictoria: 2. confessa, in quibus conuincitur à testibus: 3. negata, in quibus quasi conuincitur variis modis: 4. quæ reus ipse fatetur: 5. ea, in quibus venit reus in contradictionem vnico teste. Negata verò à reo, & ab eodem confessa decerpi debent ex defensione facta ab eius Aduocato, si ibi sint, sin minùs ex processu informatiuo eiusdem rei.

Facto à iudice tali statu causæ, & à Secretario transcripto traditur Aduocato, ipsum monendo, vt reus se purget, non quidem in iis, in quibus conuictus est à contestibus, neque in iis; quæ iam confessus est, sed in aliis, quæ manent purganda: vti sunt iodicia, quibus indiciatur grauiter se aliquid fecisse: assignatur autem terminus 3. aut 4. dierum.

Non solùm autem dicta copia compendiata processus, sed etiam status causæ, prout est fabricatus à iudice, à Secretario registrari debet in processu addita in calce dicti status tali declaratione: *Anno* 1640. *die* 14. *Augusti, copia substantialis, integra tamen, & in nullo deficiens præfati status causæ exhibita fuit reo, intimando ei, vt se purgaret ab indicio Patris N. N. & ab indicio Patris N. N. insuper pro hac vltima defensione peremptoria assignati sunt ei quatuor dies: intimata sunt ei tormenta, si irrationabiliter negaret veritatem.*

Data copia præfata reo, aut eius Aduocato, expectatur defensio, seu responsio, quo accepto registratur à Secretario similibus verbis: *Anno* 1640. *die* 16. *Augusti N. N. ad vltimum peremptorium Aduocato suo respondens dixit se nihil habere, quod respondeat ad indicia Patris N. N. sed solùm dicit esse falsum, quod ei opponitur: ad 2. indicium respondet*, &c. His finitis, concluditur processus subscriptione iudicis delegati, & Secretarij electi: &, si quid posthac acciderit, siue in fauorem, siue in præiudicium Rei, inseritur processui, adnotando diem, mensem, & annum, in quo fit adnotatio.

Illud hîc aduertendum, quòd si testis modò examinandus ab alio iudice fuit examinatus, eius interrogatio, ac responsio registrari poterit, & debebit in processu similibus verbis: *Anno* 1640. *die* 18. *Iulij, citatus more regulari N. N. comparuit, & delato iuramento, interrogatus circa præsentem causam respondit se ratificare dicta in priori processu* (facto scilicet ab alio iudice) *prout iacent, & sunt registrata pag. tali, atque perlectis omnibus coram illo ea ratificauit, prout iacent, & dimissus est.* Quòd si testis in tali casu habeat aliquid, quod addat, addatur à Secretario in processu modò superiùs explicato.

Sectio III.

De Pœnis iudicialiter infligendis Regularibus certa genera Delictorum committentibus.

180 *Regularis, qui non est Sacerdos, Missam celebrans iudicatur modò ab Inquisitoribus, abijcitur à foro Ecclesiastico, & ab ordinibus, si quos habet, degradatusq; traditur brachio laico puniendus; idq; etsi minor sit ætate annorum 25.*

181 *Plures Missas celebrans eadem die punitur, pœna arbitraria iuxta concurrentes circumstantias: at is non est irregularis, nisi impropriè: communicans Sacerdos more laico sine Stola, modò nulli subest pœnæ, imò nec peccat: Missam celebrans, & Sacramentum in ea non sumens per annum suspenditur à Missa celebranda: quod tamen fallit in aliquibus casibus, qui proponuntur: celebrans plures Missas eadem die simpliciter non videtur iudicandus ab Inquisitore: interdum suspendendus in pœnam à Missa celebranda: Missam inchoatam sine causa intermittens subditur, tum excommunicationi maiori ferendæ, tum Suspensioni à Missa celebranda, sed ferendæ; quod alij negant.*

182 *Audiens confessiones, cum non sit Sacerdos, punitur pœnis propositis* suprà num. 180. *&, si in Hispania is sit laicus, sed honestus, damnatur ad triremes.*

183 *Sacerdos audiens confessiones sine Ordinarij approbatione, suspenditur à iurisdictione habituali in ordinatione suscepta, vsque dum condignam egerit pœnitentiam: non autem subest pœnis latis* suprà num. 180. *siue audiat non approbatus, siue suspensus ab approbatione: etsi audiens absque approbatione excommunicari possit ab Episcopo ex Gregorij XV. bulla* Inscrutabili.

184 *Violans sigillum confessionis, deponitur à quouis munere sacerdotali, & perpetuò detruditur in monasterium: violatio autem probatur ex iuridica confessione Confessarij, aut, si is neget, ex variis circumstantiis Confessarij, Pœnitentis, & Accusatoris à Iudice perpendendis: quòd si Confessarius probet se rem reuelatam aliunde sciuisse, quàm ex confessione, standum eius probationi: putant aliqui posse Confessarium loqui cum Pœnitente de auditis in confessione ex licentia ab eo petita, etsi non obtenta: violatio autem hæc spectat ad Inquisitorem, si sit coniuncta cum Hæresi.*

185 *Solicitans in confessione Pœnitentem ad turpia, pu-*

niendus pœnis statatis à Gregorio XV. in bulla Vniuersi.

186 *Delinquens in Sacramentorum administratione, punitur pœna arbitraria iuxta circumstantias occurrentes, & quidem etiam ab Ordinario, etiam censuris Ecclesiasticis.*

187 *Prædicans sine licentia Ordinarij, punitur pœna arbitraria iuxta præsentes circumstantias: indebitè loquens de Conceptione B.V. Mariæ iudicatur ab Inquisitore, est excommunicatus ipso facto, aliasq; pœnas incurrit: publicans verò indulgentias indiscretas puniendus more Regulari.*

188 *Regularis proprietarius priuatur voce, ac sepultura Ecclesiastica; non item si donet indebitè,* &c.

189 *Faciens vetitas largitiones, subest pœnis latis in decreto Clementis VIII.* de largit. mun. *& confirmato postea, ac moderato ab Vrbano VIII. Item alienans bona monasterij est excommunicatus, & subest aliis pœnis, quæ proponuntur.*

190 *Dilapidator bonorum monasterij spoliatur omni dignitate, & administratione in perpetuum, & ad infamiæ notam carceri emancipatur: imò contra Abbatem sic dilapidantem conspirant subditi.*

191 *Religiosi fures deponendi, imò & verbaliter degradandi, ac in arctum monasterium detrudendi: at non eijciendi in præsentia, etsi incorrigibiles quoad furtum: sunt item excommunicati, si sacra furentur effringendo portas, armaria, aut fenestras Ecclesiæ. Religiosus furans cum Clerico puniendus à Prælato regulari: depositio non infligenda ob furta minora: Religiosus furans de bonis Conuentus, grauius puniendus, quam si furetur ab externis.*

192 *Exercens illicitam negotiationem, si Regularis sit, debet excommunicari: at non amittit exemptionem à gabellis.*

193 *Regularis vsurarius suspendendus ab officio, ac beneficio: &, si non corrigatur, debet degradari, & est ipso iure infamis.*

194 *Falsus monetarius puniendus pœna ab Vrb. VIII. præscripta in bulla* In suprema.

195 *Regularis de facto matrimonium contrahens, debet declarari excommunicatus, etsi non consummet.*

196 *Monialem carnaliter cognoscens, deponendus ab officio, ac beneficio, & detrudendus in arctius monasterium, id est includendus intra suum Conuentum, vt inde nequeat egredi.*

197 *Etsi is faciat tria delicta, at puniri debet, ac si ea essent vnum: filij ex tali copula nati in odium parentum, puniuntur pœnis filiorum sacrilegorum.*

198 *Cognoscens carnaliter filiam suam spiritualem deponendus, & per plures annos carcerandus: idq; etsi mulier ei non soleret ordinariè confiteri.*

199 *Rapiens mulierem causa matrimonij, aut in hoc alij cooperans, deponendus ab vsu Ordinum in perpetuum: quòd si is sit Religiosus laicus, puniri debet pœna arbitraria iuxta circumstantias.*

200 *Religiosus committens adulterium, perpetuò deponendus: idq; etsi vir adultera non accuset: etsi in tali punitione cautè procedi debeat, ne infametur mulier: Religiosus tamen adulter puniendus.*

201 *Committens vitium nefandum, perpetuò deponendus, & in monasterium detradendus, si tamen pluries illud committat (etsi aliqui dissentiant:) quòd si reus sit Religiosus laicus, puniri debet pœna arbitraria iuxta concurrentes circumstantias: non autem subest pœnis latis à Pio V. contra quoscumque exercentes hoc vitium: quas proinde constat incurri à Religiosis Clericis dictum vitium exercentibus; non item, si sodomiam committentes cum puero illam non consummēt: sodomita etiam occultus est suspensus ab vsu Ordinum, etiam post factam pœnitentiam, at non est incapax beneficij Ecclesiastici (vt aliqui putant) puer sodomitatus facit etiam solus indicia ad torturam, si adsint conuenientia adminicula.*

202 *Religiosus virginem stuprans deponendus, & corporaliter puniendus: etsi de Religioso non procedat, quod luat in corpore, qui non potest in re. stuprans autem puellam nondum maturam viro non punitur pœna mortis: stuprator non euadit pœnam, eo quòd stuprata illum induxerit ad stuprum: & hoc procedit si puellam effecit grauidam sine claustri violatione: non creditur mulieri dicenti se fuisse tentatam de stupro, nisi alia concurrant: stuprata præsumitur virgo, nisi stuprator probet oppositum.*

203 *Deponitur Religiosus incestuosus, imo & detruditur in monasterium, si incestus sit qualificatus.*

204 *Religiosus reus simplicis fornicationis suspenditur ab officio, & beneficio.*

205 *Conuictus de concubinatu, punitur pœna arbitraria iuxta præsentes circumstantias, & quidem desumenda ex iure Canonico, & ex Concilio Tridentino: filij Clerici ex concubinatu non ascendunt ad maiores gradus, eisq; nulli fructus beneficij relinquuntur, nec ad alimenta, nisi sit valde pauper; sententia lata contra concubinarium non semper retardatur executio per appellationem: si Religiosus sit concubinarius, & habeat beneficium, non priuatur eo, ac eius fructibus: iuxta* Tridentinum sess. 25. cap. 14. de reform.

206 *Religiosus homicida deponitur, ac detruditur in monasterium, si occidatur laicus; si autem occidatur Religiosus (& præcipuè proprius Prælatus) traditur brachio sæculari: etsi detrusionis pœna breuior infligi debeat occidenti solùm consilio.*

207 *Percutiens proprium Prælatum regularem grauiter, aliàs eijciebatur ab Ordine, at modo pœna arbitraria debet puniri.*

208 *Occidens veneno deponi debet, ac puniri longiori carceratione: imò & tradi brachio sæculari, si venenum paretur in Eucharistia.*

209 *Procurans abortum fœminæ prægnantis deponendus, degradandus, & brachio sæculari tradendus ad mortem, ac declarandus excommunicatus; imò iuxta aliquos priuatur immunitate Ecclesiæ: petens dispensari super irregularitate in hoc casu incursa debet exprimere, si fœtus cuius abortus secutus est, à se genitus fuit: dicta antea pœna incurruntur, si fœtus prodeat viuus, sed non vitalis: in dubio facti de abortu procurans non præsumitur irregalaris, si adhibuit media fallibilia ad abortum.*

210 *Religiosus apostatās à fide, subest pœnis latis contra hæreticos externos, quæ enumerantur, & sunt partim spirituales, partim temporales: etsi loquendo de temporalibus, nulla earum incurratur à Religioso apostata à fide ex defectu (vt sic loquar) materiæ: hæreticus autem etiam reconciliatus Ecclesiæ non admittitur ad audiendas confessiones: Religiosus ob hæresim mitius torquendus, nisi indicia delicti aliter suadeant.*

211 *Apostata à Religione declarari debet ipso facto excommunicatus, & est irregularis, cum sit infamis, est ineligibilis ad dignitates.*

212 *Fugitiuus à Religione punitur pœna arbitraria iuxta præsentes circumstantias.*

213 *Religiosus de blasphemia conuictus, punitur pœna arbitraria, & iuxta eius statum: subest pœnis in*

Concilio

Concilio Lateranensi latis contra blasphemos: & si proferat blasphemias hereticales, iudicatur ab Inquisitore.

214 *Regularis periurus deponi potest ab officio, imò & à beneficio, si quod habet; at ante sententiam non est incapax beneficij postea conferendi; imò excusatur à præfata pœna, si periurium probet sine dolo fuisse commissum.*

215 *Conuictus de falso testimonio deponendus, & detrudendus in monasterium, si de hoc delicto sit directè conuictus, aut iure confessus: etsi in hoc maximè attendi debeat qualitas causæ, in qua falsum testimonium fuit prolatum, reus tamen falsi testimonij in pluribus casibus excusatur: sicut è contra sollicitans ad falsum testimonium punitur ac falsus testis.*

216 *Religiosus conuictus de simonia, punitur pœnis à Piô V. statutis in bulla* Cum primum.

217 *Indebitè extrahens Reliquias declarandus excommunicatus: faciens verò fidem extractionis sine licentia in scriptis Vicarij Vrbis priuatur voce in perpetuum, & relegatur ab omni statu Romanæ Ecclesiæ, sub dicta autem excommunicatione non continentur peregrini Roma extrahentes, nec sub priuatione vocis, ac relegatione facientes præfatam fidem extra Vrbem: non excommunicatur extrahens de cæmeterijs extra territorium Vrbis, aut debitè extractas mittens ad alias Ciuitates.*

218 *Seminans discordias inter fratres, punitur pœna arbitraria: in Societate Iesu reseruatur seditio in Superiorem, qua subditi mouentur, ne eum agnoscant in Superiorem.*

219 *Detrahens de Fratre, cogitur petere veniam ab eo.*

220 *Calumniator puniendus ea pœna, qua puniretur accusatus: &, si calumnia sit contra electionem, triennio suspenditur à beneficijs, imò & ijs priuatur, si interim ijs se ingesserit: punitur autem calumnia, etiam in materia ciuili: damnandus calumniator eadem sententia, qua absoluitur Reus; & saltem conueniri potest actione iniuriarum: in ordine procedendi debet præcedere sententia absolutoria Rei, & postea statim condemnari calumniator, etsi per eamdem sententiam vtrumque fiat.*

221 *Reuelans secreta Ordinis, punitur pœna arbitraria pro ratione præsentium circumstantiarum.*

222 *Item punitur pœna arbitraria, qui aperit literas obsignatas, easq; ostendit Aduersario: etsi excusetur, si ostendat iniustam eius defensionem.*

223 *Item pœna arbitraria punitur, qui mittit literas cœcas; etsi ex ijs Prælatus fieri possit cautior; at non punitur vt calumniator, qui Prælato scribit excessum subditi, & non probat.*

224 *Reum extrahens è manu iustitiæ mitius punitur.*

225 *Pœna arbitraria punitur Regularis, qui interest publicis spectaculis.*

226 *Punitur item pœna arbitraria, qui ludit ludo illicito, alea scilicet, ac taxillis.*

227 *Religiosus assuetus inebriari separandus à communione Eucharistica: verberandus, & carcerandus, vt viuat pane, & aqua.*

228 *Admittens fœminam extra casus permissos intra clausuram, excommunicatus est, priuatur beneficijs, ac dignitatibus, & ad ea absolutè inhabilitatur, si admittat prætextu priuilegiorum: si verò admittat sine hoc prætextu, suspenditur à diuinis, priuatur officijs, ad ea fit inhabilis.*

229 *Monachus vescens carnibus doloci per semestre detruditur in carcerem ad pœnitentiam agendam.*

230 *Retinens in Conuentu arma declarandus excommunicatus, si sit Monachus, præsertim Benedictinus: non potest à iudice laico spoliari Religiosus armis prohibitis, quæ defert: etsi à proprio Prælato puniri debeat ob talem delationem.*

231 *Religiosus incorrigibilis eijciendus ab Ordine: ad hoc autem, vt censeatur incorrigibilis, aliqua requiruntur, tam iure antiquo, tam iure nouo edito ab Vrbano VIII.*

232 *Insordescens per annum in excommunicatione lata specialiter ab homine condemnari potest vt hæreticus, si concurrant aliqua; at prius citari debet specificè ad respondendum de fide, & ad purgandam suspicionem, & post annum contumacia expectandus arbitrio iudicis: quòd si non compareat, est violenter suspectus de hæresi: ob triennalem perseuerantiam in excommunicatione necessariò inducitur priuatio beneficiorum Ecclesiasticorum.*

233 *Vacans negotijs sæcularibus, quasi per modum habitus debet deponi, aliaq; pœna arbitraria puniri iuxta concurrentes circumstantias, proxenetæ autem munus exercens non semper deponendus iuxta* cap. 1. de testib. in 6.

234 *Conuictus de superstitione deponendus, ac detrudendus in monasterium: idq; etsi solum deprehendatur consuluisse incantatores.*

235 *Euomens ex ebrietate Eucharistiam, diebus 70. agere debet pœnitentiam, iudicis arbitrio.*

236 *Prælatus negligens in procuranda regulari obseruantia potest amoueri, si negligentia fuit dolosa: si verò ex imperitia malè iudicet, puniendus pœna arbitraria.*

237 *Item pœna arbitraria puniendus, si eius culpa subditus moriatur absque confessione.*

QVÆRES I. Qua pœna puniri debeat Regularis, qui ante Presbyteratus susceptionem Missas celebrat.

Respond. Diaz *in pract. crim. cap. 12.* debere puniri pœna arbitraria; cum in Iure Canonico nulla certa pœna statuta sit contra eiusmodi celebrantes; quippe quorum delictum est adeò immane, vt Summi Pontifices illud non præcogitauerint. Abbas verò *in cap. 1. de Cler. non ordin. ministr.* pœnam falsi imponendam esse iudicat: quæ pœna iuxta Bald. & alios relatos à Boër. *decis. 71. n. 9.* proponitur etiam contra illum, qui fingit se Sacerdotem, cùm verè non sit. Verùm post Gregorij XIII. bullam editam anno 1574 *Officij nostri parte,* & relatam à Rodriq. *tom. 2. q. 28. art. 2.* punitio eius delicti modò spectat ad Inquisitores, adeóque Prælati regulares contra Religiosos subditos in hoc delinquentes procedere non possunt: vt notauit idem Rodriquez §. *hac constitutio.* Imò Clemens VIII. in Constitut. *etsi alias,* edita anno 1601. statuit, vt quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus Ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem vsurpasse, vel sacramentalem confessionem audiuisse, à iudicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, tamquam Ecclesiæ misericordia indignus à foro Ecclesiastico abijciatur, & ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur per iudices sæculares debitis pœnis plectendus. Et hanc Constitutionem Vrbanus VIII. per bullam *Apostolatus officium,* editam anno 1628. amplians statuit, vt ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promotus Missam celebrare, aut sacramentalem confessionem audire præsumpserit ætate minori annis 25. non excusetur, quominus citatæ Clementis Constitutioni subijciatur, dummodo 180.

20. suæ ætatis annum compleuerit, ipséque promotus sic delinquens nulla habita consideratione præfatæ minoris ætatis, siue Laicus, siue Clericus sæcularis, aut cuiusuis Ordinis Congregationis, Societatis etiam de necessitate exprimendæ Religionis, aut cuiusuis alterius Instituti etiam quantumuis exempti, & priuilegiati, &c. tradatur Curiæ sæculari pœnis debitis plectendus.

QVÆRES II. Qua pœna puniri debeat Regularis, qui plures Missas celebrat eadem die citra casus permissos.

181. Respond. quod, cum iura Canonica non puniant tale delictum; vt constat *ex cap. consuluisti, & cap. te referente, de celebrat. Miss.* vbi solùm dicitur sufficere Sacerdoti vnicam quotidie Missam celebrare; & aliàs tale delictum puniri debeat, teste Diaz *supr. cap. 35. n. 2.* illud committenti pœna arbitraria imponenda est (vt notauit Menochius, *de arbitrar. casu 407. num. 5.* ex Diaz) eaque grauior, aut minus grauis, prout grauiores, aut leuiores circumstantiæ delictum hoc comitantur. Sic Manrique *part. 1. quæst. 40. num 6.* testatur se Sacerdotem pluries celebrantem eadem die pœna pecuniaria mulctasse, Ferrariæ verò, dum hæc scriberem, in Curia Episcopali Sacerdos senex per trimestre addictus fuit carceri in pœnam talis delicti, quod se commisisse ex graui paupertate, qua premebatur, iudicialiter deposuit.

Genuensis denique *in praxi cap. 64.* cum dicat Neapoli pluries celebraori eadem die sæpius fuisse impositam pœnam triremium per 3. annos, & suspensionis à Missæ celebratione: subiungit *in annotat.* pœnam præfatam triremium fuisse impositam ob celebrationem 2. Missarum eadem die ex auaritia pro pecunia; hincque infert celebrantem 2. Missas eadem die non ex auaritia, sed ex alia causa, licèt non adeò vrgenti, iuxta *cap. consuluisti, de celebrat. Miss.* non esse puniendum pœna adeò acri.

An autem sit irregularis, qui plures Missas celebrat eadem die.

Respond. Maiolus *l. 3. cap. 13. §. propter ea*, esse, sed nullo iure id probat; & alioqui irregularitas non est asserenda, vbi non est iure expressa, *cap. is qui, de sent. excomm. in 6.* sicque Maiolus reiiciendus est. Concedit quidem Thesaurus *de pœnis v. Miss. cap. 5.* diffamatum de hoc crimine esse aliquo modo irregularem impropriè; quatenus ratione scandali nequit celebrare ob infamiam facti; imò & infamia iuris, ac propriè, si sententia Iudicis esset condemnatus, quod malitiosè, seu dolosè celebrasset, adeóque esse verè, ac propriè irregularem, cum damnatus de crimine publico sit à iure notatus infamia, *l. 1. qui in iudicio, ff. de his qui not. infam. cap. infames, §. porrò 3. quæst. 7.* & hoc crimen sit publicum, quatenus omnis grauis iniuria contra religionem est crimen publicum Iul. Clar. *quæst. 1. praxis crimin.* & de iure canonico omne crimen dolum continens est crimen publicum infamans lata sententia condemnatoria, Sanch. *lib. 6. conf. cap. 3. d. 6. num. 14.* Sylu. *v. crimen, quæst. 3.* Ang. *quæst. 6.* Præterquam quod omne delictum commissum circa cultum Sacramentorum est dignum depositione, si concurrat graue scandalum, Card. *in cap. fin. de celebr. Miss.* sicque si in præsenti casu crimen sit notorium, delinquens etiam ante condamnationem erit notatus infamia iuris, & consequenter irregularis; cum omne crimen dignum depositione afficiat infamia iuris Tol. *lib. 4. cap. 74.* aliique apud Thesaur. *supr.* addentem in isto casu delinquentem à fortiori censendum infamem infamia iuris, ac irregularem ex Simonia, si condemnetur, quod bis vna die celebrasset ob lucrum; quippe qui iuxta dicta puniri debet pœna triremium; quæ induit infamiam durantem (etiam post liberationem à triremibus) & consequenter irregularitatem.

Addo ex Thesau. *supr. cap. 4.* quod, quamuis *in cap. Ecclesiast. 23. dist.* dicatur Sacerdotem sine stola celebrantem, aut communionem sumentem subiacere excommunicationi: & quidem iuxta Gloss. *ibi*, Azot. *tom. 1. lib. 10. cap. 28. quæst. 12.* Nald. *v. Miss. num. 6.* Homob. *tract. 4. exam. part. 1. cap. 12. quæst. 106.* etiam in casu, quo Sacerdos extra Missam communicet (v. g. in infirmitate) nihilominùs, cum canon ille sit Concilij Prouincialis, id est Braccharensis III. *cap. 3.* obligat solùm in sua prouincia; sicque extra illam non incurritur talis excommunicatio: quæ vtique est maior, & latæ sententiæ ob verbum *subiaceat*, in dicto Canone positum, quod non eget facto Iudicis, Abb. *in cap. si diligenti, de foro compet.* & constat *ex cap. si quis suadente 17. quæst. 4.* vbi idem verbum apponitur, & tamen censura ibi lata communiter supponitur esse latæ sententiæ. Præterquam quod hodie non peccat Sacerdos, si laicam sumens communionem non gestet stolam Suar. *de Sacr. D. 82. sect. 3. in princip.* & quidem nec venialiter Turrecrem Azor. Gauant. & Diana apud Thesaurum.

Quæri hic etiam potest, qua pœna debeat puniri Regularis, qui celebrans Missam Sacramentum non sumit.

Respond. quod, cum *in cap. relatum, de consecr. d. 2.* dicatur: *Quicumq; Sacerdos diuino Altari sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter priuauit gratia communionis anno vno repulsum se nouerit*; & DD. per hanc censuram intelligi putent alij suspensionem à Missæ sacrificio, alij excommunicationem minorem, & alij maiorem (vt notat Thes. *supr. cap. 2.* monens hanc censuram esse latæ sententiæ; vt constat ex particula, *repulsum se nouerit*, quæ est præsentis temporis) probabilius verò sit per hanc censuram Sacerdotem excludi per annum à participatione corporis, & sanguinis Domini (vt docet Bonac. *de cens. in p. D. 3. quæst. 3. part. 3. num. 6.*) consequenter Regulari hoc delictum committenti per annum in pœnam debet negari participatio corporis, & sanguinis, idest celebratio Missæ: cum quo stat, quod posset communicare more laicorum; cum hic Sacerdos puniatur, in quo peccauit, & in ipsa Missæ celebratione peccauerit, non autem in communione laicali, sicque debeat puniri, non in hac, sed in illa; sicut aduertit Bonac. *num. 5.* ex Altero addens *propos. 1.* non incurrere hanc censuram Sacerdotem, qui vel in Missa vnam speciem solùm consecrauit, ac eam sumpsit vel aliquas sanguinis guttas omittit sumere; idque procedere de Sacerdote, qui tempore ordinationis celebrat, cum Episcopo ordinante, & non communicat, cum textus intelligatur de Sacerdote principali. Quamquam, cùm Canon supr. relatus sit Conc. Toletani XII. *cap. 5.* & consequenter Concil. Prouincialis; hæc censura non debeat recenseri intra censuras iuris communis; vt notat Thesaur. dicens cautè legendum esse Maiolum *lib. 3. cap. 16. num. 2.* dicentem Sacerdotem celebrantem, & non sumentem esse ipso iure excommunicatum: cùm hoc non sit vniuersaliter verum, sed fortè in Hispania procedat in Prouincia Toletana. Vnde ego iusto Regularem in præsenti casu delinquentem extra dictam Prouinciam Toletanam puniri debere pœna arbitraria iuxta alibi dicta, & dicenda.

Notat

Notat porrò Cespedes *d.* 100. *de exempt. num.* 1. quod, cum hoc crimen non sapiat hæresim, nec quis ratione illius externè censeatur hæreticus, illud non spectat ad tribunal S. Inquisitionis, etsi fortè dici possit Episc. procedere posse contra Regulares illud committentes: quatenùs Concil. Trid. *sess.* 22. *c.* 8. *de sacrif. Missæ* Episc. det facultatem, vt ab omnibus decenter Missas celebrari curent, sine irreuerentia, & scandalo. ita Cespedes addens se audiuisse multis in locis hoc crimen spectare ad Inquisitionem.

Addit Manrique *supr. num.* 10. si hoc delictum fiat ex malitia, ac lucri cupiditate, expedire, vt delinquens priuetur potestate celebrandi imposterum; præsertim cum taliter delinquentes, vt plurimum sint vilis conditionis, adeòque indigni, qui permittantur celebrare, etiam secluso tali delicto.

Quod si quæras cui pœnæ subiaceat Regularis, qui sine causa Missæ Sacrificium inchoatum intermittit.

Respond. subiacere, tum excommunicationi maiori ferendæ ex *cap. nihil* 16. *quæst.* 1. vbi dicitur: *Qui autem hoc temerariè præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit*; tum suspensioni à Missa celebranda ex *cap. nullus Episcopus, de consecrat. dist.* 1. vbi dicitur: *Si quis verò præsumpserit præterquod dispositum est agere, à sacro corpore, & sanguini D.N. Iesu Christi sit suspensus*; idest à celebratione Missæ: vt explicat Bordon. *tom.* 2. *resol.* 56. *quæst.* 26. monens contra Armillam *v. Missa, num.* 12. hic nomine excommunicationis intelligi maiorem excommunicationem, non autem minorem (vt putat Armilla cum Ariosto existimans sub eodem nomine venire suspensionem à corpore, & sanguine Christi, adeoque esse vnam pœnam) nam nomine excommunicationis sine alio addito venit maior; & nomine minoris venit priuatio perceptionis omnium Sacramentorum: vt definitur *cap. si quem, de sent. excommunicationis.* Dixi, *excommunicationi maiori ferendæ*; quia certum est excommunicationem illam esse comminatoriam, cum feratur per verbum futuri temporis, quo importatur censura ferenda ex communi Doctorum sensu cum Sanch. *lib.* 3. *de matr. D.* 48. *num.* 2.

Quod verò suspensio (de qua hoc loco) sit ferenda, non autem latæ sententiæ; etsi verbum substantiuum *sit* importet pœnam latæ sententiæ, ac executionem in tempore præsenti (vt si dicatur Anathema *sit*) & in *c. nullus Episcopus citato*, dicatur, *sit suspensus*, docet Bordonus *sup. n.* 134. & probat, quia non videtur congruere rationi, vt pro eodem delicto imponantur plures pœnæ sub diuersa dispositione latæ, aut ferendæ sententiæ arg. *l. eum qui ædes, ff. de vsucap.* & de prima pœna, quæ in isto casu fertur, constat illam esse comminatoriam; sicque idem dicendum videtur de hac secunda, hanc scilicet esse ferendam: non enim particola *sit*, ex sua conditione secum fert executionem; maximè quando coniungitur cum participio passiuo respiciente Iudicis actionem futuram; vt constat ex iis verbis, *sit suspensus*, quæ important hunc sensum, *suspendatur à Iudice*, faciuntque alium sensum, ac faciunt illa alia verba, *incurrat suspensionem*, quæ secum ferunt executionem, adeoque indicant pœnam latæ sententiæ. Et quidem, quod verbum *sit* importare possit comminationem, docet Glossa, & Cardinalis relati ab Vgolino *tab.* 1. *cap.* 9. §. 6. *num.* 18. Nauarr. *cap.* 27. *n.* 12. apud Sayrum *l.* 1. *de cens. cap.* 11. *num.* 9. dicens esse futuri temporis optatiui; quod refutat Sayr. quia legis est imperare, non optare: eum tamen pro Nauarro dici possit, etsi legis sit imperare, legislatoris optare, vt lex seruetur ad vitandam pœnam. Clausula verò, *Anathema sit*, ex se non importat excommunicationem, sed quia hæretici excommunicati sunt ipso iure ex *cap. ad abolendam, cap. excommunicamus, de hæret.* sicque habentur alij Canones de fide non definientes, qui non sunt latæ sententiæ, vt constat ex Glossa *cap. Generali* 25. *q.* 1. *c. si quis dist.* 23. *c. si quis de vita, & honest. Cleric.* & colligitur ex *dist.* 31. *ferè per totum.*

QVÆRES III. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui audit confessiones, cum nòn sit Sacerdos.

Respond. debere puniri ea pœna qua *quæst.* 1. diximus debere puniri Regularem Missas celebrantem ante Presbyteratus susceptionem; & quidem etiam iuxta Constitutiones Gregorij XIII. Clemētis VIII. & Vrbani VIII. hac de re editas. & suprà relatas. Aduerte hîc solum ex Rodriq. *supr.* Religiosum non insignitum Sacerdotio audientem confessiones, sed non absoluentem non committere delictum spectans ad Inquisitorem in terminis bullæ Gregorij XIII. cum in ea dicatur, *confessiones audire, & absolutionem impertiri*, sicque audiens confessiones nullum conferat Sacramentum, & sic catholicam veritatem facto non impugnet. Dixi, *in terminis bullæ Gregorij XIII.* quia secus dicendum attenta bulla Clementis VIII. imò & Vrbani VIII. Constitutione; cum in iis dicatur, *vel sacramentalem confessionem audiuisse*, nulla mentione facta de absolutione: quare in terminis harum Constitutionum Religiosus non Sacerdos, si audiat confessiones, ab Inquisitoribus iudicari debet, etsi non absoluat. 182.

Porro notat Diana *p.* 4. *tract.* 7. *resol.* 11. ex Sousa quod si fictus Sacerdos audiens confessiones sit laicus, & vilis persona, an Inquisitione Hispanica fustibus cæditur, & ad triremes, mittitur additis aliis pœnis spiritualibus: si verò sit persona honesta, ac religiosa, dānatur ad triremes: &, si sit talis conditionis, vt non debeat mitti ad triremes, mittitur in exilium, & pro toto exilij tempore suspenditur ab exercitio Ordinis suscepti. Quod si delictum contineat circumstantias aliquas aggrauantes adduntur aliæ pœnæ secundùm eam qualitatem: idem omnino docet Castrus Palaus *tract.* 4. *D.* 8. *p.* 16. §. 9. *num.* 2. & cum eo Diana addens Reum in isto casu, si sit Religiosus, aut ordinatus in sacris, non debere fustigari, & hoc in reuerentiam status.

QVÆRES IV. Qua pœna puniri debeat Regularis, qui absque Ordinarij approbatione audit confessiones, cum sit Sacerdos.

Respond. ex *cap placuit, de pœnit. dist.* 6. debere suspendi à gradu, potestate, ac iurisdictione habituali recepta in Sacerdotio: ita vt numquam ea potestas, ac iurisdictio habitualis in actum redigatur, recipiendo actualem iurisdictionem ad confessiones audiendas, nisi talis Sacerdos tantam egerit pœnitentiam, vt ad ipsum gradum restitui mereatur. Si enim iuxta ius citatum à tempore Vrbani II. qui illius fuit Author, hæc pœne fuit imposita contra quemcumque simpliciter Sacerdotem sine Ordinarij approbatione audientem confessiones, cur in præsentia non imponetur Religioso in hoc delinquenti: qui peccat non solum audiendo confessiones, sine actuali iurisdictione, sed etiam contra obedientiam Ordinis, idest sine licentia sui Superioris; & quidem quo tempore requiritur approbatio Episcopi: cum tempore Vrbani II. sufficeret licentia Parochi, cui commissus erat pœnitens? ita Rodriquez *supr. art.* 1. addens Regularem in isto casu iuxta ius supra citatum videri posse suspendi etiam à celebranda Missa per aliquod tempus: dicit quippe, *gradus sui periculo subiace* 183.

subiacebit, adeóque absolutè videtur loqui non solùm de gradu iurisdictionis habitualis receptæ in Sacerdotio, sed etiam de gradu Sacerdotij, accepto in ordine ad consecrandum Christi corpus.

Addo ex Sousa, Sanctarello, & Acuña, adductis à Diana *supr.* simplicem Sacerdotem, vel etiam approbatum, sed suspensum ab audiendis confessionibus non comprehendi sub Constitutionibus relatis 9.1. quamuis confessionem audiat, & absoluat: quippe quæ loquuntur de non Sacerdote audiente confessiones, sine approbatione, non autem de Sacerdote simplici, aut approbato, sed suspenso, adeóque enim sint pœnales, ac odiosæ, non debent ampliari ad casus non expressos. Quod idem aduertit Rodriq. *art.* 2. hinc infertens Religiosum in præsenti casu delinquentem posse puniri à proprio Prælato regulari.

An autem Regularis in præsenti casu delinquens, in pœnam possit excommunicari ab Episcopo.

Respond. Cespedes *d.*167. *de exempt.* posse, non quidem ex Clementina *Dudum, de sepult.* & ex Concil. Trid. *sess.*25. *cap.*15. vt volunt Zerola, & Lauretus relati ab ipso *Cespedes*) sed ex bulla Gregorij XV. *Inscrutabili*, in qua conceditur Episcopis, vt tanquam Sedis Apostolicæ delegati etiam per censuras Ecclesiasticas possint procedere contra Regulares delinquentes circa administrationem Sacramentorum; intellige iuxta dicta *in tract. de Monial. cap.*8. *n.*6. nisi Regulares speciali aliquo priuilegio ab hoc eximantur; vt notat Sanch. *lib.*7. *de matr. D.*33. *n.*23.

QVÆRES V. Qua pœna puniri debeat Regularis, qui cùm sit Confessarius, violat sigillum confessionis.

184. Respond. debere deponi non solùm à munere audiendi confessiones, sed etiam à quocumque munere sacerdotali (vt aduertit Granadus apud Dianam *par.*5 *tract.*11. *resolut.*51.) ac perpetuo detrudi in monasterium: idque ex *cap. fi. Sacerdos, de pœnit. dist.*6. *& cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* in quo *cap.* omnis ignominiosa peregrinatio perpetua, quæ statuitur in *cap. si Sacerdos*, immutatur in perpetuam reclusionem, peregrinatione sublata: quæ tamen pœnæ vi iurium adductorum non incurruntur ante Iudicis sententiam; vt aduertit Diana *supr.* monens ex Ochagauia & aliis, his pœnis non subiacere alias personas, quæ obligatæ sigillo Cōfessionis illud violent, sed mitioribus pœnis eas debere puniri, vt pote non ita grauiter violantes sigillum, sicut violat Confessarius; addensque ex Granado ipsum Confessarium non puniri his pœnis, si deregat aliquid ignominiosum cognitum in confessione, quod non sit peccatum, aut extra confessionem loquatur enim pœnitente absque eius licentia de peccatis auditis in Confessione, sed solùm, quando alteri reuelat peccata audita in confessione. Addo ego obiter ex Aldrete *de disciplina tuenda*, *lib.*2. *cap.*19. Iacobum I. Aragoniæ Regem Gerundensi Episcopo iussisse extrahi linguam à tergo, eo, quod ipsius Regis confessionem reuelasset digna profectò tanto crimine pœna, si à legitimo Iudice fuisset inflicta; hinc certè caueant silentiarij ne dent linguarium, vt cum antiquis loquar.

Quod si quæras, quomodo possit iuridice constare de iniuriosa reuelatione confessionis.

Respond. posse constare ex iuridica confessione ipsius Confessarij, aut, si is neget delictum, ex diuersis accidentibus; tam Confessarij, quam pœnitentis, aut tertiæ personæ, quæ sit accusatrix, rem totam debere à Iudice definiri: in hoc enim potest tradi certa regula; vt notauit Onuphrius, *de sigillo sect.*5. *quæst.*3. docens contra Viualdum *de sigillo confess. num.* 39. Confessarium negantem se reuelasse confessionem ad eas angustias numquam redigi debere, vt iuret, sed ex aliis circunstantiis iudicandum esse, an ei simpliciter credi debeat; imò cæteris paribus, etiam nullo adhibito iuramento, semper præsumi debere pro Confessario, & simplici eius dicto sit standum, nisi aliud obstet. Quod si Confessarius dicat se à pœnitente habuisse licentiam reuelandi peccatum, & pœnitens id neget; ex qualitate peccati, & concurrentibus circunstantiis personarum, ac publicatione delicti præsumptionem desumendam esse docet Diaz *in practica cap.*109.

Addit Castr. Pal. *tract.*23. *D. vn. part.*19. §. *num.*11. quod si Sacerdos accusatus de violatione sigilli dicat ad se defendendum se aliunde, quàm ex confessione rem agnouisse; tenetur probare exemptionem, eiusque probationi est standum; et si accusator contrarium probauerit; tum ne præsumatur in Iudice delictum, tum ob Sacramenti reuerentiam, ne censeatur offensum violatione sigilli. Sacerdoti item accusato de violatione sigilli nullo modo expedit desistere à via se defendēdi, quod ex licentia pœnitentis factum sit: est enim via securior, cum in aduersarium transferatur onus probandi contrarium, quod vis facere potest. intellige, si reuelatio sigilli cessit in bonum pœnitentis, aut alterius sine læsione honoris, ac famæ; alioqui Confessario incumbit onus probandi ex licentia pœnitentis esse factum: cum præsumi non possit pœnitentem voluisse, quod sibi erat nociuum, vt notat Diaz *in practic. cap.* 106. & Suar. *D.*33. *de pœnit. sect. vlt. num.*4. Quod si licentiam fuisse datam probare non poterit, & electa via, quod aliunde quàm ex confessione peccatum reuelatum agnouerit, & probationi succumbat, puniri debet non pœnâ ordinaria, sed arbitraria: vt docent Nauar. Farinac. Menoch. Suar. & Fagund. penes Castr. Pal. monentem *num.*14. iudicem huius delicti non esse Inquisitorem, sed Prælatum Ecclesiasticum, cui Sacerdos accusatus subest, nisi fortè delictum mixtum fuerit hæresis.

Putat autem Castr. Pal. *sup. num.*15. esse probabile, quod docent Suar. *sup. num.*5. & Laym. *lib.*5. *tract.*6. *cap.*14. *num.*15. posse Confessarium, imò & debere, si deprehendat se errasse in auditione confessionis, monere de errore pœnitentem, etsi is facultatem loquendi negetur: eum talis loeutio censeatur esse intra confessionem, vt pote directa ad perficiendam præteritam confessionem, sicque pœnitens irrationabiliter sit inuitus: alij tamen id negāt, & probabilius; cum loeutio hæc sit tacita exprobratio peccati, nec vllo modo cōiuncta cum præterita confessione.

Porro monet Thesaur. *de pœnis confess. cap.*4. huius criminis cognitionem pertinere ad sanctum officium, si reuelatio confessionis coniuncta sit cum hæresi, aliàs pertinere ad Ordinarium; & modò pœnam detrusionis in monasterium ex consuetudine fuisse commutatam in pœnam triremium, teste Farin. *quæst.*119. *n.*55. denique violantem confessionis sigillum etiam laicum, qui fortè peccata alicuius confitentis sacramentaliter reuelet, secuta huius delicti sententia condemnatoria, esse irregularem etiam speciali titulo ob infamiam iuris ex hoc crimine publico. Præter quam quod Speculator & Maiolus citati à Thesauro sustinent reuelantes confessionem esse ipso facto irregulares: quod tamen negat *Thesaurus*, & probat; quia *cap. Sacerdos de pœnit dist.*6. nominat eos ignominiosos ratione pœnitentiæ publicæ, ac solemnis, quæ facit infamen, quando imponitur ex delicto, non autem priusquam imponatur ab homine.

QVÆRES

QVÆRES VI. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui pœnitentem in confessione solicitat ad turpia.

Respond. debere puniri iis pœnis, quæ à Greg. XV. in bulla, *Vniuersi*, edita anno 1622. statuuntur his verbis *Ac quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles reperêrint, in eo pro criminum qualitate, & circumstantijs, suspensionis ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ, & passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceris, etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, aliásque pœnas decernant; eos quoque si pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione Curiæ sæcularis puniendos tradant*: supple, Ordinarij locorum, ac Inquisitores cumulatiuè, & quidem priuatiuè, quoad omnes alios; vnde fit, vt Prælati Regulares nullo modo possint contra Religiosos subditos procedere ratione talis delicti.

QVÆRES VII. Qua pœna puniri debeat Regularis, qui delinquit in administratione Sacramentorum.

186. Respond. debere puniri ea pœna, quæ arbitrio Iudicis competentis proportionata iudicabitur, attentis circumstantiis delictum hoc comitantibus, Iudicem verò in hoc casu competentem esse, tum Ordinarium loci (vt constat ex Gregorij XV. bulla *Inscrutabili*, iis verbis: *In his, quæ eiusmodi curam, seu administrationem* (intellige Sacramentorum *concernunt, omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati plenè in omnibus subijciantur*) tum proprium Prælatum regularem iuxta Vuamesium *tom. 2. consil. cons. 465.* sustinentem Regulares extra monasterium degentes, ac delinquentes posse puniri, tum ab Ordinario loci iuxta Concilium Trid. tum à Prælato regulari cumulatiuè: quod etiam nos aduertimus *in tract. de priuil. c. 6. q. 5. §. addit* Vuamesius, ex Cespedes *sup. d. 243.* idem sentiente. Cæterum in hoc casu potest Ordinarius procedere contra Religiosos delinquentes, etiam per censuras ecclesiasticas, eo tamen modo, quo diximus *q. 4. §. an autem* idque ex allegata bulla Gregorij, *Inscrutabile*.

QVÆRES VIII. Qua pœna puniri debeat regularis, qui sine licentia Ordinarij concionatur.

187. Respond. debere puniri pœna proportionata delicto, grauitate illius perpensa ex concurrentibus circumstantiis: qualis pœna regulariter esse videtur suspensio à concionibus; cum sic in eo, in quo regularis delinquit, puniatur. Sic etiam in Concilio Lateranensi *sess. 11.* recensentur 3. casus, in quibus regulares suspendi possunt ab officio prædicandi, videlicet si prædicent miracula falsa, aut incerta; si prophetias non fundatas in sacra Scriptura euulgent; si in concionibus detrahant Episcopis, aut aliis Prælatis. Sic in Concilio Trident *sess. 5. c. 2. de reform.* alij 3. casus enumerantur, in quibus regulares possunt suspendi à concionibus; nimirum si proferant erroneas propositiones, si doceant scandalosas, si enuncient hæreticas: & in his 6. casibus regulares suspendi possunt ab Ordinario; præsertim attenta bulla Gregorij XV. *Inscrutabili*, supra adducta, quæ sic habet ad rem præsentem: *At demum habeat Episcopus tanquam dictæ Sedis delegatus authoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos tam sæculares, quam Regulares, qui in alienis ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in ecclesiis suis, aut suorum Ordinum non petita illius benedictione, aut ipso contradicente prædicare præsumpserint* & infra, *Ita vt Episcopi in suprascriptis casibus, & in prænominatas personas in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem per censuras ecclesiasticas, aliásque pœnas, vti eiusdem Sedis delegati procedere, omnémque iurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant*. Dissentit Pater de Bellis *in quadam allegatione*, Hispanico idiomate confecta, nixus quadam bulla Vrbani VIII. reuocatoria citatæ Constitut. Gregor. XV. quoad Regulares Regnorum Hispaniæ, in qua præcipuè confirmatur Decretum Sacræ Congr. hac de re editum in hæc verba: *Congr. Concilij censuit Regulares, qui absque licentia Episcopi prædicauerint in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, tametsi decreto eiusdem Concilij sess. 5. c. 21. contrafecerint, non posse tamen puniri ab Episcopo; sed à Superioribus*. At dicit Nouarius relatus à Diana *p. 7. tract. 12. resol. 25.* per hoc non tolli, quin regulares in proposito casu puniri possint ab Episcopo, eò quod Bulla illa sit localis, nempe pro ciuitate, ac diœcesi Giennensi: quod satis clarè innuit etiam Cespedes *d. 196. n. 5.* dicens non putandum adeò facilè priuilegium in dicta bulla factum esse communicabile; cum sit quædam exceptio, qua regulares diœcesis Giennensis excipiuntur, ideóque ad illam quæstionem recurrendum sit an exceptio sit priuilegium. Quamquam, vt saluetur, bullam Gregorij XV. *Inscrutabile*, non fuisse per hanc bullam Vrbani VIII. reuocatam non sit opus recurrere ad hæc effugia; cum hæc reuera confirmet Gregorij bullam (vt ostendo *in tract. de priuil. cap. 4. sect. 1. q. 3.*)

Addo Regulares subijci correctioni Ordinarij, ac Inquisitoris, si de Conceptione Virginis indebitè disserant in concionibus, nimirum probando illam sine originali peccato fuisse conceptam, & simul proponendo argumenta contrariæ opinionis, eaque infirmando contra Pij V. prohibitionem: quam tamen Comitolus *l. 6. resp. mor. q. 40.* & cum eo Portell. *v. Conceptio Deiparæ, n. 8.* docent non fuisse violatam à quodam Concionatore, qui in concione habita de Conceptione Virginis dixit Virginem caruisse peccato originali, id aliquibus rationibus probauit, simúlque subdocuit qualiter infirmari possent contrariæ partis argumenta, horum tamen mentionem expressam non faciens: nam Pius V. vetuit solùm, ne confirmetur opinio Scoti rationibus, adducendo, & soluendo argumenta contrariæ opinionis: quod in præsenti casu non fuit verificatum; cum hæc argumenta non fuerint adducta, sed solum soluta, & per accidens sit, quod ex dictis pro confirmanda opinione Scoti suppeditetur modus soluendi argumenta contrariæ partis; semper enim in confirmatione vnius partis quæstionis continetur virtualis infirmatio oppositæ opinionis.

Regularis autem contrauenicns huic prohibitioni incurrit non solùm excommunicationem ipso facto, & Papæ reseruatam latam à Pio IV. ac suspensionem à diuinis, priuationémque cuiusuis gradus, dignitatis, & administrationis, inhabilitatémq; perpetuam ad eadem, vel similia (quæ pœnæ à Pio V. latæ sunt, ipso facto incurrunt, & reseruantur Papæ) sed etiam eo ipso, absque alia declaratione manet priuatus facultate concionandi, publicè legendi, seu docendi, ac interpretandi, voce item actiua, & passiua in quibuscumque electionibus, & præterea ipso facto inhabilitatur perpetuò ad concionandum, publicè legendum, docendum, ac interpretandum (quæ pœnæ latæ sunt à Paulo V. in sua bulla Regis pacifici, edita anno 1616. & reseruantur Papæ) subestque aliis pœnis Romani Pontificis arbitrio infligendis.

Quod si Regularis Concionator publicet indulgentias indiscretas, ideft non concessas (vt explicat Gl. *in Clem.* 1. *de priuil.* ex eadem Clementina puniri debet pœnis intra Religionem infligi solitis à Superioribus pro delictis grauioribus, ad quod facit Concilium Trid. *sess.* 21. *c. fin.* prohibens, ne indulgentiæ publicentur, nisi prius examinatæ, & approbatæ fuerint à duobus de Capitulo ab Episcopo eligendis; & quidem, etsi concessæ sint Ecclesiis Regularium.

QVÆRES IX. Qua pœna puniri debeat Regularis proprietarius.

188. Respond. ex dictis *in tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 4. *subs.* 1. *q.* 5. debere priuari, tum Ecclesiastica sepoltura, si tempore mortis reperiatur habere proprium, tum voce actiua, ac passiua per biennium, necnon expelli è monasterio: quamuis talis expulsio *cap. fin. de Regular.* correcta sit, & commutata in hoc, quod Religiosus proprietarius monasterij ergastolo deputetur ad agendam pœnitentiam; vt notauit Lezana *tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 59. addens has pœnas incurri solum à religioso retinente, aut possidente aliqnid contra Superioris voluntatem, non autem à dante sine licentia Prælati, aut aliter violante votum paupertatis. Colligitur responsio *ex cap. Monachi, de statu Monach.* iuncto *cap. cum ad monasterium*, ibi Concilio Trid. *sess.* 25. *cap.* 2. parétque ex dictis *in citato tract.* 4. *loco adducto, vsq. ad num.* 247. *inclusiuè.*

QVÆRES X. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui munerum largitiones facit vltra formam in bulla Clementis VIII. præscriptam, & ad Vrbano VIII. postea confirmatam.

189. Respond. debere declarari eo ipso priuatum omnibus ac singulis dignitatibus, gradibus, muneribus, ac officiis obtentis, necnon ad ea, & alia similia, aut dissimilia obtinenda in futurum inhabilem, & incapacem, perpetua infamia, ac ignominia notatum; priuatum voce actiua, ac passiua, & contra eum, tanquam contra reum furti, & simoniæ, tam per viam denuntiationis, accusationis, aut querelæ, quàm ex officio procedi, ac inquiri debere, condignisque suppliciis affici pœnis aliis à iure statutis. habetur expresse ex bulla Clement. cit. & constat ex dictis *tract.* 6. *cap.* 9. vbi hac de re fusè egimus. Moneò hîc solum, quod licet in bulla Clementis dicatur has pœnas incurri *absq. vllo Superioris decreto, aut ministerio*: nihilominus, loquendo de pœnis priuatiuis, ad quarum executionem actio hominis requiritur, hæ non incurruntur ante sententiam criminis declaratoriam; quod in specie notat Bonac. *D.* 3. *de largit. mun. part.* 5. *num.* 3. monens in his pœnis solum Papam dispensare, si res delata sit ad forum externum.

Qua autem pœna puniri debeat Regularis, qui indebitè alienat bona monasterij, ac Ordinis.

Respond. debere declarari non solùm excommunicatum ex Pauli II. bulla *Ambitiosa*, sed etiam priuatum omnibus officiis, quæ habebat, vocéque actiua, & passiua, necnon perpetuò inhabilem ad ea imposterum obtinenda: præterquam, quod alienationes, pacta, census, hypothecæ, locationes, conductiones, & concessiones sic iodebitè factæ ipso iure nullæ, ac irritæ sunt, & hoc ex sacræ Congregationis decreto iussu Vrbani VIII. edito anno 1624. pro cuius intelligentia aduertendum ex dictis *quæst. præcedenti*, quod, quamuis in eo dicatur, *absq. alia declaratione*, non ideo tollitur, quin ad incurrendas pœnas in præfato decreto contentas requiratur declaratio criminis: sicque verba illa, *absque alia declaratione*, excludunt solum declarationem pœnarum, non autem criminis.

QVÆRES XI. Qualiter puniri debeat Regularis bonorum monasterij dilapidator.

Respond. debere spoliari omni dignitate, omni administratione priuari in perpetuum, & ad infamiæ notam carceri mancipari. ita Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 35. *art.* 1. ex Archidiacono, Anton. & Abb. docens in punitione huius delicti sic esse procedendum, vt suspicione delicti vrgente, aut fama peruulgata, instituatur primò processus ipsius infamiæ, aut suspicionis (idque summariè, & absque scriptura, ne reus id sciens quoquo modo conetur labefactare veritatem causæ, vt bene notat Panormitanus *de iudic. cap. venerabili num.* 8. *fine* ex Iacobo Bellono) & si de infamia, aut suspicione, etiam leui constiterit, reus ab administratione amoueatur; postea verò de veritate dilapidationis alios fiat processus, in quo reus conuincatur de bonorum dilapidatione, sicque puniatur pœna superiùs proposita; sicut tradit Diaz *in pract. cap.* 71. & cum eo Rodriq. addens in hoc delicto ob solam suspicionem posse amoueri ab administratione eum, cótra quem fit inquisitio, & ad huius criminis declarationem quemlibet accusantem audire; com in priori processu admitti debeant ij, de quorum re agitur, quamquam hæc omnia Iudicis arbitrio pro ratione personarum, rerum, ac criminum temperanda sint. 190.

An autem Monachi conspirare possint contra Abbatem bona monasterij dilapidantem.

Respond. si videant monasterium in temporalibus labi ex dilapidatione Abbatis, posse modo dicto conspirare: secùs, si contra Abbatem nihil iniustum, aut præsumptum de præsenti appareat, cum hæ conspirationes alliciant subditos ad peccandum, & ad iurgia, quæ in iure reprobantur. ita Rodriq. *art.* 2. Archidiacono, Ancharano, Franco, & aliis.

QVÆRES XII. Qualiter puniri debeat regularis, qui furta committit.

Respond. debere deponi *ex cap. presbyter, dist.* 81. vbi statuitur Clericum in furto captum deponi, & *cap. tuæ, de pœnis*, vbi Innocentius III. censuit Clericos in latrociniis deprehensos, degradatos à suis ordinibus in arctum monasterium detrudi debere; intellige, degradatione verbali, non autem actuali (vt aduertit Diaz *supr. cap.* 90. ex Io. Andr. Abb. & Aret. monens pœnam hanc depositionis, ac detrusionis iustius irrogari Clerico committenti furtum sacrilegio admixtum, & pœnas latas *in cap. tuæ*, adaptari nó solùm ad latrocinia, sed etiam ad furta. Hę autem pœnæ (quæ vtique in furto supponunt grauitatem ipsis proportionatam) infligi possunt, & debent Regularibus, etsi iura eas inducentia in specie loquantur de Clericis; cum hæ latæ sint in Iure Canonico, & pœnæ infligendæ Regularibus, si aliunde ex propriis eorum statutis non habeantur, sumi debeant ea Iure canonico, aut ex pontificiis Constitutionibus, vt ostendimus *tract.* 7. *cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 6. 191.

Quod autem dicit Ioan. de Trullo relatus à Rodriquez *supr. quæst.* 39. *art.* 1. Religiosum furem, tanquam incorrigibilem eiici debere à Religione; non admittit Rodriquez nisi in casu, quo Religiosus esset famosus latro, vel grassator, ant ita continuaret furari, vt eius incorrigibilitas in hoc esset omnibus nota, siue ex aliis furtis factis, siue ex conditione personæ; quod arbitrio prudentis Iudicis relinqui debet: quamquam Religiosus neque in hoc casu absoluté eiici possit, attentis decretis ab Vrbano VIII. editis, *de eiectis, & apostatis*, & à nobis explicatis *in tract. de priuil. cap.* 8. *sect.* 3.

Porrò si Religiosus furetur calices, patenas, & similia effringendo portas Ecclesiæ, armaria, aut fene

fenestras est excommunicatus *cap. conquestus, de sent. excom.* & vi talis debet denunciari teste Syluestro *v. furtum num. 7.* effringere autem Ecclesiam est effodere parietes, frangere fores, diruere seras, sibique ingressum parare impellendo, aut quouis alio modo: vnde non dicitur effringere Ecclesiam, qui eius fores referat claue surrepta, vel extorta; vt indicat Rodriq. *art. 2.* notans ad incurrendam hanc excommunicationem requiri, vt quis simul effringat, & furetur, ideoque non sufficere alterum ex his.

Dubitari potest hic, an Regularis furans cum Clerico debeat puniri ab Episcopo, vel Prælato regulari.

Respond. debere puniri à Prælato regulari: & probatur, tum, quia causa delicti non est indiuidua, sed diuidua, sicque debet quilibet iudicari à proprio Iudice: cum ex nullo iure colligatur, quod iudicia sint indiuidua, & delictorum iudicia diuidi nequeant, imò oppositum expressè habeatur in *c. Clericum 11. quæst. 1.* tum, quia mulier, quæ fornicatur cum Clerico, non est de foro Clerici; quidquid dicat Federicus de Senis reprobatus communiter, teste Rodriq. *tom. 1 quæst. 2. art 4.* tum, quia regula illa, quod magis dignum trahit minus dignum, non tenet in eumtentione iurisdictionis, cùm causa socij in delicto sit diuisibilis à causa alterius complicis. ita Cespedes *d. 165 de exempt.* addens ex Rodriq. *supr.* si Monachus delinquat cum laico, laicum debere conueniri coram Iudice laico, & Regularem coram Iudice Regulari.

Addo, quod cum Diaz *supr.* ex Abbate dicat depositionem de qua hic, non esse imponendam, quando furtum est parui momenti: sequitur furta minora, quæ fiant à Regularibus, mitiori pœna debere puniri; cuiusmodi esset substractio peculij aliàs ad vsum Religiosi concessi, &c.

An autem grauiori pœna debeat puniri Religiosus, qui furatur de bonis Monasterij, quam si furetur de bonis externorum.

Respond. quod, cum Diaz *supr.* dicat Clericum in obsequio alicuius degentem, si ei furetur, grauiori pœna debere puniri, quam si extra domum eius, cui inseruit, furtum simile committat: si quidem hoc delictum inter furta grauiora solet enumerari; ita vt Faber. *in §. alia deinde, Instit. de public. iudic.* scribat familiarem, vel seruitorem, aut iuuanem illum suspendi pro primo furto (quis enim domesticos fures valebit effugere, nisi eos seuerior pœna, quam alios à tanto facinore retrahat?) consequenter dicendum videtur in præsenti casu Regularem furantem de bonis monasterij grauiori pœna debere puniri, quam si furetur de bonis externorum: cum rationes allatæ de ipso procedant, & quidem à fortiori ob magnam perturbationem, aliaque incommoda, quæ ex furtis in monasterio factis solent prouenire; præter quam quod respectu Religiosi adest maior facilitas, & probabilius periculum continuandi furta domestica ob commodam opportunitatem: vnde ob dicta furta ille seuerius potest puniri: etsi aliàs ea dici possint leuiora, & minora, quatenus ob furtum domesticum non datur actio de furto, sed de rebus amotis.

Qværes XIII. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui illicitam exercet negotiationem.

192. Respond. quod, cum in *cap. secundum, ne cleric. vel monach.* negotiatio prohibeatur Clericis in sacris constitutis, vel etiã in minoribus, sed & beneficiatis sub pœna excommunicationis maioris (quæ tamen non est latæ sententiæ, sed ferenda, vt notauit Nald. *v. clericus num. 36.*) Regularis negotiator debet excommunicari, maximè cum in Concil. Arelatensi II. *cap. 14.* statuatur, quod si Clericus conductor rei alienæ voluerit esse, aut turpis lucri gratia aliquod genus negotiationis exerceat, depositus à Clero à communione alienus habeatur: & in Concil. Tarracon. *can. 2.* dicatur, *Canonum statutis firmatum est, & vt quicumque in Clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi charius studio non vtatur: certè si voluerit exercere, cohibeatur à Clero.* Quamquam hæc pœna non esset imponenda Religioso negotianti per alios (v.g. contribuendo alicui pecunias in societate negotiationis occulta: cum Gratianus, Nauarr. & Azorius relati à Naldo *supr.* aliique tale genus negotiationis admittant esse licitum, adeòque non peccaminosum; & vbi non est culpa, nec pœna habeat locum.

Accedit, quod quamuis Clerici, qui alias exempti sunt à gabellis (vt ostendimus in *tract. 8. cap. 8. sect. 3.*) amittunt hoc priuilegium, si se immisceant sæcularibus negotijs, aut commercijs, si ter moniti non desistant *cap. ex literis, de vita & honest. cleric.* quamuis ad solutionem gabellæ adstringi nequeant per Iudicem laicum, sed per Ecclesiasticum, qui sit Iudex illorum competens. vt notat Diaz *supr. cap. 55.* addens iuxta Matthæum relatum à Cardinali, acquisita per Clericum ex illicita negotiatione deberi pauperibus, etsi ille non sit in statu damnationis, si totum in bis soluat. Quamuis, inquam, id procedat de Clericis sæcularibus: secùs tamen dicendum puto de Regulari negotiante, idque ob dicta in *tract. 6. cap. 10 num. 12.* quæ non est cur hic iterum frustra repetamus. Quamquam alias declaratum fuerit per bullam Pij IV. bona Regularium acquisita ex negotiatione illicita spectare per modum spolij ad Cameram Apostolicam.

Qværes XIV. Qualiter puniri debeat Regularis vsurarius.

Respond. debere primò suspendi ab officio, ac 193. beneficio (si habeat vel vtrumque vel alterum) idque ex *cap. præterea de vsur.* &, si per hoe non corrigatur, debere degradari, ita in terminis Diaz *cap. 88* id colligens ex Hostiensi *in summa de vsur. § fin. v. alia à Iudice*, vbi ait *V surarius Clericus ab officio beneficioque suspenditur, & si nec adhuc desistat, degradandus est*; addensque sic posse intelligi canonem 20. Concilij Elibertini relatum *cap. si quis 47. dist.* sic dicentem: *Si quis Clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit degradari, & abstinere.*

Addit Diaz ex Panormitano Clericum vsurarium esse ipso iure infamem ex *l. improbum fœnus, C. ex quibus cau. infam. irrogatur*: monetque ex Baldo etiã post restitutionem vsurarum, & peractam pœnitentiam Clericos vsurarios manere infames ad testimonia, ac dignitates: quamquam ipse Baldus sibi contrarius in *l. Cassius ad finem, ff de Senat.* scribat, quod si vsurarij pœniteant, & restituant vsuras, de æquitate canonica famam recuperant; idemque sentiant Felinus, & Matth. relati à Diaz: qui addit posse Episcopum hanc infamiam abolere ab eo, qui pœnitentiam egit ad effectum obtinendi beneficia Ecclesiastica, non quidem ad ea obtinenda (cum iofames eorum sint incapaces) sed ad retinenda iam obtenta.

Hæc autem licet in specie dicantur solùm de Clericis vsurariis, proportionaliter tamen procedunt etiam de Religioso vsurario ob dicta *quæst. 8.*

Qværes XV. Qualiter puniri debeat Regularis falsus monetarius.

Respond. ex bulla Vrbani VIII. *In suprema pastorali*, Regularem, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colare, vel aliàs adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut expendere præsumpserit, pœnæ degra- 194.

datione

datione tradi debere puniendum Curiæ ſæculari: pecunias verò vt ſic adulteratas ſcienter detinentibus, ſeu de loco ad locum tranſferentibus materiam, inſtrumẽta, ſiue opem ad præmiſſa præſtantibus pœnam triremium per decennium imponendam eſſe. Cognitio autem huius delicti ex citata bulla etiam, quoad Regulares in prouinciis quidem ſubiectis Sedi Apoſtolicæ ſpectat ad Legatos de latere, & Prolegatos pro tempore exiſtentes; in aliis verò omnibus, & ſingulis prouinciis, regnis, ciuitatibus, oppidis, caſtris, & locis, tam ſub Sedis Apoſtolicæ, quam cuiuſuis alterius Principis ditione in Italia tantùm comprehenſis priuatiuè, quoad omnes etiam Superiores Religionum, ipſiſque Superioribus penitus excluſis, ad Ordinarios locorum. Quamuis hæc bulla non obliget extra Italiam, imò nec in Inſulis etiam adiacentibus, Sicilia, Corſica, Sardiniáque, vt notant Diana *part. 2. tract. 17. reſolut. 30.* & Lezana *v. monetary.*

Qværas XVI. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui de facto matrimonium contrahit.

195. Reſpond. debere declarari excommunicatum; cum in Clem. 1. *de conſanguin. & affinit.* Religioſus profeſſus matrimonium de facto contrahens ipſo iure ſit excommunicatus; & quidem etiam in caſu, quo illud non conſummet; vt aduertit in *tract. 7. c. 2. num.* 203. monens idem procedere de Religioſis Societ. Ieſu, qui vota biennij ſimplicia emiſerunt. Accedit, quod, cum in *cap. decernimus*, 28. *diſt.* dicatur. *Decernimus, vt qui in ordine Subdiaconatus, & ſupr. vxores duxerint, officio, atque Eccleſiaſtico beneficio careat:* Religioſus in præſenti caſu ſuſpenditur ab executione ordinum, ſi quos habet (quo modo Abb. *in c. 1. in 2. not. diſt.* 28. dicit Presbyterum, ſi vxorem ducat, effici irregularem, vt neque in ſuſceptis ordinibus miniſtrare poſſit, nec ad maiores ſuſcipiendos admittatur) imò & priuatur Eccleſiaſtico beneficio, ſi quod habet; vt docent Archidiaconus, Domicieus, ac Præpoſitus apud Diaz *in praxi c.* 80. dicentes verba illa, quæ habentur in *c. Preſb. diſt.* 28. *Presbyter, ſi vxorem duxit, ab ordine,* ideſt, *ab officio, & beneficio*: quod non admittit Gloſſa *ibi* dicens præfata verba debere ſic explicari, *ab ordine,* ideſt, *ab officio,* & non beneficio. Addit Diaz Clericum in ſacris præter pœnas hîc relatas pati pœnas ſtupri, ſi ſub ficta matrimonij virginem violauit, & ob talem dolum vltra ordinariam pœnam depoſitionis debere detrudi in arctiorem carcerem, aut monaſterium. In Conc. item Turonen. II. habito ſub Pelag. I. *can.* 16. dicitur: *Si qui in monaſterio conuerſi ſunt, nullatenus exinde habeant licẽtiã euadendi: neq. (quod abſit) vllus eorum coniugẽ ducere, aut extraneam mulierum familiaritatem habere: nam ſi vxorem duxerit, excommunicetur, & de vxore malè ſociata cõſortio etiam Iudicis auxilio ſeparetur; & infelix monachus tali coniunctione fœdatus ab Eccleſia ſegregetur, donec reuertatur ad ſepta monaſterij, & indictam ab Abbate, quamdiu ei præceptum fuerit, agat pœnitentiam.* Sic in Concil. Tolet. VIII. *c.* 7. de Clericis habetur: *Si ad coniugium, moreſque ſæculi redire attentauerint, omni Eccleſiaſtica dignitate priuentur, & Apoſtatæ habeãtur. & in monaſterio, donec vixerint, ſub pœnitẽtia retrudãtur.* Quod decretum dicit Salzed. ad Diaz *in annot. lit. B.* eſſe durius; ſolere tamen Clericos in ſacris monaſterium contrahentes ad tempus in monaſterio collocari, vt illic orationibus, & ieiuniis vacẽt, & prædictas iuris pœnas patiantur. Ex his autem habetur, quæ pœnæ infligi debeant Regulari de facto matrimoniũ contrahenti, & pro certo habẽdum eſt pœnas, quæ iure canonico imponuntur Clericis in præſenti caſu, poſſe inferri etiam Religioſis tale delictum perpetrantibus, vt ſuprà dictum eſt.

Qværas XVII. Qualiter debeat puniri Regularis, qui (quod abſit) Monialem carnaliter cognoſcat.

Reſpond. quod cum in *cap. virginibus 7. quæſt.* 1. 196.
iuncta Gloſſa *ibi,* ſtatuatur Clericum in iſto caſu debere deponi ab officio, & beneficio, & Grillandus *in tract. de pœnis omniſariam coitus quæſt.* 1. dicat Clericum cuiuſcumque gradus, aut dignitatis deponi propter hoc delictum ab omni ordine ſacro, & priuari omnibus beneficiis, & detrudi in arctum monaſterium ad agendam perpetuam pœnitentiã (quod totum non admittit Turrecremata *in c. ſi quis Epiſcopus 27. q.* 1. dicens tunc Clericum deponi propter hoc delictum, quando delictum in notitiam populi deuenerit, ſecus, ſi maneat occultum; at reiicitur à Diaz *ſupr. cap.* 81. his verbis: *Contrarium credo verum; cum cap. ſi quis Epiſcopus ſimpliciter imponat depoſitionem, & delictum ſit adeo graue, vtpote continens, quoad accuſationem tria peccata, nempe ſacrilegium, adulterium, ac inceſtum;* ſicut notat Gloſſa *in cap. virginibus 17. quæſt.* 1. & tradunt DD. communiter) cum inquam Ius canonicum Clericum in præſenti caſu delinquentem modo dicto deponat ab officio, & beneficio; hinc poſſunt Iudices Regulares colligere, qua pœna debeant affici Religioſi cum Moniali coëuntes; vt expreſsè notat Rodriq. *tom.* 2. *quæſt.* 30. *art.* 1. addens in foro ſæculari laicum, qui crimen hoc facit, pœna vltimi ſupplicij plectendum eſſe, eiúſque bona debere adiudicari monaſterio Monialis violatæ; ſicque ex priuatis ſtatutis Italiæ committentes hoc delictum puniri pœna mortis. Vnum addo, detruſionem in arctius monaſterium (de qua ſupra) quoad Religioſum ſignificare, non carcerationem, ſed incluſionem, per quam Religioſus delinquens cogatur non exire è monaſterio.

An autem Regularis poſſit de vnoquoque trium criminum, quæ in Monialis violatione continetur, accuſari, & puniri, ita vt pœna ex vno ſecuta alterum non impediat, ac ſi ex diuerſis factis cum diuerſis perſonis ea fuiſſet inflicta.

Reſpond. Salzedo ad Diaz *ſupr. in annotat. lit. A.* 197.
ex Gloſſa *in virginib.* 17 quod, cum præfata dicantur plura crimina nomine tantùm: non autem effectualiter in ſubſtantia, & ſint diuerſa ſolum reſpectu accuſationis; quoad actum punitionis ſunt vnum; cum in veritate non fuerit, niſi vnicum factum; etſi ob qualitatem delicti pœna grauior iniungi debeat, quam imponeretur pro quolibet dictorum delictorum. qua de re Bartol. *in leg. ſenatus, ff. de accuſat. & in leg. qui de crimine, C. de accuſat.*

Qua vero pœna puniri debeant Moniales in carnalem copulam conſentientes diximus *in tract. de Monial. cap. 4. num.* 78. videlicet eas debere mancipari perpetuo carceri ex *c. impudicas 27. quæſt.* 1. & quidem meritò cum antiquitus Veſtales, quæ Diis virginitatem vouebant, huius criminis reæ virgis cæderentur ferè vſque ad necem: & poſtea viuæ defoderentur; imò Minucia Veſtalis, teſte Liuio *lib. 8. decad.* 1. viua fuerit defoſſa, eo quod ob mundiorem iuſto cultum de libidine fuerit ſuſpecta.

Addit Rodriq. *ſupr.* filios poſt votum Caſtitatis in profeſſione factum habitos à Monachis, aut Monialibus eſſe ſacrilegos, & in odium parentum plecti pœnis ſacrilegorum; prout Sixtus V. in ſua Conſtitutione contra ſacrilegos edita apertè indicat.

Qværas XVIII. Qualiter puniri debeat Regularis, qui carnaliter cognoſcit filiam ſuam ſpiritualem.

Reſpond.

198. Respond. quod, cum Diaz *supr. cap. 82.* dicat, Clericum de hoc delicto conuictum suo iudicio indistinctè deponendum esse, imò & hoc tempore alicui carceri per non paucos annos mancipandum; idque colligat ex *cap. fin. 30. quæst. 1.* statuente Præsbyterum, qui cum mulieribus, quæ ei fuerint sua peccata confessæ, se commiscuerit, debere pœnitere 12. annos, ac deponi, iuncto *cap. si quis eadem caus. & quæst.* vbi dicitur, quod qui hoc scelus perpetrauerit, non solùm dignitatis honorem amittat, sed etiam vsque ad exitum vitæ suæ iugi pœnitentiæ se subdat (quod glossa ibi intelligit de pœnitentia interiori) hinc colligere potest Iudex Regularis, quam pœnam infligere debeat Religioso delictum hoc committenti: cum pœnæ inferendæ Regularibus desumi debeant ex Iure canonico, & pœnæ hîc propositæ in dicto iure repetantur. Notat autem Diaz verba illa, quæ habentur *in cap. fin. 30. quæst. si in conscientiam populi deuenerit* (intellige, *delictum*) æquiualete his verbis, *si hoc testibus probatum fuerit*; satis etiam in populi notitiam venir delictum, quod testibus cōprobatur; quod est dicere mitiori pœna puniēdum esse hoc delictū, si Prælato in occulto reueletur.

Moneo hîc vnum, ad hoc vt Regularis subiaceat pœnis § *præcedenti*, propositis, non requiri, quod fœmina, quam cognoscit carnaliter soleat ei ordinatiè confiteri (quod aliqui requirunt, vt pœnitens dici possit filius spiritualis, non differente Graffio *tom. 1. consil. tit. de cognatione spirituali, cons. 1. num. 27.* quatenus ait oppositam sententiam videri veriorem) sed sufficere, vt semel ei confiteatur: nam iura superiùs relata id supponunt, cum dicant indefinitè, *qui cum mulieribus, quæ ei fuerint sua peccata confessæ*; quod verificatur de pœnitente, quæ vna tantùm vice Sacerdoti religioso confiteatur, vt patet. Imò cum filiatio spiritualis semel contracta semper duret, siue ea sit cognatio spiritualis (sicut vult Sanch. *l. 7. de matrim. D. 55. num. 3. & 4.*) siue non, vt volunt alij ab eodem Sanch. relati *num. 2.* Regularis præfatis pœnis subiacebit, si copulam habeat cum fœmina; quæ alias ei confessa fuit, etsi ante copulam aliud elegerit Confessarium non amplius confessura priori Confessario: si quidem ea adhuc est filia spiritualis illius, & aliòqui *cap. si quis 30. quæst. 1.* omnes, quos in pœnitentia accipimus, ita filij nostri sunt, vt in baptismate suscepti.

Qværes XIX. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui rapit mulierem causa matrimonij, aut alteri in hoc præstat consilium, auxilium, aut fauorem.

199. Respond. quod, cum in Concilio Trid. *sess. 24. cap. 6. de reform. matrim.* dicatur Clericum in isto casu de proprio gradu deiiciendum esse, idest deponendum ab exercitio ordinum quos habet: idem procedit & de Religioso, qui causa matrimonij mulierem rapiat; non item si alia causa: tunc enim alia pœna debet puniri pro modo culpæ; vt bene aduertit Salzedo ad Diaz *cap. 78. in annotat. lit. A.* quam proinde Iudex regularis ex concurrentibus circumstantiis statuere debebit. Notat autem Diaz *supr. cap. 138.* depositum simpliciter intelligi depositum perpetuò, licèt non exprimatur, vt per Glossam *not. in c. 1. in glo. fin. dist 50.* sicque in præsenti casu Regularis perpetuò deponendus erit; cum Concilium simpliciter dicat *de proprio gradu illum esse deiiciendum*, idest dep onendum.

Maius dubium est de Religioso professo laico, qua pœna debeat puniri si causa matrimonij fœminam rapiat: & ratio dubitandi est, quod ex parte in Concilio Trident. *loco citato* non venit nomine Clerici, cum teste Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 2. num. 24.* Religiosus laicus in materia pœnali non comprehendatur sub nomine Clerici, & cum non habeat ordines sit incapax pœnæ statutæ in præfato Concilio: ex alia parte de eo non videntur posse verificari verba illa Concilij *sint ipso iure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces*; cum ea proferantur de viris laicis, vt constat ex verbis immediatè sequentibus, *& si Clerici fuerint*, & alioqui Religiosi laici non veniant nomine laici simpliciter (maximè in pœnalibus) quippe qui sunt personæ Ecclesiasticæ, & consequenter à laicis contradistinctæ: si autem hæc duo admittantur, Religiosi laici in præsenti casu effugient pœnam in Concilio latam, tam contra laicos, quam contra Religiosos, adeòque impunè committent hoc delictum: quod est magnum inconueniens.

Respond. concedendo Religiosos laicos in præsenti casu non subiacere vlli ex pœnis in Concil. Trid latis; hinc tamen non sequi illos impune posse delictum hoc committere (quod vtique esset magnum inconueniens) siquidem poterunt, & debebunt puniri à Iudice Regulari pœna arbitraria pro modo culpæ; nec absurdum est, quod effugere possint omnes pœnas latas in Tridentino; cum id fit per accidens, nimirum ratione status competentis Religioso laico; vt in simili indicat Less. *l. 4. c. 2. n. 49 fi.*

Qværes XX. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui committit adulterium.

Respond. debere perpetuò deponi *ex cap. si. quis Clericus, dist. 81.* & glossa *in cap. lator 2. quæst. 7.* cum qua sentiunt plurimi Canonistæ apud Diaz *sup. c. 86.* addentem ex Abbate *in cap. at si Clerici §. de adulterio, v. sed circa de iudic* Clericum de adulterio damnatum ex tali sententia effici infamem, pater responsio ex eo, quod Regulares puniri debent iuxta ius canonicum: hæc autem pœna est de Iure canonico; etsi lata sit in specie cōtra Clericos, vt cōstat ex textu. 200.

Porrò aduertit Diaz, quod, licet in regnis Castellæ, & Legionis regia lege sancitum sit, quod, marito non accusante vxorem, nullus possit eam accusare de adulterio, Iudex tamen Ecclesiasticus (addo ego, & consequenter Regularis) poterit punire suum subditum in hoc delinquentem; nec reus valebit opponere, quod maritus non accuset, non enim potuit lex regia impedire Iudices Ecclesiasticos, ne ad emendam suorum Clericorū procederent: aliter Clerici omnes incontinentes libidinem suam potius cum nuptis, quā cū solutis mulieribus explerēt; cum securius, ac impune id se agere cognoscerēt. Verumtamen in hoc magna debet adhiberi cautela; nam si adulterium Clerici adeo est notorium, maritique persona ita vilis, quod præsumi possit ipsam scire, & participendere, tunc Iudex Ecclesiasticus poterit publicè, & liberè de adulterio tractare, & pœnam imponere. Si verò delictum non est publicum, aut marito ignotum esse creditur, periculumque exinde timeri possit vxori, tunc consultum esset Clericum de hoc delicto conuictum, vel confessum camerario processu, & familiari disciplina corrigere, relegareque sine expressione causæ in sententia, ita Diaz addens marito Clericum adulterum accusante, tunc seuerius procedendum esse, tantoque acriùs in aliis pœnis carceris, & detrusionis vltra depositionem puniendum esse Clericum, quanto honorabilior est persona mariti, aut diuturnius est adulterij peccatum, maiusue exinde subortum scandalum: præcipuè si contigerit adulteram fuisse per Iudicem sæcularē traditam marito. Addit Diaz Iudices Ecclesiasticos In hoc crimine generaliter debere considerare, ne

nimis diligenter inquirant de adulteriis occultis ob mulierum periculum, virorum infamiam, ac Clericorum fragilitatem; ſed vigilāes ſuper gregem ſuum ſimilia potius præſeruare conentur cohabitationem & conuerſationem Clericorum, & nuptarum euitando, quam vſque ad vnguem inuenire, & caſtigare ſatagant.

Ex quibus infert Rodriq. *tom.2.q.29. art.4.* Iudices regulares nulla lege prohiberi contra Religioſos adulteros procedere; cum negotia Religionum peragantur ſine ſtrepitu, & figura iudicij ſola veritate inſpecta, vbi Iudices ſunt Prælati regulares, Notarij eiuſdem Ordinis Religioſi, quorum proceſſus ita ſecretè fiunt, vt ſolum principalioribus partibus ſint manifeſti: ipſique Notario præcipi poteſt, vt nomen adulteræ ſileatur, ſolúmque referatur, & comprobetur religioſum cum quadam muliere coniugata adulterium feciſſe: quomodo ex proceſſus publicatione maritus adulteræ non haberet, vnde eam iudicialiter accuſaret. ita Rodriq. ſic concludens: *Vnde miror, qua ratione Iudices Regulares in aliquibus partibus contra Religioſos adulteros criminaliter per viam inquiſitionis ſecretò ſumendo teſtes ſæculares procedere nolunt; cum id ipſis nulla lege canonica prohibeatur, neq; ex tali inquiſitione ad modum explicatum facta aliquid mali adulteræ futurum timeatur, & ex impunitate huius delicti poſſunt Religioſi ſui Inſtituti obliti coniugatas magis, quam ſolutas adamare.*

Qværes XXI. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui nefandum crimen committit.

201. Respond. debere deponi perpetuò, ac in monaſterium detrudi: idque *ex cap. clerici, de exceſſ. Prælat.* quod tamen loquitur ſolùm de Clericis: cum poſtea Pius V. in ſua Conſtitutione, *Horrendum*, in ordine 18. omnes, & quoſcumque Presbiteros, & alios Clericos ſæculares, & Regulares cuiuſcumque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes omni priuilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Eccleſiaſtico priuauerit; ita quod per Iudicem Eccleſiaſticum degradati poteſtati ſtatim ſæculari traduntur.

Difficultas modò eſt, an ad incurrendas pœnas latas in citata bulla Pij V. requiratur, quod puniendus quaſi vſu quotidiano crimen hoc commiſerit.

Respond Nauarr. *cap.27. Manual. num.* 249. requiri, idque colligi ex verbo *exercentes*, poſito in bulla, quod ſupponit actum fieri, non ſemel, ſed pluries (cum non dicatur mercator, qui mercaturam ſemel exercuit) imò & ſic reſpondiſſe Gregorium XIII. ipſi Nauarr. At Salzedo *in addit. ad pract.* Diaz *cap.*86. oppoſitum mordicus ſuſtinet ex eo, quod Pius V. in alia bulla edita anno 1566. non vtitur verbo *exercere*, ſed *perpetrare* dicens. *Si quis crimen nefandum contra naturam perpetrauit*, &c. quod verbum, *perpetrauit*, non petit reiterationem criminis. Pro Nauarro tamen ſtat Rodriq. *tom.2. q.29. art. 2.* dicens de Salzedo; *Miror valde, quod hic adeo doctus vir, tam fragili argumento in hanc ſententiam tam duram venerit deuiando ab opinione tam pia Nauarri, ab ipſo tam doctè probata, & authoritate Gregorij XIII. confirmata: præſertim cum eius argumento facillimo negatiuo poſſit reſponderi, ſcilicet, quod leges poſteriores limitant, & declarant priores; & ſic ſecunda Conſtitutio Pij vtendo verbo exercentes declarat primam Conſtitutionem, quæ ſolùm vſa fuit verbo perpetrauit, nec mirum eſt, quod in hac ſecunda Conſtitutione verbo exercentes vtatur Papa, cum pœnæ appoſitæ contra Sodomitas in ea maiores multò ſint, quam in prima Conſtitutione, vt patet ex illis verbis (quod nos in ipſo Pontificatus noſtri principio hac de re decreuimus, nunc plenius, fortiuſq; perſequi intendentes, intendit enim Papa pœnas adeo graues non eſſe infligendas cuicumque hoc crimen perpetranti ex fragilitate, ſed exercenti illud continuatione vitioſa.* Cùm Rodriquez ſentiunt Genuenſis *in praxi cap.67.* Riccius *in praxi reſolut.301.num.3.* Quaranta *in bullar. v.50. domina*, aliique, & meo iudicio probabiliter.

Maior difficultas eſt, an Religioſus laicus exercens vitium nefandum ſubſit pœnis præfatis in bulla Pij V. latis; & ratio dubitandi pro parte negāte eſt, quod Pius in poſteriori ſua bulla loquitur ſolùm de Presbyteris, & aliis Clericis ſæcularibus, & Regularibus, in priori verò dicit, *& ſi Clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus ſimili pœna ſubiiciatur*; cōſtat autem ex dictis *q.19.§ maius dubium eſt*, Religioſos laicos nonvenire nomine Presbyterorum, aut Clericorum; & aliàs verſamur in materia pœnali, quæ non debet ampliari ad caſus non expreſſos ex paritate rationis.

Respond. religioſum laicum non ſubeſſe præfatis pœnis; cum hæ latæ ſint contra Presbiteros, & Clericos; cuiuſmodi non ſunt, nec dici poſſunt religioſi laici in materia pœnali quæ mollienda eſt, non exaſperanda, *l. interpretationem, ff. de pœnis*, ideóque religioſum in tali caſu debere puniri pœna arbitraria prudentis Iudicis arbitrio; qui eam taxabit iuxta qualitatem concurrentium circumſtantiarū. Et hoc puto procedere etiam de Religioſo, qui ſit Ordinis monachalis, aut Religionis, in qua religioſi communiter dicuntur Fratres, & aliàs non ſit Sacerdos: quippe qui non eſt Presbyter, neque Clericus, ſed monachus, aut Frater; & alioqui bulla Pij V. loquitur ſolum de Presbyteris, & Clericis: quæ proinde non debet ad illum extendi, etſi concurrat identitas rationis,

Dubitari hîc etiam poteſt, an his pœnis ſubiaceat religioſus, qui cum pueto habens copulam ſodomicam, eam non conſummat, aut fœminam cognoſcit præpoſtera venere.

Respond. non ſubiacere. ita Riccius *ſupr. num.* 2. ex Nauarro Salzedo, Rodriq. ac Vgolino: & probatur, quia in priori caſu actus non eſt conſummatus intra vas indebitum (vt ſuppono) & aliàs præfatæ pœnæ petunt actum conſummatum: in poſteriori verò caſu non committitur vera, & propria ſodomia (vt notat Bonac. *q.4. de matr. p.* 11. *n.*5. inde hoc probans *n.* 1. quod ſodomia propriè accepta eſt inter perſonas eiuſdem ſexus; cum per eam peccetur contra ſexum, ac debitum inſtrumentum) & alioqui pœnæ non debent ampliari, ſed reſtringi. Quod verò præfatæ pœnæ in priori caſu requirant actum conſummatum, probatur, quia lex puniens delictum requirit, vt delictum ſit conſummatum; maximè ſi verba legis ſint generalia, & abſoluta de delicto.

Notat Salzedo ad Diaz *in pract. cap.*86 *lit. B.* inter Doctores receptum eſſe Sodomitam, etiam occultum, imò & poſt pœnitentiam peractam eſſe ſuſpenſum ab executione ordinum, &, ſi interim celebret, fieri irregularem irregularitate ſolum à Papa diſpenſabili (quod tamen non procedit, quoad forum conſcientiæ, pro quo Epiſcopus vigore Concilij Trid. *ſeſſ.24. cap.6. de reform.* poteſt diſpenſare ſuper dicta ſupenſione, ac irregularitate, ſi crimen ſit occultum) additque ex Rebuffo Sodomitam non poſſe eligi ad beneficium Eccleſiaſticum; &, ſi ei conferatur beneficium, inualidam eſſe collationem. Verùm à Salzedo diſſentiunt Bonac. *ſup. n.*3. Naar. *c.*27. *n.*249. aliique & probabilius, ea ducti ratione, quòd dicta ſuſpenſio, ac irregularitas in iure non ſunt expreſſæ:

pressæ : suspensio autem, & irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa.

Addit Bonac. *num. 1. v. ad advertendum est*, Clericum in præsenti casu non teneri in foro conscientiæ cedere beneficio, officio, dignitati, aut restituere fructus beneficij ante Iudicis sententiam, etsi in bulla Pij V. dicatur, *præsentis Constitutionis authoritate priuamus*; sed requiri sententiam Iudicis; ita tamen, vt retrotrahatur ad diem commissi criminis, possitque beneficium ab alio impetrari, ac si illud vacasset à die criminis, alterique conferri possit tanquam vacans, cum primum delinquens à Iudice fuerit condemnatus.

An autem dictum pueri sodomitati solum faciat iudicium ad torturam.

Respond. facere, si adsint conuenientia adminicula (videlicet mala fama, mendacia, & similia :) idque siue puer stupratus fuerit per vim, siue sponte. Ita Farinac. *de indic. & tortur. q. 43.* dicens communem esse opionem, & praxim ita se habere : idem sentit Genoensis *in praxi cap. 67. n. 2.* monens debere puerum torqueri ad validandam depositionem, etsi dicat se per vim fuisse stupratum, nisi probetur metus, qui non præsumitur.

QVÆRES XXII. Qualiter debeat puniri regularis, qui virginem stuprat.

202. Respond. debere deponi, imò & corporaliter castigari. Ita Diaz *in praxi c. 83. n. 2.* ex Abbate, & communi Doctorum sententia, qui licèt in specie loquantur de Clerico, idem tamen debent dicere, & de religioso iuxta dicta *q. 13.* & quidem quod in isto casu Regularis debeat corporaliter puniri, inde patet, quod cum virginem stupratam non possit ducere in vxorem, eámve dotare (ad quod tenetur in pœnam, si esset laicus) loco huius pœnæ succedit corporalis punitio. Quod verò Clericus stuprator debeat deponi, non habetur in iure scripto (cum Doctores nullum tale ius afferant) sed in consuetudine, quæ est ius non scriptum, & dat iurisdictionem ordinariam, *l. inspeximus, in glossa v. consuetudinem, de mancip. & l. viros, C. de apparit. lib. 2.*

Vnum hîc moneo ex Diaz *sup. c. 145. n. 4.* quod, licèt aliàs damnati ob delictum ad pœnam pecuniariam, si non habent in bonis, luere debeant in corpore, *l. fin. ff. de in ius vocan.* vbi Bald. *& l. 1. ff. de pœnis*: Clerici tamen in sacris constituti, si sint inopes, in defectum pecuniæ non debent puniri corporaliter: idque, tum ob dignitatem status Clericalis; tum quia leuia sunt crimina, ob quæ imponuntur Clericis pœnæ pecuniariæ : etsi tunc possit Iudex illam commutare in alias pœnas arbitrarias, consideratis debitis circumstantiis. Et hoc puto procedere etiam de Religioso, hunc scilicet, si committat delictum Iure Canonico puniendum pœna pecuniaria, quam ille nequit soluere, cum nihil proprium habeat, non debere puniri in corpore, sed alia pœna arbitraria attentis circumstantiis debitis : cum respectu Religiosi militent rationes allatæ pro Clerico.

Notat autem Salzedo ad Diaz *sup. lit. A.* Clericum (dic tu, Regularem) ab hac pœna non excusari, si virgo ei sponte se obtulit : cum voluntas socij criminis iustam excusationem non præstet, quando culpa illius non consistit in sola voluntate, sed in actus reprobatione; pœnámque istam infligi debere solum stupranti virginem maturam (cum hæc verè perdat virginitatem, & stuprum perfectè committatur, non item stupranti virginem nondum vitipotentem, cum hæc virginitatem non dicatur amittere, ex quo nequit corrumpi ; quare stuprans in hoc posteriori casu pœna arbitraria puniendus est: quod etiam procedit in euentu, quo stupretur vidua honestè viuens; quamuis pœna arbitraria possit augeri pro qualitate viduæ, & aliis circumstantiis, prout Iudici Ecclesiastico videbitur. Ita Salzedo *sup.*

Quod tamen spectat ad stupratorem puellæ nondum maturæ viro dicit Iul. Clar. *l. 5 §. stuprum* quod si sit solum conatus ad deflorandum, deflorator non punitur pœna mortis, sed alia citra mortem graui (v. g. triremium perpetuò, vel per decennium) si vero frangantur pudenda puellæ, nullo modo debet euadere pœnam vltimi supplicij : sicque anno 1558 iussus fuit capite truncari, qui cum puella quadrienni voluit coire, & ei fregit pudenda: alius vero, qui puellam quinque annorum violauerat, fuit solùm damnatus ad triremes per decennium.

Dices, quid si Regularis de stupro accusatus excipiat, & probet apertè virginem spontè consensisse, intrantibus testibus ipsum ab ea fuisse attractum ad concubitum, ea veniente ad eius lectum, eóque ipsam repellente, excusaríne debet Regularis à pœna criminali stupri.

Respond. Diaz *sup.* non debere excusari: cum voluntas consocij criminis non excuset à pœna delicti, quando eius culpa non consistit in sola violentia actus, sed in reprobatione ipsiusmet actus, quantumuis voluntarij: quamuis id aperiri debeat, vt Religiosus non puniatur tamquam violentus stuprator.

Illud etiam hîc quæri potest, an Religiosus possit damnari de stupro, si puellam sine pudoris violatione prægnantem effecit, quod posse fieri, suscepto tamen viri semine, absque miraculo docet S. Thomas *in quolib. 6 art. 18.* cum adueniente partu necessarium sit amittere virginitatem.

Respond. ex Diaz *sup* posse damnari: cum debuerit cogitare accedens ad virginem id posse contingere, & difficilè possit probare se non intendisse corruptionem puellæ, nec quod per extraordinariam pollutionem factam cum illa ipsa conciperet ; imò potius contra ipsum præsumi possit, non ob eius temperantiam, sed ob puellæ resistentiam actum stupri non fuisse consummatum. Fateor quidem Religioso in tali casu mitiorem pœnam debere imponi, cum à principio stuprum non fuerit consummatum; & hoc, licet probaretur puellam fuisse violenter expressam, aut seductam.

Monet Iul. Clar. *sup. in addit. n. 6.* mulieri dicenti se fuisse tentatam de stupro non credi, etsi eum ea maritus de violentia testetur, & aliter veritas haberi nequeat, nisi aliæ concurrant circumstantiæ; item nō credi Matri, & multò minus fœminæ de violentia, si copula carnalis interuenit (vt notat Host. *in c. continebatur, extra de desponsat. impub.*) quamquam vociferatio mulieris violatæ magnum faciat indicium, teste Afflict. *in const. de rapt. v. rg. n. 24.* & Mascardo *de prob. at. co. cl. 1409. n. 27. vol. 3.*

Quod si stuprator dicat puellam non fuisse virginem, quo tempore eam carnaliter cognouit, ipsa verò dicat se fuisse virginem; in dubio præsumitur virgo ; nisi stuprator probet contrarium. est communis Doct. apud Abbatem *in c. 1. n. 5. de adult.*

QVÆRES XXIII. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui incestum committit.

Respond. debere deponi, si incestus in eo consistat, quod Religiosus fornicatus cum aliqua muliere postea fornicetur cum eius consanguinea intra quartum gradum : maximè, si qualitas talis incestus summè grauet delictum in oculis hominum ; vt si cum matre, & filia fornicetur, aut cum 2. sororibus, consobrinis : tunc enim delinquens non solùm debet deponi, sed etiam detrudi in carcerem ad tempus iuxta qualitatem, & scandalum delicti. Ita Diaz 203.

in pract. capit. 84. loquens de Clerico inceſtuoſo ex communi Doctorũ ſenſu monens aſſertionem hanc maximè procedere in regnis Caſtellæ, & Legionis, in quibus lege diſponitur fornicantem cum muliere conſanguinea alterius intra quartum gradum, cum qua prius idem fecerat, committere inceſtum: ſi enim laicus ob hoc reputatur inceſtuoſus, & puniatur vt talis pœnis ciuilibus; quare non punietur Clericus ob idem delictum pœnis canonicis; ſiquidem lex regia, ſiue municipalis, etſi non liget Clericum, id tamen videtur operari, quod Iudex Eccleſiaſticus puniat qualitatem delicti ſecundum quod illa in laicis qualificauerit: præſertim in hoc caſu, in quo lex ciuilis punit actum canonico ſic reprobatum, quod ſtatuit per illum dirimi matrimonium. quæ vtique ob dicta *quæſt.* 13. procedunt de Regulari inceſtuoſo.

Dixi ſub initium reſponſionis, *ſi inceſtus in eo conſtat*, &c. vt innuerem, quod cum Diaz imponat pœnam depoſitionis, ac detruſionis ſolùm inceſtui qualificato, & in certa ſpecie: pœna inceſtus vt ſic eſt ſola depoſitio: quod clarè indicat Iulius Clarus *ſupr.* §. *inceſtus*, dicens ex communi DD. ſenſu Clericum inceſtuoſum Iure canonico deponendum eſſe.

Qværes XXIV. Qualiter debeat puniri Regularis, qui ſimplicem committit fornicationem.

204. Reſpond. non debere deponi, ſed ſolùm ſuſpendi: idque in Gloſſa *in cap. Maximianum, v. remoueantur, diſt.* 81. quam refert, & ſequitur Abbas *in cap. ex parte, num.* 1. *de teſtibus*, quamquam, ſi fornicatio habeat inſignem deformitatem Clericos debeat deponi, teſte Menchaca *lib.* 3. *de teſtam.* §. 22. *num.* 49. ſic Iulius Clarus §. *fornicatio, num.* 3 à quo non omninò diſſentit Diaz *ſupr. cap.* 78. *num.* 1. dicens pro fornicatione Clericis,& in factis conſtitutis non imponi pœnam depoſitionis, ſed pœnam arbitrio Iudicis relinqui, & hanc opinionem, tamquam communem ſequi Ananiam: cum è contra Aretinus *in cap. cum non ab homine, col.* 10. *de iudic.* dicat communem eſſe opinionem, quod Clericus ob ſimplicem fornicationem incurrit depoſitionem. Quæ autem dicta ſunt de Clerico fornicante, proportionaliter procedunt de Religioſo fornicario; vt non ſemel dictum eſt. Per ſuſpenſionem autem indefinitè ſumptam cenſeo hic intelligi ſuſpenſionem, tam ab officio (id eſt ab ordine, ac iuriſdictione) quàm à beneficio; cum verba debeant accipi, vt ſonant; &, cum ſint generalia, generaliter intelligenda ſint, vt habet Bonacina *D.* 3. *de cenſur. in commun. quæſt.* 6. *part.* 2. *num.* 1. ex Syluestro, Toleto, Auila, Sayro, & aliis communiter.

Qværes XXV. Qualiter puniri debeat regularis conuictus de concubinatu.

205. Reſpond. quod, cum Abbas *in cap. at ſi Clerici, de iudic.* & cum eo Diaz *ſupr. cap.* 79. *num.* 3. dicant de punitione Clerici concubinarij iura in hoc vario modo diſponere, quandoque apponendo pœnam acerbam, quandoque mitem, & quandoque mitius procedendo, ideóque arbitrio Iudicis relinqui, vt, conſideratis circumſtantiis, & ſcandalo inde ſurgente, & conſuetudine patriæ, apponat pœnam quandoque depoſitionis, quandoque ſuſpenſionis, & quandoque priuationis beneficiorum. quandoque prius moneat, quandoque ſiue monitione priuet, ex quo conſtat de delicto; idque iuxta notata per Gloſſam *in cap fraternitatis* 34. *diſt. & in cap. à crapula, de vit. & hon. cleric. &* 11. *quæſt.* 2. ex hac doctrina Abbatis colligere poſſunt Prælati regulares, qualiter puniant Religioſum ſubditum, qui (quod abſit) conuincatur de concubinatu: ſuppono enim concubinatum poſſe reperiri in Religioſo in monaſterio degentem; cum, teſte Diaz *ſup. num.* 1. concubinarius cenſeatur, qui etiam in aliena domo habet fœminam notam, cui ſolet carnaliter commiſceri, ſi de conſuetudine conſter, & diffamatus ſit in ſua, vel fœminæ ipſius vicinia; quæ vtique verificari poſſunt de Religioſo degente intra clauſtra monaſterij. Adde ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 14 *de reform.* poſſe colligere Prælatos regulares qualiter poſſint, & debeant procedere contra Religioſum concubinarium: quamuis enim *Concilium* loquatur in ſpecie de Clericis ſæcularibus: ex eo tamen poſſunt Iudices regulares colligere, quo modo procedere debeant in puniendo Religioſo de concubinatu conuicto.

Quod ſi Clerici ex concubina filios habeant, nequeunt tranſire ad maiorem dignitatem, ac gradum, ſed in ſtatu, gradu, & dignitate, in qua ſunt, debent perpetuò remanere ex bulla Pij V. relata à Rojas *in epitome ſucceſſionum, cap.* 17. *num.* 19. cum in Concil. Toletano prouinciali facto anno 1565. *act.* 3. *cap.* 19. ſtatutum fuerit filios Clericorum illegitimos non poſſe retineri intra proprios lares; vt incontinentiæ labes ac memoria tanto facilius aboleatur. Notat item Salzedo ad Diaz *ſup. lit. B.* Clerico concubinario ob crimen priuato fructibus beneficij, nullos fructus relinqui debere in alimentum; cum male meriti egeſtate laborare debeant, *l. bona fide, ff. depoſiti:* intellige, niſi Clericus ſit pauper, ita vt aliunde non poſſit alimenta percipere: tunc enim æquum eſt, vt ex dictis fructibus alatur; nam Clerico ſuſpenſo à beneficio, ex eo miniſtranda ſunt alimenta ad vitæ ſubſidium, *cap. præter.* 32. *diſt.* & clerico etiam depoſito prouidetur, *cap. ſtudeat* 50. *diſt.* ne cogatur mendicare in ignominiam, & opprobrium ordinis Sacerdotalis, *cap. diacon* 93. *diſt.*

Notat præterea Salzedo *ſup.* quod, quando Epiſcopi, aut alij Iudices Eccleſiaſtici procedunt ad punitionem concubinatus, aut circa viſitationem, aut morum correptionem; non debet eorum ſententia retardari prætextu appellationis, aut inhibitionis, aut querelæ delatæ ad Sedem Apoſtolicam: & hoc ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 21. *capit.* 10. *de reformat. & ſeſſ.* 24. *cap.* 10. quod tamen procedit in caſu, quo Iudex ſuperior, non Iuſtificata appellatione, nec viſis actis proceſſus inferiorem inhibere contendit: ſecùs, ſi appellatione iuſtificata ex proceſſu iam ad tribunal appellationis delatæ conceſſa ſit inhibitio; tunc enim obtemperandum eſt, nec Iudex inferior procedere poteſt ad executionem ſuæ ſententiæ.

Addo ego, quod, cum Conc. Trid. *ſup.* ptinans concubinarios beneficiis, & fructibus beneficiorum modo ibi explicato, loquatur præcisè de Clericis ſæcularibus (vt conſtat ex initio citati capitis) ſi contingat Religioſum eſſe concubinatium, & habere beneficium Eccleſiaſticum, non ideo talem priuationem incurrit; cum ea ſit lata contra Clericos ſæculares (quales vtique non ſunt Religioſi, etiam Clericalium Ordinum) & pœnæ, neque ex identitate, neque ex maioritate rationis debeant extendi Quod tamen non facit, quin Religioſus in hoc caſu puniri poſſit tali pœna à proprio Iudice, ſi is attentis concurrentibus circumſtantiis, iudicet ſic faciendum: imò & hoc ſatis dicetet: cum ſit æquum, vt Iudex Regularis in puniendis ſuis ſubditis Iuri canonico ſe accommodet iuxta dicta ſuperius.

Qværes XXVI. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui commiſit homicidium.

Reſpond. debere deponi, ac tetrudi in monaſterium, ſi occidatur ſæcularis vir: ſi verò occidatur Religioſus, & maximè proprius Prælatus regularis, 206

debere

debere statim tradi Curiæ sæculari, etsi ille non sit incorrigibilis. ita Rodriq. *tom. 2. q. 34. art. 1.* dicens ex Alciato hanc opinionem sæpissimè deductam fuisse in praxim, eamque esse communem iuxta Corrasium, & Couarruuiam: qui tamen Couarruuias ex Diaz censet Clericum (die tu Regularem) non esse tradendum Curiæ sæculari in isto casu, nisi homicidio coniungatur pertinacia, & incorrigibilitas; id colligens ex *cap. cum non ab homine, de iudic.* vbi dicitur in omni crimine quantumcumque graui sæcularem iudicem non posse punire Clericos, eos tamen esse deponendos; &, si incorrigibiles fuerint, brachio sæculari tradendos esse: quod idem sentit Nauarr. *de priuil. cons.* 17. non dissentiente Rodriquez *supr.* quatenus ait iure communi contrarium esse verius, id est probabilius (quod est tacitè dicere opinionem Nauarri esse probabilem;) additque In Hispania quosdam Religiosos, qui suum Prouincialem suffocauerant comprehensos ab Archiepiscopo Hispalensi Cardinale, Pauli III. authoritate, maxima deliberatione præhabita, fuisse depositos, degradatos, brachio sæculari traditos, & è patibulo suspensos. Præterquam quod, admissa opinione Nauarri, Religionum gubernatio non vulgare damnum pateretur; vt indicat Paulus II. in bulla directa Archiepiscopo Hispalensi his verbis, *ne si tam horrendum facinus impunitum maneat, alia similia, & alia deteriora perpetranda inuitentur.* Colligitur autem responsio ex *cap. Presbyter 81. dist. & cap. non ab homine, de iudic. & cap. Inquisitionis, de accusat.*

Addit Diaz, quòd, licèt in iure disponatur Clericum, qui solùm consilio commisit homicidium, eadem pœna depositionis puniendum esse, qua punitur actu occidens: tamen nemo dubitat in retrusione non adeo diuturna pœna puniendum esse præbentem consilium, ac punitur verè occidens. cum Diaz sentit Rodriq. monens præfatam pœnam infligi solum pro homicidio insulto, ac voluntario; Clericumque homicidam beneficio priuandum esse per sententiam, non autem esse ipso iure priuatum beneficio, vt voluit Innoc. *in cap. Cum nostris, de concess. preb.* & sustinet communis DD. sententia.

QVÆRES XXVII. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui manus violentas iniicit in proprium Prælatum.

207. Respond. Rodriq. *supr. art. 2.* quòd si percussio fit enormis, Religiosus percutiens eiici debet ab Ordine; cùm huic delicto in foro laico pœna capitalis respondeat, & eiectio in Ordine in religionibus substituatur loco pœnæ capitalis. Verùm cùm ex decretis Vrbani VIII. *de eiectis, & apostatis;* eiectio hæc non possit fieri, nisi Religiosus sit verè incorrigibilis, & is dici non possit incorrigibilis, nisi côcurrant ea omnia, quæ præscribuntur in dictis decretis; iam responsio Rodriq. non potest subsistere; cum possit contingere homicidium committi à Religioso, qui verè non sit incorrigibilis; sicque dicendum est Religiosum in isto casu puniendum esse pœna arbitraria, iuxta concurrentes circumstantias. quod innuit ipse Rodriq. dicens suam responsionem non procedere in casu, quo percutiantur Vicarius monasterij, aut Diffinitor Prouinciæ: etsi Religiosus iniuriam his irrogans, ob reuerentiam iis debitam grauius puniri debeat arbitrio iudicis.

QVÆRES XXVIII. Qualiter debeat puniri Regularis, qui veneno committit homicidium.

208. Respond. quod, cum plus sit hominem veneno necare, quam gladio, *l. 1. C. de malef. & math.* ideóque grauius delinquat occidens veneno, quam simplex homicida (siquidem veneno occidens dicitur proditoriè occidere;) propterea occidens veneno non solùm debet deponi, sicut deponitur simplex homicida; sed propterea debet puniri longiori carceratione. Colligitur ex Diaz *cap. 95. n. 1.* quem sequitur Rodriq. *supr. art. 3.* dicens, quòd docet Diaz, Clericum, qui emit venenum, vt daret alteri, & per eum non statit, vt daret, eadem pœna debere puniri, ac si dedisset, ex Salzedo ad Diaz *lit. B.* debere intelligi; si venenum propinetur, sed venenatus mortem euitet adhibitis medicamentis: tunc enim dans venenum debet puniri pœna ordinaria; secus, si quis emat venenum, vt det alteri, sed non propinet, eò quòd ex pœnitentia voluntatem mutet, aut impediatur; is namque pœna extraordinaria iudicis arbitrio plecti debet. Quare regula illa, quod conatus ad effectum non perductus, non punitur, debet intelligi de conatu remoto; illum scilicet non puniri pœna ordinaria, sed extraordinaria: quamquam, siue conatus sit propinquus, siue remotus, non debeat puniri Ecclesiasticis censuris, si ad effectum non perducatur.

Imò, si admittamus iuxta dicta *q. 26.* Religiosum, qui occidit alium Religiosum, tradi debere brachio sæculari (quòd nun cogimur admittere cum Rodriq. *loco ibi citato*, dicat de iure communi contrarium esse verius, & simus in materia pœnali, quæ non dabet ampliari;) dicendum est Religiosum, qui occidit veneno alium Religiosum, debere tradi brachio sæculari; cum occidere veneno Religiosum reuera sit occidere Religiosum, sicque locum habeat pœna debita occidenti Religiosum: idque puto procedere, siue occisus sit Religiosus Ordinis, cuius est Religiosus occidens, siue alterius: siquidem in vtroque casu verè occiditur Religiosus.

Si verò contingat venenum parari alteri in Eucharistia (quod bis euenit tempore Bernardi Diaz; & expertus est Imperator Robertus vitiusque Siciliæ Rex, anno 1313. occisus Eucharistia intoxicata) scelus adeò abominabile censet Diaz puniendum esse pœna traditionis Curiæ sæculari (etsi committatur à Clerico) dic tu & à Religioso; cum grande nefas sit in poculo vitæ æternæ saluberrimo necem corporis inuoluere.

QVÆRES XXIX. Quomodo debeat puniri Regularis, qui fœminę prægnantis abortū procurat.

Respond. debere deponi, degradari à iudice Ecclesiastico, & postea tradi Curiæ sæculari, vt capitalem pœnam patiatur, necnon declarari ipso facto excommunicatione excommunicatione Sedi Apost. reseruata; idque ex Sixti V. bulla edita anno 1588. in qua statuit quoscumque sæculares, Ecclesiasticos, & quorumcumque Ordinum regulares, qui venenosis medicamentis, potionibus, vel aliis modis abortus maturi, siue immaturi, animati, siue inanimati fœtus eiectionem procurauerint, vel venena, aut potiones, ne mulieres concipiant, propinauerint; vel consilium præstiterint, deponendos, degradandos esse à iudicibus Ecclesiasticis, ac Curiæ sæculari postea tradendos, vt capitalem pœnam patiantur; & ipso facto excommunicauit, reseruando absolutionem Sedi Apostolicæ. Quamuis Gregorius XIV. anno 1591. hanc bullam moderatus sit, quoad censuras Ecclesiasticas in ea statutas contra procurantes abortum fœtus inanimati, aut exhibentes mulieribus, vel sumentibus venena sterilitatis, aut consilium, vel auxilium quoquo modo ad id dantes; non item quoad alia contenta in præfata bulla contra procurantes abortum fœtus animati, aut fauorem, aut auxilium, & consilium ad id dantes. Vnde fit etiam modò procurantes 209.

abortum

abortum huiusmodi, si sequatur effectus, & sint Clerici, aut religiosi, à Iudice Ecclesiastico debere degradari, & tradi Curiæ sæculari: cum, quoad hoc Sixti V. bulla non fuerit reuocata per Gregorium XIV. nec per alium Papam; nisi quod Gregorium XIV. in sua bulla concedit, vt quiliber Confessarius ab Ordinario loci specialiter ad id deputatus possit absoluere ab excommunicatione contracta ex abortu fœtus animati, sed solùm pro foro conscientiæ vt aduertit Nal. *v. abortus, num.* 4.

Cœterùm notat Thesauro *v. abortus capit.* 1. ex Farinacio *de immunit. Eccles.* 8. *num.* 138. & Peregrino *de immunit. Eccles. cap.* 3. *num.* 8. procurantes abortum fœtus animati priuari immunitate Ecclesiæ, eò quod occisio fœtus animati sit homicidium proditorium, & in bulla Gregorij XIV. *Cum alias*, perpetrantes homicidium proditorium priuentur dicta immunitate: quod tamen negant Leo *part.* 1. *cap.* 13. Bonacin. *de censur. partic. D.* 2. *quæst.* 3. *part.* 16. § 8. *num.* 8. & Diana *part.* 3. *tract.* 1. *resol.* 72. quos refert Thesaurus monens etiam priori sententia admissa hanc pœnam non ligare ante sententiam Iudicis Ecclesiastici declaratoriam, vt constat ex ipsa bulla.

Addit Thesaurus supplicantem in sacra Pœnitentiaria in casu occulto pro dispensatione super irregularitate ex abortu, debere exprimere, si fœtus fuerit à se genitus; aliàs gratia esset subreptitia; vt patet ex stylo, & facultatibus sacræ Pœnitentiariæ, in quibus maior difficultas ponitur ad dispensandum in hoc casu.

Notat item Thesaurus pœnas latas contra procurantes abortum incurri non solùm si fœtus mortuus nascatur, sed etiam, si viuus, at non vitalis; cum adhuc dicatur Abortus iuxta Tiraquel *in l. si vnquam, v. susceperit Liberos, num.* 206. *C. de reu. donation.* Gutier. *lib.* 2. *pract. qq. q.* 100. *num.* 5. & 6. Cherub. *super bulla* 87. *Sixti V. schol.* 1.

Aduertit prætetea Thesaurus *p.* 1. *praxis cap.* 16. in dubio facti de abortu, quod si quis applicauit media fallibilia ad eum procurandum (v.g. si solum consuluit) & postea non potest certiorari, an consilium habuerit effectum; in dubio non debet censeri irregularis; cum non procedatur contra quempiam, nisi constet de corpore delicti, *l.* 1. §. *item illud sciendum, ff. ad Syllan.* Menoch. *de arbitrar. casu* 452. *num.* 20. idque pro foro externo Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 44. Nauarr. *conf.* 47. *de homic.* Quar. *v. abortus*, §. *nota per hanc*, Barbosa *alleg.* 51. *de offic. Episc. num.* 139.

QVÆRES XXX. Qua pœna debeat puniri Regularis apostatans à fide catholica.

210. Respond. debere puniri iis pœnis, quæ in Iure latæ sunt contra Hæreticos, & cadere possunt in Religiosum, ideòque debere denuntiari excommunicatum ipso facto, si sit hæreticus exterior; idque ex *cap. cum Christus, cap. ad abolendum, cap. excommunicamus* 1. & 2. *de hæreticis cap. nouerit, de sentent. excommunicat.* in quibus tamen iuribus hæc excommunicatio non reseruatur Papæ, sed solum ex *bulla Cœnæ, clausula* 1. vt benè aduertit Castrus Palaus *tract.* 4. *D.* 4. *part.* 1. *num.* 1. addens ex Suarez, Sanch. Azorius & Bonacin. per hanc excommunicationem hæreticum non constitui vitandum; cum in Extrauagante *Ad euitanda scandala*, concedatur, vt possint communicare cum excommunicatis, qui specialiter, ac expresse non sint denunciati, nec sint manifesti percussores Clerici; qualis vtique non est hæreticus quantumuis notorius, & generaliter nominatus in bulla Cœnæ (vt Lutheranus.)

Præterea Hæreticus exterior, vtpote excommunicatus, omni officio, ac munere priuatus est, adeóque nequit Sacramenta recipere, aut ministrare, actum ordinis exercere, aut alia munia obire, quæ excommunicatis interdicuntur; &, si moriatur, Ecclesiastica caret sepultura, *cap. sicut, de hæreticis, & cap. excommunicamus, cl.* 2. *de hæreticis.* Item hæreticus, etiam occultus est irregularis secundum Syluestrum, Azor. Suarez, Farinac. Sanchez, & Pegnam relatos à Castro Palao *supr. part.* 4. *num.* 2. addente probabile esse hæreticum occultum non esse irregularem, cum *cap. nos si*, §. *item* Daniel. 2. *quæst.* 7. *cap. presbiter, de pœnit. dist.* 5. in quibus fundatur hæc irregularitas, loquantur de delicto notorio, & irregularitas non incurratur, nisi in casibus à iure expressis. Item pœna infamiæ iure ipso hæreticum comitatur ex Authent *Gazaros, C. de hæreticis*, & ex *l. cunctos populos, C. de summa Trinitate, cap. excommunicamus* 1. *de hæreticis, cap. statutum* 2. *de hæreticis, in* 6. & aliis, quæ congerit Farinac. *de hæresi quæst.* 189. *num.* 40. etsi hæc infamia perfectè non contrahatur, quousque delictum sit notorium notorietate facti, aut per sententiam. Hæreticus item priuatur beneficiis, & officiis ritè acquisitis, & inhabilis est ad futura, *cap. vt commissi, de hæreticis in* 6. *cap. statutum, cl.* 1. *eod. tit. & lib.* & hæ pœnæ spirituales latæ contra Regulares, omnes cadere possunt in Religiosos, vt patet.

Extant & aliæ pœnæ temporales Iure tam ciuili, quam canonico latæ contra Hæreticos: videlicet confiscatio bonorum, *l. manichæos, C. de hæreticis*, Authentica *Gazaros, C. de hæreticis, cap. vrgentes, de hæreticis cap. excommunicamus, cl.* 1. *eodem tit. cap. cum secundum leges, de hæret. in* 6. & alibi incapacitas testandi, *excommunicamus* 1. *de hæreticis, in* 6. priuatio successionis ex testamento, aut ab intestato *cap. excommunicamus, cl.* 1. *de hæreticis, l. Manichæos, C. de hæreticis*: exemptio filiorum à patria potestate ob paternam hæresim, *cap. quicumque, de hæreticis in* 6. priuatio dominij in seruos, *cap. absolutos, de hæreticis* (etsi hæc pœna non incurratur ante sententiam) amissio cuiuslibet iuris, ac obligationis, etiam iuramento firmata *cap. absolutos, de hæreticis*, fides item data hæretico, & securitas ei promissa seruari non debet, sicut nec seruanda est tyrannis, piratis; aliisque publicis prædonibus, quibus vtique deteriores sunt hæretici; vt aduertit Farinacius *sup. quæst.* 197. *num.* 24. monens id procedere de fide, ac securitate data hæretico à persona priuata, non item de data à persona publica, seu Principe; denique domus hæreticis funditus euertenda, nec vllo tempore reparanda, si in ea conuenticula facta sint, aut hæreticus se in ea occultauit, ne caperetur à Iudice competente: idque ex iis, quæ habent Farinacius *supr. quæst.* 190. §. 2. *à num.* 30. Pegna *direct. p.* 3. *comment.* 92. *circa finem* Zanch. *tract. de hæreticis, cap.* 39. & 40.

At ex his pœnis nulla cadere potest in Regularem hæreticum: non confiscatio bonorum; cum Religiosus sit incapax bonorum, adeóque confiscationis præfatæ supponentis bona, (quæ ratio ostendit sub dictam confiscationem non cadere peculium aliàs concessum Religioso ad eius vsum: cum illud quoad dominium sit monasterij, & quoad vsum Religioso amouibiliter concedatur; vnde fit, vt ex delicto Religiosi monasterium non debeat illo priuari) non incapacitas testandi; cum capacitas testandi supponat dominium bonorum in testante, quod non habet Religiosus: non priuatio successionis ex testamento, aut ab intestato; cum monasterio capaci immediatè deferatur hæreditas, quamuis ex persona Monachi, (& nullum ius, vel dominium transfeat,

quoad

quoad hoc in ipsum Monachum, sicque eius inhabilitas contracta ex hæresi, monasterio non possit officere; vt docet Sanch. *lib. 7. moral. cap. 12. num. 40. remissiue ad num. 36. & lib. 2. cap. 14. à num. 31.* addens *lib. 7. cap. 12. num. 38.* ex Parisio, & Guillelmo legatum relictum Monacho acquiri Monasterio sine facto ipsius Monachi; quippe quod non eget vlla aditione; hincque *num. 54.* inferens Monacho incidente in hæresim, monasterium non amittere bona delata Monacho; quippe quæ non ipsi, sed monasterio acquiruntur (quod vtique procedit, & de legato relicto monacho. Præterea in Religiosum hæreticum non cadit exemptio filiorum à patria potestate; cum teste Sanch. *lib. 7. moral. cap. 3. num. 44.* à die professionis pater desinat habere filios in sua potestate, sicque nullam in eos habeat potestatem, qua priuetur ob hæresim; non priuatio dominij in seruos; cum Religiosus sit incapax talis dominij, & consequenter huius priuationis: non amissio iuris, ac obligationis, etiam iuramento vallata, si promissio sit iuris, ac obligationis realis; cum Religiosus sit horum incapax, & per consequens talis amissionis; siquidem ad priuationem supponitur forma: non violatio fidei, & securitatis promissæ à, potestate publica; illa enim debet seruari omnibus hæreticis, & consequenter Religiosis; vt hinc patet quod in Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 21. tit. de recipien. & obseruan. decretis Concilij*, conceduntur hæreticis saluiconductus, vt possint comparere: licet de facto tunc nulli comparuerint ob memoriam casus Hieronymi à Praga, qui fuit combustus, sicque fidei publicæ non amplius fidem habuerunt, quod non procedit de fide, ac securitate promissa à priuata persona: hæc enim Religioso hæretico seruari non debet, sicut nec aliis hæreticis, denique in Religiosum hæreticum non cadit pœna, quod domus hæretici demoliatur nullo vnquam tempore reparanda; nisi probetur Conuentum capitulariter consensisse, vt Religiosus hæreticus in monasterio occultaretur, ne caperetur ab Inquisitoribus: qui tamen consensus non debet præsumi, nisi clarè probetur, quamquam, cum omnia monasteria subdantur Sedi Apostolicæ, saltem subiectione generali, & impossibile sit eam consensisse in talem occultationem, neque in isto casu domoliendum esset monasterium; cum id cedat in præiudicium dictæ Sedis, vt patet.

Quomodo autem hæreticis imponi possit pœna carceris etiam perpetui, fustigationis, exilij, triremis, & mortis; latè tradit Castrus Paulaus *tract. 4. D. 6. part. 1. & 2.* ad quem breuitatis causa remitto studiosum Lectorem, solùm monens eiusmodi pœnas posse cadere etiam in Religiosum hæreticum, vt consideranti facilè constabit.

Monet autem Genuensis *in praxi cap. 45.* stante ordinatione Sancti Officij, quod hæreticus reconciliatus nunquam admittatur ad audiendas confessiones fidelium, de qua facit mentionem Locatus *in opere iudiciali Inquisitorum, in fine*; non ideo Sacerdotem debere impediri à confessionibus audiendis, eo quod hæresim abiurauerit de leui; secùs, si abiurauit de vehementi; quidquid dicat Nauarr. *cons. 16. de hæreticis.*

Addit Rodriq. *to. 1. q. 81. a. 3.* Religiosos ob hæresim mitius torquendos quàm sæculares, nisi indicia delicti arctiorem torturam infligendam suadeant: (idque ob periculum incurrendi excommunicationem, si plus iusto torqueantur, & ob dignitatem status, in quo illi existunt,) referetque Alexandrum IV. in rescripto dato Anagniæ 7. Cal. Maij anno 6. sui Pontificatus ordinasse, quod Hospitalarij, Templarij, ac quilibet Regulares hæresim committentes suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur sine Sedis Apostolicæ speciali indulto.

QVÆRES XXXI. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui apostatat à Religione.

Respond. debere declarari excommunicatum ipso 211.
facto, non quidem quod Apostata à Religione iure communi sit eo ipso excommunicatus, sed ex peculiaribus priuilegiis concessis ad hunc effectum Religionibus (vt dixi in *tr. de priuil. cap. 8. sect. 3. q. 6. n. 50.* Præterea Apostata à Religione est ipso iure infamis; ex *c. si quis a vero 3. q. 4. c. si autem vobis 15. q. 3.* & consequenter est irregularis; cum quilibet infamis sit irregularis, (vt notat Lezana *tom. 1. cap. 16. num. 12.* est item ineligibilis ad dignitates *c. legi 16. q. 1.* & quidem non solùm durante apostasia, sed etiam iuxta Syluestr. S. Antonin. Passarellum, Graffium, & alios relatos à Peyrino *de R. S. q. 1. c. 26.* postquam ad meliorem frugem se recepit, & rediit ad Religionem; quod negat Sanch. *l. 6. mor. c. 8. num. 28.* aliis citatis, & non improbabiliter meo iudicio.

QVÆRES XXXII. Quo modo puniri debeat Regularis, qui est fugitiuus à Religione. 212.

Respond. quod, cum in iure communi non sit lata vlla censura, aut pœna contra Religiosum fugitiuum, siquidem *c. 2. ne Clerici, vel Monachi*, (quod in contrarium adducitur) loquitur solùm de Religioso dimittente habitum, aut accedente ad studia sine licentia, vt notauit Suar. *to. 4 de relig. tract. 8. l. 3. cap. 1. num. 10.* Regularis fugitiuus pro qualitate fugæ puniri debet pœna arbitraria, vel certè præscripta in Constitutionibus Pontificum, aut Religionum; quomodo Lezana *sup. num. 11.* ait in Ordine Carmelitano Religiosos discedentes à Conuentibus sine licentia haberi, vt excommunicatos, & vt tales puniri iuxta consuetudinem Ordinis; eo quod *p. 3. Constit. cap. 1. §. 1. 2. 3.* dicatur fugitiuos puniendos esse, vt apostatas, & vt tales censendos; & quod Apostatæ in Ordine Carmelitarum sint excommunicati, dissentit Rebuffus *in pract. p. 2. de dispensat. cum Regular.* dicens Religiosum fugitiuum esse ipso facto excommunicatum; sed eius principalis ratio corruit ex modo dictis.

QVÆRES XXXIII. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui de blasphemia conuincatur.

Resp. quod, cum in præsentia pœna depositionis 213.
statuta in *c. si quis per capillum 22. q. 1.* contra Clericum blasphemantem, tanquam vetustate collapsa cassauerit, sicque ei pœna arbitraria imponi debeat iuxta Diaz *in pract. c. 110.* ex Hostiensi Io. Andr. Anto. Card. & Abbate attestante sic communiter dici: &, si Clericus sæpius hoc delictum fecerit, degradari debeat in pœnam iuxta Hostiens. *in summa de male. §. blasphemantes, v. grauior etiam*, & alios: inter quos Alexander *vol. 1. cons. 72.* ait Clericum non posse deponi ob hoc delictum, nisi sit consuetus sæpius blasphemare, nec sufficere, quod bis, aut ter blasphemauerit, hancque consuetudinem debere probari per testes non singulares; ex his omnibus liquet Regularem blasphemantem debere puniri pœna arbitraria, imò & deponi, si conuincatur habere consuetudinem blasphemandi; cum hæ pœnæ ferantur in Iure canonico, & Regulares puniri possint iuxta Ius canonicum, vt sæpiùs dictum est.

Refert præterea Diaz *in Concil. Later. sub Leone X. sess. 9.* Clericis blasphemantibus statutum fuisse certam pœnam sub his verbis. *Quicunque Deo palam, seu publicè malè dixerit, contumeliosisque atque obscœnis verbis Dominum Nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam eius genitricem expressè*

blasphe

blaſphemauerit, ſi Clericus, vel Sacerdos fuerit, eo ipſo, quod de delicto huiuſmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum quorumcunque habuerit fructibus (explicando vt infra) vnius anni mulctetur: & hoc ſit pro prima vice; pro ſecunda verò, ſi ita deliquerit, & conuictus, vt præfertur, fuerit, ſi vnicum habuerit beneficium, eo priuetur; ſi autem plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur: quod ſi tertiò eius ſceleris arguatur, & conuincatur, dignitatibus, beneficiis omnibus, quæcumque habuerit, eo ipſo priuatus exiſtat, ad eaq; retinenda inhabilis reddatur, eaq; liberè impetrari, & conferri poſſint. Et hoc decretum innonauit Pius V. in Conſtit. *Cum primum, in ordine* 5. bis verbis: *Quicumque Clericus in hoc blaſphemiæ crimen incurrerit, pro prima vice fructibus vnius anni omnium, & quorumcumque beneficiorum ſuorum, pro ſecunda beneficiis ipſis priuetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quod ſi Clericus nullum obtinuerit beneficium, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur, pro ſecunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blaſphemauerit, pro qualitate blaſphemiæ atque perſonæ arbitrio Iudicis puniatur.* Porrò hæ pœnæ cadunt in Regulares, in quantum ratione ſtatus earum ſunt capaces; etſi in ſpecie latę ſint contra Clericos, & dicat Religioſos in materia pœnali non venire nomine Clericorum: cum Religioſi puniri debeant iuxta ius canonicum, & dictæ pœnæ ſint de iure canonico conſtitutæ, vt patet.

Vnum placet hîc aduertere, quod, cum ſpectet ad inquiſitores cognoſcere de blaſphemiis hæreticalibus (cuiuſmodi ſunt, quæ directè opponuntur articulo fidei, ſeu quibus aſſeritur aliquid fidei contrarium) ſi Regularis proferat blaſphemiam hæreticalem, ratione huius debet puniri, non à Prælato regulari, ſed ab inquiſitore: idque ex Pauli V. bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, edita anno 1606. in qua reuocantur facultates Superioribus quorumcumque Ordinum, ac Religioſorum quoquomodo conceſſæ ad cognoſcendas cauſas ſuorum ſubditorũ, quomolibet pertinentes ad Officium S. inquiſitionis, ac expreſsè mandatur, vt Religioſi poſſint, & debeant omnes etiam Ordinum huiuſmodi profeſſores de hæreſi ſuſpectos inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus denunciare, abſque eo, quod Superiores perſonas denunciandas, & cauſas perquirere, vel quoquomodo id impedire, vel retardare audeant, ſeu præſumant.

QVÆRES XXXIV. Qualiter puniri debeat Regularis periurus.

214. Reſpond. quod, cum Clericus ob periurium deponi poſſit ab ordine, ac beneficio, *ex cap. presbyter* 82. *diſt.* vt notat Abbas *in cap. querelam, de iureiur. in* 2. *notab.* docens id probari *in cap. cum non ab homine: de iudic. & cap. ſi quis Epiſcopus, diſt.* 50. monénſque *in cap.* 2. *de reſcrip.* periurum non eſſe beneficio priuatum ipſo iure, ſed priuandum (quod negant alij, cum Rebuffo *tract. de pacificis poſſeſſoribus, pag.* 37. dicenta, etſi opinio, quod periurus non ſit priuatus ipſo iure communis ſit, opinionem tamen contrariam poſſe in puncto iuris ſuſtineri) hinc colligitur Regularem periurum poſſe deponi ab ordine, & à beneficio, ſi quod habet: cum hæc pœna ſit præſcripta in iure canonico, à quo debent deſumi pœnæ infligendæ Regularibus,

Quod autem dicunt aliqui, cum Abbate *in c. querelam de iureiur.* collationem beneficij factam periuro eſſe nullam ipſo facto, intelligit Rebuffus *ſupr. p.* 39. procedere in caſu, quo quis eſſet per ſententiam condemnatus, ac declaratus periurus, & poſtea ei conferretur beneficium; dicitque Papam non dare priuationem pro periurio, niſi ſit periurium iudiciale.

Cæterùm notat Salzedo ad Diaz *cap.* 92. ex Baldo, & aliis Clericum (dic tu Regularem) excuſari ab hac pœna, ſi probet periurium abſque dolo fuiſſe commiſſum, aut oſtendat difficultatem adimplendi iuramentum: quod etiam admittit Iulius Clarus § *periurium*, afferens alios caſus, in quibus periurium non poteſt iudicialiter puniri, ſed ſolùm Deum habet vltorem.

QVÆRES XXXV. Quæ pœna infligi debeat Regulari, qui conuincitur de falſo teſtimonio.

215. Reſpond. quod, cum, teſte Gratiano *in cap. ſi Epiſcopus, d.* 50. Concilium Agathenſe ſtatuarit Presbyterum, aut Diaconum dicentes falſum teſtimonium depoſitos ab officij honore debere detrudi in monaſterium, & Præpoſitus ibi textum illum intelligat, quando Clericus eſt de hoc crimine directè accuſatus, & conuictus, aut in iure confeſſus (ſecùs, ſi de eo conſtet non via directa, ſed incidenter, quando ſcilicet contra Clericum in teſtem productum probatur exceptio falſitatis: tunc enim non debet deponi, nec ob id infamari, ſed ſolùm repelli à teſtimonio) hinc habent Prælati regulares, quam pœnam debeant infligere Religioſo ſubdito, qui ſit reus falſi teſtimonij. Quamquam, vt bene notat Diaz *ſupr. cap.* 93. in hoc maximè debeat attendi qualitas cauſæ, in qua Clericus falſum teſtimonium, dicit: grauius enim puniri debet, ſi in cauſa criminali falſum teſtimonium dicat, quàm ſi in ciuili, & in ipſis criminalibus cauſis grauius, ſi damnum ſubſecutũ eſt ex teſtimonio ſpectata qualitate damni, aut iniuriæ illius, contra quem depoſuit: quæ vtique procedunt æquè de Religioſo, ac de Clerico, vt conſideranti patebit.

Porrò aduertit Salzedo apud Diaz *ſupr.* reum teſtimonij falſi ab hac pœna excuſari in multis caſibus; & quidem: 1. ſi falſitas non ſit nociua (etſi tunc imponi debeat pœna extraordinaria) 2. ſi falſitas commiſſa ſit circa accidentalia cauſæ: 3. ſi falſitas ſine dolo commiſſa ſit, nempe per errorem; falſitas enim non committitur ſine dolo, *l. nec exemplum, l. ſi quis Decurio, C. de falſ.* 4. ſi falſum teſtimonium dicatur, non interpoſito iuramento.

Reſpond. Rodriq. *tom.* 2. *quæſt.* 31 *art.* 2. quod, cum in atrociſſimis delictis puniatur conatus, etiam non ſecuto effectu: Religioſus ſolicitans ad falſum teſtimonium eadem pœna debet puniri, ac ſi teſtimonium falſum ob eorum ſolicitationem deferret.

QVÆRES XXXVI. Qualiter puniri debeat Regularis, qui conuincatur de Simonia.

216. Reſpond. debere puniri iis pœnis, quas præſcripſit Pius V. in ſua bulla, *Cum primum*, in ordine, his verbis: *Quicumque deteſtabile crimen Simoniacæ prauitatis commiſiſſe conuictus fuerit in conſequendis ordinibus, eo ipſo ſit ab illorum executione per decennium ſine ſpe diſpenſationis ſuſpenſus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Eccleſiaſticas Simoniacè acquiſiuerit, ac illis ſit ipſo iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quaſcumque alias obtinendas. Qui beneficium, aut Eccleſiaſticum officium Simoniacè adeptus fuerit, illis ſimiliter ſit ipſo iure priuatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, reſtitutionem teneatur, & perpetuo ſit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda. Si quis autem tale crimen plures commiſiſſe conuictus fuerit, præter ſupradictas pœnas etiam corporaliter puniatur, & ab ordinibus Eccleſiaſticis degradatus à fidelium conſortio eiiciatur. Qui verò ordines, & beneficia Simoniacè*

conu

contulerint, pœnis à iure statutis puniantur, cuiuscunque gradus, conditionis, & dignitatis, etiamsi Episcopi, Archiepiscopi, vel maiores fuerint. Caueant præterea quicunque, ne in Sacramentorum exhibitione Simoniacum aliquid faciant; alioquin grauissimè puniantur per locorum Ordinarios, qui huiusmodi crimina reos cum maxima seueritate coercere procurent iuxta Concily Trid. statuta. hæc Pius V. quæ cùm generaliter dicantur, non video, cur non extendantur ad Regulares attenta regula iuris, *lex generaliter loquens generaliter debet intelligi*

QVÆRES XXXVII. Qualiter puniri debeat Regularis, qui sine debita facultate extrahit Reliquias.

217. Respond. debere declarari excommunicatum ipso facto excommunicatione reseruata papæ. idque ex Breui Pauli V. edito anno 1614. die 16. Maij, & promulgato per edictum Cardinalis Millini; in quo Breui statutum est, quod nullus vigore licentiarum à Papa viuæ vocis oraculo ante duos proximos menses concessarum possit Reliquias extrahere de Ecclesiis, Monasteriis, locis piis, cæmeteriis, vel cryptis intra, vel extra Vrbem; aliàs incurrat extrahens excommunicationem ipso facto Papæ reseruatam; quæ ibi item extenditur contra eos, qui curam habent, seu gubernationem dictarum Ecclesiarum, vel locorum, si permiserint, seu consenserint extractioni. Imò in præfato edicto Cardinalis Milini Vicarij Vrbis de mandato ipsius Pauli V prohibitum est, ne quis sæcularis, aut Regularis fidem vllam, aut testimonium, seu instrumentum, seu scripturam publicam, vel priuatam faciat extractionis, donationis, consignationis, translationis, aut alterius contractus, aut scripturæ, vbi fiat mentio Reliquiarum, nisi cum licentia in scriptis Vicarij Vrbis, non suffragante quacumque Sedis Apostolicæ licentia aliter emanata; & transgressionibus ibidem statutæ sunt pœnæ, scilicet Dominis officiorum pœna priuationis officiorum, Notariis autem & substitutis pœna 500. scutorum (& has pœnas decernit incurri ipso facto) Religiosis autem sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, & exilij ab omni statu Ecclesiæ Romanæ.

Monet autem Castrus Palaus *D. 3. de censur. part. 30. num. 13.* quod, quamuis videri possit probabile non comprehendi sub hac excommunicatione exteros Romam venientes, ibique diu non commorantes: cum probabile sit exteros breui recessuros non subesse legibus, ac præceptis loci, per quem transeunt: verius tamen est oppositum, eo quod dicta excommunicatio sit lata à Vicario Vrbis, non vt erat Vicarius Vrbis, sed ex facultate ei commissa à Papa, ita vt Papa censeatur censuram illam tulisse. cùm enim reliquiarum extractio fiat potius ab exteris, quam à degentibus Romæ, opus erat prohibitionem maxime ad exteros extendi; aliàs extractioni non esset satis consultum: quare prohibitio illa edita fuit, non per modum præcepti, sed legis, ac constitutionis perpetuæ, adeòque morte Vicarij præfati Vrbis non cessauit, teste Bonac. *D. 2. de censur. in partic. q. 3. part. 13.*

Addo ego pœnas, sub quibus in relato Breui Pauli V. prohibetur Regularibus ne sine licentia Vicarij Vrbis fiat scriptura publica, aut priuata extractionis, donationis &c. Reliquiarum, non afficere facientes dictam scripturam extra Vrbem; etsi in præfato Breui vetetur extractio Reliquiarum tam extra, quam intra Vrbem: idque ne Papa videatur voluisse impossibilia; cum sit moraliter impossibile degentes extra Vrbem posse in casu proposito habere licentiam præfatam à Vicario Vrbis: quare verba illa, *tam extra, quam intra Vrbem*, explicari debent ita, vt faciant hunc sensum; videlicet sine licentia Vicarij Vrbis non posse fieri scripturam publicam, aut priuatam extractionis, donationis &c. Reliquiarum, siue extractio fiat ex ipsa Vrbe, siue ex Cæmeteriis extra Vrbem existentibus; non autem loqui de extractione, quæ fiat in aliis Ciuitatibus: lex enim humana debet esse accommodata fragilitati humanæ, adeòque de re non adeò difficili; cum valdè difficile, reputetur moraliter impossibile.

Addo quod, cum in allegato Breui Pauli V. dicatur: *nullus possit Reliquias extrahere de Ecclesiis, monasteriis, locis piis, cæmeteriis, vel cryptis intra, vel extra Vrbem; aliàs incurrat excommunicationem*; & hæc verba commodè possint explicari, vt intelligantur solùm de Ecclesiis, Monasteriis, locis piis, cæmeteriis, ac cryptis intra Vrbem, aut extra, sed intra territorium Vrbis; non debemus ea extendere ad extrahentes Reliquias extra territorium Vrbis: quippe quæ sunt odiosa, adeòque restringenda iuxta Iuris regulam, *Odia restringi oportet.*

Accedit quod, cum præfata excommunicatio sit lata contra extraheotes indebitè Reliquias de Ecclesiis, cæmeteriis, cryptis, &c, intra, vel extra Vrbem; ea non afficiet illum, qui Reliquias debita cum licentia de Ecclesiis, cæmeteriis, aut cryptis prædictis extractas, eas postea sine licentia ex Vrbe transmittat ad alias ciuitates: cum hæc transmissio non sit extractio, de qua loquitur Paulus V. & probatio extrahendi Reliquias, vt odiosa ampliari non debeat ad casum diuersum contra Iuris regulã, *A diuersis non fit illatio.*

QVÆRES XXXVIII. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui seminat discordias inter fratres.

Respond. debere puniri arbitrio Iudicis regularis pro qualitate personæ, ac excitatæ seditionis: idque ex *cap. si quis Monachus 90. dist.* ita Rodriquez *tom. 2. quæst. 31. art. 4.* monens ex Conrado ob euentum pœnam debere augeri, aut minui, grauiorem que esse illam seditionem, quæ excitatur aduersus maiores. Certè in Societate nostra reseruatur seditio in Superiorem, & diuisio à capite in graue nocumentum Societatis: quam seditionem in Superiorem dicit Castrus Palaus *tract. 23. D. vn. par. 15. §. 3. num. 6.* committi si animos fratrum commoueas, vt illum in Superiorem agnoscant, vel eius iussis obtemperent; additque peccata hæc ex materiæ paruitate excusari non posse à mortali, cum semper cedant in graue damnum Religionis, & disciplinæ religiosæ non leuiter aduersentur. Docet præterea *n. 7.* sub casu reseruato in Societate sub his verbis, *Discordiarum seminatio inter Fratres*, contineri discordiarum seminationem etiam inter sæculares; cum probabile sit peccatum illud reseruari, quod Spiritus sanctus grauiter detestatur ita verbis, *Et qui seminat inter fratres discordias*; sub quo vtique continetur quælibet discordiarum seminatio inter fratres; qui vinculo charitatis esse debent inter se fratres: sed hoc mihi minus placet; cùm sic nimis amplietur casuum reseruatio; vnde ipse Castrus Palus cautè dixit, *verius censeo*, innuens contrarium se iudicare verum, id est probabile. 218.

QVÆRES XXXIX. Qua pœna debeat puniri Regularis maledicus, qui scilicet de Proximo suo detrahit.

Respond. debere cogi, vt veniam petat ab aduersario, (vt habetur in *cap. Clericus maledicus 46. dist.* non autem adstringi, vt coram Iudice, & aliis bonis viris dicat se mentitum fuisse; vt existimat Diaz *in prax. cap. 66.* communiter reprobatus, teste Rodriq. 219.

*ſupr.art.*3.concedens tamen, quod ſi Religioſus conuincatur, quod ſit notabiliter maledicus, & his ſit aſſuetus, poſſet Iudex eum obligare ex officio, vt dicat ſe eſſe mentitum. Quod à fortiori procedit de eo, qui loquitur contra Superiorem, vnde in hoc Iudices debent procedere, ſpectata qualitate perſonatum, rerum, quæ dictæ ſunt, loci, ac temporis; quæ omnia Iudicis arbitrio relinquuntur. Nec obſtat, quod Sacerdos maledicus iuxta ius canonicum pœna palinodiæ non punitur; id enim procedit regulariter; at iur non vetat, ne tali pœna puniatur Religioſus aſſuetus maledicere; cum Religionibus graue damnum proueniat ex linguis maledicis, vt notat Rodriq. *ſupr.* addent maledicum Sacerdotem non eſſe obligandum recantare palinodiam, etſi contra alios falſa crimina pertulerit.

QVÆRAS XL. Qualiter debeat puniri Regularis calumniator, qui ſcilicet propoſitam accuſationem non probat.

210. Reſpond. debere puniri illa eadem pœna, qua puniendus fuiſſet is, qui fuit accuſatus. idque *ex cap.calumniator* 2.*q.*3. *& cap.quia* 5. *quæſt.*6. vt notat Diaz *in pract.cap.*65.*num.*3.monens *in cap.*1.*de calum.* fuiſſe impoſitam pœnam verberationis, & exilij, eo quod pœna, quæ infligenda fuiſſet accuſato, non eſſet proportionata accuſatori, ideóque pœnam illam non eſſe pœnam ordinariam calumniatoris; & ſi pœna accuſati non congruat accuſatori, aliam corporalem loco illius ſubrogandam eſſe. Addit Diaz Clericum denunciatorem criminis, ſi deficiat in probatione, debere ſuſpendi ab officio, & beneficio, donec innocentiam ſuam purget, vt *in cap. fin.*5.*quæſt.*6. idque etſi denuncians intenderet ſolùm pœnitentiam, & non pœnam.

Quod ſi Clericus calumnioſè obiiciat crimen in perſonam electi, aut poſtulati, & deficiat in probatione; à beneficiis Eccleſiaſticis per triennium eſt ſuſpenſus, & ad ea, ſi intra illud tempus propria temeritate ſe ingeſſerit, iis ipſo iure eſt priuatus in perpetuum, niſi manifeſtiſſimis conſtiterit documentis, quod illum cauſa probabilis, ac ſufficiens à calumniæ vitio excuſaret. idque *ex cap.* 1. *de elect. in* 6. qui textus cum imponat pœnam calumniatori in perſonam electi, ea pœna non debet extendi ad quemcumque Clericum committentem calumniam in excipiendo contra alium in alia materia: ſed tunc arbitraria pœna imponenda eſt; cum crimina in modum exceptionis probata non ſic noceant crimi noſo iuxta *cap.* 1. *de except.* ita Diaz *ſupr.* dicens ex Bartholo quod quando eſſet publica fama, excuſatur, qui fuit credulus, & accuſauit, vel denunciauit aliquem de maleficio, de quo erat publica fama; & non poteſt puniri pœna impoſita proponenti. falſas accuſationes, ſicque ſæpè de facto fuiſſe obtentum: quod idem voluit Bald. *in l. fin. C. ſi ſeruus, aut liber.lib.*10.

Notat præterea Diaz debere Iudicem aduertere in præſenti materia non ſolùm ob veram calumniam commiſſam in cauſa criminali poſſe de iure communi imponi pœnam corporis, ſed etiam ob præſumptam calumniam in cauſa ciuili: & hoc ex gloſſa *fin. in cap. fin.de dolo, & contumacia*; mitiori tamen pœna licèt corporali puniendum eſſe calumniatorem in cauſa ciuili, quam in criminali.

Adde, quod eadem ſententia condemnandus eſt calumniator, qua reus abſoluendus; & ſi calumniator ſuo tempore punitus non eſt, & reus fuit abſolutus, poteſt puniri poſtea ex nobili officio Iudicis. ita Diaz *ſupr.* monens regulariter illum præſumi calumniari, qui nullas producit probationes, niſi in caſibus notatis per Anton. *in cap.* 1. *de elect.* quos infert Abb. *ibi.*

Illud hîc prætermittendum non eſt, quod licèt calumniator ob cauſas allatas à Menochio *de arbitr.l.*2.*centur.*4. excuſetur, vt non teneatur ſimilitudine ſupplicij, aut alia pœna in locum eius ſubrogata: non tamen excuſatur, quin iniuriarum actione poſſit conueniri (vt multis probat Socinus ſenior *conſ.*118.*lib.*1.) ſicut nec excuſatur à condemnatione expenſarum; vt ſcribit Abb. *conſ.*78.*lib.*2.

Accedit, quod quamuis calumniator poſſit eadem ſententia condemnari, qua reus abſoluitur: in Ordine tamen procedendi præcedere debet ſententia abſolutoria, & poſtea ſucceſſiuè non diuertendo ad alia, condemnari debet accoſator de calumnia; ſicque communiter receptum eſſe teſtatur Salzedo ad Diaz *ſupr. lit.* F. addens receptiſſimam practicam eſſe, quod Iudex priuſquam ſtatuat accuſatori terminum, vt ſe defendat, alleget, & probet cauſas, ob quas non debeat condemnari de calumnia; quando verò nihil allegauerit, & probauerit, eadem ſententia condemnatur, quod ſi Iudex non ſtatuto dicto termino accuſatorem cōdēnauerit, in ſyndicatu tenetur, & dignis pœnis plecti debet.

QVÆRES XLI. Qua pœna debeat puniri Regularis ſecreta Ordinis reuelans intra, aut extra ipſum Ordinem.

Reſpond. debere puniri pœna arbitraria, (ſi non emiſit iuramentum de non reuelando,) & quidem grauiori, ſi ſit Definitor, & reuelauit tractata in Definitorio contra voluntatem Prælati. Colligitur ex Rodriq. *ſupr.quæſt.*36.*art.*3. addens maximis pœnis afficiendos eſſe illos Religioſos, qui ſecreta Conuentus manifeſtant ſæcularibus, contra quos in Religionibus bene ordinatis præſcribuntur pœnæ rigoroſæ. Dixi, *ſi non emiſit iuramentum*: ſi enim emiſit, puniri debet, tanquam periurus. 211.

QVÆRET XLII. Qualiter debeat puniri Regularis, qui aperit literas obſignatas, & eas oſtendit aduerſario mittentis

Reſpond. debere puniri pœna arbitraria, ſpectatis iis, quæ in arbitrariis pœnis ſpectari debent; videlicet damno, quod ex literarum apertione prouenit mittenti, & aliis, & qualitate huius criminis, quod eſt grauiſſimum. ita Diaz *ſupr.cap.*103. & cum eo Rodriq. *ſupr.art.*2.contra Romanum *conſ.*365.ſuſtinentem Clericum in iſto caſu deponendum eſſe, eo quòd pœna falſi in Clerico ſit depoſitio, *cap.ad falſariorum, de crim.fal.* & Clericus in hoc caſu committat falſum; cum tamen iſte textus non imponat pœnam depoſitionis pro qualibet falſitate, ſed quando quis vtitur literis falſis Papæ. quod ſi Regolaris aperiat literas, vt videat, ſed non oſtendat alij, extraordinariè puniri debet iuxta Bartolum *in l. qui teſtamentum*, *ad l. Cornel. ff. de falſis*: Bartolus *in l. Titia*, *ff.ad municipat.* cenſet illum incidere in pœnam falſi; qui non reſtituit literas ei, cui reddere debet, ſed eas alteri pandit, non tamen aduerſario mittendas. Addit Villadiego *in tract. de leg.*3.*p.quæſt.*1.*n.*4.actione iniuriarum teneri, illum, qui literas alicuius aperit, & diuulgat in alterius iniuriam; ſubditque non dici literas aperire illum, qui earum clauſuram detrahit, ſi alioqui eas non aperiat, nec legat. Denique lacerans, aut comburens literas alteri ſcriptas, tenetur criminè falſi iuxta Abbatem *in c. cum olim, de offic.deleg.* remouens verò ſigillum de literis alicuius tenetur de falſo iuxta Baldum *in l. Paulus*, *ff. de falſ.* ex quibus infert Rodriq. poſſe Prælatos Regulares indagare, qua pœna ſint afficiendi Religioſi hoc delictum committētes. 212.

Quod

Quod si quæras, an Regularis excusetur ab his pœnis, si aperiens literas obsignatas, eas ostendat Aduersariis ad iustam ipsorum defensionem.

Respond. Rodriq. *supr. art. 6.* videri excusari, si ad propriam vitam, vel alterius tuendam crimen hoc faciat, vel certè debere puniri benigniori pœna Iudicis arbitrio iuxta qualitatem nocumenti: præsertim cum in isto casu deferens literas possit eas non tradere ei, cui mittuntur, & aliis modis licitis contendere, vt euitetur malum inde imminens. Patet responsio tum ex summo iure, quod habet homo ad conseruandam vitam; tum quia delictum in his circumstantiis est longè leuius, ideóque minorem meretur pœnam. Concedit quidem Rodriq. Religiosum aperientem similes literas, & eas exhibentem alicui tribunali sæculari, aut Ecclesiastico ad defensionem aliorum Religiosorum non esse liberum ab omni pœna: cum sic minuatur infamia aliquorum, vt augeatur aliorum infamia, & non leue præiudicium inferatur Religioni.

QVÆRES XLIII. Quæ pœna infligi debeat Regulari, qui mittat literas cæcas.

123. Respond. si constet de delicto, debere ei infligi pœnam arbitrariam ex concurrentibus circumstantiis dimetiendam. ita Rodriq. *tom. 2. quæst. 6. art.* 10. & cum eo Peytinus *in formul. lit. P. cap.* 16. *num.* 18. id colligens ex glossa *in cap. inquisitionis de, accusat.* afferente ad id *cap. quidam maligni* 5. *quæst.* 1. reiiciensque *num.* 19. quod Salxedo, & Ioseph à S. Maria dicunt posse Prælatum ex his literis reddi cautiorem, & secreto inquirere, sintne vera, an falsa, quæ dicuntur, suspendendo interim iudicium circa credulitatem; & quidem meritò, cum eiusmodi literæ plerumque sint suspectæ, adeóque comburendæ, aut dilacerandæ.

An autem debeat puniri tanquam calumniator Regularis, qui mittit literas suo sigillo clausas ad proprium Prælatum, illum monens de excessibus commissis ad alio Religioso, sed eos non probat.

Respond. non debere puniri; cum mittendo dictas literas non accuset, nec excessus illos manifestet per viam denunciationis iuridicæ, sed solùm extraiudicialiter asserat Religiosum commisisse tales excessus: &, cum extraiudicialis assertio non faciat fidem, vt aliquis per illum puniatur; asserens, etsi non probet, puniri non debet pœna calumniatoris, (cum reuera iuridicè loquendo, neminem fuerit calumniatus) sicut nec pœna infamatoris; cum verè nullius famam maculauerit; siquidem Epistola supponitur missa secretò. fuitque solùm informatiua, intendens per illam informare Prælatum, vt cautè procedat, & cognoscat suas oues. ita Rodriq. *supr. quæst.* 32. *art.* 2. alioqui concedens, quod si Regularis Epistolam scripsit animo iniuriandi sine causa, siue dixerit verum, siue falsum, videtur teneri actione iniuriarum.

QVÆRES XLIV. Qualiter puniri debeat Regularis, qui reum extrahat è manibus Iustitiæ.

124. Respond. Rodriquez *supr. art.* 3. debere puniri à Prælato regulari pœna minùs rigorosa: cum excessus, qui in hoc interdum committitur à Religiosis, non proueniat ex contemptu sæcularis potestatis, sed ex nimia charitate minus regulata, quæ in casu huc sicut & aliis operit multitudinem peccatorum.

QVÆRES XLV. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui intersit publicis spectaculis.

Respond. quod, cum in iure canonico nulla extet certa pœna contra Clericos interessentes publicis spectaculis, & pœna iis imposita à Iustiniano in Auth. *de sanctiss. Episc.* §. *interdicimus, collat.* 9. non teneat: Prælati regulares pœna arbitraria debent punire Religiosum in hoc delinquentem: quod innuit Diaz *in tract. cap.* 72. *num.* 2. 125.

QVÆRES XLVI. Qualiter debeat puniri Regularis, qui ludis ludit illicitis.

Respond. quod, cum delictum hoc variari soleat ex circumstantiis concurrentibus, inclinantibus animum Iudicis ad augendam, vel minuendam pœnam; & Iudex debeat attendere, quanta sit consuetudo ludentis, quæ quantitas pretij, quæ qualitas personæ, qualisue exempli pernicies, & an delinquens ob ludum deseruerit diuina Officia, quibus interesse tenebatur, proinde Iudex Regularis arbitraria debet punire Religiosum ludentem ludis illicitis. ita Diaz *supr. cap.* 70. & cum eo Rodriquez *tom.* 2. *quæst.* 38. *art.* 2. monens ex Cyno, & Baldo Religiosos debere puniri, etsi non ludant, dummodò sint participes ludi, & eadem pœna mulctandos esse participes ludi, qua mulctantur ipsi ludentes. 126.

Ludi autem prohibiti Religiosis *in cap. Clerici, de vit. & honest. Cleric.* sunt alea, & taxilli: nomine aleæ intelligendo omnem ludum in varietate fortunæ consistentem: & ratio prohibitionis est, quod in talibus ludis plura solent fieri peccata, quorum 16. refert Hostiensis *in Summ. de excess. Prælat.* §. *Clericus*, dicens quot sunt puncta in taxillis, tot esse scelera in ludo. Quamquam Religiosi iuxta Rodriquez *supr. quæst.* 38. *art.* 1. sine vllo peccato ob honestam causam ludere possint chartis lusoriis (puta ad recreationem) modo non violetur lex obligans ad mortale: quod item docet Peytinus *de R. S. quæst.* 2. *cap.* 2. §. 7. *v. quæres.* 2.

QVÆRES XLVII. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui conuincitur de ebrietate.

Respond. quod, cum in Concilio Agathensi statutum fuerit, vt Clericus, de quo constiterit fuisse ebrium, aut 30. dierum spatio à communione remoueatur, aut corporali supplicio subdatur *c. fin.* 35. *dist.* & Religiosi ad imitationē huius pœnæ puniendi sint: Regularis assuetus vitio ebrietatis in pœnam non debet solum separari à communione (cum eiusmodi pœnam paruipendere soleant tales homines gulæ dediti) sed etiam mancipari debet verberibus, & carceri cum pane, & aqua, siquidem non possunt alio modo puniri corporaliter. ita Rodriq. *supr. q.* 37. *ar.* 1. addens, quod si in Ordine aliqua pœna specialiter statuta est contra hoc vitium, ad eum possunt Prælati regulares recurrere, illam aggrauando, aut minuendo, spectata frequentatione vitij, personarum qualitate, & astantium scandalo. 127.

Cùm autem ebrietas difficilè possit probari, teste Innocentio *cap. cum causam, de testam.* & Baldo *in cap. à crapula, num.* 1. *de vit. & hon. cleric.* sufficit eam probari indiciis, ac præsumptionibus; cum nullo corporis sensu possit apprehendi, sed oculis mentis, id est rationis. Vnde fit, si Religiosus testetur alium Religiosum vidisse ebrium, nisi probabiles rationes testimonij ostendat, etiam non interrogatus, nullam ei fidem præstari. ita Rodriq. *supr. art.* 2. ex Antonio, Abb. Felino, & Ripa monens ebrietatem probari ex aspectu, multiloquio, inordinata locutione, & ex ambulatione in circuitu.

QVÆRES XLVIII. Qualiter debeat puniri Regularis, qui fœminam extra casus permissos admittit, aut introducit intra monasterij clausuram.

228. Reſp. Ex motu quidem proprio Gregorij XIII. debere declarari excommunicatum ipſo facto excommunicatione reſeruata Papæ, priuatum dignitatibus, ac beneficiis, & inhabilem ad ea, & aliæ in poſterum obtinenda; ſi admiſſio, aut introductio fiat prætextu priuilegiorum: ex motu verò proprio Pij V. declarandum eſſe ſuſpenſum à diuinis ipſo facto, priuatum officiis, & inhabilem ad ea, & alia in futurum obtinenda; idque etſi fiat ingreſſus ſine prætextu priuil. Qua de re plura in *tr.5. c.6. ſect.2. q.20.21.22.23.*

QVÆRES XLIX. Qua pœnæ debeat puniri Regularis, qui ſine debita licentia accedit ad Moniales.

229. Reſpond. illum debere declarari priuatum officiis, vocéque actiua, & paſſiua ipſo facto: & hoc ex Decreto ſacræ Congregationis iuſſu Sixti V. edito anno 1590. quod, cum loquatur ſimpliciter de accedentibus ad Moniales, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, non ligat ſolum Religioſos frequentantes monaſteria Monialium (ſicut ligat *cap. monaſteria, de vit. & honeſt. Cleric.*) ſed etiam Religioſum ſemel tantùm accedentem ad Moniales, ſine debita facultate; vt aduerti in *tract. de Monial. cap. 5. ſect. 5. q.6.* vbi plura hac de re diximus iuncta *quæſt.7.*

QVÆRES L. Qualiter debeat puniri Regularis Monachus, qui comedit carnes.

230. Reſp. ſi comedat contra præceptum ſcienter, ac doloſe, aut per contemptum, & de hoc conſtet, ſex menſium ſpatio debere detrudi in carcerem, ibique damnari ad pœnitentiam agendam: & hoc ex *cap. carnem, de conſec. diſt.* ita Graff. *lib.3. deciſ. cap.5 n.66.* ex S. Thoma, & Syluest. hinc colligens Monachum extra caſum neceſſitatis veſcentem carnibus peccare mortaliter: in quo non diſſentit Summa Armilla *v. religio num.11.* dum ait: *Comedere carnes ſecundum Regulam S. Benedicti non eſt mortale*: ſiquidem immediatè ſubdit, *niſi propter contemptum, vel præceptum*; ſic iudicans ſe non diſſentire in hoc à Graffio Puto autem quod, cum *in citato cap. carnem*, generaliter dicatur, *Carnem cuiquam Monacho nec ſumendi, nec guſtandi conceſſa eſt licentia*; & lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi; huic pœnæ ſubſunt omnes Monachi, non autem ſolum Benedictini; non tamen Canonici Regulares, nec Religioſi aliorum Ordinum non Monachalium.

QVÆRES LI. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui arma retinet intra ſepta ſui Monaſterij.

231. Reſpond. debere declarari excommunicatos ipſo facto, excommunicatione tamen non reſeruata (vt vidimus in *tract.7. cap.2. n.107.*) vbi diximus excommunicationi huic ſubiacere ſolùm Monachos nigros iuxta Suarez, ac Filliucium: etſi alij ſuſtineant ſub ea comprehendi omnes Monachos; & quidem non omninò diſſentiente Graffio *libr. 4. deciſ. capit. 21. num.* 20. qui notat ex Caietano quod, cum verbum *retinere* importet continuationem temporis, Monachus accedens ad monaſterium cum annis abſque animo ea ibi retinendi non ligatur iſta excommunicatione.

Quod ſi hac occaſione quæras, an Iudex laicus, eiuſque Miniſter poſſit ſpoliare Regularem armis prohibitis.

Reſpond. quod, quamuis plures Iuriſconſulti, & non pauci Theologi relati à Diana *p.1. tr.2. reſ.9.* partem ſuſtineant affirmantem; eò quod talis ſit conſuetudo, & præſumatur adeſſe tacita permiſſio Iudicum Eccleſiaſticorum (etſi ij loquantur in ſpecie de Clericis) partem tamen negantem ſequuntur Barb. Madius, Bonac. Duard. Bellert Marth. Megal. Riccius & Genuenſis; quos citat, & ſequitur ipſe Diana, inde hoc probans, quod non ſpectat ad Iudices Laicos, vt propria authoritate faciant leges ciuiles obſeruari ab Eccleſiaſt. cum nullam in eos habeant iuriſdictionem, quare Ricc. *p.3. dec.299.* docet Clericum ferentem arma poſſe reſiſtere cum armis Birroario laico volenti ipſum capere: Quod autem dicunt hi Doctores dè Clerico, debent conſequenter dicere de Regulari; cum in vtroque par ratio militet, vt conſideranti patebit,

Concedo quidem ex Salz. ad Diaz *in p. c.55.* Regularem ob armorum vſum à Prælato regulari eſſe puniendum, non quidem pœnis ſæculari lege impoſitis, ſed pœnis Iuris canonici, ſi quæ ſunt, vel certè arbitrariis, ſi non ſint latæ in ſtatutis Ordinis.

QVÆRES LII. Qua pœna debeat puniri Regularis incorrigibilis de iure communi.

Reſp. debere eiici à Religione; vt colligitur ex 232.
cap. fin. de Reg. & c. cum ad monaſter. de ſtatu Monach. & conſtat ex priuilegiis relatis à Corduba *in reg. S. Franciſci c.2. q.21.* idque iure, ac meritò; cum ratio ſuadeat, vt reſecentur putridæ carnes, ne ſanas corrumpant, & ſcabioſa ouis repelli debeat à caulis, ne cæteras inficiat; vt docet S. Hieronymus *in epiſt. ad Galath. cap.5.* debeatque præferri bonum commune Ordinis bono priuato Religioſi particularis. Azor. *tom. 1. lib. 12. cap.16. quæſ. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub.14.*

Ad hoc autem, vt Religioſus cenſeatur incorrigibilis ad hunc effectum, de iure communi antiquo tria requiruntur, quod ſcilicet grauia delicta ſæpè commiſerit, quod pluries monitus non deſtiterit, & quod pœnitentiam pro iis non acceptauerit: ille enim dicitur incorrigibilis, cuius correctio non ſperatur; hæc verò tria requiruntur, vt alicuius correctio non ſperetur, quod notant Sanch. *l.6. mor. c.9. n.4.* Sayr. *l.5. de cenſ. c. 21. n.* 37. Iure autem nouo requiruntur, quæ præſcripſit Vrbanus VIII. in Decreto *de eiectis, & apoſtatis*, edito anno 1624. & à nobis explicato latè in *tract. de priuil. capit. 8. ſect. 3.* in quo decernitur non ſolum impoſterum Religioſum nullum poſſe expelli ab Ordine, niſi ſeruatis conditionibus in dicto decreto præſcriptis, ſed etiam nullum poſſe expelli, niſi titulo incorrigibilitatis: idque non obſtantib. priuilegiis, quoad hoc Regular. conceſſis in contrarium, quæ in dicto Decreto omnia tolluntur: & quidem conformiter Iuri communi antiquo in quo talis expulſio permittebatur ſolum ob incorrigibilitatem.

QVÆRES LIII. Qualiter puniri debeat Regularis per annum inſordeſcens in excommunicatione lata ſpecialiter ab homine.

Reſp. quod ſi hic Regularis ob ſuſpicionem leuem 233.
de ſe excitatam, quod malè ſentiat de poteſtate Eccleſiæ iubeatur illam purgare, & hanc ſubire nolit purgationem, citatuſque ſub pœna excommunicationis reſpondere negligat, & in hac contumacia per annum perſeueret, nullo impedimento allegato, poteſt condemnari, vt hæreticus iuxta *cap. cum contumacia, de hæreticis in 6.* ita Caſtrus Palaus *D. 2. de cenſur part.20. num.2* ex Auila, ac Hurtado addens *tract.4. D.4 p.2. n.2.* ex Couarruu. Salzed. Menochio, id procedere, ſiue excommunicatio lata ſit in cauſa ciuili, ſiue in criminali: monenſque *num.* 2. annum, de quo hìc debere computari, non à die excommunicationis incurſæ, ſed à die, quo quis fuit nominatim excommunicatus, aut declaratus (intellige, niſi ſit notoriè excommunicatus) annumque debere eſſe continuum ex *capit. cum contumacia, de hæreticis in ſexto*, & quod integro illo

anno

anno potuerit excommunicatus comparere, ac respondere Iudici, & non comparuerit, quamquam, quod ait Castrus Palaus, hanc assertionem procedere etiam de excommunicato in causa ciuili, id negent Ripa, Gonzales, & Gratianus relati ab ipso Castro Palao, aliique adducti à Diana *part.4.tract.7. resol.* 17. vt notauimus in *tract.7. cap. 2. num.95.* vbi hac de re egimus.

Notat tamen Diana *ibi*, ad hoc vt dictus excommunicatus condemnetur, tanquam hæreticus, si facilè capi nequeat, debere specificè citari ad respondendum de fide, & ad se purgandum de suspicione ex insordescentia orta, &, licet fortè sufficiat vnica citatio, tutius esse, vt trina præmittatur: additque ex Sousa, Pegna, & Simanca, quod si excommunicatus ante lapsum moriatur, non condemnatur, vt hæreticus, nec eius bona confiscantur, nisi ex testibus esset planè conuictus: quod item aduertit Castrus Palaus *num.* 11. dicens, quod si, antequam labatur annus contumaciæ, sic suspectus, & citatus decedat, non debent confiscari eius bona, nec ipse condemnari debet, vt hæreticus; cum sic decedat leuiter suspectus, non autem de hæresi conuictus: nisi fortè in processu adsint planæ, & concludentes probationes; tunc enim posset condemnari, non quidem ob contumaciam, sed ob delictum plenè probatum, si quidem contumacia non petitur ad condemnandum.

Quod si quæras, quamo tempore debeat Iudex expectare post annum huius contumaciæ, vt reum declaret esse hæreticum præsumptione iuris, ac de iure.

Respond. id relinqui Iudicis arbitrio; cum nullo textu caueatur talis obligatio expectandi, & ex *cap. cum contumacia, de hæreticis in 6.* colligatur statim post lapsum annum contumaciæ reum posse condemnari, id denotante verbo, *ex tunc*, quod ibi habetur. Etsi optimè faceret Iudex, elapso aliquo tempore post annum, si rebellem iterum citaret ad allegandum, quare tanto tempore insorduerit in excommunicatione, &, si huic vltimæ citationi rebellis esset, condemnare, vt hæreticum, non amplius expectando ita Castrus Palaus *num.* 9. ex Eymerico, Menochio, Salzedo, & Farinacio addens *num.*10.ex Salzedo, quod si reus anno contumaciæ elapso compareat ante pronunciationem sententiæ, aut eius executionem; & purget suspicionem criminis obiecti, ac contumaciam, omnem euadet pœnam; cum sic non appareat, vnde condemnetur. Quod si ostendat innocentiam respectu criminis obiecti, & culpam in contumacia; non ideo damnandus, vt hæreticus, nec in pœna corporali, nec in bonorum confiscatione, sed pœna arbitraria respondente culpæ contumaciæ: tunc enim cessat præsumptio hæresis, facta probatione in contrarium. Si verò innocentiam integrè non doceat, sed maneat suspectus de hæresi, debet abiurare, & puniri pœna arbitraria; cum pœna statuta hæreticis imponi debeat non ficto hæretico, seu suspecto de hæresi, sed vt tali conuicto.

Addo quod, sicut excommunicatus ex alia causa, quàm fidei, & per annum insordescens in excommunicatione est suspectus de hæresi, sed suspicione leui, sufficiente tamen ad indicendam purgationem, sed non ad torturam: sic est violenter de hæresi suspectus, qui fuit citatus ad respondendum de fide sub excommunicatione ipso facto, & renuit respondere, seu comparere; cum citatus fuerit tanquam suspectus, & diffamatus de hæresi suspicione probabili, nec non data assignatione termini ad respondendum: vtrumque enim requiritur, ita aliis citatis Castrus Palaus *num.* 5. 6. 7. notans *num.* 8. quod, si citatus ad respondendum de fide, nullo allegato impedimento, integro anno negligat respondere, habetur pro confesso, & vt hæreticus debet condemnari *cap. cum contumacia de heret. in 6.* vehementi suspicione transeunte in violentam; vt notat Eymericus *part. 2. direct. quæst.* 47.

Quomodo autem ex perseuerantia in excommunicatione inducatur priuatio beneficiorum Ecclesiasticorum.

Respond. Suarez *D.*17. *de censur. section.* 1. *num.*9. quod, licèt in *cap. bonæ memoriæ, de ætate, & qualitate* priuetur Clericus beneficiis ob perseuerantiam in excommunicatione; nec hinc inferatur eum ob annalem perseuerantiam priuari posse, vel necessariò priuandum esse ob triennalem perseuerantiam; cum citatus textus referat, quid factum sit, non autem contineat dispositionem in futurum; nihilominus Iudices debent priuare omnibus beneficiis excommunicatum triennio perseuerantem in excommunicatione; cum indignus sit fructibus Ecclesiæ, qui ipsi est rebellis: ob annalem verò perseuerantiam, etsi possent Iudices hanc priuationem beneficiorum indicere, cum annalis contumacia illam mereatur; non tamen tenentur, cum nullibi extet talis obligatio.

QVÆRES LIV. Qua pœna debeat puniri regularis, qui negotiis sæcularibus se immiscet, vacando sæcularibus, exercendo munus proxenetæ in contractibus illicitis, & similia faciendo.

Respond. si in hoc sæpius delinquat, & quasi per modum habitus (quod indicat Diaz *in pract. cap.* 56. dicens, *intelligitur in procuratore generali*; nam procurare, vel administrare vnum negotium sæcularium non est Clericis prohibitum) debere deponi iuxta *cap. sed ne de Clerici, vel Monachi*; quod sic habet, *Si quis autem* (loquitur de Clericis) *aduersus hæc venire tentauerit, quia contra doctrinam Apostoli dicentis, nemo militans Deo implicet se secularibus negotiis, seculariter agit, ab Ecclesiastico fiat ministerio alienus pro eo, quod officio clericali neglecto fluctibus sæculi, vt potestatibus placeat, se immergit. Districtiùs autem decernimus puniendum, si Religiosorũ quisquam aliquid prædictorum ausus fuerit attentare*: quod est dicere Religiosum in hoc delinquentem non solum debere deponi, sed etiam alia pœna puniri, eáque arbitraria iuxta concurrentes circumstantias: & quidem meritò, cum maximè dedeceat Religiosum, qui est mortuus mundo, & omnibus concupiscentiis eius, se implicare negotiis ipsius mundi: vt proinde talis Religiosus sibi iustè possit adaptare id, quod S. Bernardus habet *epist.*149. *Ego quædam chimera sæculi sum, nec Monachum gero, nec laicum; nam Monachi iamdudum exui conuersationem, non habitum.* Sic Concilium Prouinciale Toletanum habitum anno 1566. *cap.* 10. prohibuit Clericos in sacris, & eos, qui beneficium Ecclesiasticum obtinent, laicorum esse œconomos, ac sæcularium rerum dispensatores, nec non in foro ciuili Procuratores, exceptis his negotiis, quibus iuxta canonicas sanctiones pietatis causa vacare iustè possint; alioqui eos ab Ordinario, pœna suspensionis ab officio, & beneficio ad sex menses puniri debere. Plures autem Salzedo ad Diaz *cap.* 57. *lit. A.* refert casus, in quibus Clericus (dic tu Regularis) Procuratoris munus potest impunè exercere, qui videri possunt apud ipsum. 234

Notat autem Diaz *cap.* 56. quod, quamuis Romanus *in sing.*722.ex *cap. si quis Episc.* 1. *quæst.* 1. sustineat Clericum

Clericum proxenetam contractuum illicitorum à proprio gradu debere deponi; eiusque opinio posse corroborari ex *cap.1.de testib.in 6.* vbi probatur mediatorem criminis dici ipsum delictum committere: tamen, si Clericus mediator sit contractus illicitì (qui sit diuersus à contractu proposito *in citato cap. si quis.*) non depositione, sed pœna arbitraria debet puniri, spectata grauitate contractus initi, participatione lucri per Clericum, exemplo, & scandalo inde suborto. hæc Diaz; quæ vtique proportionaliter possunt cedere in Religiosum taliter delinquentem.

QVÆRES LV. Qualiter debeat puniri Regularis, qui de superstitione conuincatur, seu de incantatione.

235 Respond. Sylu.*v.superstitio*,§.1 t.quæritur ex Hostiensi debere deponi, & detrudi in monasterium: idque ex *cap.non oportet, cap.aliquanti 26. q.5.* (qui textus licèt in specie loquantur de Clericis sæcularibus, iuxta superius dicta, non semel ligant & Regulares;) additque Clericum superstitiosum esse irregularem, si sit notorius, imò iuxta aliquos, etsi sit occultus.

Addo ex Diaz *in pract. cap.108.* Clericum, qui fuerit deprehensus consuluisse aruspices, incantatores, ariolos, & similes, Artem magicam profitentes, debere suspendi ab honore dignitatis, id est, deponi, ac detrudi in monasterium ad pœnitentiam perpetuò ibi agendam, & hoc ex *cap. si quis 26. q. 5.* vbi notat Gloss. in hoc casu pro solo consilio debere quem puniri, siue faciat artem, siue non. quæ pœna ex dictis §.*præced.* vtique cadit etiam in Regulare.

QVÆRES LVI. Qua pœna debeat puniri Regularis, qui ob ebrietatem, aut voracitatem euomit Eucharistiam.

236. Respond. debere iuxta *cap. si quis per ebrietatem, de consecr.dist.2.* damnari ad agendam pœnitentiam diebus 70. eamque arbitrio iudicis; eum in textu non explicetur, quæ debeat esse; vt notat Diaz *supr. cap 41.n.2.* monens ex Turrecremata, attenta causa vomitus, quæ ponitur in textu (id est ebrietate, ac voracitate) aliisque circumstantiis pœnam istam non esse excedentem, ideóque securè iniungendam esse. qua de re Sylu.*v. Eucharistia 2.§.9.*

QVÆRES LVII. Qua pœna puniendus sit regularis Prælatus, qui conuincitur negligens in procuranda religiosa obseruantia.

237. Respond. Rodriq.*tom.1.quæst.40.art.1.* quod cum Bald.Iason,Decius,Anania,Bossius, sustineant iudicem ob negligentiam magnam posse licitè amoueri ab officio, & quidem etiam ex iure communi; idque à fortiori procedat in Regularium causis; quippe quæ quorum prælationes sunt amouibiles, sicque ab iis facilius amoueri possunt, quàm beneficia Ecclesiastica, quæ ex natura sua sunt perpetua: in proposito casu Prælatus amoueri potest à gubernatione, si negligentia processit ex dolo, & fuit dolo coniuncta: secus, si negligentia fuit sine dolo: quare Prælati regulares deuenturi ad depositionem alicuius Superioris negligentis debent priùs inquirere, negligentia illa fitne ex dolo, aut sine dolo (vt modò diximus.) ita Rodriq.*hinc art.2.* inferens iudices Regulares malè iudicantes ex imperitia debere puniri pœna arbitraria: nisi ea coniuncta sit dolo, ac fraude: quo casu eadem pœna puniri deberent, qua ipsi ex sua imperitia alterum punierunt: quod etiam confirmat *art.3.* dicens se in contingentia facti iudicasse Prælatum quemdam regularem non debuisse priuari officio, qui ex consilio alterius Religiosi periti omiserat carcerare Religiosum subditum, aliàs de iure carcerandum: quippe qui bona fide, ac sine dolo hæc in re se gesserat; vt patet.

QVÆRES LVIII. Qualiter debeat puniri Prælatus regularis, cuius culpa Religiosus subditus decessit absque confessione Sacramentali.

Respond. debere puniri pœna arbitraria pro qualitate culpæ commissæ, iuxta illud Deuteronom. 25. *iuxta mensuram delicti sit & plagarum modus*; & iuxta *cap.non offeramus 24.q.1.cap.qua, de offic. Archid.* vbi agitur de punienda tali negligentia. 238.

CAPVT V.

De Obligationibus, ad quas tenentur Prælati regulares.

1 *Prælati regulares tenentur procurare in Religiosis subditis spiritum deuotionis.*
2 *Debent corrigere eorum excessus salutaribus pœnitentiis.*
3 *Debent insistere Reformationi disciplinæ regularis: quod si monasterio relicta sit hæreditas, vsque dum in eo vigeat obseruantia, concurrente hac, ea non amittitur ante sententiam; at, hac secuta, restituuntur fructus hæreditatis à die secuta inobseruantiæ alteri nominato in hæredem (sed non semper) Reformatio Regularium ex decreto Concilij Tridentini promouenda à Principibus, tum Ecclesiasticis, tum sæcularibus: & quæ priuilegia intuitu illius concessa sunt huic aut illi Religioni, communicantur alijs Ordinibus.*
4 *Debent curare, vt subditi viuant in communi, & vitent superflua: nec licentiæ in contrarium concessæ à Prælatis semper prosunt.*
5 *Curare debent Chori frequentiam.*
6 *Debent ministrare subditis Sacramenta aliquando etiam cum vitæ periculo.*
7 *Deputare debent ijs plures Confessarios in suo monasterio.*
8 *Debent Ordinario notificare Religiosum electum ob incorrigibilitatem.*
9 *Imò, & debent illum reuocare.*
10 *Debent quærere Religiosos suos fugitiuos.*
11 *Curare debent lectionem sacræ Scripturæ.*
12 *Instituere tenentur studia linguarum.*
13 *Debent facere fidei Professionem.*
14 *Tenentur residere in proprio monasterio.*
15 *Debent fouere studia literarum.*
16 *Conseruare tenentur bona Conuentus; etsi in aliquo casu ijs præferre possint bonum parentum.*
17 *Debent alere subditos.*
18 *Ex bonis Conuentus facere debent eleemosynas.*
19 *Debent stare contractibus Prædecessoris.*
20 *Implere debent onera Missarum, & similia.*
21 *Debent punire subditos, instante Ordinario loci; cuius Ordinaria iurisdictio delegata in Regulares, vt odiosa non debet ampliari.*
22 *Curare debent, vt publicè legantur Vrbani VIII. Decreta, tum* de celebr. Miss. *tum* de Eiectis, & Apostatis.
23 *Item debent monere subditos de executione bullarum spectantium ad S.Officium iussu Vrb.VIII.*
24 *Debent referre in proprij Ordinis Constitutiones Clem VIII. Decreta* de reform.Regularium.
25 *Et quidem etiã in præsentia, si antea non redegerunt.*
26 *Debent suis subditis notificare reuocationem viuæ vocis oraculorum.*

QVÆRES

QVÆRES I. Qualiter teneantur Prælati regulares procurare in suis monasteriis obseruantiam Regularum, promouendo in suis subditis spiritum Deuotionis.

1. Respond. teneri eo modo, quo diximus in *tract. de obligat. cap. 1. quæst. 41. & in hac ipsa tract. cap. 1. quæst. 17.*

QVÆRAS II. An, & qualiter Prælati regulares teneantur corripere religiosos subditos, iis etiam imponendo pœnitentias iuxta delicti, quod committunt, qualitatem.

2. Respond. teneri iuxta dicta in *tract. de profess. c. 5. sect. 1. quæst. 6.*

QVÆRAS III. An, & quo pacto Prælati regulares teneantur insistere Reformationi disciplinæ regularis.

3. Respond. teneri eo modo, quo diximus *tract. 1. cap. 5. quæst 4. 5. & 6.*

Quod si hac occasione quæras, an Religiosi teneantur ante Iudicis sententiam cedere alteri monasterio eiusdem Ordinis hæreditatem ipsis relictam sub his verbis: *Constituit suos heredes vniuersales: Fratres S. N. cum conditione, quod casu, quod ij non viuant sub consueta regulari obseruantia, sed hereditas deueniat ad manus Conuentualium, & pertineat ad monasterium S. N.* si Religiosi præfati deficiunt à solita regulari obseruantia.

Respond. quod, cum Sanchez *lib. 7. mor. cap. 17. num. 24.* ex Molina Iurisconsulto contra Molinam Theol. *tom. 3. D. 611. in fine*, in simili dicat requiri sententiam Iudicis, & contrariam opinionem esse rigidam, strictóque iure niti: hoc idem dici potest & in præsenti casu, probat Sanchez suam sententiam ex eo, quod conditiones eiusmodi appositæ in testamentis potius sunt comminatoriæ, quàm ad dictam priuationem, prout sonat, inducendam; quod ex præsumpta institutoris voluntate, ac benigna interpretatione deducitur; cum non sit censenda illius voluntas, quod velit illaqueare conscientiam hæredis obligando eum ad hæreditatem statim relinquendam: quod vtique magnam habet difficultatem.

Quod verò spectat ad fructuum amissionem per retroractionem sententiæ Iudicis ad diem commissi criminis (idest inobseruantiæ in casu nostro) ij omnes restitui debent monasterio, cui ceditur hæreditas Sanchez *lib. 2. mor. cap. 22. num 26.* exceptis tamen iis, qui bona fide consumpti sunt, & ex ea consumptione monasterium non est factum ditius, Sanchez *supr. cap. 23. num. 4.* vel etiam iis, qui triennali præscriptione præscripti sunt, Sanchez *supr. num. 87. 91. 92.*

Tunc autem in præsenti casu monasterium censeretur non viuere sub consueta regulari obseruantia, quando inobseruantia iudicio viri prudentis censeretur notabilis, v. g. pro tertia parte, & non amplius extaret vsus imponendi pœnitentias Religiosis inobseruantibus; idque ob dicenda *cap. 8. num. 141.*

Moneo hîc in Concil. Trid. *sess. 25. de regul. cap. 12.* præcipi in virtute Obedientiæ omnibus Regibus, Principibus, Rebuspublicis, Magistratibus, vt velint Episcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & cæteris Præfectis in Reformationis executione (de qua ibi loquitur Concilium) suum auxilium, ac authoritatem interponere, quoties fuerint requisiti, vnde, cum inter ea, quæ Concilium ibi præcipit, vnum sit, quod regularis disciplina instauretur: ita vt omnes Regulares tam viri, quàm fœminæ ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptam vitam instituant, & componant, atque in primis, quæ ad suæ Professionis perfectionem, aut Obedientiæ, Paupertatis, Castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum respectiuè essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum obseruando pertinentia fideliter obseruent: tenentur præfati Domini temporales, si requirantur à Prælatis regularibus suas Religiones reformare volentibus hac in re auxilium suum præstare.

Addo ex Lezana *v. reformatio num. 6.* concessiones factas à Summis Pontificibus pro reformatione Religionum huic aut illi Ordini, per viam communicationis suffragari etiam aliis Ordinibus: cum eæ sint fauorabiles, & priuilegia quædam ad bonum commune Religionum conducentia, sicque comprehendantur sub gratiis, ac priuilegiis, in quibus Religiones inuicem communicant: idque procedere de priuilegio Leonis X. relato à Casarubio *in Comp. priuil. v. reformatio*; quo statuit, & in virtute obedientiæ præcepit, ne de cætero vllæ nouæ reformationes inducerentur in Ordine Fratrum Minorum, aut fierent absque ministri Generalis, aut Prouincialium ministrorum Reformatorum in suis Prouinciis respectiuè expresso consensu: ita tamen, quod dictæ reformationes Ministro Generali, & Prouincialibus Reformatis per omnia iuxta Regulam subdantur.

QVÆRES IV. An, & qualiter Prælati regulares teneantur curare, vt Religiosi subditi viuant in communi, & vitent superflua.

Respond. teneri ea ratione, qua diximus *tract. 4. cap. 1. num. 143.* 4.

Moneo hîc ex Lezana *supr. num. 3.* quod, cum Prælati Ordinum Mendicantium ex bulla Sixti IV. relata à Casarubio *supr. num. 1* teneantur reformare monasteria sibi subdita, tam Fratrum, quàm Monialium; & reformatio maximè consistat in vita communi perfectè tenenda iuxta Concil. Trident. *supr.* peccant mortaliter Superiores, si cum possint, non cogunt subditos ad vitam communem restituendam. Qua de re Nald. *v. relig. num. 5.* vbi loquens de Religiosis negligentibus vitam communem: ait eos non iuuare licentiam obtentam, quia apertè constat illam esse consensum, & voluntatem extortam; eo quod Superiores ob vitandas inferiorum assiduas querimonias permittunt eis, quæ nolentes coguntur velle, & in conscientia actus gestus ob metum etiam iusto minorem, modo sit causa illius actus, inficitur.

QVÆRAS V. Quàm strictè Prælati regulares teneantur curare, vt in suis monasteriis seruetur debita frequentia Chori.

Respond. teneri eo pacto, quo ostendimus *in tract. de obligat. cap. 8. sect. 1. quæst. 4. § grauior difficultas est.* 5.

QVÆRES VI. An, & quo pacto teneantur Prælati regulares ministrare Sacramenta Religiosis subditis, etiam cum periculo vitæ.

Respond. teneri; sicut indicauimus in *tract. de Profess. cap. 5. sect. 1. quæst. 2.* 6.

QVÆRAS VII. Qualiter Prælati regulares teneantur deputare in suis monasteriis plures Confessarios pro Religiosis respectiuè subditis.

Respond. teneri eo modo, quo diximus *tract. 6. cap. 1. quæst. 30.* 7.

QVÆRES VIII. Qua ratione Prælati regulares teneantur notificare Ordinario Religiosum ab illis eiectum ob incorrigibilitatem.

Respond. teneri sicut diximus *tract. 8. c. 8. sect. 5. q. 4.* 8.

NNn 4 Aduerto

Aduerto hîc ex Pasqualigo *tom.2.quæst.*114.plures alios citante, Regularem eiectum à proprio Ordine titulo incorrigibilitatis teneri se corrigere, &,si negligat se corrigere, esse in perditissimo statu; pro vt clarè colligitur ex decretis Vrbani VIII. *de eiectis, & apostatis*, §. *ad hæc*, & inde probatur, quod Regularibus eiectus retinet obligationem status religiosi, quoad substantialia, adeóque retinet obligationem tendendi ad perfectionem religiosam; at quomodo tendet ad perfectionem, si negligat se corrigere?

QVÆRES IX. An, & quo modo Prælati regulares teneantur reuocare Religiosos à se legitimè eiectos.

9. Respond. teneri, vti ostendimus *loc. cit. quæst.* 9.

QVÆRES X. Qualiter Prælati regulares teneantur quærere Religiosos subditos, qui sunt ab Ordine fugitiui.

10. Respond. teneri; sicut diximus *supr. sect.* 3. *quæst.* 21.

QVÆRES XI. An, & quo iure teneantur Prælati regulares curare, vt lectio Sacræ Scripturæ habeatur in suis Ecclesiis, aut Monasteriis.

11. Respond. teneri ex decreto Concil. Trid. *sess.* 5. *de reformat. cap.* 1. vt docuimus in *tract. de priuil. cap.* 6. *quæst.* 33.

QVÆRAS XII. An, & quo iure teneantur Prælati regulares instituere in suis monasteriis Studia linguarum Hebraicæ, Græcæ, ac Latinæ, imò & Arabicæ in monasteriis maioribus.

12. Respond. teneri ex Constitut. Pauli V. quæ incipit, *Apostolica*: pateteque ex dictis *in tract. de pœnis cap.* 6. *num.* 63.

QVÆRAS XIII. An, quando, & qua forma teneantur Prælati regulares facere professionem Fidei.

13. Respond. teneri eo tempore, & forma, quibus diximus in *tract. de obligat. cap.* 10. *quæst.* 6. vbi de hoc egimus ex professo.

QVÆRAS XIV. An, & quo modo Prælatus regularis teneantur residere in monasteris, quibus præsunt.

14. Respond. teneri; cum teste Sanchez *lib.* 6. *mor. cap.* 1. *num.* 55. respectu sui monasterij se habeat veluti Parochus, & in Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 1. *de reformat.* dicatur: *Cum præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre*, &c. *& in cætera munia pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt* (ex quibus verbis putant aliqui euinci residentiam Curati esse de iure diuino.) Quamquam non ideo Prælatus regularis dici possit teneri residere eo rigore, quo tenetur Parochus; cum non sit ita certum residentiam Parochi esse de iure diuino, & decretum Concilij Tridentini superiùs adductum non loquatur expresè, nisi de Episcopis, & aliis habentibus beneficium Parochiale: (quales vtique non sunt Prælati regulares;) vnde, occurrente iusta causa, cum minori scrupulo ij poterunt abesse ad aliquod tempus à proprio monasterio; præsertim cum semper loco ipsorum maneat alius, qui vices ipsorum gerat, eorumque obligationibus æquè benè satisfaciat: & alioqui in ipso Concilio Tridentino Episcopo concedatur absentia trimestris, & bimestris vnicuique Curato; qui tamen strictiori iure tenentur ad residentiam, vt iam diximus.

QVÆRES XV. An, & quo modo Prælati regulares teneantur in suis monasteriis promouere studia, & fouere alacritatem studentium.

15. Respond. teneri iis modis, quo innuimus in *tract. de priuil. c.* 4. *sect.* 2. *quæst.* 20. Et quidem quod Prælati regulares teneantur promouere studia in suis monasteriis, probatur tum quia, teste experientia, quanto magis vigent studia in monasterio, eo etiam magis floret disciplina regularis, exclusa otiositate, & copia vagandi, quæ sunt origo multorum malorum; tum quia sic redduntur iuuenes habiles ad ministeria Religionis exercenda, nimirum ad conciunandum, legendum; cum alioqui deficientibus studiis paulatim deficiant in Religionibus Concionatores, Lectores, &c.; tum quia id ipsum cedit in maximum decus Religionis, cuius augumento in primis debent insistere Prælati regulares.

QVÆRES XVI. Qualiter teneantur Prælati regulares conseruare bona temporalia monasterij, cui præsunt.

16. Respond. quod, cum bonorum temporalium administratio sit apud Prælatum Monasterij (vt colligitur ex *cap. nullum* 18. *quæst.* 2.) & quidem non solùm quoad acquisitionem, & conseruationem illorum, sed etiam quoad alienationem (seruatis tamen seruandis;) tenetur Prælatus regularis dicta bona diligenter conseruare, fideliter dispensare iuxta consuetudinem ordinis, ac indigentiam subditorum, eaque etiam licitis modis amplificare, acceptando eleemosynas fidelium, legata, ac hæreditates. quæ fortè monasterio ex pia testantium dispositione relinquantur, quod non facit, quin occurrente iusta, ac rationabili causa possit Prælatus repudiare legatum aliquod, aut eleemosynam ipsius monasterio relicta; vt videre est apud Sanchez *lib.* 6. *de matr. D.* 4. *num.* 1. qui addit *num.* 17. quod si Prælaius sine causa repudiet hæreditatem, aut legatum Ecclesiæ relictum, tenetur propriis bonis damnum illud resarcire: quippe qui ex officio, & consequenter ex iustitia tenetur benè administrare, cum tamen bonæ administrationi aduersetur talis repudiatio: quæ vtique locum habent etiam in Prælato regulari, dato quod haberet bona ad ipsius vsum concessa, eiusque liberæ dispositioni subiecta. Et certè quod Regularis Prælatus, occurrente iusta causa possit modo dicto repudiare legatum, constat ex eo, quod talis repudiatio est prudens, ac rationabilis, nec excedit potestatem talis administrationis, imò censetur consentanea voluntati veri Domini, nempe Religionis.

Quod si quæras, an Prælatus regularis faciat contra hanc obligationem, si ad subleuandam indigentiam proprij patris curet, vt eleemosynam oblatam monasterio, & acceptatam, sed nondum traditam reuocet is, qui illam obtulit, eique det facultatem expendendi illum ad alium vsum; & hac obtenta, ipse Prælatus proponat suo Capitulo, vt eleemosynam illam sic iniustè reuocatam ex titulo gratitudinis remittat reuocanti, vt pote aliàs insigni benefactori Conuentus (celans tamen se procurasse dictam reuocationem) sicque Capitulum remittat, & Prælatus proprio patri tradat eleemosynam illam.

Respond. Prælatum videri non facere contra hanc obligationem: idque etsi Capitulum re vera non remisisset eleemosynam, si sciuisset Prælatum modo dicto procurasse eius reuocationem. moueor, quod non ideo remissio præfata dici potest inuoluntaria respectu capituli; cum verè subsistat causa finalis illius, nempe gratitudo erga beneficia accepta à remissario) quod sufficit ad validitatem remissionis:) si autem valida est remissio, cum per eam monasterium cesserit

cesserit iuri acquisito in dictam eleemosynam, de hac postea licitè, & validè potuit Prælatus disponere, imò & proponere Capitulo præfatam remissionem, non manifestata procuratione à se facta, vt reuocaretur illa eleemosyna; cum non appareat, ex quo titulo ipse teneretur id manifestare. sic respondi in contingentia facti, & placuit responsio viris admodum doctis.

QVÆRES XVII. An, & quomodo Prælati regulares teneantur præstare Religiosis subditis necessaria alimenta.

17. Respond. teneri eo modo, quo ostendimus *in tract. de profess. c. 5. sect. 1. q. 7.*

QVÆRES XVIII. An Prælati regulares teneantur facere eleemosynas ex bonis monasterij, & quas.

18. Respond. teneri facere de bonis, quæ supersunt decenti subditorum sustentationi, & quidem eo genere obligationis proportionaliter, quo tenentur sæculares, qui propria bona administrant; siue postea dicatur talis obligatio esse de iustitia (vt docent aliqui cum Caietano 2. 2. q. 18. *art.* 4.) siue ex charitate solùm (sicut tradit communis Doctorum sententia apud Castr. Pal. *tract. 6. D. 2. p. 3. num.* 2.) id enim parum refert ad rem nostram: cum cæteris paribus lex charitatis, ac iustitiæ æqualiter obliget, tam Religiosos, quam sæculares; vnde etiam in præsenti materia idem dicendum est; cum non extet vllum ius eximens Regulares ab obligatione faciendi eleemosynam in iis casibus, in quibus obligarentur sæculares. Quamquam in hoc minùs scrupulosè procedendum sit Prælato Regulari; cum non improbabiliter sustineant Conarr. Corduba, Medina, Bonac. Malderus, & alij apud Dianam *p. 5. tr. & l. 8. resol.* 14. neminem teneri in graui necessitate Proximi præbere Eleemosynam ex bonis superfluis naturæ, ac statui: & aliàs plerúmque in Monasteriis Regularium vix suppetant necessaria naturæ, nedum adsint superflua statui: præterquàm quod probabile est neminem teneri distribuere sub peccato mort. superflua ad decentiam status, nisi in extrema, aut graui necessitate Proximi; sicuti notauit idem Diana *part. 1. tract. 15. resol. 52.* ex 13. Doctoribus ab ipso citatis: cum tamen aliàs necessitates pauperum regulariter sint communes, non extremæ, aut graues, &, si sint extremæ, aut graues, non desint alij, qui eas opportunius, ac commodiùs subleuare possint, imò etiam re vera subleuent.

QVÆRES XIX. An, & qualiter Prælati regulares teneantur stare contractui sui Prædecessoris, & soluere debita ab eo contracta.

19. Respond. teneri stare, si contractus Prædecessoris factus sit in vtilitatem Monasterij, & quidem non excedendo limites propriæ administrationis; vel certè factus sit de consensu Capituli (quo casu contractus, etiam minùs vtilis monasterio subsistit, cum delictum Prælati, & Capituli nocent Ecclesiæ iuxta *l. iubemus, C. de Sacros. Eccles.*) Ducor, quod in talibus casibus monasterium tenetur stare contractibus Prælati, vt pluribus citatis aduertit Peytin. *de R. P. q. 3. cap. 5. num. 15.* si autem tenetur monasterium stare dictis contractibus, vtique, & tenebitur Prælatus successor, cum ratione officij repræsentet personam sui prædecessoris, & fictione iuris censeatur vnus, & idem cum ipso; alioqui si successor posset pro libito rescindere contractus sui prædecessoris, nemo vellet contrahere cum Regularibus; & meritò ad securandum se indemnem; quæ confirmari possunt ex doctrina, quam tradit Barbosa *de offic. Ep. p. sc. alleg. 94. n. 1.* innumeris aliis citatis, nimirum successorem teneri stare locationi factæ à suo prædecessore, habente administrationem, & quidem non nomine proprio, sed Ecclesiæ, & debita iuris solemnitate seruata; quæ cum militent in casu nostro, militabit & in eo eadem doctrina, iuxta regulam communem, *vbi militat eadem ratio*, &c.

QVÆRES XX. Quam strictè teneantur Prælati regulares implere onera Missarum, & aliorum diuinorum Officiorum relicta monasterio ex piis fidelium dispositionibus.

Respond. teneri ex iustitia; patetque; tum ex eo, quod inter fideles alia onera relinquentes sub certis legatis, aut Eleemosynis ab hæredibus soluendis, & monasterium præfata onera acceptans intercedit contractus innominatus, *Do vt facias*: hic autem contractus inducit obligationem ex iustitia, quoad vtrumque contrahentem, vt patet; tum quia certum est monasterium teneri ex iustitia implere dicta onera (vt conuincitur ex ratione modò adducta:) ergò & tenebitur ex iustitia Prælatus monasterij, cum sit caput illius, ideóque tenetur vi sui muneris curare, vt dictis oneribus omninò satisfiat. 20.

QVÆRES XXI. An, & quando Prælati regulares teneantur punire Religiosos subditos ad instantiam Ordinarij loci.

Respond. teneri, si notoriè delinquant extra monasterium; idque eo modo, quo diximus *in tract. de priuil. cap. 6. sect. 1. q. 5.* ostendentes ex Concilio Trid. *sess. 25. c. 14. de Regul.* quoad hoc Regulares subiici Ordinario loci. 21.

Qua occasione obiter moneo ex Pasqualigo *to. 1. q. 135.* Ordinariorum iurisdictionem contra Regulares exemptos non debere extendi, sed contineri intra terminos præscriptos à iure, ac specialibus Constitutionibus pontificiis: cum enim Regulares sint generaliter exempti ab Ordinariorum iurisdictione, & solùm in certis casibus expressis subiecti; iurisdictio ipsorum non debet extendi ad Regulares vltra casus expressos. probat Pasqualigus, tum quia casus non expressus habetur pro omisso *l. commodissimè, ff. de liber. & posthum. cap. inter temporalia, de trans. Epis.* idque in omnibus dispositionibus *Anchar. cons. 120.* tum quia casus exceptus firmat regulam in contrarium *l. nam quod liquidè, §. fin. ff. de pœna leg. cap. 2. de coniug. lepros.* adeóque, cum in iure sint expressi casus, in quibus Regulares non sunt exempti ab Ordinario, in omnibus aliis erunt exempti: tum quia stante regula generali, est opus speciali exceptione, vt habeatur exceptio, nec contra illam admitti debet exceptio, nisi de ea constet, *l. ab ea parte, ff. de probat. l. illud, C. de Sacros. Eccles.* sicque non debet admitti extensio iurisdictionis Ordinarij in Regulares vltra casus in iure exceptos, cum extra eos non constet de exceptione à regula vniuersali exemptionis: tum quia interest Papæ suos subditos ab alio non iudicari: Abb. *in cap. 1. num. 19. de re iudic.* Ruta *in Vlixibonen. monasterij 19. Nouemb. 1625. coram Coccino*, adeóque extensio iurisdictionis Ordinariorum in exemptos est contra interesse Papæ, & consequenter non fieret in fauorabilibus, sed in odiosis, in quibus non admittitur extensio, sed restrictio. vnde falsum est exemptionem Regularium ab Ordinario esse odiosam, & stricti iuris: etsi enim Ordinariis sit odiosa, Papæ est fauorabilis, ac Regularibus, ideóque ampliandi, cum præualeat fauor: siquidem lex habens admixtum odium ac fauorem, censeri debet fauorabilis, si fauor sit ex intentione legislatoris, Gloss. *in cap. si propter, v. primi anni, de rescript. in 6.* Sanch. *l. 1. de matrim. D. 1. num. 4.* at intentio concedendi exemptionem Regularibus est fauor ipsorum, & quod

quod nimis grauarentur ab Ordinariis *c. nimis praua, de excess. Prælat.*

Addo ex mandato Sacræ Congregationis lato in decretis *de esectu, & Apostatis*, Prælatos Regulares tum immediatos, tum mediatos teneri efficere, vt tam præfata decreta Vrbani VIII. quàm decreta Clementis VIII. *de Regularium reformat.* &c. saltem bis in anno in publica mensa legantur, eaque curare, vt in omnibus monasteriis, quorumcumque Monachorum, ac Regularium vbique locorum existentibus obseruentur; idque sub pœna priuationis omnium officiorum quæ tunc obtinebunt, vocisque actiuæ, ac passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad ea imposterum obtinenda, eaque Sedi Apostolicæ reseruata; vt constat ex ipsis decretis *de esectu, & apostatis*. Vbi noto, quod, cum non statuatur, quo tempore legi debeant præfata decreta, illud pro arbitrio Superioris Regularis erit statuendum, modò bis legantur in anno.

QVÆRES XXII. An, & quando Prælati regulares teneantur curare, vt in suis monasteriis publicè legantur decreta *de celebrat. Missarum*, edita à Sacra Congregat. de mandato Vrbani VIII.

22. Respond. teneri curare, vt legantur, tum Fer. 2. post 1. Dom. Aduentus, tum Fer. 6. post Octauam Corporis Christi: idque sub variis pœnis, de quibus disseruimus *in tract. de pœnis c. 6. n. 46.*

QVÆRES XXIII. Quo tempore, & loco teneantur Prælati regulares commonere suos subditos de obseruantia, ac executione literarum Apostolicarum, Constitutionum, ac Decretorum ad S. Officium Inquisitionis pertinentium iuxta decretum Vrbani VIII. ed tum 24 April 1633.

23. Respond. teneri commonere semel saltem in anno, idest Feria 6. post Octauam Assumpt B. Virg. in publica mensa, aut Capitulo ad hoc specialiter conuocato: & insuper in quocumque generali, aut Prouinciali Capitulo, Conuentu, Dieta, aut alio quouis nomine capitulati congressu; sed de hoc sufficienter diximus *in tract. de pœnis c. 6. n. 38.* vbi retulimus varia, quæ possunt facere ad faciliorem præsentis obligationis impletionem. Quin etiam in præfato Decreto Vrbani VIII. præcipitur Superioribus Religionum, vt exempla dicti Decreti in aliquo loco ipsis publico affigentur, & affixa conseruentur, ita vt ab iisdem subditis Religiosis facilè videri, ac commodè legi possint.

QVÆRES XXIV. Quo iure teneantur Prælati regulares redigere in suas Constitutiones decreta reformationis edita à Clemente VIII.

24. Respond. teneri ex eodem decreto Clement. VIII. quod postea innouauit Vrbanus VIII. die 21. Sept. 1624 addendo obligationem, quod Religiosi teneantur præfata decreta legere in publica mensa bis saltem in anno; idque sub pœnis inferiùs explicandis. Vbi notandum videtur hanc obligationem non ligare Prælatos locales, sed solùm Generalem, ac Prouinciales, seu alios similes (v. g. Visitatores) & quidem etiam in præsentia, si nondum fuit demandata executioni; moueor, quod in præfatis decretis *num. 40.* sic dicitur: *districtè præcipimus Generali, ac omnibus aliis quibuscumque Superioribus, ad quos hoc spectat, vt curent, ac efficiant ea omnia inter alias Ordinum Constitutiones perpetuò valituras redigi*; si enim Papa dictis decretis intendisset comprehendere etiam Prælatos locales, non erat, cur apponeret clausulam illam, *ad quos hoc spectat*: siquidem illi sufficienter fuissent comprehensi sub illa generalitate, *ac omnibus aliis quibuscumque Superioribus*; vnde clausula illa *ad quos hoc spectat*, videtur apposita ad restringendam generalitatem illorum aliorum verborum, *ac omnibus aliis quibuscumque Superioribus*: & quidem meritò cum redigere dicta decreta in Constitutiones Ordinum sit res maximi momenti, ideòque censenda sit spectare ad Superiores Prælatos, cuiusmodi non sunt Prælati locales.

Dixi, *& quidem etiam in præsentia, si nondum demandata sit executioni*; vt innuerem, quod, cum præsens obligatio non sit affixa certo tempori, ligat, vsque dum impleatur: præsertim cum nouissimè fuerit innouata ab Vrbano VIII. vt iam diximus. Intellige, si talia decreta saltem, post dictam innouationem fuerunt acceptata saltem, quoad illam partem; non enim repugnat legem non acceptari, neque cum primò fertur, neque cum postea innouatur; vt patet ex iis, quæ DD. tradunt communiter in materia *de legibus*. 25.

QVÆRES XXV. An, & qualiter Prælati regulares teneantur notificare Religiosis subditis reuocationem viuæ vocis oraculorum factam à Gregorio XV. & ampliatam ab Vrbano VIII.

Respond. teneri sub pœnis infra *cap. 7. quæst. 5.* adducendis: easque non solùm ipsos incurrisse ipso facto, si infra 3. menses proximos à die publicationis præfatæ reuocationis factæ ab Vrbano VIII. computandos, fungentes officio Generalis illam non notificarunt suis Prouincialibus ad eos transmittendo exemplar Constitutionis Vrbani VIII. in qua continetur talis reuocatio, aut Superioribus localibus subiectis, si sint Prouinciales: sed etiam in præsentia, si antea non fuit facta ea notificatio: idque ob doctrinam §. *præcedenti*, in simili adductam. 26.

CAPVT VI.

De prohibitionibus, quæ factæ sunt Prælatis Regularibus.

22 Non

22 *Non possunt grauare eos, si recurrunt ad idem S.Officium; idque per quinquennium à die recursus.*
23 *Quod non facit, quam possunt punire ordinarios delictus eorum.*
24 *Non possunt impedire subditos, ne transeant ad ordinem arctiorem.*
25 *Non erigunt Confraternitates, nisi iuxta formam à Clemente VIII. statutam.*
26 *Non possunt simul exercere plures Prælaturas.*
27 *Subditos ordinandos mittere nequeunt ad quemcumque Episcopum.*
28 *Eos non possunt admittere ad prædicandum, nisi iuxta formam à Leone X. præscriptam.*

QVÆRES I. An Prælati regulares possint acceptare noua monasteria, & loca absque consensu Ordinarij, & aliis requisitis.

1\. Respond. non posse ob dicta in *tract. de priuil. cap. 7. sect. 2. quæst. 5.*

QVÆRES II. Qualiter Prælati regulares prohibeantur alienare bona monasterij siue immobilia, siue mobilia.

2\. Respond. prohiberi, sicut ostendimus in *tract. de prohibit. cap. 8.*

QVÆRES III. Quo modo Prælati regulares prohibentur alienare bona monasteriis relicta cum onere perpetuo Missarum celebrandarum.

3\. Respond. ita prohiberi, vt dicta bona à die tealis acquisitinnis statim deponere debeant penes ædem sacram, vel personnam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, seu illnrum pretium quam primnm inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa indiuidua mentinne oneris, quod illis annexum reperitur; ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienare contigerit, eorumdem pretium deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione connecti debeat. habetur expressè ex ipsis decretis *de celebrat. Missarum*, editis 21. Iunij 1625. de mandato Vrbani VIII. patetque ex iis, quæ diximus in *tract. de obligat. cap. 9. sect. 4. quæst. 6. & in tractat. de prohibitione cap. 3. quæst. 3.*

QVÆRES IV. Quas donationes facere prohibeantur Prælati regulares.

4\. Respond. prohiberi facere omnes, & singulas donationes, præterquam in casibus permissis in Constitutione Clementis VIII. *de largitione munerum*, recens confirmatut, atque innouata ab Vrbano VIII. & à nobis explicata in *tract. de prohibit. c. 9.*

QVÆRES V. An Prælati regulares possint concedere Religiosis subditis certos annuos redditus.

5\. Respond. non posse id ipsis prohibente Concilio Tridentino *sess. 25. de regul. cap. 2.* vt vidimus in *tract. de votis, cap. 2. sect. 3. quæst. 2.*

QVÆRES VI. Quo iure, & modo prohibeantur Prælati regulares augere numerum familiæ in propriis monasteriis.

6\. Respond prohiberi ex decretis *quæst. 3.* citatis; & quidem ita, vt illum non possint quoquo modo augere, etiam prætexto augmenti redditunm absque licentia Sacræ Congregationis Cnncilij; quæ prohibitio non afficit solum Generales, & Prouinciales, sed etiam Visitatores ob identitatem finis, ac æquiualentiam muneris, & Superiores locales: hi quippe nmnes specificè exprimuntur in præfatis decretis, si excipias Visitatores, qui tamen modo dicto videntur comprehendi Prouincialium nomine.

Quod si quæras, an stante tali prohibitione, possint Prælati regulares augere numerum, saltem quoad sæculares monasterio seruientes.

Respond. non posse; & probatur, tum quia Prælatis regularibus vi præsentis prohibitionis interdicitur, ne augeant familiam: de familia autem sunt etiam sæculares inseruientes monasterio: vt hinc patet, quod in præfatis decretis etiam hi inbentur connumerari inter eos, qui sunt de familia, ad effectum præfiniendi cuicumque monasterio suum numerum familiæ; tum quia respectu famnlorum sæcularium militat finis hîc intentus à Sacra Congregatione; nimirum ne supra vires redditnum, aut eleemosynarum quotannis obuenientium mnnasteria grauentur: vbi verò militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio. 7.

QVÆRES VII. An Prælati regulares possint excipere Religiosos Ordinis itinerantes absque literis patentibus proprij Superioris.

Respond. non posse; cum id ipsis expressè prohibeatur à Sixto V. in sua Constitutione edita anno 1588. quæ incipit, *Ad Romanum Pontificem*: paterque ex dictis in *tract. de obligat. cap. 5. sect. 1. quæst. 1n.* si monnero hac prohibitione non comprehendi Religiosum, qui peregrinans absque literis patentibus sui Superioris est benè cognitus Prælato mnnasteriorum, ad quæ diuertit: sic enim potest excipi; vt expressè deciditur in citata Constitutione Sixti V. 8.

Vtrum verò Religiosus peregrinans sine literis patentibus sui Superioris, & minùs notus Prælatis monasteriorum, per qua transit, possit excipi à dictis Prælatis, saltem ad modum hospitis sæcularis: quo modo ad exercendam hospitalitatem solent interdum recipi intra monasteria peregrini sæculares, etiam incogniti.

Respond. videri non posse; moueor, tum quia sic corrueret finis Papæ facientis talem prohibitionem, qui fuit retrahere Religiosos à vagando sine debita facultate: parum siquidem ipsis referret, quod exciperentur, tanquam Religiosi Ordinis, vel per modum hospitis sæcularis, dummodo reuera exciperentur; tum quia id ipsum videtur satis expressisse Papa, dum in relata Constitutione explicat istam prnhibitionem habere locum, etiam in iis Religiosis, qoi proficiscuntur de vno in aliud eiusdem Prouinciæ monasterium, tam sui, quàm alterius Ordinis: cum tamen Religiosus peregrinans non possit excipi in monasterio alterius Ordinis, tanquam Religiosus illius Ordinis, sed solum per modum hospitis, eo modo, quo excipiuntur peregrini sæculares. ita docti viri à me consulti, & hæc stante præsenti prohibitione, dato quod ea sit in vsu: quo mndo videtur esse, saltem in Religionibus magis obseruantibus. 9.

QVÆRES VIII. An Prælati regulares in regimine monasterij vti possint nntitia habita ex confessione Sacramentali suorum subditornm.

Respond. nnn posse; cum Clemens VIII. in decreto *de casuum reseruatione*, edito 16. Maij 1594. §. 6. id expressè ipsis prohibuerit, vt constat ex dictis *tractat. 7. capit. 13.* vbi latè explicauimus præfatum decretnm addentes eamdem prohibitionem à R. P. N. Aquauiua in Societate Iesu fuisse factam. 10.

QVÆRES IX. An Prælati regulares possint cogere Religiosos subditos, vt ipsis Sacramentaliter confiteantur.

Respond. qnod, qnamuis confiteri proptin Superiori non sit per se malum, neque inordinatum: 11.
maximè

maximè si fiat pro aliquibus tantum temporibus, aut vicibus, (vt infrà ostendimus) posita tamen prohibitione de hoc facta à Clemente VIII. in decreto edito *super reseruatione casuum*, non possunt Prælati regulares adstringere suos subditos, vt ipsis confiteantur, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, vel proprio motu id ab eis petierint, habetur expresse in citato decreto Clementis, & constat ex dictis in *tract. de prohibit. cap. 1. quæst.* 30. si hic solùm ostenderimus non esse per se malum adstringere subditos, vt aliquando confiteantur proprio Superiori; facilè autem id constabit ex vsu, quem habent aliquæ Religiones, quoad hoc; vt Carthusiani, quos Suarez *infra* indicat teneri generaliter confiteri Priori, cum primum eligitur (fortè ab vltima confessione præcedenti facta,) imò & quando post aliquam peregrinationem ad monasterium reuertuntur: & hoc vtrumque ex statuto Ordinis (quod tamen negant ipsi Carthusiani:) simile Cistercensium dicitur esse statutum, vt Monachi singulis annis confiteantur integrè Abbati: simile item statutum fecit Albertus Magnus in Ordine Prædicatorum. Vt proinde necessario fatendum sit, seclusa humana prohibitione, non esse per se malum, quod subditi interdum cogantur confiteri proprio Prælato: alioqui damnanda essent eiusmodi statuta, & consuetudines: cum tamen sanctè, ac prudenter fuerint inducta, imò & à Summis Pontificibus approbata; vt benè aduertit Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 8. cap. 5. num. 17.* monens, quod cum Prælatus regularis sit de se ordinarius Pastor, & proprius Sacerdos Regiosorum, per se, & seclusa prohibitione humana eis non facit iniuriam, si aliquando velit agnoscere vultum pecoris sui audiendo eorum confessionem.

12. Quod verò spectat ad Nouitios, ij debent confiteri proprio Magistro ex decreto ipsiusmet Clementis VIII. *de educatione Nouitiorum*; vbi dicitur, *Ipsi autem magistro soli Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur*. Vnde putat Bordonus *tom. 1. resolut. 2. quæst.* 8. hoc ipso, quod quis eligitur in Magistrum Nouitiorum, vi officij posse audire Nouitiorum confessiones; cum talis facultas ei subintelligatur commissa. Quod non videntur procedere de Socio Magistri, cùm præfata facultas in decreto Clementis dicatur committenda soli Magistro, adeòque excludatur socius; ibique in hoc requiratur vitæ, ac morum probitas, doctrina, ac ætas suprà 30. annum, nulla mentione facta Sacerdotij (sicut fit de Magistro,) quod est signum ei non committi curam audiendi Nouitiorum confessiones, neque in defectum Magistri; cum id spectet ad Superiorem Conuentus: vt supponit Bordonus *num.* 16. monens socium assignari Magistro Nouitiorum, non quidem primariò, vt eius absentis vicem gerat, sed ex suppositione, si eius opera indigeat Magister ob multitudinem Nouitiorum.

QVÆRES X. An Prælati regulares pro libito possint sibi reseruare casus, quoad Religiosos subditos.

13. Respond. non posse stante decreto Clementis VII allegato in *quæst. præcedenti*; patetque ex iis, quæ diximus in *tract. de prohibit. cap. 1. quæst.* 2.

QVÆRES XI. An Prælati regulares in præsentia possint absque approbatione Ordinarij audire confessiones Monialium sibi subiectarum, imò & ad talem effectum approbare alios Religiosos sibi subditos.

14. Respond. non posse ex Constitutione Gregorij XV. edita 5. Febr. 1622. quæ incipit, *Inscrutabili Dei prouidentia*, eiusque declarationibus factis super ea à Sacra Congregatione Concilij, in quibus hæc duo specificè statuuntur. In Constitutione quidem quod Confessarij, siue Regulares, siue sæculares quomodocumque exempti, tam ordinarij, quam extraordinarij ad confessiones Monialium, etiam Regularibus subiectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi priùs à Diœcesano idonei iudicentur, & approbationem obtineant; in declarationibus verò, quod Superiores regulares post præfatam Constitutionem electi, aut quoquo modo deputati, vel ad aliud tempus confirmari nequaquam possint Sanctimonialium confessiones audire, nisi prius à Diœcesano idonei indicati, atque approbati fuerint; & hoc toties, quoties audituri sunt confessiones dictarum Monialium; vt colligitur ex citatis declarationibus.

QVÆRES XII. An Prælati regulares modo possint liberè acceptare noua onera perpetua Missarum celebrandarum, aut reducere, ac moderari similia onera acceptata ante promulgationem decretorum, quæ de mandato Vrbani VIII. edita sunt *de Celebratione Missarum*.

Respond. non posse: idque eo modo quo diximus in *tract. de obligat. cap. 9 sect. 4. quæst. 2. & 3.* 15.

QVÆRES XIII. Quosnam Prælati regulares prohibeantur admittere ad probationem nouitiatus.

Respond. prohiberi admittere omnes illos, qui exprimuntur in Constitutione Sixti V. hac de re edita, & à nobis relata, ac fusiùs explicata in *tract. de nouitiatu, cap. 3. quæst. 1. & seqq.* 16.

QVÆRES XIV. An Prælati regulares possint pro libito educare, ac probare Nouitios in quocumque monasterio proprij Ordinis.

Respond. non posse, sed teneri eos probare in locis ad id peculiariter deputatis ex decreto Clementis VIII. super hac re edito, & à nobis adducto in cit. *tract. de nouitiatu, c. 1. q.* 18. vbi fusè de hoc egimus. 17.

QVÆRES XV. An Prælati regulares hodie possint libere eiicere à Religione quoscumque incorrigibiles.

Respond. non posse, nisi priùs adhibitis illis mediis, & factis iis experimentis, quæ præscribuntur in decretis Vrb. VIII. quoad hoc promulgatis, & à nobis explicatis in *tract. de priuil. cap. 8. sect. 2. quæst. 1. §. quod si.* 18.

QVÆRES XVI. An Prælati regulares Religioso legitimè eiecto ab Ordine dare possint literas testimoniales.

Respond. non posse; id ipsa prohibente Vrbano Octauo in decretis *quæst. præcedent. citatis*; vt vidimus in *tract. de priuil. loco citato quæst.* 3. 19.

QVÆRES XVII. An Prælati regulares possint propria auctoritate dimittere ab Ordine eos, qui contra formam decretorum Clementis Octaui in monasteriis non deputatis recepti, & professi propterea allegant nullitatem receptionis, & professionis.

Respond. non posse nisi seruatis iis, quæ præcipiuntur in quodam decreto Vrbani VIII. hac de re facto, & à nobis relato in *tract. de Nouitiatu, cap. 1. quæst. 18. §. ad occurrendum.* 20

QVÆRES VIII. An Prælati regulares possint modò procedere contra Religiosos subditos in causis spectantibus ad sanctum Officium Inquisitionis.

Respond. non posse; cum id in terminis fuerit ipsis interdictum à Paulo V. per specialem Constitutionem à nobis allatam in *tract. de priuil. cap. 6. sect. 5. quæst.* 7. vbi de hoc agimus ex professo. 21

QVÆRES

QVÆRES XIX. An Prælati regulares possint grauare Religiosos subditos recurrentes ad S. Officium pro quocumque negotio.

22. Respond. non posse ex decreto Pij V. quod refert Diana *part. 4. inter decreta, & Constitutiones Pontificum*, his verbis: *S. D. N. Pius Papa V. in generali Congregatione S. Officij consulens libertati ipsius S. Officij, & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo testimonium prohibentium: statuit, & decreuit, vt Regulares quorumuis, etiam Mendicantium Ordinum personæ, quæ pro tempore ad Officium S. Inquisitionis pro quocumque negotio recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium prohibuerint veritatis, aut aliàs quomodolibet deposuerint, nequaquam à suis Superioribus per quinquennium continuum à die recursus, seu depositionis huiusmodi molestari, vel ex quacumque causa, vel excessibus prætensis personarum illarum, & de debitis propterea pœnis, seu pœnitentiis eiusdem imponendis, nisi ipsi Illustrissimi Cardinales Inquisitores generales certiores facti fuerint, vel eis aliter clarè notificatum, & ab ipsis Cardinalibus desuper responsum fuerit.*

Circa cuius decreti expositionem illud in primis hîc quærendum est, vtrum ista prohibitio sic extendatur, vt Prælatus regularis non possit subditum modo dicto recurrentem ad sanctum Officium vllo modo punire ex quocumque excessu per ipsum commissso iuxta quinquennium à die recursus, nisi dependenter à Congregatione generali S. Officij; & ratio dubitandi est, quod sic videtur valdè diminui potestas coërcitiua Prælatorum regularium in subditos delinquentes, ipsisque subditis aliquo modo aperiri ostium impunitatis, quatenus stante præsenti decreto, & tardiùs, & difficilius deueniri potest ad eorum punitionem.

23. Respond. extendi prohibitionem istam; quoad punitionem grauiorum defectuum, non item quoad pœnitentias iniungi solitas ob ordinarios defectus; idque ob rationem modò allatam, nec mirum, quod extendatur ad punitionem quorumcumque defectuum grauiorum: cum sic requirat bonum commune maius, & aliàs non impediatur simpliciter punitio; vt patet consideranti præfatum decretum.

QVÆRES XX. An, & quo modo Prælati regulares possint impedire, quo minus Religiosi subditi transeant ad Ordinem arctiorem.

24. Respond. non posse, nisi eo modo, quo ostendimus *in tract. de professione cap. 4. sect. 3. quæst. 11.*

QVÆRES XXI. An Prælati regulares liberè possint erigere Confraternitates sui Ordinis intra, aut extra proprias Ecclesias.

25. Respond. non posse, nisi iuxta formam ipsis, quoad hoc præscriptam à Clemente VIII. in sua Constitut. *Quæcumque à Sede*, edita 7. Decemb. 1604. quæ refertur, tum *in bullario tom. 3. Constitut. 115. Clementis VIII.* & apud Quaranta *in bullario v. Confraternitates*, latéque exponitur à Lezana *tom. 1. capit. 15. à num. 9.* sed de hoc *capit. præcedent sect. 6. quæst. 3.*

QVÆRES XXII. An Prælati regulares possint vno, ac eodem tempore simul habere plures prælatias.

26. Respond. non posse; cum id in specie interdictum sit in *c. de multa, de præbend.* vt vidimus *sup. c. 1. q. 15.*

QVÆRES XXIII. An Prælati regulares possint mittere Religiosos subditos, qui sunt suscepturi ordines, ad quemcumque Episcopum.

27. Respond. non posse, sed teneri mittere ad Episcopum Diœcesanum, illius scilicet monasterij, in cuius familia Religiosus ordinandus deputatus est; quamquam, si talis Episcopus absuerit, vel non sit habiturus ordinationes, possint Prælati Religiosos ordinandos mittere ad quemcumque Episcopum: dum tamen ad eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam; & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus, vel absuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes, habetur expressè in decreto sacræ Congregation. relato à Quaranta *v. Ordo*: in quo additur, quod, quando à Superiore Regulari Episcopo Diœcesano absente, vel non habente ordinationes literæ dimissoriæ dabuntur, in iis exprimenda est causa absentiæ Diœcesani Episcopi, vel ordinationis ab eo non habendæ; idque sub pœna priuationis officij, ac dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiuæ, & passiuæ aliisque pœnis arbitrio Papæ omnibus reseruatis. Quamquam in aliquibus diœcesibus inducta sit consuetudo, vt præfata attestatio absentiæ Ordinarij, aut ordinationis non habendæ obtineri soleat à Vicario generali diœcesis, vel alio ad id deputato; quæ consuetudo etsi non habeat fundamentum in relato decreto Clementis, si est legitimè inducta, seruari debet; cum consuetudo vim habeat legis.

QVÆRES XXIV. Qualiter debeant Prælati regulares admittere Religiosos subditos ad munus prædicandi iuxta Leonis X. Constitutionem 11.

Respond. non debere admittere, nisi præmisso examine de eorum doctrina, prudentia, morum honestate, probitate, ac vitæ exemplaritate eos ad tale munus aptos, ac idoneos reperiant, quin etiam vigore præfatæ Constit. taliter admissi quocumque postea prædicaturi accesserint, de tali examine, ac idoneitate sua per literas authenticas, seu aliàs sui examinatoris, & approbatoris Episcopo fidem legitimè faciat; idque sub pœna excommunicationis reseruatæ Papæ: cui tamen non puto subiacere Prælatos præfatæ Constitutioni contrauenientes: cum in ea de illis solùm dicatur, *in qua re conscientiam ipsius Superioris oneramus*, quod est illos teneri sub mortali implere, quæ in citata Constitut. præscribuntur; qua de re extat decretum Clementis VIII. relatum sub Constit. 26. Vrbani VIII. & à nobis indicatum *sup. cap. 8. sect. 2. quæst. 24.* Vnum hîc moneo, quod si Superior Concionatoris Religiosi de idoneitate illius coram testificetur Episcopo, non videri opus quod præsentet literas illas, de quibus loquitur Leo; sic quippe in aliquibus locis practicatur, & quidem Episcopis non contradicentibus; consuetudo autem est optimus legum interpres. 28.

CAPVT VII.

De Pœnis latis contra Prælatos regulares.

1 *Prælati Regulares excommunicati sunt, si Inquisitoribus non denuncient subditum suspectum de hæresi.*
2 *Item si mittant inhabiles ad missiones infidelium.*
3 *Item, si in casu non permisso intrent monasteria Monialium.*
4 *Item, si fœminas recipiant intra suum Conuentum.*
5 *Item, si suis subditis non notificent reuocationem viuæ vocis oraculorum; quæ reuocata reuiuiscunt sub generali innouatione priuilegiorum facta Regularibus: è contra in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum non abrogantur consuetudines fundata* in

in viua vocis oraculo: nec priuilegium bullatum alteri concessum viuæ vocis oraculo; reuocatis aliis priuilegiis non reuocantur viuæ vocis oracula, nisi exprimantur.

6 *Item, si non caueant discordias in monialium electionibus.*

7 *Item, si non puniant subditum in missionibus Indicis mercaturam exercentes.*

8 *Suspenduntur ab officio, & beneficio, si non subditis dimissorias dent ad Ordines.*

9 *Item si in Visitatione regulari accipiant munera*, &c.

10 *Suspenduntur à diuinis, si non promoueant studium linguarum.*

11 *Suspenduntur ab officio, & beneficio, si intra mensem non reddant accepta occasione quorundam excessuum à suis subditis commissorum.*

12 *Suspenduntur à diuinis, aliásque pœnas incurrunt, si Religiosos indebitè eiiciant ab Ordine.*

13 *Suspenduntur ab officio, si subditis concedant ad tempus redditus de bonis Conuentus.*

14 *At non suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, si censurent sine scriptura (sicut aliqui docent.)*

15 *Priuantur officiis, & voce, inhabilésque fiunt ad alia officia, si Nouitios recipiant extra loca deputata.*

16 *Suspenduntur à fructuum administratione, si indebitè recipiant administrationem Ecclesiæ sibi commissæ.*

17 *Priuantur voce, ac officiis, & inhabiles fiunt ad ea, si Nouitium recipiant sine debita informatione.*

18 *Item si subditos iudicent in causis Sancti Officij, item priuantur voce, ac officiis, si ad Ordinis dignitates, ac Prælaturas promoueant Religiosum pœnitentiatum ab Officio S. Inquisitionis.*

19 *Priuantur voce, ac officiis, si non curent legi decreta Vrbani VIII.* de celebrat. Miss. *sicut & decreta Clemen. VIII.* de largit. mun. *quæ cum iussu Vrbani VIII. legi debeant publicè, cessasse videtur obligatio ea legendi, prout facta à Clemente VIII. lectio autem horum decretorum, & similium causa posset aliquantulum præuenire.*

20 *Item priuantur voce, ac officiis, & inhabiles fiunt ad ea, si Missarum onera perpetua indebitè recipiant, aut familiam Conuentus augeant supra numerum præscriptum.*

21 *Priuantur voce, ac officiis, & aliis pœnis puniuntur, si subditos non moneant de executione bullarum spectantium ad S. Officium.*

22 *Item priuantur voce, ac officiis, & inhabiles fiunt ad ea, si violent Vrbani VIII. Decreta* de Electis, & Apostatis.

23 *Si intra Ordinis Constitutiones non referant Clementis VIII. Decreta* de reformat. Regularium *priuantur officiis, & inhabilitantur ad ea, possuntque ad hoc cogi ab Ordinario loci, etiam modo si adhuc non retulerunt.*

24 *Ea autem decreta possunt à Regularibus declarari, modò interpretatio non sit friuola.*

25 *Priuantur voce, ac officiis, & ad ea inhabilitantur, si indebitè erigant monasteria.*

26 *Voce item priuantur, ac officiis, & aliis pœnis puniuntur, si indebitè dent Dimissorias ad Ordinum susceptionem contra Decretum Clementis VIII. hac de re editum.*

27 *Ad cuius Decreti explicationem tria notantur: Episcopus alienum subditum interdum ordinat sub ratihabitione de præsenti, non item de futuro.*

28 *Priuantur officiis Ordinis, & inhabiles fiunt ad ea; si indebitè erigant Confraternitates.*

29 *Item priuantur voce, ac officiis, fiuntque ad ea inhabiles, & fiunt excommunicati, si alienent bona Conuentus absque præscripta solemnitate.*

30 *Simoniacè promoti ad Prælaturas inualidè promouentur.*

31 *Confirmantes per negligentiam indignum electum ad Prælaturam, perdunt ius confirmandi primum successorem, & suspenduntur à fructibus beneficij, quod fortè habent.*

QVÆRES I. Quam pœnam incurrant Regulares Prælati, si Religiosos subditos suos de hæresi suspectos non denuncient Inquisitoribus, aut ordinariis locorum vicinioribus.

Respond. incurrere excommunicationem latæ sententiæ, eamque reseruatam, vt ostendimus in *tract. de pœnis cap. 1. sect. 2. quæst. 12.* 1.

QVÆRES II. Quam pœnam contrahant Prælati regulares, si Religiosis minùs idoneis dent facultatem eundi ad partes transmarinas, in quibus pauci fideles reperiantur.

Respond. contrahere ipso facto excommunicationem latam in Extrauag. *Ad nostrum*, reseruatam Papæ, & à nobis explicatam in *tract. de pœnis loco citato, quæst. 4. §. porrò.* 2.

QVÆRES III. Cui pœnæ subiaceant Prælati regulares, si in casibus non permissis ingrediantur monasteria Monialium sibi subiectarum.

Respond. subiacere excommunicationi latæ sententiæ, sed non reseruatæ, vt vidimus in cit. *tract. de pœnis cap. 2. sect. 3. quæst. 2.* 3.

QVÆRES IV. Quibus pœnis afficiantur Prælati regulares, si faciant, aut permittant ingredi fœminas intra monasteria sua.

Respond. affici excommunicatione reseruata, necnon priuatione dignitatum, beneficiorum, ac officiorum, imò & inhabilitate ad illa, & alia imposterum obtinenda, si faciant, aut permittant ingredi prætextu facultatum: quæ tamen priuatio non est reseruata, teste Sanchez *lib. 6. mor. cap. 16. num. 83.* si verò eas introducant, aut admittere præsumant eas sine prætextu facultatum, subiacere priuationi officiorum, & inhabilitati ad illa, & alia omnia, necnon suspensioni à diuinis ipso facto incurrendis: idque ex quodam motu proprio Pij V. cum pœnæ, quæ incurruntur in priori euentu, latæ sint à Gregorio XIII. vt constat ex dictis in *tract. de obligat. cap. 6. sect. 2. quæst. 19.* vbi de præsenti quæstione satis latè disseruimus. 4.

QVÆRES V. Quas pœnas contrahant Prælati regulares non notificando subditis reuocationem viuæ vocis oraculorum factam ab Vrbano VIII.

Respond. contrahere excommunicationem maiorem, vna cum priuatione officiorum, ac dignitatum, & vocis actiuæ, ac passiuæ; vti diximus *cap. præced. quæst. 25.* 5.

Quod si obiter quæras, an sub generali innouatione, & confirmatione priuilegiorum facta Regularibus comprehenduntur etiam viuæ vocis oracula aliàs reuocata.

Respond. comprehendi, si confirmatio fiat ex certa scientia, & sit generalis: cum enim priuilegia concessa viuæ vocis oraculo verè sint priuilegia, & confirmatio priuilegiorũ sit fauorabilis, ideóq; amplianda; debet extendi etiam ad viuæ vocis oracula, etsi in confirmatione expressa mentio non fiat de illis.

Putat item Lezana *v. oracula num. 7.* contra Portellum *p. 2. respons. casu 13. num. 18.* in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum non censeri reuocatas consuetudines ab initio fundatas in aliquo viuæ vocis oraculo; & probat tum ex vi consuetudinis, quæ legem

legem potest inducere, & abrogare; tum quia dici potest eiusmodi consuetudines, esto dicerentur abrogatæ, quatenus fundatæ sunt in viuæ vocis oraculo, oon tamen esse abrogatas, quatenus sunt consuetudioes legitimæ; quod sufficit, vt dicantur durare.

Addit Lezana *num.* 8. ex Turriano, Peytino, & Bordono, quod si priuilegium per bullam concessum voi Ordini, communicetur alteri viuæ vocis oraculo; probabile satis est tale viuæ vocis oraculum non fuisse sublatum in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum; cum verè non sit simpliciter viuæ vocis oraculum, sed priuilegium bullatum.

Notat præterea Lezana *num.*4. ex Henriq. Pottello, Peyrino, Sà, reuocatis aliis priuilegiis, oon censerI reuocata viuæ vocis oracula, nisi exprimantur in specie; cum hæc videantut digna speciali nota.

QVÆRES VI. Quæ pœna imposita sit contra Prælatos regulares, si ex officio interessentes electionibus Monialium non abstineant ab iis, ex quibus oriri possunt discordię circa electiones ipsas, aut iam exortæ nutriri.

6. Respond. impositam esse excommunicationem ipso facto latam *in cap. indemnitatibus, de elect. in.6.* his verbis; *Hi quos ad dirigendas in huiusmodi electionibus* (Superiorissarum scilicet Monialium) *moniales easdem deinceps contigerit euocari, ab his prorsus abstineant, per que inter eas super faciendis ipsis electionibus oriri possit discordia, vel exorta nutriri:* alias eo ipso excommunicationis sententiæ nouerit se subiacere. ita Bonac. *de cens. in partic. D. 2. quæst.2. part.5. n.4.* monens Superiorem censeri vocatum hoc ipso quod interest electioni, nempe ab eius officio.

QVÆRES VII. Quas pœnas incurrant Prælati, si non inuigilent, aut puniant Religiosos subditos iuxta Constitut. Vrb. VIII. in Ordine 126. casu, quo mercaturam exerceant in Missionibus Iaponicis, & aliarum Indiarum Orientalium.

7. Respond. incurrere excommunicationem ipso facto, non tamen reseruatam vnà cum aliis pœnis relatis *in tract. de pœnis, cap 2 sect. 2. quæst. 21. §. quod verò*; idque ex citata Constit. Vrb. VIII. quæ §.8. sic habet, *Quæ omnia à Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes existent reseruanda erunt* (loquitur de mercibus, ac lucris perceptis ex negotiatione hîc prohibita) *ad vsum missionum, quæ eædem Religiones habent, & habituræ sunt in futurum in prædictis Indiis, & non in alios vsus eisdem, Superioribus districtè præcipientes sub eisdem pœnis; vt in hoc inuigilent, & contra delinquentes ad prædictas pœnas procedant, sublata eisdem facultate huiusmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus, & lucris, quantumuis minimum, remittendi, aut condemnandi.*

QVÆRES VIII. Quæ pœna iure communi statuta sit contra Prælatos regulares dantes literas dimissorias aliis, quam suis subditis.

8. Respond. statutam esse pœnam suspensionis tam ab officio, quam à beneficio, eamque reseruatam ad arbitrium proprij Ordinarij. patet ex dictis *in tract. de pœnis. cap.3. sect.2. quæst.3.*

QVÆRES IX. Quæ pœna lata sit contra prælatos regulares recipientes in visitatione pecuniam, aut munera vltra laudabilem vsum Ordinis.

9. Respond. latam esse suspensionem ab officio, & à beneficio, nisi intra mensem restituant duplum illius, quod receperunt: quod est illâ esse virtualiter reseruatam; sicut aduertimus *in tract. de pœnis, loc. cit. q 4.*

QVÆRES X. Cui pœnæ subiiciantur Prælati regulares, si non promoueant in suis monasteriis studium linguæ Hæbraicæ, Græcæ. Latinæ, Arabicæ, &c. iuxta decretum Vrbani VIII.

Resp. subiici suspensioni à diuinis, & quidem reseruatæ, vt docuimus *in tract. de pœnis, vbi sup. q.6.* 10.

QVÆRES XI. Quæ pœna inflicta sit contra Prælatos regulares non satisfacientes intra mensem parti læsæ de eo, quod peruenit ad ipsos occasione excessuum quorumdam commissorum à suis Religiosis.

Respond. inflictam esse pœnam suspensionis, tum ab officio, tum à beneficio, eamque non tollendam vsque dum plenè fuerit satisfactum. habetur in Clem. 1. de priuilegiis; & patet ex dictis *in tract. de pœnis, supr. quæst.9.* 11.

QVÆRES XII. Quas pœnas incurrant Prælati Regulares, si indebitè eiiciant ab Ordine Religiosos receptos ad habitum, aut professionem contra decreta Clementis Octaui super hac re edita.

Respond. incurrere suspensionem à diuinis vnà cum priuatione omnium officiorum tum obtentorum, ac perpetua inhabilitate ad illa imposterum obtinenda, necnon priuatione vocis actiuæ, & passiuæ eo ipso incurrendis, non tamen reseruatis: vt constat ex *tractat. de nouitiatu, cap. 1. quæst. 18. & tract. de pœnis, cap.3. sect.3. quæst.2.* 12.

QVÆRES XIII. Quibus pœnis subiaceant Prælati regulares, si subditis concedant ad certum tempus iura redditus, aut possessiones monasterij, vt iis fruatur ad vitam.

Respond. subiacere suspensioni ab officio latæ in Clem. 1. *de rebus Eccl. non alien.* & à nobis explicatæ *in tract. de pœnis, supr. quæst. 1.* Vnum hîc noto non videri subiici huic responsioni Prælatum regularem, qui Religioso subdito, siue Sacerdoti, siue laico committat curam alicuius prædij monasterij, cum hoc vt quotannis certum redditum soluat monasterio, (qualis solueretur, si prædium illud fuerit locatum v.g. si quid superest, sibi ac suis vsibus retenturus: id quippe audio fieri in aliquibus aliàs obseruantibus, & quidem sine scrupulo: nec talis casus videtur comprehensus in citata Clem. cum ipsa solum prohibeat, ne certa portio redituum monasterij deputetur ad vitam huius, aut illius Religiosi; quod esset destruere Communitatem religiosam, & inducere proprietatem paupertati religiosæ adeò repugnantem: quæ vtique non sequuntur in casu à nobis proposito, vt coostabit coosideranti. 13.

QVÆRES XIV. Quam pœnam incurrant Prælati regulares, si aduersus Religiosos subditos ferant censuras absque scriptura.

Respond. probabile esse, quod nullam pœnam Incurrant; estò non desint aliqui Doctores, qui putant Prælatos regulares in tali casu incurrere suspensionem ab ingressu Ecclesiæ latam *in cap. cum medicinalis, de sent. excommunic. in 6.* vt videtur *in tract. de pœnis, supr. quæst.8.* 14.

QVÆRES XV. Quas pœnas contrahant Prælati regulares, si transgrediantur decreta Clementis VIII. edita de Nouitiis ad habitum regularem non recipiendis, nisi in monasteriis ad hoc deputatis iuxta tenorem eorumdem decretorum.

Respond. contrahere ipso facto priuationem omnium officiorum obtentorum, necnon vocis actiuæ, & passiuè, & perpetuè inhabilitatem ad alia imposterum obtinenda; patet ex dictis *in tract. de pœnis, cap. vlt. num.42. & in tract. de nouitiatu, cap 1. quæst.18.* 15.

QVÆRES XVI. Quæ pœna imposita sit contra Prælatos regulares, si a Sede Apostolica promoti, aut confirmati absque literis authenticis eiusdem Sedis recipiant administrationem Ecclesiæ sibi commissæ.

Respond. impositam esse suspensionem ab admi- 16.

nistratione fructuum Ecclesiæ sic receptæ; patetque ex iis, quæ diximus in *tract. de pœnis*, *cap.3.sect.2, quæst.2.*

Qværess XVII. Quæ pœnæ statutæ sint contra Prælatos regulares recipientes Nouitios absque informationibus præscriptis à Sixto V. in Constitutione super hac de re ab ipso edita.

17. Respond. statutam esse pœnam priuationis vocis actiuæ, ac passiuæ, necnon officiorum, graduum, honorum, ac dignitatum quarumcumque obtentarum, imò & perpetuæ inhabilitatis ad alia postea obtinenda. constat ex tenore Constitutionis Sixti V. quæ est in bullario *tom. 2. in ordine* 71. & ex dictis in *tract. de pœnis, cap. 6. num.* 52.

Qværes XVIII. Quas pœnas contrahant Prælati regulares, si se immisceant in iudicandis causis suorum subditorum spectantibus ad S. Officium Inquisitionis, aut promoueant ad Prælaturas punitum à S. Officio.

18. Respond. contrahere priuationem quarumcumque dignitatum, seu Prælaturarū, vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis actiuæ, & passiuæ perpetuæque inhabilitatis ad easdem, necnon contra fautores hæreticorum, & impeditores officij statutas, & inflictas pœnas, aliasque censuras Ecclesiasticas, etiam excommunicationis maioris latæ sententiæ Papæ reseruatæ; vt colligitur ex tenore Constitutionis Pauli V. hac de re editæ, & relatæ in *bullario tom.3. in ordine* 26. qua de re in *tract. de priuileg. cap.6. sect.1. quæst. 7.*

Accedit, quod si Prælatus regularis ad dignitates, & Prælaturas Ordinis promoueat Religiosum ab Officio S. Inquisitionis pœnitentiatū, ipso facto incurrit priuationem suorum officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ; idque ex decreto Sacræ Congregationis relato *supr. cap.2. num.* 154. in quo decreto item decernitur eiusmodi promotionem esse nullam, & reseruatur vtraque hæc pœna.

Qværes XIX. Quibus pœnis subiiciantur Prælati regulares, si non curent legi debitis temporibus decreta ab Vrbano VIII. edita *de celebrat. Missarum*, & bullam Clementis VIII. *de largitione munerum*, ab ipso Vrbano innouatam, & confirmatam.

19. Respond. subiacere priuationi officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendæ, sed non reseruatæ; siue non curent legi decreta *de celebrat. Miss.* (vt constat ex ipsis decretis § *porrò*, & nos ostendimus *tract.6. cap.3. quæst.3. num.12.*) siue non curent legi Decreta *de largitione munerum*; vt constat ex ipsis Decretis sub finem, quæ sic habent: *Et ne prædictæ Clementis VIII. Constitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cuiuscumque monasterij, Conuentus, domus, ac Collegij regularis sub pœna priuationis officij, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso iure incurrenda afficere teneantur, vt in perpetuum singulis annis mense Ianuario prædicta Constitutio, verum etiam hoc decretum in aliqua publica Congregatione, vel saltem in publica mensa perlegantur.*

An autem Constitutio præfata Clementis modò debeat quotannis in Capitulo, seu Congregatione legi à Regularibus voce alta, ac intelligibili: sicut præscribitur in ipsamet Constitutione his verbis: *Quodque earum exempla, seu illorum compendia in libris quorumcumque statutorum, prædictorum monasteriorum, prioratuum, collegiorum, domorum, Ordinum, & Congregationum (quoad moniales in vernaculum, & vulgarem cuiusque regionis sermonem versa,) & à loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, subscripta inserantur; & saltem quotannis in Capitulis, siue Congregationibus cuiusque earum alta, & intelligibile voce legantur.*

Respond. quod, cum iuxta dicta §. *præcedenti*, vl Decretorum Vrbani VIII. dicta Constitutio Clementis à Regularibus legi debeat publicè singulis annis; videtur cessasse obligatio legendi illam, prout latam ab ipso Clemente; cum per lectionem præfatæ Constitutionis factam ex præscripto Vrbani habeatur finis intentus à Clemente in præscribenda eius lectione; & alioqui abstinendum sit à multiplicandis obligationibus sine sufficienti fundamento; quippe quæ debent esse interpretationis strictæ, *cap. 1. de iureiur. in 6. l. quidquid adstringendæ, ff. de verb. obligat.* præsertim cum Vrbanus VIII. dictæ obligationi grauem pœnam adiunxerit (quam Clemens non adiunxerat) sicque Regulares ad illam implendam efficacius, ac fortius induci possint.

Addo quod si Superior regularis faciat ex causa rationabili per vnum, aut alterum diem anticipari lectionem dictorum decretorum, aut aliorum similium; non incurrit præfatas pœnas: cum anticipata solutio non noceat creditori, & melius sit præuenire, quam præueniri: præterquam quod sic abundanter impletur mens Legislatoris, & obtinetur finis ab eo intentus, vt consideranti patebit.

Qværes XX. Quas pœnas contrahant Prælati regulares, si contra tenorem dictorum *de celebr. Missarum*, vel indebitè augeant numerum familiæ, vel in casu non permisso assumant noua onera Missarum perpetuò celebrandarum.

Respond. contrahere pœnam priuationis officiorum, quæ tunc obtinebunt, necnon perpetuam inhabilitatem ad alia de cætero obtinenda, vnà cum priuatione vocis actiuæ, & passiuæ. habetur expresse in citatis decretis, & constat ex dictis in *tract. de prohibit. supr. q.3.* si solùm moneo in priori euentu vltra pœnas allegatas Prælatos incurrere, etiam inhabilitatem perpetuam ad gradus, imò & subiacere aliis grauioribus pœnis à Sede Apostolica infligendis. 20.

Qværes XXI. Quas pœnas incurrant Prælati regulares, si omittant commonere suos subditos de obseruantia, ac executione literarum Apostolicarum, Constitutionum, ac decretorum pertinentium ad S. Officium Inquisitionis iuxta decreta Vrbani VIII.

Respond. incurrere priuationem officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ; imò & subiacere aliis pœnis arbitrio suæ Sanctitatis infligendis: patetque ex dictis in *tract. de pœnis cap. vlt. num.* 21. 21.

Qværes XXII. Quæ pœnæ latæ sint contra Prælatos regulares, quoquomodo præsumentes facere contra decreta Sacræ Congregationis de mandato Vrbani VIII. edita 21. Sept. 1624. *de Regularibus Apostatis, & eiectis.*

Respond. latam esse pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinent, vocisque actiuæ, ac passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda; eamque ipso facto incurrendam, & Papæ reseruatam; vt constat ex tenore ipsorum decretorum; in quibus præterea additur esse irritum, atque inane quidquid secùs à quoquam actum extiterit; qua de re in *tract. de priuileg. cap. vlt. sect. 2. quæst. 24.* 22.

Qværes XXIII. Quas pœnas incurrant Prælati regulares, si decreta à Clemente VIII. edita *pro reformatione Regularium*, non faciant redigi inter alias proprij Ordinis Constitutiones perpetuò valituras, eáve declarent, aut in ipsis dispensent.

Respond. incurrere priuationem officiorum, etiam 23.

Genera

Generalatus, & inhabilitatem perpetuam ad alia quoque munera, & quidem ipso facto, ac sine ulla exceptione, habetur expressè in ipsimet decretis §. 40. his verbis: *Ut autem hac decreta ab omnibus observari possint, districtè præcipimus, ac mandamus Generali, ac omnibus alys quibuscumque Superioribus, ad quos hoc spectat, ut curent, ac efficiant ea omnia inter alios eorumdem Ordinum Constitutiones perpetuò valitura redigi, interdicta omninò eorum singulis facultate illas declarandi; & adversus eas unquam dispensandi; alioquin sciant se in pœnam Generalatus, & Officiorum priuationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipso facto, & sine ulla exceptione respectiuè incidisse.* Ubi notandum est inhabilitatem istam extendi etiam ad Generalatum, & aliàs Prælaturas, quarum priuatio fortè incurratur à transgressore præsentis decreti; Colligo id ex clausula illa, *quoque*, quæ est ampliatiua, adeòque comprehendit non solùm ea munera, quæ non habet transgressor, dum præfatum decretum violat, & significantur per verba illa, *ad alia quoque munera*, sed etiam ea, quæ habet tunc temporis, & quibus modo dicto priuatur.

Adde ex dictis *quæst.* 19. Regulares teneri in libris proprium statutorum inserere exemplar Constitutionis Clementis VIII. *de largit. mun.* seu illius compendium à loci Ordinario, qui quam primum id fieri tenetur curare, subscriptum (non tamen sub ulla pœna, cum nullam apponat Clemens) & hac obligatione affici etiam Moniales; ut constat ex his verbis in Constitutione Clementis appositis, *quoad Moniales in vernaculum, & vulgarem cuiuque regionis sermonem versa.* Ubi noto, quod, cum obligatio inserendi præfatam Constitutionem Clementis præscribatur absolutè; si qui Regulares illam adhuc non impleuissent, eam modò tenerentur implere; cum lex semper clamet, eiusque obligatio non cesset ex eo, quod eius impletio differatur.

Difficultas esse posset, de qua declaratione loquatur textus, dum ait, interdicta omninò eorum singulis facultate illas declarandi.

24. Respond. Quod, quamuis prima facie videatur ibi interdici omnis, & quæcumque declaratio; cum lex loquatur generaliter, & lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi; absolutè tamen dicendum est hic non interdici, nisi declarationem friuolam, & aduersantem menti legis, non autem illam, quæ obiter fiat iuxta intentionem legis; alioqui damnandi essent non pauci DD. qui in suis libris pro rei opportunitate inserunt aliquas tales declarationes non solum super ista decreta Clementis VIII. sed etiam super ipsum Concilium Tridentinum non obstante generali prohibitione Pij IV. de hoc facta, sicut adůertit Baldel. *l. 5. D. 47. num. 7.*

Quæres XXIV. Quas pœnas incurrant Prælati regulares, si prætextu licentiarum quarumcumque à prædecessoribus Pontificibus erigant loca regularia non seruata forma Constitut. Clem. VIII. ac decretorum Sedis Apostolicæ.

25. Respond. incurrere pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, necnon officiorum quorumcumque, & inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, necnon etiam excommunicationis ipso facto incurrendarum, habetur expressè in bulla Urbani VIII. *in ordine* 25. §. 2. ubi additur huiusmodi pœnis subiacere Superiores quoscumque Regulares, aliásque personas, ad quas spectat (cuiusmodi esset Procurator, aut Cellerarius monasterij v. g.) *si noua monasteria, collegia, domos, Conuentus, & alia loca, modo sup. dicto recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incepta finire, & absoluere audeant, seu præsumant.*

Quæres XXV. Quibus pœnis subiaceant Prælati regulares, si Religiosis subditis dent dimissorias ad recipiendos Ordines contra tenorem decreti hac de re editi à Sacra Congregatione de mandato Clementis VIII. & relati à Quaranta *in suo bullario v. ordo.*

Respond. subiacere priuationi officij, ac dignitatis, seu administrationis, vocisque actiuæ, & passiuæ, necnon aliis pœnis arbitrio Papæ reseruatis. habetur expressè in citato decreto his verbis: *Congregatio Concilij censuit Superiores Regularium posse suo subdito itidem Regulari, qui praditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen diœcesanum; nempe illius monastery, in cuius familia ab ys, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit, & si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes; quemcumque alium Episcopum: dum tamen ab eo Episcopo; qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non defraudent in fraudem concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus diœcesanus, vel absuturus, vel nulla habiturus esset ordinationes. Verum cum à Superioribus Regularibus Episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente literæ dimissoria dabuntur, in eis utique huiusmodi causam absentia diœcesani Episcopi; vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse: quod qui non fecerint, officy, & dignitatis; seu administrationis, ac vocis actiua, & passiua priuationis, ac aliàs arbitrio eiusdem S. D. N. Papa reseruatas pœnas incurrent.* qua de re plura *in tract. de priuil. cap. 2. sect. 2. q. 5.* 26.

Circa cuius decreti explicationem noto 1. has pœnas non incurri, nisi in casu, quo Prælati in dimissoriis omittant exprimere causam absentiæ Episcopi diœcesani, aut ordinationum ab eo non habendarum; id enim colligitur ex textu, quatenus pœnæ præfatæ apponuntur in periodo, in qua exprimitur dicta omissio. Noto 2. nullam reseruationem statui in talibus pœnis; cum verba illa, *ac aliàs arbitrio eiusdem S. D. N. Papa reseruatas pœnas*, solùm importent eas arbitrio Papæ, & non alterius esse taxandas. Noto 3. clausulam illam, *Dum*, quæ bis apponitur in isto decreto non apponere formæ iuris communis aliquem modum limitatum, adeòque non importare conditionem, sed modum iuxta dicta *in tract. de prohibit. c. 13. q. 46.* 27.

Unum obiter addo ex Azorio *tom. 2. l. 3. cap. 48. quæst. 3.* quod si talis, & tanta amicitia inter Episcopos fuerit, ut unus bona fide credat alterum ratam habiturum ordinationem ab ipso collatam eius subdito; tunc ille poterit ordinare subditum alterius: ut constat ex *c. Lugdunensis 9. q. 3.* ubi Urbanus Epiphanij Episcopi exemplum secutus, qui Clericos è diœcesi S. Chrysostomi ordinauit, Lugdunensis Parochiæ Clericos ab alienis Episcopis ordinatos admittendos esse scripsit; & suadetur *ex reg. 10. de regul. iur. in 6.* ratihabitio mandato comparatur. cum Azorio sentiunt Glossa, Palud. Maiol Rodriq. Regin. & Petrus Ledesma, quos refert, & sequitur Tiberius *instruct. ordin. q. 47. §. tertiò.*

Addit Azorius *q. 4. §. dubia*, ex Parisio, & Rebuffo, non posse Episcopum, cuius subditus ab alieno Episcopo fuit ordinatus, ratam habere ordinationem; ita ut ea valeat ad legitimum usum, ac executionem ordinis suscepti: siquidem quod ab initio vitiosum est, non debet tractu temporis conualescere; nec debet quis ratum habere, quod suo nomine gestum non

non est, *cap. ratam, de regul. iur. in 6.* & ratihabitio nihil in his prodest, quæ sunt publicæ authoritatis, vt ait Innoc. *in cap. 1. de rebus Eccles. non alien.* sicque gesta ab eo, qui non est competens iudex, rata haberi non possunt à competente iudice. Bald. *in l. obseruare, §. post hac, ff. de off. Procons.* Felin. *in cap. prudentiam, de offic. leg. v. numquid vnus.*

QVÆRES XXVI. Quibus pœnis subiaceant Prælati regulares, si intra proprias Ecclesias, aut extra erigant Confraternitates contra formam à Clemente VIII. præscriptam, & à nobis explicatam *supr. cap. 5. sect. 6. q. 3.*

28. Respond. subiacere priuationi officiorum, quæ tunc obtinent, & inhabilitari ad illa, & alia in posterum obtinenda: & quidem ita vt tales pœnæ sint reseruatæ Papæ; sicut colligitur ex ipsamet Constitutione Clementis relata in *bullario, tom. 3. in ordine* 115. Vnum hîc moneo in dicta Constitutione declarari ipso facto nullas, ac irritas, erectiones, ac institutiones Confraternitatum factas contra tenorem illius; necnon communicationes priuilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiúmque gratiarum, & indultorum concessiones, ac aggregationes.

QVÆRES XXVII. Quam pœnam incurrant Prælati regulares, si bona suorum monasteriorum alienent absque debita solemnitate.

29. Respond. incurrere ipso facto priuationem omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque actiuæ, & passiuæ, & perpetuam inhabilitatem ad illa imposterum obtinenda vnà cum excommunicatione lata in Extrau. Pauli II quæ incipit, *Ambitiosæ:* cum hac tamen differentia, quod hæc non est reseruata (vt constat ex dictis *in tract. de prohib. c. 8. q. 3.*) aliæ verò pœnæ reseruantur Papæ, vt constat ex decreto S. Congreg. iussu Vrbani VIII. edito 7. Sept. 1624. in quo dictæ pœnæ statuuntur, idque siue indebitè alienentur bona immobilia, siue mobilia pretiosa.

QVÆRES XXVIII. In quam pœnam incidant Prælati regulares simoniacè promoti ad Prælaturas Ordinis, aut confirmantes indignum.

30. Respond. incidere in hanc, quòd eorum promotio est ipso iure nulla ante omnem iudicis sententiam, etiam declaratoriam, adeóque teneri in conscientia repudiare Prælaturam taliter obtentam, quantumuis simonia sit occulta. ita S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. aliique communiter cum ipso, & constat ex Extrauag. *cum detestabile, de simon.* vbi id expressè deciditur. Quamquam, quod diximus Prælatum simoniacè promotum teneri renunciare Prælaturam sic obtentam, indigeat aliqua limitatione; nimitum si id possit facere sine nota infamiæ; aliàs enim non teneretur, cum ius conseruandi propriam famam præferatur iuri positiuo præcipienti dictam renuntiationem: vnde in tali casu deberet Prælatus procurare dispensationem per quam promotio valida redderetur.

31. Quòd si Prælatus regularis per negligentiam confirmet indignum electum, perdet potestatem confirmandi primum successorem ipsius, & à perceptione proprij beneficij (si habet) suspenditur, id est, à percipiendis illius fructibus, vsque dum restituatur, ac indulgentiam promereatur; imò & grauius punitur arbitrio iudicis competentis, si per malitiam indignum confirmet; maximè si indignitas sit ex insufficientia doctrinæ, inhonestate vitæ, aut defectu legitimæ ætatis. Sic enim decernitur *in cap. nihil est, de elect.* vbi item statuitur indignum sic confirmatum deiici debere, id est, priuari Prælatura, ad quam electus est.

CAPVT VIII.

De Capitulis Regularium tam Generalibus, quam Prouincialibus, & localibus.

QVONIAM vsus Capitulorum est valde vsitatus in omnibus ferè Religionibus, maximéque confert ad bonam gubernationem Regularium, de iis in præsenti cap. nobis disserendum est. Caput diuidemus in quatuor sectiones, in quarum prima agemus de Capitulis in communi: in secunda de Capitulis generalibus: in tertia de Capitulis Prouincialibus: in quarta de Capitulis localibus; sicque totam absoluemus Tractationem de Gubernatione.

SECTIO I.

De Capitulis Regularium in communi.

1 *Declaratur quid sit Capitulum Regularium.*
2 *Aliud est Generale, aliud Prouinciale, & aliud locale.*
3 *Pro varietate Capituli varij Religiosi conuocandi.*
4 *Conuocatio Capitularium facienda à Præside Capituli: etsi in aliquo casu Capitulares possint se ipsis congregare Capitulum. quod si de valore alicuius actus sit Capituli consensus, non est opus, vt illud ad hunc effectum in specie conuocetur.*
5 *Capituli frequentia esse debet, qualis præscribitur in quolibet Ordine.*
6 *Iuxta Capitulorum varietatem varia tractantur.*
7 *In Capitulis seruanda debita præcedentia.*
8 *Ex duobus simul profitentibus ostenditur, quis eorum debet præcedere.*
9 *Regularis Episcopus rediens ad Ordinem præcedit omnes, excepto Prælato.*
10 *Vltra tempus statutum non differenda Capituli celebratio.*
11 *Eius potestas consistit in maiori, ac saniori parte Capitularium.*
12 *Capitulo competit potestas, quæ competit Præsidi respectiuè.*
13 *Ad Capitulum iure communi non requiritur certus numerus Capitularium.*
14 *Capitularis sine causa potest abesse à Capitulo locali, non item à Generali.*
15 *Præses Capituli iudicat de sufficientia impedimenti allegati à Capitularibus.*
16 *Ius capitulare nequit delegari alteri.*
17 *Suffragium capitularis absentis datum scriptis, non necessariò admittitur.*
18 *A capitulari ægrotante in loco Capituli, non necessariò peti debet suffragium.*
19 *Excusatur ex impedimento, si postea accedat ad Capitulum, non rescitur: quod non procedit in Societate Iesu.*
20 *Capitularis accedens, inchoato iam Capitulo, admittitur.*
21 *Nec tunc irritatur collatio suffragiorum iam capta, nisi accedens fuisset contemptus.*
22 *Admittitur, qui accedit cum prius renuisset accedere.*

23 Conuen

23 *Contempto aliquo Capitulari, gesta tenent, etsi possint irritari.*
24 *Idq́, ad instantiam Capitularis contempti, estò id euenerit absque malitia.*
25 *Capitulari aliquo recedente alij prosequuntur actus capitulares, alio non substituto.*
26 *Et hoc licèt praescriberetur certus numerus Capitularium.*
27 *Admitti potest extraneus de consensu Capituli.*
28 *Siquidem omnes concordent in admissionem.*
29 *Admittitur, qui est occultè inhabilis.*
30 *Ante sententiam non contemnitur, qui aliàs priuari debet Voce.*
31 *Capitulares interdum compromittunt.*
32 *Non semper dant suffragia secreta.*
33 *Imò expedit negotia Ordinis peragi suffragiis publicis.*
34 *In electione Praelatorum regularium, requiritur maior pars suffragiorum, non item in negotiis.*
35 *Vt aliquid dicatur decisum à Capitulo, suffragia dari debent capitulariter.*
36 *Re integra potest reuocari suffragium iam datum.*
37 *Suffragium potest manifestari, nisi id prohibeatur; & si prohibeatur, manifestari adhuc potest Religioso Concapitulari, qui tunc abfuit à Capitulo.*
38 *Res in Capitulo non deciditur, qua die proponitur.*
39 *Duratio Capituli iure communi non arctatur ad certum tempus.*
40 *Capituli defectus iure proprio Religionum possunt suppleri etiam in principio Capituli.*
41 *Scriba Capituli eligi potest ex non Capitularibus.*
42 *Capitulares ab initio Capituli generaliter absoluendi à censuris, ac poenis Ecclesiasticis.*
43 *Defectus vnius capitularis ab alijs ignoratus, non nocet toti Capitulo.*
44 *Secus, si scienter admittatur inhabilis à maiori parte.*
45 *Ex tenore absolutionis datae capitularibus constat, an ea sit ad reincidentiam.*
46 *In rebus capitulariter tractandis, sequendum Capituli consilium.*
47 *Secus, si Capitulum conuocetur omnino voluntariè.*
48 *Tractanda capitulariter cum Praelati interuentu non resoluuntur à solo Capitulo.*
49 *Non tenent acta Capituli sine consensu Praelati regularis coacti.*
50 *Vsus Capituli regulariter videtur vtilis Religiosis.*
51 *Quae sunt decidenda in Capitulo inferiori, possunt decidi, & in Capitulo superiori.*

QVAERES I. Quid intelligatur hîc nomine Capituli.

1. Respond. intelligi adunationem Regularium pro negotiis spectantibus ad statum Religionis ipsorum; vnde talis adunatio interdum vocatur Congregatio (vt in Societate Iesu: in qua licèt non extet vsus Capituli localis, suis tamen temporibus habentur Congregationes, tum Generales, tum Prouinciales, quae alio nomine vocari possent Capitula.)

QVAERES II. Quotuplex sit Capitulum Regularium.)

2. Respond. esse triplex; nimirum generale, in quo agitur de negotiis totius Religionis: Prouinciale, in quo tractantur negotia vnius tantùm Prouinciae: & locale, in quo geruntur solùm negotia proprij monasterij. Praeterquam quod in aliquibus Religionibus dantur Congregationes intermediae, quae interdum sunt generales pro negotiis totius Religionis, & interdum Prouinciales pro negotiis vnius prouinciae; vocantur autem intermediae, eo quòd soleant cogi inter vnum Capitulum generale, aut prouinciale, & aliud iuxta statuta vniuscuiusq; Ordinis.

QVAERES III. Quinam Religiosi conuocari debeant ad Capitula.

Respond. quòd, cum iuxta dicta *q. praeced.* diuersa negotia tractentur in Capitulis generalibus, & tractentur in prouincialibus, vel localibus; consequenter etiam ad diuersitatem Capitulorum conuocari debent Religiosi diuersi; prout inferiùs dicemus de vnaquaque specie Capituli. 3.

QVAERES IV. A quo debeant conuocari Capitula Regularium.

Respond. debere conuocari ab eo, qui debet illis praeesse, nimirum à Generali, si Capitulum futurum sit generale; à Prouinciali, si Prouinciale; & à Superiore monasterij, si Capitulum futurum sit locale. 4.

Addo ex Samuellio *tract. 1. de elect. D. a. controu. 4. n. 8.* tenuente Praeposito conuocare electores, ipsos posse se ipsis congregare, & facere electionem: idque ex *cap. 1. de supplen. negl. Praelat.* vbi refertur casus valde similis, qui mirè facit ad praesentem casum. ita Samuellius monens *controu. 3. n. 9.* citationem electorum dirigi debere ad locum in quo ij morari consueuerunt; ne alioqui possint se occultare ad effectum, vt citatio ad eos non perueniat, sicque possint obiicere se fuisse contemptos.

Addo, quòd si in Capitulo fieri debeat aliquis tractatus, de cuius valore sit consensus Capituli; non est necesse Religiosos Capitulares congregari simul ad illum effectum in specie, sed sufficit illos alio titulo esse congregatos (v.g. ad recitandas Horas.) Et ratio est, quòd si omnes, qui de iure debent interesse illi Capitulo, sint congregati (vt suppono) Capitulum verè est congregatum, sicque non apparet, cur actus talium Capitularium non sint legitimi, cum fiant à Capitulo, nec vlla adsit ratio dicendi Capitulum debere congregari in specie ad id tractandum, de quo hic, & nunc in eo agendum est: intellige, nisi in aliqua peculiari materia, aut casu contrarium in iure sit expressum. Idque puto procedere, etsi in aliqua Religione statutum sit Capitulum conuocandum esse ad signum campanae, datis tot ictibus in specie: haec enim non videntur pertinere ad substantiam conuocationis Capituli.

QVAERES V. Qua frequentia, & quo tempore debeant conuocari Capitula Regularium.

Respond. debere conuocari ea frequentia, ac eo tempore, quibus de vnoque illorum praescribetur per Constitutiones, aut statuta, aut consuetudines vniuscuiusque Religionis: quae sine dubio, quoad hoc magnam habent diuersitatem, vt constabit ex inferiùs dicendis. 5.

QVAERES VI. Quae possint, & debeant tractari in Capitulis.

Resp. posse, & debere tractari ea, quae respectiuè intenduntur in vnoquoque illorũ; videlicet negotia totius Religionis, si sit generale, totius Prouinciae, si sit Prouinciale, & proprij Monasterij, si sit locale. 6.

QVAERES VII. Quis ordo sedendi seruari debeat in Capitulis.

Resp. seruari debere illum, quem petit, siue qualitas dignitatis, in quam constitutus est Religiosus conuocatus ad Capitulum: siue ius primogeniturae pendens ex tempore, quo facta est professio religiosa (sicut ferè communiter pendet in Religionibus) aut ex tempore, quo quis recipitur in Religionem (vt in Ordine Minimorum, teste Peyrino *tom. 3. priuil. cap. a. n. 33.*) siue ex aliquo alio titulo, qui fortè statutus sit in aliquo Ordine; cum enim ius primogeniturae inter Religiosos sit ens quoddam morale pendens ex voluntate hominum, non est necesse, quod sit eiusdem rationis in vnaquaque Religione, 7.

 sed

ſed poteſt eſſe varius iuxta varietatem Conſtitutionum;ac ſtatutorum vnius cuiuſque Ordinis.

8. Certè Peyrinus *vbi ſupr.* loquens de primogenitura ſui Ordinis dicit, quod ſi contingat duos fuiſſe receptos eadem die: tunc attendi debet hora diei, in qua vnuſquiſque illorum receptus eſt; quod ſi recepti ſint eadem hora,attendendum eſt ad quadrantes horæ, imò & ad momenta, ſi recepti ſint vno, ac eodem quadrante, denique ſi recepti ſint eodem momento, attendi debet ordo qualitatis iuxta *cap. placuit, el 1. d.* 18. ſicque per Superiorem determinabitur ius Primogenituræ ei, qui fuerit, ſiue ætate maior, ſiue doctior, ſiue Religioſioris vitæ, quæ doctrina deſeruire poteſt, ſiue dictum ius deſumatur ex tempore receptionis ad habitum, ſiue ex tempore receptionis ad profeſſionem. Vnum hîc addo, quod ſi in Soc. Ieſu duo emittant profeſſionem eodem die, ac hora, ille procedit in Congregationibus, qui priùs receptus fuit in Societatem.

Dices, quid ſi aliquis Religioſus promoueatur ad Epiſcopatum, & poſtea renuntiato Epiſcopatu redeat ad Religionem: quis locus ſedendi ei debebitur in Capitulis?

9. Reſpond. deberi ei locum immediatum poſt Prælatum, qui præeſt Capitulo: ſiue is ſit Generalis in Capitulo generali, ſiue prouincialis in prouinciali, ſiue localis in locali: & hoc, etſi interſint alij ipſo antiquiores; ſic exigente reuerentia primæ dignitatis, arg. *leg fin. ff. de decur.* ita Peyt. *ſupr. num.* 34. addens huiuſmodi Religioſum renuntiato epiſcopatu reuertentem ad Religionem computandum eſſe in eius genitura tempus, quo manſit in epiſcopatu, ſtante, quod fictione iuris cenſetur Religioſus eſſe in monaſterio,quamdiu de licentia Superioris eſt extra illud; quæ ratio vtique oſtendit etiam Religioſum damnatũ ad triremes non amittere ſuam genituram,ſi finito tempore pœnæ redeat ad Religioné.

Qværes VIII. An conuocato Capitulo ad certum tempus, ſi in termino talis temporis nondum aduenerint conuocati, poſſit, & debeat differri Capitulum ad aliud tempus.

10. Reſpond. poſſe differri,non tamen debere: idque ob dicta hîc *cap. 2. ſect. 2. quæſt. 2. §. quod ſi quæras*, & aliis duobus ſequentibus §§.

Qværes IX. In quibus conſiſtat auctoritas, & poteſtas Capituli.

11. Reſpond. conſiſtere in maiori, ac ſaniori parte eorum, qui conuocati ſunt: idque eo modo, quo explicat Syln. *loco infra citandi*; vnde dicitur fieri à toto Capitulo, quod fit à maiori, & ſaniori parte illius: ſicut aduertit Syln. *v. Capitulum num. 1. ex cap. cum in cunctis, de his, quæ fiant à maiori parte.* monens id non habere verum in caſu, quo maior pars Capituli delinquat, ideóque priuetur poteſtate ipſi competente; vt *in cap. bonæ memoriæ, el 1. & cap. cum nobis, de elect.* ſi quidem tunc tota poteſtas Capituli reſidet in minori parte, quæ non deliquit: quod notat Abb. *in cap. 1. de his, quæ fiunt à maior. parte, n.* 11. quæ autem dicenda ſit maior, & ſanior pars Capituli, conſtat ex dictis hîc *cap. 1. ſect. 1. quæſt.* 17.

Qværes X. Quæ poteſtas competat Capitulis Regularium.

12. Reſpond. competere totam illam,quæ reſpectiuè competit Prælatis ipſis Regularibus (loquendo de poteſtate iuriſdictionis, non autem de poteſtate Ordinis, quæ cum importet actiones perſonales, non poteſt competere Capitulis;) ſicque Capitulum generale poſſe exercere omnes illos actus iuriſdictionis, quos poteſt exercere Generalis Ordinis, ſiue iure ordinario, ſiue ex priuilegio, Capitulum prouinciale, quos Prouincialis, & Capitulum locale, quos Superior localis (iuxta tamen ſtatuta, ac iura cuiuſque Religionis) ita Lezana *v. capitulum num.* 5. probátque tum, quia in iſtis Capitulis comprehenduntur dicti Prælati, aut alij eorum vicem gerentes: tum, quia ſi illi non aſſiſterent, de iis ſentiendum, ac de Capitulis Eccleſiarum ſæcularium, Sede vacante, quæ ſuccedunt Epiſcopis in concernentibus iuriſdictionem, ſecluſis tamen aliquibus caſibus,quos affert. Laym. *l. 1. tr. 4. c. 7. § 4. n. 13. & ſeqq.*

Qværes XI. An requiratur certus, ac determinatus numerus Capitularium, ad hoc, vt adunatio Capituli dicatur legitima.

Reſpond. non requiri, ſtando in iure communi, 13.
patétque ex dictis *ſupr. cap. 2. ſect. 2. quæſt. 2. §. quod ſi quæras*; cum enim ibi oſtenderimus elapſo termino indicto ad electionem capitularem poſſe procedi ad illam, eſtò nondum conuenerint omnes Capitulares: ſequitur ad capitulariter procedendum non requiri vllum certum numerum Capitularium: alioqui differenda eſſet electio, vſque dum conueniſſent vniuerſi Capitulares.

Qværes XII. An Religioſi Capitulares licite poſſint abeſſe à Capitulo abſque iuſta, ac rationabili cauſa, renunciando iuri vocalitatis, ideſt voci actiuæ aliàs ipſis competenti.

Reſpond. poſſe, quoad Capitula localia: cum 14.
quoad hæc ius vocalitatis ipſis competat proprio,ac priuato iure, cui poteſt vnuſquiſque renunciare *cap. cum acceſſiſſent, de conſtitut.* non item, quoad Capitula generalia, ac prouincialia: cum ſic ius vocalitatis ipſis competat ſiue ex electione, ſiue ex regula, & alioqui non poſſit renunciari ſtatutis pro bono communi inductis; vt notant Panorm. Felin. & Sigiſmun. relati à Peyr. *tom. 3. priuil. cap. 9. num.* 28. vbi ad rem præſentem addit aliqua alia ſcitu digniſſima: qua de re Diana *part. 3. tract. 2. reſol. 6.*

Quod ſi quæras, cuius ſit iudicare, vtrum impedimentum, quo Religioſus capitularis ſe excuſat ab accedendo ad Capitulum, ſit verè legitimum, nec ne.

Reſpond. de iure communi id ſpectare ad illum 15.
Prælatum, qui præfututus eſt Capitulo; quo modo in Societate Ieſu, Congregatio 7. generalis interrogata, vtrum conſultatio de impedimentis ſe excuſantium ab eundo ad Congregationem prouincialem facienda neceſſariò ſit à Prouinciali in domo, in qua Congregatio habenda eſt, an verò in alia inſtitui poſſit: *can.* 48. cenſuit fieri poſſe in loco, in quo Prouinciali commodum fuerit; conſtat autem, quod ſi fiat conſultatio prædicta extra locum, in quo fieri debet Congregatio; tunc iudicium non poteſt fieri à tota Congregatione, cum ibi non ſit coacta, imò nec cogenda, quod ſi tota Congregatio non poteſt facere tale iudicium, ſignum eſt illud non ſpectare ad ipſam, ſed ad Prælatum, qui præfututus eſt Capitulo; idque ſecluſis peculiaribus ſtatutis ſingularum Religionum, quæ vtique, ſi qua extant, obſeruanda ſunt. Quippe in Conſtitutionibus Patrum Theatinorum *part. 3. cap.* 2. ſtatuitur ad Capitulum generale ſpectare iudicium, an ſit iuſtum impedimentum, quod allegat vocalis, ne teneatur accedere ad Capitulum; idque ſimpliciter, & ſola rei veritate inſpecta. Quod item ſtatuitur in Conſtitutionibus S. Benedicti *part. 1. cap. 3. num. 6.* his verbis: *Excluſis etiam, qui propter infirmitatem, vel aliud legitimum impedimentum ſe ante electionem excuſauerint, & Prælatus cum conſenſu maioris partis ſuorum Deputatorum talem excuſationem admittendam duxerit.*

Qværes XIII. An Religioſus Capitularis legitimè

legitimè excusatus à Capitulo possit alij delegare ius suum eundi ad Capitulum.

16. Respond. non posse; siquidem id cederet in præiudicium illorum, qui iuxta ordinem antiquitatis iure suo admittendi sunt: quod est dicere ius suffragandi in Capitulo non esse delegabile, sicque de eo non procedere regulam, *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.*

Quæres XIV. An Religiosus iustè excusatus à Capitulo, possit absens scriptis dare suum suffragium, idque debeat admitti in Capitulo.

17. Respond. Quod, quamuis Azotius *tom.1.lib.13. cap.10.quæst.*a & Pottel.*part.2.resp.mor.casu 1.num.5.* sustineat id posse fieri validè, cadu&ti ratione, quod talis modus suffragandi non est contrarius iuri, imò valdè consonus, nempe Concil.Trid.*sess.25.cap.6.de Regul.*præcipienti, vt vota dentur secretò, idest,per schedulas scriptas,& obsignatas: vnde & hoc ipsum seruatur in praxi apud Congregationem S.Io.Euangelistæ in Portugallia, in qua omnes,ac singuli Religiosi cuiusque Conuentus tempore Capituli mittunt sua suffragia obligata pro eligendo Generali, sicque absentes illum eligunt per suffragia scripta; id referente ipso Pottel*supr.*nihilominus in praxi nō videtur admittendus talis modus suffragandi, tum quia regulariter non est necessarius, cum non desint alij,qui possunt legitimè conuenire ad Capitulum,& coram ferre suum suffragium: tum quia cedit in præiudicium tertij, vt constat ex dictis *quæst.præcedenti:* tum quia est expositus varijs periculis)vt quod vota sic data amittantur,aut detegantur(vnde ipse Pottel. sic concludit, *Et hæc omnia licèt non sint in vsu vbique, poterunt tamen prodesse alicubi.*

Quæres XV. An ægrotante aliquo ex Religiosis Capitularibus in ipso loco Capituli, necessariò petendum sit suffragium illius.

18. Responp. Ex dictis *supr.cap.2.num.71.* videri petendum; nisi aliunde id prohibeatur,siue ex speciali statuto, siue ex legitima consuetudine habente vim legis. Et ratio est, quod Religiosus Capitularis, qui ægrotat in loco Capituli,habetur pro præsenti, à capitularibus autem præsentibus peti debet,suffragium. Quomodo in Societate Iesu à Congregatione 6.generali *can.25.num.5.*declaratum fuit infirmos in eodem domicilio (in quo scilicet fit Congregatio Prouincialis) haberi pro præsentibus, ideóque in omnibus electionibus, etiam Compromissariorum, actiuum,& passiuum habere suffragium: ferè tamen expedire electionem compromissariorum ex illis fieri, qui congregationi præsentes adsunt, & communem Congregationis sensum vident, verùm quid in singulis casibus,& personis expediat,videat ipsa Congregatio. hæc congregatio 6 generalis; ex quibus videtur confirmati prior pars præsentis responsionis: maximè ex illis verbis, ferè tamen expedire electionem Compromissariorum ex illis fieri, qui intersunt Congregationi.Nobiscum sentit Peregrinus *part.3.Constitut.cap.9.litt.H.* & Hostiensis, quem refert, & sequitur Sylu. *v.electio 1. num.6.*dicens, si Vocalis sit in domo capituli infirmus duos Vocales de corpore Capituli debere ire ad cubiculum infirmi, eique referre, quæ in scrutinio dicta sunt,ac inquirere eius suffragium, si infirmus adire nequeat locum Capituli; non autem teneri Patres Capituli ire ad cubiculum infirmi, ibique tractare capitulariter,quæ tractanda sunt.)

Quæres XVI. An Religiosus Capitularis admitti debeat ad Capitulum casu, quo probauit se legitimè impeditum, sed postea cessante impedimento, accedit ad capitulum: cum iam in defectum illius admissus sit alter ordine antiquitatis proximè ad ipsum accedens.

Respond. quod, quamuis decisio præsentis difficultatis potissimum pendeat ex iure proprio vniuscuiusque Ordinis, idcóque in Religionibus quoad hoc extare possit non parua diuersitas; regulariter tamen loquendo,æquum videtur esse,vt in casu proposito Religiosus aliàs impeditus,& postea accedēs ad capitulum admittatur,substituto quidem excluso, si nondum facta sit electio Generalis, aut Prouincialis(quæ respectiuè facienda sit in hoc,aut illo capitulo):non excluso autem,si dictus Religiosus aliàs impeditus accedat, electione iam facta. Sic in Constitut. Patrum Theatinorum *par.3.cap.a.num.3.*dicitur:*Qui ex Patribus post cœptum Capitulum venerit, ingrediatur quidem cum alijs,firma tamen sint quacumque in eam diem fuerint sancita.* Sic in Societate Iesu *Congregatio VIII* statuit *canone 61.circa §.6.*quod si in Prouinciali Congregatione aliquis in locum absentis substituatur, & prior,cui ius competebat,ante electionem redeat, excludi debet substitutus; sicque verba illa formulæ (si prior postea redierit) intelligenda sint post electionē peractam. Sic,inquam,fuit decisum; & meritò, cum præfata electio sit principale negotium, ad quod cogitur capitulum, & ad eam potissimùm loco Religiosi capitularis impediti aduocetur alius substitutus; vnde, si ea nondum sit facta,nō est amplius necessarium,quod intersit substitutus intercedente eo,qui de iure debet interesse: sicut nec est æquum,vt substitutus, qui iam interfuit electioni, ex accessu illius,qui per se ius habet interessendi, excludatur à reliquis actibus minùs principalibus, cum principale trahat ad se accessorium, & cui datur quod plus est, concedi debet, & quod minus est. Quamquam postea *in Congr.gen.8.can.25.* statutum sit, quando Prouincialis cum suis consultoribus,qui aderunt, & cæteris omnibus præsentibus, qui in congregatione Prouinciali ius suffragij habent (exclusu iuxta formulam eo,de cuius impedimento agitur, & insuper eo,qui proximè subrogandus est,si prior impeditus censeatur)iudicat impedimentum adeundi Congregationem generalem esse legitimam, & adesse congruum tempus ad hoc ipsum iudicium de impedimento ferendum: tali iudicio acquiescendum esse, nec censendum ius vllum ad Congregationem generalem, aut Prouincialem sic iudicatis relinqui: vti etiam qui ab adeunda Congregatione Prouinciali prædicto modo censentur impediti, omni iure excidunt ad eam accedendi: &,si re ipsa veniant,admitti non debent. 19.

Quæres XVII. An Religiosus capitularis admitti debeat ad capitularem congressum, si accedat, postquam inchoatum est Capitulum (v.g.facta electione Generalis,aut Prouincialis.)

Respond.debere admitti, stando in iure communi: idque siue in ordine sit præscriptus certus numerus capitularium, siue non; cum hac tamen differentia, quod si sit præscriptus certus numerus; tunc, si quidem facta sit electio (vt diximus *q.præced.*)ita debet admitti Religiosus capitularis de nouo accedens,vt non excludatur substitutus pro ipso: si verò electio non sit facta, admittendus est Religiosus capitularis, excluso tamen substituto, idque ob dicta *q.præced.* Ratio est, quòd, cum Religiosus capitularis ius habeat ingrediendi Capitulum; non apparet, cur debeat excludi ex eo præcisè,quod iam inchoatum sit Capitulum, saltem loquendo de iure communi; quod si iure proprio Religionum est aliquid in contrarium, illud omnino seruandum est. 20.

Quod

sed potest esse varius iuxta varietatem Constitutionum; ac statutorum vnius cuiusque Ordinis.

8. Certè Peyrinus *vbi supr.* loquens de primogenitura sui Ordinis dicit, quod si contingat duos fuisse receptos eadem die: tunc attendi debet hora diei, in qua vnusquisque illorum receptus est; quod si recepti sint eadem hora, attendendum est ad quadrantes horæ, imò & ad momenta, si recepti sint vno, ac eodem quadrante, denique si recepti sint eodem momento, attendi debet ordo qualitatis iuxta *cap. placuit, el* 1.*d*.18. sicque per Superiorem determinabitur ius Primogenituræ ei, qui fuerit, siue ætate maior, siue doctior, siue Religiosioris vitæ, quæ doctrina deseruire potest, siue dictum ius desumatur ex tempore receptionis ad habitum, siue ex tempore receptionis ad professionem. Vnum hîc addo, quod si in Soc. Iesu duo emittant professionem eodem die, ac hora, ille procedit in Congregationibus, qui priùs receptus fuit in Societatem.

Dices, quid si aliquis Religiosus promoueatur ad Episcopatum, & postea renuntiato Episcopatu redeat ad Religionem: quis locus sedendi ei debebitur in Capitulis?

9. Respond. deberi ei locum immediatum post Prælatum, qui præest Capitulo: siue is sit Generalis in Capitulo generali, siue prouincialis in prouinciali, siue localis in locali: & hoc, etsi intersint alij ipso antiquiores; sic exigente reuerentia primæ dignitatis, arg. *leg fin.ff.de decur.* ita Peyt.*supr.num.*34. addens huiusmodi Religiosum renuntiato episcopatu reuertentem ad Religionem computandum esse in eius genitura tempus, quo mansit in episcopatu, stante, quod fictione iuris censeror Religiosus esse in monasterio, quamdiu de licentia Superioris est extra illud; quæ ratio vtique ostendit etiam Religiosum damnatū ad triremes non amittere suam genituram, si finito tempore pœnæ redeat ad Religioné.

QVÆRES VIII. An conuocato Capitulo ad certum tempus, si in termino talis temporis nondum aduenerint conuocati, possit, & debeat differri Capitulum ad aliud tempus.

10. Respond. posse differri, non tamen debere: idque ob dicta hîc *cap.*2.*sect.*1. *quæst.*2. §. *quod si quæras*, & aliis duobus sequentibus §§.

QVÆRES IX. In quibus consistat auctoritas, & potestas Capituli.

11. Respond. consistere in maiori, ac saniori parte eorum, qui conuocati sunt: idque eo modo, quo explicat Sylu. *loco infra citandi*; vnde dicitur fieri à toto Capitulo, quod fit à maiori, & saniori parte illius: sicut aduertit Sylu. *v. Capitulum num.* 1. *ex cap.eum in cunctis, de his, quæ fiunt à maiori parte.* monens id non habere verum in casu, quo maior pars Capituli delinquat, ideóque priuetur potestate ipsi competente; vt *in cap. bonæ memoriæ, el* 1. & *cap. cum nobis, de elect.* si quidem tunc tota potestas Capituli residet in minori parte, quæ non deliquit: quod notat Abb. *in cap.*1.*de his, quæ fiunt à maior. parte,n.*11. quæ autem dicenda sit maior, & sanior pars Capituli, constat ex dictis hîc *cap.*1.*sect.*1.*quæst.*17.

QVÆRES X. Quæ potestas competat Capitulis Regularium.

12. Respond. competere totam illam, quæ respectiuè competit Prælatis ipsis Regularibus (loquendo de potestate iurisdictionis, non autem de potestate Ordinis, quæ cum importet actiones personales, non potest competere Capitulis;) sicque Capitulum generale posse exercere omnes illos actus iurisdictionis, quos potest exercere Generalis Ordinis, siue iure ordinario, siue ex priuilegio, Capitulum prouinciale, quos Prouincialis, & Capitulum locale, quos Superior localis (iuxta tamen statuta, ac iura cuiusque Religionis) ita Lezana *v. capitulum num.*5.probatque tum, quia in istis Capitulis comprehenduntur dicti Prælati, aut alij eorum vicem gerentes: tum, quia si illi non assisterent, de iis sentiendum, ac de Capitulis Ecclesiarum sæcularium, Sede vacante, quæ succedunt Episcopis in concernentibus iurisdictionem, seclusis tamen aliquibus casibus, quos affert. Laym.*l.*1.*tr.*4.*c*.7.§ 4.*n*.13.*& seqq.*

QVÆRES XI. An requiratur certus, ac determinatus numerus Capitularium, ad hoc, vt adunatio Capituli dicatur legitima.

Respond. non requiri, stando in iure communi, patétque ex dictis *supr. cap.* 1.*sect.*1.*quæst.*1.§. *quod si quæras*; cum enim ibi ostenderimus elapso termino indicto ad electionem capitularem posse procedi ad illam, estò nondum conuenerint omnes Capitulares: sequitur ad capitulariter procedendum non requiri vllum certum numerum Capitularium: alioqui differenda esset electio, vsque dum conuenissent voiuersi Capitulares. 13.

QVÆRES XII. An Religiosi Capitulares licitè possint abesse à Capitulo absque iusta, ac rationabili causa, renunciando iuri vocalitatis, idest voci actiuæ aliàs ipsis competenti.

Respond. posse, quoad Capitula localia: cum quoad hæc ius vocalitatis ipsis competat proprio, ac priuato iure, cui potest vnusquisque renunciare *cap. cum accessissent, de constitut.* non item, quoad Capitula generalia, ac prouincialia: cum sic ius vocalitatis ipsis competat siue ex electione, siue ex regula, & alioqui non possit renunciari statutis pro bono communi inductis; vt notant Panorm. Felin. & Sigismun. relati à Peyr. *tom.*3.*priuil.cap.*9.*num.*28. vbi ad rem præsentem addit aliqua alia scitu dignissima: qua de re Diana *part.*3.*tract.*2.*resol.*6. 14.

Quod si quæras, cuius sit iudicare, vtrum impedimentum, quo Religiosus capitularis se excusat ab accedendo ad Capitulum, sit verè legitimum, nec ne.

Respond. de iure communi id spectare ad illum Prælatum, qui præfuturus est Capitulo; quo modo in Societate Iesu, Congregatio 7. generalis interrogata, vtrum consultatio de impedimentis se excusantium ab eundo ad Congregationem prouincialem facienda necessariò sit à Prouinciali in domo, in qua Congregatio habenda est, an verò in alia institui possit: *can.* 48. censuit fieri posse in loco, in quo Prouinciali commodum fuerit; constat autem, quod si fiat consultatio prædicta extra locum, in quo fieri debet Congregatio; tunc iudicium non potest fieri à tota Congregatione, cum ibi non sit coacta, imò nec cogenda, quod si tota Congregatio non potest facere tale iudicium, signum est illud non spectare ad ipsam, sed ad Prælatum, qui præfuturus est Capitulo; idque seclusis peculiaribus statutis singularum Religionum, quæ vtique, si qua extant, obseruanda sunt. Quippe in Constitutionibus Patrum Theatinorum *part.* 3. *cap.* 2. statuitur ad Capitulum generale spectare iudicium, an sit iustum impedimentum, quod allegat vocalis, ne teneatur accedere ad Capitulum; idque simpliciter, & sola rei veritate inspecta. Quod item statuitur in Constitutionibus S. Benedicti *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 6. his verbis: *Exclusis etiam, qui propter infirmitatem, vel aliud legitimum impedimentum se ante electionem excusauerint, & Prælatus cum consensu maioris partis suorum Deputatorum talem excusationem admittendam duxerit.* 15.

QVÆRES XIII. An Religiosus Capitularis legitimè

legitimè excusatus à Capitulo possit alij delegare ius suum eundi ad Capitulum.

16. Respond. non posse; siquidem id cederet in præiudicium illorum, qui iuxta ordinem antiquitatis iure suo admittendi sunt: quod est dicere ius suffragandi in Capitulo non esse delegabile, sicque de eo non procedere regulam, *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.*

Qværas XIV. An Religiosus iustè excusatus à Capitulo, possit absens scriptis date suum suffragium, idque debeat admitti in Capitulo.

17. Respond. Quod, quamuis Azotius *tom.1. lib.13. cap.10. quæst.2.* & Portel. *part.2. resp. mor. casu 1. num.5.* sustineat id posse fieri validè, ea ducti ratione, quod talis modus suffragandi non est contrarius iuri, imò valdèe consonus, nempe Concil. Trid. *sess.25. cap.6. de Regul.* præcipienti, vt vota dentur secretò, idest, per schedulas scriptas, & obsignatas: vnde & hoc ipsum seruatur in praxi apud Congregationem S. Io. Euangelistæ in Portugallia, in qua omnes, ac singuli Religiosi cuiusque Conuentus tempore Capituli mittunt sua suffragia obligata pro eligendo Generali, sicque absentes illum eligunt per suffragia scripta; id referente ipso Portel *supr.* nihilominus in praxi nō videtur admittendus talis modus suffragandi, tum quia regulariter non est necessarius, eum non desint alij, qui possunt legitimè conuenire ad Capitulum, & coram ferre suum suffragium: tum quia cedit in præiudicium tertij. vt constat ex dictis *quæst. præcedent:* tum quia est expositus variis periculis) vt quod vota sic data amittantur, aut detegantur (vnde ipse Portel. sic concludit, *Et hæc omnia licet non sint in vsu vbique, poterunt tamen prodesse alicubi.*

Qværas XV. An ægrotante aliquo ex Religiosis Capitularibus in ipso loco Capituli, necessariò petendum sit suffragium illius.

18. Respond. Ex dictis *supr. cap.2. num.71.* videri petendum; nisi aliunde id prohibeatur, siue ex speciali statuto, siue ex legitima consuetudine habente vim legis. Et ratio est, quod Religiosus Capitularis, qui ægrotat in loco Capituli, habetur pro præsenti, à capitularibus autem præsentibus peti debet, suffragium. Quomodo in Societate Iesu à Congregatione 6. generali *can.25. num.5.* declaratum fuit infirmos in eodem domicilio (in quo scilicet fit Congregatio Prouincialis) haberi pro præsentibus, ideòque in omnibus electionibus, etiam Compromissariorum, actiuum, & passiuum habere suffragium: ferè tamen expedite electionem compromissariorum ex illis fieri, qui congregationi præsentes adsunt, & communem Congregationis sensum vident, verùm quid in singulis casibus, & personis expediat, videat ipsa Congregatio. hæc congregatio 6 generalis; ex quibus videtur confirmari prior pars præsentis responsionis: maximè ex illis verbis, ferè tamen expedite electionem Compromissariorum ex illis fieri, qui intersunt Congregationi. Nobiscum sentit Peregrinus *part.3. Constitut. cap.9. litt. H.* & Hostiensis, quem refert, & sequitur Sylu. *v. electio 1. num.6.* dicens, si Vocalis sit in domo capituli infirmus duos Vocales de corpore Capituli debere ire ad cubiculum infirmi, eique referre, quæ in scrutinio dicta sunt, ac inquirere eius suffragium, si infirmus adire nequeat locum Capituli; non autem teneri Patres Capituli ire ad cubiculum infirmi, ibique tractare capitulariter, quæ tractanda sunt.)

Qværas XVI. An Religiosus Capitularis admitti debeat ad Capitulum casu, quo probauit se legitimè impeditum, sed postea cessante impedimento, accedit ad capitulum: cum iam in defectum illius admissus sit alter ordine antiquitatis proximè ad ipsum accedens.

Respond. quod, quamuis decisio præsentis difficultatis potissimum pendeat ex iure proprio vniuscuiusque Ordinis, ideòque in Religionibus quoad hoc extare possit non parua diuersitas; regulariter tamen loquendo, æquum videtur esse, vt in casu proposito Religiosus aliàs impeditus, & postea accedēs ad capitulum admittatur, substituto quidem excluso, si nondum facta sit electio Generalis, aut Prouincialis (quæ respectiuè facienda sit in hoc, aut illo capitulo): non excluso autem, si dictus Religiosus aliàs impeditus accedat, electione iam facta. Sic in Constitut. Patrum Theatinorum *par.3. cap.2. num.3.* dicitur: *Qui ex Patribus post cœptum Capitulum venerit, ingrediatur quidem cum aliis; firma tamen sint quecunque in eam diem fuerint sancita.* Sic in Societate Iesu *Congregatio VIII* statuit *canone 61 circa §.6.* quod si in Prouinciali Congregatione aliquis in locum absentis substituatur, & prior, cui ius competebat, ante electionem redeat, excludi debet substitutus; sicque verba illa formulæ (si prior postea redierit) intelligenda sint post electionē peractam. Sic, inquam, fuit decisum; & meritò, cum præfata electio sit principale negotium, ad quod cogitur capitulum, & ad eam potissimùm loco Religiosi capitularis impediti aduocetur alius substitutus; vnde, si ea nondum sit facta, nō est amplius necessarium, quod intersit substitutus interesse eo, qui de iure debet interesse: sicut nec est æquum, vt substitutos, qui iam interfuit electioni, ex accessu illius, qui per se ius habet interessendi, excludatur à reliquis actibus minùs principalibus, cum principale trahat ad se accessorium, & cui datur quod plus est, concedi debet, & quod minus est. Quamquam postea *in Congr. gen. 8. can. 25.* statutum sit, quando Prouincialis cum suis consultoribus, qui aderunt, & cæteris omnibus præsentibus, qui in congregatione Prouinciali ius suffragij habent (excluso iuxta formulam eo, de cuius impedimento agitur, & insuper eo, qui proximè subrogandus est, si prior impeditus censeatur) iudicat impedimentum adeundi Congregationem generalem esse legitimum, & adesse congruum tempus ad hoc ipsum iudicium de impedimento ferendum: tali iudicio acquiescendum esse, nec censendum ius vllum ad Congregationem generalem, aut Prouincialem sic iudicatis relinqui: vti etiam qui ab adeunda Congregatione Prouinciali prædicto modo censentur impediti, omni iure excidunt ad eam accedendi: & si re ipsa veniant, admitti non debent. 19.

Qværas XVII. An Religiosus capitularis admitti debeat ad capitularem congressum, si accedat, postquam inchoatum est Capitulum (v.g. facta electione Generalis, aut Prouincialis.)

Respond. debere admitti, stando in iure communi: idque siue in ordine sit præscriptus certus numerus capitularium, siue non; cum hac tamen differentia, quod si sit præscriptus certus numeros; tunc, si quidem facta sit electio (vt diximus *q. praeced.*) ita debet admitti Religiosus capitularis de nouo accedens, vt non excludatur substitutus pro ipso: si verò electio non sit facta, admittendus est Religiosus capitularis, excluso tamen substituto, idque ob dicta *q. præced.* Ratio est, quòd, cum Religiosus capitularis ius habeat ingrediendi Capitulum; non apparet, cur debeat excludi ex eo præcisè, quod iam inchoatum sit Capitulum, saltem loquendo de iure communi; quod si iure proprio Religionum est aliquid in contrarium, illud omnino seruandum est. 20.

Quod

Quod si quæras, an repeti debeat collatio suffragiorum, quæ fiat (v. g. pro electione Generalis) si iam inchoata est, quando in casu proposito accedit Religiosus capitularis; vel certè continuari possit ea, quæ inchoata erat, vnà cum aliorum suffragiis, recipiendo etiam suffragium præfati Religiosi de nouo accedentis ad capitulum.

21. Respond. videri posse continuari collationem illam suffragiorum, quæ iam erat inchoata; si quidem Religiosus de nouo accedens fuit vocatus, & non contemptus, aliásque instar tempus electionis, ita vt periculum sit in mora. moueor, quod suffragia in tali casu collata de facto sunt valida; cum Religiosi Capitulares, iuxta dicta *hic cap.2.sect.2.quæst.2. §.quod si quæras*, ius haberent procedendi ad dictam electionem; nec constat, ex quo capite illa censeri debeant reddi inualida, eo quod præfata collatio debeat nonnihil interrumpi, vsque dum Religiosus de nouo accedens necessarias informationes capiat v. g. cum tamen actus etiam in dubio præsumi debeat factus, ita vt potiùs valeat, quam vt corruat; sicut notant plures DD. apud Sanchez *l.3.de matrim. D.35.num.19.ex l.quoties n.ff.de reb. dubys*. Secùs, si Religiosus Capitularis de nouo accedens fuerat contemptus; cum enim in tali casu ad petitionem ipsius cassari debeat electio (vti ostendimus *cit.sect.2.q.1.*) & consequenter reddi inualida collatio suffragiorum, quæ iam præstita sunt: si talis religiosus revera curet cassari dictam electionem, per consequens cassata per legitimam potestatem electione, inualida item redderetur collatio suffragiorum, quæ tunc temporis fuerant data; sicque post eius accessum instituenda erit noua collatio suffragiorum, adeóque non poterit continuari illa, quæ iam erat inchoata; non item, si præfatus Religiosus ratam habeat electionem inchoatam, & consequenter collationem suffragiorum iam præstitorum (quod vtique potest facere ex dictis relat. q.1.) tunc enim non erit opus instituere nouam collationem suffragiorum, sed poterit continuari illa, quæ iam erat inchoata: quod satis clare innuit Tabiena *v.electio 1.num.13.* dicens, *Si quis electorum contemptus, nec vocatus fuit ad electionem, ad petitionem eius cassanda est electio: potest tamen, si vult, eam ratam habere, & , si non prosequatur contemptum suum, potest confirmari; vnde, quod postea fit per alios, ipse non poterit impugnare: si tamen accedat, electione nondum facta, admittendus est in his, quæ circa ipsam restant.*

Qværes XVIII. An possit, & debeat admitti Religiosus Capitularis, qui vocatus ad Capitulum recusauit accedere, sed postea, mutata voluntate, accedit.

22. Respond. de iure communi posse ob ea, quæ habet Peyrin. *de R.S. quæst.1. cap.31. §.8. v.dico 9.* relata à nobis *sup.cap.2.sect.1.quæst.7. §.vtrum verò*: non tamen teneri; & probatur ex eo, quod docent Tabiena *v.electio 1.num.12.* Suarez *tom 4. de relig.tract.8.l.2. cap.5.num.5.* Laym. *in qq.canon.§.37.* & alij, vocatum scilicet ad Capitulum per legitimam potestatem, si contemnat accedere, facere se alienum; & amittere ius suum, ac perinde reputari, ac si non esset de numero eligentium *cap. cum nobis, de elect.* vnde sic licet argumentari: Si accedat alienus ad Capitulum (qui videlicet non sit de numero eligentium) non tenentur alij Capitulares illum admittere, sed possunt liberè illum excludere: at Capitularis vocatus renuēs accedere ad Capitulum se habet, ac si esset alienus, ergo potest liberè excludi; vbi enim militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio, præterea si capitularis accedat ad capitulum, postquam legitimè priuatus est iure accedendi, liberè potest exclu di at capitularis vocatus hoc ipso, quod cōtemnit accedere, amittit ius accedendi, ergo liberè potest excludi.

Qværes XIX. An gesta in capitulo sint valida, ac legitima, si quis capitularium vocandus contemnatur.

Respond. esse valida, posse tamen, & debere irritari ad petitionem capitularis contempti: quod est dicere ea non esse ipso iure irrita, sed solùm posse irritari; quamquam contemptus, si velit, ea possit rata habere (vt indicatum est *quæst. 6.*) *ex cap. quod sicut, de elect.*) ita Armilla *v.electio num.20.* Tabiena *supr.num.13.* Laym §. *citat.* aliíque communiter inter quos bene monet Laym. tunc verificari, quod electio non sit ipso iure irrita, etiamsi fiat, contempto aliquo ex vocandis, quando ei intersuerunt saltem duæ partes capitularium; sicque consequenter à contrario sensu infert electionem, & quæcumque alia acta capitularia fore irrita, si iis in casu proposito non intersint saltem duæ partes capitularium. 23.

Difficultas esse potest, an capitularis contemptus habeat ius petendi, vt cassentur acta in capitulo, si non malitiosè, sed per inaduertentiam, quæ etiam in foro exteriori, probari possit, fuerit contemptus, idest non vocatus: & ratio dubitandi est, quod ius petendi cassationem actorum capitularium competens capitulari contempto, videtur concessum quasi in pœnam contemptus: pœna autem non habet locum, nisi adsit culpa, quæ tamen nulla adest in præsenti casu, vt suppono.

Respond. capitularem contemptum, etiam in isto casu habere ius petendi, vt cassentur acta in capitulo (quamuis possit, & debeat cedere iuri suo, si hic, & nunc iudicet expedire.) Moneor: quod tale ius propriè non est inductum in pœnam, ita vt necessariò debeat præsupponi culpa: sed potius, vt alteri resarciatur ius suum ablatum, nempe ius accedendi ad capitulum, quod in præsenti casu fuit ablatum capitulari contempto, estò in tali ablatione non intercesserit formalis iniuria, & consequenter nec vlla causa, saltem theologica: proportionaliter vt dicunt DD. cum S. Thoma 2. 2. *quæst. 62. art. 6. & 7.* eum, cui res sua ablata est habere ius, vt illa sibi reddatur etiam ab eo, qui illam accepit absque iniuria domini, & per consequens absque culpa theologica: idque non ratione iniustæ acceptionis, (ad quam supponitur culpa) sed ratione rei acceptæ, quo titulo potest quis obligari ad restituendum, etsi in auferenda re aliena nullo modo peccauerit. sic etiam notat Less. *l.2.cap.17.num.39 ex l. Si cum exceptione, §. in hac actione, ff. de eo quod metus causa, & c.1.3.& 4.de his, quæ vi*, cōtractus metu graui celebratos plerumque non esse quidem iure naturæ irritos, posse tamen rescindi pro arbitrio eius, qui metum passus est, dummodo metus ille fuerit incussus ad extorquendum contractum: & hoc, licèt metus fuerit incussus, non ab eo, cum quo sit contractus, sed à tertio, ita vt pars contrahens non sit particeps iniuriæ. Quod si hæ doctrinæ admittantur in casibus propositis (sicut re vera debent admitti) vtique & possunt, & debent admitti in præsenti casu; cum in eo procedat paritas rationis, vt facilè constabit considerantì. 24.

Qværes XX. An casu, quo aliquis Capitularium recedat è Capitulo iam congregato, reliqui Capitulares possint prosequi actus capitulares absque eo, quod alterum, aut alios substituant loco illorum, qui recedunt.

Respond. posse; & probatur, tum quia isti, qui sic recedunt, non computantur amplius in numero 25.

capi

capitularium, vt habetur *cap. cum nobis, de elect.* ideóque perinde se babent, ac si non essent capitulares: constat autem, quod si ij non essent capitulares; ob eorum absentiam irrita non redderentur acta capitularia; tum quia alioquin facilè possent aliqui particulares malitiosè impedire bona prouenientia ex congressibus capitularibus, nimirum recedendo à capitulo, quandocumque proponerentur aliqua ipsis minùs bene visa: quod omninò esset contra commune bonum: tum quia capitulares vocati, renuentes venire non possunt sua absentia efficere inualida acta capitularia, vt probarum est *quæst.* 18. ergo, nec poterunt id facere se voluntariè absentando, postquam ingressi sunt capitulum, colligitur ex Suarez *supr. numero* 2. Peytino §. 6. *vnde colligitur* & aliis.

26. Et hanc responsionem puto habere locum, etiamsi demus certum numerum capitularium ex propriis statutis Ordinis præscriptum esse in congressibus capitularibus (vt in Societate Iesu, in qua Congregationes prouinciales, quæ fiunt tertio quoque anno, constant solùm ex 40. & non pluribus;) id quippe satis apertè videtur indicari in *canon.* 25. *num.* 15. Congregat. 6. generalis habitæ in ipsa Societate, iis verbis, *Post electionem verò nullus est pro absente subrogandus*: & inde suadetur, quod, cum iuxta dicta *hic cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 31. Prælatus regularis præsidens capitulo possit supplere defectus in ipso capitulo occurrentes, poterit, & supplere in præsenti casu defectum numeri capitularium, qui aliàs de iure congregandi essent.

Qværes XXI. An capitulares, si velint, possint admittere ad congressum capitularem aliquem de iure non vocandum, siue eiusdem Ordinis, siue diuersi.

27. Respond. videri posse, & quidem ad ferendum suffragium tam decisiuum, quam consultiuum: dummodò tamen omnes capitulares vnanimiter coocordent in talem admissionem. ita Peyrin. §. 8. *v. dico* 9. ex Nauarro, & Passarello; patetque, tum ex praxi, quam Peyrinus testatur, quoad hoc fuisse receptam in suo Ordine non semel in capitulis generalibus, tum ex *cap. scriptum, de elect.* vbi similis casus deciditur: tum quia quilibet potest cedere iuri suo, cum volenti, & consentienti non fiat iniuria: tum quia capitulares possunt totam suam potestatem eligendi transferre in Compromissarios *capit. causam, de elect.* ergo à fortiori poterunt eam communicare alicui non vocando, vt cùm ipsis concurrat ad electionem, aliaque acta capitularia, idque de iure communi.

28. Dixi, *dummodo tamen omnes Capitulares vnanimiter concordent*, &c. vt indicarem ad hoc vt subsistat talis admissio, requiri, quod omnes capitulares in eam consentiant. ita vt, vno eorum discrepante, admissio non teneat, patet, tum quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari *cap. ad hæc, de offic. Archid.* tum quia in re communi potior est conditio prohibentis, *reg.* 56. *in* 6. tum quia ius eligendi, & statuendi in capitulo spectat ad singulos capitulares pro parte sua, adeóque singulorum interest, ne extranei admittantur, cum quò plures istorum admittuntur, tantò minùs valeat suffragium vniuscuiusque illorum, vt rectè aduertit Peytin. *supr.*

Qværes XXII. An, & quando possint admitti ad capitulum Regulares aliàs vocandi, si sint inhabiles, ac incapaces suffragij, eò quod affecti sint aliqua censura, vel priuati voce actiua ac passiua.

29. Respond. non posse, si per Iudicis sententiam constet de ipsorum inhabilitate, ac incapacitate: secùs, si talis inhabilitas sit occulta, aut etiam dubia. ita Peyrin *supra* §. 6. *v. dico* 2. aliique penes ipsum; & patet ex dictis *hic cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 5. *per totum*, si monuero ex Abbate *cap.* 2. *de postul. prælat. num.* 15. Aug. *v. electio, num.* 3. & aliis, valere electionem factam non vocatis iis, qui sunt priuati, aut inhabiles ad eligendum, etiamsi priùs non fuerit discussum, essent ne priuati, necne; siquidem sufficit eos posse postea conuinci: quippequi hoc ipso, quod à parte rei non habebant potestatem eligendi, non necessariò erant vocandi.

30. Addo quod, si quis aliàs vocandus ad capitulum commisit delictum, cui est annexa priuatio vocis actiuæ, ac passiuæ, nondum tamen est declaratus incurrisse talem priuationem, non ideò debet contemni, sed vocandus est ad capitulum; cum priuandus, antequam priuetur, iustè possideat; idque puto esse verum, etiam in casu, quo dicta priuatio lata fuisset ipso facto, & ante omnem sententiam incurrenda, ob doctrinam traditam *in tract. de pœnis cap.* 1. *sect.* 2. *quæst.* 12. §. *dixi.*

Qværes XXIII. An Religiosi capitulares possint compromittere in proprium Prælatum præsidentem Capitulo electionem aliquam, aut aliquod aliud negotium capitulariter tractandum.

31. Respond. posse, stando in iure communi: & probatur ex eo quod, cum iuxta *cap. quia propter, de elect.* in casibus propositis possint compromittere in aliquem inferiorem (seruatis aliàs seruandis) non apparet, cur non possint compromittere in Prælatum, qui præsidet Capitulo; cum potiùs occurrere possint rationes suadentes tale compromissum faciendum esse in ipsum: vt pote qui probabiliter præsumi potest ad finem intentum magis idoneus ob singulares animi dotes, quæ in eo supponuntur.

Qværes XXIV. An secretis suffragiis agendum sit in Capitulis de negotiis Ordinis, quæ ibi tractanda proponuntur.

32. Respond. in eligendis quidem Prælatis agendum esse suffragiis secretis eo modo, quo ostendimus *capit.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 6. & præscribitur in Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 6. *de regul.* in aliis verò negotiis tractandis iure communi posse procedi suffragiis, siue secretis, siue publicis, prout præscribunt statuta, aut consuetudo vniuscuiusque Religionis. Certè in Societat. Iesu Congregatio 6. generalis *canon.* 22. nemine discrepante, statuit in Congregationibus prouincialibus agendum non esse de negotiis per secreta suffragia: idque *ob multa, & grauia incommoda, quæ inde possent consequi*; quare in vnoquoque Ordine videndum est, quid præscribant statuta, quoad hoc, & qualis sit consuetudo, ac vsus, eaque omninò seruanda sunt.

33. Illud quidem pro certo habendum videtur regulariter expedire bono Religionum, vt earum negotia in Capitularibus congressibus tractentur publicis suffragiis; idque ob multas rationes, quarum aliquas hîc solùm indicabo: primo est, quod capitulares hoc pacto perceptis Sociorum rationibus, & audita illorum sententia, inde possunt capere ansam mutandi sententiam in melius, cum plus videant duo oculi, quam vnus oculus: 2. est, quod scientes opinionem propriam publicè promulgandam maiori cum maturitate deliberant, & merita causæ propositæ accuratius examinant, priusquam suum proferant sensum, ne aliàs leues, & parum prudentes habeantur: 3. est, quod sic rerum momenta sincerius æstimant, amota quacumque priuata affectione, ne alioqui notentur iudicare non pro veritate, sed iuxta proprios

proprios affectus: 4. est quod, cum in communitatibus semper inueniantur aliqui minus prudentes, & sagaces audientes, quid alij iudicent, possunt adhærere eorum sententiæ, illamque amplecti, ducti non tam pondere rationum, quas ipsi minùs benè percipiunt, quàm auctoritate dicentium aliàs iis optimè perspecta, & moti ea regula generali, quod meliùs est errare cum multis, quàm sapere cum paucis: 5. est, quod cum sic res proposita meliùs discutiatur exactiorem de ea capere possunt informationem, & consequenter de ea melius iudicare.

Quæres XXV. Quo numero suffragiorum decidi debeant negotia Religionum in capitularibus congressibus.

34. Resp. quod, quamuis loquendo de electionibus Prælatorum regularium, in iis debeant concurrere suffragia maioris partis totius Capituli (sicut expressè habetur *in cap. quia propter, de elect.* & nos ostendimus *sup. cap. 1. sect. 1. quæst. 17. §. aduertendum;*) quod tamen spectat ad alia negotia, quæ tractantur in Capitulis, nullus certus numerus suffragiorum iure communi præscriptus est: sicque in Religionibus, quoad hoc potest esse aliqua diuersitas; imò & in eadem Religione pro varietate rerum, quæ capitulariter tractantur quo modo in Societ. Iesu à Congregatione 2. generali omnium ferè consensu definitum est satis forè ad quiduis ex grauioribus decernendum plusquam mediam partem eorum, qui legitimè congregati sunt in generali Congregatione, dummodo non agatur de iis, quæ pertinent ad substantiam nostri Instituti; de rebus verò minus grauibus ad plura suffragia definire posse Congregationem. ita habetur in *canon. 7.* Puto tamen vsum communiorem Religionum in hoc esse, vt in rebus capitulariter statuendis requiratur, & sufficiat maior, & sanior pars Capituli; & quidem meritò, cum totum Capitulum facere dicatur, quod facit maior, & sanior pars ipsius Capituli, *cap. cum in cunctis, de his, quæ fiunt* (quamquam hæc regula fallat in casu, quo maior pars Capituli delinquat, ideóque priuetur sua auctoritate; si quidem tunc tota Capituli potestas residet in minori parte, quæ non deliquit: prout notant Panorm. *loco citato, quæst. 9.* Rodriquez *tom. 1. quæst. 41. art. 1.* Sylu. *v. Capitulum, num. 1.* & alij) Sic in Constitutionibus S. Dominici *dist. 2. cap. 29.* dicitur: *Et prædicti Definitores,* electi tractabunt omnia, & diffinient cum Prouinciali: quod si in diffinitionibus se diuiserint in partes æquales, illorum sententia præualebit, in quorum partem Prouincialis declinauerit; aliàs verò sententia plurium præualebit. Si autem in absentia Prouincialis, vel eius Vicarij partes sint æquales, vnus eligatur de Capitulo, & in quorum partem consenserit, illorum sententia præualebit. Sic in Constitutionibus P P. Seruitarum *cap. 42.* habetur: *Per Priorem Generalem Capitulum congregetur, eique proponantur, quæ Definitores iudicauerint esse pro bono Religionis de nouo constituenda, aut in Constitutionibus obscura declaranda: & quod maiori parti Capituli per secreta suffragia videbitur, id constitutum, & declaratum habeatur.* Sic in *Constitut. Augustinianorum Discalceatorum Italiæ p. 3. cap. 5. num. 6.* dicitur *Ad decidenda supradicta, & alia Definitorio reseruata maiorem partem suffragiorum concurrere volumus, nisi in aliquo casu maior adhuc numerus suffragiorum à Constitutionibus requiratur.*

Qua occasione placet notare, quod aduertit Nald. *v. eligere, n. 10.* quod, si quando per specialem dispositionem non solum maior pars requiritur electionē, sed duplo maior, intelligitur, quod duæ partes ex tribus debent concurrere, puta 20. de 30. electoribus.

Quæres XXVI. An ad hoc vt res dicatur decisa à Capitulo sufficiat, vt Religiosi Capitulares de ea priuatim suum ferant suffragium, non conuocato tunc Capitulo.

Respond. non sufficere; & probatur, tum, quia quæ capitulariter aguntur dicuntur agi communiter; 35.
non dicitur autem agi communiter, nisi quando omnes vocales in vno loco conueniunt: vt benè in simili notat Suarez *tom. 4. relig. tract. 8. lib. 2. cap. 5. num. 4.* tum, quia sic res aguntur maiori cum examine, ac cognitione ipsarum rerum, nec non maiori cum certitudine suffragiorum; tum, quia quæ fiunt capitulariter, dicuntur fieri ab vniuersitate vt vniuersitas est; quæ autem fiunt ab vniuersitate, vt vniuersitas est, debent fieri per congregatos in vnum, inquit Panorm. *in cap. in genesi, de elect. num. 2.* & bene; cum tunc propriè operetur vniuersitas per modum vnius corporis, quando ad talem actum est congregata in vnum, & more solito, & non aliàs.

Quæres XXVII. An Religiosi Capitulares possint reuocare suum suffragium circa rem propositam præstitum, & quo modo.

Respond. posse, quamdiu res est integra: quamquam id non ita passim permittendum videatur ob multa incommoda, quæ ex tali reuocatione facilè possunt suboriri. Colligitur ex Rodriquez *tom. 2. quæst. 51. art. 7.* & aliis, quos refert, & sequitur Peytin. *sup. quæst. 1. cap. 31. §. 6 v. dico tamen,* paterque, tum quia nullo iure, neque naturali, neque humano interdicta est talis reuocatio: tum quia sapientis est mutare consilium in melius; cum cogitationes mortalium timidæ sint, & incertæ prouidentiæ nostræ, vt dicitur Sap. 9. tum, quia possunt occurrere aliqua suadentia dictam reuocationem, quæ paulo ante non occurrerant, adeóque sine nota inconstantiæ mutari potest consilium. Res autem in præsenti materia dicetur integra, quando vel nondum facta est publicatio suffragiorum, si res proposita agitur votis secretis: vel, si ea agitur publicis votis, nondum omnes Capitulares suum suffragium præstiterunt. 36.

Quæres XXVIII. An Religiosi Capitulares possint manifestare alteri propria suffragia, quæ ferunt in Capitulo iuxta diuersitatem eorum, quæ ibi tractantur.

Respond. simpliciter loquendo, posse, nisi ex peculiaribus statutis Ordinis id ipsis interdicatur, & excepto casu, in quo suffragium feratur pro electione Prælati regularis: quod numquam potest publicari ex decreto Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 6. de regul.* & quidem nec ab ipsomet suffragatore (vt probauimus *sup. cap. 2. sect. 1. quæst. 16. §. illud*) patet autem responsio ex eo, quod stando in iure communi extat ius, quo absolutè prohibeatur manifestatio proprij suffragij, præterquam in casu excepto à Concilio Tridentino & paulò ante adducto: ex alia parte occurrere possunt interdum iustæ causæ faciendi talem manifestationem (v. g. vt alter inde adducatur ad consilium in melius mutandum.) Poterit tamen Prælatus præsidens Capitulo præcipere Religiosis Capitularibus, vt secreta seruent sua suffragia, si hic & nunc iudicauerit id expedire; & hoc expressè fuit statutum in Congregation. 6. generali Societat. Iesu, *canon. 25. num. 8.* his verbis: *Moneantur Prouinciales, vt quando ita expedire iudicauerint, & res postulauerit, possint pro suo munere imponere præceptum secreti:* intellige congregatis in prouinciali congregatione, de qua ibi est sermo. 37.

Quod si iuxta superiùs dicta in aliquo Ordine prohibea

prohibeatur, ne Capitulares suum suffragium alteri detegant: hoe non facit, quo minus illud possint detegere alteri Religioso Concapitulari, qui fortè non interfuit tractatui capitulari, super quo datum est illud suffragium. Ducor, quod finis præfatæ prohibitionis est, ne acta capitularia fiant manifesta Religiosis non Capitularibus; in præsenti autem casu non manifestatur Religioso non Capitulari suffragium datum, sed Religioso Capitulari habenti ius Capituli; adeóque cessat finis prohibitionis, ac proinde procedit doctrina generalis, quod cessante fine legis cessat lex, *l. fin. ff. de adul. & l. si maritus § scripsit, C. de praescr. long. temp. l. fin.*

QVÆRES XXIX. Quo tempore in Capitulo decidi debeant res propositæ, num eadem die, qua proponuntur, an alia.

38. Respond. si res sint grauiores, non expedire quod decidantur eadem die, qua proponuntur, sed differendam esse decisionem ad diem sequentem: vt sic Capitulares merita rei propositæ examinare possint, ac maturius iudicare, sumptis debitis informationibus, téque ipsa cum peritioribus consulta, si oportuerit. Secùs, si res proposita sit minus grauis; tunc enim poterit eodem die proponi, ac decidi; cum eius decisio non adeo magnam requirat discussionem, sieque citiùs expediri possit. ita statutum fuit in Congregat. 1. generali Soc. Iesu, can. 3. ex editis ante electionem, his verbis: *Visum est pronendas esse vno die res digestas, & sententias die sequenti dicendas: & can. 4. ex editis post electionem*, decretum est, quod vno die proponi, & alio rem concludi oportet in rebus grauioribus: sic etiam in Constitutionibus Augustinianorum Discalceatorum Italiæ *part. 3. cap. 2. num. 12.* habetur: *Et, si res grauis fuerit, & tres ex Patribus maiorem considerationem res desiderauerint, in sequentem sessionem decisio differatur.* & quidem meritò, cum de ipso Nauarro inferant, quod interrogatus de mane respondebat de sero: & in præstandis consiliis procedat vulgare illud effatum, *Nonquàm cito, sed quàm bene*: & illud aliud *Festina lente.*

QVÆRES XXX. Quanto tempore debeat durare Capitulum.

39. Respond. iure communi non præscriptum esse certum tempus, intra quod absolui debeat, ideóque pro conditione rerum, quæ ibi tractari debent, posse continuari modò longiori tempore, modò breuiori; & hoc arbitrio ipsorum Capitularium, non autem solius Prælati præsidentis: sicut statutum est in Congregat. 1. generali Soc. Iesu can. 145. his verbis: *Non videri soluendam Congregationem pro solius Prepositi Generalis arbitrio sine consensu eiusdem Congregationis, quæ Generali superior est.* quod est afferre rationem, cur Prælatus præsidens Capitulo non possit propria auctoritate præscribere certum tempus, vltra quod non possit protrahi conuentus capitularis: eo quod scilicet Capitulum non subdatur iurisdictioni Prælati præsidentis, sed potius ipsi sit Superior; vnde quis bene inferat, quod si detur in aliquo Ordine Prælatum præsidentem Capitulo esse superiorem ipsi Capitulo (quo modo est Prouincialis in Congregatione prouinciali, quæ fit in Soc. Iesu, vt inferiùs videbimus) tunc stando in iure communi possit talis Prælatus determinare certum tempus, intra quod absoluendum esset Capitulum: cum talis determinatio sit actus iurisdictionis, quæ, data illa hypothesi, competit dicto Prælato in Capitulum. Quo modo in constitutionibus S. Dominici *dist. 2. cap. 1. num. 7.* dicitur: *Capitulum generale vltra Sabbatum infra Octauam Pentecostes non prolongetur, nisi ex causa rationabili Magistro, & Diffinitoribus videatur, quod per vnum diem, vel duos, aut plures prolongari debeat. Capitula etiam prouincialia eodem modo infra taxatum numerum dierum remittentur.*

QVÆRES XXXI. An, & quo iure possint Regulares supplere defectus, qui fortè contingant in Capitulo, ita vt iis non obstantibus illud pro legitimo habendum sit.

Respond. posse supplere iure proprio Religionum, vt ostendimus *supr. cap. 2. sect. 1. quæst. 31.* & innuunt Peytin. *in formul. lit. E. cap. 7. num. 4.* & Lezana *tom. 1. cap. 12. num. 55. § deinde pro maiori.* Moneo solum, quod si antequam incboetur capitularis congressus, constet de aliquo defectu in ipso interueniēte, cui alias opportunè consuli possit: ei omninò consulendum est, antequam fiat suppletio ista defectuū; idque ex rationabili intentione Religionis, quæ non censetur conferre potestatem supplendi defectus Capituli, nisi in casu necessitatis, & in quo alias commodè consuli nequeat præsenti defectui: alioqui non exiguus interueniret abusus potestatis, & quæ facultas data est in ædificationem, cederet in destructionem, vt facilè consideranti constabit. 40.

QVÆRES XXXII. An Notarius, seu Scriba, aut Secretarius, qui interuenturus est Capitulo, de iure communi eligi debeat ex Ordine, & quidem de corpore ipsius Capituli.

Respond. id non esse necessarium, sed posse eligi ad tale munus, etiam extraneum, siue Religiosum, siue etiam sæcularem; dummodo iure peculiari religionis non extet, quoad hoc statutum aliquid in contrarium; quale extat teste Peytino *de R. S. quæst. 1. cap. 31. § 8. v. dico 11.* in Ordine Minimorum, quod scilicet Secretarius Capituli sit de corpore ipsiusmet Capituli. Colligitur ex Panormitano *in cap. quia propter, de elect. num. 10.* & patet, quia Secretarius in Capitulo nudum habet ministerium, ideóque non est opus, quod tale munus committatur habenti iurisdictionem; cum nulla ad id præerequiratur iurisdictio. Verum tamen est, quod regulariter expedit assumere ad tale munus aliquem ex corpore Capituli, sicque puto fieri communiter in Religionibus. 41.

QVÆRES XXXIII. An, & qualiter absolui debeant à censuris, ac pœnis Ecclesiasticis Religiosi Capitulares, antequam incboëtur Capitulum.

Respond. debere absolui, & quidem eo tenore, quo præscribunt Constitutiones, & statuta vniuscuiusque Ordinis; in aliquibus enim Religionibus ab ista generali absolutione excipiuntur censuræ, quæ fortè contractæ sint ob defectus pertinentes ad electionem respectiuè faciendam in Capitulo. Sic *in Constitut. Soc. Iesu p. 8. c. 6. n. 6.* dicitur: *Det autem omnibus absolutionē generalem ab omnibus censuris ad hunc canonicæ electionis effectum*: ibique dicitur *in declarat. lit. E. Absoluit ab omnibus censuris, quas non incurrissent propter defectus ad hanc electionem pertinentes*, sic etiam in forma absolutionis vocalium, quæ adhibetur in Ordine Carmelitarum, teste Lezana *supr.* in fine adest ista clausula, *Exceptis censuris, sententiis, pœnis ac irregularitatibus ob defectus ad electiones faciendas in isto Capitulo pertinentes contractis*; quare in vnoquoque Ordine inspiciendū est, quid in specie statutum sit, quoad hoc, & iuxta illud impertienda est talis absolutio. Sic *in Constitutionibus PP. Theatinorum p. 3. c. 2. n. 14.* de Generali dicitur: *Det ipse cæteris omnibus absolutionem generalem à censuris omnibus ad hunc canonicæ electionis effectū.* Sic *in Constitutionib. Augustinianorum Discalceatorum Italiæ c. 2. n. 6.* habetur: *In loco Capituli surgens Præsidens absoluat ad cautelā à cēsuris Vicariū Generalē, & reliquos Capitulares,* 42.

An autem valeant acta in Capitulo, si inter Capitulares reperiatur aliquis affectus censura aliqua modo dicto contracta ob defectum spectantem ad præsentem electionem, ideóque non ablata vi generalis absolutionis solitæ præmitti initio Capituli.

43. Respond. valere, si dicta censura sit occulta, ideóque ignorata ab aliis Capitularibus; siquidem defectus vnius, aut aliquorum non debet nocere Capitulo id ignoranti; vt rectè aduertunt Abb. *cap. cum Vintoniensis, de elect. num. 2.* Nauarr. *l. 1. consil. de elect. consil. 4. num. 1.* & alij; patétque, tum ex dictis: tum *ex regula 73. in 6.* factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eueniat, à quo potuit inchoari; tum *ex regula 37. item in 6. Vtile non debet per inutile vitiari*: tum denique quia Innocent. *in cap. illa, de elect. num. 2.* Imola *ibidem, num. 5.* Suarez *tom. 4. de religion. tract. 8. lib. 2. cap. 4. num. 9.* aliíque docent, quod, cum in negotiis vniuersitatis tota potestas resideat in his, qui habiles sunt, propterea estò alij inhabiles ignoranter admisceantur, ij, qui sunt habiles, totum Capitulum, illúdque legitimum, repræsentare possunt, & consequenter valida sunt ipsorum gesta; non obstante associatione inhabilium.

44. Dixi, *ignoranter admisceantur*: ad indicandum, quod si maior pars Capituli conscia inhabilitatis admittant aliquos in habiles ad congressum capitularem: tunc irrita est electio, & nulla sunt reliqua acta Capituli; cum sic habiles non censeantur voluisse eligere, aut alia peragere sine dictis inhabilibus. ita Lezana *supr. num. 29.* ex Innocen. Imola, Host. Sylu. addens tamen aliquos velle huiusmodi doctrinam non procedere, nisi in casibus à iure expressis (vt *in cap. fin. de procur.* de excommunicato, & *in cap. Massana, de elect.* de laico:) quod ipse Lezana non reiicit, cum dicat solùm veriorem, & communiorem sententiam esse, quod in omni casu, electio, in qua scienter admittuntur inhabiles modo dicto, est irrita, ac nulla.

Grauior difficultas est, an vi præsentis absolutionis conferri solitæ Capitularibus censuræ tollantur absolutè, vel certè ad reincidentiam, ita vt talis absolutio non sit ablatio censurarum, sed potiùs dispensatio quædam illius ad effectum, vt acta capitularia sint valida.

45. Respond. id colligendum esse ex ipso tenore absolutionis attentiùs aduertendo, num dicta absolutio conferatur absolutè, ac perfectè, vel certè ad effectum determinatum, vt acta Capituli valeant: quæ dicitur absolutio ad reincidentiam, & solet dari in collationibus beneficiorum Ecclesiasticorum; si enim absolutio conferatur priori modo, censuræ tolluntur absolutè, nec ampliùs reincurruntur: si verò posteriori modo, ea de nouo incurruntur statim ac absolutus est egressus capitularis; talis quippe est intentio absoluentis; actus autem agentium non operantur vltra intentionem ipsorũ agentium.

QVÆRES XXXVI. Virùm io casibus, in quibus Prælatus regularis tenetur cogere Capitulum ad aliquid decidendum, adstringatur sequi consiliũ Capituli, an sufficiat, quod illud petat, & audiat.

46. Respond. debere sequi consilium Capituli, non autem sufficere, quod illud solùm petat, & audiat. moueor, tum quia quod agitur capitulariter, dicitur agi à Capitulo; non potest autem dici agi à Capitulo id, quod non agitur de consensu Capituli; tum quia Sanch. *l. 5. mor. cap. 4. num. 65.* ex Bartolo communiter recepto, & aliis ostendit, quod, quamuis obligatus ad consilium petendum regulariter non teneatur illud sequi: id tamen fallit, quando consilium petitur ab alio, tanquam à Collega, & participe officij: quod omninò euenit in casu nostro, vt patet: tum quia talis est communiter praxis Religionum habentium vsum Capituli; cum tamen praxis, & consuetudo habeât vim legis, & instar legis obseruari debeant. In iis ergo, in quibus iuxta Constitutiones, & consuetudinem Ordinis tenetur Prælatus regularis cogere Capitulũ, tenetur non solùm audire consilium eius, sed etiam sequi: idque non solùm ad licitè, sed etiam ad validè, vt constat ex dictis.

Secùs, si spontaneè nulla lege adstrictus in casu aliquo occurrenti consulat suum Capitulum; tunc enim sicut simpliciter loquendo, posset non consulere, ita & potest non sequi consilium datum: cum adhuc, quoad hoc maneat sui iuris, & nulla lege adstringatur sequi consilium datũ; proportionaliter vt euenit in Religioso priuato alios aliqua de re cõsulẽte, quẽ vtiq. nemo dixerit teneri amplecti consiliũ datum, nisi ex æquitate, si iudicet illud sibi expedire.

Vtrum verò in casu occurrenti, in quo iuxta statota, & consuetudinem Ordinis cogendum esset Capitulum ad aliquid graue statuendum, possit Capitulum se sulo statuere, etiam conscio, aut inuito Prælato, qui aliàs de iure deberet præsidere ipsi Capitulo. 47.

Respond. iure communi non posse, si res statuenda sit talis, vt pertineat etiam ad Prælatum monasterij; cuiusmodi est admissio ad professionem religiosam, quæ iuxta communiorem Doctorum sententiam sic spectat ad Prælatum monasterij, & ad ipsum monasterium, vt neque totum monasterium, repugnante Prælato, nec Prælatus, repugnante maiori parte monasterij, possint quemquam admittere ad professionem: sicut bene aduertit Sanch. *num. 68.* ex Naoarr. & Rodriq. hinc inferens *num. 67.* monasterium, dum vacat, neminem posse admittere ad professionem. Secùs, si res capitulariter statuenda sit talis, vt iuxta statuta, aut vsum Ordinis ad illam statuendam non requiratur consensus Prælati; tunc quippe poterit Capitulum aliqua statuere, etiam inscio, aut repugnante Prælato, saltem ad validè, sin minùs ad licitè: sine dubio enim id fieret illicitè, vt constabit ex dicendis *quæst. sequenti.* 48.

QVÆRES XXXV. An valeant gesta Capituli, quod fortè cogatur, inscio, aut etiam repugnante proprio Prælatu regulari.

Respond. non valere; & probatur, tum quia tum huiusmodi Capitulum sit acephalum, idest sine capite, non potest repræsentare corpus mysticum Religionis; quod hõ potest stare sine aliquo capite; si autem non potest repræsentare Religionem, nec potest operari in virtute Religionis, & consequenter nec validè agere, quæ agit; sicut bene aduertit Lezana *tom. 2. cap. 1 a. in 6.* ex Suar. tum quia Capitulum Religiosorum congregatum sine voluntate, ac consensu capitis proprij non Capitulum regulare vocari debet, sed schisma, & conspiratio, vt notauit Castrus Pal. *tract. 4. D. 1. part. 5. §. 7. num. 1.* probans id exemplo Magnatum Regni, qui, dato quod absque Regis consensu conuenirent ad agendum de Legibus Regni, vtique non dicerentur celebrare comitia, sed facere conspirationem, adeóque non censerentur habere potestatem requisitam ad ferendas Leges: at hoc euenit proportionaliter in casu nostro, vt facile constabit consideranti; ergo, tum denique quia qood dicimus in præsenti responsione, est satis consentaneum iuri communi, *cap. nouit, de his quæ fiunt à præl. & cap. cum consuetud. de consuetud.* sicut innuit Suar. *supr. cap. 8. num. 8.* 49.

QVÆRES XXXVI. An vsus capituli in Religionibus sit vtilis, ac expediens.

Respond.

50. Respond. esse, regulariter loquendo; & probatur, tum ex dictis *hic quaest. 13. §. illud quidem*, quæ proportionaliter applicari possunt ad tem præsentem, tum quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, *c. ad hæc de offic. Archid. & C. de authorit. præstant. l. vlt.* id autem non fit, nisi per congressum capitularem; tum quia promptius, ac libentiùs obseruamus ea, quæ ex nobis proficiscuntur, & quasi nostra sunt; qualia censentur, quæ capitulariter statuuntur: tum quia sic res decidi videntur maiori cum maturitate, consilio, ac deliberatione: qua de re plura *c. 1. q. 15.* vbi etiam ostendimus, quo pacto contingere possit expedire bono Religionis, quod Prælatus regolaris pro ratione, & mensura sui muneris integram habeat potestatem, adiunctis ei solùm consiliariis, non autem coniudicibus; vt in Soc. Iesu.

QVÆRES XXXVII. An potestas capitulorum, quę fiunt in Religionibus, ita sit propria vniuscuiusque Capituli respectiuè, vt quæ per se, & regulariter solent statui in Capitulo locali, statui non possint in Prouinciali, & quæ per se statuuntur in Capitulo Prouinciali, non possint statui in generali.

51. Respond. regulariter non esse, ideòque simpliciter loquendo, non repugnare aliquid decidi in Capitulo Prouinciali, quod per se decidendum esset in locali. Ducor ex doctrina, quam in simili tradit Sanch *num. 71.* nimitum totam potestatem Prælati localis esse in Prouinciali eminenter, tanquam in legitimo ipsius Superiore, & totam potestatem vtriusque esse in Generali Ordinis eminenter tanquam in capite totius Religionis; vnde infert Sanchez quod, quamuis aliàs admissio ad professionem religiosam non pertineat ad Generalem, aut Prouincialem, sed ad Prælatum localem cum suo Capitulo (vt ipsemet Sanch. aliis citatis, ostendit *num. 65.*) nihilominus videtur probabile Generalem, aut Prouincialem posse præcipere Superiori locali alicuius Conuentus, ne, ipso inconsulto, quemquam admittat ad professionem, & quidem ita vt, si aliter admittat, admissio sit irrita; constat autem quod quæ dicuntur de potestate Prælati superioris respectu inferioris, proportionaliter dici possunt de potestate Capituli superioris, Prouincialis scilicet, aut generalis respectu Capituli inferioris, idest localis: cum ea in multis æquiparentur, & regula generalis habeat, dispositum de vno æquiparatorum censeri dispositum, & de alio.

SECTIO II.

De Capitulis Regularium Generalibus.

52 *Explicatur, quid sit Capitulum generale inter Regulares.*
53 *Ad illud debent conuocari quicumque habent ius accedendi.*
54 *Cogitur à Generali, aut eius Vicario.*
55 *Et quidem pro tempore statuto in quolibet Ordine.*
56 *Fieri potest etiam tempore diuinorum Officiorum.*
57 *At non nimis frequenter conuocandum: in Soc. Iesu quolibet nouennio Congregatio generalis conuocanda ex Innocentij X. Constitutione, quæ refertur in extensum, & quoad aliqua obiter explicatur.*
58 *Capitulum generale in Religionibus conuocatur in bonum totius Ordinis.*
59 *Vsus illius vtilissimus.*
60 *Potestas eius maxima, & superior potestati ipsius Generalis.*
61 *Probatur assertio.*
62 *Potestas Capituli generalis extenditur ad puniendum, ac deponendum Generalem.*
63 *Extenditur ad faciendas leges, & statuta perpetua.*
64 *Idq; iuxta Constitutiones cuiusque Ordinis, quæ in hoc habent aliquam diuersitatem.*
65 *Leges, & statuta facta in Capitulo generali eo ipso censentur confirmari à Papa.*
66 *Capitulum generale potest facere leges Generali renuente.*
67 *Et is illis subest etiam quoad vim coactiuam.*
68 *Idq; etsi ille se solo posset facere leges; vt Generalis Societatis Iesu: quamquam sine causa inter Religiosos multiplicari non debeant.*
69 *Capitulum generale potest facere leges, etiam ante Generalis electionem.*
70 *Potest reuocare leges, ac statutum alterius Capituli generalis.*
71 *Et quidem licèt modo dicto confirmata sint à Papa.*
72 *Non potest facere statutum supra regulam Ordinis.*
73 *Reformat Regulam collapsam, & cogit ad eius obseruantiam.*
74 *Nisi professis tempore regula collapsa ita sit delicatius, vt non sit ferendo.*
75 *Non potest facere statuta contraria iuri communi.*
76 *Aufert, & restringit Religiosis priuilegia Ordini concessa.*
77 *Potest reseruare casus pro toto Ordine, sed non designare certos casus, qui postea à Prælatis occurrente casu, reseruentur.*
78 *Examinat Nouitiorum informationes.*
79 *Eligit præsidentes electioni Religiosorum incorrigibilium.*
80 *Monet Religiosos Capitulares de executione Bullarum spectantium ad Sanctum Officium.*
81 *Olim reducebat onera Missarum perpetua, sed non modò.*
82 *Exceptis tamen aliquibus oneribus, quæ quolibet tempore possunt reduci.*
83 *Consentire potest in largitiones munerum alioqui vetitas Religiosis.*
84 *Capituli generalis statuta reuocari non possunt à Generali.*
85 *Dispensat Capitulum generale cum illegitimis ad dignitates Ordinis iuxta aliquos facultas dispendi competens Prælato regulari prodest sæpe etiam pro foro externo, facultas item reseruatorum data pro Professione prodest etiam post.*
86 *Eligit examinatores deputandorum ad audiendas confessiones, & ad prædicandum.*
87 *Generalis debet ei reddere rationem suæ administrationis.*
88 *Punitur procurans suffragia aliorum Capitularium.*
89 *Interuenientes Capitulo generali possunt ab omnibus censuris, & casibus absolui ex Sixti IV. indulto.*
90 *Hodie tamen non potest eis in iure Capitali impertiri plenaria Indulgentia.*

QVÆRES I. Quid intelligatur nomine Capituli generalis.

52. Respond. intelligi adunationem, seu congregationem Religiosorum factam ex præscripto supremi capitis totius Ordinis, nempe Generalis ad tractanda negotia, non alicuius monasterij, aut prouinciæ, sed totius Ordinis, aut etiam ad faciendam legitimam electionem ipsius Generalis.

QVÆRES II. Quinam debeant vocari ad Capitulum generale.

53. Respond. quod, quamuis id potissimum pendeat ex regula, aut Constitutionibus vniuscuiusque Ordinis: regulariter tamen ad Capitulum generale solent

ſolent vocari Prouinciales, eorumque Socij, ſeu Diſcreti, imò & interdum Prælati ſingulorum monaſteriorum; vnde in vnoquoque Ordine hic, & nunc videndum eſt, quid præſcribant propriæ Conſtitutiones, & qualis conſuetudo, quoad hoc inducta ſit. Illud vniuerſim hîc dicendum eſt illos, qui debent conuenire ad capitulum generale, debere eſſe Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, liberos à à quacumque cenſura, carentes omni impedimento canonico, non habentes priuationem vocis, habiles ad eligendum, non irregulares, prout benè aduertit Lezana *tom.2. c.12. n.16.* & nos ipſi oſtendimus *ſup. cap.2. ſect.1. quæſt.5.7. &* 8.

Qværes III. Ex cuius poteſtate cogi debeat Capitulum generale.

54. Respond. debere cogi ex poteſtate ſolius Generalis, ſi ſit ſuperſtes, aut eius Vicarij, eo de mortuo, vel etiam alicuius alterius, qui in Conſtitutionibus Ordinis ad tale munus deputetur; vt in Soc. Ieſu, in qua caſu, quo Generalis eſſet deponendus ob delictum aliquod commiſſum iuxta *Conſtitutiones ipſius Soc. p.9. c.5. n.4.* Congregatio generalis conuocanda eſſet ab Aſſiſtentibus: quin, ſi res eſſet diuulgata, & communiter manifeſta, ea poſſet cogi abſque Aſſiſtentium conuocatione, Prouincialibus aliis alios monentibus; vt expreſsè habetur *in citato loco Conſtitutionum.* Sic in *Conſtitutionibus S. Dominici diſt. 2. cap.* 1. dicitur: *Capitulum Prouinciale poſt Capitulum generale (quando, & vbi Prior Prouincialis cum conſilio Definitorum) celebretur:* & *cap.*8. habetur: *Capitulum generale vna vice vltra montes, altera vice citra montes alternatim de triennio in triennium celebretur, niſi magiſtro cum Deffinitoribus, vel cum Diſcretorum maturo conſilio ex legitima, & vrgentiſſima cauſa illud alibi aſſignare, aut aſſignatum transferre, vel per annum præuenire, aut etiam prorogare neceſſarium videatur, & niſi obitus Magiſtri Generalis acciderit.* Sic in *Conſtitutionibus Seruitarum cap.*42. dicitur: *Capitulum generale celebretur de ſexennio in ſexennium loco, & tempore per Priorem Generalem ſtatutis, intimeturque per literas ab eodem Generali ad omnes Prouincias tranſmiſſas per* 10. *menſes ante, niſi aliter neceſſitas poſtulauerit.*

Qværes IV. Quo tempore, & loco fieri debeat Capitulum generale.

55. Respond. debere fieri tempore, & loco præſcriptis in regula, ac Conſtitutionibus Ordinis, vel certè à proprio Generali deſignatis; ſicque debet vnaquæque Religio inſpicere, quid ſtatutum ſit, quoad hoc in propriis Conſtitutionibus, illudque ſeruare in *Conſtitut. quidem Societatis p.8. cap.5. num.*1. habetur, locum, quo conueniet Societas ad Generalis electionem, videri ordinariè Curiam Summi Pontificis eſſe debere, niſi Societas ex compoſito conueniendum eſſe in alium locum, qui commodior omnibus futurus eſſet, ſtatueret. Sic in Capitulo Rom. 1552. & 1588. nec non Auenione 1561. de conſenſu Iulij III. ſancitum fuit, vt in Ordine S. Dominici de triennio in triennium vna vice vltra montes, altera citra Capitulum generale celebraretur; & ita fuit ſeruatum, niſi in anno electionis Magiſtri Ordinis, in quo à dicto tempore Capitulum Romæ celebratur in faciem Papæ. Sic in *Conſtitutionibus PP. Theatinorum p. 3. cap. 2. n.1.* habetur: *Tertio quoque anno, & quotieſcumque P. Generalem mori, vel quauis alia ratione munus eius contingat deficere, Capitulum generale Romæ in domo S. Syluestri in monte Quirinali celebretur: dies inſtituta pro eo inchoando eſt feria 5. hebdomadæ ſecundæ poſt feſtum ſanctiſſimæ Paſchatis, ſi tertio vertente anno fiat: vel quam ſenior Conſultorum, ſuique Collegæ præſcripſerint, ſi mors P. Generalis, aut eius muneris acciderit abdicatio.*

Quod autem notat Lezana *ſup. n.5.* Congregatio- 56.
nes capitulares ſine cauſa vrgenti non debere fieri eo tempore, quo diuina Officia peraguntur: idque ob duas declarationes ſacræ Congregat. ab ipſo ibi relatas; mihi non placet; cum eæ in ſpecie factæ ſint pro congreſſibus Capitularibus Eccleſiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, (vt concedit ipſemet Lezana) adeóque non debeant extendi ad Regulares contra generalem regulam, *Odia reſtringi oportet:* ſiquidem Capitula Regularium non ſunt Congregationes capitulares Eccleſiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, vt patet; præſertim cum in odioſis non debeat extendi lex ad caſum ſub lata ſignificatione verborũ non comprehenſum ob identitatem rationis; ſicut oſtendit Caſtr. Pal. *tract.3. D.5. p.3. §.4. n.2.* & aduertit etiam Suar. *lib.6. de leg. c.3. à n.4.* in quo minùs benè diſſentit Lezana dicens præfatas declarationes ſacræ Congregat. quamuis directæ ſint ad Congregationes capitulares Eccleſiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, extendi tamen ad regulares ob identitatem rationis: quod iam ſufficienter reiectum eſt.

Qværes V. An expediat, quod Regulares frequentiùs celebrent Capitulum generale.

Respond. quod, cum Capitulares conuentus non 57.
poſſint fieri ſine maximis expenſis, ac diſtractionibus Religioſorum ad illos conuenientium: regulariter cauendum eſt, ne nimis frequenter fiant ſine cauſa grauiſſima (qualis deberet in primis eſſe Religionis reformatio, aut electio Generalis) vnde in aliquibus Ordinibus prudenter ſtatutum eſt, vt non niſi ſexto quoque anno comitia generalia habeantur: vt in Ordine PP. Seruitarum, ſicut vidimus *ſupr. numero* 54. cum quolibet triennio habeatur in Ordine S. Dominici, Fratrum Minimorum, Patrum Theatinorum, Fratrum Auguſtinianorum diſcalceatorum Italiæ, & in aliis Ordinibus; non item in Societate Ieſu, in cuius *Conſtitutionibus part.8. cap.2. num.* 8. dicitur non videri in præſentiarum expedire, vt certis temporibus, aut crebrò fiat Congregatio, & conuentus Generalis: cum Præpoſitus Generalis adiutus communicatione, quam cum vniuerſa ſocietate habet, & eorum opera, qui cum ipſo degunt, hoc laboris, & diſtractionis vniuerſæ Societati quantum fieri poteſt, adimat. Vbi obiter notandum mirum non eſſe, quod in Societate ſpatio 100. annorum habitæ ſint ſolùm 7. Congregationes generales; cum poſita forma gubernationis, quæ ſeruatur in Societate; non ſit neceſſarius adeò frequens vſus talium Congregationum, vt innuitur in citatis verbis conſtitutionum, & facilè conſtabit conſideranti. Verum tamen eſt, quod teſte Rodriq. *tom.3. quæſt.47. art.3.* in multis Ordinibus ſtatutum eſt capitulum generale celebrari de triennio in triennium: idque ad ſimilitudinem Conciliorum prouincialium, quæ in Concilio Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ.* 10. *capit.* 10. & Trid. *ſeſſ.24. cap.*2 iubentur celebrari vnoquoque triennio, quare quoad hoc ſeruandum eſt in vnoquoque Ordine, quod præſcribunt ipſius Conſtitutiones, maximè Apoſtolica auctoritate confirmatæ, quæ pro diuerſitate formæ regiminis poſſunt præſcribere frequentiorem, aut minus frequentem vſum Capituli generalis.

Quin etiam Innocentius X. in ſequenti Conſtitutione decreuit, vt in Societate Ieſu quolibet nouennio cogatur Congregatio generalis: & Conſtitutio ſic habet.

INNO

INNOCENTIVS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRospero, feliciq; statui Societatis Iesu, quæ viris pietate, & doctrina insignibus referta vberes in vinea Domini fructus iugiter producit, pro Pastorali nostra sollicitudine consulere volentes, audita desuper dilectorum filiorum Presbyterorum Regularium eiusdem Societatis ad præsens in Vrbe generaliter pro facienda noui Præpositi Generalis electione Congregatorum sententia, motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deq; Apostolica potestatis plenitudine, vt in posterum perpetuis futuris temporibus Congregatio Generalis in prædicta Societate singulo quoque nouennio computando semper à celebratione vltima Congregationis Generalis haberi, & celebrari omnino debeat: ita quod illius celebratio nullo modo, nec ex quauis causa, siue per Præpositum Generalem pro tempore existentem, siue per quamcumque Congregationem particularem, vel generalem impediri, vel vltra nouennium huiusmodi differri seu prorogari possit. Præterea vt quotiescumque habebitur, & celebrabitur Congregatio Generalis huiusmodi, toties noui assistentes ab illis planè diuersi, qui præcedente nouennio Assistentium huiusmodi muneribus functi fuerint eligi, seu assumi, & deputari, ac demum, vt omnes, & singuli eiusdem Societatis Prouinciales, Visitatores, Præpositi, Rectores, Superiores locales, & alij Officiales iurisdictionem, seu superioritatem habentes quomodolibet nuncupati, exceptis Magistris Nouitiorum, in eorum respectiuè muneribus, superioritatibus, ministerijs, administrationibus, & officijs prædictis quomodocumque nuncupatis per triennium dumtaxat durare debeant, eoq; elapso triennio huiusmodi eo ipso vacent, & vacare censeantur, ipsiq; ad alia quæuis eiusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes, & officia prædicta quomodolibet nuncupata etiam Vice-Prouincialis, seu Vice-Præpositi, vel Vice-Rectoris nullatenus eligi, seu assumi, vel deputari valeant, nisi per annum cum dimidio saltem à fine dicti triennij computatum à prædictis muneribus, superioritatibus, ministerijs, administrationibus, & officijs prædictis cessauerint tenore præsentium statuimus, mandamus, præcipimus, & ordinamus. Decernentes præmissa omnia, & singula in perpetuum inuiolabiliter sub excommunicationis latæ sententiæ, ac suspensionis à diuinis, priuationis vocis actiuæ, passiuæ, ac priuationis officiorum quorumlibet inhabilitatisq; ad illa, & alia quæuis in posterum obtenta pœnis ipso facto absque alia declaratione, tam per mandantes, procurantes, eligentes, & deputantes, quàm recipientes, & exequentes irremissibiliter incurrendis obseruari debere, neque aduersus illa se illorum aliquod, præsentemq; nostram Constitutionem per Præpositum Generalem pro tempore existentem, aut quamcumque Congregationem etiam generalem, vel quemlibet alium Superiorem, & Officialem dictæ Societatis, aut nostros, & pro tempore existentes Romani Pontificis, Sedisq; Apostolicæ Nuncios, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & quosuis alios quacumque potestate fungentes vnquam dispensari, dispons, vel derogari posse: & quamcumque dispensationem, dispositionem, & derogationem aduersus eadem præmissa, seu eorum aliquod, præsentemq; Constitutionem per prædictos, seu eorum aliquem pro tempore quomodolibet factam, siue concessam nullam prorsus, ac nulliter, & subreptitiè, obreptitieq; extortam fore, & esse, ac censeri, & haberi neminiq; vllatenus suffragari debere, præsentesq; literas de subreptionis, obreptionis, ac nullitatis, vel intentionis nomine, seu quocumque alio quantumuis substantiali, & expressam mentionem requirente defectu, ac ex quocumque titulo, prætextu, causa, occasione, & capite etiam in corpore iuris clauso, notari, impugnari, redargui, rescindi ad viam, & terminos iuris reduci, vel aduersus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, vel quoduis aliud iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel etiam motu simili concesso quempiam in iudicio, vel extra illud minimè posse, sub easdem præsentes semper & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicq; & non aliter in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & quosuis alios quacumque potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, irritumq; & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, & præsertim fœlicis recordationis Gregorij XIV. vna quæ incipit, Ecclesiæ Catholicæ, *sub datis 8. Iunij, & alia quæ incipit,* Exponi nobis, *sub datis 30. Augusti 1591. Pontificatus sui anno I. ac piæ memoriæ Pauli V. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, quæ incipit,* Quantum Religio Societatis Iesu, *de anno 1606. Pontificatus sui anno II. alijsq; in fauorem dictæ Societatis, vel circa illam seu eius regimen, ac etiam in Vniuersalibus, Prouincialibusq;, ac Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, & quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ de non tollendo iure quæsito, necnon prædictæ Societatis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Societati, illiusq; Superioribus, & personis, ac locis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenore, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq; & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita obseruata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, ac sufficienter expressis, habendo, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 1. Ianuarij 1646. Pontificatus nostri anno II.*

Pro cuius Constitutionis explicatione aliqua placet adnotare, fusiori eius expositione reseruata pro Tractatu de speciali Instituto Societatis Iesu; sicque

Noto 1. verba illa huius Constitutionis, *ita quod illius celebratio nullo modo, nec ex quauis causa siue per Præpositum Generalem pro tempore existentem, siue per quamcumque Congregationem particularem, vel generalem impediri, vel vltra nouennium huiusmodi differri, seu prorogari possit*; non operari,

quin etiam fine dispensatione Congregatio generalis possit differri, si contingat casus, in quo impossibile sit physicè illam fieri tempore debito; nam impossibilium non est obligatio, *l. impossibilium, ff. de reg. iur.* & necessitas non habet legem *l. vn. ff. de offic. consul.*

Noto 2. occurrente iusta causa differendi Congregationem generalem, fine ex dispensatione Papæ, siue aliunde, eo ipso differri posse nouam electionem Assistentium: nam accessorium sequitur principale, *l. 3. C. deposit.* & concesso principali censetur concessum, & accessorium, *c. prud. §. si verò, de offic deleg.* & alioqui noua Assistentium electio supponitur facienda solum in Congregatione generali.

Noto 3. quod, si ante expletum nouennium fiat Congregatio generalis (quod potest euenire ex morte R. P. Generalis, aut alia noua causa) non videtur facienda noua electio Assistentium; & moueor ex eo quod in hac Constitutione iubetur fieri talis electio, *quotiescumque habebitur, & celebrabitur Congregatio generalis huiusmodi*; ly autem, *huiusmodi*, videtur respicere nouennium, de quo dicitur in Constitutione, *singulo quoque nouennio*; sicque obligatio eligendi nouos Assistentes non videtur vrgere in præsenti casu, in quo fit Congregatio generalis extraordinaria: vbi enim agitur de obligatione, stricta fieri debet interpretatio.

Noto 4. quod si facta noua electione Assistentium post aliquot annos ab vltima generali Congregatione moriatur vnus ex illis, loco huius eligi possit in Assistentem vnus ex iis, qui in dicta Congregatione fuerunt depositi: cum in hac Constitutione non præcipiatur, quod Assistentes vacent certo tempore (vt præcipitur de Superioribus Societatis iurisdictionem habentibus,) & non appareat, vnde hoc prohibitum censeri debeat.

Noto 5. dato, quod aliquis Assistentium solum per 6. annos v.g. durauerit in Assistentia, quo tempore fit Congregatio generalis: hunc nihilominus videri deponendum: cum in hac Constitutione iobeatur, quotiescumque fit Congregatio generalis post nouennium quodlibet conuocanda, fieri nouam electionem Assistentium, qui sint planè diuersi ab iis, qui præcedenti nouennio Assistentium huiusmodi muneribus functi fuerint: vbi noto, quod non dicitur Assistentiam expleuerint, sed Assistentium muneribus functi fuerint; quod omninò verificatur in præsenti casu.

Sanct. C. 90. QVÆRES VI. Ad quem finem potissimum celebrari debeat capitulum generale inter Regulares.

58. Respond. debere fieri ad correctionem morum, Regulæ obseruantiam, coërcitionem delinquentium, controuersiarum identidem occurrentium decisionem, ac totius Ordinis reformationem, sicut in simili colligitur ex Concil. Trid *sess. 24. cap. 2. de refor.* vbi hæc habentur: *Prouincialia Concilia sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controuersiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis, renouentur*; vt proinde Rodriq. *sup.* non immeritò deploret corruptelam præsentium temporum, quibus interdum Capitula tam generalia, quam Prouincialia Regularium videntur ordinari solum ad electiones, ac prouisiones Prælatorum, aliorumque Officialium, non autem ad reformationem morum, ac regularis disciplinæ instaurationem, quæ tamen principaliter deberent intendi in Regularium comitiis: idem sentit & Lezan. *n. 13.* addens ex eodem Rodriq. Generales, ac Prouinciales Ordinum Regularium hac in re admodum negligentes non liberari à peccato mortali.

QVÆRES VII. Quàm vtilis sit bono spirituali Religionum vsus Capitulorum generalium.

Respond. esse vtilissimum, & quidem multis ex capitibus: 1. quia in Comitiis generalibus puniuntur excessus, etiam ipsorum Prælatorum regularium; sicque ipsi ex metu imminentis punitionis efficaciùs retrahuntur à dictis excessibus, suumque munus accuratius exercent, memores sibi mox reddendam esse rationem gubernationis sibi commissæ: cum tamen integritas præsidentium salus sit subditorum, *cap. miramur, d. 61.* 2. quia per repetitionem dictorum Capitulorum interrumpitur præscriptio, quam subditi Religiosi aliàs allegare possent contra statuta præcedentium Comitiorum, dicentes ea moribus vtentium non esse comprobata, & iam per non vsum non obligare: sicque ea restituuntur in pristinam obseruantiam magno cum incremento regularis disciplinæ; 3. quia progressu temporis ex minus recta proprij Instituti intelligentia possunt in Ordinibus irrepere aliqui errores, & abusus, qui non possunt melius, & faciliùs auferri, quam per rectam explicationem ipsius Instituti: quæ tamen nullibi fit commodiùs, ac vtilius quam in Capitulo generali, vtpote totam Religionem repræsentante; 4. quia in Comitiis generalibus ex proposito examinantur tam excessus, quam defectus, qui frequentiùs committuntur in Ordine, & aduersus eos instituuntur opportuna remedia, quæ alioqui non ita facilè possent apparari. 59.

QVÆRES VIII. Quæ, & qualis potestas competat Capitulo generali.

Respond. quod, cum potestas Capituli generalis sit suprema, competit ei non solum tota illa potestas, quæ competit Generali Ordinis, sed etiam aliqua alia, quam non habet Generalis; vt constabit ex dicendis *in qq. sequentibus*; quamquam aliàs in vsu talis potestatis seruandum sit ordinariè id, quod præscribitur in Constitutionibus vniuscuiusque Ordinis: cum re vera dicta potestas sit collata in ædificationem, non autem in perturbationem; vt rectè aduertit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 10. c. 4. n. 16.* monens in specie de Congregatione generali Soc. Iesu multa ei assignari in bullis pontificiis, ac Constitutionibus ipsius Soc. tanquam peculiares actus ipsiusmet Congregationis generalis; non quod illa possit ea solum efficere, sed quod dictos actus ipsa sola possit facere, interim potens (simpliciter loquendo) facere etiam alios actus: in quibus tamen non se intromitteret, nisi euidens necessitas, aut vtilitas id peteret; quod est potestatem Congregationis generalis in Societate esse maximam, non extensiuè, sed intensiuè (vt loquitur Suar. vbi supra) quæ doctrina proportionaliter locum habet etiam in aliis Religionibus; sicut innuit Lezana *sup. num. 7.* dicens valdè probabile sibi esse, Capitulum generale, quod fit in Religionibus, vniuersim posse pro eo tempore, quo durat, exercere omnes illos actus iurisdictionis (intellige tam voluntariæ, quam contentiosæ) quos potest exercere Generalis: idque ex suprema potestate, quæ competit ipsi Capitulo generali, & ab eo postea communicatur Generali Ordinis legitimè electo. 60.

Et quidem, quod potestas competens Capitulo generali sit suprema; suadetur, quia in eo repræsentatur tota Religio tanquam persona quædam moralis, cui sine dubio debetur suprema potestas in suos subditos: præsertim cum potestas, quam habent Generalis, Prouinciales, & alij Prælati Ordinis, ab ipsa Religione in illos transfundatur: cum tamen nemo det, quod non habet, & nemo plus iuris ad alium transferre 61.

transferre possit, quam habet *leg. nemo plus, ff. de regul. iur.*

Quod si quæras, an potestas Capituli generalis sit supra ipsum Generalem Ordinis.

62. Respond. esse; & patet ex eo, quod potest illum deponere, ac punire; vt in specie notatum est de Præposito generali Societatis Iesu *p. 9. Constit. cap. 4. n. 7.* præterea potest eius auctoritatem augere, aut diminuere; vt constat ex dictis in *tract. de priuil. c. 1. sect. 4. quæst. 5. §. quod si quæras*: potest etiam obligare illum suis legibus, ac præceptis; vt notauit Suarez *num. 3. ex can. 20. Congreg. 4. generalis de Generali Societatis*: denique est Superior ipsi Generali iam electo, vt de Generali Societatis colligitur ex *part. 10. Constit. num. 8.* iis verbis, *Refert etiam magnopere præter electionem si Præpositi particulares in sibi subditos, & Generalis in particulares, ac contra Soc. in Generalem multum potestatis habeant*; vnde Lezana *loco supr. citato* indefinitè loquens de Capitulo generali Religionum generaliter supponit illud esse superius ipso Generali. Quæ confirmari possunt ex eo quod ab Archiepiscopo potest appellari ad Synodum Prouincialem, tanquam ab inferiori ad superiorem, etsi ille in dicta Synodo sit caput: hæc autem proportionaliter in casu nostro procedit, teste Samuellio *tract. 3. de elect. dist. 5. controu. 4. num. 1.* pro nostra hac responsione adducente Sanchez *lib. 8. de matrim. D. 18. num. 36.* Nauarr. *lib. 1. consil. 6. de maior. & obed.* Hostiens. *in cap. graue de præbend. in fine*, & alios.

Quod autem diximus Generalem posse deponi à Capitulo generali, procedit non solum de Generali Societatis Iesu (vt iam dictum est) sed etiam de Generali PP. Dominicanorum: de quo in *Constitutionibus Ordinis distinct. 2. cap. 8. §. 6.* dicitur: *Diffinitores, quando eis videbitur expedire, excessum Magistri Ordinis seorsum corrigant, & emendent, qui coram ipsis humiliter se prosternens veniam faciat, & stans de suis excessibus se accuset, & Diffinitores audiant accusantem: auditis verò accusationibus secedat, & eo absente Diffinitores de eius correctione conferant, & disponant. Quod si præuaricator Ordinis fuerit, aut contemptor, aut adeò negligens, & remissus, quod Ordinis dissolutionem, & destructionem inducat, moneatur à Diffinitoribus, vt Magistratui cedat, & aliquem locum ad manendum sibi eligat, vt possit honestè conuersari: alioquin amouendi eum ab officio Magistratus liberam habeant facultatem.* Idem procedit de Generali PP. Theatinorum, de quo in *Constitutionibus ipsorum part. 3. cap. 7. 9.* dicitur: *Si qua de causa (quod Deus prohibeat) amouendus erit P. Generalis à munere, Consultores rem maturè perpendant, nec nisi grauissimis rationibus moueantur: tum de consensu maioris partis eorum Capitulum generale Romam, vel alio conuocent: ibi causa probè cognita P. Generalis deponi, & alius in eius locum eligi poterit. Causæ autem, ob quas esset amouendus, hæ sunt, crimen hæresis, carnis incontinentia, bonorum Congregationis dissipatio, siue ea in suum, siue in aliorum conuertat commodum; si regularis disciplinæ, & rerum gerendarum ita socors sit, ac negligens, vt destructio nostræ Religionis, aut dissolutio timeatur: si Constitutiones in rebus grauibus non seruet, nec curet ab aliis seruandas; denique si quod crimen commiserit, quod vel per leges ciuiles pœna capitis, vel iuxta sacros Canones depositione puniatur.* Idem procedit, & de Præsidente Generali Ordinis S. Benedicti, in cuius *Constitutionibus p. 2. cap. 10. num. 5.* de Præsidente dicitur: *Post hæc prostratus coram omnibus de excessibus, & negligentiis suis se accuset, & subiiciat se Capituli correctioni veniam, & orationem pro se postulans à Fratribus.*

Qværes IX. An, & quo modo Capitulum generale possit condere nouas leges, ac statuta.

Respond. posse; & probatur, tum ex praxi omnium Religionum, quæ talem potestatem agnoscunt in suis Capitulis generalibus, imò & exercent ferendo leges, & statuta perpetua, prout iudicant expedire ad bonum commune Ordinis; tum quia talis potestas competit Ordinibus Religiosis ex variis priuilegiis ad talem effectum ipsis concessis: quale est illud, quod Paulus III. fecit Societati Iesu in sua Constitut. *Regimini militantis Ecclesiæ* his verbis: *Qui quidem Præpositus de consilio Consociorum Constitutiones ad constructionem huius propositi nobis finis conducentes in consilio condendi auctoritatem habeat, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente*, &c. (vbi obiter notandi consilium, quod hîc requiritur, non solum petendum esse, sed etiam sequendum iuxta dicta *sect. præced. quæst. 34.*;) tum quia potestas ferendi leges, etiam perpetuas est omninò necessaria ad bonum regimen vniuscuiusque Communitatis; vt ostendit Suarez *lib. 4. de leg. cap. 1. num. 15.* & constat ex eo quod futilis esset gubernatio, nisi adesset necessitas præcipiendi; data autem tali potestate in Religionibus (sicut omninò dari debet) iam apparet illam non posse vlli rationabilius attribui, quàm Capitulo generali: quippe in quod conueniunt viri Ordinis primarij pietate, doctrina, prudentia, ac rerum experientia insigniores, qui proinde opportuniora consilia præbere, ac vtiliora statuta edere possunt: qua de re *sup. cap. 5. num. 21.* 63.

Sic 1589. in Capitulo Romano à Patribus Dominicanis declaratum fuit non esse in potestate alicuius Prouinciæ prætextu cuiuscumque consuetudinis, aut priuilegij non acceptare acta Capituli generalis, & ea non obseruare, & tales consuetudines, & priuilegia, si quæ sunt, etiam auctoritate Apostolica interueniente, reuocantur. Vnde in fine actorum Capituli solet apponi tale præceptum, *Præcipimus in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ Præsidentibus Prouinciarum, & Congregationum, vt acta huiusmodi in suis Conuentibus legere faciant publicè quamprimum, & postea quater in anno, & executioni mandari procurent, & quod in quolibet Conuentu tres copiæ illorum habeantur, quarum vna cum aliis in deposito seruetur, alteram habeant Priores, tertiam magistri Nouitiorum.* Vnde quis bene inferat acta, ac ordinationes Magistri Ordinis, ac Capituli generalis durare post eorum mortem: ad quid enim præciperetur, vt in omnibus Conuentibus haberentur exemplaria ordinationum prædictarum, ac legerentur quater in anno, si iis decedentibus annullarentur. Vnde fit reuocatam fuisse quamdam declarationem asserentem acta Capituli generalis durare solum vsque ad receptionem actorum Capituli sequentis. Item in *Constitutionibus Patrum Seruitarum cap. 33.* dicitur: *Constitutiones hæ nullo vnquam tempore mutentur, sed eis permanentibus immotis, (si casus occurrerit, propter quem noua aliqua statuta facere oporteat) possit Capitulum generale nouas Constitutiones (quæ tamen sacris Canonibus, & Sacris Tridentini, ac aliorum generalium Conciliorum decretis, atque aliis Apostolicis, & præsentibus Constitutionibus non aduersentur, condere, & promulgare, quæ statim cum Capitulo generali fuerint promulgata, vim habere intelligantur: Generalis verò ipse Constitutiones totam Religionem, vel illius statum concernentes nullatenus concedere possit.* Item in *Constitutionibus Augustinianorum Discalceatorum Italiæ p. 3. c. 2. n. 15.* habetur: *Solæ Constitutiones perpetuò durabunt: vt verò in corpus Constitutionũ aliquid redigatur, prius per sexenniũ, vt ordinatio à duobus Capitulis approbabitur.*

& si in tertio Capitulo septem è nouem Patribus confirmauerint, vim Constitutionis habere incipiat, dũmodo fuerit à Sede Apostolica approbata: & idẽ dicimus de abrogatione, seu alteratione alicuius Constitutionis.

Addo Sacram Congregationem Visitationis Apostolicæ anno 1627. declarasse, facto verbo cum Sanctissimo, non licere Fratribus Augustinianis Discalceatis Italiæ, neque in Capitulis generalibus, facere nouas ordinationes, ac statuta sub quouis nomine contrarias, aut contraria Constitutionibus Apostolica authoritate firmatis, easque non potuisse, nec posse practicari, antequam à tribus Capitulis generalibus dispositæ, & à Sede Apostolica fuerint confirmatæ, & hæc declaratio habetur *in bullario tom. 4. Constit. 51. Vrbani VIII.*

64. Verum tamen est, quod, cum ista potestas ferendi leges conferatur à Summis Pontificibus iuxta regulam vniuscuiusque Ordinis ad effectum, vt quælibet Religio gubernari possit secundum propriam Regulam; ideò iuxta modum præscriptum in regula vniuscuiusque Religionis censenda est collata talis potestas, siue soli supremo Prælato, nempe Generali, siue Capitulo generali, aut prouinciali, siue vtrique simul: quod non potest colligi, nisi ex Constitutionibus singulorum Ordinum; sicut benè innuit Suar. *sup. l. 4. c. 6. n. 21.*

65. Quin etiam statuta modo dicto facta in Capitulo, aut Congregatione generali, eo ipso censentur confirmata auctoritate Apostolica ex variis priuilegiis Pontificis ad id concessis, & præsertim ex indulto Pauli III. concesso Societati Iesu in sua bulla, *Iniunctum nobis*, his verbis: *Ac quod quascumque, inter eos Constitutiones particulares, quas ad Societatis huiusmodi finem, & Iesu C. D. N. gloriam, ac Proximi vtilitatem conformes esse iudicauerint, condere, & tam hactenus factas, quam in posterum faciendas Constitutiones ipsas iuxta locorum, & temporum, ac rerum qualitatem mutare, alterare, seu in totum cassare, & aliàs de nouo condere possint, & valeant; quæ postquam mutata, alterata, seu de nouo condita fuerint, eo ipso Apostolica auctoritate confirmata censeantur.* Vbi notandum ex dictis *in tract. de obligat. cap. 2. q. 4.* quod, cum Papa non vtatur verbo *approbandi*, sed *confirmandi*, & verbum, *approbare*, vi suæ significationis magis respiciat intellectum, & spectet ad clauem scientiæ, *confirmare* verò magis pertineat ad clauem iurisdictionis, ac referatur ad vim obligandi; tali modo loquendi innuitur Papam vi huius concessionis intendere quidem dare robur Constitutionibus eo ipso, quod fiunt, non ideo tamen eas approbare, vt declaret illas esse conuenientes, aut opportunas: cum potius id supponat, vt aduertit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. l. 1. c. 4. n. 12.*

Dubium modò est, an Capitulum generale possit facere leges perpetuas, etiam repugnante Generali ipsi præsidente.

66. Respond. posse, si maior pars Capitularium concordet in legem ferendam; & ratio est, quod potestas legislatiua adæquatè est in Capitulo, seu maiori parte illius, & Generalis non concurrit, nisi tamquam vnus ex habentibus suffragium; vnde parum refert ad valorem legis ferendæ, quod ille dissentiat, si alioqui adsit numerus suffragiorum iure requisitus. ita in terminis Lezana *tom. 2. cap. 12. n. 6.* addens quoad hoc in eo differre Capitulum generale comparatum cum suo Generali à Concilio generali comparato ad Papam: quod cum Generalis sit subditus capitulo, possunt, etiam eo repugnãte, ferri leges ab ipso capitulo: at verò, cum Papa sit supra concilium, non tenebit lex facta à Concilio, Papa renuente; quod prius notauit Suarez *sup. tract. 8. l. 2. c. 8. num. 8.* monens ad hoc vt, renuente Generali, possit fieri lex à capitulo generali, partem ipsius capituli debere sic excedere, vt superet qualitatem, aut prærogatiuam, quam iuxta ordinationes Religionis fortè habeat generalis in suffragando.

67. Monet autem Suar. *num.* 18. quod, cum capitulum generale iuxta dicta sit supra Generalem Ordinis, potest illum suis legibus obligare non minùs quam cæteros de capitulo: & quidem non solum, quoad vim directiuam, sed etiam quoad coactiuam; sicque in Religionibus, in quibus Generales sunt temporales. absoluto generalatu solent puniri, si constitutiones Religionis violarunt; quippe qui de se Rei pœnæ facti sunt, quamuis pro tempore Generalatus non potuerint puniri ex defectu Superioris intra Religionem, cum tamen potuissent puniri à Papa, si de eorum delictis cognouisset; imò etiam durante Generalatu, si generale capitulum congregetur, potest cognoscere de talibus transgressionibus, easque punire: & quidem etiamsi munus Generalatus sit perpetuum. Ita Suar. addens *num.* 19. idem dicendum de toto capitulo generali, si contingat ipsum delinquere contra regularem obseruantiam, prout est vniuersitas; nam verè committit delictum, etiam in foro humano, licèt ex defectu Superioris puniri non possit, nisi à Papa.

68. Quin etiam (vt id obiter notem) putat Suar. *num. cit.* quod, si alicubi Generalis habeat potestatem ferendi leges perpetuas, solus, & sine capitulo) qui tamen casus non videtur dari de facto:) tunc Generalis teneretur obseruare tales leges, etiam quoad vim coactiuam, adeóque per illarum violationem fieret reus pœnæ infligendæ, non quidem à se ipso, sed à Superiore, si quando habuerit, aut saltem à Papa. & ratio est, quod in proposito casu potestas legislatiua confertur Generali, siue immediatè à Papa, siue mediante ipsa Religione; ita vt etiam ipse teneatur seruare leges à se latas, si ratio, & materia legis ei sit communis: ne alioqui talis potestas dicatur ei data in destructionem.

Vnum addo ex *Constitutionibus Augustinianorum Discalceatorum Italiæ cap. 2. n. 13.* quantum fieri potest, abstinendum à nouis Constitutionibus, & ordinationibus, sed inuigilandum, & Superioribus strictè iniungendum, vt scripta obseruent, & obseruari faciant, & defectus particularium medicinis particularibus curentur: ad obseruantiam enim plurimum confert, quæ sanciuntur, & pauca, & stabilia esse; sicut è contrario legum multitudo, & inconstantia obseruationem labefactant. Quod prius præscriptum fuerat *in proœmio Constitutionum S. Dominici* §. 10. his verbis: *Prælati omnes à multitudine præceptorum, & ordinationum abstineant, ne laqueum animabus subditorum iniiciant: nec propter defectum vnius, vel paucorum, quem, vel quos non audent corrigere, communitatem inuoluant.*

QVÆRES X. An capitulum generale possit ferre leges perpetuas etiam ante electionem Generalis.

69. Respond. de iure communi posse, nisi obstent iura propria Religionis, aut indulta pontificia. Ita Suarez *sup. num. 9.* & probatur, tum ex vsu Religionum, quæ modo dicto solent facere huiusmodi leges; vt videre est in decretis congregationum generalium Soc. Iesu, inter quæ aliqua recensentur facta ante electionem, & alia post; tum quia capitulum generale, etiam ante electionem habet supremam iurisdictionem in talem Religionem immediatè à Papa, nec tunc omninò caret capite, cum habeat Vicarium,

seu

seu Præsidentem habentem simul cum toto capitulo illam eamdem potestatem ad præcipiendum, aut statuendum, quam habere potest capitulum cum Generali electo; sicque non potest diei acephalum, idest sine capite (quomodo dici posset concilium generale congregatum Pontificatu vacante;) tum quia etiam capitulum Ecclesiæ cathedralis, Episcopatu vacante potest facere leges durantes, & obligantes etiam post Episcopi electionem; vt notauit Federic. de Senis *cons*. 16. *n*. 1. & sumitur ex Abb. *à nobis* 1. *de sent. excommunic. n*. 12. ergo etiam capitulum generale Religionum poterit idem præstare ante Generalis electionem; cum hac tamen differentia, quod leges latæ à capitulo Ecclesiæ cathedralis reuocari possunt ab Episcopo postea electo; non item à Generali iam electo, quæ in Religionibus fiunt à capitulo generali, nisi de consensu eiusdem generalis capituli; vt recte aduertit Suar. idque ex diuersitate potestatis legislatiuæ, quæ competit capitulo cathedralis Ecclesiæ, & capitulo generali Religionum. de qua te *sup. cap*. 3. *num*. 22.

QVÆRES XI. An Capitulum generale possit reuocare leges, & statuta alterius Capituli generalis.

70. Respond posse, etiamsi aliàs auctoritate Pontificia sint confirmata (vti diximus *q*. 9. §. *quin etiam*) quamuis non videatur expedire, vt passim fiat talis reuocatio: ad quod facit illud Alcibiadis, apud Thucididem, *Eos hominum tutissimè agere, qui præsentibus moribus, antiquis legibus, etiamsi deteriores sint, minimum variantes Rempublicam administrant*. Ita Peyrin. *tom*. 1. *priuil. const*. 8. *Iulij II. n*. 3. ex Rodriq. *tom*. 1 *q*. 68. *art*. 5. & Anguiano *l*. 3. *de leg. contr*. 6. *n*. 5. & probatur, tum ex praxi Religionum, quæ interdum solent facere talem reuocationem: tum ex variis priuilegiis ad id concessis Religionibus, & præsertim ex indulto Pauli III. concesso Societati Iesu, & relato hîc *q*. 9. §. *quin etiam*, per quod conceditur facultas mutandi, alterandi, seu in totum cassandi Constitutiones iam editas; tum quia quod ob gratiam alicui est concessum, non debet in eius dispendium retorqueri *regular*. 61. *in*. 6. cum ergo potestas legislatiua sit gratia facta Religioni, non debet cedere in eius præiudicium: quo modo verè cederet, si occurrentibus iustis causis abrogandi aliquod statutum Capituli generalis, non posset Capitulum generale illud abrogare; tum quia qui potest facere legem, potest etiam soluere; cum eiusdem virtutis sit soluere, ac ligare soluere autem legem nihil aliud est, quam illam reuocare. Sic etiam *in Const. PP. Theatinorum in proœmio*, dicitur: *Nemo autem excepto Capitulo generali (penes quod per Summorum Pontificum priuilegia est authoritas nouas condendi leges, & veteres abrogandi) audeat his nostris Constitutionibus aliquid mutare, addere, vel minuere*. Sic in *Constitutionibus Augustinianorum Discalceatorum Italiæ p*. 3. *cap*. 2. *n*. 13. habetur: *Ad hoc Definitorium spectat iuxta iuris formam Constitutiones, ordinationes, declarationes, inchoationes, condere, annullare, alterare, &c. sed in his omnibus maxima cum maturitate procedendum est*, è contra *in Constitutionibus Seruitarum cap*. 43. dicitur: *Constitutiones hæ nullo vnquam tempore mutentur, sed eis permanentibus immotis (si casus occurrit, propter quem noua aliqua statuta facere oporteat) possit Capitulum generale nouas Constitutiones condere, & promulgare*.

71. Dixi sub initium responsionis, *etiamsi aliàs auctoritate pontificia sint confirmata*: vt indicarem, quod, quamuis Capitulum generale religionum non possit derogare statutis confirmatis a Papa ex certa scientia: cum confirmatio ex certa scientia sit potius noua concessio, quàm confirmatio, adeóque rualider actum, alioqui nullum iuxta *cap. veniens, de transact*. id tamen non procedit in casu, quo statuta confirmentur à Papa in forma communi) sicut euenit in præsentia:) sic quippe confirmatio statutorum non facit, quod ea omittant primordialem suam naturam, ita vt fiant irreuocabilia: sed solum, quod recipiant vim, ac firmitatem, donec reuocentur ab alio Capitulo.

QVÆRES XII. An Capitulum generale vnà cum Prælato Ordinis possit condere noua statuta arctiora, quæ sint simpliciter supra Regulam.

72. Respond. non posse. Ita Miranda *in manual. tom*. 1. *q*. 26. *art*. 10. Sanch. *l*. 6. *mor. c*. 2. *n*. 18. Syluest. *v. relig*. 6. *q*. 6. Peyrin. *de R. S. q*. 1. *c*. 8. §. 2. Lezana *sup. n*. 9. aliique, & patet, tum ex dictis *in tract. de votis*, *c*. 4. *sect*. 3 *q*. 5. §. *caterum*. tum quia potestas legislatiua concessa est Religionibus solùm pro obseruantia Regulæ institutæ, sicque non extenditur ad ferenda statuta, quæ sint supra regulam; tum quia, vt benè aduertit Abb. *in c. cum omnes, de Constit. n*. 5. in re communi pluribus, vt singulis, non valet quicquid facit maior pars, sed oportet, quod omnes consentiant, quibus fit præiudicium: idque iuxta regulam 29. in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*. Quamquam doctrina præsentis responsionis non procedat in iis Religionibus, in quibus Regula præcipit obediendum esse in omnibus, quæ non sunt contra Regulam, aut animam (vt in Ordine Minorum) vel certe in omnibus, in quibus non cernitur manifestum peccatum; (vt in Societate Iesu;) in iis enim vtique possent à Capitulo generali fieri statuta, quæ essent etiam supra Regulam, vt rectè notauit Lezana *sup*. & *tom*. 1. *c*. 4. *n*. 13. ex Lessio *l*. 2. *c*. 41. *n*. 75.

QVÆRES XIII. An Capitulum generale possit reformare Regulam iam collapsam obligando subditos ad obseruantiam talis Reformationis.

73. Respond. posse, & probatur, tum ex dictis *in tract. de votis cap*. 4 *sect*. 3. *q*. 4. tum quia Summi Pontifices identidem induerunt talem reformationem: quod vtique non facerent, si Religiosi possent illam reiicere: tum quia reformatio Regulæ relaxatæ non est supra ipsam regulam, sed iuxta illam, maximéque eam concernit; cum quotidiana constet experientia Ordines, qui modo dicto non reformantur semper ruere in peius. sic Sanch. *sup. n*. 35. Peyrin. §. 3. Lezana *tom*. 2. *c*. 12. *n* 10. aliique penes ipsos; inter quos docet Sanch. *n*. 36. posse maiorem partem Capituli generalis, & quemcumque alium Superiorem habentem potestatem condendi leges pro Religiosis subditis, ferre statuta non contenta in Regula antiqua, si ea pro temporis, ac loci ratione necessaria, & opportuna ad vitæ religiosæ reformationem, & votorum essentialium, aliorúmque statutorum Religionis obseruantiam hîc, & nunc iudicio prudentis indicentur: vtpote, quæ indirectè pertinent ad Regulam, & sub ea implicitè comprehenduntur.

74. Limitat tamen Sanch *n*. 38. & 39 istam doctrinam nisi professus tempore regulæ collapsæ sit adeò delicatus, vt non habeat vires sufficientes ad sustinendam Regulæ reformationem: quo casu dispensandum esset cum illo, vt transire posset ad Religionem similem illi collapsæ, in qua professus est; alia autem limitatio est, nisi tempore professionis profitens intendisset solùm se obligare ad Regulam illam sic relaxatam: eum enim id potuerit facere absque iniuria Religionis, stante quod, seclusa reformatione, talis Regula, vt abolita legitima consuetudine, aut dispensatione ad amplius pro tunc non obligaret: non potest ad dictæ Regulæ reformationem

adstringi

QVÆRES XXI. An, & quomodo de consensu capituli generalis possint Regulares facere munera, ac largitiones non obstante Constitutione Clementis VIII. *de largit. muner.*

83. Respond. posse: idque ex concessione ipsiusmet Clementis VIII. facta in citata Constitut. his verbis: *Adeo nemo vnquam eorum, vel earum* (idest Regularium vtriusque sexus) *directè, vel indirectè, palam, vel occultè, tam communi, quam particulari, & proprio nomine etiam sub quouis statuti, vel consuetudinis, seu verius corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacumque causa, nisi in Generali Capitulo, aut alia generali Congregatione re maturè discussa vnanimi consensu omnium, Superiorumque permissu causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat*: nimirum donando, & largiendo; quod tamen intelligendum est cum moderatione facta à Vrban. VIII. die 16. Octob. 1640. in bulla confirmatoria citatæ Constit. Clement. VIII. in qua bulla confirmatoria declaratur munera à Religiosis vtriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis beneuolentiæ, eiusque conseruationis erga ipsam Religionem, vel Conuentum, aliisque causis ex sui natura actum virtutis, & meriti cõtinentibus, modestè tamen, ac discretè, & dummodo id non fiat, nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam consensu maioris partis Conuentus, si talis cõsensus de iure, vel ex Cõstitutionibus, seu consuetudinibus cuiuscumque Religionis respectiuè in huiusmodi casibus requiratur. Vnde ego infero Regulares modò posse facere multas donationes de licentia solius Prælati localis, ac consensu maioris partis Conuentus, quas ante præfatam Constitutionem moderatoriam Vrbani VIII. non poterant facere, nisi de licentia Superiorum, & vnanimi consensu Capituli generalis, nullo prorsus Capitularium discrepante.

QVÆRES XXII. An statuta facta in Capitulo generali reuocari possint à Generali Ordinis independenter ab ipso Capitulo generali.

84. Respond. non posse, stando in iure communi. ita Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 10. cap. 14. n. 14.* loquendo in specie de canonibus, ac decretis, quæ fiunt à Congregatione generali in Soc. Iesu; probat, quia Congregatio est Superior Generali; constat autem, quod lex Superioris non potest reuocari ab inferiori, cuiusmodi est Generalis Societatis respectu Congregationis generalis; quæ ratio vtique militat etiam in Generalibus aliorum Ordinum respectu legum, ac statutorum, quæ fiunt in Capitulis generalibus. Quod tamen non facit, quin Generales Ordinum possint interpretari, ac declarare omnia dubia occurrentia in quibuscumque statutis proprij Ordinis respectiuè: cum id ipsis per bullam fuerit concessum à Clemente VII. teste Io. de la Cruz *lib. 2. de statu relig. cap. 2. d. 2.* declarare, inquam, & quidem non solùm declaratione doctrinali (quæ permittitur etiam priuatis Doctoribus) sed etiam iuridica; vt in simili notauit Peyr. *tom. 1. priuil. constitut. 10. Vrb. VIII. num. 6.*

QVÆRES XXIII. An Capitulum generale possit dispensare cum Religiosis illegitimis ad gradus, honores, ac dignitates Religionis.

85. Respond. posse ex bulla Gregor. XIV. afferenda *sect. seq. quæst. 8.*

QVÆRES XXIV. Quinam ex decreto Clement. VIII *pro reformat. regul.* eligi debeant in capitulo generali ad examinandos eos Religiosos, qui debent deputari ad audiendas confessiones, ac conciones habendas, necnon ad legendum publicè, imò & promoueri ad Ordines.

Qua occasione moneo Pasqualig. *tom. 2. quæst. 185 num. 5.* dissentire à nobis in eo, quod dicimus *tract. 7. cap. 5. num. 31.* facultatem dispensandi super irregularitatibus competentem Regularibus Prælatis in ordine ad Religiosos subditos non extendi ad forum externum: dicit enim Prælatos supradictos vi suorum priuilegiorum posse in foro externo dispensare cum propriis subditis super infamia iuris, & omnibus irregularitatibus ex delicto contractis post emissam professionem, præterquam ex homicidio voluntario, ac mutilatione membrorum; & pro se adducit, loquendo de irregularitate ex infamia. Nald. *v. infamia num. 1.* Peytin. *de R. S. quæst. 1. cap. 27. v. quod licet*, Lezana *v. infamia num. 27.* & Bordonum *tom. 1. resolut. 11. num. 50.* loquendo de aliis irregularitatibus. probat Pasqualigus suam sententiam ex variis priuilegiis bullatis, quæ adducit, & maximè ex priuilegio Pij V. concesso Benedictinis in bulla, *Dum ad Congregationem* in ordine 129. quod sic habet: *Omnibus, & singulis modernis, & pro tempore existentibus Abbatibus, & Prælatis Congregationis huiusmodi quoscumque illius pro tempore existentes Monachos, Conuersos, Commissos, & Oblatos, tam Professos, quam Nouitios, in ea tamen perseuerantes à quibusuis criminibus, reatibus, culpis, censuris, & pœnis, per eos, & eorum quemlibet, tam ante, quam post illorum in Congregationem huiusmodi, ac monasteria sub illius obedientia existentia ingressum, seu professionem regularem per eos emissam ex quauis causa, & ob quemuis excessum, & delictum publicum, vel occultum casu, seu data opera, quomodolibet ab eis, & singulis, etiamsi homicidium voluntarium seu membri mutilatio, non tamen post ingressum huiusmodi pro tempore subsecutum, seu subsecuta fuerit, incursis, & in futurum incurrendis; etiamsi de casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, vel de comprehensis in Bulla, quæ die cœnæ Domini singulis annis legi consueuit, & fuerint, plenariè toties, quoties opus fuerit, iniuncta sibi pro modo culpæ pœnitentia salutari (quoad reatum homicidij tantum, in foro conscientiæ) absoluendi, & liberandi, ac in pristinum, & eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, & fuerant, statum redintegrandi, omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam, siue notam inde quomodolibet insurgentem ab eis, & eorum quolibet prorsus abolendi, secumque quod præmissis non obstantibus non promoti, ad omnes, etiam sacros, & Presbyteratus ordinem promoueri, atque monasteriis eiusdem Congregationis in Abbates, Priores, & Prælatos præfici, necnon ad quascũque alias dictæ Cõgregationis Prælaturas eligi, & assumi, munusque benedictionis suscipere*, &c. circa cuius priuilegij intelligentiam notat Pasqualig. *n. 8.* quod quando absolutio, ac dispensatio restringitur ad forum conscientiæ, restringitur item ad solum homicidium (vt cõstat ex illis verbis: *Quoad reatum homicidij tantum, in for. conscientiæ tantum* (siquidem dictio, *Tantum*, est restrictiua, & excludit cætera, *l. Iulianus, ff. de petit. hered. l. his solu, ff. de condict. indeb. l. aduersus C. de aduer. rem iud.*) adeoque cum hic restringatur solum homicidium ad forum conscientiæ, reliqua, quæ in hoc priuilegio conceduntur, manent exclusa à tali restrictione & consequenter facultas concessa in ordine ad ea, erit non solum quoad forum conscientiæ, sed etiã quoad forum externum: maximè cum exceptio firmet regulam in contrarium, *l. quæsitum, §. denique, ff. de fun. instruct.* & notant Glossa & Doct. *in Rubr. de regul. iur. in 6.* ita Pasqualigus, & meo iudicio probabiliter, attento Pij V. priuilegio superiùs relato, quod ipse Pasqualigus dicit tollere omne dubium: præsertim cum fuerit concessum post Tridentinum, & post derogationem priuilegiorum factam à Pio IV. obstantium statutis dicti Concilij Tridentini.

Addo

Addo ex eodem Pasqualigo *tom.2.quest.*184.*num.* 3.priuilegium à Pio V.cóceſſum Patribus Theatinis in bulla, *ad Immarceſcibilem* 31. *in ordine* (quod Prælati,etiam locales poſſint proceſſuros in ſua religione abſoluere ab omnibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, ptæterquam in Bulla cœnæ, & ab omuibus cenſuris,etiam per ſententiam latis,ſine tamen præiudicio alterius, & diſpenſare ſuper omni irregularitate quomodolibet contracta, præterquam ex homicidio voluntario, & ſuper omni inhabilitare, & omnem notam,ac infamiam abolete,& teſtituere in priſtinum ſtatum(ſuffragari poſſe etiam poſt profeſſionem ei, qui ante illam eo vſus non eſt. Probat, quia Henriquæ *lib.7.cap.*11.*num.*4. Saye *lib.*6.Clauis reg.*cap.*12.*num.*17.Sa.v.*indulgentia*, *num.*14.Sanch.*l.* 8.*de matr.D.*15.*num.*17.Diana *part.2.tract.*16.*reſol.*1. aliique plurimi ſuſtinent, elapſo tempore Iubilei, poſſe quem diſpenſari in votis,in quibus noluit tunc diſpenſati, aut quorum oblitus eſt,ſi Iubileum obtinuit: quippequi acquiſiuit ius,ac priuilegium(quod poſſet diſpenſari) & quidem oon affixum tempori, ſicut eſt affixum Iubileum: par autem ratio videtur procedere in noſtro caſu; cum præfatum priuilegium conceſſum ſit intuitu profeſſionis, & in eius fauorem; finiſque conceſſionis ſit,vt profitens ſit io Religione liber ab omni cenſura, itregularitate, inhabilitate, ac infamia;adeoque hoc ipſo,quo quis profitetur,acquirit ius ad talem gratiam profitenibus conceſſam,ſicque poteſt ea frui,quandocumque voluerit; tunc enim ius acquiritur ad aliquid conceſſum ſub conditione alicuius operis, quando opus illud impletur. Quod magis conſtat ex indulto eiuſdem Pij V. conceſſo Benedictinis in *bulla* 136. *in ordine*,vbi exprimit,quod etiam poſt emiſſam proſeſſionem poſſint Prælati vti cum religioſis ſubditis dicta facultate. Prætetquam quod hoc priuilegium non fuit factum ad tollendum aliquod impedimentum obſtans Profeſſioni: ſed vt Profeſſus ſit expeditus ad officia,ac munera Religionis:vnde fit,vt durante hoc fine poſt Profeſſionem, durare debeat & priuilegium; ſicut ceſſat, ceſſante cauſa,arg ex contrario ſenſu, *cap.magna*, *de voto.cap.cum ceſſante*, *de appellat.l adigere*,§.*quamuis,ff.de iur patr.* Nec obſtat 1.quod cauſa impulſiua huius conceſſionis,ac vſus illius ſit emiſſio Profeſſionis;ſufficit enim quod fuerit emiſſa;nec emiſſio requiritur de præſenti,quando exerceri debet dicta facultas:nam quando requiritur pro certo tempore, ſufficit eam exiſtere illo tēpore, nec debet perſeuerare,vt duret effectus ab ea dependens. Non obſtat 2. quod in conceſſione dicitur:*In eorum,& cuiuſlibet ipſorum Profeſſionis emiſſione,ſeu alio anteriori die quocumque*:nam ſic iudicatur vſum huius priuilegij debere differri vſque ad tempus Profeſſionis,vtpote competētis, ſolùm iis,qui profeſſuri ſunt; cuiuſmodi ſunt ij ſolùm, qui ad profeſſionem capitulariter admiſſi ſunt, ſicque expectari debet dies profeſſionis, aut alius anterior, in quo Religioſus habeatur pro profeſſuro: quare determinatur tempus non ad excludendum ſubſequens, ſed ad excludendum anterius, & tempus quod debet expectari, non autem tempus, in quo finiatur facultas cōceſſa.

Porrò, cum in conceſſione Pij dicatur, *vſque ad dictam diem quomodolibet perpetratis*, *commiſſis*, & *incurſis*: ſi quis poſt profeſſionem ea vtatur, ſolùm ei proderit,quoad cenſuras, inhabilitates,ac irregularitates incurſas ante profeſſionem: ſicut citati Doctores dicunt de commutatione votorum in in caſu ſupra propoſito; ea ſcilicet vota ſolum poſſe commutari,quæ facta fuerant, antequam expiraret tempus Iubilei.

Addo hanc conceſſionem prodeſſe etiam pro foro externo:cum in ea detur facultas abſoluendi à cenſuris,in habilitationibus, infamia, ac irregularitatibus publicis prouenientibus ex ſententiis, adeoque deductis ad forum externum;& quidem plene,abſolutè,totaliter, & non limitando ad forum conſcientiæ;quod vtique non verificaretur, ſi abſolutio non prodeſſet, quoad forum externum:cum plenè abſoluere dicat plenam facultatem; qualis non eſt, quæ poteſt eſſe maior,nempe etiam pro foro externo,*cap. benè quidem*, *diſt.*91.*cap. Apoſtolicæ*, *de praben.in* 6. Bald.*conſ.*269.*num.*3.*lib.*4.

86. Reſpond. debere eligi aliquot graues, & peritos ex religioſis cuiuſlibet Prouinciæ, ſaltem tres, qui Religioſos ad prædicta munera deputādos diligenter ſimul examinent,priuſquam probentur,& ad huiuſmodi miniſteria admittantur: & debent examinare eos, qui debent ad quoſcumq; Ordines promoueri, & quidem,tam quoad doctrinam,quam quoad mores, habetur expreſsè in ipſomet decreto *n.* 7. quod tamen mihi certò non conſtat eſſe in vſu apud omnes Religiones, ſaltem quoad omnes, ac ſingulas illius partes,vnde inſpicienda eſt praxis vniuſcuiuſque Ordinis & ex ea colligendum, qualiter tale decretum obſeruetur.

QVÆRES XXV. Qualiter generales Religionum in Capitulo generali rationem reddere debeant adminiſtrationis, tam publicæ quam priuatæ.

87. Reſpond. debere reddere,ſicut ſcribitur in citato decreto Clementis VIII.*num.*13. nimirum in quolibet proximo Capitulo generali ſaltem coram tribus Iudicibus ab ipſo Capitulo ad hoc conſtitutis, & quidem ita, vt talis redditionis authenticum exemplum ex actis capitoli deſcribatur ad hoc,vt ad omne mandatum Sedis Apoſtolicæ Romam tranſmitti poſſit; quin etiam vi huius decreti tenetur Generalis modo dicto reddere rationem de ratione adminiſtrationis ſibi reddita ab Officialibus monaſteriorum particularium; vt clarè colligitur ex verbis eiuſdem decreti:

QVÆRES XXVI. Quibus pœnis ſubiaceant Religioſi, qui in Capitulis locorum,& præſertim in generalibus directè,vel indirectè procurant aliorum ſuffragia, ſiue pro ſe ipſis,ſiue pro aliis.

88. Reſpond.vltra aliàs pœnas aliis iuribus,ſiue communibus, ſiue propriis latas cōtra huiuſmodi ambientes,ex citato decreto Clementis VIII.*num.*35.ſubiacere priuationi officiorum, quæ obtinent, & quidem eo ipſo incurrendæ vna cum inhabilitate ad futura quæcumq; officia;& ita,vt ſuper iis à nemine diſpenſari poſſint,niſi ab ipſomet Papa; quæ pœnæ item extenduntur ad complices, & ad ſimpliciter ſcientes,& non reuelantes.

QVÆRAS XXVII. Qualiter abſolui poſſint à peccatis,ac cenſuris Religioſi intereſſentes Capitulo generali.

89. Reſpond. poſſe abſolui ab omnibus, & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis,& interdicti cenſuris, & Eccleſiaſticis pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione,vel cauſa latis,atque etiam ab omnibus quibuſcumque enormibus peccatis, criminibus, & exceſſibus, etiamſi talia forent, propter quæ Sedes Apoſtolica meritò eſſet conſulenda, ſalutari iniuncta pœnitentia, atque ſuper irregularitatibus quouis modo, & qualitercumque contractis vel contrahendis, cum eis,& earum qualibet diſpenſari; idque ex indulto Sixti IV.Ciſtercienſibus,& relato, tum in *comp. Ciſtercij v.capitulum gen.*§ 8 tum à Rodriq.*tom.*1.*queſt.*41. *art.*4. quod indultum extenditur ad omnes alias perſonas Ordinis Ciſtercienſis.

Noui

Nouitios scilicet, Donatos, & seruitores, commensales, nuntios, & procuratores Generali Capitulo interessentes. Circa cuius indulti intelligentiam notat Rodriq. quòd quamuis in eo concedatur facultas dispensandi super irregularitatibus quouis modo, & qualitercumque contractis, exceptæ censeri debeant irregularitates prouenientes ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum, & bigamia; quippe quæ in generali concessione semper censentur exceptæ, nisi expressè concedantur iuxta regulam iuris: *Non veniunt in generali concessione, quæ quis non esset verosimiliter concessurus, si in specie peterentur*: quod tamen non admittit Peytin. *in formul. lit. C. cap. 3. n. 2.* sustinens in præfato indulto comprehendi etiam istas irregularitates: eo quòd priuilegium Principis latè debeat interpretari, & verba simpliciter prolata simpliciter intelligenda sint.

90\. Quòd autem in dicto indulto conceditur confessarium idoneum ab Ordine deputatum præfatis Religiosis, & aliis supra recensitis posse concedere indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum remissionem singulis annis in eodem Capitulo intra viginti dies immediatè sequentes: modò non subsistit attenta generali reuocatione indulgentiarum facta, quoad Regulares à Paulo V. & à nobis explicata *in tract. de priuil. cap. 5. sect. 5. subs. 1. n. 179.*

Sectio III.

De Capitulis Regularium Prouincialibus.

91 *Explicatur, quid sit Capitulum prouinciale in Religionibus.*
92 *Ad illud conuocandi quicumque habent ius accedendi.*
93 *Conuocandum à Prouinciali.*
94 *Tertio quoque anno, & quidem in bonum totius Prouinciæ.*
95 *Capituli prouincialis potestas, est æqualis potestati Prouinciæ.*
96 *Extenditur ad faciendas leges pro tota Prouincia.*
97 *Nisi in aliquo Ordine id prohibeatur, vt in Societate Iesu.*
98 *Extenditur ad reseruandos casus pro Prouincia.*
99 *Item ad dispensandum cum illegitimis Prouinciæ ad Dignitates Ordinis.*
100 *Nec ad huius dispensationis valorem exprimenda qualitas illegitimitatis (quod alij negant.)*
101 *Illegitimus ad Dignitatem electus à scientibus eius defectum, & potentibus dispensare, censentur dispensati.*
102 *Dispensatio hæc facienda in Diffinitorio.*
103 *Capitulum prouinciale potest deponere Prouincialem, & Prælatos locales.*
104 *Subsistit depositio Prælati facta de consensu quinque Diffinitorum simul congregatorum, cum aliàs statutum sit depositionem Prælatorum teneri, si quinque ex septem Diffinitoribus in eam consentiant, & alij duo Diffinitores absuerint in eo euentu.*
105 *Tenet dicta depositio si causa eius sit notoria: etsi alioquin ea non esset facienda, nisi cognita iudicialiter causa depositionis.*
106 *Secus, si causa non sit notoria, & ea iudicialiter cognoscatur solum post depositionem factam.*
107 *Valent gesta à Capitulo contra statutum Ordinis irritans aliter facta, si Capitulum possit dispensare super eo statuto.*
108 *Capitulum prouinciale auferre potest, aut restringere Prouinciæ priuilegia Ordini concessa.*
109 *Eligit Examinatores deputandorum ad confessiones, & ad prædicandum intra Prouinciam.*
110 *Monet de executione Bullarum spectantium ad sanctum Officium.*
111 *Deputat Parochos pro Indiis.*

Quæres I. Quid intelligatur nomine Capituli Prouincialis.

Respond. intelligi adunationem Regularium certæ vnius Prouinciæ, ad peragenda negotia ipsiusmet Prouinciæ. 91.

Quæres II. Quinam debeant conuocari ad Capitulum Prouinciale.

Respond. debere conuocari eos, qui iuxta Regulam, aut constitutiones vniuscuiusque Ordinis de iure conuocandi sunt; cuiusmodi regulariter sunt Prælati locales singulorum monasteriorum Prouinciæ, & Socij, seu Discreti ad talem effectum electi in Capitulo locali, necnon etiam aliqui alij in hoc priuilegiati (vt in Ordine Carmelitarum Magistri in sacra Theologia, qui promotionem tenuerunt ab Ordine sibi factam complendo cursus suorum studiorum iuxta Religionis statuta in Prouincia, in qua positi sunt.) Dixi, *regulariter*, quia, quoad hoc, est aliqua diuersitas in Religionibus: vt patet in Soc. Iesu, in qua *p. 8. constit. cap. 3. lit. B.* statutum est ad Congregationes prouinciales, quæ in ea habentur, debere conuenire, & suffragij ius habere Professos omnes Prouinciæ, qui possunt interesse, Præpositos domorum, atque Collegiorum Rectores, ac Procuratores, vel eos, quos tanquam Vicarios illi suo nomine miserint; ita tamen, vt ad Congregationem prouincialem pro eligendo Procuratore Conuentum non excedant numerum quadragenarium, nec quinquagenarium, quando ad Conuentum generalem conuocantur Prouinciales: sic enim decisum fuit à Congreg. V generali, *can. 60.* vnde, quoad hoc, consuli debent Constitut. statuta, & consuetudines vniuscuiusque Religionis, eaque seruanda sunt. Sic in Ordine S. Dominici ad Capitulum prouinciale conueniunt Priores cum singulis Sociis à pluribus de suo Capitulo vltra medietatem eligentium electis, Prædicatores generales, id est, Magistri in sacra Theologia per Diffinitores Capituli prouincialis, & per Prouincialem instituti, necnon ij, qui fuerunt Prouinciales in prouincia, in qua Capitulum prouinciale celebratur. 92.

Quæres III. A quo debeat cogi Capitulum prouinciale, & quando.

Respond. debere cogi à Prouinciali prouinciæ, in qua facienda est conuocatio Capituli; & quidem eo tempore, quo præscribunt statuta Ordinis, aut consuetudo prouinciæ, vel Religionis: idque communiter, nisi concurrentes rerum, & temporum circumstantiæ aliud hîc, & nunc suadeant. Sic in Ordine Tertiariorum S. Francisci Prouincialis non potest celebrare vllum Capitulum, neque annale, neque triennale sine Generalis licentia, ac præsentia eius, vel alterius ab eo deputati, nisi ei indulgeat, vt ipse in Capitulis intermediis sit Præses, vt solet concedere; & colligitur ex Ordinis Regul. *cap. 2.* & in Constitutionibus nouis, *pag. 30.* quod procedit etiam in Ordine Minorum de Obseruantia, in quo Capitulum prouinciale est nullum, si fiat absente Generali; vt notat Miranda *tom. 2. Man. quæst. 16. art. 3. concl. 1.* addens *art. 7. §. nono*, indulgeri, vt Capitulum intermedium fiat sine licentia statutis temporibus. 93.

Quòd si quæras, an acta in Capitulo celebrato sine debita licentia, sint nulla, ac inualida.

Respond. Bordon. *tom.2.resol.* 58. *num.*7. ex Nauarr. *conf. 9. de offic. deleg. num.* 16. esse: probat, tum quia valor cuiuslibet actus pendet à voluntate, ac potestate agentis *cap. cum super, de offic. deleg.* Prouincialis autem cum Definitoribus non caret quidem voluntate, ac caret potestate, quam debet accipere à Prælato Superiori, sicque eius acta erunt nulla: tum quia acta sine licentia requisita sunt nulla, Authent. *licentia, C. de Episc. & Cler. l. si quis mihi bona, §. iustum, ff. de acquir. hared.* Tiraquel. *post leges connubiales, gloss.6.num.*7. tum quia Capitulum sine Præside, & capite non est, nec dici potest Capitulum, saltem formale, ac viuum valens operari, sed mortuum; mortuum autem nihil potest operari: tum quia acta in Capitulo non legitimè coacto censentur facta sine Capitulo, & extra Capitulum, teste Nauarro *sup.* adeóque nullam obtinent firmitatem.

Addit Bordonus, quod si Prælatus superior prohibeat celebrationem Capituli ex Regula, aut statuto celebrandi; si hoc nihilominus celebretur, acta in eo valent; & probat, quia si prohibitione quis faciat id, ad quod tenetur, non impedit actum geri validè, *l. Papinianus, de publiciana in rem*; & ea prohibitio, cum sit iniqua, reputari debet nulla, & habenda est pro non facta. Quod non facit, quin, occurrente iusta causa, possit Generalis prohibere dictam celebrationem, in casu scilicet vrgenti, & cedente in bonum commune Ordinis: idque ex epicheia declarando Regulam, aut statutm hic, & nunc non obligare.

QVÆRES IV. Quàm frequenter cogi debeat Capitulum prouinciale, & ad quem finem.

94. Resp. communiter solere cogi tertio quoque anno (idque de iure communi) cogi verò ad effectum promouendi regularem obseruantiam in prouincia, remouendos ab ea abusus, ac decidendas controuersias in illa fortè occurrentes, proportionaliter vt diximus *sect.prac.quast.*6. de Capitulo generali. dixi, *de iure communi*, quia de iure speciali Religionum potest contingere, quod Capitulum prouinciale frequentius, aut rariùs cogi debeat: sicque in hoc inspiciendum est, quid præscriptum sit in vnoquoque Ordine, illudque seruandi.

QVÆRES V. Quam potestatem habeat Capitulum prouinciale, generaliter loquendo.

95. Resp. quod, quamuis etiam in hoc esse possit aliqua diuersitas in Religionibus, ideóque recurrendum sit ad Constitutiones, & statuta vniuscuiusque Ordinis, vt constet quæ potestas competat Capitulo prouinciali; nihilominus dici potest, loquendo regulariter, attento iure communi posse Capitulum prouinciale ea omnia præstare, quæ potest facere tota prouincia, non quidem respectu totius Ordinis, sed in ordine ad prouinciam, in qua respectiuè cogitur Capitulum. ita Lezana *tom.2. cap.*12. *num.*4. in terminis; probatque, tum, quia id est conforme iuri naturali, quod, cum Capitulum prouinciale constet ex supremo capite prouinciæ, eiusque præcipuis membris, consequenter ei comparat tota illa potestas, quæ his iure proprio competit; tum, quia hoc ipsum habetur in iure, tam communi, quàm speciali Ordinum.

QVÆRES VI. An, & quas leges facere possit Capitulum prouinciale.

96. Respond. iure communi posse facere leges, easque perpetuas, obligantes tamen solùm in prouincia, in qua fiunt ita Lezana *supr.n.*18. patétque ex dictis in simili *sect.praced.quast.*8. de Capitulo generali, siquidem par ratio militat etiam in Capitulo prouinciali, adeóque procedit regula, quod, *vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio.* Verum tamen est, quod tales leges non debent esse contra ius commune, aut supra regulam Ordinis, sed iuxta, proportionaliter, vt diximus *quast.* 8. *citato*, vbi aliqua alia adducta sunt, quæ facere possunt ad præsentem quæstionem.

97. Dixi, *iure communi*, vt innuerem iure proprio Religionum posse euenire, quod contrarium in aliquo Ordine sit statutum: vt in Societate Iesu, in qua Congregatio prouincialis nullam legem facere potest, aut statutum, neque in aliqua ordinatione facienda votum decisiuum habent qui ad eam conueniunt, sed solum consultare possunt de rebus necessariis, vel opportunis, vt in Congregatione generali, si illa cogenda sit, decernantur, vel si non sit cogenda, Præposito generali proponantur. ita Suarez *tom.4. de relig. tract.* 10. *lib.*10. *cap.*1. *num.*5. ex 8. *p. Constitut. cap.* 2. 3. 5. *& part.* 9. *cap.* 5. §.4. & ex *Congregat.* 2. *generali, capit.* 29. & ex speciali formula Congregationis prouincialis approbata in *Congr.* 4. *generali.*

QVÆRES VII. An Capitulum prouinciale possit reseruare casus, & censuras, non obstante decreto Clementis VIII. hac de re edito, & à nobis latè explicato *in tract. de prohibit. cap.* 1.

98. Respond. posse, non quidem pro tota Religione, sed tantùm pro Prouincia respectiuè; id enim expressè statuitur in præfato decreto Clementis VIII. his verbis: *Si quod aliud praterea peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientia puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis Capituli in toto Ordine, aut prouincialis in prouincia, matura discussione, & consensu.* vbi notat Suarez *sup.tract.*8. *lib.*2. *cap.*18 *num.*15. Papam in tali decreto non intendisse nouam potestatem, quoad hoc conferre Capitulis, sed solum non auferre illam, quæ ipsis aliàs competebat iuxta propria priuilegia, aut Constitutiones. Ex quo fit in Societate Iesu, in qua Congregatio prouincialis iuxta suum Institutum non habet iurisdictionem ad huiusmodi actus, etiam nunc illam non habere, non obstantibus verbis ex dicto decreto citatis; qua de re plura in allegata *tract. de prohibit. cap.*1.

QVÆRES VIII. An, & qualiter possit Capitulum prouinciale dispensare cum Religiosis Prouinciæ illegitimis ad honores, gradus, ac dignitates Ordinis.

99. Respond. posse ex Constit. Gregorij XIV. in ordine 3. quæ §. 4. sic habet: *Volumus quoque, ac statuimus licere Generali, aut Prouinciali singulorum Ordinum ad quos dicta dispensatio* (scilicet illegitimorum) *spectat, iuxta tenorem priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum concessorum, qua, dummodò vsu recepta, nec aliàs sub vllis renocationibus comprehensa sint, in hac parte reualidamus, cum illegitimis, quos dictus Generalis, aut Prouincialis cum generali, prouinciali, seu intermedio Capitulo, & non aliàs suffragantibus meritis dignos iudicauerint, ad honores gradus, & dignitates obtinendas dispensare*, &c. Vbi notandum ad vsum validum huius concessionis requiri iustam causam dispensandi: idque non solum ex generali ratione, quod omnis dispensatio requirit causam, sed etiam ex verbis illis præsentis Constitutionis, *suffragantibus meritis*: qualia essent quod, Religiosus dispensandus sit nobilis, literatus, bonus ac Religioni admodum vtilis; vt bene aduertit Lezana *sup.n.*21. præterea ad valorem huius dispensationis requiritur, quod ea fiat non à solo Generali, aut Prouinciali, sed vnà cum consensu Capituli generalis, aut prouincialis respectiuè: id quippe indicant clarè

verba

verba illa Constitutionis, *cum generali, prouinciali, seu intermedio Capitulo, & non aliàs*; sicque non habent ampliùs locum priuilegia, quibus concedebatur, vt Prælati regulares possent cum subditis illegitimis modo dicto dispensare independenter à dictis Capitulis; cum talia priuilegia, vel siot viuæ vocis oraculo concessa, quæ posita generali reuocatione viuæ vocis oraculorom facta à Gregorio XV. & Vrbano VIII. non ampliùs subsistunt: vel certè reuocata sint à Sixto V. in sua Constitut. *cum de omnibus*, & alia *ad Romanum*, aut moderata à Gregorio XIV. in citata Constitut. vsum dictorum priuilegiorum permittente solum in Capitulis, & cum Capitulis: quod expresse ootauit Rodriq. *tom. 1. quæst. 13. art. 6.* & cum eo Lezana *supra.*

Maius dubium est, an ad hoc, vt Religiosus illegitimus modo dicto dispensetur ad gradus, honores, ac dignitates Ordinis, necesse sit, vt exprimat qualitatem illegitimitatis (num scilicet sit spurius, naturalis, sacrilegus, aut incestuosus:) si quidem istæ conditiones faciliorem, vel difficiliorem reddere possunt dispensationem, ideóque hac in re locum habere potest *regula iuris 81. in 6. in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

100 Respond. Rodriq. *sup. art. 17.* quod, quamuis ad valorem legitimationis obtentæ per rescriptum, aut aliàs per facultatem Principis, necesse sit, vt legitimanti, aut dispensanti manifestetur qualitas illegitimitatis modo supradicto, vt colligit ex multis iuribus Couarr. relatus ab ipso Rodriquez & suadet ratio paulò ante allata: in Religionibus tamen id non videtur necessarium; cum verosimiliter credi possit Prælatum regularem inteodere dispensare cum Religioso illegitimo, quocumque modo sit illegitimus: & alioqui facilius concedi debeat talis dispensatio viris Religiosis, quàm Clericis sæcularibus, stante quod Ius canonicum *cap. 1. de filys presbyt.* Religiosos illegitimos hoc ipso, quod solemnem faciunt professionem, reddit habiles ad recipiendos Ordines, etiam sacros. Probat Rodriquez suam sententiam ex eo quod, quando interueniunt coniecturæ sufficientes, vt dubitandum non sit, quin concedens legitimationem, seu dispensationem, eam item concederet, quantumuis ei proponeretur qualitas illegitimitatis de facto non explicata in petitione legitimationis; tunc legitimatio, seu dispensatio reputanda est valida (non secus, ac si legitimans, aut dispensans in legitimatione, aut dispensatione expresse diceret se intendere legitimare, aut dispensare, ex quocumque demum coitu illegitimus esset genitus: taciti enim, ac expressi eadem est virtus; & hæc autem videntur interuenire in præsenti casu, vt constabit consideranti. Ita Rodriquez & fortè non improbabiliter: estò probabilior, & communis sit contraria sententia, quam sustinent Miranda *to. 2. q. 2. art. 13.* Portel. *de dub. regul. v. illegitimus, num. 11.* Peyrin. *de R. P. q. 2. cap. 5. n. 145.* & Lezana *vbi supra* ea ducti ratione, quod, sicut notant Doctores communiter, tantò difficilius concedi debet dispensatio super illegitimitate, quantò turpiùs dispensandus fuit genitus, & modus illegitimitatis est fœdior: quod etiam aduertit Auila *part. 7. de censur. D. 3. d. 6. concl. 2. not. 1.*

Illud etiam hîc quæri posset, an hoc ipso, quod Religiosus illegitimus in Capitulo generali, seu prouinciali eligitur in Prælatum, aut ad aliam similem dignitatem, cuius alioqui est incapax, eo ipso censeatur tacitè, ac interpretatiuè legitimatus, & factus habilis ad prælaturam, *&c.*

Respond. Censeri, si eligentes sciant illum esse illegitimum: idque saltem, quoad forum conscientiæ. Ita Rodriq. *art. 16.* Mirand. *art. 14.* Portel. *num. 7.* Lezana *num. cit.* aliique, & probatur, quia in dubio nemo præsumendus est malus: cum ergò illegitimus non possit eligi in Prælatum, aot ad aliam dignitatem absque peccato mortali, hoc ipso, quod electores conscij illius illegitimitatis ipsum modo dicto eligunt, censendi sunt tacitè cum eo dispensare, ne aliàs dicamus eos velle in tali electione peccare mortaliter. Dixi, *idque saltem, quoad forum conscientiæ*, vt innuerem secùs dicendum, quoad forum externum, provt notant citati Doctores, excepto vno Lezana, qui aliorum iudicio subiiciens resolutionem istius dubij ait se valde inclinare ad credendum præseotem dispensationem suffragari etiam pro foro externo. probant autem allegati Doctores suam sententiam ex eo, quod Papa quidem præbeos aliquid ei, quem scit iure communi esse ad illud inhabilem, ipso facto absque vlla mentione expressa dispensationis censetur illum efficere habilem; non item Prælati inferiores, siue sæcolares, siue Regulares: & ratio diuersitatis est, quod Prælati inferiores in iure communi oon possunt dispensare sine causa: Papa verò potest, cum sit supra omne ius canooicum; vnde Prælati inferiores non sunt censendi velle, aut voluisse dispensare io re spectante ad ius commune, nisi de hoc satis clarè se explicent; ne alioqui censeantur velle delinquere: cum alioqui in dubio præsumi non debeat delictum, iuxta *l. merito, ff. pro socio.* 101

Addo ex Lezana *sup.* non videri improbabile in relata Const. Greg. XIV. nomine Capituli generalis prouincialis, seu intermedij non itelligi totum Capitulum, sed solum Definitorium. moueor, tum quia quod agit Definitorium, dicitur agi à toto Capitulo; tum quia aliàs minùs sufficienter esset consultum famæ illegitimorum dispensandorom, si ipsorum legitimatio tractanda esset in publico Capitulo: cum potius ea tractari debeat secretò, ad euitandam infamiam, & scandalum, quæ ex eius reuelatione possent non rarò suboriri; quod etiam docet Rodriquez *sup. art. 9.* 102

QVÆRES IX. An Capitulum prouinciale possit eligere, & deponere tum Prouincialem, tum alios Prælatos locales prouinciæ.

Respond. posse, stando in iure communi; patetque tum ex dictis *sect. præced. q. 8.* tum quia per quas causas res nascitur, per eas & dissoluitur: vnde, sicut certum est auctoritatem Capituli prouincialis extendi ad creandos præfatos Prælatos: sic etiam dici debet extendi ad ipsos depooendos, sic Lezana *supra num. 18.* & benè. 103

QVÆRAS X. An casu, quo extet in aliquo Ordine statutum concedens Capitulo prouinciali, aut Definitorio facultatem depooendi Prælatos delinqoentes, dummodò ex 7. congregatis quinque conueniant in actum deponendi: & alioqui in depositiunem alicuius Prælati de facto ex dictis septem quinque congregentur in eam conuenieotes aliis duobus renuentibus interuenire illi Conoentui, an, inquam talis depositio subsistat, æquè ac si etiam illi duo interuenissent.

Respond. videri subsistere; cum re vera in depositiooem conueniant quinque ex septem congregatis, seu (vt rectiùs loquar) congregandis, sicque impletum dici possit statotum requirens, vt ex 7. congregatis quinque coouenient in depositionem; quod enim illi duo noluerint congregari cum aliis quinque non officit validitati actus; siquidem (vt benè 104

aduertit Laym. *in qq. canon. num. 37.*) qui congruo tempore instituta electione ad illam accedere nolunt, aut non possunt, veluti non censentur in numero Capitularium, sed totæ facultas eligendi penes alios remanet *cap. bona, de postulat. prælat.* cum tamen in nostro casu militet par ratio: ad quod item facit doctrina, quam tradit idem Layman. *num.42.* ex Glossa *cap. cum inter, de elect. v. eap.* & Abbas *cum nobis 19. num. 10. de elect.* dicens dubium non esse quin possit procedi ad actus Capitulares, si saltem maior pars in Conuentu maneat aliis absque necessitate recedentibus. sic ego consului in facti contingentia, & consilium postea approbarunt eruditi recentiores, & in primis doct.P.Zanettus.

Difficultas modò est, an, dato quod statuta Ordinis in casu proposito decernant deponendum non esse Prælatum, nisi cognita iudicialiter causa depositionis: an, inquam, talis depositio teneat, si de facto omittatur cognitio iudicialis dictæ causæ, eò quod sit notoria toti Capitulo, seu Definitorio, imò & diffamata per totam prouinciam.

105. Respond. depositionem Prælati in tali casu tenere; moueor ex doctrina, quam in simili tradit Sanchez *l. 8. de matrim. D. 17. num.12.* Glossa, Abbas, Anania, & alij; nimirum non esse reum alicuius culpæ dispensantem, qui in expedienda dispensatione ipsi commissa à Papa non præmittit examinationem causæ, vtpote notoriæ; cum tamen in commissione dispensationis præfata examinatio præscribatur, cuius doctrinæ ea est ratio, quod in notoriis non exigitur ordo iuris, nec notorium eget examinatione *cap. manifesta 2. quæst.1.* præterquàm quod examen petitur, ne temerè dispensetur: quæ temeritas vtique cessat, quando dispensans est certus de causa dispensationis modo dicto: qui enim certus est, certiorari non debet *l.1.ff. de act. em pt.& vend. & regula 31. de regul. iur. in 6.* hæ autem doctrinæ si benè applicentur, paritormiter procedunt in casu nostro, sicque procedit regula iuris: *Vbi est eadem ratio, idem ius esse debet, ff. de fonte, l. vn. & ff. de adulterys, l.si postul.*

Difficultas maior est, an dato quod in casu proposito verè præmittenda esset iudicialis cognitio causæ depositionis (quod tamen suppositum esse falsum constat ex dictis *§.praced.*& ex iis,quæ habet Sanchez *supra D. 34. num. 24. & D. 35. num. 16.*) & nihilominus præfata depositio Prælati fieret, omissa dicta cognitione; an,inquam ad valorem depositionis sufficeret causam illam postea iudicialiter cognosci, ita vt actus tempore inhabili factus velnti retrotraheretur ad tempus habile.

106. Respond. non sufficere; & constat *ex reg. iur.18. in 6. non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit*: quæ regula maximè facit ad rem præsentem, adeòque probat intentum, vt considerranti facilè constabit, sic ego respondi in contingentia facti.

QVÆRES XI. An teneant gesta à Capitulo contra statutum aliquod Ordinis irritans aliter factum, si ipsum Capitulum habeat facultatem derogandi dicto statuto, de facto tamen expressè non deroget.

107. Respond.tenere;& probatur,tum quia in tali casu dici potest derogari statuto (sin minùs in actu signato,saltem in actu exercito, & facto ipso, & quidem antecedenter prioritate rationis ad actum gestum contra ipsum statutum) hoc ipso quod Capitulum sciens, & volens operatur contra dictum statutum; ad quod facit doctrina, quam adducit Suarez *l.6. de leg. cap.27. num. 17.* dicens probabile esse internam retractationem voluntatis per se posse sufficere ad tollendam legem, si supponatur Princeps velle absolutè, vt ex tunc non obliget; cum sic statim cesset obligatio legis ex defectu causæ conseruantis, & merè per accidens relinquatur in subditis; videlicet ex ignorantia, ac fictione legislatoris; quod est dicere ad puram reuocationem legis sufficere quamlibet manifestationem voluntatis factam subditis, non autem requiri, vt talis reuocatio fiat per aliquam aliam legem, sicut indicat idem Suarez: quis autem neget manifestari sufficienter Capitulum velle derogare statuto, contra quod operatur, hoc ipso quod agit contra illud, & aliàs potest ei derogare? Confirmatur assertio ex doctrina, quam in simili tradit Bonacina *D.1.de leg.q.1. p.6.num.17.* ex Salas, Less. & aliis, videlicet non affici excommunicatione lata ab Episcopo contra ludentes aleis eum,qui ludit cum ipso Episcopo: cum in tali casu præsumi possit probabiliter Episcopum in tali euentu dispensare cum suo collusore, ne aliàs dicatur velle punire eum, quem trahit ad actum ab ipso prohibitum,eiusque delicto cooperari.

QVÆRES X. An Capitulum prouinciale possit auferre, vel restringere vsum priuilegiorum Ordini concessorum, quoad Religiosos subditos.

Respond. posse; patetque ex dictis *sect. praced. quæst.15.* 108.

QVÆRES XI. An, & quomodo in Capitulo prouinciali eligi debeant, tam Examinatores illorum Religiosorum, qui in prouincia deputari debent ad concionandum, publicè legendum, aut audiendum confessiones, quàm Magister Nouitiorum iuxta decretum Clementis VIII. hac de re editum.

Respond. examinatores quidem debere eligi eo modo,quo diximus *sect.praced.q.24.* Magistrum verò Nouitiorum, eiusque Socium, si per multitudinem Nouitiorum necessarius fuerit, eo modo, quo præscribitur in dicto decreto §. 91. nimirum ad minùs per triennium & qualem nos ipsi descripsimus *in tr. de nouit.c.5.q.2.* 109.

QVÆRES XII. Qualiter in Capitulo prouinciali moneri debeant Religiosi de obseruantia Apostolicarum Constitutionum pertinentium ad S. Inquisitionis Officium iuxta decretum Vrbani VIII.

Respond.debere moneri,sicut diximus *sect.praced. q.19.*remissiuè. 110.

QVÆRES XIII. An,& vi cuius concessionis possint Regulares in Capitulo prouinciali deputari in Parochos Indiarum à propriis Prælatis.

Respond. posse concessione bullata Pij V. in ordine 34. facta omnibus Religiosis quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, & à nobis relata *in tract. de priuil. cap 4. sect 3. quæst. 11.* quam puto posse suffragari etiam illis Religiosis,qui non solent cogere Capitula prouincialia, sed solum generalia eo, quod Ordo non sit diuisus in prouincias;si quidem quod conceditur Capitulo prouinciali, regulariter conceditur etiam Capitulo generali, quod est superius: sicut concessio facta Prouincialibus, à fortiori censetur facta,& Generali intra eumdem Ordinem,vt ostendimus in hoc *cap.sect.1.*qua de re Rodriquez *tom. 1. quæst. 35. artic.2.* & Lezana *tom.2. cap.2. num. 20.* 111.

***

Sectio IV.

De Capitulis Regularium localibus.

112 *Explicatur, quid sit Capitulum locale in Religionibus.*

113 *Ad illud conuocandi quicumque habent ius accedendi, non item respondentes impertinentia, aut suffragia proferentes incerta, vel obscura.*

114 *Cogitur ad negotia Conuentus, & ad dicendas culpas.*

115 *Et quidem iuxta necessitatem, & consuetudinem.*

116 *Ei praesse potest Prouincialis, excluso Pralato locali.*

117 *Eius potestas aequalis est potestati Conuentus.*

118 *Cogi potest etiam ex duobus aut tribus Religiosis habilibus.*

119 *Concurrit ad contractus monasterij.*

120 *Sed non in Soc. Iesu ex speciali eius instituto.*

121 *Contractus in ea factus collegialiter est irritus.*

122 *Sine Capitulo expedit negotia leuiora Conuentus tractari à Pralato.*

123 *Tenet contractus nociuus Conuentui, si fiat capitulariter: contractus monasterij fieri possunt etiam à Vicario Conuentus, si is sit in capite: in eos nulliter consentit Religiosus carens voce; cum aliàs iure communi quilibet Professus monasterij ad eos conuenire possit: &, si capitularis renuat consentire in contractum iustum, potest cogi, vt consentiat: Conuentus non tenetur de mutuo per Pralatum recepto nomine Conuentus, sed sine Capituli consensu; secus, si recipiatur de consensu Capituli, sed postea malè expendatur: Capitulum non praeiudicat sibi tacendo, dum Pralatus sine eius consensu facit, quod de eius consensu agi deberet.*

124 *Capitulum locale concurrit ad alienationem bonorum monasterij.*

125 *Item concurrit ad largitiones munerum, sed non ad omnes.*

126 *Item ad Nouitiorum receptionem.*

127 *Item ad illorum religiosam Professionem: & hac occasione obiter ostenditur nullam fuisse Professionem factam in ordine S. Ioannis Hierosolymitani à Nouitio, qui non absoluerat Nouitiatum, nec fuit decoratus Cingulo militari.*

128 *Capitulum locale consentit, vt Religiosus accedat ad studia, iuxta* cap. vt periculo, ne Cler. vel Monach. in 6.

129 *Non est opus, quod concurrat ad electionem Conseruatoris.*

130 *Conuocatur ad dicendas culpas, & ad pias hortationes habendas.*

131 *Dici potest culpa etiam de defectibus internis.*

132 *Imò & de delictis infamatorijs.*

133 *Etsi id non semper expediat.*

134 *Culpa dici non debet de defectu falso, nec aequiuocando, etsi ad bonum finem.*

135 *In Capitulo locali argui possunt Religiosi de excessibus commissis.*

136 *Reprehensi de delicto occulto infamatorio illud negare possunt, etiam cum nota reprehendentis.*

137 *In Capitulo preponi nequit excessus grauis, neque ad consilium capiendum; at concapitulari aperiri potest defectus alterius capitularis ipsum inhabilitans ad electionem; etsi possit taceri.*

138 *Implenda poenitentia in Capitulo praescripta.*

139 *Non item, si imposita sint ob excessus falsò imputatos, & absit scandalum.*

140 *Vtilis, ac necessarius vsus dicendi culpas.*

141 *Et quidem necessarius multis de causis.*

Qværes I. Quid intelligatur nomine Capituli localis.

Respond. intelligi adunationem Religiosorum vniuscuiusque Monasterij particularis, factam à Praelato immediato illius ad tractanda negotia eiusdem monasterij; vnde & nomen Capituli confunditur cum nomine Conuentus; sicut notat Lezana *tom. 2. cap. 12. num.* 24. ex Card. & Bertech. 112.

Qværes II. Qui conuocandi sint ad Capitulum locale.

Respond. id colligendum esse ex Constitutionibus, statutis, aut consuetudinibus vniuscuiusque Ordinis; regulariter tamen solere ad illud conuocari omnes Professos non laicos: praeterquam in casu, quo Capitulum cogatur ad faciendam aliquam electionem canonicam (v. g. Praelati) cui non possunt interesse, nisi professi ordinati in Sacris. 113.

Qværes III. A quo, & ad quem effectum cogatur Capitulum locale.

Respond. cogi à Praelato immediato monasterij, & quidem non solùm ad tractanda negotia monasterij hîc, & nunc occurrentia, sed etiam ad dicendam culpam propriorum defectuum; vnde vulgò solet vocari, *Capitulum culparum.* 114.

Qværes IV. Quam frequenter cogi debeat Capitulum locale.

Respond. Ad tractanda quidem negotia monasterij debere cogi, quotiescumque hîc, & nunc occurrit res aliqua concernens bonum monasterij, siue spirituale, siue temporale, quae sit grauior, & iudicio prudentis egeat maturiori consultatione, ac discussione; ad dicendam verò culpam debere cogi, siue semel in vnaquaque hebdomada, siue etiam crebrius, aut rarius, prout praescribitur in Constitutionibus vniuscuiusque Religionis, & est in vsu: non enim quoad hoc statutum est quid certi de iure communi. 115.

Qværes V. An casu, quo Prouincialis sit in monasterio, possit praesidere Capitulo locali, praecedendo Praelatum immediatum monasterij.

Respond. de iure communi posse ob dicta *supr. cap. 3. sect. 1. q. 8.* de iure autem proprio huius, aut illius Ordinis posse euenire, quòd Prouincialis non solum non possit praesidere Capitulo locali in aliquo casu, sed nec ei interesse: sicuti de facto fit in Ordine Minimorum, de quo refert Peyr. *in formul. lit. E. cap. 7. n. 6.* Prouinciales Ordinis ex *decreto Capituli Valentini 4. n. 26.* non posse praesidere, imò nec interesse Capitulo locali congregato ad eligendum Correctorem: idque ad magis seruandam libertatem electionis, cui fortè posset obstare assistentia Prouincialis, qui propenderet in electionem alicuius certi, ac determinati Religiosi. 116.

Qværes VI. Quam potestatem habeat Capitulum locale.

Respond. habere totam illam, quam habet ipsum monasterium, quod repraesentat, vtpote constans ex parte digniori ipsius monasterij: vel certè quam ei concedunt constitutiones, aut statuta Ordinis: quae proinde, quoad hoc consulenda sunt, & seruanda. ita Lezana *supr. num.* 24. 117.

Qværes VII Qui numerus capitularium requiratur, & sufficiat ad valorem Capituli localis.

Respond. requiri, & sufficere, quod fiat ex duobus aut tribus tantum Religiosis. ita Lezana *supr.* ex Gloss. 10. *quaest. 1. cap. 1. v. vbi Congreg. Bertach. 1. p. repertorij, v. collegium, num.* 70. è quibus non dissentit Peyr. *tom. 3. priuileg. cap. 13. num.* 46. vbi adducit casum singularem proprium sui Ordinis concernentem

tem præsentem quæstionem. Ratio autem responsionis est, tum quia in iure communi non est præscriptus certus numerus vocalium, qui sit de valore capituli localis: ex alia parte saluatur libertas electionis canonicæ; tum quia talis est praxis Religionum, & quidem oon improbanda.

QVÆRES VIII. An, & quo modo capitulum locale vnà com Prælato monasterij debeat concurrere ad contractus, qui fiunt in vtilitatem ipsius monasterij.

119. Respond. de iure communi debere concurrere; ita vt Prælatus monasterij non possit se solo perficere absque consensu capituli localis vllum contractum alicuius momenti, aut alteri delegare potestatem contrahendi modo dicto. patet, tum *ex cap. quod quibusdam, de fideiuss. cap. sine exceptione 12. quæst. 2. cap. ea noscitur. de his, quæ fiunt à Præl.* aliisque iuribus; tum quia quod omnes tangit ab omnibus debet approbari; contractus autem, qui fiunt de rebus monasterij, tangunt omnes Religiosos degentes in monasterio, sicque decet, vt omnes ad illos concurrant, & tota communitas in eos consentiat: quo modo re vera dicitur totum capitulum consentire, quando maior, & sanior pars illius consentit, iuxta *cap. cum in cunctis, de his, quæ fiunt à maiori parte.*

120. Dices, *de iure communi*, quia in Societ. Iesu res aliter habet; siquidem, cum in ea non extet vsus capituli, & Religiosi illius capitulariter non congregentur ad quæuis peragenda; omnis facultas celebrandi contractus ex eiusdem Soc. constitutionibus residet penes eius Præpositum Gener. vt expressè habetur *part. 9. cap. 3. num. 5.* his verbis: *Est item penes Præpositum Generalem omnis facultas agendi quosuis contractus emptionum, aut venditionum quorumlibet bonorum temporalium mobilium, tam domorum, quam Collegiorum Societatis, & imponendi, ac redimendi quoslibet census super bonis stabilibus ipsorum Collegiorum in eorundem vtilitatem, ac bonum cum facultate sese onere liberandi restituta pecunia: quæ data fuerit*, &c. & paulo post *num. 7.* additur: *Et Præpositi Prouinciales, aut locales & Rectores, & alij eius Commissarij eam partem huius facultatis habebunt* (nimirum, quoad faciendos contractus) *quam ipsis Generalis communicauerit; neq; verò collegiales ad huiusmodi actus collegialiter erunt congregandi.* Quæ omnia fuerunt publico instrumento confirmata à congregatione I. generali *can.* 100. in hæc verba: *Declarauerunt insuper, & quilibet eorum declarauit non opus esse collegiales alicuius collegij congregari ad sonum campanæ, nec aliter ad Procuratores constituendum, vel ad quosuis alios contractus celebrandos: cum potestas tota manere debeat à Præposito Generali, qui eam communicabit aliis cum facultate etiam substituendi, ita vt nullo modo oporteat res huiusmodi collegialiter tractari.* Quin & hæc fuerunt confirmata à Pio V. per specialem bullam, quæ incipit, *Innumerabiles fructus*, & refertur *in bullario Soc. p.* 101. fuitq. obtẽta, quò constaret euidẽtius iis, qui cũ Soc. negotiãtur, de hac potestate; vt habetur *in can.* 144. *Congregation. I. generalis.*

Quod si quæras, an attentis iuribus validus foret contractus, quem Religiosi Societatis fortè facerent congregati collegialiter ad instantiam alterius partis contrahentis.

121. Respood. non fore; & ratio est, quod, stantibus præfatis iuribus religiosi subditi nullam habent potestatem contrahendi, cum eam à se abdicauerint in Congregatiooe I. geoerali, illam totam committentes Præposito Generali, sicut iam vidimus: constat autem, quod contractus factus à non habente potestatem est inualidus, ac nullus. ad quod facit *can.* 144. superiùs relatus, in quo statutum est, quod interim cum obtineretur Breue Pij V. §. *præced.* allegatum, si acquiescere nobis vellent, qui nobiscum negotiantur, contractus cum Præpositi Generalis facultate duntaxat fierent: si vero noluissent acquiescere, possent nostri collegialiter conuenire ad eorum satisfactionem, non ad contractus necessitatem; vnde ego infero, quod cum iam obtentum sit dictum Breue, cessauit talis concessio, & consequenter etiam facultas faciendi contractus collegialiter, quæ seclusis præfatis iuribus, Religiosis Societatis competeret, vti de facto competit Religiosis aliorum Ordinum.

Verùm tamen est, quod, regulariter loquendo, Prælatus Religiosus potest absque interuentu capituli localis contrahere in bonum sui monasterij de rebus modicis, cuiusmodi sunt, quæ pertinent ad victum, ac vestitum; sic quippe habet consuetudo, & praxis Religionum, talemque potestatem videtur secum deferre administratio temporalium commissa Prælatis regularibus, quibus sine dubio durum nimis esset, quod quotiescumque volunt emere necessaria ad communem subditorum sustentationem, tenerentur cogere capitulum ad requirendum eius consensum; intellige, nisi fortè in aliqua Religione obstet consuetudo, aut regula; vt in Ordine Minimorum, in quo teste Peyr. *quæst. 8. de R.P. cap. 5. §. 1. num. 15.* non potest Prælatus de rebus alicuius momenti contrahere sine consensu capituli, imò nec vendere, quæ superfluunt ex ordinaria prouisione monasterij, aut emere quæ desunt absque consensu dicti capituli, aut saltem seniorum; idque ex consuetudine Ordinis, saltem quoad monasteria minora; vt notat idem Pey. *supr. quæst. 8. cap. 5. num. 14.* dicens in maioribus monasteriis sufficere consensum Seniorum. 122.

An verò contractus factus in damnum monasterij teneat, si fiat de consensu Prælati, & capituli localis.

Respond. tenere; patétque ex doctrina, quam tradunt DD. communiter apud Sanch. *l. mor. cap. 38. num. 12. ex cap. 2. de ord. cognit. & l. iubemus nullam nauem C. de Sacros. Eccles.* delictum scilicet Prælati, & capituli nocere Ecclesiæ: nec immeritò, cum sic monasterium censeatur consentire in tale damnum, & aliàs volenti, & consentienti non fit iniuria. 123.

Quod si quæras, an Conuentus carens Superiore ob mortem proprij Prælati, vel aliam ob causam habens solum Vicarium, vel alium substitutum loco illius per modum prouisionis, interim possit cum eo inire omnes contractus, quod posset celebrare Superior localis, si viueret.

Respond. posse: cum Vicarius, aut substitutus sint loco Præsidentis, qui succedit in omnia iura & in totam facultatem Prælati præmortui, ex regula, *Subrogatus sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur, cap. Ecclesia, vt lite pend. l. si eum §. qui iniuriarum, ff. si quis caution.* ideóque habeant eadem potestatem faciendi contractus de bonis Conuentus, quam habebat Prælatus mortuus. ita Bord. *resol. 53. quæst. 12.* monens *n. 72.* idem procedere de Vicario, seu Superiore Prælati viuentis, si is valdè distet, & absuturus sit per multum tempus: is enim tunc æquiparatur Præsidenti, ac si Cõuentus vacaret, & esset sine Prælato: cũ in similibus abesse; & mortuum esse æquiparentur, arg. *l. mulieris, § fin. ff. de verb. sign. c. si delegatus, de off. de leg. in 6.* & Vicarius in absẽtia Prælati habeat eamdẽ potestatẽ cum eo, teste Miranda *to. 2. q. 20. a. 2.*

An

An autem Religiosus carens voce actiua possit consentire in contractu inito de bonis proprij Conuentus.

Respond. non posse; cum sic priuatus censeatur carere voce in omni genere negotij, quod capitulariter tracterur ex Clem. 2. *de aetate, & v. inibi*, Clem. 1. *de Regul.* Nauarr. *conf.* 6. *de verb. significat.* Graff. *tom.* 2. *conf.* 2. dicens priuatum voce non habere vocem capitulariter in expediendis negotiis, putà in alienationibus, electionibus, professionibus, & aliis tractatibus; & omnibus instrumentis contractuum, qui fiunt à Regularibus apponatur clausula hæc, *Qui quidem omnes legitimè congregati, & habentes vocem in Capitulo*: quod est signum carentes voce non posse congregari in Capitulo ad negotia monasterij.

Cæterùm omnes Religiosi professi iure communi indistinctè habent vocem in negotiis Conuentus tractandis; cum statim ac sunt professi, habeant vocem ad electionem *cap. ex eo, §. in Ecclesiis, de elect. in 6.* adeòque à fortiori censeri debeant habere, & ad negotia Conuentus, quæ sunt minoris ponderis, quàm electio Prælati. Nec obstat quod Clem. VIII. *in decretis pro educat. Nouit. §. ad hoc tamen*, dicit: *Quibus in locis degant sub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori quàm seruent antiquiores professi, ita quod in negotiis monasteriorum, aut conuentuum non se intromittere, nec communia tractatibus interesse, nec alicuius exterioris obedientiæ officium exercere debeant*: ea enim decreta, quoad hoc dicit Bordonus *supr. num.* 84. visa non fuisse approbata: & loquuntur solùm de iis Conuentibus, in quibus recenter professi detinentur intra locum nouitiatus cum aliis Nouitiis, vel in alio loco, quem vocant professorium.

Quod si Religiosus capitularis nolit consentire in contractum licitum, ac iustum cum aliis capitularibus, potest ad id cogi, tum in virtute obedientiæ, tum sub pœna excommunicationis. probatur, tum quia Prælati habent ius cogendi suum conuentum ad negotia ipsius conuentus ex *cap. alienationes, cap. placuit, cap. sine exceptione* 12. *quæst.* 2. ergo & possunt cogere nolentes ad consentiendum; cum nulla sit iurisdictio sine coactione, *cap. pastoralis, cap. ex literis, de offic. deleg.* tum quia non est maior obligatio in Prælato conuentus ad vocandum suum Capitulum pro negotiis conuentus, quam in Religiosis subditis ad consentiendum in contractus iustos: ergo, sicut Prælatus tenetur agere negotia sui conuentus, cum sit eius procurator: *cap. fraternitatem, de donat.* sic & subditus debet in ea consentire: tum quia in tali casu agitur de bono communi conuentus, ideóque omnes debent concurrere ex regula iuris: *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.*

Illud etiam hìc quæri posset, an Prælatus nomine conuentus, sed sine eius consensu mutuas recipiens pecunias ad vsus monasterij obliget conuentum, si ille absque commodo conuentus, in suis vsibus illas expendat.

Respond non obligare; cum iniquum sit conuentum, qui nullum sentit commodum ex eo mutuo, sentire onus, & grauamen illud restituendi. ita Bord. *sup. quæst.* 8. ex Tapia docens *num.* 51. secùs dicendum, si pecunia illa sit recepta nomine conuentus ad subleuandam eius indigentiam; etsi enim ea postea malè expenderetur à Prælato, nihilominus obligaretur conuentus, cum ex ea acceptatione mutui legitimè facta sit, translata obligatio in conuentu, vt benè notat Sanchez *lib.* 7. *mor. cap.* 31. *num.* 13.

Addit Pasqualig. *tom.* 1. *quæst.* 195. capitulum Regularium tacendo sibi non præiudicare, dum Prælatus aliquid facit sine eius consensu, in quo exquirendus esset illius consensus, probat, tum quia in præiudicialibus ex taciturnitate, & non resistentia consensus non inducitur, *l. inuitum. ff. de seruit. v. prædium, l. in ea, §. penult. ff. de ritu nupt* Bald. *conf.* 129. *num.* 5. Menoc. *conf.* 573. *num.* 12. tum quia non potest taciturnitas imputari, pro consensu, quando non potest contradici; at capitulū nequit exercere actus capitulares, nisi collegialiter congregetur (cùm congregatio sit de forma substantiali capituli,) sicque nisi congregetur à Prælato, non potest protestari contra ipsum ei præiudicantem, & ei non nocet taciturnitas. Glossa & DD. *in cap. cum omnes, de Const.*

QVÆRES IX. An, & quo modo requiratur consensus capituli localis ad alienanda bona monasterij.

Respond. requiri eo modo, quo diximus *in tract. de prohibit. cap.* 8. *quæst.* 45. 114.

QVÆRES X. An, & qualiter exigatur consensus capituli localis ad hoc vt Religiosi monasterij possint facere aliquas donationes.

Respond. distinguendo; vel loquimur de donationibus faciendis à Prælato monasterij, & ex bonis ipsius monasterij; sicque exigitur consensus capituli, si iure proprio Ordinis ita cautum sit, & quidem totius conuentus, si bona illa possideantur in communi collegialiter, & distribuenda sint inter singulos Religiosos secundum aliquam quotam: sic enim procedit regula communis, *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*; non item si præfata bona non sint distribuenda particulariter secundum certam quotam: tunc quippe sufficit consensus maioris partis Capituli; vt benè aduertit Bonacina *D.* 3. *de largit. mun. part.* 6. *num.* 2. vel loquimur de donationibus faciendis à Religiosis subditis; & sic non exigitur consensus capituli, stando in iure communi; nisi quod Clemens VIII. *in Constit. de larg. mun.* præcipit leuiora esculenta, aut poculenta, seu ad deuotionem, vel Religionem pertinentia munuscula non esse tradenda à Religiosis, nisi de consensu Superioris, & Conuentus; quamquam Vrban. VIII. die 16. Octob. 1640. in sua Const. *Nuper à Congregatione*, moderatoria citatæ Constit. Clementis VIII. declarauerit id intelligendum esse de consensu aliàs de iure requisito, & vbi concurrit ambitionis suspicio. 115.

QVÆRES XI. An necessariò requiratur consensus Capituli localis ad hoc vt Nouitius validè admittatur ad probationem Ordinis.

Respond. requiri, & quidem eo modo, quo diximus *in tract. de Nouitiatu c.* 2. *q.* 3. 4. 5. *& sequentibus.* 116.

QVÆRES XII. An, & qualiter exigatur consensus Capituli localis, ad hoc vt Nouitius validè recipiatur ad professionem Religiosam.

Resp. exigi, vti diximus *in tract. de prof. cap.* 1. *q.* 8. 117.

Quod sic hac occasione quæras, an valida fuerit professio facta in Ordine Hierosolymitano à Nouitio extra Conuentum Ordinis in manibus cuiusdam Cardinalis ex Breuis Apostolici, cum nondum petegisset nouitiatum, nec fuisset ornatus cingulo militiæ.

Pro responsione suppono 1. professionem Religiosam aliam esse expressam, quæ fit verbo, aut scripto, aut vtroque simul in manu proprij Prælati regularis, vel alterius de eius licentia ab habente legitimam ætatem post annum probationis in Religione approbata, promittendo 3. vota essentialia Religionis, & aliam Tacitam quæ fit sine voce, ac scriptura

post legitimam ætatem, ac expletum annum nouitiatus in Religione approbata profitente se obligare tacitè ad seruanda 3. vota substantialia Religionis, & ad obediendum Prælato Ordinis iuxta propriam Regulam.

Suppono 2. ad valorem Professionis Tacitæ peti quinque conditiones: quarum 1. est, vt actus, quo inducenda est professio, fiat authoritate, & consensu illius, cuius est recipere in eam Religionem: 2. est, vt ea, per quæ debet induci professio, fiant spontanea voluntate; 3. est, vt fiat scienter, itaut vtens iis actibus sciat eos pertinere ad solos professos: 4. vt iis actibus vtens verè intendat profiteri: 5. vt dictis actibus vtens legitimam natus sit ætatem requisitam ad Religiosam professionem; vt aliis citatis ostendi *tract. 3. cap. 1. quæst. 3. num. 6.*

Suppono 3. solemnitates seruandas in emissione professionis Religiosæ aliàs esse substantiales, quarum omissio inualidam facit professionem, ex *l. non dubium, C. de leg. l. Mænius, l. qui hæredi, ff. de condit. & demonstrat. l. cum hi, §. si Prætor, ff. de transact.* Rota *in vna Paduana feudi* 11. *Ianu.* 1627. *coram Merlino.* Gutier. *in pract. qq. lib. 3. quæst.* 15. *num.* 28. & alias accidentales, quarum omissio professionem solum reddit illicitam; cum multa prohibeantur, quæ tamen facta tenent.

Suppono 4. ex statutis Ordinis Hierosolymitani *tit. 2. in sum. num.* 1. & ex Constit. 1. & 8. *de recept. Fratrum, num.* 2. ad validè recipiendum habitum, ac professionem emittendam in dicto Ordine Hierosolymitano requiri, tum probationem nobilitatis, tum quod professurus sit ornatus cingulo Militiæ, ac nouitiatum perfecerit in Conuentu Religionis per annum, idque cum decreto irritante, vt constat ex Ordinationibus Capitularibus anno 1603. *de recept. Fratrum, tit. 2. & anno* 1631. *tit. 2. de riceuimento de' Fratelli, cap.* 5. cum alioqui certum sit apud omnes Iurisconsultos, ac Theologos Decretum irritans inducere formam, itaut actus aliter factus sit nullus; vt videre est apud Moneiam *de commut. vltim. volunt. cap. 7. num.* 241. Gonzales *in regul. Cancell.* 8. *glossa* 67. *num.* 12. *clauf.* 191. *num.* 6. *par.* 1. Onnate *de contract. tom. 1. tract. 2. D. 6. sect. 6. num.* 115. & Gutierez *supr. lib. 3. quæst.* 15. *num.* 4. testantem sic sæpè decisum à Rot. Romana.

Suppono 5. requiri in Ordine Hierosolymitano, vt miles professionem faciens ornatus sit cingulo militari: cum in eius statutis *tit. 2. stat. 2. de recept. Fratrum*, dicatur, *priusquam habitum suscipiat, cingulo militari decoretur necesse est*: & verbum, *necesse*, inducat formam substantialé secundùm omnes cum Tiraquel. *de retract. lign. §. 35. gloss. 2. num.* 15. Bero. *quæst.* 24. *num.* 4. docentibus formam dici substantialem, quotiescumque additur necessitas aliquid agendi (quod omninò euenit in casu nostro,) prætterquam quod verba, quæ designant prius aliquid faciendum, & postea aliud inducunt formam substantialem, teste Baldo *in l. 1. num. 8. v. ex delicto, C. ne liceat tertio prouocare*, Felino *cap. cum dilecta, num.* 6. Garcia *de benefic. partit. 5. cap. 1. num.* 434. & Rota *in recent. decis.* 131. *num. 6. part.* 7. & in terminis professionis in *Toletana professionis* 27. *Febr.* 1595. *coram Pamphilio*: & *in citato statuto* 2. dicitur prius quàm ineat professionem, necesse est, vt decoretur cingulo militari. Quæ ratio confirmari potest, tum quia forma actus colligitur ex studiosa, ac vehementi animi statuentis applicatione circa obseruantiam modi expressi in dispositione (vt ex Bartolo, Abb. Boccaco Tuscho, & Farinacio notat Vela *in different. iur. controu. Senat. Hispalen. differ.* 21. *num.* 8. & talis studiosa animi statuentis applicatio circa obseruantiam ornatus cinguli adest *in citato statuto* 2. tum quia forma censetur inducta à statuto, quando præcipitur aliquid fieri certo modo præter ius commune, Marrha *de iurisd. part. 4. centur. 1. casu* 94. *num.* 15. Paleaz *de maiorat. part. 4. quæst.* 20. *num.* 78. *& seq.* Schraderus *tract. de feudis part. 10. sect. 8. num.* 10. quos sequitur Gutiér. *supr. num.* 8. 9. & 12. monens statutum, vbi aliquid exprimit circa actum conficiendum aliter, quam à iure communi sit dispositum, censeri inducere formam, (quæ omnia verificantur in præsenti casu,) tum quia, teste Ioan. Præposito *in 1. 2.* S. Thomæ *quæst. 95. D. 3. d. 8. num.* 50. ad dignoscendum quando forma sit substantialis, & irritetur actus aliter factus, nulla certior regula potest assignari, quàm quod consulatur consuetudo, & communis acceptatio legis in hoc, vel illo sensu: sicque dato, non concesso, quod ex *citato statuto* 2. non colligeretur sufficienter ornatum Cinguli militaris in eo fuisse constitutum tanquam de forma substantiali, ita vt professio sine dicto ornatu emissa esset nulla; consuetudo tamen, & acceptatio dicti statuti in Religione Hierosolymitana apertè declarat ornatum Cinguli in emissione Professionis esse de forma: idque ex fide authentica à Vicecancellario Ordinis transmissa; in qua testatur professionem (de qua hîc controuertitur) non fuisse descriptam inter professiones aliorum Equitum, & quod in ea non constaret illam fuisse emissam cum ornatu Cinguli militaris iuxta statutum Religionis: maximè cum statuta declarationem recipiant ab obseruantia subsecuta, Surd. *decis.* 129. *num.* 19. Decius *cons. 9. num.* 19. & quis non censeatur ignorare proprium (vt ex *cap. ab excommunicato, de rescript.* probat Euerard. *cons.* 106. *num.* 8. adeóque dici non possit fidem illam processisse ignorantia, ac errore Vicecancellarij, & Magni Magistri, cuius iussu ea exhibita est.

Suppono 6. Decretum Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 15. quod vnius anni integri probatio fiat ante professionem, aliàs professio sit nulla, ac inualida; procedere etiam in Ord. Hierosolymitano ex eiusdem Ordinis statuto; videlicet ex *ordinat.* 8. quæ ait, *prius hîc in Conuentu annum probationis statutum peragere, & deinde etiam habitum in Conuentu seruatis seruandis suscipere, atque expressam regularem professionem emittere* (supple teneantur) *declarantes semper irritum & nullius valoris contra dicti statuti, & præsentis declarationis, & ordinationis dispositionem dispensatum, vel factum fuerit.* Vnde & sic decisum fuisse refert Vecch. *D. 11. de Nouitiis, d. 2. num.* 4. his verbis: *Congregatio Conc. censuit Milites Hierosolymitanos hodie debere, antequam professionem emittant, per annum in probatione manere postquam eorum Constitut. quoad hoc ad Trident. Concil. decreta sunt relata, & à Sede Apostolica confirmata*, vt proinde Rota *in vna Tirosina pensionis* 11. *Octob.* 1570. *coram Seraphino*, quæ est *decis.* 591. *num.* 1. statuens præfatum Decretum Conc. non habere locum in Ordin. Militaribus, & S. Congregatio Concilij idem approbans, allegata præfata decisione, teste Gonzalez *in reg. 8. Cancell. gloss.* 8. *num.* 54. Doctoresque idem sentientes dici debeant de aliis Ordinibus Militaribus loqui, non item de Ordine Hierosolymitano; quod etiam nos aduertimus *tract. 2. cap. 1. quæst.* 20. ex Sanch.

Suppono 7. ex tenore Breuis in præsenti casu concesso non colligi, quod Papa dispensauerit neque quoad ornatum Cinguli militaris, neque quoad complendum annum nouitiatus; sed solum quod Nouitius posset emittere professionem extra conuentum in manu Card. N. & quidem cum clausula,

seruatis

seruatis seruandis; quæ facit, vt Papa nihil alterare intenderit, sed voluerit seruari alia omnia, quæ aliàs seruari debebant. Arch. *in cap. 2. n. 2. de offic. deleg. in 6.* imò, cum Papa in dicto Breui tenuerit dispensare cum Nouitio in aliis rebus leuioribus ab eo petitis, clarè indicauit se multò minus dispensaturum fuisse in ornatu Cinguli, & anno nouitiatus, etsi de his fuisset rogatus: qui enim minora denegat, maiora denegare non ambigitur per ea, quæ tradunt DD. in Authent. *multò magis*, *C. de Sacros. Eccles.* præterquam quod Papa in rescripto aliqua exprimens cætera denegasse censetur, Rota *decis. 28. de rescript. in nouissimis*: sicque concedens Nouitio, vt possit profiteri extra Conuentum, illa alia censeri debet negasse.

Suppono 8. non posse Nouitium validè profiteri in Ordine, in quo probatur, si non adsit consensus Superioris, & Conuentus: cum professio Religiosa sit contractus inter profitentem, ac Religionem, & contractus absque consensu non subsistat, *l. 1. ff. de pactis*, procedatque in præsenti casu *regul. 29. in 6. Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.* his suppositis.

Respond. professionem de cuius valore hîc controuertitur, fuisse nullam, ac inualidam; & quidem ex multis capitibus nimirum ex omissione Cinguli militaris, ex defectu nouitiatus, & ex defectu consensus, tum Magni Magistri Ord. Hierosolymitani, tum Conuentus. ita in facti contingentia iudicarunt in Vrbe celeberrimi Iurisconsulti, ac præstantissimi Theologi: & maximè P. Diana. P. August. de Bellis, P. Baldell. P. de Cuppis P. Bordon. P. Ancrsa, & P. Brunus, quorum allegationes hac de re conscriptas ad me transmisit P. Diana pro singulari sua in me humanitate enixè à me efflagitans, vt meam ipse de hac re sententiam insererem *in tom. 2. mei Manual. Regul.* qui modò est sub prælo. ita inquam hi omnes iudicarunt, & quidem probabilissimè; vt constat ex doctrinis traditis in præcedentibus suppositis, & ex mox dicendis etiam magis constabit.

Et quidem quod dicta professio fuerit nulla ex omissione Cinguli Militaris; constat tum ex dictis *suppos. 5.* tum quia Ordines Militares essentialiter differunt à claustralibus per formam militiæ, quæ in iis acquiritur per Cinguli decorationem, quæ est forma constitutiua militis ex *l. filiusfamil. ff. de milit. testament.* sicque omissa dicta decoratione, corruet professio facta sine illa (quæ tamen fuit omissa in nostro casu) vt supponitur, tum quia quando duo status subordinantur inuicem, prior status est essentialiter necessarius ad posteriorem (vt patet in baptismo respectu receptionis aliorum Sacramentorum, in statu catholico respectu matrimonij & in statu Nouitij respectu professionis Religiosæ:) cum ergo in præsenti casu militia sit quidam status à Nouitio acquirendus per Cinguli acceptionem, in quo statu debet ille esse constitutus, antequam ascendat ad statum Regularis per professionem; validè profiteri non poterit, qui ante non est creatus miles; cum decoratio Cinguli sit forma essentialis Ordinis Militaris, & non possit validè profiteri in Ordine militari is, qui non est miles; quo modo si daretur Religio instituta ad docendos sacros Canones, ideóque diceretur necessarium, quod ante professionem debuisset accipere gradum Doctoratus in Iure canonico, certum profitentem sine tali gradu nulliter profiteri; cum enim Ordo Hierosolymitanus ex Instituto sit destinatus, ad bellandum, maximè contra Infideles, eius Religiosi debent esse in gradu militis, & quidem essentialiter; cum teste Bruno *tract. de forma. tit. 14. concl.* illud maximè dicatur de forma quod est de natura negotij, de quo agitur, tum quia in Ordine Hierosolymitano nullum est signum, nec quoad habitum, nec quoad verba professionis distinctiuum, quod indicetur profitentem recipi potiùs ad gradum militis, aut seruientis, aut Capellani, præter Cingulum, sicque necesse est dicere illud esse essentiale: cum professio sit contractus, per quem Religio recipit profitentem ad gradum militis, adeóque dari debeat signum externum declarans illum potius recipi ad hunc gradum, quàm ad illum; siquidem id est commune in omni contractu, quod per verba, aut aliud signum externum declaretur in ipso actu contractus, ad quid se obligent contrahentes.

Quod verò nulla sit professio, de qua hîc controuertitur ex defectu nouitiatus, probatur tum ex licentia quam magnus Magister ordinis dedit Nouitio (de quo hic agitur) vt posset recedere è Conuentu Melitæ cum conditione, vt infra terminum 2. annorum rediret ad illum causa peragendi ibi nouitiatum; quod tamen ipse non præstitit (vt suppono) siquidem regressus ad præfatum Conuentum non peregit integrum anni Nouitiatus, sed sine licentia magni Magistri discessit iterum è Conuentu, Romam petiit, & Papæ exposuit se annum nouitiatus peregisse, obtinuit facultatem profitendi extra debitum Conuentum, tum quia estò diceretur Nouitium peregisse integrum annum probationis, licet interruptè, hinc non probatur validitas professionis; cum annus Nouitiatus ex sacris Canonibus, & ex Concil. Trident. debeat esse continous iuxta communem DD. sententiam, & sacræ Congregat. declarationem vel enim pro anno præfatæ probationis computatur illud tempus, quo Nouitius mansit in Conuentu Melitensi ante discessum, vel illud aliud tempus, quo post regressum mansit ibidem: vel computatur ex vtroque spatio simul consideratum: non primum, quia annus probationis debet esse continuus non solum in se, sed etiam cum professione, ita vt hæc immediatè ei coniungatur (quod probat Suar. *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 15. num. 8. & 9.* non secundum, quia illud tempus non fuit per annum integrum, sed defecit in quibusdam mensibus (sicut supponitur) non tertium; quia inter prius, & posterius tempus tanta interruptio fuit, vt integrari nequeat annus probationis, qui modo dicto debet esse continuus: præterquam quod Magnus Magister Ordinis dans Nouitio licentiam recedendi è Conuentu cum hoc, vt infra biennium rediret ad Nouitiatum peragendum, apertè ostendit se spatium illud antecedens non computasse, nec acceptasse in probationem neque in toto, neque in parte; cum alioqui probatio non valeat, nisi sint acceptata à Prælato Religionis, & habita pro sufficienti.

Quod denique præfata professio fuerit nulla ex defectu consensus Superioris, & Conuentus probatur, quia in præsenti casu non solum abfuit consensus Magni Magistri, & totius Conuentus vi Statutorum Ordinis necessarius (vt in *summ. num. 11.*) sed adfuit expressus dissensus in contrarium ipsius Magistri: quippe qui expressè protestatus est in licentia discendi è Conuentu data Nouitio se nolle eum admittere ad professionem, nisi prius alium annum Nouitiatus expleret; quod non præstitit Nouitius, cum solum 10. menses transegerit in secundo nouitiatu (vt supponitur) cum tamen ad valorem Professionis Religiosæ sit necessarius consensus Prælati illam acceptantis, vt dictum est *suppos. 8.*

Nec dici potest Nouitium in præsenti casu censendum esse validè professum, saltem professione tacita,

tacita: nam (vt supponitur) ille non exercuit actus per solos professos Ordinis fieri solitos; &, si exercuisset, ij illum non releuarent, cum obstet inhabilitas proueniens ex omissione Cinguli Militaris, & vbi non valet professio expressa, multo minus tacita possit subsistere, Calderin. *consf. 5 de Regul.* Nauarr. *cons.* 23. *num.* 48. Sanchez *lib. 7. de matrimon. D.* 37. *num.* 34. Præterea, cum professio tacita sit contractus, requiritur consensus tam profitentis, quam Religionis acceptantis; qui tamen non adfuit in casu nostro, neque ex parte Religionis, quæ non agnouit eum vt professum, & saltem fuit in dubio de validitate dictæ professionis (quod dubium aufert bonam fidem, & consensum Religionis) nec ex parte profitentis; cum constet ipsum dubitasse de valore illius professionis, quam noluit non probari à Religione, & alioqui requiratur consensus, cum verò animo consentiendi in dictam professionem; nemo enim obligari potest ad votum, in quod voluntariè ipse non consentit actu; vt notat Sanchez *lib. 5. mor. cap. 3. à num.* 13. Accedit, quod in præsenti casu desunt omnes conditiones, quæ ex *suppos. 5.* à Doctoribus communiter requiruntur ad professionem tacitam, quarum vna se tenet ex parte substantiæ actus, aliæ verò ex parte consensus Nouitij, qui probari nequit; quod facile constabit vnamquamque earum perpendenti. Adde, etsi detur Nouitium consensisse in professionem tacitam, adhuc ea esset nulla: sicut enim consensus expressus ab eo datus tempore professionis expressæ non potuit validare professionem expressam ob defectum Cinguli, quo caruit, & ob defectum Nouitiatus, quem non compleuit: sic nec consensus tacitus, durante eodem defectu substantiali potuit validare professionem tacitam; cum ad hanc validandam item requireretur consensus Capituli generalis, qui tamen non adfuit (vt supra dictum est) sicque nunquam tacite rata, & admissa fuit à Religione præsens professio Nouitij.

QVÆRES XIII. An, & quo pacto requiratur consensus Capituli localis, vt Religiosus possit licitè accedere ad studia literarum absque periculo incurrendi excommunicationem latam *in cap. vt periculosa, ne Cler. vel Monal. in 6.*

128. Respond. requiri eo pacto, quo docet Bonacina *D. 2. de censur. in partic. quæst. 8. part. 8.* & nos ostendimus *in tract. de pœnis cap. 2. sect. 2. subs. 3. quæst. 4.*

QVÆRES XIV. An requiratur consensus Capituli localis ad effectum, vt electio Conseruatoris monasterij fiat à Regularibus canonicè iuxta priuilegia ipsis ad talem effectum concessa.

129. Respond. de rigore iuris non requiri; sicut diximus *in tract. de priuil. cap. 8. sect. 4. quæst. 4.* esse tamen valdè æquum, vt id non fiat à Prælato sine consilio Capituli; cum electio Conseruatoris sit res grauissima, adeóque indigeat non vulgati consultatione.

QVÆRES XV. Quid debeat præstari in Capitulis culparum.

130. Respond. præter accusationem culparum debere ibi legi caput aliquod Regulæ, eóque lecto vulgari sermone explicari à Prælato monasterij, vel alio ab ipso ad id deputato; & hoc Clem. 1. *de statu Monach.* §. *sanè*, quod sic habet: *Regula quoque, cum in Capitulo legitur, ab illo, qui præest ipsi Capitulo, vel alio, cui hoc ipse iniunxerit, propter iuniores vulgariter exponatur*, vbi notat Glossa *v. iuniores*, quod, vbi tales non essent, talis expositio posset omitti: quæ declaratio faceret etiam in casu, quo Capitulo interessent quidem iuniores, non indigerent tamen dicta expositione, vtpote benè callentes linguam Latinam; quod cum in præsentia regulariter ita sit, communiter omittitur talis expositio, facta loco ipsius aliqua pia exhortatione.

QVÆRES XVI. An Regulares in Capitulo locali teneantur, aut possint dicere culpam de defectibus internis.

Respond. posse, vt expressè docet S. Basil. *serm. 4. exercit. & in reg. fus. disputat.* patetque ex eo quod talis accusatio est actus humilitatis, aliarúmque virtutum, ac proinde bonus, & meritorius; non tamen teneri, ita in terminis Peyr. *in formul. lit. C. cap. 22. num. 4.* ex S. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art. 7.* & patet ex doctrina communi, quam tradunt S. Thom. 1. 2. *quæst. 19. a. 4. & quæst. 100. art. 9.* Suar. *D. 4. de censur sect. 2. num. 16. & lib. 4. de leg. cap. 13. num. 4.* Mirand. *tom. 1. man. quæst. 16. art. 2.* aliique non pauci citati à Laym. *lib. 1. tract. 4. cap. 4. num. 5.* nullam scilicet legem, aut præceptum humanum extendi ad præcipiendos actus merè internos; id probantes, tum ex *cap. tua nos, de Simon.* vbi dicitur. *Nobis datum est de manifestis solummodo, iudicare*: tum quia Ecclesia non iudicat de occultis, *cap. sicut, el. 2. eodem titulo*: si enim hæc doctrina valet, quoad vniuersalem Ecclesiam, vtique à fortiori valebit, quoad Ordines Religiosos, qui sunt partes ipsius Ecclesiæ. 131.

Notat autem Bordonus *tom. 1. resolut. 58. quæst. 16.* Superiorem posse non vocare ad Capitulum Religiosos, qui ibi solent respondere impertinentia, aut proferre vota incerta, vel obscura, aut se aliis remittere ignorantes, quid sit negotia expedire eum aliis, & probat, tum quia nemo ad inutile tenetur; talis est autem exquisitio similium votorum: tum quia qui non facit quod debet, recipit quod non oportet, *leg. Iulianus*, §. *offerri, ff. de act. empt.* tum quia per tales locutiones indiscretas respondentes videntur iuri suo renunciare, & sic non dicuntur contemni.

QVÆRES XVII. An Regulares in Capitulo locali possint publicè se accusare de delictis occultis infamatoriis.

132. Respond. posse absolutè loquendo; quamuis id non semper expediat, ideóque non nisi magna cum prudentia, ac circumspectione faciendum sit. Colligitur ex Lessio *lib. 2. cap. 4. numero 59.* & probatur, tum quia S. Thomas 2. 2. *quæst.* 73. *art. 4. ad 1.* Sotus *lib. 4. de iustit. quæstion. 2. art. 3. conclus. 2.* Adrian. *in 4. quæst. de restit.* Naldus *v. infamia, num. 3.* aliique recentiores docent in arbitrio cuiusque hominis esse pati detrimentum in sua fama, nisi id vergat in damnum aliorum id inde probantes, quod alioqui homo non posset condonare restitutionem suæ famæ; cum nemo condonare possit, quod non est suum: constat autem, quod famæ restitutio potest remitti tum quia DD. & maximè Less. *vbi supr* admittunt plures casus in quibus potest homo licitè se infamare; nimirum ad petendum consilium, ad sui ipsius humiliationem (quo modo latro ille apud Climacum publicè grauissima confessus est peccata) ad vitandum peccatum superbiæ, vel aliud, ad redintegrandam alterius famam, ab ipso iniustè ablatam, si fortè aliter non possit redintegrari, aliumque similem finem: ergo & licitum erit in præsenti casu se publicè accusare de aliquo delicto graui, quamuis occulto ad actum humilitatis, aliarúmque virtutum exercendum.

Dixi, *quamuis id semper non expediat*, &c. quia multa licent, quæ non expediunt; vnde si hîc, & nunc ex præsentibus circumstantiis prudenter iudicetur non expedire, quod Religiosus in publico

Capitulo

Capitulo humilitatis causa se accuser de delicto occulto infamatorio, omninò debet abstinere à tali accusatione certò sibi persuadens id tunc Deo fore gratius, & acceptius, magisque conducere ad suum bonum spirituale.

Qværas XVIII. An Religiosus ex motiuo humilitatis, & abnegationis sui ipsius possit æquiuocando se accusare de defectibus à se reuera non commissis.

134. Respond non posse. & probatur, tum quia æquiuocatio non est licita, nisi quando adsit iusta causa æquiuocandi; in nostro autem casu non videtur adesse iusta causa; cum in aliis rebus possit Religiosus exercere actus humilitatis, & aliarum virtutum; tum quia bonum est ex integra causa, adeóque ad eliciendum actum virtutis, non debet eligi medium de se malum.

Qværas XIX. An Religiosus possit in publico Capitulo argui à Superiore de defectibus, aut excessibus ab eo commissis.

135. Respond. posse, si defectus, ac excessus sint leuiores, & non infamatorij: secùs, si sint graues, ac occulti. Colligitur ex Castro Palao *tract. 6. D.3. part. 11. num.5.* patetque tum ex praxi, quæ quoad hoc seruatur in Religionibus: tum ex iis, quæ diximus *sup. cap. 4. quæst.13.* quamquam non idcò tollatur, quin Prælatus interdum possit monere, & corrigere Religiosum subditum coram duobus testibus, etiam de delicto graui, si iudicet id conferre ad bonum ipsius spirituale; vt benè notat idem Castrus Palaus.

Vtrum verò in casu, quo Prælatus in capitulo Religiosum subditum publicè argueret de delicto infamatorio occulto possit subditus illud constanter denegare, etiamsi inde Prælatus contracturus sit notam mendacis.

136. Respond. posse, adhibita tamen æquiuocatione, ac mentali aliqua restrictione ad vitandum mendacium. sumitur ex Lessio *l.2. cap.31. num.7.* & patet, quia Religiosus sic negando vtitur iure suo, quod scilicet habet tegendi sua occulta dicta, & facta, ex quorum manifestatione ipsi non leuis infamiæ nota inureretur; qui autem vtitur iure suo, non facit alteri iniuriam: vnde si Prælatus ex tali negatione habetur mendax, debet sibi ipsi id imputare; vt in simili aduertit Petrus Nauarrus *l.2. de rest. cap.4. num.348.*

Qværas XX. An Prælatus regularis in Capitulo possit detegere occultum delictum Religiosi subditi, & quidem infamatorium ad effectum capiendi consilium, quomodo se debeat gerere in tali euentu.

137. Respond. quod, quamuis iuxta dicta superius *cap.4 sect.1. quæst.13.14. & 15.* concedatur Prælatum regularem posse manifestare aliquibus suorum Consultorum delictum infamatorium occultum proprij subditi in bonum ipsius delinquentis (v. g. ad quærendum remedium) dictis Consultoribus imponendo secretum, vt rectè notat Castrus Palaus *vbi sup.* non puto tamen in præsenti casu licere detegere præfatum delictum subditi in publico capitulo. Moueor. quod in manifestatione alieni delicti, quantumuis ordinata ad bonum delinquentis, debet seruari moderamen inculpatæ tutelæ (vt sic loquar) præiudicando famæ alterius minùs, quam fieri possit; id verò non seruaretur in isto euentu, quo Superior detegeret toti Capitulo delictum subditi, cui aliàs consulere posset illud solùm detegendo aliquibus Religiosis grauioribus, ac prudentioribus; ad quod vtique facit effatum illud philosophicum: *Quod potest fieri per pauciora, & æque benè, non debet fieri per plura.* præsertim cum hîc agatur de præiudicio tertij vitando, eóque graui.

Quod si hac occasione quæras, an Religiosus Capitularis, qui certò scit alium Religiosum monasterij ambiisse v. g. prælaturam, hincque ex speciali statuto Ordinis factum fuisse incapacem prælaturæ regularis quoad licitè; possit, imò & debeat talem ambitum manifestare Religioso Concapitulari petenti ab eo informationem de Religioso, qui ambiuit in ordine ad illum eligendum in Prælatum.

Respond. In hoc casu posse quidem manifestari ambitum (idque ob doctrinam Lessij *l. 2. cap. 12. num.124.* asserentis ius esse, quando de officiis, vel beneficiis agitur, patefacere ea, quæ hominem minus habilem, vel collationem minus decoram reddunt, idcóque occultè capi informationes) non tamen teneri iuxta plures Doctores relatos à Sanchez *l. 6. moral. cap. 18. num. 46.* negantes licitum esse immediatè, ac nulla correctione præmissa denunciare Prælato delictum occultum fratris: quod tamen Sanchez non admittit absolutè dicens esse probabilissimum, & suo iudicio verius id licere: & hoc ob varias rationes, quæ videri possunt apud ipsum Sanchez *loco citato.* solum hîc moneo id, quod conceditur hic, aut negatur de Prælato, proportionaliter procedere etiam de particulari Religio monasterii; cum in vtroque paritas rationis militet.

Qværes XXI. An Religiosi sub peccato teneantur implere pœnitentias sibi in Capitulo à Superiore iniunctas, si alioqui regula Ordinis non obliget ad culpam, imò nec ad pœnam.

138. Respond. teneri; & ratio est, quod, cum regula Religionum distingui debeat à mero consilio, (vt recte aduertit Suarez *tom.4. de relig. tract.8. l.1. cap.2. num.6.*) oportet, vt aliquam inducat necessitatem, saltem pœnam; vnde inquit Suarez etiamsi regula non taxet certam pœnam eo ipso quod regula est, subiicere hoc modo transgressorem iustæ pœnæ, siue immediatè, siue mediante aliqua culpa: alioqui non haberet in quo à mero consilio distingueretur, vt significauit Hieron. *l.1. cont. Iouinian.* dicens: *Quod præcipitur imperatur, quod imperatur, necesse est fieri: quod si non fiat, pœnam habet.* & infrà, *Vbi consilium datur, offerentis consilium est, vbi præceptum, necessitas est seruientis*; cum ergo pœnitentiæ, quæ solent imponi in Capitulo, imponantur ob defectus commissos contra regulam: eæ sub peccato implendæ erunt: quod tamen negant Caiet. Armilla, Viguer. & Val. relati à Sanch. *l.6. mor. cap.4. num.13.* cum ipso sustinentes. & non improbabiliter nullam esse culpam non subire dictas pœnas, nisi adsit speciale præceptum Prælati.

Dubium est, an Religiosus teneatur implere præfatas pœnitentias, si ei iniungantur ob defectus reuera non culpabiles.

139. Respond. non teneri in foro conscientiæ, sed solum ad vitandum scandalum, aut aliàs si ipsi constet Prælatum tales pœnitentias imponere ex causa iusta, ac rationabili: (v.g. ad maiorem profectum spiritualem subditi) quomodo *p.3. Const. Societ. cap.1. num.15.* dicitur: *Pœnitentias verò huiusmodi prompta voluntate quisque admittere deberet cum vero emendationis, & spiritualis profectus desiderio, etiamsi propter defectum non culpabilem iniungerentur.* Ratio autem responsionis est, quod vbi non adsit culpa, nec debet adesse pœna; cum omnis pœna propriè dicta præsupponat culpam: at in præsenti casu verè non adest culpa (licet Superior illam præsumat)

ergo

ergo nec debet adesse pœna: quamquam in foro externo, quod nititur præsumptionibus, exequendæ essent tales pœnitentiæ ad cauendum scandalum, quod probabiliter præberet Religiosus renuens implere dictas pœnitentias: nisi fortè interim publicè se iustificet probando se non esse reum defectus, qui obiicitur, sicque occurrat periculo scandali, quod aliàs incurreretur.

Quæres XXII. Quàm vtilis, ac necessarius sit vsus dicendi culpam in Capitulo, aut alio loco, quem communiter seruant Religiosi.

140 Respond. esse, & vtilem, & necessarium; vtilem quidem quia sic Religiosus facilius, & citius resipiscit à propriis defectibus iuxta illud Prou. 18. *Iustus est accusator sui*: sic exercet varios actus virtutum; nimirum humilitatis, abnegationis suiipsius, patientiæ; sic satisfacit Deo pro pœna debita defectibus, de quibus se accusat: sic regularis obseruantia redintegratur, & conseruatur, vnde ait S. Bernard. *de prec. & dispens. cap. 16. Illum sanè dico securum, qui etiamsi interdum obedientiæ limitem præterit, consilium non respuit pœnitentiæ: regulares namque terminos, etsi sæpè deliquerit, non euadit, qui censura, quæ ex regula est, disciplinam non subterfugit, pars siquidem regulæ est regularis correctio, & in ea requiritur non solum bonæ vitæ instructio, sed etiam emendatio praua*: sic denique Religiosus inteodit se sui profectus spiritualis studiosum, & desiderium quod habet seruiendi Deo factis ipsis testatur: sicut adnotatur *part. 3. Constitut. Societ. cap. 2. §. 28.* his verbis: *Et aliquoties singulis annis omnes à Superiore sibi pœnitentias iniungi propter defectum obseruationis regularum petant, vt hæc cura indicium sit illius, quam de suo profectu spirituali in via Dei quisque habet.* Confirmatur assertio ex visione facta S. Dominico, in qua vidit Diabolum nolentem intrare in locum Capituli, eo quòd ibi magnam iacturam faceret: & (vt loquitur Abbas de Mamburgo *alphabet. 1c. cap. 9. membr. 4.*) ibi amitteret quidquid in aliis locis lucratur: sic Sotethius *in cap. 1c. regula Carmelitarum cap. 1.* loquens de Capitulo culparum, ait: *Attende in Samaritano Prælatum, & in stabulo Capitulum, in effusione vini, & olei fomentum consolationis, & asperitatem correctionis. hæc est piscina compunctionis, in qua sanatus est infirmus post commotionem veræ confessionis.* sic Gratianus *in discipl. Regul. part. 3. cap. 6. §. 1.* notat locum Capituli vocari Capitulum, eo quòd sit caput, & locus principalior inter loca monasterij; cum in eo agatur de puritate animæ Religiosis adeò necessaria.

Est autem in religionibus necessarius vsus pœnitentiarum, tum ad emendationem ipsorummet delinquentium; cum timor pœnæ valdè coërceat ab excessibus perpetrandis iuxta illud, *oderunt peccare mali formidine pœnæ*; tum ad regularem disciplinam conseruandam: cùm Theologi, & iuris doctores dicant leges, quantumuis violentur à subditis, nihilominus censeri esse in viridi obseruantia, si earum transgressores debitè puniantur, tum ad exonerandam regularium Prælatorum conscientiam, qui cùm ratione sui officij teneantur inuigilare, & curare, vt subditi obseruent regulas, ac Constitutiones Ordinis, tunc demum suo muneri satisfaciant, si delinquentibus debitas imponant pœnas: si quidem teste S. Bonau. *tract. de 6. alis Seraph. ala 1.* in hoc differunt Religiones laudabiles, & iam dilapsæ, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quòd nullus impunè peccare sinatur, & peccandi aditus studiosè præcludantur, & incorrigibiles, & alios inficientes eliminentur, &c. vnde fit, vt licèt interdum contingat Religioso imponi pœnam aliquam pro delicto verè non commisso, non ideo debeat excandescere aduersus Prælatum ex errore, aut aliquali inaduertentia dictam pœnam imponentem, nec de eo conqueri, memor illius, quod habet S. Petr. *Epist. 1. cap. 2. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? sed si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* præterquam quod, (quod tamen non nisi rarò euenire solet) iniungitur pœna non merita modo dicto; aliàs sæpe sæpiùs non iniungitur, etiamsi multis ex capitibus sit, debita, & si imponitur, longè minor imponitur, quàm deberetur attenta grauitate defectus commissi; ita vt hac in re dici possit fieri quasi quædam compensatio (vt sic loquar.)

TRACTA-

TRACTATIVNCVLA
DE
Peculiari Instituto Societatis IESV.

IN hac Tractatione agendum nobis esset de Peculiari Societatis IESV Instituto(sicut præ se fert ipsemet Tractationis titulus)non quidem latè,ac fusè(quomodo egimus de occurrenti materia in aliis Tractationibus huiusce nostri Manualis Regularium)sed summariè,ac compendiosè,in vnum colligendo ea,quæ sparsim fusius à nobis explicantur in reliquis tractatibus de speciali Instituto Soc.IESV; prout in præfatione prioris Tomi præindicauimus. Verùm iustis de causis, iisque variis,ac grauibus,mutato in melius consilio,eiusmodi summariam Tractationem censemus in præsentia omnino esse omittendam; de nouo conscripturi specialem Tractatum, in quo de peculiari Instituto Societatis agatur,non summariè,sed latè,& ex proposito, illumq; postmodum edituri. Habet quippe Societas multa propria, ac singularia: plura habet noua, ac inusitata: in pluribus differt ab Institutis aliarum Religionum: quæ proinde non nudè, ac summariè proponi debent (quo pacto calumniantium oblocutionibus facilè paterent) sed vnà cum suis rationibus, ac fundamentis; ex quibus meridiana luce clariùs constet ea non solùm esse statui Religioso consentanea, sed etiam ad finem Societatis consequendum maximè opportuna, imò & necessaria. Si quidem veritas sæpiùs examinata magis splendescit in lucem, *cap.graue* 15.*q.* 9. Sol reuerberatus fortiùs calefacit,& clauus repercussus fortiùs stringit, teste experientia: opposita enim iuxta se posita magis elucescunt, ex Aristot *de cælo,& mundo*; quilque certiùs deprehenditur eo,quod disputationis dente teritur; vt bene aduertit Adrianus Papa *in quodlib.q.* 3.

QVamquam ex eo, quod Societatis Institutum continet aliqua noua, propria, ac inusitata in aliis Ordinibus Religiosis; non ideò ea carpenda sit, aut minoris æstimanda, aut habenda suspecta; cum diuina prouidentia (sicut habet Gregorius XIII. in sua Constit. *Ascendente Domino*) pro temporum necessitate varia, & salutaria Ordinum Instituta in Ecclesia sua produxerit, nouisque in ea subinde nascentibus morbis noua remedia, nouisque emergentibus hostium impugnationibus, noua Regularium Ordinum auxilia excitarit, & cuique illorum iuxta cuiuslibet peculiaris gratiæ vocationem peculiares quasdam notas, peculiaria insignia, & opportuna ad finem, quem intendunt, media suggesserit. vnde fit, vt Religionum varietas in Ecclesiam à diuina prouidentia inducta, sit et opportuna, & auxiliaris, ideóque minimè damnanda, imò suspicienda, & quàm maximè commendanda.

Quocirca idem Gregorius XIII. in relata Constitutione prohibuit in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, necnon inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia sæcularia, & quorumuis Ordinum regularia eo ipso absque alia declaratione incurrendis (quarum absolutio reseruatur Papæ) ne quis cuiuscumque status, gradus, & præeminentiæ existat, Societatis institutum, Constitutiones, aut quemuis articulum in ipsa Gregorij Constitutione propositum, vel aliud quid supradicta concernens quouis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore, directè, vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat; districtius inhibens, ne quis siue extra, siue intra dictam Societatem, nisi de illius Generalis, aut inferiorum Præpositorum licentia notationes, declarationes, glossas, vel scholia vlla super præmissis facere, vel ea, nisi in quantum ipsa verba sonant, interpretari,aut de eis disceptare,seu scrupulum cuiquam inicere, vel in controuersiam,aut, dubium reuocare audeat quoquo modo; nec glossas, aut interpretationes, siue impressas, seu scriptas ad id pertinentes; legere, docere, aliisque tradere, vendere, vel apud se retinere præsumat.

Quin etiam ipsi Summi Pontifices Institutum Societatis non approbarunt solùm, ac confirmarunt, sed summis laudibus extulerunt in Constitutionibus de ea editis.Sic Paulus II.in bulla,*Licet debitum* de ea hæc habet: *Ad Societatem Iesu per nos institutam, & approbatam, cuius specimen veluti ager fertilis in Domino multiplices, atque vberes fructus animarum ad summi Regis laudem, & fidei incrementum attulit, & affert quotidie verbo, & exemplo in populo Christiano.* Sic Pius IV. in bulla *Etsi ex debito* de Societate dicit: *Ad illos, qui, sicut nomen Societatis Iesu assumpserunt, ita opere, doctrina, & exemplis Dominum nostrum Iesum Christum imitari, & eius vestigia sequi nituntur.* Sic Pius V. in bulla *Dum indefessa* de eadem Societate ait. *Dum indefessa considerationis intuitu perscrutamur, quantam Christianæ Reipublicæ vtilitatem attulerint dilecti filij Presbyteri Societatis Iesu, planè conspicimus eos vere mundi huius relictis illecebris, adeò*

Seruatori suo se dedicasse, vt conculcatis thesauris, quos erugo, & tinea comedit, lumbisque paupertate, & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, vsque ad Orientales, & Occidentales Indias penetrauerint, ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, vt etiam proprij sanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario se supposuerint, perque eorum exercitia spiritualia etiam regna ipsa fidem Christi agnouerint, ac tam inibi, quam vbique terrarum caritatis, & misericodiæ opera exerceri studeant; facere nullo modo possumus, quin eos tanquam veros palmites in Christo per charitatem coniunctos benigne amplectamur. Sic Gregorius XIII. in bulla, *Quanta in vinea*, de Societate inquit: *Quanta in vinea à Domini fructuosa opera Societas Iesu quotidie verbo, & exemplo in populo Christiano attulerit, continuosque labores pro diuini nominis gloria, & exaltatione fidei catholicæ Presbyteri dictæ Societatis supportant, cordi nostro prouenit satisfactio.* Sic Gregorius XIV. in bulla, *Ecclesiæ Catholicæ* loquens de Societ. ait: *In his* (idest in operibus ad salutem Proximorum confetentibus) *Religio Societ. Iesu, quam nouissimis hisce diebus diuina prouidentia excitauit, adeò strenuè laborauit, ac sine intermissione laborat, vt illius, vel turbationem, & infirmitatem ad commune Ecclesiæ damnum, vel pacem, atque integritatem ad eiusdem vtilitatem maximè pertinere putemus.* Sic Clem. VIII. teste Suarez *tom.4 de relig.tract.10.lib.1.cap.7.num.5.* benignè alloquens Patres, qui ex vniuersa Societate Romæ congregati fuerant anno 1600. Societatem brachium dextrum Sedis Apostolicæ appellare non est dedignatus. Sic Paulus V. in bulla, *Quantum Religio*, de Societate dicit: *Quantum Religio Societatis Iesu in Ecclesia ad fides, pietatis, & Religionis augmentum profecerit, & in dies magis proficiat, nos ipsi scimus, & Christiana Respublica nouit vniuersa*, & infra: *Nos igitur certò scientes totum sanctæ huius & nunquam satis laudatæ Religionis stabilimentum, & profectum in viridi Instituti ipsius, & decretorum super hoc in generalibus Congregationibus eiusdem Societatis editorum obseruantia consistere.*

Cùm ergo in Societatis Instituto plura extent, quæ primo intuitu videri possent Religioso statui minus conformia, si absque validis rationibus, ac firmis argumentis proponantur: non decebat ea hîc nodè, ac simpliciter proponere (quod omninò contigisset, si summaria Tractatio, quæ præmissa fuerat, apponeretur sed oportuit nouum conscribere Tractatum, in quo omnia, & singula maturius examinata validis argumentis probentur; sicque admirabilis totius Instituti Societatis hierarchia, viris etiam alioqui eruditis parum perspecta clarius emineat, faciliusque obtrectantium ora obstruantur. Quod tamen præstare non licuit Authori in priori hac editione Manualis, tum ob frequentes corporis morbos, quibus identidem affligitur, tum ob graues, & varias occupationes, quibus moderatorum suorum iussu distinetur: vt propterea necesse fuerit præfati Tractatus euulgationem ad aliud tempus reseruare; ne aliàs posterioris huius tomi impressio cum graui Typographi dispendio plus æquo protraheretur, quam Regulares citissimè absolui summopere exoptabant.

Absit autem, vt quispiam suspicetur, me in hoc voluisse amico Lectori imponere, ac promissionem datam turpiter perfregisse: siquidem propositum, seu promissum non infringitur ab eo, qui in melius illud commutat *cap. peruenit de iuram.* & plurium Doctorum sententia apud Sanch. *lib.4. moral. cap.2. num.18.* est neminem per votum, aut iuramentum, promissionemue quamcumque obligari vltra id, ad quod se obligare voluisset, si id aduerteret dum promisit: vnde infert Molina *tract. 2. de iust. D. 272. col.2.* illam rerum mutationem à promissionis executione deobligare, quæ, si promittenti occurreret, dum promisit, eam exciperet, aut de ea tunc interrogatus responderet mentem suam non esse in eo euentu se obligare, etsi absolutè promiserit, nihil de illis euentibus cogitans: non enim liberalis promissio debet extendi vltra promittentis intentionem, & huius intentio præsumitur nolle se in tali euentu obligare; cum in generali concessione non veniant, quæ quis non esset verosimiliter concessurus in specie, *regula in generali de regul. in iuram. in 6.* Quæ omnia vtique in præsenti casu procedunt; in quo & promissio commutatur in melius (cum pro summaria tractatione promissa offeratur absoluta, ac perfecta Tractatio de peculiari Instituto Societatis) & ea circumstantiarum mutatio modò se offert, vt omninò deceat permissionem factam non seruari. Quod differtur non aufertur, *ff. de iuram. l. cum furiosus, & Inst. de singul. regul. de fideicomm. relict. §. itaque*, nec displicere debet creditori morosa solutio, quæ auctiori fœnore compensatur. Præterquam quod sapientis est mutare consilium semper in melius *l. non mirum, ff. de collat. bon. Instit. de legat. initio cap. inter de pœnit. d. 3.* mutarique potest opinio, cum expedit *capit. certum 12. quæstion. 1. capit. vides 23. quæst. 6.*

Cæterùm lubet hîc inserere Indicem capitum, ac sectionum, in quæ distribui debet Tractatio à nobis conscribenda de nouo, ac præiodicare loca singularum Tractationum nostri Manualis, ex quibus potissimum debent colligi, quæ in præfata Tractatione à nobis explicanda sunt: Idque vt sic constet de structura totius Tractationis, & occurrente interim grauiori aliqua difficultate de Instituto Societatis, habeat Lector, vnde illam facilè resoluat. Tota autem Tractatio diuidetur in 23. capita, in quorum 1. agetur de Instituto Societatis in genere, in 2. de Nouitiatu, qui fit in ipsa Societate: in 3. de Professione in ea emitti solita: in 4. de Voto Paupertatis: in 5. de Voto Castitatis: in 6. de Voto Obedientiæ: in 7. de Votis specialibus, quæ fiunt in Societate; nimirum de Voto Obedientiæ ad summum Pontificem circa Missiones: de Voto non consentiendi in relaxationem Paupertatis: de Voto non ambiendi dignitatem intra, aut extra Religionem; de Voto non acceptandi Episcopatum absque Superioris præcepto; de Voto audiendi consilia Generalis, si quis Professus Societatis assumatur in Episcopum; de Voto manifestandi procurantes aliquam dignitatem; & de Voto ingrediendi Societatem, quod fit vna cum Votis biennij (sicque caput hoc diuidetur in 7. sectiones propositis 7. Votis respondentes) in 8. capite agetur de principalioribus ministeriis; quæ sunt administrare Sacramenta, prædicare, publicè docere, etiam in Vniuersitatibus, & Missiones obire inter fideles, ac Infideles; & singula ad maiorem distinctionem in propriis sectionibus, in quas caput hoc distribuetur, latè exponentur: in 9. capite agetur de præcipuis Obligationibus Religiosorum Societatis: in 10. de grauioribus Prohibitionibus in ea specialiter factis: in 11. de Pœnis in ea iure propriolatis: in 12. de eorum Priuilegiis: in 13. de illius Regimine eiusque Prælatis.

Quod verò spectat ad loca, in quibus Auctor in Manuali examinat discutienda in Tractatu, quem de nouo conscripturus est de Instituto Societatis; præmoneo agi.

De

Ad Maiorem Dei gloriam, B.V. Mariæ honorem, ac laudem Sanctorum P. N. Ignatij, ac Francisci Xauerij Indiarum Apostoli.

DECRETA S. CONGREGATIONIS
A REGVLARIBVS PVBLICÈ
quotannis legenda ſub certis pœnis.

CVM Regulares quotannis teneantur ſub certis pœnis publicè legere aliquot Decreta S Congregationis ad ipſos ſpectantia, & quidem ſtatutis temporibus; vt ij illa faciliùs, ac commodiùs habere poſſint præ manibus, placet ea hîc in extenſum proponere; videlicet

Conſtitutio Clementis VIII *de Largitione munerum*, vnà cum eius confirmatione facta ab Vrbano VIII. ſub pœna Priuationis officij, vociſq; actiuæ & paſſiuæ, ipſo iure incurrendis; menſe Ianuario legenda.

Decreta S. Congregationis Concilij Vrbani VIII. auctoritate edita, *de Celebratione Miſſarum*, ſub pœna priuationis officij, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ, ipſo facto incurrendis; legenda ſexto quoque menſe, id eſt, Feria 2. poſt primam Dominicam Aduentus, & Feria 6. poſt Octauam Corporis Chriſti.

Decreta S. Congregationis S. Officij iuſſu Vrbani VIII. edita, *de obſeruantia Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac Decretorum pertinentium ad S. Officium*, ſub pœna priuationis officij, & vocis actiuæ & paſſiuæ, ipſo facto, aliiſq; pœnis arbitrio ſuæ Sanctitatis; legenda Feria 6. poſt Octauam Aſſumptionis B. V. Mariæ.

Decreta Clementis VIII. *de Reformatione Regularium, de Receptione, Profeſſione, ac Inſtitutione Nouitiorum*, ſub pœna priuationis omnium officiorum, vociſq; actiuæ & paſſiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda; bis in anno legenda diebus à Superiore deſignandis.

Decreta S. Congregationis Concilij iuſſu Vrbani VIII. edita, *de Regularibus Apoſtatis, & Eiectis*, ſub pœnis modò relatis; legenda bis in anno, die à Superiore præſcribenda.

S. D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. Confirmatio declarationis Conſtitutionis Clementis Papæ VIII.

De Largitione munerum Regularibus vtriuſque ſexus interdicta.

NVper à Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, coram dilecto filio noſtro Antonio tituli S. Petri ad Vincula, Presbytero Cardinali S. Onuphrij nuncupato, maiori Pœnitentiario, ac noſtro in alma Vrbe Prouicario in ſpiritualibus generali, & noſtro ſecundùm carnem fratre germano, à Nobis deputata, emanauit declaratio tenoris ſubſequentis, videlicet: Cum circa interpretationem Conſtitutionis fel. rec. Clementis VIII. ſub dat. XIII. Kal. Iulij, Pontificatus ſui anno III. de Largitione munerum, Regularibus vtriuſque ſexus interdicta, nónullę difficultates, & ambiguitates ſint exortæ; Congregatio ſpecialiter à Sanctiſſimo D N. Vrbano diuina Prouidentia Papa VIII. coram Eminentiſſimo Cardinali S. Onuphrij maiori Pœnitentiario, ac Vrbis Prouicario deputata, auctoritate ſibi attributa declarauit, & declarat munera à Religioſis vtriuſque ſexus tribui poſſe, ex cauſis gratitudinis, conciliationis beneuolentiæ, eiuſque conſeruationis erga ipſam Religionem, vel Conuentum, aliiſve cauſis ex ſui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modeſtè tamen, ac diſcretè & dummodo id non fiat, niſi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum conſenſu maioris partis Conuentus, ſi talis conſenſus de iure, vel ex Conſtitutionibus, ſeu conſuetudinibus cuiuſque Religionis reſpectiuè, in huiuſmodi caſibus requiratur. Conſenſum verò Conuentus in §. 3. eiuſdem Conſtitutionis ad leuiora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad deuotionem, & religioſitatem pertinentia munuſcula largienda, &c. requiſitum, intelligi debere de conſenſu aliàs de iure requiſito, & vbi concurrit ambitionis ſuſpicio, qua ceſſante, nec in his requiri licentiam Superiorum in ſcriptis, in §. 4. eiuſdem bullæ requiſitam, ſed ſufficere licentiam, etiam oretenus eiſdem conceſſam, declarat. Commeſſationes autem, compotationes, & conuiuia in excipiendis præſertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis honorificè, & lautè, de quibus in §. 5. & 6. eiuſdem Conſtitutionis, cenſeri tantummodo prohibita, ſi decentiæ ſtatus Regularis aduerſentur. Reſtitutionem verò receptorum Conuentibus faciendam, de qua in §. 7. ibidem cautum eſt, intelligi debere de Conuentibus, ad quos data donara, ſeu miſſa de iure pertinent, ſi id commodè fieri poteſt, aliàs Conuentui eiuſdem Religionis viciniori loco, vbi petita fuit abſolutio reſtituantur. Inſuper eadem facultate ſibi tributa, omnes, qui hucuſque aduerſus ſupradict. Conſtitutiones, Capitula hîc moderata largiti fuerunt, vel receperunt, à pœnis quibuſcumque in eadem Conſtitutione inflictis, & incurſis poſſe, & debere à propriis Confeſſariis abſolui in foro conſcientiæ, etiam non facta priùs huiuſmodi rerum donatarum, ſeu datarum reſtitutione. Quoad eos verò, qui præter modum prædictum grauiori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo tranſgreſſi ſunt, ſed ob inopiam reſtituere nequeunt, eadem Sanctitas cõcedit maiori Pœnitentiario, vt de præteritis vſque ad diem datæ præ-

ſentium,

fentium, in foro conſcientiæ abſoluat, diſpenſet, & condonet, ſeu abſolui, diſpenſari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire iudicauerit. Et ne prædictæ Clementis VIII. Conſtitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cuiuſcumque Monaſterij, Conuentus, Domus, ac Collegij Regularis, ſub pœna priuationis officij, vocisq; actiuæ, & paſſiuæ ipſo iure incurrendæ, efficere teneantur, vt in perpetuum ſingulis annis menſe Ianuario, non ſolùm prædicta Conſtitutio (quam in reliquis eius partibus eadem Sanctitas, omninò obſeruari iubet, & quatenus opus ſit innouat, quemcumque prætenſum non vſum, aut prætenſum vſum, ſeu prætenſam conſuetudinem damnando, & irritando) verùm etiam hoc Decretum in aliqua publica Congregatione, vel ſaltè in publica menſa perlegantur. Omnibus, tam Eccleſiaſticis perſonis etiam Regularibus, quàm Laicis cuiuſcumque ſint ordinis, conditionis, gradus, ac dignitatis, etiam ſpeciali nota dignis, & qui ſub generali diſpoſitione non comprehenderentur, prædictam Clementis Conſtitutionem contra præſentis Decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta, ſuper quibus Sanctiſſimus mandauit expediri Breue. Datum Romæ die 25. Septembr. 1640. Quapropter, vt præmiſſa firmius ſubſiſtant, & inuiolabiliter obſeruentur, quantùm cum Domino poſſumus, prouidere volentes: Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, declarationem præinſertam cum omnibus, & ſingulis in ea contentis, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus, illáque inuiolabiliter ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, obſeruari, ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & quoſuis alios quacumque auctoritate fungentes, ſublata, eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus quoad ea, quæ declarationi prædictæ, & præſentibus ſunt contraria, vel diuerſa, Conſtitutione fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prædicti, ac omnibus illis, quæ idem Clemens in Conſtitutione huiuſmodi voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die XVI Octobris M. D. C. XXXX. Pontificatus noſtri Anno Decimo octauo.

M. A. Maraldus.

In nomine, & à Natiuitate Domini Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo, Indictione octaua, die verò trigeſima menſis Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Vrbani Diuina Prouidentia Papa Octaui, Anno decimo octauo; Retroſcripta littera publicata, & affixa fuerunt in acie Campi floræ, & aliis locis publicis, & conſuetis, per nos Hieronymum Maſcellam, & Andream Caſtruccium eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Curſorem.

Ita eſt Hieronymus Maſcella D.N.PP. Curſor pro D. Magiſtro.

Ita eſt Andreas Caſtruccius S. D. N. PP. Curſor.

Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Religioſæ Congregationes, ab inſigni ſanctitate viris Spiritus ſancti afflatu inſtitutæ, tantas Eccleſiæ Dei vtilitates omni tempore attulerunt, vt ad eas conſeruandas, & inſtaurandas Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, magnam iure optimo diligentiam ſemper adhibuerint. Nam cum ea ſit rerum humanarum conditio, & natura, vt etiam, quæ optimè fundata, & conſtituta ſunt, partim hominum imbecillitate, & ad malum procliuitate, partim Dæmonis aſtutia, paulatim deficiant, ac niſi cura peruigili ſuſtententur, in deterius prolabantur; Idcirco Summorum Pontificum vigilantia, magnopere laborauit, vt Regularium Ordinum diſciplina, aut labefactata, in priſtinum reſtitueretur, aut ſalutaribus Conſtitutionibus communita, integra, atque incolumis permaneret. Quorum Nos veſtigiis pro eodem Officij munere inſiſtere, & Paſtoralem illorum ſollicitudinem (quantum poſſumus) diuina adiutrice gratia, cupimus imitari. Quare ne ex muneribus, quæ à pluribus Religioſæ vitæ profeſſoribus, ex Chriſti patrimonio, quibuſuis hominibus quauis ex cauſa ſæpè tribuuntur, grauia incommoda, & mala, etiam boni ſpecie exiſtant, præcauere ſtudentes, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione vniuerſis, & ſingulis cuiuſcumque Ordinis mendicantium, vel non mendicantium bona immobilia, & redditus certos ex indulto Apoſtolico poſſidentium, vel non poſſidentium, ſeu cuiuſuis Congregationis, Societatis & inſtituti (non tamen Militiæ) Regularibus perſonis vtriuslibet ſexus omnem, & quamcumque largitionem, & miſſionem munerum, pœnitus interdicimus. Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia, & ſingula Capitula, Conuentus, & Congr. tàm ſingulorum Conuentuū, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum quàm Prouincialia, aut Generalia cuiuſlibet Prouinciæ, ſiue vniuerſi Ordinis, Societat. aut inſtituti, eorumque vel earum Camerarios, Commiſſarios, & quoſcumque Officiales, & ſingulares perſonas: Ipſos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum huiuſmodi Superiores quaſcumque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magiſtros, Miniſtros, & quocumque nomine Præfectos, necnon Conuentuum, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum quorumcumque Abbates, Priores, Præpoſitos, Præceptores, etiam maiores, Guardianos, Miniſtros, Rectores, atque Abbatiſſas, Priorиſſas, & alio quouis titulo Præſidentes, tam ipſis Regularibus, quàm locorum Ordinariis, ſeu quibuſuis Superioribus ſubiectas vtriuſlibet ſexus ad vitam, vel ad tempus deputatos, adeò, vt nemo vnquam eorum, directè, vel indirectè, palam, vel occultè, tam communi, quàm particulari, & proprio nomine, etiam ſub quouis Statuti, vel conſuetudinis, ſeu veriùs corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacumque cauſa niſi in Generali Capitulo, aut alia Generali Coogregat. re maturè diſcuſſa vnanimi conſenſu omnium, Superiorumque permiſſu cauſa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

Id autem ita abſolutè, & generatim vetitum intelligatur, vt neque omninò fas ſit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & prouentibus, collectis, vel contributionibus, aut obligationibus,

siue eleemosynis, aut subsidiis certis, vel incertis, ordinariis, seu extraordinariis, mensæ, seu massæ communis, vel cuiusuis Fabricæ, & Sacristiæ, quorum bona communicet, vt præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quàm ex pecuniis, etiam, quæ à singulis quouis modo acquisitæ in commune conferendæ omninò sunt. Nec si per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec si forsan priuatim, & nominatim cuilibet Religioso à suis Superioribus, vel à propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à piis Christi fidelibus, etiam eleemosynæ, aut charitatis, & illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quoquomodo per quemlibet Religiosum suo Monasterio, Domui, aut loco acquisitæ, eique vt ad libitum de eis disponat, per Superiores concessæ fuerint: Præterquam leuiora esculenta, aut poculenta, seu ad deuotionem, vel Religionem pertinentia munuscula communi tantùm, nunquam verò particulari nomine (vbi Superiori de consensu Conuentus videbitur) tradenda.

Sed & huiusmodi missiones munerum ipsis Religiosis vtriuslibet sexus non solùm per se, verùm etiam per alios, tam directè, quàm indirectè prohibitas, declaramus.

Neque verò quispiam ab hac generali prohibitione se excusare valeat, etiam si munera miserit, cuius personæ Laicæ, vel Ecclesiasticæ cuiuscumque status gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quauis non solùm mundana, & Ducali, Regia, Imperiali, verùm etiam Ecclesiastica, & Pontificiali, aut alia maiori, etiam S.R.E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causa, & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, tonsuræ, aut Professionis Monialium, tam sibi subditarum, quàm non subditarum, aut ipsi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Viceprotectori, Generali, vel Prouinciali, aut cuiusuis Monasterij, Prioratus, domus, aut cuiuslibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocumque officio, munera, aut dignitate fulgenti, vel cuicumque etiam simplici, & particulari Religioso: Itaut inter ipsos quoque Religiosos (ne praua ambitione impulsi pro consequendis in sua aut Religione gradibus, & dignitatibus alter alterius gratiam, aut beneuolentiam aucupetur) quæcumque largitio, aut donatio munerum (nisi rerum minimarum, de licentia expressa, & in scriptis Superiorum) sit pœnitus interdicta.

Insuper prohibemus, ne vnquam eisdem Regul. liceat vllas pecunias quoquomodo erogare in alicuius etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarij honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi testificationem, seu pro prædictis personis quauis auctoritate, vel dignitate fungentibus honorificè, lautè, & opiparè excipiendis, seu pro quibusuis conuiuiis eisdem, aut cuiuis alteri quacúque occasione, vel causa exhibendis, vel pro commessationibus, aut compotationibus quibusuis personis, tam eiusdem Ordinis, Congregationis, Monasterij, domus, aut loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam piis intra Ecclesias, Monasteria, & domos sacras, seu pias, vel extra eas, in quibusuis publicis, aut priuatis sacris, aut profanis locis, etiam vbi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut res piè gestæ, etiam in memoriam Passionis Dominicæ populis spectandæ proponuntur, aut aliàs in prædictis, siue in quibusuis rebus superuacaneis ad pompam, & ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & priuata commoda quomodolibet pertinentibus, nisi re ipsa pro diuino cultu, & veris Christi pauperum indigentiis, seruato in hoc charitatis Ordine, & habita necessitatis ratione de consilio, & consensu Superiorum subleuandis, aut alias in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Prouinciale non prohibitis, vel Taxam ibi forsan præscriptam non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant.

Declarantes tamen per hæc laudabilem, & Apostolica doctrina, sacrisque Canonibus commendatam hospitalitatem præsertim erga pauperes, & peregrinos, nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimo si quis redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, Ordinum, aut Regularium huiusmodi locorum, aut ex testatorum, vel donantiom voluntatibus, siue aliàs applicati, aut donati sunt, eos omnino (vt decet) integrè in vsus pios hospitalitatis huiusmodi erogandos esse, & præsertim in Monasteriis, seu locis desertis, & ab laicorum ædibus longiùs remotis, vbi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.

Si quos verò ditiores occasione transitus, siue aliàs ex deuotionis, aut necessitatis causa eò diuertere contigerit, eos sanè deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaque, & ferculis communibus, nequaquam à cæteris distinctis contentos esse. Verùm omnino ipsi regulares in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, vt in eis frugalitas, & paupertas religiosa prorsus eluceat.

Pari etiam ratione districtè inhibemus, ne quispiam ex prædictis Laicus aliàs, quam vt superiùs dictum est, vel Clericus sæcularis, vel Regularis quocumque honore, præeminentia, nobilitate, aut excellentia, etiam S.R.E. Cardinalatus dignitate prædiτus, etiam Protector, Viceprotector, loci Ordinarius, Prælatus, Generalis, Prouincialis, aut Monasterij, domus, vel loci, cuiuslibet Superior, eorúmve affines, propinqui, familiares, aut Ministri vtriuslibet sexus, quicquam contra hanc superiùs expressam prohibitionem recipiant.

Quod si vel, ab aliquo particulari Religioso, vel à Superiore quopiam Generali, Prouinciali, aut alio quocumque officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione, siue ab vniuerso Ordine, & Religione quicquam receperint, id quod acceperint, suum non faciant. Verùm ipso facto absque aliqua monitione Iudicis, decreto, sententia, aut declaratione, ad illius restitutionem omnino in vtroque foro teneantur: adeò vt restitutione ipsa reaiter non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolui possint.

Hanc autem restitutionem fieri volumus non priuatim ei Religioso, qui donauit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco, de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eius bonis donatum, in quo idem Religiosus donans Professionem emisit; vel si nomine totius Capitol, Conuentus, aut Congregationis, vel vniuersi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensæ, aut missæ, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur, nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congr. Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel vt in pauperes eroget concedere, quoquomodo possit.

Quod si quis ex supradictis regularibus vtriuslibes

bet saxus cuiuscumque gradus, ordinis, dignitatis, ac vbilibet locorum existentibus coniunctim, cum cæteris, seu diuisim nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, iussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit, statuimus, vt omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus muneribus,&officiis eo ipso priuatus, ac ad illa, & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda, inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat; & præterea priuationem vocis actiuæ, & passiuæ absque vllo Superioris decreto, aut ministerio, ipso facto incurrat: necnon, vltra huiusmodi pœnas, etiam tanquam contra furti, & simoniæ criminum reum, tam per viam denunciationis, accusationis, aut querelæ, quàm etiam ex officio procedi, & incurri, condignisque suppliciis affici debeat.

Pœnis aliis à iure statutis ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria cuiusuis Ordinis, Congregationis, Monasterij, Domus, aut loci, statuta, vel consuetudines contra personas aliquid præmissorum committentes, forsan, decretis, & inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

Quocirca vniuersis, & singulis modernis, & pro tempore existentibus locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, & Officialibus, necnon quorumque Ordinum, Prioratuum, Monasteriorum, & Domorum Superioribus etiam Generalibus, seu Prouincialibus, cæterisque ad quos spectat per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio diligentia, auctoritate, & vigilantia, præsentem Constitutionem firmiter, & inuiolatè obseruari, & contra inobedientes, vel transgressores condignis pœnis animaduerti. Eosdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet, & rebelles per opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; dictorumque Monasteriorum, Prioratuum, Domorum, Locorum, necnon Ordinum, Congregationum, Collegiorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoqua, indultis, & litetis Apostolicis quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus præsentis nostræ Constitutionis impediri quomodolibet valeat, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Quæ omnia quatenus præmissis in aliquo aduersentur, prorsus tollimus, & abrogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, vt præsentes literæ in Valuis S. Ioan. Lateranensis,& Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & in Acia Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis, & dimissis. Quodque earum exempla, seu illorum compendia in libris quorumcumque Statutorum prædictorum Monasteriorum, Prioratuum, Collegiorum, Domorum, Ordinum, & Congregationum (quoad Moniales, in vernaculum, & vulgarem cuiusqua Regionis sermonem versa) & à loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, subscripta inserantur; & saltem quotannis in Capitulis, siue Congregationibus cuiusque earum, alta, & intelligibili voce legantur. Et nihilominus post sexagitá dies à dic publicationis (vt præfertur) in Rom. Curia facienda, vnumquemque citra monentes, vltra montes verò post quatuor menses; perinda arctent, & afficiant, ac si cuique personaliter intimatæ, & per eos iuratæ fuissent.

Quodque earum transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prosus fides in Iudicio, & extra illud, vbique adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, statuti, mandati, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere; vel ei ausu temerario contraire Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noucrit incursurum. Dat. Romæ in Monte Quirinali; Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo nonagesimoquarto, Tertiodecimo Kal. Iulij, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

L. Card. Prodat.

M. Vestrius Barbianus.

A. de Alexiis.

Registrata apud Marcellum Secretarium.

In nomine, & à Natiuitate Domini, millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, Indictione septima, die verò secunda mensis Iulij, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, D.N.D. Clementis Diuina Prouidentia Papæ VIII. Anno Tertio. Rescriptæ litteræ publicatæ, & affixæ fuerunt in Acie Campi Floræ,& aliis locis publicis & consuetis per nos Prosperum Spada, & Franciscum de Bonis,eiusdem S.D. N. Curs.

Ita Franc. de Bonis, S. D. N. P P. Curs.

Gabriel Sanarellus Cursor um Magiste

Decreta S. Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. auctoritate edita.

De celebratione Missarum.

CVM sæpè contingat in quibusdam Ecclesiis, tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, vt illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri; & tamen nuanerea missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, vt depereant piæ testantium voluntates, obstrictæ benefactoribus fides violatur, defunctorum animæ suffragiis priuentur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fidales graui scandalo affecti plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur: cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quòd iis, qui missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illis breui ad pauciorem numerum à superioribus reductum iri; aut quòd Ecclesiis forte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera missarum absque vllo emolumento; aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint hinc se muneri subiicere, & redditus Ecclesiæ, aut Monasterij adeo exigui, vt Sacerdotes pro necessaria sustentationa nouis se oneribus obstringere compellantur, sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, animaduertens facturam se rem Deo gratissimam, che-

ritatique, ac iustitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum è Christiana Republica conuellere, atque eradicare: Sanctissimi Domini Nostri Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta decreta edidit.

* Ac primò districtè prohibet & interdicit, ne Episcopi in Diœcesana synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alia quoquomodo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundatiuois: sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, muderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

* Deiode vbi pluribus Missis, etiam eiusdem qoalitatis celebrandis, plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, siue ab voa, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Congregationibus, Domibus, ac locis piis quibuscumque tam sæcularibus, quàm regularibus, S. Congregatio sub obtestatiooe diuini Iudicij, mandat, ac præcipit, vt absolutè tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ elemosyoæ præscriptæ fuerint, ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

* Id verò, vt deinceps obseruetur exactius, sacra Congregatio eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta, omnia, quibusuis persoois, Ecclesiis, ac locis piis tam sæcularibus, quam regularibus, cuiuscumque ordinis, Congregationis, instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum missarum, vel anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

* Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti: qui Missam suscepit celebraodam cum certa eleemosina; ne eamdem alteri, certa eleemosina sibi retenta; celebrandam omittat.

* Præterea, nec in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sibi sacerdotes in eis, vt par est, adimplerent tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera huiusmodi, cum nulla, aut parua sint vtilitate coniuncta, statuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monsteriis, Connentibus, ac locis omnibus, tam sæcularibus, quàm regularibus, atque illorum personis, in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seo illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur; ac si eadem booa immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienare contigerit, eorumdem pretium sub eadem pœna, vt suprà deponi, atque in aliis bonis stabilibus ibidem fructiferis cum eisdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

* Ad hæc, S. Congregatio quibusuis capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam sæcularium, quàm regularium superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum: sæculares quidem sine Episcopi, vel eius Generalis Vicarij: Regulares verò sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin sæcularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: regularis verò pœoam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ, absque alia declaratione incurrat. Eleemosinas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera suscipere valeant: alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemusynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis: & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa. Eleemosyna pro Missis, vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis; ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius sacerdotes tam nouo oneri suscipieodo, quàm antiquis iam susceptis satisfacere posse; præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Ecclesiis, & locis piis relinquuntur, omninò respondeant oneribus adiunctis, secundùm morem cuiusque ciuitatis, vel Prouinciæ: intelligantque si in re tanti momenti desides, aut negligentes fueriot, in nouissimo die se huius prætermissi muneris rationem esse reddituros.

* Postremò Illustrissimi Patres, non sine graui animi dolore iotelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facultatem fouent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemosynæ cuiusque monasterij: inhærentes summorum Pontificum, ac sacri Concilij Tridentini decretis hac de re editis, S. D. N. auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Prouiocialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conuentuum, ac Domorum regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & insularum adiacentium, vt singuli, ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adbibitis duobus, aut tribus regularibus sui Ordinis, vel Cungregationis, probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, prouentus omoes: consuetas item eleemosynas, & obuentiones, tam communes Monasteriorum, Conuentuom, & Domorum eiusdem Prouinciæ, quam etiam siogularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas, in communem vsum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè

reco

recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliave cuiuslibet generis onera consueuerunt absorbere; eaque omnia scripto fideliter exarata, idem superior, cuius interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel Prouinciali coram tribus iudicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis, proponat, qui, computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, & oneribus, vt supra, detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines, connumeratis etiam laicis, alijsque necessarijs seruientibus, in vnoquoque Monasterio, Conuentu, & Domo regulari, iuxta regionis & proprij instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redditnum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet capitulo, seu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque familiæ, Monasterij, Conuentus ac Domus regularis in singula quaque Prouincia certus earum tantùm personarum numerus Patrum capitularium voto, præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obuentionibus, vt superiùs, sufficienter ali possint. Ne verò superiores, qui id præstare debent, serius, aut remissius quàm par est, suo muneri satisfaciant, mandat S. Congregatio, vt infra annum post proximum Capitulum Generale, vel Prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad sacram ipsam Congregationem Concilij singuli mittant, numerúmque familiæ, singulorúmque Conuentuum, monasteriorum, & domorum huiusmodi regularium, Capituli, seu Congregationis generalis, vel Prouincialis sententia, & auctoritate præfinitum, iidem superiores, tam Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò seruare omninò teneantur: nec possint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti redditnum, absque sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem huiusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, vt suprà præscriptum; quouis modo augere præsumpserint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque actiuæ, ac passiuæ, & ad omnia suæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis etiam grauioribus à sede Apostolica infligendis pœnis S.Congregat subiacere voluit & declarauit.

* Deinceps verò Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem fratres, aut monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt supra, detrahendis, competenter sustentari valeant ad præscriptum decreti fel. recor. Gregor. XV. hac de re editi; alioquin monasteria, & loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt supra, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

* Porrò ne vllo vnquam tempore in obliuionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cuiusque Monasterij, Conuentus, Domus regularis curate, atque efficere teneantur sub pœna priuationis officij, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, vt in perpetuum, sexto quoque Mense, idest, Feria secunda post primam Dominicam Aduentus, & Feria sexta post Octauam Corporis Christi, præsentes Ordinationes in publica mensa perlegantur, Omnibus tam Ecclesiasticis personis cuiuscumque sint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis, quocumque honore, ac potestate præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

* Non obstantibus, quoad supradicta omnia, & singula, in præsentibus Decretis contenta, Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, Militarium, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessariò, & in indiuiduo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque, tam sæcularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis etiam, Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, & indiuidua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita ubseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus, quo ad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, sacra Congregatio Sanctitatis suæ auctoritate, specialiter, & expressè derogat: cæterisque contrariis quibuscumque.

* Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem S. Congregatio, vt præsentes Ordinationes in valuis Basilicarũ S.Ioannis Laterani, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & efficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Vtque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die 21. Iunij 1625.

Cosmus Cardinalis de Torres

Loco ✝ sigilli.

Prosper Fagnanus Sacr.Congr.Secr.

* Anno D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimoquinto, Indictione octaua, Pontificatus autem in Christo Patris, & D. N. D. Vrbani diuina prouidentia P P. Octaui, anno eius tertio, die verò vigesimasecunda mensis Septembris, suprascripta Decreta affixa, & publicata fuerunt ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de vrbe, ac in Acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Camillum Fundatum,

datum, & Fabium Emilianum, Sanctissimi D. N. PP. Curs.

Brandimartes Latinus Prælibati Sanctissimi D.N.PP.ac S.Rom.& Vniuersalis Inquisitionis Cursor pro Mag DD.Cur.

Decreta Sacræ Congregat. Concilij S. D. N. Vrbani VIII. Iussu edita.

De Regularibus Apostatis, & Eiectis.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, Regularium eiectorum, & fugitiuorum statui consulere, illorúmque scandala summouere, & succrescentem numerum frangere operæ pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, réque diligentissimè perpensa, communito etiam consilio cum S.D.N. Vrbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis Suæ facultate, infrascripta decreta edidit.

Ac primò, vt infecta semina, è quibus praui eiusmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps ne serantur in vinea Domini, censuit esse innouandas, & Sanctissimi authoritate innouat Constitutiones, & Decreta generalia fan. mem. Clementis VIII. ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia, districtéque præcipit Generalibus, atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, vt illa exactè obseruent, atque, vt obseruentur, efficiant, sub pœnis statutis in iisdem Constitutionibus. A quibus tamen excipiendum censuit, caput illud, quo decernitur, ne in Conuentibus, seu Monasteriis ad Nouitios recipiendos hactenus designatis, & approbatis, seu imposterum designandis, & approbandis Nouitij ad habitum vllatenus recipi possint, nisi priùs à Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel propriis locorum Ordinariis expressè, & nominatim approbati fuerint. A cuius quidem decreti obseruatione Sacra Congregatio iustis de causis censuit Regulares esse absoluendos, prout, authoritate Sanctissimi Domini Nostri, absoluit, atque eximit.

Deinde, vt apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs Superiori legitimè constiterit; eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque regularis rectà se transferat ad arctiorem. Quod vt re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet.

Rursus statuit, vt fugitiui & Apostatæ, siue habitum regularem deferant, siue non; possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres coniici, ac Superioribus Regularibus consignari, secundùm regularia instituta puniendi, vtque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur; salua tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa decreto Concil. cap. 3. sess. 6. Quòd si Apostatæ huiusmodi citra montes infra quatuor, vltra montes verò infra octo menses à præsentis Decreti publicatione inchoandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipsis propter Apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur. Ita tamen, vt debeant à Superiore absolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab huiusmodi pœnis absoluere, & paterna charitate complecti.

Ad hæc, vt in posterum è Religionibus nullus legitimè professus eiici possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi, non solùm concurrent ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis, & Constitutionibus cuiúsque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis: verum etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindéque vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia. Elapso autem anno si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putre eiici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumque non nisi instructo secundùm eorum stylum, & Constitutiones, processu, & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen vsque primum generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessariis causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, vt supra, quos idemnet Generalis eligere debeat infra quatuor menses à præsentis Decreti publicatione: seruata tamen in reliquis forma superiùs præscripta. Sic verò eiecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint; proindéque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm Sacra Congregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per IESV Christi viscera obsecratur, vt, memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas antequàm grauissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eò magis, quòd subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus Noster Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.

Præterea statuit, vt iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reiicientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

Item, vt eiecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

Ac postremò esse innouandam, & suæ Beatitudinis authoritate innouat Constitutionem fel. record. Gregorij Noni relatam in cap. fin. de regul. ac propterea declarat, eam Constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum, seruandúmque esse, qui iustè, diffinitiuéque, ac iuris ordine seruato expulsi fuerint; dummodò tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in his literis concedendis S. Congregatio seriò onerauit.

Ne

Ne qua verò difficultas in suprascriptis decretis, & ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congregatio, Sanctissimo Domino Nostro annuente, atque approbante, vniuersis Generalibus, Prouincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium vbique locorum existentium iniungit, seriòque mandat, vt illa diligenter obseruent, atque obseruari procurent in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium vbique locorum existentibus, efficiántque, vt tam Decreta supradicta fel. rec. Clementis VIII. quam præsentes Ordinationes in singulis eiusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa.

Si quis verò ipsorum aduersus ea, quæ superiùs præscripta sunt, vel eorum aliquid, quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocísque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterùm obtinenda, pœnáque huiusmodi sit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apostolicæ reseruata, iisdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitùs interdicta, & nihilominùs sit irritum, & inane quicquid secùs, à quoquam actum extiterit. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Domorum, ac locorum Regularium quotumcumque, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motuproprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quò ad ea, quæ supradictis quomodolibet aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè Sanctitatis suæ authoritate, derogat, cæterísque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ die 21. Septembr. 1624.

C. Card. Torres.

locus † Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Sec.

Decreta generalia fel. rec. Clementis Papæ VIII.

De Nouitijs ad habitum Regularem, & professionem non admittendis, nisi in Conuentibus designandis.

CLEMENS PAPA VIII.

Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimum iuxta nostri muneris debitum laborare non desistimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano vsu compertum est, quòd in omnibus Conuentibus, iis præsertim, qui maiori reformatione indigent, singuli ad Religionem venientes; passim recipiuntur. Vnde fit, vt quò magis, Nos variis constitutionibus malè affectas radices amputare studemus: eò magis in dies deprauata, infructuosáque eiusmodi nouiter profitentium germina succrescant. Cui quidem malo occurrere volentes, præsenti Decreto statuimus, districtéque præcipimus omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commissariis, Ministris, cæterísque Superioribus Conuentuum intra Italiæ, & Insularum adiacentium fines existentium quibuscumque, & quorumcumque Ordinum Mendicantium, vt de cætero neminem sub quouis prætextu, aut colore ad habitum regularem admittant, nisi in Conuentibus auctoritate nostra propediem in vnaquaque Prouincia designandis. Insuper sancimus, vt quoad eiusmodi Conuentus, vt præfertur, per Nos deputati non fuerint, omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcumque Nouitiorum, siue ad habitum, siue ad professionem omnino abstineant. Superior, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit vocísque actiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, se nouerit incurrisse, ac aliis etiam pœnis arbitrio nostro subiaceat. Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum nostrum admissi fuerint, nullas, & irritas ex nunc decernimus, & declaramus. Priuilegiis, Statutis, & consuetudinibus quibuscumque in contrarium minimè obstantibus. Dat. Romæ die 12. Martij 1596.

Renouatio, & ampliatio eiusdem Decreti.

De Nouitijs ad habitum Regularem non recipiendis; nisi in Monasterijs, & locis designandis.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster D. Clemens Diuina prouidentia Papa VIII. cum iamdudum animaduerteret collapsæ Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimum, iuxta sui muneris debitum, vigilare, ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quòd in omnibus Monasteriis, & Conuentibus, iisque præsertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur, ac inde fieri, vt quò magis variis Constitutionibus malè affectas radices euellere studet, eò magis infructuosa nouiter profitentium germina quotidie succrescant: cumque ob ae-

hunc

lum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas Sua, omnes Regulares ad verus suæ cuiusque Religionis institutum redigendi, districtè probibuerit, ne quis in certis monachorum, & mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitum Religionis admitteretur, profiteretur, quousque Monasteria, & Conuentus aliquot destinarentur, in quibus posset commodiùs Regularis obseruantia, secundùm reformationem à Sanctitate sua institutam introduci: Quia tamen non obstante tali prohibitione, cognouit nonnullus fuisse, vel sub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate sua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non peruenerit, receptos, & admissos. præter mentis suæ sensum: Idcirco huic malo prospicere volens, ne licentiarum, ac facultatum huiusmodi subreptione, ac prætextu, Decretum Sanctitatis suæ irritum reddatur; Nunc denuò districtè præcipit, ac mandat omnibus Generalibus Prouincialibus Commissariis Ministris, Præsidentibus Abbatibus Prioribus, & Guardianis quibuscumque, cæterisque Superioribus Conuentuum, Monasteriorum, ac Domorum quocumque nomine appellentur, iotra Italiam, & Insularum adiacentium fines existentium, quorumcumque Ordinum mendicantium, & non mendicantium (exceptis tamen Carthusianorum, Fratrum Minorum de strictiori obseruantia, necnon Capuccinorum S. Francisci, Reformatorum S. Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Fuliensis Cisterciensis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulensis, & Montis Coronæ: Clericorum Regularium Theatinorum Societatis Iesu, S. Pauli Decollati, & aliorum de Somascha, Ministrorum Infirmorum, respectiuè, Ordinibus, Societatibus, seu Congregationibus nuncupatis, quæ etiam antea excepetat, & nunc iterùm excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi.) Ne sub cuiusnis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, nisi per literas in forma Breuis dumtaxat, & non aliàs quemquam ad habitum Regularem suscipiendum, nec etiam conuersos, nisi in Conuentibus, Monasteriis, & Domibus, auctoritate eiusdem S. D. N. propediem in vnaquaque Prouincia designandis, recipere, aut receptos ad professionem admittere vllo modo audeant. Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitatis suæ receptos, etiamsi imperfectum habitum, aut sine caputio gerant, post præsentis Decreti in Romana Curia publicationem, omninò eiicere debeant.

Superiorem autem, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis actiuæ, & passiuæ; & perpetuæ inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit, ac decreuit, & aliis etiam pœnis arbitrio Sanctitatis suæ imponendis subiacere.

Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcumque effectum, ex nunc decernit, & declarat.

Hoc autem Decretum noluit Sanctitas sua eos Ordines comprehendere, qui Conuentus, Domos, & Monasteria à se probata pro Nouitiorum receptione, & educatione, hactenus permissione sua constituerit.

Cæteras verò licentias, siue particulares, quæ in hanc diem effectum non sunt sortitæ, reuocat, & annullat.

Vult autem Decretum hoc suum in solitis locis Vrbis publicatum ita prædictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum, priuilegiis, statutis, & constitutionibus quibuscumque in contrarium minimè obstantibus.

Dat. Romæ apud S. Marcum, die 20. Mensis Iunij 1599.

Decreta pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quàm Mendicantium cuiúsque Ordinis, & Instituti.

CLEMENS PAPA VIII.

NVllus omninò prætextu cuiuscumque priuilegij, vel superioritatis, etiam Generalatus, à seruitio Chori censeatur immonis, nisi pro tempore, quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus, Superiores iis tantùm diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint; Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia Superiores animaduertant ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, substractione. 3.

Lectio sacræ Scripturæ, vel Casuum conscientiæ bis in hebdomada præscriptis diebus in singulis Monasteriis, & conuentibus habeatur, ad quam Fratres omnes conueniant, eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam sese vtiliter exerceant.

Quò Trid. Concil. Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius obseruentur; Præcipitur, vt nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, prouentus, census, eleemosynas, siue ex concionibus, siue ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quàm vbicumque celebrandis, alioue ipsorum iusto labore, & causa, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere possit: sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac prouentibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

Neque Superioribus, quicumque illi sint, vllo pacto liceat eisdem fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere. 4.

Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat, vt proprium, neque vt proprio vtatur. 5.

Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas, nedum à Conc. Trident. præscriptas; sed alias quoque multo grauiores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat. 6.

Nulla quorumcumq; superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excusare possit, quò minus culpæ, & pœnæ ab eiusdem Concilij Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxij sint, etiamsi Superiores asseuerent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidē minimè adhiberi volumus. 7.

Fratrum

Fratrum vestitus, & supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino vniformis sit Fratrum, & quorumcumque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conueniant: ita vt nihil superflui admittatur; nihil etiam, quod sit necessarium, alicui denegetur.

9. Quæcumque Fratrum vestes, siue laneæ, siue lineæ, omnisque alia supellex in aliquem commodum Conuentus locum deferantur, ibique ab vno, vel duobus Fratrib. huic muneri deputatis diligenter custodiatur, vt inde Superioris arbitrio, prout vnicuique opus fuerit, subministrari oportunè possint.

10. Omnes etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, siue eadem (vt aiunt) pitantia, in communi mensa prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo priuatim quisque in cibum vtatur, vllo modo afferri possit, si quis in ea re peccauerit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, & aquam.

11. Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præstationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios vsus, quam ratione officij sui necessarios, quicquam expendant. Cum verò contigerit ipsos in aliquo Conuentu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant ex qua sibi, & iis, qui secum erunt, victus, ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum suppeditetur.

12. Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redditum sui Conuentus, etiam nomine Conuentus, per se ipsum habere, siue exercere possit, sed vniuersum id onus tribus Fratribus eiusdem Conuentus à Generali ita demandetur, & vnus rerum, & bonorum, redditiuumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat; alter tanquam Depositarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asseruet; alius de pecuniis, & rebus à Depositario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerso de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator prouideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta.

13. Cæterùm hi tres tam impensi, quam accepti singulis mensibus Superiori locali adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus eiusdem Conuentus probatioribus, rerumque vsu peritis, rationem reddant. Deinde ipsemet rursus, præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali cum aduenerint; denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali saltem coram tribus iudicibus, & ab ipso Capitulo adhoc constitutis, illorum omnium, vniuersamque suæ administrationis tam publicæ, quam priuatæ rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, adhoc, vt ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

14. In vnoquoque Conuentu, Fratrum is tantùm deinceps constituatur, & imposterùm retineatur numerus, qui ea redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisue quibuscunque obuentionibus in commune (vt præfertur) conferendis, commodè possit sustentari; redditus verò, & supradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter asseruentur.

15. Superioribus autem, ne Concilij Tridentina, aut hæc nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare vllo modo possit, omninò interdicimus, & prohibemus, decernentes irritum, &c. Si quis autem contrà præsumpserint attentare, is eo ipso omni gradu, officioque priuatus, & ad ea perpetuò inhabilis existat.

Nullus, nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui gradus priuilegio gaudeat. 16.

Si alicui ex necessaria causa, Generalis iudicio probanda, socius ex eodem ordine, qui illi minister concedendus erit, is nisi vigesimumquintum agat annum, & qui communi seruitio sit deputatus, non concedatur, si commodè fieri potest, sit laicus conuersus. 17.

Vt omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conuentus clausura perpetuò, ac diligenter seruetur, ac propterea à Superiore ianitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur: is ianuæ custodiendæ semper assistat, eámque nemini Fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit. 18.

Nullus à Conuentu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiáque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu sed arbitrio suo, neque eundem sæpius. Licentiæ verò generales exeundi, nulli omnino concedantur. 19.

Contrauenientes autē pœna graui, etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur; eandem etiam Ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit. 20.

Cùm autem quis in Conuentum reuerterit, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat. 21.

Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetrauerint. 22.

Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce actiua, & passiua biennio priuatus existat subiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersus eos, qui supradictus admiserint, & receperint, sine vlla exceptione locum habeant. 23.

Habeat Superior clauem ita fabrefactam, vt cum sibi videbitur cellas omnes reserare possit, & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri. 24.

In mediu Dormitorij totam noctem lampas colluceat. 25.

Nullus etiam Superior cellas, siue in claustro, siue alibi separatas à communi dormitorio habeat, sed vnusquisque vnica cella, eadem cum cæteris aliorum fratrum coniuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto, & mensa humilibus, vniformique supellectili (vt præfertur) quemadmodum Religiosos decet, contentus sit; possit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conuentuum, si eorum muneris, & officij necessitatem id exigere cognouerit; alteram etiam cellam concedere. 26.

Cellæ, siue ædiculæ, quæ extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut aliàs ad communem vsum, & commoditatem Conuētus redigantur. 27.

Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque vllibi duo eodem lecto dormire possint; qui omnes ad certam formam redigendi erunt. 28.

In priuatis cellis nulli camini permittantur: sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam à parietibus conuulsis, vt res illa non ad tempus facta, sed perpetuò duratura videatur; cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis. 29.

30. Conuentus fenestræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes prospiciunt, muro ita obstruantur, vt omnino is prospectus impediatur.

31. Valetudinarium in singulis Conuentibus certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde nisi recuperata sanitate abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpositi sunt omni sedulitate, ac charitate operam suam præstabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

32. Ineatur ratio, qua sublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra Conuentus claustra, ad ea quamprimum reuocentur, nec de cætero, nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.

33. Nulli imposterum ad habitum, aut professionem admittantur, nisi in Conuentibus per Sedem Apostolicam in qualibet Prouincia deputandis.

34. Curent Superiores, vt Constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conuentu inuiolabiliter obseruetur.

35. Vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quàm pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à Nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.

36. In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à sacro Conc. Trid. & Ordinis constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iurentque Electores secundum veritatem cuiusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & Consueuerint regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem.

37. Eligantur in Capitulo Generali, vel Prouinciali aliquot graues, & periti ex Fratribus cuiuslibet Prouinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores promouendos ad quoscumque Ordines in quo seruetur Decretum Congregationis Interpretum Sacri Concilij Tridentini hac de causa nuper editum, & promulgatum.

38. Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, vt memores sint rationis, quam in nouissimo die redditu[r]i sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio inuigilent, vt quæ in eorumdem Ordinum Regulis, & Constitutionibus de oratione mentali, silentio, ieiuniis, Capitulo culparum, aliisque spiritualibus exercitiis prudenter, ac piè sancita sunt, ea omnia, & singula ad vnguem obseruentur, intelligántque super his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia construenda, & amplianda esse, quæ vt faciliorem exitum sortiantur, & fructus vberiores in animis Fratrum producant, valdè opportunum erit, si in quolibet Conuentu, singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina regularique obseruantia.

Quo verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo vniuscuiusque Conuentus, in qua distinctè adnotetur quid singulis horis cuiusque diei quilibet Frater præstare debeat, vt certo quoque signo præmonitus maiore animi præparatione suo muneri satisfacere possit. Quæ Ordinis Constitutiones, his Decretis non aduersantur, inuiolate custodiendæ erunt. 39.

Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Vt autem hæc Decreta (donec alia quæ pleniorem reformationem facient, edantur) ab omnibus obseruari possint, districtè præcipimus Generalibus, ac omnibus aliis quibuscumque Superioribus, ad quos hoc spectar, vt curent, ac efficiant, ea omnia inter aliàs eorumdem Ordinum Constitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omnino eorum singulis facultate illas declarandi, & aduersus eas vnquam dispensandi. Alioquin sciant se in pœnam Generalatus, & officiorum priuationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipso facto, & sine vlla exceptione respectiuè incidisse. 40.

Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum obseruatio, quoquomodo differri possit, aut impediri, volumus vt post illorum publicationem in Conuentu, vel Monasterio cuiuslibet Ordinis de Vrbe factam, Generalem, aliósque Ordinum Superiores, cæteròsque quoscumque Fratres præsentes, statim: reliquos verò absentes citra montes, vnius mensis, vltra montes, trium mensium spatio ita arctent, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent. 41.

Insuper mandamus, quod Generales in singulis Conuentibus citra montes, vnius mensis, vltra verò montes, trium mensium cursu Decreta supradicta publicari faciant, sub pœna priuationis Generalatus, aliisque arbitrio nostro imponendis Dat. Romæ apud S. Petrum die 25. mensis Iunij 1599. 42.

Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia duntaxat permissum est, Sanctitas Sua extendi ad Prouincialem decretum: ita vt Prouincialis ipse ex causa communi totius Prouinciæ duntaxat facultatem huiusmodi facere valeat, declarauitque pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ contrafacientibus inflictam Sanctitati Suæ reseruatam esse, interdicta omnino eorum Superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ die 10. Martij 1605.

Decretum fel. rec. Clement. Papæ Octaui, super casuum reseruatione ab omnibus Regularium Superioribus obseruandum.

Sanctissimus Dominus noster, qui iam pridem accuratè perpendit, ac re ipsa comperit, quòd reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodù prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infir

infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem; ideò, vt huic malo Sanctitas Sua opportunè prospiceret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruat, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint,

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento quando eò peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio. Nocturna, ac fugitiua è Monasterio, seu Conuentu egressio etiam non animo apostatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. Iuramentum in iudicio regulari, seu legitimo.

Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non sequuto.

Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus. Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud prætetea peccatum graue pro Religiouis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat quam Generali Capituli in toto Ord. aut Prouinc. in prouincia, matura discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus Regularibus confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subdit sponte, ac proprio motu id ab iis petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero maiori, vel minori, iique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit.

Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt ad exteriorem gubernationem vtantur.

Liceat tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis à Confessariis imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atque ita per quoscumque Regularium Superiores quicumque illi sint obseruari mandauit. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cuiusuis Concilij, & etiam generalis Decretis, nec non consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obseruatis, aut Regulis in generalibus, seu prouincialibus Capitulis editis, statutis, & Constitutionibus etiam Apostolica auctoritate confirmatis, priuilegiis, indultis, & concessionibus quorumcumque, quorum tenores hic pro expressis haberi voluit, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque Dat. Romæ apud S. Petrum die 26. mensis Maij, anno Domini 1593.

Sanctitas Sua deinceps declarauit & declarat, vt si huiusmodi Regularium Confessariis, casus alicuius reseruati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominùs Confessarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absoluere.

Formula concedendi facultatem pro Nouitijs ad regularem habitum recipiendis in Monasterijs, & locis designatis.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. N. Clemens diuina prouidentia Papa VIII. cum regularem disciplinam restituere, atque in pristinum statutū reuocare maximè cuperet, regularésque omnes, vitam, motésque suos ad rationem eius instituti, quod quisque professus esset, ita componete, vt quæ ad votorum vim, habitum, victúmque communem pertinent, ea potissimum singuli religiosissimè obseruarent, generali Decreto, quòd de mense Iunij editum, tertia Iulij anni 1599. promulgatum fuit, Ordinum Religiosorum Superioribus (nonnullis exceptis) prohibuit, ne aut Nouitios reciperent, aut quemquàm ad professionem ante admitterent, quàm à Sanctitate sua monasteria aliquot ad eam rem præscripta essent, in quibus obseruantia regularis vigeret. Nunc verò eadem Sanctitas sua à locorum etiam Ordinariis, quibus id muneris demandauerat, certior facta, in infra scriptis Monasteriis, & Conuentibus Ordinis nostri præsinitum esse numerum duntaxat eorum, qui vel ipsius Monasterij censibus, vel consuetis eleemosynis sustentari ibi commodè possunt, atque in iis omnia fideliter obseruari, quæ sunt cum illorum professionis perfectione coniuncta, nempe castitatis, paupertatis, & obedientiæ vota, vnà cum cæteris decretis particularibus, vel instituti ipsius, vel Pontificiis etiam ad victum, vestitúmque communem spectantib⁹s (ipso Decreto, vt supra edito, & promulgato, nequaquam obstante) potestatem facit Superiori eiusdem Ordinis Nouitiatus in infrascriptis Monasteriis, & Conuentibus erigendi, Nouitios recipiendi, educandi, atque ad professionem admittendi, modò tamen id ad præscriptum instructionis iussu suæ Sanctitatis editum, neque alio modo fiat. Quoniam verò ea est Suæ Sanctitatis mens, & voluntas, vt in Monasteriis, & Conuentibus, ad alendos Nouitios præsinitus, regularis obseruantia perpetuò retineatur, mandat, & præcipit, vt in ipsis præscriptus iam personarum numerus in posterum seruetur, nullúsque omnino Superior cuiusuis conditionis, personarum, & Nouitiorum numerum augere præsumat, ea pœna proposita, vt in omnibus priuatus officiis vocis actiuæ, & passiuæ ius omne amittat. Vult denique Sanctitas sua huiusmodi facultatem per Congregationem Reformationis Apostolicæ, hæc Decreto Secretarij manu subscripto concedi, non obstante Decreto, vt supra promulgato. Datum Romæ die, &c. Præscribitur verò numerus Sacerdotum.... Clericorum... Nouitiorum.... Conuersorum autem.

N. Visitationis, & Reformationis Apostolicæ Secr.

Decretum super forma recipiendi Nouitios Regularium ad habitum, & professionem.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N D. Clemens Diuina prouidētia Papa VIII. qui alias pro

Regularis disciplinæ restitutione, singulis regularium Ordinibus (quibusdam exceptis) prohibuit ne ad Regularem habitum Nouitios in posterum reciperent, receptosve ad professionem admitterent, quousque in aliquibus cuiusuis Ord. Monasteriis, seu Conuentibus (in quibus Nouitiatus pro recipiendis, & educandis Nouitiis designarentur, & approbarentur) ad eius, quam professi sunt, Regulæ præscriptum, vitam, moresque restituerent, & componerent; certior deinde factus quosdam omnium ferè Ordinum Conuentus, seu monasteria ad pristinam illam regularem viuendi formam, & disciplinam, quam diutius desideraverat, fuisse redacta: in eisdem Monasteriis, & Conuentibus, vt Nouitiatus erigi, Nouitiique recipi possent, (sub certis tamen legibus, ac ea præsertim, vt licentia à Congreg. Reformationis Apostolicæ prius obtenta esset) concessit, & ad illa designauit, & approbauit. Nunc volens, vt ea, quæ pro Nouitiorum receptione, & institutione, de mandato Sanctitatis Suæ præscripta fuerunt in posterum accuratius, & exactius obseruentur, vltra formam traditam in Constitutionibus fel. rec. Sixti Papæ V. etiam Sanctitatis Suæ super receptione Nouitiorum, decreuit, ac præsentis Decreti virtute mandauit, ne in Conuentibus seu Monasteriis ad Nouitios recipiendos, de Sanctitatis Suæ, seu dictæ Congregationis Reformationis licentia hactenus designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, Nouitij ad habitum recipi vllatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa Congreg. vel à propriis locorum Ordinariis, aut ab illis, in quorum diœcesi Nouitiatus existunt, in quibus Nouitij recipiendi fuerint, expressè, & nominatim Nouitij ipsi recipiendi approbati fuerint, & vt recipi, & admitti possint, licentiam in scriptis (gratia tamen in omnibus etiam quoad scripturam concedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas sua eosdem Ordinarios omnem curam, & diligentiam adhibere, vt circa ætatem, conditionem, educationem, scientiam, vitam, & mores, cæterasque qualitates in ipsis Nouitiis requisitas, obseruentur institutiones pro illis recipiendis ab eadem Congreg. Reformationis factæ, & publicatæ, neque aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant; Ordinariorum ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbauerint, vel admitti permiserint, qui non sit idoneus, & iuxta constitutiones, & institutiones prædictas, approbandus, & admittendus. Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcumque Ordinum, qui, in admittendis ad habitum & professionem, Nouitiis, formam constitutionum, & institutionum prædictarum non seruauerint, aut Nouitium aliquem, quantumuis idoneum, & approbatum, in quouis alio Conuentu, & loco, seu Monasterio, præterquam in hactenus à Sua Sanctitate, vel à dicta Congreg. designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, vel vltra numerum in eorum singulis præscriptum, seu præscribendum receperint, vel admiserint, seu aliàs præmissis quouis modo contrafecerint. Irritum ex nunc, & inane decernens quicquid secus, vel alias, quauis auctoritate à quouis gestum, vel attentatum fuerit Non obstantibus quibuscumque, &c. Datum Romæ apud S.Petrum, die 19. Maij 1602. Pontificatus eiusdem S. D. N. Anno vndecimo.

Institutiones super receptione, & educatione Nouitiorum Religiosorum in Monasteriis, & Conuentibus designatis, vel designandis, Clementis eiusdem iussu editæ.

Cum ad regularem disciplinam in singulis Religiosorum Monasteriis propagnandam, Nouitiorum institutio maximè vtilis sit, ac necessaria, & nihil ad grauem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum viuendi rationem relaxandam maiorem vim habuisse compertum sit, quàm vel nimiam in recipiendis Nouitiis facilitatem supra numerum, quem capere, atque alere Monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum spiritu, an verè esset ex Deo, atque ex præcipuo illi inseruiendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque instituendis. Idcirco, vt huiusmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & singulis, ad quos spectat, vt in recipiendis Nouitiis, & in eorũ institutione, atque educatione, necnon in ministri, & aliorum ministrorum electione, præter alia, quæ in sacris Canonibus, ac Decretis præsertim Concilij Trid. Pontificiis, & cuiuscumque Ordinis, aut instituti constitutionibus continentur, tam in aliàs designatis, quàm nunc, & in posterum ad hoc designandis Monasteriis, & Conuentibus, hæc, quæ sequuntur, inuiolatè obseruari, & exequi perpetuò curent.

Primùm, quod attinet ad Nouitiorum recipiendorum formam, vltra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de vniuscuiusque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipuè eorum, qui sextumdecimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius administrationis rationi obnoxij sint, iuxta formam constitutionis fel. rec. Sixti V. & moderationum subsecutarum. Illud etiam Superiores ad quos spectabit, sedulò perquirant, vt quibus in Monasteriis, & Conuentibus, ex Apostolica facultate Nouitiatus fuerint instituti, in iis ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones sacris Canonibus, Summorumque Pontificum constitutionibus præscriptas non habeat, iuxta Decretum super forma recipiendi Nouitios die 19. Maij 1602. editum.

Quisque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea sit ætate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, regularia instituta, & ordinationes requirunt; eam verò literarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præseferat, vt minores, & suo temporibus maiores Ordines, iuxta decreta Sacri Concilij Trid. suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimonquintum ætatis excedens ad habitum regularem admitti postulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit, in Conuersorum tantum, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur, ipsi autem Conuersi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum; & nisi saltem præcipua Doctrinæ Christianæ capita nouerint.

Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberius famulari possint, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur.

Pro

Prouideatur quoque vt omnes etiam Conuersi recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc incumbit, de regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statúque regulari, & aliis cuiusque Ordinis peculiaribus institutis, & constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarundam Religionum moris est, nedum Conuersos ad professionem admittendos, verum & Oblatos vt vocant, recipere, circa ipsorum Oblatorum receptionem vnaquæque religio suas peculiares Constitutiones, specialiáque instituta obseruare teneatur.

Statim atque Nouitij ad habitum recepti, & in locum Nouitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactæ vitæ conscientiam discutiant, & expurgent.

Quòd verò ad loci qualitatem vniuscuiusque Nouitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte Conuentus, & Monasterij, in qua degunt professi, segregatus sit, atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt Numero Nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro singulis singuli lectuli commodè sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magistro, eiusque socio reperiatur.

In eo etiam, præter alias communes commoditates aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionésque Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.

Oratorium insuper seu Capella, si commodè fieri poterit, ad Nouitios in spiritualibus, præsertim in cæremoniis, Ecclesiasticísque functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem bene conclusus, atque munitus adsit, siu minus, hortum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsis verò Nouitiis ibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris auctoritate (si opus fuerit) ne in eundem quisquam alius ingrediatur.

Ad huiusmodi locum Nouitiatus nemini eiusdem, vel alterius Ordinis regulari etiam Conuentus, & Monasterij Officiali, vllo vnquam tempore sub quouis prætextu aditus pateat, præterquam Magistro eiusque socio, ac etiam Monasterij aut Conuentus Superiori, si quandocumque ingrediendum sibi necessariò existimauerit, quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conuentus, vel Monasterij Patribus socium assumat.

Huius loci clausuræ clauis apud Magistrum semper asseruetur, illíque soli liceat ex graui tantum causa ingressum illuc alicui permittere: si quis autem Nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsente, & non aliter alloquatur.

Nouitiorum Magistro socius, si per Nouitiorum instruendorum multitudinē necessarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his quæ ad Nouitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediatè subiectus existat, eligantúrque tam Magister, quàm socius per Prouinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quòd si aliquo casu extra tempus capitulare noua loca Nouitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Nouitiorum, & socij huiusmodi in his nouis locis per Generalem, vel Prouincialem, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel grauiorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur: idémque seruetur, si intra triennium, alterum, vel vtrumque vrgenti aliqua de causa ex illis locis amoueri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.

Tam Nouitiorum Magister, quàm socius ab iis omnibus officiis, oneribúsque vacationem habeant, quæ Nouitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipse Magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum ætatis suæ anno constitutus, & per decennium à professione emissa in Religione perstiterit: Socius verò trigesimum annum excedat, sintque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præstantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateíque referti, non sine affabilitate graues, zelum Dei cum mansuetudine præseferentes: ab omni cordis, ac animi perturbatione, iræ præsertim, & indignationis, quæ in se, & erga alios charitatem impedire consueuerunt, quam longissimè alieni, & tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum præbeat, vt ij, qui eorū curæ subsunt, illos non tam metuant, quàm reuereantur, nec illis vnquam detrahere quicquam possint.

Habeat etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, ac Nouitiatus regimen, ita, vt in illis nemini (Visitatoribus ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quouis colore se ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, vt Nouitij omnes in regulari disciplina sedulò exerceantur, agnoscántque præcipuè diuinæ, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam & excellentiam, quæ vera sit, atque perfecta votorum solennium, & quàm necessaria cuiusque Ordinis Constitutionum obseruantia modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuosè persistendi, illicitas passiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefacta omni tempore prona est, atque procliuis) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mensibus fiat, per apertionem quotidianam motuum internorum, cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnúmque silentium.

Quilibet Nouitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat, vnusquisque secundùm propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam vnusquisque examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem Nouitiorum confessiones audire.

Quotidie Missæ sacrificio intersint, & statutis horis in Choro nocturnis, diuturnísque diuinis Officiis assistant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quæ in solitario loco, & commodo extra Nouitiatum semel in hebdomada, vel in alterius saltem hebdomadibus longior statuatur, fiatque semper Magistro præsente, vel socio, qui multum intelligent, ne duo ab aliis commorentur disiuncti, atque eo tempore, cuiusque, in quam natura feratur propensionem scrutentur.

Non liceat eis, durante Nouitiatus, & probationis tempore, vna cum Professis, nisi in Choro, in Ecclesiæ tempore officiorum, in processionibus aut in cœnaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis Professionis domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & propriis cuiusque necessitatibus quæ accidere possunt, vnus ex Nouitiis ipsis, ætate, moribusque prouectior deputetur, qui absente sorio, Magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuæ custodia, & rerum leuioris momenti prouisio intra Nouitiatum committi poterit.

Cum autem, licèt Clericorum bene instituendorum cura debeat esse præcipua, Conuersorum tamen Religiosa instructio non sit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cum regulam profiteantur eandem, perfectam educationem, tum Religioni decorem, & ornamentum, tum aliis Christi fidelibus ædificationem, exemplum, atque vtilitatem afferre. Conuersis ipsis à Clericorum Nouitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen hac separatione non obstante Magistro Nouitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum iuxta cuiusque Ordinis Statuta, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantum circa corporalia obsequia probandi, & exercendi, verùm etiam pro eorum capacitate, & commoditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instituendi erunt, quod vt commodius fiat, ad Capitula, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Nouitiis fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesiis statutis horis conueniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint.

Tempore verò probationis elapso, ij tantùm, qui non solum Religiosæ perfectionis capaces: sed ad laborem corporalem apti nouo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis suæ annum, quoad Clericos decimumsextum, quo verò ad Conuersos, vigesimumprimum excesserint) ad professionem admittantur. Sed qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

Superior cuiuslibet Conuentus in quo Nouitiatus fuerit constitutus particularem librum habeat, in quo vniuscuiusque Nouitij professio registretur, illamque Nouitius professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint subscribant.

Conuersus verò literarum ignarus, professus, in eorumdem testium, qui se subscripserint, præsentia propria manu signum Crucis apponat, asserueturque liber, & custodiatur in Archiuio, vbi scripturæ ad Monasterium seu Conuentum pertinentes reponi consueuerunt.

Quia verò in quibusdam Ordinibus filiationis vsus est receptus, declaratur, quòd licèt decretum sit, vt Nouitiis educandis certa Monasteria, aut Conuentus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum huiusmodi Ordinum, in quibus filiationis vsus receptus est, eos, quos prænarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios iuxta cuiusque Ordinis constitut. adscribere, sicque adscriptos, cùm iuxta præsentes institutiones, & alias, seruatis seruandis, ad Ordines recepti fuerint, ad loca Nouitiatuum cum testimonialibus literis transmittere; vt tanquam dictorum Conuentuum, seu Monasteriorum filij, eorumdem nomine, & instantia recipi, ac in Nouitiatu probari & deinde antequam ad eadem Monasteria, seu Conuentus filiationis huiusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, vt permissum est, exerceri debebunt.

Porrò, ne loca vnius Monasterij, seu Conuentus ab alio præoccupentur, Capituli Generalis, aut Prouincialis partes erunt, numerum præscribere pro omnibus, & eam similiter rationem circa alimentorum contributionem (si opus fuerit) inire, ac singulis Conuentibus, & Monasteriis præscribere, quæ magis expedire videbitur.

Vt autem Nouitij iam in Professorum numerum (sicut præmittitur) recepti meliùs in bono spiritu, regularisque disciplinæ obseruantia stabiliantur, & confirmentur, mandatur, vt statim post professionem emissam, si in Conuentibus, aut Monasteriis pro Nouitiatibus assignatis locus aderit secundi Nouitiatus, siue Professorij, ab ea, quæ Nouitiorum est, atque antiquorum Professorum habitatione distinctus, & segregatos, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conuentus eos alere queat, sin minus, in alium commodiorem Conuentum, aut Monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad Nouitiatum supranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de nouo construatur.

Ad hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ suarum constitutionum, seu institutorum vigore maioris temporis cursu nuuos professos intra Nouitiatum detinere consueuerunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, vt prædictis earum constitutionibus non obstantibus, idipsum facere possint, si id rationi, ac Religioni magis expedire diiudicauerint, quibus in locis degant sub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quam seruent antiquiores professi, ita quod in negotiis Monasteriorum, aut Conuentuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad ætatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem deuenerint, vel saltem per trienoium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimo, & debebuot litterarum, studiis operam nauare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Nouitiorum Magistrum præditum esse oportere dictum est.

Declaratur tamen, quod propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi Nouitios, nisi in locis pro Nouitiatu designatis, aut in posterum designandis, & pro numero dumtaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

Denique si illi, qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alij ad quos spectat, in prædictis omnibus vel eorum aliquo deliquerint, seu quouis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, priuationem, grauioresque pro modo admissæ culpæ pœnas, se subituros certò sciant. Dat. Romæ apud S. Petrum de 19. Martij 1603.

Ant. Seneca Reform. Apost. Secr.

Anno Millesimo sexcentesimo vigesimoquarto, Indictione septima, Pontificatus autem Sanctissimi Domini N. D. Vrbani Diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius Secundo, die vero vigesima sexta mensis Octobris, supradicta Decreta tam sacra Congregat. Concilij, quam fan. memb. Clement. VIII. affixa, & publicata fuerunt ad Valuas Basilicarum S. Ioannis Lateran. & Principis Apostolorum; necnon in acie Campi Floræ, vt moris est,

est, per nos Camillum Fundatum, & Iulium Marzitellum Cursores Sanctissimi.

Brandimartes Latinus Pro magistro DD. Curs.

Decretum S. D. N. PP. VRBANI VIII. Feria v. die 14. Aprilis 1633.

IN Generali Congregatione sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram sanctissimo Domino nostro D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus Dominus noster sedulò incumbens, vt ea, quæ salubriter Apostolicis decretis, & constitutionibus statuta, & ordinata sunt, præsertim quæ ad sanctum Officium Inquisitionis contra hæreticam prauitatem pertinent, inuiolabiliter obseruentur, & omnimodam sortiantur executionem, districtè mandat, & præcipit, vt omnes Superiores cuiusuis Ordinis, Congregat. Societatis, etiam de necessitate exprimendæ Regularis, siue cuiusuis alterius instituti, etiam quantumuis exempti, & priuilegiati, teneantur sub pœna priuationis Officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis in perpetuum semel saltem in anno, id est, feria sexta post Octauam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter conuocato, & insuper in quocumque Generali, ac Prouinciali Capitulo, Conuentu, Dieta, vel alio quouis nomine nuncupato Capitulari congressu, suos subditos, ac Religiosos commonere de infrascriptis omnibus obseruantia, & executione earundem Apostolicarum constitutionum, & decretorum ad S. Officium Inquisitionis aduersus hæreticam prauitatem pertinentium, ac præsertim,

IVLII III. constit. 1. incipit, *Licet à diuersis*, contra impedientes Inquisitores hæreticæ prauitatis in eorum Officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes, eorúmque complices, & fautores; & contra ipsos Inquisitores admittentes laicos ad criminis hæresis cognitionem. Et pij V. constitut. 82. incipit: *Si de protegendis*, contra occidentes, verberantes, deiicientes, aut perterrefacientes quemuis ex ministris S. Officij Inquisitionis, vel Episcoporum id munus in sua diœcesi, vel Prouincia, obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem, aut testem, in causa fidei quomodocumque productum, vel euocatum: necnon contra diripientes, expugnantes, inuadentes, incendentes, expilantes, aliósve exportantes alicuius prædictorum bona, libros, literas, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliáve instrumenta, siue publica, siue priuata, vbicumque posita, eorúmque complices, & fautores: & contra effringentes carcerem, vel custodiam publicam, vel priuatam, extrahentes, vel emittentes victum, prohibentes capiendum, captúmve eripientes, recipientes, occultantes, seu facultatem effugiendi dantes, seu id fieri iubentes, eorúmque complices, & fautores etiam effectu non secuto, nullatenus excusandos, nisi claras tantummodo probationes contrarium adducentes; & contra intercedentes pro præfatis delinquentibus; inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Iuliæ maiestatis, eorúmque filiis irrogantur: & oblata reuelantibus impunitate.

PII IV. constitut. 32. incipit, *Cum sicut nuper*, contra Sacerdotes, qui pœnitentes mulieres in actu sacramentalis confessionis ad inhonestos actus prouocare, & allicere tentant, & solicitant. Et Gregorij XV. constit. 4. incipit, *Vniuersi Dominici gregis*, ampliatiuæ circa huius criminis probationes, & extensiuæ contra Confessarios, qui personas (quæcumque illæ sint) ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, siue ante, siue post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, vel extra occasionem confessionis in confessionario, aut alio in loco ad audiendam confessionem electo, solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint. Et contra Confessarios non monentes eos, quos sciunt ab aliis Confessariis solicitatos esse, vt Inquisitoribus, vel Ordinariis solicitantes denuncient, vel docentes eos ad ita denunciandum non teneri.

GREGORII XIII. constit. 22. Incipit, *Officij nostri partes*, de iurisdictione Inquisitorum hæreticæ prauitatis in eos, qui ad ordinem Presbyteratus non promoti, Missas celebrant, & sacramentaliter confessiones audiunt. Clement. VIII. constit. 81. incipit, *Etsi alias*, declaratoriæ pœnæ contra eos infligendæ per Iudices laicos, prauia eorum degradatione. Et Sanctitatis suæ constit. 79. incipit *Apostolatus officium*, extensiuæ ad minores 25. annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleuerint.

SIXTI V. constit. 17. Incipit *Cæli, & terræ creator*, contra exercentes artem Astrologiæ iudiciariæ, & alia quæcumque diuinationum genera, librósve harum artium legentes, vel tenentes. Et Sanctitatis suæ constitut. 113. incipit, *Inscrutabilis iudiciorum Dei*, extensiuæ ad alia, & cum grauioribus pœnis.

CLEMENTIS VIII. constit. 42. incipit, *Cum sicut*, contra Italos, ne extra Italiam proficiscantur ad loca, in quibus libet, & publicus cultus, siue vsus Catholicæ Religionis non existat, minúsque in eis locis habitent. Et Gregor. XV. constitut. 18. incipit, *Romani Pontificis*, contra hæreticos, ne in locis Italiæ, & insularum adiacentium quouis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.

PAVLI V. constit. 26. incipit, *Romanus Pontifex*, reuocatoriæ facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, & Religiosorum quoquo modo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum ad Officium S. Inquisitionis quomodolibet pertinentes.

Eiusdem constit. 97. incipit, *Regis pacifici*, innouatoriæ constitutionum à Sixto IV. & Pio V. de conceptione Beatæ Mariæ Virginis editarum: impositionis maiorum pœnarum in transgressores, à locorum Ordinariis, & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus puniendos. Et Gregor. XV. constit. 29. incipit *Sanctissimus Dominus noster auditis* ampliatiuæ, & declaratoriæ prohibitionis asserendi, Beatam Mariam Virginem conceptam esse in peccato originali.

GREGORII. XV. constit. 17. incipit, *Romanus Pontifex in specula*, reuocatoriæ quarumcumque concessionum viuæ vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis suæ constit. extensiuæ ad quoscumque quantum

quantumuis priuilegiatos, & exemptos, incipit, *Alias fel. recor. Gregor. Papæ. XV. sub dat. Romæ 20. Decembris 1631.*

Eiusdem constit. 40. incipit *Apostolatus officium*, & Sanctitatis suæ constit. 114. incipit *eo modo*, reuocatoriæ licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis suæ constitut. 37. incipit, *Sanctissimus Dominus noster sollicitè animaduertens* de imaginibus nondum à Sede Apostolica canonizatorum, vel beatificatorum cum radiis, splendoribus, aut laureolis, non proponẽdis: tabellis, aut luminaribus ad eorum sepulchra non apponendis, eorúmve gestis, miraculis, reuelationibus, beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imponendis.

Pariter Sanctitatis suæ constitut. 50. incipit *Sanctissimus Dominus noster pro debito sui Pastoralis officij*, de libris vbicumque compositis, de quacumque materia tractantibus, ab his, qui leguntur in statu Ecclesiastico, non transmittendis aliò, vt imprimantur, sine Vicarij, & Magistri sacri Palatij in Vrbe, vel extra eam sine Ordinarij, & Inquisitoris, aut ab eis Deputatorum licentia.

Et eiusdem Sanctitatis suæ constit. sub dat. Romæ die 5. Nouembris 1631. incipit, *Cum sicut accepimus*, quòd constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & S. Inquisitionis Officium hactenus editæ, & imposterum etiam super quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant, nisi in edendis illis specialiter excipiantur.

Et insuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, vt huius decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conseruentur, ita vt ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque huiusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationem sanctissimæ Inquisitionis in Vrbe. Et ita mandat, & præcipit Sanctitas sua.

IOANNES ANTONIVS THOMASIVS, Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis Nut.

Anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, Indictione prima, Pontificatus S. D. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ octaui, die verò septima Mensis Iunij supradictæ literæ, siue decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Alexandrum Latinum, Prælibati Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

R.P.

R. P. FRANCISCI
PELLIZZARII
E SOCIET. IESV
Manuale Regularium.
TOMI POSTERIORIS
PARS ALTERA.

TRACTATIO X.

DE MONIALIBVS

Ratio Dicendorum.

AD complementum Manualis Regularium,quod à nobis conſcriptum eſt, & primò editum fuit Venetiis ; par erat,vt præſentem inſtitueremus Tractationem de Monialibus : cùm præterea , quæ in dicto Manuali à nobis explicantur tam de ſtatu Religioſo in communi , quàm in particulari, & ſunt communia Religioſis vtriuſque ſexus ; plurima de Monialibus in ſpecie occurrant , quæ maximam habent difficultatem,& aliàs non poſſunt reſolui ex doctrinis generalibus, vt quotidiana oſtendit experientia. Tractationem diuidemus in 10. Capita , in quorum 1.agemus de ſtatu religioſo Monialium in genere : in 2. De earum receptione, ad Nouitiatum,ipſo Nouitiatu , ac bonorum renuntiatione : in 3. De Profeſſione religioſa, dote ſoluenda Monaſterio, velo profeſſionis , ac conſecratione : in 4. De Votis ſubſtantialibus Religionis : in 5. De Clauſura,ad quam tenentur : in 6.De aliis earum Obligationibus : in 7.De Prohibitionibus : in 8. de Pœnis : in 9 De Priuilegiis : in 10. De earum Gubernatione ; demum proponemus FormulariumLicentiarum,quæ in Monialium gubernatione ſolent concedi.

CAPVT I.

De ſtatu religioſo Monialium in genere.

1 *Vnde deducatur nomen Monialis.*
2 *Qualis origo Monialium.*
3 *Qualis Monialium inſtitutio ab initio.*
4 *In quo conſiſtat eſſentia ſtatus religioſi illarum.*
5 *Debent militare ſub certa aliqua regula.*
6 *Qualis varietas,& diſtinctio inter Moniales.*
7 *Aliquo modo diſtinguuntur in clericales,& laicales.*
8 *Moniales Choriſtæ transferri poſſunt ad ſtatum Monialium Conuerſarum,& è contra.*
9 *Moniales Tertiariæ quæ : votum Caſtitatis earum nequit commutari à potente commutare votum Caſtitatis.*
10 *Moniales communiter profitentur vitam contemplatiuam.*
11 *Quo tempore ſtatus Monialium fuerit primò approbatus.*
12 *Clauſura non eſt de eſſentia Monialium.*
13 *Status Monialium decorus Eccleſiæ, & vtilis ipſis Monialibus:*
14 *Puellæ allici poſſunt ad ſtatum religioſum Monialium.*
15 *Dari poteſt Ordo Monialium,quæ ſint Religioſæ ſine Profeſſione ſolemni.*

QVÆRES I. Vnde deducatur nomen Monialis,ſeu Monachæ.

Reſpond. deduci à verbo Græco *μονάζειν* ,quod 1.
eſt in ſolitudine viuere ; vnde & deductum eſt nomen Monachi. notat autem Tambur. *de iure Abbatiſſ.d.7.q.1.n.1.* Moniales aliis item nominibus vocari à Scriptoribus ſacris; nimirum Sanctimoniales, Nonnas,Nonnones,Nunnas, Nunnanes, Deo conſecratas,ſeu dicatas,velatas Chriſti ſponſas , Dominicas , Caſtimoniales , ſacræ perpetuæ continentiæ ſectatrices.

QVÆRES II. Qualis fuerit origo ſtatus religioſi Monialium.

Reſpond. eas,propriè loquendo,in lege Euange- 2.
lica traxiſſe originem ex Inſtitutoribus Religionum : quorum ſaltem aliqui ſimul cum regula Religioſorum virorum inſtituerunt etiam Monialium regulam,vt notat Suarez *tom.4. de relig.tract 9.lib.1. cap.10.num.11.* de SS.Pachomio,Baſilio,Auguſtino, Dominico,& Franciſco ; addens,quòd,licèt de aliis Ordinibus , tam Monachorum , quàm Mendicantium non ita certò conſtet , quo tempore cœperint habere Monaſteria fœminarum ſibi ſubiecta , aut ſuam regulam profitentia : probabile tamen eſt in iis incœpiſſe ſimul monaſteria virorum,ac fœminarum.Quin etiam in ipſa lege veteri ſtatus religioſus Monialium fuit adumbratus , tum in mulieribus ad oſtium tabernaculi excubantibus , Exodi 38.cum in virginibus extra templi Salomonici loca degentibus in illius conclauibus Deúmque ibi aſſiduè co-

lentibus, 2. Machab. 3. tum in Iuditha, quæ cum esset vidua, modesta veste induta, suúmque corpus cilicio, ac inedia affligens in precatorio suæ domus tabernaculo cum puellis suis (quas virgines fuisse probabile est) clausa morabatur, Deúmque timens sacris precibus, & rerum diuinarum meditationi vacabat: tum in Anna vidua, sanctitate, ac vaticinandi dono illustrissima, & à Cyrillo Hierosolymit. Cathech. 10. nomine Monialis Religiosissimæ vocata, quæ in templi conclauibus cum virginibus, ac viduis Deo inseruientibus secundùm aliquos habitauit, id colligentes ex Lucæ 2. tum maximè in B.V. Maria, quæ tertio ætatis anno fuit in templo præsentata, ibíque Deo seruiens toto mentis affectu, vsque ad annos nubiles mansit cum aliis virginibus ibi degentibus, omnium virtutum forma effecta.

3. Notat autem Suarez *num.* 3. incertum esse, qualis fuerit institutio, ac professio huiusmodi virginum Deo dicatarum ab initio, etiam in lege euangelica; num scilicet eæ se adstrinxerint omnibus votis substantialibus Religionis, an solo voto castitatis (sicut modò fit à multis) num seruarent talem statum in Monasteriis, vel in priuatis domibus, quem habitum deferrent, & qua viuendi forma vterentur; dicítque probabile esse varios fuisse modos talis status, & quidem non solum in diuersis temporibus, aut locis, sed etiam in iisdem; sicuti nunc de facto sunt in Ecclesia.

Qværes III. In quo consistat essentia status Religiosi Monialium.

4. Respond. consistere in tribus votis substantialibus Religionis, paupertatis scilicet castitatis, ac obedientiæ: patetque ex eo quod status Religiosus est vnus, ac idem tam in viris Religiosis, quàm in Monialibus, quantum patitur conditio sexus illarum; cùm ergo status Religiosus consistat in tribus votis substantialibus Religionis, in iis consistet & status Religiosus Mooialium. Verum tamen est ad essentiam huius, aut illius Ordinis spectare etiam quodlibet aliud votum, quod iuxta leges proprij Instituti solemniter emittatur: idque tam respectu Monialium, quam respectu virorum regularium.

Qværes IV. An sit de substantia status Religiosi Monialium, vt amplectantur aliquam ex Regulis approbatis à Sede Apostolica, vel certè ratio, & modus viuendi, quem illæ obseruant in hac, aut illa Congregatione, specialiter approbetur à Papa.

5. Respond. esse, & consequenter alterum ex his necessario requiri, Ita Suar. *sup. n.* 10. hinc inferens, quod, si quis velit erigere monasterium Monialium, & non sub aliqua regula approbata; nisi ratio viuendi in eo seruanda specialiter approbetur à Papa, tale monasterium erit quidem Congregatio honesta mulierum, non tamen vera Religio, seu Religiosa professio iuxta, *cap. vn. de rel. domib. in* 6. cum notatis ibi per Io. Andr. & Panorm. 1. *p. consil. cons.* 55. probatur autem responsio, quia quod statutum est *in cap. vlt. de rel. domib. & cap. vlt. eod. tit. in* 6. vt nulla Religio instituatur, oisi sub regula approbata à Sede Apostolica, seruari debet etiam io monasteriis Monialium: priusque fuerat statutum ab Innoc. II. *in cap. perniciosum* 18. *q.* 2. vbi statuit abolendam esse detestabilem consuetudinem quarundam mulierum, quæ, licèt non profiteantur regulam aliquam approbatam, nihilominus Sanctimoniales vocari volunt; sicque in *c. indemnitatibus*, §. *supradicta, de elect. in* 6. in hoc sensu videtur supponi Moniales, quæ verè sunt Religiosæ, debere viuere sub aliqua Religione approbata: siquidem nulla extat regula à Sede Apostolica pro solis Monialibus, vel pro illis principaliter approbata, ideóque necesse est, vt profiteantur secundùm aliquam ex regulis approbatis Religiosorum, siue postea sint subiectæ ipsis Monachis, siue Episcopis; sicut enim Monachi erant sobiecti Episcopis, non obstante professione suæ regulæ, ita & nunc esse possunt monasteria Monialium. sic Suarez *sup. num.* 9. & cum illo Tambur. *sup. D.* 13. *quæst.* 1. *num.* 3. & 4.

Qværes V. An, & qualis varietas, ac distinctio reperiatur in Monialibus.

6. Respond. quod, quamuis in illis non habeat locum distinctio Religionis in Religionem laicorum, & clericorum: cum hoc posteriùs membrum in ipsis reperiri non possit; id tamen non facit, quin aliqua varietas inueniri possit in Monialium Institutis cum aliqua proportione ad Religiones virorum. Nam aliquæ propriè sunt Ordinis Monachalis, vtpote profitentes regulam S. Benedictini sub proprio nomine, & accommodato habitu: aliæ sunt Ordinis Mendicantis, quæ profitentur regulam alicuius ex Ordioibus Mendicantibus: aliæ sunt veluti Canonicissæ, quæ viuunt sub regula S. Augustini, & fortasse peculiari modo imitantur assistentiam in choro, & curam circa obsequium & ministeria diuina: aliæ denique sunt Ordinis Militaris, quæ degunt sub regula alicuius Ordinis militaris cum insignibus, & habitu illius (etsi aliàs finis Ordinis Militaris videatur omninò repugnare sexui fœmineo.) Vnde notandum est, ad hoc vt Moniales possint dici huius, aut illius Ordinis, non esse opus, quod io omnibus assimilari possint viris dicti Ordinis; sed sufficere, quod profiteantur regulam illius, ac obedientiam, vtantur eius habitu, ac insignibus, imitentur eius mores, seu constitutiones: quod benè aduertit Suarez *sup. num.* 8.

7. Addo, quod, licèt inter Moniales non adsit distinctio laicalium, & clericalium (sicut paulò ante diximus) talis tamen distinctio inter eas reperitur æquiualenter: quatenus aliquæ illarum admittuntur tanquam choristæ (nimirum vt vacent choro) & recipiunt in professione velum nigrum; aliæ admittuntur solum, vt vacent ministeriis temporalibus Monasterij, & communiter vocantur Conuersæ, quas proinde possemos vocare simpliciter laicas, ad differentiam Monialium, quæ vacant choro, & dicuntur choristæ. Quod autem diximus Moniales choristas io professione velum nigrum recipere; audio non procedere vniuersaliter, quoad Moniales tertij Ordinis Minorum S. Francisci: siquidem harum aliquæ hodie recipiunt velum nigrum, aliæ album, aliæ vtrumque; vt ad me rescripsit P. Bordonus dicti Ordinis olim Prouincialis.

Vtrum verò Monialis addicta choro transferri possit ad statum Monialium Conuersarum (vt vocant) & è contra.

8. Respond. posse; nisi quoad translationem Monialis Conuersæ ad statum Monialium choro addictarum obstet decretum Sacræ Congregationis iussu Clementis VIII. editum 19. Maij 1603. super receptione, & educatione Nouitiarum, quod ita habet: *Sed qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.* Ratio assertionis est, quod per talem translationem non variatur status substantialis religionis, sed solum accidentaliter; cum Moniales laicæ, seu conuersæ, & Moniales vacantes choro adstringantur iisdem votis substantialibus, immò & iisdem obligationibus, excepta obligatione recitandi horas canonicas, ad quam tenentur

tur solum Moniales vacantes choro. Quæ exceptio procederet etiam de Moniali chorista, quæ fortè transferretur ad statum Conuersarum; vt benè aduertit Sanchez *l.6. mor. cap.7. num.*80. monens hinc sequi Prælatum regularem posse Religiosum eximere ab onere recitandi diuinum Officium, non directè, & per se, sed per accidens; remouendo Religiosum subditum à statu Religiosorum Choro vacantium.

9. Præterea inter Moniales enumerantur etiam Tertiariæ; quarum aliæ emittunt tria vota substantialia Religionis sub proprio Prælato, ac propria regula, & viuunt in congregatione, suntque verè, ac propriè Religiosæ; aliæ verò viuunt extra congregationem in suis domibus, & non faciunt tria vota essentialia; & hæ non sunt verè religiosæ, ideóque non gaudent priuilegiis Monialium, nisi eo modo, quo dicemus *cap. sub finem.* Illud autem hîc obiter moneo votum castitatis simplex, quod emittunt Tertiariæ, non posse commutari ab habente priuilegium commutandi votum simplex castitatis, idque ob doctrinam Suarez *tom.4. de relig. tract.8.l.2. cap.12.num.*4 nimirum vota status, quæ scilicet fiunt ex vi peculiaris alicuius Instituti, non cadere sub generali facultate commutandi similia vota iuxta regulam iuris. *Non cadunt sub generali concessione, quæ specialem rationem habent, & difficultatem*, ideóque verosimiliter in specie non concederentur: constat autem votum Castitatis, quod faciunt Tertiariæ, esse votum status; quippe quod fit ex speciali Instituto Ordinis tertiarij. Quod item procedit de quocumque alio voto, quod fiat in aliquo Ordine à Monialibus Tertiariis ex peculiari ipsarum Instituto.

QVÆRES VI. Quod genus vitæ profiteantur Moniales, actiuæne, an contemplatiuæ, aut mixtæ.

10. Respond. regulariter profiteri vitam contemplatiuam, ac monasticam, ideóque ferè omnes Moniales in proprio gradu Monachorum contineri (vnde fortasse communiter vocantur Monachæ.) Ita Suar. in terminis *n.*7. & patet, quia certum est vitam mixtam ex contemplatione, & actione spirituali versante in ministeriis erga proximos non habere locum in Religionibus fœminarum, cum fœminæ non solum sint incapaces ordinum, sed etiam docendi munus ipsis denegetur iuxta 1.Cor.14. vbi dicitur: *Mulieri docere non permitto*: & meritò; siquidem (vt ingeniosè adnotauit Chrysost. *in cathena ibi*,) *Semel docuit, & cuncta peruertit*; si quid verò actionis participant, ordinariè solum est quoad laborem manuum, quæ operatio etiam propriis Monachis vitis, & præsertim contemplatiuis communis, fuit, & est moraliter necessaria hominibus aliqua corporis exercitatione indigentibus: prætereaquam quod aliud actionis genus consistens in vsu operum misericordiæ corporalis, est minùs accommodatum Religioni fœminarum, sicque regulariter minùs decet illud assumi ab iis, vt proprium finem; licet alioqui dicta opera commodè exerceri possint à fœminis iuxta illud, 1.Cor.5. *Vidua eligatur in operibus bonis testimonium habens*: & infra: *Si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lauit*, &c. obstat quippe obligatio clausuræ, per quam Moniales prohibentur exire extra claustrum ad exercenda dicta opera: quod tamen esset omninò necessarium. Si ergo vita, quàm Moniales profitentur, non potest esse actiua, neque mixta: sequitur necessariò illam esse contemplatiuam, vt iam nos diximus.

QVÆRES VII. Quo tempore in Ecclesia primò inductus, & legitimè approbatus fuerit status Religiosus Monialium.

Respond. quod, cum idem sit iudicium de origine, & antiquitate Religiosorum Monialium tam in generali, quam in particulari, quod de Religionibus virorum, proportione seruata, vt innuimus, *q.*2. consequenter sustinendum est Religiosum statum Monialium exortum fuisse simul cum statu Religioso virorum; sicque eodem tempore fuisse vtrumque institutum, & approbatum, simúlque cum singulis ferè Monachorum Auctoribus, Virginum etiam Conuentus incepisse, vt ostendit Suarez *sup. num.*11. 11. de SS. Pachomio, Basilio, Augustino, Dominico; & Francisco; addens verisimile esse, quod idem etiam in aliis Religionibus seruatum sit; & quidem ita, vt sub eodem Ordine virorum varia Monialium Instituta processerint: vt videre est in Religione Fratrum minorum, cui præter Religionem S. Claræ subiicitur item Religio Conceptionis diuersam regulam profitens.

QVÆRES VIII. An sit de intrinseca ratione status Religiosi Monialium, quod eæ teneantur ad specialem clausuram, siue proprio voto promissam, siue iure positiuo inductam.

Respond. non esse, quamuis aliàs obseruantia clausuræ sit conuenientissima statui Religioso fœminarum, maximè profitentium in communi, seu conuentuali vita; prout nunc est in vsu Ecclesiæ veritatem hanc satis confirmante: idque ex naturali conditione, ac fragilitate sexus fœminei. Ita Suarez *tom.4. de relig. tract.*1.*cap.8.num.*1. aliique communiter; & probatur quia ex vna parte tria vota substantialia Religionis sufficiunt ad statum Religiosum constituendum, tam quoad fœminas, quàm quoad viros; sicque olim solebant sacræ virgines in propriis domibus Religionem profiteri; vt constat ex canone 33. Concilij III. Carthaginensis: ex alia parte nulla lege Ecclesiastica determinatum est de ratione intrinseca status Religiosi Monialium esse clausuram, & consequenter non est inducta obligatio clausuræ, tanquam de ratione essentiali dicti status: præterquàm quod absque lege, aut voto clausuræ seruari potest etiam à Monialibus castitas, & regula Religiosa, seu modus viuendi secundùm consilia Euangelica; sicque dicendum est eam non esse necessariam ad statum Religiosum Monialium. 12.

QVÆRES IX. Quantum deceat status Religiosus Monialium in Ecclesia, quantumque expediat ad bonum spirituale ipsarum.

Respond. & maximè decere in Ecclesia, & maximè expedire ad bonum spirituale ipsarum Monialium: decere quidem, eò quod Ecclesia sic habet plura agmina fidelium vtriusque sexus Deo quàm studiosissimè famulantium die, ac nocte, eiúsque cultui specialiter dicatorum; quod vtique cedit in magnum Dei honorem, ac Ecclesiæ decus: expedire verò ad bonum spirituale ipsarum Monialium, eò quod sic sexus fœmineus ex se valdè fragilis, atque inconstans per susceptionem status Religiosi, ac emissionem trium votorum substantialium Religionis mirificè roboratur, ac confirmatur ad Christianarum virtutum acquisitionem, vitiorum extirpationem, ac bonorum operum impletionem, quo pactò è Monialium cœnobiis processerunt innumeræ fœminæ vitæ sanctimonia insignes, immò & egregiis miraculis conspicuæ, præterquàm quod Moniales in Ecclesia maximè conferunt etiam ad bonum spirituale Proximorum; quatenus in earum monasteriis educari solent puellæ, quæ ibi Christianis moribus imbutæ filios quos postea nuptæ procreant, piè erudiunt, & in timore Dei, eiúsque 13.

eiusque mandatorum obseruantia sollicitè enutriunt: cum teste Tullio *orat. 2. in Verrem*, nullum munus Reipublicæ afferre maius, meliúsve possimus, quàm si docemus, atque erudimus iuuentutem.

Qværes X. An liceat, immo expediat allicere puellas ad statum religiosum Monialium.

14. Respond. licere, immò & quam maximè expedire, si agnoscator eas esse prædiras illis doribus, quæ ad statum religiosum requiruntur: sic enim vtiliter geritur negotium spirituale ipsarum, dum alliciuntur ad percipienda bona, quæ ex statu religioso consequuntur, & mox hîc breuiter referentur. Monialis quippe Dei seruitio dicata euitat innumeras occasiones delinquendi, quæ sunt in sæculo; commodiùs, ac faciliùs deseruit Deo, eiúsque mandata obseruat; vberiorem recipit gratiam ad exercendos actus virtutis: in bonis operibus maius acquirit meritum, etiam ex vi ipsius status: viuit tranquillius, & moritur confidentius: eximit se ab ærumnis, quibus communiter subsunt fœminæ coniugatæ, dum à viris improbis sæuissimè tractantur vt vilissima mancipia, & sæpissimè habent, vnde grauiter doleant, siue ex morte proprij viri, aut filiorum, siue ex dispendiis rei familiaris, siue ex prauis moribus filij, aut filiæ, siue ex aliis calamiratibus, quæ domesticis creberrimè obueniunt; voluntariè, ac meritoriè amplectitur statutum vitæ cœlibis, quem multæ filiæ magnorum principium coguntur suscipere, eo quod illis non se offerat sponsus illarum conditioni, ac statui proportionatus: innumera denique & singularia bona, quæ ex statu religioso proueniunt, acquirit.

Qværes XI. An possit dari Ordo Monialium in qua nulla fiat Professio solemnis, aut certè non fiat, nisi post plures annos Probationis, emissis interim tribus votis substantialibus Religionis simplicibus; sicque cum libertate, vt Religio posset eas dimittere.

15. Respond. posse dari, non tamen expedire ratione sexus mulieris; quem vtique minus deceret posse dimitti è Religione post dicta vota simplicia emissa: idque ex multis rationibus, quæ consideranti facilè occurrent. probatur responsio, quia potest dari talis Religio virorum; vt benè ostendit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 3. cap* 3 *num. 3. & seqq.* immò datur de facto in Societate Iesu; non est autem maior ratio, cur dari possit talis Religio respectu virorum, & non respectu, mulierum; cum substantia status religiosi sit vna, ac eadem in vtrisque. Confirmatur, quia datur in Ecclesia Ordo Monialium profitentium Castitatem solùm coniugalem (euiusmodi sunt Moniales aliquorum Ordinum militarium) & tamen hæ sunt verè Religiosæ, & tales dici possunt simpliciter; vt docent Suar *supr. tr. 9. lib. 1. cap. 4. num. 9.* ex Nauarro & aliis: quod si dari possunt, & dantur tales Moniales, quæ tamen sunt veræ Religiosæ, poterunt dari & Moniales, quæ sint veræ Religiosæ, etsi non faciant professionem, solemnem sed solum faciant tria vota simplicia.

Capvt II.

De Nouitiatu Monialium, aliísque ipsis annexis.

In præsenti Capite agendum nobis est de nouitiatu Monialium: &, cùm ad ipsum præterequiratur legitima receptio, soleatque subsequi bonorum temporalium renuntiatio facienda ante professionem, de his etiam hîc disseremus. Caput diuidemus in tres Sectiones: in quarum prima agemus de Receptione Monialium ad Nouitiatum: in secunda de ipso Nouitiatu: in tertia de bonorum Renunciatione facienda ante religiosam professionem.

Sectio I.

De Receptione Monialium ad Nouitiatum.

1 *Quid sit recipere ad Nouitiatum.*
2 *Qualis debeat esse ista receptio.*
3 *Debet fieri suffragijs secretis: digna non potest liberè excludi: & vt excludatur indigna, debet constare de indignitate.*
4 *Eam non præcedit exploratio voluntatis, iuxta plures DD, quod alij negant.*
5 *Dato quod talis exploratio semel fieri debeat, expedit illam fieri ante professionem: quod alij negant.*
Talis exploratio facienda diligenter: & in ea fiunt variæ interrogationes.
6. *Non datur expectatiua loci primò vacaturi.*
7 *Moniales non possunt recipi vltra numerum taxatum, seclusa consuetudine.*
8 *Quæ dos soluenda pro Moniali supernumeraria.*
9 *An auctis redditibus monasterij possit augeri numerus Monialium.*
10 *Quot Conuersæ recipi possint in vnoquoque monasterio.*
11 *Puella capitulariter admissa ad Nouitiatum, potest excludi, & è contrà: & si nimis differat ingressum, interdum eget noua admissione.*
12 *Qualis debeat esse puella recipienda.*
13 *Recipi possunt viduæ ad statum religiosum.*
14 *Item fœmina illicitè corrupta.*
15 *Item & coniugata: maximè matrimonio solum rato: imò & consummato, si inuita cogatur consummare in priori bimestri: & quidem cogens peccat, (etsi alij id negent) idq; etsi sit elapsum bimestre, velitq; sponsa statim ingredi religionem.*
19 *Item, & hermaphrodita, sed non omnes.*
17 *Quæ ætas puellæ recipiendæ.*
18 *Quid de hoc statuerit sacra Congregatio.*
19 *Puellæ infantes possunt recipi à Monialibus postea recipiendæ ad religionem.*
20 *Parentes qualiter offerre possint puellas ad religionẽ.*
21 *Plerumque expedit recipi puellas minoris ætatis.*
22 *Quot sorores carnales recipi possint in eodem Monasterio.*
23 *Puella mox recipienda ad religionem extrahenda à Conuentu, in quo educatur.*
24 *Qualiter ea interim se debeat gerere in sæculo.*
25 *Plerumque non expedit puellam recipi in monasterio, in quo educatur.*
26 *Excommunicantur impedientes puellam ab ingressu religionis.*
27 *Quid intelligat Concilium nomine Veli, aut emissionis voti.*
28 *Ista excommunicatio non est reseruata.*
29 *Excommunicantur cogentes fœminã ingredi religionẽ.*
30 *Quæ coactio hîc requiratur.*
31 *Quæ actiones sufficiant ad incurrendam istam excommunicationem.*
32 *Quæ præsentia sufficiat.*
33 *In aliquibus casibus potest fœmina compelli ad iningressum religionis.*

34 Con

34 *Consensus Abbatissæ non petitur ad receptionem vltra consensum Conuentus.*

35 *Prælatus monasterij, eo contradicente, non recipit puellam ad Religionem.*

QVÆRES I. Quid intelligatur hic nomine receptionis.

1. Respond. quod, cùm probatio Nouitiatus inchoari non soleat in Religionibus nisi, Nouitius priùs legitimè fuerit admissus ad Religionem modo inferiùs explicando; hîc nomine receptionis, intelligimus admissionem illam, per quam Monialis legitimè recipitur ad probationem Nouitiatus, ad effectum scilicet, vt Monialis probet Religionem, & Religio ipsam.

QVÆRES II. Qualis debeat esse ista receptio, vt sit legitima.

2. Respond. debere fieri capitulariter, & quidem vnà cum consensu proprij Prælati, nimirum Episcopi, aut eius Vicarij generalis, si Moniales, quarum interest, non sint exemptæ; aut Prælati regularis, si Moniales sint exemptæ, ita Suarez *tom. 4. de relig. tract. 9. lib. 1. c. 11. n. 1.* dicens communem vsum iuri, ac rationi consentaneum esse, vt potestas recipiendi Nouitias inter Moniales sit in Conuentu ipsarum Monialium, simul tamen requiri licentiam, seu consensum Prælati; probat, quia talis receptio, prout est ad communem vitam, ac Societatem cum Monialibus, æquum est, vt ipsæ voluntariè in eam consentiant: quatenus verò dicta receptio est actus iurisdictionis, oportet, vt Prælatus, apud quem est propria iurisdictio, occurrat. Cum Suarez, sentit Miranda *quæst. 8. de monial. art. 1.* dicens hanc conclusionem esse certissimam de iure communi, & in omnium Monialium monasteriis quarumcumque Religionum receptionem Nouitiarum pertinere ad proprios Prælatos; affertque ad id speciale indultum à Nicolao V. concessum Fratribus Minoribus, & relatum à Casarubio *in comp. priuileg. v. Abbatissa, §. 8.* his verbis: *Idem Nicolaus V. statuit* (& quidem per bullam) *quod Abbatissa, nec simul omnes Moniales possint aliquam ad Religionem, vel professionem recipere, nisi de Prouincialis, aut Visitatoris expressa licentia:* idem sentit, & Peyrin. *in formul. litter. M. capit. 6. numer. 1.* monens præfatam concessionem Nicolai V. cum sit fauorabilis, extendi ad alias omnes Religiones.

QVÆRES III. An talis receptio debeat fieri suffragiis secretis, & in quo numero.

3. Respond. videri expedire, vt fiat suffragiis secretis (quamuis iure communi non constet id esse simpliciter necessarium) iisque excedentibus maiorem partem capituli, sicut declarauit sacra Congregat. Episcoporum 1603. teste Gauanto *in manu. Episc. v. Moniales, §. receptio Monialium, num. 30.* ratio autem responsionis est, quod sic liberior est consensus Monialium, quàm si receptio fiat votis publicis; sicque verificatur receptionem fieri à Capitulo, iuxta regulam generalem, qua dicitur fieri à capitulo, quidquid fit à maiori parte capituli: & hæc de iure communi; nam in Diœcesi Mediolanensi, teste Gauanto *supr. num. 18. & 19.* fuit per Concilium Prouinciale 4. statutum, vt dicta suffragia determinatè dentur tacita, etiam in monasteriis Regularium curæ subiectis, & quod concurrant saltem duæ partes suffragiorum; quamquam, cùm tale ius sit proprium Prouinciæ Mediolanensis, extra illam non obliget. Vnum porrò hic moneo ex notatis in nostro *tract. de Nouitiatu cap. 2. num. 28.* quòd, licèt, concurrentibus omnibus requisitis tam ex parte puellæ recipiendæ ad Nouitiatum, quàm ex parte Religionis, vt receptio fiat conuenienter, ac vtiliter; tenentur Moniales sub mortali illam admittere; & quidem tum ex charitate in Religionem, ac Proximum, tum ex officio: nihilominùs, si concurrat iusta causa illam repellendi, repelli potest sine culpa; vt si Conuentus non possit sine graui onere alere nouam Religiosam; aut aliæ plures puellæ æquè dignæ petant admitti, & omnes simul recipi non possint; aut denique res sit dubia, vel vtrinque probabilis, an expediat recipi puellam illam; tunc enim ea potest non admitti: & quidem eò faciliùs, quò magis id cedit in bonum Conuentus, vt notat Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 10. num. 28.*

Ad hoc autem vt puella excludatur tanquam indigna, requiritur moralis certitudo de indignitate illius; sicque Moniales in tali euentu de moribus puellæ petentis ingressum capere debent informationes iudicio prudentis viri competentes: in quibus sumendis, sicut puella, teste Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 1. cap. 3. num. 5.* interrogata tenetur aperire proprios defectus, etiam grauiores, & cum aliquali suæ famæ præiudicio (quamuis in tali casu nulla, aut leuissima infamatio sequi possit) sic etiam quicumque interrogantur de moribus puellæ, licitè possunt aperire similes defectus illius, siue naturales, siue morales, licèt graues, ac infamatorios; idque ex doctrina Lessij *2. de iust. capit. 11. num. 59.* quam hîc omitto breuitatis causa.

QVAERAS IV. An sit necesse, quod ante talem receptionem præcedat exploratio voluntatis puellæ, quæ debet recipi, & quando.

Respond. quod, quamuis de rigore iuris talis ex- 4.
ploratio præcedere debeat, ex decreto Concil. Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 17.* quod sic habet: *Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens S. Synodus, statuit, atque decreuit, vt, si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, maior 12. annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quàm explorauerit Episc. vel eo absente vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat, & si voluntas eius pia, ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas iuxta monasterij & ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat,* &c. quia tamen, Miranda *supr. art. 4.* Tambur. *de iure Abbatiss. D. 4. quæst. 2. num. 4.* Sanch. *lic. 5. mor. cap. 4. num. 84.* Rodriq. *tom. 3. quæst. 12. art. 2.* Peyrin. *sup. num. 2.* Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 12.* & Diana *part. 3. tract. 2. res. 47.* docent decretum illud Concilij vsu, ac consuetudine receptum fuisse, vt vnica puellæ admittendæ ad Religionem exploratio præmittatur, quacumque ætate sit, nimirum quando emissura est professionem: alij verò cum Barbosa *alleg. 100. num. 4.* sustinent voluntatem puellæ explorandam esse non solùm quando emissura est professionem, sed etiam quando est susceptura habitum Religionis, afferentes ad id declarationem factam à sacra Congregat. propterea hac in re videndum est, quis sit vsus, ac praxis in vnaquaque diœcesi, eáque omninò seruanda est: siquidem consuetudo habet vim legis.

Dato autem quod præfata exploratio semel tan- 5.
tùm fieri debeat, existimat Miranda consultius esse, eam fieri potiùs ante probationem, quàm ante professionem: idque esset conformius menti Concilij dictam explorationem præscribentis; siquidem per explorationem factam tempore professionis non ita bene iudicari potest, num Nouitia

spontè, & plena voluntate eligat profiteri, an coacta, aut seducta, aut certè ex verecundia deserendi habitum Religiosum, vel ex metu parentum, vel ex Monialium ipsarum suasionibus, ac precibus importunis inducta; vnde fit, vt non paucæ Moniales ferè inuoluntariè profiteantur, sicque postea, si minus toto vitæ tempore, saltem per multos annos inquietè viuant, regularis vitæ obseruantiam maximè auersantes. Alij verò existimant longè consultius fore dictam explorationem fieri tempore professionis; cùm tunc Nouitia experta fuerit asperitates vitæ Religiosæ, sicque maiori cum maturitate, ac prudentia possit deliberare: quod maximè procedit de Monialibus profitentibus vitam arctiorem; vt de Capuccinis.

Certè talis exploratio (quocumque demum tempore fiat) facienda est ab Ordinariis, non cursim, & crassa Minerua, sed summo studio, ac diligentia, sicut indicatur in citato decreto Concil. Trid. per verbum, *diligenter*; cùm hinc potissimum pendeat & bona existimatio status Monialium, & pax monasteriorum, & quies Monialis profitentis; eiúsque profectus spiritualis: sicut è contra, si Nouitia inuita, aut ægrè profiteatur, non solùm viuit ipsa inquieta, sed etiam inquietat socias, molestat Superiorissam, facessit negotium Prælato, perturbat monasterium, tempus inutiliter insumit, Deumque identidem non leuiter offendit.

Exploratio autem hæc in eo consistit, vt puella interrogetur de nomine, patria, parentibus ac ætate: num sciat legere, scribere, canere, &c. quot, & qui sint fidei articuli, quæ præcepta Decalogi, ac Ecclesiæ: quid intendat per susceptionem status Religiosi: an spontè, & ex Dei spiritu, vel ex parentum, Monialium, aut alterius cuiusuis personæ consilio, ac suasione: à quo tempore senserit se vocatam ad Religionem: an à pueritia animum ad pietatem, ac Religionem habuerit propensum: num corpore, ac mente sit sana, vel occultum aliquem defectum habeat, & quem, & à quo tempore: an sciat, & benè intelligat tria vota Religionis, sitque parata abdicare à se dominium terum omnium temporalium per votum paupertatis, viuereque in communi, si vita communis inducatur: abstinere ab omni delectatione carnis voto Castitatis repugnante; suámque voluntatem omniuò subiicere voluntati suorum Superiorum per votum Obedientiæ: an sit parata Crucem Domini ferre, abnegare se ipsam, & sequi Christum iuxta ipsius Christi consilium. In his, inquam, interrogationibus, & in aliis similibus quas Spiritus S. suggeret iuxtà conditionem puellæ explorandæ, consistit præsens exploratio.

QVÆRIS V. An Moniales possint dare puellæ petenti ingressum Religionis, expectatiuam loci primò vacaturi per mortem Monialis decedentis intra numerum legitimè præfixum.

6\. Respond. non posse ex decreto sacræ Congregationis Concilij, quod refert, Quarantã *in bullar. pag.* 462. his verbis: *Eadem Sacra Congreg. districtè prohibet, ne loca Monialium intra numerum decedentium pro tempore vacatura cuiquam puellæ ad habitum regularem recipiendæ concedantur, neque promittantur, nisi secuta vera, & reali illarum vocatione, atque ita demum, & non antea de eis disponi, ac in Monialis demortuæ locum promissionem, aut receptionem in Capitulo, seu quouis alio modo fieri iubet; si quid verò contra à quoquam fieri contigerit, irritum, & inane, ac nullius roboris, & momenti fore, & esse decreuit, ac nihilominus Abbatissas, Priorissas, & alios quoscumque monasteriorum Superiores, qui cuiusuis puellæ receptioni, vel admissioni, aut locorum vacaturorum promissioni, seu concessioni aduersus præsentis decreti dispositionem consenserint, priuationis, actiuæ, & passiuæ, vocis aliisque arbitrio eiusdem Congregationis infligendis pœnis obstrictas, & obnoxias fore declarat.*

QVÆRIS VI. An Moniales possint recipere in quocunque numero puellas petentes Religionis ingressum, si aliàs sint præditæ requisitis dotibus.

Respond. non posse, si in monasterio extet iam numerus Monialium taxatus iuxta *cap. vnic. §. sanè, de statu Regul.in 6.* & iuxta decretum Concilij Trid. *sess.25.cap.3.de Regul.* ac Constitutionum *Pij V. circa pastoralis*, quibus statuitur, vt receptio Monialium non fiat, nisi intra numerum præscriptum Monialium, quæ ex redditibus, aut consuetis eleemosynis sustentari possint commodè: quod expressè statuitur in citata Constitutione Pij V. §. 6. limita, nisi puella, quæ petit ingressum, secum ferat dotem, ex qua commodè sustentari valeat; nam talis dos computari potest inter eleemosynas, aut redditus monasterij, sicque cessat ratio præsentis prohibitionis, vt benè notarunt Suarez *vbi supr.* Nauarr. *lib. de redd. eccl. quæst. 1. monit. 62.* Lezana *supr. num. 6.* & alij. Addo quod, quamuis *in cap. vnico*, superius relato (quod certè loquitur solum de Monialibus Ordinum non Mendicantium) irritetur professio Monialis contra dispositionem dicti capitis admissæ: talem tamen irritationem putat Sanchez *lib. 7. mor. cap. 23. num. 4.* non esse in vsu, sed videri consuetudine abrogatam; quod minùs approbat Castrus Palaus *tract. 16. D. 1. p. 7. §. 6. num. 5.* dicens sibi non constare de tali consuetudine; vnde censeo quoad hoc inspiciendam esse regionum consuetudinem, eámque seruandam. 7.

Notat autem Lezana, & benè, in tali casu non sufficere, quod soluatur dos ordinaria, sed duplum dotis soluendum esse, & Monialem sic receptam computandam esse tanquam supranumerariam (vt vocant) idque ex declaratione Sacr. Congregat. facta 6. Septemb. 1604. in qua etiam additur Moniales, quæ supra numerum præfixum in quocumque monasterio recipiuntur, in locum Monialium morientium non subrogari; nec obstare, quin aliæ in locum earundē ex numero constituto demortuarum recipi eodem modo possint, quo in vnoquoque monasterio admitti possunt intra numerum; quinimò præfatas Moniales sic supra numerum receptas semper, quoad hoc manere supernumerarias, estò in cæteris nihil differant ab aliis, & iis sint pares in omnibus. 8.

Maius dubium est, quod monet Portel. *de dub. reg. v. monial. in addit. num. 1.* vtrum taxato numero Monialium recipiendarum in aliquo monasterio, possint duæ, aut tres recipi supra dictum numerum, si contingat redditus annuos ita crescere, vt etiam illæ possint ex iis commodè sustentari absque dispendio monasterij.

Respond. Portellus *vbi supra* posse; probatque ex *c. cum M. Ferrariens. de Const.* vbi Innoc. III. decernit, quod si aliquod Capitulum habeat numerum taxatum tot Canonicorum, vt vltra non possit crescere, & hoc per Papam confirmatum sit; si postea redditus temporales, ita crescant, vt duo vel tres Canonici vlterius commodè sustentari possint, hi etiam poterunt recipi, ac superaddi, non obstante statuto illo per Papam confirmato, cum alias in nostro casu par ratio militare videatur, ideóque locum habere possit, & eadem iuris dispositio. 9.

ſitio. ſic Portellus; qui tamen poſtea *in addit n.* 18. citatis pro hac ſua ſententia affirmante, Reginaldo, Nauarro, & Suarez, eam non parum moderatur, ac limitat dicens, qnod, licèt Prouincialis, qui in caſu propoſito fœminam cum duplicata dote reciperet, iudicio ipſius non eſſet condemnandus, nec cenſendus incurriſſe pœnas latas contra recipientes vltra numerum taxatum: ſi tamen ipſe eſſet Prælatus, præfatam fœminam non reciperet, abſque legitima licentia ob expreſſam prohibitionem factam, &c. Quin etiam *in addit. ad additionem num.* 1. abſolutè ait; *Nunc dico, ne omninò id fiat cum tali dote, abſq; expreſſa licentia Papa, quia ſic vſus poſtea obſeruauit*; addens immediatè poſt; *Si verò aliquis in hoc facto vellet ſe excuſare, poſſet pro ſe adducere cap. cum M. Ferrarienſ. de conſtit.* Ex quibus illud certò inferri poteſt, in hoc ſpectandam, ac ſeruandam eſſe vniuſcuiuſque regionis, ac diœceſis conſuetudinem, cum conſuetudo habeat vim legis & ſit legis optima interpres; ſicque cenſeo explicandos eſſe Doctores allegatos à Portello.

10. Illud etiam hîc moneo obiter ex Moſconio *de maieſt. milit. Eccl lib.* 1. *part.*4.*c.*4. Clementem VIII. ſtatuiſſe, ne in vnoqnoqne Monialium monaſterio numerus Mooialium, quas vocant Conuerſas, tertiam partem excedat; & quidem meritò, ne aliàs Monialibus addictis choro omninò ſubtrahatur materia ſe exercendi in vilioribus miniſteriis, & conſequenter vacandi abnegationi ſui ipſius.

Qværes VII. An puella ſemel, ac iterum capitulariter excluſa ab admiſſione in religionem, coacto iterum capitulo, admitti poſſit: & è contra poſſit capitulariter excludi iam per Capitulum admiſſa.

11. Reſpond. poſſe; & quidem quod excluſa poſſit admitti poſtea, conſtat quia nullum extat ius prohibens, aut irritans talem admiſſionem: quin potiùs occurrere poſſunt de nouo rationes, quibus id ſuadeatur; quod verò admiſſa poſſit excludi probatur tum ex modò dictis; tum quia quod dicitur *in cap. nulli licere de elect. in* 6. poſt publicationem ſcrutinij non eſſe locum variationi, procedit ſolùm in electione, per quam, publicato ſcrutinio, acquiſitum eſt ius ei, qui eſt electus; quod certè non militat in caſu noſtro, in quo agitur de contractu faciendo inter nouitium, ac religionem, in quo nullum ius acquiritur nouitio ex eo, quod capitulariter concluditur petentem admittendum eſſe in religionem. ita Peregrin. *p.*2.*conſt.c.*5.*lit.R.*§. 11.*&* 12.

An autem puella capitulariter admiſſa ad religionem, ſi diutius differat ingreſſum, integredi poſſit abſque noua admiſſione capitulari.

Reſpond. videri non poſſe, ſi ſponte diſtulit ingreſſum, & probabiliter timeri poſſit contigiſſe aliquid noui, vel manifeſtatum fuiſſe aliquid antiquum, quod cognitum retraxiſſet Capitulum ab ea admittenda; & ratio eſt, quod ſic Capitulum non cenſetur perſiſtere in priori voluntate admittendi puellam; ſicque opus eſt, vt iterum, præmiſſis de iure præmittendis, ſtatuat, an debeat illam iterum admittere, nec ne. Quanta autem debeat eſſe iſta dilatio, relinquendum eſt iudicio viri prudentis, conſideratis omnibus circumſtantiis.

Qværes VIII. Quæ conditiones requirantur in puellis admittendis ad religionem.

12. Reſpond. requiri, vt non ſint ſcandaloſæ, non petulantes, non excommunicatæ, non hæreticæ, aut ſchiſmaticæ, non flagitioſæ, vt probat Maiol. *de irreg. lib.* 1. *cap* 29.*num.*50. immò vt ſint irrepræhenſibiles, vt decet ſponſas Chriſti, & immunes à quocumque defectu, qui aliis virginibus intra monaſterium degentibus obeſſe poſſit, ſiue ratione mali exempli, ſiue ex imitatione delicti, ſiue quouis alio modo: idque iuxta *cap.*1. *de ſtatu Reg. in* 6. ita Tambur. *ſupr. quaeſt.*3.*num.* 1. addens *num.*2. item cauendum eſſe, ne in quouis Monialium genere ſit aliqua contagioſa, morboſa; dæmoniaca, aut furioſa; ſurdas verò, cæcas, claudas, mutas, & gibboſa nullo iure impediri, quin recipi poſſint ad religionem: præſertim, ſi in iis ſpectetur maior religio.

Moneo hîc obiter, motum proprium Sixti V. editum anno 1587. de non admittendis ad religionem perſonis ære alieno grauatis, aut obnoxiis reddendis rationibus non militare in Monialibus: ſic enim ipſemet Sixtus declarauit in alio motu proprio edito in prioris declarationem, §. *caeterum*; vnde fit, vt in caſu, quo mulier ære alieno grauata, aut ratiociniis obligata vellet ingredi religionem, poſſet admitti, ſi aliàs poteſt de iure communi.

Qværes IV. An poſſint recipi ad religionem fœminæ viduæ, ſtando in iure communi.

Reſpond. poſſe, & conſtat tum ex vſu Eccleſiæ antiquiſſimo, quem probat Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.*9.*lib.*1.*cap.*11.*num.*1. tum ex *cap. vidua* 20. *q.*1. vbi de vidua dicitur, quod ſi velit religionem profiteri, admitti poteſt, & debet, recepto habitu religioni conueniente. ita Suar. *loc. cit.* Lezana *tom.*1. *cap.*25.*num.*9. Tambur. *ſupr.D.*6.*quaeſt.*3.*num.*7.& alij; quamuis alioqui minùs conueniat viduam admittere ad habitum monachalem virginum; ſicut teſte Gauanto *in manu. Epiſc. v.monial.receptio, num.*7. declarauit Sanct. Congr. Epiſc. 29. Ianu. 1585. vt proinde in præſentia ſacra Congr. non det fœminæ viduæ indultum ſuſcipiendi ſtatum Monialium, niſi cum his conditionibus: nimirum vt ſoluat dotem ordinariam, ſi ſuſcipienda ſit intra numerum præfixum, aut duplicatam, ſi ſupra numerum; & quidem ſeruatis iis, quæ in licentiis ſupernumerariarum ab eadem ſacra Congregat. præſcribuntur: item vt non poſſit eligi in Abbatiſſam, aut Superiorissam vllius monaſterij ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſt. 13

Qværes X. An, attento iure communi, poſſint recipi ad religionem fœminæ illicitè corruptæ poſt pœnitentiam peractam, etiam in conſortium virginum.

Reſpond. poſſe, niſi id in ſpecie prohibeatur per proprias monaſterij Conſtitutiones; ſiquidem in iure communi nulla lex extat, qua tales mulieres excludantur à conſortio virginum: vnde qui dicunt fœminas hac macula, aut nota laborantes non debere recipi in conuentu virginum, dicendi ſunt loqui ſecundum decentiam, ac conuenientem honeſtatem, non ſecundum incapacitatem, aut abſolutam prohibitionem; ſicut bene notauit Suar. *ſupr.* hinc inferens, quod, ſi lapſus talis fœminæ fuerit publicus, ac infamis, eſtò poſtea conuertatur, non eſt admittenda in conſortium virginum; ideóque, pro huiuſmodi fœminis reperta eſt peculiaris religio, quam vocant mulierum pœnitentię, ſeu S. Mariæ Magdalenæ, ſeu Conuertitarum: ſi autem lapſus ſit occultus, & non genuerint infamiam, nihil impediet, per ſe, moraliter loquendo; immò, licèt interdum lapſus eſſet publicus, ſi ſemel tantum ex fragilitate contigiſſet, cohoneſtari, & compenſari poſſet tot circunſtantiis perſonæ, generis, ac emendationis, vt talis perſona conuenienter admitti poſſet. ita Suar. & cum illo Lezana, & Tambur, *locis ſupr. citatis.* 14

Qværes XI. An iure communi poſſint admitti

admitti in monasteria virginum mulieres coniugatæ, quæ fortè de consensu proprij viri petant admitti, seruatis aliàs seruandis.

15. Respond. posse, cum in iure communi id specialiter non prohibeatur; non decere tamen ob varias rationes, quæ facilè occurrent consideranti; & maximè ob declarationem sacræ Congregationis relatam *quæst. 9.* quæ in fœminis coniugatis vtique militat, & quidem à fortiori.

Concedo tamen puellam, quæ matrimonium contraxit, sed non consummauit, posse intrà primum bimestre ingredi Religionem; idque ex iure Ecclesiastico ab Apostolorum temporibus instituto; vt colligitur ex *cap. ex publico de conuers. coniugat.* quod ius procederet etiam in casu, quo sponsa inuita cogeretur consummare matrimonium; vt latè probat Sanchez *lib. 2. de matr. D. 23. num. 6.* monens *num. 7.* per accidens posse fœminam in proposito casu impediri à Religionis ingressu; videlicet ratione prolis ex ea copula secutæ, quæ sine matris ope non posset commodè educari.

Quod si hac occasione quæras an maritus sine culpa mort. possit propriam sponsam cognoscere inuitam in primo bimestri, si ea non cogitet de ingregredienda Religione.

Resp. Diana *p. 9. tract. 8. resol. 18.* ex Texeda, Castro Palao, Coninck, & Perez non peccare: & probat tum quia à tempore initi matrimonij vir ius habet in corpus suæ vxoris, adeòque non peccat vtendo illo per vim; cum nemo peccet vtendo re propria, ac iure suo, etsi alteri sequatur iniuria: tum quia iura concedentia bimestre ad deliberandum de meliori statu, non important præceptum, vt coniuges per bimestre abstineant à copula, sed solùm iis permittunt, vt intra illud possint abstinere ad deliberandum de meliori statu, sicque vir in isto casu nullum violat præceptum: tum quia in *cap. ex publico, de conuers. coniugat.* vbi solùm, & non alibi, conceditur illud bimestre, non suspenditur obligatio reddendi debitum, nisi iis, qui agunt de ingressu Religionis, sicque non suffragatur sponsæ in præsenti casu priuilegium dictæ suspensionis. At dissentiunt Glossa, Syluester, Rosella, Armilla, Sanchez & Pontius relati ab ipso Diana; qui addit ex Perez fieri iniuriam sponsæ volenti statim ingredi Religionem, si post elapsum biennium inuita cogatur consummare matrimonium; siquidem quantumuis temporis elapsum sit ab initio matrimonio, modò non sit consummatum (siue iure, siue iniuria id contigerit) vterque coniux habet ius ingrediendi Religionem. ita Diana, & benè, præter quam quod ait consummato matrimonio per iniuriam, coniugem innocentem non retinere ius ingrediendi Religionem; quod ego negaui paulò antè, & iterum nego.

QVÆRES XII. An Hermaphroditi possint recipi in Religione Monialium, & quando.

16. Respond. posse, si in iis iudicio medicorum, aut peritarum, ac honestarum matronarum præualeat sexus fœmineus: posse inquam, validè, non item licitè, vti latè ostendimus *in tract. de profess. cap. 2. q. 13.* interim consulantur Tambur. *sup. D. 6. quæst. 7.* & Portel. *de dub. regul. v. professio hermaphroditi*, vbi fusè, ac doctè disserens de præsenti controuersia expressè docet professionem puellæ habentis sexum fœmineum tantùm, ab initio Nouitiatus vsque ad tempus professionis inclusiuè, esse validam, ac omninò subsistere; non obstante quod postea erumpat in sexum masculinum; quamquam in tali casu probabile sit obligationem talis professionis prorsus euanescere, vt dicemus *cap. 3. num. 32.* & expressè docet Diana *part. 5. tract. 14. resol. 49.* aliis citatis.

QVÆRES XIII. An possint admitti ad Religionem puellæ, etiam infra annum ætatis duodecimum.

Respond. videri satis probabile, quod possint, si 17.
attendatur solùm decretum Concilij Tridentini relatum *sess. 25. de Regul. cap. 17.* his verbis. *Sancta Synodus statuit, atque decreuit, vt, si puella, quæ statum regularem suscipere voluerit, maior 12. annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam explorauerit Episcopus*, &c. Et ratio est, quod in isto *cap.* nihil decernitur de ætate puellæ admittendæ ad Religionem, (vt constat ex titulo ipsius capitis, qui est *de exploranda voluntate virginis, quæ Deo sacratur*) sed de examine voluntatis præmittendo, quando puella ingrediens fuerit maior 12. annis; sicque textus loquitur sua conditione, dum ait, *si maior 12. annis fuerit*: constat autem, quod conditio nil ponit in esse. Quin etiam (quod amplius est) citatus textus videtur supponere puellam minorem 12. annis posse recipi ad habitum Religionis; alioqui non loqueretur sub ea conditione, *si maior 12. annis fuerit*: neque diceret, *nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quàm explorauerit Episcopus virginis voluntatem*; siquidem dictio *alia* diuersitatem importat, & facit hunc sensum; nec ipsa, quæ maior 12. annis est ingressa, nec alia minor ea ætate, profiteatur ante dictam voluntatis explorationem: nam ad nullam aliam puellam referri potest ea dictio *alia*, cum omnes puellæ maiores 12. annis comprehensæ sint in præcedenti particula *ipsa*, ita in terminis Sanchez *lib. 4. mor. cap. 18. num. 34.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 1. n. 9.* Miranda *quæst. 8. de monial. art. 2.* Portel. *de dub. reg. v. clausura mon. § cuius ætatis puella*, &c. *num. 1.* aliique relati à Diana *part. 3. tract. 2. resol. 47.* inter quos Michaël Medina (qui interfuit promulgationi dicti decreti, & studiosissimè attendit ad suffragia omnium, ac singulorum Episcoporum, qui in illud concurrerunt) dicit nihil alienius à mente Concil. Trident. excogitari posse, quàm quòd Concilium in præsenti decreto intenderit prohiberi, ne puella minor 12. annis recipiatur ad habitum Religionis: tandem docent Rodriquez, Azor. & Nald. allegati à Diana *vbi supra*.

Dixi sub initium responsionis, *si attendatur solum* 18.
decretum Concil. Trid. vt innuerem, quod, si declaratio sacræ Congregationis Concilij, quæ in contrarium adducitur à Vecchio *in praxi nouit. D. 52. d. 9. num. 16.* est legitima, authentica, & in vsu (vt de facto est in aliquibus diœcesibus) ea omninò seruari debet, sicque non haberet locum doctrina hîc tradita; quæ (vt dixi) nititur solum verbis Concilij, & abstrahit à quacumque declaratione. Declaratio autem sacræ Congregat. hîc adducta est talis: *Sacra Congregat. rescripsit aliquam puellam non debere admitti ante 12. annum ad habitum suscipiendum, cuius causa requiritur voluntatis puellæ exploratio: non est autem voluntas Congregationis, neque Concilij, vt ante illam ætatem puella admittatur*; vnde Lezana *supr. numero 15.* ait in hoc cautè procedendum esse.

Quod verò addit Sanchez *num. 18. ex cap. addidi-* 19.
sti 20. quæst. 1. parentes posse offerre puellas monasteriis pro futura vita monastica, etiam in ætate infantiæ (quæ in puella est infra quinque annos) probabiliter videtur posse admitti, non obstante motu proprio Pij V. & Gregorij XIII. interdicente ingressum clausuræ etiam puellis impuberibus, & stylo sacræ

sacræ Congregationis modò regulariter requirentis, vt puella admittenda ad educationem intra monasterium Monialium iam expleuerit septimum annum; siquidem, vt colligitur ex Sanch. *sup. num.* 34. Motus ille proprius, & stylos sacræ Congregationis allegati non extenduntur ad casum, in quo puella impubes ingreditur clausuram causa Religionis suscipiendæ (sicut in casu nostro) sed quando ingreditur solum causa educationis. Quin potiùs puto puellam in proposito euentu posse ingredi Monasterium absque licentia sacræ Congregationis (quæ tamen requireretur, si ingressura esset solius educationis causa) quo modo sine præfata licentia ingredi posset quæcumque alia puella iam pubes ad recipiendum habitum Religionis: non enim adest maior ratio de vna, quàm de alia.

10. Addit Sanch. *num.* 9. & cum eo Portel. *sup. num.* 8. ita parentibus competere ius offerendi puellas monasteriis ad effectum, vt postea suscipiant statum Religiosum; quòd puellæ sic oblatæ non possunt resilire, nisi post annum completum pubertatis; eo autem completo liberum ipsis est vel perseuerare in monasterio, vel redire ad seculum, donec faciant professionem tacitam, aut expressam.

11. Vtrum autem expediat, quod puellæ ætatis adeò tenellæ ingrediantur monasteria Monialium, vt sic tanto magis, & faciliùs alliciantur ad suscipiendum statum Religiosum; possent afferri rationes pro parte tam affirmante, quàm negante: certè Miranda *sup.* affirmantem probat, tum quia alioqui non tot puellæ amplecterentur statum Religiosum, breuique temporis spatio Monialium status tolleretur: tum quia experientia docet puellas monasteria ingredientes in tenella illa ætate vberiores postea fructus facere in Dei seruitio, minúsque affici ad bona præsentis vitæ: idque iuxta illud Lyrici Poëtæ; *Quo semel est imbuta recens seruabit ordorem*; *testa diu.*

QVÆRES XV. An plures sorores recipi possint in vnum, ac idem monasterium Monialium, & quo modo.

12. Respond. non posse recipi, nisi duas, seclusa dispensatione sacræ Congregationis: ideóque si tertia Soror velit ingredi, ibique profiteri, debere secum deferre duplum dotis, necnon suffragio carere in Capitulo; quousque altera ex duabus Sororibus primis decesserit è vita; ex decreto sacræ Congregationis edito 16. August. 1616. & adducto à *Gauanto in manu. Episc. v. monial. Nouitiarum alimenta num.* 8. per quod item statutum est in casu, quo quarta Soror modo dicto velit in eodem monasterio recipi ad habitum Religionis, teneri soluere triplum dotis, & modo *supr.* dicto carere suffragio in Capitulo. Quod vtique piè, ac prudenter statutum est ad tollendas dissensiones, ac factiones, quæ aliàs non minùs facilè, quàm frequenter excitari possent in Monialium monasteriis, si in vnum, ac idem monasterium possent liberè recipi Sorores in quocunque numero. Quin etiam stylus curiæ habet, vt tertia, aut quarta Soror non recipiantur in idem monasterium, absque speciali licentia sacræ Congregationis Episcoporum, ac Regularium.

QVÆRES XVI. An, & qualiter expediat, quod puella degens in monasterio educationis causa, inde ad aliquod tempus extrahatur casu, quo velit apprehendere statum Religiosum, ibique fieri Monialis.

13. Respond. quod, quamuis adduci possint rationes in vtramque partem (quarum non paucæ occurrere poterunt consideranti) absolutè tamen loquendo, videtur expedire, vt puella in casu proposito extrahatur è monasterio, antequam ibi admittatur ad habitum Religiosum. Moueor, quod sic meliùs consulitur libertati puellæ admittendæ; quippequæ manens intra monasterium minùs audebit denegare consensum Monialibus, siue consanguineis, siue affinibus, siue amicis eius ingressum enixè ab ea efflagitantibus, & fortè etiam importunè procurantibus: idque vel ex metu reuerentiali erga dictas Moniales, vel ex verecundia, qua suffunditur in deficiendo à promissione ipsis facta de suscipiendo statu Religioso, vel ex alio simili motiuo non parum obstante eius libertati, quæ tamen summa requiritur in electione status. Nec obstat, quod per talem egressum è monasterio puella aliàs ingressura Religionem exponitur periculo amittendi vocationem Religiosam, siue ex suasione parentum, aut consanguineorum, siue ex dæmonis suggestione, siue ex illectu deliciarum, ac luxus, quæ ex occasione egressus abundantiùs ei concedentur; siquidem hic effectus est accidentalis dicto egressui, debetque imputari puellæ interiùs affectæ statui Religioso, aut improbitati illorum, qui eam modo dicto seducunt, ac subornant; præterquam quod minus malum est eas hac ratione recedere à proposito vitæ monachalis amplectendæ, quam illam inuitas, & quasi coactas apprehendere, sicque viuere in perpetua animi molestia, ac inquietudine: constat autem; quod ex duobus malis semper minus est eligendum: vt proinde piè, ac sapienter statutum sit in Concilio Prouinciali Mediolanensi I. quod quæcunque puella admissa ad educationem intra monasterium, vbi voluerit fieri Monialis, antequam examinetur ab Ordinario ad effectum illam recipiendi, redeat ad suos, ibique maneat saltem per mensem.

Verum tamen est, quod puellæ modo dicto egressæ, dum interim commorantur in domo paterna ad maturiùs deliberandum, num ipsæ debeant suscipere statum Religiosum, necne: non deberent interim liberiùs vacare præsentis vitæ oblectationibus, tempus terrendo in vanis conuersationibus, choreis, ac ludis, interessendo comœdiis, ambitiosiùs se ornando, per vrbem siue curru, siue pedibus discurrendo; cùm potiùs eo tempore deberent se omni studio disponere ad statum Religiosum maiori cum fructu suscipiendum, sibi, & Deo studiosiùs vacantes, frequentiùs orantes, piorum librorum lectioni insistentes, crebriùs confitentes, ac communicantes, vitamque solitariam traducentes: ne aliàs statum Religiosum suscipientes transeant ab extremo ad extremum, sibique magis difficilem, ac grauem reddant regularem obseruantiam, paulò post amplectendam. 14.

QVÆRES XVII. An expediat, quod puellæ suscipiant habitum Religiosum in eo monasterio, in quo degunt causa educationis.

Respond. regulariter videri non expedire, ducor tum quia sic incertum magis est, vnde vocentur ad Religionem, num à Deo, an à Moniali, cuius educationi commissæ sunt, aut ab aliqua alia, quæ fortè ex motiuis temporalibus illas ad vitam Religiosam induxerunt, sicque magis dubitari potest de perseuerantia; tum quia nimia familiaritas parit contemptum, ideóque puella manens in monasterio, cum identidem videat aliquas Moniales deficere in hac, aut illa regulari obseruantia, præstantiam status Religiosi longè minoris æstimat, quàm par esset, & ad ipsum accedit minori cum affectu, ac desiderio proficiendi in illo, cùm ab assuetis non fiat passio, tú quia omnia noua placent, & ipsa rerum nouitas maiores sui amores excitat, magisq; impellit ad 15.

ad agendum; sicut è contra minus afficimur ad ea, quibus assuefimus, vnde puella assueta viuere inter Moniales minori animi alacritate inter ipsas amplectitur statum Monachalem, minúsque feruenter in eo se exercet ad Religiosam perfectionem acquirendam.

Quæres XVIII. An parentes puellæ admittendæ ad Religionem, vel alij possint impedire, quin ea recipiatur, & sub qua pœna id prohibeatur.

26. Respond. non posse, &, si impediant, incurrere excommunicationem maiorem ipso facto latam in Concilio Tridenti. *sess.* 25. *cap.* 18. *de Regular.* his verbis: *Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint.* ita in terminis Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 11 Filliuc. *tract.* 14 *n.* 90. & Bonac. *de censur. in partic. D.* 2. *quæst.* 2. *part.* 3. *num.* 3. id inde probantes, quod non potest fœmina profiteri in Religione, nisi priùs habitum suscipiat, sicque impediens susceptionem habitus consequenter impedit etiam voluntatem veli accipiendi, ac professionem Religiosam: idque iuxta Regulam: *Qui vult antecedens, vult etiam consequens, quod ipsi est annexum.* Dissentit tamen Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 4. *num.* 15. putans probabilius esse non incurri in isto casu præfatam excommunicationem, ea ductus ratione, quod decretum pœnale (quale est hoc) non debet ampliari, illud extendendo ad remotum professionis obstaculum; cuiusmodi est in præsenti euentu impedire susceptionem habitus Religiosi: cum alioqui textus loquatur solum de impediente voluntatem veli suscipiendi, idest faciendi professionem Religiosam; præterquam quod Concilium in citatn decreto superius loquens de cogentibus, volénsque comprehendere cogentes ad ingressum, aut professionem, vtrumque expressit verbis satis claris, & bis repetiit.

27. Notant porrò citati Doctores in allegato textus nomine veli, aut emissionis voti intelligi professionem Religiosam; siue fiat per veli susceptionem, siue absque veli susceptione cum tribus votis substantialibus Religionis; hincque infetunt non subiici huic excommunicationi illum, qui iniustè impedit fœminam, ne faciat votum ingrediendi monasterium, aut assumendi habitum Religionis: cum hoc sit nimis remotè, ac indirectè impedire professionem, adeóque non comprehendatur sub præfato decreto, quod cum sit odiosum, non debet ampliari, sed restringi. ita Bonacin. *supr. num.* 4. addens *n.* 6. subiacere dictæ excommunicationi illum, qui dolosè retrahit fœminam à Religione: quod tamen negant Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *c.* 9. *num.* 14. & Castr. Pal. *tract.* 16. *D.* 1. *part.* 9. *num.* 11. eo quòd dolo impediens proprie non impediat voluntatem profitendi: cùm ad hoc requiratur, vt voluntas immutata perseuerans impediatur ab eius executione, & dolus impediat solum, ne sit voluntas.

28. Incurrunt autem istam excommunicationem (quę tamen non est reseruata) quicunque impediunt fœminam, ne Religionem assumat, aut professionem faciat: nam textus loquitur indistinctè, ac indefinitè; vbi verò ius non distinguit, nec nos distinguere debemus; intellige, dummodò impediant iniustè, cum textus loquatur de impedientibus sine iusta causa: quod in specie notauit Sanch. *num.* 10. & cum eo Bonac. *num.* 8.

Quæres XIX. An possit cogi fœmina ad ingrediendum Religionem, & sub qua pœna id prohibeatur.

Respond. non posse cogi; cùm id expressè prohibeatur sub pœna excommunicationis maioris ipso facto incurrendæ, non tamen reseruatæ, quæ fuit lata in Concilio Trid. sup. his verbis: *Anathemati S. Synodus subijcit omnes, & singulas personas cuiuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quam laicos, sæculares, vel regulares, aut etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocunque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque Religionis, vel emittendam professionem: quiq; consilium, auxilium, vel fauorem dederint: quiq; scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquomodo ei actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.* 29.

Circa cuius textus intelligentiam notandum est, quod, cum cogere idem sit, ac per vim, aut metum grauem inducere; huic excommunicationi non subiacent neque ij, qui cogunt per merum leuem, non cadentem in constantem virum (cum ista lex tanquam pœnalis strictè intelligi debeat, idcóque explicanda sit solum de illo metu, de quo in iure habetur ratio, cuiusmodi vtique non est metus leuis, *l. nec timorem, ff. de eo, quod metus causa:*) neque ij, qui iustè incutiunt metum grauem, cùm sic non interueniat iniuriosa coactio; neque ij, qui inducunt precibus importunis, cùm sic non infeiatur vlla vis, modò non adsint minæ: neque ij, qui ingressum Religionis suadent iniecto metu priuationis alicuius boni, ad quod alioqui fœmina non habet ius: cùm hoc non sit inferre vim, vel metum, sed denegare id, quod liberè potest tradi, ac denegari: ita Bonac. *supr. part.* 1. *num.* 1. 2. 3. 4. & 5. monens *num.* 6. ad incurrendam istam pœnam non sufficere, quod quis cogat fœminam ad ingrediendum monasterium quoquomodo (v. g. in educationem) sed requiri, vt cogatur ingredi in ordine ad assumendum statum Religiosum (sed de hoc infra, cùm de educatione puellarum.) vnde ista coactio debet fieri in ordine ad habitum Religionis suscipiendum per modum Nouitij, aut ad faciendam professionem Religiosam; idque disiunctiuè; cum textus vtatur clausula disiunctiua *vel*, vt bene aduertit idem Bonacina. 30.

Cæterùm actiones, quæ sub ista excommunicatione prohibentur, sunt non solùm cogere (ad quod requiritur, vt reuera sequatur effectus sub ea pœna prohibitus) sed etiam dare auxilium, consilium, aut fauorem ad ingrediendum monasterium modo supradicto, aut ad suscipiendum habitum, aut ad profitendum in Religione, immò & quoquomodo interponere proprism præsentiam, consensum, aut auctoritatem ad præfatos actus, modò id fiat scienter ab illo, qui nouit fœminam inuitam ingredi monasterium, aut suscipere habitum, aut emittere professionem, & modo dicto sequatur effectus iuxta ea, quæ tradunt *DD. cum* Bonacina *de censur. in comm. D.* 1. *quæst.* 1. *part.* 6. *num.* 2. 31.

Monet autem Sanch. *num.* 21. & bene, quod, licèt in textu dicatur, *quoquomodo huic actui præsentiam interposuerint*; non ideò intelligendum id est de eo, qui obiter aspiciat (cum non dicatur quis suam præsentiam interponere, nisi quando ex proposito assistit: sicut nec de eo, qui alia ex caussa esset præsens, (v. g. ad comitandum suum dominum, ad audiendam missam in eo loeo, in quo sit professio:) immò nec de eo, qui assisteret animo impediendi illam professionem inuoluntariam, 32.

luntariam, vtpote aduocatus in testem violentiæ tunc illatæ.

33. Quod verò dicit textus *præterquam in casibus in iure expressis*, indicat dari aliquos casus, in quibus iuxta ius canonicum fœmina potest cogi ad ingrediendum Religionem; nimirum 1. si fœmina publicè, aut priuatim fecit votum Religionis, de quo constet: 2. si fœmina post duos menses coniugata renuat consummare matrimonium ad deliberandum de Religione: 3. si post quinquennium dicat professionem suam fuisse nullam: 4 si damnata sit in pœnam delicti ad carcerem perpetuum, & ipsi detur optio aut suscipiendi statum Religiosum, aut manendi in perpetuo carcere. ita Portell. *de dub. reg. v. monial. num. 7.*

QVÆRES XX. An Moniales possint admittere ad habitum Religionis, eiusque probationem puellam ingressum Religionis petentem, etiamsi ipsarum Abbatissa, seu Priorissa renuat consentire in talem receptionem.

34. Respond. posse, dummodo in talem receptionem consentiat proprius Prælatus monasterij eo modo, quo diximus *quæst. 2.* Colligitur ex Suarez *tom. 4. de rel g. tract. 9. lib. 10. cap. 11. num. 1.* dicente communem vsum, iuri, & rationi consentaneum esse, vt potestas recipiendi aliquam in Monialem sit in ipso conuentu Monialium, simul tamen requiratur Prælati licentia, seu consensus. Vbi noto, quod, cum Suarez nullam hîc faciat mentionem de Abbatissa, signum est illam venire sub nomine Conuentus, eiusque consensum in præsenti casu non requiri, nisi eo modo, quo requiritur consensus cuiuscumque alterius Monialis degentis in monasterio; vnde fit, vt sicut renuente hac, vel illa Moniali, nihilominus valida fieri potest receptio, si interueniat debitus numerus suffragiorum: sic & valida receptio fit, etiamsi contradicat Abbatissa, dummodò aliàs non desit necessarius numerus suffragiorum; rationem huius assertionis innuit Suarez dum *loco citato* subdit, *quatenus receptio est aliquo modo actus iurisdictionis, oportet, vt Prælatus, apud quem est propria iurisdictio, concurrat*; quasi dicat, quod, cum Abbatissa Monialium sit incapax iurisdictionis propriè dictæ, consequenter etiam est incapax faciendi actum recipiendi ad Religionem, sicque nec potest, nec debet ad illum concurrere vt Abbatissa, sed solùm vt Monialis talis monasterij.

Quòd si quæras, an Prælatus monasterij Monialium, siue regularis respectu Monialium exemptarum, siue non regularis (qualis est Episcopus quoad Moniales non exemptas) possit inuitis Monialibus alicuius Monasterij recipere aliquam in Monialem dicti monasterij.

35. Respond. Miranda *tom. 1. man. quæst. 15. art. 1.* ex Lppo, Calderino, Io. Monacho, Cardin. à Turrecremata, & Archidiac. non posse, &, si recipetet, Moniales posse ab eo appellare, reclamando contra talem receptionem. probat *ex cap. cum Ecclesia Vulterrana de elect.* vbi ait Papa, Canonicos quosdam nullam fecisse iniuriam proprio Episcopo, nolendo recipere quosdam Canonicos ab ipso solo creatos; idque inde probat, quòd illorum creatio pertinetet etiam ad Capitulum; qui etiam vtitur iure suo, nulli facit iniuriam, quæ ratio vtique facit etiam ad probationem præsentis casus, si bene ei adaptetur, sicut re vera potest adaptari, vnde sic habet Miranda, *Creatio Monialium adeò pertinet ad Abbatissam, & Conuentum Monialium simul, quòd Episcopus, etiamsi sit ipsarum Superior, non potest per se, nec vllus alius Prælatus, etiam Generalis recipere, & creare Moniales sine consensu, neque præcipere Abbatissæ, aut Conuentui, vt, ipsis inuitis, aliquam Monialem recipiant*; sed de hoc *capite sequenti, quæst. 25.* vbi constabit hanc responsionem pati aliquam limitationem.

SECTIO II.

De Nouitiatu Monialium, & aliis ei annexis.

36 *Admissio puellæ ad habitum Religiosum non facienda statim post receptionem.*
37 *Puella recipienda ad habitum deduci debet sine pompa ad Conuentum.*
38 *Cur tondeantur capilli Nouitia ad habitum recepta.*
39 *Cur immutetur ei nomen, & imponatur nomen alicuius Sanctæ.*
40 *Ea firmanda, priusquam recipiatur ad habitum*
41 *Quæ expensæ permitti debeant ex occasione recipiendi ad habitum.*
42 *Qualis esse debeat habitatio Monialium Nouitiarum.*
43 *Qualis earum instructio.*
44 *Ex quibus bonis ea ali debeant.*
45 *A quo ætatis anno incipere debeat annus probationis.*
46 *Nouitiæ probatio durat per annum integrum: validè profitetur qui partem Nouitiatus facit vt Laicus, & partem, vt Clericus.*
47 *Indicatur qualiter annus Nouitiatus debeat esse continuus, & completus.*
48 *Ostenditur qualis debeat esse ista continuatio.*
49 *Probatio de rigore non fit in habitu regulari, nec intra conuentum.*
50 *A quo tempore annus probationis formaliter incipiat.*
Nouitiatus intra aliquos peragi potest in habitu seculari, sicq; inchoatur in Soc. Iesu.
51 *Qualiter interrumpatur annus probationis.*
52 *Sine causa non protrahitur: at non interrumpitur per transitum ad alium Conuentum.*
53 *Puella recipienda ad habitum recipitur liberè intra clausuram.*
54 *Si post habitus receptionem fugiat, iterum liberè recipitur.*
55 *Ei resilienti à Religione omnia restituenda.*

QVÆRES I. Quantum temporis deceat interponi inter receptionem puellæ monachandæ, eiusque actualem admissionem ad Nouitiatum.

Respond. videri satis rationabile, ac pium id, quod hac de re fuit statutum in Concilio Prouinciali Mediolanensi I. nimirum quòd post sex menses à receptione detur puellæ receptæ regulares habitus, nisi citiùs, aut tardiùs id præstandum esse iudicauerit Episcopus, aut Monialium Superior: id que, vt puella recepta tantò maturiùs deliberet, quam sibi expediat assumptio status Religiosi, habeatque in bonis, vnde turrim Religiosæ perfectionis, quam est inceptura ædificare, consummare possit; aliàs enim de ea non immeritò dici posset: *Capit ædificare, & non potuit consummare.* Cer- 36.

tè, antequam puella cum sponso sibi oblato contrahat sponsalia (quæ tamen etiam contracta in multis casibus rescindi possunt) multas petit informationes, multorum consilia exquirit, dotes sponsi attentiùs meditatur, quæcunque ipsi proponuntur, accuratiùs perpendit, omnem denique adhibet diligentiam, ne in re tanti momenti erret, ac decipiatur; quòd si cum tanta maturitate contrahuntur sponsalia cum sponso terreno, eo quòd sint proxima præparatio ad vinculum insolubile matrimonij: an non pari cum matoritate, immò etiam maiori procedendum erit in assumptione status Religiosi consummanda per vinculum Religiosæ professionis omninò indissolubile?

Qværes II. An expediat, quòd puella monachanda cum pompa, & magno comitatu dedocatur ad monasterium eo die, quo assumptura est habitum regularem, & admitti debet ad probationem Nouitiatus.

37. Respond. non expedire, ideóque sanctè, ac laudabiliter statutum fuisse in Concilio Prouinciali Mediolanensi I. quod puella deducatur mane, nulla pompa, & sola introducatur in Ecclesiam, vbi Missa audita, & sumpta Communione vestiatur à Superiore, vel Confessario, addito sermone. Et ratio est, quòd, cùm status Religiosus sit status pœnitentiæ, non decet ad illum accedere cum pompa, vano fastu, & ambitioso apparatu, sed cum humilitate, modestia, ac omnimodo præsentis vitæ bonorum contemptu; sic enim Zacharias Ierosolymorum Antistes videns Heraclium Imperatorem, vt erat auro, & gemmis ornatus, non posse vlteriùs progredi in deferenda Christi Domini Cruce à Persis recuperata, & quo magis progredi conabatur, eò magis retineri non sine magna ipsius Heraclij, & aliorum admiratione, dixit ei: *Vide, Imperator, ne isto triumphali ornatu in Cruce ferenda parum Iesu Christi paupertatem, & humilitatem imitare.* Prætterquam quod puella, quæ tanto cum fastu ducitur ad monasterium, inde exponitur periculo, satis probabili, ne illecta vanitatibus huius sæculi respiciat retro, saltem affectu, sicque postea vitam degat inquietam. Quamquam non ideo damnanda sit consuetudo, quæ multis quoad hoc viget in contrarium, si ex piis finibus cohonestetur.

Qværes III. Cur puellæ ad habitum monachalem admissæ tondeantur capilli.

38. Respond. tonderi multis de causis; & quidem primò, eò quòd Moniales teneantur deferre tonsuram capillorum inferiùs, vsque ad aures, sicut ex Panormit. notauit Sylu. *v. Clericus 2. num. 2.* & alij; secundò, ad indicandum in Religione resecanda esse vitia, & inordinatos carnis affectus in capillis significatos; tertiò; vt sic significent se esse paratas ad opprobrium Crucis sustinendum, & abrenunciare vniuersis vanitatibus sæculi; quartò, vt se eximant ab onere comendi capillos, & ornandi caput, sicque ipsis subtrahatur occasio terendi tempus inutiliter; quintò, vt assumentes statum pœnitentiæ statim incipiant se punire, in quo fortè maiori cum propensione deliquerunt, videlicet in ornando capite.

Qværes IV. Cur soleat immutari nomen puellæ assumptæ ad habitum Religiosum, qualeque debeat esse nomen de nouo imponendum.

39. Respond. solere immutari tum, vt hinc agnoscat se debere renunciare omnibus, quæ in sæculo possidebat, etiam proprio nomini, memor illius, quod dixit olim Christus Luc. 14. *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: tum quia sic debet mutare mores in melius, vt omnino fiat illa, sicque nec de nomine agnoscatur iuxta illud, 1. Reg. 10. *mutaberis in virum alium*: tum quia assumptio status Religiosi à Sanctis Patribus comparatur baptismo, ideóque pat est, vt, sicut baptizato imponitur nomen, sic & immutetur assumpto ad statum Religiosum: tum quia immutatio nominis in diuinis scripturis fieri solet, quando quis eligitur ad munus aliquod valdè dignum (quo modo fuit immutatum Abrahæ electo in Patriarcham credentium, & Petro Apostolo assumpto in Summum Pontificem, & Christi Vicarium;) vt vel hinc arguatur præstantia, ac dignitas status Religiosi, ad quem puella monachanda assumitur: tum denique vt nomen impositum in baptismo, quod fortè est prophanum, conuertatur in sacrum, sicque etiam ex ipso nomine puella excitetur ad imitandas virtutes illius Sanctæ, cuius nomine donata est; vnde sanctè statutum est in Concilio Generali Mediolanensi I. vt Moniali assumptæ ad habitum regularem imponatur nomen alicuius Sanctæ, non autem fœminæ infidelis, aut aliud prophanum; cum nomen respondere debeat rei nominatæ, & non deceat misceri sacra prophanis. Ad quod faciunt quæ habet Cathechismus Romanus *part. 2. c. 2. n. 75.* bis verbis, *nomen, baptizato, imponitur, quod quidem sumendum est, ab aliquo, qui in Sanctorum numerum relatus est; seu enim facile fiet, vt quisus nominis similitudine ad virtutis, & sanctitatis imitationem excitetur, ac præterea quem imitari studeat, eum quoque precetur, & speret sibi Aduocatum ad salutem animæ tum corporis defendendum venturum esse.* Siquidem, vt ait Cassiodorus *l. 6. var. ep. 6. in nomine cognoscitur quid sit de moribus indicandum, quia nominis sui grauitate perfunctus ornat actibus principatum* (dixerim ego, *monachatum*) Quod modo Cælius Rodiginus *lect. antiquit. lib. 24. cap. 5. initio* dicit nomen esse rei organum, nec fortè oblatum, sed naturæ congruum, vtquod res discernat, & indicet naturam.

Qværes V. An puellæ monachandæ debeat conferri Sacramentum Confirmationis, antequam recipiatur ad habitum regularem.

Respond. debere, si id commodè fieri possit; & hoc ex decreto Concilij Prouincialis Mediolanensis I. quod, licèt non obliget extra Prouinciam Mediolanensem, æquum tamen est, vt etiam alibi obseruetur: cùm ipsa receptio dicti Sacramenti maximè possit prodesse ad statum Religiosum maiori cum fructu suscipiendum. 40.

Qværes VI. Quales expensæ permitti possint, & debeant fieri à puella assumpta ad habitum Religiosum.

Respond. non posse, nec debere permitti, nisi illas, quæ fuerint à proprio Episcopo præscriptæ, aut saltem toleratæ; sic namque refert Campanil. *rub. 12. cap. 16. num. 13.* decisum fuisse, Episcopum debere præscribere expensas, & sumptus occasione habitus; & quidem meritò, ne alioqui ex immoderato excessu talium expensarum terreantur puellæ, earumque parentes à susceptione status Religiosi, & actus summus Religionis (qualis est assumptio Religiosi status) paulatim resoluatur in luxum, ac secularem vanitatem. 41.

Qværes VII. Qualis debeat esse habitatio Monialium, quamdiu sunt in probatione Nouitiatus.

Respond. ex decreto sacræ Congreg. relato à Gauanto *in manu. Episc. v. monialium receptio num. 39.* 42.

debere

debere manere in loco separato : quod vtique piè, ac prudenter statutum est, communitérque seruatur non solùm in monasteriis Monialium, sed etiam virorum ; & quidem meritò, vt sic vitam magis solitariam ducentes mereantur audire vocem sponsi cœlestis Oseæ 2. dicentis *Ducam in solitudinem & loquar ad cor eius* : sicque euitent intueri aliqua minus bona exempla, quæ fortè præberentur ab aliqua Monialium non sine graui ipsarum Nouitiarum dispendio spiritualis profectus ; si quidem natura hominis corrupta magis propendet in malum, quàm in bonum, & fortiùs trahitur malis exemplis quàm bonis ; vnde & logici dicunt conclusionem sequi debiliorem partem.

QVÆRES VIII. Sub qua magistra, & quo modo instrui debeant Moniales Nouitiæ, dum manent in probatione.

43. Respond. debere instrui à Magistra, quæ illas magis doceat exemplo, quam verbo eásque instruat iuxta normam præscriptam in regula, aut Constitutionibus proprij Ordinis : & quidem eo modo, quo *in tract. de Nouitiatu, cap. 5. per totum*, ostendimus, & anno 816. in Concilio Aquisgranensi *canon.* 23. statutum est his verbis. *Religio Ecclesiastica docet, vt puellæ, quæ in monasteriis erudiuntur cum omni pietatis affectu, & vigilantissima cura studio nutriantur: ne si lubrica ætatis annos, indisciplinatè viuendo transegerint, aut vix, aut nullatenus corrigi postea possint, quapropter præferantur eis in Sanctimonialibus tales Magistræ, quæ vtique & probabiles sint vita, & erga eas talem exhibeant curam, vt nequaquam huc, atque illuc possint habere progressum, & aut desidiæ aut lasciuiæ vitio maculentur : quin potius sacris imbuantur disciplinis, quatenus his mancipatæ vagandi otio : careant*, &c.

QVÆRES IX. Ex qoibus bonis ali debeat Monialis Nouitia, num ex propriis, an ex bonis monasterij.

44. Respond. quod, quamuis melius esset illam ali ex bonis monasterij : cùm Monialis, etiam Nouitia, in multis monasterio inseruiat, & aliàs deceat viuere de altari eos, qui inseruiunt altari : nihilominus multis in locis permittitur, quòd monasteria Monialium exigant ordinaria alimenta Nouitiæ manentis in probatione à consanguineis illius : vt satis apertè innuitur etiam in Concilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 16. *de Regular.* iis verbis *: Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu Nouitij, vel Nouitiæ illius temporis quo in probatione est, quoquo prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur.* Quin, teste Ganant *sup. v. Monialium Nouitiarum alimenta, num.* 2. sacra Congreg. Episcoporum 13. Sept. 1583. statuit tempore Nouitiatus vltra dotem depositam præbenda esse Moniali Nouitiæ alimenta ; idque fortè ad subleuandam pauperum monasteriorum indigentiam : ad quem finem etiam inductum est, vt monasteriis Monialium regulariter soluatur dos competens iuxta consuetudinem loci, ante statutum proprij Ordinarij ; vnde, cùm iuxta dicenda inferiùs non soluatur dos, durante anno probationis, loco fructuum illius soluuntur necessaria alimenta, sicut iam diximus.

QVÆRES X. A quo ætatis anno inchoari debeat annus probationis necessariò præmittendus professioni, casu, quo puellæ recipiantur ad habitum regularem statim post pubertatem, nempè post annum 12.

45. Respond. posse inchoari statim post receptionem, quamuis id non sit necessarium : cum professionis emissio necessariò differri debeat, vsque ad annum 16. completum ex Decreto Concilij Tridentini *sess.* 25. *de Regular. cap.* 15. Miranda *in manual. tom.* 1. *question.* 22. *artic.* 3. aliique communiter ; & patet ex dictis à Sanchez *libr.* 5. *moralit. capit.* 4. *num.* 22.

QVÆRES XI. An omnes, ac singulæ Moniales necessariò debeant facere integrum annum Nouitiatus, antequam profiteantur.

Respond. debere ex Decreto Concilij Tridentini *sup. cap.* 15. vbi id expresè deciditur ; exceptis tamen Monialibus (quas vocant Conuertitas) de quibus notat Tamb. *de iure abbatiss. D.* 7. *quæst.* 6 *num.* 5. eas posse profiteri statim, ac ingrediuntur monasterium, adeóque non teneri præmittere annum probationis: idque ex concessione bullata, non reuocata in Concilio Tridentino *sess.* 25. *de Regul. cap.* 18. vt colligitur ex verbis illis *: Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ Pœnitentes, aut Conuertitæ appellantur, in quibus Constitutiones earum seruentur* ; & constat ex declaratione sacræ Congr. Cardinalium, qua id fuit decisum. Quamquam (cum Tambur. non adducat concessionem illam bullatam, immò nec dicat, à quo fuerit facta : & aliàs praxis plurium diœcesum habeat, quod dictæ Moniales sine licentia Papæ non profiteantur ante præmissum annum probationis) parum fundata videatur talis exceptio, ideóque reiicienda. 46.

An autem validè profiteatur Nouitia, quæ per aliquot menses fuit in Nouitiatu probata vt laica, & translata ad statum Monialium choristarum, reliquum Nouitiatum in hoc statu peregit.

Respond. Diana *part.* 9. *tract.* 6. *res.* 12. ex Tambur. Lezana, Sanctorio Portello, & Bordono validè profiteri ; & probat tum quia, vt Nouitius validè profiteatur, sufficit illum per annum vnum manere sub obedientia Prælati, nec est opus illum experiri omnes asperitates Religionis in specie : tum quia quod statuit Clemens VIII. *in decreto de Nouit. recept. & educat.* §. *tempore*, ne recepti ad habitum Conuersorum ad clericalem statum transeant, etiam durante tempore probationis ; id fecit prohibendo factum, sed non irritando : nec abstulit Superiori facultatem transferendi ad altiorem statum, sed negauit subdito, ne propria authoritate transire possit ad Superiorem gradum, nisi priùs vocetur ; vt notauit Diana me citato ex Sanctorio, & Bordono addens ex Peytino, & me item citato, declarationem sacræ Congregationis, quæ in contrarium affertur, vel non esse veram, vel non esse vsu receptam.

QVÆRES XII. An probationis annus, quem Moniales debent præmittere ante professionem, debeat esse continuus, immò & completus de momento in momentum.

Respond. debere esse & continuum, & completum de momento in momentum, ideóque computandum esse ab hora diei, in qua Monialis recipit habitum, vsque ad eandem horam vltimi diei eiusdem anni. ita Mirand. *sup a.* 3 *&* 4. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 1. *&* 3. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 59. aliique communiter ; & patet quoad primam quidem partem ex dictis in nostro *tractat. de Nouitiatu capit.* 1. *quæsito.* 7. quoad secundam verò partem ex dictis *ibid. quæsito.* 22. Addo hìc ex eodem Suarez *supra capit.* 14. *numero* 13. decisum fuisse à sacra Congregatione Cardinalium Nouitiam Monialem, durante probationis anno, curandæ valetudinis causa à monasterio egressam, & postea reuersam, professionem emittere potuisse, ac si numquam egressa fuisset : quod est dicere per huiusmodi egressum non censeri annum probationis moraliter 47.

interruptum, sicut innuit idem Suarez *num.* 14. ex Aug. Syluest. & Nauarro.

An autem continuitas probationis debeat esse, vsque ad professionem intrinsecè (vt sic dicam) vel sufficiat annum esse integrum, estò proximè non sequatur professio.

48. Respond. sufficere, quod annus sit integer, non autem necessariò requiri, vt post annum completum immediatè sequatur professio; ideóque si contingat Nouitiam, expleto anno probationis, nolle profiteri, sed egredi è monasterio, ac postea redire iterum; prior annus probationis sufficiet ad validè profitendum; nisi fortè conditio personæ egredientis, aut Religionis, aliæque circunstantiæ interim essent adeò immutatæ, vt iudicio prudentis non censerentur sufficienter exploratæ difficultates Religionis. Colligitur ex Syluestr. *v. religio* 5. *num.* 4. Angelo *v. Nouitius num.* 15. Miranda *supr. art.* 4. & aliis: à quibus dissentit Suarez *supr. cap.* 15. *num.* 8. dicens hinc sequi posse nunc inchoari annum probationis anno ætatis 14. & finiri initio anni 15. & postea redire ad sæculum vsque ad complementum ætatis 16. annorum, tuncque regredi ad monasterium, & absque alia probatione profiteri: quod statim per se absurdum apparet. Probatur autem nostra responsio, tum quia sic annus probationis verè est integer, ac continuus; nec vllum ius extat, quod petat illum continuari cum professione, aut quod vetet fieri professionem, si inter illam, & Nouitiatum tempus aliquod vitæ sæcularis intercedat: tum quia per limitationem à nobis appositam sub initium huius responsionis videtur sufficienter euitari absurdum allegatum à Suarez, vt considerati facilè constabit: tum quia in casu proposito Nouitia verè experta est difficultates Religionis, ad quod institutus est Nouitiatus.

Qværes XIII. An de essentia Nouitiatus sit, vt puella monachanda illum faciat induta habitu regulari, & quidem distincto ab habitu Monialium professarum: necnon intra monasterium.

49. Respond. quod, quamuis de rigore iuris neutrum videri possit esse de essentia Nouitiatus, vt infra probabimus; communior tamen sententia (inquit Suarez *supr. cap.* 13. *num.* 3.) est de substantia Nouitiatus esse, vt fiat in habitu proprio Religionis, ad quam quis probatur; idque videtur supponi *in cap. statuimus, de regul.* vbi Papa statuit, vt habitus professorum sit aliquo modo distinctus ab habitu Nouitiorum, saltem in benedictione: & talis de facto est consuetudo omnium Religionum, quæ debet seruari. Et quidem, quod delatio habitus regularis non sit substantia Nouitiatus, in rigore loquendo (saltem ita, vt deferri debeat toto anno probationis) constat tum ex dicendis *quæst. sequenti*; tum quia nullibi hoc præcipitur; tum quia, quod aliqui dicunt delationem habitus Religiosi esse vnam ex potissimis austeritatibus Religionis, ad quas experiendas ordinatur Nouitiatus; non probat sufficienter Nouitiatum non posse incboari absque dicto habitu; sicut aduertit idem Suarez, id inde sibi suadens, quod non est opus Nouitium experiri per totum annum continuum singulas asperitates Religionis. Quòd vero habitus Nouitiorum necessariò debeat esse distinctus ab habitu professorum docent Suarez *supr. c.* 14. *num.* 10. & cum eo Castrus Paiaus *tract.* 16. *D.* 1. *p.* 12. § 4. *num.* 4. contra plures ab ipso Castro relatos; probántque ex eo quod ista distinctio habitus non est necessaria, vt Nouitius experiatur hanc asperitatem, cum teste Sanchez *lib.* 5. *mor. cap.* 4. *num.* 28. de ratione probationis sit: solùm, vt degat sub iugo obedientiæ: non vt distinguatur à sæcularibus, cum aliis modis distingui possit: non denique vt distinguatur à professis, cùm in aliquibus Ordinibus nulla sit Nouitiorum, & professorum in habitu distinctio: Quo ad vltimam partem probatur assertio tum quia degens extra conuentum de Prælati licentia censetur esse in monasterio: tum quia estò clausura sit præcipua asperitas Monialium, non ideo tamen ea necessariò experienda (vt putat Rodriquez *tom.* 3. *quæst.* 15. *art.* 10. ideo à nobis dissentiens:) non enim opus est, vt Nouitius experiatur in specie omnes asperitates Religionis, vt iam dictum est: qua de re consulantur dicta *quæst.* 12. in ipsa respons.

Addo ex Sanchez *lib.* 5. *moral. cap.* 4. *num.* 28. Monialem cum debita licentia facientem Nouitiatum extra monasterium, validè illum facere: idque non obstante decreto Clementis VIII. de faciendo Nouitiatu solùm in certis conuentibus designatis; quippe quod solùm loquitur de Nouitiatu virorum Religiosorum.

Qværes XIV. A quo tempore, formaliter, & præcisè loquendo, incipiat annus Nouitiatus.

Respond. incipere ab eo puncto, in quo ex intentione Religionis, & ex consensu Nouitij aliquis admittitur ad talem Religionem in statu Nouitiorum, & vt in ea probari incipiat. ita Suarez *supr. c.* 13. *n.* 6. probatque ex eo, quod hîc interuenit quidam velut contractus inter Religionem, & Nouitium, per quem conueniunt in sumendo experimento de se inuicem in ordine ad talem finem, tali modo, & pro tali tempore: ergo ex eo puncto, in quo perficitur talis contractus ex mutuo consensu, & tempus designatum inchoatur, incipit annus probationis, & non aliter: Miranda verò *supr. quæst.* 22. *art.* 3. Barbosa *de offic. Episc. alleg.* 101. *num.* 19. & alij docent probationis annum, siue in viris, siue in fœminis, modò incipere à die sumptionis habitus; siue ab illo die, quo communem sequuntur aliorum Religiosorum vitam, & incipiunt experiri asperitates Religionis. Vbi noto Suarium nullam mentionem facere de assumptione habitus Religiosi; fortè inhærendo illi doctrinæ, quam tradit ex Abb. & Greg. Lopez *num.* 2. nimirum non esse de substantia Nouitiatus, seu probationis, vt fiat in habitu regulari, sed fieri posse, etiam in habitu proprio; & quidem etiam post Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.* statuens in quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum nullum ad professionem admitti debere, qui minori tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit: siquidē per talia verba non videtur tolli, quin, si in aliqua Religione extaret vsus recipiendi ad verum Nouitiatum in habitu sæculari proprio, id fieri possit; sicut de facto fit in Societate Iesu, in qua incboatur Nouitiatus in habitu proprio sæculari, nempè à tempore primæ probationis, quæ per 15. aut 20. dies regulariter solet fieri in proprio habitu sæculari. 50.

Qværas XV. Qualiter censeatur Monialis Nouitia interrumpere annum probationis.

Respond. censeri interrumpere, si dimisso habitu Religionis exeat è monasterio animo deserendi Religionem. ita Tambur. *supr. D.* 4. *quæst.* 8. *num.* 4. ex Vecchio & aliis: addens, quod si postea Nouitius resipiscat, & iterum admittatur ad Religionem, tunc inchoandus est Nouitiatus ex integro, nihil ei suffragante residuo Nouitiatus antea peracto: quod an sit verum, nec ne, constat ex dictis *q.* 12. probatur autem responsio ex eo, quod ea est propria interruptio status, qua cessat status assumptus: 51.

ex

ex depositione autem habitus Religiosi animo relinquendi vitam Religiosam, cessat status probationis; cùm Nouitiatus consistat in assumptione habitus animo experiendi vitam Religiosam; vt notat Suarez *cap. 15. num. 5.* dicens *num. 6.* si quis dimisso Religionis habitu egressus est, eo ipso interrumpi annum probationis, & paulò post intra diem pœniteat, siquidem eo ipso amittit statum, quem habebat, & eget noua admissione, vt iterum possit esse Nouitius.

52. Quamquam Nauarr. *lib. 3. consil. de regul. cons. 32. aliàs 42.* dicens triduanam interruptionem sufficere ad discontinuandum annum Nouitiatus tacitè indicet minorem interruptionem non sufficere; quod non reprobat Lessius *lib. 2. cap. 41. num. 59.* dicens paucorum dierum interpollationem non impedire Nouitiatum; cùm non sit moralis interruptio, nec impediat, quin Nouitius experiatur Religionis asperitates, & Religio Nouitium. Immò subdit Rodriquez *tom. 3. quæst. 15. art. 8.* ex Iulij II. priuilegio concesso Minoribus posse compleri Nouitiatum ex duplici parte interpollata, dictúmque priuilegium non fuisse reuocatum in Concilio Tridentino: quod tanquam probabile admittit Castr. Pal. *tract. 16. D. 1. part. 12. §. 2. num. 5.* dum dicit oppositum (quod sustinet Sanchez *supr. cap. 4. n. 35.*) esse verius, idest probabilius.

Imò puto Nouitiam ex causa transeuntem ab vno Conuentu ad alium eiusdem Ordinis, ibi professionem emissuram; si transeat de licentia Prælati, non interrumpere Nouitiatum: sicut nec interrumpetet Nouitius, qui à Superiore mitteretur ad prosequendum Nouitiatum in Conuentu alio ab eo, in quo per aliquot menses fuit in probatione: est enim par ratio de Nouitia, ac de Nouitio, vt patet. Colligitur ex doctrina, data à Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. num. 28.* nimirum Nouitium de licentia Abbatis extra Conuentum commorantem per vnum, aut duos menses non interrumpere Nouitiatum: quę doctrina à fortiori procedit in casu nostro. Quem casum admitto etiā in euentu, quo Conuentus, ad quem Nouitia trāsit, esset in alia ciuitate; idque ob rationem adductam, quæ hîc etiam procedit: non item in euentu, quo Nouitia transiret ad monasterium alterius Ordinis, militantis sub eadem regula; & hoc ob doctrinam traditam à Sanchez *supr. num. 12.* quæ à fortiori procedit in præsenti casu. In casibus autem, in quibus diximus per transitum Nouitiæ non interrumpi Nouitiatum; existimat Sanchez *num. 29.* requiri, vt illa transeat in habitu Ordinis, cum putet esse de substantia Nouitiatus, vt peragatur in habitu illius Odinis; quod cum alij apud ipsum Sanchez *loco modo citato* negent, negabunt consequenter requiri in casibus propositis, quod Nouitia transeat in habitu Ordinis; sed de hoc *in tract. de Nouitiatu.*

Qværes XVI. An tempus probationis possit protrahi differendo professionem Moniali Nouitiæ, & qualiter.

53. Respond. Miranda *quæst. 8. de monial. art. 3.* Sacram Congregationem Concilij statuisse, quòd elapso tempore Nouitiatus, Moniales statim admittantur ad professionem, si inueniantur habiles: sin minus, è monasterio eiiciantur; additque si habiles sint, iis ab Ordinario præfigendum esse terminum 15 aut 20. dierum ad deliberandum, num velint profiteri, nec ne: &, si renuant profiteri, continuò remittendas esse ad parentes, aut consanguineos; idque iuxta decretum Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 16. de Regul.* intellige, nisi adsit iusta causa differendi iuxta dicenda *cap. sequenti quæst. 7.*

Qværes XVII. An puellæ possint recipi à Monialibus intra clausuram ad habitum Religionis suscipiendum absque licentia Papæ.

Respond. posse, dummodò id faciant de licentia proprij Ordinarij, eiúsque Vicarij generalis. ratio responsionis est; tum quia non apparet, ex quo iure ad id requirenda sit licentia Papæ (cùm tamen talis obligatio induci non debeat absque iure aliquo sufficienti) tum quia iure communi potest Episcopus dare facultatem ingrediendi clausuram Monialium in casibus necessitatis; talis autem est casus, de quo in præsentia loquimur: tum quia Doctores agentes de receptione puellarum ad habitum Religionis, nonquam dicunt ad id desiderari licentiam Papæ; quod tamen non omisissent, si ea requireretur. 54.

Difficultas est, an Monialis Nouitia, quæ, dimisso habitu Religioso, occultè recessit à monasterio animo ad ipsum non ampliùs reuertendi, possit iterum recipi in monasterium sine licentia ipsius Ordinarij, si ea pœnitentia ducta velit redire, & resumere statum Religiosum.

Respond. non posse, nisi fortè petitio talis licentiæ cederet in notabilem infamiam præfatæ Monialis, pro qua euitanda cedit ius positiuum; patetque quia per talem recessum à monasterio Monialis desinit esse Nouitia iuxta dicta *quæst. 15.* & perinde se habet, ac si nunquam fuisset Nouitia: constat autem quòd si nunquam fuisset Nouitia, non posset recipi intra clausuram sine licentia proprij Ordinarij. Secus, si Monialis Nouitia, dimisso habitu regulari, egrederetur è monasterio intentione regrediendi ad illum post aliquot dies; tunc enim cum non interrumpatur Nouitiatus, iuxta Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 15. num. 6.* & consequenter adhuc sit Nouitia monasterij, poterit suo iure in illud iterum recipi proportionaliter vt posset recipi Monialis Professa, quæ dimisso habitu Religioso occultè egrederetur è monasterio, & postea ad illud reuerteretur. Dixi, *sine licentia ipsius Ordinarij*, vt innuerem, quòd si Monialis illa Nouitia in priori casu iterum admittatur ad habitum Religionis cum debito consensu monasterij: ea tunc vtique posset iterum recipi intra Conuentum de licentia solius Ordinarij; cum non sit maior ratio, quòd vi talis licentiæ poruerit recipi prima vice, & modò non possit. 55.

Qværes XVIII. Quænam reddi debeant Moniali Nouitiæ ante professionem resilienti à Religione.

Respond. debere restitui ea omnia, quæ ipsa dedit monasterio in ipso ingressu Religionis, & quidem vnà cum fructibus, si qui collecti sunt; excepto tamen victu, ac vestitu: idque ex decreto Concilij Trident. *sess. 25. de regul. cap. 16.* vbi id expressè statuitur, ita Zerola *1. p. praxis v. moniales num. 3.* Peyrin. *de R. S. 5. quæst. 1. cap. 29.* Tamburin. *supr. D. 6. quæst. 4. num. 5.* aliique communiter; inter quos Barbosa *num. 39.* notat ex declaratione sacræ Congregationis Moniali, & cuicunque alij Nouitio recedenti à statu Religioso non esse restituendum habitum regularem sed eius pretium. 56.

***

Sectio III.

De Bonorum renunciatione à Monialibus facienda ante religiosam Professionem.

57 *Quid statuerit Concilium Tridentinum de bonorum renunciatione.*
58 *Quæ obligationes, donationes, ac renunciationes contineantur sub hoc decreto.*
59 *Sub eo non comprehenduntur puellæ degentes in educatione, apud Moniales, immò nec admissa ad religionem, nondum tamen ingressa.*
60 *Idq; maximè si non renuncient intuitu religionis.*
61 *Sub eo comprehenduntur etiam Nouitia maiores 16. annis.*
62 *Renunciatio facienda de licentia Ordinarij; & quidem eam vt sit valida.*
63 *Qualiter facienda intra bimestre proximum professioni: & præsertim, si Nouitia ante vltimum bimestre Nouitiatus incurrat morbum periculosum.*
64 *Dominium rei renunciatæ transfertur solùm post professionem in renunciatarium.*
65 *Res tamen renunciata tradi potest, & debet renunciatario statim.*
66 *Idq; etsi renuntiatio fiat in fauorem monasterij.*
67 *Renuntiatio hæreditatis patris viuentis facta extraneo, vt habeat effectum, non petit consensum, ac cessionem monasterij.*
68 *Fructus rei renunciatæ à die renunciationis vsque ad professionem sunt renunciantis.*
69 *Renunciatio legitimè facta non potest reuocari ante professionem.*
70 *Limita, nisi Nouitia testetur de bonis renunciatis.*
71 *Renunciatio non corruit per mortem renunciantis secutam ante professionem; etsi alij id negent.*
72 *Corruit verò, si ea facta, Nouitia recedat à religione, & iterum redeat, aut transeat ad alium Ordinem.*
73 *Non firmatur per professionem inualidam.*

Quæres I. Quid statuerit Concilium Tridentinum de hac renunciatione.

57. Respond. præscripsisse formam seruandam in ea facienda; & quidem ita, vt aliter facta sit eo ipso irrita, vt habetur expressè in Concil. Trid. *sess. 25. de regul. cap. 16.* vbi dicitur: *Nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij; fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiamsi cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.* hæc Concilium; quæ clariùs constabunt ex sequentibus.

Quæres II. Quæ renunciatio, obligatio, ac donatio comprehendatur sub hoc decreto.

58. Respond. comprehendi omnem illam, quæ natura sua est irreuocabilis, & difficilem reddit egressum è Religione: sicque sub eo decreto non comprehenditur testamentum, donatio causa mortis, & donatio facta sub conditione, *si perseuerauero in Religione*: non contractus onerosus emptionis, venditionis, conductionis, ac locationis, in quibus tantùndem recipiatur, quantum datur; cum ex talibus contractibus, moraliter loquendo nihil deperdatur, sicque non impediatur liber egressus è Religione; non contractus societatis, ac ludi, quibus contrahens se exponit lucro, & damno ex æquo, sicque non minoitur patrimonium, nec difficilior efficitur egressus. E contra sub præfato decreto comprehenditur donatio vtpotè patrimonium minoens notabiliter, ac obligans donantem donatorio: item fideiussio, etiam pretio accepto; cùm obligatio inde proueniens semper terminetur ad assecurandam maiorem quantitatem, qoàm si pretium acceptum, adeóque semper adsit periculum iacturæ, & paupertatis: item & mutuum iuxta aliquos (& quidem, etsi non detur sine sufficienti cautione, vel fideiussione) cùm per illud transferatur dominium, ac vsus rei mutuatæ in mutuatarium absque potestate reuocandi, quousque adueniat tempus solutionis; quamuis, teste Rodriq. *tom. 1. summa cap. 7. num. vlt.* graues Doctores non audeant talem contractum condemnare, aliàs existimantes ab eo esse abstinendum. qoa de re Sanchez *lib. 7. moral. cap. 5. num. 15. 20. 31. 33.* Castr. Pal. *tract. 16. D. 1. part. 17.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 9. num. 16. & cap. 16. num. 11.* aliique apud ipsos, quibus adde Barbosam *de officio Episcopi, allega. 66.*

Quæres III. An comprehendantur sub hoc decreto puellæ, quæ recipiuntur in monasteria Monialium educationis, & solius institutionis gratia, aut etiam admissæ sunt ad Religionem, sed nondum receptæ ad habitum Religiosum, ac probationem.

Respond. neutras comprehendi; non puellas receptas in educationem, cum hæ non sint Nouitiæ, nec de iis agat Consilium; vt constat ex tenore illius, & aduertit Sanch *supr. n. 5.* ex Azor, non puellas admissas ad Religionem, sed nondum receptas ad habitum, ac probationem; cum dictio, *quoque*, quæ habetur in decreto, sit copulatiua, ac proinde sequentem dispositionem coniungat eum præcedentibus, *l. tutores quoque, ff. de pactis*, ideóque denotet ibi sermonem esse de renunciationibus Nouitiorum, de quibus solis textus præcedens loquutus fuerat, non aotem de iis, quæ fiunt ante ingressum Religionis: idque etsi fiant intuitu ipsius Religionis: præterquam quod non ideò vana, ac illusoria redditur dispositio præfati decreti ex eo quod ante ingressum possit Nouitius renunciare sua bona, pro vt sibi placuerit; quia talis renunciatio est rara, & propterea à Concilio relicta dispositioni iuris communis, intendente annullationem renunciationis, & donationis post habitum susceptum factæ, vtpotè freqoentiùs contingentis. ita Garcia *par. 11. de benef. cap. 9. n. 15.* Barbosa *supra num. 17.* Rodriq. *tom 3. quæst. 16. art. 1.* Sanchez *num. 4.* Castr. Pal. *num. 4.* aliique contra Molinam *tract. 2. D. 139.* Sa *v. Religio, num. 5.* Lessium *lib. 2. cap. 41. num. 39. & 40.* Azorium *tom. 1. lib. 13. cap. 9. quæst. 4.* & alios pluresapud Sanch. *num. 3.* existimantes, contineri eiusmodi renunciationem sub prædicto decreto Concilij, idque multis rationibus probantes. 59.

Dixi, *idque etsi fiant intuitu ipsius Religionis*; vt indicarem, quòd, si quis non habens animum ingrediendi religionem bonis renunciet, aut aliam quamcunque donationem faciat; de tali donatione, aut renunciatione, sine dubio non loquitur Concilium; cum nullus respectus Religionis tunc temporis habeatur: ita Sanchez *num. 2.* addens esse sibi omninò certùm, quòd si renuncians habeat animum ingrediendi Religionem, si tamen non renunciet intuitu Religionis, talis renunciatio non Comprehenditur sub decreto Concilij; quippe quod noluit auferre 60.

auferre libertatem faciendi renunciationes, quæ fiunt independenter ab ingressu Religionis, vtpotè non obstantes libertati egressus tempore nouitiatus, cui voluit Concilium consulere in eo decreto.

An autem decreto illo comprehendantur solum Nouitij 16. annorum, vel etiam omnes talem ætatem excedentes.

61. Respond. comprehendi etiam Nouitios maiores 16. annis: & probatur tum quia ratio ferè eadem militat ad irritandam renunciationem factam post 16. annos, ac antea; cum in omni renunciatione timeri possit fraus, ac metus parentum, & aliorum, quæ Concilium intendit euitare: tum quia verba illa, quæ habentur in allegato decreto, *nulla quoque renunciatio*, solùm coniungunt præsentem dispositionem cùm præcedenti, vt loquatur de his, de quibus loquitur præcedens dispositio, nempe de nouitiis, ac regularibus; non autem ita, vt statuant omnes qualitates petitas ad professionem debere extare tempore renunciationis: alioqui renunciatio deberet fieri post annum 16. completum, & finito anno nouitiatus; quod sine dubio est contra dispositionem allegati decreti. Ita aliqui penes Sanch. *n.*7. Castr. Pal. *num.*5. aliique ab ipsis relati contra Menochium *de arbitr. l.* 2. *Casu* 436. *num* 8.

QVÆRES IV. De cuius licentia fieri debeat renunciatio bonorum ad hoc vt sit firma, & valida.

62. Respond. debere fieri de licentia Episcopi, seu eius Vicarij: idque, etsi Monialis renuncians aliàs sit exempta; nomine verò Episcopi venire etiam Episcopum electum, & confirmatum, licèt nondum consecratum; item Abbates, aliósque Prælatos exemptos iurisdictionem quasi Episcopalem habentes in sua diœcesi: item Vicarium generalem non foraneum Episcopi, immò & Capituli, sede vacante: non item Archiepiscopum respectu Suffraganeorum, nisi in casu appellationis. Ita Barbosa *alleg.* 99. *à num.* 5. Castr. Pal. *sup. num.* 10. aliique benè addentes dictam licentiam non necessariò quid ementendam esse in scriptis, debere tamen præcedere; nec sufficere, quòd sit petita, sed debere esse obtentam; cùm requiratur ad valorem actus. Addit Barbosa *num.* 9. facultatem concedendi talem licentiam posse delegari alteri: cùm ratione officij, competat, ideóque sit ordinaria, & consequenter delegabilis: licentia tamen ipsa. ait Barbosa *n.* 10. sufficere quòd sit tacita ex ratihabitione de præsenti.

QVÆRES V. Quo tempore fieri debeat talis renunciatio.

63. Respond. quòd cùm Concilium petat illam fieri intra duos menses proximos professioni; clarè indicat eam posse fieri quolibet die illius vltimi bimestris: quamquam, si professio vltra annum nominatus ex causa differatur, non sit opus renunciationem fieri intra bimestre proximum professioni, quo fieri poterat. Ita Sanchez *sup. num.* 81. & 82. Castr. Pal. *sup. num.* 9. Barbosa *num.* 11. aliique; inter quos Castrus Palaus credit in casu, quo nouitius ex dispensatione Papæ profiteretur ante 16. annum expletum, & ante finitum nouitiatus anuum, posse illum renuntiare intra bimestre ante professionem: non quod dispensatio ætatis, & nouitiatus extendatur ad renunciationem; sed quòd, data ea dispensatione, sine vlla alia potest nouitius renunciare intra bimestre proximum professioni; siquidem Concilium petit solum, vt renunciatio fiat intra bimestre proximum professioni, siue professio post annum differatur, siue ex priuilegio anteponatur: id tamen negant Sanchez, & Barbosa, & quidem probabilius: addit Sanchez *num.* 81. dictum bimestre debere computari de momento in momentum; quod negant Zecchius, & Zerola ab eo relati.

An autem Nouitia incidens in morbum periculosum immediatè post primum quadrimestre probationis possit renunciare bonis de licentia Ordinarij.

Respond. videri posse, si ex Pij V. concessione referenda hîc *cap.* 9. *quæst.* 11. est emissura professionem; idque ob modò dicta: secùs, si non est emissura professionem: nam tunc vrget decretum Concilij prohibens, ne renunciatio fiat ante bimestrum proximum professioni, idest ante decimum mensem probationis expletum; & aliàs non apparet, quo titulo Nouitia eximi debeat è præfato decreto. verum tamen est Nouitiam in isto casu posse liberè disponere de suis bonis per viam testamenti, aut donationis causa mortis, vt constat ex dictis *q.* 2.

QVÆRES VI. Ex quo tempore dominium rei renunciatæ transferatur in renunciatarium.

Respond. non transferri, nisi secuta professione valida: nam Concilium expressè dicit, vt renunciatio non intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; quod non verificaretur, si antecedenter ad professionem dominium rei renunciatæ transiret in renunciatarium, licèt reuocabiliter. Ita Sanchez *n.* 62. Castr. Pal. *n.* 13. 64.

QVÆRES VII. An facta renunciatione, bona tradi debeant renunciatario ante professionem, & is ea statim capere possit.

Respond. debere tradi iuxta Castrum Palaum, *n.* 15. posséque renunciatarium ea capere ante professionem, idque, etsi renunciatio fieret in fauorem Conuentus. Ratio est, quòd iure antiquo id fieri poterat quolibet tempore Nouitiatus, eò quòd valida esset renunciatio: Concilium autem non immutauit, sed approbauit valorem renunciationis factæ intra bimestre proximum professioni, & de licentia Episcopi; ergo ex vi illius tradi debent, & possunt bona renunciatario: id tamen negat Sanch. *num.* 53. eò quòd Concilium prohibeat, irritet, & annullet omnes donationes ex bonis Nouitij factas ante professionem, ne sic impediatur liber egressus illius è Religione (sicut videtur impediri, concessa hac doctrina Castri Palai) cum aliàs ipsemet Sanchez concedat *num.* 11. renunciantem bonis in Soc. Iesu fauore illius posse ea statim tradere; vt aduertit idem Castrus Palaus dicens ipsum debuisse dicere, idem etiam in præsenti casu, cum ratio, quàm Sanch. affert pro Societate (quod scilicet Concilium nouitiis Societatis liberam permittendo bonorum renunciationem, & traditionem hanc, quæ est quid minus, permittit) militet etiam in nostro casu, vt consideranti facilè constabit. 65.

Dixi, *idque etsi renunciatio in fieret fauorem Conuentus*, vt innuerem, quòd, quando Concilium in citato decreto prohibet donationes ex bonis Nouitij factas ante bimestre proximum professioni; non loquitur de iis, quæ fiunt de licentia Ordinarij intra dictum bimestre, & consequenter nec prohibet illarum traditionem; vt rectè notauit Castrus Palaus *num.* 15. monens *num.* 16. quod, etsi detur nasci eandem difficultatem ex tali traditione bonorum, ac ex renunciatione facta absque licentia Ordinarij; non ideò sequitur dictam traditionem fuisse prohibitam in Concilio, sed potuisse, ac debuisse prohiberi: quamquam negari possit in nostro casu eandem nasci difficultatem, sicut de facto negat Castrus Palaus *vbi suprà*. 66.

Quod si quæras, an, ad hoc vt renunciatio hæreditatis paternæ à Nouitio facta, patre adhuc viuente,

in fauorem alicuius extranei à monasterio distincti, habet affectum; præter solemnitatem in Concilio præscriptam requiratur consensus monasterij, eiúsque cessio.

67. Respond. videri probabile non requiri; & ratio est, quod Nouitius in præsenti casu renuncians hæreditatem se ipsum priuat iure succedendi, illúdque transfert in renunciatarium, qui proinde ex hoc iure acquisito succedit, ideóque non eget cessione, aut consensu monasterij; cum ipsum monasterium ius succedendi non habeat, nisi quatenus repræsentat Religiosum habentem dictum ius: vnde, sicut Religiosus, etsi esset sui iuris, nullum ius haberet succedendi, vtpotè per renunciationem à se abdicatum; nec vllum ius habebit monasterium, sicque superflua esset eius cessio. Ita Sanch. *sup. c. 6. n. 2.* & Castr. Pal. *num.* 18. ex Couarr. Guttierez, Baëza, Gama, & alij monentes, quod, cùm opposita sententia, quæ est plurium, ac grauium DD. sit probabilis, ad vitandas lites conuenientissimum est, vt monasterium faciat dictam cessionem: quippe eam facere potest sine præscripta solemnitate iuris in alienatione rei Ecclesiasticæ, cum sit hæreditatis, non delatæ, sed deferendæ.

QVÆRES VIII. Ad quem spectent fructus rei frugiferæ renunciatæ ex ea collecti tempore intermedio à die renunciationis, vsque ad professionem.

68. Respond. spectare ad ipsum renunciantem, adeóque renunciatarium non lucrari, nisi solos fructus à tempore professionis perceptos. Ita Sanch. *sup. c. 5. num. 63.* & probat, quia tunc solum impletur conditio apposita renunciationi (quam *num. 61.* ostendit de mente Concilij esse suspensiuam, non autem resolutiuam, sicque nihil ponere in esse) & tunc solum incipit esse dominus rei renunciatæ; constat autem rem quamlibet fructificare suo domino.

QVÆRES IX. An renunciatio hæc semel facta legitimè possit reuocari à Nouitio perseuerante in Religione, antequam profiteatur.

69. Respond. videri certum eam non posse modo dicto reuocari; & probatur tum quia, si liberè reuocari posset, vt quid ad obligationem adeò leuem, ac infirmam requirerentur tam graues circunstantiæ, sicut licentia Ordinarij, & certi temporis determinatio; cum quolibet tempore Nouitiatus, absque licentia Episcopi fieri possit renunciatio, donatio, ac obligatio reuocabilis? tum quia conditio apposita renunciationi ex intentione Concilij, suspendit quidem effectum donationis, non item eius valorem, ac firmitatem conditionalem ob ius donatario acquisitum, Ita Sanchez *supra num. 58.* & cum eo Castrus Palaus *num.* 11.

70. Concedit tamen Sanchez *num.* 50. huiusmodi renunciationem posse reuocari à nouitio, restando, vt habeat euentum reuocatio casu, quo Nouitius moriatur ante professionem: cum enim in eo euentu cesset valor prioris renunciationis, perinde est, ac si non fuisset facta; quare Nouitius de iis bonis aliter potest disponere in euentu mortis secutæ ante professionem. Immò addit Sanchez talem dispositionem non indigere solemnitate præscripta in citato decreto Concil. Trident. cum sit vltima voluntas; & Nouitius non possit se obligare irreuocabiliter, ita vt, non secuta professione per mortem, aut alio modo, non possit variare; siquidem Concilium statuit nullam obligationem nouitij vim habere, nisi secuta professione.

QVÆRES X. An corruat renunciatio, si contingat Nouitium renunciantẽ mori ante professionẽ.

Respond. non corruere, sed manere omninò firmam: & ratio est, quod, quamuis in decreto Concilij Trid. relato dicatur renunciationem factam à nouitio non aliàs sortiri suum effectum, nisi secuta professione; cum tamen finis Concilij sit consulere libertati egressus Nouitiorum, conditio, *nisi secuta professione*, idem videtur importare, ac si diceret, *nisi perseuerante nouitio in Religione*: ex eo enim quod post mortem Nouitij non sint reddenda bona illius hæredibus, non impeditur libertas egressus; vnde, cum ille permanserit in Religione, præfata renunciatio sortiri videtur suum effectum: maximè cum tacens moriendo ipsam renunciationem confirmare censeatur. Ita Sanch. *num.* 48. & post illum Castrus Palaus *sup. p. 16. num. 2.* qui tamen putat contrariam opinionem esse satis probabilem. 71.

QVÆRES XI. An renunciatio corruat casu, quo Nouitius, ea facta, recedat à Religione, & postea ductus pœnitentia redeat.

Respond. corruere, & quidem, etsi recedat finito anno Nouitiatus; nec reuiuiscere, nouitio ad Religionem redeunte: cùm talis renunciatio irrita reddatur per illum egressum, & nullo iure cautum sit illam conualescere per reditum ad Religionem. quare, sicut inchoari debet Nouitiatus: sic inchoandum est tempus renunciationis, & solo bimestri ante professionem finito anno probationis faciendam fieri debet. Ita Sanchez *num.* 84. addens, quod, si Nouitius finito anno Nouitiatus, egrediatur, indiget quidem noua renunciatione, cùm prior illa, etsi legitimo tempore facta, corruerit per egressum è Religione; eam tamen poterit facere statim, & non tenetur facere intra præfatum bimestre: idque, siue differatur professio, siue non, quod non concedit Castrus Pal. *sup. p. 17. num. 9.* dicens in tali casu & repetendum esse Nouitiatum (quod negat Sanchez) & renunciationem faciendam esse intra bimestre proximum professioni, ac si nunquam renunciatio facta fuisset. 72.

Puto autem hanc responsionem à fortiori procedere in casu, quo Nouitius post factam bonorum renunciationem transeat ad alium Ordinem animo ibi perseuerandi; idque ob rationem allatam in præcedenti responsione, quæ vtique procedit in præsenti casu, vt facilè constabit consideranti; vbi autem habet locum eadem ratio legis, ibi habet locum & eius dispositio *l. illud, ff. ad leg. Aquil. l. si postulauerit, §. 2. ff. ad leg. Iuliam, de adult. l. quidam nummularios, ff. de edendo.*

QVÆRES XII. An renunciatio firmetur per professionem inualidam.

Respond. non firmari: cum Concilium debeat intelligi, non de præsumptione professionis, sed de vera professione; qualis vtique non est professio inualida. Ita Sanchez *num. 56.* & Castr. Pal. *num.* 13. addentes dictam renunciationem firmari hoc ipso, quod ratificatur possessio: dummodò renunciatio fuerit valida ab initio, idest facta iuxta formam præscriptam in Concil. Trid. nimirum ex licentia Ordinarij, ac in ea ætate, & eo tempore Nouitiatus elapso vt Nouitius profiteri possit intra bimestre: alioqui renunciatio esset nulla (sicut & esset nulla, si fieret absque Ordinarij licentia) nec firmaretur ex ratificatione professionis, sed opus esset illam iterum facere. 73.

CAPVT

Caput III.

De religiosa Professione Monialium.

Acturi in hoc Cap. de Professione religiosa Monialium non possumus non aliqua etiam tractare de solutione dotis, quæ solet exhiberi monasterio ad alendam Monialem professuram, necnon de velo professionis, ac benedictione, seu consecratione Monialium: quippe quæ magnam habent connexionem cum ipsa professione. Hinc Caput diuidemus in tres sectiones, in quarum 1. agemus de ipsa professione Monialium, suppositis tamen iis, quæ *in tract. de Professione* diximus, *cap. 1. per totum*: in 2. differemus de solutione Dotis: in 3. de Velo professionis, ac de Benedictione, seu Consecratione Monialium, sicque totum Caput absoluemus.

Sectio I.

De Professione religiosa Monialium, & circunstantiis ipsis annexis.

1 *Professio alia est expressa, alia est tacita.*
2 *Voluntas Nouitiæ professuræ exploranda ab Ordine, intra 15. dies à monitione.*
3 *Talis exploratio non est de valore professionis: de ea facienda præmoneri potest Episcopus per aliquot dies ante, aut post tempus præscriptum: tuncq; Episcopus potest prohibere ne fiat professio, non item determinare tempus illam faciendi.*
4 *Quorum consensus petatur ad professionem Nouitiæ.*
5 *Abbatissæ consensus qualiter requiratur.*
6 *Ea in hoc debet audire, & sequi consiliũ Conuentus.*
7 *Professio Nouitiæ admittitur propriè ab Abbatissa, & à Prælato monialium: idq; de Abbatissa præcipuè procedit quoad Moniales Conuersas.*
8 *Ætas annorum 16. requiritur ad valorem Professionis.*
9 *Integer annus probationis est de essentia professionis, præterquam si fiat in periculo mortis.*
10 *Ex causa differri potest professio: assignatur, vnde sit præcedentia.*
11 *Aliqualis literatura petitur ad professionem Nouitiæ Choro destinatæ.*
12 *Quæ expensæ permitti possint ex occasione professionis: indicatur quid sint propinæ vetita Monialib.*
13 *Excommunicantur cogentes Nouitiam profiteri.*
14 *Item impedientes eam, ne profiteatur.*
15 *Monialis professa transit ad Ordinem strictiorem.*
16 *De licentia tamen proprij Prælati, quæ requiritur; & sufficit de iure communi.*
17 *Quid de hoc statuerit sacra Congregatio.*
18 *Videndum, an obstent aliqua priuilegia Religionum.*
19 *Ad talem transitum nõ petitur facultas Ordinarij, si Monialis sit exempta.*
20 *Modo non potest eijci Monialis, inconsulto Papa, ratione incorrigibilitatis.*
21 *Obstat indultum Innocentij III. quod tamen ex parte abrogatum est.*
22 *In tali eiectione non videtur necessarium seruare omnia, quæ præscribuntur in decretis sacræ Congregat. de eiectis, & apostatis.*
23 *De iure communi transfertur Monialis ad alium Conuentum causa correctionis.*

Quæres I. Quot modis possint Moniales profiteri.

Respond. quòd, cùm iuxta communem Doctorum sententiam duplex sit professio, alia expressa, & alia tacita; & non sit maior ratio, cur hæ duæ species professionis admittantur inter viros regulares, & non inter Moniales; consequenter dicendum est Moniales posse his duobus modis profiteri, nimirum expressè, & tacitè; sicut in terminis docet Tambur. *de iure Abbatis, D. 9. quæst. 1.* 1

Quæres II. An, & qualiter explorari debeat voluntas Monialis Nouitiæ, antequam emittat professionem religiosam.

Respond. debere explorari ab Ordinario ad cognoscendum, num spontaneè, an coacta, ac seducta se accingat ad profitendum; idque vt sic consulatur libertati Nouitiæ professuræ, & impediatur vis quæ in hoc posset ei inferri à parentibus, aut aliis. patet Concil. Trid. *sess. 25. cap. 17. de Regul.* vbi id expressè statuitur; sicut vidimus *c. præced. sect. 1. quæst. 4.* Vnde & idem Concilium præcipit *loco citato*, vt Præfecta monasterij, in quo Nouitia est professura, per mensem ante diem professionis certiorem faciat Episcopum de tempore professionis: & hoc sub pœna suspensionis ab officio duratura ad arbitrium ipsiusmet Episcopi; quamquam, si is modo dictu certior factus intra dies viginti explorationem præfatam non perficiat, non debeat amplius se in hoc intromittere: cum sic decisum referant Armendar. Galett. & Campanili relati à Barbosa *de offic. Episc. alleg. 100. num. 3.* qui monet huiusmodi explorationem faciendam esse ab Episcopo, aut, ipso impedito, ad illius Vicario generali non intra Clausuram, sed extra ad fenestellam cancellorum in collocutorio. Dixi, *aut ipso impedito à Vicario generali*, vt indicarem, quod notatat idem Barbosa *num. 8.* dictam voluntatis explorationem non posse fieri à Vicario generali, nisi in casu, quo Episcopus sit impeditus, aut illum deleget ad tale munus; quod sine dubio potest facere Episcopus: cùm id possit facere per quemcumque alium idoneum, vt aduertit Miranda *quæst. 8. de de monial. art. 4.* 2

Verum tamen est, quod si Episcopus omittat dictam explorationem, non ideò professio emissa erit inualida; vt benè aduertit, & probat Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. num. 84.* & declarauit sacra Congregatio penes Barbos. *supr. num. 9.* statuens contra virgines, à quibus, non solum habitus regularis erat susceptus, sed etiam facta professio, absque dicta exploratione, nihil per Ordinarium debere suscitari, sed sinendum esse eas in statu suo remanere. Quamquam aliàs possit Episcopus non solum censuris, ac pœnis sibi benè visis prohibere Abbatissis, & Superioribus regularibus Monialium, ne puella professionem emittat, nisi prius explorata ipsius voluntate (quod fuisse decisum refert Barbosa *lib. 1. de iure Eccles. cap. 44. num. 10.*) sed etiam punire contrafacientes tum pœnis à Concilio Tridentino statutis, tum etiam Ecclesiasticis censuris, & aliis iuris remediis, non obstantibus quibuscumque priuilegiis: quod notat idem Barbosa *de offic. Episc. alleg. 100. num. 9.* quòd cùm ipse non probet, non est facile admittendum ob dicenda *cap. 8. quæst. 3.* imò reiicitur expressè à Sanctoro *in Constitut. Min. cap. 11. stat. 7. quæst. 1.* docente Episcopum non posse punire Prælatum regularem, ipso inconsulto, consentientem professioni emittendæ; cum nullam in eum iurisdictionem Concilium ei tribuat quo ad hoc, sed totam obligationem imponat Præfectæ Monialium, vt constat ex dictis §. *præcedenti*: & quidem meritò; 3

meritò; cum Prælatus in maioribus occupetur, ideóque non debeat cogi ad faciendam illam certiorationem.

An autem Præfecta Monialium in hoc satisfaciat, si dictam faciat certiorationem ante mensem, aut post.

Respond. Sanctorus *supr. d.* 3. satisfacere, & probat tum quia, secluso contemptu, plus, aut minus in moralibus non infert grauem culpam, tum quia effectus prætensus à Concilio in hoc casu per anticipationem, aut postpositionem 15. dierum sufficienter habetur, vt consideranti facilè patebit.

Addit Sanctorus *supr. d.* 7. Episcopum, facta exploratione, posse prohibere, ne Nouitia, cuius voluntas fuit explorata, faciat Professionem, si reperiat illam esse indeliberatam, & minus liberè profiteri: alioqui inutilis esset exploratio, &c., si contra inhibitionem Episcopi fiat professio, dicit Sanctorus illam declarari debere nullam; cum facta sit contra voluntatem illius, qui eam potest impedire; & Concilium intenderit delegare Episcopo legitimæ Professionis cognitionem, ac impeditionem.

Monet item Sanctorus *d.* 5. Episcopum explorata voluntate Nouitiæ exemptæ, ac completo Nouitiatu, non posse determinare tempus profitendi, aut è monasterio exeundi: cum Concilium Episcopis solùm tribuat facultatem explorandi voluntatem, & reliquum spectet ad Prælatum regularem, cui subest Nouitia: nec obstat quædam sacræ Congregationis declaratio, quæ in contrarium circumfertur; siquidem ea loquitur de Monialibus Episcopo subiectis, non autem de exemptis.

QVÆRES III. De quorum consensu admitti debeat Monialis Nouitia ad Religiosam professionem.

4 Respond. debere admitti de consensu maioris partis Capituli Monialium, apud quas Nouitia emissura est professionem; quod est dicere de consensu monasterij; siquidem monasterium dicitur facere, quod facit maior pars Monialium in eo degentium, & hoc est ita verum, vt consensus Abbatissæ monasterij in tali admissione non requiratur formaliter, prout est Abbatissa, sed vt est pars capituli, eo scilicet modo, quo requiritur consensus cuiuslibet alterius Monialis dicti monasterij; sicque potest contingere Nouitiam admittendam esse ad professionem, omninò dissentiente, ac repugnante Abbatissa: etsi, quatenus est caput monasterij, debeat consentire in professionem Nouitiæ profitentis, vti dicemus infrà *quæst.* 27. Patet ex praxi communi Monialium tam exemptarum, quàm non exemptarum, saltem in hisce nostris Regionibus; & suadetur ex eo quod, cum in admissione Monialis Nouitiæ ad professionem agatur de notabili commodo, ac vtilitate monasterij, & interueniat veluti quidam contractus vtrinque obligatorius inter Nouitiam profitentem, ac monasterium, æquum est, vt; sicut ex parte Nouitiæ requiritur consensus, sic & requiratur ex parte monasterij iuxta regulam 29 *iuris in* 6. *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Quæ doctrina ostendit ad validam admissionem professionis Nouitiæ desiderari etiam consensum Prælati Monialium; siue is sit Ordinarius, loquendo de Monialibus immediatè subiectis: siue Superior regularis, loquendo de exemptis; idque maximè attenta concessione Nicolai V quoad hoc per Bullam factam Minoribus, & relatam *capit. præcedent. num.* 2. præterquamquod receptio Nouitiæ ad professionem, cum sit res grauissima, maximè tangens bonum monasterij; par est, vt non fiat absque consensu illius, cuius prudentiæ commissa est administratio ipsius monasterij; vnde & puto praxim Monialium communem esse, vt sine proprij Prælati facultate nullam recipiant Nouitiam ad professionem.

Quod si D D communiter dicunt creationem Monialium (quæ vtique fit per emissionem professionis) pertinere ad Abbatissam, & Conuentum; id solum probat pertinere ad Abbatissam tanquam ad acceptantem, vt postea dicemus; non autem ita, vt consensus illius determinatè requiratur per suffragij ipsius præstationem. Quo pacto Tamburin. *supra quæst.* 5. *num.* 4. aliique ab eo relati dicunt, neque totum Conuentum, repugnante Præfecta, neque Præfectam, repugnante maiori parte Monialium, posse recipere Nouitiam ad professionem. Quod tamen non facit, quin totus Conuentus possit admittere ad Professionem Nouitiam, si Prælatus monasterij dictam professionem admittat loco Præfectæ: cum iuxta dicta consensus Præfectæ sit necessarius ad professionis admissionem non ratione suffragij, quod ferat cum aliis Monialibus, sed vt iuridicè recipiat professionem: quod in præsenti casu suppler Prælatus. 5.

Vnde quis bene inferat (quod notauit Sanch. *supr. num.* 65. ex Rodriquez & alij) Superiorem monasterij in admittenda Nouitia ad professionem teneri non solum audire consilium sui Conuentus, sed etiam illud sequi ob doctrinam Bartoli *in l.* 11. §. *plures, num.* 7. *de exerc. act.* communiter receptam; nimirum quod, quando requirendum est consilium ab alio tanquam à collega, & participe officij (vt in præsenti casu) tunc consilium non solum requirendum est, sed etiam sequendum: quod est bene aduertendum. 6.

QVÆRES IV. Ad quem spectet acceptare professionem Monialis Nouitiæ profitentis.

Respond quod, cum actus acceptandi professionem non sit propriè actus iurisdictionis, sed superioritatis pertinentis ad potestatem œconomicam, seu dominatiuam, quæ potest competere etiam fœminæ; professio Monialis Nouitiæ poterit acceptari à Superiorissa monasterij, cum sit capax exercendi talem actum, & alioqui talis actus ipsi ex officio incumbat: quippe in quo agitur de notabili commodo, ac vtilitate monasterij, cui illa præest, & onus procurandi bonum monasterij incumbit immediato Superiori illius vnà cum maiori parte ipsius monasterij. Vnde professio Monialis potest validè acceptari tum ab eius Abbatissa, tum ab eius Prælato; sicut notauit Sanchez *num.* 76. monens professionem Monialium in monasteriis Episcopo subiectis hoc tempore solere fieri coram ipso Episcopo, eiusve generali Vicario: sicut è contra in monasteriis exemptis solet fieri coram proprio Prælato regulari, siue ordinario, siue delegato; & hoc fortè, vt tantò certior sit valor professionis, quæ emittitur: stante quod Suarez *loco supra citat.* & alij censent consensum Prælati proprij non solum requiri ad valorem professionis, quam emittit Nouitia Monialis, sed etiam vt professio fiat in manibus illius, & ab ipso accepretur, cùm apud ipsum tantùm sit propria iurisdictio ex *cap. statuimus* 10. *quæst.* 2. quasi verò acceptatio professionis sit actus iurisdictionis, cuius sit incapax fœmina (quod tamen paulò ante negauimus) patet autem responsio tum ex dictis; tum etiam ex *cap. consuluit, qui Clerici, vel vouentes,* vbi deciditur fœminam quamdam, quæ dimisso habitu regulari nupserat, validè nupsisse, eo quòd professa non fuerat in manu alicuius Episcopi, vel Abbatis, vel Abbatissæ: quod est supponere Abbatissæ potestatem extendi ad professionem validè acceptan- 7.

acceptandam, vt notauit Bonacina. Quare, cùm Abbatissa monasterij, & Prælatus illius, quoad acceptandam professionem Monialis Nouitiæ se habeant cumulatiuè, adeòque inter illos dari possit veluti præuentio; seruanda est in hoc consuetudo vniuscuiusque Ordinis, prouinciæ, aut loci, quæ est varia.

Notat autem Ciarlinus *part. 2. controu. cap. 194. num. 34.* dato quod Abbatissa non posset admittere professionem Nouitiæ, posse adhuc acceptare professionem Nouitiæ conuersæ, cum ei non detur Velum, quod dare nequit Aabbatissa iuxta *cap. consuluit, qui Cler. vel. vouent*; sicque essent rationes, quod Abbatissa non possit recipere Professionem, sic ille.

QVÆRES V. Cuius ætatis debeat esse Monialis Nouitia ad hoc vt validam faciat professionem.

8. Respond. debere esse annorum 16. completorum; idque ex decreto Concil. Trid. *sess. 25. de reg. cap. 15.* id expressè statuentis his verbis: *In quacunque Religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante 16. annum expletum: professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut alios quoscunque effectus*; cum aliàs iure antiquo ad profitendum in viro quidem sufficeret annus 14. completus, in fœmina verò annus 12. item completus, vt constat ex *cap. ad nostram, cap. significarum, de Regular.* Clement. *eos, eodem titul.* aliisque iuribus.

QVÆRES VI. An sit de essentia Religiosæ professionis, vt ei præmittatur integer annus probationis.

9. Respond. esse, stando præcisè in iure communi; patetque dictis ex *cap. praeced. sect. 2. quæst. 11.* Secùs, attento indulto Pij V. facto per bullam Monialibus S. Dominici; per quod conceditur iis, vt possint profiteri solemniter, etiam nondum expleto integro anno Nouitiatus, si iudicio Medicorum ægrotent cum periculo mortis moraliter certo, & iam expleuerint annum ætatis 16. De hoc priuilegio (quod non fuisse reuocatum à Gregorio XIII. docet Rodriquez *tom. 3. quæst. 15. art. 16.*) participant non solum Moniales, sed etiam viri Religiosi aliorum Ordinum aliàs participantes de priuilegiis Ordinis S. Dominici: priuilegium referemus & paulò latiùs explicabimus infrà *cap. 9. quæst. 1c.*

Addo hîc non solum annum probationis debere esse completum de momento in momentum, (vt ostendimus *cap. praeced. sect. 2. quæst. 12.*) sed etiam in anno bissextili illum duplicem diem debere computari pro vno; ita vt, si Nouitia incohauit Nouitiatum 24. Febr. non possit anno sequenti bissextili 24. Febr. priori profiteri, sed debet expectare alterum 24. ita Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 4.* aliique contr. Sylu. Henriq. & Ricc. quos refert, & sequitur Barb *alleg. 101. n. 20.*

QVÆRAS VII. An, & quo modo Moniali Nouitiæ protrahi possit tempus professionis, etiam post expletum annum integrum probationis.

10. Respond. posse eo modo, quo diximus *cap praeced. sect. 2. quæst. 16.* nimirum si interueniat iusta causa id faciendi: vt si Nouitia nondum rectè diuinum Officium recitet, aut dotem non habeat paratam, aut non plenè satisfecerit in probatione peracta, ita Rudriq. *tom. 3. quæst. 17. art. 10.* Sanch. *lib. 5. mor. cap. 4. num. 21.* Lessi. *lib. 2. cap. 41. num. 59.* Mirand. *tom. 1. manual. quæst. 25. art. 11.* aliique communiter; quos refert, & sequitur Tamb. *sup. quæst. 7. num. 2.* monens *n. 8.* supponi à Doctoribus (quorum aliquos allegat) ad protrahendum annum probationis exigi consensum Nouitij; quippe qui toto tempore probationis potest liberè recedere à Religione, nec potest in ea inuitus detineri, patet autem responsio tum ex dictis *in tract. de Nouitiatu, cap. 1. quæst. 14.* tum quia à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus ab eo reciditur per ius nouum expressè aliquid innouans per *l. preces, C. de appellat.* at de iure antiquo ante Concilium Tridenti. ex iusta causa poterat differri professio Nouitij vltra integrum annum probationis; & ipsum Concilium quo ad hoc nihil innouauit (cum verba illius, quæ hebentur *sess. 25. de Regul. cap. 16. Finito tempore Nouitiatus Superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è monasterio eos deiiciant*, loquantur solum de Nouitiis, qui elapso probationis anno inueniuntur habiles, non verò de iis, qui tunc quidem reputantur inhabiles ob aliquam causam amouibilem, speratur tamen probabiliter, quòd breui futuri sint habiles) ergo, sicut aute Concilium differri poterat professio Nouitij modo dicto, poterit & differri in præsentia, si iusta interuenerit causa.

Notat autem Barbosa *lib. 1. de tripl. iure Eccl. c. 44. num. 56.* ex decreto sacræ Congr. præcedentiam inter Moniales desumi debere à die professionis, non autem à die susceptionis habitus Religiosi, si verò duæ simul eodem instanti professionem emittant, eam puellam debere præcedere, quæ priùs ad habitum fuerat admissa; &, si eodem tempore admissæ fuissent ad habitum, data item paritate professionis, præcedere debere illam, quæ priùs in Capitulo fuerat admissa.

QVÆRES VIII. An, & qualis literatura requiratur ad hoc, vt Nouitia Monialis admittatur ad Professionem religiosam tanquam chorista.

Respond. requiri, vt saltem sciat legere: sic enim fuit decisum à sacra Congregat. Cardinalium in vna Girgen. 12. Ianu. 1604. ita Tambur. *sup. n. 3.* ex Barbosa qui tamen intelligendi sunt loqui de Moniali deputanda ad chorum, non autem de Conuersa, vt patet. 11.

QVÆRES IX. Quæ, & quales expensæ possint permitti, vt fiant à Moniali Nouitia ex occasione professionis ab ipsa emittendæ,

Respond. ex declaratione sacræ Congreg. facta 5. Nouemb. 1616. & relata à Gauanto *in manu Episc. v. monialium professio, num. 23.* posse permitti, vt faciant Sacristiæ, aut Infirmariæ eleemosynas ex longa monasterij consuetudine hac occasione dari solitas, non item propinas, quæ alicui solebant præstari Superioribus; neque quod fiant in Monialium foresteriis conuiuia aliàs consueta parari à consanguineis Nouitiæ professuræ. Quin etiam addit Gauant. *n. 25.* ab eadem sacra Congregatione decisum fuisse expensas occasione professionis emittendæ faciendas, debere taxari ab Episcopo, ita vt, ablatis sumptibus superfluis, non concedantur nisi ij, qui sunt necessarij, & conformes modestiæ, ac parsimoniæ Religiosæ. 12.

Puto autem propinas (de quibus hîc) fuisse donatiua à Moniali ingrediente dari solita Abbatissis: *propino* enim apud Calepinum significat *poculum prægusto, & deinde alteri trado*: popinæ verò apud eumdem significant tum culinam, tum cibos delicatiores: sicque in prædlegato decreto fortè fuit posita dictio, *propinæ*, loco dictionis *popinæ*.

QVÆRES X. Quam pœnam incurrant, qui inuitæ cogunt Monialem Nouitiam emittere Professionem religiosam.

Resp. incurrere excommunicationem ipso iure latam in Concilio Trident. *sess. 25. de Regul. cap. 18.* & à nobis fusè explicatam, *cap praeced sect. 2. quæst. 10.* vnde 13.

vndè facilè peti possunt, quæ ad præsentis responsionis probationem possunt conferre; sicque non est, cur ea hîc Iterum repetamus.

Qværsa XI. Quam pœnam incurrat, qui iniustè impedit Monialem nouitiam, ne liberè emittat professionem Religiosam.

14. Respond. incurrere ipso facto excommunicationem maiorem item latam in Concilio Trid. *loco cit.* & à nobis latiùs declaratam, *cap. præced. sect.* 1. *q.* 8. vbi plura diximus, quæ multum possunt deseruire in præsentia.

15. Qværes XII. An Monialis vinculo professionis Religiosæ, ita adstringatur, vt non possit recedere à monasterio, in quo profitetur, neque ad ingrediendam Religionem arctiorem.

Respond. non adstringi, adeóque Moniales professas in Ordine laxiori posse iure communi transire ad Ordinem perfectiorem, seruatis tamen seruandis; nimirum conditionibus à nobis recensitis *in tract. de profess. cap.* 4. *sect.* 3. *quæs.* 5. §. *quod si*, ibique in qq. sequentibus explicatis. Ita Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 7. *n.* 6. Rodriq. *tom.* 3. *q.* 52. *art.* 6. Lezana *tom.* 1. *c.* 25. *num.* 41. Bonac. *q.* 2. *de clausura p.* 9. §. 2. *num* 4 aliique communiter, & patet tum ex dictis in citat. *tract. de profess. vbi sup. quæst.* 7. § *de Monialibus.* tum quia rationes, quæ probant dictum transitum esse licitum viris Religiosis, cum proportione procedunt etiam quoad Moniales, vt colligitur ex 20. *quæst.* 4. *cap.* 1. & benè animaduertit Rodriquez *sup.* ex Card. Abb. & Natta generaliter dicens ea, quæ sunt disposita de viris Religiosis, proportionaliter censeri constituta, & de Monialibus.

Difficultas est, de cuius licentia debeat fieri talis transitus, Abbatissæ ne tantùm, an proprij Prælati, & Ordinarij (idque ratione clausuræ, ad quam Monialis speciali obligatione tenetur) vel vtriusque.

16. Respond. Bonac. *sup.* §. 3. *diffic.* 1. *num.* 11. ad talem transitum exigi licentiam Prælati, cui Monialis transitura subest (siue is sit Episcopus, siue Prælatus regularis) non autem sufficere licentiam Abbatissæ. probat tum quia Abbatissa propriè non est Prælata monasterij: tum quia in concessione talis licentiæ iudicandum est, num Monialis transitura ducatur bono spiritu ad talem transitum; quod iudicium videtur excedere capacitatem fœminæ; tum quia iste transitus non potest fieri absque egressu clausuræ, ad quam Monialis strictissimè tenetur, Abbatissa autem non potest dare facultatem exeundi è clausura. sic Bonacina citans pro se Sanchez; qui tamen expressè negat esse necessarium, quòd in præsenti casu Monialis obtineat à proprio Prælato licentiam transeundi, putans sufficere illam ab ipso peti, ea ductus ratione, quòd Concilium Trid. & alia iura prohibentia Monialibus egressum è clausura absque consensu Superioris in scriptis, non loquuntur in hoc casu, sed solùm ad tollendam Monialibus materiam vagandi; vnde constat ex hoc capite non requiri, quòd licentia transeundi re vera sit obtenta, sed sufficere illam esse petitam; quo modo sufficit ad transitum virorum Religiosorum. constat item minùs firmam esse tertiam rationem, quam hîc Bonacina desumit ex obligatione clausuræ; cum hæc in casu verè non adstringat.

17. Certè quod decreuit Sacra Congreg. de mandato Vrb. VIII. in decretis 21. Sept. 1624. editis, *de Regularibus apostatis, & eiectis* (nimirum, *vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitimè constiterit eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, túncque Regularis rectà se transferat ad arctiorem: quod, vt re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet:*) à fortiori habet locum in Monialibus, ideóque debet omninò inuiolabiliter seruari.

18. Addo quòd, cum iuxta dicta *in tract. de profess. cap.* 4. *sect.* 3. *quæs.* 6. extent multa priuilegia concedentia Religionibus, ne earum Religiosi possint transire ad Ordinem, etiam arctiorem absque licentia proprij Prælati petita, & obtenta, immò nec sine facultate Sedis Apostolicæ; & de dictis priuilegiis participent Moniales per viam communicationis; dicendum est quòd, licèt eæ transire possint ad Religionem arctiorem, licentia petita à Superiore (etsi non obtenta) stando in iure communi: secùs est, attentis istis priuilegiis; si quidem ea sint in vsu apud ipsas Moniales; quod proinde in contingentia facti esset accuratiùs inquirendum.

Vtrùm verò in casu, quo Monialis transitura ad Religionem arctiorem sit exempta ab Ordinarij iurisdictione, debeat petere facultatem sic transeundi non solùm à proprio Prælato regulari, cui immediatè subest, sed etiam ab Ordinario loci, cui subiacet quoad clausuram.

19. Respond. quòd, cùm iuxta superiùs dicta in præsenti casu non requiratur specialis facultas ad exeundum è clausura; & alioqui Monialis exempta non subiiciatur Ordinario loci, nisi quoad clausuram; non apparet, vnde teneatur petere dictam facultatem ab illo; sicque sufficiet illam peti à proprio Prælato regulari; quippequi simpliciter venit nomine Prælati Monialium, & significatur per iura requirentia licentiam proprij Prælati, saltem petitam, ad effectum transeundi ad Ordinem arctiorem. Ita Sanchez *vbi sup.* Castr. Pal. *tract.* 16. *D.* 4. *p.* 26. §. 2. *num.* 4.

Qværes XIII. An Monialis professa possit eiici è monasterio propter incorrigibilitatem, & quidem inconsulta Sede Apostolica.

20. Respond. posse, stando in iure communi antiquo Religionum, vt modò ostendemus; non item attento decreto sacræ Congregationis relato à Lezana *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 17. quo statutum est Religiosos incorrigibiles non posse eiici, neque transferri, inconsulta Sede Apostolica: quod decretum sine dubio à fortiori militat in Monialibus, vnde Sanchez *sup. cap.* 9. *num.* 6. alioqui sustinens de rigore iuris monialem incorrigibilem posse eiici sine licentia Papæ, si ea sit adeò incorrigibilis, vt in nullo monasterio sperari possit eius reformatio, & correctio: ait nihilominus se non ausurum consulere vlli Prælato, vt id, inconsulto Papa, eiúsve Nuncio, efficeret; stante quod esset res noua, ac inusitata, ideóque afferret scandalum non vulgare, grauémque ansam Monialibus inquietis, & vitam claustralem auersantibus præberet se fingendi incorrigibiles, vt Monasterium desererent, sicque ex delicto reportarent commodum. Et quidem, quod Monialis modo dicto incorrigibilis de rigore eiici possit, probatur, tum quia rationes adductæ à Doctoribus ad probandum licitam esse eiectionem virorum Religiosorum incorrigibilium, eandem vim habent in Monialibus: tum quia Moniales non obligantur votis Religionis strictiùs, quàm viri Religiosi; tum quia præceptum clausuræ non obstat, cum non afficiat Moniales, nisi quamdiù detinentur in monasterio; sicut nec delatio habitus regularis Religiosum quemcumque, nisi pro eo tempore, quo Religiosus persistit in Religione. præterquam quod Rodriq. *in comp. qq. regul. resol.* 57. *num.* 3. relatus à Tamburino

sup.

*supr. D.*21. *quæst.*4. *num.*5. notat Moniales superbas, ac rebelles posse per Prælatos expelli à religione ex quadam constitutione Innocent. III. facta ad instantiam Monachorum Cisterciensium: (quamquam talis constitutio in præsentia fuerit saltem ea parte abrogata à sacra Congregatione Concilij per decreta, *de apostatis, & eiectis*, edita, ac superiùs allegata.) ita Sanchez *loco cit.* aliique recentiores consulti contra Bonac. *supr. p.*12. §. 1. *num.*9. Lezana *supr. n.*17. Tambur. *vbi supr.* & alios.

21. Dixi paulò ante, *cum fuerit saltem ex parte abrogata*, vt indicarem, quòd, cùm in citatis decretis sacræ Congregationis non prohibeatur simpliciter eiectio Religiosorum incorrigibilium, sed solùm præscribantur conditiones requisitæ ad hoc vt Religiosus dici possit incorrigibilis, ad effectum, vt eiici possit è religione: consequenter Constitutio illa Innocentij III. vi dictorum decretorum fuit quidem abrogata, quoad hoc, vt non possint Moniales eiici præcisè ex eo quòd sint superbæ, ac rebelles; cùm per hoc non importetur incorrigibilitas à præfatis decretis requisita ad eiectionem; non autem quòd simpliciter eiici non possint Moniales, quæ verè sint incorrigibiles incorrigibilitate de iure requisita: sicque ea Constitutio id saltem operabitur, quòd, non obstante communi Doctorum sententia negante Moniales eiici posse ratione incorrigibilitatis, ex absolutè loquendo, poterunt eiici, si modo dicto sint reuera incorrigibiles, & tales probentur.

22. Nec obstat, quòd iuxta citata decreta sacræ Congregationis eiectio Religiosi incorrigibilis debet fieri ab ipsomet Generali Ordinis tantùm de consilio, & assensu 6. Patrum ex grauioribus religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; túncque non nisi instructo secundum eorum stylum, & constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum, ac Religioso eiiciendo vnius anni spatio in ieiunio, ac pœnitentia priùs probato in carcere; quæ omnia non possunt interuenire in eiectione Monialis immediatè subiectæ Ordinario, cùm talis eiectio non possit fieri de consensu sex Patrum ex grauioribus religionis ad talem effectum electis; quippe quæ non debet fieri nisi ab Ordinario, & independenter à consensu quorumcumque Regularium casu, quo fiat. Non obstat, inquam; siquidem decreta illa loquuntur de eiectione virorum Religiosorum, quæ frequentiùs potest contingere, non autem Monialium, quæ non nisi valde raro permittenda est: cum tamen leges generales non loquantur, nisi de communiter contingentibus, & non comprehendant casus extraordinarios; prætèrquam quòd rationabiliter præsupponi potest respectu Episcoporum in præsenti casu non esse adeò necessarium consilium, & consensum illorum sex Patrum grauiorum religionis: attenta maiori prudentia, ac integritate, quæ communiter præsumitur in Episcopis ratione dignitatis, ac officij, ad quod assumuntur; maximè, cùm illi etiam possint eligere sex viros prudentes, ac timoratos, quorum consilio vtantur in re ita ardua, & difficili, sicque adimplere mentem sacræ Congregationis in præfatis decretis expressam, obseruando item alia ibi præscripta.

QVÆRES XIV. An Monialis post professionem transferri possit ab vno monasterio ad aliud, vt ibi meliùs corrigatur, ac resipiscat.

23. Respond. videri posse, nisi obstet declaratio sacræ Congregationis relata à Barbosa *in collect. bullar.* *v. Monialium translatio*, sub his verbis: *Monialem nullam sibi subiectam ex vno monasterio ad aliud transmittere possunt locorum Ordinary, vel Superiores regulares, etiam ex causa seditionis, vel incorrigibilitatis, aut criminis perpetrati.* Et quidem quòd, seclusa tali declaratione, Monialis transferri possit modo dicto, docent Sanchez *lib.6 mor. cap.*15. *n.*47. Rodriq. *tom.*1. *quæst.*49. *art.*5. Miranda *q.*3. *de Monial. art.*2. Tambur. *supr. D.*21. *quæst.*3. *num.*1. aliique; & probant, tum quia *in cap. quoniam, de simonia*, recipiens aliquam in monasterium pretio, declaratur simoniacus, & tam ipse, quàm recepta dicuntur eiiciendi è monasterio, vt in arctiori perpetuam pœnitentiam agant; & hoc ius nullibi fuit reuocatum, teste Bonac. *quæst.*1. *de claus. part.*9. *n.*12. tum quia bonum totius Ordinis est, quod Moniales corrigantur sine strepitu: hoc autem commodiùs fiet per talem translationem; tum quia Vrbanus IV. apud Mirandam *supr. q.*3. *art.*2. approbauit huiusmodi translationem Monialis per speciale statutum, illúdque non fuit reuocatum per Concilium Tridentinum, nec per Bullam Pij V. sicut aduertit Tambur. *vbi supr.* Verum tamen est, quòd, si allata declaratio sit authentica, & dicatur habere vim legis vniuersalis (quod negant plures DD. vt colligitur ex Diana *part.*5. *tract.*2. *resol.*96.) ea debet obseruari.

24 *Professio facta ex metu non semper tenet.*
25 *Ex metu reuerentiali interdum irritatur professio.*
26 *Professio facta ex errore, aut ignorantia, aut dolo, non tenet semper.*
27 *Item non tenet semper facta ex ira, vel alia animi perturbatione.*
28 *Non tenet professio facta sine intentione se obligandi.*
29 *Tenet verò facta à reticente aliquod impedimentum, quo detecto non fuisset admissa Monialis Nouitia.*
30 *Tenet facta ab ægrotante toto tempore probationis.*
31 *Item quæ recipitur ab admittente ex metu graui.*
32 *Non tenet professio hermaphroditi facta inter Moniales, si postea erumpat in virum, etsi antea esset valida; sicq; non transit ad religionem virorum: si Religiosus professus dubitans de validitate sui baptismi rebaptizatur, debet profiteri iterum, aut ratificare professionem iam factam.*
33 *Tenet professio Nouitiæ ab Ordinario in exploratione voluntatis repertæ indignæ, ideoq; prohibitæ admitti, sed non semper.*
34 *Tenet item professio admissa contra expressam proprij Prælati prohibitionem, sed non in omni casu.*
35 *Moniales non possunt cogi recipere Nouitiam ad professionem, si sint inuitæ, rationabiliter; secus, si irrationabiliter.*
36 *Prælatus Monialium in aliquo casu per se recipit professionem Nouitiæ, contradicentibus ipsis, & Abbatissa.*
37 *Prælatus, & Abbatissa cogi interdum possunt recipere professionem Nouitiæ capitulariter admissæ à Monialibus: & è contrà Moniales cogi nequeunt recipere ad professionem Nouitiam cognitam indignam.*
38 *Moniales reclamare possunt contra nullitatem professionis.*

QVÆRES XV. An, & quando teneat professio facta à Moniali ex metu.

Respond. non tenere, si fiat ex metu cadente in constantem virum; qui scilicet sit de malo, iudicio viri prudentis, graui, & qui respectu fœminæ sit rationabilis, id est fundatus in vero, ac probabili peri- 24.

 culo;

culo: idque non iure naturæ, vt beoe probat Suarez *tom.3.de relig.lib.6.cap.4.num.8.* sed iure canonico; ptuvt habet communis sensus Ecclesiæ, quo talis professio iudicatur inualida) qui consensus teste Suarez *num. 9* magni faciendus est in hac materia) & colligitur ex Conc. Trid. *sess. 15.cap.15.de relig.* vbi, cùm dicatur: *Quicumque regularis pratendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem*, &c. clarè supponitur ea hoc capite inualidam reddi professionem, sicque profitenti concediruriua reclamandi, seruatis tamen seruandis. Notant autem aliqui, quòd, sicut, si quis non ampliùs moueatur ex motu graui, quàm alius ea leui; non videtur vi talis metus irritari professio; sic, si quis non minùs moueatur interius ea obiecto leui, quàm vir constans ex graui, professio in foro conscientiæ erit irrita, etsi in foro exteriori aliter iudicetur: at hoc noo admittit Suarez *num. 13.* dicens eiusmodi doctrinam tunc demum forrasse habituram aliquam probabilitatem, ii verum esset metum natura sua irritare professionem: quod tamen non admittit ipse Suar. vt constat ea dictis.

25. Addo metum reuerentialem (qui includit non solùm imperium paternum, cui ea reuerentia non contradicitur, sed etiam coactionem aliquam, per quam puella non audet contradicere voluntati patris) irritare professionem, si præcedant minæ, siue formales, siue etiam solùm virtuales (vt sic loquar;) quatenus scilicet puella habet causam, & indicia, ob quæ graue aliquod malum sibi timeat à patre, si ei contradicat: quale malum esset, si ei auferretur spes nuptiarum, siue simpliciter, siue proprio status conformium; si perpetuò detinenda esset domi, ita vt nunquam posset egredi; si ei denegaretur decens sustentatio, & debita dos; si crebrioribus verberibus afficeretur; si ei prohiberetur omnis conuersatio; si cogeretur obire seruitia abiectiora contra decentiam suæ conditionis; & alia id genus, vt notauit etiam Laym. *lib. 4. tract.5.cap.5.num 6.* dicens, quod, licèt metus reuerentialis ob preces, aut imperium Prælati, aut consanguineorum plerumque sit insufficiens ad irritandam professionem: secùs habet, si concurrant alia, quæ difficilè repeli possint, puta precum, aut imperij sæpius repetiri importunitas, frequentes blanditiæ quibus resisti nequeat, grauis offensio, aut dio duratura indignatio, v. g. consanguineorum, à quibus vita, aut fortuna puellæ pendet, &c.

QVÆRAS XVI. An, & quando teneat professio facta à Moniali ex errore, igoorantia, aut dolo.

26. Respond. non tenere, si error, ignorantia, ac dolus versentur circa substantialia Religionis (vt si Nouitia profiteatur putans se non obligari in perpetuum, vel per professionem non priuari domioio rerum, vel regulam sui Ordinis non esse adeo asperam, & quidem asperitate vires eius moraliter excedente:) non item, si versentur circa accidentalia; cuiusmodi sint alia omnia, quæ vel sunt extrinseca, vt sunt motiua seu causæ Religionis; vel, si sunt intrinseca gradum illum non attingunt, vt sunt aliæ obseruantiæ Religionis. Ratio est, quòd ignorantia, & error causant inuoluntarium, vel saltem non voluntarium, quia hoc ipso quòd obiectum non est cognitum, non est volitum; ignorantia autem facit, vt obiectum non sit cognitum, & consequenter facit, vt operans non consentiat, nec velit illud: professio autem non potest esse valida, absque consensu voluntatis, loquendo de substantialibus Religionis; quod non procedit, versante ignorantia circa accidentia, cùm sic non excludatur consensus substantiali. ita Suar. *supr. cap.5.n.4.5.& 6.* addens *num.9.* hac in re parum referre, siue error, aut ignorantia procedant ex iniuriosa deceptione, siue ex quauis alia causa naturali, aut extrinseca: cùm in tali casu impedimentum oriatur ex defectu consensus, qui impediri æque potest ea ignorantia, aut errore, ac ex iniuriosa deceptione; quæ ratio probat item parum referre, quòd ignorantia sit probabilis, vel quod intercedat aliqua negligentia, modò ignorantia non sit affectata.

QVÆRAS XVII. An, & quando teneat professio facta à Moniali ea ira, aliâve animi perturbatione

Respond. non tenere, si ira, aut alia passio sit tanta, vt rationis iudicium obtenebret, ac impediat deliberationem requisitam ad peccandum; quæ non censetur adesse, nisi profitens præmeditetur passionem illam ad profitendum impellentem, & finem, quo ducitur; idque conferendo illud, de quo deliberat, cum eius opposito, ad quod tamen non exigitur mora temporis, cum momento fieri possit; nec quod deliberatio tempore præcedat, sed solo ordine naturæ, colligitur ea Sanch. *l. 4. mor. cap. 1. n. 2. & 3* patèrque quia alias professio non erit libera, & consequenter nec valida: cum sit contractus humanus, de cuius valore est libertas, vt tradunt DD. communiter. 27.

QVÆRES XVIII. An teneat professio facta à Moniali sine intentione se obligandi.

Resond. non tenere; & probatur tum quia omnia obligatio, quæ non prouenit ea lege, oritur ea priuata voluntate hominis; ergo vbi deest voluntas se obligandi, deficit obligatio: tum quia obligatio promissionis consurgit ex lege priuata, quam promittens sibi imponit; nulla autem lex obligat, nisi legislator intendat obligare. Colligitur ex Sanchea *l. 1. de matr. D. 9. num. 5.* & est plurium DD. qui tamen tenentur concedere sic profitentem in foro externo posse cogi ad seruandam professionem, etsi non teneatur in conscientia, & secluso scandalo; vt rectè aduertit Castr. Pal. *tract. 16. D.2.part.4.n.5.* 28.

QVÆRAS XIX. An teneat professio facta à Moniali reticente aliquod impedimentum, quo manifestato, non fuisset admissa.

Respond. tenere; & inde patet, quòd, cùm tale impedimentum neque ea iure communi, neque ex speciali constitutione Ordinis (vt suppono) professionem irritet, eius ignorantia non facit, quin libera sit eius admissio; cùm dicta ignorantia versetur circa accidentalia, & professio annulletur solùm ea ignorantia versante circa substantialia, vt constat ea dictis *quæst.16.* ita Rodriq. *tom.3.quæst.17. art.9.* Castrus Pal. *supr. part.2.§.2.num.3.*& alij: quorum aliqui censent taliter profitentem posse expelli in pœnam culpæ grauis in hoc commissæ; alij verò id negant, eò quòd talis culpa non videatur adeò grauis, vt ob eam infligi possit expulsio à Religione, quæ est pœna grauissima. 29.

QVÆRAS XX. An teneat professio facta à Nouitia toto tempore probationis ægrotante; sicque non experiente asperitates Religionis.

Respond. teneri; & suadetur, quia ad Nouitiatus valorem nõ requiritur experientia omnium asperitatum Religionis in specie, sed sufficit eas experiri in genere, viuendo sub obedientia toto anno Nouitiatus, vt expressè docet Sanch. *l.5.mor.c.4.n.51.ex* Nauarr. & Rodriquez. Quæ ratio proportionaliter probat validè admitti ad professionem Nouitiam, quæ ex morbo, aut senectute sit omnino impotens 30.

ad

ad seruanda regulæ præcepta: siquidem obligatio ad substantialia status Religiosi, quæ sunt tria vota essentialia, nullis eget viribus corporis, sed solo voluntatis affectu; alia verò præcepta regulæ non sunt substantialia Religionis, sed obligant, iusta causa non excusante; qualis esset morbus, aut grauis senectus.

QVÆRES XXI. An teneat professio facta à Moniali, si ab admittente recipiatur ex metu graui cadente in constantem virum.

31. Respond. videri tenere; & probatur, quia metus non annullat professionem iure naturali, sed positiuo, vt ostendi q.15. ius autem positiuum non annullat professionem ob metum Prælato eam admittenti incussum, vtpotè ratum, aut nunquam contingentem, sed solum ob metum incussum profitenti; sicque hic solus metus irritat professionem, & non alius: nam in decretis non est facienda extensio de vno casu ad alium; maximè quando non procedit eadem ratio, & quando sumus in materia odiosa. Ita Suarez *tom.3. de relig. l.6. cap.4. num.19.* aliique contra Lessium *l.2. cap.41. num.61.* obiter contrarium sustinentem.

QVÆRES XXII. An teneat professio facta inter Moniales ab hermaphrodito, etiam postquam erupit in virum.

32. Respond. Diana *p.5. tract.14. resol.49.* ex Texeda non tenere; & probat, quia hermaphroditus in casu proposito non emisit professionem, nisi vt vera fœmina, nec Prælatus admisit professionem sub alia ratione: constat autem valorem professionis pendere ex intentione tam profitentis, quàm admittentis; præterquam quod in Hispania, teste ipso Diana, sic declaratum est in contingentia facti. Hoc tamen non facit, quin hermaphroditus valide possit profiteri in Conuentu Monialium, si in ipso præualeat sexus fœmineus: idque ob dicta *cap. præcedenti sect.1. q.12.* & quæ habet Sanchez *sup. num.41.* dicens tamen hermaphroditum non esse admittendum ad professionem, neque in monasterio sexus in ipso præualentis.

Quòd si hermaphrodito in virum erumpente modo dicto euanescit vinculum Religiosæ professionis, sequitur illum non teneri transire ad Religionem virorum, sed posse manere in sæculo, ac inire matrimonium, ac si professionem non fecisset: patet tum quia actus agentium non extenduntur vltra intentionem illorum, *l. non omnis, ff. si certum petatur*; tum quia vota non obligant, eorum materia postea notabiliter mutata, vt tradunt communiter DD. apud Sanchez *l.3. moral. cap.18.* quæ certè militant in casu nostro. Ita Diana *sup.* contra Portell. *de dub. regul. v. professio hermaphroditi in addit. ad addit. num.9.* mordicus sustinentem eiusmodi hermaphroditum in casu proposito debere eiici è Conuentu Monialium, & teneri seruare in sæculo vota essentialia professionis eo modo, quo poterit. Cum Diana sentit Thesaur. *p.2. praxis v. Religiosi cap.12.* citans pro se Merlinum, quamquam sustinens ex Andr. Laurent. *l.2. hist. anatom, quæst.8.* & Delrio *l.2. disquisit. quæst.22.* conuersionem sexus fœminei in masculinum esse naturaliter impossibilem ob rationem mox afferendam; consequenter sustineat probabile esse professionem factam ab hermaphrodito inter Moniales postea erumpente in virum irritam fuisse ab initio: quippe quæ reuera est professio viri inter Moniales, quæ sine dubio non tenet. probant autem allegati Doctores conuersionem sexus fœminei in masculinum esse naturaliter impossibilem ex eo, quod genitalia maris, ac fœminæ differunt forma, structura, neruorum numero, &c. ac proinde casu, quo hermaphroditus è sexu fœmineo in ipso præualente erumpat in virum, id inde prouenit, quòd virilia, quæ ob defectum caloris, aut obstaculum alicuius membranæ intus latebant, postea aucto calore, aut ex conatu aliquo, siue ex copula effracta membrana foras prodeunt. Ita Thesaurus, addens tamen Sacram Pœnitentiariam de tali casu consultā nihil decernere voluisse: quod est signum non esse improbabilem sententiam illorum, qui docent professionem in tali casu ab initio fuisse validam.

Addo hic obiter ex Catena *tract. de modo proced. in caus. S. Officij tit.§.12. n.49.* Religiosum professum dubitantem de validitate sui baptismi, si rebaptizetur sub conditione, debere cogi ad iterum profitendum, vel certè ad ratificandam professionem iam factam: & ratio est, quod ex vna parte status perfectionis (qualis est status Religiosus) supponit statum salutis (quod scilicet per baptismum homo fit incorporatus Ecclesiæ) ex alia parte in dubio melior est conditio possidentis, adeòque cum Religio sit in possessione Religiosi huius vi professionis emissæ, habet ius illum retinendi vsque dum pleuè constet illum non esse baptizatum & consequenter, vbi est modo dicto rebaptizatus, potest illum adstringere, vt vel iterum profiteatur, vel ratificet professionem iam emissam.

QVÆRES XXIII. An Abbatissa validè recipiat professionem Nouitiæ, si interueniat consensus sui Conuentus, ac Ordinarius in exploranda illius voluntate iudicet eam esse indignam, ac nullo modo admittendam, sicque expressè prohibeat Monialibus, ne eam admittant.

Respond. validè recipere, etsi illicitè, si Moniales illius Conuentus sint exemptæ ab Ordinario: vel certè, si ei subsunt, prohibitio illa fiat sine decreto irritante, & iis verbis, quæ ostendant ipsum nihilominus consentire in talem admissionem. Moueor tum quia de iure communi admissio ad professionem non spectat ad Ordinarium, sed ad Abbatissam, & ad Capitulum; vt videre est apud Tamburinum *sup. D.6. q.5. num.3.* & Sanchez *l.5. mor. cap.4. num.65. & 76.* tum quia exploratio voluntatis non est de valore professionis, vt constat ex dictis hic *quæst.2. § verum tamen est*, & alioqui multa prohibentur, quæ facta tenent; dummodò prohibitioni non sit annexum decretum irritans; sicut re vera non est annexum in præsenti casu, vt patet ex Concil. Trid. *sess.25. de regul. cap.16.* Verum tamen est, quòd si Ordinarius post exploratam Nouitiæ voluntatem constanter deponat illam esse seductam, aut coactam, & non liberè profiteri, vel non habere conditiones necessarias ex regula monasterij: tunc omninò audiendus esset, & alioqui professio esset nulla, si depositio esset vera; & hoc, non quidem quòd Ordinatius contra diceret, sed quòd deesset libertas, & alia substantialia. Quod item procederet in casu, quo monasterium subsit Ordinario, & is prohibeat dictam admissionem cum decreto irritante, vel certè illis verbis, vt ostendat se aliter in eam non consentire: sic enim deesset consensus Prælati monasterij, qui tamen requiritur ad valorem professionis, vt ostendemus *quæst. sequenti.* Sic mecum senserunt Io. de Lugo, Baldell. Sanctar. Nald. aliique viri docti à me per literis consulti. 33.

QVÆRES XXIV. An Abbatissa de consensu Monialium validè recipiat professionem Nouitiæ, si id ei expressè prohibeatur à proprio Prælato.

Respond. non recipere validè, si Prælatus iurisdictionem habeat in monasterium (vt suppono) & ex causa rationabili prohibeat receptionem, siue cum decreto irritante, siue iis verbis, vt ostendat se aliter in eam non consentire. colligitur ex doctrina, quam tradit Sanch. *l. 5. mor. 4. num. 71.* aliis relatis, Prælatum scilicet superiorem posse in aliquo casu præcipere Prælato locali, ne quem recipiat ad professionem, idque cum decreto irritante; &, si communi bono conuentus expediret non admittere aliquam Monialem, posse Prælatum illarum suspendere potestatem admittendi tum ipsi Abbatissæ, tum Conuentui, ita vt admissio esset irrita ex defectu potestatis in admittente: quæ duæ doctrinæ vtique probant Abbatissam non posse, neque de consensu Conuentus, validè recipere professionem Nouitiæ contra expressam prohibitionem proprij Prælati modo supradicto factam: cùm sic potestas admittendi in Abbatissa, & Conuentus iam sit suspensa, ideòque non possit exire in actum.

QVÆRES XXI. An Moniales cogi possint à proprio Prælato, vt inuitæ Nouitiam recipiant ad professionem.

Respond. videri non posse, si sint rationabiliter inuitæ. ducor ex doctrina, quam tradit idem Sanch. *supr. num. 65.* cum Lappo, Dominico, Franco, & aliis dicens: Episcopo iubente recipi Monialem ad professionem in conuentu ipsi subdito, non esse recipiendam, contradicente maiori parte conuentus; &, si Episcopus compellere velit, posse appellari ad Superiorem: idque, ne aliàs iniustè priuentur iure sibi competente contra textum *Instit. de his qui sunt sui* in fine, cum similibus.

Dixi *si sint rationabiliter inuitæ*; vt indicarem secùs dicendum in casu, quo essent irrationabiliter inuitæ, & constet de iniustitia: idq; ob dicta à Sanch. *supr. num. 71.* Episcopum videlicet, etsi nequeat solus creare Moniales in Conuētu subdito; at, si penuriam Monialium patiatur, & Conuentus monitus, assignato termino, nolit admittere, posse illum supplere Conuentus consensum: quod est dicere Prælatum Monialium posse eas cogere, vt recipiant aliquam Nouitiam ad professionem, si eam sine ratione reiiciant. Confirmatur ex eo quod Moniales in tali casu Nouitiam reiicientes delinquunt: certum est autem eiusmodi delictum, sicut & cætera, subiacere correctioni Prælati, nel aliàs delicta manerent impunita. ita Nald. Baldell. Sanctarell. & alij à me per literas consulti: contra quos sentit Io. de Lugo item à me cōsultus dicens se non audere concedere id, quod concedunt isti Doctores; eò quod consensus Conuentus in casu proposito videatur esse de substantia professionis, & consequenter omninò necessarius ad valorem illius: quod nos etiam concedimus, addentes in casu proposito videri adesse dictum consensum hoc ipso quòd Prælatus illum supplet iuxta doctrinam Sanch. paulò ante traditam; quæ non apparet cur in casu præsenti admitti non possit, aut non deceat; præsertim, si Monialium iniustitia facilè probari possit in foro externo.

QVÆRES XXVI. An Prælatus Monialium possit per se recipere professionem Nouitiæ iniustè reiectæ à Conuentu, & ab Abbatissa aliàs solita recipere professionem suarum Monialium.

36. Respond. videri posse, stante doctrina *præced. q.* allata ex Sanch. quamquam tunc in formula professionis nomen Prælati exprimendum esset loco nominis Abbatissæ, quod aliàs in ea solet exprimi. ita Nald. Baldell. Sanctarell. aliique à me consulti, patetque ex dictis; si moneret Nouitiam taliter profitentem nihilominus teneri ex voto obedire Abbatissæ: quippe quod obligat ad obediendum cuicunque legitimo Superiori, cuiusmodi est sine dubio etiam Abbatissa.

QVÆRES XXVII. An Moniales possint cogere Prælatum, aut Abbatissam, vt recipiant professionem Nouitiæ ab ipsis capitulariter admissæ, si aliàs illam renuant recipere.

Respond. videri posse (si constet illos iniustè repugnare admissioni) & quidem recurrendo ad Prælatum superiorem. colligitur ex Sanch. *supr. num. 65.* dicente in casu simili licere appellare ad Superiorem: è contra non possunt Moniales cogi à Prælato, vt recipiant ad professionem Nouitiam ab ipsis cognitatem indignam: &, si cogantur, ei possunt resistere recurrendo ad superiorem Prælatum; aliàs cogerentur facere contra conscientiam; quod est omninò inconueniens. 37.

QVÆRES XXVIII. An, & qualiter Moniales possint reclamare contrà nullitatem propriæ professionis vigore Concil. Trid. *sess. 25. cap. 19. de Regul.*

Respond. posse: cum Concilium dicat, *Quicunque regularis*; & masculium concipiat fœmininum; vt colligitur *ex cap. si quis suadente, v. si quis 17. q. 4.* præsertim concurrente identitate rationis. Verum tamen est Moniales, vt licitè vtantur hoc indulto Concilij, debere tria seruare; videlicet vt non deponant habitum Religiosum ante reclamationem; vt deducant causas nullitatis professionis coram Ordinario, si sint ei immediatè subiectæ; vel coram Ordinario, & Prælato regulari simul, si sint exemptæ; vt reclament solùm intra quinquennium computandum à die professionis. Quamquam, si Monialis ex ignorantia nullitatis professionis, aut alio impedimento intra quinquennium non reclament, possint reclamare etiam post quinquennium; vt notant Rodriq. *tom. 3. quæst. 17. art. 16.* & alij à nobis relati *in tract. de profess. cap. 5. n. 43.* vbi ex Portel. & Barbosa notauimus hodie, vt Religiosus admittatur in tali casu ad reclamandum, debere obtineri rescriptum à Papa, sicque practicari. 38.

SECTIO II.

De Dote soluenda ante Monialium Professionem.

39 *Quid veniat nomine dotis.*
40 *Quo titulo dos recipienda, ne receptio sit simoniaca.*
41 *Recipi potest etiam à monasterio diuite; idq; ex consuetudine, quæ multum potest.*
42 *Taxanda à Prælato Monialium de iure antiquo.*
43 *Modò taxatur à sacra Congregatione.*
44 *Quanta esse debeat.*
45 *Non potest recipi maior taxa: & si dentur officia Conuentus pro Moniali, ea interdū ad hæc cogitur.*
46 *Soluenda pro quacunque Moniali, sed non Conuersa, & Chorista necessaria.*
47 *Traditur à patre.*
48 *Ex quibus bonis constitui possit.*
49 *In defectum patris à quo tradi debeat.*
50 *Pater eam tradit filiæ, ipso inuito, ingredienti Religionem: datur minor, quam si ea nuberet.*
51 *Ea soluenda in professione, & non ante.*
52 *Apud quem deponenda vsque ad emissionem professionis: & vnde valor monetæ illius.*

53 De

53 *De bonis Monialis Nouitia iuxta aliquos interdum conuentus recipit.*
54 *Alij id negant, & probant.*
55 *Proponitur sententia Suarez.*
56 *Intuitu Nouitiæ possunt alij dare Conuentui de suis bonis.*
57 *Excommunicantur dantes, & recipientes de bonis Nouitiæ ante professionem.*
58 *Ex amore Dei Nouitia nequit dare Conuentui de suis bonis ante professionem.*
59 *Conuentus recipit aliquid supra sortem ob dilatam dotis solutionem.*
60 *Dos soluenda in pecunia: etsi in aliquo casu oppositum non videatur improbabile.*
61 *De iure communi alienatur sine solemnitate dos ordinaria Monialium.*
62 *Interdum non recipitur quidquam supra sortem ob dilatam dotis solutionem.*
63 *Quæ requirantur ad alienandam dotem prohibitam alienari.*
64 *Ea implicatur in monasterij ædificio.*
65 *Non item in soluendis debitis, aut in extinguendo censu; etsi alij dissentiant.*
66 *Item in parandis alimentis necessariis, si breui tantumdem pecuniæ implicandum in bonis immobilibus speretur probabiliter.*
67 *Remissio debiti grauantis monasterium non datur, nec recipitur loco dotis.*
68 *Indebitè alienantes dotem puniuntur.*
69 *Translata Moniali ad alium conuentum iuxta aliquos etiam transfertur.*
70 *Idque maximè in aliquo casu.*
71 *Dos perpetuò acquiritur monasterio.*
72 *Ea non soluta, Monialis adhuc alenda à monasterio.*
73 *Non item, si dos à fisco rapiatur.*

QVÆRES I. Quid intelligatur hîc nomine dotis.

39. Respond. quòd, sicut nomine dotis, quæ solet solui marito, intelligitur id quod datur à muliere proprio viro in sustentationem, iuxta *l. si rem æstimata, ff. de iure dot.* (siue illud soluatur à patre mulieris, siue ab extraneo, *vt in §. accedit, l. vn. C. de rei vxor. act.*) sic nomine dotis, quæ pro Moniali professura solui consueuit monasterio, in quo fit professio, intelligitur certa summa pecuniæ taxata à legitimo Superiore, quæ dari solet monastrio in sustentationem Monialis in eo profiteotis; vnde iura decreuerunt Patrem teneri constituere congruam dotem non solum filiæ nubenti, sed etiam monasterium ingredienti; sicut communiter notant Cononistæ, & iuris ciuilis Doctores.

QVÆRES II. An, & quo titulo recipi possit dos pro admissione Mooialis ad Professionem religiosam absque vitio simoniæ.

40. Respond. posse, & quidem etiamsi monasteriom, cui dos soluitur, sit valdè opulentum. ita Miranda *quæst.* 8. *de monial. art.* 8. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt. num.* 39. Tambur. *de iure Abbatiss. D.* 5. *quæst.* 3. *num.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 79. aliique penes ipsos. Et quidem quòd possit solui dos, absqe vitio simoniæ, probatur tum quia, sicut in matrimonio carnali potest attendi ratio Sacramenti, & onus sostentandi coniugem, ac familiam, cuis intuitu exigitur dos à puella: sic & in matrimooio spirituali, nempe in professione religiosa, considerari potest status spiritualis, & onus alendi personam profitentem, quorum posterius est temporale, ac pretio æstimabile: sicut ergo in matrimonio carnali recipitur dos, immò & ex pacto exigitur (licet pro Sacramento non posset recipi absque simonia) ita & in presenti casu, cùm sit par ratio, tum quia Inno. VIII. ad tollendum omnem scrupolum concessit Monialibus Ordinis Minorum (quippe que nesciunt discernere inter intentionem primariam quæ causat simoniam, & secundariam, quæ excusat à labe simoniæ) vt in recipienda dote nunquam incurrant simoniam, nisi in casu, quo paciscantur de aliquo dando, vel soluendo pro ingressu, aut recipiant inhabiles ex spe habendi aliquid. Quin etiam Clement. VII. teste Casarub. *in comp. v. moniales*, §. 31. (qui etiam refert *num.* 16. concessionem Innocentij VII. modò citatam) concessit præfatis Monialibus, quòd nullam incurrerent simoniam ex pactionibus ac conuentibus quas faciunt in receptione intrantiom Ordinem ipsarum super dotibus recipiendarum pro coogrua, ac sufficienti earum sustentatione.

Dixi, *& quidem etiamsi monasterium, cui soluitur dos, sit valdè opulentum*; vt innuerem dotem in casu proposito posse recipi, siue monasterium sit inops (quod omnes concedunt) siue sit opulentum (quod negant aliqui cum Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 48. *art.* 2. qui tamen postea se retractauit *in addit. ad summ. tom.* 3. *cap.* 144. *num.* 8.) & ratio est, quòd expedit monasteria Monialium habere sufficientes redditus, ne alioqui ipsis præbeatur ansa vagandi, & communicandi cum sæcularibus; vnde rarò accidet, vt non habeant probabilem titulum exigendi moderatam dotem, præsertim existente de hoc diuturna consuetudine; idque vt sic securiores sint de sufficientia reddituum, & præterea plures recipere possint Moniales, quàm alioqui deberent, notat autem Layman. *vbi supra* consuetudinem diuturnam in huiusmodi rebus faciliùs cohooestare, quàm statutum; eo quòd statutum, vt aliquid detur in ingressu Religionis in prima sua origine exactionem quandam contineat: consuetudo verò originem trahere potuerit voluntariam, ipsis scilicet ingredientibus in talem consuetudinem spontè consentientibus, sicque diuturni temporis progressu firmari. 41.

QVÆRES III. Ad quem spectet dotem Monialium taxare.

42. Respond. quod, sicut spectat ad Principes temporales taxare dotem soluendam pro puellis matrimonio carnali copulandis, id exigente bono communi, vt ostendit Rodriq. *sup. quæst.* 38. *art.* 3. sic & taxatio dotis soluendæ pro Monialibus spirituale matrimonium per Professioné religiosam cum Christo contrahentibus dicenda est spectare ad Superiores ipsarum Monialium: qui quantitatem dictæ dotis debent definire iuxta vniuscuiusque Regni, Prouinciæ, aut loci consuetudinem, valorem rerum concernentium victum, ac vestitum, & aliarum concurrentium circumstantiarum dispositionem. ita Rodriquez *loco citato* Miranda *sup. art.* 8. Tamburin. *sup. quæst.* 4. & alij; inter quos Mirand. notat præfatos Superiores Monialium, insciis, immò & repugnantibus ipsis Monialibus, simpliciter loquendo, posse immutare taxam dotis, eam in aliquo casu diminuendo, si adsit iusta causa id faciendi, & alioqui remaneat quantitas sufficiens ad decentem sustentationem Monialis cum tali dote diminuta recipiendæ, quamuis regulariter id non expediat, immò potiùs consultum sit id facere de consensu saltem maioris, ac sanioris partis Monialium monasterij, nempe Discretarum, idque ad vitandas tricas, ac importunas Monialium querimonias. Probatur autem responsio tum ex dictis; tum quia taxatio dotis est res maximi momenti, ideóque non videtur relinquenda arbitrio fœminarum, quæ quantumuis in suo genere

genere sint prudentes, semper tamen sunt fœminæ, idest deficientes, imperfectæ, ac iudicij minòs sufficientis (vt olim sapienter effata est quædam Domina non minos prudentia, quàm generis nobilitate conspicua fortè alludens ad id quod dicit Plutarchus *lib. de tranquillit. animæ*: vbi indocit virum prudentem sic loquentem; *noueram mihi esse probam mulierem, sed mulierem*) tum quia supposito vt certo quòd dos non possit recipi in pretium admissionis ad professionem Religiosam, absque labe simoniæ, si ipsæ Moniales præfatam dotem taxare deberent, non rarò exponerentur probabili periculo committendi simoniam, vt potè minùs benè scientes discernere inter pactionem dotis per modum pretij ingressus, & inter pactionem dotis per modum debitæ sustentationis. Vnde fit, vt taxatio dotis respectu Monialium subditarum Ordinario aliàs spectaret ad ipsum Ordinarium, respectu verò exemptarum, ad Ordinarium, ac Prælatum regularem, saltem in multis locis.

Quod si quæras, ad quem Superiorem in præsentia spectat præfata taxatio dotis, num ad Ordinarium loci, etiam respectu Monialium exemptarum.

43. Respond. in præsentia id spectare ad Sacram Congregationem Episcoporum ac Regularium, sicque communiter modò obseruari, vt mihi testatus est Reuerendiss. Bonafides Vicarius generalis Ferrariæ.

Qværes IV. Qualis dos solui debeat pro vnaquaque Moniali professura.

44. Respond. pro Moniali quidem admittenda ad professionem intra numerum præfixum debere solui dotem ordinariam modo supradicto taxatam; pro supranumeraria verò, & tertia sorore recipienda, duplicatam; nomine dotis duplicatæ intelligendo duplicatam summam illius pecuniæ, quæ ex statuto, seu consuetudine ibi solet recipi pro admissione Monialium intra numerum præscriptum: ita vt, si summa ordinaria sit 200. aureorum, tunc soluantur saltem 400. aurei, & non minùs; & hoc ex declaratione sacræ Congregat. facta 5. Sept. 1604. quæ 26. Aug. 1616. (teste Gauanto *in manu Episc.v. Monialium nouit. alimenta, num.8. & 9.*) item declarauit non solum pro tertia sorore Moniali in eodem monasterio intra numerum designatum soluendam esse dotem duplicatam, sed etiam triplicatam pro quarta sorore petente admitti in idem monasterium; & quidem etiam cum hoc, quòd ista in capitulo careat suffragio, quousque altera ex duabus primis eius sororibus moriatur. Statuit è contra eadem Sacra Congregatio die 30. Septembris 1616. in dotibus recipiendis nullam differentiam admittendam esse inter puellas; terretias, quæ petunt admitti ad Religionem, & inter aduenas: quod notauit Tambur. *supra quæst. 7. num. 5.* ex Gauanto.

45. Addo ex Tamburino *supr. quæst. 5. num.* 4. quod, si monasterium Monialium recipit pro ingressu Nouinitiæ dotem maiorem ea, quæ de facto fuit taxata: tenetur restituere illam quoad excessum; & ratio est, quòd iuxta indulta apostolica Monialibus non permittitur quidquam recipi vltra taxam præscriptam, nisi quod offertur liberaliter absque pacto expresso, aut tacito, seo præsumpto; cuiusmodi vtique non est, quod in tali casu solueretur nomine dotis vltra taxam præscriptam; si quidem talis excessus reputaretur simoniacus; vt aduertit Rodriquez *supr. art. 6.* indeprobans excessum illum debere restitui, quòd accepta simoniacè non possunt retineri, sed debent restitui, sicut dictum est.

Quod si hac occasione quæras, an Monialis, quæ duplicatam dotem soluit monasterio, vt se eximat ab obligatione exercendi consueta officia Conuentus, & quidem ex pacto hac de re inito cum ipso monasterio, possit nihilominus in aliquo casu cogi ab Abbatissa, vt exerceat tale aliquod officium.

Respond. posse in casu vrgentis necessitatis: & probatur tum quia stante etiã dicto pacto, adhuc in Moniali viget obligatio obediendi in omnibus, quæ non sunt supra, aut contra Regulam (cum habeat votum Obedientiæ) exercere autem ordinaria officia Conuentus non est supra, nec contra regulam, vt patet: tum quia pactum illud initum à Moniali cum monasterio id solum operatur, quod de lege (vt sic loquar) ordinaria Monialis non obligetur ad exercenda officia Conuentus, non autem quod simpliciter, & absolutè ad ea non possit astringi, neque in casu vrgentis necessitatis: quo modo Sanchez *lib. 7. mor. cap* 8. *num.* 18. ex Rebello *p. 2. lib. 1. quæst. 7. sect. 1. num.* 12. docet, si Prælatus rem aliquam Monacho concedat ad vsum, promittens fore, vt non reuocet, ex rationabili causa adhue posse reuocare; cum Prælatus ex rationabili causa possit Religioso subdito non seruare promissa, sed reuocare (vt loquitur Rebellus *loco citato*) currit autem paritas in præsenti casu, vt consideranti facilè constabit; sicque procedit regula iuris, *Vbi militat eadem ratio, militat, & eadem iuris dispositio*: tum quia teste Sanchez *supr. cap.* 17 *num.* 4. relictum Monacho eà lege vt ad eum pertineat, non autem ad monasterium nec possit Superior in id se intromittere, nec auferre, debet benignè interpretari, vt nihil facti pertineat ad monasterium, secùs autem de iure; sic ergo in nostro casu pactum initum à Moniali cum monasterio benignè interpretandum est, vt intelligatur in casu ordinario, non item in extraordinario; qualis esset, si in Conuentu non esset alia Monialis, quæ tunc hoc, vel illud officium exerceret. sic ego in contingentia facti interrogatus respondi, & responsionem approbarunt Bordonus, & Zanettus viri doctissimi à me postea consulti: quam puto procedere etiam in casu, quo officium Conuentus exerceri deberet cum magnis expensis ipsiusmet Monialis, illas monasterio nequaquam suppeditante: hoc enim ipso quod bona omnia, quæ singulæ Moniales habent, sunt in dominio monasterij, potest Monialis cogi ea in casu extraordinario expendere in exercitio officij ei à Superiorissa impositi, etsi faciendo prædictum pactum cum monasterio intenderit se à talibus expensis eximere.

Quod autem ad me rescripsit P. Bordonus eiusmodi pactum esse turpe, vt potè contrarium voto Obedientiæ, ac proinde haberi pro non adiecto *cap. fin. de condit.* & esse nullius valoris, ac efficaciæ; imo & videri simoniacum, monasterio vendente ius obedientiæ, ex voto circa hoc, vel illud officium Conuentus exercendum, sicque ab iis Monialem eximente vigore pecuniæ ad hunc effectum solutæ; quæ vtique est quid temporale, cum alioqui ius præcipiendi sit spirituale, vtpotè fundatum in voto Religiosæ Obedientiæ: hoc, inquam, quod dicit Bordonus, mihi non probatur. Et quidem quod dictum pactum non sit turpe, si intelligatur eo modo, quo nos dicimus esse intelligendum, probatur, tum quia simile pactum inter Moniales passim fit in aliquibus locis, scientibus earum Prælatis, & non contradicentibus, cum facilè possent contradicere (quod est signum illud non esse turpe; aliàs illud non permitterent) tum quia non apparet, in quo sit talis turpitudo, cum licitè possimus medio

licito

licito procurare exemptionem ab hac, aut illa obligatione, & in casu proposito collatio pecuniæ non sit medium illicitum, vtpotè facta ad seruandum monasterium indemne, vt scilicet possit alere aliàs Moniales, quæ exerceant officia, à quibus eximitur Monialis cooferens pecuniam tum quia hoc pactum non videtur aduersari voto Obedientiæ, si Monialis sit simpliciter parata exercere officia monasterij, occurrente casu vrgentis necessitatis, & Superiorissa id ei præcipiente; siquidem monasterium admittens pactum illud, cedit iuri suo; quilibet autem potest cedere iuri suo; cum volenti, & consentienti non fiat iniuria. Quod verò tale pactum non sit simoniacum, probatur, quia pecunia in casu isto non datur ad emendum ius præcipiendi, quod vtique est spirituale, sed ad emendam exemptionem ab obligatione exercendi officia Conuentus, quæ obligatio cum sit quid temporale, & exemptio illius erit quid temporale, adeòque per pecuniam, quæ est bonum temporale, emitur ius quoddam temporale, nempè exemptio ab obligatione exercendi officia Conuentus.

Qværes V. An Moniales, si velint, possint vnanimiter admittere aliquam Nouitiam ad professionem absque solutione debitæ dotis, aut certè cum solutione dotis minoris taxata.

46. Respond. Tambur. q. 7. n. 1. ex Barbosa; Moniales quidem velatas non posse, nec debere admitti, siue intra, siue extra numerum, absque dote (adde tu, nec cum dote minori ea, quæ est taxata, cùm sit eadem ratio:) pro Monialibus autem conuersis non semper spectandam esse dotem, sed interdum necessitatem monasterij; quod est dicere huiusmodi Moniales admitti posse, etiam absque dote, si illarum opera necessaria sit vsibus monasterij; idque ex declaratione Sacræ Congregat. facta 20. Maij 1596. quæ fuit non minùs necessaria, quàm prudens; maximè ad coërcendam nimiam facilitatem Monialium in recipiendis nouis Monialibus, sicque consulendum bono temporali monasteriorum, quæ inde patentur non vulgare detrimentum Quamquam minus mihi placeat quod ait Tamburinus: putant enim aliqui, si contingat adolescentulam esse valde necessariam ad bonum monasterij (v. g. ad pulsandum organum) posse illam sine dote admitti etiam vt choristam; cum respectu illius militet ratio inventa hic à Sacra Congregatione sicque procedat regula Iuristarum, *vbi militat eadem ratio, militat* & eadem iuris dispositio. sic illi; at videndum est, ne obstet Curiæ stylus.

Qværes VI. An, & ex quibus bonis teneatur pater constituere dotem taxatam filiæ ingredienti Religionem.

47. Respond. teneri, & quidem etiam ex bonis aliàs strictissimè vinculatis; quæ, sicut possunt distrahi pro dote descendentis à testatore ad contrahendum carnale matrimonium, sic & possunt ad ingrediendum Religionem: cum fauorabilior sit ingressus Religionis dote ad matrimonium, temporale, iuxta Authent. *de sanctiss. Episc. §. sed & hoc præsenti, collat. 9.* Ita Sanch. *l. 4. de matr. D. 26. n. 7.* ex Baldo, Felin. Euerard. Auendaño, & Menochio, quos citat, & sequitur Tambur. *sup. q. 2. n. 3.* paretque ex dictis; si solùm probetur patrem teneri, siue inte obligationis, siue ex potestate Iudicis, dotare filiam in quantitate necessaria ad debita alimenta, si aliunde ei non suppetant: si quidem alimenta, & dos in iure æquiparantur, valetque optimè argumentum ab alimentis ad dotem: probatur autem *ex l. qui liberos, ff. de ritu nuptiar. & l. fin. C. de dote promiss.* in quibus iuribus habetur expressè patrem teneri constituere dotem Filiabus, quas in matrimonio collocat.

Dixi sub initium responsionis, *& quidem etiam ex bonis aliàs strictissimè vinculatis*; vt innuerem interdum posse distrahi bona arctissimo fidei commisso subiecta in subsidium, ad effectum constituendi dotem Moniali pro spiritualibus nuptiis; si videlicet fideicommissum institutum sit ab vno ex ascendentibus hæredis grauati: non item, si à collaterali, aut omninò extraneo, sicut benè aduertit ex communi DD. sententia noster Molina *tract. 2. D. 648. num. 1.* qui, etsi loquatur de dote tradenta pro nuptiis carnalibus; idem tamen concederet etiam in nostro casu; cum militet par ratio, immò causa spiritualium nuptiarum sit fauorabilior: probat autem Molina istam doctrinam ex variis iuribus, quæ refert, indicans *num. 1.* dictam distractionem bonorum non permitti, si dos aliunde tradi possit ex bonis hæredis grauati. Quæ doctrina non videtur procedere quò ad bona hæredum mariti modò dicto vinculata in ordine ad restituendam dotem vxori superstiti; sicque ex præfatis bonis ei dos restitui non poterit. Moueor, quia eadem ratio non militat in vtroque casu, ne scilicet mulier descendens ex testatore vinculante bona sua maneat indotata; quod de pio affectu illius erga suam descendentem non debet præsumi: si quidem in isto casu mulier non est descendens præfati vinculantis bona, sicque non habet locum ratio prioris casus. 48.

Quis verò teneatur in defectum patris constituere dotem Moniali.

Respond. teneri illum, qui de iure teneretur constituere illi dotem ad matrimonium carnale contrahendum: siue is sit mater, siue patruus, siue alius, prout tradunt DD. agentes de dote; est quippe par ratio de matrimonio spirituali, quod fit per ingressum Religionis, ac de carnali; immò fauorabilior est causa Religionis, vt iam dictum est. 49.

Dubium esse posset, an pater teneatur dotare filiam ingredientem Religionem contra ipsius voluntatem.

Respond. teneri; & probatur, tum quia filia nubens digno, absque patris consensu, & dotis promissione, debet dotari à Patre iuxta communem sententiam, apud Ripam *l. 1. num. 57. & 58. ff. soluto matrimon.* ergò à fortiori dotanda erit, si ingrediatur Religionem, quantumuis inuito Patre; tum quia pater in hoc casu est irrationabiliter inuitus, cùm filia eligendo statum Religiosum vtiliter, piè, & sanctè suum peragat negotium: non ergo ea debet debono opere lapidari, amittendo ius dotis aliàs sibi debitæ; tum quia non desunt multi Doctores, apud Sanchez *l. 1. de matrim. D. 34. num. 12.* asserentes, quòd si Titio legentur ducenta, si vxorem duxerit, centum verò, si Religionem ingrediatur, Titio ingredienti Religionem debentur ducenta, eò quod conditio annexa tali legato tanquam aduersa Religioni sit inualida (quòd tamen alij negant apud eundem Sanchez *num. 13.* & probabiliùs iudicio ipsius) ergo multò magis soluenda est dos filiæ ingredienti Religionem contra voluntatem patris, cum ea sit debita ex iustitia, non autem ex sola liberalitate, à qua prouenit dictum legatum. 50.

Notat autem Giouagnonus *lib. 1. resp. 50. num. 48.* ex decisione Rotæ Romanæ a 1. Iunij 1602. coram Ludouisio puellam ingredientem Religionem non posse petere eamdem dotem, quæ ei daretur in casu nuptiarum carnalium; adeòque monasterium esse debere contentum dote scutorum 500. data iuxta consuetudinem, nec posse petere supplementum,

mentum, etsi aliæ filiæ in matrimonio carnali habuissent summam scutorum quatuordecim millium.

QVÆRES VI. Quo tempore solui debeat dos pro Moniali ingrediente Religionem, num ante professionem sub initium Nouitiatus, an in ipsa professione, vel alio tempore.

51. Respond. debere solui in ipsa professione, non autem ante, cum id non solum prohibeatur in Concilio Trident. *sess. 25. de regul. cap. 16.* iis verbis: *Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu Nouitij, vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur: ne hac occasione discedere nequeat, quod totum, vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, recuperare possit*; sed etiam multò expressiùs à Sacra Congregatione Cardinalium, quæ teste Suarez *tom. 4. de relig. tract. 9. l. 1. cap. 11. num. 4.* declarauit neque dotem tribuendam esse monasterio ante professionem, sed in deposito retinendam; quamquam (subdit Suarez) si necessitas vel aliqua maior commoditas ipsiusmet Nouitiæ intercederet, & iudicium, ac licentia Episcopi interueniret, posse (vt opinor) dos recipi à monasterio, data certa cautione, & securitate illam integrè, & sine difficultate restituendi, si Nouitia velit abire: ita enim satisfit intentioni Concilij; sic ille, & non improbabiliter, saltem, quoad forum conscientiæ.

52. Notat autem Tambur. *supr. quæst. 7. num. 3.* ex declaratione sacræ Congregat. facta 15. Maij 1594. dotem puellæ, quæ ingressura est Religionem, nullatenus debere relinqui penes consanguineos illius, sed antequam suscipiat habitum regularem, deponendam esse penes aliquem diuitem campsorem; vel certè, si non adsit campsor, apud aliquem mercatorem, aut alium virum fide, ac diuitiis idoneum, qui se obliget ad eam actu soluendam, quandocunque Moniales illam petierint, & quidem absque vlla exceptione, ac difficultate.

Addit Lezana *v. dos num. 3.* ex Tamburino sacram Congregationem declarasse in solutione dotis Monialium, & annuarum præstationum ipsis debitarum valorem monetæ debere attendi iuxta tempus contractus.

QVÆRES VII. An, stante decreto Concilij Tridept. relato *quæst. præced.* possint Moniales ex bonis puellæ admittendæ ad Religionem, ante eius professionem aliquid recipere saltem titulo mutui, commodati.

53. Respond. Emman. Rodriq. *tom. 2. quæst. 48. art. 5.* Mirand. *supr. art. 9.* Tambur. *supr. quæst. 5. n. 1.* & alij (à quibus non omninò dissentit Sanchez *lib. 7. mor. c. 5. num. 24.* dicens se non audere damnare illorum sententiam) & quidem non improbabiliter, Moniales posse aliquid modo dicto recipere ex bonis puellæ absque transgressione decreti Concilij Trid. si in tali receptione interueniant pignora, aut fideiussio sufficientia: idque inde probant, quòd sic cessat finis prohibitionis Concilij, qui est, ne aliàs Nouitia cogatur manere in Religione, etiam inuita ob difficultatem recuperandi, quod ex suis bonis datum est monasterio titulo mutui, aut commodati. Verùm in praxi sequenda est opposita sententia, vtpotè fauorabilior statui Religioso, conformior menti Concilij Tridentini, & communior Doctorum, nempè Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 9. num. 26.* Sanchez *loco citato*, Velasci *de part. cap. 16. num. 32.* aliorúmque apud Tamburinum; nimirum Moniales non posse ex bonis puellæ recipiendæ ad Religionem quidquam recipere, neque titulo mutui, aut commodati, neque alio quouis titulo, seu quocunque prætextu, vt loquitur Concilium; quòd proinde (dicit Suarez) per verbum, *tribuendi*, intellexisse credendum est quamcunque actualem traditionem bonorum Nouitij, per quam in potestatem, vsum, administrationem, aut etiam dominium Religionis deueniant, non obstante quacunque obligatione ea reddendi, si Nouitius habitum dimittat.

Probatur autem hæc posterior sententia tum ex verbis illis, quibus vtitur Concil. in eo decreto, *quocunque prætextu*, & infra *ne hoc vllo modo fiat*; quæ satis clarè videntur excludere, etiam titulum mutui, ac commodati; tum quia estò verbum, *tribuatur*, sumptum secundùm rigorem verborum importet actum diuersum à datione facta per modum mutui, aut commodati; & aliàs lex odiosa (cuiusmodi est decretum istud Concilij) debeat coarctari ad rigorem verborum; nihilominus tale decretum non videtur posse explicari, ita vt non comprehendat mutuum, & commodatum absque eo quòd magna fraus committatur contra dictum decretum iuxta *leg. non dubium, C. de leg.* vbi dicitur: *Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem*: cum tamen aliàs satis apertè constet mentem Concilij esse excludere quamcumque dationem, etiam per modum mutui, & commodati, stante quòd non minùs ex his, quàm ex alia largitione aliquo modo impeditur libertas Nouitij: cùm etiam, dato pignore, aut præstita fideiussione, possit Nouitius retardari à libero recessu Religionis, siue ex timore non molestandi fideiussorem, exigendo fideiussionem datam: siue ex metu offendendi Religiosos monasterij, repetendo pignus ab illis depositum: vnde & ipsi parentes Nouitij non audebunt compellere Religionem ad soluendum, sed in gratiam Nouitij conniuebunt. 54

Nonnulla quidem (inquit Suarez *supr.*) *verisimilitudo esse posset, si in casu proposito bona mutuo darentur monasterio, restituenda ante tempus professionis; vt v. g. ad 5. vel 6. menses: tunc enim non solum in particulari casu, sed etiam per se, & ex vi talis actionis cessare videtur finis Concilij, nec videtur illa esse largitio simpliciter, etiam iuxta subiectam materiam, quia non conceduntur talia bona sub ea tantum conditione, nisi Nouitius retrocedat, sed vt restituantur ante professionem, etiamsi ipse perseueret. Sed nihilominus* (subdit Suarez) *existimo talem mutuationem esse alienam ab intentione Concilij, & non carere scrupulo, quia saltem retardare potest Nouitium, ne ante solutum à Religione debitum Religionem dimittat, etiamsi id desideret; item quia post acceptum tale mutuum, facile est Religioni solutionem differre spe retinendi Nouitium; & è conuerso difficile erit parentibus Religionem compellere, vt soluat, sed potiùs in gratiam Nouitij conniuebunt.* Sic Suarez ita concludens, *quapropter ab omni actione huiusmodi, vel specie illius abstinendum est.* 55

Concedit tamen Suarez (& à fortiori admittunt Sanchez *supr. num. 23.* aliique qui sentiunt cum Rodriquez) non agere contra decretum istud Concilij parentes, propinquos, & amicos Nouitij, vel Nouitiæ, si de suis propriis bonis aliquid tribuere velint monasterio in gratiam Nouitij, ad effectum vt is beneuolentiùs tractetur, aut suscipiatur; nam textus expressè dicit, *de bonis eius* (idest Nouitij) tuncque non habet locum ratio Concilij; cùm per hoc non minuatur libertas Nouitij; quatenus ea bona ad ipsum non pertinet, neque ea ipse potest, aut debet recuperare, sicque ei non redditur difficilior egressus 56

c Reli

à Religione, si voluerit redire ad sæculum. Quamquam doctrina non videatur admittenda omninò absolutè, sed cum limitatione, quam apponit Sanchez *vbi supr.* nimirum, dummodò parentes ea bona non dent monasterio in dotem Nouitiæ, eò quòd alioqui computanda essent in legitima ipsius Nouitiæ; quod sine dubio ex communiter accidentibus regulariter præsumi poterit, nisi parentes protestentur ea bona se dare omninò ex propriis, aut non dare in dotem filiæ, nec computare in legitimam filij; quare ex doctrina Suarez potest inferri, parentibus fore semper licitum modo dicto date bona monasterio, quoties non habent bona propria filiorum: cùm in dubio censeri debeant ita contrahere, vt non delinquant, nec censeantur de legitimis filiorum quidquam disponere.

57. Illud demum hîc benè monent Sanchez *num.* 26. Suarez *loco citato*, Tambur. *supr. num.* 4. Peyrin. *de R. S. quæst.* 1. *cap.* 29. & alij, quòd, cùm excommunicatio, quæ fertur in Concilio Trident. *vbi supr.* contra dantes ex bonis Nouitij aliquid monasterio, excepto victu, ac vestitu, ante professionem, & contra id recipientes, feratur sub his verbis: *Sub anathematis pœna*; quæ arguunt excommunicationem, non latæ sententiæ (sicut censent Velasc. & Rodriq. allegati à Sanchez) sed ferendam: proinde dicendum est in præsenti casu non incurri excommunicationem ipso facto, sed tantùm per sententiam Iudicis: quod non esset, si Concilium dixisset, *sub anathematis pœna ipso facto incurrenda*, aut aliud verbum æquiualens addidisset, vt tradunt DD. communiter suo loco.

58. Addit Peyrin. *supr.* (& quidem meo iudicio non parum probabiliter) Nouitium, si fit sui iuris, & non habeat parentes, non posse in ingressu Religionis præter victum, ac vestitum donare quidquam monasterio ex amore Dei, vnde retrahi possit ab egressu libero Religionis: si quidem id expressè interdicitur in enato decreto Concilij Trident. iis verbis: *ne quocunque prætextu aliquid monasterio tribuatur*; sicut & ibi interdicitur, ne Nouitius in ingressu Religionis donet se ipsum, & omnia sua bona monasterio, vt olim fiebat: idque ex quadam declaratione sacræ Congregationis, quam dicit Peyrin. de hoc in specie fuisse factam.

QVÆRES VIII. An monasterium possit exigere, ac recipere aliquid supra sortem dotis ratione damni emergentis, aut lucri cessantis ipsi prouenientis ex dilatione ipsius dotis soluendæ pro Nouitia professura.

59. Respond. posse exigere, ac recipere damnum emergens, quod re vera ex dilatione dotis ipsi proueniat, proportionatum tamen ipsi damno, & nullo modo excedens (& quidem etiam expressè paciscendo de solutione dicti damni) non item lucrum cessans, ita Rodriquez *supr. art.* 7. Miranda *art.* 10. Tambur. *quæst.* 6. aliique; & probatur ex eo, quod conuentio soluendi damnum emergens admittitur in omnibus contractibus, & ab omnibus approbatur vt licita, habetque locum in omnibus personis, cuiuscunque status, & conditionis sint; cum omnes iure possint se seruare indemnes, dummodò in euitando damno non excedantur metæ iuris diuini, naturalis, aut etiam humani; è contra conuentio soluendi lucrum cessans non est adeo generalis, sed permittitur solùm mercatoribus, atque negotiatoribus (idque cum certis conditionibus, quas Doctores assignant proprio loco:) vnde, cùm Monialibus, & viris religiosis iure Ecclesiastico sit interdictum negotiari, vt ostendimus infra *cap.* 7. *quæst.* 26. *num.* 31.) ij non possunt neque pacisci, neque recipere quidquam ratione lucri cessantis, cùm ipsis verè non cesset villum lucrum, saltem licitum; quo pacto *in cap. fraternitas* 12. *quæst.* 2. dicitur: *Absit, vt Ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis videtur amittere, & lucra damnis quærat.* Quæ doctrina fundatur *in cap. salubriter, de vsuris*, vbi Innocent. III. decidit Generum ad fructus possessionum, quæ sibi à socero pro numerata dote pignore obligatæ sunt, computandos in sortem principalem non esse compellendum: cùm frequenter doris fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda; vnde arguunt DD. communiter, apud Conarru. *lib.* 3. *var. cap.* 1. *num.* 3. maritum eum promissione dotis posse pacisci de certa quantitate sibi quotannis soluenda vltra sortem, dum non fuerit soluta dos: constat autem licere philosophari à matrimonio carnali ad spirituale, quod fit per ingressum Religionis: loquendo de iis, in quibus inter ipsa concurrit paritas rationis, vt de facto concurrit in isto casu.

QVÆRES IX. In quibus bonis debeat solui dos pro Moniali professura.

Respond. debere solui in ære, seu pecunia, non autem in bonis stabilibus: qualia sunt domus, agri, census, & similia: idque ex declaratione sacræ Congregationis, quam refert Ganant. *in manual. Episc. v. Monialium Nouitiarum alimenta, num.* 6. & Tambur. *supr. quæst.* 7. *num.* 1. & quidem iure optimo, cùm pecunia præsens sit pluris æstimabilis, ac vtilior, possitque commodiùs deseruire occurentibus Monasterij necessitatibus. Quamquam doctissimus Magister putet quod, cum Sacra Congregatio nitatur præsumptione fraudis, quod stabilia nimio pretio valutentur à dantibus dotem, si verè cesset fraus cessabit & dispositio Decreti, saltem pro foro conscientiæ; & maximè, si id fiat de consensu Prælati Monialium ex Epicheia mentem sacræ Congregationis sic interpretantis. 60.

QVÆRES X. An, & quando possit alienari dos tradi solita monasterio pro puella Nouitia admittenda ad professionem, stando in iure communi.

Respond. Tambur. *supr. num.* 6. ex Gananto, & Aldano Sacram Cardinalium Congregationem 6. Iunij 1615. declarasse dotes Monialium, etiam Conuersarum (vt vocant) intra præfixum numerum existentium, emissa ab eis professione, posse expendi in vsus communes monasterij necessarios; Monialium verò supernumerariarum dotes post illatum professionem debere implicari in emptione bonorum stabilium fructiferorum: & hoc, vt ex fructibus inde prouenientibus ea sustentari valeat absque dispendio monasterij. Verùm in aliquibus locis vsus est in contrarium; & quidem etiam ex statuto Prælatorum præcipientium dotes Monialium, etiam receptarum intra numerum præscriptum implicari in emptione bonorum stabilium: quod innuit Rodriquez *supr.* dicens tamen id tardò executioni mandari punctualiter, ac rigorosè, eo quòd monasteria astringantur præfatas dotes implicare in soluendis debitis, & comparandis necessariis ad sustentationem Monialium; inde se excusantes, quòd necessitas non habet legem, *leg. vnica, ff. de offic. proconsul.* & necessitatis causa multa sunt permittenda, quæ aliàs non permitterentur, *cap. si quis propter, de furt.* mihi tamen constat in aliquibus locis id non permitti, & meritò, cum in argumentum trahi non debeant, quæ propter necessitatem aliquando concessa sunt, *reg.* 78. *de reg. iur. in* 6. 61.

Vnum

Vnum etiam hîc obiter moneo, quod item aduertit Rodriq. *supr.* in casu scilicet, in quo dos Monialis implicatur in soluendis debitis, siue contractis, siue contrahendis, statim ac recepta est, non posse tunc recipi quidem titulo damni emergentis (quod *q.* 8. diximus, absolutè loquendo, non esse illicitum;) & ratio est, quòd in tali euentu nullum verè emergit damnum, quod debeat modo dicto resarciri, sicque cessat ratio recipiendi aliquid supra sortem principalem dotis debitæ monasterio.

QVÆRES XI. An possit sine debita solemnitate alienari dos, quæ traditur monasterio pro Moniali admittenda supra numerum taxatum.

63. Respond. non posse, si aliàs supponamus eam cadere sub prohibitionem non alienandi bona Ecclesiastica: quo modo verè cadit, stante decreto Sacræ Congregationis superiùs allato. ita Lezana *tom.* 2. *cap.* 19 *num.* 57. ex Bonacina, & patet, quia dos Monialis supernumerariæ consistit in pecunia destinata ad emptionem rei fructiferæ immobilis; constat autem ex variis iuribus pecuniam taliter destinatam non posse allienari absque debita solemnitate: ex alia parte hoc ipso quòd pecunia data in dotem Moniali implicatur in eméda re immobili fructifera, expenditur ad vsum illum, ad quem est destinata, sicque cessat finis prohibitionis, cúm ea detur, vt de fructibus illius monialis admissa sustentari valeat.

Dificultas est, an dicta pecunia implicari possit in ædificando monasterio, aut emenda domo contigua ipsi monasterio ad eam inhabitandam.

64. Respond. videri posse, & quidem sine licentia Sacræ Congregationis. colligitur ex Peytino *in Formul. lit. B. cap.* 11. *n.* 2. quatenus docet summam pecuniariam implicandam in annuis redditibus posse expendi tam in fabricanda domo, quàm in ea emenda (intellige, si monasterium illa indigeat) patetque ex eo, quòd domus est ex natura sua fructifera, dicique potest de facto fructificare; quatenus liberat monasterium à soluendo pretio locationis domus, quam alioqui cogeretur conducere.

Maior difficultas est, an dicta dos Monialium, inconsulta Sacra Congregatone, possit implicari in dissoluendis debitis quotannis soluentibus interesse, aut etiam in extinguendo annuo censu.

65. Respond. quòd, licèt aliqui recentiores docti, seclusò Curiæ stylo (qui fortè obstat) affirmantem sententiam in vtroque casu amplectantur vt probabilem: quia tamen valdè dubito, ne obstet stylus Curiæ, & aliàs versamur in re ad forum contentiosum facilè deducibili; saltem ad vitandos tumores, ac rixas, contraria sententia videtur sustinenda. probant autem recentiores illi dotem Monialium posse implicari in dissoluendis debitis soluentibus interesse, ex eo quòd, sicut onerare monasterium dictis debitis est alienare: sic illud exonerare tali onere est acquirere; cùm contrariorum eadem sit disciplina: sicque videtur impleri mens legis prohibentis alienationem. Quòd verò præfata dos expendi possit in extinguendo censu annuo, docet expressè Peytinus loco supra citato adducens pro se Trimarchum, & posset probari ex ratione paulò ante allata. Dixi, *in dissoluendis debitis, soluentibus interesse*, vt indicarem secus dicendum de debitis nó soluentibus interesse; in his enim soluendis nó potest insumi dos Monialis: cùm ea extinguere non sit acquirere, sicut nec ea contrahere est alienare; præterquamquod sic aperiretur via alienandi bona ecclesiastica sine solemnitate, & faciendi fraudem contra legem probationis alienandi: cùm huiusmodi debita fieri possint sine solemnitate, &, dato quòd liceret alienare absque debita solemnitate ad ea extinguenda, passim fieri possent alienationes bonorum ecclesiasticorum ad illa dissoluenda: idque cum magno dispendio monasteriorum, quorum bono Summi Pontifices intenderunt consulere, prohibendo alienationem bonorum Ecclesiasticorum. ita docti Neoterici à me consulti, & satis probabiliter.

Dubitari hîc etiam potest, an Moniales censeantur indebitè alienare, si pecuniam traditam in dotem alicuius Monialis insumant in emendis necessariis ad victum, ac vestitum monasterij, eò quòd in præsentia non habeant occasionem paratam illam implicandi, & alioqui sint moraliter certæ se tantundem pecuniæ habituras statim, ac occurrerit commoditas illam expendendi in emptione bonorum immobilium.

Respond. probabile videri, quòd in tali casu non censeantur alienare; & ratio est, quod pecunia computatur inter bona, quæ recipiunt functionem; sicque non repugnant summam aliquam pecuniariam substituere loco alterius summæ obligatæ, nec in hoc propriè interuenit alienatio: maximè cum in tali casu saluetur finis intentus à Superiore in prohibenda alienatione bonorum Ecclesiasticorum, qui est consulere indemnitati monasteriorum, & in præsenti euentu habetur; quatenus loco pecuniæ obligatæ, quæ modo dicto distrahitur, substituitur alia non obligata (vt suppono) sicque fit debita compensatio. ita Magistri valdè docti consulti. 66.

Vtrum verò Moniales possint admittere ad professionem Nouitiam, cui datur in dotem nó pecunia effectiua, sed remissio cuiusdam debiti pecuniarij correspondentis quantitati dotis taxatæ, & soluendi à monasterio parentibus Nouitiæ modo dicto admittendæ.

Respond. quòd, quamuis speculatiuè videri possit probabilis pars affirmans, cùm sic dos soluatur in ære, & quæ implicari possit in emptione bonorum stabilium; practicè tamen amplectenda est pars negans, eo quòd moraliter impossibile sit moniales de facto deuenturas ad statum, vt possint implicare summam illam pecuniæ assignatam in dotem, vt docet experientia. 67.

QVÆRES XII. An Moniales alienantes dotem Nouitiæ ad professionem recipiendæ incurrant pœnas latas contra alienantes bona Ecclesiastica sine debita solemnitate.

Respond. incurrere; sed de hoc infra *cap.* 7. *q.* 24. *& cap.* 8. *q.* 18. 68.

QVÆRES XIII. An translata Moniali de vno monasterio ad aliud, debeat transferri etiam dos tradita priori monasterio.

Respond. aliquos cum Socino, Baldo, Tapia, & Manuel. adductis à Sanch. *lib.* 7. *mor. cap.* 32. *num.* 12. sustinere dotem in tali caso debere transferri: & probant tum quia *lege si is qui, digestis de iure dot.* dicitur ibi dotes esse debere, vbi onera matrimonij sunt: tum quia dos datur accessoriè ad personam, & sub tacita conditione, *dum Monialis in eo monasterio perstiterit*, ideoque cùm per legitimum transitum ad aliam Religionem prior professio dissoluatur, ea reddenda erit, sicut & redditur dos tradita viro ob carnale matrimonium, si hoc legitimè dissoluatur. Oppositum tamen videtur sustinendum, & de facto sustinent Sanchez *vbi supr.* Rodriquez *tom.* 2. *quæst.* 79. *art.* 2. Nauar. *comm.* 4. *de Regul. n.* 24. Bonac. *quæst.* 2. *de clausu. quæst.* 9. §. 4. *diffic.* 2. *num.* 6. Tambur. *sup. D.* at. *q.* 7. *num.* 2. aliique penes ipsum; nimirum dotem traditam monasterio non esse reddendam posteriori monasterio, ad quod 69.

Monia

Monialis professa legitimè transeat; idque siue posterius monasterium sit eiusdem, siue diuersi Ordinis, probant, tum quia dos non fuit data sub conditione, *si Monales in eo Monasterio manserit*, sed solùm sub conditione, *si professio sequatur*: vnde, hac secuta, dos perpetuò manet illius monasterij; tum quia posterius monasterium spontaneè admittens talem Monialem (vt suppono) debet sibi imputare hoc incommodum, quòd teneatur illam alere sine dote; tum quia diuersa est ratio de dote, quæ soluitur pro matrimonio carnali: hæc enim, dissoluto matrimonio per mortem viri, aut mulieris; restitui debet, eo quòd pertineat ad virum solùm pro tempore matrimonij (intellige, nisi aliter disponant peculiaria instituta locorum:) at, dissoluta professione per mortem Monialis, non restituitur dos parentibus illius, cùm eius dominium perpetuò transierit in monasterium, in quo emissa fuit professio.

70\. Verum tamen est, quòd si posterius monasterium cogatur admittere dictam Monialem, debet ei solui dos à priori monasterio; cùm non soleant Moniales admitti sine dote, & in tali casu imputari non possit posteriori monasterio voluntaria admissio dictæ Monialis, ita citati DD. & patet ex dictis; tum ex *cap. de lapsis 16. quæst. 6. & cap. si qui rapuerint 27. quæst. 1.* & Authent. *de sanctiss. Episc. §. penult.* tum quia par non est, vt posterius monasterium, quod inuoluntariè recepit talem Monialem, vltra hoc etiam patiatur iacturam alimentorum, sicque addatur afflictio afflicto.

QVÆRES XIV. An dos, quæ datur monasterio pro Moniali admittenda, moriente ipsa Moniali, maneat apud monasterium, aut certè reddi debeat relictis ascendentibus, vel descendentibus.

71\. Respond. manere perpetuò apud monasterium; idque ex consuetudine legitimè inducta, quæ est optimus legum interpres: non enim alia ratio huius assignari potest, vt aduertit Sanchez *supr. cap. 9. num. 23.* ostendens id non posse oriri ex eo quòd monasterio traditor dos in pretium alimentorum, quæ monasterium debet suppeditare Moniali: si quidem etiam in matrimonio carnali dos constituitur, & traditur viro ob onus; quod habet alendi vxorem, & ad alia onera matrimonij sustentanda, *l. pro oneribus, C. de iure dot.* & tamen soluto matrimonio, dos non manet perpetuò apud vitom, vt iam dictum est. Quamquam Diarlinus *part. 2. controu. cap. 194. num. 39.* me citato, dicat optimam rationem huius assertionis esse posse, quòd monasterium stat loco filij, adeóque sicut filius est hæres matris, eique succedit in dote, sic monasterium succedit in dote Monialis defunctæ.

QVÆRES XV. An monasterium teneatur alere, ac retinere Monialem, si huius parentes, aut alij non soluant dotem promissam, & conuentam.

72\. Respond. teneri, estò possit alimenta Monialis exigere à parentibus illius, implorato iudicis officio. ita Rodriquez *tom. 1. quæst. 48. art. 8.* ex Nauarro dicens, quòd licèt in iudicio denegentur præfata alimenta, non ideò potest Monialis eiici è monasterio: quippe quæ, cùm sit membrum monasterij, ius habet, vt ex bonis illius etiam ipsa sustentetur; vnde non currit paritas, quòd, sicut vir non tenetur recipere vxorem, illámque alere, donec dos ei soluatur; immò & eam receptam potest expellere (prout post alios annotauit Panormitanus *in cap. per vestras, de donat. inter virum & vxorem, num. 4.*) sic & monasterium possit eiicere Monialem, quæ non soluit dotem; cùm non deceat Monialem degere extra clausuram; & aliàs æquum sit ministrantem ad altare viuere de altari; cum sit dignus operarius mercede sua.

An autem monasterium teneatur alere Monialem, cuius dos fuit rapta à fisco ob delictum ipsius Monialis (v g. ob hæresim.)

73\. Respond. Fagundez *lib. 4. Decalog. cap. 13. num. 14.* aliis pluribus citatis, non teneri, si Monialis sit extra Monasterium, & monasterium nolit eam iterum recipere; probatque tum ex *l. pro oneribus, C. de iure dot. & l. dotis fructuum, ff. eodem*; tum quia non apparet, quo iure monasterium teneatur illam alere: non enim tenetur ratione doris, cùm iam fuerit rapta à fisco, vt supponimus: non ratione seruitij, ac obsequij præstiti monasterio, cum non admittatur, & monasterium verè non teneatur illam admittere, vt item supponimus.

SECTIO III.

De Velo professionis, necnon de Benedictione, seu Consecratione Monialium

74 *Quotuplex sit Velum Monialium.*
75 *Ad quid detur.*
76 *Quod genus Veli modò sit in vsu.*
77 *Quæ requirantur ad recipiendum Velum Consecrationis iuxta ius commune: & quæ ætas requiratur in Moniali consecranda.*
78 *Fœmina occultè corrupta, simpliciter loquendo, potest consecrari.*
79 *An, & quando possit, ac debeat reijci à Consecratione.*
80 *Non consecratur fœmina per vim corrupta: etsi alij id limitent: Episcopus iuxta aliquos non dispensat eum corruptis, vt consecretur; etsi corruptio sit occulta.*
81 *Consecratur quæ contraxit, sed non consummauit matrimonium.*
82 *Item polluta per voluntariam seminis effusionem, claustro manente integro.*
83 *Item quæ ante annos discretionis commisit turpia.*
84 *Non item cognita in amentia, aut ebrietate, aut somno.*
85 *Consecratur ea, cui ex causa sanitatis fractum est claustrum.*
86 *Item cognita à viro præposterè, aut sodomiticè à fœmina, etsi non semper.*
87 *Item polluta in somno.*
88 *Consecratur nondum confirmata.*
89 *Consecratio Monialium qualiter fiat.*
90 *Non reiteratur.*
91 *Cuius sit consecrare Moniales solemniter.*
92 *Non fit consecratio, nisi statis temporibus; fieri autem potest in Ecclesia exteriori Monialium, nisi obstet consuetudo.*
93 *Per illam confertur gratia, & remittuntur venialia ex opere operantis.*
94 *Velum Consecrationis aufertur in pœnam.*
95 *Immò & ipsæ Moniales possunt ad tempus eo se priuare.*

QVÆRES I. Quid hîc significetur nomine Veli professionis.

Respond. quod; cum teste Suarez *tom. 4. de relig. tract. 9. lib. 1. cap. 11. num. 5.* in Monialibus attendi possit vsus multiplicis Veli; nimirum probationis (quod

cùm id non possit fieri absque violatione sigilli confessionis; vel habet eam notitiam extra Sacramentum per secretam reuelationem Monialis; & sic non tenetur repellere, cùm ius commune non obliget ad iudicandum de re adeò occulta, siue ad operandum ex scientia adeò priuata, ac occulta, præsertim cùm periculo scandali; posset tamen se subtrahere ab illa consecranda, se excusando ab illo munere, vel alio colore Monialem præfatam non recipiendo ad professionem (quod est illum non teneri eam consecrare, per se loquendo, & ex lege iustitiæ, modò id non cedat in infamiam Monialis, aut præiudicium boni spiritualis illius) vel denique Prælatus eam notitiam habet aliunde, & quidem moraliter certam: & sic, cùm res non sit adeò occulta, posset Prælatus dictam Monialem non consecrare, semper tamen consulendo illius famæ, quantùm fieri potest. Ita Suat *sup. n.* 10.

QVÆRES VI. An Monialis, quæ per violentiam, & sine sua culpa fuit corrupta, sit capax veli consecrationis.

80. Respond. non esse. Ita S. Thomas *sup. ad* 4. aliique communiter cum eo, & probatur tum ex S. August. *lib. de bono coniugali c.* 18. qui dicit: *Etiamsi violenta corruptio virginis baptismum antecedat, non potest, etiam post baptismum, inter virgines consecrari*: tum quia in consecratione Virginum non attenditur, an culpa præcesserit, sed an subsistat virginitas, etiam corporalis, seu materialis, quæ sic per ipsam consecrationem significatur, speciali honore afficitur, ac repræsentat integritatem Ecclesiæ triumphantis, vt ait Glossa *in cap. acutius, d.* 26. tum quia amissio virginitatis, etiam materialis, importat veluti quamdam irregularitatem, quæ, licèt contrahatur sine peccato, impedit talem consecrationem. Cum S. Thoma sentiunt alij plures relati à Thesauro *de pœnis, part.* 2. *v. Monialis cap.* 3. addente Lessium *l.* 4. *cap.* 2. *num.* 115. Filliucium *tract.* 30. *num.* 21. & 25. id melius limitate vt procedat, si violatæ consensit in actum, vel si violatio est publica: quia tunc pro foro externo præsumitur in actum consensisse; alias, si violatio sit occulta, poterit violata tutè consecrationem recipere consecrationem: idque ex S. Thom. 2. 2. *quæst.* 152. *art.* 3. dicente virginitatem non amitti per materialem virginalis veli fractionem, seu reseratione aliquo casu contingentem, si voluntas integrum abstineat à delectatione venerea.

Addit Thesaurus *sup.* se non putare verum, quod dicunt Syluester, Nauar. & alij, Episcopum scilicet posse dispensare cum Moniali corrupta, vt accipiat velum virginitatis in casu occulto, ratione scandali: & probat, quia Episcopus nequit alterare formam, aut materiam Sacramentalium; quæ ab Ecclesia, seu Papa instituta sunt: vt ostendit idem Thesaurus *v. ritus cap.* 1.

QVÆRES VII. An Monialis recipere possit velum consecrationis, si ingrediatur Religionem post contractum matrimonium ratum, non tamen consummatum.

81. Respond. posse; & patet, quia, estò illa dici possit vidua, & viduæ consecrari nequeant, *cap. vidua* 20. *q.* 1. ista tamen, cùm sit ita vidua, vt verè sit virgo, non comprehenditur sub dicto iure; quippe quod loquitur de viduis corruptis, & quæ non sunt ampliùs virgines. Ita Tamb. *sup. D.* 27. *q.* 3. pro se adducens, *c. Valentino, d.* 34. & *c. Aubium, de bigamia.*

QVÆRES VIII. An possit consecrari Monialis, quæ per vountariam seminis effusionem polluta est, integro tamen remanente claustro.

82. Respond. videri probabile, quòd possit; & probatur tum quia Ecclesia ad recipiendum velum consecrationis solùm requirit integritatem carnis, sicque in Romano Pontificali, vbi agitur de ista consecratione, non dicitur Monialem debere interrogari de aliqua contaminatione, sed de vita, conscientia, ac integritate: in præsenti autem casu saluatur integritas carnis: tum quia talis Monialis, licèt non sit virgo coram Deo, neque habitura sit aureolam, apud homines, tamen virgo censetur in foro externo hoc ipso quòd virginale claustrum seruat illæsum, & (vt loquitur Caietan. *v. virginum consecratio*) est virgo, non virtute, sed statu: quod vtique sufficit ad hoc, vt sit capax veli consecrationis. Ita Less. *l.* 4. *c.* 2. *num.* 110. Sà *v. consecratio num.* 6. Syluest. *v. consecratio virginum, n.* 1 aliique quos refert Tambur. *sup. q.* 4. addens Monialem in casu proposito posse consecrari, etiamsi modo dicto fuerit polluta, etiam accedente contractu externo. Quod certè non admitterent Doctores citati ab eodem Tamburino sustinente cum S. Thoma supra, Monialem reiiciendam esse à consecratione, si ex vehementi cogitatione, concurrente calore naturali, voluntarie semen effunderet: idque, etsi carnis integritas in ea seruaretur illæsa, & claustrum pudoris integrum: qua de re Nauar. *l.* 3. *de reg. cons.* 4.

QVÆRES IX. An possit consecrari Monialis, quæ ante annos discretionis commisit aliquem actum turpem contra castitatem.

Respond. Tambur. *sup.* ex Rosella *v. virginitas*; & Lessio *num.* 121. posse consecrari; probatque ex eo quod, cùm præ defectu ætatis non insit puellæ potestas seminandi, ea per nullum actum turpem amittere potest corporis integritatem, sicque adhuc remanet virgo modo superiùs explicato; dicit tamen Lessius contrarium fortè verius esse, si in puella adsit vsus rationis perfectus: quod etiam alij putant esse satis probabile. 83.

QVÆRES X. An possit consecrari puella, quæ in somno, amentia, aut ebrietate fuit carnaliter cognita.

Respond. non posse; & patet ex dictis *q.* 6. 84.

QVÆRES XI. An possit conferri velum consecrationis Moniali, cui iuxta medicinæ artem ad sanitatem tuendam fuit fractum claustrum virginale.

Respond. Tamburin. *sup.* ex S. Thom. & Maiolo posse, probatque quia sic nullum illatum est præiudicium virginitati, ac proinde non adest ratio, cur ipsi denegetur velum consecrationis, quod dari solet in præmium virginitatis: si quidem fractio claustri virginalis, quæ hic interuenit, non opponitur integritati corporis, quàm diximus supra requiri ad consecrationem: hæc enim consistit in eo, quòd claustrum virginale non frangatur per actum libidinosum. 85.

QVÆRES XII. An possit consecrari Monialis, quæ vel fuit carnaliter cognita à viro in vase præpostero; vel sodomitice à fœmina.

Respond. posse; & probatur ex eo quòd, quamuis, iuxta modò dicenda per tales actus obscœnos probabile sit amitti virginitatem, etsi per accidens (v. g. ob debilitatem naturæ, aut ratione morbi) non sequatur pollutio; integrum tamen manet claustrum Monialis; sicque ea est capax consecrationis; cùm ad illam requiratur, & sufficiat sola claustri integritas, vt ostendimus *quæ* 8. Et quidem quòd præfati actus obscœni, etiam seclusa pollutione, sufficiant ad amittendam virginitatem, patet, quia ad hoc sufficit, vt ij ordinentur ad pollutionem, & ex se sint apti ad illam efficiendam in tali ætate; sicut aduertit Lessius *loco supra citato*, ex Rosella *v. virg.* & Caietano *in summa v. eod.* dicens non videri dubium, quin per sodomiam deperdatur illa carnis puritas, 86.

quam postulat virginitas, etiamsi fortasse non adsit pollutio: quia actus ille ob eam causam fit, & est ex se sufficieos ad hoc in tali ætate. Responsio tamen hæc non procedit in casu, quo Monialis sodomiticè cognita fuisset ab alia fœmina medio aliquo instrumento, siue ligneo, siue vitreo in vase naturali, ita vt claustrum fuisset fractum: tunc enim Monialis sic cognita non posset consecrari, vtpote carens integritate carnis, quam diximus requiri ad consecrationem: quod idem procederet in casu, quo Monialis in vase naturali fuisset cognita ab alia fœmina habente nimphium magnum in vulua, idest, caruncula quamdam sic excrescentem, vt erigatur ad modum virgæ virilis, sicque excitet ad coitum, reddatque fœminam potentem ad deflorandam aliam fœminam, etiam nullo adhibito instrumento; vt notauit Decian. *lib.8. criminal. cap.7. numero* 28. addens Ægyptios omnibus virginibus dictam carunculam præcidere solitos, ne, ea excrescente, illis postea præberetur occasio abutendi aliis fœminis. Immò addo assertionem procedere etiam in casu, qoo Monialis se ipsa, medio aliquo instrumento, aut digitis sibi claustrum integritatis violasset, cùm sit eadem ratio, vt patet.

QVÆRES XIII. An consecrari possit Monialis, quæ in somno passa est pollutionem.

87. Respond. posse, siue pollutio fuerit inuoluntaria, siue voluntaria, saltem in causa, procurata scilicet in vigilia, & ratio est, quòd iuxta dicta *quæst. præced.* ad hoc vt Monialis licitè possit consecrari, sufficit illam retinere carnis suæ integritatem; hæc autem retinetur, quamdiu claustrum fœminæ manet integrum: quod vtique verificatur in præsenti casu, vt suppono, etsi aliàs per talem pollutionem deperdatur virginitas modò superiùs explicato.

QVÆRES XIV. An Monialis possit solemniter consecrari, esto nondum receperit sacramentum Confirmationis.

88. Respond. posse; cùm nullum extet ius, quo prohibeatur dari velum consecrationis Moniali nondum confirmatæ; sicut notauit Tambur. *sup. quæst.* 3. *n.*2. monens tamen Episcopos regulariter debere curare, vt confirmentur virgines, priusquam solemniter consecrentur; si enim omnis fidelis debet confirmari, vt plenè Christianus inueniatur, *cap. omnes, de consecrat. d.* 5. à fortiori debent id facere, quæ debent desponsari, & consecrari sponso Christo.

QVÆRES XV. Qualiter fiat consecratio Monialium.

89. Respond. fieri cum quibusdam benedictionibus, ac cæremoniis, quæ habentur in Pontificali Rom. & latè proponuntur à Tambur. *vbi sup.q.* 26. per totum.

QVÆRES XVI. An solemnis consecratio Monialium possit reiterari.

90. Respond. non posse. ita Miranda *quæst.* 7. *monial. art.*7.& probatur tum quia Abbates semel benedicti, si postea eligantur ad aliam Abbatiam, non debent iterum benedici ex Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 1 a. *art.*3. Azor. *tom.*1. *lib.* 1 2. *cap.* 20. *quæst.* 4. & aliis relatis à Tambur. *sup. quæst.* 8. tum quia coniuges, si semel acceperunt benedictionem nuptialem, non solent iterum benedici, *cap.* 3. *de secund. nupt.* ergo à simili nec debet iterari virginum consecratio.

QVÆRES XVII. Ad quem spectet solemnis consecratio Monialium.

91. Respond. iure communi spectare ad solum Episcopum, eumque consecratum. ita Suar. *sup. num.* 1 2. aliique relati à Tambur. *q.*5.*n.*1. & probatur tum ex *cap. deuotis* 20.*quæst.*1. quod solet ad hoc communiter allegari: tum quia in aliis decretis, in quibus fit mentio ministri huius consecrationis, solus nominatur Episcopus: tum quia in Romano Pontificali idem supponitur in titulo huius consecrationis; tum quia huiusmodi consecratio est spiritualis quædam desponsatio cum Christo, per quam repræsentatur desponsatio ipsius Christi cum Ecclesia, quoad illius incorruptionem; ideóque decet solum Episcopum, cui cura Ecclesiæ committitur, virgines desponsare velando, non sibi; sed Christo, quasi sponsi paranymphum. Vnde fit, vt, quamuis ista consecratio per Papam committi possit simplici Presbytero, non tamen censeatur commissa per solam iurisdictionem Episcopalem; cum ea sit actus ordinis,& non tantùm iurisdictionis, ac proinde neque Episcopo solùm electo, & confirmato competat, & multò minus Prouincialibus Religionum, aut aliis similibus Prælatis inferioribus habentibus iurisdictionem Episcopalem; nisi speciali priuilegio pontificio id eis concessum sit. Quo modo Tamb *n.* 8. refert Generalem Ordinis tam Vallumbrosani, quàm Camaldulensis solere, à tempore immemorabili consecrare Moniales sibi subditas, id ipsum approbantibus Sede Apostolica, & sacra Congregatione rituum; cuius declarationem de hoc factam sub die 1. Iulij 1601. adducit Tamb. his verbis: *Moniales consecrare, si spectet ex priuilegio ad Superiores regulares, debent seruari in eorum consecratione omnes cæremoniæ, quæ in consecratione virginum ab Episcopo facienda præscribuntur.*

QVÆRES XVIII. Quo tempore, & loco fieri debeat consecratio Monialium.

Respond. quòd quidem spectat ad tempus, non debere fieri, nisi temporibus, à iure statutis; vt habetur *in cap. deuotis, sæpius cit.*& c. *virgines* 20.*q.*1. vbi prohibentur virgines consecrari, nisi in Epiphania Domini, aut in Albis paschalibus(idest, intra hebdomadam Paschæ resurrectionis, vt Glossa exponit, licet alia litera habeat in Sabbatho Paschæ) vel etiam in natalitiis Apostolorum; quamquam in Concilio Lateran. prout habetur *in cap.* 1. *de temp. ordina.* concessum sit, vt omnibus diebus dominicis liceat consecrare virgines; & hoc ipsum consuetudo extendit etiam ad alias solemnes festiuitates, vt notauit Turrec. *in cit. cap. deuotis q.*4. vnde in hoc consulenda, & seruanda est consuetudo. Quòd autem spectat ad locum, in quo fieri debet Monialium consecratio; sacra Congregat rituum 27. Iulij 1627. decreuit illam fieri posse in Ecclesia exteriori, referente Tamb.*q.*6.qui tamen addit in aliquibus locis ex iustis, ac rationabilibus causis ex rescripto eiusdem sacræ Congregat. inductum fuisse, quòd Monialis consecranda nequaquam egrediatur è clausura, sed consecretur in Ecclesia interiori à Prælato existente ad fenestellas. Quod autem diximus consecrationem Monialium non posse fieri, nisi statutis temporibus, intelligendum est, seclusa necessitate ac imminente aliqua infirmitate mortali: quo casu posset fieri consecratio quocunque die, vt bene aduertit Suarez *num.* 13. *ex cap. virgines* 20. *quæst.* 5. 92.

QVÆRES XIX. An consecratio Monialium conferat gratiam, remittatque peccata venialia, & quo modo.

Respond. conferre gratiam, & remittere peccata venialia, non quidem ex opere operato (aliàs enim consecratio esset Sacramentum, quod est falsum; sed ex opere operantis, sicut euenit in quocunque bono opere. ita Soarez *supr. num.* 14. monens quòd licèt concurrente ista consecratione vnà cum solemni professione Monialis(quod potest fieri) dicta consecratio vi professionis, tanquam nobilissimi actus participet aliquam maiorem vim obtinendi gratiam, 93.

aut

aut remissionem pœnarum: si tamen consecratio fiat separatim, eo quòd detur virgini iam professæ, non est tanta ratio, aut fundamentum alicuius extraordinarij effectus; cùm in tali actu non insit tanta excellentia perfectionis, & sola significatio non sufficiat, cùm non sit Sacramentum.

QVÆRES XX. An Monialis possit priuari vsu Veli professionis in pœnam alicuius delicti commissi, saltem ad tempus.

94. Respond. posse; patetque tum ex praxi Prælatorum, qui interdum imponunt Monialibus talem pœnam: tum quia id nullo iure constat esse prohibitum, ideóque præsumi potest concessum.

Vtrum verò ipsæ Moniales possint, saltem pro certo tempore, se priuare vsu Veli professionis, aut consecrationis, siue ad sui humiliationem, siue ad alium effectum, etiam minùs necessarium.

95. Respond. posse, dummodò interueniat licentia Superiorum, saltem tacita, ac interpretatiua; & patet tum quia nullum extat ius in contrarium, quod ego sciam; tum quia id suadet praxis Monialium, quæ interdum solent deponere velum professionis ad repræsentandas varias personas in scena, & quidem scientibus, ac tacentibus Prælatis.

CAPVT IV.

De Votis Paupertatis, Castitatis, ac Obedientiæ, ad quæ tenentur Moniales, vi Professionis.

QVONIAM Moniales vi Professionis religiosæ, quam emittunt, principaliter obligantur ad tria vota substantialia religionis, nimirum paupertatis, castitatis, ac obedientiæ: par est, vt, explicatis in præcedenti cap. iis, quæ pertinent ad Professionem religiosam, agamus in præsenti cap. de ipsismet Votis. Caput diuidemus in tres Sectiones, in quarum prima agemus de voto Paupertatis, in secunda de voto Castitatis, in tertia de voto Obedientiæ; sicque totum cap. expediemus.

SECTIO I.

De voto Paupertatis ad quam tenentur Moniales.

1 *Quæ paupertas sit accommodatior statui Monialium.*
2 *Ad quid obliget votum paupertatis,*
3 *Moniales possunt retinere annuos redditus, sed non excedentes.*
4 *Quid de hoc statuerit Concilium Tridentinum.*
5 *Moniales de rigore iuris debent seruare vitam communem.*
6 *Non tamen de consuetudine ex iustis causis tolerata.*
7 *Vita communis vtilissima Religiosis, & suadetur Monialibus.*
8 *Eæ astringi possunt ad eam amplectendam, si aliàs necessaria illis suppeditentur: & interdum etiam reluctantes.*
9 *Non possunt habere quidquam ad vsum irreuocabilẽ.*
10 *Non potest licitè auferri, quod ijs legitimè concessum est.*
11 *Et quidem nec à successore concedentis: item recipiunt rem ea lege, vt illa sola ea vtantur, sed non debet id permitti.*
12 *Acquirunt de nouo cum licentia Superioris.*
13 *Conuentus, in cuius fauorem bona renunciantur, obligari potest ad certam pensionem ipsis soluendam.*
14 *De licentia Prælati relinquitur Monialí legatum non auferibile.*
15 *Moniales succedunt ab intestato.*
16 *Qualiter subsistat legatum relictum Moniali pro se, ac sua famula.*
17 *Moniales prohibentur habere superflua.*
18 *Non possunt expendere in vsibus illicitis peculium absolutè concessum: quod alij negant.*
19 *De Prælati licentia faciunt moderatas eleemosynas, ac donationes.*
20 *Absque licentia dant suam pitantiam; etsi alij id negent, & meliùs.*
21 *Si sint Officiales conuentus, non dant de eius bonis eleemosynas sine licentia.*
22 *Item non dispensant eius bona pro arbitrio.*
23 *Moniales in morte non disponunt de bonis proprio vsui permissis.*
24 *Non testantur de bonis antea reseruatis ad talem finem.*
25 *Nec de bonis alicuius extranei, nisi eligende pauperes.*
26 *Non reuocant testamentum antea factum, illud tamen declarant.*
27 *Faciunt recamaturam amico, sed cum certis conditionibus.*
28 *Ampliatur assertio.*
29 *Non occultant Superiori bona aliàs concessa, ex timore, ne auferantur.*
30 *Ad nutum Prælati abdicant bona concessa.*
31 *Immò & ad nutum Ordinarij, si non sint exemptæ.*
32 *Non remittunt pensionem annuam sibi debitam; & quidem nec Monali Conuentus: at remittunt pretium fornicationis concessæ licèt promissum.*
33 *Qualiter curare possint dari tertio pecuniam ipsi oblatam.*
34 *Licentia expendendi ad vnum vsum licitum, non semper extenditur ad alium.*

QVÆRES I. Quæ ratio paupertatis censeri debeat magis expedite ad bonum spirituale Monialium.

Respond. quòd licèt aliquibus Religionibus virorum sit magis expediens paupertas, non solùm priuans dominio bonorum in particulari, sed etiam in communi, & ea de facto seruetur in aliquibus Ordinibus cum singulari ædificatione totius Ecclesiæ; Monialibus tamen non videtur expedire talis modus paupertatis, eo quòd illarum honestas, & clausura non possit tam integrè, & perfectè seruari, nisi à monasterio habeant necessaria ad vitæ sustentationem. Vnde factum est, vt cum religione S. Claræ sub obseruantia talis paupertatis instituta in principio, paulò post Innocent. III. in ea dispensauerit, permittendo potiùs, quàm præcipiendo, vt non seruaretur; quin etiam postea Vrbanus V. omnino seruari voluit regulam absque tali paupertate: Pius verò V. suo motu proprio, quæ incipit, *Circa pastoralis*, (& est 8. *in ordine*:) & Gregor. XIII. in sua Constitut. 13. in ordine, cuius initium est, *Deo sacris*; omnibus modis prouidere studuerunt, vt Monialium monasteria habeant, vnde sustententur: ita vt, si eleemosynis egeant, ex potius Prælatorum prouidentia habeantur, quàm ipsarum Monialium sollicitudine, ac postulatione. Quare, cùm hoc ipsum, experientia teste, sit difficillimum, & quicumque alius modus mendicitatis Monialium statui sit periculosus; ideò concludit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 9. lib. 1.* 1.

*lib.*1.*c.*12.*n.*1.simpliciter consultius esse monasteriis Monialiũ quòd habeant communes redditus, quàm quòd paupertatem in communi profiteantur. ita Suarez *loc.cit.*Laym.*l.*4.*tract.*10.*cap.vlt.n.*39.Lezana *tom.*1.*cap.*25.*num.*7. & alij:inter quos notat Suarez, quod,cum Concilium Trid. *sess.*25.*de regul.cap.*3.solùm Fratres Capuccinos, ac Obseruantiæ excipiat à generali concessione possidendi bona stabilia fructifera in communi; quantum est ex vi dicti Concilij, Moniales Capuccinæ possunt gaudere præfata concessione, & consequenter habere in communi bona stabilia;immò, si vellent renunciare dictæ cõcessioni,non possent id facere absque approbatione Papæ: cum post moderationem illam Vrbani V. non inueniatur modus ille paupertatis à Sede Apostolica approbatus pro fœminis:quod tamen esset necessarium ad eum licitè seruandum: qua de re consulantur, quæ habet Tambur. *de iure Abbatiss.D.*8.*q.*9.

QVÆRES II. Ad quid obliget Votum Religiosæ paupertatis.

2. Respond. obligare ad hoc, vt Religiosus vi illius teneatur à se abdicare quorumcunque bonorum pretio æstimabilium, siue mobilium, siue immobilium proprietatem,idest liberam, ac independentem de iis disponendi facultatem, seque in perpetuum reddat incapacem; ita vt omnis dispositio, ac distractio dictorum bonorum facta sine Prælati consensu sit & illicita, & inualida.Colligitur ex *cap. ne dicatis aliquid proprium* 12. *quæst.* 1. *cap. Monachi, cap. super quandam, & c. cum ad monasterium,de statu monach.*quæ iura satis apertè indicant per votum Religiosæ paupertatis interdici Religiosis,non solum dominium quarumcunque rerum pretio æstimabilium, sed etiam vsum proprietarium illarum; vt benè aduertit Suarez *tom.*3.*de relig.lib* 8.*cap.*15.*num.*1.

QVÆRES III. An Moniales, non obstante voto paupertatis, retinere possint annuos redditus ex bonis parentum assignatos, & quales.

3. Respond. posse, modò sint moderati; idque ex consuetudine inducta permittentibus Prælatis ipsarum Monialium, eo quòd illarum monasteria non habeant sufficientes redditus, quibus necessaria ad ad victum,ac vestitum tempore sanitatis, ac infirmitatis suppeditentur:& aliàs iis non suppetat tempus, vt suo labore manuum possint supplere talem defectum; cum hoc tamen, vt vsus talium redituum sit dependens à Superiore,& seruentur, quæ hac de re disponuntur à Concilio Trident. *sess.*25.*cap.*2.*de regul.*ita Miranda *quæst.*9. *de Moniali art.*1. Azorius *tom.*1. *lib.*12. *cap.*9. *quæst.*2. Barbosa *de offic. Episc.alleg.* 103. *num.* 5.Tambur. *supr.quæst* 6. & alij.

Dixi sub initium responsionis,*modò sint moderati*; vt innuerem, absque concessione Sedis Apostolicæ non posse Moniales detinere annuos prouentus excedentes statum, ac conditionem regularem: idque ex vi Concilij Tridentini quod cum veter concedi Regularibus mobilia superflua, prohibet item ne eis concedatur peculium superfluum: sicque eorum Prælati nequeunt iis concedere redditus immoderatos. Etsi moderatio, quæ in præsenti materia attenditur, admittere possint aliquam latitudinem iuxta statum, gradum, ac conditionem Monialium, pro vt indicabimus *infra cap.* 4. *quæs.* 10.

4. Quando autem in Concilio Trid.*loco cit.*dicitur: *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vsum, administrationem, vel commendam:* intendit Concilium ibi solùm prohibere,ne regulares habeant redditus, vt proprios, ac irreuocabiles per Prælatos,ac sine horum licentia distrahendos, vt exponit Barbosa: non autem quòd Regulares nullo modò habeant annuos redditus; sicut benè aduertit, & probat Sanchez *lib.*7.*mor.cap.*22.*num.*11.ex Nauarro, Sà, Rodriq. & Graffio,& aliis.

QVÆRES IV. An Moniales vi voti teneantur obseruare vitam communem in victu, vestitu, aliisque spectantibus ad corporis sustentationem.

Respond. de rigore iuris teneri; nimirum ex decreto Concilij Trid. supra citato, quod sic habet: 5.
Nemini regularium tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia,vel mobilia,cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere,vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Vbi notat Miranda *tom.*1.*man.quæst.*28. *art.*8.quòd,cùm Concilium prohibeat Regularibus, ne dicta bona possideant,etiam nomine Conuentus; & paulò post subdat, *ea superiori tradantur, Conuentuique incorporentur*: ne dicatur sibi contradicere, eius verba interpretari debent eo modo, quo nos, §. *præced.* illa explicauimus.

Dixi, *de rigore iuris*, ad indicandum secùs esse de 6.
consuetudine tolerata à Pontificibus, Ordinariis, ac Prælatis regularibus scientibus, & consentientibus ad euitanda maiora mala; idque etiam, postquam Clement. VIII. dictum ius Concilij innouauit in decretis pro reformatione Regularium,& confirmauit Vrban. VIII. in decreto *de apostatis, & eiectis*; vt proinde dicendum sit huiusmodi decreta, vel non fuisse acceptata, vel certè postea abrogata.

Expediret quidem quàm maximè,vt in monaste- 7.
riis Monialium seruaretur vita communis in victu, vestitu, lectisterniis, & aliis à Superiore distributis pro vniuscuiusque Monialis necessitate, sicque singularum Monialium peculium (quod vocant vsum annuum) communi massæ annuorum redditum monasterij incorporaretur: expediret, inquam, & multis ex capitibus: 1. quia sic singulis Monialibus conuenientiùs posset prouideri de necessariis, etiam iis,quæ modò nullum habentes peculium ob inopiam consanguineorum esurire coguntur, dum aliæ pingui peculio donatæ abundant, iuxta illud 1.Cor.11. *Alius quidem esurit:alius autem ebrius est*: 2. quia hac ratione auferretur occasio fouendi munusculis, ac largitionibus amicitias, etiam personarum sæcularium, & fortè interdum minùs bonas, immò etiam valdè perniciosas bono ipsarum spirituali: 3. quia sic tollerentur innumeræ distractiones, quibus distinentur in parandis, & conseruandis rebus sibi necessariis; siquidem vbi thesaurus noster est, ibi & cor nostrum erit:4.quia hoc pacto vitam minus inquietam ducerent Deo,& sibi vacantes, totam sui, ac rerum suarum curam ipsi committentes: 5. quia sic meliùs inter Moniales seruarentur humilitas, & mutua charitas; cùm aliàs carentes peculio despiciantur ab habentibus, quæ proinde etiam intumescunt, & tanquam ditiores ambiunt præferri cæteris, & præ aliis honorari: 6. quia sic accuratiùs vacarent exercitiis vitæ spiritualis, frequentiùs assisterent choro, & tanta anxietate non inhiarent lucris captandis, sicut adstringuntur inhiare, dum vident minùs sufficienter prouideri propriis necessitatibus ex bonis communibus monasterij. In quorum confirmationem faciunt, quæ habentur in Constitutionibus Augustinianorum *cap.*40.his verbis:*Ex particulari vita Fratrum Conuentus confunditur, & Fratres rapere, & furari coguntur,& ad communem vtilitatem,in qua Ordinis status,& salus animarũ,& pax,& trãquillitas corporum consistit,redduntur tepidi,& ad murmurationem,*

&

& detractionem, à quibus confusio Ordinis, & perditio animarum dependet, sunt omni hora parati, & prompti.

Vtinam ergò Moniales, aliíque Religiosi benè agnoscerent, quanta sit fœlicitas nihil habere, & omnia possidere iuxta illud Apostoli, 2.Cor.6. *nihil habentes, & possidentes*; vtinam intelligerent, quàm bonum, & iucundum sit habitare in vnum, viuere de communi mensa, indui ex eodem vestiario, omnem temporalium rerum solicitudinem abiecisse; prout Christus ipse adhortatur, Matth.6. *nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: hæc enim omnia gentes inquirunt: scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis*; vtinam à se omninò ablegarent *meum, ac tuum frigidum illud verbum, & quidquid est malorum in vitam nostram inuehens, innumeraque gignens bella*, sicut loquitur Io Chrysost. *orat. de S. Philogono*; vtinam sæpius excogitarent, quantum sit bonum esse omninò liberum à molestia comparandi necessaria ad vitæ præsentis sustentationem, seque totum committere diuinæ prouidentiæ.

Difficultas est, an Moniales adstringi possint ad amplectendam vitam communem casu, quo Prælati velint de nouo illam inducere.

8. Respond. videri posse; & colligitur ex Sanch. *l.7. moral. cap.19. num.27.* asserente cum S.Antonio, ac Syluestro, quòd, sicut Prælatus Regularium non est in bono statu, si, in quantum potest absque graui scandalo, non nititur Religiosos in communi viuere, ac superfluos vsus vitare; sic nec sunt in bono statu subditi resistentes, non quòd nequeant sufficienter viuere, sed quòd velint abundare, & liberiùs disponere: hoc enim aduersatur voto paupertatis. Quæ assertio confirmari potest ex doctrina, quam tradunt plures DD. apud eundem Sanchez *sup. l.6. cap. 2. num. 26.* nullam scilicet consuetudinem valere contra regulam; prout includit tria vota substantialia Religionis; ideóque, si ea reformetur per legitimam potestatem, teneri eam seruare etiam Religiosos antea professos: quæ vtique procedunt in præsenti casu de monialibus; sicque cogi poterunt amplecti vitam communem, si aliàs ex communibus bonis suppeditetur decens sustentatio.

Vnde quis benè inferat, quod si maior pars Monialium alicuius Conuentus vltrò se offerat ad amplectendam vitam communem aliàs valde relaxatam: reliquæ Moniales, etiam inuitæ à proprio Prælato ad hoc idem possunt adstringi, si ex bonis communibus Conuentus necessaria sustentatio Monialibus verè possit suppeditari. Colligitur clarè ex Sanchez *l.7. moral. cap.22. num.15.* dicente cum Nauarra, Rodriquez, & Lessio esse contra paupertatis votum, si Religiosus Superiori volenti concessum sibi peculium reuocare, resistat, aut paratus non sit à se ad eius nutum abdicare: cum tunc sit proprietas, quando, renuente Superiore, Religiosus vult aliquid retinere: etsi subdat benè hoc limitandum, modò aliunde Religioso aliunde satis prouideatur: is enim Superiore iubente, non tenetur dimittere, nisi constet alia ratione ex communi penu ei prospectum fore. Ita Sanchez addens, quod si à Superiore legitimo alia certa ratio instituatur, per quam iuxta formam vitæ communis necessitatibus Religiosorum satis consulatur, non esset eis integrum huic reformationi resistere, etsi priorem viuendi formam in ingressu inuenisset: probat *num.* 14. ex eo quod, si Superior ex abrupto præciperet hanc reformationem antequam instituerer officia, & instrumenta vitæ communi necessaria non opportunè præciperet, & posset Religiosus appellare, adiecta causa excessus modi debiti reformationis. Quæ omnia præsentem probant illationem, si addidero quod sicut Prælatus Monialium posset modo supra dicto cogere omnes Moniales præfati Conuentus ad amplectendam vitam communem, quantumuis repugnantes (vt probat Sanchez *cit. num.14.*) à fortiori, concurrente maiori parte illarum in vitam communem, poterit ad id astringere reliquas Moniales, quæ in hoc sunt renitentes: cum æquum sit, vt minor pars maiori se accommodet, maximè in re adeò iusta ac rationabili.

QVÆRES V. An Moniales de licentia suorum Superiorum possint retinere aliquid ad vsum irreuocabilem.

Respond. non posse, & quidem neque de licentia ipsiusmet Papæ, nisi is intendat Monialem per talem concessionem absoluere à voto paupertatis. Ita Sanchez *l.7. mor. cap.17. num.* 8. ex Syluest. Nauarr. Rosella, & aliis; patetque ex eò quòd talis vsus esset proprietarios, & consequenter omninò contrarius voto paupertatis, in quo solus Papa potest dispensare; & certè quòd talis vsus esset proprietarius, constat ex ipsa natura voti paupertatis Religiosæ, quæ iure communi reddit vouentem inhabilem ad acquirendum cuiuscumque rei dominium, illúdque transferendum in alium; vt benè notauit idem Sanchez *l.5. mor. c.1. n.9.* & tradunt communiter DD. 9.

At difficultas est, an Superior possit pro libito auferre Moniali id, quod ei concessit promittens, se non reuocaturum.

Respond. non posse licitè auferre, quamuis oblatio foret valida; & ratio est, quòd cum Prælatus obligetur Religioso subdito naturaliter ex sua promissione: in præsenti casu tenetur seruare promissionem factam Moniali, &, si non seruet, rem concessam auferendo sine iusta causa, peccat tanquam fidei datæ reus, poterítque Monialis reclamare coram alio Superiore, allegando reuocationem iniustè factam. Ita Nauar. *l.3. consil. de Regul. cons.*20. *num.*13. & cum eo Sanchez *l.7. mor. c.17. n.32. & 33.* addens *n.34.* non esse vniuersaliter verum, quod ait Surdus *de aliment. tit.8. priuil.79. num.5.* Superiorem scilicet regularem posse pro libito auferre Monacho, quod semel illi permisit; id enim dicit Sanch. solùm esse verùm, quandò nulla intercessit promissio non reuocandi, sed mera licentiæ concessio: aut certè quandò aliunde consuleretur necessitati Religiosi iuxta moderationem statui Religioso debitam. 10.

Et hoc ego puto esse verum, etiam respectu Prælati successoris, istum videlicèt non posse, absque iusta causa reuocare rem concessam à suo Prædecessore; & ratio est, quòd Prælatus successor tenetur stare contractibus Prædecessoris, & quidem illo eodem genere obligationis, quo tenetur Prædecessor; vndè, cùm in præsenti caso Prædecessor teneatur stare promissioni solum ex fidelitate, sic & Successor solum ex fidelitate tenebitur: & sicut Prædecessor validè potuisset reuocare, quamuis illicitè: sic & Successor validè reuocabit, sed illicitè: validè inquam, eò quòd Religiosus non habeat, neque velle, neque nolle, sicque ei nullum ius competat. 11.

Notat autem Thomas à Iesu *p.3. de statu monach. cap.6. num.3.* quòd, licèt in rigore non sit contra paupertatis votum accipere ab extraneis librum, aut aliam supellectilem ea conditione, vt nullus alius ex Religiosis monasterij, iis vtatur: hic tamen abvsus non debet permitti in Religionibus reformatis, & consequenter neque inter Moniales, vtpote maximè

maximè præiudicialis vitæ communi, & maximam præbeos ansam peccati

QVÆRAS VI. An Moniales, stante voto solemni paupertatis Religiosæ, quod emittunt, possint de nouo acquirere bona temporalia tam licitè, quam validè, & quo modo.

12. Respond. posse, & licitè, & validè, si acquirant de Superioris licentia, saltem tacita, ac interpretatiua (quamquam non acequirant sibi, sed monasterio iuxta illud: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit monasterio:*) secùs, si sine licentia: tunc enim acquirunt illicitè, sed validè, est communis Doctorum, & patet ea iis, quæ habet Suarez. *tom.3.de relig.lib.8.cap.11.*

QVÆRAS VII. An Monialis Nouitia in renunciatione bonorum fieri solita ante Religiosam professionẽ, relinquens bona sua monasterio possit illud obligare ad sibi soluẽdam certam pensionẽ aonuam.

13. Respond. posse, & quidem ita, vt monasterium teneatur ex iustitia ei soluere dictam pensionem. ita Peyrin. *de R. S. quæst.* 1.*cap.*2.§.ca Ledesma *de statu relig. in comm.cap.*4.*d.*14. & cum illis Tamb.*supr.q.*8. patétque, tum qoia Monialis præfata in actu renunciandi est domina suorum bonorum, adeóque potest de iis liberè disponere, ea relinquendo, cui maluerit, siue absolutè, siue cum onere aliquo annexo: constat autem, quòd hæres tenetur ea iustitia implere onera sibi iniuncta; tum quia, si Monialis in casu proposito obligasset monasterium ad pensionem illam soluendam alicui extraneo, monasterium vtique ea iustitia teneretur soluere; ergo & ea iustitia tenebitur soluere ipsimet Moniali; cum in vtroque casu par ratio procedat. Verum tamen est, quod Monialis dicta pensione non potest independenter à consensu Superioris vti; sicot dictum est, & bene notauit Peyrin. *vbi supra.*

QVÆRAS VIII. An Monialis, attento voto paupertatis, possit acceptare legatum ea conditione ipsi relictum, vt casu, quo Superior Monialis renuat illam frui dicto legato, hoc ipso legatum transferatur ad alium, & amittatur à monasterio, idque in pœnam.

14. Respond. posse, dummodò id faciat de licentia Superioris. ita Molina *tom.*1.*D.*140. Tamb *supr.q.*5. Sanch *supr.cap.*17.*num.*16. aliíque contra alios relatos à Sanch. *num.* 15. sustinentes tale legatum pertinere ad monasterium, reiecta illa conditione tanquam turpi: & patet, quia talis conditio admitti potest tanquam licita, vt pote adiuncta actui licito; qualis est, quòd Superior consentiat Monialem frui commoditate legati, relicto eius dominio penes monasterium, sicque non apparet, cur dicta conditio debea reiici tanquam turpis. Immò Sanch. *n.*21. ea istimat probabilius esse, præfatum legatum non amitti in casu, quo Superior Moniali auferat fructus perceptos, non aotem contradicat ei respectu fructuum deinceps acquirendorum; cùm enim hæ conditiones sint odiosæ, vtpote tendentes ad perfectam Religiosæ paupertatis diminutionem, ac restringendam Prælatorum facultatem in res possessas à Religiosis subditis; non debent ampliari, sed restringi; sicque conditio illa apposita debet intelligi de fructibus in posterum percipiendis, nõ item de iam perceptis. Excipe, nisi fortè Superior in fraudem voluntatis testatoris velit permittere Moniali acquisitionem, vt semper, & statim ac res acquisita est, eam illi auferat: tunc quippe per indirectum contraueniret voluntati testatoris, sicque mitteretur legatum: secùs, si semel, aut iterum id fieret.

QVÆRES IX. An Monialis, non obstante voto solẽni paupertatis, possit succedere ab intestato in aliquam hæreditatem, aut etiam recipere aliquod legatum ipsi ea testamento relictum, & quomodo.

Respond. posse, si Ordo illius sit capax hæreditatis, aut legati: ea tamen lege, ac conditione, vt hæreditas, & legatum acquirantur monasterio iuxta regulam generalem desumptam *ex l. placet, ff.de acquir. hæred. Quiquid acquirit Monachus, acquirit monasterio.* ita Sanch. *sup. cap.* 25. *num.* 1. *& cap.* 26. *num.* 3. aliique penes ipsum; & patet *ex l. fin.* §. *hoc etiam, C. de Episcop.& cler.* 15.

Hîc vnum moneo ea Sanch. *supr. num.*3. legatum annuum relictum Moniali pro se, & pro vna famula, deberi monasterio quoad partem Monialis, non item quoad partem famulæ; si quidem monasterium non permittat famulas. quamquam, si adsit vsus concedendi singulis quinque Monialibus vnam famulam, tunc ea eo legato deberetur pro famula pars stipendij respondens huic Moniali; cum Sanchea sentit Rodriq.*tom.*3.*q.*16.*art.*5. addens non esse improbabile deberi monasterio aliquid ex præfato legato pro famulis toti monasterio inseruientibus necessariis ad onera Monialium subleuanda: at hoc non admittit Sanch. eò quòd legans in casu proposito nõ intendat prouidere famulis monasterij communibus, sed præcisè huius Monialis in particulari. 16.

QVÆRAS X. An Moniales vi voti paupertatis prohibeantur retinere bona superflua, etiam de licentia proprij Superioris.

Respond. quòd, cùm inata dicta *quæst.* 2. peculium concessum Moniali regulariter debeat esse moderatum, Concilio Trid. *sess.* 25.*cap.*2.*de Regul.* interdicente mobilia superflua concedi Regularibus, nedum peculium rei stabilis superfluum: consequenter dicendum est Moniales de licentia proprij Superioris non posse retinere superflua, bona scilicet ipsis minimè necessaria, habita ratione Religionis, monasterij, status, muneris, nobilitatis, gradus, & aliarum similium circumstantiarum hîc, & nunc concurrentium in dictis Monialibus; sicut bene adnotauit Sanch.*supr.cap.*22.*num.*17. assignans *num.*18. aliquos modos, quibus excusari possint Religiosi retinentes superflua; & monens, quòd si dicti Religiosi sint in bona fide, nec de hoc rogent Confessarium, nec speretur fore, vt admonitio prosit, potest Confessarius tacere, ac ipsos absoluere, dummodo bona non expendant sine licentia, aut in malos vsus. 17.

QVÆRAS XI. An Monialis habens ea legitima Superioris licentia peculium expendendum in quosuis vsus maluerit, implicare illud possit etiam in vsibus inutilibus, immò & illicitis, ac malis,

Respond. non posse, &, si taliter expendat, teneri ad restitutionem. collligitur ex Sanch.*supr.c.*29. *num.*81. *Claus regia lib.*11.*cap.*12.*num.*16. aliíque relatis à Peyrin. *de R.S.quæst.*2.*cap.*2.§.7. & patet, quia Superior regularis est administrator bonorum Religionis, non autem dominus, sicque ea non potest distribuere, nisi in vsus honestos, & conformes Religioni. 18.

Oppositũ tamen admittit Io.de Logo *D.*3.*de iust. n* 142. non esse improbabile: nimirum quòd, quando Prælatus dat subito plenã, & liberam facultatẽ expẽdẽdi aliquid pro suo arbitrio; non censetur limitasse suam intentionẽ solùm ad vsus honestus, ac pios, sed potius abstulisse, quantum erat ex parte sua, totum impedimẽtum, vt vsus ille nõ esset cont. votum paupertatis ob defectum licentiæ; ideóque recipientem ab illo teneri quidquã restituere. citat pro se Bañem, Lopez, Rebell Salas, Sayrum, & Dianam; probatque quia in aliis materiis licentia generaliter cõcessa non intelli

intelligitur limitari ad solos vsus aliunde non turpes, nec illicitos; sed in iis etiam tollit malitiam, quam posset habere ex defectu talis licentiæ, remanente in iis turpitudine ex alio titulo: idem ergo dicendum est in casu nostro.

QVÆRES XII. An Moniales ex bonis ipsarum vsui permissis possint facere eleemosynas, & donationes, & quas.

19. Respond. posse; dummodò sint moderatæ, & fiant de licentia Superioris, saltem tacita, quæ maximè potest colligi ex vsu vniuscuiusque monasterij: siquidem quod passim fit à Religiosis subditis, etiam timoratis, scientibus, & consentientibus Prælatis, censetur fieri de ipsorum licentia, saltem tacita, seu interpretatiua, si possint commodè impedire. ita Tábur. *supr. D.9. quæst.3. n.13.* aliique penes ipsum; inter quos Diana *p.1. tract.6. resol.19.* ex Beia, Cenedo, & Valero putat hanc responsionem maximè habere locum in casu, quo Monialis, seu Religiosus parciùs viuendo sibi non pauca subtrahant, aliis ipsorum vsibus concessa à Prælatis, animo ea elargiendi, siue pauperibus, siue amicis, aut consanguineis; & ratio est, quòd sic nullum damnum infertur monasterio, cùm potiùs id cedat in præiudicium ipsiusmet Religiosi elargientis, sibi subtrahentis ea, quæ aliàs licitè, ac decenter posset vsurpare.

An autem Monialis sine licentia Superioris elargiri possit suam rationem, seu pitantiam absque violatione voti paupertatis.

20. Respond. Diana *supr. resol.28.* ex Syluest. Aragon. S.Anton. Turrecrem. & aliis posse: & probat, quia in rebus, quæ vnico actu consumuntur, non potest secerni vsus à dominio; sicque cui confertur vnum, consequenter confertur, & aliud; vt colligitur ex Extrauag. Io. 22. *ad conditorem*, §. *quod autem de verb. significat.* Contrarium sustinent alij cum Salonio 2.2. *tom.1. quæst.61. tract. de dominio, quæst.1. art.2 concl.1. corol. 3.* asserentes nullum Religiosum posse ex iis, quæ ipsi conceduntur ad suos vsus, aliquid erogare absque particulari licentia proprij Superioris: idque etsi parcissimè viuat ad talem effectum; vt scilicet sibi subtrahat ea, quæ aliis donare intendit: cuius rei illam afferunt rationem, quòd Religiosus non potest esse dominus alicuius rei, immò nec vsufructuarius, sed solum vsuarius: vsuarius autem solum habet vsum rei pro se, nec potest eum cedere alteri, cùm hoc sit proprium domini, & vsufructuarij. Et hanc sententiam posteriorem puto in praxi sequendam esse: nisi in proprio monasterio extet consuetudo in contrarium; eàque à Superioribus scientibus, & volentibus tolerata, sicque probabiliter præsumi possit adesse tacita ipsorum licentia: in quo casu constat opinionem Dianæ esse probabilem, & tutam in conscientia; quem proinde existimo non dissentire à nobis; cum in fine resolutionis citatæ dicat: *Limitatur, nisi Prælatus ex causa rationabili ad vitandum excessum, & abusum Religiosorū, vel propter paupertatem monasterij circa tales largitiones, præceptum, vel censuras in contrarium imposuisset.*

QVÆRES XIII. An Moniales, quæ sunt Cellerariæ, seu Syndicæ monasterij, possint ex bonis communibus monasterij facere aliquas eleemosynas pauperibus, aut etiam aliqua elargiri amicis, ac benefactoribus ipsius monasterij sine licentia Superiorū.

21. Respond. non posse, nisi iuxta ipsorum commissionem, aut saltem iuxta tacitam illorum licentiam hîc, & nunc probabiliter præsumptam. ita in terminis Tambur. *supr. num.16.* ex S. Thom. 2.2. *quæst.32. art.8.* aliisque Doctorib. addens *num.13.* secus dicendum de Superioribus monasteriorum, qui cum habeant legitimam administrationem bonorum sui monasterij, & conueniens administratio non solum permittat, sed exigat dictas elargitiones; vtique & possunt, & debent facere tales elargitiones, moderatas tamen iuxta vires facultatum monasterij.

QVÆRES XIV. An Moniales, quarum interest distributio bonorum monasterij ex officio, possint ex illis largiùs distribuere amicis Monialibus, quàm aliis, animo iis gratificandi, & quidem propria auctoritate.

Respond. non posse; & patet ex Suarez *tom.3. de relig. lib.8. cap.15. num.9. 10.* si hic aduertero dictas Moniales monasterij Officiales non posse ex bonis monasterij sibimetipsis aliquid ampliùs assumere, quàm possint dare aliis, aut certè probabiliter sibi persuadere possint libenter permitti à Superiore, & ratio est, quòd præfatæ Moniales non sunt meræ administratrices bonorum monasterij; administrator autem non debet administrare bona commissa, nisi iuxta rationabilem voluntatem Domini, qui in casu nostro est Superior monasterij, & ipsum monasteriū. 22.

QVÆRES XV. An, & quo modo possint Moniales in morte disponere de propriis bonis, ea relinquendo huic, aut illi.

Respond. quòd, cum Religiosus non habeat, nisi merum vsum illorum bonorum, quæ ipsius vsibus permittuntur, & vsus finiatur in vsuatio: consequenter, non potest Monialis disponere de bonis ipsi concessis ante mortem, nisi fortè rogando Superiorem, vt velit ratam habere dispositionem illam, eámque postea exequi: in quo casu Superior tenetur naturaliter, & in foro conscientiæ seruare promissionem; vt rectè notauit Sanchez *lib.7. mor. cap.8. num.18.* excipiens tamen casum, in quo promissio distribuendi esset circa alterum Religiosum sibi etiam subditum: sicut enim tunc Superior tem datam posset illi auferre, ita & posset non dare; quod est benè notandum. 23.

Huc facit quod sacra Congreg. 26. Ianu. 1604. & 10. April. 1615. declarauit facultatem disponendi de propriis cellis post mortem nulli Monialium concedendam, sed eas, dum vacauerint, arbitrio Superiorum aliis Monialibus in Ordine senioribus distribuendas. ita Barbosa *l.1. iur. Eccl. cap.44 num.59.*

QVÆRES XVI. An Monialis possit testari, si fortè tempore professionis aliqua bona sibi reseruauit cum potestate testandi de illis.

Respond. non posse, neque ex permissione proprij Superioris. ita Sanchez *num.19.* dicens, quod, licèt Religiosus ex Abbatis permissione reuocabili possit sibi reseruare aliquam quantitatem ad suos vsus, vel vt de ea tempore vitæ disponat: at nequit, vt de ea testetur, quia disponere in vita potest ex Abbatis licentia, non item testari. quod est contra Iasonem Authent. *ingressi num.37. C. de sacros. Eccl.* sustinentem Monachum sibi reseruantem tempore professionis aliqua bona cum potestate testandi de illis, non posse id facere, nisi ex permissione Abbatis reuocabili, qoandocúnque velit. Ratio præsentis responsionis est, quòd testamentum est ius, & facultas, qua testator explicat suam voluntatem post obitum suum exequendam; quod interdixit ius Ecclesiasticum tanquam sapiens naturam dominij; at non interdixit donationes modicas in vita ex Superioris licentia; id enim posse fieri est valdè necessarium conuictui humano. 24.

Maius dubium est, an Monialis posset testari ex licentia sui Superioris de rebus, quæ nec sunt monasterij, nec ipsius Monialis, si accedat consensus illorum, quorum sunt propriæ.

15. Respond. quod, quamuis prima facie in isto casu solùm exerceri videatur munus procuratoris, aut executoris alienæ voluntatis; quod fieri potest à Religioso ex licentia Superioris; re vera tamen dicendum est, neque in hoc euentu Monialem, aut quemcumque alium Religiosum posse testari, patet tum quia exequi, & procurare innituntur personæ alterius, eiusque nomine fiunt; at in præsenti casu testamentum fieret proprio nomine, & esset proptoprium personæ testantis; perinde ac si sæcularis proprium conficeret testamentum disponens de aliqua re aliena ex consensu domini: tum quia alioqui Religiosus, consentiente Prælato, posset testari de rebus monasterij ad opera pia, sicut Prælatus illas impendere, aut dare facultatem impendiendi inter viuos. ita Nauarr. *commu.* 2. *de Regul. num.* 57. Sanchez *supr. num.*6. addens, quòd, licet huiusmodi testamentum non valeret, tamen posset consensum præstans cogi ad implenda relicta in tali testamento, non quidem vt debita ex vltima voluntate Monachi, quæ fuit inefficax, sed ex quadam executione mandati concedentis præfatam facultatem testandi ei, qui aliàs est ineapax. Concedit præterea Sanchez *num.* 8. ex Paciano, posse aliquid relinqui Monacho cum facultate disponendi de eo inter consanguineos tempore mortis, non per modum testamenti alicuius solemnis, sed per electionem personarum, ad quas pertinere debeat, quod ita relictum fuerit.

QVÆRES XVII. An Monialis possit reuocare, aut saltem declarare testamentum à se factum ante Religiosam professionem.

16. Respond. non posse reuocare, cùm eadem potestas exigatur in dissoluendo actu, quæ in eo constituendo, ideóque testamentum solùm possit reuocari ab eo, qui potest illud condere: posse tamen illud declarare, si ob obscuritatem egeat interpretatione voluntatis illius; cum declarans nihil de nouo faciat, sed iam factum aperiat ita Sanch. *sup. cap.* 11. *num.* 5. *&* 16. aliique penes ipsum; qui addit *num.* 20. non valere potestatem reuocandi testamentum à Religioso sibi reseruatam ante professionem.

QVÆRES XVIII. An, & quomodo Monialis absque violatione voti paupertatis possit facere amico, aut consanguineo insignem aliquam vulgò recamaturam, aut aliud opus artificiosum magno prætio æstimabile.

17. Respond. posse, si id faciat de licentia Superioris, & amicus, aut consanguineus, pro quibus Monialis elaboratura est, subministret materiam, & alia necessaria ad conficiendum tale opus; secùs, si id faciat absque licentia Superioris, aut opus artificiosum conficiat expensis monasterij; tunc enim neque sine licentia Superioris potest illud opus fieri, neque eum licentia, si expensæ illæ sint adeò excedentes, vt Superioris potestas non extendatur ad illarum permissionem, seu concessionem. ita Tamb. *sup. D.*9. *quæst.*3. ex Bonacina, & Scortia, quos cum Valero refert, & sequitur Diana *part.* 2. *tract.*6. *resol.*6. patetque ex eo, quòd in priori casu non agitur de alienanda, seu donanda re, quæ iam sit monasterij, sed tantum de non acquirendo, & quidem de consensu Prælati; qui vtique licitè potest ab eo præstati, si iusta interueniat causa, vt tradunt communiter DD. apud Sanch. *lib* 6. *de matr. D.*4. *num.*13. *&* 14. in posteriori verò casu agitur de alienanda re, quæ est monasterij, vtpotè facta expensis illius, adeóque non potest alienari sine licentia Prælati. Nec dissentit Ioan. de Lugo *D.*3. *de iust. num.* 149 inde probans priorem partem huius responsionis, quòd Religiosus sine præiudicio paupertatis potest alteri inseruire, eique gratis operam suam præstare; sicque tu poteris vti opera Monialis ad faciendam recamaturam, quæ consequenter non acquiretur Moniali, sed tibi, cui Monialis quasi operarius gratuitus laborat.

18. Et hæc responsio procedit, siue Monialis, de qua agitur hîc, degat in monasterio, in quo vigeat præceptum, aut consuetudo, vt Moniales operas suas & lucra inde percepta conferant in bonum commune Conuentus; cùm sic monasterio indebitè subtrahatur lucrum ipsi competens modo dicto: siue degat in monasterio concedente Monialibus, vt pro se laborent, & sibimeptipsis lucrentur; sic enim adhuc Monialis in casu proposito faciens amico recamaturam sine licentia, subtrahit monasterio operam suam, quæ est prætio æstimabilis, & per professionem vna cum persona Monialis translata est in ius monasterij, ipsumque defraudat lucro aliàs debito illi recamaturæ, quod vtique ad ipsum spectat iuxta vulgarem regulam: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit monasterio.*

QVÆRES XIX. An Monialis peccet contra votum paupertatis, si res acquisitas cum legitima Superioris licentia postea occultet, siue eidem Superiori, siue alteri, v. g. Prælato canonicè visitanti monasteria.

19. Respond. peccare, si occultet, eo quòd timeat illas, aut illarum aliquam sibi auferri, si inueniantur à Prælato; sic quippe vult contra Superioris voluntatem res illas possidere, & arguit animum proprietarium, quatenus sic res dictas occultando impedit, ne auferantur: cùm tamen aliàs debeat esse parata eas à se abdicare, quandocunque Superior maluerit; quam animi præparationem sine dubio habere non potest, dum illas modo dicto occultat, ac celat. Secùs, si res præfatas occultet, non quia credat fore, vt ex auferantur à Superiore, si ab eo reperiantur; sed solùm, ne patiatur confusionem, ac verecundiam, Superiore eas reperiente, aut etiam ab illo non reprehendatur, interim parata res illas tradere Superiori, si forte eas petat; nam sic non retinet quidquam, inuito Superiore, saltem quoad substantiam, & solum intendit euitare confusionem illam, seu reprehensionem, quam timet inde sibi euenturam. ita Sanchez 7. *moral. cap.* 19. *num.* 60. *&* 61. plurimis aliis relatis, quos citat, & sequitur etiam Tambur. *sup. quæst.* 3. *num.*6. paterque abundè ex dictis.

Addo ex Ioanne de Lugo *supr. num.* 156. non peccare contra votum paupertatis Monialem, quæ habens rem aliquam de licentia proprij Prælati, illam occultat, ne videatur ab Abbatissa, sicque ipsa cuter illam ei auferri per dictum Prælatum, & ratio est, quòd Abbatissa in tali casu se habet, sicut Monialis priuata, quæ non potest reuocare facultatem Prælati; ac proinde, sicut Monialis potest rem illam occultare Monialibus inferioribus, ne instent apud Prælatum, vt illam auferat; sic & eam potest occultare Abbatissæ ob dictum finem, siquidem Monialis rem illam habet independenter ab Abbatissa, & in acceptione, & in retentione, dependenter tamen à Prælato; sicque dici potest eam detinere independenter à consensu Prælati, dum illam ei non occultat, sed ipsum relinquit eum tota libertate ad auferendum: quod fortè non eueniret (subdit Ioannes de Lugo) si Prælatus inferior, aut Officialis ei subordinatus iussu Prælati superioris visitaret cubiculum, &c. quòd bene notandum est.

QVÆRES XX. An, & qualiter Monialis ex voto paupertatis teneatur esse parata relinquere ad

ad nutum Prælati, aut Abbatissæ ea, quæ habet de ipsorum licentia.

30. Respond. teneri, & consequenter non posse resistere Superiori volenti ea auferre, si sint superflua, & alioqui sufficienter eius necessitatibus aliunde prouideatur. ita Lessius *lib.2. cap.4 n.31. & 32.* Rodriq. *tom.3.q.29.art.12.* Nauarr. *lib.3. de restitut. cap.1. part.3.n.160. &* 162. Sanchez *supr. cap.22.n.15.* Tambur. *supr. D.8.q.2.* aliique apud ipsum; & constat ex dictis *q. praeced.* si aduertero ex Peyrino *de R. S. q.2. cap.2.* Religiosum non teneri se priuare rebus aliàs sibi legitimè concessis, si Superior eas velit auferre, vt sibi retineat: vel certè illi soli auferat non aliis Religiosis einsdem monasterij, & quidem sine iusta causa peculiariter tangente Religiosum, cui res illæ auferuntur. Quæ doctrina, etsi speculatiuè videri possit in aliquo casu probabilis, eo quòd Superior non censeatur auferre vt Superior; practicè tamen raro continget eam posse sustineri, cùm subditus possit dubitare ignotam sibi esse causam, ob quam Prælatus illas res aufert, & in dubio præsumendum sit pro Superiore.

Quòd si quæras, an Monialis teneatur à se abdicare res suas, si ordinarius loci attentet illas auferre.

31. Respond. teneri, si eius Monasterium sit immediatè subiectum Ordinario; secùs, si Monasterium sit exemptum. & ratio est, quòd Religiosus vi voti paupertatis tenetur solùm esse paratus relinquere res suas ad voluntatem proprij Superioris, vt constat ex dictis; in priori autem casu respectu Monialis ordinarius est Superior; non item in posteriori; ergo.

QVÆRES XXI. An Monialis absque transgressione voti paupertatis possit parentibus, aut aliis, inscio, ac inuito Superiore remittere ex causa portionem annuorum redditum sibi debitam ex pacto iustitiæ.

32. Respond. non posse; & probatur; tùm quia talis remissio est species alienationis: omnis autem alienatio interdicta est Religiosis per votum paupertatis; tùm quia præfati redditus sunt Monasterij iuxta illud: *Quidquid acquirit monachus, acquirit Monasterio*; & remissio illa est quædam donatio: constat autem Religiosum non posse sine licentia donare de bonis Monasterij, quantumuis ipsius vsui concessis, vt constabit ex infrà dicendis.

Quæ doctrina procederet etiam in casu, quo Monialis remitteret alij Moniali eiusdem Conuentus summam aliquam pecuniæ ei mutuatam. & ratio est, quòd, quamuis, facta tali remissione, dominium pecuniæ remissæ maneat apud Monasterium; Monialis tamen sic remitens sibi vsurpat vsum illius indepedentem à Superiore, ideoque exercet actum dominij repugnantem voto paupertatis; si remissionem illam faciat sine Superioris licentia, sin minùs expressa, saltem tacita, seu rationabiliter præsumpta.

Puto tamen non esse improbabile, quod Monialis ex pretio conuento sui corporis vsuram faciens, post factum sine violatione paupertatis posset propria authoritate remittere dictum pretium cùm teste Diana *part.2. tract 16. resol.40. v. bis tamen*, probabile sit pretium fornicationis non deberi fœminæ etsi permissum fuerit; vnde, si Moniali in præsenti casu non debetur pretium fornicationis; poterit ipsa illud remittere, quasi declaratione, stante præfata probilitate: cùm sic pretium non acquisitum sit Monasterio hoc ipso quod non est debitum.

QVÆRES XXII. An delinquant contra votum paupertatis Monialis, si absque licentia pecuniam sibi oblatam curent dari alij tertio.

33. Respond. delinquere, si expressè aut tacitè accipient oblatam pecuniam, & postea curent eam dari illi tertio; secus, si nullo modo eam acceptent. Et ratio est, quòd in priori casu, posita acceptatione Monialis verè dicitur donare mittendo donum per eum, qui dedit pecuniam, sicque censetur donare pecuniam Conuentus: quippe quæ hoc ipso quòd fuit acceptata à Moniali, transit in ius ipsius Conuentus: in posteriori autem casu, cùm nulla sit Monialis acceptatio, nihil ipsa donat, sed solùm intercedit, vt alius donet; quæ intercessio vtique non aduersatur voto paupertatis, quamuis esse possit contra regulam, aut obedientiam intercessionem prohibentes. ita Suarez *tom.3. de relig. lib.8. cap.11 num.45.* Sanchez *supr. cap.19.n.74.* aliique plurimi apud Dianam *p.1. tract.6. resol.8.* contra Sorbum *in compend. priuil. in exposit. Bullæ Clem. VIII. de largit. mun.* oppositum sustinentem.

QVÆRES XXIII. An Monialis habens facultatem expendendi summam aliquam notabilem in vsu aliquo licito determinato, illam possit expendere in alio vsu licito, & quidem inscio Superiore.

Respond. non posse absque expressa, aut saltem præsumpta Superioris licentia. ita Tambur. *supr. D.9. q.3.n.19.* ex Peyrino *supr.* & ante illos Sanch. *n.68.* cum Mendoza; patetque quia hoc ipso quòd licentia obtenta non extenditur, neque præsumptiuè ad illum alium vsum; perinde est, ac si summa illa expenderetur sine licentia: quod vtique esset contra votum paupertatis. Idque puto esse verum, etsi dicta summa expendatur in vsum longè meliorem, (dummodo non adsit licentia Superioris, saltem præsumptiua, vt dixi:) & hoc ob doctrinam, quam in re non dissimili tradit Sanchez *lib.4. mor. cap.9. n.4.* homini scilicet non semper satisfieri soluendo rem meliorem ea, quæ debetur, vtpote respicienti suam peculiarem vtilitatem, & interdum etiam voluntatem; cum Deus semper malit, quod apertè est melius, vt patet in voto: sicque potest contingere Superiorem dantem licentiam distrahendi aliquam pecuniam in vsu licito, simpliciter nolle eam expendi in alio vsu, licèt longè meliori. 34.

35 Sine licentia non acquirunt Moniales rem pretio æstimabilem.

36 Qualis licentia ad hoc requiratur.

37 Non sunt proprietariæ, si absque licentia recipiunt non sibi, sed Conuentui.

38 Liberè recipiūt ab extraneis aliàs danda à Conuētu.

39 Necessaria item sibi recipiunt ex bonis communibus, si iniustè negentur.

40 Comestibilia ex bonis Conuentus interdum vsurpant sine mortali, sicut, & alia, quæ vsu non consumuntur, sed non semper: item ex communibus bonis surripiunt, vt compensent.

41 Qualiter peccent vsurpando sibi ex loco communi aliquid ad proprium vsum.

42 Sine licentia non recipiunt ad vsum rem, eius dominio penes dantem relicto.

43 Curant deponi pecunias apud tertium, vt iis postea vtantur de consensu Superioris.

44 Petunt aliqua ab alio, animo tamen ea non acceptandi sine dicto consensu.

45 Accipiunt interdum sine licentia Superioris immediati aliqua, animo non vtendi iis sine licentia Prælati mediati, & quidem breui obtinenda.

46 Accipiunt sub conditione, si Superior det licentiam.

47 Peccant interdum, si minima paulatim accipientes indebitè deueniant ad quantitatem notabilem.

48 Sine licentia non distrahunt bona Conuentus, aut data ad vsum proprium.

49 *Licentia distrahendi data à priori Abbatissa iuuat, etsi præsens Abbatissa illa nullo modo concederet.*
50 *Idq; etsi Monialis habens talem licentiam statuisset ea non vti.*
51 *Moniales nequeunt sibi inuicem commodare, aut mutare sibi concessa.*
52 *Item nequeunt recipere ab extraneis mutuum, aut commodatum.*
53 *Non permutant concessa ad suum vsum, sine licentia saltem præsumpta.*
54 *Non peccant contra paupertatem, si absque causa recusent oblata.*
55 *Sine licentia recipiunt pecuniam distribuendam pauperibus per ipsas eligendis.*
56 *Non peccant contra paupertatem recipiendo in depositum alienam pecuniam.*
57 *Licentia dandi extenditur ad accipiendum, immò & ad vendendum: non tamen semper concessa ad dandam rem aliquam, aut vni extenditur ad aliam rem dandam, &c.*
58 *Deputata ad aliquod officium eo ipso ab amicis recipere possunt pecuniam necessariam.*
59 *A pluribus Superioribus petunt facultatem recipiendi, vt sic colligant maiorem summam.*
60 *Vnde colligẽda violatio paupertatis, & eius grauitas.*
61 *Violantes votum paupertatis, non incurrunt pœnas ante sententiam.*
62 *Quæ licentia excuset à violatione voti paupertatis.*
63 *Licentia tacita quæ dicatur.*
64 *Sufficit ea, quæ dicitur præsumpta.*
65 *Vnde colligatur licentia præsumpta.*
66 *Licentia debita, sed negata, non semper excusat.*
67 *Abbatissa dat licentiam accipiendi, retinendi, ac distribuendi.*
68 *Cuius Superioris sit dare Monialibus præfatam licentiam.*
69 *Qualiter epicheia excuset à vitio proprietatis.*
70 *Si rem aliquam accipiant, aut distrahant ex epicheia, non semper id postea aperiunt Superiori.*
71 *Qualiter consuetudo excuset à vitio proprietatis.*
72 *Accepta à Monialibus indebitè, per se loquendo, non possunt retineri.*
73 *Secus, si à sæculari data sunt ad illum finem, vt scilicet Moniales ea insumat in vsu illicito: sic non restituit qui refundit tantumdem à Moniali; à qua indebitè accepit.*
74 *Qualiter teneantur Moniales restituere, si indebitè distrahant bona Conuentus.*
75 *Rem sine licentia acceptam interdum restituunt danti, sed non semper.*

QVÆRES XXIV. An, & qualiter Moniales ex voto paupertatis prohibeantur aquirere pecunias, & alia pretio æstimabilia.

35. Respond. prohiberi, nisi id faciant ex legitima licentia proprij Superioris modo inferiùs explicando; & probatur tum ex *cap. cum ad monasterium, de statu monach.* vbi id satis apertè insinuatur, vt aduertit Suarez *tom. 3. de relig. lib. 8. cap.* 11. *num.* 1. tum quia contrectare bona temporalia proprio nomine, & auctoritate ad ea possidenda, ac retinenda de se est actus dominij: qui autem accipit rem, inscio Prælato, exercet talem actionem: ergo committit contra votum, exerceodo actum dominij, ac proprietatis: tum quia vouens paopertatem sicut voaet non habere, sic & vouet non accipere aliqoo modo, cum accipere ordinetur ad habendum: ergo maximè vouit non accipere tali modo, id est, sine licentia.

Quòd si quæras, qualis licentia ad talem effectum requiritur.

36. Respond. requiri licentiam expressam Superioris, si Monialis procedere velit optimè, ac sincerè (id quippe petit Religiosa regula, & conoeniens, ac ornatus modus procedeodi) & aliàs licentia commodè peti possit; si vero commodè peti nequeat, sufficere licentiam præsumptam: vt si Superior absit, vel sit occupatus, & vrgeat necessitas, aut moralis commoditas accipiendi; tunc enim si Monialis probabiliter credat Abbatissam daturam fuisse liceotiam, si posset conueniri, sine culpa proprietatis accipi potest; quamqoam, vt rectiùs procedatur, oporteat acceptionem fieri cum habitudioe ad ordinatam retentionem, ac dispensationem, cum intentione scilicet manifestãdi rem Abbatissæ, quando occorrerit commoditas, vt, sic ea expresſè ratam habeat acceptionem, vel irritet, si voluerit, maximè cùm eo modo sit oecessaria expressa licentia ad retinendum, quo est ad recipiendum, ac proinde, si ea non præcessit acceptionem ob impedimentum, eo ablato postea peti debeat saltem ob retentionem. intellige, si res accepta iam non sit vsu consumpta; tunc enim cessaret necessias petendi dictam licentiam, per se loquendo, & ratione paupertatis: cum ad rem omoinò præteritam, & quæ in futurum non pendet, impertineos sit licentia, aut coosensus Superioris, vt patet.

QVÆRES XXV. An Moniales liberè possint accipere saltem ad communes vsus Monasterij, non autem ad proprium vsum.

37. Respond. Suarez noo posse, &, si accipiant, peccare non solum contra obedientiam, sed etiam contra paupertatem, vtpote nomine proprio, ac propria auctoritate accipientes, si id faciant absque licentia, vt suppooitur: quamuis, si res statim tradatur communitati, eaque intentiooe accipiator, acceptio regulariter excusetur à culpa mortali; non tam ex paruitate materiæ; quàm ex præsumpta voluntate Superiorissæ, cui displicet quidem modus, non item ipsa acceptio quoad substantiam: quæ coniectura videtur moraliter sufficiens, quando aliquid in particulari non occurrit, quod vehementem coniecturam faciat in contrarium, aut nisi ex consuetudioe aliud constet: vbi autem moraliter constaret, aut valdè probabiliter præsumetur non esse voluotatem Superiorissæ; vt aliquid accipiatur, etiam vt tradatur conuentui, non apparet, vnde talis acceptio excusari possit à mortali. ita Suarez *supr. num.* 30. à cuius sententia non immeritò recedit Sanchez *lib. 7. mor. cap.* 19. *n.* 15. dicens absolutè Religiosum, qui accipit sine licentia, nõ vt sibi approprie, sed vt tradat Monasterio, oon esse proprietarium; cum voto paupertatis solùm vouerit oil sibi acquirere, aut appropriare sine Prælati licentia, & in præsenti casu nil sibi acquirat, sed solùm monasterio, vt supponitur.

QVÆRES XXVI. An Mooiales sine licentia possint accipere ab extraneis ea, de quibus aliàs ipsis prouidendum esset ex bonis Monasterij.

38. Resp. posse saltem (quod spectat ad peccatũ mort. proprietas) modò rem acceptam non retineant cum maiori proprietate, aut reseruatione, quàm similem tenerent, si à conuentu illam accepissent. & ratio est, quòd in tali casu perinde est rem acceptam ad suum vsum tenere, ac eam deputare vsui commoni: cum communis vsus talium rerum non aliter sit communitatis, nisi quatenus diuisus est per singulas personas, ita vt apud nullum sit res similis tanquam propria, quippe quæ semper auferri potest à Superiore. præterquamquod Religiosi habent à Superiore licentiam tacitam, aot expressam, vt tali re in communi vtantur (v. g. veste) ac proinde quod illam generalem facultatem applicent ad hanc rem particularem

larem proprio arbitrio; & sine Superioris voluntate, aut non est proprietas, cùm semper seruetur respectus ad aliquam voluntatem Superioris, & ad vsum communem; aut certè est leuis, ac insufficiens ad peccatum mortale. ita Suar. *supr. num.* 28. monens secùs dicendum in casu, quo sine licentia recipiatur res aliqua extraordinaria ad proprium vsum peculiarem, ac extraordinarium, vt pretiosa imago, &c.

QVÆRES XXVII. An Moniales sine licentia ea bonis communibus monasterij capere possint sibi necessaria, si ea ipsis à Priorissa denegentur.

39. Respond. posse, si ea iniustè denegentur; cum sic facultas vtendi bonis communibus monasterij deuoluatur ad Religiosum subditū; quippe qui, hoc ipso quòd præsentem habet Superiorem abutentem sua potestate, censetur esse quoad illud quasi sine Superiore; non item, si ea iustè denegentur, eò quòd conuentus egestate laboret, ideóque verè non possit consulere omnibus necessitatibus Religiosorum: sic enim cessat ratio allata; cùm in tali casu licentia non sit debita. ita Sanchez *supr. num.* 54 aliis citatis.

Addit Soarez *sup. num.* 41. quòd, quamuis vsur-
40. patio comestibilium, ac poculentorum facta ex bonis communibus monasterij ad proprium vsum actualem (vt ita dicam) & transitorium, regulariter non sit peccatum mortalem; nisi damnificatio conuentus esset nimia, ac in re extraordinaria, & pretiosiori: siquidem Religiosi quoad vsum talium rerum tractantur vt filij; & inter parentem, ac filium similis actio non reputatur grauis; si tamen præfatæ res in magna quantitate accipiantur, & occultè retentæ paulatim consumantur, talis acceptio posset esse grauis culpa; etsi ad id discendum in particulari magna prudentia opus sit. De aliis autem rebus, quæ statim vsu non consumuntur, subdit Suarez, quod si non accipiantur vt occoltè, & tanquam propriæ possideantur; sed solùm ad vsum publicum, ac expositum arbitrio Superioris, sicut retinentur aliæ res; ordinarie in tali acceptione adest solùm culpa venialis, nisi interueniant peculiares circunstantiæ indicantes deformitatem grauiorem: vt si id fiat frequenter, & quasi ex animo deliberato applicandi eo modo res Conuentus, ad suum vsum, vel, si alij inde priuentur vsu talis rei cum magno incommodo.

Dixi sub initium huius §. *proprium vsum*: vt indicarem quod notat Sanch. *l.* 7. *mor. cap.* 21. *num.* 31. ex Lessio *l. de iust. cap.* 12. *num.* 48. nimirum furta modica esculentorum à Religiosis facta de bonis Conuentus ad ea donanda alteri, aut vendenda, censeri moraliter continuari in vnum furtum graue; quando peruenitur ad quantitatem notabilem, & adfuit intentio ea continuandi vsque ad quantitatem eiusmodi: & ratio est, quod idem docet Lessius *supr.* de similibus furtis famulorum; & quoad ea nulla præsumitur interueniente voluntas Superiorum, resque ipsæ, quæ surripiuntur modo dicto, non cedunt in vsus Religiosorum, ad quos sunt destinatæ. Non dissentit Diana *part.* 1. *tract.* 6. *resol.* 34. & 35. alios pro se allegans.

An autem Monialis, quæ cogitur exercere aliquod officium Conuentus requirens magnas expensas, non obstante quod Superiorissæ suam exposuerit impotentiam quo ad hoc, possit ex bonis communibus monasterij compensare expensas factas, aut faciendas in exercitio præfati officij.

Respond. posse, si ex proprio peculio verè non potest sustinere illas expensas; sic enim locum habet compensatio rationabilis; cùm impossibilium non sit obligatio *ff. de regul. iur. l. impossibilium*, & necessitas non habeat legem *l. vn. ff. de offic. consu.* multaque necessitatis causa permittantur, quæ aliàs non permitterentur *cap. si quis propter, de fur.* Secùs, si Monialis aliunde possit æquè bene sibi consulere quo ad dictas expensas (v. g. ex proprio peculio) nam tunc de talibus bonis cēsentur sic dispositum à Superiorissa; & alioqui per coactionem ad dicta bona expendenda non fuit violata iustitia, aut fidelitas, vt esse possit locus licitæ Compensationi: quod non procederet, si Monialis iis bonis egeret ad suos vsus necessarios, quibus aliter nequit consulere.

Cæterùm quod ait Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 12. *quæst.* 3. non peccare contra votum paupertatis Re- 41.
ligiosum, qui ex communi bibliotheca, aut communi loco aliquid vsurpat ad suum vsum temporalem; peccare verò, si vsurper ad vsum perpetuum; negant Sanch. *supr. cap.* 19. *num.* 57. cum in vtroque euentu absque Superioris licentia vsurpetur vsus rei pretio æstimabilis; & solum adsit in hoc differentia, quod facilius præsumitur licentia ad vsum temporalem, & tunc interueniat materiæ paruitas excusans à mortali, non item à veniali.

QVÆRES XXVIII. An Moniales sine licentia possint recipere aliqua ad proprium vsum, relicto dominio penes dantem.

Respond non posse; cùm per talem receptionem 42.
acquiratur vsus rei acceptæ, qui est pretio æstimabilis, ideóque prohibitus acquiri à Religioso sine debita licentia; vt constat ex dictis *quæs.* 2. & inde suaderur, quòd parum referret Religiosum non habere rem propriam quoad dominium, si posset pro suo arbitrio de communibus bonis disponere. ita Sanch. *supr. num.* 49. addens secùs dicendum, si Religiosus ex licentia Superioris vsum rei accipiat, relicto dominio apud dantem: idque, etsi Religiosus consultò hoc faciat, ne res accepta sibi auferatur à Prælato, aliique Religioso detur vel applicetur communitati: si enim verè dominiū maneat omnino penes dantem, Religiosus nil sibi vsurpat tanquam proprium, sed solùm vsum, huncque ex licentia Superioris; quod sine dubio nullam importat speciem proprietatis contra Religiosam paupertatem.

Quin etiam addit Sanch. *num.* 59. & bene, non 43.
facere contra votum paupertatis Religiosum, qui sine licentia Prælati ab aliquo petit, vt pecunias deponat apud aliquem, non habens voluntatem acquirendi vllum ius in illas, & totum illud relinquens apud dantem cum libera facultate illas repetendi, solúmque intendens habere opportunè pecunias, & ex quibus, cùm indiguerit, de licentia Superioris accipiat necessaria, non aliter accepturus; & hoc, licèt deponens pecunias intendat transferre dominium in Religiosum: cùm talis translatio fieri nequeat acceptatione Religiosi, quæ in præsenti casu non adest. Quæ doctrina procedit item in euentu, quo Relgiosus dictas pecunias seruaret apud se in depositum eodē prorsus modo, quo erant apud amicū si quidem illas nō haber aliter, quàm si essent apud externum depositarium, & alioqui nō pugnat cum voto paupertatis esse depositarium rei alienæ.

Sic non facit contra votum paupertatis Religio- 44.
sus, qui aliquid petit ab alio, sed cum intentione illud non accipiendi absque licentia, hac ratione intendens explorare voluntatem dandi, ne frustra licentiam postulet; vel quia faciliùs eam obtinebit (quamuis id esse possit contra regulam:) & ratio est, quòd tunc verè nihil accipitur sine licentia. ita Sanch. *num.* 52. limitans tamen assertionem, nisi

pro

probabiliter credatur fore; vt Prælatus simpliciter negaret facultatem rem illam accipiendi, si nosset illam antea petitam fuisse; & solum concedit, eo quod putet eam sponte oblatam; tunc quippe ea licentia esset involuntaria, vt pote dolo extorta, & consequenter inualida.

Qværes XXIX. An Moniales sine licentia accipere possint aliquam rem animo non vtendi sine licentia Prælati mediati, à quo breui sperant illam obtinere, non audentes interim illam petere à Prælato immediato, aut ab Abbatissa.

45. Respond. posse, si modo supradicto præfatæ rei dominium apud dantem relinquant vnà cum administratione, tali re non vsuræ, nisi post obtentam legitimam facultatem, eamque interim detinentes quasi in deposito: patetque ex dictis *q. præcedent.* vbi etiam indicauimus talem modum accipiendi posse esse contra regulam, quæ fortè ipsum vetet; non item, si rem illam sine licentia tacita, aut expressa recipiant, retenturæ ad breue tempus: tunc enim acceptio non fiet sine culpa veniali contra paupertatem Religiosam, cùm ei aliquo modo aduersetur, etsi leuiter; quo pacto S. Bonauent. *in spec. discipl. ad nouit. p. 1. cap. 4.* ait talem receptionem non esse tutam, vt notauit Sanchez *num. 5.* ita Diana *p. 1. tract. 6. resol. 41.* ex ipso Sanchez & Fausto contra Io. de la Cruz.

Qværes XXX. An Monialis recipere possint aliquid sub conditione, si Superior concesserit licentiam.

46. Respond. posse, si adsit animus rem acceptam restituendi casu, quo negetur licentia, & nullum sit periculum eam tunc reddendi. colligitur ex Sanchez *num. 6.* & patet, quia conditio nihil punit eu esse, & acceptio ista non est absoluta, sed conditionabilis; quæ ratio ostendit posse Religiosum item aliquid alienare sub dicta conditione; vt in terminis docet Sanchez *loco citato*, & post illum Io. de Lugo *D. 3. de instit. num. 161.*

Qværes XXXI. An Moniales peccent mort. contra paupertatem, si absque licentia Abbatissæ minima recipiant, aut expendant, aut vsurpent ex bonis Conuentus, aut aliunde, & tandem perueniant ad notabilem quantitatem.

47. Respond. peccare, si minima illa sint pecuniæ: & hoc, licèt nunquam habuerint animus plus, quàm illud minimum recipiendi; secùs, si sint comestibilia, idque, etsi intendant continuare dicta furta minima, & ratio est, quod in priori casu Superior est rationabiliter inuitus: non item in posteriori, vt facilè constabit consideranti. ita Diana *supr. resol. 35.* aliis citatis: inter quos benè notat Sanchez *supr. cap. 21. num. 33.* multò maiorem quantitatem horum comestibilium peti, vt eorum vsurpatio sit mortalis, quàm in aliis rebus, eámque arbitrio viri prudentis esse taxandam, attenta rerum ipsarum qualitate, & aliis circunstantiis. sicque addit Sanchez *num. 35.* in casu, quo Religiosus minima esculenta accipiat ab externis, maiorem quantitatem exigi, vt acceptio sit mortalis; siquidem hoc cedit in bonum conuentus, quatenus ille Religiosus tantò minùs ex bonis illius insumet.

Qværes XXXII. An Moniales peccent contra votum paupertatis, si ex bonis conuentus, aut etiam ad proprium vsum concessis sine debita licentia alienent donando, aut aliter ea distrahendo.

48. Respond peccare, cum se vsurpent rem independenter à voluntate Superioris, & consequenter de ea disponat vt domini: cum re vera habeant solum facti vsum, & vsuarius nec ipsum rei vsum, nedum dominium possit alij concedere. Ita DD. communiter apud Sanchez *supr. cap. 19. num 64.*

Difficultas modò est, an Monialis, quæ ab Abbatissa obtinuit licentiam rem aliquam alienandi, ea amota ab officio, adhuc possit illam alienare vigore præfatæ licentiæ, si certò credat modernam Abbatissam non concessuram talem licentiam, si nosset.

Respond. posse; & probatur, quia concessio dictæ licentiæ est gratia facta: gratia autem facta non spirat per mortem concedentis, nec per eius amotionem ab officio; ex alia parte ea dispositio habitualis modernæ Abbatissæ eam de facto non reuocat, cum intus retentum nihil operetur; ideòque etiam modò durat, ac durabit, vsque dum actu reuocetur à moderna Abbatissa, aut ab alio Superiore competente. Quæ ratio ostendit idem dicendum esse in casu, quo Monialis similem licentiam habuisset à præsenti Abbatissa, & nollet illam omninò velle dictam licentiam reuocare, siue quia omnes alias similes licentias de facto reuocauit, siue quia ea id significauit Moniali amicæ, siue quia cuidam ex Monialibus Discretis præcepit, vt præfatam reuocationem Moniali licentiam habenti iuridicè intimet, quæ tamen nondum illam intimauit; quamdiu enim dicta reuocatio non intimatur iuridicè, durat licentia; vt in simili docet Sàch *l. 3. de matr. D. 30. n. 12. & D. 36. n. 9.* 49.

Dices, quid si Monialis, obtenta illa licentia, iam mutauerat consilium, & statuerat rem illam ampliùs non alienare: poteſtne nihilominus eam liberè alienare?

Respond. posse; & inde suadetur, quòd, sicut teste Sanchez *lib. 8. de matr. D. 32. num. 6.* duo consanguinei post obtentam dispensationem simul contrahendi, si aliet, aut vterque aliis nuptiis copulentur, vidui postea effecti vi prioris dispensationis possunt iungi inter se matrimonio: cùm semel ablatum sit impedimentum, nec obstet tacita illa renunciatio per transitum ad alias nuptias inducta, quippe quæ non fuit acceptata à cōcedente; sic in nostro casu per concessionem licentiæ sublatum est impedimentum, obstans, ne Monialis rem illam alienare posset; nec potest dici reuixisse ob renunciationem illam licentiæ tacitè factam in ea mutatione consilij, cum talis renunciatio verè non fuerit acceptata à concedente, vt suppono: quare par ratio procedit in vtroque casu. 50.

Qværes XXXIII. An Moniales sine licentia possint sibi inuicem mutuare, aut commodare res proprijs concessas vsibus.

Respond. non posse, quamuis aliàs sæpè excusentur à mortali ob paruitatem materiæ; quatenus (inquit Laym. *lib. 4. tract. 5. cap. 7. num 4.*) etsi liber v.g. valeat 10. ducatis, quem sibi vt proprium vendicare mortale esset, vsus tamen libri non perpetuus, sed temporalis (qui conceditur per contractum commodati) nō æstimatur tanti, vt sit materia peccati mortalis, præterquamquod in rebus paruis, & crebrò occurrentibus præsumi potest adesse tacitam Superioris licentiam, saltem ad breue tempus; vt notat Sanchez *lib. 7. mor. cap. 19. num. 65.* addens non fore mortale Religioso sic commodare res ad proprium vsum destinatas, si ille sit securus de earum restitutione, ac conseruatione. ita citati Doctores, à quibus non dissentit Suar. *tom. 3. de rel. l. 8. cap. 15. n. 4.* & Diana *supr. ref. 37.* dicens ex Lamas, & Fagund. Religiosos posse inuicem dare tonicam, caligas, calceos, & etiam cucullam ad vsum; dummodò dans prouisus sufficiētet remaneat, omninò voto paupertatis seruato. Probatur autem assertio quoad primam partem ex eo quod Religiosus rerum ipsius vsibus concessarum est merus vsuarius, ideóque non potest propria authoritate 51.

authoritate concedere alteri vsum illarum,& multo minus dominium: quorum transfertur in alium per mutuum,& ille per commodatum; quæ ratio à fortiori probat Religiosum sine debita licentia non posse modo explicato mutuare,aut commodare personis extraneis res ipsi concessas, & multò minus bona communia monasterij; cùm quoad dictas personas,& eiusmodi bona præsumi rationabiliter possit Superior magis inuitus, vt consideranti facilè constabit.

Quæres XXXIV. An Moniales sine licentia possint recipere mutuum,ac commodatum, etiam à personis extraneis.

52. Resp. quòd, cum per mutuum transferatur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, & per commodatum vsus rei commodatæ in commodatarium; & alioqui per votum paupertatis sit prohibita acquisitio cuiuscunque dominij, aut vsus rei pretio æstimabilis facta independenter à voluntate Superioris,vt constat ex supra dictis; hinc sequitur Moniales sine legitima licentia non posse recipere mutuum,aut commodatum,maximè ab externis: qnamuis facilius excusari possint à culpa mort. quoad commodatum (cum quoad illud faciliùs præsumi possit tacita licentia Superioris, quàm quoad mutuum) & in ipso mutuo ad peccandum mort. requiratur maior quantitas, quàm sic hæc dono acciperetur,cum re vera iuxta moralem æstimationem minùs sit id, quod accipitur; vt rectè aduertit Suarez supr.cap.11.num.44. ex quo colligitur magna ex parte præsens responsio.

Quæres XXXV. An Moniales sine licentia possint permutare res propriis vsibus concessas etiam cum externis.

53. Respond. quòd,quamuis Lopez,& Rodriq.relati à Sanch. n. 67. sustineant partem affirmantem, si ex tali permutatione magna iactura non proueniat cōuentui; id probantes tum quod adsit interpretatiua licentia Superioris:tum quòd talis commutatio non est propriè distractio, aut consumptio, cùm æqualia recipiantur pro cōmutatis, quia tamen actus commutandi est actus dominij, qui rectè potest exerceri solom ab habente dominium, aut legitimam rei administrationem: propterea si res,quæ commutatur, sit magni pretij, commutatio videtur esse mortalis. ita Sanch. loc. cit. & cum eo Laym. vbi supra addens Religiosum sic commutantem sæpè excusari à mortali, eo quòd sæpè præsumi possit Superiorem non esse inuitum, vt quæ Religioso concessa sunt ad suum vsum (v. g. breuiarium, aut vestem)cum aliis commutet, quæ sibi magis accommodata videntur: præsertim si permutatio fiat cum domesticia, immò etiam cum externis, si quæ recipiuntur,sint similia, aut æqualia: præterquamquod interdum,etsi Superior sit inuitus quoad modum, quia talia fiunt absque eius licentia;non est tamen inuitus quoad rem ipsam;sicque commutatio non est mortalis, licèt repugnet paupertatis perfectioni, & aliquando præbeat ansam grauiùs delinquendi contra votum;qua de re Diana part. 1.tract.6.resol.38. citans alios.

Quæres XXXVI. An Moniales peccent contra votum paupertatis, si absque licentia Abbatissæ recusent rea sibi donatas,& quidem sine causa.

54. Respond. non peccare; cum Religiosus ex voto paupertatis non teneatur acquirere, sed solum non alienare;peccare tamen contra charitatem,cum sine iusta causa impediat bonum conuentus, cui res illa donata ipsis acceptantibus fuisset acquisita; non secus ac peccat in proximi charitatem, qui rogat volentem legare alicui, ne leget; rogatque nulla iusta causa ductus.ita Sanch.sup.n.75. & cum illo Fagund. lib.7.in decal.cap.7.n.5. monens causam iustam recusandi dona oblata posse in proposito casu reputari, ne Superiores putent Religiosum habere nimiam familiaritatem cum externis, aut certè vt non maneat obligatus ad rem donatam remunerādam,&c.

Quæres XXXVII. An Moniales peccent contra votum, si absque debita licentia accipiant pecuniam ab ipsis liberè distribuendam cuicunque pauperi maluerint,nomine tamen eius,qui dedit.

55. Respond. videri non peccare; & probatur, quia votum Religiosæ paupertatis solum obligat Religiosum,ne inscio Superiore accepter dominium,aut vsum proprietarium alicuius rei:in nostro autem casu non acceptat dominium,aut vsum proprietarium pecuniæ datæ,cum eam detineat,ac distribuat nomine dantis, ergo. ita Sanch. supr.cap.30.num.4. aliique doctissimi viri ab eo consulti, quos sequitur Diana supr.resol.29. vnà cum Fausto, contra plures alios ab ipso Diana relatos oppositum sustinētes ex eo quòd Religiosus in isto casu sibi vsurpat ius aliquod pretio æstimabile, nempe administrandi illam pecuniam, & quidem independenter à Superiore; quod tamen nos negamus, cùm illa sola professio, & administratio pecuniæ independens à Superiore sit proprietaria,quæ exercetur nomine proprio.

Quæres XXXVIII. An Moniales delinquant contra votum paupertatis, si authoritate propria recipiant in depositum pecunias alienas.

56. Respond. non delinquere ob rationem quæst. præcedentis,tam,quæ item procedit in præsenti casu;peccare tamen aliunde,si absque consensu saltem tacito, ac præsumpto Prælati depositum graue accipiant: idque ob contractum initum, ac obligationem propria authoritate susceptam. quamuis aliàs monasterium non teneatur de deposito culpa Religiosi depositarij amisso, aut deteriorato, tametsi suscepto ex licentia Superioris: siquidem licentia solùm facit vt licitè Religiosus recipiat depositum, non item vt Prælatus, aut conuentus inde obligentur; quod procedit etiam in euentu, quo ipsemet Prælatus accipiat depositum sine monasterij consensu: tunc enim monasterium non tenetur de eo; cum in illud non consenserit. ita Molina tract. 2. D. 525. Sanchez lib 6.mor.cap.14.num.27.Castr.Pal.tract.16. D.4.p.13.§.4. num.3. monens Religiosum depositarium, cuius culpa amittitur, aut deterioratur depositum,teneri soluere, si aliquando sit soluendo: vt si habeat peculium suæ dispositioni relictum, ex quo sine graui incommodo soluere possit.

Quæres XXXIX. An Monialis recipiens aliquid ab alia Moniali eiusdem conuentus habente licentiam dādi, egeat noua licentia ad recipiendum.

57. Respond.Sanchez lib.7.mor.cap.19.num.72. egere, nisi ex coniecturis probabiliter colligatur oppositum; & probat, quia per votum paupertatis impediuntur Religiosi non solùm, vt non dent propria authoritate, sed etiam vt non accipiant sine debita licentia: sicque concessio licentiæ est ablatio talis impedimenti: cum ergo ista impedimenta sint diuersa, & Superior possit de facto auferre vnum, alio nō ablato(etsi simpliciter posset auferre vtrumque) consequenter auferens impedimentum ex parte dantis non censetur auferre etiam ex parte accipientis, nisi se declaret. Oppositum sustinet Io. de Lugo D.3.de iustit.num.164.ex sententiam R.Admodum P.N.Vitellesc hi:nimirum quòd,licèt,stando in rigore iuris,duplex licētia requiratur in casu proposito;de facto tamē ea videtur esse mens Superioris,vt data subdito licētia dandi,aut accipiendi,alij eiusdem Prælati

Prælati subditi possint ab eo accipere, aut ei dare; dummodò nihil in fraudem fiat: qualis fraus interueniret, si quis, mediante eo, qui dictam licentiam haberet dandi, & accipiendi, vellet dona sua transmittere ad alios; is enim casus non censeretur comprehensus in ea generali intentione Superioris. idem sentit Diana à me consultus.

E contra putat Io. de Lugo *loco citato*, *num*.159. Religiosum habentem à Prælato licentiam dandi, aut accipiendi, vigore illius regulariter posse absque alia facultate vendere, ac emere; probatque, quia licentia dandi, & accipiendi non requiritur in Religioso, nisi vt possit acquirere, & transferre dominium: in quibus ille pendet à voluntate Prælati: quod autem emptio, ac venditio addunt peculiare, non videtur necessarium petere nouam licentiam; si enim ablatum est impedimentum abdicandi dominium pretij, & acquirendi dominium rei, iam votum paupertatis non obstabit, quo minùs fiat contractus emptionis, ac venditionis; totum autem impedimentum est per licentiam dandi, & accipiendi sublatum, sicque non requiretur alia licentia ad dictos contractus. Sic Io. de Lugo monens tamen *n*.160. se hîc loqui de Religioso habente facultatem dandi, & accipiendi: qui enim solùm habetet facultatem dandi, non posset vendere; cum venditio contineat acquisitionem pretij, quæ acquisitio non est datio, sed acceptio: monet item licentiam dandi, & accipiendi præfatam ex intentione Prælati non extendi ad emptionem, & venditionem talem, quæ esset negotiatio, aut haberet speciem negotiationis; cum in his appareat specialis turpitudo, aut indecentia, quæ non adest in simplici datione, & acceptione.

Addo violare votum paupertatis Monialem, quæ habens licentiam dandi rem aliquam, aut vni, dat aliam, aut alteri, cui dandi scit Abbatissam non daturam fuisse facultatem. ita Barcus *in speculo c*.6.& patet, quia licentia data non extenditur ad hos alios casus, sicque Monialis censetur dare sine licentia.

QVÆRES XL. An Moniales hoc ipsò quòd deputantur ad officium monasterij exigens multas, ac graues expensas, ab ipsis faciendas, sine licentia ab amicis, & consanguineis recipere possint pecunias ad talem effectum.

58. Respond. videri posse ex tacita, & interpretatiua voluntate Superioris se deputantis ad tale officium. Moueor ex doctrina, quam in simili casu tradit Suar. *tom*.3.*de Relig.l* 8.*c*.11.*n*.7. Superiorem scilicet dantem Religioso facultatem ad peregrinandū, & non prohibentē aliquid recipere, virtualiter censeri dare facultatem ad recipienda ea, quæ aliàs prudenter, & cum decentia Religiosa recipi possunt: facultas enim vna intelligitur implicitè contineri in alia; quæ doctrina vtiq; potest adaptari ad præsentem casum, &, si applicetur, probabit intentum. Quamquam aliàs Superiores Monialium deberent coërcere nimiam licentiam, quæ in aliquibus monasteriis quoad hoc reperitur; iis omninò interdicendo expensas non necessarias, ac nimis excedentes, quæ vtinam non ordinêtur ad luxum, ac fastum inanem.

QVÆRES XLI. An Moniales delinquant contra votum paupertatis, si indigentes maiori summa pecuniæ, quam concederetur ab vno tantùm ex suis Superioribus, recipiunt illam modò de licentia Abbatissæ, modò cum facultate proprij Prælati, vsque dum perueniant ad summam ab ipsis intentam.

59. Respond. non delinquere, cùm sic acceptio non fiat sine licentia legitimi Superioris, & Monialis modo dicto eam petens à pluribus Superioribus non possit dici facere fraudem, sed vtatur iure suo, iis cumulatiuè concurrentibus quò ad facultatem concedendi dictam licentiam. Quæ ratio indè etiam confirmari potest, quod Sanch. *l*.8. *de matr. D*.23. *num*.1. aliis citatis, probabile putat indigentem dispensari in pluribus impedimentis matrimonij posse petere, & obtinere dispensationem super vno illorum, & postea super alio; idque, etsi in priori petitione consultò omittat proponere posterius impedimentum: innuitque satis apertè ligatum voto castitatis, si velit ducere consanguineam, posse priùs petere ab Episcopo dispensationem voti (si ia possit dispensare,) & postea dispensationem consanguinitatis à Papa; quæ faciunt ad nostrum casum; maximè cùm concessio licentiæ ad accipiendum juxta dicta *q*.34. sit veluti ablatio impedimenti obstantis, ne Religiosus libere possit accipere.

QVÆRES XLII. Quale peccatum faciant Moniales violando votum Religiosæ paupertatis.

Respond. committere peccatum mort. si quantitas rei indebitè vsurpatæ, alienatæ sit grauis: talem autem grauitatem iuxta *Mirandam tom*. 1. *manual*. *q*.18. *art*.17. determinandam esse in particulari pro temporum, locorum, Religiosorum, personarum, & aliarum circumstantiarum hîc, & nunc concurrentium varietate: supponendo tamen in præsenti materia differendum esse de Religiosis, ac de filiis, ita vt eorum furta dicenda sint æquiparari furtis filiorum; sicut notant Fagund. *sup. c*.5. *n*.1. hinc inferens *num*.2. quantitatem sufficientem ad peccatum mort. esse summam quinque argenteorum; Diana *resol*. 36. ex Sanch. & Io. de la Cruz putante summam 4. argenteorum ad talem effectum sufficere: quod non admittunt neque Cenedo, nec Petrus de Ledesma, apud ipsum Dianam sustinentes Religiosum surripientem 8. aut 9. regales ex bonis communibus conuentus, aut Religiosi particularis non peccare mort. neque Rodriq. *in sum.to*.4.*c*.118.*n*.17. *&* 19. putans Religiosum tunc committere furtum mort. quando peruenit ad summā 2. aureorum: quòd licèt Diana dicat sibi non placere, ait tamen admitti tum à Soto, tum ab Aragono. Verùm in materia paupertatis Religiosæ sicut abstinendum est à doctrinis nimis laxis, ne inducatur relaxatio regularis disciplinæ: sic & cauendum à nimis rigidis, ne Religiosorum conscientiæ illaqueentur, vt notat Suar. *sup. num*.40. 60.

Notat autem Io. de Lugo *sup.n*.161. contra Sanch. non peccare contra votum paupertatis Religiosum, qui dat alteri Religioso non habenti licentiam accipiendi: probatque ex eo quòd, sicut habens votum castitatis non peccat contra suum votum, quando est causa, quòd quis cum alia fornicetur; cùm votum solum obliget vouentem, vt ipse sit castus; non autem vt alij sint casti: sic meum votum paupertatis me solum obligat, vt ego sim pauper, non autem quòd procurem, vt alij sint paupetes, vnde fit, vt, licèt in casu proposito contrahi possit malitia scandali, quatenus Religiosus cooperatur peccato alterius contra suum votum; non tamen peccet contra suum votum paupertatis.

QVÆRES XLIII. Quas pœnas incurrant Moniales violantes votum Religiosæ paupertatis.

Respond. incurrere eas, quas afferemus infra *c*.8. *q*.36. moneo hîc ex Castro Palao *sup.D*.3.*p*.24.*n*.4. dictas pœnas incurri solùm post iudicis sententiam, & à Religiosis retinentibus proprium, non item ab iis, quæ sine debita facultate aliquid alienant, aut accipiunt, etsi aliàs delinquant contra votū paupertatis. 61.

QVÆRES XLIV.

QVÆRES XLIV. Quæ licentia excuset à violatione voti paupertatis.

61. Respond. excusare licentiam, quæ sit voluntaria, ac iusta: siue sit expressa, siue tacita, seu præsumpta, ac Interpretatiua, vt norant communiter Doctores; & ratio est, quod posita tali licentia, Religiosus non operatur nomine proprio, sed alieno, nempè Superioris. Ea autem non erit voluntaria, si sit ex metu coactione, dolo, vel fraude: eiusmodi esset etiam illa, quæ extorqueretur, tacitis iis, quibus declaratis, licentia suler denegari, vel falsò expressis iis, vi quorum licentia conceditur, aliàs deneganda; hæc enim actum reddunt simpliciter inuoluntarium. Præterea licentia debet esse iusta, id est concessa sine iniustitia: sicque Religiosus surripiens aliena cum licentia Prælati, violat votum paupertatis; non quia vtitur alienis præcisè, sed quia vtitur sine licentia legitima: quod procedit etiam de Religioso ex licentia Prælati expendente in vsibus illicitis: cum talis licentia dari ab eo non possit, ac proinde sit nulla, vtpotè data à non habente potestatem, vt notat Sanchez *lib. 7. mor. cap. 19. num. 31.* (id tamen intelligendo iuxta dicta *in hoc cap. num. 18.*)

63. Tacita autem dicitur illa licentia, quæ virtute continetur in alia expressa, vt in casu proposito *quæst. 35.* item si consuetudine inductum sit Religiosum posse aliqua recipere, retinere, aut expendere, & Superior consuetudinem non reuocet, cùm facilè possit: item, si Superiore conscio, nec prohibente, cùm facilè possit, aliquid recipiat, retineat, aut expendat Religiosus; cùm in tali dissimulatione virtualiter contineatur quędā approbatiua voluntas, vt patet.

64. Addo excusari Religiosum à vitio proprietatis, si det, aut recipiat de licentia Superioris solùm præsumpta; præsumens scilicet ipsum daturum esse licentiam, si peteretur, sed Religiosus omittit petere ex erubescentia, aliòve respectu humano: cùm ad vitandam proprietatem sufficiat Religiosum operari nixum voluntati Superioris saltem futuræ; quo pacto ad vitandum furtum sufficit ea præsumptio de voluntate domini, vt constat ex *leg. inter omnes, §. rectè, ff. de furtis.* Quamuis aliàs in tali receptione; ac bonorum dispositione ferè semper venialiter peccetur, eo quòd Superior, cum commodè adiri possit, ægrè ferat modum illum accipiendi, ac disponendi de rebus clandestinum, ita Nauarr. *tom. 2. de regul. num. 20.* Suarez *supr. cap. 11. num. 11.* Sanchez *lib. 7. mor. cap. 19. num. 13.* & cum iis Castr. Pal. *p. 23. num. 8. 9.* docens ex Nau. Lessio Mendoza, Suar. & Sanch. in præsenti materia sufficere probabilem cognitionem præsumptæ voluntatis Superioris, non autem requiri certam; cum sic operans moraliter certus sit de voluntate Prælati, nec exponatur morali periculo operandi sine licentia, tametsi physico periculo exponatur; quod parum refert.

65. Cæterùm voluntas præsumptina Superioris ex multis capitibus colligi potest; & maximè si constet experientia ipsum solere libenter concedere aliis talem licentiam, nec notabiliter ægrè ferre, vt non petatur: item si scias illum esse Superioris affectum in te, vt libenter tibi daret, si id ab eo peteres, aut nosset te eo indigere, aut desiderare.

66. Rursus licentia debita, sed negata non semper excusat Religiosum à vitio proprietatis, sed solùm quando Superior negat ea, ad quæ Religiosus habet ius à Religione (cuiusmodi sunt necessaria ad victum, & vestitum iuxta receptum morem Ordinis) & insuper negat licentiam ea recipiendi ab externis: tunc enim licentia censetur concedi ipso iure à Religione, vtpotè iniustè negata à Superiore.

An autem Abbatissa possit Monialibus subditis concedere licentiam accipiendi, retinendi, ac distribuendi, & in qua quantitate.

Respond. posse, cùm ipsa verè habeat administrationem Conuentus, eique promittatur obedientia; vt inter alios notauit Laym. *supr. num. 15.* ex Sanch. assertionem benè limitans, nisi consuetudine, aut cōstitutione Religionis talis potestas restricta sit. 67.
Quantitas autem, si aliunde non taxetur siue statuto, siue consuetudine definiri debet arbitrio prudentis, considerata occasione, seu necessitate, facultate Cōuentus, & aliis circumstantiis; sicut in simili aduertit Suarez *cap. 15. num. 13.* Quamquam, quòd spectat ad dandam licentiam accipiendi, Monialium Superioribus restringenda non videatur facultas: cùm ex ipsa acceptione monasterium ditescat nec appareat ratio, cur dicta facultas restringi debeat, vt considéranti constabit.

Quando ergo in materia paupertatis quærimus, an Moniales de licentia Superioris possint facere, hoc, aut, illud; nomine Superioris intelligimus tum propriam ipsarum Superiorissam, tum illarum Prælatum, siue secularem, si sint immediatè subiectæ Sedi Apostolicæ, aut Ordinario loci: siue regularem, si sint exemptæ; quod est benè notandum. 68.

QVÆRES XLV. Qualiter epicheia excuset à vitio proprietatis.

Respond. excusare, si duo concorrant; nimirum quod res vrgeat: & quod Superior absit, vel certè non ita præsto adiri possit. ita Lessius *lib. 2. cap. 41. n. 79.* Lopez *lib. 2. de cont. cap. 40.* aliique quos sequitur Fagund. *supr. cap. 5. num. 20.* monens epicheiam in eo consistere, quòd subditus rationabiliter præsumit, & iudicat Superiorem hîc, & nunc concessurum talem licentiam; quo modo epicheia coincidit cum licentia præsumpta. 69.

Constat autem, quòd, sicut, quando tota ratio accipiendi, aut alienandi ex epicheia fuit non fuisse præsentem Prælatum, aut non potuisse cōmodè adiri ob aliquod impedimentum, tenetur Religiosus rem totam aperire Superiori; sic è contra ad id nō tenetur, si ratio accipiendi, aut alienandi fuit, quia Religiosus probabiliter credidit Prælatū sibi facilè concessurum licentiam, si peteret iuxta dicta *quæst. precd. §. cæterum:* idque etsi res extet apud se inconsumpta ita Fag. *sup. n. 22.* ex Sāch. Nau. Mendoz. & Graph. 70.

QVÆRES XLVI. Qualiter consuetudo excuset à vitio proprietatis.

Respond. quòd, licèt multi DD. asserant consuetudinem communem dandi, & accipiendi aliquid in Religione absque licentia non excusare à vitio proprietatis; eo quòd voti obligatio sit de iure naturali, contra quod non præualet consuetudo; si tamen vidente, & non contradicente Superiore, vigeat consuetudo dandi, accipiendi, aut expendendi in vsus licitos, non petita expressa licentia: valebit talis consuetudo, & excusabit à vitio proprietatis; cum sic interueniat licentia tacita, & voluntas Superioris explicata per eam consuetudinem receptam, sicque nil capiatur, renitente Superiore, aut contra votum. ita aliis citatis Sanch. *lib. 7. mor. c. 19. n 7.* quem sequitur Fagund. *supr. num. 12.* addens *num. 13.* eandem consuetudinem, quæ excusat ab acceptione, excusare etiam à retentione, ac expensione; cùm præcipuum signum proprietatis sit possidere, seu detinere aliquid absque legitima Superioris licentia. Quare & Moniales, & viri Religiosi attendere debent, in quibus rebus, & quò vsque in proprio monasterio, ac Ordine extet facultas generalis, & consuetudo circa dāda, & accipienda: id enim sufficit, 71.

vt excusentur à vitio proprietatis, ac violatione voti; modo distractio bonorum non fiat ad vsus inhonestos, ac illicitos. in quo casu vtique non excusatet consuetudo; cum nec excuset licentia expressa Superioris, si fortè daretur, vtpotè illegitima, & inualida, quantumuis daretur de consensu totius monasterij, vt rectè aduertit Fagund. *num.* 33. idque iuxta dicta hîc *num.* 18.

Qværes XLVII. An recipiens à Monialibus in quantitate notabili absque licentia possit rem acceptam retinere, vel debeat restituere.

72. Respond. per se loquendo, teneri restituere rem sic acceptam vtpotè datam ab vno, qui dare non poterat, & contra voluntatem monasterij, sub cuius dominio est res accepta; quanquam Castr. Palaus *tract.* 16. *D.* 3. *part.* 23. *num.* 5. ex Rebello dicat per accidens frequenter indebitè recipientem à Religioso excusari à restitutione, eò quòd, facta alienatione, præsumi potest Religionem consentire, ne sibi restituatur taliter res accepta; quod ea facere potest, ne aliàs honor illius, ac sui Religiosi periclitetur. Vnde Facund. *sup. cap.* 5. *num.* 34. hæc habet: *Ex vno tamen principio fortè poterimus excusare illos, qui rem bona fide à Religioso acceperunt, & iam apud illos non extat, sed consumpta est; ex eo scilicet quòd bona fide acceperint, & melior sit conditio possidentis; quare hoc animaduertant Confessarij, ne conscientiæ hominum iniiciant scrupulos: nam si pœnitentes bona fide possident, & bona fide acceperunt, dissimulari poterit, maximè si res iam non extet; & hoc iuxta aliquos, mihi tamen omninò contrarium videtur*; sic ille.

73. Addit Sanch. *sup. num.* 35. quòd si sæcularis daret aliquid Monacho non sibi retinendum, nec ad libitum consumendum, sed dandum fœminæ, cum qua ipse Monachus fornicatetur; si is de facto illud tradat fœminæ; hæc non tenetur restituere, cum illud censeatur accepisse, non à Monacho, sed ab illo sæculari, Monacho in ea datione se habente solum vt executore: nec appareat vllus titulus, ex quo illud dici debeat acquisitum monasterio.

Addo ego, quòd si recipiens à Moniali indebitè dante, tantundem ei refundat, quantum accipit (& quidem in re vtili) videtur liberari ab onere restituendi; quippequi, etsi non habeat expressam intentionem compensandi damnum sua causa illatum monasterio, habet tamen virtualem, quæ sufficit; cùm lex absolutè præcipiat actum, non autem quòd fiat tali intentione: & aliàs teste Sanch. *sup. num.* 110. possit talis restitutio fieri Religioso danti, nisi timeatur illum vanè, & contra Prælati voluntatem iterum consumpturum esse: in quo casu facienda esset monasterio. nobiscum sentit Diana *part.* 5. *tract.* 13. *resolut.* 94. *v. at negatiuam.*

Qværes XLVIII. An, & quomodo Moniales distrahentes bona, siue sibi concessa ad vsum, siue communia Conuentus teneantur restituere.

74. Respond. teneri, sin minùs restitutione propriè dicta (quæ non fit nisi ex propriis bonis) saltem restitutione impropriè dicta, nempè abdicando à se vsum proprij peculij, si quod habent, & eo minùs egent pro rebus necessariis; & ratio est, quòd Monialis in casu proposito non excusatur à restitutione, nisi ex impotentia; impotentia autem non excusat, nisi eo modo, quo est: vnde, cùm in hoc casu non adsit impotentia absoluta (stante quod Monialis potest modo dicto restituere) eam absolutè non excusabit ab onere restituendi, sed solùm in eo, quòd non teneatur restituere ex bonis simpliciter propriis. Colligitur ex P. Nauarro *l.* 3. *de restit. cap.* 1. *num.* 198. quem sequuntur Fagund. *l.* 7. *in decal. cap.* 5. *num.* 55. & alij; quorum aliqui addunt Religiosum obligatum restituere monasterio, si non habeat peculium, ex quo restituat modo supradicto, teneri vel magis laborare, vel sibi ex concessis aliqua minùs necessaria subtrahere, vel aliunde ab amicis, aut consanguineis procurare bona, ex quibus debitam faciat restitutionem: sed hæc duriora sunt, ideòque magis consulenda, quàm præcipienda; vnde Alphons. de Leone *de offic. & pot. confess. recoll.* 11. *num.* 291. ait Religiosum, si non habeat redditus, in casu proposito non teneri ad quidquam, nisi quod inducat, eum cui dedit, vt restituat; quæ sunt benè notanda, quia facient ad praxim: præterquam quod Rosella *v. Monachus num.* 7. Armilla *ibi, num.* 11. Tabiena *ibi n.* 11. & Syluest. *v. Relgio* 8. *q.* 3. negant Religiosum absque licentia Superioris aliquid dantem, aut dispensantem teneri ad restitutionem; cùm restitutio fieri debeat ex proprio, & Religiosus nihil proprij habeat.

Qværes XLIX. An Monialis rem acceptam sine licentia Superioris, debeat tradere monasterio, vel certè reddere ei, qui dedit.

Respond. debere tradere Monasterio, si donatio ex parte dantis facta fuit cum absoluta voluntate donandi. Ita in terminis Suarez *sup. cap.* 11. *num.* 35. 75. probátque ex eo quòd, cùm donatio hæc cedat in bonum Religionis, quantumcumque ea contradicat acceptioni, postquam tamen facta est, semper censetur illam acceptare, quatenus potest sibi prodesse, & non obesse: sicque res donata censetur acquiri ipsi Religioni iuxta regulam communem iuris: *Quidquid acquirit Religiosus, acquirit Religioni, cap. statuimus* 18. *q.* 1. præterquam quod dici potest donationem esse ipso iure validam, & acceptatam: quælibet autem res tradi debet suo domino, vt patet. Secùs dicendum esset, si dans non habeat voluntatem absolutam donandi, sed solùm sub conditione expressa, aut tacita, quòd res data cedat in proprium vsum, ac dominium Monialis, cui datur, & ab ea possideatur independenter à Superiore: tunc enim Monialis debet rem acceptam restituere danti; quippequi illius dominium nunquam à se abdicauit (idque ex defectu sufficientis voluntatis, conditione illa apposita impediente translationem dominij) & aliàs quælibet res debetur suo domino.

Sectio II.

De Voto Castitatis, ad quam tenentur Moniales.

76 *Ad quam Castitatem teneantur Moniales.*
77 *Ad quid obligentur ex voto Religiosa Castitatis.*
78 *Eius violatio sub qua pœna ipsis vetita.*
79 *Violator Monialis quibus pœnis plectatur.*
80 *Violatio Monialis est mixti fori.*
81 *Iure Ecclesiastico prohibentur Moniales nubere.*
82 *Qualis sit violatio Monialis quoad malitiam.*
83 *In quibus casibus contingat violatio voti castitatis ea non includit malitiam; quas violans ignorat, aut non aduertit: si quam tamen taliter ignoratam confiteatur, benè confessus est: violatio item voti annexa peccato luxuriæ potest seorsim aperiri in confessione, si inculpatè sit omissa: copula habita cum muliere dormiente est Raptus, Bestialitas verò, si cum mortua.*
84 *Custodia clausuræ summè confert ad obseruantiam Castitatis Monialium: idque ex varijs capitibus, quæ recensentur.*

85 *Qualiter*

85 *Qualiter procuranda in Ecclesia.*
86 *Fuga conuersationis sæcularium vtilis Castitati.*
87 *Moniales debent abstinere ab ornamētis superfluis.*
88 *Debēt amouere occasiones peccandi, etiā minimas.*

QVÆRES I. Ad quam Castitatem teneantur Moniales vi huius voti.

76. Respond. quòd, cum Castitas dupliciter considerari possit; nimirum vel vt importat perpetuam abstinentiam ab omnibus voluptatibus carnis, tam licitis, quàm illicitis, & dicitur virginalis: vel vt respicit viduas, aliásque fœminas non virgines, & dicitur simpliciter castitas; votum castitatis, quod faciunt Moniales, obligat illas ad virginitatem quidem, si tunc sint virgines, ad castitatem verò simpliciter dictam, si tunc non sint virgines. Ita in terminis Tamburin. *de iure Abbatiss. D.* 10. *q.* 1. *num.* 3 & patet, quia votum castitatis importat abstinentiam cuiuscumque delectationis venereæ, siue licitæ, siue illicitæ, vt iam dictum est: ergo & importat obligationem conseruandi virginitatem, si vouens illam habeat, cùm ea non possit deperdi, nisi per delectationem aliquam veneream, quæ ei omninò est prohibita vi talis voti; ex alia parte votum castitatis, quod facit fœmina non virgo, nequit obligare ad virginitatem seruandam, cum virginitas semel amissa non possit recuperari, iuxta communem DD. sententiam, cum S. Th. 2. 2. *q.* 152. *art.* 3. *ad* 3. aliàs obligaret ad impossibile, cùm tamen impossibilium non sit obligatio.

QVÆRES II. Ad quid obligentur Moniales vi voti castitatis.

77. Respond. obligari ad perpetuò abstinendum ab omni actu venereo tam interno, quàm externo, castitati contrario, & consequenter à morosa, ac voluntaria delectatione de actu turpi; estò illa sit absque desiderio, immò cum proposito non committendi talem actum exteriorem. Ita Suar. *tom.* 3. *de relig. l.* 9. *c.* 2. *n.* 2. & patet ex ipsa natura virtutis castitatis simpliciter dictæ, vt constabit eā benè consideranti.

QVÆRES III. Sub qua pœna prohibeantur Moniales violare votum castitatis.

78. Respond. prohiberi sub pœna, quòd si se violari permittant, perpetuo carceri mancipentur: idque ex *c. impudicas* 27. *q.* 1. & quidem meritò; cùm, teste Alexandro ab Alex. *l.* 5. *dier. gen. c.* 12. Virgines Vestales, quæ antiquitus diis falsis virginitatem vouebant, ex iure scripto, in casu, quo permitterent se violari, virgis cæderentur, & postea viuæ in terram defoderentur in pœnam tanti sceleris commissi.

79. Notat autem Tambur. *sup. D.* 11. *q.* 2. abutentem Moniali contra castitatem, iure quidem pontificio in foro contentioso puniri pœna depositionis ab ordine, & amissionis beneficiorum, si sit Clericus, deberéque includi perpetuò in monasterio ad agendam pœnitentiam; si verò sit laicus, debere excommunicari, *cap. si qua monacharum* 27. *q.* 1. iure autem ciuili puniri pœna mortis, Authent. *de sanctiss. Episc.* §. *penult.* bonáque eius, si vis, aut raptus in tali sacrilegio interueniat, debere applicari monasterio, in quo degebat Monialis modo dicto violata; idque iuxta *l. raptores*, §. *bona autem*, *C. de Episc. & cler.* quod notauit Farinac. *de delic. carn. q.* 146. §. *sacrilegium*, *num.* 10. & cum eo Tamburin. *num.* 6. addens *quæst.* 3. *num.* 3. Moniales in proposito casu mitiùs puniri, quàm mares sacrilegij complices, eò quòd ipsis tanta culpa non insit, sicut maribus, qui eas inclusas attentarunt, illarúmque pudicitiam sollicitarunt; præterquàm quod Moniales, cùm non rarò inuitæ includantur monasteriis, & addicantur statui Religioso contra dispositionem sacrorum canonum; in foro externo, sin minus in totum, saltem ex parte videntur posse excusari, si ex fragilitate interdum delinquant.

Cæterum sacrilegium commissum cum Moniali est mixti fori, adeóque æquè principaliter de illo contra laicum cognoscere potest iudex sæcularis, atque Ecclesiasticus; ita vt inter eos sit locus præuentioni iuxta, *c. proposuisti, de foro comp. cap. fœlicis, de pœnis in* 6. *& cap. cum sit generale, de iudicijs.* Ita Farinac. *in praxi crimin. q.* 8 *n.* 132. Gutier. *in pract. l.* 3. *q.* 1. *n.* 13. aliíque Doctores ferè communiter teste Tambur. *sup. q.* 5. *n.* 1. contra Baldum, & Nauarrum apud eundem Tambur. *n.* 2. sustinentes cognitionem dicti delicti principaliter, & priuatiuè pertinere ad Ecclesiam, etiam contra laicos.

QVÆRES IV. An, qualiter, & quo iure Moniales, vi voti solemnis castitatis prohibeantur contrahere matrimonium.

Respond. prohiberi iure solùm Ecclesiastico, vt plurimis citatis ostendit Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 26. *n.* 1. & quidem ita, vt non solùm illicitè, sed etiā inualidè contrahant, si fortè attentent contrahere. est de fide, cum sit definita in pluribus Conciliis, & præsertim in Trid. *sess.* 24. *de matr. can.* 9 communísque Doctorum, & quidem, cùm Religiosi, relicto statu imperfectiori, transeant ad perfectiorem, magna deliberatione præmissa, & annua probatione, ac publicè populo inspectante se Deo per vota consecrauerint: æquum erat, vt Ecclesia saltem prouideret eos non posse postea valide matrimonium contrahere; ne aliàs daretur ansa descendendi ad statum imperfectiorem, & ex priori fide violata scandala multa, & grauia identidem pullularent. 80.

Notat porrò Lezana *tom.* 1. *cap.* 25. *n.* 15. ex Toleto *l.* 1. *c.* 39. eos, qui scienter contrahunt matrimonium cum Monialibus, & Moniales ipsas contrahentes incurrere excommunicationem latam in Clem. 1. *de consanguin. & affinit.* addítque ex eodem Toleto *l.* 7. *cap.* 15. eum, qui Monialem recipit in vxorem, in pœnam tanti sacrilegij prohiberi contrahere cum quacumque alia: idque ex 27. *q.* 1 *can.* si ergo. 81.

QVÆRES V. An violatio voti castitatis respectu Monialis vt sic importet plures malitias in confessione necessariò exprimendas.

Respond. non importare, nisi malitiam sacrilegij, ideóque Glossam (dum ait *in cap. virginibus* 27. *q.* 1. eum, qui copulam habet carnalem cum Moniali, illaqueari tribus criminibus, nempè sacrilegio (quod nos etiam admittimus) adulterio spirituali (quatenus violat sponsam Christi) & incestu (cum Monialis sit sponsa Dei, qui est pater noster, & consequenter consanguinea nostra, cum omnes simus filij Dei) sano modo intelligendam: nimirum violationem Monialis præter malitiam sacrilegij, quæ necessariò exprimi debet in confessione, inuoluere aliàs duas rationes, quæ aliquo modo aggrauant delictum, dicíque possunt veluti circunstantiæ aggrauantes; hinc tamen non sequitur eas importare diuersa crimina simpliciter dicta, & consequenter necessariò exprimenda in confessione: cùm probabile sit circunstantias aggrauantes intra eandem speciem non esse necessariò distinctè confitendas, vt suo loco tradunt DD. Et certè, quòd violatio Monialis importet malitiam sacrilegij, constat, quia Monialis vt Religiosæ professionis est persona Deo sacra: qui autem peccat contra personam sacram, committit sacrilegium vt colligitur *ex c. impudicas, c. virginibus, & c. si qua monacharum* 27. *q.* 1. 82.

Concedo tamen quòd, si Monialis violans castitatem cum Sacerdote inuincibiliter ignoret, aut non

aduertat per votum castitatis à se, & à complice emissum duplicem induci rationem sacrilegij actui luxuriæ à se commisso; non tenetur talem circunstantiam confiteri: quam aliàs confiteri deberet, teste Lessio *lib. 4. de iust. cap. 3. num.* 84. cum, data hypothesi, violatio castitatis per accidens annexam non habeat duplicem illam rationem sacrilegij, & hoc ob doctrinam traditam à Sanchez *lib. 1. moral. capit. 16. num.* 10. illum scilicet, qui carnaliter cognoscit fœminam, quam noscit non esse suam, ignorat tamen inuincibiliter esse ipsius consanguineam (cùm verè sit consanguinea) esse reum fornicationis, non item incestus: cùm malitia incestus non possit ei imputari ad culpam, vtpotè incognita, adeòque inuoluntaria. Quæ doctrina bene notanda est à Confessariis, tanquam fauorabilis rudioribus pœnitentibus: cùm enim ij ex ruditate ingenij, aut defectu scientiæ, vel etiam aduertentiæ in peccatis Luxuriæ plerumque apprehendant solùm rationem generalem peccati contra castitatem, nullo modo aduertendo malitiam adulterij, incestus, sacrilegij, &c. non tenentur postea confiteri has tales malitias (etsi post factum illas aduertant) sed sufficit eos confiteri se peccasse contrà castitatem, seu peccato Luxuriæ.

Accedit, quòd si Monialis fornicetur cum viro coniugato inuincibiliter non aduertens se ex parte complicis committere adulterium; & tamen dicat in confessione se commisisse adulterium (quod verè non commisit, dato quòd in actu peccandi non aduertit hanc talem malitiam) si postea dictior facta cognoscat copulam à se habitam cum viro coniugato non habuisse malitiam adulterij formalis, sed solùm materialis, ideóque non culpabilis; non tenetur id in alia confessione manifestare: cùm sufficienter confessa sit suum peccatum, nempe simplicem fornicationem (loquendo de malitia consurgente ex parte complicis) hoc ipso quòd confessa est se adulterium commisisse; quod continet in se totam malitiam fornicationis simplicis, superaddendo illi illam malitiam oppositam iustitiæ, per quam constituitur in esse adulterij: sicque non est opus illam confiteri se commisisse fornicationem; cùm confitens adulterium implicitè confessa sit & fornicationem.

Adde ex Cardinale de Lugo *D.* 16. *de pœnit. n.* 640. & aliis ab ipso relatis *n.* 645. quòd si adstrictus voto castitatis fornicetur, & in confessione dicat se fornicatum fuisse, omissâ inculpatè circunstantia voti: sufficit illum postea confiteri se violasse votum in re graui, & ratio est, quod violatio voti secundùm se habet suam malitiam vltimò completam, & in specie atoma independentet à malitia opposita castitati: ideóque malitia violationis voti sufficienter potest explicari, non explicata malitia, quæ aduersatur castitati.

QVÆRES VI. In quibus casibus Moniales violent votum castitatis.

83. Respond. violare, si quem ex actibus sequentibus exerceant: & quidem 1. si deliberatè capiant delectationem morosam de rebus venereis: si propriam pollutionem procurent, aut de ea aliunde secuta turpiter delectentur: si munusculis, literis, aut nunciis turpes foueant amicitias; siue cum aliis monialibus, siue cum personis laicis: si ex malo fine obscœnos habeant sermones, aut ex aliis audiant, librosve turpes, & amatorios legant: si retineant obscœnas imagines, vel etiam proprij amasij imaginem: si aspiciant obiecta impudica, & valdè prouocantia ad libidinem, vel se inspiciendas exhibeant iis, à quibus sciunt se turpiter amari: si lasciua canant, aut etiam indifferentia animo excitandi audientes ad turpem sui amorem: si à somno excitatæ delectentur de somniis obscœnis noctu habitis: si turpes habeant conuersationes, siue cum aliis Monialibus siue cum secularibus: si carnaliter delectentur osculis, amplexibus & aliis tactibus obscœnis: si indebitè se ornent ad malum finem: si voluntariè se detineant in occasione proxima violandi votum castitatis, in his, inquam, omnibus casibus violatur votum castitatis à Monialibus.

Vnum hic obiter moneo amicissimum P. Dianam *part. 9. tract 9. res.* 2. videri minus sufficienter impugnasse quod dico *tract. 4. capit. 3. num.* 70. copulam scilicet habitam cum fœmina dormiente in eam ante somnum non consentiente habere malitiam Raptus formalis: impugnat enim tum quia in hoc casu non videtur interuenire iniuria, ac violentia, quæ supponitur ad raptum; cum absit fraus, & ea ipsa iniuria, quæ fit fœminæ, ei non sit nota, vtpote concubitum non sentienti ratione somni; quo est consopita: tum quia alioqui sequeretur eum, qui haberet talem copulam, incurrere pœnas à Sacris Canonibus latas contra Raptores attenta doctrina Lessij *libr. 4. capit. 3. numer.* 66. extendentis pœnas Raptorum ad illos, qui non traducunt fœminam de vno loco ad alium ad illam violandam. Neutra autem harum rationum videtur probare intentum: non prior, cum iniuria sit iuris alieni violatio, quæ adest in præsenti casu hoc ipso qood quis abutitur corpore mulieris sine eius consensu; nec tollitur ex eo, quod fœmina non sentiat concubitum, vt patet; præter quam quod hic non deest vis, seu violentia; cum vis sit rei maioris impetus, qui repelli non potest, *libr. 1. & 2. ff. quod vi metusve cau. final.* quod in nostro casu verificatur, vt consideranti facilè constabit: non posterior ratio probat intentum; cum copula, de qua hic, habeat formalem malitiam raptus solùm per participationem, non autem in toto suo rigore; quod tamen requiritur ad incurrendas pœnas; quippe quæ non debent ampliari, sed restringi.

Addo item minus sufficienter improbari ab eodem P. Diana *sup. resol.* 1. quod dico *tract. 4. cap. 3. num.* 70. copulam videlicet habitam cum muliere mortua non includere malitiam bestialitatis: ex eo enim impugnat hanc assertionem, quod bestialitas sit concubitus cum re animata non eiusdem speciei, ac est homo, & copula habita cum muliere mortua non sit concubitus cum re animata, vt patet, idque iuxta communem sensum Doctorum modo dicto definientium bestialitatem: quasi verò S. Thomas 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 11. *in corp.* Caietan. *ibi* Tabiena, & Armilla *v. bestialitas.* Aug. *Luxuria*, Azor. *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 22. Laym. *lib. 3. sect. 4. num.* 14. Bonac. *de matr. quæst.* 4. *part. 12. num.* 1. Gesuald. de Bonon. *tom. 2. tract.* 12. *cap. 1. n.* 34 Binsfeld. *part. 2. cap.* 8 § 9. Enchirid. & alij bestialitatem non definiant, quod sit coniunctio carnalis cum re alterius speciei, non exprimentes quod ea res sit viuens, aut animata, sicut vult P. Diana. Vnde infero quod, cum tot graues Doctores definiant bestialitatem eo modo, quo ego definiui; non video, cur talis definitio non debeat admitti vt probabilis: hac autem admissa vt probabili, admitti debet vt probabilis doctrina à me data quam impugnat P. Dian. cuius doctrina, ego item admitto vt probabilem.

QVÆRES VII. Vnde Clausura adeo conferat ad votum Castitatis.

Respond. conferre 1. quia per eam vitantur multa, & grauia pericula illam violandi: 2. quia per illam Moniales facilius retrahuntur ab excessibus, 84.

in

in quos aliàs facilè ruerent: 3. quia liberior conuersatio iis auferret sanctam simplicitatem, ac ostium aperiret carnis suggestionibus: 4. quia pulchritudo neglecta solet efficaciùs allicere, & communiter nititur in vetitum iuxta illud Prouerb 9. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt*: quæ cum locum habeant in Monialibus, facilè apparet, quàm acriter irritari posset impudentia hominum scelestorum, si eæ frequentiùs parerent illorum aspectibus, iisque concederetur liberè confabulari cum illis, diutius conuersari, & ad illarum familiaritatem admitti; quæ sine dubio euenirent non rarò, si Moniales non adstringerentur lege clausuræ: vt vel hinc patet; quòd in præsentia, estò Moniales teneantur manere perpetuò intra clausuram; nihilominus interdum non desunt homines adeò impudentes, vt aliàs habentes copiam explendi propriam libidinem cum fœminis sæcularibus, sacrilegè audeant accedere ad monasteria Monialium animo alliciendi aliquam illarum minùs cautam ad turpissimos actus, & ad violandam fidem Christo ipsarum Sponsa datam in Religiosa professione. Ex his ergo capitibus, & aliis similibus, quæ facilè occurrere poterunt consideranti, sequitur obseruantiam clausuræ summopere conferre ad seruandam castitatem, ideóque iure optimò fuisse præscriptam Monialibus.

85. Hinc Summi Pontifices semper quàm maximè inuigilarunt circa custodiam clausuræ Monialium, molitique mediis curarunt eam integram, ac inuiolatam seruare; modò ferendo excommunicationem latæ sententiæ, reseruatam Papæ cum aliis pœnis contra Moniales egredientes è clausura, necnon contra alios iis in hoc fauentes, licèt etiam indebitè concedentes, comitantes, aut recipientes (quod fecit Pius V. anno 1569.) modò reseruantes Sedi Apost. violationem clausuræ Monialium ob malum finem, contra castitatem (quod præstitit Clem. VIII. anno 1602.) modò prohibendo Monialibus, ne admittant intra clausuram proprij monasterij quamcunque personam, cuiuscunque generis, conditionis, aut sexus (quod factum est *in cap. periculoso, superius citato*, & in Concil. Trid. *sess. 25 de Regul. cap. 5.* modò interdicendo quibuscunque personis tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus, ne sine debita facultate accedant ad monasteria Monialium (quod fuit statutum *in citato cap. periculoso*, & innouatum à Pio V. Bulla, quæ incipit *Circa pastoralis officij*:) modò præcipiendo, ne fœminæ aliàs habentes facultatem ingrediendi monasteria Monialium à Sede Apostolica, id faciant sine consensu ipsarum Monialium præstando capitulariter, & per secreta suffragia (quod præscripsit Vrb. VIII. anno 1624.) modò committendo Ordinariis locorum, vt procedant contra Regulares delinquentes circa personas degentes intra septa monasteriorum Monialium, & quidem quoad omnia delicta, etiam non notoria, nec cum scandalo populi (quod statuit Greg. XV. in Bulla, quæ incipit, *Inscrutabili Dei prouidentia*:) modò alia similia statuendo, quæ ad seruandam clausuræ custodiam non parum prodesse poterant, *& cap. seq.* proponentur.

86. QVÆRES VIII. Quantum conducere possit ad seruandum votum castitatis, vt Moniales quàm maximè abstineant à conuersationibus sæcularium.

Respond. ita conducere, vt sit validè difficilè castitatem seruari illibatam, si adsit frequentia conuersationum sæcularium; quo modo S. Bernard. *ser. 40. in Cant.* sic Religiosum alloquitur: *Sede solitarius vt turtur, nil tibi, & turbis: nil cum multitudine cæterorum: etiam ipsum obliuiscere populum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Cuius rei ea est ratio, quòd in conuersatione sæcularium interueniunt, & colloquia interdum minùs bona (corrumpunt autem bonos mores colloquia praua) & aspectus minùs cauti (cùm tamen mors intret per fenestras) & alia id genus, quæ paulatim ignem accendunt concupiscentiæ, & virtutem ipsam castitatis manifesto exponunt periculo. Vt proinde meritò sacra Congregatio ad tollendam quamcunque occasionem sæcularium conuersationum præcepit tum ne sub prætextu docendi sonum cymbalorum, aut alterius instrumenti, aut musicam, vel cantum permittatur accessus ad crates Monialium, Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 36.* ex Gauanto: tum vt rota, seu fenestella, ex qua Moniales exponunt sacras vestes ad vsum sacrificij Missæ, duplici claue obseretur, quarum altera sit penes Abbatissam, altera apud Confessarium, Nald. *v. Monialis num. 10.* tum vt clauis fenestellæ, ea qua Moniales sacram sumūt communionem, perpetuò maneat apud Confessarium, Gauant. *in manu. v. Monialium Ecclesia, num. 7.* tum ne Regulares de mandato Superioris accedentes ad Moniales causa concionandi, aut celebrandi Missam, vllo quæsito colore, Sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentes alloqui possint. Bonac. *q. 3. de clausura part. 4. num. 3.*

87. QVÆRES IX. Quo modo Moniales ad seruandum votum castitatis teneantur abstinere à superfluis ornamentis.

Respond. teneri abstinere tum quoad vestes, quas induunt, ne scilicet sint ex materia pretiosiori, vanæ, ac excitatoes ad libidinem, sed modestæ, decentes, ac conformes paupertati, quam profitentur: sicut enim asperior cardo facit pannum leniorem, inquit S. Bern. *ep. ad Guilielmum*, sic asper habitus carnem facit castiorem; tum quoad ornatum capitis, ne videlicet comam nutriant, & multò minùs vtantur cincinnis, aut fucis vultum oblinant, sic habetur in Clem. *attendentes de statu monach.* his verbis: *Visitatores autem huiusmodi sollicitudinis studium diligenter impendant, vt Moniales ipsæ, quarum nonnullas dolentes audiuimus in subscriptis excedere, pannis sericis, variorum foderaturis, sandalitiis, comatis, & cornutis crinibus virgatis capitalis non vtamur*; qua de re Tambur. *supr. D. 10. q. 2. n. 16. & 17.* monens ex Nauarro *cap. 23. n. 18.* quòd, si Monialis nouitatem inducat in sa ornanda, & sic ornata se ostendat sæcularibus, qui inde grauiter prouocentur ad libidinem, non videtur excusari à peccato mort. secùs, si ex leuitate, ac vanitate muliebri absque praua intentione.

88. QVÆRES X. Quàm solicitè, ac studiosè debeant Moniales declinare quamcunque minimam occasionem delinquendi contra castitatem.

Respond. quòd, cum iuxta communem SS. Patrum sententiam conseruatio castitatis maximè pendeat ex fuga occasionum: quo pacto S. Apost. *lib. de honest. mul. cap. 1.* ait: *Nec tibi verecundum si fugere, si castitatis palmam desideras obtinere*; ad hoc vt Moniales votum castitatis exactius obseruent, in eo maximè debent insistere, quòd quamcunque minimam occasionem eius obseruationi aduersantem omni diligentia, ac studio declinent. Sic Clemens VIII. teste Gauanto *supr. in addit. manual. v. monialium clausura, num. 10.* prohibuit, ne catelli admittantur intra Monialium monasteria; sic in Concilio Romano sub Innoc. III. *cap. 27.* cautum est, ne Moniales vnà cum Canonicis, & Monachis canonicant in Ecclesia, & in Choro ad psallendum, vt

habetur *in cap. perniciosam 25. quæst.* sic in Nicæna Syoodo 2.*c.*20. prohibita fuerunt monasteria duplicia, in quibus sub eodẽ tecto habitarent Monachi, & Moniales: sic Concil. Trid, *sess.* 25. *de Regul. c.* 5. prohibet, ne hodie Monialium monasteria construantur extra ciuitates; & hortatur, vt ea, quæ sunt extra mœnia, in cioitatem, aot oppidum teuocenrut; sic sacra Congregatio 1583. censuit mooasteria Monialium non esse erigenda, nisi in locis muro monitis, vt refert Tambur *supr. D.* 34. *quæst.* 2. *num.* 3. sic eadem sacra Congregatio anno 1590. teste Bonac. *supr.* interdixit Regularibos deputatis io Confessatios Monialium, *ne in ædibus monasterij, seu domus, vel monasterio*, seu domui Monialiom, aut Sotorum contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant; vel olios secum retineant, neve extra tempora generalium confessionum (quibus soli tantùm Coofessario refectionem dioruam accipere vix permittitur, & tunc demum videlicet cùm sua habitatio, aut vitotum domus, vel monasterium, io quo degit, à Monialium, seu Sororum monasterio, vel domo nimium distat, nisi tamen, & eo casu contrarium specialiter constitutum sit) ibi nullo modo comedãt, *reficiãtur, aut cibum sumant:* idque, *sub pœnis priuationis officiorũ, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendis, aliisq́; eiusdem Congregationis arbitrio:* Sic Greg. XIII. apud Bonac. *supr. p.* 2. *n.* 5. sub pœna excommunicarionis ipso facto incurrendæ prohibuit qoibusdam Regularibus, ne scriberent litteras Monialibus sui Ordinis (quamquam talis prohibitio non extendatur ad Religiosos aliorum Ordinum, cum fuerit limirata, sicut notauit idem Bonac. & ante illum Nauarr. *cons.* 19. *de sent. excommunicat.*) sic Gregor. XIII. anno 1582. decreuit, ne ij, quibus cura est Mouialium, ingrediantur clausuram, nisi in casibus necessariis, & tunc cum paucis, seniotibus, ac Religiosis, idest deuotis viris: sic denique Concilia, Sommi Pontifices, sacræ Cardlnalium Congregationes, Ordinarij locorum, ac Prælati regulares plura alia, & valdè salubria statuta iuxta præsentium temporum necessitatem ediderunt ad effectum, vt Monialibus aoferretor omnis occasio delinquendi contra castitatem, quantumuis valdè remora, parua, & ex se non multùm æstimabilis; idqoe vt hinc Moniales ipsæ intelligerent, quanta diligentia, ac studio debeant euitare quamcumque minimam occasionem violandi votum castitatis; memores illius cõsilij, quod traditur. Eccl. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum*; & illius qood habetur, 1. Cor. 6. *fugite fornicationem.*

Mulra alia, qoæ hîc quæri possent de Castitate Monialium, propoountur, & explicantur in nostro *tract. de votis, cap.* 3. *per totum*, ideóque ea io præsentia consoltò omittimus.

Sectio III.

De Voto Obedientiæ, ad quam tenentur Moniales.

90 *Moniales vouent Obedientiam Abbatissæ, aut proprio Prælato iuxta consuetudinem.*
91 *Ad quid obligentur ex voto Obedientiæ.*
92 *Votum obedientiæ Religiosæ ex genere suo obligat sub mortali, non item ex vsu Religionum.*
93 *Moniales quibus teneantur obedire vi voti.*
94 *Vt illius tenentur obedire Papæ.*
95 *Item Ordinario, si non sint exemptæ.*
96 *Qualiter subiaceant ei quoad clausuram, quantumuis exemptæ sint.*
97 *Papæ, ac Ordinario parent solùm in iis, quæ sunt iuxta regulam.*
98 *Parent Prælato regulari si sint exemptæ.*
99 *Item Abbatissæ, seu Priorissæ.*
100 *Et quidem interdum sub mort. etiam secluso præcepto formali.*
101 *Non item Vicariæ, siue Subpriorissæ monasterij parent ex voto obedientiæ.*
102 *Neque Vicariis ad eorum gubernationem deputatis.*
103 *Exemptæ potiùs obediunt Prælato regulari, quàm Ordinario.*
104 *In aliquibus parent potiùs Ordinario, quàm Abbatissæ.*
105 *Ex voto obedientiæ parent in iis omnibus, quæ sunt iuxta regulam.*
106 *Illis imponi nequeunt ab Abbatissa præcepta spiritualia, ita vt teneantur ea implere.*
107 *Grauiùs obligant præcepta spiritulia, quàm temporalia.*
108 *In quo casu Moniales teneantur parere præcepto spirituali Abbatissæ.*
109 *Abbatissa non præcipit in virtute obedientiæ.*
110 *Soluitur obiectio in contrarium.*
111 *Si tamen sic præcipiat, ei parendum sub mortali.*
112 *Imponit solùm præcepta temporalia concernentia ciuilem gubernationem.*
113 *Qualiter Moniales peccent mort. non parendo Abbatissæ, si non præcipit in virtute obedientiæ.*
114 *Ea non facit leges perpetuas.*
115 *Solùm cogit ad regularem obseruantiam in ordine ad bonum politicum Conuentus:*
116 *Non præcipit ea omnia, quæ præcipit Prælatus regularis.*
117 *Moniales non parent in iis, quæ sunt contra regulam, nisi in certo casu.*
118 *Prælatus imponit Monialibus nouas austeritates in aliquo casu*
119 *Ei parent interdum cum periculo vitæ.*
120 *In re leui aliquando tenentur obedire sub mortali.*
121 *Et è contra interdum in re graui tenentur parere solùm sub veniali.*
122 *Qualiter teneãtur obedire præcipienti indifferentia.*
123 *Ex voto obedientiæ non possunt cogi ad nubendum.*
124 *Ex dicto voto non tenentur implere quæcunque continentur in regula.*
125 *Violatio regulæ non obligantis ad peccatum potest esse actus virtutis.*
126 *Talis violatio rarò contingit sine aliqua culpa.*
127 *Violans talem regulam subiicitur pœnæ.*
128 *Violans ieiunium in regula præscriptum sub mort. & præceptum ab Eccl. duo facit peccata.*
129 *Moniales qualiter possint se obligare contrahendo sine licentia Superioris, & qualiter contrahendo cum licentia.*
130 *Contractus à Religioso factus de licentia Prælati nequit irritari.*
131 *Prælatus irritat contractum factum à Moniali de licentia Abbatissæ iniquè data.*
132 *In dubio obediendum, sed non semper, nec in omnibus casibus quorum aliqui referuntur.*

QVÆRES I. Cui, propriè loquendo, faciant Moniales votom Obedientiæ.

Respond. quòd, cum iuxta dicta hîc *cap.* 3. *sect.* 1. *quæst.* 4. Moniales emittere possint Religiosam pro- 90.
fessio

fessionem in manibus siue Abbatissæ, siue proprij Prælati respectiuè (seruata tamen in hoc consuetudine vniuscuiosque Ordinis, ac loci quæ potest esse varia; eum Prælatus, & Abbatissa quoad hoc dici possint concurrere cumulatiuè, ideoque detur quasi locua præuentioni:) consequenter dicendum est Moniales emittere votum obedientiæ siue Prælato proprio, siue propriæ Abbatissæ, prout professionem emitunt in manibus huius, aut illius. neque verò ex eo quòd Moniales votum obedientiæ emittant Abbatissæ, sequitur istam posse iis præcipere in virtute sanctæ obedientiæ; vt benè notauit Sanch. *lib.6.mor. cap.1.num.*21. & nos ipsi ostendemus inferius *q.*14.

QVÆRES II. Ad quid obligentur Moniales vi voti obedientiæ.

91. Respond. obligari ad obediendum legitimo Superiori, siue immediato, siue mediato, in iis, quæ sunt iuxta regulam, exequendo ea, quæ ipsis debitè præcipiuntur: non quidem per obedientiam formalem (nimirum implendo præcepta Superioris, prout sunt præcepta) sed per obedientiam materialem tantùm, videlicet ea quacunque ratione exequendo. ita Sanh. *supr.num.*6. & patet quia alioqui Moniales tenerentur parere præceptis Superioris sub ratione, quòd præcepta sunt; hoc autem nemo dicet.

QVÆRES III. An votum obedientiæ obliget Moniales sub peccato m. & quando.

92. Respond. quòd, quamuis ex genere suo obliget sub m. & vsu communi Religionum receptum sit, vt, si Superior solùm simplici verbo præcipiat, quamuis materia præcepta sit grauis, non censeatur velle obligare sub mortali, quantùm est ex suo præcepto positiuo, ac voto obedientiæ; nisi fortè in virtute sanctæ obedientiæ, aut alia æquiualenti forma indicet se intendere obligare in præsenti materia, quantùm potest: vt aduertit Suar. *tom.3.de relig.lib.*10.*cap.*4.*num.*11. id tamen fallit quoad Moniales; & hoc ob dicenda *q.*15.

QVÆRES IV. Quibus Superioribus teneantur Moniales parere ex vi voti obedientiæ.

93. Respond. Teneri parere iis omnibus, quibus per tale votum se subiiciunt, siue immediatis, siue mediatis, siue Regularibus, siue non Regularibus; videlicet Papæ, Ordinario (modo tamen inferiùs explicando) Prælatis regularibus (si iis immediatè subiiciantur) & propriæ Abbatissæ, est communis Doctorum, & constabit ex dicendis in *qq.seqq.*

QVÆRES V. Quo modo Moniales teneantur parere Papæ vi voti obedientiæ.

94. Respond. teneri parere, non quidem in omnibus, quæ ipse quomodocumque præcipit, sed solum in iis, quæ præcipit tanquam specialis Prælatus Religionum, in iis exigendo obedientiam sibi debitam ex promissione voti obedientiæ, & quæ sunt iuxta propriam regulam. ita Sanch. *supr.num.*8. & probatur ex eo quòd, cùm ipse sit caput omnium Prælatorum Regularium, & ab eo pendeat eorum iurisdictio; decet obligationem illis ex voto acquisitam ei efficacius acquiri.

QVÆRES VI. Qualiter Moniales teneantur parere Ordinario loci vi voti obedientiæ.

95. Respond. distinguendo; vel eæ immediatè subiiciuntur Episcopo; & sic tenentur ei obedire eo modo quo tenerentur parere Prælato regulari, si illi immediatè subiicerentur, vtpote exemptæ ab Ordinario loci, cùm Episcopus respectu illarum sit ipsarum Prælatus instar Prælatorum regularium, & aliàs votum obedientiæ obliget ad parendum cuicunque proprio Prælato; vel eæ sunt exemptæ ab Ordinario; & sic non tenentur obedire illi ex voto obedientiæ, cum eæ ipsi non subdantur tanquam proprio Prælato, sed tantum Prælatis sui Ordinis, ideoque cesset ratio obediendi illi ex obligatione voti; nisi quoad obseruantiam clausuræ à Concil. Trid. *sess.* 25. *de regul.cap.*5. Ordinariis commissæ, etiam quoad monasteria exempta modo infra explicando.

96. Dixi, *nisi quoad obseruantiam clausuræ*; vt innuerem, quòd, cum teste Suar. *supr.cap.*11.*num.*18. votum obedientiæ obliget ad parendum etiam illi, cui à proprio Prælato delegatur facultas præcipiendi: & ex alia parte de facto iam competat Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis cura clausuræ Monialium aliàs exemptarum; dicendum est Moniales, etiam exemptas teneri obedire Ordinario præcipienti in materia concernente clausuram, non solùm ex virtute generalis obedientiæ, sed etiam ex ipso voto obedientiæ, quod emittunt. ita docti viri consulti.

97. Quod autem diximus *quæst. præcedenti*, de Papa, Moniales scilicet non teneri ei parere ex voto obedientiæ, nisi in iis, quæ sunt iuxta propriam regulam, & quando præcipit tanquam specialis Prælatus religionum (quod non facit semper) à fortiori dicendum est de Ordinariis, quoad moniales ipsis immediatè subiectas: sicque illas nõ peccare contra votum obedientiæ, si transgrediantur leges generales, quas illi faciunt pro tota diœcesi: par si quidem ratio militat in vtroque casu, vt patet.

QVÆRES VII. Quo pacto Moniales teneantur parere Prælatis regularibus sui Ordinis ex voto obedientiæ.

98. Respond. teneri, si sint exemptæ ab Ordinario; & quidem eo pacto, quo tenentur viri religiosi eiusdem Ordinis: cùm votum obedientiæ, quod emittunt Moniales sit eiusdem rationis, ac votum, quod faciunt religiosi eiusdem Ordinis, sicque inducat eandem obligationem; secus, si Moniales sint immediatè subiectæ Ordinariis locorum: hæ enim ex voto obedientiæ tenentur parere Ordinario, non propriis Prælatis regularibus ob rationem allatam *q.* 6.

QVÆRES VIII. Quomodo Moniales teneantur ex obedientiæ voto parere Abbatissæ, seu Priorissæ monasterij.

99. Respond quòd cum Monialis per obedientiæ votum voueant parere Abbatissæ iuxta potestatem, cuius ipsa est capax: & potestas, cuius est capax Abbatissa ratione sexus, sit potestas non spiritualis, sed domestica, ac ciuilis (qualem habet materfamilias in filios, & magistratus ciuilis in ciues:) consequenter Moniales debent ei præcipienti parere, etsi non possit percipere in virtute sanctæ obedientiæ (quod ostendemus *quæst.* 14.) & quidem sub peccato mortali, si constet illam præcipere animo taliter obligandi, & aliàs qualitas rei, & materiæ præceptæ hîc, & nunc iudicio prudentis viri censeatur grauis. ita Sotos *in 4.d.20.quæst.1.art.4.* Sanchez *supr. num.*17. *&* 18. Tambur. *de iure Abbatiss. D.*12. *quæst.*4. aliique penes ipsum; & probatur ex eo quòd, quamuis sexui fœmineo, vtpote non ita prudenti, non deceret communicari ab Ecclesia potestatem spiritualem; necessarium tamen erat ad bonum regimen Monialium degentium in monasteriis, ei committi aliquam gubernandi potestatem, cùm Moniales immediatè, & proximè regi non possint per viros ob periculum cohabitationis cum fœminis; & ex alia parte necessariò indigeant dirigi per aliquam potestatem proximam, ac immediatam; ad hoc autem præstandũ non requiritur absolutè potestas spiritualis (cuius est incapax fœmina iure Ecclesiastico) sed sufficit potestas ciuilis, ac domestica; sicq; Moniales

vt

vi huius tenebuntur obedire Abbatissæ præcipienti iuxta limites talis potestatis modo infra explicando.

100. Nobiscum sentit Suar. *tom.4. de relig.tract.9.lib.1. cap. 12.num.9.* dicens quòd, cùm Moniales promittant obedientiam Abbatissæ, seu Priorissæ (vt constat ex formulis profitendi) si Abbatissa ita præcipiat, vt fidem datam exigat, obligabit in conscientia: vel (si modus loquendi magis placet) votum ipsum obedientiæ obligabit, posita tali iussione, quæ est quasi applicatio materiæ voti: in quo eadem est ratio potestatis, & obligationis in fœmina, quæ in viro; hæc ille, quæ magis etiam constabunt ex infra dicendis. Vnde fit, doctorinam illam, quam communiter tradunt DD. (videlicet votum Religiosæ obedientiæ non obligare sub mortali Religiosos, etiam data grauitate rei præceptæ, nisi in casu, quo Superior præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ, aut sub alia forma æquiualenti; idque ex vsu Religionum) doctrinam, inquam, illam non procedere quoad Moniales respectu propriæ Superiorissæ: cùm hæc non possit imponere formalia præcepta obedientiæ, sicque respectu ipsius cesset ratio dictæ doctrinæ, quare quotiescunque Superiorissa Monialium præcipit ipsis aliquid graue verbis iudicio boni viri indicantibus illam intendere obligare sub mortali, Moniales eo ipso sub mortem tenentur ei parere.

Qværes IX. An Moniales ex voto obedientiæ teneantur parere Vicariæ, seu Subpriorissæ monasterij.

101. Respond. non teneri quidem ex voto, cum Vicaria monasterij non sit Prælata Monialium, cui sit votum obedientiæ: teneri tamen obedire ex potestate ciuili, & politica, quæ vtique competit dictæ Vicariæ (cùm & ipsa sit Superiorissa monasterij, quamuis subordinata Abbatissæ) & iuxta superiùs dicta sufficit, vt Moniales obligentur ad obediendum sub peccato, etiam mortali, si res præcepta sit ex obiecto grauis, & modus illam præcipiendi indicet intentionem præcipientis esse obligare sub culpa graui. ita docti Neoterici à me consulti.

Qværes X. An Moniales vi voti obedientiæ teneantur parere iis, qui interdum ipsis deputantur in Vicarios.

102. Respond. non teneri regulariter, cùm isti re vera non sint Prælati Monialium, & consequenter cesset obligatio illis obediendi. ita in terminis Miranda *tom. 2. manu. quæst. 21. art. 2.* & cum eo Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 2.* qui tamen intelligi debent de iis Vicariis, qui præcisè sunt Vicarij, non autem simul Priores, aut Guardini, & quidem etiam delegati ad tale munus Vicarij à Prouincialibus, vel Generali; sicut in specie aduertit idem Miranda: hic enim vtique tenentur obedire ex voto.

Qværes XI. Cui Moniales debeant potius obedire, Ordinarióne loci, an proprio Prælato regulari, vel è contra.

103. Respond. cum distinctione; loquimur de Monialibus exemptis; & hæ potiùs debent obedire Prælato regulari, quàm Ordinario, exceptis iis, in quibus ipsæ subiiciuntur Ordinario, qualis est in primis obseruantia clausuræ; si quidem, posita exemptione, quoad alia non subduntur Ordinario, & consequenter nec tenentur illi obedire; vel loquimur de Monialibus immediatè subiectis Ordinario, & hæ simpliciter debent ipsi obedire in omnibus, non autem Prælato regulari, vtpotè quæ re vera nullo modò subiiciuntur illius iurisdictioni. colligitur ex Sanhez *lib.6.moral.cap.1.num.13.*

Vtrum verò Moniales debeant potiùs obedire Ordinario, quàm Abbatissæ, vel è contra.

104. Respond. iuxta distinctionem datam *quæst. præced.* debere potius obedire Ordinario, quàm Abbatissæ, si eæ immediatè subiaceant ipsi Ordinario: obedire, inquam, & quidem non solùm in iis, quæ spectant ad Ecclesiasticam disciplinam, ac criminum punitionem, sed etiam in iis, quæ concernunt regularem obseruantiam. Colligitur ex Sanchez *loco sup. allegato*; & probatur, quia Ordinarius verè est Prælatus talium Monialium, eæque ipsi subsunt vnà cum Abbatissa, non minùs quàm subsint Prælato regulari Moniales exemptæ vnà cum sua Abbatissa; sicut ergo hæ debent potiùs parere Prælato regulari, quàm Abbatissæ, etiam quoad regulares obseruantias: ita & Moniales subiectæ Ordinario, ei debent potiùs obedire, quàm Abbatissæ, etiam quoad regularem obseruantiam.

Qværes XII. In quibus teneantur Moniales parere ex voto obedientiæ.

105. Respond. teneri parere in omnibus iis, quæ sunt iuxta regulam proprij Ordinis, & sunt proportionata proprio ipsarum sexui: idque, etsi solum indirectè, aut implicitè in ipsa regula contineantur, quod aduertit S. Thom. 22. *quæst.* 104. *art.* 1. & concedunt etiam alij Doctores, apud Cast. Pal. *tr. 16. D. 4. p. 4. n. 4.*

Qværes XIII. An vi voti obedientiæ, quod emittitur Abbatissæ, possit ipsa imponere Monialibus præcepta spiritualia, idest in ordine ad finem spiritualem, eæque teneantur illa implere sub peccato.

106. Respond. non posse, nisi fortè Prælatus ipse Monialium illis præcipiat, vt obediant Abbatissæ iubenti hanc, vel illam rem concernentem finem spiritualem, & quidem in materia graui. ita Rodriq. *to. 1. quæst. 15. art. 1.* Sotus *in 4. d. 20. quæst. 1. art. 4.* aliique, quos refert, ac sequitur Sanch. *num. 19.* & probatur, quia Abbatissæ non competit, nisi sola gubernatio domestica, & politica instar potestatis ciuilis, & matris familias: huiusmodi autem potestas solùm extenditur ad imponenda præcepta temporalia, ordinata ad bonum temporale, ac politicum, nempè ad tranquillam reipublicæ, & domus gubernationem: ergo & idem dicendum est de Abbatissa, cùm de ea sit par ratio, vt patet.

107. Ex quo bene infert Sanch. *n. 40.* quòd, quamuis, Prælato regulari præcipiente suis Religiosis, vt quotidie audirent Missam ex eodem fine, quo Ecclesia præcipit Fidelibus auditionem Missæ, & quidem animo obligandi sub mort. peccato: mortaliter peccarent Religiosi, vel vnico die Missam omittentes; secùs esset, si Abbatissa suis Monialibus hoc idem præciperet sub peccato (quod posset facere) tunc enim Monialis semel omittens Missam non peccaret mort. Et ratio diuersitatis est ex ratione diuersi finis intenti à Prælato regulari, & ab Abbatissa, in dicto præcepto, ex quo fine grauitas materiæ pensari debet ad obligationem sub mort. aut v. peccato; siquidem finis intentus à Prælato est spiritualis (nempe spiritualis profectus Religiosorum:) finis verò intentus ab Abbatissa est temporalis (idest bona gubernatio, & pax monasterij;) constat autem, quòd omissio vnius Missæ est materia grauis respectu finis spiritualis, non item respectu finis temporalis.

108. Dixi sub initium responsionis, *nisi fortè Prælatus Monialium illis præcipiat, vt obediant Abbatissæ, &c.* vt innuerem Moniales in tali casu teneri sub mortali obedire præcepto spirituali imposito ab Abbatissa: quia tale præceptum sic obligans non oriretur ab Abbatissa, sed à Prælato, sicque Abbatissa solùm esset velut conditio determinans illud Prælati præceptum,

ceptum, vt sine qua illud non obligaret. Quomodo, si in regula Religionis extaret præceptum obligans sub mortali ad obediendum Abbatissæ, in aliquo casu esset mortale ei non obedire, etiamsi materia præcepti ab illa facti esset spiritualis; idque non præcisè ob Abbatissæ præceptum, sed ob præceptum regulæ, quod determinaretur per præceptum Abbatissæ, vt per conditionem sine qua non; Ita Sanch. *num.25.* addens *num.26* præfatam vim obligandi in casu proposito non tribui præceptis Abbatissæ ex eo solum, quòd, ea confirmarentur à Prouinciali; nam innouatio, vel confirmatio nullum ius nouum tribuit, sed antiquum conseruat, vt tradit Glossa *in c.cum dilecta v.non videremus, de confir.vtili, & cap. quia v.forma, de concess.preb.*

Quæres XIV. An Abbatissa, stante voto obedientiæ, quod ei faciunt Moniales, possit eis præcipere in virtute Spiritus sancti aut in virtute sanctæ obedientiæ, & facere præcepta formalia obligantia sub mortali.

109. Respond. non posse, &, si taliter præcipiat, non tenere factum: quamuis Rodriq. Salas, Azor. Corneio, Lezana, & Nald. relati à Diana *part.5. tract.9. resol. 16.* oppositum sustineant. Ita Valentia *tom.4. D.7. quæst.16. part.1.* Syluester *v. Abbatissa, num.1.* Sanch. *sup. num.21.* Portel. *du dub. regul. v. Abbatissa, n.1.* Baldell. *l. 5. D.6. num 1. nou.3.* aliique tum apud ipsum, tum apud Dianam *resolut.cit.* & probatur quia ex Ecclesiæ vsu præcepta prædicta impenere pertinet ad solos Prælatos Ecclesiasticos spirituali potestate præditos: vnde constat Principes, & alios Superiores sæculares nunquam sic præcipere; præterquam quod præfata præcepta non possunt imponi, nisi ab habente potestatem spiritualem: hæc autem non potest competere fœminæ; cùm ad eam requiratur status clericalis, & aliqua spiritualis eminentia gradus, quæ significatur, ac efficitur per Sacramentum Ordinis, aut saltem per primam tonsuram; cuius tamen status, & gradus clericalis fœmina est incapax, vtpotè ex ipsa qualitate sexus habens statum subiectionis, vt notant communiter Doctores.

A nobis cum supra citatis Doctoribus dissentit Sanctor. *in const. minor. c.11. stat.7.* ex Miranda *de Monial. q.6. art.4. concl.3.* & probat ex eo quod præcipere in virtute sanctæ obedientiæ non spectat ad ordinem, aut potestatem spiritualem dependentem ab ordine; & aliàs fœmina simpliciter dici nequit incapax rerum spiritualium; cum de facto recipiat gratiam, characterem baptismi, & habitus infusos, qui sunt res spirituales; nec possit assignari, cur sit capax eiusmodi rerum spiritualium, & non possit esse capax iurisdictionis spiritualis, & correctinæ; siquidem par ratio militat de vtrisque nec obstat *cap. nona de pænit. & remiss.* cum ibi solùm decernatur de potestate clauium, benedictione, & lectione ex potestate clauium dependente; & alioqui iurisdictio præceptiua non sit vsus clauium, vtpotè competens etiam Laicis in Ordine Minorum munere Guardiani fungentibus: præterquam quod durum est, quod Moniales in manu Abbatissæ voueant obedientiam, & non sit, qui votum obedientiæ ab illis immediatè possit exigere: stante quod Episcopus, aut Prælatus, quibus respectiuè subsunt Moniales, non sunt immediatè Superiores earum, sed solum superintendunt ad directionem, ac emendationem eorum, quæ Moniales per se facere non possunt. Ita Sanctorus.

110. Nec obstat dictis, quod Moniales votum obedientiæ emittunt Abbatissæ, sicque ipsa videtur posse exigere obedientiam virtute talis voti debitam; quod est præcipere in virtute obedientiæ; nam votum obediendi alteri intelligitur, prout moris est obtemperare, nempe, si laico fiat, sicut obedientia deberi potest laico, qui nequit facere spirituale præceptum; quod omninò euenit in casu nostro, in quo cùm Moniales voueant Abbatissæ obedientiam iuxta potestatem, cuius ipsa est capax (quæ est instar potestatis domesticæ, & ciuilis) consequens est, quod ipsa non possit imponere Monialibus subditis præceptum spirituale; quale est, quòd fit in virtute sanctæ obedientiæ, aut sub alia simili forma. Ita Sanch. *sup. num.21.*

Aduertendum tamen est hic vnum ex eodem Sanchez *sup. cap. 4 num. 45.* quòd si Abbatissa præcipiat Moniali subditæ in virtute sanctæ obedientiæ aliquid ita graue, vt meritò posset illud præcipere sub peccato mort. Monialis re vera sub mortali teneretur illud implere; & ratio est, quòd vtens forma illa præcipiendi, etsi excedat ipsius potestatem, adeóque vsus illius sit ineptus: satis explicat suam mentem esse velle illo suo præcepto obligare secundùm totam suam potestatem, & eo modo, quo Superiores habentes iurisdictionem spiritualem intendunt præcipere, dum vtuntur simili forma præcipiendi. cum Sanchez sentit Tamburin. *sup. q. 5. num.4.* monens *num.6.* se non negare, quin Abbatissa possit præcipere in virtute obedientiæ sibi debitæ ea ratione, qua Princeps sæcularis potest præcipere in virtute obedientiæ, seu (quod idem recidit) sub pœna obedientiæ sibi debitæ à subditis, quatenus talibus; in quo casu vtique Monialis peccaret mort. non obediendo, si aliàs res præcepta esset grauis ex obiecto. 111.

Quæres XV. An Abbatissa possit imponere Monialibus subditis præcepta obligantia ad peccatum mortale.

Respond. quòd, cùm Abbatissæ erga Moniales subditas competat potestas ciuilis, ac domestica; non minùs quàm competat matrifamilias erga filios, vt iam vidimus; sicut materfamilias potest ex sua potestate iniungere filiis præcepta obligantia, etiam sub mortali pro grauitate rei præceptæ: sic & Abbatissa similia præcepta imponere poterit Monialibus subditis; ita vt, si hæ illa non impleant, mort. peccent; non secus, ac peccant mort filij non exequendo præcepta matrisfamilias spectantia ac domesticam gubernationem; dummodò interueniat materiæ grauitas, ac intentio obligandi ad illa sub mortali. est communis Doctorum apud Tamburin. *sup. q.4. num.2.* qui pro se adducit Sanchez asserentem absolutè nolle obedire Abbatissæ esse peccatum mort quia tenentur Moniales ei obedire in spectantibus ad gubernationem domesticam, sicut filij suis parentibus. 112.

Vnde quis benè inferat, quòd, quamuis iuxta dicta non possit Abbatissa præcipere Monialibus in virtute sanctæ obedientiæ; si tamen eæ detrectent illi obedire in materia graui pertinente ad domesticam gubernationem; possunt interdum peccare mort. contra votum, non secùs ac contra votum simplex obedientiæ peccaret ille, qui, emisso voto obediendi Confessario, postea renuerent exequi illius præcepta; si quidem etiam Moniales emittunt votum obediendi Abbatissæ, vt iam vidimus. Quare, ad hoc vt quis dicatur transgredi votum obedientiæ, non requiritur, quod recuset exequi præcepta facta in virtute sanctæ obedientiæ, aut sub alia simili, sed sufficit, quòd simpliciter omittat obedire ei, cui emisit votum obedientiæ; cum præceptum 113.

ptum factum in virtute sanctæ obedientiæ solùm deseruiat ad indicandam grauitatem obligationis: quæ tamen aliter potest declarari, etiam ab eo, qui est incapax iurisdictionis spiritualis, & consequenter ab Abbatissa: &, si declaretur, Monialis tenebitur obedire ex obligatione voti, quod est benè aduertendum.

Addo ex Cardinali de Lugo *D.* 23. *de iust. n.* 52. quod si in Regulis, ac Constitutionibus alicuius Ordinis dicatur non obligari subditum sub mortali, nisi interueniat præceptum: per hoc sit quidem quod Religiosus subditus non tenetur sub mortali facere id, quod iubetur; non tamen fit, quod ille Superiori præcipienti sine expresso obedientiæ præcepto possit ei non parere, dicendo, *nolo parere:* certum enim est eum obligari, etiam sine eiusmodi præcepto sub mortali ad non contemnendum grauiter Superiorem, aut obedientiam: eum alioqui verba illa, *nolo parere*, contineant grauissimum contemptum, ac irreuerentiam contra Superiorem, vt Superior est, & consequenter contra eius dignitatem: vt aduertit idem *Cardinalis supr. num.* 49. monens *num.* 53. quod, licet sub appellatione generica inobedientiæ non veniret ita propriè illa, qua Religiosus Superiori præcipienti sine expresso præcepto dicit, *nolo parere*: tamen in reseruatione, qua in Religione reseruetur peccatum inobedientiæ expressæ, qua quis dicit, se nolle parere, videtur comprehendi: cum sic non dicatur reseruari inobedientia mortalis, sed inobedientia illa, qua quis dicit se nolle parere: quasi diceret illam, quæ constituitur in ratione inobedientiæ per pertinaciam, & contemptum, qua quis dicit, *nolo parere.*

QVÆRES XVI. An Abbatissa vi voti obedientiæ, quod ipsi emittunt Moniales subditæ, possit facere leges perpetuas per se obligantes ad mortale, saltem de consensu ipsarum Monialium.

114 Respond. de lege ordinaria non posse. ita in terminis Suar. *sup. cap.* 12. *num.* 8. dicens non posse Abbatissam, nec totum Monialium conuentum propriam legem condere, vel præceptum ferre, per quod constituatur actus in propria specie virtutis specialis: nam hoc est proprium potestatis iurisdictionis quæ non potest competere Abbatissæ, nec toti conuentui Monialium. sicut enim vouens parere consiliis alicuius, non ideo illi daret potestatem, aut iurisdictionem verè, ac propriè præcipiendi: sed relinquendo illum in sola potestate dandi consilium ipse se solùm obligaret ex voto ad acceptanda, & sequenda illius consilia; sic neque ex eò quod Moniales voueant obedientiam Abbatissæ, possunt illi tribuere veram iurisdictionem spiritualem ad condendas veras lege Ecclesiasticas, aut ad præcipiendum in virtute sanctæ obedientiæ, sed solùm se obligant ad parendum ei ex virtute Religionis, quando illa præceperit ex sua potestate temporali, & domestica; quod bene notauit Baldel. *sup. num.* 10. addens *num.* 11. ex plurium DD. sententia probabilissimum esse, saltem de potentia absoluta, posse mulieri delegari iurisdictionem Ecclesiasticam ad ferendas leges per se obligantes ad mortale, & ad præcipiendum directè in virtute sanctæ obedientiæ: cùm præsertim oppositum non sit positiuè de iure diuino, neque talis potestas spectet ad ordinem, cuius mulier est incapax, & aliàs eum muliere sancta, & sapiente dispensari possit, vt in Ecclesia publicè doceat; vt de facto fuit dispensatum cum S. Catherina Senensi, quæ non semel dicitur habuisse sermonem ad Papam, & ad Cardinales.

QVÆRES XVII. An, & quo modo Abbatissa possit cogere Moniales subditas ad seruandas regulas Ordinis, & quidem vi voti obedientiæ.

Respond. posse, non tamen in ordine ad progressum spiritualem Monialium, & profectum in virtutibus, ac perfectionem (quo modo potest cogere Prælatus regularis) sed solùm in ordine ad bonum politicum Communitatis, vt pacificè, & sine scandalis, ac perturbationibus obseruetur, & vt rectè sit gubernatio; is quippe est finis præceptorum potestatis ciuilis, ac domesticæ, quæ competit Abbatissæ: cum alioqui profectus spiritualis subditorum sit finis præceptorum potestatis spiritualis, cuius est incapax fœmina. ita Sanch. *supr. num.* 30. 115

QVÆRES XVIII. An Abbatissa ex voto obedientiæ ei emisso possit præcipere Monialibus ea omnia, quæ potest Prælatus regularis præcipere suis Religiosis.

Respond. non posse, & quidem etiam loquendo de iis, quæ congruere possunt sexui fœmineo. ita Sanch. in terminis *supr.* & probatur, quia Abbatissa est executrix regularum, & solùm potest imponere ea præcepta, quæ sunt necessaria, vt monasterium quietè, absque scandalis, ac perturbationibus gubernetur; at Prælatus regularis potest præcipere ea omnia, quæ ad maiorem profectum spiritualem subditorum conducunt, dummodò non sint præter, nec supra regulam, sed ad illam directè, aut indirectè pertineant. 116

QVÆRES XIX. An, & quando Moniales ex voto obedientiæ teneantur parere in iis, quæ apertè ipsis præcipiuntur contra regulam.

Respond. non teneri, nisi taliter præcipiens habeat legitimam facultatem, & causam dispensandi super regula, contra quam præcipit. ita Miranda *to.* 1. *manu. qu.* 26. *art.* 8. Less. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 74. Suar. *to.* 3. *de relig. l.* 10. *c.* 11. *n.* 7. aliique cum Caietano 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. dicente religiosum non teneri obedire Prælato contra regulam præcipienti, nisi in eo casu, in quo ipse potest in regula dispensare. Ratio responsionis est, quòd ex vna parte actus præceptus contra regulam, etsi simpliciter non sit malus (dato quòd regula non obliget ad peccatum) in tali tamen statu est impeditiuus maioris boni, adeoque non potest esse materia voti obedientiæ: ex alia parte, dato quòd Prælatus sic præcipiens possit dispensare in regula, actus modo præceptus contra illam, non est formaliter contrarius, sed solùm materialiter, vt benè adnertit Suarez *vbi sup.* sicque potest dici iuxta regulam, quatenus teste Castr. Palao *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 4. *num.* 4. ea omnia dicuntur esse iuxta regulam, quæ in ea continentur siue expressè, siue tacitè, vt moraliter necessaria ad obseruantiam regulæ: quale esse potest interdum id, quod modo dicto præcipitur contra regulam. 117

QVÆRES XX. An Prælati Monialium ex voto obedientiæ possint illis imponere nouas austeritates in regula non præscriptas.

Respond. posse tum iustam pœnam violationis regulæ, aut alterius delicti commissi; tum in casu, quo noua austeritas iniungatur in cautelam ad præcauendum recidiuum in aliquod peccatum. ita Sanchez *l.* 6. *mor. c.* 2. *n.* 25. Less. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 75. & alij; patetque ex dicendis *cap. seq. n.* 3. si monnero ex relatis Doctoribus non posse Monialibus imponi nouas austeritates præcisè ad exercitium virtutis, si eæ sint omninò extra regulam secundùm se, & in sua integra obseruantia sumptam, & ad eam non sint necessariæ, nec per se conducentes. 118

QVÆRES XXI. An Moniales teneantur implere præcepta Superiorum, etiam cum periculo vitæ, saltem ex voto obedientiæ.

Respond.

119. Respond. quod, quamuis lex humana ordinariè non obliget cum periculo mortis, mutilationis, grauis infamiæ, aut bonorum magnæ iacturæ, vt tradunt DD. communiter apud *Laym. l. 1. tract. 4. cap. 14. num. 5.* & sumitur ex *cap. consilium de obseruat. ieiuny*, vbi dicitur, *cum non subiacet legi necessitas*; absolutè tamen potest contingere casus, quòd Monialis teneatur parere Superiori, etiam cum periculo vitæ: vt si iubeatur inseruire Monialibus peste infectis in temporalibus, curam illarum gerendo, iisque cibaria, ac necessaria medicamenta præbendo. & ratio est, quia ad conseruationem, & bonum regimen monasterij spectat, quod Moniales mutua sibi obsequia exhibeant, mutuòque succurrant in necessariis: quando autem ratio boni communis, & conseruatio boni status Religiosi id exigit, tenetur Religiosus obedire, etiam cum periculo vitæ: quo pacto etiam sæcularis iussus à Principe ire ad pugnandum debet parere cum probabilissimo vitæ periculo. ita Rodriq. *tom. 3. q. 31. art. 5.* Sanchez *lib. 6. mor. cap. 2. n. 56.* Castr. Pal. *tr. 16 D. 4. p. 4. num. 7.* & alij, qui tamen benè notant Religiosum in casu proposito non teneri obedire, si tam tenui corporis valetudine vtatur, vt cum longè maiori periculo contagionis, quàm alij, id munus obeat; aut sit vir insignis conditionis, cuius vita sit valdè vtilis communi bono Religionis: cùm enim Religiosus imprudenter exponatur eiusmodi periculo, & (vt suppono) adsint alij Religiosi, per quos absque tanto proptio, & boni communis discrimine possit ei malo succurri, non tenetur hic obedire. Nec obstat, quòd Religiosus tenetur parere ex voto; licèt enim hæc obligatio non sit propriè ex lege humana, sed ex voto: quatenus tamen per voluntatem humanam, & suo modo præceptiuam applicatur, de ea quoad hanc partem procedit assertio proposita.

QVÆRES XXII. An Moniales teneantur parere sub mortali in præcepto facto à Superiore de re leui, si is intendat obligare sub mortali.

120. Respond. Teneri, si res, quæ præcipitur, aut prohibetur, secundùm se quidem sit leuis, relata verò ad pacem communitatis Religiosæ, disciplinam regularem, bonam famam seruandam, & scandalum cauendum sit grauis, & tantæ obligationis capax; quo modo in Religionibus interdum ponuntur præcepta obedientiæ, & sub excommunicatione de rebus minimis, quæ verè obligant: cùm inter Religiosos frequentiùs occurrere possit ob altiorem finem perfectionis ab ipsis intentæ, vt res in specie leuis in tali statu, & in ordine ad finem ei consentaneum iure grauis censeatur; vt proinde immeritò Alphons. à Castro *l. 1. de leg. pœnal. c. 5. docum. 2.* reprehendat Religiosos Prælatos res leues (puta silentium, tardum accessum ad chorum, &c.) præcipientes, aut prohibentes sub pœna excommunicationis, vel alio modo grauem obligationem indicante. ita Laym. *supr. n. 3.* Suar. *l. 3. de leg. c. 25.* Salas *D. 10. de leg. sect. 6.* & alij; qui tamen oppositum sustinent in casu, quo res præcepta, aut prohibita absolutè sit leuis; idque ob varias rationes, quas affert Suar. *supr. num. 2.* maximèque ex eo quòd neque lex naturalis, ac diuina obligat sub mortali in re leui; ergo multo minus id potest facere lex humana: alioqui lex esset in destructionem, scandalum, ac occasionem ruinæ.

121. E contra si Superior velit, potest suis Religiosis præcipere, aut prohibere graue aliquid solùm sub culpa leui: cùm obligatio legis, aut præcepti humani sit effectus moralis, qui non potest fieri absque consensu voluntatis humanæ; & aliàs voluntas præcipientis in præsenti casu possit quidem, si velit, inducere obligationem grauem, de facto tamen non inducat; quippe quæ non operatur, nisi quod vult iuxta *l. non omnis, ff. si cert. petat. Actus agentium non transcendunt intentionem eorum.* ita Soarez *supr. cap. 27. num. 6.* ex communi sensu Doctorum, Laym. *supr. num. 2.* & aliis contra Vasquez, Bellarminum, & B. Medinam, apud ipsum Layman sustinentes non esse in potestate legislatoris obligare sub culpa leui, si materia, quæ præcipitur, sit grauis.

QVÆRES XXIII. An Moniales ex voto obedientiæ teneantur parere Superiori præcipienti indifferentia.

Respond. quòd, cùm ab homine præcipi possint solùm res honestæ (sub honestis tamen comprehendendo omnes actus non malos, qui possunt esse vtiles ad finem honestum, etsi sint ex obiecto indifferentes, vt bene notauit Suar. *tom. 5. de relig. lib. 10. cap. 8. num. 2.*) siquidem constet Superiorem præcipere Moniali indifferentia vanè, inutiliter, & sine bono fine, ea non tenetur in his obedire; secùs, si ea præcipiat ex bono fine, v. g. ad illam exercendam in virtute obedientiæ. ita Laym. *lib. 4. tract. 5 num. 5.* & ante illum Suar. *vbi supr.* monens quidquid non appatet satis turpe, honestum reputandum esse, si à Superiore præcipiatur: quia in dubiis melior est conditio Superioris, & ratio petit, vt pro eo præsumatur. 122.

Quòd si hac occasione quæras, an dari possit casus, in quo Monialis ex voto obedientiæ cogi possit ad contrahendum matrimonium.

Respond. Suar. *supr. cap. 10. num. 1.* quòd, etsi fingatur casus, in quo Papa ob vrgentem Ecclesiæ necessitatem licitè, & validè posset Religioso (& consequenter etiam Moniali) præcipere transitum ad statum sæcularem (v. g. contrahendo matrimonium:) non ideo posset illud præcipere ex voto obedientiæ, sed solùm ex potestate supremæ iurisdictionis, quam habet: obedientia quippe Religiosa non habet pro materia talem transitum sed potiùs, quantum est ex se, ei repugnat: nec pertinet ad perfectionem status Religiosi peculiaris obligatio ex voto obediendi Papæ præcipienti statum matrimonialem cum illud non sit bonum superogationis, sed necessitatis, per se non spectans ad perfectionem, sed potiùs, quantum est ex se, illam impediens, ideòque tolleretur in casu proposito ob necessitatem; cui sufficienter succurritur per obligationem præcepti sine voti adiectione, quare negandum est absolutè posse dari vllum casum, in quo Monialis ex voto obedientiæ cogi possit ad contrahendum matrimonium. 123.

QVÆRES XXIV. An Moniales ex voto obedientiæ teneantur seruare omnia contenta in regula, ita vt quælibet violatio illius sit culpa siue mortalis, siue venialis.

Respond. non teneri, sed solùm eo modò, quo ea continentur in regula: nempè si contineantur tanquam præcepta obligantia sub mortali, teneri sub mortali, si solùm vt obligantia sub veniali, sub veniali; si solùm vt consilia, sub nulla culpa teneri; idque, etsi Religiosus in professione promittat, ac voueat seruare regulam, aut obedientiam secundùm regulam. & ratio est, quòd Religiosus promittens seruare regulam, aut obedientiam iuxta regulam, nō promittit singula in particulari, & collectiuè, sed solùm componere mores iuxta præscriptū regulæ, seu obedire iuxta regulā: ergo eo modo intelligitur obligari, quo regula præscribit, & obligat; aliàs Religiosus status esset periculosissimus, ac expositus multis occasionib. delinquēdi, cū in regulis Ordinum plura minus 124.

minutiora præscribantur, quę facillimè est violari. ita Sanch. *supr. cap. 4. n. 1.* ex Henrico, Ang. Sylu. & Vasq. docens *num. 2.* id procedere, etsi vouens obseruare regulam intenderit se obligare sub mortali ad singula contenta in regulis, ex errore putans ita exigere professionem sui Ordinis; in re enim solùm intendit profiteri id, quod eius Ordinis professio petebat, & maior obligatio est inuoluntaria, vtpotè orta ex errore, ideòque non tenet.

125. Ex quibus inferre possumus, quòd, sicut Religiosus violans ieiunium sub mortali præscriptum in regula, non minùs peccat contra obedientiæ votum, quam si actuale præceptum Prælati violaret; quandoquidem regula in proposito easu non est minùs præceptiua, quàm vox Superioris; sic è contra Religiosus violans regulam ad nullum peccatum obligantem ex bono fine (vt si extra tempus loquatur cum socio ad subleuandam eius tristitiam) facit opus virtutis, etsi materialiter operetur contra regulam, vt notat Sanchez *num. 14.* & cum eo Laym. *num. 8.* addens Religiosam in tali casu debere pœnam subire, si iniungatur à Prælato; quippe quæ etiam ob defectum non culpabilem coram Deo inferri potest ad regularem disciplinam magis, ac magis conseruandam.

126. Notant autem Sanch. & Laym. *locis citatis*, Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 3. num. 12.* & Castr. Pal. *supr. part. 3. num. 3.* ex S. Thoma 2. 2. *quæst. 186. art. 9.* quòd, quamuis transgredi regulas, aut constitutiones ad nullum peccatum obligantes nulla sit culpa ex malo fine quo mouetur transgrediens; sęque is regulariter peccabit venialiter, tum quia non bono fine ducitur, sed ex ociositate, torpore, aut libidine; tum quia occasionem præbet labefactandi disciplinam Religiosam: quòd est bene notandum.

127. Cæterùm pœna, quam paulò ante diximus teneri subire Religiosum, qui violet regulam, non obligantem ad peccatum, non est propriè pœna, sed potius quædam pœnalitas: quippe quæ imponitur ob culpam, non moralem, sed regularem. Immò notat Suar. *tom. 3. de relig. lib. 12. cap. 7. num. 16.* Religiosum in tali casu obligari posse in conscientia, & ex voto obedientiæ: aliàs gubernatio esset inefficax, & regula à mero consilio non differret; non tamen ex vi regulæ: aliàs falsum esset regulam illius Ordinis absolutè non obligare ad culpam; cum subire pœnam ob violationem regulæ sit quædam regula, & quidem obligans sub culpa, vt supponunt Aduersarij.

QVÆRES XXV. An Monialis violans v. g. ieiunium sub mortali præscriptum in regula, & item præceptum ab Ecclesia committat duplex peccatum.

128. Respond. committere vnicum; & probatur, quia peccata multiplicantur, & distinguuntur specie per ordinem ad diuersas virtutes oppositas malitiis actuum humanorum, vt tradunt DD. communiter ex S. Thoma 1. 2. *quæst. 72.* at ieiunium in regula Monialium præscribitur sub motiuo Temperantiæ, & sub eodem motiuo præcipitur ab Ecclesia: ergo Monialis illud violans vnicum facit peccatum. ita in terminis Bordonus *resol. 18. num. 13.*

QVÆRES XXVI. An Moniales stante voto obedientię absque Superioris licentia validè possint contrahere, & hinc obligari saltem naturaliter.

129. Respond. posse, si contrahant de propriis actionibus personalibus, & Superior postea non contradicat; & ratio est, quòd tunc nulla lex resistit; & ratio, quæ ostendit Religiosum teneri votis à se emissis absque licentia Prælati, dum ab eo non irritantur, probat illum teneri etiam promissione facta homini, dum Superior illam non cassat. Secùs, si contrahāt de re spectante ad materiam voti paupertatis: sic enim neque naturaliter obligantur; cùm obligatio hinc proueniens sit iniqua, & aduersetur voto paupertatis: quippe quod obligat Religiosum, vt, sicut non potest sine consensu Superioris dare, aut recipere, sic nec possit absque dicto consensu seobligare ad dandum, aut recipiendum; quod fit per contractum. ita Castr. Pal. *tract. 16. D. 3. p. 15. n. 3.* ex Nauarr. *comm. 2. de regul. n. 42.* contra plures alios ab Castro Palao allegatos sustinentes Religiosum contrahentem sine licentia Superioris non obligari, neque ciuiliter; quod probabile putat etiam Sanch. *lib. 7. moral. cap. 31. num. 37* dum ait contrariam sententiam esse probabiliorem.

Quòd si Moniales de licentia Superioris contrahant, etiam de materia concernente votum paupertatis: tunc vtique obligatur & naturaliter, & ciuiliter; cùm sic nihil ad firmitatem talis contractus petitum desit, & voluntas religiosi pendeat ex arbitrio Superioris. ita Sanch. *num. 40.* aliis citatis.

An autem Superior, qui dictam licentiam concessit, aut eius successor, aut alius eo Superior possit talem contractum postea irritare.

Respond. Sanch. *num. 41.* contra Arragonum non posse quamuis Religiosus subditus ob renitentiam Superioris iniustam non implens contractum possit excusari à culpa, interim manens obligatus resarcire damnum, quod fortè intulit alteri contrahenti iniustè, si aliàs sit soluendo.) ratio autem responsionis est, quòd, cum ex tali contractu oriatur obligatio naturalis, ac ciuilis; non potest Superior auferre tertio ius indè ei acquisitum; præterquamquod Prælatus successor tenetur stare contractui prædecessoris, vt eiatis iuribus, ac Doctoribus docet Rodriquez *tom. 3. quæst. 26. art. 1.* & cum eo Sanchez *num. 41.* docens *num. 39.* posse Prælatum, etiam sine causa, irritare contractum sine eius licentia initum à Religioso subdito: quod negat Rebellus. 130.

Verùm tamen est, quòd si Abbatissa det moniali subditæ licentiam expendendi summam notabilem pecuniæ in re iustè probibita à Prælato monasterij, & Monialis de facto illam expenderit in aliquo contractu; potest Prælatus irritare talem cōtractum: cùm ipse sit Superior etiam Abbatissæ, adeòque possit, & debeat corrigere delictum Abbatissæ, si quod ab ea committitur; & aliàs doctrina; §. *precedenti*, tradita, intelligi debeat de legitima licentia (sicut innuit Sanch. *num. 40.* dum ait: *Quod si ex legitima Superioris licentia Religiosus contractum ineat*) qualis vtique non est licentia data ab Abbatissa in casu præsenti. Vnde patet bene me olim respondisse Ordinarium quendam Monialium licitè, & validè potuisse irritare contractum emptionis planetæ pretiosæ de licentia Abbatissæ factum à Moniali sacrista de more aliarum sacristarum: cùm ipse Monialibus expresse prohibuisset, ne in obeundis officiis conuentus expenderent ex propriis pecuniis, sed solùm ex communibus monasterij, quod non procederet, si Monialis emisset planetam illam, non vt Sacrista, sed vt Monialis priuata per modum eleemosynæ factæ conuentui. 131.

QVÆRES XXVII. An Moniales teneantur obedire in dubio, num in tali casu obediendum sit.

Respond. teneri, si dubium sit ex parte rei præceptæ, an sit licita: sic enim possessio stat pro Superiore (vt ostendit Sanch. *lib. 6. mor. cap. 3. num. 3.*) & in dubio melior est conditio possidentis. Secùs, si dubitum sit de potestate Superioris, an sit legitimus, nec 132.

necne; tunc enim Superior non dicitur esse in possessione superioritatis erga subditos; & sic possessio stat pro libertate subditi. ita Sanchez *supr.* monens subditum religiosum habentem opinionem probabilem se hîc, & nunc non teneri obedire, posse non obedire; etsi credat opinionem oppositam probabiliorem. Bresserus tamen *lib.* 4. *de consc. cap.* 15. *num.* 159. docet in dubio parendum esse Superiori regulari, etiam fœminæ: cùm communis fidelium sensus sit religiosos teneri magis obedire suis Prælatis, quam sæculares suis; & quidem tam extensiuè, quàm intensiuè; quippe qui se pleniùs tradunt suis Prælatis regendos, ac dirigendos, præsertim in dubiis; & Superiores eo fine à Deo recipiunt peculiarem gratiam.

Consentit Fragosus *part* 2. *lib.* 11. *D* 24. §. 9. *n.* 15. ex pluribus aliis citatis monens *num.* 17. ex Petro Ledesma, & Rodriquez, secus dicendum in casu, quo Religiosus subditus dubitat, an res præcepta sit licita, & scit ipsum Superiorem dubitare, an præcipiat rem licitam; tunc enim non potest, nec tenetur parere; cum nec Superior tunc petat obedientiam sibi debitam: quo modo, dubitante vtroque coniuge de valore matrimonij, neuter potest alteri petenti reddere debitum. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. D.* 41. *num.* 55.

Addit Fragosus *num.* 19. ex Sayro *in Claui Regia, cap.* 12. *num.* 4. quòd, si sit diuersitas opinionum, an Superior possit hoc, aut illud iubere, & an subditus teneatur parere: tunc subditus adhærens opinioni contrariæ potest parer, sed non tenetur; cum non detur obligatio parendi in inferiore, nisi quando datur in superiore ius præcipiendi: quod non procedit, si sit diuersitas opinionum, an id, quod præcipitur, ex se liceat, necne; sic enim Superior habet ius præcipiendi, & subditus tenetur obedire.

Concedit tamen Fragosus *num.* 17. si subditus in re valde difficili præcepta an ea sit licita, aut supra potestatem Superioris, posse illam non exequi statim rem præceptam, sed supersedere, donec constet de iustitia Superioris præcipientis rem adeo austeram, & quasi impatibilem. ita Fragosus addens *num.* 18. ex Sayro *supr. num.* 3. Syluest. *v. conscientia, quæst. vlt.* & aliis, subditum probabilitet opinantem rem sibi præceptam esse illicitam, teneri adhuc obedire, non solùm quia Superior est in possessione imperandi, sed quia magna esset confusio in religione, & communitate, si agi posset vi opinionis probabilis contra obedientiam, & Superiores præcipientes; siquidem daretur occasio spoliandi Superiorem possessione imperandi, præterquam quod opinans aliquid esse malum, non habet euidentem certitudinem mali, cum de natura opinionis sit, vt non sit assensus vndequaque certus, ac euidens, sed cum formidine oppositi; sicque quamdiu opinans non est omnino certus, tenetur obedire Superiori; quippe qui est in possessione præcipiendi ea omnia, de quibus non constat euidenter esse mala, aut extra limites suæ potestatis.

Quod demum aliqui dicunt cum Syluest. *v. obedientia, quæst.* 2. existente dubio subditis posse eos consulere virum peritum de iustitia rei præceptæ, si commodè possunt: admittit Fragosus *num.* 16. vt valde probabile, dicens tamen ex Nauarr. Valent. & Gabriel. oppositum esse probabilius, eo quòd subditi sit non inuestigare, sitne licita res præcepta, necne, sed rem præceptam exequi, quando ei non constat præceptum esse malum.

Capvt V.

De obligatione Clausuræ, ad quam tenentur Moniales.

Explicanda nobis est in præsenti capite obligatio Clausuræ, quæ vltra Vota religionis substantialia est potissima inter Monialium Obligationes, & ab aliquibus Monialibus sub expresso voto promittitur. Et quidem cùm Clausura Monialium spectari possit tam in genere, quàm in specie. Caput diuidemus in quinque Sectiones, in quarum prima agemus de Clausura Monialium in genere: in secunda, de ingressu illarum è Clausura: in tertia, de ingressu extraneorum in Clausuram: in quarta, de receptione puellarum intra Clausuram causa educationis: in quinta, de accessu quorumcumque externorum ad monasteria Monialium.

Sectio I.

De Clausura Monialium in genere.

1 *Quid sit Clausura Monialium.*
2 *Quibus iuribus inducta.*
3 *Qualiter induci potuerit de nouo.*
4 *Non est iuris naturalis diuini sed positiui Ecclesiastici, Moniales S. Claræ vouent clausuram: quod alij negant.*
5 *Ad quem finem inducta.*
6 *Episcopi est procurare eius obseruantiam, immò & Prælati regularis quoad Moniales exemptas.*
Lex interpretanda in dubio intelligenda iuxta illam, quæ interpretatur.
7 *Quibus mediis debeat procurari.*
8 *Ad eius custodiam iuuat Magistratus laicus.*
9 *Et quidem etiam non viso processu iudicis Ecclesiastici.*
10 *Ordinario commissa videtur custodia clausuræ tum materialis, tum formalis: quod tamen non censetur ab aliquibus ita certum, stando in Concil. Trid.*
11 *Quam potestatem habeat Ordinarius contra delinquentes circa clausuram.*
12 *Qualiter custodiri debeat clausura.*
13 *Obligatio illius afficit omnes Moniales.*
14 *Quid si Monialis habeat facultatem degendi extra Conuentum.*
15 *Ab ea eximuntur Moniales conuersæ, vbi est consuetudo.*
16 *Clausura non obligat in omni euentu.*
17 *Monialis illam violans subest varijs pœnis.*
18 *Quot, & quibus modis violari possit clausura.*
19 *In eius violatione datur paruitas materiæ; quod alij negant.*
20 *Eius violatio reseruatur, si fit ad malum finem.*
21 *Solus Papa dispensat super lege censura.*
22 *Contra illam præscribi potest.*

Qværes I. Quid intelligatur hîc nomine Clausuræ.

Respond. intelligi spatium illud, quod continetur intra ianuam Conuentus semper clausam: seu, (quod idem est) intelligitur locus ille, qui côtinetur clausa monasterij ianua, ad quem externi nequeunt accedere, & extra quem Moniales non possunt egredi. patet ex Constit. Greg. XIII. edita anno 1572. quæ ait: *Nec ibidem licere Monialibus, etiam Tertiarijs*

egredi è ianua monasterij, quæ est pro clausura monasterij ipsius, etiam ad claudendam aliam vlteriorem ianuam, qua patere solet aditus ad rotam, vel ad crates, seu ad loca colloquijs destinata, vel ad passadam ipsam ianuam clausuræ: quæ loca eum saltem pro causis prædictis patere soleant sæcularibus, extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt.

QVÆRES II. Quibus iuribus inducta sit clausura Monialium.

2. Respond. primò fuisse sub præcepto inductam à Bonifacio VIII. *in cap. periculoso, de statu reg. in 6. relato, cap. præced. sect. 2. quæst. 6.* &c. cùm ea non esset vsu recepta, fuisse instauratam, ac innouatam à Concil. Trident. *sess. 25. cap. 5. de regul.* his verbis: *Bonifacij VIII. Constitutionem, quæ incipit periculoso, renouans S. Synodus vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, vt in omnibus monasterijs sibi subiectis ordinaria, in alijs verò Sedis Apostolicæ authoritate clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliásque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes.* Quin etiam postea Pius V. præfatam Constitutionem Bonifacij VIII. & relatum decretum Concilij Trident. confirmauit per specialem Bullam, quæ incipit, *Circa pastoralis:* quam Gregorius XIII. confirmauit per aliam Bullam, cuius initium est, *Deo sacris*.

QVÆRES III. Quomodo potuerit induci obligatio clausuræ etiam quoad Moniales, quæ antea professionem Religiosam emiserant.

3. Respond. potuisse induci, tum quia assumens aliquem statum virtualiter se obligat ad ea omnia, quæ expediunt, aut decent in tali statu, vt constat ex *tit. de vit. & honestat. cleric. & de cohabitat. cleric. & mult. & ne clerici, vel monachi, cum similibus:* clausura autem Monialium est moraliter necessaria ad puritatem status, quem illæ profitentur, & quidem non solùm ad obseruandam castitatem, sed etiam ad tollenda multa impedimenta perfectionis Religiosæ, idcóque potuit iustè præcipi legitima potestate: tum quia posito voto obedientiæ, quod faciunt Religiosi, potest Prælatus præcipere illis aliquam austeritatem non contentam expressè in regula, si ad obseruanda ea, quæ continentur in regula, & præsertim si ad vota substantialia in sua integritate conseruanda sit moraliter necessaria, vel ita vtilis, vt aliter Religio difficilè possit contineri; talis porrò est clausura respectu Monialium, ergo. Ita Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 1. cap. 8. num. 8.* Sanch. *l. 6. mor. cap. 2. num. 42.* Miranda *q. 1. de Monial. art. 2.* Rodriq. *tom. 1. q. 44. art. 1.* aliique ad ipsos.

4. Ex quibus constat clausuram Monialium inductam fuisse, non iure naturali, aut diuino, sed humano positiuo Ecclesiastico; siquidem ius naturale semper est idem; cùm tamen clausura Monialium olim non esset in vsu; ius item diuinum, si quod extaret circa didam clausuram, colligendum esset, siue ex sacris scripturis, siue ex traditione aliqua diuina: quæ certè nullibi reperiuntur; ideóque necessariò fatendum est clausuram Monialium esse solùm de iure humano. Ita Bonac. *de claus. quæst. 1. part. 3.* aliique communiter, & constat ex iuribus allegatis *q. præced.*

Quod autem nos dicimus *in tract. 4. cap. 5. n. 14.* Moniales S. Claræ teneri ad Clausuram ex voto, quod ex specialiter emittunt, negat Bordonus *part. 2. resolut. 93. num. 6.* non obstante quod ex hac forma profitendi vtantur: *Ego Soror N. voueo, & promitto Deo, & B. Mariæ Virgini, & B. Claræ, & omnibus Sanctis, & tibi, mater, toto tempore vitæ meæ seruare formam vitæ Sororum pauperum S. Claræ traditam, &c. viuendo etiam in obedientia, sine proprio, & in Castitate, seruando Clausuram per Ordinis Constitutiones ordinatam:* suámque probat sententiam ex eo quod non quidquid exprimitur in forma professionis, obligat sub voto, sed solum respectu Castitatis, Paupertatis, ac Obedientiæ, nisi verba ipsa id exprimant (quod ipse Bordonus probat *resol. 92. n. 6. &* 10. & alioqui verba illa, quæ adhibentur in forma Professionis Monialium S. Claræ, *seruando clausuram per Ordinis Constitutiones ordinatam*, posita in obliquo referri videntur, non ad dictionem, *Voueo*, sed ad Constitutiones Ordinis, quarum obligationem Professio non alterat, ideóque non supponit eas debere obseruari sub voto, sed relinquit eas sub simplici præcepto. sic Bordonus, nec improbabiliter; nisi communis sensus vouentium, & recepta consuetudo per tot sæcula oppositum suaderet: quomodo Doctores Communiter dicunt Moniales S. Claræ teneri ad clausuram sub voto.

QVÆRES IV. Ad quem finem inducta fuerit Monialium clausura.

Respond. fuisse inductam principaliter ad tollenda pericula honestatis violandæ, & auferendas Monialibus occasiones infringendi votum castitatis, quæ, data libertate vagandi, & conuersandi cum viris sæcularibus, non rarò periclitaretur. Ad quod faciunt, quæ habet Dionys. Carthusian. *in dial. de reformat. monial. art. 3.* his verbis: *Fœminæ sunt specialiter, & naturaliter multùm instabiles, fragiles, molles, ac debiles ratione: ideò periculosissimum est Monialibus inter viros apparere, ipsósque inspicere, alloqui, audire, nec aliqua linguâ potest exprimere, quam a peccata, & scandala orta sint, atque assiduè creantur ex hoc quòd Moniales claustra sua egrediuntur, & personas visitant sæculares, viros quoque permittunt ingredi sua claustra; vtinam tumentes vteri, & argumenta carrentia super terram non demonstrarent hoc ipsum.* 5.

QVÆRES V. Ad quem spectet ex officio adstringere Moniales ad obseruantiam clausuræ regularis.

Respond. spectare ad Episcopum, quoad Moniales quidem ipsi immediatè subiectas ex potestate ordinaria, delegata verò erga subiectas Sedi Apostolicæ; ad Prælatos autem regulares quoad Moniales ipsis subditas. Ita Sanchez *sup. cap. 15. num. 21.* ex Nauarr. *comm. 4. de regul. num. 60.* & Tamburin. *de iure Abbatiss. D. 18. quæst. 4. num. 6.* aliique docti Recentiores à me consulti, & satis probabiliter, nisi obstet vsus in contrarium legitimè præscriptus. probat Sanchez ex eo quòd *in citato cap. periculoso*, id expressè decidiur his verbis: *Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis mandamus, quatenus eorum quilibet in ciuitate, ac diœcesi propria in monasterijs Monialium sibi ordinario iure subiectis sua, in his verò, quæ ad Romanam immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ authoritate: Abbates verò, & alij tam exempti, quàm non exempti Prælati Ecclesiarum, monasteriorum, & Ordinum quorumcumque in monasterijs huiusmodi sibi subiectis de Monialibus includendis quàm primum commodè poterunt, prouidere procurent;* huic autem decreto non derogat Concilium Trident. *sess. 25. de regul. cap. 5.* dum Episcopis præcipit, *vt in omnibus monasterijs sibi subiectis ordinaria, in alijs verò Sedis Apostolicæ authoritate clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi innouata est, conseruari* 6.

conseruari maximè procurent: immò se illud renouare potestatur, illudque interpretatur; constat autem, quòd constitutio interpretans in dubio debet intelligi iuxta illam, quam interpretatur, & recipit omnes illas interpretationes: idque etiamsi noua lex declarans loquatur strictiùs, vt ex multis probat idem Sanchez *l. 7. de matrim. D. 46. num. 21.* Quæ ratio confirmari potest ex verbis, quæ hac de re Pius V. habet in suo motu proprio, *Circa pastoralis*, videlicet: *Mandantes Patriarchis*, &c. *quatenus in monasterijs Monialium sibi ordinario iure subiectis sua, in his verò, qua ad Romanam immediatè, vel mediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolica authoritate vnà cum Superioribus eorundem Monasteriorum clausuram seruari procurent.* vbi notanda sunt illa verba *vnà cum Superioribus*, quæ satis apertè innuunt custodiæ clausuræ curam quoad Moniales subditas Prælatis regularibus, spectare ad ipsosmet Prælatos, & non ad alios; quamquam verba illa, *vna cum Superioribus* videantur committere dictam curam clausuræ Prælatis regularibus, non priuatiuè, sed cumulatiuè quoad Episcopos: ita vt ea pertineat ad vtrosque in solidum; vnde forsan inductus est vsus in multis locis, vt Episcopi curam clausuræ Monialium, etiam subditarum Regularibus, sibi tanquam propriam asciuerint, Prælatis regularibus fortè in hoc iuri suo cedentibus. Certè Castr. Pal. *tract. 16. D. 4. part. 9. num. 7.* ex Miranda docet Ordinarium hac in re posse supplere negligentiam Prælati regularis: idque, etsi non constet de manifesta violatione clausuræ, sed solùm dubitetur; quod etiam notauit Barbosa *de offic. Episcop. alleg. 102. num. 7. & 8.*

7. Addit Concilium Trid. *loco cit.* quòd, si opus sit ad cogendas Moniales ad clausuram auxilio brachij sæcularis, id inuocandum est, atque à brachio sæculari præstandum; aitque, *Quod auxilium vt præbeatur, omnes Christianos Principes hortatur S. Synodus, & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda omnibus Magistratibus sæcularibus iniungit.* Vnde infert Sanchez *num. 22.* Principes absque iusta causa dictum auxilium denegantes, attento præcisè hoc decreto Concilij Trident. non peccare tamen Magistratus sæculares: cum de vtrisque loquatur Concilium diuerso modo, nimirum priores solùm exhortando (quod non importat præceptum, *c. qui, quis 14. q. 1.*) posteriores verò sub pœna excommunicationis latæ sententiæ iubendo præstare dictum auxilium; quanquam Principes in proposito casu denegantes auxilium peccarent ex alio capite, eò quòd deficerent notabiliter in proprio officio iuxta notata, *cap. 1. de offic. Ordin. & cap. omnes principes de maiorit. & obed. & cap. duo, & cap. si imperator d. 96.*

Quòd si quæras, quid significetur in citato decreto Tridentini per verba illa omnibus Magistratibus sæcularibus.

8. Respond. significari personas publicas sæculares, quæ non proprio iure ius dicunt, sed iure alterius Superioris, à quo dependent (quicumque demum ij sint, siue magni, siue medij, siue infimi;) & quidem omnes, cùm dictio *omnibus* sit vniuersalis, adeòque nullum Magistratum sæcularem excludat, *l. Iulian. & l. textorib. ff. de legatis 3. & l. hoc articulo, ff. de hared. instit.* Ita Bonac. *sup. p. 7. num. 4.* addens *num. 5.* Ecclesiasticos etiam venire hic nomine Magistratuum, si sæcularem iurisdictionem exerceant titulo potestatis sæcularis: vt si à Principe sæculari constituantur Præsides, aut Consiliarij alicuius Magistratus, à quo Ciuitas, aut Prouincia gubernetur: Concilium enim non respexit præcise ad circunstantiam personæ, sed ad qualitatem muneris, ac officij, à quo Magistratus nomen desumitur.

Vtrum verò sæculares Principes, & Magistratus teneantur Iudici Ecclesiastico imploranti brachium sæculare ipsorum opem ferre, etiam non viso processu, ac sententia Iudicis Ecclesiastici.

Respond. teneri; & probatur tum quia facultas cognoscendi de iustitia causæ competit Superiori: Magistratus autem sæcularis in causis Ecclesiasticis non est Superior, vt patet; tum quia sæculares hîc non asciscuntur vt Iudices, sed vt executores ordinationis factæ ab Ecclesiastico Iudice; at officium executoris non est causam cognoscere, sed exequi, quoties non constat de eius iniustitia; tum quia in dubio, præsertim in facto Principis, non præsumitur delictum, *l. meritò, ff. pro socio*; ergo sæculares vocati ad ferendam opem Iudici Ecclesiastico iniquè agunt negligendo auxilium ferre, eò quòd nondum cognita sit iustitia causæ, & nondum examinati actus processus, vtpotè præsumentes delictum in facto Iudicis Ecclesiastici, Ita Marta *de iurisdict. part. 1. q. 51.* Alciat. *cap. 1. de offic. Ordin.* aliique apud Bonac. *de censur. in partic. D. 1. q. 20. §. 3. num. 1.* contra alios ab eodem allegatos: qui benè monet *q. 1. de clausf. p. 7. num. 6.* excommunicationem, de qua egimus hoc loco, non esse reseruatam Papæ; cùm in Concilio, vbi fertur, nulla sit mentio de reseruatione. 9.

QVÆRES VI. An cura custodiæ clausuræ Monialium commissa Episcopis in Concil. Trident. intelligatur de clausura solùm materialiter sumpta (prout scilicet importat spatium, quod intra ianuam monasterij semper clausum continetur) vel etiam de clausura formaliter, (vt sic loquar,) sumpta (quatenus videlicet comprehendit etiam ingressum extraneorum intra clausuram, egressum ipsarum Monialium ab illa, & accessum aliorum ad ipsas Moniales causa eas inuisendi, & alloquendi.)

Respond. Barbosa *alleg. 102. de offic. Episc. num. 11*, ad auctoritatem Episcoporum in custodienda Monialium clausura pertinere, vt impediant tum accessum ad ipsas Moniales, & colloquia cum eisdem, tum ingressum extraneorum intra septa monasterij, tum egressum earundem Monialium è monasterijs; quod est dicere curam commissam Episcopis de custodia clausuræ Monialium non esse solùm de clausura materialiter sumpta, sed etiam de ea formaliter sumpta: idque ex decreto Concilij Trident. superiùs adducto. Ita Barbosa, aliique docti Recentiores à me consulti, & satis probabiliter, attenta praxi Episcoporum multis in locis prohibentium sub censuris Ecclesiasticis accessum ad Moniales sine legitima ipsorum licentia, & quidem etiam exemptas: quod non facerent, si non præsumerent monasteria Monialium, etiam aliàs exemptarum, ipsis subiici quoad custodiam clausuræ tum materialiter, tum formaliter sumptæ: siquidem locus exemptus æquiparatur territorio posito extra diœcesim. Quamquam, si consideremus verba, quibus præfata cura clausuræ committitur Episcopis videantur illis solùm tribuere auctoritatem custodiendi clausuram Monialium materialem; vt indè patet, quod iuxta propriam verborum significationem, & communem loquendi modum non dicitur violare clausuram Monialium, qui sine debita licentia accedit ad illas inuisendas, & alloquendas: cùm tamen concilium Trident. committens Episcopis curam clausuræ Monialium vtatur his verbis, *vt clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent*; sed de hoc infra *cap. 10. sect. 1. subs. 1. q. 3.* 10.

solùm hîc addo quod, cùm consuetudo, quæ est optimus legum interpres; & bulla Gregorij XV. mox alleganda stent pro doctrina Barbosæ suprà telata, ab ea in praxi non videtur recedendum.

11. Certè Gregor. XV. In sua Constitut. *Inscrutabili Dei prouidentia*, edita 1622. dat Ordinariis locorum potestatem puniendi, & coërcendi tam regulares, quàm sæculares delinquentes circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum: & concedit, vt tanquam Sedis Apostolicæ delegati id facere valeant, quoties, & quando opus fuerit; sed de hoc infra *cap.* 10. *num.* 19.

QVÆRES VII. Qualiter custodiri debeat Monialium clausura per Ordinarios locorum, & alios Superiores.

12. Respond. debere custodiri, ita vt sit circumsepta, & munita altis mœniis, ac excelsis vndique parietibus, ne è vicinorum ædibus, quicunque illi sint, monasteria inspiciantur; præsertim si iis immineant Fratrum, aut Presbyterorum ædes; quo casu curandum esset, vt parietes altiùs attollerentur. Quod si contingat muros clausuræ confringi, & monasterij redditus non sufficere ad illorum reparationem; tunc ij fidelium eleemosynis restaurari debent; &, si eæ sint minùs sufficientes, ad hoc ipsum cogi possunt, ac debent Monialium consanguinei. ita Barbosa *supra numer.* 10. ex Mosconio, & cum his Tamburinus *supr. quæstion.* 1. *num.* 9. & 10. monens in defectu consanguineorum recurrendum esse ad illum, ex cuius auctoritate, ac voluntate fuit constructum monasterium; sicut enim consanguinei Monialium, durante vinculo consanguinitatis, tenentur eas conseruare in debita honestate; vt colligitur ex *capit. si quis deliquerit* 30. *distinct.* sic & iis quoad hoc succedit Fundator monasterij; quippe qui potuit, & debuit præuidere huiusmodi necessitates futuras, sic citati DD.& bene; si addas id etiam spectare ad proprium Episcopum, si redditus Episcopatus id ei permittant, aut aliunde possit consulere præsenti Monialium necessitati: cum ipse ex officio teneatur restituere clausuram Monialium, eamve conseruare, suoque exemplo quàm maximè possit alios excitare ad subueniendum tantæ Monialium necessitati; ne alioqui ipsi dicatur: *Qui alios doces, te ipsum non doces?*

QVÆRES VIII. An obligatio clausuræ adstringat omnes Moniales.

13. Respond. adstringere omnes, & singulas Moniales cuiuscunque Ordinis, etiam Militatis, quæ Religiosam professionem emittunt, & viuunt in congregatione. ita Sanchez *supr. num.* 10. Miranda *supr. quæst.* 1. *art.* 3. Bonacin. *part.* 2. *num.* 1. aliique communiter; & probatur tum quia Concilium Trident. *sess.* 25. *de regular. cap.* 22. statuit omnia, & singula contenta in superioribus decretis seruari in omnibus cœnobiis, ac monasteriis quarumcunque Sanctimonialium, etiamsi illæ sub gubernio Militiarum, etiam Hierosolymitanæ, viuant, & quocunque nomine appellentur sub quacunque regula, vel institutionibus: vnum autem ex præfatis decretis ea sessione factis est de clausura Monialium; tum quia Pius V. in sua Bulla. *Circa pastoralis*, ait, *cuiuscunque Ordinis, vel Militarium, etiamsi Hierosolymitana sint*: quæ dictio, *etiam*, in vtroque decreto posita significat à fortiori comprehendi Moniales aliorum Ordinum Militarium.

14. Dixi in responsione, *& viuant in congregatione*, vt innuerem, quod, si quæ fœmina hodie licitè profiteretur ea conditione, vt in domo propria maneret; prout permititur, *cap. final. qui clerici, vel vouent.* ea non teneretur ad clausuram: siquidem iura loquuntur de Monialibus viuentibus in congregatione (vt apertè constat ex Constit. Pij V.) &, cùm sint odiosa, non debent ampliari, sed restringi. ita Graff. 1. *part. decis. lib.* 4. *cap.* 23. *n.* 17. Miranda *sup. art.* 4. Bonac. *n.* 5. aliique, inter quos rectè notauit Nauarr. *commu.* 4. *de regul. num.* 53. priuilegia olim concessa Monialibus professis quoad exemptionē à clausura, modò non suffragari, vtpote reuocata in Consilio Trid. *sup.* & Pij V. constitutione.

Excipiendæ tamen sunt Moniales conuersæ, quæ ex eiusdem Pij V. concessione in monasteriis ad suam sustentationem indigentibus fidelium eleemosynis per dictas Moniales colligendis, possunt degere extra clausuram ad effectum quæritandi eleemosynas: dummodo sint ætatis annorum 40. degant in domo contigua monasterio; non ingrediantur clausuram Monialium, nisi in casibus expressis per suas Constitutiones, ac de suis domibus non exeant ad colligendas eleemosynas, nisi de licentia Ordinarij. Quanquam Greg. XIII. in sua Constitut. *Deo sacris*, cupiens, hanc ipsam exceptionem auferri, iniungat Ordinariis, vt quacunque ratione cognouerint posse conuenienter Conuentuum Moniales substentari absque dicta eleemosynarum collectione, easdem Conuersas sub eadem clausura cum aliis Monialibus reducant, neque ampliùs permittant illas exire è suis monasteriis. 15.

QVÆRES IX. An obligatio clausuræ adstringat Moniales in quocunque euentu, & consequenter etiam cum graui periculo vitæ.

Respond. quòd, cum obseruantia clausuræ possit afficere, & de facto afficiat Moniales secundùm duplicem respectum; nimirum ne ipsæ egrediantur è proprio monasterio; & ne admittant intra illud personas extraneas absque debita licentia: quoad vtrumque respectum dari possunt plures casus, in quibus cessat obligatio clausuræ, vt apertè constabit ex dicendis in duabus sequentibus sectionibus; in quarum priori proponemus casus concernentes clausuram sub priori respectu, in posteriori verò casus versantes circa clausuram sub posteriori respectu. Hic vnum solùm aduerto, quòd, cum necessitas non habeat legem, *l. vnic. ff. de offic. proconsul.* & lex humana ordinariè non obliget cum tanto subditorum dispendio; vt probat Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *capit.* 14. *numer.* 5. ex communi DD. sententia; vtique & lex clausuræ non obligabit Moniales, neque cum graui periculo vitæ (eo tamen modo, quo explicabimus *sect. seq. quæs.* 8.) neque cum alio graui damno; sicut notauit Sanchez *lib.* 6. *moral. capit.* 15. *num.* 62. ex Dominico, Franco, Syluio, Rodriquez & aliis. 16.

QVÆRES X. Sub quibus pœnis teneantur Moniales seruare clausuram.

Resp. teneri seruare sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ Papæ reseruatæ, necnon priuationis officiorum, dignitatum, & administrationum, & inhabilitatis ad illa; siue ipsæ Moniales sine debita facultate egrediantur è monasterio: siue alios ingredi faciant, aut permittant; idque quoad Moniales egredientes ex Bulla Pij V. declaratoria, quæ est 8. in ordine, de qua *sect. seq. quæs.* 3. quo verò ad ingredi facientes, aut permittentes ex Bulla Gregorij XIII. in ordine 28. eo tamen modo, quo dicemus hic *sect.* 3. *quæs.* 3. 17.

QVÆRES XI. Quot, & quibus modis contingere possit obligationem clausuræ violari à Monialibus.

Respond.

18. Respond. violari posse iis duobus modis, quos recensuimus *quæst. præcedenti*; videlicet indebitè egrediendo è proprio monasterio, vel extraneos ingredi faciendo aut permittendo intra clausuram monasterij: quòd bene aduertit Portel. *de dub. regul. v.clausura monial. in addit. num.*1.

An autem violatio clausuræ Monialium excusari possit à culpa mort. ratione paruitatis materiæ.

19. Respond. Nald. *v.clausura num.*2. ex Graff. *de cas. reseru. cap.*5. *num.*45. quos adducit, & non reprobat Diana *part.*3. *tract.*2. *resol.*52. posse excusari, ideóque Monialem ambobus pedibus se transferentem extra ianuam terminos clausuræ terminantem ad vnum vel duos palmos, non peccare mort. si statim regrediatur; idem sentit & Merolla relatus à Tamburin. *supr. D.*19. *quæst.*4. qui tamen oppositum sentit cum Bonac. *supr. part.*4. *num.*2. & aliis alioqui concedens paruitatem materiæ in præsenti casu posse admitti, si Monialis toto corpore non egrediatur è clausura, sed maiori parte corporis manens intra septa monasterij pede, aut pedibus exeat: sic quippe non videtur consummari tota transgressio violationis clausuræ in eo consistens, quòd Monialis egrediatur è terminis definitæ clausuræ; quod vtique verificatur, siue ea longe recedat à dictis terminis, siue tantùm ad duos pedes mox regressura: quæ est ratio, cur citati Doctores sustineant in violatione clausuræ non debere admitti paruitatem materiæ, & quidem satis probabiliter. Quamquam non audeam damnare oppositam sententiam, quam admittunt docti Neoterici à me consulti, nec immeritò; stante quòd obligatio clausuræ est de iure positiuo humano, quod cum debet esse accommodatum fragilitati humanæ, non solet, nec debet interpretari adeò rigorosè, vt non admittat leuitatem materiæ, etiam in casu, quo eius violatio dicatur perfectè consummata modo dicto, idque iuxta doctrinam Sanchez traditam *l.*1. *mor.c.*4. *num.*1. asserentem tunc solùm non dari paruitatem materiæ, quando in materia parua reperitur integra ratio irreuerentiæ, ac offensionis; cuiusmodi sunt ea quæ immediatè, ac directè versantur circa Deum; vt odium Dei, contemptus illius, infidelitas, periurium assertorium, simonia, & alia id genus; inter quę tamen nō videtur computanda violatio clausuræ, etsi Sanch. *l.*6. *mor.c.*16. *n.*6. id neget.

Quæras XII. An violatio clausuræ Monialium sit reseruata, etiam seclusa reseruatione pœnarum, quas incurrunt illius transgressores.

20. Respond. esse, si fiat ad malum finem contra castitatem: & hoc ex decreto Clementis VIII. edito 1601. in quo vltra casus contentos in Bulla Cœnæ abstulit Regularibus aliàs quoad hoc priuilegiatis, facultatem absoluendi ab illis quinque casibus; inter quos enumeratur violatio clausuræ Monialium ob malum finem; quamquam, vt ostendimus *in tract. de prohibit. cap.*2. *quæst.*14. non improbabile videatur huiusmodi reseruatione non comprehendi ipsas Moniales, vt pote in præfato decreto expressas tantùm per modum termini, & vt se habentes merè passiuè ad dictam violationem; sicut colligitur ex modo illo loquendi, *violatio clausuræ Monialium*: præsertim cum simus in materia odiosa, quæ debet restringi.

Quæres XIII. Quis dispensare possit cum Monialibus super obligatione clausuræ, vt licitè possint ipsæ egredi ex illa, & alios admittere intra illam.

21. Respond. posse dispensare Papam, absolutè, & simpliciter loquendo: vt inde patet, quòd obligatio clausuræ est iuris humani, ideóque subiicitur Papæ potestati; in casibus verò necessitatis, in quibus non potest commodè adiri Papa, posse dispensare Ordinarium loci, siue ex se solo, si Monialis dispensanda non sit exempta; siue de consensu etiam Prælati regularis, si Monialis sit immediatè subiecta Prælatis Ordinis: idque ex Concil. Trident. *sess.*25. *cap.*5. & ex Constit. Pij V. relata *quæst.* 10. prout notat Lezana *tom.*1. *cap.*25. *num.*21. addens tamen in Hispania videri vsu receptum, vt pro licito egressu Monialium Regularibus subiectarum in casibus permissis nequaquam requiratur consensus Ordinarij: quod vtique potest admitti, si constet dictam consuetudinem fuisse legitimè inductam iuxta doctrinam generalem, quam tradunt DD. de præscriptione. Quin etiam admittit Lezana ex Sylu. Rodriquez & Bonac. quòd, si vrgente casu grauissimæ necessitatis, non possit Monialis obtinere licentiam exeundi à proprio Prælato, vt pote absente: posset, eo inconsulto, exire; cum necessitas careat lege, & huiusmodi casus per epicheiam censeri possit exceptus à decretis Concilij Trid. & Pontificiis Constitutionibus.

Quæres XIV. An Moniales per contrariam consuetudinem possint derogare decretis inlicentibus clausuram.

22. Respond. quòd, cum obligatio clausuræ Monialium sit de iure humano, vt dictum est *quæst.*3. & ius quodcumque humanum, simpliciter loquendo, possit abrogari; sequitur etiam Moniales posse alicubi derogare præfatæ obligationi, ita in terminis Sanch. *l.* 6. *mor. cap.*15. *num.*4. ex Azor. *tom.*1. *lib.*13. *cap.*8 *q.*1. aliique docti recentiores consulti, & vt puto, satis probabiliter: quidquid in contrarium sentiat Lamas relatus ab eodem Sanch. sustinens contra obligationem clausuræ nullam posse præualere consuetudinem, aut statutum, vt pote tacitè comprehensam in voto tanquam necessariam ad castitatis promissæ obseruantiam; quod alij communiter negant, & nos etiam negamus, alioqui concedentes præsentem responsionem non procedere quoad illas Moniales, quæ sub expresso voto se obligant ad clausuram.

Sectio II.

De Obseruantia Clausuræ Monialium quoad non exeundum è septis proprij Monasterij.

23 *Egressus è clausura vetitus Monialibus ex multiplici iure.*
24 *Si fiat indebitè, interdum plures continet malitias, at non semper.*
25 *Monialis sic egrediens subditur excommunicationi reseruata Papæ.*
26 *Incurrit etiam alias pœnas, quæ item incurruntur à cooperantibus.*
27 *Dicta excommunicatio incurritur ante sententiam, non item aliæ pœnæ.*
28 *Quis absoluat à præfatis pœnis.*
29 *Quæ causa requiratur, & sufficiat, vt Moniales licentiari possint ad egressum.*
30 *Quale incendium sufficiat ad licitum egressum.*
31 *Qualis casus Lepræ.*
32 *Qualis casus epidimiæ: quid sit epidimia.*
33 *Iuxta aliquos licentiari potest Monialis ad egressum ob morbum ei soli nociuum.*
34 *Alij communius negant cont. Suar. & iuxta praxim.*
35 *Concedi potest egressus in casibus similibus.*

36 *In his tamen casibus semper requiritur licentia Prælati, nisi sit periculum in mora.*
37 *Cuius Prælati requiratur licentia.*
38 *Hæc debet esse specialis, & expressa.*
39 *Item in scriptis, etiam pro foro conscientiæ: quod alij negant.*
40 *Non est semper opus, quòd sit in effectu obtenta.*
41 *Illicitus est egressus factus ex licentia iniusta inferioris Papa.*
42 *Sic tamen egrediens Monialis non incurrit pœnas, immò nec peccat iuxta aliquos, si licentiam obtineat à Papa.*
43 *Licentia egrediendi, & dispensatio ad egressum inter se differunt.*
44 *Egrediens sine licentia in casu necessario, id interdum significat Prælato.*
45 *Egressus permittitur Monialibus in casu belli, inundationis, ac ruinæ Conuentus.*
46 *Item vt ea eligantur in Abbatissam alterius Conuentus, aut ad aliud officium.*
47 *Ad id tamen requiritur licentia Sedis Apostolicæ: quod alij negant.*
48 *Monialis sic egrediens, redit postea ad suum Conuentum.*
49 *Item ad fundandum nouum Conuentum, aut reformandum alium iam fundatum.*
50 *Inconsulto Papa Moniales egrediuntur ad habitandum nouum Conuentum.*
51 *Talis autem egressus faciendus in aurora.*
52 *Permittitur egressus Monialium causa correctionis.*
53 *Seruatis tamen seruandis.*
54 *Monialis professa transit ad Ordinem strictiorem, repetita probatione, ac professione.*
55 *Egrediens cum licentia aliquantulum diuertit licitè.*
56 *Si indebitè diuertat, pœnis latis contra violantes clausuram non subest.*

QVÆRES I. Quibus iuribus interdictum sit Monialibus egredi è clausura proprij monasterij.

23. Respond. quòd quamuis in antiquis canonibus multa extent huiusmodi clausuræ præcepta (vt in *can.*33. Concilij III. Carthag.*can.*46. Trullano, qui attribuitur VI. Synodo, & *can.*65. Concilij Cabilon.) ea tamen nullibi erat absolutè iniuncta, sed dependenter ferè à legitima facultate Abbatissæ; sicque paulo maior, ac rigidior clausura imponebatur fœminis, quàm viris. Primò Bonifacius VIII. *in cap. vnic. de statu Regul. in 6.* illam absolutè præcepit Monialibus nulla relicta facultate egrediendi quacumque ratione, aut causa, excepto tantùm casu, in quo Monialem tanto, & tali morbo euidenter laborare constaret, vt non posset cum aliis absque graui periculo, seu scandalo commorari; quæ exceptio vtique firmat regulam in contrarium. Cùm autem tale decretum Bonifacij VIII. non fuisset vsu receptum, vel certè per contrariam consuetudinem antiquatum, (vt indicat Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regul.* & Auctores passim testantur) à dicto Concilio fuit innouatum his verbis: *Nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire è monasterio, etiam per breue tempus quocumque pretextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis, & priuilegiis quibuscumque non obstantibus*: necnon approbatum, ac confirmatum tum à Pio V. *in sua Constit.* 8. *in ordine*, tum à Gregor. XIII. *in sua Constit. item* 8. *in ordine*, in qua explicat, quæ loca comprehendantur sub clausura Monialium; cum Pius V. *in citata Constitut.* 8. latiùs declarasset decretum Bonifacij VIII. & Concil. Trident. superiùs allegatum, expressis in declaratione dictæ bullæ casibus, in quibus Moniales possint licentiari ad exeundum è clausura, & latis variis pœnis aduersùs violantes ipsam clausuram, de quibus infrà.

QVÆRES II. Qualiter peccet Monialis indebitè egrediendo è proprio monasterio, & quot peccata committat.

Respond. peccare mort. nisi excuset paruitas materiæ, iuxta dicta *sect. præced. q.* 11. committere verò vnum tantùm peccatum, idque inobedientiæ contra præceptum Ecclesiæ, Monialibus clausuram indicentis, si solo præcepto Ecclesiastico teneantur ad clausuram, non autem etiam ex voto, sicut de facto aliquæ Moniales tenentur; quæ proinde exeuntes è clausura sine debita facultate duo peccata committunt necessariò exprimenda in confessione; vnum scilicet contra præceptum Ecclesiæ (quod est peccatum inobedientiæ) & alterum contra votum, quod est sacrilegium. Et ratio est, quòd, cùm præceptum clausuræ impositum Monialibus sit de re grauissima, eius violatio ex genere suo non potest non esse mortalis; ex alia parte in vno, ac eodem actu multiplicantur malitiæ specie diuersæ, quando actus opponitur diuersis specie virtutibus, ac perfectionibus. vnde fit, quòd, si clausura præscriberetur tum ab Ecclesia, tum à regula: non ideo eius violatio duplicem contineret malitiam; cùm sic opponeretur eidem virtuti, ac perfectioni, nimirum obedientiæ. 24.

Qua occasione obiter moneo assertionem à me positam *tract.*4. *cap.*5. *n.*21. esse iuxta mentem Rodriquez ibi citati: non autem iuxta meam mentem; vt colligitur ex §. *seq.* vbi sustinens inter casus exceptos ab Vrbano IV. comprehendi epidimiam, etsi ab eo non exprimatur; tacitè infero Moniales S. Claræ, non obstante voto Clausuræ, quod faciunt, posse in casu epidimiæ egredi è clausura, si id sit necessarium ad vitandum contagium; quod vtique est contra Rodriquez.

QVÆRES III. Sub quibus pœnis prohibeantur Moniales egredi è clausura proprij monasterij.

Respond. prohiberi sub pœna excommunicationis maioris ipso facto incurrendæ, eaque reseruata Papæ, si sit publica, ac notoria. patet ex Pij V. *Constitut.* 8. *superius adducta*, quæ sic habet: *Aliter autem egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laicas, aut sæculares, vel Ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationis maioris latæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subiacere, à quo, præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolui nequeant. Et insuper tam egressas, quàm præsidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officijs, & administrationibus per eas, & eos tunc obtentis priuamus, & illas, & illos ad obtenta, & alia in posterum obtinenda inhabiles* (supple) *decernimus.* 25.

Vbi notandum vi istius Constitutionis Moniales indebitè egredientes è proprio monasterio, non solùm incurrere excommunicationem maiorem ipso facto, absque alia declaratione, eamque Papæ reseruatam: sed etiam remanere priuatas dignitatibus, officiis, & administrationibus, quæ habent tunc temporis, immò & inhabiles ad obtenta, & alia in posterum obtinenda. Quin etiam talibus pœnis subiacent non Moniales tantum modò dicto clausuram violantes, sed etiam Episcopi (cùm de his expressa mentio fiat in cit. Constit. Pij V.) Prælatique Regulares, si fortè sine iusta causa illis dent licentiam exeundi è monasterio; necnon ij, qui Moniales 26.
iniustè

iniustè egressas comitantur, aut recipiunt, si suo comitatu, aut receptione cooperentur egressui Monialium ipsarum, aut sint in causa, quòd non redeant ad monasterium, sicut debent; quòd benè aduertit Bonac. *quæst. 1. de clauſ. part. 4. num. 4. & 5.* hinc inferens cum Rodriquez, Sanchez & Llamas non incurrere dictas pœnas illum, qui causa vrbanitatis, amicitiæ, honoris, aut consanguinitatis Monialem illicitè egressam comitaretur, aut reciperet, dummodo eius delicto re vera non cooperetur: qua de re Sanchez *lib. 6. mor. cap. 14. num. 72.*

Difficultas est, vtrùm præfatæ pœnæ incurrantur ante sententiam Iudicis declaratiuam, sin minùs pœnæ, saltem delicti.

17. Respond. excommunicationem quidem incurri ante omnem sententiam Iudicis, etiam declaratiuam delicti (quod omnes concedunt) alias verò pœnas probabile esse non incurri, nisi post sententiam criminis declaratoriam; latam à Iudice; quæ scilicet declaretur iuridicè Monialem violasse clausuram egrediendo è monasterio absque legitima facultate; idque non solum ob doctrinam; quam tradit Sanchez *supr. num.65.* ex Nauarr. Molin. & Sousa: sed etiam quia clausula illa, *absque aliqua declaratione*, in relata Constitut. Pij V. ex tenore textus videtur referri solùm ad excommunicationem, non item ad alias pœnas; sicut & vi textus reseruatio solùm afficit excommunicationem, non autem reliquas pœnas: cùm sic habeat: *Excommunicationis maioris lata sententia vinculo statim eo ipso, absque aliqua declaratione subiacere; à quo, preterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolui nequeant: & insuper tam egressas* (ideft Moniales) *quàm præsidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, & administrationibus per eas, & per eos tunc obtentis priuamus, & illas, & illos ad obtenta, & ad alia in posterum obtinenda inhabiles decernimus.* Vbi noto clausulam illam, *absque aliqua declaratione*, & illam aliam, *præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolui nequeant*, solùm apponi, vbi agitur de excommunicatione; non item postea, vbi agitur de aliis pœnis; quod est signum Pium V. in dicta Constitutione noluisse cum tanto rigore obligare ad reliquas pœnas, atque obligat ad excommunicationem: si enim pari rigore voluisset obligare ad vtrumque, id potuisset exprimere, immò & expressisset iuxta illud, *si voluisset, expressisset:* quod maximè locum habet in odiosis, quæ non debent ampliari, sed restringi.

Quod si quæras, quis possit absoluere à præfatis pœnis.

28. Respond. non posse absoluere, nisi solum Papam, aut alium habentem ab eo facultatem, si eæ sint publicæ: cùm excommunicatio sit reseruata Papæ, & doctrina generalis sit inferiorem Papa non posse regulariter dispensare in pœnis ab ipso latis, post secutam Iudicis sententiam. Dixi, *si eæ sint publicæ*; si enim pœnæ sint occultæ, ab iis possunt absoluere non solum Episcopi virtute Concilij Trid. *sess.24.cap.6.* ac Prælati regulares ex concessione bullata Pij V. relata à Rodriquez *tom. 1. quæst. 61. art.9.* sed etiam Religiosi priuilegiati ex indulto bullato Pauli III. concesso Societati Iesu, & à nobis explicato *in Manuali tract. de priuil. cap. 2. sect. 1. subsect. 2. quæst. 2.* ita Bonacin. *supr. part. 5.* aliique apud ipsos.

Nec obstat, quod dicimus *cap. 9. num. 26.* Moniales vt perpetuo impeditas ratione clausuræ (ne possint pro absolutione reseruatorum Papalium adire Papam) posse ab iis absolui per Episcopum, aut proprium Prælatum regularem, quibus respectiuè subsunt: non enim hac doctrina pugnat cum ea, quam tradimus §. *præcedenti*; signidem Episcopus, in quantum potest absoluere impeditos perpetuò à reseruatis Papalibus ad quæ alioqui eius facultas non extenditur, comprehenditur sub iis verbis, *aut alium habentem ab eo facultatem*, adductis, §. *præcedenti*, (vt colligitur ex Bonacina *de censuris in comm. D. 1. quæst. 3. part. 2. num. 4.*) sicque hîc solum negamus posse Episcopum vt sic absoluere à pœnis publicis per sententiam Iudicis; & meritò, cum id facere possit solum quatenus habet potestatem specialem à iure, & est delegatus Papæ, (quod omninò admittimus etiam *cap. 9. num. 26.* Præterquam quod negare possumus Episcopum posse perpetuo impeditos absoluere ab aliis pœnis v. g. officiorum priuationibus) latis per sententiam Iudicis (sicut de facto suppono § *præcedenti*, & docet idem Bonacina *de censuris in particulari D. 1. quæst. 22. part.2. num.13.* etsi *v. ex dictis* dicat se existimare non improbabilem oppositam sententiam ab eo relatam *ibi num. 22.*) & de facto hic negamus; vt proinde dicta hîc bene cohærent cum iis, quæ diximus *c.10. num. 181.* nec vllam inter se contradictionem, quæ primo aspectu in iis esse videtur, contineant.

QVÆRES IV. An, & qua causa Moniales licentiari possint ad egressum è monasterio, non obstante obligatione clausuræ.

Respond. ex vi quidem Constitutionis Bonifacij VIII. citatæ in *cap. periculoso, de statu Regul. in 6.* posse tantùm in vno casu ibi excepto, nimirum quando Monialis euidenter laborat tanto, ac tali morbo, vt non possit cum aliis commorari absque graui periculo, aut scandalo; ex vi verò Constit. Pij V. relatæ *quæst. præced.* posse exire in tribus casibus ab ipso ibi expressis; videlicet ex incendio, ex morbo lepræ, & ex infirmitate epidemiæ: immo & in aliis casibus similibus, aut vrgentioribus, qui censentur comprehendi in tribus allatis iuxta dicenda *quæst. 8.* Quare Moniales nequeunt licentiari ad egressum nisi ex causa valdè graui, ac vrgenti: cuiusmodi sunt omnes relatæ *in cap. periculoso*, & in Constit. Pij V. 29.

QVÆRES V. Quandónam casus incendij sufficiat, vt Monialis licitè possit exire è monasterio.

Respond. non sufficere, nisi quando incendium est adeò magnum, vt Moniales sint morituræ, si non exeant; quamquam, vt omnes Moniales in tali euentu exire possint, opus sit, vt omnium vita periclitetur, nisi omnes exeant, vnde, si contingat non imminere periculum omnium, sed aliquarum tantùm, eo quòd vna pars monasterij incendatur, & in alia non sit periculum: tunc eæ solùm exire possunt, quæ aliter mortem euitare non possunt; vt si fingamus eas habitare in parte, quæ inceditur, & non posse transire ad aliam, nisi per ignem; idémque erit de vna tantum Moniali, si casus ad hoc restringatur, vt illa sola incendio periclitetur. ita Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 9. num. 11.* hinc inferens eæsum incendij in præsenti euentu non respicere communitatem, vt communitas est, sed omnes personas eius, vt singulas, & sufficere in vnaquaque, si illam solam tangat. 30.

QVÆRES VI. Quando casus lepræ sit sufficiẽs ad hoc vt Monialis licitè egredi possit è monasterio.

Respond. tunc solùm esse sufficientem, quando, Moniali tali morbo infecta non egrediente, omnes aliæ Moniales euidenti periculo infectionis exponerentur; vnde, si cesset tale periculum, eo quòd 31.

monaste-

monasterium sit valdè capax, ibique adsit commoditas medendi ei morbo absque periculo contagionis aliarum Monialium: tunc Monialis sic infecta non potest exire, cùm cesset periculum, ratione cuius præcisè licitus erat exitus; vt apertè colligitur ex *cap. periculoso*, innouato per Concil. Trid. & Pij V. Constitutione ferè hoc ipsum exprimentibus iis verbis, *quod non possit cum aliis absque graui periculo commorari*. Vt proinde dicat Sanchez *n.32.* ad hoc vt Superiores iustam licentiam exitus concedant, non debere esse contentos sola probatione morbi, sed prætereà probandam esse incommoditatem monasterij ad medendum sine periculo infectionis aliarum Monialium; quod etiam indicat Tambur. *supr. D.20. quæst.1. num.4.* dicens ad hoc vt Monialis ex lepræ morbo licitè possit exire è monasterio, huiusmodi infirmitatem debere esse talem, vt homo sæcularis ea infectus extraheretur è propria domo, & ad vitandum infectionis periculum duceretur ad locum segregatum, vulgò nuncupatum Lazaretto.

QVÆRES VII. Quid intelligatur hîc nomine epidemiæ, ob quam Moniali eo modo infectæ concedi potest, vt exeat è monasterio.

32. Respond. intelligi non solùm epidemiam, quæ est vera pestis, sed etiam epidemiam simplicem, morbum scilicet communem adeo contagiosum, vt ab vno facilè diffundatur ad alios cum ipso communicantes; si tamen non obstet declaratio quædam Sacræ Congregationis facta anno 1609. & relata à Diana *p.2. tract.15. ref.23.* nimirum in Constit. Pij V. nomine epidemiæ venire solum veram, ac realem pestilentiam, non autem morbum gallicum, & S. Lazari, strumas, cancros, aliosque huiusmodi morbos contagiosos. ita Suarez *supr. num.3.* Sanch. *num.35.* Rodriq. *supr. quæst.49. art.3.* Miranda *quæst.3. de Monial. art.5.* Portel. *de dub. regul. v. clausura num.18.* aliique; quos citat, & sequitur Tambur *num.6.* dicens huiusmodi causam sic communiter explicari à Doctoribus, & probatur tum quia intentio Pij V. in excipiendo isto casu, quæ est consulere indemnitati Communitatis Religiosæ, æquè militat in morbis istis contagiosis, qui possunt inficere totum monasterium; aut maiorem illius partem: vbi autem procedit eadem ratio, procedit & eadem iuris dispositio: tum quia verisimilius est nomen epidemiæ hîc sumi, non rigorosè pro illa, quæ pestis dicitur, & sic per contagium communicatur, vt maiorem partem hominum, quos inficit, occidat, sed vt latiùs dicitur de quocunque morbo communi contagioso modo supradicto: cùm enim Pij V. Constitutio sit odiosa, ac restrictiua quoad hanc partem, eius verba interpretari debent in mitiori significatione propria; vnde, cùm iuxta vsum Medicorum vox epidemiæ absolutè dicta significet quemcunque morbum contagiosum, secundùm hanc significationem debet hîc sumi: quæ rationes faciunt istam sententiam satis probabilem; præsertim cùm non constet authenticè de declaratione illa sacræ Congregationis superiùs allegata ex Diana, sicut notauit ipsemet Diana, & innuit etiam Lezana *tom.1. cap.25. num.20.* dum nostram amplexus sententiam subdit, *licèt oppositum in praxi omninò sequendum sit, si authenticè constet de quadam declaratione Sacr. Congregat. in contrarium.*

Vtrùm verò dari possit Moniali licentia exeundi è monasterio in casu, quo ea laboret morbo ipsi soli nociuo, & tali, vt moraliter sit certum eum non posse sufficienter curari, nisi exeundo è monasterio (verbi gratia eundo ad balnea.)

33. Respond. quòd, quamuis Azorius, Nauarr. Graff. Zipæus, Bonac. & alij relati à Diana supra sustineant Moniali in tali casu posse concedi facultatem exeundi è monasterio; idque admittat etiam Diana *part.5. tract.3. resol.137.* & non improbabiliter, seclusa praxi, quæ viget in contrarium; absolutè tamen dicendum videtur in isto casu non debere, nec posse concedi Moniali, vt exeat è monasterio. ita Sanchez *num.39.* Barbosa *de offic. Episcop. alleg.101. num.20.* Gutierez *lib.1. canonic. qq. capit.14.* Zerola *part.1. praxis ver. Moniales, quæst.16.* aliique penes Dianam *vbi supra*; & probatur tum quia sententia Azorij; & illorum aliorum cedit in magnum detrimentum clausuræ statutæ in commune bonum Religionis, stante quòd morbi periculosi sunt frequentissimi, auiditásque Monialium exeundi è monasterio est maxima, sicque facilè attraherent Medicos ad iudicandum egressum vitando periculo mortis esse ipsis necessarium, & ita passim concederetur facultas egrediendi; tum quia in citato *cap. periculoso* (cuius obseruantia maximopere commendatur in Concilio Trid. *sess.25. de regul. cap.5.* & in Constitut. Pij V. sæpiùs relata) ob solam rationem communis boni Monialium permittebatur egressus, vt constat ex iis verbis, *nisi fortè tanto, & tali morbo euidenter earum aliquam laborare constaret, quòd non posset cum aliis absque graui periculo, seu scandalo commorari*: ergo casus respiciens solam Monialis vtilitatem priuatam non præbet causam sufficientem egrediendi; tum quia, esto Doctores iuxta inferiùs dicenda concedant quacunque dictione exceptiua adiecta non excludi casus similes, aut vrgentiores; fatentur tamen vniuersi excludi casus dissimiles, ac minùs vrgentes; quia alioqui dictio exceptiua esset inutilis: constat autem quòd præsens casus est valdè dissimilis, ac longè minùs vrgens, quam tres expressi in Constit. Pij V. vt facilè patebit consideranti.

Dissentit Suarez *num.9.* dicens se non posse discedere à pia sententia Nauarri sustinentis in casu proposito concedi posse Moniali licentiam exeundi è monasterio; probatque tum quia leges humanæ non obligant, ad sui obseruationem cum graui periculo mortis, nisi vbi honor fidei, aut Religionis, vel magna necessitas boni communis intercedit: nihil autem horum in præsenti interuenit, tum quia lex humana debet esse tolerabilis, adeóque non potest obligare cum graui periculo mortis, nisi ex causa proportionata qualis non est, nisi necessitas communis boni temporalis, aut spiritualis; tum quia id videtur satis apertè colligi ex quadam declaratione sacræ Congregat. quam idem Suarez *num.11.* refert his verbis: *Curandæ valetudinis causa ad balnea Monialem exire posse Sedes Apostolica concessit, dummodo tamen eat cum honesto comitatu personarum, quem Ordinarius dandum censuerit, atque tam eundo, quàm redeundo nullum ad locum extra viam rectam diuertat, neque diutiùs maneat apud ipsa balnea, quàm ad curandam infirmitatem necesse fuerit.* Verùm, quia praxis communiter est in contrarium, saltem in his nostris regionibus: non videtur recedendum à nostra sententia, esto opposita speculatiuè censeri possit probabilis; præsertim cùm dici possit præfatam declarationem sacræ Congregat. non fuisse generalem, sed potiùs fuisse dispensationem cum aliqua Moniali in particulari, ideóque non facere ius; maximè cum non constet eam fuisse authenticam: cum Suarez sentit Castr. Pal. *tract.16. D.4 part.9. num.15.* 34

QVÆRES VIII. An prædicti tres casus excepti in citata Constitutione Pij V. possint extendi ad alios similes, aut etiam vrgentiores.

Respond. posse; & probatur tum quia dictio 35.

taxatiua

taxatiua non excludit casus similes, & quibus militat eamdem ratio, aut vrgentior; sicut ex multis ostendit Euerard. *in suis topicis legalibus loco à natura dictionum taxatiuarum, num.* 4. colligitur ex variis iuribus, quæ adducit Sanchez *num.* 37. tum quia Clem. VIII. in sua Constit. *Religiosa Congregationes*, ad puritatem paupertatis magis conseruandam prohibuit munera à Religiosis dari, præterquam in casibus ibi exceptis: & tamen Sanchez supra cum Sousa putat præfatos casus extendi ad similes, in quibus militat eadem, vel maior ratio; tum quia in nouella Constit. Iustiniani, *collat.* 4. *sub. tit. de nuptiis*, §. *sed etsi quis*, dicitur solis Clericis promoti ad Ordines minores lectoris, & cantoris integrum esse vxorem ducere: & nihilominus id etiam licitum est iis, qui initiati sunt aliis duobus ordinibus minoribus; quinam autem sint casus, qui extendi possunt ad eos, qui recensentur in motu proprio Pij V. constabit ex quæstionibus inferiùs proponendis, ac soluendis.

QVÆRES IX. An occurrente aliquo casu, in quo iuxta dicta licitus est egressus Monialium è monasterio, ex propria auctoritate possint egredi, vel certè requiratur legitima licentia Superioris.

36. Respond. requiri licentiam Superioris; idque non solùm ex decreto Concilij Trident. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 5. vbi dicitur: *Nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire à monasterio, etiam ad breue tempus, quocumque praetextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda*: sed etiam ex Constitut. Pij V. *superius citata*, quæ incipit, *Decori*, & sic habet; *quæ tamen infirmitas prater alios Ordinum Superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & exprefsè in scriptis approbata fuit*, est communis DD. inter quos Portel. *supr. num.* 20. benè, aduertit, quòd, quamuis in casibus allegatis à Pio V. expectanda est licentia ad egrediendum, si Superior adsit; secùs est, si Superior absit, & periculum sit in mora, aut eam iniustè deneget, & certò constet de iniustitia.

At, dices, cuius Superioris licentia requiritur, vt Monialis in aliquo dictorũ casuum licitè egrediatur?

37. Resp. in monasteriis quidem subiectis Episcopo requiri, & sufficere licentiam solius Episcopi, aut Ordinarij loci: cum ipse respectu illorum sit, & Episcopus, & Prælatus Religionis; in monasteriis verò exemptis præter licentiam Episcopi, seu Ordinarij loci requiri etiam licentiam Prælati regularis proprij, Prouincialis scilicet, aut Generalis iuxta vniuscuiusque Ordinis Institutum, patet tum ex Concilio Tridentino loco citato, quod, quamuis non requirat expresse licentiam Prælati regularis respectu monasteriorum exemptorum, illam tamen non excludit, sed potius supponit, vt iure communi necessariam; vtpote semper loquens secundùm ius, quando illud non immutat; tum ex Constitutione Pij V. §. præcedenti allegata, in qua id totum satis expressè deciditur. ita Suarez *supra num.* 13. Barbosa *numer.* 28. Sanchez *supra numer.* 24. *& seqq.* aliique apud ipsos; qui rectè monent non immeritò Pium V. *in citata Constitutione*, dicere, *per Episcopum, seu alium loci Ordinarium*, vt innuat huiusmodi licentiam posse concedi non solùm ab Episcopo propriè dicto, qui scilicet habeat vltra iurisdictionem Episcopalem, etiam potestatem Ordinis Episcopalis, sed etiam à quocunque habente iurisdictionem Episcopalem; qualis est Vicarius generalis Episcopi, immò & Vicarius generalis Capituli, sede vacante; qui vtique veniunt nomine Ordinarij loci, vt in specie adnotauit Barbos. *vbi sup.* ex Llamas, & Sanch. reiiciens, quod ait Rodriquez *supr. art.* 6. Monialem scilicet exemptam in adductis casibus posse absque vllo scrupulo recedere è monasterio cum sola licentia Prælati regularis, Generalis, aut Prouincialis, & non requiri vllam approbationem Episcopi sæcularis; stante quòd Prælatus regularis est etiam ipse Ordinarius talis monasterij, sicque de illo possunt intelligi allegata verba Pij V. *per Episc. siue alium loci Ordinarium*; cùm tamen secundùm communem loquendi modum Prælatus regularis nunquam dicatur loci Ordinarius, esto sit Ordinarius proprij monasterij.

Quòd si quæras, an licentia egrediendi è monasterio in casibus permissis concedenda Monialibus, debeat esse specialis, ac expressa: idque, ita vt aliàs licentia sit eo ipsò irrita, ac nulla.

Respond. attenta Constitutione Pij V. debere esse, & specialem, & expressam; cùm id ibi satis apertè explicetur iis verbis, *& exprefsè in scriptis approbata fit* (idest causa egrediendi è monasterio) hoc enim ipso quòd talis causa debet expressè approbari ad dandam dictam licentiam, licentia non potest non esse specialis; vtpote data hic, & nunc in casu particulari, & quidem in scriptis, cùm id diseriis verbis exprimatur, quæ doctrina procedit tum in causis exitus expressis in dicta Constit. Pij V. tum in aliis quibuscunque; vt notanit Sanch. *sup. num.* 29. 38.

An autem, vt talis licentia sit valida, debeat necessariò esse in scriptis, ita vt non valeat, si concedatur verbotenus.

Respond. videri probabilius, quòd necessariò debeat esse in scriptis, etiam quoad forum conscientiæ. ita Bonac. *quæst.* 1. *de claus. p.* 8. *num.* 5. & Tambur. *supra quæst.* 6. *num.* 1. ex Sanchez, Miranda, ac Victorello, aliique communiter; & probatur tum quia id satis claré significatur in citata Bulla Pij V. iis verbis, *aliter autem, quàm, vt præfertur, egredientes excommunicationis maioris lata sententia vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subiacere*, &c. tum quia, vbi lege, contractus requirit scripturam, ea deficiente, irritus est contractus, *l. contractus* 16. *C. de fide instrum.* ergo & idem dicendum est in casu nostro: tum quia iure cautum est, vt talis licentia detur in scriptis, non solùm vt possit exhiberi, si petatur, sed vt maturiùs, ac rariùs concedatur (quæ enim scripto tradi debent, maturiori consilio solent examinari, & rariùs concedi) non ergo solemnitas scripturæ censeri debet leuis, sed valdè substantialis. Oppositum tamen sentiunt Homobonus, & Bellocenus quos refert, & non reiicit Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 129. ex Innocentio, Abbat. & Felino docentes quòd, quamuis licentia ad ingrediendum septa monasterij Monialium ex decreto Concilij Tridentini in scriptis obtenta requiratur: id intelligitur quoad forum exterius: nam in interiori foro animæ, in quo attenditur veritas, sufficit, quòd interueniat consensus iure naturali requisitus, qualis est etiam, qui oretenus conceditur; est autem eadem ratio de licentia requisita ad licitum egressum Monialium è monasterio, vt patet. 39.

QVÆRES X. An, occurrente causa legitima egrediendi è monasterio, possit Monialis exire absque licentia Superioris, si proposita causa egressus petat licentiam, & non obtineat.

Resp. quòd, cùm ad licitum egressum Monialis requirantur approbatio causæ, & licentia exeundi: & hæ possint separari, quatenus potest ad aliquem pertinere approbatio causæ (quæ consistit in iudicio de sufficientia illius, absque eo quòd possit dare 40.

dare licentiam : fi quidem Monialis fit exempta, & Epifcopus nolit approbare caufam ab ea propofitam ad eaeundum ; Prælatus verò regularis proprius eam approbet, ac det licentiam eaeundi, conftito euidenter de iniuftitia Epifcopi : videtur Monialis poffe eaire, cùm fic ratio Religionis propriè illam non obliget, & aliàs lex pofitiua in tali cafu videatur non obligare : quippequæ re vera impletur, efto defit exterior folemnitas (quamuis fortè in foro externo aliud præfumeretur.) Si verò è contra Epifcopus approbet caufam, & Prælatus regularis tenuat dare licentiam : tunc, moraliter loquendo, non debet Monialis exire ; cùm fic obftet & Conftitutio Pij V. & intrinfeca obligatio Religiofæ obedientiæ, & prætereà tunc via poffit vitari graue fcandalum, & periculum apoftafiæ, vel certè fpecies cum infamia Religionis. Quod fi Monialis egreffura è monafterio fit fubiecta Epifcopo ; tunc, fi ipfe non approbet caufam egrediendi propofitam, adeòque etiam neget licentiam eaeundi, nullo modo poteft Monialis eaire : cùm ea vna parte obftet difpofitio Concilij Tridentini, ac Pij V. Conftitutio, & ex alia per modum defenfionis, aut iuftæ excufationis id fieri nequeat fine magno fcandalo, & in cafu potiùs ficto, quàm morali. ita Suarez *fupr. cap. 9. num. 16.* monens iuxta difpofitionem Concilij Tridentini & Conftitutionem Pij V. approbationem caufæ eaeundi quoad monafteria exempta pertinere ad Epifcopum, & fic Concilium nihil aliud diaiffe, nifi, caufam ab Epifcopo approbandam : licentiam autem proprij Superioris effe neceffariam ex vi Religiofi ftatus.

QVÆRES XI. An Monialis tuta confcientia eaire poffit è monafterio, fi ei à legitimo Superiore detur licentia exeundi fine iufta caufa.

41. Refpond. non poffe, fi ei conftet in confcientia iuftam cafam egrediendi non fubeffe, & licentiam fuiffe conceffam ex fauore, vel alia ratione iniqua. ita Suarez *num. 14.* & probat, quia talis licentia re ipfa eft nulla, & id non latet Monialem ; fiquidem Pius V. in fua illa Conftitut. dicit : *Aliter autem, quàm vt præfertur, egredientes :* prædictum autem fuerat, vt Moniales fine legitima caufa, & probata non exeant.

42. Concedo tamen, quòd fi Papa fine iufta caufa daret huiufmodi licentiam, poffet Monialis exire abfque eo quòd incurreret pœnas latas contra violantes claufuram: immò ne venialiter quidem peccaret iuxta plures Doctores fuftinentes vtentem difpenfatione valida data à Superiore fina caufa non peccare, nec venialiter, vt mox videbimus : efto Papa taliter difpenfans peccaret faltem venialiter, vt tradunt plures DD. penes Sanchez *lib. 8. de matrim. D. 18. num. 6.* ratio refponfionis eft, quòd, cùm obligatio claufuræ fit de iure humano (vt iam probauimus) poteft Papa in ea validè difpenfare, etiam fine caufa, vt innumeris Doctoribus citatis eruditè probat Sanchez *difput. modo citata num. 3.* contra plurimos alios ab eodem relatos *num. 2.* quorum opinionem dicit Caftrus Paulaus *tract. 3. D. 6. part. 8. §. 1. num. 2.* non poffe defendi vt probabilem ; alioqui fuftinens *num. 8.* ea communi Canoniftarum probabile effe, vtentem difpenfatione valida, fed illicita, vtpote data fine caufa, non peccare, nec venialiter: quod tamen negant plures alij Doctores ; aliqui quidem fuftinentes in tali cafu peccari mortal. alij verò folùm venialiter ; quòd putat Sanchez *num. 7.* effe probabilius.

43. Vnum hic obiter moneo ex Suarez *fupr. num. 13.* in præfenti materia diftingui facultatem, feu licentiam exeundi è monafterio à difpenfatione ; quòd, cum prohibitio non exeundi fit prohibitio non eaeundi fine legitima facultate ; conceffio talis facultatis non eft difpenfatio in lege claufuræ, fed potiùs eft pars materiæ ipfius legis ; difpenfatio autem propriè tunc contingit, quando præfata facultas datur fine iufta cafa ; quod eft bene notandum.

QVÆRES XII. An, & quando Monialis ex vrgenti neceffitate exiens è monafterio fine licentia, teneatur poftea id fignificare Superiori, cuius intererat approbare caufam eaitus, & dare facultatem eaeundi.

Refpond. teneri, fi poteft, quamdiu degit eatra monafterium. ita Bonac. *fup. part. 8. num. 6.* ex Sanch. & Zecchio, quos fequitur Tambur. *fupr. quæft 5. num. 4.* & patet, quia cognitio caufæ eaitus è monafterio fpectat ad Superiorem, fierique poteft, vt caufa, quæ Monialibus videbatur legitima, non approbetur à Superiore, & confequenter Monialis teneatur redire ad monafterium ; hoc autem præftari nequit, nifi Monialis modo dicto fignificet caufam fui egreffus. 44.
Secùs, fi, ceffante caufa egreffus, Monialis iam rediit ad monafterium ; tunc quippe non eft opus, vt manifeftet Superiori caufam fui exitus, cum fic ceffet finis talis manifeftationis, Moniali non ampliùs indigente Superioris approbatione, ac facultate. Addit autem Sanchez *fupr. capit. 15. num. 70.* contra Zecchium Monialem in priori cafu non fignificantem Superiori caufam fui eaitus non incurrere pœnas latas contra Moniales indebitè eaeuntes; probatque ea eo quod tales pœnæ funt latæ contra Moniales iniuftè egredientes : tales verò non funt Moniales in præfenti cafu egrediētes; cum talis cafus per epicheiam cenfeatur exceptus ratione neceffitatis carentis lege.

QVÆRES XIII. An Moniales habeant iuftam caufam eaeundi in cafu belli imminentis, aut inundationis, aut ruinæ totius monafterij.

Refpond. habere. ita Suarez *fupr. capit. 9. num. 4.* Tamburin. *de iure Abbatiff. D. 20. quæft. 2. num. 2. & 3.* aliique apud ipfum ; inter quos Peyr. *tom. 2. de priuil. Conftitut. B. Pij V. num. 25.* ait fubeffe Monialibus iuftam caufam eaeudi imminente cafu belli ; fiue intentetur ab hæreticis, aliifve infidelibus, fiue à Catholicis : fiquidem in omnes milites regulariter cadit illud : *Nulla fides, pietafque viris, qui caftra fequuntur* ; & de militibus communiter verificatur quòd *iocus, & ludus funt in militia, domus diripere, familias fpoliare, virgines rapere, folidas vrbes, atque oppida incendere : hæc funt militum decora, profuiffe nemini, nocuiffe quampluribus, nullo refpectu, aut recordatione præfidentis mundo Dei.* Ratio autem refponfionis eft, quòd in iftis cafibus agitur de communi bono totius monafterij ; &, cùm habeant fimilitudinem magnam cum cafu incendij expreffi in motu proprio Pij V. cenfentur etiam ipfi per epicheiam, ac æquiparationem excepti : dummodò aliàs feruentur feruanda, prout diximus *quæft.* 8. 45.

QVÆRES XIV. An iufta fit egreffio Monialis ad hoc vt eligatur Abbatiffa alterius monafterij eiufdem fui Ordinis, ac habitus, vel magiftra Nouitiarum, vel Præfecta ianuæ, feu rotæ.

Refpond. effe, dummodò id fiat cum debita licentia. ita Miranda *fupr. art. 2.* Sanchez *num. 45.* Bonac. *part. 9. num. 10* Barbofa *de offic. Epifc. alleg. 102. num. 15.* aliique communiter : & probant, quia cafus eft fimilis exceptis in motu proprio Pij V. cum in eo agatur de bono communi totius Religionis, non autem particulari huius, aut illius Monialis ; ficque Concil. 46.

Concil. Trid. *sess.* 26. *cap.* 7. *de Regul.* cùm *cap.* 5. valdè commendasset clausuram, concedit exitum in casu, quo in proprio monasterio nõ reperiatur Monialis prædita dotibus requisitis ad munus Abbatissæ.

47. Dixi, *dummodò id fiat cum debita licentia*, vt ionuerem, quòd licet ad exitum Monialis in casu proposito non videatur peti coosensus Sedis Apostolicæ: id tamen fallit, attenta declaratiooe Congregationis Cardinalium allata à Suarez *num.* 5. quæ ita habet: *Monialis non potest transire de vno ad aliud monasterium, etiam de consensu Episcopi, sine licentia Sedis Apostolicæ, etsi translatio fiat ad aliud eiusdem Ordinis.* quam declarationem inquit Suarez seruandam esse, quotiescunque causa motationis talis noo fuerit, quæ vel in iure sit expressa specialiter (sicut expressum est de officio Abbatissæ, & quod proinde non requiretur coosensus Sedis Apostolicæ: cum Concilium Trident. statuendo in necessitate posse eligi Abbatissam ex alio monasterio eiusdem Ordinis simul censeatur dare licentiam exeundi iuxta illud: *Concedens vnum, etiam approbat necessarium medium ad illud*;) vel certè oisi per æquiparatioonem rationis causa egressus reducatur ad causas à Pio V. enumeratas io sua bulla; cuiusmodi esset causa transferendi Monialem aliò ob prauos mores: nam talis causa iure comparatur morbo contagioso, aut scandalo communi, pro quo euitando etiam Bonifacius VIII. egressum cooceslit. hæc Suarez, & bene, nisi aliter ferat consuetudo & præsens stylus Curiæ, quibus omnino standum est; quod etiam aduertit Bunacina generaliter dicens in similibus casibus tutius esse consulere Sedem Apostolicam, nisi sit periculum in mora.

48. Notant tamen Suarez *n.* 46. Miranda *supr.* Tambur. *num.* 8. Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 49. *art.* 4. & alij Monialem in casu proposito translatam ad aliud monasterium, expletosuo munere, ac officio, posse de vtriusque monasterij consensu redire ad proprium monasterium; quantumuis socia ipsi adiuncta in translatione renuat redire: sicut & è contra, renuente Moniali principali, posset reuerti etiam socia.

Quæres XV. An, & quo modo exire possit Monialis ad fundandum nouum monasterium, aut etiam ad aliud reformandum iam fundatum.

49. Respond. posse, modò id fiat de consensu Sedis Apostolicæ; idque ex decreto sacræ Congreg. quæ, teste Zerola *part.* 2. *praxis v. Monialis*, *d.* 8. & 12. decidit non licere hunc exitum causa reformationis, aut nouæ fundationis, aut correctionis, sed in his omnibus casibus Sedem Apostolicam esse consulendam. ita Nauarr. *lib.* 3. *consil. de Regul. consil.* 48. *num.* 7. Rodriquez *supr.* Sanchez *num.* 47. Tambur. *num.* 7. & alij apud ipsos; patètque quia isti casus sunt similes iis, qui excipiuntur in Bulla Pij V. vtpote spectantes ad bonum commune illius Religionis: constat autem ex dictis *q.* 8. sub casibus expressis à Pio V. comprehendi etiam alios similes, aut vrgentiores.

Quæres XVI. An casu, quo totum aliquod monasterium Monialium transferri debeat in aliud monasterium de nouo constructum, talis translatio fieri possit, inconsulta Sede Apostolica.

50. Respond. posse, nisi fortè vsus obstet, de quo mihi noo constat. Colligitur tum ex Guttierez *l.* 1. *pract. qq. cap.* 14. qui docet Episcopum posse dare Monialibus licentiam exeundi ex quacumque causa rationabili, ob quam Monialis authoritate ac præcepto Prælatorum muretur ab vno monasterio, vt in alio inhabiter; idque non solùm qoia occurrat iusta causa; sed quòd talis exitus non est is, quem iura prohibent, vtpote ordinatus, non ad manendum extra monasterium, sed ad aliud inhabitandum; cùm tamen iura loquantur de exitu oon necessario, & ad manendum in sæculo pro aliquo tempore: tum ex Barbosa *supr. num.* 27. dicente manifestè iustam extare causam egrediendi, qoando ex iusta causa totus Monialium Conuentus locum mutat iuxta dispositionem Concilij Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 5. præcipientis monasteria Monialium constructa extra vrbes, & oppida transferri ad alia monasteria existentia intra vrbes, & oppida: cùm alioqui sit par ratio in præsenti casu, vt patet: tum ex quadam declaratione sacræ Congteg. edita 17. Iulij 1615. quam refert idem Barbosa *in collectan. v. Monialium translatio*, his verbis: *Moniales transferri non possunt in monasteria nouiter erecta, nisi eadem monasteria authoritate Apostolica extructa fuisse prius constiterit: ipsaque prauia visitatione, earumdem Monialium capacia: eisque accommodata, atque ita absoluta reperta fuerint, vt cæmentarius, aliusue fabris nulla ædificationis causa in ipsa postea ingrediendi necessitas relinquatur.* Vbi noto, quòd, cùm auctoritas Sedis Apostolicæ solùm requiratur ad construenda noua Monialium monasteria; hoc ipso quòd ea interuenit in eorum constructione, ea non videtur necessaria ad faciendam postea Monialium translatiooem; cùm in tali euentu ea expressè hîc non requiratur, & aliàs procedat regula iuris, *Qui concedit vnum, concedit, & medium necessarium ad illud*: cuiusmodi est traoslatio Monialium ad inhabitandum monasterium de nouo constructum auctoritate Apostolica.

Cæterùm in casu, quo facienda est talis translatio, fieri debet in aurora: & quidem ita, vt moniales conspici possint à paucis, & associentur à personis grauioribus honestis, ac consanguineis proximioribus: idque ex decreto sacræ Congreg. adducto à Barbosa vbi supra. 51.

Quæres XVII. An, & quomodo Monialis possit dimitti è proprio monasterio ad hoc vt in alio monasterio meliùs corrigatur, aut puniatur.

Respond. posse eo modò, quo diximus *c.* 3. *sect.* 5. *quæst.* 14. 52.

Quæres XVIII. An, & quo modo, non obstante obligatione clausuræ, possint Moniales dimitti è monasterio ratione incorrigibilitatis.

Respond. non posse dimitti, nisi eo modò, quo diximus *supr. cap.* 3. *sect.* 1. *quæst.* 13. vbi latè egimus de hac re. 53.

Quæras XIX. An Moniales, etiam stante lege clausuræ, possint à proprio monasterio transire ad Ordioem arctiorem.

Respond. posse, eo tamen modo, quo ostendimus *supr. citata sect.* 1. *quæst.* 12. Addo hîc solùm Monialem in tali casu teneri facere nouom nouitiatum, & nouam professionem: de nouitiatu patet, quia annus probationis institutus est ad effectum vt Religio probet Nouitium, & Nouitius Religionem, *cap. ad apostolicam, de regular.* in nostro autem casu neutrer probauit alterum, sicque peragendus est nouus Nouitiatus iuxta Concilium Trid. *sess.* 25. *cap.* 16. *de regul.* non distinguens inter ingredieotes Religiooem à sæculo, & eos, qui ingrediuntur ab alia Religione. De professione verò probatur quia Monialis transiens ad alium Ordinem debet in eo se obligare: hoc autem fit per professiouem; quæ est contractus quidam reciprocus, per quem profitens se obligat Religiooi, & Religio profitenti, prout, Deo dante, fusius ostendimus *in tract. de Nouitiatu*. 54.

Quæres XX. An Monialis ex legitima facultate exiens è suo monasterio (v. g. ad fundandum aliquod monasterium) violet legem clausuræ

ſi ea occaſione aliò diuertat cauſa inuiſendi aliquam cognatam, aut viſitandi deuotam aliquã imaginem.

55. Reſpond. quòd, cùm præceptum clauſuræ debeat moraliter intelligi, non ita rigoroſè obligat Monialem, vt in propoſito caſu non poſſit aliquantulum diuertere à recto itinere, aut peracto negotio, ad quod conceditur exitus, immorari extra monaſterium pro aliquo breui tempore; idque, etſi deuiet à recta via 8. aut 9. leucis (quòd in ſpecie notat Sanch. *ſupr. cap. 15. num. 61.*) ſic *Bonac. ſupr. p. 9. num. 21.* monens ex eodem Sanch. per tempus breue poſſe intelligi ſpatium vnius, aut duplicis diei, Nald. *v. clauſura num. 5.* Miranda *ſupr. q. 2. art. 20.* Barboſa *de offic. Epiſc. alleg. 102. num. 58.* Sorbus *in comp. v. ingredi monaſt. monial.* §. 34. aliique; & patet tum ex ratione adducta ſub initium reſponſionis; tum quia illa deuiatio, ſeu mora morali modo non videntur cedere in fraudem clauſuræ; tum quia quod dicitur in Motu proprio Pij V. *ſed nec in prædictis caſibus extra illa monaſteria, niſi ad neceſſarium tempus, ſtare licet*, non eſt interpretandum ſecundum regulas metaphyſicas, ſed morali modo, vt iam dixi: ſicque ſolùm indicat, ſecluſa paruitate materiæ, Monialem legitimè egreſſam teneri ſub peccato mort. redire, abſoluto negotio, ad quod conceſſus eſt exitus, & non poſſe diutius commorari extra clauſuram vltra tempus re vera neceſſarium; quod citati Doctores non negant, cùm Monialem excuſent à peccato mort. in præſenti caſu ſolum ex paruitate materiæ: quæ maximè debet admitti in præceptis Eccleſiæ, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue; nobiſcum ſentit Caſtr. Pal. *tract. 16. D. 4. p. 9. num. 19.* ex Rodriq. *tom. 1. q. 47. art. 11.*

56. Quin etiam notat Sanch. *num. 70.* quòd, ſi Monialis legitimè egreſſa è monaſterio ita diuertat à recta via, ad quam tendit, aut vltra tempus neceſſarium immoretur tam diuturno tempore, vt iudicio prudentis cenſeatur peccare mortaliter, non ideo incurrit pœnas latas contra Moniales violantes clauſuram: quippe quæ non generaliter latæ ſunt contra violantes clauſuram, ſed ſtrictè contra Moniales illicitè egredientes: ſicque non debent extendi ad illas, quæ licitè egreſſæ ſunt (id eſt cum legitima licentia) ſed poſt egreſſum illicitè diuertunt aliò, aut diutiùs morantur extra monaſterium, quàm ferat neceſſitas: nam pœnæ non debent ampliari, ſed reſtringi, vt patet; diſſentit Caſtrus Pal. *tract. 16. D. 4. p. 9. num. 21.*

Vnde inferri poteſt, & benè, Moniales conuerſas deputatas ad quærendas eleemoſynas pro monaſterio non peccare contra clauſuram, ſi occaſione quæſtuationis inuiſant ſuos conſanguineos, & amicos: ſiquidem eæ non ſubijciuntur obligationi clauſuræ, vt conſtat ex dictis *hîc num. 15.* quamquam poſſit contingere illas aliunde peccare, ſi præfata viſitatio conſanguineorum, aut alia ſimilis diuerſio ipſis ſub mortali ſit aliunde prohibita; v. g. ex conſtitutionibus, aut præcepto Superioris.

57 *Violat clauſuram Monialis tranſiens ad aliud monaſterium contiguum; duplex peccatum facit, & duplicem cenſuram incurrit.*

58 *Item, ſi fugiat è carcere, cui perpetuò iuſtè dãnata eſt.*

59 *Licitè tamen ea fugeret ad vitandam mortem, aut mutilationem.*

60 *Item ad cauendã mortem ſibi intentatã ab inuaſore.*

61 *Item ad edendum fœtum illicitè conceptum, ſicque conſulendum ſuæ famæ.*

62 *Licitè egreditur in aliquo caſu ad vocandum Medicum, aut Confeſſarium.*

63 *Item ad præſtandum iuramentum fidelitatis debitum ex feudo Conuentus.*

64 *Non item, vt grauiter vexata ab Abbatiſſa adeat Prælatum.*

65 *Non vt ſubueniat graui indigentiæ parentum.*

66 *Non vt ſubueniat nepotibus.*

67 *Licitè egreditur, ſi ſint energumenæ, vt exorcizetur.*

68 *Item ad reclamandum coram Ordinario contra nullitatem profeſſionis.*

69 *Violat clauſuram exiens ad ſpatium, quod interiacet inter oſtium clauſuræ, & ianuam patentem ſæcularibus.*

70 *Non item, ſi loco impulſa tranſgrediatur oſtium clauſuræ.*

71 *Violat, ſi in limine oſtij clauſuræ ludat ludo nauis.*

72 *Secùs, ſi ponens ſe in rota eam voluat ad partem patentem ſæcularibus.*

73 *Non violat, ſi toto corpore conſiſtat in liminari oſtij clauſuræ.*

74 *Neque, ſi aſcendat ſupra tectum Conuentus, & conſiſtat inera partem reſpicientem ipſum conuentum, aut Eccleſiam interiorem.*

75 *Violat, ſi à tecto Conuentus prætergrediatur ad tectum porticus exterius annexa ipſi Conuentui factæ præcisè in commodum externorum.*

76 *Non item, ſi inſideat muro conuentus virili more quaſi equitans.*

77 *Violat, ſi è feneſtra toto corpore ſe ſuſpendat viam publicam verſus.*

78 *Item, ſi conſiſtat ſuper ramo arboris ſita intra clauſuram omnino prominente extra illam.*

79 *Non item, ſi magica arte, feratur per aërem intra ambitum clauſuræ; cum limitatione tamen: indicatur, quæ eleuatio ſufficiat ad violationem Clauſuræ.*

80 *Violat, ſi præuidens ſe in ſomnis egreſſuram, id non impediat.*

81 *Item, ſi aſcendens equum ferociorem vi feratur extra clauſuram, hoc præuiſo.*

82 *Secùs, ſi legitimè degens in domo priuata extra eam liberè exeat.*

83 *Limita, niſi iuſſu Superioris ibi degat cum obligatione clauſuræ.*

84 *Non violat, ſi licentiata ad egreſſum exeat etiam ad malum finem.*

QVÆRAS XXI. An Monialis cenſeatur violare clauſuram, ſi recedat è proprio monaſterio in aliud monaſterium Monialium immediate contiguum, ſiue eiuſdem ſui Ordinis, ſiue alterius; idque gratia recreationis, &c.

Reſpond. violare; & probatur ex eo quòd Monialis non tenetur ad clauſuram in communi, ſed ad clauſuram proprij monaſterij; ſicque, eſto in caſu propoſito tranſeat de clauſura ad clauſuram, ita vt non poſſit verè dici, quòd in tali tranſitu vllo tempore ſit extra clauſuram; hoc ipſo tamen quòd totaliter recedit à proprio monaſterio (intra cuius ambitum continetur eius clauſura) eò ipſo violat clauſuram, concurrit pœnas latas contra Moniales violantes clauſuram; quæ ratio vtique probat intentum, ſiue monaſterium, in quod Monialis ingreditur, ſit eiſdem ſui Ordinis, ſiue alterius: cum Monialis eodem modo non teneatur ad clauſuram in communi ſui Ordinis, ſed ad illam, quæ eſt propria ſui monaſterij, in quo eſt profeſſa. ſic reſpondi in facti contingentia: nec obſtat quod docet Sanchez *ſup. cap. 16. num. 10. v. ſecundus caſus*; nam ibi non ſupponitur violatio clauſuræ ex parte termini à quo, ſicut ſupponitur in caſu, qui hîc controuertitur. 57.

Addo

Addo quòd, cùm Moniali prohibeatur non solùm egressus è propria clausura, sed etiam ingressus in alienam, & hæ prohibitiones sint duæ numero diversæ: Monialis in casu proposito duo peccata committet in confessione necessariò exprimenda, duplicemque incurret excommunicationem iuxta doctrinam Bonacinæ *D. 1. de censur. in comm. quæst. 1. part. 5. num. 2.* tot scilicet incurri censuras, quot sunt moraliter, & formaliter actus commissi contrà præceptum Sic ego respondi, & responsioni postea subscripserunt Pollacchus, Baldell. *Steph. à S. Greg.* aliique viri docti à me consulti; à quibus dissensit Bordonus item à me consultus, putans in isto casu vnicam incurri excommunicationem: eo quòd bulla Pij V. præcisè afficiat excommunicatione Moniales illicitè egredientes, nulla mentione facta alterius loci, ad quem contingat accessus; & aliàs, regulariter loquendo, Moniales egredi non soleant ad ingrediendum aliud monasterium, sed ad liberè vagandum: vt proinde non fuerit opus sub lege clausuræ comprehendere casum hunc adeò extraordinarium; cùm lex ad ea, quæ rarò accidunt, non aptetur, *l. nam ad ea, ff. de legibus.* sic Bordonus alioqui concedens Monialem, si ingrediatur conuentum virorum Religiosorum, subiacere excommunicationi latæ contra mulieres ingredientes claustra Regularium ex Pij V. bulla, quæ incipit *Regul. personar.* iuncta eiusdem alia Constitut. *Decet Romanum*, idque, etsi ius interdicens fœminis ingressum in claustra Regulat. vtatur verbo, *mulieres*; cuius significatio videtur restringi ad fæminas laicas: Monialis enim verè est mulier, & est exposita periculis non minùs, quàm quælibet fœmina sæcularis.

Qværes XXII. An Monialis violet clausuram, adeoque subiiciatur pœnis latis contra violantes clausuram, si damnata in pœnam delicti commissi ad perpetuum carcerem intra proprium Monasterium, ab eo occultè recedat.

58. Respond. violare; & probatur à fortiori ex eo, quod docent Nauar *comm. 4 de Regul. num. 64.* Rodriquez *tom. 2. quæst. 22. art 6.* Sanch. *supr. cap. 8. num. 13.* & alij, virum scilicet religiosum condemnatum perpetuo carceri non posse licitè fugere; cùm frequentissima, & longè probabilior sententia Doctorum habeat nulli perpetuis carceribus damnato licitum esse fugere, nedum Religioso, qui aliàs non potest exire è monasterio absque Superioris licentia, lege clausuræ ipsum ad id astringente, vt ostendimus alibi: cùm tamen lex clausuræ strictiùs obliget Moniales, quàm viros Religiosos, vt patet.

Verùm tamen est, quòd, sicut citati Doctores apud Sanch. *n. 14.* concedunt virum Religiosum perpetuo carceri condemnatum à Superiore posse inde fugere, si aut iniusta sit condemnatio, aut iniustus sit modus illam exequendi (vt si custos carceris ei iniustè deneget cibum, vestitum, aut ignem ad vitæ sustentationem necessariam:) idem proportionaliter concedendum videtur etiam de Moniali damnata perpetuo carceri; illam videlicet posse fugere: si constet vel sententiam esse iniustam, vel iniustum modum illam exequendi: nemo enim tenetur parere huiusmodi sententiæ; nec lex clausuræ censenda est obligare in talibus circumstantiis.

Dubium grauius est, an Monialis possit licitè fugere, si iustè ipsi imponenda sit pœna mortis, aut mutilationis.

59. Respond. videri posse; & probatur, quia ius fugiendi vnicuique competens iure naturali ad conseruandam propriam vitam, nullo Religiosorum voto abdicatur, ideòque, sicut posset vir sæcularis in tali casu fugere, (vt docent Lessius *l. 2. c. 31. num. 33.* & alij cum S. Tho. *2. 2. q. 69. a. 4.*) ita & poterit Religiosus; quòd si id conceditur viro Religioso, debet concedi & Monialibus: cum ipsæ non possint dici arctiùs teneri non fugere, nisi ratione clausuræ, quæ tamen non obligat cum tanto vitæ periculo, vt ostendimus *q. 7. §. dissentit.* ita viri docti à me consulti contra Caietanum, Valentiam, & Sayrum; qui sicut censent virum Religiosum non posse fugere in præsenti casu, consequenter, & quidem à fortiori, id asserent de Monialibus.

Qværes XXIII. An Monialis licitè possit egredi è proprio monasterio, si ibi inuasa ab hoste non possit vitare mortem, nisi inde fugiendo.

Respond. posse; & probatur tum ex ratione allata *quæst. præced.* tum quia, estò concedamus non posse dari facultatem exeundi, quantumuis Medici iudicent iuxta regulas medicinæ id esse simpliciter necessarium ad conseruandam vitam Monialis ægrotantis (qua de re diximus *quæst. 7.*) id tamen non procedit in præsenti casu, quo periculum mortis violentæ est certissimum, & prouenit à principio extrinseco: cùm è contra periculum mortis proueniens ex morbo intrinseco non vitetur egressu, sed Monialem ipsam comitetur; præterquamquòd Monialis in præsenti casu duplicem habet causam egrediendi, nimirum vt impediat peccatum aggressoris ipsi mortem inferentis, & vt vitam propriam tueatur: quarum causarum solùm ista posterior subest in ægritudine naturali, sic Tambur. *sup. D. 20. quæst. 3. n. 2.* & ante illum Sanch. *supr. D. 15. num. 39.* 60.

Qværes XXIV. An peccet contra præceptum clausuræ Monialis, quæ ex illicita copula gerens vterum occultè exit è monasterio ad fœtum edendum, vt sic consultat propriæ famæ, ac bonæ existimationi status Religiosi.

Respond Tambut. *supr. D. 19. quæst. 4. §. ad 12.* ex Victorello Monialem in tali casu incurrere excommunicationem, & consequenter peccare, nisi egrediatur ad vitandum periculum vitæ imminens ex veneno, aut vulnere, & alioqui ante egressum non possit priùs consulere Superiorem: probatque quia lex humana clausuræ non potest tollere ius naturale seruandi vitam. At mihi non placet ista responsio: immo puto Monialem in isto casu posse modo dicto recedere à monasterio ad consulendum famæ tum propriæ, tum monasterij, ac Ordinis: idque ob rationem adductam ab ipso Tambur. nimirum quòd lex humana clausuræ non possit auferre ius naturale, quod habet Monialis conseruandi propriam famam, quæ sine dubio in præsenti euentu grauissimè periclitatur, nititur autem ista ratio doctrina illa, quam teste Laym. *l. 1. tr. 4. c. 14. n. 4.* tradunt communiter DD. legem humanam, ordinariè non obligare cum periculo mortis, mutilationis, grauis infamiæ, aut bonorum magnæ iacturæ; qua de re *sup. q. 7.* 61.

Qværes XXV. An Monialis licitè posset exire ad vocandum Medicum, aut Confess. pro alia Moniali monasterij ex repentino morbo adducta ad extremum vitæ, si non possit alius reperiri, qui eos aduocet.

Respond. dato casu, videri posse, si probabilis sit spes ope Medici consultum iri præsenti necessitati Monialis infirmæ, vel probabiliter timeri possit illam esse in peccato mort. siue ex ipsius attestatione, siue aliunde. Moueor tum ex doctrina adducta *quæst. præcedenti* quæ vtique locum potest habere etiam in isto casu; tum ex alia doctrina, quam tradunt DD. communiter, nimirum quòd quando concurrunt duo præcepta ita incompossibilia, vt non possit eodem tempore impleri vtrumque, tunc præualet illud, quod procedit à virtute superiori; cùm ergo in præsentia 62.

concurrant præceptum charitatis de ſubueniendo neceſſitati Proximi grauiter indigentis, & præceptum Eccleſiæ de ſeruanda clauſura, quod prouenit ab obedientia: & ex alia parte virtus charitatis ſit ſuperior virtute obedientiæ: hoc ipſo quòd non poſſunt ſimul impleri illa duo præcepta, ſed vnum tantùm (vtpotè incompoſſibilia) debet præualere præceptum charitatis, poſthabito præcepto obedientiæ. Ita docti recentiores, & ſatis probabiliter ex hypotheſi quòd detur talis caſus; qui tamen in praxi vix poteſt contingere.

Qværes XXVI. An Monialis fungens officio Abbatiſſæ, quæ ratione feudi tenetur præſtare iuramentum fidelitatis Domino ſæculari, poſſit ad talem effectum exire de licentia Superioris, ſi, tali iuramento non præſtito, amittendum ſit feudum cum notabili damno monaſterij.

63. Reſpond. poſſe, modò exeat cum honeſta ſocietate, & præſtito iuramento, ſtatim reuertatur ad proprium monaſterium. patet reſponſio tum quia hîc agitur de bono communi Monialium, cùm fieri poſſit, vt neglecto illo iuramento monaſterium amittat illud feudum, eò quòd præfatum iuramentum fieri nequeat per procuratorem: Pius autem V. in ſua Conſtitutione indicens Monialibus clauſuram extra tres caſus ibi exceptos quemcumque egreſſum è monaſterio prohibuit, præterquam in caſibus, in quibus commune bonum Conuentus petat egreſſum; tum quia in ipſomet *cap. periculoſo* ſæpiùs allegato, §. *verum*, id expreſsè conceditur, nec fuit alicubi reuocatum: cùm Pius V. in ſuo Motu proprio, *Circa paſtoralis*, potiùs confirmauerit omnia contenta in dicto capite. Ita Sanchez *l.6. mor. cap.15. num.51.* Bonac. *ſup. p.9. num.9.* Tambur. *ſup. D.20 q.2. n.5.* & Barboſa *l.1. de iure Eccleſ. c.44. n.79.* qui benè notant Abbatiſſam teneri quidem in iſto caſu petere à Superiore licentiam exeundi; ſi tamen is eam iniuſtè deneget; & conſtet euidenter de iniuſtitia negationis, poſſe nihilominùs exire, eùm Superior teneatur dare talem licentiam, câque iniuſtè negata cenſeatur exire auctoritate ipſiuſmet iuris. Dixi, *& conſtet euidenter de iniuſtitia negationis*; quia in dubio, & vbi res non eſt certa, iudicium Superioris ſequendum eſt; quippe cuius eſt cauſas egreſſus diſcutere, & approbare. ſicut optimè aduertit Sanchez.

Qværes XXVII. An Monialis dici poſſit del nquere contra clauſuram, ſi grauiter vexata ab Abbatiſſa, & quidem iniuſtè, ſæpiùs accerſito Epiſcopo, aut Superiore, ſed fruſtra, tandem exeat è monaſterio ad effectum illos conueniendi, vt ipſis coram aperiat iniurias ſibi illatas, & ab iis opportunum obtineat remedium.

64. Reſpond. Monialem in tali caſu delinquere contra clauſuram, niſi fortè aliàs immineat graue periculum vitæ. Ita in terminis Tambur. *ſup. D.19. q.4. §. ad 8.* cum Victorello; & patet, quia talis caſus non concernit bonum commune totius monaſterij, nec eſt expreſſus in bulla Pij V. immò multum differt ab iis, qui ibi exprimuntur; ſicque non apparet, quo titulo reputari debeat ſufficiens ad legitimè exeundum è monaſterio.

Qværes XXVIII. An Monialis exire poſſit licitè ad ſubleuandam neceſſitatem ſuorum parentum grauiter indigentium.

65. Reſpond. non poſſe; & probatur tum ex ratione allata *q. præcedenti*; tum quia, eſtò demus viros Religioſos poſſe de licentia ſuorum Superiorum egredi è monaſterio ad ſubleuandam ſuorum parentum indigentiam: id tamen non videtur concedendum quoad Moniales, quippe quæ ſtrictiùs tenentur ad obſeruantiam clauſuræ, & ratione ſexus, ac ſtatus minùs opportunè poſſent conſulere neceſſitati ſuorum parentum, etiamſi ad talem effectum egrederentur; præterquamquod ex Monialium egreſſu plura, & grauiora timeri poſſunt inconuenientia, quàm ex egreſſu virorum: ad quæ vitanda nullo modo permitti debet Moniales exire è monaſterio, vt commodiùs ſuccurrere poſſint indigentiæ ſuorum parentum; excepto tamen caſu extremæ neceſſitatis illorum, in quo ſine dubio ex poſſent, & deberent exire, vt oſtendimus *in tract. de profeſſ. cap.2. q.22.*

Qværes XXIX. An Monialis habeat iuſtam cauſam exeundi, vt curam gerat ſuorum nepotum omnibus aliis propinquis deſtitutorum.

Reſpond. non habere, & patet ex dictis *q. præced.* 66.

Qværes XXX. An Monialis energumena licitè poſſit licentiari ad exeundum è monaſterio, vt poſſit extra illud exorcizari.

Reſpond. poſſe ex decreto Sacræ Congreg. Concilij, quod refert Barboſa *in collectan. v. Monialium clauſura circa egreſſum*, his verbis: *Monialis nulla energumena intra monaſterij ſepta à quocunque Presbytero ſæculari, vel regulari, etiam Confeſſario exorcizetur, ſed ad Eccleſiam exteriorem eiuſdem monaſterij, obtenta priùs à Sacra Congregatione licentia, ea de cauſa deducatur, vel transferatur e in tranſlatione autem huiuſmodi, ſicut & in actu exorcizationis honeſta perſona conſanguinea, vel aliæ mulieres prouectæ ætatis, ac probæ conuerſationis energumenam comitentur; exorciſta ſit ad actum huiuſmodi ab Ordinario approbatus: exorcizatio minori, quo poterit, fiat ſtrepitu; Eccleſia ianua eo vſque occluſa remaneat, quouſque exorcizatione completa ad monaſterium energumena reducatur. Cæterum tam in reditu, quàm in acceſſu ad Eccleſiam, & monaſterium reſpectiuè, rectà, & ſine diuerticulo tendatur.* 67.

Qværes XXXI. An caſu, quo dubitetur de validitate profeſſionis alicuius Monialis, ea poſſit exire, inconſulta Sede Apoſtolica, ad effectum vt audiatur ab Ordinario extra monaſterium, ſicque liberiùs poſſit in hoc procedere.

Reſpond. videri poſſe, & probatur tum ex declaratione Sacræ Congregationis quam Marzilla *ad ſeſſ.25. c.17. de Regul.* refert his verbis; *Si Monialis, aut Nouitia neget ſe eſſe profeſſam, Ordinarius audire poteſt illam extra monaſterium*; tum quia ſic de facto obſeruatur in praxi pro matrimonio carnali iuxta *c. cùm olim, de ſponſal.* cùm tamen id potiori ratione faciendum ſit in matrimonio ſpirituali, nempè in Religioſa profeſſione, quæ maiorem petit libertatem. Ita Nauar. *l.2. conſil. tit. de conſaſſis*, & cum eo Portel. *p.1. reſponſ. mor. caſu.9. num.9.* benè monens in tali caſu non requiri licentiam Sedis Apoſtolicæ ad exeundum: cùm prohibitio exeundi afficiat ſolùm Moniales, quæ verè ſunt profeſſæ, non autem illas, quarum profeſſio aut eſt nulla, aut valdè dubia; præterquam quod Monialis in tali caſu dicitur exire de licentia tacita Sedis Apoſtolicæ hoc ipſo quòd Congregatio Cardinalium nomine Papæ declarauit Monialem in iſto euentu poſſe interrogari extra monaſterium. 68.

Qværes XXXII. An Monialis violat clauſuram, ſi egrediatur ad ſpatium, quòd eſt inter ianuam monaſterij clauſam, & aliam ſæcularibus patentem; & quidem, dum hæc exteriùs eſt clauſa, ita vt à Monialibus ipſis aperiri nequeat.

Reſpond. violare, & conſtat ex Gregorij XIII. Bulla, quæ incipit, *Deo ſacris*, & ſic habet: *Nec videtur licere monialibus, & Tertiarijs egredi è ianua monaſterij, quæ eſt pro clauſura ipſius monaſterij, etiam ad claudendum* 69.

claudendum aliam vlteriorem ianuam, qua patere solet aditus sæcularibus venientibus, vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquiis destinata, quæ vulgo parlatoria appellantur, vel ad pulsandum ipsam ianuam clausuræ: quæ loca, cùm saltem pro causis præfatis patere soleant sæcularibus, extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt. Quanquam Bononiæ (& fortè etiam in aliqua alia diœcesi) Bulla Gregorij XIII. quoad hanc partem non sit in vsu, scientibus, & non contradicentibus Prælatis, sicque dici debet quoad hanc partem abrogata.

QVÆRES XXXIII. An violet clausuram Monialis, quæ existens in ostio aperto per iocum compellitur à socia extra illud.

70. Respond. Tambur. *de iure Abbatiss. D. 19. quæst. 4. §. ad* 10. non violare, dummodò Monialis eo modo compulsa perfectè non sit egressa; citatque pro sua sententia Portellum, & Naldum, addens idem dicendum etiam in casu, quo Monialis impulsu brachiorum, & per iocum inuita compellatur extra septa monasterij. Verùm, cum *sect. præced. quæst.* 11. *§. an autem*, diximus in violatione clausuræ admitti posse paruitatem materiæ: in præsenti casu excusanda videtur Monialis à peccato, saltem mort. tum ob leuitatem materiæ, quæ in tali euentu interueniat, si Monialis compulsa statim regrediatur: tum quia huiusmodi violatio clausuræ non videtur formalis violatio, sed solùm materialis, vtpotè inuoluntaria respectu Monialis compulsæ, vt suppono.

QVÆRES XXXIV. An Monialis violet clausuram, si appenso fune ex liminari ostij clausuræ monasterij, eóque manibus apprehenso se toto corpore à terra eleuatam agitet motu reciproco, modò intra clausuram, & modò extra, idque ad longum tempus: qui ludus multis in locis est satis visitatus apud adolescentes, & alicubi vocatur ludus nauis.

71. Respond. violari, adeóque Monialem tali genere ludi se exercentem peccare mort. & incurrere pœnas latas contra violantes clausuram. Moueor, quòd, cùm in materia violationis clausuræ non attendatur mora temporis, sed exitus corporis per sui partes, aut per spatium notabile: & in præsenti casu quælibet agitatio, seu delatio Monialis ipsam Monialem deferat extra ostium clausuræ vltra duos pedes (quæ mensura duorum pedum iuxta dicta *sect. præcedenti quæst.* 11. ab aliquibus reputatur materia leuis in violatione clausuræ;) videtur hîc interuenire perfecta violatio clausuræ, eáque grauis, ac proinde sufficiens ad peccatum mort. præsertim cùm ea censeri possit grauis, etiam ratione moræ: quatenus omnes eæ delationes, ex quibus consurgit talis ludus, constituunt moram notabilem, vtpotè continuatæ in vnum quid notabile virtute intentionis, cui eæ subsunt, & per quam fiunt per modum vnius actionis moralis; proportionaliter vt multa furta parua coalescunt in vnum magnum, si furans habeat intentionem ea prosequendi, vsque dum perueniat ad quantitatem notabilem: quod benè aduertit Sanchez *lib. 1. mor. cap. 4. num.* 10. ita Io. de Lugo, Diana, aliique docti viri à me consulti contra Naldum, Baldellum, Sanctarellum, Bordonum, & Auersam iure à me consultos oppositum sustinentes.

QVÆRES XXXV. An Monialis faciat contra legem clausuræ, si ponens se in Rota eam voluat ad partem exteriorem, ad quam accedunt sæculares, non tamen egrediendo è Rota, sed semper manendo in ea.

72. Respond. non facere, estò aliunde possit peccare ratione periculi, cui se exponit aut aliunde. ita Diana *part. 3. tract. 2. resol.* 52. ex Bonac. *quæst. 8. de clausura p. 8. num. 7.* Lezana *tom. 1. cap. 25. num.* 18. Tambur *sup. §. ad V.* & alij contra Comitolum *lib. 6. resp. mor. q. 3.* & Portellum *de dub. regul. v. clausura num.* 25. sustinentes in isto casu Monialem violare clausuram, eo quòd sic accedat ad locum patentem sæcularibus accedentibus, quod est expressè prohibitum in bulla Gregorij XIII. probatur autem nostra responsio, quia Monialis, in casu proposito non egreditur ex ambitu monasterij, sed perinde se habet, ac si esset in ipso ostio clausuræ; vnde, sicut stans in ostio censetur esse in domo, & incurrit pœnas ingredientis domum, vt tradunt Bartolus, Bald. Alex. Iason. & alij apud Sanchez *lib. 6. mor. cap. 16. num.* 70. & stans in ostio clausuræ censetur esse in ipsamet clausura: sic Monialis modo dicto stans in rota, reputatur adhuc esse in clausura; præterquamquòd hîc videtur interuenire paruitas materiæ excusans à peccato mort. dato etiam quòd velimus hîc intercedere aliqualem fractionem clausuræ.

QVÆRES XXXVI. An Monialis delinquat contra clausuram, si consistat in solo ostio intra claustra. 73.

Respond. non delinquere; & patet tum ex dictis *quæst. præced.* tum quia ostium partim est intra clausuram, & partim extra, vt docet Glossa *in cap. cum sanctam de pœnit. d. 2.* sicque in isto casu violatio clausuræ, si quæ interuenit, est imperfecta adeóque insufficiens ad hoc vt dicatur mortalis, & subiiciat pœnis latis contra violatores clausuræ: quidquid contradicant Baldus, & Iason, apud Sanchez *vbi supra*, sustinentes adhuc vt quis puniatur pœna taxata contra delinquentem in domo, sufficere, quòd delinquat in ostio domus: cùm satis sit tangere partem; quòd ego non puto admittendum, vtpotè, nimis amplians pœnas, quæ debent maximè restringi iuxta regulam iuris: *Odia restringi oportet*; præsertim attenta doctrina tradita in fine *quæst. præced.*

QVÆRES XXXVII. An frangat clausuram Monialis, si ascendat tegulas tecti monasterij, & quando.

Respond. non frangere, si consistat intra illam partem, quæ monasterium respicit, atque ad ipsum pertinet; secus, si eam prætergressa transeat ad alieni tecti partem, & ratio est, quòd, cùm prior pars pertineat ad monasterium, censetur esse intra clausuram (quo modo etiam communiter tradunt DD. inuentum super tegulas Ecclesiæ dici inuentum in ipsa Ecclesia, ideóque gaudere eius immunitate;) secùs est de parte posteriori, quæ cùm sit pars alterius domus, reputatur esse extra clausuram. ita Sanchez *supr. cap. 15. n. 7.* Lezana *supr.* Tambur. *supr. §. ad* 4. & Diana *part. 5. tract. 13. resol.* 88 aliique cum quibus dicendum violari clausuram à Moniali perambulante supra tectum propriæ Ecclesiæ exterioris, non item, si interioris, nobiscum sentit P. Baldellus à me consultus, id inde probans, quòd, vt verificetur Monialem non violare clausuram, sufficit verificari illam esse intra monasterium, aut saltem in monasterio: Monialis autem existens supra tectum monasterij, etsi non possit dici esse intra monasterium, dicitur tamen esse in monasterio; quo modo Christus Dominus, & Beati absolutè dicuntur esse in cœlo empyreo, licèt sint solùm in extrema superficie illius, vt rectè aduertit S. Thom. *3. p. q. 54. art.* 4. 74.

Difficultas maior est, an Monialis violet clausuram, si à tecto monasterij prætergrediatur ad tectum porticus exteriùs annexæ ipsi monasterio, nullaque habentis habitacula clausurata: quippe quæ constructa est, non ad vsum Monialium, sed ciuium illac deambulantium; & ratio dubitandi est, quòd, cùm tectum porticus continuetur cum tecto monasterij,

videtur facere vnum quid cum tecto monaſterij, ſicque pertinere ad ipſum tanquam pars illius, ſicque cenſeri poſſet procedere doctrina *q. præcedenti* tradita ex Sanchez.

75. Respond. nihilominus in tali caſu violari clauſuram, niſi bona fides, aut inaduertentia excuſet, colligitur ex Sanchez & Bonac. locis ſupra citatis, patetque ex eo quòd tunc violatur clauſura, quando Monialis prætergreditur ambitum proprij monaſterij; at Monialis modo dicto ſe transferens ad tectum porticus, prætergreditur ambitũ monaſterij: vt inde conſtat, quòd ambitus monaſterij comprehenditur parietibus ipſis monaſterij, vltra quos vtique ſe extendit tectum præfatæ porticus; vnde & negandum eſt dictum tectum ſe habere per modum vnius cum monaſterio; ſiquidem hòc ipſò quòd eſt extra ambitum monaſterij, non eſt pars monaſterij; ſicut neque dicitur pars monaſterij tectum domus alienæ continuatum cum tecto ipſius monaſterij. ita Recentiores valdè docti, & meo iudicio ſatis probabiliter.

QVÆRES XXXVIII. An faciat contra legem clauſuræ Monialis, ſi aſcendat murum monaſterij, eique virili more quaſi equitans inſideat.

76. Respond. non facere. ita in terminis Tamb. *ſupr.* §. *ad* 7. ex Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 1. *c.* 10. *num.* 7. & probatur tum quia Monialis in tali caſu re vera non egreditur extra ambitum monaſterij, vti *q.* 36. diximus non egredi, dum conſiſtit in oſtio ipſo clauſuræ: ſi quidem, cum inſideat muro clauſuræ, videtur veluti eſſe in ipſo muro, & conſequenter non excedere terminos clauſuræ; tum quia, eſtò demus in præſenti euentu dari aliquam violationem clauſuræ, ea non eſt perfecta, & ratione paruitatis materiæ excuſatur à culpa graui; proportionaliter vt in ſimili diximus *q.* 35. quod puto habere verum, etſi Monialis modo dicto inſidens muro clauſuræ ambos pedes vertat viam exteriorem versùs: ſi quidem adhuc militant rationes allatæ, vt conſideranti facilè conſtabit.

QVÆRES XXXIX. An Monialis peccet contra clauſuram, ſi faciat ſe demitti è feneſtra reſpondente viæ publicæ patentis ſæcularibus: ita tamen, vt non deſcendat totaliter, ſed maneat ſuſpenſa in medio aëre pendens ex aliquo fune, idque ad multum tempus.

77. Respond. peccare, cùm ſic verè excedat terminos clauſuræ, & ſit in loco, ad quem abſque fractione clauſuræ per ingreſſum patere poteſt aditus perſonis ſæcularibus media aliqua ſcala lignea parieti appoſita; quæ vtique arguunt violationem clauſuræ, vt conſtat ex dictis *q.* 32. ita docti Recentiores à me conſulti, & maximè Cardinalis de Lugo.

QVÆRES XL. An violet clauſuram Monialis, ſi aſcendens arborem poſitam in horto monaſterij procedat ad ramum omninò prominentem extra murum clauſuræ, ibique cauſa recreationis, aut ex alio fine diutiùs conſiſtat.

78. Respond. violare; & patet ex dictis *q. præcedenti*, quæ item procedunt in præſenti caſu, vt rectè notarunt docti magiſtri à me conſulti.

QVÆRES XLI. An faciat contra legem clauſuræ Monialis, ſi magicis artibus curet ferri per aërem ſupra proprium monaſterium.

79. Respond. non facere, ſi eo modo feratur ſolùm intra ambitum clauſuræ; ſecùs, ſi extra ambitum. Ducor, quòd Monialis in priori caſu perinde ſe habet, ac ſi deambularet ſupra tectum proprij monaſterij: ſicut ergo in iſto euentu non diceretur violare clauſuram, niſi excederet terminos tecti pertinentis ad proprium monaſterium; ita nec violabit in præſenti euentu: è contra ſi Monialis feratur modo dicto per aërem extra ambitum monaſterij, ſe habet, ac ſi deambularet ſupra tectum alienæ domus, quod fortè continuaretur cum tecto proprij monaſterij: ſicque, ſicut in iſto caſu cenſeretur violare clauſuram, vt diximus *q.* 37. ita & cenſeri debet violare in præſenti. ita Baldellus, Naldus, aliique doctiſſimi viri à me conſulti: inter quos benè aduertit Baldellus reſponſionem non procedere in caſu, quo Monialis modo dicto multùm ſe eleuaret ſupra ipſum tectum monaſterij: ſic enim cenſeretur violare clauſuram cùm in tali euentu non poſſit dici eſſe intra monaſterium vt patet, nec in monaſterio, vtpotè non inſiſtens vlli parti monaſterij: aliàs aues ſupra monaſterium euolantes dicerentur eſſe in monaſterio; quod non videtur admittendum, cùm totus aër, qui eſt ſupra monaſterium vſque ad cœlum, ſit quidem communis monaſterio, non tamen ſit pars ipſius monaſterij. idem notauit Bordonus à me conſultus in litteris ad me reſcriptis, vbi conſequenter ad dicta in *reſolutione ſua* 119. *q.* 2. Monialem ſcilicet gradientem ſupra tectum ſui conuentus violare clauſuram, ſuſtinet item violari clauſuram in præſenti caſu, & poſtea ſubdit; *neque hoc admitterem in ſententia communiori aſſerentium non violari clauſuram à Moniali gradiente ſupra tectum clauſuræ, quia per hanc dæmonis arreptionem Monialis nullatenus dicitur inhærere extremis limitibus clauſuræ, ſed ab illis diſtat: immò, hoc conceſſo, magnum ſequeretur abſurdum Monialem efferri poſſe à dæmone ſuper tectum perpendiculariter per plura milliaria, & tamen non violare clauſuram; quod eſſe falſum omnibus notum eſt*: ſic ille.

Tunc autem Monialis cenſetur violare clauſuram per nimiam eleuationem ſupra proprij monaſterij tectum, quando eleuatio eſt talis, vt vires humanas omninò excedat; ita vt nec auxilio ſcalæ, nec alia induſtria artis humanæ ad illam pertingi poſſet. Nec obſtat, quod in hoc ipſo *cap. num.* 19. diximus paruitatem materiæ in violatione clauſuræ non extendi vltra duos palmos & conſequenter Monialem vltra duos palmos recedentem extra oſtium propriæ clauſuræ ipſam clauſuram violare moraliter: aliter enim in præſenti caſu philoſophandum eſt: res quippe morales moraliter debent æſtimari, nempe ex communi hominum conceptu; ac proinde, quemadmodum ſi pila ludatur in magno atrio alicuius monaſterij, quantumcunque in altum pila proijciatur, dummodo linea perpendiculari pila maneat ſupra monaſterium, ea non cenſetur eſſe extra monaſterium: ſi verò à turbine, aut à Dæmone pila eleuetur ſupra nubes, eſtò ea ſupra monaſterium perpendiculariter pendeat, non dicetur eſſe in monaſterio (ſicut nec dicitur nubes, ſupra quas eſt pila:) ſic & in præſenti caſu philoſophandum eſt de Moniali eleuata ſupra tectum proprij monaſterij: quæ vtique iudicio hominum non cenſebitur eſſe extra clauſuram, eò quod ſupra tectum Conuentus feratur vltra duos palmos: ſicut è contra cenſeretur eſſe extra clauſuram, ſi modò à noſtris explicato arte magica ferretur ſupra tectum monaſterij: & quidem iuxta communem hominum conceptum, ac vſum loquendi: quod eſt res morales moraliter accipere.

QVÆRES XLII. An peccet Monialis contra clauſuram, & incurrat pœnas iure ſtatutas, ſi prævidens ſe inter ſomniandum exituram è monaſterio non curet id impedire; tradendo verbi gratia alteri monaſterij claues diligentiùs cuſtodiendas, quas alioqui ſolet apud ſe noctu retinere.

Respond. peccare, eò quòd violatio clauſuræ ei cenſeatur voluntaria indirectè, quatenus poteſt il- 80.

lam

tam impedire tradendo alteri claues monasterij, & debet, & sciens, ac volens intermittit, sicque ei ad culpam imputatur violatio, vtpotè moraliter, ac interpretatiuè voluntaria: sicut colligitur ex Sancto Thom. 1. 2. *quæst.6. art.3.* immò & incurrere pœnas Ecclesiasticas iuxta doctrinam, quàm tradit Sanch. *l.1. cap.16. num.47.* ex Vasq. 1. 2. *q.71. art.5. D.94. cap.4.* tanquam communem, & in omnium sententia sustinendam: nimirum peccata ante ebrietatem, somnum, aut quando vitari poterant, præuisa, si in somno, aut ebrietate committantur, inducere irregularitatem, excommunicationem, ac restituendi obligationem, æquè ac si in vigilia facta fuissent: quod tamen negaret Suarez consequenter ad illam doctrinam, quam tradit *tom. 2. de Relig. lib.3. de iuram. cap.8. num.6.*

QVÆRES XLIII. An delinquat contra clausuram Monialis, quæ ex leuitate ascendens equum ferociorem, quem sibi curauit adduci ad illum equitandum in atrio monasterij, vi abripitur extra portam clausuræ tunc apertam.

81. Respond. Delinquere, si id præuidit, & consequenter voluit saltem indirectè, ac interpretatiuè; secùs, si id non prænidit. patet responsio ex dictis *q. præcedenti*, si monuero non videri improbabile, quòd Monialis in isto casu euadat pœnas latas contra violantes clausuram; idque ex doctrina, quam tradunt DD. communiter teste Bonac. *q.5. de censur. in com. p. 3. num.7.* nimitum non incurri censuram Ecclesiasticam, nisi actio, contra quam est lata, etiam externè sit talis, vt sit sufficiens ad peccatum mortale; ideoque percutientem leuiter Clericum animo illum occidendi non incurrere excommunicationem, eò quòd percussio sit mortalis solùm quoad actum interiorem, non autem externè: si quidem etiam in præsenti casu violatio clausuræ est quidem mortalis ratione actus interni, per quem fuit præuisa, ac volita, at non est talis externè, quatenus, latenter in actu interno, externè censetur inuoluntaria, vtpotè facta ex violentia equi, per quam Monialis renitens fuit abrepta extra clausuram. ita docti recentiores.

QVÆRES XLIV. An Monialis violet clausuram, si iustè, vel iniustè egressa è monasterio, & inclusa intra aliquam domum priuatam, inde egrediatur huc, & illuc diuagatura.

82. Respond. non violare. ita Nau. *tom. 4. de regul. num.44. not.2.* Sanch. *l 6. mor. cap.15. num.9.* Tambur. *supr. §.ad* 8. & alij, patetque quia Monialis non tenetur ad clausuram, nisi intra proprium monasterium: domus autem illa priuata non est monasterium; vnde, cùm obligatio clausuræ sit odiosa, non debet ampliari, sed restringi; sicque non debet extendi ad loca, quæ propriè non sunt monasterium. Excipe, nisi fortè Superior ex iusta causa Moniali extra monasterium aliquam domum priuatam deputaret in habitationem cum obligatione clausuræ sicut interdum fit ex auctoritate Papæ; & mihi constat factum fuisse cum quadam Moniali energumena hîc Ferrariæ, vbi hæc scribo:) tunc enim Monialis, etiam in tali domo priuata teneretur seruare clausuram; cùm ea ibi per legitimam potestatem, cuius est indicere clausuram, fuerit præscripta.

QVÆRES XLV. An Monialis peccet contra clausuram, si habens legitimam facultatem exeundi ad aliquod opus honestum, exeat animo non solùm efficiendi illud opus, sed etiam patrandi aliquod delictum, v. g. fornicandi.

83. Respond. non peccare; & probatur à simili ex doctrina, quam tradit Sanchez *supr. cap.16. num.69.* ex Zetola *par.1. praxis v. Monialis q.8.* videlicet non peccare contra præceptum clausuræ illum, qui ingrediens cum legitima licentia monasterium aliquod Monialium corruptam habet intentionem, v.g. fornicandi cum Moniali, ibique de facto fornicatur; siquidem præceptum clausuræ obligat tantùm, ne quis sinè debita facultate ingrediatur: quod vtique in præsenti euentu impletur; militat autem par ratio in casu hîc proposito; cùm Monialis re vera non exeat sine debita licentia (quod solum ei interdicitur ex præcepto clausuræ) esto aliunde peccet ratione corruptæ illius intentionis. Quæ confirmari possunt ex alia etiam doctrina, quam adducit idem Sanch. *vbi supr.* docens non incurrere censuras Monialem cum legitima licentia egredientem, si, finita causa egressus, diuturnam extra monasterium moram trahat quacunque praua intentione: cum in tali casu Monialis verè non dicatur egressa absque licentia, & censuræ latæ sint solùm contra talem egressum; quæ ratio vtique intentum probat etiam in præsenti casu: dissentit Castrus Paulus *tr.16. D.4. part.9. num.21.* ex Llamas *in method. curat. in append. §. 10.* & *Sanclerus in Constitut. Min. cap.11. stat.7. q 2.* dicens se non videre, quo modo non incurrat censuras Monialis, quæ sine causa moratur extra clausuram, finito negotio, ad quod obtinuit licentiam exeundi: cum ab iis liberet sola causa egressus, non autem licentia vt sic; quippequæ data sine causa, est inualida; hincque inferens idem procedere de ingrediente cum licentia intra claustrā Monialium, ibique fornicante; illum scilicet affici censuris: cùm hic casus directè opponatur clausuræ, & debeat censeri formalissimè inclusus in rigore legum, nec ad eum vnquam Prælati somniassent concedere ingressum: Verùm ex modo dictis cum Sanch. satis superque videri potest; cur non incurrantur censuræ in propositis casibus; cum enim eæ latæ sint contra ingredientes, aut egredientes sine debita licentia, non debent extendi ad commorantes intra, aut extra clausuram sine licentia; siquidem hæc sunt diuersa, & à diuersis non fit illatio; maximè in pœnis, quæ sunt molliendæ, & non exasperandæ *l. interpretationem ff. de pœnis.*

SECTIO III.

De obseruantia clausuræ Monialium quoad non admittendas personas extraneas intra Monasterium.

84 *Varijs iuribus prohibetur extraneis ingredi clausuram Monialium.*

85 *Iuribus iysdem prohibentur Moniales illos admittere; necnon facere, aut permittere eos ingredi siue sint Abbatissa, siue aliis præsint clausuræ, siue sint Moniales priuatæ.*

86 *Sub varijs pœnis vetitus talis ingressus.*

87 *Quid veniat nomine Conuentus in Bulla Gregorij XIII. Vbi gratia.*

88 *Quid sit facere, aut permittere ingredi.*

89 *Pœna lata contra facientes, aut permittentes ingredi afficiunt Prælatos Monasteriorum.*

90 *Ad eas incurrendas petitur prætextus facultatum.*

91 *Bulla Gregorij XIII. afficit ingredientes ex licentia ab Episcopo obtenta ante dictam bullam.*

92 *In terminis dictæ bullæ non incurrunt prafatas pœnas ingredientes sine licentia: quod tamen alij negant.*

93 *Dictas pœnas non incurrunt ingredientes prætextu facultatis inualidæ.*

94 *Item non incurrunt bona fide ingredientes prætextu facultatum.*

95 *Dictæ pœnæ incurruntur sine præsumptione; non item latæ à Paulo V.*

96 *Ex pœnis latis à Gregorio XIII. reseruatur sola excommunicatio.*

97 *Illæ non incurruntur à Monialibus comitantibus personam indebitè ingressam.*

98 *Non à Monialibus priuatis, si ingressuris præbeant scalas, eos excipiant conuiuio, aut alia similia præstent; modò ingressus fiat sine prætextu facultatum.*

99 *Reuocatio facultatum facta à Paulo V. extenditur solùm ad licentias continentes facultatem conuersandi, & prandendi intra clausuram.*

100 *Et viri, & fœminæ prohibentur ingredi clausuram Monialium.*

101 *Personæ laicæ cooperantes ingressui illicito non subsunt præfixis pœnis.*

102 *Abbatissa comprehenditur sub illis verbis Bullæ Gregorij XIII. (Neve Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant.)*

103 *Prohibitio ingrediendi clausuram Monialium afficit omnes fideles vtriusque sexus.*

104 *Non tamen infantes vsu rationis carentes, qui proinde possunt admitti; idque etsi septennium excedant 2 mensibus.*

105 *Alij id negant sed reiiciuntur.*

106 *Fatui, & amentes puberes recipi nequeunt intra clausuram.*

107 *Monialis vnius Ordinis recipitur intra Conuentum alterius Ordinis, at non semper.*

108 *Puellæ recipiendæ ad habitum Religiosum non ingrediuntur sine Ordinarij licentia*

109 *Non recipiuntur in educationem sine facultate sacræ Congregationis, at Prælati Monialium recipientium.*

110 *Eadem facultas regulariter requiritur ad recipiendas fœminas coniugatas.*

111 *Prælati Monialium solùm ingrediuntur in casibus necessariis.*

112 *Et, si aliter ingrediantur, subsunt excommunicationi.*

113 *Id tamen non procedit de Vicariis Episcoporum: quod impugnant alij, sed reiiciuntur.*

114 *Regulares Prælati incurrunt pœnas, quoties indebitè ingrediuntur; etsi alij id negent non improbabiliter: item si ingressi expedito negotio statim non exeant.*

QVÆRES I. Quibus iuribus interdictum
sit ingredi monasteria Monialium absque de-
84. bita facultate
Respond. fuisse interdictum absolutè, ac simpliciter; primò quidem à Bonifacio VIII. *in cap. periculoso de statu regul. in 6.* vbi dicitur: *Nulli aliquatenus inhonestæ personæ, neque etiam honestæ, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia, ingressus, vel accessus pateat ad easdem;* vbi notat Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 1. cap. 10. num. 2.* huiusmodi præceptum quoad personas esse vniuersale; cùm nomine personæ honestæ tam fœminæ, quàm viri, & tam Laici, quàm Clerici, vel Monachi, ac Episcopi (addo ego, & Moniales in ordine ad Conuentus extraneos comprehendantur: Secundò hoc idem fuit interdictum, & clariùs, in Concilio Trident. *sess. 25. de regul. cap. 15.* dum ait: *Ingredi autem septa monasterij nemini liceat, cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda:* denique Gregor. XIII. hoc idem interdixit in sua Constitut. quæ incipit, *Vbi gratia*, & sic habet: *Inhibentes eisdem (* idest hominibus) *qui illas obtinuerunt* idest facultates ingrediendi monasteria Monialium) *sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, super qua à nemine, nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo absolutionis beneficium possit impertiri, ne ipsarum licentiarum prætextu huiusmodi monasteria quouis modo ingredi audeant: Abbatissis verò, necnon Abbatibus, Conuentibus, ac alijs monasteriorum vtriusque sexus Superioribus, & personis, quocunque nomine vocentur, districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne in monasteria, domos, & loca sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant. quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuscunque personis Ecclesiasticis, & sæcularibus, ac etiam Ordinum quorumcunque, etiam Mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessariis tantùm ex decreto* Concilij Trident. *tribuitur, ne monasteria ipsa monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus duntaxat, ingredi, aut Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant.* Pro cuius Constitutionis intelligentia aduertere oportet Gregorium XIII. in ea reuocasse licentias, & facultates concessas quibuscunque, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & aliis cuiuscunque status, & conditionis mulieribus ingrediendi monasteria, domos, & loca Monialium, aut virorum, & quibuscunque viris, etiam eiusdem conditionis, & status ingrediendi monasteria, domos, aut loca Monialium, licèt à quocunque Pontifice, vel Legato, aut aliis concessa sint motu proprio, & ex certa scientia, & cum quibuscunque clausulis, & ex quibuscunque vrgentissimis causis, & licèt iteratis vicibus renouata sint. Quin & Paulus V. 10. Iulij 1612. similem edidit Constitutionem, in qua modo dicto reuocauit omnes licentias ab ipso, & aliis Pontificibus concessas mulieribus cuiuscunque status, ac conditionis quoad ingrediendum monasteria Monialium, aut conuersandum cum ipsis: & præterea prohibuit Abbatissis, seu Priorissis, ac Superioribus, ne dictas mulieres introducere, seu admittere, vel admissas quoquomodo retinere audeant, seu præsumant: idque sub omnibus pœnis contentis in citata bulla Gregorij XIII. prohibito ingressu dictarum mulierum sub pœna excommunicationis maioris reseruatæ Papæ.

QVÆRES II. Quid propriè interdicatur Monialibus vi prohibitionis contentæ in citatis iuribus de non admittendis personis extraneis intra clausuram.

Respond. interdici, si quidem sint Abbatissæ, 85.
aut aliter ipsis incumbat custodia clausuræ, ne prætextu facultatum concessarum ante bullam Gregorij XIII. supra relatam, extraneos ingredi faciant, aut permittant (idque ex Motu Grego. XIII.) immò ne eos introducere, seu admittere, vel admissos quoquomodo retinere præsumant (& hoc ex bulla Pauli V. modò relata;) si verò sint subditæ simplices, ne citra casus vrgentis necessitatis admittere præsumant extraneos prætextu licentiarum obten-

tarum

tarum ab Episcopis, ac Superioribus ipsarum Monialium; idque ex citata Constitut. Gregorij XIII.

QVÆRES III. Sub quibus pœnis prohibeantur ingressus personarum extranearum intra Monialium monasteria.

86. Respond. quòd, cùm talis prohibitio attendi possit tum respectu ipsorum ingredientium (siue hi sint personæ priuatæ, siue Prælati Monialium:) tum respectu ipsarummet Monialium admittentium ingredientes: si quidem ingredientes sint personæ priuatæ, & ingrediantur prætextu facultatum à Papa, Legato, Episcopo, aut aliis obtentarum ante Constitutionem ipsiusmet Gregorij, incurrunt excommunicationem latam ab eodem Gregorio, & reseruatam Papæ, vt iam vidimus (quæ excommunicatio, licèt non reseruata, incurritur item vi Concilij Trid. *sess. 25. de regul. cap. 5.* ab iis, qui sine licentia in scripto ingrediuntur, secluso quocunque prætextu facultatum) quin etiam si dictæ personæ priuatæ in casibus non necessariis ingrediantur prætextu licentiarum obtentarum ab Episcopis, aut Superioribus, qui eas possint dare, incurrunt non solùm excommunicationem præfatam Papæ reseruatam, sed etiam priuationem dignitatum, beneficiorum, ac officiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda latas in dicta Constitut. Gregorij XIII. non tamen reseruatas, vt benè aduertit Sanchez *lib. 6. mor. cap. 16. num. 83. contra Confessum.*

Quòd si ingredientes monasteria Monialium sint Prælati sæculares Monialium, & ingrediantur vltra casus necessarios: pro prima vice, qua ingrediuntur, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, pro secunda suspensionem à munere Pontificali, & à diuinis, pro tertia vice, ac deinceps excommunicationem ipso facto: si autem sint Prælati regulares, incurrunt excommunicationem, & simul priuationem omnis officij, ac ministerij; idque ex alia Constitut. Gregorij XIII. edita 23. Decemb. 1581. in qua tamen nulla fit mentio reseruationis talium pœnarum.

Quòd spectat ad Moniales indebitè admittentes personam extraneam intra clausuram, eæ incurrunt excommunicationem reseruatam Papæ vnà cum aliis pœnis relatis *quæst. 1.* siue ingredi faciant, aut permittant externos prætextu facultatum concessarum ante Bullam Gregorij XIII. reuocatoriam similium facultatum, & sint Superiorissæ Monialium (quod benè aduertit Sanch. *lib. 6. moral. cap. 16. num. 77. 78. & 87.*) siue faciant, aut permittant ingredi intrantes prætextu licentiæ habitæ ab Episcopo, aut alio Superiore habentibus facultatem dandi talem licentiam solùm ex causis necessariis, & ad hoc actione positiua concurrant (v. g. inuitando ad ingressum) siniqne siue Moniales priuatæ, siue Superiorissæ, siue ex officio præsidentes clausuræ (quod colligitur ex eodem Sanchez *supr. n. 93. & 91. iuncto num 90.*) non item, si solùm concurrant actione negatiua, Idest non impediendo, cum possint: tunc enim præfatas pœnas incurrunt tantùm Abbatissæ, & illæ Moniales, quæ custodiæ clausuræ præficiuntur, non autem Moniales priuatæ, vt expressè notauit Sanchez *citato num. 39.* Colligitur assertio ex allegata Gregorij XIII. Bulla, quæ cùm prohibeat duplex genus actionis cooperantis illicito ingressui clausuræ: quarum vna est, *ingredi facere, aut permittere*, prætextu facultatum concessarum ante Bullam Gregorij XIII. reuocatoriam talium facultatum: & altera, *præsumere, admittere*, prætextu licentiæ obtentæ ab Episcopo, aut alio potente illam dare: in prohibitione prioris actionis loquitur bulla solùm de Superiorissis Monialium, ac conuentibus, vt infra videbimus, *§. vtrum autem*; sicque bulla quoad hanc partem illos solùm afficit: in prohibitione verò posterioris actionis loquitur indefinitè de Monialibus, vt constat ex illis verbis, *neve Moniales sub eisdem pœnis aliter admittere præsumant*, sicque comprehendit tam Superiorissas Monialium, ac Moniales præfectas clausuræ, quàm ipsas Moniales priuatas: cum hac tamen differentia, quòd Superiorissæ, ac Præfectæ clausuræ comprehenduntur sub prohibitione, siue cooperentur ingressui positiuè, siue negatiuè (siquidem admittere, quòd hic prohibetur, idem est ac cooperari ingressui, siue directè (idest exercendo actionem positiuam) siue etiam indirectè (idest negatiuè se habendo, cùm ex officio teneantur impedire) sicut re vera tenentur impedire, & Superiorissæ Monialium, & præfectæ clausuræ, Moniales verò priuatæ comprehenduntur sub dicta prohibitione solùm in casu, quo positiuè cooperentur ingressui; negatiua enim cooperatio dici non potest admissio, nisi respectu Monialis, quæ ex officio tenetur, & potest impedire, & non impedit. Paulus denique V. sub iisdem pœnis prohibuit Superioribus, ac Superiorissis Monialium, ne vllam fœminam prætextu licentiarum apostolicarum audeant introducere, seu admittere, vel retinere intra clausuram; intellige, ad conseruandum, & ad sumendam refectionem cum ipsis Monialibus, vt dicemus *quæst. 10. § quod si hic.*

Quòd si quæras, quid intelligatur nomine Conuentus in Bulla Gregorij XIII. relata *quæst. 1.* dum ait, *necnon Abbatibus, Conuentibus*, &c.

Respond. intelligi Religiosos cum Superiore in vnum congregatos, ideóque pœnas ibi latas incurri ab omnibus illis, qui inter eos modo dicto cõsenserunt in ingressum, aut certè non contradixerunt, cum commodè potuissent: sic enim dicitur Conuentus delinquere, ita Sanch. *num 85.* & cum eo Bonac. *supr. num. 17.* Immò addit Sanch. quòd, si Superior non cogat Conuentum, sed tractet solùm cum suis Consultoribus de permittendo ingressu modo supra dicto: tunc Superior quidem incurret præfatas pœnas; cum in Constitutione Gregorij expressa mentio fiat de Superioribus: non item incurrent Consultores; cùm tunc non veniant nomine Conuentus, nec nomine Conuentus suffragium tulerint. Quod etiã admittit Bonac. addens tamen prædictos Consultores præfatis pœnis affici, quatenus sunt personæ permittentes ingressum, quem impedire poterant, & tenebantur: quod an sit verum, constat ex dicendis *§. sequenti.* 87.

Addo quòd, quando à Gregorio XIII. in præfata Bulla sub dictis pœnis prohibetur Superioribus vtriusque sexus, ne in monasteria faciant, aut permittant ingredi personas alioqui prohibitas prætextu facultatum; prohibitio hæc afficit Prælatos regulares solum in casu, quo fœminas modo dicto ingredi faciant aut permittant in monasteria Religiosorũ sibi subditorum; non item in euentu, quo, modo dicto faciant, aut permittãt ingredi in Conuentus Monialium ipsis subiectarum; vt rectè notauit Sanchez *supr. num. 92.*

Difficultas modò est, quis dicatur; *ingredi facere, aut permittere.*

Respond. iuxta communem modum loquendi in præsenti materia illum dici *facere ingredi*, qui sua actione positiua est in causa, vt alter ingrediatur (v. g. aperiendo ianuam, iubendo, aut consulendo ingressum) illum dici *permittere ingredi*, qui ingredientem non impedit, cùm cõmodè possit, immò & teneatur 88.

ex

ex officio: si enim sic non teneatur, non incurrit illas pœnas, estò non impediat commodè valēs impedire. ita Rodriquez *tom.1. q.47. art.3.* Miranda *quæst.2. de monial. art.12.* Sanch. *sup. n.84.* & alij. Quamquam puto, quòd, cùm in hac parte textus solùm sit sermo de Superiorissis Monialium; verba, *ingredi facere, aut permittere*, non extenduntur ad Præfectas ianuæ, etsi aliàs ex officio præsint custodiæ clausuræ: cùm simus in materia odiosa, quæ restringi debet.

Vtrum autem dictis pœnis subiiciantur omnes, & singuli, qui viros, aut fœminas ingredi faciunt, vel permittunt in monasteria Monialium.

89. Respond. quòd, cùm pœnæ non debeant ampliari, sed restringi, quantum patitur proprietas verborum, sub quibus feruntur: probabile videtur huiusmodi pœnis subiici solos Superiores monasteriorum vtriusque sexus, non item alios Religiosos subditos. Ita Rodriq. Miranda, & Sanchez *locis citatis*, Barbosa *de offic. Episc. alleg. 102. num. 37.* & alij contra Bonacinam *supr. n.3.* ex Llamas oppositum sustinentem ex eo quòd Greg. XIII. in illa sua Constit. vbi dixit: *Abbatissis vero, necnon Abbatibus, Conuentibus, ac alijs monasteriorum vtriusque sexus Superioribus*; statim subdit, *& personis quocunque nomine vocentur*, sub quibus verbis videntur venire Religiosi vtriusque sexus, etiam subditi; cùm nomen personæ genericum sit, & comprehendat quascunque personas. Ducor, quòd Moniales priuatæ, ac simplices semper vocantur Moniales, nec gaudent variis nominibus: sicque de iis nequeunt verificari verba illa, *quocunque nomine vocentur*, vnde necessariò debent intelligi de Superioribus Monialium, qui gaudent variis nominibus. quod benè aduertit Sanchez *vbi sup.* monens *num. 91.* quòd, licèt in citata Constitut. Gregorij XIII. pœnæ latæ contra præsumentes admittere intra clausuram expresè ferantur contra Moniales (vt constat ex iis verbis, *ne ve Moniales sub eisdem pœnis aliter admittere præsumant*; & nomine *Monialis*, regulariter non veniat Abbatissa: in præsenti tamen casu Abbatissæ, si externos præsumant admittere intra clausuram, subsunt dictis pœnis: & hoc ob rationes ibi allatas à Sanchez.

90. Illud certè bene aduertit Bonac. *loco citato*, quòd, cùm in Gregor. XIII. Constitut. pœnæ dictæ ferantur contra ingredi facientes, aut permittentes prætextu licentiarum, & facultatum: illas non incurrent ij, qui sine tali prætextu dictum ingressum permittunt; secùs, si qui ingrediantur simili prætextu: & hoc, quantumuis admittentes protestentur se non admittere ex dicto prætextu: nam factum aduersatur protestationi.

Addo, quòd spectat ad Moniales mandantes, aut consulentes indebitum ingressum; si quidem eæ illum mandent, aut consulant, ipsis ingredientibus, incurrunt pœnas, cùm sic cooperentur ingressui directè; non item, si non personis ingressis, sed alij mandent, aut consulant; sic enim non incurrent, cùm in tali casu cooperentur ingressui solùm indirectè: qui modus cooperandi solùm Superiorissis, ac Præfectis clausuræ citatis iuribus vetatur iuxta dicta.

Dubitat hîc etiam Sanchez *num. 76.* an excommunicatio lata à Gregorio XIII. contra ingredientes monasteria Monialium prætextu facultatum vsque tunc concessarum comprehendat ingredientes virtute licentiæ obtentæ ab Episcopo ante Constitutionem illam Gregor. XIII.

91. Respond. comprehendere; & satis clarè videtur inde colligi, quòd in priori parte dictæ Constitutionis sit sermo de licentiis quorumcumque Superiorum, vt constat ex illis verbis, *tam à prædecessoribus nostris, quàm etiam à nobis, & à Sedis Apostolicæ Legatis, aut alijs*: dictione autem, *alijs*, indefinitè posita comprehendi quoscumque alios Superiores, qui possunt similes licentias concedere, & consequenter etiam Episcopos: alioqui esset superflua. ita Sanchez addens non obstare, quòd Gregor. XIII. in citata Constitut. excommunicat ingredientes ex licentia Episcopi, aut alterius legitimi Superioris concessa vltra casus necessarios; cùm priùs excommunicet ingredientes virtute licentiarum, etiam concessarum in casibus necessariis. Id enim non inuoluit vllam contradictionem; estò dicamus hîc Papam loqui de licentiis Episcoporum, ac inferiorum Prælatorum: si quidem Papa in hac priori parte illius suæ Constitutionis loquitur de licentiis à quocumque vsque tunc concessis ex quauis vrgentissima causa, easque omnes reuocat, & ideo excommunicat illum, qui vtitur iis iam reuocatis: in posteriori verò parte loquitur de licentiis in posterum concedendis, illasque ibi non reuocat, sicque solùm excommunicat eos, qui illis vtuntur extra casus necessarios; vnde tollitur omnis contradictio.

QVÆRES IV. An incurrant pœnas contentas in Constitut. Gregor. XIII. ij, qui monasteria Monialium ingrediuntur absque vlla prorsus licentia, non autem prætextu alicuius facultatis, quam habeant.

Respond. Sanchez cum aliis infra adducendis non 92.
incurrere, stādo præcisè in Motu proprio Greg. XIII. sæpius adducto; & probatur tum quia Pius V. & Gregorij XIII. (qui sunt auctores dictarum pœnarum) expresè loquuntur de iis tantùm, qui prætextu licentiarum ingrediuntur, aut admittunt; tum quia tales pœnæ, cùm sint grauissimæ, non debent extendi ad casum in iis non comprehensum, etiamsi alias sint in fauorem animæ: id enim facit quidem, quòd decreta pœnalia possint aliquantulum extendi, non tamen sufficit, vt protrahantur ad casum omninò diuersum, vt rectè notauit Sanch. *supr. n.78.* ita Sanch. *num 79.* ex Suarez, Zerola, Rodriquez, Sairo, & Philiarco addens *num.80.* non subiici istis pœnis illos, qui dictas facultates habent, si verè prætextu illarum non ingrediantur, sed quasi illis prorsus carentes: sicut nec subiiciuntur ij, qui taliter ingredientes admittunt. Oppositum sustinent Nauarr. *cap.27. n.150.* Coriolan. *de cas. reseru. p.1. casu 3. n.40.* Beia *1. p. casu 3.* Azor *tom.1. lib.13. cap.8. q. vlt.* & alij, quorum sententiam ait Filliuc. *tract. 29. n.170.* comprobari stylo curiæ, ac praxi sacræ Pœnitentiariæ; quòd si est verum, cùm stylus curiæ faciat ius, horum sententia amplectenda est: quanquam Bonacina allegans hanc doctrinam Filliucij hoc ipso quòd dicit illius sententiam esse tutiorem, tacitè indicet opinionem Sanchez esse tutam, & consequenter minùs sibi constare de dicto stylo Curiæ.

QVÆRES V. An incurrat pœnas contentas in motu proprio Gregorij XIII. qui ingreditur monasteria Monialium prætextu facultatis inualidè à se obtentæ ob subreptionem, aut alia de causa.

Respond. videri non incurrere, esto subiiciatur ex- 93.
communicationi latæ in Concil. Trid. & relatæ *q.1.* moueor quòd Gregor. XIII. ibi loquitur de ingredientibus prætextu facultatum, quas ipse tunc reuocat, vt constat ex illis verbis, *ipsarum licentiarum prætextu*; sicque videtur supponere dictas facultates esse validas, cùm non possit irritari id, quod non subsit, iuxta illud, *Non entis nulla sunt qualitates.* ita in terminis Bonacina *supr. part. 5. num. 6.* addens *num. 7.* quòd, sicut excommunicatio ista Gregorij XIII. non

afficit

afficit ingredientem vi facultatis ab Episcopo obtentæ post præfatum Motum Gregorij XIII. cùm in eo irritentur solùm facultates iam obtentæ, non autem in futurum obtinendæ; sic dictam excommunicationem non incurreret, qui tempore ingressus fingeret se haberet facultatem ingrediendi obtentam post prædictum Motum Gregorij XIII. quamuis in isto casu incurreretur excommunicatio lata in Concil. Trident. vtpotè abstrahens à quouis prætextu facultatum.

QVÆRES VI. An ingrediens monasteria Monialium prætextu facultatum, sed bona fide putans id sibi esse licitum, subiiciatur pœnis contentis in motu proprio Gregorij XIII.

94. Respond. non subiici; & probatur; quia dictæ pœnæ latæ sunt contra præsumentes ingredi prætextu facultatum: constat autem, quòd præsumptio supponit scientiam, aut saltem ignorantiam coniunctam cum ingenti temeritate. sic Bonac. *num.* 8. hinc inferens non solùm bonam fidem, sed etiam ignorantiam vincibilem, crassam, ac supinam excusare à præfatis pœnis: quod etiam docet Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 7. aliis citatis; addit tamen Bonac. & benè in casu proposito incurri excommunicationem latam in Concilio Trident. eo quod ibi absolutè interdicatur ingressus sub pœna excommunicationis, abstrahendo à quacunque præsumptione.

QVÆRES VII. An requiratur præsumptio ad hoc vt Moniales incurrant pœnas latas in bulla Gregorij XIII. contra facientes, aut permittentes ingredi monasteria Monialium prætextu facultatum, & in Motu proprio Pauli V. contra introducentes, seu admittentes intra Monialium monasteria, aut admissas quoquomodo retinentes.

95. Respond. non requiri ad incurrendas pœnas contentas in Bulla Gregorij XIII. cum in ea nullum adhibeatur verbum importans præsumptionem; requiri verò ad contrahendas pœnas latas in motu proprio Pauli V. cùm in eo adhibeantur verba, *audeant seu præsumant*, quæ important præsumptionem. ita expressè Bonacina *supr. part.* 6. *num.* 19.

QVÆRES VIII. An pœnæ latæ in Motu proprio Gregorij XIII. contra facientes, aut permittentes ingredi monasteria Monialium, reseruentur Papæ.

96. Respond. reseruari excommunicationem: non item alias pœnas, à quocunque demum incurrantur; & ratio est, quòd Papa easdem infert pœnas facientibus, aut permittentibus ingredi, quas tulerat contra ingredientes; vt colligitur ex illis verbis *Abbatissis, verò*, &c. *præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum*, &c. at contra ingredientes lata erat excommunicatio reseruata Papæ, aliis pœnis nemini reseruatis: ergo & idem erit quoad facientes, seu permittentes ingredi. ita Sanchez *supr. num.* 83. ex Confectio, Suarez, & Llamas.

QVÆRES IX. An Moniales incurrant pœnas superiùs relatas, ac explicatas, si cum persona iam illicitè ingressa in monasterium diutiùs confabulentur, & ipsam comitentur.

97. Respond. videri non incurrere: idque siue ingressus fiat bona fide, siue mala, cùm sit par ratio in vtroque casu, vt constabit ex ratione mox adducenda. Probatur ergo assertio ex eo quod Gregor. XIII. in sua Constitutione superiùs allegata vtitur verbo *admittere*; verbum autem, *admittere*, simpliciter, & sine addito prolatum non significat approbare iam factum, vt benè aduertit Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 16. *num.* 95. sicque sub dicta constitutione non comprehenditur Monialis, quæ non expellit personam iam ingressam, quantumuis in debitè, sed solùm illam, quæ cum possit, & teneantur resistere ingredienti, non resistit. ita respondi in facti contingentia, & responsionem postea approbarunt viri valdè docti è Societate à me consulti.

QVÆRES X. An Moniales subiiciantur præfatis pœnis tanquam positiuè cooperantes ingressui personæ extraneæ, si ad talem effectum deferant scalam ligneam, per quam ille descendat; si exhibeant scenicam repræsentationem; si excipiant conuiuio; si suaues coram ea instituant cantus; si ei ostendant officinas, & habitacula monasterij, aliáque id genus præstent.

Respond. non subiici, si sint Moniales priuatæ, & iis constet personas illas extraneas ingredi, aut fuisse ingressas absque prætexto facultatum, siue ante bullam Gregorij XIII. reuocatoriam talium licentiarum obtentæ, siue post ab Episcopo, aut Superiore Monialium concessæ sint; secùs si præsint monasterio, aut clausuræ: tunc enim incurrerent pœnas illas tum in terminis Constitutionis Gregorij XIII. prohibentis Abbatissis, ac aliis monasteriorum vtriusque sexus Superioribus, & personis, quocunque nomine vocentur, ne quemquam ingredi faciant, aut permittant, si ingrediens id faciat prætextu facultatis concessæ ante dictam Constitutionem Gregorij XIII. tum in terminis similis Constitutionis Pauli V. interdicentis Abbatissis, ac aliis Superiorissis Monialium, ne personas habentes facultates ingrediendi Pontificis audeant introducere, seu admittere, vel admissas quoquomodo retinere; vnde, cum ista Constitutio loquatur solùm de personis habentibus Pontificias facultates ingrediendi monasteria Monialium, posset quis inferre Prælatas Monialium non subiacere dictis pœnis, si admittant, aut admissam retineat personam aliquam extraneam, nullam talem facultatem habentem: si quidem in pœnis stricta fieri debet interpretatio. patet autem responsio ex tenore Constitutionum citatarum, quæ proinde in contingentia facti legi debent attentius, perpensis singulis illarum verbis; sic enim constabit, quænam prohibeant Monialibus subditis, & quæ Superiorissis; & quando hæ, aut illæ incurrant pœnas in eis contentas ob admissionem, aut detentionem personæ extraneæ intra monasterium. 98.

Quòd si hîc obiter quæras, an Paolus V. in sua Constitutione superiùs relata simpliciter reuocauerit fœminis omnes licentias ingrediendi monasteria Monialium, an verò solum eas, in quibus continebatur facultas ibi conseruandi, & sumendi cibum: sicut videtur colligi ex iis verbis: *omnes, & singulas licentias ingrediendi monasteria Monialium vbique locorum existentium ac cum Monialibus conuersandi, & refectionem sumendi corporalem.*

Respond. Bonac. *supr. part.* 5. *num.* 4. videri posse non improbabile reuocasse licentias solùm in hoc posteriori sensu; probatque ex eo quòd Paulus V. in citata Constitut. vtitur forma loquendi coniunctiua per dictiones ac, &; quæ ratio inde magis confirmatur, quòd, cùm reuocatio dictarum licentiarum sit odiosa, non debet ampliari vltra propriam verborum significationem, vt dicimus *quæst.* 4. Nec obstat, quòd idem Paulus V. in dicta Constitutione 99.

paulò

paulò pòst imponens excommunicationem, mentionem facit simpliciter de ingredientibus; nam mentionem facit de ingredientibus prætextu licentiarum ab ipso reuocatarum; vt colligitur ex verbis illis *prætextu licentiarum huiusmodi*, quæ relationem habent ad præcedentia, nempe ad licentiam ingrediendi, conuersandi, ac refectionem sumendi, de qua superiùs. ita Bonacina contra Cherubinum in *suo bullar. ad cit. Constit. Pauli V.* vtens clausula disiunctina, *aut*, loco dictionum coniunctiuarum.

Qværes XI. An prohibitio non admittendi personas extraneas intra monasteria Monialium extendatur tam ad fœminas, quàm ad viros, idcóque Moniales prohibeantur admittere vtrosque eadem prorsus ratione.

100. Respond. extendi; & ratio est, quòd, quanquam Gregorius XIII. in sua bulla in genere masculino dicat, *ne in monasteria sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum ingredi faciant*: & Paulus V. in sua Constitut. expressè loquatur solum de fœminis, vt maximè constat ex verbis illis: *Inhibentes mulieribus prædictis licentias huiusmodi habentibus, ne monasteria prædicta prætextu licentiarũ huiusmodi ingredi audeant*; re vera tamen, & Gregor. XIII. sub verbo illo, *quemquam*, comprehendit tam fœminas, quàm masculos, vtpote ex Grammaticorum institutione, ac vsu loquentium vtrusque significante: & Paul. V. sub nomine fœminarum dicẽdus est comprehendisse etiam masculos (si qui tales licentias habebant;) idque iuxta communem illam doctrinam, quod lex odiosa, ac pœnalis extendi potest, & debet ad casum in ea non expressum, si ex negata extensione sequatur aliquod absurdum: vt de facto sequitur in præsenti casu, si dicamus Paulum V. intendisse solùm comprehendere sua Constitutione fœminas, iisque solùm vetare ingressum in monasteria Monialium, non autem viris, de quibus tamen erat maior ratio, quod comprehenderentur sub dicta prohibitione. Quin potius hîc procedit, quod habetur, *l. non dubium, C. de legibus* in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem: & quidem meritò, cùm mens, & voluntas legislatoris sit veluti spiritus, & anima legis, vnde omnis vis obligandi per verba tanquam instrumentalia signa prouenit: quo modo *in cap. humanæ aures* 22. *q.* 5. dicitur: *Non debet aliquis verba considerare* (intellige cum Laym *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 18. *num.* 4. nudè, ac simpliciter) *sed intentionem, ac voluntatem; quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni.*

Qværes XII. An præfatas pœnas incurrant viri, & fœminæ sæculares, si positiuè cooperentur illicito ingressui intra Monialium monasteria, etiam prætextu licentiarum, de quibus suprà.

101. Respond. non incurrere; cùm pœnæ non debeant extendi vltra casus expressos; & in iuribus, in quibus statutæ sunt pœnæ contra violantes clausuram Monialium, non fiat mentio de personis laicis modo dicto cooperantibus illicito alterius ingressui, vt facilè constabit tenorem illorum legenti.

Qværes XIII. An sub nomine Monialium comprehendatur etiam Abbatissa in iis verbis, quæ habentur in bulla Gregor. XIII. *neve Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant.*

102. Respond. comprehendi; & probatur tum quia, estò ibi non fiat expressa mentio Abbatissæ, & in materia odiosa (qualis est hæc) nomine Monachi non veniat Abbas, nec nomine Monialis Abbatissa, vt tradunt communiter DD. *cap fin. de simonia*: quando tamen materia concernit salutem animæ, aut est pariter proportionabilis Prælato, ac subditis, nomine Monachi, & Monialis veniunt Abbas, & Abbatissa; vt ostendit, aliis citatis, Sanchez *l.* 6. *mor. cap.* 16. *num.* 91. tum quia non est credibile Papam hîc voluisse punire Moniales subditas, quibus non incumbit ex officio, & non Abbatissam: quæ magis deliquit: sicque procedit doctrina tradita *q.* 11. *sub finem.* nobiscum sentit Castrus Palaus *tract.* 16. *D.* 4. *part.* 10. §. 4. *num.* 3.

Qværes XIV. Quæ personæ ex iuribus superius adductis, ac explicatis prohibeantur ingredi monasteria Monialium sine legitima facultate.

Respond. prohiberi omnes, & singulos fideles vtriusque sexus, cuiuscunque demum ætatis, status, conditionis, & gradus fuerint; idque ex iuribus relatis *quæs.* 1. & maximè ex Concilio Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 5. quod sic habet: *Ingredi autem intra septa monasterij nemini liceat cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint sine Episcopi, aut Superioris licentia in scriptis obtenta*; quanquam Sanchez *supr. num.* 3. aliique probabiliter putent tali decreto non comprehendi Reges, Reginas, Imperatores, & filios, & filias earũ, vt videbimus infrà *q.* 39. 103.

Qværes XV. An Moniales possint admittere intra septa monasterij infantes, non obstantibus iuribus suprà allegatis.

Respond. posse, si ij careant vsu rationis; & ratio est, quòd respectu horum cessat, saltem magna ex parte, finis huius prohibitionis, qui est vitare perturbationem monasteriorum ac incitamenta Monialium ad peccatum: præterquam quòd cooperatio Monialium ad ingressum non est per se mala, sed solùm supposita culpa in ingredientibus: vnde, cùm respectu dictorum infantium nulla sit culpa in ingressu, nec vlla aderit culpa ex parte Monialium admittentium; vt bene aduertit Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 2. sed inde colligens, quòd prohibitio non admittendi extraneos intra monasterium afficit Moniales solùm indirectè; idcóque cum ea directè non cadat in infantes, nec indirectè cadere poterit in ipsa. ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 8. *quæs.* 5. Henriq. *l.* 4. *de pœnit. c.* 5. *num.* 2. Riccius *in prax decis.* 648. Mirand. *q.* 2. *de monial. art.* 1. aliique penes Tambur. *de iure Abbatiss. D.* 22. *q.* 4. *n.* 1. qui bene notant, quòd, quando Concilium Trid. excludit omnes cuiuscunque ætatis, loquitur de habentibus vsum rationis, & de iis, qui possunt mouere Moniales ad peccandum. 104.

Dissentiunt Comitolus *l.* 6. *resp. mor. q.* 19. *num.* 6. & Nald. *v. clausura*, *num.* 4. asserentes, Moniales, si recipiantur infantes vsu rationis carentes intra septa monasterij, incurrere excommunicationem: sicque à sacra Congregatione decisum fuisse 12. Febr. 1585. quòd pueri, & puellæ cuiusuis ætatis non possunt admitti intra septa Monialium; idem sentit & Scorcia *in select. constitut. theor.* 336. nixus dicta decisione sacræ Congregationis: verùm nostra sententia est probabilis, & de facto sustinetur à pluribus Doctoribus, qui post præfatam decisionem scripserunt; siue quia de ea non constat authenticè; siue quia non habet vim legis vniuersalis, vt in simili tradunt Hurtadus, Laym. Ochagau. Turreblanca, Merolla, & alij, quos refert, & sequitur Diana *part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 96 Quæ responsio videtur procedere etiam in casu, quo infans excederet septennium duobus mensibus: idque ob doctrinam, quam tradunt S. Antoninus, & Henriq. apud Dianam *part.* 3. *tract.* 6. *res.* 87. pueros scilicet non obligari præceptis Ecclesiæ statim ac habent vsum rationis; quod est concedere hac in re dari aliquam latitudinem; quam tamen negat Diana ex Sanch. Salas, Suar. & Azorio. 150.

Qværes

QVÆRES XVI. An Moniales delinquant contra clausuram, & incurrant pœnas statutas, si intra monasterium admittant fatuos, & amentes.

106. Respond. delinquere, & incurrere pœnas, si illi sint ætatis pubertis, & possint incitare Moniales ad peccandum: idque siue habeant lucida interualla, adeóque peccare possint; siue sint perpetuò amentes, ac proinde sint incapaces formalis peccati. ita Sanchez *supr. num.* 8. ex Nauarr. Rodriq. Zerola, & Llamas, Suarez *supr. num.* 5. Barbosa *de offic. Episc. alleg.* 102. *num.* 32. Bonac. *supr. p.* 1. *num.* 7. aliique & probatur tum quia in talibus amentibus, cuiuscunque generis sint, militat finis prohibitionis, quatenus ij possunt incitare ad peccandum, & præbere Monialibus occasionem peccandi, monasterium perturbant, turpiter iocantur, inhonesta loquuntur, aliaque agunt minùs decentia honestatem Religiosam; vbi autem militat eadem ratio, seu finis, militat & eadem iuris dispositio. Nec obstat, quòd perpetuò amentes, qui nunquam vsi sunt ratione, sint incapaces peccati, sicque videtur procedere doctrina tradita de infantibus; illos scilicet admitti posse à Monialibus absque peccato, cum ipsi reuera non peccent ingrediendo; siquidem hoc est discrimen inter infantem, & adultum perpetuò stolidum, quòd infans per se est incapax præcepti, ideóq; ad illum non dirigitur obligatio legis; adultus verò, per se loquendo, est capax præcepti, & quòd in ætate per se sufficiente ad vsum rationis habeat eius impedimentum, per accidens est: sicque tale impedimentum excusat quidem personam à transgressione præcepti, non tamen excludit, quin præceptum cadat in ipsum; vnde, esto talis persona non peccet ingrediendo monasteria Monialium, si admittatur, aut introducatur, peccant tamen aliæ: cùm talis ingressus sit contra præceptum clausuræ, & alioqui sit liber, non quidem amenti, sed aliis illum admittentibus, aut introducentibus; qui proinde non excusantur à peccato, licèt ille excoseiur; vt si quis dormiens introducatur in monasterium Monialium, ipse sine dubio non peccat, & tamen peccant, qui illum introducunt: quia in illo carentia culpæ est solùm per excusationem, & non quia non sit materia præcepti; quæ tamen excusatio non habet locum in aliis, vt patet.

QVÆRES XVII. An, & quibus in casibus Monialis legitimè egressa è proprio monasterio admitti possit intra alia monasteria Monialium, siue sui, siue alterius Ordinis.

107. Respond. cum distinctione; vel ista Monialis petit admitti intra monasterium eiusdem Ordinis, & habitus; & sic excipi potest absque alia licentia Superioris non solùm causa hospitij, sed etiam in casu, quo illa degeret in aliqua domo priuata ad recuperandam sanitatem, & vellet ingredi monasterium gratia recreationis, v.g. sic enim Monialis non censetur extranea, cùm sit eiusdem Ordinis ac habitus, ideóque non cadit in illam prohibitio ingrediendi monasteria Monialium, quæ comprehendit solùm extraneos. Vel Monialis petit excipi in monasterium diuersi Ordinis, ac habitus; & sic, si itineretur per loca, vbi non adesset monasterium sui Ordinis, posset recipi intra monasterium diuersi Ordinis (de licentia tamen Superioris illius monasterij, & non aliter) cùm id requirat, & Religiosa charitas, quæ debet maximè vigere inter personas Religiosas, ac honestas ipsiusmet status Monialis; secùs, si ibi sit solùm causa recreationis, aut etiam ad inuisendum Monialem Consanguineam, velitque ingredi monasterium diuersi Ordinis, ac habitus: tunc quippe non posset in illud excipi, neque de licentia Superioris illius, cùm Monialis itinerans respectu talis monasterij verè sit extranea, adeóque ex hac sola causa non possit in illud admitti: sicut nec posset admitti quæcunque alia persona extranea. ita Sanchez *supr. num.* 10. & cum eo Peyrin. *tom.* 2. *priuil. Constit.* 6. *Pij V. n.* 28. & Tambur. *supr. D.* 24. *quæst.* 15. contra Castrum Palaum *tract.* 16. *D.* 4. *part.* 10. §. 1. *num.* 4 & Llamas *in methodo curat. in append.* § 11.

QVÆRES XVIII. An puellæ possint absque alia licentia admitti intra monasterium ad suscipiendum habitum Religiosum, & peragendum Nouitiatum.

108. Respond. non posse absque licentia proprij Ordinarij; & ratio est, quòd ad licitè ingrediendum non sufficit iusta causa, sed requiritur debita Superioris licentia; sicut benè aduertit Sanchez *num.* 74. addens fœminam in tali casu ingredientem eo animo, regulariter loquendo, videri posse excusari tum à culpa, tum à pœnis ratione bonæ fidei, & quòd ducta zelo Religionis, ac timens, ne sibi ingressus impediatur à consanguineis, taliter ingreditur. Non puto tamen ad id desiderari licentiam Papæ, idque ob dicta *cap.* 2. *sect.* 2. *quæst.* 17. vbi etiam ostendimus, an, & quando Nouitia exiens è monasterio sine legitima facultate, possit absque alia licentia illud iterum ingredi.

QVÆRES XIX. An, & quo modo possint Moniales admittere intra monasterium puellas causa educationis.

109. Respond. posse eo modo, quo latè dicemus *infra sect.* 4. interim consulantur Sanch. *sup. num.* 61. Bonac. *supr. quæst.* 4. *part.* 4. *num.* 15. Lezana *tom.* 1. *cap.* 25. *n.* 29. & Tambur. *de iure Abbatiss. D.* 1. *quæst.* 1. 2. 3.

QVÆRES XX. An possint admitti de licentia solius Ordinarij, aut Superioris regularis intra monasteria Monialium fœminæ coniugatæ à propriis viris sibi grauiter timentes ex adulterio commisso, aut alia causa graui hîc, & nunc emergente.

110. Respond. videri non posse, nisi in casu valdè raro, in quo non esset commodus recursus ad Papam, & esset graue periculum in mora. ita Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 46. *art.* 10. Miranda *supr. art.* 7. Barbosa *supr. num.* 66. Portel. *de dub. regul. v. clausa mon. in addit. n.* 2. Sanchez *num.* 64. aliique communiter; & probatur tum ex praxi, quæ modo viget: tum quia hic non agitur de communi vtilitate monasterij, in quo casu Ordinarius potest dare licentiam ingrediendi iuxta alibi dicta; tum quia de hoc extat specialis declaratio sacræ Congregationis relata à Zerola *part.* 1. *praxis v. Moniales quæst.* 12. his verbis: *Sacra Congregat. censuit mulieres, quæ sunt in discordia cum marito, & eius sæuitiam timent, si extra culpam sunt, quamdiu iustam causam timendi habuerint, debere, si sunt in monasteriis, tolerari; in posterum verò non debere recipi; si verò mulier aliqua venerit in suspectionem marito, quæ timet, ne ab eo aliqua vis ei inferatur, debet permitti, vt possit ingredi monasterium Monialium, si modò Constitutiones monasterij non repugnent, & accedat consensus Superiorum, Abbatissæ, & Monialium*; quamquam Azorius *supra quæst.* 4. dicat eandem sacram Congregationem declarasse posse recipi intra clausuram Monialium viduam bonæ famæ cupientem honestatis causa degere in monasterio: immò & fœminā de adulterio suspectam apud virum suum, ideóq; sibi certò timentem de periculo vitæ. quę declaratio ad minus probat nostram responsionē, quatenus admitti in aliquo casu valdè raro posse mulierem coniugatā de licētia solius

Ordinarij recipi intra clauſuram; cuiuſmodi caſus vtique procederet tempore belli de quacunque fœmina ſiue nupta, ſiue innupta ad conſulendum earum pudicitiæ aliàs periclitanti.

Confirmatur aſſertio quo ad hanc vltimam partem tum ex doctrina, quam admittit Sanchez *l.6. mor. c.16. n.60.* poſſe ſcilicet in aliquo caſu concedi ingreſſum intra clauſuram Monialium ad deponendas ibi pecunias, ſi non ſit alius locus tutus ad eas deponendas, charitas ſuadeat depoſitum illud admittere, & aliàs per Moniales ipſum commodè non poſſit intromitti: (quæ doctrina vtique poteſt à fortiori admitti in præſenti caſu, in quo ſupponitur aliter non poſſe conſuli fœminarum pudicitiæ, moraliter loquendo) tum quia non videtur probabile, quod Papa in caſu tantæ neceſſitatis velit reſtringere Epiſcopis facultatem concedendi ingreſſum in clauſuram monialium, iis competentem ex Concil. Trid. *ſeſſ.25. de Regul. c.5.* iis verbis; *Dare autem tantum Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis:* quæ verba, cum ſint generalia, non videntur abſolutè reſtringenda ad ſolam neceſſitatem monaſterij, aut Monialium, quia interdum poſſint extendi ad alicuius extranei neceſſitatem, ſiquidem lex generaliter loquens generaliter debet intelligi: dicendum ergo eſt Epiſcopi facultatem extendi ad concedendum ingreſſum in præſenti caſu: maximè ſtante doctrina, quam tradunt multi Doctores apud Dianam *p.5. tract.14. reſol.18.* poſſe ſcilicet Epiſcopum in caſu magnæ neceſſitatis diſpenſare etiam ſuper impedimento dirimente matrimonium; quippe qui, etſi in lege Pontificia, aut Conciliari regulariter nequeat diſpenſare, poteſt tamen in caſu vrgentis neceſſitatis, ſi aditus non pateat ad Papam; ſicut notat Sanch. *l.2. de matr. D.40. num.3.* ex 15. Doctoribus ab eo relatis: quæ doctrina facilius poteſt admitti in caſu noſtro, in quo licentia petitur ſolùm ad licitè ingrediendum, quàm in caſu propoſito à Sanchez in quo diſpenſatio requiritur ad validandum matrimonium. Præterquamquod neceſſitatis cauſa multa permittuntur, quæ aliàs non permittentur *c.ſi quis propter, de fur.* ſicque in præſenti caſu, in quo difficilis eſt acceſſus ad Papam, & eſt periculum in mora, ex Epicheia, ac interpretatiua voluntate Papæ videtur concedenda Epiſcopo facultas dandi licentiam ad ingrediendam clauſuram Monialium: maximè attentis declarationibus Sacræ Congregationis factis in caſibus non diſſimilibus, & à nobis modò relatis hic ex Azorio; quippe quæ ſufficienter indicant, quæ mens Sacræ Congregationis in hac re præſumi poſſit, & debeat attenta iuris regula, quod vbi militat eadem ratio, militat eadem iuris diſpoſitio, quamquam in his, & ſimilibus inſpici debeat ſtylus Curiæ, & obſeruari, ſi de eo conſtet.

QUÆRES XXI. An, & quando Epiſcopi, & alij Superiores Monialium poſſint ingredi monaſteria ſibi reſpectiuè ſubdita.

111. Reſpond. non poſſe, niſi in caſibus neceſſariis, &, ſi aliter ingrediantur, incurrere pœnas relatas q.3. patet ex Conſtit. Greg. XIII. die 23. Decemb. 1581. edita, quæ ſic habet: *H. rum tenore auctoritate Apoſtolica declaramus Prælatos omnes tam ſæculares, quàm regulares, quibus cura, & regimen monaſteriorum Monialium quouis modo incumbit facultate ſibi ex officio attributa ingrediendi monaſteria prædicta, ita demum vti poſſe, ſi id faciant in caſibus neceſſarys, & paucis, iiſque ſenioribus Religioſis perſonis comitati.* Vt notat Suarez *ſupra num. 23.* hinc ſatis apertè declarari præfatos Epiſcopos, & Prælatos comprehendi generali prohibitione Concilij Trident. vt non poſſint ingredi monaſteria Monialium ſubditarum, niſi in caſibus neceſſariis, ac proinde illos caſu, quo ingrediantur, cenſeri dare ſibi ipſis licentiam, ac veluti ſe ipſos diſpenſare in lege generali, ſicque eandem, ſeu proportionatam cauſam ad id requiri; quod certè ſatis clarè explicuit ipſum Concilium, dum *ſeſſ.25. de regul. c.7.* præcipit, vt is, qui electioni Abbatiſſæ præeſt Epiſcopus, ſeu Superior clauſuram monaſterij non ingrediatur, ſed ante cancellorum feneſtellam vota ſingularum audiat, vel accipiat: ſi quis enim ingreſſus videri poterat habere rationem aliquam, maximè is talis videtur; & tamen, quia non habet neceſſitatem, deciditur in eo non licere ingreſſum.

Quòd autem ſpectat ad pœnas, quas incurrunt Epiſcopi, & Prælati Regulares ingrediendo in caſu neceſſario; rectè notat Bonac. *ſup. p.5. n.12.* eos non affici excommunicatione, ſi ingrediuntur in caſu neceſſario intrent ſoli, non autem ſecum ducendo perſonas non Religioſas (id eſt minùs pias, & chriſtianis moribus imburas, vt explicat Tambur. *ſup. D.24. q.10. n.4.* ex Victotello) nec ſenes; & ratio eſt, quòd dicta excommunicatio ſtatuitur ſolùm contra ingredientes in caſibus non neceſſariis, non autem contra ingredientes abſque debito comitatu, vt conſtat ex tenore textus, quod etiam prius notat Sanch. *l.6. mor. c.16. n.100.* addens *n.98.* præfatam excommunicationem non eſſe reſeruatam; cùm in citata Conſtit. Gregorij XIII. nulla mentio fiat reſeruationis, & aliàs reſeruatio induci non debeat ſine ratione. 112.

Addit Sanch. *num.99.* quod, cum Gregorius in relata Conſt. ſtatuens pœnas contra Prælatos ſæculares ingredientes in caſu non neceſſario, ſolùm meminerit Prælatorum dignitatem pontificalem habentium, & quorumcumque regularium (cùm alioqui omnibus Prælatis interdicat talem ingreſſum:) Vicarij Epiſcoporum, & Prælati ſæculares habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem ingredientes monaſteria Monialium ſibi ſubdita præter caſus neceſſitatis, nullis pœnis ſubduntur: quippe quæ non debent ampliari vltra caſus in iure expreſſos iuxta regulam, *Odia reſtringi oportet.* diſſentit Ceſpedes *D.335. n.3.* dicens id ſibi non placere, nec Paſqualigo à ſe viua voce conſulto, eò quod abſurdum videatur: at nullum tale abſurdum affert, cùm verè debeter afferre, ne videatur id gratis ſupponere; ideòque qua facilitate dicit hanc noſtram doctrinam videri abſurdam, eadem, & reiicitur. Imò nec vllum abſurdum affert Paſqualigus *ipſe p.2. q.159.* ex propoſito meam hanc doctrinam impugnans, quod non poſſit facilè diſſolui. 113.

Et quidem quod ſententia Paſqualigi non poſſit deſumi ex ipſa Conſtitutione Gregorij; nempe ex iis verbis: *Prælatos omnes tam ſæculares, quam Regulares, quibus cura, & regimen monaſteriorum Monialium quouis modo incumbit;* quæ ſunt vniuerſalia, ideóque comprehendunt etiam Vicarios, aliòſque Prælatos Monialium inferiores Epiſcopo; vt patet ex dictione *omnis*, quæ omnes comprehendit, & nullum excludit *l. Iulianus, l. teſtamentum, de legat.3.* & ex dictione, *quouis modo*, quæ comprehendit etiam quæ aliàs non comprehenderentur, Decius *conſ.486. num.2.* Menoch. *de recup. poſſeſſ. remed.6. n.16. & conſil.550. num.10.* Quod, inquam ſententia Paſqualigi non deſumatur ex præfata Conſtitutione, probatur, quia in periodo continente verba allegata non recenſentur pœnæ latæ contra Prælatos Monialium indebitè clauſuram ingredientes; ſed in ſequenti periodo, in qua fit mentio ſolùm de Epiſcopis, ac

Prælatis Regularibus Monialium, non autem de Vicariis, &c. vt constat ex iis verbis: *Quo circa vniversos, & singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos nec non quorumuis Ordinum Abbates, Priores, Ministros, & alios quoscumque Superiores Regulares seriò monemus, vt facultate eiusmodi, qui eam habent, præter quam in casibus, vt præfertur, necessariis neutiquam vtantur: quod si contra fecerint, eadem auctoritate Apostolica statuimus, atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos prima vice, qua contra fecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda à munere Pontificali, & à diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere: Regulares verò omni officio, ac monasterio priuatos excommunicationi similiter subiacere*: cum ergo in priori periodo solum proponatur prohibitio ingrediendi clausuram Monialium, præter quam in casibus necessariis, non autem pœnæ, sub quibus fit ea prohibitio, & fiat mentio de Prælatis Monialium inferioribus Episcopo; è contra verò in posteriori periodo hic relato proponantur dictæ pœnæ nulla mentione facta de Prælatis Monialium inferioribus Episcopo: dicendum est hos quidem comprehendi sub prohibitione, non autem sub pœnis: cum simus in materia pœnali, quæ ampliari non debet vltra casus expressus; & à diuersis non fiat Illatio; clausuláque posita in vno paragrapho; aut versiculo non referatur ad alium paragraphum, aut versiculum; vt notauit Glossa *cap. vn. v. sic scilicet, de postulat. Prælat. in 6.* & Sanchez *lib. 2. de matr. D. 11. num. 3.* Et hoc fecit Gregorius tum ex causis sibi benè visis, quæ nos latent; siue quia respectu legislatoris nonnunquam procedit, quod notat Glossa *Instit. de vsucap. §. furtiuæ quoque, v. nam furtiuarum: Sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntas*; siue quia Prælati Monialium inferiores Episcopo, ac Vicarij Episcoporum (quos diximus non comprehendi sub pœnis latis contra Prælatos Monialium extra casus necessarios ingredientes clausuram earum) ab hoc excessu facilius retrahi poterant, etiam absque timore dictarum pœnarum; illi quidem, eo quod se agnoscentes Episcopis inferiores, & dignitate, & potestate non ita facilè sibi arrogassent potestatem ingrediendi; siue quod plerúmque in eorum territorio non sunt Monialium cœnobia, saltem iis subiecta: hi verò, eo quod assistentia Episcopi proprij, cuius sunt Vicarij, sufficere poterat ad eos retinendos, ne in casu vetito Monialium monasteria ingrederentur.

Quod si dicas cum Pasqualigo *num. 10.* extensionem legis attendendam esse ex verbis dispositiuis (cuiusmodi sunt, quæ extant in priori periodo relata; non autem exhortatoriis, qualia sunt quæ habentur in posteriori periodo; vt constat ex his, *seriò monemus*: non ideo infringitur nostra assertio: cum verbum, *moneo*, & similia iutetdum sumantur pro verbis præceptiuis (vt ostendo *tract. 5. Man. cap. 2. n. 19*) sicque negari possit verba posterioris periodi esse hortatoria, non autem dispositiua, vt censet Pasqual.

Neque ex nostra assertione sequitur, quod supponit Pasqualigus *num. 10.* atque esse monstruosum; nempe Episcopum non posse liberè ingredi septa Monialium, & posse Abbatem exemptum, ac Vicariū Episcopi in eius absentia: nos enim solum dicimus hos nō subesse pœnis, si in casu non permissu ingrediantur, quibus subesset Episcopus, si ingrederetur; cum quo vtique stat, quod neque ij ingredi possint extra casus necessarios: hæc autem duo sunt diuersa, adeóque ex vnius negatione non infertur negatio alterius.

Non obstat, quod finis præsentis prohibitionis æquè militet in Vicariis Monialium, ac in Episcopis, & vbi finis habet locum, locum habeat & dispositio legis; cum debeat attendi mens, ac finis legis, *leg. scire leges, ff. de leg.* nam id procedit, si legislator se sufficienter explicet: alioqui contra illum facit *regula 57. de reg. iur. in 6. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio est facienda*: & quod *mens in animo retenta nihil operatur, leg. si repetendi, C. de condit. ob causam data, leg. si maiores, C. de transact.*

Quod denique subdit Pasqualigus *num. 11.* nomine Episcopi venire Prælatos habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, admitto in fauorabilibus, non item in pœnalibus. Et certè quo modo de Vicario Episcopi verificati possunt verba illa Constitutionis Gregorij XIII. Superiùs relata: *Qui Pontificalis dignitatis fuerint*; & illa, *à munere Pontificali*: constat autem, vbi non habent locum verba legis, nec habere dispositionem, *leg. illud, ff. ad leg. Aquil. leg. si postulauerit, §. 2. ad leg. Iul. de adult. leg. illud, C. de sacros. Eccles.* & quod lex non dicit, nec nos dicere debere, nec esse præsumendum, *leg. dissentientis, C. de repud. cap. illa, ne Sede vacante.*

Dubium paulò grauius est, an Prælati regulares ingrediendo cœnobia Monialium subditarum citra casus necessarios, incurrant pœnas statutas non solùm tertia vice (vti solùm incurrunt Episcopi) an etiam prima, ac secunda vice; & ratio dubitandi est, quòd Constitutio Gregotij XIII. loquens de Prælatis Pontificali dignitate insignitis statuit pro prima, & secunda vice diuersas pœnas, & pro vlterioribus etiam excommunicationem; statimque subiungit pœna pro Prælatis regularibus; vnde Llamas relatus à Sanchez *num. 102.* ex adiunctis putat dictas pœnas intelligi pro præfatis Prælatis, quando tertiò, & vlterius ingrediuntur citra casus necessarios.

Respond. Sanchez *loco citato* Prælatos regulares dictas pœnas incurrere quacunque vice modo dicto ingrediuntur: probatque quia Papa non meminit primi, ac secundi ingressus Prælatorum regularium, sicut fecit loquens de Episcopis; sed absolutè imponit pœnam excommunicationis, ac priuationis officij, & ministerij contra Prælatos regulares in casu non necessario ingredientes monasteria Monialium: quod est signum ipsius intentionem esse, quòd ij dictas pœnas omnes incurrant toties, quoties indebitè ingrediuntur. Dissentit Bonac. *supr.* & cum eo Tambur. *supr. quæst. 11.* asserentes ex Llamas, & non improbabiliter, Prælatos regulares subiici dictis pœnis solùm pro tertia vice, ac sequentibus; sicque probabiliter sustineri posse illos prima vice, qua ingrediuntur, esse interdictos ab ingressu Ecclesiæ, pro secunda suspensos ad diuinis, & pro tertia, ac deinceps affici excommunicatione. ducuntur, quòd in pœnis mitior pars eligi debet, sicque seruatur proportio inter pœnas indictas Episcopis, ac Prælatis regularibus. 114

Addo Prælatum Monialium siue sæcularem, siue regularem ex iusta causa ingredientem monasterium Monialium subditarum, expedito negotio, ad quod ingreditur, non posse liberè vagari, sed teneri egredi, æquè ac teneretur quilibet alius de eius licentia ingrediens. Ducor, quod lex clausuræ afficit etiam Prælatos Monialium, ideóque sicut, cessante causa, cessat licentia data aliis ad ingrediendum; sic & cessat respectu Prælati facultas manendi intra clausuram; cùm par ratio militet in vtrisque. ita Pollacchus, Bordonus, Baldell. Steph. à S. Gregor. aliique docti viri à me consulti: inter quos P. Baldellus mihi

teſtatus eſt extare in confirmationem huius reſponſionis quandam ſactæ Congregat.declatationem.

115 *Confeſſarij Monialium ingrediuntur in varyjs caſibus,immò & quicunque alius Sacerdos in caſu neceſſitatis inopinato.*

116 *Medicus licitè intrat in caſibus neceſſaryjs; item Obſtetrix.*

117 *Item Pharmacopola,vt doceat Moniales componere medicinam.*

118 *Item Barbitonſor in caſu neceſſario.*

119 *Medicus non ingreditur, ſolùm vt cognoſcat, qua Moniales debeant diſpenſari ſuper Quadrageſimali obſeruantia: extraordinarius non ingreditur liberè,medicus ſine licentia ſpeciali non ingreditur ad ſecandam Monialem mortuam ex morbo incognito.*

120 *Oeconomi,Syndici, & Factores ingrediuntur ſolùm vrgente neceſſitate.*

121 *Ingreditur Notarius ad excipiendum teſtamentum Nouitiæ ægrotantis.*

122 *Ingrediuntur Operarij in caſibus neceſſariis, cum debita tamen licentia.*

123 *Item Bainli ad deferendas res extraneorum, ſed non ſemper.*

124 *Deficiente deputato ad ferenda onera non liberè ſuff..atur alius.*

125 *Ruſtici ſi plures aſſocient currus tritico onuſtos, omnes ingrediuntur ad deferendum triticum.*

126 *Non delinqait deputatus ad feronda onera intra clauſuram, ſi ſingulis vicibus minora onera ferat, vt ſic pluries ingrediatur.*

127 *Pictor licentiatur ad ingreſſum, vt pingat ſcenam iam factam intra clauſuram.*

128 *Licentiatur mulier laica in ſeruitium tum Conuentus,tum Monialis ſingularis:& ex cauſa mutatur vi prioris licentiæ.*

129 *Recipiuntur admittendæ inter Conuerſas etiam ad aliquot menſes,priuſquam admittātur ad habitū.*

130 *Fœmina laica ingreſſa modo dicto in ſeruitium liberè recedit.*

131 *Famuli ingrediuntur ad ſeruitia,quæ æquè bene fieri nequeunt à Monialibus.*

132 *Moniales nequeunt recipere reum ad ſecuritatem, etſi ipſe aliàs poſſit ingredi.*

133 *Reus ipſe ingreſſus inde poteſt expelli.*

134 *Debet tamen poni in loco tuto.*

135 *Fœmina de licentia Papæ ingrediuntur ad prandendum,& conuerſandum.*

136 *Sed aſſociata à fœminis tribus grauibus, ac nobilibus,& non aliter.*

137 *Quæ ſemel electæ variari nequeūt;quod alij limitāt.*

138 *Hæ ſemper aſſociant fœminam priuilegiatam vſque ad egreſſum.*

139 *Explicantur verba indulti Papalis (tribus vicibus in totum,non autem eorum ſingula quolibet anno) idq; ſiue in Breui nominentur quatuor monaſteria (quod ſit interdum)ſiue nominentur duo ſolum.*

140 *Ad talem ingreſſum petitur conſenſus capitularis Monialium,& licentia Prælati.*

141 *Licentiata ad ingreſſum modo dicto, non viſitat cellas Monialium.*

142 *Poteſt eligere ad ingreſſum diem, qua in Conuentu fiat comœdia.*

143 *Conſenſus capitularis Monialium debet eſſe maioris partis illarum ſemel dandus, ac ſimul quoad fœminam priuilegiatam,& tres matronas.*

144 *Licentiata non ingreditur iterum, ſi ingreſſa ex accidenti fruſtretur ex parte ſuo fine:ſecus,ſi ſtatim cogatur exire: ſi hoc anno ſemel intret vnum ex monaſteriis, cum poſſit ingredi ter quolibet anno, non ideo quinquies intrabit anno ſequenti.*

QVÆRES XXII. An, & quibus in caſibus poſſint Confeſſarij Monialium ingredi monaſteria Monialium ſibi commiſſa.

Reſpond. poſſe ingredi in iis caſibus, quos referemus infra *cap.*10.*ſect.*3.*ſub.*1.*&* 2.vbi hac de re latè diſſeremus ex propoſito.Solùm hic moneo ex Mancino *pract.*4. *part.*1. *d.*8. pro ſe citante Rodriquez& Sotbum, quòd, ſi contingat ſimplicem Sacerdotem non deputatum ad Monialium confeſſiones ſecùs aliquod monaſterium tranſeuntem vocari ad audiendam confeſſionem alicuius Monialis ex caſu inopinato exiſtentis in periculo mortis, poteſt, & tenetur ingredi monaſterium, etiam ſine licentia Superioris. ſiquidem cenſeretur id facere de licentia interpretatiua, non ſolum Ordinarij ac Superioris, ſed etiam ipſius Papæ,qui non præſumuntur extendere obligationem clauſuræ ad talem caſum: ſicut nec præſumitur extendi ad caſum incendij, ruinæ monaſterij, violentiæ illatæ, & ſimilium, in qoibus conſtat licitum eſſe ingredi monaſteria Monialium abſque vlla licentia;quæ omnia concedit etiā Sanch. *ſupr.n.*34.ex Nauar.& Graff.dicens non deſiderari licentiam, neque in ſcriptis,neque oretenus;quandocunque ea expectata,graue periculum adeſt in moræ quamuis alioqui dicat *n.*37. in ſimilibus caſibus exigi licentiam Abbatiſſæ, quæ poterit eam concedere ex præſuppoſita voluntate Prælati;ſed de hoc infra. 115.

QVÆRES XXIII. An, & quando Medici,Chirurgi,Barbitonſores,& ſimiles ingredi poſſint monaſteria Monialium ad effectū medendi ipſis Monialibus,prout hic,& nunc exigit ratio morbi occurrētis.

Reſpond. poſſe in caſibus neceſſariis,cum debita tamen licentia,vt inferiùs dicemus, & ſeruatis aliàs ſeruandis. eſt communis D D.apud Sanch. *num.*43. inter quos Bonacina *ſupr.part.*4.*num.*5.notat probabiliter dici poſſe medicum poſſe acceſſiri ad lectum Monialis dubitantis de ſua valetudine,ad ictum pulſus explorandom, eſtò ipſa poſſet ſine magno ſalutis damno accedere ad ianuam: idque,licèt id faciat ex ſola erubeſcentia.Quod admittit etiam Tambur. *D.*24.*q.*6.*n.*2. addens *n.*5. ex Sotho non poſſe Medicum habere ſocium,aut alios Medicos, niſi morbus Monialis ſit valdè grauis. idē aduertit Barboſ. de *off. Epiſc.alleg.*102.*n.*52. monens Medicum debere aſſociari à duobus,vel tribus Monialibus antiquioribus; addenſque *n.*53.ex Miranda, ad hoc vt Medicus ingredi poſſit, non requiri neceſſariò, vt ſit Doctor, aut Graduatus: cùm medicus dicatur à medendo,& non à dignitate,vt tradit Bart.*in l.ſciēdum,ff.de delict.* 116.

Moneo hic obiter, quòd, ſi fœmina prægnans de licentia Superioris ingrediatur clauſuram: tempore partus ingredi poterit Obſtetrix ad illam iuuandam in partu. ita in terminis Portell. *de dub. regul. v. clauſ.Mon.num.*18.ex Collectore,& cum his Monachus *inſtr.monial.part.*5. patetque ex eo quòd in tali caſu neceſſarius eſt ingreſſus obſtetricis, vt facilè conſtabit conſideranti: ad talem tamen ingreſſum requiretur licentia Prælati; quod dicendum eſt ſupponi à citatis Doctoribus,licèt expreſsè id non aſſerant: cùm Portello ſentit Tambur. *vbi ſupr.q.*1.*n.*5.

Reſpond. de Pharmacopola notant Sanchez,Bonac. & Tambur. *locis citatis*, eum quidem poſſe ingredi monaſteria Monialium, vt ipſas inſtruat ad componenda pharmaca, cum in hoc adſit iuſta cauſa neceſſitatis; non item ad præbendam medicinam Moniali infirmæ, cùm hoc à Monialibus æquè bene præſtari poſſit; ideoque quoad hoc non ſit neceſſarius eius ingreſſus. 117.

Addit

118. Addit Barbosa *n.54.* ex Sorbo quod, sicut Barbitonsor ingressurus ad minuendum sanguinem Moniali ægrotanti, debet ingredi, associatus eo modo quo diximus de Medico, & solùm postquam Medicus iudicauit minuendum esse sanguinem; sic, si quæ Monialis consueuit se aliquoties minuere ad præcauendum morbum, tunc debet interuenire consensus, & consilium tam Præfectæ, quam Discretarum monasterij.

Quòd si obiter quæras, an Medicus sub initium Quadragesimæ possit ingredi ad cognoscendum, quæ Moniales possint, & debeant dispensari super ieiunio, & esu ciborum quadragesimalium.

119. Respond. quòd, cùm talis cognitio haberi possit à Medico existente extra clausuram, non videtur posse ingredi præcisè ad talem effectum: cùm sic cesset ratio ingrediendi, quæ est necessitas vrgens, rationabilis, & manifesta, vt inferiùs dicemus agentes de licentia ad ingrediendum.

Addo ego, quòd si Moniales habeant Medicum Ordinarium, & alium extraordinarium; loco ordinarij non possunt pro arbitrio vocare extraordinarium: cùm is concedatur solùm in defectum Medici ordinarij, aut in casu, quo, morbo Monialis ingrauescente, habendum sit collegium; & vtriusque Medici necessaria sit visitatio: aliàs Medicus extraordinarius idem esset, ac ordinarius; & cùm licentia ingrediendi data extraordinario sit limitata, non potest is vi illius ingredi illimitatè, & in quocunque casu, vt notat Barchus *in speculo monial. cap.* 8.

An autem Medicus sine licentia speciali ingredi possit ad secandam Monialem ex morbo incognito mortuam, vt cognoscat genus dicti morbi, & qua ex causa mortua sit Monialis.

Respond. non posse, seclusa bona fide, ac inaduertentia: & probatur tum quia licentia generalis ingrediendi ad curandas Moniales infirmas non extenditur ad hunc casum, vtpote longe diuersum iuxta iuris regulam, *A diuersis non fit illatio*: tum quia ad ingressum clausuræ Monialium requiritur vrgens necessitas, aut vtilitas se tenens ex parte ipsarum Monialium; in isto autem casu non apparet talis necessitas vrgens, & vtilitas, quæ ex dicto ingressu posset prouenire, non tangit Moniales, sed Medicum, qui ex sectione Monialis mortuæ fiat peritior, ac magis instructus: tum quia finis qui potest intendi in tali ingressu solùm dat causam iustam petendi à legitimo Superiore licentiam ingrediendi, at non facit ingressum eo ipso licitum, vt patet. sic ego respondi in contingentia facti, & responsio fuit approbata à viris doctissimis, qui idem senserũt.

QVÆRES XXIV. An Oeconomi, Syndici, aut Factores Monialium ingredi possint monasterium, & in quibus casibus.

120. Respond. posse ingredi, quotiescunque occurrit casus vrgentis necessitatis, cui aliter æquè bene non potest consuli: vt si in archiuio quærenda sint aliqua instrumenta monasterij, aut construendum sit notabile aliquod ædificium, aut fabricæ constructæ timeatur imminere magna aliqua ruina, cui iudicio peritorum occurrendum sit ad illam euitandam, aut eueniat similis alius casus magnæ necessitatis. Colligitur ex Sanchez *supr. num.* 55. & Tambur. *supr. q.* 6. *n.* 4. pro se citante Llamam; patetque tum quia aliàs qui minus sufficienter esset consultum bono Monialium; quod non debet præsumi de pia matre Ecclesia: tum quia necessitas vrgens monasterij est ratio sufficiens dispensandi in lege clausuræ, vt iam diximus.

QVÆRES XXV. An Notarius possit ingredi clausuram Monialium, si contingat Nouitiam, aut puellam ibi commorantem causa educationis grauiter infirmari, velleque disponere de suis bonis per modum testamenti.

Respond. posse; & quidem cum necessariis testibus, dummodò id faciant debita cum licentia. ita in terminis Nald. *v. Monialis, num.* 14. & probatur tum ex dictis *q. praeced.* tum quia sic expressè declarauit sacra Congregatio anno 1585. vt testatur idem Nald. & cum eo Gauant. *in enchirid. v. Monialium educatio, num.* 14. & Monachus *in instruct. monial. part.* 5. 121.

QVÆRES XXVI. An, & quando Operarij, seu artifices possint ingredi monasteria Monialium ad exercenda opera suæ artis.

Respond. posse de legitimi Superioris licentia, & quidem ad exercenda omnia illa opera, quæ extra monasterium nequeunt commodè fieri; idque ob rationes adductas *q.* 24. & alibi. Sic possunt ingredi fabricatores, hortulani, fabri lignarij, putearij, putatores, molitores, & similes artifices; sic possunt ingredi baiuli ad ferenda onera, quæ à Monialibus non possunt commodè gestari (quanquam sine speciali licentia, iuxta Tamburinũ supra Barchium, & Pollacũ ab eo relatos non posset ad talem effectum ingredi aliquis alius loco baiuli: quod tamen non videtur ita certum, admissa doctrina tradenda hîc *sect.* 5. *num.* 107 & casu, quo in tenore licentiæ non exprimatur hic, aut ille baiulus:) sic ingredi possunt rustici ad deferenda ea, qua ferri nequeunt à Monialibus, si aliàs ad id habeant debitam licentiam. E contra non possunt ingredi Sutores; cùm possint de calceorum mensura certiores fieri, siue ostenso eis calceo, siue declaratis punctis, quibus constat: immò nec Sartores iuxta communiorem DD. sententiam, quam sustinent Miranda *supr. art.* 4. Bonac. *num.* 11. Tambur. *num.* 9. & alij ea ducti ratione, quòd Sartor mensuram vestium capere possit vel ex aliis vestibus eiusdem Monialis, vel ex eadem Moniali existente prope ianuam monasterij apertam: in quo dissentiunt Nauarr. *comm.* 4. *de Regul. num.* 59. & Sanchez. *supr. num.* 43. putantes Sartorem habere iustam causam ingrediendi ad vestes Monialium corpori dimetiendas, & panno forcipibus aptando; eò quòd ista non possint fieri æquè bene extra clausuram: quæ opinio non videtur improbabilis, si talis sit vsus, sciente, & consentiente Superiore. 122.

Notat autem Bonac. *num.* 8. quòd, cùm baiulis non permittatur ingressus in monasterium, nisi ob vtilitatem, seu necessitatem monasterij (modo aliud non suadeat ius naturale, aut diuinum,) hinc ij non possunt ingredi, vt pecuniam alicuius in arca reconditam, aut aliàs res magni ponderis in monasterio deponant: nisi fortè id cederet in bonum monasterij, aut res illæ essent benefactoris alicuius insignis Monialium, cui sine graui dispendio monasterij, dictarum rerum custodia non posset negari, aut charitas oppositum suadeat: vnde in hoc standum est prudentis iudicio Superioris. quod etiam aduertit Tambur. *num.* 8. addens *num.* 9. habentem licentiam ingrediendi pro vno seruitio non posse ingredi ad præstandum aliud seruitium, cùm ad talem casum non extendatur licentia, vt suppono.

Sic Barchus *in specula, cap.* 8. putat, & bene, quòd si Moniales prohibeantur recipere in custodiam pecuniam, aut alia bona externorum; & eæ nihilominus faciant illa deferri intra clausuram per baiulos aliàs generaliter licentiatos ad ferendas res Conuentus intra ipsum: peccabunt contra clausuram & Moniales baiulos admittentes; & ipsi baiuli prædicta introducentes; immò & incurrent pœnas latas cõtra

violantes clausuram tam baiuli, quàm ipsæ Moniales (intellige, si concurrant ea, quæ diximus *supr. q. 3.* & maxime *num. 86.* ratio est, quòd licentia illa generalis ingrediendi concessa baiulis non extenditur ad præsentem casum: vt hinc patet, quòd Superior prohibens Monialibus, ne res externorum recipiant in custodiam, consequenter prohibet baiulis, ne dictas res deferant intra clausuram: constat autem, quòd, si ille ipsis id expressè prohibuisset, tunc non possent eas introducere; ergo nec poterunt in præsenti casu; cùm taciti, ac expressi eadem sit virtus, quæ ratio probat non licere præfatis baiulis deferre intra clausuram res externorum à Monialibus custodiendas, etiam seclusa prohibitione, de qua hic, quamquam fortè non ita facilè conuinci posset falsitatis, qui mallet sustinere licentiam generalem deferendi intra clausuram res Monialium extendi ad res modo dicto ipsis committendas in custodiam: quatenus ex sub hac ratione formali dici possunt res Monialium, & versantur in materiam fauorabili, quæ debet ampliari, quo modo plures DD. apud Bonacinam *D. 3. de contr. q. 9. p. vn. num. 13.* putant furari res laicorū traditas Ecclesiæ in custodiam esse sacrilegium, eo quòd tales res censeantur res Ecclesiæ; quod maximè admittendum esset, si talis custodia cederet in bonum etiam ipsarum Monialium; sicut cederet, si res illæ essent benefactorum Conuent &c.

Difficultas maior est, an casu, quo Prælatus generaliter indulgeat Monialibus, vt onera vsibus monaster j necessaria faciat deferri per baiulos intra clausuram; vt talis licentiæ generalis ex ad effectum intentum possunt semper vti opera eiusdem baiuli, vel certè debeant variare.

123. Respond Barchus *sup.* & cum eo Monachus *p. 5. instrull. Monial.* debere variare, vtendo opera modò vnius, modo alterius baiuli; sed re vera intentum minùs efficaciter probat: quare oppositum mihi probatur, & indè suadetur, quòd beneficium Principis latè interpretandum est; & vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus: cùm ergo licentia generalis, de qua hic, sit gratia principis: & in eius concessione non distinguatur, num Moniales debeant semper vti opera eiusdem baiuli, vel non; neque nos distinguere debemus, licentiam arctando eo modo, quo illam arctat Barcus, nec obstat, quod in tenore licentiæ dicitur in numero plurali, *per baiulos*: siquidem non est nouum vsurpari numerum pluralem pro singulari: vt Iacobi 5. *Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros*; cum tamen ad ministrandum extremam Vnctionem indicatur vnos tantùm Sacerdos.

Dubitari hîc posset, an casu, quo alicui artifici detur licentia ingrediendi cum suo famulo, is etiam sine Artifice ingredi possit ad exercendam suam artem, ibique solus commorari.

124. Resp. Barchus *sup.* non posse, nisi in euentu, quo artifex ex impedimento occurrēte non posset ingredi, aut ingressus cogeretur exire; dummodò tamen non omninò deserat opus assumptum, aut non sit absfuturus pro maiori parte diei, hæc Barchus; sed mihi non placent: puto enim oppositum esse probabile, si aliter non constet de mente concedentis, aut aliud non suadeant occurrentes circumstantiæ. Moueor, quòd tenor licentiæ in præsenti casu datæ non facit hunc sensum, quòd artifex, & famulus debeant simul ingredi, & simul commorari (quo pacto infra *q. 30.* dicemus fœminam nobilem licentiari ad ingressum clausuræ cum comitatu aliquot matronarum; vnde & Barchus concedit in casu proposito famulum posse in aliquo euentu ingredi & commorari intra clausuram etiam sine artifice; quod certè non potest concedi de fœmina nobili modo dicto licentiata ad ingressum, vt *quæst. citata* dicemus:) sed facit hunc sensum, quòd artifex ille, & eius famulus ingredi possunt ad exercendam suam artem: non secùs ac dicens Petrum cum Paulo esse domi, indicat & Petrum, & Paulum esse domi; cùm ergo tenor concessionis possit facere hunc posteriorem sensum, cur eam restringit Barchus ad priorem sensum adeò rigidum contra regulam iuris, quod gratia Principis latè debet interpretari?

Dices, quid si licentiatus ad ferenda onera intra clausuram absit, aut ægrotet; nec possit æquè benè differri gestatio dictorum onerum, eo quòd v. g. coloni, qui curru ea detulerunt, volunt, & debent recedere; poterit ne in tali casu absque speciali licentia Superioris substitui alius, qui tunc suppetias ferat gestando illa onera?

Resp. videri non posse: cùm ex vna parte simus in materia valdè zelosa, delicata, ac periculosa: & ex alia non videatur in proposito casu subesse iusta causa vtendi epicheia; maximè in re, ad quam iura requirunt licentiam specialem, & in scriptis. ita docti viri consulti; sicque respondi in facti contingentia. 125.

Dubitari hic etiam posset in casu, quo coloni suis curribus frumentum, aut aliud simile onus deferant, possint singuli eorum ingredi ad gestanda dicta onera intra monasterium; si duo v. g. possint sufficere ad præstandum tale seruitium, pluries ingrediendo.

Respond. simpliciter loquendo, non videri id necessarium, nisi fortè aliud ferat consuetudo, cui tanquam optimo legis interpreti omninò standum est; ideóque posse omnes colonos ingredi suis vicibus; vt sic tantò citius se expedire possint, & minor singulis imponatur labor, iustitia distributiua id exigente. ita Magistri admodum docti à me consulti, & suffragatur praxis multorum locorum, Prælatis scientibus, & consentientibus. 126.

An autem censeri debeat delinquere contra clausuram is qui, cùm sit deputatus ad ferenda aliqua onera intra monasterium, singulis vicibus minora onera sibi imponit, vt sic habeat occasionem pluries ingrediendi, cùm aliàs posset sine suo graui dispendio maiora onera ferre.

Resp. non videri delinquere; & ratio est, quòd is verè ingreditur cum debita licentia, & aliàs ex vi legis clausuræ de rigore iuris non tenetur sibi imponere onera tanti ponderis, quanti simpliciter posset ferre, vt sic tanto citiùs se expediat; in quo ergo censendus est iste delinquere contra clausuram? sic ego sentio, & vt puto, satis probabiliter.

Proponam modò casum, de quo olim in contingentia facti fui interrogatus. Quædam Moniales piam repræsentationem scenicam facturæ petierunt ab Ordinario licentiam admittendi intra monasterium Pictorem, qui sibi scenam depingeret iam constructam: dubitatum est, an hæc esset iusta causa concedendi ingressum dicto Pictori.

Respond. quòd, cùm iusta causa concedendi ingressum intra clausuram Monialium sit vrgens necessitas; & hæc non debeat esse talis simpliciter, & absolutè, sed moraliter iudicio boni, ac prudentis viri; vt inter alios aduertit Miranda *q. 2. de monial. art. 4.* in casu proposito videtur adesse iusta causa concedendi ingressum, dato quòd rationabiliter soleat concedi Monialibus, vt similes exhibeant repræsentationes; sicut de facto communiter conceditur. Ducor, quòd, quamuis bono Monialium non sit simpliciter necessaria exhibitio talium repræsentationum; posita tamen consuetudine eas permittente, necessarium 127.

necessarium est, vt eis concedantur illa omnia, quæ ad talem effectum sunt necessaria, iuxta illud: *Qui vult finem, debet velle & media ad finem, sine quibus is obtineri nequit*; at dato quòd scena intra monasterium iam sit constructa (vt supponit casus) necessarius est Pictoris ingressus, vt eam ibi pingat: ergo adest iusta causa concedendi ingressum, iusta, inquam, ex hypothesi facta: dico ex hypothesi, quia regulariter huiusmodi scenæ possunt per partes pingi extra clausuram: antequam simul componantur: quòd vtique fieri potest æquè bene extra monasterium, & debet communiter sic obseruari. ita tunc respondi, & responsionem approbarunt viri satis docti postea à me consulti.

Quæres XXVII. An, & quomodo Prælati Monialium possint ipsis concedere, vt intra clausuram admittant fœminas sæculares in obsequium, & famulatum proprij monasterij.

128. Respond. posse, dummodo tales fœminæ sint timoratæ conscientiæ, & feruent clausuram; & quidem non solùm in obsequium commune totius monasterij, sed etiam alicuius particularis Monialis, siue grauis senectute laborantis, siue affectæ praua valetudine, siue iuxta sui status exigentiam famulæ alicuius opera indigentis, cui commodè inseruiri nequeat per aliquam ex Monialibus Conuersis. ita Sanchez *supr. num. 66.* Rodriquez *tom. 1. q. 46. art. 7.* Bonacina *num. 10.* Tambur. *supr. q. 16. n. 1.* aliique apud ipsos; inter quos etiam est Lezana *n. 31.* quòd cum oppositum sustineat Miranda *supr. art. 9.* quoad Moniales particulares, cautè in hoc procedi debet: præsertim attenta declaratione Sacræ Congregationis, quæ teste Gauanto *supr. v. Monial. receptio, n. 14.* statuit huiusmodi famulas sæculares non debere introduci in seruitium infirmarum, seu decrepitarum sine licentia Sedis Apostolicæ. Probatur autem responsio, tumquia dato quòd Moniales Conuersæ, quæ existunt in monasterio, minus sufficiant ad necessaria obsequia Monialium, adest iusta causa concedendi ingressum: ne aliàs Moniales deputatæ ad chorum cogantur deserere chorum, ad vacandum vilioribus obsequiis monasterij, quòd ipsis esset nimis durum: tum quia id expressè concessit Gregor. XIII. per motum proprium, quem refert Tambur. *supr. D. 24. q. 16. num. 4.* & citat etiam Lezana *vbi supr.* cum hoc idem prius concessissent etiam alij Pontifices, teste Miranda *supr. art. 5.*

Addo quòd si sacra Congregatio concedat nobili fœminæ ingressum in monasterium aliquod Monialium, vt ibi degat cum vna famula, quæ sit virgo, ac ætate grauior: si primò electa ad talem effectum, ac ingressa monasterium velit recedere: vi prioris licentiæ poterit ei substitui alia fœmina, quæ habeat easdem conditiones; modò licentia non fuerit limitata ad certam numero personam, sed data sit indeterminatè; idque puto procedere, etsi mulier electa in famulam à fœmina nobili dimittatur inuita, eo quod minùs benè impleat suum famulatum: & hoc toties, quoties fœmina nobilis iustam habebit causam faciendi dictam mutationem, seclusò dolo quocunque. Ducor, quod talis præsumi potest esse mens Sacræ Congregationis, sicque exigit æquitas; cùm famulæ istæ mercenariæ non raro mutata voluntate resilire soleant à priori famulatu; & id censeri possit aduertisse Sacra Congregatio. Nec obstat, quod sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice, *l. boues §. hoc sermone, ff. de verb. significat.* nam regula hæc fallit; 1. in dispositione, cuius causa non restringitur ad primum actum: 2. ex verosimili mente dispositionis: 3. quando ex primo actu non est satisfactum menti disponentis; vt notat Tuscus *concl. 499. lit. D. n. 39. 45. 46.* quæ omnes limitationes videntur in præsenti casu militare.

De Monialibus certè Conuersis iam admissis ait Nald. *v. Monialis n. 14.* eas posse recipi intra clausuram ad inseruiendum Monialibus pro maiori earum probatione, & quidem ad 2. aut 3. menses, antequam recipiantur ad habitum regularem, sicque decisum fuisse à Sacra Congregatione. 129.

Quod autem dixi sub initium responsionis, *dummodo sint conscientiæ timoratæ, & seruent clausuram*, non ita debet intelligi, vt, cessante necessitate famulatus ipsarum, eæ non possint recedere (sine dubio enim possunt, sicut possunt & Nouitiæ, & puellæ, quæ educantur in monasterio) sed sensus est, quod quamdiu volunt vacare obsequio Monialium, non possunt liberè ingredi, & egredi, sed debent manere sub clausura: &, si exeant, absque noua licentia Superioris non possunt iterum introduci. 130.

Quæres XXVIII. An, & quando famulus ordinarius monasterij possit ingredi ad inseruiendum Monialibus.

Respond. non posse, nec debere ingredi, nisi in iis casibus, in quibus Moniales se ipsis non possunt commodè præstare illud seruitium (quod est dicere in casibus necessitatis moralitet vrgentis,) &, si citra tales casus ingrediatur, delinquit contra clausuram, & incurrit excommunicationem. quod benè debent aduertere etiam Moniales; quæ interdum sunt nimis faciles in admittendis propriis famulis, etiam ad ea obsequia, quæ iudicio prudentis possunt commodè præstari à Monialibus Conuersis; cùm tamen etiam ipsæ in hoc peccent, & subiiciantur pœnis superius explicatis, si non excusentur ratione inaduertentiæ, aut bonæ fidei, & aliàs concurrant, quæ diximus hîc *num. 86.* 131.

Quæres XXIX. An Moniales absque violatione clausuræ possint admittere intra monasterium malefactorem petentem ingredi ad euadendum periculum Iudicis insequentis.

Respond. non posse, quamuis alioqui malefactor in tali discrimine positus non peccaret ingrediendo, si ostium inueniret apertum: quippe cui præsens periculum aufert ansam maturioris deliberationis, & ius tuendi vitam, aut vitandi graue corporis damnum, censetur reddere licitum talem ingressum. Ita in terminis Sanchez *num. 59.* Bonac. *n. 14.* Tambur. *supr. q. 7.* aliique & patet, quia statum Monialium dedecet tueri malefactorem intra clausuram proprij monasterij. 132.

An verò in casu proposito adsit iusta causa concedendi Iudicibus, & aliis viris licentiam ingrediendi ad expellendum malefactorem nolentem exire è monasterio.

Respond. adesse, cùm non deceat virum commorari inter Moniales, & ex alia parte ipsis Monialibus non suppetant vires ad illum vi expellendum. Ita Sanch. Tambur. & Bonac. *locis sup. citatis*; cum quibus sentit etiam Rodriq. *tom. 1. q. 47. art. 4.* addens in tali euentu non esse opus recurrere ad Superiores longè absentes, cùm sit periculum in mora: sed sufficere consensum Abbatissæ, ac Discretarum. Immò notat Io. de la Cruz *l. 1. de statu relig. cap. 5. dub. 2.* Prælatos regulares posse per se, & per alios capere dictum malefactorem, illum incarcerare, & ex suo arbitrio iuxta delicti quantitatem ipsum punire, idque ex concessione Bonifacij IX. facta Prædicatorum Ordini, vt habetur, *in eorum constitutionibus, dist. 2. cap. 2. in glossa*: quæ tamen non videtur esse in vsu. 133.

134. Aduertit tamen Tambur. & bene, quòd ſi malefactor in caſu propoſito verè gaudeat immunitate Eccleſiæ, non poteſt ſubiici examini, neque detrudi in carcerem, cùm remoueatur à loco ſacro, ac immuni, & id non fieri debeat cum præiudicio ipſius immunitatis. Vnde patet olim me bene reſpondiſſe in caſu, quo reus confugiat cauſa ſecuritatis ad aliquam Eccleſiam Monialium, debere quidem inde remoueri, etiam vi, ſi opus ſit, ob rationem modò adductam; reponendum tamen eſſe in tuto loco, ita vt gaudere poſſit etiam ibi priuilegio immunitatis.

Qværes XXX. An, & quomodo fœminæ poſſint admitti intra monaſteria Monialium ad conuerſandum; immò etiam ad refectionem corporalem ſumendam ſingulis annis pro certis vicibus.

135. Respond. poſſe, de licentia tamen Papæ, & non alterius, quam ille non ſolet concedere, niſi cum certis limitationibus, vt videre eſt ex literis ſimilis conceſſionis, quæ ſic habent: *Tibi, quæ, vt aſſeris, Venerabilis Fratris Noſtri Cardi. N. nuncupati conſanguinea exiſtis, vt à tribus matronis, modeſto, ac decenti habitu indutis; quas ſemel electas nec variare, nec mutare poſſis, niſi alicuius earum obitu eueniente, aſſociata, & ſuper veritate narratorum cognitione per Ordinarium loci adhibita Sancti N. ac Sanctæ N. & Sancti N. Monialium monaſteria Ciuitatis N. tribus vicibus in totum, non autem eorum ſingula quolibet anno de earundem Monialium capitulariter, & per ſecreta ſuffragia præſtando, & illarum Superiorum conſenſu, non tamen Dominicis, ſeu alijs feſtiuis, aut vigiliarum diebus, neque Quadrageſimæ, vel Aduentus temporibus ingredi, ac cum eiſdem Monialibus conuerſari, & refectionem etiam ſumere corporalem; dummodo tamen Monialium particularium cellas præter eas, quarum cauſa monaſteria huiuſmodi ingrederis, non viſites, neque tu, minuſq; dictæ matronæ ibi pernoctetis, liberè, & licitè poſſis, & valeas Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus: non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum monaſteriorum, & illorum Ordinum, etiam iuramento, confirmationem Apoſtolica, vel quauis firmitate aliàs roboratis; ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrariis quibuſcumque præſentibus ad quinquennium tantum valituris.*

136. Circa cuius conceſſionis intelligentiam, ac vſum aliqua nobis hic breuiter notanda ſunt; & quidem 1. nomine *Matronarum*, venire fœminas ætate, prudentia, ac pietate graues; immò & nubiles, ſi fieri poſſit: ſic enim communi vſu loquendi ſolet ſumi nomen matronæ, ſicque præſumendum eſt ſumi in præſenti conceſſione; cùm quilibet loquens cenſeri debeat vſurpare verba per commune ſignificationē.

Suppono autem commitatum dictarum 3. matronarū hîc ita requiri, vt, ſi qua ex electis nolit, aut non poſſit die præſcripta ingredi, fœmina priuilegiata ingredi nequeat cum reliquis duabus. Et ratio eſt, quòd aſſociatio 3. matronarū à Papa præſcribitur in Breui veluti ad cuſtodiam fœminæ priuilegiatæ, & videtur ſpectare ad ſubſtantiam, ac ſolemnitatem reſcripti; cuius forma non ſeruata, corruit conceſſio, *cap. cum dilecta 21. de reſcript. cap. ſi cui 23. de elect. in 6* poterit tamen eligi alia in ſociam iuxtam dicenda § *ſequenti*, imò & debebit ob rationem modò adductam: idque (ſtando in rigore iuris) & abſque conſenſu Ordinarij; quæ tamen requiri debet in ordine ad forum externum, vt ſic conſtare poſſit in tali foro, quæ matronæ electæ ſint in ſocias à fœmina priuilegiata. Dixi, *ſtando in rigore iuris*, vt indicarem ex tenore Breuis ad electionem 3. matronarum verè non requiri interuentum Ordinarij loci, cùm id ibi non exprimatur, & aliàs verſemur in materia odioſa, quæ non debet ampliari.

Noto 2. Huiuſmodi matronas, vbi ſemel electæ ſunt, non poſſe neque mutari, neque variari, niſi ex ſecuta morte alicuius illarum; *mutari*, autem eſt, iis pro ſemper excluſis, alias eligere ad ingrediendum: *variari* verò eſt pro vna vice aſſumere in ſociam aliquam, quæ non ſit ex electis, ſpreta aliqua ex electis. quanquam Peyrin *in formul. lit. M. cap. 3. num. 4.* putet præfatam variationem non ita prohiberi, quin ea licitè interdum poſſit fieri (vt ſi aliqua ex electis ſit abſens, aut ægrota, aut non poſſit aliàs, vel etiam nolit aſſociare licentiam ad ingrediendum;) probat, quia priuilegium fauorabile latè interpretandum eſt, ideoque cùm præſens conceſſio ſit fauorabilis, benignè poteſt interpretari, quòd excludat ſolùm mutationem, ſeu variationem ſociarum voluntariam, non autem neceſſariam, per quam dicendum eſt potius loco alicuius ex ſociis electis aliam ſupplere, quàm illas mutari, ſeu variari: alioqui talis conceſſio facilè redderetur inutilis; cùm tamen tenor illius eam iudicet eſſe perpetuam, & beneficium principis debeat eſſe manſurum; iſta doctrina videtur ſatis probabilis, modò in dicta mutatione non intercedat fraus, aut dolus. 137.

Imò putant aliqui viri docti à me conſulti quòd, ſi mulier aliqua cupiat ingredi monaſterium aliquod Monialium tanquam ſocia: ideóque cupiens eligi in ſociam à fœmina habente licentiam ingrediendi, & quidem loco alterius mulieris iam electæ in ſociam, & adhuc viuentis, curet, vt fœmina iſta electa liberè eligat nolle pro ea vice aſſociare; & hoc ad effectum vt illa mulier loco ipſius ſubſtituatur in ſociam, iuxta doctrinam Peyrini ſuprà traditam (quam probabilem cenſet P. Baldellus à me conſultus in caſu veræ neceſſitatis) electio videtur licita, & valida, nec poteſt reprehendi. Probant, tum quia in tali caſu verificatur ſociam electam non velle ingredi (ad quod parum videtur facere, quod ea nolit ingredi motu proprio, & ex ſe, aut ex inſtigatione fœminæ cupientis ſubſtitui in ſociam, dummodo liberè eligat non velle ingredi) & conſequenter adeſt iuſta cauſa faciendi præfatam ſubſtitutionem, aliàs conceſſam: tum quia mulier, quæ ſic curat eligi in ſociam, verè non poteſt dici facere fraudem: alioqui, ſimpliciter loquendo, eligi poſſit in ſociam, & nullo iure prohibeatur indicare fœminæ iam electæ in ſociam deſiderium, quod habet ingrediendi; quantumuis prænideat ex tali notificatione mulierem iam electam in ſociam inductum iri ad nolendum tunc aſſociare, vt ei gratificetur: quod eſt illam vti iure ſuo; non facit autem fraudem qui vtitur iure ſuo. Et hæc doctrina à fortiori procedit, etiam in ſententia P. Baldelli ſuperiùs relata, in caſu quo mulier electa in ſociam ingrediatur religionem, ideóque non poſſit aſſociare fœminam priuilegiatam: cùm in tali euentu concurrat caſus veræ neceſſitatis, non autem meræ voluntatis; & verba illa Breuis Pontificij: *quas ſemel electas nec variare, nec mutare poſſis, niſi alicuius earum obitu occurrente*, benignè explicari poſſint, ita vt extendantur ad quemcumque alium caſum ſimilem: ſiquidem facultas ingrediendi monaſteria Monialium eſt beneficium, & gratia; beneficium autem Principis decet eſſe manſurum, & latam admittit interpretationem. Verùm in his non recedendum à ſtylo Curiæ, qui proinde debet conſuli, & ſeruari.

Noto 3. Mentem concedentis eſſe, vt eiuſmodi ſociæ electæ comitentur fœminam licentiatam non ſolùm in ipſo ingreſſu, ſed etiam quamdiu illa commoratur 138.

moratur

motatur intra monasterium, sicque ipsam associent, dum circuimit monasterium, ac inuisit illius officinas, dum prandet, dum conuersatur; nam concessionis tenor copulat verbum, *associata*, cum *ingredi, conuersari cum Monialibus: & refectionem etiam coporalem sumere*: præterquamquod finis præscribendi socias militat non solùm in ingressu, sed etiam in ipsa commoratione; sicque procedit regula: *Vbi militat eadem ratio*, &c.

139. Noto 4. Quòd, dum dicitur in concessione *de 3. monasteriis, in quæ conceditur ingressus, tribus vicibus in totum, non autem eorum singula quolibet anno*: sensus est, quod vi talis concessionis non potest fœmina licentiata ingredi tribus vicibus quodlibet dictorum trium monasteriorum, sed tantùm pro vna vice quodlibet illorum: idque iuxta Bullam Pauli V. à nobis allatam *supr. cap. 5. sect. 3. quæst. 45.*

Ex quorum verborum intelligentia puto, quod si in Breui concessionis nominentur 4. monasteria (quod interdum fit) & nihilominùs in eo dicatur, *tribus vicibus in totum*, &c. in tali casu fœmina priuilegiata quolibet anno ingredi poterit solum tria ex dictis monasteriis, vno illorum omisso iuxta electionem ab ea liberè faciendam. E contrà si in Breui nominentur solum duo monasteria (quod etiam aliquando fit,) & tamen apponatur clausula, *tribus vicibus in totum* &c. tunc mulier priuilegiata quolibet anno poterit bis ingredi vnum ex nominatis monasteriis, semel tantum ingrediendo aliud monasterium item nominatum: aliàs, si semel solùm liceret ingredi quolibet anno quodlibet dictorum duorum monasteriorum, inutilis esset concessio 3. vicium; cùm alioqui actus semper explicari debeat potiùs vt valeat, quàm vt corruat, *l. quoties in actionibus, ff. de rebus dubiis.*

At dissenrit Bordonus, qui hac de re per litteras consultus ad me rescripsit in hæc verba: *Si nominentur in rescripto 4. monasteria, & oratrix preces porrexit solùm pro tribus, excludetur innominatum: si verò supplicauit pro quatuor, & rescriptum illa exprimit; vti potest gratia, non obstante clausura tribus vicibus in totum &c. cùm hoc vitium adscribi debeat scriptori, qui non aduertit ad specialem gratiam factam, adeóque in reliquis adhibuit clausuras generales, ac ordinarias.* Probat quia Princeps solet se accommodare precibus sibi porrectis, *l. si preces, ff. de leg. cap. inter dilectos, §. ceterum, de fide instr.* vbi Gloss. *v. petitioni*: cùm ergo oratrix expresserit in petitione 4. monasteria, & obtinuerit; clausula, *tribus vicibus in totum*, non obstabit, quò minus illa ingredi possit vnunquodque ex illis 4. monasteriis; sicque clausula *pro 3. vicibus* ex mente Papæ interpretari debebit *pro 4. vicibus*: & defectus attribuendus scribæ inaduertenter vtenti stylo ordinario. è contrà censet Bordonus, quod, si in concessione exprimantur solùm 2. monasteria, & apponatur clausula, *pro tribus vicibus*: tunc oratrix semel tantùm ingredi potest; cùm certa detur regula non concedi duplicem ingressum; & gratia facta de duobus monasteriis suum effectum sortiatur, & valeat. sic P. Bordonus mihi amicissimus, & admodùm doctus: at mecum senserunt 4. viri doctissimi è societate nostra.

Addo quod, licèt, seclusa Pauli V. Constitutione paulò ante relata, verba illa, *tribus vicibus in totum*, &c. benignè possent explicari; ita vt vigore concessionis mulier priuilegiata vno anno ingredi posset bis vnum ex monasteriis nominatis, & semel aliquod aliud item ex nominatis, vno illorum omisso, cum in tali euentu verificetur vnico anno non fieri ingressum 3. vicibus in aliquod ex nominatis monasteriis; sed solùm duabus vicibus; data tamen eâ Constitutione admitti non potest, nec debet talis interpretatio.

140. Noto 5. Vltra consensum Monialium capitulariter præstandum per suffragia secreta requiri ad ingrediendum vigore istius concessionis etiam consensum Superioris monasterij, in quod conceditur ingressus; nempe Ordinarij, si monasterium non sit exemptum; aut subiectum Sedi Apostolicæ, vel Prælati regularis, si monasterium sit exemptum.

141. Noto 6. Per verba illa præsentis concessionis, *dummodò tamen Monialium particularium cellas præter eas, quarum causa monasteria huiusmodi ingrederis, non visites*; nequaquam prohiberi, quò minus licentiatæ ad ingrediendum possint inuisere officinas, & alia loca publica monasterij; exceptio enim firmat regulam in contrarium; maiorque adest ratio prohibendi visitationem particularium cellarum, quàm locorum communium, vt patet: hæc tamen limitatio fortè non est in vsu.

142. Noto 7. Hinc non improbabiliter posset inferri licentiatam ad ingrediendum posse eligere ad ingressum diem illam, in qua fortè Moniales illius monasterij habituræ sunt spiritualem repræsentationem in refectorio, aut alio loco publico, ducor, quòd potest liberè eligere illam diem, prout ipsi magis libuerit, dummodò non sit ex diebus in concessione prohibitis: ex alia parte potest accedere ad locum, in quo facienda est repræsentatio, ibique liberè commorari (vt suppono:) quid ergo obstat, quin licitè possit ingredi dicta die ad effectum interessendi illi repræsentationi? ita ego consului in contingentia facti, & approbarunt viri sanè docti.

143. Noto 8. Quòd, cùm ad talem ingressum requiratur iuxta dicta consensus Monialium capitulariter datus; necesse est, vt maior pars Monialium in talem ingressum consentiat: alioqui non diceretur Capitulum consentire, cùm illud solùm dicatur fieri à toto Conuentu, quod fit à maiori parte illius.

Censeo autem consensum capitularem non esse præstandum à Monialibus quò ad 3. socias seorsim ab eo, qui præstatur quò ad fœminam priuilegiatam; nec requiri quò ad vtrasque vt præstetur toties, quoties faciendus est ingressus, sed sufficit illum præstari ab initio simul, & semel; ratio est, quod sic verificantur verba Breuis; &, si Papa aliquid aliud intendisset, expressisset. præterquamquòd talis est praxis, saltem in multis diœcesibus; & aliàs sumus in materia odiosa, quæ sine sufficienti fundamento non debet ampliari.

144. Noto 9. Quòd, si contingat fœminam vi talis concessionis ingredientem monasterium non posse illa die ibi sumere refectionem corporalem, sicut statuerat, eo quòd ex repentino accidenti fuerit domum reuocata, ideóque non potuerit ibi diutiùs commorari; non propterea potest eodem anno iterum ingredi idem monasterium ad prandendum, vtpote aliàs frustrata fine concessionis sibi factæ ex illo accidenti emergente. moueor, quòd, cùm tenor concessionis habeat, *vt ingredi, ac cum eisdem Monialibus conuersari, & refectionem etiam corporalem sumere liberè, & licitè possis*: ingressus is non videtur principaliter ordinatus ad corporalem comestionem (ita vt persona licentiata in casu proposito dici possit frustrata suo fine, & concessio ipsa reddita inutilis) sicque non datur iusta ratio præsumendi de mente concedentis, quòd sit contentus eam iterum ingredi: præsertim, cùm simus in materia adeò zelosa. Secùs dicendum, si fœmina priuilegiata ex euentu inopinato statim ac esset ingressa, cogeretur recedere:

recedere : & hoc ex epicheia in eo fundata, quòd verba intelliguntur cum eſ.. ctu ; qui in iſto caſu eſt conuerſatio cum Monialibus, quæ non eſt ſubſecuta.

Addo quod ſi fœmina prioilegiata hoc anoo ſemel tantum ingrediatur vnum ex monaſteriis conceſſis, cum poſſit ingredi ter quolibet anno ; non ideo poteſt anno ſequenti quinquies ingredi quaſi in compenſattonem iuxta illud : *Quod differtur, non aufertur, ff. de iur. leg. cum furioſus, & Inſtit. de ſing. re. per fideic. relict. §. itaque contra, C de inoffic. teſtam. leg. ſancimus, §. fin.* Moueor, quod in Breui dicitur 3. *vicibus in totum quolibet anno* : quod vtique non verificaretur in iſto caſu, ſi fœmina quinquies vno, ac eodem anno ingrederetur; & tamen cauſa limitata oon poteſt producere, niſi effectum limitatum, *leg. age, C. de tranſact.* & cauſa determinatum parit effectum, *leg. cum pater §. dulciſſimis, ff. de legat. 2.* Quæ ratio item probat non poſſe fœminam anticipare ingreſſum, ita vt hoc anno ingrediatur quinquies, animo ingrediendi anoo ſequenti ſolum vna vice.

145 *Ad Ingreſſum clauſuræ petitur legitima licentia.*
146 *Talis licentia datur ab Ordinario quoad Moniales non exemptas ; quoad exemptas verò à Prælato regulari : etſi data ab hoc poſſit ab eo interdum impediri.*
147 *In caſu, quo danda ſit ab Ordinario, dari poteſt etiam ab eius generali Vicario ſpeciale mandatum ad id habente.*
148 *In eodem caſu dari poteſt à Capitulo, ſed vacante.*
149 *Quoad Moniales exemptas danda a Prouinciali, non autem à Prælato locali, niſi ex commiſſione Prouincialis, aut Generalis.*
150 *Requiritur ad Ingreſſum clauſuræ conſenſus Abbatiſſæ, ſeu Conuentus.*
151 *Facultas dandi talem licentiam committitur ſoli Superiori Conuentus in capite.*
152 *Abbatiſſa iure Ordinario nequit dare talem licentiam ; poſſet ex delegatione.*
153 *Alicubi non repugnat dari talem licentiam ab Ordinario, quoad Moniales exemptas.*
154 *Si Papa Moniales aliquas ſubderet alicui ſoli Prælato locali, dicta licentia ab eo ſolo dari poſſet, & non à Generali, vel Prouinciali, quibus eæ aliàs ſubeſſent.*
155 *In Conuentus aliquarum Monialium conceditur ingreſſus à ſolo Papa.*
156 *Ingreſſus clauſuræ non conceditur ſine cauſa rationabili, manifeſta, ac neceſſaria, non tamen neceſſitate logica, ſed morali iudicio viri prudentis : Talis neceſſitas attendi poteſt ex parte proximi grauiter indigentis.*
157 *Cauſa quando dicatur manifeſta, & qualiter influat in validitatem licentiæ.*
158 *Licentia ingrediendi debet item eſſe ſpecialis, & in ſcriptis.*
159 *Extenditur ad ſocium.*
160 *Non finitur primo actu, niſi aliter colligatur de mente concedentis.*
161 *Data Medico, & aliis officialibus Conuentus renouatur quouis trimeſtri : quod alij extendunt ad ſemeſtre.*
162 *Qualiter ea debeat eſſe ſpecialis.*
163 *Licentia generalis ingrediendi data iis omnibus, quos Abbatiſſa v. g. iudicauerit eſſe opus ingredi, etiam ipſa debet eſſe in ſcriptis.*
164 *In neceſſitate repentina, & graui, permittitur ingreſſus ſine licentia ; ſi Superior adiri nequeat, & periculum ſit in mora.*
165 *Reuocatio licentiarum facta à Gregorio XIII. & Paulo V. non ligat Imperatrices, Reginas, ac earum filias.*
166 *Ingrediens, finito negotio, ad quod conceditur ingreſſus, non niſi breui ibi manet : ſi non ſit vſus contrarius : indicatur, quæ commoratio ſit mortalis.*
167 *Non violat clauſuram ingrediens cum licentia, etſi habeat malum finem.*
168 *Nec qui ſe ponens in Rota eam vertit ad partem interiorem clauſuræ.*
169 *Nec qui aſcendens murum clauſuræ vtroque pede ei inſidet clauſuram verſus.*
170 *Nec qui ſe ſtatuit in ipſo oſtio clauſuræ.*
171 *Licentia ingrediendi quoad numerum vicium strictè explicatur, aliàs latè interpretanda ; idque ex Pauli V. decreto.*
172 *Qualiter Moniales conſentire debeant in ingreſſum ex Vrbani VIII. decreto.*
173 *Hoc decretum obligat ſolum quoad ingreſſum fœminarum (non tamen in caſu, quo ingreſſura ſit Imperatrix, aut alia mulier priuilegiata) & in caſu, quo fiat ingreſſus ſine neceſſitate, (v. g. ad prandendum.)*
174 *Violatio clauſuræ Monialium ſpecialiter reſeruatur Papæ, ſed non ſemper.*

QVÆRES XXXI. Quid requiratur ad hoc vt, non obſtante generali prohibitione noo ingrediendi monaſteria Monialium, poſſit quis licitè ingredi.

Reſpond. requiri legitimam Soperioris licentiam : 145.
idque ex Concilio Trid. *ſeſſ. 25. de Regul. cap. 5.* vbi dicitur : *Ingredi autem intra ſepta monaſterij nemini liceat cuiuſcunque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerint, ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda.*

QVÆRES XXXII. Cuius ſit concedere licentiam ingrediendi monaſteria Monialium tam exemptarum, quàm non exemptarum.

Reſpond. diſtinguendo ; vel loquimur de Mo- 146.
nialibus immediatè ſubiectis Epiſcopo, aut de iis, quæ ſubiiciuntur Sedi Apoſtolicæ ; & conceſſio talis licentiæ ſpectat ad Epiſcopum, eiúſve Vicarium Generalem ſpeciale mandatum ad hoc habentem ; quoad illas quidem Moniales poteſtate ordinaria, quoad has verò delegata. Vel loquimur de Monialibus exemptis ab Ordinario, & ſubiectis Prælatis regularibus ; & quoad has conceſſio licentiæ ſpectat ad ipſos Prælatos regulares, non autem ad Epiſcopum, aut eius Vicarium. ita Nauarr. *comm. 4. de Regul. num. 60.* Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 8. quæſ. 7.* Rodriq. *tom. 1. quæſt. 46. art. 2.* Sanch. *lib. 6. mor. c. 26. n. 13.* Barboſa *de offic. Epiſc. alleg. 102. num. 40.* aliique apud Tambur. *de iure Abbatiſſ. D. 13. quæſt. 1. num. 4.* & probatur tum ex declaratione Sacræ Congregat. quam refert Tambur. *num. 6.* his verbis : *Sacra Congregat. Cardinalium Concilij interpretum cenſuit licentias ingrediendi intra ſepta Monialium ex vera tantùm neceſſitate concedendas quoad monaſteria Regularibus ſubiecta pertinere tantùm ad ipſos Superiores regulares* ; tum quia illius eſt dare licentiam ingrediendi clauſuram, cuius eſt indicere clauſuram, iuxta illud ; *Per quas cauſas res naſcitur, per eas & diſſoluitur* : at Epiſcopi eſt indicere clauſuram Monialibus ſibi, aut Sedi Apoſtolicæ ſubiectis ; Prælati verò regularis Monialibus ſibi immediatè ſubditis : ergo & horum erit dare licentiam ingrediendi clauſuram Monialium reſpectiuè ſibi ſubiectarum : tum quia id ſatis apertè indicat Concil. Trid. *loc. ſupr. citato*, dum diſiunctiuè ait,

alt, ad id sufficere licentiam Episcopi, aut Superioris; sic innuens licentiam Episcopi sufficere quoad monasteria sibi subiecta, aut Sedi Apostolicæ, aliorum verò Superiorum, quoad monasteria ipsis subdita, vt bene aduertit Sanchez vbi supra.

Notat autem Bonac. *in additionibus posthumis ad tom. 2. disput. de clausur. quæst. 4. part. 2. num. 3.* non obstare oppositum seruari in pluribus locis, in quibus facultas non solùm alloquendi Moniales, sed etiam ingrediendi monasteria Monialium Regularibus subiecta concedi solet ab Episcopis priuatiuè ad Superiores Regulares, id enim licitè fit, si fiat ex consuetudine post Concilium Tridentinum inducta: cum consuetudo tribuat ius; vt declarauit *sacra Congregatio Cardinalium sess. 25. cap. 5.* vbi etiam explicat, an Episcopo aliqua facultas competat circa licentias à Prælatis Regularibus concessas circa ingressum in Monialium monasteria sibi subiecta, dato quod Superioribus Regularibus competat ius concedendi dictas licentias priuatiuè ad Ordinarios: ait enim seruandam esse consuetudinem, iuxta quam Superiores Regulares solent concedere eiusmodi licentias; si tamen Episcopus aliqua ex causa expedire iudicauerit præfatas licentias à Regularib. concessas improbare, poterit aliquam particulatè impedire, quoties probabiliter ita expedire iudicauerit, quia cura clausuræ maximè spectat ad Episcopos: non tamen poterit ex toto licentias improbare: cum Episcopus non possit Regularibus potestatem auferre.

147. Dixi in responsione, *eiusue Vicarium Generalem speciale mandatum ad id habentem*, vt innuerem nomine Episcopi hîc venire etiam Vicarium generalem; cùm sacra Congregatio Cardinalium, teste Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. num. 11.* sic declarauerit; addens tamen conditionem, *dummodo mandatum speciale ad hoc habeat*, ostendendo concessionem licentiæ ingrediendi clausuram Monialium esse casum adeo specialem, vt reputari non debeat in generali concessione, nisi exprimatur.

148. Concedit tamen Suar. & benè, nomine Episcopi hîc venire tum Capitulum sede vacante, & consequenter Vicarium Capitularem; cum succedat in ordinaria iurisdictione Episcopali, & respectu monasteriorum non exemptorum comprehendi possit etiam nomine Superioris: tum à fortiori Episcopum electum, & confirmatum, quamuis nondum consecratum; cùm huiusmodi actus sit iurisdictionis Episcopalis, quam ille potest exercere *cap. transmissam de elect.* tum Abbates sæculares, aut Prælatos inferiores iurisdictionem Episcopalem habentes, si habeant aliqua Monialium monasteria sibi subiecta.

Difficultas est quoad monasteria immediatè subiecta Regularibus; quia debeat intelligi nomine Superioris ad effectum concedendi licentiam ingrediendi; an scilicet Generalis, aut Prouincialis, aut Prælatus localis.

149. Respond. Suar. *num. 13.* stando in iure Concilij Trid. sufficere licentiam Prouincialis; quippe qui est quasi Episcopus quoad iurisdictionem respectu suorum subditorum; non item Prælati localis; siquidem, cùm Concilium sub disiunctione ponat Episcopum, & Superiorem, videtur cum proportione loqui de Superiore habente locum Episcopi quoad iurisdictionem, cùm quoad hoc adsit æqualitas rationis; constat autem Prælatum localem, simpliciter loquendo, non habere iurisdictionem Episcopalem: vnde facultas concedendi præfatam licentiam non pertinet ad iurisdictionem ordinariam Prælati localis, saltem in Ordinibus Mendicantibus; quamquam, si Prouincialis, aut Generalis voluerit committere huiusmodi potestatem Prælato alicui locali, qui aliàs item sit Immediatus Prælatus ordinarius Monialium, possit id facere, etiam iuxta mentem Concilij. Quòd si ex vi regulæ alicuius Ordinis necessaria sit licentia Generalis; id non repugnat Concilio: cùm Generalis tunc sit Superior quoad illum, & non alius, sicque de eo verificetur decretum Bonifacij IX. statuentis ad ingrediendum clausuram Monialium requiri licentiam specialem eius, ad quem pertinuerit: in quo Concilium nihil innouauit. quæ doctrina proportionaliter militaret etiam in casu, quo Constitutiones regulares dictam facultatem restringerent ad Papam: cùm per legem generalem non derogentur statuta particularia, quorum mentio non fit, præsertim quando illorum rigor magis fauet intentioni legis, & Concilium ipsum *supr. cap. 22.* declaret se non intendere per superiora decreta relaxare vlla ex parte arctiores regulas.

Cæterùm notandum est, quòd, quando dicimus ad ingrediendum clausuram Monialium sufficere licentiam Episcopi, aut Superioris; non ideo excluditur consensus Abbatissæ, seu monasterij; hic enim ex natura rei supponitur, & necessarius est, semperque sub intelligitur in facultate, quando non egreditur terminos facultatis. quamquam posset euenire talia casus, aut occasio, quòd Prælatus posset non solùm dare facultatem ingrediendi, sed etiam præcipere, &, si opus foret, etiam cogere Moniales, vt ingressum non impediant; quod pendet ex modo iurisdictionis, & causæ hîc, & nunc occurrentis. 150.

Addit Suar. *num. 14.* Prælatum regularem non posse committere facultatem concedendi dictam licentiam alicui, qui non sit Superior monasterij in capite, vt vocant; probátque ex eo quòd Concilium Trid. vult solos Superiores posse habere huiusmodi facultatem: tales autem simpliciter dicuntur ij, qui sunt in capite. 151.

Verùm autem Abbatissa possit in aliquo casu dare talem licentiam.

Respond. iure ordinario non posse; & probatur tum quia is solùm potest dare licentiam ingrediendi clausuram, qui potest illam indicere: at Abbatissa non potest indicere clausuram, ergo; tum quia Concilium expressè statuit talem licentiam debere concedi ab Episcopo, aut Superiore; & postea subdit, *neque vllus modo possit, etiam vigore cuiuscunque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi* (intellige, dare talem licentiam) sicque excludit Abbatissam; cùm nomen masculini generis comprehendat etiam fœminas, vt est vulgaris regula. est communis D D. apud Nauarrum *supr. num. 59.* qui addit *num. 60.* posse nihilominus Episcopum, aut Superiorem delegare Abbatissæ facultatem concedendi præfatam licentiam in casibus sæpiùs contingentibus, si id iudicauerint expedire; & hoc, ne Moniales cum magno suo incommodo cogantur passim recurrere ad Episcopum, aut Prælatum regularem, quibus interdum non est ita facilis accessus; cum Nauarro sentiunt Sanchez *num. 23.* Rodriquez *art. 2.* Bonac. *quæst. 4. de clausur. part. 2. num. 5.* Tambur. *quæst. 3. num. 4.* & alij contra Suarez oppositum sustinentem; &, vt puto, conformius ad praxim; quamuis aliorum opinio Nauarri sit satis probabilis. Quin etiam notat Barbosa *num. 39.* ex Rodriquez, & Campanili, quòd, si Superior Monialium longè absit, potest Præfecta monasterij in casibus repentinis concedere licentiam ingrediendi: idque ex Prælati ratihabitione fundatam in rationabilitate casus occurrentis: quamuis aliàs, simpliciter loquendo, 152.

non

non ſit neceſſè obtinere talem licentiam ab Abbatiſſa, niſi eo modo, quo diximus *ſup §. cæterùm*, & aduertit Caſtr. Pal. *tract.* 16. *D.* 4 *part.* 10. §. 2. *num* 8.

153. Nec obſtat dictis, quòd dicitur circumferri quædam declaratio Sacræ Congregationis ſtatuentis, vbi poſt Concilium Trid. inducta fuerit conſuetudo, vt Ordinarius det huiuſmodi licentiam in monaſteriis Regularibus ſubiectis, obſeruandam eſſe; nam id prouenit, non ex vi Concilij (iuxta cuius diſpoſitionem nos loquimur) ſed ex vi cōſuetudinis, quæ vtique poteſt & conferre iuriſdictionem, & auferre priuilegium. ita Suar. *num.* 16. monens ab eadem Sacra Congregatione deciſum fuiſſe: quòd, vbi inducta fuerit conſuetudo, vt Epiſcopus aliquam habeat ſuperintendentiam ſuper conceſſione talium licentiarum (v. g. quòd debeant apud ipſum regiſtrari) obſeruanda eſt: licèt Epiſcopus tunc non poſſit improbare licentiam. Verum tamen eſt, quòd ſi tales licentiæ dentur fœminis, aut aliis perſonis ſæcularibus Epiſcopo ſubiectis: poterit Epiſcopus ex parte prohibere illarum ingreſſum, ſi iuſtam cauſam ad id habeat; quod tamen magis habere poteſt locum in acceſſu, quàm in ingreſſu in talia monaſteria, ſiquidem ingreſſus non adeò facilè permittitur.

154. Notant prætcrea Sanchez *num.* 16. & Rodriquez *art.* 5. quòd ſi authoritate Papæ monaſterium aliquod Monialium ſubdcretur alicui ſuli peculiari Prælato conuentuali, non poſſet Generalis, aut Prouincialis dare licentiam ingrediendi tale monaſterium; cùm re vera nullam in illud habeant iuriſdictionem: poſſent tamen in viſitatione inquirere, num talis Prælatus ea poteſtate vſus fuerit licitè, illumque punire, ſi in hoc deliquiſſet: cùm in hoc non exerceatur iuriſdictio in monaſterium illud, ſed ſolùm in Religioſum ipſis ſubiectum. quæ ratio probat idem dicendum eſſe, etiam de Epiſcopo reſpectu clerici ſæcularis, cui mudo dicto monaſterium aliquod Monialium ſubijcetur.

155. Quo modo autem ad ingrediendum monaſteria monialium S. Claræ, ac Conceptionis non ſufficiat ſola licentia Epiſcopi, aut Superioris, ſed requiratut licentia Papæ, & hoc idem locum habeat in Fratribus Minotibus; benè oſtendunt Miranda *art.* 3. Rodriq. *art.* 3. Sanch *num.* 10. & alij, conſtatque ex dictis hac *q.* §. *difficultas eſt*, ſub finem

Quod autem ſpectat ad licentiam ingrediendi clauſuram Monialium, ſicur certum eſt eam poſſe dari ab Epiſcopo in caſibus neceſſariis iuxta dicenda infra *num* 156. ſic ſolus Papa extra caſus neceſſarios illam dare poteſt, & debet; non autem vllus ipſo inferior, nec Legatus de latere in ſua Prouincia: vt non ſemel ex Curia Romana in caſu occurrenti reſcriptum eſt à Secretario Sacræ Congregationis Epiſcoporum, ac Regularium, vt egomet audiui à viro in dignitate conſtituto, ac fide digniſſimo. Et ratio eſt quòd licentiam illam non poteſt dare Legatus de Latere, neque de iure communi, neque ex Breui Legationis, neque vt Ordinarius totius ſuæ Prouinciæ: non de iure communi, cùm tale ius non extet (quod ego ſciam) non ex Breui legationis, cùm in eo id non exprimatur: non Ordinarius totius ſuæ Prouinciæ, cùm vt talis habeat ſolùm illam poteſtatem, quam habet quilibet Epiſcopus in propria diœceſi, & alioqui licentiam talem dare non poſſit Epiſcopus in ſua diœceſi extra caſus neceſſarios: ex nullo alio autem capite dici poteſt quod Legatus de latere dare poſſit dictam licentiam, vt conſideranti patebit: Sicque me conſulente, Eminentiſſimus quidam Legatus de latere olim denegauit ſimilem licentiam, aliàs paratus illam dare, ſi eius poteſtas ad hoc ſe extendiſſet: & à viro fide digno intellexi Legatum quemdam alium de latere à Papa tunc regnante fuiſſe acriter redargutum, eò quòd talem licentiam dediſſet. Concedendo tamen quòd, ſicut Epiſcopus in ſua diœceſi poteſt dare dictam licentiam in caſibus neceſſariis: ſic de rigore iuris eam dare poteſt & Legatus de latere in ſua Prouincia; cùm in ea ſit Ordinarius, imò maior quocunque Ordinatio; vt colligitur ex *cap.* 2. *de offic. legati in* 6. & *cap. ſi Abbatem, de elect. in* 6. etſi fortè id non ſemper expediat; multa enim licent, quæ non expediunt.

QVÆRES XXXII. Quæ, & qualis cauſa requiratur ad ingreſſum licitè concedendum intra ſepta Monialium.

Reſpond. quòd cum in Conc. Trid. *ſeſſ. cit. cap.* 5. dicatur *niſi rationabilis, & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius, ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia*; & infra, *dare autem tantùm Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis*, ita vt quod Bonif. IX. in *cap. periculoſo, de regul. in* 6. vocant cauſam rationabilem, *niſi rationabilis, & manifeſta cauſa exiſtat*, Concilium vocat *neceſſariam*: conſequenter dicendum eſt cauſam, quæ requiritur ad licitè ingrediendum, debere eſſe, & neceſſariam, & manifeſtam: neceſſariam, inquam, non neceſſitate logica, aut metaphyſica (quam alij vocant abſolutam) ſed morali, regulanda arbitrio Prælati, eáque maiori ad hoc vt ingrediantur viri, quàm vt intrent fœminæ. ita Sanchez *ſupra num.* 40. Rodriquez *art.* 4. Miranda *art.* 4. Barboſa *num.* 48. Portello *de dub. regul. ver. clauſura monialium, num.* 4. aliiſque communiter apud Tambur. *ſupr. D.* 24. *q.* 1. *num.* 1. qui aliis pluribus citatis, rectè ait tunc cenſeri poſſe dari neceſſitatem moralem admittendi extraneos intra clauſuram, quando aliquid in monaſterio fieri debet, quod per ſolas Moniales fieri nequit cōmodè: ſiue talis neceſſitas ſit ex parte monaſterij, ſiue Monialium. Probatur autem reſponſio: tum quia præcepta Eccleſiæ benignè debent explicari, eorumque obligatio regulariter ſuſpenditur ex morali neceſſitate hîc, & nunc adueniente; tum quia in *cap pericu.* non requiritur ſtrictiſſima neceſſitas, ſed cauſa rationabilis, quam ſupponit moralis neceſſitas: vnde, cùm Tridentinum in præſenti materia maximè inhæreat dicto textui & Gregorius XIII. decreto Tridentini; ſequitur ab ipſis ad ingreſſum clauſuræ ſolùm peti cauſam grauem, cui moralitet abſque tali ingreſſu ſucurri nō poſſit; quòd eſt bene aduertēdū. 156.

Porò, quod diximus neceſſitatem ſufficientem ad ingrediendum clauſuram Monialium attendi debere, ſiue ex parte Monialium, ſiue ex parte ipſius monaſterij; non facit, quin etiam interdum attendi poſſit ex parte Proximi grauiter indigentis; vt conſtat ex dictis ſupr. *num.* 116. §. *moneo*, & confirmatur ex doctrina, quam tradit Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 16. *num.* 60. videlicet in aliquo caſu poſſe concedi facultatem ingrediendi clauſuram Monialium cauſa deponēdi pecuniam alicuius extranei intra illū; ſi attentis præſentibus circumſtantiis, non ſit alius locus tutus ad pecuniam deponendam, ſicque charitas ſuadeat depoſitum illud debere admitti, & pondus pecuniæ ſit tantum, vt commodè per Moniales nequeat intromitti; in quo caſu conſtat cauſam concedendi ingreſſum, non eſſe neceſſitatem monaſterij, aut Monialium, ſed perſonæ extraneæ, vt patebit conſideranti verba à Sanchez poſita *loco citato ſub finem*.

Addo ex Bonacina hîc cauſam dici manifeſtam non ſolùm quando ea eſt nota toti populo, ſed etiam 157.

etiam quando nota est soli Prælato, qui concessurus est licentiam: non enim idem est, *manifestum*, & *publicum*: *in cap autem periculoso* requiritur causa manifesta, non verò publica. Quin addit Bonacin. *supr. part. 4. num. 3.* ad hoc vt causa concedendi licentiam ingressus, iudicetur sufficiens, non requiri, vt de ea certò, ac evidenter constet, sed sufficere, quod de ea constet probabiliter; aliàs aperiretur via infinitis scrupulis, & interdum in cognoscenda certitudine causæ tantum temporis insumeretur, vt, existente periculo in mora, iam inutilis esset ingressui fini intento.

Monet autem Sanchez *sup. num. 90.* quòd, sicut ingrediens clausuram Monialium cum licentia legitima incurrit pœnas latas à Gregor XIII. in Constit. *Vbigratiæ*, si tunc temporis non subsistat causa ex qua licentia data fuerat (quod idem clarè significat Suarez *D. 22. de censur. sect. 6. num. 14.*) sic è contra præfatas pœnas non incurrit, qui ingreditur cum licentia data ex causa subsistente pro tempore ingressus, quæ verè non subsistebat pro tempore, quo data fuit licentia. Priorem partem huius assertionis probat Sanchez, quia ex tenore allegatæ Constitutionis puniuntur ingredientes ex licentia, si absque causa vrgenti ingrediantur, nec dicit textus, quando nulla fuit causa concessionis hic autem fit ingressus sine causa; cùm hæc cessauerit pro tempore ingressus: posteriorem verò partem probat, quia in tali casu ingressus verè non fit extra casus vrgentes, & alioqui citata Constit. parum curat in his pœnis de valore licentiæ (licentia enim hic data est irrita) sed solùm punit ingredientes absque casu necessitatis vi licentiæ suorum Superiorum. ita Sanchez addens in hoc posteriori casu incurri excommunicationem latam à Concilio Trident. *sess. 25. de regul. cap. 5.* & à nobis superiùs explicatam: cùm ingressus fiat sine licentia; quippe quæ data fuit sine causa pro tempore concessionis subsistente, & fieri non potuit valida ex causa postea superueniente.

QVÆRES XXXIII. Qualis debeat esse licentia ad hoc vt ingressus clausuræ sit licitus, ac legitimus.

158. Respond. quòd, cùm Concilium Trident supra loquens de tali licentia dicat, *sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta*: communiter Doctores sustinent eiusmodi licentiam debere esse specialem, & in scriptis, etiam quoad forum conscientiæ: idque ob dicta *sect. praced. q. 9.* vbi etiam retulimus aliquos Doctores sustinentes solum pro foro externo requiri in Concilio, vt præfata licentia sit in scriptis; quorum opinio regulariter quidem non videtur deducenda in praxim, eo quòd in foro externo sequens oppositam sententiam minùs benignam posset procedere contra taliter ingredientem: absolutè tamen in aliquo casu grauioris necessitatis, in quo commodè haberi non posset scriptura, non damnare peccati mort. dictum ingredientem, cùm opinio illum excusans à peccato non sit omninò improbabilis tum à principiis intrinsecis, quàm extrinsecis; vt vidimus *citato quæsito 9.*

QVÆRES XXXIV. An licentia concessa ad ingrediendum clausuram Monialium extendatur ad socium.

159. Respond. extendi, ideóque non esse opus, vt in ea exprimatur socius, quotiescunque persona ingrediens aut finis, ad quem fit ingressus iuxta decentiam status, aut conditionem rei requirunt socium. colligitur apertè ex Sanch *num 46.* & probatur tum ex *cap. licet de priuil. in 6.* vbi dicitur, concesso alicui ingressu ad audienda diuina tempore Interdicti, censeri etiam concessum ingressum comitum decentium: ne aliàs priuilegium sit inutile, vt aduertit ibi Glossa *v. non debent*; tum quia ipsemet Greg. XIII. in sua Const quæ incipit *Dubiis, quæ emergunt*, id non obscurè indicat, dum iubet Prælatis ingredientibus in casibus necessariis, vt comitati ingrediantur; tum quia accessorium sequitur principale, adeóque concesso principali, præsumitur concessum etiam accessorium: constat autem, quod socius in præsenti casu habet rationem accessorij.

QVÆRES XXXV. An, & quando licentia ingrediendi clausuram Monialium finiatur primo actu.

Respond. videri probabile non finiri, nisi ex concurrentibus circumstantiis aliter colligatur de mente concedentis; & ratio est, quòd, licèt priuilegium in odiosis litigiosis, ac pœnalibus finiatur vnico actu; in fauorabilibus tamen, aut parum onerosis fieri potest extensio ad iteratos actus, quoties priuilegium conceditur absolutè, nisi aliter coniiciatur de intentione concedentis, iuxta *l. placet, ff. de liberis, & posthumis*: quæ ratio inde etiam confirmatur, quòd modo, ex stylo Curiæ Romanæ licentiæ ingrediendi clausuram Monialium solent limitari, & quoad numerum vicium, & quoad socios, & quoad tempus, & quoad alias similes circumstantias; vt sic tollatur omnis ratio illas interpretandi cum maiori amplitudine. ita Bonac. *q. 3. de clausura p. 5 n. 8* ex Nauarr. Nugno, Sayro, Reginald. & aliis contra plures alios ab ipso Bonacin. citatos; quos sequitur Tambur *sup. D. 23. q. 5. n. 5.* dicens ex Riccio sic de facto iudicatum fuisse. 160.

QVÆRES XXXVI. An, & qualiter debeat renouari licentia ingrediendi clausuram Monialium, quæ conceditur Medicis, Chirurgis, Hortulanis, aliisque similibus Operariis.

Resp. debere renouari singulis quibusque trimestribus: & hoc ex decreto sacræ Congregationis Regularium 27. Mart. 1588. allegato apud Tambur. *sup. D. 24. q. 6. n 7.* quamuis Reuerendiss. Bonafides Vicarius generalis Ecclesiæ Ferrariensis mihi testatus sit, se habere exemplar alterius declarationis eiusdem sacræ Congregationis; qua præcipitur solùm, vt dicta licentia renouetur vnoquoque semestri, sicque in Synodo Ferrariensi habita sub Eminentissimo Card. Magaloto *tit. de Sanctimonialibus*, statutum fuisse, vt licentiæ Medicorum, ac Operariorum quolibet semestri renouentur: vt proinde dicendum sit hac re standum esse consuetudini vniuscuiusque diœcesis; redditque probabilem doctrinam, quam inferiùs adducemus *c. 10. n. 21. & 44.* 161.

QVÆRES XXXVII. An licentia ingrediendi clausuram Monialium necessariò debeat esse specialis, & in scriptis.

Respond. sufficere, quòd sit generalis: idque non obstante quòd *in cap. periculoso, sæpius cit.* requiratur specialis licentia iis verbis, *nisi speciali licentia*; siquidem teste Sanchez *num. 28.* Doctores ibi nomine specialis licentiæ intelligunt, quòd ea specialiter concedatur ad ingressum, non autem solùm indirectè, & consequenter (quo modo Superior concedens facultatem fabricandi in monasterio censeretur conferre cœmentariis, & aliis operariis facultatem ingrediendi ipsum monasterium iuxta regulam: *Concedens principale, censetur concedere & accessoria, sine quibus illud obtineri nequit*: at ista facultas non esset specialis in ordine ad ingressum, sed generalis, ideóque insufficiens) non autem intelligunt Doctores, quòd dicta licentia debeat concedi toties, quoties, & non generaliter (ad 3. menses v. g. vel 162.

quòd non possit esse generalis, siue quoad monasteria, siue quoad personas ingressuras; vt si concedatur alicui Medico generalis facultas ingrediendi omnia monasteria Monialium existẽtis in aliqua ciuitate; aut concedatur alicui Abbatissæ, vt possit intra clausuram admittere omnes baiulos, medicos, fabros, & similes: hæ enim licentiæ essent speciales quoad ingressum (quod solùm requiritur *in cap. periculoso*) licèt generales quoad personas singulares, & monasteria particularia; sicut bene notauit Bonac. *sur. part.* 3. *num.* 1. & ante illum Sanch. *vbi supr.* cum quibus sentit Tamburinus *q.* 5. *num.* 1. monens *num.* 2. ingredienti non esse opus licentia scripta, sicut petit Concilium Trid. si ingrediatur vnà cum ipso Episcopo, aut Superiore, sicque decisum fuisse in Concilio Mediolanensi 6. Et certè quòd licentia ingrediendi non debeat esse specialis in eo sensu, vt concedi debeat toties, quoties; constat ex communi praxi Episcoporum, ac Superiorum, qui ad certum tempus solent concedere Medicis, Chirurgis, & aliis similibus licentiam generalem ingrediendi monasteria Monialium, quotiescunque illorum opera fuerit ipsis necessaria.

Addo ad hoc vt licentia ingrediendi Conuentum Artifici cum suis sociis dici possit specialis non requiri, vt socij proprio nomine exprimantur. ducor tum quia socij identidem mutantur, ideóque licentia crebrò innouanda esset non sine tædio, ac molestia Superioris, si socij nominatim deberent exprimi: tum quia sic habet praxis in pluribus diœcesibus, & maximè Ferrariæ: vbi Artifici principali in specie nominato licentia ingrediendi vnà cum sociis conceditur apposita hac clausula: *quòd si intra clausuram à sociis aliquis excessus committatur, is imputetur ipsi Artifici:* idque vt ille sit cautior in sociis suis tum eligendis, tum regendis; qui mos mihi plurimùm probatur.

163. Qualiter autem talis licentia debeat esse in scriptis, constat ex dictis *sect. praced. num.* 39. solùm hic addo talem scripturam peti, etiam in casu, quo Prælatus licentiam generalem ingrediendi det omnibus iis, quos Abbatissa v. g. ingredi opus esse indicauerit: cùm ista concessio sit vera licentia ingrediendi, vt notat Castr. Pal. *tract.* 16. *D.* 4. *part.* 10. §. 2. *nu.* 6. non item in casu, quo Abbatissæ generaliter concedatur, vt possit dare licentiam ingrediendi quibuscunque in casu necessario: hæc enim concessio non est verè licentia ingrediendi, sicque non debet esse in scriptis.

QVÆRES XXXVIII. An dati possint aliqui casus, in quibus possit quis ingredi clausuram Monialium absque debita licentia Superioris.

164. Respond. posse in necessitatibus repentinis; & quidem grauibus, in quibus periculosa est mora, & accessus ad Superiorem est moraliter impossibilis; quamuis in talibus casibus petenda sit licentia ab Abbatissa, sicut diximus *q.* 32. §. *cæterum.* ita Sanchez *n.* 34. Rodriquez *tom.* 1. *q.* 46. *art.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 8. *q.* 8. Bonac. *supr. q.* 4. *part.* 3. *num.* 2. aliique & patet tum ex dictis citata *q.* 32. §. *vtrum verò:* tum quia necessitas caret lege: tum quia præcepta humana etiam Ecclesiæ non obligant cum tanto incommodo: tum quia impossibilium non est obligatio; talia autem reputantur; quæ sunt valdè difficilia.

QVÆRES XXXIX. An generalis reuocatio licentiarum facta à Gregorio XIII. & Paulo V. quoad ingrediendum monasteria Monialium, afficiat etiam Imperatrices, Reginas, & filias illarum.

165. Resp. videri non afficere; & ratio est, quod, cùm reuocatio dicta licentiarum sit odiosa, non debet ampliari vltra rigorosam verborum significationem, sed potiùs restringi, ita vt sit quàm minimum onerosa: in bulla autem Gregorij XIII. quæ incipit, *Vbi gratia,* dicitur prohibitus ingressus in monasteria Monialium quibuscunque personis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis nulla facta mentione de Imperatricibus, Reginis, & filiabus earum (quod item fit in Motu proprio Pauli V. hac de re edito:) quod est signum præfatis iuribus non comprehendi personas status longe altioris, vtpote dignas speciali nota; vnde & Concil. Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 5. in præsenti materia vtens eodem modo loquendi nomine personarum cuiuscunque generis, aut conditionis non includit personas tantæ notæ (idque puto esse verũ, etsi filiæ Imperatricum, ac Reginarum sint nuptæ Principi inferiori.) ita Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 16. *n.* 3. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 48. *a.* 1. Bonac. *q.* 4. *de clauf. p.* 1. *n.* 4. & alij cont. alius oppositum sustinentes, & probabiliter teste Bonacina.

QVÆRES XL. An, & qualiter ingrediens clausuram Monialium cum debita licentia ad peragendum ibi aliquod ministerium, eo absoluto possit ibi ad aliquod tempus commorari curiositatis causa.

Respond. posse, & quidem etiam sine peccato 166.
veniali contra clausuram, si commoratio sit breuis (cuiusmodi esset mora vnius quadrantis horæ iuxta Tamburinum *supr. q.* 12. *num.* 2. pro se allegantem Villalobum, & Dianam idem sentientes, ratio responsionis est, quod, quamuis ingrediens clausuram Monialium cum debita facultate, de rigore iuris exire debeat, finito negotio, ad quod concessus fuit ingressus: vsu tamen receptum est, vt præceptum clausuræ non intelligatur cum tanto rigore, sicque viri etiam timorati absque scrupulo solent occasione ingressus alicuius monasterij Monialium circumire officinas illius. ita Sanchez *num.* 69. Rodriq. *supr. quæst.* 47. *art.* 11. Miranda *q.* 2. *monia. art.* 20. Bonac. *part.* 4. *num.* 22. Peytin. *tom.* 2. *priuil. Const.* 6. *Pij V. n.* 32. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 51. aliique communiter; inter quos Sanch. ex Zerola, & Rodriq. (quorum opinionem dicit Diana *resol.* 67. non esse minus probabilem, ac tutam in praxi) putant ingredientem cum legitima licentia non incurrere pœnas latas contra violantes clausuram ad malum finem, si ea occasione cum Moniali intra monasterium fornicetur (quod tamen negant Bonac. *supra*, & Merolla citatus à Diana) & non improbabiliter, sicut ostendimus in simili casu *sect. praced. q.* 20. quorum opinionem censet Peytin. loco citato esse probabilem, non absolutè, sed in casu, quo durante negotio ad quod quis ingreditur cum legitima licentia (v. g. commendatione animæ, aut fabrica monasterij) ille cum Moniali fornicaretur: siquidem is & est legitimè ingressus, & non tenetur exire, nisi finito negotio, ad quod ingreditur, sicque non potest dici ibi manere sine licentia, vtpote non amplius præsumpta legitima.

Imò doctrina tradita sub initium huius responsionis limitari posset, nisi adsit consuetudo in contrarium: si enim hæc adsit (sicut de facto dicunt adesse in aliquibus locis) tunc immorans intra clausuram absoluto negotio, ad quod ingreditur, non peccabit, etsi diutiùs immoretur; cùm quoad hoc obligatio clausuræ abrogari potuerit; sicque consuli debet vsus vniuscunque diœcesis: qui vtique potuit induci, etsi obligatio clausuræ sit iuris non Episcopalis (cui dicatur potuisse derogari, sciente, ac tolerante Episcopo) sed papalis: quod potuit abrogari, ipso Papa ignorante consuetudines particularium diœcesum: cũ præceptum clausuræ sit morale adeóque

adcóque moraliter debeat explicari, ideſt benignè vt vt notauit Sanch. *ſup.*

Quandu autem exceſſus commorationis intra clauſuram ſit talis, vt commutationem faciat peccaminoſam moraliter; non eſt ita facile definire; niſi ex doctrina Leſſij *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 32. dicas, quod, ſicut vnius horæ quadrans ſimul cum duabus ſalutationibus angelicis eſt modica materia moræ intra clauſuram excuſans ab omni culpa, ita alius ſimilis horæ quadrans eum duabus aliis ſalutationibus angelicis ſit qoidem materia modica excuſans à culpa mortali, non item à veniali: &, ſi excedatur dimidia hora ſimul cum quatuor ſalutationibus angelicis, tunc incipiat commoratio intra clauſuram eſſe mortalis; niſi fortè commorans aliunde excuſetur, ex inaduertentia, ſeu bona fide. ita P. Zanettus à me conſultus, & quidem ingenioſè, ac probabiliter, aliique docti viri de hoe conſulti.

Cur verò ingredienti clauſuram Monialium cum licentia adeò reſtringatur tempus ibi commorandi poſt peractum negotium, ad quod conceditur ingreſſus, vt non excedat ſpatium vnius quadrantis; cum alioqui in hoc eodem *cap. num.* 55. concedamus ea Sanchez & Bonacina Monialem cum licentia exeuntem è clauſura poſſe per duos dies commorari extra clauſuram poſt peractum negotium, ad quod egreditur.

Reſp. diſparitatem in his duobus caſibus debere peti ex diuerſitate negotiorum ad quæ egreditur Monialis, & ingreditur extraneus: quorum vnum cum ſoleat requirere magnam temporis moram, alterum verò paruam; ſecundùm moralem æſtimationem parum reputabitur tempus requiſitum ad conficiendas 8. aut 9. leucas quas diximus à Sanchez concedi Moniali egredienti, ad viſitandas verò officinas cum communiter ſoleat ſufficere vnius horæ quadrans, vnius quadrantis mora iudicio prudentis viri modica cenſebitur.

Quod ſi hic obiter quæras, quo iure ingrediens cum debita licentia teneatur egredi, finito negotio, ad quod ingreditur.

Reſp. teneri ratione conſuetudinis communiter receptæ; quæ fundatur in indecentia, ac periculo alicuius grauis mali imminentis in caſu, quo contrarium fiat; non autem ex iure ſcripto: quamuis, cùm talis obligatio ſpectet ad finem clauſuræ, cenſeatur comprehendi ſub præcepto ipſius clauſuræ. Dixi, *non autem ex iure ſcripto*, quia lex lata de Munialium clauſura, quæ de facto extat, ſulùm expreſsè prohibet, ne quis ſine licentia legitima ingrediatur clauſuram, non item quòd legitimè ingreſſus ibi non commoretur; quod eſt benè aduertendum.

Qværes XLI. An dici poſſit violare clauſurum, & ſubiacere pœnis inflictis contra tranſgreſſores is, qui legitimam habens licentiam ingrediendi clauſuram Munialium, ingreditur animo & peragendi negotium ad quod fuit conceſſus ingreſſus, & ſimul fornicandi cum Muniali.

167. Reſpond. videri probabile, quòd poſſit dici in iſto caſu neque violari clauſuram, neque incurri pœnas latas contra tranſgreſſores, colligitur ea Sanch. ſupra, & patet ex dictis *ſect. præced. q.* 45.

Qværes XLII. An poſſit dici ingreſſus monaſterium Munialium is, qui ſe ponens in Rota à parte exteriori patente ſæcularibus poſtea facit ſe volui ad partem interiorem clauſuræ patentem ſolis Monialibus, & quidem deponens è rota ambos pedes, nunquam tamen recedens ab ipſa rota, vſque dum ea iterum voluatur ad partem exteriorem.

Reſpond. iſtum non poſſe re vera dici in tali caſu ingreſſum, ita vt incurrat pœnas: idque ob dicta *ſect. præced. q.* 35. 168.

Qværes XLIII. An violet clauſuram Monialium ingrediendo, qui per ſcalam ligneam aſcendens ad parietem ipſius clauſuræ ipſi inſidet, vtroque pede depoſito versùs partem interiorem clauſuræ.

Reſpond. non violare; & probatur ex iis, quæ diximus *ſect. præced. q.* 38. 169.

Qværes XLIV. An violet clauſuram ingrediendo, qui ſe ſtatuit in oſtio ipſiuſmet clauſuræ.

Reſp. non violare. ita in terminis Nald. *v. clauſura, num.* 14. dicens clauſuræ oſtio conſiſtentem, ibiquo delinquentem non dici delinquere in clauſura, cùm partim ſit intra, & partim extra: ſed de hoc plura in ſimili caſu *ſect. præced. q.* 36. 170.

Qværas XLV. Stricténe, an latè interpretari debeant licentiæ, & facultates ingrediendi monaſteria Munialium conceſſæ à Papæ.

Reſpond. quòd, quamuis, ſtando in iure communi, debeant interpretari latè, quantùm patitur proptia verborum ſignificatio; cùm ſimus in materia fauorabili, quæ debet ampliari iuxta regulam iuris, *Fauores oportet ampliari*: attenta tamen Conſtitutione Pauli V. edita 1. Septemb. 1608. quæ incipit, *Facultatum*, eæ debent ſtrictè eaplicari quo ad numerum vicium, pro quibus dictus ingreſſus conceditur, ita vt habeus vi vnius talis licentiæ facultatem ingrediendi plura munaſteria Monialium pluribus vicibus, non poſſit ingredi pluribus vicibus ſingula dictorum plurium monaſteriorum, ſed ſolùm ſemel vnum quodque illorum: vnde, ſi cui concedatur facultas ingrediendi plura monaſteria tribus vicibus, vi talis facultatis is non poteſt ingredi, niſi tria monaſteria, & conſeqoenter vnumquodque illorum trium ſemel tantùm; idque licèt in conceſſione nun apponeretut clauſula, *in totum*, *ſeu in vniuerſa, non autem in eorum aliqua, vel ſingula.* ſiç enim ſtatuit Paulus V. *in citata Conſtit.* his verbis: *Tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus: quòd nulla perſona cuiuſcunque gradus, ſtatus, & conditionis, ac præeminentia exiſtat, etiam ſi ducali, marchionali, aut alia dignitate præfulgeat, vigore licentiarum plura monaſteria, & domos, & loca Monialium pluribus vicibus ingrediendi; etiam abſque clauſura in totum, ſeu in vniuerſa, non autem in eorum aliqua, vel ſingula, à Nobis, vel prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſub quouis tenore, vel forma, etiam motu proprio conceſſarum, & expeditarum, aut, in poſterum forſan concedendarum, & expediendarum, aliqua, vel ſingula monaſtria pluribus vicibus ingredi poſſit, ſed licentia huiuſmodi reſpectu vniuerſorum, non autem aliquorum, vel ſingulorum monaſteriorum ſuffragentur: ita vt cui bis in anno, ſeu ampliùs plura monaſteria ingredi conceditur, bis vel amplius tantùm vniuerſa, non autem eorum aliqua, vel ſingula ingredi liceat, etiamſi prædicta monaſteria in diuerſis ciuitatibus, terris, diœceſibus, & locis exiſtant; iiſdemque mulieribus aliter, quam, vt præfertur, eaſdem licentias interpretari, vel illis vti ſub cenſuris, & pœnis à Concilio Tridentino & Apoſtolicis conſtitutionibus intra ſepta monaſteriorum Monialium abſque licentia ingredientibus inflictis ipſo facto incurrendis eadem auctoritate prohibemus.* hæc Paulus V. quæ ex dictis ſatis clarè patent; ſi monuero quòd, cùm Paulus V. reſtrinxerit interpretationem præfatarum licentiarum ſolùm quoad definiendum numerum vicium, pro quibus fieri poteſt ingreſſus vi dictarum licentiarum; & loquatur ſolùm de licentiis obtêtis à Papa ad præfatum 171.

ingreſſum : conſequenter quoad alia particularia, ea etiam modò poſſunt, ac debent interpretari iuxta regulas generales Doctorum de interpretatione legis fauorabilis; & talis reſtrictio non procedit quo ad licentias obtentas ab inferioribus Papa.

Qværes XLVI. An, & qualis conſenſus Monialium requiratur, vt fœmina habens legitimam licentiam ingrediendi aliquod monaſterium poſſit licitè ea vti, ac liberè ingredi.

172. Reſpond. requiri conſenſum Monialiũ monaſterij, in quo faciendus eſt ingreſſus; eumque capitulariter præſtitum per ſecreta ſuffragia maioris partis illarum : & hoc ex Conſtitutione Vrbani VIII. hac de re edita 27. Octobr. 1624 quæ ſic habet: *Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, harum ſerie decernimus, atque declaramus conſenſum dictarum Monialium* (in quarum conuentum ingrediendum eſt vigore licentiæ Pontificiæ) *de cætero per eaſdem Moniales capitulariter, & per ſecreta ſuffragia præſtandum eſſe, & præſtari debere : aliàs licentia huiuſmodi mulieribus, quibus conceſſa fuerunt, nullatenus ſuffragentur, & quæ Sanctimonialium monaſteria vigore licentiarum prædictarum abſque conſenſu capitulariter præſtito ingredi præſumpſerint, ſententias, cenſuras, & pœnas contra clauſuras monaſteriorum Monialium violantes inflictas ſe nouerint incurſuras.* Dixi, *per ſecreta ſuffragia maioris partis illarum*, vt indicarem, quòd, cùm in citata Conſtitutione non determinetur expreſſè, num præfatus conſenſus præſtari debeat ab omnibus, ac ſingulis Monialibus, an ſufficiat eum præſtari à maiori parte capituli, dicendum eſt ſufficere eum præſtari à maiori parte Monialium capitulariter congregatarum iuxta *cap. 1. de his quæ fiunt à maiori parte:* hoc enim ipſo quòd Papa de hoc nihil noui ſtatuit, illud reliquit diſpoſitioni iuris communis, vt rectè notauit Tambur. *ſupr. D. 14. quæſt. 19. n. 2.*

An verò dictus conſenſus maioris partis Monialium capitulariter, & per ſecreta ſuffragia præſtitus requiratur vi præfatæ Conſtitut. Vrbani VIII. in caſu, quo vir aliquis ingrediatur monaſteria Monialium de licentia Papæ; aut etiam in caſibus, in quibus viri, aut fœminæ de licẽtia Ordinarij, aut Superioris ingreſſuri ſunt ratione vrgentis neceſſitatis.

Reſpond. quòd, cùm in citata Conſtitutione ſit
173. mentio ſolùm de licentiis conceſſis mulieribus à Papa (vt clarè conſtat ex tenore textus) & alioqui verſemur in materia odioſa, quæ non debet ampliari, ſed reſtringi; dicendum eſt conſenſum illum non requiri, neque in caſu, quo vir aliquis eſſet ingreſſurus de licentia Papæ, cum ibi non ſit ſermo de licentiis, quę conceduntur viris à Papa extra caſus neceſſarios (forte quia vix, aut nunquam ſolent concedi; ideóque non erat, cur comprehenderentur lege generali complectente ſolùm caſus communiter contingentes :) neque in caſu, quo de licentia Ordinarij, aut Superioris vir aliquis, aut aliqua fœmina ingredi deberent ratione vrgentis neceſſitatis iuxta iuris communis conceſſionem; cùm ibi tantùm ſit ſermo de licentiis, quæ conceduntur à Papa, non autem de iis, quæ de iure communi dantur in caſibus neceſſariis ab Ordinario, aut Superiore. Quin etiam puto dictum conſenſum Monialium non requiri in euentu, quo ingreſſura ſit, ſiue aliqua perſona priuilegiata v. g. Imperatrix, aut Regina (ad quas diximus non extendi prohibitionem ingrediendi clauſuram Monialium) ſiue aliqua puella admittenda ad habitum Religioſum, & probationem Nouitiatus : ſiue fœmina aliqua coniugata, aut vidua de licentia ipſius Papæ ad commorandum ibi ex iuſta cauſa ad aliquod tempus. Ducor, quod vel in iſtis caſibus nulla interuenit licentia Papæ (quæ tamen hic ſupponitur) vel, ſi interuenit, ea non videtur comprehendi citata Conſtitutione Vrbani VIII. quippe qui loquitur de licentiis, quæ ſolent perturbare pacem Monialium, vt colligitur ex verbis illis, quæ habentur in procœmio relatæ Conſtitutionis, *qua Sanctimonialium quieti opportunè conſulitur :* tales autem videntur eſſe ſolùm eæ licentiæ, quæ à Papa conceduntur ad ingrediendum monaſteria Monialium abſq; cauſa, & ad aliquot horas, v.g. ad ſumendum ibi prandium certo aliquo die, ad viſitandum conſanguineam, ad videndam fabricam monaſterij, &c. ita docti viri à me conſulti.

Qværes XLVII. An, & quando violatio clauſuræ Monialium ſit reſeruata Papæ quoad extraneos ingredientes.

Reſpond. eſſe, ſi fiat ad malum finem contra 174.
caſtitatem; idque ex decreto ſacræ Congregat. iuſſu Clementis VIII. edito 16. Nouembr. 1602. relato à Quaranta *in ſuo bullario v. caſus reſeruati, pag. mihi* 199. & à nobis alibi latè explicando, Vnum hic tantùm moneo ex Naldo *v. reſeruatio num.* 1. Regulares non comprehendi ſub citato decreto tanquam pœnitentes, ſed tantùm vt Confeſſarios (quod eſt dicere illos non poſſe quidem abſoluere ſæculares pœnitentes à caſibus in eo decreto contentis, poſſe tamen ipſos ab illis abſolui, ſi fortè eos incurrant;) ſic & idem modo dicendum eſt de Monialibus, illas ſcilicet poſſe abſolui à præfatis caſibus, & conſequenter à violatione clauſuræ ob malum finem contra caſtitatem, ſi demus ab illis incurri poſſe talem clauſuram (de quo aliqui ſub dubitant :) poſſe, inquam, abſolui à quocunque Confeſſario regulari iuxta dicenda inferiùs *cap. 9. quæſ. 11.* vbi ex Naldo, & aliis aſſeremus quandam ſacræ Congregat. declarationem mitè facientem pro hac reſponſione.

Sectio IV.

De Obſeruantia Clauſuræ Monialium quoad ingreſſum Puellarum in Monaſterio ad tempus educandarum.

175 *Aliqua iura afferuntur, quibus videtur prohiberi talis educatio, verè tamen non extat talis prohibitio in præſentia.*

176 *Quid de hoc ſtatuerit ſacra Congreg. Cardinalium.*

177 *Talis receptio non permittitur omnibus monaſteriis Monialium.*

178 *Ad eam petitur conſenſus Monialium Capitularis, & per ſuffragia ſecreta.*

179 *Petitur & conſenſus Prælati Monialium : imò, ſi nimis differatur ingreſſus, requiritur nouus conſenſus monaſterij.*

180 *Puella non recipienda, niſi in numero taxato.*

181 *Illis non conceditur ancilla.*

182 *Non debent eſſe minores 7. annis, nec maiores 25.*

183 *De rigore non videtur opus, quod ſeptennium completum ſit, etſi obſtet praxis.*

184 *Ordinarius non diſpenſat, vt puella vltra annum 25. maneat intra clauſuram.*

185 *Puellarum alimenta anticipatè ſoluenda in pecunia quolibet ſemeſtri.*

186 *Ea habitant ſeorſim à Monialibus.*

187 *Non tenentur ad clauſuram, niſi quod egreſſæ prohibentur reingredi ſine licentia; præterquam in caſu aliquo extraordinario, qui proponitur.*

188 *De*

188 *Debent incedere vestitu modesto.*
189 *Non excommunicatur cogens puellam ingredi clau-stra in educationem.*
190 *Puella in monasteriis exemptis degentes in educa-tione eximuntur ab Ordinario, quod tamen alij negant, & probabilius.*
191 *Non subsunt reseruationi casuum Ordinarij, si sint in monasterio item exempto.*
192 *Tempore Interdicti assistunt diuinis Officiis, seruatis tamen seruandis.*
193 *Possunt intra clausuram testari de bonis, si cum periculo vitæ ægrotent.*

175. QVÆRES I. An, & quo iure intra Monia-lium monasteria recipi possint puellæ educa-tionis causa.

Resp. quòd, quamuis in Concilio Aquigranensi sub Leone III. *cap.* 4. *canon.* 6. expressè statuatur in Monialium monasteriis illas tantùm virgines esse educandas, quæ in dictis monasteriis voluerint per-seuerare: & hoc idem sancitum sit in Concilio Autinensi V. sub Vigilio Papa, immò, & in *cap. peri-culoso, de regul. in* 6. iis verbis: *Nullique aliquatenus inhonesta persona, vel etiam honesta ingressus, vel accessus pateat ad easdem* (idest ad Moniales) *vt sic à publicis, & mundanis aspectibus separatæ omninò seruire Deo valeant*, nihilominus dicendum est puellas edu-cationis causa posse admitti intra Monialium mona-steria; dummodò id fiat cum debita licentia, & seruatis aliàs seruandis; idque non esse prohibitum, neque à Concilio Tridentino *sess.* 25. *de regul. cap.* 5. per ea verba: *ingredi autem intra septa monasterij nemini liceat, cuiuscunque generis aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint*; neque vllo alio iure ex iis, quæ refert Tambur. *de iure Abbatiss. D.* 1. *quæst.* 2. *n.* 1. allegans plures Doctores nobiscum sentientes, & maximè Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 46 *art.* 10. ostendens id non solùm esse licitum, immò & esse consulendum, tanquam valde vtile, & puellis ipsis, quæ educan-tur, & monasteriis, in quibus educantur: eæ enim ibi sanctis moribus instituuntur, & inde ad Religio-nem afficiuntur, & ad profitendum promouentur: quod si statum coniugalem assumant, maiorem procul dubio virtutis, orationis, & misericordiæ operum curam habent, ac frequentiùs, & diligentiùs ad pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum accedunt.

176. Ratio autem præsentis responsionis maximè niti-tur decreto sacræ Congregat. 31. August. 1575. edito, quod refert Quaranta *v. monasteria Monialium*, in hæc verba: *Nullo Concilij decreto prohibetur, quo-minus puellæ in monasteriis Monialium educentur; si tamen eadem monasteria ante Concilium consueuerint huiusmodi puellas recipere, sitque à Superioribus mona-steriorum scriptam licentiam obtinuerint, atque Abba-tissæ, & reliquarum Monialium consensus accesserit: tum verò hæ ipsæ puellæ eo vestitu in monasteria intro-mittantur, qui virginali pudori, ac modestiæ conueniat, nullamque secum famulam adducant, nec manere in eis possint, nisi vsque ad ætatis suæ annum* 25. *atque in eis, dum erunt, eandem seruent clausuræ legem, quam Moniales ipsæ; &, si semel exierint, nullam habeant ad eam reuertendi facultatem.* Vbi notandum hîc proponi illas omnes conditiones, quæ necessariæ sunt ad recipiendas, ac retinendas puellas intra Monialium monasteria, vt ibi educentur: at eæ meliùs explicabuntur *in sequentibus qq.*

QVÆRES II. An de facto quælibet monasteria Monialium possint recipere puellas ibi educandas.

177. Respond. non posse quælibet, sed solùm ea, quæ habent talem consuetudinem, nec aliunde id ipsis prohibetur; vnde neque monasteria S. Claræ, neque illa alia, quæ à principio, & a sua fundatione pro-miserunt clausuram, seu ad illam seruandam voto, vel præcepto regulæ se obligarunt, possunt dictas puellas recipere (prout, teste Miranda *quæst.* 2. *de Monial. art.* 6. sæpiùs declarauit sacra Congregatio:) neque monasteria Conuertitarum, cùm id non sit in vsu, immò etiam fuerit prohibitum à sacra Congre-gatione 12. Martij 1619. apud Gauantum *in Manual. v. monial. educ. act. num.* 4.

QVÆRES III. Qualis consensus Superioris, Abbatissæ, ac Monialium requiratur ad hoc vt puellæ intra clausuram recipi possint ad educa-tionem.

Respond. loquendo de consensu Monialium, re-quiri, vt detur capitulariter, & per suffragia secreta: ideóque non sufficere, quòd Abbatissa in capitulo simpliciter proponat receptionem dictarum puella-rum, sed requiri, vt præfatus consensus per occulta suffragia singillatim, & capitulariter præstetur tam ab Abbatissa, quàm ab aliis Monialibus (intellige, saltem à maiori parte illarum iuxta *capit.* 1. *de his quæ fiunt à maiori parte*) ita Barbosa *libr.* 1. *de iure Eccles. cap.* 44. *num.* 54. & cum eo Tambur. *quæst.* 2. *num.* 5. præsentem probantes responsionem ex qua-dam declaratione sacræ Congregationis facta die 4. Ianuar. 1608. quibus accedit Portel *de dub. regul. v. clausura*, §. *cuius ætatis puellæ*, *num.* 12. 178.

Adde præter consensum Abbatissæ, ac Monialium, & licentiam Superioris scriptam (qui Superior est Ordinarius respectu Monialium non exemptarum, aut Prælatus regularis respectu exemptarum,) requiri etiam licentiam sacræ Congregationis Episcoporum, ac Regularium; eamque obtentam præsentandam esse ei, cui directa fuerit, necnon in propriæ Cancellariæ registris recondendam: aliàs enim in-ualida redderetur: idque ex declaratione eiusdem sacræ Congregat. 27. Maij 1603. relata à Gauanto *supr. num* 8. 179.

Accedit quòd, si puella, obtenta facultate ingre-diendi monasterium causa educationis, nimis differat ingressum; non videtur posse ingredi sine nouo consensu monasterij; si concurrant proportionaliter quæ diximus in simili *capit.* 2. *num.* 11. §. *an autem?* par enim ratio militat in vtroque casu.

QVÆRES IV. In quo numero admitti possint puellæ intra monasteria Monialium ad educatio-nem.

Respond. non posse admitti, nisi in eo numero, 180.
qui vnicuique monasterio fuerit deputatus iuxta decretum sacræ Congregat. editum 27. Maij 1603. & relatum à Gauanto *n.* 7. quamuis aliàs nihil referat, quòd in idem monasterium educandæ recipiantur duæ sorores, aut etiam plures, vt aduertit Tambur. *num.* 6. ex Barbosa.

QVÆRES V. An vnà cum puella admittenda ad educationem possit simul recipi aliqua socia, aut ancilla, quæ ei inseruiat, si puella recipienda sit valdè nobilis, ac diues.

Respond. non posse absque facultate sacræ Con-gregationis; quæ, teste Tamburino *num.* 7. relata, vt in hoc dispensaret cum quadam puella è familia Caracciola, respondit non dari ancillam pro edu-candis; idque ex decreto eiusdem sacræ Congregat. facta 12. Martij 1619. & relato à Barbosa *sup. n.* 55. 181.

QVÆRES VI. Cuius ætatis debeant esse puellæ, vt licitè possit, intra Monialium monasteria admitti ad educationem.

Respond. non debere esse minorem 7. annis, nec maiorem 25. ita Barbosa *de offic. Episcop. alleg.* 102. 182.

*n.*64. aliis citatis referens ſic deciſum fuiſſe à Sacra Congregatione; quæ teſte eodem Barboſa *n.*45. item ſtatuit, quòd, vbi puella tradita Monialibus in educationem expleuit 25. annum, vel ſtatim egrediatur, vel, ſi non egreditur ſtatim Epiſcopus ei conſtituat præfixum terminum, ſiue ad exeundum è monaſterio, ſiue ad Religioſum habitum ſuſcipiendum. Quamquam, ſi ea in tali caſu non ſtatim egrediatur, non ideò incurrat excommunicationem commorando intra clauſuram; ſicut nec eam incurrunt Abbatiſſæ monaſteriorum illas poſt dictum tempus retinentes; & ratio eſt, quòd talis excommunicatio ligat illicitè ingredientes clauſuram Monialium, aut detinentes illicitè ingreſſam: quorum nullum verificatur in præſenti caſu.

Dubium eſſe poteſt, qualiter explicari debeat, quod diximus ſupra, puellam non poſſe admitti in educationem intra Monialium clauſuram, ſi minor ſit ſeptennio; num ſcilicet annus ſeptimus debeat eſſe expletus de momento in momentum, vel ſolùm moraliter: quo pacto puella dici poſſet 7. annorum, & ſi illi deeſſent aliquot dies.

183. Reſpond. de rigore iuris non videri neceſſarium, quòd annus 7. ſit expletus de momento in momentum eo modo, quoad valorem profeſſionis Religioſæ requiritur, vt annus ætatis 16. ſit completus de momento in momentum: ſiquidem finis, ob quem præſcribitur ætas ſeptennij completi ad ingrediendum monaſteria Monialium cauſa educationis non eſt ita grauis, ac eſt finis, ob quem ad valorem profeſſionis requiritur, vt annus ætatis 16. ſit completus: ſicque mirum non eſt admitti paruitatem materiæ in ætate requiſita ad ingrediendum cauſa educationis, & non admitti in ætate præſcripta ad valorem Religioſæ profeſſionis: idque etiam ex interpretatiuo conſenſu Superioris vtramque illam ætatem præſcribentis. Dixi, *de rigore iuris*, quia praxis videtur eſſe in contrarium, ſaltem in multis locis, nimirum quòd Ordinarij non ſinant puellas ingredi ad educationem intra monaſteria Monialium, niſi poſt ſeptennium expletum, quatumuis ante illam ætatem completam a Sacra Congregat. obtinuerint facultatem ingrediendi, ſicque iubeant illas differre ingreſſum, vſque dum ætatem debitam ſeptennij compleuerint.

Dubium paulò maius eſſet poſſet, an Ordinarius loci, occurrente iuſta cauſa, vt puella commoretur vltra annum ætatis 25. completum intra monaſterium, poſſit cum ea in hoc diſpenſare: & ratio dubitandi eſt quod hic agitur, non de ingrediendo monaſterium, ad quod concedendum requiritur maior poteſtas, ſed de permanendo poſt ingreſſum legitimum, ad quòd vtique requiritur longè minor poteſtas.

184. Reſpond. ordinarium non poſſe in hoc diſpenſare; & ratio eſt, quòd nullus inferior poteſt diſpenſare in lege Superioris: conſtat autem, quòd Sacra Congregatio Epiſcoporum, quæ prohibet puellas intra clauſuram commorari educationis cauſa vltra annum 25. ætatis completum, eſt ſuperior, quocumque Ordinario, & quilibet Ordinarius reſpectu illius eſt inferior: ergo non poterit diſpenſare in dicta prohibitione; quamquam negari non poſſit in præſenti materia dari aliquam latitudinem, ideóque puellam degentem intra clauſuram titulo educationis, non teneri exire ſtatim, ac expleuit 25. ætatis annum maximè attenta doctrina, quam tradit Naldus *v.verba n.*22. clauſulam *ſtatim*, *illico*, & ſimilem, ſolere intelligi cum aliquo interuallo temporis, idque iuxta ſubiectam materiam, & quidem interdum etiam 2. menſium, immò & 4. iuxta qualitatem rei, de qua agitur: quæ doctrina à fortiori hîc locum habet, ſtante quòd in decreto allato Sacræ Congregat. non extat (quod ego ſciam) particula, *ſtatim*, aut alia ſimilis.

Quæ doctrina proportionaliter procedit in caſu, quo fœmina aliqua ingrederetur monaſterium ad ſeruiendum Fœminæ alicui nobili ibi de licentia Papæ degenti, & fœmina hæc nobilis ibi moreretur; tunc enim mulier admiſſa ad eius famulatum debet egredi è clauſura; quippequæ ibi erat acceſſoriè; &, ceſſante principali, ceſſat acceſſorium, quamquam, ſi mulier ea aliâ iuſta cauſa detinenda eſſet intrà monaſterium; poſſet ibi permanere, vſque dum obtineatur licentia, quæ Romæ procuretur.

QVÆRES VII. Qualiter debeant miniſtrari alimenta puellis, quæ intra monaſteria Monialium educantur.

185. Reſpond. debere ſolui anticipatè in quolibet ſemeſtri, & quidem in pecunia: nec permittendum eſſe, quòd parentes earum ipſis tranſmittant victum dietim; idque ex decreto Sacræ Congregat. facto 27. Maij 1603. & adducto à Gauanto *ſup. num.* 11. quin etiam notat Tamburin. *num.* 17. pro ſolutione dictorum alimentorum idoneam ſecuritatem conſtituendam eſſe: & hoc, vt tantò cautiùs conſulatur indemnitati monaſteriorum.

QVÆRES VIII. In quo loco monaſterij habitare debeant puellæ receptæ in educationem.

186. Reſpond. debere habitare in loco ſeparato tam à dormitorio Monialium, quàm à loco, in quo ipſæ Moniales ſolent vacare operibus manuum; idque eſſe adeò neceſſarium, vt monaſteria non habentia loca propria deſtinata ad vſum puellarum ibi educandarum, non poſſint huiuſmodi puellas recipere in educationem ex decreto Sacræ Congreg. edito 16. Ianuar. 1615. quod refert Barboſa *l.*1. *de iure eccleſ. cap.*44. *num.*53.

QVÆRES IX. An, & quomodo puellæ admiſſæ in educationem intra monaſteria Monialium teneantur ſeruare clauſuram.

187. Reſpond. teneri, non quidem quòd ſine debita licentia exeuntes incurrant excommunicationem latam contra Moniales violantes clauſuram (vt cenſet Tamburin. *num.* 14. ex Pollacco dicens præfatas puellas incurrere dictam excommunicationem, etiamſi exeant animo non reuertendi ampliùs;) ſed quòd, vbi ſemel exierint, non poſſint iterum recipi abſque noua licentia Sacræ Congregationis, quàm petere debent, exprimendo ſe aliàs extitiſſe cauſa educationis in eodem, aut alio monaſterio; prout notant Barboſa *in collectan. v. puella*, & Tamburinus *num.*15. monens, quòd ait Rodriquez *tom.*1. *quæſt.*46. *artic.* 10. puellam è monaſterio exeuntem ad balnea cauſa valetudinis, poſſe iterum reuerti in idem monaſterium, ſi recta via à balneis redeat ad clauſuram, non habere verum, niſi in caſu, quo de licentia Sacræ Congregationis ea recedat è monaſterio ad dictum effectum. Et certè, quod dictæ puellæ non teneantur ſeruare clauſuram, ita vt exeuntes incurrant excommunicationem; inde ſuadetur, quòd neque Nouitiæ tempore nouitiatus eo rigore adſtringuntur lege clauſuræ, vt tradunt Nauarrus, Azorius, Zerola, Sanchez, & alij, quos citat, & ſequitur Tamburinus *ſupra D.* 18. *quæſt.* 6. *num.* 1. id inde probantes, quòd iura, quibus indicitur clauſura, loquuntur ſolùm de Monialibus tacitè, aut expreſsè profeſſis, quales vtique non ſunt nouitiæ, vt patet; quæ ratio ſine dubio à fortiori intentum probat in puellis, quæ educantur intra monaſteria Monialium vnde non video, cur citati Doctores velint illas ſubiicere legi clauſuræ inſtar Moniali[ũ]. quòd ſi

ad

ad id moueantur ex verbis illis, quæ habentur in decreto sacræ Congregationis relato *quæst.* 1. *atque in eis, dum erunt, eandem seruent legem clausuræ, quam Moniales ipsæ*: constat ex dictis eos niti fundamento minùs firmo; siquidem sensus illorum verborum esse potest, illas non posse exire de clausura cum iura iterum reuertendi ad illam: vnde & subditur in decreto, *& si semel exierint, nullam habeant ad eam reuertendi facultatem*; quod est teneri aliquo modo lege clausuræ, non tamen eodem prorsus modo, quo tenentur Moniales. ita docti viri à me consulti; & patet tum ex dictis, tum ex doctrina, quam DD. tradunt cum Sà *v. interpretatio, num.* 2. nimirum, quòd, vbi agitur de obligatione imponenda, stricta debere fieri interpretatio, *cap. 1. de iure iurando, in* 6.

Quod si hac occasione quæras, an puella educationis causa iam admissa intra clausuram, si ex causa graui, necessaria, ac vrgenti, ita vt sit periculum in mora, exeat iussu Episcopi proprij, regressura eadem die ad monasterium, possit sine noua licentia sacræ Congregationis recipi iterum intra clausuram.

Respond. videri posse; etsi licentia ingrediendi clausuram causa educationis dari solita puellis apponatur clausula, *& si semel exierint, nullam habeant ad eam reuertendi facultatem*; posse, inquam, non de rigore iuris, sed ex epicheia in præsentibus circumstantiis prudenter concepta. Ducor tum quia clausula illa piè potest explicari de egressu puellæ spontaneo, ac simpliciter voluntario, non autem de necessario; qualis est egressus, de quo hic agitur: tum quia lex respicit casus communiter contingentes, non extraordinarios, ac insolitos; ergo & prohibitio illa non redeundi intra clausuram sine noua licentia non extenditur ad præsentem casum adeo extraordinarium: tum quia lex vetans alienationem bonorum Ecclesiasticorum, intelligitur de alienatione voluntaria, non necessaria; ergo & probibitio non ingrediendi iterum clausuram facta puellis in casu proposito debet intelligi de puellis voluntariè egredientibus, adeòque non procedit in casu, quo egressus fit necessarius: tum quia breui absfuturus habetur pro præsenti; & Religiosus de licentia sui Prælati manens extra Conuentum, reputatur esse in Conuentu; hæc autem proportionaliter in nostro casu procedunt: tum quia necessitas facit licitum, quòd aliàs non erat licitum, *cap. quod non est licitum, de reg. iur.* & necessitas non habet legem, *leg. si quis propter, C. de patrib. qui. fil. su. distrax.* ita docti viri consulti, nec improbabiliter, si non obstet stylus Curiæ Quibus non parùm fauet declaratio sacræ Congregationis relata apud Marzillam *cap. de stat. Regul. tit.* 12. c. 20. his verbis: *Ex puella, cuius deliberatio in dubium reuocatur, Ordinarius diligentissimè quærere debet, an Deo Religiosè inseruire, atque inter Moniales, apud quas est, professionem emittere, aut nubere velit, & hoc fieri debet necessariis interrogationibus, & quidquid responderit, describi debet à publico Notario, præsentibus idoneis: quæ quidem puella si ob aliquam causam probabilem videtur Ordinario non esse examinanda in monasterio, examinari debet in Ecclesia eius Monasterij, vel alio Religioso loco, qui aptior, & commodior videbitur*: porò autem nomine Ecclesiæ hic intelligi Ecclesiam exteriorem; si quidem de interiori Monialium Ecclesia inutilis fuisset hæc declaratio: cum nulla esset ratio dubitandi, quod illa exploratio non posset fieri de puella ad talem effectum conueniente in interiorem Ecclesiam. Vnde & eadem sacra Congregatio item declarauit Ordinarium non debere explorare voluntatem puellæ, quæ habitum recipit in monasterio, ad petitionem illius, qui vult in vxorem ducere, sed expectandum tempus faciendæ professionis: & tunc, si sit suspicio, quod instigetur à Monialibus, pro suo officio eum curare debere eam duci in exteriorem Ecclesiam monasterij, vel in alium propinquiorem, & commodiorem pro vt magis conuenire iudicabit, vbi voluntatem eius exquirere possit: quod si nulla sit suspicio, & nullam aliam iustam causam subesse apparebit, tunc non in alio loco, quam ad crates ferreas monasterij voluntatem puellæ explorandam esse. Vbi noto quod, cum sacra Congregatio dissertis verbis declaret se non solum indulgere, sed præscribere, vt puellæ volontas in propositis casibus possit explorari extra clausuram, & consequenter concedere quod ea possit egredi è monasterio, & post exploratam eius voluntatem ad illud redire sine noua licentia ipsius sacræ Congregationis: vtique habemus sufficiens fundamentum existimandi ipsam sacram Congregationem fore contentam, quod puella in educatione manens intra monasterium in casu præsenti, aliisque similibus possit ex causa graui, ac vrgenti egredi è clausura, &, peracto negotio, ad quod fit egressus, redire paulò post ad illam sine noua licentia eiusdem sacræ Congregationis; idque ex epicheia rationabiliter fundata in citatis declarationibus, & in eo quod sub generali prohibitione non veniunt, quæ quis non esset verosimiliter in specie prohibiturus, si in specie paterentur iuxta regulam communem iuristarum; quæ sine dubio procedit in nostro casu, attentis præsentibus circumstantiis, vt consideranti patebit. Hæc tamen lubens & volens subiicio stylo Curiæ.

QVÆRES X. Quali vestitu incedere debeant puellæ commorantes in Monialium monasteriis causa educationis.

Respond. debere incedere vestitu conueniente virginali ipsarum modestiæ, ac pudicitiæ; sic quippe præscripsit sacra Congregatio in decreto adducto *quæst.* 1. vt proinde S. Carolus in suis statutis synodalibus, *l.* 6. §. *de puellis sæcularibus, num.* 4. decreuerit, vt dictæ puellæ nigri tantummodo, aut fusci, vel albi coloris vestes, non sericas, adhibeant, & nullo prætextu, exquisito vtantur ornatu, nec cincinnatæ incedant, neque inaures, neque monilia, aut eius generis inanes delicias ferant. 188.

QVÆRES XI. An sine periculo incurrendi excommunicationem latam in Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 18. puellæ cogi possint ad ingrediendum monasteria Monialium educationis causa.

Respond. videri probabile, quòd possint; modò talem ingressum directè, aut indirectè non ordinent ad habitum Religionis suscipiendum: idque siue puella nondum ad annos pubertatis peruenerit (quod est certum quoad parentes, aut tutores dictam vim inferentes, cùm sic vtantur iure, quod habent in filiam pro illa ætate) siue puella iam facta sit pubes; cùm Concilium loquatur solùm de ingressu, qui per se ordinetur ad susceptionem habitus Religiosi, & aliàs talis ingressus non deroget libertati, quam Concilium intendit cōseruare in puellis ad statum Religiosum admittendis; vt ex verbis illos constat: quamuis alioqui, regulariter loquendo, peccent parentes cogendo puellas ad ingrediendum monasteria Monialium modo dicto, si eæ iam sint puberes; licèt enim interdum excusari possint, si habitatio illa ad tempus crederetur moraliter necessaria ad decen- 189.

 tiam,

tiam, sut custodiam puellæ; seclusa tamen tali necessitate, cùm filia ætatis maioris in pertinentibus ad statum animæ sit sui iuris, non potest licitè cogi à parente ad tam arctam custodiam, seu clausuram, taléque viuendi modum, etiam temporarium. ita Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap 9. n. 4.* addens puellam, etiam impuberem, non posse cogi ad ingrediendum monasteria Monialium causa educationis ab eo, qui in ipsam non habet potestatem, &c, si cogatur, actionem esse iniuriosam, ideòque malam. Dissentiunt tamen plurimi alij DD. relati à Diana *p. 2. tract. 15. resol. 56.* quorum aliqui cum Barbosa *de offic. Episcop. alleg. 104. n. 5.* Zerola *p. 2. praxis, v. Moniales, q. 13.* Filliucius *tract. 14. n. 89.* sostinent in casu proposito cogentes puellam puberem ad ingrediendum modo dicto incurrere excommunicationem, etiamsi non intendant illam ingredi ad habitum religionis sumendum, aut profitendum, sed solùm vt ibi maneat cum habitu sæculari, donec occurrat occasio nubendi; alij verò cum Rodriquez *tom. 2. sum. cap. 8. n. 9.* Portel. *de dub. regul. v. Moniales, in addit. n. 14.* & Sanchez *lib. 4. moral. cap. 4. n. 12.* asserunt tunc solùm incurri dictam excommunicationem, quando ingressus ille ordinaretur ad susceptionem status Religiosi. quas omnes opiniones dicit Diana esse satis probabiles, ac tutas in praxi; notans ex Portello, ac Villalobos in præsenti euentu non incurri excommunicationem, si ingressus procedat ex mero reuerentiali puellæ in parentes, aut ex suasione importuna, cùm sic verè non intercedat coactio, quæ tamen præsupponitur ad contrahendam dictam excommunicationem.

Qværes XII. An puellæ manentes in educatione apud Moniales exemptas subiaceant iurisdictioni proprij Ordinarij.

190. Respond. quòd, cùm iuxta dicta à Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 12. n. 5.* locus exemptus, & locus extra diœcesim æquiparentur ex Glossa *in Clement. 1. de foro compet.* non omnino improbabiliter posset quis asserere dictas puellas non subiacere Ordinario, nisi in iis casibus, in quibus ei subiacent ipsæmet Moniales exemptæ: sicut neque subiacerent in casu, quo illæ essent extra diœcesim; quamquam non desint qui oppositum sustineant, & probabiliùs ex doctrina Suarez *D. 5. de censur. sect. 4. n. 6.* dicentis regulam illam (quòd locus exemptus, & locus extra diœcesim æquiparantur) intelligendam esse de loco exempto, non ratione personarum (quo modo exempta dicuntur monasteria Regularium) sed ratione loci vt sic (quo modo exempta dicuntur aliqua loca, quæ sunt Papæ immediatè subiecta,) verum nostra sententia non est improbabilis; & colligitur ex Regin. *lib. 9. n. 154.* Nald. *v. exemptio, n. 5.* Peyrin. *tom. 1. priuil. Constit. 2. Sixti IV. n. 9* & Layman. *loco suprà citato*, dicente se distinctionem illam Suarij apud alios non legisse.

Qværas XIII. An dictæ puellæ quamdiu commorantur in monasterijs Monialium exemptarum, subiaceant reseruationi casuum factæ ab Ordinario loci.

191. Respond. differendo consequenter ad dicta *quæs. præced.* videri probabile, quòd non subiaceant; si enim non subiacerent casibus Ordinarij Ferrariensis, v. g. si existerent extra diœcesim Ferrariensem: sic nec illis subiacebunt, si existant in loco exempto (cuiusmodi est monasterium Monialium exemptarum;) si quidem locus exemptus æquiparatur loco extra diœcesim. ita viri valde docti à me consulti.

Qværes XIV. An puellæ commorantes in Monialium monasteriis causa educationis possint tempore interdicti, siue generalis, siue particularis audire Missam, & alia diuina Officia, recipere Sacramenta, & donari Ecclesiastica sepultura, sine pompa tamen.

Respond. videri posse, dummodo eæ non sint ex- 192.
communicatæ, aut interdictæ, & aliàs seruentur ea, quæ quoad hoc præscribuntur *in cap. Alma mater*; nimirum vt prædicta fiant, ianuis clausis, excommunicatis, ac interdictis eiectis, & campanis non pulsatis. Colligo ex Sorbo *in compend. priuil. v. interdictum 3. in annot. §. quinto Tertiarij*, vbi sic ait: *Tertiarij, beatæ, famuli, familiares, domestici*, &c. *Fratrum, & Monialium, possunt tempore interdicti, siue generalis, siue particularis, Missam, cæteraq; diuina Officia audire, Ecclesiastica sepultura in nostris Ecclesiis sine pompa tradi, ibiq; omnia Sacramenta recipere; dummodo tamen nemo ex supradictis sit excommunicatus, vel interdictus*, &c. *ac cæteris obseruatis limitationibus cap. Alma mater.* Et notandum, quòd secundùm tos commune, & Regularium priuilegia familiares, & domestici dicuntur omnes, qui in eorum domibus viuunt, & per eos sostentantur, quamuis aliquo tempore pro alicuius negotij causa fuerint absentes: & sic domicellæ, & seruientes, aliæque in Monialium monasteriis degentes hoc priuilegio gaudent. Vbi noto verba illa, *aliæq; in Monialium monasteriis degentes*: putóque sub iis posse intelligi puellas commorantes in monasteriis causa educationis; quippe quæ viuunt in domibus Monialium, & per illas sustentantur (quamuis sumptibus suppeditatis à parentibus ipsarum puellarum) sicque vocari possunt familiares, ac domesticæ; maximè cùm simus in materia fauorabili concernente bonum spirituale animæ, quæ iuxta regulas generales & potest, & debet ampliari. ita Naldus, Baldellus, Bordonus, & alij à me consulti: sed de hoc iterum dicemus *cap. 9. q. 18. §. difficultas.*

Qværes XV. An caso, quo aliqua ex dictis puellis ægrotet cum periculo vitæ, possit de propriis bonis disponere per solemne testamentum.

Respond. posse, vt *sect. præced. q. 25.* diximus posse 193.
de suis bonis disponere Monialem Nouitiam in periculo vitæ constitutam. Ita in terminis Tambur. *supr. D. 1. q. 2. num. 16.* ex Naldo *v. Moniales, num. 14.* afferente ad id declarationem sacræ Congregationis factam anno 1595.

Sectio V.

De Obseruantia Clausuræ Monialium quoad accessum extraneorum ad ipsas Moniales.

194 *Variis iuribus prohibitus accessus ad Moniales, & quidem etiam Regularibus.*
195 *Qualis accessus prohibeatur in dictis iuribus: non vetatur sub pœnis factus extraordinariè.*
196 *In ijs prohibetur accessus tum simplex, tum frequēs.*
197 *Frequens accessus iudicandus ex communi modo loquendi, & arbitrio prudentis viri.*
198 *Prohibitio accedendi ad Moniales, afficit omnes fideles.*
199 *Obligat sub mortali ex genere suo.*
200 *Idq; modo procedit etiam quoad Religiosos.*
201 *Leuitas materiæ in hoc excusat à mortali.*
202 *Accessus ad Moniales indebitus est iniuriosus Abbatissæ monasterij.*

203 *Probi*

203 *Prohibitio præfata sub variis pœnis est lata pro diuersitate accedentium.*

204 *Regulares indebitè accedentes iure communi Ordinarij censuris subiacent.*

205 *Ex variis capitibus excusatur indebitus accessus à dictis pœnis.*

206 *Licentia accedendi ad Moniales exemptas datur, vel à solo Ordinario, vel à solo Prælato regulari, vel ab vtroque iuxta consuetudinem; quoad non exemptas autem à solo Ordinario.*

207 *Regularibus datur ab Ordinario, ac Prælato regulari simul, si Monialis inuisenda sit exempta: exponuntur variæ formæ licentiæ.*

208 *De iure communi non requiritur licentia, vt accedatur ad Abbatissam, Nouitias, & alias mulieres sæculares degentes intra clausuram: quod non procedit de iure proprio diœcesum.*

209 *Parentes, & filij sine licentia accedunt ad filiam, & matrem Moniales.*

210 *Hæc prohibitio afficit Episcopos, stando in rigore iuris, non item ex consuetudine.*

211 *Afficit peregrinos etiam in alieno territorio, cum sit de iure communi; etsi aliàs peregrini non subsint legibus locorum, per quæ transeunt.*

212 *Non afficit pauperes mendicantes quoad petendam eleemosynam à Monialibus.*

213 *Famuli sine licentia accedunt ad deferenda Monialibus dona.*

214 *Non violat istam prohibitionem, qui Monialem alloquitur è domo vicina.*

215 *Nec qui loquitur per interpretem, aut per nutus: hoc tamen alij negant.*

216 *Nec qui loquitur idiomate Moniali ignoto.*

217 *Nec qui audit Monialem loquentem, nihil ipse dicens: violat verò qui loquitur cum Moniali nihil respondente; quod tamen posterius aliqui negant.*

218 *Non violat, qui scribit literas Moniali.*

219 *Violat verò qui cum licentia accedit ad vnam Monialem, & loquitur cum alia.*

220 *Adiens Monialem exemptam effugit pœnas latas à proprio Ordinario.*

221 *Prohibitio adeundi Moniales non ligat impuberes.*

222 *Magistri canendi, aut pulsandi cymbala, ordinariè non finuntur adire Moniales causa docendi.*

QVÆRES I. Quo iure extranei, siue sæculares, siue regulares prohibeantur accedere ad monasteria Monialium.

194. Respond. prohiberi, tum *in cap. monasteria, de vita, & honest. cler.* vbi dicitur: *Monasteria Sanctimonialium si quis clericus, sine manifesta, & rationabili causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur; & si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis: & si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni:* tum *in cap. periculoso, de statu regul. in 6.* quod ita habet: *Ne quis absque speciali facultate, & sine rationabili, & manifesta causa ingrediatur, vel accedat ad monasteria Monialium;* tum *in cap. definimus 18. q. 2.* vbi in specie prohibetur talis accessus in verbis: *Si contigerit Monachum aliquam suam propinquam videre velle, in præsentia Abbatissæ huic confabuletur per modica, & compendiosa verba, & in breui ab ea discedat:* tum denique in aliis iuribus relatis à Tamburino *de iure Abbatiss. D. 25. q. 1.* & præsertim in decreto sacræ Congregationis, de mandato Sixti V. edito anno 1590. per quod mandatur, *nulli posthac Religioso cuiuscunque ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis existat, (Superiore, cui monasterij, seu domus cura incumbit, visitatore, vel visitatoribus, Confessarioq; ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, dumtaxat exceptis) licere absque licentia expressa eiusdem sacræ Congregationis accedere ad monasteria, seu domus quarumcunque Monialium, vel Sororum, siue sui, siue alterius cuiusuis Ordinis ad colloquendum, siue tractandum cum eis:* quamuis eadem sacra Congregatio non parùm temperauerit rigorem dicti decreti iussu Vrbani VIII. vt indicabimus infrà *cap. 10. n. 20.*

Moneo hîc, quòd, cum in relatis verbis solùm sit sermo de Monialibus, & nomine Monialium non veniant neque Nouitiæ (stando in odiosis) neque aliæ fœminæ intra clausuram degentes; vi præfatorum verborum videri posset alicui solùm regularibus vetari accessum ad Moniales professas; non item ad illas alias fœminas, ad quas tamen prohibetur accedere regularis in casu, quo Monialibus concionetur, aut celebret; siquidem in decreto Sixti hîc relato immediatè post verba allegata subditur, *quòd si aliquando mandato sui Superioris aliquos Religiosos ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandas Missas in ipsarum Monialium, seu Sororum Ecclesiis mitti contigerit, prohibuerunt, ne dicti Religiosi vllo quæsito colore Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam personam intra claustra degentes alloqui possit:* per hæc enim verba, *aut quamlibet aliam personam,* &c. constat venire etiam Nouitias, & alias fœminas intra clausuram degentes: & hæc de rigore iuris; cùm aliàs consulendum sit, vt Regulares in vtroque casu abstineant ab accedendo ad Nouitias, aliasque fœminas sæculares intra monasterium commorantes. ita aliqui docti recentiores; quàm probabiliter, ipsi viderint; ij certè suam sententiam firmare possent ex dicendis *q. 8.*

QVÆRES II. Quid hîc intelligatur per *accedere ad monasteria Monialium.*

Respond. intelligi aditum, non quidem ad monasteria Monialium materialiter sumpta, sed ad ipsas Moniales causa illas visitandi, aut colloquendi; ac proinde in citatis iuribus non prohiberi accessum ad earum Ecclesias, sed ad illarum colloquia, & aspectum; quòd satis clarè indicatur *in cap. periculoso, superiùs relato,* dum ibi loco *monasterij,* dicitur *ad Moniales,* his verbis, *nulli pateat ingressus, vel accessus ad Moniales,* quod est dicere, *ad monasteria Monialium formaliter sumpta.* ita Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. n. 24.* Sanchez *lib. 6. mor. c. 16. n. 112.* Bonac. *q. 3. de clauf. p. 1. n. 1. & 2.* aliique, qui consequenter dicent eum censeri accedere ad monasteria Monialium contra iura id prohibentia, qui accedit ad Ecclesiam exteriorem Monialium, ibique ex fenestella communionis dictius loquitur cum aliqua Moniali: cum hoc verè sit adire Moniales causa illas alloquendi, quòd est prohibitum in citatis iuribus; sed de hoc plura in allegata *tract. de prohibit. cap. 6. q. 9.* 195.

Quòd si quis ex fenestra facta in pariete Conuentus Monialium contiguo domui accedentis sine licentia accederet ad loquendum cum Moniali: probabile est illum non subiici pœnis latis contra indebitè accedentem ad Moniales; cum de tali accessu non loquatur lex vetans accessum ad Moniales, vtpote loquens de accessu, qui fit communiter, & modo ordinario, non autem de hoc adeo extraordinario, ac insolito: lex enim loquitur de communiter contingentibus; &, si sit odiosa, non debet extendi ad casus in ea verosimiliter contentus: oppositum tamen vt probabilius colligitur ex Diana *part. 3. tract. 2. resol. 48. v. nota 7.* vbi pro se citat Henriq. *lib. 13. c. 26. n. 2.* probatque suam sententiam ex eo quòd in tali casu principaliter, & per se prohibetur

locutio

locutio cum Moniali, acceſſus verò ad Monialem per accidens: at nobiſcum ſentit Graffiis *tom.1.conſil.22.de ſent.excommunic.n.23.*

QVÆRES III. Quotuplex acceſſus ad Moniales interdicatur in iuribus relatis *q.1.*

196 Reſpond. duplicem acceſſum interdici, *in cap.quidem monaſteria,de vita, & honeſt.cleric.* frequentem acceſſum, quem DD. vocant frequentationem adeundi monaſteria Monialium: idque in iis verbis, *monaſteria Sanctimonialium ſi quiſpiam clericus ſine manifeſta, & notabili cauſa frequentare præſumpſerit*, &c. in aliis verò iuribus ſimplicem acceſſum, ſicut importat frequentatio accedendi, quæ ſupponit acceſſum ſæpiùs repetitum.

Quòd ſi quæras, quid intelligatur hîc per frequentationem accedendi.

197. Reſpond. non intelligi ſolùm binum acceſſum,vt putant aliqui *ex cap. ita nos 25.q.1.* generaliter aſſerentes binum actum ſufficere ad inducendam frequentiam, cùm actus geminatus conſuetudinem inducat, *cap.2. C.de Epiſc.audientia*; ſed potiùs id iudicandum eſſe ex communi vſu loquendi, ac iudicio prudentis viri; quo modo Nauar. *comm.4. de Regul. num.*61. Rodriq.*tom.1.q.45.art.2.* Sanchez *num.*110. Bonacina *part.2.num.4.* aliique arbitrantur eum non poſſe dici frequentare monaſteria Monialium, qui Moniales alloqueretur duodecies 3. annis, aut ſemel vnoquoque trimeſtri: ſecùs, ſi ter alloqueretur 3. diebus continuis: quin etiam Sanchez *num.* 111. addit ſe credere tunc demum cenſeri poſſe frequentiam in præſenti materia,quando quis ſemel ſingulis menſibus, aut ter 3. diebus continuis accederet ad Moniales: vt proinde Suarez *ſup.num.25.*generaliter dicat tunc poſſe dici frequentiam, quando intra breue tempus ſæpiùs acceditur; non item, ſi inter vnum, & alterum acceſſum longum tempus interponatur.

QVÆRES IV. Quæ perſonæ prohibeantur accedere ad Monialium monaſteria vi iurium relatorum *q.1.*

198. Reſpond. probiberi omnes tam laicos, quàm clericos,ac regulares,vt apertè conſtat *ex cap. periculoſo*, in quo generaliter dicitur, *ne quis abſque ſpeciali facultate,& ſine rationabili, & manifeſta cauſa ingrediatur, vel accedat ad monaſteria Monialium*; cùm alioqui *in cap.monaſteria,ſupra,lato,*non comprehendantur Regulares, quippè quòd loquitur tantùm de laicis,& clericis; nomine quorum non veniunt Regulares in odioſis, ſicut benè aduertit Bonac.*num.3.* monens dicto nomine non venire Epiſcopos, Prælatos, aut Canonicos Eccleſiæ cathedralis, vtpotè dignos ſpeciali nota: niſi fortè verba textus ſint adeò generalia, vt extendantur ad quoſlibet; quod etiam notauit Sanchez *ſup.cap.15.n.74.*

QVÆRES V. An acceſſus ad Moniales ſit prohibitus ſub peccato mort. ſi fiat abſque debita licentia, & cauſa legitima.

199 Reſpond. eſſe, & quidem etiam ſecluſis circunſtantiis extrinſecis ſcandali,prauæ intentionis, aut etiam iniuriæ, quæ fit Abbatiſſæ monaſterij, ad cuius Moniales acceditur ſine eius licentia; quod eſt contra ius monaſterij, ac ipſius Abbatiſſæ. Ita Rodriquez *ſup.art.4.* Mirand.*q.4. de monial. art.1.* Bonac.*part.3. num.1.* & alij; à quibus non videtur diſſentire Suar. *num.* 27. cùm dicat ſe non dubitare, quin decretum Bonifacij(quod ſcilicet edidit de hac re, & continetur *in cap.periculoſo*) ex ſuo genere inducat obligationem ſub mortali; eſtò poſtea ſubiungat; *ſi tamen illud conſuetudine derogatum eſt, affirmare non poſſumus hoc eſſe peccatum mort.ex ſuo genere, quia nullum apparet aliud ius poſitiuum, quo diſtrictè prohibeatur, ſecluſa frequentia, quam ſatis grauiter prohibet cap. monaſteria; quod non poteſt dici derogatum.* vbi ego nuto, quòd, cùm Suarez non aſſerat tanquam certum,*cap.periculoſo*, fuiſſe derogatum, & alij DD.de facto ſupponant non fuiſſe derogatum; non negaret Suarez acceſſum ad Moniales vigore dicti capitis eſſe prohibitum ſub peccato mort. cùm re vera ſolùm oſtendat ſe dubitare, num illud fuerit derogatum, nec ne. Diſſentit tamen Sanchez *num.* 110. ex Nauarro dubitante, num indebitè accedens ad Moniales peccet ſaltem venialiter, aitque eum, qui frequentat monaſteria Monialium, non committere grauem culpam, niſi ab Epiſcopo monitus omittat deſiſtere: quamuis ſubdat, quòd, ſicut acceſſus ſine cauſa, & abſque licentia eſt venialis, ſic frequentans monaſteria Monialium rariſſimè excuſatur à mortali, attentis circunſtantiis extrinſecis, & præſertim ſcandali, quod rariſſimè non inde conſurget; ſicut & rariſſimè deficiet finis aliquis turpis. Ratio noſtræ reſponſionis eſt, quòd de ratione legis eſt, vt in materia graui obliget ſub mortali; vt tradunt communiter Doctores in materia de legibus: conſtat autem quòd lex prohibens acceſſum ad Moniales ex genere ſuo eſt de re graui; vt colligitur ex grauitate finis in ea intenti; vnde ſolent Ordinarij dictum acceſſum prohibere ſub grauibus cenſuris Eccleſiaſticis ipſo facto incurrendis, vel reponere inter caſus ipſis reſeruatos; quæ vtique fieri non poſſent, ſi dictus acceſſus non eſſet mortalis.

A Sanchez non diſſentit Rodriquez *ſup.* quatenus ſuſtinens culpam accedentis ad Moniales ſine licentia non eſſe maiorem, quam culpa venialis ex materiæ exiguitate, & ex eo quod talis acceſſus videtur inſufficiens cauſa infligendi damnationem æternam; in fine articuli allegati addit aliam rationem eſſe de frequentantibus monaſteria Monialium ſine manifeſta, ac rationabili cauſa; dicitque eſſe peccatum (intellige mortale) niſi adſit huius legis inuincibilis ignorantia excuſans à peccato: quomodo allegauimus ſuprà ipſum Rodriquez prò noſtra ſententia: cum aliàs expreſsè dicat acceſſum ad Moniales ſine licentia tantùm,aut ſine licentia, & cauſa ſimul peccatum eſſe, ſed non plus quam veniale, &.ſi vtrùmque deficiat requiſitum, grauius peccatum eſſe veniale, leuius autem, ſi alterum ſolum deficiat, vel licentia, vel cauſa rationabilis: cum Rodriquez ſentiunt Sanctotus *in Conſtitut. Minor.c.11. ſtat.7. quæſt.1.* dicens quod, cum Rodriquez ſit Doctor claſſicus in rebus Regularium, in aliquo caſu faciem proferre poterit, & Lezana *tom. 1. cap. 25. num.* 36. docens acceſſum indebitum ad Moniales eſſe peccatum veniale, amoto ſcandalo, & circunſtantiis in malum qualificantibus. Monet autem Rodriquez non facere contra ipſum, quod in acceſſu ad Moniales non rarò admiſceantur vana, ac otioſa verba, adeòque videtur contineri in eo grauitas materiæ: nam id non procedit regulariter in acceſſu raro, ſed ſolum in frequenti: præterquam quod verba otioſa, ac inutilia non ſunt de intrinſeca ratione acceſſus, ſed ſunt quid diuerſum, vt patet.

Certè, quòd ſpectat ad Regulares, num videlicet ipſi peccent mort. accedendo ſine debita licentia ad Moniales, nec ne; eſto aliàs non defuerint, qui ſententiam negantem ſuſtinuerint, ea ducti ratione, quòd decretum Sacræ Congregat. relatum *q.1.* & de ipſis in ſpecie editum, ſit pœnale, adeòque obliget ſolùm ad pœnam, non ad culpam, vt notauit Diana *pars.1.tract.10.reſolut.21.* in præſentia tamen dicendum 200.

dum videtur in tali casu interuenire peccatum mort. cùm id expressis verbis declarauit Sacra Congregatio 1. Iulij 1606. teste Duardo *l. 3. in Bullam Cœnæ*, §. 8. *q. x. num. 45.* Declaratio autem Sacræ Congregat. sic habet: *Attentis narratis, ac dubio præfato maturè discusso, & examinato, censuit Sacra Congreg. ac declarauit Regulares accedentes ad monasteria Monialium contra formam decreti, quo huiusmodi accessus per Sacram Congregationem prohibetur, vltra pœnas priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ incurrere etiam pœnam peccati mort.*

101. Verum tamen est, quòd, cùm leuitas materiæ in similibus rebus excuset à mortali, sic & excusabit in præsenti materia; ideóque stando in iure communi, excusabitur à mortali is, qui vna, aut altera vice accedat ad Moniales absque debita licentia (loquendo de prohibitione facta *in cap. monasteria*, interdicente non simplicem accessum, sed frequentiam accedentium, non item de ex, quæ fit in aliis iuribus interdicentibus etiam simplicem accessum quamquam, etiam stando in illis, dari possit paruitas materiæ ex alio capite; vt si habens facultatem loquendi cum vna Moniali, ea occasione aliam alloquatur, quasi per accidens vrbanitatis causa, ac verbis compendiosis; quod rectè notauit Bonac. vbi sup.

102. Quòd verò innui in responsione accedere ad Moniales sine legitima licentia cedere in iniuriam Abbatissæ monasterij, ad quod acceditur; aduertit expressè Suarez *supra* id inde probans, quòd etiam inter sæculares furtiuè accedere ad colloquendum cum virgine existente sub cura parentum ex suo genere est grauis iniuria: sicque à fortiori erit in virgine sacra; maximè si accessus fit ad loquendum per loca insuscita; cùm sic iniuria fit maior, & periculum scandali grauius.

Qværes VI. Sub quibus pœnis prohibeatur accessus ad Moniales, stando in iure communi.

103. Respond. distinguendo; vel loquimur de laicis personis, & hæ nullam pœnam incurrunt accedendo ad Moniales, si non adsit frequentatio accedendi: nulla enim pœna repetitur iure communi lata contra laicos taliter accedentes; debent autem excommunicari ab Episcopo, si frequentent Monialium monasteria, & ab eo moniti non desistant; idque ex *cap. monasteria*, vbi dicitur: *Si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni*: quod est dicere *contra illos debere ferri excommunicationem, eósque declarandos esse excommunicatos*. Vel loquimur de Clericis; & hi, si frequentent monasteria Monialium, ac moniti ab Episcopo non desistant, debent suspendi ab officio Ecclesiastico, idest ab vsu ordinis, ac iurisdictionis (& hoc *ex citato cap. monasteria*) immò & excommunicari, ac deponi, si nolint corrigi, vt constat *ex cap. ve clericorum, de vita, & honest. clericorum*; si verò interdum accedant, sed non ita, vt dici possint frequentare, nullam pœnam incurrunt, cùm aduersùs talem accessum nulla pœna in iure communi statuta sit. Vel denique loquimur de Regularibus; & hi, siue frequentent monasteria Monialium, siue etiam semel tantum accedant, incurrunt pœnam priuationis officiorum, & vocis actiuæ, ac passiuæ ipso facto incurrendam iuxta decretum Sacræ Congregationis editum iussu Sixti V. & relatum *q. 1.* quippe quod loquitur simpliciter de accedentibus absque licentia Sedis Apostolicæ, non de frequentantibus.

An autem Regulares accedentes sine licentia ad Moniales incurrant censuras ab Ordinariis statutas contra accedentes ad monasteria Monialium sine ipsorum licentia.

Respond. incurrere; si non gaudeant priuilegio relato à Sanchez *l. 7. de matr. D. 33. num. 23.* quod non possint censurari ab Ordinariis locorum. & ratio est, quòd, licèt ij sint exempti; in casu tamen proposito possunt contra eos procedere Ordinarij, etiam censuris; cùm in eo procedant tanquam Sedis Apostolicæ delegati, adeóque non suffragetur exemptio. quod fallit, si gaudeant dicto priuilegio, vtpote regulares priuilegiatos eximente etiam à potestate delegata quo ad hoc generaliter concessa. Quod tamen non facit, quin Religiosi sine debita licentia alloquentes aliquam Monialem puniri possint ab Ordinario iuxta Gregor. X V. Constitut. *Inscrutabili*; immò, & carcerari, tradendi ipsorum Prælatis; qui tenentur eos punire, & hoc ipsum significare tum Sacræ Congregationi, tum Ordinario: idque ex eiusdem Sacræ Congregationis decreto, quod refert Tamburinus *de iure Abbatiss. D. 25. q. 4. num. 5.* Cum quo tamen stat, quod si Sacra Congregatio concedit Episcopo facultatem puniendi Regulares, etiam censuris; tunc ille poterit ferre censuras contra eos, non obstante priuilegio, §. *præced.* adducto ex Sanch. cum sic Sacra Congreg. censeatur derogare dicto priuilegio: idque etsi non deroget expressè, ac signate: quod indicat ipse Sanch. *sup.* dicens; *& hoc, nisi expressè concedatur Episcopis, vt in ijs casibus possint censuris latis contra exemptos procedere.* 104.

Qværes VII. An, & quibus ex capitibus excusari possint à culpa, ac pœnis superiùs explicatis ij, qui accedant ad Monialium monasteria.

Respond. posse excusari tum ex paruitate materiæ (vti ostendimus *q. 5. §. verum tamen est*:) tum ex legitimæ consuetudine inducta in contrarium, per quam vsu receptum sit, vt fœminæ, ac viri, præsertim laici, absque conscientiæ scrupulo accedant ad Moniales; cùm consuetudo habeat vim legis: tum ex legitima licentia obtenta à Superiore competenti, eaque data cum causa rationabili, ac manifesta; prout statuitur *in cap. periculoso*, & *c. monasteria, superius citatis*: quæ licentia non est opus, quòd detur in scriptis; cùm in iure id non requiratur, & de ratione priuilegij non sit scriptura, nisi ipsa iura aliter decernant: & non finitur primo actu, si detur indefinitè, & absque temporis præfinitione: idque ob dicta superiùs *sect. 3. q. 35.* Bonac. *sup. p. 5. num. 4. & 8.* addens *num. 5.* quòd, licèt in re præsenti non videatur sufficere licentia tacita, quæ conijcitur ex taciturnitate Superioris potentis reclamare, & non reclamantis contra accedentem ad Moniales sine expressa eius licentia; cum taciturnitas vt sic non sit sufficiens signum consensus præstiti; quatenus contingere potest, quòd Superior iusta de causa taceat, & tamen non consentiat iuxta regulam iuris, *qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur*; si tamen ex signis, & coniecturis appareat Superiorem consentire in talem accessum; tutus erit in conscientia talis accessus, vtpote factus ex licentia tacita. quòd à fortiori admittunt Sanchez *s. p. n. 14.* & Rodriquez *vbi supr.* generaliter docentes, licentiam, etiam tacitam sufficere, vt quis absque peccato accedere possit ad Moniales. 105.

Quòd si quæras, ad quem spectet dare huiusmodi licentiam accedendi ad Moniales tam exemptas, quàm non exemptas.

Respond. cum distinctione; vel Moniales, ad quas vult quis accedere, sunt immediatè subiectæ Episcopo, & licentia debet dari ab ipso Episcopo, eiúsue Vicario generali; quòd est indubitatum apud omnes; vel Moniales sunt subiectæ Prælatis, siue regularibus, siue sæcularibus; & licentia concedi potest, 106.

&

& debet vel à ſolo Epiſcopo, vel ab Epiſcopo ſimul & Prælato proprio Monialium, vel à ſolo proprio Prælato, prout fert conſuetudo, ac vſus vniuſcuiuſque loci; in hoc enim ſtatuit Sacra Congregatio ſeruandam eſſe locorum conſuetudinem; vt bene aduertit Tambur. *ſupr. D.16.q.1.num.*1.ex Barboſa, & Quaranta monens huiuſmodi licentias in aliquibus locis ſolere concedi ſolùm ab Epiſcopo, vel ab Epiſcopo, & Prælato Monialium ſimul, cùm alioqui, ſecluſa conſuetudine, facultas concedendi dictas licentias ſpectet ad proprios Prælatos Monialium; quamquam conſuetudo communior, ſaltem in hiſce regionibus, habeat, vt præfatæ licentiæ concedantur à ſolo Epiſcopo, Prælatis Monialium ſcienter cedentibus iuri ſuo, fortè ad euitandos rumores, & tricas.

207. Quod autem ſpectat ad Regulares, ij non poſſunt accedere ad Moniales iuxta conceſſionem Vrban. VIII. niſi vltra licentiam Ordinarij interueniat etiam conſenſus Prælati Regularis, ſi Monialis, ad quam petunt accedere, ſit exempta; idque colligo ex verbis illis, quæ ſunt in decreto hac de re edito, *prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, & ab alio, ad quem ſpectet eam concedere*: quæ vtique intelliguntur de Prælato Regulari.

Dubitari poſſet, an fœmina habens licentiam accedendi ad Moniales ſub his terminis *con le ſue donne*, poſſit ſecum ducere mulierem aliquam extraneam, excluſa aliqua alia ex domeſticis, quæ aliàs illam ſolet aſſociare; idque ad gratificandum mulieri ſic electæ.

Reſpond. videri poſſe; & probatur tum quia verba illa *con le ſue donne*, commodè poſſunt explicari non ſolùm de mulieribus fœminam dictam ordinariè comitantibus, ſed etiam de muliebri comitatu proprio ſtatui illius concedenti; quo modo ſub eo comprehendi poſſunt etiam fœminæ extraneæ: gratia autem Principis ampliari debet, quantùm patitur verborum proprietas: tum quia ad præſentem caſum facit doctrina, quam tradit Sanchez *lib.6.mor.cap.*16.*num.*49 dicens poſſe excuſari fœminam, quæ ex ſola curioſitate videndi monaſterij Monialium, illud cum debita licentia ingrederetur ad exercendum miniſterium ipſius ſtatui minus conſonum, Monialibus tamen neceſſarium; quippequod ab iis commodè nequit exerceri; & de facto in eo occuparetur non minùs quàm famulæ, & aliæ viliores fœminæ aliàs ad talem effectum ingreſſuræ: ſiquidem te vera ingreditur ex cauſa neceſſaria, eamque exequitur ingreſſa inſtar famulæ, etſi alioqui ſit nobilis fœmina, &c. quæ doctrina à fortiori probabilem facit præſentem reſponſionem; cùm etiam in iſto caſu fœmina electa accedat ad Moniales inſtar famulæ, eique æquiparetur: qui acceſſus vtique eſt quid minus, quam ingreſſus clauſuræ, vt patet. Puto quidem fœminam ſic licentiatam ad acceſſum non poſſe in fraudem legis ſecum plures fœminas, ſiue domeſticas, ſiue extraneas, quàm ducere communiter ſoleat profectura in alia loca: nam aliàs non videtur verificari verba illa, *con le ſue donne*, quæ intelligenda videntur ſolùm de comitatu eius ordinario.

Concedo tamen quòd, ſi ſimilis licentia concedatur fœminæ, quæ ordinariè ſolet incedere ſola; poteſt fœminam aliquam nihilominus ſecum ducere: idque ex benigna interpretatione mentis Prælati licentiam dantis, & ex quadam æquitate, ac decentia.

Addo quòd, ſi quis habeat licentiam inuiſendi aliquam Monialem ſemel pro quolibet menſe: is non tenetur inter vnam, & alteram viſitationem interponere ſpatium vnius menſis integri: ſed poteſt, v.g. inuiſere Monialem 27. die Aprilis, & iterum 2. die Maij, dummodo in reliquo menſe Maij iterum non inuiſat. Moueor ex eo, quòd docet Sanchez *lib.8.de matrim. D.*34 *n.*36. videlicet diſpenſatum à ſacra Pœnitentiaria cum onere confeſſionis menſtruæ in perpetuum faciendæ ſatisfacere, etſi ab vltima confeſſione plus quàm menſis elabatur; vt ſi confeſſio præcedens facta ſit 1. die Decembris ſatisfaciet, facta confeſſione vltima die Ianuarij: quocumque enim die menſis fiat confeſſio, verificatur illam fuiſſe factam in eo menſe, quæ ratio proportionaliter procedit in præſenti caſu; cùm inuiſens Monialem modo dicto ſemel tantùm in quolibet menſe, verè dici poſſit inuiſere Monialem ſolùm ſemel in quolibet menſe, ideòque non excedere limites licentiæ ad hunc effectum obtentæ.

QVÆRES VIII. An requiratur licentia, vt quis poſſit ſine peccato accedere ad Abbatiſſam monaſterij, necnon ad Nuuitias, puellas ibi commorantes in educatione, aut alias fœminas ibi degentes cauſa ſecuritatis.

Reſpond. non requiri, attento præciſè iure communi; & quidem de Abbatiſſa inde patet, quòd, ſicut nomine Monachorum non venit Abbas in odioſis (vt bene notauit Gloſſa *in cap. fin. de ſimonia*, & Panormitanus *ibidem, num.*2.) ſic nomine Monialium non venit Abbatiſſa, ſicut notant contra Graſſium *lib.*1. *de caſu reſeru. cap.*5. *num.*37. Diana *part.*3.*tract.*2.*reſol.*48. & Tambur. *ſupr. D.*15.*quæſt.*8. *§.ad* 5. in hoc nobiſcum ſentientes; vnde, cùm iure communi ſolùm prohibeatur acceſſus ad Moniales, vt conſtat ex iuribus relatis *quæſt.*1. vt illius præciſè nō erit prohibitus acceſſus ad Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam ipſarum Monialium. De Nouitiis verò patet reſponſio, quòd de iure communi tantùm interdicitur acceſſus ad Moniales, vt modò diximus: Nouitiæ autem non ſunt Moniales; cùm Monialis propriè dicatur per profeſſionem: ſicque ſub prohibitione accedendi ad Moniales non vetatur acceſſus ad Nouitias, vt in ſpecie tradunt Diana, & Tambur. *locis citatis*, & Belloch. *part.*2. *de caſ. reſeru. quæſt.*9. *num.*191. Quæ ratio à fortiori intentum probat de puellis manentibus in educatione, & aliis fœminis quibuſcumque commorantibus intra Monialium monaſteria; nam hæ nomine Monialium non veniunt, neque in odioſis, neque in fauorabilibus, cùm aliàs Nouitiæ in fauorabilibus reputentur Moniales. Dixi ſub initium reſponſionis, *attento præciſè iure communi*, vt indicarem iure particulari locorum poſſe contingere oppoſitum; vt ſi alicubi prohibeatur acceſſus ad Moniales, & alias quaſcumque fœminas intra clauſuram degentes; ſicut re vera fit aliquibus in locis; tunc quippe requireretur licentia, etiam vt quis accederet ad Nouitias, puellas, aliaſque fœminas cum Monialibus degentes: cùm prohibitio ſit generalis, adeòque comprehendat illas omnes: quod tamen non puto procedere de Abbatiſſa, cùm de illa militet ratio allata ſub initium reſponſionis, etiam in præſenti caſu. 208.

QVÆRES IX. An parentes, & filij indigeant licentia, vt poſſint accedere ad Moniales, quæ ſint ipſorum filiæ, aut matres.

Reſpond. non indigere, ex declaratione ſacræ Congregationis facta 15. Ianuarij 1616. & relata à Gauanto *in man. v. Monialium collocutio, n.*7. his verbis: *Patres, & matres Monialium poſſunt eas alloqui ſine licentia, non tamen diebus prohibitis: item filij Monialium proprias matres*: quod declarauit eadem ſacra Congregatio 15. Martij 1619. teſte eodem Gauanto 209.

uanto *n.* 8. Quanquam huiusmodi declarationes non sint vbique in vsu; cùm in variis locis neque parentes ad filias Moniales, neque filij ad matres audeant accedere absque licentia Superioris competentis; siue qora ignorant ius ipsis quoad hoc concessum; siue quia Ordinarij illas declarationes non acceptarunt, aut postea abrogarunt; siue quia tales declarationes re vera non faciunt ius vniuersale, vt diximus supra. Certè, si demus præfatas declarationes esse in vsu, puto vi illarum parentes, ac filios item posse accedere ad proprias filias, & matres respectiuè quoquo modo intra Monialium monasteria degentes, etiamsi nullam ad id habeant licentiam, & alioqui ibi sit generaliter prohibitus accessus ad quascunque mulieres intra clausuram commorantes, idque iuxta regulam iuris, *l. illud, ff. ad leg. aquil. vbi est eadem ratio, ibi idem ius statui debet.*

QVÆRES X. An Episcopi, aliique Prælati extra suam diœcesim possint accedere ad Moniales sine licentia Ordinarij, aut Superioris illarum.

210. Respond. non posse (nisi fortè præsumatur adesse tacita licentia dicti Ordinarij, aut Superioris; quam *quæst.* 7. diximus sufficere, vt quis accedere possit ad Moniales, &, si indebitè accedant, incurrere pœnas latas in Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 5. *de reg.* vtpotè comprehensos *in cap. periculoso de reg. in* 6. innouato per dictum Concilium: non tamen posse excommunicari ad Ordinario loci, in quo fit accessus; idque non obstante declaratione sacræ Congregat. relata à Tambur. *sup D.* 25. *quæst.* 2. *num.* 4. his verbis: *Petitum fuit ab Illustrissimis Patribus Concilij Tridentini decreta interpretantibus declarari, an Prior Ecclesiæ Collegiatæ S. Nicolai Barensis, quamuis Episcopus, possit intuitione iurisdictionis Archiepiscopalis in casibus à Sacro Rotæ Romanæ auditorio resolutis, seruatis seruandis, excommunicari: & an eidem Priori permissum sit ad monasteria Monialium istius Ciuitatis accedere absque Amplitudinis tuæ licentia* (nempe Archiepisc. Barensis) *& absque eo quòd incurrat in censuras in edicto desuper publicato contentas; sacra Congregatio licèt censeret Amplitudini tuæ licere D. Priorem Barensem excommunicare ex auctoritate tua ordinaria, illumque edicto contrauenientem pœnis in eo contentis subiacere: attamen tutius esse putauit, etiam S. D. N. annuente, vt Amplitudo tua tanquam Sedis Apostolicæ delegata contra dictum Priorem in casibus supra expressis ad censuras, & pœnas respectiuè procedat.* Hæc enim declaratio non probat quemlibet Ordinarium loci posse excommunicare Episcopos extraneos indebitè accedentes ad Moniales ipsi subiectas; cum edita sit in fauorem Archiepiscopi Barensis contra Priorem Barensem Episcopali dignitatem fulgentem, subditum dicto Archiepiscopo: contra quem proindè sacra Congregatio declarauit præfatum Archiepiscopum iure suo potuisse ferre excommunicationem, eo quòd Episcopatus dicti Prioris contineretur intra Prouinciam illius: quæ ratio non procedit quo ad Episcopos extraneos, sicque in iis non habet locum talis declaratio. Immò Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 48. ex Grassio dicit teste experientia, Episcopo absque scrupulo loqui cum Monialibus sine licentia Ordinariorum, quibus eæ subsunt.

QVÆRES XI. An peregrini indigeant licentia Ordinarij loci, ad hoc vt licitè possint accedere ad Moniales in locis, per quæ transeunt.

211. Respond indigere, si supponamus prohibitionem accedendi ad Moniales contentam in iure communi non fuisse abrogatam; sic enim lex est communis & consequenter obligat fideles, etiam existentes extra proprium territorium: sicque non suffragatur doctrina, quam tradunt Sanchez *lib.* 3. *de matrim. D.* 18. *num* 6 Clau. Regia. *lib.* 3. *capit.* 4. *num.* 15. aliique apud Layman *libr.* 1. *tract.* 4 *cap.* 12. *num.* 4. & Dianam *part.* 1. *tractat.* 10. *resolut.* 15. peregrinum non teneri seruare leges locorum, in quibus obiter reperitur, dummodò non adsit periculum scandali, cùm talis doctrina procedat solùm de consuetudinibus, ac legibus locorum particularium, non autem de communibus, provt supponunt citati Doctores. Secùs dicendum, si prohibitio accedendi ad Moniales supponeretur esse de iure particulari locorum: tunc quippe locum haberet doctrina modò indicata; quæ videri potest probabilis, maximè ex eo quòd iurisdictio requiritur ad obligandum aliquem legibus: peregrini autem ob breuem hospitij moram (qualem hîc supponimus) non subiiciuntur iurisdictioni, seu non acquirunt forum, vt constat ex *l. hæres absens, §. proinde, ff. de iudiciis.* Nec obstat, quòd Ordinarius in causis concernentibus materiam clausuræ Monialium procedit vt Sedis Apostolicæ delegatus; non enim hinc sequitur peregrinos ei subiici in dictis causis, æque ac subiiciuntur Sedi Apostolicæ, ideóque teneri seruare edicta Ordinariorum prohibentia accessum ad Moniales, non secùs ac si essent edita à Papa, siquidem talis delegatio ipsis facta est solùm in ordine ad Moniales exemptas; ad hoc scilicet, vt, non obstante priuilegio exemptionis, possint procedere contra illas in causis concernentibus clausuram; non autem in ordine ad peregrinos earum monasteria adeuntes indebitè: sicque in terminis sentit nobiscum Diana *part.* 3. *tractat.* 2. *resol.* 48.

QVÆRES XII. An pauperes vitam sibi ostiatim emendicantes sine peculiari licentia possint accedere ad Moniales causa quærendi eleemosynam.

Respond. de iure communi videri posse, & qui- 212.
dem ex tacita licentia Ordinariorum; quæ rationabiliter præsumi potest tum ex vsu ferè communi: tum quia talis accessus, cùm ex genere suo sit pro breuissimo tempore, non est comprehensus in generali prohibitione accedendi ad Moniales; tum quia regulariter in huiusmodi accessu non militant rationes, ob quas inducta est præfata prohibitio.

QVÆRES XIII. An famuli, & famulæ sine speciali licentia possint accedere ad Moniales, vt
ipsis deferant aliqua munuscula. 213.

Respond. posse pro foro conscientiæ; & quidem, etsi alias non paterentur graue aliquod incommodum, non obediendo dominis ipsos mittentibus. Ducor tum quia in tali euentu faciliùs præsumi potest tacitus consensus Ordinariorum, qui non supponuntur velle obligare suis legibus cum tanto rigore; tum quia hîc interuenit paruitas materiæ excusans à peccato; de minimis autem non curat Prætor; tum quia famuli moraliter adstringuntur obedire suis dominis, nec possunt sine damno proprio detractare illorum iussa; qui autem iussu iudicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet. ita Belloc. *n.* 178. ex Grassio, & Homob. & Bonacin. nec improbabiliter; quamuis forum externum, vtpotè nitens præsumptionibus, dictos famulos puniret, si absque licentia inuenirentur accessisse ad Moniales; vnde omninò consulendi sunt non accedere absque debita licentia; vel certè, vt in hoc cautè se gerant.

QVÆRES XIV. An delinquant contra prohibitionem accedendi ad colloquendum cum Monialibus, qui de domo sua posita prope monasterium Monialium loquitur cum aliqua illarum.

214. Reſpond. non delinquere; quidquid contradicat Graff. *tom.1.conſ.22.de excommunic.num.*23. Ita Diana *p.3.tract.2.reſol.*48. & cum eo Tambur. *ſup.quæſt.*8. §. *ad* 1. citans pro ſe Henriquez: pateręque ex eo quòd pœnæ debent interpretari ſtrictè; ideóque ſi latæ ſint contra accedentes ad colloquendum cum Monialibus, non debent extendi ad eum, qui loquitur quidem cum Moniali, at non accedit ad ipſam, & conſequenter non facit actum externè conſummatum ſub dictis pœnis prohibitum, prout requiritur ad incurrendas dictas pœnas.

Qværes XV. An modo dicto delinquat, qui accedit ad Monialem, ſed cum ea loquitur ſolùm per interpretem, aut tantùm ſignis, ac nutibus.

215. Reſpond. non delinquere, ſi ſolùm per interpretem loquatur: quod expreſsè docent Diana *ſupra* & Tambur. §. *ad* 4. ea ducti ratione, quòd loqui per interpretem non eſt propriè loqui, prout requiritur ad incurrendum pœnas contra loquentes: quippe quæ ſunt ſtrictæ interpretationis, vt paulò ante diximus; quæ ratio ſi valet in præſenti caſu, videri poſſet alicui valere etiam in caſu, quo quis Monialem alloquatur ſignis, ac nutibus: quod tamen negat Diana, ſed minùs conſequenter, cùm aliàs concedat prohibitionem alloquendi Moniales obſtare, quin ad eas mitti poſſint literæ, ac nuncij; in quibus tamen militat finis prohibitionis, vt patet. ego quidem in praxi puto conſulendam, & ſequendam eſſe opinionem Dianæ, vt fauorabiliorem animæ.

Qværes XVI. An modo ſupradicto delinquat, qui accedit ad Monialem, & cum ea loquitur idiomate, quod non intelligitur à Moniali.

216. Reſpond. videri non delinquere; & probatur ex doctrina, quàm in ſimili tradit Sanch. *l.2.mor.c.*10. *num.*51. dicens legentem librum lingua ſibi omninò ignota conſcriptum, ac prohibitum non affici pœnis latis contra legentes libros prohibitos; eſt enim par ratio in vtroque caſu.

Qværes XVII. An modo dicto delinquat, qui accedit ad Monialem loquuturus cum illa, ipſa nihil reſpondente, vel certè illam loquentem ſolum auditurus, ipſo nihil dicente.

217. Reſpond. Diana *ſup.* delinquere in priori caſu; cùm tunc re vera loquatur cum Moniali (quod iure prohibetur) non item in poſteriori; cùm lex pœnalis non debeat extendi, & alias prohibitio loquendi cum Moniali propriè non ſit prohibitio audiendi Monialem, vnde, cum in hoc poſteriori euentu accedens non loquatur, ſed ſolùm audiat Monialem loquentem (quod iura non prohibent) non poteſt dici delinquere contra prohibitionem, quæ præcisè vetat loqui cum Moniali. Ita Diana, & cum eo Tamb. *ſup.* §. *ad* 2. contra aliquos tacito nomine relatos à Diana ſuſtinentes, quòd, cùm pœnæ debeant reſtringi, & colloqui ſit idem, ac ſimul loqui; probabile videtur non incurrere excommunicationem latam contra colloquentes cum Monialibus eum, qui cum Moniali loquitur, ipſa nihil reſpondente: ſiquidem in tali caſu non interuenit propria collocutio, quæ ſola prohibetur ſub cenſura; quæ opinio fortè non eſt improbabilis, attenta communi doctrina ad incurrendam cenſuram prærequiri effectum completum, & conſummatum ſub ea prohibitum, vnde oppoſitum ſuſtinendum eſſet, ſi prohiberetur, non collocutio, ſed præcisà locutio cum Moniali: ſic quippe accedens verè diceretur loqui cum Moniali; quod ſupponimus eſſe prohibitum.

Qværes XVIII. An faciat contra prohibitionem accedendi ad Moniales cauſa colloquendi cum illis, qui ad ipſas ſcribit litteras.

218. Reſpond. non facere: & patet tum ex dictis *q. præcedenti*, quæ hîc applicari poſſunt proportionaliter: tum ex communi illa regula, quæ habetur, *l.1.§. hac autem verba, ff. quod quiſque iuris, verba cum effectu intelligenda ſunt*: quæ regula in præſenti caſu non habet locum, ſtante quòd ſcribere litteras non eſt idem, ac loqui, ſed quid omninò diuerſum, vt conſtat. Ita Nauar. *conſ.*19. *de ſent. excommun.* Sanch. *l.6.mor.c.*16.*n.*117. Rodriq. *tom.1.q.*45. *art.*3. aliiſque apud Tambur. §. *ad* 6.

Qværes XIX. An violet prohibitionem ſupradictam, qui accedens cum debita licentia ad vnam Monialem loquitur poſtea etiam cum aliis Monialibus, ſiue ſponte accurrentibus, ſiue ab ipſo vocatis.

219. Reſpond. violare, ſi paruitas materiæ non excuſet (vt ſi illis aliis Monialibus aliquid obiter dicat vrbanitatis cauſa, eas ſalutando, aut aliquam reſponſionem reddendo (& aliàs dictæ Moniales iuxta ſtatuta, ac locorum conſuetudines non debeant ex munere ſuo intereſſe collocutioni Monialis, ad quam is accedit cum licentia: ſic enim aut materiæ paruitas excuſat, aut præſumitur adeſſe tacita licentia Superioris ad loquendum cum Monialibus ex munere ſuo intereſſentibus (cuiuſmodi ſunt auſcultatrices;) idque ex regula connexorum, de quibus idem eſt iudicium, *cap. tranſlato de conſtitut.* vnde in his duobus caſibus habens licentiam loquendi cum certa aliqua Moniali non prohibetur loqui cum aliis Monialibus ex officio intereſſentibus; immò & cum quibuſcumque aliis, modò id faciat verbis compendioſis. Secùs, ſi diutiùs loquatur cum Monialibus non intereſſentibus ex officio; tunc enim violatur prohibitio, cùm talis collocutio dici poſſit facta ſine licentia; facultate loquendi cùm vna certa Moniali non ſe extendente ad loquendum cum aliis Monialibus, vt patet. Ita docti Neoterici à me conſulti, & probabiliter, idque innuunt Bonac. *ſup.q.3.p.3.n.*1. ac Bellocch. *n.*176.

Qværes XX. An accedens ad Moniales exemptas incurrat pœnas latas ab Ordinario contra indebitè accedentes ad monaſteria Monialium.

220. Reſpond. quòd, cùm locus exemptus, & locus extra diœceſim æquiparentur ex Gloſſa *in Clem.1. de foro compet.* & æquiparatorum idem ſit iudicium; ſicut accedens ad monaſterium Monialium poſitum extra diœceſim (Epiſcopi v.g. Ferrarienſis) non ſubeſt pœnis latis ab eo contra indebitè accedentes ad Moniales; ſic nec eas incurret qui accedit ad Moniales exemptas ab ordinario; cùm monaſterium exemptum æquiparetur monaſterio ſito extra diœceſim. Colligitur reſponſio ex Reginaldo *l.9.n.*154. Naldo *v. Monialis num.*17. Peyrino *tom.1. priuileg. conſt.2. Sixti IV. n.*9. Bordono *reſol.*33.*n.*12. & Laym. *l.1. tract.* 4. *cap.* 11. *num.* 5. monente exceptionem illam, quam facit Suarez *D* 5. *de cenſur. ſect.*4. *n.*6. de loco plenè exempto per ſe, & de loco exempto ratione perſonarum, non vidiſſe apud alios. Nec obſtat, quòd, admiſſa hac reſponſione, extrahens frumentum ſine licentia non incurreret pœnas; cùm delictum extractionis conſumetur in loco non ſubiecto, non minùs, quàm in loco exempto conſumetur delictum indebiti acceſſus ad Moniales: cùm enim prohibitio extrahendi frumentum, & prohibitio accedendi ad Moniales fiant ratione damni vitandi: & damnum accedendi ad Moniales inferatur in termino ad quem; damnum verò extractionis in termino à quo: mirum non eſt, quòd diuerſus ſubiectionis terminus attendi debeat, & conſequenter in priori caſu incurrantur pœnæ, non item in poſteriori;

cum

cum in his duobus casibus magna adsit rationis disparitatis.

QVÆRES XXI. An dici possint transgressores præsentis prohibitionis pueri, ac puellæ, si ante 14. annum completum sine licentia accedant ad Moniales causa colloquendi cùm illis, & diutius colloquantur.

221. Respond. non posse dici transgressores, & probatur tum quia respectu illorum non concurrunt causę, ex quibus solet induci dicta prohibitio; sicque procedit doctrina, quòd *cessante fine legis, cessat lex*; tum quia Ecclesia non solet cogere quemquam suis censuris ante annos pubertatis, compatiens fragilitati illius ætatis; constat autem quòd talis prohibitio solet fieri sub aliqua censura. ita Tambur. §.*ad* 8, ex Bonac Diana. *supr.* & alij contra Graffium *tom.* 1 *conf.* 22. *de sentent. excommunicat. a.* 9. cuius opinio vtique est probabilior.

QVÆRES XXII. An Ordinarij, ac Superiores Monialium possint permittere, vt Magistri canendi, aut pulsandi cymbala, aliaque musica instrumenta possint accedere ad Moniales, vt eas doceant.

222. Respond. non debere, immò nec posse; cùm id expresse prohibuerit Sacra Congregatio Episcoporum 13. Sept. 1583. teste Gauanto *in manu. v. Monialium collocutio*, *num.* 4. qui huiusmodi prohibitionem refert. his verbis: *Non permittatur accessus ad Moniales sub prætextu docendi sonum cymbalorum, aut alterius instrumenti, aut musicam, cantumve, ad crates.*

CAPVT VI.

De variis obligationibus, ad quas tenentur Moniales ratione status Religiosi.

1 *Moniales debent tendere ad perfectionem per media præscripta in regula.*

2 *Non tenentur tamen vi status esse perfectæ.*

3 *Implent hanc obligationem obseruando Vota religiosa, ac præcepta.*

4 *Tenentur ad regulam eo genere obligationis, quo in ea præscribitur (non tenentur tamen statutis Ordinis, si subsint immediatè Ordinario loci) sed nō sub voto ad omnia in ea posita, etsi voueant regulam.*

5 *Quando peccent contra obligationem statuendo non seruare regulam.*

6 *Peccant solum v. statuendo non seruare regulas obligantes ad veniale.*

7 *Interdum Moniales vnius Conuentus non obligantur ad legem generalem, vt pote ab ipsis non acceptatam, aut certè abrogatam.*

8 *De iure communi tenentur solùm ad confessionem annuam, & communionem Paschalem: nec vllo iure probatur oppositum.*

9 *Feria 6. Parasceue communicant: & in Missa in festo Natiuitatis D.N. media nocte celebrari solita.*

10 *De iure communi non tenentur audire Missam frequentius, quam alij fideles: in eius auditione sufficit attentio externa, ac moralis præsentia: eius obligatio admittit leuitatem materia quæ variè assignatur: ea interdum præuenienda: impletur audiendo mediam Missam ab vno, & mediam ab alio: idque etiam eodem tempore: plures item Missæ ex diuerso titulo debita simul audiuntur audiens Missam potest recitare horas debitas ex præcepto, imò confiteri sacramentaliter iuxtà aliquos.*

11 *Debeat curare, si possunt, vt in suis templis dicatur Missa Conuentualis.*

12 *Recitant horas in choro ex consuetudine, non tamen singulæ Moniales tenentur ad id.*

13 *Quid statuerit Leo X. de hoc: Abbatissa dispensat quo ad tempus recitandi horas in choro.*

14 *Recitare debent extrà chorum: nec id sine nota temeritatis potest negari; etsi aliqui id negent, non enim quidquid sustinent aliqui Doctores, censeri debet probabile.*

15 *Laica tamen loco horarum tenentur solùm ad certas preces: at non sub mortali.*

16 *Ex indulto Clement VII. Moniales choristæ, si sint imperitiores, possunt recitare officium Monialium laicorum, & quidem non sub mortali: alia item talia indulta iis concessa.*

17 *Satisfacit recitans horas sine vlla attentione interna: item recitans Officium pro Officio: non omnis omissio partis horarum est mortalis: eæ interrumpuntur sine culpa graui: idque procedit de inuertente ordinem earum: earum syncopatio non est semper mortalis: in dubio an recitata sint, non repetuntur: recitans cum alio satisfacit audiendo ab illo omnes lectiones: recitans certam orationem in fine horarum remittuntur defectus commissi in illis dicendis: omittens simul omnes horas vnicum facit peccatum; sicut omittens Officiū Defunctorum cum Officio de Octaua in die Defunctorum: recitans horas lingua vulgari peccat mortaliter, etsi alij id negēt.*

18 *Moniales exemptæ tenentur ad Officia Sanctorum Ordinis: secus, si subsint Ordinario: etsi hæ possint ea recitare.*

19 *Extra chorum non tenentur ad Officia Defunctorum dici solita pro benefactoribus, nec ad Litanias in Rogationibus, etsi non intersint processioni; quod alij negant.*

20 *Non peccant omittendo preces indictas pro Benefactoribus.*

21 *Tenentur ad habitum Religiosum, ac tonsuram: prohibentur induere habitum virorum.*

22 *Tenentur ad clausuram.*

23 *Iure communi tenentur solùm ad ieiunia communia omnibus fidelibus.*

24 *Ad ieiunia Aduentus regulariter non tenentur sub mortali.*

25 *Quinquagenariæ excusantur à ieiuniis Ecclesiæ, & eæ, quæ 21. annum non expleuerunt (quod alij negant) & hæ saltem dispensari possunt in ieiuniis Regulæ sine magna difficultate: vouens ieiunare post 60. annum tenetur ieiunare, si votum sit ad totam vitam.*

26 *Non tenentur ad ieiunia Diœcesis, in qua degunt.*

27 *In die ieiunij anticipant comestionem per horam cum dimidia ante meridiem: assignatur quantitas refectiunculæ vespertinæ, eaq; maior in vigil. Nat. D.N. etsi sumatur hora prandij: generaliter sumi potest refectiuncula hora prandij dilato prandio in vesperam, etiam sine causa, & quidem sine culpa veniali iuxta aliquos: in dicta refectiuncula sumi potest iusculum excedens 8. vncias: inseruiturus mensæ in die ieiunij aliquid edit, prandium postea prosecuturus: talis prosecatio est licita post longum tempus, idque in variis casibus, qui proponuntur: accumbens mensæ potest edere, etsi plicato linteolo proposuerit non edere & hoc interdum licèt finitum sit prandium; quod à fortiori procedit, si prandium adhuc durat: ieiunans extra prandium aliquid cibi sumit, ne potus noceat, & pluries; id verò modicum est, si sit intra vnciam: in refectiuncula nequit cibus coctus cum iusculo sumi in quātitate,*

in qua sumeretur crudus: vna sumpta per modum cibi seclusa paruitate materiæ violat ieiunium.

28 *Obseruant festa, censuras, ac interdicta Ordinarij loci.*

29 *Iuxta aliquos in die festo faciunt rechâmaturas.*

30 *Ad professionem in diebus Rogationum non tenentur strictè.*

31 *Soluunt debita contracta, nisi excuset impotentia: at recipientes ab iis ad illicita interdum non tenentur restituere.*

32 *Tenentur corripere proximum, & maximè Superiorissa.*

33 *Possunt facere eleemosynas, sed non tenentur semper, etsi sint Superiorissæ.*

34 *Solicitata à Confessario ad turpia tenentur eum denunciare: qua de re plura scitu digna notantur.*

QVÆRES I. An, & quo modò Moniales debeant tendere ad perfectionem Religiosam.

1. Respond. debere tendere: nõ quidem per omnia, & singula media, quæ simpliciter possunt deseruire ad talem effectum, sed solùm per ea media, quæ ipsis præscribuntur in regulis, seu Constitutionibus proprij Ordinis. est communis DD. cum S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 2. & probatur ex eo quod nec Deus, nec Ecclesia, nec finis status Religiosi, nec ipsa vota Religiosa aliquid amplius petunt, quàm vt Religiosus ducat vitam regularem iuxta proprium Institutum à Sede Apostolica approbatum: id autem sufficienter impletur, si Moniales tendant ad perfectionem Religiosam per media præscripta in propria regula, seu constitutionibus.

2. Vbi notandum ex eodem S. Thom. *q.* 184. *art.* 5. *ad* 2. Moniales ex vi status non teneri esse perfectas, sed solùm curare exequi ea, quæ conferre possunt ad acquirendam perfectionem Religiosam consistentem in dilectione Dei, ac Proximi, & in eo quòd per consilia Euangelica, & præsertim per 3. vota substantialia Religionis Religiosus tacet studio christianarum virtutum, harum exercitio remouendo ea omnia, quæ acquisitioni ipsius Religiosæ perfectionem obstante possunt.

Quòd si quæras, ad quid absolute teneatur Monialis, vt dici possit implere obligationem, quam habet tendendi ad perfectionem Religiosam.

3. Respond. teneri intendere seruare sua vota integrè, prout in sua regula fiunt, & alia omnia præcepta proprij Ordinis vltra communia. ita Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 11. & patet, quia, si id faciat Monialis, verè tendit ad perfectionem, cùm sic velit seruare statum, qui secundùm se est in consilio tantùm, & non sub præcepto (in quo consistit tendentia ad perfectionem:) non enim Religiosus debet habere intentionem currendi ad perfectionem, sed solùm tendendi ad illam, vt bene aduertit Sylu. *v. Religio* 1. *q.* 3. quamuis alioqui teneatur retinere propositum vtendi aliquo medio, quod non sit in præcepto, sicut iam indicauimus; vnde infert idem Syln. Religiosum non esse extra statum salutis, si vnum retineat medium conducens ad perfectionem aliàs in malo statu futurus, si omnia media ad finem perfectionis à se omninò abdicat; quod est bene notandum; sed de hoc latiùs *in* 1. *tract. nostri manual.*

QVÆRES II. An, & quo genere obligationis teneantur Moniales seruare Regulam, seu Constitutiones, & statuta proprij Ordinis.

4. Respond. teneri, & quidem cùm obligatione, siue ad culpam mortalem, aut venialem, siue ad pœnam, pro vt illarum Auctores instituerunt; regula enim Religiosa non est propriè consilium, sed necessitatem aliquam inducit operandi, per hoc participans de ratione legis, & differens à puro consilio: siquidem præter regulam dantur alia multa, quæ fieri possunt à Religiosis ex consilio; cùm tota perfectio non sit in sola regula, sicut rectè notauit S. Benedictus *cap. vlt. suæ regulæ*; vnde ad cognoscendam obligationem regulæ Monialium, inspici debet ipsa regula, & ex eius tenore colligendum est, an obliget ad culpam, siue mortalem, siue venialem; vel solùm ad pœnam, & hanc, siue determinatè taxatam, siue commissam prudenti arbitrio Superioris. Ratio responsionis est, quòd Moniales omnes profitentur regulam, & promittunt obedientiam iuxta regulam: vnusquisque verò debet implere id; quod promittit, & quòd competit statui, quem profitetur. ita Suar. *supr. tract.* 9. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 11. monens quòd, quamuis statuta Religionis non obligent ad culpam, possunt Moniales per suos Prælatos cogi ad illorum obseruantiam, cuius ipsi peculiarem curam habere debent in visitationibus earundem Monialium.

Vnùm hic ego moneo (qoòd etiam noto *in tract.* 5. *de obligat. cap.* 2. *q.* 31.) nimirum Moniales, quæ subiectæ sunt immediatè Ordinario, & non ampliùs subiiciuntur regimini Prælati regularis, non teneri seruari statuta, quæ postea fiant in Ordine à Prælatis regularibus siquidem lex non potest ferri, nisi in subditos: Moniales autem non sunt subditæ Prælatis regularibus, si, quo tempore fiunt illa statuta, sunt immediatè subiectæ Ordioario: præterquamquod alioqui possent onerari statutis tam ab Ordinario, quàm à Prælatis regularibus, sicque plus iustò grauari contra leges æquitatis.

Et hoc puto procedere etiam quo ad statuta edita in Ordine, quo tempore Moniales subiacebant eius iurisdidictioni: cum eadem ratio sit de his, ac de ills, quæ eduntur, postquam exemptæ sunt à potestate Ordinis. Moueor tum ex ratione paulò ante allata quo ad statuta futura, quæ intentum probat etiam quo ad præteria: tum ex regula, quam tradit Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 10. *num.* 10. ex Dominico, & Franco; nimirum quod, quando duo sic se habent, vt vnum sit mensura, & alterum res mensa; lex corrigens, vel limitans mensuram, censetur pariter corrigere, ac limitare rem mensam, si eadem ratio militet in vtrisque: cum ergo respectu Monialium mensura obligationis ad obseruanda statuta Ordinis sit subiectio ad ipsum Ordinem, & obligatio ad statuta sit res mensa; eo ipso quod tollitur subiectio ad Ordinem (quo modo verè tollitur, quando Moniales ab eius potestate eximuntur) tolletur & obligatio statutorum, etiam antea editorum; ideóque Moniales amplius non obligabuntur ad eorum obseruantiam. Quod tamen non procedit de obseruantia Regulæ: ad eam enim tenentur Moniales, quantumuis eximantur à potestate Ordinis: quippe quæ hoc ipso quod manent Religiosæ, debent seruare aliquam Regulam; & cum adhuc sint Religiosæ prioris Ordinis, debent seruare Regulam præfati Ordinis: quod non procedit de statutis Ordinis, cum ad illorum obseruantiam non requiratur solùm professio Religiosa talis Ordinis, sed actualis subiectio ad illum.

Addo Moniales vouentes regulam S. Claræ v. g. (vt faciũt Capuccinæ Ferrariæ sub his verbis: *Promitto Deo me toto vita mea tempore in perpetuum firmam, & vitam pauperum Sororum S. Claræ*) non peccare contra votum, quoties violant dictã regulã; sed solùm, qoando illam violant in materia votorum substantialium Religionis, vel alterius voti; quod fortè emittant ex speciali instituto, & contineatur in regula.

ita

ita Peyrin. *de R.S. q.1.c.5.§.noto primò* ex S.Tho.2.2. *q.186.a.9.ad.1.* aliisque; cum quibus sentit Bord.*c.1. de profess.q.48.* & probatur, quia vouens regulam non vouet implere omnia, quæ continentur in regula, sed tantùm vouet vitam regularem; quæ consistit in votis substantialibus Religionis: alias Religio, in qua vouetur regula, esset suis Religiosis in laqueum perditionis; quippe quæ plura continet minima, quæ humana fragilitate facillimè solent violari.

5. Monet autem Suar. *sup. tract.8. lib.1. c.4. num.15.* quòd, quamuis, moraliter loquendo, non possit reperiri Religiosos adeò rectus in substantialibus, seu necessariis, vt illæsa ea seruare statuat, qui in reliquis sit ita remissus, vt intendat nullam omninò regulam seruare, aut semper & in omnibus transgredi (quod vix potest contingere absque contemptu:) potest tamen facilè inueniri Religiosus sic remissus, vt contentus necessariis nolit esse solicitus de aliis; adeòque statuat non semper seruare regulam; sed solùm quando disciplina ipsa, ac ordo Religiosus morali quadam necessitate compulerit; vel quando id fieri possit absque grauamine, ac difficultate; cum quo proposito constat talem Religiosum velle in aliquibus actibus, vel secundùm regulam vel vltra illam operari multa opera supererogationis, ae meliora facere; sicque in tali intentione per se, & ex vi obiecti nullum videtur committi peccatum, si regula Ordinis ad nullum obliget peccatum. Quæ dicta esse volo, non vt Monialibus, aliisve Religiosis occasionem tribuam remissè viuendi, seque exponendi periculo peccandi, sed ne iniiciam laqueum, imponendo periculum peccandi mort. vbi verè non est; vt habet ipsemet Suarez.

Dices, quid si regula obliget ad culpam venialem tantùm, qualiter peccabit Monialis proponendo frangere illam, oblata occasione?

6. Resp. secluso periculo grauioris lapsus, & contemptu non peccaturam mort. sed solùm venialiter; peccato tamen grauiori in genere culpæ venialis, sicut enim transgredi talem regulam est peccatum v. sic & erit id proponere; grauius tamen, quatenus in eo proposito maior malitia ineluditur, quàm in qualibet particulari transgressione. ita Suarez *n.16.* addens facilè defendi posse in dicto proposito non contineri tot malitias, quot sunt regulæ diuersarum virtutum, sed vnicam tantùm contra generalem rationem obediendi legi; sicut enim obseruationes omnium regularū conueniunt in hac generali ratione: sic transgressio regulæ vt sic præcisè opponitur generali illi rationi, ideóque intentione voluntatis in eam præcisè tendente, ex illa consurgit vna specifica malitia, non autem multiplex; qua de re Castrus Palaus *tract. 16. D.4.p.1.num.4.*

Placet hic resoluere dubium olim propositum; an scilicet in casu, quo lex aliqua generalis fiat pro omnibus Monialibus vnius Diœcesis, si constet illam in aliquo Conuentu Monialium non fuisse acceptatam à maiori parte Monialium dicti conuentus, aut certè fuisse postea abrogatam, Monialibus aliorum conuentuum maiori ex parte obseruantibus talem legem; an, inquam, ista lex obliget Moniales præfati conuentus.

7. Respond. videri non obligare; & inde suadetur quòd, quando dicitur acceptatio legis debere fieri à maiori parte communitatis, id non intelligitur da communitate solùm totali (v.g. de toto aliquo regno) sed etiam de communitate particulari, & quidem etsi non sit satis ampla (quod est contra Baldellum *lib.5. D.18. num.23.* requirentem in proposito casu, vt communitas sit satis ampla;) qualis vtique est etiam particularis conuentus Monialium vnius diœcesis; quod satis apertè indicat Bonac. *D.1.de leg.q.1. p.vlt.§.3.num.15.* dicens communitatem fœminarum posse sua consuetudine ius indicere, cum ergo lex non obliget, nisi sit acceptata; si moniales vnius conuentus pro maiori parte non acceptent legem aliquam generalem latam à legitimo Superiore pro omnibus Monialibus illius diœcesis; eæ ad illam non obligantur, quamuis Moniales aliorum conuentuum communiter illam obseruent, vtpote ab ipsis acceptatam, & postea non abrogatam, colligitur responsio ex Bonac. *sup.p.4.n.33.* pro se citante Gloss. Nauarr. Azor. Salas, Valent. Reginald. & alios.

QVÆRES III. Ad quam Sacramentorum frequentiam teneantur Moniales ex vi iuris communis.

8. Resp. de rigore præcepti obligantis sub mortali non teneri, nisi ad confessionem annuam, & communionem in paschate: sicut tenentur alij fideles ex *cap. vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* de consilio autem teneri ad confessionem, & communionem menstruam ex decreto Concilij Trid. *sess.25. cap.10.de reg.* vbi referens in margine Clementinam *ne in agro, de statu Monial.*) quæ iuxta dicenda posset ingerere aliquam difficultatem) sic habet: *Attendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores monasteriorum Sanctimonialium, vt in Constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt saltem singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant: vt eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter sustinendas.* Quæ verba, si bene perpendantur, indicant Concilium neque imponere præceptum Monialibus, vt singulis mensibus confiteantur, & communicent; neque præcipere, vt illud imponatur; sed solùm admonere Episcopos, & Superiores ipsarum Monialium, vt in earum constitutionibus illas moneant de dicta Sacramentorum frequentia; quod est illam proponere per modum consilij, non autem sub obligatione præcepti adstringentis sub mortali; vt apertè colligitur eo verbo, *admoneantur.* ita contra Nauarrum *cap.21. num.59.* & alios Miranda *q. 10. de Monial art.1.* Fagund. *præc.3. Eccles. lib.1. cap.6.num.8.* Regin. *lib.29.num.73.* & alij apud Tambur. *sup.D.16. quæst. 6. num.2.*

Nec obstat, quòd in *citata Clement. §. sanè,* dicitur: *Singulis mensibus tam in monasteriis, quam extra; sublata occasione quacunque ad confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli Monachi, & in prima dominica mensis cuiuslibet in monasteriis semper communicent,* &c. quæ verba important non consilium, sed præceptum, nec videntur abrogata per Conc. Trid. quod potiùs, ea allegando in margine, indicat se illa approbare (vnde Caietanus relatus à Miranda putat Moniales teneri semel confiteri in mense, etiamsi habeant solùm venialia, idque ad implendum præceptum dictæ Clementinæ: *Sotus vero in 4. dist. 18. quæst. 1. artic. 3.* reiiciens hanc opinionem tanquam nimis rigidam docet præceptum positum in præfata Clementina solùm abbreuiasse tempus confessionis pro Religiosis, siue Monachis; ita vt, sicut fideles omnes tenentur singulis annis confiteri, si habeant mortalia, sic & Monachi teneantur confiteri singulis mensibus, si mortalia habeant.) Non obstat, inquam; primò quidem quia citata Clementina loquitur de Monachis nigris, ideóque non debet extendi ad alios Religiosos, & multò minus ad Moniales, vt colligitur ex Glossa *ibi v. singuli:* secundò quia esto detur, dictam Clementinam extendi modo dicto; ea fuit moderata per Concilium

Concilium Trident. *suprà*; sicut constat ex verbo, *admoneant*, quod adhibet, alioqui indicans se apponendo in margine dictam Clementinam, ad eam respexisse in conficiendo decretu à nobis relato in præsenti responsione.

9. Quòd si hic obiter quæras, an Moniales possint communicare feria 6. parasceue, si occurrat iusta causa; v.g. festum Annunciationis B. Virginis.

Respond. videri posse: & probatur tum quia hoc est per se bonum, nec extat prohibitio in contrarium; non ergò apparet, vnde debeat damnari, ac reprobari; tum quia quod dicitur *in cap. sabbato, de consecr. dist.* 3. Sacramenta eo die penitus non celebrari, manifestè intelligi debet de sacrificio Missæ, non autem de communione laica; cùm celebrare sacramenta, propriè loquendo non sit ministrare eucharistiam populo, sed eam conficere. ita Sà *v. Euchar. num.* 19. Suar. *D.* 80. *de Sacr. sect.* 2. Fagundez *præc.* 1. *Eccl. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 16. aliique quos citat, & sequitur Diana *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 19. addens ex Vasquez quemlibet ex causa, vel deuotione posse dicta feria sexta communicare: intellige, nisi subsit periculum scandali; quod sine dubio facilè posset caueri.

Addo Moniales, si velint, posse communicare in Missa dici solita media nocte in Natiuitate Domini: idque ex doctrina, quam tradit Suar. *D.* 69. *De Euch. sect.* 4 §. *tandem inquiri potest*, ex Angelo, ac Syluest. & sequuntur Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *n.* 19. Fagund. *præc.* 3. *Eccl. lib.* 3. *cap* 7. *n.* 13. & alij; nimirum seruato ieiunio, secluso scandalo, per se loquendo, posse hominem qualibet hora diei communicare; etsi communio frequentiùs dari soleat vsque ad meridiem, eo quod illud tempus sit opportunius: nulla enim est lex, quæ ad hoc obliget; nec consuetudo hactenus ita introducta est, vt præceptum induxerit. quæ doctrina in eo fundatur, quod dies, intra quem licet communicare, computatur à media nocte in mediam noctem.

QVÆRES IV. An Moniales teneantur audire Missam frequentiùs, quàm teneantur alij fideles.

10. Respond. quòd, quamuis maximè deceat Moniales, aliósque Religiosos quàm frequentissimè audire Missam ob maximum fructum spiritualem inde prouenientem, vt in speciè notauit S. Antonin. 3. *p. tit.* 16. *cap.* 7 §. 2. sicque communiter in regulis, seu constitutionibus Religionum præscribi soleat quotidiana Missæ auditio; nihilominus, stando in iure communi, Moniales non tenentur frequentiùs audire Missam, quàm teneantur alij fideles; nimirum in diebus dominicis, ac festis ex præcepto, siue communibus toti Ecclesiæ, siue proprijs vniuscuiusque diœcesis, idest ab Ordinario inductis; idque tum *ex cap. omnes fideles, de consecrat. d.* 1. sub quo vtique comprehenduntur etiam Moniales, & alij Religiosi, cùm etiam ipsi sint fideles.

Ex occasione autem obligationis audiendi Missam hic explicatam placet modo proponere aliqua dubia practica de ipsa obligatione, quæ à Monialibus proponi possent suis Confessarijs, vt, si fortè hi de iis interrogentur, promptè, ac bene respondere valeant.

Dico ergo 1. ad implendum præceptum Missæ sufficere attentionem externam: eo modo, quo *infra q.* 7. §. *moneo igitur* 1. diximus illam sufficere ad implendum præceptum horarum canonicarum. Diana *part.* 1. *tract.* 12. *resol.* 2. ex Coninch & Laym. Cardin. de Lugo *D.* 22. *num.* 29. aliique ab ipso citati *n.* 27.

Dico 2. ad satisfaciendum huic præcepto requiri moralem præsentiam in eo consistentem, vt assistens missæ vel audiat, vel videat celebrantem, vel saltem societ alios videntes, aut audientes surgendo, genua flectendo, ac pectus tundendo cum aliis. Fagund. *præc.* 1. *Eccl. lib.* 1 *cap.* 7. *n.* 3. ex Sanch. Ledesma, & Segura; à quibus non dissentit Card. de Lugo *supr. n.* 20. hinc bene inferens *n.* 21. posse impleri hoc præceptũ audiendũ Missam ex fenestra propriæ domus, si audiens inde videat Sacerdotem in Ecclesia ex aduerso celebrantem, & altare in quo celebratur, non ita distet à fenestra, vt impediat moralem præsentiã; sic verè non impediret, si distantia non sit vltra 30. passus: sic Cardinalis, & meo iudicio probabiliter.

Dico 3. duriusculum videre damnare de mortali illum, qui interueniret Missæ ab offertorio (vnde principium Missæ desumi debet, teste Isidoro) vsque ad benedictionem Sacerdotis. Laym. *l.* 4. *tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 3. ex Amalario, monens tamen se nihil definire contra communem sententiam; ex Doctoribus enim plures apud Fagund. *cap.* 6. *num.* 2. censent non peccare mort. illum, qui à principio Missæ omittit vsque ad euangelium exclusiuè; alij verò apud Bonacinam *D.* 4 *de Sacram. q. vlt. part.* 11. *n.* 17. sustinent non peccare mort. eum, qui accedit ad Missam post recitatum Euangelium: si reliquum Missæ audiat vsq; ad Euangelium S. Ioann. inclusiuè.

Dico 4. Monialem, quæ præuidet fore, vt Missam audire non possit per vltimas 3. horas ante meridiem (eò quòd, v.g corripietur febri quartana) si possit absque notabili incommodo præuenire auditionem Missæ: teneri præuenire sub mortali: cùm præceptum Missæ quò ad horam, in qua illa audienda est, non statuat tempus omninò limitatum, sed solùm Missam ea die audiri quacunque hora, moraliter loquendo, id fieri potest. colligitur ex Lessio *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 56. Sanch. *l.* 1. *mor. cap.* 12. *num.* 32.

Dico 5. iuxta plures, & graues Doctores relatos à Diana *part.* 2. *tract* 17. *resol.* 18. non videri improbabile Monialem satisfacere præcepto Missæ, si audiat mediam Missam ab vno Sacerdote, v. g. post consecrationem vsque ad finem, audiendo postea ab alio Sacerdote aliam Missam à principio vsque ad consecrationem exclusiuè: cùm sic audiatur Missa integra, & ordo partium inter se non videatur esse de substantia præcepti; contraria tamen sententia est probabilior, & in praxi regulariter amplectenda. Imò Diana *supr.* ex Molfesio, Hurtado, & S. Fausto putant impleri præceptum Missæ, si ea eodem tempore simul audiatur à duobus Sacerdotibus, ab vno à principio Missæ vsque ad consecrationem, & ab alio à consecratione vsque ad finem; additque *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 52. ex S. Fausto posse quem eodem tempore audire 3. Missas ex triplici titulo diuerso debitas, v. g. ex voto, præcepto Ecclesiæ, ac pœnitentia imposita à Confessario.

Dico 6. Moniales tempore Missæ debitæ ex præcepto Ecclesiæ posse recitare horas canonicas ex debito professionis recitandas, vel alias preces debitas ex voto, aut pœnitentia; cùm in auditione Missæ, ac recitatione precum sufficiat attentio mediocris, ideóque sufficienter eodem tempore attendi possit ad vtramque, Fagundez *supr. lib* 2. *cap.* 7. *n.* 10. pro se adducens alios 9. Doctores; addénsque *cap.* 9. *num.* 12. implere præceptum Missæ illum, qui eo tempore confitetur sacramentaliter: quòd item probabile putant Reginaldus *lib.* 19. *num.* 14. & alij docti recentiores, non omninò dissentiente Suarez *D.* 88. *de Euchar. sect.* 3. cùm ibi dicat; *Quidam putant toto illo tempore* (loquitur de Missa) *necessariam esse attentionem ad ipsum Deum vel orando, seu petendo, vel gratias agendo, vel etiam de peccatis dolendo, vel aliquid simile.*

QVÆRES

QVÆRES V. An Moniales teneantur curare, vt in suis templis celebretur Missa conuentualis quotidie.

11. Respond. teneri, si commodè possint, & non adsit impedimentum, quod obstet, & ratio est, quod in *cap. cum creatura, de celebrat. Miss. §. rubr.* habetur in Ecclesiis collegialibus quotidie celebrandam esse Missam conuentualem de festo, aut de feria iuxta temporis conuenientiam: monasteria autem Monialium sunt Ecclesiæ collegiatæ, vt ait rubrica *in citato cap. cum creatura*, sicque comprehenduntur sub dispositione dicti iuris. ita Tambur *supr. D. 15. quæst. 6. num. 1.* ex Cordub. ac Sylu. monens Capellanos Monialium debere dicere Missam de Sancto, de quo fit Officium ab ipsis Monialibus (ex Missali tamen Romano) non verò teneri eam applicare pro benefactoribus viuis, atque defunctis; estò Religiosi Ordinis id habeant in vsu, vt notarunt etiam Rodriquez *tom. 3. quæst. 6. art. 7.* & Portel. *de dub. reg. v. Missa num. 7.*

QVÆRES VI. An, & quo iure Moniales teneantur recitare horas canonicas in choro.

12. Respond. teneri, si sint ex deputatis ad chorum: idque non ex vllo præcepto canonico, quod extet, sed solùm ex peculiari instituto, ac consuetudine vbique recepta; vt colligitur ex Clem. 1. *de celebr. Miss. cap. dolentes, titulo eod.* ita Miranda *quæst. 9. de Monial. art. 6.* Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 13.* Tambur *supr. q. 1. num. 2.* & alij, patetque ex dictis, si aduertero cum Suarez *lib. 4. de hor. canon. cap. 10. num. 15* ex obligatione chori in toto corpore monasterij existente non sufficienter oasci obligationem chori in singulis Monialibus; hæc enim vi legis generalis obligatis sub mortali non tenentur recitare diuinum Officium in choro, nisi speciali constitutione id ipsis præcipiatur; vnde Caiet. *v. hora canonicæ*, ait: *Vbi contemptus deest, & propter meam absentiam non notabiliter læditur diuini cultus officiu, & Prælati dissimulant, non incurro mort. peccatum ex hoc quod desum horis canonicis in Ecclesia mea; quia contra præceptum iuris positiui propriè non venio, nec notabile damnum infero diuino cultui.* quod approbat etiam Tambur. *num. 3.* his verbis: *Quando Superior non imponit speciale, aut personale præceptum, non est talis obligatio* (videlicet frequentandi chorum) *in singulis ex præcepto.* sed de hoc plura Suarez *vbi supra num. 7. 8. 9. 15. & 16.*

13. Moneo solùm ex Rodriq. *tom. 3. quæst. 6. art. 6.* Leonem X. quo ad obligationem persoluendi diuinum Officium in choro decreuisse, etiam sanas Moniales S. Claræ non teneri semper Officium huiusmodi in choro persoluere, ac exonerando conscientiam ipsarum Monialium discretioni Abbatissarum pro tempore existentium commisisse, vt quando, & quomodo, siue cum quibus sit hæc remissio, siue exemptio toleranda, solerter inuigilent.

Accedit quòd, cùm Suarez *supr. cap. 15. num. 13.* dicat Prælatos posse ex iusta causa dispensare quo ad tempus statutum recitandi horas in choro: sic, occurrente iusta causa, idem præstare poterunt & Abbatissæ quo ad Moniales sibi subditas: cùm etiam ipsis occurrere possit casus taliter dispensandi, nec adsit ratio eis negandi hanc potestatem.

QVÆRES VII. An, & quo iure Moniales teneantur ad quotidianam recitationem horarum canonicarum extra chorum faciendam, si non possint, aut nolint interesse choro.

14. Respond. teneri, si sint ex deputatis ad chorum; patetque tum ex communi sensu Doctorum, qui in moralibus maximè debet æstimari (cùm rarò benè loquatur, qui contra omnes loquitur, vt ait Baldus *cons. 112. l. 2.*) tum ex antiquissimo vsu omnium ferè Monialium, & quidem inducto tanquam ex obligatione iuxta regulas à Doctoribus tradi solitas ad dignoscendum, quæ consuetudo inducta sit ex obligatione, & quæ ex deuotione: tum quia talis obligatio est com munis omnibus Religiosis addictis choro; ergo & erit communis Monialibus vacantibus choro, cùm etiam ipsæ verè sint Religiosæ. ita Rodriq. *tom. 1. quæst. 42.* Miranda *supr.* Sotos *l. 10. quæst. 5. art. 3.* Diana *p. 3. tract. 2. resol. 96.* aliique communiter contra Angelom, & Aragonam, apud Tambur. *n. 8.* docentes Religiosum non peccare mort. nisi omittat diuinum Officium ex consuetudine, vel contemptu: à quibus non omninò dissentiunt Tamb. & Rodriq. relatus à Diana; cùm nostram sententiam dicant esse communiorem, & meliorem; sic innuentes oppositam esse communem, ac bonam; at hoc mihi non placet, quamuis Diana apertè non reprobet dicens solùm se id remittere aliis iudicandum. Reginal. *certè lib. 18. num. 140.* dicit, quòd, licèt aliqui dubitarint de præfata consuetudine, tot tamen eam testantur, vt temerarium sit ipsam negare: præsertim, cùm is de illa sensus sit, & consensus virorum bonorum, vt Monachos, ac Moniales contrauenientes damnent de peccato, non minùs, quàm Diaconos, & Subdiaconos; quos ipse Reginald. *num. 136.* probat teneri ad horas canonicas priuatim recitandas solùm ex consuetudine præscripta. Nec refert, quòd aliqui Doctores graues sustinent Moniales non teneri extra chorum recitare horas canonicas: si quidem, teste Suar. *l. 7. de leg. c. 8. n. 7.* non videtur tutum in re morali discedere à receptissima sententia; præsertim si materia ex iure positiuo pendeat (adde tu vel ex consuetudine) præterquamquod, vt sententia aliqua dicatur practicè probabilis, non sufficit multitudo Auctorum sine ratione, aut fundamento probabili; maximè in re, quæ multum potest vrgere contra bonos mores; vt rectè aduertit idem Suar. *l. 2. de diebus festis cap. 14. num. 2.* Ad quod faciunt quæ habet Baldell. *l. 4. d. 11. num. 14.* ex Sanch. & Salonio, eos scilicet, qui non sunt satis versati in materiis moralibus, non posse tuta conscientia sequi id, quod inuenerint in vno, aut alio Doctore antiquo: quia possunt timere, ne id sit antiquatum ex aliquo posteriori decreto, aut aliter sit factum improbabile Quæ benè aduertant ij qui probabile putant, quidquid inueniunt apud aliquem Doctorem, minus benè attendentes interdum occurrere multa falsa probabiliora veris.

Cum Angelo, & Aragona superiùs relatis sentiunt Marchantius *tom. 2. tract. 2. part. 2. tit. 3. sect. 1. quæst. 2.* & Lessius *in resol. casuum post. p. 2.* S. Thom. *v. hora canonica, casu 14* relati à Diana *p. 9. tract. 6. resol. 7.* probantque suam sententiam pluribus rationibus, & maximè ex eo quod, etsi constet de consuetudine, qua Moniales solent publicè canere horas canonicas; non tamen satis constat de cõsuetudine, qua singulis Monialibus imposita sit obligatio dicendi horas priuatim sub mortali præterquam quod talis consuetudo solum potuit induci opinione hominum putantium se in hoc obligati sub mortali, & iudicantium se mortaliter peccare, si omittat: talis autem obligatio facilè tollitur, si ostendatur opinationem illam non niti solido fundamento. quo modo ante Sotum communis erat opinio omnem beneficiarium quotidie teneri ad horas, etsi beneficium solum 2. aut 3. aureos ei penderet; sicque consuetudine, & Doctorum opinione tenebantur sub mortali; cùm postquam Sotus docuit oppositum, passim cœperit rigida illa opinio exolescere: quod etiam euenit quo ad

ad obligationem recitandi matutinum ante Missæ celebrationem, vt patet.

15. Dixi sub initium responsionis, *si sint destinatæ ad chorum*, quia de Monialibus, quas vocant Conuersas, dicendum est eas nequaquam teneri ad horas Canonicas; quamuis aliàs teneantur recitare quotidie certas preces in regula præscriptas, aut certè ex legitima consuetudine inductas (quas appellant officium laicarum.) Puto tamen, & mecum idem senserunt viri docti à me consulti, huiusmodi obligationem non esse sub peccato mort. quo modo est obligatio recitandi horas Canonicas respectu Monialium choro addictarum; & ratio est, quòd ista obligatio oritur ex consuetudine inducta tanquam obligatoria; illa verò prouenit ex regula Religionis, quæ communiter quo ad hoc non obligat ad culpam, sed solùm ad pœnam: quæ ratio confirmari potest ex communi sensu ipsarummet Monialium, qui est optimus legum interpres.

16. Quin etiam Clemens VII. teste Casarubio *in comp. v. moniales num.* 30. concessit viuæ vocis oraculo Monialibus degentibus sub cura Fratrum Minorum deputatis ad chorum, vt, si quæ illarum ob imperitiam nesciant perfectè recitare diuinum Officium, iudicio Prælati, Confessarij, aut Abbatissæ satisfacere possint obligationi recitandi horas Canonicas dicendo Officium Sororum laicarum. Vbi notandum est, quòd si Monialis admissa ad vsum talis indulti postea omitteret recitare præfatum Officium Sororum laicarum, non peccaret. mort. cùm ea perinde se habeat, ac Monialis conuersa, sicque in ea locum posset habere doctrina tradita de Monialibus conuersis, §. *preced.* nec obstat, quod subrogatum sapit naturam illius, in cuius locum subrogatur; siquidem hæc regula varias patitur limitationes, vt benè aduertit Naldus *v. subrogatum, num.* 2. dicens in specie illam non procedere, quando subrogatum, & id, in cuius locum subrogatur, sunt diuersæ qualitatis; quod euenit in casu nostro. vnde non valet dicere; Monialis addicta choro tenetur sub mortali recitare horas Canonicas; ergo & sub mortali tenebitur recitare Officium Sororum laicarum, vtpote subrogatum in locum horarum canonicarum vi præfati indulti; quanquam hoc indultum cùm fuerit concessum viuæ vocis oraculo, posita generali reuocatione viuæ vocis oraculorum, iam non subsistat, nisi demus aliunde reuixisse iuxta dicenda infrà *cap.* 16. *num.* 76. Quamquam hæc doctrina minùs necessaria videatur: cum Innoc. IV. per *bullam* 10. dictis Monialibus indulserit, vt casu, quo ex rationabili occasione recitare non possint horas canonicas, satisfaciant recitando Officium sororum laicarum. Verba autem bullæ sunt hæc: *Et quæ* (loquitur Papa de Monialibus choristis) *occasione rationabili non possunt aliquando legendo dicere horas suas, liceat eis, sicut aliæ sorores, dicere Pater noster.* Vbi noto, quod cum iuxta dicta superius omnes Moniales choristæ ex consuetudine teneantur recitare horas canonicas: hoc ipso quod Papa declarat Moniales S. Claræ satisfacere recitando Officium sororum laicarum (etsi eæ sint choristæ) si ex rationabili occasione non possint recitare horas canonicas; censetur dispensasse super præfata consuetudine, concesso ipsis ad id speciali priuilegio relato in earum regula; quæ tota inseritur in dicta bulla. Quod priuilegium, vt hic, & nunc suffragetur Monialibus, non petit licentiam, ac consensum Superioris (vt constat ex illis verbis, *liceat eis, sicut aliæ sorores, dicere Pater noster*, nulla limitatione apposita; & suffragatur etiam in casu, quo horarum canonicarum recitatio fieri posset sine graui difficultate; vt colligitur ex illis verbis, *occasione rationabili*; & suadetur ex eo, quod dictum priuilegium esset illusorium, si solum suffragaretur in euentu, quo illa rationabilis occasio est talis, & adeò grauis, vt ex se sufficiat ad excusandum ab onere recitandi horas canonicas; tunc enim absque vllo priuilegio non est opus supplere aliis precibus: sicque præfatum priuilegium concedens, vt tunc possint recitare Officium sororum laicarum, esset onerosum; quod non est admittendum.

Videtur autem dictum priuilegium suffragari etiam Monialibus aliorum Ordinum per viam generalis communicationis: non enim apparet, cur dici debeat non comprehensum in illa; cùm non constet de exceptione, nec probetur illud indigere speciali nota, vt communicatum censeatur, quod si non est in vsu, id forrè prouenit quia Moniales illud ignorant, vel quia nesciunt, an habeant communicationem priuilegiorum. Quæ rationes videntur suadere dictum priuilegium posse, per viam communicationis etiam suffragari viris Religiosis quorumcumque Ordinum habentium communicationem priuilegiorum; cum iuxta dicenda *c.* 9. *q.* 3. viri Regulares fruantur priuilegiis in specie concessis Monialibus, & non appareat, cur ij debeant excludi à communicatione huius priuilegij particularis. Intellige, si viri regulares communicationem priuilegiorum habeant adeò amplam, vt sub ea probabiliter censeri possit comprehensum Innocentij indultum: ad quem effectum ij debebunt consulere propria priuilegia. Addo per verba illa *rationabili occasione*, quæ sunt in dicto indulto, posse intelligi, respectu quidem Monialium hos casus; nimirum si monialis sit scrupulosa circa diuini Officij recitationem; si minùs expeditè sciat legere ex Breuiario; si sit defatigata ex aliquo labore extraordinario; si præ manibus habeat extraordinariam aliquam occupationem, quæ illam angat, & similes: respectu verò virorum regularium etiam hos alios casus; si actum litterarium extraordinarium habuuri sint; si concionentur in Quadragesima cum labore non ordinario (idque etsi non concionentur quotidie) si confluat magna frequentia pœnitentium ad confitendum; si sint lassati ex itinere, aut concione, aut alia de causa consimili; si sint conualescentes (ita tamen vt sine graui dispendio possent recitare horas canonicas,) & alios sim les casus.

Indultum autem Clem. VII. confert ad effectum vt Monialis nouitia, quæ sub finem nouitiatus reperitur minùs sufficienter instructa circa recitationem horarum canonicarum, possit ad tempus dispensari modo dicto ad recitandum Officium Sororum laicarum; vsque dum scilicet sciat benè recitare horas canonicas: & hoc ne vlteriùs ei hac de causa differatur Religiosa professio. Ducor quòd, vbi maius conceditur, etiam minus concessum esse videtur *arg. c. ex p.* 27. *de decim.* ac proinde, si Prælatus Monialium siue sæcularis, siue regularis vi dicti indulti potest modo dicto dispensare in perpetuum; à fortiori poterit dispensare etiam ad tempus, si iusta occurrat causa; qualis in præsenti casu re vera occurrere videtur. Ita in facti contingentia interrogatus respondi, & responsio à viris doctissimis fuit posteà approbata.

Monet autem Tamb. *n.* 13. quod, cùm Clem. VII. concesserit per bullam Clericis Regularibus, vt tempore grauis ægritudinis satisfacere possint obligationi diuini Officij, orationem Dominicam semel recitando in die, & septies salutationem Angelicam; hoc eodem priuilegio vti possunt Moniales, si communicent de priuilegiis Mendicantium; vt verè communicant.

Cæterùm,

17. Cæterùm, quia in praxi pluta,& grauia dubia de recitatione horarum canonicarum occurrere possunr Monialibus, vt earum Confessatij de iis rogati illa facile soluere possint,aliqua hîc breuiter notabo.

Moneo igitur 1.non esse improbabile ad implendum præceptum diuini Officij, sufficere attentionem externam: quæ in eo consistit,vt recitans tunc non se occupet in actu externo incompossibili cum attentione orationis: sicque recitans, si in ipsa recitatione diuagetur solum quo ad actum ioternum, etsi consultò id faciat, non peccat mort. ita docenr 10. grauissimi Doct. relati à Sanch.*l.7.conf.c.2.d.*28.*num.*6.& alij adducti à Diana *p.*2. *tract.*12.*ref.*2.

Moneo 2. iuxta 16. Doctores magni nominis relatos à Diana *resol.* 3.recitantem Officium pro Officio, etiam sine causa, & ex quadam accidia animi, vt faciliùs, ac breuius Officium absoluat: peccare solum venialiter; vt si dicatur Officium de Sancto loco Officij de Feria, quamuis Diana *p.*5.*tr.*5.*ref.*26. hanc doctrinam limitet(& meo iudicio benè)nisi dicatur Officium Resurrectionis. Non enim censeò posse admitti quod ait Caramuel. *in reg.D. Benedicti D.*109 *num.*1387. nimirùm quærentem debira opera Officium totius Breuiarij breuissimum,& semper illud recitantem, adimplere præceptum diuini Officij secundum substantiam, & deficere quò ad modum; ideóque peccare venialiter,non mortaliter. Nomine autem Officij breuissimi totius Breuiarij nou potest non intelligi Officium Resurrectionis; cùm hoc sit Officium totius Breuiarij breuissimom,vt benè notauit Diana *p.*7.*tract.*11.*ref.*7. Quamquam Caramuel *inferius D.*106.*n.*1438.obseruans P. Suar. ferè omnibus diebus, octodecim horis studuisse, & dubitans, qualiter reliquis sex horis diei potuerit comedere dormire, Missam celebrare, & dicere horas canonicas;hoc ipso quòd ait illum fortè singulis diebus recitasse Officium Resurrectionis;& id viros occupatissimos laudabiliter facere; sic apertè declarat se existimare licitum esse loco officij eurrentis recitare quotidie Officium Resurrectionis. Quod autem dicitur de Suarez, putò improbabile; cùm, teste Allegambe *in Bibliotheca Scriptorum in Societat. v. Franciscus Suarez,* is, quotidie oraret per duas horas cum dimidia; & interdum diceret, si ipsi necessitas imponeretur amittendi vel horam orationis solitam fieri quotidie à Religiosis Societatis, vel scientiam tot annuorum labore acquisitam, æquiori laturum animo huius, quàm illius amissionem. quo modo enim Suarez recitando quotidie Officium Resurrectionis subtraxisset tempus orationi debitæ ex præcepto Ecclesiæ, qui quotidie per duas horas cum dimidia vacabat orationi, quam sine vllo peccatn omittere poterat? malo igitur potiùs dubitare,num sit verum illum studio vacasse quotidie 18. horis, quàm suspicari illum loco Officij currentis quotidie Officium Resurrectionis recitasse.

Moneo 3. ex Diana *part.*2. *tract.*12.*resol.*4. pro se referente 10. Doctores grauissimos interrumpentem Diuioi Officij recitationem, etiam sine causa, & per multum tempus, non teneti repetere recitata,nec peccare mort.(immò nec venialiter, si interruptio fiat ex causa) sed solùm teneri supplere omissa: cum sic verè saluetur substantia recitationis Diuini Officij.

Muneo 4. recitantem Matutinum diei seqoeotis, antequàm absoluat Officium diei præsentis, non peccare mort. etsi id faciat sine causa; imò nec venialiter, si eum causa.ita Diana *resol.*15. ex Suarez, Vasquez,Reginal. & Villalobos.

Moneo 5. recitantem horas Diuinas syncopando non teneri repetere illas, nisi notabiliter sensum verborum corrumpat; quod ratò accidere notat Diana *resolut.*22.citans pro hac doctrina Filliucium, Azorium, ac Villalobum: cum quibus sentit Sanchez *supr. d.* 17.notans *num.* 3. non oportere Clericos, nimis esse scrupulosos casu, quo putant se non integrè pronunciasse, vel aliqualiter syncopasse, vel verba aliqua solo gutture dixisse; nisi defectus sit valdè notabilis.

Moneo 6. ex Sanchez *d.*34. pro se referente Nauarrum, Sandooal. Angles, & aliquos iuniores,recitantem horas oon teneri repetere, quod non meminit se dixisse;modò noo recordetur se oon dixisse, & coniecturam iustam habeat credendi quòd dixerit: qualem videtur habere is, qui scit communiter se non errare in tali hora. Immò addit Sanchez *num.* 4. recitantem in hoc casu malè facere, si repetat: com det locum scrupulis; &, si recordetur se incœpisse Psalmum, lectionem, aut talem horam, & posteà casu distractos inuenit se in fine talis horæ, legendo ex Libro, vel memoriter dicendo ea, in quibus communiter non solet errare; iustè potest credere se tutum dixisse,& vltra progredi.

Moneo 7. recitantem Diuinum Officium cum alio priuatim satisfacere, si lectiones omnes audiat à socio nullam ipse dicens.ita Diana *supr. resol.*12.ex Villalobos,& conformiter praxi.

Monco 8. ex indulto Leonis X. Monialibus, & aliis horas Canonicas ex obligatioue recitantibus remitti omnes defectus, & culpas ex humana fragilitate contractas in recitando, si post recitationem deuotè dicant hanc orationem: *Sacrosanctæ, ac indiuiduæ Trinitati, Crucifixi Domini Nostri Iesu Christi humanitati, & Beatissimæ, ac glorisissimæ Virginis Mariæ fœcunditati, & integritati, ac omnium Sanctorum, Sanctarúmque vniuersitati sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

Vers. *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium.*

Resp. *Et beata Vbera, quæ lactauerunt Christum Dominum: Pater noster: Aue Maria.*

Hanc autem orationem placuit hîc afferre, vt Confessarij Monialium omninò curent, vt post vnamquamque recitationem diuini Officij eæ assuescant recitare, sicque fruantur gratia à Leone X. vigore illius concessa: ad cuius gratiæ consuetudinem puto requiri quod dicta oratio post diuini Officij recitationem dicatur, ita vt prudentis viri iudicio orationis præfatæ recitatio moraliter coniuncta reputetur cum recitatione diuini Officij: seo (quod idem est) aotequam recitans diuertat ad actiones extraneas. Quod puto nou procedere in casu, quo quis velit obtinere simile beneficium ex concessione Gregorij XV. facta in Indulgentiis quinque Sanctorum (vt vocant) recitando Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes*; cum enim in concessiooe dicatur recitantes Psalmum prædictum supplere omnes defectus inaduertenter (idest solum cum semiplena deliberatione, seu aduertentia ad rationem mali, quæ importat defectum plenæ deliberationis) commissos in recitando Officio, celebranda Missa, aut in aliis operibus spiritualibus ea die peractis; ad consequendum hoc beneficium videtur sufficere, quod in fine diei dicatur præfatus Psalmus post recitatum Officium, celebratam Missam, & alia spiritualia opera facta; id oamque suadet particula *ea die*,& quod sumus in materia fauorabili anisoæ,quæ debet aomplirari.

Notar

Notat item Bordon. *tom. 1. resol.* 27. ad obtinẽdam præfatam remissionem defectuum requiri 1. quòd ij defectus sint solùm veniales; cum ea oratio, etiam ex voluntate Papæ non possit remittere culpam mortalem: 2. quod is, cui fieri debet remissio, non sit in mortali; cum non remittantur venialia manentibus moralibus: 3. quòd ille ad dictam remissionem se disponat saltem per actum attritionis sufficientem ad destruendum peccatum veniale; siquidem hæc oratio remittit præfatos defectus quoad culpã quatenus est sacramentale; sacramentalia autem non deleant venialia ex opere operato, cum non sint instituta à Christo, sed ex opere operantis; idque mediante actu attritionis excitato per sacramentalia; vt habet communior Doctorum sententia; vnde hæc oratio remittit defectus veniales commissos in recitatione Horarum per modum cuiusdam Sacramentalis, non autem indulgentiæ, quæ nunquam remittit culpam, sed solùm pœnã culpę iam remissæ.

Addit Bordonus *num.* 28. si hæc oratio in Choro recitetur ab vno tantum (v. g. ab hebdomadario) in fine cuiuslibet horæ, siue etiam in fine omnium horarum vnica vice, eam prodesse omnibus, qui in choro recitarunt, ac si à singulis diceretur: cum fauores animæ debeant ampliari, & fauor præsentis concessionis nulli præiudicans multum prosit priuilegiato: putátque illam, etsi facta sit viuæ vocis oraculo, durare etiam modo; cum ea solùm viuæ vocis oracula sublata fuerint, quæ aliquo modo alteri præiudicare poterant, qualis non est concessio præsens.

Moneo 9. Monialem omittentem recitare omnes, aut plures horas eiusdem diei, vnicum peccatum mort. committere, loquendo de omissione externa: cùm violet vnicum præceptum, quo vnicum integrum Officium constans 7. partibus integratur. Quod non procedit de omissione interna: siquidem actus interni multiplicantur cum morali interruptione; ideóque tot erunt peccata, quot repetitæ volontates cum morali interruptione vnam, aut plures horas omittendi: immò non pauci Doctores probabiliter sustinent (etiã loquendo de omissione externa,) tot esse peccata, quot horæ omittũtur; quod ab aliis probabilius negatur; & nos etiam negamus cum Nauarr. Vasq. Suar. Bonac. & Garcia relatis à Castro Palao *tract. 7. D. 2. p. 5. n.* 1. cum quibus sentit P. Tiberius *in instruct. ordin. q.* 89. addens ex communi Doctorum sententia omittentem horas teneri in confessione exprimere quot horas omiserit: quod tamen dicit Diana *part. 2. tract.* 12. *resol.* 5. debere negari ab iis, qui sustinent in confessione circunstantias aggrauantes non esse necessariò exprimendas; sicque iuxta hos Doctores sufficit omittentem plures horas dicere in confessione, *Peccaui mortaliter in omissione diuini Officij.*

Addo hîc obiter (quod non reperi decisum ab vllo Doctore) omittentem Officium Defunctorum in die Commemorationis Defunctorum, & Officium de octaua omnium Sanctorum, videri non improbabile quòd faciat vnicum peccatum: cum illa die hæc duo Officia videantur præcipi per modum vnius: in quo meecum sensit P. Zanettus, addens de rigore contrariom esse sustinendum. Quamuis non desint docti Recentiores, qui ducti rationibus adductis à Diana *part. 4. tract.* 4 *resol.* 143. putant obligationem recitandi Officium Defunctorum in die Comemor. defunctorum non esse sub peccato; quod etiam sustinent alij relati ab ipso Diana, & fortè temporis progressu alij id admittent vt probabile, & absque formidine id sustinebunt: sicut de facto tanqoam probabile à pluribus recentioribus modò sustinetur Litanias in diebus Rogationum posse omitti ab iis, qui non intersunt processionibus: quod antea non audebent asserere. Dessentit Diana *part. 9. tract. 7. resol.* 29. dicens me videri nimis propensum ad declarandum consuetudinem recitandi Officium Defunctorum die 2. Nou. non obligare sub mortali: at non video vnde colligat hanc meam propensionem; cum ego solùm dicam quod, sicut in aliis materiis, temporis progressu Doctores posteriores amplexi sunt aliquas opiniones absolutè vt probabiles, quas antiquiores non ausi sunt proponere vt tales; idem fortè eueniet in præsenti materia, beccine est nimis esse propensum ad declarandum præfatam consuetudinem non obligare sub mortali?

Addit Diana *part. 9. tract. 7. resol.* 67. obligatum ad Horas canonicas, si eas recitet lingua italica, seu vulgari, satisfacere præcepto recitandi, cum recitet omnia verba quo ad substantiam; peccare tamen grauiter, eo quòd sine dispensatione mutet antiquum, & communem vsum Ecclesiæ; quæ proinde in Tridentino *sess.* 22. *cap.* 8. *& can.* 9. decreuit Missam non dici lingua vulgari, & in Indice librorum prohibitorum interdixit vsum Bibliorum lingua vulgari scriptorum, sic Diana alioqui concedens Horas posse sine vllo peccato dici lingua hebraica, aut græca, etiam sine causa; cum sacræ Scripturæ lingua Hebræa, Græca, ac Latina semper habitæ sint, & Apostoli Euangelium his solùm linguis scripserint, etsi haberent donum linguarum: vnde Sà *v. hora canonica, num.* 10. dicit posse quem recitare Horas lingua, qua velit, vt Græca, vel Hebrea. A Diana dissentiunt Bonac. *de hor. can. D.* 1. *q.* 3. *part.* 1. *num.* 15. & Escobar à Corto *de hor. can. q.* 4. §. 2. *num* 5. sustinentes diuinum Officium posse recitari quacumque lingua, latina, vulgari, hebrea, græca, aut alia; cum id nil referat quo ad substantiam præcepti consistentem in significatione verborum, quæ est eadem in quauis lingua. qua de re P. Baldellus *tom.* 2. *lib.* 3. *d.* 21. *n.* 23.

QVÆRES VIII. An Moniales possint, & teneantur recitare Officia propria Sanctorum sui Ordinis.

Respond. posse, & teneri, si immediatè subiician- 14
tur Prælatis proprij Ordinis: sic enim & gaudent priuilegiis concessis suo Ordini; inter quæ adest facultas recitandi dicta Officia; &, cùm subiaceant iurisdictioni Ordinis, tenentur implere ea, quæ præscribuntur à Prælatis illios; cuiusmodi est etiam recitatio illorum Officiorum: si verò exemptæ sint à potestate suorum Prælatorum regularium, & immediatè subdantur Sedi Apostolicæ, aut Ordinario loci; tunc possunt quidem ea recitare, cùm non deceat eas priuari priuilegiis sui Ordinis, non tamen tenentur, cùm sic exemptæ sint à potestate sui Ordinis, ideóque non teneantur obseruare statuta, & consuetudines illius. ita docti recentiores à me consulti: à quibus videtur dissentire Rodriq. *supr. q.* 42. *art.* 11. dum ait, quòd, cùm Fratres Ordinis Minorum possint recitare officia de Sanctis sui Ordinis ex priuilegio ipsis concesso, & quilibet cedere possit iuri suo; ij poterunt recitare de Sanctis occurrentibus in Calendario Romano, omisso Officio de Sancto sui Ordinis, quamquam, cùm dicat, *priuatim*, videtur indicare secùs dicendum de publica recitatione Officij in choro; cùm sic renuncietur ius, prout tangit Ordinem, & consequenter renunciatio illa cedat in præiudicium tertij, ideóque sit illicita.

QVÆRES IX. An Moniales teneantur recitare extra chorum Officia Defunctorum, quæ pro Benefactoribus

factotibus soleot certis diebus recitari in choro, si eæ tuoc culpabiliter, aut inculpabiliter non accedant ad chorum.

19. Respood. non teoeri, & quidem etiamsi dicta Officia recitari debeant ex obligatiooe iustitiæ (v.g. titulo legati ad honc finem relicti.) moueot, quòd obligatio recitandi illa Officia noo afficit singulas Moniales, vt singulas, sed vt faciunt corpus vnum morale: qno modo *quæst.* 6. diximus obligationem tecitandi horas Caoonicas in choro non afficere singulas Moniales, vt siogulas, sed provt coostituunt vnum corpus morale, quod vocamus monasterium; sicot ergo obligatio ita tecitandi horas in choro cumulatè impletur: licèt aliquæ Moniales non intersint: ita & plenè satisfiet obligationi recitandi illa Officia, si de facto à Monialibos recitentur in choro, esto non omnes tunc intersint: cùm sic verè dici possint tecitata Officia à monasterio, & impleta mens benefactotum: quos suppono voluisse impooere obligationem dictorum Officiorum Monialibus eodem prorsus modo, quo solent impooi monasteriis virorum Religiosorum; constat autem quòd, si qnis eorum non intersit choro, dum ibi talia Officia recitantur, ooo ideo ea priuatim recitat, oec vllum sibi facit de hoc scrupulum: Nec obstat, quòd Moniales non recitantes horas in choro teneotur eas recitare extra: siquidem lex ipsis præscribens recitationem horarum in choro, ita illas obligat, vt, si eas non recitent in eboro, teneantur illas recitare extra: quod noo euenit in præsenti casu, vt constat ex modò dictis. Qyo modo ait Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 4. Religiosos oostræ Societatis ex legitimo impedimento, aut ex facultate Superioris non interessentes recitationi Litaniarum fieri solitæ à oostris in commoni; noo teoeri posteà per se dicere priuatim: cùm solùm teneantur illas dicere cum Communitate, & alioqui ab hac obligatione simpliciter fuerint excusati. Immò addit Suarez hoc procedere etiam in casu, quo ij contra obligationem obedientiæ omittaor interesse dictæ recitationi: quamuis eoim imperfectè egerint tamen iam cessat materia illius obligationis, seu obedieotiæ; oec teneotur aliam substituere loco illios; sicut noo ieiunaos die præscripta ab Ecclesia non tenetur ieiunare alia die.

Addo non esse improbabile Moniales in diebus Rogationum minimè teneri recitare Litanias priuatim, etsi non intersint processioni; cùm de facto id concedant Diana *part.* 2. *tract.* 12. *resol.* 42. ex Maeigno, Vasquez, & Molfesio, aliique docti recentiores generaliter de obligatis ad horas Canooicas, nec appareat vlla ratio id negandi de Monialibus, vt patet: cõtraria tamen sententia est cõmunis, & probabilior.

Quòd si quæras, an Moniales peccent, si omittant recitare preces, quæ interdum ab Abbatissa præscribuntor recitandæ priuatim pro Beoefactoribus, aut alia occurrenti necessitate.

20. Respond. videri non peccate; cùm impositio talium precum non soleat transcendere obligationem simplicis regulæ, aut obedientiæ; sicut in simili ootauit Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 9. *lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 5. loquens in specie de oratiooibus vocalibus, quæ in Soc. Iesu iniunguntur dicendæ pro Defunctis, aut Fundatoribus; quare, nisi constet huiosmodi preces indici, siue ea obligatione iustitiæ legitimæ imposita monasterio, siue ex præcepto obligatorio; Monialis eas omitteos non peccabit, saltem grauiter.

QVÆRES X. An, & quo modo Moniales teneantur deferre Habitum Religiosum, immò & Tonsuram ipsarum statui conuenientem.

Respond. teneri deferre & habitum, & Tonsuram, habitum quidem ex *cap.* 2. *ne clerici, vel monachi in* 6. vbi districtiùs inhibetur, *ne de cætero aliquis quamcunque Religionem tacitè, vel expressè professus in scholis, aut alibi temerè habitum Religionis suæ dimittat: si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto*: Tonsuram verò ex Clem. *attendentes, de statu monachorum*, sicut ex Glossa, ac Panormitano aduertit Sylu. *v. clericus* 2. *num* 1. dicens, quòd etiam Moniales deferre debent Tonsuram capillorum ioferiùs vsque ad aures, & quidem quòd spectat ad obligationem deferendi habitum Religiosum, dicit Suarez *supr. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 18. ex vi iuris communis illam non esse sub mortali; cùm iura, quæ eam inducunt, non indicent rigorosum præceptum, nec communi vsu, ac coosuetudine taliter interpretentur: quare quo ad hoc consuli debet regula vniuscuiusque Ordinis, & ex ea colligi debet qualitas præsentis obligationis. Certè Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 72. ex Fabro, & aliis docet Religiosos ob æstum, aut ad dormiendum deponentes Religiosum habitum non peccare mort. cùm debitum, quòd habent regulares vtendi semper suo habitu, non sit necessitatis, sed honestatis, quæ ratio probat idem dicendum io casu, quo deponatur habitus ad alios similes effectus (v. g. ad meliùs currendum, ad faciendam aliquam repræsentationem ludicram; & procedit tam quo ad Moniales quam quo ad viros Religiosos. 21

Accedit, quòd, etsi demus cum Suar. *D.* 23. *de censur. sect.* 4. *n.* 34. & aliis, quos refert, sed ooo sequitur Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 8. *n.* 62. *&* 63. Religiosum retinentem habitum sui Ordinis, sed illum ita occultatem absque iusta causa, vt exteriùs nullo modo appareat, non incurrere præfatam excõmunicationem; oppositum oihilominùs dicendum videtur de Religioso, qui suum habitum plicatum gestaret sub brachio, alia veste extranea superindutos; cùm in tali casu adsit noo solùm occultatio habitus, sed etiam dimissio: & quidem nou solùm moralis, sed etiam physica, ac temeraria (vt suppono) dans ansam vagandi; quæ requiruntur, & sufficiuot ad cootrahendam dictam excommunicationem, nisi excuset materiæ paruitas: vt si habitus dimittatur ad dimidiam, aut etiam ad integram horam; quod in specie notant plurimi DD. apud Sanchez *num.* 55. hoc idem *n.* 56. concedentem etiam io casu, quo dimissio fiat ex causa turpi, v.g. ad fornicandum.

QVÆRAS XI. An, & quo modo teneantur Moniales seruare clausuram.

Respond. teneri seruare eo modo, quo ostendimus *cap. præced per totum*. 22.

QVÆRES XII. Ad quæ Ieiunia teneantur Moniales de iure communi.

Respond. teneri solùm ad ea, ad quæ teneotur reliqui fideles, & non ad alia; cùm in iure communi non reperiatur vllum ieiunium peculiariter iniunctum Regularibus, nedum solis Monialibus: cum alioqui de Monachis io Clem. *exiui, de verb significat.* dicatur Monachos propter ieiunia instituto Ordinis, & regulæ indicta liberos non esse à ieiuniis Ecclesiasticis, quæ Christiani obseruare debent. Dixi, *de iure communi*; quia de iure particulari tenerentur Moniales seruare ieiunia præscripta in propria regula, & quidem sub mortali, si ea obligent ad culpam mortalem. 23.

Solùm esse posset difficultas, an Moniales Iure commooi teneantur seruare Ieiunium Aduentus (vt vocant.)

Respond. quòd, cùm Ieiunium sacri Aduentus (vt vocant)

vocant) non obliget Religiosos, & Monachos de iure communi, sed apud eos manserit partim ex proptiis institutis, partim ex vsu, ac more, vt notauit Azor. *part.1.l.7.cap.27.q.3.* ex propria regula, aut consuetudine, vel statutis sui Ordinis possint, & debent Moniales colligere, num ipsæ teneantur sub mortali seruare Ieiunium Aduentus, nec ne; nam de iure communi eæ non tenentur sub peccato mort. ad Ieiunia Aduentus.

An autem Moniales quinquagenariæ eò ipso excusentur à ieiuniis tum communibus Ecclesiasticis, tum præscriptis in regula proprij Ordinis.

25. Respond. quòd cùm Sanchez *l.7. de matr. D. 32. num.17* consultis viris doctis dicat, se, dum aliud non appareret clariùs conuincens, tanquam probabiliorem eligere opinionem, quæ sustinet indiscriminatim de ætate viri, & fœminæ ad excusandum à ieiuniis loquendum esse, nec quidquam à ratione deuium, aut alienum à probabilitate dictorum eum, qui fœminas quinquagenarias excusaret à ieiunio (etsi tandem sic concludat, *Verum tamen, licet prædicta ostendam eam opinionem esse probabilem, speculatiuè loquendo; at in praxi non censeo esse tutam*) contra quam limitationem facit doctrina, quam ex Sancio refert, & non refutat Diana *part.2. tract.13. resol.12.* Cùm, inquam, Sanchez non improbabiliter asserat fœminas quinquagenarias excusari à ieiuniis communibus Ecclesiæ; probabiliter item dici potest Moniales quinquagenarias excusari etiam à ieiuniis præscriptis in regula. Moueor ex doctrina, quam tradit idem Sanchez *l.4. mor. cap. 11. num.54.* nimirum ætatem sexagenariam, sicut excusat viros à præcepto ieiunij, ita & excusare à voto ieiunij: cùm talia vota non obligent aliter, quàm præcepta Ecclesiastica de iisdem rebus (si tamen aliter non constet de intentione vouentis) quod si hæc doctrina procedit de obligatione ieiunij ex voto; à fortiori procedet de obligatione prouenienre ex professione Religiosa, seu ex regula: & si, admittitur de viris, admitti debet & de fœminis; cùm sit par ratio de vtrisque. Colligitur hæc doctrina satis apertè ex Graffio *q.1. decis.l.2. cap.37. num.42.* pro se citante Bartholomæum Medinam *l.1. instruct. cap.14. §.10.* aliisque doctis viris probabilis visa est, etsi, teste Diana *p.1.tract.9.resol.16.* communiter à Doctoribus reiiciatur tamquam improbabilis. Colligitur item ex Tamburino *tom.2.de iure Abb.D.12.q.4.n.4.* Pasqualigo *de ieiunio decis.154.* & aliis relatis à Sancio, *in selectis D.54.num.3.* sustinentibus Religiosos infrà annum 21. non teneri ad ieiunia regulæ; & à fortiori ex Sancio *sup. n.8.* Rodriq. *in comp. resol.75. num.10.* Tambur. *sup. q.5. num.7.* & Pasqualigo *vbi sup. decis.159. num.3.* docentibus Religiosos sexagenarios eo ipso eximi à ieiuniis regulæ.

Consentiunt Narbona, Zoesius, Machado, Medina Trullench, Parisius, Alphonsus de Leone, citati à Diana *p.9. tract.7.resol.73.* & quidem à fortiori; cum in casu isto concedant sufficere annum sexagesimum inchoatū, eo quod in fauorabilibus annus inchoatus habeatur pro completo, *l.qua ætate, ff.de testam.*

Addit Diana ex Escobar eum, qui vouit ieiunare toto tempore vitæ suæ, post annum 60. non teneri ampliùs ieiunare, eò quod cessante obligatione ieiunij, cesset & obligatio voti, senisque vita ad laborem ieiunij terminetur in anno 60. dummodo (subdit Diana ex Narbona) votum non fuerit emissum post annum 60. sed antea; alias enim teneretur ieiunare post annum 60. cum sic præsumatur voluisse ad hoc se obligare.

Doctrina autem sup. data procedit etiam de Monialibus, quæ nondum expleuerunt annum 21. hæ enim licèt iuxta communem Doctorum sententiam teneantur ad ieiunia regulæ, aliàs exemptæ à ieiuniis ordinariis Ecclesiæ: Pasqualigus *tamen dec.154. de ieiunio*, Tambur. *supr.* aliique relati à Sancio *sup. num.3.* cum Graffio, & Medina superiùs allegatis, putant eas non teneri ad ieiunia regulæ: idque ob rationem paulò ante adductam ex Sanch. pro sexagenariis; quæ æque militat pro ipsis. Quin etiam monet Pasq. *n.6.* dato quod Religiosi ante 21. annum teneantur ad ieiunia regulæ, posse Prælatum cum iis dispensare in præfatis ieiuniis, & benè facere, si dispenset: idque etsi aliàs nequeat dispensare super Constitutionibus Ordinis: talis quippe facultas illi competit tamquam Ordinario; & aliàs Ordinarij ex causa dispēsare possunt super lege Pontificia ieiunij: sic ille.

Dubium maius est, an Moniales teneantur seruare ieiunia, quæ à populis loci, in quo ipsæ degunt, obseruantur ex voto, aut etiam indicuntur à proprio Ordinario.

Respond. videri probabile non teneri ob ea, quæ in simili dicimus *in tract. de obligat. c.5. q. 21.* idque maximè, si Moniales sint exemptæ ab Ordinario; cùm sic non subiiciantur eius iurisdictioni, quod requireretur ad hoc vt tenerentur seruare ieiunia ab ipso indicta, vel approbata; quamquam, dato etiam quòd Moniales immediatè subiiciantur Ordinario, adhuc probabile sit eas non teneri ad dicta ieiunia, nisi lege sufficienter exprimantur: quippe quæ non veniunt nomine populi in odiosis, immò neque nomine Cleri; vt colligitur ex Bonac. *D.5. de cens. in comm.p.1.num.11.* 26.

Addo quòd, cùm Leo X. teste Portello *v. ieiunium num.4.* concesserit Minoribus, vt in die ieiunij possint prandere vna hora ante horam consuetam; hincque benè inferat Diana *p. 1. tr. 9. resol. 17.* posse Religiosos per horam cum dimidia ante meridiem præuenire prandium sine vllo peccato: hoc eodem priuilegio vti poterunt Moniales, etiam non exemptæ iuxta dicenda *cap.9 q.1.& 2.* 27.

Quod autem spectat ad refectiunculam vespertinam sumi solitam in die ieiunij; moneo, quòd, cùm Fagundez *praced.4. Eccles.l.1.c.4.n.13.* ex mente Suarez concedat sumi posse in ea 8. vncias cibi (& has partim ex pane, partim ex fructibus, aut herbis) & aliàs Diana *part. 5. tract. 5. resol. 11.* ex Turriano probabiliter doceat ad violationem mortalem ieiunij non sufficere quantitatem 2. vnciarum cibi communis: consequenter farendum est iuxta hos Doctores solùm venialiter peccare illum, qui in refectiuncula ieiunij vltra 8. vncias cibi licitè concessas sumeret alias 2. vncias; imò nec venialiter iuxta Pasqualigum *tom.2. decis.139.n.6.* quatenus ibi concedens ieiunantem posse primo mane sumere duas vncias cibi, & semel bibere ad ieiunium facilius tolerandum, postcaque hora stata prandere, ac noctu sumere consuetam refectiunculam (&, si hoc fiat ex causa rationabili, etiam sine peccato veniali) consequenter videtur concessurus sumentem præfatas duas vncias vltra ordinariā quantitatem serotinæ refectiunculæ non peccaturum, neque venialiter, si excessum illarum duarum vnciarum sumat ex causa rationabili, quæ vtique potest occurrere. Probat autem Pasqualig. paruitatem materiæ in re præsenti saluari in duabus vnciis ex eo, quod paruitas materiæ in fractione ieiunij non debet attendi in ordine ad quantitatem prandij, aut cœnulæ, sed in ordine ad violationem abstinentiæ per ieiunium præscriptæ, ac proinde quantitas cibi, quæ talem abstinentiam non lædit notabiliter, erit paruitas materiæ: ex

ex alia parte dicta violatio oon debet attendi comparatiuè respectu huius, aut illius, sed pro vt est formaliter Læsio abstinentiæ per ieiunium præceptæ, quæ est abstinentia à pluribus comestionibus; sicque abstinentia hæc per pluralitatem comestionum lædi potest notabiliter, cum per eas destruatur; secùs, si non interueniat pluralitas comestionum; cum sic notabiliter non lædatur dicta abstinentia. Vnde fit, quod tota illa quantitas sit paruitas materiæ, quæ non sufficit ad instituendam comestionem, cum verò Ecclesia in ieiunio vetans pluralitatem comestionum loquatur de iis, quæ solent institui: & alioqui præter prandium, ac cænam soleant institoi solum leues quædam comestiones, quæ veniunt nomine ientaculi, aut alio nomine; ideo paruitas materiæ in re præsenti debet habere talem terminum, vt neque faciat aliquam harum leuiorum comestionum, attendendo illam quantitatem, quæ magis vniuersaliter sumi solet in iis: cum ergo eæ, quando sunt moderatæ, important vncias sex circiter cibi, ideo duæ vnciæ censeri possunt materia leuis, vt potè non pertingentes ad medietatem talis comestioois, adeoque moraliter non sunt comestio, & consequenter non læduot notabiliter abstinentiam à pluribus comestionibus, quæ præcipitur in ieiunio.

Quod verò dicit P. Diana *p. 9. tract. 6. res.* 15. ex Trullencho contra me *tract. 5. c. 5. n.* 15. se non damnaturum de peccato m. eum, qui quantitatem cibi permissam in refectiuncula ieiunij totam sumeret in pane; mihi non placet tum ob dicta *num. 15. sup. citato*: tum ex co quod quantitas, & qualitas præfatæ refectiunculæ maximè pendet ex consuetudine inducta apud viros doctos, ac timoratos; non puto autem apud illos inductam esse consuetudinem, vt in dicta refectiuncula sumi possint 8. vnciæ panis; imò puto quod si ij viderent aliquem edere 8. vncias panis in vespertina refectiuncula ieionij, non leuiter offenderentur; cum tanta panis quantitas videatur sufficere ad nutritionem non modicam, sicque finis Ecclesiæ intentus magna ex parte frustretur; vnde & viri laici non adeo scrupulosi fortè non auderent practicare eiusmodi doctrinam.

Accedit, quod in peruigilio Nat. Domini in refectiuncula vespertina sumi possunt 16. vnciæ cibi iuxtà Fagund. *sup. n.* 19. Dianam *p. 1. tract. 9. resol.* 35. & alios: idque etiam in casu, quo, occurrente festo Natiuitatis in feria 2. ieiunium vigiliæ præueniatur in Sabbato; vt aduertit Sanch. *l. 5. cons. c. 1. d.* 26. addens in vigilia Natiuit. sumi posse collationem duplò, & triplò, maiorem: qua de re plura in *nostro tract. de obligat. regul. cap. 5. q. 5.* vbi ostendimus etiam religiosis, & consequenter Monialibus, permittendum esse, vt in vigilia Natiu. sumant refectiunculam paulò maiorem solita: quidquid contradicant Villalob. & Ledesma apud Dianam *vbi suprà*.

Addit Pasqualig. *sup. decis.* 103. *n.* 9. quod, licet Sanchez *sup. n.* 6. putet dictam refectiunculam non posse sumi adeo amplam, si sumatur hora prandij, cum nondum incœperit festum, & id non habeat consuetudo; oppositum tamen tenendum est; cum hoc sit priuilegium illius ieiunij, cui hoc conuenit, non quod festum incœperit, sed quod sit accessorium festi, adeoque sapiat lætitiam festi, etsi illud noodum incœperit; quod patet etiam ex modo celebr. Officium Vigiliæ.

Putat item Pasqualig. *decis.* 101. *num.* 5. ex Angles, Sancio, & Ledesma, posse hora prandij in die ieiunij vespertinam sumi refectiunculam, dilato prandio in vesperam, etiam sine causa: & probat, quia lex ieiunij exigit vnicam comestionem, permissa refectiuncula in subsidium naturæ, & intendit corporis macerationem mediante abstinentia; quod totum saluatur in præsenti casu: com sic habeatur finis ieionij, fiat vnica comestio cum solita refectiuneula, & inter has solum mutetur ordo, qui est qoid accidentale, ideoque non impedit, quin impleatur lex ieiunij (quo modo satisfacit præcepto recitandi diuinum Officium, qui Horas recitat ante Matutini recitationem) idque etiam sine peccato veniali; cum semper adsit ratio sufficiens excusans à veniali, etsi nulla videatur extare causa dictæ transpositionis, semper. n. id ordinatur in commodum ieiunantis, vt in finem; & cum hoc ipsum rationem habeat finis liciti, ac subordinati vltimo fini, retinet debitum ordinem ad vltimom finem, qui sufficit, vt præfata transpositio non sit mala, sed bona: prætetquam quod consuetudo refectiunculam addixit tempori vespertino solùm ex suppositiooe quod circa meridiem fiat comestio, & hæc dicta sint ex Pasqualigo, alijsque ab eo relatis, contra quos sentiunt communiter Doctores.

Addo quòd, sicut Azotius, Reginald. & Bonacina relati à Diana *p. 1. tract. 9. resol.* 34. Bossius *citatus ab eodem* Diana *p. 5. tract. 14. resol.* 14. oon improbabiliter docent in collatione serotina ieiunij posse sumi iusculum ex aqua, & paoe aut herbis, etiam seclusa speciali indigentia: sic puto eum Sanch. *sup. d. 14. n.* 2. Monialem, quæ v. g. inseruite debet mensæ in die ieiunij, posse sumere aliquid cibi, etiam per modum sustentationis; quippe quæ ex tunc censetur, inchoare prandium, postea ioterrumpendum ex occasione illius seruitij, illud posteà absolutura; quo pacto plures illæ comestiones moraliter reputantur vna; non secus ac euocatus à prandio, in die ieiunij ob aliquod negotium, potest, peracto negotio redire ad absoluendum prandium, etiam post 2. horas, vt notant plures DD. apud Dianam *sup. resol.* 32. Imò Pasqualigus *sup. decis.* 121. *n.* 5. potat posse rediri ad continuandum prandium post totum illud tempus, quo perseuerat aliquid, ratione cuius comestio moraliter continuari censetur (vt si adsit intentio redeundi saltem virtualis eo quod solita quantitas cibi sumpta non sit, vel supersint in mensa fercula destinata pro eo prandio, &c.) Sic. n. tempus interpositum non tollit continuationem moralem vniæ comestionis. Quin addit Pasqualig. ex Syluio sine mortali culpa posse interrumpi prandium per horam etiam sine causa; cum sic ieiunium non lædatur grauiter.

Docet item Pasqualig. *n.* 6. cum doctis Recentioribus consultis contra Ghetium surgentem à mensa comestione non completa, & negotiis ita distentum, vt in iis totum diem insumat, posse inchoatam comestionem vespere complere; eom ea interruptio non sit voluntaria, adeoque secunda comestio pars & complementum primæ comestionis, quæ relicta fuit imperfecta: hoc. n. ipso quod conceditur comestio vnica completa, ac sufficiens intra meridiem, ac vesperam, currit tempus, in quo licitum est edere, ac proinde si comestio relinquitur imperfecta, ea semper compleri potest, si prios compleri non potuit, quamdiu durat tempus præfinitum pro ea comestione: prætetquam quod cibus prima vice sumptus non est sufficiens, sicque ieiunans excusabitur à ieiunio, si illud seruare non possit.

Censet prætetea Pasqualig *decis.* 123. ex Molfesio, posse quem domi comedentem in die ieiunij adire domum amici ad complendam comestionem cum eo, siue inuitetur ab eo, siue non; imo & ire ad emenda alia fercula, posteaque domum redire, eaque edere; cum tota hæc interpositio temporis censeatur medium

medium ordinatum ad complendam comestionem inchoatam, adeóque continuatiuum illius:idque interponendo totum illud tempus, quod insumitur in via,& in præparando cibo,quem intendimus edere: siquidem totum hoc tempus est medium ordinatum ad complendam comestionem, ac proinde continuationem ponit stante intentione protrahendi comestionem vlterius: imò si interponatur aliquantulum temporis maius eo, quod est necessarium, parum curandum est, cum in moralibus parum pro nihilo reputetur.

Sic Sanchez *lib.5.cons.cap.24.n.5.* Ghetius *v. ieiunium cap.1. num.4.* Trullench. *lib.3. decal. cap.2.d.3. num.13.*& alij sustinent ieiunantem,qui,plicato linteolo, proposuit nihil vltra edere, posse sumere ex ferculis de nouo appositis: cum adhuc perseueret idem prandium cui ille accumbit,idcóque si mutato proposito sumit de nouis ferculis,moraliter loquendo, non instituat nouam comestionem, sed aliquid superaddat priori;ita vt additamentum faciat vnam comestionem cum priori perseuerante vnitate prandij communis.Consentit Pasqualigus *decis.122.*inferens ieiunantem in hoc casu à fortiori posse de nouo edere ex ferculis antea appositis; quippe quæ sunt pars illius prandij, imo & illius ferculi, quod inseruit prandio,sicque eorum comestio de nouo repetita fit pars eiusdem comestionis, ita vt censeatur vna comestio integra ex pluribus partibus.

Sic Molfesius, Filliuc. Basseus, Bonac.& Ghetius apud Dianam *part.1. tract.3. resol.31.* contra plures alios relatos à Pasqualig.*supr.decis.125.num.1.*docent ieiunantem à mensa surgentem animo non ampliùs edendi posse redire ad edendum, etsi prandium sit completum, si modicum tempus intercessit, & edat de iis, quæ prius fuerant apposita, sicut enim quæ edit, sunt pars illius prandij, quod sumpsit,non autem nouum prandium; sic eorum comestio est pars comestionis præcedentis, moraliter loquendo:quod non procederet, si nouum institueretur prandium; sic enim esse noua refectio. ita Pasqualigus monens *num.5.* regulariter quartam partem horæ, & fortè etiam tertiam non sufficere,vt desinere censeatur ius sedeundi ad continuandum prandium; nisi concurrentes circumstantiæ aliter suadeant; vt si surgas à mensa iturus ad dormiendum; in quo casu statim censetur desinere dictum ius.

Sic Lessius *lib.4 cap 2.num.11.* Laym.*lib.4.tract.8. cap.1.n.6.*Diana *sup.* & alij sustinent ieiunantem,qui à mensa recedit animo non edendi ampliùs,posse ad eam redire,& edere, si prandium adhuc duret: probant, quia cibus interruptim sumitur, ita vt plures partiales sumptiones vnicam faciant comestionem; sicque vnitas moralis comestionis stare potest cum interruptione sumptionis,idcóque debet desumi ex vnitate conuiuij; vnde recedens à mensa potest denuo accedere, durante eodem conuiuio sine violatione ieiunij, etsi proposuerit non amplius edere: cum enim edat de eodem prandio, censetur facere eamdem comestionem.

An autem, & quo modo ieiunans si extra prandium, & refectiunculam velit bibere, possit sumere aliquid cibi, ne potus noceat, & quidem pluries eodem die.

Respond. posse,dummodò id non fiat in fraudem ieiunij.ita Sanch.*sup.d.22.*Laym.*sup.n.7.* Azor.*tom.1. lib.7.cap.10.quæst.7.*aliique plurimi;& probatur,quia hoc ipso quod Ecclesia in die ieiunij concedit potum per diem, censetur & concedere necessaria, ne potus noceat,& consequenter aliquid cibi:quo modo dicunt communiter Doctores talem cibum non vetari, eò quod sumatur per modum medicinæ. Et hoc procedit, etsi pluries eodem die bibatur: cum modicus ille cibus semper sumatur ad eumdem finē, ne potus noceat, adeóque semper censeatur concessus vt accessorium ad cōcessionem principalis, nempe potus.Dixi, *dummodò id non fiat in fraudem ieiunij*; si enim bibas, non ad sitim sedandam, sed vt possis sumere modicum illum cibum,& is pluries sumptus pertingat ad quantitatem notabilem, violas ieiunium:tunc autem censeri potest abesse fraus,quando verè moueris ad bibendum ex siti. Consentit Pasqualig *sup.decis.119.*notans *num.6.* modicum cibum, qui sumi potest, ne potius noceat, regulariter dici posse illum, qui est infra vnicam vnciam, cum talia quantitas sit valdè exigua,& sufficiat, ne potus noceat;addensque *num.6.* modicum illum cibum posse sumi à bibente, etsi credat potum sine eo non nociturum, si manè bibat, cum tunc stomachus sit vacuus, adeóque ei semper potus noceat; non item, si post prandium bibat, & certus sit se,attēta sua complexione non passurum nocumentum ex potu;quod non procedit, si probabiliter timet nocumentum, aut de hoc dubitet; cum tunc stet in possessione sui iuris ad sumendum,quamquam,cum materia sit parua, & potus solus stomacho non conferat, putet Pasqualig. nemini iniiciendum scrupulum peccati grauis,si sumat exiguum hunc cibum.

Quod verò dicit Pasqualig. *decis.106.* esse probabilius,& fuisse approbatum à doctissimis Recentioribus(nimirum in refectiuncula vespertina posse sumi totam illam quantitatem cibi cum iusculo cocti, quæ sumi posset, si sumeretur crudus, aliquibus doctis Recentioribus minùs probatur; cum hinc sequatur posse ieiunantem in refectiuncula vespertina sumere vncias 24. & plures iusculi ex pane confecti (tot.enim vnciæ ex panis vnciis 3 & paucis amygdalis cum aqua concoctis consequuntur, at aduerto *tract.5.cap.5.num.17.*) Quod certè, non videntur pij viri audire sine offensione; præsertim cum dictum iusculum sit valdè nutritiuum. Probat Pasqualigus suam sententiam,quia aqua,quæ miscetur cum pane, aut alio cibo solido, non auget substantiam cibi in ordine ad nutritionem, cum non afferat secum aliquid nutritiuum, sed solum temperat qualitatem eius in ordine ad faciliorem concoctionem in stomacho, sicque eadem cibi quantitas sumitur quo ad nutritionem,ac si cibus sumeretur crudus. Vnde,sicut sumi potest panis in ea quantitate,quæ est permissa, & imbui vino, etsi hinc excrescat in pondere, cum sic non admisceatur vlla substantia ordinata ad cibandum; ita in præsenti casu idem fieri poterit,cum suprà quātitatem debitam non admisceatur aliquid ordinatum ad cibandum. Nec obstat, quod sic cibus crescit in pondere; cùm augmentum istud ponderis sit per accidēs, nec sit secundùm rationem substantiæ nutritiuæ, sed temperamenti ordinati per modum medicinæ ad maius cōmodum stomachi, quod est dicere maiorem nutritionem, quæ fit in sumente 24. vncias iusculi confecti ex 3. vnciis panis modo supra dicto, prouenire; non quod sic sumatur plus substantiæ nutritiuæ, quam si sumerentur 3. illæ vnciæ panis crudi; sed quod virtus nutritiua facilius agere possit in panem coctum,quam in panem crudum: quo modo plùs nutritetur comedens libram vnam carnis vitulinæ coctæ, quam qui libram similis carnis crudæ ederet; vt mihi aduertit Excellentissimus Seotus Medicus Bononiensis vir ingenio præstanti, ac in Arte medica insignis,toti Italiæ notissimus: qui proinde doctrinam Pasqualigi citantis pro se Bossium *sect.4. de iubileo casu 18.n.128.* appro

approbat; sicut & approbant alij docti Recentiores; quorum aliqui notarunt fortè aliquos offendi ex doctrina allata Pasqualigi, eò quod apprehendant ipsum concedere, quod in refectiuncula ieiunij liceat sumere 24. vncias panis cocti sub forma iusculi; cum ille solum concedat posse sumi 24. vncias iusculi confecti ex 3. vnciis panis, & aliquot amygdalis: quæ duo sunt valdè diuersa, vt patet.

Quod si doctrina hæc Pasqualigi nimis videtur relaxare obseruantiam ieiunij ecclesiastici, & non parum aduersari fini intento ab Ecclesia in præscribendo ieiunio; saltem confirmabit sententiam eorum qui iuxta dicta *tract. 5. cap. 5. num. 16.* sustinent in dicta refectiuncula posse sumi iusculum 12. vnciarum; putantque non ideo se cogi admittere quod possint sumi etiam 24. vnciæ iusculi (vt vult Pasqualigus) cum ieiunium Ecclesiasticum sit eos morale, quod moraliter debet æstimari, etiam quo ad quantitatem refectiunculæ vespertinæ, & aliàs constet morali hominum æstimatione grauius aduersari ipsi ieiunio Ecclesiastico, quod in vespertina refectiuncula sumantur 24. vnciæ iusculi ex pane, & aqua confecti, quam si sumantur solum vnciæ 12. estò dictæ 24. vnciæ physicè componantur ex 3. vnciis panis, aliquot amygdalis, & aqua, quæ à ieiunante in præfata refectiuncula licitè sumi possunt. Præterquam quod praxis, & communis sensus legem interpretatur, *l. minimè, l. si interpretatione, ff. de leg. cap. cum dilectus, de consuetud.* praxis autem, & communis sensus virorum timoratorum is esse videtur, quod in refectiuncula vespertina non liceat sumere 24. vncias iusculi confecti ex pane; vnde & durum videtur, quod vir timoratus, & doctus in die ieiunij sumat pro vespertina refectiuncula vncias 24 panis cocti in aqua, que multis possent deseruire in cibum cœnæ competentis.

Addit Pasqualig. *decis.* 136. vuam recentem posse sumi die ieiunij quoties libuerit; non secus ac sumi potest vinum; cum succus vuæ in sua substantia sit vinum, habeatque rationem potus, quippe qui exprimitur de acinis, dum vua dentibus cooteritur, & io ore acquirit rationem potabilis, sicque in stomachum transmittitur per modum potus. Sed mihi non placet hæc doctrina, & videtur aduersari illi doctrinæ quam idem Pasqualig. *decis.* 141. *num.* 2. admittit vt communem; videlicet ea, quæ habent rationem cibi, soluere ieiunium, etsi sumantur modo potabili; vt potus lactis; hinc inferens *num.* 3. potionem chocolatæ frangere ieiunium, etsi sumatur per modum potionis, eo quod illa ex natura sua sit cibus maximè nutritiuus; ita vt vnica eius vncia sufficienter nutriat per horas 24. absque vlla corporis debilitatione: si quidem ex communi illa doctrina contra Pasqualigum argui potest; Quæ habent rationem cibi, frangunt ieiunium, etsi sumantur per modum potabilis; at vua, cuius succus solum in ore dentib. exprimitur è cortice, habet rationem cibi, & quidem maximè nutritiui, etsi detur eam sumi modo potabili, ergo illius sumptio frangit ieiunium: dixi, *etsi detur illam sumi modo potabili*, quia secundum communem modum loquendi, ac moralem hominum æstimationem non dicitur bibere, qui sumit vuam recentem, eiusque succum dentibus intra os exprimit, etsi dictum succum verè iam expressum transmittat in stomachum, sed dicitur edere vuam, adeoque negari potest in hoc casu sumi vuam modo potabili; quo modo dicitur sumi, quando intra vas aliquod exprimitur succus vuæ, & sic expressus sumitur; sic enim dicitur sumi vna modo potabili, cum verè sit mustum, & habeat rationem potus; & tone concedo per sumptionem vuæ recentis non violari ieiunium; cum talis sumptio sit potus, & potus non frangat ieiunium Ecclesiasticum, vt omnes concedunt. & quidem quod vua sit maximè nutritiua, patet experientia Rusticorum, qui in Autumno ex esu vuæ valdè pingues apparent.

Quod si hac occasione quæras, an prohibitus vesci carnibus ex lege ieiunij, aut alio titulo, prohibeatur adhibere clysma è puro carnium iusculo, aut emplasma è carne contusa, vel contrita apposita vmbilico, non quidem ad medicinam, sed ad carnem in legis fraudem mulcendam, eiusque lasciuiam fouendam; cum succus clysmate immissus nutriat, & idem præstet emplastrum vmbilico appositum vi caloris naturalis, & facultatis attractricis partibus insitæ aliquid per poros exugens, quod intromissum potest exequi, & demum conuerti in sanguinem, vnde fit nutritio; etsi exigua; sicut & exigua est materia, quæ attrahitur, & via per quam subit.

Respond. Raynaudus in *Stylita mystico, p. 7. n. 9.* verius esse qood in casu proposito vetitus est vsus clysmatis, ac emplastri (concedens tamen n. 11. quod spectat ad emplastrum, materiæ paucitatem, quæ indè fugitur, valdè tenuare peccatum; ita vt vix posset sufficere ad peccatum mortale) Assertionem probat tum quia sic copiosa materia vetita opponi potest, maximè per iterationem, ac frequentationem; & potest contrauenire fini legis præscribentis ciborum delectum; cum inde possit incendi corporis lasciuia, concalefacta carne per tale nutrimentum, tum quia, licèt lex ecclesiastica de ciborum delectu, spectato verborum cortice, vetet solum vsum certorum ciborum, quem Doctores vocant manducationem: tamen, spectato fine legis, sub iis verbis æque vetatur omne nutrimentum ex materia vetita; siue ingeratur per os, siue alia via; ita vt vsus clysmatis, ac emplastri ex carnibus dici possit æquiualens comestio carnium: maximè cum Carnes solum mandent ieiunium, & Doctores interpretantes legem ieiunij de comestione (quippe per quam ieiunium ordinariè soluitur) non excludunt, nec possunt excludere sumptionem cuiusuis alterius æquè concitantis petulantiam corporis, quam Ecclesia intendit frænare lege ieiunij.

Verùm mihi non probatur hæc doctrina, putoque sustinendam esse oppositam, quam ipsemet Raynaudus non negat esse probabilem; dum ait suam esse veriorem. Ducor tum quia finis legis non cadit sub legem; quippè quæ dirigit quidem ad finem, sed non est de fine; vt ostendit Auila *D. 11. de leg. num.* 37. ex S.Tho. & Caiet. sicque corruit primum fundamentum Raynaudi: tum quia, vbi agitur de obligatione imponenda, stricta fieri debet interpretatio, Sà *v. interpretatio 2. l. quidquid adstringendæ, ff. de verb. oblig.* adeòque lex prohibens comestionem carnium intelligenda est de comestione simpliciter dicta, non autem de æquiualenti; cum tamen Doctores de ieiunij obligatione loquentes dicant eam solum cadere in manducationem, & is tantum dicatur manducare, qui ore haurit nutrimentum: tum quia quod succus per clysma iniectus, aut ex emplastro attractus nutriat, est per accidens, nec à lege attenditur: quo modo potus vini, licèt nutriat, non vetatur in ieiunio de communi sententia Doctorum; idque etsi sumatur in fraudem, ad sedandam inediā, ac famem; vt docent Pasqualigus *de ieiunio, decis.* 117. ex 18. Doctoribus relatis, aliique viri graues; & inde suadetur, quod Ecclesia non vetat potum, adeoq; nec nutritionem ex eo prouenientem (& sicot vetat nutritionem ex cibo capto, eò quod cibus sit vetitus)

ficque intendens nutritionem prouenientem ex potu vini non violat legem ieiunij, cum eam intendat solum vt prouenientem ex actu licito, idest ex potu vini: quod est signum mentem Ecclesiæ præscribentis delectum ciborum non spectare quemcunque vsum rei idoneæ ad irritandam carnem (id quod constat fieri à vino largius hausto, ac puro) sed solum spectasse curam carnis per esculenta, & incentiua libidinum præcisè per manducationem admota, tum quia in præsenti casu non procedit, quod faciens in fraudem legis non minus delinquit quam si legem directè violet, etsi saluis verbis legis eius sensum circumueniat, *l. contra legem. ff. de legib.* cum fiat quod ea noluit fieri, licèt, an enio cortice verborum eximo, id non vetuerit; si quidem tunc solum fit in fraudem legis, quando ex tali facto prouenit effectus vetitus à lege, adeóque ipsum factum vetitum censeretur, vt pote causans effectum à lege vetitum: vt si pluries in die ieiunij capias cibum in quantitate parua, de se non frangente ieiunium: tunc enim fieret fraus legi ieiunij; quatenus estò quælibet è dictis comestionibus seorsim non auferat effectum à lege intentum, ob paruitatem materiæ, omnes tamen simul auferunt; idcóque Ecclesia hoc ipso quod intendit macerationem corporis per cibi subtractionem, item præsumitur vetare concursum plurium illarum comestionum paruarum in eodem die tanquam causam obstantem effectui intento: quod vtique in præsenti casu non procedit; in quo cum non vetetur potus in quauis quantitate ad sedandam sitim, nec vetatur effectus hinc causatus, idest nutritio, ac sedatio inediæ, ac proinde, licèt potus adhibeatur in hunc finem, non fit fraus legi; cum non adhibeatur vt impeditiuus effectus intenti à lege: si enim impediret, esset vetitus etiam in ordine ad sedandam sitim (sicut est vetitus potus lactis etiam ad refrigerandam, ac extinguendam sitim, cum impediat effectum intentum à lege ieiunij) quare lex ieiunij intendit solum vetare nutritionem prouenientem ex cibo, & sedationem inediæ per modum cibi, quem solum prohibet; ac proinde, cum in isto casu intendatur solum sedatio inediæ per potum, non contrauenitur menti Ecclesiæ indicentis ieiunium.

Sicut ergo Raynaud. *supr. num.* 7. concedit ieiunium præscriptum ad Eucharisticam communionem non violari, assumpto clysmate è carnium iusculo, alioue quouis succo, licet apto ad nutriendum (quod latè probat Raynaud. *num.* 3.) cum præscriptio dicti ieiunij solum spectet reuerentiam debitam corpori Christi, & referatur ad cauendam prægrauationem corporis: sic videtur dicendum vsum clysmatis è puro iusculo carnium, ac emplastri è carnibus contusi non vetari per legem vetantem esum carnium, etsi, hæc adhibeantur, non in medicinam (quo pacto etiam Raynaud. *n.* 14. nobiscum sentit, etsi morbus non sit tantus, vt posset excusare à ieiunio) sed ad curandam cuticulam, carnisque lasciuiam fouendam idque ob rationes superius allatas, ex quibus etiam destruuntur fundamenta, quæ pro se affert Raynaud.

Quod verò addit *num.* 14. Carthusianum facere contra statutum prohibens vsum carnium, etiam in mortis periculo, si in morbo periculoso vtatur clysmate è carnium iusculo, aut emplastro è carnibus contusis ad curandum morbum (cum id in simili casu concedat de quocumque alio ægroto, qui non sit Carthusianus) mihi non placet; sicut nec placet ratio, quam adducit pro sua sententia, dicens, Carthusiani longe aliam esse rationem; cum ille vi legis priuatæ amoueat à se facultatem vtendi talibus remediis ad cuiusuis morbi subleuationem, nec, nisi omni alio cibo deficiente, assumere possit præfata clysmata, aut emplastra ex pura carne; etsi paulò post subdat Raynaud. non esse, quod Carthusiani scrupulo tangantur de pauxillis carnibus, quæ in certis medicamentis adhibentur admixtæ aliis materiis, adeóque transmutantur, vt, sicut carnis nomen abiiciunt, sic & pristinam carnis naturam exuere videantur; nam de minimis non curat Prætor, & ius obligans ad carnium abstinentiam non censetur inductum cum extensione ad tales materias.

Mihi, inquam, non placet, quod loco citato addit Raynaud. & facile videtur posse confutari ex verbis ipsiusmet statuti in Ordine Carthusiano de abstinentia carnium editi anno 1582. & à me relati *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 538. quod sic habet: *Omnem esum, & sumptionem carnium, & omnium quæcunque ex carnibus quomodolibet constant, siue per modum cibi, siue per modum potionis, aut sorbitionis sumantur, à nostro proposito abiecimus: & infra: Statuimus vt quicumque Ordinis nostri professus huius tam laudabilis institutionis transgressor extiterit, carnes videlicet comedendo, & alicui personæ Ordinis ministrando, vel ministrantibus consentiendo, vel non prohibendo, cum potest prohibere* &c. Vbi noto, quod, cum statutum hoc non prohibeat quemcumque vsum carnium, sed solum vsum illarum, qui sit per modum cibi, aut potionis, aut sorbitionis, & his non comprehendatur assumptio clysmatis, aut emplastri ex pura carne: non video, quo modo Raynaud dicat Carthusianum vi legis priuatæ amouere à se facultatem vtendi talibus remediis ad cuiusuis morbi subleuationem: cum sub relato statuto vsus talium remediorum non comprehendatur, & præter dictum statutum in Ordine Carthusiano non extet (quod ego sciam) vlla alia lex, quæ vetet vsum præfatorum remediorum, nec ab ipso Raynaudo afferatur, qui tamen debuisset illam afferre, si extaret. Cum ergo Carthusianus nulla lege peculiari prohibeatur vti clysmate, aut emplastro, ex pura carne; & alias Raynaudus vsum talium remediorum concedat cuicumque alij in die ieiunij; debet hoc idem concedere & Carthusiano; cum sit eadem ratio de ipso, ac de illis, & vbi militat eadem ratio, militare item debeat eadem iuris dispositio.

Imò puto Carthusianum non facere contra statutum superiùs adductum, si clysma, aut emplastrum ex pura carne assumeret ad curandam cuticulam; cum vi dicti statuti solum prohibeatur vti carnibus per modum cibi, aut potionis, aut sorbitionis, & sub his non contineatur assumptio clysmatis, aut emplastri ex pura carne: aliásque lex etiam fauorabilis animæ, si sit obligatoria, & consequenter odiosa, non debeat ampliari vltra propriam verborum significationem, vt probat Sanchez *lib.* 10. *de matr. D.* 4. *num.* 3.

QVÆRES XIII. An Moniales teneantur obseruare festa præscripta ab Ordinario loci, necnon censuras, & interdicta ab eo lata.

Respond. teneri ex decreto Concil. Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 12. quod sic habet: *Censuræ, & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque seruentur; dies etiam festi, quos in diœcesi sua seruandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus seruentur.* Vbi notandum, quòd, licèt in isto decreto non fiat mentio expressa de Monialibus; eæ tamen in illo comprehenduntur sub nomine Regularium, quod est commune tam Monialibus, quàm viris Religiosis. 18.

An

An autem Moniales possint in die festo exercere se in faciendis recamaturis ad vitandam otiositatem.

29. Respond. Armillam, Azorium, Villalobum, Io. de la Cruz, Sà, Marchantium, Syluestrum, ac Ghilinum relatos à Diana *p.6. tract.6. resol.15.* sustinere partem affirmantem ob rationes adductas ab ipso Diana; quin nec omninò ab iis dissentit Sanch. *l.5. consil.c.2. d.18. num.13* quatenus asserens opinionem contrariam esse veriorem, indicat sententiam horum Doctorum non esse improbabilem. Certè, si hæc doctrina admittatur de puellis (quo modo illam admittunt citati DD.) & admitti poterit respectu Monialium, præsertim iuniorum, quæ difficiliùs sciunt vitare otium. quod autem dicunt præfati DD. de recamaturis, admittent etiam de thecis ex serico confectis cum cera sancta collo gestari solitis, aliisque similibus rebus deuotionis; qua de re *Pasqualigus decis.148.*

Quæres XIV. An Moniales in diebus Rogationum, ac Iubilæi intra proprium monasterium teneantur facere processiones ab Ecclesia præscriptas, & quo genere obligationis.

30. Respond. quod quidem spectat ad Monialium communitatem, seu Conuentum, id debere colligi ex communi ipsarum Monialium sensu, & conceptu: proportionaliter vt dicit Sanchez *l.6. mor. cap.14. num.27.* ad dignoscendam qualitatem obligationis huius, aut illius regulæ multum conferre communem existimationem religiosorum, communemque sensum, ac iudicium illorum, quibus incumbit regularum obseruatio, sic aut sic illas accipientium, ac intelligentium: puto autem Moniales existimare consuetudinem faciendi dictas processiones esse solùm ex deuotione, adeoque à toto monasterio illas posse omitti absque peccato mortali. quod si eæ de hoc dubitent; id debent coniicere ex 4. coniecturis relatis à Bonacina *d.1. de leg. quæst.1. p.vlt.§ 3. num.21.* nimirum consuetudine præsumi inductam tanquam obligatoriam, si Superior puniat, aut arguat aliter facientes, si populus grauiter scandalizetur ob violationem dictæ consuetudinis, si materia, & obligatio illius multùm conferant ad bonum commune; si denique consuetudo sit maioris partis illius Communitatis. Quod verò spectat ad præsentem obligationem respectu singularum Monialium: puto illam non esse maiorem, ea, qua *hic q.6.* diximus singulas Moniales teneri ad assistentiã chori, & consequenter non excedere culpam venialem.

Quæres XV. An, & quo modo Moniales teneantur soluere debita realia contracta, siue ante ingressum religionis, siue post.

31. Respond. Distinguendo: vel debita sunt contracta ante professionem; & hæc debebant solui à Moniali ante emissionem professionis, si erat soluendo; &, si non soluit, peccauit quidem reddendo se impotentem ad soluendum; modò tamen excusatur ratione impotentiæ; quatenus per professionem facta est incapax acquirendi bona propria, ex quibus soluat. quod benè notauit Sanchez *l.4. mor.cap.19. num.14.* addens, cùm sit medium extraordinarium, ac difficile cogi acquirere bona in religione ad soluendum creditoribus, Monialem in præsenti casu non teneri manibus suis laborare ad acquirendum, vnde soluat æs alienum; nec Superiorem teneri dare licentiam sic laborandi: quæ ratio cum procedat etiam quò ad petendam eleemosynam à parentibus, aut consanguineis ad effectum satisfaciendi creditoribus neque ad hoc ipsa tenebitur. Puto tamen, quod si Monialis habeat peculium eius vsibus concessum; tenetur ex eo soluere debita: cùm Sanch. *l. mor.c.19. num.38* ex Molina, ac Lessio dicat Religiosum teneri resarcire damnum iniustè illatum; cum restituendo fuerit, & quidem modo possibili; & aliàs Monialis sit restituendo eò ipsò, quod habet peculium eius vsibus permissum, vt patet: intellige, nisi id ei prohibeatur à Superiore; vt de facto prohiberi potest, teste Sanchez *sup.num.113.* vbi supponit Superiorem non teneri concedere religioso subdito licentiam expendendi proprium peculium in soluendo ære alieno, & concessam posse auferre; cum peculium sit monasterij, & monasterium non teneatur illud expendere in resarciendo damno per suum religiosum illato: qui proinde religiosus eatenus tenebitur soluere creditoribus ex suo peculio, quatenus libera illius administratio ei permittitur. Quod autem dixi de peculio, procedit etiam de donatione, aut Eleemosyna factis Moniali; si hæ vsibus illius permittantur: nempe eas debere expendi à Moniali in soluendis debitis: de his enim militat eadem ratio, vt patet. Vel debita contracta sunt à Moniali post professionem: & hæc ea tenetur soluere eo solum modo, quo diximus illam post emissam professionem teneri soluere debita contracta ante illam; videlicet implicando ad talem effectum peculium ipsi liberè concessum, vel etiam, donationem aliquam liberæ dispositioni illius relictam à Superiore, ita vt illam insumere possit in vsib. licitis; non autem laborando, aut procurando eleemosynas &c. idque ob rationes supr. allatas, quæ militant etiam in hoc casu. Nec obstat quod Sanch. *sup.n.38.* ait religiosum teneri damnum culpabiliter illatum resarcire modo possibili: nam explicari debet illum loqui de mediis ordinariis, non autẽ extraordinariis.

An autem monasterium teneatur soluere debita à Moniali contracta siue ante professionem, siue post.

Respond. loquendo de debitis contractis ante professionem, teneri monasterium ea soluere ex bonis, quæ ratione Monialis ei obuenerunt, aut obuenient in futurum. (non tamen suprà vires doctorum bonorum.) & ratio est quod, cùm per professionem religiosam non derogetur iuri creditorum: sicut Monialis tenebatur ante professionem ex bonis illis soluere creditoribus; sic tenetur monasterium succedens in ea bona. quo pacto ait Sanchez *lib.7. mor. c.31. num.4.* regulam illam, *Quidquid acquirit Monachus, acquirit monasterio* intelligi debere, nisi religiosus ære alieno grauatus sit admissus ad professionem; tunc enim non monasterio, sed creditoribus acquirit, quidquid arte, industria, donatione, aut hæreditate comparat. Loquendo verò de debitis contractis post professionem: hæc solui non debent à monasterio, nisi ea contracta sint ex legitima Superioris licentia, aut monasterium inde sit factum locupletius: (tunc. n. tenebitur quò ad eam partem; vt aduertit Sanchez *num.9.*) & ratio est, quod personæ delictum non est conuertendum in Ecclesiæ damnum *c. si Episcopi 16. quæst.6.* quæ ratio item probat monasterium non teneri restituere mutuum pecuniarium à religioso acceptum cum licentia Superioris, sed sine consensu Capituli, si Superior non poterat disponere de tanta summa sine dicto consensu; sicque in concedenda ea licentia excessit limites suæ potestatis; quod aduertit Sanch. *num.10.*

Addo hic obiter ex Cardinali de Lugo *D.3. de iust. num.142.* pro se citante Bannez, Lopez, Rebellum, Salas, Sayrum, & Dianam, recipientem à Moniali ad vsus illicitos, non teneri summam acceptam restituere; si Monialis, quæ dedit, habeat facultatem plenam, ac liberam expendendi dictam summam pro libito: cùm Prælatus dans talem facultatem non cen-

festutllmitsse illam ad vsus honestos, sed potiùs abstulisse pro parte sua totum impedimentum, vt vsus ille non esset contra votum paupertatis ex defectu licentiæ; etsi maneat turpitudo ex alio capite: quod si Monialis potuit dare dictam summam; ergo & illa alius potuit illam recipere, & potest eam retinere. Prætatquamquòd, vt notat idem Cardin. *num.* 143. etsi donatio illa ab initio fuisset nulla ob malum titulum; postea tamen Monialis, si aliàs habet licentiam dandi illam summam ad vsus licitos, mutato animo, potest illam donare illi eidem personæ alio titulo honesto v. g. quia pauper est, vel ex gratitudine; ad quam donationem licitam sufficiantem habet licentiam. Nec obstat, quod Prælatus est administrator bonorum monasterij, ideòque non potest dare licentiam ea ad vsus illicitos expendendi, cum id iure prohibeatur: id enim procedit quando inde damnificatur monasterium; quod non militat regulariter in præsenti casu; in quo Monialis potest liberè insumere illam summam, adeòque sine vtilitate monasterij; etsi de facto illam expendat ad vsus illicitos.

Quæres XVI. An, & qualiter Moniales teneantur ad correctionem fraternam proximorum.

32. Respond. teneri: cum præceptum hac de re latum à Christo Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum*, afficiat omnes, ac singulos fideles, & consequenter etiam Moniales: si quidem concurrant debitæ circumstantiæ; nimirum quòd certò constet de peccato Proximi, & probabile credatur illum non resipuisse; quod subsit spes fructus ex correptione; quòd non adsit alius æque idoneus, qui correpturus credatur; & quòd locus, tempus, aliæque similes circumstantiæ iudicio prudentis viri suadeant correptionem profuturam. Quæ circumstantiæ cùm rarò omnes concurrant: rarò item euenit quod præceptum correptionis obliget, præsertim homines vulgares, ac minoris auctoritatis; vt ait Valentia *tom.* 3. *D* 3. *quæst.* 10 *part.* 2. & confirmat Granadus *in* 2.2. *tract.* 12. *D.* 1. *controuer.* 3. *num* 6. monens non facilè credendum esse timoratos præsertim viros peccare mortaliter ob omissionem correptionis fraternæ: cùm præcepta charitatis non ita strictè obligent; ideóque omittentem corripere ex quadam tepiditate, aut simili affectu, non autem ex intentione, ac proposito, nequaquam peccare mortaliter; nisi damnum spirituale Proximi ex tali omissione proueniens esset tale, vt grauiter imputaretur omittenti correptionem.

Obligatio autem correptionis fraternæ est sub mortali; si delictum super quod ea debet cadere, sit graue; cùm sic materia obligationis sit grauis, & finis in ea intentus sit grauissimus. Secùs, si materia, correptionis sit peccatum veniale; tunc enim hæc obligatio non adstringit sub mortali; quidquid dicant aliqui apud Castrum Palaum *tract.* 6. *D.* 3. *part.* 3. *num.* 1. quorum doctrinam puto solum procedere de iis, qui habent curam aliorum; quales sunt Superiores Regularium vtriusque sexus: hi enim teste Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 6. *num.* 19. peccant mortaliter, si permittant frequenter violari regulas Ordinis obligantes solùm ad veniale: quippequi ex officio tenentur curare bonum progressum Religionis; qui ex dicta permissione non mediocre damnum pateretur. quod docet etiam Naldus *v. Prælatus, num.* 11. monens non esse mirum Superiores in isto casu peccare mortaliter, cum subditi in violatione regularum peccent solum venialiter: nam etiam custos vineæ, si videns ingredientes vineam seorsim, vt singuli tacerem vnum, aut alium asportent, taceat, & non impediat (cùm ex officio teneatur impedire) mortaliter peccat ob damnum notabile illatum vineæ, iis solum venialiter peccantibus; sic & euenit in casu nostro, vt considerantì cōstabit. Et hanc doctrinam benè debent Confessarij inculcare Superiorissis Monialium; vt ex hinc excitentur ad regularium obseruantiam procurandam; etsi interdum Superiorissæ excusentur siue ob inaduertentiam, siue ex bona fide, siue quia non sperant fructum ex admonitione, imò timent maiora mala inde euentura: quæ interdum erunt magnæ consolationi Superiorissis timoratis, ideóque oppuortunè iis suggerenda erunt à Confessariis.

Quæres XVII. An, & quo modo teneantur Moniales facere eleemosynas ex prouentibus monasterij redundantibus.

Respond. quòd, quamuis Sanchez, Emanuel, & Hieronymus, Rodriquez & Sotus apud Dianam *p.* 5. *tract.* 8. *resol.* 33. doceant, sicut Episcopi teneńtur artissimè præcepto eleemosynæ, sic debent monasteria Regularium, in quibus prouentus redundant: & Regin. *lib.* 4. *num.* 283. dicat Abbatem, vel auctoritate similj præditum in domo, & familia Religiosa non modo posse facere eleemosynam, sed etiam teneri quidquid supereft vltra necessitates monasterij, erogare in pias causas (respiciendo tamen necessitates etiam futuras quæ probabiliter possunt occurrere, idque ex intentione fidelium, qui bona sua elargiti sunt Regularium monastariis, non vt ij diuites efficerentur, cùm profiteantur paupertatem, sed tantùm vt sustentarentur, & quæ superinnt, in alios pauperes erogarent. Quamuis, inquam; Doctores sic dissentiant circa præsentem quæstionem; mihi tamen magis placat quod ait Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 26. *num.* 13. nimirum regulariter non esse necessarium, nec conueniens Prælatos Regularium omnes superabundanter redditus dare in eleemosynam; etsi interdum possit esse laudabile, immò, & aliquádo præceptum: hoc enim pédet ex necessitatibus proximorum hic, & nunc occurrentibus; nam si hæ sint extremæ, non solum superflua, sed etiam aliqua ex necessariis dari debent, habita ratione aliorum, qui solent concurrere ad subleuandam talem necessitatem: si verò necessitas sit grauis, omnia superflua dari debent, nisi ex aliorum concursu minuatur necessitas: quod si necessitates sint cōmunes, licet tunc aliquid dari debeat ex superfluis ob bonum exemplum; dare tamen omnia non est necessarium: imò nec in Prælato Religioso esset consilium: sicque regulariter loquendo, non est in eius potestate id facere; cùm melius sit, si commodè potest augere, ac perficere ipsum monasterium siue quoad pertinentia ad cultum diuinum, aut habitationem, siue quò ad perpetuos redditus, quibus plures Religiosi ali possint; quod cedit in maius Dei obsequium, quàm abundans eleemosyna in communibus necessitatibus, vt aduertit Nauar. *comm.* 3. *de Regul. n.* 7. ex quibus habent Confessarij Monialium quid respondere debeant Superiorissis ipsos in specie interrogantibus de obligatione, quam habent faciendi eleemosynas ex bonis communibus monasterij, aui ex præsunt. 33.

Quod autem spectat ad Moniales particulares: hæ non tenentur facere eleemosynam, regulariter loquendo, cùm nihil habeant proprij, ex quo illam faciant: & ex illis ipsis bonis, quæ iis conceduntur ad vsum, sine licentia Superioris, saltem tacita, ac interpretatiua donare non possint: possunt tamen eleemosynam facere in pluribus casibus relatis à Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 19. *num.* 96. *vsque ad* 100. inclusiuè qui *num.* 95. expresè nobiscum sentit, probatque suam affectionem

assertionem tum *ex cap. cum ad monasterium, de statu monach.& cap. non dicatis 12.q.1.* tum quia Religiosus non habet neque dominium; neque vllam bonorum administrationem, sed solùm vsum facti; ideóque si absque licentia faciat eleemosynam, peccat contra votum paupertatis, vtpote exercens actum dominij; Monialis ergo, cui absque vlla restrictione concessa sunt aliqua bona ad vsum suum, ac dispositionem, potest facere eleemosynas, & alias donationes Religiosum statum decentes ex licentia saltem tacita Superiorum; vt notauit Sanchez *supr. num.104.* monens *num.106.* quod, quamuis Superior interdicat Religiosis subditis largiri eleemosynas; non videtur interdicere moderatas, sed tantùm videtur velle, ne modum excedant; sicut de vxore, cui vir interdicit eleemosynas; asserunt communiter Doctores; quod notat etiam Rodriq. *tom.2. q.57.a.2.* addens, Superiori expressè vetanti etiam eleemosynas moderatas obediendum esse à Religiosis subditis.

Porrò ad cognoscendum, vtrum eleemosyna facienda hîc, & nunc à Moniali censeri debeat moderata, nec ne; habenda est ratio tum facultatum monasterij, tum peculij concessi ad vsum Monialis, tum operis pij, in quo implicanda est eleemosyna, tum necessitatis, cui per illam consulendum est, tum aliarum similium circumstantiarum, quæ hic, & nunc concurrunt: si enim monasterium sit valdè diues, Monialis habeat pingue peculium, opus pium cedat in magnum Dei honorem, immò & in bonum non vulgare ipsiusmet monasterij; tunc maior eleemosyna dari poterit à Moniali de licentia Superiorissæ, aut saltem Prælati monasterij. ex quo patet in contingentia facti me bene respondisse Moniales cuiusdam monasterij potuisse conuenire inter se, vt ex pecuniis ipsarum vsui permissis constituerent dotem cuidam puellæ inopi inter ipsas admittendæ ad Religionem, quæ maximè necessaria erat bono communi monasterij. Dixi, *aut saltem Prælati monasterij:* vt indicarem Moniales de licentia proprij Prælati posse maiorem summam elargiri ex bonis ipsis concessis titulo eleemosynæ, aut donationis, quam de licentia solius Superiorissæ monasterij: cùm quò ad hoc maior potestas supponatur in Prælato, cui subest etiam ipsa Superiorissa, quàm sit in Superiorissa: quod pro praxi est bene aduertendum: licèt id non approbet Sanchez *num.41.* dicens, quòd si consuetudine, aut statuto Ordinis, aut præcepto Superioris mediati quò ad hoc non sit restricta facultas immediati Superioris, non est cur ad certam summam astetur, & ad maiorem adiri debeat Prouincialis; sed qualiscumque est Superior, potest concedere licentiam ad quantitatem moderatam arbitrio prudentis viri elargiendam, id colligentis ex quantitate redditumm, ac necessitate pauperum. ita Sanchez ex Molina *tom.2.d.276.col.2.*

QVÆRES XVIII. An, & quo modo Moniales teneantur denunciare Confessarium sollicitantem ad turpia, si fortè (quod Deus auertat) in Sacramento pœnitentiæ id contingat.

34 Respond. teneri, cum Gregor. XV. in sua Constitut. *Vniuersi dominici gregis* edita 30. August. 1622. onus denunciandi Confessarium sollicitantem ad turpia imponat personis modo dicto sollicitatis, *quæcumque illæ sint*; & sub hac clausura generalissima comprehenduntur etiam Moniales. Tenentur autem denunciare; siue sollicitatio fiat in actu confessionis Sacramentalis, siue ante, siue post immediatè, vel etiam occasione prætextu confessionis; siue id fiat extra occasionem confessionis, sed in confessionario, aut in loco quocumque vbi confessiones Sacramentales audiuntur, seu electio ad audiendas confessiones (si quidem Confessarius ibi simulet audire confessionem;) siue id fiat ad committenda turpia cum ipso sollicitante, siue cum aliis. Denunciatio autem hæc, etsi cumulatiuè fieri possit tum Ordinario, tum Inquisitori, (quod spectat ad Moniales,) regulariter videtur commodius fieri posse Ordinario, sed Vicario eius generali sub alio, prætextu ad monasterium accito, aut accedenti: sic enim suauior, & minus grauis fiet denuntiatio, quàm si ad talem effectum aduocandus esset Inquisitor. Quòd si Monialis induci nequeat ad faciendam hanc denuntiationem per se ipsam; posset Ordinarius concedere Confessario, ad quem tunc accedit Monialis, vt ipse excipiat denuntiationem per scripturam iuratam ab ipsamet Moniali confectam, eamque Ordinario statim tradat, idque ex decreto sacræ Congregationis S. Officij Vrbis de mandato Vrbani VIII. die 27. Septemb. 1624. edito, quod refert. Nald. *v. confessio num.41.* addens eandem sacram Congregationem statuisse, quod, si pœnitens sollicitata adhuc denunciare recuset, tunc ad Papam tota res deferri debet eiusque responsum omninò implendum.

Dicit autem Sanctorus *in Constitut. Minor. cap.11. stat.7.q.11.* quod, cum Monialis sollicita in confessione adire non possit Inquisitorem, non teneatur mittere ad illum nuncios, aut literas, non expediat ipsum aduocare ob rationes, quæ vnicuique facilè possunt occurrere, nec sine nota, scandalo, ac offensione aliarum Monialium possit fieri denunciatio sollicitationis Ordinario visitanti monasterium, dum dedecear Monialem priuatam (maximè si sit iuuenis) conuenire Ordinarium in priuato colloquio: Monialis non videtur teneri denunciare ob doctrinam communem, quam tradunt Aragona, Val. Regin. Bañ. Maldér. & Nau. apud Bonacinam *de leg. D.3.q.4. part.7. num.11.* quod à debito fraternæ correctionis soluit periculũ vitæ graue, honoris, ac fortunæ: quæ doctrina à fortiori procedit de denunciatione sollicitationis, quæ est de iure humano, vt aduertit Castrus Palaus *tract.4. D.9. part.10.* & Sancius *in selectis D.11. num.44* dicens fœminas egregias teneri adire iudicem causa testificationis, nec id esse nimis durum obbonum Religionis, nisi clausura, infirmitas aut alia iusta causa excuset; addénsq. ex Sanch. Acugna, & Sousa fœminas excusari à denunciando, si graue damnum metuant in vita, fama, bonis temporalibus propriis, mariti, filiorum, fratris, amici maximi, aut benefactoris; siquidem leges humanæ non obligant cum graui nocumento, testibus Suarez; & Fagundez. ita Sanctorus in terminis; quam probabiliter viderit ipse, & iudicent viri docti; ego enim iam meum sensum aperui, vt constat ex modò dictis.

Cæterùm puto, quod si fœmina à Confessario sollicitata ad turpia denunciet sollicitatem iam facta Monialis; satisfaciet suæ obligationi, faciendo denunciationem sub nomine, & cognomine, quæ habebat in sæculo: idque ne se manifestet ita facilè. moneo, quod sic Inquisitor, cui fit denunciatio, facilè potest sollicitantem habere, inquirendo, quid factum sit de tali fœmina, quæ in sæculo habebat tale nomen, & cognomen, sicque parare sibi viam ad procedendum contra sollicitantem denunciatum.

Addo quod; sicut dicta fœmina posset iam facta Monialis Ferrariæ ibi denunciare sollicitatione ipsi factã Bononiæ, dũ esset sæcularis; cum Inquisitores mutuam inter se habeant correspondentiã (vt sic loquar) sicque Inquisitor Ferrariæ ab Inquisitore Bononiensi, aut alio possit obtinere denunciatum,

sic præfata Monialis in præsentia degens in monasterio Ferrariæ posset deounciatiooem sollicitationis ipsi factæ Bononiæ facere Bononiæ: cum sic vtiliter gerat negotium Inquisitoris Booomensis, qui sic facilius, ac commodius procedere poterit contra denunciatum.

Porrò hîc placet monere, quòd, sicut iuxta Zanardum, Rodriq. Peyrio. Sanctarel. & alios relatos à Diana *p. 1. tract. de denunt. resol.* 27. simpliciter non est necesse, vt dicta denunciatio fiat antequam pœnitens absoluatur, cùm sufficiat promissio, & propositum denunciandi: sic Ioao. de la Cruz Dominicanus *in direct. consc. part.* 1. *prec.* 5. *quæst.* 2. *d.* 5. *conclus.* 2. & alij, sustinent mulierem solicitatam in confessione non esse absoluendam si non denunciet; nisi fortè sit spes, quòd Confessarius aliàs denunciandus per secretam correctionem emendabitur: quæ spes colligi posset ex qualitate corrigentis, & ex conditione Confessarij corrigendi; sicque Monialis solicitata, si sciat idoneitatē alicuius ad præfatam correctionem, posset in hoc vti opera illius. ita Ioan. de la Cruz; nec videntur dissentire Portel. Regin. Gundisal. Fagund. & Peyrin. relati à Diana *supr. resol.* a. aliique si consequenter philosophari velint iuxtà doctrinam, quam tradunt in materia simili; nimirum in casu, quo quis denunciare debet Inquisitori, aut denuntiationem præmitti posse, & debere correctionem frateroam; quàm verò benè id dicant, iudiceot viri docti, quibus vacant hæc accuratiùs examinare.

CAPVT VII.

De Prohibitionibus iure communi latis contra Moniales.

1 *Prohibitiones iure communi facta Regularibus, aut Ecclesiasticis, afficiunt Moniales.*

2 *Moniales nequeunt confiteri cuicunque Sacerdoti approbato.*

3 *Vi Bulla Cruciata, aut alterius similis indulti non eligunt Confessarium.*

4 *Idq; ex decreto Clementis VIII. quod non afficit Moniales exemptas à suo Ordine.*

5 *Item hoc decretum non extenditur ad generalia Iubilaa.*

6 *Moniales in sua Ecclesia interiori non asseruant Eucharistiam; nec eam breui ibi exponunt.*

7 *In suis templis non admittunt liberè Sacerdotes ad celebrandum.*

8 *Earum Capellani recitant Missam de festo, de quo ipsa recitant Officium.*

9 *Ea non admittunt laicos ad canenda Officia in suis templis cantu simplici, aut figurato: imò & ipsis vetita cantus figuratus, & instrumenta ad sonum.*

10 *Non recipiunt laicos ad sepulturam in sua Ecclesia interiori.*

11 *Ipsa possunt sepeliri in sua Ecclesia exteriori, si adsit consuetudo.*

12 *Tangunt Calices, Corporalia, & Agnos Dei.*

13 *Non exeunt è propria Clausura.*

14 *Non recipiunt extraneos intra Clausuram.*

15 *Non admittunt puellas in educationem, aut alias mulieres, nisi seruatis seruandis.*

16 *Non recipiunt fœminam ad conseruandum intra clausuram sine certis conditionibus.*

17 *Non retinent Ancillas in Conuentu absque certis conditionibus.*

18 *Earum Conuentus non erigendi extra loca murata, & quæ degant extra loca murata, consultum est vt reducantur intra loca murata.*

19 *Non erigunt nouos Conuentus absque certis conditionibus.*

20 *Non retinent ostium à propria Clausura ad Ecclesiam exteriorem.*

21 *Non habent singularem habitationem.*

22 *Qualibet Monialis debet dormire sola.*

23 *Non recipiunt Nouitias, nisi iuxta numerum taxatum, nec plures duabus sororibus.*

24 *Recipiunt Conuersas, non obstante PijV. prohibitione.*

25 *Non admittunt nouitiam ad professionem, nisi eius voluntate prius explorata.*

26 *Non recipiunt fœminas renuentes profiteri, & seruare clausuram.*

27 *De bonis nouitiæ non accipiunt ante professionem.*

28 *Retinent peculium, etiam post Concilium Tridentinum.*

29 *Non alienant bona Conuentus sine solemnitate, (quod non procedit de bibliotheca librorum latinorum iis legata, vel alia re inutili,) nec accipiunt pecuniam ad cambium aut mutuo cum pacto soluendi interesse: vasa item pretiosa oppignorari non possunt, nisi vrgente graui necessitate; etsi in tali casu interdum requiratur specialis licentia Papa, si soluendū sit interesse pecunia data pro pignore.*

30 *Non faciunt donationes, nisi seruatis seruandis ex Clem. VIII. decreto, quod ea non legunt publicè.*

31 *Non exercent negotiationem.*

32 *Non apellant à proprio Prælato.*

33 *Immò nec ab Abbatissa, propriè loquendo.*

34 *Non appellant neque ad iudices competentes, neque ad incompetentes.*

35 *Illis tamen non denegatur defensio naturalis, nec recursus ad Prælatum maiorem.*

36 *Testificantur contra Moniales Conuentus, etiam in criminalibus, immò, & in causis criminalibus personarum laicarum.*

37 *Non fiunt Commatres per Baptismum, aut Confirmationem, fiunt executrices testamentaria.*

38 *Non habitant in eodem Conuentu cum Religiosis Ordinis.*

39 *Non accedunt ad loquendū cum externis sine licētia.*

40 *Non scribūt litteras, nec recipiunt sine debita licētia.*

41 *Non vtuntur lineis; si tamen vtantur, peccant solum venialiter.*

42 *De iure communi edunt carnes, cùm ius earum abstinentiam solùm consulat.*

43 *Non nutriunt comam, nec vestiunt superbè.*

44 *Non prohibentur vti laruis, & choreis intra Conuentum, saltem sub mortali.*

45 *Non induunt habitum virorum ex occasione repræsentationis, quam faciant.*

46 *Non eligunt Abbatissas perpetuas.*

47 *Terminus triennij Abbatissatus includit primū diē.*

48 *Moniales non parant, nec vendunt cibos externis.*

49 *Non imprimunt libros sine debita approbatione, ac licentia.*

50 *Non erigunt Confraternitates in suis templis.*

QVÆRES I. An prohibitiones iure communi latæ contra Religiosos, seu Regulares, aut Ecclesiasticos indefinitè, afficiant Moniales.

Respond. afficere; & inde probatur, quòd lex generaliter loquens generaliter debet intelligi; & sub masculino genere comprehenditur etiā fœmininum in materia, quæ æqualiter congruit viro, ac fœminæ; ex alia parte secundùm omnē proprietatem loquendi Moniales sunt, & dici possunt personæ religiosæ, regulares, ac ecclesiasticæ; sicque non apparet, quo 1
titulo

titulo excipi possint à prohibitionibus generaliter latis contra Religiosos, regulares, ac Ecclesiasticos; loquendo de iis, quæ pro ratione sexus, ac conditionis Monialium possunt cadere in ipsas.

Qværes II. An Moniales possint confiteri cuicumque Sacerdoti approbato generaliter ad confessiones in diœcesi, in qua ipsæ degunt.

2. Respond. non posse, etsi aliàs sint exemptæ à Prælatis regularibus proprij Ordinis. constat ex bulla Gregorij XV. edita 5. Febr. 1622. quæ incipit, *Inscrutabili*, & sic habet: *Confessores verò, siue regulares, siue sæculares, quomodocumque exempti, tam ordinarij, quàm extraordinarij ad confessiones Monialium, etiam Regularibus subiectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.* Quin etiam sacra Congregat. Concilij de mandato Vrbani VIII. declarauit Confessarios regulares extraordinarios semel deputatus ad audiendas Monialium confessiones pro vna vice infrà annum ad præscriptum sacri Concilij Trident. non posse virtute dictæ approbationis pluries audire illarum confessiones, sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit; sed de hoc plura inferius, vbi de Confessario Monialium.

Qværes III. An Moniales possint in virtute Bullæ cruciatæ, aut alterius similis priuilegij eligere Confessarium, & per eum absolui ab omnibus reseruatis, sicut possunt personæ sæculares.

3. Respond. non posse, nisi indultum eligendi Confessarium, aut obtinendi absolutionem reseruatorum contineat clausulam sufficienter derogantem prohibitioni, quam Clemens VIII. die 23. Nouembr. 1599. quo ad hoc tulit contra Moniales per bullam relatam a Rodriq. *in bullario nonam in ordine*, his verbis: *Concessionem S. Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium quantum ad articulum eligendi Confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis cum Fratribus, & Sororibus Monialibus Ordinis prædicti* (idest B. Mariæ de Carmelo) *ac aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum cuiusuis Instituti Mendicantium, & non Mendicantium tam Prouincia Hispaniæ, quàm extra eam vbilibet, locum minimè habere, nec censeri, sed nostræ intentionis existere, quòd ijdem Fratres, & Moniales quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, seu confessionis administrationẽ dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò declaramus: eisdem tamen Prælatis, vt in vsu huiusmodi potestatis se cum subditis benignos, & faciles exhibeant, præcipimus.*

4. Circa cuius concessionis intelligentiam placet aduertere sub ea non videri comprehensas Moniales exemptas à Prælatis regularibus proprij Ordinis, & immediatè subiectas, siue Sedi Apostolicæ, siue Ordinario loci. Moueor tum quia respectu harum cessat finis præsentis prohibitionis in eo consistens, quod electio illa Confessarij cum facultate reseruatorum aliquando vergit in speciale detrimentum Religionis; vt apertè insinuat Clemens ipse in prooemio citatæ bullæ iis verbis: *quod aliquando in speciale vergit Religionum detrimentum*; si quidem hoc ipso quòd Moniales eximuntur à subiectione proprij Ordinis, nullam habent cum eo communicationem quo ad regimen, & consequenter præfata electio Confessarij independens à propriis Prælatis non videtur posse cedere in damnum ipsius Ordinis; tum quia ista prohibitio eo fine inducitur, vt Moniales quo ad Sacramentum pœnitentiæ subiiciantur dispositioni suorum Prælatorum; at qua ratione possint Moniales quo ad hoc subiici Prælatis sui Ordinis, si sint omninò exemptæ ab illorum iurisdictione? ita viri valdè docti à me consulti, & satis probabiliter, maximè attenta generali regula, quòd *odia restring. oportet*.

5. Addo mihi videri probabile sub ista prohibitione non comprehendi facultatem eligendi Confessarium cum potestate reseruatorum concedi solitam in generalibus iubileis; ducórque ex eo quòd Clemen in citata bulla solùm mentionem facit de bulla Cruciatæ, & aliis indultis particularibus: cùm alioqui Iubilæum sit quid diuersum à bulla Cruciatæ, & non sit indultum particulare, sed vniuersale, sicque censeri debeat non comprehensum in dicta prohibitione, vtpote non expressum sufficienter, neque in specie (vt patet) neque in genere, vt iam probatum est; quod est verum etiam respectu Monialium, quæ subsunt iurisdictioni sui Ordinis.

Qværes VI. An Moniales possint detinere intra propriam Ecclesiam interiorem, venerabilem Eucharistiam.

6. Respond. non posse ex decreto Concilij Trident. *sess. 25. de reg. c. 10.* vbi dicitur: *Quòd verò Sanctissimum Christi corpus intra chorum, vel septa monasterij, & non in publica Ecclesia conseruetur, prohibet S. Synodus, non obstante quocumque indulto, aut priuilegio.* Immò Barbosa *in collect. v. Moniales*, refert sacram Congregationem censuisse clauem custodiæ S. Eucharistiæ non committi debere Monialibus, sed retinendam esse semper penes Sacerdotem, ad quem spectat illam ipsis administrare. quod item notauit Tamb. *d. 14. de iure Abbatiss. q. 2. n. 5.* addens eamdem sacram Congregat. statuisse sacras reliquias non esse asseruandas intra Ecclesiam interiorem, aut septa Monialium; quod tamen non videtur esse in vsu, saltem in multis locis; eò quod fortè vasa pretiosa, in quibus reliquiæ repositæ sunt, extra clausuram monasterij minùs tuto custodiri possint.

Notat autem Quintanad. *tract. 4. sing. 3. num. 6.* videri probabile, quod non aduersetur Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 10.* prohibenti, ne Sanctissimum Christi corpus intra chorum, vel septa monasterij, & non in publica Ecclesia conseruetur, si per vnum, aut alterum diem Eucharistia intra chorum Monialium collocetur ob aliquam magnam solemnitatem, aut necessitatem: cum hoc non sit conseruari, quod prohibetur in Concilio; si quidem verbum *conseruari* significat perpetuo, aut permanenter, vel saltem ad longum tempus custodiri, aut retineri: quo pacto Tullius *ad Atticum lib. 5.* ait, *vt nos eam necessitudinem, quæ est nobis cum publicanis, obtinere, & conseruare patiamur.* Quamuis subdat Quintana *num. 7.* neque hoc expedire, nec consulendum esse ob oppositam consuetudinem à Tridentino vsque adhuc conseruatam; immò nec per vnam aut duas horas Eucharistiam collocandam esse in fenestella, ex qua Moniales communicant; cum sacra Congregatio expressè id prohibuerit, teste Bellarmino.

Addit Quintana *num. 2.* indultum Clementis VII. quod Moniales sub obedientia Ministri Generalis Fratrum Minorum existentes possint in Ecclesia interiori in loco decenti habere Eucharistiam, sicut habent in exteriori: vt videri potest *in Comp. priuil. Mendicantium v. Moniales* §. 26. fuisse omninò abrogatum in Tridentino *supr. ijs* verbis *non obstante quocumque indulto, aut priuilegio.* quamuis Rodriq. *tom. 1. q. 47. art. 4.* putet non contrauenire Concilio, si Eucharistia simul in choro Monialium, & in Ecclesia exteriori conseruetur: quod pluribus reiicit Quintana *num. 3. 4. & 5.* monens *n. 3.* teste Soteallo, Sacram

Cougre

Congregat. declaraſſe Euchariſtiam, non in choro Monialium reſeruandam, ſed in choro exteriori, non obſtante quacumque conſuetudine contraria.

QVÆRES V. An Moniales poſſint facere in propriis Eccleſiis celebrare Miſſas per quemcunque Sacerdotem.

7. Reſpond. non poſſe abſque conſenſu ſuorum Superiorum: idque ex Clementis VIII. Conſtitut. relata à Moſconio *de maieſt. milit. Eccleſ. p.1. l.4.* in qua hæc habentur: *Nulla Monialis, vel alia perſona ſecularis audeat celebrare facere in Eccleſiis Monialium priuatas Miſſas præter eas, quæ à Capellanis deputatis celebrari ſolent, ſine licentia Ordinarij*; cui Conſtitutioni conformis eſt praxis ferè communis, à qua nullo modo videtur recedendum, cùm ſit valdè rationabilis, & originem traxerit ex Conſtitutione pontificia. Dixi ſub initium reſponſionis, *abſque conſenſu ſuorum Superiorum*, ad indicandum, vt Sacerdotes extranei celebrare poſſint in templis Monialium exemptarum ab Ordinario ſufficere licentiam proprij Prælati regularis: ſicque videtur obſeruare in praxi ſaltem in multis locis.

8. Addo hic obiter ex decreto ſacræ Congregationis ſub 20. Nouembr. 1628. Capellanos Monialium poſſe Miſſam celebrare de Sancto de quo ipſæ Moniales recitant Officium, ſed cum Miſſali Romano de communi, ſi de eo Sancto non extet propria Miſſa in Romano Miſſali; Moniales verò non poſſe quidquam mutare in *Confiteor*, neque poſſe in eo dicere, *tibi Mater, & vobis Sorores*: cum hoc expreſsè fuerit prohibitum ab eadem ſacra Congr. 18. Auguſt. 1629.

QVÆRES VI. An Moniales poſſint per ſæcolares perſonas canere diuina Officia cantu ſimplici, aut figurato.

9. Reſpond. non poſſe, attenta declaratione ſacræ Congregationis, quam refert Gauant. *in manual. v. Monialium Eccleſia, num. 12.* ſub his verbis: *ne permittatur in Eccleſiis Monialium cantus ſimplex, vel figuratus à perſonis ſæcularibus*; quamquam talis declaratio non ſit in vſu, ſaltem in multis locis; niſi quòd talis cantus ibi non fit abſque licentia Ordinarij. Quòd autem ſtatuit Clemens VIII. in Conſtit. relata *q. præc.* quòd ſcilicet Monialibus prohibeantur cantus figurati, & inſtrumenta omnia ad ſonum, organis tamen permiſſis in Eccleſia ipſarum exteriori; non eſt in vſu in pluribus locis, immò aut non fuit acceptatum, aut certè poſtea abrogatum eſt.

QVÆRES XII. An Moniales poſſint in propria Eccleſia interiori concedere ſepulturam perſonis laicis.

10. Reſpond. non poſſe, cùm id prohibuerit ſacra Congreg. 1. die Martij 1585. apud Tamb. *ſupr. d.34. quæſt. 1. n.2.* declarans in Monialium ſepulchris non debere tumulari corpora laicorum, etiam mulierum nobilium, quæ in propriis teſtamentis legatum relinquentes mandauerint ſe ſepeliri in ſepultura Monialium. Ad quod item facit declaratio Greg. XIII. quam refert Portel. *de dub. regul. v. ſepultura num. 14.* dicens illum declaraſſe corpora volentium ſepeliri in monaſterio Monialium debere ſepeliri in Eccleſia exteriori, & non intra clauſtra; hinc indicando ſine licentia Papæ non poſſe eligi ſepulturam intra clauſuram Monialium, aut certè abſque facultate alterius Superioris competentis.

Quòd ſi quæras, an Moniales poſſint ſepeliri in Eccleſia exteriori.

11. Reſpond. poſſe, ſi extet conſuetudo: qualis extat apud Moniales Congregationis Vallis vmbroſæ, teſte Tamb. *ſup. num. 5.* qui *n.1.* in probationem præſentis reſponſionis affert quamdam declarationem ſacræ Congregationis ſub 21. Septembr. 1594. non extat autem talis conſuetudo, ſaltem communiter, ſicque Moniales regulariter debent ſepeliri in propria Eccleſia interiori.

QVÆRES VIII. An Moniales poſſint abſque peccato tangere vaſa ſacra, purificatoria, corporalia, agnos Dei benedictos, ac reliquias Sanctorum.

Reſpond. Sanchez *l.2. moral. c.43. n.27.* quod cùm Sotus *in 4. d.13. quæſt.2. art.3. ad.3.* & multi neoterici ipſum ſequentes dicant fœminas tangere corporalia, & calices abſque contemptu aut nullam eſſe culpam, aut leuiſſimam venialem; ea ducti ratione, quòd canones id prohibentes loquuntur de conſilio: à fortiori tangere agnos Dei non excedet culpam venialem, immò nulla eſt culpa; eo quòd vſus obtinuerit, vt à laicis, etiam fœminis, tangantur; hæc Sanchez & non improbabiliter, quæ vtique maiori aliqua ratione locum habere poſſint in Monialibus, quæ vel exercent officium ſacriſtæ, vel ſe occupant in agnis Dei artificiosè compingendis ex panno ſerico, aut alia ſimili materia; quamuis conſultius ſit, immò, & conſulendum, vt abſtineant à ſupradictis tangendis ob reuerentiam ipſis debitam. nobiſcum ſentit in terminis Perſicus *l. 1. de præcipuo Sacerd. offic. cap.9. num.56.* aliis relatis. 12.

QVÆRES IX. Quo modo Moniales prohibeantur egredi è clauſura proprij monaſterij.

Reſpond. prohiberi eo modo, quo oſtendimus *cap. 5. ſect.2. per totum.* 13.

QVÆRES X. Qualiter Moniales prohibeantur admittere perſonas extraneas intra clauſuram ſui monaſterij.

Reſpond. prohiberi, ſicut dictum eſt *cap.5. ſect.3. per totum.* 14.

QVÆRES XI. Qua ratione prohibeantur recipere intra ſepta monaſterij puellas in educationem, aut etiam viduas, & alias fœminas coniugatas, vt ibi ad multum tempus commorentur.

Reſpond. prohiberi ea ratione, qua docuimus *cap.6* de puellis quidem *ſect.4. per totum*, de aliis verò fœminis *ſect. 3. q. 20.* 15.

QVÆRES XII. An, & quo pacto Moniales poſſint recipere intra monaſterium fœminam aliquam nobilem ad ſumendam ibi corporalem refectionem, & conuerſandum per plures horas cum ipſis Monialibus.

Reſp. poſſe, niſi eo pacto, quo latè indicauimus *cap 5. ſect. 3. quæſt. 30.* vbi de præſenti difficultate ex profeſſo egimus. 16.

QVÆRES XIII. Qualiter poſſint Moniales retinere intra monaſterium ancillas ſæculares.

Reſp. non poſſe, niſi eo modo, quo oſtendimus *cap.5. ſect. 3. quæſt.27.* qui vult, conſultat Barboſam *de offic. Epiſc. alleg. 102. num.60.* 17.

QVÆRES XIV. An Moniales liberè poſſint habitare etiam in locis non muratis.

Reſp. quòd, quamuis olim monaſteria Monialium conſtruerentur in ſolitudinibus, ne frequentia externorum ad ipſas accedentium impediretur earum deuotio, & monaſtica quies turbaretur iuxta *cap. luminoſo 18. quæſt. 2.* in præſentia tamen ex decreto Concilij Trident. *ſeſſ.25. de reg. cap.5.* ad conſulendum decori, ac pudicitiæ virginum Chriſti monentur Epiſcopi, & alij Superiores Monialium, vt ex monaſteriis extra mœnia vrbis, aut oppidi conſtitutis, ſi ita videbitur expedire, eas reducant ad noua, vel antiqua monaſteria intra vrbes, aut oppida frequentia. Quin teſte Barboſa *l. 2. de iur. Eccleſ. c.12. n.10.* ſacra Congregat. eiuſdem Concilij 13. Sept. 1583. 18.

cenſuit

censuit Monialium monasteria non esse erigenda, nisi Ordinariis locorum consentientibus, iisque solùm in locis, quæ muro munita sunt, & in quibus adest copia Sacerdotum, siue sæcularium, siue regularium ad audiendas illarum confessiones, nisi fortè monasterium habeat, vnde ex suis facultatibus sustentare valeat Confessarium aliunde ascitum.

Qværes XV. An Moniales possint erigere noua monasteria, prout maluerint, vel certè solùm aliquibus seruatis,

19. Respond. non posse, nisi habeant paratum redditum annuorum scutorum 300. qui sufficiat ad competentem sustentationem 12. Monialium, vnà cum lucro, quòd ipsæ acquirant ex propria industria, & laboribus manuum suarum (sic enim explicanda videtur declaratio sacræ Congregationis, quam adducit Gauantus *in manu. v. Monialium monast. num.* 1. his verbis, *Noua ne erigantur, quibus ad minus* 300. *scutorum redditus annuus non assignetur pro* 12. *sustentandis.*) Quin addit idem Gauant. *n.* 3. dicta monasteria non posse etigi absque speciali indulto Sedis Apostolicæ ex decreto sacræ Congregationis edito 12. April. 1615. quæ apud eundem Gauantum *n.* 5. die 13. Sept. 1583. statuerat Monialium monasteria non esse multiplicanda in iis locis, in quibus iam erecta laborant inopia, nec habent, vnde possint commodè sustentari.

Qværes XVI. An Moniales possint habere ostium, per quod è propria clausura pateat accessus ad Ecclesiam ipsarum exteriorem.

20. Respond. non posse ex Constitut. Gregorij XIII. quæ est in ordine 8. & § 6. sic habet, *Declaramus præterea nullis Monialibus, etiam Tertiariis, licere habere ostium, per quod ex monasterio introiri possit in ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem, in quam sæcularibus ad Missas, & diuina Officia patere solet accessus, sed omninò muro obstruendum.*

Qværes XVII. An Moniales possint habere singularem habitationem, in qua maneant, comedant, ac dormiant.

21. Respond. non posse, sed debere omnes habere communem Ecclesiam, refectorium, dormitorium; idque *ex* 18. *q.* 2. *cap. perniciosam*, vbi sub pœna excommunicationis prohibetur Monialibus, ne sibi faciant propria receptacula, & priuata domicilia; sed tam in Ecclesia, quàm in refectorio, atque dormitorio communiter sint; quamquam ista excommunicatio non sit latæ sententiæ, sed ferenda; vt constat ex tenore verborum, quibus fertur, & non amplius videatur esse in vsu.

22. Adde ex Constitutione Clementis VIII. adducta *q.* 5. vnamquamque Monialem debere solam dormire, ideóque tot cellas in vnoquoque monasterio faciendas esse, quot ibi degunt Moniales. Sic etiam sacra Congregatio apud Zerolam *in praxi v. Moniales, ad* 11. statuit puellas commorantes in monasteriis Monialium causa educationis debere habere locum separatum à Monialibus pro earum dormitione, sicut & pro operibus.

Qværes XVIII. An Moniales possint recipere ad habitum Religionis in quocumque numero, & quidem etiam Sorores plusquam duas.

23. Respond. non posse recipere, nisi iuxta numerum taxatum à Superioribus: sic quippe statutum est variis iuribus allatis *cap.* 2. *sect.* 1. *q.* 6. quæ tamen non prohibent, quin possit recipi aliqua supernumeraria, dummodò concurrant ea, quæ ibidem indicauimus; non posse verò recipi Sorores plusquam duas seclusa dispensatione sacræ Congregat. Episc. & Regul. quæ non solet concedi, nisi cum certis conditionibus, vt constat ex dictis *citata sect.* 1. *quæst.* 15.

Qværes XIX. An Moniales possint recipere Conuersas, etiā post Pij V. Constitutionē, quæ incipit *Circa pastoralis*, & prohibet earum receptionem.

Respond. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 15. *num.* 59. Quòd, quamuis, stando in rigore litteræ recipi non possint; cum receptio expressè prohibeatur à Pio V. quia tamen consuetudine receptum est, vt etiam modò Conuersæ recipiantur in conuentibus Monialium, & quidem satis rationabiliter ob rationes adductas ab ipso Sanch. potest talis consuetudo tutò seruari; dummodò dictæ Conuersæ legitimam faciant professionem: qua de re consulantur quæ diximus *supr. cap.* 2. *num* 10. 24.

Qværes XX. An Moniales recipere possint ad Nouitiatum puellas, priusquam illarum voluntas exploretur ab Ordinario.

Resp. non posse; & constat ex dictis *c.* 2. *sect.* 1. *q.* 4. 25.

Qværes XXI. An possit admitti ad probationem Religionis fœminæ in monasteriis viuere volentes absque professionis emissione; ac obseruantia clausuræ.

Respond. non posse; cùm id expressè prohibuerit Pius V. in sua Constitut. *Circa pastoralis* 8 *in ordine*; quæ §. 4. sic habet; *Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura viuere omninò volentibus interdicimus, & perpetuò prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, congregationemve recipiant, quòd si contra huiusmodi nostra prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omninò inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas facimus, & annullamus.* 26.

Qværes XXII. An Moniales possint ex bonis Nouitiæ aliquid recipere ante eius professionem, & quid.

Resp. non posse recipere, nisi ea, quæ spectant ad victū, ac vestitum; idque ex decreto Conc. Trid. *supr. c.* 16. relato *cap.* 2. *sect.* 1. *q.* 9. Quin etiam Clem. VIII. in Constitutione *q.* 5. relata prohibuit munera dari solita in ingressu Monialium, ac susceptione habitus, iussitque quod spontè offertur à consanguineis Nouitiæ ingredientis, asseruari in communi, nullaque conuiuia fieri inter Moniales, & multò minùs cum sæcularibus: ista tamen Constitutio non videtur esse in vsu, saltem in multis locis; & maximè quò ad conuiuia facienda inter Moniales; quę, quamuis difficilè possint omninò regulari, deberent saltem moderati quoad exubetantem excessum. 27.

Qværes XXIII. An Moniales possint retinere peculium, & quale.

Respond quòd quamuis vsus peculij videatur prohibitus Regularibus, & consequenter etiam Monialibus ex decreto Concil. Trid. *sub. c.* 2. vsus tamen obtinuit, vt Moniales possint habere certos redditus annuos, moderatos tamen eo modo, quo diximus *cap.* 4. *sect.* 1 *q.* 3. 28.

Qværes XXIV. An Moniales possint alienare bona monasterij, & in specie dotes earum, quæ recipiuntur ad Religionem.

Respond. non posse, nisi seruata forma in iure præscripta, de qua suo loco: & quidem quò ad bona monasterij generaliter sumpta (loquor de immobilibus, aut mobilibus pretiosis, quæ seruando seruari possunt) constat ex bulla Pauli II. edita hac de re 1. Martij 1468. quæ cū generaliter loquatur de omnibus personis Ecclesiasticis; vt patet ex illis verbis: *Si quis autem contra huius nostra prohibitionis seriem, de bonis, & rebus eisdem quidquā alienare præsumpserit:* vtiq; sub ea comprehēduntur etiā Moniales, attenta 29.

doctri

doctrina superius tradita; quòd sub masculino continetur fœmininum, quando in vtroque procedit par ratio, vt in præsenti casu: quod verò ad dotes, constat ex dictis *cap.3.sect.2.q.11.*

Addo quòd, si Monialis ex mutuo recipiat mille aureos cum pacto soluendi quinquaginta mutuanti quotanni sex annis redditibus ipsi Moniali ad vitam concessis; & hoc, vsque dum restituantur dicti mille, & ex titulo lucri cessantis; verè non diceretur alienare, nec incurri pœnas latas contra alienantes bona Ecclesiastica. & ratio est, quòd, quando sacra Congregatio prohibuit, ne Regulares recipiant mutuò pecunias, cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis; loquitur solùm in casu, quo fundus, vnde colligi debent anui redditus, obligetur, & ipse fundus sit monasterij. Vnde fit, vt, quamuis in casu proposito de licentia domini obligaretur fundus à consanguineo Monialis ei assignatus ad solutionem præfatorum redditum: non ideo interueniret propria alienatio, nec incurrerentur pœnæ latæ contra alienantes bona Ecclesiasticas. ita Baldellus, Naldus, Bordunus, & alij docti viri à me consulti.

Conceditur tamen Portell. *part. 2. resp. mor. casu 7. num.5.* quòd, si alicui conuentui Monialium ex legato relinquatur bibliotheca librorum latinorum: ea absque licentia Sedis Apostolicæ posset ab illis alienari, eius pretio implicato in bonis fructiferis emendis; sicque in regno Portugalliæ in facti contingentia decisum fuisse à Collectore Apostolico; & quidem non per modum dispensationis, sed per modum rationabilis declarationis in eo fundatæ, quòd bibliotheca librorum latinorum est omninò inutilis Monialibus, ideòque cessat finis legis vetantis alienationem bonorum Ecclesiasticorum. ita Portell. addens eodem modo sine licentia Sedis Apostolicæ potuisse vendi quosdam pannos pretiosos monasterio cuidam Monialium relictos pro ornatu parietum, qui erant conuentui omninò inutiles, & ex vetustate iam corrumpi incipiebant.

Vnum hîc moneo ex decreto sacræ Congregationis Moniales, & quoscumque alios Regulares prohiberi sub pœnis ex alio decreto inferius referendis, recipere pecunias ad cambium, aut mutuo cum pacto soluendi lucrum cessans, aut damnum emergens: cùm enim decretum loquatur generaliter de Religionibus; vtique comprehendit etiam Moniales, vt patet ex dictis hîc in responsione. Decretum autem iussu Vrbani VIII. editum fuit 21. Maij 1626. his verbis: *Cum post editum de rebus Regularium non alienandis compertum sit Regulares, qui eodem decreto prohibentur censu imponere super bonis ad eorum monasteria pertinentibus, loco censuum huiusmodi pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis: cumque ex huiusmodi contractu eludatur mens sacræ Congregationis, cui in primis in votis fuit consulere Regularium indemnitati, quæ ex impositione censuum huiusmodi plurimum læderetur. S. D. N. approbante, decreuit, ac declarauit huiusmodi contractum esse contra mentem decreti vt suprà editi, ideòque non licere Regularibus pecunias, vt proponitur, accipere, ac si acceperint, in ipsius decreti pœnas ipso facto incidere.* decretum verò, de quo loquitur præsens decretum, editum fuit à S. Congregatione iussu Vrb. VIII. die 7. Sept. 1624. continetque vltra pœnas contentas in Paulina *Ambitiosæ* priuationem omnium officiorum obtentorum, vocisque actiuæ, ac passiuæ, & perpetuam inhabilitatem ad illa imposterum obtinenda (& quidé ipso facto incurrendas absque alia declaratione, ac soli Papæ reseruatas) declaratque ipso iure nullum, ac irritum quidquid contra huiusmodi prohibitionem actum fuerit.

Addo Moniales non posse oppignorare mobilia pretiosa proprij Conuentus; vt lampades, & candelabra, & alia vasa argentea sine facultate sacræ Congregationis: & probatur tum quia oppignoratio, teste Quaranta *v.alienatio, num.20.* est quædam alienatio (maximè si res tanti obligetur, vt difficilè possit redimi, ideòque exponatur periculo probabili alienationis) ergo comprehenditur sub iuribus prohibentibus alienationem bonorum Ecclesiasticorum: tum quia prohibita alienatione à iure, prohibetur oppignoratio, *l. fin. C. de reb. alien.* idque ratione periculi, cui exponitur res oppignorata, ne omninò alienetur. ita Diana *part. 5. tract. 13. resol. 6.* ex Molina, Quaranta, Laymam, Lexana, Bonacina, Castro Palao, Barbosa: Rodriq. & Lessio; qui tamen limitant assertionem, nisi vrgeat summa necessitas, & sit periculum in mora; tunc enim oppignorari possunt vasa pretiosa, inconsulta sacra Congregatione: cùm lex non liget, quando de facto seruari non potest *l. 1. § dies. ff. quando appellandum sit*, & necessitas non habeat legem, *l. vn. ff. de offic. consu.* sic Diana ex Peytino addens oppignorationem in hoc posteriori casu fieri posse absque consensu Ordinarij, etsi is facilè haberi possit.

Quod si talis oppignoratio facienda sit super Monte exigente quotannis interesse correspondens pecuniæ mutuatæ pro pignore deposito: tunc dato etiam quod ea oppignoratio esset licita, requireretur Sedis Apostolicæ facultas ad illam faciendam ratione obligationis, quam subiturus est Conuentus de soluendo præfato interesse: cum talis solutio sit Regularibus specialiter vetita ex decreto Vrb. VIII. paulò ante relato, ideóque specialis licentia requiratur vt suscipiatur talis obligatio.

QVÆRES XXV. An, & quas donationes, seu largitiones munerum possint facere Moniales ex bonis proprio vsui concessis.

Respond. non posse, nisi de licentia propriæ Superiorissæ; & in casibus permissis *in decretis sacræ Congregat. de larg. mun.* editis iussu Clementis VIII. & nouissimè confirmatis, ac innouatis ab Vrbano VIII. prout ostendimus *in tract. de prohibit. cap. 9. per totum.* Addo hic Prælatos Monialium ex Constitut. eiusdem Clementis VIII. relata *q. 3.* teneri prohibere, ne ab illis fiant munera sæcularibus, nisi quæ charitatis causa iudicauerit Præfecta de bonis communibus, nomine, & de licentia Conuentus: & quod, mellariis penitus abolitis, tantummodò concedantur esculenta, & poculenta munuscula ab iis fieri eo modo, & forma; quibus in dicta Constitut. præscribitur. 30.

Moneo hîc obiter, quòd, quamuis vigore præfatorum decretorum Clementis VIII. Moniales deberent publicè legere dicta decreta quotànis; cùm in iis id expresse ipsis præciperetur (iis in vernaculum, seu vulgarem cuiusque monasterij sermonem versis;) id tamen non videtur esse in vsu, saltem in multis locis (quòd mihi constet) immò nec expresse Monialibus præcipitur in iisdem decretis de mandato Vrbani VIII. innouatis (vnde posset colligi tolerantia dicti non vsus) quamuis aliàs expediret, vt etiam Moniales annuam lectionem talium decretorum non omitterent; maximè cùm in innouatione dictorum decretorum damnetur omnis prætensus non vsus præcedentis decreti sub Clemente VIII. &c.

QVÆRES XXVI. An, & quo pacto Monialibus prohibita sit negotiatio.

Respond. esse prohibitam eodem pacto, ac est pro 31.

prohibita viris religiosis; idque ex *cap. secundum ne cler. vel monac.* quod, licet loquatur solum de Clericis, aut Monachis, nulla mentione facta de Monialibus (vt constat ex illis verbis: *Sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causa lucri negotientur:*) comprehendit tamen etiam Moniales, cùm iuxta sæpiùs dicta fœmininum comprehendatur sub masculino, etiam in odiosis, ac pœnalibus; quando par ratio procedit in vtroque; sicut re vera in præsenti casu procedit; sed de hoc plura *tract. de prohibit. cap. 10.*

32. QVÆRES XXVII. An, & qua ratione possint Moniales appellare à correctione suorum Superiorum.

Respond. non posse, nisi in casu, quo euidenter constet Moniali notabilem inferri iniuriam in fama, honore, aut vita à proprio Superiore; & hoc non solùm ex *cap. ad nostram, & cap. reprehensibilis, de appellat.* vbi generaliter interdicitur Religiosis, & per consequens etiam Monialibus (quæ vtique comprehenduntur sub nomine religiosorum iuxta dicta *q. praced.*) ne appellare præsumant à correctione suorum Superiorum ad Iudices extraneos: sed etiam ex concessione bullata Iulij II. quam refert Casarub. *in comp. v. appellare, num. 3.* his verbis: *Iulius I I. prohibuit sub excommunicationis pœna Fratribus, & Sororibus Ordinis Prædicatorum, ne à mandatis, & ordinationibus Prælatorum dicti Ordinis appellare valeant. Iudicibus verò quarumcunque curiarum sub præfata pœna districtè inhibuit, ne appellationes huiusmodi recipere, aut illas cognoscere quoquo modo præsumant; decernens irritum, & inane quidquid secus attentari contigerit.* Quæ concessio sine dubio est communis Monialibus, etiam aliorum Ordinum: quippe quæ, licet sit odiosa Monialibus in particulari; est tamen fauorabilis toti Communitati, ideoque dicenda est cadere sub generali communicatione priuilegiorum, prout alibi aduertimus.

33. An autem propriè dari possit appellatio à correctione, & mandatis Abbatissæ: quo modo potest dari à correctione, & mandatis Prælati regularis in casibus præmissis, & à nobis suo loco explicatis.

Respond. non posse; cùm Abbatissa sit incapax iurisdictionis propriè dictæ; & aliàs in eo, à quo appellandum est, supponatur propria iurisdictio: vt vel hinc patet, quòd alioqui licitum esset filiisfamilias appellare à matrefamiliàs, eiusque correctione, ac mandatis: quod est omninò inauditum; cùm in familiam, cui ea præest, solùm habeat potestatem dominatiuam, non autem veram, ac propriam iurisdictionem; quæ, vt diximus, præsupponitur in

34. eo à quo appellandum est ita docti viri à me consulti.

Notat porrò Lezana *tom. 1. c. 9. num. 6.* non solùm religiosis, & consequenter etiam Monialibus interdictum esse appellare ad Iudices non competentes, cuiusmodi sunt magistratus sæculares, ac Iudices laici) de quibus loquuntur iura superius addocta, & alia non pauca, quæ referuntur à Doctoribus) sed etiam ad Iudicem competentem; nimirum ad Sedem Apostolicam, Legatos, Nuncios, & Sacram Congregationem Regularium: quo modo Cisterciensibus, Canonicis Regularibus, ac Fratribus Minoribus sub pœna excommunicationis interdicta est appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam; intellige, præter quam in casibus, in quibus DD. concedunt

35. licitum esse Religiosis appellare à correctione, ac mandatis suorum Superiorum, non obstantibus quibuscunque priuilegiis in contrarium collatis.

Illud item bene notat *Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. c. 11. num. 4.* ex eo quod in pluribus euentibus appellatio denegetur Religiosis, non rectè inferri iis item denegari defensionem naturalem; siquidem illi tunc possunt recurrere ad Superiorem per simplicem querelam, vel per modum supplicationis, aut precum, & ab eo obtinere iustitiam, aut gratiam: quod est remedium sufficiens, diuersum ab appellatione. Ad quos autem possint moniales licitè appellare, quo ordine, in quibus casibus, quo modo, & similia, quæ hoc loco quæri possent; colligenda sunt ex dictis in *tract. de prohibit. cap. 7. per totum*, vbi ex professo agimus de appellatione.

Quod verò ait Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. c. 11. num. 7.* recursum ad Prælatum superiorem esse licitum non solum quando inferior Prælatus excedit in pœna imponenda modum debitum, sed etiamsi illa sit iusta, & secundùm regulam, dummodo materia si talis, vt Prælatos altior iuste possit gratiam aliquam, aut dispensationem concedere, & in hoc non contingat subreptio; quod inquam ait Suar. *loco citato*, explicari potest de pœna quidem moderata, sed grauiori, ne alioqui recursus nimis facilis ad Prælatum superiorem rigorem iustum disciplinæ regularis labefactet: quamuis dici posset non esse necessariam eiusmodi explicationem; si quidem quod differtur non aufertur, & interdum etiam cum fœnore, si irrationabilis fiat recursus, etiam pro petenda gratia, & non iustitia: quod vtique potest sufficere ad retrahendum Religiosum ne sine iusta ratione dictum recursum faciat, vt pote hinc postea grauiori pœna puniendus.

QVÆRES XXVIII. An, & qualiter possint Moniales testificari in causis, siue ciuilibus, siue criminalibus.

Respond. Rodriq. *tom. 2. q. 1. art. 3.* quòd, quamuis de iure canonico fœmina non possit esse testis idonea in causis criminalibus; vt ostendit Titaquel. *tract. de leg. connubial. l. 9. num. 45.* dicens neminem de hoc dubitare præter Philippum Decium: quod idem potant aliqui apud Marantam *de ord. iudic. p. 4. n. 43.* dicendum esse etiam de iure ciuili.) nihilominus dicendum est Moniales posse testificari contra alias Moniales, etiam in criminalibus: cùm mulieres laicæ, etiam de iure canonico in criminalibus admittantur in testes, quandocunque aliter constare non potest de veritate, & delicta Monialium nonnisi per alias Moniales probari possint, vt patet: præterquam quod longè peius est, & magis contrarium canonibus Sanctorum Patrum, quod contra personas religiosas admittantur laici in testes. hæc Rodriquez addens non esse concedendum Monialibus, quod ait Decius duarum mulierum testimonium non sufficere, vt quis possit iustè condemnari, ex enim licèt sint mulieres, tamen sunt religiosæ, ac timentes Deum, sicque duæ illarum sufficienter probarent, si alioqui essent omni exceptione maiores. Quæ doctrina magna ex parte ostendit Moniales posse admitti ad testificandum, etiam in causis criminalibus personarum sæcularium, si occurrat casus, in quo aliàs non possit constare de delicto; quamuis ad id non possint cogi; si agatur de condemnatione: quod benè aduertit de viris religiosis Lezana *sup. cap. 11. num. 24.* docens eos nec posse compelli ad testificandum in ciuilibus, nisi quando aliter haberi nequit veritas idque *cap. cum super, & cap. dilectorum, de testib. cog.* 36.

QVÆRES XXIX. An Moniales possint sibi facere Commatres per Sacramentum Baptismi, & Confirmationis.

37. Respond. non posse; & probatur tum ex *cap. peruenit, el. 1. d. 18. quæst. 2.* vbi id expresè prohibetur Religiosis: tum quia Commatres assumuntur in partem sollicitudinis infantis; quam impartiri non potest Monialis, cum non sit domina sui ipsius, sed subiiciatur obedientiæ Superioris. ita in terminis Zerola *v. Moniales §. ad 7.* At dissentit Quintanad. *tract. 1. singul. 8.* dicens etsi detur Monachos prohiberi suscipere infantes, aut adultos in confirmatione, hac prohibitione non affici Moniales: idque sentire Coninchum, Hurtadum, & Chamerotam: addénsque posse quemlibet Regularem sine causa, ac culpa, ac sine Ordinariorum, aut Prælatorum licentia (nisi id in suo Ordine expresè probibitum sit) esse Patrinum in Confirmatione; saltem in Ordinibus non Monachalibus.

Vtrum verò Monialis esse possit executria testamenti, & quidem de licentia solius Abbatissæ.

Respond. posse; & probatur quia inter Regulares quilibet Superior eiusmodi licétiam concedere potest Religioso subdito, vt habet Sanchez *lib. 6. moral. cap. 11. num. 15.* & potestas, quam habet Abbatissa in Moniales subditas, est potestas debita quibusdam aliis Superioribus, vt habet idem Sanchez *l. 6. mor. c. 1. n. 22.* adeóque ipsi Abbatissæ cōpetent nomen Superioris, ergo & poterit date præfatam licentiam ex alia parte nullum extat ius prohibens Moniali dictum minus executoris; cum nullum afferatur, nec obstat, quod potestas Abbatissæ non est spiritualis, sed temporalis, vt notat idem Sanch. *sup. n. 17. & 19.* cum enim talis licentia spectet potius ad temporalitatem, quam ad spiritualitatem, seu finem spiritualem iuxta dicta *citato n. 19.* superioritas Abbatissæ erit sufficiens ad dictam licentiam concedendam.

QVÆRES XXX. An Moniales cum Monachis sui Ordinis habitare possint in eodem monasterio.

38. Respond. non posse; cùm id in specie prohibeatur *cap. diffinimus, cap. in nullo 18. quæst. 2.* vbi dicitur: *In nullo loco Monachos, & Monachas permittimus vnum monasterium habitare: sed nec ea, quæ duplicia vocant, &, si quod tale est, Religiosus Episcopus mulieres quidem in suo loco manere studeat, Monachos autem aliud monasterium ædificare cogat; si autem plurima sint talia monasteria, separentur in aliis monasteriis Monachæ, & in aliis Monachi: res autem, quas habent communes secundum iura eis competentia distribuantur.*

QVÆRES XXXI. An Moniales liberè possint accedere ad collocutorium, vt loquantur cum extraneis ad ipsas accedentibus.

39. Respond. non posse; cum iuxta *cap. in decima 18. quæst. 2.* Monialis non debeat loqui sola cum aliquo, sed associata à duabus, vel tribus Sororibus, quas vocant Auscultatrices: ita vt rata sit accessio, & breuis locutio; quod etiam communiter solent Ordinarij præscribere in propriis edictis, sed minus communiter obseruaretur; & quidem interdum cum graui dispendio boni nominis Monialium: quæ, remotis arbitris, audent aliqua perpetrare, quæ non auderent, si assistentes haberent auscultatrices; fœlix enim necessitas, quæ ad meliora compellit. Quam maximè ergo vigeant Prælati Monialium in obseruantia huius adeo necessarij, ac vtilis statuti, curéntque vt Moniales, præsertim iuniores, solæ non accedant ad loquendum cum personis extraneis ad illas accedentibus. Audiant Moniales, quæ habet S. Bernard. *epist. 114.* eaque ad rem præsentem applicent: *Agnosco filia, inquit, agnosco vtinam & tu mecum agnoscas serpentis virus, fraudulentis dolum, versipellis astutiam: si sola ouicula vmbras penetras, præda vis esse lupo; sed audi me filia, noli te separare à grege, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat.*

QVÆRES XXXII. An Moniales possint scribere literas, cuicunque maluerint, aut eas recipere à quocunque.

Respond. non posse; cum id in terminis prohibitum fuerit à Clemente VIII. in bulla sæpius allegata his verbis: *Literæ, seu Epistolæ nullo modo à Monialibus scribantur sine licentia Superiorū, nec recipiantur, nisi prius lectæ fuerint à Præfecta monasterij;* quanquam talis prohibitio parùm videatur esse in vsu; cùm tamen sit sancta, vtilis, ac necessaria, ideóque in viridi obseruantia deberet manuteneri, aut certè restitui. Vtinam Prælati Monialium curarēt seruari id, quòd piè statuit S. Carol. in Conc. Med. I. sub his verbis: *Ne scribant literas, nisi ad Superiorem, & Episcopum sine licentia Præfectæ, neque ad se Missas aperiant, nisi Præfecta prius eas aperuerit, legeritve, sub pœna scribenti, vel recipienti, ne per duos menses exeat è cella, & ieiunet in sextis feriis in pane, & aqua, si litera suspicionem criminis habent, eaque præterea priuetur facultate loquendi cum exteris per 6. menses & volo; idcirco non habeant priuatim atramentum, nec calamum.* 40.

QVÆRES XXXIII. An Moniales vti possint lineis.

Respond. quòd, licèt *cap. cum ad monasterium, de statu monach.* prohibeatur Monachis, & consequenter Monialibus, lineis vti, cùm habitus Monachorum etiam interior, debeat esse laneus; nihilominus Sylu. *v. religio 7. num. 15.* Graff. *part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 69. & 70.* Lezana *supr. cap. 9. num. 21.* Nald. *v. Monialis n. 11.* & alij docent, regulariter loquendo, Moniales vtendo lineis, peccare solùm venialiter, immò nec venialiter, si extet communis vsus in contrarium; & à fortiori si id fiat ratione infirmitatis, siquidem (vt aduertit Sylu. ex Archidiacono) huiusmodi prohibitio non est sub præcepto, ac proinde non obligat sub peccato; vnde ait Naldus posse tolerari vsum, cuius initij memoria non extat, vt contra regulas proprij Ordinis Moniales vtantur linteaminibus, & subuculis, non laneis, sed lineis, nō prætermittendo tamen, quæ sunt substantialia regulæ: intellige, stando præcisè in iure communi; quod enim spectat ad ius peculiare vniuscuiusque Ordinis attendenda sunt specialia statuta, ac consuetudines singularum Religionum: quo pacto Lezana subdit ex Marchante Fratrem Minorem peccare mort. vtendo lineis camisiis, eò quod illis id in sua regula piè prohibeatur. 41.

QVÆRES XXXIV. An Moniales possint edere carnes.

Respond. videri posse, secluso iure particulari proprij Ordinis; idque esto *in cit. cap. cum ad monasteria* esus carnium prohibeatur Monachis, & per consequens etiam Monialibus, præterquàm in infirmitate; nam iuxta dicta *quæst. præced.* talis prohibitio non fuit inducta iure communi tanquam obligatoria sub præcepto, vt benè aduertit Sylu. *vbi supra.* 42.

QVÆRES XXXV. An Moniales possint nutrire comam, ac superbè vestire.

Respond. non posse; cùm iis id interdicatur in Clem. *attendentes, de statu monach.* vbi dicitur: *Visitatores autem huiusmodi sollicitudinis studium diligenter impendant, vt Moniales ipsæ, quarum nonnullas dolentes audiuimus in subscriptis excedere, pannis sericis, variorum fœderaturis, scandalosis, comatis, & cornutis crinibus incedant, & virgatis caputiolis non vtantur.* Circa quæ verba notat Tambur. *supr. D. 10. quæst. 2. num. 17.* 43.

quòd,

quòd, quamuis Glossa dubitet, num hic simpliciter prohibeatur Monialibus habere comam, si eam honestè, ac occultè deferant, vel certè solùm interdicatur fucata compositio crinium; sicut videtur colligi ex verbis illis, *vtantur comatis*, *& cornutis*, (idest tortis) *crinibus*: re vera tamen Glossa oppositum sentit, & fatetur vsu receptū esse, vt Moniales potiùs tundeantur, & deformato capite Deo viuant, potiùs quàm crines poliendo humani generis hosti seruiant.

QVÆRES XXXVI. An, & qualis vsus laruarum, ac choreatum sit prohibitus Monialibus.

44 Respond. quod, quamuis DD. communiter dicant Religiosos peccare mort. tùm deferendo laruas, si id faciant extra monasteria, & sine rationabili causa (vt rectè aduertit Baldel. *l.* 3. *D.* 32. *n.* 14 ex Armilla, Viualdo, & Comitolo) tum choreas ducendo publicè, & in præsentia sæcularium (sicut indicat idem Baldel. *num.* 16.) regulariter tamen, cùm Moniales soleant gestare laruas intra propria claustra pro honesta recreatione, & ducere choreas secretò, & solùm coram ipsis Monialibus: propterea dicendum videtur illa posse facere vtrumque sine peccato; saltem mortali; cùm sic cesset periculum scandali, & interueniat paruitas materiæ excusans à peccato, colligitur ex Baldello pro se alios Doctores citante.

QVÆRES XXXVII. An Moniales possint habitum mutare occasione alicuius repræsentationis, quàm faciant, assumendo habitum virorum.

45. Respond. non posse, si sit in vsu prohibitio illis hac de re facta à sacra Congregatione 27. April. 1604. & relata à Barbosa *lib.* 1. *de iure Ecclesi. cap.* 44. *num.* 57. at ea non videtur esse in vsu, saltem in multis locis, & quidem scientibus, ac plerumque non contradicentibus Prælatis ipsarum Monialium; vnde, cùm aliàs dimissio proprij habitus Religiosi, & susceptio alterius ad breue tempus etiam pro aliqua actione ludicra teste Suarez *D.* 13. *de censf. sect.* 4. *n.* 29. excusari possit à peccato: non peccabunt Moniales modo dicto assumendo habitum virorum, proprio dimisso.

QVÆRES XXXVIII. An Moniales possint eligere Abbatissas ad vitam, quæ scilicet perpetuò durent in munere abbatissatus.

46. Respond. non posse, id prohibente Gregorio XIII. in bulla hac de re edita 1. Ianu. 1583. qua præcipitur Monialibus quorumcuoque Ordinum in vniuersa Italia, & præsertim in vtriusque Siciliæ regnis consistentibus, vt non eligant Abbatissam, nisi solùm ad triennium, aliàs electio sit nulla. Quod tamen non facit, quin Abbatissæ singulis annis mutari possint iuxta declarationem sacræ Congregat. quam affert Tamb. *D.* 30. *q.* 1. *n.* 10. addens *n.* 11. Abbatissas, absoluto triennio suæ præfecturæ, teneri illam renunciare: & tunc ei succedere in potestate Monialem præfessione antiquiorem vel Vicariam (nisi aliter ferat consuetudo) & quidem vsque ad electionem nouæ Abbatissæ quanquam præfata Constitutio Gregorij non obliget extra Italiam, ac insulas adiacentes, vt constat ex tenore illius.

Addit Nald. *v. Abbatissa num.* 5. quòd, cùm in citata Constit. dicatur *à die finitæ administrationis*, & hæc verba contineant fauorem; terminus ille triennij includit primum diem; sicque Abbatissa poterit iterum eligi illo eodem die, quo antea desierat, recurrente triennio suæ electionis.

Maius dubium est, in casu; quo Abbatissa post elapsum triennium præfecturæ ex indulto sacræ Congreg. confirmetur ad aliud triennium immediatè sequens, elapso hoc alio triennio, possit à Monialibus iure proprio iterum eligi ad illud triennium immediatè sequens.

Respond. videri non improbabile, quòd possit, in rigore loquendo; & probatur tum quia aliàs fauor conuerteretur in odium contra regulam iuris 61. tum quia priuilegium, & gratia Principis debet aliquid operari supra ius commune, ideoque cùm Monialis spatio 9. annorum bis eligi possit in Abbatissam de iure commuoi, non videtur dicendum hoc tolli per concessionem sacræ Congregationis, quatenus indulget, vt alio triennio intermedio eligatur. ita in simili Diana, Naldus, Bordonus, & alij à me consulti contra Cardinalem de Lugo, Baldellum, Sanctatellum, & alios item à me consultos oppositum sustinentes: qua de re *cap.* 10. *q.* 13. 47.

QVÆRES XXXIX. An, & quo modo Moniales patare possint cibos, aut illos vendere externis.

Respond. non posse, exceptis rebus minimi momenti pro infirmis, parentibus ac consanguineis: idque ex sacræ Congr. decreto, quod refert Barbosa *lib.* 1. *iur. Eccles. cap.* 44. *num.* 58. 48.

QVÆRES XL. An dato quòd Monialis velit imprimere aliquem librum vltra examinationem, & approbationem Ordinarij debeat obtinere licentiam proprij Prælati regularis, cui subest, & libri approbationem factam in Ordine iuxta decretum Concilij Tridentini *sess.* 4.

Respond. debere obtinere vtrumque, & inde probatur, quod Concilium loquitur generaliter de Regularibus dicens: *Et si Regulares fuerint, vltra examinationem, & approbationem huiusmodi* (idest Ordinarij loci) *licentia quoque à suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum*: constat autem ex dictis hîc *q.* 1. Moniales subiacere prohibitionibus iure communi latis contra Regulares: præterquamquod finis prohibitionis huius (qui est impedire, ne in libris, qui imprimuntur, disseminentur errores contra fidem, aut bonos mores, maximè militat in Monialibus, quæ licèt interdum sint instructæ doctrina excedente ordinariam conditionem sexus muliebris; facilius tamen errare possunt, adeoque maiori egent directione. Concedo quidem, quod si Monialis, quæ imprimit librum, sit exempta ab Ordine, cuius institutum profitetur; tunc non tenetur petere licentiam imprimendi librum à Prælato regulari Ordinis; cùm is respectu dictæ Monialis non possit dici Prælatus illius (quod requirit Concilium) sed sufficit librum approbari ab Ordinario loci, cui Monialis subest, & de eius licentia imprimi. Quod si Monialis imprimit librum, non seruatis seruandis, incurrit illas easdem pœnas, quas respectiuè incurreret vir Religiosus in tali casu; idque ob dicenda *cap. seq. q.* 1. 49.

QVÆRES XLI. An possint in templis Monialium eligi Confraternitates laicorum.

Respond. non posse. ita Rota coram Coccino *decis.* 472. *num.* 3. *&* 4. & sacra Congregatio Episcoporum in vna Barensi 6. April. 1595. apud Ricciullum *lib.* 4. *lucubrat. Eccles. cap.* 3. *num.* 4. paterque quia Monialibus interdicta est conuersatio *c. peruenit* 18. *q.* 2. quam tamen difficilè euitarent, si Confraternitates in earum templis erigerentur. Sic apud priscos Romanos, teste Seruio *in* 7. *Æneid* cùm non posset Senatus cogi, nisi in loco augurato; templum Virginum Vestalium non fuit consecratum, ne Senatus illuc accederet. 50.

CAPVT VIII.

De Pœnis Iure communi latis contra Moniales.

1 *Moniales subsunt pœnis latis iure communi contra regulares, aut Ecclesiasticos.*
2 *Proponitur, & soluitur obiectio.*
3 *Subsunt pœnis latis in specie contra Religiosos Ordinis, si sint exemptæ.*
4 *Si sint exemptæ, non subsunt pœnis latis ab Ordinario.*
5 *Limita, nisi pœna feratur ab eo, vt Sedis Apostolicæ delegato.*
6 *Quod tamen fallit, attentis priuilegijs regularium, quæ etiam competunt Monialibus.*
7 *Moniales sunt capaces suspensionis Ecclesiasticæ.*
8 *Non item irregularitatis propriè dictæ: sunt capaces degradationis aliquo modo.*
9 *Varijs pœnarum generibus subiacent.*

QVÆRES I. An Mòniales subiaceant pœnis iure communi latis contra Regulares, seu Religiosos, aut Ecclesiasticos.

1. Respond. subiacere, si versetur circa materiam ipsis Monialibus proportionatam; & probatur tum quia mulieres ligantur statutis generaliter, ac indefinitè latis, æquè ac masculi, nisi specialiter excipiantur; vt notant aliqui Doctores cum Baldo *in l. ne passim, C. de iur. & fact. ignorant.* tum quia sub sexu masculino semper intelligitur fœmininum, præsertim in statutis factis per Prælatos, quæ sint proportionata masculis, ac fœminis; sicut aduertit Graff. *cons. 22. num. 2. & 4. de sent. excommunic.* tum quia Menoch. *de adipisc. possess. num. 61. & seq.* Tiraqoel. & alij penes Sanchez *l. 6. mor. cap. 16. num. 89.* aiunt frequentissimam sententiam esse in legum dispositione, etiam in materia odiosa, ac pœnali sub masculino claudi fœmininum: quod etiam admittit Bonac. *q. 4. de clausur. part. 6. num.* 18. in simili; cum alioqui *D. 2. de censur. in partic. q. 5. part. 7. n.* 10. oppositum sentiat dicens in materia pœnali censurarum strictam verborum interpretationem debere fieri, & non valere argumentum à minori ad maius, vel e contra; sed standum esse propriæ verborum significationi, ideóque Moniales non affici pœna à Pio V. lata contra Clericos tam sæculares, quàm regulares interessentes agitationi taurorum, eò quòd illæ non sint Clerici sæculares, aut regulares: quam opinionem sustinent alij Doctores, & non improbabiliter, quamuis opposita sit communior, probabilior, & praxi conformior.

2. Neque ex eo quòd, interdicto Clero, non censentur interdicti Regulares secundùm probabilem sententiam, quam sequuntur Henriq. Sayrus, Vgol. & Auila, apud Bonac. *D. 5. de censur. in comm. part. 1. num.* 11. sequitur Moniales in pœnis non venire nomine Religiosorum, aut Ecclesiasticorum: siquidem, cùm ipsæ verè, ac propriè sint personæ Ecclesiasticæ, ac Religiosæ, non apparet, ex quo titulo excipi debeant à pœnis latis generaliter contra personas Religiosas, aut Ecclesiasticas.

QVÆRES II. An Moniales subiiciantur pœnis latis contra Religiosos, siue iure pontificio, siue proprio ipsiusmet Ordinis.

3. Respond. subiici, si eæ sint exemptæ ab Ordinarij iurisdictione, & immediatè subiiciantur Prælatis regularibus: secùs, si immediatè subiiciantur Sedi Apostolicæ, aut Ordinario loci, & sint exemptæ à Prælatis regularibus. Ratio responsionis est, quòd pœnæ non possunt ferri, nisi in subditos, vtpotè prouenientes ex iurisdictione, quæ solùm exercetur in subditos; & ex alia parte non debent extendi vltra personas in illis comprehensas iuxta propriam verborum significationem, cùm sint odiosæ, & odia debeant restringi, cùm ergo Moniales immediatè subiectæ Sedi Apostolicæ, aut Ordinario non sint ampliùs subditæ Prælatis Ordinis, immò nec censeantur esse ex Ordine quo ad odia, ne aliàs nimis grauentur: non subiacebunt pœnis latis contra Religiosos sui Ordinis, siue iure ipsius Ordinis, siue pontificio: sicut è contra, si sint immediatè subiectæ Prælatis Ordinis, cùm sic verè sint subditæ, & membra illius, subiacebunt dictis pœnis, siue iure proprio Ordinis, siue pontificio latis.

QVÆRES III. An Moniales subiiciantur pœnis, ac censuris latis ab Ordinario locorum.

4. Respond. non subiici, si sint exemptæ ab illorum iurisdictione (excepto tamen casu inferiùs apponendo) sic enim non sunt subditæ Ordinariis, ideóque non subsunt illorum pœnis, ac censuris; maximè attento priuilegio, quod habent Regulares (& consequenter etiam Moniales per communicationem) ne possint excommunicari ab Episcopo (de quo suo loco;) secus, si immediatè subsint iurisdictioni Ordinarij; tunc quippe, sicut sunt subditæ, sic & subiiciuntur pœnis ab eo latis, si ex tenore verborum sufficienter constet eas sub illis comprehendi; non enim apparet, cur ab illis eæ eximi debeant; cùm illæ generaliter ferantur, & sic procedant generales regulæ iuris, lex generaliter loquens generaliter intelligenda; &, vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus.

5. Casus autem, in quo Moniales, etiam exemptæ subiiciuntur pœnis, ac censuris latis à Conciliis prouincialibus, aut edictis Episcopalibus, est, quando Ordinarij dictas pœnas ferunt tanquam Sedis Apostolicæ delegati, aut ex speciali facultate ipsis ad talem effectum commissa; quomodo sacra Congregatio 29. Ian. 1633. teste Barbosa *in Collect. v. Moniales*, declarauit Moniales regularibus subiectas loquentes cum regularibus etiam eiusdem Ordinis, licentiam legitimam non habentibus incurrere pœnas, & censuras à Conciliis Prouincialibus, vel edictis Episcopalibus in similibus appositas; vnde infert Tambur. *de iure Abbatiss. D. 25. q. 8. §. ad 9.* à fortiori præfatis pœnis affici omnes alias Moniales Episcopis subiectas mediatè, seu immediatè, si contra ipsorum edicta loquantur cum Regularibus.

6. Quod autem dixi Moniales, etiam exemptas, subiacere censuris latis ab Ordinario, si eas ferat tanquam Sedis Apostolicæ delegatus; non habet verum in sententia eorum, qui dicunt Episcopos non posse ferre censuras contra Regulares, neque in casu, quo procedant vt delegati Sedis Apostolicæ: nisi id ipsis expresse concedatur: quod notat Sanchez *l. 7. de matr. D. 33. num. 23.* idque ex variis priuilegiis bullatis à nobis relatis *in tract. de priuil. cap. 6. sect. 1. q. 19.* quæ sine dubio sunt communia etiam Monialibus: quale est illud, quod Paulus III. concessit Societati Iesu in sua Constitut. *licèt debitum*, relata *in Bullar. Societ. fol. 28.* qua de re Sanch. *sup.* ex dictis inferens posse stare, quòd Episcopus iurisdictionem habeat in exemptos, & tamen eos ligare non possit censuris.

QVÆRES IV. An Moniales sint capaces suspensionis Ecclesiasticæ.

Respond.

7. Respond. Esse; cùm de facto in Concil. Trid. *sess. 25. de reg. cap. 17.* contra præfectas Monialium feratur suspensio ab officio, quamdiu Episcopo videbitur, si Episcopum certiorem non faciant ante mensem de professione à Moniali nouitia facienda; quod est signum Moniales non esse incapaces suspēsionis Ecclesiasticæ, non quidem cuiuscunque, sed illius, quæ iuxta conditionem status, ac sexus illarum ipsis possit adaptari.

QVÆRES V. An, & quo modo Moniales sint capaces alicuius irregularitatis inductæ, immò & degradationis.

8. Respond. quòd cùm iuxta communem sensum Doctorum irregularitas sit canonicum impedimentum ex facto, aut defectu proueniens; quod directè impedit susceptionem ordinum Ecclesiasticorum, aut vsum illorum ob diminant reuerentiam: hoc ipso quòd fœmina est incapax ordinis, est & incapax irregularitatis proprie dictæ; vnde Suarez *tom. 4. de relig. tractat. 6. lib. 2. cap. 11. num. 7.* cautè dixit, quòd fœminam violenter corrupta non posse recipere velum consecrationis est quasi quædam irregularitas; quæ licet sine peccato contrahatur, impedit talem consecrationem. Dixi, *est & incapax irregularitatis propriè dicta*, vt innuerem fœminam, & per consequens etiam Moniales posse affici irregularitate aliqua minùs propriè dicta: qualis est illegitimitas natalium, bigamia, infamia iuris, aut facti, & similes respectu prælationis acquirendæ inter species irregularitatis, & suo modo cadere etiam in Moniales.

Quòd autem spectat ad degradationem, putat Martinus Delrio *l. 5. disquisit. sect. 16. §. de his vltimis*, eam posse cadere in Moniales, aitque id videri sufficere, quòd Moniali auferatur velum cum habitu monastica supremo, ac vestis laica ipsi iniiciatur, nec non ab Ordine, cui se addixerat, eiecta, ac spoliata omni priuilegio religioso, sortis laicæ effecta declaretur, sicque curiæ sæculari tradatur. sic ille, addens tamen se praxim huius casus non dum vidisse, sed suspicari hanc esse debere.

9. Et quidem, cùm Moniales possint incurrere non solum excommunicationes, sed etiam suspensiones, interdicta, priuationes officiorum, dignitatum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, aliasque similes pœnas, etiam corporales; propterea, vt de illis omnibus, ac singulis constet, clarè & distinctè, eas singillatim hîc explicabimus sub suis propriis titulis; nimirum 1. excommunicationes, 2. suspensiones, 3. interdicta, 4. priuationes officiorum, dignitatum, 5. varias alias pœnas, etiam corporales.

De excommunicationibus latis contra Moniales.

10 *Moniales appostatantes à Religione excommunicantur: indicatur qualiter procedendum cum Moniali fugitiua per plures annos in habitu viri, ac redeunte ad pœnitentiam.*

11 *Item si apellent ad Iudices incompetentes in casu vetito.*

12 *At non subsunt excommunicationi Iulij II. si appellant ab Ordinario, cui immediatè subsunt.*

13 *Appellatio Regularibus vetita, sed non absolutè.*

14 *Differunt ius commune, & ius priuilegij prohibens Regularibus appellationem.*

15 *Excommunicantur Moniales procurantes alienum abortum: non item si proprium procurent (etsi alij id negent) referuntur incidenter aliqua de Opinione probabili.*

16 *Excommunicantur inducentes ad promittendam sepulturam apud ipsas.*

17 *Item dantes aliquid in Receptione Nouitia, aut recipientes, aut petentes.*

18 *Item impedientes proprium Prælatum, ne visitet, excommunicatur in Bulla Cœnæ (quod alij negant) Prælatus regularis cum Episcopo ingrediente ad visitandum Moniales dicto Prælato subiectas, ipso Episcopo inuito, cum eo non ingreditur.*

19 *Impedientes in casu proposito incurrunt aliam excommunicationem non reseruatam.*

20 *Excommunicantur cogentes fœminam ad ingressum Religionis, aut ab ea retrahentes.*

21 *Excommunicantur Moniales, si temerè dimittant habitum.*

22 *Item, si violent Interdictum, vel Cessationis à diuinis.*

23 *Item, si Decimas indebitè vsurpent.*

24 *Item, si Professa de facto ineant matrimonium; & fiant bigamæ.*

25 *Item, si sine licentia Papæ recipiant noua monasteria, vel alienent recepta.*

26 *Proponuntur quæ Vrbanus VIII. statuit de receptione nouorum conuentuum.*

27 *Excommunicantur Moniales, si indebitè alienent bona conuentus.*

28 *Item, si in electione non abstineant ab iis, quæ gignere possunt discordias.*

29 *Item, si faciant priuata domicilia ad excipiendos hospites.*

30 *Incurrunt excommunicationem ferendam, si de bonis Nouitia accipiant ante Professionem.*

31 *Item, si vacent Negotiationi.*

32 *Imo & tunc amittunt exemptionem à gabellis, quamdiu negotiantur.*

33 *Prohibitio negotiandi ligat Moniales, etsi in ea non exprimantur.*

34 *Excommunicantur Moniales percutientes Monialem quamcunque, aut violantes Clausuram: non item interessentes agitationi Taurorum.*

QVÆRES VI. Quam excommunicationem incurrant Moniales apostatando à religione. 10.

Respond. quòd, quamuis Religiosus apostatando à religione non incurrat iure communi excommunicationem ratione apostasiæ præcisè; cum talis excommunicatio non extet in iure, vt aliis citatis rectè notauit Bonacin. *quæst. 2. de clausur. part. 11. §. 4. num. 1.* iure tamen proprio Religionum in præsentia omnibus ferè Ordinibus Religiosis, & consequenter etiam Monialibus competente, siue directè, siue per priuilegiorum participationem; hoc ipso quòd aliquis est apostata à Religione, incurrit excommunicationem ipsò factò, eamque Papæ, aut Superiori religionis reseruatam. sic per bullam concessit Pius V. anno 1595. Societati Iesu, quòd, si quis ipsius Societatis, siue professus, siue scholaris, siue coadiutor post emissa vota secundùm Societatis Constitutiones ab ea ad sæculum recesserit, etiam prætextu cuiusuis indulti concessi, aut concedendi, absque expressa sui Superioris licentia ad id ab eo specialiter obtenta, ipso facto sit excommunicatus, & absolui nequeat, nisi à Romano Pontifice, aut Superiore Societatis, prout colligitur ex compendio *Soc. v. apostata*, §. 1. Vbi notandum, quòd, cùm hæc concessio fauorabilis sit toti religioni, vtique cadit sub communicatione priuilegiorum, adeoque illa gaudent etiam Moniales, iuxta dicenda r. *seq.* nomine autē Superioris, cui conceditur facultas absoluendi

à tali excommunicatione, puto venire etiam Prælatum localem, & non solùm Generalem, aut Prouincialem; cùm Prælatus localis verè sit Superior, adeóque veniant nomine Superioris generaliter prolato; maximè in materia ita fauorabili animæ; qualis Superior sine dubio esset Episcopus respectu Monialis non exemptæ, & Prælatus regularis localis respectu Monialis exemptæ.

Quod si quæras, qualiter procedi debeat cum Moniali, quæ ex malo fine egressa è monasterio cum Amasio per plures annos vagatur sub habitu viri, & demum resipiscens accedit ad Confessarium Regularem intra eius Conuentum, eique in primis manifestans se reuera esse fœminam, illum consulit, quid debeat facere, vt animæ suæ salutem ponat in bono statu, & dignos fructus agat pœnitentiæ.

Respond. in isto casu curandum esse, vt sacra Pœnitentiaria (ad quam in hoc euentu recurri debet ad consulendum famæ Monialis) cum hac dispenset, vt possit ad alium Conuentum transire; si quidem non tenetur redire ad monasterium, in quo antea professionem fecerat, ne suam manifestet turpitudinem, & se infamet; cum aliàs in præsentia credatur mortua; & sit moraliter certum eius delictum omninò occultum mansurum esse; interim vero potest Monialis degere extra clausuram resumpto habitu honestæ fœminæ, & commendari probatæ alicui matronæ, apud quam viuat, vsque dum obtenta sit dispensatio, & alia de iure præstanda iam sint præstita: cum hoc tamen, vt præfata omnia efficiantur sine dispendio famæ Monialis: cui item procuranda erit dos tradenda posteriori monasterio, in quod Monialis ingressura est.

An autem in casu proposito, vbi Confessarius agnouit esse re vera fœminam quem sub ementito viri habitu credebat virum, debeat illam dimittere è monasterio in Ecclesiam, ibi cum ea diutius locuturus; idque ad seruandam legem Clausuræ fœminas excludentis è claustris virorum Religiosorum.

Respond. debere, si id fieri possit sine dispendio famæ Monialis; & ratio est, quod lex clausuræ excludit generaliter omnes fœminas, & consequenter Monialem hanc; cum verè sit fœmina, licèt ex errore credatur vir; nec apparet ex quo titulo respectu illius obligatio clausuræ suspendatur. ita in contingentia facti mihi propositi ego censui, sicque antea fuit in simili euentu practicatum.

QVÆRES VII. An, & qualem excommunicationem incurrant Moniales appellando in casu non permisso à correctione regulæ, & à mandatis suorum Superiorum.

11. Respond. incurrere ipso facto excommunicationem, eámque Papæ reseruatam, siue appellent ad tribunalia sæcularia (idque ex bulla Clementis VIII. in ordine 110. prohibentis Carmelitis, ne ad tribunalia sæcularia quouis prætextu, aut quæsito colore appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quoquo modo adire audeant, vel præsumant sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, à qua nonnisi à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolui possint, necnon priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia quæcunque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis tam actiuæ, quàm passiuæ eò ipso absque alia declaratione incurrendis pœnis) siue appellent à Generali, aut Visitatoribus per ipsum deputatis ab eorum reformationibus, seu correctionibus ad quodcunque tribunal, etiam Iudicis competentis, etiam ad Sedem Apostolicam; præterquam in casu, quo appellatio fieret à generali Congregatione, & in casu denegatæ iustitiæ, aut pro notoria iniuria: & hoc ex concessione facta Cistereiensibus relata *in comp. Soc. v. appellatio*, §. 2. quæ extenditur solùm ad casum, in quo appellatio fiat à Generali, aut Visitatoribus. Bulla verò Clementis VIII. vti possunt alij Ordines per communicationem, si velint.

Quòd si Moniales immediatè subiectæ Ordina- 12.
rio appellent ab ipso Ordinario in casu non permisso ad tribunal Iudicis competentis: posset quis dubitare, an tunc incurrant excommunicationem, quam olim tulit Iulius II. contra Fratres, & Sorores Ordinis Prædicatorum appellantes à mandatis, ac ordinationibus Prælatorum Ordinis, & refert Casarub. *in comp. v. appellare num.* 3. notans talem concessionem esse bullatam. Verùm puto in tali casu non incurri dictam excommunicationem, cùm Ordinarius non sit verè Prælatus Ordinis, neque respectu Monialium ipsi immmediatè subditarum, esto sit earum Prælatus; & aliàs indultum loquatur de Prælatis Ordinis: pœnæ autem non debent ampliari. Non nego tamen, quin, si qua extat excommunicatio lata contra Religiosos appellantes à proprio Prælato: tunc Moniales subiectæ Ordinario eam incurrant in casu, quo indebitè appellent; si quidem Ordinarius respectu talium Monialium verè est earum Prælatus; sicque verificaretur illas appellare à proprio Prælato; quod requireretur, & sufficeret ad contrahendam talem excommunicationem.

Moneo hîc vnum, priuilegia concessa Regulari- 13.
bus quo ad hoc, vt non appellent à suis Superioribus, non auferre illis ius appellandi, nisi in casu, quo nullum ipsis illatum sit grauamen, aut certè leue; adeóque si iis inferatur notabile aliquod grauamen, posse appellare à Superiore illud inferente, non obstantibus præfatis priuilegiis; aliàs talia priuilegia essent iniqua, & fouerent iniustitiam, vt patet.

Addit autem Sanchez *lib. 6. mor. cap. 8 num.* 110. & 14.
benè, illud esse discrimen inter ius commune, & ius priuilegij interdicens Regularibus appellationem; quòd ius commune illam non tollit, quando grauamen est dubium; priuilegia verò eam tollunt, etiam in tali euentu; & solùm concedunt, quando grauamen est manifestum, & magni momenti.

QVÆRES VIII. An, & quo casu Moniales incurrant excommunicationem latam à Sixto V. contra procurantes abortum.

Respond. videri incurrere solùm in casu, quo pro- 15.
curent abortum alterius fœminæ; non item, si proprium procurent abortum. ita in terminis Auila *de censur. part. 2. cap. 5. D. 3. d.* 12. Nald. *v. abortus num.* 1. aliqui tacito nomine citati ab Henriquez *lib. 3. de pœnit. cap.* 10. & non reiecti, Trullenchus *lib. 5. in decal. cap.* 1. *d.* 3. *n.* 3. Cardin. de Lugo, Baldellus, Bordonus, Stephanus à S. Gregorio, aliique docti viri à me consulti: & inde probant, quòd in bulla Sixti in ea parte, in qua fertur ista excommunicatio, nulla fit mentio de fœminis procurantibus proprium abortum, dum agitur de excommunicatione (fortè Papa compatiente in hoc fragilitati sexus fœminei) cum tamen de iis fiat mentio expressa, quando in ea agitur de pœnis temporalibus, vt facilè constabit consideranti tenorem textus: quod est signum fœminas procurātes proprium aborum subiici quidem pœnis temporalibus, non item excommunicationi: cùm enim simus in materia odiosa, ac pœnali, stricta fieri debet interpretio. Nec obstat, quòd in bulla Sixti, in qua parte fertur ista excommunicatio, præcedunt illa verba, *sine*

ne

vt principalis, siue vt socia: cùm ly *principalis*, intelligi possit de principali in dando poculo ad abortiendum (quòd colligitur ex verbo, *dederint*, posito in dicta bulla, à quo verbo regitur ly *principalis*) & aliàs iuxta vsitatum modum loquendi dicere solcamus fœminam sumere poculum ad abortiendum, & è contra vtamur verbo, *dare*, in ordine ad aliam fœminam, dicentes Luciam, v g. dedisse Titiæ poculum ad faciendum abortum, lex autem odiosa semper in benigniorem partem explicanda est. Et quidem quòd etiam Moniales subsint huic excommunicationi, si procurent alienum abortum, constat ex verbis illis bullæ, *necnon mulieres sæculares, vel quemcunque Ordinem professas*, sub quibus vtique constat comprehendi etiam Moniales. Nobiscum sentit Alphonsus de Leone *de censur. recoll. 7. num. 34.* nec dissentit Machadus relatus à Diana *part. 7. tract. 5. resolut. 7.* qui Diana notat cum Maucbello mulierem ex metu cadente in constantem virum coactam sumere potionem, ex qua sequatur abortus, excusari à dicta censura; eo quòd in tali euentu non possit dici procurare abortum; quippe quæ hoc ipso quòd cogitur sumere potionem, dici nequit studiosè quærere, vt fœtus abigatur: quod tamen videtur requiri ad incurrendum præfatam censuram. Addo obiter pro nostra sententia stare Henriquez *vbi supr.* hoc ipso quòd aliquos Doctores tacito nomine citat pro illa, & non refutat: nam referens, nec improbans aliquos Doctores videtur sequi; vt notauit Sanchez *lib. 6. mor. cap. 9. num. 18. lib. 7. cap. 12. num. 7. & cap. 25. num. 18.* & alibi sæpè indicans *lib. 5. moral. capit. 4. num. 30. fine*, hoc ipso quod Doctores vltimo loco referunt aliquam opinionem, videri illam tenere: quod etiam innuit *lib. 4. cap. 15. n. 40. circa medium, lib. 6. cap. 7. num. 9. & cap. 9. num. 14.* & alibi sæpè, nobiscum sentit Lexana *v. Abortus, num. 11.* imò & Bonac. *de leg. q. 4. p. 4. n. 6.* quatenus suam sententiam, quæ nostræ aduersatur, solum dicit esse probabiliorem, & sic supponens etiam nostram esse probabilem: nobiscum sentit & Fragosus *p. 2. l. 1. D. 2. n. 19.* dum loquens de præsenti excommunicatione ait, *Incurret tamen illam Monialis, si procuret abortum in alia fœmina ex Constitutione Sixti V. contra procurantes abortum, si sequatur effectus: quæ non comprehendit fœminas in se ipsis procurantes.*

QVÆRES IX. Quam excommunicationem incurrant Moniales inducendo aliquem ad promittendam electionem sepulturæ apud ipsas.

16. *Resp.* incurrere excommunicationem ipso facto Papæ reseruatam, & latam in Clement. *cupientes de pœnis*; sub qua docet Suar. *D. 22. de censuris sect. 4. num. 16.* comprehendi etiam Moniales; quippe quæ secundum omnem proprietatem loquendi veniunt nomine Religiosorum, de quibus expressè loquitur dicta Clementina, quæ autem conditiones requirantur ad contrahendam istam excommunicationem, recensentur à Suarez *supr.* & Sayro *lib. 3. de censur. capit. 29. num. 40.* aliisque, & à nobis exponuntur *in tract. de pœnis, cap. 2. sect. 1.*

QVÆRES X. Quàm excommunicationem incurrant Moniales, si directè, aut indirectè dare, petere, vel exigere quoquomodo præsumant in Nouitiarum receptione, siue post, prandia, seu cœnas, pecunias, iocalia, aut alia, etiam ad vsum pium deputata, aut deputanda.

17. Respond. eo ipso incurrere excommunicationem Papæ reseruatam, si dantes, aut recipientes sint personæ singulares; suspensionem verò ab omni actu, seu officio capitulari requirente iurisdictionem, & administrationem Ecclesiasticam (eamque reseruatam, vt constat ex Extrauag. *sanè de simon.* vbi hæ pœnæ inducuntur) si recipiens sit collegium, seu conuentus. Constat enim ex dictis *q. 1.* Moniales subiacere huic excommunicationi: quamquam, vt huiusmodi censuræ incurrantur à Regularibus in propositis casibus requiratur, vt ex pacto præuio aliquid detur, aut recipiatur pro ingressu Religionis, idest pro Religiosa professione; sicut aduertit Bonacina *D. 2. de censur. in part. q. 3. p. 29. num. 11.* ex Suarez monens *n. 2.* quòd, cum in textu bis repetatur verbum, *præsumunt*, ad contrahendas pœnas præfatas præsupponitur præsumptio; qua de re qui plura vult, consulat Bonac. *loco cit.* per totum punctum.

QVÆRES XI. Quàm excommunicationem contrahant Moniales, si impediant proprium Episcopum regularem accedentem ad ipsarum visitationem, quo minùs vti possint sua iurisdictione ordinaria.

Respond. Fuscus *lib. 2. de visitat. cap. 32. num. 10.* Moniales in tali casu non solùm posse excommunicari iuxta *cap. dilecto, de sentent. excomm. in 6.* sed de facto affici excommunicatione lata in Bulla Cœnæ; & consequenter reseruata Papæ, idem sentit etiam Ghilin. *v. clausura num. 20.* de Monialibus sic dicens; *Recusantes visitari possunt excommunicari tanquam impedientes iurisdictionem Episcopi*: immò excommunicantur in Bulla Cœnæ. Tenor autem Bullæ sic habet: *Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque Iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos, & affines impediunt, quominus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque vtantur, secundùm quòd canones, & sacra Constitutiones Ecclesiasticæ, decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt*, &c. *anathematizamus.* 18. Vbi suppono tanquam certum sub nomine Prælatorum venire etiam Prælatos regulares respectu Monialium sibi respectiuè subditarum: quippe qui verè sunt Prælati ipsarum, & ordinariam habent iurisdictionem in illas. Sic citati Doctores, & non improbabiliter, si canon præfatus bullæ loqueretur de quibuscunque impedientibus; etiam auctoritate priuata: cùm tamen Bonacin. *sup. D. 1. q. 17. p. 1. num. 7.* ex Nauarr. Suarez, Graff. Duardo, Filliuc. & Alterio contra aliquot alios probabiliter dicat posse sustineri sub dicto canone comprehendi solùm impedientes auctoritate publica: quippe qui continuari videtur cum præcedenti canone, in quo tantùm est sermo de personis publicam auctoritatem laicam exercentibus.

Verum tamen est, quòd, quamuis Moniales in casu proposito effugiant excommunicationem contentam in Bulla Cœnæ, si doctrinam hanc Bonacinæ tanquam probabiliorem sequamur (sicut sequi debemus, cùm simus in materia pœnali, quæ non debet ampliari, sed restringi) non tamen effugient excommunicationem latam in Clement. *attendentes, de statu monach.* his verbis: *Si qui verò visitatores ipsos* (idest Monialium) *in præmissis impedire præsumpserit, seu aliquo præmissorum; nisi moniti resipiscant, ipso facto excommunicationis sententiam se nouerint incursuros, priuilegiis statutis, & consuetudinibus quibuscunque in contrarium minimè valituris.* Ex quibus constat hanc excommunicationem esse quidem latæ sententiæ (vt colligitur ex clausula *ipso facto*) non tamen reseruatam; cùm in textu nulla fiat mentio reseruationis: immò nec incurri, nisi impedientes visitationem Monialium priùs legitimè moneantur 19.

neantur eo modo, quo explicabimus infra *cap.* 10. *sect.* 2. *subs.* 3. *quæst.* 11.

Quòd si hac occasione quæras, an Prælatus regularis possit ingredi cum Episcopo ingrediente ad visitandam clausuram Monialium dicto Prælato, aliàs subiectarum, renuente ipso Episcopo.

Respond. non posse: & probatur quia Ordinarius tanquam Sedis Apostolicæ delegatus habet ius visitandi clausuram Monialium aliàs exemptarum, illudque illimitatum; sicque ad hunc effectum potest ingredi, quoties iudicauerit expedire: ex alia parte non apparet, ex quo iure, aut titulo possit Prælatus regularis in tali casu etiam ipse ingredi cum Ordinario, quantumuis repugnante: ergo dicendum est illum non posse ingredi cum Ordinario, si is repugnet (qui tamen posset illum, si vellet, admittere vt Socium, at non tenetur.) Præterquam quod Prælatus regularis ingrediens cum Episcopo ad visitandam clausuram Monialium ipsi Prælato subiectarum, non conferret ad finem intentum in Visitatione, sed potiùs illum posset impedire (vt consideranti facilè patebit) adeoque credendum est id ei non permitti. Quod si Prælatus regularis cumulatiuè concurrit cum Episcopo quo ad visitandam clausuram Monialium illi subiectarum; & ipse etiam iudicat esse necessariam visitationem clausuræ, quo tempore illam visitat Episcopus; non ideo ius habet ingrediendi cum Episcopo visitante, si is contradicat, sed solum potest illam postea visitare, & sic vti iure suo, quod vtique non est ad visitandam clausuram vnà cum Episcopo, vt constat ex dictis. ita interrogatus respondi, &, vt puto, benè sicque censeo practicari.

Addo quod si Prælatus regularis in tali casu renuente Episcopo ingrederetur, incurreret excommunicationem, & alias pœnas latas contra Prælatos Monialium in casu non necessario clausuram ingredientes, & relatas *cap.* 5. *q.* 3. eum sic verè ingrediatur in casu non necessario, vt constat ex sup. dictis.

QVÆRES XII. Quàm excommunicationem incurrant Moniales cogendo fœminam ad ingrediendum religionem aut illam retrahendo ab illa.

20. Respond. incurrere excommunicationem ipsò factò latam in Conc. Trid. *sess.* 25. *de regul. c.* 18. non tamen reseruatam Papæ; vt aduertimus *cap.* 2. *sect.* 1. *q.* 19. vbi latè ostendimus in quibus casibus, & per quas actiones incurratur præsens excommunicatio.

QVÆRES XIII. Cui excommunicationi subiaceant Moniales, si Habitum religiosum dimittant, & quæ requirantur ad illam incurrendam.

21. Respond. subiici excommunicationi latæ in *cap. vt periculosa, ne cler. vel mon. in* 6. non tamen reseruatæ: quamuis aliàs ipsò factò incurratur, si Monialis dimittens habitum sit professa, si habitus, qui dimittitur, sit proprius illius religionis, si dimissio sit temeraria (id est sine causa rationabili) talisque vt attentis præsentib. circumstantiis, iudicio prudentis censeatur apta ad vagandum. Colligitur ex *Sanch. l.* 6. *mor. c.* 8 *num.* 38. & patebit ex dictis in *tract. de pœnis, cap.* 2. *sect.* 3. *q.* 3. Moneo hic solum quòd, quamuis in iure relato ad incurrendam istam excommunicationem videatur requiri, vt dimittatur habitus, & simul vacetur studio physicæ, aut legum sine Superioris licentia, vt colligitur ex verbis illis: *Si quis horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam* (quæ duo cùm regulariter non possint simul cadere in Moniales, consequenter dicendum videtur in eas non posse cadere istam censuram) re vera tamen communis DD. sententia, teste Suar. *sup. D.* 23. *sect.* 4. *num.* 26. cum Glossa habet ad incurrendam istam excommunicationem sufficere, quòd religiosus temerè dimittat habitum (quòd vtique cadere potest in Monialem) sicque verba illa: *Si quis horum violator temerarius extiterit*, sumi debent disiunctiuè; casu plurali adhibito pro singulari, sicut notauit Bonac. *sup. D.* 2. *q.* 8. *p.* 6. *num.* 31.

QVÆRES XIV. Qua excommunicatione afficiantur Moniales non seruãdo Interdictum, aut Cessationem à diuinis alias obseruãda iuxta *Clem.* 1. *de sent. excō. in* 6.

Respond. affici excommunicatione contenta in *dicta Clem.* & quidem ipsò factò; non tamen reseruata; cùm de reseruatione talis excommunicationis nullibi fiat mentio, & alioqui reseruatio tanquam odiosa debeat quàm maximè vitari: intellige, si Interdictum sit generale, latum auctoritate pontificia, & seruetur ab Ecclesia matrice, seu parochiali, constetque de hoc Monialibus: hæ enim omnes conditiones supponuntur in citata, *Clem.* Quamuis Auila *p.* 5. *de Censur. D.* 5. *d.* 3. notet Regulares violantes Interdictum, quod ipsis constet esse legitimum, affici pœnis latis *c. fin. de excess. prælat. c. author. c. episc. de priuil. in* 6. etsi illud non obseruetur à matrice. 22.

QVÆRES XV. Quæ excommunicatio iure communi imposita sit contra Moniales indebitè sibi vsurpantes decimas, earumve solutionẽ impedientes.

Respond. impositam esse excommunicationem latam in *Clem.* 1. *de decimis*, incurrendam quidem ipsò factò (quamuis non statim, vt mox subiiciam) non tamen reseruatam. Constat ex *citata Clem.* in qua expresse habetur istam excommunicationem non incurri statim, ac religiosi fecerunt aliquam ex actionibus ibi prohibitis, sed solùm post duos menses, si decimas vsurparunt, & intra tale tempus non exhibeant debitam satisfactionem: post vnum verò mensem, si decimas prohibuerunt, aut non permiserunt solui, & intra tale tempus post monitionem de hac re ipsis factam non satisfaciunt. Qua de re latè Bonacina *sup. q.* 8. *p.* 12. monens *num.* 8. in specie etiam Moniales subiici præsenti excommunicationi, si aliquam faciant ex actionibus sub ea prohibitis; quæ sunt appropriare sibi nonalia, vsurpare decimas, non permittere, aut etiam prohibere, ne soluantur. Dixi, *non tamen reseruatam expressè*, vt innuerem eam virtualiter reseruari hoc ipsò quòd non potest tolli per absolutionem, nisi præstita debita satisfactione. 23.

QVÆRES XVI. Quæ excommunicatio contrahatur à Monialibus post religiosam professionem matrimonium de facto contrahentibus.

Respond. contrahi excommunicationem ipsò factò latam in *Clem.* 1 *de consangu. & affinit.* non tamen reseruatam: idque siue illud consumment, siue non; constat ex dictis in *tract. de pœnis, vbi sup. q.* 10. & habetur expressè in *citata Clem.* iis verbis *nec non Religiosos, & Moniales ac Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia cōtrahentes refrænare metu pœnæ ab huiusmodi eorū temeritatis audacia cupientes, ipsos excōmunicationis sententiæ ipsò facto decernimus subiacere.* 24.

Addo Moniales matrimonium contrahentes fieri bigamas ex *cap. quotquot* 24. *q.* 1. sicque Glossa, & Archidiaconus ibi dicunt illas eò ipsò fieri inhabiles ad gradus, ad quos Moniales virgines assumuntur.

QVÆRES XVII. Quæ excommunicatio statuta sit contra Moniales absque licentia Papæ noua monasteria admittentes, aut iam recepta alienantes.

Respond. iure communi statutam esse excommunicationem, ipsò quidem factò incurrendam, non tamen reseruatã, quæ extat *cap. vn. de excess. prælat. in* 6. quamquam ea incurratur solùm à Monialibus Ordinum mendicantium, vt pote lata solùm contra Religiosos mendicantes; sicut diximus in *tract. de pœnis suprà quæst.* 12. vbi agemus de hac re ex professo, 25.

monentes,

monentes, suppositis priuilegiis postea concessis Regularibus, huiusmodi excommunicationem fuisse abolitam quò ad non recipienda noua loca sine licentia Papæ, sicque ampliùs eam non contrahi, si
26. absque dicta licentia Papæ nixi præfatis priuilegiis noua loca recipiant.

Vrbanus cetiè VIII. *in sua Constitutione 25. in ordine* omnium Ordinum, etiam mendicantium Superioribus, cæterísque personis, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, necnon officiorum quorumcunque ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, necnon etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis prohibet, ne licentiarum, seu facultatum ab ipso annullatarum, siue quouis alio prætexto, vel causa, etiam qoantumuis priuilegiata, noua monasteria, ac alia loca regularia, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac seruata in omnibus, & per omnia sacrorum Canonum, & Concilij Tridenr. necnon Constitutionis Clementis VIII. quæ incipit, *Quoniam ad iustitiam,* ac decretorum de mandato eiusdem Clementis; necnon Gregorij XV. desuper editorum forma recipere, erigere, fundara, seu aliàs quomodolibet instituere, seu incœpta finire, & absoluere audeant.

QVÆRES XVIII. Quæ excommunicatio iure
27. communi inducta sit contra Moniales alienantes bona monasterij prohibita alienati.

Respond. inductam fuisse eacommunicationem eò ipso incurrendam, non tamen reseruatam; vt constat ex bulla Paoli II. *Ambitiosæ*, in qua fertur talis excommuuicatio his verbis: *Et tam qui alienant, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrant.* Certum est autem quòd, cùm ista eacommunicatio lata sit contra quascunque personas Ecclesiasticas alienantes bona Ecclesiastica probibita alienari; & aliàs Moniales, verè, ac propriè sint personæ Ecclesiasticæ: etiam ipsæ sub ea compreheuduntur; sicque illam incurrent, si de bonis immobilibus communibus monasterij, aut etiam priuato ipsarum vsui concessis indebitè alienent; sed de hoc plura Bonac. *D. 2. de censur. in partic. quæst. 4. part. 11.*

QVÆRES XIX. Quam excõmunicationem incurrãt Moniales, si vocatę ad dirigendas ipsas Moniales in electionibus; non abstineant ab iis, eaquibua oriri
28. possint discordiæ, aut ortę enutriri circa electiones.

Respond. ipso facto incurrere excommunicationem latam *in cap. indemnitatibus, de elect. in 6.* sed non reseruatam; vt colligitur ex tenore teatus, qui sic habet, *Postremò hi, quos ad dirigendas in huiusmodi electionibus Moniales easdem deinceps contingerit euocari, ab his prorsus abstineant, quæ inter eas super faciendis ipsis electionibus oriri possit discordia, vel exorta nutriri: aliàs eò ipso excommunicationis sententiæ se nouerit subiacere.* Vbi notat Bonac. *supr. quæst. 2. part. 5. num. 4.* dispositionem huios iuris procedere, non solùm Prælatis ex officio interessentibus dictis electionibus; siue id faciant ea potestate ordinaria, siue delegata (si quidem hi possunt dici vocari ad dirigendas Moniales in electionibus, prout supponitur in textu) sed in aliis omnibus tam viris, quàm fœminis, atque adeo in ipsis etiam Monialibus, quæ fortè modo dicto auocentur ad dirigendas Moniales Conuentus in aliqua electione: si quidem textus loquitur generaliter; lex autem generaliter loquens generaliter debet intelligi.

QVÆRES XX. Quæ excommunicatio iure communi inducta sit contra Moniales propria sibi ædificantes receptacula, & priuata domicilia in quibus sub hospitalitatis prætextu passim aduersùs sacros canones suscipiant hospites, & minùs Religiosos.

Respond. inductam esse excommunicationem, 29.
non tamen latæ sententiæ, sed ferendam; vt colligitur ex 18. *quæst. 2. cap. perniciosam,* vbi fertur ista excommunicatio sub his verbis, *hoc tam inhonestum, detestandúmque flagitium ne vlterius fiat, omnimodis prohibemus, & sub pœna anathematis interdicimus.* Vbi notandum sub præsenti censura non prohiberi præcisè habitacula singularia Monialium, sed in ordine ad ibi non eacipiendas personas minùs honestas; fortè quia tunc non extabat obligatio clausuræ.

QVÆRES XXI. Sub qua excommunicationè prohibeantur Mouiales aliquid recipere ex bonis Nouitiæ, quam admittunt ad probationem, supra victum, ac vestitum, & iubeantur ei ante professionem abeunti restitoere omnia, quæ sua erant.

Respond. & illud probiberi, & hoc præcipi sub 30.
pœna excommunicationis ferendæ, vt constat ex Concilio Trid. *sess. 25. de regul. cap. 16.* qood ita habet, *Quin potius præcipit S. Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant.* qua de re Peyrin. *de R.S. quæst. 1. cap. 19.* Leaana *tom. 1. cap. 24. num. 32.* & Tambur. *D. 6. de iure Abbatiss. quæst. 4. num. 5.* ibi monens ex Naldo, & Galleto non solùm reddenda esse omnia bona Nouitiæ, si ea recedat à monasterio, sed etiam in casu, quo illa moriatur; nisi fortè, cùm sit sui iuris, aliter de dictis bonis disponat ante mortem.

QVÆRES XXII. Quam incurrant excommunicationem Moniales, si vacent negotiationi iure communi probibitæ personis Ecclesiasticis.

Respond. incurrere excommunicationem, non ta- 31.
men ipso facto, sed per sententiam iudicis: & boc ex *cap. secundum, ne cler. vel mon.* quod sic habet: *Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub intermitatione anathematis prohibemus, ne monachi; vel clerici causa lucri negotientur;* quamquam, cùm verbum *negotiatio*, indicent frequentiam actuum, non possint Moniales, aliique Ecclesiastici dici subiacere præfatæ censuræ, si semel, atque iterum tantùm negotientur, secluso scandalo, paruitate materiæ sic excusante. Immo Tabiena, Armil. Aragon. Salon. Medin. Molina, Rebellus, & Lessius quos citat Filliuc. *tract. 35. num. 25.* & sequitur Salas *tract. de empt. & vend. d. 1 num. 8.* putans iure allegato, & similibus solum prohiberi negotiationem in propria persona, ideóque non incurri pœnas latas contra negotiantes; si clericus, aut Religiosus negotietur per alios; cùm sic cesset ratio prohibitionis, nempè distractio, ac periculum peccandi; quod tamen non admittit Filliuc. *num. 26.* nisi interueniat iusta aliqua excusatio, paupertatis v.g. aut necessitatis: cùm etiam in negotiatione facta per alium intercedat aliqua indecentia ratione status, aliàs solum excusanda ex aliqua dictarum causarum.

Addont DD. personas Ecclesiasticas, & conse- 32.
quenter Monialea, si vacent illicitæ negotiationi, amittere priuilegium immunitatis ab oneribus in se, & in bonis propriis; eaemptionem scilicet à tributis, & gabellis: idque ex *cap. fin. de vit. & hon. cler.* quod tamen non habet locum, nisi post trinam monitionem (vt benè aduertit Sylu *v. clericus 3. quæst. 3.*) & solùm quamdiu non desistitur à negotiatione; sicque priuilegium dictę immunitatis recuperatur statim ac desistitur à negotiatione, prout benè colligũt DD. ex verbis illis *dũ se se implicant*, quæ sunt in iure citat.

Neque ex eo quod iura prohibentia negotiatio- 33.
nem Ecclesiasticis solùm loquuntur de Clericis, aut Monachis;

Monachis, non facta mentione de Monialibus, hæ excluduntur à dictis iuribus; si quidem non est nouum fœmininum includi sub masculino, etiam in odiosis, ac pœnalibus, sicut ostendimus q. 1. & multis aliis in locis.

QVÆRES XXIII. An Moniales se inuicem percutientes incurrant excommunicationē, & quam.

34 Respond. incurrere illam, quæ lata est *in cap. si quis suadente diabolo 17. q. 4.* cùm Moniales *in citato cap.* veniant nomine *Monachi*, vt supponitur *in cap. de Monialibus, de sent. excommun.* idque siue sint professæ, siue Nouitiæ, siue Conuersæ, vt inter alios notat Suar. *D. 22. de censur. sect. 1. num. 19.* Incurrent autem hanc excommunicationem Moniales, si per vim aliquid eripiant è manibus alterius Monialis: si iniuriosè illam detineant in loco aliquo clauso: si percutiant, aut violentiam faciant rei adhærenti ipsi (v.g. lacerando vestem) si in eam proiiciant lapidem, librum, aut aliquid aliud: si illam impellant: si venenum propinent, & venenum operari incipiat: si eā iniuriose insequātur, sicque cogant illam se præcipitem dare in locum aliquem profundum: si in eam conspuant, aut lutum, vel aliquid aliud sordidum proiiciant; in his, inquam, casibus, & aliis similibus incurrent excommunicationem, si actus; quem exercent aduersùs Monialem, sit violentus, iniuriosus, ac extrinsecè moralis. Non item, si in Monialem solùm verba iniuriosa effundant; si per metum absque vi, aut tactu eam cogant exire ab aliquo loco: si percutiant ad iustam defensionem cum debito moderamine, vel ad correctionem: si ex bono zelo ab Ecclesia illam eiiciant, eò quod alias perturbet: si percutiant ex ioco: in his enim & aliis casibus non incurrunt. ita communiter DD quorum aliqui putant Monialem se percutientem iniuriosè affici hac excommunicatione: alij negant, & non improbabiliter, vt notat Bonac. *in D. 2. de censur. in comm. q. 4. part. 2. n. 4.* Qua de re cap. 10. n. 303. vnum. 5.

Addo iuxta Caietanum *v. excommunicatio. cap. 10.* Monialem, quæ potione, aut scissione venæ procurat proprium abortum, non incurrere hanc excommunicationem: eò quòd talis infectio manus in se ipsam comparatione sui non sit iniuriosa, nec violenta, nec contumeliosa: siquidem volenti, & consentienti non fit iniuria: immò *nec iniuriosa statui Ecclesiastico*, subdit Caietanus: quod tamen negant alij DD. ideóque sustinent probabilius Monialem in proposito casu affici hac excommunicatione. Cū Caietano sentiunt Bellachius, Capeauilla, Maxuchellus, Auila, Bonac. & Alph. de Leone relati à Diana *part. 7. tract. 5. resol. 40.*

Quam autem excommunicationem incurrant Moniales violando clausuram, constat ex dictis *c. 5. sect. 1. 9. 10.* Verùm verò subiaceant excommunicationi latæ à Pio V. contra interessentes agitationi taurorum, aliqui affirmant, alij probabiliùs negant; vt videre est penes Bonac. *D. 2. de censu. in parte, q. 5. part. 7. num. 10.*

De Suspensionibus latis contra Moniales.

35 *Suspenduntur ab omni actu capitulari, si ex pacto, & capitulariter aliquid recipiant pro professione: indicatur quid sint localia vetita Monialibus.*

36 *Suspenduntur ab officio ad arbitrium Ordinary, si sint Abbatissæ, & eum non præmoneant de professione facienda à Nouitia.*

37 *Suspenduntur ab officio, si ad certum tempus bona Conuentus alteri concedant, præsidentes monasterio.*

38 *Suspenduntur à receptione Religiosarum in eodem Ordine, si admittant ad professionem, nondum finito anno probationis.*

39 *Ligat hæc suspensio etiam in casu, quo Monialis transeat ad alium Conuentum eiusdem Ordinis; non item, si ad Conuentum alterius Religionis.*

QVÆRES XXIV. An Moniales incurrant suspensionem latam in Extrauag. *sanè de simon.* si in Nouitiatum recepturione directè, aut indirectè dent, petant, aut recipiant prandia, cœnas, pecunias, iocalia, & similia, siue ante, siue post.

Respond. incurrere; & patet, quia ex in citata Extrauagante exprimuntur, & aliàs habent iurisdictionem petitam ad accipiendam aliquam in Monialē (de qua acceptione ibi est sermo) siue talis iurisdictio sit propriè talis (quæ non cadit in Moniales) siue solùm impropriè sicut re vera est de qua suspensione consulamur dicta superius in hoc ipso *c. q. 10.* 35.

Censeo autem nomine *iocalium* hîc significari munera dari solita monasterio à Moniali ingrediente Religionem; cùm iocalia propriè sint munera, quæ sponsalitia largitur Sponsi inuicem sibi tradebant. colligo id ex Sanch. *l. 6. de matr. D. 26. num. 11. D. 18. num. 4. 9. 11.* Iulio Claro *tract. de donat. v. iocalia in indice alphabetico*, Menochio *de arbitrar. Iudic. v. iocalia*, & in terminis ex Ognate *tom. 2. de contr. D. 35. num. 1.* vbi dicit. Quæ mittunt sponsi sponsis suis gratis, & liberaliter ad eas ornandas, vel è contra (nam etiam sponsæ largitate sponsalitia ornare solent sponsos, licèt non ita frequenter) sponsalitia largitas appellatur, & à plurimis Doctoribus sponsalitium vocatur, ac si dicas donum inter sponsos. Quin etiam iocalia nostrates vocant à quo nomine parum corrupto vocabulo nostri etiam *Ioyas* hæc Iocalia dicunt, quasi ludat, & iocetur recens nubentium feruor, quia gemmæ, & monilia, & torques, & inaures, & anuli, & vniuersus mundus muliebris, quibus ludit & delectatur recens sponsorum amor potius puerorum næniæ, & iocusquam seria, & sulida bona sunt, hæc Ognate; sed de hoc consulatur Diana *part. 8. tract. 7. resol. 29. v. non posse, & v. sequenti*: cùm ergo Monialis ingrediens monasterium desponsetur Christo, ad imitationem sponsarum monasterio tradere solebat sua iocalia, idest sua munera sponsalitia; quamuis postea iustis de causis prohibita fuerint Monialibus; vt constat ex citata Extrauagante.

QVÆRES XXV. Quam suspensionem contrahat Monialis Abbatissa, si ante mensem certiorem non faciat Ordinarium loci de professione facienda à Nouitia degente in suo monasterio.

Respond. incurrere suspensionem ab officio ad arbitrium Episcopi, cuius intererat admoneri, eamque latam in Conc. Trid. *sess. 25. de regul. cap. 17.* his verbis: *Cuius professionis tempus, ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta monastery eum ante mensem certiorem facere: quod si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit*; quod est dicere huiusmodi suspensionem esse reseruatam ad arbitrium Episcopi. Verum tamen est, quod si Præfectæ monasterij certò constaret Episcopum optimè recordari Nouitiam post mensem professuram esse; tunc prædicta Præfecta non tenetur illum de hoc monere; cùm sic cesset finis legis, & alioqui nulla lex obliget ad actum inutilem. 36.

QVÆRES XXVI. Qua suspensione afficiantur Moniales, si præsidentes monasterio alicui, concedant alicui iura reddituus, aut possessiones ipsius

ipsius monasterij ad vitam dantis, aut recipientis, vel ad aliud certum tempus.

37. Respond. affici suspensione lata in Clem. 1. *de reb. Eccl. non alien.* quæ est suspensio ab officio (non tamen reseruata quamquam ea non incurratur, si dicta bona concedant ratione necessitatis, aut vtilitatis ipsiusmet monasterij: in quo casu debent extorquere consensum siue Capituli, siue proprij Prælati. Colligitur *ex citata Clem.* quæ sic habet: *Ne quis Religiosus monasterio, prioratui, Ecclesiæ, seu administrationi cuius præsidens iura, redditus, aut possessiones eiusdem alicui ad vitam eius, seu aliud certum tempus, pecunia etiam inde recepta, quouis modo concedat, nisi necessitas, aut vtilitas monasterij,* &c. *hoc exposcat, Conuentus sui, aut, si Conuentum non habeat, Prælati proprij assensu ad hoc nihilominus accedente: si quis autem contra hoc fecerit, pœnam suspensionis ab officio eò ipso incurrat, nec ex concessione ipsius recipienti ius aliquod acquiratur.* Circa quem textum notat Bonac. *sup. D. 3. q. 8. p. 7. num. 6.* quòd, cùm loquatur generaliter dicens, *ne quis Religiosus,* & talis forma loquendi comprehendat omnes Religiosos tam mares, quam fœminas; huiusmodi pœna extenditur ad Religiosos vtriusque sexus, & consequenter etiam ad Moniales: præsertim cùm materia, quæ sub tali pœna prohibetur, sit communis etiam Monialibus. Vnde quis benè inferat, quòd, dum ista suspensio dicitur suspendere ab officio; nomine officij non venit solùm officium ordinis, ac iurisdictionis propriè dictæ (quæ non possunt cadere in fœminam) sed aliquid latius, prout scilicet etiam comprehendit munus Abbatissæ: aliàs vana, ac inutilis esset ista suspensio respectu fœminæ: in quam tamen docet Bonacina eam posse cadere; cùm alioqui censeat hîc nomine officij intelligi tam officium ordinis, quam iurisdictionis.

Qværes XXVII. Quam suspensionem incurrant Moniales, si ad professionem admittant aliquam nouitiam, nondum expleto anno probationis.

38. Respond. incurrere suspensionem à receptione Religiosorum in eodem Ordine (non tamen reseruatam) si Moniales sint ex Ordine Mendicantium; de his quippe tantùm loquitur *cap. non solum de regul. in 6.* vbi fertur ista suspensio his verbis: *Quòd si fortè contra hanc nostram prohibitionem quemquam recipere præsumpseritis, decernimus eum; qui taliter receptus fuerit, nullatenus vestro esse Ordini alligatum: vosque à receptione quorumlibet ad professionem eiusdem Ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœna subijciendos, quæ Fratribus ipsius Ordinis pro culpis infligi grauioribus consueuit.* Ita in terminis Bonacina *part. 5. num. 13.* contra alios oppositum sentientes apud Syluestrum *v. Religio 3. quæst. 1.* & patet ex ipso textu; si aduertero huiusmodi suspensionem incurri ipso facto, vt apertè colligitur ex verbis illis, *ipso facto suspensos*; non ligare tamen, nisi intra eundem Ordinem; vt constabit ex dicendis, §. *sequenti.* Notat autem Bonacina *num. 14.* huiusmodi suspensionem incurri non solùm ab iis Religiosis, qui primò concurrunt ad aliquem recipiendum ad professionem, sed etiam ab iis, qui dant suum suffragium post præstitum numerum sufficientem suffragiorum: cùm hi verè dicantur recipere: quod fortè non admitterent DD. relati à Diana *part. 1. tract. 3. resol. 16.* sustinentes concurrentem suo suffragio ad damnum alterius iniustè illatum, postquam sufficiens numerus suffragiorum præstitus est, non teneri ad restitutionem, cùm non possit dici concurrere ad præfatum damnum iam plenè per alios illatum: par enim ratio procedit in nostro casu.

Quòd si quæras, an dispositio istius iuris procedat in casu, quo Monialis ex monasterio proprij Ordinis legitima potestate transiret ad gubernandum aliud monasterium, siue eiusdem, siue alterius Ordinis.

Respond. distinguendo; vel Monialis transit ad gubernandum aliud monasterium eiusdem sui Ordinis: & sic puto præfatam dispositionem procedere, cùm tunc verificentur verba ipsius dispositionis, videlicet, *vosque à receptione quorumlibet ad professionem eiusdem Ordinis fore ipso facto suspensos,* sicque subsistat dispositio; vel transit ad gubernandum aliud monasterium alterius Ordinis: & sic non procedit dicta dispositio; cùm in tali casu non verificentur verba dispositionis modò adducta, & alioqui versemur in materia pœnali, quæ iuxta communem Doctorum sententiam à nobis sæpiùs repetitam non debet extendi vltra rigorosam verborum proprietatem. 39.

De Interdictis Iure communi latis conrra Moniales.

40 *Interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, si violent Interdictum generale locale.*

41 *Item, si ad diuina Officia recipiant publicè excommunicatos, ac interdictos.*

42 *Interdici debent, si renuant confiteri ad confessionale positum in Ecclesia exteriori.*

Qværes XXVIII. Quod, & quale Interdictum incurrant Moniales violando Interdictum generale locale.

Respond. incurrere Interdictum ab ingressu Ecclesiæ latum *in cap. Episcoporum, de priuil. in 6.* & durans, vsque dum præstent debitam satisfactionem ei, cuius censura violata est; sic enim habet textus: *Qui verò contra præsumpserit, præter alias pœnas à iure statutas ingressum Ecclesiæ sibi nouerint interdictum, donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, satisfecerint competenter.* Incurrent autem Moniales tale Interdictum ipso facto, si quàm ex actionibus hîc prohibitis faciant: v. g. faciendo celebrare in loco interdicto, aut admittendo excommunicatos publicè, aut interdictos ad diuina Officia; quæ sunt actiones communes viris, ac fœminis, & possunt cadere in Moniales, vt patet: quamuis ad incurrendum eiusmodi interdictum requiratur præsumptio; vt constat ex verbis illis *qui contra præsumpserint.* & quidem quòd Moniales subiaceant huic interdicto; inde suadetur, quòd textus generaliter loquitur de omnibus Religiosis, quantumcumque exemptis, adeóque comprehendit etiam Moniales, quæ verè & propriè sunt, & dicuntur Religiosæ: & sic, si faciant aliquam ex actionibus hîc prohibitis, ipsarum sexui, ac conditioni proportionatam manebunt interdictæ ab ingressu propriæ Ecclesiæ interioris, sicque eam non poterunt ingredi ad audienda diuina Officia, immò neque ad faciendas priuatas orationes iuxta aliquos Doctores (quorum opinionem fatetur Suar. *D. 35. de censur. sect. 4. num. 25.* de rigore iuris esse probabiliorem, interim tamen oppositam sustinens esse probabilem) hos quippe effectus gignit Interdictum ab ingressu Ecclesiæ. 40.

Qværes XXIX. Quale Interdictum contrahant Moniales, si scienter admittant publicè excommunicatos, aut interdictos ad diuina Officia.

Respond.

41. Respond. incurrere Interdictum ab ingressu Ecclesiæ latum *in cap. Episcoporum de regul. in 6.* explicatum *q. praced.* ex quo proinde petenda sunt, quæ hic dici possent, & deberent. Addo solùm ex Bonac. *sup. D.4. q.1. p.6. n.5. admittere* (prout hic sumitur) importare tum recipere ad aliqua ex supradictis, tum non prohibere, cùm possit, & debeat.

Qværes XXX. Quale Interdictum incurrant Moniales, si renuant confiteri Sacerdoti ad confessionale collocatum in Ecclesia exteriori.

42. Respond. incurrere Interdictum simpliciter dictum, non tamen ipso facto, sed ferendum: idque ex decreto sacræ Congr. referendo inferius *c. 10. sect. 3. subs. 1. q. 14.* quod tamen videndum est, an sit in vsu.

De Irregularitatibus, quæ Iure communi cadere possunt in Moniales.

43 *Si sint illegitima, sunt incapaces Abbatissatus; quod alij negant probabiliter.*
44 *Saltem in hoc dispensari possunt à suo Prælato.*
45 *Si sint viduæ, aut aliter corruptæ, eligi nequeunt in Abbatissas; et si aly negent: dispensata ad monachatum intrant plura monasteria.*
46 *Itē, si sint bigamæ, eligi non possunt in Abbatissas.*
47 *Item, si sint infames.*
48 *Non item, si descendant ex genere maculato.*

Qværes XXXI. An Monialis illegitima sit irregularis quo ad prælationes Religionis, & quo modo.

43. Respond. quòd, quamuis probabilior, & conformior praxi sit pars affirmans, quam sustinent plures Canonistæ, apud Tamburinum *sup. D.28. q.11. num.1.* Suar. *D.50. de censur. sect.5. num.15.* Sayr. *l.6. thesauri, cap.11. num.3.* Laym. *in qq. can. cap. vlt. q.229.* Nald. *v. Abbatissa, num.2.* Sanch. *l.5. mor. cap 5. n.19.* Nauar. *cons. 4. de regul. num.60.* aliique penes eundem Tamburinum sustinentes, seclusis Religionum priuilegiis, Monialem illegitimam non posse absque Apostolica dispensatione eligi in Abbatissam; eò quòd Abbatissa quamdam quasi prælationem obtineat inter Moniales, quam natalium defectus obscurat nisi aliundè insignes dotes cohonestent; probabilis tamen etiam videtur pars negans, quam sequuntur Miranda *q.6. de monial. art.3.* Rodriq. *tom.1. quest.13. art.21.* Portel. *de dub. regul. v. Abbatissa, n.6.* Lezana *tom.1. c.26. n.6.* aliique absolutè docentes Monialem illegitimam posse eligi in Abbatissam, etiam sine vlla dispensatione. probant autem tum ex quadam declaratione sacræ Congregationis relata à Tambur. *num.2.* per quam fuit decisum Moniales ex illegitimo thoro genitas non comprehendi in Constitutione Sixti V. edita contra illegitimos, quominùs eligi possint ad munus Abbatissæ, & alia monasterij officia: tum quia in iure nullus extat canon, quo vetetur, ne fœmina illegitima eligi possit in Abbatissam; cùm iura illegitimis solùm interdicant habere officium cum iurisdictione ordinaria; cuiusmodi vtique non est officium Abbatissæ, cuius prælatio non est ordinaria, sed quasi ex commissione.

44. Dixi in priori parte huius responsionis, *seclusis Religionum priuilegiis*; vt indicarem, quòd si Monialis illegitima indigeret dispensatione ad hoc, vt eligi posset in Abbatissam, talis dispensatio ei posset concedi à proprio Prælato: sed de hoc *c. seq. q.17.*

Qværes XXXII. An Monialis vidua, aut aliter corrupta dici possit irregularis quo ad prælationes Religionis, ita vt eligi non possit in Abbatissam absque legitima dispensatione.

45. Respond. quòd licèt Sanchez *loco supra cit. n.22.* putans ad officium Abbatissæ non requiri virginitatem, nisi vbi adesset vsus impertiendi Abbatissis benedictionem, & consecrationem propriam virginum, censeat Monialem viduam, aut aliter corruptam ex hoc solo capite non esse incapacem, vt eligatur in Abbatissam: & hoc idem sustineant Rodriquez apud Tamburin. *sup. quest.12. n.4.* dicens huic sententiæ subscripsisse Suarez, dum viueret, Palud. *in 4. d.21. quest.3. artic.3. num. 60.* & S. Antonin. *3. part. tit.17. cap.22. §.1.* ea ducti ratione, quòd neque de iure diuino, neque naturali, neque Ecclesiastico est, vt Abbatissa debeat esse virgo; &, dato quòd extaret tale aliquod ius humanum, per contrarium vsum iam fuisset abrogatum: in praxi tamen opposita sententia sustinenda est, vtpote conformis praxi, saltem in Italia; vbi ait Tamburinus se nunquam audiuisse Monialem, quæ non esset virgo (intellige in communi æstimatione) fuisse electam in Abbatissam: & quidem meritò, cùm indecens sit non virginem præesse virginibus, & minùs efficax futura sit adhortatio ad virginitatem, quæ fiat à non virgine; vt proinde non pauci Canonistæ relati à Tamburino *num. 1.* nobiscum sentiant, & ipsamet sacra Congregatio 15. Iulij 1616. declarauerit, quod, si vidua monasticum habitum assumat, ad Abbatissæ, aut Priorissæ munus obeundum absque Sedis Apostolicæ dispensatione eligi non possit: cui etiam conformatur stylus sacræ Pœnitentiariæ, teste eodem Tamburino; dum absolutionem concessam Moniali ob corruptionem, illam limitat, vt non propterea ea eligi possit in Abbatissam vi talis absolutionis, &, si eligatur, non possit consecrari, etsi corruptio sit occulta: intellige iuxta dicta hic *cap. 3. sect. 3. quest. 5.* qui vult videat Portellum *sup. §. an Monialis, qua fuit vidua, num.1.*

Addo hic obiter, quod, si vidua iuxta dicta *cap.2. num.13.* à sacra Congregatione dispensetur ad suscipiendum statum Monialium, si ingressa aliquod monasterium ad talem effectum ibi non possit perseuerare, vi dictæ dispensationis ingredi potest aliud; dummodò dispensatio non fuerit limitata ad certum monasterium; &, si sic esset limitata, & nouiria pertæsa status Religiosi recederet ab illo monasterio, mutata voluntate posset iterum ad illud redire, ibique denuo suscipere habitum Religiosum. Et ratio est, quòd priuilegium fauorabile, aut parum onerosum extenditur ad iteratos actus, quoties illud absolutè conceditur, & aliter non colligitur de mente concedentis, duràtque finis priuilegij; vt benè aduertit, Sanchez *l.8. de matr. D. 31. num.8. alys citatis* remissiuè. hæc autem omnia militant in casu nostro, vt suppono.

Qværes XXXIII. A Monialis bigama hoe ipso sit irregularis quo ad prælationes Religionis.

Respond. quòd, cùm iuxta dicta *q. praced.* communis praxis, saltem in Italia, habeat, vt Monialis corrupta non eligatur in Abbatissam: à fortiori non poterit eligi Monialis bigama (quomodocumque demum dicatur bigama) Ita Sanch. *sup. n.23.* Maiol. *l.1. de irregul. cap.29. num.14.* aliique & patet ex dictis *q. praced.* si aduertero Monialem matrimonium de facto contrahentem fieri irregularem ex bigamia similitudinaria. 46.

Qværas XXXIV. An Monialis, quæ est infamis infamia, siue iuris, siue facti, sit irregularis quo ad prælationes Religionis.

Respond. esse, ideóque non posse absque dispensatione eligi in Abbatissam. Ita Viuald. *n.11.* Maiol. *num.12.* Nauar. *num.60.* Lezana *num.7.* Tambur. *q.15. num.4.* 47.

num 4. aliique communiter; & probant tum *ex cap. infames 6.q.1.* aliisque iuribus, in quibus statuitur infames non posse eligi ad honores, ac dignitates; tum quia non decet Virginibus assumptis in sponsas Christi fœminam infamem, siue iuris, siue facti infamia, idque etiam post emendationem: quamquam, si infamia esset solùm facti, simpliciter posset Monialis hoc modo infamis post emendationem eligi in Abbatissam ob ea, quæ tradunt DD. de infamia facti, & presertim Bonac. *D. 7. de censur. in gen.q.3.part.1.num.5.*

QVÆRES XXXV. An Moniales descendens ex maculato genere, v.g. Iudæorum, Saracenorum, &c. sit irregularis quò ad prælationes Ordinis.

48. Respond. non esse, stando præcisè in iure communi; nullum enim tale ius extat, quod ego sciam.

De variis aliis Pœnis, quas iure communi possunt Moniales incurrere.

49 *Priuantur voce ad biennium, si contra Concil. Trid. delinquant circa paupertatem.*
50 *Si sint proprietaria, priuantur Ecclesiastica sepultura, & communione altaris.*
51 *Subsunt priuationi vocis, & aliis pœnis, si dent expectaturam puellæ recipiendæ ad Religionem.*
52 *Priuantur officiis, ac dignitatibus, si indebitè alienent.*
53 *Item, si donent contra Bullam Clementis VIII. non tamen ante sententiam.*
54 *Si renuant profiteri, & seruare clausuram, nulliter recipiunt ad professionem.*
55 *Inualidè reciperent Conuersas, si decretum id vetans non esset abrogatum.*
56 *Priuantur iure eligendi Abbatissam ea vice, si illam indebitè eligant.*
57 *Puniri possunt ab Ordinario Prælati regulares, si ipsum non præmoneant de electione Abbatissæ sibi subiectæ.*
58 *Nulliter eligunt Abbatissam, eiusq; acta non tenent, si eligant vltra triennium.*
59 *Abbatissa validè non eligitur vltra triennium, nec ad beneplacitum Monialium.*
60 *Ea tamen, expleto triennio eligi potest in præsidentem Conuentus vsque ad nouam electionem.*
61 *Dicta non procedunt de Abbatissis, quæ eliguntur per præsentationem, ac institutionem.*
62 *Cadunt iure suo, si electæ in Abbatissas contra monasterij consuetudinem non curent benedici.*
63 *Perpetuo carcere includuntur, si professæ consentiant se violari.*
64 *Puniuntur, quæ sinunt se eligi in Abbatissas contra formam Concilij Trid.*
65 *Item quæ in choro non canunt hymnos iussu Vrbani VIII. correctos.*
66 *Item incorrigibiles.*

QVÆRES XXXVI. Quas pœnas incurrant Moniales, si delinquant contra dispositionem Concil. Trid. in materia Religiosæ paupertatis.

49. Respond. incurrere priuationem vocis actiuæ, & passiuæ ad biennium latam in Conc. Trid. *sess.25.de reg.cap.2.* siue retineant bona immobilia, aut mobilia tanquam propria, ac irreuocabilia (vti exposuimus *supr cap.4.sect.1.num.1.* ex Sanch.) siue tanquam Superiorissæ concedant Monialibus subditis bona stabilia ad vsum, aut vsum fructum, aut administrationem, vel commendam: siue retineant superflua, habeántque supellectilem mobilium repugnantem statui paupertatis; in his enim casibus incurritur dicta suspensio, quæ tamen non durat, nisi per biennium; sicque peracto biennio, eò ipso absque alia absolutione cessat iuxta communem DD. sententiam, apud Suar. *D.29.de cens.sect.1.num.1.*

Quòd si hac occasione quæras, quas alias pœnas incurrat Monialis proprietaria vltra priuationem vocis actiuæ, & passiuæ.

Respond. incurrere etiam priuationem Ecclesia- 50.
sticæ sepulturæ iuxta *cap. cum ad monasterium, de statu monach.* necnon priuationem communionis Altaris, *cap. monachi, eod. tit.* non item expulsionem è monasterio; sicut statuitur *in cap. cum ad monasterium, superius citato,* quòd correctum est per *cap. fin. de Reg.* vbi habetur Religiosum aliàs expellendum è monasterio, debere deputari ergastulo monasterij, vt ibi agat pœnitentiam: quæ iuris dispositio maximè conuenit statuit Monialium, vt patet.

QVÆRES XXXVII. Quam pœnam incurrant Moniales, si præfectæ monasterio dent expectatiuam puellis admittendis in Religionem ad loca vacatura contra prohibitionem sacræ Congregationis.

Respond. incurrere priuationem vocis actiuæ, & 51.
passiuæ ipso facto vnà cum aliis pœnis arbitrio sacræ Congr. Episcoporum infligendis: idque ex decreto Sacræ eiusdem Congreg. à nobis relata *supr. cap.2. sect.1. q. 5.* ex Quaranta: per quod decretum item declaratur irritum quidquid contra ipsius dispositionem fuerit effectum.

QVÆRES XXXVIII. Quas pœnas vltra excommunicationem relatam *q. 18.* incurrant Moniales, si alienent indebitè de bonis monasterij.

Respond. incurrere ipso factu priuationem offi- 52.
ciorum, ac dignitatum, & quidem absque vlla declaratione; præterquam quòd contractus sic initi sunt nullius valoris. Habetur expressè in Extrauag. Pauli II. *Ambitiosæ*, patétque ex dictis, si monuero ex Sanch. *l.6.mor.cap.15.num.66* nomine dignitatum, ac officiorum hîc, & in aliis Constitutionibus, seu decretis Pontificiis, aut Sacr. Congr. Cardinalium intelligi solùm dignitates, ac officia habentia coniunctam aliquam superioritatem (cuiusmodi inter Moniales est officium Abbatissæ, seu Priorissæ, immò & munùs Subpriorissæ, ac Magistræ Nouitiarum, non item Sacristæ, Ianitricis, & similia; quæ, sicut notat Suar. *tom.4.de relig.tract.10.l.6.cap.7.n.14.* in materia non dissimili; magis sunt oneris, quam honoris.

QVÆRES XXXIX. Quas pœnas incurrant Moniales faciendo donationes contra decreta Clementis VIII. *de largit. mun.*

Resp. incurrere illas omnes, quæ in dicto decreto 53.
exprimuntur, his verbis: *Quòd si quis ex prædictis Regularibus vtriusque sexus cuiuscunque gradus, ordinis ac dignitatis, ac vbilibet locorum existent, coniunctim cum cæteris, seu diuisim nostrarum huiusmodi prohibitionum transgressor fuerit, statuimus, vt omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officiis eò ipso priuatus, ac ad alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda absque vllo Superioris decreto, aut ministerio ipso facto incurrat, inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat: & præterea priuationem vocis actiuæ, & passiuæ, necnon vltra huiusmodi pœnas etiam tanquam contra fures, & simoniæ criminum reum tam per viam denunciationis, accusationis, aut querelæ, quàm etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisque suppliciis affici debeat.* Circa quæ notat Nald. *v. Religiosus, num. 37.* tales pœnas non obligare in conscientia ante sententiam, saltem

HHhh decla-

declaratoriam delicti: cùm merus etiam detentor, ac prædo manuteneri debeat in possessione, dum de principali cognoscitur. Quamquam hæc doctrina non procedat quò ad illam aliam pœnam, quæ in iisdem decretis statuitur contra recipientes dona à Regularibus in casu non permisso (nimirum *quòd si vel ab aliquo particulari religioso, vel à Superiore quòpiam Generali, Prouinciali, aut aliquo quocunque officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione, siue ab vniuerso Ordine, & religione quidquam receperint, id quod acceperint, suum non faciant, verùm ipso facto absque aliqua monitione, decreto, sententia, aut declaratione ad illius restitutionem omninò in vtroque foro teneantur, adeò vt, restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientia, absolui possint:*) hoc enim ipsò quod res donatas non faciunt suas, tenentur eas restituere, cùm res aliena semper interpellet pro domino, & maneat obnoxia restitutioni.

Qværas XL. An, & qua pœna afficiantur Moniales, si omninò volentes viuere absque emissione professionis, & clausura, aliquam aliam in futurum recipiant in suum Ordinem, ac Congregationem.

54 Respond. ea affici pœna, quòd si receptæ ad taliter viuendum omninò inhabiles redduntur, & illarum qualibet professio, ac receptio irrita est, ac nulla, ita statuente Pio V. in Bulla, *Circa pastoralis* 8. in ordine.

Qværis XLI. Quam pœnam contrahant Moniales, si contra prohibitionem Pij V. factam in bulla modò citata recipiant Conuersas professas.

55 Respond. quòd, cùm iuxta dicta hîc *cap.7. q.19.* eiusmodi prohibitio per contrariam consuetudinem legitimè abrogata sit: consequenter pœna dictæ prohibitionis transgressoribus imposita (videlicet quòd dictarum Conuersarum receptio esset nulla, irrita, & inanis) etiam ipsa abrogata est; sicque Moniales in præsentia recipientes Conuersas nulli pœnæ subiiciuntur, stando in iure communi.

Qværis XLII. Quæ pœna statuta sit contra Moniales, si Abbatissam eligant, non seruata forma ad talem effectum præscripta in *cap. quia propter, de elect. in 6.*

56 Respond. quòd, quamuis in *citato cap. quia propter,* dicatur: *Qui verò contra præscripta formas eligere attentauerint, eligendi ea vice potestate priuentur;* nihilominus, quia ignorantia iuris excusat mulieres, *l. regula, ff. d. iur. & fact. ignor.* si Moniales ignoranter eligant, non seruata illa forma; non ideo in pœnam debent priuari per Superiorem iure eligendi pro eâ vice, sed debent manuteneri in possessione talis iuris, excusante eas conditione sexus, ac ignorantia. ita Tambur. *D.38. de iure Abbatiss. q.5. num.8.* ex Menochio *conf.67. num.27.* qui proinde, consequenter disserendo, diceret Moniales subiacere præfatæ pœnæ, si scienter, & aduertenter eligerent Abbatissam, non seruata illa forma: sic quippe cessaret ratio illas excusandi, vt patet. puto quidem, quòd si Moniales nossent formam illam eligendi, sed eam non aduerterent in ipso actu electionis, possent probabiliter excusari à dicta pœna; cùm inaduertentia æquiparetur ignorantiæ, ita Snat *sup. D.4. sect. 8. num. 11.* & dispositio de hac procedant etiam quò ad illam.

57 Addo, quòd, cum hodie præter Superiorem Monialium possit Ordinarius interesse electioni Abbatissæ, siue per se, siue per alium; vt patet ex Constitutione 18. Gregorij XV. debent Regulares significare dicto Ordinario diem electionis Abbatissæ, eumque expectare vsque ad tempus præfinitum, si ipse antea expressè declarauit se velle interesse vigore facultatis quò ad hoc sibi attributæ; alioqui potest Ordinarius animaduertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænuntiata, ad Abbatissæ electionem procedunt; sic enim declarauit Sacra Congreg. explicans Bullam præfatam in resp. ad dub. 15. Vnde quis potest inferre in tali casu non dari facultatem puniendi Moniales modo dicto procedentes ad electionem, sed solùm Religiosos, quibus Moniales sunt subiectæ; de his quippe loquitur declaratio, non autem de iis, quæ subiacent Ordinario.

Qværis XLIII. Cui pœnæ subiiciantur Moniales, si contra Constitutionem Gregorij XIII. editam 1. Ianu. 1583. & ex parte relatam *cap. præced. q.38.* eligant Abbatissam vltra triennium.

Respond. subiici huic pœnæ, quòd electio, & præfectio huiusmodi, ac omnia, & singula, quæ inde sequuntur, irrita, nulla, & inania, nulliusque roboris, ac momenti sunt; sic namque expressè habetur in dicta Constitutione. Vbi Tambur. *sup. D.30. q.1. num.4.* aliis citatis notat Abbatissam electam vltra triennium contra formam istius Constitut. non posse suum munus exercere, neque per triennium: probatque tum quia Constitutio pontificia dat formam electionis, ob quam redditur actus iodiuiduus; sicque procedit regula, *Vtile per inutile vitiatur:* tum quia Farinac. *tom.1. p.1. decis.30.* & alij in simili docent locationem bonorum ecclesiasticorum factam vltra triennium non valere, neque per triennium; est autem par ratio in præsenti casu. 58

Vtrùm verò attenta dicta Constitut. Gregorij XIII. possit eligi Abbatissa, saltem ad beneplacitum Monialium; saltem validè.

Respond. Tambur. *num.9.* non posse, cùm officiales non possint eligi ad beneplacitum; quippe qui alias dicerentur perpetui: cùm tamen in præfata Constitutione talis perpetuitas omninò reprobetur. ita Tamburinus, aliis citatis mouens nom.10. ex decreto Sacræ Congregat. facto 18. Nou. 1595. per dictam Constitutionem non prohiberi, quin Abbatissæ quotannis mutari possint. 59

Illud etiam hîc controuerti potest, an attenta Constitut. Gregorij XIII. paulò antè relata, possit Abbatissa completo triennio sui abbatissatus obtinere munus Præsidentis, donec eligatur noua Abbatissa: & ratio dubitandi est, quòd in ea Constitut. de Abbatissis statuitur, *vt postmodum, elapso triennio, suis officiis perfunctæ præesse desinant, omnique prorsus careant auctoritate, ac à regimine, & administratione monasterij per triennium à die finita administrationis inchoandum abstineant.*

Respond. videri probabile, quòd possit; cùm id cedat in magnum commodum monasterij, vt notauit Miranda *q.7. de monial. art.9.* & aliàs Constitutio citata Gregorij possit benignè interpretari; sicut aliam similem Sixti V. interpretatur idem Miranda: nimirum quod Abbatissæ, expleto triennio sui abbatissatus, non possint habere quodcunque aliud officium ad aliud triennium, non verò quòd eligi non possint ad breue tempus in Præsidentem monasterij modo dicto. ita viri docti à me consulti, & in terminis Tambur. *q.3.* pro se allegans etiam Lauorium. Nobiscum sentit *Sanctorus in commente. ad Constitut. Minorum cap.11. stat.7.* & cum illo Diana *p.7. tract.11. resol.19.* & hoc non obstante declaratione sacræ Congregationis adducta à Giauanto *in manuali v. Monialium officiales, num.10.* his verbis *Officium Abbatissæ finito triennio expirat, nec Episcopus potest illud prorogare;* quæ declaratio benignè potest 60

poteſt explicari, ſicut modò explicauimus Conſtitutionem Gregorij.

61. Monet præterea Tambur. *quæſt.* 1. *num.* 1. Conſtitutionem præfatam Gregorij XIII. non habere locum in Abbatiſſis, quæ fiunt per præſentationem, ac inſtitutionem; cùm talis inſtitutio, ac confirmatio ſit perpetua, quod etiam docet Portel. *de dub. regul. ver. Abbatiſſa, num.* 10. addens Abbatiſſam primam fundatricem alicuius monaſterij S. Claræ poſſe continuare in officio Abbatiſſæ per 20. annos in vim ſtatutorum illius Ordinis; quod tamen non video, quo pacto ſubſiſtere poſſit, ſtante pleniſſima derogatione quarumcunque conſuetudinum, conſtitutionum Apoſtolicarum, ſtatutorum, conſuetudinum, ac priuilegiorum, quæ fit in d. Conſtitutione.

QVÆRAS XLIV. Quæ pœna impoſita ſit iure communi contra Moniales, ſi electæ in Abbatiſſas ſolitas benedici intra annum à tempore ſuæ confirmationis munus benedictionis non ſuſcipiant.

62. Reſpond. Illas cadere iure ſuo; non quidem ipſo facto, ſed per illos, ad quos pertinet prouidere monaſteriis de Abbatiſſa, habetur expreſſè in Clem. *attendentes, de ſtatu monach.* §. *ſtatuimus*, vbi dicitur: *Statuimus inſuper, vt quæuis ad regimen abbatiarum aſſumpta in monaſteriis, in quibus Abbatiſſæ ſunt ſolitæ benedici, intra annum à ſua confirmationis tempore computandum munus benedictionis ſuſcipiant, alioquin à iure ſuo, niſi ſubſit cauſa rationabilis, prorſus ſe nouerit cecidiſſe per illos, ad quos id pertinet prouiſione de Abbatiſſa monaſteriis ipſis canonicè facienda.* Vbi notãda ſunt verba illa *ſe nouerit cecidiſſe per illos*, &c. quæ indicant eiuſmodi pœnam eſſe ferendam, vtpote requirentem alterius actionem ad hoc vt incurratur, quod eſt ſignum cenſuræ ferendæ, vt benè obſeruauit Bonac. *D.* 1. *de cenſur. in comm. q.* 1. *part.* 1. *n.* 6.

QVÆRAS XLV. Qua pœna puniantur Moniales, ſi poſt emiſſam religioſam profeſſionem permittant ſe violari.

63. Reſpond. puniri pœna perpetui carceris, ex *cap. impudicas* 27. *quæſt.* 1. cùm alioqui violator longè grauiori ſupplicio plectatur, vt oſtendimus *c.* 4. *ſect.* 3. *q.* 3 §. *notat*, vbi de hac re ex propoſito egimus.

QVÆRAS XLVI. Quam pœnam incurrant Moniales, ſi permittant ſe eligi in abbatiſſas, aut prioriſſas contra formam eligendi præſcriptam in Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de regul.*

64. Reſpond. talem electionem eſſe irritam ipſo facto, & taliter electam manere inhabilem ad quælibet officia Conuentus obtinenda; idque ſiue permittant ſe eligi per ſuffragia non ſecreta; ſiue conſtituant Abbatiſſas, Prioriſſas, aut alias quaſcunque titulares ad effectum electionis obtinendæ, ſiue ſuppleant voces, ac ſuffragia abſentium habetur expreſſè in Concilio Trid *loco citato*: ſi monuero irritationem quidem electionis ſequi etiam ante iudicis ſententiam declaratoriam, ſiue pœnæ, ſiue delicti (& hoc ob ea, quæ habet Suar. *lib.* 5. *de leg. cap.* 32. *num.* 1.) non item inhabilitatem ad officia Conuentus; quæ vtique requirit ſententiam Iudicis iuxta doctrinam traditam à Sanch. *lib.* 9. *de matr. D.* 30. *n.* 1.

QVÆRAS XLVII. Qualiter puniri poſſint Moniales, ſi non recitent in choro hymnos iuſſu Vrbani VIII correctos

65. Reſpond. poſſe puniri ab ordinario tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato cenſuris, ac pœnis Eccleſiaſticis, aliiſque opportunis iuris, ac facti remediis, & quidem appellatione poſtpoſita; idque ex Conſt. ipſius Vrb. VIII. *Cũ aliàs ſupremi*, edita 27 Ap. 1643.

QVÆRAS XLVIII. Qualiter puniantur Moniales incorrigibiles.

Reſpond. de iure communi debere tradi in arctius monaſterium iuxta *cap ſi qua monachorum* 27. *quæſt.* 1. quanquam, vt notat Tambur. *ſupr. D.* 21. *q.* 4. *num.* 5. melius eſſet illas includere in monaſterij carcere, ne alioqui ſint aliis offendiculo, & vt tantò citiùs reſipiſcant, vexatione dante intellectum, ſed de hoc plura ſuperius *cap.* 3. *ſect.* 1. *quæſt.* 13. & 14. 66.

CAPVT IX.

De Priuilegiis, quæ Monialibus competunt, ſiue per ſe, ſiue per viam Communicationis.

1 *Moniales, etiam non exemptæ gaudent priuilegiis ſui Ordinis.*
2 *Communicant item de priuilegiis aliorũ Ordinum.*
3 *Viri religioſi communicãt de priuilegiis Monialium*
4 *Moniales non exemptæ fruuntur priuilegiis, ad quorum vſum petitur miniſterium Prælati regularis ex tenore conceſſionis.*
5 *Moniales exemptæ ab Ordinario, ſed non omnes:*
6 *Eximuntur à foro ſæculari.*
7 *Idque procedit etiam quò ad tertiarias viuentes extra communitatem.*
8 *Quòd ſi hæ viuant in communi, certior eſt aſſertio.*
9 *Eximuntur à foro ſæculari viri laici, qui aſſumpto habitu religioſo ſeruiunt Monialibus.*
10 *Non item Puellæ degentes intra clauſuram in educatione.*
11 *Dictæ tamen Puellæ gaudent Immunitate Eccleſiæ: ſicut & ipſæ Moniales, non tamen intra monaſterium.*
12 *Moniales gaudent priuilegio canonis (etſi Nouitiæ à Monialibus ſenioribus ad correctionem poſſint percuti) hoc priuilegio gaudent fœminæ ſæculares degentes ſub clauſura mutato habitu cum velo albo, & obligatione recitandi certas preces, quæ fœminæ licitè admittuntur in aliquo loco ad ſeruitia Conuentus, & gaudent priuilegio fori.*
13 *Eodem priuilegio fruuntur Tertiariæ, ſi ſeruent aliqua.*
14 *Eo fruuntur Famuli in habitu religioſo Monialibus ſeruientes, etſi ſæculares:*
15 *Eximuntur Moniales à iure parochiæ.*
16 *Item à gabellis, & à quauis contributione.*
17 *Item à decimis, & à Seminarij contributione.*
18 *In articulo mortis profitentur ſolemniter, etiam anno probationis non abſoluto: idque ſi admiſſa ante ingreſſum lethaliter decumbant, & extra conuentum de licentia Superioris incipiant nouitiatum: Conuentus lucratur dotem nouitiæ profitentis in morte, inſcio Ordinario, ſed finito anno nouitiatus: cùm profeſſio facta in morte teneat; imò ſuccedit nouitia ab inteſtato, etſi dicat hac ſe id nolle.*
19 *Abſoluuntur à quinque caſibus Clem. VIII. per Confeſſarios Regulares.*
20 *Tempore Iubilæi eligunt Confeſſarium, æquè ac alia fœmina laica.*
21 *Aliqui id negant, & conformiter praxi: plura hîc notantur de Iubilæo.*
22 *Non vtuntur Bulla Cruciatæ, aut alio ſimili Indulto concedente reſeruata.*
23 *Bis, aut ter in anno iis aſſignandus Confeſſarius extraordinarius.*
24 *Abſoluuntur à reſeruatis iuxta indulta Regularium,*

si confiteantur Sacerdoti Regulari , & subsint Prælato Ordinis : secus, si confiteantur Sacerdoti sæculari , & subsint Ordinario ; quod tamen interdum fallit : non subsunt Reseruatis ab Episcopo , nisi fortè quo ad clausuram.

25 *Si subsint Ordinario , per eum absoluuntur à reseruatis vigore indulti petentis ad sui vsum Prælati regularis ministerium.*

26 *A casibus Bullæ Cœnæ absoluuntur per Prælatum regularem , aut Ordinarium , quibus respectiuè subduntur.*

27 *Et quidem etiam quò ad forum externum.*

28 *Absoluuntur à reseruatis , etiam inuito Prælato , si Confessarius petat facultatem , & non obtineat.*

29 *Idque etsi subsint Ordininario , ac proinde earum Prælatus sit ipsemet Ordinarius.*

30 *Et hoc procedit , etiam quò ad reseruata , quorum facultas competit Prælatis ex delegatione , aut ratione necessitatis : etsi aliàs quædam indulta ad absolutionem reseruatorum data fuerint reuocata.*

QVÆRES I. An Moniales gaudeant priuilegiis sui Ordinis , siue sint exemptæ à potestate Ordinarij , siue non.

1\. Respond. gaudere , loquendo de illis priuilegiis, quorum ipsæ sunt capaces ex conditione proprij status, ac sexus ita Rodriq. *tom.* 1. *q.* 13 *art.* 22. Suar. *l.8 de leg.c.*10.*n.*3. Castrus Pal *tract.*3. *D* 4 *p.*12.*n.*1. Tambur. *D.*17.*de iure Abbatiss q.*1.*num.*1. alij contra Barbosam *lib.*1.*de Eccles. cap.* 41. *num.* 217 & alios, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.*6. *mor.c.*7.*n.*116. probatur autem responsio tum ex varijs priuilegiis ad talem effectum concessis Monialibus diuersorum Ordinum quæ videri possunt apud Tamb *n.*3.*& seqq.* tum quia in concessione priuilegiorum non attenditur sexus, sed qualitatis, idest talis status Religiosus, qui æqualiter adest in Monialibus, ac in viris Religiosis vniuscuiusque Religionis;tum quia in materia fauorabili fœmininum comprehenditur sub masculino in iis, quæ possunt accommodari fœminis : nisi fortè in ipsa concessione priuilegij expresse dicatur factum viris Religiosis : quo casu priuilegium non extenderetur ad Moniales ; intellige de iure communi:nam secus dicendum,posito priuilegio bullato Leonis X. concesso Monialibus, & relato a Casarub. *in comp. v. communic. priuileg. num.* 18.

Hæ porrò rationes suadent intentum , siue Moniales immediatè subiiciantur proprio Ordini , siue sint subditæ Ordinario loci,aut Sedi Apostolicæ : & probatur, tum quia vbi est eadem ratio, debet adesse eadem iuris dispositio , *l. illud , ff. ad leg. Aquil. l. à Titio , ff. de verbor. obligat.* est autem eadem ratio quoad vsum priuilegiorum sui Ordinis , tam de Monialibus exemptis, qua non exempti : cùm non deceat Moniales , quæ tanquam exemptæ gaudebant priuilegiis sui Ordinis , modò priuari vsu dictorum priuilegiorum , & simul fauore exemptionis aliàs ipsis competente : præsertim cùm priuilegium tollens vnum non tollat aliud, *l. si domus tua, ff. de seruitut. præd. urban. & cap.pastoralis, de priuil.* tum quia Sixtus IV. teste Casarub. *supr.* § 1.concessit Monialibus S. Dominici , & S.Francisci priuilegia suorum Ordinum ; nec distinxit , viuantne sub cura, ac regimine dictorum Ordinum , nec ne : tum quia Bonifacius VIII. teste Rodriquez *in suo bullario bulla* 5. *dicti Bonifacij*, concessit Monialibus S. Claræ, vt gaudere possint omnibus priuilegiis ac indulgentiis Fratrum Minorum , & quidem non solùm concessis , sed etiam concedendis imposterum , & tamen tempore talis concessionis præfatæ Moniales non erant sub cura , ac regimine Fratrum Minorum, vt aduertit Portel. *part.* 2. *resp. moral. casu.* 14. *num.*3. quod est signum non esse denegandum vsum dictæ concessionis Bonifacij VIII. Monialibus S. Claræ, etsi postea commissæ regimini , ac curæ Fratrum Minorum ab Eugenio IV. iterum subtractæ sint ab eorum gubernatione , ac subiectæ Ordinariis (quod item competet Monialibus aliorum Ordinum per viam communicationis priuilegiorum) tum quia Leo X. & Sixtus IV. qui in contrarium allegantur, vtpotè statuentes priuilegia Fratrum Minorum suffragari solùm Monialibus S. Claræ sub obedientia illorum degentibus , interpretari possunt concessisse quidem præfata priuilegia in specie Monialibus S. Claræ viuentibus sub obedientia Fratrum Minorum (eo quòd fortè de illis in specie interrogati fuerunt) sed non ideò negasse , quin dicta priuilegia item suffragari possint iisdem Monialibus , quantumuis non existentibus sub regimine dictorum Fratrum, qua de re Tambur. *supr. q.* , Portel. *vbi sup.* & Pasqualig. *decis.*179. *num.*4. nobiscum sentiens.

Dixit sub initium responsionis , *quorum ipsæ sunt capaces* ; vt indicarem dari aliqua priuilegia , quæ non suffragantur Monialibus , eo quòd hæ illorum sint incapaces ratione sexus Quamquam. si respectu huius , aut illius Monialis cesset talis incapacitas, iis possint suffragari talia priuilegia:v.g priuilegium legendi libros prohibitos , quod dctur competere Regularibus (sicut de facto aliàs competebat) non suffragatur in actu secundo Monialibus, eo quòd sint conscripti idiomate Latino , aut alio ipsis ignoto, vel quod contineant materias doctrinales , quæ non intelliguntur à Monialibus, si tamen de facto aliqua Monialis ita profecit in studiis , vt bene intelligat dictos libros ; ea vigore dicti priuilegij posset illos legere , quod idem dicendum est de libris idiomate Italico compositis, qui sint prohibiti , hos scilicet posse legi à Monialibus, si priuilegium illos legendi adhuc duraret respectu Regulariũ virorum. Moueor quòd iuxta dicta, priuilegia concessa viris Religiosis competunt etiam Monialibus , si eæ sint illorum capaces ; ergo cum de facto eæ in casu proposito sint capaces legendi libros prohibitos , priuilegium illos legendi iis suffragabitur , quippe quod competit Monialibus per se , & solùm per accidens cessat iis suffragari : idest ratione incapacitatis , quæ potest tolli immò & de facto tollitur in casu proposito.

QVÆRES II. An, & quo modo Moniales diuersorum Ordinum simul communicent de priuilegiis concessis vnicuique illorum.

Respond. communicare , & probatur ex eo quòd iuxta dicenda *quæst. sequenti* viri Religiosi per viam communicationis participant de priuilegiis Monialium sui Ordinis, & vigore talis participationis dicta priuilegia fiunt propria præfatorum virorum Religiosorum ; proinde ac si ipsis fuissent per se primò concessa , vt rectè notauit Portel. *de dub. regular. v. priuileg. num.* 21. nosque alibi probabimus : ex alia parte Moniales ipsæ gaudent omnibus priuilegiis sui Ordinis , quorum sunt capaces , vt probatum est *q.præced.* sicque Moniales vnius Ordinis fruentur priuilegiis Monialium etiam aliorum Ordinum si non per immediatam communicationem, saltem per mediatam,quam scilicet habent à Religiosis sui Ordinis, quamquam probabile est id ipsis Monialibus competere etiam per immediatam communicationem ; quatenus ea concessa viris Religionis alicuius hoc ipso censentur concessa Monialibus illius ob rationes adductas *q. præcedenti.* ita docti viri à me consulti, & nouissimè Pasqualig. *decis.* 179. *num.* 3. 2.

QVÆ

QVÆRES III. An, ficut Moniales gaudent priuilegiis virorum Religioforum, fic & hi gaudeant priuilegiis Monialium.

3. Respond. gaudere, & probatur tum quia æquum eft, vt, ficut Moniales fruuntur priuilegiis conceffis viris Religiofis; fic & hi fruantur priuilegiis, quæ funt conceffa Monialibus, debita tamen feruata proportione: tum quia hæc eft natura difpofitionis fauorabilis, vt fub mafculino comprehendat fœmininum, & mafculinum fub fœminino; fiquidem fauores debent ampliari. ita Peytin. *tom. 1. priuil. conftitut. 8. Pii V. §. 2. num. 3.* ex Peregrino, & benè.

QVÆRES IV. An, & quo modo Moniales Immediatè fubiectæ Ordinario vti poffint priuilegiis, ad quorum vfum ex tenore conceffionis requiritur minifterium Prælati regularis, cui aliàs debebent effe fubditæ; cuiufmodi v. g. eft priuilegium difpenfandi, abfoluendi, &c.

4. Respond. poffe vti, fi in tenore conceffionis habeatur præfata priuilegia fuffragari Regularibus per minifterium proprij Prælati, abftrahendo quòd Prælatus fit regularis, aut non regularis; cùm enim Ordinatiùs fit proprius Prælatus Monialium non exemptarum, in dicto tenore conceffionis venit nomine Prælati: fecùs, fi in tenore conceffionis fupponatur priuilegia fuffragari Religiofis per minifterium Prælati regularis; fic quippe Ordinarius refpectu Monialium non exemptarum dici non poteft venire nomine Prælati regularis, cùm verè non fit regularis.

QVÆRES V. An, & qualiter Moniales gaudeant priuilegio exemptionis ab Ordinario loci.

5. Respond. quòd, cùm non poffit in fpecie determinari, quæ Moniales tali gaudeant priuilegio, & quæ non (cùm hæc fit quæftio facti, non iuris, & de facto non refpondeat Iurifconfultus, *leg. eum quem. §. 7. de iudic.*) illud folùm hic generaliter dici poteft, folutionem præfentis quæftionis defumendam effe ex tenore priuilegiorum vniufcuiufque monafterij iuxta, *cap. porrò de priuil.* ficque dicere poffumus illas omnes Moniales effe exemptas ab Ordinariorum Iurifdictione, quæ vel immediatè fubfunt Sedi Apoftolicæ, vel fubduntur gubernationi Prælatorum regularium, etfi aliàs illæ de iure fubfint Ordinario quò ad claufuram ex Concilio Trid. *feff. 25. de regul. cap. 5.* hæ verò faltem de facto, vt innui *cap. 5. fect. 1. quæft. 5.* Ordinariis id fibi arrogantibus fortè ex confuetudine legitimè præfcripta, & decreto facræ Congregationis relato à Naldo *v. Monialis num. 3.* & à nobis indicato *cap. feq. num. 21.*

QVÆRES VI. An, & quo iure Moniales fruātur priuilegio exemptionis à poteftate fori fæcularis.

6. Respond. frui illo eodem iure, quo fruuntur viri Religiofi, nimirum iure Pontificio fundato in iure diuino. ita Molin. *tom. 1. D. 31.* aliique plures Canoniftæ, ac Theologi apud Caftrum Palaom *tract. 11. D. vn. p. 4. n. 4.* & probatur ex eo quod Moniales re vera funt perfonæ Ecclefiafticæ: perfonæ autem Ecclefiafticæ gaudent priuilegio fori, vt conftat ex tota 11. *quæft. 1. cap non minus de immunit. Eccl.* & aliis iuribus; ficque Moniales omnes funt exemptæ à folutione tributorum, quæ imponuntur à poteftate fæculari, ab obligatione legum ciuilium, ac punitione delictorum, quæ fiat à iudice non Ecclefiaftico: hæc enim omnia fequuntur ad talem exemptionem.

An autem ifto priuilegio gaudeant etiam Moniales Tertiariæ.

7. Respond. gaudere, etfi non viuant in communitate; & probatur tum quia perfonæ annexæ Ordini confirmato à Sede Apoftolica funt, & dici poffunt perfonæ Ecclefiafticæ, ac Religiofæ, tefte Rodriquez *tom. 2. quæft. 65. art. 5.* ficque gaudebunt priuilegio fori competente omnibus perfonis Ecclefiafticis; tum quia omnes conuerfi dicuntur perfonæ Ecclefiafticæ, ac deuoti Deo; vt habetur *in c. quifquis 17. quæft. 4.* tales autem funt Tertiariæ cum ad Deum fint côuerfæ, mutent habitum, ac ftatum, & traditam fibi regulam obferuent, ficque frui poterunt priuilegio fori, perfonis Ecclefiafticis competente: tum quia quod de aliquibus participat, cenfetur effe de natura illius extremi, cui plus affimilatur; at Tertiariæ magis affimilantur fœminis Religiofis, quàm fæcularibus, vt conftat ex modò dictis, ergo cenferi debent perfonæ Ecclefiafticæ, ac Religiofæ, ficque dicendæ funt frui priuilegio fori. ita Rodriq. Tufchus *lit. E. concl. 470.* aliique penes ipfos, & non improbabiliter, nifi fortè obftet praxis.

Dixi, *etfi non viuant in communitate*; fi enim viuant in communitate, Mol. *tom. 4 D. 50. n. 4.* Graff. *lib. 2 decif. cap. 49. n. 27.* Suar. *D. 22. de cenf. fect. 1. n. 10.* Barbofa *de offic. Ep alleg. 12. n. 41.* aliique fere cõmuniter fupponunt tanquam certum illas gaudere priuilegio fori; cùm fic vel fint Religiofæ; vel æquiparentur Religiofis, vitā Religiofam imitantes: vt indicat Caftr. Pal. *fup. p. 2. n. 10.* quò ad hoc nobifcum fentiens, aliiqui fuftinens Tertiarias viuentes in propriis domibus carere tali priuilegio, ideóque vt laicas poffe indicari, ac puniri. 8.

Immò, Bonac. *D. 1. de cenfur. in part. q. 16. fect. 1. p. 3. n. 18.* & cum eo Diana *p. 4. tract. 1. refol. 31.* aliique & non improbabiliter fuftinent homines laicos, qui affumpto habitu Religiofo, adhibentur ad obfequia Monialium, & ad petendam pro ipfis eleemofynam; gaudere hoc eodem priuilegio fori: quippe in materia fauorabili cenfentur quafi Religiofi, vtpote intimiùs pertinentes ad perfonas Religiofas, & fpeciali quadam ratione Deo deuoti: quod iuxta fuperiùs dicta videtur fufficere, ad hoc vt quis dicatur gaudere priuilegio fori, quamuis aliàs fit laicus. 9.

Dubitari hîc etiam poffet, an puellæ caufa educationis degentes in monafteriis Monialium fruantur priuilegio fori, quamdiu ibi commorantur.

Respond. non frui; cùm eæ non fint perfonæ Ecclefiafticæ, neque formaliter, vt patet; neque per æquiparationem, cùm non mutent habitum, nec poffint dici fpecialiter Deo deuotæ iuxta *c. quifquis 17. q. 7* quare non apparet, quo titulo dicendæ fint gaudere priuilegio fori, nifi fortè ratione familiaritatis, feu commenfalitatis, aut educationis: quæ non videntur fufficere ad participandum de priuilegio fori, ita docti Neoterici à me confulti. 10.

Quòd fi hac occafione obiter quæras, an præfatæ puellæ cafu, quo intra monafterium committerent graue aliquod delictum (v. g. homicidium) poffint inde extrahi, non obftante beneficio immunitatis Ecclefiafticæ conceffæ Ecclefiis, ac monafteriis omnium Religioforum vtriufque fexus.

Respond. quòd, cùm Doctores in quæftione, qua quærunt, an Clerici, ac Religiofi in propriis Ecclefiis, ac monafteriis gaudeant immunitate refpectu fuorum Superiorum, alij partem affirmantem fuftineant cum Innoc. Deciano, aliifque Canoniftis; & alij negantem cum Couarr. Sylu. Nau. Suar. & aliis pluribus; vt videre eft apud Bonac. *fupr. D. 2. q. 3. p. 16. §. 5. num. 5.* qui vtramque partem cenfet effe probabilem, adhærens tamen neganti tanquam probabiliori; confequenter in præfenti cafu dicendum eft puellas præfatas intra Monialium monafteria dici poffe frui beneficio immunitatis, fi velimus amplecti partem affirmantem; fecùs, fi adhæreamus parti 11.

patti neganti, quam plures amplectuntur tanquam probabiliorem; si quidem in vtroque casu procedit par ratio, vt constabit bene perpendenti rationes vtriusque partis propositæ: vbi autem militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio. ita recentiores sanè docti à me consulti, & probabiliter. Quamquam (vt ingenuè fatear, quod sentio in hoc) mihi non displicet sententia Bordoni *resol. 1. num. 18.* sustinentis Religiosos gaudere immunitate tam intra proprias Ecclesias, quàm in monasteriis aliorum Regular. non autem intra proprium Conuent. idque ne alias impunita remaneant delicta Religiosorum: quod regulariter eueniret, cùm ij semper habitent in proprio monasterio. Et quidem quòd gaudeant immunitate in propria Ecclesia, imò & in monasteriis aliorum Ordinum patet, tum quia sic cessat absurdum modò adductum: tum quia indultum immunitatis concessum fuit locis Ecclesiasticis, vt debitus honor Dei in iis conseruetur, abstrahendo ab hoc, vel illo genere personarum: locus autem Ecclesiasticus iniuria afficitur, siue extrahatur Religiosus, siue sæcularis. Vnde inferri potest etiam Moniales, & puellas, quæ apud ipsas educantur gaudere immunitate in propria Ecclesia, non etiam intra suum monasterium.

QVÆRES VII. An Moniales gaudeant priuilegio canonis, & quæ,

12. Respond. gaudere, siue eæ sint professæ, siue conuersæ (vt vocant) siue etiam Nouitiæ, est communis DD. & patet, quia *in cap. si quis suadente 17. q. 4* vbi tale priuilegium conceditur personis Ecclesiasticis, etiam Moniales comprehenduntur sub nomine Monachi in illis verbis: *Si quis, suadente diabolo, manus violentas in Clericum, vel Monachum iniecerit*: si quidem in materia fauorabilis (qualis est hæc) sub masculino comprehenditur fœmininum, vt sæpiùs dictum est, & certè, quòd spectat ad Nouitias, indè probatur responsio, quòd Nouitij in fauorabilibus veniunt nomine Religiosi. Quin etiam docet Filliuc. *tract. 15. n. 14.* Oblatas monasterij speculorum de Vrbe frui hoc eodem priuilegio; & tamen eæ verè non sunt Religiosæ: quippe quæ ex vi status, & modi viuendi, quem assumunt, vel nulla vota emittunt, vel ad summum non emittunt, nisi duo, nempe stabilitatem, & conuersionem morum, ac obedientiam iuxta consuetudinem Congregationis; vt constat ex tenore oblationis, quàm faciunt, & ad me rescripsit P. Baldellus, addens tamen illas gaudere priuilegio canonis, eo quòd verè sint oblatæ Ordinis Oliuetani, & illarum oblatio sit approbata à Sede Apostolica: ex alia verò parte *cap. quisquis 17. q. 4.* dicatur facere sacrilegium, qui facit iniuriam Clericis, vel Monachis, vel etiam personis Deo deuotis Vnde fit, vt Vrsulinæ degentes Parmæ, & Virgines Castilione habitãtes dici possint item gaudere priuilegio canonis, si re vera dici possint personæ Deo deuotæ, & vita ipsarum communis sit approbata saltem ab Episcopo; vt aduertit idem P. Baldellus à me consultus.

Addo priuilegium canonis competere fœminis, quæ, mutato habitu sub clausura cum velo albo, ac obligatione recitandi quotidie certas preces admittuntur ad famulatum monasterij absque emissione votorum substantialium Religionis: idque ob doctrinam traditam *sup. cap. 9. num. 3.* quæ iuxta dicta *ibid. num. 9.* probat dictas fœminas gaudere etiam priuilegio fori. Tales autem fœminas cognoui admitti Foroliuij in monasterio Monialium S. Claræ, & S. Catherinæ de licentia solius Ordinarij ex antiqua consuetudine, ac præata immemorabli: quæ vtique talem admissionem reddere potest licitam; cum consuetudo det ordinariam iurisdictionem, *l. inspeximus, in glos. v. consuetudine, de mancip.* & consuetudo, cuius initij memoria non extat, vim habeat priuilegij, etiam in quæsibilibus solo priuilegio *cap. super quibusdam, de verb. significat.* Sic ego in specie interrogatus respondi; addens, quod, cum nemini debeat abstrahi ius suum, *Institut. de his, quæ sunt sui, & § fin.* talis consuetudo potest continuari, cum non sit abrogata (vt suppono.) Idque non obstante bulla Pij V. relata *sup. cap. 7. num. 26.* in qua expressè derogatur consuetudinibus, etiam immemorabilibus: nã derogatio cadit supra consuetudines tunc inductas, easque contrarias obseruantiæ clausuræ, cuius restitutio in dicta bulla principaliter intenditur; vt colligitur ex verbis illis bullæ §. 9. positis, *præmissis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus*; quæ referuntur ad §. 1. vbi solum est sermo de consuetudine contraria obseruantiæ clausuræ; vt constat ex illis verbis, *nec vnquam in earum monasteriis, seu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea seruata non fuerit*, (idest clausura) quod repetitur etiam §. 2. à diuersis autem non fit illatio: & aliàs dicunt plures Iuristæ hoc ipso quod consuetudo est immemorialis, præsumi honestam, & censeri debere habuisse ortum ex priuilegio vel ex quocunque alio meliori principio.

Quod si eiusmodi fœminæ essent admittendæ ad Nouitiatum: tunc puto non solum debere explorari earum voluntatem iuxta dicta *cap. 2. sect. 1. quæst. 4.* cum respectu illarum militet finis explorationis; sed etiam debere admitti cum dote debitè deponenda iuxta dicta; & de consensu capitulari Conuentus; cùm consensus capituli præmitti solitus, quando admittuntur modo dicto ad famulatum monasterij, non sufficiat ad hoc vt eæ dicantur admissæ ad Nouitiatum; hæc enim admissio plura supponit, quàm admissio ad simplicem famulatum monasterij: à diuersis autem non fit illatio.

Vtrùm verò Moniales, quæ vulgò dicuntur Tertiariæ, gaudeant priuilegio canonis, etiamsi seorsim habitent in propriis domibus.

Respond. Filliucius *supr.* gaudere, si virginalem, aut cælibem, vel castam vidualem sub voto expresso vitam degant, deferendo habitum suum Religiosum; probatque tum ex quadam declaratione sacræ Congregationis Concilij, qua decisum fuit dictas Tertiarias gaudere priuilegiis Religiosorum, & esse exemptas à iurisdictione Ordinarij: tum quia, vt rectè notauit Suarez *D. 22. de censur. sect. 1. num. 20.* iuxta intentionem, ac interpretationem iuris, huiusmodi Tertiariæ comprehenduntur, *in cit. c. si quis suadente*, quippe quo accipitur, non pro solis Religiosis verè professis, sed etiam pro omnibus, qui secundùm aliquem modum participant illum statum; ita vt vi talis participationis sint peculiariter Deo dicati, & deuoti iuxta formam loquendi adhibitam, *in capit. quisquis 17. quæst. 4.* vbi dicitur sacrilegium committere eum, qui iniuriam facit Clericis, vel Monachis, siue Deo deuotis: vnde, cùm præfatæ Tertiariæ sint Deo dicatæ secundùm quandam participationem status Religiosi approbatam ab Ecclesia; etsi non sint propriè Religiosæ, nihilominus comprehenduntur sub latitudine personarum Ecclesiasticarum, & per consequens, *in dicto cap. si quis*, veniunt nomine Monachi. 13.

Moneo hic vnum, quod dicunt Suarez *D. 22. de censur. sect. 1. num. 48.* & alij Doctores, senioribus Clericis, qui zelo deuotionis percutiunt iuniores Clericos,

Clericos, solùm permitti, vt possint id facere erga pueros, aut iuuenes in minoribus constitutos turbantes diuinum Officium; posse extendi ad Moniales seniores respectu Monialium Nouitiarum, quippe quæ æquiparantur Clericis in minoribus constitutis: ideóque licitè has posse percuti à Monialibus senioribus casu correctionis; vt bene aduertit P. Zaoettus à me de hoc interrogatus; addens quod, cum *in cap. cum. voluntate, de sent. excommun. §. si quis verò*, dicatur: *Quod de his dicendum est, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum gradunm simili modo vt cohibeantur à suis insolentiis, & scientia, bonisq; moribus informentur, duxerint corrigendos*: hinc colligitur limitationem illam, quod possint percuti Clerici in minoribus constituti solùm in casu, quo interturbent diuina Officia, non videri necessariam; cum textus loquatur absolutè, & non solùm in ordine ad delictum turbationis diuinorum Officiorum, vnde fit, vt Moniales seniores ad correctionem possint leuiter percutere Moniales Nouitias quocumque genere delicti delinquant: non item Moniales Professas, etsi iuniores: cum hæ comparentur Clericis in maioribus ordinibus constitutis, de quibus non loquitur textus citatus. Quare, si Monialis senior in aliquo casu iudicet eiusmodi correctionem esse necessariam respectu Monialis Professæ, talem facultatem obtineat ab Abbatissa; aut à proprio Prælato; etsi regulariter id non expediat.

14. Quin etiam docet Bonae. *D. 2. de censur. in com. q. 4. part. 1. num. 9.* homines illos, qui, assumpto habitu Religioso; adhibentur ad seruitia, ac obsequia Monialium, & ad petendas pro ipsis eleemosynas, frui priuilegio canonis; & hoc maximè ob rationem paulò ante allatam ex Suarez.

QVÆRAS VIII. An, & quo modò Moniales fruantur priuilegio exemptionis à iuribus parochiæ, intra quam habent monasterium.

15. Respond. frui, non quidem de iure communi, vt eiuus Moniales subiiciuntur iuribus parochiæ, intra quam degunt; sicut etiam olim subiiciebantur monasteria Monachorum Episcopo diœcesis, in qua degebant: sed ex priuilegio concesso omnibus Religiosis vtriusque sexus, & consequenter etiam Monialibus; quibus proinde solet deputari Sacerdos, qui fungens munere Capellani ministret eis Sacramenta, etiam in articulo mortis, sicque eis deseruiat instar proprij Parochi. ita Tamb. *D. 33. de iure Abbatiss. q. 4.*

QVÆRES IX. An, & quo iure Moniales sint exemptæ ab onere soluendi gabellas, & quascunque contributiones, & hospitandi milites.

16. Respond. esse ex concessione Pij V bullata 29. Iulij 1566. facta Religiosis Ordinum Mendicantium vtriusque sexus, & per viam communicationis priuilegiorum extensam ad Religiosos vtriusque sexus etiam Ordinum non Mendicantium; in qua Pontifex non minùs re, quàm nomine verè pius, declarat Fratres, Monachos, Moniales, ac alias regulare personas, eorumque monastria, cœnobia, Conuentus, Ecclesias, capellas, oratoria, & alia loca, ac terras, possessiones, prædia, agros, & bona, necnon laboratores, colonos, arrendatarios, locatarios, ac gestores esse libera, immunia, ac exempta ab omnibus præfatis oneribus: prohibétque in virtute sanctæ obedientiæ, ac excommunicationis maioris latæ sententiæ, nec non duorum millium ducatorum auri de Cameta, ne Fratres, Monachos, Moniales, & alias Religiosas personas, aliosque supradictos super præmissis quomodolibet molestent, & perturbent, nequa permittant per quoscunque quomodolibet molestari. Quæ concessio est amplissima, eaque dicit Tambur. *supr. D. 17. q. 5. num 14.* ex Barbosa, Gratiano, Gutier. & Rodriq. gaudere etiam Moniales Tertiarias, si gestent habitum Religiosum, & collegialiter viuant ac habitent.

QVÆRES X. An, & quo iure Moniales sint exemptæ ab onere soluendi decimas, aut contribuendi Seminorio, aut soluendi quartam funeralem.

Respond. esse; quò ad contribuendum quidem Seminario ex declaratione sactæ Congregationis Episcoporum facta anno 1593. & relata à Gauanto *in manu. v. Monialium cura. in temporalibus, num. 9.* quò ad solutionem verò decimarum ex Bulla Pij V. edita 5. Aprilis 1556. in qua sub pœna excommunicationis latæ sententiæ districtius inhibet, ne Abbatissas, Priorissas, Ministras, Moniales, & Sorores, domos, & monasteria, & loca prædicta etiam vigore quarumcumque licentiarum à Sede Apostolica emanatarum, etiamsi in eisdem contineatur, quod ad quæuis exempta, & non exempta, domos, monasteria, & loca se extendant, vel alterius cuiuscunque tenoris existant, &c. ad soluendum decimas, seu subsidia, aut onera huiusmodi quouis modo cogere, aut compellere, seu aliàs præmissorum occasione eas molestare, seu inquietare præsumant. Præterquam quòd extant varia alia priuilegia apud Portellum *de dub. regul. v. decima, n. 3.* quibus Moniales; siue per se, siue per viam communicationis priuilegiorum, eximuntur à solutione decimarum; sed de his plura alibi *in tract. de priuilegiis.* Quòd denique Moniales sint exemptæ à solutione quartæ funeralis, expressè aduertit Portellus *de dub. regul. v. canonica portio, num. 8.* probátque tum quia Pius V. in bulla hac de re edita generaliter dicit monasteria non teneri soluere quartam funeralem (intellige iuxta dispositionem Concil. Trid. *sess. 25. c. 13.*) Coneuotus autem Monialium verè sunt monasteria: tum quia Pius V. in bulla citata expressam mentionem facit de Monialibus dicens: *Non autem de Missis, vel aliis Fratribus ipsis, seu Monialibus relictis*; qua de re plura Rodriq. *tom. 1. q. 39.* per totum. 17.

QVÆRES XI. An quando, & quo iure possint Moniales facere solemnem professionem ante absolutum tempus prohibitionis, non obstante decreto Concilij Tridentini in contrarium edito *sess. 25. de regul. cap. 15.*

Respond. posse, quando aliqua ex illis nondum professa de alicuius Medici consilio de hoc sæculo transitura conspicitur; si tamen aliàs sit in ætate legitima ad professionem dictam emittendam; idque ex indulto bullato Pij V. edito 23. August. 1570. & relato à Rodriq. *in suo bullario Constit. Pij V. in ordine 11.* quæ sic habet: *Eisdem Monialibus Nouitiis nunc, & pro tempore existentibus, & earum singulis, vt quando, & quoties aliqua ex eis nondum professa de alicuius Medici consilio de hoc sæculo transitura conspicitur, ipsa pro consolatione animæ suæ professionem prædictam ante tempus requisitum, quatenus tamen in ætate legitima constituta sit ad illam emittendam, in manibus Abbatissæ, seu Priorissæ, vel alterius Superioris Nouitiarum ipsius monastery, seu domus: ita tamen quod ipsæ Moniales Nouitia sic decedentes indulgentiam, & alias gratias, quas Moniales verè professæ decedentes consequuntur, consequi possint, emittere, in articulo mortis, liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus; necnon eisdem Monialibus Nouitiis, ita tunc professis decedentibus plena-* 18.

tiam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem in forma Iubilæi misericorditer in Domino eisdem auctoritate, & tenore elargimur. Ita concessit Pius V. Monialibus S. Dominici, & per viam communicationis priuilegiorum Monialibus etiam aliorum Ordinum, vt benè aduertit Tamb. *sup. D.4.q.6.num.14.* & nos ostendimus *in tract. de profess. cap.2. q.3.* vbi etiam probamus huiusmodi concessionem non fuisse à Gregorij XIII. reuocatam in bulla, quæ incipit, *In tanta rerum*; nec esse opus, vt Nouitia sic profitens, si postea conualescat, iterum profiteatur, neque pro foro externo, neque pro interno: denique non esse improbabile, quòd monasterium succedat in bonis Monialis taliter professæ decedentis; quamuis alij dissentiant, vt videre est apud Tamburinum *citata q.* vbi hæc omnia tractat.

Difficultas esse potest, an casu, quo Nouitia in casu proposito profitens ante professionem protestetur Monialibus se non intendere, quod vi suæ professionis vllum ius supra ipsius bona acquiratur Cōuentui, nullam tamen faciat dispositionem de suis bonis; nihilominus Conuentus succedat in dictis bonis tanquam ab intestato.

Respond. videri succedere: & probatur, quia, stante etiam ea protestatione, Nouitia vere ante professionem non disponit de suis bonis; & alioqui per eam protestationem non potest derogare iuri, quod Conuentus capax bonorum (vt suppono) habet ac succedendum in bonis suæ Religiosæ tanquam ab intestato, eique competit etiam per professionem in isto casu factam iuxta non solum probabilem, sed etiam communissimam DD. sententiam; vt loquitur doctissimus Ciarlinus *p. 2. c. 192. n.23.* vnde, cum Conuentus habeat ius succedendi in bonis suæ Religiosæ, quæ ante professionem de iis non disponat; succedet & in bona huius Nouitiæ profitentis, quæ re vera non disposuit de suis bonis nec illa sua potestatione iuri illius potuit præiudicare; siquidem corruit actus, qui non innititur debitæ potestati, *l. nolle, ff. de acquir. hered. & l. 2. C. communia, de leg.* sic ego respondi in contingentia facti.

Addo Nouitiam in hoc casu profitentem acquirere ius præcedentiæ, ac si profiteretur post elapsum annum Nouitiatus: qui enim vult consequens, & vult omne necessarium antecedens; & è contra volens antecedens necesse est, vt velit omne necessarium consequens, *l.2.vbi gloss. Doctores, ff. de iurisd. om. iudic.* Vnde, cum ius præcedentiæ sequatur ad professionem hoc ipso quod Papa concedit indultum profitendi in proposito casu, & non restringit effectus Professionis, censetur item concedere ius præcedentiæ; nec in hoc derogat iuri alterius; cum præcedens in profitendo præcedat in sedendo, & aliis actibus præcedentiam concernentibus.

Moneo hic posse frui dicto indulto Pij V. puellam, quæ admissa ad Religionem ante ingressum monasterij in domo paterna corriperetur morbo periculoso; si aliàs 16. ætatis annum explenit, & de consensu Superioris Nouitiatum inchoet in ipsamet domo paterna: quod posse fieri constat ex dictis hic *cap.2. num. 49.* & ratio responsionis huius est, quòd sic puella verè est nouitia, ideòque frui potest indulto Pij V. vtpotè concesso veris Nouitiis. Nec obstat, quod in tenore indulti dicitur *professio fiat in manibus Abbatissæ, seu Priorissæ* (quæ verba in præsenti casu non videntur posse verificari) siquidem in ipso indulto subditur, *vel alterius Superioris Nouitiarum ipsius monasterij*; sicque indicatur professionem in proposito casu posse admitti à proprio Prælato Nouitiæ, vt benè aduertit Bordonus hac de re à me consultus addens, quòd si extet statutum negans viris dictam admissionem, tunc Abbatissa, posset committere eiusmodi munus honestæ alicui fœminæ; cùm talis admissio non sit actus Iurisdictionis, sed superioritatis, & consequenter delegabilis fœminæ, vt diximus *sup. cap. 3. num.7.* Ita consultus respondi, & postea responsionem meam approbarunt Bordonus, Pollaccus, Baldell. Zanettus, Steph. à S. Gregorio, aliique viri doctissimi à me consulti.

Dices, quid si Nouitia ex præfato indulto Pij V. profiteatur ante annum Nouitiatus expletum; potestne ante emissionem professionis testari de dote ipsius intuitu deposita penes campsorem, aut in alio loco tuto.

Respond. non posse; & probatur quia nemo potest testari de re non sua: dos autem in præsenti casu non acquiritur puellæ Nouitiæ, quamdiu non profitetur, vt constat ex dictis *cap.3. sect.2 q.6.* quippe ob illam eandem rationem, ob quam dos non acquiritur monasterio, nec acquiritur puellæ Nouitiæ: & quidem neque quo ad legitimam, quæ non est debita, nisi post mortem parentum respectiuè ad legitimam paternam, aut maternam; vnde fit, vt puella in nostro casu præmoriente parentibus, ipsa non acquirat ius ad illam, sicque ab ea dos transferri nequeat in alium.

Quòd si hac occasione quæras, an monasterium acquirat ius suprà dotem Nouitiæ profitentis in articulo mortis, inscio Ordinario (cui monasterium immediatè subest) post expletum tamen probationis annum superabundanter.

Respond. videri acquirere: & ratio est, quòd tale ius acquiritur ex professione valida Nouitiæ in eo probatæ, vt constat: in nostro autem casu professio fuit valida: cum ad eius valorem nihil defuerit, neque ex parte profitentis (cùm integrum Nouitiatus annum peregerit, & ex parte illius concurrerint omnia, quæ spectant ad substantiam professionis, vt suppono) neque ex parte admittentis professionem; cùm Superiorissa etiam se sola validè recipiat professionem, vt ostendi *sup. cap. 3. num. 7.* & licentia Ordinarij quo ad hoc non sit de substantia, vt indicaui *loco citato num. 3.* Nec obstat quod professio facta in articulo mortis conferre videtur solùm ad lucrandas indulgentias: nam id procedit ad summum de professione facta vigore indulti Pij V. paulò ante relati; non autem de professione facta in præsenti casu, in quo ea facta est, pro vt de iure communi; cùm facta sit post annum Nouitiatus expletum. Non obstat item, quòd professio facta sit in articulo mortis: hoc enim non impedit valorem professionis, vt colligitur ex Sanch. *l. 5. mor. c. 4. num. 52.* & ex eo, quòd etiam matrimonium carnale (cui æquiparatur professio Religiosa, quæ est matrimonium quoddam spirituale) validè contrahitur in articulo mortis, vt tradunt DD. communiter. Ita ego respondi in contingentia facti interrogatus.

QVÆRES XII. An Moniales per suos Confessarios ordinarios absolui possint à quinque casibus specialiter reseruatis à Clemente VIII. in decreto edito 9. Ianuar. 1601.

Respond. videri posse, si Confessarij aliàs sine priuilegiati (quales sunt Regulares) & admittatur declaratio illa sacræ Congregationis, quàm de facto admittunt Naldus *in edit. Bonon. Summa v. reseruatio*, Vecchius *D. 9. de Nouitiatu d. 7.* & Bordonus *resolut. 1. num. 17.* decretum scilicet præfatum prohibens absolutionem à reseruatis esse contra Confessarios 19.

respectu

respectu sæcularium pœnitentium, non regularium: quod est dicere Confessarios regulares modò non posse ab illis quinque casibus absoluere pœnitentes sæculares, posse tamen absoluere pœnitentes regulares; & consequenter Moniales, cùm, & ipsæ sint pœnitentes regulares. Dixi, *si Confessarij alias sint priuilegiati*: si enim sint simplices Confessarij, Moniales non possunt absolui è dictis quinque casibus, qui annexam habent reseruationem, etiam secluso decreto Clementis VIII. supra relato: qualis est percussio Clerici, simonia realis, *&c.* qui in iure sint reseruati, ab iis absolui nequeunt Moniales per Confessarios sæculares: quæ est causa, cur Moniales per hos ab iis non possint absolui, quamuis alias demus præfatum decretum Clementis illas non afficere: quod est dicere, illud non obstare, quin Moniales ab iis possint absolui per quemcumque Confessarium, etiam sæcularem: intellige si aliàs illi non sint reseruati; si enim sint, simplex Confessarius Moniales ab iis nequit absoluere; non quidem quod reseruentur in præfato decreto Clementis, (quod illas non afficit, vt iam dictum est) sed quod aliundè reseruentur, vt diximus. Vnde non licet sic argumentari: sacra Congregatio declarauit reseruationem præfatorum quinque casuum non afficere Regulares, & consequenter nec Moniales, ego quilibet Confessarius illas absoluere poterit ab iis, ac si ij simpliciter non essent reseruati; cum reseruatio illa respectu Monialium perinde habeat, ac si non esset facta simpliciter; constat autem, quod si non fuisset facta simpliciter, quilibet Confessarius posset: Moniales absoluere à dictis quinque casibus; non licet, inquam, sic argumentari: cum sacra Congregatio in ea declaratione solum locuta sit de reseruatione, quæ illis quinque casibus inerat ex vi decreti Clementis VIII. (nam de hac sola controuertebatur, vt colligitur ex Naldo *loco citato*) non autem generaliter de quacumque reseruatione aliunde afficiente præfatos quinque casus.

QVÆRES XIII. An Moniales tempore iubilæi possint eligere in Confessarium, Sacerdotem non approbatum in specie ad audiendas Monialium confessiones.

21. Respond. Diana *p.5. tract.* 12. *resol.* 12. Bonac. *D.5. de Sacram. q.7. p.* 4. §. 1. *num.* 25. Bossio *tract. de tripl. iubil. sect.* 3. *cas.* 2. *num.* 2. & Peyrino *tom.* 3. *priuil. c.* 4. *num.* 4. quamuis plures Doctores censeant partem negantem in hac quæstione amplectendam esse; partem affirmantem videri probabilem, nempe Moniales tempore Iubilæi concedentis omnibus fidelibus vtriusque sexus, etiam regularibus, generalem facultatem eligendi Confessarium approbatum ab Ordinario posse eligere sibi in Confessarium, Sacerdotem à solo Prælato regulari approbatum, si electus sit Regularis, aut certè ab Episcopo, si electus sit sæcularis: & hoc, siue Monialis eligens sit subiecta Ordinario, siue Prælato regulari. probant tum quia iubilæum est fauor amplissimus supremi Principis; priuilegium autem Principis debet quàm maximè ampliari: tum quia vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, præsertim in materia fauorabili animæ: tum quia Constitutio Gregorij XV. quæ incipit *Inscrutabili* (& posset adduci in contrarium) loquitur de casibus ordinariis, non verò de casu adeò speciali, &, cùm exorbitet à iure communi, quàm strictissimè debet interpretari: tum quia declaratio sacræ Congreg. (quam aliqui allegant contra præsentem doctrinam) est minùs certa, & minus sufficienter constat de illa: tum denique quia Vrb. VIII. in bulla generalis Iubilæi concessi anno 1625. de facto Monialibus omnibus expressè indulsit, vt Confessarium sæcularem, aut cuiusuis Ordinis regularem ab Ordinariis locorum approbatum eligere possent: vnde infert Peyrin. præsentem punctum non habere amplius difficultatem.

Verùm, quidquid sit de probabilitate speculatiua istius doctrinæ, quam aliis relinquo iudicandam; in praxi sequenda videtur opinio contraria; quam sequuntur Molfes. Alph. de Leone, Barthol à S. Fausto, Ioan. Franc. Suarez, & Georg. Pollach. relati à Diana *resol. cit.* ducor tum quia talis est praxis ferè communis, contra quam prudenter procedi non potest; præsertim cum agatur de re ad forum externum facilè deducibili, in quo Ordinarius sustineret munus & iudicis, & partis, possetque iudicare, immò & iudicaret iuxta opinionem sibi magis fauorabilem: tum quia non potest Sacerdos approbatus ad confessiones accedere ad Monialium monasteria absque licentia Ordinarij loci, simpliciter loquendo, & consequenter neque ad audiendam confessionem Monialis, quæ fortè illum eligat vigore Iubilæi. sicque non potest præsumi Papam intendere iurisdictionem conferre Sacerdoti aliàs habenti aliquod impedimentum; & hoc iuxta regulam: *Non veniunt in generali concessione, quæ quis non esset verosimiliter concessurus, si in specie peterentur*: quæ regula in præsenti casu videtur omninò procedere ad vitanda plura, ac grauia inconuenientia, quæ sequerentur, si quælibet Monialis vi Iubilæi eligere posset in Confessarium, quemcumque Sacerdotem approbatum mallet. (Quare tempore Iubilæi solent Moniales congregari ab Abbatissa, & interrogari, quos Confessarios libentiùs acceptarent, sicque nominant duos aut tres, qui postea proponuntur Ordinario, & approbantur) tū quia ex eo quòd Vrb. VIII. in anno Iubilæi vniuersalis dictam facit concessionem; minùs benè infertur id esse supponendum etiam in Iubilæis ordinariis: cùm concessio Iubilæi anni Sancti (qualis fuit concessio Vrbani VIII.) sit longè fauorabilior, ideóque requirat maiorem ampliationem. 20.

Vnum hìc obiter moneo quòd, sicut Ordinarij debent esse valdè circunspecti in deputandis Monialium Confessariis: sic non debent esse valdè difficiles in concedendo Confessario à Monialibus electo vigore Iubilæi; si aliàs ipsis constet de idoneitate ac integritate Confessarij modo dicto electi.

Cùm autem hìc inciderit sermo de Confessario extraordinario Monialium ipsis concedendo pro tēpore Iubilæi; & occasione ipsius Iubilæi plura, ac grauia dubia occurrere possint Monialibus, placet hìc aliqua ex illis summatim explicare; sicque

Moneo 1. iuxta Filliucium *tract.* 8. *n.* 267. & Bottonum *de Iubilæo §. qui extra Vrbem degunt*, aliósque Doctores à Filliuc. allegatos tacito nomine, ad hoc vt Moniales consequi possint Iubilæum, sufficere, in rigore loquendo, quod sciant certò illud fuisse publicatum Romæ; requiri tamen, vt ab Ordinario loci designetur Ecclesia ab iis visitanda (sicut iuxta citatos Doct. requiritur etiam quo ad sæculares:) idq; etsi Monialibus vnica sit Ecclesia, adeóq; illa sola ad illū effectum designari possit ab Ordinario. nam ex tenore bullæ Iubilæi ad ipsum consequendl requiritur visitatio Ecclesiarum designatarum ab Ordinario; quod non verificaretur, si Moniales ad illum effectum visitarent Ecclesiam ab Ordinario non designatam.

An autem Ordinarius quo ad Moniales possit paulò tardiùs publicare Iubilæum ad effectum vt cōmodiùs, ac vtiliùs vti possint beneficio Confessarij extraordinarij; stante quòd, teste experientia, Sacerdotes, qui tunc deputari solent in extraordinarios

Monialium

quod si communio fieri non posset, commutari posset in communionem spiritualem faciendam eo modo, quo dicemus, *infra c. 10. sect. 3. subs. 2. quaest. 25. sub initium.*

Moneo 12. Monialem, quæ comparat iubileum in priori hebdomada, si velit illud item lucrari in hebdomada posteriori, posse iterum illum acquirere, si iterum impleat requisita ad eius consecutionem: idque, etsi in bulla iubilæi dicatur *hac vice tantum*; hæc enim verba non important iubilæum semel tantùm posse comparari; sed illud non posse acquiri, nisi quamdiu durauerit tempus talis concessionis; ita vt ly *hac vice tantum*, non referatur ad iubilæum, sed ad tempus, aut locum iubilæi; vt notauit Alph. de Leone *part. 2. de iubilæo, num. 196.* quem pro hac sententia adducit Diana *supr. resol.* 28. vna cùm Naldo, Benzonio, Zerola, Sanctar. Fernand. & Flor.

Moneo 13. ad lucrandum iubilæum sufficere quòd Monialis præstet opera ad eius consecutionem præscripta, etsi ea alio ex titulo sint debita, v. g. ex voto, aut præcepto Ecclesiæ, vel Confessarij; cùm non pugnet vno, ac eodem actu satisfieri pluribus obligationibus, modò materia talium obligationum id patiatur. ita Pollachus, Sanctarel. Fernand. Comitol. & Laym. apud Dianam *resol.* 54.

Moneo 14. quòd, licèt Confessarius Moniali petenti commutationem operum, aut dilationem consecutionis iubilæi ob id solum, quòd non vult tempore deputato illud comparare, cùm aliàs commodè posset; ea non est capax talis commutationis; cùm voluntariè omittens non dicatur impedita, *cap. fin. de elect. & cap commissa, eod. in 6.* si tamen Monialis ex malitia tempore deputato renueret implere opera iubilæi, & vltima die statuat lucrari iubilæum, ideóque accedat ad Confessarium; is poterit ei vel iniuncta opera commutare, vel concedere dilationem, ad illa implenda: sic quippe Monialis verè est inuoluntariè impedita, & impedimentum est necessarium ex suppositione. ita Filliuc. *tract. 8. n. 268. & 273.* Alph. de Leone *supr. num.* 168. Pollac. *de iubil. sect. 42. num. 65. & 66.* aliique docti recentiores.

Moneo 15. quòd si Monialis tempore iubilæi non petiit commutationem alicuius voti, aut absolutionem alicuius reseruati, eò quòd exciderint è memoria: post elapsum tempus iubilæi potest obtinere eam commutationem, & absolutionem; si verè impleuit omnia præscripta ad consecutionem iubilæi: sic enim vigore iubilæi comparari ius acquisiuit ad vtramque, vt benè notauit Diana *supr. res.* 40. ex Sanchez Portello, Bossio, Sanctarel. & Alph. de Leone, qui Diana *resol.* 41. aliis citatis docet vota commutata tempore iubilæi non reuiuiscere; estò vouens mutata voluntate, postea non impleuerit, omnia requisita ad iubilæum, & consequenter illud non obtinuerit: non tamen vigore iubilæi posse ei postea commutari vota, quæ antea non fuerunt commutata; quod tamen non procedit de reseruatorum absolutione: si enim quis tempore iubilæi habens intentionem illud comparandi absolutus est à reseruatis, & nunc ex obliuione non est confessus aliquod reseruatum; etsi postea non acquirat iubilæum, nihilominùs potest ab eo absolui per quemcumque Confessarium; vt expresse docet Diana *resol. cit.* ex Portello, & Philippo de la Crua: qui Diana *p. 3. tract. 2. resol.* 147. ex Barthol. à S. Fausto, Sanctarello, & Alph. de Leone sustinet pœnitentem accedentem ad Confessarium vltima die iubilæi, si præ temporis angustia non possit ei integrè confiteri, post elapsum tempus iubilæi posse absolui etiam à reseruatis, in quæ incidit post elapsum iubilæum; Papa enim per talem dilationem intendit inducere pœnitentes ad lucrandum iubilæum, quod vtique nequit comparari sine absolutione reseruatorum; & aliàs iubilæi concessio est gratia Principis nulli præiudicialis, quæ restringi non debet absque sufficienti prætextu, aut ratione.

Moneo 16. ad lucrandum iubilæum sufficere fieri in gratia vltimum opus, quod impletur ad eius consecutionem; & hoc est ita verum, vt Diana *supr. resol.* 148. ex Henriq. Fernand. & Barthol. à S. Fausto sustineat suscipientem Eucharistiam in mortali, aut facientem sacrilegam confessionem, si nihilominùs in vltima periodo iubilæi per actum contritionis redeat in gratiam; & tunc opus vltimum ex præscriptis (v. g. Ecclesiæ visitationem) impleat, verè lucratur iubilæũ; quod tamen negant alij penes Dianam.

An autem Moniales possint sibi eligere Confessarium, & absolui à reseruatis vi Bullæ Cruciatæ, aut similis alterius indulti particularis.

Respond. non posse ob varia decreta Pontificia, 22.
etiam bullata, quæ refert Lezana *tom. 1. cap. 19. n. 29.* & præsertim ob Constitutionem Clementis VIII. relatam *supr. cap. 7. quæst. 3.* quam postea Vrban. VIII. die 19. Iunij 1630. innouauit; provt videre est *in bullario tom. 4. bulla eius* 105. quæ sic habet: *Quantum ad articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis, etiam in Bulla Cœna Domini contentis cum Fratribus, & Monialibus prædictis Fratrum Prædicatorum, ac aliorum quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatisque & Instituti Mendicantium, & non Mendicantium tam Prouincia Hispaniæ, quàm extra eam vbilibet cõstitutorũ locum minimè habuisse, neque habere, nec illis vllo modo suffragari potuisse, neque posse, sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quòd iidem Fratres, & Moniales quantum ad Sacramenti pœnitentiæ, seu confessionis administrationem ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ quo ad sibi reseruata subiecti sint, tenore præsentium perpetuò declaramus.* Vbi noto ex eo quòd hîc dicitur Bullam Cruciatæ non potuisse suffragari Regularibus, non sequi absolutiones reseruatorum antea vi illius collatas fuisse irritas: siquidem, stante probabilitate opinionis, quòd Regulares possent vti beneficio Bullæ Cruciatæ, quæ antea supponebatur, eiusmodi absolutiones fuerunt validæ, probabilitate opinionis supplente iurisdictionem, vt in simili notat Diana *part. 3. tract. 4. resol.* 153. qui cùm *part. 1. tract. 11. res.* 14. aliquantulum propendisset in sententiam aliquorum Doctorum sustinentium Regulares sine licentia suorum Prælatorum posse frui beneficio Bullæ Cruciatæ postea *in 3. p. in addit. secund. resol. 9.* visa hac Constitut. Vrbani reiicit dictam sententiam.

QVÆRES XIV. Quoties in anno debeat assignari Monialibus Confessarius extraordinarius ex decreto Concilij Trid. *sess. 25. de regul. cap. 10.*

Respond. debere deputari bis, aut ter in anno; sic 23.
enim præcipit Concilium his verbis: *Præter Ordinarium autem Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat*; sed de hoc *cap. seq. sect. 3. subs. 2.*

QVÆRES XV. Quæ priuilegia concessa sint Monialibus quò ad absolutionem reseruatorum.

Respond. cum distinctione: vel Moniales subsunt 24.
immediatè iurisdictioni Prælatorum regularium Ordinis; & possunt absolui ab omnibus iis reseruatis à quibus possunt absolui viri Religiosi eiusdem Ordinis vigore suorum priuilegiorum; si quidem vtrique confiteantur Sacerdoti regulari, & facultas absoluendi

absoluendi tenore concessionis restricta sit ad Confessarios Ordinis (quod propterea diligenter obseruandum est, illud colligendo ex verbis concessionum:) & ratio est, quòd dicta priuilegia concessa sunt Religiosis Ordinis, tales autem sunt etiam Moniales illius; sicque non apparet, quo titulo eæ debeant excludi ab vsu præfatorum priuilegiorum. Vel moniales sunt exemptæ à potestate Prælatorum regularium Ordinis immediatè subiectæ Ordinario, & confitentur apud Sacerdotes non Regulares; & sic, siquidem tenor concessionis est, vt Religiosi Ordinis possint absolui ab his, vel illis reseruatis; nulla restrictione apposita, possunt Moniales ab iis absolui, etiam per Sacerdotes non Regulares, qui sint deputati ad earum confessiones; secùs, si tenor concessionis est, vt à prædictis absolui possint per Confessarios Ordinis, aut cum aliqua alia simili limitatione: tunc enim Moniales non poterunt à præfatis absolui; cum sic facultas censeatur concessa non pœnitenti, sed Confessario regulari, qualis vtique non est Sacerdos sæcularis deputatus ad Monialium confessiones; vnde patet in vsu talium priuilegiorum attendendum esse tenorem ipsarum concessionum. perpendendo, num concessio sit facta Regularibus tanquam pœnitentibus, an verò tanquam Confessariis, vt paulò ante dictum est. A quibus autem possint Moniales vi suorum priuilegiorum absolui, constat ex iis, quæ dicimus in *tract. de priuileg. cap. 2. sect. 1. subs. 2.* vbi ex professo agimus hac de re, adductis variis indultis, quæ refert Rodriqez *tom. 1. quæst. 20 art. 22.*

Quod verò spectat ad casus Episcopales puto Moniales exemptas iis non subiacere, nisi fortè in ordine ad clausuram. moueor tum quia reseruatio est actus iurisdictionis, quæ solum exerceri potest in subditos; Moniales autem exemptæ non sunt subditæ Episcopo; tum quia locus exemptus æquiparatur loco extra territorium, vt constat ex dictis *c. 5. num. 190.* adeoque sicut Episcopus nequit facere reseruationem extra territorium: sic nec potest in loco exempto; monasterium autem Monialium exemptarum vtique est locus exemptus, vt patet. Dixi, *nisi fortè in ordine ad clausuram:* si enim fiat aliqua reseruatio in hac materia; tunc procedit doctrina tradita supra *cap. 6. num. 5. & 6.* quam breuitatis causa hîc non repeto.

Difficultas est, an Moniales immediatè subiectæ Ordinario possint vi suorum priuilegiorum absolui à reseruatis per ipsum Ordinarium casu, quo tenor priuilegij habeat, vt religiosi Ordinis possint ab illis absolui per proprium Prælatum, siue immediatum, siue mediatum.

25. Respond. videri posse, si tenor priuilegij habet indefinitè, quòd religiosi Ordinis possint absolui à proprio Prælato: non item, si habet, quòd possint absolui à proprio Prælato regulari, seu Ordinis; & ratio diuersitatis est, quod Ordinarius respectu dictarum Monialium est quidem, & dici potest proprius Prælatus earum, non tamen dici potest Prælatus regularis seu Ordinis, sicque mirum non est, ipsum venire nomine proprij Prælati Monialium quò ad priuilegia prioris generis, non item quò ad priuilegia posterioris generis: cùm aliàs priuilegium non suffragetur vltra intentionem concedentis verbis sufficienter expressam.

Illud etiam hîc potest, controuerti, per quem Superiorē debeant Moniales absolui ab iis, quæ specialiter reseruantur Papæ, vt à casibus Bullæ Cænæ v.g.

26. Respond. quòd cùm perpetuò impediti, ac impotētes iuxta communem DD. sensum possint per proprium Ordinarium loci, etiam extra articulum mortis, absolui à quibuscunque casibus, ac censuris Apostolicæ Sedi reseruatis, si sint sæculares; per proprios verò Prælatos regulares, si sint religiosi; & ex alia parte Moniales Ordinario immediatè subiectæ quò ad hoc æquiparentur personis sæcularibus: consequenter dicendum est Moniales debere absolui à præfatis reseruatis, per Ordinarium quidem loci, si immediatè subsunt illius iurisdictioni (cum iure communi per se id ei competat) per Prælatum verò regularem proprium, si sint exemptæ ab Ordinarij iurisdictione: idque præsertim ex concessione Pij V. bullata facta Fratribus Ordinis Prædicatorum, & relata à Rodriq. *in bullario Constitutione Pij V. in ordine 13.* per quam priori Dominicano, & consequenter etiam Prælatis aliorum Ordinum indulgetur, vt erga religiosos suos subditos pro foro conscientiæ (per se ipsos tamen tantùm) omnem illam potestatem absoluendi, ac dispensandi exerceant, quam Episcopi exercere possunt erga proprios subditos. Colligitur ex Tamburino *sup. D. 16. q. 8. num. 78. & 9.* vbi addit ex Nauarro, ac Vgolino taliter impeditos, & consequenter Moniales sic excusari ab obligatione adeundi Papam pro absolutione dictorum reseruatorum, vt neque teneantur id facere per alium (mittendo v.g. procuratorem, aut nuncium ad talem effectum) etiamsi commodè id facere possent; quod negant Bonac. *D. 1. de censur. in comm. q. 3. p. 2. num. 4.* & alij. Certè valdè rationabile, ac pium est, vt modo dicto impediti non cogantur adire Papam ad obtinendam absolutionem reseruatorum; aliàs quippe cogerentur ad impossibile; cùm tamen impossibilium non sit obligatio, *l. impossibilium, ff. de reg. iur.* quod maximè locum habet in Monialibus, quæ cum teneantur ad perpetuam clausuram, vtiq; non possunt adire Papam, vt absoluantur à reseruatis, quæ fortè incurrerint, vt proinde Homob. *relatus* à Diana *infra* Tambur. *sup. num. 10.* Diana *p. 4. tract. 4. resol. 89.* & ante illos Henriq. *l. 6. c. 10. n. 1. & 2.* Suar. *D. 30. de pœnit. sect. 3. n. 9.* aliique cum quibus sentit Bordon. *resol. 5. num. 5* doceant Moniales à quouis excessu, etiam hæresis externæ, posse absolui per Episcopum diœcesanum, aut per proprium Confessariū de eius licentia.

Quòd si quæras, an Moniales modo dicto possint absolui à reseruatis non solùm pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo.

Respond. posse: aliàs enim, cùm non possint ali- 27.
ter procurare absolutionem, & iuxta dicta ad talem effectum non teneantur vti aliis mediis; quò ad forum externum carerent remedio, essentque deterioris conditionis, quàm laici: quod nefas est credere de pia matre Ecclesia.

QVÆREA XVI. An, quo iure, & quando Moniales possint absolui à reseruatis, etiam non obtenta facultate à proprio earum Prælato.

Respond. videri posse in casu, quo illarum Con- 28.
fessarius petat facultatem reseruatorum, siue ab Ordinario loci, si Monialis absoluenda sit ei immediatè subiecta: siue à Prælato regulari, si illa sit exempta ab Ordinario idque ex indulto Clementis VIII. facto Regularibus, quod postea innouauit Vrbanus VIII in sua bulla 26. in ordine his verbis. *Quòd si Regularium Confessarius casus alicuius reseruati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice pœnitentes regulares absoluere, etiam non obtenta à Superiore facultate.* Circa cuius indulti intelligentiam illud in primis occurrit notandum quòd, dum in eo dicitur, *illa vice*, non est sensus vnumquemque Regularem vi illius non posse modo dicto absolui, nisi semel tantum; sed

sensus

sensus est Confessarium pro vnaquàque vice, quã petit facultatem reseruatorum, & non obtinet, vi tàlis petitionis semel tantùm posse absoluere à reseruatis suum pœnitentem: cum quo tamen stat, vt, si iterum petat, dictam facultatem, & non obtineat, iterum possit absoluere, & sic deinceps. Quæ doctrina maximè nititur illa alia doctrina, quam tradunt Alph. de Leone *de iubilæo part.2. quæst.27.num.197.* Naldus *v.indulg.num.4.* *Diana part.3.tract.4. resol.151.* & alij, nimirum vigore Iubilæi posse quem absolui à reseruatis in posteriori hebdomada, etiam eo obtento in priori hebdomada, si reperat præscripta ad consecutionem illius: & hoc, quamuis in concessione Iubilæi sit apposita clausula taxatiua *hac vice tantum*: siquidem talis doctrina à fortiori habebit locum in præsenti casu, quo solùm dicitur, *hac vice*, omissa dictione *tantùm*. sed de hoc plura in nostro *tract.de priuil.cap.2.sect.1.subs.2.quæst.13.*

29. Dixi in respõsione, *siue ab Ordinario loci, si Monialis absoluenda sit ei immediatè subiecta*; vt innuerem, quòd, quamuis concessio hîc proposita per se primò videatur loqui de Prælato regulari denegante facultatem reseruatorum, & Ordinarius non sit Prælatus regularis, neque respectu Monialium sibi subditarum; nihilominus probabile est sub illa comprehendi etiam Ordinarium quò ad Moniales ipsi subiectas; vtpotè qui verè est illarum Superior, ideoque venit sub iis verbis concessionis; *Quod si Superior dare noluerit*; præsertim cùm simus in materia fauorabili animæ (quæ maximã admittit ampliationem) & ratio præfatæ concessionis potiori ratione militet in Monialibus ex conditione sexus fragilioribus, aliásque certum sit eas comprehendi sub dicta concessione; quippe quæ indefinitè loquitur de Regularibus, sub quorum nomine sine dubio veniunt etiam moniales, vt patet.

Vtrùm verò præfata concessio procedat non solùm quò ad casus Superioribus Monialium peculiariter reseruatos, sed etiam quò ad illos, quorum facultas ipsis competit iure delegationis, aut ratione necessitatis.

30. Respond. videri procedere; cùm loquatur generaliter, ac indefinitè, sicut constat ex verbis illis; *quòd si Confessarius casus alicuius reseruati facultatem petentibus*; sicque regula, *lex generaliter loquens*, &c. & illa alia, *vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus*: & illa alia, *beneficium Principis latè interpretandum est*; quæ regulæ maximè suffragantur in bonum spirituale animæ. ita docti Neoterici à me consulti, & valdè probabiliter.

Addit Quintanad. *tr.3.sing.26.num.6.* ex decreto Clem. VIII. & Vrb. VIII. reuocata fuisse priuilegia concessa à Sixto IV. Carthusianis, ad hoc vt semel in anno, & à Leone X. Monialibus S. Claræ, vt quater in anno ab omnibus reseruatis absoluerentur sine licentia suorum Prælatorum (vt notat Rodriq. *tom.1.q.26.art.10.*) idemq; esse iudicandum de similibus priuilegiis cuicunq; alij Ordini antea concessis: quæ decreta adducit Quintanad. *singul.cit.*

31 *Dispensari possunt Moniales in ijs, in quibus dispensantur viri Religiosi (idq; siue ab Ordinario, siue à Prælato regulari, prout ijs respectiuè subsunt) & in præceptis Regulæ.*
32 *Gaudent varijs priuilegiis pro tempore Interdicti, ac Cessationis à diuinis.*
33 *Afferuntur alia priuilegia, etiam maiora ad eundem effectum illis concessa.*
34 *Puellæ, quæ educantur apud Moniales, gaudent varijs indultis pro dicto tempore.*
35 *Non tamen tenentur illis vti.*
36 *Monialium famuli tempore Interdicti admittuntur ad diuina in earum templis.*
37 *De rigore iuris Moniales eligere possunt Conseruatorem: at obstat praxis.*
38 *Si subsint Prælatis regularibus, hi benedicunt, & reconciliant illarum templa, benedicunt paramenta, consecrant calices, &c. ad earum vsum.*
39 *Prælati ijdem, si aliàs habeant vsum baldachini, illud erigunt in earum templis.*
40 *Moniales gaudent indulgentiis concessis viris Religiosis in communi, ac in specie: idq; etsi immediatè subsint Ordinario: quod non procedit de ijs quæ concessa sunt Ecclesiis Ordinis: referuntur indulgentiæ à Paulo V. concessæ Monialibus: & hac occasione plura soluuntur dubia practica de indulgentiis: & refertur indulgentia Adriani VI. concessa recitantibus vespere ad 3. signa campanæ, Aue Maria: de qua indulgentia, sicut & de indulgentiis in communi plura notantur.*
41 *Tertiariæ fruuntur indulgẽtiis Ordinis, sed nõ omnes.*
42 *Ecclesia consulit libertati Monialium quoad susceptionem habitus Religiosi.*
43 *Monasteria earum resarcienda fidelium expensis.*
44 *Ecclesia opportunè succurrit illarum egestati per quandam Bullam Gregor. XIII.*
45 *Qualiter talis bulla obliget in præsentia.*
46 *Bona violantis Monialem applicantur Conuentui Monialis violatæ.*
47 *Legatum relictum fœminæ maritandæ debetur ei etiam ingredienti Religionem.*
48 *Siquidem legatum relictum sit fœminæ determinatæ: Legatum item relictum pro monachatu debetur Tertiariæ: præterea legatum factum pro dote puellæ monachandæ ei debetur, si ingrediatur monasterium nullam recipiens dotem: immò statim pro habitu Religioso & similibus: item debetur, si maneat cœlebs in sæculo, nec videtur obstare Rota Romana: item puella, cui relictum est legatum 1500. aureorum in dotem dandam ab hærede testatoris quando intret Religionem: si testatore viuente, intret cum dote minori soluta ex bonis ipsius testatoris absentis, potest prætendere residuum legati: legatum pro monachandis fœminis corruptis si hæ desint, implicari potest in maritan-da puella periculosa: legatum certæ puellæ vt fiat Monialis, si ea moriatur, antequam fiat Monialis, non semper fit caducum.*
49 *Moniales Mendicantes veniunt sub dispositionibus factis de Mendicantibus.*
50 *Tertiariæ, etiam seorsim habitantes fruuntur priuilegijs Ordinis, si seruent aliquas conditiones.*

QVÆRES XVII. An, & per quos possint Moniales dispensari tùm in impedimentis obstantibus prælationi, tum in inhabilitatibus per modum pœnæ contractis; tum in præceptis Ecclesiæ, v.g. in ieiunio, recitatione officij, &c.

Respond. posse eo modo, quo possunt viri Religiosi eiusdem Ordinis: & quidem per Ordinarium, si Moniales ei immediatè subiaceant, vti diximus *supr.q.4.* siue per proprios Prælatos regulares, si sint exemptæ ab Ordinario loci; idque iuxta priuilegia concessa Ordini, quorum vsus, sicut non debet denegari Monialibus, etiam subiectis Ordinario, vt ostendimus *q.1.* sic nec debet concedi, nisi cum limitationibus appositis *q. 15.* quæ, seruata proportione, procedunt etiam in præsenti materia. Quare, occurrente casu alicuius dispensationis, attendantur priuilegia Religionis concessa ad talem effectum, 31.

& iuxtà tenorem vniuſcuiuſque illorum vſurpentur; ea verò proponemus, ac exponemus in *tract. de gubernat. cap. 3. ſect. 4.* qui vult conſultat Caſarubium *in com. v. Moniales, & v. diſpenſare*, memor magnæ illius conceſſionis, quam fecit Pius V. Ordini Prædicatorum, & nos retulimus hîc *quæſt. 15. §. illud etiam.*

Puto autem Prælatos poſſe modo dicto diſpenſare in præceptis regulæ obligantibus ſub mortali: idque colligo ex Sanch. *l. 6. mor. c. 3. num. 8.* vbi ſupponens Prælatos regulares poſſe diſpenſare in præceptis regulæ, loquitur generaliter, nec excipit præcepta obligantia ſub mortali.

QVÆRES XVIII. Quibus priuilegiis gaudeant Moniales pro tempore Interdicti, aut Ceſſationis à diuinis.

Reſpond. gaudere illis omnibus priuilegiis, qui-
32. bus gaudent viri religioſi ſui Ordinis (loquendo de iis, quorum ipſæ, habita ratione ſexus, ſunt ſpecies) ſicque non obſtante decreto Concilij Trident. *ſeſſ. 25. cap. 12. de regul.* poſſunt Moniales tempore Interdicti generalis in ſuis templis dicere diuina Officia ſubmiſſa voce, ianuis clauſis, non pulſatis campanis, ac excluſis excommunicatis, & interdictis, facere celebrare Miſſas (cum præfatis tamen limitationibus) recipere Sacramenta, ſepeliri eccleſiaſtica ſepultura, & recipere ad Miſſas, ac Horas canonicas audiendas, nec non ad ſumenda Sacramenta in ſuis templis certum numerum perſonarum, quemcunque poſſunt admittere viri religioſi in propriis Eccleſiis iuxta ipſorum priuilegia à Caſarubio relata in *comp. v. interdictum.* id enim inquit Tamburin. *ſup. D. 15. q. 8. num. 3.* operatur communicatio priuilegiorum, vt, quod conceditur Prælatis virorum religioſorum, idem & concedatur Monialium Abbatiſſis, ſeu Priorisſis, dummodò ea non repugnent illarum ſtatui, & alioqui excludantur nominatim interdicti, ac excommunicati. Quod autem dixi poſſe Moniales facere celebrare Miſſas; intellige per Sacerdotes tam ſæculares, quam regulares; cum de vtriſque ſit par ratio concedente Bonifacio VIII. in cap. *Alma mater de ſent. excommunic. in 6.* omnibus Sacerdotibus indiſcriminatim, vt poſſint tempore Interdicti localis generalis celebrare in Eccleſiis quibuſcunque ac monaſteriis, modò ſeruentur limitationes ſuperiùs propoſitæ Cæterùm, quod diximus de tempore Interdicti, proportionaliter militat etiam pro tempore Ceſſationis à diuinis.

Quin etiam poſſunt Moniales pro tempore Inter-
33. dicti localis generalis recitare diuina Officia, & facere celebrare Miſſas, ianuis apertis, pulſatis campanis, & interdictis etiam admiſſis (qui tamen non fuerint cauſa interdicti) non ſolùm in feſtiuitatibus Natiuitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Virgin. (ſicut conceditur in citato cap. *Alma mater*) ſed etiam in feſto Sanctiſſimi Sacramenti, eiuſque tota Octaua vigore Extrauagantis Martini V. immò ex ſpecialibus priuilegiis Regularium etiam in feſto Conceptionis, Viſitationis, ac Natiuitatis Beatæ Virg. in Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ, in feſtis Sanctorum reſpectiuè vniuſcuiuſque Ordinis, nec non aliorum Sanctorum, & Sanctarum, ſub quorum inuocationibus earum templa erecta ſunt, aut quorum corpora in iis repoſita ſunt; in Hebdomada ſancta, ac Reſurrectionis Dominicæ, & per octauas earundem Omnium feſtiuitatum: denique quoties aliqua ex Monialibus monaſterij profeſſionem emittit, aut in Eccleſia ſepelitur; Quæ vtique ſunt magna priuilegia, & referuntur à Caſarubio *in compend. priuileg. v. interdictum*, cum pluribus aliis ad ſimilem effectum conceſſis.

Difficultas eſſe poſſet, an puellæ in monaſteriis Monialium degentes cauſa educationis poſſint tempore Interdicti, ac Ceſſationis à diuinis intereſſe diuinis Officiis, audire Miſſam, ac recipere Sacramenta, immò & ſepeliri eccleſiaſtica ſepultura, ſi tunc temporis decedant.

Reſpond. videri poſſe; & patet tum ex dictis *ſup.* 34.
cap. 5. n. 192. tum ex priuilegio bullato Eugenij IV. conceſſo Ciſtercienſibus, & relato à Sayro *l. 5. de cenſur. cap. 7. num. 22.* ſub his verbis: *Quòd ſi contingat ciuitates, terras, vel loca, in quibus monaſteria, ſiue loca dictæ Congregationis exiſtunt, eccleſiaſtico eſſe ſuppoſita Interdicto, ipſi tamen dictæ Congregationis Prælati, Monachi, Conuerſi, Commiſſi, ac Capellani, necnon laici, qui intra ſepta ipſorum locorum pro tempore habitauerint, à præfatæ Congregationis Monachis ad id deputatis, ianuis clauſis, interdictis excluſis, & ſubmiſſa voce Miſſas, & alia diuina Officia audire, & celebrare, ac eccleſiaſtica Sacramenta licitè miniſtrare, & ſuſcipere valeant.* quale priuilegium eſt illud, quod refertur in *Comp. Societatis noſtræ v. interdictum §. 2.* conceſſum pro noſtris pueris, ſeu familiaribus, procuratoribus, & operariis; quodque refertur §. 4. ſub his verbis: *Poſſunt noſtri quoſcunque familiares, &c. ad diuina admittere, & Sacramenta illis miniſtrare, eorumque corpora tumulare, vel tumulari facere*, &c. præterquam quod Sayrus vbi ſupra notat quòd, cùm plures DD. teſtentur religioſos multis ab hinc annis præfata præſtare conſueuiſſe, vi talis conſuetudinis, ſecluſo etiam quouis priuilegio, præſtari poterunt à viris religioſis, & conſequenter à Monialibus, quantùm patitur conditio ſexus illarum, nec obſtat, quòd *cap. licet 11. de priuileg. in 6.* dicitur familiares conuentuum, vt tales non poſſe aſſiſtere diuinis Officiis tempore Interdicti, niſi ſpeciale ad id habeant priuilegium: ibi enim eſt ſermo de familiaribus extraneis, & non de commenſalibus: & præterea puellæ, de quibus hîc, habent ad id ſpeciale priuilegium, vt iam vidimus. ita Baldellus, Naldus, Bordonus, & alij à me conſulti.

An autem dictæ puellæ teneantur vti præfatis priuilegiis, audiendo Miſſam, v.g. tempore Interdicti in die feſto.

Reſpond. probabile eſſe non teneri: & probatur 35.
tum quia nemo obligatur vti priuilegio ſibi conceſſo; alioqui gratia non eſſet gratia, ſed onus, & libera facultas in obligationem verteretur; & tamen conceſſa in alicuius gratiam non debent retorqueri in illius odium: tum quia eſt iuxta intentionem Eccleſiæ, quòd omnes ſe componant ad abſtinendum à diuinis Officiis pro tempore Interdicti veritis, vt ſic cenſuræ eccleſiaſticæ ſuum vigorem non perdant. ita Auila *p. 5. de cenſur. D 4. ſect. 2. d. 6.* ex Victoria, Cano, & aliis viris doctis, aliique citati à Fagund. *præc. 1. eccleſ. l. 2. cap. 8. num. 4.* qui tamen *num. 5.* cum aliis DD. oppoſitam ſuſtinet ſententiam tanquam probabiliorem; eamque probat variis rationibus.

Adde ea, quæ diximus de puellis degentibus in monaſteriis Monialium cauſa educationis, procedere etiam in aliis fœminis ibidé cum debita licentia degentibus titulo famulatus, aut ex alia iuſta cauſa.

Accedit quòd, cùm Eugenius IV. teſte Caſarubio *v. Interdictum 3. n. 11.* per bullam conceſſerit Monachis S. Benedicti Congregationis Hiſpaniæ, quod *tempore Interdicti generalis, aut ſpecialis à iure, vel ab homine quomodocunque lati poſſint recipere ad audiendam Miſſam, & alia diuina Officia, quoſcunque familiares, officiales, & ſeruitores quorumlibet monaſteriorum huiuſmodi, ac eis Euchariſtiam, & alia eccleſiaſtica Sacramenta*

Sacramenta ministrare, eorumq; corpora tumulare, seu tumulari facere · dum tamen nullus istorum dederit causam Interdicto; secreto tamen modo sanus, & campanis non pulsatis: hoc eodem priuilegio gaudebunt Moniales tum Ordinis S. Benedicti, tùm aliorum Ordinum, iuxta dicta hic *q. 1. 2. & 3.* sicque tempore Interdicti propriis Ecclesiis quoscunque suos famulos, ac officiales admittere poterunt ad Missam, & alia diuina Officia; & si contingat eos mori, iis concedere Ecclesiasticam sepulturam: quod est frui isto priuilegio, quantùm patitur conditio sexus fœminei. Dixi, *quoscunque suos famulos, aut officiales*; vt indicarem, quòd, cùm simus in materia fauorabili, quæ debet ampliari; nomine famulorum, seu seruitorum veniunt deputati ad quotidiana obsequia tam Ecclesiæ, quàm Conuentus, siue masculi, siue fœminæ; factores vrbani, villici, ordinarij cultores hortis existentis intra clausuram, aliique similes, qui iuxta communem loquendi modum verè dici possint famuli; non item medici, chirurgi, fabri, baiuli, aliique artifices (qui, licèt inseruiant Monialibus, vnusquisque in suo genere; non ideo tamen iuxta communem loquendi modum dici possunt famuli Monialium) non denique Syndici (quamuis aliàs hi dici possint venire nomine Officialium Conuentus, adeóque comprehensi in relatu priuilegio.)

Qværes XIX. An Moniales possint sibi eligere Conseruatorem eo modo, quo possunt viri Religiosi iuxta priuilegia sui Ordinis.

37 Respond. de rigore iuris posse, etsi obstet consuetudo in contrarium inducta. & quidem, quòd de rigore iuris possint, probatur tum quia gaudent priuilegiis concessis proprio Ordini, accommodatis ipsarum conditioni, ac statui, vt ostendimus *q. 1.* & consequenter fruuntur indulto eligendi Conseruatorem concesso viris Religiosis, vtpote illarum statui non repugnante: tum quia Pius V. *in sua Constitut. 41. in ordine*, tale indultum expressè concessit Monialibus S. Dominici, vt constat ex tenore dictæ Constitutionis, in qua pluries fit mentio expressa de dictis Monialibus; quòd indultum sine dubio per viam communicationis etiam Monialibus aliorum Ordinum est commune ex dictis *q. 2.* Quòd si consuetudo est in contrarium; fortè id inde prouenit, quòd, cùm plurima monasteria Monialium subiaceant Ordinario, & per consequens Ordinarium habeant in iudicem; non est cur eligant Conseruatorem in multis fungentem officio iudicis.

Qværes XX. An Prælati regulares possint vi suorum priuilegiorum benedicere Ecclesias Monialium sibi subiectarum, immò & eas reconciliare, si polluantur; necnon benedicere paramenta, ac consecrare calices, & altaria, aliáque id genus præstare ad vsum dictarum Monialium; si aliàs ad hæc extendatur facultas illorum.

38 Respond, videri posse: idque etiamsi demus eorum facultatem ad Ecclesias, & res proprij monasterij, ac Ordinis esse restrictam. Moueor ex indulto Leonis X. bullato, quod refert Casarubius *in comp. v. benedicere, num. 14.* his verbis: *Leo X. concessit Generalibus, & Prouincialibus, ac Custodibus, necnon, & Guardianis Fratrum Minorum Obseru. pro tempore existentibus, vt omnia, & singula eiusdem Ordinis, & Obseruantiæ Ecclesias, paramenta, & ornamenta, & alia quæcunque ad diuinum cultum, & vsum Fratrum necessaria solemni benedictione valeant benedicere: ac quòd similiter possint reconciliare Ecclesias, quæ quomodolibet sanguinis, vel seminis effusione pollutæ fuerint, &c.* Vbi noto, quòd, cùm facultas huius indulti extendatur ad omnes, ac singulas Ecclesias, ac res Ordinis, & Ecclesiæ; ac res Monialium verè sint, ac dici possint Ecclesiæ, & res Ordinis, cui subsunt: dicta facultas dici debet extendi etiam ad has: idque etsi dicatur, *ad vsum Fratrum*: siquidem in fauorabilibus sub masculino comprehenditur fœmininum; & consequenter nomine Fratrum veniunt etiam Sorores, seu Moniales Ordinis: quæ ratio procedit etiam de consecratione altarium, calicium, & patenarum iuxta tenorem aliorum priuilegiorum. Dixi, *Ecclesias Monialium ipsis subiectarum*; vt innuerem secùs dicendum de Ecclesiis, ac rebus Monialium subiectarum Ordinario; quippe quæ non ampliùs dici possunt Ecclesiæ, ac res Ordinis, vt patet. ita Naldus, Baldellus, Bordonus, & alij à me consulti.

Qværes XXI. An Abbates aliàs habentes vsum baldachini, & pontificalium, possint erigere baldachinum, & exercere pontificalia in templis Monialium ipsis subiectarum; non secùs ac possunt intra Ecclesiam monasterij, cui præsunt.

Respond. videri posse; & colligitur ex tenore decreti sacræ Congregationis relati à Barbosa *de offic. Episc. allegat. 80. num. 18.* quod decretum, cùm præscribens modum exercendi pontificalia dicat, *quando solemniter in propriis eorum Ecclesiis celebrant*, vtique comprehendit etiam Ecclesias Monialium dictis Abbatibus subiectarum; quippe quæ re vera sunt Ecclesiæ Ordinis, adeóque dici possunt, *propriæ eorum*, idest dictorum Abbatum. ita Naldus, Baldellus, Bordonus, aliique à me consulti, & probabiliter; nisi adsit consuetudo in contrarium, cui contrauenire deseruiret ad excitandas tricas, quas regulariter expedit euitare 39

Qværes XXII. Quæ Indulgentiæ concessæ sint Monialibus.

Respond. concessas esse illas omnes indulgentias, quæ concessæ sunt tam Religiosis in commu- 40
ni iuxta Pauli V. constitutionem editam 23. Maij 1606. à nobis latè explicatam *in tract. de priuileg. cap. 5. sect. 5. subs. 1. per totum* (qua, reuocatis omnibus, & singulis indulgentiis aliàs concessis Regularibus, alias plures de nouo concedit) quàm in specie Religiosis sui Ordinis: his enim omnibus indulgentiis frui possunt Moniales, si impleant ea, quæ præscribuntur ad eas consequendas: illis quidem vigore citatæ Constitutionis Pauli V. quæ §. 18. loquens de Monialibus sic habet, *Volumus autem, vt omnes supradictæ indulgentiæ, & gratiæ Religiosis regularibus cuiusuis Ordinis tam monastici, quàm mendicantis dumtaxat concessæ, etiam omnibus Monialibus cuiusuis regulæ approbatæ, & intra claustra cum 3. votis solemnibus viuentibus, & perpetuam clausuram seruantibus tam Ordinariis locorum, quàm etiam Regularibus cuiuscunque Ordinis, regulæ, & Instituti subiectis suffragentur*; istis verò ex vi communicationis priuilegiorum, & gratiarum sui Ordinis, de quibus ex participant tanquam vera membra illius, vtpote profitentes eandem regulam, ac Institutum: idque stando in iure communi, etsi alioqui subiaceant immediatæ iurisdictioni Sedis Apostolicæ, aut Ordinarij loci; non enim æquum est ex eo quòd fuerunt priuatæ priuilegio exemptionis ab Ordinario loci, eas priuari etiam gratiis, ac priuilegiis, quibus antea fruebantur, dum essent modo dicto exemptæ; sicut ostendimus *supr. quæst. 1.* qua de re Portel. *part. 2. resp. mor. casu 14.*

Quòd si quæras, quas indulgentias lucrentur Moniales vi bullæ Pauli V. superiùs adductæ.

Resp. lucrari indulgentiam plenariam in susceptione habitus Religiosi; in emissione professionis; in festo principali Ordinis (quod est festum Sancti Fundatoris, aut aliud simile vniuersaliter celebrari solitum, vt festum Circumcisionis D.N. in Societate Iesu,) & in articulo mortis; item si confessæ communicent, audita prima Missa alicuius Sacerdotis regularis, siue eiusdem, siue alterius Ordinis, item si per 10. dies faciunt exercitia spiritualia iuxta formam præscriptam in ipsa bulla Pauli; item si confessæ, & sacra communione refectæ saltem per 2. horas orent in expositione 40. horarum facta à Superiore pro generali visitatione monasterij. Lucrantur verò omnes indulgentias stationum Vrbis, si deuotè visitent propriam Ecclesiam, ibique orent: item lucrantur quinque annos indulgentiæ, & totidem quadragenas, si singulis diebus ante Altare propriæ Ecclesiæ quinquies recitent orationem Dominicam, & salutationem Angelicam; necnon 30. annos, & totidem quadragenas, si per mensem vacent oratiool mentali singulis diebus per mediam horam, & præterea in vltima Dominica dicti mensis confessæ sacram recipiant Communionem, item lucrantur annos 3. & totidem quadragenas, si piè, ac Religiosè in capitulo se accusent de commissis defectibus.

Addo hîc obiter Moniales, & quoscunque alios fideles, siue sæculares, siue Regulares quotidie lucrari indulgentiam plenariam ab Adriano VI. concessam; si ad tria signa campanæ post Solis occasum dari solita recitent *Aue Maria*, cum versu *Angelus Domini*, &c. *Ecce Ancilla Domini*, &c. *Et Verbum caro factum est*, &c. hæc enim iodulgentia non fuit à Paulo V. reuocata in generali reuocatione indulgentiarum Regularibus concessarum: cùm in ea comprehensæ fuerint tantùm indulgentiæ concessæ solis Regularibus; & hæc concessa fuerit pro vniuersis fidelibus, teste Rodriquez. *in comp. quæst. 77. num. 51. iuncto num.* 17. Quòd volui hîc adnotare, vt Monialium Confessariis ipsis talem ac tantum thesaurum detegant, curentque vt eo fruantur gratia adeò singulari.

Ad cuius Indolgentiæ explicationem placet aliqua notare; & quidem 1. illam solum acquiri ad tria signa, quæ post Solis occasum dantur campana; non item ad ea, quæ dantur primò mane, aut in meridie; cum in tenore indulgentiæ exprimatur, quo tempore obtineatur hæc indulgentia, & alioqui concessio indulgentiæ extendi non debeat vltra mentem concedentis expressam verbis.

Noto 2. ad lucrandam hanc Indulgentiam non videri necessariam, vt post trium salutationum Angelicarum recitationem dicatur oratio, *Gratiam tuam quæsumus*, licèt à pluribus dici soleat: de hac enim non fit mentio neque in tenore concessionis, neque à Doctoribus illam referentibus; & aliàs sine sufficienti fundamento multiplicari non debeant obligationes.

Noto 3. hanc Indulgentiam non acquiri, si recitatio precum præscriptarum notabiliter anticipetur, aut postponatur: ea quippe est affixa certo tempore in eius reuerentiam, adeóque seruari debet circumstantia temporis, vtpotè substantialis: quod non procederet, si leuis esset antepositio, aut postpositio; cum de minimis non curet Prætor; & quod parum distat, nihil distare videatur.

Cùm autem occasione indulgentiarum, quæ interdum proponuntur Mooialibus obtinendæ; varia ipsis occurrere dubia soleant de illis, quorum resolutionem petunt à suis Confessariis; in horum gratiam aliqua de Indulgentiis magis practica hîc placet proponere; vt ex horum solutione illi habeant, vnde faciliùs proposita à Monialibus dubia resoluant.

Assero ergo 1. indolgentiam plenariam dici illam, per quam omnis pœna pro peccatis luenda in Purgatorio remittitur: indulgentiam vero 7. annorum v. g. dici illam, per quam remittitur tanta pœna peccatis debita, quanta deleretur per pœnitentiam 7. annorum factam iuxta Canones antiquos Ecclesiæ. Layman *l. 5. tract. 7. cap. 3. num. 1.*

Assero 2. ad hoc vt Monialis consequatur totum effectum indulgentiæ plenariæ requiri, vt priùs ei sit remissa omnis culpa, etiam veoialis; vnde fit, vt, si maneat Monialis affecta erga aliquod peccatum veniale, non consequatur totum effectum plenariæ indulgentiæ; cùm non obtineat remissionem pœnæ respondentis illi peccato veniali; vt bene notat Layman *cap. 6. num. 2.*

Assero 3. quòd si operis iniuncti ad obtinendam Indulgentiam pars tantùm minima omittatur: probabile putat Filliucius *tract. 8. part. 3. num. 153.* non impediri effectum indulgentiæ; cùm in moralibus parum pro nihilo reputetur: quod tamen non procedit, si pars omissa, quæ in se est leuis, sit grauis respectiuè ad aliàs, vt si semel omittatur *Pater* & *Aue* in quinque denis recitandis.

Assero 4. ab obtinendam indulgentiam sufficere, si fiat opus, vti est secundùm substantiam, siue ex obiecto bonum; etsi vitiosum sit ratione alicuius circunstantiæ: eo quòd sit factum v.g ex vana gloria Suarez *D. 52. de pœnit. sect. 6. n. 2.* contra alios; quorum opinio in praxi amplectenda videtur.

Assero 5. absolutè non requiri, vt opus iniunctum pro indulgentia impleatur in statu gratiæ; sed sufficere quòd Menialis sit in Dei gratia, quando opus consumatur in tempore, quo obtinenda est indulgentia: tunc enim necessaria est gratia; non quidem propter opus, sed propter fructum: idest ad consecutionem indulgentiæ. Layman *supr. ex Soto* S. Anton. & Nauarr. monens esse valdè consultum, ac expediens totum opus in gratia implere.

Assero 6. ad obtinendam indulgentiam sufficere intentionem habitualem, ac interpretatiuam; qua Monialis præsumitur velle sibi in spiritualibus consulere eo meliori modo, quo potest; non autem requiri actualem intentionem illum lucrandi: cùm id non exigat natura iodulgentiæ, & in concessione illius solùm dicatur indulgeotiam talem consequendam fore ab iis, qui talem Ecclesiam tali die visitauerint: quod totum præstare potest Monialis, etsi ignoret, aut non aduertat illa die concessam fuisse illam indulgentiam; ideóque non habeat actualem intentionem lucrandi illam, Layman *supr. num. 5.* aliique quos citat, & sequitur Diana *part. 5. tract. 12. resol. 6.*

Assero 7. quòd, quando conceditur iodulgentia *Pœnitentibus, & confessis*; seu *contritis, & confessis*; noo necessariò requiritur coofessio, sed sufficit contritio perfecta; cum verba illa iuxta subiectam materiam possint intelligi distributiuè, vt per ea Papa intendat concedere indulgentiam fidelibus, dum præmittant contritionem, aut confessionem. Cardin. de Lugo *D. 27. de pœnit. num. 94.* ex Suarez, aliique apud Dianam *sup. resol. 30.*

Assero 8. in casu, quo coofessio Sacrameotalis verè requiratur ad coosecutionem indulgentiæ; non ideò teneri confiteri illum, qui habet solùm venialia: cùm Ecclesia non soleat præcipere confessionem venialium; & confessio absolute sumpta intelligatur tantùm de confessione mortalium. Filliuc.

tract. 8.

tract.8.p.3.n.145. ex communiori DD. sententia monens contrariam in rigore esse tutiorem.

Assero 9. Indulgentiam concessam sumentibus Eucharisticam communionem tali die, obtineri ab eo, qui 4. ante diebus communicauit, etsi iterum non communicet: dummodò non habeat conscientiam peccati mort. Portellus *de dub. reg. v. indulgentia num.5.* ex Comitolo *l.1. resp.mor.q.39.* à quibus non dissentit Card. de Lugo *supr.num.93.*

Assero 10. videri probabile, quòd eodem opere possit quis lucrari diuersas indulgentias viis diuersis concessas (vt si quis dicat Rosarium habens plures benedictiones, & secundùm quamlibet illarum sint concessi mille anni indulgentiæ) simpliciter enim fit, quod vnaquæque benedictio postulat, nempe recitatio Rosarij; & aliàs non apparet, cur indulgentia obtineatur potius vna via, quam alia. Filliucius *supr. num.167.* Card. de Lugo *num.92.* Laym. *supr.cap.6.num.6.* Nald. *v. indulgentia, num.5* aliique apud Dianam *part.5.tract.12.resol.11.* qui tamen oppositam sententiam dicunt esse probabiliorem; requiri scilicèt plura opera ad consequendas plures illas indulgentias: cùm opus bonum plerúmque adiungi soleat in concessione indulgentiarum ad supplendam causam illarum; qui finis vtique non obtinetur ita bene, si vno opere exhibito plures indulgentias similibus rebus promissas lucrari liceat; excipe, nisi opus præscriptum sit tale, quod eodem die non possit, aut non soleat repeti; vt ieiunium, communio Sacramentalis &c.

Assero 11. posse Monialem, si quo tempore audit Missam, simul recitet Horas canonicas; lucrari indulgentias concessas audientibus Missam, & concessas recitantibus horas: nam sic verè implentur opera præscripta ad plures indulgentias; & alioqui circumstantia eiusdem temporis non impedit illarum consecutionem; cum sit extrinseca actibus, qui fiunt, & teste Sanch. *l.1. mor.cap.14 num.12.* eodem tempore audiri possint plures Missæ debitæ ex variis titulis; v. g. ex præcepto Ecclesiæ, & ex voto. Bonac. *d.6. de leg.q.1.part.5.num.31.*

Assero 12. quòd, licèt Angelus, Rosella, Villalobos, & alij relati à Diana *part.2.tract.11.resol.104.* sustineant indulgentiam concessam pro tali die alicui Ecclesiæ posse sæpius obtineri, si Ecclesia pluties visitetur visitatione multiplici moraliter (qualis non fieret, si quis millies ingrediendo, & egrediendo intraret eandem Ecclesiam:) id tamen negat Cardin. de Lugo *supr.num.96.* ex Suarez, & Bonacina, alioqui concedens *n. 95.* indulgentiam perpetuam concessam visitantibus aliquam Ecclesiam absque temporis determinatione (dicendo v. g. *Quicumque visitauerit talem Ecclesiam, indulgentiam plenariam consequatur*) acquiri pluries eadem die, si pluries illa Ecclesia visitetur modo supradicto. Quod admittit Cardinalis etiam in casu, quo indulgentia concedatur pro pluribus diebus ad commoditatem fidelium, qui nequeunt eadem die concurrere, vel ad fouendum concursum, ac celebritatem in ea Ecclesia; (qualis est indulgentia concessa nostris Ecclesiis in vltimo triduo bacchanalium;) Imò hoc idem admittunt de indulgentiis stationum Trullench. *in bullam Cruc. lib.1.§.6.d.4. num.2.* & Diana *part.1.tract.11.resol.20.*

Assero 13. effectum indulgentiæ obtineri in primo instanti, in quo impleta est conditio præscripta ad illam obtinendam: hoc autem instans est illud, in quo totum opus requisitũ ad indulgentiam omninò consummatum est; & primum instans, in quo impleta est conditio prædicta; etsi aliàs sit primum instans non esse præcedentis operis, quatenus fit successiuè. Filliuc. *supr. num. 139.* vbi affert alium modum explicandi tale instans.

Assero 14. indulgentiam plenariam Religiosis concessam in morte non esse solùm pro illo instanti, quod est primum non esse vitæ humanæ, in quo potest haberi effectus indulgentiæ, etsi anima sit separata; sed etiam pro illo instanti, quod est tam propinquum illi, vt mors iam sit naturaliter ineuitabilis: quod autem ex his sit, incertum est. Filliuc. *tract.8.part.3. num.139.* Notat autem Bonacina *supr. part.8. num. 12.* quòd, quando ad obtinendam hanc indulgentiam requiritur Confessarij ministerium; ea obtinetur non solùm in vero mortis articulo (sicut re vera obtinetur, quando in eius concessione nullum tale præscribitur ministerium) sed etiam in quolibet præsumpto, ac probabili mortis periculo; quando scilicèt Medicorum iudicio infirmus debet confiteri ad recipiendum Viaticum: aliàs inanis sæpè redderetur talis concessio; cùm non rarò mors superueniat, priùsquam possit constare de vero mortis articulo. Quod idem docet Suarez *tom.4. de relig.tract.8. lib.2.cap.19. n.13.* addens quòd si infirmus in hoc posteriori euentu consequatur indulgentiam, & non moriatur; potest illam obtinere iterum, atque iterum in quolibet simili euentu vsque ad verum mortis articulum: idque ex præsumpta voluntate concedentis; in quo non dissentit Bonac. *sup.n.11.* citans pro se Cordubã, idque probans duabus rationibus, quæ apud ipsum videri possunt.

Assero 15 quòd, quamuis Filliucius *supr.num.140.* ex Paludano, Henriq. & Syluestro, Bonac. *supr.p.5. num.13.* & Diana *part.5.tract.12.resol.4.* ex Granado; aliique putent probabile esse effectum indulgentiæ, qui tempore debito impeditur ex defectu gratiæ; recedente posteà fictione, obtineri: proportionaliter vt dicunt Doctores de satisfactione sacramentali facta in peccato mort. idque ob plures rationes adductas à Filliucio. probabilius tamen, ac tutius; est indulgentiam, recedente fictione, non habere effectum. Ducor quòd indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant; cum ergo communiter indulgentia soleat concedi confessis, aut contritis; non comprehendit eum, qui tempore debito non est contritus; siquidem ad obtinendam indulgentiam conditio impleri debet intra tempus definitum in concessione. Suar. *D.52. de de pœnit. sect 2. num.12. & seqq.* Card. de Lugo *D.27. de pœnit. n.84* Bonac *supr.* & alij.

Assero 16. lucrantem indulgentiam plenariam simpliciter, & absolutè liberari ab obligatione implendi pœnitentias à Confessario sibi impositas; cùm hæ imponantur vt pœna ad satisfaciendum pro peccato; ac proinde sublato debito totius pœnæ (prout fit per consecutionem indulgentiæ plenariæ) cesset fundamentum præfatæ obligationis Cardin. de Lugo *num.22.* ex communi Doctorum, hinc inferens Confessarium; si reperiat pœnitentem non impleuisse multas pœnitentias ex anteactis confessionib. posse nõ auditis priorib. peccatis, illas cõmutare in aliquam indulgentiam plenariam acquirendam ab ipso pœnitente; imò pœnitentẽ ipsum, si sit doctus, posse ex se facere talem commutationem: cùm id fiat per merã subtractionẽ materiæ, vt iam diximus: quamuis aliàs cõsulendũ sit semper pœnitenti, vt pœnitẽtias impositas, quoad potest, adimpleat. Quin etiam ille tenetur omninò implere pœnitentias sibi iniunctas in remedium ac præseruationem; non obstante quòd obtineat indulgentiam plenariam: cum hæc proximè nõ deseruiat ad illum præseruandũ a peccato: vt bene notauit Bonac. *D.5. de Sacram.p.3. sect.3.q.4.n 9.*

Quod autem dixi lucrantem indulgentias posse liberari ab obligatione implendi pœnitentiam Sacramentalem iniunctam à Confessario; videtur procedere etiam in casu, quo indulgentia hîc & nunc concessa sit partialis; dummodò prudenter (etsi non certò) iudicari possit æqualis satisfactioni debitæ peccatis, pro quibus dicta pœnitentia imponitur: vt si sit indulgentia mille annorum v. g. sic enim procedit doctrina data §. *præced.*

Assero 17. translato festo, non transferri indulgentiam in honorem illius concessam: quippe quæ ex intentione concedentis est affixa certo diei: ideóque sine speciali indulto nequit transferri: Fagund. *præc. 1. Eccl. l. 1. c. 2. n. 10.* & ante illum Azorius *p. 2. l. 1. c. 28. q. 8.*

Aduerto 18. indulgentias à Papa concessas fidelibus viuis non posse applicari defunctis; nisi id in specie concedatur ab ipso Papa: indulgentia enim pendet non minùs à voluntate, quàm ab authoritate concedentis, Laym. *l. 5. tract. 7. c. 7. n. 2.*

Assero 19. existentem in peccato mortali posse lucrari indulgentiam pro defunctis; cùm ratio satisfactionis, quæ præstatur per indulgentiam, non sit opus illius, qui existit in peccato, sed thesaurus meritorum Christi, ac Sanctorum; & opus particulare, per quod applicatur indulgentia, fiat nomine Ecclesiæ, in qua non deest gratia. Filliucius *tract. 8. p. 3. num. 313.* Portell. *de dub. regul. v. indulgentia pro Iubilæo num. 24.* Nald. *v. indulgentia, n. 7.* & alij quos citat, & sequitur Diana *p. 5. tract. 12. resol. 58.* monens in tali casu non dici malum satisfacere pro alio, sed solùm facere opus, ob quod Papa impertitur satisfactionem Christi, & Sanctorum.

Assero 20. in materia indulgentiæ sequendam esse opinionem tutiorem siquidem opinio probabilis, & bona fides non operantur, quòd Papa in hoc, aut illo euentu concesserit indulgentiam, si ipse re vera id non intendit; quòd indicat Diana *part. 3. tract. 4. resol. 153.* & est benè aduertendum.

Assero 21. (loquendo de indulgentiis, quæ obtinentur ex vi numismatis, Rosarij, aut imaginis habentium indulgentias v. g. S. Caroli) non videri simpliciter necessarium, quòd obtinens indulgentiam habeat numisma, aut Rosarium apud se; ita vt actu illa penes propriam personam habeat in eo loco, in quo lucraturus est indulgentiam, v. g in templo, vbi communicat; sed sufficere, quòd illa habeat domi; proportionaliter vt dicit Bonacina *de censur. in particulari D. 1. q. 21. p. 7. num. 2.* obligationem detinendi apud se Bullam in Cœna Domini contentam in tenore ipsius bullæ impleri sufficienter ab iis, quos adstringit, si illam habeant in propria domo; res enim dicitur penes me esse, quæ est in domo mea, *l. Titia, cum testam. §. Casus, de Legat. 3.* sicque in re præsenti sentire Cardinalem de Lugo audiui à viro fide digno: etsi iuxta dicta § *præcedenti*, tutius sit illa habere apud propriam personam.

Assero 22. non videri repugnare, quòd idem numisma, aut Rosarium habeat indulgentias, seu benedictiones diuersi generis, vt indulgentias S. Caroli v. g. & indulgentias quinque Sanctorum institutas à Gregorio XV. idque satis apertè insinuat Filliuc. *sup. num. 167.* dum ait *Vt si quis dicat Rosarium, quod habeat plures benedictiones*; nec apparet, ex quo capite id repugnet; sicque docti recentiores nobiscum in hoc sentiunt, imò & in praxim deducunt hac doctrinam.

Assero 23. casu, quo Rosarium habens indulgentias amittatur, & loco illius subrogetur aliud cum iisdem indulgentiis iuxta facultatem ad id concessam à Papa: si posteà inueniatur priùs Rosarium, hoc non retinebit ampliùs indulgentias, sed has habebit Rosarium subrogatum; cùm sic verificata fuerit cōditio, vt posset aliud Rosarium subrogari (nempè quòd priùs fuerit amissum) & aliud legitimè fuerit subrogatum, sicque in priori Rosario cessauerit indulgentia. Card. de Lugo *sup. n. 151.* monens tamen in isto casu tutius esse retinere vtrumque Rosarium.

Assero 24. quod si cui Moniali concedantur plures benedictiones indulgentiarum de more applicandæ Rosariis, granis, imaginibus, *&c.* & ea moriatur, dictis benedictionibus nondum applicatis, nec delegata alteri facultate applicandi illas: neque Superiorissa talis Monialis, nec alius, quibus constet de hoc, poterunt facere posteà talem applicationem: cùm concessio dictarum benedictionum sit priuilegium personale, adeóque desinat cum ipsa persona. Ita Baldellus, Bordonus, Zanettus, & alij docti viri à me consulti aliàs concedentes præfatam Monialem ante mortem potuisse delegare facultatem applicandi illas benedictiones; &, si delegasset, tunc delegatos validè illas applicaturos post mortem illius: quod item docet Pasqualig. *tom. 1. decis. 492. & 493.* Quam tamen assertionem puto non procedere in casu, quo ea subdelegatio ante mortem à delegato fieret alicui absenti per scriptum, qui proindè illam non posset acceptare, nisi post mortem subdelegantis: cum iurisdictio delegata sit accessoria gratiæ factæ, &, sicut gratia facta non perit morte concedentis, sic nec pereat dicta potestas accessoria, vtpotè sequens naturam gratiæ principalis; vt notat Sanch. *l. 8 de matrim. D. 28. num. 43.* aliis citatis, hoc idem expressè *num. 36.* docens etiam de morte subdelegantis.

Assero 25. benedictionem indulgentiarum applicatam Coronæ Virginis non cessare in casu, quo Corona conuertatur in tertiam partem Rosarij; cùm adhuc maneat materia capax talis indulgentiæ, quam suppono esse applicabilem & Coronis, & Rosariis: idque censeo procedere in euento, quo benedictio fuisset applicata tertiæ parti Rosarij, & hæc conuertatur in coronam integram Virginis; cùm per talem conuersionem parua fiat additio, & alioqui principale trahat accessorium: Idem puto procedere in casu, quo benedictio applicata sit Cruci Carauacæ v. g. & hasta illius superior transuersalis frangatur: nam benedictio fuit applicata Cruci non quatenus est Crux Carauacæ, sed quatenus est Crux, qualis manet etiam post dictam fractionem. Quòd si mihi surripiatur Rosarium habens benedictionem, & ego putans me illud amisisse, benedictionem applicem iuxta concessionem Papæ alteri Rosario, vi Rosarij surrepti non acquirerentur indulgentiæ; cùm facta hac posteriori applicatione benedictio cesset in priori Rosario.

Assero 26. quod si concedatur Indulgentia confessis, & sacra communione refectis, qui Defunctorum Officium v. g. recitauerint; si quis officium hoc recitat ante communionem (v. g. per horam) probabile est hunc non lucrari indulgentiam; cum tenor concessionis supponat præmitti communionem dictæ recitationi, & indulgentia tantum valeat, quantum sonat: etsi alij oppositum putent esse probabile ex Sà *v. indulg. n. 13.* dicente, cum dicitur in Iubilæo, vt quisque ante omnia confitentur, sufficere intra tempus Iubilæi confiteri.

Assero 27. quod si concedatur Indulgentia iis, qui confessi & sacra communione refecti Officium B. Virginis recitauerint; & tu Matutinum dicti Officij recites vespere diei præcedentis diem confessionis,

&

& communionis faciendæ in præsenti casu: probabile est te consecuturum esse talem indulgentiam: dato vsu in Ecclesia legitimè inducto, quod Matutini recitatio modo dicto anticipetur; & admissa doctrina Sanchez *lib.4. moral.cap.*15. *num.*31. quod, quando non constat de speciali alia intentione vouentis, votum non aliter obligat in quauis materia, quam si lex esset à Deo, vel ab Ecclesia de ea re; quæ doctrina proportionaliter videtur procedere in præsenti casu; maximè cum præscriptio Officij recitandi sit veluti quædam lex lata ab Ecclesia ad lucrandam Indulgentiam, idest à Papa, qui est caput ipsius Ecclesiæ; adeóque præsumi possit eum in caso hoc non intendere aliter obligare ad Officium B. Virginis, quàm in aliis casibus obliget Ecclesia ad Officium.

Dubium maius est, an Moniales immediatè subiectæ Sedis Apostolicæ, aut Ordinario possint in suis templis exponere indulgentias Ecclesiis Ordinis concessas pro sæcularibus (v. g. indulgentiam Portiunculæ, loquendo de Monialibus Ordinis Minorum.)

41. Respond. non posse; cùm tenor concessionis præcisè loquentis de Ecclesiis Ordinis ad illas non extendatur: quippe quarum templa verè dici non possunt Ecclesiæ Ordinis, vtpote exempta à potestate Ordinis: sicque audio communiter practicari. Quod tamen non procedit de indulgentiis, quæ sint concessæ Religiosis Ordinis: cùm præfatæ Moniales adhuc verè sint Moniales proprij Ordinis (siquidem tenentur seruare regulam sui Ordinis) & aliàs versamur in materia fauorabili animæ, quæ debet ampliari: sicque diximus à Monialibus Ordinis acquiri indulgentias concessas Religiosis sui Ordinis.

An autem Moniales Tertiariæ frui possint indulgentiis, quæ concessæ sunt Religiosis sui Ordinis per peculiaria indulta.

42. Respond. posse, si iuxta dicta *quæst.*7. virginalem, seu cœlibem vitam sub expresso voto ducant, & aliàs impleant præscripta ad dictarum indulgentiarum consecutionem. constat ex concessione bullata Sixti IV. relata à Lezana *tom.*2. *cap.* 14. *num.*26. in qua Indulgetur Tertiariis Ordinis Carmelitarum, vt gaudere possint, & debeant tam exemptionis priuilegio, quàm omnibus libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, & aliis priuilegiis quibuscunque præfato Ordini concessis, & imposterum concedendis. Vbi notandum, quòd, cùm ista concessio indefinitè loquatur de Tertiariis, comprehendit etiam Moniales Tertiarias: &, cùm in specie exprimat indulgentias, non est dubitandum, quin illæ etiam in ea includantur; quamuis aliàs sub generali priuilegiorum communicatione non veniant indulgentiæ. Dixi, *si virginalem, seu cœlibem vitam sub expresso voto ducant*, quia Leo X. in Concilio Lateranensi statuit eiusmodi indultum non suffragari Tertiariis non viuentibus collegialiter, aut non habitantibus cum claustralibus, si sint viri, vel certè vitam virginalem, seu cœlibem non ducentibus sub expresso voto, si sint fœminæ.

QVÆRES XXIII. Qualiter consulat Ecclesia libertati Monialium quò ad susceptionem status Religiosi.

43. Respond. consulere prohibendo sub pœna excommunicationis maioris ipso facto incurrendæ, quæ lata est in Concilio Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 18. ne quis quomodocunque cogat quamcunque mulierem inuitam, præter quàm in casibus in iure expressis ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque Religionis, vel ad emittendam professionem: imò & eidem pœnæ subiiciendo eos, qui consilium, auxilium, aut fauorem hac in re dederint, quique scientes eam non spontè ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo ei actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint; sed de hoc plura *cap.*3. *sect.*1. *quæst.* 15.

QVÆRES XXIV. Quorum expensis resarciri debeant Monialium monasteria, si redditus, aut eleemosynæ ipsarum ad id non sufficiant.

Respond. debere resarciri fidelium eleemosynis, aut certè, his deficientibus, sumptibus consanguineorum ipsarummet Monialium, qui vtique ad id poterunt compelli ab Ordinario, durante in iis vinculo consanguinitatis, & consequenter obligatione, quam habent illas conseruandi debita honestate, iuxta *cap. si quis dereliquerit, d.*30. quòd si consanguineorum facultates non sufficiant, vtpote inopia laborantium, tunc ad talem reparationem adstringi debet is, cuius auctoritate, aut potius voluntate monasterium extructum est: siquidem præuidere potuit talem casum, & præsumitur tacitè voluisse se ad id obligare; vt benè notauit Barbosa *alleg.* 102. *de offic. Episc. num.* 10. quem sequuntur Tamburinum *D.*18. *de iure Abbatiss. quæst.*1. *num.*10. & alij.

QVÆRES XXV. An, & qualiter Ecclesia soleat succurrere indigentiæ Monialium, quòd ad bona temporalia.

Respond. succurrere; prout hic, & nunc censetur magis expedire iuxta occurrentes circunstantias; quo modo Gregorius XIII. die 30. Ianu. 1572. 44.
ad occurrendum præsentibus necessitatibus Monialium in sua Constitutione *Deo sacris*, quæ est 8. in ordine, statuit, vt quiconque solebant pauperibus Christi aliquas eleemosynas singulis annis, mensibus, hebdomadis, aut diebus facere ex fructibus, redditibus, ac prouentibus Ecclesiasticis, vel etiam tenebantur ex testamento, vltima voluntate, vel alia dispositione, etiam inter viuos, aliquales huiusmodi eleemosynas facere, dimidiam partem talium eleemosynarum, ac elargitionum quocunque tempore, & modo distribui solitarum, etiamsi speciali nota dignæ, & secundùm pias defunctorum, aut aliorum voluntates sub certa forma ab eis in testamento, vel alia quacunque dispositione distribuendæ essent, tenerentur dare, ac distribuere Monialibus, etiam Tertiariis sub solemni Religionis voto, & perpetua clausura de cætero viuentibus in terris, & locis, & quorum pauperibus tales eleemosynæ aliàs erant distribuendæ: & quidem absque vlla earum petitione, exactione, ac conquisitione, aliave Sedis Apostolicæ iussione (dummodò tamen præfatæ eleemosynæ in certas personas, nec ad certos vsus pios alios, quàm victus, ac alimenta pauperum non forent distribuendæ) idque, donec numerus Monialium prædictarum (qui per ipsos locorum Ordinarios, etiam in monasteriis ab illorum cura, ac regimine quomodocunque exemptis cum illarum Superiorum interuentu stabiliri, & ordinari iubebatur, nunquam postea excedendus) ita esset imminutus; vt reliquæ Moniales, ac Tertiariæ propriis redditibus monasteriorum ipsorum, aut consuetis eleemosynis commodè possent sustentari: ita tamen, vt, decedentibus singulis ex tribus earundem Monialium partibus, tertiæ quoque earundem eleemosynarum partis distributio, & sic successiuè in totum extinguatur, atque in pristinum statum sub

debitis, aut solitis oneribus teuertantur, & remaneant, ita Gregorius XIII.

Vbi quis quæreret posset, an obligatio præsentis Constitutionis etiam hodie vigeat, si dentur aliqua monasteria Monialium, quibus desint necessaria ad sustentationem ratione paupertatis, qua etiam modò premantur.

45. Respond. non vrgere, si ista indigentia suborta est, postquàm iuxta citatæ Constitutionis tenorem monasteria redacta sunt ad illum numerum Monialium, vt, quæ superessent, commodè sustentari possent ex redditibus, aut eleemosynis ipsorum monasteriorum. Moueor ex verbis illis, *ita tamen vt decedentibus singulis*, &c. quæ adduximus ex præfata Constitutione; sic enim iam extincta est dicta obligatio: quòd si simel extincta est, non apparet, vnde possit reuiuiscere: maximè, cùm in materia obligationis stricta semper fieri debeat interpretatio; sicut benè notauit Sà *v. interpretatio*, *num.* 2. & constat ex *cap.* 1. *de treuur. in* 6. consentit item praxis ferè communis satis apertè indicans Constitutionem illam Gregorij XIII. non esse amplius in viu, esto plura Monialium monasteria graui paupertate laborent; quod est signum eius obligationem cessasse: alias Ordinarij locorum, ad quos maximè spectat cura Monialium, magis insisterent eius executioni, alioqui optimè agnoscentes grauem illarum paupertatem: quod tamen non faciunt.

Addit Barbosa *lib.* 1. *iur. eccl. cap.* 44. *num* 66. sacram Congregationem 15. April. 1592. declarasse ad succurrendum indigentiæ Monialium tempore penuriæ recipiendas esse puellas ad Religionem cum dote duplicata; applicandam illis tertiam partem eleemosynarum, quæ applicantur locis piis, cùm extensione citatæ bullæ Gregorij XIII. mittendas denique Moniales ipsas ad quæstuandum, necnon earum consanguineos cogendos esse vt ipsis subueniant.

QVÆRES XXVI. Quo casu monasterio Monialium applicari debeant bona illius, qui Monialem illius carnaliter cognoscit.

46. Respond. Tambur. *D.* 1. *de iure Abbatiss. quæst.* 2. *num.* 6. ex Farinac. *de delict. carnis quæst.* 146. § *sacrilegium num.* 10. & Homob. *part.* 2. *cas. resf. cap.* 5. *sect.* 1. debere applicari, si in casu proposito interueniat vis, aut raptus; idque ex *l. raptores*, *C. de raptu virginum*, Auth. *de raptis mul. collat.* 9. aliique iuribus relatis ab Azor. *p.* 3. *lib* 3. *cap.* 15. generaliter addicentibus bona omnia raptoris molieri raptæ, dummodò rapta non consentiat in matrimonio cum raptore: quòd si ipsa sic consentiat, bona applicantur parentibus raptæ, aut certè fisco, si parentes raptæ modo dicto consentiant in matrimonio cum raptore. Quæ iura vtique possunt suffragari Monialibus, etsi sint iuris ciuilis; cùm personæ Ecclesiasticæ, aliàs exemptæ à dispositionibus iuris ciuilis, possint illis vti in materia sibi fauorabili, vt tradunt communiter DD. & alibi nos etiam ostendimus. Constat autem in casu nostro, quòd si Monialis consentiat in raptum, bona raptoris non debentur parentibus Monialis raptæ, cùm ea illis, per professionem demortua sit ciuiliter; sed monasterio, in quo degit, vtpotè succedenti loco parentum; præsertim cùm præfata (etiam Moniali non consentiente in raptum) debeantur, non ipsi Moniali, quæ vi voti paupertatis non potest nō acquirere monasterio quidquid acquirit; iuxta illud vulgare: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit monasterio.*

QVÆRES XXVII. An legatum relictum fœminæ maritandæ debeatur Nouitiæ ingredienti Religionem.

Respond. deberi, si relinquatur fœminæ determinatæ, sicut supponitur in præsenti casu. ita Molina *tract.* 2. *D.* 207. dicens esse omnium, Sanch. *l.* 1. *de matrimon. D.* 33. *n.* 29. aliique plures Canonistæ penes ipsum; & probatur ex eo quòd, vbi testator oppositum non declarauit, præsumit ius fore, vt idem disponeret, si meminisset casum, quo persona iussa inire matrimonium Religionem ingrederetur: idque fauore Religionis, ex quo infert Sanch. *num.* 30. quòd si præsentes coniecturæ in euentu proposito suadeant testatorem intellexisse de nuptiis carnalibus; tunc fœmina legataria non obtineret legatum, si Religionem initaret; cùm sic cesset dicta præsumptio, & alioqui vltimæ voluntates testatorum impleri debeant instar legis. 47.

Dixi, *si relinquatur fœmina determinata*; si enim legatum relinqueretur indefinitè puellis maritandis; tunc putat Sanch. *num.* 32. contra aliquos oppositum sustinentes ex Authent. *de sanctiss. Episc.* §. *sed & hoc præsenti*, *collat* 9. legatum non posse tradi puellis ingredientibus Religionem; probatque tum quia dispositio illa citatæ Authenticæ statuentis conditionem nuptiarum esse inualidam, & haberi pro non scripta, quoties aliquis sub illarum conditione donauerit, vel reliquerit liberis, vel cuicunque personæ hæreditatem, vel legatum, & talis persona intret Religionem; est exorbitans à iure petente conditiones impleri in vera, ac specifica forma, & non ficta, *leg. Mæuius*, & *leg. qui heredi*, *ff. de condit & demonstrat.* sicque ad alios casus non debet trahi *reg.* 28. *de reg. iur. in* 6. tum quia in præsenti casu militat longè dispar ratio, ac in casu, § *præcedenti* proposito: si quidem, quando legatum relinquitur certæ personæ, testator habuit specialem affectionem ad subueniendum illi fœminæ, ideóque ius præsumit ipsum voluisse ei legare etiam casu, quo ingrederetur Religionem: secùs, si legetur incertis fœminis maritandis; tunc quippe non censetur habuisse specialem affectum ad eam, quæ modo dicto intraret Religionem, & aliàs legatum potest impleri in vera, & propria forma, si detur aliis fœminis matrimonium carnale contrahentibus: quod non eueniebat in alio casu; contrarium tamen sustinet Diana *p.* 5. *tract.* 14. *res.* 35. citans pro se Nattam, Boëtium, Ochagauiam, & Pontium; monénsque ex Pontio hanc opinionem fuisse inter Salmanticenses Theologos communem, & ex Ochagauia illam seruari in foris contentiosis, adeóque executores testamentorum non debere timere illam deducere in praxim. 48.

Addit Diana *p.* 1. *tract.* 2. *resol.* 84. mulieres Tertiarias, si habeant conditiones recensitas *hic num.* 50. posse consequi legatum relictum pro puellis maritandis: idque colligit ex § *sed hoc præsenti*, Authent. *de Sanctiss. Episc.* paulò ante adducta notans sic sæpè fuisse decisum; etsi Franciscus de Castillo, & Riccius à Diana relati oppositum sustineant: pro quibus vtique non facit Bartolus *in l. commodissimè*, *ff. de lib. & posthum.* cùm ipse loquatur de ingressu monasterij, non autē de simplici monachatu sicut nos loquimur.

An autem si 500. aurei legentur alicui puellæ ad constituendam ipsi dotem in casu, quo Monialis fiat; eiusmodi legatum ei debeatur si eligat ingredi monasterium Monialium nullam exigentium dotem, & solum recipientium necessaria ad vestitum Religiosum, aliáque leuioris momenti; vt faciunt Moniales Capuccinæ Ferrariæ.

Respond. deberi, & quidem non solùm quò ad portionem necessariam emptioni habitus Religiosi, & aliorū similium (quippe quæ succedunt loco dotis, & sunt particula quædam alimentorū, pro quibus

bus dos tradi solet Monialibus, censentur cadere sub mentem, ac dispositionem testatoris, & sunt consentanea æquitati) sed etiam quo ad totam summam. idque ob doctrinam Lessij *l. 2. cap. 18. n. 124.* nimirum quod, quando aliquis donat ob certum finem, si non intendat obligare ad talem finem, sed solum allicere animum donatarij, aut præbere media ad finem illum obtinendum, si placuerit: non est irrita donatio, etsi finis non sequatur: vt si Petrus leget puellæ 100. vt nubat, nec aliud exprimat, illa verò ante nuptias moritur; legatum non est restituendum, sed transit ad hæredes puellæ; imò etsi manens in vita coleret cælibatum in sæculo, aut ingrederetur Religionem, non teneretur restituere, vt docet Molina *tom. 1. de iust. D.* 208. cui doctrinæ subscribunt Rebel. *part. 2. l. 18. quæst. 13. num. 5. & 6.* Rodriquez *tom. 1. q. 127. art. 2.* Menoch. *de præsumpt. præs. 146. num. 27.* Diana *in addit. p. 3. resol. 28.* & alij. Hæc enim doctrina præsenti casui mirè adaptari potest; vt facile constabit considerantibus propositionem ipsam casus: & iuxta illam Ferrariæ iudicauit Reuerendissimus Leoncillus tunc Vicarius generalis, mihique amicissimus.

Dissentit Rota Romana *tom. 1. decis.* 450. statuens legatum dotis esse conditionale, adeóque non deberi, nisi purificata conditione (ideft nisi legataria nupserit, aut monasterium ingressa fuerit) & consequenter legatum non posse cedi alteri *l. vnica, §. sin autem aliquid sub conditione, C. de caduci. toll.* Beroius *consil. 78. num. 5. l. 1.* Mantica *de coniect. vlt. volum. l. 11. tit. 12. num. 48. & seqq.* Quamquam dici possit Rotam non facere contra casum hic propositum; cum in eo legataria verè ingressa sit monasterium, sicque purificata sit conditio.

Quod si quæras, an puella, cui relictum est legatum 1500. aureorum in dotem tradendam ab hæredibus Testatoris, quando ea nupserit, aut Religionem ingressa fuerit; si hæc viuente Testatore facta sit Monialis cum dote 800. aureorum soluta ex bonis ipsius Testatoris absentis, possit prætendere residuum legati ab hæredibus Testatoris defuncti.

Respond. Ciarlinus *part. 2. cap. 142. num. 12.* posse; & probat, quia quod est factum in fauorem legatariæ, non debet retorqueri in odium; & cum Testator sciuerit eam ingressa fuisse Religionem; & statim non mutauerit testamentum (sicut potuit) supponitur perstitisse in eadem voluntate, vt puella post eius mortem posset petere residuum legati; vt in terminis dicit Gullielm. de Cun. *in l. cum si §. si mulier, ff. de condit. indeb.* per *l. Publius in princ. de condit. & demonst.* Quin etiam addit Ciarlinus *num. 19.* quod si in isto casu non accepit dotem ex bonis Testatoris, ipsa post eius mortem integrum legatum consequentur *ex l. Publius* suprà citata: monetque *n. 16.* responsionem non procedere, si ex coniecturis constet de contraria voluntate Testatoris; tota enim hæc materia est coniecturalis Bartol. & Doctores in *l. Lucius, la 1. ff. de leg. 2.* Rota apud Farinac. *dec. 499. num. 5. part. 2. recent.*

Concedo quidem quòd, cùm Monialium dos tradi non debeat monasterio ante professionem, sed deponi interim debeat apud personam idoneam; iuxta superiùs dicta in præsenti casu legatum suspendetur vsque ad professionem puellæ legatariæ. Quòd tamen non procedit quo ad habitum Religiosum, & alia cubiculi mobilia ministrari solita Monialibus succedentia loco dotis, quæ vtique non suspenduntur modo dicto, sed iuxta locorum consuetudinem dantur initio Nouitiatus.

Addo quòd si puella in casu hîc proposito velit manere innupta in sæculo, frui poterit legato, ipsi relicto, non tamen de eo disponere, nisi in morte: & hoc ob doctrinam superiùs datam ex Molina, & aliis. si verò ingrediatur monasterium recipiens dotem, & ipsa aliunde sit prouisa de dote, ea nihilominùs legatum hoc acquiret; cùm iam ipsi acquisitum sit ius, ad quod tunc erat habilis, & aliàs non appareat, cur eo priuari debeat.

Puto item legatum relictum pro monachandis fœminis corruptis posse implicari, si desint tales fœminæ, in maritanda puella, cuius pudicitia sit periclitatura; si in hoc Episcopi consensus interueniat. Moueor, quod iuxta Genuensem, Vasq. Graffium, Comitolum, Pc̃ñam, Fernandez, Armillam, Tabienam, & alios relatos à Diana *part. 2. tract. 17. resolut. 26.* potest Episcopus, etsi non adsit impedimentum iuris, aut facti, commutare legatum in æquale, aut melius, maximè de consensu hæredum: cum in hoc non constringatur voluntas testatorum, sed potius explicetur seruando non explicitam, ac formalem, sed virtualem, & interpretatiuam dispositionem testatoris. Quod si Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 6. de reformat.* in talibus commutationibus petit, iustam, & necessariam causam, non ideò petit copulatiuè quod causa sit iusta, ac necessaria, sed disiunctiuè, ita vt particula *&* habeat vim disiungendi, & sumatur pro particula *vel*, vt *in lib. 2. Physic. text. 3.* dicitur naturam esse principium mouendi, & quiescendi, sumpta particula *&* pro *vel.* quare cum verba Concilij accipi debeant disiunctiuè; potest Episcopus commutare legata vel ex causa necessaria, vel ex iusta; vt aduertit Comitolus *in resp. moral. lib. 7 quæst. 9. n. 2.* & cum eo Diana loco citato.

Quod si Testator certæ puellæ (v. g. Mariæ) leget, vt fieret Monialis, & ea priusquam fieret Monialis, mortua est; hoc legatum, si fuit relictum contemplatione personæ, & non piæ causæ (quod colligi debet ex concurrentibus coniecturis, vt si puella diu seruierat) fit caducum, & pertinet ad hæredem: si verò Testator respexit ad animam, & ad piam causam (quod in dubio præsumitur) legatum debet conuerti in alium vsum pium. Ita Sanch. *l. 4. cons. c. 2. dist. 5. num. 7.* ex Abb. Anan. Anchar. Batt. & Mantica in simili; Ducot, quod in posteriori casu Testator principaliter voluit consulere animæ suæ, expendendo legatum in opus pium, & secundario in illud, quod signauit; adeóque si nequit expendi in illo, debet expendi in alio; vt habetur expressè *cap. nos de testam. l. legatum, ff. de vsufructu legate*, & in Tridentino *sess. 25. cap. 8. de reformat.* in priori verò casu Testator principaliter intendit fauere puellæ, ideóque ea mortua, cessat finis legati, & consequenter corruit ipsum legatum iuxta *l. final. ff. de adult. l. si maritus §. scripsit, C. de prascript. long. temporis, l. fin. ff. de inrepatron. l. adigere, §. quamuis*, Tiraquel. *tract. cessante causa, & de iure primogenit. quæst. 40. n. 770.* Anchar. *cons. 47. n. 4.*

QVÆRES XXVIII. An Moniales Ordinum mendicantium veniat sub dispositionibus fauorabilibus loquentibus in specie de mendicantibus.

Respond. Barbosa *l. 1. iur. Eccles. cap. 41. num. 217.* quòd, licèt aliqui DD. ab ipso relati partem affirmantem sustinere videantur: pars tamen negans videtur verior: probátque quia aliàs dictæ Moniales non adeò sollicitè curarent admitti ad participationem priuilegiorum Mendicantium; sicut curarunt Moniales S. Claræ, teste Rodriquez *tom. 1. q. 55. art. 1. & 13.* 49

Quod

Quòd si hîc obiter quæras, an Moniales Tertiariæ fruantur priuileg. Ordinis, sub cuius tertiæ regulæ habitu incedunt; si seorsim habitent in propriis domibus consanguineorum suorum, aut affinium.

50. Resp stui, sic vitam virginalem, aut cœlibem simpliciter traducant sub expresso voto, tertiæ regulæ habitum deferendo; si enim cauetur in Const Conc. Lateran. sub Leone X. *sess.* 21. vt inter alios aduertit Barbosa *in collect. v. tertiaria*, addens ex declaratione S. Congr. 20. Decemb. 1616. spectare ad Ordinarium loci iudicare, num in eiusmodi Tertiariis concurrant dictæ qualitates, nec ne.

CAPVT X.

De gubernatione Monialium.

Cum gubernatio Monialium, de qua acturi sumus in isto capite, considerari possit tam in ordine ad potestatem iurisdictionis, quàm in illas habent Ordinarius loci, aut Prælatus regularis Ordinis, provt eæ alterutri illorum immediatè subiiciuntur; tum in ordine ad potestatem ciuilem, seu politicam, per quam subduntur propriæ Abbatissæ, seu Priorissæ; tum in ordine ad potestatem fori pœnitentialis, per quam subsunt Sacerdoti ipsis deputato in Confessarium, siue ordinarium, siue extraordinarium: ad maiorem distinctionem præsens caput diuidemus in 3. sectiones, in quarum 1. Agemus de gubernatione Monialium, quò ad Ordinarium loci, seu Prælatum regularem Ordinis respectiuè: in 2. quò ad Abbatissam; in 3. quò ad Confessarium tum ordinarium, quàm extraordinarium. Quæ autem dicentur in hoc capite erunt non parum vtilia: cum regimen Monialium sit difficillimum: vt proinde Ioan. Mantelus tractatum de regimine Monialium à se editum hoc titulo prudenter inscripserit: *Ars artium, siue de Regimine Monialium*: in hoc fortè alludens ad id, quod habet S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 1. quod scilicet ars quædam artium, & scientia scientiarum esse videtur hominem regere, animal omnium maximè varium, & multiplex. Vnde idem S. Gregorius cum ad regimen animarum abriperetur, suspirans *orat. cit.* dicit: Hæc *medullas etiam meas eliquant, & carnes conficiunt, nec me audacem esse sinunt, ac sublata facie incedere: hæc animum meum deiiciunt, & mentem contrahunt, & linguæ vinculum iniiciunt, faciuntque vt non de præfectura nec de corrigendis & gubernandis aliis cogitem (id, quod exuberantis facultatis est) sed quomodo ipse venientem iram effugere atque à vitij rubigine non nihil me ipsum abstrahere primum queam; purgarique prius, deinde purgare, sapientia instrui, atque ita demum instruere, lux fieri, & alios illuminare, ad Deum appropinquare, & alios adducere, sanctificari, & postea sanctificare, cum manibus ducere, cum prudentia consilium dare.*

Sectio I.

De Gubernatione Monialium quò ad Ordinarium loci, aut Prælatum regularem Ordinis.

Quoniam in aliquibus Moniales omnes tam exemptæ, quàm non exemptæ subiacent iurisdictioni Ordinarij: in aliis verò non omnes ei subiiciuntur, sed solùm non exêptæ, exemptis quò ad illa manentibus sub potestate proprij Prælati regularis: hinc loquuturi in præsenti sectione de potestate Ordinarij, & Prælati regularis in Moniales respectiuè sibi subditas, sectionem diuidemus in 3. subsectiones; in quarum 1. ostendemus, quænam sint, ea in quibus Moniales tam exemptæ, quàm non exemptæ subduntur potestati Ordinarij loci; in 2. proponemus ea, in quibus Moniales subiiciuntur, siue Ordinario loci, siue Prælato regulari Ordinis, provt sunt vel exemptæ, vel non exemptæ: in 3. disseremus de actu Visitationis, qui est inter actus potissimos præfatæ potestatis, & respectu diuersorum competit tam Ordinario, quàm Prælato regulari iuxta diuersam rationem subiectionis quam Moniales respectiuè retinent erga illos.

Svbsectio I.

De Potestate Ordinarij in omnes Moniales, siue exemptas, siue non exemptas.

1 *Moniales omnes iure communi subsunt Ordinario.*
2 *Ex priuilegio tamen aliquæ ab eo exemptæ, sed non omnes.*
3 *In tali exemptione adest magna varietas pro varietate Monialium.*
4 *In quibus subsunt Ordinario, subsunt & eius Vicario generali, immò & Capitulo, Sede vacante.*
5 *Idque etiam quò ad potestatem competentem Ordinario, vt Sede Apostolica delegato.*
6 *Quod procedit etiam quò ad Capitulũ, Sedis vacãte.*
7 *Moniales exemptæ Ordinario se subiiciunt de licentia sui Prælati in fauorabilibus.*
8 *Regulares iuxta aliquos non possunt subiicere Ordinario suas Moniales.*
9 *Moniales melius reguntur iuxta Portellum per Prælatos regulares.*
10 *Controuerti potest, an expediat bono Regularium, quòd curam gerant Monialium.*
11 *Moniales, etiam exemptæ, subsunt Ordinario quò ad Nouitiarum receptionem.*
12 *Item quò ad emissionem professionis.*
13 *Item quò ad Confessariorum approbationem.*
14 *Item quò ad obseruantiam festorum, censurarum, ac interdictorum.*
15 *Item quò ad clausuram.*
16 *Possunt ab eo prohiberi, ne ostio Conuentus aperto alloquantur laicos; si cura clausuræ ei dicatur commissa, etiam quò ad formale.*
17 *Secus, si cura clausuræ dicatur ei commissa solùm quò ad materiale.*
18 *Data priori suppositione, potest Ordinarius sub censuris vetare accessum ad Moniales exemptas.*
19 *Ex decreto Gregorij XV. Ordinarius punit quoscumque delinquentes circa Monialium clausuram.*
20 *De licentia Ordinarij, Regulares interdum accedunt ad Moniales: (sed liberius ad fœminas sæculares cum Monialibus degentes:) idque ex decreto Vrbani VIII. vi cuius Ordinarius potest, sed non tenetur dare dictam licentiam: quæ peti debet etiam à Prælato regulari, si Monialis sit exempta: est autem nulla, si in eius vsu non seruentur substantialia præscripta in decreto: innat pro alia die, si destinata deseruire nequeat: illicitè concessa non tenet: vi illius accedens ad vnam Monialium non agit cum aliis accedentibus, regulariter loquendo: ea extenditur ad socium, ita vt is possit etiam ipse agere cum Moniali,* qua

quæ inuisitur: accedentes in habitu incognito aliàs seruant seruanda.

21 *Sine eius licentia non possunt Moniales conueniri, ac visitari.*

22 *Illæ subsunt Ordinario quò ad obseruantiam clausuræ, etsi sint exemptæ.*

23 *Immò etsi sint immediatè subiectæ Sedi Apostolicæ.*

24 *Visitat Ordinarius exercentes parochiam annexam Conuentibus Monialium.*

25 *Si impediatur à Monialium visitatione, vim vi repellit.*

26 *Punit Moniales exemptas delinquentes circa clausuram, & spiritualia.*

27 *Non item in aliis casibus: etsi possit punire Monialem delinquentem extra monasterium.*

28 *Potest punire Monialem delinquentem scandalosè extra clausuram, licèt aliàs degeret in Conueatu.*

29 *Moniales subsunt Ordinario quò ad electionem Abbatissæ, etsi sint exemptæ.*

30 *Item ei subsunt quò ad bonorum temporalium administrationem ex Bulla Gregorij XV. quæ tamen non comprehendit Monialium Prælatos earum bona interdum administrantes: hæ rationes non reddendæ spontè, ad eas vocandi etiam Prælati regulares, quibus seorsim reddi debent, etsi redditæ sint Episcopo coram illis: etsi hi non possint cogi, vt redditioni præfatæ interueniant.*

31 *Item quò ad monasteriorum constructionem; idque ex decreto sacræ Congregationis; vt cuius tamen non requiritur consensus Abbatissæ aliorum Conuentuum, vt nouum monasterium Monialium fiat.*

32 *Item ei subsunt quò ad exeundum è clausura, & quò ad recipiendum intra illam.*

33 *Concionatores Monialibus; seclusa consuetudine non petunt benedictionem ab Ordinario, sicut nec licentiam celebrandi in Ecclesia Monialium exemptarum.*

QVÆRES I. An, & qualiter Moniales de iure communi subiiciantur potestati Ordinariorum.

1. Respond. quòd, cùm omnes personæ Religiosæ, seclusis peculiaribus priuilegiis de iure communi debeant esse sub cura, ac potestate Episcopi, in cuius territorio degunt iuxta *cap. contra morem d.* 100. vbi dicitur omnes Ecclesias, & loca sacra in vnaquaque diœcesi constituta, esse Episcopo talis diœcesis subiecta: quo modo Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. c. 1. num. 11.* dicit exemptionem Religiosorum Episcoporum iurisdictione non solum non esse de iure diuino sed potiùs esse quandam quasi dispēsationem ipsius iuris diuini, quod de se erat indifferens: eadem ratione dicendum est etiam Mooiales iure commuoi esse subiectas Ordinariis: quippequæ nec babent vllum indultum speciale, vi cuius dicantur exemptæ à potestate Episcopi; & alioqoi vt Religiosæ non gaudent priuilegio exemptionis, eùm potius tanquam accessoriæ Religionibus virorum debeant esse subiectæ Ordinariis; sicut sunt & viri Religiosi, accessorio sequente naturam principalis.

2. Dixi, *seclusis peculiaribus priuilegiis*; cùm enim modò viri Religiosi ferè omnes communiter ex indultis Pontificiis eximantur ab Ordinariorum iurisdictione; & aliàs Moniales fruantur omnibus priuilegiis sui Ordinis (quorum ipsæ sunt capaces) etiam ipsæ censeri debent exemptæ à dicta iurisdictione: nisi aliunde iterum ex legitima potestate iis subiiciantur, siue in totum (quo pacto in præsentia plura Monialium monasteria subiiciuntur Episcopo diœcesano in omnibus, & per omnia) siue ex parte; sicut de facto Moniales subiectæ Sedi Apostolicæ vigore Concil. Trid. *sess. 25. de reg. c. 5.* subiiciuntur Ordinatio loci quò ad obseruantiam clausuræ, immò & omnes aliæ modo superiùs explicato; necnon quo ad plures alios casus infrà proponendos.

QVÆRES II. Quæ Mooiales de factu subiiciantur Ordinario loci, & quæ sint eaemptæ ab illius iurisdictione.

3. Respond. quòd, eùm iuxta dicta *cap. præced. q. 5.* huiusmodi quæstio sit facti, & de facto Iurisconsultus non respondeat, *leg. eum quem, §. 7. ff. de Iudic.* ideo eius resolutio peti debet necessario ex tenore priuilegiorum vniuscuiusque monasterij iuxta *cap. porrò, de priuil.* quippe aliqua Monialium monasteria sunt immediatè subiecta Sedi Apostolicæ) quod tameo est ratum, cùm rarò expediat) alia subsunt gubernationi Prælatorum regularium sui Ordinis: alia denique plenè subiacent Ordinariorū iurisdictioni; quò ad personas, & quò ad bona temporalia. Notat autem Suarez *supr. tract. 9. lib. 1. cap. 12. num. 6.* quòd; quando Papa monasterium aliquod Monialium subiicit soli Sedi Apostolicæ (quod vtique potest facere, cùm pendeat ex ipsius voluntate, ac priuilegiis) tunc necesse est, vt alicui vices suas committat; qui in rebus necessariis exerceat iurisdictionem circa Mooiales, maximè io foro interiori, vtpotè magis necessario; quare in Concil. Trident. *supr. cap. 9.* hæc babentur; *Monasteria Sanctimonialium Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, etiam sub nomine Capitulorum S. Petri, vel S. Io. vel aliàs quomodocunque nuncupentur, ab Episcopis tanquam dictæ Sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscunque* intellige gubernatione spirituali, non temporali: sic enim declarauit sacra Congregatio, teste Tambur. *D. 17. de iure Abbatiss. quæst. 3. num. 5.* & Barbosa *lib. 1. de iure eccl. cap. 12. num. 58.*

QVÆRES III. An Moniales in iis, in quibus subiiciuntur Ordinario loci, subiiciantur etiam eius Vicario generali, immò & Capitulo, sede vacante.

4. Respond. subiici & Vicario generali, vtpotè constituenti, vnum, ac idem tribunal cum suo Episcopo; & Capitulo, sede vacante, tanquam succedenti in ea omnia, quæ concernunt iurisdictionem Episcopalem inter quæ sine dubio est etiam potestas in Moniales subiectas. colligitur ex Barbosa *alleg. 102. de offic. Episc. num. 28.* & est communis Doctorom.

Difficultas maior est, an Vicarius generalis possit exercere in Moniales iurisdictionem competentem Ordioario tanquam Sedis Apostolicæ delegato.

5. Respond. posse; & probatur tum quia delegatus Principis potest subdelegare; sicque de eo non procedit, quòd delegatus nequit subdelegare; tum quia iurisdictio ex Principis priuilegio competens non personæ; sed perpetuò dignitati, aut officio, non est delegata, sed ordinaria; potestas autem ordinaria vtique potest delegari, desumitur ex Sanchez *lib. 2. de matrimon. D. 40. num. 14.* vbi latè, aliis pluribus citatis, hanc quæstionem prosequitur.

6. Illud etiam hîc placet addere, quòd, cùm Capitulum, Sede vacante; possit illa omnia exercere, quæ iure communi pertinent ad ordinariam iurisdictionem Episcopi, exceptis nonnullis in iure specialiter prohibitis, sicut fatentur Doctores ex *cap. cum olim, de maior. & obed.* & ex alia parte iurisdictio in perpetuum commissa muneri Episcopali ex delegatione Sedis Apostolicæ non in bonum Episcopi, sed subditorum, in quos ea exerceri debet tanquam ex officio, non sit delegata, sed potiùs ordinaria; ea consequenter transit in Capitulum; sicque Capitulum tempore Sedis vacantis exercere poterit in Moniales

ad

ad omnia, quæ præstare posset Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus.

QVÆRES IV. An Moniales exemptæ ab Ordinarij iurisdictione possint ei se subiicere, saltem de consensu suorum Superiorum.

7. Respond. probabile esse, quòd possint, si id cedat in bonum ipsarum; sicut re vera potest cedere in non paucis casibus. Ita Sanchez *l.4. moral. cap. 39. num. 32.* aliis citatis; & probatur tum quia quod ob gratiam alicuius conceditur non est in eius dispendium retorquendum *reg. 61. in 6.* sicque cùm exemptio Religiosorum inducta sit in fauorem Religionis (vt scilicet Religiosi Deo quietiùs famulentur in iis, quæ quietem, ac fauorem Religionis concernunt) non debent esse Religiosi deterioris conditionis, quàm alij de diœcesi, non exempti: tum quia volenti, & consentienti non fit iniuria; in casu autem, quo necessaria sit, aut admodum vtilis cessio exemptionis, per epicheiam censetur tota Religio consentire. Quæ rationes intentum probare videntur tam de renunciatione exemptionis absolutè facta (vt si aliqua Religio subiiciat Ordinariis locorum Moniales sibi immediatè subditas censens prudenter id expedire ad bonum Ordinis) quàm de renunciatione solùm facta pro aliquo casu particulari; v.g. ad obtinendam aliquam absolutionem, aut dispensationem.

8. Oppositum tamen sentit, aliis relatis Tamb. *sup. q.4. num.2.* dicens probabilius esse, quòd non possint Regulares dimittere Moniales, neque Moniales se subiicere Ordinario; cùm, dato priuilegio exemptionis, Papa se constituat veluti immediatum Superiorem Religiosorum exemptorum, sicque non possit absque eius præiudicio cedi dicto priuilegio: sicut nec potest Clericus vnius diœcesis se subiicere Ordinario alterius diœcesis sine licentia proprij Episcopi, eius iurisdictionem prorogando, vt satis clarè habetur *in c. significasti, de foro compet.*

QVÆRES V. An expediat bono spirituali Monialium, vt potiùs regantur per Ordinarium loci, quàm per Prælatos Ordinis, vel è contra.

9. Respond. Portel. *p.2. resp. mor. casu 13. num.2.* non expedire, sed interdum melius esse, vt regantur à Prælatis regularibus Ordinis. probat tum ex eo quòd Eugenius IV. Moniales S. Claræ ex primaria sua institutione subiectas gubernationi vnius Cardinalis, progressu temporis commisit regimini Fratrum Minorum, sentiens illas meliùs ab his gubernandas quàm à præfato Cardinali, idque cessurum in maius bonum spirituale ipsarum; tum quia Prælati regulares maiori studio, ac vigilantia insistent vtilitati spirituali Monialium, vtpote agnoscentes illas tanquam membra sui Ordinis, sicque bonum illarum reputantes veluti proprium: quo modo Vrbanus IV. auctor secundæ regulæ S. Claræ in eius confirmatione dicit se earum regimen committere Cardinali Protectori Ordinis Minorum, qui ordinariè eas visitaret per ipsos Fratres Minores: idque ne aliàs ipsæ essent differentes in diuersis modis viuendi (quod tamen eueniret, si eæ regerentur ab eo, qui ignoraret vitam, & mores Fratrum Minorum) tum quia Prælati regulares, cùm sciant se, peracto regimine, subiiciendos esse rigidissimo syndicatui, cautiùs procedunt in gubernatione, studentque pro viribus quam optimè satisfacere muneri suo, abdicatis à se quibuscumque aliis curis extraneis: quod haud potest ita benè præstari, aut sperari de Episcopis; quippe qui distinentur tot aliis occupationibus extraneis, & aliàs ex metu syndicatus excitari non possunt ad munus suum ritè explendum. hæc Portel. quàm probabiliter, viderit ipse, & colligatur ex quotidiana experientia. Illud certè posset hîc addi Moniales opera Confessariorum regularium cæteris paribus meliùs, ac vtiliùs posse dirigi ad Religiosam perfectionem comparandam; quippe qui plerumque vacant acquisitioni illius, aut saltem indicare possunt media ad illam comparandam vtiliora; idque ratione status, quem profitentur.

An autem expediat bono spirituali ipsorum Religiosorum, quòd ipsi exerceant Monialium gubernationem, iudicent ij, qui tot annorum experientia discere potuerunt, quid boni, malive in hoc insit. Certè Alex. IV. insigne beneficium se conferre credidit Ordini Minorum, dum, teste Casarub. *in comp. v. Moniales num. 1.* per bullam ei concessit, quòd eius Fratres non teneantur suscipere curam quarumcumque Monialium prætextu quarumcumque litterarum Apostolicarum, quæ de præsenti indulto plenam, & expressam mentionem non faciant; nisi Romanæ Ecclesiæ essent immediatè subiectæ. Sic enim S.P.N. Ignatius *part. 6. const. c. 3. n. 5.* existimauit consultum fore Religiosis Societatis, vt non susciperent curam animarum, neque Religiosarum, vel aliarum, quarumcumque vt ordinariè illarum confessiones audiant, vel ipsas regant. sic mihi constat viros Religiosos graues, doctos, ac zelantes, quàm maximè optare à se abdicare curam quamcumque etiam Monialium proprij Ordinis, fortè censentes illam esse minùs expedientem bono spirituali Religionis: sic denique Summi Pontifices ducti bono spirituali, siue ipsorum Religiosorum, siue Monialium, siue vtrorumque, plura Monialium cœnobia subtraxerunt administrationi Regularium, eaque commiserunt Ordinariis locorum, & plura in dies identidem subtrahunt: quod non facerent, si putarent id ipsis Religiosis, ac Monialibus non esse expediens, vtile, immò & necessarium. Vt proinde non abs re futurum sit referre, quæ habet S. Bonauentura *de purit. conscientiæ c. 14.* ex S. Augustino: *Sermo,* inquit, *breuis, & rigidus cum mulieribus est habendus: nec tamen quia sanctiores fuerint, ideò minùs cauendæ. quæ enim sanctiores fuerint, eò magis alliciunt, & sub prætextu blandi sermonis immiscent se vitijs impurissimæ libidinis. Crede mihi, Episcopus sum, in Christo loquor, non mentior: cedros libani, idest contemplationis altissimæ homines, & gregum arietes, idest magnos Prælatos Ecclesiæ sub hac spe corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Hieronymi, & Ambrosij.* Hæc S. Bonauentura, quæ vtinam interdum ipsa experientia non confirmarentur; vsu ipso docente amicitiam, ac familiaritatem Monialium, quæ ex spiritu videtur incipere, tandem desinere in carnem, cum grauissimo dedecore status Religiosi, iuxta illud Apostoli Galat. 3. *Sic stulti estis, vt, cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.* Quocirca S. Franciscus, teste eodem S. Bonauentura suos studiosè monebat, vt cauerent à fœminis. *Quia,* inquit, *colloquium cum fœmina extra confessionem, eamque breuem, inutile est, & periculosum:* quod confirmabat S. Xauerius his paucis verbis; *Maiori periculo, quàm fructu aditur fœmina.* Ad quod item facit quod Seraphicus Franciscus sæpè animo turbato dicere solebat: *Timeo, ne, dum Deus nobis abstulerit vxores, Diabolus nobis procurauerit Sorores:* vt refert. *Vuadingus ad annum 1229. num. 44.* narrans quod, cum F. quidam Stephanus de licentia Visitatoris ad Moniales accessisset contra præceptum ipsius S. Francisci, & ab eo veniam peteret de hac culpa; S. Pater illum grauiter increpauit, iussitque mense Decembri suis indutum vestibus in frigidissimum amnem immergi dicens, *Extingue has aqua scintillas, quas in te*

lenis

lenis, & mitis, sed periculosius ignis accendit: laua, & absterge his vndis secretas sordes, quæ te inscio tibi fortè hæserunt. Cuius rei ea ratio, quod fœminæ, vt monet S. Antiochus Abbas *hom.* 18. in ipso aditu primæ conuersationis multa eum lenitate loquuntur, & prono in terram vultu continenter illachrymantur, reuerenter admodum habitum, motúmque corporis ementiunt, suspitia attollunt amarulentiæ plena; de sanctimoniæ, aut castitate etiamnum interrogant, magna cum voluptate auscultant dissentientem. alter, atque mox congressus superiora illa sensim repellit, ac repudiat: audaciores dehinc factæ sermones texunt, qui præ molli quodam lenocinio demulceant, & quamuis ipsæ nolint, ad turpitudinis affectiones inuitent.

QVÆRES VI. Qualiter Moniales subiiciantur Ordinario quò ad receptionem ipsarum Monialium.

11. Respond. subiici tum quò ad taxationem dotis, eo modo, quo diximus *cap.* 3. *sect.* 2. *quæst.* 3. tum quò ad explorationem voluntatis puellæ recipiendæ; eo tamen modo, quo diximus hic *cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 4. tum etiam quò ad definiendum ipsum numerum Monialium recipiendarum iuxta dicta ibi *quæst.* 6.

QVÆRES VII. In quibus subiiciantur Moniales Ordinario loci quò ad emittendam professionem Religiosam.

12. Respond. subiici quò ad explorationem voluntatis ante professionis emissionem præmittendam, vti docuimus *supr. cap.* 3. *sect.* 1. *quæst.* 2. & quò ad bonorum renunciationem iuxta decretum Concilij Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 16. à nobis relatum, ac explicatum *supr. cap.* 1. *sect.* 3. *per totam.*

Moneo hîc obiter, quòd, quamuis plures DD. apud Sanchez *lib.* 7. *mor. cap.* 3. *num.* 91. dicant in bona Nouitij decedentis absque renunciatione, aut testamento succedere monasterium, exclusis hæredibus ab intestato: oppositum tamen omninò sustinendum putat Castr. Palans *tract.* 16. *D.* 1. *p.* 16. *num.* 1. aliis pluribus citatis; & probat, quia Nouitius non est Religiosus cum effectu, nec bona sua monasterio dicauit per ingressum; sicque nulla adest ratio, ob quam monasterium ei succedat ab intestato: qua de re Sanchez *loco citato*, & Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 9.

QVÆRES VIII. Quo iure Moniales subiiciantur Ordinario loci quò ad approbationem Confessarij tam ordinarij, quàm extraordinarij.

13. Respond. subiici ex Constitutione Gregorij XV. quæ incipit *Inscrutabili*; & quidem eo modo, quo dicemus infra *sect.* 3. de hoc ex professo agentes.

QVÆRES IX. Quo iure Moniales subiiciantur proprio Ordinario quò ad obseruantiam festorum ab ipso legitimè institutorum; necnon censuram, atque interdictorum, quæ fortè ab eo ferantur.

14. Respond. subiici ex decreto Concil. Trid. *sess.* 25 *de reg cap.* 12. à nobis adducto *supr. cap.* 6. *quæst.* 13. quod sine dubio afficit etiam Moniales exemptas.

QVÆRES X. In quibus subiiciantur Moniales Ordinario quò ad clausuram, etsi alias sint exemptæ.

15. Respond. subiici quò ad custodiam quidem clausuræ monasterij eo modo, quo diximus *cap.* 5. *sect.* 1. *quæst.* 5. quò ad egrediendum verò ex ipsa clausura in casibus permissis ea ratione, qua explicauimus *citato cap.* 5. *sect.* 2. *quæst.* 9. non item quò ad recipiendas intra clausuram personas extraneas in casibus necessariis, aut aliàs concessis, vt constat ex dictis allegato *cap.* 5. *sect.* 3. *quæst.* 32. etsi vsus multis in locis sit in contrarium Ordinario loci tale ius sibi vsurpante, etiam quò ad Moniales exemptas; & quidem scientibus, & non dissentientibus Prælatis regularibus; quorum aliàs interest dare facultatem admittendi intra clausuram personas extraneas in casibus necessariis.

Quòd si hac occasione quæras, an Ordinarius possit prohibere Monialibus, etiam exemptis sub pœna excommunicationis, ne accedant ex prauo fine ad loquendum cum personis extraneis ad ipsas accurrentibus, eóque exteriùs manifestato, vel ne diutiùs loquantur cum dictis personis, ostio monasterij aperto, aut ad fenestellas catentes cratibus.

Respond. videri posse, si demus custodiam clausuræ Monialium fuisse commissam à Concilio Trident. Ordinariis locorum non solùm quò ad materiale ipsius, sed etiam quò ad formale; vti declarauimus *supra cap.* 5. *sect.* 1. *quæst.* 6. Moueor, quòd dictum Concilium *sess.* 25. *de regul. cap.* 5. præcipiens Ordinariis, vt in omnibus Monialium monasteriis sibi ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari, maximè procurarent; hæc addit: *Inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita, compescentes, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis*, quod est concedere Ordinariis, vt clausuræ obseruantiam procurare possint, etiam per censuras Ecclesiasticas, & quidem etiam in monasteriis Monialium exemptarum tanquam Sedis Apostolicæ delegati; vnde fit, vt in tali casu præfatis Monialibus non prosit priuilegium exemptionis: quippe quod solùm operatur, vt Ordinarij non possint potestate ordinaria procedere contra dictas Moniales per censuras Ecclesiasticas: quod non euenit in præsenti casu. 16.

Dixi sub initium responsionis, *si demus custodiam clausuræ fuisse commissam*, &c. si enim dicatur eam fuisse Ordinario commissam solùm quò ad materiale (vt loco superiùs citato explicauimus) tunc vtique non posset Ordinarius censuras Ecclesiasticas ferre in casibus propositis contra Moniales exemptas; cùm nullus à non suo iudice ligari possit, aut solui, *cap. cùm inferior. de maior. & obed.* maximè attento priuilegio, quod habent Regulares, saltem per viam communicationis priuilegiorum, & per consequens etiam Moniales, ne possint excommunicari ab Episcopo; cuius priuilegij meminit sacra Congregatio in quadam declaratione facta 9. April. 1583. quam adducit Quaranta *v. monasteria Monialium*, his verbis: *Regulares adeuntes monasteria Monialium sine licentia Episcopi incidunt in pœnam excommunicationis, quam Episcopus suo edicto proposuit, nisi Regulares illi haberent ex priuilegio, quod non possent excommunicari: & tunc deberent puniri à suis Superioribus alia pœna*; priuilegium autem ipsum refertur *in Comp. mendicantium, v. exemptio, num.* 9. 13 & 14. 17.

Quòd si demus Moniales, etiam exemptas, subiacere censuris latis ab Ordinario in materia concernente clausuram formaliter sumptam modo supra dicto; à fortiori poterit Ordinarius ferre censuras contra indebitè accedentes ad monasteria dictarum Monialium exemptarum: cùm sic ille operetur tanquam Sedis Apostolicæ delegatus; sicque eius potestati obstare non possit fauor exemptionis cōpetens præfatis monasteriis: quod non procederet, si Ordinarius operatur ex sua potestate ordinaria: cùm patia sint locum esse extra diœcesim, ac esse exemptum, & alioqui extra territorium ius dicenti 18.

KKkk non

non pareatur impunè ; sed de hoc alibi ; interim qui vult consulat Tamburinum *sup.D* 25.9.7.

19. Accedit, quòd vi Constitution. Gregorij X V. editæ 5. Febr. 1622. quæ incipit, *Inscrutabili*, possunt Ordinarij quoties, & quando opus fuerit, punire, & corrigere quascunque personas, tam Regulares, quàm sæculares, quæ forte delinquant circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum : & hoc tanquam ad id Sedis Apostolicæ delegati. Puto autem per verbum illud, *delinquant circa personas*, intelligi solum delictū contra castitatem : quippe quod potest frequentiùs intendi ab iis, qui accedunt ad monasteria Monialium, ideòque opus erat, vt efficaciori aliquo remedio caueretur ; proportionaliter vt diximus in *tract. de prohibit. cap.* 2. q. 14. probabile esse violationem clausuræ Monialium ob malum finem specialiter reseruatam à Clemente V I I I. in suo illo decreto derogatorio intelligi tantùm de malo fine contra castitatem. ita docti viri consulti, & satis probabiliter ; maximè attenta doctrina generali, quòd, vbi agitur de pœnis, stricta facienda est interpretatio ; & quòd in legum interpretatione potiùs sequenda est mens legislatoris, quàm verba : sicut pluribus citatis ostendit Laym. *lib.* 1. *tract*.4. *cap*.18. *num*.3.

20. Illud etiam hic placet meminisse, sacram Cardinalium Congregat.de mandato Vrbani VIII. die 20. Nouembr. 623. concessisse Ordinariis locorum, vt, quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint per 4. vices ad summum quolibet anno cuicunque Regulari, vt Moniales sibi in primo, & secundo tantùm consanguinitatis, gradu coniunctas conuenire, & alloqui possit : id verò non aliter, quàm seruata ad vnguem forma inferiùs scripta, &c. qua de re latè *in nostra tract. de prohibit. cap*.6. *per totum*.

Cæterùm pro intelligentia decreti sacræ Congr. iussu Vrbani VIII. editi, & paulò ante allegati aliqua breuiter aduertenda sunt, & quidem 1. Ordinarios vigore illius non teneri dare licentiam Regularibus, vt possint adire Moniales modo dicto consanguineas; sed solùm posse ; si attentis præsentibus circumstantiis iudicent id expedire. Colligo ex verbis illis decretis, *Quatenus sibi* (idest Ordinario) *visum fuerit*

Aduerto 2.quod si Monialis inuisenda à Regulari sit exempta, licentia peti debet tam ab Ordinario, quàm a Prælato regulari Monialis ; nam in relato decreto dicitur, *prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, & ab alio, ad quem spectet eam concedere* ; et sieuenire possit alicubi inductam esse consuetudinem petendi dictam licentiam solùm ab Ordinario.

Aduerto 3.quòd si præfata licentia detur, non seruatis omnibus iis, quæ præscribuntur in decreto, de rigore iuris censeri debet inualida : cùm in decreto dicatur ; *Si locorum Ordinarij per plures vices, vel in vlteriori gradu conuentiis, aut aliter quam supra dicta forma, licentias concesserit ; Regulares pœnis sup. dicto decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, eo ipso se nouerint addictos*, & præterea addatur in eodem decreto Ordinarios non posse dare talem licentiam aliter, quàm seruata ad vnguem forma infra scripta ; Concedo tamen quòd, cùm in eo decreto extent aliquæ conditiones leuioris momenti(qualis est, quod præscribatur certa hora accedendi ad monasterium : quod assistant Moniales auscultatrices, quòd Confessarius Monialium interfit, & assistat) quas constat experientia non vbique obseruari : consequenter, si qua talium conditionum omittatur, non ideò ittita debet censeri licentia ; idque ob doctrinam, quam tradit ex Decio, ac Felino, Naldus *v. actim, num.* 33. actum scilicet non vitiari ex omissione formæ, si forma sit modici momenti, præterquam quòd non est nouum legem aliquam acceptari secundùm vnam partem, & non secundum aliam, vt eruditè ostendit Baldell.*l*.5. *D*. 18. *n*.25. Consentit ex parte Sanctorus *in cap.* 11. *Constitut. min. stat.*7. *quæst.* 1 dicens in specie, quod spectat ad dies exceptos, se nescire, an peccarent mortaliter Religiosi, qui aliquo die Quadragesimæ, aut ieiunij loquerentur cum Monialibus ; addensque non esse dicendum verba illa superiùs adducta. *Si locorum Ordinarij per plures vices, vel in vlteriori gradu conuentiis*,&c. obligare Ordinarios sub mortali: idque ex intentione Papæ, quæ sufficienter colligatur ; tum quia in Breui nulla Ordinariis pœna imponitur, ex qua arguatur grauitas culpæ ; tum ex eo quod conditiones positæ sub illis verbis non sint, ita graues, vt culpam mortalem importent, cum aliuqui mortalia peccata multiplicari non debeant sine graui causa ; ac vrgenti fundamento. sic Sanctorus docens *quæst*.7. Regularem sine licetia, posse loqui cum matre, aut filia Moniali ; cum sit casus exceptus, nullam suspicionem admitteos, idcòque de eo in Breui supra allegato non fiat mentio, vtpote relictu naturæ iuribus : *sed tu cogita*, inquit Diana *part*. 8. *tract*. 7. *resolut*. 60. relata eiusmodi doctrina Sanctorij.

Nobiscum sentit & P. Diana *part*. 9. *tractat*. 7. *resolut*. 34 me citato, probatque maximè ex eo quod decretum Vrbani VIII. de quo ad præfatas circumstantias non fuit vsu receptum ; idque ei testati sunt viri fide digni in Archiepiscopatu Panormitano, ac Neapolitano quoad temporis limitationem & assistentiam Confessarij.

Quod autem dixi, *tract*.6. *cap*.6. *n*.38. Bordonum docere Episcopos posse in præsentia dare Regularibus accedendi ad Moniales in die Mercurij 4. temporum (quod item docet Lezana *v. Moniales*, *n*.23.) licentiam reiicit Diana *p*.9. *tract*.7. *ref*.35.ex eo quod, licet 4. Tempora in ordine ad rubricas differant à Vigiliis ; in ordine tamen ad finem intentum à Papa prohibente, ne in Vigiliis Regulares accedant ad Moniales, non differunt ; cum in 4. temporibus militet finis quoad hoc intentus respectu Vigiliarum; qui est, vt Moniales in diebus ieiunij non distrahantur ab oratione ; vnde hic procedit regula lutistarum,vbi est eadem ratio,est eadem iuris dispositio, *l. illud*, *ff. ad leg. Aquil*. & quod ratio legis magis, quam verba spectari debet, *leg. scire* §. *aliud*, *ff. de excusatione tuto*.

Aduerto 4. quòd si contingat Religiosum habentem licentiam accedendi ad aliquam Monialem non posse accedere die statuta ; aliqui viri docti putant non esse improbabile illum vi dictæ licentiæ posse accedere alia die ; si parum temporis intercedat, nullum subsit periculum scandali, & dies, qua acceditur, alias non sit vetita : probantque ex eo quòd Superior in tali casu quoad mutationem diei non censetur inuitus ; cùm statim fieri censeatur, quod fit paulò post, & parùm distans nihil distare videatur : vel certè, si est inuitus, est solùm inuitus quoad modum ; quod non sufficit, vt vtens licentia dicatur peccare mortal. quo modo DD.apud Lessium *lib*. 2. *cap*. 12. *num*. 49. dicunt non peccare mortal. illum, qui occultè accipit aliquid ab eo, qui est inuitus solùm quoad modum. sic illi ; quàm probabiliter, viderint ipsi.

Aduerto 5.

Aduerto 5. quòd si religiosus accedat ad Moniales cum licentia ab Ordinario iniquè obtenta, eò quod is illam debuisset denegare, non est tutus in conscientia: siquidem vbi requiritur licentia, intelligitur legitima, idest iustè, ac rationabiliter concessa; cùm idem sit non esse, vel esse minùs competens, vt notat Nald. *ex Butrio v. licentia, num. 1.* & verbum, *licentia*, importet voluntatem, non liberam, sed prudentiæ arbitrio consonam, adeoque facere aliquid cum licentia inualida idem sit ac facere sine vlla licentia: constat autem licentiam datam à non potente dare siue absolutè, siue in tali casu, esse nullã.

Aduerto 6. non esse tutum in conscientia religiosum, qui habens licentiam accedendi ad vnam Monialem loquitur cum alia, & ratio est, quod licentia non operatur vltra intentionem, concedentis sufficienter expressam; licentia autem accedendi ad Moniales, ex intentione concedentis extenditur solùm ad consanguineas in primo, & secundo gradu; vt constat ex decreto sup. telato: intellige, nisi paruitas materiæ excuset (vt si vrbanitatis causa aliquam aliam Monialem salutet, aut paucis alloquatur: quod si vsus est in contrarium, omninò videtur extirpandus, cùm sit abusus, & corruptela.

Aduerto 7. religiosum, qui associat alium religiosum cum debita licentia accedentem ad aliquam Monialem, posse & ipsum loqui cum illa: idque ob regulam connexorum, ita Peyrin. *tom. 3. priuil. c. 6. n. 1.* ex Rodriq. & Riccio: cum quibus sentit Tamburinus *D. 26. de iure Abb. q. 3. n. 1.* & Lezana *v. Moniales n. 13.* à quibus dissentit me citato Diana *p. 9. tract. 7. res. 35.* & Pasqual. *p. 2. q. 158. num. 2.* probans licentiam alloquẽdi Moniales non extendi ad Regularem Socium, tum quia, vt Religiosus obtineat licentiam loquendi cum Monialibus, requiritur iusta causa *cap. periculoso, de statu Monach.* talis autem causa non est associatio vt sic: tum quia quod dicitur de connexis esse idem iudicium, vetificatur solum, quando ea sunt inseparabilia, non item quando vnum stare potest sine alio (quo casu non sumus in connexis, sed in separatis Couar. *quest. pract. c. 34.* Crauetta *cons. 231. num. 1.*) Regularis autem, & Socius in locutione cum Monialibus non sunt connexi; cùm habens licentiam loquendi possit æque benè loqui absque eò quod Socius loquatur. Quamquam hæc argumenta non tollant probabilitatem nostræ opinionis: cùm dicere possimus associationem vrbano, ac morali modo factam in præsenti casu habere rationem iustæ causæ; & locutionem concessam Regulari ad alloquendam Monialem, si vrbano modo sumatur, non esse separabilem à collocutione Socij.

Aduerto 8. quòd, si contingat Religiosum habere necessitatem accedendi ad aliquam Monialem in loco, vbi ille ex iusta causa incedit incognitus, murato habitu (quòd interdum potest euenire, & de facto euenit) potest talis religiosus vi præsentis concessionis Vrb. VIII. inuisere præfatam Monialem de licentia Ordinarij illius loci; seruatis tamen omnibus conditionibus præscriptis in dicto decreto; æque ac si accederet in proprio habitu: ipse enim verè est Religiosus, licèt incognitus, adeòque subiacet oneribus religiosorum. Limita, nisi hinc exponeret se periculo, vt agnosceretur cum graui suo incommodo: in quo casu posset dissimulare statum Religiosum, & se gerere in ea visitatione vt sæcularis; qualis ex habitu creditur: lex enim humana non obligat cum tanto dispendio, vt patet. non ergo talis Religiosus poterit in casu proposito inuisere, etiam de licentia Ordinarij, Monialem, quæ non sit consanguinea in gradu permisso in præfato decreto, nec ille ibi prohibita, nec liberè alloquendo Moniales extraneas forte accedentes, &c. Sic viri docti consulti.

Addo ex dictis *cap. 5. num. 194. §. moneo* per prohibitionem factam à Sacra Congregatione, ne Regulares absque expressa licentia eiusdem Sacræ Congregationis accedant ad monasteria quarumcunque Monialium non tolli, quin sine licentia prædicta possit religiosus accedere ad dicta monasteria causa tractandi cum aliqua fœmina sæculari ibi degente, & quidem etiam de negotio prophano: idque ob rationem adductam *citato §. moneo* quæ ratio facit hanc doctrinam probabilem (nisi obstet stylus Curiæ, aut consuetudo) sicque mihi constat interdum practicatum fuisse, de licentia tamen Ordinarij.

QVÆRES XI. An Moniales subiaceant Ordinario quoad hoc vt absque eius licentia conuenire non possint, ac visitari.

Respond. subiacere, etiamsi aliàs sint exemptæ; si quidem talis sit consuetudo loci, vt absque licentia Ordinarij non adeantur monasteria Monialium, quantumuis exemptarum, sic quippe statuit Sacra Congregatio, teste Tamburino *sup. D. 26. q. 1. num. 3.* nimirum hac in re seruandam esse vniuscuiusque loci consuetudinem, vt vidimus *c. 5. sect. 5. q. 7. §. quod si queras*; quamquam extet alia declaratio eiusdem Sacræ Congregationis, quam refert Barbosa *in collect. v. Moniales alloqui §. vlt.* his verbis: *Moniales Regularibus subiectas alloquendi licentia concedenda est ab Episcopo, seu eius Vicario generali, & à Superiore regulari, cui Moniales ipsæ subiectæ sunt, coniunctim: ita vt idem Episcopus, seu eius Vicarius primò loco subscribat.* sic variant huiusmodi declarationes, ideoque iuxta alibi dicta regulariter non habent vim legis vniuersalis vbique obligantis) intellige, nisi obstet contraria consuetudo, sicor benè notauit Gauant. *in manu. v. Monial. colloc. num. 1.* II.

Addit Monachus *p. 5. instruct. Monial.* ex Barbosa *in collectan. v. Monialium clausura*, in licentiis, quæ post Ordinarij subscriptionem subscribuntur à Prælatis regularibus ad adeunda monasteria Monialium ipsis subiectarum, ex declaratione Sacræ Congregation. non posse quidquam addi, aut tolli per ipsos Prælatos regulares ex iis, quæ in præfatis licentiis apposita sunt ab Ordinario ad accuratiorem clausuræ obseruantiam.

QVÆRES XII. An, & qualiter Moniales subiaceant visitationi, ac correctioni Ordinarij.

Respond. subiacere quoad obseruantiam clausuræ, etiamsi sint exemptæ, ideoque eas posse quoad clausuram visitari ab Episcopo, eiusue Vicario generali, quoties ipsis id videbitur expedire: idque ex decreto Sacræ Congregationis, quod allegat Nald. *v. Monialis num. 3.* addens eiusmodi facultatem non debere extendi ad inquirendum occultè de excessib. earundem Monialium: si quidem hoc est quid diuersum ab obseruantia clausuræ; cuius inquisitio, ac cura solùm committitur à Concilio Trid. *sess. 25. de regul. c. 5.* à diuersis autem non fit illatio. Quin etiam notat Nald. *num. 4.* Moniales degentes in ciuitate, sed subiectas alteri Ordinario, visitari posse ab Episcopo illius diœcesis, in qua degunt; æque ac possunt visitari Moniales subiectæ Regularibus: istas vero posse visitari quò ad obseruantiam clausuræ per præsatum Ordinarium, etiam absque interuentu dictorum Regularium. III.

Quod verò spectat ad Moniales Sedi Apostolicæ immediatè subiectas notat Tambur. *sup. D. 17. q. 3. num. 5.* quòd, licèt eæ sint exemptæ ab Ordinarij iurisdictione; possunt tamen ab eo visitari tanquam à delegato Sedis Apostolicæ; & quidem non solùm quo- 13.

quò ad clausuram, sed etiam quò ad alia, æquè ac possint visitari Moniales immediatè subiectæ ipsimet Ordinario; idque ex decreto Concilij Trident. *sess.25.de regul.cap.9.* relato hîc *quæst.2.*

24. Addit Tambur. *num.3.* ex Barbosa *alleg.74.de offic. Episc. num.20.* & aliis posse Episcopum visitare personas sæculares, siue regulares exercentes curam animarum personarum sæcularium annexam ipsarum Monialium monasteriis: in iis tamen solùm, quæ spectant ad curam animarum: idque ex decreto Concilij Trid. *sup.c.11.* quod etiam notant alij Doctores.

An autem Ordinarius possit vim inferre, ostia monasterij Monialium frangendo in casu, quo iuxta dicta habeat ius illas visitandi, & impediatur.

25. Respond. Barbosa *num.22.* ex Innoc. Abb. Fusco, Campan. ac Genuensi, quod sequitur Tambur. *num.4.* Ordinarium posse in casu proposito vim inferre, & quidem etiam excommunicando impedientes, etiam non adhibitis solitis monitionibus, in ipso tamen actu violentiæ sibi illatæ, & consequenter titulo iustæ defensionis: id quippe non solùm tacitè censetur concessum Ordinariis à Papa supremo Monialium omnium Prælato, sed etiam est de iure naturæ, vi cuius potest quilibet seruare propria iura contra inuasorem, vt colligitur ex *cap. si verò alicuius, de sent. excommunicat. & cap. significasti 2. de homic.* seruatis tamen seruandis, de quibus optimè Bonac. *D.2. de contr. quæst. vlt. sect.1.p.8. num.1.* quæ doctrina est vera, etiam in euentu, quo Ordinarius procedat tanquam Sedis apostolicæ delegatus: quod in specie aduertit Barbosa *num.23.*

QVÆRES XIII. Vtrum possit Ordinarius coërcere, ac punire Moniales, etiam exemptas delinquentes.

26. Respond. de facto punire in materia clausuræ; idque iuxta aliquos ex Concilio Trid. *supr. cap.5.* talem potestatem quò ad hoc tribuente Episcopis per ea verba. *inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliásque pœnas, quacunque appellatione postposita, compescentes*; & hoc (inquiunt illi) ne aliàs inanis prorsus, ac frustranea sit iurisdictio Ordinarij supra Moniales, etiam exemptas, quò ad clausuram: præterquamquòd cui datur iurisdictio, ea quoque concessa videntur, sine quibus iurisdictio exerceri nequit; sicut in re non dissimili notanit Sanchez *l.7.de matr.D.33. num.22.ex l.2.ff.de iurisd. omn iudic.* sed de hoc *sup. cap.9. quæst.5.* Immò dicit Barbosa *supr. alleg.102. num 4.* ex Nau. & Armendar. decisum fuisse, Episcopum in Moniales, alioqui exemptas, habere iurisdictionem, etiam in iis, quæ pertinent ad rerum spiritualium curam: sicque consequenter concedit huiusmodi Moniales posse puniri ab Ordinario, si delinquant in materia rerum spiritualium. Ad quod facit etiam declaratio sacræ Congregationis Concilij, facta sub 8. Aug. 1621. quam adducit idem Barbosa *in collect. v. Moniales alloqui, §.vlt.* his verbis: *Moniales exemptas alloquentes contra constitutionem Episcopi possunt ab ipso puniri: non tamen ipsæ Moniales exemptæ.* Quæ declaratio (vt id obiter hîc notem) videtur facere non parum probabilem doctrinam à nobis indicatam *supr cap.5.sect.1. quæst. 6.* nimirum quòd cura custodiæ clausuræ Monialium, etiam exemptarum, commissa Ordinariis in Concil. Trid. intelligatur solùm de custodia clausuræ materialis, vt explicauimus ibi: si enim intelligeretur etiam de custodia clausuræ formalis: possent Ordinarij vi præfatæ commissionis coërcere Moniales exemptas indebitè loquentes cum sæcularibus ad ipsas accurrentibus: quod tamen in citata declaratione expresè negat S.Congreg. eiusdem Concilij.

Vnde infero, quòd, cùm ex dictis supra Episcopi iurisdictionem habeant in Moniales, etiam exemptas quo ad obseruantiam clausuræ, & in iis, quæ pertinent ad spiritualium rerum curam; stante tali decisione, sequitur Moniales dictas non posse puniri ab Ordinario in quacumque alia materia delinquant: nam exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Quod tamen non facit, quò minus Ordinarius posset punire Monialem exemptam, quæ fortè delinqueret extra monasterium; cùm certum videatur etiam Moniales exemptas comprehendi sub decreto illo Concilij Trid. *sess.6. de reformat.c.3.* quod sic habet: *Nemo regularis extra monasterium degens, etiam sui Ordinis priuilegij prætextu tutus censeatur, quò minùs, si deliquerit, ab Ordinario loci tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat:* quod decretum putat Peyrin. *tom. 1. priuil. Const. 2. Sixti IV. §. 11. n.22.* non dissentiente Lezana *tom.1. cap.11. num. 8.* intelligi solum de Regulari degente extra monasterium absque Superioris licentia; stante quòd Religiosus extra monasterium degens cum debita licentia fictione iuris censetur degere intra monasterium; vnde quis benè inferat, quod si Monialis exempta cum legitima licentia degens extra clausuram delinqueret, non ideò vi citati decreti Tridentini puniri posset ab Ordinario; cùm facultas ibi tradita contra Regulares delinquentes non extendatur ad talem casum, vt patet. 27.

An autem Moniales, etiam exemptæ subiaceant dispositioni Concilij Trident. quæ extat in *sess. 25. de regul. cap. 14.* his verbis: *Regularis non subditus Episcopo, qui intra monasterij claustra degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit Episcopo instante, à suo Superiore infra tempus ab Episcopo præfigendum seuerè puniantur, ac de punitione certiorem Episcopum faciat: sin minus à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.*

Respond subiacere; & probatur ex eo quòd tale decretum loquitur generaliter de Regulari non subdito Episcopis: *lex autem generaliter loquens generaliter debet intelligi: & vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus*: nec obstat, quòd textus loquitur de Regularibus masculis, vt constat ex iis verbis, *Regularis non subditus Episcopo*: si quidem masculinum, vt dignius concipit fœmininum quantum ad mentem legislatoris, vt notat Glossa *lib. 1. ff. de verb.significat.* & notant DD. Quare, si Monialis exempta sine debita licentia exiens è monasterio committeret extra illud, delictum aliquod scandalosum: posset Ordinarius, etiam vigore huius decreti illam punire, si Prælatus regularis ab ipso legitimè admonitus in eam debitè non animaduerteret, quamquam, etiam secluso isto decreto, posset Ordinarius procedere aduersus dictam Monialem taliter delinquentem, tanquam ream fractionis clausuræ: idque ex potestate ipsi competente circam custodiam clausuræ Monialiam, etiam exemptarum, eo modo, quo superiùs explicauimus. 28.

QVÆRES XIV. Qualiter subiiciantur Moniales Ordinariis quò ad electionem Abbatissæ, seu Priorissæ.

Respond. subiici ex Constitut. Gregorij XV. cuius initium est *Inscrutabili* edita 5. Febr. 1622. quæ sic habet: *Ac similiter possit Episcopus vnà cum Superioribus regularibus quarumcunque Abbatissarum, Priorissarum, vel Præfectarum, vel Præpositarum, eorundem monasteriorum electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere: absque tamen vlla ipsorum monasteriorum impensa.* qua de re *supr.cap.8.quæst.42.* 29.

QVÆRES

Qværes XV. In quibus Moniales subiaceant Ordinario loci quò ad bonorum suorum administrationem, etiamsi aliàs sint exemptæ.

30. Respond. subiacere tum in eo, quòd potest Ordinarius ex causa rationabili monere Prælatos regulares, vt amoueant ab administrandis bonis Monialium eos, qui ad tale munus deputati sunt: ipsisque Prælatis id facere detrectantibus, aut negligentibus, ipsemet Ordinarius amouere potest dictos Administratores, quoties, & quando opus esse iudicauerit: tum in eo quòd Ordinarius singulis annis, adhibitis etiam Prælatis regularibus, potest à præfatis Administratoribus tam sæcularibus, quàm Regularibus exigere rationes administrationis, & ad id eos compellere iuris remediis. Constat ex citata bulla Gregorij XV. *Inscrutabili*, vbi hæc expressè statuuntur, attributa etiam Ordinariis facultate, vt ij tanquam Sedis Apostolicæ delegati possint punire dictos Administratores, siue sæculares, siue Regulares, qui fortè delinquant circa præfatam administrationem. Vbi obiter notandum vigore præfatæ bullæ non concedi locorum Ordinariis ius designandi, aut approbandi dictos Administratores: cùm de hoc ibi nulla fiat mentio; & alioqui à diuersis non fiat illatio: præsertim quando agitur de præiudicio tertij, sicut de facto agitur in præsenti casu: constat autem, quòd habere ius amouendi Administratores bonorum vt sic non est formaliter habere ius illos eligendi, aut approbandi illos, sed quid longè diuersum.

Cùm autem plura dubia possint occurrere circa practicam intelligentiam præfatæ Bullæ Greg. XV. placet ad eorum resolutionem aliqua hîc notare ex Sanctorio *in Constit. Min. cap.* 11. *stat.* 7. *q.* 3. sicque.

Noto 1. Prælatum regularem Monialium, qui earum contractibus interest, & consentit, multaque fieri iubet circa Ecclesiam, & Conuentum illarum, non debere vt Administratorem sisti coram Episcopo ad rationes reddendas: cum Prælatus non sit administrator, sed Superior administratores deputans, & Collega Episcopi quo ad has rationes reddendas; vt constat ex verbis illis Bullæ Gregorij *adhibitis etiam Superioribus regularibus.*

Noto 2. Administratores Monialium non teneri reddere tales rationes sponte, aut ad id se offerre: cum verbum, *reddere*, sit relatiuum verbi *petere*, vbi aliud lege non cauetur, ac iure diuino aliter non disponitur, (vt in furto, commodato, &c.) quo modo vxor tenetur reddere debitum, sed petenti, & seruus tenetur ad officia, sed iussus ex *l.* 41. *§. Titius, ff. de fideicomm. libert.*

Noto 3. Episcopum non posse exigere has rationes, nisi vocato Prælato Monialium; idque ex verbis Bullæ Gregorianæ *supr. citatis adhibitis etiam Superiorib. reg.* particula enim, *etiam*, est implicatiua, ac exprimit maiora expressis; & aliàs sumus in materia odiosa, quæ præripit ordinariam iurisdictionem Prælatis regularib. competentem quod ad exigendas præfatas rationes; vnde ij non adhibentur vt testes, sed vt collegæ; adeóque Administratores non tenentur reddere rationes Episcopo, si is non vocet dictos Prælatos; nec is potest contra administratores procedere remediis iuris.

Noto 4. Administratores, vbi rationes reddiderunt Episcopo, teneri eas iterum reddere Prælatis regularibus: cum Episcopi functio non tollat ius ordinarium; & per Bullam Gregorij nouum onus sit impositum Administratoribus, non autem adempta facultas Prælatis regularibus, ipsis aliàs competens.

Noto 5. Prælatos regulares non adstringi ad audiendas eiusmodi rationes coram Episcopo, adeóque ad id non posse ab Episcopo cogi per censuras: nam bulla non dicit, *iussis*, sed, *adhibitis Superiorib. reg.* quo modo dicimus, *adhibitis testibus*; quos constat non posse cogi, sed rogari: præterquamquod, cum hoc ius sit fauorabile Prælatis regularibus, ac odiosum Episcopis; illi possunt renunciare iuri suo; maximè si iam præfatas rationes viderunt.

Qværes XVI. Quo modo Moniales etiam exemptæ subiiciantur Ordinario loci quò ad constructionem suorum monasteriorum.

Respond. subiici eo modo, quo statutum fuit in Concilio Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 3. in Constitut. Clementis VIII. quæ incipit, *Ad instituam*, & est 99. in ordine; necnon in decretis sacræ Congreg. de mandato Gregorij XV. editis 17. August. 1622. & in Constitut. Vrbani VIII. edita 28. August. 1624. cuius initium est, *Romanus Pontifex*; per quam in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, necnon officiorum quorumcunque ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, necnon etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis præcipitur, ne licentiarum, seu facultatum à Summis Pontificibus (quas omnes ipse ibi reuocat) siue alio quouis prætextu, vel causa, etiam quantumuis priuilegiata, noua monasteria, & alia loca regularia, nisi de expressa Ordinarij licentia, ac seruata in omnibus, & per omnia sacrorum canonum, & Concil. Trid. necnon Constitut. Clementis VIII. ac decretorum de mandato eiusdem Clement. necnon Gregorij XV. forma recipere, exigere, fundare, seu alia quomodolibet instituere, seu incœpta finire, & absoluere audeant, seu præsumant. In Concil autem Trid. præcipitur, ne Regulares noua loca recipiant sine Episcopi, in cuius diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta: in Constitut. item Clementis VIII. 31.
prohibetur Ordinariis, ne præfatam licentiam ad nouos Conuentus cuiusque Mendicantium Ordinis in ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendos impertiantur; nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa, seruatis seruandis, cognita constiterit in eisdem ciuitatibus, & locis nouos huiusmodi erigendos Conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse, denique in decretis sacræ Congregat. iussu Gregor. XV. editis statuitur, ne imposterum noua monasteria erigantur; nisi in eis saltem 12. Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant; ac Priores, seu Procuratores aliorum monasteriorum quarumcunque aliarum Religionum non solùm ciuitatibus, ac locis, in quibus erigendum est nouum monasterium; sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumuicinis locis ad id vocati, & audiui fuerint, ac tali erectioni consenserint; vel aliàs locorum Ordinariis constiterit Religiosos monasterij sic erigendi sine damno Religiosorum in monasteriis antea ibi erectis in numero duodecim commodè; & congruè manuteneri, & ali posse, quòd si, vbi nouum monasterium erigendum est, nulli alij Regulares reperiantur; nihilominùs Ordinarij locorum diligenter debent inquirere, an locorum incolæ, & habitatores, quorum consensum tenentur requirere, & adhibere, huiusmodi 12. Religiosos in Conuentib. instituendis commodè alere, & manutenere valeant, sed de hoc plura *in tr. de priu. c.* 7. *sect.* 2. *q.* 2. interim qui vult,

consulat Peyrinum *tom. 2. priuil. Constit. Greg. XV.* Tambur. *D. 34. de iure Abbatiss. q.* Portellum *de dub. regul. v. monasteria*, Gauantum *in manu. v. Monialium monasteria* Barbosam *l. 2. de iure Eccles. cap. 12.* Naldum *v. monasteria*, & alios.

Notat autem Tamburinus *num. 4.* ex Barbosa sacram Congregationem 19. Decemb. 1620. declarasse Constitutionem Clementis VIII. superius allegatam habere locum etiam circa monasteria Monialium construenda, ideóque in his instituendis debere seruari easdem solemnitates, quæ seruandæ sunt in ædificandis monasteriis aliorum Regularium. Quòd si demus, iam videndum est, qualiter obseruari possit, & debeat præfata Constitutio quò ad illam partē, quę præcipit in casu, quo alicubi erigendum sit nouum aliquod monasterium, vocandos esse, & audiendos aliorum Conuentuum Priores, seu Procuratores, & alios interesse habentes; num scilicet ad talem effectum vocari debeant, & audiri Abbatissæ, seu Priorissæ aliorum monasteriorum Monialium existentium in loco, vbi construendum est nouum monasterium Monialium, vel certè Prælati regulares earum, si sint exemptæ, aut ipsarum Monialium Syndici. Puto autem neutros illorum debere vel vocari, vel audiri. mouent tum quia allegata Constitutio Clementis VIII. non loquitur de Abbatissis, sed tantum de Prioribus, seu Procuratoribus, aliisque interesse habentibus; ideóque cùm exorbitet à iure communi, & sit valdè odiosa, non debet ampliari: tum quia talis est praxis ferè communis, cui omninò standum est, quamdiu in contrarium expresśe non statuitur.

QVÆRES XVII. An, & quo modo Moniales aliàs exemptæ subiaceant Ordinario tam quò ad egrediendum è clausurà, quam quò ad recipiendum intra clausuram, siue causa educationis, siue aliàs.

32. Respond. subiacere, vt constat ex dictis *cap. 5.* de egressu quidem è clausura *sect. 2. q. 9. §. at dices:* de receptione verò intra clausuram causa educationis *sect. 4. q. 3.* de receptione denique intra ipsam clausuram ex alia causa *sect. 3. q. 42.*

QVÆRES XVIII. An Regulares concionaturi Monialibus teneantur petere benedictionem ab Ordinario, si eæ ab ipso sint exemptæ.

33. Respond. teneri, si adest talis consuetudo; communiter tamen non videri adesse talem consuetudinem: idque scientibus, & non contradicentibus Ordinariis, cùm facile possent contradicere. cuius rei ea fortè est ratio, quòd conciones, quæ habentur ad Moniales, sunt potiùs priuati sermones, ac exhortationes, ideóque non veniunt sub decreto Concilij Trid. *sess. 5. cap. 2. de reformat.* requirente, vt Regulares in suis templis non prædicent, nisi petita benedictione Ordinarij: quippe quod potest piè explicari de concionibus simpliciter dictis (quales dici possunt esse, quæ habentur publicè ad vniuersum populum promiscuè) ita Bordonus *resolut. 6. num. 33.* & quidem sine limitatione à nobis posita, aliisque valdè docti.

Quod autem spectat ad celebrandum in Ecclesia Monialium exemptarum; regulariter videtur sufficere licentia Prælati regularis, cui illæ subsunt: idque siue celebrantes sint Sacerdotes sæculares, siue regulares: sic enim habet praxis communis (vt puto) nec apparet fundamentum sufficiens, cur ea licentia peti debeat etiam ab Ordinario loci; nisi fortè alicubi adsit in contrarium legitima consuetudo (de qua mihi non constat) vel loquendo in specie de Clericis sæcularib. id ipsis expresśe prohibeatur; sicut re vera potest ipsis prohiberi ab Ordinario; cùm sint eius subditi, vt patet.

Qualiter autem subdantur Moniales Ordinario 34.
quò ad canendos in choro hymnos Vrbani VIII. iussu correctos, constat ex dictis *supr. cap. 8. q. 46.*

SVBSECTIO II.

De Potestate Ordinarij, aut Prælati regularis in Moniales ipsis respectiuè subiectas.

35 *Prælati regulares habent in Moniales subditas potestatem ordinariam, & consequenter delegabilem.*
36 *Potestas competens Prælato locali in Moniales est delegata.*
37 *Sicq; non potest eam subdelegare.*
38 *Potestas Prælati regularis in Moniales est ampla, æquè ac potestas Prælati regularis in Religiosos subditos.*
39 *Prælatus regularis indicit Monialibus nouas leges.*
40 *Ordinarius loci, & Prælatus regularis præcipiunt in virtute obedientiæ Monialibus respectiuè subditis.*
41 *Possunt iis indicere reformationem regulæ: immò, & eius moderationem.*
42 *Exercent in eas potestatem directiuam, coactiuam, ac iudicialem.*
43 *Illas absoluunt à quibuscunque reseruatis.*
44 *Deputant iis Confessarium tam ordinarium, quàm extraordinarium.*
45 *Aliàs approbabant earum Confessarios; non item modò, loquendo de Prælato regulari.*
46 *Reseruant censuras, & casus quò ad illas.*
47 *Sed iuxta decretum Clementis VIII. loquendo de Prælato regulari.*
48 *Ordinarius loci potest reseruare etiam pro Monialibus exemptis casus concernentes materiam clausuræ, (quod negant alij) nec ab illis ea possunt absolui per Confessarios Regulares priuilegiatos.*
49 *Proponitur, & soluitur obiectio.*
50 *Moniales non exemptæ subsunt reseruationi Ordinarij.*
51 *Si sint exemptæ, subsunt Prælato regulari quò ad receptionem Nouitiarum.*
52 *Item quò ad emissionem Professionis.*
53 *Item quò ad recipiendas puellas in educationem.*
54 *Item quò ad egrediendum è Clausura.*
55 *Item quò ad sæcularium accessum ad ipsas, nisi obstet consuetudo.*
56 *Item quò ad canonicam Visitationem.*
57 *Item quò ad Electionem Abbatissæ; sicut & subsunt Ordinario.*
58 *Item quò ad bonorum temporalium Administrationē.*
59 *Prælatus regularis in variis casibus ingreditur clausuram.*
60 *Modò tamen non subsistit indultum quò ad hoc concessum ab Vrbano IV.*
61 *Non disponit liberè de bonis Monialium.*
62 *Ex causa suspendit Abbatissas ab officio.*

QVÆRES I. Quam potestatem habeat Ordinarius loci, aut Prælatus regularis in Moniales sibi respectiuè subditas.

Respond. habere ordinariam, & consequenter 35.
posse illam etiam aliis delegare; sicut in terminis notauit Rodriquez *tom. 1. q. 17. art. 10.* loquens de potestate Prouincialium in Moniales proprij Ordinis. & ratio est, quod, cum eiusmodi potestas competat Ordinario, ac Prælato regulari ex officio, & sit perpetua; non potest non esse ordinaria iuxta ea, quæ

quæ tradunt communiter DD. de potestate ordinaria, ac delegata: quod ita est verum vt *subsect. præced. quæst.* 3. §. *difficultas*, diximus illam eandem potestatem, quæ in aliquibus casibus tribuitur Ordinariis locorum in Moniales exemptas, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, non esse delegatam, sed ordinariam, adeoque illam posse committi, etiam aliis per delegationem propriè dictam.

Quòd si quæras, an potestas, quæ competit Prælato regulari locali in Moniales sibi subiectas, sit ordinaria, aut delegata.

36 Respond. esse, & communiter existimari delegatam: quippequæ ex officio competit Prouincialibus; aut Generali Ordinis, & per delegationem postea committitur Superioribus localibus, vt possint in casibus ordinariis, aut frequentiùs contingentibus præsto esse Monialibus sibi subiectis. ita docti Religiosi variorum Ordinum à me consulti.

Maius dubium est, an Prælatus ipse localis possit subdelegare dictam potestatem in casu hîc, & nunc occurrenti.

37. Respond. non posse, nisi habeat potestatem expressam subdelegandi; & ratio est, quòd regulariter Prælatus ordinarius Monialium exemptarum est Prouincialis: ideoque Superior immediatus monasterij est Superior earundem Monialium delegatus: delegatus autem non potest subdelegare, vt patet.

Quæres II. Ad quæ se extendat potestas Ordinarij, seu Prælati regularis in Moniales respectiuè subiectas.

38. Respond. extendi ad ea omnia, ad quæ se extendit potestas Prælati regularis in viros religiosos sibi subditos: quantùm tamen patitur conditio sexus fœminei, & quantùm ad ea, quæ status Monialium esse possunt proportionata; constabit autem responsio ex quæstionibus inferius soluendis.

Quæres III. An Ordinarius, aut Prælatus regularis possint Monialibus sibi respectiuè subditis indicere nouas leges tam per modum statuti, quàm per modum præcepti.

Respond. posse, cùm habeant veram, & simpliciter dictam iurisdictionem eamque publicam, & vim cogendi: quæ requiruntur ad condendas veras leges, & sufficiunt ad imponenda vera præcepta, vt tradunt communiter DD. cum Baldo *in l.* 1. *ff. de iust. & iure, &* S. Tho. 1. 2. *q.* 90. *art.* 3.

An autem Ordinarius loci, ac Prælatus regularis possint Moniales sibi respectiuè subditas obligare ex voto obedientiæ, ipsis præcipiendo in virtute sanctæ obedientiæ, eo modo, quo Prælati regulares possunt præcipere, & aliquando præcipiunt viris religiosis propriæ iurisdictioni subiectis.

39. Respond. posse; & indè probatur, quòd iuxtà communem, ac veram doctrinam quicunque est legitimus Superior religiosorum, & habet spiritualem iurisdictionem in illos, is potest iis præcipere in virtute obedientiæ: idque ex vi voti obedientiæ, per quod religiosus se totum tradit religioni, eiusque legitimis Prælatis; vt rectè indicat *Suar. tom.* 3. *de relig. l.* 10. *c.* 11. *num.* 3. & notant communiter DD. tractantes de voto obedientiæ: at hæc duo verificantur de Ordinario loci, ac Prælato regulari quò ad Moniales ipsis respectiuè subditas, vt facilè constabit consideranti: ergo illi iis poterunt præcipere in virtute obedientiæ, eæque vi voti obedientiæ tenentur illis obedire. quod non procedit de Abbatissa eò quod non sit capax iurisdictionis spiritualis, licèt aliàs sit legitima Superiorissa suarum Monialium; vnde & hæ ex voto obedientiæ tenentur ei parere.

Quæres IV. An Ordinarius loci, aut Prælatus regularis Monialibus subditis indicere possint Reformationem disciplinæ regularis, eæque teneantur illam acceptare.

Respond. posse, & moniales teneri illam acceptare in iis casibus, in quibus Prælati regulares possent dictam reformationem indicere viris religiosis subditis, & hi tenerentur eam amplecti; si quidem quò ad hoc par ratio procedit in Monialibus, ac viris religiosis; vt constat ex iis, quæ habet Sanchez *l.* 6. *mor. c.* 2. *num.* 35. probans Superiorem regularem cum maiori parte Capituli generalis posse regulam iam ferè collapsam, ac relaxatam ad pristinum statum restituere: ita vt cæteri Religiosi iam professi teneantur obseruare regulam taliter reformatam. sed de hoc plura in nostro *tract. de statu Religioso in communi*, vbi de reformatione religionum. 40.

Maius dubium est, an casu, quo regula Monialium alicuius monasterij progressu temporis cognoscatur esse nimis rigida: ita vt certo plurium annorum experimento constet illam non posse in eo rigore obseruari absque notabili dispendio sanitatis Monialium talem regulam profitentium; an, Inquam, Prælatus possit sua auctoritate moderari eiusmodi regulam, & Monialibus subditis præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, vt imposterum regulam illam obseruent cum dicta moderatione, & non aliter; eæque teneantur obedire acceptando præfatam moderationem.

Respond quod cùm Prælatus Monialium possit facere dictam moderationem, & sic Moniales tenentur in casu proposito illam admittere. Moueor, quod licèt Moniales ex dictis *cap.* 4. *quæst.* 19. ex voto obedientiæ non teneantur parere in iis, quæ sunt contra regulam, (cuiusmodi est moderatio, de qua hîc loquimur,) ea tamen doctrina fallit in casu, quo Prælatus potest in regula dispensare; vt loco citato notaui cum *Caietano* 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. quare, cùm Prælati Monialium tam regulares, quam sæculares possint dispensare cum Monialium respectiuè subditis super obseruantia regularum; vt constat ex dictis *sup. cap.* 9. *quæst.* 17. & colligitur ex Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 26. *artic.* 1. sequitur Moniales teneri acceptare moderationem illam regulæ, licèt sit contra ipsam regulam, si iis modo dicto præcipiatur. 41.

Quæres V. An Ordinarius loci, aut Prælatus regularis habeant in Moniales respectiuè subditas potestatem non solùm directiuam, sed etiam coactiuam, ac iudicialem.

Respond. habere; patetque tum ex vsu; tum ex eo quòd potestas directiua sine aliqua coercitione ferè infirma, ac inutilis est: cùm absque timore, ac disciplina non possit in officio contineri communitas humana, quantumuis bona videatur in hac mortali vita; sicut benè notauit *Suar. tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 9. *num.* 1. docens postea quòd, quamuis Prælatus religionis ex vi talis status habeat solùm potestatem coercendi modo paterno, & iuxtà limites regulæ; ratione tamen iurisdictionis Ecclesiasticæ habet potestatem coercitiuam Episcopalem: idque ex vsu, ex priuilegiis omnium religionum exemptarum. Constat autem, quòd talis iurisdictio competit Prælato regulari ex vsu, ac priuilegiis omnium religionum exemptarum: & quidem meritò, cùm ea sit ordinariè, & regulariter necessaria, illamque ex alia parte Papa sibi non reseruauerit: quod tamen non habet locum in Monialibus immediatè subiectis Ordinario; hæ enim, cùm non sint exemptæ, subiacent iurisdictioni Ordinarij eadem ratione, qua subiacerent etiam viri religiosi, si non 42.

 essent

essent exempti. Colligitur è Suarez *num.* 3. qui benè notat ex Nauarro *comm.* 2. *de regul. num.* 63. eiusmodi iurisdictionem magna ex parte introductam, vel auctam esse ex consuetudine, quæ vim habet dandi iurisdictionem, *c. duo simul. de offic. ordin.* vnde infert Suarez hac in re habendam esse rationem consuetudinum: cùm vi illarum euenire possit, quòd tota iurisdictio sit in Prælato Religioso: quo ad omnia delicta, vel quòd aliqua sint Episcopo reseruata, vel quòd in vtrisque sit cumulatiuè; quæ licèt à Suarez non sint prolata in specie de Monialibus, in iis tamen possunt verificari, & quidem etiam in exemptis.

QVÆRES VI. An Moniales subijciantur Ordinario loci, aut Prælato regulari quo ad absolutionem reseruatorum, ac dispensationes, prout alterutri illorum respectiuè subduntur.

43. Respond. quòd, quamuis Nald. *v. Monialis num.* 9. & Tamburinus *D.* 16. *de iure Abbatiss. quæst.* 8. *n.* 5. ex quadam decisione Rotæ Romanæ dicant Moniales etiam ob enormem excessum debere absolui ab Episcopo, eò quòd exire non possint extra claustrum, & Episcopum, etiam in exemptas, fungi auctoritate Papæ, & licèt habeant Generalem, ob reuerentiam ordinis Episcopalis hoc Episcopis indulgeri; nihilominùs, cùm *cap.* 9. *q.* 15. §. *illud etiam*, ostenderimus ex concessione bullaris Pij V. Prælatos regulares in Religiosos subditos (sub quibus vtique comprehenduntur Moniales exemptæ ab Ordinarij iurisdictione) posse exercere per se ipsos illam omnem potestatem absoluendi, ac dispensandi, quam Episcopi possunt exercere in suos subditos: non apparet, quo pacto dicti Auctores sustineant Moniales exemptas teneri adire proprium Ordinarium, vt absoluantur à reseruatis, ac dispensentur: cùm id potiùs cedat in præiudicium exemptionis, ac iniuriam proprij Prælati regularis; qui, cùm per se hæc possit præstare in Moniales subditas, non censetur consentire, quòd eæ ad talem effectum recurrant ad Ordinarium. Nec obstat decisio Rotæ adducta; si quidem Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 11. Vasquez 1. 2. *D.* 177. *cap. vlt. num.* 75. Sanch. *l.* 8. *de matrimon. D.* 2. *num.* 10. Salas *D.* 19. *de leg. sect.* 19. *num.* 109. & Castrus Palaus *tractat.* 3. *D.* 3. *part.* 2. §. 3. *num.* 7. docent, quòd, quamuis decisiones Rotæ, & declarationes Cardinalium sint maximæ auctoritatis, adeóque non sit recedendum ab illis, nisi vrgentissima ratio obstet in contrarium: absolutè tamen non sunt necessariò habendæ pro legibus; cùm non procedant à Iudicibus habentibus auctoritatem condendi leges; vnde, cùm in præsenti casu vrgentissima ratio obstet contra decisionem Rotæ Romanæ allegatam (nempè concessio illa bullata Pij V. & violatio iuris alterius) & probabiliter colligi potest non necessariò ipsi standum esse. Quod à fortiori procedit de statutis Prouincialibus Ecclesiarum particularium (Neapolitanæ v. g. aut Mediolanensis:) quæ interdum à Doctoribus adducuntur: hæc enim non obligant extra proprium territorium iuxta illud *Extra territorium ius dicenti non paretur impunè*: quod est benè aduertendum. Quamquam (quod spectat ad declarationes Sacræ Congregationis) in signis est illa declaratio, quam eadem sacra Congregatio iussu Vrbani VIII. die 11. Augusti 1632. fecit, & refert Lezana *v. sacra Congregatio num.* 5. his verbis: *sacra Congregatio præcipit declarationibus eiusdem sacra Congregationis tam impressis, quàm imprimendis, ac etiam manuscriptis nullam fidem in iudicio, vel extra esse adhibendam: sed tantùm illis, quæ in authentica forma, solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem sacra Congregationis pro tempore existentium munita fuerint.* Quamquam verba illa, *nullam fidem in iudicio, vel extra adhibendam*, intelligi possint, ac debeant de fide certa, indubitata, & ex vi auctoritatis sacræ Congregationis: ita vt dans fidem dictis declarationibus non tanquam ex necessitate, sed liberè, eò quòd ipsi occurrant rationes probabiles suadentes assertionem in iis contentam, non possit dici contrauenire mandato Sanctissimi facto in præsenti declaratione: Præterquamquod de plurimis eiusmodi declarationibus, de quibus non constat authenticè; sperari potest, quòd, si à Secretario sacræ Congregationis quæreretur copia authentica, inueniretur, ac obtineretur; ideóque sub hac spe probabili videtur iis posse probabiliter præstari fides extra iudicium; nec debent damnari Doctores, qui suas opiniones identidem fulciunt aliqua dictarum declarationum.

QVÆRES VII. Qualiter Moniales subsint Ordinario, aut Prælato regulari quo ad deputationem Confessarij tam ordinarij, quàm extraordinarij.

Respond. ita subesse alterutri illorum, prout respectiuè ipsis subduntur; vt tamen Ordinarius, si velit, etiam Monialibus exemptis possit liberè deputare in Confessarium extraordinarium quemcumque Sacerdotem, siue sæcularem, siue regularem maluerit: idque ex sacræ Congregationis declaratione sæpiùs facta, & præsertim 20. Decemb. 1631. sicut testatur Naldus *v. Monialis num.* 2. nobiscum sentiens ex Barbosa, Armend Ricc. & aliis sustinentibus deputationem præfatam in totum committi arbitrio Ordinarij, etiam quo ad Moniales exemptas. Dissentit Tamburin. *sup. D.* 16. *quæst.* 3. *n.* 3. ex Zipæo, & Pollacco dicens huiusmodi doctrinam non posse subsistere, vtpotè repugnantem declarationi sacræ Congregationis factæ 1609. Confessarium videlicet extraordinarium quo ad Moniales exemptas, non debere offerri ab Ordinario loci, sed à Prælatis regularibus, quibus eæ subsunt, talémque esse de facto praxim vbique obseruatam, etiam Romæ; quasi verò sit nouum identidem repetiri declarationes sacræ Congregationis de vna, ac eadem re ex diametro oppositas; vnde etiam colligunt Doctores apud Dianam *part.* 5. *tractat.* 2. *resolut.* 96. eas non obligare instar legis vniuersalis, quæ debet esse firma, constans, & stabilis; certè in tali casu iuuat plurimum Iudicem habere propitium, vt in simili notauit Naldus *v. vsusfruct. num.* 2. præterquamquod in præsenti casu, cùm declaratio, quàm allegat Naldus sit tempore posterior, præferri debet antiquiori, iuxta doctrinam eiusdem Naldi *v. doctor num.* 8. asserentis decisiones Rotæ, si sint inter se variæ, nec possint reduci ad concordiam, posteriores potiùs attendendas esse; siquidem curæ posteriores communiter dicuntur esse meliores, sicut notant scribentes *in cap.* 1. *de constitut. in* 6. & in præl ud. Extrauag. Ioan 22. Attentis ergò præfatis declarationibus sacræ Congregat. ex diametro oppositis, media via incedendum videtur; nimirum quòd tunc demum Ordinarius Monialibus exemptis deputet Confessarium extraordinarium, quando ipsæ Moniales illum ab eo efflagitant: non item, si eæ sint paratæ confiteri cuicumque Confessario accedenti; idque ex æquitate, esto de rigore iuris practicati possit sententia Naldi ob rationem superiùs adductam: nam multa licent, quæ non expediunt. 44.

QVÆRES VIII. An Ordinarius loci, aut Prælatus regularis possint, & debeant approbare Confessarios Monialium respectiuè subditarum.

Respond.

45. Respond. de iure antiquo debere, vt notauit Tamburin. *supr. num.* 1. aliis citatis: non item de iure nouo inducto per Constitutionem Gregor. XV. inferiùs afferendam, & latiùs explicandam, quando agemus de Confessariis Monialium; hi enim modò, etiam quò ad Moniales Prælatis regularibus subiectas, debent approbari à solo Ordinario, aliàs præsentandi, ac proponendi à Prælato regulari Monialium; sed de hoc infra.

QVÆRES IX. An Ordinarius loci, aut Prælatos regularis possint pro Monialibus sibi respectiuè subditis reseruare casus, & censuras.

46. Respond. posse; & patet tum ex vsu communi; tum quia potestas reseruandi casus, & censuras competit iis omnibus, qui habent iurisdictionem ordinariam respectu illorum, quibus eam possunt delegare; tales autem sunt Ordinatius loci, ac Prælatus regularis quò ad Confessarios Monialium sibi respectiuè subiectarum. colligitur ex Suarez *D.* 29. *de pœnit sect.* 1. *num.* 7. & est communis Doctorum.

Solùm hic quæri posset, an Ordinatius, ac Prælatus regularis, stante decreto Clementis VIII. relato à Quaranta *in bullar. v. cas reseru.* (per quod prohibentur Prælati regulares reseruare propria auctoritate casus, quò ad Religiosos subditos) adhuc possint sibi liberè reseruare casus quò ad Moniales respectiuè subiectas.

47. Respond. ordinarium quidem posse: non autem Prælatum regularem, patetque tum ex praxi communi, qua constat Ordinarios liberè casus, ac censuras reseruare respectu Monialium sibi subditarum; non item Prælatos regulares quò ad Moniales ipsis subiectas: tum quia id satis clarè colligitur ex allegato decreto Clementis; quatenus concedit Prælatis regularibus facultatem reseruandi nouos casus, dummodò id faciant vnà cum Capitulo, siue generali, siue prouinciali iuxta rationem casuum respectiuè reseruandorum: quod est signum sub eo decreto non comprehendi Ordinarios respectu Monialium sibi subiectarum (quippe qui non habent vsum Capituli regularis) sed solùm Prælatos regulares respectu Monialium ipsis subditarum; vtpote vsum capituli habentes. ita ego sentio, sicque mecum senserunt alij valdè docti.

An autem Ordinarius possit reseruare sibi, etiam respectu Monialium exemptarum: casus aliquos concernentes materiam clausuræ, vigore potestatis ipsi tanquam Sedis Apostolicæ delegato competentis circa custodiam clausuræ dictarum Monialium (v. g. ne prolixius loquatur cum extraneis ostio monasterij aperto, &c.

48. Respond. videri posse; si iuxta dicta *subsect. præced. q.* 10. §. *quòd hac occasione*, sustineatur Ordinariis locorum commissam fuisse curam clausuræ Monialium, etiam exemptarum, non solùm quò ad eius materiale, sed etiam quò ad formale. ducor, quòd in Concilio Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 5. Ordinariis datur facultas compescendi censuris, & aliis pœnis inobedientes, & contradictores circa clausuram Monialium: ex alia parte huiusmodi facultas quò ad Moniales exemptas competere potest Ordinariis solùm vt delegatis Sedis Apostolicæ, adeòque extendi etiam ad illas eo modo, quo explicauimus *supra cap.* 5 *sect.* 1. *q.* 5. & iterum *cap.* 10. *q.* 3. cùm vi talis delegationis quò ad hoc cesset fauor exemptionis; sicque dictæ Moniales subsint Ordinario loci tanquam proprio Prælato: constat autem, quòd quilibet Prælatus potest iure suo reseruare casus, ac censuras (si has ferre potest) prout tradunt DD. communiter. Quòd si demus Ordinarium sibi casum aliquem, aut censuram modo dicto reseruare; etiam pro Monialibus exemptis; certum est, quòd neque Regulares: quantumuis priuilegiati, poterunt ab iis illas absoluere, immò neque Prælati regulares ipsarummet Monialium; idque ex decreto Clementis VIII. edito 9. Ianu. 1601. expressè prohibente omnibus Regularibus, ne absoluant vi cuiuscunque priuilegij ipsis concessi, à casibus Ordinario specialiter reseruatis; & postea ampliato à Paulo V. etiam ad excommunicationes eidem Ordinario reseruatas. quod decretum cùm loquatur indefinite de casibus, ac excommunicationibus Ordinario reseruatis; vtique comprehendit etiam reseruata Monialibus iuxta regulam generalem, *lex generaliter loquens generaliter debet intelligi.*

Hanc meam assertionem, me citato; impugnat Pasqualigus *part.* 2. *q.* 161. dicens tenendam esse negatiuam sententiam; Episcopum scilicet non posse sibi reseruare aliquem casum concernentem violationem clausuræ respectu Monialium exemptarum; & probat, tum quia delegatio à Tridentino Episcopis concessa in ordine ad Clausuram Monialium exemptarum est solùm pro foro externo (vt constat ex iis verbis: *Concilij sess.* 25. *cap.* 5 *de regul. quacumque appellatione postposita compescentes, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, cum ibi immediate ante dicatur clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent*) reseruatio verò casuum spectat ad iurisdictionem fori interni; quippe quæ, licèt sit actus superioritatis exercitus in foro externo, tamen est circa iurisdictionem exercendam in foro interno, & circa iudicium conscientiæ; sicque fundatur in iurisdictione fori interni, non autem in sola delegatione fori externi: tum quia reseruatio est restrictio iurisdictionis in ordine ad absolutionem sacramentalem (vt notant communiter DD.) adeòque supponit iurisdictionem in eos, quibus restringitur iurisdictio pro foro interno, & quod iurisdictio restricta pendeat à iurisdictione restringentes; cum tamen per præfatam delegationem Concilij non tribuatur vlla iurisdictio supra Prælatos Ordinarios Monialium, ideòque Episcopi non possint, reseruando sibi casibus, eorum auctoritatem restringere: tum quia violatio Clausuræ quò ad Moniales est reseruate casus tam Papæ reseruatos, nec poterunt hunc casum sibi reseruare, & maximè respectu Monialium exemptarum.

Verùm hæc argumenta non probant contra nos, qui non dicimus absolutè Episcopos, vt Sedis Apostolicæ delegatos posse reseruare casus cócernẽtes clausuram Monialium exemptarum, sed solùm ex hypothesi, quod Concilium loco citato Episcopis commiserit curam clausuræ Monialium etiam quò ad formale; vt supponunt plures Doctores, imò & plurimi Episcopi, dum censuris prohibent accessum ad Moniales etiam exemptas (quod possunt facere, si iis circa Clausuræ dicatur commissa solùm quò ad materiale (data autem ea hypothesi, ij habeant iurisdictionem necessariam ad faciendam præfatam reseruationem; sin minus vigore Concilij, quod expressè loquitur solùm de clausura materiali, saltem ex consuetudine, quæ dat ordinariam iurisdictionem *l. inspeximus in gloss. v. consuetudinem de mancip. & in l. viros. C. de apparit. lib.* 12. & ex eo quod concessa iurisdictione, conceduntur omnia, sine quibus non potest exerceri Iurisdictio *l.* 2. *ff. de iurisd. om. iud.*

Quo fundamento posito, corruunt argumenta Pasqualigi: primum quidem, & secundum, eò quòd

quòd ſupponant Epiſcopos non habere iuriſdictionem pro foro interno in Moniales exemptas, ac earum Prælatos quo ad faciendam præfatam reſeruationem; quod negandum eſt, data hypotheſi, quam nos ſupponimus; tertium verò, eò quod Epiſcopi poſſint ſub cenſuris ſibi reſeruare acceſſum ad Moniales factum ſine licentia, aut locutionem cum iis de rebus obſcœnis, aut ad portam apertam, vel alia id genus, quæ non reſeruantur de facto Papæ; ſicque eorum reſeruatio non concurret cum reſeruatione quoad Clauſuram Monialium facta de facto à Papa, & tamen eorum reſeruatio verſabitur circa materiam clauſuræ.

Addo ex dictis *ſup. c. 9. num. 19.* non ſequi Moniales poſſe abſolui ab excommunicatione lata per Ordinarium in materia clauſuræ, eique reſeruata; vt putabat quidam Regularis admodum doctus in literis hac de re ad me tranſmiſſis ſic diſſerens: confeſſarij Regulares priuilegiati eatenus in præſentia non poſſunt abſoluere ab excommunicatione Epiſcopo ſpecialiter reſeruata, quatenus Paulus V. amplians Clementis VIII. decretum reſtrictum facultatis Regularibus olim competentis ſuper reſeruata, illud extendit ad excommunicationes Epiſcopo ſpecialiter reſeruatas; ita vt ab iis modò non poſſint abſoluere, cum antea poſſent: ac tale decretum non afficit Regulares, vt pœnitentes, & conſequenter nec Moniales, ex dictis eo *num. 19.* ergo Moniales in præſentia poterunt abſolui ab excommunicationibus Epiſcopo reſeruatis, quæ in præfato decreto continentur, æquè ac ante poterant abſolui; cum dictum decretum reſpectu Monialium perindè ſe habeat, ac ſi non fuiſſet editum; quippe quod eas non afficit; vnde, ſicut ante eius promulgationem Moniales potuiſſent abſolui per quemcumque Confeſſarium Regularem ab excommunicatione Epiſcopo ſpecialiter reſeruata in materia clauſuræ; ita & modo poterunt abſolui per quemcumque Confeſſarium Regularium.

Sic diſſerebat Regularis ille pro ſua opinione; ſed meo iudicio eius argumentum non probat intentum: &, ſi probat, probat item Moniales poſſe abſolui per quemcumque Regularem Confeſſarium à reſeruatis in Bulla Cœnæ: quod ſic probo: Decretum Clementis VIII. ſuper facultate reſeruatorum, quod poſtea ampliauit Paulus V. non afficit Moniales, adeóque hæ, eo non obſtante, modò poterunt abſolui per Regulares priuilegiatos à reſeruatis, quæ continentur in præfato decreto; cum ergo in eo contineantur caſus reſeruati in Bulla Cœnæ, poterunt & ab his abſolui liberè, & generaliter; quod vtique non admittet ille Regularis. Quod ſi hoc non admittet, omninò debet concedere Declarationem illam ſacræ Congregationis (quod decretum Clementis VIII. ſuper facultate reſeruatorum non afficit Regulares vt pœnitentes, & conſequenter nec Moniales) non intelligi de omnibus reſeruatis in dicto decreto contentis, ſed ſolum de aliquibus, videlicet de quinque caſibus in eo ſpecialiter reſeruatis à Clemente, etiam reſpectu priuilegiatorum: vt clarè colligitur ex Naldo *v. reſeruatio in edit. bonon.* qui primus attulit præfatam declarationem: cum enim quæreret, an Regulares per Religioſum priuilegiatum poſſent abſolui à dictis quinque caſibus, & partem affirmantem ſuſtineret; illam probauit ex dicta Declaratione: quod eſt ſignum eam procedere ſolum de præfatis quinque caſibus, non autem de omnibus reſeruatis in citato decreto contentis, & conſequenter eam non extendi ad caſus Bullæ Cœnæ, neque ad excommunicationes, quas Epiſcopus in caſu permiſſo poſſit ferre, ac ſpecialiter reſeruare, etiã reſpectu Regularium exemptorum; cuiuſmodi eſt illa, de qua hîc agimus. Quare dicendum videtur Moniales exemptas nec à Regularibus priuilegiatis poſſe abſolui à præfata excommunicatione; idque ex vi ſupradicti Decreti, in quo Regolaribus ablata eſt per Paulum V. facultas abſoluendi ab excommunicationibus Epiſcopo ſpecialiter reſeruatis, nec poſtea à ſacra Congr. reſtituta eſt, vt Regularis ille exiſtimabat.

In cuius confirmationem facit, quod, teſte Ciarlino *tom. 2. controu. forenſ. c. 147. n. 17.* ſacra Congregatio Concilij in Viterbien. 26. Iunij 1617. cenſuit ex Concilio Trid. *ſeſſ. 25. de Regul. c. 5.* ex Bulla Gregorij XV. *de exemptorum priuilegijs* poſſe Epiſcopum circa aperitionem oſtij clauſuræ extra caſus indigentiæ, nec non circa acceſſus, & colloquia cum Monialibus ferre excommunicationem ſibi reſeruatam, eamque ligare, nedum Regulares accedentes, ſed etiam Moniales (facta de eis mentione) adeò vt Superior Regularis ab ea abſoluere nequeat.

Notat autem Ciarlinus *num. 18.* eſto detur requiri ſpecialem, ſeu expreſſam mentionem de monaſteriis exemptis (ſtantibus illis verbis, *facta de eis mentione*) quod, cum talis mentio ſolum requiri poſſit, vt conſtet, an Epiſcopus in ſuo generali edicto velit comprehendere dicta monaſteria, adeóque ſit quæſtio voluntatis, non poteſtatis; & aliàs expreſſio voluntatis plus fiat factis, quam verbis, ſatiſque expreſſum cenſeatur, quod verbis generalibus exprimitur, ac ſi ſpecialiter, & in indiuiduo fuiſſet expreſſum Bart. *in l. in principio ff. de vulgar.* vbi Ripa. *n. 49. 67. 75.* Oldrad. *conſ. 322. num. 2.* Menoch. *conſ. 287. num. 7. & ſeqq.* Surd. *conſ. 358. n. 2.* hoc ipſo quod Epiſcopus v. g. ſuum edictum prohibens acceſſum ad Moniales affigi iubet etiam ad monaſteria exempta, & punit tranſgreſſores illius, clarè indicat ſe velle ſuam prohibitionem extendere etiam ad dicta monaſteria: cum leges non debeant intelligi ex verbis, ſed ex mente, & ratione Rota *diuerſ. deciſ. 208. n. 5. p. 5.*

Neque ex eo quòd iuxta dicta *cap. præced. q. 15.* 49.
§. illud etiam, Pius V. per bullam ſpecialem indulſit Prælatis regularibus, vt, quod poſſunt Epiſcopi in clericos, & laicos ſubditos quo ad abſoluendum, ac diſpenſandum, & vſum aliarum ſimilium facultatum, ij pro foro conſcientiæ per ſe ipſos præſtare poſſint in Religioſos, ac Moniales ipſorum iuriſdictioni ſubiacentes; ſequitur quod, ſicut Epiſcopi poſſunt proprios ſubditos abſoluere ab iis, quæ ipſi ſpecialiter ſibi reſeruant, ſic & ab iiſdem poſſint Prælati regulares abſoluere Religioſos ſibi ſubditos; ſi quidẽ conceſſio Pij V. loquitur de reſeruatis Papæ, vt conſtat ex verbis illis bullæ citatæ: *Et inſuper quia ſacrũ œcumenicum Concilium Trid. conceſſit Epiſcopis, vt abſoluere poſſint in foro animæ, ſeu conſcientia ab omnibus, &c.* quæ verba non poſſunt intelligi, niſi de caſibus Papalibus, de quibus tantùm ibi loquitur Concilium; ideóque non debent extendi ad ea, quæ ſpecialiter reſeruantur Ordinariis, & aliàs ſunt Regularibus ſublata per allegatum decretum Clementis VIII.

Quòd ſi denique quæras, an Moniales ſubiectæ Ordinario ſubiaceant caſibus, ac cenſuris, quæ ipſe Ordinarius generaliter reſeruat pro ſua diœceſi, etiamſi de iis non fiat expreſſa mentio in edicto reſeruationis.

Reſpond. videri ſubiacere: & ratio eſt, quòd, cùm 50.
edicta loquantur generaliter, adeóque comprehendant quoſcumque ſubditos Ordinarij reſeruatis, & aliàs lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi; non apparet, ex quo capite Moniales ſubiectæ Ordinario debeant eximi à præfatis edictis. Ita docti recentiores, & talem puto eſſe praxim.

QVÆRIS

Quæres X. An, & qualiter Moniales subijciantur Ordinario, aut Prælato regulari quoad receptionem Nouitiarum.

51. Respond. subijci alterutri illorum, prout ipsorum iurisdictioni respectiuè subduntur; & quidem non solùm quoad taxandum numerum Monialium recipiendarum (quod videtur spectare ad proprium Prælatum Monialium, quippe cui in Constit. Pij V. *Circa pastoralis*, districtè prohibetur, ne recipiat plures Moniales, quàm possint commodè sustentari) sed etiam quoad taxationem dotis, cùm taxatio item spectet ad primum Prælatum Monialium, vtpote cui incumbit ex officio procurare bonum Monialium subditarum, tum spirituale tum temporale: non item quoad explorationem voluntatis Nouitiæ recipiendæ hæc enim de rigore iuris spectat generaliter ab Ordinarium loci quoad omnes Moniales, etiam exemptas; vt clarè colligitur ex Conc. Trid. *sess. 25. de regul. c. 17* talem explorationem committente Episcopo, aut in eius defectum ipsius Vicario generali, adeóque non includente Prælatum regularem, neque quoad Moniales sibi subiectas: quanquam (vt audiui) in aliquibus locis etiam Prælati regulares dictam facere soleant explorationem quoad Moniales subditas vltra eam, quæ fit ab Ordinario (idque sciente, & non dissentiente ipso Ordinario) non quidem ex necessitate; sed ex superabundantia, & ad bene esse.

Quæres XI. Qualiter Moniales subiaceant Ordinario, aut Prælato regulari quoad emissionem professionis Religiosæ.

52. Respond. subiacere in eo quòd illæ non solent profiteri, nisi coram Ordinario, aut proprio Prælato regulari, prout iis respectiuè subduntur; & hoc eo modo, quo diximus *hic cap. 3. sect. 1. q. 4.* vbi ostendimus de rigore professionē debere acceptari ab Abbatissa, seu Priorissa monasterij; ideóque assistentiam Ordinarij, aut Prælati regularis non esse de valore illius, sed potiùs ad bene esse, & ad maiorem solemnitatem.

Quæres XII. In quibus subsint Moniales Ordinario, aut Prælato regulari quoad recipiendas puellas intra monasterium causa educationis.

53. Respond. subesse in eo, quòd non possunt recipere dictas puellas, nisi obtenta in scriptis licentia siue ab Ordinario, siue à Prælato regulari, prout alterutri illorum Moniales immediatè subduntur: idque ex decreto sacræ Congregationis relato *supr. cap. 5. sect. 4. q. 3.*

Quæres XIII. An Moniales subdantur Ordinario loci, aut Prælato regulari tam quoad egrediendum è clausura in casibus permissis, quàm quoad recipiendum intra clausuram personas extraneas legitimè intrantes.

54. Respond. subdi quoad vtrumque siue Ordinario, siue Prælato regulari, prout alterutri illorum respectiuè subsunt; quoad egrediendum quidem è clausura ob dicta *cap. 5. sect. 2. q. 9 §. at dices*: quoad recipiendos vero extraneos intra clausuram ob dicta ibi *sect. 3. q. 30. & 32.*

Quæres XIV. An Moniales subdantur Ordinario, aut Prælato regulari quoad hoc, vt non possint visitari ab extraneis ad ipsas accedentibus absque licentia alterutrius illorum, prout iis respectiuè subijciuntur.

55. Respond. subdi, si talis sit consuetudo loci, vt monasteria Monialium exemptarum adiri non possint absque licentia tam Prælati regularis, quàm Ordinarij: sic quippe decidit sacra Cōgregatio, vt vidimus loco superius citato *sect. 5. q. 7. §. quod si quæres.*

Quæres XV. An Moniales subiaceant Ordinario, aut Prælato regulari quoad visitationem, prout alterutri illorum subdantur.

Respond. subiacere, vt videbimus *subsectio. sequenti.* 56.

Quæres XVI. Qualiter Moniales subsint Ordinario, aut Prælato regulari quoad electionem Abbatissæ, seu Priorissæ.

Respond. subesse; cum hoc tamen discrimine, quod, si Moniales sint exemptæ ab Ordinario, electioni Abbatissæ non solùm debet interuenire Prælatus regularis, sed præterea potest ei assistere etiam Ordinarius, vt vidimus *subsect. præced. quæst. 14.* si verò Moniales immediatè sint subiectæ Ordinario, solus Ordinarius debet interesse dictæ electioni; sed de hoc fusius, vbi agemus de electione Abbatissæ. 57.

Quæres XVII. Qualiter Moniales subdantur Ordinario, aut Prælato regulari quoad bonorum temporalium administrationem.

Respond. subdi, soli quidem Ordinario, si ei immediatè subsint Prælato autem regulari, & simul etiam Ordinario, si aliàs sint exemptæ ab Ordinarij iurisdictione: eo tamen modo, quo indicauimus *subs. præced. q. 15.* ratio autem responsionis est, quòd, cùm bonorum temporalium administratio ex officio incumbat Prælato vniuscuiusque monasterij respectiuè, vt benè ostendit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 26. num. 1.* hoc ipso quòd Ordinarius est proprius Prælatus Monialium sibi subiectarum, & Superior regularis Monialium sui Ordinis, aut exemptarum; sequitur Ordinario, aut Prælato regulari incumbere administrationem bonorum earundem Monialium ad illos respectiuè attinentium; siue huiusmodi administrationem per se exerceant, siue per alios, & hæc de iure communi, circa quod facta est aliqua immutatio à Gregorio XV. vt vidimus *subsect. præced. q. 15. iam citato.* 58.

Quæres XVIII. An, & quibus in casibus Ordinarius, aut Prælatus regularis possint ingredi monasteria Monialium sibi respectiuè subditarum.

Respond. posse, & quidem non solùm in casu visitationis, sed etiam in quocunque alio casu magnæ necessitatis, aut vtilitatis: dummodò ingrediantur in casu tantæ necessitatis, aut vtilitatis, vt in eo dari possent aliis facultatem intrandi, ita Barbosa *de offic. Ep. alleg. 101. num. 43.* pluribus aliis citatis, & habetur expressè in bulla Gregorij XII. edita 23. Decemb. 1581. quæ incipit, *Dubius*, & declarat Prælatos omnes tam sæculares, quàm regulares, quibus cura, & regimen monasteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis personis comitati: idque sub variis pœnis à nobis supra explicatis *cap. 5. sect. 3. q. 3. & 21.* 59.

Quòd si quæras, an Prælatus regularis Monialium possit ingredi clausuram Monialium sibi subditarum ad ministrandam Eucharistiam Moniali infirmæ, ad conferendam illi extremam Vnctionem, ad assistendum eius morti, aut exequiis; interim exclusò Confessario illarum, qui ex officio hæc omnia præstare solet.

Respond. videri posse, si Moniales verè ei subsint, siue tanquam Ordinario, siue tanquam Superiori delegato, & quidem illimitatè. Ducor quod, data hypothesi, ille est Ordinarius, aut supremus Parochus Monialium (qua ratione Episcopus dicitur esse supremus Parochus totius suæ diœcesis, vtpoto habens

habens totam diœcesim in parochiam, sicut notauit Barbosa *de offic. Episc. alleg. 80. num. 1.*) ac proinde habet in Moniales totam illam potestatem, quam haber earum Confessarius (excepta tamen facultate audiendi illarum confessiones, quæ fuit absoluta à Gregorio X V. in sua bulla. *Inscrutabili*) sicut ergo quilibet Episcopus potest cum quolibet suorum subditorum præstare quidquid potest proprius illorum parochus (& quidem eo excelsò) sic & Prælatos regularis præstare poterit cum Monialibus sibi subditis quidquid cum illis præstare potest ipsarum Confessarios (excepta auditione confessionum) tanquam immediatus earum parochus: siquidem par ratio procedit in vtroque casu. Vnde fit, vt, sicut Confessarius ingredi potest ad ea omnia præstanda ratione officij; ita & possit ingredi Prælatus ad eadem præstanda tanquam Ordinarius; aut supremus Parochus Monialium: quod si detur, iam necessario fatendum est quòd, sicut Confessarius in propositis casibus ingredi potest; sic & ingredi poterit Prælatus ad præfata ministeria obeunda: quod esset illum ingredi vt Prælatum Monialium (quo modo non esset necessarius ingressus illius in talibus casibus) sed vt Parochum; & consequenter non incurrere pœnas latas contra Prælatos Monialium in casibus non permissis ingredientes. neque ex eo quòd Confessarius Monialium potest prædicta omnia ex se præstare, sequitur Prælatum ingredi in casib non necessario: cum hic necessitas sumatur; non ex parte ministri, sed ministerij exercendi cum Monialibus, quod sine dubio in adductis casibus est necessarium.

Addo quòd, cùm iuxtà dicenda *cap. 10. q. 39.* Confessarius Monialium maximè regularis ingrediens clausuram eò ipsò secum possit ducere socium; etiam Prælatus regularis Monialium, si velit, in casibus permissis ingredi poterit cum Confessario præcisè vt socius; æque ac posset ingredi quicunque alius religiosus Ordinis) idque etsi aliàs ibi non extaret consuetudo, ducendi socium; cùm enim talis consuetudo sit laudabilis; licitè posset indui, estò Prælatus ad id moueretur ex curiositate (secùs, si socius non ingrederetur præcisè ad associandum Confessarium, sed soleret ei inseruire in ministerio ibi exercendo; & Prælatus tale seruitium non præstaret: tunc enim illicitus esset ingressus, vtpote factus absque sufficienti titulo) siquidem titulus socij iam non subsisteret) & in fraudem legis talem ingressum prohibentis: idque ob doctrinam Sanchez *l. 6. mor. c. 16. num. 49.* quæ proportionaliter in hoc casu procedit.

Moneo hic quòd, licèt demus Prælatum Monialium posse ingredi clausuram ad exercenda ministeria spectantia ad munus Confessarij: regulariter tamen id non expedit, sed ne bine offendatur Confessarius: tum ob alias causas, quæ facilè occurrere possunt: nam multa licent, quæ non expediunt.

60\. Cæterùm, quod olim concessit Vrbanus I V. Monialibus S. Claræ, teste Miranda *quest. 2. de Monial. art. 15.* nimirum quòd Generalis Minister Ordinis Minorum posset ingredi monasteria dictarum Monialium cum 4. aut 5. Fratribus eiusdem Ordinis ad celebrandum ibi, aut faciendam exhortationem, si quando id ei videretur expedire; non apparet, quo modo in præsentia subsistat, attenta bulla Gregorij XIII. citata: in qua quibuscunque Superioribus regularibus mandatur: ne facultate ingrediendi dicta monasteria, si quam habent, vtantur, nisi in casibus necessariis: & quidem derogando quibuscunq; priuilegiis; vnde, cùm celebratio Missæ, aut prædicatio verbi Dei audiri possint à Monialibus per fenestellas Ecclesiæ: non potest dici, quòd comprehendantur inter casus necessarios, de quibus loquitur bulla Gregorij. ita Barbosa *sup. num. 44.* contra Mirandam putantem Ministrum Generalem sui Ordinis, ac eius Prouinciales posse vi præfatæ concessionis etiam hodie, ingredi dicta monasteria ad effectum ibi celebrandi, vel prædicandi; quòd non reticit Tambur. *D. 24. de iure abbatiss. q. 10. num. 1.* dicens *an autem hodie in praxi supradicti Minister Generalis, & Prouincialis hanc facultatem ingrediendi exerceant, dubitat Barbosa*, nullo alio verbo apposito per quod iudicet se non approbare, aut reiicere eiusmodi doctrinam: quæ tamen non debet admitti ob modò dicta, nec (vt puto) est in vsu.

Quæris XIX. An Ordinarius, aut Prælatus regularis de bonis Monialium sibi respectiuè subditarum possint disponere in casibus aliàs permissis etiam contradicentibus ipsis Monialibus.

Respond. non posse, loquendo de contractibus grauioris momenti; & indè probatur; quòd neque Abbatissa, seu Priorissa, cui incumbit tota administratio bonorum monasterij immediatè, ac proximè, similes contractus regulariter potest facere propria auctoritate absque consensu proprij Capituli: ergo neque Ordinarius, aut Prælatus regularis, quibus minùs proximè, ac immediatè incumbit administratio dictorum bonorum quò ad monasteria sibi respectiuè subiecta: poterunt præfatos contractus facere sine consensu Capituli; vnde existimo talem esse praxim, sicque communiter obseruari. 61.

Quæris XX. An ordinarius, aut Prælatus regularis possint deponere aut suspendere ab officio Abbatissas, seu Priorissas Monialium sibi respectiuè subditarum.

Respond. posse, si occurrat ista causa id faciendi, & ratio est, quòd supradicti in Moniales subditas habent potestatem coercitiuam, etiam pro foro externo; hæc autem sufficit, vt possint eas ponere in foro externo pœna iusta; qualis vtique esse potest etiam depositio, ac suspensio ab officio; vnde ea non solùm identidem imponitur in religionibus virorum, sed etiam ipsis Monialibus comminatoriè indicitur, illis aliqua prohibendo, aut præcipiendo sub pœna priuationis, aut suspensionis ab officio. 62.

Subsectio III.

De Canonica Monialium Visitatione.

63 *Visitatio canonica quid sit.*
64 *Alia est generalis, alia particularis.*
65 *Prælati Monialium tenentur eas visitare.*
66 *Moniales subdita Ordinario loci, aut Sedi Apostolica visitantur ab Ordinario: exempta verò à Prælato regulari.*
67 *Capitulum, Sede vacante, visitat Moniales non minus, quàm Ordinarius.*
68 *Illas item visitat Vicarius generalis.*
69 *Ius visitandi potest delegari.*
70 *Visitatio facienda singulis annis.*
71 *Proponitur materia Visitationis.*
72 *Præmonenda Moniales de Visitatione facienda.*
73 *Prælatus tempore Visitationis ingreditur clausuram.*
74 *Ducit secum aliquot socios.*
75 *Si ingreditur ob fabrica constructionem, ducit secum socios solitos vltra Architectum.*
76 *In tales socios assumi possunt Regulares, etiam ex indulto Leonis X.*

77 Et

77 *Et hoc indultum, licèt factum viua vocis oraculo, iuxta aliquos hodiè durat.*
78 *Visitatio, quæ fit in casu particulari, facienda iudicialiter.*
79 *Moniales exemptæ nequeunt obstare Ordinario, ne earum visitet clausuram.*
80 *Et, si obstent, incurrunt excommunicationem.*
81 *Ad hoc tamen requiritur, vt, apposito impedimento, Moniales moneantur, vt desistant.*
82 *Monitio ista sufficit, quod sit generalis.*
83 *Ea facienda ab ipso Visitatore.*
84 *Dictá excommunicatio incurritur etiam in casu, quo impediatur visitatio intentata à Prælato regulari.*

QVÆRES I. Quid intelligatur hîc nomine Visitationis canonicæ.

63 Respond. intelligi actum, quo legitimus Prælatus Monialium iuxta sacros canones, aut constitutiones Religionum inquirit statum, & mores Monialium sibi subditarum ad effectum debitè corrigendi excessus, si qui fortè deprehendantur, ac opportunis mediis promouendi bonum ipsarum tàm spirituale, quàm temporale: idque ex iurisdictione sibi competente ad executionem sui pastoralis officij

QVÆRES II. Quotuplex sit huiusmodi visitatio.

64. Respond. esse duplicem; generalem scilicet, & particularem: generalis est, quam Prælatus ordinariè facit ex debito sui pastoralis officij (& de hac potissimùm nobis in præsentia agendum est) particularis est, quam Prælatus facit ex zelo; & charitate, & ex causa hic, & nunc mouente animum suum; de qua loquitur Clem. 2 §. *nos igitur de censibus.*

QVÆRES III. Quo iure obligentur Prælati Monialium ad canonicam earum visitationem.

65. Respond. obligari tum ex Clem. *Attendente de stat. monac.* statuente monasteria Monialium Papæ immediatè subiectarum visitari debere ab Ordinario loci Apostolica auctoritate; non exempta verò ab eodem Ordinario, sed propria potestate; exépta denique à propriis Prælatis regular. tum ex Conc. Trid. *sess. 25. de reg. c. 1.* vbi præcipitur, vt omnes Regulares tam viri, quàm mulieres ad regulæ, quàm professi sunt, præscriptam vitam instituant, & componant, atque in primis quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respectiuè essentiam, necnon ad communem vitam, victũ & vestitum cõseruanda pertinentia, fideliter obseruent: omnísque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur tam in Capitulis generalibus, & prouincialibus, quàm in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermitant, vt ab illis non recedatur. Vbi ad rem nostram maximè faciunt verba illa, *quam in eorum visitationibus*, &c. quæ sine dubio inducunt Prælatis Monialium obligationem illas visitandi; eamque grauissimam, vt colligitur ex grauitate materiæ, circa quam versatur talis obligatio.

QVÆRES IV. Quinam Prælati possint, & debeant visitare Moniales.

66. Respond. distinguendo; vel Moniales sunt immediatè subiectæ Sedi Apostolicæ, aut Ordinario loci: & hæ possunt, ac debent visitari ab ipso Ordinario, auctoritate quidem propria, si sint ipsi immediatè subiectæ, auctoritate verò apostolica, si Moniales immediatè subsint Sedi Apostolicæ, vel Moniales sublacent iurisdictioni Prælati regularis: & hæ debent; & possunt visitari à Prælato regulari. quamquam, quòd spectat ad obseruantiam clausuræ Moniales quæcunque siue exemptæ, siue non exemptæ, visitari soleant ab Ordinario loci, eo modo, quo diximus *supr. cap 5. sect. 1. q. 5.* patet responsio ex Clem. 2. *citata, q. præcedenti*, si monuero cum Tamburino *D. 14. de iure Abbatiss. q. 3. n. 4.* ad illos eosdem Prælatos, ad quos spectat visitatio Monialium spectare etiam earum correctionem, ac punitionem; si deliquisse reperiantur. An autem Capitulum, Sede vacante possit absolutè visitare Moniales Ordinario subiectas, immò & exemptas quoad obseruantiam clausuræ.

Respond. videri posse; & colligitur ex dictis *cap. 5. sect. 1. q. 5.* quæ indè confirmari possunt, quòd non est credendum Ecclesiam velle Moniales manere toto tempore Sedis vacantis omninò destitutas canonica visitatione, siue absoluté, si sint non exemptæ, siue quoad obseruantiam clausuræ, si sint exemptæ: cùm alioqui possit contingere casus, in quo tunc temporis maximè necessaria sit visitatio. dissentiunt tamen Azorius *part. 3. l 3. cap. 37. q. 14.* & alij apud Tamburinum *supr. cap. 5. num. 3.* putantes Capitulum, Sede vacante, non posse visitare cœnobia Monialium exempta, quæ aliàs posset Ordinarius, vt delegatus Sedis Apostolicæ; sicque fuisse decisum à Rota testatur Barbosa *supr. alleg. 73. num. 25.* idémque sentit Diana *part. 7. tract. 12. resol. 28.* ex Baunio. 67.

Addo etiam Vicarium generalem posse visitare modo dicto Moniales, & quidem non solùm subiectas Ordinario, sed etiam exemptas; non tamen quoad omnia (sicut potest visitare Moniales non exemptas) sed tantùm quoad obseruantiam clausuræ iuxta dicta supra *cap. 5 sect. 1. q 5.* constat autem ius visitandi non competere Vicario generali, nisi specialiter id ei committatur: quod aliis citatis notauit Barbosa *num. 28.* 68.

Quod si quæras, an Prælati Monialium possint alteri delegare munus visitandi, & quidem etiam in iis, quæ ipsis competunt solùm ex delegatione Sedis Apostolicæ.

Respond. posse; & constat tum ex vsu, tum ex dictis *subsect. præced. q. 1.* 69.

QVÆRES V. Quàm frequens debeat esse visitatio Monialium.

Respond. regulariter debere fieri singulis annis iuxta Clementinam 2. *attendentes, de stat. monac.* vbi id expresse statuitur: & quidem meritò; cùm maximè conducat ad bonum gregis; quod Pastor agnoscat pecoris sui vultum, suúmque gregem consideret: sicut bene notauit Fuscus *l. 1. de visitat. c. 3. num. 10.* hinc inferens frequentes debere esse visitationes: quod vtique etiam procedit in Monialibus. 70.

QVÆRES VI. De quibus institui debet visitatio Monialium.

Respond. debere institui non solùm circa ea, quæ præscribit Concilium Trid. *supr. cap. 9.* nimirum circa vota substantialia Religionis, victum, ac vestitum, sed etiam circa sequentia, videlicet quot sint Moniales: an professio fiat tempore debito: an habitus Nouitiarum, ac professarum sit distinctus: an Moniales vltra vota substantialia obseruent regulam proprij Ordinis, ieiunia in ea præscripta, silentium, aliásque regulares obseruantias: an deferant vestes debitas: an suo tempore celebrent diuina Officia, & an omnes conueniant: an seruent debitam clausuram, & tempore congruo claudantur portæ: an admittant conuersationes suspectas, periculosas, & scandalosas: qualiter in suo munere se gerant 71.

Abbatissa, Vicaria, & aliæ Officiales monasterij: quàm diligenter munus suum obeant Confessarij tam ordinarij, quàm extraordinarij: qualis sit educatio Nouitiarum, ac puellarum ibi commorantium causa educationis: qualiter expendantur bona monasterij, ac implicentur dotes Monialium, quæ admittuntur; & alia id genus quorum longum retexit catalogum Gauantus *in tract de visitatione*.

QVÆRES VII. An Moniales possint, & debeant præmoneri de tempore visitationis.

72 Respond communiter posse, & debere præmoneri, vt illæ possint tanto meliùs se disponere ad visitationem, & hæc maiori cum fructu ipsarum peragatur; non repugnare tamen, absolutè loquendo, immò interdum expedire, aut etiam necessarium esse, vt Prælatus ex improuiso accedat ad visitationem, præsertim particularem; v. g. vt inueniat Monialem in flagranti delicto, vt reperiat supellectilem alicuius Monialis vanam, ac omninò indecentem statui Religioso, quæ aliàs occultaretur, vt maiori cum sinceritate explorare possit statum monasterij absque periculo subornationis; sic quippè de filio hominis scriptum est Matth 24 *Estote parati, quia qua nescitis hora, filius hominis venturus est*: sic & Marci 13. dicitur: *Vigilate, nescitis enim, quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne, cum venerit repente, inueniat vos dormientes.*

QVÆRES VIII. An Prælatus Monialium possit tempore visitationis ingredi monasterium, & quo modo.

73 Respond. posse, dummodo aliàs obseruet, quæ præscripsit Greg XIII. in sua Constitut. quæ incipit, *Dubiis, quæ emergunt*, & sic habet: *Auctoritate Apostolica declaramus Prælatos omnes tam sæculares, quàm Regulares, quibus cura, & regimen monasteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis personis comitati.* Cùm enim Prælatus instituturus visitationem Monialium debeat illis proponere edicta visitationis, illam denunciare, habere ad ipsas exhortationem; & hæc fieri debeant secretò, ac exclusis Nouitiis, conuersis, & aliis fœminis in monasterio fortè commorantibus: constat in tali euentu adesse necessitatem ingrediendi, adeóque facultatem Prælatis Monialium ad id concessam extendi ad talem casum: præsertim, cùm in ipsa visitatione debeant visitari officinæ Conuentus, cellæ Monialium, ac supellex, dormitorij decentia, aliquod ædificium, quod fortè construitur, aut construendum est, aut minatur ruinam: prærerquàmquòd, finita visitatione; ingrediendum est capitulum conuentuale ad publicandam ipsam visitationem, ac imponendam correctionem culparum indè resultantium; quæ sine dubio non possunt fieri absque eo quòd Prælatus visitans ingrediatur monasterium; vt rectè aduertit Sanchez *lib 6. moral. capit. 16. numer.* 54 ex Llamas monens ad omnia prædicta debere ingredi etiam Notarium, qui eorum omnium det testimonium, & actus faciat iudiciales.

Difficultas est, quot socios secum debeat Prælatus introducere in monasterium, attento quòd Gregorius XIII. non exprimit in citata Constitut. quot illi esse debeant, sed solùm dicit, *à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis personis comitatis.*

74 Respond. Tambur. *D.* 24. *de iure Abbatiss. q.* 10. *num.* 3. ex Miranda *q.* 2. *de Monial. art.* 5. posse tuta conscientia introduci 3. socios iuxta illud: *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*: immò & 4. aut 5. secundùm Victorellum, ac Bonacinam; verùm in hoc standum est vniuscuiusque loci consuetudini, quæ habet vim legis, & est optimus legum interpres: dummodò saluetur, quòd Prælatus ingrediatur comitatus à paucis, sicut requirit Gregorius. Certè de Ministro generali Fratrum Minorum asserit Vrbanus IV. in quadam Constitutione eum posse ingredi monasteria Monialium sibi subiectarum cum 4. aut 5. Religiosis, ac honestis sociis; Prouinciales verò solùm cum 2. aut 3. sociis; prout aduertit Portell. *de dub. regular. v. clausura Monialium, in addit. num* 6. addens ex Rodriquez *tom.* 1. *quæst* 47. *art.* 7. etiam Commissarium particularem delegatum à Prouinciali ad visitandum monasterium aliquod Monialium, etiam ipsum posse ingredi cum 2. aut 3. sociis; quamquam (vt notat Miranda) quòd in casu proposito socij ingredientes cum Prælato sint tantum duo, vel tres, non sit res adeò magni momenti, vt, si talis numerus non adeò exactè obseruetur, indè dici possit incurri culpa mortal. aut excommunicatio lata aduersùs indebitè intrantes monasteria Monialium præsertim si adsit bona fides, & absit omnis fraus, ac dolus.

75 Cæterùm monet Tambur. *num.* 6. quòd si ratione ædificij construendi Episcopus, aut Superior Monialium ingrediantur monasterium cum aliquo Architecto, vel alio Artifice: nihilominus debent secum coassumere suos ordinarios comites; prout statuitur in allegata Constitutione Gregorij XIII. siquidem Architectus ille, aut Artifex non ingrediuntur tanquam comites, sed vt Operarij, & Artifices.

An autem Ordinarius, aut alius Prælatus ingressurus monasterium Monialium ad illud visitandum possit, ac teneatur sibi assumere in comites visitationis viros Religiosos.

76 Respond posse, saltem de iure communi; cùm nullum extet ius id generaliter prohibens Regularibus; immò potiùs id in specie viuæ vocis oraculo fuerit concessum Fratribus Minoribus, vt videre est apud Casarubium *in comp. v. ingredi monasteria, n.* 32. & consequenter Religiosis aliorum Ordinum per viam communicationis; non tamen teneri, estò Gregorius XIII. loquens de comitatu Episcopi ingredientis monasteria Monialium dicat, *à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis personis comitatus*; si quidem hîc nomine *Religiosi* non significatur homo adstrictus 3. votis substantialibus Religionis, sed vir pius, ac timoratus, sicut bene notat Tamburinus *supr. num* 4. ex Victorello.

Cæterùm illud hoc in loco bene animaduertendum est, quòd cùm concessio illa relata à Casarubio fuerit facta à Leone X. viuæ vocis oraculo, post generalem reuocationem viuæ vocis oraculorum à Gregorio XV. & Vrbano VIII. factam non ampliùs subsistit; nisi quis velit iuxta doctrinam Peyrini *tom.* 3. *priuil. cap.* 12. *ad Constit.* 18. *Vrb. VIII. num.* 1. sustinere illud non fuisse comprehensum sub præfata generali reuocatione, vtpotè quod transiit in priuilegium bullatum vi Constitutionis Gregorij XIII. confirmantis, & ex certa scientia innouantis omnia priuilegia ab ipso, aliísque suis Prædecessoribus concessa Fratribus Minimis, etiam viuæ vocis oraculo: quæ Constitutio refertur à Peyrino *tom.* 2. *priuileg. Constitut.* 1. *Gregorij XIII.* & sic habet: *Omnia, & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruationes, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, extensionis inter se, &*

cum

cum aliis Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, eisdem Correctori generali, & Zelosis, ac aliis Fratribus, Ecclesiis, domibus, Conuentibus, & locis eorum quibuscunque in genere, & specie, etiam per solam signaturam, etiam viua vocis oraculo, vt præfertur, aut aliàs tam per præfatos, & alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem præfatam, quàm Imperatores, Reges, & alios Principes sub quacunque forma, & expressione verborum concessa, &c. *quatenus sint in vsu, & sacris canonibus, & decretis S. Concilij Trident. non aduersentur, approbamus, confirmamus, & innouamus, perpetuamq; roboris firmitatem obtinere, & firmiter obseruari*; quod item prius fecerat Pius V. iisdem Fratribus Minimis per bullam adductam ab eodem Peyrino *supr. Constit. Pij V. in ordine* 7. §. 35. Quæ concessio vtique per communicationem suffragatur etiam Religiosis aliorum Ordinum.

77. Addo ex Rodriquez *tom.* 1. *q.* 47. *art.* 8. & Miranda *supr. art.* 16. præfatam concessionem Leonis X. si detur modo dicto transiisse indultum bullatum, non videri reuocatam à Gregorio XIII. in bulla *Vbi gratiæ*, superiùs non semel allegata, ac reuocante omnes, & quascunque licentias concessas quibuscunque viris ingrediendi monasteria Monialium ea quippe loquitur de facultatibus, ac licentiis personalibus; vt inde constat, quòd ea solùm loquitur de facultatibus concessis Comitissis, Marchionissis, & Ducissis, & aliis quibuscunque personis (qui modus loquendi indicat priuilegium esse personale; tanquam concessum. sin minùs certæ personæ, certo generi personarum; sicut colligitur *ex l. qui tale* 24. *ff. de soluto matr.* cùm tamen allata concessio Leonis X. non sit personalis, sed realis, vtpotè facta toti Ordini Minorum, qui fictione iuris nunquam videtur perire; sicut aduertit Rodriquez generaliter docens priuilegium factum certo generi personarum, quæ per fictionem iuris nunquam pereunt, censendum esse reale, ac perpetuum, non autem personale.

QVÆRES IX. An, & quando visitatio Monialium fieri debeat in forma iudiciali.

78. Respond. debere fieri, si fiat in casu particulari, v. g. occasione alicuius grauis excessus perpetrati in monasterio: secùs, si fiat generaliter, prout fit communiter. constat ex ipsa praxi.

QVÆRES X. An Moniales exemptæ possint impedire Ordinarium quò minùs eas liberè visitet circa custodiam clausuræ.

79. Resond. videri non posse, attenta praxi ferè communi, ac decisione, quam ex Galleto adducit Barbosa *alleg.* 102. *de offic. Episc. num.* 7. hinc inferens non ita facilè admittendam esse resolutionem Mirandæ *supra art.* 14. sustinentis non licere Episcopis Monialium monasteria exempta, Prælatisque regularibus subiecta ingredi, etiam prætextu videndi, an ibi violata sit clausura, nisi solùm in casu, quo publicè constaret illam esse violatam: & tunc, non nisi postquàm de ea re semel, ac iterum Prælatos ordinarios Monialium admonuerit; huic enim doctrinæ aduersatur praxis communis, qua constat Ordinarium solere visitare Moniales exemptas, quoad clausuram, quoties iudicauerit id expedire; nec posse ipsos Regulares, quibus subsunt Moniales, impedire, quò minùs ille id præstet; & hoc, licèt aliàs nunquam visitauerit illud monasterium: quod declarauit sacra Congregatio 24. Nouemb. 1617. apud Gauantum *in manu. v. Monialium clausura, num.* 57. addentem *num.* 60. ex decreto eiusdem sacræ Congregat. facto 25. Febr. 1583. posse Ordinarium interrogare Moniales Regularibus subiectas de pertinẽtibus ad clausuram. Immò docet Fuscus *l.* 2. *de visitat. c.* 19 (quod nos etiam supra adnotauimus) Monialibus recusantibus visitari, posse Episcopũ eis resistere, frangendo portas monasterij, & vim vi repellẽdo.

QVÆRES XI. Quam pœnam incurrant Moniales, & alij quicunque impediunt visitationem canonicam Monialium.

80. Respond. incurrere excommunicationem maiorem latam in Clem. *attendentes, de stat. monac.* & à nobis propositam *supr. cap.* 8. *q.* 11. latéque à Bonac. *D.* 2. *de censur. partic. q.* 2. *part.* 4 explicatam; qui bene ait *num.* 2. quòd cùm materia istius excommunicationis sit impedire Visitatorem in iis, quæ pertinent ad reformationem Monialium circa vitam voluptuorsam, & ad debitum famulatum Deo præstandum, vt habetur in ipso textu; & ex alia parte talis impeditio fieri potest multis modis: sequitur tot modis contrahi præsentem censuram, quot modis fit dicta impeditio: dummodò tamen præcedat admonitio ad eam incurrendam vi textus requisita iis verbis, *nisi moniti resipiscant*.

81. Notat tamen Bonacin. *num.* 4. ad contrahendam istam censuram non sufficere, quòd præfata admonitio fiat, antequam apponatur Impedimenti visitationi, sed eam debere subsequi appositionem ipsam impedimenti, ita vt Prælatus visitans impedientem moneat, vt desistat ab impediendo. cuius rei ea est ratio, quod in textu dicitur, *nisi moniti resipiscant*: non dicitur autem resipiscere is, qui non deliquit (v.g. impediendo in præsenti materia) quod etiam notarunt Suarez *D.* 23. *de censur. sect.* 5. *n.* 9. Sayr. *l.* 3. *de censur. cap.* 35. *n.* 14. Nauarr. *c.* 27. *n.* 140. & alij.

82. Ista tamen monitio non est opus, quòd sit specialis, & particularis, sed sufficit illam esse generalem; siquidem textus simpliciter, ac indistinctè loquitur dicens, *nisi moniti resipiscant*; adeóque non debet restringi ad monitionem specialem, cùm, iure non distinguente, nec nos distinguere debeamus, ita Suarez Sayr. Nauarr. & alij locis modò citatis, quos sequitur Bonac. *num.* 5. monens *num.* 6. in præsenti euentu requiri ad incurrendam istam censuram vel triplicem monitionem, vel vnam pro triplici: probátque ex Suarez supra ac Filliucio *tract.* 14. *n.* 73. quia vbi ius petit iuridicam monitionem, semper loquitur de monitione canonica: monitio autem canonica est trina, aut certè vna pro trina, nisi aliud necessitas suadeat.

83. Præterea ista monitio, vt sit legitima, debet fieri ab ipso Visitatore Monialium, qui impeditur; aut certè ab eius Superiore in causa visitationis. patet, quia ista monitio debet esse iuridica; non est autem iuridica, nisi fiat à legitimo Superiore, qui in causa visitationis est vel ipse Visitator, vel Superior illius in iurisdictione. ita Bonac. *num.* 7. ex Ang. Suarez & Filliuc. addens *num.* 8. ad incurrendam istam excommunicationem præsupponi præsumptionem; cùm in textu adhibeatur verbum, *præsumpserint*, adeóque illam posse euitari ex quacumque ignorantia, prętérquam ex affectata cum ingenti temeritate coniuncta.

84. Et certè, quòd ista excommunicatio incurratur, etiã in casu quo impediatur visitatio intentata à Prẹlato regulari colligitur ex tenore ipsiusmet textus; qui cùm dicat, *singula Monialium monasteria per Ordinarios, exempta videlicet, quæ ita Sedi Apostolicæ, quod nulli alij subiecta noscuntur, Apostolica; non exempta verò, ordinaria auctoritate; ac exempta alia per alios, quibus subsunt, annis singulis debeant visitari*; vtique comprehendit etiam Prælatos regulares expressos in his postremis verbis, *per alios, quibus subsunt*.

Sectio II.

De Gubernatione Monialium quoad subiectionem erga propriam Abbatissam.

Acturi in ista sectione de gubernatione Monialium, prout se tenet ex parte Abbatissæ, seu Ptiotissæ, cui legitimè subduntur; necesse est, vt aliqua prius explicemos de eius Electione: sicque sectionem diuidemns in duas subsectiones, in quatum prima agemus de canonica Electione Abbatissæ: in secunda, de eius Potestate in Moniales subditas.

Subsectio I.

De canonica Electione Abbatissæ.

85 *Electio canonica quæ sit.*
86 *Quot modis fieri possit.*
87 *De iure communi spectat ad monasterium, cui sit.*
88 *Ad eam concurrunt solùm Moniales professæ choristæ, nisi sint inhabiles.*
89 *Conuersæ ad eam admitti possent; de facto tamen non admittuntur.*
90 *Monialis eligenda in Abbatissam debet habere varias conditiones.*
91 *Non est opus, quòd expleuerit annum 40.*
92 *Electio facta sine dictis conditionibus est ipso facto irrita; quod alij negant.*
93 *In electione ex concurrentibus ad Abbatissatum pro arbitrio præferri potest ætas in iure præscripta antiquitati professionis; vel è contra.*
94 *Regulariter Abbatissa eligitur ex eodem monasterio.*
95 *Soror Abbatissæ præsentis potest eligi, vt ei succedat in officio.*
96 *Qui debeant præsidere electioni, & qualiter vocandi ad electionem.*
97 *In quo loco fiat electio.*
98 *Qua forma, & quibus ritibus, qualiterque recipienda suffragia.*
99 *Electio Abbatissæ fit per suffragia secreta.*
100 *In eam debet consentire maior pars Capituli eligentis, immò & sanior.*
101 *Putant alij sufficere duas partes suffragiorum ex tribus.*
102 *Quid agendum, si quæ schedula sit viriata.*
103 *Monialis in aliquo casu eligit se ipsam.*
104 *Votum Monialis infirmæ non requiritur; at requiri potest.*
105 *Electio fit non solùm per viam scrutinij, sed etiam aliis modis.*
106 *Prelatus assistens electioni Abbatissæ non potest ferre suffragium; quod alij negant.*
107 *Interdum tamen potest illam nominare.*
108 *Electio qualiter publicanda.*
109 *Quid si facta publicatione, opponatur?*
110 *Publicata debet confirmari.*
111 *Quid, si opponatur contra electionem factam per compromissum?*
112 *Quid, si per scrutinium facta sit electio?*
113 *Officium Abbatissæ durat solùm ad 3. annos; & postea debent vacare per 3. annos completos.*
114 *Electa potest renunciare electioni, si adsit alia digna*
115 *Renunciat in fauorem tertiæ, si Abbatissatum habeat in titulum.*
116 *Moniales indebitè eligentes non semper amittunt ius eligendi.*

Quæres I. Quid intelligatur hîc nomine canonicæ electioois.

Respond. Intelligi vocationem personæ idoneæ ad munus Abbatissæ, factam iuxtà sacros canones ac statuta vniuscuiusque Ordinis; dixi, *ad munus Abbat.* vt indicarem, quòd, cùm Abbatissa non habeat ordinariam iurisdictinnem, sed quasi ex commissione; & iurisdictio ordinaria sit de ratione Prælati propriè dicti: consequenter Abbatissa, propriè loquendo, non potest dici Prælata: quod in specie notarunt S. Thom. *in 4. d. 25. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1. ad 2.* Syluest. *v. Abbatissa, num. 1.* Tabiena *ibidem num. 5.* aliique. 85.

Quæres II. Quot modis eligi possit Abbatissa.

Respond. posse eligi pluribus modis à nobis explicatis in *tract. de gubernat. cap. 2. sect. 1.* sed potissimum tribus, qui sunt vsitatiores, & habentur in *cap. quia propter, de elect.* nimirum per scrutinium (qui est omnium vsitatissimus) per compromissum; & per communem inspirationem. 86.

Quæres III. Ad quem spectet electio Abbatissæ de iure communi.

Respond. Spectare ad monasterium, cui ea præfici debet; & patet tum ex *cap. indemnitatibus, de elect. in 6.* vbi id satis clarè indicatur; dum præcipitur, vt ad eligendum cum aliis nulla admittatur Monialis, nisi 12. ætatis suæ annum peregerit: sic enim supponitur Moniales debere concurrere ad electionem Abbatissæ: tum ex Concilio Trident. *sess. 25. de regul. cap. 6. & 7.* quòd, cùm præcipiat electiones Monialium fieri per vota secreta; ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur; & quòd is, qui præest electioni, siue Episcopus, siue alius Superior, claustra monasterij non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singulatum audiat, vel accipiat: apertè ostendit electionem Abbatissæ spectare ad monasterium: & quidem meritò, vt sic ea à Monialibus recipiant maiori cum amore, ac fiducia, tanquam ab ipsis electa, & digna tanto munere æstimata: quod non ita facilè eueniret, si ea eligeretur ad arbitrium Ordinarij, aut Prælati regularis. ita Rodriq. *tom. 2. quæst. 54. art. 1.* Miranda *quæst. 7. de Monial. art. 1.* Lezana *tom. 1. cap. 26. num. 2.* Tambur. *D. 18. de iure Abbatiss. quæst. 1. num. 2.* aliique communiter cum *Sylu. v. electio 3. quæst. 6.* asserentes de iure communi electionem Præfectæ Monialium spectare ad ipsas Moniales, dico *de iure communi:* modò enim post Concil. Trid. *supr. cap. 7.* hac in re seruari debent singulorum Ordinum, seu monasteriorum Constitutiones, sicut aduertit Tambur. *num. 3.* 87.

Quæres IV. Quæ requirantur in Monialibus, vt possint concurrere ad electionem Abbatissæ actiuam, stando præcisè in iure commuoi.

Respond. requiri, vt sint professæ, saltem tacitè; & quòd expleuerint 12. ætat annum. habetur expressè in citato *cap. indemnitatibus:* quamquam, cùm hodie maior ætas petatur ad professionem emittendam; maior itê ætas requiritur ad faciendam huiusmodi electionem, nempe 16. annorum expletorum: quod benè aduertit Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. c. 5. num. 18.* addens iure communi maiorem ætatem non desiderari, nec peti, vt post professionem aliquod tempus intercedat ante electionem; ideoque non esse necessarium, quòd professio antecesserit diem electionis, sed sufficere, vt ea ante electionem legitimè facta sit. Dixi, *de iure com.* quia attentis iuribus particularibus religionum (quibus diximus standum esse ex decreto Concilij Trid.) in aliqua Religione requiritur, vt Monialis concurrens ad 88.

ele

electionem Abbatissæ fuerit professa aliquot annis (vt in Ordine Prædicatorum, in quo, teste Castellino *cap.* 17. *de elect. num.* 15 non potest Monialis habere vocem actiuam in electione Abbatissæ, nisi post annos 12. ab emissa professione.)

Ceterùm ab electione actiua Abbatissæ excludi debent Moniales inhabiles: quales sunt: 1. excommunicatæ excommunicatione maiori: 2. suspensæ ab officio: 3. interdictæ: 4. prohibitæ eligere sine licentia Superioris: 5. quæ scienter indignam elegerunt in aliqua vocatione, aut certè peccauerunt in postulando (si tamen secuta est postulatio, vel electio) 6. quæ per laicalem abusum elegerunt: 7. quæ non elegerunt intra tempus præscriptum: 8. quæ sunt irregulares, & hæc ex variis iuribus, quæ adducimus *in nostro tract. de gubernatione*, & hic breuitatis causa omittimus.

Quòd si quæras, an Moniales, quæ dicuntur Conuersæ, possint, & debeant admitti ad electionem Abbatissæ.

89. Respond. Suarez *sup. n.* 18. quòd, cùm eæ sint verè Religiosæ professæ, vt supponitur; nullum extat ius, quo excludantur à dicta electione: Regulariter tamen non solent admitti, siue ex consuetudine, siue ex iure speciali religionum; estò simpliciter id non repugnet.

QVÆRES V. Quæ requirantur in Monialibus, ad hoc, vt eligi possint in Abbatissas, ac Præfectas monasterij.

90. Respond. requiri non solùm vt Monialis eligenda sit professa expressè; sed etiam vt non sit minor annis 40. & 8. annos post professionem laudabiliter vixerit in monasterio, sic decidit Concil. Trid. *sess.* 25. *de reg. cap.* 7. sub his verbis: *Abbatissa, & Priorissa, & quocunque alio nomine Præfecta, vel Præposita appelletur, eligatur non minor* 40. *annis, & quæ* 8. *annis post expressam professionem laudabiliter vixerit.* Quamquam in casu, quo inter Moniales monasterij nulla adesset his qualitatibus prædita; & alioqui Superior præsidens electioni iudicaret non expedire, quòd eligeretur Præfecta ex alio monasterio eiusdem Ordinis; tunc posset eligi aliqua ex illis, quæ in eodem monasterio annum 30. excesserit, & quæ 5. saltem annis post professionem rectè vixerit, Episcopo tamen, aut Superiore Monialium consentiente; idque ex decreto Concilij Trid. *vbi supra* Quin etiam Suarez *num.* 9. testatur se ex variis, ac fide dignis testimoniis vidisse declarationem sacræ Congr. hac de re factam; videlicet quòd Abbatissa, licèt per quinquennium non manserit in Religione, dum tamen excedat 30. annos, & id fiat ad requisitionem suarum Monialium de licentiam secundæ dignitatis cathedralis, & earum Superioris regularis, dummodò laudabiliter anno superiore se gesserit, debet confirmari per biennium in officio: & quòd, deficiente ad confirmationem dictæ Abbatissæ Superiorum regularium licentia, procedendum nihilominus est ad præfatam confirmationem, seruatis iis, quæ *in cit. cap.* Concilij Trid. præscribuntur. Vbi nomine *confirmat.* puto intelligi illam, per quam electio ipsa confirmatur, non autem illam, per quam Abbatissa absoluto triennio abbatissatus diceretur confirmari iterum in eodem munere.

Quòd si quæras, an opus sit, vt Monialis eligenda in Abbatissam expleuerit 40. annum, vel sufficiat illum inchoasse.

91. Respond. Portell. t. *p. resp. moral. casu* 13. *num.* 1. sufficere, quòd inchoauerit; probatque ex Clem. 1. §. *cæterum, de statu monach.* quæ statuens ætatem petitam ad hoc vt aliquis sit Prælatus alicuius Conuentus, debere esse annorum 25. ait, *nisi* 25. *annum attigerit*: ergo idem dicendum est in isto etiam casu, vt inter iuri consonent; præsertim, cùm, teste ipso Portello, Nauarrus dicat ex duobus sensibus, in quibus lex explicari potest, accipiendum esse eum, qui benignior est. Oppositum sustinent alij cum Garcia *de benef. p.* 7. *cap.* 4. *num.* 71. ex eo quòd, cum sacra Congreg. Concilij 24. Sept. 1593. declarauerit verba illa Concilij Trident. *sess.* 14. *de reform. cap.* 14. *Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici, alioquin idonei, & 22. annis non minores assumantur*, debere intelligi de anno vigesimo secundo completo: eadem ratione etiam verba eiusdem Concilij *sess.* 25. *de regul. cap.* 7. *Non minor annis* 40. (supple sit Monialis eligenda in Abbatissam) debebunt intelligi; vt Monialis præfata habeat 40. annos completos: sic enim non compleuit annum quadragesimum, est minor 40. annis. Etsi Henriq. *l.* 14. *c.* 8. *n.* 10. *in glossa. lit. X. Sa. v. beneficium, num.* 31. *& alij* loquentes de decreto Concilij *sess.* 14. *de reformat. capit.* 14. asserant quoad dignitates, ac personatus sine cura sufficere 22. annos incœptos. Vnde infert Diana *p.* 7. *tract.* 12. *ref.* 9. se existimaturum probabilem tam sententiam Portelli, quàm opinionem Garciæ superiùs adductas; nisi obstaret declaratio sacræ Congregationis supra allegata. Verùm, vt illa obstet, debet esse authentica, & esse talis, vt obliget, instar legis vniuersalis iuxta dicenda inferiùs *cap.* 10. *num.* 45.

Difficultas est, an præfatæ duæ conditiones requirantur ad electionem tanquam substantiales, ita vt alioqui electio sit eo ipso irrita, ac nulla.

Respond. Tamburinus *sup. q.* 2. *num* 7. esse eo ipso irritam, ac nullam; probatque tum ex quadam declaratione sacræ Congregationis sub die 16. Maij anno 1623 relata à Barbosa *l. t. de iur. Eccl.* c. 45 *n.* 19. tum quia, vbi verba dant formam actus, si actus fiat, non seruata illa forma, ipso iure est nullus, vt docent Bartol. *in l. Gallus, ff. de lib. & posthum.* & Gomez *in cap. fin.* §. *si verò, de iudic. l.* 6. *n.* 19. Verum dissentit Suar. *num.* 8. dicens, *hæ autem duæ conditiones*, (quæ scilicet superiùs explicatæ sunt) *non declarantur à Concilio tanquam substantiales, nec irritatur electio aliter facta, sed simplex prohibitio ponitur, vt non eligatur*, &c. ideòque si alioqui electio facta sit iuxta communem ius, licèt illæ duæ conditiones non seruentur, non erit electio irrita ipso iure, sed ad summum irritanda. ita Suar & meo iudicio satis probabiliter, patetque tum ex dictis; tum quia multa prohibentur, quæ tamen facta tenent; tum quia in dubio interpretatio facienda est pro valore actus, vt valeat potiùs, quam corruat *l. quoties, ff. de reb. dub.* tum quia declaratio allegata in contrarium vel non est authentica, vel non obligat instar legis vniuersalis iuxta alibi dicta; tum quia actus sine debita forma factus tunc solum est nullus, quando forma ponitur tanquam substantialis; negamus autem id euenire in præsenti casu. 92.

Dices, quid si duæ Moniales concurrant ad Abbatissatum, quarum vtraque sit digna; altera tamen sit quadragenaria nondum habens quinque annos professionis; altera verò habens illos completos, aut etiam octo, aliàs nondum attingens 40. ætatis annum, licèt 30. excedat; debetne in tali casu præferri hæc posterior, an potius altera prior?

Respond. quòd, quamuis ex vna parte videri possit præferenda posterior, eo quòd habeat aliquo modo completam conditionem petitam à Concilio (cùm aliàs priori Moniali omninò desit vna dictarum conditionum) ex alia verò parte præferenda videri possit prior Monialis, eo quòd in illa reperiatur ætas 40. annorum per se primò requisita à Conc. 93.

quæ non repetitur in Moniali posteriori; & aliunde conditio ætatis magis desideretur, vt rectè aduertit Suar. *sup.num.* 10. nihilominùs, absolutè loquendo, negotium istud videtur arbitrarium; cùm præfatæ duæ Moniales se habeant vt excedens ac excessum: sicque præferenda videtur in præsenti casu illa, quæ ob alias conditiones reputatur dignior; quòd si ambæ fuerint æquè dignæ, ex genere suo præferri debet excessus ætatis, vtpote in iure magis considerabilis; si autem excessus ætatis esset paruus, & antiquitas in Religione esset magna, ac præponderans: tunc Superioris esset prudenter diiudicare, quænam ex illis præferenda esset. ita Suar. *n.* 10. addens quòd, si nulla adsit Monialis habens integras illas 2. conditiones 40. annorum ætatis, & 8. professionis; illa cæteris paribus præferri debet: quæ iudicabitur plus de iis participare.

QVÆRES VI. An, & qualiter necesse sit, vt Abbatissa eligatur ex Monialibus eiusdem monasterij.

94. Respond. debere eligi, si in monasterio extet aliqua Monialis prædita debitis conditionibus: idque iuxtà Concilium Trid. *sess.* 25. *cap* 7. *de regul.* secus, si ibi nulla ex ijs, quæ aliàs eligi possunt, habeat 30. annos completos: tunc enim simpliciter necessarium est illam eligi ex alio monasterio eiusdem Ordinis; non item, si aliqua illarum habeat 30. annos expletos: nam tunc in aliis conditionibus requisitis ad munus Abbatissæ faciliùs posset admitti benigna interpretatio, attenta aliqua incommoditate in eligendo ex extraneis. ita Suarez *num.* 11. monens sufficientem causam eligendi ex alio monasterio esse, quòd in eodem cœnobio non inueniatur aliqua habens simul dictas 2. conditiones: cùm sic intelligi debeant verba illa Concilij: *quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio*: nisi enim vtramque habeat, dici non potest affecta illis qualitatibus. Quod autem dicit Concilium, ad hoc vt eligi possit in Abbatissam Monialis carens præfatis qualitatibus; oportere, vt non possit commodè eligi ex alio eiusdem Ordinis Conuentu, quod committitur iudicio Superioris; putat Suar. *n.* 10. procedere in distantia loci, in quo foret eligenda Abbatissa ex alio monasterio, si iudicio Superioris distantia sit tanta, vt electio censeatur non posse fieri commodè ex alio monasterio. ad quod facit declaratio sacræ Congregationis, quam adducit Suarez *num.* 8. his verbis: *Abbatissa 30. annorum, & quæ per 5. annos solum sit professa, eligi non potest, si in monasterio est aliqua Monialis 40. annorum, & quæ iam per 8. annos sit professa: aut in aliquo monasterio eiusdem Ordinis vicino istius qualitatis inueniatur.*

An autem, & quo modo Moniales, quæ sunt vel illegitimæ, vel bigamæ, vel non virgines, vel ex genere maculato, vel infames, eligi possint in Abbatissas, colligi potest ex dictis *cap.* 8.

95. Addo hîc obiter sororem Abbatissæ non prohiberi de iure succedere Sorori in Abbatissatu; dummodò aliunde non prohibeatur: ita sacra Congregatio 19. April. 1619. apud Barbosam *in collect. v. Abbatissa.*

QVÆRES VII. Quinam debeant præsidere electioni Abbatissæ.

96. Respond. debere præsidere Ordinarium, si monasterium sit ipsi immediatè subiectum, aut Sedi Apostolicæ; Prælatum verò regularem, si monasterium sit exemptum; idque ex iure antiquo lato in Concilio Tridentino supra his verbis; *Is, qui electioni præest, Episcopus, siue alius Superior, clausura monasterij non ingrediatur, sed ante cancellorum finestellam vota singularum audiat, vel accipiat.* Dixi, *ex iure antiquo*, vt iudicarem in præsentia ex bulla Gregor. XV. *Inscrutabilis*, sæpiùs allegata Ordinarium per se, vel per alium posse interesse electioni Abbatissæ facienda, etiam à Monialibus exemptis (quamuis ad id non teneatur.) Præterea tali electioni debent interesse cum Ordinario, aut Prælato regulari saltem duo testes, qui munus disquisitorum exerceant: alioqui electio facta esset nulla ex *cap. quia propter de elect. in* 6. iique debent esse in loco patenti: ita, vt, si commodè fieri possit, ab omnibus videantur: non est tamen opus, vt audiantur à Monialibus vocalibus capitulariter congregatis. Quare tenentur Regulares significare Ordinario diem electionis, illúmque expectare vsque ad tempus præfinitum. vti diximus *supr. cap.* 8. *quæst.* 42. afferentes ad id decretum sacræ Congregationis.

Notat autem Sanctorus *in Constit. Minor. cap.* 51. *stat.* 7. *q.* 7. *d.* 4. quod, quamuis in citata bulla Gregorij dicatur de Ordinario, illum posse electioni Superiorissæ Monialium interesse, ac præsidere: & Præses in iure antiquo summam iurisdictionem importet in prouincia ex *l.* 1. *ff. de offic. Præsidis*: in præsenti tamen casu verbum, *præsidere*, non inducit iurisdictionem, ac superioritatem in Moniales, earúmque electiones, sed solam ordinationem, ac directionem; ita vt electio fiat quietè, ac pacatè, nulláque violentia, aut defectus in ea committatur; sicque Ordinarius nequit recipere Monialium suffragia, sed solum ea audire, & cognoscere, quando recipiuntur à Prælato regulari: quippe cui solum priuatiuè quo ad Episcopum incumbit excipere suffragia: vt declarauit sacra Congregatio Concilij 10. Sept. 1639. in Vrbanien. ad instantiam P. Commissarij Curiæ pro Monialibus S. Bernardini illius Ciuitatis Episcopum in electione Abbatissæ Monialium Regularibus subiectarum non posse exquirere, seu recipere vota Monialium, sed illa exquiri, & recipi debere à Superiore regulari, sciente tamen, & audiente eodem Episcopo.

Addit Sanctorus *supr. d.* 3. non esse opus in præsenti casu significare Episcopo horam præcisam, qua fieri debet electio, sed sufficere, quod dicatur illam faciendam esse post Vesperas, aut Missa celebrata; tuncque expectandum esse aliquantum post illam horam (v. g. per vnam horam circiter,) &, si interim non veniat Episcopus, posse procedi ad electionem: siquidem in hoc casu non debet attendi præcisè commoditas Episcopi, sed tempus opportunum electionis; nec ad ipsum spectat præfigere tempus, sed ad Prælatum regularem, Episcopo se accommodante tempori, ac electioni, quæ vtique cum sit actio grauissima, non debet pendere ab affectibus, ac resolutionibus Episcopi: aliàs, si expectari deberet Episcopus per totam diem; vel non posset celebrari electio die designata, vel celebranda esset de nocte; quod respectu Monialium graue esset inconueniens.

QVÆRES VIII. In quo loco fieri debeat electio Abbatissæ.

97. Respond. Regulariter debere fieri in tali loco, vt is, qui debet præsidere, non adstringatur ingredi claustra monasterij; id quippe satis clarè indicat Concilium Trid. *vbi supr.* dum ait: *Claustra monasterij non ingrediatur, sed ante cancellorum finestellam vota singularum audiat, vel recipiat.* quamquam, si præsidens electioni prudenter iudicet non posse fieri electionem canonicè, nisi ipso ingrediente cum suis coassumptis, ob inquietudinem Monialium, ac probabilem suspicionem subornationis; aliámve similē causam; tunc ij licitè possent ingredi. ita in terminis

Rodriquez

Rodriquez *tom. 1. q. 46. art. 5.* Miranda *q. 2. de Monial. art. 15.* Barbosa *alleg. 102. de offic. Ep. num. 46.* Io. de la Cruz *l. 1. de stat. relig. c. 5. d. 2.* aliique & inde probant, quòd, cùm Prælatus Monialium possit in casu necessitatis dare facultatem, vt alij ingrediantur clausuram; sic & poterit sibi hanc eandem facultatem dare; sicut concessit Gregorius XIII. in sua Constit. *dubiis*, dicens Prælatos omnes tam sæculares, quàm regulares, quibus cura, & regimen monasteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessariis, &c.

QVÆRES IX. Quo modo, & forma, quibusve cæremoniis fieri debeat electio Abbatissæ.

98. Respond. in hoc seruari debere statuta, aut consuetudines vniuscuiusque Ordinis, ac monasterij; videri tamen valdè commendabilem formam illam eligendi, quam describit Rainerius *in rituali monast. ritu. 8. rubr. 1. ceremon.* his verbis; Opportuno tempore procedat præsidens electioni Abbatissæ, saltem cum Notario, vel Cancellario ad fenestellam sanctissimæ Communionis, ad quam ex parte interiori faciet more solito ad sonum campanulæ capitularis omnes Moniales, ipsasque sic congregatas, & coadunatas alloquatur, huiusmodi euocationis certiores reddat, & ad digniorem personam quam in conscientia indicauerint, in Abbatissam eligendam hortetur; quo facto Cancellarius nomina omnium Monialium ibi congregatarum accipiet: quod vt faciliùs, & citiùs præstare possit, paginam cum nominibus omnium Monialium vocalium sibi antea procurabit, quam manib. tenens, & iuxtà fenestellam se disponens singulis Monialibus ibi præsentibus ordinatim ad fenestellam pro facienda Præsidenti reuerentia accedentib. suumque nomen, & cognomen dicentibus ipsum in pagina descriptum obsignabit; omnibusque tandem notatis, præsentibus, & in sufficienti numero congregatis procedatur ad electionem. Vnde Abbatissa officio cedens, genuflexa manibus ante pectus iunctis coram Præsidente ad fenestellam sedente, pro cæteris Monialibus omnibus pariter genuflexis dicet culpam, & faciet generalem confessionem dicendo *Confiteor*, &c. qua completa ipsam, & cæteras omnes Præsidens ad effectum electionem validè celebrandi, à censuris, & postea etiam à negligentiis more solito generaliter absoluet, ac postea Monialibus prosequentibus incipiet hymnum, *Veni creator Spiritus*; ipsoque completo stans subdet versum, & orationem de Spiritu S. deinde sedebit, Monialibus etiam interiùs suis locis remotiùs à fenestella, quàm possit, sedentibus: ipse verò tenens præ manibus paginam, in qua Cancellarius nomina, & cognomina omnium Monialium vocalium ibi præsentium in principio descripserat, ipsas omnes propriis nominibus ordinatè vnam post aliam, incipiendo à senioribus, ad fenestellam vocabit, singulasque accedentes interrogabit, quamnam Monialem in Abbatissam eligant; ipsarum verò quælibet respondeat: *Eligo in Abbatissam huius monastery M. D. N. de talibus*; huiusmodi tamen votum præstabit submissa voce, ita vt à cæteris Monialibus interiùs nequaquam, benè tamen à Præsidente, & Cancellario exteriùs audiri possit; antea, & postea Præsidenti exhibita reuerentia. Pro quibus votis recipiendis Præsidens, & Cancellarius quisque de se in quadam pagina describat nomina, & cognomina Monialium in Abbatissam successiuè petitarum; & ab vnoquoque nomine vsque ad paginæ extremitatem lineam rectam ducat, quam tot vicibus paruis apiculis intersecabit, quot Monialis illius nominis in Abbatissam nominata fuerit. vnde qui huiusmodi vota excipere, & adnotare debent, intentas aures habeant, Monialiumque vota iuxta quòd ab ipsis prolata fuerint, fideliter notent, apiculos formando: & tandem per omnes Moniales præstito suffragio, suæ quisque paginæ apiculos votorum enumerabit; & si sibi inuicem, & Monialium congregatarum numero correspondere repererint, electionem habebunt canonicam, secùs autem, si deficientes, vel excedentes: in quo casu iteranda esset electio, Postmodùm obseruabunt vota; & quam plura vltra medietatem, vel duas ex tribus partibus habuisse videbunt, illam Præsidens vti legitimè, & canonicè electam Abbatissam per triennium promulgabit; statimque ad se accedenti huiusmodi munus commendabit: ad quod acceptandum ipsam so se subtrahentem coget, nisi iustas admodum, & rationabiles causas suæ renitentiæ deduceret: tunc enim eius renunciationem deberet admittere, & ad alterius electionem deuenire; si verò officium acceptauerit, completa erit electio, pro qua tunc pulsari debent omnes campanæ solemni, & lætabundo modulo. Præsidens verò Episcopum, vel eius Vicarium, aut alium deputatum, si electioni interfuerit, mox discedentem, vt decet, comitabitur, ac postmodum tunc, vel alio opportuniori tempore ad confirmandam Abbatissam, & benedicendam reuertetur. Præsidens item, & Cancellarius, vel quicunque alius vota recipiens, completa electione, sup. dictas paginas apiculatas in frusta scindant, ignique tradant.

QVÆRES X. An, & qualiter electio Abbatissæ fieri debeat per vota secreta. 99.

Respond. debere fieri ex decreto Concilij Trid. *sess. 25. de regul. c. 6.* quod sic habet: *In electione quorumcunque Superiorum, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, aliarumque Præpositarum, quò omnia rectè, & sine vlla fraude fiant; in primis S. Synodus districtè præcipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Quod tamen non facit, quin Ordinarius cum suo Vicario, seu Secretario, aut alio coassumpto, vel Prælatus regularis, præsidentes electioni possint vota singularum Monialium excipere oretenus expressa; sicut declarauit Sacra Congregatio, teste Garcia *p. 5. de benefic. c. 4. num. 190.* addente præfata vota modo dicto oretenus excipi posse à Præsidente electionis, etiam si ea sciantur à quatuor, vel quinque astantibus; nec propterea desinere esse secreta, si iuxta formam statutorum religionis ea manifestatio facienda sit. Est autem ita necessarium, quòd eiusmodi electio fiat per vota secreta, vt alioqui sit nulla, etiamsi id contingat ex ignorantia iuris; & quidem ita, vt, neque ex Episcopi dispensatione, possit validari, sic declarante Sacra Congregatione, apud Samuellium *tract. 1. de elect. can. disp. 5. controu. 2. num. 18.*

QVÆRES XI. Qui numerus suffragiorum tequiratur ad canonicam electionem Abbatissæ.

Respond. requiri, quòd electa habeat maiorem numerum suffragiorum, non quidem respectu minoris numeri, sed totius Capituli ferentis suffragium; sicque non sufficere, quòd electa habeat plura suffragia, quàm reliquæ Moniales; sed opus esse, vt numerus suffragiorum contineat maiorem partem totius Capituli: ita vt, si Moniales de facto concurrentes ad electionem sint 40. saltem 21, per suum suffragium concurrerint in personam Monialis electæ. ita Sylu. *v. electio 1. q. 9.* Miranda *sup. q. 7. art. 4.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. c. 5. n. 22.* addens maio- 100.

rem numerom, etsi sit necessarius ad electionem, non tamen sufficere, nisi etiam sit sanior; hincqoe inferens, quòd si contingat maiorem partem, quæ in vnam consentit, non esse saniorem; & partem saniorem, quæ vult alteram, non esse maiorem, vtriusqoe electio, per se loquendo, est nolla; cùm neutra pars eligentium sit copulatiuè & maior, & sanior, sicut statuitur io *cap. quia propter de elect.* quamquam semper maior pars præsumatur sanior, si persona electa non sit indigna, vt aduertit *Suar. num.* 13. Sanior autem illa pars censetur, quæ est iustior, & maiori ratione nititur, & æquitate; vt notat Glossa *cap. in Genesi, de elect. v. ad zelum*, & cum ea Portell. *de dub. regul. v. electio in addit. num.* 2.

101. Dissentiunt Barbosa *l. 1. de iure eccl. c.* 45. *num.* 17. & Tambur. *sup. q.* 9. *num.* 3. sustinentes ad canonicam electionem Abbatissæ requiri numerum duarum partium votorum ex tribus, nisi aliod petat loci consuetudo; probant ex quadam declaratione Sacræ Congregationis sub 20. Nou. 1585. qoam tamen Doctores relati §. *praced.* non admittent, vtpotè minùs authenticam, aut certè non obligantem vbique: vnde seclusa consuetudine legitimè in contrarium inducta: opinio Mirandæ videtur posse tuta conscientia practicari.

Quærit hîc Tamburinus *num.* 4. quid agendum in casu, quo Præsidens electiooi Abbatissæ ex schedulis receptis inueniat aliquam scissam, aut signatam, vel certè plures, aut pauciores.

102. Respond. in tali casu debere frangi, ac combori omnes schedulas receptas, facta noua electione cum maiori circumspectione. ita Tamburinus *sup. num.* 4. ex Nauarro, Rodriquea, & Venero.

Qværas XII. An possit dari casus, in qoo Mooialis possit se ipsam eligere in Abbatissam & qoando.

103. Respond. posse dari, si consuetudo permittat, quod ante electionis decretum suffragantes possint variare, addendo proprium suffragium illi Moniali, in quam plures suffragantes consenserint; tunc enim Monialis intelligens se electam per medietatem suffragiorum, si alioqui habeat ius eligendi, poterit consentire in sui electionem, ac veluti coeligere. ita Laym. *in qq. canon. cap. vlt. q.* 133. & cum eo Tambur. *sup.* patetque tum quia sic cessat suspicio ambitionis, quæ est potissima causa, cur quis non possit eligere se ipsum (cùm potius talis coelectio ordinetur ad bonum commune, cui maximè confert electio legitima Superioris) tum quia sic tolluntur dissidia, & discordiæ inter eligentes; quòd etiam cedit in faoorem boni communis monasterij.

Qværas XIII. An casu, quo tempore electionis ægrotet aliqua Monialis, ideoque non possit conoenire ad locum electionis, possit, & debeat Prælatos præsidens electioni ingredi monasterium ad recipiendum suffragium dictæ infirmæ.

104. Respond. non posse; cùm id expressè prohibuerit Sacra Coogregatio 21. Iunij 1595. teste Gauanto *in manu. v. Monialium officiales*, *num.* 18. & talis casus non comprehendatur in Coostitutione Gregorij XIII. Prælatis Monialium concedente facultatem ingrediendi io casibus necessariis; euiusmodi sioe dubio non est præsens casus; stante quòd Monialis infirma potest cedere pro tunc iuri, quod habet eligendi absque eo quod impediatur electio, vt per se patet.

Concedo tamen esse satis æquum, vt in proposito casu requiratur votum dictæ Monialis; maximè si ea sit grauis, prudens, discreta, ac zelaos: ea n. habetur moraliter pro præsenti; & aliàs ab omnibus Monialibus capitularibus præsentibus votum debet peti; quamquam in hoc inspici debet consuetudo vniuscuiusque Ordinis, ac monasterij, eaque seruanda est.

Qværas XIV. An etiam modò post Concil. Trid. electio Abbatissæ fieri possit tribus modis relatis q. 2.

Respond. videri probabile, quòd possit fieri: idque 105.
ob doctrinam, qoam tradit Miranda *to.* 2. *manu. q.* 23. *art.* 4. dicens noo obstare Concil. Trid. *sess.* 25. *de regul. c.* 6. qoippe quod noo intendit derogare citato capiti *quia propter*; sed eo præsupposito, dat ibi formam seruandam in ferendis soffragiis pro electione facienda per viam scrutinij. Ita expressè Miranda contra Tamburinom *sup. q.* 4. *num.* 6. docentem in Concilio Trid. admitti solùm electionem per modum scrotinij; cùm tamen in eadem *disputat. q.* 8. *num.* 1. disertis verbis concedat Moniales vnanimi consensu posse compromittere electionem Abbatissæ idoneæ in Episcopum, aut alium Prælatum iuxta *cap. causam de elect.* immò & in confirmatorem secundùm Panormitanum, & Lauorium; addens Episcopum, si in casu proposito eligat Abbatissam non idoneam, non posse ampliùs eligere aliam; cùm iam functus sit suo officio, siue benè, siue malè; nobiscum sentit Layman *sup. quest.* 131.

Qværas XV. An, & quando Prælatus Monialiom præsidens electioni Abbatissæ habeat ius illam eligendi, aut ferendi suum votum.

Respond. non posse quidem vnquam ferre votum, 106.
neqne in casu discordiæ ortæ inter Moniales circa electionem: cùm id expressè prohibuerit Sacra Congregatio 23. Maij 1621. teste Tamburino *sup. q.* 6. *num.* 6. habere tamen ius nominandi eam, quam magis idoneam iudicauerit, si Moniales inter se discordent circa electionem Abbatissæ: ita tamen, vt priùs designet Monialibus tempus competens ad concordandum; sic quippe statuit eadem Sacra Congregatio 12. Oct. 1598. apud Piasecum *p.* 2. *praxis, c.* 3. *num.* 57. ita Tambur. *sup. num.* 5. aliique communiter; & talis videtur praxis ferè communis; vt proinde dicat Tamburinus non videri subsistere, quod ait Portell. *de dub. regul. v. Abbatissa num.* 9. in electione Abbatissæ Prælatum ordinariom præsidem ipsius electionis posse dare suum suffragium; cùm sit caput illios communitatis, & cum ipsis Monialibus constituat vnum corpus morale ad eligendum.

Dissentit Sanctorus *in Constit. Min. c.* 11. *stat.* 7. *d.* 4. cum Portello *v. Abbatissa, num.* 9. dicens posse Prælatum assistentem electioni Abbatissæ ferre suum votum: probat tum ex eo quod ille est Superior ordinarius; tum quia id fit à multis Episcopis in Portugallia: tum quia Generales Minorum ferunt suffragium in electionibus Tertiariorum, qui sunt alterius Religionis; tum quia in Carthusianorum Constitutionibus *part.* 3. *cap.* 34. *num.* 1. dicitur; *in electione Priorissæ Monialium Vicarius primam vocem habeat.*

Et quidem quòd Prælatus præsidens Monialium 107.
electiooi possit in aliquo casu nominare aliquam in Abbatissam; habetur etiam in concessione bullara Gregorij XIII. facta 16. April. 1574 Visitatoribus, ac Abbatibus, seu Prælatis Monialium Ordinis S. Benedicti; nimirum qood toties quoties facieodarum electionum Abbatissarum pro tempore casus euenerit, Moniales per duo scrutinia non coouenire in faciendis ipsarum Abbatissarum electioobus

electionibus, possint, & debeant ipsorum monasteriorum Monialibus proponere duas, vel tres eiusdem monasterij Moniales, quas ad regimen, & gubernationem aptiores esse iudicauerint; & quòd illa ex dictis duabus, vel tribus Monialibus sic propositis, quæ plura Monialium vota in sui fauorem habuerit, sit, & censeatur esse legitimè, & canonicè electa in Abbatissam ipsius monasterij, & tanquam talis in Abbatissam monasterij huiusmodi per eos, ad quos spectat, omninò institui, seu confirmari debeat. Habetur in bulla Gregorij XIII. in ordine 15. &, cùm sit valdè fauorabilis bono monasteriorum prouenienti ex pace, & concordia Religiosorum, vtique cadit in generalem communicationem priuilegiorum: sicque eius beneficio vti poterunt Prælati Monialium, etiam aliorum Ordinum in casu, quo eligatur Abbatissa monasterij sibi respectiuè subiecti: siue ij sint Regulares (de quo nemo dubitat) siue sint Episcopi, seu Ordinarij locorum, quos puto comprehendi in dicta bulla sub nomine Prælatorum, dum ait: *Visitatores, ac Abbates; seu Prælati respectiuè, quibus Moniales ipsorum recommendata, seu sub quorum regimine, gubernio, & cura existunt:* præsertim cum ista concessio dici possit facta potiùs Monialibus, quàm Prælatis illarum, vtpotè cedens in maximum bonum ipsarum.

QVÆRES XVI. An, & qualiter publicari debeat electio Abbatissæ.

108. Respond. debere publicari, vbi Prælatus Præsidens illi repererit eam esse legitimam, ac canonicam: & quidem sub hac, aut alia simili forma, nimirum dicendo: *Hac est electio canonica N. facta in hoc Conuentu N. tali die, mense, & anno, in qua N. habuit tot suffragia, & N. tot,* incipiendo tamen semper à paucioribus. Vbi autem publicata fuerit electio, siue per Notarium assistentem, siue per ipsum Prælatum Monialium præsidentem (prout feret consuetudo, aut statutum vniuscuiusque monasterij) eam confirmabit idemmet Prælatus: quæ duo communiter, & vbique obseruantur. Quòd si alicubi in tali euentu adest aliqua alia rationabilis consuetudo (v.g. quòd Moniales accedant ad deosculandam manum Abbatissæ electæ) ea omninò obseruari debet, cùm iuxta superiùs dicta Concilium Trid. dicat, *in reliquis seruari debere singulorum Ordinum, vel monasteriorum consuetudinem.* Cæterùm notat Suar. *sup. n. 15.* suffragia debere publicari sine vlla morali interruptione, vt constet ex verbis, quæ habentur *cap. quia propter de elect.* videlicet, *mox publicentur.*

Dices, quid si facta publicatione Abbatissæ, Moniales statim opponant se elegisse, non illam, quæ fuit publicata, sed aliam?

109. Respond. Tambutin. *supra quæst. 10. num. 3.* ex Lauorio Sacram Congregationem declarasse in tali casu Moniales omnes iterum audiri debere per personam non suspectam; vt sic de veritate constet, & electio censeatur canonica.

QVÆRES XVII. An, & à quo debeat confirmari Abbatissa electa.

110. Respond. si quidem monasterium sit immediatè subiectum Sedi Apostolicæ, Abbatissam recens electam debere petere confirmationem à Papa (idque per Procuratorem) sin autem monasterium subsit Prælato regulari, confirmationem spectare ad ipsum Prælatum: sin verò subiectum sit Ordinario loci, recurrendū esse ad ipsum pro confirmatione. Ita Laym. *sup. q. 434.* Tamb. *sup. q. 1.* aliique penes ipsum.

Et certè quòd electio Abbatissæ confirmari debeat à Prælato, vt certum supponitur in Clement. *attendentes de statu monach.* dum ibi dicitur Abbatissam debere benedici intra annum à suæ confirmationis tempore computandum iuxta Azorium *tom. 1. l. 13. cap. 10. q. 3.* & quidem meritò, cùm per confirmationem electionis conferatur iurisdictio; sicut notauit Tambur. *num. 2.* hinc inferens Monialem exemptam non posse confirmari ab Ordinario; quamuis aliàs ex bulla Gregorij XV. *Inscrutabili*, habeat ius assistendi electioni: vnde & sacra Congregatio declarauit per tale ius non fuisse Episcopis attributam facultatem confirmandi Abbatissas electas. Confirmatio autem debet fieri in eo ipso loco, in quo electio habita, & publicata est. Ita Tamburinus *num. 4.* quamuis Miranda *q. 2. de Monial. art. 15.* putet in eo saltem casu fore licitum Prælato Monialium ingredi monasterium ad confirmandam Abbatissam electam, si probabile aliquod scandalum, aut periculum alioqui imminenet ob Monialium inquietudinem resistentium electioni, & renuentium obedire; idque ob doctrinam in simili traditam q 8.

Quòd si alicubi (vt Romæ) extat contraria consuetudo, ne scilicet confirmetur electio Superiorissæ Monialium; dicendum est illam confirmari per tacitum consensum hoc ipso quod ei non contradicitur.

Notant autem Rodriquez *tom. 2. quæst. 54. artic. 7.* & post illum Layman *quæst 432.* quòd si Abbatissa electa sit per compromissum, & postea Moniales aliquæ se opponant; tunc vel minor pars Conuentus se opponit; & electa debet à Superiore confirmari, ac benedici (si extet consuetudo benedicendi, quæ vtique non extat vbique) vel maior pars se opponit; & tunc confirmatio, ac benedictio differri debet, donec oppositionis causa cognoscatur. Quamquam electa possit interim administrare, nisi opponentium pars duplo maior existat: in quo casu non posset administrare, sed expectandus esset euentus litis, vt colligitur *ex cap. indemnitatibus, § porrò de elect. in 6.* 111.

Quòd si electio facta sit per scrutinium, & votis in diuersa diuisis, plures electiones factæ sint; ea per Superiorem confirmari debet, quæ à duabus partibus numero fuerit celebrata: & hoc, non obstante quacumque exceptione, seu contradictione, aut appellatione, sicut diximus *q. 11.* (intellige nisi fortè opponatur, aliquod votum eligentium fuisse nullum, ita vt in electione non superfint duæ partes votorum) quamquam Superior in tali casu debeat præmittere aliquas diligentias ad videndum, num alioqui talis electio sit canonica. Si autem nulla dictarum electionum facta fuerit à duabus partibus eligentium; tunc, non obstante quòd sit publicatum scrutinium, ac processum fuerit ad electionem, possunt Moniales, quæ in aliam, seu aliàs sua vota direxerant, priusquam ad actus extraneos diuertantur, accedere ad illam, quæ à maiori parte numero totius Capituli electa est: &, si per hoc deueniatur ad duas partes, electa debet confirmari; æquè ac si ab initio habuisset duas partes votorum. Quòd, si denique ad illam, quæ electa est à maiori parte, nolint accedere aliæ Moniales, aut non tot, quæ constituant duas partes, tunc Superior ante confirmationem Abbatissæ taliter electæ, planè, ac sine strepitu iudicij debet inquirere super obiectis, quæ opposuerit maior pars diuersa, necnon super aliis, quæ ex officio debent inquiri in tali negotio; electa tamen interim administrante in temporalibus, ac spiritualibus; præter quàm in alienatione totum monasterij, ac receptione Monialium. Ita Miranda *supr. quæst. 7. art. 10.* Rodriquez *loco supr. citato,* 112.

&

& alij; clarèque habetur *in cap. indemnitatibus, de elect. in 6.* ſuperiùs relato.

QVÆRES XVIII. Ad quantum tempus fieri debeat electio Abbatiſſæ.

113. Reſpond. debere fieri ſolùm ad triennium ex decreto Gregorij XIII. edito in Conſtitutione ſua à nobis relata ſuperiùs *cap.8.quæſt.*38.quæ tamen non habet locum in Abbatiſſis creari ſolitis per præſeotationem, ac inſtitutionem; cùm talis inſtitutio, ac confirmatio ſit perpetua. ita Tambutinus *ſupr. D.*30. *quæſt.*2.aliique communiter; inter quos benè notat idem Tambur. *q.*2. *n.* 12. præfatam Conſtitutionem non obligare extra Italiam; ideóque Abbatiſſas extra Italiam electas poſſe iterum eligi: in Ordine verò Fratrum Prædicatorum non poſſe electam in Abbatiſſam poſt triennium ſui Abbatiſſatus iterum eligi, niſi vacet ad minus per 4. annos; excipe, niſi fortè, monaſterium eſſet nouum, aut de nouo reformatum.

Notat autem Lezana *v.annus num.*5. Quòd, cum Gregorius in citata *Conſtitut.* ſtatuat Abbatiſſas in Italia à die ſuæ adminiſtrationis finitæ debere vacare per triennium; &, quando aſſignatur tempus in accuſatiuo cum propoſitione *per*, requirantur anni completi *ex l. non putabam, ff. ſi annus, ff. de conditione & demonſtrat.* Abbatiſſæ debent vacare per 3. annos completos. Quamuis idem Lezana *v. Abbatiſſa num.* 12. ex Miranda, & Laorio dicat illas pro paruo tempore poſſe exercere Vicariæ munus, donec eligatur Abbatiſſa: quod etiam nos diximus *cap. 8. num* 60.

QVÆRES XIX. An, & quo modo Monialis canonicè electa in Abbatiſſam poſſit renonciare electionem Abbatiſſatus.

114. Reſpond. poſſe, niſi conſtet deeſſe aliam dignam, quæ eligatur: tunc enim præferendum eſſe bonum commune monaſterij propriæ quieti, & acceptandum onus, ſi electa alioqui videat ſe eſſe dignam. & quidem quòd in priori caſu poſſit renonciare; conſtat tum exemplo plorium Sanctorum, qui dignitates præſentis ſæculi quàm maximè auerſati ſunt, & eas pro viribus refugerunt; tum quia non debet quis de facili ſe dignum potare ex Gloſſa *in cap. in ſcripturis v. minime* 8.*q.* 1. *& cap. ſi electio v. renunciat. de elect. in* 6. ita Tambur. *ſup. D.*31.*q.*1.monens *num.*4. quòd ſi ſponte renuncietur electioni, renuncians non debet ampliùs audiri: cùm per renonciationem ſpontaneam amiſerit omne ius acquiſitum per electionem; vt notarunt Innoc. & Abb. relati ab ipſo Tambutino.

An autem Abbatiſſa poſſit renunciare Abbatiſſatum in fauorem alicuius particularis Monialis.

115. Reſpond. Tambur. *ſupr. q.* 1. ex Creſcentio, Paſiſio, & Laorio poſſe; ſi Abbatiſſa renuncians Abbatiſſatus dignitatem habeat in titulum, aot adminiſtrationem à Papa: patetque ex tis, quæ proportionaliter procedunt io præſenti materia; ſecùs, ſi non habeat in titulum, &c.

QVÆRES XX An Moniales eligentes Abbatiſſam, non ſeruata forma *cap. quia propter*, priuentur iure eligendi.

116. Reſpond. non priuari, ſi id faciant ex ignorantia iuris, quæ excuſat mulieres, *leg. regula, ff. de iur. & fact. ignor.* ita Samuellius *tract.* 1. *de elect. can. controu.* 8. *num.* 5. ex Caſtro, Boërio, Menochio, & alij, qua de re *ſupr. cap.*8.*q.*43.

Plura alia, quæ hîc controuerti poſſent de electione Abbatiſſæ, ſeu Priorisſæ Monialium; examinantur in noſtro *tract. de gubern. cap* 2. *ſect.* 1. ideóque non eſt, cur ea hoc loco repetamus.

SVBSECTIO II.

De Poteſtate Abbatiſſæ in Moniales ſubditas.

117 Abbatiſſa in Moniales ſubditas habet poteſtatem ciuilem, ac domeſticam.

118 Eſt capax iuriſdictionis ſpiritualis delegatæ; ſicut eſt & homo non baptizatus.

119 Propriè loquendo, non eſt prælata Conuentus, cui præeſt.

120 Quando incipiat exercere ſuum munus.

121 Interdum illud exercet ante confirmationem.

122 Ex poteſtate delegata ferre poteſt leges.

123 Imponit præcepta obligantia in conſcientia, non tamen ſpiritualia; quod alij reiiciunt.

124 Imponit præcepta ſpiritualia ex poteſtate delegata.

125 Ex delegatione Papæ poteſt præcipere in virtute obedientiæ.

126 Non præcipit ſub cenſura Eccleſiaſtica, niſi ex delegatione Papæ.

127 Hoc autem pluribus modis facere poteſt.

128 Præcepta Abbatiſſæ non obligant in conſcientia ex eo quòd confirmentur, aut innouentur à Prælato.

129 Abbatiſſa punit ſubditas, eáſque corrigit; ſed cum limitatione.

130 Obligat in conſcientia ad detegendum delictum, de quo inquirit.

131 Interdum confert beneficia Eccleſiaſtica, iiſque priuat.

132 Qua portio redituum annuorum aſſignari debeat Vicario beneficij vniti Monaſterio Monialium.

133 Non diſpenſat in legibus Eccleſiaſticis, ſaltem ex poteſtate ordinaria.

134 Non commutat, nec diſpenſat in votis Monialium ſubditarum.

135 Ea tamen irritat (ſed non votum tranſeundi ad arctiorem; quod tamen poteſt commutari in votum perſeuerandi in Ordine laxiori etiam ab ipſa vouente.) Papa non irritat Vota Regularium, quæ alij Prælati non irritant.

136 Et quidem abſque cauſa, ſi non ſint facta de eius licentia.

137 Irritans vota propria ſubdita ſine cauſa peccat ſolùm venialiter.

138 Propriè non diſpenſat in regularibus Obſeruantiis.

139 Non prædicat, nec benedicit ſuis ſubditis.

140 Recipit puellas ad educationem, ſed ſeruatis ſeruandis.

141 Non dat facultatem ingrediendi clauſuram.

142 Niſi in caſu, quo adſit periculum in mora.

143 Applicat alius bona opera ſubditarum.

144 Indicit iis certas preces, & quidem etiam ſub peccato.

145 Non præcipit in ſpiritualibus, ita vt obliget grauiter.

146 Bona monaſterij liberè adminiſtrat.

147 Contrahit de illis, ſed de conſenſu Capituli, imò & Superioris, & quidem ad validè; etſi in in adminiſtrationem bonorũ ſpectantium ad ſuas Moniales ſe ingerat iure, non diſpoſitiuo, ſed ſolum directiuo.

148 Dat facultatem accipiendi, dandi, poſſidendi, &c.

149 Donationes aliquas facit, etiam de bonis communibus; moderatas tamen.

150 Idque inconſulto ſuo Capitulo, ſtando in iure communi: non item in caſu ſpeciali, qui refertur.

151 Ex

151 *Ex causa impedit, ne subdita vtatur concessione facta à Prælato.*

152 *Regulariter non moderatur pœnas inflictas suis subditis à Prælato.*

QVÆRIS I. Quam potestatem habeat Abbatissa in Moniales subditas.

117. Respond. habere potestatem domesticam, ac ciuilem; qualem habet mater familias in filios, & magistratus in ciues: non autem potestatem spiritualis iurisdictionis ordinariæ est ferè communis Doctorum, apud Tamburinum *D. 32. de iure Abbatissæ q. 2. num. 2.* contra Panormitanum *in cap. dilecta, de maiorit. & obed.* & alios Iurisconsultos oppositum sustinentes (& quidem probabiliter iudicio Azorij *tom. 1. lib. 13. cap. 10. q. 5.*) id inde probantes, quòd, sicut fœmina ratione dignitatis, aut muneris est capax iurisdictionis temporalis, seu ciuilis, cùm possit esse Regina, Ducissa, aut gubernatrix alicuius Prouinciæ; sic Abbatissa ratione muneris, ac publici officij potest habere ius instituendi Clericos in Ecclesiis suo monasterio subiectis, & beneficia conferendi iuxta *cap. dilecta, citatum*: quæ vtique præstari nequeunt absque vsu spiritualis iurisdictionis. Probatur autem nostra responsio, tum quia Religiosi professi laici non debent censeri deterioris conditionis, ac sint Moniales; at illi non possunt habere iurisdictionem spiritualem; ergo nec Moniales: tum quia habens iurisdictionem spiritualem potest ferre censuras, & absoluere ab illis; neutrum autem horum conceditur Abbatissis: tum quia quod dicunt Aduersarij fœminam ratione publici muneris esse capacem iurisdictionis temporalis, non probat etiam Monialem electam in Abbatissam esse capacem iurisdictionis spiritualis; sed solùm indicat aliquam illi potestatem tribuendam esse, nimirum ciuilem, ac domesticam, quam de facto nos illi attribuimus.

Difficultas modò est, an Abbatissa saltem sit capax iurisdictionis spiritualis delegatæ, & quasi ex commissione.

118. Respond. esse capacem, non quidem ex commissione, quæ illi fiat ab Ordinario, vel à Prælato regulari, prout alterutri illorum respectiuè subiicitur (sicut docent Laymann *in qq. canon. q. 23.* Henriquez *l. 6. de pœnit. cap. 2. num. 3.* Sotus *in 4. d. 20. q. 1. art. 4.* & alij adductis à Sanchez *l. 6. mor. cap. 1. num. 23.*) sed tantùm ex commissione, quæ illi fiat à Papa. ita in terminis Sanch. & alij apud Tamburinum *D. 32. de iure Abbatiss. q. 4.* patétque ex eo quòd, cum fœmina sit incapax spiritualis iurisdictionis, non iure diuino, sed humano, nempe iure canonico: & alias inferiores Papa non possint dispensare in iure canonico, sed solus Papa: poterit quidem Papa committere aliquam iurisdictionem spiritualem Abbatissæ, sic dispensando in iure communi: id tamen præstare non poterunt, neque Ordinarius, neque Prælatus regularis; vtpote qui nihil efficere possunt contra ius canonicum, ac communem Ecclesiæ vsum quamuis Barthol. de Ledesma relatus à Sanch. neget talem commissionem fieri posse à Papa; eo quòd putet fœminam esse incapacem iurisdictionis spiritualis de iure diuino, in quo constat Papam non posse dispensare.

Addo non esse omninò improbabile facultatem ferendi censuras Ecclesiasticas posse committi homini non baptizato: & probatur tum quia in hoc casu delegatus non operatur, nisi nomine, ac virtute delegantis, idest Papæ (is enim solùm potest facere talem delegationem) tum quia non baptizatus iure diuino est capax iurisdictionis spiritualis necessariæ ad baptizandum, si intendat facere, quod facit Ecclesia, *cap. à quodam Iudæo, de consecrat dist. 4.* ergo à fortiori iure diuino erit capax iurisdictionis spiritualis ex priuilegio Papali. ita Vgol. *de censur. tab. 1. cap. 2. §. 9.* Alterius *de censur. tom. 1. D. 7. lib 3. cap 5. & 6.* à quibus non omninò dissentit Fragosus *part. 1. introd. proœm. §. 2. num. 20.* etsi dicat opinionem negantem sibi magis placere, quidquid contra sentiat Sotus *in 4. dist. 20. q. 1. art. 4*

Quòd si obiter quæras, an attentis supradictis, Abbatissa dici possit Prælata monasterij, cui præest.

Respond. quòd, cùm ad rationem Prælati propriè dicti supponatur spiritualis iurisdictio, vt tradunt DD. communiter ex S. Thom. *in 4. d. 19. q. 1. art. 1. quæst. 3.* ad 4. hoc ipso quòd Abbatissa caret iurisdictione spirituali ordinaria, & solùm gaudet potestate ciuili, ac domestica: eò ipso, propriè loquendo, non potest dici Prælata; quod tamen non facit, quin impropriè dici possit Prælata; quatenus in Moniales subditas ipsi competit potestas domestica, ac ciuilis. qua de re Tamburinus *n. 5.* 119.

QVÆRES II. Ex quo tempore possit Abbatissa inchoare vsum suæ potestatis in Moniales sibi subditas.

Respond. regulariter non posse inchoare, nisi ab eo tempore, quo post canonicam electionem confirmatur à legitimo Superiore; sicque irritum esse, quidquid agitur ab ea ante confirmationem. est communis DD. apud Maresc. *l. 2. variar. cap. 35. num. 44.* & probatur tum *ex cap. nosti, cap. qualiter, de elect. cap. si iam dudum, de præbend.* aliísque iuribus, in quibus id satis aperte insinuatur: tum quia iuxta Glossam *in cap. quanto d. 63.* electio dat habitum, confirmatio exercitium; quamquam dici possit hæc regula fallere in casu, quo non sit in vsu talis confirmatio, & resistat contraria consuedo. 120.

Dixi *regulariter*, quia doctrina in præsenti responsione tradita non procedit 1. si Monialis electa ita longè distet à confirmante, vt non sine graui dispendio differri possit administratio, *cap. nihil, §. fin. de elect.* 2. quoad conseruationem rerum, quæ tempore diuturniori seruari non possunt (quamuis meliùs sit abstinere, si aliæ Moniales illas administrare possint) 3. si sit electa à maiori parte, & pendeat cognitio oppositionum, quæ contra illam fuerunt factæ, *cap. indemnitatibus, de elect. in 6.* denique si sit electa per modum compromissi, & opponentes non sint duplo maiori numero, quàm consentientes *cap. cit. indemnitatibus*: in his enim casibus potest Monialis electa Abbatissam administrare, etiam ante confirmationem. ita Tambur *supr. D. 39. q. 3. num. 4.* 121.

QVÆRES III. An, & qualiter possit delegari Abbatissæ potestas condendi leges Ecclesiasticas, ac spirituales.

Respond. quòd, quamuis ordinariè non expediat huiusmodi potestatem concedi fœminis; cùm de illis 1. Cor. 14. scriptum sit: *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse: si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia*; nihilominus probabile putat Bonacina *D. 1. de leg. quæst. 1. part. 3. num. 35.* & non improbabiliter, de potentia Papæ absoluta posse dictam potestatem committi fœminis; probátque tum quia nulla adest ratio sufficiens implicantiæ; nec vllum ius diuinum afferri potest, ex quo oppositum suadeatur: tum quia non pauci DD. iique graues, ac docti apud eundem Bonacinam sustinent Papam 122.

ex

ex suprema sua potestate posse conferre mulieri iurisdictionem ad ferendas censuras; ergo & poterit conferre facultatem ferendi leges; cum in vtroque casu par ratio militet; dato autem quòd possit fœminæ conferri potestas ferendi leges, poterit & conferri Abbatissæ respectu Monialium sibi subiectarum; quod est contra Tamburinum *supra D.13. quæst.3.num.1.* & alios absolutè id negantes ob verba illa à nobis allegata ex 1. Corinth. 14. quæ tamen solùm probant regulariter non expedire, quòd dicta facultas conferatur mulieri; non item quod absolutè ea non possit conferri à Papa; vt notauit Bonac. afferens exemplum S.Catharinæ Senensis, quæ sæpiùs fuit admissa ad concionandum coram Papa, ac cœtu Cardinalium.

QVÆRES IV. An, & quomodo Abbatissa possit Monialibus subditis imponere præcepta obligantia in conscientia, & quæ.

123. Respond. posse imponere præcepta; non quidem spiritualia, quæ supponunt in præcipiente spiritualem iurisdictionem, cuius est incapax Abbatissa; sed temporalia, ad quæ requiritur & sufficit potestas ciuilis, ac domestica, cuius sine dubio est capax Abbatissa. Ita Rodriquez *tom.1.quæst.15.art.1.* Sanch *sup. num.19.* Suar. *tom.4.de relig.tract.9.l.1.cap.12.num.8.* Lezana *tom.1.cap.26.n.m.8.* aliique communiter contra aliquos tacito nomine relatos à Suarez *n.7.* dicentes potestatem imponendi præcepta, etiam spiritualia, competere Abbatissæ cum proprietate, ac rigore iurisdictionis (quippe quæ est capax iurisdictionis, saltem per delegationem, & aliàs censetur eam recipere à Prælato Religionis, aut Episcopo, vel certè à Papa, vtpote valdè necessariam ad regimen monasterij, cui præest ipsa Abbatissa) necnon contra alios ex Soto *in 4.d.10. quæst.1 art.4.* sustinentes Abbatissam non posse imponere præceptum obligans in conscientia; cùm ad hoc imponendum requiratur potestas spiritualis, cuius est incapax Abbatissa. Et certè quòd tribui debeat Abbatissæ potestas imponendi præcepta obligantia in conscientia & ad culpam: etiam mort. data grauitate materiæ præceptæ; facilè suadetur tum quia talis potestas est omninò necessaria ad bonum regimen monasterij, vt patet, & nos iam indicauimus: tum quia Abbatissa se habet ad Moniales sibi subiectas, sicut mater familias ad filios; at hæc potest imponere præcepta obligantia ad culpam, ergo & illa. In eo autem differunt præcepta spiritualia, ac temporalia, quòd illa ordinantur ad finem spiritualem subditorum; hæc verò ad finem temporalem, nimirum ad bonum regimen monasterij, Monialium tranquillitatem, ac pacem, &c. vt superiùs dictum est.

124. Porrò quod diximus Abbatissam non posse imponere præcepta spiritualia, non procedit in casu, quo illa præcipiat ex iurisdictione spirituali ipsi delegata; nam tunc non apparet, cur non possit imponere præcepta spiritualia, cùm habeat iurisdictionem spiritualem, quæ requiritur, & sufficit ad imponenda talia præcepta: & in hoc sensu conuenimus cum iis, qui dicunt Abbatissam posse imponere præcepta spiritualia, si solùm loquantur in casu à nobis proposito. Ad quod vtique facit doctrina: quam tradit Sanchez *num.25.* & benè, quòd si Prælatus Monialium ipsis præcipiat sub mortali, vt obediant Abbatissæ iubenti hanc, vel illam rem concernentem finem spiritualem, & quidem in materia graui: Moniales tunc tenentur sub mortali implere præceptum illius rei ab Abbatissa impositum: cùm huiusmodi præceptum sic obligans non proueniat ab Abbatissa, sed à Prælato; & ipsa Abbatissa in tali euentu sit velut conditio determinans illud Prælati præceptum, vt sine qua illud non obligaret. Immò Castr. Pal. *tract.16.D.4.p.2.n.3.* cum Suarez *tom.3. de relig. l.10.cap.11.num.20.* putat Abbatissam posse præcipere Monialibus suis quidquid expedire iudicauerit, etiam prout ea conducunt ad profectum earum spiritualem: quod est benè aduertendum.

QVÆRES V. An Abbatissa Monialibus subditis præcipere possit in virtute sanctæ obedientiæ, aut Spiritus S saltem ex delegatione.

Respond. non posse, nisi ex delegatione Papæ: idque etiamsi demus Moniales in Religiosa professione promittere obedientiam Abbatissæ monasterij. Ita Sanch. *sup.num.21.& 23.* Rodriq. *sup.* aliique penes Sanchez contra Azorium *tom.1.l.13.c.10.q.7.* & Lezanam *num.10.* oppositum sustinentes: patetque ex dictis *sup.cap.4.sect.3.q.14.* si hic monuero, quòd, cùm Abbatissa solùm iure canonico sit incapax iurisdictionis spiritualis, & consequenter præcipiendi in virtute sanctæ obedientiæ: & aliàs Papa possit dispensare in dicto iure; consequenter poterit per dispensationem committere Abbatissæ iurisdictionem spiritualem, & per consequens etiam potestatem præcipiendi in virtute sanctæ obedientiæ; sicut ionui in responsione per illa verba, *non posse nisi ex delegatione Papæ*; ex quo quis benè inferat, quòd, cùm nullus inferior Papa possit dispensare in iure canonico, neque vllus poterit delegare Abbatissæ facultatem præcipiendi modo dicto. 125.

QVÆRES VI. An Abbatissa possit aliquid præcipere Monialibus subditis sub pœna excommunicationis, aut alterius censuræ.

Resp. iuxta dicta *q.præc.* non posse, nisi ex delegatione Papæ: cùm facultas ferendi censuras supponat iurisdictionem spiritualem, quæ fœminæ non potest delegari, nisi à Papa, vt constat ex dictis. Et certè quòd Papa absolutè possit committere Abbatissæ talem facultatem, constat ex eo, quod tradunt Palud. Nauarr. Vgolin. & Suarez apud Bonacinam *D.1. de censur.in com.q.1.part 2.num.4.* non esse improbabile fœminam de absoluta potestate Papæ posse ferre censuras: cùm hoc sit solùm contra ius canonicum, in quo Papa potest dispensare: qua de re Fragosus *de regimine introduct. proœmiali, §.2.num.20.* 126.

Notat autem Suar. *tom.4. de relig.tract.8.l.2.cap.9. num.15.* præfatam facultatem pluribus modis concedi posse fœminis; nimirum vel vt directè, & per se id faciant: vel designando personam, quam Papa statim liget ad declarationem, seu voluntatem fœminæ habentis dictam facultatem: vel iis concedendo, vt per suos Officiales possint censurare (quod est accipere potestatem censurandi, non à fœmina, sed à Papa ad mandatum, seu designationem fœminæ) qui modi ligandi censuris vtique concedi possunt Abbatissæ, vt patet. 127.

QVÆRES VII. An Abbatissa possit Moniales subditas obligare in conscientia ex eo præcisè quod eius præcepta confirmentur, aut innouentur à Prælato ipsarum Monialium.

Respond. non posse; cùm innouatio, aut confirmatio nullum ius nouum tribuant, sed antiquum conseruent; vt tradit Glossa *in c.cum dilecta v. non videremus, de confirm.vtili*; & latissimè ostendit Felin. *c.inter dilectos, n.14. de fide instrum.* 128.

QVÆRES VIII. An, & quo iure possit Abbatissa cogere Moniales subditas ad obseruantiam regularum, possitque punire illarum transgressiones, necnon inquirere Moniales de excessibus commissis.

Respond. posse: & hoc tum vigore potestatis 129.

domina

dominatiuæ, quam acquirit Abbatissa in Moniales subditas ex voto obedientiæ ab ipsis emissorum vigore auctoritatis, quam eadem Abbatissa habet à Papa confirmante regulam, aut à Prælatis ipsarum Monialium, sicut indicat Sanchez *n.*27 ex Vasq. 1.2. *D.*166.*c.*4.*n.*28. Quamquam cùm Abbatissa regulariter careat iurisdictione propriè dicta in Moniales subiectas, non possit adhibere, nisi eam correctionem, quæ locum habere potest intra latitudinem familiaris domus, ac prouidentiæ, sicque non possit imponere pœnam grauem, neque spiritualem, vt vidimus *q.*6. neque corporalem: vnde, si occasione alicuius grauioris excessus infligenda sit pœna grauior; debet Abbatissa recurrere ad Prælatum proprium; siue is sit Ordinarius, siue Prælatus regularis; quod in specie aduertit Suar. *sup. n.*2. monens, qualis, & quanta pœna possit infligi ab Abbatissa, iudicio prudentis arbitrij relinquendum esse, spectato vsu, & communi more hominum.

130. Monet autem Sanch. *n.*28. ex Barthol. Ledesma, quòd, sicut quilibet iudex legitimè inquirens de delicto obligat suo præcepto sub mortali ad detegendam veritatem in rebus magni momenti, etiam secluso iuramento; sic & Abbatissa inquirens de delicto Monialis subditæ potest imponere præceptum obligans ad mortale, vt Moniales subiectæ detegant veritatem: cuius rei ea est ratio, quòd, cùm illa potestatem habeat puniendi tale delictum, debet habere, & potestatem illud inquirendi iuxta illud: *Qui dat finem, dat & media ad finem.*

QVÆREA IX. An, & qualiter Abbatissa possit conferre beneficia Ecclesiastica, & Clericos instituere.

131. Respond. posse de consensu sui Capituli, si ipsius monasterio annexum sit aliquod beneficium curatum, aut simplex; idque præsentando, seu designando clericum, cui beneficium conferatur (quod est instituere institutione dante possessionem, & titulum) non autem conferendo beneficium quoad ius spirituale in eo inclusum, conferens vsum clauium, id est potestatem exercendi curam animarum, nec non ligandi, ac soluendi; quod est instituere institutione authorizabili, vt loquuntur in subiecta materia Rodriq. *tom.*1. *q.*17. *art.*12. Miranda *q.*6. *de Monial. art.*5. Tambur. *D.*32. *de iure abbatiss. q.*12. *num.*1. à quibus non dissentit Suar. *n.*14. monens, quòd, sicut præfata præsentatio fieri potest ab Abbatissa interdum homini (v.g. Episcopo) vt ipse faciat collationem, ac institutionem; interdum verò per simplicem designationem, & quasi electionem; vt ipso facto beneficium, ac ius spirituale conferatur à Papa; sic etiam interdum pôtest Abbatissa dare possessionem beneficij; cùm talis datio non sit actus propriæ iurisdictionis spiritualis in executore; sed in præcipiente, & alioqui Abbatissa in hoc se habeat præcisè tanquam is, cui delegatur executio: vnde & eodem modo potest dare titulum, idest testimonium beneficij alteri collati, non à se, sed à Papa ad suam nominationem. Quin & eadem ratione poterit Abbatissa priuare beneficiis, aut eorum possessione in pœnam, si id ei speciali priuilegio concedatur: siquidem in tali casu non exercet propriè iurisdictionem spiritualem, sed ad eius voluntatem ipsemet Papa aufert iurisdictionem spiritualem.

132. Cæterùm monet Tambur. *num.*2. portionem redituum annuorum assignandam Vicario, siue perpetuo, siue amouibili, ab Abbatissa præsentando ad beneficia vnita monasterio, non debere excedere 100. aureos, nec minus 40. idque ex Pij V. bulla 47. in ordine, vbi expressè statuitur Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos in assignatione portionis ipsis Vicariis perpetuis (qui scilicet deputantur ad beneficia vnita monasterio) ex prædicto Concilio (id est Tridentino) ipsorum Prælatorum arbitrio facienda ita se continere, & arbitrari debere, vt non maior 100. nec minor 50. aureorum annuorum summa, computatis omnibus incertis emolumentis, & aliis obuentionibus communiter percipi solitis, eis omninò assignetur, &c.

QVÆRES X. An Abbatissa possit cum Monialibus subditis dispensare in legibus Ecclesiæ; vt in ieiuniis, esu carnium, recitatione diuini Officij.

Respond. videri non posse; cùm dispensare in legibus Ecclesiæ manifestè pertineat ad solam potestatem spiritualem: & aliàs fœmina quæcunque iure ecclesiastico sit incapax iurisdictionis spiritualis: quidquid contradicat Henriqez *l.*6. *de pænit. c.*2. *num.*3. (quem citat, & non reiicit Lezana *to.*1. *c.*16. *num.*16.) sustinens Abbatissam habere ex commissione Prælati, vt dispenset cum suis Monialibus in ieiuniis, & quibusdam legibus ecclesiasticis, vrgente casu necessitatis: idque pro bona Monialium gubernatione, ad quam talis facultas videtur necessaria; nobiscum sentit Sanch. *sup. num.*24. & cum eo in terminis Tambur. *q.*8. *n.*1. addens *num.*2. Paulum III. viuæ vocis oraculo concessisse Abbatissæ Monialium S. Claræ de Obseruantia, quòd possit cum Monialibus suis dispensare circa ieiunium præscriptum in regula, & circa esum carnium, & lacticiniorum, siue ouorum, quando cognouerit Moniales subditas propter debilitatem, aut aliam legitimam causam non posse ita commodè seruare huiusmodi ieiunia, & abstinentias. Verùm ista concessio non extenditur ad ieiunia, ac abstinentias vniuersales Ecclesiæ, vt constat ex tenore textus; &, cùm facta fuerit viuæ vocis oraculo, non ampliùs subsistit, vtpotè sublata in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum, de qua supra: intellige, nisi admittatur doctrina tradita ex Peyrino in hoc ipso *cap. num.*96. 133.

QVÆRES XI. An Abbatissa possit commutare vota Monialium subditarum, aut irritare, aut etiam in iis dispensare.

Respond. quòd, cùm actus commutandi, ac dispensandi in votis pertineat ad spiritualem iurisdictionem (cuius est incapax Abbatissa iuxta sæpius dicta) è contra vero actus irritandi vota suorum subditorum spectet ad potestatem dominatiuam, quæ competit Abbatissæ in Moniales subiectas: poterit quidem Abbatissa irritare vota Monialium subditarum, non item ea commutare, aut in illis dispensare. ita Rodriq. *tom.*1. *q.*25. *art.*7. Sanch. *l.*4. *mor. c.*39. *num.*7. Lezana *sup. num.*15. aliique quos refert, & sequitur Tambur. *q.*6. & 7. monens *q.*7. *num.*3. quòd, cùm Prælati Monialium vi sui muneris instituantur, vt gerant curam spiritualem ipsarum, & ad id habeant sufficientem iurisdictionem: illorum est commutare, aut dispensare vota Monialium sibi respectiuè subditarum. 134.

Addit Tambur. *q.*6. *num.*2. aliis citatis Abbatissam posse irritare omnia vota suarum Monialium: idque etsi ea emiserint de ipsius licentia: & quidem ita, vt ea sic irritata non ampliùs reuiuiscant; excepto tamen voto transeundi ad Ordinem arctiorem, quod non cadit sub potestatem dominatiuam Superiorum regularium; quippe quod, etiam ipsis inuitis, impleri potest, vt inter alios rectè aduertit Less. *sup. num.*74. sustinens ex Angelo, Sylu. Soto, Nau. & S. Tho. Prælatum regularem, & consequenter Abbatissam posse irritare vota suorum subditorum, etiamsi non sine emissa circa materiam supererogationis: idque ex 135.

dispositione iuris, sicut bene ostendit ipsemet Lessius *loco citato*.

Vnum hic placet obiter monere, puellam, quæ vouit ingredi monasterium Ordinis strictioris, posse ingredi laxiorem, eo voto commutato in votum perseuerandi in Ordine laxiori, quod in specie aduertit Sanch. *l. 4. mor. cap. 16. num. 18.* ex Palud. S. Anton. & Syln id inde probans, quòd puella ex priori voto tenebatur solùm ingredi Religionem; ex posteriori vero tenetur etiam profiteri: plus autem est teneri perseuerare in Ordine laxiori, quàm ingredi strictionem cum libertate non perseuerandi; sicque posterius votum habet pro obiecto bonum maius, ac longè excellentius, ideòque prius votum potest commutari in hoc, etiam ab ipsa puella vouente. Quanquam, teste eodem Sanchez *l. 6. mor. cap. 7. num. 23.* ad diiudicandum, qui Ordo sit strictior, non solùm primæuæ regulæ, ac constitutionum institutio spectari debeat, sed præsens obseruantia. Vnde fit, vt, si ex regula, & constitutionibus laxius sit alicuius Ordinis Institutum, sed arctior præsens viuendi modus, eo quòd alia Religio ex se strictior collapsa sit, ac relaxata, illa Religio dicatur strictior, quàm hæc iam collapsa: quæ sunt bene aduertenda.

Vt autem obiter id hoc loco adnotem; censet Sanch. *supr. c. 33. n. 13.* Papam regulariter non posse irritare vota emissa à Religiosis, quæ ab aliis Prælatis regularibus irritari non possunt: adeòque illum non posse irritare votum transitus ad strictionem Ordinem & vota annexa peculiari instituto cuiuslibet Religionis, sicut nec possunt alij Prælati regulares. probat Sanch. quia Papa non potitur facultate irritandi vota, quatenus Papa est, ac supremum Ecclesiæ caput, (aliàs posset irritare & vota laicorum, quorum item est caput) sed solùm potest id præstare, quatenus est Prælatus Religionis, cui vna cùm aliis eiusdem Prælatis emittitur votum obedientiæ: at vt sic non est supra ius Pontificium, sed solùm quatenus est Papa.

136. Addo ego, quòd, quamuis Abbatissa non peccet irritando vota supererogationis facta à suis Monialibus, licèt id faciat sine causa (sicut nec peccat Monialis, quæ fecit votum, si absque causa petat eius irritationem, cum illud emissum sit sub hac conditione tacita, *nisi Abbatissa irritet*) non excusaretur tamen à peccato Abbatissa, si votum de eius licentia emissum sine causa irritaret: idque ob rationem, quam affert Less. *lib. 2. cap. 40. num. 76.* aliàs concedens successorem Prælati regularis, qui non consensit in votum, posse illud postea irritare, etiam absque vlla causa: cùm ipse in illud non consenserit, & eius Prædecessor consentiendo non derogauerit iuri aliàs ipsi quoad hoc competenti.

Vtrùm verò peccet mort. irritando sine causa votum de ipsius consensu emissum à Moniali subdita.

137. Respond. videri probabile, quòd peccet solùm venialiter; cùm sic non peccet, neque contra iustitiam vtpote vtens iure suo, quod non censetur voluisse renunciare consentiendo in dictum votum; neque contra Religionem, stante quòd ipsa non vouit, ita vt dici debeat violare votum, nec est causa violationis voti, cùm votum, facta irritatione, non amplius obliget. ita Rosella *v. votum. 3. num. 2.* Suar. *tom. 2. de relig. tract. de voto lib. 6. cap. 4. num. 22.* dicens rarò contingere in præsenti casu culpam mort. secluso scandalo, aut graui contemptu, Sanchez *l. 4 mor. cap. 27. num. 31.* (quamuis oppositam sententiam sequantur vt probabiliorem) Bonac. *D. 4. de leg. quæst. 2. part. 7. §. 2. num. 19.* contra alios apud eundem Sanchez, & Bonac. adductus.

Qværes XII. An Abbatissa possit cum suis Monialibus dispensare in obseruantiis regularibus, & quomodo.

Respond. non posse, nisi per modum quasi declarationis hic, & nunc Religiosam subditam non teneri hac, vel illa regulari obseruantia; quæ declaratio, licèt posset fieri à quacunque alia persona prudenti, immò & ab ipsamet Religiosa, cuius interest; à fortiori tamen fieri poterit ab Abbatissa, attenta superioritate, quam habet in Monialem subditam, sicque poterit Monialis tuta conscientia stare tali declarationi, nisi aliàs ei constet eam sine sufficienti ratione fuisse factam. constat ex dictis *quæst. 10.* 138.

Qværes XIII. An Abbatissa possit prædicare Monialibus subditis, eisque benedicere, vt faciunt Prælati regulares erga Religiosos subditos.

Respond. non posse neque prædicare, nisi fortè exhortando Moniales in Capitulo, aut in claustro; neque eis publicè benedicere, sed solùm eo modo, quo parentes solent benedicere propriis filiis; cùm munus benedicendi proueniat ex potestate clauium, quæ non potest cadere in fœminam. ita Miranda *supr* Tambur. *q. 10. & 11.* aliique & patet ex dictis tum hic, tum *q. 3.* 139.

Qværes XIV. An, & quo modo Abbatissa possit recipere puellas ad probationem, immò & Nouitias ad legitimam professionem.

Respond. posse, eo tamen modo, quo diximus de receptione quidem ad probationem, *cap. 2. sect. 1. q. 20.* de admissione verò ad professionem, *c. 3. sect. 1. quæst. 4.* 140.

Qværes XV. An, & quo modo Abbatissa possit concedere extraneis facultatem ingrediendi clausuram sui monasterij.

Respond. quòd, quamuis aliqui tacito nomine relati à Sanchez infra, cum Nauarro sustineant partem affirmantem, ea ducti ratione, quòd tam Concilium Trident. *sess. 25. de regul. cap. 5.* quàm *cap. periculoso, de statu regul. in 6.* decidunt Superioris esse eam licentiam concedere, & Abbatissa verè est Superior sui monasterij *cap. dilecta, de excess. prælat.* Clem. *attendentes, §. statuimus, de statu monach.* nihilominus opposita sententia sustinenda est ob dicta *supr. cap. 5. sect. 3. q. 32.* quam de facto sustinent Nauarrus sibi contrarius *comm. 4. de regul. num. 59* Rodriquez *tom. 2. quæst. 46. art. 2.* Azor. *tom. 1. l. 13. cap. 8. quæst. 6.* & alij, quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 6. mor. cap. 16. num. 22.* addens *num. 23.* ex Rodriquez, Nauarr. & Grass. Superiores Monialium posse concedere Abbatissis licentiam generalem concedendi præfatam licentiam in casibus frequenter occurrentibus; idque ne alioqui Episcopus, aut Prælatus regularis, qui non ita facilè præ manibus habentur, passim adiri debeant. 141.

Verùm, cùm modò, saltem in multis locis, non sit in vsu, quòd detur Abbatissis facultas illa generalis concedendi ingressum in casibus frequenter occurrentibus: difficultas esse potest an casu, quo Abbatissa non habeat facultatem illam generalem; nihilominus, existente periculo in mora petendæ licentiæ à Prælato Monialium, ea possit concedi ab ipsa Abbatissa, atque adeò debeat peti ab illa.

Respond. in tali casu licentiam dari posse ab Abbatissa ex præsupposita proprij Prælati voluntate, vt bene docent Rodriq. *supr.* & Sanch. *num. 37.* ac proindè illam ab ea peti debere, & expectari; non secùs, ac quando adest periculum in mora consulendi Papam ad dispensationem rei reseruatæ, 142.

necessa

necessario debet expectari dispensatio ab Episcopo: quippè qui ex præsumpta voluntate Papæ potest in eo casu dispensare ratione vrgentis necessitatis, ita Sanchez *loco citato* monens in proposito euentu sufficere consensum Abbatissæ, & non requiri necessario consensum Discretatum: nisi aliter dicatur in Constitutionibus Ordinis, aut petat legitima monasterij consuedo.

Qværes XVI. An Abbatissa iure suo possit applicare bona opera Monialium subditarum personis extraneis, iis tribuendo literas communicationis (vt vocant.)

143. Respond. posse; & probatur, quia eo ipso quòd habet curam Congregationis, habet auctoritatem dispensatiuam bonorum communium eiusdem Cnogregationis, iuxta *cap. quanto, de translat.* Colligitur ex Nauarr. *de iubileo, not. 3. n. 18.* quem citat, & sequitur Lezana *tom. 1. c. 18. n. 67.* vna cum S.Thom. & aliis; quibus consentit Sorbus *in comp. v. indulgent. quoad saculares 4. in annot.* sed de hoc plura in nostro *tract. de gubernat. cap. 3. sect. 6. q. 4.*

Qværes XVII. An Abbatissa possit indicere suis Monialibus certas preces recitandas pro amicis, benefactoribus, &c.

144. Respond. posse, & quidem etiam sub peccato, si occurat iusta causa (v.g. ad implendum obligationem impositam monasterio ex iustitia) aut aliàs quò ad hoc se sufficienter declaret; idque ratione obedientiæ, quam vouent in manibus Abbatissæ, se obligando ad obediendum illi in omnibus rebus licitis pertinentibus ad eius superioritatem, & alioqui non excedentibus regulam propriæ professionis: vnde, cùm iniunctio talium precum sit res licita, & non excedens regulam, sine dubio poterit indici ab Abbatissa, & debebit impleri à Monialibus modo supra dicto.

Qværes XVIII. An Abbatissa suo iure ordinario possit præcipere Monialibus subditis, vt frequentiùs confiteantur, aut communicent, audiant Missam, aut concionem, & alia id genus.

145. Resp. quòd, cum Abbatissa non possit iuxta dicta *quæst. 4.* facere præcepta spiritualia suis Monialibus, vtpotè carens iurisdictione spirituali, quæ omninò requiritur ad imponenda eiusmodi præcepta; & alias præcepta hic proposita sint spiritualia ratione finis, ad quem ordinantur: ea quidem poterunt imponi ab Abbatissa, non tamen adstringent Moniales eo rigore obligationis, quo adstringerent, si imponerentur à Prælatis regularibus: vnde fit, vt omissio audiendi Missam ex præcepto Abbatissæ in tali die determinato non sit mortalis; qualis verè esset, si auditio Missæ fuisset à Prælato regulari præscripta animo obligandi ad mortale, vt vidimus *c. 3. sect. 3. q. 13.*

Qværes XIX. Quam potestatem habeat Abbatissa circa administrationem bonorum temporalium sui monasterij.

146. Resp. habere liberam administrationem omnium bonorum sui monasterij, non minùs, quam habeat Abbas circa bona proprij Conuentus: ideóque posse esse procuratricem sui monasterij; vt proinde Panormitanus *in cap. 2. num. 4. de his, qua fiunt à Prælatis*, generaliter dicat, non obstante fœmineo sexu, res monasterij disponi per Abbatissam, ac Moniales; sicut disponuntur per Abbatem, ac eius Religiosos: quod etiam admittunt Nauarr. *comm. 3. de reg. num. 4.* Cardin. *consil. 13. num. 25.* Sanch. *lib. 7. moral. c. 19. n. 44.* & alij ex *cap. dilecta, iuxta glossam v. iurisdictioni, de maiorit. & obed.* docentes vniuersalem administrationem tam temporalem, quàm spiritualem monasterij pertinere ad Abbatissam quò ad omnia, quorum fœmina est capax; Quamquam, vt rectè aduertit Tamb. *D. 31. de iure abbatiss. q. 13. n. 3.* hodie dicta administratio non videatur absoluta, ac independens, sed ferè in omnibus monasterijs habeat relationem ad alias Moniales; immò & ad Episcopum, aut Prælatum Monialium in rebus maioris momenti, cùm aliàs standum sit legitimæ consuetudini, vtpotè vim legis habenti.

Qværes XX. An, & qualiter possit Abbatissa contrahere de bonis monasterij, cui præest.

Resp. posse, de consensu tamen proprij Capituli, immò & Superioris Monasterij, loquendo de contractibus maioris momenti; si tamen aliud non ferat consuetudo, aut præscribant peculiaria statuta Ordinis, quæ omninò seruari debent. patet responsio tum ex dictis *q. praced.* tum ex generali ratione administrationis necessitatio exigentis potestatem contrahendi de bonis, quæ administrantur. 147.

Vnde infert Sanctorus *in Constitut. Minor. cap. 11. stat. 7. q. 2.* contractum factum à Monialibus circa bona immobilia sine consensu Superiori esse nullum; idque ex defectu debiti consensus, eo quòd Moniales subiaceant suis Superioribus, sicq; non habeant velle, nec nolle. Consentiunt Portell. *v. alienatio bonorum, num. 1. & v. Moniales n. 18.* Rodriq. *tom. 1 q. 17. art 8.* referens *art. 2.* concessionem Leonis X. & Greg. XIII. factam Monialibus S. Augustini, & S. Dominici, vt possint bona mobilia permutare, vendere & alienare, conuerso pretio in vtilitatem Conuentus, *de consensu tamen Ministrorum Prouincialium, ac maioris partis Conuentuum*; Vnde infert Sanctor. *sup.* quòd, cum hæc sit solemnitas requisita tanquam forma contractus, si ea deficiat, contractus erit nullus; etsi in præsentia vltra consensum Superiorum requiratur licentia expressa S.Congr. Concilij ex eiusdem S. Congregat. Decreto facto 7. Septembr. 1624. & approbato ab Vrbano VIII. sub pœnis contentis in Paulina *Ambitiosæ*, & sub pœna priuationis vocis, ac inhabilitatis in posterum.

Addit Sanctorus *sup.* Prouinciales posse se ingerere in administrationem bonorum Monialium, non ex iure dispositiuo, ac proprietario (cum ij non sint pars Conuentus Monialium, apud quem residet proprietas in communi) sed solum ex iure directiuo; quatenus Moniales subduntur Prouinciali, isque earum curam suscipit; vnde contractus fiunt nomine monasterij, ac Monialium, non autem nomine Prouincialis, ac Ordinis; sicque Moniales ipsæ obligantur, non item Prouincialis: quo pacto in contractibus mulierum; ac minorum interuenit consensus iudicis, & consanguineorum, ac tutoris, qui non habent ius in bona illorum, nisi qualificatiuum, ac legitimatiuum contractus, nec non prospectiuum, ne fiat in damnum mulierum, & pupillorum.

Qværes XXI. An Abbatissa Monialibus subditis possit concedere facultatem largiendi, possidendi, accipiendi, aut aliter disponendi de bonis ipsarum vsui concessis, non secùs ac Prælatus regularis eam concedere potest Religiosis sibi subiectis.

Respond. posse; cùm iuxta dicta *q. 19.* liberam habeant administrationem bonorum sui monasterij ad instar Abbatis, & hæc sufficiat ad concedendam dictam facultatem. ita Sanchez *vbi sup.* ex Corduba, Nauarr. Lopez, & Sorbo, quos sequitur Tamb. *sup. D. 9. q. 3. num. 9.* patetque ex dictis *cap. 4. num. 67. & cap. 6. num. 31.* Addo hic quod, cum apud Azorium *tom. 1. l. 12. cap. 12. q. 4.* aliqui Doctores Superiorem regularem dicant posse dare Religioso subdito li- 148.

tentiam expendendi singulis mensibus summam duorum, aut trium aureorum; & alij sentiant dictam licentiam pro singulis annis extendi posse ad 10. aut 12. aut 15. aureos: & alioqui Sanchez *vbi suprà* putet quoad hoc posse Superiorissam Monialium concedere illis licentiam, quam potest Prælatus, nisi ex consuetudine, aut constitutionibus Ordinis, vel præcepto Superioris Prælati arctata sit eius facultas; probabiliter dici potest Superiorissam monasterij diuitis regulariter posse dare licentiam Moniali subditæ vt extra monasterium donare possit 12. aureos in singulos annos.

Quæres XXII. An, & quas donationes possit facere Abbatissa de bonis monasterij, non obstante Bulla Clementis VIII. *de largit. mun.*

149. Respond. posse, si donationes sint remuneratoriæ, & aliàs, habita ratione redditium, aut eleemosynarum, quæ annuatim obueniunt monasterio, iudicio prudentis non sint nimis excedentes. Colligitur ex Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. cap. 26. num. 11. & 12.* qui benè monet, quantùm in genere largitionis possit Prælatus monasterij, non posse certam regulam præscribi, sed prudenti arbitrio relinquendum esse, consideratis monasterij facultatibus, & aliis occurrentibus circunstantiis: quæ doctrina sine dubio proportionaliter militat etiam in Abbatissa respectu Monialium sibi subiectarum. generalis autem ratio responsionis est, quòd huiusmodi donationes (quas Iurisperiti vocant antidotales, vtpotè non omninò liberales, sed ex aliqua naturali obligatione exortas, licèt inefficaci ad agendum, *l. sed etsi, §. consuluit, ff. de petit. hæredit.*) necessariæ sunt ad perfectam bonorum temporalium administrationem, maximè decent statum Religiosum (cùm sint solutio alicuius debiti moralis) & multum pertinent ad vtilitatem monasterij, vtpotè aliorum beneuolentiam, ac amicitiam conseruantes; vndè fit, vt Prælatus regularis possit per donationes competentes remunerari beneficia iam recepta, immò & præuenire, gratis aliquid erogando, vt sic se beneuolum ostendat, aliorùmque beneuolentiam proprio conciliet monasterio, respiciendo semper ad maiorem Prosimorum, atque ad monasterij vtilitatem. Ad quod facit *cap. vnicam* 18. *quæst. 2.* innuens Prælatum posse solum expendere bona monasterij in Dei cultum, & proprij monasterij vtilitatem. Ex quo quis benè inferat ipsum non posse donare de bonis monasterij solo titulo liberalitatis; cùm non sit dominus, sed dispensator fidelis, ac prudens, cuius non est liberales donationes ex alienis facere.

Dubium est, an Abbatissa possit facere eiusmodi donationes, etiam inconsulto suo Capitulo.

150. Respond. seclusis peculiari statuto Ordinis, aut consuetudine monasterij, posse; etsi aliàs demus negotia monasterij, quæ sint maioris momenti, debere tractari capitulariter, aut saltem cum Discretis monasterij. mouent, quòd tales donationes regulariter non solent esse adeò excedentes, vt dicendum sit tales non venire sub generali facultate administrandi bona monasterij: ex alia parte ad seruandum debitum ordinem decet committi Abbatissæ potiùs, quàm alij munus faciendi tales donationes; cùm sit caput monasterij, & pleniorem notitiam habeat eorum, quibus titulo gratitudinis dictæ donationes debentur. non nego tamen, quòd, si donatio hîc, & nunc facienda, esset iudicio viri prudentis extraordinaria ob merita extraordinaria illius, cui ea facienda est; ea tunc debeat fieri de consensu Capituli, aut Discretarum: cùm donatio sit species contractus, & contractus maioris momenti in monasteriis Monialium non fiant inconsulto Capitulo.

Addo quòd, cùm remissio debiti contractui cum monasterio sit quædam virtualis donatio; & iuxta dicta Abbatissa possit, etiam sine consensu Capituli, facere competentes donationes: poterit Abbatissa propria auctoritate, ac independenter à Discretis remittere pecuniam debitam monasterio, siue ex contractu, siue ex delicto; dummodò talis pecunia iudicio prudentis non sit nimis excedens, ac immoderata. in cuius rei confirmationem facit, quod in declaratione bullæ *de largit. mun.* editæ à Clemente VIII. facta de mandato Vrbani VIII. solùm excipitur, si in hoc, aut illo monasterio *sit constitutio requirens maiorem partem Conuentus consentientem tali donationi*; quod est dicere rem hanc aliàs esse commissam potestati Abbatissæ.

Quod si hac occasione quæras, an Abbatissa ex peculio Monialis defunctæ propria auctoritate possit expendere 100. aureos in Missis celebrandis pro ipsa defuncta, si alioqui in Conuentu non extet consuetudo expendendi tantam summam in Missis celebrandis pro Monialibus defunctis.

Respond. videri non posse; cum Abbatissa sit solum administratrix bonorum Conuentus, cui præest; & vt talis debeat administrare bona præfata iuxta rationabilem voluntatem ipsius Conuentus: qui cum habeat ius supra peculium Monialis defunctæ, dato quod non extet vsus expendendi in Missis summam adeò notabilem (vt suppono) præsumitur in præsenti casu nolle expendi dictos 100. aureos in Missis, & quidem rationabiliter; adeóque si Abbatissa id faciat, malè faciet, vtpotè administrans bona aliena contra voluntatem Domini. Ita respondi in contingentia facti, & responsio fuit approbata.

Quæres XXIII. An Abbatissa possit impedire, quo minùs Monialis subdita vtatur concessione ipsi facta à Prælato monasterij, aut etiam priuilegio aliquo concesso Ordini.

Respond. videri posse, si interueniat iusta causa, & alioqui in concessione gratiæ factæ à Prælato Moniali particulari, aut priuilegij collati vniuerso Ordini non denegetur Prælatis potestas ea coarctandi, siue in totum, siue ex parte; secùs, si vel non adsit iusta causa, vel modo dicto denegetur facultas ea coarctandi: tunc enim non posset Abbatissa impedire. colligitur ex Sanchez *l. 6. mor. c. 3. n. 9.* Corduba *in regul.* S. Franc. *c. 10. q. 2. part. 6.* ac Peyrino *de R. S. quæst. 1. c. 8. §. 6.* & patet, quia in priori casu coarctatio non censetur fieri absque consensu concedentis, saltem tacito, ac interpretatiuo: in posteriori verò procedit *reg. 17. in 6. Indultum à iure beneficium non est alicui auferendum.* 151.

Quæres XXIV. An Abbatissa possit remittere, aut saltem moderati pœnam impositam Moniali subditæ à Prælato monasterij.

Respond. non posse, nisi fortè in aliquo casu ex epycheia hic, & nunc ex concurrentibus circunstantiis rationabiliter concepta. patet, quia remissio, ac moderatio pœnæ legitimè iniunctæ, cùm sit actus potestatis, non potest fieri, nisi ab eo, qui illam iniunxit, eius successore, aut illius Superiore; Abbatissa autem in proposito casu neque est successor, neque Superior Prælati, qui pœnam imposuit, immò est eius subdita, ac inferior; ergo. 152.

* * *

Sectio

Sectio III.

De gubernatione Monialium quoad Confessarium, tum ordinarium, tum extraordinarium.

Explicatis iis, quæ spectant ad Monialium gubernationem tam ex parte Ordinarij, aut Prælati regularis, quàm ex parte Abbatissæ, seu Priorissæ: superest modò, vt in præsenti sectione agamus de Monialium gubernatione quoad ipsarum Confessarium: & quidem, cùm præter Confessarium ordinarium quotannis soleat aliquoties assignari etiam extraordinarius, & in hoc peculiares aliquæ difficultates possint suboriri; sectionem diuidemus in 3. subsectiones, in quarum 1. agemus de Confessario ordinario, in 2. de extraordinario, in 3. referentur variâ monita, quibus Confessarius ordinarius, ac extraordinarius dirigant Moniales, ad profectum spirituale.

Svbsectio I.

De Confessario Monialium ordinario.

153 *Confessarius idoneus est maximè vtilis Monialibus.*
154 *An magis expediat illum esse Regularem.*
155 *Qualis esse debeat.*
156 *Quæ potestas in eo requiratur.*
157 *Quæ scientia.*
158 *Qualis bonitas.*
159 *Quæ prudentia maximè cum Moniali patiente diuina, & præsertim, si ea dicat se viuere ex sola Eucharistia.*
160 *Qualis zelus animarum.*
161 *Quanta dexteritas, maximè in inducendis nouitatibus.*
162 *Quæ patientia.*
163 *Approbandus ab Ordinario loci etiam pro Monialibus exemptis.*
164 *In eo requiritur peculiaris approbatio Episcopi, non item Ordinarij, qui non sit Episcopus; idque ex bulla Greg. XV. & declarationibus S. Congreg. super ea factis, quæ non omnes afficiunt Confessarios seculares, nec fuerunt solemniter edita.*
165 *Confessarius Monialium exemptarum præsentatur à Prælato regulari.*
166 *Prælati ipsi Monialium non audiunt earum confessiones sine approbatione Ordinarij: at sine ea assignant iis Patrem spiritualem.*
167 *Nouitiæ, aliæque fœminæ degentes in monasterio de rigore confitentur generaliter approbato.*
168 *Confessarius Monialium approbatur toties, quoties: & quidem id procedit etiam de Confessario ordinario; etsi non sit expressum in iure.*
169 *Approbatus ad confessiones vnius Monialis non audit alias.*
170 *Moniales tempore iubilæi de facto eligunt solùm approbatum ab Ordinario loci: non item in morte, si sint exempta: absoluitur complex delicti, vetante Episcopo, si Monialis sit exempta.*
171 *Confessarius ordinarius potest esse Regularis, aut Parochus.*
172 *Eligitur ad tres annos, & ex causa amouetur ab Ordinario, siue sit ordinarius, siue extraordinarius: in aliquibus tamen casibus durat vltra triennium.*
173 *Ex quo loco debeat audire confessiones.*
174 *Qualiter audiat confessionem Monialis infirmæ.*
175 *Ex decreto Sacræ Congregationis non alloquitur libere Moniales; quamuis tale decretum non videatur vsu receptum.*
176 *Quale stipendium ei detur.*
177 *Habitat in domo contigua monasterio, sed non pernoctat ibi.*
178 *Quam frequentiam Sacramentorum concedat.*
179 *Non sit facilis in permittendis confessionibus generalibus non necessariis.*

Quæris I. Quantùm conferat ad spiritualem profectum Monialium, quòd habeant prudentem, doctum, ac discretum Confessarium.

Respond. ita conferre, vt verè dici possit inde 153
potissimùm pendere totus spiritualis Monialium profectus, idque ex multis, & variis capitibus, quæ hic breuiter subiiciam; nimirum 1. ex generali ratione religiosæ perfectionis, quæ sine idoneo Instructore comparari non potest iuxta illud Ieremiæ 6. *State super vias, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in eâ, & inuenietis refrigerium animabus vestris*: 2. quia fœminæ sunt naturaliter minùs prudentes, ideoque in vita spirituali manent expositæ variis, ac periculosis illusionibus; quas ordinariè non possunt euadere absque directione prudentis, ac discreti Confessarij, aut alterius Patris spiritualis: 3. quia mulieres sunt ex proprij sexus conditione fragiles, ac inconstantes, ideoque facilè, ac citò desistent à benè cœptis; si opportunis conciliis, ac efficacioribus suasionibus non confirmetur, & ad vlteriora excitentur; quod erga Moniales præstare non potest, nisi Confessarius: 4. quia fœmina ex natura sua est valdè verecunda, ideoque facilè retrahi potest à detegendis prauis suis affectibus, ac interioribus infirmitatibus animæ, nisi habeat peritum Medicum spiritualem, qui summa dexteritate, ac solertia detegat dictas infirmitates, iisque salutaria applicet remedia (quod sine dubio est munus Confessarij) 5. quia ingenium mulieris est valdè varium, ac lubricum, facilèque afficitur iis, quibus cum agit; sicque periculosum est, ne talis affectus, qui priùs se exibet sub specie spiritualis amoris, paulatim desinat in carnalem; hoc autem in primis timendum est de Moniali erga confessarium, nisi is sit ad modùm prudens, timoratus, ac circumspectus: 6. Moniales, cùm vacent vitæ spiritualis acquisitioni, subiacent variis, ac grauibus tentationibus; quas certè non poterunt superare, nisi à prudenti, ac perito ductore doceantur, qualiter in iis se gerere possint, & debeant: 7. quia in progressu vitæ spiritualis plura occurrunt obstacula, ac difficultates, quæ deterrere possunt etiam viros perfectiores, ac prudentiores; ea autem faciliùs, & grauiùs deterrebunt Moniales, nisi habeant Confessarium discretum, ac sagacem, qui eas doceat, qualiter amouere debeant illa obstacula, illas euincere difficultates; quod certè non poterit præstare Confessarius nisi sit valdè peritus, ac versatus in vita spirituali: si enim cœcus cœcum ducat, ambo in foueam cadunt. Ex his ergo capitibus, aliisque similibus, quæ vnicuique possunt facilè occurrere; summopere confert spirituali Monialium profectui, quòd ipsis assignetur pius, prudens, ac discretus Confessarius: ideòque Prælati illarum in hoc quàm maximè debent insistere, omni studio, ac diligentia iis procurando idoneum Confessarium. Ad hoc certè facit quod habet, S. Hyeronymus *l. 2. ep. 13. Nō confundant opera tua sermonem tuum; ne cū in Ecclesia loqueris, tacita Sancti monialis respōdeat: cur ergo hæc, quæ dicis, ipse nō facis? delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat: accusare auaritiam, & affectum proprij, & latro potest: Sacerdotis Christiani, mens manusque concordent.*

QVÆRAS II. An expediat bono spirituali Monialium, quòd iis in Confessarium deputetur Sacerdos potiùs Regularis, quàm sæcularis.

154. Respond. expedire, si alioqui Sacerdos regularis sit præditos illis dotibus, quas *q. seq.* diccemus desiderari in idoneo Monialium Confessario, patet responsio ex dictia *in hoc c. sect.* 1. *subsect.* 1. *q.* 5. quæ vtiqoe possuut applicari ad præsentem quæstionem.

QVÆRAS III. Quæ potissimùm dotes requirantur in eo, qui debet deputari in Confessarium Monialium.

155. Respond. requiri potestatem, scientiam, bonitatem, prudentiam, xelum animarum, dexteritatem, & summam patientiam: potestatem, qua legitimè possit audire confessiones Monialium: scientiam, qua sciat discernere inter lepram, ac lepram, & opportuna applicare temedia: bonitatem, qua possit, etiam bono exemplo, inducere Moniales ad percurrendam viam christianæ perfectionis: prudentiam, qua oportunas faciat interrogationes, & iuxta spirituales vniuscoiusque Mooialis necessitates salutaria præbeat consilia: zelom, quo omnia omnibus fiat, vt omnes Christo lucrifaciat, nihil aliud intendens, nisi spiritualèm profectum suarum pœnitentium, illumque omni studic, ac diligentia procurans: dexteritatem, qua trabar pœnitentem ad manifestandam ptopriam turpitudinem, ac euincendam naturalem illam erubescentiam, quæ adcò solet dominari in fœminis, & non rarò est in causa, vt plures, ac plures confessiones faciat nullas, & sacrilegas: patientiam denique qua non solum compatiatur importunis Monialium scropulosarum deliriis, sed etiam fragilitati recidiuarum, ac infirmitati sexus fœminei iuxta illnd Hebr. 4. *non enim habemus Pōtificem, qui non possit cōpati infirmitatibus nostris.*

QVÆRAS IV. Qualis potestas requiratur in Confessario Monialium.

156. Respond. requiri tum potestatem ordinis, quæ consurgit ex ordine sacerdotali, per quem ex institutione diuina Sacrdos deputatur, vt possit esse iudex in foro pœnitentiæ: tum potestatem iurisdictionis (quam Sacerdotes regulares ratione suorum priuilegiorum recipiunt à Papa; sæculares verò ab Ordinario approbante modò inferiùs explicando) eamque non impeditam quoad vsum, neque ratione reseruationis aliquorum peccatorum (quo casu Confessarius debet petere facultatem absoluendi ab eo, cùm Mnnialis ad talem effectum non possit se præsentare Ordinario) neque ratione Ecclesiasticæ censuræ, per quam Sacerdos sit excommunicatus, aut suspensus vitandus; neque ratione peccati mort. per quod impeditur Sacerdos eo irretitus, quò minùs licitè administret Sacramentum pœnitentiæ.

QVÆRES V. Qualis scientia requiratur in Confessario Monialium.

157. Respond. requiri triplicem scientiam; nimirum Iudicis, Medici, ac Doctoris: Iudicis quidem, ita vt sciat formam absolutionis ac distinctionem peccati mortalis à veniali, saltem in genere (quæ duo sunt necessaria ad valorem Sacramenti) & præterea agnoscat tum differentiam peccati mortalis à veniali, etiam in particulari in singulis præceptis, modo saltem communi, ac ordinario; tum species peccatorum, numerum, ac circumstantias, dispositionem necessariò requisitam in pœnitente; tum quæ peccata sint reseruata, quæ habeant annexam censuram, aut obligationem restituendi (quæ sunt necessaria solùm ad licitam Sacramenti administrationem.) Scientia verò, quæ requiritur in Confessario, quatenus est Medicus, in eo consistit, quòd sciat tam regulas communes; quibus pœnitens excusari potest à præcepto, ac peccato mortal. (cuiusmodi sunt ignorãtia probabilis, inaduertentia, impotentia, leuitas materiæ, & metus grauis quoad quædam præcepta, præsertim de iure positiuo humano) quàm quæ remedia cuique peccato adhiberi debeant, & qualiter Monialis instrui debeat in via spirituali. Scientia denique quæ requiritur in Confessario, quatenus est Doctor, eo tendit, vt de Sacramentis sciat, quid sint, quæ sit illorum materia, quæ forma, qui effectus: quæ sint partes Sacramenti pœnitentiæ, quæ ratio contractuum, ad quid obligent singula vota Religionis, quibus regulis, ac constitutionibus adstringantur Moniales, quibus prohibitionibus peculiariter teneantur, quæ pœnæ in specie latæ sint contra ipsas; & similia, quæ facilè colligi possunt ex præsenti tractatu,

QVÆRES VI. Qualis bonitas requiratur in Confessario Monialium.

Resp. requiri, vt sit bonus non sulum sibi ipsi idest 158.
instructus virtutibus necessariis ad munus suum dignè obeundum) sed etiam in ordine ad pœnitentes, ita vt habeat & zelum iustitiæ, & compassionem proximi, & discretionem, modestiam in increpando, & copiam in exhortanto, & efficaciam in persuadendo, & alias similes dotes, sine quibus non potest vtiliter exerceri munus Confessarij. Illud autem in primis maximè conferret ad officium Confessarij ritè obeundum, vt deputandus in Confessarium Monialium esse vir in vita spirituali versatissimus; ita vt eas edocere posset ex propria experientia, sicque de eo dici posset, *cæpit facere, & docere.* Quo enim modo tradet Regulas orandi mentaliter, qui de oratione mentali neque nouit quid nominis? quo pacto docebit rationem abnegandi se ipsum, qui nunquam vacauit sui ipsius abnegationi? qua ratione inducet alios ad opera supererogationis, qui in se ipso vix implet præcepta? qualiter instruet pœnitentes ad Religiosam perfectionem, qui nec vacat Christianæ perfectioni? quo modo proponet subtilitates spiritus, qui nec prima spiritus didicit rudimenta?

QVÆRAS VII. Qualis prudentia requiratur in Confessario Monialium.

Respond. requiri, vt sit admodum prudens, ac 159.
circumspectus tum in faciendis opportunis interrogationibus; tum in applicandis debitis remediis; tùm in modo procedendi cum ipsis Monialibus tam intra forum pœnitentiæ, quàm extra; tum in remouendis occasionibus delinquendi; tum in salutaribus monitis suggerendis; tum in extirpandis prauis habitibus pœnitentiũ; tum in vitanda suspicione nimiæ familiaritatis, aut aliqualis acceptionis personarum; tum in pœnitentiis inponendis; tum deniq; in procuranda emendatione suarum pœnitent. ad quam vnam ordinatur frequentia, ac vsus Sacramentorum.

Quòd si quæras ex quibus regulis Confessarius Monialium dignoscere possit, an Monialis, quæ dicit se pati diuina, nempe celestes illustrationes, & alia Dei dona extraordinaria, ducatur bono spiritu, vel certè sit illusa, ac exposita periculo illusionis.

Respond. posse, ac debere dignoscere ex sequentibus regulis; quarum aliquæ desumptæ sunt ex aureo libello exercitiorum S. P. N. Ignatij, aliæ verò ex ipsa experientia, & praxi. Prima autem regula, ex qua colligitur Monialem duci bono spiritu, est, si Monialis sit Religiosis virtutibus conspicua, & in primis charitate, humilitate, patientia, sui ipsius abnegatione, ac zelo animarum, omniq; studio insistat obseruantiæ tam votorum substantialium

Religionis,

Religionis, quàm regularum, statutorum, ac consuetudinum proprij monasterij: secunda regula est, si Monialis sit omninò parata acquiescere consiliis, ac directioni sui Confessarij, sinatque omninò se regi ab eo cum omnimoda subiectione, malens cum ipso errare (intellige, materialiter) quàm sapere sine illo: tertia est, si ea occasione illustrationum, aut alterius similis gratiæ sibi concessæ nihil occurrat, quod eâ se malum sit, aut auocet à bono, aut impellat ad minus bonum, quàm anima priùs quærendo sequi statuerat, aut quod ipsi animom defatiget, angat, ac perturbet, sublata priori animi tranquillitate: quarta est, si ex dictis illustrationibus immissis aliisque talibus gratiis sentiat se non ferri in elationem animi, sed in maiorem sui ipsius submissionem, & propriæ indignitatis conscia dicere possit cum regio Psalte, *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum?* sexta est si inde concipiat inusitatam animi quierem, ac tranquillitatem; sentiatque se magis, & magis incitari ad proficiendum in religiosa perfectione: septima, si ex præfatis illustrationibus experiatur se, nulla præcedente causa consolationis, mirificè recreari, ita vt neque sensibus, neque intellectui, neque voluntari quicquam propositum sit, quod huiusmodi consolationem causare possit; proprium enim est Dei creatoris suam ingredi creaturam, & illam in sui amorem totam conuertere, trahere, ac mutare. Has inquam regulas, & alias similes, quas Spiritus S. hic, & nunc suggeret, proponere deber prudens Confessarius Moniali in proposito casu; illam monens per talia dona supernaturalia Dei famulos non reddi ipsi gratiores, eaque omnia Patri spirituali candide, & sincerè detegenda esse: præterea illam exerceat in sui ipsius abnegatione, modò ei prohibendo vsum sacræ Communionis, ita vt Deum propter Deum deferat, & quidem etiam interdum occasione sumpta ex actu aliquo magna cum laude ab ea exercito; modò ei iniungendo, vt aliquas mortificationes coram aliis Monialibus publicè obeat; v.g. incedendo absque velo nigro professionis, iubendo vt aliquos defectus, interdum etiam anteactæ vitæ, publicè reuelet; etsi in hoc magna cum prudentia, ac circumspectione procedendum sit.

Vtrùm verò Confessarius Moniali pœnitenti asserenti se viuere absque refectione corporali, ex sola sumptione Eucharistiæ, possit præbere in communione Hostiam non consecratam pro consecrata, ad explorandam veritatem huius facti, & ad dignoscendum, num sit illusa, nec ne; sicut verè esset, si sumpta hostia non consecrata, adhuc dictitaret se viuere ex sola sumptione Eucharistiæ.

Respond. non posse, cum Doctores ex S.Tho.3. *p.q.80.art.1.ad* 1. communiter negent licere in vllo casu præbere hostiam non consecratam pro consecrata; cùm hoc sit præbere astantibus occasionem proximam idololatriæ: etsi aliqui Recentiores in contrarium afferant hæc fundamenta: primum est, quòd Altisiodorensis *l.4.tract.5.q.4. fine* concedit ad vitandum scandalum posse Parochum infirmo petenti sacrum Viaticum dare hostiam non consecratam, si ea sua negligentia non habeat consecratam; *Sanctius in selectis D.35.n.5.& 6.* admittit Sacerdotem, si ei hæreticus sub comminatione mortis præcipiat, vt consecret totum panem existentem in platea, posse super illum verba consecrationis proferre absque intentione consecrandi, ad periculum mortis euadendum; denique S.Bonauentura, Albertus, Ludouicus de S.Zuan, Villalobos, & Dorensis relati à Diana *p.3.tract.6.resol.*83. (quorum doctrinam ipse admittit vt probabilem, cùm dicat se adhærere oppositæ tanquam probabiliori) concedunt, ad confundendam famæ peccatoris occulti publicè petentis communionem, posse ei præberi hostiam non consecratam, apposita à tergo illius, hostia consecrata, quæ adorari possit; modò id fiat de consensu ipsius peccatoris. ex quibus sic arguo. iuxta adductos Doctores in graui necessitate propria, aut Proximi, licitum est dare hostiam non consecratam pro consecrata, vt constat ex casibus relatis: ergo iuxta præfatos Doctores hoc idem licitum erit in præsenti casu, in quo agitur de vitanda morte spirituali, ac æterna perditione Monialis pœnitentis; quæ censetur esse in graui necessitate; cùm ex hoc solo experimento dignosci possit, an ea sit illusa, nec ne (vt suppono) Alterum fundamentum est, quòd sicut Sanch. *l.2. de matr. D.38. num.6.& 7.* docet permittendam esse copulam solùm materialiter fornicariam inter coniuges, in quibus post matrimonium contractum detegitur impedimentum dirimens, si Confessarius videat illos esse in bona fide, & non speret fructum ex admonitione: ergo & in præsenti casu licitum erit ex a grauissima causa, (quæ de facto adest) permittere idololatriam illam, vt pote merè materialem: etsi Castrus Palaus *tract.21. D.vn. p.8. num.5.* dicat in simili casu actum adorationis ex bona existimatione, ac intentione procedentem esse actum religionis: cum religio non expostulet necessario versari circa obiectum speculatiuè verum, & in se colendum; sed sufficiat versari circa obiectum practicè verum (hoc est quod iuxta prudentiæ regulas iudicetur dignum vera adoratione, & cultu; quamuis ea accidenti non sit) sub ratione formali adorationis vera. Tertium fundamentum est, quod Cæsarius *l.9. hist. c.47.* refert simile factum fuisse ipsa practicatum; idque non improbat Thiepolus *in suis considerat. Euchar. l.4. c.10.* Sic illi Recentiores: quàm probabiliter, iudicent viri docti: non enim ego eum illis sentire possum, cum DD. communiter dissentiant.

Qua occasione placet hîc indicare id, quod refert Martinon *D.35. de Euchar. sect.5. num.64.* nimirum Paulum V. permisisse, vt honesta quædam matrona Lemouicensis, (quæ adhuc viuit) quotidie post cibum communicet ad compescendum totius corporis tremorem horribilem, ac miserabilem, quo post sumptionem cibi corripitur, quoue in certum vitæ periculum adducitur, nisi ei statim detur communio Eucharistica; quod vnicum remedium, omnibus aliis frustra tentatis, huic malo, seu maleficio tandem repertum est, sed promptum semper, ac efficax: eo.n. adhibito, tremor eodem momento sistitur infallibiliter, nisi fortè in casu (quod interdum experimenti causa factum est) hostia non consecrata loco consecratæ ad communicandum ei exhibeatur.

QVÆRES VIII. Qualis zelus animarum requiratur in Confessario Monialium.

Respond. quòd, cùm munus audiendi confessiones Monialium sit valdè laboriosum, arduum, ac difficile; vt quis illud cum debita alacritate obeat, ita zelo animarum debet teneri, vt non quærat, quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi; sicque spirituali animarum lucro inhiet, vt meritò dicere possit, *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, Genes.14. & illud Pauli 2. Cor.12. *non enim quæro, quæ vestra sunt; sed vos.* 160. non ergo Confessarius Monialium hoc munus adeò sublime, ac excellens exerceat ad proprium lucrum temporale, ad conciliandam beneuolentiam huius, aut illius Monialis, ad percipienda multa dona, ad priuatam sui ipsius satisfactionem; sed potiùs ad spiritualem

spiritualem profectum Monialium sibi commissarum, ad perfectionem religiosam in ipsis promouendam, ad diuinum amorem in iis magis, & magis excitandum, ad veram sanctificationem in ipsas modis omnibus inducendam.

QVÆRES IX. Qualis dexteritas requiratur in Confessario Monialium.

161. Respond. requiri quammaximam, & quidem non solùm in extorquenda confessione peccatorum atrociorum, quæ alioqui fœminæ ex naturali verecundia, ac inordinato timore, nonnisi cum maxima difficultate solent manifestare: sed etiam in priuatis rancoribus, ac odiis auellendis, in resecandis amicitiis minùs bonis, ac perniciosis, in remouendis occasionibus proximis peccatorum, in inducendo affectu vitæ communis, in moderanda conuersatione externorum, in persuadenda sui ipsius abnegatione tum interna, tum externa, in iis denique confirmandis ad religiosæ perfectionis acquisitionem. hæc enim omnia, cùm sint valdè aliena à communi propensione appetitus sensitiui, maximè in fœminis ratione sexus, ac naturalis complexionis procliuioribus ad malum; obtinere non poterit Confessarius à propriis pœnitentibus, nisi cum is vtatur summa dexteritate; illis paulatim sese insinuans, omnia omnibus factus, vt omnes Christo lucrifaciat, gaudens cum gaudentibus, & flens cum flentibus.

Vnum hîc præ cæteris moneo, ne Confessarius facilè, aut subitò immutet quidquam de iis, quæ longiori consuetudine facta sunt propria Conuentus, neve nouas inducat consuetudines: & si quid tale præstare opus sit, aut expediat, id non faciat sine consilio, ac voluntate Prælatæ, ac melioris partis monasterij; Monialium sententiam exquirens, non quasi consilij indigus, sed quod necesse sit habere approbatrices illius, quod ordinatum fuerit; vt earum authoritate veluti filum acu introducatur, aliæque Moniales iam factum potius sciant, quam faciendum metuant. Quare quæ non aduersantur votis essentialibus Religionis, aut Regulæ Ordinis, Monialium voluntati, ac electioni expedit relinquere: non enim vt ait Cicero *l.* 2. *de offic.* attinet naturæ repugnare, nec quidquam sequi, quod assequi nequeas.

QVÆRES X. Qualis patientia requiratur in Confessario Monialium.

162. Respond. summam requiri; vt proinde dixerit quidam non immeritò Sacerdotes singulis diebus sub finem Primæ recitare verba illa: *Dominus autem dirigat corda nostra in charitate Dei, & patientia Christi.* Quæ enim patientia necessaria est Sacerdoti confessiones fœminarum audienti, vt audiat nugas, quæ solent ab illis admisceri in ipsa confessione, vt expiscetur veritatem eorum, quæ dicunt, modò aientes, modò negantes, vt suadeat non expedire, quòd ita crebrò repetant confessiones generales, vt sinat protrahi confessionem ad diffusos discursus, quæ verbis valdè compendiosis posset peragi, vt ferat idem peccatum in eadem confessione iterum, atque iterum exprimi, & quidem sine vlla omninò necessitate, vt insurgentium scrupulorum nubes disjiciat, vt pusillanimes in spem salutis æternæ erigat, vt remissionem iniuriarum animo tenaciùs inhærentium suadeat, vt inducat ad fugam occasionum proximarum, vt priuatas amicitias statui Religioso minùs conuenientes eradicet, vt denique sustineat muliebrem leuitatem, inscitiam, ac inconstantiam?

QVÆRES XI. A quo debeant approbari Confessarij Monialium.

Respond. quòd, quamuis ante Constitutionem Gregorij XV. editam 5. Februar. 1622. quæ incipit *Inscrutabili*, Confessarij quidem Monialium locorum Ordinariis subiectarum deberent approbari ab ipsis Ordinariis; Confessarij verò Monialium subiectarum Regularibus à Prælatis propriæ Religionis tanquam Ordinariis ipsarum Monialium: in præsentia tamen omnes Confessarij tam ordinarij, quàm extraordinarij quarumcunque Monialium, etiam Regularib. subiectarum, debent approbari ab Ordinario loci: idque ex citata Constitutione Greg. XV. quæ quo ad hoc sic habet; *Confessores verò, siue regulares, siue sæculares, quomodocunque exempti, tam ordinarij, quàm extraordinarij, ad confessiones Monialium, etiam Regularib. subiectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.* 163.

Vbi notandum ad audiendas confessiones Monialium modò non sufficere, quòd Sacerdos, siue regularis, siue sæcularis, sit generaliter approbatus ab Episcopo ad confessiones personarum sæcularium audiendas; sed egere quò ad hoc speciali approbatione: idque ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij; quæ etiam declarauit Regularem approbatum ab Episcopo ad audiendas confessiones Monialium vnius monasterij nequaquam censeri approbatum ad audiendas confessiones Monialium alterius monasterij; vt videre est *tom.* 4. *bullary post Const.* 18. *Greg. XV.* 164.

Notat *Sanctorus in Constitut. Minor. cap.* 31. *stat.* 7. *quæst.* 3. Confessarios monasterij exempti existentis in loco nullius diœcesis, non debere approbari ab Abbate, aut alio Superiore dicti loci: cum in Bulla citata Gregorij XV. dicatur, *Ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur*, & Superior præfati loci verè non sit Episcopus; aliásque dispositio illa Gregorij vt odiosa, ac exorbitans à iure communi, non debeat extendi vltra proprietatem verborum. Verùm in hoc standum est consuetudini vniuscuiusque loci; sicque in præsentia Moniales Carpi existentes quoad approbationem Confessariorum subsunt Episcopo Mutinensi; cum aliàs dicio Carpensis sit nullius Diœcesis, & habeat in proprium Ordinarium Archipræsbyterum.

Addit *Sanctorus in Constitut. Minor. c.* 31. *stat.* 7. *q.* 5. quod, cum declarationes Sacræ Congregationis factæ super relata Bulla Gregorij XV. loquantur solum de Confessariis Regularibus, non autem de sæcularibus, & de his nunquam fuerit quæsitum, aut dubitatum; dictæ restrictiones non extenduntur ad Confessarios sæculares, nisi quoad hoc, quod ij non possunt audire Monialium Confessiones sine Episcopi approbatione; cùm alioqui ipsa Bulla comprehendat Confessarios tam sæculares, quam Regulares, probat *Sanctorus* suam assertionem ex regula iuris, exceptio firmat regulam in contrarium *l. nam quod liquidè* § *fin. ff. de penu legata l. quæsitum* §. *idem respondit ff. de furt. instrum. & cap.* 2. *de consang. lepros.* notatque in *tomo* 4. *bullary Cherubini* apparere dictam bullam Gregorij fuisse solemniter promulgatam, non autem præfatas declarationes, quæ ibidem apponuntur.

Verum tamen est, quòd Confessarij Monialium exemptarum tam ordinarij, quàm extraordinarij præsentari debent à propriis Prælatis regularibus ad effectum, vt modo dicto approbentur ab Ordinario; vnde infert Tamburinus *D.* 16. *de iure Abbatiss. quæst.* 3. *num.* 3. non subsistere quod ait *Nald. v. Moniales num.* 2. Monialibus, etiam exemptis assignandum 165.

gnandum esse Confessarium extraordinarium ab Episcopo loci: si quidem, teste Zipæo *l. 3. de iure Pontificio nouo num.3.* extat in contrarium quædam declaratio sacræ Congregationis, qua decisum est huiusmodi assignationem faciendam à Prælato regulari, cuius iurisdictioni subsunt dictæ Moniales, licèt aliàs indigeant approbari ab Ordinario, vt iam dictum est.

166. Quin vigore citatæ Constitutionis Gregor. X V. neque ipsi Prælati regulares absque Ordinarij approbatione audire possunt confessiones Monialium sibi respectiuè subiectarum: cùm olim possent & ipsi illas audire, & alios approbare ad illas audiendas. ita declarauit sacra Congregat. Concilij vbi sup. addens confessiones à dictis Prælatis auditas sine præfata approbatione esse nullas,& irritas.

Hoc tamen non facit, quin Prælatus regularis Monialis ipsi immediatè subiectæ possit independenter ab Ordinario ipsi assignare Patrem spiritualem siue eiusdem, siue alterius Ordinis Religiosum, vel etiam Sacerdotem sæcularem, cui illa extra pœnitentiæ Sacramentū manifestet suam conscientiam ad effectum vt ab eo in via Dei dirigatur sine periculo errandi. Ducor, quòd ante bullam Greg. X V. id potuisset facere Prælatus regularis: & per dictam bullam ei solùm sublata est facultas approbandi Confessarium pro Monialibus ipsi immediatè subiectis: quod vtique est quid diuersum ab hoc, quod designare Patrem spiritualem, cui extra Sacramentum manifestetur modo dicto conscientia: à diuersis autem non fit illatio.

At difficultas est, an sub citata bulla Gregorij XV. comprehendantur etiam Moniales Nouitiæ, puellæ in monasterio educatæ, & fœminæ quæcunque ibi fortè commorantes; ita vt hæ non possint confiteri

167. cuicunque approbato generaliter ad confessiones in diœcesi.

Respond. videri probabile non comprehendi, adeóque omnes illas posse, & licitè, & validè confiteri cuicunque Sacerdoti approbato generaliter ad audiendas confessiones in diœcesi, aliàs licitè possit ad eas accedere (v. g. ad aliquam illarum legitimè inuisendam) Moueor, quòd Gregorius X V. dum requirit specialem approbationem ad audiendas Monialium confessiones, loquitur expressè de Monialibus tantùm, vt constat ex verbis textus relatis *supr. num.163.* constat autem nomine Monialium in odiosis non venire Nouitias, & multò minùs puellas, aliásque fœminas intra clausuram degentes ita Naldus, Baldellus, Stephanus à S. Gregorio, aliique docti viri à me consulti: quorum aliqui putant idem dici posse & de Abbatissa, quippe quæ non venit in odiosis nomine Monialium, regulariter loquendo; quod item non videtur improbabile, nisi obstet contraria consuetudo legitimè inducta.

An autem semel approbatus ad confessiones Monialium alicuius monasterij, vi talis approbationis pluries deputari possit in Confessarium earundem

168. Monialium tam ordinarium, quam extraordinarium.

Respond. quòd; quamuis approbatus ad audiendas confessiones sæcularium maneat semper approbatus, vsque dum approbatio reuocetur ab Episcopo approbante, eiusve successore (idque iuxta communem Doctorum sententiam, loquendo de approbatione facta absque vlla limitatione temporis) secus tamen euenit de approbato ad audiendas confessiones Monialium alicuius monasterij: is enim vi talis approbationis non potest audire confessiones dictarum Monialium, nisi pro eo tempore determinato, pro quo eligitur; vnde fit, vt, si quis approbetur in Confessarium ordinarium ad triennium, eo elapso, non possit audire postea confessiones earundem Monialium, nisi iterum ad talem effectum approbetur ab Ordinario, & sic deinceps. patet id ex citata Constitutione Gregorij X V. quæ cùm expressè loquatur de Confessariis Monialium tam ordinariis, quàm extraordinariis, de vtrisque æqualiter procedit: & de facto talis est praxis. Nec obstat; quòd sacra Congregatio in responsione dubiorum, quæ fuerunt posita circa dictam Constitut. *dub.* 11. expressè solùm de Confessariis extraordinariis Monialium dicit illos semel deputatos ad audiendas confessiones Monialium pro vna vice non posse pluries vi talis approbationis earum confessiones audire: ideò namque id dicit; quia solùm fuerat interrogata de Confessariis extraordinariis; cùm alioqui par ratio militet in Confessariis Monialium ordinariis: sicque procedat doctrina Sanch. *lib. 5. mor. cap. 4. num. 19.* nimirum quòd, quamuis lex generalis posterior non intelligatur regulariter derogare legi speciali priori; id tamen fallit, quando contrarium constat ex legis generalis intentione.

Ex dictis tamen non sequitur Sacerdotem approbatum ad confessiones Monialium per triennium, si interim moriatur Episcopus approbans (v.g. post elapsum primum bimestre dicti triennij) indigere de nouo approbari à Successore Episcopi defuncti, vt reliquo triennio possit earum confessiones excipere: siquidem approbatio illa ad triennium non desinit, durante illo triennio, nisi reuocetur, idque etiam post bullam Gregor. X V. *Inscrutabili*: quippè in qua solùm statuitur approbatum ad confessiones Monialium per triennium, elapso eo triennio, non posse ampliùs earum confessiones audire, nisi iterum approbetur, quæ doctrina proportionaliter procedit de Confessario extraordinario; cùm sit eadem ratio de illo, ac de Confessario ordinario.

Illud etiam hîc controuerti potest, an Sacerdos, maximè Regularis, ab Ordinario approbatus ad audiendam confessionem duarum, aut trium Monialium ex aliqua peculiari occasione, possit audire confessiones etiam aliarum Monialium eiusdem monasterij accedentium ad ipsum. 169.

Respond. non posse; & probatur quia ex vna parte generalis approbatio Ordinarij ad confessiones sæcularium non sufficit ad audiendas confessiones Monialium, vt iam dictum est: ex alia parte approbatio limitata ad certum numerum personarum non suffragatur, nisi ad audiendas confessiones dictarum personarum iuxta regulam communem, *causa limitata non producit, nisi effectum limitatum.* cùm ergo in proposito casu approbatio sit limitata ad illas duas, aut tres Moniales, non potest prodesse ad audiendas confessiones, etiam aliarum Monialium; cùm in ordine ad has approbatus se habeat perinde, ac si non esset approbatus: vnde fit, vt, sicut Confessarius ab Episcopo approbatur ad audiendam confessionem vnius, aut alterius fœminæ, vi talis approbationis non potest audire confessionem vllius alterius fœminæ; sic nec possit approbatus ad confessiones duarum Monialium audire confessionem cuiuscunque alterius Monialis: & hoc, quamuis Sacerdos approbatus sit regularis; licèt enim is vi suorum priuilegiorum habeat à Papa generalem iurisdictionem in omnes fideles accedentes, & sequenter etiam in Moniales: non ideò tamen hoc ipso potest audire confessines quarumcunque Monialium; esto aliàs ipsi concedatur accessus ad illas, siue ad audiendam confessionem aliquarum

ex

ex iis, siue alia de causa; siquidem ad validam administrationem Sacramenti Pœnitentiæ non sufficit iurisdictio illuminata; sed præterea requiritur, vt Sacerdos admioistraturus sit illimitatè approbatus: quod noo euenit in præseoti casu, vt patet.

Maius dubium est, an Moniales tempore iubilæi possint confiteri Sacerdoti approbato ad confessiones sæcularium, etsi in specie non sit approbatus ab Ordinario ad audiendas confessiooes Moniaium.

170. Respond. Peyrin. *tom. 3. privil. c. 4. num. 4.* cum quo sentit Bossius *sect. 3. de tripl. iubil. cas. 5. num. 1.* nec dissentit Diana *p. 5. tract. 12. resol. 12.* Moniales vi Iubilæi posse eligere io Confessarium, Sacerdotem approbatum ab Ordinario, etiamsi in specie non sit approbatus pro Monialib. idque ob ratiooes à nobis indicatas *sup. c. 9. q. 13.* vbi diximus in praxi oppositam sententiam sequendam esse.

Adde quòd si Monialis exempta morbo periculoso laboret, & à proprio Prælato regulari petat Confessarium extraordinarium, cui tunc confiteatur; is poterit ad talem effectum ei deputare Sacerdotem sui monasterij etiam non approbatum ab Ordinario loci; idque à prima die talis infirmitatis, moneor tum ex eo quod in articulo mortis omnea Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt ex indulto Concilij Trid. *sess. 14. c. 7.* quod indultum cùm sit vniuersale, & nullam conditionem, aut limitationem apponat, à plutibus Doctoribus relatis apud Dianam *p. 3. tract. 4. Miscell. resol. 161.* extenditur etiam ad Sacerdotes non approbatos ab Ordinario, & suffragatur monialibus, etiam in præsentia, non obstante Gregorij XV. Constitutione superiùs allata; vt colligitur ex verbis illis Concilij, *quoslibet pœnitentes*; tum ex eo quòd Prælatus regularis in casu necessitatis independenter ab Ordinario loci potest dare facultatem ingrediendi clausuram monialium sibi subditarum, vt constat ex dictis *cap. 5. num. 146.* sicque concedere poterit Sacerdoti deputato ad audiendam confessionem Monialis periculoso morbo laborantis licentiam ingrediendi ad prædictum effectum: constat autem ad hoe vt in præsenti casu fieri possit deputatio Confessarij extraordinarij, independenter ab Ordinario loci, requiri solùm vt modo dicto deputatus possit audire confessionem, etsi non sit approbatus ab illo, & quòd absque eius licentia ingredi possit clausuram; quæ omnia in casu præseoti verificantur.

Dixi, *idque à prima die talis infirmitatis*, vt indicarem probabilem videri doctrinam, quam tradit Diaoa *p. 6. tract. 3. resol. 69.* ex Sancio, & Cœlestino, absolutionem scilicet à reseruatis; quæ impertiri potest a quocunque Sacerdote in casu mortis, posse impendi, etiam à prima die infirmitatis periculosæ: vnde coosequenter inferri potest item à prima die infirmum morbo periculoso posse confiteri cuicunque Sacerdoti, & consequenter etiam oon approbato ab Ordinario loci: sicque Prælatum regularem io præsenti casu posse deputare Confessarium extraordinarium pro Moniali infirma subdita à prima die infirmitatis, & quidem omninò indepeodenter ab Ordinario loci; quod erat probandum.

Illud etiam hîc quæri posset, an Confessarius Monialis exemptæ possit eam absoluere in casu, quo ea sit complex delicti ab illo commissi, & in ea diœcesi Episcopus generali edicto prohibeat Confessariis tam sæcularibus, quam Regularibus, ne absoluant complicem delicti ab ipsis commissi, & quidem cum decreto irritante absolutionem, sic datam.

Respond. posse; idque ob rationes adductas in *Manuali tract. 8. cap. 3. num. 28.* quas non est, cur hîc frustra repetamus.

QVÆRES XII. An Episcopi possint deputare io Coofessarios Monialium sibi subiectarum etiam Sacerdotes Parochos, aut Regulares.

Respond. Tambur. *sup. num. 4. & 5.* ex Barbosa *l. 1. de iure eccl. c. 44. num. 127.* & Gauanto *in manu. v. Monialium cura spiritualis, num. 10.* oon posse deputare Parochos in Coofessarios ordinarios Monialium, neque Regulares eligere in Confessarios earundem Monialium, siue ordinarios, siue extraordinarios, oisi in casu necessitatis: idque ex declaratione Sacræ Congregat. relata à citatis Doctoribus; quæ tamen parum videtur esse in vsu, cùm multis io locis Parochi fungantur munere Confessatij Monialium, & Regulares sæpissimè destinentur in Confessatios extraordinarios illarum: fortè quia alioqui desunt personæ idoneæ ad tale munus, sicque concurrit ratio necessitatis, quæ caret lege; sicque eadem Sacra Congregatio concessit postea Patriarchæ Veneto, vt pro penuria Sacerdotuio sæcularium Regulares eligere posset in Confessarios Monialium, etiam ordinarios, sicut testatur ipsemet Tambur. *sup.* 171.

QVÆRES XIII. Ad quot annos eligi debeant Confessarij Monialium ordinatij, siue sæculares, siue regulares.

Respond. debere eligi ad 3. aonos tantùm ex declaratione Sacræ Congregationis relata à Gauanto *sup. num. 7.* & edita die 4. Iulij (quæ tamen non est vbique in vsu) & quidem, quòd spectat ad Regulares deputatos in Confessarios Monialium exemptarum, Gregorius XV. io sua Constitut. *Inscrutabili*, statuit licere Episcopo, *ex rationabili causa Superiores regulares admonere, vt eiusmodi Confessores* (idest Monialium) *amoueant, sisque Superioribus id facere detractantibus, aut negligentibus, habere Episcopum facultatem prædictos Confessores amouendi, quoties, & quando opus esse iudicauerit*; idque non significata causa Superioribus regularibus, vt declarauit Sacra Congregatio Concilij in declaratiooibus factis super citata Constitutione, dicens hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, onerans que seriò eorum conscieotiam, oe facultate sibi io hac parte attributa, quoquo modo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri. Vbi notandum dispositiooem præfatæ Constitutionis, ac huius declarationia æquè locum habere in Coofessariis Monialium, tam ordinariis, quàm extraordinariis, vt constat ex verbis illis, quæ habentur in citata Constitut. *eiusmodi Confessores*, quæ referuntur ad illa alia verba præcedentia, *Confessores verò siue regulares, siue sæculares quomodocunque exempti tam ordinary, quàm extraordinary*, &c. adeoque æqualiter comprehendunt Confessarios Monialium tam extraordinarios, quàm ordinarios. 172.

An autem electus ab Ordioario in Confessarium ordinarium Monialium, & post elapsum triennium ex peculiari indulto Sacræ Congregationis ad idem moous per aliud triennium immediatè sequens coofirmatus, hoc alio triennio absoluto, statim ad aliud triennium ab Ordinario iure proprio eligi possit ad idem munus; æque ac posset, si modo dicto noo fuisset confirmatus ex indulto Sacræ Congregationis, ita vt in eo munere duret per 9. annos continuos.

Resp. videri posse. ita Diana, Naldus, aliique docti viri à me consulti, contra Cardinalem de Lugo, Balldellum, & alios item à me consultos; patetque ex dictis *sup. c. 7. quæst. 38. §. manet dubium*. Nobiscum sentit Bordonus

Bordonus à me consultus; probatque tum quia concessum alicui ob gratiam non est in eius dispendium retorquendum, *reg. 61. de regul. iur. in 6.* neque enim idem contrarios effectus operari habet *l. legatum, ff. de adim. leg.* tum quia interstitium vacationis intelligendum est via ordinaria, sicut iure ordinario præscriptum est; nam statuta, & leges non comprehendunt ea, quæ rarò, & per accidens eueniunt, *l. nam ad ea, ff. de legib.* sicque priuilegium in præsenti casu intercipiens vacationem non est spectandum, sed vacatio fingitur habere suum effectum: tum quia in Religionibus extat consuetudo, quòd quis vltra præfixum tempus maneat in officio secundùm rem, licèt non secundùm nomen; Prior namque connentus fit, & vocatur Præsidens, Vicarius, *&c.* & postea tempore debito iterum eligitur in Priorem, ac si verè antecedenter vacasset ab officio: tum quia inducta ad augmentum non debent operari diminutionem, vt notauit Mandosius *de priuileg. ad instar, q. 10. gloss. 8. num. 8.*

Addo quòd, si quis ex casu fortuito deputaretur in Confessarium ordinarium Monialium ad aliquot menses per modum supplementi: is nihilominùs in generali deputatione Confessariorum, quæ postea fieret pro Monialibus, posset ab Ordinario eligi in Confessarium ordinarium eiusdem monasterij ad integrum triennium; quomodo vltra triennium exerceret munus Confessarij ordinarij & ratio est, quòd prohibitio sacræ Congregationis de non eligendo Monialium Confessario vltra triennium, cùm sit odiosa, benignè interpretanda est, & in mitiorem partem; ita vt intelligatur de electione Confessarij ordinaria, non autem de ea, quæ fiat per modum supplementi, vt in casu nostro. Ita docti recentiores à me consulti; sicque ego iam consului in facti contingentia.

Illud demum hîc aduertendum ex quadam epytheia Ordinarios in aliquibus locis sinere Confessarios aliquorum monasteriorum, & maximè Capuccinatum durare vltra triennium, & quidem ad plures annos: eò quod sit valdè difficile reperire Confessarios idoneos pro talibus monasteriis: quod est dicere, ex defectu materiæ.

QVÆRES XIV. Ex quo loco debeant Confessarij Monialium audire illarum confessiones.

173. Respond. regulariter debere audire ex sede confessionali collocata, non quidem in sacristia, aut alio simili loco, sed in ipsa Ecclesia exteriori; sic quippe decreuit sacra Congregatio 7. Martij 1617. apud Barbosam *supr. num. 135.* his verbis: *Confessionalia Monialium è sacristijs, & locis occultis amoueantur, ac in exterioribus Ecclesijs collocentur: quòd si Moniales in hoc renitentes extiterint, interdicantur.* Quamquam, si aliud deposcat necessitas (eo quòd in Ecclesia extet vnica sedes confessionalis, & eodem tempore vacare debeant confessionibus audiendis Confessarius ordinarius, ac extraordinarius) in tali casu, excusante necessitate, licitum erit audire confessiones ex alio loco; ita tamen disposito, vt mutuus viterur aspectus Confessarij, ac Monialis confitentis.

174. Quòd si Confessarius ingrediatur ad audiendam confessionem Monialis infirmæ, cellæ ianua remaneat aperta, & ambæ comitatrices ad eiusdem cellæ ianuam morentur; ita vt Confessarius ab eisdem commodè cerni possit. Ita statuit sacra Congregatio 13 Sept. 1583. apud Barbosam *in collectan. v. Confess. Monial. §. 4.* addens §. 5. ex decreto eiusdem sacræ Congregat. Confessarium Monialium clausuram ingressum ad ministranda Sanctissima Sacramenta debere recta via, & absque diuerticulo ire, ac redire; nec in alia monasterij parte diuagari, etiam occasione visitandi alias infirmas, quibus Sacramentorum administratio non sit necessaria. Quamquam Sanch. Rodriq. Mirand. Molfesius, & alij apud Dianam *p. 3. tract. 2. resol. 51.* excusent Confessarium in tali casu, etiam à culpa veniali; si, absoluta confessione, breui immoretur intra clausuram, ad inuisendas v. g. monasterij officinas: qualis mora dici posset iuxta Villalobum telarum à Diana, & non reiectum, si non excederet quadrantem horæ.

QVÆRAS XV. An Confessarij Monialium, etiam regulares, eorumque socij possint liberè alloqui Moniales sibi commissas, etiam extra casus necessarios.

Respond. Barbosa *in collectan. sup. §. 12.* non posse ex declaratione sacræ Congregat. 21. Febr. 1617. edita his verbis: *Confessarius regularis Monialium, eiusq; socius confessionis, ac Sacramentorum administrationis casibus exceptis, easdem Moniales absque sacræ Congregat. licentia alloqui non possunt.* Vbi notandum, quòd, cùm sacra Congregatio loquatur in specie de Confessariis regularibus tantùm; sub sua declaratione non comprehendit Confessarios Monialium sæculares iuxta communem iuris regulam; *Odia restringi oportet*; immò talis declaratio non videtur vsu recepta, neque quoad Confessarios regulares: qui, quamuis aliàs timorati, absque vllo scrupulo loquuntur cum suis Monialibus, etiam extra casus necessarios; & quidem scientibus, & non dissentientibus Prælatis ipsarummet Monialium. 175.

Certè Confessarij regulares Monialium non videntur incurrere pœnas latas in decreto sacræ Congregationis de mandato Sixti V. edito anno 1590. de accessu Regularium ad Moniales; si quidem, vt facilè constabit considranti tenorem textus, ibi non prohibetur Regularibus Confessariis Monialium, ne vllo quæsito colore eas alloqui possint: quo modo id prohibetur Regularibus missis ad Moniales, siue ad prædicandum, siue ad celebrandum: quod est signum locutionem cum Monialibus non prohiberi eodem modo Regularibus destinatis in Confessarios illarum; ac prohibetur Regularibus missis ad prædicandum, aut celebrandum: & quidem meritò; cùm extet maior ratio ampliùs indulgendi quo ad hoc Regularibus deputatis in Confessarios Monialium, quàm iis, qui ad eas mittuntur, siue ad prædicandum, siue ad celebrandum, vt facilè constabit consideranti.

Consultum tamen est, vt sermo cum Monialibus sit valdè moderatus, & qui necessitatem magis indicet loquendi, quam voluntatem; siquidem, teste experientia, omnis amor nascitur, & fouetur colloquio; imò sicut splendorem lucernæ oleum, sic longum Mulieris colloquium, sæpiùsque iteratum ignem voluptatis reaccendit teste S. Antiocho Abbate *hom. 17.* Vt proinde Nauar. *manual. cap. 14. §. 10.* dicat fœminas in congressibus virorum debere benedictionem perere, quo sanctum aliis benè peccandi desiderium, inhonestum amorem cohibeat, & refrænet.

QVÆRES XVI. Quale stipendium tradi debeat Confessariis Monialium.

Respond. debere tradi illud, quod iuxta morem, & qualitatem regionis censeatur sufficiens ad victum illorum; sic enim declarauit sacra Congregatio 29. Nouemb. 1605. penes Barbosam *sup. §. 11.* in hæc verba; *Confessarijs Monialium certa annua merces constitui debet; quæ iuxta morem, & qualitatem regionis victui illius sufficiat; eademque merces monaste-* 176.

rio;

rio, in quo degit idem Confessarius, si regularis sit, persoluatur. Caterùm Ordinarij locorum prohibeant Monialibus, aliquibus pœnis (non tamen censurarum) *ne vltra mercedem illam aliquid communicer, vel priuatim eidem Confessori, vel alys quibuscumque Fratribus tribuant, aisdémque Fratribus, ne à Monialibus, etiam sponte oblatum, aut donatum recipiant, sub iisdem pœnis inhibeant.* quamuis eiusmodi declaratio non videatur esse in vsu, neque quatenus præscribit Confessario Monialium tradendam esse mercedem iuxta morem regionis sufficientem ad eius victum: cùm stipendium, quod alicubi in præsentia dari solet Confessariis Monialium non exemptarum, regulariter non sufficiat, nec ad dimidium victus; neque quatenus prohibet Monialibus, ne vltra assignatum stipendium quidquam tribuant suis Confessariis, & istis, ne quid tale recipiant; si quidem & praxis est in contrarium, & Scortia, Barth. à S. Faosto, ac Bertius, quos citat, & sequitur Diana *p. 1. tract. 6. resol. 17.* oppositum sustinent, ea ratione ducti, quòd talis donatio non est propriè donatio, sed potiùs remuneratio: immò (diaetim ego) est quædam compensatio residui mercedis, quæ aliàs tribuenda esset Confessario ex præsenti decreto S. Congregationis, & de facto non tribuitur. Addit autem Gauant. *sup. num. 28.* aliam declarationem S. Congregationis sub die 22. Aug. 1605. qua decisum est Confessario ordinario non esse à Monialibus subministrandum victum dietim, sed constituendam certam pecuniæ summam quotannis soluendam.

QVÆRES XVII. An, & quo modo Confessarij Monialium habitare possint in domo contigua monasterio.

177. Respond. posse, dummodò ibi non habeantur lecti: idque ex decreto sacræ Congregat. edito 7. Martij 1617. & in dicta habitatione non sint rotæ, neque crates, neque ianuæ, quibus pateat aditus in Ecclesiam: sic enim statuit eadem sacra Congregatio 13. Septemb. 1583 apud Gauantum *sup. n. 26.* monens *n. 25.* dictos Confessarios ex decreto Concilij Mediolanensis 1. non posse commorari in domibus Monialium causa cibi capiendi, nisi quo tempore vacant confessionibus audiendis; quamquam, cùm dictum decretum sit proprium Prouinciæ Mediolanensis, non obliget extra illam: quare in hoc seruandus vsus cuiusque diœcesis, aut lex Ordinariorum, qui piè, ac laudabiliter possent inducere in propriis diœcesibus obseruantiam præfati statuti Mediolanensis: idque ad vitandam nimiam familiaritatem, quæ ex vsu contrario facilè potest suboriri inter Confessarios Monialium, ac ipsas Moniales.

QVÆRES XVIII. Quam frequentiam, ac vsum Sacramentorum possint, & debeant concedere Monialium Confessarij Monialibus sibi commissis.

178. Respond. quòd, cùm frequens vsus Sacramentorum sit maximè vtilis omnibus fidelibus, & præsertim Religiosis, in quibus maior animi puritas deposcitur; consultum esset Monialibus, vt Sacramentum confessionis, ac communionis susciperent, sin minùs octauo quoque die (quod esset valdè commendabile) saltem vnoquoque 15. die; quamuis alioqui iure communi iuxta dicta *c. 6. q. 3.* illis non præscribatur, nisi menstrua confessio, ac communio. Cæterùm regulariter haud passim concedenda est etiam Monialibus frequentior sumptio Eucharistiæ ea, quæ fiat octauo quoque die; cùm S. Bonauent. *l. 2. de profectu relig. cap. 77.* dicat vix inueniri aliquem Religiosum non Sacerdotem adeò sanctum, cui non sufficiat semel in hebdomada communicare; nisi ex speciali causa, vel in aliqua solemnitate, vel extraordinaria deuotione. quod tamen non facit, qoin, si constet Confessario Monialem aliquam multum proficere ex frequentia communionis, etiam maiori, eam possit illi concedere: cùm in moralibus non possint assignari certæ regulæ, quæ nollam omninò patiantur exceptionem: ideóque nos vsi sumus particula, *regulariter.*

Certè Episcopus de Sales *p. 2. Philoth. c. 21.* asserit duobus hominum generibus frequenter communicandum esse: *perfectis, quia, cum sint benè dispositi, debent ad illum perfectionis fontem, & authorem accedere: imperfectis, vt aptè valeant ad perfectionem aspirare: fortibus, ne debiliores fiant: debilibus, vt fortiores euadant: infirmis, vt sanitatem recipiant: sanis, ne in morbum incidant.* Sic S. Bonauent. *l. 2. de profectu Religiosor. cap. 77.* ait: *Sicut agrotantibus non potest vna forma seruari in dandis medicinis corporis propter diuersitates complexionum, aut loci, aut temporis, aut diata, vel aliarum considerationum; pro quibus aut rarius, aut sæpius, aut maiori, aut minori quantitate eadem medicina datur: ita de medicina spirituali, qua est corpus Christi, intelligendum.* Sic S. Ambr. *l. 4. de Sacram. c. 6.* ait: *Graue est, quod ad mensam tuam, Domine, mundo corde, & manibus innocentibus non venimus: sed grauius est, si de peccatis metuẽtes sacrificium non reddamus.* S. item Augustinus *epist. 118.* relatus *c. 15. de consecrat. dist. 2.* ait: *Si non sint tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis, & sanguinis Domini separare.* Sic Cassian. *collat. 23. c. 21.* dicit: *Nec tamen ex eo debemus nos à Dominica communione suspendere, quia nos agnoscimus peccatores, sed ad eam magis, ac magis est propter anima medicinam & purificationem spiritus auidè festinandum:* & infrà: *Alioqui nec anniuersaria quidem dignè est præsumenda Communio; vt quidam faciunt, qui in monasterijs consistentes ita Sacramentorum cœlestium dignitatem, & significationem, ac meritum metiuntur, vt æstiment ea non nisi sanctos, atque immaculatos debere præsumere, & non potius sanctos, mundósque nos sua participatione perficiant. Qui profectò maiorem arrogantia præsumptionem, quam declinare sibi videntur, incurrunt; quia vel tunc cum ea percipiunt, dignos se eorum perceptione diiudicant. Multo enim iustius est, vt cum hac cordis humilitate, qua credimus, & fatemur illa sacrosancta mysteria nunquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis diebus ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus, quam vt vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos nos eorum participio credamus.* Sic S. Ambros. *sup.* addit: *Si quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur; debeo semper accipere, qui semper pecco: debeo semper habere medicinam.* Quo modo Luc. 5. ait Christus: *Non egent, qui sani sunt, Medico, sed qui malè habent:* Medicus autem, & medicina simul est cœleste, ac venerabile Sacramentum, teste August. *serm. 28. de verb. Domini.* Sic Chrysost. *in Psalm. 22.* ad ea verba: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me,* dicit mensam illam esse S. Eucharistiam paratam contra suggestiones inimici, agitationes animi, cupiditates, voluptates, honores sæculi, *&c.* additque *hom. 51. in Matth.* vt exemplo Hemorroissæ accedamus ad Christum in Eucharistia obtinendæ sanitatis causa.

QVÆRES XIX. An, & quibus in casibus Confessarij Monialium possint, & debeant eas admittere ad faciendas generales confessiones.

Respond. quòd, cùm vsus confessionum generalium sit valdè vtilis profectui spirituali confitentis, & consequenter multum laudabilis; si ordinetur ad 179.

maiorem

maiorem sui confusionem, ac scelerum commissorum detestationem, aut etiam ad tollendos defectus, qui fortè interuenerint in præteritis confessionibus: è contra verò sit ad modum perniciosus iis, qui suas repetont confessiones vi ingruentium scrupulorum, ac perplexitatum adacti, hinc prudens Confessarius Monialium potest quidem, & debet permittere suis Monialibus, vt confessionem generalem suorum peccatorum instituant, siue totius anteactæ vitæ (si numquam aliàs illam fecerunt) siue annuam, aut semestrem (vti fit communiter in Soc. Iesu) siue alterius certi, ac determinati temporis, si eas vel necessarias, vel vtiles iudicet: non item, si ad tales generales confessiones induantur, eò quòd importunis scrupulis agitatæ intendant se liberare ab eorum molestia, & supplere defectus, quos timent à se fuisse commissos in transactis confessionibus, trepidantes timore, vbi non est timor, sieque consequi veram animi pacem, ac quietem; cùm potiùs magis ac magis ex eiusmodi cõfessionum iteratione perturbentur, inquietentur, & grauioribus scrupulis, ac perplexitatibus, teste experientia repleantur; non secùs, ac aqua agitata, si vas, in quo continentur, sæpiùs loco dimoueas, non indè tranquillatur, sed magis agitatur, vt proindè dicat Regin. *lib. 2. num. 129.* eum qui semel benè confessus est iudicio prudentis, ac docti Confessarij, quiescere debere, neque per freqoentes eorund:m peccatorum confessiones vulnera sua refricare, ac reuocare, neque quod benè sanatum est, vulnus ampliùs attingere; sed posteriorum oblitum ad anteriora se conuertere, & de misericordia Dei benignè sperare, neque eam securitatem quærere, quæ in hac vita haberi non potest, nisi ex peculiari aliqua reuelatione.

180 *Quæ obseruare debeat Confessarius Monialium in suo munere obeundo.*

181 *Quæ facultas circa reseruata ei competat; maximè quoad heresim: Episcopus generaliter concedens sua reseruata, concedit etiam reseruata quoad Moniales.*

182 *Qualiter procedi debeat cum infirma, quæ post delegatam ipsi Eucharistiam indicat se pluries confessam fuisse inualide, imo & eu peccatore publico.*

183 *Qualiter cum ea, quæ accedens ad fenestellam communionis communicatura idem indicat, quidque ipsa debeat facere.*

184 *Absoluitur Monialis sensibus destituta, quæ nullo modo petit confessionem.*

185 *Confessarius indirectè absoluit à reseruatis ad vitandum scandalum, aut infamiam pœnitentis.*

186 *Eodem modo absoluit à reseruatis Monialem ægrotantem morbo non periculoso.*

187 *Qualiter se gerat cum Moniali existente in proxima, occasione peccandi.*

188 *Absoluit manentem in occasione proxima, moraliter ineuitabili.*

189 *Non tamen, si ex præsentibus circunstantijs colligat eam non esse dispositam.*

190 *Absoluit eam, quæ sæpè promisit dimittere occasionem, & non dimisit; modo speret fructum.*

191 *Absoluit manentem in occasione proxima bona fide; si ex efficaciori monitione, non speret fructum.*

192 *Potest, & tenetur regulariter auferre ignorantiam inuincibilem à pœnitente præterquàm in casu, quo inutilem putet fore admonitionem.*

193 *Quid, si ei non constet monitionem esse profuturam, immò nec esse nocituram.*

194 *Proponuntur varia media ad excitandum verum dolorem peccatorum.*

195 *Proponuntur media inducentia Monialem pœnitentem ad confitendum peccatum, quod præ verecundia erubescit confiteri.*

196 *Non absoluenda Monialis, quam certò constat tacere peccatum, quod commisit.*

197 *Qualiter suppleri debeat defectus à pœnitente factus in præteritis confessionibus.*

198 *Qualiter interroganda Monialis in confessione peccatum confessum vt dubium, non iterum confitendum, si constet fuisse certum.*

QVÆRES XX. Quænam Confessarij Monialium debeant obseruare, vt munus suum vtiliter, ac laudabiliter peragant. 180

Respond. debere in primis obseruare sequentia; nimirum 1. ne peculiari propensione affectum vni Moniali magis ostendat, quàm alteri, illam apud alios enixius commẽdando de dotibus, siue naturalibus, siue supernat. ipsi à Deo cõcessis: 2. regulariter curent non detinere diutiùs in confessiune facienda vnam potius Monialem, quàm aliam (seclusa tamen particulari aliqua indigentia) sed se patrem communem omnibus exhibeat: 3. in audiendis cõfessionibus ne signo alliquo exteriori ostendant se stomachari ex auditione alicuius particularis peccati (v. g. altius suspirando, exponẽdo, &c.) 4. in faciendis interrogationibus, maximè circa votum castitatis, sint valdè cauti, ita vt nec sibi, nec pœnitenti iniciant laqueum perditionis: 5. Moniali accedenti ad confessionẽ magnam exhibeant confidentiam; eam adhortantes, vt cor suum effundat sicut aquam candide, ac sincere confitendo omnes, ac singulos suos excessus: 6. opportona suggerant remedia vniquique pœnitenti iuxtà qualitatem proprij morbi spiritualis: 7. quantùm fieri potest, non interrumpant pœnitentem inter confitendum, nisi fortè in quærendis circunstantiis peccatorum, quæ identidem à confitente manifestantur; idque ne alioqui pœnitens perturbetur, & sic excidant è memoria reliqua peccata: 8. si quid occorrat acriori reprehensione dignũ, differant reprehendere, vsque dum absoluta sit confessio omnium peccatorum; ne aliàs pœnitens deterreatur à manifestandis aliis grauioribus excessibus à se patratis: 9. in confessionibus audiendis seueros se potius præstent, quàm familiares; &, sicut non debent incutere timorem ei, quam consolari oportet; sic videre debent, ne nimia clementia vtantur erga illam, quam acriter increpare conuenit: 10. caueant, ne se impatientes, aut tædio affectos ostendant in progressu confessionis, quam audiunt; sinántque pœnitentem pro sua voluntate exponere, quæ meminit, acconfiteri statuit, quantumcunque rudi, & crassa Minerua; nullóque modo interrumpant ad effectum se citiùs expediendi (oppositum quippè potiùs eueniet, pœoitente corundem peccatorum confessionem iuxta suum ingenium non semel iterante ad pleniorem propriæ conscientiæ (vt putat) satisfactionem) 11. si quam aduertant non audere peccatum aliquod confiteri ex superueniente erubescentia, illam benignius solito excipiant, ipsi viscera paternæ cõpassionis exhibeant, eam animent ad confidentiam, cunctisque omni studio dicti peccati confessionem extorquere per varias interrogationes à longè factas circa materiam præfati peccati: 12. in fine confessionis tradant vnicuique pœnitenti oportuna remedia iuxta spirituales cuiusque infirmitates, ostendántque quantùm dedeceant excessus illi manifesti Sponsas Christi per professionem Religiosam Deo peculiariter dicatas; vt sic confundantur ab iniquitatibus suis.

QVÆRES XXI. Quàm facultatem habeant Confeſſarij Monialium circa aſolutionem reſeruatorum.

181. Reſpond. non habere, niſi illam, quam *ſup. cap.9. queſ.15.* diximus illis competere; vt proinde in præſentia nihil noui occurrat, quod hic addamus. Solùm obiter moneo ex Diana *part. 4. tractat. 4. reſolut.* 89. Duardo, ac Homobono relatis ab ipſo Diana Epiſcopum poſſe dare Confeſſario Monialium poteſtatem illas abſoluendi ab hæreſi, etiam externa; idque etſi aliàs demus facultatem Epiſcopis conceſſam à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reform. cap.6.* quoad abſoluendum ab hæreſi, per bullam Cœnæ fuiſſe ſublatam: ſi quidem, hoc etiam non obſtante (quod tamen plures negant) adhuc dicendum eſt impeditos, quò minùs Sedem Apoſtolicam adire poſſint (cuiuſmodi ſine dubio ſunt Moniales) per proprium Epiſcopum abſolui poſſe à caſibus, ac cenſuris in ipſa bulla comprehenſis ex *cap. mulieres, & cap. ea noſcitur, de ſent. excom.* idque etſi poſſit adiri Legatus, aut alius priuilegiatus ad abſoluendum; vt notat Auila *de Cenſur. part. 2. D. 1. d. 6.* ex Henriquez contra Nauarr. & Cordubam. Quamquam, loquendo de Monialibus exemptis, poſſit in ſimili caſu abſolui à proprio Prælato regulari iuxta conceſſionem Pij V. à nobis relatam *cap.9. queſ.15.*

Quod ſi obiter quæras, an Epiſcopus concedens Regulari facultatem generalem abſoluendi à ſuis caſibus reſeruatis cenſeatur concedere etiam caſus in ſpecie reſeruatos pro Monialibus ſubiectis.

Reſpond. videri concedere, niſi ex verbis conceſſionis, aut aliis circunſtantiis concurrentibus prudenter colligatur dictam facultatem ex intentione concedentis fuiſſe reſtrictam ad caſus reſeruatos pro ſæcularibus: & probatur tum quia ſumus in materia fauorabili, quæ laram recipit interpretationem, *l. beneficium, ff. de conſtitut. Princip.* tum quia non apparet cur caſus reſeruati pro Monialibus ſpecialem notam requirant, vt non veniant ſub generali conceſſione.

QVÆRES XXII. Qualiter procedere debeat Confeſſarius cum Moniali infirma, ſi, delata ei communione, antequam communicet, dicat ſe velle confiteri; & in ipſa confeſſione indicet ſe plures confeſſiones nullas feciſſe, ac irritas.

182. Reſpond. cùm diſtinctione: vel infirmitas eſt periculoſa, ita vt meritò timeri poſſit Monialem morituram ſine confeſſione, ſi ea differatur in aliud tempus; & tunc Confeſſarius curet, vt Monialis pro ratione præſentis temporis confiteatur eo meliori modo, quo poteſt, manifeſtando peccata mortalia, ſin minùs omnia, ſaltem grauiora, quæ ipſi tunc temporis occurrunt (& quidem animo poſtea reuocandi Confeſſarium ad perficiendam confeſſionem, minùs completè, ac integrè factam ob temporis anguſtiam) necnon generaliter ſe accuſando de omnibus peccatis à ſe commiſſis, ac eliciendo actum veræ contritionis, aut ſaltem attritionis: vel infirmitas non eſt adeò periculoſa: tunc, ſi non credatur Monialem expeditura Confeſſionem breui temporis ſpatio (v g. per dimidiam horam) curet Confeſſarius, vt illa eliciat verum actum contritionis animo poſtea accerſendi ipſum Confeſſarium ad faciendam integram confeſſionem ſuorum peccatorum. ita Diana *part. 5. tractat. 3. reſolut. 75.* ex Zambrano, & Granado, bene monens ad euitandum huiuſmodi inconueniens, conſultum eſſe, vt Confeſſarij Eucharisticam cõmunionem non deferant infirmo, aut infirmæ, niſi priùs explorent, ſiue per ſe, ſiue per alios, num ante communionem velint confiteri, nec ne. Ratio autem reſponſionis eſt, quòd in priori caſu præmittitur confeſſio poſſibilis pro temporis illius opportunitate, confertur infirmæ abſolutio Sacramentalis, adminiſtratur Euchariſtia indigenti, & prouidè occurritur tum periculo ſcandali, tum notæ, quam aliàs Monialis infirma incurret, ſi Moniales, quæ comitatæ ſunt auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, adſtriugerentur expectare, vſque dum perficeretur exacta confeſſio: in poſteriori verò caſu cauetur ſcandalum, quod gigneretur, ſi infirma tunc non communicaret; & ex alia parte minùs inconueniens eſt communicare abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione cum actu veræ contritionis, quàm facere illam præproperè, & ſine debita præparatione.

Quæ doctrina poſſet applicari proportionaliter ad caſum, in quo Monialis ad feneſtellam communionis communicatura peteret à Confeſſario copiam confitendi ipſi quædam ſua peccata ante communionem; & Confeſſarius interim cognoſceret Monialem teneri repetere plures confeſſiones nulliter, ac inualidè factas, ſi enim id fieri non poſſet abſque graui nota Monialis (ſicut re vera fieri non poſſet regulariter) poſſet Confeſſarius curare, vt eliceret actum contritionis ſub ſe comprehendentis omnia peccata à ſe patrata, animo poſtea commodiùs reficiendi illas confeſſiones nullas, ſicque ſatisfaciendi defectibus commiſſis in præteritis confeſſionibus. Quamquam fortè meliùs eſſet Monialem in tali caſu confiteri aliqua peccata in ſpecie, & alia omnia in genere, eliciendo actum, ſin minùs contritionis, ſaltem attritionis cadentis ſuper omnia omninò peccata à ſe commiſſa cum propoſito ea confitendi poſtea diſtinctiùs; ſic namque ex attrita poſſet fieri contrita, & conſequenter obtineret remiſſionem etiam peccatorum diſtinctè non confeſſorum, indirectam: cùm alioqui non poſſit eſſe certa à ſe elici actum veræ contritionis, & per conſequens vi illius ſibi remitti omnia ſua peccata. 183.

Quòd ſi hac occaſione quæras, an Monialis, quæ, præmiſit confeſſionem omnium ſuorum peccatorum memoriæ tunc occurrentium, teneatur audire Confeſſarium, vt ipſi confiteatur peccatum aliquod mort. cuius recordatur adſtans altari cum aliis Monialibus, parata ad communicandum, audienſque Miſſam; idque etſi abſque ſcandalo, ac infamiæ nota poſſit recedere, & commodè, eo quòd recordetur peccati ſtatim poſt Euangelium v.g.

Reſpond. non teneri, ſed poſſe communicare, ſi communio fiat publicè, & coram aliis: præſertim quando Sacerdos iam cœpit actionem ſacram, vt ſi ad effectum communicandi Moniales formulas conſecrauit, aut pixidem è tabernaculo eduxit. ita Perſicus *libr. 1. de præcipuo Sacerdot. officio, capit. 2. num. 94.* citans *num. 94.* pro ſua ſententia Victoriam, Sotum, Cordubam, Valentiam, Henriquez, & Reginaldum, hanc opinionem expreſsè docentes contra Scotum, & plures alios ab eodem Perſico relatos: probatque ex eo quòd dictus receſſus adiunctam habet aliquam indecentiam (qualis eſſet, ſi quis ſedens ad menſam Principis recederet, conuiuio nondum finito) & moraliter in tali caſu nunquam deeſt aliqua nota, aut obmurmuratio: prætereaquàm quòd Monialis in præſenti caſu accedit iuſta, & probata per confeſſionem modo ſupra dicto. Quamuis autem Doctores adducti pro noſtra ſententia loquantur in ſpecie de laico ad linteum altaris adſtantes, parato ad communicandum cum aliis, non autem de Monialibus, quæ cõmunicaturæ non ſolent adſtare

adstare ad linteum altaris; tamen puto idem dicendum esse de Monialibus, cùm Moniales asistentes Missæ ad communicandum perinde se habeant, ac si adstarent ad linteum altaris; & aliàs æquiparatorum idem sit iudicium.

Nobiscum Sentit Tamburinus *de Commun. cap.* 1. §.8.*num.*63.ex Henriquez, & Victoria relatis à Fagund. *prec.*3.*Eccl.lib.*3.*cap.*9 *num.*14.etsi *num.*62. addat quod, quamuis primo aspectu dicendum videatur, eum, qui confessus est ad communicandum, si ante communicationem recordetur peccati alicuius mortalis obliti, posse communicare absque eo quod tunc illud confiteatur, illud postea confessurus (idque etsi non actu celebret, nec ad linteum communicaturus expectet)siquidem per confessionem præmissam obtinuit ornatum gratiæ, ad quem obtinendum præscribitur confessio communicaturis in peccato mort. existentibus, & impleuit einsmodi præceptum de præmitenda confessione ante communionem (vt suppono) quia tamen praxis fidelium (qui in tali casu solent iterum confiteri, antequam communicent)ostendit præceptum de præmittenda confessione ante communionem non esse solùm de præmittenda confessione integra formaliter, sed etiam materialiter (vt notat Cardinalis de Lugo *D.* 14.*de Euchar.à num.*126.)propterea in casu proposito sustinendum est Pœnitentē teneri confiteri ante communionem peccatum, cuius de nouo meminit, nisi fortè illius recordetur, dum actu celebrat, aut communicaturus ad linteum expectat: in quo casu dicit Tamburinus *num.*63. illum non teneri recedere ad effectum confitendi, etsi breui sit reuersurus, nullumque subsit infamiæ periculum; cum iam sit iustus, ac bene dispositus per absolutionem indirectam talis peccati obtentam. Imò addit Tamburinus eum teneri elicere tunc actum contritionis, cum iam sit iustus: sieque sufficit ipsum habere voluntatem peccatum dictum confitendi debito tempore.

QVÆRES XXIII. An Confessarius Monialium possit absoluere sacramentaliter Monialem ex repentino morbo sensibus omninò destitutam, quæ nec petit confessionem, nec vllum dedit signum contritionis.

184. Respond. videri posse, adhibita conditione, ità non pauci D D. apud Dianam *part.* 3. *tract.* 3. *resol.*8. quorum sententiam testantur viri fide digni priuatim docuisse Suarez, immò, & practicasse, nouissimè edidit Romæ Lezana *in summa,v.confessio num.*11. & nos ipsi fusius probabimus *in tract. nostro de priuilegiis, cap.*3.*sect.* 2.*subsect.*2.*q.*15. & quidem non omninò improbabiliter tum ob autboritatem Doctorum eam sustinentium, tum etiam ob rationes ibi adductas; quæ licèt magnas patiantur difficultates, eæ tamen sunt, vt in præsenti casu locum habere possit doctrina, quam tradit Sanchez *l.* 2. *de matr. D.*36.*num.*8. nimitum quòd, imminente notabili damno Proximi, licitum est, omissa ferè certa opinione, eam sequi, quæ speciem aliquam probabilitatis habeat: cui affinis est illa alia doctrina, quam adducit Nauarr. *cap. inter verba, corol.* 53. *num.*153. in 2. editione dicens eum, qui habet opinionem alicuius partis, & solam alterius formidinem, non teneri sequi opinionem, si inde magnum immineat alicui periculum.& formido alterius partis apparentem habeat probabilitatem:quia periculum graue facit,vt in moralibus formido præponderet opinioni; quæ duæ doctrinæ mirè faciunt ad præsentem casum,easque in simili approbat Io.Præpositus *q.*4. *de confess.n.*88.Vnde pro nostra responsione sic licèt arguere: quotiescunque agitur de vitando graui malo,ac periculo Proximi lex charitatis obligat ad operandum,etiam secundum opinionem, quæ solùm habeat aliquam speciem probabilitatis, saltem appatentis, & quæ veriùs dicatur formido, quam opinio, vt constat ex doctrinis modo traditis: at opinio sustinens moribundum posse absolui in casu hic proposito non potest negari, quòd non habeat aliquam speciem probabilitatis, saltem apparentis;cùm habeat pro se Molfesium, Homobonum, Salmeronem, Literatum, Prętnulum, Bartholomęum à S. Fausto, Baynm, Suarez, Raynaudum, & Lezanam, nec non Naldum, Baldelium, Bordonum, Stephanum à S. Gregorio; aliosque viros doctissimos à me consultos, & nitatur rationibus habentibus aliquam speciem probabilitatis, saltem apparentis: ergo ex charitate tenemur eam sequi: tantùm abest, vt non possimus eam sustinere tuta conscientia. Præterquamquod dicit Diana supra in proposito casu adesse aliquo modo materiam sensibilem Sacramenti, quæ per testificationem, & famam publicam efficiatur præsens: quatenus vir probus, & chtistiano more viuens supponitur quotidie conteri, & dolere de suis peccatis. sic Diana addens hanc opinionem ex principio extrinseco esse probabilem.

Sic Io. Præpositus *quæst.* 4.*citata d.* 5.sustinet licitum esse impendere absolutionem Sacramentalem ægroto periculosè laboranti, qui vocauit Sacerdotem, vt confiteretur, aut dedit signa contritionis, & antequam veniat Sacerdos, priuatur vsu rationis; nec vllum signum coram eo edere potest: idque etiam post decretum Clementis VIII. sed in his non vacat diutius immorari.

QVÆRES XXIV. Quid debeat facere Confessarius, si quam Monialium reperiat incidisse in casum aliquem reseruatum; & aliàs ipsi instet necessitas communicandi, ita vt absque nota infamiæ, ac graui periculo scandali omittere nequeat communionem.

Respond. quòd, cùm in isto casu concurrat iusta causa absoluendi à reseruatis, nempte vitatio scandali, ac infamiæ Proximi, & aliàs non possit commodè adiri Superior, neque à Moniali, vt patet, neque à Confessario, vt suppono; poterit Confessarius, immò & debebit absoluere huiusmodi Monialem; directè quidem à non reseruatis, indirectè verò à reseruatis: idque siue reseruatam habeant annexam excommunicationem, siue non; patet ex doctrina, quam tradunt Suarez *D.*30.*de pœnitent.sect.*3. *num.*3.Filliuc. *tract.*7.*num.* 303. & plures alij penes ipsos generaliter docentes Confessarium inferiorem posse absoluere à reseruatis; quotiescunque adest iusta causa id faciendi, & non potest conueniri Superior. Cuius doctrinæ ea est ratio, quòd integritas formalis sufficit ad valorem Sacramenti: hæc autem adest in præsenti casu, vt patet. Dixi, *idque siue reseruatam habeat annexam excommunicationem*; tunc enim præsens quæstio apud DD maiorem habet difficultatem: nihilominùs etiam in tali euentu placet pars affirmans, quam esse communiorem testatur Suarez: & probatur, quia excommunicatio non reddit pœnitentem simpliciter incapacem absolutionis, si interueniat bona fides; sed tantùm facit, vt non possit licitè absolui à peccatis, quin priùs absoluatur ab excommunicatione: quando autem vrget necessitas, sicut licitum est tunc communicare, ita & licitum erit confiteri; cùm eodem præcepto vtrumque æqualiter sit prohibitum, nec maior adsit ratio de vno, quàm de alio. Interim tamen debet Confessarius procurare facultatem reseruatorum à legitimo Superiore, vt vigore illius Monialem modo dicto absolutam à reseruatis directè absoluat. 185.

QVÆRES XXV. An Confessarius Monialium casu, quo ingrediatur ad audiendam confessionem Monialis infirmæ, non existentis tamen in probabili periculo mortis, possit illam modo supradicto absoluere, etiam à reseruatis, si quibus illam fortè inueniat irretitam.

186. Respond. videri non improbabile, quòd possit; & hoc ob doctrinam traditam à Laymano *l. 5. tract. 6. cap. 12. num. 12.* his verbis: *Si pœnitens bona fide ad confessionem venerit, vel quia nesciuit tale peccatum Superiori reseruatum esse, vel, si sciuerit, existimauit tamen legitimè se ab inferiori Sacerdote absolui posse cum obligatione postea tempore opportuno se præsentandi Prælato: in hoc casu arbitror plerumque absolutionem dari posse, modò pœnitens præter reseruatum, aliud peccatum absolutioni subijciat. ratio est partim quia aliqualis necessitas vrget; siquidem pœnitens ægro animo discedet absque absolutione, cùm ex sua parte benè dispositus sit; partim quia graues DD. absolutè docent, quòd Sacerdos pœnitentem, qui peccata reseruata habet, absoluere possit cum onere, vt ea sola Superiori postea confiteatur, & ab alijs directè absoluatur: excipe nisi excommunicatio annexa sit*; hæc Layman, quæ satis congruè videntur posse adaptari ad præsentem casum, & quidem à fortiori ob peculiares circunstantias pœnitentis; quæ est Monialis adstricta lege clausuræ, adeóque non potest habere copiam Confessarij, sicut habent fœminæ sæculares, & est infirma, ac persona Religiosa, sicque valdè ægrè ferret se inabsolutam dimitti à Confessario. Quod autem dicit Layman *excipe, nisi excommunicatio sit annexa*, non videtur obstare doctrinæ traditæ *quasi. præcedenti*, nimirum in casu necessitatis vrgentis inferiorem posse absoluere à reseruatis, etiamsi annexam habeant excommunicationem; siquidem, cùm ipsemet Layman hoc idem concedat *numer.* 10. in casu magnæ necessitatis (v. g. ad vitandam infamiam) eatenus id negat in præsenti euentu, quatenus in eo non videtur subesse magna necessitas: veluti subest in casu, quo agitur de vitanda infamia pœnitentis, aut alio simili; quare & mihi probatur exceptio ista apposita à Layman, cùm sit valdè rationabilis.

QVÆRES XXVI. Qualiter debeat procedere Confessarius cum Moniali pœnitente existente in occasione proxima peccandi, siue domestica, siue externa.

187. Respond. quòd, cùm regula communis sit manentem in occasione proxima peccandi teneri eam derelinquere, nec posse absolui, si potens illam derelinquere, verè non statuat eam deserere; Confessarius in isto casu non potest, nec debet Monialem absoluere, si ex concurrentibus circunstantiis videat illam posse dimittere talem occasionem absque scandalo, graui infamia, aut damno magno, siue spirituali, siue temporali, & tamen nolle: patet, quia volens manere in periculo morali labendi in peccatum non præsumitur habere propositum efficax non peccandi; cùm ex obligatione vitandi peccatum exsurgat obligatio vitandi ea, quæ morali necessitate secum trahunt peccatum, saltem quando moraliter vitari possunt. est communis Doctorum; qui tamen benè limitant regulam superiùs traditam non solùm in casu, quo occasio vitari non possit absque periculo scandali, aut infamiæ, aut alterius magni damni (sicut nos etiam limitauimus) sed etiam quando pœnitens ostêdit extraordinarium dolorem, ac propositum, quæ faciunt iam illam occasionem non esse proximam; cùm homo sic armatus multò fortior sit ad resistendum, quàm priùs; ideóque probabiliter sperari possit ipsum resistentiam facturum tentationibus, quibus antea succumbebat. Ita Io. de Lugo *D. 14. de Pœnit. num. 151.* item docens de pœnitente, qui modò statuat adhibere alia media ad cauendum peccatum: vt si occasio sit ex fœmina domestica, & ille proponat nunquam solus cum sola colloqui, aut inueniri, effugere eius aspectum, iucûdam ei faciem exhibere, *&c.*

Quòd si quæras, an Confessarius debeat cogere Monialem ad vitandam occasionem proximam et per aliquod tempus permissam ob graue damnum, quod ei prouenire poterat ex remotione dictæ occasionis: si progressu temporis videat illam semper eodem modo relabi, nec in ea reperiri vllam emendationem: idque, etiamsi idem damnum in præsentia ipsi immineat.

Respond. non debere cogere, sed posse illam adhuc absoluere; si verè occasionem illam proximam, etiam modò deserere nequeat absque graui suo damno. Ita in terminis Io. de Lugo *sup. num. 156.* ex Viualdo, Sancio, & aliis Theologis; probatque quia adhuc post experientiam nullius profectus, ac emendationis potest stare verus dolor, ac propositum requisitum absque voluntate auferendi occasionem cum tanto damno: ergo Monialis in tali casu potest absolui, cùm ad talem effectum requiratur solùm confessio cum dolore, ac proposito. sicut enim in præteritis confessionibus potuit absolui, eo quòd non tenebatur cum tanto suo damno auferre occasionem; sic ob idem detrimentum adhuc perseuerans excusatur modò ab auferenda dicta occasione: nec assignari potest, vnde in præsentia oriatur grauis obligatio tollendi occasionem, quæ obligatio antea non esset; ideóque si antea excusabatur, excusabitur etiam nunc; cùm militet eadem ratio. 188.

Monet tamen Io. de Lugo *n. 160.* & benè, huiusmodi doctrinam procedere, per se loquendo; ideóque per accidens posse contingere oppositam in praxi seruandam esse; si scilicet ex præfata experientia argui possit Monialem in præsentia carere vero dolore, ac proposito requisito; qui enim efficaciter proponit, & seriò rem aliquam, quam aliundè moraliter implere potest; non adeò facilè obliuiscitur statim sui propositi, sed saltem per aliquod tempus perseuerat, & difficiliùs, vel rarius cadit; quare ex hoc capite posse negari, aut differri absolutio. 189.

An autem Confessarius possit per aliquot dies differre absolutionem Moniali, quæ sæpè promisit dimittere occasionem proximam peccandi, & nunquam dimisit; si possit probabiliter credere ei dicenti se hîc, & nunc habere dolorem, ac verum propositum: idque ad eam meliùs probandam.

Respond. videri posse; & ratio est, quòd, quamuis pœnitens debitè dispositus, facta confessione, habeat ius ad sententiam, & ad absolutionem, non tamen habet ius ad hoc, vt statim proferatur sententia; si quidem potest Iudex arbitrari, quomodo, & quando debeat vtiliùs proferri sententia: sicque potest præmittere exhortationem spiritualem, aut etiam præcipere, vt priùs impleat hanc, vel illam pœnitentiam per modum medicinæ iniunctam, si id iudicet expedire bono spirituali ipsius pœnitentis. hæc Ioan. de Lugo, ex communi sensu Theologorum, *supr. num 168. 169. & 170.* addens ex Palatio apud Græcos neminem ante expletam pœnitentiam, sacramentaliter absolui; hincque inferens non esse contra ius pœnitentis, si in eius vtilitatem interdum absolutio differatur; quidquid in contrarium sentiat Sancius *in selectis D. 9. num. 6. & sequentibus.* 190.

Dubium

Dubium maius est, an Confessarius possit absoluere Monialem pertinaciter existentem in proxima occasione peccandi, si ex concurrentibus circunstantiis probabiliter coniiciat illam quoad hoc esse in bona fide (quòd inuincibiliter credit permanentiam in dicta occasione sibi non esse peccaminosam, nec putat se teneri sub nouo peccato illam dimittere,) & aliàs idem Confessarius moraliter certus sit, præfatam Monialem ex propria fragilitate non recessuram à dicta occasione, si id ei præcipiat, sicque se nullum emendationis fructum consecuturum ex tali admonitione, immò ei potiùs iniecturum laqueum noui peccati.

191. Respond. aliquibus videri probabile, quod Confessarius in tali casu possit, imò & debeat absoluere Monialem pœnitentem, illam relinquendo in ea bona fide. Moueor, quòd iuxta dicenda *q. sequenti* plures Doctores probabiliter sustinent Confessarium, si inueniat suum pœnitentem laborare ignorantia inuincibili, siue facti, siue iuris, tam humani, quam diuini, aut naturalis; & alioqui prævideat ignorantiam ablatam redundare debere in nouum peccatum ipsius pœnitentis, qui prosequetur facere cum peccato id, quod antea licitè faciebat, debere dissimulare, dum non interrogatur, non autem ei auferre præfatam ignorantiam, constat autem in præsenti casu, quòd, si Confessarius adstringat Monialem ad dimittendam occasionem proximam peccandi, ipsi manifestando illam non posse in ea permanere absque peccato; dato quòd Monialis de facto ex sua fragilitate non sit illam dimissura, iam incipiet permanere in illa cum peccato; cùm prius in ea maneret sine vlla culpa, vt suppono: ergo Confessarius, ne laqueos iniiciat pœnitenti contra *c. de viduis, cl. 2. 27. q. 1.* non solùm potest, sed debet relinquere illã in sua bona fide, priùs tamen prudenter examinando statum, & qualitatem ignorantiæ illius, num sit culpabilis, nec ne: & quidem, ita vt ipso examine, ac interrogatione pœnitenti non præbeat occasionem dubitandi, nec ei inferat malam fidem; sicque solum in communi, & quasi aliud agens debet Confessarius interrogare pœnitentem, an habeat remorsum conscientiæ circa aliquam materiam grauem. ita docti viri à me consulti, & satis benignè, si probabiliter; an autem probabiliter, iudicent alij; in hac enim re ego nolo esse Iudex.

QVÆRES XXVII. An Confessarius possit, & teneatur auferre Moniali pœnitenti ignorantiam circa peccata, quæ committit.

192. Respond. posse, & teneri, si ignorantia, seu conscientia erronea sit contra ipsam Monialem, eò quòd ex conscientia erronea putet esse peccatum id, quod re vera non est: aut certè quòd ignorantia sit vincibilis, & culpabilis; in his quippe casibus, quamdiu perseuerat ignorantia, pœnitens est indisposita ad absolutionem, & non vitat, sed causat peccatum, ac eius perseuerantiam: Secus, si ignorantia sit inuincibilis, siue facti, siue iuris, tam humani, quàm diuini, aut naturalis, & Confessarius ex concurrentibus circumstantiis pœnitentis prudenter coniiciat suam monitionem verè nihil profuturam, imò potiùs iniecturam laqueos pœnitenti, ita vt incipiat facere cum peccato, quod priùs licitè faciebat; tunc enim debet omittere admonitionem: ideoque esto pœnitens interdum dubitauerit (si tamen postea ex aliorum consilio, aut alia de causa dubium deposuerit, & iam nunc in bona fide inuincibiliter reperiatur) & alioqui Confessarius speret pœnitentem libenter suscepturam monitionem, interim videns remedium esse difficillimum. Ratio responsionis est, quòd; sicut officium docendi competens Confessario non ligat cum grauissimo damno ipsius Confessarij; sic nec obligat cum graui detrimento pœnitentis, si aliàs is excusetur à peccato formali ratione ignorantiæ inuincibilis; cùm enim doctrina ordinetur ad bonum pœnitentis, considerandum est tum malum violationis legis Dei materialis, & absque peccato, tum malum temporale, quod incurretur ex monitione, & ablatione ignorantiæ; hoc siquidem potest ei præponderare, & tunc monitio omitti debet, ita Sanch. *l. 2. de matr. D. 38. num. 6. & 10.* aliique plurimi ab ipso relati, quos sequitur Ioan. de Lugo *sup. D. 22. num. 23. 24. & 27.* monens *num. 29.* minùs consequenter videri dictum, quod habet Sanchez *n. 14.* Confessarium scilicet, si à pœnitente, non cum dubio, sed ex scrupulo interrogetur de re, cuius habet ignorantiam, posse tacere, aut etiam respondere, quod deponat scrupulum; nam scrupulus non impedit bonam fidem, nec ignorantiam inuincibilem, quæ ipsum excusat; quamquam alias concedi possit Confessarium in isto casu posse fingere, se non audiuisse, vel non attendisse vel oblitum fuisse respondere, vt sic pœnitens remaneat in bona fide, quam priùs habebat.

Dices, quid si Confessarius nec sciat admonitionem in casu proposito esse obfuturam, nec etiam 193.
sciat esse profuturam: teneturne in tali dubio monere pœnitentem laborantem ignorãtia inuincibili?

Respond. Ioan. de Lugo *num. 31.* distinguendo; vel Confessarius ita dubitat de profectu pœnitentis, vt non timeat damnum; & tenetur illum monere tum ex charitate, tum ex officio magistri, ac Pastoris, vt in simili docet Granado *2. 2. contron. 3. tract. 12. D. 1. n. 6.* de dubitante, num correctio sit profutura, nec ne: vel dubitat, an monitio sit profutura, aut obfutura, & tunc, facta comparatione vtilitatis, ac damni, & gradus timoris, ac spei, omnibus benè pensatis, eligendum est illud, quod iudicabitur præponderare; cum enim finis admonitionis, aut silentij sit bonum pœnitentis, aut etiam publicum, quando illud interuenit, in eam partem inclinandum est, quæ iuxta præsentem statum credatur eligibilior.

QVÆRES XXVIII. Quopacto debeat Confessarius se gerere cum Moniali non habente verũ dolorem suorũ peccatorum, ac propositum non peccandi.

Respond. debere pro viribus conari, vt ipsam excitet ad veram detestationem suorum peccatorum, 194.
& firmum propositum non peccandi de cætero: idque ei grauitatem dictorum peccatorum ostendendo, siue in genere, siue in specie, prout hîc, & nunc iudicabitur fore vtilius; proponendo damna innumera peccantibus prouenientia, tam spiritualia, quàm temporalia, atrocissima tormenta, quæ manent damnatis ferenda in inferno, & supplicia grauissima, quæ à Deo, etiam in præsenti vita, non rarò solent infligi delinquentibus; exaggerando atrocitatem cruciatuum, ac dolorum, quos filius Dei sustinuit ad humani generis redemptionem, mortis certitudinem, ac incertitudinem in memoriam reuocando: recensendo plurima, & maxima beneficia, quæ Deus largè confert, etiam iis, qui ipsum offendunt: aliáque id genus referendo, quæ hîc & nunc opportuniora censeantur ad verum dolorem, ac propositum pœnitendi insinuandum: quòd si ea nihilominus indicet se carere debito dolore, ac proposito; nullo modo debet absolui, vtpotè non habens sufficientem dispositionem. Illud tamen in præsenti casu benè aduertendum est, quòd si constet pœnitentem difficiliùs propositurum non peccare amplius in certo genere peccati; prudens Confessarius

non debet ei proponere in specie, nam firmiter statuat abstinere ab illo genere peccati, sed solùm in communi, num, Deo adiuuante, proponat abstinere à quacunque Dei offensa mortali; sic enim facilius, & securius extorquebit Confessarius verum dolorem, ac propositum de cætero non peccandi à pœnitente.

QUÆRES XXIX. Quibus mediis possit, ac debeat Confessarius iuuare Monialem non audenté confiteri peccatum aliquod ex nimia erubescentia.

195. Respond. posse, & debere iuuare sequentibus mediis, aut aliis similibus, quæ hic, & tunc Spiritus S. vnctio edocebit: 1. Monialem adhortando, vt, si quid habet, quod præ verecundia erubescat dicere; saltem in genere fateatur se conscientiam habere oneratam graui quodam peccato, quod nullo modo audet dicere; sic enim Confessarius ex tali notitia paulatim, summa cum dexteritate expressam dicti peccati confessionem extorquebit, & quidem minori cum erubescentia pœnitentis: 2. proponendo, vt peccatum, quod erubescit fateri verbis, saltem confiteatur ex scripto, illud in pagella describendo, eamque tradendo præsenti Confessario, necnon apertè ei significando se veniam humiliter petere peccati eo modo manifestati (quo casu Confessarius interrogabit de circunstantiis præfati peccati, si quæ minùs sufficienter expressæ sunt, & postea pagellam combutet, aut reddet ipsi pœnitenti (quam doctrinam in specie tradit Io. Præpositus *in 3. q. 4. pœnit. d. 2. num. 71.*) 3. monendo ante confessionem, vt si quid habet pœnitens, quod fateri erubescat, primo loco aperiat offerens Deo in suorum criminum satisfactionem erubescentiam, ac confusionem ex tali confessione sentiendam (quod quanti sit meriti coram Deo, suadet vsus confessionum generalium non necessarium: quæ à viris piis interdum fiunt ad maiorem sui humiliationem, ac confusionem) 4. ostendendo Moniali ipsam maiorem sensuram esse confusionem in die iudicij, quando non vni tantùm, sed vniuerso Orbi, ac omnibus Angelis, & hominibus à supremo Iudice manifestabitur peccatum illud, quod ipsam adeò pudet aperire soli Confessario, & quidem, cum strictissima obligatione sigilli: 5. suggerendo exemplum aliquod formidabile supplicij à Deo inflicti ob reticentiam peccati alicuius factam ex verecundia in sacramentali confessione: 6. significando quòd, sicut ad recuperandam corporis sanitatem habens plura vulnera, ea detegit chirurgo, nullo prorsus ei occultato, variósque ac grauissimos dolores suffert; sic pœnitens ad acquirendam animæ salutem debet aperire Cõfessario vlcera sua spiritualia, nempe peccata à se commissa, quantumuis turpissima, cùm hinc pendeat æterna salus, aut sempiterna damnatio: 7. pœnitentem certiorem reddendo Confessarium nequaquam scandalizari ex confessione peccatorum, licèt turpissimorum; nec ideò deponere bonam opinionem quam priùs habebat de pœnitente, immò potiùs magis affici ipsi, ac suspicere quàm maximè singularem sui ipsius victoriam obtentam in manifestatione peccati adeò atrocis; præterquàm quòd communiter Confessarius in excipiendis confessionibus non audit à pœnitentibus peccata ita enormia, vt longè enormiora antea non audierit, aut imposterum auditurus non sit: 8. in memoriam reuocando pœnitenti, quòd, si tanta laborat verecundia in detegendo peccato illo turpi, proprio Confessario; longè maiorem sentiet erubescentiam postea, quando cogetur aperire non solùm peccatum illud, sed etiam sacrilegia commissa in repetitis confessionibus ex eius reticentia: sic enim est error peior priore: 9. indicando, quòd cùm dicere vni præsertim viro prudenti, ac taciturno, perindè sit, ac dicere nulli; & alioqui Confessarius ita strictè teneatur seruare sigillum confessionis, vt illud violare non possit, neque ad seruandam propriam vitam; non est, cur timeat pœnitens peccata sua fore aliis manifestanda, ideóque suam famam apud alios periclitaturam esse. his, inquam, aut aliis similibus mediis iuuare poterit prudens, pius, ac discretus Confessarius Monialem pœnitentem, si quam fortè inueniat minùs paratam ad manifestanda omnia sua peccata: idque ex maxima verecundia, quæ illam adeò vigeat, vt omninò desperet se adductum iri ad faciendam confessionem omninò integram.

Placet hîc proponere, & soluere difficultatem, quę olim fuit mihi proposita his verbis: Monialis recenter incurrit quoddam peccatum turpe, quod ipsa erubescit confiteri tanquam de nouo commissum: quæritur an licitè, petita à Confessario facultate faciendi ipsi confessionem generalem anteactæ vitæ, eaque obtenta; cum aliis suis peccatis aliàs rite confessis, possit fateri etiam peccatum recens commissum, sicque satisfaciat suæ obligationi.

Respond. Diana *part. 3. tract. 3. resol. 61.* ex Sanch. Coninchο, & Bonacina id posse fieri: & probat tum quia iuxta Doctores allegatos probabile est pœnitentem in confessione non teneri dicere se tale peccatum commisisse post vltimam confessionem (nisi fortè ob aliquam peculiarem circunstantiam mutantem speciem, quæ necessariò exprimi debeat) sicque sciens, aut dubitans se tale peccatum iam fuisse confessum, non tenetur dicere se aliàs fuisse confessum, vel de hoc dubitare (quæ doctrina vtique procedit, etiam in casu hîc proposito, vt consideranti constabit) tum quia in isto casu valdè parùm variatur iudicium Confessarij; ideóque ex hoc capite damnari non debet talis modus confitendi. Nec obstat, quòd in tali casu Confessarius non potest dignoscere, an peccatum illud, quod de nouo commissum est, cadat sub eius potestatem; cùm possit contingere illud modò esse reseruatum; & Confessarius prudenter credere possit illud aliàs fuisse & confessum, & remissum, adeóque non esse amplius reseruatum: nam Monialis per tertiam personam potest petere à Superiore facultatem reseruatorum pro vna Moniali monasterij non nominata: sicque Confessarius poterit absoluere ab illo reseruato, etsi ignoret facultatem fuisse recens obtentam à Moniali pœnitente, non obstat item, quòd fortè peccatũ de nouo commissum includat nouam malitiam v. g. sacrilegij contra votum Castitatis, quam Confessarius non percipiet fortè supponens illud peccatum fuisse cõmissum ante professionem Religiosam: Monialis enim vt id manifestet Confessario, poterit in confessione dicti peccati exprimere se illud commisisse, dum esset adstricta voto castitatis, non declarando se tunc fuisse professam: non obstat denique quod ex tali modo confitendi non potest Confessarius cognoscere, an Monialis pœnitens sit in occasione proxima peccandi (sicut fortè est) si quidem supponens hoc peccatum esse antiquum, supponet occasionem fuisse ablatam, ideóque non monebit de hoc pœnitentem: præterea imponet pro peccato recens facto leuiorem pœnitentiam, quàm si nosset illud de nouo fuisse commissum ab vltima confessione (vt de facto fieri solet in cõfessionibus generalibus) non obstat inquam; cum Monialis pœnitens ex se possit occasionem peccati à se amouere; & rogare Confessarium, vt ipsi pro sua consolatione 196.

iniun

iniungat pœnitentiam maiorem, immò & ex se sponte facere illam pœnitentiam, quam proportionatam indicauit peccato de nouo commisso.

Quòd si hac occasione quæras, quid debeat facere Confessarius, si sciat Monialem pœnitentem commisisse aliquòd peccatum, quod nec ex se nec interrogata confitetur.

Respond. confessarium in tali casu, si certò sciat Monialem commisisse aliquod peccatum, & etiam euidenter sciat illam non fuisse illud confessam, cùm aliàs nullam habeat iustam causam illud reticendi, nec posse, nec debere illam absoluere, patet, quia non licet absoluere pœnitentem indispositum: talis autem est Monialis in præsenti casu. ita Suarez *D.32.de pœnit.sect.3. num.9.* Henriquez *lib.6. cap.20. num.6.* Fagundez *præcep.2. Eccles.lib.6.cap.4.num.38.* Ioann. de Lugo *D. 22. de pœnitent. num. 21.* aliique communiter contra Megalam *1.p.lib. 1.cap.2.num.12.* sustinentem, quòd, cùm possit contingere pœnitentem habere causam rationabilem (saltem in apprehensione) reticendi aliquod peccatum; potest Confessarius sæpè existimare pœnitentem negantem peccatum à se commissum, id negare ex causa rationabili, saltem putata, ideóque non interuenire defectum integritatis requisitæ formalem, sed solùm materialem quamquam hoc ipsum non negarent citati Doctores; sicque quoad hoc non dissentit Megala, vt notauit Ioann. de Lugo.

QVÆRES XXX. Quid debeat facere Confessarius, si Monialem reperiat in præteritis confessionibus minùs integrè confessam fuisse, siue ex propria, siue ex aliorum Confessariorum incuria; v.g. non exprimendo numerum peccatorum mortalium, aut circumstantias mutantes speciem.

197 Respond.distinguendo; vel Monialis est prudens, ac viuidioris ingenij, ita vt credi possit probabiliter ipsam, præmisso diligentiori examine, exactiùs confessuram esse propria peccata, ac suppleturam defectus commissos in præcedentibus confessionibus; & sic Confessarius debet illam dimittere, vt propriam conscientiam discutiat, postea reditura ad debitam confessionem faciendam (si quidem confessio differri possit absque nota infamiæ, ac periculo scandali; aliàs enim facere debet Confessarius, quod diximus *sup.q.24.*) vel Monialis est rudioris, ac hebetioris ingenij, ita vt, quantumcunque millies remittatur ad examinandam conscientiam, non ideò meliùs sit se examinatura, aut exactiùs confessura, quàm si statim à Confessario prudenti debitè interrogetur, & tunc communiter non debet dimitti, vt se examinet, ac tedeat; sed statim debet interrogari à Confessario, cuius auxilio ea exactiùs supplebit defectus commissos, quàm si millies se examinatet; Vnde notat Cardinalis de Lugo *supr. D. 16. num. 593.* excusari Confessarios, qui inuenientes pœnitentem minùs sufficienter præparatum, illum tamen non dimittunt, vt se præparet, ac diligenti præmisso examine tedeat; sed potius illum statim interrogant, & quidem circa aliqua peccata, quorum pœnitens non meminerat ex improuiso, interrogant numerum, qui aliàs absque aliqua recognitione non nisi temerè, aut cum magna confusione videtur posse ex improuiso dici à pœnitente. Immò addit Ioann. de Lugo posse euenire, quòd Confessarius inueniat pœnitentem indigere generali confessione ob confessiones irritas præcedentes: & tamen persona sit talis, vt possit statim examinari, & audiri de tota vita; cùm non sit spes illam sibi relictam melius examen facturam esse, quàm illud, quod, iuuante Confessario, ibi facere poterit. Quod etiam approbat Vasquez *3. part. q. 93. art. 3. d. 7. num. 5.* dicens rusticos, licèt inueniantur negligentes examinari, non esse communiter dimittendos, vt se examinent, & tedeant: quia de iis præsumitur, licèt millies se examinent, non fore magis aptos, quàm si à Confessario breuiter interrogentur, ac examinentur.

Et certè (vt id obiter dicam) examen, ac interrogatio Confessarij debet fieri iuxta regulam prudentiæ, & quidem non metaphysicè, sed moraliter, & humano modo: ita vt Sacramentum non reddatur onerosum, sed sit facile remedium, & debili hominum conditioni accommodatum, prout à Christo fuit institutum. Quare Confessarius debet se accommodare pœnitenti, & notitiam peccatorum à singulis exquirere iuxta ipsorum capacitatem, subtiliorem, à subtilioribus, crassiorem, à crassioribus, breuiorem ab infirmioribus, & minus exactam ab eo, qui plura habet peccata, quam qui pauciora: & ratio est, quòd, cùm Sacramentum pœnitentiæ requirat solùm diligentiam moralem, ac examen humanum; & hoc sit illud, quod non gignit ex se fastidium, & tædium ipsius Sacramenti; sequitur minùs distinctam notitiam requirendam esse ab illo, qui ratione incapacitatis, aut morbi, aut multitudinis peccatorum, aut alia de causa difficiliùs potest exactiorem reddere notitiam. ita Cardinalis de Lugo *sup.num.594.* qui in Epistola ad Lectorem posita *in tom. citat. de pœnit.* sequentem tradit doctrinam perpetuò Confessariis retinendam; *Cæterum in hac potissimum materia* (idest in administrando pœnitentiæ Sacramento) *si in qua alia, Lectoris prudentia desideratur, vt non statim terreatur regulis quibusdam generalibus, quæ tradi solent: sed meminerit omnia, quæ iuxta metaphysicam, & scholasticam disputationem vera significantur, debere eo ipso, aut posse in vniuersum ad praxim applicari; nam ad praxim huius Sacramenti considerandum non solùm est, quid vtcunque verum quasi in abstracto sit, sed quid etiam moraliter, & humano modo fieri possit, & deceat: ita vt remedium hoc suauitate, ac dulcedine plenum non fiat sua difficultate impossibile, vel horrorem nimium ingeneret humanæ fragilitati.* 198.

Addo mihi videri non improbabile Monialem, quæ aliquod peccatum confitetur vt dubium, si postea agnoscat fuisse certum, non teneri illud iterum confiteri: idque colligo ex Cardinali de Lugo *D.16. de pœnit. num.92.* attestante sic sensisse aliquos viros doctos, & maximè P. Richardum sacri palatij Magistrum: quamuis ipse Cardinalis pro sua singulari modestia dicat in hoc puncto se nolle quidquam definire, sed securiorem partem consulere Probatur autem assertio ex doctrina, quam Doctores communiter tradunt; nimirum quòd, quando pœnitens confitetur numerum verisimilem (v.g. peierasi decies plus, minùs ve;) si postea recordetur se peierasse duodecies, non tenetur id confiteri; cùm verba illa, *plus, minus ve*, ad minùs includant illa duo periuria. Vnde sic argui potest. Qui dicit se peierasse decies plus, minùsve, non dicit, vt certum vndecimum periurium, sed vt dubium; & tamen, si postea recordetur se vndecim, vel duodecim vicibus peierasse, non tenetur dicere vt certum vndecimum illud periurium, quod priùs dixerat sub dubio: ergo, si etiam confessus fuisset sub dubio vnicum periurium, non deberet postea certior factus illud fateri vt certum, cur enim magis vnum, quàm vndecimum debet confiteri; quando vtrumque dixit in æquali dubio, & postea de vtroque æqualem habet certitudinem? ita Cardinalis, qui hoc ipso quòd ait se consulere securiorem partem (nimirum peccatum in

tali casu iterum esse manifestandum, vt tradont communiter DD.) indicat item securam esse partem, quam nos amplectimur.

Sic existimo (& mecum sentit P. Zanettus vir doctissimus, ac proinde meritò non semel in hoc tractatu à me allegatus ; etsi nullum ex sua modestia ediderit Librum) bene confiteri Monialem, quæ dubitans se ter detraxisse grauiter de Proximo, absolutè dicit Confessario se ter detraxisse, animo intendens se accusare de tribus detractionibus aliàs rite confessis casu, quo re vera de nouo non commiserit tres illas detractiones : &, si postea deprehendat certò se de nouo commisisse illas tres detractiones modo dicto confessus, non teneri illas iterum confiteri. Moueor, quòd Monialis sic confitens dicit verum, etiam quoad cognitionis certitudinem ab ipsa habitæ de tribus vicibus detractionis à se factæ ; & per illam loquendi formam Confessarius iam intellexit certitudinem hanc in priori confessione facta.

199 *Quo pacto Confessarius debeat supplere defectum à se commissum in confessione audita.*
200 *Tenetur monere pœnitentem de dicto defectu, si ad ipsum redeat confitendi causa, seruatis tamen seruandis : quod non concedit Filliucius.*
201 *Pœnitens, etsi credatur bene examinatus, interrogandus de iis, quæ omittit.*
202 *Putat Sancius pœnitentem non debere interrogari de consuetudine peccandi ; sed reiicitur communiter, & meritò.*
203 *Confessio Monialis surdæ, aut sudastra qualiter audienda.*
204 *Afferuntur aliqua remedia contra scrupulos : ostenditur item non esse iterum confitendum peccatum confessum cum circumstantiis necessariis, quod, cum verè sit mortale, à Confessario creditur esse solum veniale, & hoc ipsum scitur à pœnitente.*
205 *Traduntur remedia generalia contra peccata.*
206 *Confessiones inualidæ qualiter reualidandæ.*
207 *Quid si pœnitens sciat se fuisse confessum Confessario dormienti, aut distracto.*
208 *Pœnitentia Sacramentalis prudenter imponenda.*
209 *Notantur aliqua de impositione pœnitentiæ Sacramentalis.*
210 *Abstinentia à Communione Eucharistica iniungi potest per modum pœnitentiæ.*
211 *Item imponi possunt opera facienda pro defunctis, & quidem etiam grauia solum sub veniali.*
212 *Qualis pœnitentia imponenda in mortis articulo : qualis famæ restitutio ; & qualis retractatio doctrinæ falsæ : quid si hæc irrepsit in libro impresso.*
213 *Opera aliunde debita imponi possunt titulo pœnitentiæ.*
214 *Item & opera per alium præstanda.*
215 *Pœnitentia Sacramentalis potest imponi, etiam post absolutionem, immò & mutari post longum tempus : pœnitens ipse illam commutat in melius.*
216 *Confessarius in aliquibus casibus, loquitur cum pœnitente de auditis in confessione.*

QVÆRES XXXI. Qualiter debeat Confessarius supplere defectum ab ipso commissum in confessione Monialis pœnitentis.

199. Respond. cùm distinctione : vel defectus fuit commissus circa substantiam, & valorem Sacramenti, eo quòd absolutio collata si absque debita iurisdictione, aut necessaria dispositione pœnitentis ; & sic Confessarius debet monere pœnitentem de commisso defectu (petita tamen priùs facultate loquendi de auditis in confessione) & quidem etiam cum suo graui damno, si cum culpa graui, ac mortali defectum illum commisit ; constat quippe in aliis materiis, & præsertim in materia iustitiæ damnum illatum Proximo culpabiliter, strictiori obligatione debere reparari, quàm illud, quod inculpabiliter illatum est : vel defectus commissus est in damnum tertij, eo quòd non fuit præscripta pœnitenti debita restitutio, aut certè præscripta est indebita ; & tunc Confessarius tenetur monere pœnitentem ; siue defectum commiserit positiuè, dicendo pœnitenti ipsum non teneri restituere ; siue negatiuè, non præscribendo debitam restitutionem : non tamen cum magno incommodo, si absque graui culpa talem defectum modis prædidictis commisit ; quòd si commisit cum graui culpa, tenetur, etiam cum magno incommodo ; & quidem etiam de damno, siue positiuè, siue negatiuè in illud influxerit ; cùm quilibet culpabiliter Proximum damnificans teneatur de damno, siue positiuè, siue negatiuè illud intulerit. Quod non procedit in casu, quo damnum inferatur absque graui culpa : cùm tum obligatio reparandi damnum illatum sit minor ; vtpote proueniens sine iniusta læsione, ac proinde non adstringat cùm graui incommodo : vel denique defectus commissus est solùm cōtra integritatem confessionis, non examinando aut non interrogando sufficientem numerum, aut species, aut alias circunstantias necessariò explicandas : & tunc, si quidem Confessarius in tali defectu se habuit negatiuè, seu purè omissiuè, non tenetur monere pœnitentem extra confessionem ; cùm præceptum integritatis confessionis directè non obliget Confessarium, sed ipsum pœnitentem ; & alioqui Confessarius Iudicis officio fungens, vbi protulit sententiam absolutionis, iam functus sit munere suo, & ampliùs non teneatur interrogare, ac examinare pœnitentem : idque siue culpabiliter, siue inculpabiliter omiserit interrogare, quòd si Confessarius positiuè fuit causa talis defectus, & quidem cum culpa graui eo quòd docuit v.g. non esse opus exprimere numerum peccatorum) tunc tenetur monere pœnitentem, si absque scandalo, aut graui detrimento id facere possit ; & magis strictè, quàm quando sine culpa fuit in causa præfati defectus ; qui enim est alteri causa violandi præceptum aliquod graue, violatione etiam materiali ; debet, si commodè potest, monere de errore, vt ille præceptum non violet : immò etiam cum maiori incommodo, vt iam dictum est, si cum culpa graui Confessarius fuit causa dicti defectus. ita Ioann. de Lugo *supr. D.* 22 *sect.* 3. *per totam*, aliis citatis. Non dissentiunt Filliucius *tract.* 3. *cap.* 12. *q.* 7. & Diana *part.* 1. *tract.* 15. *resol.* 7. pro se adducens Nugnum, & Reginaldum, addentes Confessarium non teneri in casu proposito monere pœnitentem de restitutione facienda, quando positiuè in Confessione ei non dixit restitutionem non esse faciendam, sed solum tacuit ; quod ego aduerti in *Manuali tract.* 5. *cap.* 12. *num.* 65.

An autem Confessarius monere debeat pœnitentem in ipsa confessione de defectu commisso in præcedenti confessione, si redeat ad confitendum.

Respond. Ioann. de Lugo *supr. num.* 77. teneri ; 200.
cùm iterum fiat iudex, & vt iudex ad sententiam legitimè proferendam debeat pœnitentem interrogare de iis, quæ videt à pœnitente omitti ex obliuione, aut ignorantia ; quare, cùm sciat omitti ea, de quibus in præcedenti confessione debeat interrogare,

gare, consequenter & debet interrogare de iis, non tam ad supplendum defectum præcedentis confessionis, quàm ad procurandam integritatem præsentis confessionis, præmittendum examen requisitum ante absolutionem: ita Ioan. de Lugo; cùm alioqui Filliuc. *tract.7.num.*374. absolutè dicat, si ex defectu commisso in confessione non pendeat damnum tertij, Confessarium regulariter ad nihil teneri, nisi ad pœnitentiam sui defectus, si quidem fuit culpabilis.

QVÆRES XXXII. An Confessarius teneatur interrogare Monialem, si putet probabiliter illam satis diligenter examinasse suam conscientiam, & tamen omittat aliquid necessariò exprimendum.

101. Respond. quòd, quamuis Medina *C. de confess. q. de confess. dimidiat. iteranda*, in hoc sustineat partem negantem, & Vasquez ipse *sup. d.7. num.2.* dicat huiusmodi sententiam non facilè conuinci posse falsitatis, immò iudicet illam esse probabilem, cùm contrariam solùm probabiliorem esse dicat: nihilominus communis Doctorum sententia est, quam sequitur Suar. *D.32. de pœnit. sect.3. num.7.* ex Magistro S.Thom. Sylu. S.Anton. Ang. Nau. & Cano, videlicet Confessarium teneri interrogare pœnitentem circa peccata, quæ non confitetur, si rationabiliter credat eum omittere aliquod peccatum ex obliuione, aut inaduertentia: idque etsi aliàs probabiliter putet eum propriam examinasse conscientiam ea diligentia, qua tenebatur. Ratio responsionis est, quòd Confessarius in foro Sacramentali est Iudex, & vt talis debet proferre sententiam absolutoriam: ad quod vtique opus est, vt plenè cognoscatur totus status conscientiæ pœnitentis; cùm sententiam ferre debeat non solùm circa peccata, quæ audit, sed circa personam pœnitentis, quam absoluens Sacramentaliter iudicat debere reconciliari cum Deo; sicque necessariò cognoscere debeat, num pœnitens in se habeat aliquid, quod obstet dictæ reconciliationi; vnde dicitur in *cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. Sit Sacerdos discretus; & cautus more periti Medici diligenter inquirens peccatorum, circumstantias*: iudicium namque prudens semper prærequirit plenam informationem, & examen testium circa ea, quæ spectant ad sententiam proferendam.

Vtrùm verò Monialis interrogata à Confessario de consuetudine peccandi præterita, teneatur respondere, manifestando se in aliis confessionibus idem peccatum fuisse confessam, sed absque vlla emendatione.

102. Respond. *Sancius in selectis D.9.* non teneri, immò posse licitè æquiuocando negare se habuisse talem consuetudinem: probatque quia nemo tenetur bis idem peccatum confiteri; saltem quando non est reseruatum; teneretur autem Monialis idem peccatum bis confiteri, si interrogata de præterita consuetudine peccandi teneretur respondere, vt patet. Verùm dissentiunt communiter DD. apud Ioannem de Lugo *supra D.14. num.172.* dicentem doctrinam istam Sancij esse contra omnes Theologos, & contrariam tum praxi Ecclesiæ, tum fini, ad quem institutum est Sacramentum Pœnitentiæ, & ratio est, quòd, cum Confessarius sit iudex, & medicus; habet ius requirendi illa, quorum notitia necessaria est ad vtilem correctionem pœnitentis, aut certè ad imponendam debitam pœnitentiam: huiusmodi verò est præterita consuetudo peccandi; vt indè cognoscat Confessarius, quæ medicina pœnitenti debeat hîc, & nunc applicari, & an egeat dilatione absolutionis, vt hoc tandem modo curetur. Præterquàm quòd hoc non est cogere pœnitentem ad confitenda bis eadem peccata: cùm in posteriori confessione non subiiciat pro materia confessionis consuetudinem præteritam, nec de ea se accuset; sed illam solùm explicet indirectè ad explicandum proprium statum, ac præsentem indigentiam; quo pacto non est nouum pœnitentem interdum obligari ad declaranda iterum peccata, quæ priùs erat confessus; vt constat in viro coniugato qui, petens debitum à propria vxore, postquam carnaliter cognouit consanguineam eiusdem suæ vxoris, peccat, & ad tale peccatum confitendum debet explicare suum incæstum præteritum, quem iam fuerat confessus.

QVÆRES XXXIII. Qualiter debeat se gerere Confessarius in audienda confessione Monialis surdæ, aut surdastræ.

Respond. debere illius confessionem audire in loco aliquo remotiori, eam præcisè interrogando de purè necessariis in peccatis mortalibus: idque siue interrogando altiori voce, si solùm sit surdastra, siue interrogando nutibus, aut gestibus, si sit simpliciter surda; nisi fortè Monialis sponte eligeret confiteri ex scripto (ad quod vtique non tenetur, vt benè ostendit Diana *par.5. tract.6. resol.4.*) quo casu posset Confessarius, etiam ipse ex scripto interrogare, si ea in confessione omitteret aliquid necessariò exprimendum; v.g. circunstantiam mutantem speciem, aut numerum peccatorum. Quod autem spectat ad impositionem debitæ pœnitentiæ, si constet Confessario, Monialis præfatæ confessiones esse vniformes; posset ei assignare determinatam aliquam pœnitentiam in vnaquaque confessione implendam, qua de re Possev. *de offic. Cur. c.7. num.15.* & Diana *supr. resol.5.* 103.

QVÆRES XXXIV. Qua ratione procedere debeat Confessarius cum Moniali vehementer vexata à scrupulis.

Respond. debere procedere ea ratione, qua ostendimus in *tractat. de obligat. cap.3. sect.1. quæst.35.* hic aliqua principaliora, ac efficaciora remedia breuiter indicabimus. 1. ergo assuescat Monialis scrupulosa, ex consilio Confessarij animosè repellere surgentes scrupulos, sibi certò persuadens eos immitti à diabolo ad spiritualem ipsius perniciem: 2. constanter agat contra ipsos scrupulos certa, quòd, sicut timens transire super aliqua trabe, aut saxo pendente, aliis absque vllo timore transeuntibus, vbi semel, iterum, ac tertiò transit, metum omnem deponit; sic agens audacter contra scrupulos, si sæpiùs id faciat, percipit se tandem nullo modo moueri iis, quibus antea terrebatur: 3. curet in suis dubiis ea practicè deponere, tutiorem etiam partem omittendo, semperque amplectendo partem sibi magis fauorabilem; idque saltem per principia generalia (dicendo v.g. si certò scirem hoc esse peccatum mortale, non facerem: si mihi constaret me conscientiam habere oneratam peccato aliquo mort. non communicarem, &c.) 4. sibi persuadeat, quòd, si de consilio Confessarij mittat confiteri aliqua, quæ dubitat esse peccata, ea verè ipsi remittuntur indirectè per absolutionem Sacramentalem, etiamsi verè essent peccata grauia, dummodò generaliter de illis doleat, ideoque non esse opus, vt ea iterum confiteatur; non secus ac per absolutionem remittuntur peccata inculpabiliter oblita: 5. credat certò, quòd si det aditum scrupulis, se exponit periculo committendi ex conscientia erronea peccata longè grauiora, quàm sint ea, de quibus hîc, & nunc insurgunt scrupuli: 6. existimet se non consensisse in peccatum, nec omisisse in confessione hoc, aut illud peccatum, nisi iuraret rem ita se habere; & quidem statim absque vlla indagatione, 104.

tione, qui vult, confulat Reginaldum *l.2. cap.9.* Layman *l.1.tract.1.cap.6.n.2.* Filioccium *tractat.21. cap 4.quæft.15.* Sanchez *l.1.moral.cap.10. num.82. & feqq.* Bonacinam *D.2.de legibus quæft.4. p.8.* & Azorium *tom.1. l.2.c.20. quæft.vlt.* vbi docet Confeffarium non debere admittere pœoitentem fcrupulofum frequenter, & in plurimum; immò potius illum repellere, ac verbis afperioribus exterrere: aliàs enim nunquam fcrupulorum fontes exaurier.

Quòd fi quæras, an Mooialis confitens fuum peccatum cum omnibus circunftantiis neceffariis teneatur illud iterum confiteri, fi ei conftet Confeffariom ex falfa apprehenfione fundara in natura fcrupulofa ipfius Moniaiis putaffe peccatum illud non effe mortale, cùm verè effet, & id certò fciat etiam Monialis.

Refpond. non teneri; & probatur ex doctrina, quam in fimili cafu tradit Sanchex *l.1.moral.cap.10. num.69.* ex Corduba; nimirum non effe iterum confitendum peccatum, quod quis integrè confeffus eft, dubitans tamen vna cum Confeffario, an illud effet mortale; etfi poftea alteruter doctior factus aut aliis confultis, agnofcat illud effe mortale, cùm enim in confeffione iam facta peccatum plenè fuerit detectum, nec nooa circunftantia explicanda occurrat; & alioqui non fit neceffarium pœnitentem, aut Confeffarium fcire determinatè peccatum detectum effe mortale (fiquidem in omnibus id fcire eft impoffibile) non apparet, quo titulo repeti debeat ifta confeffio: quæ ratio vtique probat intentum in cafu hîc propofito, vt facilè conftabit confideranti.

Dices, quid fi Monialis extremè fcrupulofa, quæ quidquid facit, loquitur, aut cogitat, ex confcientia erronea apprehendit plerumque effe peccatum mortale; poft plures confeffiones generales factas cum extrema, & fui, & Confeffariorum defatigatione, proteftetur Confeffario certo fcire fe omninò indigere plures Confeffiones inualidas repetere: poteft ne Confeffarius ei prohibere ne dictas confeffiones repetat; etfi probabiliter poffit dubitare illas verè fuiffe inualidas ex confcientia erronea?

Refpond. Videri poffe, ipfi perfuadendo non effe vllo modo neceffariam talem repetitionem, eique præcipiendo, vt omninò acquiefcat ipfios confilio. Moueor, quod iuxtà Coninchum *D.7. de Sacrament.num.67.* & Layman *l.1. tract.1.cap.6.num.2.* fideles excufantur ab integritate materiali confeffionis ob difficultates minores iis, quibus fe exponit Monialis in præfenti cafu: cuiufmodi eft periculum hærendi perpetnò in fuis fcrupulis, & anxietatibus, ac incurrendi alia plura, & grauiffima mala tam animæ, quàm corporis. Vnde fic argumentor: eatenus Monialis tenetur in hoc cafu repetere dictas confeffiones, quatenus tenetur ad integritatem materialem confeffionis: at non tenetur ad talem integritatem iuxta doctrinam Coniuchi, & Layman (quam fuftinent etiam alij graues Doctores) cùm inde ei immineant grauiffima mala; ergo non tenetur repetere dictas confeffiones: præter quàm quod repetitio hæc refpectu Confeffarij effet onus omninò intolerabile. In hoc ergo cafu curandum eft, vt Monialis licito actu contritionis, de omnibus iis peccatis, quorum confeffiones putat fe teneri repetere, de illis coram Confeffario fe accufet in genere, & confidens infinitæ Dei mifericordiæ acquiefcat: certò perfuadens fe non teneri quoad hoc ad quidquam aliud. ita ego fentio, & meum fenfum approbauit P. Zanettus vir doctiffimus, immò & hanc doctrinam non femel practicaui.

QVÆRAS XXXV. Quæ remedia poffit, & debeat Confeffarius tradere Monialibus pœnitentibus ad vitanda peccata, quibus eæ magis funt obnoxiæ.

Refpond. poffe, & debere tradere fequentia, 205
prout ex confeffione vniufcuiufque illarum cognofcit eas indigere; nimirum contra fuperbiam, vt fæpius attendant ad propriam vilitatem, ac defectus animæ, corporis, ac exteriores: vt obferuent meliores fe, & maximè Chriftum dicentem: *Difcite à me, quia mitis fum, & humilis corde:* vt confiderent fuperborum feruitutem, & ignominiam eorum qui per fuperbiam decidunt à dignitate filiorum Dei, & fiunt dæmonis mancipia: vt verfentur cum homilibus, ac modeftis: vt in veftitu, habitatione, aliifque externis operationibus fe fe, quantùm fert decentia ftatus cuiufque demittant.

Contra Vanam gloriam, vt fuas dotes naturales quammaximè occultent: vt reflectant ad proprios defectus: vt de fe ipfis humillimè fentiant, & loquantur: vt honorem, & laudem oblatam ftatim Deo offerant, extenuando verbis ea, quæ in ipfis commendantur, ac fofpiciuntur.

Contra Auaritiam, vt affectu relinquant omnia, cùm per votum paupertatis omnia effecto reliquerint: vt fæpios meminerint eò moleftiorem, ac grauiorem effe mortem iis, qui plura habent relinquenda; ideoque expedire, vt ante mortem præfentis fæculi bonis omnino emoriamur: vt cogitent, quanta fuerit paupertas Chrifti, qui non habebat, vbi caput fuum reclinaret: vt fe totas committant Deo, memores vel ipfos pafferculos ab eo copiofiffimè ali: vt fufpiciant bona cæleftia, eorumque acquifitioni inhient.

Contra Luxuriam, vt fugiant confpectum, & multò magis familiaritatem eam, quæ ad libidinem accendit: vt recedant à conuictu eorum, qui fuo prauo exemplo excitant ad turpia: vt vitent otium, & femper vacent honeftis exercitiis: vt non nutriant corpus delicatè, fed potius ament abftinentiam: vt ftatim repellant malas cogitationes, & fenfus cuftodiant: vt carnem doment flagris, ciliciis, & aliis macerationibus, præfertim vrgente carnis tentatione: vt, inualefcente carnis tentatione, occultè muniant fe figno Crucis, inclament deuotè nomen Iefu, & Mariæ, renouent votum religiofæ caftitatis, Deique opem enixè implorent, adhibita pia aliqua oratione: qualis eft, *Deus in adiutorium meum intende; Cor mundum crea in me Deus; Domine vim patior, refponde pro me;* & fimiles.

Contra Iram, vt parent fe ad toleranda ea omnia, quæ folent incitare ad iram: vt intelligant iniuriam non nocere patienti, fed potius inferenti: vt recolant, quàm patienter, ac benignè Deus fuftinuerit ipfarum grauiffima peccata: vt faltem linguam comprimant, iramque in pectore accenfam extinguant vt mentem diuertant ab iniuria accepta, & fe conuertant ad aliud quippiam agendum: vt meminerint maiorem moleftiam fe aliàs percepiffe ex verbis offenfiuis contra alias forores prolatis. quàm fi iniuriam fibi illatam patienter diffimulaffent.

Contra Inuidiam, vt non ament terrena: vt attentius recogitent ex eò quòd alia Soror careret bono, quod ipfæ ei inuident, non ideo illas melius habituras, & confequenter nullam omninò vtilitatem

percipa

percipi ex inuidia: vt considerent ea, quæ possunt iuuare, & accendere ad charitatem fouendam.

Contra Odium alterius, vt benefaciant iis, io quos naturalem sentiunt auersionem, iisque libenter inseruiant; vt illis se se spontaneè submittant; vt exurgente motu interioris auersionis Deum positiuè pro illis orent, fausta quæque ipsis deprecantes; vt maiori affabilitate cum iis tractent, cureutque eorum beneuolentiam sibi conciliare.

Contra Gulam, vt vitent ciborum suauitatem, varietatem, ac condimenta, vt benè percipiant delectationem consurgentem ex gula non esse propriam hominum, sed bestiarum rationis expertium; vt diligentiùs perpendant damna tum spiritualia, tum corporalia prouenientia ex inordinato appetitu gulæ.

Contra Accidiam, vt crebro recolant innumera Dei beneficia, quorum recordatione se excitent ad illum amandum, eique quàm studiosissimè inseruiendum: vt frequenter meminerint propinquæ mortis tempus benè merendi omninò auferentis: vt eligant certum aliquod genus exercitiorum, quibus vacent: vt sæpè recordentur, quantum ipsimet sæcolares laborent pro acquirendis, & conseruandis temporalibus bonis, quæ per mortem prorsus relinqui debent: vt assiduè meditentur, quot, & quantos labores perpessi sint Sancti ad comparandam cælestem gloriam.

Hæc, aut alia similia remedia tradere potest, & debet prudens, ac solicitus Confessarius Monialibus pœnitentibus iuxta spiritualem vniuscuiusque illarum indigentiam ex ipsarum confessione perspectam.

QVÆRES XXXVI. Quo modo procedere debeat Confessarius cum Moniali pœnitente, quæ fortè indigeat repetere nonnullas confessiones.

206. Respond. cum distinctione: vel Confessarius, coram quo repeti debent confessiones, est ille idem, cui factæ sunt dictæ confessiones nullæ, & recordatur status pœnitentis, saltem in confuso, & in genere: vel est alius; aut certè, si est idem, nullo modo recordatur status pœnitentis, neque in confuso. Si primum, debet Confessarius curare, vt Monialis distinctè confiteatur peccata, quæ fortè omisit confiteri ex verecundia, reliqua in genere confitendo sub his, aut aliis similibus verbis: *Confiteor tibi etiam omnia peccata, quæ tibi ipsi confessa sum his duobus postremis mensib. v.g.* sic n. Confessarius acquirit sufficientem notitiam status pœnitentis, ita vt possit de ipsa iudicare; quod certè non procederet, si ille, neque in confuso recordaretur status pœnitentis: vnde tunc teneretur Monialis singula peccata, etiam præcedentium illarū confessionum inualidatum, explicare; cùm tales confessiones perindè se habeant, ac si non essent factæ. Si secundum, debet Confessarius adstringere Monialē ad repetenda distinctè omnia peccata explicata in præteritis illis confessionibus: idque ob rationem modo adductam; quæ proportionaliter militat etiam in præsenti casu. Ita Suarez *D.22. de pœnitent. sect.6.* Coninc. *D.7. de Sacrament. num.109. & D.10. num.102.* Reginald. *l.8. num.33.* aliique, quos citat, & sequitur Bonacina *D.5. de Sacram. quæst.5. sect.2. part.3. n.16.* contra Medinam *q.24. de confess.* & alios asserentes in casu, quo pœnitens confiteatur eidem Sacerdoti, non esse opus, vt distinctè explicet singula peccata expressa in confessionibus, quas modò repetit, etiamsi Confessarius, neque in genere recordetur status illius. Addo ex Io. de Lugo *D.16. de pœnit. num.599.* & aliis, quos refert, & sequitur Diana *p.3. tract. 4. resol.* 108. quòd, si quis ante annos 10. v. g. tacuit culpabiliter peccatum mort. & postea in aliis confessionibus intermediis illius oblitus est: quando deinde Confessarius repetit virium illius confessionis præteritæ, non debet obligare pœnitentem ad repetendas omnes confessiones intermedias bona fide factas, sed illam solam, in qua commissus fuit ille defectus: siquidem aliæ omnes confessiones potuerunt esse validæ, ac fructuosæ, dum pœnitēs non recordaretur sacrilegij commissi. Quòd idem, ait Io. de Lugo *num.611.* procedere, etiam in in euentu, quo pœnitens omisisset confiteri aliquod peccatum mort. ex ignorantia culpabili solùm venialiter; cùm talis culpa v. impedire non potuerit valorem, ac effectum præteritæ absolutionis; quæ sunt benè notanda Confessariis.

Quòd si Monialis post absolutionem sibi à Confessario datam aduertat ipsum Confessarium aliquod, aut aliqua peccata non intellexisse ob somnum, vel distractionem; nescit tamen, quod fuerit illud peccatum; quidem constet illum ita dormisse, vt prudenter dubitari possit de singulis peccatis, an hoc peccatum audierit; debet tota confessio reiterari: si verò de singulis non possit ita dubitari, sed ad summum de aliquo in communi; non est obligatio reiterandi totam confessionem, sed solùm confitendi peccatum illud in communi, sic Io. de Lugo *n.607.* addens *num. 609.* quòd si pœnitens sciat se aliquando in vita fecisse confessionem menstruam irritam ex defectu potestatis in Confessario, non ideò reiterare debet omnes confessiones totius vitæ; cùm verè non adsit dubium morale de singulis in particulari: sed sufficit ipsum se accusare de peccatis in ea confessione manifestatis, non quidem distinctè, sed in communi; quod indicat ipsemet Io. de Lugo, dum loquens de præfatis peccatis ait, *qua non potest determinare.* Quæ doctrina locum proportionaliter haberet in casu, quo pœnitens sciret in sua generali confessione vnum peccatum non fuisse à Confessario auditum propter somnum; nesciens tamen, quod esset illud peccatum; tunc enim non debet repetere omnia peccata; cùm in tanta multitudine de singulis nequeat prudenter dubitare: secùs, si contigisset id in confessione breui; nam tunc teneretur iterum confiteri singula peccata tunc confessa; cùm de illis singulis prudenter dubitari possit, an fuerint audita à Confessario. 207.

QVÆRES XXXVII. Qualiter debeat se gerere Confessarius Monialium in imponenda pœnitentia sacramentali.

Respond. Quòd, quamuis in Concil. Trid. *sess.14. cap.8.* dicatur debere Sacerdotes Domini, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere: ne, si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Confessarius tamen debet diligenter cauere, ne imponat pœnitentiam adeò grauem, vt pœnitens illam omittat cum animæ suæ præiudicio; sicque eius grauitatem debet temperare cum lenitate, vt neque nimis rigida, neque nimis facilis videatur, vnde fit, vt, pœnitente dicente, se nolle facere, nisi paruam pœnitentiam, possit, & debeat Confessarius ei in hoc morem gerere: cùm sit non solùm Iudex, sed etiam Medicus; & vt Medicus debeat attendere ad debilitatem infirmi. Ita Reginald. *l.7. n.37.* ex Henriq. *l.5. c.10. §.5. lit. Q.* monens, quòd si pœnitens propriam imbecillitatem exponat Confessario, & præsumatur ob debilitatem corporis, aut animi, spiritúsque tempore non impleturus pœnitentiam congruam, 208.

congruam; debet ea illi iniungi, quam libenter admittet, etsi esset vnum *Pater*, & *Aue*, aliudve modicum; addito quòd alia bona, quæ fecerit, aut mala, quæ pertulerit patienter, offerat Deo in debitam suorum peccatorum satisfactionem.

Placet hoc loco aduertere quod notauit Diana *p.3. tract.7. resol.54.* ex Leandro, & Amico; vi verborum illorum, quæ adduntur in absolutione Sacramentali. *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris*, &c. fieri, vt omnia bona, quæ pœnitens postea faciet, & mala, quæ patienter sustinebit, operentur ex opere operato ipsi pœnitenti: quippe quæ virtute clauium eleuantur ad operandum ex meritis Christi vltra id, quod operarentur ex sola ipsorum intrinseca bonitate: idque ex intentione Confessarij absoluentis, qui cum virtute clauium possit eleuare omnia bona opera pœnitentis, ad hoc vt operentur ex meritis Christi supra proprium valorem ipsorum; verbis illis intentione hac prolatis omnia bona opera pœnitentis eleuat ad operandum effectum vltra proprium valorem, ex opere operato meritorum Christi: & hoc, licet Confessarius expressè id non dicat pœnitenti; dummodo præfatam habeat intentionem; cum in hac re non requiratur notitia, ac expressa acceptatio pœnitentis, sed sufficiat sola intentio Confessarij, vt dicta bona opera operentur tamquam pars Sacramenti ex Christi meritis. Vnde infert Diana omnia bona opera in pœnitentiam iniuncta modo dicto, etsi in peccato mortali facta, operari ex opere operato meritorum Christi remissionem pœnæ temporalis relictæ ex peccatis Sacramentaliter remissis; & probat ex eo quod, cum vim hanc habeant opera explicitè iniuncta in pœnitentiam, eamdem vim habebunt & ea, quæ modo dicto imponuntur ex intentione Confessarij; cùm non minus hæc, quam illa ex meritis Christi vim suam habeant; quæ merita sicut non amittunt valorem suum per peccatum pœnitentis, sic virtutem suam communicant operibus in pœnitentiam iniunctis tanquam pars integralis Sacramenti; & sicut homo existens in peccato est capax remissionis pœnæ debitæ peccatis remissis, eiusque peccatis non extinguuntur merita Christi; ita non est, cur hunc effectum denegemus pœnitentiæ Sacramentali etiam in peccato factæ. Ita Diana pro se citans Vuigers contra Cardinalem de Lugo, Tannerum, Coninchum, & Castrum Palaum, ab ipso Diana relatos; qui benè notat ex Leandro, quod licet Confessarius verbis illis, *quidquid boni feceris*, &c. non astringat pœnitentem ad bona opera agenda, saltem in particulari, facit tamen, vt quæ ille egerit, ipsi cedant in pœnitentiam Sacramentalem.

209. Accedit, quòd pœnitenti disposito ad maiorem pœnitentiam recipiendam maior potest imponi iuxta qualitatem peccatorum confessorum: cùm hoc sit magis conforme menti Concilij Trident. superiùs allegati, & aliàs satisfactio sacramentalis sit longè maioris meriti. præterea concedi potest pœnitenti, vt pœnitentiam iniunctam redimat aliqua alia (v. g. ieiunia eleemosynis) quædam etiam relinqui possunt eius arbitrio, vt eligat in satisfactionem suorum peccatorum, quæ maluerit: denique leuior pœnitentia imponi potest ei, qui ostendit signa magnæ contritionis, aut certè est lucraturus aliquam indulgentiam, maximè plenariam qua de re plura Reginald. *supra cap. 4. & 5.* qui benè notat ad imponendam iustam, seu quantam, & qualem oportet pœnitentiam, requiri tum impulsum Spiritus sancti, tum considerationem peccatoris, peccati, & finis, qui est salus animæ.

Dubium modò est, an Confessarius possit imponere Moniali in pœnitentiam, vt aliquot diebus abstineat à communione.

Respond. quòd, cùm frequens vsus Communionis non sit res ita determinatè bona, vt non possit interdum, & in aliquibus circumstantiis melius esse abstinere, quàm accedere, esto quis non habet conscientiam peccati mort. vt eruditè probat Io. de Lugo *D. 17. de Euchar. sect. 3.* & alioqui Confessarius imponere possit in pœnitentiam opera honesta, ac virtutum; absolutè loquendo, non repugnat Confessarium præcipere pœnitenti, vt abstineat tali die à Communione: quando scilicet constet ex præsenti statu pœnitentis meliùs esse abstinere, quàm accedere, dummodo tamen talis omissio Communionis non sit aliis occasio iudicandi, quòd à Confessario iniuncta fuerit in pœnitentiam, Ita Ioan. de Lugo *D. 25. de pœnitent. num. 65.* contra Sancium *in selectis D. 33.* monens tamen regulariter non expedire eiusmodi pœnitentiam imponere; addensque *num. 66.* contra eundem Sancium *supra D. 30.* non solùm Confessarium posse imponere in pœnitentiam sumptionem Eucharistiæ, sed etiam pœnitentem teneri illam acceptare: cùm falsum sit, quòd supponit Sancius, pœnitentem non posse obligari ad acceptandum opus, quod impleri debeat in statu gratiæ; nihil enim magis commune est, quàm imponere pro pœnitentia frequentiam confessionis menstruæ v. g. cùm tamen sit certum non posse Sacramentum pœnitentiæ recipi, nisi in statu gratiæ, saltem in vltimo instanti, in quo completè suscipitur Sacramentum. 210.

An autem liceat imponere in pœnitentiam sacramentalem opera facienda pro Animabus purgatorij.

Respond. non apparere, cur id non liceat; quamuis enim pœnitentia imponatur pœnitenti ad ipsum puniendum: id tamen verè consequitur in præsenti casu, cùm non minùs puniatur pœnitens pro defuncto ieiunans, aut dans eleemosynam, immò magis: quippe sic non solum priuatur cibo, aut pecunia, sed etiam satisfactione sibi respondente ex opere operantis; interim sibi retenta satisfactione respondente ex opere operato. Ita Io. de Lugo *supr. num. 64.* contra Vegam *tom. 2. sum. cap. 64. casu 4.* & Sancium *sup. D. 16. num. 1.* addens *num. 59.* quòd, cùm Confessarius imponat pœnitentiam in persona Dei, & iuxta institutionem Sacramenti pœnitentiæ, cuius vim non potest ipse Minister temperare; non potest Confessarius pœnitenti imponere grauem pœnitentiam sub veniali, sed iuxta capacitatem materiæ, quæ iniungitur in pœnitentiam. Nobiscum sentit Diana *part. 3. tract. 7. resol. 57.* cum Marchantio, Amico, & Castro Palao id inde probans quod, licet Sacramentum Pœnitentiæ institutum sit ad delenda peccata pœnitentis tam quoad culpam, quam quo ad pœnam, non ideò inde infertur orationes pro animabus purgatorij applicandas non posse habere effectum in ipso pœnitente: in eo enim habent effectum ex opere operato, ac virtute Sacramenti, qui effectus communicari nequit à pœnitente animabus purgatorij; esto illis communicet satisfactionem dictis orationibus respondentem, quatenus ab eo procedunt; qui effectus satisfactionis est distinctus, ac separabilis ab effectu satisfactionis quem dictæ orationes habent, quatenus sunt iniunctæ à Confessario, & fiunt pars Sacramenti Pœnitentiæ. 211.

Quod si quæras, an, & qualis pœnitentia imponi debeat pœnitenti constituto in articulo mortis.

Respond.

212. Respond. non debere imponi pœnitentiam magnam, externam, & mox implendam, sed potius in tali casu excitandum esse pœnitentem ad interiorem contritionem, quàm fieri potest, maximam; ei proponendo non tam pœnas inferni, quàm spem misericordiæ Christi pro ipso crucifixi: necnon monendum esse, vt iubeat fieri de bonis suis congruas eleemosynas, & Missas celebrari, rogétque amicos, si quos præstò habet, vt precibus, & aliis bonis operibus ipsi ferant opem ad dignam pœnitentiam pro suis peccatis peragendam. ita Regin. *supr.num.*21. ex Nauarr. Palud. & S. Antonino monens cum Hostiensi pœnitenti in articulo mortis posito significandum esse, quæ pœnitentia ei imponi deberet, si bene valeret, quamque teneatur implere, si conualescat: quod satis apertè significatur *in cap.ab infirmis* 26. *q.*7. iis verbis, *A quo periculo, si diuinitus ereptus conualuerit, impositum sibi à Sacerdote pœnitentiæ modum diligenter obseruet.*

Qualiter autem debeat se gerere Confessarius cum Moniali proxima morti, quam inuenit teneri restituere famam proximi grauissimè læsam, aut retractare doctrinam falsam ad mores spectantem apud aliquot fæculares.

Respond. debere Monialem adstringere, vt conuenienti modo famam ablatam restituat per ipsum Confessarium, aut aliam idoneam personam; & ad aliud non teneri: idémq; procedere de retractatione doctrinæ illius falsæ; si scienter, aut ex ignorantia grauiter culpabili doctrinam illam docuit: secùs, si bona fide, aut inaduertenter: tunc enim cum tenetur ex sola charitate, puto Monialem de rigore non teneri retractare per Confessarium modo dicto doctrinam illam.

Addo obiter ex dictis *tract.*5.*cap.*11.*num.*63. quod si in codice aliquo impresso inaduertenter irrepsit aliquis error, qui debeat corrigi; si breui codex est reimprimendus, sufficit Authorem illius corrigere præfatum errorem in noua editione mox futura, nec teneri illum corrigere in exemplaribus prioris editionis apud ipsum, aut alios ipsi notos existentibus; & hoc, licèt id ipsum commodè præstare posset. Moneor, quod, cum præfatus Author in hoc casu non peccauerit, non tenetur ad diligentiam extraordinariam non leuia incommoda secum afferentem; inter quæ esset erubescentia prouenìens Authori, si ne moneret de errore coram, siue per literas: prætetquam quod non est periculum morale alicuius damni, quod interim Proximo, obueniat (cum occurrente casu practicandi doctrinam illam cum errore traditam ipsemet Author possit consuli, antequam ea practicetur; & si id non fiat, fit per accidens) & alioqui charitas Proximi non obligat cum tanto incommodo. Confirmatur ex ipso vsu Authorum libros edentium, qui in casu proposito non adhibent diligentiam illam extraordinariam; & , si qui adhibent, id faciunt ad bene esse, non autē ex necessitate.

Dubitari hic etiam potest, an Confessarius possit imponere in pœnitentiam opera aliàs debita ex præcepto.

213. Respond. posse, immò & interdum expedire, vt id faciat, attenta infirmitate, ac dispositione pœnitentis; cùm enim opus præcepti sit satisfactorium adeóque per illud possit perfici Sacramentum, vi cuius dictum opus eleuetur, vt satisfactio euadat Sacramentalis: non apparet, cur vigore clauium dictum opus non possit iniungi in pœnitentiam, quamuis regulariter non fiat, immò nec fieri debeat, vnde fit, vt, Confessario imponente aliqua ieiunia in pœnitentiam, non satisfiat regulariter per ieiunia aliunde debita, sed per ieiunia supererogationis; nisi ex occurrentibus circunstantiis oppositum colligatur de mente ipsius Confessarij. ita Laym. *l.*5.*tract.*6. *cap.*15.*num.*10. Fagund. *præcept.*2. *Eccles. lib.*9.*cap.*5. *num.*8. Turrian. *D.*37.*de pœnit.d.*2. Io. de Lugo *D.*25. *de pœnit.num.*67. aliique quos citat, & sequitur Dian. *part.*3.*tract.*4.*resol.*84.*& part.*4 *tract.*4. *resol.*141. vbi notat ex Mercero, quòd, sicut implens opus aliàs debitum (v.g. ex præcepto Ecclesiæ) & à Confessario iniunctum in pœnitentiam duplicem reportat fructum, vnum ratione operis præcisè considerati, ac præcepti; alterum ratione virtutis, quam opus trahit ex vi potestatis clauium: sic præfatum opus omittens facit duplex peccatum; siquidem, (vt bene aduertit Io. de Lugo) præceptum Ecclesiæ illud opus, v.g. ieiunium, constituit in specie temperantiæ; præceptum verò Confessarij intendit virtutem pœnitentiæ; sicque peccata dictis virtutibus opposita erunt diuersa.

Addit Diana *citata resol.*141. aliis citatis quòd, sicut Confessarius in pœnitentiam Sacramentalem imponere potest opus internum; quippe quod est sensibile, sin minùs per se, per accidens, quatenus imponitur, & acceptatur cum opere externo: sic & potest iniungere opera implenda per alium cùm vnus possit satisfacere pro alio quoad pœnam temporalem relictam post remissionem peccati, & aliàs obligatio implendi pœnitentiam Sacramentalem oriatur ex voluntate ipsius Confessarij. 214.

Vtrùm verò Confessarius imponere possit pœnitentiam Moniali pœnitenti, etiam post absolutionem impertitam,

Respond. posse; quamuis vsus obtinuerit, vt id fiat ante absolutionem, sicque regulariter faciendum videatur. ita Diana *part.*3.*tract.*4.*resol.*136.*& part.*5. *tract.*13. *resol.*36. patétque tum *ex cap.fin. de censibus in* 6. tum quia, si quid obstat, maximè obstat obligatio sigilli Sacramentalis: at hæc non obstat, cùm in hoc nulla interueniat violatio sigilli; si quidem moraliter non censetur fieri extra Sacramentum, quod statim fit post absolutionem Sacramentalem. 215.

Monet denique Diana *part.*3.*tract.*4.*resol.*53. quod quamuis Sanchez, Regin. Henriquez, Coninch. & Sancius sustineant pœnitentem non posse propria auctoritate commutare pœnitentiam à Confessario datam in opus euidenter melius; opposita tamen sententia videtur probabilis, eamque de facto sustinent Portellus, & Villalobos relati ab ipso Diana, illam inde probantes à simili; quòd, sicut vouens propria auctoritate votum potest commutare in rem euidenter meliorem, sic pœnitens poterit propria auctoritate pœnitentiam impositam commutare in opus euidenter melius; cùm sit eadem ratio de obligatione prouenìente ex voto, ac de obligatione prouenìente ex præcepto Confessarij, præterquam quòd in tali casu pœnitens non exercet actum iudicij, ac iurisdictionis, sed abundantiùs implet præceptum impositum à Confessario.

QVÆRES XXXVIII. An, & in quibus casibus possit Confessarius loqui cum Monialibus de auditis in confessione.

Respond. posse in aliquibus casibus: & quidem 1. de licentia pœnitentis formali, ac expressa, necnon libera, ac spontanea; 2. si in præsenti confessione Monialis subiiciat peccatum aliquod, etiam in præterita confessione manifestatum: Confessarius enim ad bene curandum pœnitentē debet attendere peccata, etiam præterita, quæ vel sunt circumstantiæ præsentium, vel indicant passionem vehementem, aut aliquid aliud consideratione dignum ad statum 216.

pœnitentis meliùs cognoſcendum ; 3.ſi ſtatim, finita confeſſione , Confeſſariua aliquid addat, aut adtertat Moniali , quod oblitus fuerat : idque ob rationem §. *praced.* adductam ſub finem ; & inde confirmari poteſt , quòd in tali caſu moraliter cenſetur durare idem iudicium quoad actus , qui debuiſſent præcedere abſolutionem. ita Io. de Lugo *ſupr. D.*23. *ſect* 5. addens *n.*140. ex communi doctrina non poſſe Confeſſarium, pœnitente renuente , petita , & non obtenta licentia, loqui eum eo de auditia in confeſſione ; quamuis contrarium ſuſtineant Suar. Filliuc. Nugnus, Diana allegati ab ipſo Ioanne de Lugo *ſupr. num.*140. contra ipſum Dianam *part.*5.11.*reſol.*18.

217 *Ingreditur Confeſſarius clauſuram in caſibus neceſſariis.*

218 *Et quidem cum ſocio; præſertim ſi ſit Regularis.*

219 *Licentia data Confeſſario ad ingrediendum extenditur ad ſocium.*

220 *Sæpius ingreditur ad audiendam confeſſionem Monialis infirma: item præcisè ad monendam Monialem de periculo mortis proximo, ſed non ſemper.*

221 *Item ad miniſtrandam Euchariſtiam , & quidem ſæpe , imò & quotidie interdum.*

222 *Comitantes tamen Euchariſtiam in tali caſu non poſſunt ingredi.*

223 *Communicans manè , veſpere eiuſdem diei iterum communicat per modum viatici : item communicans paulò ante mediam noctem per modum viatici iterum communicat ieiuna , elapſo quadrante poſt mediam noctem: item in vigilia Natiuitatis Domini communicat Monialis , etiam bene valens ſtatim poſt mediam noctem : oſtenditur in quibus violetur Ieiuniũ naturale, & in quibus non.*

224 *Pluries ingredi poteſt Confeſſarius ad miniſtrandum Viaticum , ſeruatis aliàs ſeruandis : & , ſi Monialis ægrota ſit No. itia , curat , vt faciat profeſſionem: ad hanc aut m non requiritur conſenſus Capituli ; idq; etſi Nouitia abſoluerit annum Nouitiatus : quod ſi hæc conualeſcat , iuxta aliquos reſilire poteſt à Religione , necnon renunciare bonis, ſi antea non renunciauit : iuxta noſtram ſententiam non tenetur complere Nouitiatum.*

225 *Item pluries ingreditur ad miniſtrandum extremam Vnctionem , ſi aliàs ea repeti poſſit.*

226 *Quod temporis interuallum requiratur ad repetendam extremam Vnctionem.*

227 *Ingreditur ad aſſiſtendum Moniali in extremis laboranti.*

228 *Et quidem pluries , ac pro longiori tempore.*

229 *Non tamen ſine ſocio ; ſi Confeſſarius ſit Regularis.*

230 *Oſtenditur, qualiter debeat Monialis pro tempore agoniæ: eam vt abſoluat ſacramentaliter, coram aſtantibus illam de leuioribus defectibus in ſpecie interrogat.*

231 *Ingreditur ad faciendas exequias Moniali defunctæ iuxta conſuetudinem.*

232 *Et quidem cum ſocio , ſi extet conſuetudo.*

233 *Item in caſu, quo cadauer defuncti laici intra clauſuram ſepeliri debeat , quidem Parocho defuncti excluſo : qui tamen in Eccleſia externa Monialium ſuo parochiano ibi morienti miniſtrat Sacramenta ; immò etiamſi is ſit intra clauſuram : at mulieri ingreſſa monaſterium animo ibi degendi perpetuò dat in morte vltima Sacramenta , & ſepulturam Confeſſarius Monialium, vbicumq; illa ſepeliatur : quod dici poteſt etiam de puella degente in educatione apud Moniales (quod alij negant) non item de muliere ingreſſa animo ibi perpetuò habitandi conditionato conditione ſuſpenſiua : & in caſibus propoſitis Confeſſarius lucratur Quartam , & ordinat funus.*

234 *Ingreditur Confeſſarius , vt coram infirmis , aut conualeſcentibus celebret.*

235 *Non item ad deferendam Moniali infirmæ ſacram Reliquiam , ſecluſa conſuetudine.*

236 *Non ad impertiendam benedictionem Epiſcopalem, aut indulgentiam Moniali morienti.*

237 *Non ad exorcizandam Monialem energumenam.*

238 *Non ad benedicendum monaſterium , niſi in caſu , quo infeſtaretur à dæmone.*

239 *Non ad ſumendam hoſtiam intra clauſuram lapſam è manu Sacerdotis.*

240 *Proponitur , & ſoluitur obiectio.*

241 *Qualiter ſe gerat Confeſſarius , ſi hoſtia cadat ſuper veſtes Monialis.*

242 *Ingreditur ad conſolandam Monialem extremè deſolatam ; ſi aliter ei nequeat ſuccurri.*

243 *Non item ad baptizandum puerum intra clauſuram natum.*

244 *Ingreſſus ex iuſto titulo facit intra clauſuram id , ad quod præcisè non potuiſſet ingredi.*

245 *Ingrediens in caſu permiſſo non incurrit pœnas latas contra violantes clauſuram , etſi ingrediatur ex prauo fine.*

246 *Ingreſſurus in caſu rationabili, non expreſſo in generali facultate , eget ſpeciali licentia.*

QVÆRES XXXIX. An, & in quibus caſibus poſſit Confeſſarius Monialium ingredi clauſuram ad exercendos actus concernentes ſuum munus.

Reſpond. poſſe ex licentia , ſiue Ordinarij , ſiue Prælati regularis Monialium , prout ipſæ alterutri illorum reſpectiuè ſubiiciuntur : & quidem etiam noctu , ſi occurrat caſus vrgentis neceſſitatis; idque in omnibus caſibus inferius proponendis , aliiſque ſimilibus , qui fortè eueniant. patet tum ex communi Eccleſiæ praxi : tum quia alioqui ſtatus Monialium eſſet miſerrimus ; ſi occurrente caſu neceſſitatis , non poſſent Confeſſarij ingredi clauſuram tum ad miniſtranda Sacramẽta tempore infirmitatis, tum ad aſſiſtendum morientibus , tum ad alios ſimiles effectus , qui progreſſu temporis euenire poſſunt ; tum quia id ſatis apertè deciditur tam in Conſtitutione Gregorij XIII. quæ incipit , *Gratiæ* , & eſt ſuperiùs adducta ; quatenus ſtatuit licentiam ingrediendi clauſuram Monialium non eſſe dandam , neque adhibendam, niſi in caſibus vrgentibus tantùm: quàm in Concilio Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de Regul.* per ea verba , *in caſibus neceſſariis* , & *in cap. periculoſo de ſtat. regul.* ſub iſtis verbis , *niſi rationabilis , & manifeſta cauſa exiſtat :* ex quibus textibus ego infero, quòd , cùm plures caſus euenire poſſint , in quibus vrgeat neceſſitas Monialium , vt Confeſſarius ipſarum ingrediatur clauſuram ad exercendum aliquem ex actibus concernentibus ipſius munus : in iis caſibus ingredi poterit. Confeſſarius , obtenta debita licentia; prout expoſuimus *ſupr. cap.* 5. *ſect.* 3. *q.* 32. 217.

Quod ſi quæras, an Confeſſarius Monialium ingrediens clauſuram ad exercendum ſuum munus in caſu neceſſario , & cum legitima licentia (quæ ſcilicèt ſpecialis ſit , & in ſcriptis) poſſit ſecum ducere ſocium abſque eo quòd hic exprimatur in licentia.

Reſpond. poſſe, immò & id maximè decere ; præſertim : ſi Confeſſarius ſit Regularis. ita Sanch. *l.*6. *mor. c.*16. *n.*46. Mirand. *q.*2. *de Monial. art.*17. Barboſa *alleg.*102. *n.*50. Diana *p.*3. *tract.*2. *reſol.* 51. Tambur. *D.*24. *de iure abbatiſſ. q.* 3. & ex parte Bonac. *quæſt* 4. *de clauſ. p.*4. *n.*4. nobiſcum ſentiens in iis caſibus , in 218.

quibus

quibus Confessarius ingrediens clausuram indiget ope, ac ministerio socij; non autem in casu, quo excepturus sit confessionem alicuius infirmæ ibi existentis. Moueor tum quia decentia videtur requirere, vt Confessarius habeat testem omnium suarum actionum, & ex eius præsentia tanto maiori cum circumspectione procedat (quod præsertim obseruari debet, si Confessarius sit Regularis, quem nunquam decet incedere absque socio) tum quia hoc ipsum non obscurè significauit Greg. XIII. in sua Constitut. *Dubiis*, dum Prælatis in casibus necessariis ingredientibus monasteria Monialium iubet, vt comitati ingrediantur: tum quia indecens est, & alienum à more Ecclesiastico, quòd fœmina inseruiat Sacerdoti ministranti Eucharistiam, aut extremam vnctionem; tum quia talis est praxis ferè communis (loquendo de Confessariis regularibus (eáque approbata à sacra Congregatione; quæ, teste Barbosa *in Collect. v. confess. Monial.* 2. decreuit Confessarium ex antiqua consuetudine absque socio ingredi non posse monasteria Monialium ad audiendam ibi confessionem alicuius infirmæ, sed debere ei assignari socium, qui ipsi assistat, & sit ætatis excedentis annos 50. vitæque exemplaris.

119. Bene autem notant citati Doctores in tali casu non requiri specialem licentiam pro socio, sed, concessa licentia Confessario ad ingrediendum, eo ipso censeri concessum etiam socio, vt ingrediatur cum illo iuxta *c. licet de priu. in 6.* decidens concesso alicui ingressu ad audiẽda diuina tempore Interdicti, censeri quoque concessum ingressum comitũ decentium; ne alias priuilegium sit inutile, vt notat Gloss. *ibi v. non debent*: quæ ratio proportionaliter procedit in præsenti casu, & hæc doctrina, vt iam indicaui, potissimùm habet locum in Confessariis regularibus Ordinum, quorum Constitutiones præscribunt, ne Confessarij septa Monialium ingrediantur ad ministranda Sacramenta sine socio, & ne vllatenus abinuicem separentur, quin semper mutuò possint se inspicere: cuiusmodi constitutio reperitur in Constitutionibus Cassinensium *part. 2. cap. 5. de Monial. in regul. S. Claræ 2. cap. 7.* & in ordinationibus Societatis Iesu.

Qværes XL. In quibus casibus possit Confessarius Monialium ingredi clausuram ad audiendas confessiones Monialis infirmæ; & an possit ingredi præcisè ad monendam Monialem de periculo mortis proximè imminentis.

120. Resp. posse, quotiescunque Monialis ita laborat, vt non possit commodè accedere ad sedem confessionalem, hoc est sine dispendio sanitatis; idque non solum sub initium morbi, sed etiam quoties vrget præceptum Ecclesiæ, aut regulæ, aut etiam propria deuotio: immò etiam quoties Monialis dicit se indigere Sacramento pœnitentiæ. ita Rodriq. *tom. 1. q. 47. art. 4.* Portell. *de dub. reg. v. clausura num. 9.* Villalob. *tom. 2. sum. tract. 35. diff. 47. num. 4.* Diana *sup. resol. 67.* Tamb. *sup. quæst. 2. num. 1.* & alij; patetque ex eo quòd iuxta dicta licitus est ingressus intra clausuram in casibus necessariis: vsus autem Sacramenti pœnitentiæ est necessarius, & quidem necessitate, quæ per se est nota soli pœnitenti; vt proindè mirum non sit Doctores permittere Cõfessario Monialium, vt ingrediatur ad excipiendam confessionem Monialis infirmæ, aut aliter sic impeditæ, vt non possit ipsa ad illum accedere absque notabili dispendio sanitatis; quoties illa dicit se indigere confessione: cùm aliàs obligatio clausuræ ab ipsis Doctoribus dicatur esse strictæ interpretationis; quæ enim sunt fauorabilia animæ, latam admittunt explicationem.

Addo Confessarium posse ingredi præcisè ad monendam Monialem de periculo mortis proximè imminentis; si attentis concurrentibus circumstantiis probabiliter iudicetur talem monitionem minùs vtiliter faciendam esse à Medico, aut à Monialibus, moueor quòd, data suppositione, sumus in casu necessitatis vrgentis, cùm hic agatur de spirituali salute Monialis: constat autem ex dictis Confessarium Monialium posse ingredi in quocunque casu grauis necessitatis, secùs dicendum, si dicta monitio æquè bene posset fieri à Medico, aut Monialibus: sic enim cessaret ratio necessitatis; quamuis in præsenti casu, aliisque similibus standum sit consuetudini cuiusque regionis, ac diœcesis.

Qværas XLI. In quibus casibus Confessarius Monialium possit ingredi ad ministrandam Moniali infirmæ, aut aliter impeditæ sacram Communionem.

Resp. posse ingredi non solùm ad ministrandam Eucharistiam Moniali in probabili periculo mortis constitutæ (de quo nemo dubitat, cùm in tali periculo quilibet fidelis teneatur communicare per modum viatici) sed etiam quoties aliæ Moniales communicant ex præcepto siue Ecclesiæ, aut regulæ, siue etiam ex alia pia, & rationabili causa. ita Portel. *supr.* & ante illum Rodriquez *tom. 1. quæst. 47. art. 4.* Miranda *tract. de Monial. quæst. 2. art. 7.* & Sanchez *n. 45.* addens se credere Confessarium posse ingredi ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ Moniali infirmæ, quotiescunque ista solebat vti his Sacramentis: patetque tum ex dictis *quæst. præced.* tum quia rationi consonum est infirmas hac solatio non destitui: ne alioqui addatur afflictio afflicto; immò iustum est tristitiam infirmæ leuari tam salutaribus medicinis, vnde infert Sanch. quando dicunt DD. posse Confessarium ingredi ad audiendam confessionem Monialis infirmæ, aut aliter impeditæ, quoties ipsa ait se indigere hoc Sacramento, haud strictè interpretandam esse huiusmodi indigentiam, ideóque posse ingredi etiam in casu, quo illa cupiat confiteri solùm ad meram consolationem spiritualem. 121.

Addit Quintanad. *tract. 3. sing. 3. num. 10.* quod si Monialis ægrota solita sit quotidie communicare, ad eam posset deferri Communio; cum huius sumptio iudicio viri prudentis necessaria videri possit ad profectum, ac consolationem spiritualem. Ad quod faciunt, quæ habentur in *Constitutionibus S. Dominici capit.* 13. minorum; *quod quanto præstantior est anima corpore, tanto etiam diligentius procuranda est salus animæ supra salutem corporis; &, si ob corporis necessitates introire in monasteria licet, multò magis id licebit Confessariis, qui curæ animæ Monialium deputati sunt.* Quæ confirmat *Sanctius in selectis D. 22. num. 22.* dicens: *Si ob necessitatem temporalem Conuentus, v. g. ob deliniendum parietem, aut solum permissum est fabris claustra introire; quare ob vtilitatem spiritualem Monialium id negandum erit Ministris seruantibus requisita.* Confirmat & Quintana *supr. num. 12.* his verbis: *Quod si corporalis Medicus quotidie ingreditur, etiamsi ita necessarium non sit, vt cum nulla Monialis grauiter laboret, sed solum sint leues alicuius curandi, præseruandive morbi: cur ad animæ morbos sanandos, & ægrotantis profectum, & consolationem augendum Medicus spiritualis ad spiritalis medicamentum non ingreditur?* Quibus consentit Sanchez *lib. 6. moral. cap. 16. num. 45.*

Quòd verò monet Sanchez *num. 46.* non subesse iustam causam, quòd comitantes Eucharistiam 122.
ingrediantur clausuram: cùm ipsæ Moniales satis

decenter cereis accensis com itati fuissent Euchari tur: sequitur huiusmodi ieiunium violari ex rece-stiam, statim ac ad clausuræ fores accedit; est valdè rationabile, & omninò seruandum. Quamquam quoad hoc mihi magis placeat consuetudo inducta in ciuitate Ferrariensi; nimirum, vt Confessarius Monialium in casu, quo administranda sit Moniali infirmæ Eucharistia, particulam consecratam in decenti vase ponat super fenestella, ea qua Moniales solent communicare; eaque sic posita, ingrediatur cum debita modestia, ac deuotione, ibique indutus superpelliceo, & stola procedat ad chorum, indéque sumptam particulam consecratam deferat ad Monialem infirmam, cæteris Monialibus ipsum comitantibus cereis accensis.

Quæri hîc posset, an Monialis, quæ manè communicauit, possit eodem die iterum communicare per modum Viatici, si sub vesperam eiusdem diei contingat eam incurrere periculũ mortis, cùm antea benè valeret, nec extaret vlla suspicio talis periculi.

223. Respond. quòd, licèt DD. communiter apud Dianam *p.5. tract.3. res.33.* sustineant partem negatiuam nihilominus non videtur improbabilis pars affirmans, quam sustinet idem Diana ex Hurtado de Mendoza, Turriano, Ochagauia, ac Kellisonio; & suadetur tum quia iura prohibentia, ne quis communicet bis in die, non comprehendunt casum istum adeò specialem; tum quia fideles debent in articulo mortis communicare ex præcepto diuino, cui non satisfit per anticipatam communionem (sicut nec satisfit præcepto audiendæ Missæ per anticipatam auditionem) præceptum autem hoc diuinum, vt fortius præualet prohibitioni ecclesiasticæ de non communicando bis eadem die ex *Sanch. l.1. mor. cap.10. num.17.*

Addo ex Suarez *D.69. de Euchar. sect.4.* & Persico *l.1. de precipuo Sacerd. offic. cap.3. num* 82. quòd si Monialis in articulo mortis non ieiuna per modum Viatici communicauit paulò ante mediam noctem; elapso quadrante post mediam noctem posset ieiuna iterum communicare: hoc enim non esset bis communicare eadem die, sed duobus diebus: cùm dies incipiat à media nocte.

Sic notat Diana *p.3. tract 6. res.44.* ex Henriq. quòd, si quis proximè ante mediam noctem cœnauit in Dominica incidente in vigilia Natiuitatis Domini; potest statim post mediam communicare. Quæ doctrina confirmatur ex eo, quòd docent Azorius, Syluius, Henriq. Sà, & alij apud eundem Dianam *p.2. tract.14. resol.54.* videlicet fideles nullo iure prohiberi, quin qualibet hora diei communicent, si sint ieiuni, & absit scandalum: quamuis Coninch. *q.80. de Sacram. art.10. num.85.* & alij dicant extra casum necessitatis non esse permittendum, vt quis sub vesperam, & qualibet hora diei communicet: idque in reuerentiam Sacramenti.

Idem confirmat Diana *p.9. tract.7. resol.45.* contra P. Bordonum *tom.2. resol.56. num.161.* addens quod cum Regulares ex suis priuilegiis possint celebrare ferme 3. horis ante auroram (vt ex Rodriq. Filliuc. & Bonac. docet Castrus Palaus tract.22. *D. vn. p.7. num.15.* possunt & in illis missis, si velint, licitè ministrare laicis Eucharistiam: cum in hoc nulla extet prohibitio in contrarium.

Cum autem ieiunium naturale, quod ordinariè requiritur ad Communionem Eucharisticam, violetur per suppositionem cibi, ac potus: cibus verò & potus sit ille, qui in stomacho alteratur, seu digeritur, aut ad digestionem pertinet, idque per actionem, quæ sit comestio, aut potatio: qualis non est, nisi ex cibo & potu assumatur, ac in stomachum traiicia-tur: sequitur huiusmodi ieiunium violari ex receptione grani anisi consultò deglutiti Cardin. de Lugo *D.15 de Euchar. sect.2. num.22. & 27.* Hurtad. *D.9. de euchar. diffic.15.* item ex sumptione tabacei per os assumpti, ac pilulæ medicinalis, Præpositus 3. *par. q.80. art.8. d.1. num.39.* item ex receptione papyri, seu chartæ, ac fili ex lino (quippè quæ habent originem ex herbis, & in substantia sunt herbæ, quæ digeruntur) imò & ex sumptione muscæ, culicis, ac vermiculi, Cardin. de Lugo *sup. n.31.* item ex receptione cretæ, quam fœminæ comedunt ob delectationem, aut ad diminuendum colorem, Tamburin. *de commu. c.2. §.6. n.19.* idem asserens de lapide Bezaar, & terra Cypria; item ex receptione ceræ vtpotè aliquibus partibus mellis immiatæ, Tambur. *num.20.* (etsi dissentiat Summa Diana *v. communionis dispositio, n.35.* malè citans pro se *Cardinalem de Lugo*) non item ex sumptione officuli fructuum, aut alterius generis, frusti ligni solidi, monetæ aureæ, globuli plumbei, frusti vnguis, fili ex ferro, serico, aut lana; quippè quæ in stomacho non alterantur, sed integra à stomacho etiam valido egeruntur, Cardin. de Lugo *sup.* & cum eo Tambur. *num.18.* addens *n.21* se valdè dubitare, an concedendum sit violari ieiunium naturale per sumptionem auellanæ, aut pineæ nucis (sicut putat Sancius *in select. D.42. n.23.*) siquidem ea, vt sic sumuntur, non sunt alterabiles, nec digestibiles, adeoque non habent rationem cibi.

Sic violatur Ieiunium naturale ex sumptione vnius guttæ aquæ facta de industria; ex receptione potionis medicinalis, auri potabilis, & sanguinis, quem quis exugat è proprio digito. *De Lugo sup. Tamburin. n.22.* monens haurientem aquam, imò & quodlibet aliud non esse ieiunum, etsi statim è stomacho eiiciat rem sumptam; cum semper aliquid illius remaneat in stomacho: item si ex proposito deglutiantur reliquiæ cibi manentes in dentibus, De Lugo *n.36.* Vasq. *D.211. de Euchar. c.3. n.30.* Hurtad. *D.9. de Euchar. difficul.15.* (quod negant Tabiena, Henriq. 10. à Cruce, Diana, Suarez Rodriq. & Coninch. apud Tamburinum *num.25.* nec improbabiliter.) E contra ieiunium naturale non violatur, si per modum saliuæ sumas guttam aquæ, aut iusculi, vel sanguinem è capite fluentem in os, ac immixtum saliuæ, De Lugo *sup. num.23.* item si traiicias culicem, muscam, aut puluerem in os casu volitantes, vel etiam sanguinem, aut humorem è capite, aut gingiuis descendentem; etiam in magna copia, etiam non immiatum saliuæ *De Lugo sup.* item si sumas tabaccum per nares, siue in folio, siue in puluere, siue in fumo, vel etiam aliquantulum aquæ per nares attrahas, Granad. *in 3. par. contr.6. tract.10. D.8. num.4.* Suarez *D.68. de Sacram. sect.4. §. queres rursus*: item si per narium afflationem sumas odorem *Granad. sup.* item si aromata teneas in ore, imò & conteras dentibus, sed non deglutias Tambur. *n.26.* ex *Bonac.* addens ex Tannero *tom.4. D.5. q.8. art.8. not.2.* si quid ex dictis aromatibus cum saliua descendat in stomachum, non violare ieiunium; cum talis descensus sit solum per modum saliuæ seu commixtus saliuæ, quæ cohiberi nequit, ne descendat affecta dictis aromatibus: quod non admittit Tamburinus in casu, quo voluens aromata in ore granum aliquod ex illis in stomachum inuoluntariè traiiciat: cum hîc interueniat vera comestio, etsi non volita; nec sit eadem ratio de musca in os volitante, & casu deglutita, siquidem hæc actio nullo modo est comestio, sed respiratio; cum granum aromatis in ore contritum, volutatum, & traiectum in stomachum (etsi contra voluntatem) sit comestio: quo modo decidens in flumen,

&

& aquam inuoluntariè deglutiens verè dicitur potare. ita Tamburin. qui tamen non omninò se resolutè declarat se opinionem contrariam damnare.

Addit Pasqualig. *p. 2. decis. 426.* ex Paludano, & Persico non solui ieiunium naturale, si quid cibi, aut potus intret in conductum respirationis; cum talis deglutio non pertineat ad manducationem, vt potè non ordinata ad nutritionem, sed potius ad suffocationem; & hoc, licet id fiat per actionem manducatiuam, & ex animo manducandi, aut bibendi; dum enim fit descensus non in stomachum, sed in canalem respirationis, non completur manducatio, aut potatio, cum non sit in termino, nisi fiat transmissio in stomachum; ita vt descensus cibi, aut potus in stomachum sit pars manducatiuæ, adeoque ea sublata, ieiunium non frangatur, quippè quod solum violatur per completam manducationem, aut potationem. Quod si in hoc casu conans eiicere quod ingressum est in canalem respirationis, aliquid modicum illius in stomachum deglutiat, non soluitur ieiunium naturale: quippè quod ingreditur præter intentionem, & vi actionis egestiuæ, quæ opponitur manducatiuæ, aut potatiuæ; sicque ingredi nequit per modum manducationis, aut potationis, & consequenter non soluit ieiunium naturale.

Dubium maius est, an censeri debeat ieiunus ieiunio naturali, qui casu deglutit, & traiicit in stomachum aquæ quantitatem notabilem; vt si cadat in flumen.

Respond. Pasqualigus *sup. decis. 425.* quod, licet Tabiena *v. communicare q. 45. n. 51.* sustineat debere censeri ieiunum, dummodò id contingat præter voluntatem; siquidem, vt aliquid sumatur per modum cibi, debet sumi ex intentione, non casu: Doctores tamen communiter oppositum sustinent cum Sylu. *v. Euchar. 5. q. 6. num.* 8. Suto *in 4. d. 12. q. 1. art.* 8. *ad.* 4. Sà *v. Euchar. n.* 27. Nauar. *c. 21. n. 53.* & probant tum quia actio deglutiendi magnam quantitatem, aquæ nequit induere rationem alterius actionis, quam potationis, licèt violentæ, ac præter intentionem; cum sit motus, quo per se primò aqua traiicitur in stomachum: tum quia dici non potest in hoc casu interuenire solum respirationem, aut deglutionem salivæ; cum in his actionibus id, quod per se primò descendit in stomachum, non sit materia potabilis, sed aër, aut saliua; si autem hic interuenit actio potatiua, soluitur ieiunium, vt patet.

Quod si aqua sic hausta eiiciatur è stomacho, dicit Pasqualig. *n.* 4. posse censeri adesse ieiunium naturale, si probabiliter iudicetur totam aquam fuisse eiectam: nam ieiunium violatur solum per cibum, ac potum; & alioqui in hoc casu aqua cum intret in stomachum præter intentionem, & ab eo eiiciatur, non habet rationem potus, sed cuiusdam lauationis, qua stomachus lauetur: haustio enim illa aquæ eatenus haberet rationem potationis, quatenus coniungeretur cum termino ipsius potationis (cum omnis motus sit talis per coniunctionem cum suo termino) & aliàs in hoc casu haustio non coniungitur cum termino potationis, qui est permanentia liquoris recepti in stomacho, vt possit alterari, & digeri. sic Pasqualig. et *n. 5.* subdat in hoc cautè procedi debere, & ex concurrentibus circunstantiis videndum esse, an totus liquor sit eiectus: si enim aliquo tempore mansit in stomacho, vel sic facilè alterabilis, nequit censeri totus eiectus, sed præsumi debet aliquam eius particulam fuisse alteratam, præterquàm quod, etsi probabiliter censeri possit totum liquorem fuisse eiectum, satius est abstinere à Communione Eucharistica ob reuerentiam Sacramenti.

Verùm verò Confessarius possit sæpius ingredi ad ministrandam Moniali infirmæ Eucharistiam per modum Viatici.

Respond. posse, si inter vnam, & aliam communionem detur conueniens interuallum temporis; v. g. 8. aut 10. dierum iuxta Suar. *D. 68. de Euchar. sect. 5.* & Henriq. *l. 8. c. 5. num.* 1. aut etiam solùm 6. dierum iuxtà Fumum *v. communio, §.* 18. & Maiorem *in 4. d. 9. q. 3. ad 5.* Ducor, quòd; cùm iuxtà citatos Doctores, quos sequitur Fagund. *prec. 3. Ecclesiæ, l. 3. c. 5. num.* 20. licitum sit fidelibus infirmis communicare per modum Viatici non semel, sed iterum, atque iterum, & quidem secundum Layman *l. 5. tract. 4 cap. 6. n.* 10. altero statim die in aliquo casu licitum erit Confessario Monialium ingredi ad talem effectum, ne alioqui Monialis infirma destituatur tam salutari remedio, & quidem valdè necessario; vt proindè dici possit comprehendi sub regula generali à nobis assignata superius, quòd potest Confessarius Monialium ingredi in casib. necessariis. 224.

Quòd si Monialis, cui administranda est Eucharistia per modum Viatici, sit nouitia: curet Confessarius, vt illa ante communionem faciat religiosam professionem iuxtà Pij V. indultum relatum *c. 9. num.* 18. Pro cuius intelligentia vnum tantum placet hìc adnotare: nimirum ad essentiam professionis factæ vi talis indulti non videri necessarium, quòd ea fiat de consensu capitulari Monialium illius monasterij, adeoque illam sine dicto consensu esse validam. Moueor tum quia Pius V. si voluisset ad professionem in isto casu faciendam requiri consensum capitularem monasterij modo dicto, id expressisset in tenore indulti; sicut de facto expressisset requiri, vt Nouitia vigore præfati indulti professura annum ætatis 16. expleuerit: cùm ergo non expresserit circunstantiam consensus capitularis, signum est, quod illam noluit iuxta illud: *Si voluisset expressisset; non expressit, ergo noluit*: tum quia versamur in materia valdè fauorabili animæ, quæ proindè non debet restringi vltrà id, quod restringitur in concessione indulti: tum quia vsus talis indulti posset impediri à Monialibus monasterij dictum consensum denegando; vt benè notauit P. Bordonus à me consultus, qui nobiscum sentit.

Et hanc doctrinam puto procedere etiam in casu, quo nouitia professura vigore indulti Pij V. iam expleuisset integrum annum probationis: banc scilicet validè, ac licitè profiteri in morte absque consensu capitulari Monialium. Ducor, quòd vi dicti indulti dispensat Papa non solum in integritate anni probationis (cuius in præsenti casu nulla est necessitas) sed etiam in exploratione puellæ, & consensu capitulari Monialium aliàs præmittendis (quæ duo etiam in præsenti casu deseruire possunt) cum ergo in casu hic proposito indultum possit suff. agari quo ad hæc duo posteriora: non apparet, cur vsus eius denegari debeat ex eo quod non suffragetur etiam quoad supplendam integritatem anni probationis: maximè attenta regula iuris: *Cui licet quod maius, non debet, quod minus est, non licere l. non debet, ff. de regulis iuris*, & attenta natura priuilegij fauorabilis animæ, quod debet ampliari, sic ego respondi nouissimè in contingentia facti, & responsionem approbarunt viri docti.

An autem Nouitia virtute præfati indulti professa, possit resilire à statu Religioso, & redire ad sæculum, si superuiuat; data doctrina Hieronymi Rodriquez, & Vecchij apud Dianam *p. 5. tract. 3. ref.* 139. sustinentium nouitiam hanc egere noua professione, & consequenter professionem in morte factam

esse nullam (quod tamen negat ipse Diana cum Lezana, & nos negabimus *in tract. de profess. cap. 2. q. 3.*)

Resp. data illa doctrina, posse resilire Nouitium à statu Religioso: cum iuxta illam doctrinam ipsa perindè se habeat, ac si nullam fecisset professionem; & non entis nullæ sint partes, seu qualitates, *l. eius qui insulam, ff. si cer. pet.* Verum tamen est quod, licèt dicta professio non habeat vim voti simplicis religionis ex doctrina Sanchez *lib. 6. de matrimonio D. 34. à num. 8.* habet tamen vim voti simplicis Castitatis ob rationis identitatem expressæ *in cap. quidam de conuers. coniugat.* vt indicat idem Sanchez *lib. 7. D. 27. n. 13.* cum declaratione, ac præsumptione iuris, quas ille habet *D. 34 num. 3.*

Addo Nouitiam in morte profitentem modo dicto, inhærendo doctrinæ Rodriquez (suprà relatæ, posse, si antea non renunciauit bonis, postea renuntiare (seruatis aliàs seruandis) idque ob rationem §. præcedenti addictam, quæ procedit æquè in re præsenti, vt consideranti patebit. Quamquam in foro externo talis bonorum renunciatio possit esse admodum controuersa: stante nostra sententia sustinente professionem factam in morte vigore indulti Pij V. esse veram, ac validam professionem: quam sententiam amplectuntur plures, & graues Doctores apud Dianam *part. 3. tract. 3. resol. 17.*

Accedit quod; licèt Rodriquez consequenter ad illam suam doctrinam, cum aliis sustineat Nouitiam in casu proposito profitentem, si conualescat, teneri absoluere residuum anni integri probationis: in nostra tamen sententia oppositum sustinendum est; cùm sic cesset finis probatiuois, quæ ordinatur ad professionis emissionem tamquam via ad terminum, & dispositio ad formam; quæ omnia cessant hoc ipso, quòd vera ac legitima professio facta est (sicut verè facta est in præsenti casu) vnde procedit iuris regula: *Cessante legis ratione, cessat lex, l. final. ff. de adul.*

QVÆRES XLII. An, & quoties Confessarius ingredi possit monasteria Monialium ad ministrandam extremam Vnctionem Moniali infirmæ.

225. Respond. quòd, cùm Sacramentum extremæ Vnctionis non respiciat solùm infirmitatem, sed etiam statum infirmitatis, quo iuxta humanam æstimationem infirmus appropinquat morti; & aliqui dutante eodem morbo (v. g. hydropio) possit sæpiùs incurri periculum mortis; poteft infirmus licitè inungi sæpius, etiam in eadem infirmitate; si, occurrente vno periculo mortis semel inunctus incurrat postea aliud periculum: quod potest non rarò euenire, ita Diana *part. 5. tract. 3. resol. 69.* aliique communiter, & patet ex Concil. Trid. *sess. 14. cap. 3. de extre. vnct.* vbi dicitur: *Quod si infirmi post susceptam hanc vnctionem conualuerint* (Intellige, sine valetudine omninò recuperata, siue quòd euadant periculum mortis) *iterum huius Sacramenti subsidio iuuari poterunt, cum in aliud simile discrimen inciderint.* Constat autem ex dictis *q. præced.* quòd, si Monialis modo dicto possit sæpiùs inungi; poterit Confessarius sæpiùs ingredi ad talem effectum: cùm talis inunctio recenseri probabiliter possit inter casus necessarios, in quibus conceditur ingressus.

226. Porrò interuallum temporis, quod requiritur, & sufficit ad reiterandum Sacramentum extremæ Vnctionis, recurrente nouo periculo mortis, censet Fagund. *supr. lib. 1. cap. 1. num. 7.* prudentis viri iudicio definiri debere, & videri sufficere 15. aut 20. dies: mensem integrum requiri Henriquez *lib. 3. cap. 9. num. 4.* Mancinus verò *in pract. 9. d. 21.* censet sufficere 8. dies post præcedentem vnctionem, ita vt probabiliter præsumi possit infirmum peccasse, saltem venialiter; inter has opiniones ego consulo opinionem Fagundez tanquam probabiliorem.

QVÆRES XLIII. An, & quoties Confessarius Monialium ingredi possit ad assistendum infirmæ laboranti in extremis.

Respond. posse, ita in terminis Sanchez *supr. n. 48.* ex Llamas, Peyrin. *tom. 1. priuil. constitut. 6. Pij V. num. 30.* Victorel. citatus à Tambur. *supra q. 2. num. 6.* & alij communiter. Moueor, quòd, cùm talis assistentia sit non solùm vtilis, sed valdè necessaria Moniali in tali statu constitutæ, enumerari potest inter casus necessarios, in quibus iura concedunt ingressum intra septa Monialium: munus quippe assistendi Moniali in tali euentu, illámque confirmandi piis verbis, est proprium Sacerdotis; eò vel maximè quòd tunc potest occurrere aliqua animi perturbatio, aut scrupulus, ad quæ sedanda sit opus consilio Confessarij; vt propterea non parum suspicer esse minùs authenticam declarationem illam, quam affert Ganant. *in manu. v. clauf. Monial. n. 43.* vt factam à sacra Congregatione; nimirum Confessarium Monialium administrato extremæ vnctionis Sacramento, debere relinquere Monialem infirmam morientem, eam commendando aliis Monialibus, vt eam iuuent ad bene moriendum, & è monasterio egredi; quod certè videtur admodum durum, præsertim fœminis, quæ morientibus sibi cognatis vellent semper assistere aliquem Sacerdotem ipsis in tanta necessitate spirituali opitulantem.

Difficultas est, an Confessarius non semel, sed iterum, atque iterum ingredi possit ad talem effectum, immò, & longiori tempore continuato assistere Moniali animam agenti, etiam per noctem integram.

Respond. posse, & sæpius ingredi; & diuturniori tempore assistere; si iudicio prudentis viri, Monialis censeatur breui moritura, idcòque indigere assistentia Confessarij, qui piis verbis eam consoletur, & opportunis mediis adiuuet ad bene moriendum. Ducor, quòd Confessarius licitè potest ingredi ad assistendum Moniali morienti; cùm iuxta dicta à iure cōcedatur ingressus in tali casu, vtpote comprehensus inter casus necessarios: at potest euenire, quòd Monialis agonizans indigeat assistentia Confessarij siue pro longiori tempore continuato, eo quòd variis, & grauibus tentationibus tunc temporis vexetur, & iudicio Medici credatur breui moritura; sinè quòd sæpiùs ad eundem effectum ingrediatur, eo quòd Moniali superueniant plura simptomata, per quæ probabiliter creditur mox moritura, cùm tamen, iis cessantibus, tempus agoniæ vlteriùs protrahatur: ergo in hoc vtroque casu poterit Confessarius & ingredi clausuram sæpiùs, & longiori etiam tempore permanere in monasterio; maximè cùm præcepta Ecclesiæ (cuiusmodi est præceptum clausuræ Monialium) non obligent in euentu tanti dispēdij; & aliquin simus in materia adeo fauorabili animæ, in qua melius est abundare, quàm deficere. Vnde Ordinarij locorum, ac Prælati regulares Monialibus sibi respectiuè subiectis quoad hoc debeterent non parum indulgere, memores ex breuissimo mortis momento pendere totius æternitatis progressum: plurimumque conducere cuicunque morienti, vt assistentem habeat Sacerdotem, qui in tanta necessitate, & tam graui periculo opportunum præster auxilium.

Quòd si quæras, an Confessarius Monialium in casu, quo cogeretur longiori tempore commorari in monasterio ad assistendum Moniali morienti, & quidem

quidem noctu; aliásque magnam haberet necessitatem aliquantulum requiescendi; posset ad aliquod tempus secedere in cubiculum aliquod intra ipsum monasterium, ibique parumper requiescere.

219. Respond. dato casu (qui tamen debet esse admodum rarus) videri posse, adhibitis debitis cautelis: idque ex ratihabitione Prælati Monialium, ac lege æquitatis, quamuis in tali euentu consultum esset potius secedere in domum Factoris Monialium proximam monasterio, ibique requiescere, præsto adfuturum Moniali morienti: vbi primùm aduocabitur. sic ego consului in contingentia facti, & consilium postea approbarunt viri valdè docti: quin etiam posteà reperi Fratres Carmelitas Discalceatos *part.* 3. *stat. cap.* 30. *num* 3. statuisse, quod si Monialis aliqua sit morti proxima non liceat Sacerdoti Confessario intra clausuram pernoctare, nisi ægrota in eo periculo, vt eo pietatis officio egeat, quod in morientes exerceri solet: ac ea defuncta, statim cum socio exeat: quod statutum fuit confirmatum ab Vrbano VIII. & ostendit rationabilem esse nostram assertionem.

An autem Confessarius in præsenti casu ducere possit, & debeat socium intra clausuram, vel certè debeat ingredi solus.

Respond. posse, & debere ingredi cum socio, si Confessarius sit Regularis: idque ob dicta *quæst.* 39. §. *quòd si quæras:* si verò sit sæcularis, non est quidem regulariter in vsu, quòd secum ducat socium (forte quia hic, & nunc illum habere non potest in promptu, qualis in tali euentu requireretur, virum scilicet pium, & non minùs ætate, quam moribus grauem) esset tamen multum laudabile, ac expediens, quòd Confessarius Monialium sæcularis in ingressu clausuræ secum haberet socium, qualem modò indicauimus: immò & fortè esset consentaneum menti sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium; quæ cùm iuxta dicta *citato quæst.* 29. generaliter statuerit Confessarios Monialium non posse ingredi absque socio ad audiendas illarum confessiones; à fortiori id statueret de Confessario ingrediente ad assistendum Moniali agonizanti, cùm in tali casu sit maior ratio ingrediendi associatum, quàm in euentu, quo ingressus fiat ad audiendas confessiones, vt consideranti facilè constabit, verùm in hoc seruetur consuetudo vniuscuiusque diœcesis, aut Religionis regula, à quibus nefas est recedere in re tanti momenti.

QVÆRES XLIV. Quibus mediis possint, & debeant Confessarij Monialium iuuare illas ad bene moriendum tempore agoniæ.

230. Respond. posse, & debere iuuare sequentibus mediis, aut aliis similibus, quæ suggeret Spiritus Sanctus: videlicet illas excitando ad varios actus fidei, spei, & charitatis, sicque illas muniendo aduersùs tentationes, quæ tunc temporis immitti solent à diabolo: & hoc breui aliqua oratione desumpta è sacris Scripturis; cuiusmodi esset, pro actibus quidem fidei recitatio symboli Apostolici, & verba illa: *Adiuua incredulitatem meam* vel, *Adauge nobis fidem*; vel, *Credo quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum*, &c. pro actibus Spei, verba illa: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio*; vel, *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*; vel, *Non in arcu meo sperabo, neque gladius meus saluabit me, sed dextera tua*; vel, *Deus meus, misericordia mea*; vel, *In te Domine speraui, non confundar in æternum*: vel, *Quoniam tu es Domine spes mea*; vel, *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum*; vel, *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* pro actibus Charitatis, verba illa: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*; vel, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* vel, *Quid mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram?* vel, *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo meo spem meam*; vel, *Deus meus, & omnia*: pro actibus Contritionis, verba illa: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine*; vel, *Sana Domine, sana animam meam, quia peccaui tibi*; vel, *Vbi me abscondam à vultu iræ tuæ?* vel, *Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei*; vel, *Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine*; vel, *Propitius esto mihi peccatori*; vel, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicies*; vel, *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.* Curet item Confessarius, vt Monialis infirma opportuno tempore debitas faciat protestationes: videlicet se velle mori in fide catholica, firmitérque credere, quidquid credit, ac docet S. Mater Ecclesia: se quàm maximè dolere de omnibus offensis Deo factis, esseque paratam millies potiùs mori, quàm ipsum amplius offendere, vtpote super omnia amabilem: se æternam salutem sperare, non ex propriis meritis, sed Christi, eiusque Sacratissimæ passionis: se nolle consentire vlli suggestioni dæmonis, quæ tempore agoniæ ab eo immittatur: se commendare animam suam Deo, B. Virgini, Angelo Custodi, Sanctis, & maximè sui Ordinis, ac tutelaribus. Denique Confessarius assistens Moniali agonizanti non solùm ipsam iuuet indentidem ei suggerendo voce moderata aliquam ex orationibus iaculatoriis superius relatis; sed etiam piam Christi crucifixi imaginem exhibeat sæpiùs osculandam in cicatricibus; lectulum sæpiùs aspergat aqua benedicta; curet appendi collo Monialis benedictum aliquod numisma habens indulgentias; sæpiúsque ei reuocet in memoriam, vt in extremo mortis articulo curet obtinere plenariam indulgentiam concessam dicto numismati; coram ipsa reciter deuotas preces, siue solus (v. g. Officium S. Crucis, passionem Christi descriptam à S. Ioanne, commendationem animæ) siue cum aliis Monialibus assistentibus. (v. g. Litanias) cureique vt Moniales, quæ modo dicto assistunt infirmæ, singulæ seorsim dicant, siue Rosarium B. V. siue Psalmus pœnitentiales, siue alias orationes; ponat etiam super lecto aliquas Sanctorum reliquias ad fugandos dæmones illorumque tentationes remouendas: curet etiam affigi lecto aliquam imaginem B. Virginis, & alicuius Sancti, aut Sanctæ, quos Monialis agonizans speciali deuotionis affectu prosequebatur, v. g. Sancti Ioseph, Sancti Fundatoris Ordinis, Sancti tutelaris, aut alterius similis: illam item, quamdiu est capax, faciat confiteri identidem aliqua peccata, saltem aliàs confessa, & absoluat Sacramentaliter ad maius gratiæ incrementum.

Moneo hic vnum, quod si Confessarius ad maius augmentum gratiæ, ac meriti velit identidem absoluere Sacramentaliter Monialem morientem, quæ non potest loqui, sed bene audit, potest absque scrupulo coram astantibus ei altiori voce dicere; vt se accuset de verbis otiosis, aliísque similibus defectibus in specie expressis: & hoc, vt detur materia absolutionis in particulari, probatur tum ex praxi vsitata etiam apud viros doctos, ac timoratos, quæ sine dubio non debet condemnari: tum quia confessio Sacramentalis publica non est prohibita, nisi per accidens, videlicet ratione scandali, quod posset suboriri, si in casu proposito detegeretur aliquid

graue, ac infamatorium, quod alioqui erat astantibus ignotum: tum quia in præsenti casu nulla interuenit violatio sigilli sacramentalis; cum non Confessarius detegat peccata Monialis pœnitentis, sed ipsa Monialis, cedens iuri suo. Quamquam in tali euentu Confessarius abstinere debeat, ne proponat Moniali culpas graues, de quibus modo dicto se accuset: cum debeat solum proponere defectus leniores, aut certè peccata in communi.

QVÆRES XLV. An, & quibus in casibus Confessarius Monialium ingredi possit ad exequias demortuæ Monialis peragendas.

231. Respond. quòd, quamuis Gauantus *in manu. v. Monial. clauf. num.* 40. dicat sacram Congregationem sub 13. Sept. 1583. statuisse, ne Monialium Confessarij clausuram ingrediantur prætextu sepeliendæ Monialis, aut Officium funerale peragendi; Sanchez tamen *l.6. Mor. cap.16. num.*44. Portell *de dub. regul. v. clauf. Monial. num.* 11. Tamburin. *D.* 24. *de iure Abbatiss. q.*5. & alij, docent, quòd cùm in præsenti casu interueniat iusta causa necessitatis, licitè potest ingredi Confessarius; quamquam Tamburinus loquatur cum limitatione, si adsit consuetudo, & concessio Superioris: & benè, cùm consuetudo habeat vim legis, & omninò seruari debeat. quare in hac re inspicienda est vniuscuiusque diœcesis, ac regionis consuetudo, eaque seruanda. Certè in aliquibus locis inducta est consuetudo, & quidem scientibus, & consentientibus Ordinariis, vt Confessarius ingrediatur tum quando cadauer Monialis defertur à cubiculo, in quo ea mortua est, ad locum Capituli, aut ad chorum Ecclesiæ interioris: tum etiam postea, quando recitatur officium Defunctorum, antequàm cadauer tumuletur, & quidem vnà cum ipsis Monialibus in choro assistens recitationi dicti Officij, & fongens munere Parochi, quæ licet non sint simpliciter necessaria; videntur tamen satis rationabilia, ac proindè permitti posse ab Ordinariis aliisque Monialium Prælatis; quippè quæ sunt magnæ consolationi Monialibus superstitibus, & communiter solent obseruari in exequiis fidelium sæcularium, nec adest vrgens ratio ea denegandi Monialibus.

232. De socio possent esse maior aliqua difficultas, an Confessarius in proposito casu ingressurus claustra Monialium possit, & debeat illum secum ducere, vel certè possit, ac debeat ingredi solus.

Respond. etiam in hoc seruari debere consuetudinem cuiusque diœcesis, ac regionis, quæ non est vna, ac eadem, sed multiplex, & varia. In Galliis, inquit Tamburin. *supr. num.* 3. Confessor exequias Monialium celebraturus cum nonnullis Sacerdotibus intra septa monasterij ingreditur: & in quodam Capitulo prouinciali Fratrum Minorum in Portugallia refert Portellus *loco citato*, quemdam Generalem decreuisse hac occasione intrare posse 6. Fratres; comprehendendo Confessarium, Capellanos, & alios: in aliis locis ingreditur solus Confessarius. Vt ego dicam, quod sentio; crederem esse expediens, & consultum, vt in tali casu Confessarius non ingrederetur sine socio idoneo iuxta dicta q.39. idque tum ob decentiam status Monialium; eo quòd videatur minùs decere Sacerdotem, siue sæcularem, siue regularem, admitti intra septa Monialium, & inter ipsas longiori tempore commorari sine socio: tum quia alioqui opus est, vt Monialis inseruiat Sacerdoti persoluenti Officium funerale tum in præbendo thuribulo, quo iuxta rubricas Ritualis Romani incensatur cadauer; tum in porrigenda aqua benedicta, qua illud aspergitur, & quidem in his porrigendis, etiam ipsi manum deosculando; quod vtique minus decet Monialem, præsertim iuniorem; qualis scler in simili euentu adhiberi.

Quòd si contingat aliquem defunctum laicum asportari ex speciali priuilegio intra monasterium Monialium, ibi sepeliendum (quod tamen hodie vix potest euenire, attenta declaratione sacræ Congregationis relata à Tamburino *sup. D.*34. *q.*1. *num.*2. id expressè prohibentis) Confessarius Monialium poterit, & debebit comitari cadauer vsque ad locum sepulturæ; cùm in tali casu ingressus sit necessarius, ne alioqui defunctus sepeliatur sine precibus, ac cæremoniis ordinariis Ecclesiæ: & ex alia parte, gaudente monasterio Monialium priuilegio exemptionis, Parochus proprius defuncti sepeliendi non habeat ius supra cadauer existens intra dictum monasterium; quippe quod ibi incipit esse subiectum dicto Confessario tanquam Parocho proprio monasterij, sicut indicat Tamb. *sup. D.*24. *quæst.*5. *num.*4. docens, quòd, si vir sæcularis, aut fœmina iubeant se sepeliri intra monasterium Monialium, & à sæcularibus nobilibus deportetur cadauer: hi neutiquam ingredi possunt; sed iis in hoc munere succedere debent fratres ad id deputati; intellige, si monasterium sit subiectum Prælatis regularibus: alioqui puto posse intrare præfatos portitores; cùm sic illorum ingressus sit necessarius, & consequenter exceptus à communi prohibitione ingrediendi clausuram Monialium; qua de re Portell. *sup.* & Rodriq. *tom.*1. *quæst.* 47. *art.*4. 233.

Addo hìc obiter, quòd, si contingat aliquem in Ecclesia Monialium exteriori ex improuiso incurrere periculum mortis: extrema Sacramenta ei conferri debent, non à Confessario Monialium, sed à proprio Parocho illius; cum in tali casu iurisdictio dici possit ipsi collata à iure, etiam in illo loco exempto; & aliàs Parochus habeat ius in suum subditum vbicumque existentem; quamdiu non mutat domicilium. Ita Pollacchus, Baldellus, Bordonus, Stephanus à S. Gregorio, Zanettus, & alij à me consulti: quamuis Bordonus ex dictis à se *tom.*1. *resolut. resol.* 20. *num.* 18. §. *viaticum*, putet probabile Confessarium Monialium in proposito casu posse Sacramenta ministrare; & Baldellus censeat Parochum in tali euentu teneri petere ab Abbatissa monasterij facultatem ministrandi Sacramenta: quod tamen de rigore iuris non puto necessarium.

Et hanc doctrinam censeo procedere, etiam in casu, quo quis intra monasterium Monialium ex inopinato casu incurreret periculum mortis: hunc enim puto debere recipere Viaticum, ac extremam Vnctionem, non à Confessario Monialium, sed à proprio Parocho, per se loquendo; nisi scilicet periculum sit in mora; tunc enim ratione extremæ necessitatis id præstari posset, & deberet à quocumque Sacerdote, qui primò occurreret. Moneor, quòd Parochianus ille ex eo, quòd est in monasterio Monialium, non desinit esse subditus proprij Parochi; & aliàs administratio dictorum sacramentorum non est actio, quæ respiciat locum (sicut respicit officium sepulturæ persoluendum suprà cadauer defuncti tumulandi intra monasterium Monialium) sed respicit solùm personam, quæ in nostro casu remanet subiecta proprio Parocho: in quo consistit disparitas, cur Confessarius Monialium intra monasterium non possit, & debeat facere Officium sepulturæ personis laicis, quæ ibi fortè tumulentur; & non possit ministrare vltima Sacramenta alieno Parochiano ibi modo dicto morienti. In casu autem proposito posset Parochus ingredi clausuram sine licentia Superioris, si esset periculum

lum in mora, & commodè adiri non posset Superior; secus, si non esset periculum in mora & Superior commodè adiri posset.

Quòd si hac occasione quæras, an casu, quo sæcularis fœmina ingressa monasterium animo ibi perpetuo degendi, moriatur, spectet ad Confessarium Monialium ei ministrare vltima Sacramenta, associare cadauer quod forte sepeliendum sit extra Ecclesiam Monialium, & lucrari quartam funeralem cum aliis iuribus parocho obuenientibus intuitu sepulturæ.

Respond. spectare omnia supradicta ad Confessarium Monialium, cùm monasterio Monialium competat non solùm exemptio personalis, sed etiam localis; & fœmina illa sæcularis illud sibi eligendo in domicilium, effecta sit de ouibus Confessarij præfati monasterij; qui proindè tamquam parochus illius erga ipsam poterit exercere parochialia modo dicto, præterquamquod à quo viuentes recipimus Sacramenta, ab eodem post mortem debemus recipere & sepulturam; & consequenter ipse à nobis recipit iura parochialia, seu effectus dictorum iurium: sicut ergo fœmina illa viuens recepit Sacramenta à Confessario Monialium tamquàm eius parochiana; sic post mortem debet ab eo recipere sepulturam, & ille lucrari ab ea iura parochialia cum verè sit eius Parochus; habeatque vt talis in illam, iurisdictionem ordinariam, non autem solùm delegatam. Quæ doctrina à fortiori procederet in casu, quo fœmina sepelienda esset in ipsa Ecclesia Monialium, siue interiori, siue exteriori: idque ratione acquisiti domicilij, vt iam dictum est, quæ acquisitio domicilij non adest in casu proposito §. *præcedenti*, ideóque aliter de eo discurrimus. nobiscum sentit Bordonus à me consultus id inde probans, quod ad acquirendum ius passiuum parochiæ, vel quasi parochiæ, & consequenter ad Sacramenta, ac funus sufficit sola habitatio maiore anni parte, etiam sine domicilio, teste Innocentio *in cap. omnis 12. de pœnit.* eùm iura in ordine ad prædicta ponderent habitationem, non autem domicilium; talis autem habitatio verificatur de præfatis puellis.

Imò puto doctrinam hîc traditam de fœmina sæculari posse probabiliter sustineri de puellis in monasterio degentibus causa educationis: quippe quæ ibi acquirunt quasi domicilium, adeóque fiunt parochianæ dicti monasterij iuxta probabilem doctrinam traditam à Sanchez *l.3.de matr. D.23. à num.9.* vnde, si ibi moriantur, Confessarius Monialium exercebit eû illis omnia iura parochialia tam quoad Sacramentorum ministrationem, quã quoad sepulturam; vt dictum est de fœmina sæculari quamuis de dictis puellis sustineri possit etiam opinio opposita, quam Sanchez censet esse probabilem.

Quod si fœmina illa sæcularis ingrediatur, non animo determinato degêdi perpetuo in monasterio, sed vt experiatur, an ibi commodè possit habitare; &, si viderit ita futurum, habeat animũ ibi perpetuò degendi; tunc non videtur ibi acquirere domicilium; cum non habeat animum absolutè ibi perpetuò habitandi, sed solum conditionatum; qui non sufficit ad acquirendum domicilium (si sit conditionatus conditione suspensiua) si quidem Doctores apud Sanchez *lib.3. de matr. D.23. num.1.* ad acquirendum domicilium exigunt absolutè animum perpetuò ibi habitandi. Dixi, *si sit conditionatus conditione suspensiua;* qualis est, *si talis inhabitatio mihi placuerit:* vt indicatem secus dicendum, si dicta conditio sit resolutiua; qualis est, *nisi talis ibi inhabitatio mihi displicuerit:* cum enim eueniente eo casu, resoluatur ille animus ibi habitandi; signum est illum absolutè, & simpliciter præcessisse, non fuisse suspensum quoad perpetuitatem; sicut esset in priori casu: qua de re consulatur in simili Sanch. *lib.7.mor.cap.5.à num.59.*

Et quidem quod acquiratur domicilium, in casu proposito, si adsit animus perpetò ibi inhabitandi; constat ex eo; quod Sanchez *lib.3.de matr.D.23.n.1.* ex communi Doctorum sensu docet ad acquirendum domicilium requiri, & sufficere animum perpetuò ibi habitandi: ex alia parte monasterium Monialium est locus exemptus à iurisdictione parochi intra cuius paræciam existit: proinde, cum in dicto monasterio exerceatur cura animarum à Confessario Monialium: dicendũ est fœminã illud ingressam animo perpetuò ibi inhabitandi per acquisitionem noui domicilij factã esse de iurisdictione præfati Confessarij.

Quod verò Quarta in casibus propositis debeatur Confessario Monialium: fundatur tum quia ea debetur propter onus; quod sustinetur in administratione Sacramentorum *cap.1.cap.relatum, cap.de his, de sepult.* Confessarius autem Monialium in casu præsenti non minùs sustinet onus administrandi Sacramenta Monialibus, & aliis fœminis existentibus intrà clausuram, quàm si esset Parochus respectu suarum ouium: tum quia estò Quarta dicatur deberi Ecclesiæ Parochiali, quando Parochianus extrà eligit sepulturam (quo nomine non videtur venire Ecclesia Monialium, sicut nec Confessarius earum dicitur Parochus respectu illarum:) is tamen habet ius ad Quartam; cum ratio militans pro parocho item militet pro Monialium Confessario: quippequi, licèt non vocetur Parochus, in re tamen est Parochus; cum ex officio curam habeat animarum æquè ac si esset Parochus respectu sæcularium. ita Bordonus à me consultus; addens, quod si Ecclesia Monialium habeat ius Parochiale in sæculares annexum monasterio (sicut alicubi habet) & habeat proprium Rectorem: in tali casu is intra Ecclesiam perficiet officium cœptum à Confessario; cum Rector, non autem Confessarius ibi habeat regimen Ecclesiæ.

E contra, si Ecclesia Monialium non sit Parochialis, & ibi debeat sepeliri aliquis Parochianus; ordo funeris fieri debet, non à Parocho defuncti sed à Confessario Monialium, huicque debebitur quarta funeralis: cum ipse sit, & dici possit Parochus Ecclesiæ Monialium sibi commissarum, ideoque gaudeat omnibus iuribus Parochorum.

Aduertit idem Bordonus in litetis ad me rescriptis, quod, si fortè Monialis ex priuilegio eligat sepulturam extrà clausuram, funus inchoatum ducetur à Confessario Monialium: quippe qui per talem electionem non amittit ius aliàs ipsi competens super cadauer Monialis; atque id esse certissimum; cum Parochus, non obstante electione sepulturæ facta à suo Parochiano in aliena Ecclesia, funus leuando cadauer inceptum prosequatur ad Ecclesiam, in qua electa fuit sepultura.

QVÆRES XLVI. An Confessarius Monialium possit ingredi clausuram ad effectum ibi Missam celebrandi coram infirmis, aut conualescentibus.

Respond posse, & quidem etiam cum socio: si aliàs adsit concessio legitima celebrandi Missam intra monasterium. ita in terminis Bonac. *q.4.de clausura p.4. n.4* qui, cum dicat id licere, saltem iis diebus, quibus Missæ auditio, aut Communio est in præcepto; non obscurè innuit hoc idem licitum esse, etiam aliis diebus: vt si Monialis infirma aliquo die non festo ex speciali deuotione maximè cuperet audire Missam, vel communicare, aut occurreret festũ alicuius Sancti eiusdem religionis; quamquam, cùm omne nimium vitiosum sit, cauendũ sit, ne nimis frequenter id fiat, patet 134.

patet autem reſponſio ex eo quòd, data hypotheſi, neceſſarius eſt ingreſſus tam Confeſſarij, qui celebret; quam ſocij, qui inſeruiat celebranti; cùm non deceat fœminam accedere ad altare tempore ſacrificij Miſſæ; ſicque venit inter caſus exceptos.

Notat autem Paſqualig. *tom.1.deciſ.* 178. Moniales ſub Regularium regimine viuentes poſſe frui, ac vti priuilegio conceſſo à Pio IV. Canonicis Regularibus anno 1565. quod poſſint erigere altaria in cubiculis Regularium infirmorum, idque Miſſam celebrante; ſi Regulares, quibus ſubſint Moniales de dicto priuilegio communicent: Moniales enim ſunt veluti quid acceſſorium Regularibus, & pars eiuſdem ordinis adeóque participant de eius priuilegiis. Conſentit Quintanad. *tract.7.ſing.* 34. *num.*8. dicens non decere hoc priuilegium ita facile practicari, ſed ratò, cum approbatione, ac licentia eorum, quorum intereſt dare licentiam ingrediendi clauſuram Monialium.

QVÆRAS XLVII. An Confeſſarius Monialium ingredi poſſit clauſuram ad deferendam Moniali infirmæ inſignem Reliquiam alicuius Sancti, quam ipſa ſummopere cupiat venerari, & aliàs ſumma deuotione proſequatur.

235. Reſpond. Peyrin. *tom. 2. priuil. Conſtit. 6. Pij V. num.* 30. poſſe, idque frequenter fieri Genuæ, vbi maxima in veneratione habetur caputium S. Franciſci de Paula. Verùm, cùm in tali caſu non appareat ſufficiens neceſſitas ingrediendi clauſuram; non audeo approbare huiuſmodi doctrinam, ſecluſa legitima conſuetudine, quæ alicubi quoad hoc extet in contrarium (quo modo fortè extat Genuæ reſpectu præfati caputij S. Franciſci de Paula) vt proinde non immerito Tambur. *ſupr.q.2.num.*7. referens iſtam doctrinam Peyrini dicat ſe ignorare in re adeo ſingulari, quid dicat: vſus certè communiter videtur eſſe in contrarium, ideóque opinio Peyrini non ita facilè admittenda: cùm iura ad ingrediendam clauſuram Monialium requirant cauſam neceſſariam, vrgentem, rationabilem, ac manifeſtam, vt non ſemel ſuperiùs dictum eſt.

Non nego tamen, quod Confeſſarius poſſit dictam ſacram Reliquiam deferre Moniali infirmæ, ſi hæc illum conſultò aduocet ſub prætextu confeſſionis apud ipſum re vera faciendæ, quam tamen aliàs non faceret, vtpote non habens materiam neceſſariam abſolutionis. Ducor, quòd iuxta dicta *quæſt.*40. Confeſſarius Monialium poteſt ingredi ad audiendam confeſſionem Monialis infirmæ, quotieſcunque ab eo aduocatur; ea autem habet ius faciendi confeſſionem, etiam de materia non neceſſaria, & conſequenter aduocandi Confeſſarium ad talem effectum, cùm ſic iure ſuo vtatur, & vtens iure ſuo nemini faciat fraudem: ex alia parte *q.* 54 oſtendemus Confeſſarium in caſu neceſſario ingredientem poſſe ibi facere aliquid, ad quod præciſè faciendum alioqui non potuiſſet ingredi. Quę doctrina probat Monialem infirmam potuiſſe modo dicto Confeſſarium aduocare, etiam animo tractandi cum eo de aliquo negotio temporali; dummodò verè intendat confiteri: eſt enim eadem ratio in vtroque caſu, vt patet. ita docti viri conſulti, & nō improbabiliter.

QVÆRAS XLVIII. An Confeſſarius ingredi poſſit clauſuram Monialium ad impertiendam Moniali morienti benedictionem Epiſcopalem, aut Indulgentiam illi conceſſam à Papa, Legato de latere, aut ab Epiſcopo.

236. Reſpond. non poſſe, niſi in ſpecie id ei concedatur à Papa; patétque quia ad talem effectum non eſt neceſſarius ingreſſus; cum præfata indulgentia, ac benedictio poſſint concedi Moniali abſque huiuſmodi ingreſſu, per alias Moniales dictæ Moniali ſignificando talem conceſſionem: ſicque iſte caſus non videtur exceptus à communi prohibitione ingrediendi clauſuram.

QVÆRAS XLIX. An Confeſſarius Monialium ingredi poſſit clauſuram ad effectum exorcizandi Monialem energumenam.

Reſpond. non poſſe ex decreto ſacræ Congregat. 237. relato à Barboſa *in collect. v. Monial. clauſ. quoad egreſſum* §. 5. & à nobis adducto *ſupr. cap.5. ſect.2. q.*30.

QVÆRAS L. An Confeſſarius Monialium ingredi poſſit ad benedicendum monaſterium in Sabbato Sancto, aut aliqua alia occaſione: vt ſi monaſterium infeſtetur à ſpiritibus immundis.

Reſpond. non poſſe quidem ingredi ad benedi- 238. cendum in Sabbato Sancto cùm in tali caſu vere non ſit neceſſarius ingreſſus, adeóque ſacra Congregatio ſub 4. Sept. 1596. teſte Gauanto *in manu. v. clauſ. Monial. num.* 37. declarauerit Confeſſarium non habere iuſtam cauſam ingrediendi clauſuram ad aſpergendum monaſterium in Sabbato Sancto; videri tamen poſſe ingredi ad talem effectum in caſu, quo monaſterium grauiter infeſtetur à ſpiritibus immundis cum magna perturbatione ac inquietudine Monialium; ſic enim ingreſſus cenſetur neceſſarius, cùm benedictio Sacerdotis in ſimili euentu multum prodeſſe ſoleat, multúmque leuamen afferat fidelibus: vt propterea Prælatus Monialium iuſtam habeat cauſam concedendi ingreſſum in tali caſu, vtpote iudicio viri prudentis comprehenſo inter caſus exceptos. ita docti viri à me conſulti, & ita de facto fuit practicatum Ferrariæ ſub Eminentiſſimo D. Cardinali Magalotto Paſtore piiſſimo, ac zelantiſſimo fœlicis recordationis.

QVÆRAS LI. An Confeſſarius Monialium ingredi poſſit ad ſumendam hoſtiam conſecratam, ipſi in Eccleſiam interiorem è manibus lapſam in præbenda communione Monialibus.

Reſpond. videri non poſſe; cùm ingreſſus Con- 239. feſſarij in tali euentu non ſit neceſſarius; & alias iuxta ſæpiùs dicta non liceat ingredi clauſuram Monialium abſque cauſa neceſſaria, vrgenti, rationabili, & manifeſta, vt non ſemel iam diximus patet reſponſio ex dictis, ſi oſtendo ingreſſum Confeſſarij in tali euentu non eſſe neceſſarium, id autem inde ſuadetur, quòd Moniales ipſæ decenter poſſunt eleuare è terra particulam illam conſecratam media patena, eamque poſtea præbere Sacerdoti è feneſtella communionis, cum in tali caſu permitti poſſit Moniali, vt tāgat patenam, excuſante neceſſitate: præterquam quòd dictam particulam conſecratam poſſet lingua ipſa ſumere Monialis, cui præbebatur, quādo decidit: mundādo poſtea locum, ſuper quem ceciderat, illum aliquantulum abradendo, & puluerem, ſeu abraſionem in ſacrarium proiiciendo iuxta communem rubricam miſſalis; quę item obſeruanda eſſet in caſu, quo particula conſecrata attolleretur è terra, media patena, vti paulo ante diximus. Et certè, cum rubrica miſſalis ſimpliciter, & abſolutè dicat, *Si Hoſtia conſecrata, vel aliqua eius particula dilabatur in terram, reuerenter accipiatur, & locus, vbi cecidit, mundetur, & aliquantulum abradatur, & puluis, ſeu abraſio huiuſmodi in ſacrarium proiiciatur*, non exprimendo, num hæc præſtari debeant à Sacerdote, an à quocunque alio etiam laico: non apparet, cur id non poſſit fieri etiam à Moniali. ita Cardinal. de Lugo, Diana, Auerſa, & alij docti viri à me per literas conſulti contra Naldum, Baldellum, & alios item conſultos oppoſitum ſuſtinētes.

Nec

240. Nec obstat dictis, quod laici, vel non Diaconi non possunt, deficiente Ministro, sibi ministrare Eucharistiam, saltem extra articulum mortis; & quòd Monialis quoad hoc comprehendatur inter personas laicas: id enim non videtur procedere in præsenti casu, in quo adest rationabilis causa secùs faciendi, & ipsa Eucharistia non sumitur manibus (de qua sumptione loquuntur DD. quando negant laicos posse sibi ipsis ministrare Eucharistiã) sed lingua ipsa particulam consecratam lambendo: in quo vtique minor adest irreuerentia: præsertim vrgente necessitate.

Quòd si hîc obiter quæras, an casu, quo particula consecrata labatur super veste Monialis communicantis, aut super aliqua alia re, vel etiam super manibus ipsiusmet Monialis, obseruari debeat rubrica missalis, quæ ita habet, *Si ceciderit* (hostia scilicet consecrata) *extra corporale in mappam, seu alio quouis modo in aliquod linteum; mappa, vel linteum huiusmodi diligenter lauetur, & lotio ipsa in sacrarium effundatur.*

241. Respond. quòd, cùm in rubrica loquatur expressè de mappis, seu linteis, non videtur extendenda ad alios similes casus; & consequenter neque ad eos, qui hîc proponuntur; idque iuxta communem regulam, quòd, vbi agitur de obligatione imponenda stricta interpretatio facienda est; præterquàmquòd obseruantia istius rubricæ esset valdè onerosa in casibus hîc propositis, vt facilè considetanti constabit; verum tamen est, quòd in simili euentu diligenter inspiciendum est, num in loco, super quo cadit hostia consecrata, adsit aliquod illius fragmentum; &, si quod est, aliquo ex modis indicatis attollendum est reuerenter: quin etiam esse valdè decens, vt Moniales ipsæ abluerent rem illam, super qua cadit particula consecrata; idque ad maiorem reuerentiam Sacramenti, quæ omnia confirmari maximè possunt ex doctrina, quam tradit Suarez *D* 85. *de Euchar. sect.* 1. nimirum ea, quæ in missali proponuntur sub titulo, *de defectibus*, solùm esse instructiones quasdam doctrinales (non verò speciales constitutiones inducentes nouam obligationem) & quidem datas iuxta doctrinam probabilem; non tamen magis obligare, quàm res ipsas, aut doctrinam, in qua eæ fundantur. ita docti viri à me consulti, & præsertim P. Zanettus alibi citatus.

Addo, quod, si fragmentum hostiæ inter communicandum decidat super vestem communicantis, & fortè supra pauimentum: si quidem fragmentum sit paruum, non tenetur Sacerdos ministrans communionem, adhibere solitam diligentiam ad illud repetiendum; cum id sit admodum incertum, & non parum tumultuosum, cedatque in grauamen Sacerdotis non leue. Secùs, si fragmentum sit de magnis (veluti quarta, aut sexta pars particulæ consecratæ) sic enim cessat ratio allegata saltem magna ex parte: cum probabiliter credi possit eiusmodi fragmentum facilè posse reperiri, vt patet: sic docti viri consulti.

QVÆRES LII. An Confessarius Monialium ingredi possit clausuram in casu, quo Monialis non posset accedere ad ipsum, & alioqui ex grauissima tristitia, aut alia vrgentissima tentatione censeretur exposita periculo desperationis, cui opportune posset consulere ipse Confessarius, salutaria consilia, ac monita suggerendo.

242. Respond. videri posse; de licentia tamen proprij Prælati Monialium, qui sine dubio haberet iustam causam, illam concedendi; cùm in tali casu interueniat necessitatis spiritualis adeò grauis, ac vrgens: & in similibus casibus licitus reddatur ingressus in Monialium monasteria, vt iam diximus.

QVÆRES LIII. An Confessarius Monialium ingredi possit monasterium, si contingat infantem recens natum ex fœmina coniugata ibi cum legitima licentia habitante ita periclitari de vita, vt probabiliter timeri possit ipsum moriturum sine baptismo; nisi ipse baptizetur statim ab illo, aut certè ab aliqua Moniali, & ideo infans non possit absque graui periculo deferri ad locum, in quo extra clausuram possit baptizari.

Respond. videri non posse; cùm in præsenti casu 243.
non adsit vrgens necessitas, per quam licitus reddatur ingressus Confessarij; vt inde patet, quòd per aliquam Monialium scientem materiam, & formam baptismi succurri potest spirituali indigentiæ infantis; sicque non est opus, quòd Confessarius ad talem effectum ingrediatur, videlicet ad illum baptizandum; cùm id æque bene præstari possit ab aliqua Moniali, vt iam innui, & hîc suppono, nec obstat, quod in ministrando baptismo, etiam tempore necessitatis, seruari debet aliquis ordo, ita vt, præsente viro, maximè Sacerdote, fœmina non baptizet, vt tradunt Suarez *D.* 31. *de Sacr. sect.* 4. Sà *v. baptismus, num.* 7. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 8. aliique plurimi apud Bonac. *D.* 1. *de Sacr. q.* 2. *part.* 5. *num.* 11. si quidem in casu proposito non potest dici præsens Sacerdos hoc ipso, quòd Confessarius Monialium non potest ingredi, & aliàs absque periculo graui infantis ipse non potest ad illum deferri, vt ipsum baptizet. sic ego sentio, & vt puto, valdè probabiliter.

QVÆRES LIV. An dato quòd Confessarius Monialium ingrediatur monasterium in casu permisso, v. g. ad excipiendam confessionem Monialis infirmæ; ea occasione possit consequenter ibi præstare aliquod munus; ad quod præcisè exercendum non potuisset ingredi, v. g. benedicere aliquod ædificium recens constructum.

Resp. posse; si id breui tempore præstare possit; 244.
cuiusmodi esset spatium vnius quadrantis horæ. Colligo ex doctrina, quam tradunt Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 16. *n.* 69. Miranda *q.* 1. *de Monial art.* 20. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 46. *art.* 11 & alij, quos refert, & sequitur Diana *p.* 3. *tract.* 2 *resol.* 51. excusari scilicet à peccato, etiam veniali, illum, qui ex iusta causa ingrediens monasterium aliquod Monialium, ibi post peractum negotium, ad quod ingreditur, breui immoratur, inuisendo v. g. officinas monasterij causa curiositatis: idque dummodò non excedat quadrantem horæ: si enim causa curiositatis potest quis immorari in monasterio Monialium, absoluto ministerio, ad quod legitimè ingressus est, modò talis mora sit breuis (quæ videlicet quadrantem horæ non excedat) cur etiam non poterit ibi per tantundem temporis commorari Confessarius Monialium, impleto munere, ad quod legitimè ingreditur, non curiositatis causa, sed vt ibi pium aliquod opus exerceat, licèt alias minùs necessarium: quale est, quod in præsentia supponimus? sic respondi in contingentia facti, & responsionem postea approbarunt viri è Societate admodum docti à me consulti.

QVÆRES LV. An Confessarius Monialium in 245.
casu permisso ingrediens monasteriũ incurrat pœnas latas contra violantes clausuram Monialium ob malum finem, si in ipso ingressu simul habeat intentionem prauam; v. g. fornicandi cum aliqua Moniali.

Respond. videri probabile, quòd non incurrat; & patet, quia huiusmodi ingressus est quidem peccaminosus ratione prauæ intentionis adiunctæ; non tamen habet malitiam secundum esse extrinsecum requisitam ad incurrendas dictas pœnas; nimirum quòd ingressus fiat sine debita licentia: pœnæ

autem

autem Ecclesiasticæ feruntur solùm contra actus externos absque respectu ad actus internos; vt in simili notat Diana *par.5.tract.5. resol.45.* ex Sanchez. & Portello.

Quæres LVI. An ad hoc vt Confessarius Monialium ingredi possit clausuram in casu rationabili, non tamen comprehenso in generali facultate ingrediendi ipsi data, egeat speciali licentia, cáque in scriptis.

Respond. egere; pateque ex dictis *supr. cap.5. sect. 3. quæst 33.*

Subsectio II.

De Confessario Monialium extraordinario.

247 Confessarius extraordinarius bis, aut ter in anno deputandus pro Monialibus.

248 Et quidem etiam pro Monialibus infirmis.

249 Pro his tamen requiritur specialis licentia ad ingrediendum: immo Ordinarius Moniali moritura potest concedere extraordinarium, qui ei in omnibus expleat munus Confessarij ordinarij.

250 Concedendus bis, aut ter in anno; potest vero concedi etiam sæpius.

251 Potest item sæpius peti ab ipsis Monialibus.

252 Concedendus præscriptis vicibus; licèt ex alio titulo fuerit concessus alia vice.

253 Si iniustè denegetur, Moniales illum non eligunt; quod alij negant.

254 Ordinarius Monialibus exemptis concedit Confessarium extraordinarium à regulari Prælato iniustè negatum.

255 Ordinarius extraordinarium Confessarium nequit denegare in pœnam.

256 Is concedendus, etiam non interiectis debitis internallis inter vices præscriptas.

257 Deputandus à proprio Prælato Monialium.

258 Approbandus ab Ordinario loci.

259 De rigore eligi potest à Prælato Monialium pro arbitrio.

260 Deputandus quolibet quadrimestri, aut alio tempore ad arbitrium Prælati.

261 Magis expedit illum deputare; ipsi non limitando tempus.

262 Facultas data his verbis (valeat pro 8. diebus) qualiter intelligi debeat.

263 Finito tempore præscripto, non potest de rigore confessiones audire vlterius: secus ex æquitate in aliquo casu.

264 Idque probabile videtur quoad ingrediendam clausuram in casu, quo Confessarius esset deputatus ad audiendam Confessionem Monialis infirmæ.

265 Ingressus ad audiendam confessionem vnius infirmæ potest item audire aliam infirmam; si generaliter deputatus sit ad confessiones totius monasterij: item alio titulo aduocatus audit elapso termino à Moniali iam confessa crimen oblitum.

266 Deputatio hæc facienda in communi, non autem pro voluntate cuiusuis Monialis.

267 Qualis esse debeat Confessarius extraordinarius Monialium.

268 Decet ei concedi quàm maximā potestatem quoad absoluendum à reseruatis.

269 Ad quos fines fiat deputatio Confessarij extraordinarij.

270 Moniales non debent cogi acceptare Confessarium extraordinarium.

271 Non tenentur accedere ad illum: at si accedant, audienda omnes.

272 Concedendus pro Moniali, quæ ægrotabat, quo tempore deputatus est pro toto monasterio, & postea conualuit.

273 Confessarius extraordinarius sine licentia non celebrat in templo Monialium, pro quibus deputatur.

274 Non potest illis publicè concionari.

275 Potest tamen cum Monialibus disserere de rebus non pertinentibus ad confessionem: etsi deputetur pro vna sola Moniali.

276 Quin posset Regularis deputari in Confessarium extraordinarium certæ Monialis, ad effectum vt posset cum ea disserere de aliquo negotio, etiam temporali.

277 Regularis exponens Moniali casum conscientiæ sine licentia nō subest pœnis.

278 Tutius est in conscientia deputatus in Confessarium Monialium, si, nullius earum confessione audita, det ijs consilia bona, conciliet dissidia, &c.

279 Electus in extraordinarium ad 10. dies, si 8. diebus absoluat confessiones Monialium, reliquo tempore potest ad eas accedere, stando in rigore iuris: idque à fortiori procedit, si deputatio facta sit sine temporis limitatione.

280 Potest agere cum Monialibus ipsi non confitentibus, eo quòd nequeat audire omnes.

281 Si auditis Monialium confessionibus, iis concionetur, cautè se gerat in earum defectibus arguendis.

282 Interrogatus, an audierit confessionem Monialis, quam dimisit inabsolutam, debet affirmare se audiuisse: at non violat sigillum, si dicat Monialem confessam fuisse delictum, quod nō sit dedecorosum, Moniali in specie non nominata.

283 Indigens facultate reseruatorum cautè illam petat: Eucharistiam non potest negare Moniali, quam ex confessione scit indignam: non violat sigillum, si moneat Superiores, vt amoueant periculum peccati cogniti ex confessione, aut dicat illam Monialem esse scrupulosam: de peccato noto ex confessione Complicis interrogat alium Complicem, sed cautè: non violat sigillum qui reuelat virtutem pœnitentis, aut loquitur cum pœnitente de peccatis auditis statim finita confessione ex iusta causa, aut post absolutionem dat pœnitentiam, aut manifestat aliis, quam dederit pœnitentiam, si hæc sit leuis.

284 Plura debet obseruare Confessarius, vt suum munus benè expleat.

Quæres I. An, & quo iure Prælati Monialiū teneantur aliquoties in anno illis assignare Confessarium extraordinarium.

Respond. teneri assignare ex decreto Concil. Trid. 247
sess.25. de regul. cap.10 quod sic habet: *Præter ordinarium autem Confessarium alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat.* Vbi notandum, quòd, cùm Concilium vtatur verbo *offeratur*, & verbum, *offerre*, iuxta suam proprietatem importet spontaneam exhibitionem: vi huius decreti tenentur Prælati Monialium non solùm iis concedere Confessarium extraordinarium duabus, aut tribus vicibus in anno, si ipsæ illum efflagitent, sed etiam eum illis offerre motu proprio, etiamsi ipsum non efflagitent: idque in rigore loquendo: quamquam regulariter vsus sit, vt præfati Prælati non sponte assignent Monialibus Confessarium extraordinarium, sed solùm ab iis requisiti: fortè quia Moniales sunt diligentiores in petendo Confessario extraordinario suis temporibus, sicque præueniunt exhibitionem illius

illius, aliàs faciendam ab Ordinario; & quidem sub mortali, vt constat ex grauitare materiæ, circa quam versatur hæc obligatio; & ex doctrina, quam tradit Sanch. *l.6.mor. cap.4. num* 31. modum scilicet imperatiuum (cuiusmodi est verbum *offeratur*) importare in re graui (qualis est ea, de qua hîc agitur) grauem obligationem & consequenter sub mortali.

Dubium hic esse posset, an Confessarius extraordinarius concedi debeat non solum Monialibus benè valentibus, sed etiam infirmis, & quidem toties, quoties debet concedi benè valentibus.

248. Respond. debere concedi: cùm decretum Concilij loquatur generaliter, vt constat ex illis verbis, *qui omnium confessiones audire debeat*; & alioqui lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi, præsertim in materia adeo fauorabili animæ; præterquàm quòd finis intentus in concessione Confessarij extraordinarij potiori ratione militat in Monialibus infirmis; quippe quibus magis proximè imminet mors, ideoque magis necessaria sunt media opportuna; quibus ad piè, sanctèque moriendum se disponant. Quare, sicut *sect. praced. q.40.* diximus Confessarium ordinarium posse ingredi clausuram ad audiendas confessiones Monialium ęgrotantium, quotiescunque aliæ Moniales confitentur ex præcepto, aut regula, vel consuetudine; immò etiam quoties asserunt se indigere confessione: sic & Confessario extraordinario iustum est, vt detur facultas ingrediendi ad eundem effectum, quoties deputatur pro Monialibus benè valentibus: sicque ego puto, quòd, quamuis vsus sit in contrarium, saltem in hisce nostris regionibus; Prælati Monialium deberent esse faciles in concedendo Monialibus infirmis Confessario extraordinario. Vnde Cardinalis Petr. Aldobrand. Archiepisc. Rauennatensis in Constitutionibus editis pro Monialibus c.12. statuit extraordinarium posse concedi Monialibus in periculo mortis existentibus.

249. Respond. vt tamen extraordinarius intret ad hunc effectum, petitur licentia specialis; cùm facultas ingrediendi clausuram, etiam ad Sacramenta ministranda non veniat sub generali facultate audiendi confessiones Monialium huius, aut illius monasterij iuxta regulam 81. in *6. non veniunt in generali concessione ea, quæ quis non esset verisimiliter concessurus in specie*; quare hoc ipsò quòd Sacerdos deputatur in Confessarium extraordinarium alicuius monasterij Monialium, non ideò censetur ei concessum, vt possit etiam ingredi monasterium ad excipiendas confessiones Monialium infirmarum; sed eget ad talem effectum licentia speciali, & in scriptis; ea ratione, qua indiget quicumque alius in monasteria Monialium ingressurus est.

Quòd si hac occasione quæras, an Ordinarius Moniali moriturae authoritate propria concedere possit in Confessarium, Regularem aliquem, qui loco Confessarij ordinarij ei tunc conferat omnia Sacramenta, & assistat tempore agoniæ; idque ad præcisam Monialis spiritualem consolationem, seclusa peculiari necessitate.

Respond. videri, sicque à me de hoc in specie interrogati responderunt Pollaccus, Baldellus, Bordonus, Zanettus, Steph. à S. Greg. aliique viri docti, inter quos P. Baldellus vir doctissimus, & Vrbi, ac orbi ob egregia sua volumina edita, atque edenda notissimus his verbis ex Italico idiomate in Latinum fideliter conuersis sic rescripsit: *Nulla mihi occurrit ratio dubitandi, quod Ordinarius Moniali moritura concedere non possit Sacerdotem aliquem, siue sacularem, siue regularem, qui loco Confessarij ordinarij ipsi conferat extrema Sacramenta, & assistat tempore agonię: idque ad pracisam Monialis consolationem spiritualem. Certè Roma Cardina. Bellarm. S.mem. cum esset Protector monasterij S. Marthæ, & post illum alij Cardinales eiusdem monasterij Protectores quoad ad hoc Monialibus facillimè aliàs indulserunt, & in præsentia etiam indulgent, si requirantur. Quin etiam Card. Vicarius Vrbis, qui praest reliquis Monialium Conuentibus, me ipso prasente cum sciuisset à quodam suo Ministro ad Monialium administrationem deputato Moniali cuidam moritura id pertinacius denegatum fuisse, illum acriter reprehendit dicens in articulo mortis ea omnia debere concedi, qua ad anima salutem conferre possunt*; sic *Baldellus*, & indè probat responsionem, tum quòd Confessarius ordinarius Monialium est delegatus; & alioqui ordinarius suam iurisdictionem delegare potest tam vni, quam alij, tam pro vna Moniali tantùm, quàm pro multis simul; & tam pro vna vice, quàm pro multis vicibus, pro vt ipsi magis placuerit: tum quia Ordinarius Moniali benè valenti concedere potest Confessarium extraordinarium, quoties iudicauerit expedire; ergo & illum concedere poterit Moniali morienti; cum in tali casu sola lex clausuræ difficiliorem reddere possit concessionem; quæ tamen dispensari potest ratione necessitatis, ac vtilitatis se tenentis ex parte Monialis, vt patet: tum quia parum refert, quòd talis concessio trahi facilè possit in exemplum; nam tale exemplum in casu mortis non est timendum.

Qværas II. Quot vicibus in anno debeant Prælati Monialium ipsis concedere Confessarium extraordinarium.

Respond. vigore citati decreti Tridentini debere illum concedere duabus, aut tribus vicibus in anno; 250.
vt constat ex illis verbis, *bis, aut ter in anno offeratur*; per hoc tamen non tolli, quin, si velint concedere etiam sæpius, id facere possint, & ratio est, quòd, cùm decretum Concilij Trident. adhibeat verbum, *offeratur*; & verbum, *offeratur*, sit diuersum à verbo, *concedi potest*, inclusio vnius non est exclusio alterius; sicque Prælati Monialium non tenentur quidem offerre ipsis Confessarium extraordinarium in anno pluries, quàm bis, aut ter: possunt tamen, si volunt, illum concedere, etiam crebrius: cùm talis potestas ipsis ex munere suo competat, & per Concilium non sit diminuta. ita in terminis Bordon. *resol 5. num.* 11. ex Galerto referente sic fuisse decisum, & aliis; benéque cùm possit accidere, quòd Moniales interdum egeant Confessario extraordinario frequentius, quàm duabus, aut tribus vicibus in anno: ergo, cùm Confessarij deputatio pendeat à Prælato Monialium, necesse est, vt habeat potestatem illum deputandi: alioqui eius potestas esset valdè diminuta, & manca in necessariis. Nec obstat, quòd in præfato decreto Concilij videtur quoad hoc restringi facultas Episcoporum; cùm in eo adhibeantur termini numerales habentes rationem dictionis taxatiuæ, quæ impedit, ac excludit extensionem, & continet negationem omnium aliorum casuum non expressorum, *l. Iulian. §. item tantùm, ff. de neg. gest.* nam limitatio illa restricta ad tertiam vicem refertur ad obligationem, quam habent Episcopi quoad offerendum Monialib. Confessarium extraordinarium ter in anno, non autem ad potestatem vlterius illum offerendi; adeoque Prælati Monialium pluries, quàm ter in anno possunt, etiam modò, iis offerre extraordinarium.

Quòd si aliqui Episcopi in hoc nimis scrupulosè procedunt nixi dicto decreto Concilij: contrà illos

facit, quod habetur *in cap. consuluisti 2. quæst. 4. Quod Patrum testimoniis decretum non est, superstitiosa inuentione non est præsumendum*: præsertim cùm censeatur concessum, quod non est expressè prohibitum, *cap. sunt nonnulli 16. quæst. 1. cap. iam nunc 28. quæst. 1.* quod maximè procedit in permissiuis, testè Naldo *v. confessio num* 37. adeòque locum habet in casu nostro. Præterquamquod decretum Concil. est summe fauorabile animæ (vt colligitur ex fine, ad quem factum est) sicque magnam admittit ampliationem. Vnde fit, vt plures Episcopi pietate, prudentia, doctrina, ac muneris Episcopalis peritia conspicui in concedendo Monialibus Confessario extraordinario se admodùm faciles, ac liberales exhibeant; dummodò ipsis in extraordinarios proponantur viri graues, pij; docti, ac prudentes: cum, teste experientia, videant id plurimum conferre tum ad promouendum profectum spiritualem Monialium; tum ad euitandas plurimas confessiones sacrilegas, quæ aliàs identidem fierent à Monialibus peccatorum suorum maculas detegere formidantibus Confessario ordinario. Illustrissimi ergo Episcopi, me authore, non sint difficiles in concedendo Monialibus subditis extraordinario: qui enim nimis emungit, elicit sanguinem; videant, ne nimio hoc rigore animas illarum in damnationis æternæ barathrum præcipites detrudant, sicque reos in hoc se constituant iuxta illud Ezech. 3. *Sanguinem eius de manu tua requiram*: nouerint maiora esse mala, quæ proueniunt ex nimia difficultate concedendi extraordinarium Monialibus, quam quæ gigni possunt ex nimia facilitate, quæ in hoc ostendatur: sicque procedere commune axioma, *ex duobus malis minus eligendum* (quamuis, si electi in extraordinarios sint, quales supponuntur vix, vllum possit occurrere malum) meminerint Prælatos qui se minùs difficiles exhibent in concedendo Monialibus Confessario extraordinario, nequaquam recedere à pia mente Concilij Tridentini, sed operari iuxta mentem ipsius, vt iam ostendimus: compatiantur infirmitati sexus fœminei valdè verecundi, ac meticulosi; sicque ipsi pro viribus subtrahant æternæ salutis offendicula; ad quod multùm conferet facilis concessio Confessarij extraordinarij.

251. Quin etiam docet Bordon *ref. 5. n. 11.* quòd, sicut Prælati Monialium possint vltra 3. vices ipsis offerre Confessarium extraordinarium; vt nos ipsi iam ostendimus: sic & illæ vltra 3. vices possint illum petere; cùm sit eadem ratio de illis, ac de Prælatis; adeòque procedat regula iuris *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris dispositio.*

Maior difficultas est, an casu, quo Moniales ex occasione alicuius Iubilæi, aut ex indulto bullæ Cruciatæ habeant Confessarium extraordinarium: nihilominùs Prælatus teneatur illo ipso anno eum illis concedere, etiam istis tribus vicibus præscriptis in Concilio Tridentino.

252. Respond teneri; & probatur ex eo quòd decretum illud Concilij continet priuilegium factum Monialibus: verba autem priuilegij ita debent accipi, vt aliquid vltra ius commune operentur; sicut notauit Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 4. num* 3. Suarez *D. 80. de Sacram. sect. 4.* vnde fit, vt eligeos Confessarium vigore Iubilæi, aut bullæ Cruciatæ, si aliunde etiam habeat facultatem illum eligendi, possit eum eligere etiam tot vicibus, quot de facto conceduntur in dicta facultate: si quidem vnum priuilegium per se non tollit aliud; & aliàs indultum cedens in fauorem animæ latè explicandum est; cùm summum ius sit, quod facit pro Religione, *l. sunt persona, ff. de Religios. & sumpt. funerum.*

Qværes III. An casu, quo Prælatus Monialium ipsis irrationabiliter, ac iniustè deneget Confessarium extraordinarium vicibus præscriptis in citato decreto Concilij; eæ nihilominus possint illum elligere licitè, & validè.

Resp. non posse, neque validè, neque licitè, & ratio est, quòd post Constitutionem Gregorij XV. quæ incipit, *Inscrutabili*, non potest vllus Sacerdos, siue sæcularis, siue Regularis audire confessiones quarumcunque Monialium, etiam exemptarum, nisi sit approbatus ab Ordinario in specie pro ipsis: quòd si Episcopus deneget Monialibus Confessarium extraordinarium, vtique non illum approbat; quod tamen est necessarium ad hoc vt valida, & licita sit electio Confessarij extraordinarij. Quæ etiam possunt inde confirmari, quòd communiter DD. teste Ioann. de Lugo *D. 21. de pœnitent. num.* 52. contra Nauarrum *cap. 27. num. 164. & 265.* aliosque relatos à Diana *part. 3. tract. 2. resol. 24.* sustinent Regulares sine causa sufficiente non approbatos ad confessiones audiendas, aut reiectos ab examine non posse, neque validè, neque licite audire confessiones sæcularium; esto Ordinarius illos iniustè reiiciens peccet, & faciat ipsis iniuriam, vtpotè vi suorum priuilegiorum ius habentibus ad audiendas confessiones; sic ergo in præsenti peccat quidem Ordinarius denegando Monialibus Confessarium extraordinarium ipsis concessum à Concilio Trid at, hoc posito, non possunt Moniales illum validè eligere, & consequenter nec licitè; cùm approbatio Ordinarij sit de valore talis electionis, quæ proinde absque illa non subsistit. Vnde, si talis casus eueniret, possunt Moniales, quarum interest, recurrere ad sacram Congregationem Regularium, ac Episcoporum, vt, qua potestate fungitur; illas manuteneat in possessione indulti quoad hoc ipsis concessi à Concilio Tridentino. 253.

Imò addit Quintanad *tract. 3. sing. 26. num. 9.* ex Barbosa in Conc. Trid. *sess. 25. de regul. c. 10.* sacram Congregat. declarasse, quod si pro dictis 3. vicibus Moniales Ordinario subiectæ velint Regulares in Confessarios extraordinarios, vel Regularibus subditæ velint sæculares Confessarios, (dommodo sint ex approbatis) tenentur Episcopi, & alij Prælati Regulares eos concedere, & si non concedant, posse eas ipsos cogere, & cum illis confiteri.

Quòd si quæras an, loquendo de Monialibus exemptis, Episcopus loci deputare illis possit Confessarium extraordinarium, ipsis iniustè denegatum à Prælato proprio Regulari.

Respond. posse; & probatur tum quia ex decreto sacræ Congr. relato à Naldo *v. Episcopus, num.* 13. Episcopus dat Cõfessarium extraordinarium Monialibus etiam exemptis: tum quia ex bulla Greg XV. *Inscrutabili* potest Episcopus amouere Confessarium Monialium, etiam exemptarum, si Prælatus regularis ab ipso, monitus renuat id facere: ergo & poterit eum deputare, eodem Prælato iniustè inuito; cum contrariorum eadem sit disciplina. 254.

Qværes IV. An possit Episcopus saltem in pœnam excessus grauioris commissi à Monialibus alicuius monasterij illis denegare Confessarium, etiam pro illis vicibus, quibus tenetur eum concedere vigore Concilij Trid.

Respond. videri non posse; & probatur tum quia non potest inferiori tollere, aut diminuere priuilegium concessum à Superiore absque eius consensu, saltem interpretatiuo, qui certè in præsentia non videtur adesse respectu Concilij; præsertim cùm non desint alia genera pœnarũ, quibus puniantur excessus Monialium absque spirituali illarum dispendio: tum 255.

quia

Monialium abſque ſpirituali illarum diſpendio:tum quia denegatio Confeſſarij extraordinarij nocet omnibus & ſingulis Monialibus ; cùm alias probabile ſit non omnes ſemper fore reas exceſſus,qui ſic punitur ; vbi autem non adeſt culpa , nec debet infligi pœna,ſaltem communiter.

Qværes V. An Epiſcopus , aliúſve Prælatus iuſtè denegare poſſint Monialibus ſibi reſpectiuè ſubditis Confeſſarium extraordinarium, ſi eæ illum perant abſque certi temporis interuallis pro illis vicibus, quibus,ipſis conceditur à Concil. Trid. v. g. primis tribus menſibus anni.

256. Reſpond. quòd, quamuis communiter deputatio Confeſſarij extraordinarij non ſoleat fieri , niſi per certa temporis interualla (& regulariter vnoquoque quadirimeſtri anni) & hoc ipſum cenſeri poſſit fuiſſe intentum à Concil. Trident.in allegato decreto:vt ſic deputatio tantò magis redundet in bonum ſpirituale Monialium , nihilominùs , abſolutè loquendo , ſi Moniales monaſterij alicuiùs vnanimes conuenirent in eo quod primis tribus menſibus anni ipſi deputaretur Confeſſarius extraordinarius præfatis 3. vicibus à Concilio conceſſis : deberet Prælatus , cui eæ ſubſunt , illum ipſis deputare. Moueor,quòd,vbi ius nõ diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus , *l. præſes ff. de offic. præſid.* cùm ergo in citato decreto Concilij deputatio Confeſſarij extraordinarij non limitetur ad certa interualla temporis ; ſed abſolutè præſcribatur his verbis , *alius extraordinarius ab Epiſcopo , & aliis Superioribus bis aut ter anno offeratur*,non debemus nos illam reſtringere ad certa temporis interualla : præſertim , cùm iuxta dicta ex præfato decreto Concilij Moniales habeant ius petendi Confeſſarium extraodinarium, idque non reſtrictum ad certa temporis interualla.

Qværes VI. Per quem debeat deputari Confeſſarius extraordinarius Monialium , ſiue illum efflagitent;ſiue non.

257. Reſpond. debere deputari à proprio Prælato, cui reſpectiuè ſubiiciuntur ; cum hac tamen differentia, quòd ſi Moniales ſint exemptæ ab Ordinario , Confeſſarius extraordinarius præſentari debet à Prælato regulari , approbari ab Ordinario iuxta inferiùs dicenda ; ſi verò ſint ſubiectæ Ordinario , ab iſto debet Confeſſarius extraordinarius offerri , & approbari. patet tum ex decreto Conc. Trid. adducto *q.* 1. tum ex Conſtitut. Gregorij X V. citata *q.* 3. quæ ſic habet : *Confeſſores verò , ſiue regulares , ſiue ſæculares , quomodocumque exempti , tam ordinarij , quam extraordinarij ad confeſſiones Monialium : etiam Regularibus ſubiectarum audiendas ,nullatenus deputari valeant,niſi prius ab Epiſcopo diœceſano idonei iudicentur,& approbationem , quæ gratis concedatur , obtineant.*

Qværes VII. Ad quem ſpectet approbare Confeſſarios Monialium extraordinarios , ſtando in iure nouo.

258. Reſpond. ſpectare ad Ordinarium loci ; idque ex relata Conſtitutione Gregorij X V. cùm iure antiquo id ſpectaret ad Prælatos proprios Monialium : nempe adPrælatum regularem,ſi eæ erant exemptæ; ad Ordinarium verò , ſi immediatè ſubiacebant illius iuriſdictioni ; ſicut notauit Tambur. *D.16.de iure Abbatiſſ.q.2.num.3.*ex Armendato,& aliis. Vbi notandum ex declaratione ſacræ Congregationis , quæ refertur *in Bullar. tom.4.conſt. Greg.X V. in ordine* 18. Confeſſarios extraordinarios ſemel ab Epiſcopo deputatos , & approbatos ad audiendas Monialium confeſſiones pro vna vice infra annum ad præſcriptum ſacri Concilij Trid. non poſſe pluries in vim talis approbationis illarum confeſſiones audire ; ſed ab Epiſcopo toties eſſe approbandos , quoties caſus deputationis contigerit.

Qværes VIII. An Prælati Monialium teneantur deputare in Confeſſarium extraordinarium illarum Sacerdotem ab ipſis Monialibus electum, vel certè poſſint deputare illum, quem ipſi maluerint.

259. Reſpond. quòd, licèt regulariter Prælati Monialium ſoleant illis concedere in Confeſſarium extraordinarium , illum , quem eæ vnanimiter proponunt ac petunt : abſolutè tamen dicendum videtur eos poſſe ex proprio arbitrio deputare illum quem ipſi maluerint. Moueor tum quia Concilium Trid. in allegato decreto ſolùm præcipit Prælatis Monialium ; vt Confeſſarium extraordinarium illis offerant bis , aut ter in anno ; non autem vt concedant illum,quem ipſæ Moniales depoſcunt:ideóque cùm à diuerſis non fiat illatio(maximè vbi agitur de obligatione , quæ eſt ſtricti iuris) præceptum Concilij non debet ampliari ab vno caſu expreſſo ad alium non expreſſum : tum quia non expedit , vt deſignatio Confeſſarij extraordinarij fiat à Monialibus ; quippe quæ interdum poſſent eligere virum minùs idoneum , ſin minùs quoad ſufficientiam doctrinæ, quoad mores ; ſicque poteſtas data in ædificationem cederet in deſtructionem : tum quia communior, & probabilior ſententia Doctorum habet Moniales neque tempore Iubilæi poſſe vigore illius confiteri cuiuis Sacerdoti approbato ab Ordinario; ſed ſolùm ei , qui de facto fuerit deputatus ab ipſo Ordinario; & conſequenter negat Ordinarium tempore Iubilæi teneri deputare Monialibus in Confeſſarium,illum, quem in ſpecie illæ efflagitent ; at in præſenti caſu par ratio militat,vt conſideranti patebit.

Qværes IX. Quibus temporibus, & ad quantum tempus teneantur Prælati Monialium ipſis deputare Confeſſarium extraordinarium.

260. Reſpond.quòd,cùm Concilium Trident.non determinet expreſsè , quibus temporibus fieri debeat talis deputatio , vt conſtat ex tenore illius : id relinquitur arbitrio ipſorummet Prælatorum;qui proinde debent facere talem deputationem , prout ſuadent circumſtantiæ hîc, & nunc concurrentes : praxis tamen ferè communis eſt , vt dicta deputatio fiat vnoquoque quadrimeſtri , & quidem in præcipuis ſolemnitatibus ſiue Ordinis, ſiue totius Eccleſiæ , quare in hoc ſeruanda eſt conſuetudo cuiuſque diœceſis , aut Ordinis , cùm conſuetudo habeat vim legis.

261. Quod verò ſpectat ad tempus concedendum Confeſſariis extraordinariis pro audiendis Monialium confeſſionibus ; varia eſt diœceſum conſuetudo;alicubi enim determinatur tempus certum,v.g. ſpatium 10.aut 15.dierum(vt Ferrariæ)alibi nulla fit tẽporis determinatio;quod mihi magis probatur, & omninò conſulendum Prælatis Monialium ; cùm ſic Confeſſarius minori ſolicitudine ſuũ munus obeat & maiori cum vtilitate ſpirituali ipſarum Monialium;ad quam ſolam ordinatur deputatio Confeſſariorum extraordinariorum , & quam Prælati earum tenentur procurare omni ſtudio , ac diligentia.

Difficultas eſt , qualiter intelligi debeat facultas data Confeſſario extraordinario ad audiendas confeſſiones Monialium alicuius monaſterij ſub his, aut ſimilibus verbis (*quæ facultas valeat pro* 10.*diebus*) an ſcilicet vi talis facultatis poſſit accedere ad audiendas confeſſiones 8. diebus , etiam interpolatis ; vel certè quòd poſſit à die conceſſæ facultatis per 10 dies cõtinuos accedere ad audiendas Monialium confeſſiones , ita vt , elapſis dictis 10. diebus, non poſſit amplius accedere.

262. Respond. tenorem huiusmodi facultatis intelligi in hoc posteriori sensu, nisi aliter constet de mente concedentis: idque ne aliàs nimis facilis reddatur accessus ad Moniales, & aperiatur ostium variis inconuenientibus, quæ inde possent consequi, etsi fortè non omninò improbabiliter posset quis dicere ex rationabili epycheia dictam facultatem posse piè intelligi de 8. diebus vtilibus.

Addo facultatem audiendi confessiones Monialium datam pro 8. diebus extendi ad 10 dies: idque iuxta regulam iuris communiter receptam: *Dies termini non computantur in termino*; quæ sine dubio maximè admittenda est in præsenti materia, vtpotè in primis fauorabili animæ. Sic respondit Reuerendissimus Ciatlinus Vicarius Regiensis Ecclesiæ vir doctissimus P. Dominico Zanetto Societat. Iesu, responsionem approbanti.

Illud paulò maiorem habet difficultatem, an Confessarius absque noua licentia possit accedere ad Moniales, etiam post elapsos illos 10. dies; si vltima die reperiat Monialem indigere absolutione alicuius reseruati, ad quod non extenditur eius facultas; aut teneri instituere confessionem aliquam longiorem, quæ non possit expediti tempore adeò breui.

263. Respond. quòd, quamuis de rigore non possit, obstante *l. boenes, §. hoc sermone, ff. de verb. significat.* ex qua sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice: nihilominus, attento fine, ob quem conceditur Confessarius extraordinarius; improbabile non est Confessarium in proposito casu, etiam post absolutos 10. dies, posse accedere ad Monialem indigentem absolutione illius reseruati, aut confessione generali, vt illam absoluat, eiusque confessionem generalem, siue inchoatam, siue inchoandam audiat. ita docti, ac ingeniosi Recentiores à me consului; sicque in facti contingentia interrogatus consulti, ea ductus ratione, quod in tali euentu adest iusta causa faciendi epycheiam; & procedit regula communis: *Qui vult finem, vult media necessaria ad finem*; quamquam hac in re opus sit magna cautela, ne offendantur Ordinarij, &c.

264. Immò (vt id quoque obiter dicam) probabile puto, quòd si Confessarius ingressus monasterium ad audiendam confessionem Monialis infirmæ inueniret eam esse irretitam aliquo reseruato, aut velle facere confessionem generalem, quæ non posset expediri vna die: absque alia licentia posset iterum ingredi ab absoluendum à reseruato, obtenta facultate à Superiore, & ad expediendam confessionem generalem; idque ob rationem, *§. præcedenti* adductam. Quod item puto dicendum, si in casu proposito Monialis iam confessa, & asoluta statim reuocaret Confessarium iam egressum è clausura ad manifestandum ei peccatum oblitum: cum enim id fiat incontinenti, antequam Confessarius diuertat ad actus extraneos (vt suppono) moraliter vnicus reputatur ingressus, etsi physicè multiplex: ea proportionaliter ratione, qua vnicus censeretur ingressus, si in præsenti euentu Confessarius, vbi cœpit audire confessionem Monialis, ea grauissima causa reuocaretur extra monasterium, priusquàm perficeretur confessio; tunc quippe peracto negotio, ad quod fuisset euocatus, sine noua licentia posset iterum ingredi ad perficiendam illam confessionem; sicut & posset, si ingressus ad audiendam confessionem Monialis infirmæ illam ex improuiso reperiret morbi vehementia ita correptam, vt tunc non posset vllo modo confiteri; quæ sunt bene notanda, quia facilè occurrere possunt, & (quod ego sciam) non sunt ab aliis decisa, faciuntque etiam pro Confes. ordinar.

Sic puto Monialem, si confitens Regulari tanquam Confessario extraordinario obliuiscatur alicuius peccati, quod erubescit confiteri ordinario Confessario; sub alio prætextu posse Regularem aduocare, eique cum legitima facultate accedenti peccatum illud confiteri, & absolui; idque licèt approbatio Confessarij extraordinarij toties, quoties debeat renouari. Ducor, quod coram eo Iudice debet casa definiri, coram quo cœpta est eius cognitio: ibique finiendum iudicium, vbi est cœptum, & ipsa inchoatio iudicij prorogat iurisdictionem: quæ omnia procedunt in casu præsenti.

265. Addo, quòd si Confessarius ingressus ad audiendam confessionem vnius Monialis infirmæ inueniat aliquam aliam item infirmam, quæ petat confiteri: vtique potest illam audire, quantumuis confessio ad longum tempus esset duratura; & hoc, estò facultas ingrediendi concessa fuisset expresè ad audiendam confessionem determinatæ Monialis; hoc enim non obstante, locum habet epycheia; & Confessarius, cùm sit deputatus in extraordinarium totius monasterij, est approbatus pro omnibus Monialibus, & consequenter pro illa alia infirma.

QVÆRES X. A Confessarius extraordinarius Monialium deputari debeat in communi, vel etiam in particulari.

266. Respond. debere deputari solùm in communi, Regulariter loquendo: idque ex decreto sacræ Congregat. sub 15. Febr. 1593. relato à Tamburino *D. 16. de iure Abbatiss. q. 1. num.* 7. quamquam in casu, quo deputandus sit Confessarius extraordinarius; consultum est, vt Abbatissa congreget Moniales subditas, interrogetque quem velint in Confessarium extraordinarium, vt sic constet, in quem plures Moniales conueniant, sicque deputatio illis sit gratior, & consequenter vtilior. Dixi, *regul. loquendo*; vt innuerem posse contingere, quòd, concesso Confessario extraordinario Monialibus alicuius monasterij modo dicto in communi, expediret ad bonum spirituale particularis Monialis, vt alius ei Confessarius tunc designaretur, cui maiori confidentia, ac sinceritate propriam conscientiam detegeret, & à quo opportuniora reciperet remedia pro spirituali sua infirmitate; quod tamen non nisi raro videtur permittendum, ne abeat in exemplum.

QVÆRES XI. Qualis debeat esse Confessarius extraordinarius Monialium.

267. Resp. debere esse, qualem nos ipsi descripsimus Confessarium ordinarium *sect. praced. q.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. Hîc solùm addo, quod etiam aduerti *citat. sect. praced. q.* 12. decretum sacræ Congr. relatum Tamb. *sup. q.* 3. *n.* 4. quo prohibeatur Ordinariis, ne vtantur opera Regularium, etiam pro Confessariis extraordinariis, communiter non obseruari ex defectu materiæ; eo quòd scilicet desint Sacerdotes sæculares, qui æquè bene hoc munus præstent; vnde & ipsa sacra Congregatio cautè addidit, *nisi in casu necessitatis*.

QVÆRAS XII. Cùm quanta potestate deceat Confessarium extraordinarium Monialium accedere ad earum confessiones audiendas.

268. Respond. quòd, cùm iuxta dicenda *quæst. sequenti* Confessarius extraordinarius deputetur Monialibus ad extricandas ipsarum conscientias; omninò decet, vt ad illas accedat cum ea maiori potestate, quam habere potest, sicque consultum esset, vt Ordinarij Monialium, siue sæculares, siue Regulares Sacerdotibus deputatis in Confessarium extraordinarium concederent non solùm casus, & censuras sibi reseruatas; sed etiam quamcunque aliam facultatem,

quam

quam ipsi possunt delegare, & putant posse Monialibus deseruire pro foro pœnitentiali. Quamquam aliàs Confessarius non debeat vti dicta potestate, nisi cum grano salis, idest cum magna prudentia, ac circumspectione; interdum etiam dissimulans sibi concessam fuisse facultatem absoluendi ab hoc, vel illo reseruato: ne nimia facilitas absoluendi nimiam inducat facilitatem delinquendi, sicque reseruatio frustretur suo fine. Ratio responsionis est, quòd Prælatus deputans Monialibus Confessarium extraordinarium vtique intendit illum plenè absoluere Moniales confitentes à quibuscunque, etiam reseruatis; aliàs non esset, cur fieret talis deputatio; quo modo autem absoluet plenè, si non habeat facultatem, etiam reseruatorum? Quòd si dicas illum posse conuenire Prælatum, vt dictam facultatem obtineat: iam onus reseruationis afficiet, non pœnitentem (sicut intendit reseruans) sed Confessarium; qui sic duplicem cogetur sustinere laborem, & audiendi confessiones Monialium, & accedendi toties, quoties ad Prælatum causa petendi facultatem reseruatorum: quod certè est minùs conforme æquitati; præsertim si Confessarius deputatus sit Regularis, adeóque non habeat libertatem discurrendi huc, atque illuc, nec copiam vagandi. præterquam quòd in casu, quo Confessarius audiat confessiones in monasterio parùm numeroso, posset interdum periclitari sigillum confessionis; quatenus Prælatus Mõialium audiens facultatem alcuius reseruati hic, & nunc à se peti; & aliàs agnoscens conditionem cuiusque Moniales dicti monasterij, potest saltem dubitare facultatem dicti reseruati efflagitari pro hac, vel illa Moniali: quod omninò cauendum est, vt patet.

QVÆRES XIII. Ad quem finem fiat deputatio Confessarij extraordinarij pro Monialibus.

269. Respond. fieri ob varios fines, nimirum 1. vt consulatur libertati Monialium confitentium: quippe quæ interdum ex naturali erubescentia non auderent manifestare Confessario ordinario peccatum aliquod ab ipsis perpetratum, sicque exponuntur periculo multiplicandi confessiones inualidas; cùm alioqui extraordinario Confessario peccatum illud confidentiùs detegant, & repetendo confessiones inualidè factas propriæ obligationi satisfaciant; 2. vt in tanta varietate Confessariorum extraordinariorum tandem inueniant virum secùdùm cor suum, cui ipsæ sincerè, ac confidenter manifestent omnia sua interiora, sicque tantò meliùs dirigi possint in via Religiosæ professionis: 3. vt, vacante Confessario extraordinario confessionibus Monialium audiendis maiori otio, vtpote temporis angustiis minùs adstricto eæ possint commodiùs proponere sua dubia, petere necessariam instructionẽ, recipere salutaria documenta, & efficaciori exhortatione magis excitari ad proprium spiritualem profectum: sicque Prælati Monialium deberent quàm maximè curare, vt qui deputantur in Confessarios ipsarum extraordinarios, essent non minùs scientia, ac prudentia, quàm dexteritate, ac pietate conspicui, & ita munus ipsis commissum sustinere possent pro dignitate, & cum magna Monialium vtilitate.

QVÆRES XIV. An Prælati Monialium possint illas adstringere, vt Confessarium extraordinarium admittant.

270. Respond. non posse, si omnes Moniales vnanimites illum reiiciant, dicentes; se nolle tunc Confessarium extraordinarium, ducor, quòd exhibitio Confessarij est fauor factus Monialibus: quilibet autem potest renunciare fauori sibi concesso. quo modo Concil. Trid. sup. loquens de præfata exhibitione cautè adhibuit verbum, *offeratur*; sicut aduertit Tambur. *supr. q. 1. num.* 8. monens non facere prudenter Superiorem, qui præcipit Monialibus, vt omnes confiteantur Confessariu extraordinario. Dixi, *si omnes Moniales vnanimiter illum renciant*; si enim constat Prælato aliquas illarum cupere Confessarium extraordinarium, pro illis solis debet ipsũ deputare: cùm renunciatio aliarum Monialium non debeat cedere in præiudicium istarum: si quidem non licet cedere proprio priuilegio cum præiudicio tertij. 271.

QVÆRES XV. An Moniales omnes teneantur confiteri Sacerdoti ipsis legitimè deputato in Confessarium extraordinarium.

Respond. de rigore non teneri ob rationem *præcedenti q.* adductam: expedire tamen, vt omnes ad illum accedant: sin minùs vt confiteantur; saltem vt ei proponant dubia, quæ habent circa propriũ statũ Religiosum, recipiant salutare aliquod monitum, exerceant actum illum submissionis, & ab eo obtineant benedictionem. Vt proinde in quadam Synodo Florentina, teste Tambur. *supr.* statutum sit Moniales omnes, exceptis infirmis; sub pœna amissionis vocis actiuæ, & passiuæ per triennium ipso facto incurrenda, teneri comparere coram Confessario extraordinario; ideóque quamdiu is vacat confessionibus Monialium excipiendis, Confessarium ordinarium quàm rarissime debere ad eas accedere, siue ad illas alloquendas, siue ad illarum confessiones audiendas. Quin etiam in eadem Synodo Confessarij ordinarij, qui auso temerario impedire directè præsumpserint Cõfessarij extraordinarij petitionem, electionem, concessionem, vel accessum ad monasteria causa audiendi confessiones, sunt ipso facto excommunicati: &, si quocunque tempore, vel modo significauerint Monialibus sibi displicere Confessarij extraordinarij aduentum; vel non libere, & integrè, sed perfunctoriè tantùm, & per transennam eidem esse cõfitendum in aures Monialium, aut aliorum insusurrare tentauerint: debent in perpetuum suspendi ab audiendis confessionibus Monialium in iis monasteriis, in quibus taliter deliquerint. hæc Synodus Florentina; quæ, licèt non obligent extra diœcesim Florentinam, consultum tamen esset, vt etiam in aliis diœcesibus à propriis Ordinariis inducerentur, vtpote spirituali Monialium vtilitati in primis proficua.

An autem Confessarius ipse extraordinarius teneatur audire confessionem omniũ, & singularũ Monialium ad quas deputatur: idque ex præcepto Concil. Trident. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 10. ibi lato his verbis, *Qui omnium confessiones audire debeat*

Respond. tenere; cum verbum *debeat* ex natura sua importet vim præcepti, vt notauit Baldell. *lib.* 5. *D.* 21. *num.* 5. ex Clari regia *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 26. & Concilium Trid. tale præceptum imponere potuesit cuicumque Sacerdoti, siue sæculari, siue regulari; quod tamen loquitur de Monialibus valentibus confiteri: si enim hæ confiteri nolint, vtique nec ille tenebitur eas audire, nec propterea fit vlla iniuria Sacerdoti deputato in extraordinarium: quippe qui hoc ipsu quòd subit munus Confessarij, subit etiam quamcumque obligationem dicto muneri annexam; & aliàs procedit regula iuris: *Volenti, & consentienti non fit iniuria.*

QVÆRES XVI. An casu, quo aliquæ Moniales ex præsenti infirmitate nõ possint accedere ad Cõfessarium extraordinariũ, vbi conualuerint, possint iure suo petere pro se ipsis Confessarium extraordinarium & Prælatus teneatur illum ipsi concedere.

272. Respond. & Moniales posse petere, & Prælatum teneri concedere Confessarium extraordinarium in tali casu. moueor, quòd Concilium Trid. in decreto relato *q.1.* statuit Confessarium extrordinarium ab Episcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno Monialibus offerendum esse, qui omnium confessiones audiat; sicque intendit omnes omninò Moniales gaudere tali beneficio; non gauderent autem omnes, si in proposito casu non deberet concedi Confessarios extraordinarius pro iis Monialibus, quæ ex infirmitate, aut alio legitimo impedimento non potuerunt accedere ad Confessarium ordinarium in communi antea concessum toti monasterio, præterquàmquòd aliàs adderetur afflictio afflicto; si præfatæ Moniales vltra molestiam morbi, quem perpessæ sunt, cugerentur etiam carere eo solatio, quod solet sequi ex accessu ad Confessarium extraordinarium. ita docti Neoterici à me consulti, & benè, præsertim P. Stephanus à S. Gregorio mihi amicissimus.

QVÆRES XVII. An Confessarius extraordinarius possit absque speciali licentia celebrare in Ecclesia Monialium, ad quarum confessiones audiendas deputatus est, immò & iis ministrare Eucharistiam, quamdiu vacat earum confessionibus excipiendis.

273. Respond. de rigore non posse, nisi de præsumpta voluntate Prælati Monialium ex concurrentibus circumstantiis oppositum hic, & nunc suadeatur. Colligo ex doctrina, quam tradunt Filliuc. *tract.* 4. *num.* 263. & alij contra Caietanum *v. excommunicat. cap.* 63. nimirum, concessa alicui facultate ministrandi Sacramentum confessionis, non censeri concessam facultatem ministrandi Eucharistiam (addo ego, loquendo de Monialibus, neque celebrandi in earum Ecclesia) cùm enim istæ actiones sint diuersæ, & à diuersis non fiat illatio: concessio vnius non importat consequenter concessionem alterius, nisi vel id clarè exprimatur, vel certè ex concurrentibus circumstantiis probabiliter præsumatur de voluntate concedentis: quæ præsumptio voluntatis in præsenti materia absque dubio sufficeret, cùm ad ministrationem Eucharistiæ non requiratur expressa, & formalis concessio; sicut requiritur ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ, vtpotè ad sui valorem præsupponens iurisdictionem, quæ non requiritur ad validam ministrationem Eucharistiæ; sicut benè adnotauit in simili, Card. de Lugo *D.* 18 *de Euchar num.* 19.

QVÆRES XVIII. An deputatus in Confessarium extraordinarium pro Monialibus alicuius monasterij possit sine speciali licentia coram illis concionari, publicámque habere exhortationem.

274. Respond. simpliciter loquendo, videri non posse: & hoc tum ob rationem adductam *quæst. præced.* tum quia actus concionandi, aut exhortandi publicè, & actus audiendi confessiones non sunt ita connexi inter se, vt vnus dependeat ab alio; ideóque ex concessione vnius non potest inferri concessio alterius iuxta regulam iuris; *Cui licet quod maius est, non debet, quod minus est, non licere, leg. non debet, ff. de reg. iur.* tum quia talis de facto est praxis ferè communis; maximè, cùm regulariter non expediat Confessarios Monialium, siue ordinarios, siue extraordinarios, habere propriis Monialibus publicas conciones, aut exhortationes; ne fortè ex reprehensione alicuius defectus facta inter concionandum, aut exhortandum, alicui Moniali minùs prudenti, & plus æquo suspicaci ingerat suspicionem se loqui ex notitia habita in confessione: quòd omninò vitandum est, præsertim, cùm priuata exhortatio vnicuique Moniali seorsim facta in audienda eius confessione magis prodesse possit; quippè quæ est ex propriis, & tota accõmodata spirituali ipsius necessitati.

QVÆRES XIX. An deputatus in extraordinarium Confessarium alicuius monasterij Monialium possit disserere cum Monialibus, etiam de rebus nullo modo pertinentibus ad confessionem (v. g. de aliquo negotio domestico) & quidem etiam cum Moniali, quæ nullo modo vult ei confiteri.

Respond. videri posse; patetque ex dictis *sect.* 275.
præcedent. quæst. 15. quæ proportionaliter militant in præsentia, vt consideranti facilè constabit: & possunt confirmari ex vsu ferè communi Confessariorum tam sæcularium, quam regularium; qui vbi deputantur in Confessarios Monialium extraordinarios; licèt aliàs sint valdè docti, ac conscientiæ timoratæ, absque vllo scrupulo loquuntur cum quacunque Moniali illius monasterij ad ipsos accedente; siue ipsis velit confiteri, siue non: & quidem etiam de rebus nullo modo spectantibus ad confessionem: quod est signum ipsos existimare huiusmodi allocutionem in talibus circunstantiis non esse prohibitam, & consequenter neque peccaminosam: aliàs illis à tali allocutione omninò abstinerent, vt suppono. Et hoc putant aliqui procedere in casu, quo quis deputetur in extraordinarium vnius tantùm Monialis: is enim adhuc de rigore iuris posse loqui cum aliis Monialibus, & quidem etiam de rebus indifferentibus iuxta dicta *in hoc ipso cap. num.* 175. sic illi, quam probabiliter, viderint ipsi, & diiudicent viri docti; certè cauendum est, ne plus iusto in similibus rebus indulgeatur.

Quòd si hac occasione quæras, an occurrente casu, in quo aliquis Religiosus necessitatem habeat loquendi cum quadam Moniali, ad quam alioqui non potest accedere sine licentia sacræ Congregationis; possit Ordinarius illum deputare in Confessarium extraordinarium dictæ Monialis, præcisè vt sic ex occasione audiendi illius confessionem, possit cum ea agere de negotio, quod habet præ manibus.

Respond. Ordinarium posse id facere, & con- 276.
sequenter Religiosum in tali casu posse accedere ad Monialem illam, & cum ea tractare negotium ipsi commissum; dummodò ipse eat paratus ad audiendam illius confessionem. ita docti Recentiores à me consulti; patetque tum ex praxi; quæ hac in re seruatur, etiam à viris timoratis; tum quia potest Ordinarius concedere Confessarium extraordinarium Monialibus non solùm in communi, sed etiam in particulari huic, aut illi Moniali; si hic, & nunc iudicet expedire; ex alia parte deputatus in Confessarium Monialium potest liberè loqui cum illis, etiam de rebus pertinentibus ad confessionem, vt iam probatum est; sicque nulla adest ratio, cur Religiosus in casu proposito disserere non possit cum illa Moniali de negotio ipsi commisso. Dixi, *dummodò ipse eat paratus ad audiendam illius confessionem*; vt indicarem, quòd si Religiosus in præsenti caso verè non esset paratus audire confessionem illius Monialis, tunc, sicut non posset dici deputatus in Confessarium extraordinarium illius; sic nec titulo Confessarij posse cum ea loqui: &, si loqueretur; perinde se haberet, ac si absque licentia loqueretur; siquidem fraus, & dolus nemini debent patrocinari. Quòd tamen non eueniret, si Monialis illa, vbi accessit Religiosus, mutata voluntate, nollet ampliùs ei confiteri; ipse enim adhuc posset loqui cũ illa; stãte quòd ex legitima potestate re vera est constitutus Cõfessarius extraodinarius præfatæ Monialis,

&

& vt talis potest eum ea loqui, denominatione Confessarij potente subsistere tantum in actu primo, absque eo quòd deueniatur ad actum secundum, nempè ad confessionem audiendam.

277. Addo quòd, cùm Diana *part. 3. tract. 2. resolut.* 104. & ante illum Peyrinus *tom. 2. priuil. Constitut. 6. Pij V. n.* 36. aliique docti Recentiores putent Religiosum non subiacere pœnis latis contra Regulares ad monasteria Monialium accedentes sine licentia, si alicui Moniali declarent casum aliquem conscientiæ: cùm talis locutio speciem habeat piæ exhortationis; & alioqui cesset finis prohibitionis in particulari iuxta ea, quæ habet Diana *par. 5. tract. 14. res. 96.* si velint consequenter philosophari, concedere debent Ordinarium posse mittere Religiosum ad aliquod monasterium Monialium causa ibi exercendi aliquod opus pietatis (v.g. ad componendam aliquam seditionem exortam inter Moniales, ad consolandam Monialem grauissima tristitia affectam: ad consulendum in re graui concernente bonum monasterij, & ad alios similes effectus) in his quippè procedit eadem ratio, quæ in casu à præfatis Doctoribus concesso. Nec obstat, quòd Sacra Congregatio in decreto iussu. Sixti V. edito anno 1590. expressè statuit nulli Religioso cuiuscunque ordinis, gradus, qualitatis ac dignitatis (exceptis Superiore, ac Visitationibus respectu Monialium subiectarum, nec non Confessario tam ordinario, quàm extraordinario) licere absque licentia expressa eiusdem Sacræ Congregationis accedere ad monasteria quarumcunque Monialium ad colloquendum, siue tractandum cum eis; siquidem Sacra Congregatio per hoc non excludit casum pietatis, & Charitatis, qui regulariter non præsumitur comprehensus sub generali prohibitione iuxta regulam: *Non veniunt sub generali prohibitione, quæ quis non esset verosimiliter prohibiturus, si in specie exprimerentur*; solùm excludit casum, in quo religiosus velit accedere ad Moniales titulo vrbanitatis; ad eas visitandas v.g. ad negotia sæcularia tractanda, & similia. Verùm cauendum est, ne nimis relaxetur rigor iuris ecclesiastici adeo strictè vetantis accessum ad Moniales, nimisque facilis reddatur talis accessus, & hinc oriantur incommoda, quæ ius intendit amouere per dictam prohibitionem: prætetquamquod accessus ad Moniales in præsenti casu quod ad forum externum non ita facilè posset iustificari, adeoque sic accedens posset puniri ab Ordinario, qui indè posset grauiter offendi, puniretque taliter accedentem. Vnde Diana *p. 9. tract. 7. res.* 54. fit quod, quamuis opinio *Peyrini* superius allata admitti posset vt probabilis (pro qua ipse Diana citat Lezanam *v. Moniales n.* 30. & Bordonum *tom. 1. res. 7. n. 82.*) nihilominus in praxi non esset amplectenda; cum iura absolutè vetent Regularibus accessum ad Moniales, non distinguendo inter collocutionem vrbanitatis causa, aut pietatis, & lex absolutè loquens absolutè debeat intelligi: prætetquam quod si elusoria esset prohibitio accedendi ad Moniales facta Regularibus: quippè qui semper impunè loqui possent cum Monialibus, dicendo se cum iis locutos fuisse de rebus piis, &c. sic Diana his verbis concludens; *Vndè quidquid sit de peccato quoad forum internum stante authoritate doctorum virorum Lezana Pellizzary, & Bordoni vbi supra; saltem in foro externo possent Episcopi dictos Regulares punire tanquam Sedis Apostolicæ delegati; vnde abstineant ab his collocutionibus.*

Dices, quid si Episcopus mittat Religiosum ad monasterium aliquod Monialium, vt tanquam Confessarius extraordinarius excipiat earum confessiones; & talis Religiosus re vera ibi nullam excipiat confessionem, sed solùm vacet componendis dissidiis, præbendis salutaribus consiliis, & instruendis Monialibus in vita spirituali, est ne is tutus in conscientia?

Respond. esse, & quidem, etiamsi sciat de facto 278.
nullam Monialem ex eo monasterio accessuram ad ipsum causa confitendi, sed solùm ob aliquem alium finem, pium tamen, ac bonum: dummodò ipse ex sua parte sit paratus excipere etiam confessionem, saltem alicuius ex dictis Monialibus, patet autem responsio ex dictis *sup. §. quod si hac occasione* sub finem.

Qværes XX. An Religiosus destinatus in extraordinarium Confessarium alicuius monasterij Monialium ad 10. dies v.g. possit tuta conscientia accedere ad ipsas causa tractandi aliqua negotia cum aliqua illarum, aut disserendi cum ipsis, etiam illis diebus, qui supersunt post exceptas confessiones omnium, & singularum Monialium.

Respond. de rigore iuris posse; cùm adhuc ma- 279.
neat Confessarius illarum Monialium; & quidem non solùm in actu primo (quod etiam sufficeret) sed etiam in actu secundo; & maximè, si accedat ex sua parte paratus ad audiendas item confessiones Monialium, quæ fortè iterum accedant: & hoc puto procedere, etsi iam recessisset ab iis animo non ampliùs reuertendi, idque ipsis significasset (& hoc ob dicta *cap 4. num.* 50.) quamuis id non expediat tum ob ædificationem Monialium; tum ad vitandos rumores, qui indè possent suscitari quoad forum externum, si Episcopus id præsentiret.

Hæc autem responsio à fortiori videtur procedere in casu, quo Religiosus deputatus in extraordinarium sine temporis limitatione, paucis post diebus à recessu, ad monasterium illud reuocaretur, vt audiret confessionem Monialis, quæ antea ratione morbi ad illum non potuit accedere. Ducor tum quia Concilium Tridentinum dicit Confessarium extraordinarium Monialium debere omnes audire, ideoque cùm dicta Monialis absque sua culpa ab eo non audita, habeat ius, vt audiatur, idque fieri nequeat in absentia; potest illum reuocare, etsi ille absolutè se licentiauerit ab illo monasterio: tum quia Confessarius potuisset in generali Monialium confessione interponere paucos dies, & posteà redire audiendas Moniales nondum confessas; ergo & id facere poterit in præsenti casu.

Qværes XXI. An deputatus in Confessarium extraordinarium alicuius monasterij Monialium possit tuta conscientia agere cum aliqua, vel aliquibus dictarum Monialium, etiamsi ei non confiteantur; si aliàs ipse accedat animo excipiendi confessiones non omnium Monialium, sed solùm aliquarum, vtporè aliis negotiis distentus, & principaliter intendens negotiari, ac disserere cum illa, aut illis Monialibus: cùm tamen Episcopus, qui illum deputat, intendat illum excipere confessiones quarumcunque Monialium ad talem effectum accedentium.

Respond. deputatum in Confessarium extraordi- 280.
narium posse in casu proposito agere cum illa, vel illis Monialibus, etiamsi nolint ipsi confiteri, & quidem etiam de negotiis temporalibus; cùm sic verè accedat tanquam Confessarius legitimè deputatus, & talem se præstet, etiam in actu secundo, dum audit Confessiones aliquarum Monialium, quamuis non omnium: sicque de eo verificetur doctrina tradita *quæst. 19. in responsione principali.*

Qværes XXII. An Confessarius extraordinarius Monialium, auditis illarum confessionibus,

possit absque violatione sigilli confessionis postea carpere aliquos defectus illarum auditos in confessione; si iis concionetur, aut etiam monere Prælatum illarum, vel Abbatissam monasterij, vt circa hoc, vel illud inuigilent, loquendo tamen in communi.

Respond. quòd, quamuis prædicta fieri possint, si indè non possit deueniri in notitiam personæ particularis eo defectu laborantis: præsertim si Monasterium sit valdè numerosum, ideoque ex notitia illa generali difficiliùs constare possit de persona particulari, nihilominus, quia semper consulendum est integritati sigilli confessionis, & quàm maximè curandum est, vt tollatur omnis suspicio, etiam remota violationis illius, ne alioqui odiosum nimis reddatur Sacramentum pœnitentiæ, præsertim fœminis natura sua valdè suspicacibus: propterea puto Confessarium Monialium, siue ordinarium, siue extraordinarium, debere in hoc vti magna circumspectione; ac proindè regulariter debere cauere, ne defectus magis particulares Monialium reprehendat inter concionandum, aut eos detegat Monialium Superioribus ad illos impostertum præcauendos, colligitur ex Diana *par.5.tract.11. resol.36.* & Maldero, ac Beia ab ipso allegatis; qui Diana *par.2. tract.15. resol.13.* ex Nugno, & Fagund. monet peccare peccato reuelationis sigilli illum, qui, etsi non nominet personam, detegendo defectum illius auditum in confessione, nominat tamen Religionem, ex qua est pœnitens: cùm sic ignominia redunder in Religionem, & consequenter in ipsum pœnitentem tanquam in membrum illius: quod etiam aduertit Ioan. de Lugo *D.23. de pænit. num.63.*

An verò peccet contra sigillum Confessarius, qui interrogatus ab Abbatissa monasterij, num audiuerit confessionem huius, aut illius Monialis, dicit se non audiuisse, cùm re vera audiuerit, non tamen ab-
182 soluerit, eò quòd careret debita dispositione.

Respond. peccare, si constet Abbatissæ hanc, vel illam Monialem, de qua interrogat Confessarium, ei re vera fuisse confessam, v.g. ex assertione illarum ipsarum Monialium. Mouetur, quòd Confessarius in talibus circunstantiis negans se audisse confessionem dictarum Monialium, indirectè negat se illas absoluisse, & quidem ex ipsarum indispositione: cùm nullam afferat causam dilatæ absolutionis oppositum suadentem (qualis esset, si Confessarius diceret illam inchoasse confessionem generalem, sed non absoluisse, rediturum postea ad illam perficiendam, vel certè se fuisse vocatum aliò, & regressum non inuenisse illam, &c.) constat autem, quod Confessarius non potest sine violatione sigilli dicere se non absoluisse pœnitentem ipsi confessum; quando ex occurrentibus circunstantiis negatio absolutionis probabiliter præsumitur prouenisse ex indispositione ipsius pœnitentis: sicut benè notauit Ioan. de Lugo *sup. num.85.* ex Nau. Soto, Suar. & aliis contra Caietanum *v. confessio* dicentem non reuelari indirectè confessionem dicendo, *non absolui illum.*

Addo quòd si Confessarius Monialium dicat aliquam ex suis Monialibus violasse clausuram non nominata ipsa Moniali: vtique peccaret, cum sic odiosa reddi possit confessio; sed non contra sigillum; cum non possit ex eo modo loquendi constare, de qua Moniali in specie loquatur, colligitur ex Diana *p.2. tr.15. res.15.* pro se referente Onuphrium, Syluium, Nauarrum, Viualdum, Megalam, ac Henr.

Ex quo infero, quòd si Confessarius Monialium consilij causa cogatur aperire alicui tertio excessum auditum in confessione Monialis sibi subditæ; illum proponere debet in genere, & quasi in abstracto; vel certè dubium, cuius petit solutionem vt ab alio sibi propositum, solerti adhibita æquiuocatione, referre; nec vllo modo indicet illum à se fuisse auditum in confessione: sic quippè consulit & propriæ ignorantiæ, & secreto sigilli Sacramentalis, quod omni studio, ac diligentia seruandum est.

Puto tamen quòd si Confessarius Monialium consilij causa, vel alia ex causa manifestet delictum Monialis sibi commissæ in pœnitentem, non manifestato nomine; nec violat sigillum, nec mort. peccat; si delictum non sit infamatorium; & hoc licètindicet se illud audiuisse in confessione Monialium. & ratio est, quòd sic ex vna parte non manifestatur persona, ideoque non læditur sigillum; ex alia parte communitas ipsa Monialium non notabiliter offenditur, cum delictum illud non cedat in dedecus, ac infamiam monasterij, & consequenter non peccatur mortaliter.

Sic censeo non posse, nec debere condemnari Confessarium Monialium, qui amico dicit se nolle ampliùs vacare confessionibus Monialium illarum audiendis, eò quòd aliquæ illarum sint scandalosæ, ideoque nolit se exponere periculo æternæ damnationis; si aliàs notorium sit Moniales illas esse scandalosas, & Confessarius sic loquatur ex notitia publica.

QVÆRES XXIII. Qualiter possit, & debeat procedere Confessarius extraordinarius Monialium in petenda facultate absoluendi aliquam Monialem à reseruatis, si probabiliter putet Prælatum, à quo petitur talis facultas; ex tali petitione deuenturum in suspicionem non improbabilem dictam facultatem peti pro hac, vel illa Moniali particulari; idque ex variis circunstantiis ipsi Prælato notis.

Respond. posse submittere tertiam aliquam per- 183
sonam ad petendam illam facultatem à Prælato pro quadam Moniali, non manifestando; cuius ea sit monasterij, vel certè, si hoc non iuuet, posse, & debere illam absoluere indirectè à præfatis reseruatis, monendo Monialem, vt curet posteà directè absolui ab illis per Confessarium monasterij ordinarium, obtenta debita facultate modo conuenienti. Ex quo colligant Prælati Monialium consultum esse, vt deputatus in Confessarium extraordinarium non accedat ad illas sine reseruatorum facultate, sicut aduertimus *sup.q.12.*

Quòd si hac occasione quæras, an citrà violationem sigilli Sacramentalis possit Confessarius denegare Communionem Moniali, quam ex confessione scit esse indignam.

Respond. non posse, siue commonio petatur in publico; nam hoc esset indirectè manifestare peccatum pœnitentis: siue petatur in occulto, & alioqui ex negatione oriatur aliqua vel reuelatio, vel exprobratio indirecta peccati occulti, quin etiam hoc procedit, & si ea non sequatur: id enim redderet confessionem odiosam, ac difficiliorem; si sciret pœnitens posse Confessarium ipsi posteà negare petita, & resistere propter notitiam habitam in confessione. ita Cardinalis de Lugo *D.23. de pænitent. n.126.* Sanchez *l.3. de matrimon. D.16.* aliique plures apud Bonacinam *D.5. de Sacram. quæst.6. sect.5. part.4. n.17.* à quibus nec dissentient ij, qui dicunt Sacerdotem, qui non tenetur ex officio ministrare Sacramenta, posse & teneri negare Sacramenta occultè petita ei, quem ex confessione scit esse indignum, si cesset periculum fractionis sigilli; siquidem Confessarius Monialium ex officio tenetur iis ministrare Sacramenta: sicque in eo nequit habere locum hæc doctrina.

Putant verò aliqui non violari sigillum Sacramentale; si Confessarius Monialium ex notitia habita

in confessione illarum moneat Prælatum, aut Abbatissam, vt magis inuigilent super custodia clausuræ, claudant aliquam fenestram, altiùs attollant aliquem murum, aut aliquid aliud tale præstent ad impediendos excessus, qui aliàs occurrere possunt: modò non adsit periculum, vt aliqua ratione cognoscatur Monialis delinquens. Colligitur ex Coninсho *D.9. de Sacrament. d.4. num.*68. Layman *l.5. tract.6. cap.*14. & Bonacina *supra num.*22. & probant, quia, etsi sigillum Sacramenti in omni casu obliget, ne confessio peccati directè, aut indirectè reueletur cuiquam hominum, cui id incognitum sit: non ita tamen semper obligat respectu ipsius confitentis, & aliorum, qui certam notitiam habent delicti; quo minùs Sacerdos ex causa graui facere aliquid possit, quod ex se ipso quidem nullo modo est signum reuelatiuum peccati, vt iis, qui peccauerunt, aut illud ante cognitum habent, suspicionem mouere possit illud fieri ex notitia confessionis.

Dixi, *ne confessio peccati directè aut indirectè reueletur*, vt indicarem ex Sà *v. confessio num.*32. Henriquez *l.6. cap.*21. & aliis non violari sigillum; si manifestentur virtutes, reuelationes, & similes gratiæ pœnitentis cognitæ ex confessione: quippè quæ non sunt peccata, nec materia confessionis, excipe cum Cardinali de Lugo *supra num.*58. nisi prædicta in confessione manifestentur ad magis declarandam propriam ingratitudinem erga Deum: sic enim saltem in obliquo sunt materia confessionis.

Sic Diana *par.5. tract.*11. *resolut.*30. ex Granado, & communi sensu Doctorum putat non violari sigillum, si Confessarius dicat Monialem hanc, vel illam pœnitentem suam suis minutissimis peccatis, ac scrupulis caput sibi obtundere: cum in tali casu non manifestetur vllum peccatum in particulari, & nomen *scrupulosus* communiter significet hominem timoratum, & volentem abstinere etiam ab iis quæ licita sunt, sed aliquod periculum inducunt, idem sentit Coninchus *supra d.*1. *num.*11. monens, etsi in tali casu directè non violetur sigillum, malè tamen, ac periculosè id fieri, ideoque abstinendum esse tali modo loquendi.

Illud etiam hic obiter moneo, & quod, si Confessarius peccatum alicuius Monialis nouit ex confessione complicis; & Monialis illa de eo non se accuset: potest quidem hanc interrogare generatim, an habeat aliud peccatum, quòd eius grauet conscientiam, immò & speciatim, si peccatum illud sit, de quo Moniales solent interrogari: non item, si sit peccatum inter Moniales non vsitatum; tunc enim si Monialis neget se illud commisisse, absolui debet; cum pœnitenti credendum sit tam pro se, quam contra se; & non sit ratio, cur vni potiùs credatur, quam alij. ita Diana *supra resol.*22. ex Toleto, & Fagund. cum quibus sentit Layman *num.*14. monens, quod, si complex dedit facultatem loquendi cum alio; potest Confessarius speciatim examinare alium complicem, si sic expedire iudicetur, & absit scandalum.

Addit Cardinal. de Lugo *num.*129. ex Henriq. *l.6. cap.*23. *num.*2. probabile esse non violari sigillum, si Confessarius statim, finita confessione, aliquid circa illam aduertat pœnitenti, quod oblitus fuerat. nam moraliter non intelligitur fieri extra confessionem, quod fit incontinenti: & falsum est, quod supponit Fagundez *præcep.*2. *Eccles. l.6. cap.4. num.*33. à nobis dissentiens, finita confessione, statim censeri finitum Sacramentum, & iudicium; cum aliqui pœnitentiam imponant post datam absolutionem; & aliàs impositio pœnitentiæ grauis satis significet confessionem grauium peccatorum: quod est signum non aduersari sigillo loqui de peccatis post absolutionem; eum censeatur adhuc durare idem iudicium Sacramentale; cuius actus sunt absoluere, punire, consulere, monere, corrigere, & similia: eum Cardinali de Lugo sentiunt Tannerus & Ioan. Præpositus relati à Diana *par.5. tract.*11. *resolut.*19. qui *resolut.*31. ex Granado monet sine violatione sigilli non posse manifestati pœnitentiam iniunctam pœnitenti in Confessione; si ea sit talis, vt sit signum culpæ mortalis certæ, aut dubiæ, vel certè peccatorum venialium specialium, quoad numerum, aut speciem: secùs, si ea sit leuis, ita vt ex ea solum colligi possit pœnitentem confessum fuisse peccata tantùm venialia, quod certum, & commune est, vt patet.

QVÆRES XXIV. Quænam in primis obseruari debeant à Confessario Monialium extraordinario, ad hoc vt vtiliter fungatur suo munere.

Respond. debere obseruare sequentia; nimirum 1. vt, antequam incipiat audire confessiones, curet videre Regulas, ac Constitutiones Ordinis, cuius sunt Moniales, quibus deputatus est in Confessarium: 2. vt accedens ad monasterium primò alloquatur Abbatissam, eamque interroget, num et occurrant aliqua in bonum spirituale monasterij, ac Monialium subditarum manifestanda, quæ præsentiori indigeant remedio: 3. vt semper laudabiliter loquatur de Confessario ordinario, illum etiam excusans in iis, quæ forte illi obiiciuntur à Monialibus: 4. vt non permittat confessiones generales minùs necessarias, ex quibus prouenit maior inquietudo, ac perturbatio interioris pacis: 5. ne se nimis festinantem ostendat in audiendis confessionibus, sed patientet, ac benignè sinat vnamquamque Monialium aperire cor suum; eas non interrumpendo, nisi in casu necessario, neque insinuando, vt quàm citissimè se expediant: 6. vt iuxta rationem, & naturam defectuum, quibus vnamquamque Monialium videt esse affectam, opportuna tradat remedia, salutaria det consilia, & fructuosam adhibeat exhortationem: 7. ne inter confessiones audiendas sinat permisceri discursus extraneos, & ad rem non pertinentes; quibus Monialis pœnitens distrahatur à principali proposito: 8. ne admittat negotia temporalia vllius Monialis tractanda, siue cum aliis Monialibus, siue etiam cum sæcularibus; & si de hoc requiratur, cum prudenti dexteritate ab iis omninò se subtrahat: 9. ne vllam Monialium interroget de nomine, cognomine, patria, & similibus ad Sacramentalem confessionem non spectantibus; nisi fortè occurrentes circunstantiæ hic, & nunc suaderent oppositum. Moniales enim regulariter nollent cognosci à Confessario; maximè, si sint ætate iuniores, & inciderint in aliquem excessum turpiorem, cuius vel sola recordatione summoperè confundantur: 10. vt cum omnibus æqualiter agat omnem suspicionem acceptionis personarum deuitans: quod benè monet S. Bonauent. *lib. de 6. alis cap.*6 his verbis: *Licet meliores in effectu præferenda, sint* (loquitur de fœminis) *& omnes propter spem salutis in Christo amplectenda sint; in actu tamen exhibitionis exterioris taliter superior se gerat ad omnes, vt nulla se ab eo contemni propter alias suspicetur, sed quælibet ab eo se diligi præsumat, & fiducialiter ei quasi singulari amico confidat; ne alicui indignatio, & inuidia in alias nutriatur; sicut fratres Ioseph, qui oderant eum, quod à Patre singularius amaretur.* 284

SVBSEC

Subsectio III.

Referuntur varia, ac vtilia Monita, quibus Moniales dirigantur ad Profectum spiritualem per Confessarium tam ordinarium, quàm extraordinarium.

QVoniam in audiendis Monialium confessionibus identidem expedit, immò & oportet iis tradere opportuna monita iuxta spirituales necessitates, quæ in iis ex ipsarum confessione deteguntur; & alioqui non omnes, qui ad earum confessiones deputantur, siue vt ordinarij, siue vt extraordinarij, eiusmodi monita habent in promptu, vt par esset: proinde in gratiam illorum, & in bonum spirituale ipsarum Monialium, ad complementum huius tractationis placet in hac subsectione afferre varia monita, eáque efficacia, ac valdè vtilia, ex sacris literis, Sanctis Patribus, Magistris vitæ spiritualis, & ex ipsa experientia deprompta; quæ deseruiant ad consulendum variis indigentiis spiritualibus Monialium ab ipsis in confessione manifestatis. Hæc autem monita sæpius lectitent Confessarij, eáque sibi sic faciant familiaria, vt in audiendis Monialium confessionibus ea parata habeant, iisque illa opportunè suggerere valeant iuxta necessitatem spiritualem ipsarum hîc, & nunc cognitam.

285 *Referuntur monita pro Monialibus ad comparandam perfectionem.*
286 *Item pro Superiorissis ad gubernationem rectam.*
287 *Item pro Officialibus Conuentus ad suum officium rectè obeundum.*
288 *Item pro Monialibus vulgo dictis Conuersis ad suum munus benè explendum.*
289 *Item pro Nouitiis ad vitam Religiosam ritè instituendam.*
290 *Item pro Puellis causa educationis manentibus intra monasterium ad bonam ipsarum educationem.*
291 *Item ad Orationem fructuosè faciendam.*
292 *Item ad Horas canonicas deuotè recitandas.*
293 *Item ad Examen tum generale, tum particulare vtiliter faciendum.*
294 *Item ad Confessionem peccatorum fructuosè faciendam.*
295 *Item ad Communionem Eucharisticam dignè recipiendam.*
296 *Item ad Missam reuerenter audiendam.*
297 *Item ad Conciones cum fructu spirituali audiendas, ac pios libros vtiliter legendos.*
298 *Item ad timorem mortis corporalis moderandum.*
299 *Item ad infirmitates corporis patienter sufferendas.*
300 *Item ad ærumnas, ac infortunia præsentis vitæ fortiter sustinenda.*
301 *Item ad superandas tentationes.*
302 *Item ad confirmandum animum in Vocatione Religiosa vacillantem.*
303 *Item ad fouendam Charitatem fraternam.*
304 *Item ad ablegandam spiritualem tepiditatem.*
305 *Item ad promouendam regularum Obseruantiam.*
306 *Item ad perfectam Religiosæ Paupertatis obseruantiam.*
307 *Item ad votum Religiosæ Castitatis exactè custodiendum.*
308 *Item ad perfectam Obedientiam in Religione seruandam.*
309 *Item ad vitandam sæcularium personarum Conuersationem.*
310 *Item ad auersandum quodcumque peccatum mortale.*
311 *Item ad vitanda peccata venialia.*
312 *Item ad abigendos conscientiæ scrupulos.*

QVÆRES I. Quæ monita tradi possint, ac debeant Monialibus, vt eæ facilius, ac expeditius Religiosam perfectionem consequantur.

Respond. posse, & debere tradi sequentia, videlicet 285.

1 Sacramenta frequentent, & sacram Communionem regulariter octauo quoque die recipiant; sicut de facto in Ordinibus virorum Religiosorum obseruantioribus fieri solet: at id faciant cum debita præparatione iuxta dicenda inferius; curéntque ex frequenti Communione in dies magis, ac magis proficere in via Dei: vt de qualibet earum veraciter dici possit illud Prouerb. 32. *Panem otiosa non comedit.*

2 Certum tempus habeant deputatum orationi mentali, & in ea quotidie se exerceant, eam semper dirigentes ad proprium spiritualem profectum: quod omninò consequentur, si iuxta inferiùs dicenda omni studio curabunt, vt ipsarum oratio non sit merè intellectualis, & speculatiua, sed practica, & affectiua, videlicet ordinata ad emendationem defectuum & acquisitionem virtutum, quibus maximè indigent.

3 Certis temporibus, siue priuatim, siue publicè (vt fit in Societate Iesu.) vota suæ professionis, præmissa aliqua præparatione, magno animi sensu renouent.

4 Pios libellos attentè, ac deuotè legant, eósque de consilio proprij Confessarij.

5 Saltem semel in die faciant conscientiæ examen non solùm generale: sed etiam particulare iuxta formam inferiùs q. 9. tradendam.

6 Omni studio incent singularum regularum, etiam minimarum obseruantiam; ne modica spernentes paulatim decidant, & in excessus grauiores paulatim labantur cum graui salutis spiritualis discrimine.

7 De defectibus commissis debitam pœnitentiam à Superiorissa deposcant, vel certè ab ea impositam promptè ac humiliter impleant: idque etsi contingat illam imponi ob defectum verè non culpabilem; cum in tali casu maius acquiratur meritum iuxta illa verba S. Petri 1. *cap.* 2. *quæ vobis est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis, sed si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.*

8 Ministeria Conuentus, ad quæ iuxta consuetudinem monasterij deputantur, obeant diligenter, fideliter, ac promptè; memores se obire ea propter vnum Deum, & ab eo solo debitam mercedem esse obtinendam.

9 In omni loco diuinæ meminerint præsentiæ scientes ex 23. Eccl. *quod oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes*; sicque iuxta monitum S. Bernardi *in Psalmum* qui habitat; *ne audeant illo præsente, quod vidente homine non auderent.*

10 In exercitio bonorum operum iuxta consilium S. Bernardi *in speculo monach.* identidem sibimetipsis dicant, *Si modò moritura esses, faceres istud?* adeóque siue confiteantur, siue communicent, siue Officium diuinum recitent, siue Missæ assistant; hæc omnia eo faciant modo, quo facerent, si certæ essent

essent se tunc vltimò confiteri, communicare, &c. constat autem, quòd, si id certò nossent, prædicta facerent cum omnimoda perfectione ipsis possibili. quo pacto S. Basilius *instructio, ad filium spiritualem ait: Semper ante oculus tuos versetur vltimus dies, vt facilius te possis refrenare ab omnibus vitiis*: quod monet etiam Horatius *lib. 1. epist. 4. Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.*

11 In omnibus curent maiorem sui abnegationem tam animi, quam corporis; ita vt cum Paulo Gal. 6. veraciter dicere possint, *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*: ad hoc enim vocantur Religiosi à vita communi ad Religiosam, vt per continuam sui abnegationem mundo moriantur, vni Deo viuentes.

12 Otium quàm maximè auersentur, ideóque ab exercitiis mentalibus ad corporalia transeant iuxta monitum, quod dedit Deus S. Antonio his verbis: *Antoni, quæris Deo placere, & dum orare non poteris, manibus labora, & semper aliquid facito.*

13 Totam suam conscientiam candidè, ac sincerè suo Confessario aperiant ipsi manifestantes tam defectus, ac deprauatas animi propensiones, quàm virtutes, corporis afflictiones, tentationes, diuinas illustrationes, & quæcumque ipsis occurrunt in vita spirituali, *tamdiu enim* inquit Cassianus *collat. 2.* Abb. Moys. *c. 10. suggestiones eius noxiæ* (idest dæmonis) *dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde: illico enim ac patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit.*

14 Mutuam inter se vnionem, & charitatem seruent, se inuicem sustinentes, & defectus, Sororum, quibus cum viuunt, ingeniosa, ac sedula charitate dissimulantes: si quidem, vt loquitur S. Hieronymus *in regul. monach. sine charitate cœnobia sunt tartara, habitatores sunt dæmones; cum hac verò sunt Paradisus in terris, & in eo degentes sunt Angeli.*

15 Attendant non mala exempla (si quæ fortè viderint) sed bona (quæ Deo dante, non desunt in quolibet monasterio) hincque sumant rationem proficiendi magis ac magis in virtutibus Religiosis.

16 Maximè abstineant à sæcularium conuersatione, sicque valdè rarò accedant ad collocutoria, & non nisi cum assistentia Auscultatricum, ac præmissa breui aliqua oratione, qua Deum exorent, ne ipsum vllo modo offendant in tali accessu, ac collocutione: ad quod possent deseruire verba Psalm. 140. *Pone Domine custodiam ori meo; & ostium circumstantiæ labiis meis.*

17 Proponuntur iis monita, quæ B. Ægidius per modum paradoxorum docuit, vt ab iis sedulo in praxim deducantur; videlicèt; Si vis benè videre, erue oculos tuos, & esto cœcus: si vis benè audire, esto surdus: si benè loqui, esto mutus: si benè ambulare, abscinde tibi pedes: si benè operari, mutila tibi manus; si benè amare, habeas te odio; si benè viuere, te mortifica: si benè lucrari, disce perdere: si vis esse dives, esto pauper; si vis esse in deliciis, affige te; si vis esse securus, esto semper in timore: si vis exaltari, humilia te: si vis honorari, despice te, & honora te despicientes: si vis habere bonum, sustine malum: si vis esse in quiete, labora: si vis benedici, desidera maledici. O quàm magna sapientia scire hæc facere; & quia magna sunt, non omnibus data sunt.

18 Paupertatem diligant tanquam matrem: castitatem æmulentur Angelicam, obedientiam seruent perfectissimam, in omnibus propriam abnegantes voluntatẽ, eámque subiicientes Superiorum nutibus, ne dicam præceptis; idque ex amore Christi, qui factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.

QVÆRES II. Quibus monitis iuuare possint Superiorissæ Monialium ad rectam monasterij gubernationem.

Respond. posse iuuari sequentibus monitis; videlicèt. 286.

1 Cultum Dei, & bonum spirituale subditarum in primis omni studio, ac diligentia promoueant iuxta illud Christi monitum; *Quærite primum regnum Dei*: cultum quidem Dei curando, vt horæ canonicæ in choro statutis temporibus frequenter, ac deuotè recitentur, Missæ in templo celebrentur; eiúsque altaria sint munda, ac benè præparata; bonum verò spirituale subditarum, fouendo in ipsis exercitium orationis mentalis, ac frequentiam Sacramentorum, nec non curando, vt Confessarium habeant prudentem, pium, doctum, ac zelantem; & bonos concionatores, qui identidem illas ad perfectam regularum obseruantiam, plenam sui abnegationem, & Religiosarum omnium virtutum acquisitionem efficaci exhortatione impellant.

2 Omnimodam regularum obseruantiam procurent, etiam in minimis; scientes modica spernentem paulatim decidere: sicque prudenter, ac discretè illas transgressiones puniant salutaribus pœnitentiis; interdum tamen dissimulantes iuxta illud, *nescit regnare, qui nescit dissimulare*: & interdum monentes prius materno affectu Monialem transgredientem, comminando, pœnam ei infligendam, nisi resipiscat; vt si non amore virtutis, saltem formidine pœnæ à delinquendo imposterum deterreatur.

3 Quàm maximè inuigilent circa mores Monialium iuniorum, sollicitè obseruantes, à quibus aduocentur ad collocutorium, quas literas accipiant, & scribant, & quibus; quos libros legant; quas habeant conuersationes; an mittant, & quibus dona, & à quibus recipiant; aliáque id genus; memores adolescentem iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedere ab ea Prouerb. 22.

4 In regimine monasterij non ducantur respectibus humanis, nec omittant implere munus suum ex metu incurrendi offensionem subditarum: quin potiùs dicant cum Apostolo Galat. 1. *An quæro hominibus placere? si hominibus placerem, Christi seruus non essem.*

5 Identidem inspiciant, an Officiales monasterij rectè, ac fideliter munus suum exerceant, &, si quam illarum fortè minùs benè se gerere reperiant in munere ipsi commisso, illam admoneant; &, si opus fuerit, non puniant solum, sed etiam amoueant.

6 Inuigilent super famulos vtriusque sexus ad monasterij seruitia deputatos num deferant Monialibus nuncia, aut epistolas, quæ cedant in præiudicium boni spiritualis earum, boni nominis monasterij, honoris Dei, ac bonæ ædificationis.

7 Facilem, ac benignum accessum exhibeant vnicuique statum subditarum; sicque hæ erga ipsas magnam concipiant confidentiam, agnoscentes se habere matrem quæ possit compati omnibus infirmitatibus ipsarum.

8 Confessarij monasterij ea solum conferant quæ possunt prodesse bono spirituali, ac communi quieti monasterij; non item quæ spectant ad distributionem officiorum, aut negotia temporalia Conuentus: aliàs Moniales suspicari possent identidem hoc, vel illud factum fuisse à Superiorissa ex consilio, ac suggestione Confessarij, & se ab illo offensas existimantes debitam in illum confidentiam amitterent; quæ tamen adeò est necessaria in tribunali Sacramentalis confessionis, maximè in fœminis.

9 Etiam personaliter visitent identidem clausuræ collocutorium, & alia similia loca; vt subditæ ex

ex metu ne deprehendantur in flagranti delicto à propria Superiориſſa magis ſibi caueant: ad quem effectum fortè conſultum eſſet, vt, Abbatiſſa exiſtente in choro tempore diuinorum Officiorum, aut in refectorio vel alio loco publico, eius Vicaria, ſeu Prioriſſa ipſi ſubordinata maneat extra; ita vt, occurrente neceſſitate, poſſit accurrere ad hunc, vel illum locum; ſicque Moniales nunquam eſſe poſſint tutæ, quin ab aliqua ex Superioriſſis deprehendi poſſint in delicto, quod fortè meditentur: fœlix enim neceſſitas, quæ ad meliora compellit.

10 Moniales magis modeſtas, & meliùs morigeratas ſuauiùs tractent, iis faciliùs petita concedant, illas ad officia digniora promoueant, & in ipſas maiorem oſtendant confidentiam; è contra pro viribus infringentes audaciam, ac libertatem Monialium peruicacium, ac regularem diſciplinam ſubuertentium: ſi quidem de Deo ipſo dicitur, *depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles Lucæ 2.*

11 Venerentur, ac honorent Moniales antiquiores, eas præſertim quæ iam fuerunt Abbatiſſæ, ab iis conſilium petant in negotiis grauioribus monaſterij, & erga ipſas magnam oſtendant confidentiam: non ita tamen, vt de vlla ipſarum dici poſſit; hæc regit, ac moderatur nos, & noſtram Abbatiſſam; idque cum graui offenſione, & perturbatione Conuentus.

12 Non ducantur ſuis ſenſibus, ſed in rebus arduis petant conſilium à ſuis Diſcretis, illas libenter audiant, & ſi conſilium ſuggerant opportunius, illud ſequantur, memores, *vbi ſunt multa conſilia, ibi eſſe ſalutem.* Prouerb.11.

13 Non ſint faciles in præſtanda fide ſubditis referentibus hunc, vel illum exceſſum fuiſſe ab hac, vel illa Moniali commiſſum; ſed prudenter, & caute diſquirant, veræne ſint, an falſa quæ referuntur: nec vnquam manifeſtent, à quibus id ſcierint.

14 Si quam nouerint diſcordiam exortam fuiſſe inter ſubditas, ſtatim per ſe, aut aliquam ex aliis Monialibus grauioribus: aut etiam per Confeſſarium illam componere ſtudeant, iuxta illud Epheſ.4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.*

15 Monialibus ægrotantibus maximam exhibeant charitatem iis, non ſolùm ſuppeditando omnia neceſſaria ad ſanitatem recuperandam, ſed etiam illas ſæpè viſitando, ac recreando tum per ſe, tum per aliàs Moniales, & procurando eis tempeſtiuè remedia ſpiritualia iuxta occurrentem indigentiam.

16 Ne ſubditis committant officia conuentus ſuprà vires ipſarum; &, ſi ex ſuorum conſanguineorum inopia non habeant, vnde faciant ordinarias expenſas in officio commiſſo, aut aliud ipſis non committant, aut ex bonis communibus monaſterij neceſſarias ſubminiſtrent expenſas.

17 Ne ſe oſtendant magis amicas, ac familiares vni, quam alij, ſed ſe matrem communem omnibus exhibeant, memores apud Deum non eſſe acceptionem perſonarum; ſicque curent cuilibet ſubditarum materni affectus viſcera oſtendere, vt quælibet putare poſſit ſe præ aliis eſſe dilectam.

18 Ne ſinant induci nouas conſuetudines regularis diſciplinæ relaxatiuas intra monaſterium; ſed eas quam citiſſimè eradicent, implorato etiam, ſi opus ſit, auxilio proprij Prælati.

19 Bono exemplo in omnibus præeant Monialibus ſubditis certò ſibi ſuadentes, quod agitur à Prælatis, facilè trahi à ſubditis in exemplum *c. magnæ de voto:* ſalutaria item conſilia, ac monita illis tradant, pro vt hic, & nunc neceſſarium iudicauerint: imò, & acriùs reprehendant, ſi opus fuerit: dicente ipſis Domino Deo Ierem. 1. *Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum.*

20 Monialibus ſubditis neceſſaria ad victum, veſtitum, habitationem, ac recreationem, ſi ferant annui redditus monaſterij, abundè potiùs, quàm parcè ſubminiſtrent; animo recolentes, vbi eſt abundantia, ibi eſſe obſeruantiam; & quòd, *ſi non fuerint ſaturati, & murmurabunt*, Pſal.58.

21 Caueant pro viribus, ne monaſterium grauent nouis debitis; ſi tamen neceſſitas exigat, vt aliqua contrahantur, ea ne detrectent facere, ſeruatis ſeruandis: cùm ſit conſultius monaſterij bona grauare ære alieno, quam monaſterium implere querimoniis, ac murmurationibus contra Superioriſſas, ac Officiales Conuentus.

22 Illam propriæ Vicariæ, ſeu Prioriſſæ conferant poteſtatem, vt inde coniiciant Moniales ſubditæ in quanta æſtimatione ac veneratione ipſa haberi debeat, ſicque inducantur ad promptiùs exequenda eius iuſſa: licèt aliàs non deceat illam paſſim ſe ingerere in reprehendendis ſubditis, aut concedendis licentiis maioris momenti.

23 Quotidie ſe, & omnes ſuas ſubditas, Deo, Sancto Fundatori Ordinis, Sancto Tutelari Eccleſiæ, proprio, & Angelo ſuo Cuſtodi enixè commendent; nec non identidem reflectant ſuper neceſſitatibus tum ſpiritualibus, tum temporalibus ſingularum ſubditarum, iiſque omni ſtudio conentur afferre opportuna remedia.

24 Ne ſubditas ſuas permittant vacare certis ſpeciebus negotiationis muliebris, quę impediant regularem obſeruantiam, animum diſtrahant à ſpiritualibus exercitiis, corporis obſint ſanitati, & præbeant anſam tractandi cum ſæcularibus.

25 Sint conſtantes in decretis, ac ſuis deliberationibus, nec ita facilè mutent conſilium ob humanos reſpectus: quamquam conſultum ſit interdum mutare conſilium, ſed ſemper in melius, ſi occurrant iuſtæ rationes id faciendi.

26 Puellarum educationis cauſa degentium in Conuentu peculiarem habeant curam, accuratè diſpicientes, quibus moribus ſint præditæ, à quibus vocentur ad crates collocutorij (ad quas nunquam accedant ſine propria magiſtra) an, quas, & quibus perſonis epiſtolas ſcribant, aut accipiant; an ſecedant in loca monaſterij ſecretiora, & ad quem effectum; an frequentent Sacramenta; an debitam ſeruent modeſtiam in veſtitu, inceſſu, ac ſermone; aliaque id genus.

27 Meminerint durissimum eſſe iudicium his, qui præſunt, eoſque teneri reddere rationẽ de animabus ſubditorum; ideóque ſtudeant exercere munus ſuum coram Deo, ac hominibus, vt decet, ac oportet; ſic enim à Deo condignam referent remunerationem, maiuſque meritorum cumulum obtinebunt.

QVÆRAS III. Quæ documenta à Confeſſariis Monialium ſuggeri poſſint; & debeant Monialibus ad officia Conuentus deputatis, vt ea laudabiliter exerceant.

Reſpond. poſſe, & debere ſuggeri ſequentia: videlicet. 287.

1 Munus ſibi commiſſum fideliter, ac exactè, ſemoto quocunque humano reſpectu exerceant, iuxtà regulam, ſtatuta, & conſuetudines proprij Ordinis, ac monaſterij; in omnibus vnum Deum, eiuſque gloriam, & bonum commune Religionis intendentes; ac omni diligentia procurantes.

2 Sint omninò ſubordinatæ Superioriſſæ monaſterij in capite; eius ſenſibus omninò acquieſcant (quòd tamen non facit, quin ei ſignificare poſſint modeſtè

proprium

proprium sensum circa res concernentes officium illis commissum; se aliàs eius arbitrio, ac iudicio in totum subiicientes) ei fideliter referant, si quid in suo officio occurrerit, quod iudicent ei referendum esse ob commune bonum monasterij, siue spirituale, siue temporale: ne postea cum Isaia 6. *cap.* cogantur dicere, *Væ mihi quia tacui.*

3 Curent in exercitio proprij muneris placere, non hominibus, sed Deo: sicque ad captandam aliarum sororum beneuolentiam non faciant contra propriam conscientiam; permittentes, ac dissimulantes ea, quæ cedere possunt in Dei offensam, ac præiudicium graue spiritualis boni Conuentus; non formident incurrere odium, ac offensionem Monialium minùs obseruantium, quarum excessus impedire satagunt; memoria retinentes quod habetur 1. Petri 2. *Si quid patimini propter iustitiam, beati.*

4 Crebrò meminerint, si ex ipsarum incuria, ac negligentia grauis excessus committatur ab aliqua Monialium, illius rationem ab iis exigendam esse, quippe quæ ex officio tenebantur illum impedire, & facile impediuissent, si tempestiuè Superiorissam admonuissent, vt sua prudentia, ac vigilantia probabili periculo, ac proximæ occasioni commissi excessus obstaret iuxta illud, *Principijs obsta; serò medicina paratur.*

5 Suum munus prompto, ac hilari animo exequantur, scientes hilarem datorem diligi à Deo: si enim ægrè, & quasi inuite illud impleant, eumdem laborem subibunt, nihil meriti coram Deo inde comparantes: sicque in fine cogentur dicere, *Per totam noctem laborantes nihil cœpimus.*

6 Sicut non debent recusare, aut negligenter obire communia monasterij officia ob studium propriæ quietis, & vt commodius vacent Deo, & sibimet ipsis, si ad ea deputentur à Superiorissa: sic cauere debent quàm maximè, ne iis ita se immergant, vt non supersit tempus vacandi consuetis exercitiis pietatis, vel certè, si ea obeant, incuriosè, ac negligenter ea præstent cum graui damno proprij profectus spiritualis.

7 Si ex officio commisso curam habeant bonorum temporalium monasterij, ea curent conseruare diligenter; nec de iis disponant, nisi iuxta mentẽ Superiorissæ, siue expressam, siue tacitam, ac interpretatiuam; quippe quæ sunt de Christi patrimonio adeóque tractari debent tanquam res sacræ.

8 Si re ipsa nequeant satisfacere Sorori petẽti aliquã ex rebus pertinentibus ad officium ipsarũ respectiuè; curent ei satisfacere, saltem verbis humanioribus, magno animi sensu significantes sibi maximè displicere, quòd ei re proposita gratificari non valeant; sic quippe magis fouebitur fraterna charitas, & minùs tristabitur soror, cui res illa petita denegatur.

9 Si ratione officij demandati occasionem habeant agendi cum sæcularibus, agant semper magna cum ædificatione: ita vt vere possint dicere cum Paulo 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus.* quòd facilè assequentur si se ostendant graues, modestas, patientes, humiles, ac deuotas, & cum sæcularibus non nisi spirituales, aut saltem necessarios admisceant sermones, hosque breues.

10 Caueant, ne sumptus immoderatos faciant non necessarios in proprio officio; &, si quos coguntur facere, ne ad pompam, ac vanam ostentationem: aliàs de iis dicetur *receperunt mercedem suam Matth.* 6. præterquam quod hac ratione exercitium officiorum communium inter Moniales efficitur intolerabile respectu illarum, quibus non suppetunt facultates ad faciendas expensas adeo ex-

cedentes: vnde fit, vt eæ ab aliis negligantur, inquietæ viuant, & interdum etiam cogantur indigna præstare, vt parent necessarias expensas; idque cum graui iactura proprij profectus spiritualis, ac bonæ existimationis Conuentus.

QVÆRES IV. Quibus mediis iuuari possint, & debeant à Confessariis Monialium Moniales vulgò dictæ, *Conuersæ*, ad hoc vt bene se gerant in exercendis ministeriis temporalibus monasterij.

Resp. posse, & debere iuuari sequẽtib. mediis; nẽpè; 288.

1 Vt contentæ sorte Marthæ tota animi promptitudine in vilioribus officiis conuentus se occupent, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed vt famulæ Christi facientes voluntatem Dei ex animo: sic enim condignam remunerationem recipient ab eo, qui dicit Gen. 15. *Protector tuus sum, & merces tua magna nimis.*

2 Meminerint sæpiùs fœminas similis conditionis longè maiores labores sustinere, & grauiores ærumnas perpeti ad victum præcisè comparandum; quin & ipsas idem facturas fuisse, si ad statum Religiosum non fuisset vocatæ: cùm in præsentia pari labore, vel etiam minori, non solùm victum ac vestitum sibi acquirant, sed præterea cœlestis beatitudinis thesaurum lucrentur: sicque se excitent ad labores monasterij subeundos maiori cum alacritate, gratias Deo identidem de hac ipsa re agentes.

3 Sibi persuadeant se seruire Christo in Monialibus iuxta illud Matth. 25. *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*; ideóque sua ministeria ea animi alacritate præstent, qua præstarent, si ea Christo corporaliter præsenti exhiberent.

4 Se promptas Superiorissæ exhibeant ad quodcunque genus ministerij, ac seruitij, nec se ostendant addictas vni potiùs, quàm alij: quin potiùs se offerant ad exercenda ea, quæ sunt viliora, & ab aliis communiter refugi solent scientes se hac ratione maiora meritorum incrementa acquisituras esse, & rem Deo longè gratiorem facturas.

5 Otium quam maximè euitent, ac proinde, si, expleto proprio munere, supersit tempus, vbi solita deuotionis exercitia impleuerunt, adiuuent socias, si forte earum opera indigent in suo ministerio obeundo, vel certè quærant à Superiorissa, an ipsi occurrant aliquid, quod faciant: idque iuxta consilium Salomonis Ecclesiast. 9. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare.*

6 Nunquam conquerantur de Superiorissa, aut alia quacunque Moniali, quòd illas nimis grauent: quin potiùs, si coram Deo re vera sentiant se esse nimis grauatas, confidenter adeant Superiorissam, eique proponant suas difficultates interim paratæ ad facienda quæcunque illa in Domino iudicauerit.

7 Moniales ad vsum chori destinatas debito honore, ac reuerentia prosequantur tum verbis, tum factis; cum iis magna animi submissione tractent; suam illis operam in omnibus exhibeant; Deoque agant gratias se factas fuisse sorores illarum in Religione, à quibus in seculo nec fortè in famulas admissæ fuissent.

8 Ex rebus monasterij ipsis ratione officij commissis ne vnquam audeant sibi quidquam vsurpare sine debita licentia & de iis omninò disponãt iuxta præscriptũ Superiorissæ, caueántque ne in iis distribuendis sint personarum acceptatrices, meliora dantes Sororibus magis amicis, & quibus eæ gratificari cupiunt: aliàs in die iudicij audient contra se proferri quod habetur Lucæ 16. *Redde rationem villicationis tuæ, iam non poteris villicare.*

9 Bona monasterij ipsarum curæ commendata

custodiant diligenter, ac si essent propria; meminerintque sibi de eis reddendam esse rationem non solum Superiorissæ, sed etiam Deo, si ipsarum culpa eæ pereant, vel deteriorentur.

10 Non ita se dedant proprij officij exercitiis, vt consuetas orationes, examen conscientiæ, & alia pietatis opera vel omninò omittant, vel magna cum negligentia impleant; oblitæ moniti Euangelici: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius.*

11 Dum occupantur in exercitio proprij officij, sæpissimè recordentur diuinæ præsentiæ, recitent frequenter orationes iaculatorias; identidem offerant Deo quod agunt, aut patiuntur in suorum peccatorum remissionem; studeant ad Dei honorem, ac gloriam dirigere omnes suas operationes, habeantque in omnibus debitam rectitudinis intentionem: quo modo ostendent se non esse famulas mercenarias, sed ancillas Christi, sed seruas Dei, sed religiosas christianæ perfectionis studiosas.

12 Sint fortes in sustinendis laboribus proprij officij, humiles in tolerandis reprehensionibus Superiorissæ, & patientes in audiendis querimoniis contra ipsas iustè, aut iniustè excitatis; memores acquisitionem religiosæ perfectionis potissimum pendere ex continua sui abnegatione iuxta illa verba Christi: Lucæ 9. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suã quotidie, & sequatur me.*

13 Non contristentur, nec ægrè ferant labores suos esse minùs acceptos Superiorissæ, ac Monialibus; non enim propter ipsas, sed propter Deum debent laborare; nec par est, vt Christi famulæ intendant placere hominibus, cùm potius conari debeant, vt placeant Deo, verba illa Pauli sæpè repetentes: *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem*; & animo recolentes non eum probatum esse, qui seipsum commendat, sed quem Deus commendat, vt habetur 2. *Corinth.* 10.

14 In exequendo proprio officio sint diligentes, ac sollicitæ: ita vt omnia temporibus debitis, quantùm ad ipsas spectat, sint parata; sicque ex illarum culpa in monasterio non excitentur querimoniæ, & obtrectationes, quæ charitati fraternæ maximè aduersantur, ac communem pacem perturbant.

15 Munditiem omni studio curent in propriis officinis, & in rebus omnibus ad ipsarum officium spectantibus; quippe quæ maximè decet religiosos homines, & omnibus esse solet acceptissima.

QVÆRES V. Quæ documenta à Monialium Confessariis tradi possint, ac debeant Monialibus Nouitiis ad vitam religiosam ritè in iis instituendam.

289. Resp. posse, & debere tradi sequentia; nimirum.

1 Intelligant beneficium vocationis religiosæ esse singulare; de eo quotidie gratias Deo agant quàm maximas, & perseuerantiam toto animi affectu deprecentur; memores non eum, qui inceperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, saluum futurum esse.

2 Animo sæpè recolant religiosos in Religione viuere purius, cadere rariùs, surgere velocius, incedere cautius, irrorari frequentius, quiescere securiùs, mori confidentius, purgari citius, remunerari copiosiùs, ad æternam gloriam peruenire faciliùs.

3. Frequenter meditentur, vnde erutæ, quò vocatæ, quæ mala euaserint, quæ bona acceperint, ad quid Religiosum statum susceperint; quibus mediis finem intentum assequi possint: quas, & quantas obligationes susceperint in ipso Religionis ingressu.

4 Meminerint frequenter, quod *locus non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificat, & nos*, teste S. Augustino *in serm. 27. ad Fratres in Eremo: peccauit enim Angelus in cœlo, peccauit Adam in Paradiso; & tamen nullus locus sanctior illis erat: si habitatorem loca beare possent, nec homo, nec Angelus à dignitate corruissent.*

5 Recogitent assiduè, quales fuerint prima die, quando exierunt de sæculo, & receptæ sunt intra monasterium: talesque semper curent permanere, vt piè dicebat Agatho: quin etiam semper in dies debent crescere in spiritu, ac feruore dicentes cum Dauid Psal. 76. *Dixi, nunc cœpi.*

6 Insistant sedulò abnegationi sui ipsius tam quoad intellectum, quam quoad voluntatem; carnem discreta, ac moderata castigatione iuxtà Confessarij consilium edoment, corporis sensus mortificent, & inordinatos animi affectus fræno rationis coerceant: vt dicere meritò possint cum Paulo. Rom. 8. *propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.*

7 Quammaximè afficiantur exercitiis spiritualibus, orationi, meditationi, examini conscientiæ, lectioni piorum librorum, frequentiæ Sacramentorum: & hæc assuescant facere omni studio, ac diligentia; illorum vsum præferentes cuicunque alij occupationi temporali iuxtà consilium Sapientis Eccles. 12. *Deum time, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo.*

8 Quasi à facie colubri fugiant peccatum mortale, & à venialibus, præsertim magis voluntariis, pro viribus abstineant: quippe quæ paulatim disponunt ad mortale, minuunt diuini amoris feruorem, animæ potentias debilitant; eius pulchritudinem aliqua labe inficiunt; & non parum impediunt diuinæ gratiæ augmentum; vt communiter docent Theologi.

9 Magni faciant intentionis puritatem in omnibus, etiam particularibus; vnicum Deum intendant, & quærant; magnam cum illo familiaritatem contrahant per frequentem piorum actuum, ac orationum iaculatoriarum vsum: proprium spiritualem profectum præferant vniuersis vitæ huius bonis, & quæcunque illum possunt retardare, omninò amoueant: scientes nihil prodesse homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ propriæ detrimentum patiens, vt habetur Matth. 16.

10 Sincere, ac fideliter proprio Patri spirituali totam suam conscientiam manifestent: ipsi aperiant non solùm proprios defectus, prauas inclinationes, ac tentationes, sed etiam pœnitentias voluntarias, actus bonos, & diuinos fauores; sibi certò persuadentes in vitæ spiritualis circulo nullum medium dari vtilius, efficacius, & magis necessarium, quàm sit fidelis, clara, ac sincera manifestatio conscientiæ.

11 Paupertatem diligant vt matrem; castitatem æmulentur Angelicam; Christi obedientiam perfectissimam imitentur: fraternam charitatem puram propter solum Deum absque nota singularitatis custodiant; simplicitatem, & animi candorem sequantur, ab omni artificio, duplicitate, & quacunque politica procedendi ratione prorsus adhorrentes, regularum, etiam minimarum exactam curent obseruantiam; modestas denique, humiles, patientes, ac deuotas in omnibus se exhibeant.

12 Bonorum temporalium, quibus renunciarunt, amplectentes statum Religiosum penitus obliuiscantur: nullam mentionem faciant de bonis parentum, nobilitate familiæ, & consanguineorum amplitudine, ac dignitate: non ostentent præclaras animi, & corporis dotes, quibus fortè insignitæ sunt; memores Religiosis in Deo solo esse gloriandum.

13 Curent compositionem non solùm internam animi, coercendo inordinatos animi affectus, & prauas propensiones corrigendo; sed etiam externam: ita vt caput non leuiter huc, illuc dimoueant; oculos vt plurimum demissos teneant; rugas in fronte,

&

& multò magis in naso eniteat; labia nec nimis comprimant, nec nimium deducant; in facie non præferant tristitiam, nec alium minùs moderatum affectum; manus, si non occupentur in detinenda veste, decenter quietas detineant, incedant passu moderato, sine notabili festinatione, nisi vrgeat necessitas: omnes denique gestus, ac motus ipsarum ij sint, vt apud omnes pariant ædificationem.

14 Parcè loquantur, maximè coram Superioribus, & Monialibus antiquioribus iuxta Prouerb. 11. *in medio seniorum ne adiicias loqui*: &, si loquendum fuerit, meminerint modestiæ, ac ædificationis tum in verbis, tum in ratione, ac modo loquendi: *si quis enim putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, huius vana est religio*, inquit S. Iacobus *cap.* 1.

15 Modum recitandi diuinum Officium, & varias Chori cæremonias benè percipiant, assuescant illas exactè obseruare, accuratè considerent regulas, ac constitutiones Ordinis, sedulò examinent obligationes vitæ Religiosæ, & ex proposito sæpè recogitent, num ipsis suppetant vires sufficientes ad illas perfectè implendas; ne postea de iis dici possit, quod habetur Lucæ 14. *Cœpit ædificare, & non potuit consummare.*

16 Caueant quammaximè à fœminarum sæcularium vanitatibus: abstineant à quocumque corporis ornatu, simplicitatis Religiosæ limites excedente: fuci, cincinni, & similia vanæ pulchritudinis fomenta in iis, nec nominentur: speculi vsum aut nullum, aut breuissimum habeant: vnam denique animæ pulchritudinem affectent, & curent iuxta verba Pauli 1. Corinth. 7. *Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quo modo placeat viro.* quippe omninò dedecet vanam corporis pulchritudinem affectari à sponsis illius, cui teste Isaia *cap.* 53. *non est species, neque decor; qui est despectus, & nouissimus virorum, vir dolorum, & sciens infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus; vnde nec reputauimus eum.*

17 Attendant bona exempla, quæ Deo dante, in quolibet Monialium monasterio non desunt; &, si in Moniali aliqua antiquiori aliquid inspiciant redolens aliqualem regularis disciplinæ relaxationem, non ideò illud sibi etiam permissum existiment: æquitas enim petit, vt aliqua permittantur Religiosis senioribus, quæ in ipso Religionis ingressu non decet permitti iunioribus: aliàs si iunioribus permittantur quæcumque permittuntur antiquioribus Religiosis, vbi ij fient ex antiquioribus, si quoad hoc consequenter procedant, ad omnimodam Religiosæ obseruantiæ dissolutionem deuenient: vnde fit, vt, si quæ exempla minùs bona animaduertant in aliqua Moniali, debeant compati fragilitati humanæ, ac excusare intentionem, interim tamen ab iis abstinentes.

18 Ad collocutoria vel nunquam, vel valdè rarò accedant; &, si ex causa iusta accedant, in omnibus procedant cum Religiosa ædificatione, & quàm citissimè se expediant; memores in multiloquio non deesse peccatum Prouerb. 10. Iesúmque inueniri, non inter cognatos, & notos, sed in templo, & quidem non statim, sed post triduum.

19 Literas neque recipiant, neque scribant, nisi de licentia Superiorissæ, aut propriæ Magistræ iuxta monasterij consuetudinem; &, si quas scribunt, eæ sint, quæ deceant sponsam Christi, ac Nouitiam Religiosam: fabulas sæculares scire non curent: libros denique minùs honestos omninò auersentur, sicut & sermones minùs pios; scientes corrumpere bonos mores colloquia praua.

20 Identidem se excitent ad nouum feruorem, & amorem Dei: erubescant conuersæ ad Dominum minori affectu sectari iustitiam, quàm iniquitatem antea sectarentur: *pudeat negligentius nunc in vitam, quàm prius in mortem ire, & minori studio salutis acquirere, quàm perditionis augmentum*; vt loquitur S Bernardus *Epist.* 240. considerent quanto labore, ac studio sponsa carnalis curet placere proprio sponso; & erubescant se ita parum laborare, vt placeant Christo qui eas eligit in sponsas.

QVÆRES VI. Quibus monitis possint, & debeant Confessarij Monialium instruere Puellas intra Monialium monasteria degentes in educatione, ad hoc, vt educatio cedat in maius bonum ipsarum puellarum.

Respond. posse, & debere instruere sequentibus monitis; nempe, 190.

1 Intelligant se intra monasterium admissas in educationem primò, & principaliter vt instruantur in Christianis moribus, & actibus pietatis; ideóque vt finem intentum consequantur, ad studia pietatis maximè incumbant, suas preces quotidie recitent, Missam audiant deuotè singulis diebus: vnoquoque mense confiteantur sua peccata; immò & communicent, si iam ad communionem admittuntur; pios libellos ipsarum statui, ac ætati proportionatos legant; interdum ieiunent, sin minùs ieiunio rigoroso (ad quod tenentur solùm post annum 21. expletum) saltem per modum aliqualis abstinentiæ, vt sic paulatim assuescant ieiuniis Ecclesiæ obseruandis; conciones, ac pios sermones, qui habentur ad Moniales, attentè audiant; reliqua denique pietatis opera exerceant conditionem ipsarum ætatis, ac status.

2 Debitam seruent modestiam in omnibus, in vestitu, incessu, corporis ornatu, ac locutione: cantiones prophanas nullo modo canere permittantur, sed solùm pias, ac spirituales: non scribant, nec accipiant litteras, nisi de consensu propriæ Magistræ: ad collocutoria non sinantur accedere sine assistentia ipsiusmet Magistræ; & quidem regulariter solùm in casu, quo eæ vocentur ab extraneis personis, in puellis dimittendis cautius procedat Magistra & maiori vigilantia assistat; ne aliàs innocens ouicula commissa fidei lupi alicuius infernalis miserè discerpatur.

3 Debitam reuerentiam, ac obedientiam propriæ Magistræ præstent: eius consilia libenter audiant; patienter ferant illius reprehensiones, immò, & punitiones: de ea minimè conquerantur, siue apud puellas socias, siue apud Moniales; illam speciali affectu diligant, habeántque in magna æstimatione, æqui, boníque consulant quidquid de ipsis dicat, agat, aut disponat, certò existimantes ab ea totum dirigi ad bonum ipsarum siue spirituale, siue temporale: Moniales omnes Conuentus, & maximè antiquiores venerentur.

4 Nullam ex puellis sociis habeant præ aliis magis familiarem; caueant maximè, ne cum aliqua illarum secedant in loca secretiora; nullo modò se tangant inuicem, neque in facie, neque in manibus; ne inter se misceant colloquia virginali pudicitiæ minùs conformia; ne sibi mutuas largitiones faciant, quibus foueatur inter ipsas amor inordinatus, aut concilietur.

5 Abstineant à mendaciis, etiam iocosis, à quocunque genere iuramenti, ab imprecationibus, detractionibus, conuitiis, & aliis quibusuis linguæ defectibus.

6 Se diligant inuicem tanquam sorores; nullæ inter ipsas rixæ, contentiones, ac dissensiones permittantur: non se offendant verbis, & multò minùs factis: si interdum se offendant, curent Magistræ, quarum curæ commissæ sunt, vt quàm primum reconcilientur.

7 Otium omnium malorum originem in primis euitent, ac proinde semper in aliqua re occupentur; somno ne sint nimis deditæ; gulam fræno temperantiæ cum debita moderatione contineant, sicque caueant, ne comestibilia occultè surripiant à propria Magistra, aut ab aliis Monialibus: in ordinariis recreationibus modum non excedant, seque in iis ita gerant, vt impleant consilium Apostoli Philip. 4. *Gaudete in Domino semper; iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus.*

8 Magnam concipiant confidentiam erga Confessarium; &, si fortè ex humana fragilitate aliquid cogitarunt, aut commiserunt, naturalem erubescentiam omninò euincant, ne alioqui pluribus confessionibus sacrilegis se implicent, & fiat error peior priore: grauiores tentationes, cuiuscunque generis eæ sint, illi sincerè manifestent, ab illo opportuna remedia exposcant, eaque suis temporibus cum Dei gratia vsurpent.

9 Propriam pudicitiam tam animæ, quàm corporis Deo, Beatæ Virgini Mariæ, Angelo suo custodi, & Sanctis Tutelaribus assiduè commendent: diabolicas tentationes aduersus illam quomodocunque insurgentes statim repellant; quæcunque eius nitorem labefactare possunt, solicitè effugiant; ad hunc etiam effectum sensus corporis, visum, auditum, gustum, tactum, & olfactum accuratè custodiant; animæ affectus, ac potentias imperio rationis subiiciant; & carnem ipsam, si opus sit, corporali aliqua afflictione castigent.

10 Bonam, & salutarem electionem status à Deo in suis orationibus efflagitent quotidie: nec ad statum Religiosum amplectendum sinant se temerè induci, siue ex suggestione parentum, siue ex importuna suasione Monialium, cum quibus degunt, siue ex consilio propriæ Magistræ: sicque priùs quàm in re adeò graui deliberent, consulant Deum, Patrem suum spiritualem, vel alium prudentem, pium, ac discretum virum: alioqui, si incautè, ac imprudenter, & ob humanos respectus consentiant in susceptionem status Religiosi; temporis progressu ipsas pœnitet promissionis, & (quod peius est) ex puerili erubescentia non audentes reuocare consensum, inuitæ Religionem ingrediuntur, & in ea inquietè viuentes veraciter de se ipsis dicere possunt, quod ex pia animi submissione, ac modestia dicebat S. Bernardus *ep. 249. Clamat ad vos mea monstruosa vita, mea ærumnosa conscientia: ergo quædam chimæra sæculi sum: nec Clericum gero, nec Laicum; nam Monachi iam dudum exui conuersationem, non habitum.*

Hinc enim in Concil. Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 17.* præscribitur, vt puellæ admittendæ ad nouitiatum voluntas accuratè exploretur ab Ordinario, & quidem eo modo, quo diximus, *cap. 2. sect. 1 q. 4. per totum.* Quamuis talis exploratio non videatur necessaria, neque in casu, quo Monialis nouitia profiteatur vigore indulti Pij V. relati *cap. 9. num. 18.* (idque ob rationem adductam in *hoc ipso cap. n. 224. §. Quod si*) neque in casu, quo nouitia transitet ad suscipendum habitum alterius Ordinis; in quo nulla maior difficultas appareret in regulari obseruantia, quàm esset in priori Monasterio: Intellige, si aliunde sufficienter constet Ordinario nouitiam voluntariè, ac liberè transire ad illum alium Ordinem: si enim de hoc non constet, iterum explorari debet illius voluntas quoad hoc particulare, vtpote principaliter intentum à Concilio; non item quoad alia; cum de iis sufficienter constet ex exploratione facta in ingressu Prioris Monasterij; & alioqui cessante fine legis cesset lex *l. si. ff. de adul.* & qui certus est, certiorari non debeat, *l. 1. ff. de act. emp. & vend. c. eum qui, ff. de reg. iur. lib. 6.*

QVÆRES VII. Qualem modum orandi mentaliter facilem, ac vtilem possint Confessarij Monialium illis tradere, vt in eo se exercere valeant maiori incremento proprij profectus spiritualis.

Respond. posse tradere sequentem, quem maioris 291.
charitatis gratia in §§. sequentibus distinctis subiicio; videlicet.

1 Oratio mentalis vt vtiliter, ac fructuosè fiat, aliqua requirit ante ipsam orationem, aliqua in ipsa oratione, & aliqua post illam.

2 Ante orationem ex consilio Sapientis Eccl. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum*; duplex requiritur præparatio: altera in eo consistit, quod ex libello ad id destinato opportuno tempore meditationis puncta colligantur: idque ne ipso orationis tempore mens distrahatur ad quærendam materiam meditationis: altera consistit in eo, quòd Deum præsentem viuaciter concipiamus per fidem, eumque profundissima corporis, & animæ reuerentia adoremus; adhibitis verbis illis Abrahæ Genes. 18. *loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis*: tum enixè petamus à Deo, vt quæcunque ea die cogitaturi, locuturi, facturi, ac passuri sumus, omnia cedant ad maiorem ipsius honorem, ac gloriam; denique cogitemus, quid tunc temporis simus à Deo petituri.

4 In ipsa oratione curandum in primis, vt mysterium, quòd sumus meditaturi, benè intelligamus, & firmiter credamus; tum considerandæ attentius causæ, ac rationes illius; tum indagandi veri fines, ob quos peractum est mysterium; tum inquirendi effectus illius, fructus scilicet, & damna inde prouenientia; denique perpendendæ circunstantiæ, ac proprietates dicto mysterio annexæ, v. g. meditatura est Monialis mysterium Incarnationis: 1. debet benè intelligere per tale mysterium filium Dei in vnitate personæ naturam humanam sibi copulasse; ita vt Deus dici possit homo, & homo dici possit Deus: 2. indagare debet causam huius mysterii, quæ fuit diuina bonitas: 3. debet inuestigare fines dicti mysterij, qui fuerunt redemptio generis humani, & diuinæ charitatis manifestatio: 4. inspicere debet fructus ex præfato mysterio prouenientes, qui sunt remissio peccatorum, mortis destructio, aditus ad Cœlum, & similes: 5. considerare debet circunstantias talis mysterij, locum scilicet, tempus, & modum; nec non proprietates animæ, & corporis, quæ Verbum diuinum modo dicto sibi copulauit.

5 In consideratione autem cuiuslibet harum rerum immorari debet intellectus Monialis meditantis, quamdiu in iis deuotionem inuenit, ac gustum spiritualem absque anxietate transeundi vlterius; & curandum est, vt voluntas ipsa inde excitetur ad varios affectus (cum ad hos potissimum ordinetur oratio mentalis) & fiant variæ petitiones, & colloquia iuxta materiæ propositæ exigentiam. Vbi verò Monialis vnam ex dictis rebus hoc modo perpenderit, ac ponderauerit, eadem pace, & animi quiete ad aliam progredietur eodem modo, & sic deinceps, vsque dum totam perfecerit meditationem.

6 Affectus,

6 Affectus qui in progressu meditationis excitari debent, esse possunt ex iis, qui comprehenduntur in præsenti alphabeto, videlicet Adnratio: admiratio: aspiratio: amor: sui ipsius accusatio: Benedictio: beneficentia: Confessio, cognitio Dei,& sui, compunctio, congratulatio: Deuotio; desiderium:delectatio: derestatio; donatio: Exultatio: electio: eleemosyna: Fides: fiducia: fruitio; Glorificatio: gaudium; gratiarum actio: gratitudo: Humiliatio: honoratio: holocaustatio; Imitatio: inuocatio:interrogatio: indifferentia: Laudatio: Mortificatio: mansuetudo: mendieitas spiritualis:magnanimitas: Nitor intentionis,in operando: Obedientia: oblatio: obsecratio: odium peccati: Prostratio:propositum:petitio: Querelæ aduersus se ipsum, diabolum, & alios humanæ salutis hostes: Reuerentia: resignatio: Religio: Spes: submissio: supplicatio: Timor; tristitia: Vnio cum Deo: Zelus honoris Dei, & salutis animarum.

7 In proposito igitur mysterio Incarnationis elici poterunt, & debebunt affectus amoris in Deum, fiduciæ in diuinam bonitatem, gratitudinis, gratiarum actionis, odij, ac detestationis peccati, propositi de cætero non peccandi,&c.

8 Admisceri possunt, & debent etiam in meditatione petitiones, & colloquia pro conditione materiæ, quam meditamus: petitiones quidem, quibus imploremus Dei auxilium, petamus gratias necessarias, aut postulemus liberari à malis tam spiritualibus, quam temporalibus: colloquia verò modò cum Deo (& quidem etiam cum vnaquaque ex tribus diuinis personis seorsim) modò cum Christo, modò cum B.V.Maria, modò cum Angelis, modò cum Sancto aliquo; modò nobiscum ipsis; pro vt exiget materia meditationis, suggeret affectus, & Spiritus Sancti illustratio insinuabit.

9 Quamuis ad actum orationis mentalis potissimum concurrant intellectus, memoria, & volontas; ad illam tamen non parùm conferunt etiam aliæ potentiæ animæ inferiores, & maximè imaginatio; qua Monialis meditatura mysterium v.g.Natiuitatis Christi,sibi efformet imaginem porticus vndequaque frigori expositæ, ibique paruulum pannis inuolutum: sic enim Imaginatiua, quæ aliàs tempore meditationis vagatur, & discurrit,manebit certo loco affixa, & multum iuuabit ad mysterium propositum attentè meditandum.

10 Iuuabit etiam ad meditationem locutio ipsa corporalis,Moniali in decursu meditationis prorumpenti in orationem aliquam vocalem, per quam illa excitetur ad maiorem attentionem, ac deuotionem: & hoc, siue recitando aliquam orationem compositam ab Ecclesia, aut ab aliquo Sancto: siue illam hic,& nunc ex se concinnando iuxtà præsentem deuotionem, ac necessitatem spiritualem.

11 Præterea iuuari potest meditatio etiam per vsum sensuum & per ipsum situm corporis: sed de his non potest tradi certa regula:alij quippè meliùs, ac fructuosius meditantur detinendo oculos clausos; alij aspiciendo Cœlum, vel denotam aliquam imaginem; alij audiendo cantus musicales; alij recedendo à quocunque strepitu: alij crebris ictibus pectus percutiendo; alij frequentes genuflexiones iterando;& alij brachia extendendo in modum crucis; alij se prosternando super terram; & alij in certo loco firmis pedib.se sistendo, alij leniter deambulando; alij sedendo ex humili aliquo loco. Quare quo ad hoc eligat Monialis quod experitur sibi magis conferre ad deuotionem cordis, attentionem, & quietem; habita ratione tam propriæ infirmitatis corporalis,quàm ædificationis astantium,si meditatio fiat in loco publico.

12 Finita meditatione, cogitare debet Monialis qualiter in ea se gesserit: an ante orationem se præparauerit, materiam ad meditandum præuenerit, fructum ex ea eliciendum præuiderit; an statuto tempore inchoauerit statim meditationem; an distractiones passa sit, & quas, qualiterque in iis abigendis se gesserit;an dormitauerit aliquantulum, & cur: quid fuerit meditata; an intellectui plus æquo laxauerit habenas discurrendi;quos affectus in se excitauerit: quid à Deo postulauerit; quæ bona proposita elicuerit; qua reuerentia, ac humilitate apud Deum astiterit, an aliquem alium defectum in meditatione commiserit.

13 Quod si monialis velit meditari aliquod ex nouissimis; mortem v.g.aut turpitudinem peccati mortalis,aut aliquam ex regulis sui Ordinis,vel aliud simile:debet proportionaliter seruare regulas hactenus traditas: sient in casu, quo ope meditationis vellet se disponere ad grauem mortificationem fortiter sufferendam, ad implendam aliquam obedientiam admodum difficilem, ad sustinendam magnam iniuriam sibi extrinsecus illatam, ad promptè excipiendum è manu Dei infortunium aliquod grande sibi imminens,ad molestam,ac longam infirmitatem patienter ferendam, & in aliis similibus casibus: in his eim omnibus considerari debent natura rei propositæ.eius causæ,seu rationes, fines illius, effectus; seu fructus,& reliquæ circumstantiæ, quæ rem illam comitantur:tum excitandi varij affectus,& faciendæ variæ petitiones iuxtà exigentiam rei cadentia sub meditationem, & indigentiam Monialis meditantis.

14 Cauendum, ne Monialis desistat ab oratione mentali ex eo quod in ea nesciat diutiùs differere de re posita ad meditandum,& statim arescat;nulla bona cogitatione ei recurrente,qua puncta meditationis extendat:si quidem vigor mentalis orationis plùs consistit in piis affectibus,ac bonis desideriis voluntatis, quàm in diffusis discursibus, ac speculationibus intellectus: vnde fit, vt sæpè homines rudiores meliùs,ac fructuosius orent mentaliter,quam viri sapientes,ac docti;eò quod illi per simplicem aliquam cogitationem statim traseant ad pios affectus,& in his se diutius detineant;qui vtique in oratione mentali principaliter intenduntur, quo pacto Philosophus quidam apud Gersonem super Magnificat, *alph.86.lit.D.* dicere solebat

Inquiramus, quid sit virtus,non vt sciamus,sed vt boni efficiamur.

15. Cùm finis orationis mentalis sit emendatio nostrorum defectuum, & remedium nostrarum infirmitatum spiritualium; propterea Monialis accessura ad orandum debet præmeditari, ac præuidere non solùm puncta meditationis) vt iam diximus) sed etiam fructum, quem determinatè intendit percipere ex illa; ad illum ordinando totam meditationem, & omnes pias cogitationes in ea recurrentes tanquam media ad illum consequendum.

16 Vt fructuosior sit oratio mentalis, confert non solum post illam in aliquo libello adnotare breuiter fructum illius,& bona proposita in ea elicita;sed etiam ipso tempore orationis determinare fructum aliquem ea die practicandum, vt, si ope meditationis tibi proposuisti patienter sustinere iniurias, & molestias à socio inferendas; debes determinare aliquid particulare, in quo patientiam exerceas illa die: v.g. in casu, quo iniustè tibi contradicatur, in iis, quæ dicis: aut certè honor debitus denegetur.

17 Oratio mentalis curandum semper est, vt sit practica, adeóque descendat ad casus particulares; non autem sistat in generali voluntate, ac desiderio alicuius virtutis: quare non sufficit, quod Monialis in oratione mentali afficiatur circa virtutem obedientiæ in genere, sed debet determinare casus particulares, in quibus exerceat obedientiam, & in quibus maiorem sentiat repugnantiam.

18 Quod si Monialis inter orandum frequentes patitur distractiones, quibus dæmon conatur impedire orationis fructum: contra illas pugnandum est tum humilitate, per quam orans suam infirmitatem agnoscat, confundatur se Deo astare adeò irreuerenter: tum fortitudine, qua firmiter statuat pro viribus repellere quamcunque cogitationem alienam à materia orationis, quantumuis ea fuerit de re sibi grata, vtili, ac necessaria: tum oratione ipsa, qua Deum deprecetur, vt regat potentiam suam imaginatiuam, & colligat cogitationes suas dissipatas; tum fiducia in Deum elicita, qua confidat, sicut dat velle orare, daturum & posse: tum denique sua industria, ac diligentia, qua ante orationem illa omnia à mente sua amoueat, quæ cupit non irrepere sibi in ipsa oratione, vt monet *Cassianus collat. 9. cap. 2.*

19 Si quando Monialis ex propria infirmitate, aut iusto Dei iudicio in oratione omnimodam patitur ariditatem, ita vt se habeat per modum stipitis, tunc consultum est, vt vel aliquem pium librum legat non festinanter, ponderando verba, & ex iis eliciendo varios actus pios, vel vt recitet aliquas orationes vocales, offerens Deo in suorum peccatorum remissionem illius ariditatis molestiam.

20 Non turbetur Monialis ex eo quòd in actu orationis mentalis plures, & grauiores solitò patitur tentationes; si quidem, vt bene aduertit B. Aegidius S. Francisci socius, id facit diabolus, ne obtineamus per orationem à Deo vires necessarias ad illum profligandum: *vt si litem ageres*, ait B. Aegidius, *& regem adires, vt auxilium ab eo deposceres, nonne aduersarius tuus pro viribus contenderet, vt iter tuum impediret: cum igitur in oratione contra Satanæ astutias auxilium deposcamus, versutus ille omnibus viis studet hoc Sanctum exercitium nobis impedire.* Verùm non est, cur hac in re multùm timeamus; quin potius dicere debemus, *si Christus pro nobis, quis contra nos?* tantóque ardentius ad Deum debemus confugere.

21 Fructus porrò orationis mentalis sunt reformatio morum, euitatio cuiuscumque peccati, etiam minimi, fuga occasionum illius, edomatio passionum, coercitio sensuum, mortificatio prauarum inclinationum, victoria difficultatum à Dei seruitio retardantium, fortitudo contra quascumque tentationes, generosa sufferentia molestiarum, prompta executio diuinæ voluntatis, consecutio Christianarum virtutum, & maximè charitatis, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, & mortificationis.

QVÆRES VIII. Quibus monitis induci possint Moniales per suos Confessarios ad Horas canonicas, aliasque orationes vocales attente, deuotè ac reuerenter recitandas.

292. Respondeo posse induci sequentibus videlicet.

1 Cogitent homines orationis tempore coriam intrare cælestem; illam, inquam, curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili, & ineffabili beatorum spirituum exercitu; vt notauit S. Bernard. *de 4. modis orandi*, inde inferens: *Qanta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens, & repens ranuncula vilis? quam tremebundus, quam supplex, quam denique humilis, & solicitus, & totus intentus animo maiestati gloriæ in præsentia Angelorum, in consilio ipsorum, & congregatione assistere poterit miser homuncio?*

2 Considerent cum eodem S. Bernardo *ser. 8. in Cant.* Angelos Sanctos astare orantibus, offerre Deo preces, & vota hominum, vbi tamen sine ira, & disceptatione leuari puras manus perspexerint. *Doleo proinde*, subdit S. *Bernardus*, *aliquos vestrum grauis in sacris vigiliis deprimi somno, nec Cæli ciues reuereri, sed in præsentia principum tanquam mortuos apparere, cùm nostra ipsi alacritate permoti nostris interesse solemniis delectentur. Vereor, ne vestram desidiam quandóque abominantes cum indignatione recedant: si sic à nobis boni spiritus elongauerint, impetus malignorum quis sustinebit?*

3 Caueant, ne Regi Deo assistere, & colloqui proficiscentes, Imparatæ hunc cursum faciant; ne forte eas absque armis, & stola regia digna conspectu à longè conspiciens ministris, & famulis iubeat, vt vinctas illas longè à facie sua in exilium mittant, negligentésque & interruptas ipsarum orationes in faciem iis exprobrentur; vt loquitur Climacus *Grad. 28.*

4 Meminerint frequenter quæ habet S. Cyprian. *de orat.* his verbis: *Quo modo te audiri à Deo postulas, cùm te ipsum non audias? vis Deum memorem esse tui, cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis? hoc planè est vigilare oculis, & corde dormire; cùm debeat Christianus cum dormit oculis, corde vigilare; sicut scriptum est, ego dormio, & cor meum vigilat.* Quæ omnia confirmat S. Bernard. *l. de ans. cap. 8.* his verbis: *Loquitur mihi Deus in Psalmo, & ego illi: nec tamen cum Psalmum dico, attendo cuius Psalmus sit: ideò magnam iniuriam Deo facio, cum illum precor, vt meam precem exaudiat, quam ego, qui fundo, non audio: deprecor illum, vt mihi intendat, ego verò nec illi, nec mihi intendo.* Sic etiam S. Cyprianus *in Psal. 37.* ait: *Quo modo nos audiet Deus, cum nos ipsum non audiamus? quo modo faciet ille, quod volumus; cum nos, quod ille vult, non faciamus: vult nos tales esse Deus, vt quasi dij cum Deo loquamur.*

5 Benè perpendant, quod homines quidem aliquos allocuturi qui sunt nobis superiores, & habitum, & incessum, & amictum, & omnia componimus, inquit S. Chrysostom. *in Psal. 4. ad Deum autem accedentes hiamus, fricamus, nos huc, & illuc versamus, negligentes, & socordes sumus; humi genibus flexis per Forum oberramus.*

6 Attendant in actu orationis Christianos eleuare manus in cœlum non solùm quod hic habitus est supplicis, ac petentis & spectantis auxilium ab alio (sicut submergendus extendit manus tanquam auxilium petens) sed manuum eleuatio significet, ac excitet eleuationem mentis in Deum vt notauit Clemens Alexandr. *lib. 7. stromat.* Quamquam dici posset cum Tertullian. *apolog. 30. orantes extensione manuum se Deo offerre, & quasi in manus eius dedere*; vel certè magnam affectus vehementiam designare; quasi manus eleuando vim Deo inferant, & magna fiducia velint manu prehendere quod petunt: vel denique ostendere se nolle torpentes rem petitam obtinere, sed velle manus simul ad opus admouere: & hoc iuxta Psalmum 118. *leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi.*

7 Meminerint placere Deo latinas preces, quas ipsæ recitant, etsi illas non intelligant, nam Abbas Pastor *in vitis Patrum*, cum quidam ei conquerendo diceret: *Ecce oro, & non est compunctio in corde meo; quia nescio virtutem* (idest significationem) *verborum*: respondit: *Et tu tamen orare perge, quoniam sicut incantator, licèt virtutem verborum, quæ dicit, nesciat, serpens tamen audit, & intelligit ea, iisque subiicitur incantanti, & humiliatur: sic & nos, quamuis ignoremus virtutem eorum, quæ loquimur, dæmones tamen audientes ea intelligunt, terrentur, atque discedunt.*

8 Si voluntariè distrahantur in recitandis orationibus vocalibus, putent sibi exprobrari à Christo verba illa, quæ habentur Matth. 26. *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* quæ verba sic expendit Drogo: *quis autem est, Domine, qui tecum vna hora vigilet? etiam in cœlo non est factum silentium, nisi quasi dimidia hora; quantò minùs in terra vna hora vigilabimus tecum?* hæc ille: ex quibus colligitur humanam mentem difficillimè quietam silere in oratione: vt proinde Christus ei opposuerit vallum spinarum, quibus redimitum fuit illius caput, quem minimè transilire possit: quod his verbis expressit S. Athanasius; *Spineam coronam gestat Dominus, vt omnes in securitatem assereret, qua in precibus mentem inconcussam possideret, tanto opus fuit vallo, vt mens humana se se quieta in precibus contineret.*

9 Vt attentè horas 7. canonicas recitent, meminerint illas institutas fuisse ab Ecclesia ad conseruandam memoriam humanæ redemptionis: quippe his horis principalia mysteria illius completa sunt; hora enim vespertina (vnde Officium Ecclesiasticum sumit initium) Christus cœnauit cum discipulis: hora completorij captus est in horto: matutina initum est Concilium perdendi Christum: prima ductus est ad Pilatum, ac Herodem: tertia crucifixus vocibus Hebræorum, flagellatus, &c. coronatus spinis: sexta crucifixus re ipsa: nona spiritum emisit.

10 Accedentes ad orandum vocaliter perinde se gerant, ac si eo die nihil aliud ipsis faciendum foret: sicque cogitationem omnem extraneam, & alienam ab oratione diligentissimè abigant; siue ea sit de officio, quod exercent, siue de negotio, quod tractant, siue de iniuria illata à socia, siue de malo ipsis imminente, siue de qualibet re impertinente ad materiam meditationis: si quidem, *omnia tempus habent*, Eccles. 3. & *sufficit diei malitia sua* Matth. 6. Quin etiam consultum est, vt serui Dei, quandocumque accedunt ad orandum, omnes suas cogitationes temporales iubeant manere extra locum orationis, verba illa Abrahami Gen. 22. vsurpantes: *Expectate hic cum asino; ego, & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos*: ac identidem sibi inculcent verba illa: *Hoc age; hoc age*, quæ Sacerdoti ethnico diis sacrificanti per tibicinem altiori voce inculcabantur ad insinuandam reuerentiam diis debitam.

11 Ad attentè orandum summoperè conferet elicere firmum propositum attendendi non solùm sub initium orandi; sed etiam renouare propositum in principio cuiuslibet Psalmi, &c., si is sit longior, etiam in progressu illius; maximéque quando maiores, ac molestiores ingruunt distractiones; & quidem iterum atque iterum implorato ad talem effectum Dei auxilio.

12 Conferet item ad attentè orandum meminisse de quacumque distractione admissa voluntariè reddendam esse Deo rationem: ac proindè, sicut orans conaretur attentè orare, si nosset cogitationes ipsi tunc occurrentes ab astantibus clarè cognosci, aut ipsum cogendum esse eas manifestare proprio Superiori: sic omni studio procuranda est attentio; cum nobis constet Deo notas esse omnes nostras distractiones, de iis reddendam à nobis esse rationem, imò & subeundam esse debitam pœnam, si fuerint culpabiles: quòd est cõtrahere reatum pœnæ, vbi acquirendum esset incrementum meriti: quo modo dici potest quod habetur Luc. 11. *Vide, ne lumen quod in te est, tenebræ sint.*

13 Cum autem varia possit esse attentio in oratione vocali, videlicèt vna ad verba (quæ dicitur materialis) alia ad sensum literalem verborum (quæ dicitur literalis) & alia, qua cogitatur ad Deum, & ad rem, pro qua oratur (quæ dicitur spiritualis) quæcunque ex his attentionibus habetur, sufficit ad satisfaciendum propriæ obligationi.

QVÆRES IX. quibus monitis Confessarius instruere possit Moniales ad vtiliter instituendum examen conscientiæ tam generale, quàm particulare.

Respond. posse instituere sequentibus monitis; nimirum, 293.

1 Examen generale conscientiæ sic instituendum, vt in primis commemoremus Dei beneficia nobis collata, iis debitas ipsi reddentes gratias; tum petamus gratiam cognoscendi omnes, & singulos defectus à nobis commissos: postea diligenter nos ipsos discutiamus modò infra explicando: denique doleamus quammaximè de defectibus commissis, & aliquam de iis pœnam spontaneè subeamus.

2 Discussio conscientiæ versari debet circa cogitationes, verba, ac operationes siue ex obiecto bonas (cuiusmodi est ratio tam mentalis, quam vocalis, auditio Missæ, confessio, communio &c.) siue malas ex natura sua: item circa inspirationes diuinitùs immissas, sancta desideria concepta, occasiones bene merendi exhibitas, bona proposita elicita, aliaque id genus, quæ ab vltimo examine habito vsque ad illud tempus occurrerunt siue bona, siue mala.

3 Quod principaliter intenditur generali examine conscientiæ, non est cognitio defectuum commissorum, sed vera pœnitudo de illis, & firmum propositum abstinendi imposterum ab illis: ideóque in his duobus punctis insumi debet maior pars temporis assignati pro examine conscientiæ. Quo dato, iure non possunt Moniales conqueri tempus examinis generalis videri nimis prolixum, eo quòd citissimè se expediant in inquisitione defectuum commissorum, vtpotè statim memoriæ occurrentium; sicque non habeant, in quo insumant reliquum temporis, quod superest: possunt enim vtiliter se occupare in concipiendo vero dolore de defectibus factis, & firmo proposito abstinendi imposterum ab illis; quæ duo principaliter intenduntur in generali examine conscientiæ.

4 Plures, & magnæ sunt vtilitates, quæ prouenniunt ex generali examine conscientiæ: nimirum facilior, & celerior emendatio morum; cùm Monialis suos defectus ex habito examine quotidie intuens magis de iis confundatur, & firmius propositum concipiat de iis vitandis, faciliusque ex proposito frequentiùs iterato emendetur iuxta illud, *Gutta cauat lapidem non vi, sed sæpè cadendo*: præterea examen generale conscientiæ confert tum ad confessionem peccatorum faciliùs faciendam; cùm per illud sine alio labore cõmissi excessus in memoriam promptissimè recurrant; tum ad minuendam pœnam aliàs in Purgatorio pro delictis patratis sufferendã, cũ iuxta formam examinis superius propositã eo pacto,

quotidie voluntariam aliquam subeamus pœnitentiam de defectibus ea die commissis: denique illud beneficium prouenit ex generali examine, quod existens in peccato mortali, si vespere, antequam petat dormitum, examinet conscientiam, & in fine examinis eliciat actum contritionis (vti fit) in casu, quo nocte moreretur ex improuiso absque confessione (quod interdum euenit) æternæ damnationis periculum euaderet, aliàs illud incursura.

5 Examen conscientiæ saltem semel qualibet die instituendum, id est vespere: imò consultum est illud sæpiùs facere qualibet die, & maximè in fine cuiuslibet nostræ operationis, quæ sit maioris momenti: quin etiam expediret illud facere qualibet hora.

6 Quod autem spectat ad examen particulare: illud fit de aliquo vitio particulari, quod sit velut capitale, ac radicale, à quo alia vitia quasi rami suppullulant, & quo eradicato, illa pariter eradicantur. fit autem hoc modò; manè resolutè proponas vitium illud tota die heroicè supprimere; assiduè per diem in illud intendas, illúdque iugiter cohibeas; si quando in illud labatis, mox indoleas, fortiórque resurgas: vespere memoreris quoties, quomodo, & qua occasione per diem in illud lapsus sis, & per nouum, ac fortius propositum cauendi, aut superandi occasiones illius, opportunis remediis emendare satagas; demum notes quot vicibus in vitium illud cecideris: & hoc totum facias qualibet die hebdomadæ: die vero Dominica lustres, & videas quid elapsa hebdomada profeceris, aut defeceris, illúdque sequenti septimana compensare, imò & augere seriò constituas.

7 Meminerint Moniales expedire quidem, vt examen particulare priùs fiat de iis defectibus externis, quibus summoperè offenduntur ij, quibus cum viuimus: at curandum, vt quam citissimè ab his nos expediamus vacaturi seduIæ acquisitioni virtutum internarum, in quibus potissimum consistit Religiosa perfectio; sicque eniti debemus, vt ope examinis particularis quam primum ea omnia corrigamus, quæ extrinsecus in Proximis gignere possunt offensionem, & scandalum.

8 Examen item particulare debet trahi ad vnum quid, idest ad illud vitium, per quod credimus magis impediri profectum nostrum spiritualem: si quidem pluribus intentus minor est ad singula sensus; & Exodi 3. dicitur, *Dominus Deus tuus consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, & per partes non poteris eas delere pariter.* Verum tamen est, quod, cùm vitium illud diuidi possit in plures partes, seu gradus, examen particulare trahi debet priùs ad vnam partem, posteà ad aliam, & sic deinceps: v. g. vult quis adipisci perfectam humilitatem ope examinis particularis; is illud debet instituere hoc ordine; primò ne proferat verba cedentia in propriam laudem, ac honorem; tum ne delectetur laudari ab aliis, hinc potiùs sumens occasionem se magis humiliandi; tum ne quid faciat ad conciliandam sibi bonam existimationem apud homines: tum ne reprehensus de aliquo defectu se excuset, defectum alteri imputans: tum vt statim resecet cogitationes vanas, ac superbas quæ fortè insurgant; tum vt practicè existimet omnes tanquam suos Superiores, eosque vt tales teneatur: tum vt libenter amplectatur omnes occasiones se exercendi in humilitate; & sic deinceps.

8 Materia paricularis examinis variari non debet, nisi vitium, ad cuius extirpationem fit examen, perfectè euicerimus, aut, virtutem, quam intendimus obtinere, re vera obtinuerimus; idque iuxta illud Psalmi 17. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant.* Quamquam non sit necesse, vt omninò vitium illud extirpauerimus, ita vt minimus sensus illius in nobis insurgat: nam, teste Seneca *contra vitia pugnamus, non vt pœnitus vincamus, sed ne vincamur;* sicque sufficit, vt motus vitij, aut passionis insurgentes facilimè repellamus.

QVÆRES X. Quibus monitis possint Moniales excitari ad confessionem peccatorum cum spirituali fructu faciendam.

Respond. posse excitari sequentibus monitis; 294
nimirum.

1 Cum frequens vsus confessionis Sacramentalis maximè conferat ad profectum spiritualem; si confessio fiat non perfunctoriè, & quasi ex consuetudine, sed studiosè, & diligenter: curent, quoties confitentur, ea animi præparatione, ac sensu id facere, ac si tunc vltimò essent confessuræ.

2 Sibi certò persuadeant se maiori studio teneri in se excitare verum dolorem de defectibus, quos confessuræ sunt, ac firmum propositum in eos ampliùs non relabendi, quam suam examinare conscientiam (quamuis id ipsum fieri debeat diligenter) sicque omni conatu eniti debent; vt dolorem maximum concipiant de propriis defectibus (præsertim, si sint grauiores) & firmissimum propositum eos de cætero non committendi.

3 Ad hoc autem multùm iuuabit se excitare pia aliqua consideratione, eáque varia; pro vt vnctio Spiritus S. edocebit, & exiget præsens pœnitentis dispositio. Hinc modò se sistant coram Deo instar serui illius Euangelici, qui, cum Domino suo deberet decem mille talenta & non haberet, vnde redderet, procidens coram illo orauit eum dicens; *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi* Matth. 18. modò cum filio Prodigo dicant: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis,* Lucæ 15. modò cum Publicano à longè stantes pectus suum percutiant, & dicant, *Deus propitius esto mihi peccatori;* sibique putent dici à Christo, *Descendit hic iustificatus in domum suam*, Lucæ 18. modò putent sibi à Christo ingeminari verba, quæ Ioseph fratribus suis dixit, quando illis se manifestauit: *Ego sum frater vester, quem vendidistis in Ægypto: nolite pauere; neque durum vobis esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus; pro salute enim vestra misit me Deus in Ægyptum,* Gen 45. modò imaginentur sibi exprobrari innumera beneficia à Deo accepta (sicut olim exprobrata fuerunt Dauidi à Nathan 2. Reginald. 12. additis iis verbis: *Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum?* Et dicant cum ipso Dauide *peccaui Domino*: vt sic mereantur audire verba illa iucundissima, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum:* modò existiment sibi inculcari verba illa Isaiæ 5. *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas?* Sicque propriam agnoscentes ingratitudinem, eam quàm maximè destentur.

4 Caueant, ne ex erubescentia omittant confiteri aliqua pudebunda sub prætextu, quod ea non sint peccata, aut saltem non sint mortalia: id enim est valdè periculosum, maximè fœminis, quæ ex defectu doctrinæ, ac prudentiæ falsò, & quidem etiam culpabiliter, existimare possunt aliqua non

esse

esse peccata, vel certè non mortalia, quæ verè sint talia; sicque exponunt se periculo faciendi confessiones sacrilegas. quod item procedit de iis Monialibus, quæ similia quidem confitentur, sed verbis ambiguis, & modo palliato; ita vt Confessarius minùs bene, ac distinctè percipiat rationem defectus manifestati, aut saltem non attingat sufficienter eius grauitatem: cùm potiùs in simili casu pœnitens sincere, ac simpliciter debeat confiteri suum peccatum, in remissionem illius afferendo verecundiam, quam sentit in eo manifestando.

5 Quòd si clarè agnoscant peccatum, quod erubescunt confiteri, esse mortale, omninò enitantur illud confiteri memores vulnera clausa plus cruciare; cùm è contra, teste S. Gregorio *l. 7. moral. cap. vlt.* quando putredo, quæ intrinsecus feruet, eiicitur ad salutem, dolor aperiatur: attentè perpendant verba illa Oseæ 13. *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius: dolores parturientis venient ei*: recolant item quæ habet Isaias *cap. 37. Venerunt filij vsque ad partum, & virtus non est parturiendi*: eis denique ad talem effectum proponantur à Confessario quæ diximus *in hoc cap. num.* 195.

6 Vt minùs sentiant repugnantiam, ac difficultatem, quæ sentiri solet in confessione peccatorum; existiment sibi dici ab Angelo Custode ea verba, quæ olim Naaman Syro dicta fuerunt à seruis, dum renueret iuxta consilium Elisei descendere in Iordanem ad se lauandum in remedium lepræ: *Et, si rem grandem præcepisset tibi Propheta, certè facere debueras; quantò magis, quia nunc dixit tibi lauare, & mundaberis*: re vera enim Sacramentalis confessio, habita ratione bonorum, quæ ex ea consequuntur (quorum principale est remissio cuiuscumque peccati, quantumcumque atrocissimi) non est onus adeò graue, vt non prompto, ac lubenti animo non debeat suscipi, ac sustineri.

7 Curent, vt confessio ipsarum habeat 16. illas conditiones, quæ à Doctoribus his versibus comprehenduntur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

8 Vt minimum confiteantur decimoquinto quoque die; immò consultum est, vt id faciant qualibet hebdomada; cùm frequens vsus confessionis maius odium peccati inducat, vberius auxilium conferat ad illud vitandum, actum ipsum confitendi faciliorem reddat, aliáque plura, & magna bona spiritualia tribuat.

9 Confessiones generales totius anteactæ vitæ nō repetant sine iusta causa; vt ostendit *in hoc c. n.* 179 præsertim, si angantur scrupulis: expedit quidem, vt generaliter confiteantur in fine cuiuslibet anni ab vltima generali inchoando: sicque S. Bonauentura *in regula Nouitiorum cap. 3.* monet Religiosum, vt annuatim confiteatur: & Benedictus XI. *in extrauag. Inter cunctas, §. cæterum de priuil.* dicit, *licèt hoc non sit necessarium, esse tamen salubre, saltem propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars.*

10 Quod si velint generalem totius anteactæ vitæ confessionem instituere; id faciant apud illum Sacerdotem, qui illarum futurus est Confessarius ordinarius; sic enim illas meliùs dirigere poterit in via spirituali, & salubriora iis remedia tradere ad spirituales morbos ipsarū curandos, quia pleniorē notitiam habebit ipsarū conscientiæ non solùm præsētis, sed etiam præteritæ: quod est bene aduertendum.

11 Si eæ sint confessuræ solum leuiores aliquos defectus, eosque frequentissimos; ita vt non improbabilem rationem habeant dubitandi, num habeant sufficientem dolorem, ac necessarium propositum illos de cætero non committendi consultum est, vt præfatos defectus confessæ ante absolutionem se accusent de aliquo peccato grauiori anteactæ vitæ aliàs remisso, de quo sint certiores moraliter se habere necessarium dolorem, ac sufficiens propositum; cuiusmodi peccatum esse possunt detractiones graues, periuria, imprecationes voluntariæ, & similia, à quibus in præsentia, Deo dante, abstinent.

12 Peccata, quæ frequentius committi possunt à Monialibus, reuocari possunt ad 4. classes sequentes; videlicet contra Deum, contra Religionem, contra se ipsas, & contra Proximum; sicque hunc ordinem seruare poterunt in faciendo examine conscientiæ ante confessionem; nimirum

Contra Deum.

An diuinis inspirationibus responderint, & bona proposita cœlitus immissa adimpleuerint.

An debita præparatione ac fructu susceperint Sacramenta confessionis, ac communionis.

An horas Canonicas debita attentione recitauerint, vel certè eas omiserint.

An, & quas distractiones admiserint in oratione mentali, aut vocali voluntariè habita.

An vota aliqua particularia emissa violauerint.

An blasphemiæ tentationes passæ sint, & qualiter in iis repellendis se gesserint.

An Missam omiserint, maximè in die festo.

An emiserint iuramenta falsa, aut non necessaria.

An commiserint aliquam superstitionem

An diffiderint de diuina misericordia, vel certè de ea nimis præsumpserint, hinc sumentes ansam liberiùs ac grauius delinquendi.

An indeuotè, ac irreuerenter se gesserint in Ecclesia.

An laborauerint seruiliter in die festo.

An fidem dederint somniis.

An Deum debitè amauerint, ei conuenienter seruierint, ipsique de beneficiis acceptis gratias egerint.

Contra Religionem.

An aliquam ex regulis, statutis, aut consuetudinibis violauerint, & quas.

An debitè frequentauerint chorum.

An deliquerint contra votum Religiosæ paupertatis, siue dando, siue accipiendo absque legitima licentia, & maximè ad fines illicitos: siue vsurpando aliquid de bonis communibus Conuentus, aut ea distribuendo contra voluntatem Superiorissæ, aut ea negligenter custodiendo, & conseruando; præsertim si ad hoc tenerentur ex officio.

An peccauerint contra votum Castitatis aliquo ex modis recensitis *cap. 4. num.* 83.

An votum obedientiæ violauerint contrauueniendo præceptis Superiorum, pertinaciter detrectando illorum mandata, officia monasterij negligentissimè obeundo.

An irreuerenter egerint cum propriis Superioribus, de iis detraxerint, ac grauiter conquestæ sint, nec non contra illos odium subditarū concitauerint.

An ex affectu inordinato suum suffragium dederint, aut denegauerint, siue in eligendis Superiorissis, siue in recipiendis puellis ad Nouitiatum, siue in admittendis Nouitiis ad professionē &c. aut aliquam Sororum in his subornauerint.

An

An voluntariè contristatæ sint de statu religioso assumpto, & de hoc ipso illas pœnituerit.
An clausuram violauerint, quomodo, & ad quē finem.

Contra se ipsas.

An vanas, otiosas, ac impertinentes cogitationes admiserint, & in iis voluntariè se detinuerint.
An & qualiter negligentes fuerint in procuranda propria salute spirituali.
An se, & sua indebitè ostentauerint.
An gloriatæ sint de rebus malis, & de quibus.
An verba otiosa protulerint, ac mendacia iocosa.
An sibi complacuerint de peccatis aliàs remissis.
An se exposuerint scienter probabili periculo peccandi, & quo genere peccati.
An sibimetipsis ex animo grauia mala imprecatæ sint.
An impatientes fuerint in sufferendis præsentis vitæ ærumnis, & calamitatibus.
An, & qualiter excesserint in edendo, bibendo, ac dormiendo.
An nimis altè de se ipsis senserint.
An tempus otiosè insumpserint.
An nimis indulserint propriis sensibus corporis.

Contra Proximum.

An illum oderint voluntariè, eiusque bono inuiderint.
An temerè de eo in re graui iudicauerint, falsasque suspiciones conceperint, immò & aliis manifestauerint.
An de eo grauiter detraxerint, & cum præiudicio famæ, aut alios excitauerint ad detrahendum, eosve audierint.
An verba contumeliosa contra illum protulerint.
An dederint praua consilia, & quidem interdum etiam cedentia in graue damnum Proximi.
An ex corde grauia mala Proximo imprecatæ sint.
An discordias graues disseminauerint inter sorores monasterij.
An rixas, contentiones, ac litigia excitauerint, siue referendo quæ viderunt, aut audierunt, siue alia ratione.
An, & qualiter iracundas, ac impatientes se ostenderint.
An malum exemplum dederint, & in quo.
An debitam reuerentiam grauioribus Monialibus denegauerint.
An graue malum proximo exoptauerint deliberatè.
An deliberatè gauisæ sint de malo graui illius, & è contra tristatæ de bono graui.
An aliquid ei surripuerint, aut quoquo modo personam illius offenderint, & qualiter.
An ipsum, & res ipsius liberè despexerint, illum deridendo, illudendo, aut aliter contemnendo.
An secretum naturale in re grauiori violauerint.

13 Meminerint in confessione peccatorum mortalium aperiendum esse numerum, immò & circunstantias speciem mutantes (quod maximè procedit in peccatis contra castitatem commissis) nec se de his interrogari à Confessario; cum; cùm spontè exprimi debeant à pœnitentibus.

14 Pœnitentiam à Confessario iniunctam quamprimum impleant, curéntque eam peragere in statu gratiæ: si enim fiat in peccato mortali, non prodest ad remissionem pœnæ, durante statu peccati mortalis; etsi, obice sublato, suum postea sortiatur effectum.

QVÆRES XI. Quæ monita dari possint Monialibus à Confessario ad communionem Eucharistiam dignè sumendam.

Respond. posse dari sequentia; nimirum

1 Caueant, ne ad Eucharistiam accedere præsumant cum conscientia peccati mortalis: sicque antequam accedant, probent se ipsas iuxta præceptum Pauli 1. Cor. 11. se examinando, num sint dignè dispositæ ad tanta mysteria; memores quod *qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit*, idest damnationem animæ: præterquamquod notat S. Anselmus *super hæc verba*, hodie multos post Pascha variis morbis corripi, eò quod indignè corpus Domini acceperunt; addens per illa alia verba, *& dormiunt multi*, aliquos plures præmaturè mori, vel potiùs mortuos esse ob indignè sumptam Eucharistiam.

2 Videant, ne communicent ex consuetudine absque vlla præparatione, ac vllo sensu deuotionis (id enim maximè impedit fructum Eucharisticæ communionis) meminerintque consultiùs esse non communicare, quàm communicare absque debita præparatione; cùm nimia familiaritas pariat contēptum, aut saltem multum minuat reuerentiam aliàs debitam: vnde fit, vt sic communicanti non impertiantur dona illa cœlestia, quæ dignè communicantibus copiosè solent concedi.

3 Cùm S. Thomas *part. 3. quæst. 24. aliàs 83. art. 5. ad 1.* ex S. Dionysio *c. 3. de Eccl. Hierarch.* dicat ablutionem extremitatis manuum, quæ fit à Sacerdote in Missa, significare emundationem, etiam à minimis peccatis & requiri in iis, qui accedunt ad Eucharistiam iuxta illud Io. 5. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet*: quis non videt summa diligentia curandum esse Monialibus, vt accedant ad communionem conscientia purgata à mortalibus culpis, immò etiā à venialibus, quantum patiatur humana fragilitas, vt proindè fidelibus communicaturis olim ante communionem clamare soleret, præco *Sancta Sanctis*.

4 Conferet autem ad debitam præparationem faciendam ante communionem vti aliqua pia consideratione, & ea varia pro varietate festiuitatis, in qua facienda est communio: v.g. Monialis communicatura in Natiuitate Domini piè imaginetur sibi à B.V. Maria infantulum Iesum tradi in manus: modò existimet se à Christo inuitatam ad cœnaculum, in quo instituta est Eucharistia: modò putet sibi dici à Christo ex altari, quod olim dictū fuit Zachæo Lucæ 19. *Festinans descende, quia in domo tua oportet me manere*: modò sibi persuadeat se admitti ad sugendum pretiosissimum Christi sanguinem è sacratissimo ipsius latere; modò dicat cum Regina Esther, *Cras cum rege pransura sum*, & singularem Christi benegnitatem suspiciat.

5 Conferet item ad debitam præparationem faciendam ante communionem, vt varios actus diuersarum virtutum eliciamus; & maximè fidei, reuerentiæ, humilitatis, confidentiæ, charitatis admirationis, & similium; pro vt hîc, & nunc Spiritus S. vnctio suggeret: in his enim actibus consistit actualis deuotio: quam Magistri vitæ spiritualis requirunt ad fructuosè communicandum.

Quòd si Monialis iudicet se non habere actualē illam deuotionem, quam cupit, procurat, & à Deo enixè petat; non ideo angatur: sed summoperè recreetur; memor de Deo dici Psal. 38. *desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Quo modo sancta Gertruda, cum quadam die cupida dignè se præparandi ad sacram Communionem Virginem Mariam,

&

& omnes Sanctos exorasset, vt pro ipsa offerre dignarentur Deo omnem illam præparationem, qua quilibet illorum aliqua die se ad communionem præparauerat; dixit ei Dominus: *Iam verè omnibus cælicolibus appares in eo ornatu, quem tibi petisti.*

7 Post sumptam communionem gratiæ Deo agendæ de tanto beneficio, immò & habendæ: ad quod vtique multum proderit agnoscere recepti beneficij magnitudinem; quam S. Chrysostomus *homil. 60. ad popul. Antioch.* commendat his verbis: *Quot nunc dicunt, vellem illius* (idest Christi) *formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta: ecce eum vides, ipsum manducas; & tu quidem vestimenta cupis videre; ipse tibi concedit non tantùm videre, iterùm, & manducare, & tangere, & intra te sumere.*

8 Hæc autem gratiarum actio consistit in variis actibus, & quidem in primis adorationis, qua Deum Creatorem, ac Redemptorem nostrum intra cor nostrum receptum veneremur toto animi affectu; confusionis, qua confundamur nos adeò ingratos in Deum tanta gratia dignatos fuisse, sicque dicamus Christo cum Petro, *Exi à me quia homo peccator sum, Domine*, Lucæ 5. Amoris Dei, per quem feramur in ipsum dicentes cum Sponsa Cant. 3. *Inueni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam*; aut cum Dauid Psal. 17. *diligam te, Domine, fortitudo mea*: displicentiæ de peccatis commissis, qua illam ex animo detestemur, firmiter statuentes imposterum ab iis omninò abstinere. Præterea peti debent à Christo variæ gratiæ, ac dona iuxta nostras spirituales indigentias; videlicet peccatorum nostrorum plena remissio, fortitudo contra tentationes, patientia in aduersitatibus; perseuerantia in benè cœptis, edomatio prauarum affectionum, humilitas, obedientia, mortificatio, & aliæ virtutes nobis magis necessariæ: item debemus concipere multa bona proposita, & quidem non solùm in generali, sed etiam in particulari; v. g. remittendi iniuriam acceptam, & procurandi reconciliationem erga illum, qui eam intulit; exequendi aliquam obedientiam impositam à Superiore sensui valde contrariam nostro appetitui; abnegandi in hac vel illa re particulari. debemus item Christo offerre nos ipsos, & omnia nostra, dicentes cum Dauid Psalm. 118. *quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* vel etiam deuotè recitantes orationem illam, quam S. P. N. Ignatius proponit in exercitiis spiritualibus his verbis: *Suscipe Domine vniuersam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem: quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum: amorem tui solum cum tua gratia mihi dones, & diues sum satis, nec aliud quidquam vltra posco.* Denique orare debemus pro necessitatibus tam spiritualibus, quam corporalibus tum totius Ecclesiæ, tum parentum, consanguineorum, ac amicorum; nec non comparare indulgentias tum pro nobis ipsis, tum pro defunctis, quas lucrari possumus, siue ex numismate aliquo benedicto, siue aliunde.

Qua die communicant Moniales, maiori diligentia caueant ab iis omnibus, quæ Christum offendere possint, siue loquendo, siue cogitando, siue operando: è contra verò maiori studio, ac deuotione vacent exercitiis spiritualibus quo modo P. Suarez dicit linguam Sacerdoti, & communicaturo maximè custodiendam esse: quippe quæ est primum membrum, quod Christum excipit. Ad quod faciunt quæ habet S. Chrysost. *hom. 61. ad pop. Antioch.* his verbis: *Cùm nos ab ira corripi viderimus, vel ab alio vitio, cogitemus quibus facti sumus digni, & sit irrationabilium nobis motuum correctio talis cogitatio.*

10 Caueant Moniales, ne statim, sumpta Eucharistia, ab Ecclesia transeant ad negotia temporalia absque debita gratiarum actione: id enim magnæ irreuerentiæ, ac inurbanitatis indicium est; non secùs, ac inurbanus censeretur, qui Principem domi suæ exceptum statim deseteret, domesticis negotiis vacaturus: caueant, inquam; aliàs assimilabuntur cani, qui, accepta de manu Domini bucellà panis, statim ab eius conspectu recedit.

11 Fructus principalis Eucharistiæ communionis in eo consistit, vt corrigamus vitia, acquiramus virtutes, & vitam commutemus in melius: ita vt de nobis dici possit: *Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit*, Prouerb. 31. & nos ipsis de nobis dicere possimus cum Paulo Galat. 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.*

12 Quod si ex frequenti communione non sentimus in nobis illos effectus, qui aliàs ex ea solent oriri: id prouenit tum est defectu debitæ præparationis, eo quòd communicemus quasi per consuetudinem, & ob humanos respectos; tùm ex nimia facilitate, qua consentimus in peccata venialia magis deliberata, ac voluntaria, Deum sic ad aliqualem iracundiam prouocantes, & nos magna ex parte priuantes effectibus diuinis Eucharistiæ cum magno præiudicio nostri profectus spiritualis. Quamquam ex iusto Dei iudicio interdum communicans sibi videatur nullum percipere fructum ex communione; cùm vere magnum, ac multiplicem capiat: quomodo infirmus, cibo sumpto nutritur, & iuuatur, etsi in eo sumendo nullum sentiant gustum.

13 Non ergo fideles debent omittere communionem ex eo quod sibi videntur communicare absque vllo fructu: non enim exiguus fructus communionis est in via Dei non retrocedere labendo in defectus grauiores, in quos fortè communicans incideret, si frequenter non communicaret: quo modo Concilium Trid. *sess. 13. c. 2.* Eucharistiam dicit esse antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruamur.

14 Cùm de Eucharistia dicatur Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*: fideles quo magis vexantur huius vitæ malis, ac tentationibus, eo frequentiùs deberit communicare; memores Eliam, dum fugeret ab ira Iezabelis, non ambulasse in fortitudine cibi ab Angelo ei præstiti vsque ad montem Dei Horeb. 3. *reg.* 19. nisi postquam bis comedit: si quidem, *Rabano teste* Elias bis pastus exprimit nostræ naturæ infirmitatem, quibus non sufficit simplex pastus, quatenus ad supernam valeat ascendere.

15 Quàm frequenter Moniales debeant communicare, constat ex dictis in *hoc cap. num.* 178. nimirum consultum esse, & valdè commendabile, vt eæ regulariter octauo quoque die communicent: quod non facit, quin aliquæ illarum etiam frequentius communicare possint, si earum Confessarius id iudicauerit ipsis expedire.

QVÆRES XII. Quibus monitis iuuari possint Moniales ad Missam debita cum deuotione, ac fructu audiendam.

Respond. posse iuuari sequentibus monitis, & quidem. 296.

1 Meminerint Angelos Sanctos sacrificium Eucharistiæ adeò venerari, vt ad illud propiùs accedere non audeant; sicque viros Sanctos, & in primis S. Ioan. Chrysostomum, & S. Gregorium Papam

Angelos

Angelos in terram pronos, dum Missam celebrarent; conspexisse: vt vel hinc colligatur, quanta reuerentia homo debeat assistere augustissimo huic Sacrificio.

2 Quoties assistunt sacrificio Missæ; piè sibi persuadeant se in Monte Caluariæ interesse crucifixioni Christi: si quidam vna, eademque est hostia, idémque nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit; sola offerendi ratione diuersa, vt loquitur Concilium Trid. *sess. 22 c. 2.* ac proinde eo sensu animi, ac deuotionis affectu Missæ assistant, quo tunc astitissent crucifixioni.

3 Aduertant fideles Missæ sacrificio astantes omnes vnà cum Sacerdote celebrante concurrere ad illud Deo offerendum; ideóque Sacerdotem in ipsa Missa dicere fidelibus assistentibus: *Orate fratres, vt meum, & vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum patrem omnipotentem*; idemque repetere in canone iis verbis *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tib. offerunt*: hincque colligant, quòd, sicut Sacerdos celebrans summa deuotione, reuerentia, & attentione debet sacrificium Missæ peragere; sic & eæ pro sua parte ad illud debent concurrere ea maiori deuotione, ac reuerentia, qua possunt.

4 Proderit multum ad audiendam Missam debito deuotionis affectu imaginari in Sacerdote celebrante Christum ipsum patientem (qui reuera in sacrificio Missæ est principalis minister, ideóque verba consecrationis à Sacerdote proferuntur in persona ipsius, *Hoc est enim corpus meum*) & in vestibus sacerdotalibus agnoscere varia mysteria Dominicæ passionis; nimirum in amictu velum, quo vultus Christi à Iudæis velatus est; in alba vestem, qua ille indutus est ab Herode ad illum illudendum; in cingulo funes, quibus constrictus est in captura; in manipulo ligamina, quibus alligatus est columnæ flagellandus; in stola funes eius collo appositas, dum Crucem baiulaturus esset ad Caluariæ locum; in planeta denique vestem purpuream, qua ipsum ludibrij causa induerunt, vel certè vestem inconsutilem, qua crucifigendus exutus est.

5 Proderit item ad audiendam Missam deuotè, ac Religiosè in singulis actionibus Missæ agnoscere mysteria vitæ, ac passionis, quæ in iis significantur; videlicet in introitu Missæ, qui canitur à choro, dum Sacerdos celebraturus accedit ad altare, ardentissima Sanctorum Patrum desideria quibus diuini Verbi incarnationem expetebant (& quidem frequenter; vnde & à choro introitus Missæ repetitur) in confessione, quam facit Sacerdos initio Missæ, Christi humilitatem, qua non est dedignatus subire formam peccatoris, vt peccatores redimeret; in repetitione *Kyrie eleyson* (quæ verba idem significant, ac, *Domine misericordia*) abyssum innumerarum miseriarum, quibus homo detinebatur; in variis signis, ac crucibus, quæ formantur à Sacerdote super hostia, & calice, varios cruciatus, ac dolores à Christo in Cruce toleratos; in eleuatione hostiæ, & calicis, eleuationem Crucis à Iudæis factam, vt Christus in ea clauis confixus ab omnibus conspiceretur; denique in consumptione hostiæ, Christi sepulturam. Hæc ergo mysteria vel omnia, vel aliqua tantùm, pro vt suggeret præsens deuotio, considerent Moniales, dum audiunt Missam, & iuxta conditionem mysterij eliciant varios actus, amoris Dei, odij peccati, confusionis sui ipsius, gratiarum actionis, & similium; sic enim deuotè, & cum fructu audient Missam.

6 Cùm Sacerdos in Missæ celebratione pluries inuitet fideles adstantes ad orandum dicendo, *Oremus, & Orate fratres*; consultum est, vt quicumque Missæ sacrificio intersunt, quo tempore Sacerdos facit, *Memento viuorum* (vt vocant) etiam ipsi idem præstent, & quidem discurrendo per quinque Christi vulnera (vti faciebat B. P. Borgia) commendantes Deo in vulnere manus dexteræ Papam, Cardinales, Episcopos, & reliquos omnes Ecclesiasticos: in leuæ manus vulnere Imperatorem, Reges, Principes, & alios Ministros laicæ potestatis; in vulnere pedis dexteri omnes Religiosos; in vulnere verò læui pedis parentes, consanguineos, amicos, benefactores, & quoscumque ipsorum precibus commendatos; latus ipsum Christi sibimetipsis reseruantes, vt ibi securi requiescant. Faciant item, *Memento mortuorum* (vt vocant) dum facit Sacerdos orentque pro parentibus, ac consanguineis, pro amicis, ac benefactoribus, pro iis, qui nullum habent ipsis suffragantem, aut grauiores cruciatus patiuntur, aut præ aliis citiùs exituri sunt è pœnis Purgatorij.

7 Conferet item ad Missam deuotè audiendam, si in eius progressu se studiosè disponant ad spiritualem communionem, ea die non communicaturæ sacramentaliter: se disponent autem concipiendo ardentissimum desiderium communicandi, ac vsurpando verba illa Iobi 31. *Quis det de carnibus eius, vt saturemur*; imò quando Sacerdos aperit os ad recipiendam, & consumendam hostiam, os animæ ipsæ aperiant, existimentque se illam recipere, & de illius sumptione inuisibili delectentur, dicentes *Inueni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam* Cant. 3. præmittentes tamen verba illa Centurionis, *Domine, non sum dignus, vt intres in sectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea*, Matth. 8. eliciant etiam varios actus ex iis quos diximus supr. elici debere post communionem sacramentalem: sic enim fructuosa, ac deuota erit auditio Missæ.

QVÆRES XIII. Quæ monita suggeri possint, & debeant Monialibus, ad hoc vt magno cum fructu spirituali audiant conciones, & legant pios libros.

Respond. posse, & debere suggeri sequẽtia nempe, 297.

1 Meminerint Deum ipsum loqui in Ministris verbi Dei iuxta illud Matth. 10. *non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis*; & libros pios esse veluti epistolas nobis à Deo missas è cœlo, dicente, S. Augustino in *Psal. 90. conc. 2. De illa ciuitate, vnde peregrinamur, litera nobis venerunt; ipsa sunt scriptura, quæ nos hortantur, vt benè viuamus*: quod etiam confirmat S. Gregorius *lib. 4. epistolarum, ep. 84.* his verbis: *Quid est scriptura sacra, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam; si quis scripta terreni Imperatoris acciperet, non cessaret, nec quiesceret, somnum oculis non daret, nisi prius, quid sibi Imperator terrenus scripsisset, agnouisset. Imperator cœli Dominus hominum, & Angelorum pro vita tua tibi epistolas suas transmisit, & in, gloriose fili, easdem epistolas ardenter legere negligis* quæ verba belle faciunt contra illos qui vel detrectant audire conciones, & legere libros pios: vel vtrumque faciunt perfunctoriè, ac sine vllo fructu spirituali.

2 Ea reuerentia, ac deuotione audiendum est verbum Dei in concionibus, aut legendum in libris piis; qua ipse Christus audiretur, si præsens loqueretur. sic enim habet S. Augustinus *tract. 30. in Ioan. Nos itaque loquit, sic audiamus euangelium, quasi præsentem Dominum*: propterea namque quando legitur Euangelium, omnes ei assurgunt, quasi Christum in eo venerantes, simulque ad cœlum, quod in eo promittitur, anhelantes; idque ex Apostolorum sanctione, teste S. Clemente *l. 2. Const. apostol. c. 61.*

3 Quan

3 Quantam timendi de propria salute rationem habeant fideles, qui diuini verbi auditioni, aut lectioni sunt minùs affecti; coniicimus ex eo, quod dicit S. Bernardus *serm. 1. in Septuag.* illum, scilicet, qui verbum Dei cum fructu audit, legit, meditatur, signum habere, & tesseram suæ prædestinationis: qui enim *ex Deo est, verba Dei audit*, Io. 8. vnde de iis inferri potest, *propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

4 Notent fideles ex S. Basilio *in monasticis Constit. c. 2.* omnem sermonem Christi excolendæ pietatis, virtutisque obeundæ esse regulam: propter hoc enim humanam naturam suscepit, vt in se, velut in tabula quadam veram nobis pietatem, ac virtutem depingeret, eamque omnibus nobis ante oculos statutam vnicuique pro viribus imitandam, ceu archetypum proponeret. Vnde fit, vt, sicut studiosus addiscendi artem pingendi fixo obtutu inspicit archetypum ipsi propositum à Magistro ad imitandum; ita fideles quàm maxima attentione in sermone Dei, siue à Concionatoribus audito, siue in piis libris lecto, inspiciant, qualiter vitam suam piè, ac religiosè instituere debeant.

5 Hæc porrò multum conferent ad verbum Dei fructuosè legendum, vel audiendum: nimirum vt auditio, vel lectio diuini verbi non fiat ex consuetudine, sed ex desiderio indè percipiendi magnum fructum spiritualem: vt non fiat ex vana, ac inutili curiositate addiscendi res nouas: vt nobis ipsis applicemus, quæ audimus, aut legimus, & pro nobis dictum, aut scriptum putemus iuxta illud Eccles. 21. *Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, & ad se adiiciet: audiet luxuriosus, & displicebit illi, & proiiciet illud post dorsum suum.*

6 Præterea, vt auditio, aut lectio diuini verbi multum conferat ad nostrum profectum spiritualem; eam debent comitari inuocatio Sanctorum, attentio, diligentia, ruminatio, oratio ante, & post, desiderium proficiendi, nulla celeritas, ponderatio rerum, motio affectuum, assiduitas, moderatio in legendo, executio, rara piorum librorum mutatio: siquidem fortuita lectio, & quasi casu reperta non ædificat, sed reddit animum instabilem.

7 Ad rem præsentem etiam facit monitum, quod tradit S. Augustinus *ep. 143. ad Demetriadem*, his verbis: *Optimè vteris* lectione diuina, si eam tibi adhibeas speculi vice; vt ibi velut ad imaginem suam anima respiciat, & vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet. curandum tamen, vt simus factores verbi, & non auditores tantùm fallentes nosmetipsos: quia, *si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo; considerauit enim se, & abiit, & oblitus est statim, qualis fuit*, vt loquitur S. Iacobus *c. 1.* huic certè verbi diuini auditio, aut lectio non est vtilis; cùm teste Paulo Rom. 2. *non auditores legis iusti sint apud Deum, sed factores legis iustificentur.*

8 Optimum est item monitum, quod tradit S. Bernardus *tract. ad fratres de monte Dei*, dicens: *Hauriendus est sapè de lectionis serie affectus, & formanda oratio, qua lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuè animum ad intelligentiam lectionis restituat.* Quare qui audit concionem, aut legit pium librum; & indè ipsi proponitur salutare aliquid documentum, quod putet posse multum conferre ad profectum sui spiritualem; debet in eius consideratione aliquantulum insistere, & conari non solum vt illud benè percipiat intellectu, sed etiam affectu amplectatur.

9 Fructus lectionis spiritualis non consistit in eo, quod legantur plures paginæ, & percurrantur plures libri; sed vt benè ponderetur, quod legitur, imò & deducatur in praxim: quo pacto bona corporis nutritio prouenit, non ex multa comestione, sed ex bona digestione illius; quod comeditur; & hoc est benè aduertendum.

10 Vt lectio spiritualis sit fructuosa, ac vtilis profectui nostro spirituali non legantur libri curiosi, ac difficiles, sed simplices, ac faciles: illi enim mentem defatigant, & curiositatem pascunt; hi verò pietatem excitant, & fouent deuotionem iuxta illud Prou. 3. *Cum simplicibus sermocinatio eius.*

QVÆRES XIV. Quibos monitis iuuari possint Moniales ad moderandum metum mortis corporalis.

Respond. Posse iuuari sequentibus, videlicet, 298

1 Meminerint vitam hanc corporalem esse vitalem quamdam, longam, & lentam mortem: cùm è contra mors iustorum sit finis laborum, & principium quietis; fuga tristitiæ, & aduentus lætitiæ; sedatio tempestatis, & initium tranquillitatis; consummatio exilij, & reditus in patriam.

2 Considerent ex S. Cypriano *lib. de immortalitate* & identidem cogitent renunciasse se mundo, & tanquam hospites, & peregrinos hîc interim degere: amplectantur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos hinc ereptos, & laqueis sæcularibus exsolutos Paradiso restituit, & regno cœlesti. *Magnus illic nos charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copiosa turba desiderat iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita: ad horum conspectum, & complexum venire quanta & illis, & nobis in communi lætitia est?* Ita S. Cyprianus.

3 *Si verè amas Deum*, dicebat Thomas Morus, *certè nihil adeò graue esse potest, atque summam illius maiestatem, etiam in minimis offenderes; nec quicquam tantopere expetes, atque remedium aliquod, quo securus esse possis te nunquam de cætero Deum ampliùs offensurum: quod cum in hac vita haberi non possit, continuè clamabis cum psalmista, Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.*

4 Refert Possidonius *in vita S. Augustini, c. 27.* ex S. Cypriano, Sacerdoti cuidam infirmitate defesso, & de appropinquante morte sollicito, commeatumque sibi precanti astitisse Angelum, qui non sine quadam animi, ac vocis indignatione infremuit, ac dixit, *Pati timetis, exire non vultis; quid faciam vobis?*

5 De S. Tiburtio m. referunt eius acta illum Torquato iudici dixisse; *Applica equuleos, suspende Christianos, damna, percute, incende, vniuersa denique supplicia adhibe: si exilium minaris, hoc philosophantibus est totus mundus; si mortis supplicium, euadimus mundi carcerem: si ignes, maiora his in cupiditatibus incendia vincimus; decerne quidquid libet; omnis nobis vilis est pœna, vbi pura comes est conscientia.*

6 Consideret homo se à Deo conditum esse, vt aliquando ex hac vita migret, & quæcumque habet mundus, ipsi pro viatico data esse, ne quid deesset ad hoc iter conficiendum: sicut ergo peregrinus remeans ad suam patriam, quidquid in itinere obuium occurrit, etsi iucundum, ac delectabile, auersis oculis prætergreditur, visaque eminus Ciuitate propria, Deo gratias agit: sic homo hoc iter ingressus animo in cœlum defixo eò currat, quò tendit, morteque appropinquante non doleat, sed gaudeat se ad metam propositam peruenisse; dicatque cum Dauid Psal. 121. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

7 Ne grauis ſit ſeparatio à parentibus, conſanguineis, & aliis præſentis vitæ bonis per mortem: curandum, vt, dum viuimus, paulatim animum ab iis deducamus, iiſque moriamur quo ad effectum; quippe qui, velimus, nolimus, tandem relinqui debent, & quidem breui, cùm breues ſint dies hominis.

8 Si mortem corporis non metuere, ſed deſiderare volumus, curandum nobis eſt, vt Mundi mala, & incommoda ſentiamus, mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro ſemper circumferentes; ſicut enim proficiſcenti per loca ſyluestria, aſpera, ac latrociniis infeſta vnicum ſolatium eſt breuitas viæ, ſi certa ſequatur quies: ſic tendens ad æternam beatitudinem mala præſentis vitæ ſentiat, ipſique iucunda erit mors, per quam via beatitudinis cæleſtis quaſi breuior redditur.

9 Cum mors ſit grauis, ac moleſta homini etiam ex eo quod anima egreſſa è corpore ſola, ac inermis incedere debet inter ſæuiſſimas hoſtium cohortes: curandum eſt, vt ſtatim à morte ſocios & amicos illic inueniamus, qui ſolitudinis illius tædium ſublcuent, noſque tutos per hoſtium agmina ducant: hi autem erunt Sancti noſtri tutelares, Angelus cuſtos, & animæ parentum, & aliorum defunctorum ſuffragiis Eccleſiæ à nobis eductæ ex Purgatorio: hi omnes, inſpecto de cælo noſtro periculo, accurrent nobis, aſſociabunt, defendent, ac recreabunt.

10 Terribilis item eſt mors hominis ex ſeueritate æterni Iudicis, coram quo ſiſti debet anima egreſſa à corpore, vt reddat rationem boni, & mali, quod homo geſſit in vita: proinde multum minuetur mortis metus, ante iudicij tempus iudicem placemus, ipſum piis officiis promerendo, eique debitam ſatisfactionem exhibendo pro peccatis.

11 S. Brigitta *l. 4. reuel. c. 7.* ſcribit in Purgatorio eſſe locum, in quo nulla alia ad eſt pœna, niſi deſiderium perueniendi ad Deum, eiuſque viſionem beatificam: ibique hoc deſiderio torqueri illos, qui in hac vita non habuerunt perfectum deſiderium perueniendi ad Dei præſentiam, eiuſque viſione fruendi: tales autem ſunt ij, qui adeò mortem timent, vt, ſi poſſent, nunquam vellent mori: quod eſt quaſi vilipendere viſionem, & gloriam Dei.

QVÆRES XV. Quibus monitis excitari poſſint Moniales ad infirmitates corporis patienter ſuſferendas.

299 Reſpond. poſſe excitari ſequentibus monitis, nimirum.

1 Meminerint infirmitatem nullam homini aduenire abſque iuſto Dei conſilio: qui cum nobis ſit pater, & amet nos, vtique infirmitates corporis immittit ad noſtrum bonum; vt proinde, teſte S. Hieronymo *in vitis Patrum*, Abbas Ioannes Monacho cupienti liberari grauiſſima febri, dixerit: *Rem tibi neceſſariam cupis abiicere: vt enim corpora nitro, vel huiuſmodi aliis linimentis abluuntur à ſordibus, ita animæ languoribus, aliiſque huiuſmodi caſtigationibus purificantur*; par ergo eſt, vt infirmi dicamus cum Iob. 1. *ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.*

2 Infirmitas corporis eſt magnum Dei beneficium; cum per eam patienter toleratam ſoluere poſſumus grauiſſima debita cum Deo contracta, aliàs ſoluenda in purgatorio: faciamus ergo de neceſſitate virtutem, & patienti ſufferentia infirmitatum, quas patimur, luamus in hac vita pœnam peccatis noſtris debitam.

3 Attendamus admirabilem patientiam Sanctorum in ſufferendis morbis grauiſſimis, ac longiſſimis, & in primis S. Liduinæ V. quæ 38. annis paſſa eſt continuas infirmitates, eaſque graues, ac extraordinarias atrociſſimis doloribus coniunctas; & his talibus, vt 30. annorum ſpatio nunquam è lectulo, in quo iacebat, aſſurgere potuerit, aut pedibus terram attingere. Item Clara 28. annorum interuallo graues ſuſtinuit infirmitates ea patientia, vt ex eius ore nulla querimoniæ vox erumperit; imò gratias Deo ageret: attendamus, inquam, ſingularem patientiam Sanctorum, & confundamur de noſtra impatientia, ac ignauia.

4 Dum corripimur moleſta aliqua infirmitate: ea non adeò grauis videbitur, ſi meminerimus nun peccando plures ſactos eſſe reos æternæ damnationis; ac proinde magni beneficij loco ducendum eſſe, quod Deus ex ſingulari ſua bonitate pœnas æternas inferni à nobis promeritas commutarit in temporalem corporis infirmitatem: ſicque ea ſuperuenien te, dicere debemus cum Fratribus Ioſeph Gen. 42. *merito hæc patimur, quia peccauimus.*

5 Infirmitas à Deo immiſſa, velimus, nolimus, ſuſtinenda nobis eſt, vſque dum ſtatuerit Deus: videamus ergo, ne amittamus noſtra impatientia meritum ſufferentiæ, ideoque ſine lucro laboremus, quod per patientiam acquirere poſſumus iuxta illud Petri *Per totam noctem laborantes nihil cepimus*, Lucæ 5.

6 Correpti aliqua graui infirmitate, recolamus animo quæ habet S. Auguſtinus *ſerm. 2. de feſto omnium SS.* his verbis: *Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, ſi gehennam ipſam paruo tempore tolerare, vt Chriſtum videre digni eſſemus venientem in gloria, & Sanctorum eius numero ſociari: non-ne erat dignum pati omne, quod triſte eſt, vt tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur.* Recolamus item, quod aiebat S. Franciſcus: *Tantum eſt gloria, quam expecto, vt omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, perſecutio omnis, mortificatio omnis.*

7 Si viri Sancti, ac inſignes famuli Dei grauiſſimas, ac longiſſimas infirmitates paſſi ſunt, Deo ipſo ita diſponente; qua ratione ab iis eximi prætendent iis qui toties, & tam grauiter peccauerunt? audiant, quæ dicit Dominus Deus Ierem. 49. *Ecce quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent; & tu quaſi innocens relinqueris? non eris innocens, ſed bibens bibes.*

8 Mens in corpore afflicta ad cælum, ac reſurrectionem anhelat: aſpernatur quidquid fluxum eſt, turbulentum, interituque obnoxium, nec præſenti, ſed futuro æuo viuit, mortiſque meditationem (vt aiebat Plato) hanc vitam exiſtimat: denique totam ſe Deo, & cæleſtibus addicit: anima enim morbo affecta Deo propinqua eſt; vt dicit Nazianz. *orat. ad ciues Nazianzenos.*

9 De SS. Aquilino, & Audomaro refert Surius *in eorum vita* quod, cum eſſent cæci, & per miraculum à Deo viſus ipſis fuiſſet reſtitutus; iterum ab eo petierunt, ſibi oculos adimi, ſeſeque reddi cæcitati, vt careret diſtractionibus, concupiſcentiis, & tentationibus, quas creant oculi. vt quid ergo nos ita affligimur, ſi qua interdum corripimur infirmitate, quamuis non adeò graui?

10 De S. Clemente Ancyrano, qui paſſus eſt ſub Diocletiano Imperatore, refertur, cum omnis generis tormentis cruciaretur, corpore confracto, animo in dies factum robuſtiorem noua ſemper appetiiſſe tormenta, & ad ea excipienda vitam ſibi quam diutiſſimè prorogari petiiſſe, ac obtinuiſſe, ita vt 28 annis tortus, & excarnificatus fuerit; cumque à Diocletiano, & Præſidibus rogatus fuiſſet, qualiter tot, & adeò grauia tormenta tolerare poſſet, reſpondit; licèt

licèt is, qui foris est, noster homo corrumpatur tamen is, qui intus est renouatur de die in diem.

11 Non doleat homo de corporali ægritudine, eo quod pereum impediatur, ne munus sibi injunctum à Superioribus exequi nequeat & vacet exercitio bonorum operum, quæ præstare consueuerat: nam, teste S. Bonentura *de grad. virt. cap. 24. perfectius est aduersa tolerare patiendo, quam bonis operibus insudare*: An non seruus tenetur inseruire domino suo iuxta voluntatem illius? si ergo Deus vult ei modo inseruiamus detenti graui morbo, & lectulo affixi; non est æquum, vt ei velimus inseruire magna operando: committe te ipsius voluntati; ipsius hîc negotium agitur: ipse scit, quod conueniat, quid opus sit.

12 De S. Clara legitur, quod, cum per 28. annos fuerit infirma, ciliciuio è setis porcinis semper gestauit; vt hinc colligamus infirmum non debere solùm sufferre infirmitatem à Deo immissam, sed etiam quæcunque alia incommoda occurrunt occasione infirmitatis: accessorium enim trahitur à principali; & qui vult antecedens, debet velle & consequens.

QVÆRES XVI. Quæ monita tradi possint Monialibus ad ærumnas, ac incommoda præsentis vitæ fortiter sustinenda.

300. Respond. posse tradi sequentia, nempe,

1 Meminerint ex Chrisostomo in 2. Timoth. 3. *impossibile esse, vt qui malis bellum indixerit, pressuris careat; nefas esse pugilem Dei vacare deliciis; non licere epulari luctantem: luctamen enim sunt præsentia omnia, certamen, bellum, pressura, angustia, stadium: aliud est quietis tempus, hoc ærumnis deputatum est, atque sudoribus: nullus, vbi ad certamen se exuit, vnctusque est, requiem quærit; si enim requiem quæris, cur te exuisti? cur libidinibus, & naturæ bellum indixisti?*

2 Si putas te non habere persecutiones, nondum cœpisti esse Christianus, ait S. Augustinus in Ps. 55. monens in 127. *Ps. quod si mortuus est diabolus, mortua sunt persecutiones; si autem ille aduersarius noster viuit, vnde non tentationes suggerit? vnde non fraudes? vnde non minas, & scandala procurat?*

3 Videmus aliquando homines (ait S. Anselmus *exponens verba illa* Pauli Hebr. 12. *Flagellat Deus omnem filium quem recipit*) desperatos filios suos dimittere, quos ad hæreditatem suam admittere nolunt, nec eos vt filios habere; quem autem flagellat filium, huic & hæreditatem seruat: tanquam filiis ergò se nobis offert Deus, dct disciplinam, dum non auferat hæreditatem.

4 S. Franciscus rogatus in quo consisteret perfectio Religiosa, cum lætitia respondit non in magna scientia, vel sapientia, non in gratia miraculorum, non etiam in magno Sanctitatis, & ædificationis exemplo, non denique in conuersione omnium infidelium: sed si fame, frigore, nuditate afflicti, innocentes, conuitiis, injuriis, verberibus exagitemur, illaque cum gaudio, amore Christi toleremus: ibi perfecta est lætitia, quia præ omnibos donis maximum est propter Deum opprobria sustinere: nam in cæteris mirabilibus nos gloriari non possumus, quia non sunt nostra, sed Dei; sed in cruce tribulationis, & afflictionis gloriari possumus, quia illud est nostrum. Sic etiam S. P. N. Ignatius rogatus, quænam esset via ad perfectionem, respondit. *Si multa, & magna pro Christo patiamini.*

5 Cum Soror Maria Vela grauissimis tentationibus, ac tribulationibus vexata quadam die cum Christo amicè conquereretur; ducta est ab illo in spiritu in montem excelsum, ibique vidit virtute Solis omnes lapides in eo monte existentes in gemmas pretiosas mirabiliter conuerti; visionem porro declarauit illi Christus dicens sic virtute diuinæ gratiæ lapides tentationum, ac tribulationum, quas patiuntur Serui Dei, conuerti in lapides pretiosos meritorum. Vt proinde B. Iuniperus, teste Pontio *in eius vita*, probra exciperet quasi gemmas Christi; & exprobranti sibi aliquando dixerit. *Projice has gemmas in sinum meum; vellem vtique talibus gemmis lapidari Romam vsque.*

6 Refert S. Chrysostomus *homil. 26. in 1. ad Cor.* quendam ex Philosophis externis, cum malam haberet vxorem, & nugatricem, & conuitiatricem, rogantibus, cur eam sustineret, dixisse, vt domi haberet Gymnasium, & palæstram philosophiæ: *ero enim*, inquit, *cæteris mitior, si in ea quotidie erudiar.*

7 Cum Christus S. Catharinæ Senensi duas coronas obtulisset, vnam spineam, & alteram gemmeam, dans ei optionem eligendi vtram mallet; sed ea lege, vt, si vnam eligeret in hac vita, alteram in futura eius vice reciperet: mox illa accipiens coronam spineam de manu Christi, illam capiti suo inflixit adeò validè, vt per plures dies capitis dolorem senserit: Sic etiam S. Agapitus, cum esset 15. annorum, & capiti eius prunæ ardentes imponerentur, exultans aiebat: *Parum est in terra caput aduri coronandum in Cœlo; quam decorè corona gloriæ ornabit caput afflictum pro Christo.*

8 Nunquam in re quapiam dicas, perdidi hoc, sed reddidi, ait Epictetus *in Enchirid. cap. 14. puer obiit, redditus est, ager ereptus, redditus est.* Quo modo etiam Iob cap. 1. dicebat *Dominus dedit, Dominus abstulit,* &c.

9 Sic Seneca epist. 24. de tribulatione loquens ait, *Leuis est, si ferre possum: breuis est, si ferre non possum:* quod repetit epist. 79 his verbis *Summi doloris intentio inuenit finem: nemo potest valdè dolere, & diu: sic nos amantissima nostri natura disposuit, vt dolorem aut tolerabilem, aut breuem faceret.*

10 Seneca item epist. 24. loquens de amissione bonorum temporalium sic habet: *Si illud diu habuisti, perdis postquam satiatus es: si non diu; perdis, antequam assuescas pecuniam minorem habebis? nempe & mœstitiam: gratiam minorem? nempe & inuidiam.* Ad hoc item facit, quod habet idem Seneca epist. dicens, *Ago gratias senectuti, quod me lectulo affixerit, quidni gratias illi hoc nomine agam? quidquid debebam nolle, non possum.*

11 Vir pius, & tribulatio sunt duo cursores, qui simul currunt; sed cum ille tribulationi non cedit, quasi victor antecedit, & præcurrit, tribulatione à tergo illius subsequente, & post eum currente: sicque persecutio dicitur, non autem consecutio, quia persequitur virum pium, sed non assequitur: nam Sancti per patientiam velocissimè currunt ad brauium gloriæ, & in persecutionibus maximè elucet illorum vigor, ac fortitudo in currendo; vt benè notat S. Gregor. Nyssenus *lib. de beatitudinibus.*

12 Quam gloriosum sit pati pro Christo, ostendit Chrysostomus *hom. 8. in 3. Ephes.* explicãs verba illa, *Ego Paulus vinctus*, vbi sic ait: *Vinctum esse propter Christum illustrius est, quàm siue Apostolum, siue Doctorem, siue Euangelistam esse. magna dignitas hæc, & regno quouis, ac consulatu maior: qui diligit, & ardet Christum, eligit potius vincula ferre propter Christum, quam Cœlos inhabitare. non ita beatum dico Paulum, quod in Paradisum raptus, atque quod vincula sustinuit; potius mihi habetur malè affici pro Christo, quam honorari à Christo. Si mihi quisquam dixisset, elige vtrum velis: vis esse Angelus Petrum soluens, an*

Petrus vinctus? Petrus vtique eſſe maluiſſem: magnus hoc vinculorum donum eſt, quam Solem ſiſtere, aut mundum mouere, aut dominari dæmonibus eoſque expellere.

14 Patientiam homini in hac vita omninò neceſſariam eſſe docuerunt tum Bion dicens, teſte Laërtio *l.4.c.7.* magnum malum eſſe non poſſe ferre malum; abſque hoc enim nulli poteſt eſſe vita ſuauis: tum Anthiſtenes, qui teſte eodem Laërtio *l.6.c.1.* dicebat virtutem ſibi ſufficere ad fœlicitatem; nec vlla re opus habere niſi robore Socratico; Socrates autem ad rerum omnium patientiam obduruerat.

14 Quam fortes ſe debeant exhibere fideles in ſufferendis vitæ huius infortuniis, oſtendit B. Proſper in *Epigr. de dilect. Chriſti*, vbi dicit:

Carcere ſi cæco claudar, nectarque catenis,
Liber in exceſſu mentis adibo Deum.
Si mucrone parat ceruicem abſcindere lictor;
Impauidum inueniet mors cita, pœna breuis:
Non metuo exilium, mundus domus omnibus vna
Sperno famem, Domini ſit mihi ſermo cibus.

Sic Saluianus *lib.1. de vero iudicio, ac prouid.* oſtenſurus neminem eſſe miſerum, qui ſua miſeria eſt contentus ſic habet: *Nemo aliorum ſenſu eſt miſer, ſed ſuo, & ideo non poſſunt eſſe falſo iudicio miſeri, qui ſunt verè ſua conſcientia beati: nulli, vt opinor, beatiores ſunt quam qui ex ſententia ſua, atque voto agunt. Humiles ſunt Religioſi: hoc volunt: pauperes ſunt, paupertate delectantur: ſine ambitione ſunt, ambitum reſpuunt: inhonorati ſunt, honorem reſpuunt: lugent; lugere geſtiunt: infirmi ſunt, infirmitate lætantur. Itaque quidquid acciderit iis, quicunque verè religioſi ſunt, beati eſſe dicendi ſunt, quia inter quantumlibet aſpera nulli lætiores ſunt, quam qui hoc ſunt, quod volunt.*

15 Cum tot, & tanta bona tum temporalia, tum ſpiritualia à Deo accepetimus: quare ita conquerimur de malo non tam graui nobis inflicto? nonne potiùs deberemus verba illa Iob. 2. vſurpare: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?* maximè, cùm mala, quæ ipſi patimur, fortè ſint longè minora iis, quæ plurimi alij patiuntur; vt proinde id ipſum ſummi beneficij loco exiſtimare debeamus iuxta illud, *Aliena mala ſunt beneficia noſtra.*

QVÆRES XVII. Quibus monitis iuuari poſſint Moniales ad tentationes quaſcunque fortiter repellendas.

301 Reſpond. poſſe iuuari ſequentibus monitis; nimirum,

1 Meminerint ſibi dici, quod habetur Eccleſ.8. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem:* ſi quidem Iob 7. *militia eſt vita hominis ſuper terram:* nec ideò diffidant, aut animum deſpondeant; quin potius bono ſint animo, memores nullum certius argumentum, teſte Climaco, eſſe quod dæmones victi à nobis ſint, quam ſi nos acerrimè oppugnant: *eos enim*, inquit S. Gregorius *l.14. mor. cap.12.* loquens de diabolo, *pulſare negligit, quos quieto iure poſſidere ſe ſentit.* quod confirmat S. Auguſtinus *de verb. Dom. ſerm. 43. in Ioannem*, explicans verba illa Apoſtoli, *Caro concupiſcit*, aduerſus ſpiritum his verbis: *In bonis concupiſcit aduerſus ſpiritum, nam in malis non habet contra quem concupiſcere: præterquam quod origo tentationum in nobis eſt iuxta verba illa* Iacobi 4. *Vnde bella, & lites? nonne hinc ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?*

2 Notant Patres paſſim per tentationem hominem maximè progredi in virtutibus, & per virtutes augeri, ac roborari: nam tentationibus reſiſti non poteſt, niſi per actus virtutum contrarios, & hos fortes, ac intenſos; quos dum elicit tentatus, per eos magis corroborat illarum habitus: & hoc inſinuat Paulus 1.Cor.10. iis verbis: *Sed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.*

3 Quod Deus non patiatur nos tentari ſuprà id, quod poſſumus, docet Paulus *loco citato*, & explicat S. Ephrem. *tractat. de patientia* ſimilitudine iumentorum, & vaſorum figuli. *ſi enim*, inquit, *homines ſuis iumentis non plus oneris imponunt, quam ferre queant: multò minùs hominibus plus tentationum imponet Deus, quam ferre queant. Rurſum, ſi figulus vaſa ſua igne excoquit eò vſque dum ritè coquantur, & fiant ſolida, nec vlterius ea ſinit in igne, ne adurantur, fiantque inutilia; multò magis idem faciet Deus, vt igne tentationum eò vſque nos coquat, dum percoquat, & perficiat, vlterius verò tentatione aduri, & conſumi nos non ſinet.*

4 *Dæmoniacum*, ait S. Gregor. *p.1. paſtoral. cap.11.* *maligna tentatione vinci, & peccare ex malitia; Angelicum eam non ſentire; humanum ſentire, & vincere.*

5 *Neceſſe eſt*, inquit S. Bernard. *ſer.64. in Cant. vt veniant tentationes, quia non coronabitur niſi qui legitimè certauerit: at quo modo certabunt, ſi deſit, qui impugnet:* ſic etiam Iacobi 1. dicitur: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ:* & Tobiæ 12. dicitur: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.*

6 Tentatio maximè confert ad humilitatem comparandam; & ſic de ſe dicit Paulus 2. Cor.12. *& ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Quare S. Hieronymus *ep.25. ad Paulam*, dicit: *Paulo datus eſt ad premendam ſuperbiam vti in curru triumphali triumphanti datur monitor ſuggerens, hominem te eſſe memento.*

7 *Vaſa figuli probat fornax*, dicitur Eccl.27. *& homines iuſtos tentatio tribulationis:* & Sap. 3. habetur, *Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe:* quod confirmabat B. Nilus his verbis: *Plantas enutriunt venti, & tentatio confirmat animæ fortitudinem.*

8 Cato olim ſuaſit Romano Senatui Carthaginem non delendam, ne Romani otio, & torpore languerent; dixitque væ Romæ, ſi Carthago non ſteterit: ſic Deus, teſte Chryſoſt. *hom.14. ad pop. Antioch.* cum nos ad torporem *declinantes viderit, & ab ipſius familiaritate reſilientes, & ſpiritualium nullam rationem facientes paululum nos derelinquit, vt ita caſtigati ad ipſum redeamus.* Quod confirmat Gerſon *de Myſt. Theologia pract. conſiderat.6.* dicens, *quod ſicut mater filium ad horam relinquit, quò inſtantius ille clamet, accuratius quærat, arctius ſtringat, & illa viciſſim blandiatur ſuauius; ita nos Deus permittit à diabolo terreri variis tentationibus, vt ad Deum ipſum confugiamus celerius.*

9 Expetendas eſſe tentationes docet S. Iacobus *c.1.* dicens: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*; ſicque de ſancto quodã Monacho refert Doroth. *doct.13.* quod, cum Deus ipſum liberaſſet moleſta quadam tentatione, ſummopere indoluit; & ad Deum conuerſus ſic confidenter ipſum allocutus eſt: *Sic ergo Domine, indignum me exiſtimaſti, qui tantillum patiar pro te?*

10 Caueant Dei famuli, ne de Deo conquerantur, quod ſinat ipſos vexari quibuſdam tentationibus eorum voluntati planè contrariis; cùm aliàs maiori animi alacritate pugnaturi eſſent aduerſus

tentationes

tentationes alterius generis: non enim hominum est dare leges Deo, & statuere, quid ipsis expediat: quin potiùs repelli quò ad hoc possunt iis verbis: *Nescitis, quid petatis.* quo modo Nilus *c.29. de orat.* dicit: *Non ores, vt fiant quæ fieri velis, sed potius ora, vt fiat voluntas Dei.*

11 Sciens Dæmon, quantum conferat oratio ad profectum nostrum spiritualem, vt hunc pro viribus impediat, nobis orantibus grauiores, ac molestiores tentationes nobis immittit: ita vt tempus deputatum orationi videri possit tempus tentationis: vnde fit, vt ex institutione Ecclesiæ singulæ horæ Canonicæ incipiant ab illis verbis: *Deus in adiutorium meum intende; Domine ad adiuuandum me festina*: quia tunc maiori auxilio Dei egemus, vt strenue, ac fortiter possimus repellere tentationes, quibus tunc temporis inuadimur.

12 Vt autem faciliùs resistamus tentationibus dæmonum, in ipso ipso tentationis inuictum animi robur aduersus illas ostendere debemus iuxta monitum S. Iacobi 4. *Resistite diabolo, & fugiet a vobis*: si enim videat nos trepidare ad primos illius impetus sustinendos, & quasi animum despondere; nulla bestia est super terram ipso efferatior, acrior, & pertinacior in hominem, vt cum pernicie nostra malignæ, ac obstinatæ mentis suæ desiderium adimpleat.

13 Cum S. Antonius dæmoni conquerenti omnes homines sibi maledicere, dixisset id meritò, & culpa ipsius fieri; eò quod omnes vexet, ac turbet; ei respondit dæmon: *Ego nihil officio, quia in nolentem nihil possum: sed ipsi se ipsos ad inuicem perturbant: ipsi suo in suggestionem meam consensu sibi mali sunt auctores.* Quod confirmat S. Augustinus *l.20 de ciuit. c.8.* dicens de diabolo: *Latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest, nisi volentem.* Sic etiam S. Hieronymus *in 4. Matth.* expendens verba illa, *mitte te deorsum*, ait: *Vox diaboli est, qui semper omnes cadere deorsum desiderat, persuadere potest, præcipitare non potest.*

14 Si is, qui vexatur à tentationibus, dicere potest cum Hieremia 20. *Dominus mecum est quasi bellator fortis, ideircò qui persequuntur me, cadent, & infirmi erunt, confundentur vehementer*, ipsique dicenti cum Giezi 4. Reg. 6. *Heu, heu, heu, Domine mi, quid faciemus?* respondet Deus *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis*: vtique bono debet esse animo, & dicere modò cum Iob. 17. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*, modò cum Paulo Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos*, modo cùm Dauide Ps. 15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear*, & Ps. 39. *Si dicebam motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adiuuabat me.*

15 Cum diabolus hominem vrgeat tentationibus in odium non solùm ipsius hominis, sed etiam Dei; cupiens iram suam explere aduersus hominem ad imaginem Dei conditum (cum explere eam non possit contra Deum ipsum) etiam ex hoc capite certiores sumus nobis tempore tentationis non defuturum Dei auxilium; quippe qui sic dici potest agere causam suam: vt proinde ei dicere possimus cum Dauide Psal. 73. *Exurge, Deus, iudica causam tuam*, & Psal. 34. *Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi.*

16 Neque ex eo quod Deus non ita citò videtur ferre auxilium homini tentato; propterea debet diffidere: cum dicat Habach. c. 2. *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit*, & Matth. 8. dicatur Christus dormiisse, dum nauicula, in qua ipse erat cum suis discipulis, ex magna procella in mari suborta operiretur fluctibus, eiusque discipuli viderentur periclitari, adeoque dicerent, *Salua nos, perimus.* Confidat ergo quicunque vexatur tentationibus, fretus iis verbis, quæ Isaiæ 43. habentur: *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, meus es tu, cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te, cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel, saluator tuus.*

17 Cum Dau. dicat Ps. 16. *Qui saluos facis sperantes in te*, & Deus ipse Ps. 90. dicat, *Quoniam in me sperabo, liberabo eum*: constat ad euincendas tentationes maximè conferre, vt magnam in Deum concipiamus confidentiam nobis ipsis omninò diffisi; ita vt veraciter dicere possimus cum Dauide Psal. 56. *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum sperabo*; & Ps. 90. *Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum*: vbi S. Bernardus sic habet: *Si tamen cognouerit nomen meum, ne sibi tribuat, quod liberatus est, sed nomini meo det gloriam.*

18 Conferet item summopere ad euincendas tentationes vsus orationum iaculatoriarum; cuiusmodi sunt hæ: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos*, Psal. 24. *Domine vim patior, responde pro me*, Isa. 38. *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem: quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?* Psal. 43. *Vsquequo, Domine obliuisceris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam à me? vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice, & exaudi me, Domine Deus meus: illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, praualui aduersus eum*; Psal. 12. *In vmbra alarum tuarum sperabo*, Psal. 56. *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Psal. 16. *Exurgat, Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius*, Psal. 67.

19 Quia *à scintilla vna augetur ignis*, Ecclesi. 11. Et optimum est consilium Ouidij, *Principiis obsta; serò medicina paratur, cùm mala per longas inualuere moras*: proinde fortiter resistendum tentationi in ipso eius principio: quod monet etiam Dauid Psal. 136. dicens, *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram*, & Salomon Cant. 2. iis verbis: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.*

20 Vitandæ item pro viribus occasiones peccandi, ex quibus proximè proueniunt tentationes: qui enim amat periculum, peribit in illo; & hoc ipso quod quis se exponit periculo tentationis, se facit indignum iis auxiliis, sine quibus non euincitur tentatio, etsi possit euinci. Vt proinde Innocentius Papa in Psal. 37. dicat; *Quid insipientius peccatore, qui & cognoscit facinus, & committit præcipitans se sciens in mortem? Certè brutum animal, si videt foueam, declinat ab ea, ne labatur in illam; etsi forsitan alicubi difficultatem incurrit, non potest illuc sine difficultate reduci: homo vero ab illicito semper illicitur, & in delicijs iugiter delectatur.*

21 Cum Angelus custos à Deo nobis deputetur in custodiam, tum vt pericula animæ, ac corporis auertat, tum vt nos illuminet, instruat, & impellat ad bona opera; tum vt coërceat dæmonem, ne prauas nobis cogitationes suggerat, vel saltem non præualeat: statim ac nos inuadit tentatio, ad custodem Angelum debemus confugere, eique dicere cum iuniore Tobia c. 6. *Domine, inuadit me*; nec abs re erit illum deuotè, ac reuerenter compellare iis verbis: *Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum* pietate

Pietate ſuperna, hodie illumina, cuſtodi, rege, & guberna; Amen.

22 Optimum contra cuiuſcumque generis tentationes remedium eſt, quod tentatio manifeſtetur Patri ſpirituali candidè, & ſincere: *omnis enim qui malè agit, odit lucem Io. 3* &, vt benè dicit Caſſian *col. 2. Abb. Moyſi c. 10.* loquens de diabolo, *antequam iudicium diſcretionis proferatur, ſerpens teterrimus velut è tenebroſo, ac ſubterraneo ſpecu virtute confeſſionis pertractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehoneſtatus abſcedit.* Quod confirmat Sapiens *Eccl. 27* dicens *Si denudaueris abſcondita illius, non perſequeris poſt eam*: cùm è contrà pernicioſiſſimus ſit morſus illatus à ſerpente in ſilentio iuxta illud Eccl 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio.* Sic de leproſis refert S Lucas c. 17. quod cum irent ad Sacerdotes iuxta Chriſti præceptum. *Ite, & oſtendite vos Sacerdotibus; dum irent, mundati ſunt.*

23 Cauendum quā maximè, ne tempore tentationis ex tædio vitæ ſpiritualis omittamus ſolita exercitia ſpiritualia, & præſertim orationem, ac meditationem: quin potius ea debemus obire maiori applicatione, & augere: aliàs, ſi nobis ſinamus ſubtrahi arma, quibus nos defendamus, & hoſtes offendamus, facillimè ab inimicis debellabimur.

24 Cauendum item, ne, durante tentatione, quidquam deliberemus, aut innouemus circa propoſitum animi, aut vitæ ſtatum: ſicut enim vigente conſolatione ſpirituali non noſtro proprio, ſed boni ſpiritus inſtinctu regimur; ita durante tentatione, agimur à malo ſpiritu, cuius inſtigatione nihil vnquam rectè conficitur.

25 Tempore tentationis non ſolum frequentandæ ſunt orationes iaculatoriæ, vt iam dixi; ſed conſtanter inſiſtendum orationi iuxtà illud Chriſti Mat. 26. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*: idque tum vt audiamus Dei monita ad præſentem neceſſitatem opportuna; tum vt vt obtineamus auxilium neceſſarium ad ſuperandam tentationem.

QVÆRES XVIII. Quibus monitis confirmari poſſint Moniales in Vocatione religioſa, ſi fortè in ea titubent, ſiue ante, ſiue poſt profeſſionem.

302 Respond. Poſſe confirmari ſequentibus monitis; nimirum,

1 Meminerint non eſſe magnum inchoare, quod bonum eſt (vt loquitur S Aug. *ſer. 8. ad Fratres in Eremo*) *ſed conſummare hoc ſolum perfectum eſſe: nam in Chriſtianis non quæruntur initia, ſed finis* (inquit S. Hier. *ep. ad Furiam Virg.*) *Paulus malè cœpit, ſed benè finiuit: Iudæ laudantur exordia, ſed finis proditionis damnatur.* Quæ confirmat S Bern. *ep. 253. ad Abb. Guar.* his verbis: *Quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi? Paulus aiebat, ſic currite, vt comprehendatis: ibi, chriſtiane, fige tui curſus, profectuſque metam, vbi Chriſtus poſuit ſuam, factus eſt, inquit, obediens vſque ad mortem: quantumlibet ergo cucurreris, ſi vſque ad mortem non perueneris, brauium non apprehendes*: confirmat Chriſtus, Luc 9. dicens: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*: confirmat, & Paulus Galat. 3. his verbis, *ſic ſtulti eſtis, vt, cum ſpiritu cœperitis, carne conſummemini.*

2 Meminerint coniugium à S Baſilio *cap. 1. Conſtit. monaſt.* vocari curarum abyſſum, & *lib. de Sancta Virginit.* dolorum officinam. idque iure, ac meritò, cum coniugium comitentur onera vteri, partus dolores, liberorum educatio, curæ, timores, zelotypia, rixæ, familiæ apparatus, opum, affinitatum, ſtatuum curandorum, & augendorum ſolicitudo, mariti dominatio: cholera, ebrietas, prodigalitas, paupertas, orbitates, & ex his perpetua animi diſtractio, & circa hæc occupatio. Vt proinde 1. Cor. 7. loquens Paulus de coniugatis dicat. *Tribulationem carnis habebunt huiuſmodi*, nomine, *tribulationis*, intelligens præfata incommoda coniugij, eamque opponat voluptati carnis annexæ matrimonio; quæ per dictam tribulationem, vtpote longè grauiorem ita opprimitur, ac eliditur, vt vix ſentiatur. Ab his autem incommodis, ac oneribus liberantur Moniales per ſtatum religioſum; de quo propterea debent ſibi maximè complacere, gaudentes ſe cum Maria optimam partem elegiſſe, Deumque exorare, vt non auferatur ab iis.

3 Cum S Paulus 1. Cor. 7. dixiſſet: *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*; Paulò poſt ſubdit, *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*: & quidem meritò; cum cœlibatus det otium cogitandi, quo modo virgo placeat Deo quo modo ſe paret ad iter cœli, quo modo rationes ſuas ad iudicium futurum componat, & adæquet: quo modo ſe ſiſtat Deo, & alia innumera commoda ſecum adferat, quibus de facto potiuntur Moniales; vt quid ergo inuideant fœminis coniugatis, quæ ſunt expoſitæ incommodis §. *præcedentes*, relatis; iiſque talibus, vt, teſte Poſſidonio *in vita S. Auguſtini cap. 27.* is ſecutus S. Ambroſium nulli vnquam coniugem, aut coniugium ſuadere voluerit, *ne* (inquiebat ille) *dum inter ſe coniugati iurgantur, eum maledicant, per quem coniuncti ſunt.*

4 Cogitent Moniales ſibi imminere mortem, ſe ad illam currere velociſſimo curſu, inſtare iudicium, inſtare æternitatem, arctari ſe, & cogi à Deo, vt ad illam feſtinent: meminerintque quod dicat Paulus 1. Cor. 7. *Tempus breue eſt; reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint; præterit enim figura huius mundi*: quòd ſi hæc dicit Paulus coniugatis; quid diceret Monialibus Chriſto deſponſatis, quæ fortè inuideant fœminis coniugatis, earumque ſtatum, vitæ religioſæ pertæſæ exoptent?

5 Cum plures fœminæ coniugatæ, contracto iam matrimonio, cogantur manere, & quidem vſque ad mortem, cum viro ſæpè ignoto, moleſto, importuno, ac omninò ingrato; à quo reſiluiſſent, ſi annum probationis haberent coniuges, vt eo ſe inuicem probarent ante matrimonium (ſicut de facto habent religioſi vtriuſque ſexus, antequam faciant religioſam profeſſionem) Moniales, quæ, ſolemni promiſſione Deo facta, profeſſæ ſunt caſtitatem (quam priùs experiri potuerunt, & debuerunt) æquum ne eſt, vt ab aſſumpto ſtatu reſiliant, Deoque cui ſunt deſponſatæ, renuncient?

6 Nec adeò difficilis eſt obſeruantia Caſtitatis: cùm illam in ipſo coniugio ſeruauerint Pulcheria, & Martianus Imperator; Baſiliſſa, & Iulianus Eduardos, & Editha; Cæcilia, ac Valerianus; Cunegunda, & Henricus Imperator. hi omnes in ipſo coniugio non caſtè ſolum vixerunt, ſed etiam perpetuam virginitatem ſeruauerunt: cum S Bernardus *ſer. 65. in Cant.* dicat, *cum fœmina ſemper eſſe, & non cognoſcere fœminam, plus eſſe, quam mortuum ſuſcitare.* Quod ſi fœminæ nobiliſſimæ ac pulchritudine inſignes illibatum virginitatis candorem in ipſo coniugio conſeruare potuerunt; hoc idem præſtare non poterunt Moniales à Chriſto electæ in ſponſas in monaſterio? poterunt vtique ſi voluerint: ſicque ſibimetipſis dicant, quæ S. Auguſtinus initio ſuæ conuerſionis ſibi (vt conſtat ex *lib. 8. confeſſ. cap. 11.*) dicebat: *Tu non poteris quod iſti, & iſtæ? an verò & iſti, & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, an nō in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis: quod in te ſtas, & nō ſtas? proiice te in eum, noli metuere, non ſe ſubtrahet,*

vt

vt cadas: proijce te securus, excipiet te, & sanabit te.
7 Cum S. Hieronymus *ep. 34. ad Iulianum* dicat difficile, immò & impossibile esse, vt præsentibus quis, & futuris fruatur bonis; vt hic ventrem, & ibi mentem expleat, vt de deliciis transeat ad delicias, vt in vtroque sæculo primus sit, vt in cœlo, & in terra appareat gloriosus: omnino orandum, vt via salutis quæ est arcta, incedamus, & regnum cœlorum, quod vim patitur, & violenti rapiunt, nobis comparemus, magna agendo, & fortia patiendo. An non Symeon Stylites 49. ante etiam 80. annis iuxta Baronium sub dio perdiu, & pernox stetit in columna, ibique per annos 28 quorannis quadragesimam totam transegit absque vllo cibo, ac potu, teste Theodoreto *in Philoteo cap. 16.* quis quæsò non admiretur?
8 Audiant fideles quid dicat Christus Lucæ 13. *Contendite intrare per angustam portam*: vbi pro, *contendite*, Græcè est, *agonizate*, *& quasi in agone, & agonia contendite*, extremas, & summas vires velut agonizantes exerite, quasi pro vita, si vincitis, vel morte, si vincimini, luctaturi iuxta illud Pauli 1. Cor. 9. *omnis qui in agone contendit, ab omnib. se abstinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant.* Sic etiam S. Perpetua vidit scalam auream, sed vndique circumseptam gladiis, & cultris, per quam scandendum erat in cœlum; & infernè draconem horribilem, qui scandentes impediret: hacque visione cognouit sibi, & suis portendi martyrium. Audiant hæc & Religiosi, & lætentur se Dei gratia à via lata perditionis ad viam arctam salutis euocatos esse, & strenuè ambulent per eam.
9 *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, Matth. 20. dicit Christus: & confirmat S. Chrysostomus hom 40. *ad populum*, censens etiam ex fidelibus vix quemque millesimum saluari: ait enim loquens de Antiochenis, qui erant fideles. *Quot esse putatis, qui in Ciuitate nostra* (Antiochia) *saluantur? infestum quidem est, quod dicturus sum; dicam tamen, non possunt in tot millibus* (facilè Antiochiæ erant centum millia, & plura) *centum inueniri, qui saluentur: quin & de his dubito. Quanta enim in iuuenibus est malitia? quantus in senibus torpor? nemo zelum habet*, &c. ita Chrysostomus. Ex his autem sequitur standum esse consilio Pauli 1. Cor 9. *Sic currite, vt comprehendatis*; Et velocissimè currendum, cum ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currant, sed vnus accipiat brauium: non ergo desistendum est à cursu, si curris: sed currendum strenuè vsque ad mortem: *si enim, Christo currente, tu gradum sistis*, ioquit S. Bernardus *ep. 153. ad Guarin. non Christo appropias, sed te magis elongas; timendumque tibi est, quod ait Dauid, Ecce qui elongant se à te, Domine, peribunt.*
10 Totum mundum esse plenum laqueis, in quos incidant animæ è terra in cœlum auolantes, iisque capiantur veluti aues, vidit S. Antonius Abbas, teste S. Athanasio *in eius vita*, & ingemiscens exclamauit: *Domine, quis euadet hos laqueos?* vidit S. Antonius, & in se ipso expertus est, qui dicebat: *In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi*, Psal. 141. *Quot enim vitia, tot retia*, inquit S. Ambrosius *in* Psal. 118 *ser. 6. quot peccata, tot laquei.* Quo modo ergo Religiosus, qui ex Dei auxilio ingrediens Religionem dicere potuit: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos liberati sumus* Psal 123. sin minus effectu, saltem affectu cupit se iterum exponere laqueis, quos iam euasit?
11 Caueat Religiosus, ne ex inordinato affectu parentum, & consanguineorum ipsum tædeat vitæ Religiosæ susceptæ, & per affectum reuertatur ad sæculum: cum Lucæ 14. dicatur; *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, vxorem & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus*: meminerit neque Christum inter cognatos & notos fuisse inuentum *Luce 2.* recolat, quod habet S. Hieron. *ad Heliodorum*, dicens: *Licèt paruulus ex collo pendeat nepos; licèt sparso crine, & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater iaceat: percalcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum Crucis euola: solùm pietatis genus est in hac re esse crudelem: facilè rumpit hæc vincula amor Dei, & gehennæ timor.*
12 Caueat Monialis, ne ex tædio clausuræ auersetur statum religiosum susceptum. meminerit, quid acciderit Sponsæ Cant. 3 quæ de ipsa sic ait: *Per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni*: audiat, & attentè meditetur, quod ait S Bernard. *serm. 40. in Cant. Sola esto, vt soli omnium serues te ipsam, quã ex omnibus tibi elegisti: fuge publicum, fuge, & ipsos domesticos, secede ab amicis, & intimis, etiam & ab illo, qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam, præsentibus cæteris?* audiat & quod dicit Hieron. *hom. 22. ad Eustoch. de custodia virgini. Audies ab Sponso, hortus conclusus Soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus: caue, ne domum exeas, & velis videre filias regionis alienæ; Dina egressa corrumpitur. nolo te sponsum quærere per plateas; nolo te circumire angulos ciuitatis: forus vagentur Virgines stultæ: tu intrinsecus esto cum sponso: Zelotypus est; Iesus non vult ab aliis videri faciem tuam.*
13 Caueat item Monialis, ne ex amore diuitiarum, affectu tedeat ad sæculum: meminerit que quod teste S. Gregorio *hom. 32. in Euang. nudi cum nudis* (dæmonibus scilicet) *luctari debemus: nam, si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram deiicitur, quia habet vnde tenetur: quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abiiciat, ne succumbat.* Cum ergò in hac vita sit nobis colluctatio non aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersùs Principes, & potestates; & religiosus per votum paupertatis deposuerit indumenta bonorum temporalium; vt quid ea modò tam studiosè affectat, non aduertens se inde ab hoste, cum quo luctatur, facile deiici posse in terram, & turpiter superari?
14 Status religiosus spem adeo certam, & signum adeò expressum continet diuinæ prædestinationis, vt sine vlla dubitatione (citra reuelationem quidem) nullum expressius, ac certius haberi possit. Quo modo B. Laurent. Iustinianus *de perfect. mona. con.* loquens de Religioso ait: *Securè sperat post hanc peregrinationem ad illam supernam intrare Hierusalem, quicumque in iustorum congregationem fuerit vocatus. magnum quippe electionis indicium est huius fraternitatis habere consortium; facileque ab illa excluditur, qui ab hac fuerit segregatus.* Et hoc est ita verum, vt Pius V. electus in Papam expalluerit, & pœnè in deliquium inciderit; rogatusque causam, præ singulari sua humilitate dixerit; *Cum essem Religiosus, benè sperabam de mea salute; creatus verò Episcopus cœpi de ea formidare, nunc verè electus in Pontificem iam pœnè de ea despero.*

QVÆRES XIX. Quibus monitis incitari possint Moniales ad mutuam charitatem inter ipsas conseruandam.

RRrr 4 Respond.

303. Respond. posse incitari sequentibus monitis; videlicet,

1 Sicut initio nascentis Ecclesiæ, *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, Act. 4. sic Christus Io. 15. ait de fidelibus, & maximè de Religiosis: *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem*; & Io. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Moniales ergo, & quicumque alij Religiosi omni studio, ac diligentia mutuam inter se charitatem seruent, vt dicere possint, *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum* Psal. 132. vbi S. Hieronymus: *Verè iucundum: vnum fratrem dimisimus, & ecce quantos inuenimus: frater meus sæcularis non tantum me amat, quantum substantiam meam: cæterum fratres spirituales, qui sua vtique negligunt, aliena non quærunt.*

2 Quod si charitas ex 1. Cor. 13 *patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt*: vt charitas feruerit inter Moniales, eæ debent esse patientes, benignæ, non procaces, seu proteruæ, non inuidæ, non ambitiosæ, non quærentes quæ sua sunt. Quod benè exponit S. Gregorius *l. 10. mor. c. 8.* dicens *Charitas patiens est, quia illata mala æquanimiter tolerat: benigna est, quia pro malis bona largiter ministrat: non æmulatur, quia per hoc quod in præsenti mundo nihil appetit, inuidere terrenis successibus nescit: non inflatur, quia cum internæ retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus non exaltat: non agit perperam, quia quæ se in solum Dei, ac Proximi amorem dilatat, quidquid à rectitudine discrepat, ignorat: non est ambitiosa, quia quæ ardenter intus ad sua satagit, foris nullatenus aliena concupiscit: non quærit quæ sua sunt, quia cuncta, quæ hic transitoriè possidet, velut aliena negligit*, &c.

3 Monialis suarum Sororum defectus patienter sustineat, sicut proprios defectus ab aliis patienter sustineri cupit: sustineat, vt sustineatur: dissimulet alienos leues defectus, vt dissimulentur grauiores ab ea commissi; taceat alienas miserias, vt taceantur suæ. sic enim monet Paulus Galath. 3 dicens *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

4 *Tu*, inquit S. Bernard. *serm. 29. in Cant. accepta fortè iniuria, non continuò more sæcularis obliqua referire fratrem responsione festines: commotio tua ibi moriatur, vbi oritur, nec permittatur exire, vt dicere possis; turbatus sum, & non sum locutus.* sic Bernardus adhortans Religiosum sui Ordinis Monachum.

5 Quemadmodum (ait S. Chrysostomus *hom 3. de Dauide, & Saule* explicans verba illa Prouerb. 15. *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem*) *si insfles in scintillam ignis, excitas incendium, si inspuis, extinguis: idem fit & in inimicitia Proximi, si inflatos, ac vecordes ingeras sermones, excitas ignem; sin mites, ac moderatos, iram omnē extinxeris.* Sic etiam Salomon Prou. 25. ait *Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis confringet duritiam* vertit autem Chaldæus pro *Patientia lenietur Princeps*, *In patientia spiritus lactatur princeps*: quasi patientia respondentis iratum Principem reddat non minùs placidum, quam infantulum lactantem: &, sicut infans epoto lacte, consopitur: ita Princeps, audito molli responso, à furore detumescat.

6 Sint Religiosi faciles in condonandis mutuis injuriis iuxta monitum S. Pauli Ephes. 4. *Donantes inuicem*: si enim Thomas Morus dicebat Christianum debere insculpere beneficia marmori, & maleficia pulueri (cum ethnici, & ingrati beneficia pulueri, &, si quid mali patiantur, marmori insculpant) multò magis id tenentur facere Religiosi. præterquam quod dolor de injuria accepta melius curatur obliuione, quam locutione, cum locutione potius ægrescat, ac recrudescat, obliuione sensim extenuetur, & aboleatur: &, si talis obliuio temporis processu paulatim inducitur sine mercede; cur non patiemur per legem diuinam citiùs induci mercede? vt monet S. Chrysost. *hom. 52. ad pop. Antioch.* dicens. *Quod tempus facit, hoc per legem Dei ante tempus facere non sustines? & sine mercede potiùs quam cum mercede vis tibi vitium extingui?*

7 Cùm quotidie dicamus Deo, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: apparet hanc quasi conditionem nobis præscribi ad obtinendam à Deo remissionem nostrorum peccatorum; vt scilicet etiam nos facilè condonemus Proximo injurias nobis illatas: *si* enim inquit Christus Lucæ 11. *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet, & vobis pater vester cælestis delicta vestra, si autem non dimiseritis, non dimittet.* Vnde infert S. Augustinus *Enchirid.* 73. hoc esse quasi pactum Dei cum peccatore: *si dimittis, dimitto, si non dimittis, non dimitto*: & *Glossa* explicans illud Mat. 6. *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet peccata vestra*, ait Deum in nostra potestate posuisse, qua conscientia iudicium Dei prouocemus erga nos, & sententiam temperemus: non aliud exigit Iudex, quam vt, qualem eum volumus erga nos, tales nos præstemus fratribus.

8 De S. Ioanne Eleemosynario refert, Leontius *cap. 38. vita illius*, quod, cum Principem iram seruantem ad reconciliationem vellet inducere: Missam coram eo celebrans, & dicens: *Dimitte nobis debita nostra*, illico siluit, idque consultò: & cum Princeps prosecutus fuisset, *Sicut & nos dimittimus, debitoribus nostris*; tum Io. ad illum conuersus, *vide*, ait, *in quali terribili hora quid dicas Deo, Quoniam sicut ego dimitto, ita & tu dimitte mihi*: qua voce quasi fulmine ictus Princeps; *Quæcumque iusseris, Domine*, inquit, *faciet seruus tuus*, & illicò reconciliatus est inimico. E contrà de Sapritio narrat Surius *in vita Nicephori die 9. Febrauarij* quod, cùm in fide constans iam capite plecti deberet, & iuberetur genua flectere; abnegauit, eò quod Nicephoro petenti veniam nollet offensam condonare: qui proinde in eius locum se substituens martyrij palmam, ei eripuit, ac obtinuit.

9 S. Elzearius Arriani Comes meditatione, ac imitatione passionis Christi omnes injurias sibi illatas ita superabat, vt videretur esse apathos, ac insensibilis: si ergo nos patienter sustinere volumus injurias nobis factas, attentè consideremus Christum sicut ouem ad occisionem ductum, & quasi agnum coram tondente se obmutuisse; consideremus probra, calumnias, injurias, ac tormenta ipsi irrogata; nec à tali consideratione cessemus, donec mens nostra in imitatione patientiæ Christi tranquillè quiescat.

10 Si Religiosum contingat pro fragilitate naturæ concitari ad iram, & subitò irasci, ne iræ per voluntatem, & rationem consentiat, vt illi inhæreat, vindictam machinando, ac perficiendo; sed quam citissimè per dominium rationis, & Dei metum iram compescat; ita vt Sol non occidat super iracundiam ipsius, iuxta monitum Pauli Ephes. 4. Quo modo in aliquibus Religionibus hæc pia lex statuta est; vt, si quis alium per diem offendat, nocturnæ quieti non se det, nisi prius veniam ab eo, quem offendit petat, ipsique reconcilietur. Quod, teste Leontio *sup.* præstitit S. Io Eleemosinarius, dum iusta ira commotus contra Nicetam Patritium, vt ante vesperam ei se reconciliaret, ad illum misit Præsbyterum suum, qui ipsi diceret, *Sol iam est in occasu, vir maximè*

venerande:

veneranda: & sic compunctus Nicetas ad Ioannem accurrit; & vterque ante Solis occasum in mutuos ruerunt amplexus.

11 Vindicare se non est actus fortitudinis, sed abiectionis, & timiditatis, inquit S. Ambrosius *l. 1. offic. c. 36. vincitur ab inimico, non vincit, qui se vindicat. Aristoteles item lib 4. Ethic c. 3.* docet quod sicut debilis stomachi est cibum duriorem non posse concoquere; ita pusillanimi est verbum duriusculum non posse sustinere.

13 Christiana Virgo sanctitate illustris, cùm moriens rogaretur, quo modo ad tantam sanctitatem peruenisset, sic respondit: *Afflictiones meas, nulli nisi Deo questa sum: erga omnes liberalis fui, saltem animo: iis, à quibus læsa fui, beneficium singulare rependi, non fecissem, nisi ab eis læsa fuissem.*

13 Monet Plutarchus, vt iratus se, & suos mores contempletur in speculo: videns enim faciem, ac gestus furibundo, & phrenetico similes detestabitur & cauebit iram. Cato autem Senior dicebat iratum ab insano non distingui, nisi mora; iram enim esse breuem insaniam.

14 Angelorum est nullatenus litigare, sed in omnimoda, & perpetua pace consistere, ait Leontius *in vita S. Io. Eleemosynarij cap. 14. hominum verò altercari quidem, sed statim reconciliari: dæmonum autem est totum diem litigare, & totum diem transire irreconciliatos.*

15 *Relinque munus tuum ante altare*, ait Christus cap. 5. Matth. *& vade, reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* sicque olim in Missa vsus fuit, vt ante Sanctam Communionem Christiani darent sibi osculum pacis, quasi reconciliationis, ac vnionis symbolum: cuius loco iam datur osculanda tabella pacis (quam vocant.) Vnde patet quam citò debeant Religiosi inter se reconciliari, si qua fortè offensio inter ipsos intercedat.

16 Si ergo aliqua offensio oritur inter 2. religiosos, vterque eorum studeat quam primum reconciliari fratri suo, illumque in hoc præueniat, vt nemo accipiat coronam suam *Apoc. 3.* idque licèt ipse sit maioris authoritatis, sit etiam passus sit iniuriam: eique dicat ex Gen. 13. *Ne quæso, sit iurgium inter me, & te; fratres enim sumus &c.* Sic hortatur, S. Gregorius *hom. 32. in Euang. dicens. Ecce inter nos, & Deum discordiam peccando fecimus; & tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, vt nos ipsi, qui peccauimus, ad pacem Dei rogati veniamus. Erubescat ergò humana superbia; confundatur quisque; si non satisfaciat prior Proximo, quando post culpam nostram, vt ei reconciliari deberemus, & ipse, qui offensus est, legatis interuenientibus obsecrat Deus.*

17 Non vides, inquit S. Chrysostomus *hom. 11. in 1. Thessal. in ædibus, quando ex aduerso, & directè steterunt duæ ianuæ, sitque ventus vehemens; si alteram clauseris, nihil potest ventus, sed magna pars virium eius præciditur, ita nunc quoque duæ sunt ianuæ, os tuum, & eius, qui te contumeliis affecit, & conuitiis: si tuum clauseris, extinguis totum spiritum; sin autem aperueris, non potest cohiberi.* Sic S Basil. *hom. 9. de ira*, ait: *Contumeliam tibi imposuit iratus, siste silentio malum, & ne ventos imiteris, qui per reflatum id, quod appulsũ est, repellunt*, sic Basilius, & meritò; vt enim silet tempestas, si venti ventis non aduersentur; ita planè tollitur iurgium, si ex altera parte siletur. Idem confirmat B. Laurentius *in ligno vitæ de timore cap. 3.* dicens: *Sicut nihil est deformius quam respondere furiosis: ita nihil est vtilius, quam tacere, dum prouocamur, quia nullus est finis inimicitiis, nisi ad tempus obtemperetur iratis.*

8 Memorabile est quod habet Tertull. *lib. de patientia, cap. 8.* his verbis: *Idcirco quis te lædit, vt doleas: quia fructus lædentis in dolore læsi est: ergò, cum euerteris fructum eius non dolendo, ipse doleat, necesse est amissione fructus sui.*

19 Caueant omninò religiosi à qualibet contentione iuxtà monitũ Sapientis, Eccl. 11. *De ea re, quæ te non molestat, ne certeris.* & Pauli 1. Timoth 2. *Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientia:* nam *seruum Domini non oportet litigare* (subdit Paulus) *sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem*, & alioqui, Sapiens Prou. 20 ait *Honor est homini, qui separat se à contentionibus.* Videat ergo religiosus; ne vlla in re fratri suo contradicat; &, si alter ipsi contradicat, ne se pertinacem ostendat in suo sensu: sed, vbi modestè illum aperuerit, ex amore veritatis, cedat, memor de Christo dicti Matth. 12. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius*; & 2. Tim 2. dicit: *Seruum Domini non oportet litigare*, quo pacto S. Ephrem moriens in suo testamento gloriatur, quod nunquam cum vllo Christiano verbis contenderit, aut litigarit.

20 Videant item religiosi, ne alteri referant, quæ ab alio aduersus ipsum dicta, aut gesta sunt: nam *sex sunt, quæ odit Dominus* (dicitur Prou. 6.) *& septimum detestatur anima eius; eum, qui seminat inter fratres discordias*; & de hoc habetur Eccl. 21. *Susurro coinquinabit animam suam, & ab omnibus odietur, & qui cum eo manserit, odiosus erit.* idque iure optimo, cum S. Basilius *hom 9 de ira* ostendat deteriorem esse referentem, quam inferentem contumelias.

21 Ad seruandam charitatem inter religiosos iuuat plurimum, vt quilibet illorum cuicumque in omnibus se postponat, seque exteriùs ita gerat, vt id ipsum opere demonstret iuxtà consilium Pauli Philip. 2. *In humilitate superiores se inuicem arbitrantes.* Quod satis apertè indicat S. Chrysostomus *hom. 13. ad pop. Antioch.* ponderans verba illa Matth. 7. *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*; ait enim *Vis beneficia capere, confer beneficium alteri: vis laudari, lauda alium: vis amari, ama: vis partibus primis potiri, cede illas prius alteri.* quod S. P. N. Ignatius *3. p. Const. cap. 1. §. 4.* nos. bis proponit dicens: *In omnibus procurando, atque optando potiores partes aliis deferre.* ad quod facit illud Pauli *Rom. 12. honorem inuicem præuenientes.*

22 Iuuat item ad fouendam mutuam charitatem, quod religiosi inuicem se iuuent, & mutua sibi sibi præstent obsequia: cum, teste Paulo 1. Cor. 12. non possit *oculus dicere manui, opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij; sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora, necessaria sunt.* Quare idem Paulus Galath. 5. ait *Per charitatem spiritus seruite inuicem*: qui enim vera charitate flagrat, ad infirma, ac seruilia obsequia quibuslibet, maximè afflictis, ægrotis, ac pauperibus exhibenda se demittit; sicque fratris voluntatem sibi promeretur: sicut enim, inquit Chrysostomus *ibi, ignis admotus ceræ, facilè mollit eam; sic & amoris calor omnem fastum, & arrogantiam vehementiùs, quàm ignis soluit.* Sic etiam Christus Ioan. 13. cum lauisset pedes Discipulorum, dixit; *Si ergo ego laui pedes vestros Dominus, & magister; & vos debetis alter alterius lauare pedes*: exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis ita & vos faciatis.

23. *Sicut verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos* Eccl. 5. *sic sermo durus suscitat furores*, Prou. 15. proinde in Communitate Religiosorum ...uendum

cauendum eſt, ne ij inuicem ſe offendant verbis aſperioribus; cum per hæc facilè violari poſſit fraterna charitas, maximè ſi aliàs frater ſit perturbatus, ac naturaliter moroſus: ſicut enim (ait Chryſoſt hom. 1. *de Anna.*) *acerba vulnera ne leuem quidem contactum ferunt: ſic & animus perturbatus difficilis eſt, ac moroſus, & ad omnia indignatur, quouſque mordeatur, & offendatur.* Quod ſi frater ſit modeſtus, ac patiens, non ideo verbis malè tractandus eſt: cum ipſe poſſit dicere ex Matth. 20. *An oculus tuus nequam eſt quia ego bonus ſum?*

25 Multùm charitati inter religioſos nocet, quod ſe inuicem indebitè reprehendant, videlicet non expectata opportunitate temporis, loci, & aliarum circunſtantiarum; quæ hac in re attendi debent: vnde fit, vt qui reprehenditur, reprehendentem repellat iis verbis: *Quis te conſtituit Principem, & Iudicem ſuper nos?* Exodi 2. immodica quippe obiurgatio nec prodeſt obiurgato, nec decet obiurgantem: quæ verò ex amore, ac rigore rata proportione conditur, & digna eſt obiurgante, & prodeſt obiurgato.

26 In communitate Religioſorum maximè vitari debent amicitiæ particulares, contra quas acriter inuehitur. S. Baſilius *ſerm. de inſtitut. Monach.* his verbis: *Quod ſi quis inuentus fuerit, qui maiori quadam animi propenſione Monachum, Fratrem, vel propinquum, vel alium quemuis quauis de cauſa videatur diligere, hunc caſtigare oportebit vt iniurium publicæ charitatis:* qui enim vnum aliquem magis quàm cæteros diligit, is quod non perfectè cæteros diligat, de ſe ipſo indicio eſt.

QVÆRES XX. Quibus monitis excitari poſſint Moniales ad cauendam tepiditatem in Dei ſeruitio, ac religioſæ perfectionis acquiſitione.

304 Respond. Poſſe excitari ſequentibus monitis, & quidem.

1 Meminerint tepiditatem ita à Deo improbari, vt Deus de tepido dicat: Apocal. 3. *Vtinam frigidus eſſes, aut calidus eſſes; ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo:* & Ieremiæ 48. de eo dicitur, *maledictus qui opus Dei facit negligenter.*

2 Nouerint indicia hominum tepidorum ex S. Bernardo *ſerm. de Aſcenſ. Dom.* eſſe, quod ſunt puſillanimes, & remiſſi: deficientes ſub onere; virga, & calcaribus indigentes: quorum remiſſa lætitia, puſillanimis triſtitia eſt; quorum breuis, & rara compunctio, animalis cogitatio; tepida conuerſatio: quorum obedientia ſine deuotione, ſermo ſine circumſpectione, oratio ſine cordis intentione, lectio ſine ædificatione: quos vix gehennæ metus cohibet, vix pudor inhibet, vix frænat ratio, vix diſciplina coërcet.

3 Tepiditas è diametro pugnat cum ſtatu hominis religioſi: quippe qui ratione ſtatus tenetur tendere ad perfectionem, ideoque magis in dies proficere in ea: cuius oppoſitum facit homo tepidus: quem propterea S. Auguſtin in Pſalm. 56. ſic compellat: *Quantumcunque hic profecerimus, nemo dicat, ſufficit mihi, iuſtus ſum: qui dixerit, remanſit in via; non nouit peruenire: vbi dixit, ſufficit, ibi haſit: attende Apoſtolum, cui non ſufficit; Fratres, inquit, ego me non arbitror comprehendiſſe: ille ergo currit, tu haſiſti: ille dicit nondum ſe perfectum, & tu iam de perfectione glorìaris? confundantur qui dicunt tibi euge, euge: confundaris & tu qui dicis euge, euge.*

4 Religioſus tepidus eſt expoſitus tribus magnis periculis; videlicet amittendi peculium meritorum iam acquiſitorum iuxta illud Prouerb. 18. *Qui mollis, & diſſolutus in opere fuerit, Frater eſt ſua opera diſſipantis,* dando occaſionem grauioris ruinæ ſpirituali iuxta Prou. 16. *Ante contritionem præcedit ruina & ante ruinam mala cogitatio;* & nunquam emergendi ex tepiditate iuxta illud Caſſiani coll. 4. c. 19. *Frequenter vidimus de frigidis, atque carnalibus id eſt de ſæcularibus, atque paganis ad ſpiritualem perueniſſe feruorem; de tepidis, atque animalibus omninò non vidimus.*

5 Feruor ſpiritus teſte S. Baſilio *in regulis breuioribus reſponſ. 259. in tribus conſiſtit; nimirum, vt in eo, quod agimus, adſit tota intentio: vt adſit inexplebilis cupiditas benè operandi; vt accedat aſſiduitas, & continuatio, qua nullum charitatis erga Proximum, aut virtutis officium recuſemus:* ſicut enim olla, quæ feruet, non quieſcit, ſed ſemper bullit, in altum ſe erigit, atque ignitas bullas ſurſum iaculatur; ſic charitas otioſa eſſe non debet, nec poteſt, ſed oportet, vt continuò ad majora ſemper proficiat, & exiliat.

6 Videte, inquit Paulus Epheſ. 5. *Quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes redimentes tempus: eſt enim vita noſtra* (ait Nazianzenus *in ſententiis*) *quaſi mercatus, cuius dies cum abierit, tempus amplius non erit emendi quæ velis: ſic ergo viuamus, & tanta faciamus, quanta voluerimus feciſſe, cum hoc tempus elapſum erit: quod enim hic facimus, per totam æternitatem nobis proderit; & quod nunc negligimus, irreparabiliter amittimus: viuamus vti in hora mortis optabimus nos vixiſſe; ſic enim tempus redimemus.*

7 Religioſus tepidus, ait Thomas de Kempis l. 1. *de imitat. Chriſti* c. 25. num. 7. *habet tribulationem ſuper tribulationem, & ex omni parte patitur anguſtiam; quia interiori conſolatione caret, & exteriorem quærere prohibetur.*

8 Si omni anno, inquit idem Thomas *ſup. cap. 11. num. 5. vnum extirparemus, citò viri perfecti efficeremur; ſed modo è contrario ſentimus, vt meliores, & puriores in initio conuerſionis nos fuiſſe inueniamur, quam poſt multos annos profeſſionis, feruor, & profectus noſter quotidie deberet creſcere; ſed nunc pro magno videtur, ſi quis primi feruoris partem poſſit retinere: ſi modicam violentiam faceremus in principio, tunc poſtea cuncta poſſemus facere cum lenitate, & gaudio.*

9 Vox multorum eſt, (dicit Gerſon *part. 3. tract. de Myſt. Theol. pract. conſiderat. 4.*) *ſufficit mihi vita communis: ſi cum imis ſaluari potero, ſatis eſt; nolo merita Apoſtolorum; nolo volare per ſumma, incedere per planiora contentus ſum.* At hæc vox indigna eſt dei famulo, indigna eſt Religioſo, cui dicitur *Ambula coram me, & eſto perfectus*, Gen. 17. hæc eſt vox hominum imperfectorum; de quibus Mat 20. dicitur *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Audiant Religioſi, quod dicit Sapiens Eccl. 9. *Quodcunque facere poteſt manus tua inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.*

10 *Si tanto ſtudio, & ſollicitudine quæreretur conſcientia,* inquit S. Bernardus *de inter. domo, cap. 21. quanto quæritur ſæcularis, & vana ſcientia, & citiùs apprehenderetur, & vtilius retineretur.* Quod confirmat S. Doroth. *doc. 10.* loquens ſecum ipſo his verbis: *Si tantus labor, tantuſque feruor ſuit tibi in adipiſcenda eloquentia, quanto maior tibi nunc adhibenda eſt cura, vt veras virtutes acquirere valeas.*

11 Dicebat olim quidam ex SS. Patribus, vt refertur *in vitis Patrum* virù perfectionis ſtudioſum debere, imitari canes venaticos: vt enim hi leporem velociſ-

ſimè

simè, & toto conatu persequuntur, nó respectantes, quæ in via sunt, aut offeruntur, sed omnibus oculis, sensibus, & viribus etiam per saxa, sentes, & vepres in leporem feruntur; nec quiescunt donec eum cœperint: sic virtutis studiosus idem circa virtutem facere debet. quo modo S. Marcianus Anachoreta, teste Theodoreto *in Philotæo*, rogatus à venatore, quid solus, ac otiosus ageret in eremo, respondit: *Ego Deum meum hic venor, nec ab hac pulchra venatione cessabo, donec eum apprehendero.*

11 Religiosus ita se gerat in via virtutis, vt de eo dici possit veraciter: *Consummatus in breui expleuit tempora multa* Sapient. 4. Quo pacto Eusebius Emiss. *homil. 9. ad Monachos*, dicit: *Non te fallat quicunque ille es, numerus dierum, quos hic, relicto corporaliter sæculo consumpsisti: illum tantùm diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti: quem sine vlla regula transgressione duxisti: illum diem vixisse te computa, qui puritatis, & sanctæ meditationis habuit lucem.*

QVÆRES XXI. Quibus monitis incitati debeant Moniales ad perfectam suarum regularum obseruantiam.

305. Respond. Debere incitari sequentibus monitis, videlicet,

1 Cum Religiosi dicantur Regulares à regula; vtique necesse est, vt regulam sui Ordinis obseruent: aliàs essent religiosi æquiuocè eo modo, quo homo pictus dicitur homo; & indignè ferrent nomen Regularium: sicque iis dici posset, quod olim Magnus Alexander dixit militi illi ignauo, *Aut muta nomen, aut muta mores.*

2 *Custodi legem, atque consilium*, dicit Sapiens Prouerb. 3. *& erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis:* sicque docet perfectionem religiosam, quæ est vera vita Religiosorum, consistere in perfecta regularum obseruantia; ita vt religioso suæ regulæ transgressori adaptari possit illud Apoc. 3. *Nomen habes, quod viuas, & mortuus es.* Quare S. Bernardus *epist. 32. ad fratres de S. Anastasio*, sic scribit: *Rogo vos, fratres, & multum obsecro, sic agite, & sic state in Domino, dilectissimi, soliciti semper circa custodiam Ordinis, vt Ordo custodiat vos.*

3 De religiosis regulam Ordinis negligentibus dicit S. Prosper *lib. de vita contemplat. cap. 4.* non mente mutatos esse, sed veste; non actu, sed habitu: quippe qui *sermone tantùm, non opere sæculo renunciasse contenti sæculariter viuunt, & vitia sua inani professione vitæ melioris abscondunt; ac religionis imaginariæ nomine palliati opinionem virtutis pro virtute suscipiunt; prædicant magna, nec faciunt; accusant vitia, nec deponunt; publicè sibi displicere simulant, quod occultè committunt; magni student videri, non fieri.* Quapropter de se dicere possunt quod habet S. Bernardus *epist. 149. Clamat ad vos mea monstruosa vita, mea ærumnosa conscientia; ego enim quædam chimæra mei sæculi, nec clericum gero, nec laicum: nam Monachi iamdudum exui conuersationem, non habitum.*

4 Regulas Ordinum religiosorum vocant alij vincula, quibus tria vota substantialia colligata conseruentur: alij sepimenta, quibus lex Dei munita circumsepitur: alij neruos, & ossa religionis, sine quibus mysticum corpus religionis non consistit: alij scalam, quæ tot gradibus distincta, quot sunt particulares regulæ, religiosum obseruantem ad perfectionis culmen attollit: alij aphorismos spirituales, in quibus continentur præceptiones curandi spirituales morbos: alij fulcra, quibus ædificium religiosæ perfectionis fulcitur: alij denique speculum, in quo religiosus inspicere potest, qualis sit, siue pulcher, siue fœdus; siue iustus, siue iniustus; vtrum proficiat, an deficiat; vtrum Deo placeat, an displiceat. Quid autem erit de religioso, qui hæc vincula dissoluat, hæc sepimenta destruat, hæc ossa conterat, hanc scalam proiiciat in terram, hos aphorismos practicè ignoret, hæc fulcra deiiciat, hoc speculum in minutissimas partes frangat?

5 Regula religiosa necessitatem moralem benè viuendi afferat: at felix necessitas, quæ ad meliora compellit; præterquam quod eiusmodi necessitas progressu temporis efficitur voluntaria; iuxta illud Hieronymi *epist. 4. ad Rusticum*: *tibi*, inquit, *cùm in monasterio fueris, hæc facere non licebit, & inolescente paulatim consuetudine quod primum cogebaris, velle incipies, & delectabit te labor tuus, oblitusque præteritorum semper priora sectaberis.*

6 De S. Pachomio legimus ei ab Angelo allatam regulam vniuersam ipsi, eiusque Fratribus seruandam tabulis descriptam; in qua singillatim omnia explicabantur, quis habitus, quæ munerum distributio, quæ in vita, quæ etiam in accubitu seruanda esset ratio; immò S. Brigitta *l. 7. reuelation. c.* 20. testatur sibi reuelatum fuisse à Christo omnes, & singulas regulas Ordinum religiosorum diuinitùs fuisse dictatas, & ex aspiratione Sancti Spiritus. Qua ergo reuerentia, ac deuotione iussum Dei impleremus, quod nomine eius ab Angelo indiceretur: eadem debemus obseruare regulas nostri Ordinis, vtpote à Deo ipso cœlitus dictatas ex speciali Spiritus Sancti illustratione, ac assistentia.

7 Ex eo autem quod regula non obliget ad culpam non ideò faciliùs violanda est: cum non timor culpæ, sed Dei amor trahere debeat nos ad implendam diuinam eius voluntatem in regula expressam iuxta illud Ioan. 14. *Si diligitis me, mandata mea seruate:* & religioso viro adaptari possit, quod in alio sensu ait S. Gregor. *l. 3. dial. cap. 16. Si seruus Dei es, non te teneat catena ferrea; sed catena Christi:* quod S. P. N. Ignatius indicauit *part. 6. Constitut. cap. 6* dicens *loco timoris offensæ succedat amor, & desiderium omnis perfectionis, & vt maior gloria, & laus Christi Saluatoris consequatur.*

8 Cauendum, ne aliqua regula violetur, eò quod iudicetur esse de re minima: nam Lucæ 16 dicitur, *Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est; & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est:* & 19. Eccles. dicitur: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Quare S. Bonauentura *in specul. discipl. ad nouit. in prologo* dicit: *Minima neglecta eò turpius moribus maculam ingerunt, quo vitari faciliùs cognita potuerunt.* quod confirmat S. Augustinus *l. 14. de ciuit. Dei cap. 15.* dicens de Adami inobedientia: *In Paradiso tanto maior inobedientia fuit, quanto id, quod præceptum est, nullius difficultatis fuit.*

9 Cum Lucæ 22. dicatur de viris tendentibus ad perfectionem: *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator*; hinc conficiant religiosi ex eo quod sint antiquiores ætate, ac professione, immò & benè meriti de religione, non ideò ipsis concedi, vt violent regulas: quin potius, quò sunt antiquiores, eò se debent ostendere obseruantiores, prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus: iis enim in primis dicitur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matth. 5.

10 Caueat Religiosus, ne quam ex regulis violet, vt non reputetur scrupulosus; cùm potiùs ex studio regularis

Regularis obſeruantiæ dicere deberet cum Paulo Roman. 1. *Non Erubeſco Euangelium.* Chriſtus certè Lucæ 9. ait. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* Non ſcrupuloſus, ſed obſeruans reputatur Religioſus, qui omni ſtudio abſtinet à violanda quacunque Regula, etſi minima: & inter Religioſos, qui eſt exactior in obſeruanda propria Regula, eò perfectior, & ſanctior exiſtimatur: non eſt ergo, cur Religioſus de hoc erubeſcat, quin potiùs gloriari debet in Domino, neglecto quocunque reſpectu humano.

11 Vt autem Religioſi perfectius ſuam obſeruent Regulam, confert plurimùm, vt illam ſibi faciant familiarem, ac benè intelligant, memoriam illius ſæpè renouantes illam ſiue audiendo, immò & attentius meditando. Quo modo S. Auguſtinus *in Regula cap. vlt.* dicit: *Ne per obliuionem aliquid negligatur, ſemel in ſeptimana vobis legatur* (loquitur de Regula) & Benedictus mandat ſuam Regulam ſæpè legi, *ne quis fratrum ſe de ignorantia excuſet.* Porrò ille dicetur habere Regulam familiarem, qui cognitionem illius habebit quaſi habitualem; ita vt totam habeat in promptu, ſicque iudicio practico illam huic, vel illi rei applicare poſſit, definiendo illam fieri, aut non fieri poſſe.

12 Cæterum, quia, teſte S. Bernardo *tract. de diſpenſat. & præcepto pars Regulæ eſt Regularis correctio, & Regulæ tranſgreſſio corrigitur per pœnitentiam:* propterea Religioſi non ſolum promptè, ac humiliter debent implere pœnitentias ipſis à Superiore injunctas pro tranſgreſſionibus Regulæ; ſed etiam debent illas ſponte petere à Superiore, & libenter implere: vt hæc cura indicium ſit illius, quam de ſuo profectu ſpirituali in via Dei quiſque habet; vt dicitur Reg. 51. *ſummarij Conſtitut. noſtræ Societatis.* Sic quippe Regula conſeruatur in viridi obſeruantia, vt notat S. Bonauentura *tractat. de 6. alis Seraphim ala 2.* & in hac vita ſatisfacientes pro commiſſis defectibus euadimus pœnam aliàs in Purgatorio ſubeundam pro dictis defectibus.

QVÆRES XXII. Quibus monitis induci debeant Moniales ad perfectam Religioſæ paupertatis obſeruantiam.

306. Reſpond. debere induci ſequentibus monitis.

1 Meminerint paupertatem Religioſam eſſe fundamentum Euangelicæ perfectionis, ideoque Chriſtum Matth. 19. adoleſcenti prouehendo ad perfectionem dixiſſe; *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus:* & meritò, cum paupertas primò ſuccidat diuitias, honores, ac delicias quæ ſunt materia, ac fomes omnium vitiorum; pariat humilitatem, quæ eſt fundamentum ſanctitatis; noſque relinquat liberos ab omni cura rerum temporalium ad effectum vacandi Deo ſoli, ac virtutum omnium acquiſitioni.

2 Paupertas eſt abdicatio ſolicitudinum ſæculi, iter ad Deum ſine impedimento, expulſio omnis triſtitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, quæ nos liberat curis omnibus vitæ tranſeuntis, & facit, vt Dei mandata perfectè exequamur, vt notat Climachus *grad.* 17.

4 Cum Chriſtus Matth. 5. aliis fermè virtutibus remunerationem polliceatur poſt hanc vitam; paupertati in præſenti cœlorum regnum decernit dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum:* ſiue quia paupertas adeo remota eſt ab omnibus periculis amittendi gloriam cœleſtem, vt eam quaſi manibus teneat; ſiue quia ita omnibus curis ſæcularibus expers eſt, vt etiam in hac vita fœlicitatis futuræ dulcedinem etiam modò prægustet.

5 Caſſianus *collat. vlt. cap. vlt.* alludens ad centuplum Religioſis à Chriſto promiſſum Matth. 19. iis verbis, *omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit;* ſic ait: *Quiſquis patris vnius, vel matris, ſeu filij pro Chriſti nomine, charitate contempta in omnium, qui Chriſto ſeruiunt dilectionem ſinceriſſimã tranſit, pro vno ſcilicet tot patres, fratreſque feruentiore, ac præſtantiore affectu deuinctos; multiplicata etiam domorum, atque agrorum poſſeſſione ditabitur quiſquis vna domo pro Chriſti dilectione rejecta, innumera Monaſteriorum habitacula tanquam propria poſſidebit in quacumque orbis parte, velut in ſua domus iure ſuccedens. Quo modo enim non centuplum, & ſi Domini noſtri ſententia ſupra adjici aliquid fas eſt, pluſquam centuplum recipit qui 10. vel 20. ſeruorum miniſteria infida, & coactitia derelinquentes tot ingenuorum, atq; nobilium ſpontaneo fulcitur obſequio.*

6 *Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria:* hoc olim efflagitauit Salomon à Deo Prou. 30. & hoc omninò conceſſum eſt Religioſis; qui, cum neceſſaria habeant alimenta aliorum laboribus curata, & Dei benignitate prouiſa, propria ſorte contenti dicunt cum Paulo 1. Tim. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus* & meritò, cum habeant proprij victus quaſi œconomum, & procuratorem Deum ipſum, qui dat omnibus affluenter, ſicque eos ab omni cura, ac ſolicitudine liberet.

7 *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt* (bona ſcilicet temporalia) inquit Dauid Pſal. 143. qui tamen rejicit, ac ſugillat ſic loquentes, dicens, *Beatus populus, cujus Dominus Deus eius* (cujuſmodi ſine dubio in primis ſunt Religioſi) non enim bona temporalia beatum efficere poſſunt hominem; cum ſint falſa, vana, & apparentia, vt oſtendit S. Chryſoſtomus dicens in 1. Tim. 6. *Candore lucentis Margaritæ attraheris? cogita maris eſſe aquam, & in eius finibus ante iacuiſſe deiectam: rapit animam auri fulgor, & niser argenti? cogita terram, ac cinerem ea prius fuiſſe, ac modò eſſet: placet pretioſa, & ſerica veſtis? at vermium ille contextus eſt, opinio eſt, & humana præſumptio.*

8 *Qui volunt diuites fieri*, teſte Paulo 1. Timoth. 6. *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa, inutilia, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem.* Quod confirmauit Chriſtus cap. 19 Matth. iis verbis: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare Regnum Cœlorum.* At Religioſos à periculo ſalutis adeò graui liberat Religioſa paupertas: quippe qui carnis affectibus exuti, & à terrenis bonis expediti (vt ita dixerim) filo gracili ſimiles per foramen illius myſticæ acus tranſeunt, ſpirituales effecti; vt loquitur Gaudentius Brixienſis *ſerm. 5. tomo 2. Biblioth. veterum Patrum.*

9 Cum triplex ſit paupertas, alia cenſu, alia ſenſu, ſeu ſpiritu; & alia cenſu ſimul ac ſenſu: paupertas Religioſorum, vt ſit perfecta, debet eſſe paupertas & cenſu, & ſenſu; quo modo Chriſtus Matth. 5. dixit, *Beati pauperes ſpiritu.* Ea ergo debet eſſe non neceſſaria, non coacta, non ex vana gloria, aut alio fine humano: ſed voluntaria, libera, & ex Spiritu Sancto. Quanquam, vt benè aduertit S. Gregor. *hom. 1. in Euang.* in hoc affectus debeat potiùs penſari, quam cenſus: *cum multum relinquat, qui ſibi nihil retinet; multum relinquat qui quantumlibet parum totum deſerit.*

10 Cauendum

10 Cauendum Religiosis, ne effectu relinquentes quæcumque bona in sæculo possidebant, & quidem magna, in Religione immoderatum retineát affectum erga regulas quasdam paruas; v.g. erga cubiculum, vestem, librum, imaginem, & similia: sic enim verè non essent pauperes: quippequi, vt loquitur Cassianus *collat.* Abb. Danielis *cap.21. vitium cupiditatis, & auaritiæ, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes non abscidisse, sed immutasse probant pristinam passionem: quasi verò differentia tantummodo metallorum, & non ipsa passio cupiditatis habeatur innoxia: sed ideircò* (concludit Cassianus) *pretiosiores abiecimus materias, vt facilius disceremus viliora contemnere.* Quod confirmat S. Bernardus *ad Monach. S. Bert.* dicens *miserabiliores sumus omnibus hominibus nos Monachi, si pro tam exiguis tanta patimur detrimenta: quid enim insipientiæ, immò quid insaniæ est, vt qui maiora relinquimus, minora cum tanto discrimine teneamus.* Confirmauit & S. Antonius, dum cuidam sæculum renunciare volenti aliquibus in tempus necessitatis sibi reseruatis, iussit, vt nudo corpori suo carnes à se emptas imponeret: quod cum ille fecisset, certatim canes, & aues ad carnem illam rapiendam accurrentes totum eius corpus lacerarunt: tunc Antonius, *Qui non renunciant omnibus, sic* (inquit) *lacerantur à dæmonibus.*

11 Si quando Religiosis occurrit occasio sentiendi effectum aliquem paupertatis, etiam circa necessaria; illum prumpto animo sustinere debent: quo modo in *Constitutionibus nostræ Societatis p.3.c.1.* §.25. dicitur: *Diligant omnes paupertatem vt matrem, & iuxta mensuram sanctæ discretionis suis temporibus eius effectus aliquos experiantur.* Sic etiam S. Basilius *in regulis fusius disputatis interrogat.* 22. notat. 1. Tim. 6. dici *habentes alimenta, & quibus tegamur*; non autem dici *habentes oblectamenta, quibus honoremur:* vt indicet Religiosum verè non posse dici pauperem, nisi animo sit paratus sentire effectus aliquos paupertatis, eósque occurrente occasione libenter, & promptè sustineat; aliàs est pauper solo nomine, ac æquiuocè. Idque potissimum procedit de iis Religiosis, qui in sæculo paupertate premerentur, in Religione nullum omninò paupertatis effectum volunt experiri: contra quos inuehitur S. Bernardus *super Missus est*, dicens: *Quodque est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contempti, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt.*

12 *Nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur*, ait *Christus* fidelibus, & maximè Religiosis Matth. 6. *scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis, nolite soliciti esse in crastinum; crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.* Quod explicans S. Chrysostom. *ibi*, ait: *Nequaquam vlterioris diei cura te conteratur: cum eius enim diei spatium te visurum nescias, quam ob causam illius solicitudine torqueris? & certè quid prodest solicitum esse de futuris contingentibus, quæ fortè nunquam erunt?* Religiosi ergo, cum sciant Deum scire, velle, & posse subuenire eorum indigentiis; ne sint soliciti circa temporalia, sed omnem solicitudinem in ipsum deuoluant iuxta illud Psalm. 54. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*, se totos dedant eius seruitio, nec sint anxij circa vestitum, ac victum; memores inter ipsos, & Deum initum fuisse hoc quasi pactum, ac fœdus; vt ipsi ex vna parte omnia relinquant (sicut dicebat S. Franciscus) ille verò pro sua parte ipsos sustentet, & alat, non solum vt herus famulus, sed vt pater filios, hósque dilectissimos.

Qværes XXIII. Quibus monitis suaderi debeat Monialibus perfecta Castitatis Religiosæ obseruantia.

Respond. debere suaderi monitis sequentibus, & quidem 307.

1 Meminerint ipsis diei, quod habet Paulus 1. Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos ab omni fornicatione, non enim vocauit vos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem*: cum ergo illi pluries in die recitent orationem dominicam, & dicant, *fiat voluntas tua*, quo studio debent curare, vt hac in re omninò impleatur Dei voluntas.

2 Meminerint se esse sponsas Christi iuxta illud Apostoli 2. Cor. 11. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo:* quo modo Tertullianus *de velandis Virginibus cap.16.* ait: *Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi desponsasti maturitatem tuam; incede secundum Sponsi tui voluntatem.* Sicut ergo Sponsa carnalis fidem suam obligat Sponso, cauétque maximè, ne datam fidem violet: ita Monialis per votum castitatis fidem dat Christo, sicque cauere debet, ne eam vllo modo frangat; memor, *in nulla parte oportere virginem adulteram esse; non lingua, non auribus, non oculo, non alio omninò sensu, immò neque cogitatione*, vt loquitur S Basilius *de vera virg.*

3 Dei altare vocat S. Hieronymus *Epist.* 8. virginem Demetriadem; dicens se intermisisse tractationem de templo Ezechielis, & de altari thymiamatis, quam cœperat, vt ad illam Virginem scriberet, *vt de altari*, inquit, *transiretn ad altare.* Sicut ergo atrox, execrabilis, & sacrilega omnium iudicio reputatur altaris violatio, sic atrox, execrabilis, & sacrilega est violatio Virginitatis Deo per votum promissæ, adeóque omni modo cauenda.

4 Item meminerint, si quam turpitudinem contra Castitatem committunt, illam in die iudicij à Christo Iudice manifestandam esse ad sonitum tubæ non solum Prælatis ipsarum, ac Sororibus proprij Conuentus, sed etiam parentibus, fratribus, sororibus, aliisque consanguineis, ac amicis: & quidem cum ea ipsarum confusione; quam inde possunt conicere, quod interdum similes excessus ex nimia verecundia neque confessario audent aperire, etsi sciant illum sub nullo prætextu posse eos cuiquam aperire, neque ad saluandam propriam vitam.

5 Sicut *voluptatem vicisse magna est voluptas*, teste Cypriano *lib. de discipl. & bono pudicitiæ, cum nulla maior sit victoria, quàm quæ à cupiditatibus refertur:* sic fructus carnis, & concupiscentiæ est dolor, & tristitia; siquidem, vt docet S. Chrysostom. *hom. 13. in acta Apost. impura voluptas similis est voluptati, qua afficiuntur scabiosi, cum se scalpunt: huic enim voluptati, quæ breuis est, succedit longior dolor, & molestia.*

6 Cum violatio castitatis magnam post se relinquat confusionem in delinquente iuxta illud Pauli Rom. 6. Quem ergo fructum habuisti tunc in illis, in quibus nunc erubescitis, vtique omni conatu debet Monialis resistere tentationi impuræ, vt se eximat à tali confusione, quam sensura est tum in die iudicij iuxta *hic num* 4. tum in manifestanda violatione castitatis Confessario: quæ aliquando est talis, vt dicere possit pœnitens cum Dauide Psalmo 17. *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me; dolores inferni circumdederunt me*; vt proinde vrgens tentatio repelli possit his verbis: *Non emo tanti pœnitere.*

7 Caueat Religiosus, ne semel sinat se præcipité agi in foueam carnalis voluptatis, memor impossibilem

moraliter ipſi poſtea futurum egreſſum ex illa iuxtà illud *Oſee 5. Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum:* quod confirmat Paulus *Eph. 2.* dicens: *Spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ,* intelligens iuxta Hieronym. nomine *ſpiritus fornicationis*, ſpiritum, qui operari dicitur in filiis diffidentiæ, ideſt in iis, qui deſperant de ſua ſalute. nec diſſentit Sapiens Prou. 2. dum ait de meretrice *omnes, qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur:* nec mirum; cum Sapiens *verſu præced.* dicat: *Inclinata eſt ad mortem domus eius, & ad inferos ſemita illius.*

8 Cauendum item eſt à fornicatione, eò quod illa in corpore hominis defigat ſtimulos veneris, qui etiam poſt peccatum, cum vult pœnitere, ad priſtina illum titillent, quod notauit S. Hieronymus *ep. ad Amandum* dicens: *Libido etiam in ipſo tempore pœnitendi præteritos ſtimulos patitur, & titillationem carnis, & incentiua peccati, vt per hæc, quæ corrigi cupimus, cogitantes ſit materia peccandi:* immò & experta eſt Maria Ægyptiaca, quæ Sophronio teſte, *in eius vita*, totidem annos, quot veneri ſeruierat (ſcilicet 17.) hos ſtimulos pœnitens paſſa eſt.

9 Inſurgente tentatione venerea, meminerit Religioſus momentaneum eſſe, quod delectat, ſempiternum quod cruciat: meminerit quod, ſi conſentiat, Deo moritur, ſeque exponit periculo æternæ damnationis, &, ſi in eo ſtatu moreretur, præceps rueret in infernum, vbi ſuã deplorans infelicitatem dicere cogeretur cum Ionatha 1. Reg. 14. *Guſtans guſtaui in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce morior.* meminerit, quod ait Satyricus: *Vbi voluptas regnat, ibi virtus exulat: breuis voluptas longa pœnitentia eſt: vix voluptas eſt, quæ abit, venitque more fulminis.*

10 Curet porrò Monialis, vt iuxta monitum Pauli 1. Cor. 7. ſancta, & corpore, & ſpiritu: caſtitas enim corporis ſine caſtitate ſpiritus Deo non placet, & nihili apud ipſum æſtimatur: ſicut nec ab eo æſtimatæ ſunt virgines fatuæ, ſed potiùs reiectæ verbo illo *Neſcio vos*; quod ipſa gehenna grauius fuit: quem enim neſcit Deus hunc neſcit cœlum, neſciunt Angeli, neſciunt Beati; ſed ſcit diabolus, ſcit mors, ſcit gehenna ad eum iugiter cruciandum. Et quidem quod caſtitas vera debeat eſſe tam mentis, quam corporis, indicant Caſſianus *l. 6. c. 15.* dicens; *Et mulierem ignoro, & virgo non ſum*; & Hieronymus *ep. ad Fauſtum*, dicens: *Perit, & mente Virginitas,*

11 Illius præcepti iugiter meminiſſe debemus (ait Caſſianus *l. 6. inſtit. cap. 13.*) *omni cuſtodia ſerua cor tuum, & ſecundum Dei principale mandatum ſolicitè ſerpentis obſeruare noxium caput, ideſt cogitationum malarum principia, quibus ſerpere in animam noſtram diabolus tentat: ne, ſi caput eius per negligentiam penetrauerit cor noſtrum, reliquum eius corpus ideſt oblectationis aſſenſus illabatur: quod procul ſi fuerit intromiſſum, morſu virulento mentem interimet captiuatam.* Sic S. Cyprianus *ſer. de ieiunio*, dicit: *Diaboli primis titillationibus obuiandum eſt, nec coluber foueri debet, donec in ſerpentem formetur.*

12 *Si virginitatem animæ integram ſeruare deſideras* (inquit S. Auguſtinus *lib. 50. hom. ho. 35.*) *quantum potes, obſerua blandimenta draconis, ne fortè, ſi incautus fueris, quinque ſenſus, qui in te ſunt, quaſi quinque virgines permittat à ſerpente corrumpi.* Hinc Paulus 1. Cor. 6. ait, *fugite fornicationem*: alia enim vitia pugnando; ſola libido fugiendo vincitur; ſcilicet fugiendo fœminas, obiecta, occaſiones libidinis, diuertendo oculos, & mentem, vt alia videat, & cogitet. nam ſi turpi cogitationi te opponas, & cogitationi repugnes cogitando, magis commoues Imaginationem eorundem, indeque carnẽ, & concupiſcentiam innatam, ac libidinẽ profuſam magis accendis.

13 Ad profligandas tentationes carnis conferet inſpicere exempla Sanctorum quo ad hoc nobis relicta; vt S. Benedicti, qui abiectis veſtibus ad hunc effectum ſe abiecit in vrticas, ac ſpinas, iiſque ſe tamdiu volutauit, donec per cutis vulnera eduxiſſet vulnus mentis: S. Bernardi, qui ad eundem effectum in vicinum lacum tempeſtate præfrigida deſiliit, in eoque immerſus collo tenus vſque eo conſtitit, dum exanguis omnem libidinis calorem extingueret: & S. Franciſci, qui ad talem finem chorda ſe atrociter verberauit dicens: *Eia frater aſine, ſic te decet manere, & ſic ſubire flagella*, poſteaque in medias niues ſe abiecit: qua pœna ſic ardorem extinxit libidinis, ait S. Bonauen. *cap. 5. vitæ illius*, vt deinceps tale aliquid minime ſenſerit: quod item in ſe ipſis experti ſunt S. Benedictus, teſte S. Greg. *l. 2. dial. c. 1.* & S. Bernardus, teſte Surio *in eius vita.*

14 Cùm in vita, & martyrio SS. Virginum pulcherrimas virgines ab impuriſſimis Tyrannis promiſſis, metu, & vi ad ſtuprum ſolicitatas, immò publico iudicio damnatas ſæpiſſimè legamus, nullam tamen violatam, ſed omnes Deo, & Angelis tutoribus virginitatem conſeruaſſe: merito ſperare poſſunt Moniales, quod, ſi pro ſua virili parte tentationibus venereis reſtiterint, Deus earum virginitatem proteget, nec ſinet eas à teterrimo hoſte ſubiugari.

15 Cum S Hieronymus *ep. 22. ad Euſtochium*, de ſe dicat: *Ille ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram* (ideſt Sylueſtri eremo) *ſcorpionum tantum ſocius & ferarum ſæpè choris intereram puellarum: pallebant ora ieiuniis & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſuum iam carne præmortua ſola libidinum incendia bulliebant:* quis ſibi non timeat, quis non perhorreſcat, quia non contremiſcat. *Grauem enim* ait S. Auguſtinus *lib. de honeſt. mul. ſortita eſt caſtitas inimicum, cui quotidie reſiſtitur, & ſemper timetur.*

16 Quod ait S. Leo *ſerm. 1. de nat. Domini, Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire, memento cuius capitis, & corporis ſis membrum: reminiſcere, quod erutus de poteſtate tenebrarum tranſlatus es in Dei lumen, & gloriam:* potiori ratione dici poteſt Religioſo suo conſenſu in violationem caſtitatis: qui ſibi item exprobrare poteſt illud Pauli 1. Cor. 6. *Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? abſit.* Certè Arnobius *lib. 4. con. gentes.* Iouem in cygnum, & taurum conuerſum ad explendas ſuas libidines ſic irridet: *O egregia merces culpæ; ô digna, & pretioſa dulcedo, propter quam Iupiter maximus cygnus fieret, & taurus: quid quæſo magis infame, ac ignominioſum?*

17 De S. Gorgonia ſorore ſua dicit S. Greg. Naz. *orat. de laudibus illius: Vnus illi rubor placebat, quem gignit pudor; vnus candor, quem parit abſtinentia: nam picturas, & oculorum fucos illis relinquebat, quib. pudori, & probro eſt erubeſcere.* Caueant ergo Moniales à fucis, pigmentis, aliiſque ſimilibus vanitatibus; immò nec nominentur in iis: cum, teſte *S. Hieronymo ep. 47. nitens cutis ſordidum oſtendat animum:* & iuxta conſilium *Tertulliani lib. de habitu fœminarum, mulieres honeſtæ, etiam coniugatæ ſumere debeant de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictos oculos verecundia, & os taciturnitate, inſerentes in aures ſermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Chriſti:* poſt quæ concludit Tertullianus, *Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.*

18 Caueat

18 Caueat Monialis, ne suo aspectu iniiciat iis, quibus cum agit, offensionis scandalum: memineritque quod ait S. Bernardus *de Grad. humilit.* loquens de Dina egressa, vt videret mulieres regionis illius Gen. 34. *O Dina*, inquit, *quid necesse est, vt videas mulieres alienigenas? qua necessitate? qua vtilitate? an sola curiositate? &, si tu otiosè vides, sed non otiosè videris; tu curiosè spectas, sed curiosius spectaris, quis crederet tunc illa m tuam curiosam otiositatem, vel otiosam curiositatem fore post non sic otiosam, sed tibi, tuis, hostibúsque tam perniciosam? en quàm facilè à curiosis aspectibus in perniciosos deciditur; sicque cauendum à curiosis, ne decidatur in perniciosos.*

19 Conferet plurimum ad euincendas carnis tentationes meditatio Passionis Christi, ideóque S. Augustinus *in manual. cap.* 32. ait nullum tam potens esse, & tam efficax medicamentum contra ardorem libidinis, sicut est mors Redemptoris. Quod confirmat Hugo de S. victor. *lib.* 3. *de ani. cap.* 23. dicens: *Quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem affici: toties pone ante mentis oculos,* quo modo Christus *in Cruce est Crucifixus pro te: intuere, quomodo à Iudæis traditur, & quam viliter pertractetur, blasphemetur, & colaphizatur, iudicetur, & condemnetur, expolietur, & flagelletur, ad vltimum verò contumeliis affectus inter duos latrones suspenditur, clauis Cruci affixus, sputis derisus, spinis coronatus, lancea perforatus ex omnibus partibus sanguis emanat, & inclinato capite emittit spiritum, ita Redemptor tuus moritur pro te, & tu nescis cuiusmodi sordida cogitatione sordidaris in mente?* Idem confirmat & S Bernard. *in formula honesta vita* his verbis: *Deus meus pēdet in patibu'o, & ego voluptati operā dabo.*

20 Confert item ad profligandas carnis tentationes meminisse nouissima hominis. mortem, iudicium, infernum, ac Paradisum iuxta illud Eccles. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Sicut* enim (inquit S Isidorus *lib. de summo bono) clauus clauum expellit, ita sæpè recordatio ardoris gehenna ardorem excludit Luxuriæ.* Sic etiam S Gregorius *lib.* 16. *mor. cap.* 31. *Nihil sic ad edomandum desiderium carnalium appetituum valet, quàm vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum, penset.* Quo modo pius Eremita Scythiæ ad extinguendam recordationem fœminæ defunctæ, cuius memoria sæpè ipsi recurrebat, ingressus eius sepulchrum partem putridi cadaueris inde abstulit, eámque pannis inuolutam seruauit ad sensum quemcumque libidinis fœtorem illum applicans naribus non minori victoria sui, quam sensus molestia.

21 Inualescente carnis tentatione Religiosus se ipsum sic compellat; *Si mox essem moriturus, consentirem ne huic tentationi?* minimè verò: cur ergo non facis modò, quod tunc faceres; cum mors sit certissima, & eius hora incerta? De quodam Sancto sene dicitur *in vitis Patrum*, quod, cum vidisset quendam ridentem, ei dixit: *Coram cœli & terra Domino rationem totius vita nostra reddituri sumus, & tu rides?*

22 Si Religiosus videat se esse in periculo succumbendi tentationi; benè ponderet hæc tria verba, *Nunc, Statim, Nunquam*: nunc possum mori: statim descendere in infernum; Nunquam inde exire; sicque reprimet vehementem impetum tentationis, Deo dante.

23 Conferet etiam ad euincendas tentationes carnis, quod Religiosus cor suum muniat signo Crucis, deuotè inuocet Sanctissimum nomen IESV, se commendet Beatæ Virgini MARIÆ, Angelo Custodi, Sanctis tutelaribus, attentè inspiciat imaginem Crucifixi; renouet votum Castitatis iam emissum; & aliquam breuem recitet orationem; qualis maximè est ea, qua vtebatur, S. Augustinus *lib.* 10. *confess. cap.* 29. *Continentiam iubes; da quod iubes, & iube quod vis;* & illa Isaiæ 38. *Domine, vim patior, responde pro me,* & similes.

24 Conferet denique ad carnis tentationes prosternendas fuga otij: nam multam malitiam docuit otiositas, ait Sapiens Eccl. *cap.* 36. & teste Ouidio, *Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.* quare ait S. Hieronymus *epist.* 4. *facito aliquid operis, vt te semper diabolus inueniat occupatum.*

QVÆRES XXIV. Quibus monitis incitari debeant Moniales ad perfectam Religiosæ Obedientiæ obseruantiam.

Respond. debere incitari sequentibus monitis; videlicèt. 188.

1 Meminerint, quod ait S. Bernardus *de pracep. & dispens. siue Deus, siue homo Dei vicarius aliquid iusserit, quodcumque illud fuerit, pari obsequendum cura pari reuerentia deferendum esse; vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Sicut ergo promptè, & libenter impleremus præceptum, quod fortè Christus imponeret nobis in specie visibili apparens; sic prompto, & alacri animo implere debemus præcepta Superioris; cùm is Christi personam repræsentet, & Christus ipse Lucæ 10. de eo dicat. *Qui vos audit, me audit; Quid enim interest,* addit S. Bernardus loquens de Deo, *vtrum ipse, aut per suos ministros, siue homines, siue Angelos hominibus innotescat suum beneplacitum.*

2 Quòd dicit Paulus 6. Ephes. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo cū bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus:* potiori ratione conuenit Religiosis; qui proinde non leuem Deo inferrent iniuriam, si eius iussa per Superiorem manifestata ægre, ac negligenter implerent, perinde ac si simpliciter obedirent homini; seque singulari meritò obedientiæ priuarent, si Superiori parerent ad eius fauorem aucupandum, & conciliandam beneuolentiam: ita vt de iis dici posset, *Receperunt mercedem suam* Matth. 6.

3 Religiosa obedientia maximè debet elucere in Religioso; quippe quæ, teste S. Gregorio *lib.* 35. *mor. cap.* 10. *sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit.* Quo modo in aliquibus Ordinibus in professione expressè promittitur sola obedientia iuxta regulam; sub voto obedientiæ comprehendo etiam votum paupertatis, & castitatis: ita vt Religiosus sine obediētia non sit verè Religiosus. Immò scapulare ipsū, quod Religiosi collo inijciunt, ipsos admonet obedientiæ, vt pote repræsentans iugū Christi, quod subit Religiosus per votum obediētię.

4 Obedientia facit aurea, & valdè meritoria quæcumque agit Religiosus: sicque S. Franciscus cedens Generalis officio petiit Guardianum, cuius voluntati per omnia subiaceret: aiebat enim tam vberem esse fructum obedientiæ, vt eis, qui iugo ipsius colla submitterent, nihil temporis sine lucro transiret: vnde & fratri, cum quo solitus erat itinerari, semper obedientiam promittere solebat, & seruare; vt refert S Bonau. *in eius vita* c. 6. Quare cibum sumere, curare corpus, ambulare etiam causa recreationis, & alia opera eiusmodi siue naturalia, siue etiam necessaria, si ex obedientia fiant, magnam apud Deum acquirunt gratiam, suntque valdè meritoria.

5 Obedientia, ait Climachus *gradu.4. eſt perfecta abnegatio propriæ animæ, & proprij corporis, mors voluntaria, vita ſine ſolicitudine, nauigatio ſine damno, ſepultura voluntatis, vita humilitatis, & quaſi ſi quis dormiendo iter faciat. Viuere in obedientia nihil aliud eſt, quam ſuum onus aliorum humeris imponere; natare ſuper aliorum vlnas, & ſuſtentari in aquis, ne mergamur, ſed ſine periculo hoc grande pelagus huius vitæ tranſeamus, & quidem breuiſſima nauigatione.* Quod ſi tot, & tanta bona proueniunt ea obedientia, an non illam toto affectu proſequi debemus?

6 Religioſum teneri obedire, etiam in rebus ſpiritualibus & in iis, quæ per ſe bona ſunt, docent S. Bernardus *ſerm.1. de conuerſ. Pauli*, dicens *Grande malum propria voluntas, qua fit, vt bona tua tibi bona non ſint*; & S Baſilius *in exhortat: ad vitam monaſticam*, his verbis: *Hoc apud te conſtanter teneto, vt nihil omninò quidquam præter illius* (ideſt Superioris) *ſententiam facias; quidquid enim, eo inſciente facis, id furtum, & ſacrilegium eſt, tibique exitium, non autem vtilitatem vllam apportat, etſi tu id bonum iudices.* Vt proindè Religioſi ea propria voluntate bona operantes cogantur dicere cum Iſaia c 58. *Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti; humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.* Caueat ergo Religioſus, ne contra Superioris voluntatem oret, ieiunet, corpus flagellet, & alia pia opera exerceat: hæc enim Deo non erunt accepta, ſed diabolo, cui ea cenſebuntur oblata tanquam ſacrificia abſque vllo merito operantis.

7 Obediendum eſt non ſolum Superioribus in capite, ſed etiam illorum Officialibus ſubordinatis in rebus omnibus ad ipſorum munus pertinentibus; ſi enim his non præſteiur integra obedientia, nec vlli Superiorum præſtaretur, quandoquidem vera obedientia non conſiderat perſonam, cui fit, ſed propter quem fiat: &, ſi propter ſolum Creatorem, & Dominum Chriſtum fiat, eidem omnium Domino obeditur Vnde nulla ratione conſiderandum eſt, an ſit coquus, vel Superior domus; an hic, vel ille ſit, qui iubet: quandoquidem non illis, nec propter illos (ſanè intelligendo) vlla obedientia præſtatur, ſed ſoli Deo, & propter ſolum Deum.

8 Caueat Religioſus, ne Superioris voluntatem ad proprios ſenſus trahat: nam *quiſquis vel apertè, vel occultè ſatagit, vt, quod habet in voluntate, hoc ei ſpiritualis Pater iniungat, ipſe ſe ſeducit, ſi ſibi quaſi de obedientia blanditur; neque enim in ea re ipſe Prælato, ſed magis ei Prælatus obedit*, vt loquitur S. Bernardus *ſerm. de 3. ordinibus Eccl. ad Patres in capitulo*; addens Religioſum, qui modo dicto inducit Superiorem ad præcipienda ei, quæ ſunt grata, & accepta, ſimilem eſſe cæco illi, cui Chriſtus *Marci 10.* dixit *Quid tibi vis faciam? qui verè cæcus*, inquit S. Bernardus, *quia non conſiderauit, non expauit, non exclamauit, Abſit hoc, Domine, tu magis dic, quid me facere velis; ſic enim decet, ſic omninò dignum eſt non meam à te, ſed à me tuam quæri; & fieri voluntatem.*

9 Quàm prompta debeat eſſe obedientia, oſtendit S Bernardus *ſerm. de obedientia*, dum ait. *Fidelis obediens neſcit moras, fugit craſtinum, ignorat tarditatem, præuenit præcipientem, parat oculos viſui, aures auditui, linguam voci, manum operi, itineri pedes, totum ſe colligit, vt imperantis colligat voluntatem.* Sic *p.6. Conſtit. Societatis noſtræ, cap.1. §.1.* dicitur, *Omnibus in rebus ad eius vocem* (ideſt Superioris) *quàm promptiſſimi ſimus, re quauis, atque adeo littera à nobis inchoata, nec dum perfecta relicta.* Vnde, dato ſigno adeundi chorum, aut refectorium, vel faciendi aliquam aliam obedientiam, dicere deberet obediens Religioſus cum Sanctis Magis: *Hoc ſignum magni Regis eſt, eamus & offeramus ei munera.* Sic etiam Albertus Magnus *lib. de virt. cap.3.* ait: *Verus obediens nunquam præceptum expectat, ſed ſolùm voluntatem Prælati ſciens, vel credens feruenter exequitur pro præcepto.*

10 Verus obediens ſemper debet optare, vt ſibi præcipiantur res ingratæ, difficiles, ac ſenſui repugnantes: quod indicat S. Gregorius *l.35. mor. c.13.* dicens: *Debet obedientia in aduerſis aliquid ex ſuo habere; & in proſperis ex ſuo aliquid omninò non habere.*

11 In eo conſiſtit perfecta obedientia, quod Religioſi non ſolum in executione externa eorum, quæ iniunguntur, integrè, promptè, ac fortiter pareant, & quidem cum humilitate debita, ſine excuſationibus, & obmurmurationibus; licèt difficilia, & ſecundùm ſenſualitatem repugnantia iubeantur: verum etiam conentur interius reſignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis, & iudicij habere; voluntatem, ac iudicium ſuum cum eo, quod Superior vult, & ſentit in omnibus rebus (vbi peccatum non cerneretur) omninò conformantes, propoſita ſibi voluntate, ac iudicio Superioris pro regula ſuæ voluntatis, & iudicij; vt dicitur *p.3. Conſtit. Societatis cap.1. num.23.*

12 Non repugnat perfectioni obedientiæ, quod Religioſus agnoſcens aliquid ſibi nocere, vel quid aliud neceſſarium ſibi eſſe circa victum, veſtitum, habitationem, officium, aut exercitationem, ea de re Superiorem moneat, duobus interim obſeruatis; nimirum vt Religioſus priùs ſe recipiat ad orandum, &, ſi poſt orationem putet rem debere deferri ad Superiorem, deferat; vbi verò detulerit, ſiue verbo, ſiue ſcripto, ei totam curam rei delatæ relinquat; quidquid ille ſtatuerit: optimum ducens, nec contendens, aut vrgens per ſe, vel per alium; ſiue res petita concedatur, ſiue non; vt habetur *pars.3. Conſtitut. Societatis noſtræ, cap.2. num.1.* In iſto autem caſu non eſt orandum obiter, & perfunctoriè, ſed coram Deo attentè conſiderandum eſt, an ad maiorem Dei gloriam expediat rem illam proponere, nec ne; & res ipſa debet proponi cum debita indifferentia abſque animo trahendi voluntatem Superioris ad ſenſum Religioſi petentis: qualis petitio fuit facta à Maria V. in nuptiis Canæ Galileæ, dum dixit: *Vinum non habent Io.2.* & à Sororibus Lazari *Io.11. Ecce quem amas, infirmatur.*

13 Religioſus ex eo quod Superior ei aliquid præcipit voluntati ipſius repugnans, non ideo debet contriſtari, aut de eo conqueri, aut obloqui; memor facta Superiorum oris gladio ferienda non eſſe, quamuis reprehendenda videantur: aliàs Superior non audebit præcipere vtilia ſubdito, ſed ei ſolum proponet, quod ei eſt gratius, ac iucundius: ſicque ſubditus non ſolum obedientiæ merito priuabitur, ſed etiam periculo æternæ ſalutis exponetur: Quod inſinuat Paulus Hebr.13. iis verbis; *obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri; vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expèdit vobis.*

Quod ait Seneca ep.94. *legem breuem eſſe oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emiſſa diuinitus vox ſit: iubeat, non diſputet, nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo: mone, dic quid me velis feciſſe; non diſco, ſed pareo.* quod, inquam, ait *Seneca*, ſæpè inculcandum Religioſis; qui iuſſa Superiorum non implent, niſi longa

perſua

persuasiona inducantur; ita vt Superior censeri possit cum iis potiùs disputare, quam iis præcipere. Quo modo S. P. Ignatius, cum dixisset se non dubitaturum absque velo, ac temis turbulento mari se committere, si ei id præciperet Superior; & sciolus nescio quis dixisset: *Quæ hæc prudentia foret;* respondit, *Viderit id, qui imperat; nec enim ad subditum spectat Prælati sui iussa discutere*, &c.

Quæres XXV. Quibus monitis incitari debeant Moniales ad vitanda commercia personarum sæcularium.

309. Respond. incitari debere sequentibus, & quidem, 1 Meminerint quod, teste S. Ambrosio *in exhortat. ad Virgines*, *decet solitudo verecundiam*, *& Gymnasium pudoris secretum est*. quod est dicere scientias quidem in publicis scholis excolendas esse, castitatem in secretis. Quo pacto quæ in latina editione dicuntur *Virgines* in scripturis Sacris, in Hebrea nominantur. *Abscondita*: quasi latebræ sint ita propriæ virginum, vt non aliunde melius, quam ab illis numen sortiantur.

2 Audiant, quod dicit S. Hieronymus *epist. ad Eustoch. de custodienda virginit. Tu semel sæculi onere prostrato, ait, sede ad pedes Domini, & dic, Inueni eum, quem quærebat anima mea; tenebo eum, & non dimittam. Semper te cubiculi tui secreta custodiant: semper tecum sponsus ludat intrinsecus: oras, loqueris ad sponsum: legis, ille tibi loquitur: ab eo audies: Hortus conclusus, soror mea sponsa, fons signatus: caue, ne demo exeas, & velis videre filias regionis alienæ: Dina sponsa corrumpitur: nolo te sponsum quærere per plateas*, &c.

3 *Dixi quidam* (ait Thomas de Kempis *lib. 1. de imitat. Christi cap. 20. num. 2.*) *quoties inter homines fui, minor homo redij*: hoc sæpius experimur, quando diu confabulamur: facilius est omninò tacere, quàm verbo non excedere; facilius est domi latere, quam foris se posse sufficienter custodire: qui igitur intendit ad interiora, & spiritualia peruenire, oportet eum cum Iesu à turba declinare: nemo secutè appatet, nisi qui libenter latet.

4 *Caueas tumultum hominum, quantum potes* (ait idem Thomas *supr. cap. 10.*) *multum enim impedit tractatus sæcularium gestorum, etiamsi simplici intentione proferantur: citò enim inquinamur vanitate, & captiuamur. Vellem me pluries tacuisse, & inter homines non fuisse*, sic ille: & bene; nam, vt ait Plato *lib. 5. de leg. Qui se improbis immiscet, necesse est eadem pati, & agere, quæ, tales agere, & loqui inter se didicerunt.*

5 Periculosa est conuersatio Monialis cum sæcularibus; quod enim dicebat Senior ille apud Moschum *in Prato spirituali, cap. 217. Sal ex aqua est, & si appropinquauerint aquæ, continuò soluitur, & deficit: Monachus similiter ex muliere est; itaque si appropinquauerit mulieri, soluitur & ipse, at que in id desinit; vt iam Monachus non sit*: hoc idem procedit de Moniali conuersante cum viro; & est eadem ratio de vtroque. Certè S. Epiphanus *hæresi 26.* censet Christum Ioann. 20. prohibuisse Magdalenæ, ne ipsum tangeret, vt nobis daret exemplum perfectissimæ castitatis, qua cautela agendum sit cum fœminis; nimitum coram aliis, & non seorsim: nam qui noluit tangi à Magdalena, cum esset sola, paulò post permisit de tangi in præsentia aliarum mulierum: vt hinc videant Moniales, quam exactè debeant curare, vt absque assistentia Auscultatricum non agant cum sæcularibus, & maximè cum viris.

6 Monialis, dum sæculares ad ipsam accedentes alloquitur, ea circumspectione loquatur, ac si Christus ex improuiso appropinquans iis dicturus esset, quod dixit Discipulis euntibus in Emmaus: *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem?* ideóque non nisi pios, ac Sanctos sermones misceat, qui deceant personam Religiosam; memor in die iudicij reddendam esse rationem de quocumque verbo otioso Matth. 12. quod si de verbo otioso, an non reddenda erit de detractionibus, & aliis peccatis; etiam grauioribus, quæ committantur à Monialibus in collocutoriis?

7 *Nemo vestrum parui æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis* (ait S. Bernardus *serm. de triplici custodia*) *siquidem tempus acceptabile est, & dies salutis: volat verbum irreuocabile, volat tempus irremeabile, nec aduertit insipiens, quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec hora pertranseat, donec prætereat hora, donec pertranseat tempus, donec prætereat hora, quæ tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio Creatoris indulget: donec transeat tempus quo diuinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem*, &c. hæc Bernardus quæ vtinam attentiùs meditentur Moniales, quæ adeò sunt addictæ sæcularium conuersationi, & ita frequentant collocutoria. Certè Paulus 1. Corinth. 7. ait, *Tempus breue est, reliquum est, vt & qui vxores habent, tanquam non habentes sint, & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui vtuntur, hoc modo, tanquam non vtantur.*

8 O si bene cogitaremus, quàm breue tempus sit agonis, & cursus nostri, quàm volet irreuocabile tempus, quàm ab hoc momento pendeat æternitas; quam feruidi, & assidui essemus in omni bono opere; quod enim modò negligimus, per totam æternitatem recuperari nequibit; quia breuî finietur omne tempus viuendi, agendi, merendi; iuxta Angelus, ait Ioann. Apocal. 10. *quia tempus non erit amplius*. Quod si de Tito Vespasiani filio refertur, cum quadam nocte serò meminisse, se nihil boni ea die fecisset amicis dixisse, *Hodie diem perdidi*: nos non putamus perire nobis horam, diem, momentum, tempus, ætates; cum otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem?

9 Nec solitudo monasterij Religiosis est adeò grauis, atque molesta, vt ad declinandam illius molestiam debeant se conuertere ad conuersationes sæcularium; nam S. Hieronymus *Epist. 4. ad Rusticum Monachum*, dicit: *Viderint alij, quid sentiant, vnusquisque enim suo sensu ducitur: mihi oppidum carcer, & solitudo Paradisus.* Quod confirmat S. Bernardus *Epist. ad Fratres de monte Dei*, dicens: *Nunquam minus solus, quam cum solus.* Confirmat & Thomas de Kempis *sup. c. 20. n. 5.* his verbis: *Cella continuata dulcescit, & malè custodita tædium generat: si in principio conuersionis tuæ bene eam incolueris, erit tibi postea dilecta, & gratissimum solatium.*

10 Solitudo amplectenda à Religioso, si attentè, ac fructuosè velit vacare orationi, ac meditationi: ex conuersatione enim habita cum sæcularibus multa audiuntur, ac videntur, quæ tempore orationis recurrunt, & animum innumeris distractionibus replent. Vt proinde Thomas de Kempis *supr. cap. 20. num. 8.* dicat: *Claude super te ostium tuum, & voca ad te Iesum dilectum tuum: mane cum eo in cella, quia non inuenies alibi tantam pacem: si non exisses, nec quidquam de rumoribus audisses, melius in bona pace permansisses.* Certè de quodam Eremita refert Cassianus *in monast. instit. l. 3. c. 32.* quod commissum

ad ſe literarum faſciculum ex Patria accepiſſet, illud ne reſignare quidem voluit, ſed in ignem coniecit dicens: *Ite cogitationes patriæ, pariter concremamini, ne me vlterius ad illa, quæ fugi, renocare tentetis.*

QVÆRES XXVI. Quibus monitis excitari poſſint Moniales ad auerſandum peccatum quodcumque mortale.

310. Reſpond. poſſe excitari ſequentibus monitis; nimirum.

1 Conſiderent ex vnico Adæ peccato quot millionum hominum morbi, fames, ærumnæ, neceſque prouenerint; quam multi, & paruuli, & adulti propter illud damnentur; quod Dei filius ad illud expiandum mori debuerit: & vbi voluptas ad peccandum ſolicitauerit, dicant, *Ego tantillo pretio mortem, & æternum pœnitere non emo.*

2 Conſiderent per vnicum peccatum mortale hominem è Dei gratia, amicitia, ac familiaritate exturbari, ſpoliari participatione meritorum Chriſti vſque dum pœnitentiam agat, exui donis Spiritus Sancti, ac virtutibus infuſis, amittere pacem, ac ſerenitatem conſcientiæ, priuari conſolatione Spiritus ſancti, participatione bonorum Eccleſiæ, merito, ac fructu bonorum operum, ac denique vita æterna. Rurſus homo per vnicum mortale peccatum fit capitalis Dei inimicus, diaboli mancipium, peccati ſeruus, reus æternæ damnationis, inſipiens, crudelis, ſordibus fœtens, & ſpiritualiter mortuus.

3 Si quis cum Simeone Stylite annos 49. vel certè 80. vt vult Baronius, ſteriſſet perdius, & pernox ſub die in columna faciendæ pœnitentiæ cauſa; cum Romualdo aſperrimè annos 100. vixiſſet in Eremo, per annos 38. ſumma patientia cum Virgine Liduina ſuſtinuiſſet moleſtiſſimas, ac grauiſſimas infirmitates cuiuſuis generis, & maximum peculium meritorum tam operando, quam patiendo lucratus fuiſſet: totum hoc meritum per vnicum mortale peccatum ipſi perit, niſi redeat in gratiam, & perinde eſt, ac ſi nihil boni vnquam feciſſet.

4 Si conſenſurus in peccatum mortale certo ſciret ſe, eo commiſſo, ſtatim proiiciendum eſſe in fornacem ardentem, ibique detinendum per horam; certè pro viribus reſiſteret tentationi, nec vllatenus conſentiret, idque etſi ſolum per horam in pœnam commiſſi peccati eſſet detinẽdus in olei ebullientis dolio: & conſentit homo in peccatum mortale ſciens ſe ſic exponi periculo ardendi per totam æternitatem in fornace ignis infernalis. vbi eſt conſilium; vbi prudentia; vbi ſapientia? Certè S. Edmundus Cantuarienſis dicebat ſe malle inſilire in rogum ardentem, quàm peccatum vllum ſcienter admittere in Deum.

5 Cum Aloyſia vxor Thomæ Mori ad ipſum Thomam ab Henrico VIII. Angliæ Rege ſubmiſſa fuiſſet in carcerem ad tentandum eius animum, vt Regis libidini aſſentiretur, eique ad hunc finem, ſuam, mariti, ac familiæ miſeram ſortem proponeret; alia ex parte ipſi oſtendens magnas opes, ac honores à Rege promitti, ſi conſentiret: *Quamdiu* (inquit Thomas) *ô Aloyſia, hiſce opibus fruemur?* ea reſpondente; *facile adhuc ad 20. annos, marite mi;* mox increpans, & indignans ille ſubiunxit: *Vade, ô ſtulta mercatrix, ego ne pro 20. annis modicæ fœlicitatis vendam annos æternos fœlicitatis cœleſtis? non ita deſipio, quin verò malo carcerem hunc tota vita, bonorum confiſcationem, opprobria, mortémque ipſam pati, quam æternitatem meam beatam prodigere.* Quod dixit Thomas Aloyſiæ; dicere debet homo propriæ carni, quoties incitatur ad mortale peccatum.

6 Peccatum mortale formidandum magis eſt, quam ipſe infernus: ſicque Eleazarus 2. Mach. 6. dicebat ſe malle præmitti in infernum, quam in peccatum: & S. Anſelmus teſte Edinero *in eius vita, lib. 2.* dicere ſolebat, ſi hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, & neceſſariò vni eorum immergi deberet, ſe priùs infernum, quam peccatum appetiturum. Quod idem S. Anſelmus repetit *lib. de Beatit. cap. 19.* his verbis: *mallem purus à peccato gehennam intrare, quam peccati ſorde pollutus cœlorum regna tenere.*

7 Peccatum mortale merito vocatur deicidium, & chriſticidium: cùm homo peccans mortaliter, quantum eſt in ſe, iterum Chriſtum crucifigat iuxta illud Pauli Rom. 6. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei.* Quæ maior impietas, ac ingratitudo? ſicut ergo ſumme auerſamur impietatem Iudæorum, qui Chriſtum mortalem crucifixerunt in Caluariæ monte; & iis pro viribus reſtitiſſemus, ſi licuiſſet; cur modò toto animi conatu non reſiſtimus peccato, per quod Chriſtus iterum crucifigitur; cùm id facere poſſimus, & teneamur.

8 Peccatum mortale inde etiam ſummopere auerſandum, quod S. Auguſtinus *lib 5. contra Iulian. c. 5.* docet peccata ſequentia eſſe pœnas peccatorum præcedentium (quod eſt dicere eſſe peccatorum inter ſe colligationem, & velut catenam, in qua alia ſint cauſa ſequentium peccatorum, alia pœnæ præcedentium) ſicque dicit: *Crimina criminibus vindicantur, & ſupplicia peccantium non tantum ſunt tormenta, ſed & vitiorum incrementa.* Quomodo Pſal. 80. dicit Deus: *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum; ibunt in adinuentionibus ſuis.*

9 Peccatum mortale eſt iniuria Deo facta ita grauis, vt licèt omnes homines, & Angeli vniuerſi ſpontè ſua omnia tormenta gehennæ per totam æternitatem paterentur, nunquam pro vno peccato mortali dignam pœnitentiam, & ſatisfactionem Deo præſtarent: ſicque ſolus Chriſtus id facere potuit; vtpotè Dei filius, ac verus Deus, cuius ſatisfactio ratione perſonæ, quæ eſt dignitatis infinitæ, eſt infinita, & æqualis, atque condigna iniuriæ infinitæ factæ Deo infinito: tanta eſt malitia peccati mortalis.

10 S. Anſelmus *lib. de ſimilitudinibus cap. 189.* oſtenſurus, quam difficilè corrigatur peccator habitualis, illum aſſimilat auiculæ filo diaboli ligatæ, & ait: *Inſtar huius pueri locatur diabolus cum peccatoribus, quos irretitos ſuis laqueis pro ſua voluntate in diuerſa vitiorum impedimenta pertrahit. Sunt enim multi auari, ebrioſi, luxurioſi, qui proponunt auaritiam, gulam, libidinem deſerere, & putant inſtar auis ſe liberè auolaturos: ſed quia prauo vſu irretiti ab hoſte tenentur, volentes in eadem vitia deijciuntur, ſitque hoc ſæpius, nec omnimodè liberatur, niſi magno conatu, & gratia Dei funis rumpatur prauæ conſuetudinis.*

11 Porrò ad vitandum peccatum mortale omninò neceſſarium eſt vitare occaſionem proximam illius: qui enim *amat periculum, peribit in illo*, ait Sapiens Eccleſ. 3. hinc ait Innocentius in Pſal. 37. *fuge perſonam ſuſpectam, locum idoneum, tempus aptum, & quidquid eſt opportunum ad faciendum peccatum: quia, ſicut difficile eſt in igne eſſe, & non ardere, ita difficile habere opportunitatem peccandi, & non peccare.* Quod confirmat Seneca *Epiſt. 117. ad Lucilium* dicens: *Quantum poſſumus à lubrico recedamus, in ſicco quoque parum firmiter ſtamus.*

QVÆRES XXVII. Quibus monitis incitari debeant Moniales ad auerſanda peccata etiam venialia.

Reſpond. Incitari debere monitis ſequentibus, videlicet, 311.

1 Cauen

1 Cauendum à peccatis venialibus, ne ruamus in mortalia: nam, vt ait S.Chryſoſt. *ho.87. in Matth. nemo repente ad extremam improbitatem inſilit, habet quippe inſitum quemdam anima pudorem, atque innatum, quem ſubito calcare atque proiicere non poteſt, ſed ſenſim, & paulatim ex negligentia perit.* Sic ille, & meritò, quia viſum ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, electionem conſenſus, conſenſus opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio, vt notauit *Gloſ. in c.31. Iobi.*

2 *Mirabile quiddam, atque inauditum dicere audeo,* (inquit S.Chryſoſtomus *vbi ſuprà,*) *ſolet mihi non nunquam non tanto ſtudio magna videri peccata eſſe vitanda, quam parua, & vilia: illa enim vt auerſemur, ipſa peccati natura efficit, hæc autem hac ipſa re, quia parua ſunt, deſides reddunt, & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generosè inſurgere: vnde citò ex paruis magna fiunt negligentia noſtra.*

3 *Sanè neſcio* (ait S.Hieronymus *Ep.14. ad Celant.*) *an poſſimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur: eſtque ille prudentiſſimus, qui non tam conſiderat, quod ſit, quam illum, qui iuſſerit, nec quantitatem imperij, ſed imperantis cogitat dignitatem.*

4 *Tu, qui dicis* (loquitur S. Auguſtinus *ferm.244. de tempore* de negligente peccata leuia) *quia paruum peccatum eſt; velim ſcire, quoties tale peccatum admittis; ſi tot paruulas plagas in corpore, & tot maculas, aut ſciſſuras in veſtibus tuis fieri velis? cum ergo nec in corpore tuo plagas, nec in veſte tua ſciſſuras, vel maculas fieri acquieſcis, qua conſcientia hoc facere in anima tua non metuis? ac ſi quicunque hoc fecerit, plus amat veſtem ſuam, & carnem ſuam, quam animam.*

5 In eandem ſententiam idem S.Auguſtinus *lib. de 10. chordis cap. 11.* ſic habet: *Attendite, minuta ſunt, non ſunt magna* (loquitur de peccatis venialibus) *non eſt beſtia quaſi Leo, vt vno morſu guttur frangat; ſed beſtiæ plerunque minutæ necant: ſi proiiciatur quiſquam in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? non ſunt quidem maiores, ſed infirma eſt natura humana, quæ etiam minutiſſimis beſtiis interimi poteſt. Sic & modica peccata attendite, quia modica ſunt, & cauete, quia multa ſunt.*

6 *Quando paruam animi perturbationem ſuſceperis, ne eam neglexeris, quod parua ſit; ſed conſidera, quanta mala pariat. nam ſi in domo paruum aliquid ſtuppæ accenſum viderimus, conturbamur, & tumultum mouemus; non enim attendimus initium, ſed ex initio finem conſiderantes monemur, & concurrimus, vt totum caminum extinguamus: hoc igne vehementius exedit animam peccatum.* ita S.Chryſoſtomus *in Pſalm 6.* Nec diſſentit S Auguſtinus *Epiſt.108. ad Seleucian.* dum ait, *Illa peccata, quæ humana fragilitas quamuis parua, tamen crebra ſubrepunt, quæ ſi collecta contrà nos fuerint, ita nos grauabunt, & oppriment, ſicut vnum aliquod graue peccatum. Quid enim intereſt ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur, & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat nauim, atque ſubmergat?* intellige, non quod multa venialia, vt talia exæquari poſſint vni mortali; ſed quod neglecta diſponant ad mortale; ſicut vulnus curabile, ſi negligatur, fit incurabile, &c.

7 Idem S. Auguſtinus *ſerm. 41. de Sanctis*, loquens de peccatis venialibus ait: *Quibus peccatis licèt occidi animam non credamus; ita tamen eam velut quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie replentes deformem faciunt, vt eam ad amplexus Sponſi cœleſtis aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant.* Hoc benè conſiderent Moniales; hincque intelligant, quod, ſicut toto conatu abſtinerent à venialibus, ſi certò ſcirent ſe ex iis fœdam contracturas ſcabiem in corpore; ita multò magis ea debent auerſari, ne in anima inficiantur ſcabie illa ſpirituali, de qua S. Auguſtinus hic loquitur.

8 Conſiderentur mali effectua, qui ex peccato veniali oriuntur, & ſunt: 1. obligare ad pœnam illius luendam, ſiue in hac vita, ſiue in Purgatorio: 2. animam ſordidiorem reddere: 3. imminuere charitatis feruorem: 4. animi vires debilitare: 5. retardare gloriam æternam: 6. minuere meritum, & gloriam vitæ æternæ: 7. diſponere ad peccatum mortale: 8. impedire augmentum gratiæ: 9. ponere obſtaculum deuotioni in orando, & progreſſui in vita ſpirituali: 10. diſplicere Deo, & Angelis: 11. placere dæmoni, qui inde arripit occaſionem nos perdendi.

9 *Quando parum deliquimus, aut etiam pigri, aut ſocordes fuerimus, ne illud parum negligamus: citò enim neglectum fit magnum. ita etiam veſtimentum ab initio ruptum, & neglectum per totum producit ſciſſuram; & tectum, ſi cum pauca tegula deciderint, fuerit neglectum, totam domum deiicit: nos ergo hæc conſiderantes, parua nunquam deſpiciamus, ne in magna incidamus.* Ita S.Chryſoſt. *hom.8. in 1. Cor.* idem confirmans *hom.19. ad pop. Antioch.*

10 *Diabolus non pugnat citò contra aliquem per grandia vitia,* (ait S.Hieronymus in Pſal.140.) *ſed per parua, vt poſſit quomodocunque intrare, & dominari homini, & poſteà eum in maiora vitia impellat: non per fornicationem, non per auaritiam, ſed per minora vitia ingreditur.*

11 Qua diligentia vitare debeamus peccata venialia, oſtendit S.Chryſoſtomus *ho.60. ſuper Geneſ.* dicens: *Scitis, quod hoſtem habemus perpetuum, & fœderis neſcium: vnde nobis magna vigilantia opus eſt, non aliter autem eum vincemus, quam ſi per vitam optimam ſupernum nobis auxilium conciliemus.* Quod confirmat *S.Baſilius in Conſtitut. monaſt. cap.2.* his verbis *Qui à Deo ſe optat iuuari, is nunquam deſerit quod addecet officium ſuum: qui autem hoc facit, is diuino auxilio nunquam deſtituetur:* quapropter danda in eo opera eſt, ne vlla in re conſcientia noſtra nos condemnet. Ita Sancti Doctores: & benè, cum iuxtà Theologos homo per peccata venialia ſe indignum reddat auxiliis illis ſpecialibus, ſine quibus de facto non reſiſtit tentationi, nec reſpondet diuinæ inſpirationi, adeoque peccat, & mittit bonum opus ipſi propoſitum: etſi vi gratiæ ſufficientis, quæ ei non deeſt, ſimpliciter poſſit reſiſtere tentationi, & reſpondere diuinæ inſpirationi: vt ergo Deus ſe nobis liberaliorem oſtendat in conferendis dictis auxiliis, ſimus & nos liberales in ipſum, abſtinentes pro viribus non ſolum ab offenſione eius graui, ſed etiam leui.

12 *Mens Chriſto dedita æquè, & in maioribus, & in minoribus* (ideſt peccatis) *ſciens etiam pro otioſo verbo reddendam eſſe rationem.* ita S.Hieronymus *ep.5. ad Heliodorum.* Præterquam quod etiam de venialibus luenda eſt debita pœna in Purgatorio, niſi in hac vita pro iis ſatisfiat.

QVÆRES XXVIII. Quibus monitis iuuari poſſint Moniales ad abigendos ſcrupulos.

Reſpond. poſſe iuuari ſequentibus monitis; & 312
quidem.

1 Iis proponendo aliquod ex illis remediis, quæ in *hoc ipſo cap. num. 24.* propoſuimus, eruntque valdè ſalutaria.

2 Conſidero

2 Consideretur cum Chrysostomo *homil. 6. in 2. Rom.* quàm benignum, ac longanimem se Deus ostendat in trahendis peccatoribus ad pœnitentiam: *Auersatis summe vocantem* (ait S. Doctor,) *& vndequaque allectantem; ac ne sic quidem de nobis ille pœnas sumpsit, sed adcucurrit ipse, ac restuantes, fugitantésque inhibuit: ipsi tamen ab illius manibus excussi ad Diabolum transfugimus; ac ne sic quidem destitit ille, sed & sexcentos rursus, qui nos hortarentur, misit Prophetas, Angelos, Patriarchas; at nos legationem non solum non admisimus, sed & legatos nobiscum agentes iniuria affecimus: ille autem ne per hæc quidem nos respuit, sed quod facere ij solent, qui vel vehementissimè per quem amant, negliguntur tamen, circumiens ad omnes adijt tum in cœlo, tum in terra, se se manifestans, congressusque nunc cum Hieremia, nunc cum Michea, non vt grauaret, sed vt defensione vteretur, vel super ijs, quæ in ipsum à nobis commissa fuerant: quin, & vnà cum Prophetis ad illos accessit, qui ipsum auersarentur, paratus etiam, ac postulans ad rationis reddendæ calculos descendere; cum autem ad omnia surdos ad colloquium secum trahens, popule mi, inquit, quid feci tibi, aut quid te attristaui, responde mihi?* hæc Chrysostomus, ex quibus ad solatium Monialis scrupulosæ sic licet differere: Si Deus per tot annos in sæculo tanto affectu nos secutus est, dum peccando illum fugiebamus, & auersabamur; an modo in Religione nos fugiet, ac deseret, dum totis viribus studemus illum sequi, benè operando iuxta eius præcepta. & consilia: apage; nefas est hoc credere, vtpote contrarium summæ eius bonitati, ac desiderio, quod habet homines saluandi.

3 *Cum quidam anxius inter spem, & metum fluctuaret frequenter* (inquit Thomas de Kempis *l. 1. de imitat. Christi cap. 25. num. 2.*) *& quadam vice mœrore confectus in Ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostrasset, hæc intra se reuoluit dicens. O si scirem quod adhuc perseueraturus essem: statimque audiuit diuinum intus responsum: Quid si hoc scires, quid facere velles? fac nunc quod tunc facere velles, & benè securus eris, moxque consolatus, & confortatus diuinæ se commisit voluntati, & cessauit anxia fluctuatio.* Quod autem isti tunc dictum fuit; nomine Dei inculcari debet Moniali scrupulosæ, vt timorem deponat diuinum bonitati confidens.

4 *Ad Dominum iam conuersos non nimium cruciet præteritorum conscientia delictorum* (dicit S. Bernard. *ser. 3. de SS. Petro, & Paulo*) *sed ita eum humiliet vos sicut & Paulum.* Monialis ergò scrupulosa; vbi debita diligentia confessa est sua peccata, non sit anxia circa illa, sed studeat dignos pœnitentiæ fructus facere; &, si anxietatem deponere nequit coram Deo se humiliet dicens modo cum Dauide Psalm. 118. *Bonum mihi quia humiliasti me*; modo cum Iosephi Fratribus Genes. 12. *Meritò hæc patimur, quia peccauimus*; modò cum bono latrone prope Christum crucifixo Lucæ 23. *nos quidem iuste, nam digna factis recipimus.*

5 Meminerit Monialis scrupulosa, quam sit *bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde*, Psalm. 7. & quod Ezechiel 18. ait: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor amplius.* non enim vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat; quippequi non venit vocare iustos, sed peccatores.

6 Monialis scrupulosa sibi persuadeat scrupulos plerumque immitti à Diabolo: & quidem eo fine, vt quos nequit inducere ad peccata manifesta, saltem peccare faciat ex conscientia erronea vi perplexitatum, quæ identidem iis suboriuntur; sicut de facto peccare facit non rarò.

7 Benè intelligat non posse quid imputari ad peccatum, quod non sit voluntarium, voluntarium verò non consistere in sensu, sed in consensu: vnde fit, vt delectatio possit esse in sensu, & tamen non sit culpabilis, eò quod desit consensus. Quare hæc duo benè debent distingui, sensus, & consensus: certóque credendum est solum sensum non sufficere ad peccatum, cum non sit liber, nisi accedat consensus: qui tamen in scrupuloso timorato non ita facilè debet præsumi.

8 Ingentem molestiam, quam patitur ex scrupulis, patienter sustineat, Deóque offerat in debitam præteritorum peccatorum satisfactionem, memor sic tanto minorem pœnam ipsi fore soluendam in purgatorio, ac proinde dicat cum S. Augustino: *Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.*

9 Meminerit certa constare experientia eos, qui in vita adeò vexantur scrupulis, Dei misericordia in morte summam animi tranquillitatem, ac pacem obtinere. quo modo Albertus Magnus glossans verba illa Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, hoc verbo *exclusiuè tantum*, dicit Christum nobis tristitia illa, quam passus est in horto Gersemani promeruisse, vt tristitia, quam fideles patiuntur ex scrupulis, duret vsque ad mortem exclusiuè; iis in mortem summam animi tranquillitatem consequentibus.

10 Consideret, quod, si Deus voluisset ipsam perdere in gehennam, & excludere ab æterna salute, illam non vocasset ad Religionem, nec tot auxilia contulisset ad comparandam cœlestem gloriam, sed eam è terra viuentium abstraxisset, & in locum damnationis æternæ deturbasset, dum viuebat in peccato mortali; quod vtique facere potuisset iustè: non fecit tamen, sed patiens, & misericors expectauit ad pœnitentiam: quod est signum nolle ipsum eius mortem, sed vt conuertatur, & viuat volens omnes saluos fieri.

11 Qua ratione dubitare quis potest, num Deus velit ipsum saluare, si ille, teste S. Dionysio *Areopagita epist. ad Demophilum cum ijs etiam, qui ipsum deserunt, amanter hæret, contendit, & rogat, ne indigni habeantur, & repellantur: delictis diffluentes, & temerè eos accusantes fert, atque ipse defendit, aut potius curationem pollicetur: eis, cum procul absunt, tamen accedentibus occurrit, & prodit obuiam, totósque complexus osculatur, nec superiora maleficia exprobrat, sed ea bona, quæ adsunt, diligit, festum diem agit, conuocat amicos, idest bonos, vt sit omnium lætantium habitatio.* hæc S. Gregor. & ex his quis non videat sentiendum de Domino in bonitate *Sap. 1.* Consentit S. Bernardus *epist. 107.* his verbis, *Nemo se amari diffidat, si iam amat: libenter enim amor Dei, quem præuenit, amorem sequitur: nam quo pacto redamare pigeat quos amauit nec amantes?* Consentit Blosius *in consolat. pusillanim. cap. 17. §. 1.* dicens; *Quantumcumque peccaueris, semper Dei misericordia in infinitum excedit tuas iniquitates; quantumcumque infirmus sis, semper illius benignitas adiuuare parata est tuam fragilitatem:* & *cap. 7.* dicit; *Tanta eius misericordia est, vt stuppa aliqua, siue lignum in immenso igne positum non tam cito incendi possit quam ipse peccatori veraciter dolenti peccata omnia condonare paratus est.*

12 Cum salus æterna hominis pendeat ex voluntate tum Dei, tum hominis; & aliàs nobis certò

constet

constet de voluntate Dei ex certissimo testimonio Pauli 1. *Tim.* 2. *Qui omnes homines vult saluos fieri*; si ipsi velimua saluari, iam sumus certi de salute: quippe quæ iam pendet ex voluntate nostra, qua velimus cooperari gratiæ Dei, quæ nobis non deest, immo in Religione superabundanter confertur; vt proinde dicatur Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

13 Moniali scrupulosæ prohibeatur lectio librorum, qui solent renouare scrupulos; & ne agat cum iis, de quibus dubitari potest, quod eam confirment in perplexitatibus: item e suadeatur, vt de peccatis præteritis ritè confessis non amplius cogitet, nisi in communi; memor consilij à Pinufio Abbate dati cuidam scrupuloso, quod refert Cassianus *collat.* 10. *cap.* 9. his verbis: *Quod dixisti te etiam de industria præteritorum peccatorum memoriam retractare, hoc fieri penitus non oportet; quinimmò, etiamsi violenter irrepserit, protinus extrudatur.*

14 Confugiat Monialis scrupulosa, dum vrgetur scrupulis, memor hominis scrupulosi figuram in Euangelio gessisse lunaticum à spiritu malo obsessum, qui nunc in ignem, nunc in aquam se iactabat (scrupuloso se iactante de vna cogitatione tristi in aliam) ideóque sicut ille non potuit curari, nisi in oratione, ac ieiunio ex Matth. 17. sic scrupulosum difficilè posse curari, nisi per orationem, ieiunium, & alia pia opera, in quibus se exerceat.

15 Si non iuuerint hæc monita, disertis verbis dicatur Moniali scrupulosæ infirmitatem scrupulorum oriri ex occulta ipsius superbia, eáque grauiorem omnibus peccatis per scrupulos in memoriam refricatis, nec posse eam curari, nisi sensum suum omninò abneget, se totam simpliciter submittendo iudicio Confessarij; sibi certò persuadens illum à Deo regi, adeóque ipsam teneri stare consiliis illius, cùm non sit ipse, qui loquitur, sed spiritus Dei, qui loquitur in ipso. Vnde fit, vt, sicut aquiesceret Angelo ipsi nomine Dei significanti, vt bono esset animo; sic & debeat acquiescere Confessario id ei attestanti nomine ipsius Dei; dicente Christo Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit*; cùm re vera vterque nomine Dei loquatur, &, vt Dei nuncius.

16 Meminerit se aliàs non semel vi vehementis alicuius imaginationis ipsius animo irrepentis falsò apprehendisse aliquid esse graue peccatum, quo postea, deferuescente falsa illa apprehensione, clarè cognouit non esse peccatum, adeóque trepidasse timore, vbi non erat timor: hincque in simili casu colligat, quod, sicut aliàs modo dicto fuit decepta, sic etiam hic & nunc similiter decipitur, ac proinde intrepida deponat timorem, immò & interdum operetur contra scrupulum; memor, quod sicut volens lignum distortum facere rectum, illud in contrariam partem inflectit; sic habens conscientiam per scrupulos distortam debet se inflectere in contrarium, vt debitam consequatur conscientiæ rectitudinem: vt aduertit Gerson. *in tract. de reg. mor.*

17 Recolat sæpe, quod dicit Blosius *in consulat. pusillanim. cap.* 1. §. 6. ex Taulero, *eorum scilicet, qui confessiones recipiunt, potestati, & authoritati fidem adhibendam esse, sicut verbis Domini, quibus ait, Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. in veritate dico, charissimi, vbi quis peccata sua ritè confessus adhuc remorsus ex iisdem in conscientia patitur, multo melius fecerit, si in hac parte Deo confidendo, & fidem virtute confessionis adhibendo eadem denuo non cõfiteatur, quam si iteret confessionem.* Ad quod faciunt, quæ habentur Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite*: si enim id seruandum à quibuslibet, multo magis à scrupulosis; &, si erga Scribas, & Pharisæos, multo magis erga viros probos, ac doctos, vt aduertit Bresserus *de conscient. lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 38. referens ex Antonino quemdam scrupulosum diuinitus fuisse monitum, vt consuleret discretos; & acquiesceret illis; addénsque S. P. N. Ignatium, cum valdè scrupulis vexaretur, nec precibus, ieiuniis, aliisque pœnitentiis ab iis liberari posset, tandem summam conscientiæ quietem consecutum fuisse, acquiescendo consilio, ac mandato Confessarij, vt deinceps quietus esset. Et hanc regulam inquit Bresserus *n.* 40. esse indubitatam, certissimam, & tutissimam, eamque scrupulosos sequi posse, & credere certissimam quasi articulum fidei absque omni peccandi periculo, imò cum magno merito (quidquid sibi videatur) cæco quodam modo captiuando intellectum, ac iudicium suum, & acquiescendo dictis, iudicióque aliorum; & hoc, licèt alij errarent: hic enim sibi errarent non scrupulosis. ita Bresserus.

18 Scrupulosus non debet secum disputare, an certissimè aliquid sit, vel non sit peccatum; hoc enim ei est perniciosum; sed. si primo intuitu non videatur id ita certum, liberè, ac fortiter reiiciat tanquam scrupulum; idemque faciat, si dubitet, an iurare auderet; nam eo ipso id ei non est certissimũ. ita Bresserus *supr. n.* 49. addens, etsi scrupulosus putet tam certò aliquod esse peccatum, vt auderet iurare, posse nihilominùs, imò debere Confessario contrarium dicenti credere.

19 Auertat scrupulosus fortiter, & constanter cogitationem, ac imaginationem ab omnibus spectantibus ad suum scrupulum eo ferè modo, quo auerteretur ab impuris obiectis: & ad hoc conferet continua aliqua occupatio, ac distractio intellectus ad obiecta læta, & aliena à scrupulis: & ratio est, quod cessatione actuum, quæ fit per dictam occupationem, habitus, & species scrupulosæ remittuntur, & tandem omnino pereunt; cùm è contra intendantur cogitationibus, & disputationibus scrupulosis scrupuli, vt habitus exercitio suorum actuum, visque imaginatiua lædatur forti, ac frequenti imaginatione præuia ad dictas cogitationes scrupulosas.

20 Confessarius cum Moniali scrupulosa numquam agat dubiè, ac obscurè, sed resolutè, & clarè; ne augeat scrupulos, dum vult curare: ne desperet, aut diffidat molestiam curare Monialis scrupulosæ, sed confidat in Domino, qui illuminat omnem hominem; eamque pergat curare in omni patientia, ac doctrina non solùm rediia propositis, sed suis precibus, aliisque medicamentis, quæ vnctio Spiritus Sancti edocebit: illam nunc reprehendat, iubeátque sibi obedire, si est importuna: nunc eam soletur, iubeátque bono animo esse; si est nimis pusillanimis; nunc totum eius periculum in se suscipiat, spondeátque se pro ea responsurum in die iudicij.

F I N I S.

FORMVLARIVM LICENTIARVM,

Quæ in Monialium Gubernatione communiter concedi solent.

IN gratiam Prælatorum, qui præsunt Monialibus, sequens apponimus formularium (quod aliquibus visum est desiderari ad complementum præsentis tractationis de Monialibus) & in eo referuntur formulæ licentiarum, quarum vsus in ordinaria Monialium gubernatione solet esse communis. Eas autem desumemus partim ex formulario Episcopali, quod refert Augustus Barbosa in fine codicis *de offic. & potest. Episc.* partim ex curia Episcopali Ferrariensis Ecclesiæ, cuius obsequiis, meorum Superiorum iussu anno. 12. deseruiui. Quod si in aliquibus harum formularum extant nonnullæ clausulæ, quæ videntur aduersari dictis in progressu præsentis tractationis: id inde prouenit, quod hic proponuntur formulæ, pro vt ab aliis referuntur: in ipsa verò tractatione earum clausulæ explicantur iuxta probabilem Doctorum sensum, & communiorem regionum consuetudinem; quæ, cum sit optimus legum interpres, vtrique potest ad dictarum clausularum explicationem deseruire. Porrò formulas hoc ordine proponemus, quem indicat sequens index.

FORMVLA I.

Institutionis Vicarij Monialium.

NOs &c. Dilecto nobis in christo Illustri, & Admodum Reuerendo N. salutem, & Benedictionem à Domino. Cum ex Sacrorum Canonum, sacrique præcipuè Concilij Tridentini præscripto inter cætera Episcoporum solicitudini commissa, Monialium regimen tam in spiritualibus, quàm etiã in temporalibus summoperè commendetur; Nosque ob graues, ac legitimas occupationes, quibus assiduè detinemur huic vni rei operam omnem impendere non valeamus; Monialiumque negotia vnum sibi pecculiarem exigant Ministrum, qui ipsorum coram gerat; maximeque intersit vniquique muneri proprium speculatorem adhibere, ac certos illi terminos præfinire; Idcirco de tua pietate, prudentia ac doctrina nobis in grauioribus negotiis diu probatis plurimum in domino confidentes; te in Vicarium, ac Iudicem Episcopalem omnium, & singulorum Monasteriorum, & conuentuum Monialium, Domorum, ad locorum piorum puellarum, ac cæterarum mulierum in communi viuentium, cuiusque Ordinis, regulæ, vel Instituti fuerint, nec non Domorum Expositorum, Orphanorum huius Ciuitatis, ac etiam Tertiariarum, & Pizochetarum cuiusuis Ordinis, & instituti (ad præscriptam tamen Sacri Concilij Lateranensis, ac aliorum Conciliorum, & Constitutionem Appostolicarum huius Ciuitatis, ac diœcesis) tam in temporalibus, quam in spiritualibus præsentium tenore eligimus, cõstituimus atque deputamus; facultatibus tibi, vt infrà, attributis. Primò igitur charitati, ac discretioni tuæ committimus, atque mandamus, vt ad Monasteria omnia, Conuentus,

Conuentus, Domos, & loca pia omnium Monialium, puellarum, ac mulierum prædictarum, vbi, & quando opus fuerit, tibique expedire videbitur, accedas, illarumque postulationes, ac querimonias audias, & componere procures. Canonicas sanctiones Sacri Trident. Concilij, Diœcesanarum synodorum, aliaque nostra decreta, statuta, regulas, & Ordinationes de regularum obseruantia, pietate, moribus, religione, regimine, bonorum administratione, ac clausura executioni mandari facias; pœnis etiam, atque censuris, vbi, & quando iustum fuerit, arbitrio tuo infligendis: Vt Moniales mediate obseruantia trium Votorum, Castitatis, paupertatis, & obedientiæ iuxta præscriptum Regularum Altissimo famulentur, prout Virginibus Deo dicatis conuenit, prospicias: decreta visitationis nostræ omninò seruari, ac exequi facias. De ipsorum Monasteriorum, ac locorum piorum statu, ac monasticæ vitæ disciplina diligenter inquiras, ac super his, & quibuscumque abusibus, nec non criminibus, excessibus, & delictis, si quæ deprehenderis informationes sumas, processus facias, sententiam proferas, ac exequutioni demandari cures, ac alia necessaria, ac oportuna geras, & exequaris. Ne personæ suspectæ, aut minus confidentes ad ingressum intra septa Monasteriorū, & locorum piorum admittantur, omnino prohibeas Facultates, & licentias ad crates, parlatoria, ac Rotas Monasteriorum, & locorum prædictorum, ac ibi præfectas, Abbatissas, & alias Moniales, ac sæculares puellas alloquendi tam maribus, quam fœminis, nullo autem pacto Regularibus, nisi seruata forma Constitutionum Apostolicarum, & decretorum Sacræ Congregationis Regularium, iustis tantum de causis, concedendas Ignotas personas, & non probatæ vitæ ad colloquium Monialium accedere ne permittas. Seuerè autem in eos, qui absque licentia ad Monasteria accedunt, Monialesve alloquuntur, animaduertas. Voluntatem puellarum, tàm quæ in Monasteriis ad educationem, quam quæ ad habitum, seu professionem admittendæ erunt, examines, atque explores, an sponte elegerint Monasticam vitam, an verò coactè, aut per metum in Monasteriis detrudantur. Instrumentis renuntiationum bonorum temporalium, quæ per ipsas fieri contigerit, intersis, ne coactè, aut per dolum ad ipsas compellantur; si vero causas iustas iudicaueris, maturo consilio adhibeas Decretum, licentiamque impertiaris. Parentibus orbatas, ac pauperes puellas tibi probatas, & benè visas in Domos, ac loca pia; cœteras autem fœminas in alias pias Domos ipsis deputatas recipi, & admitti, ac etiam iustis ex causis ex ipsis repelli, ac remoueri pro tua prudentia facias: expositos in orphanotrum domum admitti, ac illis nutrices constitui, ac necessaria suppeditari procures. Circa administrationem temporalium, Monasteriorum, & locorum piorum, ne quid illis detrimenti inferatur, sedulo inuigiles, illisque tum eleemosynas, tum quascumque pecuniarum summas vndequaque prouenientes, & locis piis applicandas arbitrio tuo, verbo nobiscum facto; de quo ex sola assertione tua legitimè constare volumus, iuxta eorum indigentiam dispenses, diuidas. Concionatores, & Confessores tibi benè visos, ad Confessiones tamen à nobis approbatos, deputes, ac deputatos remoueas, prout in domino videris expedire. Nullam ad religionis habitum, seu Monasterij ingressum admittas, nisi prius facto reali deposito penes publicum Bancatium dotis per ipsam Monasterio suo temporè actualiter tradendæ, ac pariter deposito alimentorum, nec non facta promissione, ac data cautione, soluendi vestes, & supellectilia iuxta cuiuslibet Monasterij laudabilem consuetudinem. Ne supra numerum cuique Monasterio præscriptum aliqua recipiatur, nisi habita licentia Superiorum, ad quos eam concedere spectat. Ne Abbatissa, seu Præposita, aut quouis alio nomine nuncupetur, vllo modo in Monasterio eligatur, nisi quadragenaria, & quæ saltem octo annos laudabiliter post professionem in eodem Monasterio vitam duxerit; vt quolibet anno computa, & rationes redditum Monasteriorum solidentur, administratoresque seu administrantes reliqua statim successoribus restituere cogantur. Et si quis, vel aliqua aliquid vsurpauerit, vel in administratione non se rectè gesserit, seuere puniatur: Legata pia, vsus, census, liuellos, annuas præstationes, ac omnia alia prædictis Monasteriis, ac locis piis debita per quascunque personas persolui facias, ac omnibus Iuris remediis recusantes compellas: lites omnes, ac controuersias per dicta Monasteria contra quascunque personas, & per quascunque contra ipsa Monasteria motas, & mouendas summariè, & de plano, sola facti veritate inspecta, quam primum expedias; literas, quæ ab Vrbe super negotiis Monialium, & locorum huiusmodi piorum emanare contigerit, debitæ executioni demandari, & sedulo obseruari facias. Denique vt in præmissis, & omnibus, & singulis aliis Monasteriorum, & locorum piorum regimen, & gubernium respicientibus Pontificias Constitutiones, Sacrorum Canonum, Sacri Concilij Tridentini, ac Diæcesanarum synodorum decreta, ac nostra edicta seruari facias, & insuper omnia alia, & singula in præmissis, circa præmissa dicere, facere, gerere, exercere, & exequi cures, quæ necessaria fuerint, & quomodolibet opportuna, contrariis quibuscunque non obstantibus. In quorum fidem has præsentes literas manu propria signauimus, & per infra scriptum nostrum Cancellarium subscribi, sigillique nostri, quo in talibus vtimur, iussimus, & fecimus impressione muniri Datum &c.

FORMVLA II.

Licentiæ proponendi Capitulo Monialium puellam admittendam ad Nouitiatum.

NOs, &c. Licentiam concedimus R. Matri N. Abbatissæ Monasterij Monialium S.N. proponendi Monialibus suis capitulariter congregatis puellam N. vt admittatur suffragiis secretis ad Nouitiatum intra præfatum Monasterium: cum ipsa in loco libero fuerit à nobis examinata, eiúsque voluntas sufficienter explorata. Volumus autem, vt præfata R. Abbatissa per literas ab ipsa subscriptas, & Monasterij sigillo munitas id, quod in hac re factum fuerit, statim ad nos referat. Dat.

FORMVLA III.

Licentiæ recipiendi puellam in Monasterio ad habitum Religionis.

NOs, &c. Cùm voluntatem N. diligenter explorauerimus, eámque liberam & piam esse quantum humano iudicio existimari potest, cōpererimus,

eandem quoque N. ætatem annorum X V I. expleuisse nouerimus, nihilque habere sciamus contra sacra decreta, & conditiones, ac requisita, iuxta monasterij Ordinis S. N. instituta, vidimus quoque fidem instrumenti depositi, & obligationis dotis, seu eleemosynæ monasterio debitæ, vbi professio legitimè emittatur, iuxta taxam annis superioribus præscriptam; licentiam & facultatem concedimus, vt ea in monasterio S. N. ad Religionem admittatur, recipiaturque, & professionem emittere valeat, cuius tempus Præfecta nobis ante mensem denunciet, sub pœna Concil. Trident. decreto expressa, & constitutum ex nunc fiat rursus, & quæconque alia, quæ in hoc genere decreta sunt, obseruentur. Dat. &c.

Formvla IV.

Licentiæ proponendi Capitulo Monialium Nouitiam admittendam ad Professionem Religiosam.

Nos, &c. Licentiam concedimus R. Matri N. Abbatissæ monasterij Monialium S. N. vt Monialibus suis capitulariter congregatis proponere possit R. N. Nouitiam in sæculo nuncupatam N. per suffragia secreta admittendam ad solemnem professionem: cum ea à nobis examinata fuerit, & approbata. Volumus autem, vt præfata Abbatissa per literas ab ipsa subscriptas, & monasterij sigillo munitas quidquid hác in re secretis suffragiis gestum fuerit, ad nos referat. Dat.

Formvla V.

Licentiæ recipiendi ad Professionem Nouitiam Capitulariter admissam.

Nos, &c. Concedimus licentiam Reuerendæ Matri N. Abbatissæ monasterij S. N. vt stante Superiore in Ecclesia exteriore ad fenestellam Sanctissimæ Communionis, & seruatis aliis Ordinibus præscriptis, possit recipere expressam, & solemnem professionem N. iam approbatæ, & faciat nos certiores in scriptis fidem gerentibus de die, & coram quo dicta N. emiserit professionem. In quorum fidem, &c. Dat.

Formvla VI.

Licentiæ visitandi monasteria Monialium.

Nos, &c. Tibi dilecto nobis in Christo Reuerēdo N. per præsentes facultatem damus, & mandatum visitandi omnia, & singula Monialium cœnobia ciuitatis, & diœcesis nostræ teque Visitatorem nostrum constituimus, vt nostra, & alia quacunque nobis competenti auctoritate, Canonicas sanctiones, & sacri Concilij Triden. nostræque diœcesanæ synodi decreta, aliaque statuta, regulas, & ordinationes de obseruantia Regulari, pietate, moribus, Religione, regimine, bonorum administratione, clausura, & aliis rebus omnibus in capite, & mēbris omnium & singulorum monasteriorum eorumdem, exequutioni cures, & facias mandari, sub pœnis ac censuris tuo arbitrio infligendis, vbi & quando iustum fuerit, licere tibi volumus. Item coërcendi, & cogendi omnes, & singulas vtriusque sexus personas in prædictis omnibus, & ad ea pertinentibus tibi potestatem facimus, atque ad huiusmodi visitationis acta nomine Cancellarij nostri recipienda, & conscribenda eligere, & assumere tibi liceat vnum, quem volueris ex N. N. & N. si qui tamen horum Notarij non sint, ad acta publica scribenda non adhibeantur. Postremò tibi etiam facultatem damus, vt causa, & occasione huiusmodi visitationis, quoties opus fuerit, septa & clausuram eorundem monasteriorum possis vna cum vno ex illis, quos superiùs nominauimus, tibi adiuncto comite, ingredi, cui etiam comiti eo casu intra eadem septa ingrediendi licentiam impartimus. Præsentibus ad beneplacitum nostrum, & donec reuocentur per nos dumtaxat duraturis. In quorum fidem, &c.

Formvla VII.

Licentiæ visitandi Monialium monasteria ex delegatione Apostolica.

Nos, &c. Dilecto nobis in Christo Reuerendo N. salutem in Domino, De tua fide, prudentia, ac in rebus gerendis experientia in Domino confisi, auctoritate Apost. nobis per diuersas literas tum Apostolicas, tum etiam Illustrissimorum DD. Cardinalium super reformatione specialiter concessa tibi per præsentes committimus, & mandamus, vt monasteria Monialium S. S. N. N. & N. Ordinis S. N. existentia in diœcesi N. prout expediens tibi videbitur, visites, & de ipsorum monasteriorum statu, ac ipsarum Monialium vita, & moribus, Regularibus institutis, ac monasticæ disciplinæ obseruantia diligenter inquiras, ac super his, & quibuscunque abusibus, ac non criminibus, ne excessibus & delictis, si quę deprehenderis, processus facias, informationes quascumque sumas, atque alia, quæ tibi ad aures cōmisimus, & quæcumque in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna fuerint, facias, geras, & exequaris. Super quibus omnibus, & singulis plenam, & omnimodam potestatem tibi concedimus, & impertimur. Mandantes omnibus, & singulis Abbatissis, Priorissis, Præfectis, & aliis quibuscunque superioribus dictorum monasteriorum, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis officiorum obtentorum, atque etiam censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis arbitrio tuo infligendis, vt mandatis tuis pareant, ne te in visitatione, correctione, aliisque per te faciendis quoquo modo impediant per se, nec per alios quouis quæsito colore, vel prætextu. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Formvla VIII.

Licentiæ pro Confessario ordinario Monialium.

Nos, &c. Licentiam concedimus tibi N. Præsbitero per examinatores nostros idoneo reperto, & per nos approbato, vt in Ecclesia, & monasterio S. N. Confessiones Monialium audire, & sæcularium etiam, si quæ in eodem Monasterio erunt, easque absoluere valeas, præterquam à casibus, & censuris nobis reseruatis, à quibus absoluendi facultatem cum opus erit, tibi impartiemur. In clausuram Monasterij non ingredieris, nisi superpelliceo,

pelliceo, & stola indutus, vt administres tantummodo S. Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis, & spiritualem opem agonizantibus præstes, quibus casibus sēper tuo hoc munere perfungeris, sociatus à duabus ex senioribus Monialibus quæ cum Confessiones audis, te etiam videre possint, licèt non audire. Caue, ne te Monasterij aut Monialis alicuius quibuscumque negotiis immisceas, nec ad crates, aut rotas colloquaris, nisi vt tantummodo petas, ea quæ Ecclesiæ cultui, & diuinorum Officiorum celebrationi, aut Sacramentorum administrationi sint necessaria. Vocatus tamen, vt aliquod præstes spirituale consilium, id effice ad crates, quæ clausuræ sint, præsentesque adsint Moniales auscultatrices, & non aliter, sub pœnis in Constitutionibus fel. rec. Clementis Papæ VIII. & aliorum Summorum Pont. inflictis, & arbitrio nostro infligendis. Te in Domino admonentes, &c.

Formvla IX.

Licentiæ pro Confessario extraordinario Monialium.

NOs, &c. Facultatem concedimus R.P.D. Ordinis N. vt possit tanquam Confessarius extraordinarius audire confessiones Monialium S. N. ex occasione festi N. seruatis tamen aliàs seruandis ordinationibus solitis: & hæc facultas valeat per dies.... Datum, &c.

Formvla X.

Licentiæ amplissimæ, etiam cum facultate casuum Episcopo reseruatorum pro Confessario Monialium.

NOs, &c. Dilecto nobis in Christo N Presbytero, tibi cuius vita, & morum probitas per testificationes nobis factas probantur, vt Monialium Monasterij S. N. Confessiones audire, eisdemque Ecclesiastica Sacr. ministrare possis; cum facultate casuum nobis reseruatorum, necnon prædicti Monasterij clausuram in casibus vrgentis necessitatis, atque Confessario aliàs permissis, ingredi seruatis tamen quæ in Concil. Prouincialis, & Synodo diœcesana nostra Sacerdotibus, & Confessariis Monialium præscripta sunt ad .... his nostris literis facultatem concedimus, & impartimur, &c. Datum, &c.

Formvla XI.

Licentiæ pro Confessario Monialium necessitate vrgente intra clausuram monasterij ministraturo Sacramenta.

NOs, &c. Tibi N. Confessori & Curato Monialium S. N. à nobis deputato licentiam concedimus, vt iuramento priùs præstito, si infirma fuerit aliqua Monialis, atque in lecto iacens de licentia Abbatissæ intùs superpelliceo, & stola, aliisque officio tuo necessariis tecum delatis, absque vllo tecum socio possis ingredi claustra dicti Monasterij, sociatus semper duabus, aut tribus grauioribus Monialibus ad id deputatis, & dato campanulæ signo, vt cæteræ omnes Moniales in tuo aduentu in Ecclesiam, aut cellulam suam se recipiant, tu ipse verò comitatus, vt supra, recta via accedens ad cellam ægrotantis ad Confessionem audiendam, interimque Cameræ ostium maneat apertum, peractáque Sacramentorum administratione statim discedas. Quod si contingat eam mori, & sepultutæ tradi debere, tunc etiam cœmeterium funeris causa ingredi possis, non aliter ac supra dictum est sub pœnis, &c. In quorum fidem, &c.

Formvla XII.

Licentiæ pro Capellano Monialium.

NOs, &c. dilecto nobis in Christo N. Tibi, vt asseris, ab omni obligatione libero, & cognita per examen literarum intelligentia, ac Sacrarum ceremoniarū peritia; his nostris literis facultatem damos Missæ sacrum faciendi in Ecclesia exteriori R. R. Monialium S. N. infrascriptis seruatis conditionibus: decentem habitum clericalem, & coronam ad præscriptum constitutionū synodalium semper deferes; cum Moniali aliquna, aut alia persona in ipsius monasterij clausura degente non loqueris sub pœna..... pro eleemosyna Missæ quotidianæ nihil amplius percipies, quam solitam eleemosynam: Missæ sacrum ne facias sine ministro idoneo, eóque decenti habitu induto. has autem nostras literas tibi ad menses ...... tantum suffragari volumus. Dat.

Formvla XIII.

Licentiæ pro Prædicatore Monialium.

NOs, &c. Tibi R. P. N. Ordinis S. N. à Superiore tuo, & à nobis approbato facultatem concedimus, vt in Ecclesia exteriori monasterij Monialium S N. quæ clausa sit, nullisque auditores præsentes adsint, exceptis Capellano, & socio tuo, possis ex suggestu Dei die ..... prædicare cum deuotione, & iuxta S. Ecclesiæ Romanæ doctrinam, & peracta concione statim ab Ecclesia discedas, nullo prorsus colloquio, aut quouis negotij genere ad crates, rotas, aut alia loca intermixto sub quouis pietatis, aut etiam consanguinitatis prætextu, nec munere vllo etiam minimo accepto iuxta formam Bullæ fœlicis record Clementis Papæ VIII. sub pœnis arbitrio nostro, &c. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Formvla XIV.

Licentiæ pro Syndico Monialium.

NOs, &c. Dilecto nobis in Christo N. Cum ex Sacri Concilij Tridentini præscripto inter alia curæ, & sollicitudini Episcopali commissa, Monialium regimen in temporalibus summopere commendetur: Nos aliis grauioribus curis impliciti volentes monasterio Monialium S. N. de viro idoneo, qui protectioni, curæ, & defensioni rerum temporalium præfati monasterij præesse debeat, prouidere; de tuis probitate, diligentia, zelo, & integritate plurimum in Domino confisi, te in eiusdem monasterij, Monialiúmque illius, Syndicum, & Curatorem cum facultatibus, & authoritatibus, ac præeminentiis hactenus consuetis, auctoritate nostra eligimus, constituimus, & deputamus; tibique præsentium tenore omnium, & singulorum monasterij prædicti bonorum, iurium, & rerum quarumcunque pro-

tectionem, curam, & defensionem, aliásque necessarias, & opportunas prouisiones quoad temporalia tantùm committimus, & demandamus; seruata tamen semper in omnibus forma, & dispositione tam eiusdem Tridentini, quam Episcopalium synodorum; nostrarúmque Constitutionum, seu decretorum, earumdémque Monialium formis, ac regulis: ita vt nihil in hoc munere præter solitum peragas, nisi prævio nostro beneplacito, & assensu, tibique etiam pro huiusmodi muneris executione, & non aliàs, aliter, nec alio modo, seruatis seruandis, licentiam, & facultatem, Moniales præfatas ad crates allocutorij tam publici, quam priuati pro negotiis propriis monasterij easdem Moniales à nobis ad hunc effectum dumtaxat permissi alloquendi quibuscumque diebus, & temporibus concedimus, & impartimur, præsentibus ad ...... tantum valituris. In quorum, &c. Datum.

Formvla XV.

Licentiæ pro Factore Vrbano.

NOs, &c. Tibi N. Factori deputato ad res omnes monasterij S. N. concedimus licentiam per annum duraturam, vt si aliquando ex magna necessitate oportuerit te ingredi septa monasterij (cum alioquin res & negotia tua ad crates in alloquutorio publico expedire debeas) vt tunc nonnisi post ortum Solis, & associatus duabus Monialibus senioribus deputatis, & dato signo campanulæ, recta via pergas ad locum, vbi opera tua fuerit necessaria, & quamprimum inde te expedire procures; ita vt omninò exeas ante occasum Solis, nec interim cum aliqua alia loquaris, aut literas, seu nuncium intus, vel extra deferas, & in omnibus iuramentum in manibus nostris, seu eorum, quos deputauimus, præstes, sub pœnis, &c.

Formvla XVI.

Licentiæ pro Seruo Communi Monasterij.

NOs, &c. Licentiam concedimus N. vt possit ingredi clausuram monasterij Monialium S. N. ad effectum .... ita tamen vt associetur à senioribus Monialibus ad id deputatis, cæteris Monialibus ex eius aspectu omninò secedentibus. Non ingrediatur autem monasterium ante signum Aue Mariæ dari solitum mane, nec ibi commoretur post signum Aue Mariæ vespertinum; ibi non comedat, nec bibat; ibique solum se occupet in rebus ad eius artem, aut exercitium pertinentibus iuxta necessitatem monasterij hic, & nunc occurrentem: non vagetur per monasterium; obseruet denique quæcunque alia in nostro generali edicto hac de re contine ntur. Hanc verò licentiam volumus durare ad menses ..... Datum.

Formvla XVII.

Licentiæ pro Medico, & Chirurgo.

NOs, &c. Tibi N. Medico licentiam concedimus ad annum duraturam, vt iuramento priùs præstito septa monasteriorum Monialium Sanctorum N. & N. ingredi possis ad curandum infirmitatem earum quæ in infirmaria communi in lecto, vel vbi ea non fuerit, in propria camera, in lecto iacent, nec ad crates se transferre possunt, iuraiurando te obstringentes, vt omni honestate seruata, non ingeras te in alias vllas res, nec cum aliis Monialibus, aut domicellis in monasterio manentibus loquaris, sed recta via eundo, & redeundo comitatus semper duabus grauioribus Monialibus ad id ab Abbatissa deputatis, præcedenteque semper ad tui ingressum campanulæ signo, & non nisi post ortum Solis ingrediaris, & ante occasum exeas, sub pœnis si contrafeceritis, &c. In quorum fidem, &c. Datum &c.

Formvla XVIII.

Licentiæ pro Operariis, Fabris, Baiulis, aliisq; Auxiliaribus, & Artificibus.

NOs, &c. Tibi N. Fabro lignario, seu baiulo, ac cæmentario, siue.... licentiam concedimus vt iuramento priùs præstito clausuram monasterij S. N. ingredi possis, sociatus duabus ad minùs Monialibus ex antiquioribus ab Abbatissa deputatis atque in eo opere tuam per dies .... præstare, quam quantocius perficere curabis, nec alia loca monasterij accedes, neque aliis te rebus, aut colloquiis vllo pacto immiscebis, tractando tantum cum Abbatissa, aut aliis deputatis ad illud opus, ita vt ante ortum Solis non ingrediaris, & ante occasum semper exeas, seruésque in omnibus præstitum in manibus nostris iuramentum, sub pœnis, &c. In quorum fidem, &c. Datum &c.

Formvla XIX.

Licentiæ pro Villicis, seu Colonis.

NOs, &c. Tibi N. villico monasterij S. N. licentiam concedimus, vt, quando res ad agros, & officium tuum pertinentes ad crates in allocutorio publico expedire non poteris, & frumenta, vinum, aut alia omninò necessaria intra clausuram erunt deferenda, tunc in hospitium tantum cum dictis rebus admitti possis, præsentibus Monialibus deputatis, vbi de aliis rebus quibuscunque extra officium tuum loqui non debeas, nec etiam ibi comedere, aut ampliùs quàm necessitas deponendi dictos fructus postulat, manere; cùm in factoris æde, vt possis cibum sumere tibi commoditas erit præbenda. Atque hanc ob causam ante omnia iuramentum præstare debebis in manibus eorum, qui à nobis sunt deputati, sub pœnis, &c.

Formvla XX.

Licentiæ pro Olitore, & alio Operario.

NOs, &c. Tibi N. licentiam concedimus per sex menses duraturam, vt iuramento priùs præstito, quando ab Abbatissa vocatus, necesse fuerit te ingredi claustra monasterij S. N. horti, aut viridarij colendi, seu fructus legendi, aut alterius similis operis causa non aliter, quàm recto itinere in locum deputatum pergas; post ortum Solis associatus semper duabus Monialibus senioribus ab Abbatissa deputatis, nec in alium locum transeas, nec cum alia vlla sub quocumque prætextu loquaris, aut literas, vel nuncium intus, siue extra deferas, sed in omnibus iuramentum in manibus nostris præstitum obserues, & ante Solis occasum exeas, sub pœnis, &c.

FORMV

FORMVLA XXI.

Licentiæ ad proponendam Capitulo Monialium puellam intra clausuram recipiendam causa educationis.

NOs, &c. Inhærentes facultate à sacra Congregatione super negotiis Episcoporum, ac Regularium nobis concessa, Romæ expedita sub die..... & ad nos directa licentiam concedimus R. Matri N. Abbatissæ monasterij Monialium S. N. vt ipsis capitulariter congregatis proponere possit puellam N. intra monasterium recipiendam in educationem, & secretis suffragiis admittendam. Volumus autem, vt Abbatissa per litteras ab ipso subscriptas, & monasterij sigillo munitas de eo, quòd hac in re gestum fuerit, nos faciat certiores. Dat.

FORMVLA XXII.

Licentiæ recipiendi in educationem puellam Capitulariter admissam.

NOs, &c. Licentiam concedimus R. Matri N. Abbatissæ monasterij S. N. vt puellam N. annorum..... intra idem monasterium educandam recipere valeat, cum his tamen conditionibus, & non aliter: nimirum vt habitet in loco separato seorsim à Monialibus professis, ac Nouitiis, ac pro puellis edocandis destinato, sub gubernatione Magistræ ipsis deputatæ, & non alterius Monialis, aut Sororis particularis: vt viuat cum aliis puellis educandis ex communibus pane, vino, & aliis cibis à præfata Magistra suppeditandis: vt ingrediatur eo vestitu, qui virginali pudori, ac modestiæ congruens; nullam secum famulam adducat; eandem sernet clausuræ, & collocutorij legem, quam Moniales ipsæ; &, si semel exierit, nullam habeat ad dictum monasterium reuertendi facultatem. Hæc autem licentia à nobis conceditur vigore facultatis per sacram Congregationem sub die..... nobis impartitæ, & à nobis recognitæ: & quod præfata puella ab ipsis Monialibus capitulariter secretis suffragiis fuerit admissa (prout nobis constat ex attestatione dictæ Abbatissæ) quòdque anticipate soluerit alimenta sex mensium (vt item nobis constat ex litteris......) certámque præstiterit fideiussionem N. ea modo dicto soluendi, vsque dum puella intra monasterium manserit educanda; vt constat ex instrumento rogato per infrascriptum nostrum Notarium, & Cancellarium. Dat.

FORMVLA XXIII.

Licentiæ ad proponendum Capitulo Monialium fœminam nobilem, eiusque socias, vt possint ingredi clausuram causa conuersandi cum Monialibus.

NOs, &c. Inhærentes facultati nobis concessæ à S. D. N. Innocentio X. per Breue expeditum Romæ sub die...... licentiam concedimus R. Matri N. Abbatissæ Monasterij Monialium S. N. vt ipsis Monialibus capitulariter congregatis proponere possit, & valeat Illustrissimam Dominam N. secretis suffragiis admittendam, vt ingredi possit præfati monasterij clausuram associata à Domina N. & Domina N. à dicta Illustrissima Domina N. ad talem effectum electis iuxta tenorem Breuis à S. D. N. Innocentio X. obtenti, ac expediti vt supra, ad inuisendas Moniales: & quidem ad quinquennium; ita tamen, vt vna vice tantum quolibet ex dictis quinque annis modo dicto ingredi valeat. Volumus autem, vt Abbatissa per literas ab ipsa subscriptas, & monasterij sigillo munitas de eo, quod hac in re gestum fuerit, certiores nos teddat. Dat.

FORMVLA XXIV.

Licentiæ pro fœmina nobili, eiusque Sociis electis, capitulariter admissis ad ingrediendum monasterium causa conuersandi cum Monialibus.

NOs, &c. Cum Illustriss. Domina N. vxor Illustriss. Comitis N. Fratris Eminentiss. ac Reuerendiss. D. Cardin. N. coram nobis sufficienter comprobauerit iuxta S. D. N. Innoc. X. concessionem ipsi factam, sub die.... expeditam, à nobis recognitam, ac registratam in nostra Episcopali Cancellaria, se esse vxorem dicti Illustriss. D. N. Fratris Eminentiss. ac Reuerendiss. D. Cardin. N. proinde. Nos inhærentes præfatæ concessioni licentiam concedimus præfatæ illustriss. D. N. vt associata à Domina N. Domina N. & Domina N. per dictam illustriss. Dominam electis (quæ modesto, ac decenti habitu indutæ ingrediantur, & semel electæ nec variari, nec mutari possint, nisi alicuius earum obitu euenientе) ingredi possit clausuram monasterij Monialium S. N. per quinquennium; vna tamen vice tantùm pro quolibet anno dicti quinquennij. idque attento consensu Monialium præfati monasterij capitulariter præstito suffragiis secretis; pro vt constat ex literis R. Abbatissæ dicti monasterij nobis exhibitis, & per nos recognitis, ac in Cancellaria nostra Episcopali repositis (non tamen Dominicis, seu aliis festiuis, aut vigiliarum diebus, neque Quadragesimæ, vel Aduentus temporibus) ac cum eisdem Monialibus conuersari, & refectionem etiam sumere corporalem: dummodò tamen Monialium particularium cellas præter eas, quarum causa dictum Monasterium præfata illustrissima Domina N. eiusque Sociæ electæ ingrediuntur, non visitent, eoque ipsa, & multò minus dictæ Sociæ inibi pernoctet; vt constat ex tenore præfati Breuis &c. Dat.

FORMVLA XXV.

Licentiæ pro Regularibus accessuris ad Moniales iuxta Vrbani VIII. indultum.

NOs, &c. Concedimus licentiam R. Patri N. vt die .... Mensis ..... hora ...... vnà cum R. N. Confessario ordinario R. R. Monialium S. N. possit accedere ad collocutorium earundem, ibique assistentibus ipso Confessario, & Auscultatricibus, loqui cum R. Sorore N. eius consanguinea in.... Gradu consanguinitatis, ad summum per duas horas; & non cum alia Moniali; licentia hac aliàs minimè suffragatura. Hanc autem ipsam licentiam præfato Confessario tradat, qui illam apud se debebit retinere, nec ea ipsi vllo modo suffragetur, si hoc ipso anno quatuor vicibus similem facultatem

cultatem iam obtinuit ad inuisendam, & alloquendam dictam Monialem. Aduertat demum, si ooo obseruet has omnes conditiones, se pœnis in decreto Sixti V. Nonis Maij 1590. edito eo ipso subiacere, & arbitrio sacræ Congregationis etiam seuerios puniendum, ac si nullam, ac si nullam licentiam obtinuisset. Dat.

FORMVLA XXVI.

Licentia pro Laicis accessuris ad Monialium collocutoria causa alloquendi illas.

NOs, &c. Coocedimos licentiam Domino N. vt possit horis congruis adire collocutorium Monialium S.N.ibiqoe loqui cum R. Moniali N.de rebus, ac negotiis hic, & nunc occurreotibus; non tamen die festiuo, aut tempore Quadragesimæ, vel Aduentus, vel Vigiliæ; & cum assistentia Auscultatricum ad monus hoc deputatarum iuxta oostrum generale edictum. Volumus aotem hanc licentiam durare ad meoses.... Dat.

FORMVLA XXVII.

Licentiæ pro Laicis accessuris ad Moniales sed solum ad Rotas.

NOs, &c. Licentiam cooeedimus N. vt horis congruis possit adire Moniales Monasterij S. N. eisque deferre res necessarias, aut eleemosynas; seruatis in reliquo conditionibus in edicto nostro generali hac de re edito contentis, & non aliter, nec aliàs. Hanc autem licentiam volumus durare ad Menses.... Dat.

FORMVLA XXVIII.

Iuramenti præstandi ab admittendis intra Monasteria Monialium.

EGo N. Sacerdos ætatis quadraginta anoorum Confessarius electus & deputatus monasterij S. N. polliceor & iuro, me eos tantum ob casus clausuram monasterij ingressurum, quos vrgens necessitas afferet, hoc est, vt infirmarum Monialium Confessiones audiam, iisdem Oleum Sanctum præbeam, earumdemque animas ex ritu S.Ecclesiæ commeodem, *(si Medicus fuerit, dicat,* vt infirmarum curationi vacem. *Si ex aliis, adiungat*, vt murum ædificem, *aut* panem coquendum feram, *vel* farinam afferam, *vel* vt tabulas accommodem, seu cancellos, aut ianoas, *& sic deinceps, prout vniuscuiusque erit ars, & occasio monasterium ingrediendi, quæ semper explicetur.)* Quibus casibus ita me habebo, vt oon nisi claro die ingrediar, & aote Solis occasum egrediar, & præter muous meum, quod ritè administrare curabo, nihil aliud omoinò in monasterio agam, neque colloquiis vllis vtar, sed egomet (*si Confessarius sit*) personaliter Stola indutus, & superpelliceo accedam (*si Medicus erit*) alios Medicos non docam, nisi qui aliis etiam monasteriis medeantur, & facultatem in scriptis de nouo pariter habeant, (*si alij, erunt*) neque colloquiis vllis vtar, ac ipsemet personaliter accedam, nec vllun meo loco mittam, nisi obtenta à Superioribus licentia in scriptis. Ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM,

QVÆ IN VTRAQVE POSTERIORIS huius Tomi parte continentur,

Primus numerus designat Tractatum, Secundus Caput, Tertius numerum Capitis.

A

Abbas.

Item

Nec

Plura

Si

Alimenta.

Idque

pro

Ab

Nisi

Notabilium.

Casus Reseruati, quoad Regulares.

At nec

Secus,

Ligatus

contenta

Famuli

Vetat,

Notabilium.

Confessio

Regulares

A solo

Contumacia.

Index rerum

Delegatus.

Delictum.

Tenet

Dispensatio Irregularitatis.

Moniales

Ecclesiæ Pollutio.

Ecclesiastici.

Educatio Monialium.

Effectus.

Surdus

Electio quoad Electores.

Et

At

Notabilium.

Excommunicatio quoad varia.

Ludens

Excommunicatio ferenda.

Excommunicatio quoad Moniales.

Excommunicationis Absolutio.

Exemptio Regularium ab Ordinario, quoad Ecclesias.

Indulta

Et,

Non

Filij

H

Honor.

Hora Canonica.

Non

Communi

Religiosi

Imò

Et

At

Absolutè

Assignatur

Contra

Est

Prohibentur

Sed

Libri.

Idque

Lites.

Literæ.

Littera Dimissoriales.

Litera Pœnitentiaria.

Literæ Protectionis.

Locatio.

Retinent

In

Miſſæ Auditio.

Miſſione.

Imò

Proles

Vide

Nouitia.

Item

Possunt

Ordo

Pafcha.

Pauperes.

Paupertas.

Paupertatis votum quoad Moniales.

Notabilium.

Ab

Pœna in specie.

Pœnale.

Pœnitens.

Pœnitentia.

Præceptum.

Prædicare.

Prælatus Regularis.

Poteſtas

Item,

Priuilegij Natura.

Priuilegij Concessio.

Priuilegij Communicatio.

Reuocatio

Non

Ad

Prohibentur

Ostenditur

Laici

Vt

Excommu

Excommunicantur

Multo

Notabilium.

Index rerum

Votum

Index rerum Notabilium.

FINIS.